image
not
available

8
25 M
5

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. IACOBI

DE BORDES

PRÆDICATORIS CAPVCINI,

ELVCIDATIO PARAPHRASTICA

APOCALYPSIS

BEATI IOANNIS APOSTOLI.

Cum Annotationibus permultis vtilibus ad difficiliorum locorum elucidationem adhibitis.

Opus Concionatoribus valde neceſſarium : Et Indicibus locupletiſſimis accommodatum.

TOMVS SECVNDVS.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum :
Et GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.
M. DC. LVIII.
CVM PRIVILEGIO CHRISTIANISSIMI REGIS.

Digitized by Google

825 H.5

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO PATRI

F. SIMPLICIANO MEDIOLANENSI,

Ordinis FF. Minorum Capucinorum Generali meritiſſimo.

EA eſt animi tui, Admodum Reuerende Pater, inſignis modeſtia, vt facilè mihi perſuadeam non tibi ingratum fore ſi poſtquam oſtenderim meam erga Epiſcopalem Ordinem religioſam obſeruantiam dum primum Tomum laborioſi mei Commentarij in Apocalypſim inter Epiſcopos eminentioris dignitatis viro plurimis titulis honorando D. D. Archiepiſcopo Rothomagenſi Normaniæ Primati dedicaui; nunc ad te recurram vt ſecundus Tomus in lucem prodeat. Totum hoc opus ſuper duos veluti polos, ſeu cardines, vt dixi, in Prologo totius Operis voluitur, quos in verbis Eccleſiæ Chriſti ſponſæ deſignari aſſerui, Dilectus meus mihi & ego illi. Primus Tomus Chriſtum vt ſolem ſponſam ſuis ſplendoribus colluſtrantem, & fouentem nobis propoſuit; nunc illam intueri lubet hoc lumine ſolis ita imbutam, vt ex ſe fulgentiſſimos emittat radios, ita vt optimè dicatur ſole amicta. Sint nobis Eccleſiæ Prælati ſummo Pontifici, vt par eſt, vt fulgeant addicti & adhærentes, per quos Chriſtus ſol myſticus Eccleſiam ſuam colluſtret; in quanam quæſo parte Eccleſiæ felicius eius radij fulgentiſſimi ſuſcipi poſſunt, niſi in illa quæ dici poteſt potior & eminentior pars gregis Chriſti?

Hanc eſſe nemo inficiet Religioſorum ſanctiſſimam cohortem qui S. Dionyſio fidem adhibere voluerit c. 6. de Eccleſiaſtica Hierarch. Summus, inquit, inter eos qui perficiuntur & non perficiunt eſt Ordo Monachorum generali virtute, & conuerſationis perfectâ caſtitate mundatus, & admittitur ad contemplationem intellectualem & communionem ſibi com-

Digitized by Google

petentem cuiuſlibet ſanctæ operationis, & adijcitur Epiſcoporum perfectiuis virtutibus, & diuinis illuminationibus & Epiſcopalibus doctrinis edocetur inſpicere ſanctificationes quibus perficitur ab ipſa ſcientia ad ſummam perfectionem ſurſum actus, iſta Dionyſ. Hi ſunt veri Dei famuli, propter purum & aſſiduum Dei famulatum; hi dicuntur Monachi ab vnitate, propter ipſorum vitam indiuiſibilem, & ſingularem quæ vnit eos ſimplicium contemplatione, & tractatu ad conformitatem diuinæ ſimplicitatis, & perfectionem Deo amabilem, vt loquitur S. Dionyſ. quod ſi propius accedant vt ab Epiſcopis in virtutibus perfici diuinis illuminationibus, colluſtrari Epiſcopalibus doctrinis edoceri poſſunt, nonne bene diximus hanc Religioſorum cohortem talem eſſe quæ felicius poſſit Chriſti radios per Epiſcopos in ſinu ſuo ſuſcipere?

Certe qui S. Thomæ axiomata attentè perſpexerit, facile admittet Seraphicum Ordinem Minoritanum non infimum locum tenere inter Congregationes Religioſas, nec non inter tres huius Ordinis Congregationes Conuentualium Fratrum de Obſeruantia, & Capucinorum (nec enim in hoc Ordine reponendi hi qui dicuntur Pœnitentes tertij Ordinis, qui S. Franciſcum tantum poſſunt habere vt Patronum, non vt Inſtitutorem in eo ſtatu in quo ſunt vota emittentes, non emittenda ab his quos S. Franciſcus admittebat dum viueret in ſuo tertio Ordine) In Congregatione Capucinorum inſigniter reperies ea quæ hunc Ordinem præcipuè nobilitant, ſiue finem huius Ordinis ſpectes, ſiue media ad finem conſequendum aptiſſima conſideres. Eximit me ab onere oſtendendi hunc Ordinem habere finem altiorem, & media efficaciſſima ad hunc finem Tractatus R. P. F. Boniti Combaſſon Sabaudi Minoritæ Conuentualis, & ſanctæ Theologiæ Doctoris editus anno 1628. iuxta exemplar Friburgi impreſſum, cui Titulus, Vera & dilucida expoſitio præſentis ſtatus totius Seraphicæ FF. Minorum religionis. Inueniet lector huiuſce tractatus Religionem Minoritanam eſſe de ſe perfectiorem ſtatum Religionis, quandoquidem & ad contemplandum, & ad contemplare alios docendum eſt ordinatus; in quo ſtatu ille autor vult familiam Capucinorum, alias Minorum familias ſuperare, cùm ait: Nec eſt dubitandum quin. P. P. Capucini inter omnes Franciſcanos primatum teneant: perfectius namque S. Franciſcum in omnibus imitantur, quod probare ſe velle profitetur. Illæ, inquit, tantùm ramos, Capucini verò arborem magnum conſtituunt, Iſtæ vnam aut alteram nationem incolunt, Capucini autem per totum orbem ſe extendunt, ſeueriùs diſciplinam S. Franciſci cuſtodiunt, vel Vrbano VIII. Summo Pontifice felicis recor-

Hæ tres Minorum Congregationes ſolæ agnoſcũtur à Concil. Trid. Seſſ. 25. c. 3. de Regularibus.

Ita R. P. F. Bonitus Combaſſō Minorita Conuentualis pag. 76.

dationis teſte, in Epiſtola ad Fratrem Germanum miſſa, dum cum ab humili ſtatu Minorum ad apicem Cardinalatus euehere voluit, ſolidioremque ac firmiorem ordinem gubernandi habeant. Hæc ab eo authore emendicata ſufficiant, ne ſermonem in longum protraham: Addendum tamen, quòd ſi comparatio fiat ſtatus Religioſorum cum ſtatu Curatorum vel Archidiaconorum, Tibi admodum R. P. in nullo detrimentum pati contingit; poteſt ſiquidem hæc comparatio fieri ſecundùm S. Thomam in tribus, in ſtatu, in ordine, in officio: in ſtatu, Religioſi ſunt Superiores; in ordine plurimi Religioſi ſunt ſacerdotes, & ideò æquales. Illis igitur non eris inferior: nam cùm Eccleſia, & ſacroſancta Concilia Religioſos admittant in numero ſacerdotum, cùm mûnus prædicandi illis imponant, cum facultatem præbeant adminiſtrandi Sacramenta in caſibus à iure conceſſis, vt ſic Deo volente per Eccleſiam ſint opitulationes Gubernationum; id eſt, Bonauentura interprete, ſint Prælatorum cooperatores in procuranda fidelium ſalute, & Superiores ipſorum poſſint recipere iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem in ſibi ſubditos, non video quomodo adm. R. P. qui pluſquam viginti duo millia fratrum habes tibi ſubditos, talis non ſis, qui radios ſolis in Eccleſiæ Epiſcopis, & maximè in ſummo Pontifice collucentis toto hauſtu non excipias; & cùm non modò dignitate, & authoritate in hac Religione (quæ quantò plus à terrenis abſtrahitur, tantò facilius ad cæleſtia lumina capeſſenda fit aptior, & Epiſcopali dignitati perficienti euadit proximior) ſed inſuper nobilitate generis, ſcientia ſingulari, pietate inſigni, affabilitate amabili tanto Gregi digniſſimè præſis, Charactere tantum indelebili, & inſigni Epiſcoporum à ſtatu perfectionis ipſorum diſtas, eiſque ſis proximior, vt Monachus, vt Religioſus, vt ſacerdos, vt Prædicator, vt curam animarum gerens, vt moribus præditus quales in Epiſcopis eſſe exoptabat Apoſtolus ſiue 1. ad Timoth. c. 3. ſiue ad Titum c. 1. & ſic iuxta Dionyſium Epiſcoporum perfectiuis virtutibus, & diuinis illuminationibus, & Epiſcopalibus doctrinis eos cum Patre Seraphico in ſummo honore habeas: Seraphicus etenim Pater neſcio quâ filiali fiduciâ ad Epiſcopos accedebat, vt ſi aliquam repulſam forte pateretur, ſemper tamen eis vellet adhærere, eorumque genibus prouolui. Hoc experientiâ didici, cùm enim eſſem Gardianus in Conuentu noſtro Conſtantienſi, & voluiſſem pro parte mea, ne noſtra erga Epiſcopalem dignitatem obſeruantia, & illorum erga nos beneuolentia, & charitas paterna aliquod detrimentum paterentur, memor illius dicti S. Gregorij Nazianz. oratione 2. de Pace, exiguum quoddam concedamus, vt quod maius eſt re-

cipiamus, nimirum concordiam; cedamus vt ſuperemus, videre palæſtræ leges, athletarum certamina, qui ex eo plerumque quod humi iacent, iis qui ſupra ſiti ſunt victoriam extorquent. Ita ille cùm zizaniorum ſator quædam pro tunc diſcordiæ ſemina ſpargere tentabat, iuxta cap. Concilij Viennenſis Archiepiſcopo de exceſſibus priuileg. inſtanter & obnixè rogaui Dominum Epiſcopum Conſtantienſem vt Miſſam ſolemniter & Pontificaliter celebraret in noſtra Eccleſia in die S. Patris Franciſci; cùm meæ poſtulationi annuiſſet, hoc ab aliquibus iudicatum eſt aliquod inurere præiudicium noſtris priuilegijs: rem apud tuam Reuerendam paternitatem ſimpliciter expoſui, cùm eſſet pro tunc digniſſimi officio Procuratoris Generalis in Curia Romana fungens. Tu, ſapientiſſime Præſul, dignatus es mihi reſcribere omnia à me prudenter & laudabiliter facta fuiſſe; quæ ſanè reſponſio præterquam omnes motus concitatos aut concitandos compeſcuit & ſopiuit; indicium eſt euidentiſſimum nihil tibi tantoperè in votis eſſe pro ſplendore Religionis, pro vtilitate fidelium, quàm vt tui Religioſi ſemper ita ſe gerant, vt non modò nihil faciant quod eorum indignationem commoueat, imo potius vt totis viribus conentur, prout fieri potuerit, eorumdem amicitiam, & beneuolentiam conciliare. Confidenter ergo tibi hunc ſecundum Tomum dedico, & conſecro, qui nunc officio Generalatus Capucinorum fungens pleniſſimè lumen diuinum ab Epiſcopali ordine, & ſummo Pontifice mutuaris.

Nunc mihi liceat interpreti libri, qui ferè totus ænigmaticus eſt, aliquo emblemate vti, vt pleniùs mentem meam aperiam, & te quanta poſſum reuerentia colere & obſeruare oſtendam.

Ducum Mediolanenſium ſchema gentilitium ſiue inſigne volunt eſſe, in quo ſerpens cæruleus in aureo æquore infantem rubore tinctum euomens aut deuorans conſpicitur. Eſto hoc ſtemma nobile quibuſdam Imperatorem Regemque deſignet, ſiue quia circumlatus in orbem Regni ac Prouinciæ ſe complecti omnimodam curam ſignificet, ſiue caudam mordicus ore tenens eum velint meritò eſſe Regem, qui finem actionum omnium, & conſiliorum ſibi prudenter, & acuratè proponeret, cuique vltima, imò verò minima curæ eſſent; ſiue quia oportet Principem vigilem eſſe, vt ſit verè cuſtos & tutelaris; quod innuebant Antiqui ſerpente vigili, ſurrecto vertice, elato pectore, quod Homericum illud, vt refert Alciati commentator, declarat.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Non decet conſultorem tota nocte dormire.

Certe mundi honores, Principatus & dignitates contempſiſti

vt humilem pauperrimi Minoritæ ſtatum eligeres: ſed ſi humanas fugiſti dignitates, ecce de cælo datur tibi excellentior principatus, qui pro fine habet non temporariam pacem, & tranquillitatem, ſed æternam tuorum ſubditorum pacem, & ſalutem: eos omnes nullo neglecto regis cum ſumma ſollicitudine, & charitate ingenti complecteris: ſi quid eis præcipis, ſi quid prohibes, ſi quid concedas, ſi quid deneges, hoc non facis quaſi fortuito, aut imprudens, aut de ea re nihil cogitans; hoc finem & ſcopum habet, Dei honori, fratrum ſaluti, Religionis ſplendori conuenientem & aptum, vigilas inſtanter ſuper tui tuorumque cuſtodiam; & dum alijs inſeruis, primam charitatem non deſeris, memor dicti Domini, Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autē detrimentū patiatur? & dum tibi attendis, nullius qui tuæ curæ à Deo commiſſus eſt, obliuiſceris, omnium ſaluti & ſolatio temporali inuigilas, eiſque ſolamina præſtas, quibus ſuauius iugum Chriſti ſuper humeros ſibi impoſitum portare valeant.

Hoc ſchemate etiam deſignari voluerunt, qui in arte quadam ingenio polleret, vt qui artem omnem complecteretur, & ad quid eſſet vtilis Reipublicæ prudentèr cerneret; ad quam artem & comparandam & exercendam vigilantiâ non mediocri opus eſſet. Vulgare eſt illud, ſed veriſſimum: Ars artium, regimen animarum. Et optimè S. Gregorius Nazianz. cùm homini difficile ſit ſcire parere, tum multò difficilius eſſe videtur ſcire hominibus imperare, ac preſertim in hoc noſtro imperio, quod in lege diuina ſitum eſt, & ad Deum ducit, cuius quò maius eſt faſtigium, maiorque dignitas, eò etiam maius eſt periculum: ita ille. At notū eſt te hac arte pollere, cùm toties fueris Definitor, & Prouincialis, & Viſitaror Generalis, & Procurator in Curia Romana, & tandem ad Generalatum cum tanto applauſu promotus. Sed præſentio in qua ſchola & Academia hanc artem didiciſti? Serpentis ſchemate dicere volebat ſe eſſe Iouis filiū Alexander Magnus; eodem etiam innuebant Palladem de capite ortum Iouis, vt vult Alciatus. Denique aſſerebant quædam in Aſia eſſe genera ſerpentum, quos ore parere opinio vulgi aſſerebat. ſi per ſerpentem prudentiam & ſapientiam intelligas, dico à Dei: ſapientia Regiam & Imperatoriam à Deo eſſe: Omnis enim poteſtas à Deo. Dico omnem artem, induſtriam, prudentiam, ſcientiam, ſapientiam ab eo eſſe, qui per ſerpentem voluit deſignari, qui exaltatus eſt à terra, vt nos ad ſe traheret. Ab eo proculdubio hanc artem regiminis animarum didiciſti, qui cœpit facere & docere, qui ſuo exemplo nos docuit quid nobis eſſet faciendum: Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. vnde appoſitè hic ſer-

Digitized by Google

pens eſt cæruleus in aureo æquore, vt vult Alciati Commentator, quia ſapientia, & ars gubernandi, quam à Chriſto didiciſti, non eſt illa à S. Iacobo proſcripta & damnata, terrena, carnalis, diabolica, & maligna; ſed cæleſtis, ſpiritualis, pudica, pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione, ex notorietate facti aut legitima probatione iudicia exerces cum omni ſinceritate, prudentiam & ſimplicitatem ſimul coniungens, iuxta illud Domini: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. O quàm felices ſunt, qui Chriſtum imitari conantur, vt dicant, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Hi certè Chriſtum, ſi dicere liceat, glutientes, nihil niſi Chriſtum loquuntur & prædicant. Hoc ſchema noſtrum nobis innuit, dum ſerpentem iſtum cæruleum videmus puerum rubore tinctum vel deglutire, vel ex ore promere; puerum, inquam, illum, qui natus eſt, & ſuper cuius carnem ſeu veſtimenta aſperſus eſt ſanguis pro nobis effuſus, iuxta illud Iſaiæ c. 63. Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, te Chriſti imitatorem & ſectatorem nos exhortantem vt eius innocentiam, munditiem, ſimplicitatem, charitatem, vſque ad proprij ſanguinis effuſionem, & vt efficiamur ſicut paruuli, vt digni reddamur regni cælorum. ſic reuera es ſerpens infantem Chriſtum ore promens, & in nobis eum generans, poſitus in planitie æquitatis & in aureo æquore maris tum ſapientiæ, tum charitatis. Sed calamum retinere non poſſum, quin aliud inſuper adducam Emblema quod habuit Galeatius Viſconti Caſtelli cuiuſdam, & pontis Ticini conſtructor, ait Paulus Iouius, opus antiquorum Romanorum magnificentiam redolens, vt ſe diceret & belli & pacis Moderator (Titio nempe accenſus cum duobus vaſculis aquâ plenis) illud vſurpo, vt dicam lampadem ardentem tuæ Charitatis non extingui aquis tot laborum quos exantlare cogeris, in curſu tuæ viſitationis, nec æſtu, nec frigore, & aliis aëris incommodis aut ſcabroſis viarum aſperitatibus deterritus, quin in cæptum opus perficias alacriter. Sed aliud quid maius in hoc emblemate inuenio.

Familiare eſt in ſacris ſcripturis per ignem zelum, per aquam ſcientiam, doctrinam & prudentiam deſignari. De primo, Pſal. 78. Accendetur velut ignis zelus meus, Ezechiel 36. Quoniam in igne zeli mei locutus ſum. Sophoniæ 1. & 3. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra. De ſecundo, Iſaiæ ij Repleta eſt terra ſcientiâ Domini ſicut aquis maris operientes. Et Eccleſiaſt. 15. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & c. 39. de viro ſapiente dicitur; Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit eum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ

ſuæ,

ſuæ. Et paulo poſt, In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries, & in ſermone oris illius ſicut exceptoria aquarum, quoniam in præcepto eius placor fit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius. Et Prouerb. 20. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud. At optimè dicit verſu 15. Eſt aurum & multitudo gemmarum & vas pretioſum labia ſcientiæ.

Certè, admodum Reuerende Pater, nemo, vt puto, inficias ire poterit te zelo honoris Diuini & ſalutis fratrum tuorum accendi ſplendore Religionis, cuius es digniſſimum caput, inflammari; at zelum iſtum non habes ſimilem zelo illorũ, de quibus Apoſtolus ait 10. Rom. quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Temperatur iſte ignis aquâ ſcientiæ, aquâ ſapientiæ tanquam duobus aquæ vaſculis, cum igne colligatis; labia tua aurum optimum ſpirant, multitudinem gemmarum denique vas ſunt pretioſum ſcientiæ; quidquid enim Charitati Dei & proximi conſonum, quidquid ad virtutum omnium munimen neceſſarium eſt, profers; & ſi iudicia tibi exercere contingat, hoc totum ſecundùm quod iuſtitiæ leges & iura præſcribunt, à iuſtitiæ tramite, nec ad ſiniſtram, nec ad dexteram declinas, odio vel amore ductus, & pro modo inſignis ſapientiæ tuæ, ſi quid decernendum eſſet alicui ingratum hoc iſta temperas, vt medicina debilitati ſtomachi coaptetur, itavt alacriter poculum exhauriat; qui illa opus habuerit vt infirmitati ſuæ conſulere poſſit. In verbo enim tuo ſtat aqua ſapientiæ, ſicut congeries & ſermones oris tui vaſa ſunt exceptoria illius intelligentiæ & ſcientiæ & ſapientiæ quæ mentem tuam colluſtrant; vt nihil inconſultò effutias, ſed omnia cum pondere & menſura; nec enim lingua præcurrit mentem, ſed quæ ratio præſcribit, illud os tuum in medium prodit, & ſic in præcepto tuo placor fit. Itavt ſi motus aliquis excitati aut excitandi forent, ad præceptum tuum fit tranquillitas, & omnes compeſcuntur motus, itavt qui exiſtimarent ſe in aliquo læſos, quia non eſſet iuxta cor illorum aliquid à te prolatum ſentirent ſe minimè in aliquo minoratos, quia non eſt minoratio in ſalute quam vnicuique afferre exoptas, & ſic pro ſumma ſapientia tua exhauris conſilia & cogitationes eorum cum quibus tibi eſt agendum, vt quamuis corda eorum ſint quaſi abyſſus & profunda aqua, ita tamen illa penetras, vt prolata ſententia tua nihil inueniant de quo iuſtè conqueri valeant.

Quæ quidem præclaræ animi tui dotes, cùm non modò Religioni ſint vtiliſſimæ, certe poſſent ad vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem te in numerum infulatorum & purpuratorum euehere, ſed Dei conſilia quis nouit? Qui non elegit in Apoſtolum

Digitized by Google

Ioſephum cognomento Iuſtum, & ita Apoſtolatus digniſſimum, ſed Matthiam ad cuius laudem ſcriptura nihil addit, niſi quòd cecidit ſors ſuper Matthiam. Tu igitur Admodum Reuerende Pater, ſi ſors iſta ſuper te non ceciderit, ſi ſub vexillo humillimi Franciſci vſque ad finem & conſummationem vitæ militare contigerit, ita in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere tuorum veteraſce, Sap. 11. Manet virtuti tuæ honor debitus coronam gloriæ immarceſſibilem tandem adepturus, & ſi cum ſancto Simpliciano optimo ſene ſancti Ambroſij ſucceſſore ad maiora in ſenectute tua veneranda non conſcendis, certe tantorum Præſulum potens eſſe cum eodem S. Simpliciano Monitor & Doctor, vt ab illis vt patrem obſeruari & coli valeas, ſicut S. Ambroſius Simplicianum habebat miniſtrum, & Doctorem, & vt Patrem eum obſeruabat, quia vt refert Baronius am. Chriſti 375. ſcientiam habebat in docendo, & dexteritatem in agendo. quæ duo per laudabile exercitium omnium manuum quas in Religione obtineri poſſunt tibi feliciter comparaſti. Sed reuoco gradum & miſſa iſta facio, vt pote modeſtiæ & humilitati tuæ onerosa: locus eſt vt de opere quod tibi offero aliquid dicam.

Erit fortaſſe qui dicet Horatianum iſtud à S. Hieronymo vſurpatum Præfatione in Pſalmos ad Sophronium, In ſiluam ne ligna ferat numerat Sixtus Senenſis 70. Apocalypſis interpretes, quid tu Commentarium tuum intrudere vis, quaſi non fuerit ab his authoribus celeberrimis ſufficienter expoſita. Reſpondeat pro me S. Hieronym. Præfatione in Pentateuchum ad Deſiderium: Quid igitur? damnamus veteres? minimè. Sed

Præfat. in Danielem. poſt piorum ſtudia in domo Domini quod poſſumus laboramus. ita ille. Vtinam ſcripſerim aliquid tibi gratum, vtile Eccleſiæ, dignum poſteris, vt eiuſdem verbis vtar, Floccipendam imagines vmbraſque laruarum, quarum natura eſſe dicitur terrere paruulos, & in angulis garrire tenebroſis, ait Hieron. procemio in Trad. hebr. id eſt eorum qui quæ ignorant blaſphemant, qui ſub ſpecie pietatis in hypocriſi loquentes mendacium detrahunt humilibus & paruulis qui lac ſcripturarum ex vberibus ſanctæ Eccleſiæ ſugere ſtudent, illas exponentes iuxta fidem & doctrinam illius. Innititur hæc expoſitio principiis fidei Catholicæ Eccleſiæ Romanæ non timeat lector meus qui lectioni operis iſtius incumbere voluerit vocari φαγολοιδορός ideſt manducans ſannas, quod plurimi exiſtiment ſenſum Apocalypſis eſſe adeo obſcurum, cunctiſque inuiſum, vt à nemine nihil certi, nihil ſolidi adduci queat. Spiritus vbi vult ſpirat, ſi hæc expoſitio veram fidem redoleat, ſi aliis ſcripturæ libris ac locis conueniat, ſi rationem exponendi ſanctas ſcripturas à

Digitized by Google

ſanctis Patribus Doctoribus & interpretibus obſeruatā teneat, non manducabis ſannas, id eſt decidenda, ſed cibum dulcem ſcripturarum, quas meditari, de quibus ſermocinari pietate inſignes ardenti deſiderio ſemper voluerunt, vel Damaſo teſte ad Hieronym. Neque verò, inquit, vllam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quàm ſi de ſcripturis ſermocinemur inter nos, id eſt, vt ego interrogem, tu reſpondeas, qua vita nihil puto in hac luce iucundius, quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur, quàm dulcia, inquit Propheta, gutturi meo eloquia tua ſuper mel ori meo! hæc ille. Vnde liberè profiteor, nec dictum ſuperbè pertimeſco, me ſcribere tibi non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, quam Deus deſtructurus eſt, ſed in verbis fidei, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, vt abyſſus veteris teſtamenti inuocet abyſſum Euangelicam in voce cataractarum, id eſt Prophetarum & Apoſtolorum ſuorum, adeo mea expoſitio & veteri Teſtamento & nouo, ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum conſona reperietur, & nihil extra illorum doctrinam adducere perſpicietur vt veritas Domini perueniat vſque ad nubes, id eſt Euangelij Prædicatores, quibus mandatum eſt, inquit Hieronym. ne ſuper incredulum Iſraël imbrem pluerent, ſed vt rigarent arua gentilium, id eſt fidem docerent hos qui non vt Iudæi increduli ſunt, ſed qui ſunt docibiles Dei, eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ioan. 6.

Imitatio S. Hieronym. Epiſt. ad Edibiam.

Rigarent inſuper torrentem ſpinatum, id eſt eos qui licet iam receperint fidem, tamen propria concupiſcentia ſua abſtracti & allecti tanquam torrens cum impetu fluunt ac currunt ad quælibet nefanda perpetranda, quæ illis ſunt tanquam ſpinæ conſcientiam pungentes, & dilacerantes; denique mare mortuum dulcorarent, id eſt conſolationem impertiantur iuſtis & fidelibus, qui piè viuentes amaritudines huius ſæculi ebibere coguntur. Orandum mihi & exoptandum; vt verus Eliſeus Ieſus Chriſtus ſteriles in me, & mortuas aquas viuificet, & Apoſtolorum ſale, quibus dixerat, Vos eſtis ſal terræ, meum holocauſtum condiat, quia omne ſacrificium quod abſque ſale eſt Domino non offertur. Et ſi lector meus fulgorem ſæcularis eloquentiæ, quo delectari cuperet, non inueniat, ſciat hanc eloquentiam à S. Hieronymo comparari fulguri de cælo cadenti vt ſatan, quem vidit Dominus Ieſus de cælo cadentē, & potius eumdem Ieſum reſpiciendum eſſe, qui non habet decorem nec ſpeciem, hominem in plagis poſitum & ſcientem ferre infirmitatem, eum inquam quem Apoſtolus ita habebat ob oculos poſitum vt nihil ſe ſcire arbitraretur niſi Ieſum & hunc crucifi-

Hieronym. ad Paulam & Euſtochium in tranſlationem Eſaiæ.

xum. Quod ſi aliquid appoſitè dictum lector meus repererit, ſicut me non confidentia ſcientiæ alicuius acquiſitæ illud adducere, ſed eius fide qui pollicitus eſt, aperi os tuum, & implebo illud, interim indulgeat temeritati meæ tua benigna Paternitas ſi videat quod ego ſciens & prudens in flammam mitto manum dum gloriam Chriſti, cuius facies in initio libri lucet ſicut ſol in virtute ſua, dum Eccleſiæ decus, quæ mulier eſt amicta ſole, exponere ante oculos attentaui; foueat filij ſui fœtum, benedicat operi manuum mearum; & cùm amor alta deprimat ad humilia, humilia erigat ad ſublimia, vt inuicem connectantur, permittat vt hæc Epiſtola iungat quos iungit eadem profeſſio & ſacerdotium, immo charta non diuidat quos Chriſti nectit amor, vt ſi quid forte reperias ingratum in hoc opere, hoc totum indulgeas ob Chriſti amorem in quo ſum, & permanere cupio,

Admodum Reuerendæ Paternitatis tuæ

Tuus obedientiſſimus ſubditus,
& addictiſſimus ſeruus.
F. IACOBVS DE BORDES.

Digitized by Google

REVERENDO PATRI
IACOBO DE BORDES
OB SVVM IN APOCALYPSIM COMMENTARIVM.
ODE.

I.

ARCANA pandit quæ liber inclytus,
Sacro receſſu pectoris intimi
Depromit Hîc Ieſu ſacerdos
Ac famulus Domini Ioannes.

II.

Ergo prophanos arceo ſpiritus;
Procul Rebelles luminibus poli;
Aures Nefandorum impudicas
Virgineus refugit Propheta,

III.

Saluator eſt ſol ſole ſerenior,
Qui dum piorum mentibus incubat,
Implere feſtinat ſupernæ
Diuitiis Patriæ beatas.

IV.

At ſuſtineri non valet hîc diu
Diuinitatis ſplendor amabilis,
Cùm velet obtutus plicatis
Inualidos Cherubinus alis.

V.

Solus Ioannes fortior omnibus
Aulæ polorum principibus poteſt
Fixo intueri ſolem ocello,
Atque Aquilas ſuperare Cæli.

VI.

Mortalis audax! ſtelliferas domos
Tranſgreſſus effert ſidereum decus,
Verbumque Patris ſempiternum
Ignifluo calamo reuelat.

VII.

Ergò ſi ad orbes æthereos aues
Lector! probata pergere ſemita;
Iacobus interpres fidelis
Rectà Aquilam ſequitur volantem.

VIII.

Grandi volatu, & corde ſagacior
Vterque ſummo de Libano tulit

Digitized by Google

Cedri medullam, Chriſtianis
Fortibus, atque piis parandam.

IX.

Et tu eſto fortis ſi ſtomachum cibo
Hoc fortiori paſcere iam cupis.
Diuinitatiſque intueri
Firmâ acie radios perennes.

MARTYRIVM SANCTI IOANNIS.

DIRI Neronis ſæuitiæ ferox
Succeſſor inſtat, mactat oues ſacras;
Eccleſiarum Celſitudo
Cum grege diripitur Ioannes,

II.

Vinctus catenis ex Aſiâ venit,
Intratque Romam; cingit eum cohors
Sicariorum, quos Leones
Indomitos furor eſſe monſtrat.

III.

Coram ſenatus Conſilio graui,
Et purpuratis principibus viris,
Immitis excelſo Imperator
Iudicis in ſolio reſedit.

IV.

Es Chriſtianus? (poſtulat impiè;)
Es Chriſtianus? ſum (inquit Apoſtolus;)
Sum Chriſtianorum Magiſter
Mille ſubire Cruces paratus.

V.

Nàm ferre amantem ſupplicium Crucis;
Et purpuratis ſedibus, & tuâ
Hac imperantis dignitate
Nobilius reor eſſe munus.

VI.

Chriſto (ipſe conſpexi) in Cruce mortuo
Tremore terram non ſolito quati;
Lugere cælum, & totum amictu
Funereo ſe operire mundum.

VII.

Vidi ipſe rurſus lumine ſe nouo
Veſtire cælum Ieſus ab inferis
Quando reſurgens ac triumphans
Ad ſuperos iterum meauit.

VIII.

Cum plura vellet dicere, non ſinit
Irâ tyrannus præcipiti æſtuans,
Et bullientem iam lebetem
Plenum oleo iubet experiri,

Digitized by Google

IX.

Nunquam viator (tempore quo Canis
Æſtiuus ardet lethifera ſiti;)
De fonte ſic gaudet reperto,
Gaudet vt hoc oleo IOANNES.

X.

Verùm arbitratus ſupplicium pati,
In Balnearum deliciis natans
Exultat, exclamatque; IESVS
Romulidæ! ſuperauit ignem.

XI.

Ex hoc triumpho diſcite iam fidem;
Sanctumque mites imperium pati;
Chriſtus triumphator deorum
Mulciberum Reliquoſque vicit

XII.

Samſon potenti robore regias
Domus columnas concutiens, mori
Decreuit, & clade vltionem
Hoſtibus innumeris parauit.

XIII.

Vltor Ioannes optimus ac pius
Iuſtæ vltionis retribuens vicem,
Huic perſecutori ſuperbo,
Efficit innumeros fideles.

XIV.

Quin & Tyrannus Numinis ardui
Virtute magna territus, imperat
Solui Prophetam, liberumque
Cum ſociis habitare Pathmos.

XV.

Hic ille ſcripſit ſidereum librum
Dictante Chriſto teſtibus Angelis,
Et tot Sacramentis repleuit,
Verba volumine quot tenemus.

Scribit Apocalypſim in exilio Ioannes.

Ex mente D. Hieronymi.

XVI.

O ſancte conſors ſupplicij Crucis!
Cunctis Coronis Martyribus ſacras
Vnus mereris, non cruento
Martyrio ſocius Mariæ.

XVII.

Exis Ioannes lumine purior,
Auroque fuluo ſplendidius micans;
Fornace quod longâ probatum
Chryſolitos radiis adæquat.

XVIII.

Fac nos ſacratæ ſic Crucis fato
Vt ſeu cruento martyrio, tuas
Siue incruento, quæamus
Empyreas ſociare lauros.

FINIS.

Digitized by Google

IN LIBRVM REVERENDI PATRIS
D. IACOBI DE BORDES
AD APOCALYPSIM.

TEMPORIS annales qui quæris ſcire futuri
Et quæ fata Deus ſolas vult noſcere Parcas
Id eſt Eccleſiæ. En matris Thalamos altaria ſacra repoſcens
Oedipus iſte tibi hæc obſcura Ænigmata ſoluet.

Fr. Mannurius PERDEVILLÆVS.

IN LIBRVM REVERENDI PATRIS
D. IACOBI DE BORDES
AD APOCALYPSIM.

ARCANA hæc vni ſolum detecta Ioanni
Quæ ſoluenda exponens tanquam Ænigmata ſcripſit,
Atque volente Deo multà ſub nocte reliquit
Hic tibi non proprio, ſed ab ipſo Numinis ore
Protulit è tenebris in dias luminis auras
Qui tanti ſequitur veſtigia Sancta Prophetæ.

Fr. Mannurius PERDEVILLÆVS.

IN LIBRVM REVERENDI PATRIS
D. IACOBI DE BORDES
AD APOCALYPSIM.

QVÆ ſub fatidico Ioannis ore
Pluſquam Cimmeriis latent tenebris
Hæc mira referens Iacobus arte
Vel cæcis etiam patent ocellis.

Fr. Mannurius. PERDEVILLÆVS.

IN

Digitized by Google

IN COMMENTARIOS APOCALYPSIS
ELEGIACVM CARMEN.

SÆpius in libros docti ſcripſere Ioannis,
Sed vincis cunctos, arte, labore, modo.
Si Phœbi radiant naſcentis luce colores,
Per te fulgores Apocalypſis habet.
Tu nimis obſcuri reſeras abſcondita vatis,
Sic aliis tenebræ, quod tibi lumen ineſt.
Vt ſcriptura vetus prodis, Zebedæe, figuras,
At tibi Bordæi dat noua penna diem.
Mira tuum nomen, Iacobus, continet in ſe,
Nam frater ſimili voce Ioannus erat.
Fratre ſuo loquitur Populis interprete, Moſes,
Non frater, ſolum lingua Ioannis eris.
Agnus ab initio mundi lux eſt tua, cæſus,
Qui tibi dat libri ſoluere ſigna ſui.
Hoc opus Oceanum, tellurem, ſidera, plantas
Quadrupedes, gemmas diua viroſque capit.
Eccleſiæ diſcerno gradus, tormenta Tyranni,
Dæmonis inſultus, hæreſeoſque minas
Cerno Redemptoris, rubicundo ſanguine ſponſam
Saluantis pœnas, vulnera, ſputa, crucem.
Cerno Miniſtrorum turmas, aliumque cohortes
Spirituum, cuncti luminis arma parant.
Angelus eſt, noſter capiens hos, autor, abyſſos,
Qui terra & pelago fixit vtrumque pedem.
Et calcans elementa videt quæcunque beatis
Conuenient, pariter quod paradiſus habet.
Deſine mirari, non Bos, Leo, Vir, magis illi
Lumina ſunt, Aquila quæ ſupra aſtra volat.
Cætera pro tanto Bordæe volumina ſperno,
Quod mihi pro ſtudio lectio ſola manet.
Si ſcirent homines operis guſtare medullam
Integra terrigenis bibliotheca fores.

F. Bernardinus de Hotot, Præd. Cap.
& Lector Theologus.

Digitized by Google

IACOBVS DE BORDES.
OB RES SVADEBO DEI.
C. vertitur. in E.

HIC OB RES SVADEBO DEI, mihi nomen & omen
Conueniunt attente hoc lege lector opus.
O tu mortiferi qui triſtia flumina mundi
B ibiſti, ſitis impatiens, en purior hortis
R iuulus è ſacris ſurgit, patuluſque ſalubrem
E xanimi tibi præbet aquam, hauri bibe ſecurus;
S uſtentat, fouet & reficit. Quid fruſtra labores
S uſcipis, vt quæras tanto conamine flumen
V ulnificum, nimis heu nimis eſt mortale quod optas
A ltiùs aſpires, & ſacro te ablue fonte,
D eſuper ecce datur; ſolum dico hunc lege librum,
E rrores pellit, quique alto corde venena
B iberit hæreſeos, huius ſi fluminis vndam
O bijcit, auxilium præſens hoc fonte paratur.
D euia ſcrutatur penetralia, corde venenum
E xtrahit, exanimes conſeruat, & artubus ægris
I nſtaurat vires, cunctiſque eſt certa medela.

AD REVERENDVM PATREM
P. IACOBVM DE BORDES
IN SVA APOCALYPSEOS COMMENTARIA.
ACROSTICHIS.

I ngentes animos meditanti, Muſa ſonorum
A ltiſſona inſpirat cantum, quem totus ab ore
C onfuſis licet hæreſibus, circum audiet orbis.
O mine præſago, ſtimulatâ ferueat irâ
B arbaries, reuocetque ſuos accenſa furores
V ndique, perpetuum liber hic remanebit in æuum.
S cilicet æternas ſeu pleno copia cornu
D iffundit ſublimis opes, & forte IOANNIS
E fficit inſolito arcanum ſpectabile ſcripto.
B uccina, terriſono, non ſic Mauortia campis
O re ciens acies, ac nunc tua ſcripta, polorum
R eſtituunt fractas, aduerſa per agmina, turmas.
D igna tuis meritis, tibi maxima præmia, curis
E xcelſus Deus ipſe dabit, propterque labores
S ublimis palmâ, longum extendêris in æuum.

F. Tranquillus ex portu gratiæ Cap.
vouit in obſequij monimentum.

Digitized by Google

ANAGRAMMA.

IACOBVS DE BORDES
ORBIS DECVS AB DEO.

QVIS tot teſtibus obloquetur amens?
Virtus, Relligio, pijque mores,
Et nomen tibi myſticum probant iam
Orbis *te* decus, ab Deo, *creatum*

De Vaudichon ſacerdos Vernonenſis.

ALIVD.

OBSES DEI ABDVCOR.

N*IL mirum ſi vana mihi terreſtria ſordent.*
Obſes abducor, *nomine teſte*, Dei.

Idem de Vaudichon.

ALIVD AB EODEM.

II DABIS COR IESV DEO.

N*ON equidem ſine mente reor, ſine munere cæli*
Caſtra Dei ſequeris relligioſa pius:
Jndita namque tibi portendumt nomina IESV
Cor dabis, *ipſe volens, & ſine fraude*, Deo.

ALIVD AB EODEM.

OB RES DEI SVADEBO.

E*SSE pius rhetor cupio mihi nomen & omen*
Conuenit atque Dei ob res ſuadebo *diſertus.*

Digitized by Google

TOMI SECVNDI SCOPVS.

PROOEMIVM IN CAPVT XII.

PARS III. ELVCIDATIONIS. 1.

CAPVT DVODECIMVM.

ECCLESIÆ *ſummus decor, & præclaræ eius dotes, quibus ſua munia exercendo, ſponſi voluntati reſpondeat: quo fit vt Sathanæ inuidiam & odium contra ſe ſuſcitet, iramque acuat, vt eam modis omnibus perſequatur.* 2

Annotatio I.

QVo fine Spiritus Sanctus ſuper Eccleſiam illapſus eſt, tot gratiis eam cumulauit, nempe vt per labores ac dolores ſubeundos tantorum donorum grata exiſtat, ac regnum Chriſti in terris promouere ſtudeat.

§. 1. *Signum magnum Eccleſia militans,* 5

§. 2. *Quãtis donis Eccleſia Chriſtiana fuerit à Spiritu Sancto decorata, à die ſuæ fundationis: & cur debuerit ſignis mirabilibus ſuam præſentiam deſignare, & quàm fuerint idonea ad hanc præſentiam deſignandam,* 6

§. 3. *De Eccleſiæ viſibili & permanente exiſtentia,* 11

§. 4. *De tribus Eccleſiæ proprietatibus, vnitate, ſanctitate, & vniuerſitate: & notis illas proprietates indicantibus,* 15

Idæa ſymboli mulieris & draconis, ibid.

Annot. 2. *Quibus notis Eccleſiæ vnitas dignoſcatur,* 17

Annot. 3. *De ſecunda Eccleſiæ proprietate, ſanctitate videlicet, & de notis illam indicantibus.*

§. 1. *Quomodo Eccleſia ſancta dici debeat,* 20

§. 2. *Prima nota ſanctitatis Eccleſiæ: veritas doctrinæ quam profitetur,* 22

§. 3. *Secunda nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe efficacia doctrinæ,* 24

§. 4. *Tertia nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe ſanctitas eorum, qui huius cœtus fuerunt Inſtitutores,* 26

§. 5. *Quarta nota ſanctitatis Eccleſiæ, gloria videlicet miraculorum,* 28

§ 6. *De quinta nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe lumen propheticum,* 29

§ 7. *De ſexta nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe confeſſio aduerſariorum,* 33

Annot. 4. *Quomodo Eccleſia vniuerſalis, ſeu Catholica dicitur, & de notis hanc vniuerſalitatem deſignantibus.*

§. 1. *Quid per Eccleſiam Catholicam ſignificetur,* 33

§. 2. *De prima nota catholicitatis Eccleſiæ, nempe antiquitate,* 35

§. 3. *De ſecunda nota catholicitatis Eccleſiæ, nempe duratione,* 36

§. 4. *De tertia catholicitatis Eccleſiæ nota, amplitudine videlicet,* 37

§. 5. *De quarta catholicitatis Eccleſiæ nota, ſucceſſione videlicet Epiſcoporum, quâ verè dici poteſt Apoſtolica,* 39

Annot. 5. *Mulier amicta ſole. De muliere, nempe Eccleſia,* 40

Annot. 6. *Quâ ratione temporales dignitates Eccleſiæ dignitati ſubiiciantur, & eadem Eccleſia ab eis fulciatur, ac ſuſtentetur,* 43

Annot. 7. *Ornant quidem Eccleſiæ caput Epiſcopi: ex eorum ſubiectione ad illud: ſed viciſſim eius auctoritas eorum dignitatem fulcit ac ſuſtentat,* 45

Annot. 8. *Eccleſia Chriſti ſponſa omnes fideles in vtero portat, quos non parit, niſi cum dolore plurimo: quia Dei filiationem non merentur, niſi per labores,* 46

Annot. 9. *De ſymbolo draconis.*

§. 1. *Diuerſæ de hoc ſymbolo interpretationes,* 47

§. 2. *Conuenientia ſymboli cum dæmone,*

Digitized by Google

Punct.1. *Draconem Luciferum eſſe demonſtratur,* 49
Punct.2. *De ſeptem capitibus draconis, & decem cornibus,* 49
Punct. 3. *Quænam ſit cauda draconis.* 54
Annot. 10. *Filius maſculus eſt regnum viſibile Chriſti intra Eccleſiam erectum, & ſupra omnia regna mundi ſublimatum.*
§. 1. *Diverſæ auctorum expoſitiones huius textus,* 55
§. 2. *Filius maſculus eſt regnum ſacerdotale Chriſti, in ſummo Pontifice præcipuè enitens, & in ſede Romana conſtitutum,* 56
Annot. 11. *De tranſitu Eccleſiæ à Iudæis ad Gentilitatem.*
§. 1. *Variæ auctorum huius textus expoſitiones,* 58
§. 2. *Quinam ſit ex noſtra ſententia germanus ſenſus fugæ mulieris in ſolitudinem, illiuſque refectionis,* 59
§. 3. *Quo tempore Eccleſia erat parturiens, & quo tempore filium peperit?* 61
§. 4. *Quid ſit draconem tertiã partem ſtellarum caudâ trahere?* 62
§. 5. *Quid ſit filium rapi ad Deum, & ad thronum eius,* 63
§. 6. *Quid ſit mulierem fugiſſe in ſolitudinem, & ibidem paſci,* ibid.
§. 7. *Quare tempus à Deo præſcriptum per dies mille ducentos ſexaginta ſignificetur?* 64
Annot. 12. §. 1. *Variæ authorum expoſitiones,* 65
§. 2. *Quænam ſit noſtra de hoc prælio ſententia?* 68
Annot. 13. § 1. *Variæ expoſitiones,* 70
§. 2. *Noſtra de huius textus expoſitione ſententia,* 72
§. 3. *In Martyribus potiſſimùm verificantur hæc verba, ſalus, virtus, regnum, & poteſtas Dei & Chriſti eius,* 73
Annot. 14. §. 1. *Variæ authorum expoſitiones,* 78
§. 2. *Quænam ſit noſtra expoſitio,* 79
Annot. 15. § 1. *Quænam via dæmon, proſtratâ idololatriâ conatur Regni Chriſti gloriam perturbare, & Eccleſiæ profectus impedire?* 79
§ 2. *Quid ſit Eccleſiam ali per tempus & tempora, & dimidium temporis?* 80
§. 3. *Variæ authorum expoſitiones,* 81
§. 4. *Sententiæ noſtræ, ex prædictis expoſitionibus, confirmatio & corroboratio,* 83
Annot. 16. *De oppugnatione per hæreſes,* 83
Annot. 17. *Vltimus vexandi fideles modus à dæmone intentus,* 85

CAPVT XIII.

De *duplici genere impiorum, qui Sathanæ ſuppetias ferunt, vt regni Chriſti in terris progreſſum impediat,* 86
Præfatio. 90
Annot. 1. §. 1. *Variæ authorum ſententiæ,* 90
§. 2. *Cur per beſtiam è mari aſcendentem intelligamus corpus reproborum, ob cordis in malo obdurationem, quæ inſigniter apparebit in Antichriſto?* 92
§. 3. *Cur numerus 666. beſtiæ tribuatur, & quomodo ex iſto numero quænam ſit illa beſtia coniiciatur?* 94
§. 4. *Variæ de nomine beſtiæ authorum ſententiæ,* 97
§. 5. *Beſtia marina non ſolùm de toto corpore reproborum, ſiue propter præſentem iniuſtitiam, intelligitur; ſed etiam de Antichriſto intelligitur, nec iſtud ſeriei aut connexioni huius prophetiæ vllo modo officit,* 99
§. 6. *Exempla nominum quæ beſtiæ marinæ conueniunt, in quantum eſt ſignificatiua omnium reproborum, & præcipuè eorum qui Chriſti regnum viſibile in terris impedire ſatagunt, quorum caput eſt Antichriſtus: quia in eo omnis eorum malitia completa reperietur,* 101
Annot. 2. *De duobus Sathanæ ſatellitibus, per quos regnum Chriſti euertere conatur,* 104
Annot. 3. *De prima beſtia è mari aſcendente,* 105
Annot. 4. *De ſeptem capitibus beſtiæ. Variæ authorum expoſitiones.* 106
Annot. 5. *Quatuor beſtiæ in hac prophetia deſcribuntur: quæ ſicut in deſcriptione variæ ſunt, ita diuerſas debent habere ſignificationes. Annotatio multùm ponderanda,* 180
Annot. 6. *Noſtra de beſtia è mari aſcendente expoſitio,* 109
Annot. 7. *De peccati turpitudine in genere,* 111
Annot. 8. *De primo capite beſtiæ è mari aſcendentis, nempe auaritia, eiuſque turpitudine,* 114
Annot. 9. *De ſecundo capite beſtiæ, nempe inuidia, & de illius turpitudine,* 119
Annot. 10. *De tertio nefando capite beſtiæ è mari prodeunte, luxuria nempe; & de eius turpitudine,* 123
Annot. 11. *De quarto capite beſtiæ è mari aſcendente, nempe ira,* 129
Annot. 12. *De quinto capite beſtiæ, nempe acedia,* 132
Annot. 13. *De ſexto capite horrenda be-*

ſtia, nempe gula, 136
Annot. 14. *De ſeptimo & vltimo beſtiæ capite, nempe ſuperbia.*
§. 1. *De ſuperbia in genere,* 141
§. 2. *De præſumptione,* 143
§. 3 *De ambitione,* ibid.
§. 4. *De inani gloria,* 148
Annot. 15. *Quomodo peccatorum turpitudo inſigniter apparebit in Antichriſto,* 151
Annot. 16. *Alia interpretatio de Antichriſto, ex variis authorum ſententiis eruitur,* 152
Annot. 17. *Qua ratione diabolus virus ſuum infundat reprobis, inter quos præcipuus erit Antichriſtus, eiſque poteſtatem ſuam tradat?* 153
Annot. 18. *Quodnam ſit illud caput beſtiæ, ex ſeptem eius capitibus, quod appareat tanquam occiſum, ſiue in reprobis, ſiue in Antichriſto,* 154
Annot. 19. *De poteſtate Antichriſto data permiſſiuè, potiſſimùm cultum Dei & adorationem eius conculcandi, & homines ſeducendi: & quanto tempore durabit illa permiſſio, & quos inter homines potiſſimùm decipiet,* 157
§. 1. *De prima poteſtate, ſeu permiſſione,* ib.
§. 2. *De ſecunda permiſſione ſeu poteſtate,* 158
§. 3. *De tertia permiſſione ſeu poteſtate homines ſeducendi,* 159
§. 4 *Quanto tempore durabit illa permiſſiua poteſtas blaſphemandi, perſequendi, & ſeducendi,* ibid.
Annot. 20. *Ex certa & indubitata pœna perſecutorum fortiùs & conſtantiùs debent fideles omnia aduerſa ſuſtinere, & in fide permanere,* 160
Annot. 21. *Quàm neceſſaria ſit fidelibus attẽtio ad ea, quæ de Antichriſto in ſcripturis enarrantur. Annotatio valde vtilis pro elucidatione capitis 24. Matt. 13. Marci 21. Lucæ,* 161
Annot. 22. *Cur etiam nunc aduentus Domini vltimus ſit pertimeſcendus,* 167

De tertia beſtia, quæ eſt ſecunda
Cap. XIII.

Idea ſymboli, 169
Annot. 1. *De prima ſymboli beſtiæ aſcendentis de terra, interpretatione, & eius cum ſapientia carnis conuenientia.*
§ 1. *Quod diabolus nihil poſſet ad oppugnandum Chriſti regnum, niſi beſtia è mari aſcendens, & beſtia è terra aſcendens illi ſuppetias ferrent,* 169
§. 2. *Cur amor carnalium prudentia dicatur, nullâque ſpeciali figura repræſentetur,* 170
Annot. 2. Et habebat cornua, &c. *Quænam ſint illa cornua? Duobus modis illa cornua interpretantur: primus eſt de 2. facultatibus animæ, cõcupiſcibili & iraſcibili: ſecundus eſt de extinctione ſyndereſis, & contemptu mortis.*
§. 1. *De prima interpretatione,* 171
§. 2. *Alia de ſyndereſis extinctione, & mortis contemptu, cornuum beſtiæ interpretatio,* 172
§. 3. *Quomodo prudentia carnis malitiæ peccati faueat, & auxilium ſuppeditet?* 175
§. 4. *Quænam ſalutis impedimenta & obſtacula obueniant ex prudentia carnis?* ibid.
§. 5 *Diabolo inſtigante, rationes inuenit prudentia carnis, quibus perſuadeat leges iniquas malitiæ peccati eſſe ſeruandas, etiam ſub pœna mortis,* 177
§. 6. *Quid character, quid nomen, quid numerus nominis,* 178
§. 7. *De ſignificatione characteris, nominis, & numeri nominis,* 179
Annot. 3. *Secunda intrepretatio beſtiæ è terra aſcendentis.*
§. 1. *Diuerſæ plurimorum interpretum expoſitiones,* 180
§. 2. *Noſtra expoſitio de beſtia è terra aſcendente,* 183

De præpotenti Eccleſiæ exercitu, & eius duce ſeu capite inuiſibili & viſibili, quo regnum Chriſti tueatur, ac peccati & diaboli ſuperbiæ & arrogantiæ obſiſtat, 185

CAPVT XIV.

IN *caput XIV. Præfatio,* 189
Idea ſymbolorum capitis XIV. ibid.
Annot. 1. *De nobili & generoſo Chriſti exercitu, & ex quibuſnam componatur, nempe ex iis, quos Chriſtus habere voluit fratres, quos faceret gratiæ ſuæ participes, poteſtatis ſuæ adminiſtros, & gloriæ conſortes,* 190
Annot. 2. *Quinam poſſint ad hanc Chriſti militiam adſcribi, & in numero militum eius reponi,* 192
Annot. 3. *Arma militum Chriſti eſſe Dei laudes, iuxta ea, quæ de Deo ab Eccleſia docentur, quas aſſumere debent iuxta Paſtorum Eccleſiæ præceptum,* 194
Annot. 4. *Quòd magna ſpes victoriæ obtinendæ ab exercitu Chriſti concipiatur ex ſtrenuitate & inſigni virtute eorum, qui in hanc militiam fuerunt aſcripti.*
§. 1. *Variæ authorum expoſitiones,* 198
§. 2. *Noſtra de his verſiculis expoſitio, & de prima turma exercitus Chriſti, nempe ex Virginibus compacta,* 200
§. 3. *De ſecunda turma exercitus Chriſti,*

Digitized by Google

nempe de Martyribus, 202
§. 4. *De tertia turma exercitus Chriſti, nempe eorũ, qui voto, officio, aut miniſterio, Deo & Agni obſequio ſunt conſecrati,* 204
§. 5. *Quomodo Religioſi, Sacerdotes, & Doctores dicuntur empti de terra,* 205
§. 6. *Cur obſequio Dei & Agni conſecrati, primitiæ dicantur,* 206
§. 7. *Qua de cauſa exercitus Chriſti ſub numero* 144. *millium concludetur,* 208

De ſecunda viſione huius capitis.

Connexio viſionis iſtius cum præcedenti.

Annot. 5. *Et vidi alterum Angelum, &c. Quis ſit ille Angelus,* 210
Annot. 6. *Cur Prædicatores huiuſmodi, Angeli dicantur, & cur volare cernuntur per medium cæli; & quid ſit eos habere Euangelium æternum?* 212
Annot. 7. *Quomodo victoria de carne obtinetur à militibus Chriſti?* 213
Annot. 8. *Secunda militum Chriſti victoria, nempe de mundo,* 215
Annot. 9. *De victoria obtinenda ex dæmone, per peccati cuiuſcumq; fugam,* 218
§. 1. *De quibuſnam hic agatur,* ibid.
§. 2. *Quid ſit vinum miſtum mero?* 219
§. 3. *De genere & natura ſupplicij extremi impiorum,* 219
§. 4. *Et fumus, &c. Quid per hunc fumum intelligendum ſit?* 220
Annot. 10. *Patientia neceſſaria eſt Sanctis, vt mercedem tandem laborum adipiſcantur,* 221

Tertia viſio Cap. XIV.

Annot. 11. *Præfatio expoſitionis iſtius viſionis,* 223
§. 1. *Hæc viſio non eſt de finali iudicio exponenda,* ibid.
§. 2. *De ſedente ſuper nubem candidam, nempe ſummo Pontifice,* 224
Annot. 12. *Et vidi, & ecce nubem candidam. Nubes candida Eccleſiam hîc deſignat,* 225
Annot. 13. *Optimè coniicitur hîc agi de ſummo Pontifice, quòd ſedens ſupra nubem ſimilis dicatur filio hominis,* 226
§. 1. *In ſummo Pontifice Regia & Sacerdotalis dignitas,* 227
§. 2. *De plenitudine poteſtatis ſummi Pontificis, ſeu de eius iuriſdictione exteriori, quam habet immediatè à Deo,* ibib.
§. 3. *In quibuſnam poteſt dignoſci quanta ſit ſummi Pontificis authoritas, dignitas, ac poteſtas,* 228
Annot. 14. *Quanta ſit ſummi Pontificis authoritas.*
§. 1. *De authoritate circa res fidei,* 228
§. 2. *De authoritate ſummi Pontificis in condendis legibus,* 231
Annot. 15. *Quomodo dignitas Pontificia Regiam dignitatem antecellat. Præfatiuncula.*
§. 1. *Concluſiones Bellarmini de poteſtate temporali ſummi Pont.* 232
§. *In rebus fidei authoritas Pontificis prævalet Regiæ poteſtati,* 233
§. 3. *In iudiciis cauſarum Eccleſiaſticarum prævalet Regiæ dignitati poteſtas Pontificis,* 234
§. 4. *Regum non eſt tollere, aut minuere iura Eccleſiaſtica,* 235
§. 5. *Qua de cauſa æquum eſt vt Reges ſubiaceant correctioni Eccleſiæ,* 236
§. 6. *De poteſtate Pontificis in erectione Regnorum, & Regum depoſitione,* 237
§. 7. *De honore exhibito à Regibus ſummis Pontificibus,* 238
Annot. 16. *De authoritate ſummi Pontificis circa regimen Eccleſiæ, & adminiſtrationem Sacramentorum, Præfatiuncula,* 238
§. 1. *De antiquitate primatiæ Romanæ ſedis,* ibid.
§. 2. *De vſu ſupremæ illius poteſtatis in alias ſedes Patriarchales,* 239
§. 3. *De inſtitutione, depoſitione, reſtitutione Epiſcoporum, per ſummos Pontifices; & de obedientia ipſis debita & præſtita ab eiſdem Epiſcopis,* 243
§. 4. *De iure diſpenſandi, exempla,* 244
§. 5. *De poteſtate mittendi aliquos ad prædicationem verbi diuini,* 245
§. 6. *De iure appellationum,* 246
Annot. 17. *Et alius Angelus, &c. Quiſnam ſit ille Angelus,* 249
Annot. 18. *De poteſtate iuriſdictionis interioris, per Angelum exeuntem de templo deſignata,* 250
Annot. 19. *De poteſtate ordinis deſignata per Angelum exeuntem de Altari,* 253
Annot. 20. *Quòd nemo debeat ad ſacramentum Corporis Chriſti accedere, niſi baptizatus, & gratiâ Dei iam ornatus,* 255
Annot. 21. *Per ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, merita Chriſti applicantur, & gratia confertur, qua digni efficimur participatione Corporis Chriſti, fide iam ſuſceptâ per prædicationem verbi diuini,* 256
Annot. 22. *Illæ ſolæ paſſiones & afflictiones ad ſalutem vtiles ſunt, quæ nos reddunt Chriſto conformes, & participes meritorum ſanguinis eius, quibus tota Eccleſia irrigatur,* 257
Annot. 23. *Quomodo merita paſſionum*

Digitized by Google

Chriſti per totam Eccleſiam diffundantur, 258

Diuerſæ authorum expoſitiones, ibid.

Annot. 24. *Noſtra de hoc textu expoſitio, de theſauro Indulgentiarum,* 260

§. vnic. *Quid ſit quòd ſanguis exeat per ſtadia mille ſexcenta,* ibid.

De variis rationibus quibus Prælati & ſancti pro regno Chriſti contra Satanam dimicant, &c.

CAPVT XV. 263

Annotationes in caput XV.

IDEA *eorum quæ in hoc capite continentur,* 266

Annot. 1. *Quinam ſit ſcopus huius capitis 15. & quænam ſit connexio illius cum præcedenti & cum ſubſequenti capite?* ibid.

Annot. 2. Et vidi Angelos ſeptem, &c. *Quinam ſint illi Angeli ſeptem?* 267

Annot. 3. Habentes plagas ſeptẽ. *Quænam ſint plagæ, & quomodo illas habere dicuntur ſeptem Angeli,* 268

Idea huius viſionis, & Præfatio in eandem viſionem, 271

Annot. 4. Et vidi tanquã mare vitreum. *Quid in mari vitreo intelligendum ſit?* 272

Annot. 5. Et eos qui vicerunt beſtiam, &c. *Quinam illi exiſtant?* 274

Annot. 6. *De cantico militũ Chriſti,* 275

Et poſteà vidi, *&c. Ideà huius viſionis,* 277

Annot. 7. Et ecce apertum eſt templum. *Quid ſit aperiri templum?*

Annot. 8. Et exierunt ſeptem Angeli, &c. *Quomodo dicuntur exire Epiſcopi & Paſtores Eccleſiæ, in his Angelis deſignati,* 280

Annot. 9. *De armis defenſiuis Paſtorum Eccl. ſeu ducum militiæ Chriſtianæ,* 282

Annot. 10. *Quænam ſunt arma bellica, quibus inſtruuntur Eccleſiæ Paſtores, ad debellandos hoſtes nominis Chriſti.* ibid.

Annot. 11. *Cum tanta ſit efficacia mediorum, quæ à Deo inſtituta ſunt ad ſalutem, cur tamen in hominibus obſtinatis nihil efficiant,* 285

De conflictu Sanctorum & Paſtorum Eccleſiæ cum carne, mundo & diabolo, vt Chriſti regnum promoueant, &c. 287

CAPVT XVI.

In Caput XVI. Præfationes. 292

Annot. 1.

ET audiui vocem, &c. *Vox magna è templo: motio & impulſio Spiritus ſancti mouentis Eccleſiæ Paſtores ad exercitium muniorum ſuorum,* 293

Annot. 2. Ite & effundite ſeptem phialas, &c. *Quid ſit effuſio phialarum, & quare ſuper terram?* 294

Annot. 3. *Effuſionem phialæ primæ in terram eſſe donum orationis, aſſeritur, quæ etiam pro malis & peccatoribus fieri debet,* 296

Annot. 4. Et factum eſt vulnus, &c. *Apparet quàm ſæuum & peſſimum vulnus penatum reliquerit ex reſiſtentia, quam faciunt ij, qui habent characterem beſtiæ, & adorant imaginem eius diuinis motionibus & inſpirationibus,* 298

Annot. 5. Vulnus ſæuum & peſſimum. *Quodnam propriè, & quale ſit hoc vulnus?* 299

Annot. 6. *De effuſione ſecundæ phialæ, ſeu de ſecundo medio iuuandi peccatores vt pœniteant, nempe verbi Dei prædicatione,* 300

Annot. 7. Et ſecundus Angelus. *Quis ſit ille Angelus,* ibid.

Annot. 8. Effudit phialam ſuam. *Per phialam munus prædicationis optimè deſignatur,* 301

Annot. 9. Effudit phialam ſuam in mare, &c. *Mare peccatum habituale, originale, aut actuale ſignificat, in quo homines permanentes, per incredulitatem, nunquam vitã gratiæ conſequuntur,* 303

Annot. 10. *Optimi concionatoris virtutes, in Angelo ſecundo, nempe Smyrnenſi Epiſcopo, depictæ cernuntur, verbi gratia, fortitudo, &c.* 305

Annot. 11. *Quanta ſit vis & efficacia verbi diuini ad conuerſionem peccatorum?* 307

Annot. 12. *Cùm tanta ſit efficacia verbi Diuini ad animarum conuerſionem, ingentem eſſe oportet peccati malitiam, quæ impedit quominus multi ad Deum conuertantur,* 308

Synopſis omnium quæ in hoc ſymbolo ſignificantur, 310

Annot. 13. *Expoſitio per partes huius ſymboli, iuxta varias diuerſorum authorum expoſitiones,* 313

Annot. 14. *In tertia phialæ effuſione agitur de Sacramentorum adminiſtratione,* 314

Annot. 15. *Per Angelum Pergami optimè deſignatur*

deſignatur ſacramentorum diuinorum administrator, 316

Annot. 16. *Effuſio phialæ, ſeu gratia ſacramenti quomodo in facultates animæ deriuetur, & quiſnam effectus ex tali effuſione in malis appareat?* 317

Annot. 17. *Quòd in phialæ effuſione contemplari debemus poteſtatem Eccleſiæ datam, per ſacrificium Miſſæ impetrandi à Deo dona, ad conuerſionem peccatorum conducentia,* 320

Annot. 18. *Quòd in Epiſcopo Thyatirenſi optimè hæc poteſtas offerendi ſacrificium iſtud admirandum deſignatur,* 323

Annot. 19. *Expoſitio phialæ 4. ex diuerſis Interpretum expoſitionibus,* 324

Annot. 20. *Quid ſit effuſio phialæ in Solem?* 327

Annot. 21. *Ad propoſitionem myſteriorum Incarnationis & Euchariſtiæ mens potiſſimùm obſtupeſcit, & perturbatur,* 328

Annot. 22. *Quomodo æſtu & igne affliguntur, qui myſteria Paſſionis Chriſti & Euchariſtiæ credere abnuunt?* 330

Annot. 23. *Poteſtas Dei ſuper plagas in eo conſiſtit, quod per Euchariſtiæ ſacrificium, Deus paratus eſt nobis ad eas vitandas remedia concedere: quo maximè ingratitudo hominum innoteſcit, qui pro tanto beneficio Deum non laudant, ſed potiùs blaſphemant,* 331

De effuſione phialæ quintæ.

Connexio phialæ quintæ, eiuſque effuſionis, cum præcedentibus, 332

Annot. 24. *Quòd in quintæ phialæ effuſione agitur de poteſtate data Eccleſiæ condendi leges, quibus hominum nequitiæ à malis & peccatis retrahantur,* ibid.

Annot. 25. *Quòd in Epiſcopo Sardenſi optimè cæteri Eccleſiæ Paſtores deſignantur, in quantum eis data eſt poteſtas condendi leges, quibus fideles dirigant in viam ſalutis æternæ,* 334

Interpretatio ſymboli, iuxta varias authorum expoſitiones, 335

Annot. 26. *Quænam ſit ſedes beſtiæ?* 336

Annot. 27. *Qua ratione effunditur phiala quinta ſupra ſedem beſtiæ, nempe per legum iuſtarum inculcationem, & ad illarum obſeruationem inductionem,* 338

Annot. 28. *De diuerſitate legum, quæ ſedi beſtiæ proponuntur, vt per illarum obſeruationem fiat Dei ſedes & domicilium,* 340

Annot. 29. *Quòd ad promouendum & ſtabiliendum regnum Chriſti viſibile, præter legem naturalem & diuinam, & legis Euangelicæ promulgationem & notitiam, manet adhuc in Prælatis Eccleſiæ quædam poteſtas ordinandi & ſtabiliendi aliqua, quibus in conſcientia morem gerere debemus: quæ poteſtas in effuſione phialæ quintæ etiam includitur,* 342

Annot. 30. *Qua ratione reprobi, qui ex effuſione phialæ quintæ per obſeruationem legum deberent fieri ſedes Dei & regnum Chriſti, fiant ſedes beſtiæ & regnum diaboli tenebroſum,* 344

Annot. 31. *Quia vnus eſt ſpiritus in Eccleſia, omnem in ea expellit diuiſionem in doctrina. Impium autem & tenebroſum regnum diaboli tot habet dogmata, quot ſunt capita Chriſto rebellantia in ipſo,* 347

De effuſione ſextæ phialæ.

Connexio iſtius phialæ cum præcedenti, 348

Annot. 32. *Quòd in ſextæ phialæ effuſione agitur de poteſtate data Eccleſiæ iudicandi de perſonis particularibus, illorúmque actionibus,* 348

Annot. 33. *Quòd in Epiſcopo Philadelphiæ, in ſexto Angelo deſignato, poteſtas iudicia exercendi in foro exteriori Paſtoribus Eccleſiæ data optimè adumbratur,* 350

Annot. 34. *Interpretatio ſymboli phialæ ſextæ ex variis authorum expoſitionibus,* 351

Annot. 35. *Quænam ſit noſtra expoſitio.* Et ſextus Angelus effudit phialam, &c. *Scopus huius viſionis,* 354

Annot. 36. In flumen illud magnum Euphratem. *Quid per flumen Euphratem ſignificatur?* 355

Annot. 37. *Quomodo ex iudiciis Eccleſiaſticis obdurentur in malis corda iniquorum?* 356

Annot. 38. Vt præparetur via regibus, &c. *hi Reges ſunt illi, qui futuri ſunt Antichriſti miniſtri, ad Romanam ciuitatem ſchiſmaticam & Pontifici rebellem inuadendam,* 557

Annot. 39. *Propter concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis & ſuperbiam vitæ, contra Chriſtum inſurgunt peccatores,* 359

Annot. 40. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. *Interpretatio huius vocabuli Armagedon,* 359

De eſſuſione 7. phialæ, 360
Connexio phialæ 7. cum præcedentibus, ibid.
Annot. 41. *Quod in Eccleſia ſit quædam poteſtas quæ crimina poßit vlciſci, de qua agitur in eſſuſione 7. phialæ*, ibid.
Annot. 42. Et ſeptimus Angelus, &c. *Quod in Angelo Laodicenſi deſignetur poteſtas illa Eccleſiæ data puniendi per excommunicationem obſtinatos peccatores*, 361
Annot. 43. *Compendiaria totius ſymboli effuſionis ſeptimæ phialæ expoſitio*, 362
Annot. 44. *Expoſitio huius ſymboli ex diuerſis authorum expoſitionibus*, 364
Annot. 45. *Expoſitio ſymboli fuſior, iuxta noſtram de pœna anathematis ſupra allatam expoſitionem*, 367
§. 1. *Symbolum poteſtatis anathematizandi eſt phialæ effuſio.* ibid.
§. 2. *Quis poteſt excommunicari, & quo motiuo debet impelli, qui poteſt excommunicare, nempe ideo & abominatione peccati, & ſpe emendationis peccatorum*, 367
§. 3. *Quænam requirantur vt ſententia excommunicationis iuſtè feratur?* 370
§. 4. *Quænam potißimum ſententiam & promulgationem excommunicationis ſubſequi videntur?* 371
Annot. 46. *Quænam terræ motum conſequantur & quænam ſit ciuitas magna diuidenda?* 372
Annot. 47. Et ciuitates gentium ceciderunt. *Qua ratione hæ ciuitates dicantur cadere, ſiue vero caſu, ſiue myſtico?* 373
Annot. 48. *Propter excommunicationem fideles excommunicatorum ſocietatem fugiunt: ſancti pro eis non orant: & Eccleſiæ paſtores beneficium abſolutionis ipſis denegant*, 374
Annot. 49. *Cauſa tantorum motuum eſt peccatorum multitudo & grauitas, & in ipſis obduratio*, ibid.

CAPVT XVII.

Qvàm iuſte Eccleſia in impios ac rebelles excommunicationis gladium vibret, oſtenditur: ex deſcriptione impietatis, &c.

In Caput XVII.

Connexio ſeu ſeries eorum, quæ tractanda ſunt, cum ijs quæ in ſuperiori potißimum capite fuerunt deſcripta, 378
Scopus viſionis iſtius capitis decimi ſeptimi, ibid.

Annot. 1.

Et venit vnus de ſeptem Angelis. *Quiſnam ſit ille Angelus oſtendens damnationem meretricis magnæ*, 399
Annot. 2. *Quænam ſit meretrix magna cuius damnatio reuelatur?*
Variæ authorum expoſitiones de meretrice magna, & ciuitate magna, quæ Babylon vocatur, 380
Annot. 3. *Noſtra de muliere meretrice & ciuitate magna expoſitio*, 381
Annot. 4. *Cur & ſub quo tempore ciuitas Rom. (quamuis nunc ſit ſedes Apoſtolica) meretrix dici valeat, & collectionis omnium reproborum poßit eſſe ſignificatiua, quamuis mater ſit vera omnium fidelium Chriſtianorum?* 384
Annot. 5. *Cur ciuitas Romana ſchiſmatica effecta Babylon dicatur?* 385
Annot. 6. *Quomodo in vrbe Rom. ſchiſmaticâ ſedebit impietas, ſicut olim ſedebat in Babylone antiqua*, 386
Annot. 7. *Variæ de beſtia authorum expoſitiones*, 389
Annot 8. *Beſtia, ſuper quam ſedet meretrix eſt omnis potentia humana, quæ aduerſus Deum & Chriſtum eius extollitur*, 390
Annot. 9. *Impietas latè graſſatur in omnes nationes, & eo magis ſuam exercet tyrannidem, quo ij, in quibus ſedem fixit, ſunt potentiores vel terrenis affectibus implicantur*, 391
Annot. 10. *Cur ſanctus Ioannes ablatus eſt à ſponſa in deſertum?* 393
Annot. 11. Et vidi mulierem, &c. *In hac muliere ſymbolum videtur magnæ cuiuſdam & enormis ſecularis, ſeu mundanæ dignitatis ac potentiæ, quam viciſſim regit, & ad quæ vult impellit*, 394
Annot. 12. *De capitibus beſtiæ, ex diuerſis authorum expoſitionibus*, 396
Annot. 13. *Quidnam requiratur, vt ciuitas aliqua poßit eſſe ſedes aut caput Regni ſeu Imperij, Dei Eccleſiam vexantis*, 398
Annot. 14. *Qua ratione impietas ſupra montes ſedeat, ſeu per mentis ſtoliditatem, peruerſam inclinationem, ſenſuum delectationem, hæreſeum adinuentionem, voluntatis à Deo auerſionem, per conuerſionem ad creaturas, authoritatis Eccleſiæ contemptum, iudiciorum Dei

Digitized by Google

obliuionẽ in aliqua ciuitate ſedem ſuam erigat, 401
§. 1. *Fatuitas & ſtoliditas peccatorum per mulierem deſignantur,* ibid.
§. 2. *Praua ad malum inclinatio, per purpuram & coccinum deſignatur,* 402
§. 3. *Impudens & audax peccandi libertas propter ſenſuum delectationes, denotatur in ornamento mulieris, auro vero ſeu fucato, lapidibus pretioſis & margaritis compoſito,* 403
§. 4. *Hæreſum adinuentio per poculum aureum denotatur,* ibid.
§. 5. *Abominatio & immunditia ex erroribus prodeuntes, ſignificant auerſionem à Deo & conuerſionem ad creaturas, cum in eis vltimus finis conſtituitur,* 404
§. 6. *Contemptus authoritatis Eccleſiæ & Prælatorum deſignatur in nomine Babylonis ſcripto in fronte,* 406
Annot. 15. *Manifeſta ſeruorum Dei vexatio, ſignum eſt impietatis perfectæ regnantis in eis, quos Eccleſia a ſe reijcit, & vt Chriſti hoſtes anathemate ferit,* 406
Annot. 16. *Quænam conditiones requirantur, vt aliquod regnum inter capita beſtiæ computetur,* 408
Annot. 17. *Primum caput beſtiæ fuit regnum Ægyptiorum,* 409
Annot. 18. *Secundum caput beſtiæ eſt regnum Aſſyriorum,* 411
Annot. 19. *Tertium caput beſtiæ eſt regnum Babylonicum,* 414
Annot. 20. *Quartum caput huius beſtiæ eſt Antiochi Epiphanis tyrannis,* 415
Annot. 21. *Quintum caput beſtiæ Imperium Romanum Ethnicum,* 416
Annot. 22. *Sextum caput beſtiæ eſt Imperium Turcicum,* 417
Annot. 23. *Vltimum caput beſtiæ eſt Antichriſtus,* ibid.
Annot. 24. *Alia expoſitio de 7. capitibus beſtiæ, nempe per Reges, ſæcula ſe inuicem ſubſequentia (in quibus diuerſimodè oppugnata fuerit Eccleſia à reprobis) eſſe intelligenda expenditur & explicatur,* 417
Annot. 25. *Ætates, quas quidam putant 7. capita eſſe beſtiæ, ab Abraham ſunt incipiendæ,* 418
Annot. 26. *Qua ratione ſeptem capita conſtituant ſeptem ætatum diuerſitates, quæ ab Abrahamo incipiunt,* 419
Annot. 27. *Quo ſenſu dicitur, beſtia fuit & non eſt iuxta ideam ſymboli,* 414
Annot. 28. *Varia authorum expoſitiones de capitibus quæ ceciderunt, vno ſuperſtite, & alio quod nondũ aduenit* ibid.
Annot. 29. *Quædam præſupponẽda ad faciliorem huius loci expoſitionem* 427
Annot. 30. *Quænam ex 7. imperiis per 7. capita deſignatis iam ceciderint,* 428
Annot. 31. *Quodnam ſit illud vnum caput?* 429
Annot. 32. *Septimum caput Antichriſtus, de quo loquitur hic S. Ioannes,* 432
Annot. 33. *Et cum venerit oportet ipſum breue tempus manere,* 42[illegible]
Annot. 34. *De modo quo interficiendus ſit Antichriſtus,* 43[illegible]
Annot. 35. Beſtia quæ erat & non eſt, & ipſa octaua eſt, &c. *Quodnam illud octauum caput beſtiæ,* 43[illegible]
Annot. 36. Et decem cornua, &c. *Per cornua intelliguntur Reges orientis ab Antichriſto decepti, quos mittet ad euertendum & inuadendum occidentale Imperium,* 43[illegible]
Annot. 37. Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, &c. *An tres ciuitates magnæ, ſint vnius tantùm ciuitatis ſignificatiuæ?* 4[illegible]

CAPVT XVIII.

Qvem exitum tandem obtinebit conflictus Eccleſiæ, contra impios rebelles, oſtendetur ex euerſione inſigni Romanæ ciuitatis, à Pontificis fide & obedientia ſe impiè ac ingratè ſubducentis, 443

In Caput XVIII. Præfatio, 448
Annot. 1.
De eſſentia Chriſti, per myſterium vicarij ſui in terris, contra ciuitatem Rom. ab Eccleſiæ obedientia ſe ſe per ſchiſma ſubducentem, 451
Sectio 1. Et poſt hæc vidi alium Angelum, &c. *Quiſnam ſit ille Angelus de cœlo deſcendens,* ibid.
Sectio 2. *Et iudicandi poteſtate Chriſto Domino data innoteſcit quanta ſit eius gloria,* 453
Sectio 3. Et poſt hæc vidi alium Angelum, &c. *De ſecundario huius viſionis ſenſu,* 454
Sectio 4. *Cur ille Angelus ſententiam proferens, in Babylonem, clamat in fortitudine?* ibid.
Sectio 5. *De ſententia huius anathematis ab Eccleſiæ prælatis in rebelles & contumaces ferenda,* 455
Sectio 6. *Quàm miſerabilis ſit ſenſus eorum, qui à gratia exciſi per peccatum, à ſocietate ſanctorum & communione fidelium excluſi ſunt per*

Digitized by Google

excommunicationem, 456

Sectio 7. *Quibus motiuis inducitur Eccleſi, vt anathema pronuntiet in eos qui rebellini & ſchiſmati adhærebont*, 45

Annot. 2. *Noſtra de rationibus, propter quas anathematizatur hæc ciuitas & poſtì deuaſtatur, expoſitio*, 459

Annot. 3. *Secunda pars huius capitis. De promulgatione ſeu publicatione ſentētiæ anathematis per vniuerſam Eccleſiam, & de præcipuo motiuo, quo debuit hæc ſententia proferri, nempe diſceſſione & ſchiſmate à ſummi Pontificis, Vicarij Chriſti obedientia*, 462

Annot. 4. Sectio 1. *Applicatio ſymboli cum re ſignificata ſeu expoſitio ſymboli de anathemate à ſummo Pontifice proferendo in ſchiſmaticos, Romanæ ciuitatis rebellantis incolas*. 466

Sectio 2. *Vtile eſt electis fugere conſortium malorum ne peccatis eorum conſentiant, ſed etiam ne in ſupplicijs eorum inuoluantur*, 467

Sectio 3. *Funeſta eſt & præſentis excidij præuia malis bonorum ab eis ſeceſſio*, 468

Sectio 4. *Cauſa præcipua anathematis ciuitatis Babylonis nouæ, erit affectatio independentiæ ab authoritate Eccleſiæ, & in ſua defectione propter talem affectationem complacentia*, 471

Tertia pars huius capitis.

Annot. 5. *Et flebunt & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt*,

Sectio 1. *Quæ de cauſa à malis incipiat ſanctus Propheta?* 473

Sectio 2. *Quinam ſint illi Reges qui flere & plangere debeant?* ibid.

Sectio 3. *De fletu & planctu illorum Regum*, 477

Sectio 4. Et negotiatores terræ flebunt, &c. *Quinam ſint illi mercatores flentes & lugentes ſuper deſtructionem ciuitatis Romæ ſchiſmaticæ?* 478

Annot. 6. *Quanam rerum ſerie conijcere poſſumus, ex his quæ antea facta fuerunt, Eccleſiam in extremis temporibus à ſimoniaca labe eſſe vexandam?* 481

Annot. 7. *Qua ratione fieri poterit vt ſchiſmatici & Eccleſiæ rebelles de bonis temporalibus Eccleſiæ diſponere amplius ad libitum non habeant, poſtquam ſemel Roma occupata fuerit, & deſtructa ab Antichriſti ſatellitibus?* 483

Annot. 8. *Quis finis peſſimarum nundinationum rerum ſacrarum nempe theſaurizatio in terris, gula, luxuria; & ſæculi pompa ac ſuperbia*, 484

Annot 9. *Quinam ſint gubernatores & in lacum nauigantes & nautæ, & qui in mari nauigantur?* 486

Annot. 10. *De fletu & planctu paſtorum Eccleſiæ, ob deſolatam & euerſam ciuitatem Rom. ſchiſmaticam*, 488

Annot. 11. Exultant ſuper eam cælum, &c. *Exultant de æquitate iudiciorum Dei, tam ſancti in gloria quàm ij qui adhuc ſunt in Eccleſia militante*, 489

Annot. 12. *Neceſſarium eſt Deum pœnas temporales immittere, vt homines à ſtupore ſuo expergefacti, vel eius patientiam agnoſcant, vel eius ſeueritatem timeant; Et quò maiora hominibus confert dona, eò ſeueriùs contemptum donorum caſtigat, ac finem imponit operi prouidentiæ ſuæ, quo miſericordiam & iuſtitiam ſuam hominibus oſtendere voluit*, 492

Annot 13. *Quomodo in caſu & ruina ciuitatis Babylonis myſticæ, tanquam in imagine & figura, depicta eſt omnium iniquorum & improborum damnatio.* 495

Sectio 1. *Quorumnam ruina prædicitur*, ibid.

Sectio 2. Et ſuſtulit vnus Angelus fortis. &c. *Quiſnam ſit iſte Angelus fortis?* 496

Sectio 3. *Deſcriptio caſus ſeu interitus tum ciuitatis Babylonis, tum omnium reproborum, ſub ſymbolo lapidis in mare proiecti.* 497

Sectio 4. *Firmitatem, gloriam & pacificam fruitionem voluptatum ſibi promittebat Babylon illa myſtica, & à Deo punita mobilitatem, ignominiam & omnium voluptatum priuationem incurrit*, ibid.

CAPVT XIX.

DEI *laudes ob victoriam reportatam: Pia Eccleſiæ exercitia, quibus Deum colit: Chriſti triumphus: & quomodo in Pontificis Rom. authoritatis ſplendore viſibiliter appareat, quæ de eius triumpho ænigmaticè hîc deſcribuntur*, 501

Digitized by Google

Prologus

In caput decimum nonum, 115

Annot. 1.

EX iis, quæ Eccleſia exercere debet poſt ſubuerſionem Babylonis myſticæ in fine ſeculorum, coniicere poſſumus quibuſnam exercitiis in toto decurſu ſeculorum Deo placere debeat, 513

Pia Eccleſiæ exercitia optimè ad tria vitæ genera reduci, vitæ contemplatiuæ, actiuæ, & mixtæ, 514

Annot. 2. Ad quos actus terminetur Dei & perfectionum eius contemplatio, ibid.

Annot. 3. De tribus actibus complacentiæ, ſeu congratulationis, ob Dei perfectiones, & propter operum illius magnificentiam, & quorum operum ratione ſeu intuitu hic potiſſimùm eliciantur, 515

Annot. 4. Quarum operationum intuitu hi actus complacentiæ ſeu congratulationis Deo exhibendæ hîc exprimantur, 517

Specimen affectuum complacentiæ & congratulationis ob diuinas perfectiones in his verbis ſignificatas, 520

Annot. 5. De affectu admirationis, ob profunda Dei iudicia, 521

Admiratio animæ contemplantis profunditatem iudiciorum Dei, in damnatione reproborum, 523

Annot. 6. De tertio actu vitæ contemplatiuæ, videlicet adoratione, 524

Annot. 7. Quidnam ſit adoratio, & de motiuis ad illam inducentibus, 526

Annot. 8. Quidnam requiratur vt iuxta hæc motiua actum adorationis eliciamus, 527

Annot. 9. Quâ de cauſa in prima adoratione pro opere creationis, animalibus ſtantibus, & dicentibus Sanctus, Sanctus, &c. viginti quatuor ſeniores procidebant ante ſedentem in throno, & mittebant coronas ſuas ante thronum, 528

Formula adorationis eliciendæ ob beneficium creationis, 530

Annot. 10. De ſecunda adoratione in quinto capite deſcripta, & de illius motiuo, beneficio ſcilicet redemptionis, 533

Formula adorationis ob cognitionẽ & perceptionem beneficij redemptionis, 535

Continuatio actus adorationis ob beneficium redemptionis, ex eo quod per fidem myſterij Euchariſtiæ auferuntur impedimenta ad fidem myſterij Incarnationis, & diuinarum perfectionum prouidentiæ Dei, aut excellentiæ operum majeſtatis diuinæ, 537

De tertia adoratione, cuius motiuum eſt ſuprema dominatio Chriſti humanitati data, qui caput eſt Angelorum & hominum, 540

De diſtinctione huius tertiæ adorationis à cæteris, ibid.

De motiuo tertio adorationis, nempe quia data eſt Chriſto omnis poteſtas in cælo & in terra, ibid.

Annot. 11. Quomodo laudes Angelicæ optimè conueniant cum hoc motiuo laudandi Deum? 541

Annot. 12. Angelorum laudibus concinunt omnes creaturæ, Eccleſia eas approbante, 544

Approbatio Eccleſiæ laudum, quas ſuprà expoſuimus, 545

Formula actus adorationis eliciendæ ex motiuo ſupremæ Chriſti dominationis, ibid.

De quarta adoratione, ob motiuum glorificationis ſanctorum, & donorum ad illam obtinendam conducentium largitionem, 548

Annot. 13. Motiuum huius quartæ adorationis eſt ſanctorum glorificatio, ibid.

Annot. 14. Canticum Angelorum appoſitè aptatur motiuo huius adorationis, nempe prædeſtinationis, ſeu glorificationis iuſtorum, 549

Formula actus adorationis ob motiuum glorificationis, 551

De quinta adoratione ob motiuum modi præſtantiſſimi, quo ſancti gloriam conſequuntur, nempe per labores & tribulationes varias, quibus Chriſto compatiuntur, 554

Annot. 15. Motiuum huius quintæ adorationis eſt modus præſtantiſſimus acquirendi gloriam, per perſecutionum generoſam tolerantiam, ibid.

Annot. 16. Voces quæ audiuntur in Eccleſia poſt perſecutionem Antichriſti, optimè conueniunt quintæ huius adorationi, quæ in vndecimo capite deſcribitur, 556

Annot. 17. Gratiarum actiones vigintiquatuor ſeniorum optimè conueniunt cum motiuo quintæ adorationis, 558

Formula adorationis ob motiuum auxiliantis gratiæ Dei in aduerſis, 559

De ſexta adoratione, ob motiuum ſeueritatis erga hoſtes Eccleſiæ, quos conterit ſub pedibus, vt Eccclеſia cum ſumma pace tandem Deo cultũ exhibeat, 561

Annot. 18. Quod motiuũ huius adorationis ſit ob partam victoriam de hoſtibus Eccleſiæ, ibid.

Formula actus adorationis ob condemnationem impiorum, 561

De quarto actu eorum, qui diuinæ contemplationi vacant, nempe de laudibus Deo non modo corde, ſed & ore exſoluendis, 563

Annot. 19. *Optimo iure in Eccleſia datur præceptum, quo ad Dei laudes decantandas obligamur,* ibid.

Annot. 20. *De ſpeciali motiuo laudis, quæ præcipitur ab Eccleſia Deo reddenda in hoc capite decimo nono,* 565

Annot. 21. *Vt Eccleſiæ præcepto obediant fideles, hîc repræſentantur dicentes Alleluya,* 568

Annot. 22. *Quonam motiuo inducti ſerui Dei tunc Deum laudabunt,* 569

Secunda pars huius capitis: De exercitiis vitæ actiuæ, 571

Annot. 23. *Demonſtratur neceſſarium eſſe ſedulam præparationem, vt Eccleſia digna reddatur coniungi cum agno indiſſolubili vnione,* 571

Annot. 24. *Quænam debet eſſe perfectio Eccleſiæ, vt dignè cenſeatur præparata?* 572

Sectio 1. *In quo ſenſu præceptum perfectionis intelligi debeat?* ibid.

Sectio 2. *Quomodo præcepta perfectionis nec dura, nec oneroſa eſſe poſſunt in executione?* 573

Sectio 3. *Quomodo, qui implent mandata Dei, iuſti & irreprehenſibiles dicuntur: & tamen dicere debent,* Dimitte nobis debita noſtra: *quia quibuſdam peccatis implicantur,* 574

Sectio 4. *Quænam ſit illa perfectio, quam in hac vita obtinere poſſibile eſt,* 575

Sectio 5. *Talis qualis ſit perfectio, quam adipiſcimur in hac vita, hoc non fit ex propriis viribus, ſed ex gratia Dei præueniente & adjuuante,* 576

Annot. 25. *De modo præparationis, nempe per exercitium actuum omnium virtutum, ſed maximè infuſarum,* 577

Annot. 26. Byſſinum enim, &c. *Qua ratione optimè per byſſinum iuſtificationes ſanctorum deſignantur,* 578

Annot. 27. *Qualis ſit cœna nuptiarũ agni,* 581

Annot. 28. *De nuptiis Agni,* 582

Annot. 29. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt. *Quiſnam hæc dixit beato Ioanni?* 583

Annot. 30. Sectio 1. *Quo motiuo fuerit ſanctus Ioannes impulſus vt adoraret Angelum hæc vera illi annuntiantem,* 584

Quibus motiuis inductus fuit Angelus vt non admitteret adorationem, quam ſibi exhibere S. Ioannes deſiderabat, 585

Sectio 2. *De primo motiuo,* ibid.

Sectio 3. *De ſecundo motiuo propter quod Angelus adorationem S. Ioannis admittere noluit,* 586

Sectio 4. *De tertio motiuo propter quod Angelus non admiſit adorationem ſancti Ioannis,* 587

Quot modis S. Ioannes exiſtimare poterat Angelum ſibi eſſe ſuperiorem circa cognitionem futurorum? Præfatiuncula, 590

Sectio 5. *An Angelus plura cognouerit myſteria ex eo quod ante S. Ioannem hanc reuelationem accepit à Deo, & an ex ea prioritate temporis in cognitione ſancto Ioanni ſuperior exiſtat?* ibid.

Sectio 6. *An Angelus plura cognouerit, quàm S. Ioannes?* 591

Sectio 7. *An ſaltem excellentiori modo Angelus cognouerit ea, quæ futura ſunt, quàm ea cognouerit S. Ioannes?* 593

Sectio 8. *An cognitio futurorum magis pertineat ad dignitatem naturæ Angelicæ, quàm ad homines,* 595

Scopum huius ſchematis eſſe aſſerimus manifeſtationem regiæ dignitatis Chriſti Domini in Eccleſia, cuius magnitudo hîc deſcribitur iuxta finem à Spiritu S. intentum in hac prophetia, 595

Annot. 32. *Manifeſtatio dignitatis regiæ Chriſti,* 596

§. 1. *Quid ſit cælum aperiri?* ibid.

§. 2. *Per equum equique generoſi optimas conditiones, Chriſti Domini humanitas eiuſque perfectiones optimè deſignantur?* 597

§. 3. *Cur equus humanitatem Chriſti deſignans, in hoc loco dicatur albus,* 599

§. 4. *Chriſtus Deus noſter fidelis in promiſſis, verax in verbis, iuſtè omnia diſponit & præcipit, nec ad prælium ciendum mouetur, niſi zelo iuſtitiæ,* 600

§. 5. *Iuſtitia Dei ſummâ ſapientiâ & clarâ rerum omnium cognitione dirigitur,* ib.

§. 6. *Quanta ſit dignitas Chriſti inuictiſſimi, & iuſtiſſimi, & ſapientiſſimi ducis* 601

§. 7. *Specialis quædam ratio, cur nomen Redemptoris ſeu Verbi Incarnati propter hominum ſalutem, dicatur noſci tantùm ab ipſo,* 602

§. 8. *Cùm cognitio nominis Chriſti Redemptoris debeat per totum orbem diffundi, cur dicatur accepiſſe nomen, quod nemo nouit niſi ipſe?* 604

§. 9. *In quonam ſubjecto ſit inſcriptum nomen illud Chriſti glorioſum?* 607

§. 10. *Quænam ſit veſtis Chriſti, quæ ſit aſperſa ſanguine illius ad manifeſtationem charitatis & ſapientiæ Dei?* 608

Digitized by Google

§ 11. Cur is, cui nomen dicitur illi ſoli cognitum, nunc vocetur verbum Dei? 609
§. 12. Per Chriſti merita & imitationem omnes fideles ſanctitatem & immortalitatem conſequuntur, 610
§ 13. Verbo ſuo Chriſtus per ſe & per ſuos victoriam reportare intendit, ibid.
§. 14. Quomodo ſe habeat potentiſſimus ille Rex erga eos, quos verbo ſuo ſubiecit imperio? 611
§ 15. De virga ferrea, in quantum Chriſtus per præcepta dirigit fideles ad vitam, vel per iudicia illos ad quaſdam pœnas ſubeundas adſtringit & cogit. 611
§. 16. Solius eſt Chriſti ſaluare & redimere credentes, & punire credere nolentes. 612
§. 17. Quid per torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis deſignatur? 613
Paraphraſes ſeu expoſitiones trium Pſalmorum, qui intitulantur pro torcularibus, ad maiorem huius textus elucidationem, 616
Paraphraſis ſeu expoſitio 8. Pſalmi. ibid.
Paraphraſis ſeu expoſitio Pſalmi 80. cuius titulus eſt, in finem, pro torcularibus: Pſalmus ipſi Aſaph: ſeu expoſitio Pſal. 80, 618
Expoſitio Pſalmi 83. cui etiam titulus eſt, Pro torcularibus. qui cantari debet, quia per mortem, vinum pretioſum electorum ab amurca reproborum ſecernitur, 612
§. 18. Chriſtus & homo, propter vnionem hypoſtaticam omniũ dominatur in æternum, 625
Connexio huius ſymboli cum antecedentibus, 628
Annot. 33. De Angelo ſtante in ſole, 629
§. 1. Quiſnam ille ſit Angelus, quænam aues, & de qua cœna fiat hîc mentio, ib.
§. 2. Et vidi vnum Angelum, &c. Angelum iſtum Romanum eſſe Pontificem conijcitur, ex eo quod dicitur quod vnus ſit, & quod ſit ſtans in ſole, 631
§. 3. Ex 7. quæ in ſole conſiderari poſſunt, optimè explicantur prærogatiuæ ſpeciales ſedis Romanæ, vt merito ſummus Pontifex dici poſſit Angelus ſtans in ſole, 633
§. 4. Sol luminare maius, ſymbolum infallibilitatis ſummi Pontificis, in deciſione articulorum fidei, calore ſuo terram fœcundantis, ibid.
§. 5. Sicut ſol ſupra planetas alios eminet, ita ſedes Romana alias ſedes præcellit, ſiue Pontificales, ſiue regias, 634
§. 6. Sicut ſol influxus habet benignos, & etiam noxios atque ingratos, ita è ſede Romana benigni & ingrati prodeant effectus, 635
§. 7. Sicut à ſole ſtellæ lumen ſuum mutuantur, ita à ſede Romana fideles lumen cognitionis rerum ad ſalutem conducentium conſequuntur, 636
§. 8. Sicut ſol in motu ſuo conſtantem modum ſeruat, ita authoritas Pontificis Conſtantiſſima eſt & firmiſſima, 637
Annot. 34. De auibus & cœna magna Dei, 638
§. 1. Quinam ſit ſenſus eorum, quæ ab hoc verſu 17. huius capitis, vſque ad vltimum pertractantur? 638
§. 2. Quod in poteſtate inſtituendi quoſdam ordines & delegandi aliquos ad prædicationis officium, ex ipſis eniteat ſumma & Monarchica Pontificis authoritas, 639
§. 3. Quinam ſint illi maximè ad tantum opus miniſterij verbi paratiſſimi, qui ſignificantur per aues? 642
§. 4. Optimis de cauſis hæ conditiones ſupradictæ, in prædicatoribus verbi diuini requiruntur. ibid.
§. 5. Prima prædicatoris verbi diuini virtus eſt ſpiritus paupertatis, omnem curam ſui in Dei prouidentiam proiiciens, ibid.
§. 6. Secunda conditio prædicationis verbi diuini, per aues ſignificata, eſt mentis eleuatio per contemplationem cæleſtium, 643
§. 7. 3. Virtus optimi prædicatoris verbi diuini, per aues deſignata, eſt zelus honoris diuini, & ſalutis animarum. ibid.
§. 8. Quarta conditio optimi verbi diuini miniſtri eſt, vt non leuiter ad noua dogmata amplectenda & proponenda conuertatur, deſerendo antiquam & iam receptã & admiſſam à patribus doctrinã, 643
§. 6. 5. Conditio optimi prædicatoris verbi diuini eſt, vt ſpiritu compunctionis repletus auditores ad pœnitentiam inducat, 644
§. 10. Virtus 6. optimi prædicatoris eſt, vt ſimplex & recta ſit eius intentio. 645
§. 11. Conditio 7. optimi præd. verbi diuini eſt, vt ad Chriſtum Crucifixum ſemper oculos mentis erectos habeat. 646
§. 12. Vltima conditio optimi verbi Dei miniſtri eſt; vt temporis opportunitatem captet, 647
§. 13. Cur clamat ſummus Pontifex vocando aues ad cœnam, ibid.
§. 14. Quænam ſit cœna, ad quam imitantur? 648
§. 15. Quomodo cœna præparatur, 650
Annot. 35. Et vidi beſtiam, &c. De beſtia & Pſeudo-Propheta, in quibus deſignantur ij, quorũ damnatio etiam nunc eſt certiſſima, ibid.

Digitized by Google

Annot. 36. Et cæteri occiſi ſunt, &c. *Quænam ſit illa occiſio?* 651
Annot. 37. *Cur iſta refectio, cœna, non prandium nuncupetur?* 653

CAPVT XX.

De duratione viſibilis Monarchiæ Eccleſiæ, & quomodo ipſa durante, per exercitum authoritatis Sum. Pontificum ſibi inuicem ſuccedentium, omnes ſatanæ conatus euertuntur, quibus viſibile Chriſti regnum attentat impugnare, cuius authoritatis vſus interruptus tandem Deo permittente, ſplendorem Eccleſiæ offuſcare eidem permittitur ad tempus, quo finito, in tartara cum AntiChriſto & aſſeclis de trudetur, & de finali iudicio, 654

In Caput vigeſimum.

Recapitulatio præcedentium, vt melius ſcopus huius capitis 20. percipiatur, 658

Prologus Cap. XX.

In quo occurritur difficultati, nempe quomodo ſi beſtia & pſeudo-Propheta, hi duo miſſi ſunt in ſtagnum ignis in cap. 19. diabolo adiutore mundum alligato, rurſus renouabitur bellum cum Eccleſia, ſoluto ſatana poſt alligationem, cum AntiChriſti perſecutio, qui per beſtiam intelligitur à pluribus, debeat eſſe vltima, 659

Annot. 1.

ET vidi Angelum, &c. *Quinam ſit ille Angelus?* 660
Annot. 2. *Quid Angelos cuſtodes deſcendere de cælis,* 662
Annot. 3. *Quænam ſit clauis abyſſi, & quænam eſt catena quam in manibus tenet Eccleſiæ defenſor & propugnator?* ibid.
§. 1. *Diuerſæ authorum expoſitiones*, ibid.
§. 2. *Quid per abyſſum ſignificetur?* 663
§. 3. *Quid ſignificet clauis in ſcriptura?* ibid.
§. 4. *Quid ſignificet catena?* 664
§. 5. *Quomodo S. Michaël, vt Eccleſiæ protector, clauem habeat abyſſi,* ibid.
Et apprehendit draconem, &c. *Scopus huius ſymboli, apprehenſionis & ligationis ſatanæ.* 665
Annot. 4. *Quot modis ſeu rationibus dæmon conſtituat ſe reum læſæ Majeſtatis diuinæ,* 666
Annot. 5. Et ligauit eum, *Quibus catenis dæmon alligatur, ne totum virus ſuum effundat, & ſua malitia obtineat effectum,* 668
Annot. 6. *Quotnam ſint abyſſi, in quibus dæmon includitur pro diuerſitate impugnationum ſuarum?* 671
Annot. 7. *Quid propriè in his verbis*, Apprehendit, ligauit, miſit in abyſſum, clauſit, ſignauit, *ſignificetur?* 674
§. 1. *Quid propriè ſignificet verbum, apprehendit?* ibid.
§. 2. *Quænam ſit alligatio dæmonis?* ibid.
§. 3. *Quomodo in abyſſum diabolus mitti perhibetur?* 676
§. 4. *De clauſura ſeu incluſione diaboli, & obſignatione clauſuræ?* 678
Annot. 8. *De quo regnandi modo ſanctorum cum Chriſto hic locus intelligendus ſit; & quomodo durare debeat per ſpatium mille annorum?* 680
Annot. 9. *De mille annis durationis regni Chriſti in Eccleſia, diſceptatio,* ibid.
Annot. 10. *Quo pacto Chriſtus Dominus regnare dicitur in terris, mille annis ſupradictis?* 683
Annot. 11. *Quænam ſit prima mors, cuius intuitu alia mors ſecunda dicatur, & quænam ſit ſecunda reſurrectio, cuius reſpectu alia quædam reſurrectio prima nuncupetur?* 685
Annot. 12. *Quænam ſit ſecunda reſurrectio quæ correſpondeat primæ, de qua hic mentio fit?* 686
Annot. 13 *Quem ſenſum habeant iſta verba*, Cęteri mortuorum non vixerunt, donec conſummantur mille anni. *Hæc eſt reſurrectio prima,* 688
Annot. 14. Beatus & ſanctus, &c. *An de ſolis prædeſtinatis hæc exponi debeant?* 689
Synopſis eorum quæ in hoc capite expoſuimus, ad faciliorem eorumdem perceptionem, 690
Annot. 15. *De conſummatione ſæculorum,* 691
Annot. 16. *De conſummatione mille annorum,* 692
Annot. 17. *Soluetur Satanas de carcere ſuo; & exibit, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ,* 694
Annot. 18. *Quo fine permittet Deus ſolui Satanam, vt totis viribus Eccleſiam vexare valeat?* 694
Annot. 19. *Ex quibus conſtabitur Antichriſti exercitus?* 695
Annot. 20. *Antichriſtus vſurpabit duo Imperia, Orientis & Occidentis, ex Ezechielis Prophetia,* 700
Annot. 21. *An caſtra ſanctorum componant aliquem ſingularem exercitum: vt ciuitas dilecta ſit aliqua ſingularis?* ibid.
Annot. 22. Et deſcendit ignis de cælo, &c. *Eodem ſchemate & ſupplicium ma-*

lorum, & plurimorum conuerſio hîc depingit S. I. & de ſtatu Eccleſiæ poſt mortem Anti-Chriſti. 701
Annot. 23. Et vidi thronum, *Diuerſæ plurimorum authorum de hoc throno expoſitiones,* 703
Annot. 24. *Quomodo à conſpectu throni fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis,* ibid.
Annot. 25. *De iis qui iudicandi ſunt,* 704
Annot. 26. *De proceſſu Iudicij,* 705
Annot. 27. *Nullus à generali reſurrectione & iudicio eximetur,* 706

CAPVT XXI.

Pars quarta elucidationis.

GRaphica deſcriptio præmiorum, quibus cumulabuntur ſancti in patria cæleſti, 708

Quarta & vltima pars expoſitionis Apocalypſis, caput 21. & 22. complectens, 724

Annot. 1.

DE *renouatione Vniuerſi poſt finale iudicium,* 725
Annot. 2. *Quid ſit ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendere de cælo?* 728
Annot. 3. *Quòd beatitudo ſit aliquid creatum, gratiæ conſummationem requirens,* 729
Annot. 4. *Quid Eccleſia, reuelatione acceptâ de gloria & beatitudine ſanctorum, de illa fidelibus credenda proponere debeat?* 731
Annot. 5. *Qua ratione ſocietas ſanctorum iam in patria exiſtens, tabernaculum dicatur: & de modo quo Deus habitare cenſetur & eſſe cum ſanctis, vt ipſi ſint eius populus, & ipſe ſit eorum Deus?* 732
Annot. 6. *Credendum eſt de vita æterna, omnia mala ab ea abeſſe, & è contrà in ea cuncta adeſſe bona; nec enim Deus poteſt fallere, qui iſta promiſit,* 734
Annot. 7. *Quinam ſint adepturi hæc bona æterna, nempe in Deum ſperantes, illa bona ſitientes, & propter illorum amorem omnia impedimenta vincentes,* 735
Annot. 8. *Quinam excludantur ab æterna gloria?* 736
Annot. 9. *Actuali animi eleuatione ad contemplationem cæleſtium opus eſt, ad diſtinctè percipiendum quanta ſit gloria, quam fides nobis eſſe credendam & ſperandam proponit,* 738
Annot. 10. *De lumine gloriæ, quo animæ ſanctæ viſionis diuinæ eſſentiæ capaces redduntur,* 740
Annot. 11. *Nullâ vi externâ beati poſſunt à beatitudinis ſtatu dimoueri,* 742
Annot. 12. *Portæ Paradiſi ſunt opera bona, quibus ius ad gloriam acquirimus, inſtinctu & auxilio bonorum Angelorum facta, quorum eſt in conſummatione ſecernere malos à bonis,* 742
Annot. 13. *Non quæcumque bona opera quamuis meritoria ſecundùm præſentem iuſtitiam, portas cæli conſtituunt; ſed ea tantùm, quæ ſunt filiorum ſeu hæredum, & quibus efficaciter ad cælum peruenitur,* 745
Annot. 14. *Quo ordine inſcripta ſunt nomina Patriarcharum in portis?* 745
Annot. 15. *De fundamentis,* 751
§. 1. *Interpretum expoſitiones variæ, de fundamentis huius ciuitatis,* ibid.
§. 2. *De ipſa viſione imaginaria fundamentorum,* 752
§. 3. *Fundamenta ciuitatis ſunt duodecim bona, quibus fruuntur beati, ad integritatem ſtatus beatitudinis pertinentia, quorum fruitione propellantur omnia mala, quibus ſecuritas beatitudinis perturbare poſſet,* ibid.
Annot. 16. *Talis & tanta eſſe debet omnium beatorum perfectio & gloria, vt quidquid Chriſtus ad Patris ſui exaltationem operari voluit, in eis clarè eluceat & manifeſtetur,* 754
§. 1. *Interpretum variæ expoſitiones,* ibid.
§. 2. *Idea menſuræ, qua Chriſtus deſignatur,* 755
§. 3. *Qua ratione ſocietas beatorum, eorum actiones & ſecura beatitudinis poſſeſſio per Chriſtum menſurantur,* ibid.
Annot. 17. *De figura & magnitudine ciuitatis,* 750
§. 1. *Idea ſeu viſio imaginaria huius ſymboli,* ibid.
§. 2 *Cur ciuitas dicatur in quadro poſita, & eius longitudo dicitur tanta quanta eſt latitudo?* ibid.
§. 3. *Amplitudo ſeu magnitudo ciuitatis per ſtadia duodecim millia deſignantur, & qua de cauſa?* 757
Annot. 18. *Altitudo exaltationis nominis Chriſti pro humiliatione paſſionis, deſignatur in numero 144. & tantam debere eſſe ſecuritatem beatorum, quanta eſt apud Patrem authoritas,* 758
Annot. 19. *Qua ratione beati obtinuerunt vt Chriſtus ſit ipſis in æternum pro muro, & ſecurâ beatitudine fruantur?* 760
Annot. 20. *Deus electis diſtribuit diſtin-*

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI SECVNDI SCOPVS.

ECCLESIA, QVANTVM creaturæ licet, vices rependit Chriſto ſponſo, prælijs pro eius amore initis, ac piis exercitiis, donec tandem cœlo aperto videatur multis diadematibus inſignitus, & proclametur in cunctis generationibus, Rex Regum Dominus Dominantium.

PROOEMIVM IN CAPVT XII.

EX dictis in præcedenti tomo perſpeximus quantis fauoribus Chriſtus dilectiſſimam ſponſam Eccleſiam proſecutus fuerit: à continuo gratiarum influxu minime deſtitit, quouſque eam reddiderit tanta virtute ornatam, tanta ſanctitate præditam, vt quò vehementiùs oppugnata fuit, eo fortior in perſecutionibus tolerandis appareret. Diceres verè ſponſum totum in eo eſſe, quaſi de nulla alia re cogitet, quàm vt ei ſuppetias ferat, dona largiatur; nec Eccleſiam vana extolli iactantia, dum læta proclamat: *dilectus meus mihi.* Cant. 2. Ingrata ne remaneret? Hoc pro cumulo gratiarum certè recepit, vt minimè ingrata remaneat: vnde continuò *ſubiungit: Et ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quaſi diceret: Eius tota ſum cui placent odores virtutum, cui candida innocentiæ & caſtitatis veſtimenta gratiſſima ſunt; quamdiu mihi hac mortale vita frui licebit, vſque ad extremum vitæ halitum, quamdiu ſol vitæ irradians benignus influxerit.

Hac de cauſa, ſicut in primo cap. S. Ioannes ſponſum Chriſtum nobis exhibuit in medio ſeptem candelabrorum aureorum, id eſt Eccleſiæ, deambulantem, & facie ſole ſplendidiore eam colluſtrantem, talibus inſignitum notis, quibus facilè conjicere poſſimus quid tandem pro Eccleſia ſua operaturus eſſet, vt eam ſtabiliret, inſtrueret, ſanctificaret, purgaret, probaret, protegeret, ac tandem perficeret; ita nunc ſanctiſſimus Propheta Eccleſiam nobis repreſentat amictu, calceatu, inceſſu, corona, clamore, partu, fuga, alis, receſſu, ſatis indicantem qua fidelitate ſe gerere debeat, vt ſponſi ſui amorem ſibi concilier, eiuſque gratiam mereatur adipiſci, vſque ad hunc conſummationis ac perfectionis gradum, vt in ea, & per eam Chriſtus Dominus regnare in toto orbe meritè dicatur. Tale ſi quidem eſt opus gratiæ, vt nec ipſa ſine hominum conſenſu, nec homines abſque illius concurſu aliquid agant, quo Dei gloria aut imperium promoueatur.

A At multa Eccleſiæ erunt ſubeunda pericula; multa ineunda certamina, antequam tantum opus perfici queat. Ita excandeſcit Dæmon, quod videat homines ad tantum gloriæ apicem hac ratione præparari. Hinc Eccleſiam quinque modis oppugnabit, primo terroribus illos auocare tentabit à tam generoſo incœpto cultum & obſequium Dei & Chriſti promouendi: ſecundò illos ſuperbiæ ſuæ veneno inficere conabitur, quo iugum legis Chriſtianæ excutere conentur: tertiò illos rerum huius mundi amore, à rerum ſpiritalium & cæleſtium dilectione auertet, fictiſque ac futilibus rationibus perſuadere ea quæ paſſionibus & peruerſis inclinationibus faB uent potius eſſe inſequenda, quàm ea quæ ſpiritui & menti conducibilia ſunt: quartò ſemper inſtigationes ſenſui & carni fauentes euomet, vt Eccleſiam ſi fieri poſſet, abſorbeat & cooperiat erroribus: quintò afflictionibus & vexationibus plurimis vitam illorum exagitabit, vt patientiam amittant, & in amiſſione patientiæ animarum ſuarum poſſeſſionem perdant.

Hæc procul dubio perſpicies, ſi Eccleſiam ſpectes ab incunabulis, eiuſque primos labores, & cæteros conflictus quos huc vſque perpeſſa eſt conſideres: dum ſynagogæ maleuolentiam charitate retundit, dum Imperij Romani, olim idolis ſeruientis, ſuperbiam humilitate & patientia calcat, dum magnanimitate terrenas ſæculi poteſtates reprimit, C dum ſapientia errores diſſipat, dum ſanctitate morum vitia extirpat, dum animi conſtantia inter aduerſa quæque in via ſalutis fæliciter incedit cunctas ſuperando tentationes: Nihil timet ſecura de veritate promiſſorum, dum audit Chriſtum dicentem; *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Hæc & talia in hoc capite & ſubſequentibus videbimus, in quibus Eccleſiam cernemus fidelitatem ſponſo ſeruantem, contra peruerſa diaboli mendacia, ſæculi vanitatem, mundi ſuperbiam, vitia peccatorum ſemina, hæreſes, & mundi vexamenta ſtrenuè dimicantem.

Digitized by Google

PARS III. ELVCIDATIONIS.

ECCLESIÆ SVMMVS DECOR, ET PRÆCLARÆ EIVS DOTES; quibus ſua munia exercendo ſponſi voluntati reſpondeat; quo fit vt Satanæ inuidiam & odium contra ſe ſuſcitet, iramque acuat, vt eam modis omnibus perſequatur.

CAP. XII.

Sophon. 3.
Iſa. 60.

VENIET profectò illud tempus A ab Iſaia prædictum, cum omnis Iſraël ſaluabitur, & duo populi Domino deſeruient humero vno. *Tunc enim*, ô chariſſima Chriſti Sponſa, *non audietur vltra iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis: & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Sed antequam ad tantam gloriam peruenias, multas in mundo preſſuras ſuſtinebis. Tibi congrediendum erit cum antiquo, at minimè veternoſo, ſed peruigili hoſte: ſemper quippe erit in inſidiis, vt tuos profectus impediat. B Tibi multa erunt aduerſa toleranda, plurimos à te terroribus auocabit; multis per ſuperbiam iugum tuum excutere perſuadebit: alios ab amore cœleſtium diſtrahet, terrenis & carnalibus affectibus occupatos: alios mendaciis & erroribus ſeducet: alios tandem vexabit tot & tantis ærumnis ac miſeriis, vt veluti derelicta & odio habita appareas, adeo erunt pauci qui in fide & charitate ſtabiles permaneant. Præualebis tamen, quia ſponſus tuus vicit mundũ, vt cum multa fiducia cum eo congredi minimè pertimeſcas.

TEXTVS.

Et ſignum magnum apparuit in cælo mulier amicta ſole & luna ſub pedibus eius & in capite eius corona ſtellarum duodecim.

Huius autem Eccleſiæ cum hoſte conflictus ſymbolum præclarum animaduerti, cum *ſignum magnum* mihi *apparuit in cælo*, id eſt in medio aëris, *mulier* C nempe *amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim: & in vtero habens clamabat parturiens: & cruciabatur vt pariat.* Hoc admirabili ſigno excitata eſt mens, ad contemplandam mulierem illam fortem, quam Deus ex vltimis terræ finibus ſibi in ſponſam elegit, nempe Eccleſiam. Hanc in medio aëris ſeu cœli perſpexi, quia adhuc militans. Terram reuera deſerit, cœlum deſideriis petit, ſed nondum ad brauium vitæ æternæ peruenit. In ea tamen Deus, veluti in cœlo, poſuit tabernaculum ſuum, vt inhabitet gloria in terra noſtrâ. Vna erat, quia vnica eſt hæc hæc Dei ſponſa. Etſi enim ſexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non ſit D numerus, vna tamen eſt columba, vna eſt perfecta. Hæc ſapientiæ, quæ eam ædificauit, quæ eam genuit, vna eſt electa: licèt perfectiores animas, quæ ad implenda Dei mandata & conſilia ita ſedulò laborarunt, vt iam ad quietem contemplationis peruenerint ad regium thalamum introductæ, & eas quæ virtuti acquirendæ ita perſeueranter incumbunt, vt ſponſi viſitationibus frequenter recreentur, & eas quæ adhuc infirmæ ac debiles ad meliora prouocantur in ſinu ſuo complectatur; vna tamen eſt.

Cant. 6.

Amicta eſt ſole, quia ſol ille iuſtitiæ in medio eius deambulans illam radiis ſuis totam colluſtrat, vt nulla ſit eius pars quæ eo lumine careat, ſiue eius doctrinam ſpectes, ſiue præcepta eius expendas, ſiue eius cæremonias ac Sacramenta ponderes, omnia lumine fulgent: quia in omnibus his ſancta & immaculata percipitur. Tanto lumine colluſtrata omnibus cõſpicua eſt. Qua enim ratione occultari poſſet, quæ tanto lumine fulget? Nec vllam pati poterit corruptionem aut defectum, quæ tanta protectione gaudet, vt indeficienti & incorrupto lumine veſtiatur in ſapientia manet, ſicut ſol in quo Deus poſuit tabernaculum ſuum, vt thronus eius, ſicut ſol, permaneat in æternum, quia catholica.

Eccleſ. 27.
Pſ. 18. & 83.

Hinc erit ab omni errore ac mendacio libera, veritatis luce irradiata. *Deus* enim *lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt vllæ*: qui erit ei murus ignis & luminis in circuitu, & in gloria erit in medio eius, vt diſpergat omnes tenebras, & omnes inſultus aduerſariorum in fauillam redigat. Lunam habet ſub pedibus; quia catholica eſt, & per vniuerſum orbem dominatur, eiuſque imperium ſuper omnia mundi regna vniuerſim extenditur: omnia caduca ſub ſe conculcat, quæ ad æterna præmia in medio aëris ſuſpenſa adſpirat. Caput habet duodecim ſtellis decoratum, quia ſummus Pontifex caput eius viſibile, ſua firmitate aliorum Pælatorum dignitatem ac auctoritatem fulcit ac ſuſtentat: eadem ratione ab eis ornatur, qui ſunt duodecim Apoſtolorum, Eccleſiam coronantium, in miniſterio ſucceſſores.

At quam generoſæ ſunt eius cogitationes! Quam arduæ & heroicæ! Quàm digna ſunt quæ meditatur & exequi ac perficere intendit! Nihil minus cogitat quàm vt omnem terram Chriſti crucifixi ſubdat imperio. Hæc in vtero habet: vult vt Roma illa, ſuperba pauperis illius pedibus teratur: vult vt omnia regna mũdi illi ſoli ſeruiãt, quicquid pati contigerit, ab incœpto nõ deſiſtet, donec Chriſtum in ſuo Vicario ac Petri ſucceſſore revereri, & ei obediẽtiã præſtari præſentiat. Hæc clamat, & cum Petro ait: *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire verbum Euangelij & credere.* Hoc autem eſt Verbum Euangelij, quia natus eſt nobis Saluator mundi: Dominum & Chriſtum fecit Deus, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, qui conſtitutus eſt Rex ſuper montem ſanctum eius, ante quem curuabitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium & infernorum; cui datæ ſunt gentes in hæreditatem, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum, vt cunctorum dominetur; cuius gratia credimus nos eſſe ſaluandos. Hunc timete. Huic obedientiam & obſequium exhibete. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam*: oſculamini filium qui datus eſt nobis: complectimini, adorate in ſubiectionis ſignum, *ne pereatis de viâ iuſtâ*, de bonorum præmiis, de tutâ & proſperâ viâ, *cum exarſerit in breui ira eius.* Hæc & alia potenti voce proclamat, & licèt cruciatibus atque angoribus torqueatur, vt quæ in animo concepit parturiat, clamare tamen non deſiſtit.

Et in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

Sed talia audiens Sathan, præuidens ac præſentiens ſe hac ratione expelli, & ſceptrum exactoris ſibi potenter eripi è manibus, ſolitâ fretus audaciâ, liuore ac inuidiâ plenus, ac ira & odio excandeſcens,

Digitized by Google

TEXTVS.

nec Eccleſiæ ſplendorem, nec eius pios conatus ſuſtinere valens, & illam deiicere meditatur, & hunc eius partum deuorare intendit, ſtatim atque in lucem prodire cœperit.

Et viſum eſt aliud ſignum in cælo: & ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem.

Hinc in cœlo, in medio aëris, vidi aliud ſignum. Ecce enim draco apparuit, diabolum repræſentans: Draco eſt, quia omni decore gratiæ ſpoliatur: qui ab eo inſtanti, quo in figurâ ſerpentis ptimos parentes decepit, tot & tantas fallacias & aſtutias machinatus eſt, vt pro ſerpentis formâ, draconis naturam induerit. Magnus, vt enormi eius magnitudine, quanta eſſet eius potentia ac malitia facilius conciperem. Rufus erat, quia nimio furore percitus ardenter incœpta proſequitur, & ſanguinem ſitit. Habebat capita ſeptem, & cornua decem, quia ſeptem potiſſimùm rationibus, homines ſub ſua tyrannide captiuos retinere prætendit; ſi auaritiâ repleantur, ſi liuore tabeſcant, ſi luxuriâ polluantur, ſi irâ inardeſcant, ſi pigritiâ torpeant, ſi ingluuie & gulâ corrumpantur, ſi ſuperbiâ efferantur; & cornua decem, quia quos allicere ad ſe non poterit, vi & violentiâ eos opprimere meditatur, contra eos qui Chriſtum ſuſcipient omnes ſæculi poteſtates commouendo. Super capita habebat diademata ſeptem: *initium* enim *ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo, & ab eo qui fecit eum recedere*, & dicere, iugum eius abjicientes: *non ſeruiam*. Quis eſt Dominus vt obediam voci eius? Quin etiam ſeptem regnorum potentiſſimorum miniſterio, Chriſti ſubditos ſuppeditare attentabit, nihilque negligit quo ſperet ſe poſſe ipſos ab obſeruatione mandatorum auertere. Et cum extremum totius cacodæmonis malitiæ ſit quod vel in peccatum & apoſtaſiam incidamus, vel ſi animæ mortem inferre non valet, corporibus ſaltem noceat, cum ſit homicida ab initio, & ſitiat ſanguinem humanum, ecce abſorbebit fluuium & non mirabitur: quamuis enim propter peccatum quod induxit, omnes nos tanquam aqua dilabamur, non extinguitur ſitis eius: quin potius habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius; id eſt, quod omnes fideles baptiſatos in nomine & virtute eius qui in Iordane baptiſatus eſt, deglutiat & abſorbeat. Hinc vidi quod cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli & miſit eas in terram. Quicquid enim dæmon machinatur eſt vt ſancti vel è cœlo in terram ruant, affectibus carnis dediti: vel ſi ipſi parere & obtemperare noluerint, morte crudeli citò plectantur.

Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.

Iam rubeſcunt Eccleſiæ incunabula tot martyrum ſanguine purpurata, vt ſatis pateat quantopere exoptet dæmon terrore ac cædibus homines à cultu Ieſu Chriſti diuertere, traxit eius cauda plurimas ſtellas cœli in terram, cum plurimos Eccleſiæ fideles è medio ſuſtulit: ſic traxit eius cauda plurimas ſtellas cœli in terram, cum plurimos ex ipſis ſuggeſtionibus ſuis ad terrena & carnalia ſectanda adegit.

Et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiiſſet, filium eius deuoraret.

Hæc & ſimilia meditatus *ſtetit draco ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.* Nec enim clam eam perſequitur, ſed aperto marte illi bellum indicit. Sed velit nolit, peperit Eccleſia filium maſculum. Iam exiuit in omnem terram ſonus Apoſtolorum. Iam per cunctas nationes vna vox, Chriſtus eſt. Iam eum vndique omnes fideles prædicant ac confitentur verum Deum. Iam illum adorant, ipſi litant, ipſi vt Regi Regum & Domino Dominantium præſtant obedientiam, fidelitatem ſeruant. Iam Petrus Romæ ſedem ſuam fixit vt omnes nationes ſuo ore audiant quid credere, quid agere debeant; vt Paſtoribus cunctis tanquam teſtis Chriſti paſſionum, & gloriæ eius communicator, quæ in futuro reuelanda eſt, dicat: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum*: vt ſic & oues & Paſtores, *cum apparuerit princeps Paſtorum percipiant immarceſſibilem gloriæ coronam*. Iam eius auctoritas à Chriſto data, vt ſit fundamentum & petra Eccleſiæ, radices mittit, vt inconcuſſa maneat, & omnes motus contra veritatem excitatos compeſcat, & quoſcumque elidat mundanos fluctus, quibus tundi & exagitari, ſpiritu maligno flante, nauis iſta valeat; & ſic Regnum Chriſti viſibile in terris, dæmone fugato, permaneat ſicut ſol in æternum.

TEXTVS.

Et peperit filium maſculū qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius.

Peperit ſiquidem Eccleſia iſtum puerum maſculum, *qui recturus erat gentes in virga ferrea*, cum authoritatem à Chriſto Petro collatam exercere non dubitauit, frementibus vndique ſæculi poteſtatibus, blaterantibus hæreticis, colluctantibus ſchiſmaticis, & eam omnes auferre, euellere, aut ſaltem diſcindere conantibus: ſed quamuis Sathan his viis ac rationibus, ſic ſteterit ante mulierem, vt deuoraret iſtum filium, nihil effecit. Raptus eſt enim filius eius ad Deum & ad Thronum eius, vt qui ſedet in Throno, Dei vices agat, & in tanta euectus ſublimitate ac dignitate, Dei protectione gaudeat.

Et mulier fugit in ſolitudinem vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

Sic Eccleſia reliquit Iudæam & ſynagogam, & Iudæis Euangelium minimè ſuſcipientibus, ad quos primùm miſſi fuerant Apoſtoli, in ſolitudinem & deſertum gentilitatis fugit, vbi habebat locum paratum à Deo, animas videlicet ad omnia pro Chriſto relinquenda paratiſſimas, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta, nempe toto tempore quo eam vexari contigerit. Quorum quidem zelus potiſſimum illuxit in vrbe Roma, in quâ tot & tanti proceres exules & extorres pro Chriſti fide apparuerunt. Hæc enim vrbs locus paratus fuit à Deo Eccleſiæ, vt ibi prædicata fide, & gentilitate calcatâ, in ſublime quotidie ſe erigeret nomen Chriſtianum. Hinc magna colluctatio exorta non ſolùm *aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Nam *factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angels eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius.*

Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angels eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.

Talis enim Chriſtiani nominis fulgor, talis ſupremæ in terris poteſtatis ſplendor, quo diaboli inuidia retunderetur, ipſum ad fortiter repugnandum incitauit, & per eos qui poteſtate temporali pollebant, & quos tenebat captiuos ad omnem diaboli voluntatem exequendam paratiſſimos, vſurpatæ dominationis iura retinere attentauit.

Sed venit Michael in auxilio filiorum Dei, cum Angelis ſuis; cum ſummi in Eccleſia Pontifices, ſupremo Eccleſiæ Angelo cuſtodi Michaeli inſpirationibus ducti, ac protectione muniti; & cæteri vigilantiſſimi Eccleſiæ Paſtores fortes in fide, ſuis Angelis cuſtodibus morem gerentes, diabolo & cunctis machinationibus eius conſtanter reſtiterunt: & ſic *non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo*. Nam dæmones, qui cœleſtes ſibi honores tribui volebant, tanquam profugæ ac Deo rebelles habiti ſunt: & quiſquis alius à Chriſto ſibi diuinum honorem attribuere conatus eſt, à mente ſuâ excidit, ſuâ fruſtratus expectatione. Et ſic omni idololatria ab orbe fugata, *proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram: & Angeli eius cum illo miſſi ſunt.* Nihil profuit ei quod nulla ſit ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullus timeret: ab infirmus homuncionibus nunc ſuperatur, quia Deus infirma mundi elegit, vt confundat fortia. Omne ſublime equidem videt ille draco, & Rex eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ: ſed per ſtultitiam prædicationis crucis eluſa eſt eius aſtutia: quia ſtulta elegit Deus vt con-

Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpês antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram: & Angels eius cum illo miſſi ſunt.

Digitized by Google

fundat ſapientes : nec enim mendacia ac calumniæ, nec eius contradictiones & oppugnationes impediuerunt quominus Regnum Chriſti firmaretur in terris.

Et audiui vocem magnam in cælo dicentem. Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorũ, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. Propterea lætamini cæli & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnã, ſciens quod modicum tempus habet.

Hinc tot perſecutionibus finitis, audiui vocem magnam in Eccleſiâ dicentem : *Nunc facta eſt ſalus*, quia ad æternam ſalutem adipiſcendam omnibus via eſt aperta: *& virtus*, quia fugati ſunt inimici & in terram proſtrati. *Et Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius*, quia diabolus ab honoribus diuinis expulſus eſt, ſolus verus Deus & vnus, & filius eius mundi redemptor colitur & adoratur. *Proiectus enim eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte* : non amplius apud Deum aget inceſſanter, vt homines tanquam ſuos ſibi vendicet, quod ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis Deo iniurioſi erant; fortunæ, non diuinæ prouidentiæ cuncta tribuentes; & ſibi non Deo ſeruientes & obſequentes. Gratias agunt in omnibus Deo vno & Trino, ſanguine agni dealbati : *ac gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei*, in manibus tenebant. Tantâ nunc vigent animi fortitudine ac conſtantiâ, vt valeant omnem eius aſtutiam deludere, malitiam infringere, pertinaciam retundere : obſtructum eſt os loquentium iniqua : Nec enim dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. Non amplius ille accuſator fratrum dicat : *Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro animâ ſuâ, alioquin mitte manum tuam & tange os eius & carnem : & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Nec enim mors illos à Chriſto ſeparare potuit. *Propterea lætamini cæli*, tam Eccleſia iam triumphans, quàm Eccleſia adhuc militans, *& qui habitatis in eis*, ſiue Angeli, ſiue ſancti glorioſi, ſiue fideles adhuc viatores. Sed væ iis qui terrena ſapiunt : Væ iis quorum corda impia ſunt tanquam mare feruens. Si enim diabolus à cordibus fidelium eſt expulſus, quærit requiem in locis arentibus, dormire deſiderat in ſecreto calami, & in locis humentibus : ad vos ſiquidem *deſcendit diabolus habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet* : adhuc enim per modicum tempus idololatria reuireſcet, poſteaquam publicus fuerit Dei & Chriſti eius cultus in orbe receptus. Sed eo elapſo, tantam diabolus tyrannidem exercebit in homines terrenos & carnales, quos contra Eccleſiam continuò ſuſcitabit, vt eam oppugnaret, & diuerſis tunſionibus impeteret.

Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſſet in terrã perſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum.

Poſtquam enim *draco vidit quod proiectus eſſet in terram, proſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum.* Iam auctoritate Eccleſiæ vigente homines ad idololatriam non impellit : videt ſe in his operam perdere. Suſcitat igitur potentes ſæculi, qui terrenis affectibus implicati facile ſuis ſuggeſtionibus obtemperant, ſumma nempe Eccleſiæ auctoritas ac ſublimis dignitas, quæ eam ponit in ſuperbiam ſæculorum, parat illi inuidiam hominum mundanorum, vt eam perſequi audeant, ac deprimere ſtudeant. Legibus illius aut mandatis colla minimè ſubdentes, & ab eius vnitate ſe ſeparantes, eius ſplendori tenebras offundere conantur, doctrinæ inſidiantur, moribus ac ſanctitati, quantum in eis eſt, detrahunt.

Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie ſerpentis.

Sed datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ vt volaret in locum ſuum. Iam experta eſt in primæuâ & florenti ætate quàm benè illi fuit, apud eos qui rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcipientes, cognoſcebant ſe habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Tales ſuæ doctrinæ capaces, ſuorum mandatorum cultores Religioſos reperit. Ne igitur in doctrinâ aliquid detrimenti patiatur, vt eius ſanctitas ſarta tecta ſeruetur, pernicibus alis rurſus in deſertum locum ſeceſſit : ſagaci intuitu videt ſuos à diabolo technis & fraudibus ad terrena ſectanda allici, mundanos appetere honores, voluptatum amatores reddi, niſi de remedio conuenienti ſedulò & promptè prouideat. Videt plurimos curioſitate ductos, potiùs veritates in dubium reuocare, quàm fidei ſynceræ intellectum ſubdere. Timet ne moribus deprauati facilè mendacio aures accommodent. Ad pœnitentiæ & mortificationis membrorum & concupiſcentiarum exercitia illos vocat, votis aſtringit, vt à mundo ſecedentes tantis corruptionibus ſæculi minimè pateant. Ducit inquam, eos in ſolitudinem, vt Deus loquatur ad cor eorum, & iam quodammodo prægustatis deliciis æternis omnia terrena facilè contemnant, ſicque fruſtra iaciatur rete mendaciorum ante oculos pennatorum, id eſt, eorum quorum conuerſatio in cælis eſt. Ibi alitur Eccleſia, tum quia eius ſanctitas & doctrina ibi in tuto eſt, tum quia etiam ibi habens victum & veſtitum, his contenta Deo inſeruire conatur, *per tempus & tempora & dimidium temporis*, & ſicut Iudith in ſuperioribus domus ſuæ facit ſibi ſecretum cubiculum, in quo clauſa moratur annis tribus, & menſibus ſex, vt non Holophernis caput, ſed diaboli fraudes præſcindere valeat, cum nempe, apud eos ſecedit, qui maiora Dei præcepta adimplentes Chriſti ſectantur veſtigia, & ad perfectionem adſpirant Euangelicam.

Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.

Quod quidem perſpiciens ſerpens ille, cui mille nocendi artes, cum pater ſit mendacij, euomuit poſt Eccleſiam aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine; nempe plurimos errores, plurimas hæreſes adinuenit quorum impetu eam ſubuertere poſſit. At cum hæreſes à Deo permittantur, vt probati manifeſti fiant; ab eis, quibus potius grauabatur quàm ſolaretur, receptæ ſunt huiuſmodi hæreſes; ipsâ in fide ſyncera permanente. Sic adiuuit terra mulierem, cum *aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo*, nempe cum homines terreni, animales, errores auidè ſuſceperũt, vt pote ſuis affectibus & prauis moribus fauentes.

Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.

Et iratus eſt draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Et ſtetit ſupra arenam maris

Sed nec eius ira conſopita eſt. Videns enim plurimos in fide perſeuerare, & Eccleſiam ſuum ſplendorem retinere, *iratus eſt draco in mulierem & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius*, qui in fide conſtantes fuerunt, vt pote *qui cuſtodiunt mandata Dei, & habens teſtimonium Ieſu Chriſti*, eos variis tentationibus exercendo. Sed cum eos ſuperare non poſſit, qui habent hoc Ieſu Chriſti teſtimonium (*quis* enim *eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?*) *ſtetit ſupra arenam maris.* Ad hoc redigitur eius potentia, vt tantùm valeat fideles electos in rebus tranſitoriis vexare: & ſi ei ad libitum aliquid ſuccedat, ſtat tantum ſupra arenam maris, nempe ſupra eos, qui nullo charitatis glutino cum Deo & proximo coniuncti, rerum temporalium ac voluptatum ſiti laborant.

Digitized by Google

ET SIGNVM MAGNVM APPARVIT in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, &c.

Quo fine Spiritus ſanctus ſuper Eccleſiam illapſus eſt, tot gratiis eam cumulauit, nempe vt per labores ac dolores ſubeundos tantorum donorum grata exiſtat, ac regnum Chriſti in terris promouere ſtudeat.

ANNOTAT. I.

Signum magnum Eccleſia militans. §.1.

ECCLESIÆ *namque ſponſa Chriſti*, inquit Iulianus Epiſcopus Toletanus, commentario in Nahum; *Templum altiſſimi, ciuitas regis magni, tanta viget potentia, decore, ſapientia, quod nec hoſte vinci, nec mundo nec proximo ſeduci, nec aduerſitate ſuperari, nec proſperitate inclinari, nec aurâ ſiniſtrâ vllatenus valet triſtari. Vnde Saluator de ea in Euangelio: Venerunt flumina, flauerunt venti, nec potuerunt eam mouere: fundata enim erat ſupra firmam petram. Hinc in eius laudem & dilectionem, & delectationem, nos excitat pſalmiſta: Ponite corda veſtra in virtute eius, & deſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.* Hæc ille author. Vt talis euaderet, Spiritus ſanctus voluit eam donis ſuis cumulare, quibus ornata mirabilis prorſus facta eſt cuilibet eius dotes attentiùs conſideranti. Hinc dicit S. Ioannes, eius decore & pulchritudine in admiratiouem raptus, ac virtute & poteſtate illius quaſi ſtupefactus: *Et ſignum magnum apparuit in cælo.* Illam videt diuina protectione circumdatâ, diuino lumine circumfuſam, gratia diuina ditatam, vt poſſit ac valeat æquè in aduerſis ac in proſperis, æquè in bello ac in pace & tranquillitate Deo ſeſe commodè ſubjicere, & ab eius pendere voluntate, atque ei ſeruire & cultum exhibere: nec ſanctitas eius multitudine peccatorum; nec veritas, illius fidelis comes, multitudine errorum offuſcari poterit: *quaſi ſtella in medio nebula, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol effulgens*, ſic illa effulget in cœlo, id eſt in mentibus fidelium, quorum conuerſatio in cœlis eſt. Signum igitur magnum apparet in cœlo, dum Eccleſiæ Chriſtianæ virtus & fortitudo in medio aduerſitatum, contradictionum, perſecutionum à S. Ioanne cæleſtia contemplante effulgere cernitur. Ad hunc finem gratia Dei præuenta fuit, dum in Apoſtolis, qui primitias ſpiritus accepere, Spiritus ſanctus deſcendit, cuius præſentiâ innumera dona & numera accepit, quibus mirabilis admodum facta eſt, & quaſdam induit paſſiones, ſeu affectiones, ac proprietates, quæ per notas & ſigna innoteſcunt: quibus & mirabilis apparet, & à cæteris congregationibus facillimè diſcernitur. Non autem accipio hîc Eccleſiam, vt ſignificat congregationem fidelium iam ab initio mundi, quæ vſque ad Chriſtum ſemper perſeuerauit viſibilis in multis membris fidelibus, quia nullum tempus fuit in quo non fuerint aliqui veri fideles, qui Eccleſiam viſibilem conſtituerunt; ſed accipio Eccleſiam pro conuocatione fidelium iuxta ſtatum noui teſtamenti & Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ incæpit cum obligatione ingrediendi in eam in die Pentecoſtes, quando peractis omnibus myſteriis redemptionis, cæperunt Apoſtoli in Hieruſalem publicè promulgare fidem Chriſti & baptiſma, id eſt, iuxta ſtatum profectiorem. Nam licet ſit eadem Eccleſia veteris teſtamenti & noui, quoad eſſentiam, quia tamen ſtatus

A noui teſtamenti eſt longè excellentior, ideo iuxta ſtatum illum debuit apparere S. Ioanni in hac viſione. Diximus ſiquidem noſtrum Prophetam, de quacumque re loquatur, eam ſemper proponere in excellentiori gradu conſtitutam. Hinc non admitto interpretationem Ruperti, qui hanc mulierem de antiqua ſynagoga intellexit. *Hæc mulier*, inquit, *ex tunc rectè dicitur amicta ſole ex quo Chriſtum verum iuſtitiæ ſolem accepit in repromiſſione.* Ita Rupertus. Illa enim nondum perfectionem erat conſecuta, propter quam verè Eccleſia nuncupatur, non ſynagoga. *In ſynagoga*, inquit S. Auguſt. in Pſal. 81. *populum Iſrael accipimus, quia & ipſorum propriè ſynagoga dici ſolet, quamuis & Eccleſia dicta ſit; noſtram verò Apoſtoli numquam ſynagogam dixerunt, ſed ſemper*

B *Eccleſiam, ſiue diſcernendi causâ, ſiue quod inter congregationem, vnde ſynagoga, & conuocationem, vnde Eccleſia nomen accepit, diſtet aliquid: quod ſcilicet congregari & pecora ſolent, atque ipſa propriè, quorum & greges propriè dicimus; conuocari autem magis eſt vtentium ratione, ſicut ſunt homines.* Ita Aug. Sicut igitur natura rationalis valde eminet ſupra naturam animalium ſeu brutorum, ita ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ longè ſuperat ſynagogæ ſtatum. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum*, inquit S. Paulus ad Heb. cap. 7. Peccata quippe non tollebant cæ-

C remoniæ legis antiquæ, nec illius ſacerdotium aut ſacrificium, licet ad meliorem ſpem inducerent, exhortando vt nullam in elementis fiduciam reponeremus, ſed omnia futura Meſſiæ committeremus, in cuius fide per dilectionem operante iuſtificamur, & Deo grati efficimur. *Quid enim?* inquit S. Ambroſ. in 7. ad Hebr. *nihil profuit lex? Profuit quidem: ſed nihil ad hoc profuit, vt perfectos facere potuiſſet ſeruientes in ea. Idcirco eius reprobatio fuit vt gratiæ daretur locus, dum veniret in quo perfectio fieret. Vtilis quippe fuit lex, ſed illis qui fidem habuerant in Chriſto, non illis qui totam ſpem ſuam in ea firmauerant. Introductio verò melioris ſpei, per quam proximamur ad Deum*, &c. *habuit quippe & lex ſpem, ſed non talem, ſperabant enim verè placen-*

D *tes, & legem Dei cuſtodientes poſſidere terram, nihil ærumnoſum pati, proſperè viuere, ſicut dictum eſt; Qui fecerit eam, viuet in ea. Hîc autem ſperamus quia Deo placentes, & Euangelica præcepta cuſtodientes, non terram poſſidebimus, ſed cælum, magis autem quod cælo melius eſt ſperamus proximiter conſiſtere, ad ipſum paternum ſolium peruenire & miniſtrare ei cum Angelis.* Ita Ambroſius. Cum igitur iam antiquata ſeu abrogata eſſet lex, & ſynagoga repudiata, non ampliùs opus erat de ea ænigma nobis proponere, ſed ille ſtatus Eccleſiæ nobis fuit depingendus, quem ex Ierem. 31. S. Paulus ad Hebr. 8. deſcribit, quem locum exiſtimo hîc eſſe reponendum, vt pote perfectum Eccleſiæ ſtatum optimè nobis repræſentans. *Ecce*, inquit

E Ieremias, *dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus: dabo legem in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & eros eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Ita Ieremias: & quaſi Eccleſiam iam cerneret ſole amictam, ſupra lunam innixam, & ſtellis coronatam, & contra ſæculum & dæmonem militantem, addit Propheta: *Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ*

Digitized by Google

& ſtellarum in lumine noctis, qui turbat mare, & ſonum fluctus eius dans, exterminium nomen illi. Ita Ieremias. Reſpicit igitur Ioannes non præteritum, ſed fulgentem & futurum Eccleſiæ ſtatum. Ita cenſet S. Thomas in expoſitione. *Et ſignum magnum* (inquit) *in figura quiddam magnum ſignans, apparuit in cœlo, in Eccleſia militante: quia illud, ſignum ſiue figura eſt de Eccleſia ſignificata per cœlum. Hoc autem ſignum magnum dicitur, quia magna ſignat de Eccleſia, ſcilicet amabilem ſpecioſitatem, dominationem, poteſtatem, regiam dignitatem, ſobolis fœcunditatem. Hæc autem quam magni ſint ponderis apud Deum, & magnæ vtilitatis in Eccleſia ipſa?* Ita D. Thomas. At quia hæc omnia clariùs in ſede Romana emicant, quam S. Cyprianus Epiſcopus 65. Epiſtola ad Cornelium, Eccleſiæ Catholicæ matricem & radicem agnoſcendam & tenendam eſſe aſſerit, inſuper docet idem eſſe probare ac tenere eius communicationem, quàm Eccleſiæ Catholicæ vnitatem pariter & charitatem probare firmiter ac tenere; ideo non temerè dicere poſſumus ad eam primariò ſanctum Ioannem reſpicere, ita vt cœlum ſit Eccleſia fidelium ad cœlum adſpirantium; ſignum magnum in cœlo, ſit illa primaria Eccleſia, ſeu ſedes, in qua omnia priuilegia Eccleſiæ collata potiſſimùm emineant.

Quantis donis Eccleſia Chriſtiana fuerit à Spiritu ſancto decorata, à die ſuæ fundationis; & cur debuit ſignis mirabilibus ſuam præſentiam deſignare, & quam fuerunt idonea ad hanc præſentiam deſignandam. §. 2.

Certum eſt Spiritum ſanctum viuificantem multis donis internis ornaſſe fideles & præcipuè Apoſtolos, Eccleſiæ fundamenta, in die Pentecoſtes, quorum intuitu de Eccleſia dicitur: *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Equidem fidei, ſpei, & charitatis incrementa ſuſceperunt: induti ſunt virtute ex alto, iuxta Chriſti promiſſionem, effuſo in eis Spiritu ſancto, iuxta Ioelis Prophetiam: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, &c.* Acceperunt pro ſe & pro Eccleſia ſpecialem ſpiritus veritatis præſentiam, cum ſibi aſſiſtentem præſenſerunt, ſpiritu fortitudinis corroborati ſunt, vt audenter dicerent: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia?* &c. & vt Chriſti nomen & prædicare & confiteri non pertimeſcerent, ſalutis æternæ veluti arrhabonem acceperunt, ſpiritu perhibente teſtimonium illorum conſcientiæ quod eſſent filij Dei; qua ſpe induti fuerunt Deo obedientes, & ipſius inſpirationibus facillimè obſequentes; gaudio & conſolatione Spiritus ſancti etiam in omni tribulatione tandem repleti ſunt. His & ſimilibus donis fuerunt exornati. Antequam Spiritus ſanctus viſibiliter appareret in die Pentecoſtes, gratiam in corda plurimorum iam infuderat, cum Adam primus mortalium ea fuerit in creatione ornatus, per inobedientiam gratiâ deperditâ, illam lachrymis ac pœnitentiæ operibus recuperauit. Pulchritudinem & fortitudinem ſuam gratia in Abelis innocentia & conſtantia oſtentauerat, dum diuinæ prouidentiæ æquitatem & iuſtitiam, fratre Caino illam proſcindente maledictis, piiſſimè tuetur & laudat. Multos denique effectus prodiderat inſignis pietatis in Enos, *qui cæpit inuocare nomen Domini.* Quàm fœlix ille ſit qui illam illæſam ſeruare conatur in medio nationis peruerſæ, in Noe inoleuerat, qui terra in corruptionem abeunte inuenit gratiam in oculis Domini: vnde à Deo protegi meruit in diluuio. Quam firmas egiſſet radices gratia in mente Abraham Patriarchæ fides eius inclita declarauit. Quàm potenter imperet voluntati, ex obedientia Iſaac didicimus. Quàm fortes reddat in laboribus

A eos quos exornat, Iacobi labores fortiter exantlati prædicant. Quanta continentia corporis decorat eos quos poſſidet, Ioſephi integritas prodidit. Quis Moyſis manſuetudinem, Dauidis cordis ſinceritatem, Iobi patientiam, Salomonis ſapientiam, Eliæ zelum, Ieremiæ ſanctitatem, aliorum Prophetarum vaticinia, cum pietate & integritate coniuncta ſpeculetur, qui non ſtatim fatetur etiam ante hunc diem ſanctum Spiritum plurimos gratiæ effectus prodixiſſe? Iam virgo Maria fuerat ab Angelo ſalutata, & gratiâ dignitati matris Dei reſpondens, id eſt omnimodè, repleta. Iam Ioannes Baptiſta illam adhuc in vtero exiſtens acceperat. Iam Apoſtoli illius odore attracti Chriſtum ſecuti

B fuerant: vt fatendum ſit non expectaſſe Spiritum ſanctum illum diem Pentecoſtes, vt ſuos benignos effectus effunderet in hominum corda. Quin etiam fatendum eſt Spiritum ſanctum ante hunc diem plurimis ſignis viſibilibus ſuæ præſentiæ ſigna edidiſſe. Quid enim aliud quàm ſignum aliquod viſibile diuinæ præſentiæ poſſumus intelligere, cum dicitur; *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Vnde Theodotion vertit: *Inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius.* Ac ſi diceret: Igne è cœlo dilapſo ſignificauit quàm grata ei erat Abelis oblatio; Dum occumbente ſole in Abrahæ ſacrificio fit caligo tenebroſa, & apparet clibanus fumans & lampas ignis tranſiens, dans ſignum quod

C ſi poſt mortem eius illius poſteritas graui afflictione & oppreſſione tentaretur, Deus tamen illam non deſereret, quia ignis futurus eſſet in medio eius, caliginem & fumum diſſipans, vt luce ſerena frueretur: quod præſtitit cum ſuam poſteritatem ab Ægyptiorum ſeruitute liberauit, illos ab inuicem in mari rubro ſeiungens. Tonitru, micante fulgure, nube, ſæpiùs ſigna dedit inuiſibilis præſentiæ ſuæ, vt Exod. 19. & alibi videtur; dum Moyſi dixit: *Noui te ex nomine*; dum ad Ieremiam ait: *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te*, &c. dum Iſaiæ labia calculo ignito & candido mundat, ſigna externa proculdubio edit gratiæ inuiſibilis. At hæc ſigna ſtatum terrenæ proſperitatis promittebant, vel particularis tantùm ſanctificatio-

D nis certitudinem indicabant, vel Dei timorem ſolùm inculcabant.

Aduenit Chriſtus; Spiritus ſanctus ſuper eum deſcendit, vt diſceret Eccleſia qualem ſponſum haberet, qui filius Dei vocitetur & ſit; quàm fœcunda, ex plenitudine eius accipiens, futura eſſet. *Nam,* vt rectè ait S. Thomas, *in ſpecie columbæ deſcendit, ad oſtendendam in Chriſto authoritatem donandi gratiam per ſpiritualem regenerationem.* Vnde vox patris intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Vt ad ſimilitudinem vnigeniti alij regenerarentur. Ad hanc fœcunditatem ſpeculandam prouocabat Iſaias Eccleſiam c. 49. *Leua in circuitu oculos*

E *tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos quaſi ſponſa.* Et paulò poſt: *Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus: fac ſpatium mihi vt habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi illos? Ego ſterilis & non pariens, tranſmigrata & captiua; & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola, & iſti vbi erant? Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Inſuper voce delapſâ de cœlo in transfiguratione didicit Eccleſia quo medio tam fœlici prole gauderet, nempe Chriſtum audiendo. *Ipſum* (inquit illa vox de nube intonans) *audite*: à quo diſcere quæ (authoritate prædicandi verbum acceptâ) populis

Digitized by Google

erant annuncianda. Denique ſigna acceperant authoritatis miniſtrandi Sacramenta, aut Eccleſiam regendi, ſiue dum *inſufflauit in eos, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittentur eis*, &c. ſiue cum eis dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem*: Siue dum ad omnes ait: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*; vel ad Petrum ſpecialiùs dixit: *Confirma fratres tuos*, vel etiam: *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* At oportuit vt quædam ſigna daret notoria & manifeſta, quibus certum redderetur eos & veros & idoneos eſſe noui teſtamenti miniſtros, vt nullus dubitare poſſet ſiue de eorum authoritate, ſiue de eorum doctrina, ſiue de efficacia Sacramentorum & myſteriorum, quorum debebant eſſe fideles diſpenſatores. *Sic nos exiſtimet homo*, dicebat S. Paulus 1. ad Cor. 4. *Vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, &c. Vnuſquiſque* vt ait S. Petrus 1. c. 4. *ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Vt igitur de his dubitare non liceret, oportuit vt euidentiſſima ſigna darentur præſentiæ Spiritus ſancti in Eccleſia militante; quæ tantò magis clara & manifeſta eſſe debuerunt, quò nouum teſtamentum veteri præcellit. Hoc docere videtur Apoſtolus 2. ad Cor. 3. *Quod ſi miniſtratio mortis litteris efformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis manifeſtatio ſpiritus erit in gloria?*

Verum igitur eſt quod licet Spiritus ſanctus plurima ſigna iam dediſſet ſuæ præſentiæ, tamen nullis adhuc ſignis indixerat qua authoritate & poteſtate Apoſtolos, & in eis Eccleſiæ Paſtores, ornare volebat, eos & gratia gratum faciente, & donis gratuitis pro vtilitate Eccleſiæ cumulando. Vnde dixit ſanctus Ioannes: *Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus.* Neq; enim ante paſſionem talis apparitio fieri debuit, vt diſceremus dona inimicis adhuc exiſtentibus nobis minimè eſſe elargienda. Oportuit igitur, vt vult S. Chryſoſtomus, *primum pro nobis offerri ſacrificium, & Deo amicos fieri, & deinde munus accipere, illud videlicet donum Dei altiſſimi.* Inter Deum & homines quippe apertæ & notiſſimæ intercedebant inimicitiæ, aperto marte ſimul congrediebantur, neceſſaria erat manifeſta reconciliatio, ne diceretur Deus fauere malitiæ, dum amicitiam contraheret cum iis qui peccatis & vitiis innumeris indigni reddebantur amicitia Dei. Exclamat hac de cauſa Apoſtolus Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Oportuit igitur vt reconciliatio manifeſta præcederet, antequam Deus ederet ſignum indiſſolubilis cuiuſdam cum hominibus amicitiæ & charitatis. Pari ratione tam inſignis apparitio fieri non debuit ante Domini aſcenſum in cœlos, vt faciliùs conijcere poſſumus Spiritum ſanctum, vt pote à Patre & Filio procedentem, à Filio atque à Patre mittendum. Ad quod reſpexit S. Petrus, dum in concione habita, ſtatim poſt miſſionem Spiritus ſancti, Iudæos ſic allocutus eſt Act. 2. *Dextera igitur Dei exaltatus & promiſſione Spiritus ſancti accepta à patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. Non enim Dauid aſcendit in cælum. Dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, &c.* Igitur ſtatim atque Chriſtus Dominus aſcendens in altum captiuam duxit naturam

A humanam, in captiuitate redactam ſub diaboli tyrannide; poſtquam de hoſte triumphans, in domum illius irrupit, ſpolia abſtulit, & victor in cœlum rediit, in ſinu paterno, in quo requieſcit; veluti ex inexhauſto omnium bonorum theſauro, fontem omnium donorum & gratiarum, Spiritum ſanctum accepit, quem effunderet in Eccleſiam, vt eam omnibus bonis ac donis repleret. Sic verò dixit Propheta: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Largitiones & munera princeps ille inuictiſſimus manu munifica in homines diſperſit, dum ad thronum regni æterni humanitatem ſuam euehens, eamque gloria & honore coronatam, poteſtatem in cœlo ſicut in terra habere manifeſta- B uit. *Quanta* (inquit S. Aug. feria 2. Pentecoſtes) *& quàm ineffabilis pietas redemptoris? Hominem portauit ad cælum, & Deum miſit ad terras. Quanta eſt authori cura pro inſtauratione facturæ ſuæ? Ecce iterum noua de ſupernis medicina mittitur. Ecce iterum infirmos ſuos per ſeipſum maieſtas viſitare dignatur. Ecce iterum humanis diuina miſcentur, id eſt vicarius redemptoris, vt beneficia quæ ſaluator Dominus inchoauit, peculiari Spiritus ſancti virtute conſummet; & quod ille redemit, iſte ſanctificet: quod ille acquiſiuit, iſti cuſtodiat: ac ſic vnitas deitatis per vnitatem gratiæ ac muneris approbatur, vt Spiritus ſanctus Deus, in ſubſtantia vnus, in perſona alius, æquali miſeratione vnicus, æquali reuerentia ſit colendus. Ergo Spiritus ſanctus in hac die ad præparata ſibi Apoſtolorum ſuo- C rum templa, velut imber ſanctificationis illapſus eſt: non iam viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus. Nam ſicut de ſemetipſo Apoſtolis ſuis dixerat: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi; ita etiam de Spiritu ſancto, Paracletum (inquit) dabit vobis pater, qui vobiſcum ſit æternùm. Affuit ergo in hac die fidelibus ſuis, non tantùm per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis: atque in vaſa non tãtùm odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti, ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes, &c.* Ita Auguſtinus.

Hic autem aduentus ſignis euidentiſſimis debuit D manifeſtari: nam ſicut de fide eſt dicere hunc numero Papam Innocentium 10. eſſe verum ſucceſſorem Petri, & Chriſti vicarium: quia fidei Catholicæ articulus eſt Eccleſiam eſſe vnam Catholicam, viſibilem; ergo eiuſdem fidei articulus eſſe debet caput eſſe vnum vniuerſale & viſibile; At hoc non eſt niſi hic vel ille Pontifex. Vnde Cyprianus, Epiſtola ad Cornelium de Confeſſoribus ad vnitatem regreſſis ait: *Nos*, inquit, *Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimum Catholicæ Eccleſiæ electum à Deo omnipotenti & Chriſto Domino noſtro ſcimus.* Et poſt pauca: *Nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum Dominum, quem confeſſi ſumus; vnum Spiritum ſanctum, vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Ita etiam de fi- E de eſt Eccleſiaſticam Hierarchiam eſſe diuinitùs conſtitutam, qui initium ſumpſit in Apoſtolis & diſcipulis Domini. Hinc Concilium Trid. Seſſ. 23. c. 6. ait: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, ac miniſtris, anathema ſit.* Neceſſarium igitur fuit vt in initio naſcentis Eccleſiæ de nouo erectæ, Deus ſignis manifeſtaret omnem authoritatem ac iuriſdictionem dediſſe Apoſtolis ad regendam ſuam Eccleſiam, ne quis tantæ authoritati refragari aut contradicere auderet. Hinc *factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Hinc diſpertitæ apparuerunt linguæ ignis, quæ ſteterunt ſupra ſingulos eorum: quibus ſignis demonſtrauit illum à Chriſto ſpiritum veritatis & ſanctificationis promiſſum in eis reſidere, vt per eos

Digitized by Google

quidquid operaturus erat, ad ſanctificationem animarum, & regimen Eccleſiæ, exequeretur.

At quænam dona præcipuè per ſpiritum vehementem, per ignem hunc in figura linguarum apparentem denotantur?

Dico primò omiſſis omnibus effectibus gratiæ, qui poſſunt ſignificari per aërem commotum aut ignem, nos in ſpiritu vehementi de cælo veniente ipſum Spiritum ſanctum viuificantem intelligere, qui datus eſt Eccleſiæ vt eam viuificet, & ad æternam vitam perducat, iuxta illud; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum viuificabis me in æquitate tua.* Pſal. 142. Quem locum explanans Genebrardus ait: *De Spiritu ſancto eſſentialiter bono, à quo omnis bonitas & virtus per communicationem, procedit & deriuatur, in terram rectam, in ſolum planum, per viam planam & æquam; in qua non impingam; in viam præceptorum tuorum, qua ducit ad te, gallicè* (au droit chemin) *ſic in Pſalterio Romano, in viam rectam; & Chryſoſt. in viam virtutis, in conſilia & actiones tibi placentes; vel in cælum, in Eccleſiam præcipuè triumphantem & cæleſtem, quæ Apocalypſ. 21. terra, propter æternitatis ſtabilitatem; recta, propter perfectam iuſtitiam, quia in ea nihil eſt coinquinatum & prauum; in veritate, propter iuſtitiam & fidelitatem tuam; Viuificabis, in vita conſeruabis, atque iuſtificabis me iuſtitiâ qua iuſtificas impios.* Ita Genebrard. Et benè per aërem commotum Spiritus ſancti perſona deſignatur: eſt enim aër ſubtilis, facilè mobilis, ſummæ penetrationis: rem proinde incorpoream optimè adumbrans, eamque potiſſimùm quæ calore quodam viuifici amoris in amabile obiectum impetu vehementi fertur, & ſubtili quadam penetratione ſe in rem amatam transformat, vt vnum ſit cum re amata, dum ei per amorem intimè vnitur. Ita ſiquidem diuinus amor in diuinitatem velut in obiectum adæquatum fertur, vehementi, ſubtili ac penetratiuo quodam impetu, vt terminus illius, amor videlicet productus amoris notionalis impulſu, vnius eiuſdemque naturæ & eſſentiæ cum Patre & Filio producente. Inſuper bonitas Spiritui ſancto appropriatur; at aër ſymbolum eſt bonitatis: quia cum bonum ſit ſui ipſius communicatiuum, aër valde eſt communicatiuus: quidquid enim ſub cælo eſt, vegetatur, aut viuit, aëris benignitate fruitur. Ignem nutrit; vnde per illius ſpatia volitantes ampliſſimo ſuo excipit ſinu; illum animalia quæquæ reſpirant, nec piſces dum extra aquas ſaltitant eo vti renuunt, arboribus, vt folia, flores ac fructus emittant, planè neceſſarius; potiùs vitam auferes de animali ac plantis, quàm illius vſum eis interdicas: qua quidem ratione ſymbolum eſt illius bonitatis Spiritus ſancti, qua ſanctos foliis optimæ conuerſationis circumueſtit, floribus exornat virtutum, fructibus replet bonorum operum; qua peccatores (animales quidem, quòd inclinationibus ſenſuum, nimium indulgeant) nihilominus reſpirant, ſpe quadam conſequendæ miſericordiæ impulſi; qua vitæ contemplatiuæ (hac bonitate ſpiritus) lumine recteamur, rore gratiarum reſpergimur, verba Dei audire poſſumus: & dum inter fluctus procellarum & tentationum fluctuamus, per iſtius ſpiritus bonitatem ad portum fœliciter appellimus: *Et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Pſ. 106. id eſt, ad vitam æternam peruenimus. Interim bonitate huius ſpiritus diuini inter fideles fiunt omnia communia, fit vtile commercium inter terram & cœlum: habent inter ſe ſancti communionem: communicant quippe in rebus ſpiritualibus, ſicut & in temporalibus, in donis gratiæ, in Sacramentis fidei, in verbo Dei, in promiſſis, in eadem ſpe vocationis (eadem enim eſt ſpes pauperis ac diuitis, plebei ac principis)

A tandem in paſſionibus ac meritis, iuxta illud Apoſtoli ad Collo. 1. *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis: adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Huius ſpiritus vehementiam obtinuerunt Apoſtolorum feruentes orationes. Nubes rubicundæ per aëris ſpatium diſperſæ immenſos ventorum flatus prognoſticant, inquit Cardanus, lib. 16. ſubtilitatum. Nubes erant rubicundæ per charitatem Apoſtoli, dum attentiùs ex flagranti charitate orationes fundunt ad Deum & cæleſtia dona exoptabant: non mirum ſi factus ſit repentè de cœlo ſonus tanquam ſpiritus vehementis. Eodem Cardano habes lunam rubro colore perfuſam ventos indicere, fauente vulgari paræmia: *Rubicunda flat, alba ſerenat.* Quid non expectandum
B gratiæ, Mariâ (quæ dicitur pulchra vt luna) orante? Erant enim Apoſtoli perſeuerantes *vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Ieſu,* inquit S. Lucas, Act. 1. *Si nubes,* inquit Cardanus, *globoſæ lunæ fiat proxima, indicium eſt flatus vehementioris.* Eccleſia erat tunc cum Maria luna pulchriore coniuncta: fortes certè & præpotentes erant ad bonum perficiendum in fidelibus Spiritus ſancti impulſionis, dum ipſi per orationis ſpiritum ad Deum tendeunt, à quo vocati ſunt ad gloriam vitæ æternæ. *Si ſtellæ,* inquit denique Cardanus, *ſcintillantes apparent intuitibus noſtris, indicium eſt commotionis aëris vehementioris: ſignum ſiquidem eſt iam aërem eſſe in ſuperioribus partibus exagitatum & concitatum; quo fit vt radij ſtellarum qui perpendiculariter cadunt, intercidun-*
C *tur: Vnde videntur ſtellæ quaſi interire, & diuerſis vicibus ac ſuccuſſibus ſplendorem emittere.* Stellæ erant quicumque fideles, Mariam Dei matrem & Apoſtolos ac diſcipulos concomitantes; ſuſpiriis ac feruentiſſimis deſideriis promiſſorum adimpletionem à Chriſto Domino poſtulabant; mentem enim illorum in meditationibus eleuatam iam concitabat diuinus ſpiritus, vt maiora etiam poſtularent quàm experirentur: *Spiritus enim adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus. Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda ſcit quid deſideret ſpiritus: quia ſe-*
D *cundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Optimo igitur iure expectandum erat Spiritus ſancti aduentum fore cum ſono tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. *Potens eſt enim Deus omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus,* Epheſ. 3. *Secundum virtutem quæ operatur in nobis.* Maria igitur Dei matre orante orantibus ſimul cum ea Apoſtolis & cæteris fidelibus, non mirum ſi aduenit ſpiritus vehemens, non ille *ventus vrens adducens locuſtas vaſtantes omnia in lignis & in herbis terræ, in cuncta Ægypto,* Exod. 10. ſed ſpiritus viuificans qui dat vitam mundo, qui ſacro Eccleſiam fœcundabat fœtu, cuius flatu germinarent in nobis ac pullularent cæleſtes virtutes, quibus ornati bonorum operum fructus, ederemus, gratia &
E gloria tandem decorati; non ille ventus Cæcias, non diſſipans ſed attrahens nubes, vnde prouerbium, *mala attrahens vt Cæcias nubes*; ſed qui ignorantiæ tenebras depellat, & lumen mentis accendat; non ille vetus Circius ſeu Iapix aut Tracias, de quo Marcus Cato in Origin. Et Olaus Magnus l. 1. c. 4. Addo vehemens, vt halitum exhauriat viatoribus, vt & fauces obſtrudendo homines etiam armatos proſternat, currus etiam oneratos ſuſdeque inuertat; arboribus & plantis infeſtus ne creſcant; ſed ille ſpiritus qui ora æque ac corda Apoſtolorum implens effecit vt omnium in ore eorum genera naſcerentur linguarum, quo repleti cæperunt loqui magnalia Dei, quo reuera proſternuntur veritatis hoſtes, qui non poſſunt reſiſtere tam potenti ſpiritui, dum quis eo munitus veritatis partes tuetur, quo

currus

Digitized by Google

currus Pharaonis, equi & aſcenſores eorum dejiciuntur in mare, dum illo afflante omnes mundi & carnis tentationes ſuperantur, & in mare infinitorum meritorum Chriſti, omnia peccata projiciuntur, quo denique virtutes in nobis firmiùs radicantur, & incrementa capiunt optatiſſima.

Hac vehementiâ ſpiritus edoceris quàm indigens eras auxilij illius præſentia. Ad nutum illi obedire debebas, & qualibet creaturâ tantiſper exiguâ ad Dei contemplationem & amorem euehi debebas: At mentis ſtupiditas tuæ exigit vehementem ſpiritum quo impelli habeas, ne immobilis ac inſenſibilis ad tot gratiarum & donorum influxus alioquin remaneas. Tanta ſpiritus vehementia exigebatur, vt mundus qui totus in maligno poſitus eſt, ab omni infectione & contagione vitiorum mundaretur; vt quantùm diſtat ortus ab occidente, longè fiant à te iniquitates tuæ, inſuper vt ſcires quod *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; ac tandem vt quàm longè ſuperet ſtatus gratiæ Euangelicæ ſtatũ legis antiquæ perſpicias. *Non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur*, dicebunt olim Iſraëlitæ: ſoli Moyſi licebat cum Deo familiaria miſcere colloquia. Non ſuſtinuit Elias præſentiam ſpiritus vehementis, conterentis petras & ſubuertentis montis; ſpiritu auræ tenuis opus fuit, vt coram Deo ſiſtere auderet. At nunc in ſtatu gratiæ familiariter cum Deo colloqui poſſumus, ex quo Deus *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*; & Dei conſortij facti participes, reuelata facie gloriam Domini ſpeculari poſſumus, ad quam Elias cooperta tantùm facie accedere auſus fuit. Perfecta charitas nunc foras pellit timorem: conterat Sathanam ſub pedibus ſuis, nos in brachia eius & amplexus properamus; ſubuertat gigantes, nos ad pedes eius ſecuri prouoluimur; Sodomam & alias ciuitates igne è cœlo immiſſo in cineres & fauillas redigat, totam noſtram ſpem & expectationem in eius prouidentiam projicimus; rudentibus inferni alligat perduelles Angelos, nos hæreditatem expectamus, teſtimonium præbente nobis conſcientia *quod ſumus filij Dei, ſi filij, & heredes; heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, per cuius merita hæreditatem expectamus.

At non tantum vento, ſed igne ſeu linguis igneis Spiritus ſancti præſentia deſignatur. Eſt enim ignis aptiſſimum ad deſignandum Spiritus ſancti maieſtatem & gloriam ſymbolum; ſiue communem cum Patre & Filio naturam ac diuinitatem illius ſpectes, ſiue perſonæ proprietatem, ſiue effectus propter quos mitti dicitur, quia ſupponunt illius proceſſionem, cum connotatione talis effectus; diuinitatem, inquam, vt cum dicitur: *Deus tuus ignis conſumens eſt*, Deuter. 4. in igne lumen & calor, in Deo cognitio & amor; & optimè ſanctus Dion. cap. 4. de diuinis nominibus, docet quod *ex ipſo bono lumen eſt & bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipſum bonum celebratur, quaſi in imagine primum exemplar expreſſum.* Ita Dionyſius. Hinc Iacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* c. 1. Nam quia lumen propter ſuam pulchritudinem & diffuſionem, pulchri & boni laudem & commendationem meretur, Deus propterea dona diffundens pater luminum nuncupatur, id eſt, is eſt qui bonitate ſua facilius dona ſua effundit, quàm ſol lumen ſuum per aëra citiſſimè diffundat. Docet ſiquidem ſanctus Thomas illuminationem fieri, non dico in aliquo temporis ſpatio imperceptibili, quod forte dici poſſet, ſi ſpatium in quo lumen diffunditur exiguum eſſet, tunc enim poſſet fieri lucis progreſſus adeo ſubitò vt percipi nequiret. At cum immenſum ſit illud ſpatium ab oriente in

A occidentem perciperetur diffuſio luminis ſenſibiliter ſi ſucceſſiuè diffunderetur; fit igitur in inſtanti, dum ſole oriente à puncto ortus vſque ad oppoſitum lux ſtatim diffunditur: ſicque Dei potentiam optimè adumbrat, qui in inſtanti creat & quæ vult producit. Deinde Deus non tantùm ignis propter lucem ſed ſol propter lucis abundantiam dicitur; res omnes ſuperiores & inferiores bonitate ſua complectitur, ſicut ſol & inferiora & ſuperiora lumine ſuo recreat; & ſicut ad ſolis præſtantiam nulla res ſuperior accedit, nec inferiores eius complexum excedunt, ita ad bonitatis diuinæ præſtantiam nulla res adeo excellens attingit, nullaque eſt tam exigua quæ ab ea negligatur. *Sol ad vitam*, inquit S. Dion. *excitat & alit, & auget, & abſoluit, & purgat, & renouat corpora.* B *Omnia Dei bonitas quæ poſſunt illuſtrat, efficit, viuificat, continet & perficit. Lux*, addit Dyon. *colligit connectitque ad ſe omnia quæ videntur, quæ mouentur, quæ illuſtrantur, quæ caleſcunt, & ſuo nomine ea quæ ab eius ſplendore continentur.* Itaque ἥλιος id eſt, ſol dicitur quod κολλάτει id eſt, congregat, colligatque diſperſa; ſic bonum, nempe Deus, qui ſolus bonus dici poteſt, ille eſt in quo conſiſtunt omnia quaſi in fundo, & ad quem omnia conuertuntur quaſi ad finem; quem omnia appetunt, ea quæ mente & ratione prædita ſunt, cognitione, ea autem quæ ſenſum habent, ſenſus iudicio, quæ vero ſenſu vacant, inſito motu vitalis appetitionis; quæ vitæ expertes C ſunt, & tantummodo ſtatum habent, vi quadam, quæ ad ſolam communionem apta ſunt. Hæc ex Dion. At cum bonitas approprietur perſonæ Spiritus ſancti, certè & ignis, & lux, & ſol dici etiam poteſt, non ſolum ratione diuinitatis, ſed etiam ratione perſonalis proprietatis. Vnde de eo canit Eccleſia: *Fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio.* At cum audis Chriſtum Dominum de Spiritu ſancto dicentem, Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*; vel Ioan. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*; Vel Ioan. 16. *Cum au-* D *tem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis*;

Dices profectò optimè per lucem, Spiritus ſancti bonitatem adumbrari, iuxta illud Dionyſij: *Bonum mentis lux dicitur, quod mentem cæleſtem ſpiritali luce impleat, ignorationemque & errorem expellat. Bonum*, addit S. Dionyſius, quod *lucem omnem ſuperat, lux ſpiritalis dicitur: quod quaſi radius fontis lucisque manans effuſio, mentem omnem ex ſua plenitudine colluſtret.* Ita Dion. Eſt enim Spiritus ſanctus bonum mentis noſtræ, cum mentes noſtras cæleſti replet lumine, ignoratio- E nemque expellit; eſt effuſio lucis, & radius fontis, qui à patre filioque (qui eſt de lumine lumen) procedens, ad mentes noſtras illuminandas, & calore ſuo viuifico illuminandas & viuificandas mittitur. Denique nos ad noſtrum principium; nempe ad Deum reducit, vt ad vltimum finem noſtrum: eſt enim Deus principium & finis, α & ω: vnde ad eum redire debemus, à quo eſſe & exiſtere habuimus. Hoc autem perficit Spiritus ſanctus, dum mentes noſtras variis erroribus inter ſe diſgregatas, per vnius veritatis cognitionẽ & contemplationem in vnũ colligit. Nam, vt docet S. Dion. *Vt eos qui decepti ſunt diuidere ſolet ignoratio, ſic ſpiritalis lucis præſentia vim habet colligendi, coniungendique eos qui illuſtrantur, & perficiendi conuertendique ad id quod vere eſt à multis ſententiis & opinionibus; variaſque aſpectus in vnam, veram,*

Digitized by Google

puram, vniuſque modi ſcientiam colligat, denique eo lumine eoque vnius modi efficiendi vim habente compleat. Ita Dion. Hinc orat Eccleſia: *Per te ſciamus da patrem, noſcamus atque filium, te vtriuſque ſpiritum credamus omni tempore.* Per cognitionem enim & amorem totius trinitatis, ad Deum nobis redeundum eſt: quod cum præſtet Spiritus ſanctus in nobis effuſus, nouus lux etiam illi conuenit optimè ratione perſonalis proprietatis? At quam innumera ſunt dona, quibus mentes noſtras & voluntates exornat vt tantum opus reductionis noſtræ ad Deum perficiat, ſiue illa nos gratos Deo efficiant, ſiue illa non idoneos efficiant miniſtros noui teſtamenti, quis effari & explanare poſſit? Quæ omnia etiam per ignem poſſunt deſignari. Ideo diſpertiuntur linguæ igneæ, vt ſenſibili hac apparitione conjicere valeamus diuerſa eſſe dona Spiritus ſancti, qui ea diſtribuit ſingulis prout vult. Nam, vt docet S. Paulus 1. ad Cor. 12. *diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur miniſtratio ſpiritus ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eumdem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum: Hæc autem omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Ita S. Paulus. Quæ omnia fuſius explicare non eſt noſtri propoſiti: ſufficit nunc vt dicamus præſentiam Spiritus ſancti optimè per ignem deſignari, ſiue ratione diuinitatis, ſiue ratione perſonalis proprietatis, ſiue ratione effectuum & donorum quibus Eccleſiam dotauit, dum datus eſt in die ſancto Pentecoſtes. Diuinus planè ignis qui duritiem cordis conterit, mentis tumorem deprimit, gelata liquefacit, frigida fouet, cruda digerit, mollia conſolidat, abſconſa penetrat, ſuperna attingit, aliena à ſe tranſmutat, ac in ſe transformat vi ac efficacia præpotenti. Et reuera ille ignis ſurſum ſemper tendit: ſed ſi ei deſiderium aperias, attrahit ſpiritum quadam ratione, dicente prophetia: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.* Ama ad Deum toto corde adſpirare, & Deus amabit ad te miſericorditer deſcendere. Quàm fœlix & fauſtus erit ille occurſus. Si ſurſum mente & deſiderio eueharis ad Deum, ipſemet Deus charitate attractus in amplexus tuos procumbet, flammiſque ſuæ dilectionis te circumueſtiet. Vidiſtine vnquam lampadam recenter extinctam & adhuc fumantem? Si lampadi accenſæ ſummitatur, attrahit ignem. Fuerunt olim quaſi extincti Apoſtoli, dum lumen ſuum amiſerunt Chriſto in cœlum aſcendente, ſed fumos emittebant ardentium deſideriorum: vnde meruerunt vt ſpiritus ſanctus in linguis igneis ſuper eos deſcenderet. Natura, inquinnr, à vacuo abhorret, cœlum ad ſe attraheret terram, terra ſe eueheret ad cœlum, ſi aliquid vacui in cœlo aut in terra inueniretur. Vacua erant corda Apoſtolorum affectu terrenorum, ideo meruerunt repleri: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cæperunt loqui magnalia Dei.* Talis ſis & tu: Deo te humilitate ſubmitte; ſi Chriſtum amiſiſti, ne tardes ad eum ſuſpirare, cor tuum munda ab affectu terrenorum, & deſcendet in te ſpiritus, cuius auxilio & ope ad cœlum peruenias. Statuamus igitur ex his præſuppoſitis ignis proprietatibus, quæ diuini ſpiritus effectus probè ſignant, rectè per linguas igneas præſentiam diuini ſpiritus fuiſſe adumbratam.

Dico ſecundò ex hac coniunctione ſpiritus Chriſti cum Eccleſia compactum eſſe corpus Chriſti myſticum. *Sicut enim*, inquit Apoſtolus ad Cor. 1. c. 2.

A *corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus eſt; ita & Chriſtus.* Ita Apoſtolus. Chriſtus nempe non in propria perſona, ſed in corpore ſuo myſtico, nempe Eccleſia, quæ illius ſpiritu viuificatur & viuit: habet enim Chriſtus corpus myſticum, Eccleſiam ſcilicet ex variis membris: quemadmodum corpore & capite homo vnus efficitur, ſic Eccleſiam ipſam & Chriſtũ tanquam pro corpore vno & capite ducens Apoſtolus, pro Eccleſia Chriſtum conſtituit: qui cum Eccleſiæ caput ſit, ab eo eſt Eccleſiæ inditum nomen. Ita Claudius Guillandus in hunc locum. Quod autem nobis vnus & idem ſit ſpiritus viuificans, habes ex Apoſtolo. *Et enim in vno ſpiritu nos omnes in vnum corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue* B *græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Per hæc docet*, inquit S. Ambroſius, *nullius perſonam quaſi deſpectis contemnendam, neque alicuius quaſi perfecti præferendam, nec gloriam, quæ ſoli Deo debetur, hominibus tribuendam, quando in omnibus vnus atque idem Deus ſit glorioſus: quippe cum omnes & vnum baptiſma habeamus, & vnum atque eumdem Spiritum ſanctum.* Ita Ambroſius. At Spiritus ſanctus eſt ſpiritus Chriſti, quem miſit à Patre, Eccleſiæ; quem aſſerit de ſuo accipere quæ cõmunicet nobis, Ioan. 15. & 16. *Quoniam*, inquit Apoſtolus, *eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, pater.* ad Galat. 4. Igitur Eccleſia viſibilis ſeu cœtus fidelium C corpus myſticum Chriſti eſt, eius ſpiritu viuificatum; vnde idem Apoſtolus ait: *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Non enim Corinthij totum illius corpus erant, ſed pars erant illius corporis, quod per vniuerſas mundi partes extenditur: vnde ait, *membra de membro*, corporis videlicet, non vno tantum membro conſtantis, ſed multis: *Nam*, vt ait Apoſtolus, *& corpus non eſt vnum membrum, ſed multa*, ad diuerſa videlicet miniſteria ordinata. Vnde poſtea ſubdit: *Et quoſdam qnidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Si ſint Apoſtoli in Eccleſia, quos D Epiſcopos eſſe dicit S. Ambroſius, quorum eſt Eccleſiæ regimen, ergo erunt in Eccleſia qui regi debeant. Si ſint Prophetæ futura dicentes, & ſcripturas reuelantes, ergo erunt in Eccleſia quibus futura nuncientur, & ſcripturæ reuelentur: Si ſint Doctores, qui labore & induſtria ſcripturarum arcana perſcrutentur, debebunt reperiri qui doceantur. Si ſint virtutes, quæ auxilium præbeant ad opera bona perficienda per exhortationem, orationem, ſacrificia, aut Sacramentorum adminiſtrationem, erunt quibus auxilium præbere oporteat: Si ſint gratiæ curationum, ſiue ad ſanctitatem animæ recuperandam per pœnitentiæ Sacramentum, aut corporis per Sacramentum Extremæ-vnctionis, aut gratiam E ſanitatum, reperientur infirmi quibus ſalus erit procuranda. Si ſint opitulationes, qui ſubſidia ferant Apoſtolis, ſeu Epiſcopis, Prophetis, Doctoribus, virtutibus, iis quibus competit ſanare morbida, erit cui opitulari neceſſarium erit. Si ſint gubernationes, id eſt gubernatores, nempe qui quorumdam ſpeciali gubernationi ſint addicti, erunt circa quos debebunt curam ſuam impendere. Si ſint qui linguas ſciant, ex omnibus linguis ad Eccleſiam homines vocabuntur. Si ſint interpretantes ſermones, erunt rudes quibus propter mentis hebetudinem & tarditatem catechiſmis & familiaribus colloquiis diuina exponi debebunt: vt ſic ex paſſiua hierarchia & actiua vnum totale corpus efficiatur, quod dicitur Eccleſia Chriſtiana, à Chriſto fundata & inſtituta ad hũc finem, vt æmulando chariſmata meliora, per

Digitized by Google

charitatem quæ numquam euacuatur, intimè cum capite cohæreat, & ab eo nunquam diuellatur. His ita conſtitutis,

Dico tertiò; hoc Chriſti corpus myſticum quaſdam affectiones vel paſſiones ſeu proprietates habere, eo ipſo quo cum eo hic diuinus ſpiritus copulatur; quæ quidem diuerſis notis manifeſtantur, vt per eas ab omni alio corpore ſecerni facillimè poſſit: quas quidem proprietates & notas aſſero in hoc præclaro ænigmate mulieris ſole amictæ optimè deſignari. At vt hoc videamus, & Eccleſiæ viſibilem & perennem exiſtentiam, quænam ſint illæ proprietates, quibuſnam notis appareant, nobis eſt diſcutiendum: poſtea ſymboli cum re ſignificata proportionem ſeu conuenientiam diſcutiemus.

De Eccleſiæ viſibili & permanente exiſtentia. §. 3.

Nemo niſi plane amens Eccleſiæ exiſtentiam denegabit: adeo enim eſt viſibilis & oculis conſpicua, vt cæcus ſit qui eam non videt. Eſt enim Eccleſia, ex Bellarmino lib. 3. de Eccleſia militante c. 2. cætus hominum, eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris vicarij Romani Pontificis. At eo ipſo quo dicis Eccleſiam eſſe cætum hominum, aliquid viſibile & oculis ſpectabile proponis; cuius initia & fundamenta ac progreſſus ſi ſpectes, certè eam eſſe viſibilem non negabis. Chriſtus in terris erat viſibilis, Petrus etiam fuit olim viſibilis; Chriſtus tanquam primarium fundamentum, Petrus tanquam fundamentum in fundamento fundatum, ſupra quem ædificata eſt Eccleſia; quin etſi velis per petram intelligi fidei confeſſionem, ſenſibilis erat illa Petri confeſſio: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Videtur autem nunc Chriſtus in ſuo vicario, Petrus in ſucceſſore ſuo: Auditur hæc profeſſio fidei in ſingulis Chriſticolis, qui nomen eius confitentur ore ad ſalutem, ſicut illud corde credunt ad iuſtitiam. Eccleſia iſta ſupra Chriſtum & Petrum ac fidei externam profeſſionem erat ſimul congregata: erant enim omnes pariter in eodem loco viſibiles, dum viſibiliter ſuper illos Spiritus ſanctus deſcendit in die Pentecoſtes, & ab aliis diſtincti poſtea digito monſtrabantur, dicentibus cunctis: *Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram*, &c. Ad hos viſibiles alij etiam viſibiles adiuncti fuerunt vna die homines ad triamillia, & rurſum ad quinque millia, qui recipientes ſermonem Petri baptizati ſunt, & fidem ab eo annunciatam profeſſi fuerunt & eius authoritati capita ſubmiſerunt. Sicut igitur viſibiles fuerunt Apoſtoli, viſibilis Petrus illorum princeps, quos poſuit Chriſtus tanquam ædificij ſui fundamenta, viſibiles fuerunt qui per eorum prædicationem ad eamdem fidei confeſſionem, & eorumdem Sacramentorum participationem adiuncti ſunt; ita ſemper viſibiles erunt Apoſtolorum ſucceſſores, viſibile erit eorum caput, & ij qui per eorum miniſterium in eadem fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione, ſub eodem viſibili capite permanebunt.

Dico ſecundò Eccleſiam eſſe viſibilem, non ſolum quia componitur hominibus, carne, ſeu corpore viſibili conſtantibus: ſed quia vtitur certis quibuſdam ſignis viſibilibus, quibus ab aliis congregationibus diſcerni poteſt. Rectè enim docet S. Aug. lib. 19. contra Fauſtum Manichæum, cap. 11. *In nullum autem nomen religionis ſeu verum ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur, quorum Sacra-* A *mentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideo contempta ſacrilegos facit: impiè quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas.* Ita Aug. *Et quia prima Sacramenta quæ obſeruabantur*, vt ait eodem lib. c. 13. *& celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt: & ideo ablata, quia impleta; non enim venit ſoluere legem ſed adimplere, & alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo ſeruitutis ablato. Quod duro & carni dedito populo congruebat, ita enim certè hæc Sacramenta viſibilia ita ſenſibiliter colere debemus, vt pro eorum defenſione, nec mori timeamus, aut ab eis abſtinere, nec minis aut tormentis cogi debeamus. Si*, inquit Aug. c. 14. lib. 19. contra Fau- B ſtum, *antiqui iuſti pro illis prænunciatiuis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpeſſi ſunt; ſi tres pueros Danielemque prædicamus, quia de menſa regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum: ſi Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia eſcas, quibus nunc Chriſtiani licitè vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore Prophetico non licebat; quantò magis nunc pro baptiſmo Chriſti, pro Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti, ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus; cum illa fuerint promiſſiones rerum complendarum, hæc ſint indicia completarum. Quod enim adhuc promittitur Eccleſiæ, id eſt corpori Chriſti, &* C *in manifeſtatione prædicatur, & in ipſo capite corporis ſaluatore, id eſt, in ipſo mediatore Dei & hominum Domino Chriſto Ieſu, completum eſt; in illa carne quod verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, &c.* Ita Auguſtinus.

Tertiò viſibilis eſſe debet Eccleſia, quia eiuſdem fidei vnam & eamdem debet habere & emittere profeſſionem, dicente Apoſtolo ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vbi notat Guillandius in Paulum confeſſionem hoc loco poni pro fide expreſſa, pro laude, & gratiarum actione. Deus te, ô homo, corpore & anima præditum creauit: vult vt re toto illi ſeruias. qui tibi ſe totum dedit, ne cum Elceſairis (de quibus Eu- D ſebius apud S. Auguſt. 1. de hæreſibus hæreſi 10.) dicas fidem poſſe negari in perſecutione, modò ſeruetur in corde. Qui tibi eam menti infundit, eo fine dedit vt nomen eius confiteri non erubeſcas. *Omnis*, inquit Chriſtus, Matth. 10. *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* Vel vt ait S. Lucas, *qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua.* Neceſſaria igitur eſt illa fidei externa confeſſio, qua quidem Eccleſia viſibilis redditur & conſpicua. In qua confeſſione Eccleſia Dei gloriari debet: honor enim fidelium eſt iſta ſapientia quam profitentur, E dum dictis & factis Deum ſe noſce profitentur. *Vniuerſalis Eccleſia*, inquit S. Chryſoſtomus, *gaudet in vna regula charitatis Chriſti, & in fidē nominis Chriſti exultat maximè, quando credentium lucris locupletatur.* Hom. 1. in ſymbolum Apoſtolorum. Ad hoc ſiquidem maximè proficit extrema hæc fidei confeſſio, vt alios attrahat & alliciat ad fidem. Et benè addit ibidem S. Chryſoſtomus: *Regularis iſta doctrina confirmat credentes, adiuuat proficientes, conſolatur viatores, confortat perſeuerantes, coronat peruenientes.* Ita Chryſoſt. Hanc credere, diſcere, annunciare, cōfiteri debemus. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*; & diſt. 4. de conſecrat c. 105. *Vos ante omnia ſymbolum & orationem dominicam & vos ipſi tenete, & illis quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte oſtendite.* Ita ex c. hoc 103. diſt. 4. de conſ.. Vnde

Digitized by Google

Aug. rectè dixit de fide & Symb. c. 1. *Eſt autem fides Catholica in ſymbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quanta res paſſa eſt, breuitate ſermonis, vt incipientibus atque lactentibus eis qui in Chriſto renati ſunt, & nondum ſcripturarum diuinarum diligentiſſima & ſpiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum conſtitueretur, quod proficientibus & ad diuinam doctrinam certa humilitatis atque charitatis firmitate ſurgentibus, multis verbis exponendo eſſet perficiendum.* Ita S. Auguſtinus Refert idem S. Doctor, Epiſtola 67. ad Alepium, quomodo Gabinianus quidam naturali quidem benignitate prędirus, ſed nugacitate & inſultatione in religionem Chriſtianorum ſacrilegus, pro recuperanda incolumitate vnicæ filiæ tamen voto ſe obligauit ſe Chriſtianum fore ſi illam ſaluam videret: factum eſt. At dum diſſimulat, quod vouerat, exoluere, repentina cæcitate ſuffunditur. Iterum vouit ſe recepto lumine impleturum eſſe quod vouerat: recepit, impleuit, ſed ſymbolum tenere recuſauit. Soluitur multis ac pene omnibus membris, & etiam lingua. Tunc ſomno admonitus confitetur per ſcripturam ob hoc ſibi, vt dictum eſt, accidiſſe, quod ſymbolum non reddiderit. Poſt illam confeſſionem redduntur officia omnium membrorum, niſi linguæ ſolius, ſe tamen didiciſſe ſymbolum, ideoque memoria iam tenere litteris faſſus eſt. Ex hac hyſtoria vides quanti momenti ſit apud Deum ſymbolum & credere, & tenere, & reddere, ſeu recitare exterius. *Quoniam ſcriptum eſt*, vt ait S. Aug. de fide & ſymbolo c. 1. *& Apoſtolica diſciplinæ robuſtiſſima authoritate firmatum, quoniam iuſtus ex fide viuit, eaquè fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ; ait enim Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, orè autem confeſſio fit ad ſalutem. Oportet nos eſſe & iuſtitiæ memores & ſalutis; quamdoquidem in ſempiterna iuſtitia regnaturi, à præſente ſæculo maligno ſalui fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus.* Hæc Auguſtinus. Hæc fidei externa profeſſione & confeſſione Eccleſia fit viſibilis & conſpicua: alia enim viâ procedit Eccleſia in modo proponendi fidem quam credit, à via quam tenent hæretici; ſponſi mandato obtemperans etiam cum periculo vitæ fidem ſuam promulgare audet; audit enim ipſum docentem Mathæi 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta; & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Cui mandato obedit, exemplum Petri ſequens, qui poſt Spiritus ſancti deſcenſum indutus virtute ex alto, cum comminarentur eis ſeniores & ſcribæ ne vltra loquerentur in nomine Ieſu vlli hominum, reſpondit cum Ioanne: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum iudicate: non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Vnde poſtea ipſi & alij orantes, cum motus eſſet locus in quo erant congregati, vt aduentantem ſpiritum oſtenderet, iuxta illud: *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob: Repleti ſunt omnes*, inquit S. Lucas, *Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia*, Act. 4. At hæretici ſubreptitiè agunt, clam & occultè venena ſua diffundere ſatagunt: vnde optimè genium eorum depingit S. Iudas, dum de hæreticis loquens ait: *Subintroierunt enim quidam homines*, quaſi occultè introeuntes, vt ex improuiſo ſectas ſuas introducentes incautos decipiant. At non tantùm prædicatione & confeſſione fidei Eccleſia eſt viſibilis, ſed quia etiam iugi ſacrificio, & publicis gratiarum actionibus & laudibus Deum colit.

Denique Eccleſia viſibilis redditur, quia Eccleſia A eſt plebe, Sacerdotibus, & Epiſcopis, & maximè Chriſti vicario coadunata, ſeu plebs fidelibus paſtoribus ſuis obtemperans: niſi enim viſibiles eſſent ſtores, quomodo poſſet quis adire Eccleſiã? Ad quã adeundam inuitamur ab Iſaya dicente: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatur mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Iſa. 2. Quomodo ad eam recurrere, eam audire quis poſſet, ad quam tamen recurrendum, quam tamen audiendam eſſe præcipit Chriſtus: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi* B *tanquam æthnicus & publicanus*. Math. 18. Deniquo monet ſanctus Paulus Paſtores, ad Act. 2. Vt attendant *ſibi & vniuerſo gregi, in quo vos*, inquit, *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: monet fideles vt memores ſint præpoſitorum ſuorũ, illiſque obediant. *Mementote*, inquit ad Heb. 13. *præpoſitorum veſtrorum qui vobis*, inquit, *locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem.* Et poſt pauca: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quomodo, quæſo, hæc fierent, niſi Paſtores poſſent oues ſuas agnoſcere, & oues diſcernere poſſẽt vocem Paſtorum a voce alie- C norum? Et quia, vt ait S. Paulus Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*, ideo Eccleſia hæc viſibilis, cuius caput eſt, quam ſuo ſpiritu viuificat qua tamquam inſtrumento vtitur, vt noſtram operatur ſalutem, deficere non poterit, ſed à die ſuæ fundationis vſque ad conſummationem ſæculorum perdurabit: & ad hunc finem *dedit*, inquit Apoſtolus Epheſ. 4 *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: quæ plenitudo non erit niſi in fine ſæculorum, in qua & D Iudæi & gentiles, Anti Chriſto deuicto, ſimul vnum Deum & Chriſtum agnoſcent.

Hæc autem Eccleſiæ perpetuitas conjicitur ex immutabilitate decretorum Dei, ex ſapientia infinita Chriſti fundatoris, ex perpetuitate ſui ſacerdotij, ex optima proportione talis medij cum fine immutabili, ad quem ordinatur tota Eccleſiæ œconomia, & miniſteriorum illius diſpoſitio. *Ego*, inquit Deus apud Malachiam c. 3. *Dominus & non mutor*: & reuera mutatio decreti aut voluntatis in Deo, imperfectionis & inconſtantię notam à diuina eſſentia longe exulantem, innueret: ſi circa idem volitum fieret voluntatis in Deo mutatio, reſpectu eiuſdem modi ac temporis. Cum igitur Dei voluntas ſit, vt ex E ſcriptura patet, quod Eccleſia ſemel fundata maneat in æternum, quomodo poſſet tale decretum immutari, cum dicatur: *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.* Pſal. 118. At dum de Eccleſiæ fundatione agit ſcriptura, eam dicit fundari in æternum, non pro hoc aut illo tempore: igitur hoc verbũ immutari non poteſt. *Deus*, inquit Pſaltes Pſ. 47. *fundauit eam in æternum*, nempe Eccleſiã, quæ reuera eſt ciuitas Domini virtutum, ciuitas Dei noſtri: quem Pſalmum totum de Eccleſia exponit S. Auguſtinus, vt ex præfatione in Pſal. patet, in qua per lucem Chriſtum reſurgentem, per firmamentum Eccleſiam (quæ Apoſtolicis literis dicitur columna & firmamentum veritatis) intelligendo, titulum Pſalmi nempe *laus cantici filijs Chore, ſecunda Sabbathi*.

Digitized by Google

concludit : *de hoc fundamento cantatur filiis Chore, quos noſtit eſſe filios ſponſi crucifixi in Caluariæ loco: Chore namque caluitium interpretatur* : ſequitnr in hoc Pſalmo, qui inſcribitur *ſecunda Sabbathi : Magnus Dominus*, &c. Hinc exponens verſum nonum illius Pſalmi ; *ſicut audiuimus ita & vidimus*, ait ? *O beata Eccleſia ! Quodam tempore audiſti ; quodam tempore vidiſti. Audiuit in promiſsionibus, videt in exhibitionibus ; audiuit in prophetia, videt in Euangelio ; omnia enim quæ modo complentur, antea prophetata. Erige oculos ergo, & diffunde per mundum. Vide iam hæreditatem vſque ad terminos orbis terræ. Vide iam impleri quod dictum eſt : Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. Vide impletum eſſe quod dictum eſt : Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Et paulò poſt addit: *Extra illam qui eſt, nec audit nec videt. In illa qui eſt, nec ſurdus nec cæcus : quia ſicut audiuimus & vidimus. Et vbi audis, vbi vides ? In ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Deus fundauit eam in æternum. Non inſultent hæretici per partes conciſi : non ſe extollant qui dicunt : Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. Qui dicit, ecce hic eſt, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promiſit Deus, Reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſsipati ſunt. Sed fortè iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur ? Abſit. Deus fundauit eam in æternum. Quid times, ne cadat firmamentum ? &c.* Ita Auguſt. Et reuera quis non videt adimpleri, quæ ab Iſaia prædicta fuerunt c. 61. *Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini : miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis : fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. Pro confuſione veſtra duplici & rubore, laudabunt partem ſuam. Propter hoc in terra ſua duplicia poſsidebunt : lætitia ſempiterna erit eis : quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto. Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.* Ita Iſa. Vides lætitiam non tranſeuntem ſed permanentem promitti, iniri fœdus, non ad tempus ſed in perpetuum. Quis iam fidelis promiſſa Dei, qui verax eſt & fidelis, euerteret ? Imo potius: *Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus*, vt addit Iſaias. Certè ex regula iuris decet conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum. Cum igitur conceſſum ſit à Deo Eccleſiæ vt ſupra petram ſtet immobilis, nec portæ inferi poſſint præualere aduerſus eam, decet hoc beneficium permanere illæſum : portæ, inquam, inferi, nempe mendacia & errores, quibus & idololatræ & hæretici præcipites in infernum detruduntur, eius veritatem offuſcare non poterunt : portæ inferi, id eſt morum corruptio, qua plurimi etiam Catholici gradientes lata via, ad inferni pœnas deſcendunt, tanta non erit, vt doctrinæ illius ſplendor aut charitas in omnibus extinguatur : *aquæ* enim *multæ non poterunt extinguere charitatem* : nec Eccleſia vnquam aliquid iniungere aut præcipere poterit ſeruandum aut agendum, quod ſaluti officiat ; licèt vitium, patens inferni oſtium, in plurimis paſtorum etiam animis & corporibus regnet & dominetur. Poſſunt quidem prælati mali aliquid præcipere, quod reuera peccatum eſt, vt ſi quis præcipiat alium occidere; ſed non poterit Eccleſia proponere aliquid prohibitum à Deo licitum eſſe, & abſque peccato & culpa perpetrandum. Portæ inferi, id eſt mors, ſeu variæ cauſæ mortis incurrendæ (iuxta illud : *Qui exaltas me de portis mortis*) non præualebunt aduerſus Eccleſiam. Licèt enim Eccleſiæ paſtores quotidiè moriantur, tamen in ſucceſſoribus remanebunt, & tanquam lilia germinant, & nouellos flores producunt eiuſdem pulchritudinis, eiuſdem virtutis, ac poteſtatis. *Exſiccatum eſt fænum & cecidit flos, verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* Iſ. c. 40. Mo-

[A] riuntur vt homines, illius aut iſtius dignitas & authoritas euaneſcit ; ſed quia Domini verbum manet in æternum, ideo alij in illorum locum ſubſtituuntur, ita vt mors nihil poſſit aduerſus Eccleſiain-*Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, inquit Chriſtus Matth. 24. *id eſt*, inquit S. Chryſoſtomus, *facilius hæc firma & immobilia deſtruentur, quàm verba mea poſſint decidere.*

Secundò, hanc Eccleſiæ perpetuitatem conjicio ex infinita ſapientia Chriſti fundatoris : ſapientiæ enim eſt nihil agere quod retractare debeat, & omnia præuidere quæ omnem auferant pœnitendi anſam de incæptis. Cum igitur Chriſtus ſit ſapientia patris, ſitque Eccleſiæ fundator, Eccleſia debet in
[B] perpetuum ſtare : quia illam ita inſtituit Chriſtus, vt de eius inſtitutione pænitere non debeat. Nam vel Chriſtus ſciebat ſibi eſſe ab incæpto deſiſtendum, dum inſtituebat Eccleſiam, ſicque leuitati tribueretur talis negotij inceptio, ſi deſerere cogeretur; aut ignorabat aliquando fieri debere quod à propoſito deſiſteret, qua quidem ratione ſupponeretur grauis & intolerabilis in Chriſto ignorantia futurorum, Chriſtuſque quaſi anxius diceretur aut dubius de firmitate & conſtantia propoſiti ſui ; qua quidem ratione inſignis nimis in eo ſupponeretur imperfectio, quæ ſcientiæ illius certitudinem dubiam omnino redderet. Ne igitur impiè dicatur inſipienter aliquid egiſſe, dicamus ipſum eſſe illum virum ſa-
[C] pientem quem imitari debemus, verbum ipſius audientes & facientes, qui videlicet *ædificauit domum ſuam ſupra petram ; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerant venti, & irruerunt in domum illam : & non cecidit : fundata enim erat ſupra firmam petram.* Matth. 7. *Si quidem*, inquit S. Chryſoſtomus Hom. 25. in Matth. 7. *omni petra illius ſunt fortiora præcepta, & obedientem Deo cunctis præſtant tribulationum fluctibus celſiorem. Quicumque enim diligenter hæc cuſtodit ac fortiter, non modò hominibus nocere cupientibus, verùm etiàm ipſis dæmonibus ſibi inſidiantibus ſuperior eminebit. Quod verò iſta ad iactantiam non dicantur, Iob certè teſtis eſt, qui vtique & omnes diaboli in ſe excepit ictus, & tamen permanebat immobilis : idipſum teſtantur & Apoſto-*
[D] *li, qui fluctibus totius orbis in ſe pariter irruentibus, tyrannorum ſcilicet atque populorum, Iudæorum atque Gentilium, & ſuorum & alienorum, & diaboli prorſus & dæmonum & cunctas coniuratas aduerſus ſe impugnationis machinas pulſata fluctibus rupe firmiùs conſtiterunt. Quodque eſt adhuc amplius, omnia iſta docuerunt.* Ita S. Chryſoſt. Fundauit igitur ſapientiſſimus ille architectus Eccleſiam, quæ eſt domus Dei viui, ſupra firmitatem & certitudinem doctrinæ ſuæ, & fidelem mandatorum ſuorum cuſtodiam. Stat Eccleſia firma contra omnes fluctus tentationum. Lege S. Bern. Sermone 79. in Cantica, in illud : *Tenui eum, nec dimittam.* Immenſæ ſapientiæ opus fuit Templum Salomonis ; cuius & porticus
[E] illius relicta fuit à Dauide patre deſcriptio filio Salomoni. *Dedit autem Dauid filio Salomoni deſcriptionem porticus & Templi, iuxta ea videlicet quæ venerant ſcripta ad Dauid de manu Domini, vt intelligeret vniuerſa opera exemplaris*, vt dicitur 1. Paralip. c. 28. Multò magis dicere debemus Eccleſiam opus eſſe ſapientiſſimi conditoris, qui à patre æterno per generationem accipiens ſapientiam infinitam, opus perfecit tantâ ſapientiâ dignum ; quin & Chriſti humanitas per ſcientiam infuſam habuit cognitionem eorum omnium quibus munienda erat Eccleſia ſua, ne ſuccumberet tentationibus, quibus impugnanda foret. Manebit igitur firma & conſtans, Chriſto ſponſore, & ſemetipſum pro inuincibili protectore & inexpugnabili muro præbente : *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in*

Digitized by Google

medio eius, Zachar. 2. Qui enim dixit: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, Satis teſtatur Eccleſiam ſuam vſque ad conſummationem ſæculorum duraturam.

Tertiò, Iſtam firmitatem conjicio ex perpetuitate Sacerdotij Chriſti, de quo Zacharias ait c. 6. *Hæc ait Dominus exercituum dicens: Ecce vir, oriens nomen eius, & ſubter eum orietur & ædificabit templum Domino, & ipſe extruet templum Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos*, id eſt, inter regiam dignitatem & ſacerdotale faſtigium, exponente S. Hieronymo. *Iſte igitur* (nempe Chriſtus Dominus, qui virtutibus coronatus eſt) *orietur; & appellabitur oriens, ad quem locutus eſt pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et ſubter eum orietur multitudo credentium, & ædificabit domum Domini, Eccleſiam: & ipſe accipiet virtutem & decorem, ac profectum & gloriam ſingulorũ; & ſedebit & dominabitur in throno ſuo, in throno Dauid, de quo & in Euangelio ſcriptum eſt; Et erit ſacerdos à dextris eius, ſiue iuxta hebraicum, ſuper thronum ſuum: quia ipſe & rex & pontifex eſt: & ſedebit tam in regali quàm in ſacerdotali throno. Et conſilium pacificum erit inter vtrumque, vt nec regale faſtigium ſacerdotalem deprimat dignitatem, nec ſacerdotij dignitas regale faſtigium, ſed in vnius gloria Domini Ieſu vtrumque conſentiat.* Ita Hieronymus.

Huius autem ſacerdotij firmitatem & perpetuitatem iuramento ſtabilitam S. Paulus explicat, ad Heb. c. 7. *Alij quidem ſine iureiurando ſacerdotes: hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad eum: iurauit Dominus, & non pænitebit eum. Tu es ſacerdos in æternum. In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Semper igitur habebit miniſtros ſui Sacerdotij, ad quos dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ſicut ſempiternum eſt eius ſacerdotium. Ita ex perpetuitate Sacerdotis Chriſti Sanctus Ambroſius colligit perpetuitatem legis Euangelicæ, in hunc locum S. Pauli. *Sicut ille permanet, ſic etiam & lex quam attulit permanſura eſt, in qua eſt vera peccatorum remiſſio, & perpetua perceptio gratiæ. Si enim illa prior propter imbecillitatem, iſta autem quam Chriſtus pontifex magnus attulit, valet, & fortis eſt, & manet. Oſtendit autem hoc ex pontifice. Quomodo? Quia vnus eſt: non enim vnus eſſet, niſi eſſet immortalis, &c.* Vides legem Euangelicam, & Eccleſiam proinde, ad illam obſeruandam à Deo vocatam, perpetuitatem habere, ratione perpetuitatis Sacerdotij illius, qui eſt immortalis, & manet in æternum.

Denique ex immutabilitate finis ad quem ordinatur Eccleſia ipſa debet eſſe perpetua: *Ordinatione tua perſeuerat dies*, inquit Pſalmiſta Pſalm. 118. *quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Quaſi diceret: Hac de cauſa generationi alia ſuccedit generatio, *& dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, quia hoc neceſſe eſt vt ſemper creaturæ ſint, quæ tibi obſequium præſtent. Nam cum plures ſint ex his quæ intereant, oportet vt aliæ ſubſtituantur in earum locum, ne vmquam vlla deſit in rebus his corruptioni obnoxiis, à qua tibi cultus exhibeatur. Cum igitur Deus Eccleſiam ad ſuum cultum, & ad procurandam hominum ſalutem inſtituerit, velitque non hos tantum homines iſtius æui, ſed omnium generationum homines ſaluos fieri, gloriaque eius nunquam debeat euacuari, cui gloria danda eſt, ſicut data eſt à principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum; ideo Eccleſia permanere debet

A in æternum. Et reuera licèt Deus mutari nequeat in ſe; tamen quia res circa quas eius voluntas fertur, diuerſas patiuntur viciſſitudines, & nunc odio, nunc amore dignæ ſunt, pro ratione ſtatus in quo reperiuntur; ideo fit vt abſque inconſtantia aut mutatione decretorum ſuorum, nunc iſtam amet creaturam, nunc illam auerſetur. At cum Eccleſia ſit tota pulchra, ſit ſine ruga & macula, dicente ipſo: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, Cant. 4. nulla vnquam in ea odij ratio inueniri poterit, propter quam abjici debeat. Et certè quod de cunctis Dei operibus cecinit Propheta, hoc præcipuè dicere poſſumus de Eccleſia: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Magnum opus Eccleſia, cœlo ſublimius: nam ſupra cœlos debet aliquando

B exaltari: exquiſitum, vt quidquid Deus velit pro ſui gloria & hominum ſalute exequi, fæliciter adimpleatur. Quid opus eſt mutare propoſitum, cum verè iſta ad perfectũ ſtatum ſit adducta? Cum igitur Eccleſia talis inſtituta ſit, vt habeat omnia neceſſaria ad finem ad quem ordinatur conſequendum, nihil in ea immutandum ab eo qui ſapienter illam condidit, quique facillime illam qualem condidit conſeruare poteſt: donec illam tandem per vltimam immutationem, cum cœlum fiet nouum, & terra noua, ad gloriam euehat æternam. Sic Eccleſiæ regnum omnia mundi regna in duratione ſuperabit, iuxta Prophetiam Danielis: *In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus regnum cœli, quod in æternum non*

C *diſſipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Dan. 2.

Non mirum ſi de fundatione tanti regni dictum fuit: *fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion*, id eſt, cum gaudio vniuerſi orbis terrarum. Quis enim videns tam excelſum montem, diuinam doctrinam diſtillantem, pluuiâ voluntariâ ſegregata hæreditati irrigatum, diuino timore tanquam theſauro inæſtimabili repletum, incorruptione & fixa quadam immobilitate gloriantem, vt à nemine concuti valeat, donec tamdem vſque ad cœlos pertingat, alacri animo ad eum non accurret, & vt ad illum accedatur alios non prouocabit Eſaiæ verbis? c. 2. *Ve-*

D *nite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas.* Notat Genebrardus lib. 1. Chron. in eodem montis tractu quatuor colles ſiue iuga fuiſſe, quæ quandoque vna appellatione Sion dicuntur, aliquando varia ſortiuntur nomina: primus eſt Sion, qui ob ſui altitudinem reſpectu totius terræ, ſpecula interpretatur. In eo erat, arx, dicta ciuitas Dauid, quam à Ieruſalem dirimebat hiatus quidam, ſiue Melo, 2. Reg. 5. Illic erant ſepulchra Dauid & regum. Secundus mons, Moria, in quo templum fuit conſtructum: tertius, Acra, vbi noua ciuitas. Quartus Golgotha. Certè Eccleſia verè eſt mons Sion, de quo Pſ. 73. dicitur: *Mons Sion in quo habitaſti in eo.* Eſt enim mons excelſus,

E in quo Dominus poſuit ſpeculatores ſuos (qui dicunt: *Audite vocem tubæ*, Ierem. 6.) nos prouocantes vt Dei iudiciorum ſimus memores, qui Dei miſericordiam & iuſtitiam annuncient, iuxta ea quæ Dominus præcepit Ezechieli c. 3. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum & annunciabis eis ex me.* At quodnam verbum? Impio nempe minando mortem, ſi non fuerit conuerſus ab impietate ſua, iuſtum autem monentem ne peccet, vt vita viuat ſi non peccauerit. Sed verè in colle Moria ædificatum eſt templum, nempe fundata Eccleſia. Eſt enim Eccleſia illa terra viſionis, ſeu, vt vertunt 70. *Terra excelſa*, ad quam directus fuit Abraham vt filium immolaret. Eccleſia enim locus eſt in quo nos Deo offerre debemus: eſt verè

Digitized by Google

Moria, quibuſdam, *Indicans Dominus*, ſeu quaſi, *docens Deus : De Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Rurſus hoc vocabulum, Moria, ſignificat pluuiam, quia guttatim ſtillat, propter illam pluuiam de qua cecinit Dauid Pſal. 67. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam.* Deinde Moria, id eſt timor, quia in Eccleſia Deus timetur, iuxta illud : *Timete Dominum omnes ſancti eius : quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Qui propterea illam tuetur & protegit. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Denique Moria, iuxta Hebraicam dictionem deduci poteſt à myrrha, quæ cum à putredine corpora ſeruet, incorruptionis & immortalitatis eſt ſymbolum, vt nobis ſignificet Eccleſiæ incorruptibilitatem, in fide, in moribus, & ſpem certiſſimam reſurrectionis ad gloriam : Non enim dabit Dominus ſanctum ſuum videre corruptionem. Huic monti Moria debet coniungi regia ciuitas, ſi regnum æternum poſt temporale adipiſci deſiderat, coniungi debet Golgotha & Caluariæ locus, id eſt, ij qui afflictionibus & vexationibus ſæculi præmuntur, ſi ex iis quæ patiuntur aliquem fructum excerpere ſperant ; denique noua ciuitas, id eſt ij qui mores prauos deſerunt vt rectiùs viuant, ſi fidem & charitatem habere deſiderent, quibus boni actus morales ad finem ſupernaturalem ordinentur, vt pro eis coronas obtineant : nam extra Eccleſiæ vnitatem, nec fides vera, nec charitas obtineri poſſunt. Huic igitur monti Moria, id eſt Eccleſiæ, cuncti iungantur, qui ad vitam volunt peruenire æternam. Nam optimè Ambroſius in cap. 3. Lucæ. *Mater viuentium Eccleſia eſt, quam ædificauit Deus in ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ſtructura compaginata creſcit in templum Dei. Veniat ergo Deus, ædificet mulierem illam quidem adiutricem Adæ, hanc vero Chriſti. Non quia Chriſtus adiumentum requirit, ſed quia nos quærimus & deſideramus ad Chriſti gratiam per Eccleſiam peruenire. Et nunc ædificatur, nunc formatur, & nunc mulier figuratur & nunc creatur : & ideo nouo verbo vſa eſt ſcriptura, quia ſuperædificamur ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum : & nunc Domus ſpiritalis ſurgit in ſacerdotium ſanctum. Veni Domine, ædifica mulierem iſtam, ædifica ciuitatem ; veniat & pater tuus : Tibi enim credo dicenti : ipſe ædificabit ciuitatem mihi. Ecce mulier omnium mater : Ecce domus ſpiritalis : Ecce ciuitas quæ viuet in æternum, quia mori neſcit, &c.* Ita Ambroſius loquens de iſta muliere, quam noſter Ioannes deſcribit hîc amictam ſole, &c.

De tribus Eccleſiæ proprietatibus, vnitate, ſanctitate, & vniuerſalitate ; & notis illas proprietates indicantibus. §. 4.

Tres ſunt cuiuſlibet entis paſſiones ſeu proprietates, nempe vnum, verum, bonum. Vidimus Eccleſiæ exiſtentiam, etſi dicere licet quaſi entitatem. Hæc proinde tres habet (vt quodlibet ens exiſtens, ſiue ſimplex, ſiue aggregatum per accidens) tres proprietates, nempe quod ſit vna, ſancta, Catholica. Nam quia ſancta, ideo vera ; & quia Catholica, ideo optima, vt pote quæ quam plurimis hac ratione proſit & vtiliſſima ſit. At quia verè vniuerſalis non eſſet, niſi omnia tempora à die ſuæ conditionis complecteretur ; ideo, vt ſit verè Catholica, quartam proprietatem ex Concilio Calcedonenſi adducimus, nempe quod ſit Apoſtolica. Hæ proprietates quibuſdam notis ac ſignis dignoſcuntur. Vnitas eius demonſtratur ex conſentione membrorum cum capite, ſeu particularium Eccleſiarum cum ſede Romana ; ſecundò ex conſpiratione omnium ſæculorum in eadem doctrina ſeu vnitate fidei ; tertiò ex

A participatione in eiſdem Sacramentis, iuxta illud Apoſtoli : *Vnus Deus : vna fides : vnum baptiſma* : vbi ſub baptiſmate reliqua comprehenduntur Sacramenta. Sanctitatis eius ſigna ſunt veritas, doctrina : profeſſio enim eius eſt ſancta, nihil continens falſum quoad fidei doctrinam, nihil iniuſtum quoad doctrinam morum. Secunda nota, efficacia illius doctrinæ : *Veritas* enim *manet & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet, in ſæcula ſæculorum*, vt dicitur l. 3. Eſdræ c. 4. Tertia nota eſt ſanctitas vitæ primorum patrum noſtræ religionis, ſeu præpoſitorum qui nobis locuti ſunt verbum Dei. Quarta nota eſt gloria miraculorum, ſiue ad fidei probationem, ſiue ad ſanctitatis morum cōmendationem. Quinta nota ſanctitatis eſt lumen Propheticum. Sexta nota eſt
B confeſſio aduerſariorum : tanta eſt enim vis veritatis, vt etiam aduerſarios cogat interdum ſibi teſtimonium dare.

At Catholicitatis ſeu vniuerſalitatis eius notæ ſunt. Prima antiquitas : quia ſine dubio vera Eccleſia antiquior eſt quàm falſa, quemadmodum Deus ante fuit quàm diabolus. Secunda, duratio diuturna, nec vnquam interrupta. Eccleſia enim dicitur Catholica, non ſolùm quia ſemper fuit, ſed etiam quia ſemper erit. Tertia nota eſt eius amplitudo, ſiue multitudo & varietas credentium : Eccleſia enim verè Catholica, non ſolum debet amplecti omnia tempora, ſed etiam omnia loca, omnes na-
C tiones, omnia hominum genera. Quarta nota eſt ſucceſſio Epiſcoporum in Romana Eccleſia, ab Apoſtolis deducta vſque ad nos : hinc enim dicitur Apoſtolica.

Si his tredecim notis addas tum infelicem exitum ſeu finem illorum qui Eccleſiam oppugnant, tum felicitatem temporalem diuinitùs collatam iis qui Eccleſiam defenderunt, habebis quindecim notas illarum proprietatum Eccleſiæ exiſtentis, quæ fusè & ex profeſſo explicat Bellarminus, lib. 4. de notis Eccleſiæ, per totum. Quibus addo ſtudium ingens adimplendi non modò Dei præcepta, ſed etiam eius conſilia, ad nutum ei obediendo in omnibus. Nullibi enim conſilia Chriſti, vt par eſt, adimplen-
D tur vt in Eccleſia Catholica. Addo ſecundum aliud ſignum, nempe omnium poteſtatum ſæculi ſub Eccleſiæ regimine proſtrationem. Addo tertium, honorem ſanctis Dei, ac præcipuè Virgini Mariæ ab Eccleſia præſtitum. Quibus ſignis Eccleſia verè dicitur vna, quia in plures non patitur diuidi : vndè qui eam ſcindere volunt, pereunt. Verè dicitur ſancta, quia vnicè Deo placere ſtudet. Verè dicitur Catholica, quia omnes ſæculi poteſtates ſibi ſubſternit, ſuoque cogit parere imperio, ſi ad cœlum peruenire voluerint eum. Sic habebis decē & ſeptem notas Eccleſiæ, in qua Deus in ſe & in ſanctis ſuis colitur & honoratur. At iſtas proprietates & notas fusè explicare, requireret integrum opus : ſufficiat
E pro ratione incæpti operis demonſtrare qua ratione iſtæ proprietates ac notæ optimè in noſtro ænigmate mulieris amictæ ſole deſcribantur, & adumbrantur. Ad illos authores, qui ex induſtria iſta pertractant, benignum remittimus lectorem, pro pleniori earumdem cognitione.

Idea ſymboli mulieris & draconis.

Res mira ! Videt ſanctus Ioannes mulierem : & quia in medio aëris videbatur, ſolis claritate vndequaque cernebatur amicta. Lunam habebat ſub pedibus, quaſi oppoſitam ſoli, qui radiis perpendicularibus ſupra caput mulieris tunc effulgebat. Habebat duodecim ſtellas caput coronantes, per repercuſſionem ſolaris claritatis ingenti ſplendore

Digitized by Google

micantes. Erat prægnans, quin & parturiens, ſed in dolore peracuto, quem intenſus illius clamor ſatis indicabat: plurimos enim patiebatur cruciatus vt fœtum ederet in lucem.

Ex oppoſita parte huius mulieris viſum eſt aliud ſignum in aëre, draco videlicet magnus, rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem: caudam habebat alta petentem, & veluti tertiam partem ſtellarum inuoluentem, vel ſaltem has aut illas modò vno ictu, modò alio, è cœlo decutientem, eaſque mittentem in terram. Et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.

Non mirum ſi tanta rabie fertur draco contra mulierem. Præuidet enim fœtum illius, ſimul atque prodibit in lucem ſceptrum illi è manibus & imperium eſſe ereptum; ille enim eſt, de quo Eſaias ait c. 8. *Et acceſsi ad propheti ſſam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſsyriorum.* Quod cum præſtiterit Chriſtus, in propria perſona ex virgine oriundus, præſtabit etiam dum è medio ſeu è gremio Eccleſiæ ſponſæ, ipſe adhuc prodibit, in perſona illius quem conſtituet ad regendas in nomine ſuo cunctas nationes, *in virga ferrea*, id eſt in authoritate ſumma & poteſtate, quæ data eſt ei in cœlo & in terra. At licet fremat draco, & tam altum conſilium impedire pertentet, peperit illa mulier, nempe Eccleſia, *filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deum: & ad thronum eius;* Dum Petrus, ſimul atque Eccleſia apparuit à Chriſto fundata, multa peregit, quæ iam redolebant illam ſummam authoritatem, quam ſæculis futuris illius ſucceſſores exercere non dubitarunt.

Hoc vehementer iram & furorem draconis exacerbauit, mulierique offenſus, in eam totum pectoris exulcerati virus effudiſſet, vt eam diſſiparet, ni mulier ſibi fugâ conſulens, in deſertum ſe proripuiſſet, vbi tres annos cum dimidio commorata eſt. Tutum enim Deus illi parauit refugij locum in ſolitudine, vbi ab Angelis & Dei miniſtris paſcetur; ſicut olim Chriſto cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, tandem eſuriente, poſt deuictum Sathanam, acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

Filius mulieris ad Deum & ad thronum eius raptus, ſaluus & incolumis remanſit ab ira & furore draconis. Mulier autem ipſa in ſolitudine degens illius artes eluſit. Habet igitur draco qui impiis eius conatibus obſiſtunt, & ei ſceptrum auferunt, & dominationem vniuerſi. Vnde exortum eſt prælium magnum in cœlo. Nam ſicut olim in initio ſæculorum *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.* Ita in initio Eccleſiæ Chriſtianæ, Dei & Chriſti eius honorem & cultum & adorationem promouere exoptantis, & ad cœli gloriam pro mercede laborum ſuorum adſpirantis, cum dracone, qui ſibi honores diuinos arrogare volebat, magnum fuit ineundum certamen.

Apparuit ſiquidem quomodo verè ille filius erat in Dei protectione ſumma poteſtate præditus; quomodo viſus eſt ſummus Pontifex Eccleſiæ, veluti alter Michael, dux & princeps cæleſtis exercitus, impiis conatibus draconis cum ſuis miniſtris obſiſtens, & cum dracone certamen iniens: notum factum eſt omnibus quàm impiè ille hominum carnifex ab eis honores diuinos exigebat. Nam proiectus eſt, ſicut
A olim draco ille magnus, *ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram; & Angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem: nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui. Et non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Et re vera cum per miniſterium ſummi paſtoris & aliorum Eccleſiæ paſtorum factum eſt vt idololatria à mundo exularet, plurima gaudij & lætitiæ materia ſuppeditata eſt. Tunc enim adimpleta eſt potiſſimùm Prophetia Iſaiæ c. 9. *Lætabuntur coram te*
B *ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius. Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Hæc Iſaias. Statim enim atque idololatria extirpata eſt, & princeps huius mundi eiectus eſt foras, & proiectus eſt draco ille magnus in terram, tunc Chriſti aduentus in carne cæpit audacter prædicari: Tunc homines agnouerunt verbum carnem factum, & ex hac fide myſterij In-
C carnationis Chriſti, vt prædixit Iſaias, *eiuſdem multiplicabitur imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia. A modo & vſque in ſempiternum zelus Domini exercituum faciet hoc.*

Væ hominibus, qui cor ſuum ſtatuerunt declinare in terram. Væ hominibus, qui carnis delectationibus ſeſe ingurgitare deſiderant, & quorum cor ad impietatem eſt quaſi mare feruens. Væ, inquam, terræ & mari: nam cum draco videt ſe operam perdere, erga eos qui ad cœlum aſpirant per contemptum terrenorum, ideo totum ſe vertit ad perdendos & corrumpendos homines terrenos, animales, gulæ ac luxuriæ, iræ & furori deditos. Væ igitur
D vobis, ô terreni & carnales homunciones, *quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.*

Vnde fit quod poſtquam vidit draco quod proiectus eſſet in terram, & ſiſtendum ſibi eſſet & conquieſcendum in terrenis hominibus, nihil habens quod facere poſſit electis Dei, vt eorum ſalutem æternam impediat (nemo enim poteſt rapere è manu Chriſti quos illi dedit pater ſuus) ideo perſequitur fideles, & variis tentationibus & vexationibus eos à propoſitio amouere pertentat: ſic perſequitur mulierem quæ peperit maſculum.

Sed quia *datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ,*
E nempe ſumma ſapientia & ſanctitas; *vt volaret in deſertum in locum ſuum,* id eſt, vt poſſit & diuitias contemnere & delicias carnis ſpernere, & cuncta etiam aduerſa ſuperare; ideo vani ſunt draconis conatus: nam gratia Dei (qua poſſunt fideles abundare & penuriam pati) Eccleſiam nutrit in deſerto commorantem, id eſt, omnia terrena, ſiue ſint proſpera, ſiue ſint aduerſa, contemnentem; *per tres annos & dimidium,* id eſt toto tempore quo illi inter aduerſa & proſpera fluctuare continget. Hoc ſciente & ægrè vidente ſerpente inimico, qui videt ſe diuinis honoribus ſpoliatum, & deriſui habitum, cernens nihil profeciſſe dum vi ac violentia vſus eſt contra Eccleſiam, perſpiciens ſe ſuperari per veram doctrinam & ſanctitatem, quæ in Eccleſia perſeuerat; præcipuè in iis qui deſerta petunt, & in ſolitudinem

monaſteriorum

Digitized by Google

monaſteriorum recedunt; conatur per morum corruptionem, & falſa dogmata quæ euomuit ex ore, tamquam flumen, Eccleſiam ſi fieri poſſit abſorbere: *Miſit* proinde *ſerpens ex ore ſuo, poſt mulierem tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.*

Sed adiuuit terra mulierem: nam ij tantum qui terrena ſapiunt huic doctrinæ falſæ adhæſerunt: ex nobis non erant, vnde à nobis exeunt, & in ſolis reprobis effectus formidabiles corruptionis morum vim & efficaciam habebunt. Saluabuntur enim electi, dum hæretici & mali Catholici aperient os ſuum, vt abſorbeant illud flumen, quod miſit draco de ore ſuo: Ita vt hoc vnicum ſit ſtudium & ſolamen draconis irati in Eccleſiam, vt eam tentationibus variis exagitet, *& abeat facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Et hac ratione ſtat ſupra arenam maris, dum in iis tantum regnat qui Dei charitate ſpoliantur, & terrena ſitiunt, & carnales ebibunt delectationes, à quibus nunquam ſatiantur.

In hoc ſchemate videmus omnes Eccleſiæ, vnicæ ſponſæ Chriſti, Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ notas, quibus à cæteris congregationibus diſcernitur, & quibus videre poſſimus quàm apta ſit & idonea vt tot gratiis, quibus cumulata fuit, pro poſſe & conditione creaturæ reſpondeat.

Quibus notis Eccleſiæ vnitas dignoſcitur.

ANNOTAT. II.

VNum tantum authorem inuenio apud Alcazarum, nempe Mazerum, qui in huius capitis explicatione duas fœminas opinatur Ioanni viſas in cœlo, alteram ſole amictam, alterã in terra grauidã, & doloribus partus prænuntiis preſſam. Sed optimè ipſe Alcazar ait manifeſtum eſſe ſanctum Ioannem loqui de vna tantum muliere, id quod cæteri omnes interpretes ita ſtatuunt. Hoc igitur ſchemate prima Eccleſiæ proprietas ſignificatur. *Eccleſia autem dicitur mulier*, inquit S. Thomas, *quia ſcientia verbi diuini generat filios ſponſo ſuo, & nutrit cum diligentia & labore. Hæc eſt Eſther, quam Rex amat ſuper omnes mulieres, ſicut dicitur, Eſther ſecundo, quia Chriſtus plus diligit Eccleſiam quam congregationes fidelium, ante legem & ſub lege.* Ita D. Thomas. Quæ vna eſt, ab initio mundi vſque ad conſummationem ſæculi, ante legem, ſub lege, & in Euangelio; ante legem infans, ſub lege adoleſcentula, in Euangelio ſponſa & amica. Sed vnitas hæc maximè competit Eccleſiæ, vt à Chriſto incæpit iuxta ſtatum noui teſtamenti. *Eccleſia vna eſt*, inquit S. Cyprianus, de vnitate Eccleſiæ, *quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur; quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum; & cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore: diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit; vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur; ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit; vnum tamen caput eſt & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur; illius lacte nutrimur: ſpiritu eius animamur.* Ita Cyprianus. Huius vnitatis ſymbolum eſſe dicimus, quod vna tantum mulier à ſancto Ioanne videatur, non plures, quod cum tota amicta ſit ſole, ſui ſemper ſimillima eſt, & maximè

A æqualis: lux enim diſſimilitudinem non capit: nec enim vno modo ſol lucet hodie, craſtina die lucem alterius ordinis & rationis effuſurus.

Tres autem notas huius veritatis habemus. Prima nota eſt conſenſio membrorum cum capite, & ipſorum membrorum ad inuicem. De conſenſione membrorum cum capite ſanctus Cypr. agit, de vnitate Eccleſiæ. *Probatio*, inquit, *eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quæ ligaueris ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis. Et eidem*

B *poſt reſurrectionem ſuam dicit: paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me pater & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum: ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur: quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit; Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe*

C *fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando & Apoſtolus Paulus hoc doceat, & Sacramentum vnitatis oſtendat dicens: Vnum corpus & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem tenere firmiter & vindicare debemus, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat. Nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Ita Cyprianus. Hinc noſter Coriolanus in ſumma Conciliorum, locum hunc Epiſt. ad Epheſ. c. 4. à S. Cypriano mox adductum expendens, vnum Dominum intelligit non

D de Deo, quia vna eſſet Eccleſia Chriſtianorum cum Hebræis & Turcis: nam omnes iſti vnum ſolum caput ſe habere Deum profitentur; non de Chriſto, quia eſſet vna tãtum Eccleſia Catholicorum, Lutheranorum, Caluiniſtarum, qui vnum & eumdem Chriſtum omnes confitentur, ſed de Eccleſiæ viſibili capite, vt ſit verè vnus Dominus, quia vnum eſt caput viſibile totius Eccleſiæ, nempe Chriſti Vicarius in terris. Et hunc locum etiam explicat Lyranus. Ita ex Coriol. præludio nono, primam Eccleſiæ notam exponente. Et reuera optimè Bellarminus c. 10. l. 4. de notis Eccleſiæ, ait apud veteres ſemper fuiſſe habitam pro nota veræ Eccleſiæ coniunctionem cum Romano Pontifice: quod multis ſtatim teſtimoniis probat, quæ apud eumdem legenda

E hic conſultò omittimus, cum fuſiorem iſtorum probationem ad eos qui ex profeſſo ea tractant relinquamus. Citat Ireneum l. 3. c. 3. Bellarm. Cyprianum l. 1. Epiſt. 3. l. 4. Epiſt. 8. Ambroſium oratione de obitu fratris; Hieron. Epiſt. ad Damaſum; Optatum lib. 2. contra Parmenium; Auguſt. Epiſt. 162. contra partem Donati; Leonem Epiſt. 87. ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ.

Quantum ad conſenſionem ipſorum membrorum ad inuicem, *Certum eſt*, inquit Bellarm. l. 4. de notis Eccleſiæ c. 10. *cõcordiam eſſe ſignum regni Dei, quod ſtare debet in æternum; diſcordiam autem, regni Diaboli, quod tandem ruere debet.* Vnde Mathæi 12. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, &c.* Huius conſenſionis neceſſitatem fusè cõmendat S. Cyprianus, de vnitate Eccle-

ſiæ, veluti proprium Eccleſiæ donum. Inter alia hæc accipe tanto authore digna. *Hanc domum, hoc vnanimitatis hoſpitium deſignat & denunciat Spiritus ſanctus in Pſalmis, dicens: Deus qui in habitare facit vnanimes in domo, in domo Dei, in Eccleſia Chriſti vnanimes habitant, concordes & ſimplices perſeuerant. Idcirco & in columba venit Spiritus ſanctus, ſimplex animal & lætum, non felle amarum, non morſibus, non vngularum laceratione violentum, hoſpitia humana diligere, vnius domus conſortium noſſe, cum generant, ſimul filios edere cum commeant volatibus inuicem cohærere, communi conuerſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas fraternitatis dilectio imitetur, vt manſuetudo & lenitas agnis & ouibus æquetur. Quid facit in corpore Chriſtiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale ſerpentum, & cruenta ſæuitia beſtiarum? Gratulandum eſt cum tales de Eccleſia ſeparantur, ne oues Chriſti ſæua & venenata contagione euidentur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas.* Ita Cyprianus.

Hæc autem conſenſio membrorum ad inuicem maximè elucet in veritate fidei & doctrinæ, quæ eſt ſecunda nota quam adducimus vnitatis Eccleſiæ: quam cõmendat ſanctus Athanaſius ad Antiochenſes. *Vt omnes*, inquit, *omnibus in locis prædicent vnum Dominum, vnam fidem. Quid enim ita pulchrum, prout Pſalmographus inquit, aut quid ita delectabile, quàm habitare fratres in vnum? Nam ita quoque fieri arbitramur, vt & Deus nobiſcum habitet, cuius hæc verba ſunt: Habitabo in eis, & verſabor inter eos, & coloniam meam ibi habebo, quoniam elegi eam. Ita quoque quodammodo ſit vna fides, & religio prædicatur.* Ita Athanaſius. *Eſt enim*, vt ipſe Athanſius docet, epiſtola de decretis Synodi Nycænæ contra hæreſim Arianorum, *ibi, vt patres tradiderunt, veræ diſciplinæ & magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à moribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potius quàm veri præceptores appellari debent. Certè Æthnici quum nec eadem profiteantur, ſed inter ſe diſcrepent, veram diſciplinam non habent; ſancti contra ſinceræ ſunt veritatis præcones, & quod inter ſe ſententiis conueniant, & nullo diſſidio laborant: qui tametſi diuerſis temporibus vixerint, æquè tamen ſimul eodem tendunt, vt vnius Dei prophetæ, & eiuſdem ſermonis interpretes. Quæ enim Moſes docuit, eadem ab Abrahamo obſeruata ſunt. Quæ porro Abraham obſeruauit, eadem Noe & Enoch agnouerunt, diſtinguentes munda & immunda, & grati oſi apud Deum fuerunt. Abel quoque huius rei teſtis habendus eſt, qui ea quæ ab Adam perceperat Deo obtulit. Adam autem magiſterio Dei inſtructus fuit. Idem igitur Deus, quum ſub conſummatione ſæculorum veniſſet ad reprobationem peccati, dixit; Non præceptum nouum dedi vobis, ſed præceptum vetus quod audiſtis ab initio. Ideoque qui eo ipſo magiſtro vſus eſt Apoſtolus Paulus, in præſcribenda Eccleſiaſtica forma, ne diaconos quidem voluit bilingues, nedum Epiſcopos eſſe voluit: & Galatas obiurgãs in vniuerſum, ſimul omnia complexus eſt, his verbis: Si quis vobis Euangelizauerit præter hoc quod accepiſtis, Anathema ſit; quemadmodum prædixi & rurſum dico: imo ſi Angelus vobis è cœlo euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, Anathema ſit.* Ita optimè Athanaſius, à quo docemur vniuerſalem conſenſum in doctrina fidei eſſe ſymbolum veræ religionis, & veram Eccleſiam, iuxta illud Diui Pauli 1. ad Corinth. 1. vbi ſic ait: *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.* Ac ſi diceret: Ne aliud in fide ac religione

A ſentiant fideles, quàm quod fide patrum ac populorum conſenſione firmatum eſt. Hanc conſenſionem, tamquam propriam notam Eccleſiæ, fuſiùs tractat noſter Coriolanus, præludio nono in ſumma Conciliorum, & citat Iuſtinum Martyr. q. 4. ad Orthodoxos Iren. l. 1. c. 18. Tertull. l. de præſcript. S. Atha. 1. oratione 1. contra Arianos; D. Aug. in Pſ. 80. &c. Et quanta ſit apud hæreticos doctrinæ diuerſitas demonſtrat, quæ nunquam talis eſſe poteſt apud Catholicos, qui ab ore Petri accipimus, quænam dogmata de fide tenenda ſunt, & quæ non: ſiquidem ab antiquis diebus Deus præordinauit per os eius gentes audire verbum Euangelij, & credere, vt audacter ipſemet Petrus aſſeruit in Concilio primo Hieroſolymitano. Cum igitur omnes Catholici B ſubjiciant ſenſum ſuum ſenſui vnius & eiuſdem ſummi Paſtoris, ex Cathedra Petri cum Conſilio aliorum Paſtorum Eccleſiam dirigentis, nulla vmquam inter eos poterit eſſe, quo ad doctrinam, diſſentio. Lege Bellarm. l. 4. de notis Eccleſiæ c. 10.

Tertia nota vnitatis Eccleſiæ eſt participatio & vſus eorumdem Sacramentorum, quæ præcipuè in tribus maximè reſplendet, nempe vt ſit idem Baptiſma, idem ſacerdotium, idem panis cæleſtis quo veſcimur: *Et enim*, inquit Apoſtolus, *in vno ſpiritu omnes nos, in vnum corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi; & omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* 1. ad Corinth. 12. Idem eſt etiam ſacerdotium. *Habemus*, inquit S. Paulus ad Heb. 13. C *altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt. In Chriſto*, inquit S. Ambroſius, in 10. cap. ad Hebræos, *ſemel oblata eſt hoſtia potens ad ſalutem ſempiternam. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis eius, & vna eſt hæc hoſtia, non multa: Quomodo vna eſt & non multa? Quia ſemel oblata eſt in Sancta Sanctorum. Hoc autem ſacrificium exemplar illius eſt. Idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, cras alium, ſemper eumdem ipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium hac ratione: Alioquin quoniam multis in locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur vnum corpus* D *eſt, & non multa corpora, ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt qui hoſtiam mundantem nos obtulit. Ipſam offerimus & nunc, quia tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex, ſed ipſum ſemper offerimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur.* Ita Ambroſius. Sicut non aliud ſacrificium, ita non aliud ſacerdotium Chriſti, qui ſacerdos manet in æternum, cuius & nos ſumus miniſtri, eamdem ipſe per nos offerens hoſtiam, quam ſemel in ara crucis obtulit. *Quia*, inquit S. Paulus, *ſacrificium & oblationes & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ* E *ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. Aufert primum, vt ſequens ſtatuat, in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel.* Ita Paulus. Hæc eſt oblatio munda, de qua Malachias c. 1. *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſanctificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quod autem vnitatis Eccleſiæ nota ſit, vnius & eiuſdem panis participatio, habemus ſanctum Paulum diſertè hoc docentem 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane*

Digitized by Google

& de vno calice participamus. Eſus enim ſubſtantiæ panis non eſt communicatio corporis Chriſti, quia menſæ eius participes ſumus. De vno calice bibimus & de vno pane ſumimus: vnus panis & vnum corpus in eo ſumus myſticum, ac per illius ſumptionem Chriſti corpori incorporamur. *Cum dicit, vnus panis, vnitatem fidelium declarat, vt non multa ſint corpora noſtra, ſed vnum.* Ita Guilland. Ex quibus patet notam optimam Eccleſiæ vnitatis eſſe vnius panis & calicis participationem: quam certè non habent ſiue qui tabernaculo deſeruiunt ſub lege Moſaica, ſiue qui cum Capharnaitis dicunt: *Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandū?* Hæc tria Sacramenta ſolùm adduco, non quod Eccleſia alia non habeat Sacraméta quæ ab omnibus Catholicis recipiūtur, ſed quia hæc tria ſpecialem quamdam habent rationem manifeſtandi Eccleſiæ vnitatem. Nam abſque Baptiſmo nullus poteſt fieri membrum illius corporis viſibilis ſeu myſtici. Eccleſia per ſacrificium publicè Deo cultum & obſequium præſtat, & in communione corporis Chriſti vnam ſe habere ſpem & vocationem proteſtatur, nempe in corporari in Chriſto, & cum Deo in æterna gloria inſeparabiliter vniri. *Vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Epheſ. 4.

At quomodo hæ tres notæ vnitatis in ſymbolo mulieris amictæ ſole, & duodecim ſtellis coronatæ reperientur, nunc nobis eſt diſcutiendum.

Conſenſio membrorum cum capite ſignificatur primò in illa vnione duodecim ſtellarum cum capite.

Iſtæ duodecim ſtellæ, inquit Auguſt. ſeu Ticonius, *duodecim Apoſtoli intelligi poſſunt.* Secundò non ſolum Apoſtoli, ſed etiam fideles. Ita Ambroſius. *Caput*, inquit, *Eccleſiæ Chriſtus eſt, duodecim vero ſtellæ duodecim ſunt Apoſtoli. Poſſumus nihilominus per caput mentes fidelium intelligere. Mulier ergo in capite coronam ſtellarum duodecim habuiſſe viſa eſt, quia mentes fidelium doctrina & actus Apoſtolorum, cum eos imitari ſatagunt, exornant.* Ita Ambroſius. *Et in capite eius.* S. Thomas: *Scilicet in Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, ipſam regens, ei prouidens, in ea influens ſenſum fidei, & motum dilectionis & operationis. Colloſ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. Corona ſtellarum duodecim, id eſt nobilis victoria duodecim Apoſtolorum, hoc eſt duodecim Apoſtoli in ſe vniti, & aliorum illuminatiui, in oculis terrenorum minimi, coram Deo magni, contra vitia & contra diabolum, & contra hoſtes fidei victorioſi: quæ victoria per coronam ſignatur, quia victoribus dari ſolet; & dicitur hæc corona eſſe in Chriſto, quia hoc cedit ad honorem ipſius, & ad oſtenſionem regiæ dignitatis in eo, cuius milites fuerunt Apoſtoli, & cuius virtute & ad cuius gloriam vicerunt omne vitium, & diabolum, & fidei impugnatores, quos vicerat efficacia doctrinæ, operatione, poteſtate & miraculis, & virtute conſtantiæ, quia propter aduerſa non ceſſerunt, 2. ad Cor. 2. Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, &c.* Ita D. Thomas.

Eſto Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, Apoſtoli ſunt ſtellæ; fideles etiam omnes ſtellæ optimo iure dicuntur. Nihil tamen ab interpretandi ratione Patrum & Doctorum adducimus, ſi in capite illius mulieris Eccleſiam repræſentantis, caput illius viſibile intelligamus, præcipuè cum addat S. Thomas: *Dicitur autem hoc ad laudem Eccleſiæ, quia per hoc oſtenditur ipſam habere dignitatem regiam, quod caput ſuū eſt coronatum: quia corona capitis cedit in honorem totius corporis.* Ita D. Thomas. Nunquid hæc regia dignitas Eccleſiæ potiſſimùm viſitur in eius viſibili capite? Caput equidem Chriſtus eſt, immediatum, inuiſibile,

A præcipuum corporis myſtici; ſed caput viſibile & inſtrumentarium eſt illius Vicarius, quod nemo Catholicorum inficiatur. Vnde ſi in muliere Eccleſiam intelligimus viſibilem & conſpicuam, in capite mulieris intelligere poſſumus ſummum Pontificem, ſiue etiam Romanam ſedem. Illum enim S. Athanaſius, Epiſtola ad Marcum, ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis atque vniuerſalis Eccleſiæ Papam, (his enim titulis illum ornat Athanaſius) hanc Matrem & caput omnium Eccleſiarum nuncupat: petens ſiquidem ſeptuaginta capitula Niceni Concilij (quæ facta fuerunt vt omnem Chriſtianorum informarent orbem; & omnes ſub ſacerdotali nomine & Chriſtiano degentes vna fides, & vna ſacerdotalis regeret norma, nec quiſquam à ſuo diſſideret, capite, vt B loquitur Athanaſius) quia ſcilicet ab Arianis fuerant combuſta, ait: *Nunc ergo quia vt prædictum eſt inimici ſanctæ Dei Eccleſiæ, & maximè Ariani, à quibus quotidie expugnamur & opprimimur, præfata ſeptuaginta Nicæni Concilij capitula, quæ præfata Synodo iam facta, iubente Domino meo Alexandro, omnium Epiſcoporum decreto, quæ etiam coram omnibus recitaui atque tranſcripſi, ſunt igne combuſta; optamus vt à veſtra ſedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater & caput omnium Eccleſiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur; quatenus veſtra fulti authoritate, veſtriſque precibus roborati, illæſi à memoratis æmulis ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris euadere, C nobiſque commiſſos eruere valeamus.* Ita Athanaſius: qui nobis inſtar omnium erit, vt dicere liberè valeamus ſedem Romanam caput eſſe illius mulieris, Eccleſiarum figuram gerentis.

Hoc ſuppoſito, ſi caput mulieris eſt ſummus Pontifex ſeu ſedes Romana; ſi ſtellæ ſunt Apoſtoli, & illorum ſucceſſores, ſeu fideles doctrinam Apoſtolorum ſequentes, eorumque actus imitantes, cum corona ſtrictè capiti coaptetur ne diffluat, quis non videt in hac corona ſtellarum, caput mulieris coronante, conſenſionem præpoſitorum Eccleſiæ, ſeu etiam fidelium cum ſummo Pontifice, ſeu Eccleſiarum particularium cum Romana ſede, optimè adumbrari, & cum illæ ſtellæ vnam coronam conficiant, D illarum inter ſe connexionem etiam ſignificari? Secundò, cum dicitur quod ille filius maſculus recturus erat omnes gentes, nonne conſenſionem membrorum cum capite, ouium & agnorum cum Paſtore odorari licet? Nam ſi eos regere debet, illi proculdubio per obedientiam connectentur. Hoc enim planè neceſſarium eſt, vt omnia proſperè in Eccleſia ſuccedant, & omnium hæreſum fons & origo obſtruatur. *Neque enim*, ait Cyprianus ad Corneliū. de hæreticis, *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo E aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moueret: Nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Epiſcoporum conſenſum, iudicem ſe, non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Ita Cyprianus.

Conſenſionis etiam in fide & doctrina ſymbolum habemus, in eo quod Eccleſia amicta ſole videtur. Quomodo enim amplecteretur errorum tenebras, cum vndequaque lumine circumueſtiatur? Audi Irenæum l. 1. aduerſus hæreſes c. 3. nobis fauentem, & eadem ſolis claritate vnitatem fidei explicantem. *Hanc*, inquit, *prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit. quaſi vnam domum inhabitans: Similiter credit iis videlicet, quaſi vnam animam habens & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi*

Digitized by Google

vnum poſſidens os. Nam & ſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt, nec quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hyberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ; ſed ſicut ſol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, vbique lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire: & neque qui valde præualet in ſermone, ex iis qui præ ſunt in Eccleſiis, alia quàm hæc ſunt dicet: Nemo enim ſuper magiſtrum eſt; neque infirmus in dicendo demunciabit traditionem. Cum enim vna & eadem fides ſit, neque is qui multum de ea poteſt dicere, ampliat; neque minus denunciat. Hæc Irenæus. Eſt igitur Eccleſia amicta ſole, quia eadem fidei claritate gaudet, nec in hoc amictu aliquam patitur diſciſſionem. *Dicit Dominus*: inquit S. Cyprianus, de vnitate Eccleſiæ, *ego & pater vnum ſumus; & iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Et hi tres vnum ſunt: & quiſquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, Sacramentis cæleſtibus cohærentem, ſe inde in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium diuortio ſeparari? Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & ſalutem: hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini Ieſu Chriſti non diuiditur omninò, nec ſcinditur; ſed ſortientibus de veſte Chriſti quæ Chriſtum potius induerat, integra veſtis accipitur, & incorrupta atque indiuidua tunica poſſidetur.* Ita Cyprianus. Sicut igitur ſanctus Martyr ex integritate tunicæ ſaluatoris fidei integritatem conjicit, ſatis appoſitè nos in amictu ſolari, nullam diuiſionem habente, hanc conſenſionem in fide & doctrina ſignificari aſſerimus. Hinc optimè addit S. Cyprianus: *Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit & diuidit Eccleſiam Chriſti. Contra denique, cum Salomone moriente regnum eius & populus ſcinderetur, Achaias Propheta Ieroboam regi obuius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum diſcidit, dicens: Sume tibi decem ſciſſuras: quia hæc dicit Dominus: Ecce ſcindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi ſceptra, & duo ſceptra erunt ei, propter Dauid ſeruum meum, & propter Hieruſalem, ciuitatem quam elegi vt ponam meum nomen illic. Cum duodecim tribus Iſraël veſtimentum ſuum Propheta Achaias ſcidit. At verò quia Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica eius per totum textilis & cohærens, diuiſa à poſſidentibus non eſt. Indiuidua, copulata, connexa, oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus, concordiam cohærentem.* Ita Cyprianus.

Denique ſymbolum ſeu ænigma habemus participationis in eiſdem Sacramentis, in eo quod dicitur de muliere: *Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*, Item. v. 14. *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis.* De hoc loco, in quo paſcitur Eccleſia, procuIdubio intelligendus eſt Pſalmus 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Et quid, quæſo, inueniet Eccleſia, quo paſcatur in hoc latiſſimo loco, in quo & ſi ambulet in medio vmbræ mortis, non timebit mala, *quoniam*, inquit ipſa ad ſponſum, *Tu mecum es.* Audi Pſalmiſtam nomine Eccleſiæ dicentem: *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me.* Cum hoc audis, nonne vides mulierem ali à facie ſerpentis, vt nec ſibilis terreri, nec morſibus eius infici pertimeſcat? *Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus eſt! Et miſericordia tua* A *ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ; & vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.* En locus in quo Eccleſia ſeu cœtus fidelium paſcitur & alitur, nempe Dei domus, id eſt locus Deo dicatus & conſecratus, vt olim templum Salomonis. *Hebræi enim*, inquit Genebrardus, *exponunt de loco arcæ, vnde nos etiam exponere poſſumus de omni loco Deo conſecrato, in quo cæleſtia Sacramenta diſtribuuntur fidelibus.* Per locum igitur illum, in quo alitur Eccleſia, intelligo loca materialia, in quibus fideles congregantur; ſiue in cryptis, vt olim durante perſecutione; ſiue in templis, loca, inquam, à Deo electa, vt ibi fideles poſſint diuinis Sacramentis participare, iuxta ea quæ Deuteron. 12. præcipiuntur; *In loco quem elegerit* B *Dominus Deus veſter, vt ſit nomen eius in eo: illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocauſta & hoſtias, ac decimas & primitias manuum veſtrarum, & quidquid præcipuum eſt in muneribus, quæ vouebitis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo veſtro, vos ac filij & filiæ veſtræ, famuli & famulæ, atque leuites qui in vrbibus veſtris commorantur. Neque enim habet aliam partem & poſſeſſionem inter vos.* Ecce locus in quo paſci & ali debet Eccleſia. Sicut igitur tunc fas non erat ſacrificia Deo offerre in alio loco, at tantummodo offerebantur in loco quem elegerat; ita nunc.

Nec enim fas eſt in conciliis vbique indifferenter diuina celebrare myſteria, & Sacramenta miniſtrare: ſed id fieri debet pro maiori reuerentia in locis C Deo dicatis & conſecratis. At ne abſque authoritate talem expoſitionem adducamus, audiamus S. Thomam in hunc Apocalypſis locum: *Vt ibi paſcant illam, ſcilicet paſtu doctrinæ: quia qui apud ſe interno ſecreto habitat, efficaciùs paſcitur verbo ſcripturæ vel prædicationis: quietiùs enim & ſapidiùs & pleniùs capit: & bene dicitur, paſcat, quia ipſa doctrina ſcripturæ à Deo eſt; & quod anima inde reficiatur ex Deo, dono eius eſt. Pſal. in loco paſcuæ ibi me collocabit. Item paſcit Deus Eccleſiam, quantùm ad iuſtos interna conſolatione, vt cum dat delicias ſpiritus, Iſa. 51. Ponet deſertum quaſi delicias, & ſolitudinem quaſi hortum Domini, item cæleſti pane, id eſt ſeipſo ſpiritualiter & Sacramentaliter, Sap. 16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, &c.* Ita S. Thomas: Et verſum 14 exponens, ait idem S. Doctor: D *Nutritur autem à ſuo Patre & ſponſo, alimento ſcripturæ, cibo internæ doctrinæ cælitus infuſæ, & paſtu intimæ conſolationis, & manna Sacramentalis refectionis. Nam contemplatiui magnam ſpiritus conſolationem ſuſcipiunt ex ipſius Dominici corporis refectione. Hoc eſt manna quo paſcit Dominus filios Iſraël in deſerto*, Sap. 16. Ita D. Thomas. Ex hac interpretatione ſancti Thomæ habemus notam hanc Eccleſiæ vnitatis, nempe participationem in eiſdem Sacramentis, ſufficienter eſſe expreſſam in deſcriptione huius mulieris Eccleſiam repræſentantis. Ad ſecundam Eccleſiæ proprietatem, per alias notas manifeſtandam, tranſeamus.

E *De ſecunda Eccleſiæ proprietate, ſanctitate videlicet, & de notis illam indicantibus.*

ANNOTAT. III.

Quomodo Eccleſia ſancta dici debeat? §. 1.

ADEO ſanctitas propria eſt Eccleſiæ, vt ſine ſanctitate non ſit vera Eccleſia, nec vera ſanctitas extra Eccleſiam reperiri poſſit: & ſicut Chriſtus de ſe ait: *Hæc dicit ſanctus & verus*; quia ſanctitas eius in eo conſiſtit quod ſit Deus verus, & præter eum non ſit alius, iuxta illud Hieremiæ 10. *Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus viuus & rex ſempiternus*; Pari ratione Eccleſia ſancta dicitur, quia ſpiritu veritatis viuificatur & regitur; & proinde

Digitized by Google

omnia in ea ſancta & irreprehenſibilia, quia quidquid in ea docetur, præcipitur, efficitur, à ſpiritu veritatis initium habet & cauſam. Sancta igitur eſt, quia Deo conſecrata, quia ſancto capiti Chriſto vnita, quia media ad ſanctitatem conſequendam efficaciſſima poſſidet, nempe ſeptem Sacramenta, per quæ gratia hominibus confertur; quia in eius doctrina, quantum ad fidem aut mores, nullus error, nulla impuritas aut impietas continetur (lege Bellarminum l. 4. c. 11. de notis Eccleſiæ) quia extra eam non poteſt vera ſanctitas inueniri. Sunt quidem in Eccleſia Catholica plurimi mali, ſed ex hæreticis nullus eſt bonus, & extra Eccleſiam nullus eſt ſanctus, & ſi quis ſanctus ſit, in Eccleſia exiſtere debebit. Lege eumdem Bellarminum l. 4. de notis Eccleſiæ c. 13.

Denique Coriolanus noſter præludio nono in ſecunda nota Eccleſia, ſanctam Eccleſiam dici vult, *quia firma & ſtabilis*; ſanctitatemque Eccleſiæ ſignificare vult *firmitatem, ſtabilitatem, ſoliditatem : quia,* inquit, *hoc adiectiuum, ſanctus, ſancta, ſanctum deriuatur à verbo, ſancio, ſancis; quod ſignificat, firmo, ſtabilio, conſolido; & hoc ſenſu accipientes ſanctam, id eſt corroboratam, ſtabilitam, firmam, dicendum hoc eſſe verum & certiſſimum Eccleſiæ ſymbolum.* Ita Coriol.

Igitur ſunt in Eccleſia plurimi mali, qui (ſi naturam membri viui corporis, ſcilicet viuentis, ſpectes) vera corporis Chriſti membra dici non poſſunt, quia charitatem per peccatum amiſerunt; ſi tamen naturam & conditionem inſtrumenti ſpectes, erunt membra vera, verus oculus, verum caput, vera lingua, quia eorum miniſterio Chriſtus vtitur ad producendos quos voluerit effectus. Ea enim eſt diſtinctio inter corpus aliquod naturale & corpus myſticum, quod corporis naturalis operationes pendent à bonitate inſtrumenti; quia anima benè operari nequit, niſi optima habeat inſtrumenta; nec vitæ actus elicere, niſi per inſtrumenta viuentia: at in corpore myſtico operationes minimè pendent à bonitate aut vita inſtrumentorum, vt ſint bonæ ac viuæ; ſed à principio ea mouente, nempe Spiritu ſancto, qui æquè benè ſuos producit effectus per inſtrumenta mala, ac ſi eſſent bona, per inſtrumenta mortua, ac ſi eſſent viua: eâ enim præditus eſt potentiâ, vt per quodlibet agat quodlibet, & ea vocat quæ non ſunt ſicut ea quæ ſunt: & hac ratione per poteſtatem ordinis aut iuriſdictionis, quam hominibus etiam impiis concedit, multos producit gratiæ effectus, ſeu multas exercet functiones, propter quas Eccleſia ſancta dici poteſt, quia per eas ſanctitatem confert, licèt mali ſint qui eas exerceant. *Aliud,* inquid S. Auguſt. tract. 5. in Ioannem, *eſt enim baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem : baptiſma enim tale eſt qualis eſt ille in cuius poteſtate datur, non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur.* Et poſtea: *Baptiſauit ergo Paulus tamquam miniſter, non tamquam ipſa poteſtas:* Ita Auguſtinus. Hoc neſciebat S. Joannes Baptiſta, dum de ſaluatore loquens aiebat: *Et ego neſciebam eum,* nempe Dominum tantam poteſtatem baptiſmatis habiturum, & ſibi retenturum, ſiue præſentem in terra, ſiue abſentem corpore, & præſentem maieſtate, ſibi retenturum baptiſmatis poteſtatem, ne Paulus diceret: Baptiſmus meus; ne Petrus diceret: Baptiſmus meus, ſed hoc didicit, dum illi dictum eſt: *Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* His enim verbis didicit quod nō antea nouerat, nempe poteſtatem dominici baptiſmi in nullum hominē à Domino tranſituram, ſed miniſtrum planè tranſiturum, poteſtatem à Domino in neminem, miniſterium & in bonos & in malos. Hæc docet Auguſt. ibidem.

A Ex quibus vides Eccleſiam ſanctam eſſe, licèt eius Sacramenta à malis miniſtris plerumque conferantur. Vnde hæc poſtea addit notatu digniſſima: *Vt ego dico, & omnes dicimus, quia iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros; ſicut miniſtri iuſti, ſi volunt; ſi autem noluerint eſſe iuſti, qui Cathedram Moyſi ſedent, ſecurum me facit magiſter meus, de quo ſpiritus eius dixit: Hic eſt qui baptizat. Quomodo ſecurum me fecit! ſcribæ, inquit, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: Dicunt enim & non faciunt. Si fuerit miniſter iuſtus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro: cum ipſis computo iuſtos miniſtros: quia verè iuſti miniſtri gloriam ſuam non quærunt: miniſtri enim ſunt: pro iudicibus haberi nolunt, ſpem* B *in ſe poni exhorreſcunt. Ergo computo cum Paulo iuſtum miniſtrum. Quid enim dicit Paulus: Ego plantaui: Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui verò fuerit ſuperbus miniſter, cum zabulo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum fluit purum, quod per illum tranſit liquidum. Venit ad fertilem terram, puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, ſed tamen plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus Sacramenti. Ita eſt vt lux, & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat non inquinatur.* Ita Auguſt. Remanet igitur ſancta Eccleſia Dei, licèt in ea C reperiantur plerumque miniſtri mali, licèt in ea plurimi mali cum bonis inueniantur permixti: eo enim ipſo quo eiuſdem fidei promiſſionem emittunt, iiſdem vtuntur Sacramentis, ſub eodem capite viſibili reponuntur, membra fiunt corporis myſtici, cuius caput ſanctum omnia ſanctificat quæ illi vniuntur; & quo ſtrictior & intimior erit vnio, eo maior & verior erit ſanctificatio, eo firmius illi adhærebunt, quotquot propter vnionem cum capite ſancti dici poſſunt. Sanctus igitur erit malus etiam in Eccleſia quia ſanctum eſt profiteri fidem Catholicam, quia Sacramenta ad quæ accedit de ſe habent vim ſanctificandi, quamuis obicem ille ponat qui male accedit, ne veram conſequatur ſanctitatem; D quia ſanctum eſt vniri capiti viſibili Eccleſiæ, ne omnimode ab inuiſibili abjiciatur: quod proculdubio eueniet dum ſeparabit hædos ab ouibus, malos à bonis: vnde optimè Auguſt. in Pſal. 85. de Chriſtiano loquens ait: *Accepit enim gratiam ſanctificans, gratiam baptiſmi & remiſſionis peccatorum: Et hæc quidem fuiſtis, inquit, Apoſtolus, enumerans multa peccata, & leuia & grauia, & vſitata & horribilia; & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Si ergo ſanctificatos dicit, dicat & vnuſquiſque fidelium: ſanctus ſum. Non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati ſi enim dixeris te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es; Rurſus fidelis in Chriſto, & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es: arguens enim Apoſtolus ſuperbiam, non* E *ait: Non habes, ſed ait: Quid enim habes quod non accepiſti? Non arguebaris quia dicebas te habere quod non habebas, imo & habere te agnoſce, & ex te nihil habere, vt nec ſuperbus ſis nec ingratus. Dic Deo tuo: ſanctus ſum, quia ſanctificaſti me; quia accepi, non quia habui; quia tu dediſti, non quia ego merui. Et enim ex alio latere incipis iniuriam facere ipſi Domino noſtro Ieſu Chriſto: Si enim Chriſtiani omnes & fideles baptizati in illo, ipſum induerunt, ſicut Apoſtolus dicit: Quotquot in Chriſto Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; ſi membra ſunt facti corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt iniuriam, cuius membra ſancta ſunt. Iam vide vbi ſis, & de capite tuo dignitatem cape.* Ita Auguſt. Si extrinſecis tantum lineamentis illi coniunctus ſis, cenſeberis quidem de corpore, ſed vita non viues, & in fine vt membrum putridum reſecaberis: ſicut enim in cor-

Digitized by Google

pore humano quædam ſunt partes, ſenſu & motu, vitæ ſigna demonſtrantes, quædam autem quæ nec motu nec ſenſu fruuntur; ita in Eccleſia quidam ſunt fide & charitate motum & ſenſum habentes, alij autem ſunt qui ſola externa coniunctione connectuntur; & hac ratione tantùm exteriori quadam ſanctitate gaudent, non autem interna & inhærente: filij ſunt, ſed de quibus conqueritur Dominus: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Iſa 1. Creatis enim à Deo & regeneratis in baptiſmo dicere poſſumus: *nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Deuter. 32. Sed vitam amiſerunt, quia ſpiritu Dei non aguntur, quia eum imitari nolunt vt veri filij dicantur; quia iuxta fidei doctrinam, ſecundum quam parturiuntur, ambulare recuſant, exteriori tantum huius fidei profeſſione contenti. Huius autem ſanctitatis notas nunc exquirimus.

Prima nota ſanctitatis Eccleſiæ: Veritas doctrinæ quam profitetur. §. 2.

Prima igitur nota ſanctitatis Eccleſiæ eſt veritas doctrinæ quam profitetur; & cum nulla fuerit ſecta vel Paganorum, vel Philoſophorum, vel Iudæorum, vel Turcarum, vel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifeſtè contrarios, vt notat Bellarm. l. 4. c. 11. de notis Eccleſiæ, ſola Eccleſia eſt, cuius doctrina talis eſt vt nullum errorem contineat, & rationem lumine quodam ſupernaturali colluſtret, vt omnem quam habet rectitudinem naturalem circa verum amplectendum & proſequendum, ad ſummæ veritatis cognitionem & amorem referat. Integro volumine, eoque ingenti opus eſſet, ſi ad examen cuncta Eccleſiæ dogmata eſſent pro probatione adducenda. Viginti quatuor articulos Eccleſiæ adducit Coriolanus, præludio nono, corollario 4. quos nullam falſitatem continere demonſtrat. In medium ſi quis quoddam ex his adducat, qui de hac veritate voluerit dubitare, facillimum erit illud à falſitate & peruerſitate vendicare cuilibet recta ſentienti. Quid enim aliud docet Eccleſia quàm Deum eſſe amandum, ac ſumma veneratione colendum; quàm proximum eſſe diligendum, ac nulla iniuria afficiendum; quàm vitæ continentiam ac morum integritatem ab omni turpitudine aut iniuſtitia alienam? Quis autem non videt hæc rationi plurimum eſſe conſentanea, & ab omni errore aliena? Hoc fuit munus pulcherrimum, à Deo datum Eccleſiæ, quo hominibus benefaceret; vt nihil niſi verum, & iuſtum, colendum aut faciendum proponat. Verè enim Pythagoras dicebat apud Ælianum 12. *hæc duo diuinitus hominibus data eſſe longe pulcherrima, veritatem amplecti, & beneficiis operam dare. Et addebat*, inquit Ælianus, *vtrumque cum deorum immortalium operibus comparari poſſe.* Hæc eſt cathena gemmis & auro pretioſior, qua Deus ſponſæ ſuæ collum circumdat, dum Eccleſiam doctrina veritatis infallibilis ornat. *Si*, inquit Origenes, homilia 6. in Ezechiel, *me poſtgeſta iuſtitiæ, intellectu ornauerit veritatis, tunc mihi ornamentũ nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur.* Ita Orig. Caput eſt Chriſtus, collum Eccleſia docens in Paſtoribus, per quod Chriſtus, qui veritas eſt, veritatis ſpiritu totum Eccleſiæ corpus viuificat, vt nec viſibile Eccleſiæ caput (ſummus videlicet Pontifex ex cathedra docens) omnes Epiſcopi & Paſtores in nomine Chriſti ſimul congregati vllam falſitatem proponere, nec omnes Eccleſiæ fideles illam vniuerſi admittere valeant. Viſebatur olim Romæ Dei fidelitatis ſimulachrum tribus iconibus conſtans, ad quam manum

A protendebat vir maturæ & prouectioris ætatis, ac imberbis, & puella virgo; manus conſerentes & conſtringentes ſibi inuicem cernebantur, in quorum medio aſtabat iuuenis quidam adoleſcentulus; fidem ſiquidem ſeu fidelitatem honor ſuſtinet, veritas parit, amor nutrit, inquit Pierius l. 49. Hierogly. Deſiderio quippe honoris, quem repræſentabat ille vir maturæ ætatis, ſeruatur fidelitas: Veritatem (in Virgine ſignificatam) ſeruare in promiſſis, fidelitatem gignit: at amore & beneuolentia, quam indicabat adoleſcentulus, exequimur quæ deſiderio honoris & ſtudio veritatis promiſimus. Hoc autem ego ſimulachro vtor ad denotandum Eccleſiam (propter amorem quo eam Chriſtus Dominus proſequitur) veritatem ſemper habere

B ſibi aſſiſtentem. Chriſtus enim, qui ſibi ſponſam elegit, & incorruptam ſeruat hanc Virginem, nempe Eccleſiam, dicens per Prophetam Ozeam c. 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, ipſe eſt ſuprema veritas, Eccleſiam (quia ſine macula & ruga) eximiè pulchram manu apprehendens; vt eam per ſemitas iuſtitiæ deducat, iuxta illud: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cũ gloria ſuſcepiſti me*: quia nimirum inter eam & ipſum maximus intercedit amor. Simandij regis famoſiſſimi matri Ægyptij olim ſimulachrum erexerũt triplici corona redimitum quia filia regis, regis etiam ſponſa regem genuerat Simandiũ. Verè Eccleſia triplici corona or-

C nanda eſt, quæ à ſpiritu veritatis progenita, Chriſtum qui veritas eſt ſponſum habet ſuæ peregrinationis comitem fideliſſimum, vt tot reges gignat quot erunt Chriſtiani, per veritatem, à ſeruitute peccati immunes & liberi, iuxta illud Ioan. 8. *Si vos manſeritis in ſermone meo, ecce diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Et poſt pauca: *Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et quidem Eccleſia ab omnibus videri poteſt: at non omnes ſciunt & diſcernunt à quo fuerit congregata, ad quem ſcopum tendat, ad quem finem fuerit ab authore & inſtitutore ordinata. *Multi*, inquiebat Epictetus l. 2. c. 14. *ad nundinas properant, vident ementes & vendentes, equos & boues venundationi expoſitos,*

D *at pauci attendunt cui bono publico aut priuato commodo tales nundinæ inſtituantur. Tales ſunt qui quæ ſunt in hoc mundo vident, iiſque vtuntur: nec tamen inquirunt quis eorum omnium author, quis ſpectabilem hunc mundum ſapienter gubernat & moderatur, quo fine nos produxerit, quam habeamus cum authore connexionem.* At ego dico multos videre cætum fidelium ſeu Eccleſiam: at non omnes attendunt Chriſtum authorem illius eſſe, caput illius exiſtere; vt Deus cognoſcatur, ametur, colatur, illam ſibi coadunaſſe, & indiſſolubili amoris vinculo ſociam ſibi & ſponſam elegiſſe. Hinc auſi ſunt aſſerere eam poſſe à veritate deficere, & erroribus inquinari; quod numquam certe auderent proferre, ſi & originem & finem eius attenderent, ſi

E Chriſtum eam ſpiritu ſuo, ſpiritu nempe veritatis, regere & moderari cogitarent. Abſolutè igitur dicendum eſt Eccleſiam non poſſe errare, nec in rebus abſolute neceſſariis, nec in aliis quæ credenda vel facienda nobis proponit, ſiue habeantur expreſsè in ſcripturis, ſiue non. Et cum dicimus Eccleſiam non poſſe errare, id intelligimus tam de vniuerſitate fidelium, quàm de vniuerſitate Epiſcoporum, ita vt ſenſus ſit eius propoſitionis: Eccleſia non poteſt errare, id eſt: id quod tenent omnes fideles tamquam de fide, neceſſario eſt verum & de fide; & ſimiliter: id quod docent omnes Epiſcopi tamquam ad fidem pertinens, neceſſariò eſt verum & de fide. Quod Bellarm. probat l. 3. de notis Eccleſiæ c. 14. Primò de Eccleſia vniuerſa: quod ex 1. ad Tim. 3. Eccleſia eſt columna & fundamentum veritatis: Secundò

quia gubernatur à Chriſtô, tamquam à capite & ſponſo ſuo, & à Spiritu ſancto tamquam ab anima; vnde ſi Eccleſia erraret, Chriſto & Spiritui ſancto error tribueretur; Tertiò quia obligamur ſub Anathematis pœna credere Eccleſiæ in omnibus, Matth. 18. Quartò quia ex ſymbolo dicitur ſancta, quæ ſanctitas propriè in profeſſione dogmatum conſiſtit. Secundò illud probat de Eccleſia, prout eſt repræſentatiuè in Epiſcopis, ex eo quod ſi omnes Epiſcopi errarent, tota etiam Eccleſia erraret; quia tenentur populi ſequi ſuos Paſtores, nec Eccleſia docet aut decreuit quidquam niſi per ſuos paſtores, ſicut quodlibet corpus per ſuum caput. Vnde addere poſſumus meritò, nec caput eius viſibile, nempe ſummum Pontificem, errare poſſe, ex cathedra videlicet docentem. Neque enim vt ſummus Pontifex vnquam aliquid proponet credendum aut faciendum vniuerſali Eccleſiæ, quod veritati aut bonis moribus ſit contrarium. Nutarent proculdubio omnia in Eccleſia, ſi is, cui munus datum eſt alios confirmandi, vacillaret, dicente Chriſto ad Petrum: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Peſtifero errorum veneno paſcerentur, & interficerentur oues, ſi is ad quem dictum eſt: *Paſce agnos, paſce oues*, errores pro veritate poſſet proponere. Lege Coriolanum in ſumma Conciliorum, præludio 9. Corollario 3. Ab eo paſtore ſeiunctus autem non habet diuinis eloquiis percipiendis idoneam. Vnde Ambroſius l. 10. in c. 22. Lucæ, ponderans quomodo ſanctus Petrus abſcindit auriculam Malchi, ait: *Si Petrus volens percuſſit aurem, docuit quod aurem habere in ſpecie non deberent, quam in myſterio non habebant. Sed bonus Dominus & ipſi refundit auditum, ſecundum Prophetica dicta demonſtrans & ipſos ſi conuertantur poſſe ſanari, qui in paſſione Domini vulnerati ſunt: eo quod omne peccatum fides myſteriis abluatur. Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipſe eſt qui accepit claues regni cælorum. Ille enim condemnat qui & abſoluit: quoniam idem & ſoluendi & ligandi adeptus eſt poteſtatem: Tollit aurem malè audienti, tollit aurem gladio ſpiritali, aurem interiorem male intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula*, Id eſt, ne cui facultas audiendi verba Dei adimatur, ſicut adimitur iis qui à Petro reſecantur à corpore Eccleſiæ, quibus in tali ſtatu remanentes non eſt amplius facultas vera percipiendi, vt pote extra Eccleſiam poſitis, in qua ſola veritas myſteriorum innoteſcit. Sic mihi videtur S. Ambroſius mentem ſuam explicare, cum poſtea addit: *Quàm amentes igitur qui beneficia diuina confitentur, & beneficium authorem perſequuntur: ideo aurem perdunt, quia perdiderunt auditus profectum: auditum multi non habent qui habere ſe credunt. In Eccleſia omnes habent, extra Eccleſiam non habent.* Hæc Ambroſius. Vnde Eccleſiam his Prouerbiorum c. 5. verbis poſſumus affari: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui. Quoniam*, ait S. Auguſt. l. 4. de ſymbolo ad Cathecumenos, *ſi quis abſque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum: nec habebit Deum patrem qui Eccleſiam noluerit habere matrem, nihilque valebit quod crediderit vel fecit tanta bona, fide ſine ſummi boni. Eccleſia mater eſt ſpiritalis, Eccleſia ſponſa Chriſti eſt, gratiâ eius dealbata, pretioſo ſanguine dotata; totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote. Lege tabulas matrimoniales eius: recitabo. Audite heretici quid ſcriptum ſit. Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus eſt. Eccleſia totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote. Quæcumque congregatio cuiuſlibet hæreſis in angulis ſedet, concubina eſt* A *non matrona. O hæreſis Ariana! Quid inſultas? Quid exufflas? Quid etiam ad tempus multa vſurpas? Iniuriam à te patitur, Domina ab ancilla. Multas ei ingeris contumelias: licèt hæc doleat, non te metuit ſponſa Chriſti, ſancta, Catholica. Cum enim reſpexerit ille ſponſus, ejiciet te vt ancillã cum filiis tuis, quoniam non erunt heredes filij ancillæ cum filiis liberæ. Cognoſcatur vna ſancta & vera regina, Catholica, cui Chriſtus regnum tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula & ruga mundans, totam pulchram ſuo aduentu præparauit.* Hæc Auguſt. Si intra eam remaneas, eris veritatis ac lucis filius, pertinebis ad iſtud regnum Eccleſiæ, quæ in doctrina ſua eſt abſque macula & ruga. Si ab hoc regno ejiciaris foras, impinges in laqueos mortis & diaboli, qui pater eſt mendacij, vile euades mancipium, vt in errores immunetos te abducat: ergo pulchrè dixit Auguſt. in Pſalmum 57. *Naſcuntur intra viſcera Eccleſiæ quidam paruuli, & bonum eſt vt formati exeant, ne abortiui labantur. Generet te mater, non abortiat. Si patiens fueris vſquequo formeris, vſquequo in te certa ſit doctrina veritatis, continere te debent materna viſcera. Si autem impatientia tua concuſſeris latera matris, cum dolore quidem te excutit foras, ſed magis tuo malo quam ſuo. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt à ventre, locuti ſunt falſa. Ideo ergo errauerunt à ventre, quia locuti ſunt falſa? An potiùs ideo locuti ſunt falſa, quia errauerunt à ventre? In ventre quippe Eccleſiæ veritas manet: quiſquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit,* C *neceſſe eſt vt falſa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excuſſit.* Ita Auguſt. Quæ cum ita ſint, ait idem Auguſt. lib. de vera religione cap. 5. *Neq; in confuſione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel orthodoxi nominantur, id eſt integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.* Et cap. 6. *Hæc enim*, inquit, *Eccleſia per totum orbem validè lateque diffuſa omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſoliditatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinæ ſuæ. Alios* D *ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem, ſiue illi informandi ſint adhuc, ſiue reformandi, ſiue recolligendi, ſiue admittendi: carnales autem ſuos, id eſt viuentes aut ſentientes carnaliter, tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea vel frumentum eſt, tandiu ſuſtinetur peccatum aut error cuiuſlibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Excluſi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt, ad admonitionem noſtræ diligentiæ; aut ſchiſma faciunt, ad exercitionem noſtræ patientiæ; aut hæreſim aliquam gignunt, ad examen ſiue occaſionem noſtræ intelli-* E *gentiæ. Hi ſunt exitus Chriſtianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi, aut ſuſtineri.* Ita Auguſt. Ne ſitis quæſo, Chriſtiani, carnales ſed ſpiritales, fidem Eccleſiæ illæſam ſeruantes: plurimam exinde fertilitatem capietis. De qua S. Auguſt. de ſymbolo ad Cathecumenos l. 3. in fine. *Mundetur cor ab omni immunditia, vt poſſit portare Deum, qui eſt vera ſempiternaque iuſtitia. Manet enim Deus in corde credentis & ſe diligentis, & manet homo in Deo, id eſt in æterna vita, quod eſt præmium Deum amantis. Nec amare nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia eius non eſt: quoniam omnis qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita æterna eſt. Ideo Sacramenti huius concluſio per Eccleſiam terminatur, quia ipſa eſt mater fæcunda, integra & caſta, vbique diffuſa: quæ filios Dei ſpiritaliter parit, quæ paruulos lacte verborum eius ſpiritaliter nutrit, quæ pueros ſapientiam docet;*

Digitized by Google

quæ adoleſcentes à luxuria atque impudicitia, ſua ſancta caſtitate cuſtodit; quæ iuuenes robore virtutis contra diabolum armat, quæ ſenes prudentiam docet, quæ ſeniores ætate prouectos venerabiles facit: per hanc iuuenes & virgines, ſeniores cum iunioribus, ætas omnis & vterque ſexus laudant nomen Domini. Hæc errantes filios reuocat, mortuos granitèr dolet, ſecum perſeuerantes indeficienter paſcit. Hanc dilectiſſimi amemus omnes: tali matri ſic amanti, ſic proſpicienti, ſic conſulenti inſeparabiliter inhæreamus. Vt ſimul cum illa, & per illam Deo patri coniungi mereamur. Ita Auguſtinus. Prouocatis, ô Chriſtiane, ad hanc adhæſionem cum Eccleſia, ex illa nota ſanctitatis eius, quam quilibet ſapiens facile percipiet, ſi quàm pura, caſta, innocens, & iuſta ſit eius doctrina exquirat & exploret.

B Vis autem ſymbolum habere puritatis huius doctrinæ? Puritatem luminis ſolaris attende. Differt enim lumen ſolis à lumine ignis, quod lumen ignis materiæ combuſtibili adhærens ita ſplendeat, vt fumum emittat. Hinc pro ratione materiæ nunc denſior & craſſior, nunc dilucidior & ſubtilior flamma, nunc rubea, nunc cærulea, nunc purpurea, nunc candida appareat. At lumen ſolis materiæ cæleſti inhærens puriſſimum eſt: nec enim & corpore ſolis vllus vapor exhalatur quo infici poſſit puriſſimum lumen. Quod ſi per vitrum coloratum tranſiens videtur eius radius aliquo colore intinctus, hoc lumini ſolis extrinſecum, cuius partes ſunt ſpecies rerum ab obiectis emiſſas reuelare, & manifeſtas reddere, C & quaſi è potentia reducere in actum, lumine ſemper in ſua puritate remanente. Secundò lumen ſolis adeo puriſſimum eſt, quia nihil alienum admittit, vt non tantùm in ſuperficie videatur, ſed ſe totum exhibens cernendum quacumque parte ſit diffuſum. Tertiò lumini nihil eſt poſitiuè contrarium, propter ſummam eius ſimplicitatem: vnde cæleſtis doctrinæ aptiſſimum eſt ſymbolum, quo ſcriptura ſæpiſſimè vtitur, vt huius doctrinæ puritatem & dignitatem nobis proponat meditandam. Hinc de ſapientia dicitur Eccleſiaſt. 24. *Qui mittit diſciplinam ſicut lucem*; ac Ozeæ 6. *Iudicia tua quaſi lux egredientur*, & ſapientiæ 7. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam.* D *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei, ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Et paulo poſt: *Neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat: eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum: luci comparata inuenitur prior; illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.* Ex hoc loco ſapientis perſpicuum eſt nullum ſymbolum potuiſſe inueniri aptius ad denotandam puritatem doctrinæ, qua ſancta Eccleſia circũdatur, quàm ſit lumen illud ſolis illam amiciens: Mulier amicta ſole igitur eſt Eccleſia, puritate doctrinæ vndequaque ornata, E quia ſpiritu veritatis, qui nihil admittit falſi aut impuri, animatur & circumueſtitur. Hinc optimè Alcazar: *Præter hanc doctrinam (nempe Chriſti & Apoſtolorum (atque Euangelij miniſtrorum prædicationem (qui ſtellarum inſtar ſunt) fruitur inſuper Eccleſia Spiritus ſancti illuſtratione, ſecundum Chriſti ipſius dictum: Ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Atque interior hæc Spiritus ſancti per ipſius dona illuminatio eſt aliqua diuinæ claritatis effuſio.* Ita Alcazar. Cæcus eſt qui hanc claritatem non videt, quæ ſanctitatis Eccleſiæ nota eſt certiſſima. Nam cum præceptum Domini ſit lucidum, illuminans oculos; cum hæc doctrina nos ad ſanctitatis, virtutis, ac pietatis conſecutionem propellat, quis non videt eam eſſe luce ſolis puriorem, & per conſequens

A ſanctitatis Eccleſiæ notam certiſſimam? Dicamus ergo cum Auguſtino, libro Soliloquiorum to. 9. in appendice c. 2. *Veni lux, per quam video; appare, gloria, per quam gaudeo; appare vita in qua viuam, ô Domine Deus meus*: & c. 3. *Verbum quod dixiſti in principio: Fiat lux, & facta eſt lux; dic etiam mihi: Fiat lux, & facta ſit lux; & videam lumen, & agnoſcam quidquid non eſt lumen, quia ſine te nihil, tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur: & ſic ſine tua luce non eſt veritas, adeſt error, adeſt vanitas; non eſt diſcretio, adeſt confuſio; adeſt ignorantia, non eſt ſcientia; adeſt cæcitas, non eſt viſio; adeſt inuium, non eſt via; adeſt mors, non eſt vita.* Ita Auguſtinus.

B *De ſecunda nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe efficacia doctrinæ.* §. 3.

Non ſolum puritas doctrinæ nota eſt ſanctitatis Eccleſiæ, ſed etiam efficacia illius hanc ſanctitatem alta voce proclamat. *Pia ſiquidem religio*, vt docet Athanaſius contra idola, *non tam indiget humana inſtitutione, quàm ipſa ſe ſuis notis indicijſque prodit, quàm prope quotidie ipſis id operibus clamitet, & per Chriſti doctrinam ſole clariùs ſeſe demonſtret. Ne*, inquit paulo poſt idem Athanaſius, *vilem doctrinam noſtri dogmatis exiſtimet, aut fidem in Chriſtum nullis rationibus innixam ſuſpicetur, qualia per calumniam Æthnici obijciunt nobis inſultantes, & rictu late deducto cachinnantes: ob quod* C *meritò eorum vicem doleat; quod cum cruci obtrectant & pro conuicio obijciunt, non animaduertunt eius vim efficaciamque orbem terrarum repleuiſſe, & per eam opera, vnde Deum agnoſcat, edita fuiſſe.* Demum ſubdit poſtea: *Iſtis mihi ſimile quiddam euenire videtur, ac ſi quis ſolem nubibus obtectum calumnietur, lucem tamen eius interim admirationi habeat, conſpiciatur videlicet vniuerſum inde mundum illuminari. Vt enim pulchrum eſt lumen, & pulchrior lumine luminis ipſe author. Itaque quum res diuina ſit vniuerſum orbem eius notitia adimpleri, neceſſum eſt ſuppeditatorem authoremque tantæ virtutis operiſque Deum eſſe & Dei verbum.* Ita Athanaſius. Quàm autem longè præſtantior & efficacior ſit Chriſti doctrina omni humana ſapientia latè docet idem ſan- D ctus Athanaſius, de incarnatione verbi, eiuſque æternæ corporali ad nos aduentu l. 1. *Certum de Græcorum ſapientia, Philoſophorumque grandi loquela, neminem arbitror verba requirere, quum in oculis ſit ipſum miraculum: tot enim tantiſque à Græcorum philoſophis voluminibus ſcriptis, ne paucos quidem vel ex proximis locis adducere potuerunt, vt ſua de immortalitate animæ dogmata & placita, de vita ſecundum virtutem inſtituenda amplecti vellent. Solus Chriſtus vilibus citra vllam magnificentiam verbis; ac per homines nequaquam eruditæ linguæ in orbe terrarum plurimis Eccleſijs id perſuaſit, vt mortem in prætio haberent & temporaria deſpicerent, æterna ſuſpicerent, nihil putarent gloriam in terra, ſolummodo affectarent immortalitatem: & hæc quidem non verbo tenus à nobis iactantur, ſed reipſa veritatiſque experi-* E *mentia demonſtrantur. Adeat eum qui velit, & ſpectet inſignia virtutis in Chriſti Virginibus, & in adoleſcentibus pudicitiam conſecratam, ac immortalitatis fidem adſtructam in tanto Martyrum choro.* Ita Athanaſius. Ex quibus clarè perſpicitur quàm efficax ſit doctrina Chriſtiana ſupra omnem humanam perſuaſionem & philoſophiam.

Hanc notam fusè explicat Bellarminus, l. 4. de notis Eccleſiæ c. 12. vbi docet Mahumetanos vi & violentia, non efficacia doctrinæ, multos ſuis legibus ſubdidiſſe; nullos Hæreticos Æthnicos aut Iudæos ad fidem conuertiſſe: vaginâ enim tantùm feriunt, id eſt corticæ litteræ, non gladio ſpiritus, cum verbum Dei diſſeminant; nec Gothos fuiſſe ad fidem conuerſos, ſed deceptos, dum potentiores

Digitized by Google

tentiores ipſis Ariani Epiſcopi ad eos miſſi ſunt, ab imperatore nempe Ariano (nulla enim eſt difficultas, nec res vlla admiratione digna inſtillare venenum homini parato ad illud ſumendum, quin & corrupto,) cum maior pars illorum iam eſſet Chriſtiana & catholica. Denique docet Bellarminus inductione, quomodo Eccleſia, verbi Domini efficaciâ, per homines externa ſpecie contemptibiles, nationes integras ad fidem conuerterit, nunc has nunc illas, in toto decurſu ſæculorum; ſicque Anglos per Monachos Pontificios tempore ſancti Gregori, Francones per S. Kilianum, tempore Cononis Papæ; Germanos per S. Bonifacium, tempore Gregorij 2. Gregorij 3. ac Zachariæ Pontificum; Vvandalos per monachos Corbérienſes olim fuiſſe conuerſos; quin & aliis hiſtoriis probat Iudæos, Saracenos, Æthnicos ad fidem fuiſſe conuerſos per prædicatores catholicos, & Pontifici Romano ſubiectos. Vnde optimè ſanctus Auguſtinus l. 13. contra Fauſtum, comparat hæreticos cum perdicibus, quæ congregant pullos quos non pepererunt, cum è contrariò Eccleſia ſit columba fœcundiſſima, quæ quotidie parit nouos pullos. Ita Bellarm. *Clamauit perdix*, inquit Ieremias, c. 17. *congregauit quæ non peperit, faciens diuitias ſuas non cum iudicio: Perdix enim*, ait S. Auguſtinus, *nimis contentioſum animal, notum eſt quanta auiditate ipſius contentionis currat in laqueum: non enim diſputare amant hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſſima pertinacia, vt congregent, ſicut hic dixit, quæ non pepererunt. Chriſtianos enim, quos maximè Chriſti nomine ſeducunt, iam per ipſius Chriſti Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias ſuas; non ſane cum iudicio; ſed cum temeritate inconſiderata. Non enim intelligunt ibi eſſe veram & ſalubrem, & quodammodo germanam, atque radicalem & Chriſtianam ſocietatem, vnde iſtos ſeparauerunt, quos ad ſuas diuitias congregant.* Ita Auguſtinus. Sed Eccleſia è contra non ex filiis alienos facit, ſed ex alienis filios gignit. *Vnde*, inquit S. Thomas, *ſuper Chriſtum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ in eius baptiſmo deſcendit, ad ſignificandam hanc ſpiritualem in Chriſto generandi facultatem.*

Huius autem efficaciæ verbi diuini ſymbolum in vi ac efficacia luminis ſolaris habemus præſtantiſſimum. Eſt ſi quidem lux prima qualitas actiua præſtantioris corporis, nempe cæli, non quod dici debeat contracta & limitata in cælo, quaſi alibi non exiſtat, cum in cæteras res corporeas diffundatur: cauſarum cæleſtium ſeu aſtrorum ipſa eſt vniuerſalis & principalis inſtrumentum, quo eorum efficaciæ & influxus ad producendos quoſlibet effectus ad nos deferuntur, & quo quicquid per orbes cæleſtes in his inferioribus mundi partibus efficitur, hoc omne perficitur & completur. Lux oculis grata, qua animus excitatur ad res ſpirituales meditandas; vſu commodiſſima, variorum & multiplicium effectuum fœcundiſſima parens, vniuerſi præclarum decus, & ornamentum inſigne: Optimè igitur ſanctus Dionyſius l. de diuinis nominibus c. 4. bonitatis diuinæ diffuſionem cum luce aſſimilat, cum ait: *Super omnia exiſtentiis bonitas diuinitatis à ſupremis & prouectiſſimis ſubſtantiis vſque ad vltimas tranſit, & adhuc ſuper omnes eſt, neque ſuperioribus pertingentibus ad ipſius exceſſum, neque inferioribus ambitum tranſcuntibus, ſed & illuminat illuminari valentia omnia, & creat & viuificat, & continet & perficit, & menſura eſt exiſtentium, & æuum & numerus, & ordo & ambitus, & cauſa & finis. Ita quidem & diuinæ bonitatis manifeſta imago, magnus iſte, & totus ſplendens & ſuperlucens ſol, ſecundum multam reſonantiam boni, & omnia quæcumque participare ipſi poſſunt illuminat, & ſuper extentum habet lumen ad omnem ex-*

A *tendens viſibilem mundum, & ſurſum & deorſum, propriorum radiorum ſplendores: & ſi aliquid ipſis non participat, hoc non infirmitatis aut prauitatis eſt illuminatiuæ ipſius diſtributionis, ſed non extentorum ad luminis accipiendi oportunitatem: ſiquidem multa per ſe habentia radius tranſiens ſequentia illuminat, & nihil eſt viſibilium ad quod non pertingat, ſecundum proprij ſplendoris excedentem magnitudinem.* Ita Dionyſius. Hinc dico verbi diuini efficaciam in efficacia lucis optimè adumbrari. Sicut enim lux ad omnia extenditur, & ea ſolum prætermittit quæ nullam habent aptitudinem ad lumen accipiendum, ita verbum diuinum ad omnes peruenit, iuxta illud: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* Quod ſi ali- B qui nullum exinde emolumentum, ad ſalutis æternæ conſecutionem, accipiunt, hoc non eſt propter imbecillitatem verbi, ſed quia ad illius receptionem non ſunt idonei; propterea quod nolint, imo quia illud repellunt voluntariè, cum penes eorum ſit arbitrium illud aut reſpuere aut admittere: alias certum eſt de ſe Dei verbum multam habere ad conuerſionem animarum efficaciam vnde dicitur de eo Iſ. 55. *Et quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti & panem comedenti, ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui; & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Ita C Iſaias.

At hæc efficacia lucis in quatuor potiſſimum attenditur. Primo quod illuminatio ſit aliqua ratione inſtantanea: Secundò quod lux non tantum in ſuperficie, ſed tota ſimul percipiatur: Tertiò quod ad generationem omnium viuentium quodammodo concurrat, & plantarum & animalium, & hominum: vnde dicunt: *Sol & homo generant hominem*: Quartò quod etiam penetret viſcera terræ & duriora ſaxa. Vis autem videre verbi diuini velocitatem? Audi S. Ambroſius in Pſalmum 50. *Linguam vero*, inquit, *pro ſermone accepimus eius qui exultat in Dei laudibus. Vnde & illud ſic æſtimatur: lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis; ſermo infuſus Prophetæ. Quod ſi* D *ex perſona Chriſti dictum accipimus, vide ne ſcriba ſit velociter ſcribens, verbum Dei, quod animæ viſcera percurrat, & penetret: & inſcribat in ea vel naturæ dona vel gratiæ.* Ita Ambroſius. Et reuera *velociter currit ſermo eius*, quia verbum diuinum ſe totum, non ex parte communicat; vt lux tota, non in parte diffunditur. *Quid*, inquit S. Aug. in Pſal. 147. *ergo velocius ipſa velocitate, qua velox fit quidquid velociter currit? Poſſunt dici multa velocia & alia magis & alia minus; & tanto quæque res velox eſt, quanto eſt particeps velocitatis: illa res magis eſt particeps velocitatis; ergo magis velox: aut minus particeps velocitatis, ergo minus velox. Ipſa itaque velocitate quid velocius? Ergo quouſque currit, vſque in velocitatē. Quantumuis auge quod velox eſt verbum, & dic: Ve-* E *locius eſt quàm illud aut illud, quàm aues, quàm venti, quàm Angeli: Numquid aliquid horum tantùm quanta ipſa velocitas, vſque in ipſam velocitatem? Velocitas ipſa, quid eſt fratres? Vbique eſt, non eſt in parte: hoc pertinet ad verbum Dei non eſſe in parte, vbique eſſe per ſeipſum verbum, ex quo Dei virtus, & Dei ſapientia eſt, non aſſumpta carne. Si cogitemus Deum in forma Dei, verbum æquale patri; ipſa eſt ſapientia Dei de qua dictum eſt: Attingit à fine vſque ad finem fortiter. Quanta velocitas? Attingit à fine vſque ad finem fortiter. Sed forte immobilitate attingit. Si immobilitate tamquam moles aliqua ſaxea impleat locum aliquem, dicitur quod attingit eiuſdem loci à fine vſque ad finem, non tamen motu. Quid ergo dicimus? Non habet motum verbum illud, & ſapientia iſta ſolida eſt? Et vbi eſt quod dicitur de ſapientia ſpiritu, cum mul-*

Digitized by Google

ta dicerentur? Acutus, inquit, mobilis, certus, in coinquinatus. Sit vbique ſapientia Dei mobilis. Si ergo mobilis, quando hoc tangit, illud non tangit? Aut hoc tangit illud deſerit? Et vbi eſt velocitas? Hoc facit velocitas, vt & vbique ſemper ſit & nuſquam incluſa teneatur. Ita Auguſtinus. Sicut igitur illuminatio eſt inſtantanea, ita & verbi velocis operatio in momento perficitur: quia verbum in toto non in parte diffuſum reperitur: Quod autem verbo Dei generemur patet ex Iacobo c. 1. *voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.*

Denique verbi diuini efficacia aſſimilatur luci eo quod ſicut radius ſolis terræ viſcera penetrans metalla & cuncta mineralia producit, & lapides precioſos etiam in duriſſimis ſaxis progignit, ita verbum diuinum corda duriora penetrat. Ita S. Ambroſius docet, lib. 10. in cap. 23. Luc. *Itaque,* inquit, *ſignificatur per Domini paſſionem occaſura præſentia, vt oriantur futura. Tenebræ igitur effuſæ ſunt oculis perfidorum, vt fides lumen refulgeret. Sol occidit ſacrilegis vel refugit vt funeſti ſpectaculum ſceleris obumbraret. Petræ ſciſſæ ſunt, vt per prærupta ſaxorum oſtenderetur futurum, quoniam verbi vis pectorum dura penetrarit: quo faciliùs ex cauis petrarum illi venatores, quos Hieremias prædixit, Domino venarentur: Monumentorum autem reſeratio quid aliud, niſi clauſtris mortis effractis reſurrectionem ſignificat mortuorum, quorum in adſpectu fides, in proceſſu typus? Quod in ſanctam prodeundo ciuitatem præſentiam ſpetie declarabat in illa Ieruſalem, quæ in cœlo eſt, futurum perenne diuerſorũ reſurgentiũ?* Ita S. Ambr. Illuminat igitur verbum Dei, corda duriora penetrat; quia ad vocem Domini mortui reſurgent incorrupti, vt verum ſit efficaciſſimum eſſe Dei verbum, quo etiam cineres mortuorum in lapides prætioſiſſimos tandem efformentur. Tot enim erunt lapides prætioſi, quot erunt mortui ad vitam pro gloria cœleſti reuocati. Si erunt quos Dominus per piſcatores ſuos, nempe verbi diuini præcones, olim è profundo ac procelloſo peccatorum mari eripuit. Hi ſunt quos tanquam venator robuſtiſſimus conquiſiuit in ſuperbiæ & arrogantiæ montibus, vt eos ad humilitatem Chriſtianæ pietatis deduceret; quos in cauernis petrarum, nempe in duritie cordis & nimia animi pertinacia reperit, vt eos ad dulcedinem ſuæ delectationis adduceret, ſicque in eis manum ſuam & virtutem ſuam extenderet, iuxta Prophetiam Hieremiæ, ad quam reſpexit S. Ambroſius, qui ſic ait c. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Et poſt pauca: *Domine fortitudo mea & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis terræ. & dicent: verè mendacium poſſiderunt patres noſtri vanitatem quæ eſt non profuit. Nunquid faciet ſibi homo Deos? Et ipſi non ſunt Dij. Idcirco ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem; & ſcient quia nomen mihi Dominus,* Ita Hierem. *Sic,* vt ait S. Ambroſius in Pſal. 50. *commutare vitioſos affectus poteſt propoſitumque conuertere doctrina cæleſtis, & operatio diuina ſacrilegis pectoribus ſtudia pietatis infundere, vt hi qui ſine lege viuebant conuertantur ad Dominum.* Ita Ambroſius.

Tertia nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe ſanctitas eorum qui huius cætus fuerunt inſtitutores. §. 4.

Hanc notam fusè explicat Bellarminus, l. 4. de notis Eccleſiæ c. 13. & ob oculos nobis proponit ſanctitatem Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Doctorum qui contra hæreſes ſingulas dimicarunt, ſanctitatem etiam inſtitutorum ſingulorum ordinum. Citat Auguſtinum de Monachis ſui A temporis, l. de moribus Eccleſiæ c. 31. & l. 2. in Iulianum, de Catholicis Doctoribus. *Iſti ſunt,* inquit, *Epiſcopi & paſtores, docti, graues, ſancti, veritatis acerrimi defenſores, qui Catholicam fidem in lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrauerunt. Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plãtatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit.* Deinde Bellarminus agit de Doctoribus Æthnicorum & hæreſiarcharum, quos innumeris vitiis & horrendis criminibus contaminatos fuiſſe demonſtrat. Et pro Æthnicorum Doctoribus refert Atheneum c. 13. c. 27. & Theodoretum l. de legibus hæreticorum. Superbiam taxat Auguſtinus, l. de paſtoribus c. 8. vt eorum mater & parens: quod inductione probat Bellarminus apud Euſebium l. 4. hiſtor. c. 22. B de Simone mago, Valentino, & apud Tertull. in initio libri contra Valentinianos, Marcione; apud Epiph. Hæreſi 42. Montano. Apud Theodoretum l. 3. de hæretic. fabulis; Nouatiano apud Euſebium l. 6. de hiſt. c. 33. Sabellion apud Epiph. hæreſi 57. Arian. l. 4. de hæreticorum fabulis: de ſemiarianis apud Epiphanium, hæreſi 73. Aërio apud Epiph. hæreſi 75; Neſtorio apud Theodoretum l. 4. Hæretic. fabul. Sabbutio de quo Socrates l. 5. c. 20. Ioan. Vvicleſo, de quo Thomas Vvald. l. 2. doct. fide c. 60. Denique aſſerit ſectas huius temporis exortas eſſet ex ambitione, ſuperbia, inuidentia, odio: quod præcipue in Luthero manifeſtum eſt.

C Sunt quidem in Eccleſia plurimi mali, ſed ex hæreticis nullus eſt bonus: nam quos luxuria non inquinat, ſuperbia illos inficit; & ſi quis (quod rariſſimum eſt, aliqua animi modeſtia videtur præditus, is carni vel ingluuiei indulgebit, ita vt nullus ſit quem non reperias aliquo vitio inquinatum.

Huius autem ſanctitatis ſymbolum habemus in his duodecim ſtellis, quibus hæc mulier coronatur: etenim ſtellæ ex ſcripturis ſymbolum ſunt virorum qui ſanctitate videntur conſpicui. Hinc appoſitè ſemen Abrahæ ſtellis comparatur. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Gen. 22. & Patriarchæ vndecim ſtellis ſignificantur, Gen. 37. *Vidi per ſomnium quaſi ſolem & lunam & ſtellas vndecim adorare me.* Quin & D caput omnium ſanctorum ſtella nuncupatur. *Orietur ſtella ex Iacob.* Num. 24. Hinc de Simone filio dicitur, Eccleſ. 50. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ;* & de his qui ad iuſtitiam erudiunt multos prophetìcè dixit Daniel. c. 12. quod *fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Multæ proculdubiò ſunt conuenientiæ, cur ſancti inſigniores ſtellis aſſimilantur. Licèt enim ſtellæ inſito quodam fulgeant lumine, lumine tamen ſolis colluſtratæ emicantiores emittunt radios. Ita ſancti licèt gaudeant naturali rationis lumine, dum tamen cæleſti luce diuinæ gratiæ perfunduntur ſplendidiùs refulgent. Aut ſi dicas ſtellas nulla ſibi propria refulgere luce, illas tamen non negabis luminis ſolaris eſſe receptiuas & retentiuas, propter E denſitatem: ita ſancti gratiæ diuinæ lucem apti ſunt in ſe admittere, eamque retinere: quia vanitate non diffunduntur, ſed humilitate condenſantur, dum quidquid habent ad vnum Deum omnium bonorum fontem gratioſè refundunt. Deinde ſtellæ cœlorum naturam ſequuntur. Ideo ſicut cœlum ſimpliciter eſt corruptibile, tamen quia forma cœli contrariam non habet ſe potentiorem, ideo ab agente naturali non corrumpitur. Ita ſancti quamuis ſecundum ſe ſint ad peccandum propenſi, tamen non peccant, propter formam potentiorem gratiæ cæleſtis, iuxta illud ſancti Ioannis 1. c. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare: quoniam ex Deo natus eſt.* Non enim peccat qui naſcitur ex Deo, dum

Digitized by Google

appetit charitatem, quam cum habet renatus, & ex Deo natus, licet multa habeat peccata, ei remittuntur. Dimittuntur enim peccata multa iis qui multum diligunt: quia *& charitas operit multitudinem peccatorum*: qua remanente non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt, quem amando imitatur, vt ſit perfectus ſicut pater illius cæleſtis perfectus eſt. *Eſt*, inquit S. Auguſt. tract. 5. in epiſt. B. Ioan. c. 3. *quoddam peccatum, quod non poteſt admittere ille qui natus eſt ex Deo, quo non admiſſo ſoluuntur cætera. Quod eſt hoc peccatum? Facere contra mandatum Chriſti, contra teſtamentum nouum quod eſt mandatum nouum? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Qui facit contra charitatem, & contra dilectionem fraternam, non audeat gloriari, & dicere natum ſe eſſe ex Deo. Qui autem in dilectione fraterna conſtitutus eſt, certa ſunt peccata quæ non poteſt admittere, & hoc maximè ne oderit fratrem. Et quid de cæteris peccatis facit, vnde dictum eſt: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? Audiat ſecuritatem de alio loco ſcripturæ: charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Ita Auguſt. Vel certè non peccant ſancti, peccato videlicet finalis impœnitentiæ: quia videlicet donum accipiunt perſeuerantiæ, & à Deo per Chriſtum præordinati ad vitam, & in ipſo prædeſtinati forma quadam potentiore, & omnia temporalia & humana & diabolica ſuperante muniuntur, nempe Dei voluntate, & diuina electione, de qua Apoſtolus ad Epheſ. c. 1. *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſetis ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ eius in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Ita Apoſt. Vis autem ſcire quam potens ſit illa diuina (vt ita dicam) forma diuinæ prædeſtinationis? Audi Chriſtum dicentem Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum ſumus.* Ac ſi diceret: Æqualis ſum cum patre poteſtatis. Sicut igitur tam potens eſt, vt nemo poſſit rapere quod in manu illius eſt, ita nemo poterit rapere amicos meos qui in manu mea ſunt: *Iuſtorum* enim *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis* æternæ; etſi moriantur morte temporali, gaudebunt: quia tranſient de morte ad vitam, reſurrectionem corporis ſui expectantes. *De ouibus iſtis*, inquit S. Auguſtinus, tract. 49. in 10. caput Ioannis, *nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus eſt de numero earum qui pro eis nouit quod dedit: & hoc eſt quod ait: Non rapiet eas quiſquam de manu mea, &c.* Et paulò poſt: *Quod dedit mihi, id eſt, vt ſim verbum eius, vt ſim vnigenitus filius eius, vt ſim ſplendor lucis eius, maius eſt omnibus. Ideo nemo rapit, inquit, oues meas de manu mea. Nemo poteſt rapere de manu patris mei, de manu mea, & de manu patris mei. Quid eſt hoc: Nemo rapit de manu mea, & nemo rapit de manu patris mei? Vtrum vna manus eſt Patris & Filij? An fortè ipſe filius manus eſt patris ſui? Si manum intelligamus poteſtatem vna eſt Patris & Filij poteſtas, quia vna eſt diuinitas. Si autem manum intelligamus ſicut dictum eſt per Prophetam: Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Manus Patris ipſe eſt Filius,* &c. Ita Auguſtin. Hæc eſt forma potentior omnibus creaturis, qua fit vt cæli & ſtellæ cæli ſint incorruptibiles, id eſt, non peccent ſancti peccato ſcilicet finalis impœnitentiæ, licèt ex ſe & ex natura ſua ſint ad peccandum procliuiores.

A Tertia conuenientia ſanctorum cum ſtellis eſt, quod ſicut ſtellæ omnes mouentur ad motum ſui orbis circulariter, ſicut pars ad motum totius; orbes autem vel à ſuis formis ſubſtantialibus mouentur, vel (vt aliis videtur) ab intelligentiis propriis rotantur, (aſtat enim intelligentia orbi quem mouet, licèt non eum informet, nec ſenſibilem intellectualemue reddat:) ita ſancti mouentur vel inſpirationibus diuinis, vel ſuggeſtionibus Angelicis: & ſicut de primo mobili dicitur, ab omnium creatore inexhauſti vigoris motore volui, iuxta illud Boëtij, de conſolatione l. 3. m. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cælique ſator, qui tempus ab æuo,
B *Ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri:*

Ita ſancti à Deo mouentur & reguntur. *Qui* enim, inquit Apoſtolus, *ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei. Gubernare*, inquit ſanctus Thomas in hunc Boëtij locum, *eſt res in debitum ſui finem ordinare, quod ſpectat ad diuinam bonitatem. Regit autem prima cauſa omnes res: præter hoc quod commiſceatur cum eis influendo ſuper eas virtutem vitæ & bonitatis.* Ita D. Thomas. Quia igitur ſancti ſicut ſtellæ, cum orbibus ſuis à Deo ad debitum finem, nempe vitam æternam ordinantur, rectè ſtellis aſſimilantur, quarum motus ſapientiſſima ordinatione à Deo reguntur, pro bono vniuerſi, ad quem toto affectu cum Boëtio ibidem clamant.

C *Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem,*
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta,
In te conſpicuos animi defigere viſus:
Deiice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica. Tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

Ita Boët. En motus circularis ſanctorum, nempe vt redeant ad Deum, à quo initium ſumpſere omnium rerum originem: qui vehit nos per gratiam, quo non poſſumus peruenire per naturam: qui nos ab errore ignorantiæ ducit ad veritatem ſapientiæ: via & veritas qua ad ipſum peruenimus
D vltra quem nihil quæritur, cum ſit ſummum & perfectum bonum, vt optimè ait S. Thomas in hunc Boëtij locum.

Quarta conuenientia eſt, quod ſicut Propheta regius dixit ſolius Dei eſſe noſſe numerum ſtellarum, *Qui numerat*, inquit, *multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Ita Dei ſolius eſt cognoſcere numerum prædeſtinatorum omnibus nobis incognitum. Vnde Propheta noſter ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Mille & viginti duas ſtellas notent quantùm voluerint aſtronomi: centum quadraginta quatuor millia ſignatorum enumeret ſanctus Ioannes: Martyrologia ſua & catalogos ſanctorum retineat Eccleſia: turba tamen
E electorum tanta eſt, vt eam nemo dinumerare queat.

Denique quintam conuenientiam attingit ſanctus Paulus, 1. ad Corint. 15. dum ait: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Quæ verba exponens S. Auguſtinus, Epiſt. 146. ad Conſentium, ait: *Si in locis ſublimibus cum ſint cuncta cæleſtia, differunt etiam ipſa claritatibus luminum, non mirum eſt quod in reſurrectione mortuorum diſtabit gloria meritorum.* Aſtronomi ſex differentiis ſepararunt ſtellas, quindecim ſtellas terram 107. vicibus continentes in primo ordine reponentes: in ſecundò 45. eamdem 90. continentes, in tertia magnitudine 208. quarum quæuis terram 54. comprehendit: in quartò ordine 479. exiſtere dicunt,

Digitized by Google

& earum quæuis terram 54. comprehendit: in quinta differentia 217. reperiuntur, & vnaquæque earum 37. terram continet: in ſexta & vltima differentia ſunt ſtellæ paruæ, numerò 49. terram 18. magnitudine ſua excedentes. Iis addo quinque, quæ (quia obſcuræ) nebulæ dicuntur, cum nouem obſcurioribus, quæ tenebræ appellantur: habebis cum numero differentiam qua vna ſtella ab alia in claritate differt, cuius rei contemplatio & diſcuſſio exactior ad Aſtronomos remittimus. Sufficit vt hic annotemus quod ſancti per ſtellas ſignificantur: quia ſicut ſtellæ in claritate differunt, ita ſancti in donis, gratiis ac meritis à ſe inuicem diſtinguuntur.

Sexta conuenientia eſt, quod ſicut in inferiores partes orbis terræ, per influxus terrarum plurimi producuntur effectus, ita per ſanctorum preces & ſupplicationes Deus multam in nobis gratiarum ſuarum copiam effundit.

Ex his perſpicuum eſt ſtellas ſymbolum eſſe idoneum, ad denotandam ſanctitatem eorum qui Eccleſiam dignitate ſua condecorant, quippe quibus etiam ſpiritus ſanctificans, & Chriſtus ſanctitatis author ſignificatur, vt optimè docet Idacius Clarus, lib. 3. aduerſus Varimundum Arianum. Intelligit enim de Spiritu ſancto hunc locum, Pſal. 109. *In ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te*: & illud Petri Apoſtoli: *Donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*. & de Chriſto hunc Apocalypſis locum: *Ego ſum ſtella ſplendida & matutina.*

Sit igitur nota ſanctitatis Eccleſiæ ſanctitas eorum qui eius fuerunt inſtitutores & propagatores, ita vt quamuis verum ſit illud dictum; *Multi ſunt rectores, ſed pauci iuſtitiæ amatores*: nec abſque acumine ſanæ mentis dixerit apud Vopiſcum in Aurelio quidam nugator, *In vno annulo omnes bonos principes ſculpi poſſe*, ipſa etiam ſumma veritate ſeriò aſſerente facilius camelum per foramen acus tranſiturum, quàm diuitem intraturum in regnum cœlorum: fortè quia diuitiæ plerumque ſibi comites aſciſcunt concupiſcentiam, quæ corda ſubuertit, ambitionem quæ omnia perturbat, voluptatem cuncta maculantem, inuidiam omnes corrodentem, prodigalitatem inutiliter omnia bona diſſipantem, auaritiam crudeliter pauperes fame enecantem: tamen tanta fuit copia gratiarum in plurimis principibus Eccleſiæ, vt in ipſis diuitiis pauperes extiterint, & in diuitiarum abundantia, deliciarum & voluptatum huius mundi fuerint verè contemptores. Hinc ſedes Patriarchalis Alexandrina quatuordecim aut ſexdecim numerat pios ac ſanctos Patriarchas; Antiochena 16: Ieroſolymitana 12; Conſtantinopolitana 17; ſedes Lugdunenſis 18; Treuirenſis 21; Veronenſis 23: Mediolanenſis 33: Romana 72. abſque iis qui in his & aliis ſedibus moribus integris piè & deuotè vixerunt. Ad aliam notam tranſeamus.

Quarta nota ſanctitatis Eccleſiæ, gloria videlicet miraculorum. § 5.

De hac ſanctitatis Eccleſiæ nota fusè Bellarminus, l. 4. de notis Eccleſiæ c. 14. vbi docet miracula eſſe neceſſaria ad nouam fidem vel extraordinariam miſſionem perſuadendam, ex Exod. 40. Vbi Deus poteſtatem dat Moyſi faciendi miracula, vt crederent Hebræi quod apparuiſſet illi Dominus: quam dat ad eumdem finem etiam Apoſtolis, Math. 10. Sunt enim miracula, Dei ſigilla. Marc. vltimo. *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: Hebr. 2. *Conteſtante Deo ſignis & virtutibus.* Lege Auguſt. l. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Ex quo colligitur non eſſe apud aduerſarios veram Eccleſiam, non apud Æthnicos, apud quos nihil inſolitum A factitatum eſt, quod non facillimè à dæmonibus fieri potuerit. Vt eſt, inquit S. Aug. l. 10. de ciuit. c. 16. quod effigies deorũ penatium, quos de Troia Æneas fugiens aduexit, de loco in locum migraſſe referuntur, quod cotem Tarquinius nouaculâ ſecuit: quod Epidaurius ſerpens Æſculapio nauiganti Romam comes adhæſit: quod nauim, qua ſimulachrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam vna muliercula zonâ alligatâ, ad ſuæ pudicitiæ teſtimonium, mouit & traxit; quod virgo veſtalis, de cuius corruptione quæſtio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque perfluente, abſtulit controuerſiam. Hæc ergo, atque alia huiuſcemodi, nequaquã illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferẽda ſunt. Non tantùm cum ſede Romana coniuncti B in confirmationẽ tantæ authoritatis miracula ediderunt, ſed etiã ipſi pontifices tantam authoritatem ſibi vendicantes miracula fecerunt: vt de Petro Acta Apoſtolorum teſtantur; vt de Clemente Baronius, an. 100. & de Cornelio anno 256. qui inſigni miraculo Salluſtiam, Cærealis, à quo cuſtodiebatur, vxorem à paralyſi liberans, ipſum Cærealem & Salluſtiam cum decem nouem militibus Cærealis ad fidem conuertit, & in martyrio ſocios habuit; vt de Ioanne & Agapeto narrat S. Gregorius, l. 3. c. 2. & 3. dialogorum; vt de S. Cæleſtino quinto ſcribit in eius vita Petrus Cardinalis Cameracenſis. Quod ſi C vſurpatione, non Dei decreto, hanc ſibi authoritatem vendicarent, certè Deus, qui ſuperbis reſiſtit, illos hoc dono miraculorum non decoraret, ſicut iſtos & alios ſummos pontifices hoc dono exornauit. Certè in hoc apparet vel diuinitas ipſius veritatis, vel veritas diuinitatis, vt loquitur S. Auguſtinus, l. 22. de Ciuit. c. 7. dum quod promiſit Petro, nempe quod contra Eccleſiam portæ inferi non præualebunt, & quod ſupra petram fundaret ſuam Eccleſiam, fæliciter adimplet; & quàm de tanta authoritate debemus habere fidem, miraculorum ſignis tam euidenter indicat. At hæc gloria miraculorum aliâ etiam viâ deſcribitur in noſtro ſchemate, dum draco & Angeli eius detruduntur in D terram: quod certè opus ingens fuit miraculum, & plurimis miraculis etiam confirmatum, dum idola euertuntur, dum oracula dæmonum obmureſcunt, dum dæmones à corporibus obſeſſorum expelluntur.

Olim Deus, dæmonis poteſtatem Iobo inculcans, aiebat: *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei: qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt: ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Iob. c. 41. Scientiâ, experientiâ, aſtutiâ, potentiâ omnes ſuperat mortales, vt abſque miraculo aut ſaltem ſpeciali Dei auxilio deludi aut ſuperari nequeat. Mirabile igitur proculdubio fuit illud opus, quo à diuinis honoribus pulſus, è cœlo in terram delapſus E eſt. Nam ad Chriſti aduentum idola euerſa ſunt: & ſtatim atque Petri authoritas radices agere cœpit in vrbe Romana, idololatria extirpari incœpit: quod notat Baronius an. 46. dum ex Dione refert quod, imperante Claudio, plurima ſacrificia & feſta, quæ celebrari ſolebant in honorem Deorum, fuerunt abrogata; quin etiam idem Baronius refert multa fuiſſe ab eodem Claudio ordinata contra gentilium ſuperſtitionem, ac ſi idololatria eodem temporis momento, quo Religio Chriſtiana Petro prædicante incrementa ſumebat, vires amitteret, vt olim Dagon ſtare nequiuit erectus, dum prope ſe arcam habuit collocatam, ſed & cecidit, & capite & manibus tandem præciſis, fœde truncatus eſt. Deſcendente Chriſto in Ægyptum idola ſubuerſa ſunt, vt refert S. Athanaſius his verbis, de incarna-

Digitized by Google

tione Verbi: *Quis, inquit, iuſtorum aut regum in Ægyptum deſcendis, & eius deſcenſu idola in Aegypto ceciderunt? Abraham deſcendis: nihilotamen minus idololatria vbique viguit. Natus eſt ibi Moſes, æque tamen illis hæſit religionis error.* Et poſt pauca: *Hic eſt qui antequam in humana ſpecie appareret, de aduerſariis dæmonibus victoriam, & de idololatria triumphum reportauit. Nam quotquot vbique ſunt gentes eiurantes patrum ritum & idolorum impietatem, ſuam iam in Chriſtum ſpem conſtituunt, eique ſua nomina dant, vt etiam vel ipſis oraculis deprehendere licet. Alioqui Aegyptiorum ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Dominus omnium in corpore, quaſi in nube vectus, eo deſcendiſſet, & idolorum errores compeſcuiſſet, omnes in ſe & per ſe ad patrem ſuum ferens.* Hæc Athanaſius. Ita etiam ſtatim atque hic filius maſculus, nempe ſumma Petri authoritas apparere cæpit, draco deiectus de cœlo eſt, & in terram collapſus, Deo extirpante idololatriam & dæmonum cultum, per Petri & Pauli, & ſucceſſorum, & aliorum ſanctorum prædicationem. Hinc S. Martialis Epiſt. 2. ad Toloſanos c. 7. dicebat. *Vidiſtis enim per me (in nomine Domini quem Iudæi crucifixerunt, & qui tertia die reſurrexit a mortuis) dæmones exire coactos de ſtatuis manufactis, in quibus reſponſa fallacia, & plena deceptionum cultoribus ſuis dabant, & eos iuſſu meo, in nomine Dei, per virtutem Chriſti, in puluerem redigiſſe. Ecce enim tempus quo ablata eſt dæmonibus poteſtas decipiendi & nocendi, vt non dominentur hominum fidelium, & vt nihil eos qui in vnum Deum crediderunt vltra lædere præualeant.* Ita S. Martialis. Quam idololatriæ extirpationem, cum oraculorum ſilentio, S. Athanaſius, orat. de Incarnatione, adhuc repræſentat dum ait: *Olim vniuerſus orbis cultu idolorum ſeducebatur, nec aliud idola quam Deos arbitrabantur. Nunc verò per vniuerſum orbem idolorum ſuperſtitionem deſtituunt, & ad Chriſtum confugiunt, eumque vt Deum venerantur, & per eum Patrem, quem ignorabant, addiſcunt: & quod imprimis admirabile, cum olim fuerint diuerſæ & innumerabiles ceremoniæ, dum ſingula idola peculiares ſibi haberent ritus, nec proximos limites tranſcendunt, neque vicinos in ſui cultum aſciſcunt, imo vix inter ſuos ſuam religionem tuentur, (nullus enim numen vicinorum coluit, ſed ſinguli proprium habuere, perſuaſi eum ſolum Dominum eſſe) nunc ſolus Chriſtus, apud omnes, vnus & idem adoratur: & quod non potuit idolorum imbecillitas, vt vicinis ſuis perſuaderent, hoc Chriſtus præſtitit, qui non ſolum proximis, ſed ſemel vniuerſo orbi perſuaſit vt ſe vnum & eumdem pro Domino haberent, & propter ipſum ipſius Patrem venerarentur. Olim quidem vbique Delphica, Dodonea, Bæotia, Lycia, Aegyptiaca, Cabirorum oracula impoſturis vaticiniorum ſcatebant, Pythia apud homines in admiratione erant: nunc ex quo Chriſtus vbique prædicatur, eiuſmodi veſaniæ conquieuerunt, nec ſupereſt vllus fatidicus. Olim dæmonia inani ſpecie ludibriiſque rerum intricabant homines, inſeſſis alibi fontibus, alibi fluuiis, lapidibus aut lignis, atque iſtis præſtigiis fatuos in ſtuporem agebant. Nunc verò quum apparuit Dei verbum, ſpectra huiuſmodi & ludibria imaginum ceſſauerunt: ſolo enim crucis ſigno vtens homo, dolos illorum à ſe propellit.* Hæc S. Athanaſius. Denique cum Gallus, Conſtantij fratris magni Conſtantini filius, ab Imperatore Conſtantio, ipſius Conſtantini filio, Cæſar creatus fuiſſet, pietatis ſuæ ſpecimen inſigne dedit, dum templum extruxit in Sylua Daphnes, prope ſuburbium ciuitatis Antiochenæ, vt illud à gentilium ſuperſtitionibus repurgaret, in quod capſulam inuexit, in qua reconditæ erant reliquiæ martyris Babylæ Antiochenſis olim Epiſcopi ſub Decio paſſi. Ob vicinium reliquiarum martyris, oraculum Apollinis, in templo Daphnitico ibidem reſponſa dantis, loqui deſiit. Quod latè S. Chryſoſtomus refert, l. contra gentiles to. 5. Pauca hæc ex multis accipe, dum de tanto martyre loquens ait: *Verùm antequam ad exactionis modum veniam, aliud vos annotare poſtulo, Babylam non ſtatim vbi aduenit, dæmonem eieciſſe, ſed manentem eum ocioſum, inertem, agendiſque rebus ineptum reddidiſſe: illi enim os ita obſtruxit, vt vel lapidibus ipſis magis mutus redderetur. Et quidem manentem inibi dæmonem ſuperauiſſe non minus fuit, quam ſi eumdem de loco exigiſſet; quum qui locis illius accolis omnibus fucū prius faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres ſuſtineret: Ea eſt enim ſanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum dæmones ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſſint. Vitâ autem functorum & loculos quoque reformident.* Hæc Chryſoſtomus.

Quod ſpectat ad dæmonum è corporibus obſeſſis expulſionem, res adeo manifeſta eſt ex hiſtoria vitæ ſanctorum, vt ſuperfluum eſſe exiſtimem in his immorari diutius: ſatiſque ex his quæ diximus probatum eſſe cenſeo in noſtro ſchemate gloriam miraculorum, tamquam Eccleſiæ notam, optimè deſcribi: ſiue quia ad tantam maieſtatem authoritas ſupremi Pontificis euecta eſt, vt omnes gentes regat in virga ferrea, abſque vlla vi aut violentia. Rectè enim ſanctus Chryſoſtomus l. contra gentiles, illos ita affatur: *Aduerſum vos nullus vmquam bellum geſſit: neque enim Chriſtianis fas eſt neceſſitate ac violentia errorem ſubuertere, ſed tum ſuadela, tum ratione, tum manſuetudine, hominum ſalus conciliãda eſt. Quo nomine nullus omnino ex eis qui à Chriſto ſteterunt, talia contra vos dogmata ſanxit, qualia aduerſum nos excogitarunt qui dæmonum cultum ſunt ſecuti.* Ita Chryſoſtomus. Et poſt pauca: *Quum is eſſet rerum ſtatus, in Chriſtianæ quidem pietatis ſcintillam quod modo dixi aduerſariorum mare inundabat: Ea verò ſcintilla eiuſmodi inundatione non ſolùm non reſtinguebatur, ſed & maior & illuſtrior inde, quum exurgeret quoquo verſum, ſtatim omnia ſuo flatu comprehendebat, aduerſariorum partes facile perdens ac conſumens, noſtras autem Chriſtianorum excitans, atque ad immenſam tollens altitudinem: etiamſi viri quidam ſimplices, tenues atque obſcuri operam ad eam rem ſuam præſtarent. Neque verò piſcatorum illorum vel verba, vel miracula, ſucceſſum huiuſmodi efficiebant, ſed Chriſti virtus in illos efficaciam ſuam infundens. Nam ex iis, qui quæ dixi miracula edebant, alter is Paulus fuit, tabernaculorum texendorum artifex; alter Petrus is fuit, piſcator erat: & quidem in mentem numquam veniſſet hominibus tam tenuibus tamque abiectis tale quiddam effingere, niſi ſi quis inſaniſſe ac deliraſſe dicas. Hi porro quod non inſanirent liquet, tum ex egregiis virtutis eximiis operibus, quæ illi ſolo verbo ediderunt; tum ex compluribus qui etiam nunc illis fidem habent.* Ita Chriſoſtomus. Siue quia etiam dæmon expulſus eſt & exploſus, ablatâ idololatriâ, obmuteſcentibus falſis oraculis, ipſis dæmonibus & à cordibus & à corporibus eiectis. Ad aliam ſanctitatis Eccleſiæ notam tranſeamus.

De quinta nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe lumen Propheticum. §. 6.

Non ſolùm vera miracula (nempe ea quæ iis qui illa admittunt ſunt vtilia: per quæ Deus in ſe & in ſeruis ſuis maiori honore colitur: quæ ad confirmationem fidei antiquæ plurimum conducunt: quæ ad imitationem eorum, de quibus fit mentio in ſacris ſcripturis, perficiuntur abſque vlla vana & ſuperſtitioſa obſeruatione: ſuſpectus enim eſſet præſtigij qui ad ſui gloriam, abſque vlla vtilitate, vel vt nouam induceret doctrinam (quam nec ſi Angelus nunciaret admittere deberemus) aliquid inſolitum peragerET, cum vana aliqua & futili circumſtantia) notæ ſunt ſanctitatis Eccleſiæ: ſed etiam lumen Propheticum inſignis eſt nota apud eam quærenda eſſe omnia media, quæ ad ſanctitatem acquirendam ſunt vtilia, Licet enim ſanctus fortaſſis non ſit is qui

Digitized by Google

prophetat, tamen quia datur illi ſpiritus Prophetiæ ad Eccleſiæ vtilitatem & inſtructionem, vt à vitiis nempe & peccatis ſe retrahat, ex timore malorum imminentium, vel in ſpem bonorum erigatur, quibus ad virtutis exercitium excitetur; rectè dicimus lumen propheticum nobis ſanctitatem Eccleſiæ deſignare. Sicut enim Chriſtus, Marci vltimo, promittit Eccleſiæ donum miraculorum, ita Ioel c. 2. (exponente Petro Act. 2.) promittit donum Prophetiæ. *Effundam ſuper omnem carnem. Id eſt*, inquit Remigius Altiſſiodorenſis Epiſcopus, *ſuper omnem hominem credentem in me. Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Quod*, inquit idem Remigius, *ipſo die Pentecoſtes adimpletum eſt in Apoſtolis, & in eis qui cum eis erant: Et poſtea etiam in filiis, id eſt in Eccleſia. Filij Iudæorum etiam erant Apoſtoli, quia de eorum ſtirpe proceſſerant; & filiæ, mulieres videlicet, quæ cum ipſis erant Apoſtolis, Prophetiſſæ fuerunt, quia futura prædixerunt, prædicantes gloriam electorum, & pœnam damnatorum ſeu reproborum. Legimus etiam quatuor filias Philippi Prophetiſſas fuiſſe. Senes veſtri ſomnia ſeminabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Senex erat B. Petrus, quando in extaſi poſitus vidit linteum quoddã quatuor initiis ſubmiſſi de cœlo: ſenex etiam erat B. Paulus, quando apparuit ei vir quidam Macedo dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Iuuenis etiam erat ipſe, quando cæcatus ductus eſt Damaſcum, & fuit ibi per tres dies non videns lumen ſolis; ſed & poſitus in exceſſu mentis raptus eſt in paradiſum, & vidit viſiones Dei, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sic plurimi ſanctorum viſiones viderunt. Vel etiam alio modo iuuenes appellantur omnes martyres & credentes, qui fortes ſunt ad ſufferenda aduerſa & tentationes diaboli. Viſiones Domini prophetiæ dicuntur: Vnde & Prophetæ antiquitùs appellabantur videntes; quia ea quæ dicebant, per Spiritum ſanctum videbant; id eſt intelligebant. Iuuenes ergo viſiones videbunt, id eſt, credentes prophetias & viſiones prophetabunt & intelligent.* Ita Remigius. Donum certè maximum, cum certum ſit neminem cognoſcere futura contingentia, excepto Deo Iſ. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Et è contrario, Deutero. 18. dicitur: *Quod ſi tacita cogitatione reſponderit: Quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.*

Iam apud Aethnicos nulla fuerunt vera vaticinia. Nam eorum oracula talia erant, vt per ambages reſponſa darent, quando Dæmon non ſciebat quid eſſet futurum. Quod de Apolline in templo Daphnes oracula dante notat Chryſoſt. contra gentes, dum illum ſic arguit quòd tale reſponſum dediſſet Iuliano imperatori oraculum poſcenti. *Daphnes*, inquit, *locus cadaueribus ſcatet. id quod oraculum arcet*: Suppreſſo ſcilicet nomine Babylæ martyris, reliquiarum cuius præſentiâ impediebatur ne oracula daret. Sic igitur illum Chryſoſt. alloquitur. *Quamquam, perridicule dæmon, licebat tibi ad alias confugere excuſationes, cuiuſmodi multis identidem veris, infinita ſemper rebus in dubiis artificioſè excogitans, aliàs Lydorum regi promittens magni imperij perditionem, Alym fluuium tranſgreſſo, hunc ipſum tamen regem poſtea ſuper accenſam pyram poſitum commonſtrans, &c.* Ita Chryſoſtomus. Qui poſtea etiam docet hoc eſſe ſolemne artificium dæmonis, ſermonem obſcuritate velare, vel ad aſtra confugere. Dæmones autem, vt docet S. Auguſtinus, libro de diuinat. dæmonum, vel acrimonia ſenſus, quem illis affingit, vel celeritate motus, multa ante cognita prænunciant, vel nunciant quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirantur, quin etiam acceſſit dæmonibus per tam longum A tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia quàm poteſt hominibus, propter breuitatem vitæ, prouenire. Poſſunt dæmones prænunciare quæ ipſi facturi ſunt (accipiunt enim ſæpe poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aërem vitiando morbidum reddere, & peruerſis, atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadere, de quorum moribus certi ſunt, quod ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri) aliquando autem non quæ ipſi faciunt, ſed quæ naturalibus ſignis futura prænoſcunt, (quæ ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt) ante prædicunt: neque enim quia prævidet medicus quod non prævidet eius artis ignarus, ideo iam diuinus habendus eſt. Quid autem B mirum ſi quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, ſeu bonas ſeu malas futuras prævidet valetudines, ſic Dæmon in aëris affectione atque ordinatione, ſibi notas, nobis ignotas futuras prævidet tempeſtates? Aliquando & hominum diſpoſitiones, non ſolùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpora, tota facilitate perdiſcunt, atque hinc etiam multa futura prænunciant, aliis videlicet mira, qui iſta diſpoſita non nouerunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinſecus agnoſcatur, quod intrinſecus agitur; ita non debet eſſe incredibile, ſi C etiam leuiores cogitationes dant aliqua ſigna per corpus, quæ obtuſo ſenſu hominum cognoſci non poſſunt, acuto autem dæmonum poſſunt; vel, vt in lib. retractationum c. 30. ipſemet Auguſtinus ait, alia vi ſpiritali ea agnoſcant. Licèt autem hac atque huiuſmodi facultate multa dæmones futura prænuncient, tamen ab eis longè eſt altitudo illius prophetiæ, quam Deus per ſanctos Angelos ſuos & Prophetas operatur. Poteſt quidem fieri vt aliquid ab Angelis audiant, vel à Prophetis diſcant, quæ cum permittuntur nuntiare, non fallunt: veraciſſima enim ſunt Angelica & Prophetica oracula: permittuntur autem illa prædicere, vt prudentibus detur intelligi, quàm vigilanter eſſet dæmonum cauenda fallacia, cultuſque fugiendus: qui D cum ante per tam longum tempus in templis ſuis hæc futura tacuiſſent, quæ per Prophetas prædicta ignorare non poſſent, poſteaquam appropinquare cæperunt, voluerunt ea quaſi prædicere, ne ignari victique putarentur: in cæteris autem prædicationibus ſuis falluntur & fallunt. Falluntur quidem, quia cum ſuas diſpoſitiones prænunciant ex improuiſo, aliquid de ſuper iubetur, quod eorum conſilia cuncta perturbet. Falluntur Eccleſiam, cum cauſis naturalibus aliqua prænoſcunt, quia & hæc ab Angelis Deo ſummo ſeruientibus ex alia diſpoſitione ignota dæmonibus, ex improuiſo & repentè mutantur: Fallunt etiam ſtudio fallendi, & iucunda voluntate, E quia hominum errore lætantur. Quod cum veriſſimum ſit, impia & periculoſa nunc eſt hominum curioſitas, cum à dæmonibus aliquid addiſcere cupiunt. Igitur cum apud Aethnicos nulla fuerit prædictio, niſi dæmonum ope, niſi fortè aliqua facta fuerit in teſtimonium noſtræ fidei, vt fuerunt vaticinia Sybillarum & Balaam, certum eſt apud eos nulla fuiſſe vera vaticinia. Hinc ſapientiſſime ſanctus Athanaſius in vita ſancti Antonij: *Si autem & diuinationem ſe habere ſimulantes venturos fratres nunciauerint, & affuerint quos venire prædixerant, nec ſic fides eſt commodanda mendacibus: ob id enim præceſſere venientes, vt credulitas ſibi pareretur ex nuncio, & poſtea aditus ex crudelitate fallaciæ. Verum in hoc nullum Chriſtiano debet eſſe miraculum, cum non tantùm qui leuitate naturæ per cuncta diſcurrunt, valeant præuenire gradientes*

Digitized by Google

homines quoque equorum velocitate præfecti nunciant aſſuturos. Non enim ea, quæ mundum fieri cœpta ſunt, referunt, quia Dominus ſolus eſt conſcius futurorum; ſed quorum conſpiciunt in actu initium, eorum ſibi tamquam apud ignaros vendicant de futuris notionem. Ita Athanaſius. Qui exemplo rem illuſtrat, nempe dæmones poſſe prædicere nili inundationem ſolemnem, antequam in Aegypto appareat, quia poteſt videre in Aethiopia pluuias, è quibus fluuius intumeſcens vltra alueum effluere conſueuit; & præcurrentem ad Aegyptum nunciare amnis aduentum.

Quod ſi apud Aethnicos nulla ſunt vera vaticinia, nec etiam apud hæreticos, vt rectè probat Bellarminus, l. 3. de notis Eccleſiæ c. 15. de falſis Prophetis in veteri teſtam. l. 3. Reg. c. 22. de montano cum duabus Prophetiſſis Priſca & Maximilla apud Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 17. & 18. de Luthero apud Cochlæum, de actis lutheri, prædicente Papæ & totius ſtatus Eccleſiaſtici euerſionem; & de Thoma quodam victoriam ſuis pollicente; & tamen cœſi ſunt ferè omnes, & ipſe Thomas captus, & ſecuri percuſſus.

At in Eccleſia præter Prophetas veteris teſtamenti, & eos qui fuerunt primis quingentis annis à Chriſti aduentu, vt Agabus Act. 11. Gregorius Taumaturgus, de quo Baſilius, lib. de Spiritu ſancto c. 29. Antonius, de quo Athanaſ. Abbas Ioannes, de quo S. Aug. l. 5. de Ciu. Dei c. 26. fuerunt etiam poſterioribus ſæculis (quibus iuxta Lutheranos perierat apud Romanos Eccleſia) veri Prophetæ, & quidem monachi ac Romano Pontifici addicti. Lege S. Gregorium de B. Benedicto, l. 2. Dial. c. 13. vitam ſancti Bernardi, & vitam ſancti Franciſci à ſancto Bonauentura conſcriptam: hos ſanctos videbis dono Prophetiæ prædiros, vt pote qui repleti fuerunt ſpiritu veritatis, qui promiſſus fuit à Chriſto Eccleſiæ ſuæ, vt ab eo quæ futura ſunt, antequam eueniant, addiſcat. *Docebit vos*, inquit, *omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Ioan. 16. futura. Nam cum futura ſint, æquè ac præterita ac præſentia, inter ea quæ vera ſunt, & quæ ab intellectu diuino dignoſcuntur, vt doceat omnem veritatem, etiam ad futura illius documenta extendi debent.

Olim quidem mota fuit quæſtio inter Philoſophos; an videlicet daretur, ſeu concedenda eſſet aliqua diuinationis ſpecies?

Omnem diuinationis ſpeciem deridebat Epicurius, eamque merum fucum & hominum impoſturam exiſtimabat, adinuentam potiſſimùm propter nimiam mortalium credulitatem ac timiditatem. Suam opinionem hac ratiocinatione firmare contendebat. Quæ nec ſunt, nec vmquam fuerunt nullo modo ſciri poſſunt: nam neque per ſe, ſicuti ea quæ ſunt, actu percipiuntur; nec per ſpecies aut imagines ſuas, quas vt veſtigia quædam poſt ſe relinquant, dum tranſeunt. Qua igitur ratione cognoſci poſſent, ſeu earum rerum cognitio ad nos deuenirer? At deficit eorum argumentum. Nec enim enumerant omnia media, quibus res percipi poſſunt, verbi gratia, nullam de cauſis faciunt mentionem, per quarum cognitionem effectus dignoſcuntur; ideo dicimus cognitionem futurorum poſſibilem eſſe, iis videlicet qui earum cauſas comprehendere potuerint.

E contra Stoici omnia genera omneſque ſpecies diuinationis admittebant, & auſpicia, & auguria, & ſortes, & aſtrologiam iudiciariam, quam ſcientiam Chaldæorum nuncupabant; ac in iis omnibus certitudinem & veritatem reperiri aſſerebant: nec vanum eſſe diuinationibus vti exiſtimabant, imo ab auguriis & diuinationibus quodlibet negotium inchoandum eſſe cenſebant: hac ratione, in omni negotio alicuius momenti, attendendum eſſe an aues ad dextram aut ad ſiniſtram volarent, an alacri vel lugubri cantu voces emitterent: exta animalium in ſacrificiis ſedulò eſſe obſeruanda: hominibus ineſſe aliquam vim ad diuinandum & futura præſentiendum, ſiue cum ſomno corripiuntur, ſiue cum furore & amentia agitantur, vel cum à Diis oracula prodeunt. Hæc duobus argumentis fulcire conabantur. Primum erat hoc apud omnes nationes receptiſſimum, quem vnanimem conſenſum Cicero vocat legem quamdam naturalem. Secundum erat, quod eadem ratione qua per effectus naturales, quorum cognitio ad nos per plurimas experientias peruenit, præuidere poſſumus quid futurum in per ſimilibus euentibus: ſicut medici de euentu morborum, agricolæ de pluuiis, aut ſerenitate iudicant, propter ſuam experientiam: ita auſpices & augures, ex quibuſdam euentibus, quæ euenerunt iuxta eorumdem præſagia, conjicere poſſunt quid futurum ſit, ſi ſimilia videant præſagia, licèt cauſa occulta ſit. Addebant, ab experientia ſatis didici quod fatui & ſomno correpti rerum futurarum habent præſagia: quæ ſi ſæpiuſculè fallant, non ſunt tamen omnimodè contemnenda ac rejicienda. Nam quod ſemel accidit, iterum accidere poteſt. Denique aiebant quod ſicut naturaliter animæ datur vis & facultas ad præſentia diſcernenda, nempe facultas ſenſitiua: ad præterita reminiſcenda, nempe memoria: congruum eſſe ipſam habere vim quamdam ad futura præſagienda. At iſti excedunt, dum tot vaticiniorum genera admittunt, & anſam præbent dicendi quod olim dicebat Diogenes Cynicus, nempe ſi rerum publicarum adminiſtrationem, medicorum in morbis curandis artes eximias, Philoſophorum axiomata & decreta contemplaretur, hominem cæteris animalibus ſapientiorem exiſtimare: At ſi ſomniorum interpretes, ariolos & augures intueretur, ad hoc cogi vt diceret nullum eſſe animal homine ſtolidius.

Viderentur fortè Peripatetici his Philoſophis ſapientiores, dum diſtinctionem ponunt inter duo genera diuinationis. Primum ad quamdam ſcientiam aut artem refertur, vt ſunt auguria, auſpicia, prodigiorum & monſtrorum obſeruationes, iudiciariam aſtrologiam, ſortes medicinæ prognoſtica, Phyſiognomiam, Chiromantiam. Alterum eſt ſomniorum, furorum poëticorum, oraculorum reſponſorum, quæ è ventre Pythoniſſarum edebantur, & cuiuſlibet necromantiæ, ſeu per mortuos, diuinationes: quæ adhuc in duo genera diuiduntur; vnum eorum quæ deforis adueniunt, vt ſunt oracula, pythiones, & per mortuos diuinationes; alia ſunt in anima, vt in ſomnia & raptus poëtarum, & furioſorum, & diuinorum. Hæc admittebant, & præcipuè raptus & exceſſus mentis in articulo mortis: alia reſpuebant & rejiciebant. At etiam falluntur dum rejiciunt ſortes, quæ aliquando vſurpari poſſunt à cauſa ſuprema, ad ſignificandum futurum aduentum (ſorte enim aliquando Deus voluit ſuas voluntates hominibus innoteſcere, vt in electione ſancti Mathæi:) vel dum non admittunt ea, quæ cognoſci poſſunt per cauſam naturalem probè cognitam, vt ſunt prognoſtica medicorum per ſymptomata morbi alicuius. Falluntur etiam, dum diuinationes ſecundi generis indifferenter & circa quoſlibet euentus admittunt, omniaque reducunt ad cauſas ac vires animæ naturales. Duo iſta genera admiſit Plato: omnia tamen reduxit ad dæmones, nempe diuinationem per artem: aut ad naturam, nempe cuncta alia genera diuinationum. At ſco-

pum veritatis non attingit : ideo clariùs iſta cum noſtra Theologia diſcutiamus.

Notandum primò certiſſimum eſſe aliquos reperiri, quibus ineſt cognitio futurorum. At quod illud contingat omnibus modis ſupradictis falſum eſt; vel quod hoc pendeat à cauſis, quas Aethnici aſſignarunt hoc etiam abſurdiſſimum eſt. Quod vt meliùs intelligatur, ſciendum eſt aliquid vel in ſe, vel in effectu, vel in propria cauſa poſſe cognoſci : vel tandem ex eo quod reuera futurum eſt, ita vt dicatur cognoſci in ſua futuritione. Dico, in ſe, & tunc oportet vt præſens ſit, vel ſaltem quaſi præſens habeatur. At de hac re hîc non eſt ſermo, nec etiam de ea quæ cognoſcitur per effectum : quamuis in ea aliqua ſpecies diuinationis aliquando obueniat, cum talis effectus plures cauſas habere poteſt. Igitur de tertio nobis eſt ſermo : & dicimus poſſibile eſſe ex cauſa præuidere effectum ſubſecuturum, quamuis adhuc actu non ſit extra cauſam.

Attamen quia quidam effectus ſunt neceſſarij, alij vero liberi,

Notandum ſecundò rem aliquam eſſe cognoſcibilem in ſua futuritione. Si enim cauſa eſt neceſſaria, non mirum ſi effectus ex cauſa cognoſci poſſit, cum nihil reperiatur, quo ſecundum naturæ ordinem præſcriptum, agere & producere effectum diſtrahatur aut impediatur.

Si autem cauſa ſit libera, cuius natura talis ſit, vt poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſit agere aut non agere,

Notandum tertiò nullum eſſe qui effectum hunc cognoſcere valeat, licet cauſam cognoſcat, niſi futuritionis huius effectus cognitionem habeat, & determinationis eiuſdem cauſæ ad hunc numero effectum, vt pote qui eum omnimodè comprehendat ſecundum totalem illius capacitatem & extenſionem : qua ratione Deus ſcit ac videt omnes noſtras voluntatum determinationes. Quibus poſitis,

Dico primò : cum effectus ſunt naturales, & à cauſis prodeunt naturalibus certis ac determinatis, ex cognitione talium cauſarum deuenire poſſumus in cognitionem futuritionis alicuius rei, coniecturaliter, & ex ſuppoſitione quod agat, & non impediatur à ſuperiori agête. Hac ratione ſerenum futurum, ſi ſol radios ſuos mane emiſerit, aſſerimus; & medici ac aſtrologi ſagaciores, & homines prudentiores aliquos euentus naturales præſagiunt.

Dico ſecundò : cum cauſa libera eſt, etſi naturalis, nihilominus quia effectus in ea cognoſci non poteſt, ex eo quod in ipſo inſtanti, quo determinari poſſet, capax eſt & libera manet in aliam flecti partem, hinc nulla creatura rationalis hanc rem cognoſcere poteſt, ſed ſolus Deus, qui omnia comprehendit, cui futura ſunt præſentia. *In eo enim non eſt (erat & erit,) ſed eſt*, inquiebat Plato.

Dico tertiò, quod ſi effectus ſint ſupernaturales, abſque ſpeciali reuelatione cognoſci non poſſunt : nam cum cognoſci non poſſint neque in cauſa, neque in ſua futuritione, nullâ viâ aut ratione poſſunt cognoſci quàm Dei reuelatione, qui iſtius effectus eſt principalis author.

Dico quarto : Cum opus eſt vt Deus ſpeciali auxilio ea reuelet, quæ naturaliter cognoſci nequeunt, hoc fit vel immediatè illa manifeſtando, abſque vllis ſignis viſibilibus; vel agendo erga homines cum quadam ad illorum naturam proportione ſeu conformitate, ſub ſignis quibuſdam, illa videlicet eligendo ſigna, & eo modo illis ſignis vtendo, qui magis aptus & conueniens erit. Sic imaginatione noſtra vtitur, commouendo phantaſmata in ſomnis, miniſterio Angelorum, vel alia ratione ſub ſigno à ſe electo ea quæ futura ſunt nobis reuelat, quamuis
A aliud ſignum vſurpare poſſet ad hunc effectum deſignandum, ſeruata ad hoc requiſita proportione, & quæ ei familiaris eſt, qui cum infinita ſapientia omnia agit in numero, pondere, & menſura.

Dico quintò : Cum res aliqua futura nullam habet cauſam naturalem cognitam, aut quæ cognoſci poſſit naturaliter, nec aliquod ſignum habet ſibi ſecundum ſe proportionatum, niſi aſſumatur aut vſurpetur à cauſa ſuperiori, Deo præcipuè, qui ex quolibet poteſt agere quodlibet; hæc res, in quantum futura, à nullo intellectu cognoſci poteſt. Itaque quicumque præſagire futura conantur per ſigna vana, ridicula, vt eſt volatus ſeu garritus auium, vt eſt ſi ſal in menſam decidat è ſalino, hæ om-
B nes prædictiones vanæ ſunt, & ſuperſtitionem redolent.

Dico ſexto : ſigna quæ cum rebus poſſunt quamdam habere conformitatem & proportionem, à Deo & à dæmone poſſunt aſſumi & vſurpari: & tunc ſi à dæmone aſſumantur, ſi per hæc ſigna intendamus percipere ea, quæ captum & facultatem ipſius dæmonis ſuperant, ſtolidum eſt & vanum talia ab eo per hæc ſigna inquirere. At Deus per quaſcumque vias & quæcumque voluerit media, ab impietate aliena, poteſt prædicere quidquid apud homines perficere intendit. Vnde tandem concludo impoſſibile eſſe res futuras, in quantum futuras, cognoſcere naturaliter : ideoque ſi cognoſcantur,
C hoc fit Deo per Spiritum ſanctum ea reuelante, qui vel per ſe immediatè, vel miniſterio Angelorũ, nos de rebus futuris inſtruit. Ad ipſum enim pertinet res in ſe & in ſuis cauſis perfectè cognoſcere, ſiue præſentes ſint, ſiue futuræ; omnes enim temporum differentias complectitur : omnes rerum naturas comprehendit. Hinc ab eo futurorum cognitio eſt expectanda, & dicendũ Prophetiã donum eſſe Spiritus ſancti, quo Eccleſia dotata eſt, vt amica illius qui dicebat : *Omnia quæcumque audiui à Patre nota feci vobis.* Quod ita verum eſt, vt ſi hoc vtile fuerit ſponſæ chariſſimæ, vt ab inimicis inſtruatur, verbi gratia, vt ſciat dona Dei eſſe gratuita, & melius percipiat non eſſe noſtrum noſſe tempora & momenta,
D vt ſub potenti manu Dei humilietur; vel vt veritas ipſa maiorem ſibi conciliet authoritatem in mentibus credentium, dum non tantùm amici (quorum teſtimonium ſuſpicione non careret) ſed etiam inimici, de illius magnitudine fidem faciunt & aſtruunt, Deus aliquando donum hoc Prophetiæ quibuſdam inimicis conceſſerit, vt de Balaam ſcriptura teſtatur.

Hoc dono Prophetiæ Eccleſiam decorati diſcimus ex noſtro ſymbolo mulieris amictæ ſole : nam quæ ſole amicitur, vndequaque lumine colluſtratur, recordatur præteritorum, præuidet anteriora, ſuperna contemplatur, penetrat inferna, à læua & à dextra cuncta circumſpicit. Nam præmia & pœnas, vitia & virtutes, præſentia & futura Eccleſia poteſt
E cognoſcere : quia Chriſto, qui eſt ſumma veritas, induitur; quia ſpiritus veritatis, qui totum orbem maieſtate ſua replet, omnia continens ſcientiam habet vocis, vt quibuſlibet ſignis, rebus futuris proportionatis, illa ſignificet; vel qua immediatè menti alicuius ea omnia reuelat : qui duo modi reuelandi, initio capitis primi huius Prophetiæ ponuntur. Nam de Chriſto dicitur : *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò.* Ecce immediata reuelatio. *Et ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.* En ſignorum quorumdam vſurpatio, vt quæ ſibi reuelata ſunt immediatè, abſque ſignis, ea ſignis aptiſſimis, miniſterio Angeli, ſancto Ioanni reuelet. Mulier igitur ſole induta, eſt Eccleſia : quod autem nobis veſtis

Digitized by Google

bis veſtis eſt, hoc illi lux eſt, vt ait Andreas Cæſarienſis : vnde non mirum ſi futura poſſit præuidere per donum Prophetiæ, ſicut præteritorum recordari ex dono ſapientiæ.

Denique hoc dono Eccleſiam gaudere clarum eſt, ex Prophetia quæ de filio maſculo hic ponitur. De eo enim dicitur : *Qui recturus erat gentes* futurum quid indicens. Nam non ſtatim atque Petrus ſedem poſuit Romæ, ſumma authoritas quam penes ſe habebat, & quam ſucceſſoribus ſuis relinquere debebat, talis qualis nunc eſt apparuit : ideo non dicitur quod ille filius maſculus regeret gentes, ſed *qui recturus erat gentes* : cuius vaticinij veritatem iam adimpletam ſub ſymbolo aptiſſimo ſanctus Ioannes exprimit c. 14. dum ait : *Et vidi : & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Ibi enim videbimus, Deo dante, filium maſculum ad debitam ætatem perueniſſe, & quod hic illi promittitur, nempe regnum ſuper gentes, ibi ipſi exhiberi, dum corona dignitatis regiæ nota redimitus, potenti Dei verbo ad omnia accommodato, omnia exequitur quæ ad Chriſti Domini regnum promouendum ac ſtabiliendum ſunt neceſſaria. Hac enim de cauſa ſedet ſupra nubem, nempe ſupra Eccleſiam, quæ eſt thronus Dei. *Thronus* enim *eius*, vt dicit ſapiens, *eſt in columna nubis*, nempe in Eccleſia, quæ per nubem deſignatur, vt ibi docebimus. Sufficiat hic nos indicare quomodo in noſtro ſymbolo hoc donum Prophetiæ, quo ſanctitas Eccleſiæ manifeſtatur, ſufficienter exprimitur. Ad vltimam ſanctitatis Eccleſiæ notam, nempe aduerſariorum confeſſionem, tranſeamus.

De ſexta nota ſanctitatis Eccleſiæ, nempe confeſſio aduerſariorum. §. 6.

Præſuppoſitis iis quæ à Bellarmino adducuntur, l. 4. de notis Eccleſiæ c. 16. duo in noſtro ſymbolo hanc ſanctitatis notam deſignare mihi videntur. Primum eſt quod nihil ſole clarius, quo mulier illa induitur. Quis enim niſi amens ſolem claritate præfulgere negare audebit? Sic Plinius Epiſtola 2. ad Traianum, apud Bellarminum, ſcribit Chriſtianos omnia vitia deteſtari ſanctiſſimèque viuere. Hac de cauſa Pagani Chriſtianos damnabant ſine diſcuſſione, quia ſciebant ſe in eis nihil mali reperturos, vt teſtatur Tertullianus c. 1. & 2. Et Imperatores qui habiti ſunt optimi, vt M. Aurelius, Veſpaſianus, Antoninus Pius, fauorabiles ſe exhibuerunt erga Chriſtianos : à peſſimis verò male habiti fuerunt, v. g. à Nerone, Domitiano. Laudauit olim M. Aurelius milites Chriſtianos, quorum precibus in Romanos imber iucundiſſimus deſcendit, in Germanos verò hoſtes, ignis & grando permixta, in Epiſt. quadam inter opera Iuſtini impreſſa, & de qua mentionem facit Tertullianus, Apolog. c. 5. Plurimi ſancti Paganis fuerunt honori & reuerentiæ, vt de S. Antonio, Hilarione, Martino, referunt Athanaſius, Hieronymus & Sulpitius, vt bene dixerit S. Paulus ad Philippenſes ſecundo. *Vt ſitis ſine querela & ſimplices, filij Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, &c.* Sic Ioſephus Iudæus laudat Chriſtum, l. 18. ant. c. 6. Philo Chriſtianos ſub Marco in Aegypto viuentes, vt teſtatur Euſebius l. 1. Hiſt. c. 16. & S. Hieron. de viris illuſtribus. Adducerem Mahumetum in Alcorano cap. 2. docentem Chriſtianos ſaluari, niſi à tam ſpurco & infami laudem excipere erubeſcerem. Et cum audio Lutherum dicentem, libro contra Anabaptiſtas, veram Chriſtianitatem, immo verum nucleum Chriſtianitatis ſub papatu exiſtere, miror hominis dementiam, qui maluerit cum filio prodigo cruciari fame, dum inaniter deſiderat ventrem ſuum implere de ſiliquis quas porci manducant, quam in domo patris ſui panibus abundare, & ſaturari. Et certè plures adhuc ſunt hæretici, qui dicunt Catholicos poſſe ſaluari, quamuis nos conſtanter aſſeramus in ſtatu damnationis eſſe eos omnes, qui noſtram doctrinam non ſequuntur.

Secundum, quod hanc confeſſionem aduerſariorum pro ſanctitate Eccleſiæ manifeſtat in noſtro ſymbolo, eſt odium illud ingens, & inuidia maxima, qua Dæmon inardeſcit contra Eccleſiam, ita vt appetat filium eius deuorare, prælium ineat cum Angelis, perſequatur mulierem, fluuium emittat ad eam abſorbendam, iraſcatur in eam, & prælium faciat cum reliquis de ſemine eius. Hæc enim omnia ſatis indicant in Eccleſia vigere charitatem, bonitatem, pietatem & reuerentiam erga Dei maieſtatem, veritatem, patientiam & Dei timorem, ac mandatorum Dei obſeruantiam : nec enim Dæmon tanto odio in Eccleſiam inſurgeret, niſi agnoſceret eam maliciam ſuam retundere, & omnibus modis Deo cultum & obſequium præſtare, cuius gloriæ dæmon peſſimus eſt æmulator iniquus. Fatetur igitur Eccleſiam eſſe ſanctam, ſanctitatis & puritatis acerrimus hoſtis, dum eam infeſtare & perdere conatur; tantoque acerbior eſt eius ira, & maius odium, quo ſanctitas & puritas erit inſignior. Optimè namque dixit S. Athanaſius, in vita ſancti Antonij : *Hoſtile illis contra omnes Chriſtianos, maximè verò contra monachos & virgines Chriſti odium eſt.* Ita Athan. Hinc dicitur : *Abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius qui cuſtodiunt mandata Dei.* In qua fideli & abſoluta obſeruatione conſiſtit tota hominis perfectio, dicente Salomone : *Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt omnis homo.*

Et qui habent teſtimonium Ieſu. Eò enim perfectiori modo mandata Dei obſeruamus, quo euidentiùs in nobis viuit Chriſtus, qui menſura eſt noſtræ perfectionis, & ad cuius efformamur imaginem.

Quomodo Eccleſia vniuerſalis, ſeu catholica dicitur, & de notis hanc vniuerſalitatem deſignantibus.

ANNOTAT. IV.

Quid per Eccleſiam Catholicam ſignificetur. §. 1.

NON dubium eſt Eccleſiam nomine Catholicæ ab antiquis diebus inſigniri. Sectatores Chriſti primo diſcipuli nuncupabantur, deinde anno poſt Chriſtum natum 43. Chriſtiani, ratione Chriſmatis & vnctionis : vel Chriſtiani, à vocabulo græco χρηστὸς, quod bonum & commodum ſignificat, & communiter fratres (quo etiam nomine vſus eſt Chriſtus, & poſt eum Apoſtoli) quia eumdem Deum Patrem agnoſcunt, quia eumdem ſpiritum ſanctitatis ſuſceperunt, ex eodem ventre ignorantiæ profuſi ſunt & eruti, vt ad idem lumen veritatis adducerentur; denique quia omnia erant eis communia, exceptis vxoribus, ita vt congregatio fidelium, fraternitas vocitaretur. Tandem eodem Apoſtolorum tempore Catholici dicti ſunt, & Eccleſia in ſymbolo *Catholica* dicta eſt ab eiſdem Apoſtolis, vt optimè notat Baronius, an. 43. Quo nomine fideles fuerunt inſigniti, vt ab hæreticorum ſectis diſtinguerentur. Nec hoc negat Pacianus in Epiſt. ad Sympronianum, dum ait : *Sed ſub Apoſtolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Eſto ſic fuerit, vel illud indulge.* Ita Pacianus. Sed libera conceſſio-

ne agit cum aduerſario, ne contentioſiùs agat; aduertit tamen antiquitatem nominis, dum ait: *Cum poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, diuerſiſque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes & ſcindere niterentur, nonne cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret vnitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria debuit caput principale ſignari?* Hoc quippe nomen adeo proprium eſt veræ Eccleſiæ, vt nulla ſecta illud vſurpare vnquam attentauerit, vt docet Bellarminus de notis Eccleſiæ l. 4. c. 4. ex Auguſt. l. contra Epiſtolam fundamenti c.4. Cyrillo, Cathec.18; Paciano, Epiſtolâ ad Symptonianum. *Petas*, inquit Cyrillus, *vbi ſit catholica Eccleſia, id enim nomen proprium eſt huius ſanctæ Eccleſiæ, matris omnium noſtrum.* Et Pacianus: *Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit authores.* Et infra: *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit. Hoc probat, inde ſignificet.* Lege etiam Coriolanum noſtrum in ſumma Conciliorum, præludio 9. dum de tertia Eccleſiæ nota, nempe Catholica agit; & citat S. Auguſtinum l. de vera religione c. 7. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintue ipſi hæretici, & ſchiſmatum alumni; quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.* Ita Aug. Hinc optatus l. 5. alloquens Parmenianum Donatiſtam, dicebat: *Defendiſti Catholicum, dum impugnas.* Hinc etiam cognitor ab imperatore datus, vt adeſſet diſputationibus, quas inter ſe habuerunt Catholici Epiſcopi, & Donatiſtæ, collatione tertiæ diei, vtraque parte ſibi hoc nomen vendicante, interlocutus eſt cognitor, ſe interim ſine cuiuſdam præiudicio, non poſſe aliter appellare Caatholicos, quàm eos appellauit Imperator, à quo cognitor datus eſt, vt refert Auguſt. in breuiculo collat. cum Donatiſtis. Quid autē indicetur hoc nomine diſcutiendum. Donatiſtæ ibidem dicebant Catholicum nomen non ex vniuerſitate gentium, ſed ex plenitudine Sacramentorum inſtitutum. Meliùs liber qui inſcribitur Gemma arcæ, de antiquo ritu Miſſæ. l. 1. c. 103. *Eccleſia*, inquit, *dicitur conuocatio, quia non timore, ſed amore Spiritus ſancti in vnam fidem conuocatur: Catholica, dicitur vniuerſalis, quia hæc religio per totum mundum ſeruatur.* to.16. Bibliothecæ Patrum. Nam per Catholicam Eccleſiam S. Auguſtinus intelligit *fratres omnes in omnibus gentibus conſtitutos*, Ep. ad Vincentium 48. ex Geneſi 26. *Benedicentur in te omnes gentes.* Malach. 1. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum ſacrificium mundum offertur nomini meo*; & Luc. 24. *Prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.* Actorum 1. *Eritis mihi teſtes, &c. vſque in fines terræ.* Nec obſtat quod objiciebat ille Vincētius Donatiſta, modicam eſſe partem in compenſatione totius mundi, in qua fides Chriſtiana nominatur. *Attendendum enim* inquit Auguſtinus, *in quàm multas iam Barbaras nationes tam paruo tempore venerit Euangelium, vt nec inimici Chriſti dubitare iam poſſint breui tempore futurum, quod diſcipulis reſpondit de ſæculi fine quærentibus: Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet finis.* Deinde S. Auguſtinus acceptionem huius nominis Donatiſtarum reſicit, dum addit: *Acutum aliquid videris dicere, cum Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, ſed ex obſeruatione præceptorum omnium diuinorum; quaſi nos (etiamſi forte hinc ſit appellata Catholica, quod* A *totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuerſis inueniuntur hæreſibus) huius nominis teſtimonio nitamur, ad demonſtrandum Eccleſiam in omnibus gentibus, & non promiſſis Dei tam multis tamque manifeſtis oraculis ipſius veritatis.* Ita Auguſtinus. Qui non ex nominis rem definiri vult, ſed hoc nomen potius optimo iure dari, quia exprimit quod promiſſis diuinis & oraculis veritatis pollicitum eſt. *Ipſa eſt enim Eccleſia*, inquit, idem Aug. Epiſt. 160. ad Seuerinum fratrem, *Catholica: vnde* καθολικὴ *græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet. Ideo ſecundum verbum Domini noſtri Ieſu Chriſti abſcondi non poteſt. Pars autem Donati in ſolis Afris calumniatur orbi terrarum, & non conſiderat* B *ea ſterilitate, qua fructus pacis & charitatis noluit afferre, ab illa radice orientalium Eccleſiarum ſe eſſe præciſam. Vnde Euangelium in Africam venit, vnde terrâ ſi eis afferatur adorant: fideles autem ſi inde veniant, exufflant, & rebaptiſant.* Ita Auguſt. Et in Pſ. 65. hunc verſiculum exponens (*Iubilate Deo omnis terra.*) *Videte fratres, quemadmodum commendetur vniuerſitas Eccleſiæ toto orbe diffuſæ.* Et poſt pauca: *Nemo iubilet in parte. Nemo inquam iubilet in partes: omnis terra iubilet, Catholica iubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, & à toto præciſus eſt, vult non iubilare.* Ita Auguſtinus.

At dum dicimus veram Eccleſiam dici Catholicam, quia per totum orbem terrarum tota diffuſa C eſt, hoc non eſt ita accipiendum vt ſemper in omnes mundi partes ſit diffuſa: ſed quod vbicumque diffuſa ſit, eadem ſemper ac vbique fidei dogmata doceat ac prædicet; ita vt Eccleſiæ vniuerſalitatem non ad locorum, ſed ad fidei vniuerſalitatem, quæ ex conſenſione, integritate atque antiquitate compacta eſt, referendam dicamus: quo Catholica Eccleſia ab omnibus hæreticorum ſectis diſcernatur: ſicque vera erit Eccleſia, ſi fides eius confirmationem habeat cum ea, quæ in mundi fine reperietur ab omnibus partibus tractu ſucceſſuque temporis fuiſſe receptam. Non quod Eccleſia eodem tempore in omnibus orbis terræ prouinciis ſit diffuſa: ad quem ſenſum pertinere videtur quod dicit Pacianus, D Epiſt. 1. ad Sympronianum Nouat. *Etſi*, inquit, *reddenda poſtremo Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de græca interpretatione; Romana Catholica vbique vnum, vel (vt doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur mandatorum, ſcilicet Dei. Vnde Apoſtolus: Si obedientes eſtis in omnibus. Et iterum: Sicut enim per inobedientiam vnius peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi: Ergo qui Catholicus, idem obediens; qui obediens, idem eſt Chriſtianus; ita Catholicus Chriſtianus eſt. Quare ab hæretico nomine noſter populus hac appellatione diuiditur, cum Catholicus nuncupatur. Sed ſi Catholicus vbique vnum eſt, ſicut ſuperiores putant, idipſum Dauid indicat dicens: Aſtitit regina in veſte aurata & variata, hoc eſt, vna in* E *omnibus; Et in Cantico Canticorum ſponſus hæc loquitur: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa eſt genitrici ſuæ? Et iterum: Adducentur regi Virgines poſt eam, & adhuc adoleſcentulæ quarum non eſt numerus. Ergo in omnibus vna, & vna ſuper omnia.* Dum enim Pacianus non ſolùm admittit interpretationem eorum, qui volunt Eccleſiam dici Catholicam, propter obedientiam omnium mandatorum, quæ reuera non eſt niſi vbi vera fides dominatur, & mentes captiuat in obſequium fidei; ſed etiam eorum qui Catholicam interpretantur, vbique vnum conſentit nobiſcum, qui volumus Catholicam dici Eccleſiam, quia vbicumque fuerit diffuſa, in quocumque temporis tractu, vnam ſemper habuit fidem, vno tantum coniuncta eſt capiti, eadem ſemper habuit Sacramenta ſuo tempori congruentia, nullum genus

Digitized by Google

hominum, rejiciens, nullam nationem à ſe repellens, omnibus qui ſaluabuntur ſalutis occaſio facta, omnem veritatem rerum viſibilium & inuiſibilium reuelatam obtinens, ad cuius pedes tam ſummi quàm infimi ſubjici debent, quæ omnium cuncta dimittit peccata, omnem eis inculcat virtutem obtinendam gratia & meritis Chriſti, in qua omnia Spiritus ſancti dona reconduntur, vt ſit omnium gratiarum cæleſtium inſigne receptaculum. At præcipuè Catholica dicitur, quia vt apud Athanaſium Nycæna Synodus loquitur, *Eſt ibi, vt Patres tradiderunt, veræ diſciplinæ & magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potius quàm veri præceptores appellari debent. Certe Æthnici, quum nec eadem profiteantur, ſed inter ſe diſcrepent, veram diſciplinam non habent. Sancti contra, ſinceræ ſunt veritatis præcones, eo quod inter ſe ſententiis conueniunt, & nullo diſſidio laborant; qui tametſi diuerſis temporibus vixerint, æque tamen ſimul eodem tendunt, vt vnius Dei Prophetæ, & eiuſdem ſermonis interpretes.* Hæc Nycæna Synodus apud Athanaſium, Epiſt. de Nycæna Synodo. At optimè Vincentius Lirinenſis commo. 1. aduerſus Prophanas Hæretic. nouitates c. 1. *In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt vt id teneamus quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc demum fiat ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo; ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia; antiquitatem verò, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt; conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè penè omnium ſacerdotum, pariter & magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.* Ita Vincentius. Hinc vt Catholicitatem verè videamus ad Eccleſiam Romanam pertinere, quatuor notæ illius veniunt diſcutiendæ, quas in noſtro ſchemate adumbratas ſeu ſignificatas videbimus; antiquitas, duratio, amplitudo, ſucceſſio Epiſcoporum, propter quam Eccleſia non modo dicitur Catholica, ſed etiam Apoſtolica. Quæ quidem notæ, ſi vt aliæ iam adductæ non faciunt euidentiam veritatis ſimpliciter, quia alioqui non eſſet articulus fidei hanc Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, neque vlli inueniuntur qui id negarent, ſicut nemo inuenitur qui neget ſententias quas Mathematici demonſtrant; tamen efficiunt euidentiam credibilitatis: Ex hypotheſi tamen quod recipiantur ſcripturæ, hiſtoriæ, ac veterum patrum ſcripta, faciunt euidentiam veritatis, quia quod euidenter ab his deducitur eſt euidenter verum, ſuppoſitis ſcripturis, vt benè Bellarm. l. 4. de notis Eccl. c. 3.

De prima nota Catholicitatis Eccleſiæ, nempe antiquitate.
§. 2.

Priùs Deus quàm Diabolus: bonum ſemen quàm zizania; Eccleſia docens vera, quàm exortæ fuerint hæreſes. Vnde nulla ſecta hæreticorum vetuſtior eſt Eccleſiâ à Chriſto Domino inſtitutâ, non alius ab eo auctor eius, nullum dogma nouum de nouo introductum, ex quo explicitè dogmata Trinitatis & Incarnationis nobis tradita fuere. Circiter annum 15. imperij Tiberij Cæſaris, à Iudæa & Ieroſolyma cæpit huius doctrinæ promulgatio, oppugnata à Scribis, & Phariſæis & gentibus; à pauciſſimis recepta, comparatione Iudæorum & gentilium, ſed qui poſtea in millia multiplicati fuerunt. Dicant aduerſarij ſi cû his circumſtantiis nouus exſurrexit

A Eccleſiæ ſtatus poſt Chriſtum, quem aliqua ex omnibus hæreſibus præceſſerit. Certè antiquitatis illi prærogatiuam affingemus. Sed cum nullus poſt ſtatum Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum alius de nouo prodeat, maneat antiquitatis prærogatiua apud nos; & explodantur vt nouatores quotquot fuerunt à tempore Apoſtolorum hæretici, quorum authores & initia, & dogmata, & tempora & loca, & oppugnatores, & pauciſſimi ab initio ſectatores ſatis ex libris hiſtoricis diſci poſſunt. Cætera lege apud Bellarminum l. 4. de notis Eccl. c. 5.

At meritò antiquitatem Eccleſiæ prædicamus, cui Vincentius Lyrinenſis inhærendum eſſe aſſerit: quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude B ſeduci, lib. 1. aduerſ. hæreſ. nou. c. 4. Nam hæc falſitati non ſubeſt, quæ à ſumma veritate originem ducit. Si quidem, vt ait Zacharias Mytilenes Epiſcop. in diſput. *An mundus ſit Deo coæternus? Antiqua tum honorare fas eſt, cum veritatem continent tempore efflorеſcentem: cum autem fabulam inaniter fucatam nominibus & ornatu verborum demulcentem aures, tunc ſanè ceram homericam auribus apponimus; ſic exitioſum cantum pernicioſarum ſyrenum euadimus, cicutæ poculum melle conditum & oblitum agnoſcentes.* Ita Zacharias. At non ſunt obturandæ aures ad eius doctrinam, quem præcipimur audire, dum clamat Pater altiſonâ & grandi voce: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Qui antiquitatem C huius doctrinæ contemnunt ab Apoſtolis ab eo receptam, ab ipſis promulgatam, & deinceps fixas radices in mentibus fidelium agentem, certè omnia perturbent neceſſe eſt. Hanc enim perturbationis rerum cauſam aſſignat Ruſticus Diaconus Cardinalis, præfat. in diſput. ſuam contra Acephalos. *Quoniam, inquit, nullus ſtudia priſcorum æmulatur, ſed effectus diſcutit, & ſemetipſos eorum qui pridem quieuerunt in Domino non filios confitentur, ſed iudices ordinant, addentes his quantas nec eſt numerare calumnias. Non enim,* inquit S. Ireneus l. 3. c. 1. *per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognouimus, quàm per eos per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidem tunc præconiauerunt, poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt* D *fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum: Nec enim fas eſt dicere quoniam ante prædicauerunt quàm perfectam haberent agnitionem, ſicut quidam audent dicere, glorіantes emendatores ſe eſſe Apoſtolorum. Poſtea enim quàm ſurrexit Dominus noſter à mortuis, & induti ſunt, ſuperueniente Spiritu ſancto, virtutem ex alto, de omnibus adimpleti ſunt, & habuerunt perfectam cognitionem, exierunt in fines terræ, ea quæ à Deo nobis bona ſunt Euangelizantes, & cæleſtem pacem hominibus annunciantes. Qui quidem, & omnes pariter, & ſinguli eorum habentes Euangelium Dei: Ita Mathæus in Hebræis, ipſorum linguâ ſcripturam edidit Euangelij, cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Eccleſiam. Poſt verò horum exceſſum, Marcus diſcipulus & interpres Petri, &* E *ipſa quæ annunciata erant præſcripta nobis tradidit. Poſtea & Ioannes diſcipulus Domini, qui & ſupra pectus eius recumbebat, & ipſe dedit Euangelium, Epheſi Aſiæ commorans. Et omnes iſti vnum Deum factorem cæli & terræ à lege & Prophetis annunciatum, & vnum Chriſtum filium Dei tradiderunt nobis: quibus ſiquis non aſſentit, ſpernit quidem participes Domini, ſpernit autem & ipſum Chriſtum Dominum, ſpernit verò & patrem, & eſt à ſemetipſo damnatus, αὐτοκατάκριτος, reſiſtens & repugnans ſaluti ſuæ: quod faciunt omnes hæretici.* Ita Ireneus. Hæc eſt antiquitas noſtræ doctrinæ, vt pote à Chriſto Apoſtolis traditæ, & ad nos per ſucceſſorum manus deductæ. Cuius antiquitatis ſymbolum eſt ſol ipſe, cum luna & ſtellis. Sicut enim ſol, annis, menſibus ac diebus initia dedit, ita ſol Chriſtus Eccleſiam circumueſtiens initium dat perfectioni Chriſtianæ,

Digitized by Google

donis Spiritus ſancti, & gratia cæleſti: ſicque Eccleſia nihil habet ante ſe, quæ ſolum Chriſtum iuſtitiæ ſolem, authorem & inſtitutorem habet, de quo dicitur Pſal. 71. *Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius. Per ſolem,* inquit S. Auguſtinus in hunc Pſal. *tempora ſignificata ſunt. Ergo in æternum permanet nomen eius: æternum enim antecedit tempora, nec clauditur tempore.* Ita Auguſtinus. Perantiqua igitur eſt Eccleſia: quia, vt rectè S. Ambroſ. ait, l. 2. in 3. Lucæ, *non ab homine cæperit, ſed à verbo. Ipſa enim eſt deſertum. quia plures filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum. Deniq; ipſi dicitur: lætare ſterilis & exulta deſertum: quia nullis adhuc conuenæ plebis operibus colebatur, neq; vllum adhuc arbores illæ, quæ fructum ferre non poterant, meritorum ſuorum verticem proferebant. Nondum venerat qui diceret: Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. Nondum vitis illa cæleſtis fructus palmitibus ſuis, verborum quodam ſuorum traduce, miniſtrabat. Factum eſt ergo verbum, vt quæ erat ante deſerta fructum nobis terræ germinaret, &c.* Ita Ambr. Et quia à Chriſto Eccleſia ſumpſit initium, vt ait idem Ambr. in 5. cap. Epiſt. ad Epheſios, vnde ſubiecta eſt illi, hac de cauſa à veritate non debet diſcedere: amplius enim non ſubjiceretur ei ſi mendacio crederet, cum ille ſit veritas, cui adhærere debet indiſſolubili nexu. Hæ ſunt conuentiones matrimoniales Chriſti & Eccleſiæ, vt veritatem amet, veritatem ſectetur, & nulli credat mendacio, quod ſemper poſterius eſt veritati, ſicuti credunt ij de quibus loquitur Apoſt. 2. ad Theſſal 1. *Et idcirco mittet illis Deus operationem erroris, in hoc vt credant mendacio, quatenus iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Itaque bene monet Apoſtolus: *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per verbum, ſiue per Epiſtolam noſtram. Vt præſcientia Dei,* inquit S. Ambroſius in cap. 2. ad Theſſal. *maneat in ſalutem illorum. Idcirco in traditione Euangelij ſtandum, ac perſeuerandum. Monet vt ſoliciti ſint, ne deſidiâ & otio in operibus Dei non impleant quod cæperunt.* Hæc Ambroſius. Sit igitur ſol veſtiens Eccleſiam ſymbolum eius antiquitatis, id eſt primæ ſuæ à Chriſto illuminationis, quæ præcedit omnia mendacia, omneſque errorum tenebras: quibus Sathan eius claritatem offuſcare attentauit: Et in hoc verè Catholica eſt, quod omnia tempora ab aduentu Chriſti, vſque ad præſens tempus, abſque interruptione percurrerit. Ad ſecundam illius vniuerſitatis notam tranſeamus.

De ſecunda nota Catholicitatis Eccleſiæ, nempe duratione.

§. 3.

Non ſolùm Eccleſia dicitur Catholica, quia ſemper fuit, & omnia, ſecundum ſtatum quem nunc obtinet, à Chriſto authore vſque nunc tempora percurrit, ſed etiam quia ſemper duratura eſt. Eſt *regnum,* iuxta Danielem, *quod æternum non diſſipabitur,* c. 9. *Non ſe extollant hæretici,* inquit S. Auguſtinus, *quaſi exigui fuerint dies Eccleſiæ toto orbe diffuſæ. Nam & vſque in finem cum ſint, exigui ſunt. Quare exigui ſunt. Quoniam quandoque finiendi ſunt. Anni illi qui erunt in generationem generationum* (quam generationem antea interpretatur de generatione illa, quæ de generationibus omnibus colligitur, & in vnam redigitur, vt particeps fiat æternitatis diuinæ) *hi amandi, hi deſiderandi, his ſuſpirandum, propter hos in vnitate permanendum; propter hos quidquid hæreticorum mali eſt deuitandum, propter hos perditis reſpondendum, propter hos lucrandi qui errauerant & reuocandi qui perierant illic debet eſſe deſiderium. Sed tamen vt verboſis, vt malè garrulis, vt calumnioſis, ſuſurrantibus, detractoribus reſpondeam, ideo mihi annuncia exiguitatem dierum* A *meorum, & ne me voces in dimidium dierum meorum; vt ante me auferas de terra, quàm totus orbis Euangelio repleatur. contra reſponſionem Domini mei dicentis: Oportet prædicari Euangelium hoc in toto orbe terrarum, in teſtimonium omnibus gentibus & tunc finis.* Ita Auguſt. in Pſal. 101. Manebit igitur Eccleſia vſque in finem, licet impugnetur, tamèn vinci non poterit. *Conſtat Eccleſia* (inquit S. Chryſoſt. lib. *Quod Chriſtus ſit Deus*) *ſolida & ſtabilis, ac inuicta, florens & fulgens, & in dies magis ac magis, vigens creſcens, & plus roboris ſumens, & omnibus qui ab illo die vſque ad Domini aduentum futuri ſunt, præſtans vt ſummos inde fructus & ineffabilem vtilitatem capere queant. Nam & qui ante nos, & qui ante illos, & qui multò ſuperius fuere, cognouerunt eius* B *virtutem, videntes eam vexari bellis, periculis, ſubmergi, vinci, ſuperari & extingui, ſed florere, creſcere & extolli,* Ita Chryſoſtomus.

Huius autem durationis ſymbolum habemus etiam in ſole: *Facilius quippe eſt,* Chryſoſtom. teſte, hom. 4. in Eſaiæ verba (*Vidi Dominum*) *ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari. Quis, inquit, iſta prædicat? is qui eam fundauit: Cælum & terra tranſibunt, ſed verba mea non tranſibunt. Hæc non modò dixit, ſed & compleuit. Siquidem latiùs illam fundauit, quàm cælum: eſt enim cælo honoratior Eccleſia. Quare conditum eſt cælum? Propter Eccleſiam. Eccleſia non eſt condita propter cælum, cælum conditum eſt propter hominem, non homo propter cælum.* Ita Chryſoſtomus. Quia igitur ſol extingui C non poteſt, rectè dicimus Eccleſiæ durationem in ſolis inextinguibili claritate denotari. *Videtur,* inquit ſanctus Ambroſius l. 4. Hexamerum, *ſicut luna deficere. ſed non deficit: obumbrari poteſt, deficere non poteſt: quia aliquorum quidem in perſecutionibus diſceſſione minuitur, vt martyrum confeſſionibus impleatur: & effuſi pro Chriſto ſanguinis clarificata victoriis, maius deuotionis ſuæ & fidei toto orbe lumen oſtendat.* Ita Ambroſius. Hoc præuidit Dauid Pſ. 88. dicens: *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.* Quem locum exponens doctiſſimus Genebrardus, *Interim vniuerſo,* inquit, *hoc Chriſti regnum etiam in terra erit perpetuum, id eſt, vſque ad conſummationem ſæculi. Nam Eccleſia; in qua regnat* D *Chriſtus per fidem & per ſuos miniſtros, reges ſcilicet Chriſtianos, & pontifices, eò vſque cum vtraque adminiſtrandi ratione perducetur; ſicque perpetuò erit viſibilis. Neque enim tota ſimul pedibus infidelium vel hæreticorum ſubſternetur, &c.* Ita Genebrardus. Et poſtea: *Nam quemadmodum luna nunc obſcura eſt, nunc lucida, ſemper tamen durat; ita regnum eius nunc luceat, nunc obſcuretur, numquam verò pereat, &c.* Hoc verè dixit, cum Eccleſia vigeat ad colendum Deum, & in obſequium Chriſti, quod idem Pſalmiſta cecinit: *Et permanebit cum ſole & ante lunam, in generatione & generationem.* Pſal. 71. *Quid autem,* inquit Auguſt. in hunc Pſal. *magnum eſt permanere cum ſole ei per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil; niſi quia hæc* E *prophetia propter eos præmiſſa eſt, qui putant religionem nominis Chriſtiani vſque ad certum tempus in hoc ſæculo victuram, & poſtea non futuram? Permanebit ergo cum ſole, quamdiu ſol oritur & occidit, hoc eſt quandiu tempora iſta voluuntur, non deerit Eccleſia Dei, id eſt Chriſti corpus in terris.* Ita Auguſtinus. Nec mirum ſi Eccleſia perduret, quæ eo veſtitur cuius nomen permanet ante ſolem. Illius enim æternitatis & immortalitatis fit particeps, dum Chriſto ipſo induitur. *Sit nomen,* inquit Dauid Pſal. 71. *eius benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius.* Per ſolem tempora ſignificata ſunt, ergo in æternum permanet nomen eius. *Aeternum enim antecedit tempora, nec clauditur tempore,* inquit Aug. Ante ſolem, *ante ſolis ortum,* inquit Genebrard. *id eſt ab æterno permanet nomen eius. Hebræi, (Innon) filiabitur, propriè filius erit, filius appel-*

Digitized by Google

labitur nomen eius, quamdiu durabit ſol. Vnde Lectores Hebræi tradiderunt (Innon) vnum eſſe ex nominibus Meſſiæ. Ita Genebrard. Qui igitur filius eſt Dei æternus, Eccleſiam ſinu ſuo complectens (eſt enim Eccleſia mulier amicta ſole, id eſt Chriſto veſtita) illam fouebit ne pereat, ne malis ſuccumbat, ne tandem oppugnetur tam validè vt ſubruatur.

Non ſic impij, non ſic, Non ſic hæretici. *Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit,* inquit S. Paulus 2. ad Timoth. 3. *Et quomodo,* inquit S. Chryſoſtomus in hunc locum, *alibi dicit: Et proficient amplius in impietate; hic verò, Non proficient? illic ita locutus, quia hi qui nouitatibus ſtudent, nuſquam erroris finem inuenient, ſed noua ſemper commenta, & corruptum dogma proferent. Ea eſt enim erroris vis, vt ſiſti non queat. Hîc autem dicit, Non fallent, neque ſecum rapient, licèt initio quoſdam decepiſſe videantur; ſed facillimè deprehendentur. Quod ex eo conſequentibus patet. Eorum enim, inquit, amentia cunctis erit perſpicua, ſicut & illorum fuit. Quamuis enim omni ex parte videatur error inualeſcere ad tempus, ad finem tamen vſque non permanet. Huiuſmodi quippe ſunt quæ per naturam bona non ſunt, ſed bona eſſe videntur; ad tempus florent, ſed cito deprehenduntur. At naturâ talia non ſunt. Horum tu teſtis es. Abeſt enim à nobis error omnis. Quis enim velit pro errore mori?* Ita Chryſoſt. Ac ſi diceret: At quæ natura bona ſunt, qualia ſunt noſtra, non citò euaneſcunt, ſed perdurant, vnde ne pereant, potiùs mortem obire eligimus.

Nolo hîc tranſcribere omnia quæ Bellarm. docet ad hoc propoſitum, ex Cypriano l.4. Ep. 2. Auguſt. in Pſal. 57. vbi hæreticos torrentibus comparat, qui diu ſtare non poſſunt, Eccleſiam verò ait non ſolùm duraſſe, ſed perſecutionibus creuiſſe, & obrutis temporalibus regnis, perſecutionibus, tamquam arcam Noe aquis diluuij, in cælum eleuatam eſſe; putatione, tamquam vineam, vberiorem redditam fuiſſe. Ducentæ hæreticorum ſectæ poſſunt numerari, ex quibus ſuperſunt tantùm quædam Neſtorianorum & Eutychianorum reliquiæ in Oriente; & Huſſitarum in Boëmia; licet multi eorum habuerint multos Epiſcopos, authores & patronos; multos Imperatores protectores; & ſcripſerint innumerabiles libros: & tamen defecerunt. Quod ſi Catholici non ſcripſiſſent eorum nomina aut dogmata, neſciremus eos fuiſſe vmquam in hoc mundo. *Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam.* Baruch 3. Euanuit Arianorum hæreſis, velut puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Proſtrata eſt Albigenſium ſecta, quæ ante annos ducentos regnabat in Galliâ potentiſſima. Lutherani à Zuinglianis, Zuingliani à Caluiniſtis protruſi ſunt, & iam iam langueſcente Caluiniſmo, Diabolus alias ſectas nititur introducere, quibus pacem Eccleſiæ, quæ ſemper vna & eadem eſt, poſſit perturbare. Concludamus ergo cum ſancto Hieronymo, extremo dialogo aduerſus Luciferianos. *Breuem apertamque animi mei ſententiam proferam; in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata vſque ad diem hanc durat:* Ad aliam Catholicitatis Eccleſiæ notam tranſeamus.

De tertia Catholicitatis Eccleſiæ nota, amplitudine. videlicet. §. 4.

Eccleſia, vt verè ſit Catholica, non ſolùm debet amplecti omuia tempora, ſed etiam omnia loca, A omnes nationes, ſed omnium hominum genera. Hæc eſt hæreditas Chriſto promiſſa, Pſal. 2. In his enim (docet ex Auguſtino Bellarminus, diſtinguitur à ſynagoga, quod ſynagoga erat alligata vni tempori, id eſt, vſque ad aduentum Meſſiæ; vni loco, id eſt templo Salomonis, extra quod non poterat ſacrificare, & vni familiæ, id eſt filiis Iacob. Eccleſia verò non excludit vlla tempora, loca, vel hominum genera: Ita tamen vt non requiratur vt ſit in omnibus hominibus totius mundi, ſed tantùm vt innoteſcat omnibus prouinciis, & in omnibus fructificet: ita vt in omnibus prouinciis aliqui ſint de Eccleſia, dicente Auguſtino ep. 80. ad Heſychium: *In quibus ergo gentibus nondum eſt Eccleſia, oportet vt* B *ſit; non vt omnes qui ibi fuerint credant, omnes enim gentes promiſſæ ſunt, non omnes homines omnium gentium, non enim omnium eſt fides. Credit itaque omnis gens in omnibus qui electi ſunt ante conſtitutionem mundi; in cæteris non credit, & credentes odit. Quomodo enim & illud implebitur: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum; niſi in omnibus gentibus ſint & qui oderint & quos oderint?* Ita Aug. Quod quidem ſatis eſt vt fiat ſucceſſiuè, monente eodem Auguſt. nondum perfectè adimpletum eſſe ſuis temporibus quod dictum eſt Apoſtolis: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vſque in extremum terræ. Quando ad huc vſque ſunt,* inquit, *ibidem gentes, quod certiſſimum eſt nobis in quibus modo cæpit, & in quibus* C *nondum cæpit, impleri. Dominus noſter,* inquit idem Aug. ſer. 12. inter 40. uouos to. 10. *Chriſtus, lapis angularis, ſubegit regna dæmonum, humilians omnes reges vt creſceret; creuit, & impleuit vniuerſam faciem terræ. Audeo dicere, adhuc creſcit, adhuc ſunt loca quæ implet.* Ita Auguſt. *Ex quo,* inquit Bellarminus, *id ſequitur, quod ſi ſola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Catholica Eccleſia, dum modo clare oſtenderetur eam eſſe vnam & eamdem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis, in toto mundo; quemadmodum nunc qualibet diœceſis dicitur Catholica quia eſt continuata cum aliis quæ faciunt vnam Eccleſiam Catholicam. At cum iam ad ſenectutem vergat, & fini ſæculorum approximet; oportet vt iam creuerit; atque oc-* D *cupauerit ſi non totum orbem terrarum, certè magnam partem, quod hæretici ſperare non poſſunt: Nam ſi Auguſtinus abſurdiſſimum cenſuit quod hæreſis Donatiſtarum poſt annum Domini CCC. ex Carthagine eſſet propaganda in omnem terram, lib. de vnitate Eccl. c. 14. & 15. quantò magis abſurdum erit nunc poſt annum 1578. ſi credatur?*

His igitur præſuppoſitis, dico Eccleſiam optimè dici Catholicam propter amplitudinem; ex qua nota S. Chryſoſtomus oratione ſecunda aduerſus Iudæos, to. 5. coniicit Chriſti Domini dignitatem. *Dic mihi,* inquit, *quid eſt in cauſa, vt cum tres fuerint crucifixi eodem loco, eodem tempore, ſub iiſdem iudicibus, illi ſileantur, hic ſolus adoretur? Rurſus, quamobrem tamdem quum plures nouam viuendi rationem induxerint, ac* E *diſcipulos habuerint; illorum ne nomen quidem hodie notum ſit; hic per omnes mundi plagas volatur? Res enim potiſſimum eluceſcunt ex collatione. Confer iſta mihi, ô Iudæe, ac diſce veritatis excellentiam. Quis impoſtor tot Eccleſias toto terrarum orbe parauit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultum ſuum protulit? Quis omnes ſubiectos habuit, idque quum eſſent innumera obſtacula? Nemo ſanè. An non igitur perſpicuum eſt Chriſtum non eſſe impoſtorem, ſed ſoſpitatorem, ſed beneficum, ſed curatorem, ſed principem vitæ noſtræ?* Hæc Chryſoſtomus. Et aduerſus gentiles, *Quod Chriſtus ſit Deus;* in admirationem adducitur Chryſoſt. quomodo tam vilibus inſtrumentis, nempe per viros vndecim, illiteratos, priuatos, in eloquentes, obſcuros, pauperes patriâ, facultatibus; robore corporis, præcellentia gloriæ, dignitate progenitorum, vehementia rhetorices,

Digitized by Google

eminentiâ ſcientiæ carentes, per piſcatores, per pelliones, per barbaros perſuaſit, vt immediatè ante Chryſ. ait, non duobus vel decem, vel viginti, vel centum, ſed omnibus fermè ſub ſole habitantibus. Et antea dixerat Chryſoſt. *Quid igitur dicit? Orbe ferme toto in impietate detento, prædixit: Super Petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Examina quid hoc ſibi verbum vult, & videbis perſpicuam eius veritatem. Nam non ſolum hoc mirum eſt, quod ædificauit eam per totum mundum, ſed quia inuictam fecit, & inuictam licèt tot bella inſurgant. Hoc enim eſt quod portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Pericula ait quæ mortem generant, pericula quæ ad infernum deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? Vidiſti euentus certitudinem ac robur? Vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque armis omnia facilè conficientem? Ne ideo quia paucis dicitur, Ædificabo Eccleſiam, tranſcurras obiter: ſed conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis repleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi vt patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam, & radicatam reuellant, altaria & templa, & ſtatuas, & ſacrificia, & profana feſta, & immundum feſtum ſicut fumum aliquem aboleant, & excitent altaria vbique gentium in regione Romanorum, Perſarum, Scytarum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum? Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt, (ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ & erecta altaria) illius inquam verbi quod tunc dictum, quod in omnium animabus, inque omnium labiis plantatum.* Ita Chryſoſtomus. Et quia omnium labiis plantatum, ideo S. Auguſtinus, hanc Eccleſiæ amplitudinem conſiderans, dicit Eccleſiam loqui omnium linguis, ſicuti dono ſpeciali hoc olim fecerunt Apoſtoli, qui cæperunt lingui. loqui quomodo Spiritus ſanctus dabat eis pronunciare. *Et omnes*, inquit Aug. tract. 2. in 2. cap. Epiſt. Ioannis, *qui aderant illic de diuerſis gentibus venientes Iudæi agnoſcebant vnuſquiſq; linguam ſuam, & mirabantur illos idiotas & imperitos ſubitò didiciſſe non vnam aut duas linguas, ſed omnium omnino gentium. Vbi ergo iam omnes linguæ ſonabant, omnes linguæ credituræ oſtendebantur.* Et paulo poſt: *Videamus impleta eſſe quæ ante dicta ſunt in Pſalmo: Non ſunt loquelæ neque ſermones quorum non audiantur voces eorum. Et ne fortè & ipſæ linguæ venerint ad vnum locum, & non potiùs donum Chriſti venerit ad omnes linguas, audi quid ſequitur: in omnem terram exiuit ſonus eorum. Quare hoc? Quia in ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt in manifeſto.* Hæc ibi Auguſt. Quod dilucidiùs docet in Pſal. 147. dum ait: *Quare non apparet modo Spiritus ſanctus in linguis omnibus? Imo verò apparet in linguis omnibus. Tunc enim nondum erat Eccleſia per totum orbem terrarum diffuſa, vt membra Chriſti in omnibus gentibus loquerentur. Tunc implebatur in vno, quod prænunciabatur in omnibus. Iam totum corpus Chriſti loquitur omnium linguis: & quibus nondum loquitur, loquetur: creſcit enim Eccleſia, donec occupet omnes linguas. Quod vos deſeruiſtis quouſque creuit? Tenete vobiſcum quouſque accedat, vt nobiſcum perueniatis ad ea quæ nondum acceſſerunt. Loquor omnium linguis, audeo tibi dicere, in corpore Chriſti ſum, in Eccleſia Chriſti ſum. Si corpus Chriſti omnium linguis iam loquitur, & ego in omnibus linguis ſum; mea eſt Græca, mea eſt Syra, mea eſt Hebræa, mea eſt omnium gentium, quia in vnitate ſum omnium gentium. Ergo, fratres, cæpit Eccleſia ab Ieruſalem, vt per omnes gentes propagaretur.* Propter quam vnitatem idem Auguſt. in Pſal. 64. exponens illum verſiculum (*Flumen Dei repletum eſt aquis* (*Quid eſt fluuius Dei*, inquit, *populus Dei? Primus populus repletus eſt, vnde & cætera terra rigaretur. Audi illum promittentem aquam: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ* A *viuæ de ventre eius fluent. Si flumina, & vnus fluuius; quia propter vnitatem multi vnum ſunt; Multæ Eccleſiæ & vna Eccleſia: multi fideles, & vna ſponſa Chriſti: ſic multa flumina & vnus fluuius.* Hæc Auguſtinus. Propter hanc vnitatem rectè occurrit obiectioni Auguſtinus, hæreſes eſſe etiam vbique, & plurima loca tenere; hoc quidem verum eſt, ſed Eccleſia vna eſt vbique; hæreſes autem variæ ſunt & diuerſiſſimæ. *Et quia*, inquit Auguſt. lib. de paſtoribus c. 8. *errantes oues ſunt ſuper faciem omnem terræ, non omnes hæretici per totam faciem terræ: ſed tamen hæretici per totam faciem terræ. Alij hic, alij ibi, nuſquam tamen deſunt: ipſi ſe non mouerunt. Alia ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia; verbi* B *gratia, diuerſis locis ſunt diuerſæ, ſed vna mater ſuperbia omnes genuit. ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos. Non ergo mirum ſi ſuperbia parit diſſenſionem, charitas vnionem. Tamen ipſa Catholica mater, & ipſe paſtor in ea, vbique quærit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab iſtis, alios ab illis non ſe inuicem ſcientibus; ſed tamen illa omnes nouit, quia in omnes diffuſa eſt. Verbi gratia, eſt in Africa pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africa: ſed cum parte Donati eſt hic Catholica. Sunt in oriente Eunomiani. Ibi autem non eſt pars Donati, ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tamquam vitis, creſcendo, vbique diffuſa: illi ſunt tamquam ſarmenta inutilia agricolæ, præciſa merito ſterilitatis ſuæ, vt vitis putaretur, non* C *amputaretur. Sarmenta ergo illa vbi præciſa ſunt, ibi remanſerunt. Vitis autem creſcens per omnia & ſarmenta ſua nouit, quæ in illa remanſerunt: & iuxta ſe quæ de illa præciſa ſunt. Inde tamen reuocat errantes, &c.* Ita Auguſtinus. Rectè igitur ipſe dixit in Pſal. 56. *Illi præciſi ſunt à compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, totum amittentes, volunt communicare orbi terrarum, quo diffuſa eſt gloria Chriſti. Nos autem Catholici in omni terra ſumus, quia omni terræ communicamus, quocumque gloria Chriſti diffuſa eſt. Videmus enim quod tunc cantatum eſt, modò completum: Exaltatus eſt ſuper cælos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria ipſius.* Hæc Auguſtinus. Sic verum eſt quod ipſe etiam in Pſ. 49. animaduertit, quod omnem terram ad ſe Chriſtus D vocauit; non autem vnam tantum partem. *Qui enim*, inquit Auguſt. *vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum, nullas reliquit partes quas non vocauerit, in ſua vocatione & Africam inuenit. Gaudeat ergo in vnitate, non ſuperbiat in diuiſione. Benedicimus quia vox Dei Deorum & in Africam venit, non in Africa remanſit. Vocauit enim terram à ſolis ortu vſque ad occaſum. Non eſt vbi lateant inſidiæ hæreticorum. Non habent in qua ſe vmbra falſitatis abſcondant. Nec enim eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Qui terram vocauit, & totam terram vocauit, tantam vocauit quantam fabricauit. Quid mihi exurgunt Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ? Quid eſt quod me verbis captioſis illaqueare moliuntur dicentes: ecce hic eſt Chriſtus; ecce illic eſt? Non audio contendentes partes.* E *Deus Deorum totum mihi oſtendit. Qui vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum, totum redemit: partes autem, id eſt calumniantes, condemnauit. Sed audieramus à ſolis ortu, &c. Vnde cæpit vocare qui vocauit? Et hoc audite: Ex Sion ſpecies decoris eius. Certè concordat pſalmus Euangelio dicenti: Per omnes gentes, incipientibus ab Ieruſalem, &c.*

Nunc verò quodnam habemus huiuſce amplitudinis in noſtro ſchemate ſymbolum? Solem certè totam Eccleſiam circumueſtientem. Sicut enim ſol omnes mundi partes colluſtrat, ita omnes qui ex corpore Eccleſiæ reperiuntur per totum orbem diffuſi, lumine claritatis vnius, eiuſdemque fidei ſunt participes. Quam conuenientiam addiſco ex Ireneo, l. 1. c. 3. dum verbis cedro dignis hanc Eccleſiæ amplitudinem deſcribit. *Hanc igitur prædicationem*

Digitized by Google

cum acceperit, & hanc fidem (quemadmodum prædiximus) Eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis, videlicet, quaſi vnam animam habens & vnum cor: & conſonanter hoc prædicat docet & tradit, quaſi vnum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; Neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ, ſed ſicut ſol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde præualet in ſermone, ex iis qui præſunt Eccleſiis, alia quàm hæc ſunt dicet. Nemo enim ſuper magiſtrum eſt. Neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem: cum enim vna & eadem fides ſit, neque is qui multum de ea poteſt dicere ampliat, neque is qui minus deminorat. Hæc Irenæus. Eſt etiam ſymbolum huius amplitudinis, quod lunam habeat hæc mulier ſub pedibus ſuis. Eſt enim, vt poſtea dicemus, luna omnium rerum mundanarum, quin etiam & regnorum terrenorum ſymbolum; denique in Prophetia de maſculo filio, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*, hæc amplitudo ſatis deſignatur. Ad vltimam vniuerſalitatis Eccleſiæ notam tranſeamus.

De quarta Catholicitatis Eccleſiæ nota, ſucceſſione videlicet Epiſcoporum, quæ verè dici poteſt Apoſtolica. §. 5.

Nihil tam euidenter probat Eccleſiam omnia percurriſſe tempora, à ſua inſtitutione per Chriſtum, quàm illa ſucceſſio Epiſcoporum, præcipuè in Romana ſede. Vnde meritò non ſolùm Catholica, ſed etiam Apoſtolica nominatur.

Hanc notam habet Bellarminus l. 4. c. 8. qua tamquam euidentiſſimo argumento vſi ſunt veteres, ad veram Eccleſiam oſtendendam. Iren. l. 3. c. 1. Tertull. l. de præſcrip. Euſebius in Hiſtoria; Hieronymus & Proſper in continuato Euſebij Chronico; Epiphan. Hæreſi 27. Optatus Mileuit. l. 2. contra Parmenium, & Auguſt. Epiſt. 165. ad Generoſum; & in Pſal. contra partem Donati, & libro contra Epiſtolam fundamenti c. 4. Et optimè ait Bellarminus: *Si tanti fecerunt veteres ad veram Eccleſiam oſtendendam continuationem 12. vel 22. aut 40. Pontificum; quanti nos facere debemus continuationem non interruptam Pontificum 200. & amplius; præſertim cum defeciſſe videamus alias Apoſtolicas ſedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam.*

Non poteſt certè Eccleſia eſſe ſine Paſtoribus, ex Cypria. Ep. l. 4. Ep. 9. Hieron. contra Luciferianos, iuxta illud Pauli Eph. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores, &c.* Soli autem hi ſemper habiti fuerunt veri Epiſcopi, qui ab Apoſtolis per legitimam ſucceſſionem & ordinationem deſcendiſſe oſtendebantur. Succedit autem verè Apoſtolis qui ſedem aliquam habet, in qua ſedebat olim quidam ex Apoſtolis. Sic Linus ſucceſſit Petro, Ioanni Polycarpus. Vel certè oportet vt ſuccedat alicui, quem aliquis Apoſtolus fecerit Epiſcopum; quomodo Ignatius ſucceſſit Euodio, & Anianus Marco, quos Petrus fecerat Epiſcopos; Vel demum ſi Epiſcopatus eſt nouus, vt fiat Epiſcopus ab eo qui habet Apoſtolicam authoritatem, qui eſt ſolus Romanus Pontifex, quia toti Eccleſiæ præeſt, & cui propriè cura incumbit Eccleſiam propagandi; quales fuerunt omnes Apoſtoli, Petrus quidem ex officio, & cæteri ex delegatione. Poſſunt etiam Patriarchæ & Metropolitani aliquando erigere nouos Epiſcopatus, ſi à ſede Apoſtolica facultatem habuerint. Ordinatur autem vt par eſt in

A Epiſcopum, qui à tribus Epiſcopis ordinatur, qui & ipſi ſunt ab aliis ordinati, & illi ab aliis, donec ad Apoſtolos veniatur, ex canone 1. Apoſt. Epiſt. 2. Anacleti Concil. Niceno. c. 4. & in Carthag. 4. c. 2. Et hi tres Epiſcopi vocantur à ſancto Paulo ad Tim. 1. c. 2. Presbyterium, id eſt cœtus Epiſcoporum, ita hunc locum exponentib. Chriſ. Theophilacto & Oecumenio; & Epiſcopi, imo ſummi Pontifices vocantur etiam Presbyteri ab Ireneo, Epiſt. ad Victorem apud Euſebium l. 3. Hiſt. c. 24.

Ex diſpenſatione, ad noui Epiſcopi ordinationem, vno Epiſcopo ordinante admittuntur duo Abbates infulati, qui vicem Epiſcoporum gerunt.

Cum igitur nec ſucceſſio, nec ordinatio talis ſit B apud Hæreticos, ſequitur illos non habere veram Eccleſiam, & conuenit eis quod Cyprianus ait l. de ſimplicit. Prælatorum: *Iſi ſunt qui ſe vltrò apud temerarios conuenas præficiunt, qui ſe Presbyteros ſine vlla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.*

Eligantur, vt voluit Brentius, à populo & magiſtratu ſi libuerit. At vbi eſt illorum ordinatio, quæ vltra electionem, quæ variis modis poteſt fieri, ſemper neceſſaria fuit? Cui, quæſo, Epiſcoporum ſucceſſerunt? Quis indicauit illos Epiſcopos, quorum authoritatem legitimam reiecerunt? Aut quis eos condemnauit, quaſi à fide defeciſſent? Quis illos inſtituit vt aliis ſuccederent? Nec dicendum A- C poſtolos non fuiſſe à Caipha ordinatos; quia nouum in eis exſurgebat Sacerdotium à Chriſto inſtitutum, & tranſlato Sacerdotio, legis fiebat tranſlatio; ita vt ſicut olim nulli erant veri Sacerdotes, niſi qui Aaroni ſuccedebant, ita nunc non ſunt veri Epiſcopi, niſi qui Apoſtolis ſuccedunt.

At ſucceſſio iſta, ſi in aliis Eccleſiis vel interrupta, vel neglecta, vel obſcura; clara eſt in ſede Romana. Vnde nec Ireneus, nec Optatus, nec Auguſt. nec Epiphanius, nec Euſebius ſuarum Eccleſiarum voluerunt texere ſucceſſionem, ſed Romanæ tantùm Eccleſiæ: & meritò, quia nulla alia ſedes, nec etiam Conſtantinopolitana (quæ qualemcumque poteſt à tempore Conſtantini habere ſucceſſionem) D poteſt ſuam texere ſucceſſionem à tempore Apoſtolorum, ſicut hoc clarum eſt fieri abſque negotio in ſede Romana. Et cum ſucceſſionem prædicamus, argumentum adfertur à nobis præcipuè, ad probandum non eſſe Eccleſiam vbi non eſt ſucceſſio: ex quo tamen non colligitur neceſſariò, ibi eſſe Eccleſiam vbi eſt ſucceſſio. Vnde licèt in Græca Eccleſia poſſet videri ſucceſſio, non ſtatim dicemus illam eſſe veram Eccleſiam; quia nimirum alio titulo ab Eccleſia Græci excluduntur, nempe quod conuicti ſunt de ſchiſmate & hæreſi, in tribus Conciliis plenariis, Lateranenſi, Lugdunenſi, & Florentino; ac præcipuè de hæreſi circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio. Addo illas ſedes habuiſſe per longa E tempora Epiſcopos hæreticos, proinde interrupta veterum ſucceſſio paſtorum in eis, quæ abſque vlla interruptione in Romana ſede videtur. Ita etiam contra eos qui hanc ſedem oppugnarunt, ſicut eam oppugnabat Donatiſtæ, antiqui Patres hoc argumento vſi ſunt, non eſſe videlicet reluctandum doctrinæ ac fidei illius ſedis, quæ per ſucceſſionem legitimam cernebatur eſſe Apoſtolicam, & ab Apoſtolo Petro fundatam. Vnde Auguſt. l. 2. contra Petilianum c. 51. *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet? Cur appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam.*

Huius notæ, quam Bellarminus ſic elucidauit, indicium habemus in noſtro ſymbolo, cum auditur vox de cœlo dicens: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius.* Nec enim

Digitized by Google

regnum eſſet propriè factum, ſi in vno tantum rege ſiſteret; ſed quia plurimi reges ſibi inuicem ſuccedunt, ideo regnum dicitur factum. Durat quippe quælibet Monarchia, quamdiu non deficiunt ſucceſſores iis qui antea regnum & Monarchiam obtinuerunt. Deinde cum 12. ſtellis hæc mulier ſit coronata, quibus & Apoſtoli & eorum ſucceſſores deſignantur, ſemper illa manet coronata, quia his qui Apoſtolis ſucceſſerunt alios videmus ſubſtitutos, qui tanta authoritate fulti, huic ſummæ authoritati ornatum & decorem ampliſſimum afferunt.

Hæ ſunt notæ quibus Eccleſia dignoſcitur. Eam vnam eſſe, & ſanctam, & Catholicam, & Apoſtolicam, ex noſtro ſymbolo addiſcimus. Alios adhuc habere caracteres, alioſque emittere ſplendores videbimus, dum expoſitionem huius capitis percurremus; verbi gratia, infælicem exitum perſecutorum, in deiectione draconis & Angelorum eius; Secundò proſperitatem credentium, in ſalute & virtute, & poteſtate Chriſti facta, & in lætitia ad quam prouocantur fideles; Tertio ſtudium placendi Deo, in laude eorum qui vicerunt propter ſanguinem agni, & in fuga mulieris in ſolitudine, vbi paſcatur; Quartò ſubiectionem poteſtatum mundi ſub regimine Eccleſiæ, tum ſi mulierem ſpectemus habentem lunam ſub pedibus, tum ſi audiamus Prophetiam de filio maſculo aſſerentem eum recturum eſſe omnes gentes ſub virga ferrea; Quinto denique honorem ſanctis redditum, in laude eorum qui vicerunt. Ex ſecundaria interpretatione iſtius ſymboli, quod quidam non ſolùm de Eccleſia, ſed etiam de Beatiſſima Virgine interpretantur, his fulgoribus manifeſtior redditur Eccleſia, vt cæcus ſit qui illius gloriam, ſanctitatem, veritatem, & authoritatem, ac Dei protectionem non agnoſcat.

Signum magnum.

Mulier amicta ſole. De muliere, nempe Eccleſia.

ANNOTAT. V.

AD pleniorem huius capitis explanationem, has authorum expoſitiones hîc adiungere non piget.

Signum magnum exiſtimat Primaſius eſſe, *ſapientiæ Dei humanam naturam, ſancto Spiritu operante, coniungi; & ex vtraque vnum eumdemque Chriſtum, mediatorem Dei & hominum, fieri, prædicari vel credi. Exiſtimatque vnum & idem eſſe cælum, templum in cælo; & mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus, id eſt Eccleſia Chriſto induta, propter eius dilectionem mutabilia cuncta calcans: neque enim mutabilibus rapitur, quæ ſtabili cohærens bono veraciter dicit: Mihi autem adiungi Deo bonum eſt.*

Et in capite eius corona ſtellarum duodecim, id eſt, Eccleſiæ. Duodenario Apoſtolorum numero primordia dicit fundatæ mox Eccleſiæ decorari. Hinc Pſalmus dicit: Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et erat prægnans, mente non venire, & clamabat in valle plorationis gemebunda: & quos parturit, parit, & iam genitos parturire non deſinit. Ita Primaſius.

Methodius in Sympoſio apud Andream Cæſarienſe. *Mulier ſole induta eſt Eccleſia. Quod autem nobis veſtis eſt, hoc illi lux eſt. Pari modo quod nobis eſt aurum & pretioſi lapides, hoc illi ſunt ſtellæ, & quidem cæteris præſtantiores & illuſtriores. Aſcendit hæc autem ſuper lunam, quia ſynagogam ſub pedibus proſtratam habet: cæterum per lunam eorum fidem metaphoricos deſignari putamus, qui per generationis lauacrum à corruptionis malo expiati ſunt. Siquidem humida, & aquea natura ex luna præcipuè dependet. Hæc autem parturit & regenerat;*

A *homineſque craſſos & animales in cæleſtes & ſpirituales transformare, ideoque ſimilitudini Chriſti conformare ſtudet.* Hæc Andreas ex Methodio.

Ambroſius: *Hæc mulier Eccleſiam deſignat, conſequens quippe erat vt poſt prædicationem Chriſti, eius forma deſcriberetur, quam prædicatio Chriſti genuit.*

Poſſumus autem per cælum hoc loco hunc mundum intelligere: per ſignum magnum, ſalutem magnam quam aduentus & prædicatio Chriſti mundo contulit; per ſolem vero Chriſtus deſignatur: Et mulier, itaque amicta erat ſole: quia fideles, ex quibus Eccleſia conſtat, in baptiſmate Chriſtum induunt, &c.

Per lunam verò, quam ſub pedibus ſuis habuiſſe viſa eſt, quæ creſcit & decreſcit, mundum iſtum poſſumus intelligere, quem Eccleſia deſpiciendo calcat, vt liberius ad cæleſtia
B *tendat. Sed quia luna noctem illuminat, melius mihi videtur vt per lunam ſacram ſcripturam intelligamus, ſine cuius lumine in nocte huius ſæculi per vias rectitudinis incedere non valemus, &c.*

Quæ etiam in capite ſuo coronam ſtellarum duodecim habuiſſe viſa eſt. Caput Eccleſiæ Chriſtus eſt: duodecim vero ſtellæ duodecim ſunt Apoſtoli. Poſſumus nihilominus per caput mentes fidelium intelligere. Mulier verò in capite coronam ſtellarum duodecim habuiſſe viſa eſt: quia mentes fidelium doctrina & actus Apoſtolorum, cum eos imitari ſatagunt, exornant.

Auguſtinus, ſeu Ticonius: *Et ſignum magnum, &c. Eccleſiam dicit partem ſuam; id eſt, homines fictos & ma-*
C *los Chriſtianos ſub pedibus habere. Et in capite eius corona ſtellarum duodecim. Iſtæ duodecim ſtellæ duodecim Apoſtoli intelligi poſſunt. Sole autem amicta ſpem reſurrectionis ſignat, propter illud quod ſcriptum eſt: tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, &c.* Ita Auguſtinus.

Rupertus ad antiqua tempora recurrit, licèt per mulierem intelligat Eccleſiam. *Hæc mulier ex tunc rectè dicitur amicta ſole, ex quo Chriſtum verum iuſtitiæ ſolem accepit in repromiſſione. Luna ſub pedibus eius, id eſt temporalium bonorum claritas ſub adminiſtratione eius; Luna namque pro ſui mutabilitate, rectè mundi huius bona mutabilia ſignificat, quibus ſtultus ſeruiens, ſapiens imperat:* Ita Rupertus.

Et in capite eius, &c. Quia in initio naſcentis Eccleſiæ
D *duodecim Patriarchæ, itemque in initio renaſcentis eiuſdem, duodecim Apoſtoli notiſſimi ac ſplendidi enumerantur,* &c. Ita Rupertus. Rurſus Andreas Cæſarienſis: *Hanc mulierem nonnulli Dei genitricem virginemque matrem per omnia ſanctiſſimam interpretati ſunt, quam ea omnia quæ ordine hinc conſequuntur prius perpeſſa autumant, quàm diuinus ille paruulus perfectè cognoſceretur.* Ita Andreas.

Nos, vt iam diximus, cum Primaſio, Methodio, Aug. ſeu Ticonio, Eccleſiam intelligimus, ſed iuxta ſtatum à Chriſto inſtitutum; qui talis eſt, vt ex ouibus & paſtoribus inferioribus, & ſuperioribus, ſiue ratione authoritatis, ſiue ratione ſpecialis ſanctitatis, Eccleſia conſtet: quæ ſole iuſtitiæ & ſpiritu veri-
E tatis induitur, tamquam clariſſima luce; cuius caput viſibile eſt ſummus Pontifex; corona, paſtorum ornatus, quo regium decus Eccleſiæ promoueatur, imo ſanctorum claritate illuſtratur: qui paſtores & ſancti vniuerſi in duodecim ſtellis ſignificantur. Nam duodecimus numerus eſt numerus vniuerſalitatem ſignificans, quo numero ſpecialius deſignantur Apoſtoli, qui & primitias ſpiritus acceperunt, & omnem authoritatis Eccleſiaſticæ plenitudinem à Chriſti plenitudine hauſerunt. Hæ ſtellæ portantur à capite, quia nullus erit in Eccleſia ſanctus, nulla legitima authoritate & poteſtate potietur, qui non fuerit cum viſibili capite Eccleſiæ coniunctus, & ab eo quodammodo fultus. Et meritò: quia tota authoritatis moles Eccleſiæ ab ea quæ eſt in capite fulcitur, ſuſtentatur & conſeruatur, ita vt nutare

videatur

Digitized by Google

videatur aliorum paſtorum authoritas, ſi authoritas capitis viſibilis Eccleſiæ concutiatur. Quod dum præſtat ornatur tamquam diademate, dum Deus eo medio vtitur, vt poteſtate ſua vti valeant ad tegimen gentium, & populorum, qui Chriſti fidem ſuſcipiunt. Ad illud enim caput dictum fuit: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Videntur hæ ſtellæ in aliquo capiti ſuperiores, ad deſignandam authoritatem ſummi Pontificis ab eorum pendere electione & deſignatione. At dum caput conſtituitur, eius officij & muneris eſt aliorum ſplendorem inuiolatum fouere, qua quidem ratione verè coronam habet in capite. Nam præcipuus honor, & claritatis ſplendor authoritatis Pontificiæ eſt, vt cæteros paſtores in officio contineat, & cum tanta ſapientia cuncta diſpenſet, vt liberè poſſint paſtores inferiores ſibi ſubditos regere, & ad finem ſupernaturalem dirigere.

Mulier igitur ſignificat Eccleſiam, non illam latentem electorum, quam ſolus ille inuenit & nouit, qui cognoſcit qui ſunt eius; ſed illa quæ facilè inueniri poteſt ab omnibus, quia ſupra montem poſita, quia ſole amicta, vt omnibus conſpicua ſit. In qua quidem ſunt electi, ſed alios etiam in ſinu ſuo complectitur, quæ eſt illa mulier, de qua Prou. 31. dicitur: *Mulierem fortem quis inueniet?* Certè ſi de electis ea intelligamus, nemo illam inuenire potuit niſi Chriſtus. Si eàm in ſtatu in quo poſita eſt conſideremus, nulla ei æqualis inueniri poteſt. Sapientia enim diuina hanc ſibi donum ædificauit, quam nullus alius ædificare potuit. Vtrumque ſenſum habet ſanctus Ambroſius in cap. 31. Prouerb. *Quare dictum eſt*, inquit S. Ambroſius, *Quis inueniet? Cum dici debuerit. Quis non inueniet? Veram tu ciuitatem ſupra montem poſitam vides: ſed vt ſupra montem poneretur inuenta eſt, quæ perierat. Quando illuſtrata eſt, quis eam non videt? Quando latebat, quis eam inueniſſet? Ipſa enim ciuitas eſt ipſa ouis vna, quam perditam paſtor quæſiuit, & inuentam gaudens in humeris reportauit. Ipſe paſtor mons eſt: ouis autem in humeris eius, ciuitas eſt ſupra montem. Facile eſt vt videas collocatam in monte. Quando eam inueniſſes, cum lateret in vepribus, in ſpinis, vtique delictorum ſuorum? Ibi eam quæſiſſe magnum eſt: ibi eam inueniſſe mirabile eſt. Hac difficilis eius inuentio commendatur cum dicitur: Mulierem fortem quis inueniet? Quis enim, quia vnus; non quia nec vnus. Nam dixit Ioannes Apoſtolus: Nemo dignus inuentus eſt, neque in cælo, neque in terra. Sed reſponſum eſt tamdem: Vicit leo de tribu Iuda. Sic ſolus inuenit eam.* Ita Ambroſius loquens de Eccleſia, vt in ea potiſſimum ſicut electi. At vt dignitate & authoritate fulget, dicit illam non poſſe inueniri, quia nulla alia congregatio illi æqualis reperietur: *Modò*, inquit poſtea Ambroſius, *cum auditis: Mulierem fortem quis inueniet? Nolite putare de Eccleſia dici, quæ latebat; illam enim ſolus inuenit Deus, ſicut dixit Apoſtolus: Cognouit Dominus qui ſui ſunt; ſed de Eccleſia, quæ iam inuenta eſt, vt neminem lateat. Hæc ergo deſcribatur, laudetur, commendetur: eſt enim vnius vxor, vt ſcribit Apoſtolus ad Epheſios dicens: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Eſt quoque mater, ſicut dictum eſt: Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra, & multorum filiorum: quia multi filij deſertæ. Mulierem ergo fortem iam inuentam, iam conſpicuam, iam ſupra montem poſitam, æqualem iſti quis inueniet? Quaſi dicat: Nullus.* Hæc Ambr. Iuxta cuius mentem dico S. Ioannem nobis in hoc ænigmate proponere Eccleſiam, non vt inueniendam, ſiue de inuentione electorum, vt in abſcondiis conſiliis diuinæ prædeſtinationis; verba faciamus ſiue etiam opus tam admirabile, quale eſt ædificatio & ſtructura illa viſibilis Eccleſiæ & congregationis fidelium, conſideremus; ſed vt inuentam, vt iam à (A) Chriſto inſtitutam, in Apoſtolis & fidelibus palam & publicè nomen illius confitentibus. Hanc hic Ioannes deſcribit, laudat, commendat, dum ait: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole;* & talem proponit, vt meritò dicatur nullam ei ſimilem aut æqualem poſſe inueniri.

Apparet autem hîc Eccleſia, non tamquam virgo propter incorruptionem & integritatem fidei, ſed quaſi nupta, vtpote Chriſti ſponſa, ad parturitionem properans; quin & quaſi orba marito, & vidua, dum ad tempus in deſertum cogitur ſecedere: *Quæ amiſit*, vt loquitur ſanctus Ambroſ. l. de viduis, *quidem virum ſecundum corporis paſſionem, ſed in die iudicij filium hominis, quem amiſiſſe viſa eſt, receptura.* Ita (B) Ambroſius.

Amicta eſt ſole, quia induta Chriſto, veſtita luce cæleſti. Duobus modis veſtitam agnoſcimus Eccleſiam. Primo modo veſtitur præuenta benedictionibus, dum luce diuina & gratia cæleſti, qua Chriſtum induit, gratuitò decoratur in baptiſmo, exuta veteri veſte, qua ſecundum veterem hominem induta erat, vt induat *nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* Hac de cauſa Cant. 5. vt notat S. Ambroſius, l. 3. de virginibus, dicitur: *Inuenerunt eam cuſtodes & vulnerauerunt eam, & tulerunt ei pallium, hoc eſt, actus corporalis inuolucrum ſuſtulerunt, vt nuda mentis ſimplicitas quæreret Chriſtum: quia nemo poteſt amictu veſtitus Philoſophiæ, in habitu ſcilicet ſapientiæ ſæcularis (C) Chriſtum videre. Et benè tollitur ei amictus Philoſophiæ, ne quis eam per Philoſophiam deprædetur. Benè tollitur ei pallium, quæ ad Chriſtum propinquat, vt Deum viſura mundo corde gradiatur: Beati enim mundo corde, quia ipſi Deum videbunt.* Hæc Ambroſius. Hac igitur veteri veſte actuum carnalium, & inanis Philoſophiæ, exuta: ſole, id eſt, Chriſto, ſeu cæleſti luce perfunditur in baptiſmo, dum ſpiritu veritatis obumbratur.

At ne exiſtimes illam fruſtra tanto amiciri ſplendore, otioſa certè non remanet. *Vndique mundum ſpoliat, rapit vndique trophæa Diabolo*, inquit S. Ambroſius in cap. 31. Prouerb. *Ideo dicit viro ſuo, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo: Exultio ego in verbis tuis, ſicut qui (D) inuenit ſpolia multa. Quemadmodum ſpoliis indigebit, quæ vndique rapit, vndique trahit, vndique acquirit, vndique operatur bona? Ideoque ſequitur: Operatur enim viro ſuo bonum, & non malum, tota vitá. Hinc mulier iſta, quia expoliat mundum, rapit gentes, totá vitá operatur bonum, verùm non ſibi, ſed viro, vt quæ iam non ſibi viuat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit. Viro ergo operatur bonum, illi ſeruit, illi deuota eſt, illum diligit, illi placere ſemper ſtudet, non ſe ornat, nec propter ſuos nec propter alienos oculos, non quærit hominibus placere, non quærit quæ ſua ſunt; operatur omnia viro ſuo.* Ita Ambroſius. Sed quæſo, per quas manus, quorumue miniſterio vtitur, vt rapiat gentes? Habet coronam in capite; Apoſtolorum, Epiſcoporum, ſanctorum (E) operá ad Chriſti obſequium attrahit omnes gentes. Vnde pretioſiùs illis ornatur, quàm ſi coronam lapillis prætioſis compactam geſtaret. *Sunt*, inquit Ambroſius, *in Eccleſia lapides pretioſi, & ſemper fuerunt docti, abundantes ſcientia & inſtitutione legis. Pretioſi planè lapides iſti ſunt, ſed ex eorum numero aberrauerunt quidam, & ab ornamento mulieris iſtius deciderunt. Quantum enim pertinet ad doctrinam, vnde hæc mulier fulget, lapis prætioſus erat Cyprianus; & manſit in huius ornamento: lapis pretioſus erat Donatus, ſed reſiliuit à compage ornamenti. Ille qui manſit in ea, ſe amari voluit: ille qui inde exceſſus eſt, extra illam nomen ſibi quæſiuit. Ille permanens cum illa, ad illam collegit; ille reſiliens, non colligere, ſed diſpergere concupiuit.* Hæc Ambroſius. Vides lapides vtiles ad opus, dum Eccleſiæ capiti coaptantur & coniunguntur; inutiles prorſus, & non

Digitized by Google

lapides veri (de quibus Petrus 1. c. 2.) ſi à corona excidant. *Reſpondebitis fortè*, inquit poſtea Ambroſ. *Quid enim? Tu ſic intelligis quomodo ille? Tu ſic loqueris quomodo ille? Aut tu doctior es illo? Sed ſic licet intelligens ſit, licet doctus ſit, licet lapis pretioſus, ſi non ſit in ornamento huius mulieris, ſordeſcit, iacet in tenebris. Oportet permanere in veſtimento huius mulieris, quæ pretioſior eſt lapidibus pretioſis. Redeat ergo ad compagem ornamenti eius. Ego fidenter dico: iſti lapides dicuntur pretioſi, quia charitate valent. Iam vilis eſt, iam pretium perdidit, qui non habet charitatem. Iactet quis doctrinam ſuam, iactet linguam, ſi audit æſtimatorem verorum lapidum, ſi artificem huius ornamenti, non pretioſus ſed vilis reputabitur lapis. Audis dicentem Apoſtolum: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Vbi iam lapis ille? Non lapis, ſed cymbalum: non fulget ſed tinnit. Ergo, negotiatores regni cælorum, diſcite æſtimare lapides pretioſos: nullus lapis placeat vobis extra huius mulieris ornamentum.* Hæc Ambroſius. Quia igitur authoritas Pontificia fulget miniſterio tot paſtorum, tot ſanctorum, per quos regnare in Eccleſia agnoſcitur, ideo rapit ad Chriſtum gentes, quibus præparat per paſtorum vigilantiam operiménta lanea & linea, id eſt opera bona & exteriora & interiora, dicente Ambroſio (hæc verba iuxta verſionem 70. interpretum exponens: *Filans lanam & linum fecit vtilia manibus ſuis.*) *Operari*, inquit, *carne, & non operari ſpiritu, quamuis bonum videatur, vile non eſt. Operari verò ſpiritu & non operari carne, pigrorum eſt. Inuenis hominem porrigentem manu eleemoſynam pauperi, de Deo tamen nec cogitantem, ſed hominibus placere cupientem; lanea veſtis eſt, quæ videri poteſt, interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicentem tibi: Sufficit mihi in conſcientia mea Deum colere, Deo ſeruire. Quid mihi eſt opus in Eccleſiam ire, aut viſibiliter miſceri Chriſtianis? Lineam vult habere, ſine lanea tunica. Non nouit, non commendat talia opera mulier iſta: docenda ſunt hæc ſpiritualia, ſed doceri ſine carnalibus non poſſunt. Illi tamen qui recipiunt, debent tenere ſpiritalia, & carnalia ſpiritaliter operari.* Ita Ambroſius. Quod quidem dum grauiter præſtant, & ſedulò peragunt Eccleſiæ prælati, alio modo veſtiuntur, nempe integritate morum, & confeſſione fidei, ac inuicta patientia in laboribus ſuis. *Byſſus & purpura indumentum eius. Veſtimenta itaque fecit & ſibi: non enim decebat tot filiorum matronam, tanti viri coniugem, vel nudam vel pannoſam incedere. Fecit de byſſo & purpura indumenta ſibi; de byſſo, propter candidam confeſſionem: de purpura, propter glorioſam paſſionem.* Ita Ambroſius. At quem confiteri debet, non tantùm voce, ſed etiam moribus, illum imitando? Propter quem tot labores ſuſcipere, tot paſſiones ſubire intendit? Propter eum nempe, cui binas veſtes fecit. *Operatur ergo*, inquit Ambroſius, *viro ſuo duplices veſtes. Iam acclamatis: agnoſcitis enim quæ ſint binæ veſtes, quas Eccleſia facit viro ſuo, veſtes nempe fidei confeſſionis, & prædicationis. Dicuntur vero binæ, quia Chriſtum Deum & hominem confitetur.* Ita Ambroſius. Hoc intendit Eccleſia. Ad hoc ſpectant eius ſtudia & labores, vt Chriſtus Deus & homo agnoſcatur, & tabis ab omnibus agnitus, vniuerſis gentibus dominetur. Vnde lunam habet ſub pedibus: ad hoc enim coronatur authoritate Pontificia, & dignitate ſacerdotali, vt cuncta ad Chriſti nomen incuruentur imperia. *Bona coniux*, inquit Ambroſius, *virum ſuum Dominum vocat, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dicebat Petrus Apoſtolus, Dominum eum vocans: bona, inquam, coniux, non ſolum vocat virum ſuum Dominum, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore: tabulas matrimoniales inſtrumenta emptionis ſuæ deputat.* Hæc Ambroſius. Quæres igitur quomodo ſit grauida, & in vtero habens? Quomodo clamat parturiens, & cruciatur vt pariat? Reſpondeo: Hoc grandi fœtu grauida eſt, dum ſummoperè deſiderat Chriſtum regnare in terris, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in cœlis. Vis ne audire eius, de tam exoptato partu, deſideria & clamores? Act. 1. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos: & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Ac ſi diceret: Non eſt veſtrum noſſe quando tantum opus perfectè & abſolutè adimplebitur, vt Rex Regum & Dominus dominantium ab omnibus agnoſcar: ſed interim veſtri eſt muneris, hoc opus, quantùm in vobis erit, promouete: dum per omnem terram qualis & quantus ſit, hominibus annunciabitis: & de me teſtimonium perhibebitis. Clamate abſque ceſſatione, quaſi tuba exaltate vocem veſtram; vt mulier parturiens triſtitiam habebitis, & angoribus & clamoribus aërem replebitis: ſed confidite: Ego vici mundum. Hoc veſtrum tamdem adimplebitur deſiderium, & in nomine Ieſu omne genu flectetur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Viſne adhuc audire clamores parturientis Eccleſiæ? Act. 4. audite orationem fidelium. Poſtquam enim minis eiecti ſunt Apoſtoli à principibus ſacerdotum, & à ſenioribus, & prohibiti ſunt de Chriſto loqui: *Et vocantes eos denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu.* Quod cum Apoſtoli retuliſſent cæteris fidelibus, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum & dixerunt: *Domine, tu es qui feciſti cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt: qui Spiritu ſancto, per os Patris noſtri Dauid pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſum Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri. Et nunc, Domine, reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuum extendas ad ſanitates & ſigna, & prodigia fieri, per nomen ſancti filij tui Ieſu, &c.* Quod cum Apoſtoli & eorum ſucceſſores fideliter præſtiterunt, tunc verè luna ſub pedibus Eccleſiæ apparuit, dum omnia temporalia quaſi ſtercora Eccleſia ſpreuit: quæ omnia detrimentum fecit, vt Chriſtum lucrifaret. Sed etiam omnes ſæculi poteſtates, omneſque reges, quorum dominatio per lunam deſignatur, vt alibi diximus, ſuo ſubiecit imperio.

Admitti poſſet interpretatio Alcazaris, dum vult lunam hic denotare Chriſti humanitatem, Eccleſiam fulcientem: ſed cum habeat Eccleſia ex ſolis amictu, quidquid tali ſignificatione lunæ deſiderare poſſet, fruſtra duo ſymbola mihi videntur adhiberi, ad vnam & eamdem rem, in vno & eodem ſchemate deſignandam.

Ideo dico: Sicut in ſtellis ſancti & Epiſcopi optimè ſignificantur, propter conuenientias ſupra allatas, & maximè quia ex Daniele, qui ad iuſtitiam erudiunt multos, comparantur ſtellis; ſicut ſol ſignificat Chriſtum quem induimus, dum gratia cæleſti ornamur, vel etiam Spiritum ſanctum omnem veritatem Eccleſiæ reuelantem, eamque continuo aſſiſtentem, ita in luna omnia terrena dicimus ſignificari, quæ ſunt ſub pedibus Eccleſiæ, vel quia calcantur per eorum contemptum, vel quia ei ſubjiciuntur per obedientiam, vel quia tandem etiam ipſa imperatoria, & Regia Maieſtas à Deo ordinatur, vt Eccleſiam temporalibus donis, ac ſubſidiis, & auxiliis fulciat & ſuſtentet, ſicut fecerunt plurimi

Digitized by Google

Imperatores ac Reges, pietate Chriſtiana præcipuè inſignes. Nec abſurdum eſſe dicas quod caput mulieris ſummum Pontificem deſignare dicamus, ſi perpendas hanc mulierem typum eſſe Eccleſiæ viſibilis ac militantis: cuius ſicut corpus eſt viſibile in omnibus fidelibus è quibus conſtat, ita caput debet eſſe viſibile: quod quidem nullum aliud eſſe poteſt quàm Romanus Pontifex, in cuius autoritate tota autoritas aliorum paſtorum includitur, cum ab eo, tanquam à fonte & origine, prodeat; Petroque pro omnibus dictum ſit: *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ſolueris per terram erit ſolutum & in cælis*; ſintque vocati in partem ſollicitudinis illius, quam erga vniuerſam Eccleſiam ſupremum caput exercere debet: ad quem dictum fuit: *Paſce oues meas: Paſce agnos meos*: vnde alios inſtituit, deponit, reſtituit, vt videre eſt apud Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. c. 18. Denique omnis ordinaria iuriſdictio Epiſcoporum à Papa immediate deſcendit, vt probat idem Bellarmin. l. 4. de Rom. Pontifice c. 24.

Luna ſub pedibus.

Qua ratione temporales dignitates, Eccleſiæ dignitati ſubjiciantur, & eadem Eccleſia ab iis fulciatur ac ſuſtentetur.

ANNOTAT. VI.

CVM per lunam video mutabilia & terrena ſignificari, eamque pedibus Eccleſiæ ſubſterni, non dubito ſanctum Prophetam ad ea ſpectare quæ dicuntur, Act. 2. *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Act. 4. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quiſquam egens erat inter illos: quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Hoc etiam fecit, vt ibidem refertur, Barnabas Leuites, Cyprius genere: *Cum haberet agrum vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Quid, quæſo, eſt Eccleſiæ, niſi habere lunam, rerum fluxarum ſymbolum, ſub pedibus ſuis?

Nec exiſtimandum hanc praxim ceſſaſſe in Eccleſia, reipſa reclamante in contrarium; cum & Regna & Principatus, & ciuitates, & prædia & poſſeſſiones tot obtineat Eccleſia, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus & fidelibus ditata, vt ceruicoſus eſſet qui negaret ad eius pedes etiam temporalia bona ſubſterni, vt de iis ad pios vſus ad libitum diſponat. Viguit hæc fidelium deuotio, itaut in dies auctæ fuerint Eccleſiæ opes. Lege Prudentium de ſancto Laurentio agente; Epiſtolam Dionyſij Epiſcopi Corinth. apud Euſebium lib. 4. c. 23. Ammianum Marcellinum Romanæ Eccleſiæ opulentiam inuidioſè reprehendentem, & omnes autores qui de donationibus Eccleſiæ factis mentionem faciunt, anno. 432. Conqueritur Celeſtinus Papa, apud Theodoſium iuniorem vaſtatas fuiſſe opulentiſſimas poſſeſſiones, à Proba piiſſima fæmina Eccleſiæ donatas. Congratulatur S. Gregorius Exarchæ Africæ Gennadio, quod fructuoſas reddidiſſet quaſdam Eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones in ſua præfectura ſitas, quin & idem S. Gregor. lib. 7. Epiſt. 1. ad Sabinianum Diaconum, nunciaturam pro eo apud Imperatorem Conſtantinopolitanum agentem, ſcribit tantam ſibi ineſſe poteſtatem, vt ſi per vim voluiſſet cum Longobardis agere, ipſi nec Regem, nec Ducem, nec Comitem haberent. Benè igitur Cyrillus

A Ieroſolym. Catecheſ. 18. docet circa Eccleſiæ primordia Deum durante perſecutione coronaſſe martyres, plurimis & inſignibus patientiæ coronis; at pace reddita Eccleſiæ, Chriſto fauente, Eccleſiam tunc frui honore ſibi debito, dum à Regibus, dum à Principibus, aliiſque viris inſignioribus in pretio & reuerentia habetur præcipua. Equidem Regum poteſtas certis quibuſdam clauditur terminis: at Eccleſiæ maieſtas nullis coarctatur aut circumſcribitur limitibus. Paulus Diaconus teſtatur circa annum 704. Aripertum Longobardorum Regem ſedi Romanæ in donum obtuliſſe Montem qui Senis dicitur, cum cæteris Alpibus, qui iam antea ad ſedem Romanam pertinebant; quin & literas ſuæ do- B nationis aureis caracteribus ſcriptas Ioan. 7. tranſmiſiſſe, quod, teſte Oldrado, eius ſucceſſor Luitpractus confirmauit. Pontificante Gregorio 3. circa annum 740. Iay Angliæ Rex Regnum ſuum tributarium fecit Eccleſiæ Romanæ, vt teſtatur Polidorus Virgilius, quod quidem à multis ſucceſſoribus ſuis confirmatum fuit: quod quidem tributum ſolutum fuit, donec ſchiſma fuerit exortum, cuius tributi ipſemet fuit collector, à Papa ad id obeundum miſſus; & illius tributi pecunia argentum ſancti Petri vocitabatur. Paulò poſt Offa Rex Merciorum, Regis Iay pietatem ſequutus, Regnum Merciorum tributarium ſedis Romanæ reddidit, vt idem Polydorus refert. Leo Oſtienſis refert Pipinum Franco- C rum Regem, Atitalpho Longobardorum Rege ſuperato, Papæ Stephano reſtituiſſe Exarchiam Rauennenſem, plurimas etiam Italiæ vrbes illi dediſſe, &, Corſæ inſulam, literis donationis à ſe, & à filiis & primoribus ſubſignatis, circa an. 753. Extant adhuc Epiſtolæ Grego. 7. ad Bohemiæ Ducem Vratiſlaum, quibus fidem faciebat ſe recepiſſe pro ſolutione tributi ſui ducatus, centum argenti pondera, per manus ſui nuncij, an. videlicet 1075 Idem Gregorius 7. Salomoni Regi Hungariæ an. 1075. literas direxit, quibus in memoriam illius reuocabat donationem illius Regni, quam an. 1000. Rex Stephanus deuotione ductus ſedi Romanæ obtulit, cum omnibus ſuis iuribus & pertinentiis. Idem ſummus Pontifex D ann. 1073. monet Principes, qui ex manibus & poteſtate Maurorum eripere volebant Hiſpaniam, iam à multis retro annis Hiſpaniam eſſe ſub ditione Romanæ Eccleſiæ, & ad eam pertinere. Et antea an. 1013. Boleſlaus Poloniæ Dux apud Benedictum 8. rationem reddit, cur tributum, quod ſoluere ſolebat, S. Petro non ſoluiſſet, nempe propter inſidias hoſtium graſſantium. Et an. 1076. cum Demetrius Dux Crantiæ, & Dalmatiæ, Regis titulum aſſumpſit, in ſynodo habita apud ciuitatem Solonem eiuſdem Dalmatiæ, in qua præſidebant legati Apoſtoli, ex conſenſu Primatum Regni, ſe Vaſallum ſancti Petri profeſſus eſt, ſuumque Regnum illius Eccleſiæ tributarium reddidit. Anno. 1070. Comitiſſa Ma- E thildis Toſcaniam & Genuenſem ditionem ſedi Romanæ obtulit. Anno. 1080. Robertus Guiſcardus præſtitit homagium ſedi Romanæ pro Sicilia, Apulia, & Calabria, quæ iam à multis annis ad ſedem pertinebant Romanam: quin & iuramento ſe obſtrinxit in poſterum tributum eſſe ſoluturum. An. 1081. Comitatus Prouinciæ Gregorio 7. datus fuit, fidelitatiſque iuramentum etiam tunc temporis præſtitum. Cumque anno 1087. à Genuenſibus, & Piſanis, & aliis Italis Africa fuiſſet ſubacta, eam tributariam reddiderunt ſedi Romanæ: quin & anno 1091. Berengarius Barcinonæ Comes Vrbano ſecundo dedit Taragonenſem vrbem cum ſuis pertinentiis, quam à Saracenis abſtulerat, & pro ea tributum ſe ſoluturum promiſit. Sic Alphonſus Portugalliæ dux ducatum ſuum Lucio ſecundo obtulit,

Digitized by Google

quatuorque auri vncias ſe præſtare annuatim pro
tributo repromiſit. Hibernia iam à multo tempore
ad ſedem pertinebat Romanam, cum Henricus
primus Angliæ Rex egit cum Adriano ſexto vt eam
occupare poſſet, ea conditione quod ibidem ſancti
Petri denarium ſolueretur, ſicuti in Anglia ſolue-
batur. Petrus primus Aragoniæ Rex, cum conſen-
ſu Principum & nobilium, Regnum Aragoniæ tri-
butarium reddidit ſedi Romanæ, an. 1204. ſedente
Innocentio quarto. Et vt refert Bernardus eius æui
ſcriptor, tributum ſtatutum erat ducentarum vn-
ciarum auri. Clemens ſextus à Ioanna filia Rober-
ti Regis Siciliæ, obtinuit ciuitatem Auenionenſem.
Anno 1075. Ruſſia in ditionem venit ſedis Roma-
næ. Hæc à nobis afferuntur vt videas noſtram inter-
pretationem non eſſe reiiciendam, qua aſſerimus
lunam ſub pedibus mulieris deſignare illam non
modo autoritatem, quam in rebus ſpiritualibus ha-
bet ſummus Pontifex in omnes nationes & mundi
principes, ſed etiam illam quam habet aliis titulis,
v. g. donationibus, in multa ſiue regna, ſiue princi-
patus, aut terrenas poſſeſſiones. Quod præuidere ac
prophetare non fuit alienum à maieſtate huius pro-
phetiæ, cum videamus eadem fuiſſe multo ante ab
Iſaia prædicta cap. 60. Omitto enim illam ſenten-
tiam quam tractat Bellarm. l. 5. de Romano Ponti-
fice c. 6. Papam videlicet habere temporalem po-
teſtatem indirectè. Etſi enim nullam habeat vt Pon-
tifex, tamen illam habet in ordine ad bonum ſpiri-
tuale. Ad hunc auctorem lectorem remitto, mihi-
que ſufficit, quod quacumque ratione terrena poſ-
ſideat, aut in ea poteſtatem aliquam exerceat, aut
de eis diſponat, manet noſtra interpretatio firma &
ſolida: quoquo modo enim fiat, habet lunam ſub
pedibus, dum de temporalibus poteſt diſponere, &
per eadem temporalia principum liberalitate foue-
ri ac ſuſtentari, iuxta ea quæ apud Iſaiam illi pro-
miſſa fuerunt c. 60. *Me enim inſulæ expectant, & naues
maris in principio, vt adducam filios tuos de longe, argen-
tum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Dei tui, &
ſancto Iſrael: quia glorificaui te. Et ædificabunt filij pere-
grinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi,
&c.* En luna ſub pedibus, nempe autoritas regia ad
miniſtrandum Eccleſiæ, vt eam fulciat deſtinata.
Vnde poſtea ſubdit Propheta: *Ponam te in ſuperbiam
ſeculorum, gaudium in generationem & generationem, &
ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, &c.*

Non igitur ſolum Eccleſia habet terrena ſub pe-
dibus, quia poſſeſſiones fidelium illi offeruntur,
quia eſt capax dominij temporalis in regna & prin-
cipatus, aut etiam quia habet hanc poteſtatem in
temporalia indirectam, de qua agit Bellarminus;
ſed etiam quia fulcitur & ſuſtentatur per bonos &
pios Imperatores, qui illi parent & obediunt, ſuam-
que poteſtatem & autoritatem impendunt, vt de-
creta Eccleſiæ fideliter obſeruentur, eiuſque man-
datis obtemperetur. Quod faciendum eſſe agnouit
Ludou. 11. Rex Franciæ, vt patet ex literis eius datis
Turonis, die 27. menſis Nouemb. anno 1461. dire-
ctis Pio ſecundo ſuper reuocatione pragmaticæ ſan-
ctionis, quæ literæ lectæ fuerunt in Concilio Late-
ranenſi ſub Iulio 2. ſeſſ. 4. in quibus literis ſummum
Pontificem agnoſcens *totius Eccleſiæ principem, ſacro-
rum antiſtitem, Dominici gregis paſtorem, Te*, inquit, *iu-
bentem ſequimur, tibi & beatiſſimi Petri Cathedræ conſen-
timus & iungimur.* Poſt reuocationem pragmaticæ
ſanctionis tandem ait. *Vtere, igitur deinceps in regno
noſtro poteſtate tua vt voles, atque illam exerce. Nam vt
hominum membra nulla contentione capite vno, atque vna
mente ducuntur, ſic tuis ſacris decretis Eccleſiæ prælati in
regno noſtro & Delphinatu conſonantiam & obedientiam
plenam reſundent. Quod ſi forte obnitentur aliqui, aut*

A *reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuæ Beatitudini
atque promittimus exequi facere tua mandata, omni ap-
pellationis aut oppoſitionis obſtaculo prorſus excluſo, eoſque
qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iuſſu comprimemus &
refrenabimus.* Datæ Turonis ſub magno ſigillo
&c. Quod cum exequuntur Chriſtiani prin-
cipes, vt plurimum multis implentur muneribus.
Quod de Conſtantino Magno notat S. Auguſt. 5.
de ciuitate c. 25. quem Deus tantis terrenis impleuit
muneribus, quanta optare nullus auderet. Diu im-
perauit; triginta annis, ex Oroſio, vniuerſum orbem
Romanum vnus Auguſtus tenuit & defendit: in ad-
miniſtrandis & gerendis bellis, victorioſiſſimus fuit.
In Tyrannis oprimendis (Maxentio videlicet & Lici-
nio) per omnia proſperatus eſt: grandæuus ægritu-
B dine & ſenectute defunctus eſt: filios imperantes
reliquit, nempe Conſtantium, Conſtantinum, &
Conſtantem. Talis etiam fuit Theodoſius ſenior,
de quo Auguſt. eodem lib. c. 26. vt in prælio, Deo
ita diſponente, vehemens ventus in aduerſarios iret,
& non ſolum quæcumque in eos iaciebantur con-
citatiſſimè raperet, verum etiam ipſorum tela in
eorum corpora retorqueret, vt ait Aug. Talis fuit
Honorius verè Catholicus, & Romano Pontifici
addictiſſimus: nam vt refert S. Auguſt. l. 5. de ciui-
tat. c. 13. *cum Rhadagaiſus Rex Gothorum, cum agmine
immani in vrbis vicinia conſtitutus, Romanis ceruicibus
immineret, vno die tanta celeritate ſic victus eſt, vt ne vno
C quidem non dicam extincto, ſed nec vulnerato Romano-
rum, multo amplius quam centum millium proſternerentur
eius exercitus, atque ipſe cum filiis mox captus pœna debita
necaretur.* Ita Aug Honorio nempe imperante. Si-
milia exempla lege apud Bellarm. l. 4. de notis Ec-
cleſ. c. 8. itaur bene dixerit Auguſt. felices illos Im-
peratores eſſe dicendos, non quia vel diutiùs impe-
rarunt, vel imperantes filios morte placida reli-
querunt, vel hoſtes reipublicæ domuerunt, vel ini-
micos ciues aduerſus ſe inſurgentes & cauere & op-
primere potuerunt, *Sed*, inquit Auguſt. *felices eos di-
cimus ſi iuſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter hono-
rantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non
extollunt, ſed ſe homines eſſe meminerint, ſi ſuam poteſta-
D tem ad Dei cultum maximè dilatandum maieſtati eius fa-
mulam faciunt.* Ita Aug. l. 5. de ciuit. c. 24. Aduerte,
Lector Lunam ſub pedibus Eccleſiæ ab Auguſtino
deſignatam, dum ait: *Si ſuam poteſtatem ad Dei cultum
maximè dilatandum, maieſtati eius famulam faciunt.*
Nam dum ita agunt, certè affectibus piis, Eccleſiæ,
quæ ad hoc inſtituta eſt, vt cultum Dei promoueat
& dilatet, piè obſequuntur, & tanquam ad pedes
Eccleſiæ proſtrati, illam & fulciunt & ſuſtentant,
dum eorum autoritas & poteſtas impenditur, vt
Deus iuxta Eccleſiæ vota & deſideria timeatur, &
colatur ab omnibus. Alias conditiones boni Impe-
ratoris, ex Auguſtino per tranſennam adducimus,
dum ait: *Si Deum timent, diligunt, colunt; ſi plus amant
E illud regnum, vbi non timent habere conſortes; ſi tardius
vindicant, facile ignoſcunt, ſi eamdem vindictam pro ne-
ceſſitate regendæ, tuendæque reipublicæ, non pro ſaturandis
inimicitiarum odiis exercent; ſi eamdem veniam, non ad
impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indul-
gent; ſi quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſeri-
cordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi
luxuria tanto eſt eis caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior;
ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuſlibet gentibus
imperare: Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem
inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: ſi
pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis
ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales
Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices, interim ſpe,
poſtea reipſa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.*
Ita Aug. Certe ſi quis talis fuerit, proculdubio

Digitized by Google

fulciet & tuebitur Eccleſiam. Hoc enim proprium A eſt ſtatui Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtituto, & his temporibus reſeruato, vt omnis poteſtas ſubiugaretur iugo Chriſti. Docet hoc Auguſt. Hom. 35. *In omnibus ſcripturis diuinis, frates chariſſimi, Chriſtianorum tempora prædicta ſunt. Hoc ideo quia futurum erat vt Reges terræ, qui propter idola perſequebantur Chriſtianos, propter Chriſtum idola delerent, & ſubiugaretur omnis poteſtas iugo Chriſti, vt impleretur quod dictum eſt: Vltus ſum in eos, &c. Occidendo in eis errorem, ſuſcitando fidem.* Ita Auguſt.

Qui fuſiùs hoc Eccleſiæ Chriſtianæ priuilegium explicat. Epiſt. 48. *Non inuenitur exemplum in Euangelicis & Apoſtolicis literis, aliquod petitum à regibus terræ pro Eccleſia contra inimicos Eccleſiæ. Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur illa Prophetia: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Pſalmo paulò ſuperiùs dicitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum. Veruntamen ſi facta præterita in Propheticis libris, figuræ fuerunt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonoſor, vtrumque tempus figuratum eſt, & quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorum & Martyrum, illud implebatur quod figuratum eſt, quando Rex memoratus pios & iuſtos cogebat adorare ſimulachra, & recuſantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur quod paulo poſt in eodem rege figuratum eſt, cum conuerſus ad honorandum Deum verum, decreuit in regno ſuo vt quicumque blaſphemaret Deum verum Sidrac, Miſac & Abdenago, pœnis debitis ſubiaceret. Prius ergo tempus illius regis ſignificabat priora tempora regum infidelium, quos paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis. Poſterius verò tempus illius regis, ſignificauit tempora poſteriorum regum iam fidelium, quos patiuntur impij pro Chriſtianis.* Hæc Aug. Epiſt. 48. de vi corrig. hæret. Vides ne lunam mulieri amictæ ſole inſeruientem? Reges quidem ſunt, ſed Eccleſiæ membra, ſed gregis Chriſtiani oues, quos cum Gregorio Nazianz. orat. 6. taliter alloqui poſſumus: *Vos oues, nolite paſcere paſtores, neque ſuper terminos eorum eleuemini. Satis eſt enim vobis ſi rectè paſcimini. Nolite iudicare iudices, nec legem feratis legiſlatoribus. Deus enim nequaquam eſt Deus ſeditionis & confuſionis, ſed ordinis & pacis. Nemo igitur caput ſit, qui vix manus aut pes eſſe poſſit, ſiue membrum aliquod corporis honorabilius, ſed vnuſquiſque, fratres, in eo ordine in quo vocatus eſt permaneat. Licet etiam dignior exſtat, in illo magis præſentem amet claritatem, quam vt eam quam non accepit quærat. Nemo qui ſine periculo ſubeſſe poteſt, imperare deſideret, nec ſubiectionis lex ſoluatur, qua tam terreſtria quàm cæleſtia ſunt alligata.* Et oratione ad ciues Nazianz. angoris plenos, & Magiſtratum iratum, *Suſcipitis ne libertatem verbi? Libenter accipitis, quod lex Chriſti ſacerdotali vos ſubjicit poteſtati, atque iis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem, dedit & principatum multo perfectiorem principatibus veſtris. Aut nunquid iuſtum vobis videtur ſi cedat ſpiritus carni, ſi terrenis cæleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana?* Hæc Greg. At quia reuera hoc non eſt iuſtum, hæc mulier non habet lunam ſupra caput, aut ad latera, ſed ſub pedibus: vt ſciamus terrenam poteſtatem principum, & inferiorem eſſe poteſtate Eccleſiaſtica, & ad eius poteſtatis ſpiritualis fulcimentum eſſe à Deo ordinatam.

Et in capite eius corona ſtellarum duodecim.

Ornant quidem Eccleſiæ caput Epiſcopi, ex eorum ſubiectione ad illud; ſed viciſſim eius autoritas eorum dignitatem fulcit & ſuſtentat.

ANNOTAT. VII.

DIXIMVS iam caput viſibile Eccleſiæ militantis, hominum ſcilicet, Pontificem Romanam, ſplendorem ſuæ regiæ dignitatis obtinere ex miniſterio Epiſcoporum & Prælatorum, qui illi obſequuntur, & per duodecim ſtellas adumbrantur. B Hinc enim apparet coronatus, id eſt regia dignitate in Monarchico Eccleſiæ ſtatu decoratus: quia Epiſcopi obedientiam illi præſtant. Ipſe verò illos portat, dum illius ſuprema autoritas in cauſa eſt, vt inferiores prælati ſua munia & miniſteria ſecuriùs & fructuoſiùs exerceant. Hinc Barlaamus Epiſcopus Hieracenſis, circa annum 1303. Epiſtola ad amicos ſuos de primatu Eccleſiæ Rom. tomo 3. Bibliotheca Patrum, de ſummo Pontifice agens ait: *Et quod omnium maximum eſt, quod & in canonibus & legibus, nullius Eccleſiæ ſedes Apoſtolica nominatur, niſi tantùm Romana. Vnde multi magni viri de Orientali Eccleſia, arbitrantes ſe iniuriam eſſe paſſos, ad ſedem illam refugerunt, magnus Athanaſius, S. Maximus: ſed neque B. atus Chry-* C *ſoſthomus ſuum ignorauit caput. Paſſus enim maximas iniurias, ad tunc ſanctiſſimum Papam omnia refert, qui, quantum in ſe erat, manum auxiliatricem dare iniuriam paſſo nullo modo neglexit.* Ita Barlaam. Nonne vides caput hoc viſibile præfulgentiſſimas ſtellas per coronam ſuam, id eſt, regiam in Eccleſia poteſtatem, portantem & fulcientem. Et quis, niſi velit in ipſa luce meridiana cæcutire, nunc non videt non alia ratione autoritatem Epiſcopalem planè in Anglia excidiſſe, niſi quia prius ab eis autoritas ſummi Pontificis poſt habita fuit Regum ſchiſmaticorum poteſtati, qui ſe proclamarunt capita Eccleſiæ? Alios namque ſuſtentare decet illam ſummi Pontificis autoritatem, cuius principatus, vt ita dicam, in aliquo D incorruptibili eſt fundatus, id eſt in Petro, cui promiſſum eſt à Chriſto, quod ſuper hanc Petram ſuam ædificaret Eccleſiam. Regnis terrenis corrumpi facillimum eſt: habent enim ſuam firmitatem & virtutem in pecuniis & exercitibus, & hominum ſeu ſapientum huius ſeculi conſiliis, & humanis legibus: vnde ſubditæ ciuitates, rebus mutatis, cum videat & poſſibile ſibi, & ſine periculo, & ſuis rebus expediens, ſeruitutis iugum excutere non verentur. *At,* inquit idem Barlaamus, *verò illa in quibus firmitas Romanæ Eccleſiæ conſiſtit, cælo & terra ſunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad Petrum, ſubditæ ei gentes contremiſcunt eam & metuunt: & ab ipſa diſcedere, à Deo diſcedere eſſe, virtute illorum verborum omnes pu-* E *tant.* Hæc ille. Et vt idem ait, Epiſtolâ primâ, loquens de gente Chriſtiana, in Eccleſia Romana ſub vna principe conſtituta: *Cum diuina prouidentia nihil eorum quæ ſecundum beneplacitum illius in vniuerſo efficiuntur, inordinatum dimittat, omniſque multitudo ordine per ſe careat, niſi reducatur ad vnum principium (pluralitas enim principiorum & carentia principij, ſimilis ſunt inordinationis) huius quidem gentis vniuerſa multitudo ſub vno eſt ordinata principio, Eccleſia videlicet Romana, & eius præſide, quem omnes honorant & metuunt, non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humanâ lege, vel generis ſucceſſione, vel multitudinis rumore dominium ſumentem, ſed tanquam ab ipſo Domino Chriſto ordinatum, & in terris vices gerere ab eo conſtitutum. Itaque illius mandata cum omni reuerentia omnes non tanquam Apoſtolica tantùm, verum etiam Dominica ſcripta*

Digitized by Google

recipiunt & adorant, & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè parati ſint ad implendum, & omnes ab illo corrigi ſua & retractari ſuſcipiunt, omniumque ſacerdotium ab eo dependet. Hæc ille. Nunquid enim aliquid fruſtra aut ſuperfluè agit diuina prouidentia ſeu ſapientia, vt ſingulariter ſine cauſa Petro dixerit quæ aliis Apoſtolis dixerat? Cur Euangeliſtæ illum aliis præordinant, dum de Apoſtolis loquuntur? Cur illi cedunt, vt Eccleſiam conuocet, ſermonem habeat ad populum primus, niſi quia illum vt caput ſibi à Chriſto datum agnoſcunt? Cur ea quibus Petri primatus oſtenditur, omnes Euangeliſtæ narrant, quamuis quædam alia ab vno Euangeliſta omittuntur, quæ ab alio tanguntur, niſi quia valde erat neceſſarium omnes ſcire cui Eccleſiæ principatus à Domino creditus eſt? Ita argumentatur Barlaam, Epiſt. 2. *Quoniam enim oportebat eum, qui erat propriè & verè aliorum Apoſtolorum princeps, non ſemper eis corporaliter adeſſe, id eſt Chriſtum Dominum, ſed ſecundum corporalem præſentiam relinquere eos, vnum de duodecim vice ſua principem aliorum proponit hominem hominum.* Qui ea poteſtate pollet, vt cæteros in officio contineat, illoſque fulciat & ſuſtentet.

Et in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

Eccleſia Chriſti ſponſa omnes fideles in vtero portat, quos non parit niſi cum dolore plurimo: quia Dei filiationem non merentur, niſi per labores.

ANNOTAT. VIII.

GRANDE proculdubio fuit myſterium conſilij regis Nabuchodonoſor, dum aperuit mentem ſuam maioribus natu, omnibuſque ducibus & bellatoribus ſuis, *dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.* Iudith. c. 2. At maiora & excellentiora concipit deſideria ſanctiſſima Chriſti ſponſa, tot donis cumulata, verbo diuino fœta, diuino in ea operante ſpiritu quo circumueſtitur, dum quotidie à Chriſto edocta ad Deum clamat: *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra,* id eſt, *in ſpiritu & corpore,* inquit Rabanus Maurus, lib. 2. de inſtituti Clericorum c. 16. *quæ tria quidem hic quidem inchoantur, & quantumcumque proficimus, augentur in nobis, perfectè verò quod in alia vita ſperandum eſt ſemper poſſidebuntur.* His enim deſideriis exoptat nobis perfectam ſanctitatem, vt ſimus ſancti ſicut pater noſter ſanctus, & perfectus eſt. Deo exoptat gloriam, per omnimodam mandatorum illius obſeruantiam, vt regnum Dei intra nos ſit: quod quidem tunc fit cum eius voluntas adimpletur. Hæc eſt ſiquidem voluntas Dei ſanctificatio noſtra, vt inquit Apoſtolus: & Dei gloria in eo conſiſtit, vt in Eccleſia ſua, quæ noua creatura eſt, nihil reperiatur quod non ſit voluntati ſuæ conſonum. Vnde meritò nuncupari poſſet glorioſo iſto nomine, quo ab Iſaia vocatur c. 62. *Sed vocaberis voluntas mea in ea.* Quanto autem ardore tantum opus deſiderari debeat Apoſtolus docet, Epheſ. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere, cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Eo enim ipſo quod Spiritu ſancto corroboramur, itaut Chriſtus habi-

A tet in nobis per fidem viuam, qua credimus latitudinem charitatis eius, qua omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & longitudinem, quia in perpetuum nos diligit charitate; & altitudinem, quia nos deſiderat diuinæ fieri participes naturæ, per gratiam & gloriam; & altitudinem, quia terribilis eſt in conſiliis ſuis ſuper filios hominum, & Dei iudicia abyſſus multa in prædeſtinatione iuſtorum, & malorum reprobatione: quæ omnia dum credimus, charitas radicatur & fundatur in nobis, Deum & Chriſtum eius perfectè cognoſcimus, & quantum emineat Chriſti cognitio ſupra omnem aliam ſcientiam & cognitionem percipimus (ſiquidem in Dei & Chriſti cognitione vita æterna B conſiſtit) vt ſic impleamur in omnem plenitudinem Dei, illi indiſſolubili amoris vinculo adhærẽtes, quo nos donis ſuis inenarrabilibus cumulat & replet, vt eius tandem voluntas adimpleatur, iuxta Iſ. Prophetiam c. 46. *Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei. Annuncians ab exordio nouiſſimum, & ab initio quæ nec dum facta ſunt, dicens: Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.*

At hæc ſanctificatio fieri, hoc regnũ ſtabiliri nequit aut firmari, niſi Dei voluntate aliqua autoritas, & aliquod regnum viſibile inſtituatur, quo hæc poſſint promereri, & executioni demandari. Vnde tali deſiddrio replebatur Eccleſia, & quaſi hoc de- C ſiderio grauida, in vtero habens omnes filios adoptionis (*venter enim eius aceruus tritici, vallatus liliis*) clamabat ſuſpiriis, orationibus, prædicationibus, vt pareret, id eſt, vt exteriùs quæ ad ſanctificationem animarum erant à Deo inſtituta poſſent liberè exerceri, & omnium colla Chriſto ſubmitterentur, & ſic adimpleretur hæc promiſſio Prophetica: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſ. 2. Cuius adimpletione omnis terra Chriſti ſubiugaretur imperio, Imperatoribus ac Regibus, & Principibus ſeculi etiam ad fidem Chriſti conuerſis. *Gens enim & Regnum quod non ſeruierit* (cæleſti nempe Hieruſalem, ſeu huic regno ſpirituali Eccleſiæ) *peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* D Iſ. 60. Sed quàm arduum fuit opus, ex his quæ docet Origenes ſatis manifeſtum eſt, qui ex tali & tanto opere Chriſtum verum Deum eſſe, non purum hominem, audacter pronunciat & conjicit lib. 2. contra Celſum circa finem. *At ego neſcio an homo auſus vniuerſum orbem ad ſui cultum, ſuamque doctrinam attrahere, potuiſſet ſine Deo tantum ſucceſſum habere, ſuperareque omnia ſuæ doctrinæ obſtacula, etiam reges Imperatoreſque, ſenatum ipſum Romanum, & omnes omnium populorum principes. Quomodo enim homo natus, & nullus præſtantioris naturæ particeps, tantam ad ſe conuerteret multitudinem, & quod magis mirum eſt, non ſapientum tantummodo, verum etiam affectibus magis quam rationi obſequentium, itaut mox, verſa vice, fiant è brutis pruden-* E *tes? Sed quoniam potentia Dei Chriſtus erat, & patris ſui ſapientia, ideo talia fecit, & facit nunc quoque.* Ita Orig. Sed qua ratione per infima alta depreſſit, per infirma fortia ſuperauit, per contemptibilia nobiliora ſuo ſubſtrauit imperio, vigiliis, ieiuniis, ſuſpiriis, gemitibus, lachrymis, per noctando in oratione, diurnis laboribus, fatigatione, diſcurſu per vrbes, per oppida, vt animas ad ſe attraheret; dum inter homines conuerſatus eſt, angore, triſtitia, timore, ſputis, colaphis, flagellis, ſpinis, cruce, paſſione, morte, tantum opus aggreſſus eſt, & illud tandem perfecit, dum in cruce exaltatus omnia ad ſe attraxit; eodem modo collaborat ſponſa, ſponſi deſideria, quantum in ſe eſt, promouere ſtudet. Faceret ne hoc abſque labore? Certè in vtero habet: clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Non mi-

Digitized by Google

rum ſi cruciatur, grauida quippe eſt eorum omnium ad quos indicitur *quod per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* Omnem multitudinem electorum mortificandam vt fructum afferat, in vtero geſtat, de quo, vt diximus Cant. 1. *Venter tuus aceruus tritici, &c. Ventrem ſponſæ,* inquit Philo Carpathius, *vel ſponſi, (nihil eſt enim inter vtrumque diſiunctum, niſi quod ille eſt caput, hæc vero membra) multitudinem Chriſtiani populi intelligit. Nam & triticum multitudini, & multitudinem tritico comparat, iuxta illud Domini de fructu huius ſponſæ dicentis: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Quare rectè aceruus, vel cumulus tritici, ſponſa vel Eccleſia eſſe dicitur. Vt enim ex multis granis vnus cumulus coacervatur, ita ex multis Chriſtianis populis vna omnium fidelium Eccleſia copulatur. Vnus & idem (fide Chriſti) populus, & vnius baptiſmatis & Sacramenti corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti cogitur: & vt ex multis acinis vnus botrus compingitur, vniuſque liquoris vnda fluit, ita vnum drama populi vel chorus, ex multis variiſque perſonis conſtituitur: & vna fidelis ſponſa ac ſancta, ex infinita propemodum credentium multitudine colligitur, vt ſit omnia in omnibus, vnus & idem Deus ac Dominus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus.* Ita Philo Carpath. Igitur cum tot fideles cœlo parere, & ad incorruptionem & immortalitatem perducere debeat, per tot pœnas, labores, ac dolores, quomodo clamoribus aëra non verberaret? Quomodo non cruciaretur, cum ad cælum minimè perueniatur, niſi per varios labores & cruciatus? Ventrē igitur grauidum geſtās, eos ſcilicet qui reſponſum mortis acceperunt, vt liliorum puritatem obtineant per vitæ ſanctimoniam, & adipiſcantur immortalitatem, dum tanquam lilia repullulabunt per reſurrectionem. Clamat dum parturit: *Mulier* enim *dum parit triſtitiam habet.* Sed eſt aliquid valde mirabile. Nam antequam cæteros pariat filios, pariet maſculum, Prophētante Iſaia. c. 66. *Antequam parturiret, peperit,* id eſt, iuxta Alcazar. in hunc locum Apocaly. *Celeriter peperit, antequam veniret partus eius peperit maſculum.* Quis autem ſit ille filius maſculus, qui videtur partum aliorum quodammodo præuenire? Iſaiam, meo certe iudicio, S. Ioannes interpretatur, dum de hac inſigni muliere loquens docet poſtea: *Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes.* Hic eſt ille filius, qui antequam veniat partus Eccleſiæ completus in omnibus filiis, debuit in lucem prodire, vt cæteri naſcerentur. Quis autem ille ſit, videbimus poſtea.

Et viſum eſt aliud ſignum in cælo. Et ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli. Et miſit eas in terram: & draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.

De ſymbolo draconis.

ANNOTAT. IX.

Diuerſæ de hoc ſymbolo interpretationes. §. 1.

ALIORVM de tam prodigioſo portento nobis adducendæ ſunt ſententiæ (antequam aliquid de noſtro promamus,) quæ huic ænigmati lucem afferre poſſint.

Obſcurè ſatis Victorinus mentem ſuam aperit. Videtur tamen, ni fallor, Anti-Chriſtum intelligere, ita tamen vt Dæmonem illum eſſe intelligas,

A quaſi ad eorum ſententiam vergat qui putant Anti-Chriſtum debere eſſe diabolum, qui humanam naturam aſſumat. Nam dum Victorinus ait: *Ab initio enim homicida, & omne genus humanum non tantum debito mortis, verùm variis gladiis ac vitiis oppreſſit,* non dubium eſt hoc intelligi de diabolo. *Hæc enim a Chriſto de eo dicta fuerunt, quod fuit homicida ab initio.* Et dum poſtea etiam ait: *Sic & Anti-Chriſtum de inferno ſuſcitari Paulus Apoſtolus ait:* Et per tertiam partem ſtellarum, intelligit Angelos Satanæ ſubiectos. *Cum adhuc,* inquit Victorinus, *princeps eſſet, tum tranſcenderet conſtitutionem ſuam.* De diabolo proculdubio loquitur, ſed humanizatum, vt ita dicam. Siquidem inter Reges Romanos reponit Anti-Chriſtum, & illum vocat ex verbis Apoſtoli, *hominem peccati, filium perditionis.* B Hæc igitur ſunt verba Victorini. *Accepiſſe autem arundinem, omnes gentes quæ dimicaturæ Anti-Chriſto contra iſtos ſtatuendæ ſunt, & gladiis alterutrum ſunt caſuræ; qui ait illum coloris eſſe roſei, id eſt, coccinei operis illius, futurum talem dedit ei colorem: ab initio enim homicida, & omne genus humanum, non tam debito mortis, verum variis gladiis & vitiis oppreſſit: ſeptem capita, ſeptem reges humanos, ex quibus & Anti-Chriſtus eſt. In priori diximus cornua decem, decem reges in nouiſſimo tempore. Hos eoſdem plenius ibi tractabimus.* Ita Victorinus: qui ad interpretationem eorum quæ v. 7. dicuntur per quandam anticipationem properans addit: *Factum eſt bellum in cælo, &c. Iactatus eſt* C *draco magnus, anguis antiquus, hoc eſt initium Anti-Chriſti. Ante tamen oportet prædicare Eliam, & pacis tempora eſſe, & poſtea conſummato triennio, & ſex menſibus prædicationis Eliæ, iactari eum de cælo, vbi habuit poteſtatem aſcendendi vſque ad illud tempus, & Angelos refugas vniuerſos; ſic & Anti-Chriſtum de inferno ſuſcitari Paulus Apoſtolus ait: Niſi prius venerit diſceſſio, & apparuerit homo peccati, filius perditionis, & aduerſarius, qui ſe eleuat ſuper omne quod nominatur Deus, aut quod colitur. Quod autem dicit draconis caudam traxiſſe tertiam partem ſtellarum, bifariè hoc accipiunt: multi enim arbitrantur tertiam partem hominum credentium poſſe ſeducere: ſed veriùs intelligi debet Angelorum ſibi ſubiectorum, cum adhuc princeps eſſet, cum tranſcenderet conſtitutionem* D *ſuam, tertiam partem ſeduxiſſe.* Ita Victorinus. Primaſius: *Capita reges ſunt ſeptem, cornua vero regna, de quibus ſuo loco erit plenius diſputandum, &c. Cauda Propheta iniqui ſunt, per quos ſuam inimicus nequitiam implet. Hanc Iſaias dicit: Propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. Qui eorum doctrinis inhærent: in terram præcipitari dicuntur. Tertiam porro partem ſtellarum cæli illud meminerat omne corpus malorum, ſiue in Angelis, quos de cælo ſecum pari ruina detraxit; ſiue in hominibus, quos ſeduxit; ſtellas autem, quos de bonis diabolus reprobos facit. Et draco ſtetit in conſpectu mulieris, quæ paritura erat, vt cum peperiſſet, natum eius comediſſet, id eſt, inſidiator diabolus nouum hominem (qui ſecundum Deum creatus eſt, & in quo renouamur ſpiritu mentis noſtræ, iuſtitia & ſanctitate veritatis)* E *in Eccleſia molitur occidere, cum in vnoquoque fidelium eius exortum captioſè nititur opprimere, vel profectum extinguere.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſ. *Cælum hoc loco aërem ſignificare arbitramur; Draconem autem rufum, ſerpentem illum, qui ob id conditus apud Iob ſcribitur, quo ab Angelis Dei deludatur. Vocat autem illum rufum, quod cædi & ſanguini deditus ſit, aut quod Angelorum natura habeatur ignea, etiam ſi peccato contaminata ſit. Per ſeptem capita ſeptem nequiores illius virtutes, ſpiritalibus viribus & operationibus aduerſas intelligimus, aut ſeptem illos nequam ſpiritus; quos Chriſtus in Euangelio, in homine illo habitaſſe aſſeruit, qui cordis domicilium ſcopis mundatum habebat, hoc eſt, à bonis cogitationibus aut operibus vacuum; aut ſeptem nequitias, quas Salomon in corde inimici exiſtere oſtendit: qui per ſimulationem voce magna ſupplex*

Digitized by Google

illis fit quos in ſententiam ſuam callide pertraxit. Decem porro cornua, decem peccata decem legalibus præceptis contraria denotare putamus, aut mundani regni diuiſionem, quæ ipſi, tanquam ſeditionibus gaudenti, voluptatem pariet non vulgarem. Septem autem diademata, in totidem illius capitibus ob id dicuntur poſita, quod homines diabolicas vires & ſuggeſtionem impigre expugnantes, coronas inde deportent: vnde per labores atque ſeductores victoriam retulerunt. Hæc And.

Methodius apud eumdem Andream: *Draco magnus, &c. diabolus eſt.* Et paucis interiectis: *Sed fallitur, prædæque ſpe fruſtratur, regeneratis per baptiſmum ſurſum in ſublime raptis. Tertia autem pars ſtellarum dicuntur illi, qui in ſanctæ trinitatis numero circa vnum errant.* Et poſt pauca de coronis porro iſthæc ſubiungit. B *Hæc autem in certamine aduerſus diabolum præualens, ſeptemque capita illius morti dedens, ſeptenis virtutum coronis potitur.* Hæc Method. apud Andream: qui deinceps ſuam interpretationem proſequens, in hæc verba: *Et cauda illius, &c.* ait: *Per hæc alterutrum è duobus ſignificari opinor, vel primum luciferi è cælo caſum, quo Angelos, qui per extremum inuidiæ motum vna cum ipſo à Deo deſciuerunt, deorſum traxit; (primus enim omnium motus mentis erat elatio) aut poſt caput illius contritum, caudæ eius agitationem. Hæc enim homines animo inſtabiles, è cæleſti ſenſu, & conuerſatione deorſum ad terrena abripit. Nominantur hi autem metaphoricè ſtellæ, propter ſplendorem, quam ex ſancto baptiſmate hauſerunt; &c.* Ita And.

Ticonius: *Capita reges ſunt, cornua verò regna. In ſeptem enim capitibus omnes reges, in decem cornibus omnia regna mundi dicit. Et cauda, &c. Cauda, Prophetæ iniqui ſunt, id eſt hæretici: qui (ſtellæ cæli) per iteratum baptiſma adhærentes ſibi, deijciuntur. Ipſi ſunt ſub pedibus mulieris. Multi homines illos eſſe æſtimant, quos ſibi conſentientes diabolus fecit ſodales; multi Angelos, qui cum illo quando cecidit præcipitati ſunt.* Hæc Ticon.

Ambroſius: *Draco iſte diabolum ſignificat. Rufus autem color talis eſt, ac ſi croceo colori ſanguinem admiſceas. Concordat verò pallidus color, id eſt croceus, cum ſanguineo: quia ſanguis dum effunditur mortem adducit. Pallor autem totum corpus morientis occupat. Rectè ergo diabolus habere dicitur colorem mortis, quia illius inuidia mors* D *intrauit in orbem terrarum. Per ſeptem vero capita, reprobi, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum vſus eſt, deſignantur. Diademata regiam eius poteſtatem deſignant, ipſe enim eſt rex, ſicut dicit ſcriptura, ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Hæc Ambroſ. Qui poſtea per ſeptem capita, per primum, reprobos ante diluuium; per ſecundum, reprobos ante legem datam, inuentores idolorum & errorum poſt diluuium; per tertium, idola colentes poſt legem datam; per quartum, falſos Prophetas, & reges impios, à quibus populus deceptus in captiuitatem ductus eſt; per quintum, Iudæos, qui Chriſtum crucifixerunt, & Apoſtolos perſecuti ſunt; per ſextum perſecutores Eccleſiæ. *Septimum*, inquit, *erit Anti-Chriſtus. Per caudam, quæ finis eſt corporis, Anti-Chriſtus deſignatur. Tertiam igitur partem ſtellarum cæli cauda Draconis traxiſſe viſa eſt, quia Anti-Chriſtus multos ex iis, qui ab hominibus electi putabuntur, & qui in Eccleſia, velut ſtellæ in cælo, ſcientia & intellectu refulgent, decipiet, atque in perditionis foueam demerget.* Hæc Amb.

Rupertus lib. 7. in Apocalypſ. *Quid porro ſignificabant illa ſeptem capita? Hoc nimirum vt compendioſius clareſcat, primò ſciendum eſt Draconem talem, ſic magnum, ſic rufum, ita ſignificaſſe diabolum, vt ſimul etiam ſignificaret corpus eius vniuerſum, ſcilicet omnem generationem nequam, generationem Cain aduerſantem ab initio generationi ſanctæ, generationi Abel; generationi quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob: cuius, vt iam dictum eſt, mulier talis ſignum fuit. His ita perſpectis, iam* A *intelligi promptum eſt capita draconis illos rectè dici, qui principales extiterunt in opere ſiue intentione diaboli, videlicet in obſidione iam dictæ mulieris, in intentione occidendi puerperium Eccleſiæ Dei, præfocandi verbum Dei, deſtruendi fidem ſeminis Abrahæ, id eſt Chriſti. Huiuſmodi capita veraciter ſeptem ſunt; quia nimirum ex quo pater Abraham & poſteri eius fidem ſeminis (in quo benedicentur omnes gentes) ſuſceperunt, ſeptem ſunt mundi huius regna (ex traditione ſanctarum ſcripturarum) quæ aduerſus eamdem fidem dimicauerunt: ſed nondum venit Regnum ſeptimum. Primum namque, ex quo credidit Abraham, fuit regnum Pharaonis, & Ægyptiorum, filios Iſraël odientium. Secundum regnum fuit Ieſabelis, & filiorum vel poſterorum eius, impiorum regum Iſraël & Iuda, qui Prophetas occiderunt;* B *Tertium, Babylonium; Quartum, Perſicum, ſiue Medicum; Quintum Macedonium; ſextum, Romanum; Septimum quod futurum eſt, Anti-Chriſti regnum. Præter hæc regna ſeptem, nullum aliud memorat ſancta ſcriptura ſtetiſſe vel ſtare ante illam mulierem, ad deuorandum filium eius, contra ſanctam Eccleſiam, ex quo credidit Abraham, ad deſtruendam fidem ſeminis eius.* Ita Rupert. Qui locus rurſus erit expendendus, cum de ſeptem capitibus quartæ beſtiæ (per quam imperia Chriſti regnum oppugnantia deſignari dicemus) agemus. Sanctus Thomas: *Viſum eſt. ſ. apparuit in cælo, quia ſcilicet vidit aliud quoddam ſignum in cælum. Hoc ſignum ſignat malitiam diaboli in Eccleſia, id eſt contra Eccleſiam, quæ cælum eſt, propter ſplendorem meritorum in* C *iuſtis. Et ecce draco.* Secundum eumdem S. Thomam: *Magnus potentiâ, aſtutiâ, & vtriuſque vehementiâ. Magnus, malitioſâ ſæuitiâ, qui ſemper præſto eſt ad nocendum: draco ideo fortis, aſtutus, quia draco occultè inſidiatur: magnus propter elationem, & ſæuiſſimus: color enim rufus ſignat crudelitatem in effuſione ſanguinis, interfectione ſpirituali. Habet ſeptem capita, id eſt, vniuerſos prauos principes poſſidet, & per ipſos nititur ſubuertere multos. Et quia per illos, & per alios principibus ſubiectos, facit decalogum violari, rectè ſequitur: Et cornua decem, id eſt, omnes peruerſos homines legis decalogum impugnātrs, &c. Et in capitibus ſuis, id eſt in principibus ſuis, habet diademata ſeptem, id eſt vniuerſas victorias de ſubuerſis, ſecundum gloſſam, vniuerſas inquam, quia de vniuerſis vitiis.* D *Item ſecundum omnem modum tentandi, quia peruerſi principes, maximè infideles, multipliciter ſeducunt homines, ſcilicet per aſtutiam, per potentiam, per documenta, per blandimenta, per minas, per dona, per flagella. Hoc etiam nunc fit: maximè autem fiet ſub Anti-Chriſto, &c. Cauda, id eſt deceptio fraudulenta: trahit de fide ad infidelitatem, per ſuggeſtionem & blandimenta, & aſtutiam multiplicem, tertiam partem ſtellarum. ſ. illos qui lucem vitæ habere videbantur, & alios illuminant, &c. Et miſit in terram, ſcilicet tractos allexit terrenorum amore: Primò enim draco ille homines ſeducit trahendo à fide, vel à ſtatu gratiæ, & ſic eos aliquo tempore per blandas tentationes ſeducit; poſtmodum vt eos inuoluat, allicit terrenorum amore, & facit apertè peccare, ad perukrtendum vlterius alios,* E *&c.*

Secundum aliquos exponuntur, inquit S. Thomas, *hæc verba, præter modum præmiſſum, de reprobis Angelis. Cauda eius. ſ. naturalium excellentia, qua alios traxit, ſicut aliquid trahitur caudâ: trahebat, id eſt traxit, deiiciendo per ſapientiam: ipſe enim diabolus, cum primò eſſet omnibus excellentior, videns ſuam naturalem excellentiam ſuperbiuit: multi autem ex aliis videntes eum tam excellentem, conſenſerunt eius ſuperbiæ, & ei adhæſerunt; Tertiam partem ſtellarum, id eſt, omnes Angelos reprobos, qui ſtellæ erant per claritatem, & volubilitatem naturæ. Vna pars Angelorum eſt multitudo eorum qui aſſiſtunt, ita quod ſi mittuntur, rarò mittuntur. Alia eſt eorum qui ita aſſiſtunt, quod frequekter mittantur. Tertia pars ſunt illi qui nec ſunt de illis, nec de iſtis. Hos traxit diabolus, de primis & ſecundis, Daniel. 7. Millia millium, &c. &*

Digitized by Google

decies centena millia, &c. *Per hæc autem quod dicitur, trahebat, intelligitur motus violentior: quia motus quo declinauerunt aliqui poſt ipſum fuit contra naturam: potius enim eſt naturale conuerti ad ſuum factorem. Vnde Auguſt. de homine loquens in 2. librum contra Fauſtum dicit: Sed nec ipſe homo contra naturam facit quicquam, niſi cum peccat. Et miſit eos in terram, quia propter ex cellentiam naturalium eius adhæſerant ei, & ceciderunt in hunc aërem inferiorem propinquum terræ, vt ſeducerent homines: vel in terram, id eſt in infernum qui eſt ſub terra, & etiam terra vocatur, propter firmitatem, quia ſemper durat.* Ita S. Thom.

Conuenientia ſymboli cum dæmone. §. 2.

Draconem Luciferum eſſe demonſtratur. Punct. 1.

Adductis tot autorum interpretationibus, nunc quædam ad maiorem elucidationem nobis annotanda veniunt. Dico igitur primò, Draconem proculdubio ſignificare Dæmonem, ſeu Luciferum Eccleſiam vexantem, & Regni Chriſti promotionem totis viribus, omniq; qua poteſt induſtriâ, impedientem. Hoc conſtat ex nominibus quæ illi dantur: vocatur enim *ſerpens antiquus, Satanas, Diabolus*, & is eſſe videtur, cuius perſuaſione Eua decepta & ſeducta Adamum in peccatum induxit, amboq; illi conſentientes & adhærentes è paradiſo fuerunt eiecti. Hunc autem ſerpentem Luciferum fuiſſe refert ex quorumdam ſententia Cornelius à Lap. in cap. Gen. 3. *Hunc*, inquit, *diabolum putant aliqui fuiſſe Luciferum, qui etiam Chriſtum tentauit, ſed ab eo victus.* Ita Corn. Quod valde probabile eſt. Nam cum draco is ſit qui cum ſancto Michaële prælium init, non alius eſſe poteſt quàm primus Angelorũ malorum, quem Luciferum vocant. Hanc ſententiã multorum eſſe fatetur etiam Alcazar, dum ait: *De Principe dæmoniorum multi videntur exponere, quibus prima ſpecie fauet contextus. Primò quia dicitur eius cauda tertiam ſtellarum cæli partem traxiſſe: atqui ipſum dæmoniorum agmen non ſecum attraxit tertiam Angelorum partem, ſed vnus Lucifer. 2. quia manifeſtè draco ipſe è ſuis Angelis diſtinguitur infra*, Num. 9. &c. Alcazar. Quamuis veriſimilius exiſtimet apud Apocalypſim, ſymbolo draconis vniuerſam dæmonum Rempublicam denotari, tum quia paſſim vocabulum dæmonis vniuerſos dæmones deſignat, tum quia aliæ beſtiæ, de quibus agitur in Apocalypſi, non deſignant vnam ſingularem perſonam, ſed colluuiem malorũ; aut totum imperium, non vnum imperatorem. Sed ad has duas rationes miror hominem, certe acutioris ingenij, non aduertere S. Ioãnem nomine dæmonis in hoc capite nullo modo vti, ſed vel nomine draconis ſerpentis, diaboli, ſatanæ. Eſto igitur vocabulum dæmonis vniuerſos dæmones deſignet: at hic malus Angelus, ſeu princeps malorum Angelorum, hoc nomine minimè deſignatur. Solùm enim vocatur draco, ſerpens, diabolus, ſatanas. Quãtum autem ad alias beſtias, verum eſt ipſas non deſignare vnam ſingularem perſonam: ſed diſpar eſt ratio ipſarum, quibus adminiſtri & ſequaces non attribuuntur: ſed iſti draconi Angeli quidam tribuuntur tãquam commilitones, vt clarum ſit ipſum eſſe ſingularem quemdam Angelum, cui alij obediunt & ſubijciuntur. Et dicendum eſſet Michaëlem pari ratione ſignificare omnem Angelorum collectionem, quod gratis diceretur. *Et factum eſt*, inquit textus, *prælium in cælo. Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius.* Cur quæſo additur: *Vt Angeli eius*, ſi ſub nomine draconis tota colluuies dæmonum ſignificaretur? Vnde nec eius vltima ratio vrget, cum ait: *Denique quia cornua decem indicant principum multitudinem, & quod Angeli draconis non dæmones ſunt, ſed homines peruerſi, ac deprauati, ſatellites, & adminiſtri ipſius dæmonis, ad eum modum quo prædicatores Euangelij Chriſti Angeli nuncupantur.* Quare concludit Alcazar, *nihil eſt quod nos obliget vt draconis ſymbolum ad dæmo-*

A *num principem ſingulariter referamus.*

Nihilominus hæc ratio non eſt admittenda, vt patebit ex mox dicendis: & exiſtimo hoc ſymbolum reſpicere primò & per ſe ad principem dæmoniorũ, vt pote in cuius poteſtate ſunt alij dæmones, quibus vtatur tanquam inſtrumentis idoneis ſuæ malitiæ, & odij erga Deum concepti, & inuidiæ erga homines conceptæ: cuius quidem indolis, non naturæ à Deo conditæ, ſpecimen & ſymbolum nobis exhibere voluerit ſanctus Ioannes, vt ſciamus aduerſus quem hoſtem Eccleſia habeat decertandum; ſatiſque ſit vt de multitudine dæmoniorum habeamus aliquod ſymbolum, quo ipſi deſignari valeant, ſiue per capita ſeptem, vt mox videbimus, ſiue per decem cornua, vt B ipſemet Alcazar fatetur decẽ cornua indicare principum multitudinem, de quibus dixit S. Paulus: *Principes & poteſtates tenebrarum harum*; ſiue per Angelos draconis, cum certum ſit quemlibet peruerſum habere peculiarem dæmonem à Lucifero deputatũ, vt illum ad malum propulſet: quo fit vt Angeli draconis dici poſſint mali Angeli homines ad peccandum propellentes, non ipſi homines peruerſi, quorum ſymbolum habebimus in beſtia de mari aſcendente habente etiam capita ſeptem & cornua decem.

Dici tamen poteſt, quod ſicut cæteri dæmones indolis & malitiæ principis dæmoniorum ſunt participes, ita proportionaliter, pro ratione gradus malitiæ in hoc ſymbolo etiam eos depingi & deſcribi, ſicut C in beſtia de mari aſcendente; licet S. Ioannes potiſſimùm reſpiciat ad Anti-Chriſtũ, qui caput reproborum dici poteſt: tamen in ea beſtia indoles malorũ, qui captiui ſunt ad ipſius diaboli voluntatem, optimè adumbratur ſeu repræſentatur. Et ſuaui quodam ordine S. Ioannes nobis quatuor beſtias repręſentat, vt prima capitis 12. ſit princeps dæmoniorũ; ſecunda de mari aſcẽdens ſit Anti-Chriſtus, & in eo collectio omnium reproborum; tertia de terra prodiens ſit quilibet falſus Propheta, cuius ope, induſtria, falſa doctrina, & prædicatione mendaciorum, cultus exhibetur aut obediẽtia tum dæmoni, tum Anti-Chriſto, & iis qui moribus Anti-Chriſti obſequuntur. Beſtia autem quarta cap. 17. ſit repræſentatiua eo-D rum, quorum indoles nequiſſima & malitia, in beſtia de mari aſcendente iam fuerat deſcripta: ſed qui præterea polleant poteſtate aliqua, & dignitate terrena, qua poſſint Regni Chriſti viſibilis, nempe Eccleſiaſticæ Monarchiæ, promotionem impedire.

Habens capita ſeptem & cornua decem.

De ſeptem capitibus draconis, & decem cornibus Punct. 2.

Cum diabolus iuxta ſuam indolem & propriam malitiam hîc repræſentetur, non vt adhuc per homines ſuam malitiam exhibentem, & in eis operantem, per ſuggeſtiones, impulſiones, impreſſiones & malas affectiones & plagas; eorum expoſitiones non admittimus, qui per capita Reges, qui ad dia-E bolum, & ad Anti-Chriſtum pertinent, & de vtriuſque veluti ſunt corpore, & per quos vterque aduerſus Eccleſiam pugnabit: nondum enim de iis exhibetur ſymbolum, ſed tantùm diabolus hic depingitur inueteratâ malitiâ inſignis. Propiùs accedunt ad verum ſenſum, qui per ſeptem capita intelligunt ſeptem nefarios ſpiritus, quos dæmoni ſancti Patres aſcribunt, nempe ſpiritum ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, iræ gulæ, inuidiæ, atque acediæ: ita Alcazar, qui addit: *Vt autem ſignificetur fraudulentus hic hoſtis nos interdum ſuperbiâ, alias luxuriâ, alias irâ, & ſic de cæteris oppugnare, neſcio quid poſſit aptius figurari quàm draco ſeptem diuerſis vultibus conſtans. Et poſſet etiam aliquis ſuſpicari ex hiſce capitibus, ſiue vultibus, alium eſſe leonis: alium tigridis, alium vrſi, alium viperæ alium lupi, alium ſerpentis, atque alium aſini. Licet enim huiuſmodi diuerſitatem textus non exprimat, ea ta-*

Digitized by Google

men denotari poſſet dæmonem in ſuis incurſibus & oppugnationibus nunc ſuperbi leonis vultum nobis oſtendere, nunc ſerpentis inuidi, nunc viperæ iratæ, nunc etiam aſini ignaui: vt huiuſcemodi technis, & vario aſtu, nos in ſcelera ac flagitia pelliciat, ſiue vt impios aduerſus fideles impellat. Cæterum ſiue huiuſmodi facies ſub hac diuerſitate, ſiue vt ſerpentis capita conſiderentur, ſignificatio quidem ex ſeptem capitalibus vitiis debet ſumi. Nam & ſemper communi Eccleſiæ conſenſu hæc vitia capitalia appellantur. Quod verò peccata omnia ad capitalia ſeptem reducantur, nititur præſertim in ſeptem illis dæmoniorum ſpiritibus, de quibus Matt. 12. & Luc. 11. eſtque manifeſta doctrina S. Gregorij l. 31. Moral. c. 31. & Caſſiani lib. de inſtitut. c. 1. & collat. 5. c. 2. quamuis ibi octo capitalia enumeret; & S. Tho. 1.2. q. 84. ar. 4. & Theolog. in 2. diſt. 42. Cur verò ad ſeptem illa reuocentur omnia; diſputat benè Valentia to. 2. diſp. 6. q. 1. punct. 2. vt & animaduertit Alcazar, de dracone magno in commentario.

Hanc ſententiam ſequuti ſumus in Paraphraſi, & ſatis probabilem exiſtimamus. Tamen huic interpretationi liceat aliam adiungere, quæ mihi æquè, ſi non magis, videtur probabilis. Nam cum mens noſtra ſit draconem hîc deſcribi, non tanquam adhuc operantem, ſed iuxta ſuam indolem & malitiam; ideo exiſtimo hæc capita minimè denotare illos impulſus animorum hominum deprauatorum ad peccata, quæ à dæmonibus ſuggeruntur; ſed aliquid quod in eis ipſis dæmonibus quodammodo inhæreat. In hoc enim ſchemate ſanctus Ioannes mentem ſancti Pauli induere mihi videtur, qui ad Epheſios 6. vt nos admoneat quàtopere indigeamus armatura Dei, monet *nobis non eſſe colluctationem aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Ita S. Ioannes vt doceat quam potenti auxilio diuino, ac quanta Dei protectione Eccleſia indigeret, qualis ſit eius hoſtis nobis exhibet ſpeculandum ſub ænigmate huius horrendi draconis; hoſtis non carnalis, non ſanguine concretus, ſed ſpiritus: cuius talis eſt poteſtas, vt nulla ſit in terra quæ ei poſſit comparari. Iterum illum repræſentaturus, vt in homine hos malos impulſus & ſpiritus imprimens, in beſtiis ſubſequentibus, ideo propiùs mihi ſcopum attigiſſe videtur Andreas Cæſatiens dum, vt vidimus ſupra, per ſeptem capita intelligit ſeptem nequiores draconis virtutes ſpiritalibus operationibus aduerſas, aut ſeptem illos nequam ſpiritus, quos Chriſtus in Euangelio, in illo homine habitaſſe aſſeruit. Dico igitur per ſeptem capita intelligendas eſſe ſeptem diaboli nequitias, quibus à Deo auertitur; & inimicus eius, & Chriſti ac fidelium acerrimus hoſtis conſtituitur. Primum caput eſt illa ſuperbia, id eſt, complacentia nimia de propria excellentia & pulchritudine, ſiſtens nimirum in cognitione ſui ipſius ſuæque ſubſtantiæ, cuius cognitione, ad cognitionem & contemplationem ſui autoris debebat eleuari, Deumque & finem ſuum naturalem, & primam cauſam agnoſcere. Hoc plane contempto, per actualem complacentiam in ſeipſo, propria pulchritudine captus, ideo à Deo auerſus eſt, conuertens ſe ad ſeipſum. Vnde talis ei competit exprobratio: *Deum qui te fecit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Deuteron. 32. Et de diabolo, ſicut de homine, dici poteſt quod ait Sapiens, Eccleſiaſt. 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor eius. Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Et vt Tobiæ 4 dicitur, *In ipſa initium ſumpſit omnis perditio.* Vnde diabolus optimè notari poteſt apoſtata & deſertor, vt illos malos Angelos vocat S. Auguſt. lib. 22. de ciuit. c. 1. *tanti boni deſertores, qui per elationem ipſi ſibi ad* A *beatam vitam ſufficere vellent.* Et S. Ambroſ. l. 4. Epiſt. Ep. 33. ad Demetriadem: *Hæc ſuperbia à diabolo ſumpſit exordium, qui quoniam ſuâ, quam à creatore acceperat, potentiâ & dignitate ſibi placuit, ſeque autori ſui gloriæ comparauit, cum iis Angelis, quos in conſenſum impietatis ſuæ traxerat, à cœleſti ſublimitate deiectus eſt.* Ita Ambroſ. Et Aug. l. 11. in Gen. ad lit. c. 25. *Factus continuò ſe à luce veritatis auertit, ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus: vnde beatæ atq; Angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit, quam cum acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere, deſeruit & amiſit.*

Secundum diaboli caput, eſt quædam ſpecies auaritiæ, dum qui Deum ſupra omnia diligere debebat, ſeipſum ſupra omnia dilexit, & omnia quodammodo ad ſe rapere voluit. B Vnde S. Ambroſius ſuperbiam diaboli auaritiam etiam nominauit: *Quæ ſcilicet ſuperbia, congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio cum ſignificat appetitum, qui & ſuam menſuram concupiſcat excedere, & non dignetur eſſe diues, niſi ex propriis; tanquam hoc habeat ſimile Deo, vt bonorum ſuorum ipſe ſibi fons, ipſe ſibi ſit copia. Hæc autem elatio, de peruerſo vſu donorum Dei naſcitur. Nam ſi conditor naturarum nulla pulchra, nulla ſublimia naturis rationabilibus contuliſſet, vnde ſe extollerent non haberent.* Ita Ambroſ. Vnde Theologi docent primum Angelum peccaſſe per ſuperbiam, quia ex conſideratione ſuæ perfectionis & pulchritudinis, appetiit tyrannidem, & dominatum, & poteſtatem, quatenus C noluit ſubeſſe Deo vt ſibi imperanti: & præterea voluit omnia alia inferiora ſibi ſubiacere, quod quidem eſt quædam ſpecies auaritiæ, dum ſibi contra Domini omnium voluntatem omnia vſurpare voluit. Fauet Auguſt. l. 14. de ciuit. c. 11. *Poſtea verò quam ſuperbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eamdem ſuperbiam à Deo ad ſemetipſum conuerſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quam eſſe ſubditus eligens, de ſpirituali paradiſo cecidit.* Ita Aug. Ad hunc enim inordinatum appetitum adduci potuit, quod hoc eſſet poſſibile, vt Deus ſibi reſeruando quod & hoc vniuerſum & omnia creata dependerent ab illo, tam in eſſe, quàm in conſeruari & operari; ipſe dæmon haberet totam vniuerſi D adminiſtrationem, quoad imperium: quatenus Deus nulla præcepta daret mundo, ſed inſtitutionem præceptorum ſibi relinqueret: ſe enim creaturam ſatis nobilem exiſtimabat vt hoc ita fieret. Sed cum hoc appetiuit contra Dei voluntatem & ordinationem, ideo peccauit peccato quodam auaritiæ, dum contra Domini vniuerſorum voluntatem, de iis quæ ſibi erant inferiora diſponere ad libitum concupiuit.

Tertium caput dæmonis eſt inuidia. Docent quippe ſcholaſtici Angelos præter peccatum ſuperbiæ commiſiſſe etiam peccatum inuidiæ. Vbi enim aliquis nimis amat ſuam excellentiam, facilè inuidet aliis, vt v.g. ſuo ſuperiori, quod ei non coæquetur, ſuis inferioribus, timendo ne ſibi coæquentur. E Inuidiam de bono ſuperioris redolent illa verba Iſ. c. 14. quæ de diabolo intelliguntur: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium: ſimilis ero altiſſimo:* At certum eſt diabolum inuidia pulſum fuiſſe, dum animaduertit hunc quem appetebat honorem, homini à Deo reſeruari. Ita S. Baſilius Hom. 21. *Ipſa namque, nempe inuidia, proprium eſt diaboli vitium. Non enim diabolus ſtatim creatus eſt diabolus, ſed cum Angelicam poteſtatem accepiſſet, in dæmonis naturam conuerſus eſt, & factus iniquus dæmon. Hac enim iniquitate imbutus & à Dei familiaritate alienatus, ac ad partem defectionis conuerſus; poſtquam vidit hominem, paruum quidem animal, ſupra omnem creaturam honoratum.* Ita Baſilius. Et poſtea: *Solum hominem manibus Dei plaſmatum eſſe, hunc ei honorē inuidit: cumque namque ſole præſtantiorem animaduertit, quum ille verbo, hic manibus ſit conditus; & ille ob hominem conſtitutus, homo verò propter Deum; homo*

Digitized by Google

item vt Deus eſſet, ſol vt homini famularetur. Conſiderauit inſuper quemadmodum primum creaturæ deinde homo eſſet: quod ipſi tantam, veluti Patri-familias cuidam, domum plenam Deus præpararet. Non enim ante omnia fecit hominem, ne pauper & inops foret; ſed prius cœlum tanquam tectum nobile ſponte conſtructum conſtituit; Terram ſtrauit, vt hominis pedibus ſolidum ſtatueret pauimentum: illam omni copia, generéque herbarum ac fructuum florere ac abundare voluit: iumenta, item omnia animalia quoque omnis generis, aliqua ſub paſtoribus, nonnulla ſylueſtria ad corporis exercitationem, quædam cum labore poſsidenda, vt chariora eſſent; quædam præſto parata, vt vſui humano facile ſuppeditarent, ſubiecta protinus illi eſſe. Inſuper fructum omnigenium è terra paratum, vniuerſum creaturam hominis vſui conceſſam eſſe vidit. Tantamque beneuolentiam diuinam, ac benignitatem erga eum proſpexit; vt non contentus Deus tot ei commoditates tribuiſſe, ſed eum tanquam ſuas delitias, & ornamentum proprium eligens, in paradiſo collocauerit: Inſuper Angelos ei pædagogos adhibuerit; Deum poſtremo cum eo conuerſantem, & eadem lingua cum eo colloquentem. Vbi igitur agnouit hominem, vbi vidit tam exile animal ad Angelorum dignitatem à Deo vocatum, & per virtutem, moleſtamque vitæ conuerſationem, ad vitæ perfectionem tendentem, inuidiâ motus eum per inſidias aggredi cogitauit. Hæc Baſ. Hoc infandum caput Moſes Barcepha, comm. de paradiſo parte 1. c.27. optimè depingit, dum ait: *Quæſtio quinta eſt, quamobrem Satanas Adamum cum vxore ſeduxerit? Nos exiſtimamus cauſa Satanæ fuiſſe inuidiam, quâ illos proſequebatur. Nam cum ille ſublimi ſua dignitate gloriaque excidiſſet, videretque porro Adamum ex luto conformatum, ad imaginem tamen & ſimilitudinem factum eſſe, atque omnium rerum, quæ in terris eſſent, imperio potitum; præterea paradiſum delitiis omnibus plenum incolentem, atque Angelicarum copiarum fruentem ſocietate; ſe verò contrà, deturbatum atque deiectum; maximâ per motus aduerſus Adamum & Euam inuidiâ, ipſos ſeduxit. Nimirum huiuſmodi cogitationibus exagitatus eſt: Ego qui ſpiritualis ſum exulo: At Adam, qui corporeus eſt, initio eſt receptus. Ego profligatus, omnique gloria exutus ille gloria indutus reſtituſque: Ego in imo, ille in ſummo: Ego apud beſtias; ille apud Angelos. Ego in vaſta ſolitudine, ille inter amœniſsimas paradiſi arbores verſatur. Huiuſmodi, inquam, cogitationes ad proſequendos illos inuidiâ fallendoſque, ipſum impulerunt: quippe intelligebat ex eo quod ſibi acciderat; ſi peccaret Adam, futurum vt rueret; ſicut ipſe prior ceciderat; atque ex peccato, horum planè alterum Adamo euenturum eſſe, vt vel moreretur pro lata iam ante ſententia, Quo die comederis de illa, mortem oppetes; vel paradiſo expelleretur, atque deinde ſobole procreata multiplicaretur, ſecundum fauſtam illam opprecationem qua Deus ad illos vſus dixerat: Creſcite & multiplicamini. Hoc verò ſi illi contingeret, tum fore vt ipſe, & in illum ipſum, & in illius omnium poſteritatem imperium exerceret. Igitur ad illum fallendum percitus eſt inuidiâ.* Hæc Moſes Barcepha. Sed quia vidit Dæmon Deum, ſibi eſſe contrarium, nec ſuæ fauere ambitioni, ideo odio ingenti in Deum, & homines concepto, irâ per maximâ efferbuit.

Iram igitur hanc, quartum huius peſſimi Draconis caput conſtituere exiſtimamus: qua quidem percitus hominis necem meditari & conſpirare incæpit. Hinc dicitur leo, dicente Auguſtino tract.10. in Ioann. c. 2. *Non enim ceſſas inimicus perſequi: & ſi non aperte ſæuit, inſidiis agit. Quid enim agit? Et ſuper iram dolosè agebant. Inde dictus eſt leo & draco. Sed quid dicitur Christo? Et conculcabis leonem & draconem. Leo propter apertam iram, draco propter occultas inſidias. Draco eiecit Adam de paradiſo. Idem ipſe leo perſecutus eſt Eccleſiam, dicente Petro: Quia aduerſarius veſter diabolus, ſicut leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Non tibi ſæuitiam ſuam perdidiſſe diabolus videatur: quando blanditur, tunc magis cauendus eſt, &c.* Et Homilia 35. to. 15. *Leo propter impetum, draco propter inſidias leo apertè iraſcitur, draco occultè inſidiatur. Pugnauit Eccleſia prioribus temporibus aduerſus leonem: pugnat modo aduerſus draconem.* Ita Aug. Hac ira commotus, & hominum & Christi Domini mortem meditatus eſt. Vnde dicitur, Auguſtino teſte lib. 11. de ciuit. c. 13. *Homicida ab initio, id eſt, in initio humani generis: ex quo vtique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere.* Ita Auguſtinus. Qui lib. 4. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 5. hanc peſſimam dæmonis cogitationem à Christo diſſipatam optimè demonſtrat, licet ipſius mortem procurare ipſemet dæmon teneritus non fuerit. *Aduerſarius*, inquit Auguſt. *diabolus noſter mortem miraculo terrebat, ſed Christus æternam vitam promittebat. Aduerſarius diabolus carnem perempturam ſe eſſe dicebat: rex autem noſter, vt doceret quomodo ſuus exercitus vinceret, in ſe demonſtrauit mortem corporis non eſſe timendam, dum prios ipſe pro omnibus dignatus eſt mori, ne eius exercitus à diabolo in anima poſitis occidit. Hoc agebat in illo prælio diabolus, ſi ſibi conſentiretur, animas perdere cupiebat, & corporibus ſalutem promittebat. Christus mori docebat ad tempus, & animum & corpus viuere in æternum. Ille dicebat: Si mihi conſenſeritis, dabo vitam iſtam temporalem. Christus dicebat: Si à me non diſceſſeritis, nec temporalem perditis, & æternalem accipietis. Diabolus dicebat: Nolite perdere iſtam lucem. Christus dicebat: Ego qui feci & iſtam, dabo meliorem. Quod ille promittit, ait Christus noſter, in poteſtate dare non habet: & hæc lux mea eſt, & hæc vita à me creata eſt. Sed illam propter quam docendam veni, multo excellentior & melior eſt. Tranſite à bono ad melius, ne diabolo conſentiendo remaneatis in peius. In hoc tam magno certamine, dum diabolus captiuat, Christus liberat: diabolus decipit, Christus redimit: diabolus occidit, Christus reſtituit. Inter hæc omnia ipſum regem noſtrum aduerſarius diabolus exiſtimauit carne perimendum, tanquam capite proſtrato cætera ſibi membra facilius ſubiugaret; falſuſque in hoc quod videbat, Deum latere in carne minime cogitabat, inſcius tanti Sacramenti, quod ille mediator eſſet, & ita ſentare Deum in homine, vt hominem coniungeret Deo. Occidit quaſi potentem hominem, defendentem homines: & ſenſit Deum liberantem omnes quos creauerat homines.* Hæc Aug. Sed quod magis iram dæmonis inflammauit, illud eſt, quod videt nihil ſibi profuiſſe quod homines alliceret ad vitæ temporalis amorem, vt animas perderet, nihil ſibi profuiſſe quod Christo mortem intuliſſet. Vnde furore nimio correptus, omnibus modis & mortem corporalem piis & ſanctis procurare intendit, illoſque cruciatibus & pœnis innumeris vexare non deſinit. Hinc in hoc capite dicitur: *Væ terræ, & mari, quia deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam. Neque enim*, ait S. Baſilius in cap. 13. Iſ. *poſſunt aſſumere viſcera miſerationis, potius maiorem in modum congaudent noſtris verberibus: quin & ſic miſerè afflictis inſultant, conuitiiſque inſectantur, capientes incredibilem voluptatem ex conciſorum laborioſa afflictione, dolore, ac mœrore.* Hæc Baſil. De dæmonibus & Angelis malis verba faciens. Ad quintum draconis caput tranſeamus.

Guſtatus in Angelis, ex S. Dion. de cæleſti Hierarchia, dicit *quamdam ciborum ſpiritualium ſatietatem diuinorumque & alentium liquorum receptaculum.* Quænam quæſo eſt ſatietas ciborum ſpiritalium? Certè ea eſt quam tetitigit Dauid, dum ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hæc eſt ſatietas bonorum ſpiritualium. Nam cum cibus exquiſitiſſimus mentium, quæ Deo ſeruiunt, ſit vt voluntas Dei fiat, iuxta illud capitis Angelorum & hominũ, Christi Domini;

Cibus meus eſt vt faciam voluntatem patris; tunc ſatian-
tur Beati, cum vident Dei voluntatem ita feliciter
adimpleri, vt omnia ad eius gloriam efficaciter ce-
dant: quam gloriam ſupra omnia ſua diligunt &
exoptant. Hinc propter puriſſimum amorem, quo
in Deum feruntur, fit vt Angelicæ mentes gaudeant
ex felicitate hominum, ſintque receptacula idonea
alentium liquorum, nempe gaudiorum quibus alun-
tur Beati, dum vident Dei voluntatem, ad eius glo-
riam in his, aut illis adimpleri. Vnde *gaudium eſt
Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* His ci-
bis aluntur: hac Dei gloria ſatiantur. At contrà
Diabolus, cum non gloriæ Dei, ſed propriæ ſit aui-
dus, quaſi quidam Gulæ vitio laborat, dum non Dei
voluntatem, ſed ſuam adimpleri vult; dum proprio
amore inebriatus & repletus, mendaciter pro Deo
haberi deſiderat, diuinoſque appetit honores, ora-
culis mendacibus, idololatriâ, magicis artibus, ſor-
tilegiis, incantationibus, & errorum ac hæreſum diſ-
ſeminationibus. Vnde eructat non verbum bonum,
ſed verbum malum, dum mendacio loquitur. *Ex
abundantia quippe cordis os loquitur, & quia mendax eſt,
& pater mendaui*; ideo ſatiatur mendacio, quaſi pane
ſuauiſſimo gaudens (ſi in tam infelici ſtatu gaudium
poteſt aliquod concipere, de quo lege S. Aug. l. 2.
de Geneſi ad literam c. 17. quem refert S. Thomas
1. q. 60. art. 3. vbi docet dæmonem lætari de pote-
ſtate quam habet in peccatores.) Pari ratione gau-
det homines ſuis mendaciis fidem adhibere, illis aſ-
ſenſum præbere, in ſeipſum fiduciam aut ſpem ali-
quam collocare, ipſi veritate relictâ & poſthabitâ,
firmiter & obſtinate inhærere: de quibus dicitur
2. ad Theſſalon. 2. *Ideo mittet illis Deus operationem
erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non
crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Ideo li-
cèt omnia & ſola peccata ſpiritualia poſſint eſſe in
Angelis formaliter, tamen poſſunt etiam in eis pec-
cata carnalia eſſe cauſaliter. Hinc quia mendaciis &
erroribus dæmon ſuadet, excitat, & impellit homi-
nes, vt præſentibus inhient, & de arbore ſcientiæ
boni, & mali comedant, ei aſſignamus vitium gulæ
(ad quod impulit primos Parentes) pro capite quin-
to. Sed quia, vt diximus, aliquam ipſi inhærentem
nequitiam ſeu malitiam requirimus, nullo habito
reſpectu ad id quod extra ipſum ſit, diximus quin-
tum caput illius eſſe quod delectetur & ſatietur
mendacio, quod gaudeat ab hominibus coli pro
vero Deo, ipſo ſue ſibi credere, exinde falſam ſibi
gloriolam arrogans, quod per oblectamenta car-
nalia, vel per quadam terriculamenta homines ad
tantam impietatem adducat: licèt enim hæc ſint
extra ipſum, illud tamen de falſo gaudium eſt ipſi
intrinſecum. Sed præcipue, gulæ vitium illi tribuen-
dum eſt, cum Petro Cellenſi Abbate, quia diuinita-
tem affectat: agens namque Petrus Abbas, lib. de
Panibus, c. 1. de multiplici menſa, dum de menſa
Trinitatis verba facit, illam talem eſſe docet, vt nec
Angelus ad illam accedere audeat, ne ruinæ & ca-
ſus Luciferi fiat particeps. *Menſa*, inquit, *illa Trini-
tatis, cubiti vnius, in vnitate ſubſtantiæ panes habet abſcon-
ditos, vinum ſemper nouum, fercula æterna & beata;
Miniſterium alterius creaturæ non admittitur; neque Che-
rubin vel Seraphin ad menſam illam, de qua edere non ha-
bent etiam qui tabernaculo deſeruiunt, ſibi inuicem mini-
ſtrant. Pater Filio, Filius Patri, Spiritus ſanctus Patri &
Filio, pater & Filius Spiritui ſancto; Pater Filio generatio-
nem, Filius Patri natiuitatem, Spiritus ſanctus Patri &
Filio proceſſionem, Pater & Filius Spiritui ſancto miſſio-
nem ſeu donationem. Procul abſiſtat creatura omnis ab hac
adminiſtratione, quia beſtia quæ tetigerit montem lapidabi-
tur. Manum ſubtrahat Seraphin, quia menſa huiuſmodi
manum aliam non admittit, quàm ſolius dexteræ Dei. Nemo*
A *enim nouit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis nouit niſi
Filius. Pulmenta, immo fercula huius menſæ, tot ſunt quot
ſedent ad menſam; talia ſunt, quales ſunt quorum eſt menſa.
Non fingis tamen alium, quaſi Architriclinum, ſedere
ſuperius in eminentiori loco, alium in inferiori, alium in
vltimo: quia vna ſedes & vnus ſedens, pro concordia vo-
luntatis, pro identitate ſubſtantiæ, pro æqualitate potentiæ;
tres verò pro perſonarum diſcretione, ſi quomodo ſic ſe-
deant, tres ſine graduum diſtinctione, & ſine honoris va-
riatione, ſine loci diſtentione, vel dimenſione, nullo modo
apprehendas: quia nec vertex Carmeli, id eſt ſcientia An-
geli, hoc comprehendit. Deum enim nemo vidit vnquam.
Idcirco abſtinet, & ſuperponit digitum ori ſuo, neque ma-
num conſerens menſæ, neque os aperiens negatæ diuinitati, vt
velit eam deglutire. Vidit namque conſortem naturæ ſuæ*
B *Luciferum aliquando gulam deſiderij ad hanc menſam ex-
tendiſſe, & non exinde diuinitatem, ſed mortem degustaſſe.
Vidit manum in lateribus aquilonis porrexiſſe, & ſtatim
glacie aquilonari riguiſſe, ſeu gehennalibus flammis exarsiſ-
ſe. Forte omnipotentiam patris, fortè ſapientiam filij, for-
tè bonitatem Spiritus ſancti fera illa beſtia voluit deuorare.
Hæc enim ſunt fercula menſæ Dei, quæ ſoli Regi ſeculorum
immortali, inuiſibili, debentur in ſecula ſeculorum.* Vidéſne
optime Lector, ex Petro Bleſenſi, affectationē diui-
nitatis eſſe in dæmone quoddam genus guloſitatis?
De hoc monſtroſo capite ſatis. Ad ſextum tranſea-
mus. Cum S. Dionyſius de cæleſti Hierarchia c. 15.
tactus conuenientiam cum Angelorum natura ex-
C plorat, ait: *Tactum in eis eſſe id quod in eiſdem res naturæ
accommodatas aut alienas, cum ſcientia diſcernit*: At quid
magis eſſe poteſt accommodum naturæ Angelicæ,
quam puritas & bonitas, quibus naturæ diuinæ ſi-
militudinem imitantur? Vnde ignis proprietates,
qui puriſſimus eſt, & luminis & caloris diffuſiuus, vt
ſymbolum aptiſſimum ad deſignandum Dei purita-
tem & bonitatem, ad exprimendam Angelorum
naturam etiam adhibentur, teſte Dionyſio ibidem,
dum ait: *Ac igneam quidem formam ſignificare arbitror
cæleſtium naturarum maximam in Deo imitando ſimilitudi-
nem.* Ita Dionyſ. Hinc Angeli potiſſimum virgini-
bus fauent: fuit enim Angelis ſemper cognata vir-
ginitas, & à virginitate excidere, eſt Angelorum
D deponere ſimilitudinem. Hildebertus Cœnoman.
Epiſcop. Epiſt. 36. *Neſcit*, inquit, *à quanta hæreditate
decidit quiſquis vt hæredes relinquat, ſimilitudinem depo-
nit Angelorum.* Sunt etiam bonitatis diuinæ amato-
res, dum gaudent de profectibus noſtris, & de no-
ſtra ad beatitudinem aſſumptione lætantur. Quod
quidem certiſſimum, ſaluatore ipſo teſte, dum ait:
*Gaudium erit ſuper vno pœnitentiam agente. Diues igitur
Paſtor*, inquit S. Ambroſius, *cuius omnes nos centeſima
portio ſumus. Habet Angelorum, habet Archangelorum,
Dominationum, Poteſtatum, Thronorum, aliorumque in-
numerabiles greges, quos in montibus dereliquit: qui quo-
niam ſunt rationabiles, non immeritò hominum redem-
ptione lætantur. Quanquam hoc quoque proficiat ad in-
E centiua probitatis, ſi vnuſquiſque conuerſionem ſuam
gratam fore credat cætibus Angelorum, quorum aut affe-
ctare patrocinium, aut vereri debet offenſam. Et tu igitur eſto
Angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo.* Ita Ambroſ.
l. 7. in Lucam c. 15. Conuenientiſſimum eſt igitur
naturæ Angelicæ, ſi in virginitate & puritate dele-
ctetur, ſi de boni diffuſione lætitiam concipiat. At
è contra peſſimus draco, diabolus, non ſolum in-
centiua libidinis hominibus ſuppeditat, ſed dele-
ctatur de eorum fœtoribus & impudicitiis, quod
homines illis peccatis implicati difficiliùs reſurgant
à peccato, cum hæc ſint tenaciſſima: vnde talis de-
lectatio eſt potius de damnatione hominum per hu-
iuſmodi peccata, quàm de peccato carnis, tamen
dico hanc delectationem eſſe quoddam genus luxu-
riæ. Luxuriæ enim peccatum eſt inordinatus car-

Digitized by Google

nalium appetitus, quo homines tanquam bruta animalia feruntur in delectationes carnis ſpiritum extinguentes, ab animæ excellentia & dignitate alienas & diſſentaneas. Dum igitur dæmones delectantur propter hominum impudicitias, vel de eorum damnatione gaudent, proculdubio & lætantur in rebus ab excellentia & dignitate naturæ ſuæ maximè alienis, & in quoddam genus luxuriæ incidunt. Equidem Scotus 2. ſentent. diſtinct. 6. q. 2. ait peccatum primi Angeli fuiſſe luxuriam, ſeu fornicationem aliquam ſpiritalem, qua inordinatè delectabatur de propria ſua excellentia. At meliùs, vt arbitror, hoc luxuriæ caput illi tribuimus, quod delectetur de rebus adeo à naturæ ſuæ excellentia diſcrepantibus, vt ſunt peccata carnis, & peccata à Deo auertentia, & propter quæ homines damnationem incurrunt. *Malitiæ quippe præſidet, virtutibus Chriſtus,* inquit S. Ambroſius, in Pſ. 37. Illius ſemper vox eſt: *Mitte te deorſum*; nempe vt mens à dignitate ſua excidens ad carnalia ſectanda conuertatur, & Deum deſerens in peccatum ruat: *Verè,* inquit S. Ambroſ. lib. 4. in cap. 5. Lucæ, *diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quàm ſuadere vt vnuſquiſque ſe mittat deorſum? Diſce ergo & tu diabolum vincere. Agit te ſpiritus. Sequere ſpiritum: non te reuocet carnis illecebra: ſpiritu plenus diſce contemnere voluptates.* Ita Ambr. Qui in cap. 7. Epiſtolæ ad Romanos, vult diabolum ab Apoſtolo vocari peccatum, quia autor eſt peccati, & ad illicita ſuadet. In quo certe eius malitia, quæ eſt in re naturæ ſuæ diſconuenienti in debita complacentia, demonſtratur. Hinc idem Ambroſius hunc verſiculum Epiſt. ad Romanos explanans (*Occaſione ergo acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*) ait: *Omnem dicens concupiſcentiam, cuncta peccata ſignificat. Supra enim concupiſcentiam iuxta legem memorat, cui nunc cætera addens vitia, omnem dixit concupiſcentiam operatam in homine impulſu diaboli, quem in peccato ſignificat, vt in contrarium fieret homini lex, quæ data erat vt prodeſſet. Videns enim diabolus auxilium per legem prouiſum homini, quem tam propter Ada, quàm propter ipſius peccatum, in conditione ſe habere gratulabatur, intelligit factum aduerſum ſe. Quem enim vidit factum ſub lege, pro certo habuit de ſuo ſublatum dominio. Agnouerat enim homo quomodo pœnam inferni euaderet: hinc exarſit iracundiâ aduerſus hominem, vt illi legem inuerteret, vt prohibita admittendo Deum rurſus offenderet, & denuò in poteſtatem diaboli caderet. Cœpit non imperare, ſed ſubtiliter fallere, quoniam lege data amiſit dominium diabolus, ſciens hominem ad Dei iudicium de cætero pertinere.* Ita Ambroſ. Rectè igitur dæmonem ſubſannat & ſuggillat S. Cyprianus de Cardinalib. Chriſti operibus, de Ieiunio & Tentatione, quod Chriſto dixiſſet: *Omnia hæc tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Inaniſſime Satan, qua fronte, qua lingua auſus es dicere Saluatori, vt ante te, qui ſtat inflexibilis & immobilis, caderet? Vt te damnatum ipſe qui te damnauerat adoraret? Quis auſus? Quàm impudens hæc fuit præſumptio? Quid deſperate ſperaſti? An filium Dei putabas poſſe tecum apoſtatam fieri. Si de mundo viſibili, id eſt, de cælo & terra, & de his quæ in eo aguntur te iactas habere dominium, nec cæli nec terræ tu conditor, nec ſolem moues, nec curſum das ſyderibus, nec per te voluitur firmamentum, nec vides aut intelligis Deum, nec vllum tibi eſt cum cæleſti militia conſortium, vel aliquem habes ad ſuperioris mundi claritatem acceſſum. Huius inferioris mundi tua eſt ſcabies, languentis ſunt vlcera, hæc ſcalpis, hæc impurus ablingis: ſi quid vitij eſt, ſi quid corruptelæ, tu cadaueribus adſides, tu contractas putredines, tu diſtemperas feces, tu verſas fætores: tu ſpiritus nequam, tu in piſtrino ſeculi huius fermentator immundus, tu ſanctitatis corru-*

A *ptor, tu ſimplicium perturbator, tu incendiator libidinum & omnium turpitudinum adinuentor: in his regnas quos inquinas, & in his quos polluis, dominaris: Fornicatores & adulteri te habent ſuggeſtorem, te habebunt tortorem, te quoque cum illis vltricia incendia concremabunt.* Hæc Cyprian. Ecce igitur ſextum caput draconis, quædam ſpecies luxuriæ, dum ad turpia ſollicitat, dum de his delectatur, dum de noſtris peccatis & de noſtra damnatione gaudet. Hæc enim valde ſunt aliena à natura Angelica, quæ puritate & ſimplicitate ſua Dei puritatem & bonitatem imitatur. Ad vltimum caput deueniamus. Illud vltimum caput eſſe dico eius in malo obdurationem, qua de ſalute deſperatus, quaſi pigritia quadam correptus, nihil boni aut velle aut perficere poteſt. Sicut enim ho-

B mines per acediam, quæ eſt quidam torpor mentis bona negligentis inchoare, & quædam triſtitia boni, ſpiritui importans quoddam tædium operandi, ex quo malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta oriuntur; ita per hanc obdurationem in malo, dæmones malitiâ replentur: fiunt pacis oſores, nullam apud Deum fiduciam reperiunt, de eius miſericordia deſperant, ad boni contemplationem aut amorem ferri nequeunt: vnde nunquam ad bonorum Angelorum ſocietatem redire poterunt, dicente Auguſtino lib. 11. de ciuitate c. 13. *Quis enim Catholicus Chriſtianus ignorat nullum nouum diabolum ex bonis Angelis vlterius futurum, ſicut nec iſtum in ſocietatem bonorum Angelorum vlterius*

C *rediturum:* Vnde Ambr. Commentator Apocalyp. in c. 10. *Scimus diabolum eſſe irreuocabilem, vt nullo modo ab iniquitatibus ſuis corrigi poſſit. Ideoque qui irreuocabilis eſt, medicamentum pœnitentiæ non requiris, ſicut & diabolus ab hoc medicamento alienus exiſtis. Ergo qui per doctrinam ſanctorum Patrum à ſceleribus ſuis reuocari non potuerunt, characterem diaboli habuerunt, qui incorrigibilis & impœnitens perſeuerat.* Ita Amb. Docent quippe Scholaſtici primò quod Dæmones ratione ſui peccati ſunt priuati rectitudine iudicij practici de rebus agendis, ſeu circa res morales exercendas, ſpectantes ad ordinem naturalem: perdidit ſapientiam ſuam in decore ſuo, & ita delectatus eſt ſua

D pulchritudine, vt factus ſit omnino cæcus. Hinc ſæpe in ſcripturis dæmones vocantur tenebræ: & ratio eſt, quia dæmones nullum habent affectum bonum ad opus moraliter bonum etiam ordinis naturalis, cum nullum habeant ad illud appetitum. O qualis torpor mentis, qua etſi veritatis poſſint dæmones ſpeculationem cognoſcere, tamen propter depτauatam voluntatem nunquam poſſunt de bono cogitare, vt ad praxim quæ ſciunt reducunt aliquando: & ſi poſſunt non errare in iudicando de mediis proportionatis ad aliquod opus cuiuſlibet artis, aut prudentiæ politicæ, ſeu mundanæ, tamen de iis nunquam iudicare poterunt propter honeſtam aliquam intentionem, qua tale opus, bonum fiat

E moraliter. Quod ſi adeo ſunt impotentes circa bonum morale cogitandum, quanto magis erunt torpore detenti circa ſupernaturalia? Sunt enim propter ſuum peccatum priuati omni cognitione & lumine verè & propriè ſupernaturali, tam ſpeculatiuo, quàm practico illa: enim cognitione non poſſunt vti in bonum ſuum, vt pote qui damnati ſunt in æternum. Quod ſi ita ſunt impotentes ad cognitionem, ita torpore nimio detinetur illorum voluntas ad bonum appetendum. Non ſolum enim dæmones per peccatum amiſerunt gratiam habitualem & omnes ſupernaturales habitus, qui ſimul cum gratia ſanctificanti infunduntur iuſtificatis in ipſa voluntate, ſed etiam altera pœna plectuntur, nempe obduratione in malo, quæ conſiſtit in duobus. Primum eſt quod non poſſunt pœnitere peccati:

Digitized by Google

alterum eſt quod non poſſunt exercere aliquod opus morale quod ſit bonum ſecundum omnes ſuas circumſtantias : ex quibus fit vt ſint obſtinati in ſuo peccato. Ita S. Thomas 1. q. 60. ar. 2. Licet enim habeat dæmon Phyſicam potentiam ad exercendos actus moraliter bonos, ſecundum omnes ſuas circũſtantias, attamen ratione ſtatus in quo ſe conſtitutum conſiderat, & certè ſcit nihil ſibi profuturum bene operari, ſed ſemper remanſurum in grauiſſimis tormentis, ideo habet moralem impotentiam ad benè moraliter operandum ex omnibus circumſtantiis : & potiùs agitur deſperatione, & concipit graue odium aduerſus infligentem ſibi pœnas eiuſmodi æternas. Et hoc ſenſu dixit S. Aug. Epiſt. 10. ad vitalem, diabolum non habere liberum arbitrium ad benè faciendum, quatenus ratione ſui ſtatus, in quo ſeipſum conſiderat, non habet efficaciam moralem ad remouenda omnia impedimenta, quæ ab extrinſeco illum dimouent à bene operando. Quod ſi aliquando exerceret aliquod bonum morale, ſecundum quaſdam circumſtantias, non erit ex bono motiuo, itaut ad Deum illud opus referatur, ſed vt decipiat, vel ex proprio ſui ipſius amore.

Ex quibus docent; Theologi obſtinationem dæmonum non prouenire ex inflexibilitate liberi eorum arbitrij, quaſi immobiliter adhæreant iis obiectis quæ ſemel elegerunt; ſed cauſa remota priuatiua illius obſtinationis eſt denegatio auxilij ſupernaturalis neceſſarij, ad pœnitendum de peccato; cuius denegationis cauſa eſt ipſa voluntas iuſtiſſima Dei, quæ ſtatuit dare tantùm hæc auxilia viatoribus, & punire pœnâ æternâ malitiam peccati mortalis : Cauſa vero proxima & poſitiua eſt ipſa eorum perſeuerantia in ſuo peccato, & conſideratio ſui ſtatus miſerrimi, & in tali miſeria perpetuò duraturi. Sit igitur pro 7. capite horrendi draconis illa obduratio, de qua vt iam diximus, Auguſt. Ep. 107. dixit, de diabolo loquens: *Neque ipſe habet liberum ad benefaciendum (arbitrium) ſed ad maximã maleuolentiam pœna ſui ſceleris obduratum : vnde nemo ſanæ fidei credit aut dicit hos apoſtatas Angelos ad priſtinam pietatem correcta aliquando voluntate conuerti.* Ita Auguſt. Certè videri licet cum quo hoſte debeat Eccleſia dimicare quàm formidandus ille ſit, qui ſuperbiſſimus, rapaciſſimus, maleuolus, furioſus, inſatiabilis, nequiſſimus & implacabilis, ſeu pertinaciſſimus, ſemper paratus eſt ad hominum perditionem procurandam.

Similia certè de vnoquoq; peſſimo dæmone dici poſſunt, qui pro gradu malitiæ ſuæ ſeptem hæc capita habere certiſſimum eſt : ſed hæc potiſſimum de Lucifero intelligimus, qui anteſignanus fuit defectionis, & Chriſti mortem ab initio meditatus eſt, vt illi ſi fieri poſſet ſceptrum eriperet; quod ſibi & ex natura debitum putabat, ſed quod voluntate & diſpoſitione diuina, ad maiorem Dei gloriam, alteri, nempe homini in Chriſto traditam didicit, dum hoc decretum à ſupremo Dei Throno emanauit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Heb. 1. His adde quod cum Dæmon æmulator exiſtat Dei maieſtatis, manſeritque apud Angelos ordo ille naturalis, quo inferioris ordinis Angeli parere debent iis qui ſuperioris ſunt ordinis ſeu Hierarchiæ, probabile eſſe per ſeptem capita intelligendos eſſe ſeptem præcipuos dæmones, quibus cura à Lucifero data ſit cæterorum dæmonum agmina ad Eccleſiam diuexandam, & Regnum Chriſti viſibile in terris extirpandum, concitare ac deducere. Nam cum dicuntur ſeptem eſſe Angelos primarios, qui à Deo Optimo Maximo mundi ſeu vniuerſi regimini præficiuntur, probabile eſt ſuperbum illum principem dæmoniorum, qui Deo ſimilem eſſe in dominatu affectat, A ſeptem ex ſuis deſignare, qui tyrannidem illius & vſurpatum imperium fouere pertentent. Cui ſententiæ ſatis adſtipulatur Andreas Cæſarienſis, dum ait: *per ſeptem capita ſeptem eſſe intelligendos nequam ſpiritus, quos Chriſtus in Euangelio, in illo quodam homine habitaſſe aſſeruit.* Nam ſi, ex Andrea, per capita ſeptem alios Angelos intelligere debemus, conuenientius eſt vt ipſi ſint primores, ac præcipui Luciferi Miniſtri ſeu Collegæ, in vſurpata & affectata tyrannide, quàm Angeli inferioris ordinis, qui hominis tantum alicuius ruinam meditentur. Hi igitur erunt qui inter homines ſpiritũ ſuperbiæ, auaritiæ, inuidiæ, iræ, gulæ, luxuriæ & acediæ inducere, fouere conabuntur. Ad quod exequendum, ecce B inſtrumenta habent idonea, nempe decem cornua, id eſt ſingulos malos Angelos, qui ad peccandum contra decem Dei præcepta homines ſollicitant. i. ad actus mandatis diuinis contrarios perpetrandos. Quam interpretationem decem cornuum amplectitur Alcazar in Commentario, dum ait : *Per decem draconis cornua denotatur dæmonum tum multitudo, tum etiam ſingulorum vis & potentia : denarius enim numerus vniuerſitatis & multitudinis eſt ſymbolum, quia omnes nationes inter numerandum, vbi ad denarium acceſſere, non linguis progrediuntur, ſed regrediuntur potius, & vnitatem, binarium & ternarium, cæteroſque cum denario coniungunt.* Ita Alcaz.

At cum in capitibus diademata ſeptem habere dicatur, C eſt ad denotandum beſtiam illam horrendam regnare, & tyrannidem exercere, per ſeptem illas nequitias quas illi attribuimus, quas reducit in actum per ſeptem capitalia peccata, ad quæ homines impellit. Ita cenſet Alcazar dum ait : *Inter dæmonum Rempublicam, & inter Rempublicam hominum, hæc differentia verſatur, quod dæmones quidem omnes in vnum conſpirent, nec peculiarem victoriam huic aut illi dæmoni expetunt, id vnum contendunt atque laborant, vt ſeptem ſpiritus, ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, &c. Victoriam ex hominibus adipiſcantur : quapropter licet principes & poteſtates, qui in decem cornibus ſignificantur, ſint plurimi, quas tamen illi victorias atque coronas per magni æſtimant & auidiſſimè expetunt, eæ ſunt non am-* D *plius ſeptem, quæ nimirum ad ſeptem capita, ſiue ad capitalia vitia pertinent. At vero Romani imperatores, ſenatores* (quos in decem cornibus coronatis beſtiæ marinæ ſignificari vult Alcazar) *vt pote terreni filij Adami, nec inter ſe rectè conſentientes, ſinguli de peculiari ſua potentia atque corona, deque ſingulari excellentia, qua cæteris præſtarent gloriabuntur, &c.* Reſtat vt de cauda tam peſſimæ beſtiæ aliquid dicamus.

Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli : & miſit eas in terram. Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret

E *Quænam ſit cauda draconis?* Punct. 3.

Cum cauda ſit pars animalis extrema, proculdubio in dracone ſymbolum erit illius euentus, qui ex tot nequitiis, per ſeptem capita deſignatis, haberi poteſt. Sua enim propria excellentia contentus, eaque tantum appetens ad quæ virtute naturæ ſuæ poterat peruenire, auertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei, vel ſi appetiit vt vltimum finem, Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia Dei; volens, iuxta S. Tho. 1. q. 63. ar. 3. hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem, & ex hoc appetens in quocumque ſtatu eſſet, naturali aut ſupernaturali, habere principatum in omnia inferiora contra Dei voluntatem; quid quæſo ex

Digitized by Google

tam nefario auſu euenire potuit? Planè hoc euenit, primò vt alios Angelos, quantum in ſe fuit, induxerit ad ſibi conſentiendum; ſecundò, per fidem ſibi infuſam ſciens humanam naturam ſibi in dominatione fore præferendam, ratione vnionis hypoſtaticæ, huic Dei ordinationi obſiſtere volens, decreuit ſuâ vti naturali potentiâ in res corporeas, qua & eas ſubtraheret, quantum in ſe eſſet, ab huius hominis à Deo aſſumpti obedientia & ſubiectione, hominemque, quem ſciebat naturaliter eſſe morti obnoxium, à gratia qua immortalitatis donum obtinebat, deturbaret, vt hoc dono miſerè ſpoliatus mortem illi inferret. Vnde ſapiens, ſap. c. 2. dicit, inuidia diaboli mortem fuiſſe inductam. *Quoniam*, inquit, *creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidiâ autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Hæc eſt cauda draconis & extremitas malitiæ ſuæ. Hac ratione facile eſt conjicere quid innuere velit S. Ioannes, dum ait: *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli.* Nam cum, vt exiſtimo, indolés & malitia dæmonis hic deſcribatur, vt ſciamus cum quo hoſte Eccleſiæ ſit dimicandum, non malè arbitror quoſdam per has ſtellas Angelos deſertores intelligere, ac ſi innueret S. Propheta: Attendite, quæſo, quàm ſit ille hoſtis formidabilis? Si tantâ aſtutiâ præditus fuerit, vt Angelos potuerit ad ſibi conſentiendum allicere, quis hominum poterit illius fallacias euitare? Si eos qui cæleſti erant mox donandi beatitudine, ad terram ſecum attraxit, quis mortalium contra eum ſtare poterit, quem non opprimat, & dejiciat ſua potentia? Certè facillimum erit ei hominibus procurare necem, qui in cinerem & terram, de qua ſumpti ſunt, redeant: qui tanta potentia præditus fuit, vt Angelos ſecum in tantam adduxerit miſeriam, vt terram comedant, & terrenis rebus ſint addicti & alligati. qui cœli gaudiis perfrui debebant. Hanc eſſe mentem S. Ioannis ſuſpicor ex eo quod aſſerendum eſt diabolum hic non deſcribi operantem adhuc, ſed eius indolem & malitiam nobis ſub hoc ſchemate depingi: cuius effectus & operatio poſtea ſignificabuntur, dum S. Ioannes nobis prælium Draconis cum Michaele Angelo ante oculos repræſentabit. Ad quod non attendunt interpretes, qui per capita intelligunt Reges; & per caudam, illorum hominum necem, qui vel in primis Eccleſiæ temporibus, vel tempore Anti-Chriſti, mortem ſubibunt: vel etiam eorum à fide defectionem, & à charitate deiectionem, qui per diaboli ſuggeſtiones, aut perſecutorum tormenta, aut falſorum Prophetarum deceptiones, in peccata corruent. Igitur, talis qualis ſit, dicitur ſtare *ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.* Quibus verbis firmum & conſtans illius propoſitum contradicendi Dei ordinationi, per quam Regnum ſibi in terris viſibile ſtatuere decernebat, ſignificatur: quo propoſito ſemel concepto, ſemel atque perſpexit aliquid conducens ad illius regni incæptionem, promotionem, aut firmitatem & gloriam, illud aut impedire, aut retardare, aut eradicare & euertere attentauit. Et hoc eſt velle filium mulieris deuorare: quia, vt mox videbimus, filius Eccleſiæ eſt Chriſti regnum viſibile in terris. Hoc ſenſu S. Hierony. interpretatus eſt verbum (ſtare) in illud Zachar. c. 3. *Et Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. Quærens*, inquit S. Hier. *ſemper dextris eius* (nempe Chriſti Domini) *& virtutibus contraire.* Ita Hiero. Qui ſemper quærit contraire, firmum habet propoſitum contradicendi. Pari ratione, hîc ſtare ante mulierem, eſt firmum propoſitum habere ſeſe opponendi partui huius mulieris, aut ſaltem deuorando filium, impediendi ne quam

A exoptat conſolationem, ex filij ſui partu obtineat ipſo interfecto eodem pene momento, quo in lucem fuerit editus. Itaque dum video Eccleſiam ex vna parte ſtantem, amictam ſole, & parturientem; Draconem verò ante mulierem ſtantem ex alia parte, duas acies videre mihi videor ad prælium & pugnam ſeſe accingentes, ſicut de Philiſtiim & de Iſraël 1. Reg. 17. dicitur: *Porro Saul, & filij Iſraël congregati venerunt in vallem Terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſtiim: & Philiſtiim ſtabant ſupra montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſupra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos*, &c.

Hoc igitur monſtrum eſt ſignum aliud magnum, ſeu res mira, quæ S. Ioanni in cœlo, id eſt in aëre, B apparuit; ſiue magnitudinem illius draconis ſpectes, ſiue horrendam illius figuram in ſeptem capitibus & decem cornibus conſideres, ſiue prodigioſam illam caudam vſque ad firmamentum pertingentem, & ſtellas decutientem videas. Signum proculdubio magnum, etiam in ſua ſignificatione mirandum, namque quod adhuc dæmon in ſua audacia pertinaciter perſeueret, & adhuc velit ſibi ſceptrum & imperium arrogare, quod dum erat in proſpero ſtatu, & omni pulchitudine & ſapientia ornatus, obtinere non potuit Nunc miſer & deformis, & tenebris inuolutus, ad illud adhuc adſpiret, ſibique perſuadeat inani quadam iactantia, opus à Chriſto fabricatum, aſtutiâ aut violentiâ quadam fore deſtru- C ctuꝛum. Mira res prorſus, quod iſta meditetur, ſed etiam quod Deus permittat draconi, vt cultus qui ſoli Deo debetur, ipſe dæmon conetur ſibi exhiberi, & adhuc dicat: *In cœlum conſcendam*, &c.

Et peperit filium maſculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius.

Filius maſculus eſt regnum viſibile Chriſti intra Eccleſiam erectum, & ſupra omnia regna mundi ſublimatum.

D ANNOTAT. X.

Diuerſæ autorum expoſitiones huius textus. §. 1.

AVGVSTINVS ſeu Ticonius: *Semper in cruciatibus parit Eccleſia Chriſtum per membra ſemper: & draco quærit deuorare naſcentem. Et genuit mulier filium maſculum, id eſt Chriſtum. Deinde corpus eius, id eſt Eccleſia ſemper generat Chriſti membra. Maſculum autem dixit victorem aduerſus diabolum.* Ita Ticon.

Ambroſius filium maſculum dicit ad Chriſtum & Eccleſiam pertinere. *Mulier itaque*, inquit ille, *maſculum peperit: quia eius membra, quem Beata Maria virgo peperit, quotidie Eccleſia parit. Vnus ergo maſculus* E *eſt, quem virgo Maria peperit, & Eccleſia quotidie parit: quia Chriſtus cum omnibus membris ſuis vnus Chriſtus eſt.* Ita Ambroſ. Si hunc maſculum de Chriſto intelligas, illum raptum ait dum aſcendit in cœlum. Si de Eccleſia, *Rapiuntur*, inquit Ambroſ. *quotidie filij Eccleſiæ, id eſt membra Chriſti, ad Deum & ad thronum eius, cum poſt mortem ad cæleſtia perducuntur.* Primaſius: *Ideo maſculum, quod virili ſexui nouerimus, tanquam ſuperiori ſexu, deberi victoriam. Rectè hic caput Eccleſiæ Chriſtus in ſingulis membris dicitur naſci, qui cognoſcitur principari. Ipſe enim autor & conſummator eſt fidei, in quo faciemus virtutem in virga ferrea, id eſt inflexibili iuſtitia: reget in bonis, confringet in malis: quod etiam eius Eccleſiæ tanquam corpori coaptatur & capiti.* Ita Primaſ. Qui etiam raptum eius de aſcenſione, ad dexteram Patris, Chriſti Domini & de confeſ-

Digitized by Google

ſione fidelium in cæleſtibus, & conuerſatione eorum in cœlis intelligit. Andr. Cæſ. *Eccleſia per eos qui baptiſmo initiantur citra intermiſſionem generat Chriſtum, vt poſt illis formandum vſque ad conſummatam ſpiritalis ætatis plenitudinem. Eccleſiæ autem populus is demum filius maſculus rectè appellatur, qui carnis voluptatibus, ſenſuumque illecebris non frangitur, neque dejicitur, ſed animo infracto in officio perſiſtit, per quem nunc quidem Chriſtus Deus Romanorum manibus, quaſi ferrum robuſtus gentes regit, recturus eaſdem poſt communem mortuorum reſurrectionem. Conſtituet enim iudices fide validos; qui gentes, qui propter infirmitatem & infidelitatem myſticum illud & nouum vinum non capiunt, vt ferrum vaſa fictilia & infirma ſolet, contererent. Et raptus eſt, &c. Rapiuntur hic quoque ex grauioribus tentationibus interdum ſancti, ne fortè afflictionibus & difficultatibus, quæ vires illorum excedunt, abſorbeantur. Rapientur & olim in occurſum Domini, nubibus quaſi vehiculis quibuſdam, in aërem ſubiecti cum Deo, eius denique thronus, hoc eſt ſummis Angelorum virtutibus felices ſemper victuri.* Ita Andr.

Rupertus per filium maſculum Chriſtum intelligit, per Herodem à diabolo ad necem quæſitum; dæmonemque fatuum vocat, qui ſperaret tam cito deuorare eum, qui ſecundum ſcripturarum veritatem regere debebat omnes gentes in virga ferrea j. inflexibili iuſtitia. *Egit tamen*, ait Rupertus, *draco ille quantum potuit non aeſiſtere illum perſequi, vt deuoraret, id eſt, vt memoriam eius deleret, dicens illud quod in Pſalmo audimus: Quando morietur & peribit nomen eius? Hæc dicendo impatienter effecit vt crucifigeretur, & hoc agendo deuorari illum & perire putauit nomen eius. Et raptus eſt, &c. Raptus eſt igitur filius mulieris Eccleſiæ, filius mulieris virginis Mariæ, ad Deum & ad thronum eius* (ſcilicet, vt antea dixit, poſt reſurrectionem & aſcenſionem) *atque illinc deſpiciens vniuerſa capita draconis irridet, ſicut itidem in pſalmo Spiritus ſanctus locutus eſt: Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos, &c.*

Ex his omnibus interpretationibus, propriùs accedit Andreas Cæſarienſis ad veram huius loci interpretationem, dum populum Chriſtianum intelligit, per quem Romanorum manibus Chriſtus regnat: dicitque illum conſtiturum eſſe iudices fide validos, qui nationes infideles contetant, vt mox videbimus. Nec ab hac ſententia abhorrent qui Chriſtum interpretantur, vt Ticonius & Ambroſius. Nam cum de futuro partu agat S. Ioannes, non de præterito, certè abſurdum eſt hoc ænigma mulieris pariturae intelligere de virgine grauida Chriſto, quem eſſet paritura: cum antequam hoc ſcriberet Ioannes, eum lōgè antea pepererit: ſed illud propterea intelligendum eſt de Eccleſia, quæ Chriſtum parit vt regat gentes, cum eius regnum viſibile in terris inſtituit, vt mox dicemus.

Filius maſculus eſt regnum Sacerdotale Chriſti, in ſummo Pontifice præcipuè enitens, & in ſede Romana conſtitutum. §. 2.

Ludou. ab Alcazar in commentario, per filium maſculum exiſtimat deſignari aliquem populum, quem primitiua Eccleſia Deo peperit: de quo iam antea prædictum fuerat futurum eſſe totius mundi moderatorem; ſicque in eo populo adimpletam eſſe Danielis Prophetiam c. 7. *Regnum autem & poteſtas; & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi*; Hæcque Apocalypſis verba aſſumi aſſerit ex cap. 66. II. *Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum. Quis audiuit vnquam tale & quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die vna? Aut parietur gens ſimul? Quia parturiuit & peperit Sion filios ſuos* vbi, in-

A quit Alcazar, *perſpicue exigit contextus vt ille ipſe, qui filius maſculus appellatur, illico nominetur gens, & filij multi: alioqui contextus neutiquam inter ſe cohæret.* Neceſſe ergo eſt vt *maſculus ille filius non ſit ſingularis perſona, ſed clariſſimus aliquis populus.*

Deinde docet huiuſmodi filiū non eſſe intelligendum de vniuerſis ſiue fidelibus ſingularibus, ſiue populis, quos primitiua Eccleſia ex gentilitate conuertit, ſed de peculiari aliqua Eccleſia in Romani imperij prouinciis fundata, quæ ſit à cæteris diſtincta, earum tamen princeps & caput, quemadmodum filius primogenitus inter fratres reliquos obtinet principatum. At cum certiſſimum ſit, nec hoc ab hæreticis inficiari poſſit, nullam aliam Eccleſiam vnquam potuiſſe aſſerere ſe eſſe caput, aut princi-

B patum obtinere in Romanam Eccleſiam, & alias ab initio naſcentis Eccleſiæ fundatas, ſi in Apocalypſi promittitur ille principatus cuidam Eccleſiæ, quis non videt nulli alteri Eccleſiæ hic principatus poſſe aſſignari quàm Romanæ ſupra eam nulla vnquam principatum obtinuit, vt omnes fatentur: oportet vt quædam reperiatur quæ illum obtineat: nullam certe inuenies, niſi oculos direxeris ad Romanam ſedem, cuius ſummus Pontifex eſt caput & moderarot: quæ quidem fuit primo inſtituta in iis, qui ex Iudæorum Romæ exiſtentium cætu Chriſti fidem amplexi ſunt. Recturus dicitur ille filius maſculus omnes gentes in virga ferrea, ad denotandam efficaciam ingentem ad animarum conuerſio-

C nem, per Eccleſiam Romanam; raptuſque eſſe aſſeritur ad Dei thronum, tum quia à Deo protectus, tum quia Pontifex Chriſti vicarius conſtituitur: cuius rei causâ, Eccleſia Romana dicitur in terris Dei thronum habere. Simpliciùs tamen Alcazar dici vult rapi ad Deum, non ratione ſeſſionis in throno, ſed ratione defenſionis & liberationis à furore draconis; ſiue quia Deus temperat dæmonis oppugnationes, nec patitur ſuos tentari ſupra id quod poſſunt; ſiue quia iuſtis hominibus affluentem diuini ſpiritus copiam, id eſt, magnam ſanctitatem atque ſapientiam elargitur, itaut quantumuis ſæuiſſima oriatur tempeſtas, non tantùm cæleſtem ignem non extinguat, ſed etiam magis magiſque ſuis flatibus

D augeat.

Hæc ſententia de Chriſti regno in Eccleſia deſignato, tantò mihi veriſimilior apparet, quantò mihi certius eſt de Chriſti perſona hic non fieri mentionem, Methodij ſententiæ apud Andream Cæſarienſem adhærens, qui ait: *Non oportet arbitrari de Chriſto iam recens nato verba hic fieri: iam olim ante Ioannis Apocalypſim incarnati verbi Sacramentum completum erat. Ioannis autem Apocalypſis de rebus præſentibus olimque futuris vaticinatur.* Ita Method. Secundò, patet id ex eo quod hic filius dicitur raptus ad Deum, & ad thronum eius: qua quidem loquendi formula demonſtratur, vi ac violentia quadam hoc factum

E fuiſſe, quaſi decertatum fuiſſet, ne à tanto erueretur periculo. At hoc non competit naturali illi exaltationi humanitatis Chriſti, qua ab omni dæmonis incurſu libertima eſt, ratione vnionis hypoſtaticæ. Vnde Chriſtus, Ioan. 14. dicebat: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Vnde non fuit neceſſarium vt is eriperetur, in quem nullum ius ſibi dæmon poterat arrogare. Hinc Auguſt. tract. 79. in 14. Ioannis: *In quo princeps huius mundi, hoc eſt tenebrarum harum*, non habebat quicquam: *quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat.* Ita Aug. Dices: tamen mortem illi procurare eſt auſus: ad necem illum quæſiuit per Herodem; lapidibus illum obruere, per manus Iudæorum; è vertice montis illum præcipitare per eoſdem attentauit: tandem à Iuda

Digitized by Google

à Iuda proditus, ab ipſis crucifigitur. Nonne igitur opus fuit quadam militia, vt eriperetur ab his inſidiis, & tandem glorioſè reſurgeret? Reſpondet S. Auguſtinus: *Et tanquam ei diceretur: cur ergo moreris, ſi non habes peccatum cui debeatur mortis ſupplicium? Continuo ſubiungit: Sed vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc: diſcumbens enim diſcumbentibus loquebatur. Eamus autem, dixit: quo, niſi ad illum locum, vnde fuerat tradendus ad mortem? Qui nullum habebat meritum mortis. ſed habebat, vt moreretur, mandatum Patris: tanquam ille de quo prædictum erat: Quæ non rapui tunc exoluebam; mortem ſine debito ſoluturus, & nos à morte debita redempturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem præſumptione deceptus extendit: vt incommunicabile nomen inconceſſæ diuinitatis inuaderet, quam filio Dei natura contulerat, non rapina.* Ita Aug. Quia igitur naturâ illi eſt debita diuinitas, vt docet Auguſt. & diuinitas ex propria natura poteſt ſe ab omnibus periculis eruere, vnde niſi voluiſſet, & mandatis patris elegiſſet obedire, nullum in eum ius habebat princeps tenebrarum, ideo dum eripitur à periculis, reſurget à faucibus mortis, hoc non fit quaſi raperetur, ſeu vi aut violentia eriperetur, ſed ex rei natura: quia in eo princeps mundi non habebat quidquam. At non ita de hominibus in quibus dæmon ſemper, ratione peccati originalis & actualium, aliquod ius ſibi arrogare audet: vnde ſi protegantur, hoc fit per Dei potentiam, quaſi vt illos à tam immani hoſte eripiat.

Dico ſecundò: hoc non poteſt intelligi de quolibet Chriſtiano fideli in particulari, licet quilibet fidelis Chriſtianus ad hoc regnum pertineat. Hoc mihi etiam certiſſimum videtur. Primò, quia filius debet eſſe quidquam à matre diſtinctum: at mulier eſt ſymbolum Eccleſiæ Catholicæ, quæ omnes omnino fideles complectitur: hic filius igitur debet aliquid repræſentare, à multitudine illa aliqua ratione diſtinctum. Secundò, dicitur quod draco videns ſe nihil poſſe erga illum filium, nec erga illam mulierem, *abiit vt faceret prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Dei in ſe.* Hinc patet alium eſſe filium maſculum à reliquis de ſemine; Mulierem alia quadam ratione aliam eſſe ab ipſo filio, & à reliquis de ſuo ſemine. Quærendum igitur eſt quid mulier ſignificet, quid filius maſculus, quid reliquum ſemen?

Dico igitur tertiò, mulierem ſignificare omnem Eccleſiam, ex paſtoribus & ouibus compoſitam (cuius caput eſt ſummus Pontifex) verbo diuino deſponſatam, eoque fœtam, id eſt, per lumen, quaſi ſemen à verbo inſitum in ea, altum quid ac generoſiſſimum meditantem: vnde clamat vt pariat. Quid autem pariat? Illud eſt nempe vt Chriſtus regnum in terris obtineat viſibile, cui ſubdantur omnes nationes; itaut verè agnoſcatur, fide, confeſſione & obedientia illi præſtita, & pio affectu, Rex Regum & Dominus Dominantium, itaut nulla vis, nulla aſtutiâ diaboli hoc impediri poſſit. Itaque filius maſculus eſt autoritas quædam ſuprema, & valde generoſa, ad promouendum Chriſti cultum & obſequium, ſeu qua mediante, Chriſti cultus, quem pro fine & ſcopo habet Eccleſia, promoueatur. Reliqui autem de ſemine ſunt fideles, qui exemplo aliorum, illorumque ſtudio ac vigilantia, & miniſterio Paſtorum quotidie generantur in Eccleſia, vt alij in pio Dei & Chriſti cultu, & obſequio ſuccedant. Aliquid habet hæc interpretatio ab interpretatione Alcazaris diſtinctum. Ipſe enim regnum illud intelligit de Romana ſede, ac ſummo
A Pontifice: ego autem Romanam ſedem ac ſummum Pontificem ſuſpicio vt thronum, ſeu ſupra thronum ſedentem: ad quem eleuatur ille filius maſculus, illa nempe autoritas, qua manifeſtè apparet Chriſtum obtinere regnum in terris. Rapta quippe hæc autoritas ad Deum, qui inuiſibiliter præſidet, & ad thronum eius, id eſt Petri ſedem, in qua ſedet eius in terris Vicarius, firma ſemper manet: quia huic fuit promiſſum quod aduerſus eam non præualebunt inferorum portæ. Quidquid autem operatur Eccleſia, ad hunc finem ſpectat, vt præualeat Chriſti regnum ſupra omnia regna: quod cum agat cum magnis laboribus & doloribus, ideo parere & parturire dicitur, dum totis viribus ſatagit, vt Chriſtus per
B autoritatem Eccleſiæ datam, & in Petri Vicario reſidentem, appareat Rex Regum & Dominus dominantium, & in eius nomine omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & inferorum. Clamor autem Eccleſiæ, filium quem in vtero habebat parturire deſiderantis, fuit illa vox Eccleſiæ per os Petri, ſtatim atque poſt deſcenſum Spiritus ſancti concionem habuit: in qua hanc ſententiam protulit, & Chriſtum omnium eſſe Dominum promulgauit. *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Act. 2. Fuit etiam illa vox eiuſdem Petri, cum Actuum 4. poſt ſanationem claudi, interrogantibus principibus ſacerdotum, in qua virtute aut
C in quo nomine feciſſent hoc ſignum? Inter alia Petrus Spiritu ſancto plenus ait, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti feciſſe, nec in alio aliquo ſalutem conſiſtere, nec aliud nomen eſſe ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Fuit denique illa vox omnium Apoſtolorum, qui nunciantibus ipſis Petro & Ioanne minas principum ſacerdotum, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, rogantes vt contra peruerſos conatus Iudæorum & gentium, qui iuxta Prophetiam Dauid: *Quare fremuerunt gentes, &c.* conuenerant aduerſus Ieſum; daret ipſis loqui cum omni fiducia verbum Dei, & extenderet manum ſuam ad ſigna & prodigia fieri per nomen Ieſu filij Dei. Cruciatus autem
D Eccleſiæ, vt pareret, percipitur, quia poſiti fuerunt in cuſtodiam Apoſtoli ſemel & bis, cæſique fuerunt Act. 4. & 5. vnde *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati;* & ſimilia quæ pertulerunt deinceps, vt adoraretur & coleretur Chriſtus ab omnibus Iudæis & gentibus. Hinc admittenda eſt Primaſij interpretatio, dum ait: *Rectè hic caput Eccleſiæ Chriſtus in ſingulis membris dicitur naſci, qui cognoſcitur principari. Ipſe enim autor & conſummator fidei eſt, in quo faciemus virtutem.* Ita Primaſ. Et quia Chriſtus Dominus ſuæ dominationis ſuique imperij ſigna edidit, miniſterio illius cui vices ſuas contulit in terris, rectè Andreas Cæſarienſis ait Chriſtianum populum regere
E gentes per manus Romanorum, Chriſtumque conſtituere iudices fide validos, qui infideles conterant. Nam reuera miniſterio Romanæ ſedis, Romanorumque Pontificum, qui iudices ſunt fide validi, Chriſtianus populus agnoſcitur illum eſſe populum, in quo eſt ſacerdotale Chriſti regnum: de quo ſanctus Petrus dixit 1. c. 2. *Vos autem genus electorum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Hic eſt ille filius maſculus, quẽ deuorare draco exoptabat, ſtatim atque perſenſit Eccleſiam fuiſſe à Chriſto in Apoſtolis fundatam, eamque tot donis præuentam; & per has voces Petri & aliorum, animaduertit

Digitized by Google

quid intenderet Eccleſia, nempe vt parturiret hunc A filium.) hanc autoritatem, ad Dei cultum promouendum & conſeruandum in terris à Deo ordinatam. Quam certè deuoraret & diſſiparet draco, ſi fieri poſſet, niſi Deus illam protegeret, conſeruaret, eamque collocaret in throno adeo firmo & inconcuſſo, tanquam in immobili ſaxo, vt contra eam non præualeant omnes infernorum portæ. Hic ſenſus planiſſimus eſt, vt mihi videtur. Hic eſt filius ille maſculus ab Eccleſia productus, antequam veniſſet partus eius, id eſt, antequam omnes qui ad Chriſti fidem conuertendi ſunt, ad eam accedant. Nam ſtatim atque Petrus prædictam protulit ſententiam, autoritate ſibi à Deo collata, tunc cœperunt audientes dicere compuncti corde: *Quid faciemus, viri fratres?* B *Et qui receperunt ſermonem baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* En Chriſti regnum viſibile apparet iam productum, antequam cæteri, qui poſtea erant credituri, ad Eccleſiam acceſſerint. *Fiebat autem*, inquit S. Lucas, Act. 2. *omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis: omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* C *Dominus autem augebat qui ſalui fierent quotidie in idipſum.* Nonne ex his verbis S. Lucæ vides publicum Chriſti cultum viſibiliter apparere per autoritatem illam, per quam S. Petrus promulgauit Chriſtum, Dominum eſſe omnium: cui crediderunt iſti qui ad prædicationem illius fuerunt conuerſi. Quæ ſuprema autoritas, velit nolit draco infeſtiſſimus hoſtis, cum reſideat in ſede Romana, velut in throno quodam ſublimi, facile eſt videre quomodo ille filius maſculus raptus ſit ad Deum, & ad thronum eius. In ea enim ſede collocatâ illa autoritate, iam non fuit in poteſtate diaboli ipſam inuertere aut infirmare.

Et quia hoc Chriſti regnum ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſuum perfectum ſplendorem, ac omnem D ſuam extenſionem non obtinuit, ſed decurrentibus ſeculis hæc magis ac magis pedetentim conquiſiuit, ſimulque nationibus cunctis innotuit, ideo dicitur de filio maſculo, *qui recturus erat omnes gentes*, non qui regeret eas de facto omnes, plenitudinem ſuæ potentiæ oſtenſurus, dum qui paruulus eſt ad perfectam ætatem perueniet, in qua deſcribitur Apocalypſ. 14. *Et vidi: & ecce nubem candidam, & ſupra nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Tunc enim plena autoritas promouendi & imperandi Chriſti cultum in ſummo Pontifice reſidere videbitur, in liberrimo ſui miniſterij exercitio, fremente licèt mundo, iraſcente licet diabolo, quod E hunc filium deuorare non potuerit, & in vanum mulierem perſecutus fuerit, eamque flumine abſorbere, quod ex ore euomuit, minimè potuerit.

Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

De tranſitu Eccleſiæ à Iudæis ad gentilitatem.

ANNOTAT. II.

Varia autorum, huius textus, expoſitiones. §. 1.

TICONIVS: *Mundum iſtum non incongruè eremum accipimus, vbi vſque in finem Chriſtus Eccleſiam gubernat & paſcit; in quo ipſa Eccleſia ſuperbos & impios homines, tanquam ſcorpiones & viperas, & omnem virtutem Satanæ per Chriſti adiutorium calcat & conterit.* Ita Ticon.

Primaſius ſolitudinem ponit huius vitæ peregrinationem, *In qua ſingulari ſpe beatæ remunerationis, vt paſſer ſingularis viuit Eccleſia: quæ à rege ſuo poteſtatem accepit calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, iam draconis tuſi? Nam etiam populus Iſrael per eremum ductus ignitos ſerpentes ænei viſu potuit ſuperare. Omnia enim hæc, inquit Apoſtolus, in figura noſtri facta ſunt. Et ſicut illos mannâ viſibili, ſic nunc Eccleſiam paſcit pane cæleſti. Preparatum autem locum habet, de quo Propheta dicit: in loco quem diſpoſuit, &c. Et paulò poſt: Beatus vir cuius eſt ſuſceptio abs te Domine, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in conualle plorationis, in loco quem diſpoſuit. Idem namque & refugij locus eſt peregrinis, & refectionis cibus eſurientibus ſeruis, qui merces promittitur regnaturis, &c. Diebus mille ducentis ſexaginta, iſto ſanè dierum numero, qui tres annos & ſex menſes faciunt, omnia Chriſtianitatis tempora etiam hoc loco ſignificat, ex quo Chriſti prædicatio cœpit, & vſque in finem fructificatio creſcit.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſ. *Quando*, inquit, *diabolus, qui in Anti-Chriſto efficax erit, aciem per ipſum contra Eccleſiam direxit, tunc illius electi, ſummaque eiuſdem capita, ciuilibus tumultibus, mundaniſque voluptatibus contemptis, in deſertum ab omni malitia alienum, vitæque conſuetudinem omni virtutum genere lucentem ſeſe recipient, iuxta magni Methodij ſententiam, ibique impugnantium dæmonum malignorumque hominum impetus atque inſultus ſubterfugient. Probabile ſit quoque ſenſibilem eremum eos conſeruaturos, qui in montibus & ſpeluncis & cauernis terræ, propter Apoſtatæ & Anti-Chriſti inſidias, confugient: quemadmodum primos quoque martyres ad eiuſmodi latibula ſæpe ſe recepiſſe, mortemque ad tempus euaſiſſe conſtat, idque ad annos tres cum dimidio, per mille ducentos ſexaginta dierum numerum deſignatos. Inter quos Regnum obtinebit Apoſtaſia, à qua magnus ille agonotheta nos liberet, qui non permittit vllum omnino tentari ſuper id quod poteſt.* Ita Andr.

Ambroſius ſolitudinem Chriſtum vocat. *Solitudo quippe dicitur, eo quod ſola ſit deſerta ab habitatoribus, ſimiliter & Chriſtus deſertus eſt à ſuis, ſicut Euangeliſta loquitur dicens: in propria venit, & ſui eum non receperunt. Et per Prophetam loquitur Dominus dicens: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Mulier igitur fugit in ſolitudinem, quia Apoſtoli & cæteri diſcipuli ex quibus conſtabat Eccleſia, relicto diabolo, relictiſque omnibus quæ poſſidebant, Chriſtum ſecuti ſunt. Per dies verò mille ducentos ſexaginta, tempus quo Chriſtus prædicauit, deſignatur. Paſcitur ergo mulier diebus mille ducentis ſexaginta, quia Apoſtoli & cæteri diſcipuli, ex quibus, ſicut ſuperius diximus, Eccleſia tunc conſtabat, per tres annos & dimidium, dapibus Euangelij à Domino paſti ſunt.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Sedente iam Chriſto Domino ad dexteram Patris, & dato Spiritu ſancto, Eccleſia illius temporis vitam ſolitariam elegit. Sic enim in actibus Apoſtolorum le-*

Digitized by Google

gimus: multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Nimirum hoc erat mulierem fugiſſe in ſolitudinem, quia videlicet nihil poſſidere vel concupiſcere in hoc mundo propoſuit prouocans filios ſuos ad imitandum ſe, &c. Et paulò poſt: *In huiuſmodi ſolitudine habet,* inquit, *locum paratum à Deo. Quis eſt locus mulieris in hac ſolitudine, niſi Deus ipſe? Denique & Pſalmiſta ait: Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, &c.* Et paulò poſt: *Præterea & in hoc paratus eſt illi locus à Deo in illa ſolitudine, vt ibi paſcat illam. Hanc enim legem Domini præſcripſit filius matris Eccleſiæ filiis qui nondum peruenerunt ad apicem perfectionis maternæ, vt nihil in hoc mundo velint poſſidere: & hoc illis iuſſit vt paſcant illam matrem ſuam, id eſt, Euangelizantem ſibi charitatem maternam, perfectionem Euangelicam. Dixit enim: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Et alibi: in eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua, &c.*

Denique Rupertus addit: *Paſcunt ergo illam diebus mille ducentis ſexaginta, id eſt, quandiu peregrinando in hoc ſeculo perſecutiones tolerat: nam quia tanto tempore agitanda eſt perſecutio, dracone iſto, in illo perditionis filio, ſcilicet Anti-Chriſto, totas effundente inimicitias, rectè tot diebus vniuerſa perſecutionum omnium tempora ſubintelligimus.*

S. Thomas in expoſitione: *In ſolitudinem, id eſt ſecretum mentis. Ibi ſola eſt, per excluſionem tumultus mundanorum deſideriorum, &c. vbi habet locum, id eſt, in qua ſolitudine interni ſecreti habet Eccleſia, quantum ad viros iuſtos, manſionem ſpiritalem: qua tanquam loco quietatur. Paratum à Deo, quia non poteſt haberi locus interni ſecreti, in quo anima quieſcit, niſi ex magno Dei dono, qui hunc locum ſuis parauit: quia per exemplum vitæ & paſſionis omnia contemnere docuit, & ſibi ac Deo in terris vacare. Parauit etiam per meritum & efficatiam ipſius paſſionis, per quam ſuis gratiam tribuit. Parat etiam ampliùs, quando gratiam ad hoc tribuit, & ſic animam in hoc loco manere facit, & cum ea familiariter loquitur, &c.* Et paulò poſt: *Vt ibi paſcat illam, ſcilicet paſtu doctrinæ, &c. diebus mille ſexaginta. id eſt, toto tempore quo ſubſiſtet Eccleſia per virtutem dominicæ prædicationis; tribus annis & dimidio. Ipſe Chriſtus enim tãto tempore prædicauit, ex cuius prædicatione ortum habet prædicatio ſcripturæ; ex qua prædicatione paſcitur Eccleſia. Totum ergo tempus Eccleſiæ, à paſſione Domini vſque ad finem mundi, ſignatur per dies mille ducentos ſexaginta: quia ſcilicet in omni tempore ſuæ prædicationis, quam Chriſtus tribus annis & dimidio fecit; vel referri poteſt ſpecialiter ad tempus Anti-Chriſti, quando Eccleſia paſcetur prædicatione Eliæ & Enoch; & etiam interna refectione, maximè quantum ad perfectos, qui tunc erunt. Hoc autem erit per dies mille ducentos ſexaginta, id eſt per tres annos & dimidium, quibus regnabit Anti-Chriſtus.* Ita S. Tho.

Alcazar plura docet. primò, *ipſam figuræ ſpeciem eſſe, vt infans à muliere editus, ſit in ſancto ſanctorum occultatus, & matrem ipſam fuiſſe derelictam, vt eam perſequeretur draco; tum verò ipſa in ſolitudinem effugerit. Itaque pueri perfugium & aſilum fuit ſancta ſanctorum; matris verò non aliud fuit, quàm vt fuga ſaluti conſuleret, ſeque in eremum reciperet, atque in ſpeluncam abderet ſibi à Deo præparatam, qualem Paulo primo Eremicolæ parauit, &c.*

Secundo docet nuperos fideles Chriſtianos in puero deſignati, qui inter ſæuas perſecutionis procellas, pace & tranquillitate fruebantur, rapti ad Deum & ad thronum eius; in matris figura deſignari Apoſtolicos prædicatores, in quantum tempori morem gerentes, & ſuum munus Euangelium prædicandi accurate explentes, & propter hoc Chriſti præcepto obtemperantes Matt. 10. *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam,* videlicet ad Euan-

A gelium fructuosè diſſeminandum, ne in obduratorum cultura temporis iactura fiat.

Tertiò docet ſupponendum eſſe poſt primogenitum fœminæ filium exortum, id eſt, poſt nouam Romæ Eccleſiam in Iudæis Euangelium ſuſcipientibus fundatam, Draconem obſtinatorum Iudæorum interuentu horribilem ſuſcitaſſe perſecutionem aduerſus Chriſti fideles cultores; deinde per deſertum, in quod tunc mulier fugit, figurari gentilitatem; & ſatis fuiſſe vt Chriſti præceptum adimpleretur, videlicet: *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugiſſe in aliam*; vt intra ipſa Romæ mœnia, Iudæis derelictis, Apoſtoli ſuæ prædicationis vim ad gentiles traducerent: quod fuit deſertum petere, quod quidem in reliquis ciuitatibus præſtiterunt. Patet

B act. 13. & ſic amiſſio Iudæorum fuit mundi reconciliatio 11. Rom. 11. Denique negat Alcazar diſcipulos fuiſſe diſperſos per vniuerſum orbem, an. 35. Chriſti, quo grauis illa perſecutio facta fuit, de qua agitur act. 8. ſed tantum hanc diſpoſitionem eueniſſe nouennio poſtea, nempe anno. 44. an. 2. Claudij, quo tempore occiſus fuit Iacobus maior, & Petrus eidem ſupplicio deſtinatus; nec tunc mulieris fugam accidiſſe, ſed poſt Eccleſiam Romæ iam fundatam ex Iudæis qui Chriſti fidem complexi ſunt: Textus enim agit de mulieris fuga poſt editum in lucem eius filium, *qui recturus erat gentes in virga ferrea.*

C Quoad locum paratum in deſertum, vult illum eſſe tutiſſimum & pacatiſſimum in Deo refugium: interim Eccleſia in deſerto, id eſt, inter incommoda quæ pati habebat, degente ipſa inter leones, tigrides, viperas, & alia animalia noxia (ibi) igitur, idem eſt atque in deſerto; ac per mille ſexaginta dies, tres annos cum dimidio ſignificari, ad ſignificandum in media ſeptem annorum hebdomada, hoc eſt, breui temporis interuallo, aduerſitatem finiri, & ſolitudinem ipſam in paradiſum, & gentilitatis deſertum in Chriſtianam Eccleſiam conuertendum fore; & tunc quidem Euangelij miniſtros, qui in ſolitudinem fugerant, in maxima repentè frequentia & celebritate multorum ſibi amiciſſimorum futuros. Hæc Alcazar.

D

Quinam ſit ex noſtra ſententia germanus ſenſus fugæ mulieris in ſolitudinem, illiuſque refectionis? §. 2.

Reſumenda nobis eſt ſeries horum omnium, quæ ſub hoc ſymbolo declarantur, vt ad veri ſenſus notitiam deueniamus. Hanc autem talem eſſe aſſero, ac ſi S. Ioannes diceret: Statim atque Eccleſia poſt ſancti Spiritus deſcenſum virtute coroborata eſt, ex alto, grandi ſpiritu prædita, quod ſe videret & ſentiret donis, & gratiis innumeris ornatam, magnam concepit fiduciam, quibuſlibet impedimentis & obſtaculis pro nihilo habitis, ſibi fore promptiſſimùm

E ſuis vti facultatibus, & prærogatiuis à ſponſo ſibi collatis, ad regnum ipſi conquirendum & ſtabiliendum. Hinc variis rationibus ſub adſpectum quorumlibet intuentium cadentibus, apertè declarauit nullum ardentius votum in abſcondito cordis ſibi inſidere, quàm vt Deo & Chriſto eius, non hominibus, obedientiam præſtaret, eiſdemque cultum, non dæmonibus, exhiberet. Quæ dum perficeret, apparuit quænam fuit mens, quodue Chriſti conſilium, dum hæc aut illa mandata Eccleſiæ dedit, quorum memoriam è ſinu ſuo elabi non volebat, vt ratione temporis & loci habita, illa exequeretur; ſicque eius conſilia vniuerſo orbi innoteſcerent ad nominis ſui exaltationem. Horum igitur mandatorum executioni fideliter inhærens, nullam occaſionem elabi paſſa eſt Dei voluntatem manifeſtandi, quin illam

ſedulo & gratanter arripuerit, alta voce nomen Ieſu Chriſti confitens, annuncians, & exaltans; docens nullum aliud eſſe nomen ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri; illum eſſe in quem gentes ſperare debebant, à regibus etiam & imperatoribus colendum & adorandum.

Hæc autem omnia non præſtitit abſq; ingenti labore, immenſo dolore: cruciata & afflicta fuit diuerſimodè. Tantum enim votum, in cuius adimpletione ingenti erat perfundenda lætitia, non modicam exigebat triſtitiam: vt ſecundum multitudinem dolorum lætificaretur, Deo ſic volente pro maiori Eccleſiæ gloria, & ampliſſimis coronis ſibi comparandis, vt per pœnas & labores ad hoc gaudium perueniret. Ad hoc conjiciendum alio ſigno prodigioſo fui excitatus. Nam ſtatim atque hoc prodigium oculos perſtrinxit, perſpexi tam generoſum propoſitum nunquam exitum felicem habiturum abſque multa contradictione. Vidi namque dæmonem impudenter locum, in quo Deus thronum ſuum erigere ſtatuit, inuadere, ſuæque præſentiæ & aggreſſionis ſigna edere per plurimos ſuæ inuidiæ & malitiæ effectus. Deus Bone! Monſtrum horrendum, ingens, Draconem rufum intuitus ſum, ſeptem habentem capita, decem cornibus ad præliandum inſtructa: ſub qua figura, dæmon ſeſe obtulit conſpiciendus. Qua quidem intellexi primo illam perdidiſſe pulchritudinem, quàm à gratia diuina ſupernaturaliter obtinebat; ſecundò, quod ſi olim in figura ſerpentis, ratione aſtutiæ & fallaciæ voluit videri, nunc ſerpentis naturam in draconis naturam commutans, dum alios ſerpentes identidem deuorare non deſiit, omnes ſuas artes iam iam toties in praxim redactas in vnum colligere: quibus nouas & recentes continuò adderet, vt tantæ rei proſperum impediret exitum; tertiò, enormi magnitudine horribilis videbatur, vt faciliùs conjicerem quantâ ſuperbiâ elatus, quâ malitiâ imbutus, quâ potentiâ fretus audeat ſeſe Dei conſilio opponere. At quàm ardenter, quàm iracunde, quanto cum furore honoribus quos indecenter appetebat ſpoliatus ſuum proſequebatur inceptum, facilè diiudicabis, ſi colorem rufum illius attendere volueris. Rufus enim erat odio & inuidiâ, homicidia ſpirans, oppletus, ob Eccleſiæ gloriam & honorem, & cultum Chriſto exhibendum Eccleſiæ miniſterio & ope. Septem inſuper habebat capita, nempe ſeptem nequitias, ſuperbiæ, rapacitatis, inuidiæ, ſæuitiæ, inſatiabilis cuiuſdam ambitionis, peruerſæ malignitatis, & pertinacis & obſtinatæ obdurationis: quibus inſtructus cogitabat Eccleſiam ad hoc adigere, vt à ſuis ceſſaret ſtudiis, à ſuis deſiſteret inceptis; dum fideles ad ſuperbiam, auaritiam, inuidiam, iram, gulam, luxuriam & acediam impellere conatur, Deo aliàs non permittente vt aliis modis aut rationibus vtatur, quàm ſuggeſtionibus ſuis. Decem etiam habebat cornua, ad denotandum quod omnem impenderet vim aut virtutem, vt quilibet fidelis aut Eccleſiæ membrum, vnum è decem mandatis diuinis, his vitiis impulſus tranſgrediatur; vt ſic imperium, quod ſibi eripi cernebat per obedientiam, rurſus propter tranſgreſſionem, ſi fieri poſſet, vſurparet & recuperaret. Continuò plurimos reperit ſibi non conſentientes, qui tanquam ſtellæ præfulgentes in cœlo, nempe in Eccleſia, relucebant meritis & virtutibus. At hic peſſimus, ope eorum qui captiui ſunt ad ipſius voluntatem exequendam, multos ex eis morte affecit, vt cæteri animum deſponderent, ab obſeruatione mandatorum Chriſti & ſponſæ eius Eccleſiæ recederent, ſæuitiem illius & crudelitatem animi puſillanimitate pertimeſcentes. Hoc mihi innotuit per caudam eius, qua trahebat tertiam partem ſtel-

A larum cœli: & miſit eas in terram. Mors quippe eſt cauda, ſeu extremitas, in qua terminantur omnia illius conſilia, & ſcopus ad quem tendit eius inſultus in Dei conſilia, poſt ſuam defectionem & Apoſtaſiam; videlicet vt per mortem eorum, qui Deo & Chriſto eius cultum & obſequium præſtabant, hic cultus ceſſaret & aboleretur. Verè draco ex comeſtione ſerpentum effectus, præteritas à tot retro ſeculis artes & malitias repetens. Nam ſicut ab initio ſeculi, extremitas ſuæ apoſtaſiæ, ſeu ſui inſultus in Deum, fuit illa conſpiratio, ſeu propoſitum procurandi mortem Agno, qui ex hoc dicitur *occiſus ab origine mundi*: ne qui illi debebatur honor, in quantum futurus erat naturalis Dei filius, ipſi exhiberetur, quod ſe præſtitiſſe arbitrabatur, dum per B Euam Adamum ſeduxit, eumque ab innocentia & originali iuſtitia deturbauit, vt hac ratione mortem ſubiret propter ſuam inobedientiam, ſuamque poſteritatem mortis imperio ſubderet, vt quicumque hac natura indueretur, morti eſſet obnoxius; ita in initio primitiuæ Eccleſiæ, morte vtitur, vt per eam in terram projiciat eos, qui præcipua ſanctitate in Eccleſia fulgebant: vt hac ratione impedire valeret Chriſti cultus, quem Eccleſia totis deſideriis promouere intendebat. Sicut igitur caudâ traxit in initio mundi tertiam Angelorum partem, & eos de cœlo deturbauit, dum ſibi adhærerent, quos morti æternæ ſecum addixit, & illos à Dei cultu, & obſequio & obedientia diſtraxit: ita in initio Eccleſiæ C multos nece trucidauit, vt cæteros à Dei cultu auerteret.

Hæc eſt prima Eccleſiæ perſecutio, in qua quàm fideliter ſponſo adhæreret innotuit: dum ſtante aduerſus eam dracone, fidelis & conſtans permanſit, nec morte Stephani, nec graui ſubſecuta perſecutione, nec diſperſione diſcipulorum per regiones Iudææ & Samariæ, nec carcere Petri, nec cæſionibus ſeu verberibus & contumeliis Apoſtolorum, nec occiſione Iacobi, nec poſt eius necem reiterata Petri incarceratione, & aliorum Apoſtolorum diſperſione per cunctas orbis nationes, ab officio & munere diſcedente, ſtat Dei conſilium: ſtante aduer- D ſus Eccleſiam hoſte, miſſi ſunt in terram fideles, ſiue quia quàm fragilis ſit humana conditio experti fuerunt, ſiue quia reuera morte occubuerunt, in cinerem poſtea redacti. At mulier perſtat, nec à fidelitate ſponſo promiſſa recedit, ſemper exoptans filium ſuum parturire, illam nempe autoritatem in lucem prodire, qua Eccleſia poſſet inconcuſsè, inceſſanter, efficaciter, cultum & obſequium Chriſti promouere.

A ſententia igitur ſua, & ſanctiſſimo propoſito, Eccleſia dimoueri non potuit. Chriſto ſponſo honorem deferri vehementi optat deſiderio, toto niſu conatur vt talis qualis eſt filius Dei, caput Angelorum & hominum, Rex Regum & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum, mundi Redemptor, E qui fuerat olim orbis ſator, nunc agnoſcatur hominum reparator; ſitque hac ratione, & tantæ maieſtatis piiſſima cultrix, & tot beneficiorum non immemor. Hunc honorem non videt aliter poſſe promoueri, quàm eo medio, quod à ſapientiſſimo ſponſo fuerat ab antiquis diebus præordinatum, nempe vt vigeat in orbe quædam ſuprema autoritas, qua verbum fidei prædicetur: quæ plantata ſemel in mentibus, firmas agat radices, ne concuti aut facilè euelli queat: qua ſuperentur ſuperbæ inferorum portæ, qua cœlum aperiatur, oues & agni paſcantur & regantur, & ad ouile ſempiternæ beatitudinis tandem ſub vno paſtore deducantur. Reſidet tanta poteſtas in Petro Chriſti Vicario, eiuſque ſucceſſoribus. Optabat igitur vt illa in lucem pro-

Digitized by Google

diret, Petro intrepidè Chriſti Domini diuinitatem, eiuſque ſupremam dominationem annunciante & promulgante poſt ſancti Spiritus miſſionem. Licèt enim ipſe circumdatus ſit infirmitate, ſicut & ipſius ſucceſſores, viget tamen in eis hæc ſuprema autoritas, vt per os eorum verbum fidei audiatur, & gentes ad fidem adducantur. Hæc præſentiens dæmon manet quaſi attonitus, & tantâ fiduciâ piſcatoris & ſociorum eius ſtupefactus, comperto quod homines eſſent ſine literis & idiotæ, illis aduerſari & in omnibus contradicere obſtinato & pertinaci ſtudio apud ſe ſtatuit: ſicque *Draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet filium eius deuoraret.* Sed operam perdidit, ac expectatione ſua fraudatus vidit congregationem fidelium in baptiſmate regeneratam, ſimplicitate paruulorum præditam, collum Chriſti imperio liberrimè ſubmittentem, eiuſque leges & mandata ſedulâ obſeruatione amplectentem; quin etiam tanta magnanimitate decoratam, vt liberè eius nomen confiteri, & Regem Regum, & Dominum Dominantium, eſſet paratiſſima. Vidit inſuper in Eccleſia vſum & exercitium ſupremæ cuiuſdam autoritatis in medium prodire, in eo qui Chriſti vices gerebat, cuique claues regni cœlorum olim contulerat, in Petro videlicet, ad quem dictum fuerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cuius autoritatis exercitium, ſtatim atque prodiit filius maſculus, optimè dici poteſt Eccleſiam parturiiſſe, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Hoc Satan impedire percupiebat, ſed Deo protegente, & illum ad ſe & ad thronum ſuum rapiente, deluſa eſt draconis aſtutia, eiuſque conatus irritus & futilis apparuit. Hæc autem ſub ſpecie pueri recenter nati deſignata eſt, vt ſciant ij, qui ea præditi ſunt autoritate, non illis eſſe dominandum in cleros, ſed formam debere fieri gregis ex animo; manſuetudine, benignitate alios æque ac poteſtate ſuperantes, infirmis compatientes ſyncere ac ſimplici intentione, non turpis lucri gratia aut vanitate ducti, alacri animo, & voluntariè non coactè omnia fideliter & prudenter adminiſtrantes, myſteriaque ſibi concredita diſpenſantes. At filius eſt maſculus, non filia, vt diſcant qua fortitudine, qua animi conſtantiâ Petrum primum illius autoritatis miniſtrum imitantes, debeant miniſterium audacter adimplere, ac omnibus ſibi contradicentibus, quacumque fulgeant dignitate aut potentia, dicere: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate: non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Hac benignitate & magnanimitate præditi debent regere omnes gentes, id eſt, mandatorum Dei obſeruantiam promouere in cunctis nationibus & populis, licèt ſenſus, licèt ſapientia carnis grauia & dura exiſtimet plærumque quæ præcipiuntur, dicantque qui obediunt: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Nec ab infeſtatione dæmonis illi pertimeſcendum: rapitur ad Deum, quem habebit protectorem; rapitur ad Deum, cuius ſupremæ autoritatis ipſe eſt miniſter, ac ſummæ potentiæ inſtrumentum. Poteſtati autem Dei quis reſiſtit? Quis vnquam reſiſtere auſus eſt, & pacem habuit? Hoc decet eminens dignitas illius, qui caput eſt viſibile totius Eccleſiæ, qui ad thronum Dei ſublimatur, vt Chriſti perſonam nobis in terra repræſentet: cui ſi fideles parent, Chriſto obedientiam præſtant, dicente ipſo: *Qui vos audit, me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit.*

Interim ſynagoga non ſolum iugum tam ſuaue Chriſti excutiens, ſed tantæ peruicaciæ hanc addidit impietatem, vt eos perſecuta fuerit ad necem, qui illud ſibi imponere tentabant, vt ſalutem conſequeretur æternam, fieretque particeps omnium bonorum, quæ olim Deus promiſerat Abrahæ & ſemini eius. Factum eſt propterea vt à ſynagoga Eccleſia recederet, & tranſiret ad gentes, iuxta illud Apoſtoli Pauli & Barnabæ, Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Quod quidem fuit mulieri, nempe Eccleſiæ, fugere in ſolitudinem. Deſerta enim & inculta erat gentilitas, plena beſtiis ferocibus, & venenoſis; in quam tamen ſe recepit Eccleſia, in iis videlicet de quibus dicitur, Act. 13. *Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Sic abijt in locum paratum à Deo. Parantur enim corda à Deo ad recipiendam fidem, cum abſque præuentione gratiæ ipſius nemo credere valeat. Eſt enim fides donum Dei, quo nemo decoratur, niſi fuerit à Deo gratiâ præuentus. In his paſcitur Eccleſia, iuxta Iſ. Prophetiam c. 60. *Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem, & generationem: & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus, ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob*, & c. 61. *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra, & filij peregrinorum, agricolæ & vinitores veſtri erunt. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis: & in gloria earum ſuperbietis.* Et c. 49. iam dixerat Iſa. *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Ibi igitur paſcetur Eccleſia per mille ducentos ſexaginta dies, id eſt, toto tempore à Deo præordinato & præſcripto, quod per illum numerum deſignatur.

Hæc eſt, ni fallor, vera interpretatio huius loci; quam ſatis, vt ſpero, veriſimilem reperies, ſi illam cum aliorum interpretationibus contuleris. Sed quinque ſunt ad illam fulciendam potiſſimùm ſpectanda. Primum eſt obſeruatio temporis, in quo Eccleſia, primò quaſi grauida fœtu & parturiens, & poſtea parturiiſſe dicitur filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes. Secundum eſt, quid ſit draconem caudâ trahere tertiam partem ſtellarum, & ſtare ante mulierem? Tertium, quid ſit filium rapi ad Deum, & ad thronum eius? Quartum, quid ſit mulierem fugiſſe in ſolitudinem, & paſci ibidem? Quintum, quare tempus à Deo præſcriptum, per dies mille ducentos ſexaginta ſignificetur? Licèt enim hæc iam ſatis ſint expoſita, quædam tamen adiicire libet, vt melius intelligantur.

Et in vtero habens clamabat parturiens.

Quo tempore Eccleſia erat parturiens, & quo tempore filium peperit? §. 3.

Dico primò, certum eſſe Eccleſiam hic depingi, non prout erat in antiqua ſynagoga, ſed prout fuit à Chriſto fundata & inſtituta. Hoc patet ex his omnibus, quæ de hac muliere iam diximus.

Dico 2. illam depingi, non pro tempore quo ab Anti-Chriſto conculcari videbitur, & publicus Dei cultus exterminabitur. Patet hoc ex eo quod dicitur amicta ſole, & lunam habere ſub pedibus, & coronari ſtellis duodecim. Hac enim ratione ſtatus quidam repræſentatur gloriæ & honoris, quem obtinere debebat in decurſu ſeculorum, futuris retro ſeculis; & ſignum datur imperij ac regni in omnes gentes. Non autem ſtatus eſt aut ſignum quoduis

minimum obtenebrationis, qua obſcurabitur temporibus Anti Chriſti: quæ obtenebratio non intelligitur in fuga mulieris, & receſſu eius in ſolitudinem: nam poſt Anti-Chriſtum nulla ingruet calamitas Eccleſiæ, ſed illa perſecutio erit vltima. At poſt mulieris diſceſſum in ſolitudinem, adhuc hic deſcribuntur prælia: adhuc inuidi hoſtis paret incurſionibus & inuaſionibus: adhuc in eam euomit fluuium, vt eam abſorbeat: adhuc perſequitur reliquos de eius ſemine.

Dico 3. Status abſolutiſſimus dominationis in actu Eccleſiæ, & immenſi honoris quem conſequi debet, inchoatiuè tantum, & repræſentatiuè, ſeu ſymbolice hic perſpicitur. Inchoatiuè, quia paritura erat, quia quem parit filius non regere ſed recturum fore omnes gentes dicitur. Symbolicè, quia claritas ſolis qua amicitur, & luna ſub pedibus, ac ſtellæ in capite denotant quæ futura ſunt, ſicut claritas faciei ſui ſponſi lucentis ſicut ſol, in primo capite Apocalyp. denotant gloriam quam manifeſtaturus erat in regimine ſuæ Eccleſiæ, in cuius medio deambulare videbatur, dum ambulans in medio candelabrorum aureorum cernebatur.

Hinc dicendum quartò propriè Eccleſiam primitiuam, vt recenter à Chriſto fundatam & inſtitutam, hic adumbrari: quæ paritura erat, dum poſt Chriſti aſcenſum *reuerſi ſunt Hieroſolymam, & introierunt in cænaculum, & aſcenderunt vbi manebat Petrus & Ioannes,* & cæteri Apoſtoli. Ibique *erant omnes perſeuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre eius, & fratribus eius.* Et in diebus illis Petrus exurgens in medio fratrum, hominum nempe fere centum viginti, de electione ad Apoſtolatum egit, & Mathias in locum Iudæ ſuffectus eſt. Verè enim tunc Eccleſia apparuit in cœlo per donum orationis, & continuo amicta ſole per deſcenſum Spiritus ſancti; & coronata ſtellis, nempe duodecim Apoſtolis: & viſa eſt lunam habere ſub pedibus, ſiue quia virgo Maria, quæ pulchra vt luna dicitur, illam ſuſtentabat ſuis meritis & orationibus; ſiue quia terrena omnia deſpiciebat pro amore Chriſti; ſiue quia ſeſe attollebat ſupra omnem humanam altitudinem in luna adumbratam, parata in breui audacter dicere principibus ſacerdotum: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum: non enim poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui*: act. 4. & act. 5. *obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Peperit autem filium maſculum, ſtatim atque Petrus cum vndecim, poſt deſcenſum Spiritus ſancti ſtans leuauit vocem ſuam, & diuinitatem & dominationem Chriſti eiuſque in carne diſpenſationem, in morte, & reſurrectione, & aſcenſione eius palam manifeſtauit, mediumque quo ſaluari poſſent illum audientes, tanquam poteſtatem habens indixit, dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Act. 2. Hoc enim fuit parere antequam peperiſſet, & antequam veniret partus eius parere maſculum, vt eſt apud Iſaia c. 66. nempe vti palam illa ſuprema autoritate in Eccleſia, quàm apponerentur animæ circiter tria millia per baptiſmum, & augerentur qui ſalui fierent, quorum intuitu prædixit Iſaias: *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens ſimul? Quia parturiuit & peperit Sion filios ſuos.* Iſ. 66. Quia quod terra non facit, quæ primo generat herbam, deinde ſpicam, tertiò plenum frumentum in ſpica, & nempe vt in eodem momento fructus ſuos edat, & quod inter homines non fuit, vt omnium fiat in eodem inſtanti generatio; nam vnus modò, modò alius editur in lucem; quin nec ſingularis homo ſta-

A tim animatur: ſuſcepto enim ſemine non animatur fœtus, niſi poſt plurimos dies; hoc in vna prædicatione ſancti Petri factum eſt, qui vna vice tot filios Eccleſiæ dedit, dum ad eius verba tria millia compuncti, ad Chriſtum in eodem temporis articulo conuerſi ſunt. Igitur dum Deus manifeſtauit autoritatem Petro collatam promulgandi Euangelium, & fidem Chriſti diſſeminandi in cordibus hominum, peperit Eccleſia filium maſculum, *qui recturus erat omnes gentes.* Dices non conuenire quod Petrus caput ſit illius mulieris, & ſit vna ex duodecim ſtellis per quas Apoſtoli ſignificantur. Reſpondeo ad hoc non attendi in ſymbolicis: & cæteri Apoſtoli Eccleſiæ ſunt membra & partes, & nihilominus

B ratione autoritatis Apoſtolicæ & Epiſcopalis ſunt ſtellæ: numeruſque duodenarius ſtellarum reponitur ad ſignificandam quandam vniuerſalitatem, non autem vt præciſè tantum duodecim Apoſtoli ſignificentur. Et ſic non eſt mirum ſi qui caput eſt mulieris, tanquam munere Apoſtolico fungens, etiam in ſtella ſignificetur, & ſit in corona tanquam ſplendidior ſtella; ſicut videmus in corona ornata lapidibus pretioſis aliquando reponi adamantem, vel carbunculum fulgidiorem, qui aliis lapidibus præcellat: ſic Petri autoritas Eccleſiam ornans, & ipſum caput Eccleſiæ Petrum decorans eminet ſupra aliorum paſtorum autoritatem: & ſic poteſt eſſe caput & ſtella; ſicut Chriſtus & leo, & agnus, & li-

C ber ſupra nuncupatur, ſub diuerſis rationibus.

Et caudâ eius trahebat tertiam partem ſtellarũ cæli.

Quid ſit draconem tertiam partem ſtellarum caudâ trahere? §. 4.

Cum certum ſit diabolum, ſeu luciferum, non ſe ſolo, ſed aliorum dæmoniorum miniſterio vti ad impugnandam Eccleſiam, non male quidam dicunt iſtam attractionem ſtellarum, ad Angelorum malorum caſum ſpectare, quos non trahere, nec traxiſſe dicitur, ſed ait (trahebat:) vt continuationem quamdam illius rebellionis, & malæ ſuaſionis ad ſibi conſentiendum, S. Ioannes ob oculos ponat; tamen non de iſto primo è cœlorum vertice lapſu hunc locum intelligo, ſed exiſtimo ſanctum Ioannem diabolum inducere, tanquam qui in arenam ad certandum deſcendat, ſecumque adducat agmen Angelorum ſuorum, quos iuxta peſſimum quem ſibi præſcripſit ſcopum, ordinationi Dei ſeſe opponendi, tanquam cauda ſecum trahit, vt ſtet ante mulierem, illique contradicat. Vnde poſtea dicitur: *Et draco pugnabat & Angeli eius*; nempe ij quos ſecum attraxerat olim ad ſibi adhærendum, & nunc ſecum eos trahit. vt ſecum ſtent contra mulierem, & tandem cum Michaele & Angelis eius certamen ineant. Stare autem primò dicitur, quaſi qui ad ali-

E quid inopinatum ſpectaculum attonitus, cogitabundus meditaretur quid ſibi eſſet agendum, & expectaret alicuius rei exitum, vt videret quo medio ſibi eſſet vtendum, vt quod in mente volueret exequeretur.

Dico ſecundò, in hoc ſymbolo caudæ trahentis tertiam partem ſtellarum, optimè adumbrari eos, quos in initio naſcentis Eccleſiæ Iudaica perſecutio conſumpſit. Dum enim Iudæi iuxta caudam diabolicã, id eſt, illius peſſimam intentionem, tot Chriſtianos trucidarunt, Prophetiam Chriſti veram fuiſſe demonſtrarũt, qua Scribas & Phariſæos alloquens dicebat, Matt. 23. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis; & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, donec veniat ſuper vos om-*

Digitized by Google

nis ſanguis iuſtus, &c. Et tunc ſtare erit non tantùm cuiuſdam expectationis nota, ſed actualis contradictionis ſignum, dum actu quoſdam neci tradens fœtum Eccleſiæ deuorare nitebatur, id eſt, impedire ne illa autoritas, quæ regnum Chriſti erat promouendum, radices firmas ageret, & inconcuſſa & immobilis remaneret.

Dices nullos adhuc fuiſſe neci traditos, cum per os Petri Eccleſia fœtum ſuum edidit, & qua vigeret maſculina prole & autoritate demonſtrauit, cum Chriſtum Dominum eſſe declarauit, & tanquam poteſtatem habens iniunxit recurrendum eſſe ad pœnitentiam & Baptiſmum, iis qui ſaluari deſiderarent. Reſpondeo hoc monſtrum, cuius cauda videbatur attrahere ſtellas, figuram eſſe eorum quæ dæmon ſeu Draco peragere intendebat; & quia Draco cum apparuit vt ſtaret contra mulierem, ſeſeque ei opponeret, hoc medio vti decreuerat, vt ad necem plurimos fidelium deduceret, ideo dum apparet, viſitur quaſi attrahens ſtellas, & in terram eas mittens: nam hoc erat ipſi in votis, vt quos poſſet, occideret. Ænigmatica quippe eſt hæc draconis delineatio ſeu apparitio, quæ non ſolùm præſentis alicuius effectus eſt ſymbolum, ſed etiam eorum quæ ab eo tempore, quo cæpit Eccleſiæ obſiſtere, erat effecturus. Inter quæ fuit illa prima fidelium Iudæorum perſecutio, in qua tot ſtellæ miſſæ ſunt in terram, id eſt tot fideles occiſi ſunt, ex inuidia & perfidia Iudæorum, vel quidam ſecuti poſt conuerſionem. Tertiam autem partem ſtellarum dixit, non mediam partem: quia ex his qui vocantur ad fidem, quidam perſeuerant; & hi in duplici ſunt ordine: vel enim martyrio perempti, vel morte naturali obierunt: Alij non perſeuerant vſq; ad finem, & hac ratione vides quomodo dicatur caudam Draconis tertiam attraxiſſe partem in terram, id eſt, martyrio occubuiſſe per draconis ſæuitiem; vel ex fidelibus conuerſis tertiam ſeduxiſſe partem, quos ad terram detraxit, dum pro amore terrenorum à fide defecerunt. Sit quantum volueris vna pars maior, aut minor alia, ſemper poteſt dici tertiam partem occubuiſſe martyrio, vel defeciſſe à fide, ſi in tres ordines, nulla habita ratione maioris aut minoris numeri cuiuſlibet ordinis, fideles diſtribuas; v. g. eorum qui martyrio occubuerunt, eorum qui morte naturali obierunt, eorum qui à fide defecerunt. Nec contemnenda eſt illorum interpretatio quam tangimus, qui de defectione aliquorum à fide hunc locum interpretantur, propter grauitatem autorum qui ita ſentiunt, quales ſunt Andreas Cæſarienſ. Ticonius, Ambroſius; quam ſi admittas, tertia pars diceretur attrahi, nempe eorum qui vocati non eliguntur, nec in vocatione ſua perſeuerant.

Raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius.

Quid ſit filium rapi ad Deum, & ad thronum eius? §. 5.

Protectionem, autoritatem, & dignitatem, hoc innuere certiſſimum eſt; protectionem, iuxta illud Pſ. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur:* & poſtea. *Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo ſuo.* Pſ. 90. At quomodo non accedit flagellum tabernaculo Dei, cum legamus flagellatos, & cæſos fuiſſe Apoſtolos, qui in hoc tabernaculo procul dubio habitauerunt? Attende Apoſtolum flagellis cæſum, in cuius tabernaculo flagellum non appinquabat. *Repletus ſum conſolatione*, inquit, *in omni tribulatione noſtra.* Hoc eſt non appropinquare flagellum tabernaculo, cum licèt homo noſter exterior A corrumpatur, tamen ſpiritus ſemper renouatur, & in infirmitate euadit fortior. Secundò, rapitur filius ad Deum, quia in tribulationibus etiam incrementa cæpit, & ad perfectam peruenit ætatem.

Quod autem thronus autoritatem & dignitatem ſignificet, ſatis hoc exploratum eſt, itaut opus non ſit vlla probatione, vt hoc tibi perſuadeas.

Et mulier fugit in ſolitudinem.

Quid ſit mulierem fugiſſe in ſolitudinem, & ibidem paſci? §. 6.

Tres ſunt potiſſimùm interpretationes, quæ nul- B lo modo ſibi officiunt. Prima eſt per ſolitudinem nos intelligere illum ſecretum & abſconditum locum, de quo dicitur: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* Secunda eſt: verùm ſeceſſum in eremum propter perſecutionem intelligas, quod multum fauet priori ſolitudini. Tertium eſt per ſolitudinem ſignificari gentilitatem, & ſic dicimus hîc fieri mentionem de tranſitu Eccleſiæ, à ſynagoga ad gentilitatem. Quo tranſitu adimpletum eſt illud Iſa. 54. *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum, &c.* Qui locus Iſaiæ cum his quæ ſequuntur valde eſt ponderandus, ad notitiam numeroſitatis propaga- C tionis Eccleſiæ, & diuinæ erga eam protectionis, quin & ditationis. *Paupercula*, inquit, *tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione, ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris: & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis: Et in iuſtitia fundaberis. Recede procul à calumnia, quia non timebis; & à pauore, quia non appropinquabit tibi, &c.* Ecce quomodo mulier, nempe Eccleſia, fugiens in ſolitudinem gentilitatis, ſecuritatem nacta eſt, Deo illam protegente; licèt, vt ait Apoſtolus ad Galatas c. 4. locum Iſaiæ citans (*lætare ſterilis quæ non paris*) vexentur perſecutionibus filij D promiſſionis à filiis carnis, ſicut olim Iſaac ab Iſmahel ancillæ filio. *Nos autem*, inquit, *fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſumus: ſed quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc, &c.* Paſcitur autem Eccleſia in hac ſolitudine omni cibo, quod ſanctus Ioannes pulchra quadam ratione exprimit, dum ait: *Vt ibi paſcant eam.* Nam dum non ſignificat quinam ſint à quo paſcatur, nec quo cibo paſcatur, innuit eam paſci ab omnibus quorum intereſt eam paſcere, & omni cibo neceſſario conſeruationi vitæ, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, ipſam fore paſcendam. Paſcitur à Deo per internas illuminationes & conſolationes, quibus ſuperabundat in omni tribulatio- E ne ſua. Paſcitur miniſterio Angelorum, per bonas ipſorum ſuggeſtiones & inſpirationes, & aliquando miniſtrantibus ipſis cibos, ad vitæ corporalis conſeruationem neceſſarios. Sic miniſtrarunt Angeli Domino in deſerto. Sic Eliæ panem ſubcinericium ſubminiſtrauit Angelus. Paſcitur Eccleſia per paſtores ſuos verbo Dei, & doctrina cæleſti, & diuino Sacramento, & temporali cibo, quo indigentes reficiunt; & vt iam tetigimus, & paſtores & indigentes inter fideles paſcuntur per charitatem & liberalitatem diuitum, eorumque ditantur diuitiis. Mitto extraordinarios modos, quibus Deus aliquando neceſſario ſuppeditat. Sic olim Eliam & Paulum corui nutrierunt, & pane cæleſti in deſerto olim populus Iudaicus cibatus fuit. Rectè igitur dicit S. Ioannes: *Vt ibi paſcant eam*; non exprimendo dilucidè quinam

Digitized by Google

ſint qui eam paſcant, vt omnes intelligant à quibus paſci poſſit & debeat; nec quo cibo nutriatur exprimit, vt omnem cibum ſignificet ad vitam corporalem & ſpiritualem neceſſarium. Vnde inter cibos non abſurdè reponere poſſumus ingentem conſolationem, quam experiuntur qui laborant in Euangelio, propter conuerſionem animarum ad Deum. Hunc enim cibum exoptabat Chriſtus, Ioan. 4. Offerebant illi diſcipuli cibos dicentes: *Rabbi manduca.* At ipſe ait: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Quod quidem opus conuerſationem eſſe gentium indicauit, dum addidit: *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.* Hoc cibo paſcitur in ſolitudine gentilitatis Eccleſia, quo cibo ille nutriebatur, qui eos quos Deus ſuo miniſterio ad fidem conuerterat, vocabat gaudium & coronam ſuam, ad Philipp. c. 4. *Itaque, fratres mei chariſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi. Quaſi diceret,* inquit Sedulius, *propter vos enim in præſenti lætificor, & in futuro coronabor. Diſcipulis enim,* vt addit S. Ambroſius, *in agone victoribus, dignus erit corona magiſter.*

Diebus mille ducentis ſexaginta.

Quare tempus à Deo præſcriptum per dies mille ducentos ſexaginta ſignificetur? §. 3.

Præſupponendum, ex his quæ iam diximus, hos dies mille ducentos ſexaginta, conficere tres annos cum dimidio. Duo igitur videntur eſſe inquirenda. Primò, cur tempus à Deo præſcriptum ad tres annos cum dimidio reducatur? Secundo, cur per dies computetur?

Quantum ad primum, certum eſt ab eo inſtanti quo Eccleſia fundata eſt, & præcipuè quo à ſynagoga ad gentilitatem tranſitum fecit, eam perſecutionibus, bellis, ac prœliis, diuerſiſque afflictionibus tolerandis fuiſſe expoſitam. Non enim ad otium & quietem vocata eſt, ſed ad labores, & ad continuam cum multis aduerſariis luctam & pugnam. Vnde Tertullianus ad Martyres c. 3. *Vocati ſumus ad militiam Dei viui, iam tunc cum in Sacramenti verba reſpondimus: Nemo miles ad bellum cum delitiis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſtant: etiam in pace, labore & incommodis, bellum pati iam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtitudinem deſiccandos ſudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaueſcant: de vmbra ad ſolem, de ſole ad cælum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos benedicti, quodcumque hoc durum, ad exercitationem virtutis animi & corporis deputate.* Ita Tertul. Igitur cum ad militandum vocati ſimus, ſeu vocata ſit Eccleſia, non pro aliqua differentia temporis, ſed pro toto temoore quo in terra degere debet, vnde dicitur Eccleſia militans; non mirum ſi totum tempus, quo in deſerto & ſolitudine gentilitatis commorari debet, deſignetur cum alluſione ad tres annos cum dimidio illius inſignis perſecutionis, quam Antiochus excitauit contra Iudæos, plurimoſque ex eis coëgit leges & cæremonias Iudaicas relinquere, & ad idolorum cultum deflectere; quin & ad tempus vltimæ perſecutionis Anti-Chriſti, quæ durare debet tres annos cum dimidio; tum vt ſciat Eccleſia ſe ad perſecutiones tolerandas eſſe vocatam: ita tamen vt Deus illas temperare ſtatuat, itaut ſi modo hæc, modo illa ſuſcitetur, finis vnicuique à Deo præſcribatur, ſicut Deus perſecutioni Antiochi finem impoſuit, & breuiabit dies perſecutionis Anti-Chriſti, ne ſubuertantur electi.

Dico prætetea, alluſionem fieri ad illos tres annos cum dimidio, quibus ad orationem Eliæ nulla pluuia irrorata eſt terra Iſrael, & dum fames vehemens Samariam vaſtabat, ipſe tum à coruis, tum à vidua Sareptana paſtus fuit 3. Reg. c. 17. Qui anni in memoriam fidelibus reuocantur, vt ſciant Deum non defuturum illis, tempore perſecutionis quam tolerare debebant, ſtatim atque fieret à Iudæis ad gentiles Eccleſiæ tranſitus. Quantum ad ſecundum, hi anni cum dimidio per dies declarantur, nullà noctium factâ mentione: vt mens faciliùs excitaretur ad intuendum Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ ſplendorem; quorum iuſtitiam tanquam lumen, eorumque iudicium tanquam meridiem, in medium erat producturus. Tales enim fuerunt, quales eos deſcribit Apoſtolus ad Hebræos c. 10. *Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Ita S. Paulus. Fuerunt etiam *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Lumen ſiquidem fidei adeo mentem illorum percellebat, vt nihil aliud quàm Chriſtum viderent, omniaque libenter facerent detrimentum, vt ipſum pro immenſo lucro ſolum poſſiderent. Nec enim ipſe illis defuit in neceſſariis, ſed illos pauit ac fouit, & ſtupenda quadam ratione, illorum inopiâ Eccleſiæ immenſas diuitias comparauit & parturiuit: dum fame necarentur, illi cibos parauerunt exquiſitiſſimos; dum interficerentur gladio, illorum ſanguis ſemen fuit tot millium Chriſtianorum, vt ex eis turba illa, quam dinumerare nemo poteſt, originem duxerit. Quam feliciter igitur Eccleſia fugit in ſolitudinem, id eſt, ſe recepit apud eos, qui potiùs cuncta amittere, & deſerta petere ſelegerunt, quàm à Chriſto disiungi! Quàm verè totum illud tempus lucidiſſimus fuit dies, in quo abiecerunt opera omnia tenebrarum, & induti ſunt arma lucis primi Chriſtiani, & contemnentes aulas regias & palatia, de eremo & ſolitudine peruenerunt ad regna cæleſtia!

At dum hi dies dimidiam tantùm hebdomadam annorum (quæ vt ſit completa ſeptem requirit annos) conficiunt, ex hac dimidiata annorum hebdomada conjicere poſſumus, nec Dei auxilia finem habitura: ac ſi diceretur: Annus non eſt completus, aut hebdomada non eſt completa auxiliorum Dei: nolite timere: ſi aliæ excitentur perſecutiones, & alia ſuppeditabit auxilia; Similiter nec labores eſſe finiendos, quo Eccleſia ſciat ſibi opus eſſe ſummâ animi modeſtiâ, dum cuncta proſperè ſibi ſuccederent, ac ſi diceretur: Hebdomada laborum non eſt completa; tolerando ea quæ nunc toleratis, ad alia toleranda eſtote parati. Conſtantiâ & magnanimitate vobis opus eſt in aduerſitatibus, per quas vobis erit ad coronas perueniendum, monente Chriſto: *Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum aduerſus regnum, &c.* Matt. 24. Ita enim Deus omnia ſapienter moderatur: vt nec proſperitates ſint continuæ, ne in ſuperbiam extollamur: nec aduerſitates ſemper perdurent, ne deſperatione opprimamur. Dimidiat igitur hebdomadam, vt ſiue tribulemur, ſiue proſperè cuncta eueniant, nec pœnæ in hac vita totam implent hebdomadam, nec etiam putandum nos

dum nos

Digitized by Google

ab eis toto vitæ decurſu fore immunes.

Aliâ viâ poſſumus aſſignare rationem, cur tres annos cum dimidio hîc aſſignentur; ſi hos annos, ſeu illos dies, myſticè exponamus, iuxta ea quæ diximus in hæc verba capitis vndecimi: *Quia tempus non erit amplius.* In his enim tribus annis cum dimidio, in quibus refulgebit, vt dies, pietas Chriſtianorum, poſſumus intelligere tres ſenſibiles & inſignes reuolutiones illius ſolis myſtici, in quibus ſuam miſericordiam & iuſtitiam, per effectus varios, hominibus manifeſtauit; itaut prima ſit ab aſcenſione Domini, vſque ad annum illum, in quo B. Petrus ſedem ſuam Romæ fixit, ad Euangelij propagationem. Secunda ſit ab hoc anno, vſque ad Conſtantinum magnum, in qua potiſſimum fuit commiſſum prælium inter Michaëlem & Draconem. Tertia à Conſtantino Magno, vſque ad illud tempus, in quo nullus fuit imperator, Romani ſcilicet imperij, qui idola coleret: in cuius reuolutionis medio quaſi quoddam portentum acciderit, quod Iulianus Apoſtata ad idolorum cultum redierit. Quæ quidem reuolutiones, cum non menſurentur per annos ſolares; ſed vel plures, vel pauciores annos ſolares complectantur, iuxta ſapientiſſimam diuinæ voluntatis ordinationem, non mirum ſi in tribus tantùm reuolutionibus, tot ſecula inducamus.

Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum eo miſſi ſunt.

ANNOTAT. XII.

Variæ autorum expoſitiones. §. 1.

TICONIVS: *Et factum eſt bellum in cælo, id eſt in Eccleſia. Michaelem Chriſtum intellige, Angelos eius, ſanctos homines. Et Draco pugnauit, & Angeli eius, id eſt, diabolus, & homines voluntati eius obtemperantes. Nam abſit vt credamus diabolum & Angelos eius in cælo auſos eſſe pugnare, qui in terra vnum Iob auſus non eſt tentare, niſi eum à Domino poſtularet, vt læderet. Et non valuerunt, neque locus eorum inuentus eſt amplius in cælo, id eſt, in hominibus ſanctis: qui credentes ſemel expulſum diabolum, eiuſque ſatellites amplius non recipiunt, ſicut Zacharias dixit, vt ſemel exterminata idola amplius non recipiant locum. Et expulſus eſt draco magnus, anguis antiquus, qui dicitur diabolus & Satanas, & Angeli eius cum eo. Diabolus & ſpiritus immundi omnes, cum ſuo principe, de ſanctorum cordibus expulſi ſunt in terram, id eſt, in homines qui terrena ſapiunt, & totam ſpem ſuam in terra conſtituunt.* Hæc Ticon.

Ambroſius vult S. Ioannem dicere qualiter per paſſionem ſuam Chriſtus diabolum vicit; & Michaelem, qui interpretatur (quis vt Deus?) Chriſtum ſignificare ait. Prælium in cœlo factum, *id eſt,* inquit, *propter cælum, pro ſalute videlicet omnium electorum, præliatus eſt Michael cum Dracone: quia Chriſtus prædicando, patiendo, & moriendo pro ſalute generis humani, præliatus eſt.* Prælati ſunt Angeli Michaelis, id eſt, Apoſtoli Chriſti, cum dracone, prædicando videlicet, miracula faciendo, & ad vltimum pro Chriſti nomine moriendo. Pugnauit draco, & Angeli eius contra Michaelem, quando diabolus, & cætera

A multitudo dæmonũ, Iudæos cõtra Chriſtum excitauerunt, vt eum interficerent. Pugnauit & contra Angelos Michaelis, quando Apoſtolos Chriſti, & per Iudæos, & per paganos tandiu perſecutus fuit, vſque dum eos interficeret. *Et non valuerunt: neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo,* inquit Ambroſius, *Chriſtum ſemper mortem viciſſe, ſed ex morte eius, nomen eius claruit in mundo, & quia per prædicationem Apoſtolorum, cæterorumque ſanctorum, à cordibus electorum, qui per cælum deſignantur, expulſi ſunt.*

Deinde idem Ambroſius nomina, quibus draco hic deſignatur, explicat; docens ſerpentem vocari, quòd per ſerpentem hominem deceperit, quòd veneno ſuæ malitiæ genus humanum perdiderit; diaB bolum verò, id eſt, deorſum ruentem. Ruit quippe primò per ſuperbiam de cœlo: ruit poſtea, cùm ab electorum cordibus per Chriſtum deiectus eſt; Satanam, id eſt contrarium: contrarius eſt enim Deo, omnibuſque bonis hominibus. Denique docet præſens tempus pro præterito poni, dum ait: *ſeducit vniuerſum orbem,* id eſt, ſeduxerat genus humanum. Proiectus eſt ergo diabolus & Angeli eius in terram: quia ab electis expulſus ſolos reprobos, qui per terram deſignantur, poſſidet. Ita Amb.

Primaſius per cœlum, Eccleſiam (vbi contra ſpiritalium nequitias ab vnoquoque fidelium iugiter dimicatur) intelligit, & Michaëlem Angelum conC fligere dicit: quia orando, & adiutorio miniſtrando, rectè intelligitur pro Eccleſia confligere. (nam & nomen ipſius, adiutorium Dei interpretatur;) & congruè hoc opus ei ſpeciali deputari, quod apud Danielem, in nouiſſima preſſura, in adiutorium Eccleſiæ dicatur venturus: & per Angelos eius intelligit eos, qui Angelorum ciues in Chriſtum credendo eſſe cæperunt, ſicut & hic Angeli eius, quia vno præſidente rege munerari, & vno ſpiritu creduntur viuificante beatificari. *Et draco, &c.* diabolus & Angeli eius intelligendi ſunt, qui ei natura & voluntate ſimiles ſunt: ſed & homines, qui eorum laqueis irretiti, talium fuerunt ſectatores. Deinde docet locum eorum non ampliùs inueniri in cœlo: D ſiue quia victus ab eis, dicitur expelli, qui poſt renunciationem eius, fide Chriſti perceptâ, errores eius vltra non repetunt, ſed in eis charitas perſeuerat, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; ſiue quando ab omni malorum commixtione iam ſeparata Eccleſia, & futura beatitudine glorificata; diabolo & Angelis eius nullus neque ſeducendi malos, neque probandi bonos, locus amplius tribuetur, &c. Denique interpretatur quid ſit mitti in terram. *Hîc,* inquit, *terrena ſapientes dantur intelligi, in quibus illa ſententia præualente, diabolus cognoſcitur habitare. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Ab ſpiritualibus enim excluſus, ſuis meritis, aptos terrenos inuadit, hoc eſt, de cælo præcipitari & in terram mitti.* Ita E Primaſ.

Andreas Cæſarienſ. multa docet: Primò ait: *Iſthæc primo diaboli lapſui, quo ex Angelico ordine propter ſuperbiam, & inuidiam præſcriptus eſt, accommodari poſſunt; & ſecundæ rurſum eiuſdem ruinæ, qua per Dominicam crucem fractus, atque deiectus eſt: quando nimirum mundi huius princeps, iuxta Chriſti Domini oraculum, iudicatus, & à tyrannide, quam exercebat, depulſus eſt.* Ita Andr. Qui poſtea docet primò ab Angelis, & eorum duce Michaële, reuera fuiſſe è cœlo depulſum, propter eius ſuperbiam; & ab Angelis, etiam poſt Chriſti aduentum, veluti vile, abiectumque mancipium, non abſque execratione denuo propulſatum poſt Chriſti ieiunium, & tentationem illius ſuperatam. Deinde docet ex patribus nonnullis, *poteſtatem quandam dæmonem retinuiſſe poſt lapſum, in aëream regio-*

nem. *Vnde Apoſtolus dixit luctam nobis eſſe aduerſus aëreas poteſtates*; Citatque Papiã dicentẽ. *Aliiſque ex ipſis, nempe Angelis, quamdam circa terræ adminiſtrationem, poteſtatem, & procurationem tribuit, ritèque munus iniunctum adminiſtrare iuſſit*: Et paucis interpoſitis ſubiungit: *Accidit autem, vt ordinem ſibi præſinitum abſoluerent, non vt decebat*. Ita And.

Et proiectus eſt, &c. Meritò, inquit Andreas, hoc: *neque enim vllum terrenum ſenſum afferre poteſt cælum, neque vlla lumini cum tenebris eſt communicatio, &c.* Et paulò poſt: *Oſtendit autem antiquum illum ſerpentem dua nomina ſortiri, alterum diaboli, quod virtutes, virtutumque ſtudioſos, etiam ante Deum apud homines calumniatur: ſiquidem apud Adamum inuidia illum inſimulare non dubitauit; alterum vero Satanæ, tanquam pertinax Chriſti Domini & ſermonum eius aduerſarius.* Denique obſeruat Andreas, *Diaboli caſum poſt Chriſti crucem non fuiſſe localem, vt fuit primus: dicitur tamen poſt Chriſtum paſſum cecidiſſe, quia priſtinæ illius vires poſt illud tempus ſunt diminutæ & quaſi fractæ, vt ipſe B. Antonio confiteri non erubuit, illud Prophetæ in ſe impletum oſtendens. Inimici gladij defecerunt in finem. Igitur ruina illius aliud nihil eſt, quàm malignorum conatuum illius infirmatio, poſteaquam ſemel è cælo, dominioque, quod obtinebat, decidit. Aduerte rurſum apud B. Iuſtinum Philoſophum & Martyrem, legi Diabolum poſt Chriſti aduentum, latamque aduerſus illam gehennæ ignis ſententiam, maximè blaſphemum euaſiſſe, primoque initio eâ impudentiâ Deum non blaſphemaſſe, quã modò; Ea propter rectè de ipſo proditum extare: Cor eius indurabitur quaſi lapis; propter duriſſimam illam, planoque ſaxeam, in malitia obſtinationem,* Ita And. Cæſ.

Rupertus docet illud prælium inſtitui, vt diabolus de templis & aris, & ſimulachris gentium pelleretur; indeque terrifici ſonitus perſecutionum per orbem vniuerſum, quarum erat ſignum hoc prælium imaginarium, prælium magnum; per cœlum intelligi Eccleſiam, terrâ longe altiorem, terrenis hominibus, & terrena ſapientibus lõge ſuperiorem, cuius eſt in cœlis conuerſatio; Draconem autem dici pugnare in cœlo, quia in cœlo nimirum erat arbitratu ſuo, videbaturque ſibi ſimilis altiſſimo, cum exhiberetur ei quaſi diuina religio, & à miſeris gentibus, quas ſeduxerat, coleretur pro Deo. Itaque & ipſe pugnabat, quaſi in cœlo, dum contenderet haberi pro cæleſti Deo; vel, vt ipſe Rupertus poſtea ait, *in cælo, id eſt in aëre, nos quoque vſque hodie contra illum pugnam habemus, ſicut & Apoſtolus ad Epheſios ſcribens loquitur: Non eſt nobis colluctatio, &c.* Et poſt pauca: *Igitur & iuxta literam ſic rectè intelligitur quod prælium imaginarium in iſto cælo, id eſt, aëre, Ioannes fieri viderit, in ſignificationem eius prælij, quod de templis & aris, immo & de cordibus hominum diabolus iam cæperat eijci, cuius videlicet prælij finis erit, vt mittatur in ignem æternum draco iſte cum Angelis ſuis, atque ita fiat quod ſubiectum eſt: Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.*

Docet præterea ante partum Virginis Mariæ, Angelos bonos non pugnaſſe pro hominibus impiis ad pietatem conuertendis, ſed ad impiorum hominum perditionem ſeruitio Angelorum malorum vſos fuiſſe, teſtante Pſal. cum dicit: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Hic non ita eſt, mali Angeli non immittuntur vt homines impij occidantur, ſed contra malos Angelos à bonis Angelis prælium committitur, vt homines ab impietatis errore liberentur.

Docet rurſus quonam genere armorum pugnauerunt Angeli, tam mali quàm boni, & ait: *Attamen draco ille, quod naturâ non habuit, arte malignâ ſibi aſſumpſit, ſcilicet omne genus armorum, quibus bella geruntur*

A *inter homines, & homicidia peraguntur, ſcilicet gladios Regum & Imperatorum, ſecures Conſulum, & vincula carcereſque iudicum, & omnia omnino genera tormentorum. Primus quem Romæ inuaſit ſiue arripuit, Neronis gladius extitit, & in illo pugnauit. At vero Michaël & Angeli eius è contra præliantes, nihil de huiuſmodi genere armorum habuerunt aut quæſierunt, ſed vt ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &c. commilitonibus ſuæ partis, hominibus Chriſtianis, qui ſunt, vel erunt de ſemine illius magnæ mulieris, ſigna miraculorum ab Ieſu Chriſto per Spiritum ſanctum data miniſtrauerunt, præſentes illis & cooperantes, ad curandos infirmos, ad ſuſcitandos mortuos, aſſiſtentes piis martyribus in tormentis & aculeis, colloquentes illis, & colloquio ſuo conſolantes, & reſoluentes illos in carceribus,* B *& vinculis, religantes etiam Angelos Draconis, & extrahentes de antiquis templorum ſimulachris. Quæ omnia ſic eſſe facta non ignorat quiſquis ſanctorum martyrum, ſiue Apoſtolorum geſta legit, &c. Cæterum armis materialibus ad defenſionem ſui pars iſta nihil agere moliebatur, cum tota interdum legiones Martyrum proſternerentur, arma tenẽtes militaria, quibus ad defenſionem reipublicæ fideliter ſeſe ac fortiter accinxerunt, quæ tamen in cauſa fidei Chriſtianæ vllatenus attrectare deſpiciebant.* Denique Rupertus docet quomodo non valuerunt, &c. *Ita namque foras eiectus eſt, vt in locis, in quibus ſordes eius computruerant, religio Chriſtiana floreret; in templis, in quibus idolum cuiuſque turpitudinis ſteterat, crux Chriſti ſplendeſceret; vt per ora, quæ Iouem adulterum cantitare ſolita fuerunt,* C *nomen Chriſti & laus ſanctæ Trinitatis cum gloria perſonaret. Hoc eſt quod ait: Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælis. Quod idem eſt ac ſi diceretur: Neque relictus eſt illi locus, in quo exhiberetur ei cæleſtis vel diuina religio. Et proiectus eſt draco, &c. Nam proiectus eſt in terram, id eſt, perdita grandi æſtimatione, qua cælum ſibi obtinere videbatur, dum coleretur vt Deus, amiſſo electorum populo, in quo cælo ſuo iam inhabitat Deus, eos tantum nunc poſſidet, qui pertinaciter terram diligendo ipſi terra ſunt, tandemque cum illis & Angelis ſuis, mittetur in ignem æternum.* Hæc Rupert.

S. Thomas prælium iſtud vocat magnum, *quia ſancti Angeli ſtudent nos iuuare, mali autem nocere; vel magnum propter diuturnitatem, quia durat à paſſione* D *Domini vſque ad finem mundi. In cælo,* inquit, *ſecundum aliquos intelligitur de prælio quodam, quod factum eſt in cælo, quando in principio mundi Angeli boni & mali diuerſis affectibus & conſenſibus mouebantur, &c. Tamen alius intellectus magis congruit literæ, ſcilicet de Angelis bonis iuuantibus Eccleſiam contra malos.*

Et paulò poſt inquit S. Th. *Nota quod prælium, quod vidit B. Ioannes, ſignat bellum quoddam inter ſanctos Angelos, & malignos, circa humanam ſalutem, quod durat à paſſione Domini vſque ad finem mundi. Dicit igitur, Michael, huic aſcribitur pugna, quia ipſe eſt princeps Eccleſiæ, &c. & Angeli eius, ſcilicet minores, qui Eccleſiam tuentur, & cuſtodiunt, &c.*

Deinde S. Thomas modum prælij deſignat, dum E ait: *Præliantur boni Angeli contra malos Angelos, ſuadentes bona hominibus, ac reuelantes vtilia, & roborantes contra vitia, & orando pro ipſis, & dæmones arcendo ab eis. Præliantur mali Angeli contra bonos Angelos, immittendo hominibus, occaſionaliter licet, non cauſaliter, cogitationes malas, & perſuadendo mala, & debiles reddendo contra vitia, & nocendo eis quantum poſſunt, &c.*

Poſtea S. Thomas aliam ſubiungit interpretationem. *Aliter,* inquit, *ſecundum gloſſam, poteſt intelligi de maioribus qui ſunt in Eccleſia, & minoribus. Per Michaelem ergo, cuius nomen interpretatur (Quis vt Deus?) intelliguntur maiores in Eccleſia, qui debent magna opera facere, per quæ oſtendatur magnitudo Dei, & quod Deo nullus eſt ſimilis: per ipſum enim facit magna opera ſuorum. Angeli ſunt minores ſub maioribus, in minori officio paſtorali, animas tamen zelantes; vel etiam ſimpliciter ſubditi.*

Digitized by Google

tamen vita magni. Omnes tales Eccleſiam iuuant contra A *diabolum & dæmones, documentis, exemplis, meritis, & orationum ſuffragiis. Non debent igitur pacem habere cum dracone prælati, ſed pugnare cum eo, &c.* Denique dicit *locum eorum non inueniri, quantùm ad electos, qui per vitæ claritatem, altitudinem & firmitatem, ſunt cælum, quamuis aliquos antea poſſediſſet in peccatis; & ſi cadunt adhuc, non habent locum in eis, quia non poteſt detinere quantùm vult. 2. Petri 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere. Et proiectus eſt. Draco, propter violentiam; ſerpens, propter aſtutiam; antiquus, propter experientiam; diabolus, propter ſuperbiam; Satanas, per inuidiam, ſiue nequitiam, per quam aduerſatur humanæ ſaluti: in terram, id eſt in hoſpites terrenos, quia terrenorum amatores: grauius impugnant quando vident ſe ab electis expelli, & non* B *habere locum in eis, &c. Non autem,* addit S. Thomas, *eſt intelligendum quòd ſancti Angeli immittunt diabolum in homines terrenos, ſed non permittunt eos habere locum in iuſtis, & ideo dicuntur eos projicere. Dæmones autem ſic proiecti immittunt ſe in terrenos.* Ita S. Tho.

Alcazar quatuor potiſſimum in explicatione huius loci docet. Primum eſt, in hoc loco non fieri alluſionem ad ea quæ dicuntur Danielis 10. de Michaele & Gabriele præliantes aduerſus principem Perſarum, quia ibi eſt concertatio inter bonos Angelos: at hîc Michael certat cum dracone principe dæmonum, aut cum vniuerſa dæmonum phalange; ſed fieri alluſionem ad Daniel. 12. Vbi dicitur: *In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus;* C quaſi dicat: Bellum concitabit aduerſus aquilonis regem, & eo ipſo aduerſus draconem.

Docet ſecundò, ſenſum illorum verborum Daniel. 12. *In tempore illo conſurget Michael princeps magnus;* talem eſſe, vt Spiritus ſanctus Iudaica tangens, Chriſtiana reſpiciat, ſicque proximum ſenſum fore vt de Rege Antiocho fiat mentio in cap. 11. at præcipuum eſſe de Anti-Chriſto, per comparationem ad Antiochum; & cum in hoc loco Apocalypſis fiat alluſio ad illum locum c. 12. Danielis, Michael proculdubio eſt Mathatias, qui zelo Dei accenſus in tempore illo anguſtiæ & oppreſſionis erexit vexillum aduerſus nefandas Antiochi machinationes, & veram religionem defendit atque protexit. Sed D quod ad præcipuum attinet ſenſum, Chriſtianæ Eccleſiæ prophetiam in Antiochi perſecutione adumbrata reſpexit potiſſimùm Daniel, & non tantùm Anti-Chriſti tempora, ſed aliorum etiam Anti-Chriſtorum perſecutiones, & Romani præſertim imperij. Illæ enim omnes eo ſpectarunt, vt veram religionem ex toto orbe penitus exterminarent, & inanem idolorum ſuperſtitionem vero Dei cultui anteferrent; *& ſanctus Ioannes hic agit haud dubie,* inquit Alcazar, *de initio perſecutionis, qua Romanum imperium Chriſtianam infeſtauit Eccleſiam.*

Docet tertiò, licet ad priſtinum bellum, quod inter bonos Angelos ac malos fuit peractum in cœlo, in hoc loco alludatur, non tamen de illo directè agi; E Riberam ſentire hoc Michaelis prælium cum dracone citra dubitationem ad Anti Chriſti tempora pertinere, ad hanc ſententiam adductum, quod fiat alluſio ad locum cap. 12. Danielis, quem S. Hieron. cenſet de tempore Anti-Chriſti eſſe intelligendum; & quia non diceretur dæmon in hoc capite modicum habere temporis, niſi hæc Prophetia nouiſſima Eccleſiæ tempora ſpectaret; Prælium tamen iſtud nihilominus referendum eſſe ad bellum, quo dæmon fuit depulſus ex imperio, quod in orbe per idololatriam obtinebat: quia anticipatione nimis violentâ vteretur S. Ioannes, loquens de vltimo Anti-Chriſti bello, quod commouere debet poſtquam fuerit per mille annos Draco alligatus. Et ad obiecta reſpondet, fieri etiam hîc alluſio ad locum Ioan 12. *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras.* Quem locum patres interpretantur de prima idololatriæ expulſione; Danielem in præcipuo ſenſu non agere ſolùm de Anti-Chriſti tempore, ſed æqualiter de perſecutionibus in Eccleſiam excitandis, ad veram Chriſti religionem extinguendam, inter quas primum locum obtinent, quas Romanum imperium idololatriæ addictum, à Nerone ad Iulianum vſque commouit: & quamuis Daniel tantummodo ageret de perſecutione illius, qui per antonomaſiam vocatur Anti-Chriſtus, adhuc potuit in Apocalypſi tractari de Romæ Ethnicæ perſecutione, per alluſionem ad perſecutionem Anti-Chriſti; more ſuo Ioanne loquente de iis qui Chriſtum perſequuntur, ſub alluſione & nomine extremi Anti-Chriſti, vt cum ait: *Audiſtis quia Anti-Chriſti multi facti ſunt.* 1. Ioan. 2. paruitatemque temporis de qua fit mentio in contextu, non reſpicere mundi finem, ſed tantùm illud tempus, quo duratura erat idololatria; modicumque illud tempus, quod inſumi debebat ad illius extirpationem, ſi magnitudo ipſius operis attendatur.

Docet 4. Alcazar quis ille ſit qui Michael hîc nuncupatur? Qui ipſius Angeli? Et cenſet Apocalypſeos ſcopum fuiſſe eiuſmodi, vt Michaelis perſona hîc attribueretur Chriſto Domino; & Michaelis Angelorum perſonæ, ipſi exercitui miniſtrorum Euangelij, & prædicatorum, quibus Deus hoc bellum idololatriæ faciebat. Nouum quippe nec inſolitum eſſe, ſi in ænigmate perſona aliqua ſupponatur pro alia; *Vt,* inquit, *vidimus in Moſe & Elia;* deinde melius Chriſto, vt imperatori; & prædicatoribus Euangelicis, vt militibus, aſcribi hoc facinus, prælio dæmonem è mundo ejiciendi, quam Michaëli, aut Angelis qui homines defendunt: quin & in Apocalypſi ſæpe Angelorum nomine, Chriſtum, & viros Apoſtolicos deſignari. Chriſtus eſt Angelus fortis c. 10. Prophetæ, Angeli tubarum: at in contextu, ij qui vicerunt in prælio ſunt prædicatores Euangelici, qui per Angelos Michaelis deſignantur. Adde quia hoc bellum non erat in mentium & animorum diuerſitate, ſed in concionibus efficaciſſimis maximæ, & in teſtimonio proprij ſanguinis, quo veram religionem Martyres moriendo confirmarunt. Denique tam figura quam nomen Michaelis, Chriſto Redemptori noſtro aptiſſimè quadrant. Ipſe eſt enim vnus de principibus primis. j. ex tribus perſonis Trinitatis, vt homo diuinæ gloriæ zelo ardet: & dum dixit: *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras.* Idem ſignificat, ac ſi expreſsè diceret: A me, & à meis miniſtris. Eſt igitur Chriſtus, myſticus Michaël, & ipſius Angeli, Chriſti prædicatores.

6. Docet appoſitè dici: *Michael & Angeli præliabantur cum dracone;* non autem: Draco & Angeli eius præliabantur cum Michaele; vt nos admoneret non eſſe reſpiciendum ad priſtinum bellum in quo draco bellum inchoauit: ſed ad expulſionem diaboli à Michaele & Angeli eius inceptam: & dum dicitur: *Et draco pugnabat:* eſſe referendum ad perſecutionem, quam dæmon excitauit contra Euangelij promulgatores.

Septimò dum dicitur: *Locus eorum non eſt inuentus,* perinde eſſe quaſi aſſeratur eos in poſterum non illum occupaſſe locum, quem antea poſſidebant. Simili locutione dicitur Pſ. 36. *Quæres locum eius, & non inuenies:* & Danielis 2. *Nulluſque locus inuentus eſt eis;* quin & cœlo dejici, perinde eſſe, atque cauſa cadere, & conceptam animo fiduciam deponere, ac deſperare de victoria obtinenda; & dum ſucceſſiuè depellitur, ipſe tamen iam fractis viribus proſtratus, rabie adhuc efferatus, hoſtem quauis poterat ratione lædebat, commouente ſemper aliquas perſecu-

Digitized by Google

tiones contra Chriſti Miniſtros & prædicatores; eiuſque de veteri poſſeſſione expulſionem accipiendam eſſe reſpectu cuiuſque gentilis, quando ad Chriſti fidem commigrat; quantumuis reſpectu cæterorum, qui in ſua impietate perſiſtunt, nondum repulſam tulerit dæmon. Denique quia Euangelicæ prædicationis lux adeo fuit conſpicua, vt nulla humanæ eloquentiæ nubecula, nec aſtus diabolici, aut mundanæ poteſtatis tenebræ fuerunt ſatis ad eius ſplendorem obſcurandum, ideo dicitur hæc lux maximæ inſtar ruinæ fuiſſe dæmoni, & eius miniſtris.

Quaenam ſit noſtra de hoc prælio ſententia? §. 2.

Meminiſſe oportet ſeptimæ Regulæ, quam in procemio attulimus, in qua dictum eſt, quod ſicut prima perſona, quam videt Ioannes in primo capite, videtur prologum agere, & ſummam quamdam repræſentare eorum præſertim quæ dicuntur à capite 4. vſque ad vndecimum: ita mulier amicta ſole, & alia quæ tanguntur, videntur eſſe quoddam compendium, ſeu ſummam eorum, quæ in capitibus ſubſequentibus repræſentantur. Quod quidem nobis ob oculos proponere in animo ſtatuimus, vt verum ſenſum huius contextus è tot latebris, ſi fieri poſſit, eruamus. Quid Eccleſiæ ſperandum ſit, quod amicta ſit ſole, ſtellis coronata: & pro tolerantia tot perſecutionum, quæ contra eam à dracone excitantur, videbimus in cataſtrophe totius operis, nempe in deſcriptione gloriæ æternæ, ſub ænigmate ciuitatis nouæ è cœlo deſcendentis, cap. 21. &. c. 22. Quomodo Draco ſtet contra eam, & perſequatur eam, & reliquos de ſemine eius, declaratur in deſcriptione duarum Beſtiarum ſibi adſtipulantium, cap. 13. Quomodo filius Maſculus, Dei Thronum obtinebit, & regat omnes gentes, declarat viſio agni ſtantis ſupra montem, cum centum quadraginta quatuor millibus, qui illius miniſterio, nempe filij maſculi, ad Chriſtum adiuncti ſunt: & viſio illa valde conſideranda plenitudinis ætatis illius, cum videtur ſimilis filio hominis, ſedens ſupra nubem candidam, corona aurea decoratus, habens in manu ſua falcem acutam. Quomodo ille qui Dei locum tenet, vt dicat: *Quis vt Deus*, tanquam alter Michael in Eccleſia militante, & Eccleſiaſtica Hierarchia, pugnet cum Angelis ſuis, id eſt cum Epiſcopis & præconibus verbi diuini, contra draconem, patet ex cap. 15. In quo dantur arma his Angelis idonea, ſiue ad adoriendos hoſtes, ſiue ad ſeipſos defendendum ab eorum inſultibus, patet etiam ex 16. c. in quo prælium magnum, de quo hic fit mentio, proculdubio exprimitur. Quomodo facta ſit ſalus, & virtus, & regnum Dei, & poteſtas Chriſti eius, cum fauſtis accumulationibus pro hoſtibus deuictis & victoria reportata, videtur in capitibus 17. 18. & 19. Poſtquam enim S. Ioannes propoſuit qualis erat mulieris amictæ ſole aduerſaria, c. 17. eius caſum deſcripſit in c. 18. & pro tanta victoria in cap. 19. audiuntur voces Deum laudantium, triumphum agit Dei verbum, & Rex Regum eſſe declaratur. Vnde iſte Michael myſticus ſtat in ſole, eo quod regnum Chriſti debeat eſſe perpetuum, quod non corrumpatur, nec euerti vllo modo queat. Quantum ad iram draconis, eo quod ſolummodo in temporalibus & rebus terrenis poſſit diuexare Eccleſiam, quia videt non poſſe illius ſpiritalem dominationem impedire, declaratur in cap. 20. vbi Satanas ſolutus congregat gentes in prælium contra caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam. Interim Eccleſia ſeruatur illæſa in deſerto, in quem ſe recepit, duabus alis aquilæ ſibi datis: vnde, licèt draco euomat ex ore plurima mendacia, vt errori-

A bus, aut depravatis moribus abſorbeantur mortales, ſoli terreni homines illius furoris effectus perſentient. In his ſtabit, in his requieſcit, vexando fideles, illoſque identidem diuerſis agitando afflictionibus & malis. Quod quidem exprimitur c.19. dum ait S. Ioannes: *Vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum, congregati ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.*

His præſuppoſitis in his verbis: *Et factum eſt prælium magnum, &c.* & ſubſequentibus, idem eſſe dico & aſſero, ac ſi S. Ioannes diceret: Statim atque filius maſculus raptus eſt ad Deum, & ad thronum eius; & Eccleſia à ſynagoga ad gentilitatem poſſidendam tranſitum fecit, certamen grande ſucceſſit B inter filium illum maſculum, qui recturus erat gentes, vt pote qui in Eccleſia militante locum teneret illius olim Archangeli Michaëlis, qui princeps erat exercitus Angelorum, ſicut iſte princeps erat conſtitutus Apoſtolorum, eo quod ad thronum Dei eſſet ſublimatus. Is, inquam, filius maſculus, ſuis Angelis, id eſt, iis qui à Chriſto miſſi fuerunt, vel tandem etiam ab ipſo mittendi erant ad ſalutem hominum procurandam, & Chriſti regnum promouendum, ſtipatus & adiutus, contra draconem & malos Angelos, & peruerſos homines draconi obtemperantes, bellum geſſit. Non enim ſolùm Chriſtus Dominus cum ſuis Apoſtolis, qui permanſerunt cum eo in tentationibus ſuis dum vixit, contra diabo- C lum dimicant; non ſolum eo in cælum ſublato ad dexteram Dei, Petrus cum ſociis certamen incæptum continuarunt, perfidæ ſynagogæ inſultibus reſiſtendo; ſed potiſſimùm aperto Marte contra diabolum dimicatum eſt, cum Petrus ſedem Romæ fixit, vt per ſe & per ſucceſſores ſuos, & coadiutores, & cooperatores ſuos, idololatriam extirparet; & dæmonem à diuinis honoribus, quos ab hominibus impudenter exigebat, potenter propulſaret & expelleret. Nec enim cum contra ſynagogam repudiatam certatum fuit, ita clarè cernebatur cum dæmone haberi certamen, quàm cum contra idololatriam prælium initum eſt. Ipſa enim Deum verum ſe colere exiſtimabat: & reuera Deo D vero cultum exhibebat, ſed poſt repudiationem non eo modo, quo pro tunc coli volebat. At cum Petrus, & Apoſtoli, eorumque ſucceſſores contra idololatriam inſurrexerunt, reuera aperte prælium cum dracone, qui in idolis colebatur, iniri manifeſtum fuit.

Hinc factum eſt, vt ſicut in mundi conſtitutione, Michaël Angelorum primus hoc fulmine veritatis perculſit Satanam, ſeſe aduerſus Deum extollentem, nempe dum dixit: *Quis vt Deus?* Hoc eodem fulmine perculſi draco, & aſſeclæ eius, in profundi barathri & in abyſſum proiecti ſunt, Petro & Apoſtolis dicentibus: Quis vt Chriſtus? Quis inter puras creaturas, & Angelos etiam ſupremos, talis eſt, vt ei aliquando dictum ſit: *Filius meus es tu, ego hodie* E *genui te?* Et rurſum: *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Heb. 1. Cui inquam dictum eſt aliquando: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Non tantùm homines, qui ſibi diuinos honores impudenter arrogare auſi ſunt, ſed quod maius eſt, dæmones hac veritate, quaſi quodam fulmine perculſi ſunt; itaut notum factum ſit omnibus ipſos meritò diuinis honoribus ſpoliari, ſolique Chriſto deberi, vt Rex Regum & Dominus dominantium nominetur: Sic dæmon expulſus fuit, dum idola confracta fuere, in quibus colebatur, & tanquam Deus adorabatur. Sic propulſati ſunt illius Angeli & proſtrati, dum v. g. ſanctus Petrus Apoſtolorum primus, tanquam ſtrenuus Dei Dux, diuina munitus armatura, vt loquitur

Digitized by Google

Euſebius l. 2. c. 14. in Simonem Magum inſurrexit, & illum in terram proſtrauit. Sic ſi quis inter imperatores tanta dementia captus fuit, vt ſe pro Deo haberi voluerit, tanquam vanus & ridiculus habitus fuit, quacumque prædirus fuerit autoritate. Huic enim veritati nemo obſiſtere potuit: & ita dæmonis arrogantia repreſſa fuit, Magorum impoſtura apparuit, Regum ſuperborum præſumptio euanuit, dum idola confracta fuerunt, Magia contempta, & ipſa regum poteſtas ſub Chriſti iugo ſubacta eſt. Vnus enim Deus, vnus Dei & hominum Mediator Chriſtus Ieſus, cui imperium, cui gloria debetur in æternum. Sic *proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem; & proiectus eſt in terram; & Angeli eius cum illo miſſi ſunt: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt amplius in cælo.* Qui quidem tot nominibus inſignitur, vt ſciamus nec magnitudinem eius, nec ſuperbiam, nec poteſtatem aliquid ei profuiſſe. Futiles redditæ ſunt omnes eius aſtutiæ, & inuentiones peſſimæ, quibus ab initio ſeculorum vſque huc vſus fuerat, inuidia ſua pulſus; omnes illius calumniæ, quas contra Deum & ſeruos eius euomuit, in ipſum reiectæ fuerunt, vt mendax & impoſtor meritò rejiciatur ab amatoribus veritatis; omnes illius contradictiones & oppoſitiones confractæ, omnes adhibitæ in ſuis ſuggeſtionibus fallaciæ detectæ, itaut verè dici poſſit proſtratus, & è cælo deiectus: quia in iis qui credunt, locum non reperiet, vt denuò tanquam Deus ab illis habeatur. Nam ſi deinceps contra Chriſtum certare ſtatuerit, ſub alio colore, eius honori detrahere attentabit, vtetur Regum impiorum poteſtate, vt ſaltem minuat aliquid de honore Chriſto reddendo, quem omnino auferre non potuit. Interim Chriſtus vt Deus adorabitur, & in nomine illius flectetur omne genu: Ipſum reges adorabunt, iuxta illud: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei;* In tantum vt etiam illi honorem exhibeant, qui eius vices obtinebit, & tanquam Vicarius Chriſti habebitur. Mouebit quidem, quantùm in eo erit, aduerſus hanc ſublimem autoritatem prælia & ſeditiones; vt ei quidam obedientiam præſtare detrectent; Manebit tamen Dei decretum firmum & ſtabile, & Chriſtus in ſuo Vicario honorabitur; & plena autoritas de rebus diuinis decernendi & diſponendi remanebit apud eum, qui à Deo ad hoc munus obeundum inſtitutus eſt; itaut ſi quis Rex audiret aliquod ius ſibi in his arrogare, ſtatim à Chriſti regno tanquam rebellis projicietur dæmoni ſociandus in pœnis, qui ei voluerit in ſuperbia fieri ſimilis. Hæc eſt noſtra ſententia, quam his concluſionibus veriſimiliorem reddimus.

Dico primò: Michael reuera nobis repræſentat ſummum Pontificem, ſeu filium maſculum, ad Deum & ad thronum eius ſublimatum. Hæc concluſio ſuam habet veriſimilitudinem: quia iſte Michaël vel eſt ille famoſiſſimus Michaël princeps militiæ cæleſtis in propria perſona, vel myſticè ſumitur pro Chriſto, vel eſt alius quiſpiam. At hic non ſumitur pro Michaele Angelo, nec ſumi debet pro Chriſto in perſona propria: ſequitur igitur vt pro alio ſumatur, à Michaele Angelo, & Chriſto diſtincto. At S. Michaele & Chriſto Domino excluſis, pro nullo alio meliori iure ſignificando ſumi poteſt, quàm pro ſummo Pontifice, ſeu eo in quo ineſt & reſidet illa ſuprema autoritas, in filio maſculo deſignata. Igitur ipſe Michaël eſt ſummus Pontifex, ſeu is in quo eſt ſuprema autoritas Chriſti regnum promouendi, & ab hoſtibus cunctis vindicandi.

Quod autem non ſit Michaël, princeps militiæ cæleſtis, patet: quia hic non eſt ſermo (iuxta expoſitiones à nobis ſuperius allatas) de prælio quod factum fuit in cœlo in initio ſeculorum, quamuis, vt Andreas Cæſar. loquitur, *Iſthæc primo diaboli lapſui accommodari poſſint*, & ad illud prælium fiat alluſio, & comparatio; vt ſicut olim boni Angeli cum Michaële pro Chriſto decertarunt, contra Luciferum & ſuos aſſeclas, qui diuinitatem humanitati Chriſti collatam (iuxta quorumdam opinionem) Lucifero, vel (vt ſimilius eſt) naturæ Angelicæ deberi volebant: ita hic iſte myſticus Michael non ſolùm prælium ineat, vt Deorum inanium cultus aboleatur, ſed etiam vt Chriſtus verus Deus eſſe agnoſcatur. Tamen ſi de iſto primo prælio directè & præcisè non agitur, vt volunt ferè omnes interpretes, non eſt veriſimile vt iſte Michaël verus ſit Michaël Archangelus, ſed ſufficit vt ſit myſticus.

Quod autem non ſit Chriſtus, quidquid dicat Alcazar, mihi probabiliſſimum eſt. Nam ſicut videtur Maieſtati illius ſummi imperatoris conſonum fuiſſe, vt Deus per miniſterium Angelorum, Luciferi depreſſerit arrogantium, & miniſterio Michaëlis vſus fuerit, vt illum è cœlo expelleret: ita Maieſtati Chriſti videtur congruum, vt non per ſeipſum, ſed per aliquem miniſtrum, draconem expellat è cordibus hominum; & ab honore diuino, quem ſibi impiè & impudenter vſurpabat, illum propulſet. At quanto infirmior erit ille, cuius miniſterio vtetur ad hanc expulſionem, tanto glorioſiùs de hoſte triumphabit. Eſt igitur valde probabile quod ille miniſter ſit aliquis homo, ad hoc munus à Deo electus, talem Chriſto dante ſuis miniſtris poteſtatem, vt poſſint dæmonem conterere ſub pedibus ſuis, iuxta illud Luc. 10. *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et iuxta illud Apoſtoli votum Roman. 16. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Ac ſi hoc eſt, quis non videt hoc nulli alteri meliùs poſſe competere, quàm ſummo Pontifici, in quo reſidere debebat autoritas in filio maſculo deſignata, tanquam Chriſti Vicario? Hanc opinionem & ſententiam libentiùs admitto, cum audio ſuprà, ſanctum Thomam ex Gloſſa hanc nobis expoſitionem proponere. *Per Michaelem ergo, cuius nomen interpretatur (quis vt Deus?) intelliguntur maiores in Eccleſia, qui debent magna opera facere: per quæ oſtendatur magnitudo Dei, & quod Dei nullus eſt ſimilis: per ipſum enim fiunt omnia opera magna ſuorum. Angeli ſunt minores, ſub maioribus in minori officio paſtorali; animas tamen zelantes.* Ita S. Tho. ex Gloſſa. Igitur cũ inter eos qui maiores ſunt in Eccleſia, vnus ex principibus primis ſit ſummus Pontifex, ſatis probabilis ſit noſtra ſententia, vt iuxta S. Thomæ ſententiam, per hunc Michaëlem ſummum Pontificem intelligamus. Et hanc opinionem adſtruunt quæ Alcazar ſupra affert, vt probet Chriſtum & prædicatores in hac prophetia per Angelos ſæpiùs deſignari, & præcipuè in 2. & 3. capite, vbi Angeli Eccleſiarum proculdubio ſunt Epiſcopi; quin etiam vim facio in verbis Chriſti ſupra allatis, ex Luc. 10. in quibus duos caſus ſatanæ deſignari animaduerto. Primus eſt cum Satanas vt fulgur de cælo cecidit. Ita enim cadentem Chriſtus Dominus vidit, vt ipſe teſtatur. Secundus eſt cum calcatur à Chriſti ſeruis & miniſtris. Cum igitur de primo caſu non fiat hic mentio, & ſecundus fiat per calcationem miniſtrorum Chriſti, ad hunc caſum mihi reſpicere videtur S. Ioannes, in quo magis deprimitur ſuperbia dæmonis, cum per homunciones abiectos, & quos contemptui habebat, dejicitur. Et reuera Petrus ille eſt, ad quem propriè pertinet clamare: *Quis vt Deus?* dum Patre æterno reuelante, hoc edidit ora-

Digitized by Google

culum : *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ille eſt ad quem pertinet nos ab omni idololatria reuocare, qui piè aliquando dixit : *Domine ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes.* Ille eſt ad quem pertinet nos in portum deducere ſalutis æternæ, cui dictum eſt : *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Ille eſt ad quem pertinet Satanam dejicere, qui Ananiam & Saphiram gladio verbi, in virtute Spiritus ſancti, interimit; & Simonem magum ab aëre in terram proſtrauit. Ille, inquam, qui à S. Chryſoſt. to. 1. Homil. 4. in Iſaiam, his titulis exornatur. *Quid autem*, inquit, *Petrus, baſis Eccleſiæ, ille vehemens amator Chriſti, ille ſermone indoctus, & Rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen Philoſophis obturauit os; ille qui græcanicam ſapientiam, non aliter quàm arancarum telas diſſoluit : qui terrarum* B *orbem peragrauit, qui ſagenam miſit in mare, & piſcatus eſt orbem.* Ita Chryſoſt.

Dices : ſi ita eſt, vt Michaël hic intelligendus ſit, pro aliquo homine au-oritatem ſupremam habēte, & Angeli pro verbi diſſuni præconibus ponantur, cur exprimuntur nom.ine Miſhaelis & Angelorum ? Reſpōdeo hoc fieri vt cogitent prælati, & verbi Dei præcones, ſe in ſuo miniſterio, munere fungi Angelico, ad quos potiſſimum pertinet Dei cultum promouere. Secundò, vt cogitemus humana per Angelorum miniſterium diſpenſari. *Omnes* enim *ſunt adminiſtratorij ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Tertiò, vt ſciau..s quantùm deferre debemus Angelicis ſpititib.., quorum interuentu, ſugge- C ſtione, ſuffragio, oratione, auxilio, tot & tanta faciamus, vt dæmonibus, nos naturâ longe excellentiori antecedentibus, dominemur, eoſque ſub pedibus noſtris conteramus.

Dico ſecundò : Prælium, de quo hîc fit mentio, nullum eſt aliud quàm illud, quod fusè deſcribitur c.16. cum ſeptem Angeli effundunt phialas iræ Dei, vt Deo dante videbimus in expoſitione huius capitis 16. Ibidem deſcribuntur omnes pij conatus paſtorum, ad Chriſti regnum promouendum & ſtabiliendum; quos inutiles reddere conatur dæmon, dum homines illi conſentiunt, fragilitate, peruerſa inclinatione, concupiſcentia cæcitate, malitia, animi audacia, & preſūptione ac pertinacia ad hoc inducti. D

Dico tertiò, ſenſum iſtorum verborum : *Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo*; requirendum eſſe ex his, quæ verſu 10. dicuntur, nempe : *Et audiui vocem magnam in cælo dicentem : Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius : quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Nam quia non poteſt dæmon impedire ne electi ſaluentur, ne boni actus virtutum exerceant, ne Chriſtus regnet viſibili quadam Monarchia in vniuerſo orbe, ne miracula patrentur, & ipſe expellatur ex aris, & templis, & idolis, è cordibus fidelium, ex corporibus hominum, per ſummam à Chriſto poteſtatem Eccleſiæ & ſanctis collatam, E ideo dicitur non amplius inuenire locum, ſcilicet hæc omnia impediendi; quamuis non omnes ſint electi, quamuis multi reperiantur in Eccleſia moribus corrupti, quamuis in plurimis locis Eccleſiæ Monarchia contemnatur; quamuis non ſemper, nec ab omnibus miracula patrentur, & dæmonia expellantur. Sed quia non poteſt impedire, quin ſaltem electi ſaluentur, plurima bona opera exerceantur, in pluribus locis Eccleſiaſtica vigeat autoritas, multa patrentur miracula, ideo dicitur amplius non inueniri illi locus, ſeu facultas iſta omnia impediendi. Sed hæc omnia clariùs innoteſcent, in expoſitione horum verborum modo adducenda. Moneo tamen Lectorem, vt quæ ſcitu ſunt digna pro expoſitione pleniori huius prælij, requiras in præcedenti para- A grapho, in quo repoſuimus varias optimorum autorum expoſitiones.

Et audiui vocem magnam in cælo dicentem : Nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius : quia proiectus accuſator fratrùm noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui : & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.

ANNOTAT. XIII.

Variæ expoſitiones. §. 1.

TICONIVS ſeu Aug. Hom. 9. *Modo facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, id eſt Eccleſiæ. Oſtendit in quo cælo iſta fiant. Apud Deum enim ſemper fuit virtus, & regnum, & poteſtas filij eius : ſed in Eccleſia dixit, per victoriam, factam Chriſti ſalutem : quam videntes illi, de quibus Dominus dixit : Multi iuſti & Prophetæ cupierunt videre quæ videtis; dixerunt : Modo facta eſt ſalus Domini noſtri : quoniam excluſus eſt accuſator fratrum noſtrorum. Si autem, vt quidam putant, Angelorum vox eſt in cælo ſuperiore, & non ſanctorum* C *in Eccleſia : non dicerent (accuſator fratrum noſtrorum) ſed (accuſator noſter) nec (accuſabat) ſed accuſat.) Quod ſi iuſtos in terra poſitos appellauerunt Angeli fratres ſuos, non erat gaudium miſſum eſſe diabolum in terra, quem moleſtiorem poſſunt experiri ſancti ſecum in terris poſitum, quàm ſi, vt dicitur, adhuc eſſet in cælo. Sic enim terræ maledicunt dicentes : Væ terræ & mari, id eſt, qui cælum non eſtis, quia deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam, &c. Deſcendit, inquit, vt allegoriam ſeruaret. Cæterùm cum omnes in cælo ſunt, id eſt in Eccleſia, quæ iuſtè cælum dicitur, vnde deiectus à ſanctis diabolus, deſcendit in ſuos, qui pro amore terreno terra ſunt. Deinde autem, de cælo, non ſic dixit, quod in hominibus fieret iam cælum factis, ſed quod ſint, non quod fierent.* D *Non enim poſſunt ſancti cælum factum fieri, niſi diabolo excluſo. Non ergo primo nomine, ſed ſecundum appellauit eos cælum, in quibus vltra diaboli locus inuentus non eſt, de quo perinde nos Dominus ſub ſua protectione liberare dignetur.* Ita Ticonius.

Ambroſius : *Vox magna de cælo, vox eſt Angelorum pro ſalute generis humani gaudentium, Deumque laudantium, ſicut dicit Dominus in Euangelio : Gaudium eſt, &c.* Luc. 13. Et paulò poſt : *Per vnam ouem, gentilem populum ſignificans. Multo enim maius gaudium factum eſt in cælo de conuerſione gentium, quàm de Iudæorum obſeruationibus. In deiectione igitur diaboli, facta eſt ſalus credentium; acceperunt etiam virtutem vincendi diabolum, à quo antea vincti tenebantur. Factum eſt nihilominus re-* E *gnum Dei noſtri, quia in quibus diabolus regnabat, cæpit regnare Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Facta eſt poteſtas Chriſti eius, cum eos quos diabolus poſſidebat cæpit Chriſtus poſſidere. Quia proiectus eſt accuſator, &c. Accuſamur in conſpectu Dei, cum peccamus. Accuſat & diabolus, cum in peccatis malè ſuadendo dejicit. Rationem reddit Ambroſ. quod Deus non ſolùm facta, ſed cogitata conſiderat. Addit poſtea : Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni. Quia redemptio ſanguinis Chriſti hoc contulit ſanctis, vt diabolum poſſint vincere. Vicerunt etiam propter verbum teſtimonij ſui, fidem ſeruando quam profeſſi ſunt, eamque operibus implendo. Et non dilexerunt animas ſuas, id eſt, quia eas in præſenti vita ſeruare noluerunt, vt Chriſtum negarent; ſed pro Chriſti nomine mori potiùs elegerunt, vt æternam vitam æternam inuenirent.* Ita Ambroſius.

Digitized by Google

Primaſius: *Et audiui vocem, &c. Euidenter oſtenditur in quo nos cælo intelligere iſta conueniat, in Eccleſia namque factam nouimus victoriã Chriſti ſalutem, per quam cognitam accepit etiam poteſtatem ligandi ſoluta, & ſoluendi ligata, cum in vno Petro generali ſignificatione omnis audiuit: Quæ ligaueris ſuper terram, &c. De hac Dominus dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: non quam ſemper ipſe habuit: ſed quam in Eccleſia, ex tempore quo voluit, tanquam caput in membris habere cæpit:* Et paulò poſt. *Quod autem de cælis excluſum in terram miſſum gaudendo dicere perhibentur, illorum redemptioni congratulatur, quos ſibi ad inhabitandũ præparare dignatus eſt templum: Anima enim iuſti ſedes ſapientiæ. De terrenis autem, in quos dicitur deſcendiſſe, diuinæ iuſtitiæ penetralia Angeli cognoſcendo collaudant, eique miſericordiam & iudicium ſuper beatis decantant: cum & in redemptis bonitas, & in perditis æquitas diuina monſtratur. Nec amauerunt animas ſuas: Propter videlicet charitatem. Propter hoc exaltate cæli, & qui habitatis in eis. Hic ſi, vt ſuperius, in Angelis cælum Eccleſia cognoſcatur, vtriſque conuenit in Domino concorditer gratulari: & per eum homines Angelis ſociari creduntur, & Angeli hominum in Chriſto ſubſtantiæ famulantur.* Ita Primaſ. Andreas Cæſar. *Per accuſationem falſamque calumniam quibus homines impetuntur, ipſum diabolum deſignat: ſiquidem hoc ſtudium, nominis eius ratio, vt ante dictum eſt, inſinuat: Lætantur autem Angeli de illius eiectione: quia nulli eſt pars fideli cum infidelibus.* Et poſtea: *Credibile ſit autem, vt ſuperna virtutes, ad Dei exemplum, de dæmonis ruina & caſu gaudent. Ita è diuerſo, de inſidiis, quas illis ſtruit, qui in rebus terrenis miſerè tabeſcunt, viciſſim contriſtari.* Ita Andreas.

Rupertus per vocem magnam intelligit concentum Dei publicum, quo cœlum Dei, id eſt Eccleſia per totum orbem hodie laudes canit. Deinde docet Rupertus quod *antequam draco proiiceretur, non vtique ſalus erat, ſed perditio, & mors: non erat virtus, ſed infirmitas & corruptio: non erat in hominibus regnum Dei noſtri, ſed regnum peccati & mortis: non erat poteſtas Chriſti eius, ſed poteſtas principis tenebrarum, qui in hoc mundo principabatur: non erant hæc omnia facta, ſed futura vel facienda promittebantur. Et paucos in lege veteri ſpes illa conſolabatur, &c.* Et poſtea per ſalutem Rupertus intelligit remiſſionem peccatorum noſtrorum, quia eſt reſurrectio animarum, & per virtutem, reformationem reſurgentium corporum noſtrorum. *Tunc, inquam, ex tunc factum eſt regnum, imo facti ſumus nos regnum Dei noſtri, & facta eſt poteſtas Chriſti eius in cælo & in terra.*

Qua autem ratione Satan dicitur accuſator, docet poſtea Rupertus, *videlicet quia tenebat chirographum decreti aduerſum nos, quod nobis contrarium erat, in quo peccatum Adæ ſcriptum erat, cuius nos recitatione ſemper accuſabat, confidens ac iactabundus, quod illo chirographo teſte genus humanum iure eſſet poſſeſſio ſua:* Denique ait: *Qui vicerunt illum, nimirum illi qui accuſabantur, &c. Et hoc,* inquit, *non propter virtutem iuſtitiæ ſiue conditionis propriæ, ſed propter ſanguinem agni quo redempti ſunt, & propter verbum teſtimonij ſui, id eſt propter fidem, per quam teſtimonium reddit illis ſpiritus quod ſint filij Dei, &c. Et non dilexerunt, id eſt, odio habuerunt odio perfecto, de quo Dominus dicit in Euangelio: Et qui odit animam ſuam, &c. Propterea lætamini cæli, &c. Vos cæli, vos beatæ patriæ ſinus lucidi: Propterea lætamini, & vos qui habitatis in eis. O fratres noſtri, qui prius accuſabamini quod terra eſſetis, & ab illo magno & antiquo ſerpente iure deberetis, nunc autem in cælis habitatis iure, & cæli eſtis, de quibus ille proiectus, & foras miſſus eſt.* Ita Rupertus.

S. Thomas: *Vocem magnam, id eſt exultationem magnam, Pſ. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum: quia dextera Domini fecit virtutem: ſecundum Haymonem hæc vox eſt deſiderium magnum ſanctorum de noſtra victoria in cælo, id eſt, in Angelis ſanctis, & animabus beatis.* Et paulò poſt: *Nunc, ſcilicet tempore gratiæ, facta eſt ſalus, id eſt, dominatio & honor, in ſaluando à malo, per remiſſionem peccatorum, & conſeruationem in lucta tentationum. Iſ. 12. Ecce Dominus Saluator meus. Et virtus, id eſt, dominatio, ſecundum quam ſuos iuuat in bono, in operationem bonorum. Iſ. 11. Qui dat laſſo virtutem. Et Regnum, id eſt dominatio, ſecundum quam regis ſuos in profectu meritorum: non enim ſufficit operatio bona, niſi proficiat alteri, &c. Hæc autem tria prædicta facit Deus, dominans in iuſtis, liberans à malo, adiuuat in bono, promouet in merito. Vel ſalus dicitur, quantùm ad incipientes, qui à malo liberantur. Virtus quantùm ad* B *proficientes, qui in bono fortiter progrediuntur. Regnum, quantum ad perfectos, qui ei deuote ſubiiciuntur. In eis enim completur illud Matt. 7. Adueniat regnum tuum. Et poteſtas, id eſt, poteſtatiua Dominatio Chriſti eius, id eſt, Filij incarnati.* Deinde poſtea docet *quomodo diabolus accuſator dicitur, quia nempe laborat facere eos accuſabiles apud Deum, & ideo ſe homo accuſare debet, ne coram Deo ſis accuſabilis.* Accuſabiles autem reddit, ex D. Tho. *tentando, inſtigando die ac nocte, id eſt, in proſperis, & aduerſis: quia ſatagit per proſpera molliri, per aduerſa frangere: ſeu die ac nocte, id eſt, continuè: Vicerunt illum, peccata abiiciendo, & deinceps tentationibus reſiſtendo, & in meritis proficiendo. Notatur autem in hoc induſtria liberi arbitrij, Rom. 12. Noli vinci à malo, ſed vin-* C *ce in bono malum. Propter ſanguinem i. propter fidem, & conſiderationem & amorem ſanguinis Chriſti, &c. Et propter verbum, id eſt, quo teſtificati ſunt fidem, & veritatem Catholicam, vel prædicando, vel in tormentis perſiſtendo. Et non dilexerunt animas, id eſt vitas animales, hoc eſt corporales, vſque ad mortem excluſiuè, id eſt, non ita dilexerunt vitam corporis, vt mortem renuerent pati. Lætamini cæli, id eſt, maiores iuſti: & qui habitatis in eis, id eſt, minores iuſti.* Ita S. Thò.

Ludouicus ab Alcazar: *Vox,* inquit, *magna ſignificat communem & celeberrimam fidelium lætitiam, & intimum deuoti animi ſenſum, quo Deo immortales egere gratias: quando draconem & eius Angelos è cælo deiectos aſpexerunt.* Deinde Alcazar: *Salus idem eſt ac mun-* D *di ſalus, virtus Chriſti, paſſionis efficientia, Regnum autem & poteſtas Chriſti eſt nationum omnium ſubiugatio: quæ omnia ſunt dæmonis regno oppoſita.* Itaut iuxta Alcazarum, idem ſit ac ſi fideles dicerent: Quod felicibus auſpiciis Romæ fuit hactenus cæptum, Deus ipſe qui dedit initia, maximo cum incremento prouehet.

Deinde Alcazar cenſet non eſſe in præſenti ſermo de accuſatione, qua dæmon peccatores defert, ſed de calumnia in Euangelicos concionatores; quod ſcilicet ſi in media Roma, gentilium telis & oppugnationibus forent expoſiti, erecto animo Chriſti fidem prædicare minimè auderent; hancque fuiſſe maiorem irridendi dæmonem occaſionem: vt quos E dæmon calumniabatur, ac ſi eſſent infirmi & imbecilles, eorum tamen virtus talis erat, vt à Deo ordinaretur ad eumdem vincendum, & deiiciendum.

Quod autem dicitur dæmon accuſaſſe die ac nocte, hoc ita interpretatur Alcazar, per alluſionem ad ea quæ Iobo contigerunt; *quod ſicut criminabatur, tentationis vi ingruente, tunc ſalsem à Deo defecturum, ſimiliter calumniabatur in die Euangelij prædicatores, eos vrgente aduerſitatis impetu, in Chriſti obſequio ac fide retro ceſſuros, ſeque in latebris abdituros. In nocte, id eſt, ſub ipſa perſecutione fore vt ipſi prædicatores animum deſponderent, tanquam tenebroſiſſima nocte obſeſſi. Hæc etiam poſſunt referri ad duo tentationis genera, quæ æque ſunt periculoſa, videlicet quod dæmon per res proſperas, ſicut per aduerſas, homines oppugnet: complures enim, quos non deiecit aduerſitas, proſperitas proſtrauit.*

Digitized by Google

Aduertit inſuper Alcazar, dum dæmon dicitur accuſator fratrum, ſermonem eſſe de illis, qui pro Chriſti fide & Euangelij prædicatione fortiter occubuerunt: ſiue etiam ſingulatim de Euangelij concionatorum conſtantia, qui pro Chriſti gloria, & mundi ſalute, extremam mortis aleam fortiter & animosè ſubierunt, & auſi fuerunt in orbis theatro palam prædicare Ieſum eſſe vnicum Deum verum. Denique docet illam phraſim (*Non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*) perinde ecce ac ſi diceret: Tantum abeſt vt non dilexerint, vt emori etiam non formidauerint. Et dum dicitur: *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis*; nomine cœlorum intelligi vniuerſam Eccleſiam; nomine autem eorum qui in cœlis habitant, ſingulos qui in Eccleſiæ gremio habitant: vel nomine cœlorum intelligi primos Chriſtianos ex Iudæis, & ex circumciſione fideles, & nomine eorum, qui in cœlis habitant, gentiles inſerti.

Noſtra de huius textus expoſitione ſententia. §. 2.

Adductis expoſitionibus tot autorum, liceat noſtram in medium producere, quæ talis eſt: *Et audiui vocem magnam in cælo.* ſ. dæmone expulſo: & è throno, quem tot retro ſæculis vſurpare præſumpſerat, deturbato per libertimam nominis Chriſti confeſſionem, ac vnius veri Dei cognitionem; circa illud præcipuè tempus, quo ſub Conſtantino magno publicus Dei cultus in maximo fuit prætio, & ab omnibus liberè exerceri potuit, magnam proculdubio Eccleſia lætandi & exultandi occaſionem nacta fuit. Hinc laudibus diuinis non modo cœlorum ciues, ſed cunctæ in terris fidelium congregationes, ad cæleſtem Hieruſalem etiam pertinentes, & ad eam tanquam ad ſcopum adſpirantes, orbem vniuerſum repleuerunt, & dixerunt: *Nunc facta eſt ſalus.* O quam hodie felices ſunt homines, quibus permittitur media aſſumere ad ſalutem conſequendam idonea, liberrimè, & cum omni fiduciâ ſublatis tyrannorum minis, terroribus ac tormentis! Quam pulchra rerum facies, vt expulſis vitiorum monſtris, virtutum omnium actus exerceantur, & in prætio habeantur! Quam manifeſtè apparet magnam eſſe diſtantiam inter ſeruitutem dæmoniorum, & Dei regnum! Illi mendaciis nos ſeducebant, inani ſpe potiundi aliquam gloriam fallacis ſæculi nos alliciebant: & delectationibus, ac voluptatibus obſcænis irretitos nos in miſera detinebant captiuitate, fide ac veritatis cognitione in admirabile lumen introducti, ſpe æternorum allecti, charitate Dei inflammati, libertate gloriæ filiorum Dei dotati, nunc gaudemus: Et hac ratione Deus in nobis regnat, noſque mandata eius fideliter exequimur: quin & eorum præceptis inhæremus, quos impoſuit ſupra capita noſtra, vt noſtri ſint rectores: Itaut licèt grauia nobis imponant gerenda, tamen nec mutire volumus, habentes bonam repoſitam ſpem, quod quæ nobis promiſſa ſunt tandem conſequemur. Ipſi ſunt quibus ipſe dixit: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis.* Inter quos præcipuè ille eſt, cui dixit aliquando: *Tibi dabo claues regni cælorum. Si diligis me paſce oues meas: paſce agnos meos.* Per quos in exercitium exerit illam ſummam poteſtatem, quam ſibi datam fuiſſe aſſerit in cœlo & in terra, multa mira per ſuos ſeruos ac miniſtros patrando, dum fortiter omnia pro illius nomine ſubeunt pericula, dum multa patrant miracula, dum dæmones ejiciunt, dum peccata dimittunt, dum Sacramenta conficiunt, dum leges condunt, dum iudicia exercent, dum munera & officia in Eccleſia diſtribuunt. *Nunc* etenim *facta eſt ſalus,*

A *& virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Hoc enim totum factum eſt, quia qui ſibi in homines ius arrogabat, quod partes ſuas tenerent, quod media à Deo inſtituta pro ſalute acquirenda reſpuerent, quòd legum diuinarum eſſent cōtemptores & tranſgreſſores, quod bona, & aduerſa, fortunæ aſcriberent, ac honorem diuinæ prouidentiæ debitum ſibi tribuerent, indigni proinde prorſus qui diuinis beneficiis potirentur, tanquam diuinæ læſæ maieſtatis rei inexcuſabiles; hic, inquam, acerrimus accuſator proiectus eſt, nec habet amplius quæ improperare audeat. Improperaretne eis, quæſo, illos eſſe quacumque

B gratia indignos? At interueniunt Chriſti merita, per quæ redduntur ea digniſſimi. Diceretnè naturam humanam ſibi eſſe inferiorem? Iam non poſſunt eam ampliùs contemnere illi maligni ſpiritus, quia non habent carnem: ſcientes quanto decorata ſit honore, aſſumpta à verbo. Fragilitatem & imbecillitatem eius auderentne exprobrare? videntes certè quia quæ infirma ſunt, à Deo eliguntur, vt confundat fortiora? Ad quid, quæſo, illa exprobratio, quæ ei in maiorem vertitur contumeliam, cum à debiliori ſe ſentiat ſuperatum? Peccatane objiceret, qui in peccato ſuo ſemper remanens, videt per merita Chriſti hominibus omnia peccata dimitti? Vnde ſua ſpe, & expectatione fruſtratus,

C qui per ſeculi poteſtates, Philoſophorum inanem ſapientiam dialecticorum argutias, lenocinia Rhetorum, mundi blandimenta, carnis oblectamenta, tyrannorum perſecutiones, exiſtimabat verbi diuini præcones auertere ab inceptis, per eos quos contemptui habebat videt ſe turpiter dejici & expelli, ac per eos à cunctis tanquam mendax & impoſtor inſignis haberi. Hinc perſpicit omnem ſibi materiam calumniæ auferri, ſibique loco cadendum eſſe: videt enim eos tanta magnanimitate præditos, tanta fortitudine roboratos, Chriſti exemplum ſectantes, qui pro eorum ſalute ſanguinem ſuum profundere dignatus eſt, vt gratia muniti, quā eis acquiſiuit, nullum maius eis ſit votum, quàm vt vicem rependant, & ſanguinem ſuum pro eo effundant, in

D teſtimonium veritatis verbi illius: *Vnde non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.* Id eſt, itaut mortem fugere voluerint; imo potius illa libenter oppetere non dubitarunt, pro iuſtitia & veritate agonizantes vſque ad mortem, & fortiter peccato, vſque ad vltimam ſanguinis guttam, reſiſtentes.

Dico igitur, in cœlo factam eſſe vocem magnam, id eſt, ab eis qui ad cæleſtem gloriam pertinent; ſiue qui ea iam fruerentur, ſiue qui ad eam, adhuc in mundo degentes, votis ac conuerſatione religioſa & pia adſpirarent. Vox autem illa erat vox lætitiæ, & exultationis, vt patet ex iis verbis: *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.* Ad de-

E notandum particularium Eccleſiarum iubilationē, & ſingulorum fidelium applauſus, propterea quod tunc facta fuerat ſalus & virtus.

Dixi Prophetiam potiſſimùm ſpectare tempora Conſtantini magni. Tunc enim exaltandi occaſionem habuit Eccleſia, quod Romanum imperium tunc ex perſequente factum fuit Chriſtianum, & Chriſtus vbique floruit, etiam in Indiis, & Eccleſiæ de idolis triumphus, vt loquitur, Genebrard. innotuit; & vt notat Freculphus to. 2. l. 3. c. 21. *Primus Conſtantinus iuſto ordine & pio vertit edictum. Siquidem ſtatuit citra vllam hominum cædem, paganorum templa claudi: Et in hoc Domini noſtri Ieſu-Chriſti laudanda, atque miranda eſt omnipotentia, vt quando voluit, mox vnius religioſi Principis edicto, omnium regum & imperatorum potentiſſimorum, & retro ſeculis fortium ac ſapientum*

Digitized by Google

ſapientum induſtriâ, ſana, ac mirabiliter idolorum fabricata templa, clauſa, nullo reſiſtente cultore, pene per omnem terram aut orbem, & ad nihilum ſunt redacta. Ita Freculph. De hoc edicto Nicephorus l. 7. c. 34. apud Baron. anno. 324. quo quidem omnibus concedebatur liberè ad Chriſtianiſmum conuolare, nec in ſuperſtitione antiqua vel filij familias, vel ſerui, contra animi voluntatem detineri poſſe; & conuocato Senatu in Eccleſia, quæ Vlpia dicebatur, ipſe Conſtantinus, adſtante etiam omni populo, Deorum vanitatem redarguit, eos dicens non eſſe hominum Deos, ſed potius tales eſſe vt homines ipſos pro diis habere deberent, cum ipſorum manibus fabricarentur & reficerentur; & omnes prouocauit, vt ad ſui imitationem in Chriſtum verum Deum, in cœlum regnantem crederent. Quibus auditis Imperatori populus congratulabundus applauſit, & per quadraginta vices, fauſtis ac iocundis acclamationibus clamauit, quod Deus Chriſtianorum verus erat Deus. Nonne hæ acclamationes poſſunt dici eſſe vocem magnam, à S. Ioanne, ſpiritu prophetico, præuiſam & auditam? Vnde hanc vocem non intelligo tantùm de laudibus beatorum in cœlis, ſed etiam de laudibus & gratiarum actionibus Deo in Eccleſia militante exhibitis. Ad hoc enim tempus reſpicere ſanctiſſimum Prophetam exiſtimo. Quin & Nicephorus edidit ex tali huius edicti promulgatione magnam populum concepiſſe lætitiam; quæ proculdubio etiam afficit omnes per orbem Eccleſias diſperſas, ſtatim atque rumor tantæ rerum immutationis ad eas delatus fuit: vt meritò hîc dicatur: *Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Hinc Ambroſius in hunc locum: *Poſſumus per cœlos, & habitatores cœlorum, diuerſas Eccleſias intelligere, quæ vna eſt. Præcipitur igitur filiis Eccleſiæ vt lætentur, &c.* Ita Ambr. Hæ exultationes potiſſimùm manifeſtæ reddebantur in dedicationibus Eccleſiarum, de quibus Sozomen l. 2. c. 25. Lege Baron. an. 335. num. 5. & anno. 341. n. 6.

Dixi denique hoc gaudium conceptum fuiſſe, haſque laudes intonuiſſe per orbem vniuerſum, quia proiectus eſſet draco. Quod potiſſimùm reſpicere videtur Conſtantini tempora. Nam cum Dæmon, ſerpentis figuram ab antiquis diebus aſſumpſerit, ea figura delectari viſus eſt, & ſub ea coli & adorari voluit; ac ſi gratiſſima foret, ex eo quod ſub tali forma hominem olim decepit. *Gaudent enim dæmones,* inquit S. Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad literam c. 28. *hanc ſibi poteſtatem dari, vt ad incantationem hominum ſerpentes moueant, vt quolibet modo fallant quos poſſunt: hoc autem permittunt ad primi facti memoriam commendandam, quod ſit eis quædam cum hoc genere familiaritas.* Ita Aug. Hinc legimus apud Danielem, Babylonios coluiſſe Draconem magnum, quem ipſe interfecit c. 14. Et Romani coluerunt ſerpentem Epidaurum, vt refert Valerius Maximus l. 1. c. 8. Lege Cornelium in Daniel. c. 14 plura de his accumulantem. Solùm animaduerto illam figuram adeo Dæmoni fuiſſe gratiſſimam, vt cum cœperunt idola, in quibus colebatur, haberi contemptui, hæreſes adinuenit, quibus ſub tali figura coleretur, teſte Auguſt. de hæreſ. hæreſi videlicet 17. *Ophitæ,* inquit, *à colubro nominati ſunt, coluber enim græcè, ophis dicitur. Hunc autem colubrum, qui decepit Adam & Euam, Chriſtum arbitrantur. Sed habent etiam verum colubrum quem nutriunt & venerantur: qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens ſe circa eas, regreditur ad ſpeluncam, & ita confingunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi à ſerpente Chriſto, vt illi putant, ſanctificatas. Tradunt huius ſerpentis cultum à Nicolaitis ſiue Gnoſticis ad iſtos deductum.* Ita Aug. Hic namque cultus, cum Deo vero, nec Chriſto eius eſſet acceptus, proculdubio dæmoni exhibebatur. Eſt igitur conſtans & verum, Dæmonem voluiſſe ſub hac forma adorari & coli. Itaque ſi circa Conſtantini tempora, & dracones ſub quibus colebatur fuerint interfecti, & ſerpentum formæ ſeu figuræ, in quibus adorabatur, confractæ fuerint: nonne probabile eſt S. Ioannem hæc tempora potiſſimùm reſpicere, cum ait: *Et proiectus eſt draco.* At negari non poteſt hoc factum fuiſſe, ſi ea perlegeris quæ narrat Baron. an. 324. de dracone homines deuorante, cuius ora obturauit S. Sylueſter, & ſpeluncæ in qua latitabat, aditus obſtruxit; vt ſuperſtitionem, qua colebatur, extirparet. Eum ſerpentem Epidaurum fuiſſe exiſtimat Baronius, ex eo quod Plinius docet l. 29. c. 4. quod ſerpens ab Epidauro aduectus publicis impenſis alebatur, & intra domos. Et addit quod ſi eius ſemina non fuiſſent combuſta, nullus ſuæ fœcunditati obſiſtere potuiſſet. Hoc ſerpente ita interfecto, alium ſubſtituere gentiles ligneum, in alia ſpelunca, adſpectu horribili, qui temporibus Honorij à Stilichone Monacho confractus fuit. Et plurimi alij dracones interfecti fuere, ſiue à S. Hilarione, vt refert S. Hieron. ſiue ab aliis ſanctiſſimis viris, vt refert Sozom. l. 5. c. 35. quos ſuperſtitio gentilium, vt credibile eſt, in prætio habebat. Et certè huius glorioſi de Dracone triumphi ſpecimen inſigne dedit Conſtantinus, dum imaginem ſuam erexit ante fores ſui palatij, in qua crucis ſignum cernebatur ſupra caput eius, draconem horribilem cuſpide transfigentis, diuina virtute in maris vndas præcipitatum. Qua figura diabolus repreſentabatur, & cruce ſuperatus, & aquis baptiſmatis ſuffocatus, iuxta illud Pſ. *Confregiſti capita draconum in aquis,* id eſt, peccata originalia ſingulorum baptizatorum. Lege Baron. an. 324. Sed *væ terræ & mari: quia deſcendit ad vos habens iram magnam.* Quod videbimus, ſi antea aliquid de his qui vicerunt eum, propter ſanguinem agni, dixerimus.

Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni.

In martyribus potiſſimum verificantur hæc verba: Salus virtus, regnum & poteſtas Dei, & Chriſti eius. §. 3.

Duobus modis martyres dici poſſunt viciſſe draconem propter ſanguinem Agni. Primo, quia nullo modo vincere potuiſſent, niſi merito paſſionis Chriſti gratiam accepiſſent, qua muniti & armati deuicerunt hoſtem, & omnia tormentorum genera ſuperare potuerunt. Nam ſi verum eſt, iuxta Apoſtolum, quòd *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. ad Corinth. 3. Quis non videt auxilio diuino nos indigere, vt tam ſublime opus aggrediamur? Eſt enim Martyrum perfecta virtus, gradus celſior, vt docet Chromatius Aquileienſis Epiſcop. de octo beatitud. Conc. 1. *Perfecta,* inquit, *virtus eſt, fratres, poſt totius iuſtitiæ miniſtrationes, propter veritatem opprobria ab hominibus ſuſtinere, affligi cruciatibus, morte denique affici; nec terreri, propoſito nobis exemplo Prophetarum, qui diuerſis modis propter iuſtitiam lacerati, paſſionum Chriſti conformes, & præmij eſſe meruerunt. Hic gradus celſior eſt, in quo Chriſtum Paulus aſpiciens dicebat: Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ in primo ſunt extendens, ſector ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Et adhuc apertius ad Timoth. Certamen, inquit, bonum certaui, curſum conſummaui; quaſi qui omnes gradus aſcenderat, addidit: Fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt corona iuſtitiæ. Verè enim vniuerſo curſu cõpleto, hoc ſupererat, vt per tribulationes & paſſiones gradiens Paulus, ad gradum ſublimiorẽ Martyr perueniret.* Ita Chromat. Epiſcoporum ſui temporis ſanctiſſimus & doctiſſimus, ipſo Hieron. teſte. Quis igitur

Digitized by Google

abſque Dei auxilio auderet ad tam ſublimé virtutis gradum aſcendere? Exinde temeritati, non laudi, aſcribitur, ſi quis ad Martyrium, niſi Spiritu ſancto impellente, & peculiari inſtinctu animum mouente, ſeſe ingerat: ſiue quia alteri malum perpetrandi occaſionem præſtat: ſiue quia periculum eſt euidentiſſimum, ne quis viribus propriis nimium confidens tandem tormentis ſuccumbat. At libenter ferre Martyrium laudabile eſt. Hoc enim donum eſt maximum, ſi quis patienter vitæ amiſſionem pro Chriſto incurrat. Lege S. Tho. 2. 2. q. 124. ar. 1. Tali dono præuentus fuit beatus ille iuuenis Monachus, Iſaac nomine, qui non modo martyrium ſubiit, ſed martyrio ſeſe obtulit, iudicem ipſum adiens, & contra Mahumetem inuehens. Probabiliſſimum eſt enim hoc ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti feciſſe, qui gratia Dei præuentus fuit ab ineunte ætate. *Nam*, inquit S. Eulogius Archiepiſ. Tolet. (In præfatione lib. inſcripti) Memoriale Martyrum (*adhuc ſeptennis virgo quædam hanc de eo habuit viſionem. Videbat namque globum luminis è cælo deſcendere, & inter omnem præſtolantium turbam ſolus hic vlnas extendens, manibus lumen excepit, totamque eius claritatem ori ſuo iniectam ebibit, felicem tunc & verè beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus: cuius quidem Martyrij gloria reuelata eſt cuidam ſacerdoti in cænobio Tabanenſi, qui vidit puerum decoris pulcherrimi à partibus orientis venire, ſchedamque miræ pulchritudinis manibus geſtantem ſibi aſſiſtere: quam ab eo accipiens, ſcripturam eius legere cæpit: erat enim his exarata ſermonibus: Sicut pater noſter Abraham, Iſaac filium Deo in ſacrificium obtulit, ita & nunc ſanctus Iſaac in conſpectu Domini ſacrificium pro fratribus immolauit.* Ita S. Eulog. Qui ſimili gratia præueniuntur, accedant ad martyrium, iudices adeant, tanto freti auxilio: at qui hac præuentione non gaudent, patienter expectent, vt illud eis offeratur: ne tanquam temerarij à martyrum numero explodantur. Hac de cauſa coactus fuit S. Eulogius prædictum Apologeticum inſtruere, contra vituperatores Martyrum Cordubenſium, qui à plurimis è numero Martyrum expungi dignos eſſe exiſtimabantur, quod non violenter tracti fuiſſent ad Martyrium, ſed ſponte ſua ſeſe obtuliſſent, & hoſtes fidei verbis laceſſiſſent, & ad inſurgendum in ſeipſos commouiſſent. *Nam*, inquit S. Eulogius, *licèt formidoloſis facultas collata ſit declinandi rabiem perſecutionis, non tamen paſſim hoc obſeruandum eſt à perfectis: qui iam præſciâ Redemptoris potentiâ denotati & conſcripti, quaſi ab immenſis legionibus ad exercitium præliorum Dei electi ſunt: vt ſi propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum eſt de iactura membrorum, vbi ſine dubio ſolatium vitæ perenniter acquiritur animarum.* Ita Eulog. l. 1. Memorialis. Hi auida rapiendi regnum Dei cupiditate conflagrantes, quæ mundi ſunt pro nihilo computantes, nutu Dei vitam pro nihilo ducentes, diſſolui cupiunt & eſſe cum Chriſto: & ideo viam compendij requirunt, quia de corpore mortis huius eruti properè ad cæleſtem patriam perueniunt. *Præceſſit exemplum*, inquit S. Eulogius, *in illos ſeptem fratribus, quos geſta B. Iuliani commemorant: qui ideo quod auguſtalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum liberè exercebant Religionis Catholicæ cultum: ſed tamen in agone ſudantem B. Iulianum cernentes, illico ad bellum proſiliunt, & amore Martyrij obitum expetunt. Legitur quoque de Domino in Euangeliis: Obfirmauit faciem ſuam vt iret in Ieruſalem. Quod ita S. exponit. Hieron. Obfirmatione enim & fortitudine opus eſt ad paſſionem ſponte properanti: Vnde & Ezechiel, cui dixerat Deus: Fili hominis, in medio ſcorpionum tu habitas: ne timeas, dicitur: Obfirma faciem tuam; Et, Dedi faciem tuam, æneam, & frontem tuam ferream; vt ſi fortè ſurrexiſſet contra eum malleus vniuer-* A *ſæ terræ, quaſi incus duriſſima reſiſteret, malleumque contereret: de quo ſcriptum eſt: Quomodo confractus eſt, & contritus eſt malleus vniuerſæ terræ?* Idem quoque doctor in ſupradicto opere quandam Euangelij ſententiam exponens, ait: *Non eſt delicata in Deum, & ſecura confeſſio. Quaſi diceret: Si delicata eſt, non eſt ſecura. Qui in me credit, debet ſuum ſanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam ſuam in præſenti, lucrifaciet eam in futuro.* Ita Eulogius. Hinc, vt ipſe notat, Paulus retineri non potuit à fratribus, ne iret in Ieruſalem, quamuis ibidem vincula illum expectarent; & omnia diuinæ voluntati reliquerat. *Sic*, vt refert Eulogius, *feliciſſimus Felix audiens, quod apud Gerundam Hiſpaniæ vrbem Eccleſia crudeliter infeſtaretur, reliquit ſtudia literarum, & à Cæſarea Mauritaniæ, properè nauigatione* B *prædictum oppidum adiit, ibique martyrium triumphaliter conſummauit.* Sic ſanctus Sebaſtianus, ſic Beatiſſimus Thyrſus, ſic electus Adrianus, ſic iuſtus & Paſtor, ſic Eulalia virgo Barcinonenſis, ſic Babylas Pontifex, multique alij ſponte ſe obtulerunt & coronati ſunt. *Et ideirco*, addit Eulogius, *vt quidam ſapientum meminit, inter primas dignitates regnorum cælorum ſunt ponendi, qui ad paſſionem venerunt non quæſiti: & excellentis voti eſt inter tormenta proſilire, vbi non eſt criminis latuiſſe: ſed in veritate crimen eſſe fatendum eſt latitare, ſi virtus excellentis meriti eſt vltro procedere, quando fidei noſtræ confeſſio prædicationem exigit, & teſtimonium poſtulat.* Hæc Eulogius. Vnde eos vituperandos non C eſſe contendit B. Eulogius, qui contra miniſtros Satanæ ſeſe erigunt, Eccleſiam ſequentes, quæ contra omnem diabolicum incurſum vtitur exorciſmis. Nec eadem habenda eſt ratio hoſpitis diaboli & habitaculi Satanæ, quæ habenda eſt illius qui membrum eſt Eccleſiæ, quem ſcandalizare prohibemus. Scriptum eſt enim de Ieruſalem, Tob. 13. *Maledicti erunt qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te.* Hinc de Martyribus dixit, vt refert Eulogius, Euſebius Cæſarienſis: *Erant ergo Martyres Chriſti inter fratres humiles, inter perſecutores elati, ſuis mites, aduerſariis terribiles: Chriſto ſubiecti, diabolo erecti.* Et poſtea: *Sic nimirum beati Martyres Emeterius & Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali ſeſe inuicem ad paſſionem adſtantes hortatu* D *impellunt. Feriat vbique hoſtem miſſilibus ſuis vibrata confeſſio: & latentem fidei inimicum, vbicumque fuerit, inquiramus. O incomparabilis magnanimitas, & fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanda ſanctorum; qua etiam ſi torpeat inimicus, ac perſequi Eccleſiam Dei ſinat, irrumpere tamen latebram eius, & incitare ipſum ad bellum iubemur, vt hoſtem frigidum ſtrenuus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conferenda certamina deſidem; & quanquam effuſo cruore conſternatis membris ſuccumbat, feret tamen ad ſedem Patris captum ex hoſte triumphum ſpiritus belliger, victoriæ laurea potiturus, quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quum requiſitus vltro ſe obtulerit paleſtræ Martyrij, ſancta ſcriptu-* E *ra teſtante: Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Dominum.* Iudic. 5. Citat etiam, ad hoc propoſitum, Arnobium in Pſal. 139. Ibi namque monet eum qui pepercerit Hæreſiarchis, aut prædicatoribus falſitatis, & non eos gladio fidei ſuæ iugulauerit, hoc ei euenire quod euenit Sauli. *Quis ambigat? aut qui miſericordiam ſuam putauerit, ſe in hæreſi permanentibus exhibere, quis neget ſimili modo à regno Dei excludi, ſicut Saul à regno humano probatur excluſus?* Et paulò poſt: *Linguæ contra te pugnant, quia acuunt hæretici, ſicut ſerpentes: his & tu eſto ſicut ſerpens aſtutus, & te ſimplicem vt columbam eſſe ciuibus tuis, id eſt Catholicis ſolis oſtendes. Cæterùm hæreticis & cunctis contra veritatem venientibus, ipſis ſerpentibus eſto aſtutior. Noli timere: iuſſum eſt tibi à Domino tuo: tam bona eſt aſtutia contra malitiam; quàm benigna ſimplicitas circa iuſtitiam. Occi-*

Digitized by Google

de hæreticos, & Domini tui ſpiritali gladio interfice, inimicos. Quid enim faciunt inimici Dei, id eſt, immundi ſpiritus? Volunt excludere de templo ſuo Dominum, id eſt, Spiritum ſanctum, & ipſi volunt habitare in te. Templum Dei tu es. Occide vtroſque, & affectiones ſuas falſas aſſertionibus veris exupera, atque ſuggeſtiones dæmonum, diuinæ legis ſententiis vince, &c. Ita Arnob.

Ex his igitur patet, re & verbis nobis eſſe impietati reſiſtendum, nec timendum nobis eſſe occurrere hoſtibus fidei, & perſecutoribus; Spiritus ſancti aura fauorabiliter ſpirante, ſine cuius auxilio temerè in arenam deſcenderemus. Vnde S. Cyprianus volebat armari Euchariſtiâ eos qui ad martyrium ſubeundum ſeſe præparabant, Epiſtol. 17. de pace lapſis danda. *At*, inquit Cyprianus, *verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt; nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt: vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; ſed protectione ſanguinis corporis Chriſti muniamus & cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaris Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idonei facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus?* Et poſtea: *Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit.* Ita Cypr.

Quod ſi quis viribus ſuis diffidit, ſequatur Chriſti conſilium: *Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Matt. 10. De qua re fusè S. Athanaſius, Apologiâ pro fuga ſua. Qui poſtquam multa ad hoc propoſitum diſſeruit, ita concludit: *Quapropter ſancti (quemadmodum dictum eſt) fugentes ſeſe occultabant, & per diſpenſationem, vt medici, in vſus indigentium reſeruabantur. Reliquis autem, & in vniuerſum omnibus ea lex propoſita eſt, vt fugiant dum in perſecutionibus appetuntur, & occultent ſeſe dum quæruntur; neque præcipites, temerarijque ſint in tentando Domino, ſed expectent, (quemadmodum dixi) donec definitum moriendi tempus aduenerit; aut iudex ille aliquid de iis, quod ſibi rectum videatur, conſtituerit. Sed tamen nos ſemper paratos eſſe voluit, vt vel vocante tempore, vel apprehenſi pro Eccleſia, vſque ad mortem dimicemus. Hæc & Beati Martyres temporibus perſecutionum obſeruauerunt, ij demque, quandiu in latebris erant, ſeſe obdurabant, vbi autem inuenti eſſent, martyrium ſubibant. Quod ſi quidem ex iis ſeſe perſecutoribus dedidere, non temeritate rapiebantur, ſed apud omnes profitebantur à Spiritu ſancto hanc promptitudinem, ſuique oblationem profectam eſſe, &c.*

Alio modo martyres dicuntur viciſſe propter ſanguinem agni: quia conſideratio paſſionis Chriſti eos ad fortiter ſubeundum martyrium prouocauit, & vehementer accendit. *Hæc eſt enim gratia*, inquit S. Petrus 1. c. 2. *ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Ad quæ veſtigia ſectanda nos excitat c. 4. addens: *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Quod quidem plurimum iuuat, ne deficiamus in pœnis & tormẽtis, monẽte Apoſtolo ad Heb. 12. *Aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta; atque in dextera Dei ſedet. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Hinc S. Bernardus ſer. 47. In Cantica: *Vtrumque es mihi, Domine*

A *Ieſu, & ſpeculum patiendi, & præmium patientis. Vtrumque fortiter prouocat, & vehementer accendit. Tu doces manum meam ad prælium, exemplo virtutis tuæ, caput meum poſt victoriam tua coronas præſentiâ maieſtatis; ſiue quia pugnantem te ſpecto, ſiue quia te expecto, non ſolum coronantem, ſed & coronam.* Ita Ber. Vicerunt martyres igitur, gratiâ Dei adiuti, & vt Chriſti eſſent imitatores. Vicerunt etiam, quia pro iuſtitia decertarunt, & propter verbum teſtimonij ſui. Non enim tantummodo pœna, ſed potiſſimum cauſa Martyrem facit. Nam quia verbum, cui teſtimonium perhibebant, pro illius veritate pœnas fortiter tolerando, erat veriſſimum, ideo de mendacio, & mendaciorum patre diabolo victoriam reportarunt. Duo
B namque ad naturam Martyrij requiruntur: pœna ingens & grauis, & cauſa legitima. Nam oportet in Martyrio, re & effectu, non autem verbo tantùm & ore, reddere de fide ſua teſtimonium, id eſt, vt pro amore rerum inuiſibilium, quis teſtificetur actu ſe omnia viſibilia & præſentia pro nihilo ducere. At cum nullus perfectè teſtificetur ſe omnia contemnere, niſi animam amiſerit actu. *Pellem enim pro pelle, & cuncta quæ homo habet dabit pro anima ſua*; Ideo oportet ad perfectum teſtimonium amoris rerum inuiſibilium, vt actu quis mortem ſubeat. Quantum ad cauſam, nulla poteſt eſſe magis legitima, quam ſi mortem ſubeat, vt teſtimonium perhibeat veritati, quæ omnem in ſe complectitur iuſtitiam: pro-
C pter quam beati dicuntur, qui pro ea perſecutionem patiuntur, quales ſunt, vel qui moriuntur, quia ore confitentur & annunciant Chriſtum, eiuſque Euangelium; vel vt aliquod opus ad Chriſti nominis gloriam & honorem conducens perficiatur, vel vt aliquod malum illius gloriæ officiens auferatur. Vnde pro legitima cauſa mori cenſentur qui pro iuſtitia moriuntur; vt Abel; pro lege ſeruanda, vt Machabæi; pro Chriſto, vt innocentes; pro Chriſti fide, vt Stephanus; pro affectione veritatis, vt Iſaias & Ieremias; pro obiurgatione peccati, vt Ioannes Baptiſta; pro libertate Eccleſiæ tuenda, vt Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis; pro aliorum ſalute, vt Chriſtus. Qui taliter patitur, in eo verè
D manifeſtatur dæmonem eſſe proiectum & conculcatum. Vnde Antoninus, olim Conſtantinenſis Epiſcopus, his verbis Arcadium quendam, actum in exilium à Genſerico Rege Arriano, Epiſtola conſolatoria, cum ſic alloquebatur: *Ecce iam ſerpens ille ſub pedibus tuis iacet, ipſe conſurgere potuit, ſed ipſe cecidit, quia te elidere non potuit: Rogo te, preme caput eius, non ſurgat, iſto in agone Martyrij nemo te commoueat, &c.* Et in eo inſuper docet perfectè adimpleri, quod ex eiectione dæmonis ſubſecutum eſt, nempe: *Nunc facta eſt ſalus.* Nam Martyrium affert veram peccatorũ remiſſionem; quando ſcilicet à charitate, quia *operit multitudinẽ peccatorum*, imperatur. Quatuor enim virtutes ſe habẽt ad modum principij erga martyrium;
E nẽpe fortitudo, patientia, fides, charitas. Fortitudine exeritur in actum timore expulſo: patientiâ, pœna libẽter ſuffertur, fides motiuum ſuppeditat, cuius gratiâ debeat pœna tolerari, Deum pro vltimo fine, in quo cõquieſcere debemus, proponẽdo. At charitas, quæ Deũ cæteris rebus ante ponit, reddit illum actũ meritorium & perfectum, dum illum imperat. Hac ratione adducit ſalutem, per veram omnium peccatorum remiſſionẽ. Hinc his verbis prædictum Arcadium ille Antoninus Epiſcopis alloquebatur. *Confide fortiter pro anima tua, ecce dimiſſa ſunt tibi peccata tua, & omnes iniquitates tuas Deus pro hac pugna delebit, quaſcũque vſq; hodie cõmittere potuiſti. Audi de hac re Ezechiel. Prophetam dicentẽ: Quacumque die iniquus conuerſus fuerit ab iniquitate ſua, & fecerit iuſtitiam, omnes iniquitates eius nõ memorabor amplius, dicit Dominus, iuſtitia tua, fides*

Digitized by Google

tua: quia iuſtus ex fide viuit. Tribulatio, expoliatio, exilium, remiſſionem tibi contulit peccatorum; mors autem aperit regna cælorum. Ita Anton. Epiſt. Conſtant.

Quod autem virtus maximè refulgeat in Martyrio, patet ex eo quod Martyrium à S. Cypria. Epiſtol. 6. de Martyrio ad Martyres, Conſummatio virtutis nuncupatur. *Pretioſa,* inquit, *mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis. Quam lætus in illis Chriſtus fuit! Quam libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit & vicit protector, dans credentibus tantum, quantum ſe credit capere qui ſumit.* Ita Cyp. Et Epiſtola de duplici Martyrio, martyrium præfert eleemoſynis, ieiuniis, præcation ibus, aliiſque pietatis exercitamentis. *Quotquot igitur ab orbe condito propter Deum, propter iuſtitiam ac pietatem mortui ſunt, morte ſua glorificauerunt Deum. Nam eleemoſynas, ieiunia, precationes, aliaque pietatis exercitamenta ſimulant etiam hypocritæ: mortem nemo ſuſcipit alacriter, niſi qui certò perſuaſum habent nihil aduerſi poſſe accidere iis qui perſiſtunt in charitate Dei.* Ita Cyprian.

At vt meliùs quantum virtus eluceat in Martyrio percipiamus, ſciendum eſt quod Martyrium tribus modis conſiderari poteſt; vel vt eſt actus elicitus, vel vt ordinatus, vel vt imperatus. Vt eſt actus elicitus, hic actus nondum attingit ad excellentiam illam quam requirimus, vt virtus per Chriſtum facta eniteat. Eſt enim actus virtutis fortitudinis tantùm, quo mors oppetitur; at mortem incurrere non de ſe adeo laudabile, niſi hoc ad aliud quid excellentioris ordinis referatur. Nam optimè dixit S. Cyprianus de duplici martyrio: *Neque tamen ſtatim martyr eſt, qui occiditur. Occiduntur & ſicarij & piratæ: non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa. Quod ſi qui leguntur ſibi fortiter conſciuiſſe necem, aut infirmitas erat, morte quærens dolorum finem; aut ambitio, aut dementia: nec hoc eſt teſtimonium præbere Deo, id facere, quod & Deo diſplicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimùm intereſt inter barbaricam immanitatem, & martyrum modeſtiſſimam conſtantiam, in ſe imbecillem, in Chriſto fortem. Sunt & effectus impotentes, qui ſenſum omnino amiſerunt animo, vt vel mortem impauidi perferant; ſed placidum illud ac manſuetum, illud humiliter ſublime, & ſublimiter humile non videmus, niſi in Chriſti martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem, non minitantur tyrannis: magis dolent de illorum cæcitate, quàm de ſuis afflictionibus: ſcilicet clamat & in illis Chriſtus; Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non aliud ſpectant quàm cælum, vbi ſpem omnem habent repoſitam. Sit ipſe Dominus, velut agnus ſine voce, ad mactationem ductus eſt, &c. Non igitur mors per ſe teſtimonium eſt, ſed ſic mori eſt teſtimonium præbere Deo.* Ita Cyprian.

Secundò, Martyrium conſideratur vt eſt actus ordinatus, ſcilicet vel ad fidem, vt de illa teſtimonium præbeat; vel ad charitatem, vt ea ſarta tecta incolumis & illæſa ſeruetur. Cùm finis maiorem obtineat dignitatem, quàm ea quæ ordinantur ad finem; actus ille fortitudinis, quo mors incurritur, fidei aut charitatis excellentiam non attingit: Sequitur igitur vt ille actus, in quantum à charitate imperatus, obtineat illam dignitatem quam requirimus, vt virtus Chriſti in eo eluceat. Propter quod exultantibus animis à fidelibus cum Angelis hæc laus detur: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus.* Nam actus ille à charitate imperatus ſignum eſt teſtificans maiorem charitatem, quàm quilibet alius. Quo enim cariora & pretioſiora ſunt nobis ea, quæ moriendo pro fide teſtificanda & tuenda, ac charitate ſeruanda, imperio ipſiuſmet charitatis relinquimus; eo maior videtur eſſe noſtra dilectio erga Deum, cuius intuitu horum omnium iacturam libenter incurrimus. At quis non videt vitam rem eſſe, quæ à nobis magis diligitur? Illam igitur amittere eſt teſtimonium reddere maioris erga Deum dilectionis, dicente etiam Domino: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Nec obſtat quod dixit Apoſtolus ad Rom. c. 5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, &c.* Si peccatores, ergo inimici. At, inquam, hoc non obſtat: Poſuit enim animam Chriſtus, non vt inimici remaneremus, ſed ex inimicis amicos faceret. Quod ſi amici non eramus vt amantes, amici eramus Chriſto vt amati, quibus tot bona conferre per mortem ſuam exoptabat. Cum igitur vita corporali poſt animam nihil habeamus carius & pretioſius, illam exponere pro Deo vel proximo, erit ſignum maioris dilectionis. Vnde licèt obedientia videatur animam dare, quæ prætioſior eſt vita corporali: cum Martyrium complectatur id ſine quo obedientia non eſſet virtus, nec ſuam obtineret perfectionem, (complectitur enim perfectam voluntatem adimplendi Dei voluntatem pro illius amore, & addit voluntariam amiſſionem omnium bonorum, etiam vitæ corporalis, in ſignum perfectæ dilectionis) præſtantior erit Martyrum obedientia, eà quæ Deo in alia materia faciliori exhibetur. Nec actus etiam, quo quis vel docet, vel alios regit, excellentior eſt, quia pluribus proſunt tales actus: nam Martyr ſibimet non tantum patitur ad præmium, ſed prodeſt aliis: quia cuilibet patitur ad exemplum, ſibi ad requiem, cuilibet ad ſanitatem: Exemplo enim diſcimus in Chriſtum credere, & mortem non timere. Nam, vt optimè Cyprianus, *qui timet Deum non metuit hominum ſæuitias. Qui ex animo diligit vitam cæleſtem, facile vilem habet animam, atque illi, cum beato Paulo, viuere Chriſtus eſt & mori lucrum.* Cyp. de duplici Marty.

Quantum autem actus Martyrij aliis proficiat ad exemplum, vt nihil tam excellenti actioni deſit, vt dignitatem ſummam obtineat, habes ex Cypriano, Epiſt. 6. ad Martyres, loquens de Mappalico inſigni Martyre, qui audacter pro ſe & ſociis, Proconſulem inter cruciatus ſuos, his verbis quo animo tormenta eſſet ſubiturus, monuerat dicens: *Videbis cras agonem. Nec fefellerat in promiſſo ſuo vox fidelis. Pugnam, quam ſpopondit, exhibuit; & palmam, quam meruit, accepit.* De illo igitur loquens Cypria. addit, *Iſtum hunc beatiſſimum Martyrem, & alios participes eiuſdem congreſſionis & comites, in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quæſtione victores, vt cæteri quoque ſectemini, & opto pariter & hortor: vt quos vinculum confeſſionis, & hoſpitium carceris ſimul iunxit, iungat etiam conſummatio virtutis, & corona cæleſtis; vt lacrymas matris Eccleſiæ, quæ plangit ruinas & funera plurimorum, vos veſtra lætitia tergatis, & cæterorum quoque ſtantium firmitatem, veſtri exempli prouocatione ſolidetis.* Ita Cyp.

Quomodo autem regnum Dei per Martyrium promoueatur, patet. Primò, quia per ipſum Deus glorificatur: Secundò, quia Martyres ad Deum ſolum pura intentione reſpiciunt: Tertiò, quia per Martyres, Dei cognitio magnopere dilatatur: nihil enim adeo efficax reperitur vt homines ad Deum conuertantur, quàm cum vident pro illius amore fortiter ſubiri martyrium. Ad Cyprianum recurramus, vt horum omnium veritatem manifeſtam habeamus. Is enim Epiſt. de duplici Martyrio, poſtquam docuit Deum non egere noſtra teſtificatione, vt gloriam obtineat dum ait: *Martyr (vt iis quoque notum qui græcè neſciunt) teſtem ſonat. Quamquam autem, poſt exortam Euangelicæ veritatis lucem, Eccleſiaſtica conſuetudo cognominis huius honorem propriè tribuere cœpit iis, qui in tormentis vſque ad mortem perdurarunt in profeſſione nominis Ieſu Chriſti, & Euangelicum inſtrumentum*

Digitized by Google

ſanguine ſuo velut obſignarunt apud incredulos, omnis tamen piorum vita teſtimonium reddit Deo: non quod ille cuiuſquam egeat teſtimonio, qui ex ſe fons eſt æternæ gloriæ, vt nec vllis hominum honoribus fieri poßit honoratior, nec vllis mortalium ignominiis obſcurior; ſed tamen ita viſum eſt æterno illius diuinoque conſilio, vt ſuam bonitatem, ſapientiam ac potentiam apud homines per homines velit illuſtrari; ſicut mundum gubernari voluit per Angelos, cum Angelorum miniſterio non egeat; multaque hominibus per homines largiatur, quæ per ſe dare poterat: qui quicquid vult, nutu poteſt; & cui voluiſſe, feciſſe eſt. Et quanquam, vt dixi, ad illam ineffabilem maieſtatem nulla pertingit ignominia, tamen in ſcripturis ita loquitur, quaſi per nos vel honoretur, vel ignominia afficiatur. Ita Cypt. Qui poſtea docet nulla meliori ratione Deum honorari, quàm Martyrio, dum ait: *Oramus vt ſanctificetur nomen Dei patris, hoc eſt, vt inclareſcat, & inluſtretur apud homines, vtique per homines, vel potius in hominibus. Inluſtratur autem, ſi ſpiritus illius regnet in nobis, & ſi illius voluntati obtemperetur in terris, quemadmodum in cælis nulla eſt rebellio. Quoniam autem homines ex ſeſe nihil habent virtutis, quicquid per nos rectè geritur cedit in gloriam Dei. Et ideo theſaurum diuinæ potentiæ promit interdum ex vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. Ergo quanquam omnis piorum vita martyrio ſuo glorificat Deum, & Chriſtum filium eius, nullum tamen eſt illuſtrius teſtimonium apud homines, quam ſanguinis, hoc eſt, vitæ propter Deum contemptæ, & mors fortiter toleratæ.* Ita Cyp.

Quod autem Martyr ad cœlum debeat adſpicere, & ſolum Deum ob oculos habere, quo fit vt Deus in eo regnare videatur, patet ex his quæ ſanctus Cyprianus ibidem tractat, dum ait: *Stephanus iuuenis inter homicidas; Agnus inter lupos, ſtabat placido angelicoque vultu; & ad Domini exemplum orat pro lapidantibus; nec alibi habet oculos quàm in cælum. Illic videre meruit cuius præſidio ſuperior erat perſequentibus.* Ita Cypr. Sine etiam dum docet quoſdam defeciſſe: *Quia*, inquit, *dimouerant oculos ſuos ab eo, qui ſolus robur dat infirmis; intermiſerant orationem, ac cæperant ad humana præſidia reſpicere: contemplabantur ſuæ naturæ viricula, conſiderabant aculeos, vngulas, candentes laminas, ferrum, & ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam adſpectu horrendum; & cruciatuum atrocitatem cum ſuis viribus conferebant, & ideo victoriam amiſerunt è manibus. Vbi quis cogitat: hoc poſſum, illud perpeti non poſſum; nunquam peraget Martyrium: ſed qui ſe totum tradit diuinæ voluntati, non alio ſpectans, quàm ad illius opem, is demum firmus eſt & inuictus.* Ita Cypr.

Quod autem per Martyrium plurimùm fides dilatetur, audiamus adhuc Cyprianum ibidem. *Quis enim*, inquit, *neſcit, fratres, quam vberem prouentum effudit Eccleſiæ ſeges, Apoſtolorum ac cæterorum Martyrum ſanguine irrigata? Quo plus ſanguinis effuſum eſt, hoc magis ac magis effloruit multitudo fidelium, hoc latiùs ſparſit ſuas propagines illa beata vitis, à Chriſto ſtirpe ſurgens & occupans orbem vniuerſum, quacumque patet, ab oriente ad occidentem, ab aquilone vſque ad auſtrum. Ecce, fratres dilectiſſimi, à Domini redemptoris temporibus, anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta, iamque huius vitæ palmites pene latiùs ſe ſparſerunt, quàm Romanum imperium: efferas etiam nationes muſto ſpiritus inebriantes, & quos nulla ferri vis domare potuit, emollit ſanguis illius agni candidi. Qui naturæ cauſas ſcrutantur, narrant adamantem, nulli chalybis duritiei cedentem, hircino ſanguine maceratum ictu malleorum diſſilire: nullus autem adamas corde ſaxeo peccatorum durior: hoc igitur cor ferreum, cor ſaxeum, cor pluſquàm adamantinum, emollit ſanguis Chriſti, & huius martyrum, qui ſuppleuerunt quod illius paßionibus deerat.* Ita Cyprian.

His verbis tranſitum inſenſibiliter facimus, ad probandum non modo Martyrium manifeſtaſſe ſa-

A lutem eſſe factam, ac virtutem, & regnum Dei aduenisse per Dei glorificationem, puram ad eum directam intentionem, & illius cognitionis dilatationem; ſed etiam poteſtatem Chriſti eius eſſe factam, itaut hæc omnia, quæ de Martyrio aſſerimus, ſit dilucida expoſitio huius textus: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum, propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui: & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.* Non graueris, optime Lector, ſi fuſiùs de Martyrio agamus, cum hæc inſeruiant ad germanam expoſitionem huius loci. Dicimus igitur nunc

B præter ſalutem, virtutem, & regnum Dei noſtri, poteſtatem Chriſti eius per Martyrium innotuiſſe. *Reddiderunt*, inquit S. Cyprian. *& miracula teſtimonium diuinæ potentiæ, præſertim apud incredulos. Nam his propriè data ſunt ſigna, quemadmodum ſcribit beatus Apoſtolus. Sed ſemper efficacius fuit ſanguinis profuſi teſtimonium. Quot morbos inſanabiles verbo ſanarat Dominus? Quot cæcos illuſtrarat? Quot mancos, paralyticos, ac debiles reſtituerat? Quot exanimes ad vitam reuocarat? Et tamen pauci credebant in eum: & audiebat: In Beelzebub eijcit dæmonia. Cæterùm vbi ventum eſt ad ſanguinem, ibi deiectum eſt ſatanæ regnum, ibi ſubactus eſt mundus.* Ita S. Cyprian. de duplici martyrio. Piè autem ſanctiſſimus Martyr ponderans ea, quæ à S. Ioanne

C dicuntur, tria eſſe in mundo quæ teſtimoniū dant de *Deo, ſpiritus, Aqua, & ſanguis*; docet ſanguinem inter ea præcipuū locum tenere, maioremque vim ad teſtificandum obtinere. *Quid*, inquit Cyprianus, *morte abiectius iuxta carnem? Sed nihil morte potentius iuxta ſpiritum. Erat & illud præter naturæ curſum, quod è latere exanimati corporis ſanguis & aqua profluxit, vt abſolueretur triplex teſtimonium. Totum effudit ſpiritum, vt nos reſpiraremus. Quicquid erat humoris aquei reliquum expreßit, vt nos ablueremur. Quicquid reſederat in corde ſanguinis, emiſit, vt nos confirmaremur. Atque haud ſcio an perperam faciam hæc tria inter ſe conferens, cum ſint vnum, non naturâ ſed myſterio. Si qua tamen eſt diſcretio, ſanguis in teſtimonij ratione potißimùm celebratur, quod*

D *in hoc ſcriptura teſtatur eſſe vitam animantis, & ob id à cibis ſubmonebatur edicto legis. Præterea magis eſt expoſitus hominum oculis ſanguis, quàm ſpiritus & aqua, &c.* Et poſtea addit: *Mors illius non ſolùm piis, ſed etiam impiis fuit admirabilis: nec alibi magis verum fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur. Ibi fracta eſt Satanæ tyrannis, ibi deuicti ſunt inferi, ibi triumphatum eſt de diabolo, ibi deiectus orcus, cælum apertum. Nimirum hoc erat quod inſtante mortis tempore deprecabatur Dominus: Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Quid homine mortuo contemptius? Quis enim vel Cæſarem mortuum metuat? ſed Chriſti morte quid efficacius? Velum templi ſciſſum eſt, a ſummo vſque ad imum, terra concuſſa, ſaxa diſciſſa ſunt, aperta ſunt monumenta, reuixerunt ſe-*

E *pultorum corpora, ſol medio die obtexit faciem ſuam. Nunquam per omnem vitam, magis declarauit potentiam ſuam.* Ita Cypr.

Sed inquies, quid hoc ad Martyres? Maximè hoc ad illos pertinet. Nam ex illo, (qui ſummus fuit Martyr & capita martyrum, quique & hodie pugnat & vincit in martyribus) habuerunt martyres, vt multam in morte ſua demonſtrârent eſſe Dei, & Chriſti eius, virtutem & potentiam. *Quemadmodum*, inquit S. Cyp. de duplici martyrio, *Domini mors potentior erat quam vita, ita voluit martyrum ſuorum mortem eſſe potentem. Quid enim infirmius quam vinciri, damnari, cædi, cruciari, occidi, & ad carnificis arbitrium præbere corpus? Hæc ſpecies interdum miſericordiam mouet etiam ſæuißimis tyrannis. Verùm vbi iam ad monumenta martyrum, pelluntur morbi, fugiunt dæmones, ter-*

Digitized by Google

tentur Monarchæ; coruſcant miracula, concidunt idola; tum apparet quam ſit efficax ac potens Martyrum ſanguis. Ita Cypr. His adde quanta animi fortitudine grauiſſima tolerarunt tormenta. Vnde ad eos S. Cyprianus, Epiſt. 6. *Quibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? Robur pectoris veſtri, & perſeuerantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Toleraſtis vſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem: nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Quæſtio grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deiiceret, ſed vt homines Dei ad Dominum velociùs mitteret. Vidit admirata præſentium multitudo cæleſte certamen, certamen Dei, certamen ſpiritale, prælium Chriſti, ſeruos eius ſtetiſſe voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem ſecularibus nudos, ſed armis fidei armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes vngulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita: quamuis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſeruis Dei non iam membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret; qui flammas, & ignes gehennæ, glorioſo cruore ſopiret.* Ita Cypr. Quæ omnia à tanto autore emendicare non erubeſco, vt validiori teſtimonio corroborare poſſim quod aſſerui, in martyrio nempe ſalutem, virtutem, regnum & poteſtatem Chriſti plurimum elucere. Quibus ſi addas, quot miracula Deus patrare voluerit, durante martyrio plurimorum martyrum, ſiue membra eorum reſtaurando, ſiue viſionibus Angelorum illis robur & animum addendo; certiſſimum eſſe apparebit, quod in martyrio ſalus, virtus, ſeu potentia, maximè effulget; quamuis ad laudem martyrij hæc miracula non requirantur. Audiendus de hac re beatus Eulogius, in Apologetico. *Miraculorum*, inquit, *verò inſignia, ideo olim inter ſupplicia per eoſdem athletas, Dei virtus mundo præſtabat: vt prodigiorum virtutibus, vel mitigaret furentium inſaniam, qui beatorum conſtantiam fatigabant; vel incredulum genus ab infidelitatis errore cõuerteret, quod cæleſtium iura ſcripturarum obduratis præcordiis reſpuebat, &c.* Et paulo poſt: *Hæc prima fidei noſtræ rudimenta fuerunt; harum exercitatione virtutum, quaſi lactentium paruulorum auſpicia, teneritudo eius, & confota, & nutrita: vt miniſterio ſignorum, vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium; ac veluti quædam inſtrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentoue, torques ſcilicet monilia, regumque diademata componenda, aptanda, & compingenda, formata ſunt, &c.* At vt poſtea ipſe ait, *Credere oportet non prodigiis atque portentis ſed integritate fidei, & profeſſionis conſtantia excellentiores fieri martyres; illudque tantummodo in eis ſit admirandum, quod animo fortiori mortem exceperunt propter Chriſtum.* Hæc S. Eulogius.

Hæc eſt igitur victoria martyrum, quæ clarè manifeſtat proiecto dæmone ſalutem eſſe factam; virtutem, ſuam vltimam perfectionem attigiſſe, Regnum Dei adueniſſe; & Chriſtum illam quam recepit poteſtatem, in cœlo, & in terra in actum reduxiſſe. Propter hanc meritò nunc Eccleſiæ fideles in laudes prorumpunt; propterea lætantur cœli, & omnes qui habitant in eis, donec adueniat ille dies, de quo exclamat S. Cyprianus ad Thibaritanos: *O dies ille qualis & quantus adueniet, fratres dilectiſſimi, cum cœperit populum ſuum Dominus recenſere, & diuinæ cognitionis examine ſingulorum merita recognoſcere; mittere in gehennam nocentes, & perſecutores noſtros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare; nobis vero mercedem fidei & deuotionis exoluere! Quæ erit illa gloria, & quanta lætitia admitti vt Deum videas honorari, vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis ac lucis æternæ* A *gaudium capias; Abraham & Iſaac, & Iacob, & Patriarchas omnes & Prophetas & Apoſtolos & Martyres ſalutare, cum iuſtis & Dei amicis, in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere, ſumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit?* Ita Cypr.

Ab hac victoria & gloria non excluduntur, imo potius includuntur, qui per vitam optimam longum ducunt in hoc ſeculo martyrium. *Et quid ergo?* inquit B. Theodorus Stadita, Serm. Catechet. 10. *ſoli martyres ſunt qui ſanguinem profundunt? Minime vero; quin ij quoque qui vitam obeunt diuinam: ait enim Apoſtolus: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in ca-* B *uernis terræ.* Et paulo poſt: *Tantam habentes nubem martyrum, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam decurramus propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum. Viden, vt vniuersè martyres vocauit omnes peccatis amantes, afflictamque vitam tolerantia trahentes. Quare & nos fratres, numerati in hoc martyrio ſumus: nam qui tolerantes vitæ ærumnas crucigeræ amplectimur, qui virginale votum tuemur, nunc morigeratione detrectanda, in qua ineſt quiddam inſtar certaminis, Ieſum teſtamur, & Chriſtum eſſe & Dei filium teſtamur, iudicium & remunerationem futuram teſtamur, vitæ exactæ rationem reddituros ad terribile Chriſti tribunal, obſiſtentes diabolo Chri-* C *ſti inimico torquenti, & aſſidua cogitationum ac lethalium voluptatum obiectatione, velut flagris, vrgenti negare nos eſſe Deum. Etenim quorum corrupta ſtudia ſunt, cedunt atque obſequuntur perduelli, rebus ipſis Deum eſſe denegantes. Ita Theodorus Studites.* Quod quidem fuſius tractat auctor tractatus de duplici martyrio, inter opera S. Cypriani ſupra allatus. *Neque enim*, inquit ille, *ſemper ſæuiunt Nerones, Diocletiani, Decij ac Maximini: nunquam tamen ceſſat diabolus exercere Chriſti militiam profeſſos. Et fortaſſis erunt poſthac, donante Chriſto, tempora, quibus nulla tyrannorum perſecutiones adfligent Eccleſiam: nunquam tamen deſutura ſunt certamina, nunquam martyria, quibus homines pij glorificent Deum. Eccleſia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus* D *gaudiis applaudit iis qui in profeſſione nominis Ieſu, animas ſuas fideliter depoſuerunt; & ad horum memorias magna cum alacritate concurritur: ſed cæleſte theatrum, Angelorum myriades, & iuſtorum cum Chriſto regnantium innumerabilis populus ad plaudunt omnibus, qui ſynceram fidem, & charitatem inuictam, quam habent erga Dominum Ieſum, integritate & innocentia vitæ teſtificantur: nec ſolum profeſſione fidei, quæ (iuxta Paulum) ore fit ad ſalutem, glorificatur Deus, verum etiam confeſſione commiſſorum, &c.*

Hi igitur omnes vicerunt propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Ad alia tranſeamus.

E *Væ terræ & mari: quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.*

ANNOTAT. XIV.

Variæ autorum expoſitiones. § I.

PRIMASIVS: *Sicut redemptis exultatio, ſic pereuntibus planctus debuit exhiberi: Hinc Ezechiel dicit ſe librum accepiſſe, habentem ſcriptum lamentum, carmen, & væ. In lamentatione, pœnitentium fletus, in carmine, iucunditatem ſanctorum inſinuat: Væ autem, malorum condemnationem proprie manifeſtat.*

Andreæ Cæſ. *Væ autem illis denunciatur, qui inhabi-*

tant terram & mare, hoc eſt, illis qui non conuerſantur in cælo, ſed in terra animum defixum habent. Multi enim ex eorum numero; qui vitam in terra degunt in inicum vincunt, & in poſterum victuri ſunt, etiam ſi hoc tempore magis incenſus ſit contra ſtrenuè pugnantes, quàm ante, propter ſupplicij quod ipſi impendet vicinitatem, & temporis breuitatem. Quamobrem neceſſe eſt omnino vt ij qui hic terrena ſapiunt, mariſque præſentis vitæ fluctibus iactantur, pœnis de quibus dictum eſt, aſſines fiant, adeoque infælices perpetuo habeantur. Alcazar: *In c. 13. innuitur mare & terram concitare horribilem perſecutionem aduerſus Chriſtianam Eccleſiam. Per reſpectum igitur ad eam perſecutionem ait nunc textus: Væ terræ & mari.* Ita Alcazar. Non igitur væ Eccleſiæ, dicente S. Iacobo c. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. &c.* B Sed væ perſecutoribus, ſed ijs qui vitam tranſigunt, ipſius maris turbulenti vndis conquaſſati, & qui terreſtrium bonorum cupiditate illecti, terræ incolæ verè ſunt & nuncupantur, atque vt mundanis iuſſis obtemperent, perſecutorum partes velis remiſque proue hunt.

Sciens quia modicum tempus habet. Refertur, inquit Alcazar. *ad tempus, quod dæmoni reſiduum erat, vt in mundo per idolorum culturam imperitaret, antequam Chriſtiana religio caput attolleret.* Ita Alcazar.

Cenſet tamen Ambroſius *Diabolum ſcire quod modicum tempus habeat, quia quanto appropinquare cernit diem iudicij, tanto callidior efficitur ad decipiendos homines.* Ita Ambroſ.

C S. Thomas. *Modicum; inquam, vſque ad conſummationem ſeculi; quia à paſſione Domini, vſque ad diem iudicij, modicum tempus eſt, reſpectu temporis quod præceſſit. Poteſt autem aliter hoc intelligi, pro tempore vltimo, ſcilicet pro tempore Anti-Chriſti: quia tunc grauius tentabit, videns modicum tempus reſtare vſque ad iudicium: & ſecundum hoc dirigitur ſermo ad eos, qui in vltimis temporibus erunt.*

Quanam ſit noſtra expoſitio. §. 2.

Væ terræ ac mari. Ac ſi diceret: Vobis quidem, quibus conuerſatio in cœlis, manet ingentis gaudij occaſio; at denuntiamus væ, & plurima mala, tum D iis qui ſenſibus & concupiſcentiis carnis obſequuntur, & in mari voluptatum ſunt demerſi; tum iis qui nimia obſtinatione firmi ſunt in malo propoſito peccandi, terrena tantum ſapientes. Nam cum dæmon præuideat omnes ſuos conatus ad idololatriam fouendam euanidos, & in fumum euaſuros, ſibique ſubtrahendam fore omnem imperij Romani poteſtatem, qua abutebatur, Romano imperio ſub Chriſti iugo ſubacto, licèt adhuc modicum tempus habeat, quo tanta poteſtate abuti valeat ad idololatriam fouendam, nempe ſub Iuliano Apoſtata, noua bella & prælia meditatur; & in furorem actus quod mendax & impoſtor, & calumniator ab omnibus fidelibus habeatur, qui illius imprudentiam E & audaciam deridentur & deteſtantur, aliâ viâ ſibi eſſe incedendum agnoſcit. Proinde conatur Eccleſiam variis diuexare perſecutionibus, quibus exercitium ſuarum functionum, ſeu ſui Miniſterij, perturbet: quia non valuit illud ex integro eradicare & euertere. Ipſa enim Eccleſiæ patientia inuincibilis, & tolerantia tot perſecutionum, & mors tot martyrum, imo & occiſio plurimorum Pontificum, ſuperauerunt diaboli malitiam, & continuam illius oppugnationem. Nam ſedes illa Romana ſupra petram fundata concuti potuit, non euerti: quaſſari valuit, non euelli: fixa illa permanebit autoritas in capitali totius orbis ciuitate Romana, adeo vt non ſine diuina diſpoſitione Cõſtantinus imperator eam cedat Romanis Pontificibus, vt A nouam alibi Romam condat & erigat ſuo nomine nuncupandam, vt liberiùs valeant ſummi Pontifices poteſtatis ſpiritualis ſibi traditæ iura tueri, & munia ſua exercere, ad religionis Chriſtianæ propagationem & confirmationem.

Et poſtquam vidit Draco quod proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.

Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium B *temporis, à facie ſerpentis.*

ANNOTAT. XV.

Quanam via dæmon, proſtratâ idololatriâ, conatur Regni Chriſti gloriam perturbare, & Eccleſiæ profectus impedire? §. 1.

VALDE notandum eſt quod hîc dicitur, ali videlicet Eccleſiam à facie ſerpentis. Non enim abſque ratione hoc additum fuit. Nam in prima eius fuga, ſeu in primo receſſu in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, tantùm dicitur, vt ibi paſcant eam; nec faciei ſerpentis aliqua fit C mentio. At hîc dicitur ali à facie ſerpentis, quæ quaſi terrifica quædam forma Eccleſiæ ſeſe offert, illi horrorem non mediocrem incutiens. Quænam autem ſit facies ſerpentis iam vidimus, cum ſeptem nequitiis illum in Deum inſultare diximus, nempe ſuperbia, proprio amore omnia ſibi arrogante, inuidia, furore concepto ex Dei odio, proprio illius amoris contradicentis, Dominandi nimia cupiditate, malitia, ſeu in aliorum perditione complacentia, & tandem in peccato obduratione. Cum his ſeptem capitibus dæmon ſeſe offert Eccleſiæ intuendus, & hac ratione valde metuendus, vt pote qui propter illas nequitias multa moliatur, per quæ eam, ſi fieri poſſet, à Deo & ſponſo diſtrahere conatur, illiuſ-D que pacem & tranquillitatem perturbet. Nam innumeris artibus, & fucatis apparentium quarumdam ratiocinationum coloribus, principiis falſiſſimis, ſed proprio amori fauentibus innixis, quibus quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, tueri ac defendere homines nituntur, quantum in ſe eſt draco ille peſſimus conatur Chriſti regnum oppugnare, & euertere ſi poſſet. Quod quidem præſtare ſperaret, ſi ſemel aliquid imminuere poſſet, ac ſubtrahere de illa ſumma autoritate & poteſtate, quam Chriſtus fundauit, vt per eam ſeſe Dominum eſſe omnium, Regem Regum & Dominum Dominantium demonſtraret. Duobus igitur modis illud facinus attentare audebit. Primus erit, ſi perſuadeat iis (qui à E ſummo Deo vniuerſi totius moderatore vocantur, ad regnorum & imperiorum habenas tenendas ac moderandas) illorum nitorem offuſcari à fulgentiſſimo ſplendore autoritatis illius ſpiritualis, qua ad cæleſtia regna, & vocantur, & deducuntur cum ſuis ſubditis: Secundus, ſi homines ſpiritu ſuperbiæ, auaritiæ, inuidiæ, iræ, gulæ, luxuriæ, acediæ ducti, mandatorum Dei tranſgreſſores temerarij exiſtant: vt ſic qui in fide Eccleſiæ permanentes, ſalutis æternæ poſſent eſſe compotes, per motum corruptionum ſecum attrahat in damnationem.

Voti compos fuiſſet proculdubio, adeo multa eſſe dignoſcitur *malitia hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis eorum intenta ad malum omni tempore;* niſi Deus optimus maximus de remedio & auxilio præſentiſſimo & efficaciſſimo prouidiſſet. Hoc au-

Digitized by Google

tem auxilium tale fuit.

Datæ ſunt mulieri, nempe Eccleſiæ, alæ duæ, vt volaret in deſertum locum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis. Prima ala eſt cæleſtis doctrina, ſupra fidei principia innixa & fundata, qua quidem Eccleſia poterat dilucidè verum à falſo ac veriſimili diſtinguere, quod reuera eſt, ab ente tantùm rationis diſpugere, ſeu reale ab apparenti ſecernere; motus paſſionum, imaginationis & ſenſuum lumen ſubſequentes, à rectis voluntatis electionibus rationis optimæ lumen ſubſequentibus ſeparare; & proprij amoris iura, à bono vniuerſalitatis præſcindere: qua quidem doctrinâ, Eccleſia tanquam alâ ſubuecta, omnia diaboli ſtratagemata & artificia eludere poteſt, & cum ſumma moderatione feliciter cuncta ordinare, ſapientemque directionem in cunctis euentibus inuenire. Alia etiam ala illi data eſt, nempe ſapientia quædam deſurſum veniens, terrenam conculcans, animalem præſcindens, diabolicam vincens; qua ſpiritualia ſuauiter deguſtat, vt illis adhæreat, & ad cæleſtia adſpiret, gaudia patriæ quodammodo delibans & prægustans, quo fit vt comparatione illorum omnia quæ mundi ſunt contemnat, & felici ſagacitate omnes diaboli laqueos euitet, ac decipula declinet. *Fruſtra enim iacitur rete ante oculos pennatorum.* At quænam, quæſo, alæ? Alæ nempe aquilæ magnæ, ad denotandam arctiſſimam cum ſede Romana (quam ſignificari diximus per aquilæ ſymbolum) connexionem, & legitimam ab eius autoritate aut miſſionem aut dependentiam.

Quod vt efficaciter perficiat, ſecedit in ſolitudinem, in locum ſibi proprium, quo crucifixo ſponſo fiat conformis, nempe firmum quoddam propoſitum nunquam diſcedendi à ſpiritu compunctionis, nunquam ſecedendi ab operibus pœnitentiæ, & mortificationis corporis, ſenſuum, paſſionum, propriæ voluntatis, & proprij iudicij illius doctrinam & exemplum ſequens, qui olim dicebat 2. ad Cor. 4. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris:* Tam generoſum quippe propoſitum, quo terrena calcat, aſpera quæ quæ magnanimiter aggreditur, aduerſa quælibet tolerat, locus videtur idoneus, in quo ſiſtat, vt ſponſi amplexibus ſuauiter fruatur, illi compatiens pro tantis, quæ pro ſua ſalute ſubijt, languoribus. Ibi tuta eſt à perſecutionibus & oppugnationibus diaboli, qui per carnis oblectamenta, mundi delectabilia, nos ad ſe allicere tentat; vitiorum reſcindit germina pullulantia, paſſionum reprimit noxios & frequentes inſultus, propriis amoris quæ ſua ſunt quærentis prætenſa proſcindit iura: dum ieiuniis vacat, orationibus paſcitur; eleemoſynis & miſericordiis pauperum, peccatorum remiſſionem ſibi comparare ſtudet; & ex talibus operibus bonis membrorum fortiorum, & infirmis membris auxilia ſuppeditat, adimplens in fortioribus membris quæ deſunt paſſionibus Chriſti, quibus infirmioribus ſubueniat.

Hic autem ſeceſſus potiſſimùm refulget in ordinibus Monachorum & Religioſorum, quos ipſa recepit & approbauit, & in ſuo ſinu charitatiuè fouit. In iis quippe tam ſublimis doctrina firmas egit radices, illaque ſumma ſapientia, guſtuſque ſpiritalium & æternorum placidè conquieſcit, ibique ſummopere colitur ab iis qui cum ſapiente dicunt: *Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei; ſed & omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius, &c.* Et poſt

A illius plurimas laudes: tandem ait: *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Sap. 8. In his igitur ordinibus Religioſis Eccleſia nutritur & fouetur, & quantâ Deus prouidentiâ ſeruis ſuis etiam temporalia ſubminiſtret manifeſte dignoſcitur, Regibus etiam neceſſaria ad vitæ ſubſtentacula Religioſis abunde ſubminiſtrantibus, iuxta illud Iſ. c. 60. *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* Ibi igitur alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis. At quantum Eccleſia auxilium habuerit, (vt ſuam doctrinam & ſapientiam diuinam ſeruaret illæſam) ab iis qui vitam Monachicam, aut cænobiticam, ac Religioſam B coluerunt, hoc ſatis notum eſt. Si quis hoc negaret, tot ſancti Prælati & Doctores, doctrina conſpicui, ſapientia clari reclamarent, vt os obſtrueretur hoc deneganti.

Quid ſit Eccleſiam ali per tempus, & tempora, & dimidium temporis? §. 2.

Eccleſia certè eſt illa famoſiſſima Iudith, quæ annis tribus, & ſex menſibus, clauſa in ſecreto cubiculo, ieiuniis & orationibus vacans, tantam concepit in Deo fiduciam, vt Holofernis ducis exercitus Regis Aſſyriorum caput auſa fuerit præſcindere. Sic Eccleſia in his ſolitudinibus Monachorum & C Religioſorum ſecedens, & per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id eſt per tres annos cum dimidio commorans, potens redditur quæ draconis capita abſcindat, miniſterio videlicet eorum qui conſiliorum Euangelij fideliſſimi obſeruatores, potiora illius membra reputantur, qui pro cæteris, diaboli fallaciis, inſultibus & prauis artibus ſeſe opponunt, ſatagentes, quantum fieri poteſt, ne vitia pullulent, ne homines paſſionibus ſuis ſuccumbant, & ita indulgeant genio, vt à Deo auertantur.

At dum tempus quo durante Eccleſia ab his ordinibus fouetur, per tempus, & tempora, & dimidium temporis deſignatur, hoc fit ex induſtria, videlicet vt addiſcamus quam longe diſtant à feruore D Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ, fideles vltimorum ſeculorum. Etenim tanta erat ſanctitas primorum Chriſtianorum, vt per eam Chriſtianorum nomen plurimam ſibi conciliaret autoritatem, magnumque conſequeretur ſplendorem. Vnde ſi quis eſſet inter eos infirmitate aliqua humana laborans, & rarus erat, & vix (tanto coruſcante lumine ſanctitatis in aliis) cernebatur, aut ad id attenderetur. At nunc, cum numerus eorum, qui vitiis ſcatent innumeris, numerum proborum longè excedat, & ſanctitas aliorum valde ſit exigua, tenebræ præualent: & ſi qui in die ambulant, & non in nocte, plures ſunt qui in tenebris ambulant quam in die, & ita viuentes more gentilium, de iis dici poteſt quod de gentibus olim Paulus, Epheſ. 4. *Hoc igitur dico, &* E *teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operatione immunditiæ omnis, in auaritiam, &c.* Hinc fit vt Eccleſia non debeat dici paſci per dies, ſicut prius, ver. 6. *Vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*, quibus diebus ſplendor ſanctitatis cuiuſdam, nullam interruptionem patientis, ſignificatur: ſed etiam ali ſeu conſeruari debeat per noctes, ſplendore Chriſtiani nominis offuſcato per tantam corruptionem morum plurimorum, qui nomine tantùm Chriſtiani dicuntur, cum gentibus ſint aliquando deteriores, nec beneficiorum Dei memores, nec pœnis aut

afflictionibus,

aﬄictionibus, quibus eos à malis & peccatis auertere conatus eſt, meliores: quo fit vt dum in peccatis perſeuerant & obdurantur, nec in deſertum pœnitentiæ ſecedere volunt, vt dignos edant pœnitentiæ fructus, & fulgore virtutum tenebras vitiorum, quibus obuoluuntur, diſſipare poſſint. Hinc factum eſt, vt illud totum ſpatium temporis (quo durante ſtatuit diuina prouidentia Eccleſiam fouere, miniſterio illorum Ordinum, & aliorum etiam, qui laudabilem & bonam habent in ſeculo conuerſationem, propriæ perfectioni ſeriò incumbentes) deſignatum minimè fuerit per dies, ſed indiſtinctè per tempus aliquod, quin includeret noctes etiam, ac diuerſas mutationes & reuolutiones effectuum, tum miſericordiæ, tum iuſtitiæ: quo quidem tempore, ſeu quibus temporibus decurrentibus, plurimi Chriſtiani tentationibus acquieſcent, Eccleſiâ nihilominus in ſuo ſplendore, & in ſanctitate vitæ remanente, apud eos qui opera pœnitentiæ, & virtutum omnium exercitia nunquam intermittere firmo propoſito apud ſe ſtatuerunt.

At, inquies, cur dimidius additur annus? Ad hoc enodandum, meminiſſe oportet nos ſex menſes anni myſtici aſſignaſſe effectibus miſericordiæ: & ſex, effectibus ſeueritatis diuinæ. Quod Eccleſia laborauerit vſque ad mortem, quod multa perpeſſa fuerit pro extirpanda idololatria, quod diuerſis affligatur perſecutionibus, plurima in bonis temporalibus & tranquillitate detrimenta patiens, quibus modis vexata fuit vſque huc, id eſt, vſque ad hæc vltima tempora, in quibus ali dicitur à facie ſerpentis, cum *omnia diligentibus Deum cooperentur in bonum*; hæc tantum indicant Deum electos ſuos ab omni tentatione potenter eripere, itaut ſaluentur electi, ſiue effectus miſericordiæ, ſiue effectus ſeueritatis producat. Sed dum extra menſes ſex miſericordiæ, id eſt, per anni illius dimidium, reperiuntur adhuc quædam oppugnationes Satanæ, illæ proculdubio ad iram ſeueritatis diuinæ pertinent: in quibus ſibi ſaluantur electi (quia omnia aduerſa æque ac proſpera illis cooperantur in bonum) pereunt reprobi, quia pro eis tempus miſericordiæ non eſt amplius, qui iram Dei in ſe, propter pertinaciam, & finalem impœnitentiam. & abuſum donorum Dei concitarunt. Igitur dæmon Eccleſia turbulentis prauorum paſſionibus diuexatur, dum erroribus & hæreſibus oppugnatur, iam Deus contra eam iraſci dignoſcitur; & indicatur eum à menſibus, in quibus effectus miſericordiæ deſignantur, ad menſes, in quibus ſeueritatis effectus produntur, pertranſiſſe. Itaque cum ai tali Eccleſiam *per tempus*, id eſt per vnum annum, *& tempora*, id eſt per duos annos; cum addit: *Et dimidium temporis*, idem eſt ac ſi diceret: Iam ſi quædam aliæ dæmonis oppugnationes occurrant, timendum reprobis ne experiantur iram magnam draconis qui. deſcendit ad eos cum ira magna: *Væ* enim *terræ & mari*. Nam illæ oppugnationes dæmonis eueniunt, quantùm ad reprobos, extra tempora miſericordiæ aſſignata, & ad menſes ſeueritatis pertinent. Deus enim, qui vſque huc miſericordiæ ſuæ effectus effuderat, nunc iratus (hoc exigentibus hominum peccatis) permittet dæmoni vt in varias concupiſcentias homines propellat, illoſque erroribus variis à via veritatis auertat: à quibus malis, ſi electos eripiat, certè, *Væ terræ & mari*; nempe reprobis; quia his tentationibus ſuccumbent, & per illos errores ſeducentur, itaut pars eorum ſit cum dracone, & cum eo in abyſſum præcipitentur.

Secundò, Eccleſia dici poteſt volare in deſertum duabus alis ſubuecta, dum per exercitia vitæ actiuæ, & actus vitæ contemplatiuæ, timos iudiciorum A Dei ac pietas plantatur in fidelibus, qui operâ, vigilantiâ paſtorum, & præconum verbi Dei, à peccatis reſipiſcunt, fructus dignos pœnitentiæ faciunt. Ibi enim alitur & fouetur, dum per pœnitentiam gratia Dei in quibuſdam fidelibus non deperditur, nec ſpiritus Dei in eis extinguitur. Sed alios expoſitores audiamus, quorum ope, ſi quid à nobis fuerit prætermiſſum, pleniorem habeas tantorum myſteriorum cognitionem.

Variæ autorum expoſitiones. §. 3.

Has in medium adducere operæ pretium eſſe duco, non ſolùm vt pleniorem verborum ſenſum eruere valeamus, ſed etiam vt collata noſtra expoſi- B tione cum his expoſitionibus, quamdam videas concinnitatem, & cum præcedentibus connexionem in noſtra, quàm vix in aliis, ni fallor, reperias.

Ticonius: *Cum vidiſſet draco quod de ſanctis excluſus eſt in terram, id eſt, de cælo in perſecutores, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum. Quantò enim diabolus de ſanctis deiicitur; tantò magis eos perſequitur. Et datæ ſunt mulieri, id eſt Eccleſiæ, duæ alæ, &c. Tempus & annus intelligitur, & centum anni. Duæ alæ magnæ, duo ſunt teſtamenta Eccleſiæ, quæ accipit, quibus ſerpentem euaderet. In eremum, in locum ſuum dixit, id eſt, in hoc mundo, vbi ſerpentes & ſcorpiones habitant: quia illi dictum eſt, ſicut Dominus dicit: Ecce ego mitto vos* C *ſicut oues in medio luporum; & Ezechieli dicitur: Fili hominis, inter ſcorpiones habitas.*

Primaſius: *Perſecutus eſt mulierem, quæ illum maſculum pepererat, hoc eſt, quod præmiſimus, inextricabiles inimicitias contra Eccleſiam diabolum gerere. Quando enim vincendus excluditur, tanto acrius ſuas non deſinit multiplicare verſutias. Et datæ ſunt mulieri duæ alæ, &c. Eccleſia in modum alarum duobus vtitur teſtamentis, quibus edocta inſidias inimici & præceptis defugere ſtudet inſtructa, & exemplis ſuperat informata. Gemina quoque regitur Dei & proximi charitate. Locus autem ſolitudinis eſt huius mundanæ peregrinationis. Quamdiu enim ſumus in corpore peregrinamur à Domino. Quo maximè cor dirigit, qui non loco, ſed affectu de mundo diſcedit, &c.* Et D paulo poſt: *Congruè autem hic aquilæ ſimilitudinem memorat, quæ cum præ cæteris auibus cognoſcatur altiùs euolare, viſo tamen eminùs cibo, indigentiâ naturalis ſubacta, mox ad ima deſcendit; ſicut Eccleſia in ſpiritualibus membris, cum ea quæ ſurſum ſunt mente petat & ſapiat, infirmitate tamen corporis aggrauata, neceſſitatibus ſubiacet indigentiæ corporalis, pro quibus ingemiſcit & parturit vſque adhuc: vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, &c. Fugit denique ab Anti-Chriſti facie, id eſt, illius ſerpentis, trium annorum tempore, & ſex menſium. Hoc rurſus ſignificat tempus, quod vſque ad finem, Chriſti Dei Eccleſia propagatur, idolorum culturam fugiens, omneſque ſerpentis errores, hoc eſt quod dicit, à facie illius ſerpentis, quem draconem ſuperiùs memorat, &c.*

E Andreas Cæſarienſis: *Cum, inquit, diabolus Chriſtum poſt baptiſma ſuſceptum impugnaſſet, victuſque receſſiſſet, & ſanctos rurſum Apoſtolos pari impetu adorſus, confuſus abiiſſet (vidit enim illos per mortem vitam inueniſſe) & ſe tandem vt in terra ſerpentis more volutaretur, & terra rebuſque terrenis pro cibo vteretur, condemnatum animaduertiſſet, tunc denuo Eccleſiam, quæ parit, & peperit filium maſculum (hoc eſt, populum virilem, nihilque effæminatum præ ſe ferentem) perſequi incæpit: verùm ab initio in præſidium data eſt illi charitas erga Deum & proximum. Huic porrò addicta eſt eius prouidentia adiutrix qui propter nos in crucem actus eſt; & duo præterea teſtamenta; quæ ſimul omnia deſignantur per alas aquilæ, quo per has in ſublime ſublata concedat in deſertum, ibidemque omnis vegeta, ſolidaque virtutis nutriatur alimento. Et id quidem ſemper, Anti-Chriſto verò ſæuiente, maximè*

Hunc enim trieteride cum anni ſemiſſe graſſaturum, ſæpius ante indicatum eſt. Quo etiam tempore iuſtos ad ſenſilem eremum conceſſuros, inque montibus & cauernis terræ, quo furiam illius euadant, ſeſe abdituros valde probabile eſt. Ita Andreas.

Ambroſius: *Videns diabolus ſe maximam multitudinem electorum amiſiſſe, & intra anguſtias corporum reproborum eſſe concluſum, perſecutus eſt mulierem, id eſt Eccleſiam. Concitauit enim Imperatores Romanorum, omnemque multitudinem impiorum, ad perſequendum populum Dei, &c. Et datæ ſunt, &c. Per aquilam Chriſtum poſſumus intelligere: duæ verò alæ ſunt duo teſtamenta. Duæ igitur alæ datæ ſunt mulieri, quia duo teſtamenta Eccleſia accepit, vt eorum doctrina, & diabolum euadat, & ad cæleſtem patriam quotidie conſcendat. Hanc namque patriam deſertum vocat, quemadmodum & Dominus dicit in Euangelio, cum ſe nonaginta nouem oues in deſerto dixit dimiſiſſe, & vnam abiſſe quærere, quæ errauerat. Hanc patriam locum Eccleſiæ vocat, ſicut in iudicio dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Per tempus verò, & tempora, & dimidium temporis, tempus à paſſione Chriſti, vſque ad finem mundi deſignatur. In hoc ergo ſpatio temporis, anima ſanctorum, id eſt, Eccleſia, dapibus cæleſtis patriæ in cæleſti beatitudine paſcuntur.*

Rupertus: *Et poſtquam vidit draco, &c. Hoc illud eſt propter quod exclamauerat dicens: Væ terræ & mari, &c. Hæc eſt illa ira magna proiecti in terram draconis, qui vocatur diabolus, &c.*

Magnæ, inquit Rup. *aquila, ſancta eſt ſcriptura, & huius duæ alæ duo ſunt teſtamenta, quæ huic mulieri data ſ. intelligibilia ſunt facta, vt habeat quo ſubleuet in cælum cor ſuum, &c. Volat in locum ſuum. ſ. ſanctum ſectatur otium, vt vacet illi, meditationi inſeruire ſcripturarum, iuxta illud ſapientiæ: Scribe ſapientiam in tempore otij. Et: Qui minoratur actu, percipiet eam. Qui minoratur actu, ſ. qui corporali exercitatione minùs exercetur, &c. alitur, ſubauditur, contemplatione veritatis, & lectionibus ſacris, imo & corporalibus, vt iam alibi dictum eſt, ex munificentia, filiorum ſuorum ſtipendiis. Alitur, inquam, à facie ſerpentis. ſ. vt non timeat ſerpentem. Per tempus, & tempora, & dimidium temporis. ſ. tribus annis & dimidio, quanto tempore Anti-Chriſtus perſecutione ſua mundum vexabit, atque idcirco rectè per huius terminum, omne intelligitur tempus, quo perſecutionem patitur Eccleſia, quod in Chriſto piè viuit.* Ita Rupertus.

Sanctus Thomas: *Et poſtquam ita ſuccubuit draco in perſecutione occulta, & poſtquam vidit quod proiectus eſt. ſ. diuina virtute, & auxilio Angelorum, à iuſtis procul expulſus; in terra. ſ. terrenos; proſecutus eſt mulierem aperta perſecutione. Quæ peperit maſculum. Ab hoc filio habet Eccleſia adiutorium contra perſecutionem apertam, ſicut contra occultam. Alæ duæ, ſcilicet contemptus mundi, & deſiderium præmij: quæ animum eleuant quaſi alæ; vel duo teſtamenta; vel dilectio Dei, propter quem ſuſtinet, & dilectio proximi, etiam à quo perſecutiones ſuſtinet; vel vita actiua & contemplatiua, &c. Specialiter autem & maximè, duæ alæ ſunt meditatio intima, & affectio valida, &c. Aquilæ magnæ. Per has alas magnam eleuationem ſui facit Eccleſia ad diuina, ſicut aquila magnas alas habet, & per donum ſibi datum, fixum habet intuitum in Deum, &c. Vt volaret, &c. ſ. celeriter & expeditè, virtuosè in altum ſe per contemplationem eleuaret, &c. In deſertum. ſ. in cælum, quod deſertum eſt ab Angelis apoſtatis, & deſertum ab hominibus iniuſtis, &c. Quando enim iuſti tribulantur, eleuant mentem ad conſiderationem præmij, vt leuius ferant. In locum ſuum, quia in cælo, ſicut in loco ſuo, debet anima quieſcere: quia propter cælum facta eſt.*

Vbi alitur. ſ. in quo loco, ſiue deſerto exiſtens per contemplationem, nutritur autem à ſuo nutritio, patre ac ſponſo, alimento ſcripturæ, cibo internæ doctrinæ cælitus infuſæ,
A *& paſtu internæ conſolationis, & manna Sacramentalis refectionis: nam contemplatiui magnam ſpiritus refectionem ſuſcipiunt, ex ipſius Dominici corporis refectione: hoc eſt, manna quo paſcit Dominus filios Iſraël in deſerto, Sap. 16. Per tempus, id eſt, per annum; & tempora, id eſt, duos annos; & dimidium temporis, id eſt, dimidium annum. Hoc eſt, Dominus paſcit Eccleſiam toto tempore, quo ſubſiſtit Eccleſia, fundata per Chriſti prædicationem, tribus annis & dimidio factam. Et ſic intelligitur tota duratio Eccleſiæ, in ſtatu viæ, à paſſione Domini vſque ad finem mundi. Vel poteſt intelligi de tempore Anti-Chriſti, quia tunc apertiſſimè draco Eccleſiam perſequetur: & tunc perfecti volabunt per contemplationem in cælum, vbi nutrientur, quandiu durabit Anti-Chriſtus, ſcilicet tribus annis & dimidio; à facie ſerpentis, id eſt, vt per hoc protegatur à*
B *præſentia impugnationis, quæ fit per diabolum, qui dicitur ſerpens propter aſtutiam, & venenum malitiæ. Aliter in deſertum, id eſt, in quietem ſiue internum ſecretum mentis, vbi non eſt tumultus vanitatis mundanæ, ſiue in cogitatu importuna, ſiue in affectionibus & deſideriis.* Ita S. Thomas.

Alcazar cenſet ex eo quod dicitur draconem perſecutum fuiſſe mulierem, quæ peperit maſculum, his verbis deſignari primam ſub Nerone perſecutionem, quæ exarſit primo aduerſus Euangelij prædicatores, & ſingulatim aduerſus eorum caput Petrum. In eo autem quod draco fuerit inſectatus fœminam, quæ maſculum filium in lucem edidit, innuitur dæmonem, Romanæ Eccleſiæ fundatione,
C imprimis ſtimulari ad eam perſecutionem excitandam: nec enim dubitabat quin maſculus ille filius, ad idololatriam penitus exterminandam, fuiſſet natus. Secundo: Aſſerit Alcazar quod alarum mentio intercurrens, de quibus in primo receſſu nulla facta fuerat mentio, non ideo fieri, quia ante ipſam perſecutionem alæ ei conceſſæ non fuerint, ſed vt intelligatur quamuis draco mulierem in deſertum ſequeretur, illam tamen ſubſequi, itaut eius iter impedire nullo modo poſſet, tametſi draconi alæ inerant; eæ tamen, vt pote draconis, non illum ſublimè efferre poterant. At fœminæ fuerunt ſuppeditatæ aquilinæ alæ, atque adeo multo altiùs ac velociùs dracone volitare poterat. Tertio, per aquilam
D intelligit ſapientiam cæleſtem, per duas alas, duo teſtamenta, ſiue duo actus ſapientiæ, nempe temporalium rerum deſpicientia, altera ſpiritualium æſtimatio. Alias etiam affert duarum alarum expoſitiones, vt per eas ſanctitas atque ſapientia ſignificetur: vel amor Dei & proximi, vel deſiderium gloriæ Dei, & vitæ immaculatæ ſtudium, vel fauorem imperij orientalis & occidentalis: vel impugnatio falſitatis, & veritatis probatio: vel agnitio reprobationis Iudæorum, & electionis gentium. *Ad hæc*, inquit Alcazar, *dico ex contextu ipſo planum fieri alas aquilæ fuiſſe mulieri datas, non vt in ſolitudinem fugeret, ſed vt peruenire poſſet ad locum quem Deus illi in deſerto præparauerat. Hoc enim manifeſtè innuunt verba*
E *illa (Datæ ſunt mulieri alæ duæ, vt volaret in locum ſuum, vbi alitur à facie ſerpentis) Deum ipſum eſſe locum, ſiue domum refugij, quo ſeſe mulier in ſolitudine abdidit. Conſtat verò ad eiuſmodi perfugium in deſerto inueniendum, minimè eſſe aptam aliorum arcanorum notitiam, nec in argumentis refutandis vim: eſſe verò valde ad rem, contemptionem terrenarum rerum, & cæleſtium æſtimationem.* Deinde vult ali à facie ſerpentis, græca phraſi, idem eſſe quod ali procul à ſerpentis conſpectu: nec enim eius perſecutio impedire poteſt, quod in penetrali animæ, ſancti fruantur maximo ſolatio. Alij autem per tempus, & tempora, & dimidium temporis, accipiendum eſſe de tempore, quod mulier in deſerto tranſigit, in ſpelunca, ſiue refugio diuinæ prouidentiæ, ſepta vndique tygribus, leonibus, ante gen-

Digitized by Google

tilitatis conuerſionem : tunc enim ſolitudo fuit in paradiſum commutata. Denique Alcazar, pro ſecundaria expoſitione alarum, vult per duas alas intelligendos eſſe Apoſtolos Paulum & Barnabam, quibus peculiaris à Spiritu ſancto gratia & audacia fuit collata, vt Euangelij lumẽ in gentes inueherent, & cæteris Apoſtolis viam ad gentium prædicationem reſerarent. Quod probat ex eo quod Apoſtolus Paulus de ſe & de Barnaba loquitur ad Galat. 2. n. 2. & 7. & aliis rationibus, quas apud ipſum require : ſufficit enim vt hanc interpretationem adducamus, ne aliquam ex his, quas reperio, ſciens prætermittam. Et quod ad hanc attinet interpretationem, ipſemet Alcazar eam non admittit, aſſeritque illam potiùs eſſe concionatoriam, quam litteralem.

Sententia noſtra, ex prædictis expoſitionibus, confirmatio & corroboratio. §. 2.

Et primò, quod diabolus perſequatur Eccleſiam per terrenas poteſtates; habes Alcazaris ſententiam huic expoſitioni fauentem. Nam exiſtimat perſecutionem mulieris deſignare primam perſecutionem ; ac dæmonem, Romanæ Eccleſiæ fundatione in primis ſtimulari, ad eam perſecutionem excitandam. At quinque modis Eccleſiam diuexatam fuiſſe aut diuexandam à dæmone cenſemus. Primo, per Iudæorum contumaciam, & ſynagogæ oppoſitionem manifeſtam promulgationi Euangelij: qui modus deſignatus fuit in eo quod Draco dicitur ſtetiſſe ante mulierem, & caudâ ſuâ tertiam è cœlo traxiſſe ſtellarum partem. Secundus modus eſt, per bellum initum cum Dracone ad extirpandum idololatriam: in quo bello, rebellante dracone, miniſterio Romanorum Imperatorum, occubuerunt feliciter tot ſanctiſſimi martyres, qui moriendo victoriam reportarunt, & idololatriam è mundo propulſarunt. Sequitur tertius modus, nempe per inobedientiam quamdam Imperatorum ac Regum ſchiſmaticorum, qui legibus Eccleſiæ ſubdi noluerunt, ſeu non obtemperare iuſſis filij maſculi, quem pepererat, incipientes iam regere gentes in virga ferrea : cuius autoritatem euertere non potuerunt, illius iuſſa excutere attentauerunt. Hinc dicitur draco perſequi mulierem, non quæ amplius erat paritura, ſed quæ iam pepererat maſculum, qui ad thronum Dei ſublimatus regebat gentes. Quartus modus, quo Eccleſia vexatur à dæmone, eſt per varios errores, & inſignem morum corruptionem ; qui modus deſignatur per flumen ex ore draconis prodiens. Vltimus eſt pro iuſtis, quos variis vexat tentationibus ; qui innuitur per prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Dei in ſe. Quod autem attinet ad tertium modum, qui per hæc verba deſignatur (*qui perſecutus eſt mulierem*) hanc meritò de perſecutione Imperatorum ſchiſmaticorum intelligo ; Nam cum reuera inſignis fuerit excitata perſecutio ab his Imperatoribus, quæ per tot ſecula, Eccleſiæ perturbauit tranquillitatem, obmitti non debuit talis modus perſequendi Eccleſiam à ſancto Ioanne, inſigniores rerum euentus præuidente : vnde nihil abſurdi adducimus, ſi iam præcedentibus modis perſecutionum ſufficienter deſignatis, hunc in iſtis verbis intelligamus ; æque ac Alcazar illum de perſecutione Neronis intelligit. Et ad noſtram mentem plurimum accedit interpretatio Ambroſij, cum ait : *Perſequutus mulierem, id eſt Eccleſiam. Concitauit enim Imperatores Romanorum, omnemque multitudinem impiorum, ad perſequendum populum Dei : & cum hoc præſtiterunt ambitione vel auaritia, vel concupiſcentia ducti, patet dæ-* A *monem eos ſuo veneno infeciſſe, illiſque vitia inſtillaſſe ſuis nequitiis proportionata.*

Quantum ad alas, doctrinam cæleſtem (quæ in Eccleſia eſt, cui data eſt clauis ſcientiæ) & diuinam ſapientiam (qua cæleſtia prægustantur) nemo proculdubio hanc interpretationem tanquam nulla autoritate corroboratam rejiciet, qui S. Thomam perſpiciet dicentem : *Eſt meditatio intima, & affectio valida* ; hiſque duabus alis eleuari Eccleſiam ad diuina, & habere fixum ad Deum intuitum, quod ſint alæ aquilæ magnæ. Adde Ludouic. ab Alcaz. aſſerentem duas alas eſſe duos actus ſapientiæ, nempe temporalium rerum deſpicientiam, & ſpiritualium æſtimationem, & aquilam ſignificare ſapientiam ; B Æquè enim quadrat ſymbolum doctrinæ Eccleſiæ, ex principiis reuelatis deductæ ; & ſapientiæ, exinde voluntatem ad ſuperna guſtanda eleuantis ; quàm rerum mundanarum deſpicientiæ, vel ſpiritualium æſtimationi, vel meditationi, vel affectui, aut ſimilibus.

Fateor me particularem ſententiam adferre, dum aquilam, non ſanctam ſcripturam aut Chriſtum Dominum intelligo. Sed ſi quis meminerit ſedem Romanam illam eſſe, à qua veritatem doctrinæ ad cæleſtia ſubleuantis requirere debemus, & ex qua omnis ſacra rerum cæleſtium doctrina, tanquam è quodam fonte manat & profluit ; ac meminerit nos ſupra dixiſſe aquilam ſymbolum eſſe illius ſedis, C nihil abſurdi in noſtra interpretatione reperiet, ſed omnia ſymbolo quadrare fatebitur. Nullus enim gaudere poterit ſanâ doctrinâ, quâ ad cæleſtium contemplationem eleuetur, qui ab eius doctrina diſceſſerit ; nec vllus poterit ſuos affectus ad cælum dirigere, qui non fuerit eiuſdem Eccleſiæ præceptis obediens : vt per fidem rectam, & obedientiam perfectam, huic Eccleſiæ coniungatur, quæ à Deo eſt inſtituta ad confirmationem fratrum, & vt ab ea ſolidum cibum, quo nutriantur, exquirant. Vnde optime notat Baron. an. 490. ſedis eſſe Apoſtolicæ, vt potè ſcientiæ clauem poſſidentis, approbare aut improbare libros quoſcumque, ſiue recenter compoſitos, ſiue iam à multis annis in lucem editos ; D vt omnes ſciant illam tantùm doctrinam eſſe admittendam, quæ ab ea probata fuerit. Habet igitur Eccleſia duas alas aquilæ magnæ, quia inhærendo autoritati ſedis Romanæ, eiuſque parendo præceptis, facilè poteſt ad cæleſtia & contemplanda & amanda, ac prægustanda eleuari.

Denique quod apud religioſorum ac Monachorum congregationes hæc doctrina & ſanctitas, ſeu ſapientia diuina, locum ſeceſſus repererit tutum ; res ipſa clamat: vt mihi ſuperfluum videatur probationem rei notiſſimæ inſtituere. Et cum Andreas Cæſarienſis hunc locum etiam de ſenſili eremo intelligat, ſatis conuenienter de his ſenſibilibus locis, in quibus religioſi à mundo ſecedunt, etiam nos poſ- E ſumus ſolitudinem iſtam interpretari.

Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam, tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem. Et aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.

De oppugnatione per hæreſes.

ANNOTAT. XVI.

VIDENS Dæmon quod licet homines, vel ambitione, vel auaritia, vel concupiſcentia laborent, nihilominus ſi in fide Eccleſiæ ſtabiles

Digitized by Google

remaneant, & ad remedia peccatorum, nempe pænitentiam & alia Eccleſiæ Sacramenta recurrant, poſſe adhuc ſperare ſalutem: ex proprio pectore euomit mendacia, nempe errores, ac hæreſes, ſapientiæ hominum terrenæ, ac paſſionibus, & concupiſcentiis ipſorum fauentes: vt ſic illos ad ſe alliciat, ſciens homines, vt plurimùm, per quandam ad malum propenſionem facilè acquieſcere iis, quæ carni & ſenſibus ſuis gratiſſima exiſtunt. Traheretur enim Eccleſia cum illo in abyſſum, ſi erroribus conſentiret, aliquamue hæreſim in ſuo ſinu exciperet. At fallitur in ſua expectatione: ſolæ animæ carni ſeruientes, has doctrinas falſas ſuſcipiunt: quæ aperientes os ſuum, nempe errori conſentientes, Eccleſiæ auxilio fuerunt, ne ab eis hominibus terrenis grauaretur; ſicque ab ea recedentibus, ſana & incolumis remanet in fide & doctrina, abſciſſis illis, qui malis exemplis, & colloquiis prauis, mores optimos fidelium, & illorum fidem corrumpere aut violare potuiſſent. Nam quia corrigi, & à pecatis abſtinere nolebant, eorum certa erat damnatio, propter finalem impœnitentiam, etiamſi in Eccleſia permanſiſſent.

Plurimæ dantur horum verborum interpretationes. At, vt mihi videtur, inter eas hæc veriſimilior eſt, quam Ruperti autoritate confirmo, pro prima parte huius interpretationis, nempe flumen ſignificare errores, ſeu hæreſes, è diaboli ore prodeuntes. *Reuocemus*, inquit Rupertus, *ad memoriam de geſtis Eccleſiaſticis, quomodo poſtquam draco ille proiectus eſt in terram, poſtquam proficiente Chriſtiana fide, deſertis ac deſtructis idolis, amiſit vſurpatam, quaſi diuinæ culturæ gloriam, iam Romani faſtigio imperij filium adorante mulieris huius, qui raptus eſt ad Deum, & ad thronum eius, Chriſtiano Imperatore Conſtantino in fronte ſua ſignum geſtante crucis Chriſti, Arrius presbyter, magnus Hæreſiarches, ſub nomine Chriſtiano in blaſphemiam Chriſti filij Dei procaciter nimis erupit, loquacitate intolerabili. Et cognoſcemus quàm verè, quàm congruè, ſecundum rei gerendæ proprietatem iſtud in viſione demonſtratum, & taliter dictum aut ſcriptum ſit. Quid enim verius, quàm quod nunc ait, quia poſtquam vidit draco quod proiectus eſt in terram, perſecutus eſt mulierem, mittens poſt illam ex ore ſuo aquam tanquam flumen. Vidit enim diabolus non poſſe vlteriùs progredi veterem idololatriam; ſummis principibus inclinatis ad ſuſcipiendam Chriſtiani nominis profeſſionem, totum conuertit ſuæ malignitatis abundantiam ad ſcripturarum veritatem corrumpendam: atque hoc modo cœpit perſequi mulierem, quæ peperit maſculum. Vide quid dicat, quia non ait: Perſecutus eſt filium maſculum, ſed perſecutus eſt, inquit, mulierem, quæ peperit maſculum. Non enim per os Arrij, cæterorumque huiuſmodi hæreticorum, doctrinam profundens impiam hoc aperte exigebat à quolibet, vt negaret Chriſtum, ſiue nomen Chriſtianum; ſed vt Chriſtum quiſque confitens, aliam quàm Apoſtolica veritas tradiderat, reciperet confeſſionis aut fidei regulam. Hoc intendens, imo contendens, perſequebatur mulierem illam, vt de Chriſti Eccleſia, ſuam Satanas faceret ſynagogam.* Ita Rupertus. Qui etiam notat dici aquam, tanquam flumen; quia non erat verum flumen aquæ viuæ, nempe ſcripturæ ſanctæ, veræque doctrinæ Catholicæ, quamuis de ſcripturis diſputans, & teſtimonia vſurpans, aquam ſuam videri vellet flumen ſanæ doctrinæ. Addit Rupertus: *Vt quid hoc? Vt eam*, inquit, *trahi faceret à flumine, nimirum à fide in perfidiam, à veritate in mendacium, à luce in tenebras, à vita in mortem, ab altitudine in profundum, à cælo in infernum. Sic enim & tam in diuerſa, imo in contraria trahuntur, quicumque profluentem ex ore blaſphemantium hæreticorum loquacitatem mirantes ſequuntur.* Hæc Rupertus.

Ambroſius per flumen intelligit deſideria carnalia. *Flumen*, inquit, *aqua, deſideria ſunt carnalia. Videns autem diabolus Eccleſiam non poſſe deijci perſecutionibus, ſed potius creſcere & roborari, multitudinem deſideriorum carnalium ei immittere voluit, quibus decepta ad mala opera agenda retraheretur.* Ita Ambroſ.

Has interpretationes potius admitto, quàm illorum, qui ad perſecutiones recurrunt, vt Primaſius & Alcazar. Nam cum perſecutiones iam antea ſatis præſignatæ fuerint, non eſt ratio cur ad eas deſignandas rurſus Propheta recurrat. *Et adiuuit terra mulierem.* Per terram, Alcazar affectiones terrenas, & cupiditates intelligit, & Ambroſius ait: *Poſſumus per terram reprobos intelligere, qui ſuſceptores fuerint deſideriorum carnalium, quibus diabolus fideles irretire voluit, & ad ſe pertrahere.* Ita Ambroſ. Quod quidem noſtræ fauet interpretationi. Quod ſi hæc tibi non arrideat, ad hanc Ruperti recurre, quæ talis eſt: *Tunc, vſque, quando illud famoſiſſimum in Nicea Concilium feruor Chriſtiani Principis Conſtantini excitauit, publicis aſinis atque mulis, & curulibus equis, (ſeu currentibus) Epiſcopos, & qui cum eis erant, ad ſynodum venire præcipiens, tunc adiuuit terra mulierem quia de tota pene terra, de toto orbe terrarum conuenientes viri illuſtres ex omnibus gentibus, viri religioſi, viri famoſi, diſputare ſcientes, omni elocutionis arte exercitati, ad defendendam Catholicæ veritatis Eccleſiam conſederunt: inter quos eminentiſſimi erant magnus Euſtachius Antiochenæ Eccleſiæ præſul, & Euſebius cognomine Pamphili, aliique quam plures: quorum meritis & viui curati, & mortui ferebantur ſuſcitati. Inter quos erant etiam nonnulli, ferro ignito ſuperioribus perſecutionibus ambuſti, ſiue dextros oculos effoſſi, aut certe dextras ſuas abſciſſi. Vnus horum erat Paphnutius Ægyptius. Illic nimirum videbatur populus Athletarum & Martyrum Chriſti in vno loco congregatorum. Aderant ſimul Syri, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæſtini, Ægyptij, Thebæi, Lybes, Meſopotami, Perſa, Scythæ, Pontici, Aſiani, Phryges, Thraces, Macedones, Achaici, & Epirotæ, cunctarum omnino Eccleſiarum, quæ totam Europam Libyamque & Aſiam replebant: ſimul erant miniſtrorum Dei congeſta cacumina, vnaque orationis domus, tanquam à Deo dilatata, intrinſecus ferebat omnes in idem. Illic terra, id eſt conuentus de vniuerſa terra, aperuit os ſuum, ſcilicet ad loquendum, ad diſputandum, & ad proferenda teſtimonia ſcripturarum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo, id eſt, annihilauit atque damnauit ſectam doctrinæ nequam, quæ confecta fuerat ſpiritu diabolico. Illic namque Arrij dogma deſtructum eſt. Nihilominus ex tunc, quando Conſtantinopolitanum, quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, & tunc quando Epheſinum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Et tunc quando Chalcedonenſe, in quo Eutychis Dioſcorique prauitas reprobatur, celebratum eſt Concilium, terra aperuit os ſuum, & abſorbuit eiuſmodi flumen, euadente muliere, & duabus alis volante.* Ita Rupertus. Sed cum ex tali euentu non excandeſcat aut iraſcatur dæmon contra terram, quæ aperuit os ſuum, & exſiccauit ſeu abſorbuit, vel annihilauit flumen, draconem ſua ſpe defraudans, ſed potius tota ira ſua conuertatur ad mulierem, & ad faciendum prælium cum ſemine mulieris, priorem amplector interpretationem.

Notandum autem aptius eſſe doctrinam malam, quàm perſecutionem aliquam, per aquam tanquam flumen intelligere ex contextu. Aliud eſt enim dicere rapido curſu flumen vſque ad mulierem pertingere; quamuis illam, quia ſaxum immobile ipſa eſt, non traheret ſecum; aliud eſt dicere flumen decurrere poſt mulierem. Nam ſi primum diceretur; de perſecutione qua tanguntur fideles, proculdubio poſſet illud flumen interpretari. Nam tormenta, flagella, ignes & cruciatus peruadunt fideles, quamuis à bono propoſito ex illorum omnium perpeſſione non moueantur. At dum dicitur flumen decur-

Digitized by Google

rere poſt mulierem ; ſatis declaràtur, nunquam ad eam, falſam doctrinam poſſe pertingere : citiùs velut à facie ſerpentis, quàm rapido curſu flumen ab ore exiens ad eam accedat. Verum eſt quod draconis intentio eſt vt eam peruadat & ſecum trahat, ſed expectatione frandatur, dum alis cæleſtis doctrinæ, & diuinæ ſapientiæ, ſubuecta, citiùs penetrat mente cæleſtia, & deſiderio ad illorum amorem euehitur, quàm ne minimum quidem errorem admittat, aut aliquo terreno affectu, à deſideriis ſuis ac ſpe potiundi cœlum retardetur.

Et iratus eſt draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Et ſtetit ſupra arenam maris.

Vltimus vexandi fideles modus à dæmone intentus.

ANNOTAT. XVII.

OPORTET quidem *hæreſes eſſe*, ſed *vt probati manifeſti fiant.* Terra, id eſt, terreni homines ſuſcipiẽtes peruerſam, & falſam Satanæ doctrinam, adiuuerunt quidem Eccleſiam, & in eis recipiuntur diaboli mendacia ; & qui probati ſunt per fidelem mandatorum Dei cuſtodiam, & fidelem confeſſionem Ieſu Chriſti, hac ratione manifeſtantur. At quos tantopere dæmon odit, ſineret ne vitam tranquillam degere ? Minime. Certè iraſcitur in mulierem, quam non potuit per errores ſeducere : & quia nihil poteſt in rebus ſpiritualibus & bonis animi, quæ magis eluceſcunt, quò plus Eccleſia per hæreſes impugnatur ; ideo exoptat illos variis tentationibus agitare, & à Deo licentiam petit affligendi reliquos de ſemine mulieris, qui in fide conſtantes remanſerunt, & peccata ſua ex humana fragili- A tate contracta expiare contendunt per pœnitentiam, & condignam ſatisfactionem ; & mandatorum Dei obſeruationi ſedulò incumbunt, & Chriſtianam vitam feliciter degunt, Chriſtum imitantes in obedientia, patientia, & ſuipſius omnimoda abnegatione, volũtatem Patris cæleſtis, qui eos genuit verbo veritatis, & legitimos Eccleſiæ filios procreauit, fideliter adimplentes ; quo fit, vt quamuis multùm contra Eccleſiam dæmon iraſcatur, nihil tamen proficiet, ſed eius conatus futiles reddantur, ipſa tanquam ſaxum immobile eius impetus frangendo. Et hac ratione cogitur immorari in alio modo à præteritis vexandi fideles modis, nempe vt in rebus tranſitoriis, & mutationi obnoxiis nullam poſſint inuenire tranquillitatem. Quare ſi aliquam B ex praua ſua intentione lætitiam poteſt habere, hác habet in iis, qui quaſi arena ſitibunda nunquam carnis voluptatibus ſatiari poſſunt, qui nullo charitatis glutine ſeu vinculo ſociantur & connectuntur, & qui vanitate ſunt tanquam puluis, quam projicit ventus à facie terræ, auari, ſuperbi ambitioſi, litigioſi, vani, & carni inſeruientes.

Multæ poſſent hîc inſtitui notationes, de graui ſchiſmaticorum perſecutione, quæ proinde prædicta eſſe debuit in hoc libro; de fœlici Ordinum Religioſorum inſtitutione, ad Eccleſiæ auxilium à Deo ordinata. De doctrina ſana & ſapientia diuina, quæ potiſſimum enituit in congregationibus religioſis ; C Quantum amor ſolitudinis & à mundana conuerſatione receſſus valeat, ad pietatem tuendam & conſeruandam; De peruerſitate doctrinæ hæreticorum, qua Eccleſiam & pietatem auferre nituntur : Quantum vita carnalis & animalis idonea ſit ad recipiendos errores ; iuſtos denique à dæmone vexari in temporalibus bonis, ipſumque quieſcere in reprobis, & à glutino charitatis alienis. Sed quia quæ dicta ſunt ſufficiunt ad textus interpretationem, hæc omittimus, iſta addituri ſi vita comes fuerit. Nunc ad alia properamus.

FINIS CAPITIS DVODECIMI.

DE DVPLICI GENERE IMPIORVM, qui Sathanæ ſuppetias ferunt, vt Regni Chriſti in terris progreſſum impediat.

CAP. XIII.

HEV! quàm vera fuit illa vox de cœlo audita. *Væ terræ & mari: quia ad vos deſcendit diabolus habens iram magnam.* Stat in littore maris hęc mala bellua, vt duas alias ſibi ex mari & terrâ in auxilium a'ciſcat. *Sternutatio eius ſplendor ignis.* Nam ſplendore Eccleſiæ offenſus grauiſſimè, talem noxium vaporem à mente expellere nititur: ſed cum non valeat, cum impetu & fragore minas tentat, incendia pollicetur; & ad ea tantùm applicat animum, quæ ab initio conditionis ſuæ fuit meditatus (*homicida fuit ab initio*) cædibus Eccleſiam cruentare minitatur; rabie, ira & odio ardet totus, & lampades ardere facit, ſicut tædas ignis accenſas, de naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruentis. *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Hinc ferueſcere facit quaſi ollam profundum mare*, rubore & confuſione ſuffunditur ſe operam perdidiſſe, cum inuidiâ pulſus tot modis perſecutus eſt Eccleſiam; conſiliis ſuis fallacibus mentes decipere, & ad quælibet peccata perpetranda accendere prætendit: donec penitus in eis lumen à Deo inditum, vt à malis retrahantur, vt tæda accenſa tandem paulatim conſumatur. Et cum odoretur facile mentes decipi, illecebris appetituum carnis, ita inflammat concupiſcentiam, vt ad modum ollæ ſuccenſæ ac feruentis ebulliat in fumum prauorum motuum, vt ab eis mens obnubilata quocumque voluerit pertrahatur. Tam deprauato igne mentes ſemel accenſæ ad omne peccatum perpetrandum ſunt paratiſſimæ: exſufflet tantum Sathan, halitus eius has prunas igne concupiſcentiarum iam accenſas, ad quodlibet nefas exequendum inflammabit; & quod in occulto, id eſt, in corde, peruerſi meditabantur, citò ad Sathanæ imperium & nutum in flammam prorumpet: quo fit vt mundus igne auaritiæ ac libidinis, irarum, ſeditionum, inimicitiarum, odiorum, rixarum, ita ſuccendatur, vt ſit quaſi olla feruеſcens. *Impij* nempe *cor quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Ita fit vt ex profundo huius maris moribus perditi ac profligatiſſimi, facilè ille malignus ſpiritus procreet homines in malitia ac peruicacia ſibi ſimillimos, qui ei ſuppetiat ferant.

TEXTVS

Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata. Et ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.

Hinc vidi ex vnâ parte cum ſtaret in littore maris, nempe ex ipſo mari *beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.* Symbolum cordis in malo obdurati, & Sathanæ imperio pertinaciter obſequentis, eorum nempe qui tanquam *fluctus maris deſpumant ſuas confuſiones, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.*

Sicut igitur olim Spiritus ſanctus ferebatur ſuper aquas, vt ex eis animas Chriſto patienti ſimillimas & in cœlis conuerſantes produceret, ita hic malignus ſpiritus ardoribus ſuis amaras iſtas fouet mun-

A di aquas, vt ex eis attrahat qui ſecum Chriſto aduerſentur. Beſtia eſt, quia impij & animales homines vſum rationis amiſerunt, vt appetitui toti inſeruiant, & malitiæ peccati obſequantur. Beſtia aſcendens, quia *ſuperbia eorum qui oderunt Deum ſemper aſcendit*, & eo vſque progredietur vt extollatur ſupra id omne quod dicitur Deus, aut colitur, ſtans in templo Dei ſedens tanquam ſit Deus. Aſcendit de mari: nam *myſterium iam operatur iniquitatis. Vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*, de medio, inquam, maris turbulenti, bellorum ac ſeditionum pleni, in quo mundani *aſcendunt vſque ad cælos* per arrogantiam, *& deſcendunt vſque ad abyſſos* per deſperationem; in quo turbantur ventis & procellis paſſionum, & B quaſi ebrij diuerſis agitantur motionibus; in quo omnis ſapientia eorum quaſi deuorata, & fluctibus abſorpta iacet inutilis. Habet capita ſeptem: quot enim ſunt ad malum diaboli impulſiones aut ſuggeſtiones, tot ſunt in hac anima perdita ſuſceptiones aut mali affectûs. Auaritiâ pungitur: inuidiâ corroditur: luxuriâ ſtimulatur: irâ accenditur: Acediâ deprimitur: gulâ vexatur: Superbiâ in immenſum erigitur. In hoc infauſto ſuperbiæ capite decem habet cornua, coronis ſingulis redimita: quot enim in eâ ſunt facultates mentis, voluntatis, imaginationis, concupiſcibilis aut iraſcibilis appetitus, aut ſenſus, viſus, auditus, guſtus, odoratus, aut tactus, tot modis contra Deum inſoleſcit, ſibique aduerſatur, vt regnet in ea peccatum. Supra ſeptem capita tot C contra diuinam maieſtatem inſcribit blaſphemias. Prouidentiam negat: bonitati inſultat: omnipotentiam ludificat: iuſtitiæ derogat: dominationem ſpernit: diuinam eius eſſentiam omnium bonorum fontem quaſi pro nihilo ducit, dum *in corde ſuo inſipiens ait: Non eſt Deus.*

Hæ ſeptem vitia in quantum ad peccatum impellunt ſunt capita, in quantum ex hoc decem Dei mandata violantur, ſunt cornua, in quantum regnat peccatum in mortali corpore (qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati) ſunt diademata.

TEXTVS

Et beſtia quam vidi ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam.

Nec mirum: *Beſtia enim quam vidi ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam.* Sceleribus maculata, in fraudes & dolos verſatilis, ad effundẽdum ſanguinem velocius currens, ad malum amplexandum & proſequendum fortis, ad iuſtum cognoſcendum & amplectendum debilis, inſatiabili libidine fœdata, immanis, ſuperba, cru- D delis, omnibus terrorem incutiens. Tali perditiſſimæ animæ dat draco ſuam virtutem. Per hanc tanquam per aptiſſimum organum, ſuam exercet poteſtatem, ſiue errores ac mendacia diſſeminet, ſiue præſtigiis fallat, ſiue corpora vexet, ſiue ſenſus perturbet, ſiue appetitus impellat, ſiue ſpectris terreat, ſiue tentationibus variis exagitet, ſiue cruciatibus torqueat. Per hanc, ſimplicitatem Regni Chriſti eliminat, paupertatis amorem, manſuetudinem, compunctionem, iuſtitiæ ſitim, miſericordiam, concordiam, puritatem, patientiam è medio tollit, ne Chriſti regnum proficiat, aut radices agat.

Digitized by Google

Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt.

Vidi tamen primum ac præcipuum *de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem*, in his videlicet qui doctrinam ſuſceperunt Euangelicam, qua & auaritia, omnium malorum radix proſtratur, & ſuperbia, omnis peccati initium, eliditur: cum Chriſtus Dominus, qui venit vt diſſoluat opera diaboli, omnium & ſuipſius abnegationem cunctis indixit, & ad ſuam imitationem omnes prouocauit. Sed *plaga mortis mox curata eſt*: cum tam ſuaue iugum homines excutientes, fuerunt *ſeipſos amantes, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.* His enim vitiis dediti ad tantam deuenerunt inſaniam, vt Deum à ſe & à ſua mente expellentes, omnia ſibi licita exiſtiment, modò ſint poſſibilia, Deum non timentes, nec hominem reuerentes: facile in primam cordis duritiem redierunt, & in tantùm graſſata eſt impietas, vt & boni ſtupeant, videntes æqui ac iuſti ſubuerſionem omnimodam, nec intra vllos poſſe cancellos coerceri hominum effrenatam malitiam; & mali glorientur & gaudeant ſe ex inſperato ad hanc pro libito viuendi licentiam deueniſſe, nec vllum in terra reperiri qui valeat eis reſiſtere. *Sic adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ*, cum ei in omnibus pareant. Sic adorauerunt beſtiam, impietatem videlicet, cum ſint ad omne bonum opus reprobi, viæ illorum inquinantur in omni tempore, & dicunt. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?*

At beſtia hæc, iam viuens in reprobis, quia & nunc Anti Chriſti multi facti ſunt, tandem in capite omnium illorum vero & ſingulari Anti-Chriſto magnam accipiet poteſtatem, in quo huius in malo obſtinationis impetus potiſſimum elucebit, qui negando filium negabit & Patrem; cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ. His omnibus vitiis repletus, omnium regnorum, qui ante eum Chriſti Eccleſiam vexauerunt, impietatem æquè ac potentiam in ſe vno colligens, decem potiſſimùm Reges dominationi ſuæ proſternens, eorum diademata ſibi imponet, & omnes aliorum tyrannorum blaſphemias renouabit. Dicet cum Pharaone: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum.* Dicet cum Rapſace: *Quinam illi ſunt in vniuerſis diis terrarum, qui erruerunt regionem ſuam de manu mea, vt poſſit eruere Ieruſalem de manu meá?* Dicet cum Nabuchodonoſore: *Proſternite vos & adorate ſtatuam quam feci. Quod ſi non adorauerîtis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis. Et quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea?* Præcipiet cum Antiocho *vt ſit omnis populus vnus, & relinquat vnuſquiſque legem ſuam, & ne fiant holocauſta & ſacrificia in templo Dei*; ſe Dominum vniuerſi, ſe Meſſiam promiſſum, ſe Deum tandem prædicabit: cæteros peccati ſordibus, fraudibus, ſæuitia, amentia, libidine, ſuperbiâ ſuperabit.

S. Irenæus lib. 5. c. 29. In beſtia veniente recapitulatio fit vniuerſa iniquitatis & omnis doli, vt in ea confluens & concluſa omnis virtus Apoſtolica in caminum mittatur ignis.

Huic verè draco dabit virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, *cuius futurus eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus.* Videbitur tamen *vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem*, cum per prædicationem duorum Chriſti teſtium, eius prætenſa diuinitas, falſi & abſurdi manifeſtè arguetur, & miraculis præpotentibus conuincetur. Sed tamen plaga hæc mortifera curata eſt, cum hæc ſæuiſſima beſtia faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos tunc *admirabitur vniuerſa terra poſt beſtiam.* Ideo enim *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati*, & ita adorauerunt draconem. *Et adorauerunt beſtiam*, nempe Anti-Chriſtum, dicentes: *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Si iſti, de quorum ore egrediebatur ignis ad internecionem inimicorum ſuorum, qui cœlum claudebant ne pluuias daret, qui aquas in ſanguinem conuertebant, qui percutiebant terram omni plaga quotieſcumque volebant, huic potentiſſimo Monarchæ reſiſtere non valuerunt, quis ei ſimilis erit in potentia aut maieſtate? Quis cum eo congredi audebit?

Septem capita ſeptem Reges qui præcedent Anti-Chriſtum, quorum regna ipſe occupabit. Ita Cornelius à lapide, in quo aliquatenus fauet noſtræ interpretationi.

TEXTVS.

Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam.

Et adorauerunt draconem qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea.

Ne tamen cogites hæc omnia adimpleri Deo nolente, hæc permittet. Poſuit ſiquidem eum Chriſtus Dominus, vt oſtenderet fortitudinem ſuam, & vt narretur nomen eius in omni terrâ. *Ideo datum eſt* Anti-Chriſto *os loquens magna*, extollendo ſe ſupra id omne quod dicitur aut colitur Deus. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*, in quibus Eccleſia variis tentationibus quaſſabitur. Et ita ſecundum permiſſionem illi datam, *aperiet os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius*, Eccleſiam videlicet militantem, *& eos qui in cœlo habitant*, nempe Triumphantem. *Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum & gentem: & adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni qui occiſus eſt ab origine mundi.* Sed ne terreamini ab iſtis, imo potius *qui habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem duxerit*, nempe draco iſte, qui homines ſuos captiuos ſecum vult trahere in gehennam, *in captiuitatem vadet*, ac in tartarum mittetur. *Et qui in gladio occiderit*, nempe Anti-Chriſtus, *oportet eum gladio occidi.* Interficiet eum Dominus gladio oris ſui. In hac re elucet potiſſimum *patientia & fides ſanctorum*, vt quando impietatem viderint de bonis quaſi trophæa reportare, nihilominus animum minimè deſpondeant, ſed finem & exitum, permanentes in fide, patienter expectent.

Notanda valde hæc tranſitio qua omnibus, quæ ſupra dicta ſunt ſenſum litteralem attribuit.

Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias: & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.

At vnde tanta in corde humano nequitia? *Nonne*, O ſupreme rerum moderator, *bonum ſemen in agro tuo ſeminaſti? Vnde ergo habet Zizania?* Nonne creaſti hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis tuæ feciſti illum, vt eſſet veritatis ac bonitatis, & æquitatis amans? Nonne feciſti illum rectum, vt ad te tanquam ad ſuum finem omnes cogitatus, intentiones, ac actus dirigeret? Ita eſt, ô ſapientiſſime artifex. Sed homo infinitis ſe miſcuit quæſtionibus, tua Sacramenta intelligere non potuit, mercedem iuſtitiæ minimè ſperauit, nec quantus ſit honor in creatione illi datus ſatis perſpexit. In errorem à dæmone abductus eſt, cuius inuidia mors intrauit in mundum: excæcatus, malitiæ eius imitator factus in malo obduruit, & eo magis, quo maiorem in eo effuderas gratiam, dum à tenebris infidelitatis euectus ad admirabile lumen gratiæ tuæ eum vocaſti. Si enim refugiens mundi coinquinationes, in cogitatione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicatus, ſuperatur, facta ſunt ei poſteriora peiora prioribus. Quod optimè callens draco iſte, ſerpens antiquus, vt homines ad hunc malitiæ gradum deduceret, aliam è terrâ ſibi adiunxit belluam. Et ſicut calore iracundiæ ſuæ fouit fluxibile humidum maris, vt inſtrumentum malitiæ ſuæ aptum ſibi conformaret; ita ſiccitatem terræ irrigauit, vt aliam producat beſtiam, cuius ope hominum corda pleno iure poſſideat. O infœlix terra! Quam formidandum væ tibi obuenit, cum ad te diabolus deſcendit! Aperuiſti os tuum, vt abſorberes fluuium, quem ſerpens miſit ex ore ſuo poſt mulierem, *vt eam faceret trahi à flumine.* Et ecce nihil aliud germinabit, tali irrigata aquâ, quàm quælibet peccata: quæ tanquam tribuli ac ſpinæ conſcientiam tuam pungent & dilacera-

Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum & populum, & linguam & gentem: & adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni qui occiſus eſt ab origine mundi. Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum.

bunt. Nam amor carnis & tuipſius, fomite malæ concupiſcentiæ, ſeu fluxarum titillatione voluptatum irrigatus, heu! innumera peccata generabit: quæ cor tuum ad mentis excæcationem & obdurationem abſque dubio pertrahent. *Manifeſta autem ſunt* hæc germina, ſeu *opera carnis, nempe fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Qui autem talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Sic *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Et hac ratione dæmoni opitulatur ad euertendum Chriſti regnum, cum ſeipſam pro fine vltimo conſtituens, Dei inimica conſtituitur.

TEXTVS

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra: & habebat cornua duo ſimilia agni & loquebatur ſicut draco.

Iam igitur vidimus Beſtiam, quæ per Dei auerſionem ac odium malitioſè ſeu animi deliberata voluntate pertinaciter peccat, & diabolo fauet. Aliam perſpicimus è terra aſcendentem, nempe ſapientiam carnis, quæ per conuerſionem ad ſeipſam & creaturas, Deo iniurioſa eſt, & malitiæ & dæmoni opem fert plurimam, qua Deo aduerſentur. Hæc eſt illa prudentia carnis, *animalis, terrena, diabolica,* quæ è terra aſcendit, quia eorum eſt qui terrena ſapiunt, & cor ſuum ſtatuerunt declinare in terram. Aſcendit, quia cum ſubdita caro deberet eſſe ſpiritui, & in omnibus illi obtemperare, per hanc carnis prudentiam dominari intendit. Nullâ prædita eſt ſpeciali figurâ aut formâ, quia omnes induit, & modo vulpinâ fraude, modo lupinâ rapacitate, pardorum ſimulatione, ac veloci ſæuitia, canum impudentia ac inuidia, vrſina libidine, aſinaria ſtupiditate, porcinâ ingluuie, leoninâ ferocitate ac audaciâ fertur ad malum. *Habet cornua quaſi Agni*, quia concupiſcibilis & iraſcibilis appetitus motibus, eo lethalius animam ferit, quò blandius eam impetit; & vel bonum amœnum & conueniens appetere, vel malum noxium fugare aut expellere promittit.

Loquebatur ſicut draco, qui olim aiebat: *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Iſta autem dicit: Quare Deus tot oblectamenta in vſu creaturarum poſuit, niſi vt eis liberè vtamur? *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Et ſicut Sathan primos parentes ſuis perſuaſionibus ad rebellionem & defectionem incitauit, ita prudentia carnis homines ſollicitat vt Deum deſerant. *Sapientia enim carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.* Ideo *poteſtatem prioris Beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius:* quia quæcumque ſuggerit cordis malitia, vt Dei honorem conculcet, prudentia carnis ea fideliter exequitur; & ſi aliquam impreſſionem ſemel fecerit Euangelica prædicatio in mentibus hominum, vt ad Deum reuertantur; perſpiciens quod poſſit genio ſuo impunè indulgere, *facit terram & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis*, cum à falſis Prophetis dictum fuerit: *Locutus eſt Dominus. Pax erit vobis, & omnis qui ambulat in prauitate cordis ſui. Non veniet ſuper vos malum:* Vnde habitantes in terrâ hæc audientes, dixerunt: *Deſperauimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui faciemus.*

Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Et facit terram & habitantes in ea adorare beſtiam primam cuius curata eſt plaga mortis.

Hæc radix eſt germana amaritudinis, cum homines audientes verba Euangelij & teſtamenti Dei, vnuſquiſque benedicit ſibi in corde ſuo, dicens: *Pax erit mihi: & ambulabo in prauitate cordis mei. Tunc enim abſumit ebria ſitientem*, id eſt caro ebria voluptatibus abſumit animam ad fœlicitatem ſem-

A per adſpirantem, vt nihil cœleſte deſideret, ſed tantùm in voluptatibus carnis totum ſuum bonum repoſitum exiſtimet. Et hac ratione hæc prudentia carnis *fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* Eos enim, qui iam cœlum, puritate vitæ, morum innocentia, Dei & proximi amore tangebant, ita decepit, vt carnis curam faciant, omnibus notũ ſit ipſos à priſtina ſanctitate defeciſſe, & nihil aliud quærere quam vt voluptatibus cunctis indulgeant. Quod quidem perſpicientes, & has prodigioſas defectiones conſiderantes habitantes in terrâ, ad ſimilia perpetranda incitantur, ſibi licitum eſſe exiſtimantes quod perpetrari libertinè vident ab iis, quorum mores & vitam, & doctrinam olim ſuſpiciebant; ſicque in- B ducuntur vt faciant imaginem beſtiæ, vt leges condant pietati omnimodè contrarias, & potiſſimùm Euangelio, quo beſtia percutitur & eius malitia detegitur. Sed diabolo inſtigante vixit poſt plagam, cum abiecto Euangelij iugo homines ad priſtina ſcelera redierunt.

Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.

Hæc omnia mala ſapientia carnis operatur, quandiu in ſæculo ſunt & erunt multi Anti-Chriſti, & Deo rebelles, & obdurati peccatores; ſed potiſſimùm omnem nanciſcetur poteſtatem nocendi in quodam, qui veri Anti-Chriſti erit & præcurſor & adiutor. Permittetur enim illi *vt det ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago Beſtiæ, & faciet vt quicum- C que non adorauerunt imaginem Beſtiæ, occidantur:* nempe permittetur illi vt iſtæ leges peruerſæ admittantur, & recipiantur in mentibus hominum, & vt iuſtæ & æquæ habeantur, & vt loquatur imago Beſtiæ; quia multos habebit talium legum promulgatores; quin & vi & violentiâ adiget ad obſeruationem earum, ita ut quicumque talibus legibus minimè obtemperauerit, morte plectatur. Hic duo cornua habebit, id eſt poteſtatem Pontificiam & temporalem (ad modum Chriſti Domini, qui fuit Rex & ſacerdos, & cui data eſt poteſtas in cœlo & in terrâ) quibus Anti-Chriſtum ab omnibus coli & adorari procurabit. *Et loquebatur ſicut draco. Aſcendam & ero ſimilis altiſſimo.* Se enim authoritatem omnem Anti-Chri- D ſti habere gloriabitur. Et ſic *poteſtatem omnem faciet in conſpectu eius*, ipſi ſacrificando, eiuſque iuſſa exequendo: quæ quidem ita efficaciter præſtabit, vt omnes inhabitantes terram Anti-Chriſtum (cuius ſuperbia videbatur ad prædicationem duorum teſtium ad mortem vulnerata, ſed ipſis occiſis ad ſanitatem redierat) adorent & colant, & diaboli potentiâ fretus, vt vera ſigna è cælo data ab his duobus teſtibus, dum viuerent, æmuletur, faciet etiam in conſpectu hominum ignem deſcendere: qua quidem ratione, & propter alia præſtigia, ſeducet homines habitantes in terrâ, quibus leges imponet, impietatem Anti-Chriſti graphicè repræſentantes, Deo & Chriſto iniurioſas, ſanctis & Eccleſiæ con- E tumalioſas, eum coli & adorari optimo iure, dicet; quòd cum eius diuinitas temerario auſu fuiſſet ab his duobus teſtibus impugnata, ipſe tamen, vt Deus potens, in prælio eos vicerit, quo perſpicuum fiat ea quæ dixerunt, merum putum fuiſſe mendacium ab omnibus reijciendum. Et tali Anti-Chriſti Pontifici ſeu impoſtori, qui ad modum Chriſti Domini Vicarium ſibi cõſtituet, permittetur fidem adhiberi, alios habere ſibi adiutores, qui hæc de Anti Chriſto prædicent, & autoritate coactiua ad has leges recipiendas & obſeruandas cunctos adigent, qui mori maluerint. Dicet habitantibus in terrâ vt faciant imagines & ſtatuas Anti-Chriſti, vt qui longè diſſiti eum videre non poterunt, ſaltem huius imagine gaudeant; quin etiam (cum Chriſti diabolus ſit ſimia, & gloriæ eius æmulator) vt eius veræ & viui-

Notanda valde hæc tranſitio quæ ſuperioribus ſenſum litteralem & non tantum moralem facile tribuit.

Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ dicens habitantibus in terra vt faciant imaginem beſtiæ quæ habet plagam gladij & vixit.

Et datum eſt illi vt daret ſpiritum imagini beſtiæ & vt loquatur imago beſtiæ, & faciat vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ occidantur.

ficæ

ſicæ in Euchariſtiâ præſentiæ aliquid opponat, dabit A huic Prophetæ falſo, Deo ita permittente, vt faciat quod Anti-Chriſti imagines ſpiritum habere videantur, imo & loquantur, vt hanc blaſphemiam liberiùs & audaciùs euomere audeat: vos, ô cæci Chriſticolæ dicitis apud vos manere veſtrum Chriſtum viuum & verum, & quod vobiſcum ſit commoraturus vſque ad conſummationem, & in mortis eius memoriam fruſtum panis tantùm inanime ac inſenſibile oſtendere valetis. En videtis Chriſti noſtri potentiam. Hæ ſunt eius, non mortui, ſed viuentis imagines, quæ per ipſius in omni loco præſentiam, & viuunt & loquuntur. Adorate eas, niſi mala morte perire exoptetis. Sic nullus reperietur qui talibus præſtigiis ſeductus ipſum non adoret, nec vllus reperietur cuiuſcumq; ſit conditionis, aut ætatis, puſillus vel magnus, diues aut pauper, liber aut ſeruus, qui actibus & operibus ſuis ſe talia credere non profiteatur, quin & gloriabitur vnuſquiſque ſe Anti Chriſti ſeruum; & hac ratione ſe fœlicem & beatum fore ſperabit. Habebit enim characterem beſtiæ in dexterâ manu ſuâ, & in fronte, & cum omnes quærant quæ ſua ſunt, & nihil ex charitate, aut amicitiâ, aut beneuolentiâ agant, vt eos adigat ad portanda & habenda Anti-Chriſti inſignia, cauebit legibus ſuis, *ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis*; niſi iis qui vel imaginem, vel nomen, vel numerum nominis inſcriptum quocumque modo habuerint, iis nempe qui actibus ſuis Anti Chriſti impietatem imitabuntur, quorum nomina inſcripta erunt in libro mortis, vt potè reprobi; vel ſaltem eis qui ſecundum præſentem eorum ſtatum ſigna in ſe reprobationis conſeruabunt.

Et faciet omnes puſillos & magnos & diuites & pauperes & liberos & ſeruos habere characterem, in dextera manu ſua aut in frontibus ſuis: Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.

At cum magnopere vtile ſit hominibus penetrare quænam ſunt, quæ Dei maieſtatem, ita grauiter offendunt, vt nos a ſe repellat & abjiciat, vt ea ſeriò caueantur; eadem vos attendere admoneo. Sapienter enim agetis, ſi ad ea inquirenda animum adhibueritis. *Hic ſapientia eſt. Qui igitur habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt*; tum quia hoc computum, hominis facultates non excedit; tum quia peruium eſt hominibus in hoc malum incidere; tum quia hæc beſtia erit quidam ſingularis homo; cuius, æquè ac aliorum, Deus ſalutem exoptaret, niſi ſignaculum reprobationis in B eo expreſſiſſimum repeririſſet: quod ſignaculum numero in eius nomine contento, nempe ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto graphicè adumbratur. Signaculum enim hoc eſt finalis impœnitentia, & in malo obduratio, propter quam Deus pœnas & temporales & æternas ab hominibus exigit; & optimè ſignificatur in hoc numero, impœnitentia per ſexcenteſimum, æternæ & temporales pœnæ per ſexageſimum ſextum. Pœnitemini igitur & citò conuertamini ad Deum. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: ne ſi ea obduraueritis, hoc vobis cadat in æternam cum diabolo & Anti-Chriſto & eius adiutore damnationem. *Hic enim ſapientia eſt*, vt motiuum reprobationis & intelligamus & fugiamus, vt eam non incurramus.

Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt. Et numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

PRÆFATIO.

QVAM malè habet Dæmon: qui olim plenus ſapientia, & perfectus decore in delitiis fuit paradiſi, cuius opperimentum erat omnis lapis pretioſus, & poſitus in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulabat! Nunc verò quia repleta ſunt interiora ſua iniquitate, quia peccauit, & eleuatum eſt cor eius in decore ſuo, eiectus eſt de monte Dei, & in terram proiectus, & in cinerem redactus, & nihili factus eſt, in eſſe videlicet gratiæ, à diuina gratia omnino excluſus: quamuis ſeruatâ naturâ ſtet erectus ad præliandum contra ſemen mulieris in litore maris. Draco horridus, inſipientia plenus, decore gratiæ ſpoliatus, tormentis ac pœnis æternis addictus, omni nequitia & malitia circumdatus, à cœlo dilapſus, ab Angelorum bonorum conſortio remotus, vt in arena, id eſt, in variis hominibus ſtet, ira & furore nimio correptus: quo fit vt in Deum, & in Eccleſiam eius commoueat mare & aridam: vt (ſi fieri poſſet) omnium ſibi vſurparet imperium. Quinam autem ſint ij, qui ei ſuppetias ferunt in tam audaci propoſito, deſcribit S. Ioannes ſub typo duarum beſtiarum: vna aſcendit è gremio maris: altera è terræ penetralibus originem ducit. Præcipua eſſe videtur, quæ è mari aſcendit: nam quæ è terra emergit, eius obſequio mancipata eſſe cernitur, dum ſanctum Ioannem audimus dicentem: *Et poteſtatem beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: Et fecit terram & adorantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis*: tanquam ſi eſſet illius organum, & ad adorationem primæ beſtiæ procurandam, omnem ſuam adhiberet induſtriam.

At quænam eſt quæſo prima beſtia? Omnia certè in hoc libro ita optimè connectuntur, vt qui attentiùs cuncta ponderat, ex prioribus ſubſequentia intelligat. Quoſdam vidimus cap. 9. de quibus dicitur, quod *non egerunt pœnitentiam de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, neque egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque a veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.* Per quos & infideles in infidelitate permanentes, & mali Chriſtiani in peccatis obſtinati deſignatur. Quid de illis, quæſo, fiet? Erunt proculdubio ad ipſius Diaboli voluntatem captiui. Hos exiſtimo in hac beſtia depingi: & hac ratione illam ſignificare omnes, qui corde obdurato in malitia perdurant, vanitatis amatores, mundana ſuperbia, & ſapientia repletos. In quo miſerando ſtatu certè reperiuntur eſſe ij, qui dona Dei in ſudario reponentes, aut in terram fodientes, iudiciorum Dei contemptores, iram Dei theſaurizantes, qui ad pœnitentiam illos prouocabat, ad hoc adigerunt eius ſeueritatem, vt omnia auxilia ad conuerſionem idonea ab eis ſubtrahat, ne grauiori ſupplicio digniores reddant oblata ipſis, & ab eiſdem neglecta & contempta: quo fit vt in malis vſque ad vltimum vitæ halitum perſeuerent. Quorum nequiſſimum caput futurus eſt Anti-Chriſtus, in quo complebitur omnis cordis humani malitia, & ad vltimum perueniet gradum. Quod ſi ita eſt, ſatis perſpicitur quænam alia beſtia tantæ

A malitiæ poſſit opera ferre ſeu præſtare, eique inſeruire: nullaque aptior reperietur quàm amor inordinatus ſui ipſius, & appetitus carnalium, ſeu ſapientia illa carnis omnia appetens delectabilia, & gratiſſima ſenſibus. Pro explicatione igitur huius capitis, quærendum primò quænam ſit illa beſtia prima? Secundò eius deſcriptio proponenda. Tertiò quænam ſit ſecunda beſtia? Quartò eius deſcriptio erit delineanda.

Et vidi de mari beſtiam aſcendentem.

Prima beſtia eſt cor hominis in malo obduratum; & antonomaſticè Anti Chriſtus.

B

ANNOTAT. I.

Varia autorum ſententia. § 1.

ALCAZAR per beſtiam è mari aſcendentem Romanum intelligit imperium, propter alluſionem ad quartam illam Danielis beſtiam, c.7. quam eſſe Romani Imperij figuram ac ſymbolum liquidò conſtat, ex contextu antecedentium capitum, & ſubſequentium; & quòd quidquid de marina beſtia textus recenſet, ad Romanum Imperium idolorum cultorem aptiſſimè applicatur; denique quia in hac interpretatione totum Apocalypſeos filum facile ducit, & antecedentia cum ſubſequentibus attexit. Ita cenſet Alcazar. At, vt videbimus, C nondum de Romano imperio fit ſermo, niſi in quantum qui fuerant in eo Imperatores ea præditi fuerunt indole & malitia, quæ in hac beſtia deſignatur; & cum ſoli Romani Imperatores non fuerint Satanæ cooperatores ad Regni Chriſti oppugnationem, hac autem beſtia omnia Draconis organa debeant deſignari, ideo non debet iſtius beſtiæ ſignificatio ad ſolum Romanum Imperium coarctari. Quod ſi fiat quædam alluſio ad beſtiam Danielis, non eſt ſub hac ratione, quod vtraque beſtia Romanum Imperium deſignetur; ſed quia plurimi fuerunt Imperatores idolorum cultores in Imperio Romano, qui ea indole, qui in beſtia Apocalypſis è mari aſcendente deſignatur, præditi fuerunt. Et cum in D noſtra interpretatione omnia benè cohæreant, & cum antecedentibus & cum ſubſequentibus, & optimus filus deducatur, non eſt ratio cur ſignificationem huius beſtiæ ad ſolum Imperium Romanum limitemus.

Quidam, apud Andream Cæſarienſem, accipiunt virtutem quamdam viribus & nequitiâ Satanæ inferiorem, cæteris autem dæmonibus vtroque genere eminentiorem; per beſtiam vero, quæ paulò poſt è terra emergit, Anti-Chriſtum; quam tamen ſententiam non amplectitur: & Alcazar illam vt à Theologis deridendam adducit, dum aſſerit quoſdam cenſere hanc beſtiam eſſe dæmoniorum ſecundum, hoc eſt, non Satanam, qui princeps dæmoniorum eſt, ſed dæmonem alterum inferiorem Satanæ, & cæteris dæmonibus ſuperiorem. *Ridebunt*, inquit Alcazar, *opinor Theologi*. Qui etiam Alcaz. miratur quoſdam exiſtimaſſe hanc maris belluam eſſe ipſum

Digitized by Google

dominiorum principem: & meritò. Nam ſi draco eſt ipſemet princeps dæmoniorum, vt vidimus, vt pote Chriſto contrarius, occurrit in ipſo textu repugnantia, videlicet quia draco marinæ beſtiæ dedit ſuam virtutem & poteſtatem ampliſſimam. Hæc igitur beſtia, fædus habet cum dæmone, vt pote per quam ſuam exerit nequitiam, ſeu in qua omnes nequitiæ ſuæ effectus ſuſcipiuntur. At à dæmone reuera diſtinguitur, vt alius ſit draco, alius ſit qui per beſtiam è mari aſcendentem intelligitur.

Alij per beſtiam è mari aſcendentem Anti-Chriſtum intelligunt, vt Ambroſius. *Hac*, inquit, *beſtia Anti-Chriſtum ſignificat.* Quam opinionem ſequitur Rupertus, dum ait: *Ille draco, ille diabolus nunc alio quidem, ſed vicino nomine, Beſtia dicitur: non ab re, ſed pro noua rei magnitudine: quia videlicet, qui prius erat diabolus & draco dicebatur, in homine erit, & homine armabitur, qui & homo peccati. Homo, vt paulo ante meminimus, erit filius perditionis: idcirco pulchrè appellatio quoque mutata eſt, vt beſtia dicatur. Erit enim homo ille ſecundum operationem eiuſdem Satanæ, Deo & omni creaturæ infeſta.* Ita Rup.

Hyppolitus, & alij veteres de ipſo Anti-Chriſto præſentem locum interpretati ſunt, vt qui ex turbulento, plurimumque vndoſo vitæ huius mari egreſſurus ſit. Ita Andr. Cæſ. tum etiam dum poſtea diſtinctè ait: *Nos autem putamus per Draconem, Satanam, per beſtiam autem, quæ de mari aſcendit, Anti-Chriſtum: per beſtiam verò, quæ hoc loco è terra aſcendere ſcribitur, Pſeudo-Prophetam denotari.* Ita Andr. Cæſ.

Hanc ſententiam non admittit Alcazar, multoſque dicit ſeſe opponere huic expoſitioni de Anti-Chriſto; quoſdamque eſſe, qui adeo confusè & promiſcuè loquantur, vt vtram ſectentur viam diſcernere omnino neſcias; ex hiſque Haymonem. Albertum, & alios, qui referant explicationem de Anti-Chriſto & de dæmone, nec non eam quæ maris Beſtiam de imperiorum multitudine exponit, & cum vtramque complecti pariter, velle videantur nullam firmiter tenere. Denique hanc beſtiam de Anti-Chriſto intelligi non poſſe arbitratur, quod hæc ſententia videretur fauere errori Millenariorum, qui poſt Anti-Chriſti aduentum mille annos pacis excogitabant: nam alias inuerteretur ordo narrationis eorum, quæ in hac prophetia deſignantur, ſi victoria & pax Eccleſiæ futura, quæ in capitibus ſubſequentibus deſcribitur, poſtponeretur deſcriptioni Anti-Chriſti, qui per hanc beſtiam ſignificaretur. Fatetur tamen de Anti-Chriſto hîc agi indirectè, id eſt, de Romano imperio per comparationem ad Anti-Chriſtum; quæ res Apocalypſeos contextum ac ſeriem minimè inter turbat. Quomodo autem de Anti-Chriſto commodè poſſit, abſque vlla perturbatione & inuerſione ordinis rerum, hæc beſtia interpretari, Deo dante ex noſtra expoſitione videbitur.

Rejicit etiam Alcazar ſententiam eorum, qui maris beſtiam de quodam homine omnium flagitiorum turpitudine infami interpretantur, vt de Mahumeto, Siroe Coſdroe filio, Genſerico, Luthero. *Conſtat enim*, inquit Alcazar, *illas ſententias non eſſe explicationes, ſed applicationes, quibus Apocalypſeos filum duci continuata ſerie non poſſit; nec digna ſint huius libri magnitudine & grauitate: nec demum abſque magna violentia applicantur, quamuis nihil aliud niſi ipſa marinæ beſtiæ figura attendatur.* Attamen non exiſtimo ipſum ſcopum attigiſſe, dum exiſtimat fieri non poſſe vt ſeptem capita, quæ textus beſtiæ maris attribuit, ſingulari alicui perſonæ ſub eodem tempore aptentur. Quod ex capite 17. planum fit, ſeptem iſthæc capita non eſſe reapſe comprobanda ſiue aſſerenda ſub eodem tempore, ſed per ſucceſſionem atque

A decurſum, itaut de illis verè poſſit aſſeuerari: *Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit.* Quod perinde eſt ac ſi dicatur poſt capita quinque præciſa ac de mortua, ſextum eſſe ſuperſtes, nec dum ſeptimi tempus adueniſſe. At, ni fallor, beſtia è mari aſcendens alia eſt à beſtia capitis decimi ſeptimi: vel certè ſi quis reperiatur omnes conditiones beſtiæ è mari aſcendentis poſſidere, ſi ad beſtiam capitis decimi ſeptimi aliquatenus pertineat, hoc erit alia diuerſa ratione ab eis propter quas per beſtiam è mari aſcendentem deſignatur. Vnde non erit abſurdum ſi dicas beſtiam è mari aſcendentem habere ſub eodem tempore ſeptem capita; verbi gratia, ſeptem peccatis capitalibus aliquem eſſe fædatum, & poſtea pertineat ad vnum de ſeptem capitibus

B beſtiæ capitis 17. quod poſſideat aliquod imperium ex ſeptem quæ per illam deſignantur: quo fit vt non poſſit, in quantum deſignatur per beſtiam è mari aſcendentem, in eo verificari quæ de beſtia cap. 17. dicuntur, ſicut nec de eo dici habere ſeptem capita eodem tempore beſtiæ è mari aſcendentis, in quantum vnum eſt de capitibus beſtiæ cap. 17. per quam plurimi reges, ſeu plurima imperia aut regna ſibi inuicem ſuccedentia, nec pro eodem tempore exiſtentia ſignificantur.

Si à Victorino quæras quid per beſtiam aſcendentem ſimilem pardo intelligat? Dicet: *Regnum illius temporibus Anti-Chriſti cum varietate gentium, & populum commixtum ſignificat.*

C Primaſius verò per hanc beſtiam corpus diaboli intelligit, dum ait: *Hoc hîc mare poſuit, quod ante abyſſum, de qua dixerat aſcendere iſtam beſtiam. In vtraque autem ſignificatur populus. Populum quippe vides è populo aſcendere, & de populo beſtiam ſurgere. Beſtia autem generale nomen eſt, Agno contrarium: ſed in narratione intelligendum eſt, quam partem beſtiæ dicat. Aliquando enim diabolum dicit beſtiam, aliquando corpus eius; aliquando vnum ex capitibus ipſius beſtiæ, quod quaſi occiſum in mortem ſurrexit, quod eſt ſimulatio veræ fidei; aliquando ſolos præpoſitos dicit beſtiam. Nunc autem beſtiam aſcendentem de mari corpus diaboli dicit, habentem cornua decem, & capita ſeptem, & ſuper cornua eius*

D *diademata, & ſuper capita eius nomen blaſphemiæ. In eo quod ſe Deum vult haberi iuſtè dicitur blaſphemia nomine titulari.*

At diuus Thomas de hac beſtia loquens ait: *Hæc beſtia eſt corpus hominum multum peruerſorum. Capita ſunt principes, qui eis præſidebunt. Vnum autem illorum capitum principale erit Anti-Chriſtus.* Et paulo poſt: *Et vidi (ſcilicet interno viſu) beſtiam, id eſt, corpus, ſiue numeroſitatem hominum peruerſorum beſtialiter viuentium, & alios crudeliter deuorantium, ſcilicet vel nocumento ſpirituali vel corporali. Videtur autem hæc beſtia intelligenda multitudo malorum, non omnium, ſed eorum qui ſunt peruerſiores, & per quos diabolus decipit alios: hoc enim ſignificat nomen beſtia. In hac autem intelliguntur,*

E *& minores in dignitate ſeculi, & etiam maiores, quorum capita quidam ſunt aliorum; ſcilicet principes: Et inter hos vnus maximus erit Anti-Chriſtus, ſicut infra ſequitur. Vnde de hac beſtia videtur hîc principaliter agi, ratione Anti-Chriſti, qui eſt vnum principale caput beſtiæ. De beſtia hac, quantum ad corpus peruerſorum, Pſ. 35. Mala beſtia non aſcendet per eam.* Ita S. Thom. cuius expoſitio plurimum fauet interpretationi noſtræ modò adducendæ, vt videbimus.

Digitized by Google

Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, &c.

Cur per beſtiam è mari aſcendentem intelligamus corpus reproborum, ob cordis in malo obdurationem, quæ inſigniter apparebit in Anti-Chriſto? §. 2.

NVLLA potiori ratione ſcire poſſumus quænam ſit iſta beſtia, quàm ex nomine. Etenim nomen eſt rerum naturas, & proprietates indicans, maximè ſi imponatur ab aliquo naturas & proprietates rerum apprimè ſciente. Hinc Moyſes dixit Deum adduxiſſe ad Adamum, poſt illius formationem, cuncta animalia, *Vt videret*, inquit, *quid vocaret ea.* Geneſ. 2. vt hoc modo concipere poſſemus B quantâ præditus eſſet perfectâ rerum notione ac ſcientia. Idem enim eſt ac ſi diceret: Adeò optimè callebat animalium & volucrum naturam, vt nomina cuique conuenientiſſima imponeret. Lege Pererium in Geneſ. Euſebium, de præparatione Euangelica, lib. 11. adducentem.

Quod cum ſit veriſſimum, ſi ſemel in noſtram notitiã poſſit deuenire quale ſit nomen à Spiritu ſancto (ſapientiæ & omnis ſcientiæ inexhauſto fonte, de quo dicitur: *Si Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum.* Eccleſ. 39.) impoſitum huic monſtro, facillimum erit nobis conjicere quænam ſit illius natura ac indoles. At illud Spiritus ſanctus præſtitit, ſub ænigmate nihilominus tanta obſcuri- C tate inuoluto, vt vix ac ne vix quidem certum aliquid de hoc nomine ſtatuere poſſimus. Quod animaduertit S. Ireneus, lib. 5. aduerſus hæreſes, de hoc ænigmate diſſerens, quod tale eſt: *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Ex quo ænigmate proculdubio difficillimum eſt eruere quonam nomine vocetur hæc beſtia. *Certius ergo, & ſine periculo eſt*, inquit S. Ireneus lib. 5. *ſuſtinere adimpletionem Prophetiæ, quam ſuſpicari & diuinari nomina qualibet, quando multa nomina inueniri poßint habentia prædictum numerum. Et nihilominus quidem erit hæc eadem quæſtio. Si enim multa ſunt quæ inueniuntur nomina habentia numerum hunc, quod ex ipſis portabit qui veniet* D *quæritur. Quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis eius dicimus hæc, ſed propter timorem erga Deum, & zelum veritatis; Euan enim nomen habet numerum de quo quæritur, ſed nihil de eo affirmamus, ſed &, Latinos, nomen ſexcentorum ſexaginta ſex numerum valde veriſimile eſt, quoniam veriſſimum regnum hoc habet vocabulum: Latini enim ſunt, qui nunc regnant. Sed non in hoc nos gloriabimur, ſed & Teitan prima ſyllaba per duas græcas vocales (ε) & (ι) ſcripta, omnium nominum, quæ apud nos inueniuntur magis fide dignum eſſe. Etenim prædictum numerum habet in ſe, & literarum etiam ſex ſingulis ſyllabis exterius literis conſtantibus, & vetus & ſemotum. Neque eorum regum qui ſecundum nos ſunt, aliquis vocatus eſt Titan, namque eorum,* E *quæ publicè adorantur, idolorum apud Græcos & Barbaros habet vocabulum, & diuinum putatur apud multos eſſe hoc nomen, vt etiam ſol Titan vocetur ab his qui nunc tenent, & oſtentationem quandam continet vltionis, & vindictam inferentis, quod ille ſimulat ſe malè tractatos vindicare. Tale autem & antiquum, & fide dignum, & regale, magis autem & tyrannicum nomen. Cum igitur tantam ſuaſionem habeat hoc nomen Teitan, tamen habet veriſimilitudinem, vt ex multis colligamus, ne forte Titan vocetur qui veniet. Nos tamen non periclitabimur in eo, nec aſſeuerantes pronunciabimus hoc eum nomen habiturum, ſcientes quod ſi oportet manifeſtè præſenti tempore, præconari nomen, per ipſum vtique editum fuiſſet, qui & Apocalypſim viderat: neque enim ante multum temporis viſum eſt, ſed pœne ſub noſtro ſeculo, ad finem Domitiani* A *imperij. Hunc autem numerum hominis oſtendit, vt caueamus illum venientem, ſcientes qui eſt.* Ita Ireneus. Cur autem noluerit Spiritus ſanctus illud nomen infandum ſpecialius deſignare, cauſam refert S. Ireneus in eius indignitatem. *Nomen autem eius tacuit, quoniam dignus non eſt præconari à Spiritu ſancto. Si enim præconatum ab eo fuiſſet, fortaſsis & in multum permaneret. Nunc autem quoniam fuit & non eſt, & aſcendit de abyſſo, & in perditionem vadit, quaſi qui non ſit, ſic nec nomen eius præconatum eſt: eius enim quod non eſt nomen non præconatur.* Ita Iren. Si igitur ſanctus Ireneus non audet aliquid pro certo ſtatuere de iſto nomine, temerarium eſſet cuilibet aliquod nomen inducere, quaſi veriſſimum eſſet nomen, quo nuncupari debeat. Solius Dei eſt reuelare illud, qui noluit vt ante præſcriptum à ſeipſo tempus, inter mortales diuulgetur.

Idcirco non vt nomen inueniamus, ſed vt rationem nominis exquiramus, cuius notitia vtilitatem aliquam nobis afferat, quædam notanda veniunt.

Et primò notandum, quod cum S. Ioannes Græcè ſcripſerit, aſſumendæ ſunt literæ quæ hunc numerum conficiunt, vt ex eis literis nomen illud componatur: nam pro ratione numeri per quaſlibet literas Græcas ſignificati, erit diiudicandum an nomen his literis compoſitum fideliter numerum ſexcentorum ſexaginta ſex reddat, nec maiorem aut minorem contineat: apud enim Græcos literæ ſunt numerorum notæ, vt videre eſt

α 1	ς 6	κ 20	ο 70	τ 300	ω 800
β 2	ζ 7	λ 30	π 80	υ 400	ϡ 900
γ 3	η 8	μ 40	ϟ 90	φ 500	͵α 1000
δ 4	θ 9	ν 50	ρ 100	χ 600	͵β 2000
ε 5	ι 10	ξ 60	σ 200	ψ 700	͵γ 3000

Vnde iuxta illarum valorem nomen his literis cõponi debet, qui numerum ſexcentorum ſexaginta ſex reddat. Hoc notant Viegas & Alcazar, ſed poſt ſanctum Ireneum, lib. 5. qui ita ait: *His autem ſic ſe habentibus, & in omnibus antiquis & probatiſſimis, & veteribus ſcripturis, numero hoc poſito, & teſtimonium perhibentibus his qui facie ad faciem Ioannem viderunt,* D *& ratione docentibus, quoniam numerus nominis beſtiæ ſecundum Græcorum computationem, per literas quæ in eo ſunt, ſexcentos habebit & ſexaginta & ſex, hoc eſt decades æquales hecatontaſin, & hecataſondas æquales monaſin: numerus enim qui digitos ſex ſimiliter cuſtodit, recapitulationes oſtendit vniuerſæ apoſtaſiæ eius, quæ initio, & quæ mediis temporibus, & quæ in fine erit.* Ita S. Ireneus.

Notandum ſecundò ex his quæ modo diximus, non ſufficere vt reperiamus aliquod nomen, cuius literæ notæ ſint numeri 666. nam ab Ireneo, & à plurimis, multa adducuntur nomina hunc numerum conficientia, iuxta valorem litterarum quibus conſtat: quod tamen certum eſt non conuenire huic E beſtiæ. Requiritur tamen vt aliquod nomen indoli tam malæ beſtiæ conueniens inueniamus.

Dicendum primò in hoc capite mentionem fieri characteris, nominis, & numeri nominis beſtiæ, quibus tria potiſſimum indicantur. In charactere ſeu imagine beſtiæ, notæ ſeu ſigna reprobationis. Hic autem character, ſeu imago hæc cernitur in malis actibus, quos elicit & producit anima à gratia Dei aliena, ac Deo odibilis propter ingentia crimina, quibus inceſſanter maieſtatem ſuam offendit: tales enim animæ operationes, ſecundum præſentem iniuſtitiam, poſſunt eſſe ſigna euidentiſſima, moraliter loquendo, reprobationis & futuræ damnationis. In nomine ſignificantur hi, de quibus loquitur in ſua Epiſtola ſanctus Iudas, *qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium, Dei noſtri gratiam transferentes in*

Digitized by Google

luxuriam, & ſolam Dominatorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes. Qui non modo ratione effectuum ſeu actionum, quas operantur, reprobationis ſigna edunt, itaut timendum ſit ne damnationem æternam incurrant; ſed quod magis eſt, qui reuera damnandi ſunt, iamque ex ſubſtractione gratiarum Dei perſentiunt quam longe ſint à regno Dei, de quibus dicitur, Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum: neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum, &c.* Sed quaſi anima euaneſceret, cum corpus in cineres & fauillas redigitur poſt mortem, ſeſe in omnium vitiorum barathrum immergunt. In numero nominis beſtiæ dico ſignificari occaſionem ſeu motiuum, qua ſeu quo diuina impellitur Maieſtas, vt hanc numero perſonam rejiciat & à ſe expellat, ex eo quod propter multitudinem peccatorum ſuorum, quæ quotidie accumulat, indigna redditur cui miſericordia ſubueniat: Et in hoc numero reponuntur etiam illi, qui tandem miſericordiam conſequentur iuxta imperſcrutabilia Dei conſilia, & ſapientiæ diuinæ profunda iudicia, quamuis iuxta præſentem iniuſtitiam ad tartara detrudi deberent, & pars illorum cum dæmonibus eſſet in ſtagno ignis & ſulphuris reponenda: qui (quamuis ab eis omnia diuinæ gratiæ auxilia iuſtè ac meritò eſſent ſubtrahenda) quia tamen ſicut cælum exaltatur à terra, ita Dei cogitationes exaltantur ſupra cogitationes hominum, donum conuerſionis & finalis pœnitentiæ obtinebunt.

Tria hæc excludunt tres inſignes fauores à Deo repromiſſos perſeuerantibus, ſeu iis quos maiori dilectione proſequitur, dum ita Epiſcopum Philadelphiæ alloquitur, Apocalyp. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* En perſeuerantiæ donum. *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei.* Ac ſi diceret: Characterem habebit filiationis diuinæ, nempe per opera bona: *Ex operibus enim*, inquit, *cognoſcetis eos.* Et ex operibus Chriſtus ſe filium Dei eſſe teſtabatur. *Si non facio*, inquit, *opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ioan. 10. Character igitur filiationis diuinæ ſunt opera bona, cui opponuntur opera mala, in quibus imago beſtiæ cernitur delineata, & graphicè depicta. Addit Chriſtus: *Et nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo.* Quænam, quæſo, illa noua Ieruſalem, niſi ea ſit de qua Apoc. c. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo?* Quid eſt autem nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem habere ſcriptum, niſi in numerum prædeſtinatorum aſcribi, veluti qui ex bonis operibus meruerit inter cælorum ciues annumerari? Iuxta quod dicebat Chriſtus: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Tam excellenti priuilegio opponitur nomen beſtiæ, id eſt, illius qui præſcriptus eſt in hoc iudicium, vt à Deo ſit in æternum ſeparatus, & à communione beatorum ſecluſus. Denique addit: *Et nomen meum nouum*, non aliud proculdubio quàm nomen Ieſus, *quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Illo nomine inſigniuntur in quibus Chriſtus effectus redemptionis producit, vel qui verbo aut exemplo aliorum ſaluti conſulunt, mortificationem crucis Chriſti in corpore ſuo circumferentes, & Chriſto patienti per amorem & compaſſionem conformes; & qui proinde, propter vnionem quam habent per gratiam cum Chriſto, ſecundum præſentem iuſtitiam, ius habent ad gloriam. *Quotquot enim* aiebat Apoſtolus, *baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis.* Huic fauori opponitur numerus nominis beſtiæ, nempe ratio illa, ſeu mo-

A tiuum, quo diuina iuſtitia, propter præſentem iniuſtitiam, aliquem à ſua gratia repellit, & iure quod habebat ad gloriam expoliat.

Dico ſecundò probabile eſſe mentem S. Ioannis in hoc ænigmate ad hoc reſpicere potiùs, vt ſciamus quali indole præditus quis eſſe debeat, vt dignus reperiatur qui verè reprobetur, quàm vt ſciamus quo nomine ipſe nuncupetur. Nam cum reprobatio ſit de his quæ ad vitæ futuræ ſtatum pertineant, non tantoperè indigemus cognitione nominis aut tituli, ſub quo quis condemnari debeat ad pœnam ignis æterni (hæc enim in futuro ac finali iudicio ſcienda ſeu reſeranda ſeruantur) ſicuti eſt de re noſtra ſcire quænam ſint, per quæ tantum incurrere malum valeamus, vt illa euitare ſtudeamus, B illudque quod aiunt Theologi perficere; *Si tu non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.* Itaque cum S. Ioannes ea ſcribat, quæ vtilitati fidelium inſeruiunt, debuit ea potiſſimùm inculcare, quæ magis nobis proficiunt ad ſalutem conſequendam, & quæ nunc ad noſtram cognitionem deuenire poſſunt. Hac de cauſa, ni fallor, hic numerus dicitur *numerus hominis*, id eſt, qui poſſit ab hominibus percipi, nec excedat ingenij humani facultatem, vt de eius cognitione vtilitatem percipiant. Si igitur quæras quiſnam ſit numerus beſtiæ, aut numerus nominis eius, dico: Illud eſt, quo dignoſcere aut diſcernere poſſumus qua ratione quis ad tam luctuoſam perditionem deueni- C re queat, vt à Deo iuſtè reprobetur; eo fine vt ſi illam benè perceperimus rationem, ab hoc toto conatu, ſeu totis viribus quantociùs diſcedamus. Nam ſi de reprobato reduplicatiuè vt tali ageretur, illius omnino eſſet deſperata ſalus. At non deſperata eſt ſalus illius ſcilicet qui ſecundum præſentem iniuſtitiam dignus eſt qui reprobetur, quique ſi haberetur ratio operum illius, indignus eſſet cui Deus præſtaret miſericordiam: quia aliquando fit, vt imperſcrutabili Dei iudicio tandem à peccatis reuocetur, & redeat in gratiam.

Dico tertiò hunc numerum ponderandum eſſe, vt videamus an per illum, (ratione videlicet ſuæ ſignificationis) poſſimus dignoſcere ea, quibus la- D xis habenis ad perditionem extremam deducimur, & quibus propiùs accedimus ad miſerandum illum ſtatum, in quo à Deo reprobari demeremur. Videndum igitur ſi ex ponderatione numeri 666. (qui numerus eſt beſtiæ) poſſimus conjicere, quibus viis magis accedimus ad ſtatum reprobationis.

Dico quartò quodcumque nomen quo reprobatio animarum, in peccatis obſtinato ac pertinaci animo perſeuerantium, poteſt declarari, erit valde conueniens huic beſtiæ, modò ſeruet quandam conuenientiam cum iis, quæ per numerum 666. poſſunt ſignificari, & ſi componatur præterea ex litteris Græcis, quorum numeri his litteris tanquam notis indicati conficiunt ad amuſſim prædictum nu- E merum 666. Quod non ita intelligimus, ac ſi quodlibet nomen, cuius literæ notæ ſunt numeri illius, proprium eſſe poſſit nomen Beſtiæ, vel illi aptè conueniat. Sed præter hanc denotationem prædicti numeri, per literas quibus componitur, requirimus vt hoc nomen aliquid indicet, quod ſignificationi numeri ſexcenteſimi ſexageſimi ſexti conueniat. Hinc factum eſt vt plures multa nomina inuenerint, quæ hunc numerum conficiunt, & tamen beſtiæ non poſſunt conuenire, quia nimirum ad hoc non reſpexerunt, vt talium nominum ſignificatio cum ſignificatione ſymbolica numeri 666. quadraret ac conueniret. Non enim abſque ratione S. Ioannes affinxit beſtiæ potiùs numerum 666. quàm numerum 777. vel 888. Hoc enim factum eſt quia alia debet eſſe ſymbolica ſignificatio numerorum iſto-

Digitized by Google

rum,vt aliud quid indicetur per numerum 666. aliud per numerum 777. aliud per numerum 888. Quod non attendentes multi inuenerunt quidem quædam nomina hunc numerum indicantia; ſed quia illorum ſignificatio minimè conueniat cum ſignificatione numeri prædicti, ideo ſcopum minimè attigerunt,& à vero ſenſu interpretationis aberrarunt. Si quod igitur nomen hunc numerum conficiat, per literas quibus componitur,& talis ſit ſignificationis, vt ſignificationi numeri 666 reſpõdeat,illud nomen (vt mihi videtur) propiùs accedet ad mentẽ S. Ioannis, quàm ſi tantummodo redderet numerum 666.

Dico quintò: Cum S. Ioannes nos prouocat vt computemus numerum beſtiæ, hoc duobus modis ſumi poteſt, vel quod intelligat vt numeros per notas literarum deſignatos ſimul coaceruemus, itaut totalem numerum 666. præciſè conficiant, vnam vnius literæ alteri alterius literæ addentes; vel vt etiam hunc numerum ponderemus, ratione ſubtractionis cuiuſdam numeri, qui ſi adderetur alteram haberet ſymbolicam ſignificationem à ſignificatione numeri 666. qui ſubtractus conuenientem habet ſignificationem cum ſignificatione prædicti numeri. Nam cum Ars Arithmeticæ ad hæc duo reduci videatur, ad additionem nempe vel ſubtractionem (nam regula multiplicationis ad additionem reduci videtur, & regula diuiſionis videtur eſſe quædam numeri ſubtractio, nempe vt per ſubtractionem & ſeparationem vnius partis fiat diuiſio totalis numeri (ſitque probabiliſſimum ſanctum Ioannem reſpexiſſe ad omnimodam, & abſolutam artis Arithmeticæ notitiam & peritiam; ideo dum prouocat ad computandum numerum 666. vult vt hoc faciamus iuxta omnes artis regulas: perfecta nempe eſt artis peritia dum omnes regulæ illius in ratione computandi obſeruantur. Si igitur quoddam nomen beſtiæ imponeretur, cuius literæ maiorem numerum quàm ſit numerus 666. conficerent; ſed per ſubtractionem cuiuſdam partis illius reperiretur & numerus 666. & quædam ſignificatio illius numeri ſignificationi reſpondens, non abſurdè diceremus hoc nomen poſſe etiam beſtiæ conuenire, ac ſi illud nomen ſolum redderet præciſè numerum 666. Qua quidem ratione ingenio hominum latiſſimus relinquitur campus inquirendi quodnam nomen beſtiæ conueniat, nec non apparet quanta difficultas reperiatur in inuentione alicuius nominis, quod liquidò conſtet proprium eſſe debere huic nefandæ beſtiæ. Confirmatur, quia ſi quis ſciret tantum vnam regulam Arithmeticæ, v.g. additionem, non eſſet perfectus Arithmeticus; ita qui computabit tantùm numerum 666. per additionem numerorum non perfecte computabit iſtum numerum, qui per ſubtractionem aut diuiſionem poteſt etiam computari. Hinc requiritur à S. Ioanne pro hac computatione magna ſapientia. *Hic*, inquit, *ſapientia eſt. Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ.* Ac ſi diceret: in hac computatione ſeruentur à ſapiente omnes artis regulas,iuxta ordinarium computandi modum, quo homines vti ſolent in ſuis computationibus & calculationibus: conſentaneum eſt enim rationi, vt cum hic agatur de re valde ad ſalutem adipiſcendam conducibili, nempe de cognitione eorum,per quæ quis poſſet damnationẽ incurrere,& in ordinem & numerum reproborum reponi, nihil requiratur humanas vires, aut communes agendi rationes à longe excedens; præcipuè cùm homines adeo ad malum ſint propenſiores, vt facilè in hunc incidant ſtatum, niſi Deus illis ſubueniat, & eorum malitiam ſua præueniente gratia anteuertat. Vnde ille numerus reprobationem indicans dicitur numerus hominis, quòd facillimum ſit hominibus in tam

A periculoſum ſtatum incidere.

His omnibus præſuppoſitis, inquirendum reſtat cur S. Ioannes potiùs tribuat beſtiæ numerum 666. quàm alium. Secundò adducenda erant quædam exempla nominum aliquorum, quæ iuxta talem numerum, habitâ potiſſimùm ratione ad illius ſignificationem, poſſunt beſtiæ affingi ſeu aſſignari; Deo relinquentes (qui fortè hoc nomen S. Ioanni reuelauit, vt in tempore ſuo illud Eccleſiæ reuelet, vel etiam reuelare velit interpretibus) quod nomen præcipuè magis ſit idoneum ad denotandam formalitatem illam, ſub qua omnes damnati in genere, aut hic vel ille reprobus in particulari à Deo flammis deputantur æternis; vel ſaltem ſub qua for- B malitate quis dignus ſit qui ad inferni pænas deputetur. Et ſatis erit ad noſtrum propoſitum, ſi quædam nominum exempla afferamus, per quæ (vt hæc mala euitemus) poſſimus dignoſcere quænam ſint, per quæ æternam debeamus incurrere damnationem, vt ſic ſaluti noſtræ inuigilemus attentiùs.

Cur numerus 666. Beſtiæ tribuatur; & quomodo ex iſto numero quænam ſit illa beſtia conficiatur? §. 3.

Non erit fortaſſis ingrata huiuſce myſterij perquiſitio. Sciendum igitur quinarium numerum ſignificare maxima & magis efficacia dona quæ à Deo impertiantur, vt ex eorum optimo vſu merita C conquiramus. Quod conjicio ex his verbis Domini, Matt. 25. *Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Quod ſi attentè perſpexeris ad quemnam gradum meriti, fructus noſtri accreſcat laboris, inuenies per quodlibet ex his quinque talentis nos poſſe centeſimum fructum comparare, itaut vnum talentum vſque ad centeſimum multiplicetur. Licèt enim Dominus pecuniæ æquo animo ferat ſi ad duplum lucrum accreſcat, iuxta illud: *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque lucratus ſum*; vel ſi maius lucrum requirat, grato ſuſcipiat animo ſi ad decem pro vno lucrum perueniat, iuxta illud Luc. 19. *Domine, ecce mna tua decem mnas acquiſiuit.* ſuam- D que voluntatem expletam eſſe arbitretur, ſuæque benignitati ſatis factum fuiſſe exiſtimet, ſi quod in nobis eſt perficiamus, & pro ratione virtutis noſtræ, gratiæ ipſius & donis cooperemur; tamen valde credibile eſt eum minime offendi, ſi lucrum & medietatem excedat, & ad decem pro vno perueniat. Quod ſatis innuitur ex eo quod ſpe maioris lucri allectus, ex fidelitate & optima negotiatione ſerui, à quo decem pro vno ſibi comparata fuerunt, mnam vnam ablatam à ſeruo negligente tradat ei qui decem ex vna iam acquiſierat, certus quod in manu fideli pecuniam ſuam deponeret. Vnde ait Dominus: *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet,* E *& quod habet auferetur ab eo.* Quod ſi requiras ſub quo numero vltimus gradus meriti in ſcriptura deſignetur: hoc ex parabola ſeminis addiſcimus, dum apud Matth. 13. c. dicitur: *Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.* Ex quibus verbis ſatis perſpicuum eſt maiorem fructum gratiarum Dei numero centeſimo deſignari, & proinde vnumquodque talentum ex his quinque, totum quod ex eo expectari poteſt lucrum comparari, ſi ab vnoquoque centeſimum fructum accipias, itaut ex quinque talentis, quingenta talenta acquiras.

His præſuppoſitis, Dico quod ſicut terra optima hunc fructum affert, vt ex vno centum, acquiras, ad parem malitiæ gradum cor peſſimum hominis po-

Digitized by Google

terit deuenire, vt à Deo tantò longiùs diſcedat, donorum Dei contemptu, quanto de die in diem quis optimo donorum Dei vſu ad Deum propius accedit, maiora ſcilicet comparando lucra: itaut ſi fidelis ſeruus hac ratione ſuam vltimam nanciſcatur perfectionem, ita peſſimus ſeruus vltimam periodum malitiæ attingat, tot tranſgreſſionibus diuininorum mandatorum, quot ſubmiſſionibus diuinæ voluntati ille nititur ſuam obtinere perfectionem.

Licèt autem verum ſit quod malitia noſtra nunquam talis ac tanta erit, quin ſemper miſericordia & bonitas diuina illam longe interuallo ſuperare valeat, fatendum tamen aliquem gradum dari malitiæ, quem ſi ſemel anima attigerit, in tali ſtatu reponitur, vt incapax ſit remiſſionis peccatorum; quod videlicet omnia media, quibus poſſet à peccatis reſipiſcere, ipſa reſpuat & rejiciat. In hoc ſtatu ille eſt qui peccat contra Spiritum ſanctum, de quo dicitur; Matth. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo neque in futuro.* Vel, vt ait S. Marcus c 13. *Sed erit reus æterni delicti.* Cum igitur certum ſit dari aliquem ſtatum, in quo anima ponitur, dum omnia Spiritus ſancti dona negligit, rejicit ac reſpuit, quibus poſſet optime diſponi ad peccatorum remiſſionem ſuſcipiendam, & ſine quibus eam non poteſt comparare, nunc diſcutiendum ad quem gradum malitiæ quiſperuenire poſſit, qui talis ac tantus non ſit vt in tali ſtatu periculoſiſſimo conſtituatur, ſed in eo aliqua ſpes ſalutis adhuc refulgeat.

Dum anima capax eſt remiſſionis peccatorum, euidentiſſimum eſt eam minimè eſſe irretitam huius peccati laqueis, de quo Saluator pronunciauit non remitti, neque in hoc ſeculo nec in futuro, ex eo quod non retractetur per finalem impœnitentiam illius qui in peccato perſeuerare intendit. Idcirco ſi ex ſcriptura habeamus quemdam numerum adaptatum ad denotandum peccatorum condonationem, fas erit aſſerere quòd licèt quis vſque ad hunc numerum completum peccata ſua multiplicauerit, tamen toties quoties illud perpetrare contingerit, capax eſt veniæ, ſi veniam poſtulauerit. At, inquies, quinam eſt ille numerus à Saluatore vſurpatus, ad denotandum peccatorem non eſſe adhuc extra ſpem veniæ repoſitum, imo eſſe capacem veniæ & remiſſionis peccatorum? Aſſero illum numerum reduci ad quadringentas nonaginta vices.

Hoc conjicio ex eo quod ad interrogationem Petri: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties?* Dominus reſpondet: *Non dico tibi, vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Matt. 18. Id eſt, quadringenties nonaginta vicibus. Decem ſi addas, conficies numerum quingenteſimum. Rem igitur ſic deduco. Semel aliquis peccet contra vnumquodque præceptorum decalogi, decem committet peccata. Reiteret iſta peccata ſeu præceptorum tranſgreſſiones, quadringentis nonaginta vicibus, quæ ex numero ſeptuageſimo ſepties repetito exſurgunt: Habes numerum quem Dominus veniæ affinxit. Ingens quidem, at non tantus vt ſpes veniæ auferatur, dicente Domino: *Non dico ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Quod ſi malitia in tantum accreſcat per actuum reiterationem, vt ad centeſimum numerum perueniat, vt excedat centum vicibus numerum ſub quo tempus remiſſionis ac condonationis peccatorum deſignatur, itaut eadem ratione qua per centeſimum fructum vltimus noſtræ perfectionis gradus ſignificatur, pari ratione vltimus malitiæ gradus in hoc centeſimo numero de-

A notetur; certè abſque iniuria aut æquitatis violatione Deus qui 490. vicibus cum decem primis tranſgreſſionibus peccata noſtra condonauit, propter reiterata peccata per centum vices, iram ſuam contra nos in vltionem excitabit; & quia indigni redditi ſumus, quibus præſtetur miſericordia, propter malitiam ad extremum vſque gradum perductam, ſubtrahat omnia diuina auxilia; quorum ſubtractione, motionibus & inſpirationibus Spiritus ſancti reſiſtimus, & quidquid ſuggerit reſpuentes in tantam mentis cæcitatem & voluntatis obdurationem deuenimus, vt nullus veniæ relinquatur locus. Si igitur decem vicibus, quibus quodlibet præceptum Decalogi ſemel violatur, addas 490. vi-
B ces, quibus rurſus iſta præcepta violantur (quamuis ſpem veniæ non excludant, ſeu non ſignificent veniæ excluſionem, cum talis numerus non vſurpetur à Chriſto ad eam ſignificandam) conficies quingenteſimum numerum. Huic adde ad complendam malitiam centum alias trāſgreſſiones præceptorum, habebis ſexcenteſimum numerum, decem pro primis tranſgreſſionibus; 490. pro reiteratione actuum cum ſpe veniæ, & centum pro complemento malitiæ, per quam anima extra ſpem veniæ collocatur; quia de facto ad hunc peruentus homo peccator non pœnitebit. Hæc eſt illa menſura nequitiæ, de qua Saluator dicebat: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Quod quidem ab eius ſeueritate
C exigit vt omnimodè ab eius gratia & miſericordia repellamur.

Objicies ex Auguſtino, Sermone 15. de verbis Domini, hunc locum Matth. ponderante: *Audeo dicere, vt & ſi ſeptuagies octies peccauerit, ignoſcas: ſi autem peccauerit, vt dixi, ſeptuagies octies, ignoſce, & ſi centies peccauerit, ignoſce; & quid dicam? Toties & toties omninò quoties peccauerit, ignoſce, &c.* Deinde poſtea docet multò pluries quam ſeptuagies ſepties Dominum condonaſſe peccata, quia decem millia talentorum dimiſit. Vnde concludit: *Ac per hoc omnes culpas, quæ in nos committuntur, parati ſimus ignoſcere, ſi nobis deſideremus ignoſci.* Reſpondeo nos non præcisè ad hunc numerum velle limitare diuinæ cle-
D mentiæ effectus, vt tantùm quadringenta nonaginta peccata dimittat, qui omnia poteſt igne miſericordiæ ſuæ abſumere, etiam ſi in infinitum multiplicarentur; ſed dicimus hunc numerum myſticè ſumptum ſignificare illum animæ ſtatum, in quo capax eſt miſericordiæ: quia ille numerus ſymbolum eſt condonationis omnium peccatorum. Quod ibidem S. Auguſtinus docet, dum ex ſeptuaginta ſeptem generationibus, ab Adamo vſque ad Chriſtum aſcendendo, cum Luca illas numerante à Chriſto vſque ad Adamum, ſignificatur nullam eſſe generationem in qua per Chriſtum peccata non potuerint dimitti. *Si ergo*, inquit Auguſt. *nulla generatio prætermiſſa eſt, nulla culpa prætermittitur vbi non debeat*
E *ignoſci. Nam ideo ipſius ſeptuaginta ſeptem generationis enumerauit, quem numerum Dominus in peccatorum remiſſionem commendauit: quoniam à baptiſmo cœpit numerare, vbi omnia peccata ſoluuntur.* Ita Auguſt. Qui rurſus in ſeptuageſimo ſeptimo numero myſterium reperit remiſſionis peccatorum, ex eo quod in numero decimo decalogus ſignificetur. *Lex*, inquit Aug. *denarius, peccatum vndenarium: lex enim per decem, peccatum per vndecim. Quare peccatum per vndecim? Quia tranſgreſſio denarij eſt, vt eas ad vndenarium. In lege autem modus fixus eſt; tranſgreſſio autem peccatum eſt. Iam vbi tranſgrederis denarium, ad vndenarium venis. Adeo magnum myſterium figuratum eſt, quando iuſſum eſt tabernaculum fabricari. Multa enim numeroſa dicta ſunt in magno Sacramento. Inter cætera, vela cilicina iuſſa ſunt fieri, non decem, ſed vndecim: quia per ci-*

Digitized by Google

licium oſtenditur confeßio peccatorum. Quid autem amplius quæris? Vis noſſe omnia peccata contineri numero iſto ſeptuageſimo ſeptimo? Septuplum ſolet pro toto computari, quoniam ſeptem diebus voluitur tempus; Et finito ſeptenario rurſus ad caput reditur, vt eadem forma voluatur. Per huiuſmodi formæ reuolutionem ſecula tranſeunt. A ſeptenario tamen numero non receditur: omnia enim peccata dixit: quando ſeptuagies ſepties dixit, quia illud vndecim ducto ſepties; ſiunt ſeptuaginta ſepties. Omnia ergo dimitti peccata voluit, quia ea ſeptuageſimo ſeptimo numero præſignauit. Ita Auguſt. Ser. 13. de verbis Dom. Habeo igitur ex Auguſtino primum quemdam eſſe numerum, quo myſterium remiſſionis omnium peccatorum figuratur, nempe numerus ſeptuageſimus ſeptimus. Habeo inſuper eſſe numerum quemdam, qui transgreſſiones legis poteſt figurare, nempe vndenarium. Pari Philoſophandi ratione dico numerum 490. iuxta aliorum ſententiam, qui hunc numerum deſignari volunt per verba Chriſti, *Septuagies ſepties* (idem enim volunt eſſe ac ſi Chriſtus diceret: Septuaginta vicibus numerum ſeptimum replica, ſeu ſeptem vicibus numerum ſeptuageſimum reitera & licèt tot vicibus, quas iſtæ replicationes ſeptuageſimi per ſeptimum, aut ſeptimi per numerum ſeptuageſimũ conficiunt peccauerit in te frater tuus, dimitte illi. Ita S. Hier. in catena D. Thomæ. Vel intelligendum eſt ſeptuagies ſepties, id eſt, quadringentis nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteres, quoties ille peccare poſſet. Ita S. Hier.) per hunc inquam numerum 490. dico ſignificari ſtatum, in quo anima adhuc capax eſt veniæ; & ſicut per vndenarium ſignificatur transgreſſio legis, ita etiam per ſexcenteſimum numerum ſignificari ac figurari illum ſtatum finalis impœnitentiæ, per repulſionem donorum Spiritus ſancti, qui quidem ſtatus excludit remiſſionem omnium peccatorum

At quod reuera talis numerus ſymbolum ſit finalis impœnitentiæ, habeo grauiſſimum autorem, ſanctum videlicet Ireneum, l. 5. aduerſ. hæreſ. c. 29. de nomine Anti-Chriſti verba faciens. *Congruenter*, inquit, *autem & nomen eius habebit numerum ſexcentos ſexaginta ſex, recapitulans in ſemetipſo omnem quæ fuit ante diluuium malitiæ commixtionem, quæ facta eſt ex angelica apoſtaſia. Noe enim fuit annorum ſexcentorum, & diluuium aduenit terræ delens in reſurrectionem terræ, propter nequißimam generationem quæ fuit temporibus Noe, &c.* Ita Ireneus. Quod ſi ex eodem Ireneo Adam peccatum commiſit ſexta hebdomadis die, vnde Dominus voluit eadem die mortem ſubire, ad tollendum Adæ peccatum (ita enim Ireneus, dum ait: *Recapitulans enim vniuerſum hominem in ſe, ab initio vſq; ad finem, recapitulatus eſt & mortem eius: manifeſtum eſt itaque quoniam in illa die mortem ſuſtinuit Dominus obediens Patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo. In qua autem mortuus eſt, in ipſa & manducauit. Dixit enim Deus: In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Hunc itaque diem recapitulans in ſemetipſum Dominus venit ad paßionem pridie ante Sabbathum, quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt, ſecundam plaſmationem eam, quæ eſt à morte, per ſuam paßionem donans, &c.* Ita Iren.) Sexta igitur die peccauit Adam. Sexcenteſimus igitur numerus optimum erit ſymbolum impœnitentiæ, quia per centum (quo ſignificari poteſt vltimus malitiæ gradus, ſicut per centum ſignificatur vltimus perfectionis gradus) peccatum multiplicabitur, vt pote ad extremum malitiæ gradum deductum. Quod autem centeſimus numerus vltimum perfectionis gradum ſignificet, habes ex Remigio in Matt. *Triceſimum*, inquit, *ergo fructum facit qui fidem ſanctæ Trinitatis docet; ſexageſimum verò, qui perfectionem bonorum operum commen-*

A *dat. Senario enim numero omnis mundi ornatus completus eſt. Centeſimum autem fructum facit qui vitam æternam promittit: Centenarius enim de læua tranſit ad dexteram. Per læuam autem vita præſens deſignatur, per dexteram futura. Aliter ſemen verbi Dei triceſimum fructum facit, quando bonam cogitationem gignit; ſexageſimum quando bonam locutionem; centeſimum, quando ad fructum boni operis perducit.* Ita Remig. in Caten. D. Th. Quin & Auguſt. l. 1. quæſt. Euangel. c. 10. *Centeſimus fructus eſt Martyrum, propter ſanctitatem vitæ, vel contemptum mortis; ſexagenarius Virginum, propter otium interius, quia non pugnat contra conſuetudinem carnis. Solet enim otium concedi ſexagenariis poſt militiam, vel poſt actiones publicas. Triceſimus verò coniugatorum: quia hæc eſt ætas*
B *prælantium ipſi habent acriorem conflictum, ne libidinibus ſuperentur.* Ita Aug. apud D. Th. in Cat. Igitur ſicut centum, vel vitam æternam, quæ eſt ſumma perfectio, vel bona opera, quæ maioris ſunt momenti quàm ſolæ cogitationes aut verba ſola; vel martyrium, quod quidem eſt ſummus quidam ſanctitatis gradus, ſignificat. Ita ſi in genere malitiæ adhibeatur, malitiam exhibebit ad ſummum gradum deductam. At talis eſt dum homo per impœnitens cor theſaurizat ſibi iram Dei in die iudicij, iuxta illud Apoſtoli, Rom. 2. *Secundum autem duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizat tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Concludamus igitur cum Ireneo, numerum ſexcenteſimum ſignificare recapitu-
C lationem quamdam omnis apoſtaſiæ, & iniuſtitiæ, & nequitiæ, & pſeudo-Prophetiæ; & ideo optimè per illum, ſtatum miſerandum animæ impœnitentis deſignari. *Sexcenti itaque*, inquit Ireneus, *anni Noe, ſub quo fuit diluuium, propter apoſtaſiam, & numerus cubitorum imaginis (Nabuchodonoſor videlicet, quæ habuit altitudinem cubitorum ſexaginta, latitudinem autem ſex,) propter quam iuſti in caminum ignis miſsi ſunt, numerum nominis ſignificat illius, in quem recapitulatur ſex millium annorum omnis apoſtaſia & iniuſtitia, & nequitia, & pſeudo-Prophetia, & dolus: Propter quæ & diluuium ſuperueniet ignis.* Ita Iren. Cenſet quippe Ireneus mundum tantùm 6000. annorum duraturum: quam ſententiam nunc non diſcutio, ſed penes fi-
D dem tanti autoris relinquo. Sed tantum ex eo oſtendo rectè ſtatum impœnitentiæ per ſexcenteſimum numerum deſignari, quod nobis erat probandum.

Cum vſque huc perſpexerimus quid portendat numerus ſexcenteſimus, diſquirendum quid indicet tum numerus ſexagenarius, tum ſenarius ſimplex.

Dico igitur quod numero ſexcenteſimo (quo ſtatus incorrigibilitatis cuiuſuis animæ deſignatur) ſanctus Ioannes ſexaginta ſex addit: primò vt exprimat ſub hoc ænigmate, vnde fit vt quis in talem impœnitentiæ ſtatum incidat. Secundò, vt indicet quænam ſupplicia ſubſequantur eum qui pœnitentiam reſpuit, & in execrabili peccatorum ſtatu lubens commoratur.

E Quoad primum, manifeſtum eſt iſtum numerum, per quatuor à decimo deficientem, aptiſſimum eſſe ſymbolum cauſæ ſeu originis incorrigibilitatis & impœnitentiæ, necnon ſubtractionis diuinorum auxiliorum: ex eo quod decem perfectionem legis deſignant, & ſepties decem ſeptuaginta conficiunt, ad denotandum perfectiſſimam, & abſolutiſſimam huius legis (quæ in decem præceptis continetur) obſeruantiam. Quod ſi à decem aut ſeptuaginta demas quatuor, ſex ex decem, aut ſexaginta ſex ex ſeptuaginta tantum remanebunt; qua ſubtractione numeri quatuor declaratur quod ſi ab actionibus humanis ſubtrahas impulſum quatuor virtutum Cardinalium, nempe prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis & temperantiæ, certè ita defectuoſæ apparebunt & ſordidæ, vt ab eis omnis gratiæ influxus auferatur,

Digitized by Google

feratur, iuxta illud: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Septenarius*, inquit Procopius in Exodum, *ſignificat oportere nos ſemper addictos eſſe cultui diuino.* Ita Procop. Si igitur aliquid ab hoc numero dematur, vnitatem v. g. aliquid vitioſum erit in opere, nos à diuino cultu diſtrahens, quod ſenario numero, vt à ſeptenario deficiente, ſignificabitur.

Deus enim Dominus virtutum tantùm ſibi complacet in iis qui virtuosè agunt. Vnde ſapientiæ primò dicitur: *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Sap. 1. *Iuſtus* quippe *Dominus & iuſtitias dilexit*: æquitatem æquanimiter videt, & gratanti animo ſpeculatur vultus eius. Deus ſimiles ſibi quærit: Deus fortis, & potens, Dominus potens in prælio ex ore ſuo euomit langueſcentes & tepidos, qui monet nos quod regnum cœlorum vim patitur, & quod violenti rapiunt illud. Non permanet ille ſpiritus puriſſimus in corpore ſubdito peccatis, nec in hominibus qui carnalia tantùm ſapiunt ac ſectantur, *Non permanebit*, inquit, *ſpiritus meus in homine: quia caro ſunt.* Et certum eſt quod *animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* Quid mirum igitur ſi illi, qui his quatuor virtutibus Cardinalibus deſtituti ſunt, ad perfectam mandatorum Dei obſeruantiam nunquam perueniunt? Vnde meritò à gratia excluduntur, quia nunquam Deo, vt par eſt, obſequi & obedire meditantur. Et quia nunquam à malo declinare ſtatuunt, per animi inſipientiam; nec Deo, nec proximo, nec ſibi reddunt quod iuſtitia exigit; nec vnquam, propter nimiam puſillanimitatem, prauis inclinationibus naturæ, aut dæmonum ſuggeſtionibus obſiſtunt, ſed in obſcœnis carnis voluptatibus ſemper volutantur, ideo incorrigibiles redduntur, nec vnquam ad legis diuinæ impletionem perueniunt, vt grati Deo exiſtant. Nunquam ſiquidem remouent à ſe peccata, quæ gratiæ ingreſſum obſtruunt, vt aliqualiter ad eam admittendam diſponantur: cum ſeſe ei continuò opponant per reiterationem peccatorum, quæ indeſinenter, audacter perpetrant, ſicque incorrigibiles permanent, nec remiſſionem peccatorum vnquam conſequantur. Quæ quidem peccatorum venia in numero ſeptuageſimo deſignatur: quia tunc perfecta eſt peccatorum venia, cum integra eſt in nobis fidelis obſeruantia mandatorum Dei. Ita conjicio ex Iſaia, interprete Hieronymo: *Et erit poſt ſeptuaginta annos, viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes ſuas.* Iſa. 23. *Septenarius autem & ſeptuageſimus numerus, qui vel de ſingulis diebus, vel de ſeptem conficitur decadibus, perfectam ſignificat & conſummatam pœnitentiam: vt iuſtè Tyrus, expleto pœnitentiæ tempore, in peſſimum redeat ſtatum.* Ita Hieron.

Quantum ad ſecundum, dico ſecundò numerum ſexaginta ſex deſignare mala, ſeu ſupplicia, quæ à Deo immittuntur obſtinatis, & in peccato obduratis, propter continuitatem nimiam peccatorum, & horrendam morum corruptionem. Notandum quippe eſt numerum ſenarium ſymbolum eſſe laboris continui, omnem requiem excludentis. Sex dies Deus inſumpſit in rerum creatione, & Exod. dicitur: *Sex diebus operaberis*; niſi huic numero vnum addas, vt ad requiem peruenias, iuxta illud Iob. c. 5. *Beatus homo qui corripitur à Deo. Increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius ſanabunt. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* Etenim

A optimè Procopius in Exodum: *Sabbatum eſt extremus ſiue vltimus ſeptimanæ dies, & præ ſe fert, quaſi ſub inuolucro quodam, aduentum Chriſti, qui apparuit in fine, & conſummatione & occaſu præſentis ſæculi. Per hunc obtinuimus tranquillitatem, & affectuum quietem. Nam dum in illo requieſcimus, conſequimur libertatem vitæ, non amplius in varios labores & vitia diſtracti. De hoc Sabbatho diſputat Paulus dicens: Manifeſtum igitur eſt quod Sabbathum relinquitur populo Dei.* Ita Procopius hæc verba explanans: *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices.* Vbi igitur non erit Sabbatiſmus, ibi erit labor perpetuus. Quod ſi numerus ſenarius ſymbolum eſt laboris, numerus ſexagenarius ex decadibus completus laborem maximum & improbum deſignabit,
B nullo fine intercludendum: nam ex gloſa interlineari, in Deuteron. 23. decima generatio denotat quamdam perpetuitatem, vt qui non intrant in Eccleſiam, etiam poſt decimam generationem, idem ſit ac ſi diceretur: nunquam. Igitur ſi ad ſexcenteſimum numerum addas ſexaginta ſex, præter expreſſionem originis, ſeu cauſæ incorrigibilitatis & impœnitentiæ finalis (nempe defectus quatuor virtutum Cardinalium, quæ neceſſariæ ſunt vt actiones noſtræ bonæ moraliter efficiantur, & ad peccati excluſionem, vt detur gratiæ diuinæ aditus & locus) etiam hoc numero ſexaginta ſex indicetur Deum ſupplicia & labores immiſſurum in eos, qui mandatorum ſuorum fuerunt contemptores &
C tranſgreſſores: non ſolum in æternum, quod numero ſexageſimo indicatur; ſed etiam temporaliter, & in hoc ſæculo, quod in ſenario deſignatur: ſiquidem Deus etiam pœnis exagitat eos qui ei reſiſtunt, *Quis enim reſtitit ei, & pacem habuit?*

Ex his videmus cur ſanctus Ioannes numerum 666. beſtiæ aſſignarit: nam cum ipſa beſtia denotet corpus omnium malorum, & præcipuè AntiChriſtum, qui caput eſt reproborum, vt pote in quo effectus reprobationis clarius eniteſcent; rectè hoc impœnitentiæ ſymbolum, & perpetui laboris ænigma proponit, vt ſciamus eos qui obſtinatè in malis & peccatis perſeuerant, quia concupiſcentiis inſeruiunt, quia ſuperbia vitæ extolluntur, iuſtè à
D Deo reprobari, & pœnis æternis & temporalibus ſubiacere, quæ nunquam ad aliquem Sabbatiſmum peruenire poterunt. Nam ſi iuſtis mors quidam eſt tranſitus à laboribus in quietem, iuxta illud: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.* Apoc. 14. impiis mors eſt initium dolorum, à pœnis temporaneis ad æternas, nullo fine intercludendas, fit tranſitus.

Probabilitatem ſeu veriſimilitudinem huius interpretationis, ex his quæ dicunt Primaſius & Rupertus accipe: aliquid quippe certi determinare aliquo modo temerarium eſſet, cum fateantur omnes hoc ænigma eſſe obſcuriſſimum. Adducendæ igitur ſunt hic variæ autorum ſententiæ, de numero be-
E ſtiæ, inter quas, ex interpretationibus Primaſij & Ruperti, noſtræ interpretationis veriſimilitudinem fas erit agnoſcere.

Variæ de nomine beſtiæ autorum ſententiæ. §. 4.

Exiſtimat Ticonius ſeu Auguſt. per beſtiam deſignari impios. *Et vidi aſcendentem beſtiam de mari, id eſt, de populo malo. aſcendentem dixit, hoc eſt, naſcentem; ſicut flos in bonam partem de radice Ieſſe aſcendit, beſtiam aſcendentem de mari impios dicit, qui ſunt corpus diaboli.* Ticon. hom. 10. Et 11. de nomine agens ait: *Numerus enim hominis eſt, id eſt filij hominis, cuius nomen in hæreticis ſibi fecit beſtia. Faciamus ergo numerum quem dixit, vt accepto numero, inueniamus nomen, & notam. Numerus, inquit, eius ſexcenti ſexaginta ſex:*

Digitized by Google

quem faciamus ſecundum Græcos, maximè quia ad Aſiam ſcribit. Et α & ω ſexcenti & ſexaginta ſex Græcis literis ſic fiunt χξς : quæ nota ſolutæ numerus eſt, redactæ autem in minographiam, & notam faciunt, & numerum, & nomen. Hoc ſignum Chriſti intelligitur, & ipſius oſtenditur ſimilitudo, quam in veritate colit Eccleſia, cui ſe ſimilem facit hæreticorum aduerſitas : qui cum Chriſtum ſpiritaliter perſequantur, tamen de ſigno crucis Chriſti gloriari videntur. Hoc ideo dictum eſt numerus beſtiæ, numerus hominis eſt. Ita Ticon. Vbi nota aliam debere eſſe notam numerorum ex literis Græcis, apud Ticonium, ab ea quam ſupra diximus, ſecundum quis χις redderet 810. χ nempe 600. ſignificat, ι 10. ς 200

Ad mentem Ticonij accedit S. Thomas, dum primò docet computandum eſſe numerum beſtiæ, qui per nomen Anti Chriſti importatur, & inſuper (B) cognoſcat numeri ſignificationem. Ne autem per illum numerum credatur Anti-Chriſtus eſſe Deus cum ſit tantum homo, oſtendit quis ſit numerus & quod Anti-Chriſtus eſt purus homo, non Deus: numerus ſcilicet nominis eius Anti-Chriſti, eſt hominis, non Dei : quia ipſe erit homo non Deus, quaſi dicat : Non Deus, ſed homo erit. Deinde docet S. Thomas non poni ſignificationem numeri ſcilicet 666. nec oſtendi quomodo in eius nomine ſit iſte numerus; quia per hoc magis excitatur attentio, ipſamque numerum poni ratione ſignificationis, non numeri; & iuxta Græcarum literarum valorem ad numeros ſignificandos. Tria nomina affert Anti-Chriſti, primum *Antemos*, id eſt, (C) contrarius : quia Chriſto contrarius erit, & eius honori. Secundum. *Arnoyme*, quod interpretatur, Nego; quia Chriſtum negabit eſſe Deum. Tertium *Teitan*, quod interpretatur ſol, vel gigas, quia dicet ſe ſolem iuſtitiæ, & gigantem geminæ ſubſtantiæ : quia ea quæ Chriſto verè conueniunt, ſibi falsò attribuet, quia ſuperbiſſimus erit. At iuxta valorem literarum Latinarum eumdem numerum reddit, nomen *Dic Lux*) quia dicet ſe Lucem : dicet enim ſe eſſe Deum. D. 500. I. vnum. C. centum L. 50. V. 5. decem.

Denique docet quid numerus nominis beſtiæ ſignet : propter hoc enim agitur hic de ipſo numero, & per ſex, minus perfectos. Per 60. mediocriter (D) perfectos; per 600. perfectiſſimos ſignificari vult. Per hunc ergo talem numerum, qui in nomine beſtiæ intelligitur, ſignatur quod Anti-Chriſtus dicet ſe Deum, cui ſeruire debeant homines in omni gradu vitæ, tam minus perfecti, quàm mediocriter perfecti, quàm perfectiſſimi; qui etiam poſſit ſecundum diuerſos gradus vitæ remunerare homines, præmio minori, vel medíocri, vel maximo, & ita per hunc numerum poterit æſtimari Deus ab erroneis, cum tamen ſit tantùm homo. *Vel*, addit S. Thomas, *in ſenario vnitatum, perfectionem naturæ in ſex diebus completa; in ſenario denariorum, perfectionem meritorum, quia denarius ſignat obſeruantiam decalogi. Senarius vero, per quem multiplicatur denarius, ſignat perfe-* (E) *ctionem eiuſdem obſeruantiæ, cum additione conſiliorum, in ſenario centenorum, perfectionem præmiorum, quia conſummata perfectio eſt, in præmio deſignari.*

Per hunc ergo totalem numerum ſignatur quod Anti-Chriſtus dicet ſe eſſe Deum, & principium omnis perfectionis. Hæc eſt computatio numeri nominis beſtiæ. Ita S. Tho. Qui in eo conuenit cum Ticonio, quod in numero iſtius nominis, ſimilitudinem Dei aut Chriſti (quam affectabit Anti-Chriſtus) exquirit. Reddunt autem numerum iſtum 666. nomina allata à S. Thoma, iuxta ſupra allatam notam numerorum ex literis Græcis, vt videre eſt.

α 1	α 1	τ 300
ν 50	ρ 100	ε 5
τ 300	ν 50	ι 10
ε 5	ο 70	τ 300
μ 40	υ 400	α 1
ο 70	μ 40	ν 50
ς 200	ε 5	

Multa habet hîc S. Thomas quæ conueniunt cum expoſitione Alexandri de Hales cuius fuit diſcipulus : qui quidem, numerus hominis eſt, ita exponit 3. *Numerus literarum nominis Anti-Chriſti oſtendit ipſum eſſe hominem, & non Deum & tria iſta nomina Anti-Chriſto aſcribit.*

Ambroſius difficultate rei perterritus de hoc numero agens hoc tantum dicit : *De hoc*, inquit, *numero multi multa dixerunt, pleraque nomina repererunt, in quorum literis hic numerus inuenitur : tamen ſi aliquod ex iis nominibus Anti-Chriſtus poſſideat, prauidere non potuerunt. Sed de re tam incerta nihil audeo definire. Quis enim ſcit ſi nomen, quod ei à parentibus imponetur, hunc numerum contineat?* Ita Amb.

Sapienter igitur Andreas Cæſarienſis dixit: *Accuratam calculi notitiam, vt reliqua itidem, quæ de Anti-Chriſto ſcripta extant, tempus & experientia viris prudentibus, & ſobriis manifeſtabit. Nam ſi in exquiſitâ nominis eius cognitione magnam aliquod operæ pretium ſitum eſſet illi vtique qui viſionem impreſſit, vt veteres rectè admonent, Euangeliſtæ illud patefeciſſet. Verùm diuinæ gratia aliud quam corruptoris perditique hominis nomen diuino huic libro inſerere viſum fuit. Veruntamen per modum exercitationis multa ſecundum B. Hyppolitum & alios confingi poſſunt nomina, quæ numerum illum complectuntur cum propria tum appellatiua, idque in omni propemodum lingua proprium. Exempli cauſa græcis ſit λαμπετὴς, latinè Benedictus, Perſicè Sarmnaus, ſimilis in cæteris linguis efformatio fiat. Appellatiua vero, vt κακὸς ὁδηγὸς, Dux improbus; ἀληθὴς βλαβερὸς vere noxius πάλαι βάσκανος, iam olim inuidus : ἀμνὸς ἄδικος agnus iniquus, quibus ab illis præcipuè appellabitur Anti-Chriſtus, qui errores illius auerſantur. Siquidem is gloriam ſuam in flagitiis probro dignis conſtituet vel maximè.* Ita Andreas. Admonet autem Primaſius ſiue per notam, ſiue per numerum nominis eius, indagandam eſſe beſtiæ ipſius nequiſſimæ voluntatis atque actionis qualitatem; & nomen Antemos, quod interpretatur; *honori contrarius*, illi tribuit, *quo*, inquit, *dicitur ineptus, importunus, incongruus, neque enim honor ei ſed Anathema conuenit : quo circa per numerum nomen, & ex nomine ſupputatus numerus inuenitur; atque ipſius interpretatione nominis, qualitas meritorum agnoſcitur.*

Deinde illi tribuit nomen *Arnoume. i. nego : nec mirum quod hoc vocabulo dignus dicatur Anti-Chriſtus, id eſt negationis, quam Chriſto nomen congruat credulitatis, ipſo teſtante cum dicit : Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit, &c. Itemque creditis in Deum & in me credite ac per hoc, ſiue honori contrarium dixeris : quod eſt Antemos, ſiue Nego, quod eſt Arnoume, iure ad Anti-Chriſtum poteſt vtrumque referri, vt pote per duas partes orationis, nominis ſcilicet & verbi, & perſonæ qualitas, & operis inſinuetur aſperitas.* Ita Primaſ.

Diximus ſupra probabile eſſe mentem S. Ioannis, in hoc ænigmate, ad hoc reſpicere potiùs vt ſciamus quali indole præditus quis eſſe debeat, vt dignus repetiatur qui vere reprobetur, quàm vt ſciamus quo nomine ipſe Anti-Chriſtus nuncupetur. Fauet huic ſententiæ Primaſius, cum docet indagandam eſſe qualitatem voluntatis, atque actionis beſtiæ nequiſſimæ, aut ex nomine (*contrarius*) perſonæ qualitates, aut ex verbo (*nego*) operis aſperitatem ſignificari. Ad Rupertum veniamus.

Digitized by Google

Rupertus primò docet in numero problema eſſe. *Quoniam*, inquit, *ad computandum non creatur alius, niſi qui ſapientiam habet.* & tribus nominibus ſupra iam ab aliis autoribus adductis: *Antemos Arnoume, Teitan* vnum Gotticum addit (*Genſerico*) quod interpretatur, *Gentium ſeductor*. Dubitat tamen an illa beſtia talibus volet nominibus appellari, talibus vocabulis ſalutari, qui nec nomine Teitan contentus erit, cum extollatur ſupra omne quod dicitur Deus, multo magis iuxta mentem Ruperti nomina non admittet, quæ ei aliquam inurant infamiam, qualia ſunt nomina ſuperiùs poſita.

Docet ſecundò quod etſi ſcriptura hoc locò nomen iſtud palam aſcriberet, & nominis huius numerum ſexcenta ſexaginta eſſe diceret, adhuc quoque ſupereſſe ad quærendum quid ad illum hominem hic numerus pertineret, & ad ſcripturam eſſet recurrendum, vt hoc problema poſſimus ſoluere, & myſterium iſtud intelligere. Deinde aſſerit duos hic numeros intelligi oportere, alterum nominis eius, quod illa beſtia ſibi vſurpat, ſcilicet Dei; alterum beſtiæ, id eſt hominis eius, quod ipſa erit. *Debuerat*, inquit, *vnus eſſe numerus creatoris & creaturæ, ſed creatura numerum ſibi alium elegit, diſſentiendo à creatore; numerumque creatoris eſſe ſeptenarium, numerum creaturæ eſſe ſenarium: hominemque in ſexto die creatum fuiſſe, vt poſt obedientiæ opus conſummatum, cum Deo in ſeptimo ſabbatizaret, id eſt requieſceret, eoque compleretur bono, quod ſignificatur dicendo: Cõpleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, ſignificat namque dies ſeptimus remunerationem boni operis, Apoſtolo teſte, Heb. 5. hominem verò tunc non introiſſe, nec diabolum vnquam introiturum in hanc requiem: nam vterque ſine Deo, imo contra Deum, in creatura mundi & in ſemetipſo voluit gloriari: At licèt diabolus glorietur: quidquid loquitur, quidquid agit non pertinet ad illam requiem. Non eſt de illa ſeptima creatoris, ſed tantummodo de creatura mundi, de concupiſcentia oculorum, de ſuperbia vitæ, ac proinde quaſi certo confirmatus argumento, ſciat & dicat, quia ille homo non ipſe, quem ſe eſſe dixit: non eſt Deus, ſed fallaciter ſe oſtendit tanquam ſit Deus. Quod ſi ſimplex homo eſſet, ſiue ſingularis, numero ſenario eſſet tantum opus ad illum hominem deſignandum. Sed quia licet homo ſit natura, tamen diabolus in illo totus erit, cum omni ſua virtute, tota plenitudine, & eiuſdem hominis aduentus, vt ait Apoſtolus, erit ſecundum operationem Satanæ, hac de cauſa ſimplici ſenario non contentus addidit ſecundum limitem, id eſt decimum, & ſexaginta facit: & tertium limitem, nempe centenum, & ſexcentos efficit: vt ſic indicet quod diabolus, (cuius ſecundum operationem ille homo veniet, qui in illo totus habitabit) poſtquam ſemel à requie Dei, à ſabbatiſmo cæleſti ſeſe excuſſit, ſecundò & tertiò laborem ſuum multiplicauit. Cum enim eſſet ille impius præuaricator foris à requie ſiue ſeptima die, & ſenarius eius adhuc ſimplex ſiue ſingularis eſſet, non contentus fuit labore ſuo: ſed adiecit per inuidiam, vt genus humanum in eumdem laborem traheret ſecum, decipiendo protoplaſtum, &c. Verùm nec iſto contentus adjicit adhuc vt illum hominem peccati, filium perditionis, totus ingrediatur: & faciet per illum id quod nunc de beſtia maligna præſenti loco miramur, &c. Bene igitur cum dixiſſet: Numerus enim hominis eſt: addidit: Et numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex: quia videlicet labor peccati, qui in homine cum Deo non ſabbatizante ſimplex eſt, in illa beſtia notis ſacramentis ſecundò; ac tertiò multiplicatus eſt.*

Denique docet Rupertus quomodo numquam labor illius finem obtinebit, quia nunquam aget pœnitentiam, dum addit: *Cæterùm numerum nominis eius, quem qui non habuerit, vendere aut emere non poterit, ſic falſo illi attribuitur, ſicut & ipſum nomen quo ſe iactat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Numerus namque ſeptenarius Dei eſt, agni Dei, inquam, qui die ſeptimo requieuit, & agni cuius in hoc ipſo libro ſeptem ſunt cornua, ſeptemque oculi. Denique quod hæc beſtia ſeptem oſtentat capita, violentum eſt atque contrarium contra illud, quod Deus die ſeptimo requieuit. Caput huius ſeptimum habet plagam mortis, plagam gladij, & non requieſcit, ſed ſemper laborat, & in labore viuit iuxta Pſalmiſtam dicentem, Et laborabit in æternum & viuet adhuc in finem. Idcirco & ſicut ſupra dictum eſt, Et ſuper ſeptem capita eius nomina blaſphemiæ, quia non eſt nomen eius Deus, quod inſcripſit ſuis capitibus.*

Iſte numerus meritò eſt, & pro vero illi attribuitur (ſicut iam dictum eſt) ſexcenti ſexaginta ſex, & nuſquam ad ſeptimum peruenit, quia nunquam pœnitentiam egit, ſiue acturus eſt, vt requieſcere poſſit. Ita Rupert.

Attende, quæſo, quomodo Rupertus nobiſcum ſentiat in numero ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, & impœnitentiam & perpetuum laborem inueniri.

Beſtia marina non ſolùm de toto corpore reproborum; ſiue propter præſentem iniuſtitiam, intelligitur; ſed etiam de Anti-Chriſto intelligitur, nec iſtud ſeriei aut connexioni huius prophetiæ vllo modo officit.

§. 5.

Quamuis non mei ſit inſtituti aliorum ſententias impugnare, tamen neceſſarium eſt (vt noſtra ſtabiliatur ſententia) duo fundamenta Alcazaris, quibus ſuam de Imperio Romano interpretationem fulcire nititur, diſcurrere.

Primum eſt nullo modo beſtiam marinam c. 13. debere intelligi de Anti-Chriſto. *Inficiari*, inquit, *mihi nemo poteſt marinam beſtiam cap. 13. non eſſe Anti-Chriſtum.* Ratio eius eſt quod poſt beſtiæ ipſius præcipitationem in inferos, mille pacis anni ſuccedant ante aduentum Anti-Chriſti: Secundum fundamentum eſt, alioquin ordinem rerum, quæ in hac Prophetia tractantur, permiſceri, confundi & inuerti.

Contra hæc duo fundamenta oppono noſtram de ſenſu huius prophetiæ acoluthiam: quæ ſi admittatur (quod prudentis Lectoris iudicio relinquo) certè abſque vlla permixtione rerum aut inuerſione, beſtia marina poterit etiam de Anti-Chriſto commodè interpretari. Patet hoc, ſi connexionem capitis duodecimi cum hoc capite decimo tertio (quam adhibuimus) conſideres, & inſuper connexionem capitis decimi noni cum capite 20. ponderes. At quænam eſt optima connexio capitis duodecimi cum capite decimo tertio?

Reuoca in memoriam quid de dracone in fine cap. 12. S. Ioannes refert, ipſum videlicet ſteitiſſe ſupra arenam maris, quaſi in ſtatione quadam militari, vt faceret prælium cum reliquis de ſemine mulieris, contra quam erat iratus. *Qui*, inquit, *cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.* Soluſne illud attentaret? Certè adeo eſt imbecillis & formidoloſus, vt ne Adamum quidem auſus fuerit aggredi, niſi ſibi Euam in ſociam tentationis aſciuiſſet; nec Euam decepiſſet, niſi ſenſui illius illuſiſſet, proponens illi fructum pulchrum adſpectu, & ad veſcendum ſuauem. Igitur optimum ordinem ſeruat S. Ioannes, dum dæmoni commilitones & ſocios, ſub figura duarum beſtiarum ex mari & terra aſcendentium, nobis deſcribit in cap. 13. ſubſequenti, contra quos agnus ſtat cum ſuis commilitonibus. Armantur Chriſti milites in cap. 15. Committitur prælium in cap. 16. Deſcribitur hoſtium Chriſti fortitudo, & ingens potentia in cap. 17. vt victoria tantò glorioſior appareat, quantò hoſtes cognoſcentur potentiores. Conculcatur ingens illa poteſtas inimica c. 18. cantica audiuntur pro victoria.

Triumphat Imperator Chriſtus, & apprehenditur illa mala beſtia cum ſuo pſeudo-Propheta cap. 19. quæ armata imperio & ornata regalibus & imperialibus induuiis plurima bella geſſerat contra Chriſtum. Quo ſtilo rectè omnia connectuntur.

Videndum nunc quomodo cohæreat cap. 20. cum prædicto cap. 19. Cohærentia autem talis eſt, meo iudicio. Poſtquam Ioannes declarauit bellum interceſſiſſe inter Chriſtum & exercitum eius, & beſtiam & eius exercitum, in quo prælio tandem beſtia occubuit, recto ordine ſanctus Ioannes tractat de modo quo frænata fuit dæmonis poteſtas; ne tot fierent à Deo miracula, quot erant euentus futuri. Et quia cuncta non poſſunt ſimul narrari, ſanctus Ioannes videtur reſpondere petenti qua ratione potuit dæmonis poteſtas coërceri, quæ tanta eſt vt nulla ſit in terra poteſtas quæ comparetur ei, quin & docere quanto tempore durare poſſet fructus victoriæ. Igitur primò S. Ioannes loquitur de apprehenſione Draconis alligati; facit mentionem mille annorum, in quibus duratio Regni Chriſti ſignificatur; docet quinam cum Chriſto regnant per mille annos, quibus finitis ſoluitur Satanas, qui poſtquam vltimos furoris ſui effectus produxerit, ipſe in vltimo iudicio cum ſociis ad tartara detrudetur.

Dices S. Ioannem mentionem facere ligationis Satanæ, & mille annorum Regni Chriſti viſibilis in terris, poſt beſtiam damnatam. Reſpondeo ordinem ſeruaſſe narrationis, non euentus rerum, quia omnia ſimul narrari non poſſunt, quamuis ſimul eueniant. Sortem eorum, qui Diabolo ſuppetias ferunt, in cap. 19. propoſuit. Quid actum ſit circa illorum inſtigatorem ac Ducem, poſtea proponendum & narrandum fuit, in cap. 20. In quo videbimus ipſum per annos mille fuiſſe alligatum, poſtea ſolutum, & tandem cum beſtia in idem ſtagnum ignis detruſum. Beſtia tamen cenſeri non debet miſſam fuiſſe ſecundum omnia ſua membra in ſtagnum, quin antea Satanas fuerit ſolutus, & quorumdam membrorum huius beſtiæ operâ vſus fuerit, ad impugnationem caſtrorum ſanctorum, & ciuitatis dilectæ, ſaltem quoad inſigniores in nequitia, qui per illam beſtiam deſignantur, cum ipſa ſit ſymbolum plurimorum ſibi in malitia, & nequitia ſuccedentium. Quod tantò libentiùs aſſero, quod illa beſtia, Alcazar ipſomet teſte, non debet ad aliquam perſonam ſingularem detorqueri, & quod velit, beſtiâ ſemper ſuperſtite, eius capita non ſub eodem tempore, ſed ſucceſſiuè beſtiæ eſſe coaptanda. Quo fit vt quamuis plurima eius membra ſucceſſiuè in infernum detrudantur, ſemper remaneat ipſa in aliis, qui ſuccedant, & in illa ſignificantur.

Sic igitur prius narrat S. Ioannes ſortem beſtiæ marinæ, & pſeudo-Prophetæ, in cap. 19. Et poſtea in cap. 20. narrat ſortem draconis, qui ſteterat in litore maris poſt ſuam deiectionem. Et ſi de his, qui pertinent ad beſtiam, fiat mentio in eodem capite, illud eſt quia quæ de diabolo dici debent, non poſſunt alia ratione aut intelligi aut narrari, quamuis ſors illorum vltima fuerit in c. 19. iam deſcripta. Nec maiori ratione ipſemet Alcazar vult Imperatores in capitibus beſtiæ figurari (quamuis ipſi ſimul nec ſub eodem tempore Imperatores extiterint) quàm nos volumus in ea intelligi cætum impiorum ſibi inuicem ſuccedentium, quamuis ſimul non coexiſtant. His adde quod ſi de imperio Romano debeat mentionem fieri, iam antea eius ſubuerſio deſcripta fuit in capite 18. remanente ſemper Beſtiâ in Anti-Chriſto & aſſeclis eius, quod videbimus in explanatione verſiculi 10. capitis 17. *Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit* (nempe Anti-Chriſtus) *& cum venerit oportet illum breue tempus ma-*

A *nere.* Quod igitur ſenſibiliter & viſibiliter videbitur in Anti-Chriſto, & eius Propheta (in quibus beſtiæ illius nequitiæ erunt in vltimo gradu) hoc fit inceſſanter in iis qui pereunt, & qui ad eamdem beſtiam proculdubio pertinent; propter finalem impœnitentiam. Pari modo quotidiana ſunt prælia, quotidianæ victoriæ, quotidiana cantica, & pia laudum & gratiarum actionum exercitia, quotidiani Chriſti Triumphi, quamuis hæc omnia euidentiora apparebunt poſt apoſtaſiam & diſceſſionem Imperij Romani, à S. Paulo prædictam 2. ad Theſſal. 2. poſt vindictam de eius diſceſſione ſumptam, poſt Anti-Chriſtum debellatum, & cum pſeudo-Propheta & Dracone in tartarum relegatum. Beſtia enim, nempe Anti Chriſtus reproborum caput, pſeudo-Propheta & Diabolus mitti debent in ſtagnum ignis, & B ſulphuris, antequam fiat iudicium. Nam poſteaquam S. Ioannes dixit: *Et Diabolus qui ſeducebat, &c. miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia & pſeudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum*; tunc iudicium deſcribit dicens: *Et vidi thronum magnum & candidum.* &c.

Cum igitur hæc beſtia poſſit intelligi de Anti-Chriſto, abſq; vlla perturbatione rerum quæ in hac Prophetia tangũtur, exiſtimo non eſſe diſcedendum leuiter à communiori doctorum ſententia, qui ſub illa beſtia Anti-Chriſtum intelligunt: cum præcipuè congruum eſſe videatur vt viuis coloribus Anti-Chriſtus depingatur à S. Ioanne, quo meliùs poſſit C dignoſci & caueri à fidelibus, nec aliquis locus in tota Apocalypſi exiſtat, in quo poſſit ad viuum repræſentari, ſi demas hanc beſtiæ deſcriptionem. Quæ quidem deſcriptio tanti hoſtis non videtur à maieſtate huius Prophetiæ aliena: ſiquidem & Paulus Apoſtolus videtur exiſtimaſſe valde eſſe neceſſarium eius mores ac indolem agnoſcere, cum de illo clariſſimis verbis 2. ad Theſſalo. 2. prophetauit, quæ de ipſo ſub ænigmatibus ſanctus Ioannes prædixit.

Denique noſtra interpretatio de reproborum corpore, & Anti-Chriſto eorum vltimo capite, valde congruit cum modo loquendi S. Ioannis, qui C de inimicis Chriſti verba faciens eos ſemper vocat Anti-Chriſtos 1. Ep. c. 2. *Filioli, nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Anti-Chriſtus venit, & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* Videſne in his verbis caput & corpus? Caput, Anti-Chriſtus veniens; Corpus: *Anti-Chriſti multi facti*: Et poſtea: *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Anti-Chriſtus, qui negat Patrem, & filium.* Et cap. 4. *In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt, &c.* In mundo namque iam eſt Anti-Chriſtus, id eſt, in omnibus reprobis, quorum caput præcipuum eſt futurus. E Quamuis enim Anti-Chriſtus ordine temporis non ſit caput malorum, quaſi peccatum eius præceſſerit, ſicut præceſſit peccatum diaboli; *Similiter etiam,* ait S. Th. 3. p. q. 8. ar. 8. *non dicitur eſſe caput malorum, propter virtutem influendi; etſi enim aliquos ſui temporis ad malum ſit conuerſurus exterius inducendo, non tamen illi qui ante eum fuerunt ab ipſo ſunt in malitiam inducti; nec etiam eius malitiam ſunt imitati. Vnde ſecundum hoc non poſſet dici caput omnium malorum ſed aliquorum. Relinquitur ergo quod dicatur caput omnium malorum, propter malitiæ perfectionem. Vnde ſuper illud 2. ad Theſſal. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus: dicit gloſſa: Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Anti-Chriſto omnis malitiæ plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius ſit aſſumpta à diabolo in*

Digitized by Google

vnitatem perſonæ, ſicut humanitas Chriſti à filio Dei: ſed A *quia diabolus ſuam malitiam eminentius ei influet ſuggerendo, quam omnibus aliis: & ſecundum hoc omnes alij mali, qui præceſſerunt, ſunt quædam figuræ Anti-Chriſti, ſecundum illud 2. ad Theſſ. 2. Myſterium iam operatur iniquitatis.* Ita S. Tho. Qui etiam ibidem docet ad primum, diabolum non etiam dici eſſe in Anti-Chriſto, per intrinſecam inhabitationem, quia ſola Trinitas menti illabitur: ſed per malitiæ effectum. Non mirum igitur ſi in hac beſtia ſignari dicimus omnem reproborum malitiam, & ſi etiam eius ſignificationem ad Anti-Chriſtum extendamus, in quo malitiæ plenitudo repetitur, & in quo dæmon omnem ſuæ malitiæ effectum producit. Ideo vera & germana explicatio huius capitis erit, ſi primò B reproborum notas & malitias in beſtia depictas cernamus. Secundò ſi huius prauitatis effectus externos & inſignes ab Anti. Chriſto producendos adducamus, ſymbolo conuenientes: Pari ratione ſi in ſecundæ beſtiæ interpretatione, quæ ſuggerit caro aduerſus ſpiritum contemplemus: Deinde ſi media, quibus vtetur pſeudo-Propheta, & pſeudo Pontifex Anti-Chriſti (vt ipſe colatur vt Deus) in medium adducamus. Sed vt ſtemus, quædam exempla, præter ſuperiora ex autoribus allata, nominum nequitiam Anti-Chriſti exprimentium, nobis ſunt producenda.

Exempla nominum quæ beſtiæ marinæ conueniunt, in quantum eſt ſignificatiua omnium reproborum, & præcipuè eorum qui Chriſti regnum viſibile in terris impedire ſatagunt, quorum caput eſt Anti-Chriſtus: quia in eo omnis eorum malitia completa repertetur. §. 6.

Riſui doctiſſimorum me proculdubio exponerem, ſi tantis autoribus (cum trepidatione quadam de iis myſteriis loquentibus) meliora me reperiſſe jactarem. Ne tamen in tam fœcundo ſolo, vt eſt ſacra ſcriptura, laboraſſe videar infructuosè, huic prauæ beſtiæ hoc nomen imponamus γῆ λήθη ἀνένδοτον. *i. Terra, obliuio, obſtinatio*, quod quidem nomen abſque vlla adiectione aut diminutione reddit, iuxta valorem literarum, numerum 666. Nec quia nomen pluribus vocabulis exprimitur, ideo eſt rejiciendum. Iam enim talia nomina à bonis autoribus ſupra vidimus fuiſſe conficta; quin & noſtrum Prophetam talium nominum habemus autorem, qui de Saluatore loquens, illum nomine pluribus vocabulis conſtante deſignauit, nempe ὁ ὢν ϗ ὁ ἦν ϗ ὁ ἐρχόμενος. Quaſi diceret: gratia vobis & pax abente, erat, & venturo: *Affectauit hoc,* inquit Alcazar, *vt ex noua hac loquendi ratione intelligeretur verba illa, Erit, erat, & venturus, nomen eſſe proprium. Quod vt intelligi poſſet, congruum fuit vt phraſis illa ſolæciſmi ſpeciem præ ſe ferret, neque aliter poſſet excuſari niſi vt nomen proprium accepta.* Ita Alcazar. Idem eſt enim ac ſi diceretur: Accepit Auguſtinus Epiſtolam à Deo gratias, aut à Deus dedit; quæ fuerunt nomina propria quorumdam. Nec illa nuncupandi formula aliena eſt à ſcriptura, cum Iſaiam audiamus dicentem: *Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Pari ratione, beſtiæ nomen imponere poſſumus ex pluribus terminis ſignificatiuis conſtans, cuius literæ notæ ſint præcisè numeri 666. vt videre eſt.

γ 3	λ 30	α 1
η 8	η 8	ν 50
	θ 9	ε 5
	η 8	ν 50
		δ 4
		ο 70
		τ 300
		ο 70
		ν 50

A Quod nomen deſumimus ab effectu: nam ex eo quod animæ reproborum ab amore terrenorum terrenæ redduntur, terram illos vocare poſſumus, Ieremiam imitantes, qui vt terreret homines propter ſententiam latam à Deo contra iechoniam, eos ter ſub nomine terræ prouocat ad auditionem verbo Domini exhibendam, Ierem. c. 22. *Terra, terra terra audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, qui in diebus ſuis non proſperabitur.* Deinde hæ animæ terrena tantum ſapientes, facilè Deum tradunt obliuioni, & reciprocè à Deo obliuioni traduntur. Tales olim deſcribuntur Iſraëlitæ poſt Gedeonis mortem, Iudic. 8. de quibus dicitur: *Percuſſerunt cum Baal fœdus, vt eſſet eis in Deum: nec recordati ſunt Domini Dei ſui, qui eruit eos de manibus inimicorum ſuorum per circuitum.* Ad quod reſpexiſſe videtur Dauid, dum ait: *Non ſunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.* Hinc idem Propheta eos vocat terram obliuionis, Pſ. 87. vel S. Auguſt. teſte, qui in hunc Pſalmum ait: *Quod eſt in tenebris, hoc eſt, in terra oblita. Infideles enim ſignificantur nomine tenebrarum. Hinc dicit Apoſtolus: Fuiſtis enim aliquando tenebræ, &c. Et terra oblita homo eſt, qui oblitus eſt Deum. Poteſt namque anima infidelis vſque ad tantas tenebras peruenire, vt dicat ſtultus in corde ſuo: Non eſt Deus, &c.* Ita Aug. Qui ſummariè quæ fuſiùs diſſeruerat exponens, ita concludit.

Totus iſte ſenſus ita continuatur atque contexitur: Clamaui ad te inter paſſiones meas, tota die expandi manus C *meas ad te, id eſt, non dediſti ad te glorificandum extendere opera mea. Cur ergo impij in me ſæuiant, niſi quia mortuis non facies mirabilia, id eſt, non eis commouentur ad fidem, nec medici eos reſuſcitabunt vt confiteantur tibi, in quibus occulta gratia tua non operatur, qua trahantur vt credant: quia nemo venit ad te, niſi quem tu attraxeris? Nam quis enarrabit in ſepulchro miſericordiam tuam? id eſt, anima mortua, cuius mors iacet ſub corporis pondere; Et veritatem tuam in perditione, hoc eſt, in tali morte, nihil bonum valenti credere atque ſentire. Nunquid enim in tenebris huius mortis, hoc eſt in homine, qui te obliuiſcendo vitæ lumen amiſit, tua mirabilia & iuſtitia cognoſcentur?* Ita Auguſt. Ex hoc loco S. Auguſt. D clarè perſpicitur quod anima, quæ per ſubtractionem, quam prometuit, diuini auxilij, incorrigibilis & impœnitens redditur, optima ratione appellari poteſt obliuio, imo ipſiſſima obliuio. At non tantùm obliuio dicitur, quia Deum tradit obliuioni, ſed etiam quia à Deo ipſa videtur negligi & obliuiſci. Equidem non ſtatim atque à Deo recedimus ipſe nos deſerit, vt videre eſt apud Iſaiam. c. 49. *Et dixit Sion: dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. In manibus meis deſcripſi te.* Id eſt, in omnibus operibus manuum mearum ſemper tui aliquam habeo rationem, vt omnia ad tuam vti- E litatem aut tuum commodum ordinentur. Aliquando tamen Deus, propter cordis humani malitiam, adeo ad iram prouocatur, vt erga homines ſe habeat, ac ſi eorum nullo modo recordaretur, illosque deſerat & abjiciat. Audiamus Dominum obliuiſcentem ſe, abjicientem, is eſt Ieconias, ad quem loquitur Hieremias c. 22. *Locutus ſum ad te in abundantia tua. Dixiſti: Non audiam. Hæc eſt via tua ab adoleſcentia tua: quia non audiſti vocem meam. Viuo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias, filius Ioacim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* In hanc miſeriam incurrunt qui terra ſunt, de quibus Hieron. in illud 27. Iſa. *Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ. Quia,* inquit Hieron. *miſericors, & miſerator Dominus, & clementiſſimus Pater filios negligentes ferire compelli-*

Digitized by Google

tur, & quodammodo de ſua ſententia commutari: Vt viſitet & inducat iram ſuam ſuper habitatores terræ, de quibus dicitur in Oſee c. 4. Maledictio & mendacium, & adulterium, & furtum effuſa ſunt ſuper habitatores terræ. Et in Apocalypſi legimus: Væ ſuper habitatores terræ. Porro iuſti, licèt videantur in terra, tamen conuerſatio eorum in cœlis eſt, qui poſſunt dicere: Aduena ego ſum in terra, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei. Et poſt pauca: *Terram autem habitatorum illam eſſe reor, de qua ſcriptum eſt: Audiat terra ſermones oris mei. Et auribus percipe terra; & iterum: Terra, terra, audi ſermonem Domini. Quomodo enim qui in terra habitant, ſic qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Terra autem in hoc loco ſignificat animam, quæ viuit carpaliter.* Ita Hieron.

B Iuſtum autem eſt vt qui Dei obliuiſcuntur, eorum non recordetur. Quam æquitatem ſubire non renuebant Iſraëlitæ apud Babyloniam captiui, dum dicebant: *Si oblitus fuero tui, Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Vehementer,* inquit Auguſtinus, *ſe obſtringit, Fratres mei. Obliuiſcatur mei dextera mea: Atrociter ſe obligauit. Dextera noſtra eſt vita æterna, ſiniſtra noſtra eſt vita temporalis. Quidquid facis propter vitam æternam dextera operatur, Si charitati vitæ æternæ in operibus ſuis miſcueris concupiſcentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicuius commodi ſecularis, cognouit ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Et noſtis eſſe in præcepto Euangelij: Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Si oblitus ergo, inquit, fuero tui, Hieruſalem, obliuiſcatur mei dextera mea. Et verè ſic contingit.* C *Prænunciauit, non optauit, talibus qui obliuiſcuntur Hieruſalem. Hoc contingit quod dixit: obliuiſcitur illos dextera: dextera eorum. Vita enim æterna manet in ſe: illi remanent in dilectione temporali, & faciunt ſic dextrum, quod ſiniſtrum eſt, &c.* Ita Auguſt. Et paulo poſt: *Qui temporalia bona plus habent, & in iſtis beatitudinem ponunt, ignorantes quæ ſit vera fælicitas, vera dextera, hos ſcriptura filios alienos dicit, tanquam ciues, non Hieruſalem, ſed Babylonis.* Ita Aug. Hi obliuioni traduntur, quia temporalibus nimium adhærent, & ex obliuione iſta (cuius cauſa ſubtrahuntur eis diuina auxilia) obſtinate in peccatis perſeuerant: vnde tandem propter finalem impœnitentiam reprobantur. Et ſic conuenit illis hoc nomen, *obſtinatio*: æque ac, *Terra* D *aut obliuio.*

At ſicut docuimus ſupra nomen poſſe imponi ex pluribus vocabulis commixtum, Et qua ratione hoc nomen beſtiæ iſtius indolem optimè indicaret, addendum hîc ſignificantiùs hoc fieri, ſi vocabula iſta ita diſponantur, vt vnum ab altero non regatur, itaut hæc beſtia non dicatur terra obliuionis, aut terra obſtinationis, vel obliuio terræ, vel obſtinatio terræ: ſignificantius enim dico Deum eſſe ſapientiam &, bonitatem, quàm ſi illum bonum aut ſapientem dicerem, vel Deum bonitatis aut ſapientiæ prædicarem: ita ſignificantiùs dico homines carnales eſſe terram ipſam, obliuionem ipſam, obſtinationem ipſam, quàm ſi eos terrenos, obliuioſos, aut oblitos, aut obſtinatos dicerem, vel homines terræ, aut obliuionis, aut obſtinationis nuncuparem. In his enim verificatur ſapientis dictum, quod *nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit*: quia ſunt ipſamet terra, ipſamet obliuio, ipſamet obſtinatio, propter quæ à Deo repelluntur abſque ſpe alicuius miſericordiæ: quorum nomen & apud Oſeam: *Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius: Abſque miſericordia. Quia non addam vltra miſerei domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum.*

Diximus ſupra nomen beſtiæ imponi poſſe, non ſolùm numerum alteri numero addendo, dum numeri quorum literæ ſunt notæ colliguntur ſimul, & vnam conficiunt ſummam, nempe 666. ſed etiam A hoc nomen poſſe inquiri per ſubtractionem alicuius numeri, cuius ſignificatio importet aliquid ad ſalutem conducens; quod quidem ſi ſubtrahas, remaneat anima à ſalute aliena, illius boni defectu, quod indicat numerus ſubtractus, modò illo numero ſubtracto, boni ſignificatiuo, remaneat tantùm numerus beſtiæ 666. Hac ratione poteris illam beſtiam nuncupare ἀδικία ἀνηλέητος, cuius nominis litteræ conficiunt 718. vt videre eſt in hoc diagrammate.

α 1	α 1
δ 4	ν 50
ι 10	η 8
κ 30	λ 30
ι 10	ε 5
α 1	η 8
	τ 30
	ο 70
	ς 200

B

Subtrahe 50. qui quidem numerus eſt perfectæ veniæ, & remiſſionis peccatorum, & Iubilei, & duas adime vnitates, quibus amor Dei & proximi poſſunt ſignificari; reſiduum erit numerus 666. ex 718. numero, qui ſignificatiuus eſt perfectionis in ſeptingenteſimo numero adumbrata, ex obſeruatione mandatorum Dei in decimo numero deſignata; & actuum octo beatitudinum ſeu conſiliorum Euangelicorum, in octauo numero ſignificata; vt C intelligamus reprobum in ſtatu iſto miſerando deduci, vt ab eo venia & miſericordia auferatur: quia caret dilectione Dei & proximi. Et cum ἀνηλέητος, apud Scapulam in Lexico, ſignificet, *miſericordia indignus, non commiſerandus*, ἀδικία ἀνηλέητος erit, *iniquitas omni miſericordiâ prorſus indigna*: nec quia ἀδικία eſt fæminini generis, ideo hæc nuncupatio incongruè enunciatur: nam docet Clenardus apud Atticos nomina terminata in os, præcipuè ſi ſint compoſita aut deriuatiua, eſſe cõmunis generis. Sic φιλόσοφος, μύρεφιλος, ὁ καὶ ἡ κόσμιος. j. ornatus, ἀνηλέητος deriuatiuum eſt ab ἔλεος id eſt, *commiſeratio, miſericordia*. Et ne futiliter iſta adducerę videamus, aut maieſtati ſcripturarum hæc ratio illam interpretandi contraria D eſſe dicatur, lege Auguſtinum tractatu 17. in Ioannem, vbi ex ſubtractione duorũ numerorum, triginta octo dicit magis ad languorem pertinere, quam ad ſanitatem: quia nempe per hanc ſubtractionem deficit à quadragenario, *qui numerus*, inquit, *ſacratus nobis in quadam perfectione commendatur.* Ibi nempe Auguſtinus docet quomodo iſtæ ſignificationes numerorum nobis proficiant. *Significationibus*, inquit, *paſcimur, vt ad res ipſas perdurantes peruenire poſſimus.* Et paulo poſt: *Proinde & nos Dominus in iſtis ſcripturarum ſignificationibus laborantes paſcit. Nam ſi iſta intelligendorum Sacramentorum lætitia ſubtrahatur à nobis, deficimus in labore, & non erit qui perueniat ad mercedem.* Ita Auguſt. qui numeri quadrageſimi & quin- E quageſimi ſignificationem proinde exquirit, vt paſcatur in his ſignificationibus numerorum. Paſcamur & nos cum illo, ſiue dum ait: *Denarius ergo qui accepit nomen, à numero decem, redditur; & coniunctus cum quadragenario fit quinquagenarius: Vnde cum labore celebramus quadrageſimam ante paſcha, cum lætitia verò tanquam accepta mercede, quinquageſimam poſt paſcha. Nam huic, tanquam ſalutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & fœlicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat.* Ita Aug.

Audiamus rurſus eumdem perfectionem quadragenarij inquirentem. *Quomodo*, inquit, *ergo quadragenario numero perficitur opus? Fortaſſe ideo, quia lex in decem præceptis data eſt, & per totum mundum prædicanda erat lex, qui totus mundus in quatuor partibus commendatur, Oriente & Occidente, Meridie & Aquilone:*

Digitized by Google

Vnde denarius per quatuor multiplicatus ad quadragenarium peruenit. Vel quia per Euangelium, quod quatuor libros habet, impletur lex: quia in Euangelio dictum eſt: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Siue ergo illa, ſiue iſta ſit cauſa, ſiue aliqua alia probabilior, quæ nos latet, doctiores non latet, certum eſt tamen quadragenario numero ſignificari quamdam perfectionem in operibus bonis, quæ maximè opera bona exercentur in abſtinentia quadam ab illicitis cupiditatibus ſeculi, hoc eſt generali ieiunio. Audi & Apoſtolum dicentem plenitudo legis charitas, &c. Denique docet quomodo, vt dictum eſt, numerus 38. pertineat ad languorem: quia videlicet duo illi ex quadraginta deficiunt, quibus charitas, ſeu amor Dei & proximi ſignificatur. *Binario*, inquit, *iſto numero, cum aliquid boni ſignificatur, maximè bipertita charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur niſi in gemino præcepto charitatis, quid miraris quia languebat, qui ad quadraginta duo minus habet?* Ita Aug. Ita dico: Quid mirum ſi is à quo ſubtrahitur tum numerus Iubileum ſignificans, tum numerus charitatem Dei & proximi deſignans, remaneat in infauſto numero, nempe in eo quo finalis impœnitentia & perpetuus labor ſignificantur? Numerus enim 718. quamdam perfectionem denotat: nam ſeptingenta perfectionem quamdam indicant, quia ex ſeptem & centum numerus 700. coaleſcit: & decem octo videntur indicare legis præcepta, quorum obſeruatione ad actus octo beatitudinum facilè eliciendos præparamur, vt tandem mercedem illis repromiſſam conſequamur. Quod ſi ab hoc numero ſubtrahas quinquaginta duos. quia deeſt remiſſio peccatorum, & beatitudo, propter defectum charitatis; remanebunt tantùm 666. id eſt, labor perpetuus propter finalem impœnitentiam. *Hic* igitur *ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ.*

Certè anima in ſtatu reprobationis (in quo reduplicatiuè ſumpto nulla eſt ſperanda miſericordia) illa eſt, de qua apud Oſee dicitur: *Voca eam: Abſque miſericordia.* Et ſic per ſubtractionem numeri quinquageſimi poterit de ea Deus dicere: *Vah! quia crudelis hac filia*, id eſt, crudelis factus ſum, ſeu appareo, propter hanc animam, quam vt filiam olim diligebam, ex eoquod filia eſt illa Oſee. Omni miſericordia prorſus indigna. Dolet enim Deus, Iſaiæ 1. ſuper hoſtibus ſuis. *Heu*, inquit, *conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* Et ita eius nomē erit *βᾶ ἀνηλεὴς τῆ παιδὶ. βᾶ* apud Scapulam vocula eſt (Riſus.) At Deus ſubſannat eos in interitu ſuo qui mandata eius reſpuerunt. Pro. 1. *Deſpexiſti omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit.* Inſuper Deus aliquando dicitur ex benigno & pio mutatus in crudelem. Ridet igitur cum crudelis efficitur erga eos, qui illum neglexerunt, & ſubtractâ ab eis miſericordiâ in illos ſupplicia immittit, propter quæ exclamat: Vah! crudelis factus ſum: quia ab hac anima 50. auferuntur, id eſt, aufertur miſericordia: qua ſublata, felicitatem per hunc, numerum ſignificatam amittit. Quod autem à numero, quem reddant literæ huius numeri complexi, ablatis quinquaginta remaneat tantum 666. habes ea ſequenti ſchemate.

β 2	α 1	τ 300
α 1	ν 50	η 8
	η 8	π 80
	λ 30	α 1
	ε 5	ι 10
	η 8	δ 4
	σ 200	η 8

Hæc 716. conficiunt, quæ perfectionem cum A obſeruatione mandatorum & labore pœnitentium ſignificant. Deme 50. reſtat numerus beſtiæ 666.

Quod ſi valorem litterarum Græcarum Latinis litteris tribuas, vnitate ſubtracta, habebis hoc nomen beſtiæ latino Sermone, videlicet. *Semen reprobi.* Nam reuera obſtinata & obdurata in malo voluntas, propter Dei auerſionem & obliuionem, & terrenarum rerum affectum, origo eſt & ſemen reprobationis. Quod malum incurrunt qui neſciunt bonum eſſe vni Deo adhærere, inſuper neſciunt in vanum circa multa homines occupari, cum vnum tantum ſit neceſſarium, quod relinquunt ij, de quibus Deus ipſe apud Prophetam conqueritur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Ierem. 2.

B σ 200	ρ 100
ε 5	ε 5
μ 40	π 80
ε 5	ρ 100
ν 50	ο 70
	β 2
	ι 10

A 667. Aufer vnum, reſtant 666.

Deum auferunt à mente, à memoria, ab affectu; & Dei timore, honore, & amore ſublatis, incurrunt reprobationis maledictionem.

His aliiſue rationibus poteſt quis ad libitum nomina adinuenire, modò ea naturæ & indoli beſtiæ conueniant; tamen cum tanta animi modeſtia, vt C non exiſtimet quis inexhauſtum myſteriorum fontem poſſe exhauriri: Multa quidem accumulat & congerit Alcazar, vt probet nomen à ſe impoſitum imperio Romano, quod ſub beſtia deſignari vult, plurimùm conuenire huic beſtiæ, *ἡ ἀλαζονία βίου*, id eſt, *ſuperbia vitæ.* Sed vt ad hunc numerum formandum multa præſupponit aut obſoleta aut incerta, ad perantiquum ſcribendi modum recurrit, aſſerendo nomen *ἀλαζονία* ſcribi debere (iuxta morem perantiquum) per duplex *αα*, vt vltima ſyllaba longa eſſe demonſtretur: quem ſcribendi modum ſi omittas, erant tantùm 665. non 666. quia ablato vno (*α*) vnitas, cuius eſt nota, etiam aufertur. Secundò aufert vt inſtituto potiatur, articulum *τοῦ* qui in Bibliis D Ariæ Montani reperitur ante nomen *βίου*, apud Ioannem, à quo hoc nomen Alcazar mutuatur. Qui quidem articulus ſolus 770. conficit.

τ 300
ο 70
υ 400

Nec aliæ ab eo adductæ rationes ſatis roboris obtinere videntur, vt poſſit pro certo aſſeri hoc nomen, inter alia, beſtiæ fore imponendum: nam ſi ad errorem impreſſionis recurrat, quem exiſtimat reperiri in plurimis exemplaribus græcis, in quibus hic articulus reponitur, gratis hoc aſſeritur & abſque vllo fundamento. Et argumentum retorqueri poteſt, quod error ſit calcographi, ſi in quibuſdam E exemplaribus minimè reponatur: nec validior eſt illa ratio, quòd (ſi quis conſulat aurium iudicium) videri exactiorem locutionem eſſe cum vno articulo hoc proferre, nempe illa ſuperbia vitæ. vt locus intelligatur de omni ſuperbia, quàm ſi dicas, illa ſuperbia huius vitæ. Nam præterquam quod plærumque *grammaticæ leges Eccleſia ſpernit*, è contra aſſererem conuenientiùs dici, ſuperbia huius vitæ. cum articulo, quàm ſi abſque articulo dicas, Superbia vitæ. Ratio eſt, quia articulus in memoriam reuocat vitam hominum, quam indicat non abſque emphaſi, vt quàm impudens & ſtolida ſit hominis ſuperbia oſtendat, qui de re adeo fragili & vana, & nullius fere momenti tantopere gloriatur. Certè qui illi nomen *ἀρνοῦμαι* j. *Nego*, tribuerunt, videntur reſpexiſſe ad locum Ioannis: *Hic eſt Anti-Chri-*

Digitized by Google

ſtus, qui negat Patrem & filium. Sed nihil de his determinandum. *Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ.* Et fortè meliora & aptiora inueniet. Lege Viegam, qui pluſquam quindecim nomina à diuerſis excogitata refert, inter quæ Alcazar dicit ſibi magis arridere nomen ὁ νικητὴς, id eſt, Victor, ab Areta excogitatum.

Schema autem nominis ab Alcazar inuenti, ἡ ἀλαζονεία βίου, tale eſt.

η 8
α 1
λ 30
α 1
ζ 7
ο 70
ν 50
ε 5
ι 10
α 1
α 1
β 2
ι 10
ο 70
υ 400

Sed quia aufertur articulus τῆ, & duo reponuntur αα, ideo non tam libenter admittitur.

De duobus Satanæ ſatellitibus, per quos Regnum Chriſti euertere conatur.

ANNOTAT. II.

DVBITARI non licet talem erga homines eſſe Dei benignitatem, quod nunquam dæmoni permitteret nocumentum aliquod nobis inferre, niſi malitiæ illius conſentiremus. Dum diuina protectione fruimur, imbecillis eſt vt nos ad malum perpetrandum cogere queat abſque proprio noſtro conſenſu; quem dum præſtamus ſuis inſtigationibus, quia arbitrij libertate pollemus, tunc fortis eſt ad nocendum: tunc facillimè in damnationem æternam ſecum nos trahit cruciandos: nec tantis viribus præditus, nec tanta aſtutia fretus, vt ſolus in Deum inſurgeret, & voluntatis eius decretis ſeſe opponeret, quibus decreuit in nobis fieri, quod Chriſtus iniunxit ab eo à nobis totis deſideriis flagitari, dum orare ſic docuit: *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*; niſi hos ipſos in ſocios ſuæ malignitatis & audaciæ aſſumeret. Nam ſanctitatis Dei manifeſtatio per imitationem, regni eius erectio, & promotio per obedientiam, voluntatis eius adimpletio, per omnimodam noſtrarum voluntatum ſubmiſſionem, pendent à libera cooperatione noſtra. Nec enim Deus aut operatur per nos, aut regnare in nobis, aut de nobis diſponere vult non conſentientibus nobis. *Dominator virtutis*, inquit Sap. c. 12. *cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia diſponit nos.* Quid autem, quæſo, eſt diſponere nos cum reuerentia? Eſt rationem habere naturæ quam condidit, & quia liberam creauit, nullam ei violentiam inferre. Scit equidem quod ſubeſt illi, cum voluerit poſſe, vt ibidem dicitur; tamen abſoluta hac non vtitur poteſtate: & qui rebus inſenſibilibus & irrationalibus ad libitum vtitur, abſque vllo præuio conſenſu; creaturâ rationali non vtitur, niſi ipſa conſentiente. Hinc Satan noſtrum conſenſum explorat, vt Deo reſiſtere audeat, Deoque omnes creaturæ proprios motus exercere permittente, fit vt ſi Satanæ conſentire voluerimus, quæ Deus in nobis, at non ſine nobis perficere intendit, plærumque intermittantur, nec ad

A effectum perducantur.

Huius rei ænigma S. Ioannes nobis proponit, dum quibus Satan vtatur miniſtris, vt impediat Regni Chriſti erectionem, vel per quos nos allicere pertentat, ſub figura duarum beſtiarum oſtendit, quorum ope procurat vt ſtemus ex parte illius, & ſub infauſtis ipſius vexillis cõtra Deum dimicemus, magno noſtro incommodo & nocumento, dum ſimus hac ratione Anti-Chriſti, eiuſque inimici, qui tantopere nos dilexit, vt pro nobis mori minimè recuſarit, imo qui volens ac lubens, cum gaudio, morti pro ſalute noſtra ſemetipſum obtulit. Si autem quæras quinam ſint Satanæ ſatellites & Miniſtri; ſcias eſſe quoſlibet peccatores in malitia &

B peccatis obſtinatiores, inter quos præcipuum locum obtinebit Anti-Chriſtus: qui propterea ab Apoſtolo dicitur *homo peccati, & filius perditionis* 2. ad Theſſalon. c. 2. cui ſimiles redduntur omnes peccatores obſtinati, qui mille viis ac rationibus à mandatorum Dei obſeruatione recedunt: quamuis æquiſſimum eſſet, ac iuſtitiæ valde conſentaneum vt quælibet creatura rationalis creatori obedientiam præſtaret, ac redemptorem ſuum præcipuo proſequeretur honore. Hoc detrectant adimplere peruerſi, & contra Deum & Chriſtum eius ſeſe extollunt dicentes: *Quis noſter Dominus eſt?* Et iugum Domini excutientes illi ſeruire renuunt, imo ſuas voluntates eius voluntati anteponunt, impudentiæ Anti-Chri-

C ſti imaginem præ ſe ferentes, qui talis futurus eſt, *vt extollatur ſupra omne quod dicitur Deus.* De his Anti-Chriſti præcurſoribus dixit Apoſtolus: *Myſterium iam operatur iniquitatis, id eſt Anti-Chriſti,* ait Nicolaus de Lyran. *qui dicitur, iniquitas in abſtracto, propter exceſſum ſuæ malitiæ; ſicut homo multùm liberalis dicitur liberalitas.* Ita Lyran. Et de his etiam S. Ioannes dixit: *Et nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt.*

Ad interpretationem igitur primæ beſtiæ è mari aſcendentis, duo erunt neceſſaria. Primò, vt oſtendatur quomodo ſymbolum iſtud optimè conueniat cuilibet reprobo. Secundò, quomodo genuinè nobis oſtendat mores & actus futuri Anti-Chriſti.

His ita conſtitutis, facilè eſt conjicere quænam

D ſit illa ſecunda beſtia malitiæ fauens, eiuſque adminiſtra, vt nos ad conſentiendum Satanæ alliciat. Nec enim alia poteſt eſſe quàm ſapientia carnis, *quæ inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Qui enim in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Roman. 8. At quænam eſt prudentia carnis? Diſce ex Sedulio: *Prudentia carnis eſt, quæ mundanis rationibus inflata negat aliquod fieri, quod mundi careat ratione: vnde negant Virginis partum, carnis reſurrectionem. Prudentia carnis eſt quæ inferiora appetit; non quia prudentia carnis ſubſtantia ſit, quæ induatur anima vel exuatur, ſed eſt ipſius animæ affectatio: vnde caro non accuſatur, ſed opera carnis.* Ita Sedulius in 8. Epiſt. ad Romanos, qui & addit: *Totus mundus caro eſt: omne*

E *enim viſibile carni deputatur: cognata enim ſunt carnis. Ideoque qui mundanis rebus obtemperat, in carne eſt.* Ita Sedulius Hybernens. Quin & Primaſius in hunc locum audacter aſſerit quod *fieri non poteſt vt non peccent qui carnaliter viuunt, & carnis voluptatibus acquieſcunt.* Ita Primaſ. Quod ſi verum eſt, proculdubio peccantibus voluntariè nihil adeo fauet quàm appetitus carnis, quàm ſapientia carnis, id eſt, anima nihil aliud quàm quæ carnis ſunt ſapiens & cogitans. Hæc eſt illa quæ inimica Dei conſtituitur, de qua Apoſtolus ad Galat. 5. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis. Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ,*

Digitized by Google

titia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Quod cum ita ſit, euidentiſſimum eſt qua ratione caro hoſtibus Chriſti auxilium & fauorem præſtet, cum has omnes nequitias, per quas Chriſti regnum euertitur, menti caro inſtillare nitatur, hominemque eo adducit, vt hæc crimina perpetrare nec timeant, nec erubeſcant: quibus fouetur apoſtaſia à Deo; & obſtinatior quilibet peccator redditur, vt ex condicto Satanæ ferat opem, dum imperium Chriſti impetere, quin & euertere, aut ſaltem in aliqua parte imminuere conatur. Hæc autem ſapientia carnis dominabitur in eo, quem pſeudo-Propheta S. Ioannes nuncupat, quem ego exiſtimo futurum eſſe quemdam pſeudo-Pontificem; probabiliſſimumque eſt Anti-Chriſtum habiturum eſſe aliquem, qui cultus, quem ſibi exhiberi imperabit, curam gerat. Si enim in templo Dei ſeſſurus ſit oſtendens ſe tanquam ſit Deus, proculdubio neceſſe eſt vt media aſſumat idonea, vt cultus ſibi exhibendus rite ad præſcriptum & a ſe iniunctum perficiatur. Duo igitur erunt obſeruanda in interpretatione ſecundæ beſtiæ è terra aſcendentis, primò quomodo omnia, quæ de ea dicuntur, ſapientiæ carnis, ſeu operibus carnis ritè conueniant; Secundò qua ratione actus illius falſi Pontificis Anti-Chriſti in hac beſtia, optimè deſcribantur.

De prima beſtia è mari aſcendente.

Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

ANNOTAT. III.

REPROBOS & peruerſos homines per beſtias deſignari æquiſſimum eſt; ſiue quia vſum rationis non admittunt: ſiue quia appetitui & ſenſibus inſeruiunt, ſuccumbentes paſſionibus ſuis, & impulſu earum ad agendum determinate feruntur, ac ſi nulla potirentur agendi libertate; ſiue quia ſi quæ beſtiæ furioſæ, ſi quæ venenoſæ, ſi quæ noxiæ exiſtunt, malitiam cordis eorum optimè adumbrant. His enim de cauſis video in ſcriptura homines per beſtias ſignificari. Primo modo beſtiis comparantur, Pſ. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis. Quid eſt, in honore poſitus?* inquit S. Auguſtinus, *factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, homo prælatus iumentis. Non enim fecit Deus ſic hominem, quomodo fecit iumentum, ſed fecit Deus hominem, cui ſeruirent iumenta. Nunquid eius viribus, & non intellectui? Ille autem non intellexit, & qui factus erat ad imaginem Dei, comparatus eſt iumentis inſenſatis, & ſimilis factus eſt illis.* Aug. In Pſal. Propter aliam rationem, Tobiæ 6. homines beſtiis comparantur ab Angelo Raphaele. *Audi me, & oſtendam tibi qui ſunt, quibus præualere poteſt dæmonium. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.*

Denique reprobus aſſimilatur beſtiæ, primò propter ferocitatem, Ierem. 12. *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam*; Secundò propter venenum, quo alios inficiunt, Ezechiel. 2. *Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas, quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum. & cum ſcorpionibus habitas.* Tertiò: Quia quacumque ratione noxiæ ſint, poſſunt per eas homines deſignari. Sic Dominus Herodem

A propter aſtutiam vulpi comparat. *Dicite*, inquit, *vulpilli*, &c. Luc. 13. Et Phariſæos propter malitiam Chriſtus vocat (Matt. 23.) *ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Et Iſa. 13. *Requieſcent ibi beſtiæ: & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.* Propter diuerſa genera vitiorũ & criminum, mali his beſtiis aſſimilantur. Talia quippe mõſtra dicuntur in Babylone deſtructa requieſcere, quia in ea antea fuerunt homines inhabitantes, qui propter crudelitatem & inhumanitatem, ſæuitiam, obſcœnitatem, rapacitatem, & vitam voluptuoſam rectè his monſtris deſignantur: hoc tertio, procul-
B dubio, modo, reprobus ſeu etiam Anti-Chriſtus propriè beſtia vocantur, quia non modo per ignorantiam & ſtoliditatem peccant, & defectu rationis, ſeu ratiocinationis; non modò per impulſum alicuius paſſionis, ſed ex certa & deliberata malitia, & nequitia nocent, & bonos perſequuntur. *Inſcientia autem peccantes*, inquit S. Dionyſ. de diuinis nominibus, *vocant ſcripta diuina eos qui incognitione veri, quæ latere non poteſt, aut in effectione imbecilles, infirmique ſunt: atque eos qui voluntatem ſciunt nec faciunt; eos, qui audierunt quidem, ſed imbecilles infirmique ſunt in fide bonaque actione, nolunt etiam nonnulli intelligere vt bene agant, propter deprauationem & imbecillitatem voluntatis; atque, vt ſummatim dicam, malum, quemad-*
C *modum ſæpe diximus, infirmitas imbecillitaſque ac priuatio eſt aut ſcientiæ, quæ latere non poteſt, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bonæ.* Ita Dion. de diu. no. c. 4. Si hi, qui à ſcientia excidunt, quam habere deberent, condemnandi ſunt vt peccatores, quanto magis hi qui ſcientiam veritatis impugnant, qui potentes ſunt ad faciendum malum, ſed nullum ſciunt facere bonum; qui fidei lumen rejiciunt, & omnis boni tum appetitum, tum executionem paruipendentes, nullam prætermittunt peccandi occaſionem, Dei voluntati ac præceptis ſcienter & malitioſè reſiſtentes: hi ſunt verè beſtiæ, furioſæ, venenoſæ, ac noxiæ, quales ſunt animæ in peccatis obduratæ, qualis erit Anti-Chriſtus, omnium reproborum ne-
D quitiam in ſe vno accumulans & conplectens.

Hæc autem Beſtia è mari dicitur aſcendere, *Quia Anti-Chriſtus*, inquit Andreas Cæſar. *ex turbulento plurimumque vndoſo vitiis huius maris egreſſurus ſit.*

Primaſius autem: *Hoc hic mare poſuit, quod ante abyſſum, de qua dixerat aſcendere iſtam beſtiam.* Ita Prim. Fortè Primaſius reſpicit ad puteum abyſſi, ex quo, cap. 9. egrediuntur locuſtæ; nec malè. Malitia enim cordis exſurgit ex turbulento appetitu concupiſcentiæ, ex quo tanquam ex mari, ſeu abyſſo, egrediuntur variæ paſſiones, & inordinati animi motus: *Quibus rex eſt Angelus abyſſi, cui nomen hebraicè Abbadon, græcè autem Apollion, Latinè habens nomen Exterminans. Aſcendentem, id eſt,* inquit S. Thom.
E *ſe eleuantem, ſiue extollentem ad mala, vel ad nocendum fidelibus; ſed tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Luc. 13. Qui ſe exaltat humiliabitur. De mari, id eſt, de mundo tempeſtuoſo, per tribulationes & tentationes, & amaro per tranſgreſſiones. Quia ex diuerſis nationibus mundi colligitur hæc beſtia &c. Vel de mari, id eſt, de conſortio malorum. Erunt quidam peiores & peruerſiores, qui hic dicuntur beſtia, & per alios malos iuuabuntur ad eleuandum ſe contra fideles. Vnde gloſſa: Per alios malos ſe extollentem.* Ita S.Th. Ambroſius. *Hæc beſtia Anti-Chriſtum ſignificat. Qui vero deſignantur per arenam, ipſi & per mare, multitudo ſcilicet reproborum.* Rupertus. *De mari, id eſt de ſeculo præſenti, nequam, de fluxu generis humani naſcendo beſtia talis aſcendit, de multitudine impiorum, de vndoſa populoſitate malignantium. Tradunt nonnulli quod ille locus maris, vnde naſci debeat, Babylo-*

Digitized by Google

niâ ſit: nam ſicut, inquient, Dominus & Redemptor noſter Bethlehem ſibi prouidis, vbi pro nobis humanitatem aſſumere dignaretur; ſic diabolus illi homini perdito, qui Anti-Chriſtus dicitur, locum nouit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debeat, ſcilicet ciuitatem Babyloniæ &c. Et paulò pòſt: *Quo ergo aſcendit iſte, qui non deſcendit, ſed cecidit? Nuſquam aſcendit, ſed in ſemetipſo magis ac magis tumuit. Omnino ſic intelligi oportet: Vidi beſtiam aſcendentem; ac ſi diceretur: Vidi beſtiam in ſemetipſa ſe extollentem. Totus namque aſcenſus eius tanta extollentiâ eſt, quantum Apoſtolus per hæc verba intimare intendit: Et extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, &c. Melius igitur atque vehementius dictum eſt, vt dici debuit; Vidi beſtiam aſcendentem, quàm ſi diceretur: Vidi beſtiam de mari exeuntem. Quia ſic & per nomen beſtiæ,* B *ſtultitia ferocitatis eius, & per verbum (aſcendentis) nimio tumori eiuſdem competenter exprobratur.* Ita Rup. *Mare,* inquit Pererius in Daniel 7. *ſignificat mundum, vel conditionem rerum humanarum. Eſt enim ea amaritudinis & acerbitatis plena, inconſtans, inſtabilis, periculiſque referta; & habet plurimos piſces atque diuerſos; & minores ſunt præda maiorum.* Ita Pererius apud Alcaz.

Has omnes interpretationes permixtim adduco, quia omnes poſſunt conducere ad genuinam ſymboli huius ſignificationem. His tamen addere libet (cum de Anti-Chriſto beſtia hæc præcipuè intelligatur) dici illum è mari aſcendere, id eſt ex bellis & præliis, quæ à Chriſto Domino prædicuntur, ipſum ſuum eſſe obtenturum imperium. *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum, Videte ne conturbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt peſtilentiæ & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.* Matt. 24. Et quia ex paruis & obſcuris principiis, decurſu parui temporis ad potentiæ faſtigium euadet, ideo dicitur aſcendere: quia diſceſſione ac defectione à legitima tum temporali, tum ſpirituali autoritate, nationibus ac gentibus & regnis inter ſe concertantibus & præliantibus, Anti-Chriſtus occaſionem nanciſcetur per opportunam hos & illos inuadendi: & qui in principio deſpectui habebatur, progreſſu temporis omnibus erit timori & formidini. Et nota nos dixiſſe, in caput 8. ſymbolum belli eſſe montem magnum, igne ardentem, in mare miſſum. Fauet Rabanus, tractat. de Anti-Chriſto inter opera Auguſtini. *Inde ergo dicit Apoſtolus Paulus Anti-Chriſtum non antea in mundum eſſe venturum, niſi venerit primum diſceſſio, hoc eſt, niſi diſceſſerint omnia regna à Romano Imperio, quo prius erant ſubdita. Hoc autem tempus nondum aduenit: quia licèt videamus Romanum Imperium ex maxima parte deſtructum, tamen quandiu Reges Francorum durauerint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romana dignitas non peribit: quia in regibus ſuis ſtabit.* Ita Raban. At quod initia habiturus ſit obſcura, docet Bellarm. l. 3. de Rom. Pontif. ex Daniele, & ex Hieron. Danielis interprete. Daniel ſiquidem ait: *Stabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia* c. 9. Quæ verba exponens S. Hieron. poſteaquam hæc verba expoſuit de Antiocho, ſequutus Porphyrium, ita ſubiungit: *Noſtri autem & melius interpretantur & rectiùs, quod in fine mundi hæc ſit facturus Anti-Chriſtus: qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum; & tam humilis erit atque deſpectus, vt ei non detur honor regius, & per inſidias & fraudulentiam obtineat principatum.* Ita Hieron. *vbi ſignificat hunc eſſe communem Chriſtianorum expoſitionem. Qua etiam de cauſa, capite ſeptimo, comparat Daniel Anti-Chriſtum cum cornu paruulo, nimirum propter ipſius vile & obſcurum principium.* Ita Bellarm. Aſcendit A igitur Anti-Chriſtus de mari, id eſt, de ſeculo bellis ac præliis, tanquam ventis & procellis, agitato. Et quia humilia habebit initia, ideo dicitur aſcendere: quia ex obſcuris initiis conſpicuam, & terrorem cunctis incutientem obtinebit poteſtatem. *Aſcendentem,* inquit Ticonius, *hoc eſt naſcentem: ſicut flos, in bonam partem, de radice J. eſſe aſcendit.* Ita Ticon.

Habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.

De ſeptem capitibus beſtiæ.

ANNOTAT. IV.

Variæ autorum expoſitiones.

VICTORINO *ſeptem capita ſeptem montes ſunt, in quibus mulier ſedet, id eſt, ciuitas Romana: & reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt: vnus eſt, alius nondum venit. Et cum venerit, breui tempore erit.* Ita Victorin. Qua ratione beſtiam hanc è mari aſcendentem huius capitis decimi tertij, eamdem eſſe cenſet cum beſtia coccinea capitis decimi ſeptimi. Quod etiam ſentire videtur Primaſius, dum interpretationem ſeptem capitum huius beſtiæ marinæ in ſubſequentem capitis 17. rejicit. *De decem verò,* C inquit, *cornibus, & ſeptem capitibus, aptiori ſubſequenti loco dicitur: quod vtrumque vbique ſufficiat.* Ita Primaſius.

Andreas Cæſarienſis: *Per decem autem cornua totidem diadematis exornata, & ſeptem capita, familiaritatem illam denotari voluns, quæ inter ipſum & diabolum intercedet. Nam hæc illi ad fore iam ante quoque indicatum eſt, regnique terreni in decem partes ſectionem, & regnum præterea ſeptenarium mundi huius curſui conformatum, ſeptem quidem dierum ſpatio dimenſum, & in ſeptem rurſum ſucceſſiones diſtributum, prout in ſequentibus latius id explicabitur.* Ita Andreas. In quo hic autor coincidit cum Victorino & Primaſio, dum interpretationem latiorem horum capitum ad ſequentia rejicit. D Addit Andreas: *Secundum quod mundi huius princeps Satanas appellatur, qui per Anti-Chriſtum præpotenter operabitur. Nomina autem blaſphema in capitibus, hoc eſt in ſatellitibus & adminiſtris illius, comperiuntur quamplurima. Nam quotquot iam inde ab initio tyranni, vſque ad Conſtantini magni imperium, extiterunt, omnes Chriſtum certatim blaſphemarunt, poſt Conſtantinum autem Iulianus & Valens, & alij præterea nonnulli Imperatores in Chriſtum blaſphemum os erexerunt.* Ita Andreas. Ambroſius: *De mari igitur beſtia conſcendere viſa eſt, quia de ſocietate reproborum Anti-Chriſtus exurget: quæ beſtia capita ſeptem, & cornua decem habere deſcribitur. Similiter & Draco ſuperiùs ſeptem capita habuiſſe dictus eſt. Et in capitibus ſeptem diademata, per quæ omnes re-* E *probos, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum vſus eſt, diximus fuiſſe deſignatos; hæc autem beſtia non in capitibus, ſed in decem cornibus decem diademata habuiſſe deſcribitur, ideoque per decem cornua, gentes, quas ſibi Anti-Chriſtus ſubiugaturus eſt deſignantur. Septem verò capita ſeptem vitia principalia deſignant. Et vt ſequentia meliùs intelligamus, placuit mihi in enumeratione vitiorum, prudentium ſequi veſtigia, qui de conflictu vitiorum atque virtutum egregiè diſſeruerunt. Primum namque vitium poſuerunt culturam idolorum; ſecundum, libidinem; tertium, iram; quartum, ſuperbiam; quintum, luxuriam. Quamuis enim libido ita inſerta ſit luxuriæ, ſicut aliquod membrum corpori, pro qua re à pluribus pro libidine ſæpe luxuria ponebatur, tamen inter libidinem & luxuriam diſtantia eſt. Sextum poſuerunt auaritiam; ſeptimum, blaſphemiam ſiue diſcordiam. Et quia eos, qui*

Digitized by Google

iis vitiis ſubditi erant, facilè Anti-Chriſtus decipiet, ſibique ſociabit; rectè per ſeptem capita ſeptem vitia deſignantur. De iis ſeptem vitiis Dominus in Euangelio loquitur dicens: Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, &c. Matt. 12. Et poſt pauca: *Septem verò ſpiritus, quos diabolus ſecum aſſumpſit, ſeptem ſunt vitia principalia. Cum iis ergo ſeptem ſatellitibus diabolus Iudæos vſque modo poſſidet. Sed quæri poteſt cur hæc ſeptem vitia principalia diabolo eſſe deteriora dicantur? Verùm nobis ſunt deteriora vitia quàm dæmones: quia illi foris nos impugnant, vitia autem intrinſecus nos aſſiduè debellant. Nam ſicut leuiùs tolerantur hoſtes, qui extrinſecus vrbem oppugnant, eoquod muros habeant obiectos, quàm ij qui intrinſecus poſiti iam ciuitatem depopulantur: ita faciliùs tolerantur dæmones, qui exterius, quàm vitia, quæ interius nos indeſinenter deuaſtant.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Capita ſeptem, regna ſunt ſeptem: quorum perſecutiones benè cognitæ eo tendebant, vt in mundo extingueretur ſanctum veræ diuinitatis nomen. Et quidem ſparſim atque ſucceſſim capita illa frenduerunt, vnumquodque voce ſua contra Deum faciens bellum: primò Regnum Ægyptiorum filiis Iſraël illudentium, Pharaone dicente: Vacatis otio, & ideirco dicitis: Eamus & ſacrificemus Domino. Secundò: Regnum carnalis Iſraël, Iezabel & poſteris eius Prophetas Domini occidentibus. Tertiò Regnum Babyloniorum, Nabuchodonoſor compellente captiuatum Dei populum auream, quam fecerat, ſtatuam adorare. Quartò Regnum Perſarum atque Medorum, volente Aman Iudæorum genus vniuerſum perimere. Quintò Regnum Græcorum, Antiocho Epiphane crudelia nimis & impia gerente, vt in libro Machabæorum legimus. Sextò Regnum Romanorum, Nerone & poſteris eius Chriſtianos perſequentibus. Septimum, quod futurum eſt, regnum Anti-Chriſti, eodem filio perditionis tantam perſecutionem agente, quanta ab initio creatura non fuit nec erit. Ita, inquam, hactenus ſparſim atque ſucceſſim ſingula debacchata ſunt capita draconis. Cum autem venerit quod tractamus, quum beſtia hæc de mari aſcenderit habens capita ſeptem, cuncta ſimul capita rictibus propriis hiabunt, atque ſuper Chriſtianos dentibus ſuis, ſecundum interitionem ſeptimi & maximi capitis, quod Anti-Chriſtus erit.* Ita Rupertus. Quæ expoſitio, vt videbimus, quadrat conuenientiùs beſtiæ capitis ſeptimi, quàm huic beſtiæ capitis decimi tertij è mari aſcendentis. Sed verum eſt quod omnia capita beſtiæ marinæ ſimul collecta erunt in Anti-Chriſto, in quo vigebunt omnia vitia principaliora.

S. Thomas: *Habentem capita ſeptem, id eſt, vniuerſos peruerſos principes, ſeptem vitiis repletos, qui erunt capita aliorum in hac beſtia: & ſicut maiores erunt in dignitate, ita & peruerſitate. Ita periculoſa eſt dignitas. Amos 6. Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, &c. Horum autem vnum principale caput erit Anti-Chriſtus, & per hos principes multum nocebit draco. Et cornua decem, id eſt, omnes peruerſos, per quos ipſi Principes malitioſè impugnabunt decalogum. Principes enim per ſuos miniſtros & alios adiutores, ſiue per regna ſibi ſubiecta, compellent vel minis, vel damnis, vel flagellis, vel alio modo per malitiam, fideles ad transgrediendum præcepta diuina: ſicut animalia cornuta ſuis cornibus impugnant alia, &c. Vel per cornua intelliguntur ipſi principes, qui dicuntur capita, in quantum ſuper homines ſibi ſubditos regnant. Dicuntur etiam cornuta, inquantum diuina præcepta impugnant, frangendo in ſe, & faciendo frangi in aliis, &c.* Deinde S. Thomas per decem diademata intelligit victorias de proiectione fidelium, per tranſgreſſionem decem præceptorum; & per nomina blaſphemiæ dicit oſtendi quod magna & expreſſa, & aperta erit blaſphemia: maximè autem blaſphemabit vnum ex illis capitibus, ſcilicet Anti-Chriſtus. Ita S. Thomas.

Alcazar §. 1. in ver. 1. c. 13. cum Victorino &

A Primaſio cenſet eamdem eſſe beſtiam maris c. 13. & beſtiam c. 17. dum ait: *In cap. 17. planam fiet hanc maris beſtiam c. 13. & beſtiam c. 17. deſcriptam, ſuper quam ſedit Babylon, non eſſe diuerſas, ſed eamdem: quod adeo certum eſt vt illi ipſimet qui has beſtias diuerſas eſſe putarant, vt Ribera & alij non pauci, nihilominus ſtatuant ſeptem capitum & ſeptem cornuum ſignificationem eamdem in vtraque beſtia eſſe debere. Expoſitio ergo ſeptem horum beſtiæ capitum ab Angelo reddita cap. 17. eſt eiuſmodi: Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quæ mulier ſedet; & reges ſeptem ſunt: quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit.* Ita Alcazar.

Deinde valde veriſſimile eſſe exiſtimat, in ſeptem marinæ beſtiæ capitibus Spiritum ſanctum reſpexiſſe ad exactum præcipuarum perſecutionum nume- B rum, quæ inter Neronis & Iuliani perſecutiones interceſſerunt, (ipſis tamen Nerone & Iuliano, ex hoc numero excluſis) ex quarum perſecutionibus altera fuit prima, altera poſtrema, ac de Neronis perſecutione mentionem non fieri inter ſeptem beſtiæ capita, quia ipſius mentio ſingulatim facta iam præceſſerat capite 12. vbi perſecutio illa draconis ipſi fuit aſcripta, cuius iuſſu atque oraculo Nero ipſe, vt pote inſignis veneficus, creditur perſecutionem illam excitaſſe; item perſecutionem Iuliani non annumerari inter ſeptem beſtiæ capita, quia extitit quaſi ſemiuſtus torris, qui cinere ſopitus ac pene extinctus reuiuiſcere, & rurſus fumigare cæpit, C poſt perſecutionum incendium in imperio prorſus extinctum, & facta publica profeſſione religionis Chriſtianæ iam ſub Conſtantino: vnde obmittitur inter decem perſecutiones perſecutio Iuliani, tam ab Auguſt. l. 18. de ciuit. c. 52. quàm à Seuero Sulpitio, cum illas nouenario numero coercet. Deinde illas nouem, Neronianâ ſuppreſsâ, ad ſeptem ante Iulianum reducit: quas hoc numerat ordine. Prima Domitiani, Secunda Traiani, Tertia Antonini, Quarta Seueri, Quinta Decij, ſexta Valeriani, Septima Diocletani, relictâ Iuliani perſecutione, de qua intelliguntur verba illa c. 17. & ipſa octaua eſt. Denique docet non eſſe opus ſeptem capitum ſignificationem ad ſeptenarium perſecutio- D num numerum preſsè ſumptum reduci, ſed ſolùm ad multitudinem Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianam Eccleſiam vexarunt. Etenim receptiſſima eſt in ſacris literis phraſis, certum numerum pro incerto poni: id quod præcipuè locum habet in quibuſdam numeris, qui completi appellantur, cuiuſmodi ſunt ſeptenarius, denarius, & millenarius, &c. *Quamobrem*, inquit ille, *poſtea quod Angelus Ioanni expoſuit, illud eſt, videlicet perſecutiones plures ſeptem futuras, quantumuis figura ipſa ſeptem capita præferret. Quod vero strictè futuræ eſſent, id fortè Angelus non declarauit, vt oſtenderet nolle Deum id Chriſtianæ Eccleſiæ reuelare, & eam ob rem belluam ſepticipitem fuiſſe viſam, additumque eſt ab Angelo (ſcilicet cap. 17.) in* E *illo capitum ſeptenario octauum contineri: vt hac ratione pateſceret illum ſeptenarium numerum indefinitè pro incerto fore accipiendum: ac proinde non opus eſſe vt ſenſus ad octo perſecutionum numerum contraheretur. Nam ſi id ſignificare voluiſſet, facilè profectò foret octo beſtiæ capita appingere.* Hæc Alcazar. At quam difficile ſit verum eruere ſenſum patet ex hoc, quod multa ſupponit dubia incerta, & gratis dicta in modo enumerandi perſecutiones, quas vult à S. Ioanne prædici, aut ad quas non vult eius Prophetia extendi; ſed præcipuè quia eamdem vult eſſe beſtiam capitis 13. cum beſtia capitis 17. Quod cum ſit verum, nunc nobis diſcutiendum eſt, vt ad verum ſenſum faciliùs valeamus peruenire.

Digitized by Google

Quatuor beſtiæ in hac prophetia deſcribuntur: quæ ſicut in deſcriptione variæ ſunt, ita diuerſas debent habere ſignificationes. Annotatio multùm ponderanda.

ANNOTAT. V.

SAPIENTIS eſt in ſermone nihil habere quod redundet, quæ ſemel expoſuit leui de cauſa non iterum exprimere, & paucis multa complecti; vt fiat verbum abbreuiatum: *Conſummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Iſa. 10. Et reuera abbreuiationem fecit Dominus omnis ſermonis, dum ſacram condidit ſcripturam, cuius præcipua laus eſt vt in paucis omnia Dei mirabilia nobis reuelanda expandat, ſaltem implicitè. Iuxta quem ſenſum à Cornelio à Lapide tum in hunc locum Iſ. tum in Epiſt. ad Roman. c. 9. hic locus Iſ. de ſcriptura ſancta etiam intelligitur, Bartholomæi apud S. Dionyſ. c. 1. de myſtica Theologia, autoritate. *Hoc*, inquit S. Dionyſ. *quidem modo diuinus Bartholomæus ait, & magnam eſſe Theologiam & minimam, atque Euangelium amplum & magnum, rurſuſque compendiarium. Quibus verbis illud mihi intellexiſſe videtur, bonam omnium cauſam & multis verbis, & paucis ſimul, & nullis exprimi, quippe quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam ac notitiam, quod omnibus ſingulari modo præſtet; iiſque ſolis ſineque integumentis, vereque colluceat, qui & immunda omnia, & munda tranſeunt, omnemque omnium ſanctorum faſtigiorum aſcenſum ſuperant, & diuina omnia lumina ſonos rationeſque relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua reuera eſt, vt ſcripta diuina tradunt, is qui eſt ſupra omnia.* Hæc Dionyſ. Ad hunc modum tractaſſe diuina myſteria ſanctum Ioannem non dubito, qui ſecretorum cæleſtium inter cæteros præcipuè eſt particeps; ideoque illum ſub paucis ſymbolis, ſub paucis verbis ſenſus magnos occultaſſe credibile eſt; & ſi ſemel aliquid ſymbolicè enunciarit, veriſimile eſt illud iterum non expreſſiſſe, ſed pro expreſſo habuiſſe. Dum igitur quatuor beſtias adducit in ſuis reuelationibus, mihi pro comperto eſt aliquid noui nobis quodlibet monſtrum portendere; nec vnum & idem illas beſtias ſignificare, niſi ſub diuerſa ratione, exiſtimo. Quod ita verum eſſe puto, vt ſi illas beſtias deſcriberet ſub vna & eadem omnino forma, aliquid tamen in ſignificatione diuerſum exquirerem; ne ſapientiæ S. Ioannis iniuriam inurerem, ſi vnam & eamdem rem, ſub vna & eadem forma iam ſatis prima vice expreſſam, rurſus ineptè exponeret. Quanto magis dicendum eſt illum diuerſa quædam edocere in quatuor beſtiis, cum illas ita deſcribit, vt multas inter illas poſſimus dignoſcere varietates, ſiue originem, ſiue formam, ſiue inſignia, ſiue effectus ipſis aſſignatos conſideres? Vt autem hoc euidentius pateat, illas inter ſe conferemus, vt quaſi ſub vno intuitu eas ſpeculantes, faciliùs quænam ſit inter eaſdem diſtinctio agnoſcatur.

Prima beſtia deſcribitur in cap. 12. hiſque coloribus depingitur. *Ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli: & miſit eas in terram.*

Secunda beſtia cap. 13. de mari aſcendit. *Habet capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ: Et erat ſimilis Pardo. Habebat pedes, ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis.*

Tertia beſtia aſcendit de terra c. 13. *Et habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco.*

A Quarta beſtia in cap. 17. deſcribitur. Mulier videtur *ſedens ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ſuæ. Et in fronte eius nomen ſcriptum, myſterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.*

Manifeſtum eſt autem illas inter ſe in plurimis differre. Prima beſtia de cœlo in terram projicitur, & ſtat in littore maris. At ſecunda è mari aſcendit. Tertia vero de terra. Quarta aſcenſura eſt quidem de abyſſo, ſed videtur in deſerto.

B Prima beſtia in capitibus geſtat diademata. Secunda beſtia illa geſtat ſupra cornua. Tertia duo tantum habet cornua, & vnum caput; nec in capite, nec in cornibus vlla habet diademata: Et quarta, nec in capitibus, nec in cornibus, vlla habet diademata.

Primæ beſtiæ corpus eſt corpus draconis. Secundæ beſtiæ ex diuerſis beſtiis videtur compactum: Similis erat pardo in corpore; at pedes habet vrſi, & os leonis. De corpore tertiæ beſtiæ nulla fit mentio; at tantum eius loquela denotatur, & talis eſſe dicitur, qualis eſt loquela draconis. At quarta beſtia quale ſit corpus, tantùm dicitur coccinea; & color, non figura eius deſignatur.

C Quænam ſit prima beſtia nulla eſt difficultas. Draco enim ille, ſeu ſerpens antiquus vocatur diabolus, & ſatanas, ſeductor, & fratrum accuſator.

Beſtiam ſecundam aliam eſſe ab eo patet euidentiſſimè: quia tanquam de duobus beſtiis de iis agitur c. 13. dum dicitur de ea: *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Tertiam beſtiam aliam eſſe ab his duabus patet non modo ex figura, ſed quia dicitur: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra.* Ergo non eamdem. Quarta beſtia quædam habet, in quibus conuenit præcipuè cum ſecunda; & forte, imo certè eius in ſe malitiam & indolem præſuppponit. Addit verò quædam, quibus facile eſt con- D jicere illam ſub alia ratione eſſe conſiderandam, & ad nequitiam ſecundæ beſtiæ quædam adjicere, quibus magis formidabilior reddetur v. g. coccinea eſt; Secundò, ſecunda beſtia ſuper capita tantùm habet nomina blaſphemiæ; quarta tota plena eſt nominibus blaſphemiæ: ſecunda beſtia nulli vehiculam præſtat; quarta beſtia mulierem purpuratam & inauratam geſtat, quæ ebria eſt ſanguine ſanctorum: itaut certum ſit eos, qui in quarta beſtia deſignantur, poſſe habere quidquid mali in ſecunda beſtia ſignificatur; eos verò qui in ſecunda beſtia deſignantur, non eadem ratione potiri poteſtate eorum, qui in quarta beſtia ſignificantur.

E Denique prima beſtia omnia capita habet ſimul abſque læſione, nec vnum alteri ſuccedit. Secunda capita habet ſeptem, ſed *vnum de capitibus eius videtur occiſum in mortem, cuius tamen plaga mortis curata eſt.* Tertia vnum tantùm habet caput. Quarta ſeptem habet capita, ſed ſibi ſuccedentia, non autem ſimul coëxiſtentia: Angelus enim exponens quænam ſint illius capita ait: *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet: & reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt; vnus eſt, & alius nondum venit: & cum venerit, oportet illum breue tempus manere.* c. 17.

Ex his certè conjecto diuerſas eſſe horum ſymbolorum ſignificationes. Quod ſi quarta beſtia cum prima aut ſecunda conueniat in ſeptem capitibus, ac decem cornibus, reuera illud eſt, quia eſt ſuſceptiua totius nequitiæ primæ beſtiæ, & quia indolem ſecundæ omnino obtinebit. Et tamen ſub alia ra-

Digitized by Google

A tione conſideranda venit; itaut ſi contentioſè agas quartam beſtiam eamdem eſſe cum beſtia è mari aſcendente; velis nolis, ſaltem aliquid aliud deſignare dices, ſi attente cunctas circumſtantias diſcutias; vt ſicut idem in theatro ſeu ſcena, modò Regis, modo Lenonis, modo Iudicis, modo Mercatoris perſonam gerit, ita eadem beſtia modò hic, modò ibi, diuerſa repræſentabit.

Dico igitur primò per beſtiam primam dæmonem deſignari; per ſecundam, animæ in peccato obduratæ inſignem malitiam, quæ potiſſimum in Anti-Chriſto apparebit; per tertiam, carnis prudentiam, ſeu amoris proprij cuncta propter ſe operantis iniquitatem: cuius vis maxima erit in eo, qui ſe B totum Anti-Chriſti obſequio deuouebit, vt à cunctis pro Deo habeatur; in quarta beſtia denotari mundanam potentiam, in quantum impenditur ad impediendam regni Chriſti erectionem, promotionem, & ſtabilitatem: quæ maxime apparebit in quibuſdam Monarchiis ſeu regnis, in quibus inuenientur quidam Reges & Imperatores, qui contra Eccleſiam dimicabunt, vt Dei cultum funditus euertant, ſi fieri poſſit. Itaque dæmon inſtigat nequitiam: malitia cordis humani illius obſecundat voluntati captiua ad ipſius diaboli voluntatem: carnis prudentia fouet prauas tum dæmonis intentiones, tum malitiæ peruerſas determinationes: At mundana autoritas & poteſtas executioni deman- C dat quod ſuggerit dæmon, quod malitia intendit: quod caro, vt ſibi ipſi ſatis faciat, fouet & nutrit. In qua ſerie videtur progreſſus quidam rerum veritati ſatis conſentaneus. Veriſſimum quippe eſt dæmonem nequitias ſuggerere, animam in peccatis perſeuerantem facillimè ſuis ſuggeſtionibus adhærere, carnis appetitum moueri ad præſentiam eorum quæ ſibi blandiuntur, nulliſque frenis contineri ſi concupitis ſibi frui liceat. Quis autem ignorat potentes ſeculi exiſtimare omnia ſibi eſſe licita, modò ſint poſſibilia, & voluntati eorum ac delectationi ſenſuum conformia?

Dico ſecundo beſtiam ſecundam repræſentare malitiam peccati, & exinde Anti-Chriſtum, in eo D ſenſu quo in ſcriptura vſurpatur nomen Anti-Chriſti, ſiue pro quocumque qui Chriſti maieſtati detrahit, eiuſque cultui ſeſe opponit, ſiue pro determinata aliqua perſona, quæ ratione quadam ſpeciali contra Chriſtum extollitur. Sicque hac beſtia adumbrantur omnes impij, obſtinati, & reprobi, quorum caput, eo ſenſu quo ſupra diximus, eſt Anti-Chriſtus: qui in ſeipſo concludit eminenti modo omnem mentis malitiam & peruerſitatem, quæ in quocumque reprobo reperiri queat. Itaque (proportionalitèr quodammodo loquendo) ſicut Chriſtus in membris ſuis conſideratur, & nihilominus perſonaliter diſtinguitur à quocumque fidelium, qui eius ſpiritu viuificantur, & quem imitari ſatagunt, E ita Anti-Chriſtus quadam ratione dicatur eſſe in reprobis, quia illius actiones imitantur, & ea præditi ſunt animi nequitia, quæ in ſummo gradu in Anti-Chriſto reperietur: & tamen eſt ipſe quædam particularis perſona. Et ſatis conuenienter malitia peccati, & in eo perſeuerantia emergere dicitur è mari: Mare enim ſymbolicè poteſt deſignare peccatum originale, quo omnis terra cooperta eſt, ex eo enim in actuale peccatum prorumpimus, vel quod gratiæ diuinæ auxilio careamus, vel quia fomes peccati in nobis manens (etiam ablato originali peccato) nos ad peccandum inducit. Hic igitur Anti-Chriſtus depingitur in quantum eſt *homo peccati & filius perditionis, qui extolletur ſupra omne quod dicitur Deus*, & per ſigna ac portenta cunctos ſeducere attentabit. Tyrannidis autem illius, aliorumque regnorum inuaſio ad oppugnandum Chriſti regnum in cap. tum 17. tum 20. deſcribuntur.

Dico tertio tertiam beſtiam prudentiam carnis deſignare, ſiue ſui ipſius peruerſum & inordinatum amorem. Duobus enim modis actualia peccata committuntur, vel libera voluntaris electione, ſeu determinata voluntate ad malum: vel quodam impulſu ſenſualitatis allicientis ad ea proſequenda, quæ ſenſibus gratiſſima exiſtunt: cui ſenſualitati ſi quis obediat, Anti-Chriſto modum facillimum ſuppeditat, vt homines ad ſibi cultum & obſequiũ præſtandum inducat, ſuppeditando carni rationes, quibus induta voluptatibus liberrimè indulgeat, & peccati horrorem blandis inuolucris ita occultat, vt anima nullo modo ab eius perpetratione auocari valeat. Nec mirum ſi ſub duabus beſtiarum figuris idem reprobus repræſentetur: nam cum coaleſcat ex duobus, nempe ex corpore, & animo, qui à corporea natura longiſſimo diſtat interuallo; conuenienter animi peruerſitas per vnam, & carnis nequitia per aliam debuit repræſentari, quamuis ad vnum & eumdem ſcopum adſpirent & voluntatis malitia, & carnis blandities, nempe vt homo totus à Deo auertatur. Et euidentiſſimè hæc beſtia à ſecunda diſtinguitur, ſiue eius originem attendas, ad quam Deus reſpiciebat dicens, Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*; ſiue eius munia ſpectes, quæ tota impenduntur ad ſecundæ beſtiæ cultum promouendum. Et in hac beſtia depingitur miſerrimus ille pſeudo-Pontifex Anti-Chriſti, qui vt diuitiis abundet, vt præcipua apud tam potentiſſimum tyrannum autoritate valeat, illius obſequio & cultui ſe totum conſecrabit.

Dico quartò, quartam beſtiam eſſe quamdam mundanam poteſtatem dæmoni obſequentem, quæ præcipuè in quibuſdam viguit imperiis, quæ patenter Dei regnum & cultum & oppugnare & euertere attentarunt. Quænam autem ſint illa, ſuo loco erit diſcutiendum. Solùm autem hic modo dicendum hanc beſtiam quartam capitis decimi ſeptimi aliam habere ſignificationem à ſignificatione beſtiæ capitis decimi tertij: nec enim poteſtas & autoritas regalis aut tyrannica reperitur in omnibus, in quibus proprietates reproborum (quæ in ſecunda beſtia depinguntur) reperiuntur. At optimè proprietates reproborum poſſunt reperiri in vnoquoque tyrannorum, in quibus vigebit peccati malitia, & ſui ipſius amor inordinatus: & ſic in quantum reprobi & inſigniores peccatores, ſeptem habebunt capita; in quantum verò reges, ad vnum tantum ex capitibus quartæ beſtiæ pertinebunt, vt videbimus poſtea.

Ex his exiſtimo illos, qui ſeptem beſtiæ ſecundæ capita ad reges aut regna adaptant, non collimaſſe ſeu ſcopum non attigiſſe: nec enim ad regna denotanda præcipuè hoc ænigma proponitur, ſed tantum ad deſignandam reproborum malitiam, & præcipue Anti-Chriſti nequitiam: quæ tamen malitia & nequitia in Regibus & Imperatoribus, ſeu tyrannis Eccleſiam perſequentibus apparebit.

Et vidi de mari beſtiam aſcendentem.

Noſtra de beſtia è mari aſcendente expoſitio.

ANNOTAT. VI.

ET *vidi de mari beſtiam aſcendentem*. Ac ſi diceret: E medio cuiuſdam maris procelloſi peccatorum, iteratis in infinitum vicibus commiſſorum, vidi malitiam quamdam è cordis humani abyſſo exurgentem, indicantem manifeſtè hunc hominem

Digitized by Google

…n modo vſum rationis ſuæ amiſiſſe, quin etiam abſque delectu aut libera electione præcipitem ferri in quælibet obiecta, & ad modum brutorum à ſenſuum obiectis quodammodo determinari, vt impetu ruat in quæcumque peccata. Qua quidem ratione quælibet contrahit vitia, fitque immundorum ac peruerſorum ſpirituum receptaculum ac domicilium. Vidi nempe quod huiuſmodi hominis actiones nullum aliud haberent principium quàm vel auaritiam, vel inuidiam, aut luxuriam, aut iracundiam, aut acediam, aut gulam, aut denique ſuperbiam: ſic illum intuitus ſum vt horrendum monſtrum ſepticeps. E capite ſuperbiæ decem prodibant cornua, quod in votis haberet cunctas vires & facultates ſuas impendere ad mandatorum Dei tranſgreſſionem procurandam & exercendam: quidquid in mente voluebat, quidquid voluntate ſeligebat, quidquid cogitationi & phantaſiæ occurrebat, quidquid appetitu concupiſcibili proſequeretur, quidquid iraſcibili refugeret, quidquid ſenſibus ſuis, ſiue viſu, ſiue auditu, ſiue odoratu, ſiue tactu perciperet, hoc omne ad hunc ſcopum dirigebat, vt Dei mandata contemnerentur, & impudenter violarentur. Hac de cauſa vidi huiuſmodi hominem, in hanc nequitiam prorumpere, vt non tantùm omnes vires ſuas impenderet ad Dei mandata conculcanda, & ea abſque vlla verecundia tranſgredienda; quin etiam in malefactis gloriabatur; & omnem induſtriam & conatum adhibebat, vt regnaret ac dominaretur impietas. Hinc cornua habebat diadematibus adornata! Quæ quidem de peccatis gloriatio, & impietatis dominatio tanta aſſumebant incrementa, vt tandem ad hunc malitiæ & obſtinationis gradum, quo altiorem attingere nemo poſſit, in Anti-Chriſti perſona peccandi libido deuenit, *cuius aduentus* (Apoſtolo teſte) *eſt ſecundum omnem operationem Satanæ.* In eo ſiquidem euidenter cernetur ad quem malitiæ gradum anima, peccata pluries repetendo, ſeque, & dæmonum domicilium, & nequitiæ eorum inſtrumentum conſtituendo, tandem peruenire: nullus enim gradus malitiæ maior eſſe poteſt, quàm ſi quis Deum eſſe inficietur, ſeque in Dei locum conſtituat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus: quod quidem præſtabit Anti-Chriſtus.

Hinc vidi *ſuper capita eius nomina blaſphemiæ*, nempe ea nomina blaſphemiæ, in quæ propellunt hæc ſeptem vitia, quæ omnium operationum tam perditi hominis & inſigniter peccantis, vt Dei hoſtis, Chriſti inimicus, veritatis oppugnator, ſatanæ organum conſtituatur, ſunt initia. Vidi ſiquidem quod propter auaritiæ inſatiabilem appetitum, diuinam abnegaret prouidentiam; & in fronte tam horrendi capitis inſculptam hanc blaſphemiam habebat: Eſto ſit aliquis, qui vocetur aut nominetur Deus, noſtras res non curat. *Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat.* Iob. c. 22.

Deinde quia inuidia tabeſcebat, omnia ſalutis æternæ media paruipendebat, ac ſi Deo deeſſet aut voluntas aut poteſtas, qua ſaluari, aut ab æternis pœnis liberari valeret, Dæmone obſeſſus hanc blaſphemiam profert: Si damnandus ſim, quomodo effugiam damnationem? quæ futura ſunt, ſunt ineuitabilia. Et cum peſſimo latione, Chriſto crucifixo quaſi exprobrare videtur ſaluandi alios impotentiam. *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos.* Luc. 23. Si adſit poteſtas, deeſt voluntas; ſi voluntas adſit, deeſt proculdubio poteſtas: & ideo ridendus es, qui te aliorum ſalutem procurare aut cauſare iactas.

Quia autem totus demergitur in luxuriæ cæno, A omni dignitate rationalis naturæ amiſsâ, contra Dei ſapientiam blaſphemiam euomit abominandam, dum putat homines ad nullum finem nobiliorem brutorum fine, à diuina ſapientia ordinari; & in fronte ſcriptum gerit: *Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil homo habet iumento amplius.* Eccleſ. 3. Furore repletus cum Nabuchodonoſore contra maieſtatem diuinæ omnipotentiæ eructat horrendam blaſphemiam: *Quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Daniel 3. Vel cum Rabſace duce copioſiſſimi exercitus regis Aſſyriorum Hieroſolymam obſidente: *Si nullus potuit Deus cunctarum gentium liberare populum* B *ſuum de manu mea, & de manu patrum meorum, conſequenter nec Deus veſter poterit eruere vos de manu mea.* 2. Reg. c. 32.

Rerum ſpiritalium auerſione ac faſtidio, acedia torpens, ac ſi Deus nec pœnis crimina vindicaret, nec præmiis bonas actiones coronaret, contra Dei iuſtitiam & æquitatem, hanc in fronte gerit blaſphemiam inſcriptam: *Vniuerſa æque eueniunt iuſto & impio.* Eccleſ. Etenim ex hac falſa perſuaſione quod eadem ſit iuſtorum & impiorum ſors & conditio, abſque vlla inæqualitate, teſte ſapiente, *corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua, & poſthæc ad inferos deducentur.* Quod ſi ad caput nefandum gulæ oculos conuertas; percipies talem C blaſphemiam euomere contra Dei ſupremam dominationem: nam ex amore inordinato ſui ipſius ſibi perſuadet nullis legibus coerceri poſſe, ne quibuſcumque voluerit rebus vtatur ad vitæ conſeruationem, vel guſtus oblectationem: Hinc ait: *Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus.* Sap. 2. De talibus S. Iudas ait: *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.* Et rurſus: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Addit S. Iudas: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſ-* D *centes, &c. quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Denique in vltimo ſuperbiæ capite legitur hæc blaſphemia inſculpta: *Non eſt Deus*: Pſal. 13. Quod euidenter perſpicietur in perſona Anti-Chriſti, de quo Apoſtolus 2. ad Theſſalo. 2. *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Hunc imitantur, & Anti Chriſti ideo dicendi ſunt, qui iuſtitiæ & æquitatis oſores, Chriſti mandatis ac conſiliis obtemperare detrectant, quibus nos ad Dei cultum & obſequium aſtringere nititur, Chriſtum hac ratione rurſus in ſemetipſis crucifigentes, cui nec fidem adhibent, nec eius acquieſcunt conſiliis, nec mandatis obtemperant.

Nec à ratione alienum eſſe videtur exiſtimare in E ſeptem beſtiæ capitibus deſignari quoſdam principes, qui Anti-Chriſto ad implendas ſuas rapacitates, ad euertendam per inuidiam Chriſtiani nominis gloriam, ad explendas ſuas libidines, ad crudelitatis ac ſæuitiæ illius exequenda mandata; ad præſtigiorum ſuorum fucos, quibus homines à diuinorum amore & guſtu auocare tentabit, quibuſue ſeducti omnia ſalutis æternæ conſequendæ media procul abjicient, ad promouendum eos ad cibos delicatiores ſibi comparandos, & ad ſuam ingluuiem exſaturandam, ad eius denique cultum & adorationem procurandam turpiter inſeruient: Et per decem cornua omnes inferiores ſuæ rapacitatis, inuidiæ, libidinis, ſæuitiæ, acediæ, gulæ, ſuperbiæ miniſtros, ſuper quos diademata ponuntur. Nihil

Digitized by Google

enim adeo euidenter abſolutam dominationem oſtendit, quàm cum inferioribus ac minoribus alicuius Regis Miniſtris nemo reſiſtere audet: quales erant hi, de quibus lib. 1. Machab. c. 1. dicitur fuiſſe ab Antiocho præpoſitos principes populo, qui fieri cogerent quod ad euerſionem cultus diuini Rex impius fieri mandauerat, videlicet *Vt obliuiſcerentur legem, & immutarent omnes iuſtificationes Dei, ædificantes aras & templa, & idola, &c.* Quia hic igitur hoc redolet tyrannidem, non modo affectatam, ſed effectum ſuum obtinentem, cum miniſtri Regum inferiores tanta autoritate valent, vt omnia mandata eorum fieri cogant, ideo diademata non ſupra capita, ſed ſupra cornua, quæ inferiores miniſtros Anti-Chriſti deſignant, ponuntur, ac ſi propheta diceret: Cernes autem quomodo regnabit homo peccati, & filius perditionis, cum videbis eius miniſtros talis eſſe poteſtatis & autoritatis, vt omnes omnino cogant ad mandatorum Dei patentem tranſgreſſionem. Quod notandum eſſe cenſeo ad veram huius loci expoſitionem. Diademata habet diabolus in ſeptem capitibus, quia per ſeptem nequitias, quas illi affinximus, regnare contendit: Nulla habet diademata quarta beſtia, nec in capitibus, nec ſupra cornua: quia Anti-Chriſtus, in quo præcipuè huius beſtiæ plena poteſtas ad impugnandum Chriſtum regnum complebitur, nullum patietur regio nomine inſigniri. Nam quamuis eius Miniſtri vna hora tantùm poteſtatem tanquam reges accipiant, nomen tamen regium aſſumere non audebunt. At in ſecunda beſtia cornua diadematibus ornantur: quia quanta ſit poteſtas, ac tyrannis Anti-Chriſti, ex magna miniſtrorum ſuorum poteſtate manifeſtabitur. Nec mirum ſi reges ei in principio ſeruiant, cum tanta futura ſit illius arrogantia, vt eorum qui in minori dignitate eſſent conſtituti miniſteria contemnat: & quod ſpiritualibus obſequiis Chriſtus à Regibus terræ requiſiuit, vt adimpleretur prophetia (*Omnes reges ſeruient ei*;) vel ſuis membris, nempe pauperibus fieri præcipit, vt centuplum in alia vita retribuat, hoc ſibi faſtuosè & arroganter Anti Chriſtus exhiberi faciet. Non enim in arrogantia inferior erit Adonibezech Regi, cui comprehenſo præciſæ ſunt ſummitates manuum ac pedum, iuſto Dei iudicio, ipſo fatente quod ſeptuaginta reges ad hanc miſeriam deduxiſſet, vt amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligerent ſub menſa illius ciborum reliquias. Iud. 1.

Digreſſio de peccati horrore, ac de ſeptem Vitiis capitalibus.

Non erit ab inſtituto alienum, ſi de peccati turpitudine hic agamus, cum ex actibus peccaminoſis, tanquam ex mari procelloſo, emergat iſta beſtia: *Cor impij quaſi mare feruens*; nec non etiam ſi de his peccatis capitalibus tractemus, vt huius beſtiæ capita horrenda meliùs concipiamus. Illud autem præſtabimus eadem vtentes methodo, quam ex Chryſoſt. poſt Paulum poſſumus addiſcere. Dixit enim ad Timotheum Paulus: *Argue, obſecra, increpa.* Quem locum explanans Ioan. Chryſ. homil. 9. in 2. ad Timotheum ait: *Qui increpare vult, prius arguat, hoc eſt, argumentis probet impietatem eſſe impietatem, & tunc locus erit efficaciori increpationi: Sed ſicut ſine argumento non valet increpatio, ita nec increpatio ſortietur effectum, ſi ſubducas obſecrationem.* Ita Chryſ. Oportet igitur arguere errantes, peccati malum & deformitatem argumentis demonſtrantes, tam in genere quàm in ſpecie: Secundò, obſecrare iuſtos, vel ſaltem verè pœnitentes, vt amore virtutis allecti tantam effugiant turpitudinem; Denique increpare oportet ſceleratos, ſeu etiam ad conuerſionem du-

A riores, vt quanta ſit miſeria in peccatis remanere ac perſiſtere poſſint percipere.

De peccati turpitudine in genere.

ANNOTATIO VII.

NON mei eſt inſtituti de iſtis fusè diſſerere. Conſulendi qui de peccatis ex propoſito agunt. A noſtro tamen inſtituto non videtur alienum, ſi quædam adducamus, quibus peccatorum horror ingeratur, & ſimul oſtendatur quàm formidabilia ſint huius horrendæ beſtiæ capita.

Quidam volunt Euam non exhorruiſſe ſerpentis
B congreſſum; vel quia diabolus genus quoddam ſerpentis elegit ad eam decipiendam, quod virgineum dicunt habere vultum, itaut illius ſerpentis congreſſu Eua non modo non perterreretur, ſed etiam oblectaretur. Ita Pererius refert ex Magiſt. hiſtor. Eccleſiaſt. l. 6. in Geneſ. 4. Vel quia elegit aliud genus ſerpentis, cui nomen Scytale, animal formoſum & pulchrum: *Tanta*, inquit Solinus apud Pererius, *præfulgens tergi varietate, vt notarum gratiâ videntes retardet. Et quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupentes.* Sub ſimili forma vitia ſeſe obtrudunt ſenſibus; pulchra cenſentur, cum turpia. Virgineum habeant, ſi velitis, vultum: formoſa quamtumuis appareant, & varietate qua-
C dam ſenſibus grata præfulgeant; at ſemper ſerpentes ſunt. Admonet autem Sapiens fugiendum nobis eſſe à facie peccati, ſicut à facie colubri. Eccleſ. 21. Licet enim ſuperficie tenus aliquid habeant, quod ſenſus oblectet, ſi tamen attentè illa intuearis, horrenda tibi apparebunt, vtpote turpiſſima. Putida vulnera ſunt & malè olentia, vermibus & fætore plena: nihil habent ſanum, nihil integrum, quaſi corpus oculis lippientibus, truncatis naribus, ore diſtorto, horribili facie, ſaniem vndequaque fluens, cui nulla ſuppetit partium & membrorum apta ſeu conueniens diſpoſitio aut proportio, maculis indecentibus totum reſperſum. Hoc noſſe ſaluberrimum eſt, vt peccati horrorem concipiamus, & il-
D lud fugiamus. Rectè enim Seneca, Epiſt. 28. *Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregiè mihi hoc dicere videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant?* Ita Seneca. Quaſi dicat: Minimè cogitat de remedio, qui propter ignorátiam peccati, quod malum eſt bonum eſſe arbitratur. Ideo optime addit Seneca: *Quantum potes teipſum coargue. Inquire in te. Accuſatoris primùm partibus fungere; deinde iudicis; nouiſſimè deprecatoris. Aliquando te offende.* Ita Seneca. Primum igitur, quod faciendum eſt, vt homines à peccatis auertamus, eſt vt validis argumentis ipſa eſſe turpiſſima oſten-
E damus, iuxta Apoſtolum & S. Chryſoſt. Quod vt oſtendamus, videamus quid ſit pulchritudo: *Contraria enim contrariis oppoſita magis eluceſcunt.* Si igitur peccata careant conditionibus omnibus, quæ requiruntur ad pulchritudinem, ipſa eſſe turpiſſima facile conijciemus.

Pulchritudo autem & pulchrum, ex S. Dionyſ. de diuinis nominibus, *non ſunt diuidenda in cauſa, quæ vna comprehendit omnia, id eſt in Deo. Pulchritudo autem dicitur in Deo, ex pulchritudine, quæ ab eo communicatur, & quod omnium concinnitatis & ſplendoris cauſa ſit, & quod ad ſe κάλλει, id eſt, vocet omnia: ex quo κάλλος, id eſt, pulchritudo, dicitur, & tota in totis ſe colligat.* Ita S. Dionyſ. Certè ſi hæc verba Dionyſij ponderes, perſpicies, ni fallor, tria in rebus creatis ad pulchritudinem requiri; Primò concinnitatem, ſeu com-

menſurationem quamdam , deinde ſplendorem : quæ duo ad ſe vocant omnia quæ requiruntur, & quæ neceſſaria ſunt vt hæc concinnitas exſurgat, hic ſplendor refulgeat, & finem ſuum conſequatur. Verbi gratiâ, in corporibus pulchritudo erit optima partium diſpoſitio , apta membrorum figura , viui & nitidi colores, ex puritate ſanguinis , humorum, & ſpirituum ; & integritas membrorum , vt nullum deſit ad finis conſecutionem ; in animis autem , vt omnes animæ facultates ad formæ naturam commenſurentur , vt ſic exurgat concinnitas ; Secundò vt vigeat in actibus rationis ſplendor ; Tertiò, vt ſit in anima connexio omnium virtutum quarumlibet potentiarum : *Bonum enim ex integra cauſa* : quibus inſtructi finem noſtrum conſequamur , id eſt, ad Deum perueniamus , qui totius pulchritudinis fons & origo omnia ad ſe vocat , cum ſit finis omnium. Sic enim pulchritudo tota ſe colligit in totis : cum totum bonum, quod in creaturis reperitur, in Deo, veluti in fonte & cauſa omnium, excellentiori modo inuenitur , *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Pulchra igitur erit anima, ſi cum ſit ad Dei imaginem creata, & corporis forma , ſeu corporis organici actus habeat omnes facultates intellectuales , qua poſſit vniri Deo ; & alias potentias, per quas, dum eſt vnita corpori , poſſit ſuas exercere operationes, ita benè & aptè diſpoſitas , vt mens ſubdatur Deo , & appetitus inferior ſubdatur rationi. Hanc concinnitatem & aptam diſpoſitionem non obtinebit, niſi habeat ſplendorem rationis , nempe prudentiam, quæ eſt recta ratio agibilium, qua poſſit facere electionem rectam , tum finis , tum mediorum ad finem; & omnes actus ſuos ad debitos fines ordinare conuenienter : quia non ſufficit inclinatio in debitum finem , quod eſt directè per habitum virtutis moralis , ſed etiam quod aliquis d rectè eligat ea quæ ſunt ad finem. Hoc facit ille ſplendor rationis, ſeu prudentia , quæ , vt dictum eſt, eſt recta ratio agibilium. Sed cum non ſufficiat vt vnus vel alius actus ordinetur in finem , ſed oporteat vt omnes actus debitum finem conſequantur , ideo ad animæ pulchritudinem requiruntur omnes virtutes, ne homo in aliquo deficiat.

Hæc eſt illa animi pulchritudo , quæ ſi oculis poſſet intueri , mirabiles ſui excitaret amores : quæ tamen ad extra ſuos emittit fulgores , dum videmus hominem conuenienter & aptè diſpoſitum erga Deum , erga proximum , & erga ſemetipſum.

Si igitur quæras in quo conſiſtat animi turpitudo ? Reſpondeo , in diſſipatione omnium facultatum , quæ in vnum ſcopum deberent colligi , nempe in Deum , cum quo anima , vt pulchra ſit , debet intimè vniri : cuius pulchritudo eſt vt omnia ad ſe vocet , qui propter ſemetipſum omnia creauit ; & totum colligat in totis, id eſt, omnia ad ſe reſumat, quæ in omnibus & ſingulis diſperſit. Hæc autem diſſipatio fit per vitium, malitiam, & peccatum. Vitium autem rei vniuſcuiuſque eſſe videtur , quod non ſit diſpoſita ſecundum quod conuenit ſuæ naturæ. *Quod*, inquit S. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio c. 14. in fine , *perfectioni deeſſe perſpexeris, id voca vitium.* Vitium, verbi gratiâ , in corpore hominis eſſet ſi homo haberet caput aſininũ aut vitulinum : ſi caput quidem haberet humanum, ſed inter ſcapulas , aut in medio ſtomachi collocatum : ſi illud quidem haberet in propria ſede collocatum , at oculis aut labris , aut naribus truncatum. Vitium eſſet animæ ſi intellectu priuaretur : ſi ratio ſuccumbat appetitui : ſi errore obtenebretur , aut ignorantia obnubiletur. Quod in peccatoribus deplorat Pſalmiſta , dum ait : *Homo cum in honore eſſet non intellexit : comparatus eſt iumentis inſipientibus , & ſimilis*

A *factus eſt illis* ; obcæcatione videlicet mentis, & effrenata, ac in rationem dominante libidine. Hac enim ratione nulla poteſt eſſe concinnitas, in anima , ſeu debita ſecundum naturam ſuarum facultatum diſpoſitio , & ad ſe inuicem optima ordinatio , ſeu commenſuratio. At ſicut per vitium contrahitur turpitudo , ita & per malitiam. Nam ſi homo illud lumen à Deo inditum ſequeretur, vt bonum ſemper eligeret , nullam ex malitia contraheret turpitudinem; bonitas namque vniuſcuiuſque rei in hoc conſiſtit , quod conuenienter ſe habeat ſecundum modum ſuæ naturæ : quod præſtat amor virtutis , quæ eſt diſpoſitio perfecti ad optimum , & quæ bonum facit habentem per actus bonos , ad quos ordinatur B virtus ; & ſic ſuam ſeruaret concinnitatem , & optimam erga finem debitum diſpoſitionem. Sed dum per malitiam ab illo ſplendore rationis deficit, tunc illam deperdit concinnitatem , & turpitudinem contrahit. In tali namque anima nullus virtutum ſplendor , dum in actibus noſtris ratio non dominatur, ſed libido. Ibi proculdubio tenebroſa, & horrida vitiorum imago , loco ſplendoris. Per defectum namque virtutis moralis ; à qua homo habet rectitudinem voluntatis , exſurgit in homine inſignis ex malitia turpitudo.

Quæ quidem turpitudo tandem perficitur , & maximè contrahitur per peccatum. Peccatum ſiquidem propriè dicit & nominat actum inordinatum , ſicut actus virtutis eſt actus ordinatus & debi- C tus : vnde peccatum definitur, dictum , vel factum, vel concupitum contra legem æternam , quæ eſt quaſi ratio Dei , & prima regula actus humani, ſeu voluntatis humanæ ; ad quam debet commenſurari , per propinquam & homogeneam regulam , ſcilicet ipſam humanam rationem : à qua ſi ſe diuertat , incommenſurata erit, & ſit deformis & turpis per peccatum : quo fit vt actus hominis priuetur, ſuo modo , ſua ſpecie , ſuo ordine , imo etiam modo, ſpecie & ordine cuiuſdam boni excellentiſſimi, nempe virtutis & gratiæ ; itaut licet bonum pertinens ad ipſam ſubſtantiam naturæ remaneat , nec illud bonum priuetur ſuo modo, ſua ſpecie , ſuoque D ordine per peccatum, imo nec diminuatur : bonum tamen naturalis inclinationis ad bonum , licet non totaliter tollatur, diminuitur tamen per peccatum : ſicut bonum virtutis & gratiæ , & bonitas actus , & commenſuratio ad finem omnino tolluntur , vt diximus.

Et quia homo auertendo ſe à Deo, à lege æterna, à recta ratione, dum peccat conuertit ſe ad creaturas, quibus inordinate adhærere vult ; ideo præter illam turpitudinem , quam contrahit ex vitio , malitia , & peccato ; præter vulnera quæ illi infliguntur , dum eius ratio hebetatur in agendis, voluntas induratur , ne ad bonum conuertatur , dum maiorem patitur difficultatem ad benè agendum, & con- E cupiſcentia magis inardeſcit in eo ; præter illam, inquam, turpitudinem, quam ex his contrahit, quamdam aliam abominabilem contrahit maculam ex peccato , vt docet S. Tho. 1. 2. q. 86. art. 1. quam ita exponit. *Macula* , inquit, *propriè dicitur in corporalibus , quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis , ſicut veſtis , & aurum , & argentum , aut aliud huiuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus, ad ſimilitudinem huius oportet maculam dici. Habet autem anima duplicem nitorem , vnum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis , per quam dirigitur in ſuis actibus , aliam verò ex refulgentia diuini luminis , ſcilicet ſapientiæ & gratiæ , per quam etiam homo perficitur ad benè & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus , quando inhæret aliquibus rebus per amorem. Cum autem peccat , adhæret aliquibus rebus contra lumen*

rationis

Digitized by Google

rationis & diuinæ legis. Vnde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proueniens, macula animæ metaphoricè vocatur. Ita S. Thomas. Si igitur quæras in quo conſiſtat animæ turpitudo? Breuiter reſpondeo, in vitio, malitia, peccato & macula prouenientе ex inordinata ad creaturas adhæſione. Sed quis oculos habebit adeo perſpicaces, vt hanc intrinſecam peccatoris turpitudinem perſpicere valeat? Certè ſicut animi pulchritudo oculis corporeis non ſubjicitur, ita nec turpitudo iiſdem oculis poterit animaduerti. Ab actibus eorum cognoſcetis hominum intrinſecam pulchritudinem aut turpitudinem. Si benè affecti fuerint erga Deum, erga proximum & ſeipſum, per actus externos, dicas eis: *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna:* Si autem malè, abominabilem in eis agnoſce turpitudinem. *Denigrata quippe eſt ſupra carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Thren. 4.

Sed quia hæc intelligibilia non poſſunt tam directè cognoſci, oportet vt per ſenſibiles formas ad illa meditanda deducamur, vt hac ratione animaduertentes quàm turpe ſit peccatum, in quo nulla concinnitas, nullus ſplendor virtutis, illud ſedulò fugiamus, ne iſtam contrahamus turpitudinem aut maculam. Ad hoc præſtandum ecce adeſt Dominus, de quo Iſaiæ 53. dicitur: *Non eſt ſpecies ei neque decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus. Et deſiderauimus eum, deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.* Ita Iſ. Qua enim de cauſa ſpecioſus forma præ filiis hominum tam deformis apparuit, niſi vt nos turpitudinis peccati admoneret, pro cuius expiatione & emendatione tanta pati voluit? Quàm deformis enim erit peccator ex propriis vulneribus, ſi ipſamet pulchritudo turpis apparet, vt peccati vulneribus medeatur! *Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuore eius ſanati ſumus.* Ita Iſ. Peccatum igitur valde erit horrendum & deforme, qui ipſam pulchritudinem tanta deformitate potuit afficere. Quid miraris Oziæ Regis Iudæ præſumptionem & arrogantiam lepra abominanda fuiſſe punitam? 2. Paralypo. c. 26. Tantùm potuit peccatum, vt in innocentem peccantium perſonam gerentem ſuam tranſmiſerit & transfuderit turpitudinem. Sed audiamus S. Chryſoſthomum optimum & elegantem huiuſce turpitudinis pictorem, Homil. 9. in 1. ad Corinthios. *Barbarum*, inquit, *namque eſt peccatum: quod cum animam ſemel captam, itaut contra perſuaderi neſciat, in ſuis ſordibus demerſerit, ſub tyrannidem redigit. Nihil enim tam præter rationem eſt quàm peccatum; nihil tam ſtultum, tam fatuum, nihil tam vehemens. Omnia euertit, confundit, perdit. Quocumque inciderit viſu incommodum eſt, graue, oneroſum. Quod ſi quis pictor effingeret, non ſanè mihi errare videretur, ſi in hunc modum id perageret: fœminam quamdam in feræ ſimilitudinem, barbaram, ignem efflantem, horridam, nigram, quales externi Poëtæ Scyllas effingunt. Innumeris enim manibus, noſtris inſidiatur cogitationibus, & inopinantes aggreditur. Omnia dilacerat, more canum clanculum mordentium.* Ita Chryſoſt. Fæminam dicit propter puſillanimitatem; feram, propter crudelitatem; barbaram, quia à veris amicis, Angelis & ſanctis alienam. Non mirum igitur ſi dæmon, qui peccati autor eſt (vt ait S. Ioannes 1. Epiſt. c. 3. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat*) vel cum apparet ſuis, vel cum Dei ſeruos terrere cupit, ſemper horribili videatur figurâ. Hydra multiceps, intuitu terribili, oculis ardentibus, colore nigro vel ſanguineo, ſeu cruento. Tali figura, delineamentis ita deordinatis & monſtroſis, vt facilè conjici poſſit qualis ſit, qui nunquam apparere queat quàm deformis & horrendus. Ita de his apparitionibus diſſerit ille Agrippa 4. libr de occulta philoſophia. Ibi enim aſſerit dæmones, cum euocantur à Magicis, ſemper horribiles apparere, v. g. dæmon qui, vt vult ipſe, præſidet Satuini Planetæ, quatuor habet facies, vna anterior, altera poſterior, ore recuruo, ſeu roſtro obunco, oculis rotundls & ſcintillantibus, colore nigro & obſcuro, & in genibus quædam facies ſeu vultus apparent: Et ex vitis ſanctorum diſcimus, terrificis formis ipſum plærumque ſeruos Dei conari perterrere. Et aſſerebat beatus ille Ægidius ſancti Patris noſtri Franciſci diſcipulus, dæmonis figuiam adeo eſſe horrendam, vt abſque ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio vix tolerari poſſet. Quæ omnia ſatis innuunt peccati deformitatem, quam ſedulo euitare debeamus, non tantum nitore virtutis & gratiæ allecti, ſed etiam horrore peccati deterriti.

At quia de peccati turpitudine nob's præcisè agendum eſt, quibus poſſit adumbrari horrendis figuris, ac viuis depingi coloribus videamus.

Olaus Magnus lib. 21. refert videri piſces in mari, quod Nortuegiæ plagam alluit, enormis magnitudinis, tam horribilis adſpectus, vt timorem & horrorem intuentibus incutiant. Potentiſſimo capite, quadrato, ſpinoſis cornibus, & acutis & longiſſimis inſtructo, nigro colore, oculis adeo ingentibus, vt decem cubitos in orbem conficiant: Ab oculis flammæ emicare cernuntur, & tantæ ſunt fortitudinis, vt naues quaſcumque valeant obruere. Qua certè beſtia, delineatur enormis peccatorum audacia, & impudentia, qua diuinam maieſtatem per quatuor orbis plagas, multiplici mandatorum diuinorum tranſgreſſione poſſint impetere, & omnia diuina & humana ſus deque euertere, ſuperba concupiſcentia inflammati, qua fiant ſimiles illi de quo dicitur, Iob. 41. *Omne ſublime videt. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Deo prorſus odibiles. Inter ea enim quæ Deus odit, primum locum obtinent oculi ſublimes, vtpote, qui in cauſa ſunt cur cætera, quæ odit & deteſtatur, perpetrentur. *Initium enim ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo.*

Hæc certè nobis ſatis ſuperque viderentur ſufficere ad peccati turpitudinem adumbrandam, & horrorem ex tali turpitudine nobis incutiendum. Sed aliam beſtiam ſanctus Ioannes videt è mari aſcendentem, qua peccati horrenda effigies nobis conſideranda proponitur, dum cap. 13. ait: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.* In his & ſequentibus apparet peccati turpitudo & deformitas, quam anima contrahit propter ſeptem peccata capitalia; quæ, vt diximus, in his ſeptem capitibus deſignantur; quorum quidem inſtigator eſt Dæmon. Vnde de ea dicitur: *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Nam prauis iſtis affectibus, anima diaboli malitiam imitatur, & captiua redditur ad ipſius diaboli voluntatem. Et quidem diabolus non eſt cauſa peccati directè & ſufficienter, ſed ſolum per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile: poteſt ſiquidem operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſententur, per motum localem ſpirituum vel humorum, ex quo ſequatur quod homo aliqua imaginetur; poteſt etiam facere quod appetitus ſenſitiuus concitetur ad aliquam paſſionem, ſecundum quemdam determina-

Digitized by Google

rus. Sapientis namque eſt media ad finem ſibi præſcriptum adipiſcendum conuenientia aſſumere. At auarus, qui pro fine habet diuitias immenſas aggregare, & aſtatim deſiderat opes augere diripiendo aliena, & miſericordiæ opera paruipendendo, Deum in ſe prouocat, vt permittat prædari eum qui alios deprædatur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. *Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Ita Iſ. Saltem in morte omnia auaro auferentur, eique dicetur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12. At ſi homo ſit liberalis, opes illi augentur, & in hoc ſæculo plærumque, & ſemper in futuro. Dum enim ex bonis ſibi à Deo concreditis, aliis ſuccurrit, pauperior exinde minimè euadit; ſed ditior, Deo ita diſponente: vt hic etiam opes eius augeantur, centuplum reddendo, vel ſaltem quæ donat in cœlum recondit, vt illa in æternum poſſideat. Ferunt prope Edimburgum in Scotia reperiri fontem, in cuius ſuperficie ſupernatat olei cuiuſdam liquor, eiuſmodi proprietatis, vt ſi relinquatur nulla capiat incrementa: ſi colligatur, quamtumuis ex eo capias, ſemper abſque detrimento nouus ſupernatat liquor. Tali oleo ſimiles ſunt pecuniæ: ſteriles ſunt, ſi eas minimè diſperſeris, & in arca recondas. At ſi pauperibus eas diſtribuas, aliæ in locum illarum tibi à diuina prouidentia abundè ſuppeditantur, vel S. Leone optimo teſte, Serm. 6. de Ieiunio decimi menſis: *Conſtans*, inquit, *eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias: ſere quod metas: ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium: noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſsionis iſtius gratulabunda conditio. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat: vt non hominum laborantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia laquea tendat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fænerator, qui dicit: Date & dabitur vobis. Et: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quanta libet adjiciat, quanta libet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente Dauid: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius? Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus eſt fideiuſſor pauperum, & largiſsimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti; Dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri ſit cauſa damni. Vnde qualibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fænerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt; at aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ*, &c. Ita S. Leo. Igitur agit imprudenter auarus, nec cum diuinæ ſapientia concinnitatem ſeruat: qui dum diuitias appetit, vera & infallibilia media, temporaliter & æternaliter poſſidendi diuitias & temporales & perdurabiles, obmittit & negligit.

A At non modo auarus turpitudinem contrahit defectu charitatis, miſericordiæ, benignitatis, tranquillitatis, ſuauitatis, veritatis, ſimplicitatis, fidelitatis, ſapientiæ; ſed etiam quia defectu iuſtitiæ iniurioſus eſt Deo, dum creaturam præfert creatori. Vnde non modò turpitudinem per defectum contrahit, ſed etiam maculam ſibi aſciſcit, adhærendo vili creaturæ in præiudicium Creatoris. Rectè enim S. Auguſt. de Sermone Dei in monte l. 2. c. 13. *Ergo ſi in terra erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiſcatur; quomodo erit mundum cor, quod in terra voluatur? Si autem in cœlo, mundum erit. Quia munda ſunt quæcumque cæleſtia, ſordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur*

B *naturæ, quamuis in ſuo genere non ſordidæ, quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter, terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamuis ipſa terra in ſuo genere & ordine munda ſit.* Ita Auguſt. Dum igitur auarus in pecuniis accumulandis finem ſuum conſtituit, deuiando à debito fine, & adhærendo vili creaturæ per immoderatum amorem, Deo iniurioſus fit idololatra, iuxta Apoſtolum dicentem, tum ad Epheſios c. 5. tum ad Coloſſ. c. 3. auaritiam eſſe idolorum ſeu ſimulachrorum ſeruitutem. Quod ſcelus S. Chryſoſt. homil. 18. in Epiſt. ad Epheſios, fuſiùs explicat, dum ait: *Eſto ante arcam, in qua reconduntur pecuniæ, genua non flectes: Eſto preces & orationes ante ipſam non effundas: attamen adorationem pe-*

C *cuniæ impendis, tantò magis quantò plus honoris reddis ei, cuius voluntati & imperio obtemperas in omnibus, quàm ſi coram eo genuflecteres. At obedis pecuniæ: ſiquidem ad earum conſeruationem omnes mentis affectus, omnes tuas cogitationes & ſtudia & labores impendis. Quod ſi ad hanc auaritiæ aram oues non immoles, at animas innocentium ſupra illam tu iugulas: has animas quidem fame, illas verò maledictis. Hoc ſacrificio nihil eſt magis bacchicum, nihil magis inſanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Execranda eſt ara auaritiæ: nam ad hanc aram idolorum ſi veneris, videbis eam olere ſanguinem caprarum & boum: ad auaritiæ autem aram ſi veneris, videbis eam grauiter ſpirantem humanum ſanguinem. Si hic ſteteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum,*

D *ſed perire corpus humanum: nam alij quidem ſe præcipites dejiciunt; alij aptant laqueum, alij per guttur gladium transfadigunt. Vidiſti crudelia & inhumana ſacrificia? In hoc crudelia, quod animas interficiant. Anima enim quæ peccat ipſa morietur.* Hæc Chryſ. Sed dum illam, vt loquitur Chryſ. adoras creaturam (Deus enim non creauit auaritiam, ſed eam inuenit immoderatio tuæ inexplebilitatis) certè facile eſt videre non modò auaritiam diſcrepare à Deo, ſed etiam nociuam eſſe proximo, qui ab auaro multis modis vexatur.

Fortunata eſſent tempora, ſi in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, iuxta Senecam, Epiſtolâ 80. *Nihil hominum illo genere eſſet felicius, ſi*

E *in commune rerum naturâ fruerentur. Sufficeret illa, vt parens in tutelam omnium. Hæc eſſet publicarum opum ſecura poſſeſsio, locupletiſsimumque eſſet omnium mortalium genus, in quo pauper inueniri non poſſet. Sed auaritia æquè ac luxuria diſſociauit mortales, quæ dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit, & multa concupiſcendo omnia amiſit.* Sed non tantum pauperes euaſimus, dum ditari voluimus, ſed etiam mali, dum vel proximos non iuuamus ex bonis quæ poſſidemus, vel illis nocumento ſumus, eorum bona diripientes, vi, violentia, dolo, fraude, homicidiis & aliis illicitis modis. *Semper auarus*, ait S. Maximus hom. 2. de auaritia, *alieno viuitur, alieno ſe paſcit damno. Eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus.* Qui talis eſt, quomodo cum proximo cōmenſu-

Digitized by Google

rationem aliquã conſeruaret? *Hoc vitium*, ait S. Chr. homil. 23. in 1. ad Corinth. *mare implet ſanguine, & iudicum cruentat gladios, ſæpe iniuſtè, eoſque qui noctu, & interdiu in viis inſidiantur ipſa armat, & perſuadet ignorare naturam, facitque patricidas & matricidas, & omnia mala infert in vitam.* Ita Chryſ. Itaut verè dixerit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum, cupiditas: quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hinc*, ait S. Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Romanos, *pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, conuicia, ſuſpiciones, contumeliæ; hinc cædes, furta, ſacrilegia: propter hanc non ciuitates ac regiones modò, ſed & viæ ipſa, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, ſaltus, colles, vnoque verbo, omnia ſanguinis ac cædis plena ſunt; ac ne a mari quidem malum hoc temperauit, ſed & illo vſque inſanè admodum debacchans, certa cum pernicie irrepſit, piratis illud vndique obſidentibus, ac nouum quemdam deprædationis modum comminiſcentibus. Propter hanc & naturæ leges ſubuerſæ cogitationis, inſtituta ſedibus ſuis conuulſa, & ſubſtantiæ ipſius iura corrupta ſunt. Pecuniarum enim tyranni non modo contra viuos, ſed & contra vita iam defunctos tales tamque impias armauit dexteras, &c.*

Sed præſtat adhuc illum audire de hac peſte diſſerentem. quæ ciuitates domos, forum, palatium, tribunalia corrumpat, & innumeris modis, propter eam, potentiores eos qui imbecilliores ſunt diuexent. *Vt ſatiùs eſſet*, inquit Chryſ. *in latrones, qui ſyluas occupant, incidere, quam in iſtorum manus. Etenim parricida mucrone ſtatim impacto ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlteriùs non intendit: at tu* (auarum potentem alloquitur) *ſycophantiis, vexationibus, inſidiis, lumen illis tenebras reddens, eo fraudis ac calamitatis eum adigens, vt millies mortem ſibi adfore precetur. Cogitato, quæſo, quot mortes pro vna adferas?* &c. Quod ſi auaritiam cum ſuperbia coniungas, iuxta illud Habac. c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Quanta, quæſo, rerum pernicies? *Auaritia namque*, ait Rupertus, *ſine ſuperbia non eſt. Vnde ſapientia cum dixiſſet: Auaro nihil eſt ſceleſtius; ſtatim ſubiunxit: Quid ſuperbis terra & cinis?* Ita Rup. Malum hoc exaggerat Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Rom. *Quod*, inquit, *omnium grauiſſimum eſt, rapinæ atque auaritiæ incumbis. Interim non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frenum, domus, tectum, columnarum capita copioſè inaurentur. Hoc ipſum verò quantam gehennam meretur, quum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eouſque à Domino honoratus eſt, in infinitas calamitates præcipitem agis; vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium, ornatumque huiuſmodi minimè ſentientium corpora exornes; tam ſolicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu veriùs dicam, Chriſtum ipſum propter canem, & ea quæ modo diximus omnia, ad ſummam famem adigis? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſint? Hem! qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſque iacet per tuam inhumanitatem: Muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellum conficiendum eſt, vbique aurum, vbique argentum. Chriſti autem membrum, etſi quem propter è cœlo ad nos Deus deſcendit, ſanguinemque pretioſum effudit, auaritiâ tuâ ne neceſſarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt: Sanctorum verò corpora vel neceſſario operculo carent: ac tibi minoris ſit Chriſtus ipſe quàm famulorum grex, quàm muli, quàm lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum. Omitto enim vaſa etiam viliora, quæ ipſa quænam eſſe poſſint vobis cogitanda relinquo.* Ita Chryſ. Quibus ſatis ſuperque oſtenditur auarum nullam erga proximum concinnitatem, & commenſurationem habere, cum ei non ſuccurrit indigenti, imo cum ei bona, honorem, vitam eripiat, vt ad ſe ſuperbè omnia trahat, propter nimiam habendi cupiditatem & animi elationem. Sed ſæpe ſæpius dum putat domum ſuam ſupra petram eſſe fundatam, reperit ſe ſuper arenam domum ſuam fundaſſe: vnde facile euertitur. Quod ſupra innuiſſe videtur Habacuc, dum domum ſuperbi auari nido auis comparat, domum ſuperbientis ſubſannans, quæ etſi ſupra petram firmis videatur compacta lapidibus, tamen ita facilè deſtruetur ac facile deſtruitur auis nidus. Et meritò: *Quis enim*, vt ait S. Ambroſ. ſerm. 81. *tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta ſuum non vſum, ſed abundantiam & delitias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, vt abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia quam in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quod poſſis præſtare ſi velis.* Ita Ambroſ. Et propter hanc erga proximum inconcinnitatem, auaros, S. Chryſ. ebrioſis, rabidis canibus, dæmoniacis ac dæmonibus comparat. *Ebrioſus mente captus quemlibet adoriri non veretur. Ita auarus, qui nihil audire, nihil prorſus eloqui quicquam poteſt quàm fœnora, quàm ex fœnoribus fœnora parta, quàm lucratur pia, quàm quæſtus inuidioſos quàm negotiationes ſeruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exoſus, omnes auerſatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla cauſa in pauperes inſurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè ſalutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, niſi vndequaque aliquid corrodat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes ſibi magis hoſtes ducit.* Chryſoſt. homilia. 13. in Epiſtolam ad Romanos. Et homilia. 83. in Matthæum: *Talis nempe res auaritia eſt: amentes, ſtolidos, impudentes canes pro hominibus, imo verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: qua fiebat vt Iudas quidem diabolum etiam inſidiantem amplecteretur: Ieſum verò benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus* Ita Chryſ. Exiſtimares ne talem hominem cum reliquis hominibus conſentire, cum eis commenſurationem habere, & concinnitate morum cum eis aptari poſſe: qui nec cum autore pacis, cum fonte benignitatis & miſericordiæ, cum Deo dilectionis, cum abyſſo ſapientiæ, cum regula totius æquitatis conuenire potuit? Exiſtimares ne aliis hominibus parcere poſſe, qui nec erga tam benignum & largum benefactorem humanitatem ſeruare potuit? Vtinam tales eremum peterent, & ſepulchra, ad modum illius dæmoniaci, de quo dicitur Marci 5. quod *domicilium haberet in monumentis, & in montibus, clamans & concidens ſe lapidibus*: vt nemini nocerent. *Vtinam*, inquit Chryſoſt. *eremum & non ciuitatem popularentur, vt omnes qui vrbes habitant in otio viuerent. Nunc verò hac quoque ratione intolerabiliores ſunt: quoniam quæ in deſerto illi* (ſcilicet dæmoniaci) *hæc in ciuitatibus iſti facientes eas deſolant, præſertim cum nullo reſiſtente, quaſi hæc in deſerto agerent. ſic aſportant vniuerſa.* Ita Chryſ. At, inquies, lapidibus neminem lædere conantur, vt faciunt dæmoniaci. Reſpondet Chryſ. *Certè facilius eſt à proiectis lapidibus cauere, quàm literas & ſtipulationes, chartâ & atramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare* Ita Chyſ. hom. 23. in Matth.

rus. Sapientis namque eſt media ad finem ſibi præſcriptum adipiſcendum conuenientia aſſumere. At auarus, qui pro fine habet diuitias immenſas aggregare, & affatim deſiderat opes augere diripiendo aliena, & miſericordiæ opera paruipendendo, Deum in ſe prouocat, vt permittat prædari eum qui alios deprædatur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. *Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Ita Iſ. Saltem in morte omnia auaro auferentur, eique dicetur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12. At ſi homo ſit liberalis, opes illi augentur, & in hoc ſæculo plærumque, & ſemper in futuro. Dum enim ex bonis ſibi à Deo concreditis, aliis ſuccurrit, pauperior exinde minimè euadit; ſed ditior, Deo ita diſponente: vt hic etiam opes eius augeantur, centuplum reddendo, vel ſaltem quæ donat in cœlum recondit, vt illa in æternum poſſideat. Ferunt prope Edimburgum in Scotia reperiri fontem, in cuius ſuperficie ſupernatat olei cuiuſdam liquor, eiuſmodi proprietatis, vt ſi relinquatur nulla capiat incrementa: ſi colligatur, quantumuis ex eo capias, ſemper abſque detrimento nouus ſupernatat liquor. Tali oleo ſimiles ſunt pecuniæ: ſteriles ſunt, ſi eas minimè diſperſeris, & in arca recondas. At ſi pauperibus eas diſtribuas, aliæ in locum illarum tibi à diuina prouidentia abundè ſuppeditantur, vel S. Leone optimo teſte, Serm. 6. de Ieiunio decimi menſis: *Conſtans*, inquit, *eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias: ſere quod metas: ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium: noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſſionis iſtius gratulabunda conditio. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat: vt non hominum laborantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia laquea tendat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date & dabitur vobis. Et: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quantalibet adjiciat, quantalibet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente Dauid: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius? Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus eſt fideiuſſor pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti; Dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri ſit cauſa damni. Vnde quilibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt; at aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ*, &c. Ita S. Leo. Igitur agit imprudenter auarus, nec cum diuinæ ſapientia concinnitatem ſeruat: qui dum diuitias appetit, vera & infallibilia media, temporaliter & æternaliter poſſidendi diuitias & temporales & perdurabiles, obmittit & negligit.

At non modo auarus turpitudinem contrahit defectu charitatis, miſericordiæ, benignitatis, tranquillitatis, ſuauitatis, veritatis, ſimplicitatis, fidelitatis, ſapientiæ; ſed etiam quia defectu iuſtitiæ iniurioſus eſt Deo, dum creaturam præfert creatori. Vnde non modò turpitudinem per defectum contrahit, ſed etiam maculam ſibi aſciſcit, adhærendo vili creaturæ in præiudicium Creatoris. Rectè enim S. Auguſt. de Sermone Dei in monte l. 2. c. 13. *Ergo ſi in terra erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiſcatur; quomodo erit mundum cor, quod in terra voluatur? Si autem in cœlo, mundum erit. Quia munda ſunt quæcumque cæleſtia, ſordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur naturæ, quamuis in ſuo genere non ſordidæ, quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter, terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamuis ipſa terra in ſuo genere & ordine munda ſit.* Ita Auguſt. Dum igitur auarus in pecuniis accumulandis finem ſuum conſtituit, deuiando à debito fine, & adhærendo vili creaturæ per immoderatum amorem, Deo iniurioſus fit idololatra, iuxta Apoſtolum dicentem, tum ad Epheſios c. 5. tum ad Coloſſ. c. 3. auaritiam eſſe idolorum ſeu ſimulachrorum ſeruitutem. Quod ſcelus S. Chryſoſt. homil. 18. in Epiſt. ad Epheſios, fuſiùs explicat, dum ait: *Eſto ante arcam, in qua reconduntur pecuniæ, genua non flectes: Eſto preces & orationes ante ipſam non effundas: attamen adorationem pecuniæ impendis, tantò magis quantò plus honoris reddis ei, cuius voluntati & imperio obtemperas in omnibus, quàm ſi coram eo genuflecteres. At obedis pecuniæ: ſiquidem ad earum conſeruationem omnes mentis affectus, omnes tuas cogitationes & ſtudia & labores impendis. Quod ſi ad hanc auaritiæ aram oues non immoles, at animas innocentium ſupra illam tu iugulas: has animas quidem fame, illas verò maledictis. Hoc ſacrificio nihil eſt magis bacchicum, nihil magis inſanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Execranda eſt ara auaritiæ: nam ad hanc aram idolorum ſi veneris, videbis eam olere ſanguinem caprarum & boum: ad auaritiæ autem aram ſi veneris, videbis eam grauiter ſpirantem humanum ſanguinem. Si hîc ſteteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum, ſed perire corpus humanum: nam alij quidem ſe præcipites deiiciunt; alij aptant laqueum, alij per gutture gladium tranſadigunt. Vidiſti crudelia & inhumana ſacrificia? In hoc crudelia, quod animas interficiant. Anima enim quæ peccat ipſa morietur.* Hæc Chryſ. Sed dum illam, vt loquitur Chryſ. adoras creaturam (Deus enim non creauit auaritiam, ſed eam inuenit immoderatio tuæ inexplebilitatis) certè facile eſt videre non modò auaritiam diſcrepare à Deo, ſed etiam nociuam eſſe proximo, qui ab auaro multis modis vexatur.

Fortunata eſſent tempora, ſi in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, iuxta Senecam, Epiſtolâ 80. *Nihil hominum illo genere eſſet fœlicius, ſi in commune rerum naturâ fruerentur. Sufficeret illa, vt parens in tutelam omnium. Hæc eſſet publicarum opum ſecura poſſeſſio, locupletiſſimumque eſſet omnium mortalium genus, in quo pauper inueniri non poſſet. Sed auaritia æquè ac luxuria diſſociauit mortales, quæ dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit, & multa concupiſcendo omnia amiſit.* Sed non tantum pauperes euaſimus, dum ditari voluimus, ſed etiam mali, dum vel proximos non iuuamus ex bonis quæ poſſidemus, vel illis nocumento ſumus, eorum bona diripientes, vi, violentia, dolo, fraude, homicidiis & aliis illicitis modis. *Semper auarus*, ait S. Maximus hom. 2. de auaritia, *alieno vtitur. alieno ſe paſcit damno. Eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus.* Qui talis eſt, quomodo cum proximo cõmenſu-

rationem aliquã conſeruaret? *Hoc vitium*, ait S. Chr. homil. 23. in 1. ad Corinth. *mare implet ſanguine, & iudicum cruentat gladios, ſæpe iniuſtè, eoſque qui noctu, & interdiu in viis inſidiantur ipſa armat, & perſuadet ignorare naturam, facitque patricidas & matricidas, & omnia mala infert in vitam.* Ita Chryſ. Itaut verè dixerit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum, cupiditas: quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hinc*, ait S. Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Romanos, *pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, conuicia, ſuſpiciones, contumeliæ; hinc cædes, furta, ſacrilegia: propter hanc non ciuitates ac regiones modò, ſed & via ipſa, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, ſaltus, colles, vnoque verbo, omnia ſanguinis ac cædis plena ſunt; ac ne a mari quidem malum hoc temperauit, ſed & illo vſque inſanè admodum debacchans, certa cum pernicie irrepſit, piratis illud vndique obſidentibus, ac nouum quemdam deprædationis modum comminiſcensibus. Propter hanc & naturæ leges ſubuerſa cogitationis, inſtituta ſedibus ſuis conuulſa, & ſubſtantiæ ipſius iura corrupta ſunt. Pecuniarum enim tyranni non modo contra viuos, ſed & contra vita iam defunctos tales tamque impias armauit dexteras, &c.*

Sed præſtat adhuc illum audire de hac peſte diſſerentem. quæ ciuitates domos, forum, palatium, tribunalia corrumpat, & innumeris modis, propter eam, potentiores eos qui imbecilliores ſunt diuexent. *Vt ſatiùs eſſes*, inquit Chryſ. *in latrones, qui ſyluas occupant, incidere, quam in iſtorum manus. Etenim parricida mucrone ſtatim impacto ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlteriùs non intendit: at tu* (auarum potentem alloquitur) *ſycophantiis, vexationibus, inſidiis, lumen illis tenebras reddens, eo fraudis ac calamitatis eum adigens, vt millies mortem ſibi adfore precetur. Cogitato, quæſo, quot mortes pro vna adferas?* &c. Quod ſi auaritiam cum ſuperbia coniungas, iuxta illud Habac. c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Quanta, quæſo, rerum pernicies? *Auaritia namque*, ait Rupertus, *ſine ſuperbia non eſt. Vnde ſapientia cum dixiſſet: Auaro nihil eſt ſceleſtius; ſtatim ſubiunxit: Quid ſuperbis terra & cinis?* Ita Rup. Malum hoc exaggerat Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Rom. *Quod*, inquit, *omnium grauiſſimum eſt, rapinæ atque auaritiæ incumbis. Interim non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frenum, domus, tectum, columnarum capita copioſè inaurentur. Hoc ipſum verò quantam gehennam meretur, quum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eouſque à Domino honoratus eſt, in infinitas calamitates præcipitem agis; vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium, ornatumque huiuſmodi minimè ſentientium corpora exornes;* E *tam ſolicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu verius dicam, Chriſtum ipſum propter canem, & ea quæ modo diximus omnia, ad ſummam famem adigis? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſint? Hem! qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſque iacet per tuam inhumanitatem: Muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellum conficiendum eſt, vbique aurum, vbique argentum. Chriſti autem membrum, etſi quem propter è cælo ad nos Deus deſcendit, ſanguinemque pretioſum effudit, auaritiâ tuâ ne neceſſarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt: Sanctorum verò corpora vel* A *neceſſario operculo carent: ac tibi minoris ſit Chriſtus ipſe quàm famulorum grex, quàm muli, quam lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum. Omitto enim vaſa etiam viliora, quæ ipſa quænam eſſe poſſint vobis cogitanda relinquo.* Ita Chryſ. Quibus ſatis ſuperque oſtenditur auarum nullam erga proximum concinnitatem, & commenſurationem habere, cum ei non ſuccurrit indigenti, imo cum ei bona, honorem, vitam eripiat, vt ad ſe ſuperbè omnia trahat, propter nimiam habendi cupiditatem & animi elationem. Sed ſæpe ſæpius dum putat domum ſuam ſupra petram eſſe fundatam, reperit ſe ſuper arenam domum ſuam fundaſſe: vnde facile euertitur. Quod ſupra innuiſſe videtur Habacuc, dum domum ſuperbi auari nido auis comparat, B domum ſuperbientis ſubſannans, quæ etſi ſupra petram firmis videatur compacta lapidibus, tamen ita facilè deſtruetur ac facile deſtruitur auis nidus. Et meritò: *Quis enim*, vt ait S. Ambroſ. ſerm. 81. *tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta ſuum non vſum, ſed abundantiam & delitias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, vt abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia quam in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quod poſſis præſtare ſi velis.* Ita Ambroſ. Et propter hanc erga proximum inconcinnitatem, auaros, S. Chryſ. ebrioſis, rabidis C canibus, dæmoniacis ac dæmonibus comparat. *Ebrioſus mente captus quemlibet adoriri non veretur. Ita auarus, qui nihil audire, nihil prorſus eloqui quicquam poteſt quàm fœnora, quàm ex fœnoribus fœnora parta, quam lucratur pia, quàm quæſtus inuidioſos quàm negotiationes ſeruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exoſus, omnes auerſatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla cauſa in pauperes inſurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè ſalutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, niſi vndequaque aliquid corrodat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes ſibi magis hoſtes ducit.* Chryſoſt. homilia. 13. in Epiſtolam ad Romanos. Et homilia. 83. in Matthæum: *Talis nempe res* D *auaritia eſt: amentes, ſtolidos, impudentes canes pro hominibus, imo verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: qua fiebat vt Iudas quidem diabolum etiam inſidiantem amplecteretur: Ieſum verò benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus* Ita Chryſ. Exiſtimares ne talem hominem cum reliquis hominibus conſentire, cum eis commenſurationem habere, & concinnitate morum cum eis aptari poſſe: qui nec cum autore pacis, cum fonte benignitatis & miſericordiæ, cum Deo dilectionis, cum abyſſo ſapientiæ, cum regula totius æquitatis conuenire potuit? Exiſtimares ne aliis hominibus parcere poſſe, qui nec erga tam benignum & largum benefactorem humanitatem ſeruare potuit? Vtinam tales eremum peterent, & ſepulchra, ad modum illius dæmoniaci, de quo dicitur Marci 5. quod *domicilium haberet in monumentis, & in montibus, clamans & concidens ſe lapidibus*: vt nemini nocerent. *Vtinam*, inquit Chryſoſt. *eremum & non ciuitatem popularentur, vt omnes qui vrbes habitant in otio viuerent. Nunc verò hac quoque ratione intolerabiliores ſunt: quoniam quæ in deſerto illi* (ſcilicet dæmoniaci) *hæc in ciuitatibus iſti facientes eas deſolant, præſertim cum nullo reſiſtente, quaſi hæc in deſerto agerent. ſic aſportans vniuerſa.* Ita Chryſ. At, inquies, lapidibus neminem lædere conantur, vt faciunt dæmoniaci. Reſpondet Chryſ. *Certè facilius eſt à proiectis lapidibus cauere, quam literas & ſtipulationes, chartâ & atramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare* Ita Chyſ. hom. 23. in Matth.

Digitized by Google

rus. Sapientis namque eſt media ad finem ſibi præſcriptum adipiſcendum conuenientia aſſumere. At auarus, qui pro fine habet diuitias immenſas aggregare, & affatim deſiderat opes augere diripiendo aliena, & miſericordiæ opera paruipendendo, Deum in ſe prouocat, vt permittat prædari cum qui alios deprædatur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. *Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Ita Iſ. Saltem in morte omnia auaro auferentur, eique dicetur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12. At ſi homo ſit liberalis, opes illi augentur, & in hoc ſæculo plærumque, & ſemper in futuro. Dum enim ex bonis ſibi à Deo concreditis, aliis ſuccurrit, pauperior exinde minimè euadit; ſed ditior, Deo ita diſponente: vt hic etiam opes eius augeantur, centuplum reddendo, vel ſaltem quæ donat in cœlum recondit, vt illa in æternum poſſideat. Ferunt prope Edimburgum in Scotia reperiri fontem, in cuius ſuperficie ſupernatat olei cuiuſdam liquor, eiuſmodi proprietatis, vt ſi relinquatur nulla capiat incrementa: ſi colligatur, quamtumuis ex eo capias, ſemper abſque detrimento nouus ſupernatat liquor. Tali oleo ſimiles ſunt pecuniæ: ſteriles ſunt, ſi eas minimè diſperſeris, & in arca recondas. At ſi pauperibus eas diſtribuas, aliæ in locum illatum tibi à diuina prouidentia abundè ſuppeditantur, vel S. Leone optimo teſte, Serm. 6. de Ieiunio decimi menſis: *Conſtans,* inquit, *eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias: ſere quod metas: ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium: noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſſionis iſtius gratulabunda conditio. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat: vt non hominum laborantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia laquea tendat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date & dabitur vobis. Et: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quanta libet adijcias, quanta libet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente Dauid: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius? Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus eſt fideiuſſor pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti; Dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri ſit cauſa damni. Vnde quilibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt; at aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ,* &c. Ita S. Leo. Igitur agit imprudenter auarus, nec cum diuinæ ſapientia concinnitatem ſeruat: qui dum diuitias appetit, vera & infallibilia media, temporaliter & æternaliter poſſidendi diuitias & temporales & perdurabiles, obmittit & negligit.

A At non modo auarus turpitudinem contrahit defectu charitatis, miſericordiæ, benignitatis, tranquillitatis, ſuauitatis, veritatis, ſimplicitatis, fidelitatis, ſapientiæ; ſed etiam quia defectu iuſtitiæ iniurioſus eſt Deo, dum creaturam præfert creatori. Vnde non modò turpitudinem per defectum contrahit, ſed etiam maculam ſibi aſciſcit, adhærendo vili creaturæ in præiudicium Creatoris. Rectè enim S. Auguſt. de Sermone Dei in monte l. 2. c. 13. *Ergo ſi in terra erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiſcatur; quomodo erit mundum cor, quod in terra voluitur? Si autem in cælo, mundum erit. Quia munda ſunt quæcumque cæleſtia, ſordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur*
B *naturæ, quamuis in ſuo genere non ſordida, quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter, terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamuis ipſa terra in ſuo genere & ordine munda ſit.* Ita Auguſt. Dum igitur auarus in pecuniis accumulandis finem ſuum conſtituit, deuiando à debito fine, & adhærendo vili creaturæ per immoderatum amorem, Deo iniurioſus fit idololatra, iuxta Apoſtolum dicentem, tum ad Epheſios c. 5. tum ad Coloſſ. c. 3. auaritiam eſſe idolorum ſeu ſimulachrorum ſeruitutem. Quod ſcelus S. Chryſoſt. homil. 18. in Epiſt. ad Epheſios, fuſiùs explicat, dum ait: *Eſto ante arcam, in qua reconduntur pecuniæ, genua non flectes: Eſto preces & orationes ante ipſam non effundas: attamen adorationem pe-*
C *cuniæ impendis, tantò magis quantò plus honoris reddis ei, cuius voluntati & imperio obtemperas in omnibus, quàm ſi coram eo genuflecteres. At obedis pecuniæ: ſiquidem ad earum conſeruationem omnes mentis affectus, omnes tuas cogitationes & ſtudia & labores impendis. Quod ſi ad hanc auaritiæ aram oues non immoles, at animas innocentium ſupra illam tu iugulas: has animas quidem fame, illas verò maledictis. Hoc ſacrificio nihil eſt magis bacchicum, nihil magis inſanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Execranda eſt ara auaritiæ: nam ad hanc aram idolorum ſi veneris, videbis eam olere ſanguinem caprarum & boum: ad auaritiæ autem aram ſi veneris, videbis eam grauiter ſpirantem humanum ſanguinem. Si hic ſteteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum,*
D *ſed perire corpus humanum: nam alij quidem ſe præcipites dejiciunt; alij aptant laqueum, alij per guttur gladium tranſadigunt. Vidiſti crudelia & inhumana ſacrificia? In hoc crudelia, quod animas interficiant. Anima enim quæ peccat ipſa morietur.* Hæc Chryſ. Sed dum illam, vt loquitur Chryſ. adoras creaturam (Deus enim non creauit auaritiam, ſed eam inuenit immoderatio tuæ inexplebilitatis) certè facile eſt videre non modò auaritiam diſcrepare à Deo, ſed etiam nociuam eſſe proximo, qui ab auaro multis modis vexatur.

Fortunata eſſent tempora, ſi in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, iuxta Senecam, Epiſtolâ 80. *Nihil hominum illo genere eſſet felicius, ſi*
E *in commune rerum naturâ fruerentur. Sufficeret illa, vt parens in tutelam omnium. Hæc eſſet publicarum opum ſecura poſſeſſio, locupletiſſimumque eſſet omnium mortalium genus, in quo pauper inueniri non poſſet. Sed auaritia æquè ac luxuria diſſociauit mortales, quæ dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit, & multa concupiſcendo omnia amiſit.* Sed non tantum pauperes euaſimus, dum ditari voluimus, ſed etiam mali, dum vel proximos non iuuamus ex bonis quæ poſſidemus, vel illis nocumento ſumus, eorum bona diripientes, vi, violentia, dolo, fraude, homicidiis & aliis illicitis modis. *Semper auarus,* ait S. Maximus hom. 2. de auaritia, *alieno vtitur, alieno ſe paſcit damno. Eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus.* Qui talis eſt, quomodo cum proximo cõmenſu-

Digitized by Google

rationem aliquá conſeruaret? *Hoc vitium*, ait S. Chr. homil. 23. in 1. ad Corinth. *mare implet ſanguine, & iudicum cruentat gladios, ſæpe iniuſtè, eoſque qui noctu, & interdiu in viis inſidiantur ipſa armat, & perſuadet ignorare naturam, facitque patricidas & matricidas, & omnia mala infert in vitam.* Ita Chryſ. Itaut verè dixerit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum, cupiditas: quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hinc*, ait S. Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Romanos, *pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, conuicia, ſuſpiciones, contumeliæ; hinc cædes, furta, ſacrilegia: propter hanc non ciuitates ac regiones modò, ſed & viæ ipſæ, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, ſaltus, colles, vnoque verbo, omnia ſanguinis ac cædis plena ſunt; ac ne à mari quidem malum hoc temperauit, ſed & illò vſque inſanè admodum dibacchans, certa cum pernicie irrepſit, piratis illud vndique obſidentibus, ac nouum quemdam deprædationis modum comminiſcentibus. Propter hanc & naturæ leges ſubuerſa cogitationis, inſtituta ſedibus ſuis conuulſa, & ſubſtantiæ ipſius iura corrupta ſunt. Pecuniarum enim tyranni non modo contra viuos, ſed & contra vita iam defunctos tales tamque impias armauit dexteras, &c.*

Sed præſtat adhuc illum audire de hac peſte diſſerentem, quæ ciuitates domos, forum, palatium, tribunalia corrumpat, & innumeris modis, propter eam, potentiores eos qui imbecilliores ſunt diuexent. *Vt ſatius eſſet*, inquit Chryſ. *in latrones, qui ſyluas occupant, incidere, quam in iſtorum manus. Etenim parricida mucrone ſtatim impacto ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlteriùs non intendit: at tu* (auarum potentem alloquitur) *ſycophantiis, vexationibus, inſidiis, lumen illis tenebras reddens, eo fraudis ac calamitatis eum adigens, vt millies mortem ſibi adſore precetur. Cogitato, quæſo, quot mortes pro vna adferas?* &c. Quod ſi auaritiam cum ſuperbia coniungas, iuxta illud Habac. c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Quanta, quæſo, rerum pernicies? *Auaritia namque*, ait Rupertus, *ſine ſuperbia non eſt. Vnde ſapientia cum dixiſſet: Auaro nihil eſt ſceleſtius; ſtatim ſubiunxit: Quid ſuperbis terra & cinis?* Ita Rup. Malum hoc exaggerat Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Rom. *Quod*, inquit, *omnium grauiſſimum eſt, rapinæ atque auaritiæ incumbis. Interim non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frenum, domus, tectum, columnarum capita copioſè inaurentur. Hoc ipſum verò quantam gehennam meretur, quum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eouſque à Domino honoratus eſt, in infinitas calamitates præcipitem agis; vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium, ornatumque huiuſmodi minimè ſentientium corpora exornes; tam ſolicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu verius dicam, Chriſtum ipſum propter canem, & ea quæ modo diximus omnia, ad ſummam famem adigis? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſint? Hem! qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſque iacet per tuam inhumanitatem: Muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellum conficiendum eſt, vbique aurum, vbique argentum. Cheiſti autem membrum, etſi quem propter è cœlo ad nos Deus deſcendit, ſanguinemque pretioſum effudit, auaritiâ tuâ ne neceſſarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt: Sanctorum verò corpora vel*

A *neceſſario operculo carent: ac tibi minoris ſit Chriſtus ipſe quàm famulorum grex, quàm muli, quam lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum. Omitto enim vaſa etiam viliora, quæ ipſa quænam eſſe poſſint vobis cogitanda relinquo.* Ita Chryſ. Quibus ſatis ſuperque oſtenditur auarum nullam erga proximum concinnitatem, & commenſurationem habere, cum ei non ſuccurrit indigenti, imo cum ei bona, honorem, vitam eripiat, vt ad ſe ſuperbè omnia trahat, propter nimiam habendi cupiditatem & animi elationem. Sed ſæpe ſæpius dum putat domum ſuam ſupra petram eſſe fundatam, reperit ſe ſuper arenam domum ſuam fundaſſe: vnde facile euertitur. Quod ſupra innuiſſe videtur Habacuc, dum domum ſuperbi auari

B nido auis comparat, domum ſuperbientis ſubſannans, quæ etſi ſupra petram firmis videatur compacta lapidibus, tamen ita facilè deſtruetur ac facile deſtruitur auis nidus. Et meritò: *Quis enim*, vt ait S. Ambroſ. ſerm. 81. *tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta ſuum non vſum, ſed abundantiam & delitias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, vt abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia quam in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quod poſſis præſtare ſi velis.* Ita Ambroſ. Et propter hanc erga proximum inconcinnitatem, auaros, S. Chryſ. ebrioſis, rabidis

C canibus, dæmoniacis ac dæmonibus comparat. *Ebrioſus mente captus quemlibet adoriri non veretur. Ita auarus, qui nihil audire, nihil prorſus eloqui quicquam poteſt quàm fænora, quàm ex fænoribus fænora parta, quàm lucratur pia, quàm quæſtus inuidioſos quàm negotiationes ſeruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exoſus, omnes auerſatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla cauſa in pampeces inſurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè ſalutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, niſi vndequaque aliquid corrodat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes ſibi magis hoſtes ducit.* Chryſoſt. homilia. 13. in Epiſtolam ad Romanos. Et homilia. 83. in Matthæum: *Talis nempe res*

D *auaritia eſt: amentes, ſtolidos, impudentes canes pro hominibus, imo verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: quo fiebat vt Iudas quidem diabolum etiam inſidiantem amplecteretur: Ieſum verò benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus.* Ita Chryſ. Exiſtimares ne talem hominem cum reliquis hominibus conſentire, cum eis commenſurationem habere, & concinnitate morum cum eis aptari poſſe: qui nec cum autore pacis, cum fonte benignitatis & miſericordiæ, cum Deo dilectionis, cum abyſſo ſapientiæ, cum regula totius æquitatis conuenire potuit? Exiſtimares ne aliis hominibus parcere poſſe, qui nec erga tam benignum & largum benefactorem humanitatem ſeruare potuit? Vti-

E nam tales eremum peterent, & ſepulchra, ad modum illius dæmoniaci, de quo dicitur Marci 5. quod *domicilium haberet in monumentis, & in montibus, clamans & concidens ſe lapidibus*: vt nemini nocerent. *Vtinam*, inquit Chryſoſt. *eremum & non ciuitatem popularentur, vt omnes qui vrbes habitant in otio viuerent. Nunc verò hac quoque ratione intolerabiliores ſunt: quoniam quæ in deſerto illi* (ſcilicet dæmoniaci) *hæc in ciuitatibus iſti facientes eas deſolant, præſertim cum nullo reſiſtente, quaſi hæc in deſerto agerent. ſic aſportant vniuerſa.* Ita Chryſ. At, inquies, lapidibus neminem lædere conantur, vt faciunt dæmoniaci. Reſpondet Chryſ. *Certè facilius eſt à proiectis lapidibus cauere, quàm literas & ſtipulationes, chartâ & atramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare* Ita Chyſ. hom. 23. in Matth.

Digitized by Google

rus. Sapientis namque eſt media ad finem ſibi præſcriptum adipiſcendum conuenientia aſſumere. At auarus, qui pro fine habet diuitias immenſas aggregare, & aſtarim deſiderat opes augere diripiendo aliena, & miſericordiæ opera paruipendendo, Deum in ſe prouocat, vt permittat prædari eum qui alios deprædatur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. *Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Ita Iſ. Saltem in morte omnia auaro auferentur, eique dicetur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſauriȥat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12. At ſi homo ſit liberalis, opes illi augentur, & in hoc ſæculo plærumque,
B & ſemper in futuro. Dum enim ex bonis ſibi à Deo concreditis, aliis ſuccurrit, pauperior exinde minimè euadit; ſed ditior, Deo ita diſponente: vt hic etiam opes eius augeantur, centuplum reddendo, vel ſaltem quæ donat in cœlum recondit, vt illa in æternum poſſideat. Ferunt prope Edimburgum in Scotia reperiri fontem, in cuius ſuperficie ſupernatat olei cuiuſdam liquor, eiuſmodi proprietatis, vt ſi relinquatur nulla capiat incrementa: ſi colligatur, quamtumuis ex eo capias, ſemper abſque detrimento nouus ſupernatat liquor. Tali oleo ſimiles ſunt pecuniæ: ſteriles ſunt, ſi eas minimè diſperſeris, & in arca recondas. At ſi pauperibus eas diſtribuas, aliæ in locum illarum tibi à diuina prouidentia
C abundè ſuppeditantur, vel S. Leone optimo teſte, Serm. 6. de Ieiunio decimi menſis: *Conſtans*, inquit, *eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias: ſere quod metas: ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium: noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſſionis iſtius gratulabunda conditio. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum ſanus exerceat, & hac vſurarum arte diteſ-*
D *cat: vt non hominum laborantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia laquea tendat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fænerator, qui dicit: Date & dabitur vobis. Et: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quanta libet adiiciat, quanta libet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente David: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius? Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus eſt fideiuſſor pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit*
E *homini trepidè paciſcenti; Dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri ſit cauſa damni. Vnde quolibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fænerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt; at aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fænoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fænus pecuniæ, funus eſt animæ*, &c. Ita S. Leo. Igitur agit imprudenter auarus, nec cum diuinæ ſapientiæ concinnitatem ſeruat: qui dum diuitias appetit, vera & infallibilia media, temporaliter & æternaliter poſſidendi diuitias & temporales & perdurabiles, obmittit & negligit.

A At non modo auarus turpitudinem contrahit defectu charitatis, miſericordiæ, benignitatis, tranquillitatis, ſuauitatis, veritatis, ſimplicitatis, fidelitatis, ſapientiæ; ſed etiam quia defectu iuſtitiæ iniurioſus eſt Deo, dum creaturam præfert creatori. Vnde non modò turpitudinem per defectum contrahit, ſed etiam maculam ſibi aſciſcit, adhærendo vili creaturæ in præiudicium Creatoris. Rectè enim S. Auguſt. de Sermone Dei in monte l. 2. c. 13. *Ergo ſi in terra erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiſcatur; quomodo erit mundum cor, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit. Quia munda ſunt quæcumque cæleſtia, ſordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur*
B *naturæ, quamuis in ſuo genere non ſordida, quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter, terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamuis ipſa terra in ſuo genere & ordine munda ſit.* Ita Auguſt. Dum igitur auarus in pecuniis accumulandis finem ſuum conſtituit, deuiando à debito fine, & adhærendo vili creaturæ per immoderatum amorem, Deo iniurioſus fit idololatra, iuxta Apoſtolum dicentem, tum ad Epheſios c. 5. tum ad Coloſſ. c. 3. auaritiam eſſe idolorum ſeu ſimulachrorum ſeruitutem. Quod ſcelus S. Chryſoſt. homil. 18. in Epiſt. ad Epheſios, fuſiùs explicat, dum ait: *Eſto ante arcam, in qua reconduntur pecuniæ, genua non flectes: Eſto preces & orationes ante ipſam non effundas: attamen adorationem pe-*
C *cuniæ impendis, tantò magis quantò plus honoris reddis ei, cuius voluntati & imperio obtemperas in omnibus, quàm ſi coram eo genuflectes. At obedis pecuniæ: ſiquidem ad earum conſeruationem omnes mentis affectus, omnes tuas cogitationes & ſtudia & labores impendis. Quod ſi ad hanc auaritiæ aram oues non immoles, at animas innocentium ſupra illam tu iugulas: has animas quidem fame, illas verò maledictis. Hoc ſacrificio nihil eſt magis bacchicum, nihil magis inſanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Execranda eſt ara auaritiæ: nam ad hanc aram idolorum ſi veneris, videbis eam olere ſanguinem caprarum & boum: ad auaritiæ autem aram ſi veneris, videbis eam grauiter ſpirantem humanum ſanguinem. Si hic ſteteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum,*
D *ſed perire corpus humanum: nam alij quidem ſe præcipites deiiciunt; alij aptant laqueum, alij per guttur gladium tranſadigunt. Vidiſti crudelia & inhumana ſacrificia? In hoc crudelia, quod animas interficiant. Anima enim quæ peccat ipſa morietur.* Hæc Chryſ. Sed dum illam, vt loquitur Chryſ. adoras creaturam (Deus enim non creauit auaritiam, ſed eam inuenit immoderatio tuæ inexplebilitatis) certè facile eſt videre non modò auaritiam diſcrepare à Deo, ſed etiam nociuam eſſe proximo, qui ab auaro multis modis vexatur.

Fortunata eſſent tempora, ſi in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, iuxta Senecam, Epiſtolâ 80. *Nihil hominum illo genere eſſet fælicius, ſi*
E *in commune rerum natura fruerentur. Sufficeret illa, vt parens in tutelam omnium. Hæc eſſet publicarum opum ſecura poſſeſſio, locupletiſſimumque eſſet omnium mortalium genus, in quo pauper inueniri non poſſet. Sed auaritia æquè ac luxuria diſſociauit mortales, quæ dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit, & multa concupiſcendo omnia amiſit.* Sed non tantum pauperes euaſimus, dum ditari voluimus, ſed etiam mali, dum vel proximos non iuuamus ex bonis quæ poſſidemus, vel illis nocumento ſumus, eorum bona diripientes, vi, violentia, dolo, fraude, homicidiis & aliis illicitis modis. *Semper auarus*, ait S. Maximus hom. 2. de auaritia, *alieno vtitur, alieno ſe paſcit damno. Eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus.* Qui talis eſt, quomodo cum proximo cõmenſu-

Digitized by Google

rationem aliquã conſeruaret? *Hoc vitium*, ait S. Chr.
homil. 23. in 1. ad Corinth. *mare implet ſanguine, & iudicum cruentat gladios, ſæpe iniuſtè, eoſque qui noctu, & interdiu in viis inſidiantur ipſa armat, & perſuadet ignorare naturam, facitque patricidas & matricidas, & omnia mala infert in vitam.* Ita Chryſ. Itaut verè dixerit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum, cupiditas: quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hinc*, ait S. Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Romanos, *pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, conuicia, ſuſpiciones, contumeliæ; hinc cædes, furta, ſacrilegia: propter hanc non ciuitates ac regiones modò, ſed & viæ ipſæ, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, ſaltus, colles, vnoque verbo, omnia ſanguinis ac cædis plena ſunt; ac ne à mari quidem malum hoc temperauit, ſed & illo vſque inſanè admodum debacchans, certa cum pernicie irrepſit, piratis illud vndique obſidentibus, ac nouum quemdam deprædationis modum comminiſcentibus. Propter hanc & naturæ leges ſubuerſæ cognationis, inſtituta ſedibus ſuis conuulſa, & ſubſtantiæ ipſius iura corrupta ſunt. Pecuniarum enim tyranni non modo contra viuos, ſed & contra vita iam defunctos tales tamque impias armauit dexteras, &c.*

Sed præſtat adhuc illum audire de hac peſte diſſerentem, quæ ciuitates domos, forum, palatium, tribunalia corrumpat, & innumeris modis, propter eam, potentiores eos qui imbecilliores ſunt diuexent. *Vt ſatiùs eſſet*, inquit Chryſ. *in latrones, qui ſyluas occupant, incidere, quam in iſtorum manus. Etenim parricida mucrone ſtatim impacto ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlteriùs non intendit: at tu* (auarum potentem alloquitur) *ſycophantiis, vexationibus, inſidiis, lumen illis tenebras reddens, eo fraudis ac calamitatis eum adigens, vt millies mortem ſibi adfore precetur. Cogitato, quæſo, quot mortes pro vna adferas?* &c. Quod ſi auaritiam cum ſuperbia coniungas, iuxta illud Habac. c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Quanta, quæſo, rerum pernicies? *Auaritia namque*, ait Rupertus, *ſine ſuperbia non eſt. Vnde ſapientia cum dixiſſet: Auaro nihil eſt ſceleſtius; ſtatim ſubiunxit: Quid ſuperbis terra & cinis?* Ita Rup. Malum hoc exaggerat Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Rom. *Quod*, inquit, *omnium grauiſſimum eſt, rapinæ atque auaritiæ incumbis. Interim non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frenum, domus, tectum, columnarum capita copioſè inaurentur. Hoc ipſum verò quantam gehennam meretur, quum in fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eouſque à Domino honoratus eſt, in infinitas calamitates præcipitem agis; vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium, ornatumque huiuſmodi minimè ſentientium corpora exornes; tam ſolicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu verius dicam, Chriſtum ipſum propter canem, & ea quæ modo diximus omnia, ad ſummam famem adigis? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſint? Hem! qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſque iacet per tuam inhumanitatem: Muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellum conficiendum eſt, vbique aurum, vbique argentum. Chriſti autem membrum, etſi quem propter è cœlo ad nos Deus deſcendit, ſanguinemque pretioſum effudit, auaritiâ tuâ ne neceſſarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt: Sanctorum verò corpora vel* A *neceſſario operculo carent: ac tibi minoris ſit Chriſtus ipſe quàm famulorum grex, quàm muli, quam lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum. Omitto enim vaſa etiam viliora, quæ ipſa quænam eſſe poſſint vobis cogitanda relinquo.* Ita Chryſ. Quibus ſatis ſuperque oſtenditur auarum nullam erga proximum concinnitatem, & commenſurationem habere, cum ei non ſuccurrit indigenti, imo cum ei bona, honorem, vitam eripiat, vt ad ſe ſuperbè omnia trahat, propter nimiam habendi cupiditatem & animi elationem. Sed ſæpe ſæpius dum putat domum ſuam ſupra petram eſſe fundatam, reperit ſe ſuper arenam domum ſuam fundaſſe: vnde facile euertitur. Quod ſupra innuiſſe videtur Habacuc, dum domum ſuperbi auari nido auis comparat, B domum ſuperbientis ſubſannans, quæ etſi ſupra petram firmis videatur compacta lapidibus, tamen ita facilè deſtruetur ac facile deſtruitur auis nidus. Et meritò: *Quis enim*, vt ait S. Ambroſ. ſerm. 81. *tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta ſuum non vſum, ſed abundantiam & delitias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, vt abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia quam in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quod poſſis præſtare ſi velis.* Ita Ambroſ. Et propter hanc erga proximum inconcinnitatem, auaros, S. Chryſ. ebrioſis, rabidis C canibus, dæmoniacis ac dæmonibus comparat. *Ebrioſus mente captus quemlibet adoriri non veretur. Ita auarus, qui nihil audire, nihil prorſus eloqui quicquam poteſt quàm fœnora, quàm ex fœnoribus fœnora parta, quàm lucratur pia, quàm quæſtus inuidioſos quàm negotiationes ſeruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exoſus, omnes aueſatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla cauſa in pauperes inſurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè ſalutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, niſi vndequaque aliquid corrodat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes ſibi magis hoſtes ducit.* Chryſoſt. homilia. 13. in Epiſtolam ad Romanos. Et homilia. 83. in Matthæum: *Talis nempe res* D *auaritia eſt: amentes, ſtolidos, impudentes canes pro hominibus, imo verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: quo fiebat vt Iudas quidem diabolum etiam inſidiantem amplecteretur: Ieſum verò benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus.* Ita Chryſ. Exiſtimares ne talem hominem cum reliquis hominibus conſentire, cum eis commenſurationem habere, & concinnitate morum cum eis aptari poſſe: qui nec cum autore pacis, cum fonte benignitatis & miſericordiæ, cum Deo dilectionis, cum abyſſo ſapientiæ, cum regula totius æquitatis conuenire potuit? Exiſtimares ne aliis hominibus parcere poſſe, qui nec erga tam benignum & largum benefactorem humanitatem ſeruare potuit? Vti- E nam tales eremum peterent, & ſepulchra, ad modum illius dæmoniaci, de quo dicitur Marci 5. quod *domicilium haberet in monumentis, & in montibus, clamans & concidens ſe lapidibus*: vt nemini nocerent. *Vtinam*, inquit Chryſoſt. *eremum & non ciuitatem popularentur, vt omnes qui vrbes habitant in otio viuerent. Nunc verò hac quoque ratione intolerabiliores ſunt: quoniam quæ in deſerto illi* (ſcilicet dæmoniaci) *hæc in ciuitatibus iſti facientes eas deſolant, præſertim cum nullo reſiſtente; quaſi hæc in deſerto agerent, ſic aſportant vniuerſa.* Ita Chryſ. At, inquies, lapidibus neminem lædere conantur, vt faciunt dæmoniaci. Reſpondet Chryſ. *Certè facilius eſt à proiectis lapidibus cauere, quàm literas & ſtipulationes, chartâ & atramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare* Ita Chyſ. hom. 23. in Matth.

menſurationem quamdam, deinde ſplendorem: quæ duo ad ſe vocant omnia quæ requiruntur, & quæ neceſſaria ſunt vt hæc concinnitas exſurgat, hic ſplendor refulgeat, & finem ſuum conſequatur. Verbi gratiâ, in corporibus pulchritudo erit optima partium diſpoſitio, apta membrorum figura, viui & nitidi colores, ex puritate ſanguinis, humorum, & ſpirituum; & integritas membrorum, vt nullum deſit ad finis conſecutionem; in animis autem, vt omnes animæ facultates ad formæ naturam commenſurentur, vt ſic exurgat concinnitas; Secundò vt vigeat in actibus rationis ſplendor; Tertiò, vt ſit in anima connexio omnium virtutum quarumlibet potentiarum: *Bonum enim ex integra cauſa*: quibus inſtructi finem noſtrum conſequamur, id eſt, ad Deum perueniamus, qui totius pulchritudinis fons & origo omnia ad ſe vocat, cum ſit finis omnium. Sic enim pulchritudo tota ſe colligit in totis: cum totum bonum, quod in creaturis reperitur, in Deo, veluti in fonte & cauſa omnium, excellentiori modo inuenitur, *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Pulchra igitur erit anima, ſi cum ſit ad Dei imaginem creata, & corporis forma, ſeu corporis organici actus habeat omnes facultates intellectuales, qua poſſit vniri Deo; & alias potentias, per quas, dum eſt vnita corpori, poſſit ſuas exercere operationes, ita benè & aptè diſpoſitas, vt mens ſubdatur Deo, & appetitus inferior ſubdatur rationi. Hanc concinnitatem & aptam diſpoſitionem non obtinebit, niſi habeat ſplendorem rationis, nempe prudentiam, quæ eſt recta ratio agibilium, qua poſſit facere electionem rectam, tum finis, tum mediorum ad finem; & omnes actus ſuos ad debitos fines ordinare conuenienter: quia non ſufficit inclinatio in debitum finem, quod eſt directè per habitum virtutis moralis, ſed etiam quod aliquis d rectè eligat ea quæ ſunt ad finem. Hoc facit ille ſplendor rationis, ſeu prudentia, quæ, vt dictum eſt, eſt recta ratio agibilium. Sed cum non ſufficiat vt vnus vel alius actus ordinetur in finem, ſed oporteat vt omnes actus debitum finem conſequantur, ideo ad animæ pulchritudinem requiruntur omnes virtutes, ne homo in aliquo deficiat.

Hæc eſt illa animi pulchritudo, quæ ſi oculis poſſet intueri, mirabiles ſui excitaret amores: quæ tamen ad extra ſuos emittit fulgores, dum videmus hominem conuenienter & aptè diſpoſitum erga Deum, erga proximum, & erga ſemetipſum.

Si igitur quæras in quo conſiſtat animi turpitudo? Reſpondeo, in diſſipatione omnium facultatum, quæ in vnum ſcopum deberent colligi, nempe in Deum, cum quo anima, vt pulchra ſit, debet intimè vniri: cuius pulchritudo eſt vt omnia ad ſe vocet, qui propter ſemetipſum omnia creauit; & totum colligat in totis, id eſt, omnia ad ſe reſumat, quæ in omnibus & ſingulis diſperſit. Hæc autem diſſipatio fit per vitium, malitiam, & peccatum. Vitium autem rei vniuſcuiuſque eſſe videtur, quod non ſit diſpoſita ſecundum quod conuenit ſuæ naturæ. *Quod*, inquit S. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio c. 14. in fine, *perfectioni deeſſe perſpexeris, id voca vitium.* Vitium, verbi gratiâ, in corpore hominis eſſet ſi homo haberet caput aſininũ aut vitulinum: ſi caput quidem haberet humanum ſed inter ſcapulas, aut in medio ſtomachi collocatum: ſi illud quidem haberet in propria ſede collocatum, at oculis aut labris, aut naribus truncatum. Vitium eſſet animæ ſi intellectu priuaretur: ſi ratio ſuccumbat appetitui: ſi errore obtenebretur, aut ignorantia obnubiletur. Quod in peccatoribus deplorat Pſalmiſta, dum ait: *Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis*

A *factus eſt illis*; obcæcatione videlicet mentis, & effrenata, ac in rationem dominante libidine. Hac enim ratione nulla poteſt eſſe concinnitas, in anima, ſeu debita ſecundum naturam ſuarum facultatum diſpoſitio, & ad ſe inuicem optima ordinatio, ſeu commenſuratio. At ſicut per vitium contrahitur turpitudo, ita & per malitiam. Nam ſi homo illud lumen à Deo inditum ſequeretur, vt bonum ſemper eligeret, nullam ex malitia contraheret turpitudinem; bonitas namque vniuſcuiuſque rei in hoc conſiſtit, quod conuenienter ſe habeat ſecundum modum ſuæ naturæ: quod præſtat amor virtutis, quæ eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, & quæ bonum facit habentem per actus bonos, ad quos ordinatur

B virtus; & ſic ſuam ſeruaret concinnitatem, & optimam erga finem debitum diſpoſitionem. Sed dum per malitiam ab illo ſplendore rationis deficit, tunc illam deperdit concinnitatem, & turpitudinem contrahit. In tali namque anima nullus virtutum ſplendor, dum in actibus noſtris ratio non dominatur, ſed libido. Ibi proculdubio tenebroſa, & horrida vitiorum imago, loco ſplendoris. Per defectum namque virtutis moralis; à qua homo habet rectitudinem voluntatis, exſurgit in homine inſignis ex malitia turpitudo.

Quæ quidem turpitudo tandem perficitur, & maximè contrahitur per peccatum. Peccatum ſiquidem propriè dicit & nominat actum inordinatum, ſicut actus virtutis eſt actus ordinatus & debi-

C tus: vnde peccatum definitur, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, quæ eſt quaſi ratio Dei, & prima regula actus humani, ſeu voluntatis humanæ; ad quam debet commenſurari, per propinquam & homogeneam regulam, ſcilicet ipſam humanam rationem: à qua ſi ſe diuertat, incommenſurata erit, & fit deformis & turpis per peccatum: quo fit vt actus hominis priuetur, ſuo modo, ſua ſpecie, ſuo ordine, imo etiam modo, ſpecie & ordine cuiuſdam boni excellentiſſimi, nempe virtutis & gratiæ; itaut licet bonum pertinens ad ipſam ſubſtantiam naturæ remaneat, nec illud bonum priuetur ſuo modo, ſua ſpecie, ſuoque

D ordine per peccatum, imo nec diminuatur: bonum tamen naturalis inclinationis ad bonum, licet non totaliter tollatur, diminuitur tamen per peccatum: ſicut bonum virtutis & gratiæ, & bonitas actus, & commenſuratio ad finem omnino tolluntur, vt diximus.

Et quia homo auertendo ſe à Deo, à lege æterna, à recta ratione, dum peccat conuertit ſe ad creaturas, quibus inordinate adhærere vult; ideo præter illam turpitudinem, quam contrahit ex vitio, malitia, & peccato; præter vulnera quæ illi infliguntur, dum eius ratio hebetatur in agendis, voluntas induratur, ne ad bonum conuertatur, dum maiorem patitur difficultatem ad benè agendum, & con-

E cupiſcentia magis inardeſcit in eo; præter illam, inquam, turpitudinem, quam ex his contrahit, quamdam aliam abominabilem contrahit maculam ex peccato, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 86. art. 1. quam ita exponit. *Macula*, inquit, *propriè dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, & aurum, & argentum, aut aliud huiuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus, ad ſimilitudinem huius oportet maculam dici. Habet autem anima duplicem nitorem, vnum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus, alium verò ex refulgentia diuini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad benè & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem. Cum autem peccat, adhæret aliquibus rebus contra lumen*

rationis

rationis & diuinæ legis. *Vnde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proueniens, macula animæ metaphoricè vocatur.* Ita S. Thomas. Si igitur quæras in quo conſiſtat animæ turpitudo? Breuiter reſpondeo, in vitio, malitia, peccato & macula proueniénte ex inordinata ad creaturas adhæſione. Sed quis oculos habebit adeo perſpicaces, vt hanc intrinſecam peccatoris turpitudinem perſpicere valeat? Certè ſicut animi pulchritudo oculis corporeis non ſubjicitur, ita nec turpitudo iiſdem oculis poterit animaduerti. Ab actibus eorum cognoſcetis hominum intrinſecam pulchritudinem aut turpitudinem. Si benè affecti fuerint erga Deum, erga proximum & ſeipſum, per actus externos, dicas eis: *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna:* Si autem malè, abominabilem in eis agnoſce turpitudinem. *Denigrata quippe eſt ſupra carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Thren. 4.

Sed quia hæc intelligibilia non poſſunt tam directè cognoſci, oportet vt per ſenſibiles formas ad illa meditanda deducamur, vt hac ratione animaduertentes quàm turpe ſit peccatum, in quo nulla concinnitas, nullus ſplendor virtutis, illud ſedulò fugiamus, ne iſtam contrahamus turpitudinem aut maculam. Ad hoc præſtandum ecce adeſt Dominus, de quo Iſaiæ 53. dicitur: *Non eſt ſpecies ei neque decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus. Et deſiderauimus eum, deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.* Ita Iſ. Qua enim de cauſa ſpecioſus forma præ filiis hominum tam deformis apparuit, niſi vt nos turpitudinis peccati admoneret, pro cuius expiatione & emendatione tanta pati voluit? Quàm deformis enim erit peccator ex propriis vulneribus, ſi ipſamet pulchritudo turpis apparet, vt peccati vulneribus medeatur! *Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuore eius ſanati ſumus.* Ita Iſ. Peccatum igitur valde erit horrendum & deforme, qui ipſam pulchritudinem tanta deformitate potuit afficere. Quid miraris Oziæ Regis Iudæ præſumptionem & arrogantiam lepra abominanda fuiſſe punitam? 2. Paralyp. c. 26. Tantùm potuit peccatum, vt in innocentem peccantium perſonam gerentem ſuam tranſmiſerit & transfuderit turpitudinem. Sed audiamus S. Chryſoſthomum optimum & elegantem huiuſce turpitudinis pictorem, Homil. 9. in 1. ad Corinthios. *Barbarum*, inquit, *namque eſt peccatum: quod cum animam ſemel captam, itaut contra perſuaderi neſciat, in ſuis ſordibus demerſerit, ſub tyrannidem redigit. Nihil enim tam præter rationem eſt quàm peccatum; nihil tam ſtultum, tam fatuum, nihil tam vehemens. Omnia euertit, confundit, perdit. Quocumque inciderit viſu incommodum eſt, graue, oneroſum. Quod ſi quis pictor effingeret, non ſanè mihi errare videretur, ſi in hunc modum id perageret: fœminam quamdam in feræ ſimilitudinem, barbaram, ignem efflantem, horridam, nigram, quales externi Poëtæ Scyllas effingunt. Innumeris enim manibus, noſtris inſidiatur cogitationibus, & inopinantes aggreditur. Omnia dilacerat, more canum clanculum mordentium.* Ita Chryſoſt. Fœminam dicit propter puſillanimitatem; feram, propter crudelitatem; barbaram, quia à veris amicis, Angelis & ſanctis alienam. Non mirum igitur ſi dæmon, qui peccati autor eſt (vt ait S. Ioannes 1. Epiſt. c. 3. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat*) vel cum apparet ſuis, vel cum Dei ſer-

A uos terrere cupit, ſemper horribili videatur figurâ. Hydra multiceps, intuitu terribili, oculis ardentibus, colore nigro vel ſanguineo, ſeu cruento. Tali figura, delineamentis ita deordinatis & monſtroſis, vt facilè conjici poſſit qualis ſit, qui nunquam apparere queat quàm deformis & horrendus. Ita de his apparitionibus diſſerit ille Agrippa 4. libr. de occulta philoſophia. Ibi enim aſſerit dæmones, cum euocantur à Magicis, ſemper horribiles apparere, v. g. dæmon qui, vt vult ipſe, præſidet Saturni Planetæ, quatuor habet facies, vna anterior, altera poſterior, ore recuruo, ſeu roſtro obunco, oculis rotundis & ſcintillantibus, colore nigro & obſcuro, & in genibus quædam facies ſeu vultus apparent: Et ex vitis ſanctorum diſcimus, terrificis formis B ipſum plærumque ſeruos Dei conari perterrere. Et aſſerebat beatus ille Ægidius ſancti Patris noſtri Franciſci diſcipulus, dæmonis figuram adeo eſſe horrendam, vt abſque ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio vix tolerari poſſet. Quæ omnia ſatis innuunt peccati deformitatem, quam ſedulo euitare debeamus, non tantum nitore virtutis & gratiæ allecti, ſed etiam horrore peccati deterriti.

At quia de peccati turpitudine nobis præciſè agendum eſt, quibus poſſit adumbrari horrendis figuris, ac viuis depingi coloribus videamus.

Olaus Magnus lib. 21. refert videri piſces in mari, quod Nortuegiæ plagam alluit, enormis magni- C tudinis, tam horribilis adſpectus, vt timorem & horrorem intuentibus incutiant. Potentiſſimo capite, quadrato, ſpinoſis cornibus, & acutis & longiſſimis inſtructo, nigro colore, oculis adeo ingentibus, vt decem cubitos in orbem conficiant: Ab oculis flammæ emicare cernuntur, & tantæ ſunt fortitudinis, vt naues quaſcumque valeant obruere. Qua certè beſtia, delineatur enormis peccatorum audacia, & impudentia, qua diuinam maieſtatem per quatuor orbis plagas, multiplici mandatorum diuinorum tranſgreſſione poſſint impetere, & omnia diuina & humana ſus deque euertere, ſuperba concupiſcentia inflammati, qua fiant ſimiles illi de quo dicitur, Iob. 41. *Omne ſublime videt. Ipſe eſt* D *Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Deo prorſus odibiles. Inter ea enim quæ Deus odit, primum locum obtinent oculi ſublimes, vt pote, qui in cauſa ſunt cur cætera, quæ odit & deteſtatur, perpetrentur. *Initium enim ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo.*

Hæc certè nobis ſatis ſuperque viderentur ſufficere ad peccati turpitudinem adumbrandam, & horrorem ex tali turpitudine nobis incutiendum. Sed aliam beſtiam ſanctus Ioannes videt è mari aſcendentem, qua peccati horrenda effigies nobis conſideranda proponitur, dum cap. 13. ait: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.* In his & ſequenti- E bus apparet peccati turpitudo & deformitas, quam anima contrahit propter ſeptem peccata capitalia; quæ, vt diximus, in his ſeptem capitibus deſignantur; quorum quidem inſtigator eſt Dæmon. Vnde de ea dicitur: *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Nam prauis iſtis affectibus, anima diaboli malitiam imitatur, & captiua redditur ad ipſius diaboli voluntatem. Et quidem diabolus non eſt cauſa peccati directè & ſufficienter, ſed ſolum per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile: poteſt ſiquidem operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſententur, per motum localem ſpirituum vel humorum, ex quo ſequatur quod homo aliqua imaginetur; poteſt etiam facere quod appetitus ſenſitiuus concitetur ad aliquam paſſionem, ſecundum quamdam determina-

Digitized by Google

tum motum cordis & ſpirituum, quo fit vt homo fortius apprehendat, & magis percipiat aliquid habere rationem boni appetibilis proſequendi. Ei enim qui à paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id ad quod per paſſionem inclinatur. Dum igitur diabolus per motum cordis & ſpirituum paſſionem excitat, illa autem paſſio concitata fortiùs applicat principium apprehenſiuum ad cogitandum de re, ad quam paſſio concitata inclinat, ex hoc fit vt fortiùs imaginatio illam proponat vt appetibilem & maximè conuenientem: & ſic diabolus prouocat ad peccandum, & dat draco virtutem ſuam beſtiæ, nempe animæ peccantis, quamuis directè non ſit cauſa omnium peccatorum humanorum, ita quod ſingula peccata perſuadeat. Ex appetitu enim inordinato multa homo facere poteſt libero arbitrio, abſque diaboli ſuggeſtione aut impulſione directa. Tamen certum eſt diabolum indirectè eſſe cauſam omnium peccatorum noſtrorùm, ſiue quia induxit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato in tantum vitiata eſt humana natura, vt omnes ad peccaidum procliueſſimus; ſiue quia, vt plurimum, & ſæpe ſæpius quærens quem deuoret, perſuadet vel proponit bona, quæ homo inordinatè appetere ſolet, eſſe valde appetibilia, quale eſt excellentia laudis vel honoris, conſeruatio indiuidui, vel ſpeciei, quales ſunt etiam diuitiæ; vel aliquod malum eſſe & fugiendum, vt labor corporalis neceſſarius ad bonum ſpiritule proſequendum; vel alienum bonum, quaſi propriæ excellentiæ impeditiuum: vnde vel triſtamur, vel inſurgimus ad illud impediendum per iram. Hæc enim ſunt, veluti capita & initia peccatorum, cum iſta pro fine appetendo ſibi homines conſtituunt. Quæ cum diabolus proponit & perſuadet tanquam valde appetibilia, eique conſentimus, tunc horrenda in nobis effigies iſta beſtiæ aſcendentis de mari efformatur, per ſuperbiam, gulam, luxuriam, auaritiam, acediam, inuidiam, iram: quibus vitiis imbuti, dici non poteſt ad quanta flagitia perpetranda ſimus paratiſſimi, vt meritò lugendi ſint qui hac ratione fiunt captiui diaboli, Apoſtolo dicente: *Et lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* 2. ad Cor. 12. *Quis enim*, ait S. Hieron. in 2. c. Micheæ, *non plangat, videns humanas animas quaſi variam ſupellectilem à dæmonibus & diuerſis vitiis eſſe poſſeſſas? Alius dæmonum mittit fornicationis vinculum, alius, auaritiæ, ille homicidij, hic periurij lineas tendit. Pars populi eſt diuiſa in funiculo: & agri quondam ſanctitatis & paradiſi, quorum odore delectabatur Iſaac in Iacob filio ſuo, traditi ſunt Aſſyriis regique Babylonio: & habentibus vulpibus foueas, filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Ita S. Hieron. Fit enim illa anima diaboli hoſpitium, expulſo habitatore Chriſto, qui per fidem habitare deberet in cordibus noſtris. Hæc de deformitate peccati in genere. Nunc ſpeciatim, & ſingillatim de ſingulis capitibus aliquid eſt dicendum, eo ordine quem tetigimus ſupra, non autem eo ordine quo S. Thomas illa ſeptem capitalia proponit.

Ordo autem; quem tetigimus, talis eſt. Auaritia, inuidia, luxuria, ira, acedia, gula, ſuperbia, incipiendo à notioribus nobis: inordinatus quippe amor rerum temporalium operatur facilè triſtitiam de bono ſtatu aliorum, per inuidiam: & poſito quod abundantia rerum temporalium potiamur, ſtatim in luxum diffluimus. Et quis cupiditatibus noſtris & diſſolutionibus obſiſtere audebit, qui non ſtatim iræ & furoris non perſentiat aculeos? Sequitur acedia facilè, & torpor circa res ſpirituales, vbi adeſt diuitiarum & voluptatum tam inordinatus amor. Et cum abſque Baccho & Cerere frigeat Venus, ecce A gula ſeſe offert, quæ luxuriam foueat, eique ſuppetias ferat. Quod ſi à tot tantiſque vitiis miſeram animam reuocare tentes, ecce ſuperbia, quæ deliteſcit in pectore, quaſi leo in ſpelunca ſua, aut draco in occultis terræ viſceribus, caput extollet dicens: *Quis me ſubjiciet propter facta mea?* Eccleſ. c. 5. Vel ad ſimilitudinem regis Tyri eleuabit cor ſuum, & dicet: Deus ego ſum. Ezech. 28. Vel illud Pſalmi vndecimi: *Labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Exemplar tantæ ſuperbiæ & inſolentiæ habemus in Domitiano, qui homicidiis, muliebriſque pariter & virilis ſexus amoribus vſque ad ſatietatem contaminatus, ad extremum ſe impiè Deum fecit, Dominumque ac Deum ſe dici & præcepit, B libidine, iracundia, crudelitate, auaritia, omnium in ſe odium concitans, vt referunt omnes Hiſtorici.

De primo capite beſtiæ è mari aſcendentis, nempe auaritia, eiuſque turpitudine.

ANNOTAT. VIII.

SVPPONENDVM 1. ex S. Thoma 2. 2. q. 118. art. 1. & 2. auaritiam, ſeu auaritiæ peccatum eſſe immoderatum amorem habendi, ſi generaliter ſpectetur: quia ſupra menſuram quærit habere aliquid, ſiue pecuniam, ſiue ſcientiam, ſiue altitudinem ſeu ſublimitatem; Vt autem eſt ſpeciale peccatum, C eſſe immoderatum amorem pecuniæ, ſeu poſſeſſionum & diuitiarum, quæ vtiles ſunt & neceſſariæ ad vitam ſecundum propriam conditionem. Ex quo, vitio plura alia oriuntur. Si ſuperabundet in retinendo, oritur ex eo obduratio contra miſericordiam; ſi in accipiendo, in affectu oritur inquietudo; ſi ad effectum amor ille procedat, vi acquirendo aliena, oritur violentia; ſi dolo acquirantur, in verbo erit fallacia; quod ſi confirmetur verbum iuramento, ecce periurium; ſi autem dolus committatur in opere quantum ad res, erit fraus; quantum ad perſonas, erit proditio, vt in Iuda proditore, qui ex auaritia prodidit Chriſtum. Et quia denario vtimur, tanquam fideiuſſore, ad omnia habenda: D (*Pecuniæ quippe omnia obediunt*. Eccleſ. 10. vnde qui pecuniam habet videtur eſſe ſibi per ſe ſufficiens, & conditionem fælicitatis aliqualiter obtinere, quia ad hoc omnia quæ facit bona vel mala auarus tanquam ad finem vltimum ordinat, vt hanc ſufficientiam obtineat) auaritia ſeu immoderatus amor pecuniæ dicitur vitium capitale, quia videlicet ex eo ſupradicta vitia, tanquam à parente, oriuntur.

Notandum ſecundò turpitudinem illius vitij, vt eſt in anima, oculis minimè ſubjici corporeis, ſed conjici ex actibus exterioribus auari, quibus manifeſtè apparet ipſum nullam concinnitatem ſeu commenſurationem habere cum Deo, nullam cum proximo, nullam cum ſemetipſo, nullum habere virtutis ſplendorem; cum tantopere à recta agendi ra- E tione deficiat, cuius eſt actus noſtros ad debitum finem ordinare. Hanc autem concinnitatem cum Deo non habere videmus, quia actus auari non conueniunt cum iis quæ de Deo credimus: nec cum proximo, quia proximis nociuos eſſe videmus, vel ſaltem inutiles & infructuoſos, nec cum ſeipſis, quia animaduertimus eoſdem non ſibi conſtare, & inquietudinem mentis ſatis ſuperque oſtendere: vt poſſimus conjicere cum ſeipſis non conuenire, quod contra conſcientiam redarguentem eos plæraque operentur, illo amore pecuniæ immoderato, vitioſo, malitia pleno, & peccaminoſo. Eſt enim auaritia peccatum in Deum, ſicut & omnia peccata mortalia, in quantum homo propter bonum temporale contemnit æternum. Propterea dicebat Sal-

Digitized by Google

uator, Matt. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Siue enim, vt docet Toſtatus q. 180. Mammon ſignificet diuitias, ſiue inordinatum diuitiarum affectum, vel dæmonem talem affectum inſtigantem; qui Mammonæ ſeruire vult, à Deo auertitur, & in Deum peccat; cum illum pro fine, vt par eſt, non habeat. Secundò peccat auaritia in proximum, quia importat immoderantiam circa res exteriores, eas plus debito acquirendo, vel conſeruando: quo fit vt directè ſit peccatum in proximum, quia in exterioribus diuitiis non poteſt vnus homo ſuperabundare, niſi alteri deficiat, quia bona temporalia non poſſunt ſimul poſſideri à multis. Tertiò eſt etiam peccatum in ſeipſum, propter immoderantiam circa interiores affectiones, diuitias inordinate amando, deſiderando, aut nimium ſe delectando in eis. Quidquid igitur turpitudinis in vitio, malitia, peccato, inueniri poteſt, in auaritia repetitur. Quod quidem perſpicietur, quia nullam, vt diximus, habet conuenientiam cum iis quæ de Deo ſcimus aut credimus: non conuenit cum proximi bono, quod oculis videmus, & per actus externos animaduertimus nec auarum conuenire cum ſeipſo.

Quantum ad primum, affectat auarus cum Deo conuenientiam ſeu ſimilitudinem, ſed ad modum Luciferi. Deus eſt *Sadai* & ſibi ſufficiens: & auarus tantas coacernare vult diuitias, vt nullius indigeat, iuxta illud S. Thomæ. *Vnde*, inquit, *qui pecuniam habet videtur eſſe ſibi per ſe ſufficiens, & conditionem fælicitatis aliqualiter obtinere: quia ad hoc omnia quæ facit bona vel mala auarus, tanquam ad finem vltimum ordinat, vt hanc ſufficientiam obtineat.* Ita S. Th. At in hoc auarus à Deo diſcrepat, contra agendi prouidentiæ diuinæ modum ipſemet agens. Vult namque diuina prouidentia homines ad inuicem ſtricto charitatis vinculo colligari: quod vt fæliciter cedat, ipſos auxiliares ſibi præſtare manus intendit. Quod agnouit S. Paulus, dum 2. ad Corinth. c. 8. ipſos ad ſubueniendum egentibus exhortatur. *In præſenti tempore*, inquit, *veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum non abundauit; & qui modicum, non minorauit.* Quaſi dicat: Diuites eſtis temporalibus diuitiis, quarum ſunt inopes ſancti Ieroſolymis agentes. Abundant ipſi tribulationibus variis pro Chriſto, quibus ſpirituales ſibi comparant diuitias. Succurrite inopiæ illorum temporali in præſenti, vt ſi fortè in alio ſæculo his ſpiritualibus diuitiis reperti fueritis deſtituti, illorũ abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Talis eſt enim diuinæ prouidẽtiæ ordo, vt homines mutuò ſe adiuuent, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum habet diuitiarũ temporaliũ, non ita plærumq; abundat meritis ex tribulationum tolerantia conquiſitis; & qui modicum habet diuitiarum temporalium, non minorauit. Siquidem charitas, quæ Chriſtianos ad inuicem coniungit, non patitur vt aliqua neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ipſis non ſuppeditentur in tempore opportuno; ſed dum diuites in hoc ſæculo, ſuarum diuitiarum hoc modo inopes faciunt participes, in alio ſæculo ipſi pauperes, meritis & oratione, diuitibus ſuccurrunt, vt miſericordiam abundantiùs, faciliùs & fæliciùs conſequantur. Et ſic fit æqualitas. *Prompta ergo*, inquit S. Leo ſer. 1. de collectis, *& facilis, dilectiſſimi, apud nos largitas eſſe debet, ſi credimus ſibi vnumquemque id præſtare, quod indigentibus tribuit. Theſaurum enim ſuum condit in cælo, qui Chriſtum paſcit in tempore. Benignitatem itaque in hoc & diſpenſationem diuinæ pietatis agnoſce. Idcirco enim te abundare voluit, vt per te*

A *alius non egeret, & per miniſterium operis tui, pauperem ab egeſtatis labore, teque à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas creatoris, vt vno facto, duobus vellet eſſet ſuccurſum.* Ita S. Leo. At dum auarus propter ſe ſolùm appetit diuitias, diuinæ prouidentiæ inuertit ordinem ac propoſitum: Et non modò ordinem prouidentiæ inuertit, & ſic cum Deo non ſeruat concinnitatem, ſed etiam à diuina benignitate recedit. Eo pulchrior eſt effectus quo cauſæ ſimilior efficitur. At nihil magis reddit hominem Deo ſimiliorem, quàm liberalitas & beneficentia. *Hæc eſt*, inquit S. Gregor. Nyſſenus, orat. de beneficentia, *omnium laudatarum actionum præſtantiſſima: hæc aſſidet Deo, & magna eſt cum eo neceſſitudine*
B *coniuncta. Sic autem Deum ipſum nobis omnium, quæ recte benignéque facimus imprimis autorem effectoremque eſſe conſtat.* Ita Nyſſ. eum ſcilicet imitando per beneficentiam. *Multis*, inquit S. Leo. Serm. 6. de Ieiunio, circa finem, *quæ vobis ſuppetunt, deſunt; & in quorumdam indigentia, materia vobis data eſt diuinæ bonitatis imitandæ: vt per vos etiam in alios beneficia diuina tranſirent, & bene diſpenſantes temporalia, acquireretis æterna.* Ita S. Leo. At auarus ab hac diuinæ bonitatis imitatione longè recedit: nihil dat, nihil dare intendit. Infælix, qui tantùm aliena rapere, quaſi omnium rerum indigus; & nihil dare nouit, cum tamen Dei bonitas & beatitudo in hoc eluceſcat, quod *det omnibus affluenter & non improperet*, verbum-
C que Domini ſit, vt refert S. Paulus c. 20. quod *beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Infelix ergo tenax & auarus, & alienorum raptor: fit enim Deo diſſimilis, & horrendam contrahit turpitudinem: Quæ tanto magis apparet, quod Dei bonitas & benignitas ſe extendit ad iumenta, & animalia ratione carentia. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Qui dat eſcam omni carni.* Quem homines iuſti imitantur, vt ait Salomon, Prou. 12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas: at auarus obduratur ad miſericordiam.* Vnde addit Sapiens: *Viſcera autem impiorum crudelia:* qui hominum ſibi ſimilium non miſerentur, ex auaritia & immoderato pecuniæ affectu. In quos inuehitur S. Gregor. Nyſſ. *Deus,*
D inquit, *hoc modo beneficentiæ, & liberalitatis inuentor & fons, omnia quæ nobis neceſſaria ſunt ditiſſimus ipſe benignus ſubminiſtrat: nos autem, qui ſingulis diuinæ ſcripturæ verbis ad Dominum & procreatorem noſtrum imitandum, (quatenus mortalis beatum & immortalem imitari poteſt) inſtituimur, ad vtilitatem noſtram omnia rapimus, & alia quidem vitæ noſtræ delitiis elargimur, alia recondimus hæredum auiditati: miſerorum verò nulla pauperum idonea cura, nulla ſollicitudo. O crudeles animos! O mentes ab omni miſericordia alienas!* Ita Greg. Nyſſ. Vis adhuc videre quantùm diſtat auarus à Dei pulchritudine? Habitat Deus cum ſuis *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ: factus eſt in pace locus eius.* At ex affectu accipiendi & corradendi pecunias, per
E fas & nefas, oritur in auaro inquietudo ingens, vt nec nocte nec die habeat vllam requiem. Timoribus, angoribus vrgetur, ne perdat, aut ei ſurripiatur quod cum ingenti cura & immenſis laboribus ſemel conquiſiuit. Semper eſt in metu. Si ſoricem audierit rodentem, latronem putat pecuniam inuadentem. Præterea longe abeſt à ſuauitate diuini amoris, dum auarus vi & violentia aliena rapit. Deus namque corda allicit, & quod nobis proprium eſſe videtur, nempe liberum arbitrium, ſuum quodammodo facit, non cogendo, non neceſſitando, ſed dulciter attrahendo. *Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* His adde auarum per dolos, fallacias, fraudes, periuria, proditiones, longè diſtare à Dei ſimplicitate, veritate, fidelitate; Quin etiam à Dei ſapientia recedit aua-

Digitized by Google

rus. Sapientis namque eſt media ad finem ſibi præſcriptum adipiſcendum conuenientia aſſumere. At auarus, qui pro fine habet diuitias immenſas aggregare, & aſtatim deſiderat opes augere diripiendo aliena, & miſericordiæ opera paruipendendo, Deum in ſe prouocat, vt permittat prædari eum qui alios deprædatur. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. *Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.* Ita Iſ. Saltem in morte omnia auaro auferentur, eique dicetur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12. At ſi homo ſit liberalis, opes illi augentur, & in hoc ſæculo plærumque, & ſemper in futuro. Dum enim ex bonis ſibi à Deo concreditis, aliis ſuccurrit, pauperior exinde minimè euadit; ſed ditior, Deo ita diſponente: vt hic etiam opes eius augeantur, centuplum reddendo, vel ſaltem quæ donat in cœlum recondit, vt illa in æternum poſſideat. Ferunt prope Edimburgum in Scotia reperiri fontem, in cuius ſuperficie ſupernatat olei cuiuſdam liquor, eiuſmodi proprietatis, vt ſi relinquatur nulla capiat incrementa: ſi colligatur, quamtumuis ex eo capias, ſemper abſque detrimento nouus ſupernatat liquor. Tali oleo ſimiles ſunt pecuniæ: ſteriles ſunt, ſi eas minimè diſperſeris, & in arca recondas. At ſi pauperibus eas diſtribuas, aliæ in locum illarum tibi à diuina prouidentia abundè ſuppeditantur, vel S. Leone optimo teſte, Serm. 6. de Ieiunio decimi menſis: *Conſtans,* inquit, *eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias: ſere quod metas: ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium: noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſſionis iſtius gratulabunda conditio. Quamuis enim non habeas niſi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat: vt non hominum laborantium captet neceſſitates, ne per doloſa officia laquea tendat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date & dabitur vobis. Et: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quanta libet adjiciat, quanta libet condat & congerat, inops de hoc mundo & egenus abſcedet, dicente David: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius? Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus eſt fideiuſſor pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum. Sed iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti; Dumque certiora exiſtimat præſentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri ſit cauſa damni. Vnde quilibet ſequatur euentus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe & auxiſſe peccatum eſt; ut aut miſer ſit amittendo quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas iniuſtis & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ,* &c. Ita S. Leo. Igitur agit imprudenter auarus, nec cum diuinæ ſapientia concinnitatem ſeruat: qui dum diuitias appetit, vera & infallibilia media, temporaliter & æternaliter poſſidendi diuitias & temporales & perdurabiles, obmittit & negligit.

At non modo auarus turpitudinem contrahit defectu charitatis, miſericordiæ, benignitatis, tranquillitatis, ſuauitatis, veritatis, ſimplicitatis, fidelitatis, ſapientiæ; ſed etiam quia defectu iuſtitiæ iniurioſus eſt Deo, dum creaturam præfert creatori. Vnde non modò turpitudinem per defectum contrahit, ſed etiam maculam ſibi aſciſcit, adhærendo vili creaturæ in præiudicium Creatoris. Rectè enim S. Auguſt. de Sermone Dei in monte l. 2. c. 13. *Ergo ſi in terra erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiſcatur; quomodo erit mundum cor, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit. Quia munda ſunt quæcumque cæleſtia, ſordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur naturæ, quamuis in ſuo genere non ſordida, quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter, terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamuis ipſa terra in ſuo genere & ordine munda ſit.* Ita Auguſt. Dum igitur auarus in pecuniis accumulandis finem ſuum conſtituit, deuiando à debito fine, & adhærendo vili creaturæ per immoderatum amorem, Deo iniurioſus fit idololatra, iuxta Apoſtolum dicentem, tum ad Epheſios c. 5. tum ad Coloſſ. c. 3. auaritiam eſſe idolorum ſeu ſimulachrorum ſeruitutem. Quod ſcelus S. Chryſoſt. homil. 18. in Epiſt. ad Epheſios, fuſiùs explicat, dum ait: *Eſto ante arcam, in qua reconduntur pecuniæ, genua non flectes: Eſto preces & orationes ante ipſam non effundas: attamen adorationem pecuniæ impendis, tantò magis quantò plus honoris reddis ei, cuius voluntati & imperio obtemperatis in omnibus, quàm ſi coram eo genuflectes. At obedis pecuniæ: ſiquidem ad earum conſeruationem omnes mentis affectus, omnes tuas cogitationes & ſtudia & labores impendis. Quod ſi ad hanc auaritiæ aram oues non immoles, at animas innocentium ſupra illam tu iugulas: has animas quidem fame, illas verò maledictis. Hoc ſacrificio nihil eſt magis bacchicum, nihil magis inſanum. Quis vnquam vidit iugulare animas? Execranda eſt ara auaritiæ: nam ad hanc aram idolorum ſi veneris, videbis eam olere ſanguinem caprarum & boum: ad auaritiæ autem aram ſi veneris, videbis eam grauiter ſpirantem humanum ſanguinem. Si hic ſteteris, non videbis ardere alas auium, nec emitti vaporem & fumum, ſed perire corpus humanum: nam alij quidem ſe præcipites dejiciunt; alij aptant laqueum, alij per gutture gladium transadigunt. Vidiſti crudelia & inhumana ſacrificia? In hoc crudelia, quod animas interficiant. Anima enim quæ peccat ipſa morietur.* Hæc Chryſ. Sed dum illam, vt loquitur Chryſ. adoras creaturam (Deus enim non creauit auaritiam, ſed eam inuenit immoderatio tuæ inexplebilitatis) certè facile eſt videre non modò auaritiam diſcrepare à Deo, ſed etiam nociuam eſſe proximo, qui ab auaro multis modis vexatur.

Fortunata eſſent tempora, ſi in medio iacerent beneficia naturæ promiſcuè vtenda, iuxta Senecam, Epiſtolâ 80. *Nihil hominum illo genere eſſet felicius, ſi in commune rerum naturâ fruerentur. Sufficeret illa, vt parens in tutelam omnium. Hæc eſſet publicarum opum ſecura poſſeſſio, locupletiſſimumque eſſet omnium mortalium genus, in quo pauper inueniri non poſſet. Sed auaritia æquè ac luxuria diſſociauit mortales, quæ dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit, & multa concupiſcendo omnia amiſit.* Sed non tantum pauperes euaſimus, dum ditari voluimus, ſed etiam mali, dum vel proximos non iuuamus ex bonis quæ poſſidemus, vel illis nocumento ſumus, eorum bona diripientes, vi, violentia, dolo, fraude, homicidiis & aliis illicitis modis. *Semper auarus,* ait S. Maximus hom. 2. de auaritia, *alieno viuit. alieno ſe paſcit damno. Eſt illi præda egeſtas alterius: eſt illi lætitia fletus alienus.* Qui talis eſt, quomodo cum proximo cõmenſu-

Digitized by Google

rationem aliquã conſeruaret? *Hoc vitium*, ait S. Chr. homil. 23. in 1. ad Corinth. *mare implet ſanguine, & iudicum cruentat gladios, ſæpe iniuſtè, eoſque qui noctu, & interdiu in viis inſidiantur ipſa armat, & perſuadet ignorare naturam, facitque patricidas & matricidas, & omnia mala infert in vitam.* Ita Chryſ. Itaut verè dixerit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum, cupiditas: quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hinc*, ait S. Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Romanos, *pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, conuicia, ſuſpiciones, contumeliæ; hinc cædes, furta, ſacrilegia: propter hanc non ciuitates ac regiones modò, ſed & viæ ipſæ, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, ſaltus, colles, vnoque verbo, omnia ſanguinis ac cædis plena ſunt; ac ne à mari quidem malum hoc temperauit, ſed & illo vſque inſanè admodum debacchans, certa cum pernicie irrepſit, piratis illud vndique obſidentibus, ac nouum quemdam deprædationis modum comminiſcentibus. Propter hanc & naturæ leges ſubuerſa cogitationis, inſtituta ſedibus ſuis conuulſa, & ſubſtantiæ ipſius iura corrupta ſunt. Pecuniarum enim tyranni non modo contra viuos, ſed & contra vita iam defunctos tales tamque impias armauit dexteras, &c.*

Sed præſtat adhuc illum audire de hac peſte diſſerentem. quæ ciuitates domos, forum, palatium, tribunalia corrumpat, & innumeris modis, propter eam, potentiores eos qui imbecilliores ſunt diuexent. *Vt ſatiùs eſſet*, inquit Chryſ. *in latrones, qui ſyluas occupant, incidere, quam in iſtorum manus. Etenim parricida mucrone ſtatim impacto ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlteriùs non intendit: at tu* (auarum potentem alloquitur) *ſycophantiis, vexationibus, inſidiis, lumen illis tenebras reddens, eo fraudis ac calamitatis eum adigens, vt millies mortem ſibi adfore precetur. Cogitato, quæſo, quot mortes pro vna adferas?* &c. Quod ſi auaritiam cum ſuperbia coniungas, iuxta illud Habac. c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Quanta, quæſo, rerum pernicies? *Auaritia namque*, ait Rupertus, *ſine ſuperbia non eſt. Vnde ſapientia cum dixiſſet: Auaro nihil eſt ſceleſtius; ſtatim ſubiunxit: Quid ſuperbis terra & cinis?* Ita Rup. Malum hoc exaggerat Chryſ. hom. 11. in Epiſt. ad Rom. *Quod*, inquit, *omnium grauiſſimum eſt, rapinæ atque auaritiæ incumbis. Interim non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frenum, domus, tectum, columnarum capita copioſè inaurentur. Hoc ipſum verò quantam gehennam meretur, quum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eouſque à Domino honoratus eſt, in infinitas calamitates præcipitem agis; vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium, ornatumque huiuſmodi minimè ſentientium corpora exornes; tam ſolicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu verius dicam, Chriſtum ipſum propter canem, & ea quæ modo diximus omnia, ad ſummam famem adigis? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſint? Hem! qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſque iacet per tuam inhumanitatem: Muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellum conficiendum eſt, vbique aureum, vbique argentum. Chriſti autem membrum, etſi quem propter è cælo ad nos Deus deſcendit, ſanguinemque pretioſum effudit, auaritiâ tuâ ne neceſſarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt: Sanctorum verò corpora vel*

A *neceſſario operculo carent: ac tibi minoris ſit Chriſtus ipſe quàm famulorum grex, quàm muli, quam lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum. Omitto enim vaſa etiam viliora, quæ ipſa quænam eſſe poſſint vobis cogitanda relinquo.* Ita Chryſ. Quibus ſatis ſuperque oſtenditur auarum nullam erga proximum concinnitatem, & commenſurationem habere, cum ei non ſuccurrit indigenti, imo cum ei bona, honorem, vitam eripiat, vt ad ſe ſuperbè omnia trahat, propter nimiam habendi cupiditatem & animi elationem. Sed ſæpe ſæpius dum putat domum ſuam ſupra petram eſſe fundatam, reperit ſe ſuper arenam domum ſuam fundaſſe: vnde facile euertitur. Quod ſupra innuiſſe videtur Habacuc, dum domum ſuperbi auari nido auis comparat, domum ſuperbientis
B ſubſannans, quæ etſi ſupra petram firmis videatur compacta lapidibus, tamen ita facilè deſtruetur ac facile deſtruitur auis nidus. Et meritò: *Quis enim*, vt ait S. Ambroſ. ſerm. 81. *tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta ſuum non vſum, ſed abundantiam & delitias facit. Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, vt abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt & abſolutio pecunia quam in terram defodis. Tot se ergo ſcias inuadere bona, quod poſſis præſtare ſi velis.* Ita Ambroſ. Et propter hanc erga proximum inconcinnitatem, auaros, S. Chryſ. ebrioſis, rabidis
C canibus, dæmoniacis ac dæmonibus comparat. *Ebrioſus mente captus quemlibet adoriri non veretur. Ita auarus, qui nihil audire, nihil prorſus eloqui quicquam poteſt quàm fænora, quàm ex fænoribus fænora parta, quàm lucratur pia, quàm quæſtus inuidioſos, quàm negotiationes ſeruiles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exoſus, omnes aueſatus, cum omnibus bellum gerens, & quidem nulla cauſa in pauperes inſurgens, diuitibus inuidens, neminem benignè ſalutans, appellans comiter neminem. Nam vt vxorem habeat, vt liberos, vt amicos, niſi vndequaque aliquid corrodat, vndique lucrum aliquod faciat, hos ille omnes ſibi magis hoſtes ducit.* Chryſoſt. homilia. 13. in Epiſtolam ad Romanos. Et homilia. 83. in Matthæum: *Talis nempe res*
D *auaritia eſt: amentes, ſtolidos, impudentes canes pro hominibus, imo verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: quæ fiebat vt Iudas quidem diabolum etiam inſidiantem amplecteretur: Ieſum verò benefacientem proderet, alter diabolus voluntate iam factus.* Ita Chryſ. Exiſtimares ne talem hominem cum reliquis hominibus conſentire, cum eis commenſurationem habere, & concinnitate morum cum eis aptari poſſe: qui nec cum autore pacis, cum fonte benignitatis & miſericordiæ, cum Deo dilectionis, cum abyſſo ſapientiæ, cum regula totius æquitatis conuenire potuit? Exiſtimares ne aliis hominibus parcere poſſe, qui nec erga tam benignum & largum benefactorem humanitatem ſeruare potuit? Vti-
E nam tales eremum peterent, & ſepulchra, ad modum illius dæmoniaci, de quo dicitur Marci 5. quod *domicilium haberet in monumentis, & in montibus, clamans & concidens ſe lapidibus*: vt nemini nocerent. *Vtinam*, inquit Chryſoſt. *eremum & non ciuitatem popularentur, vt omnes qui vrbes habitant in otio viuerent. Nunc verò hac quoque ratione intolerabiliores ſunt: quoniam quæ in deſerto illi* (ſcilicet dæmoniaci) *hæc in ciuitatibus iſti facientes eas deſolant, præſertim cum nullo reſiſtente: quaſi hæc in deſerto agerent, ſic aſportant vniuerſa.* Ita Chryſ. At, inquies, lapidibus neminem lædere conantur, vt faciunt dæmoniaci. Reſpondet Chryſ. *Certè facilius eſt à proiectis lapidibus cauere, quàm literas & ſtipulationes, chartâ & atramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare* Ita Chyſ. hom. 23. in Matth.

Satis ſuperque ex his S. Chryſoſtomi locis vidimus Auarum nullam cum proximo concinnitatem ſeruare, cum omnium ſit hoſtis, vt cupiditati ſuæ inſeruiat. Nunc videndum eſt nec ſibimetipſi conſtate, nec cum ſeipſo coaptari, adeo miſetè hòc vitio dilaceratur.

Dilaceratur ptimò inſatiabili quadam habendi cupiditate ac deſiderio: nunquam enim dicit: Sufficit mihi quod habeo: ſed ſemper inhiat nouis lucris, & nunquam ſatiatur pecuniâ. Videas hominem marcidum ore ſemper aperto anhelantem, malignis & inuidis ouilis omnia aliorum bona contuentem. *Deſunt inopiæ multa: auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus eſt: in ſe peſſimus.* Senec. Epiſt. 108. Secundò irrationabilibus & ſtultis cogitationibus. *Terribilis*, inquit S. Chryſoſt. hom. 81. in Matth. *hæc bellua eſt. Qui auarus eſt ſeipſum perdit. Auarus communis omnium hominum hoſtis. Auarus non parùm dolet quia terra pro ſpicis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes lapidum loco aurum non habeant. Auarus fertilitatem temporum moleſtè fert, & communi fælicitate contrahitur, omnemque faſtidit cauſam vnde colligere non poteſt. E regione verò cuncta ſuffert, vnde vel duos ſolummodo capere obolos poſſet.* Tertiò 1 Ad has ſtultas cogitationes addit iniuſta odia erga alios, quibus torquetur. *Omnes homines*, inquit Chryſ. *tam pauperes quàm diuites odio proſequitur; pauperes, ne quid ab eo petant, diuites, quia quæ illorum ſunt non poſſidet. Vniuerſos enim ſimpliciter quæ ſua eſſe deberent occupare putat, & ideo quaſi ab omnibus læſus, omnibus infenſus eſt.* Ita Chryſ. Quartò innumerabilibus curis ac ſollicitudinibus acquirendi noua, conſeruandi ptopria, aliena diripiendi & inuadendi, quibus tanquam ſpinis punguntur & dilacerantur auari. Conuulſionibus enim quibuſdam agitantur auari, quaſi epilepſia quadam correpti. Exiſtimares certè aliquem deformem, cuius macilenta facies, incompoſitus vultus; cuius oculi vel ſollicitudine defixi; vel agitationibus variis cogitationum inter ſe pugnantium mobiles; vel quem cerneres ex humore groſſo, vicioſo, phlegmatico, ad choleram nigram declinante (qui oppilat meatus vèrriculorum) epilepſia corripi, ore ſpumante. Cogita pariter mentem auari deſideriis variis, cogitationibus anxiis, curis & ſollicitudinibus laborantem, ſi poſſet videri, magis defotmem fore cernendam. Dilaceratur denique auarus immenſo & inceſſabili labore nullam concedente requiem: *Dum enim ambulat*, vt ait Ieremias. c. 26. *vnuſquiſque* (auarus) *poſt prauitatem cordis ſui mali, vt Deum non audiat*, ſed Mammonæ ſeruiat, innumeris conficitur laboribus, vt pecuniæ accumulandæ ſtudio obſequatur: & ſic nullam habet requiem. *Eiiciam vos*, inquit Deus apud Ieremiam c. 16. *de terra hac, in terram quam ignoratis vos & patres veſtri: & ſeruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Talis eſt auarus; cum auaritia, vt diximus, ſit idolorum ſeruitus: ſeruit pecuniæ, quam immoderate appetens nulla fruitur quiete. In vigilia laborat, nec ſomnus quietem conciliat, adeo inſomniis inquietatur. Deplorat Seneca, lib. 5. naturalium quæſtionum, hominum miſeriam, qui immoderato amore pecuniæ ad ingentes labores ſubeundos fuerunt redacti. *Ante Philippum Macedonem*, inquit, *Reges fuere, qui pecuniam in altiſſimis vſque latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium, dierumque perueniret diſcrimen, & à tergo lumen relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? Quæ tanta neceſſitas hominem ad ſydera erectum incuruauit & defodit, & in fundum telluris intima merſit, vt erueret aurum, non minori periculo quærendum quàm poſſidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incer-* A *tamque reptauit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis, quàm iſtis, ſuper quos auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cœlum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit.* Ita Seneca. Non malè igitur quoſlibet auaros alios, his miſetis homuncionibus comparat S. Chryſ. hom. 15. in 1. ad Corinth. Ibi enim fusè oſtendit arctioribus vinculis auarum conſtringi, quàm ij qui cum catenis ad effodenda metalla detinebantur; eos grauiori fame vrgeri, quàm ij qui paupertimum victum ad libitum tantùm eorum, qui præſunt talibus operibus, vtcumque recipiunt; eos tenebris ſpiſſioribus offundi, quàm illos qui nec ſolem nec ſydera conſpicere B poſſunt ſub terra demerſi; denique maioribus laboribus fatigari, quàm iſti, qnibus tamen aliquod tempus conceditur quieſcendi, ſed pecuniæ amantibus hunc quoque portum obſtruxit auaritia. Tam multa etiam noctu grauiter mente agitant, vt pote nemine faceſſente cum omni otio ſeipſos laniantes. Ita Chryſoſt. *Nulla enim auaritia*, inquit Seneca, Epiſtolâ. 108. *ſine pœna eſt, quamuis ſatis ſit ipſa pœnarum. O quantum lacrymarum! O quantum laborum exigit! Quàm miſera deſideratis, quam miſera partis eſt! Adjice quotidianas ſolicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant. Maiore tormento pecunia poſſidetur, quàm quæritur. Quantum damnis ingemiſcunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur: denique vt illis nihil fortuna detrahat, quicquid non acquiritur damnum* C *eſt.* Ita Seneca. Exemplum dat S. Gregorius (Serm. quodam contra vſurarios) huius tormenti in poſſeſſione pecuniæ, referens anxietates cuiuſdam vſurarij ſuæ ciuitatis ſordidè viuentis, & theſaurum ſuum modò huc modò illuc inceſſanter transferentis. Certè nihil adeo bellum procreat in nobis quàm auaritia: nihil adeo facit mendicum, ſeu in diuitiis ſeu in paupertate quis apparuerit. Pauper in fame dat pœnas: non enim ſuſtinet his vti modicis, ſed & ventrem fame vexat, & totum corpus nuditare, & algore cruciat, & ſemper cernitur ſqualidior & ſordidior iis qui ſunt in vinculis; & ſemper deflet & lamentatur, tanquam ſit omnium miſerrimus: D etiam ſi ſint innumerabiles pauperiores. Quidquid cernit in terra, in mari, in foro, ipſum cruciat: prædia, ædificia aliorum, quia cuncta concupiſcit, ipſum dilacerant: vt non exiſtimet vitam ſibi eſſe vitalem, ex eo quod iſtis careat. Diues autem non minùs torquetur ex iſtis: ſed eo magis quàm pauper, quo vehementior eum premit tyrannis, & maior ebrietas: quamobrem ſe etiam exiſtimabit omnibus pauperiorem, *atque adeo pauperior*, inquit Chryſoſth. *adde & miſerabilior. Nam dum auari timent ne iure ex domo exeant ſua, quæ iniuriâ ſunt intruſa; multiſque variiſque tribulationibus vexantur, tremunt, iraſcuntur, ingemiſcunt, irritantur, modò in ſuos, modò in alienos: ita nunc mæſtitia, nunc metus, modò ira* E *ipſos inuadit, & ſeu à præcipitio in præcipitium tranſeuntes, ſemper vexantur; ac dum quotidie eorum, quæ nondum poſſident, acquiſitioni ſtudent, nullam aut minimam ex quæſitis capiunt voluptatem.* Ita Chry. hom. 83. in Matth. Non mirum igitur, ſi auarus tamquam horridum monſtrum abominatio ſit omnibus cernentibus eum: caret namque omni ſplendore virtutis, adeo irrationabilis eſt ille animi affectus. *Auaro*, inquit ſacer textus, *nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra & cinis? Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam.* Eccleſ. 10. *Et ſicut ſplendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele:* Eccleſ. 31. ita, vt addit Sapiens, ibidem, *Nequiſſimo in pane murmurabit ciuitas, & teſtimonium nequitiæ illius verum eſt.* Nullam claritatem, id eſt, bonam formam, extinſecè habet auarus, ſicut intrinſecè

ſpiſſis inuoluitur tenebris totius nequitiæ. Serpentes ſunt, ſcorpij, lupi, viperæ, auari. Chryſoſtom. hom. 83. in Mattheum. Deteſtanda igitur auaritia, quæ homines in belluam vertit; & impia erga Deum, ſicut crudelis eſt erga proximum, dicere videtur: Non eſt Deus; & non eſt ei cura de aliquo. Vnde diffiſa de Dei prouidentia, in ſola ſua prudentia terrena & diabolica ſuam collocat fiduciam.

De ſecundo capite beſtiæ, nempe inuidia, & de illius turpitudine.

ANNOTAT. IX.

SVPPONENDVM primo ex S. Tho. 2. 2. q. 36. inuidiam eſſe triſtitiam de bono proximi in quantum apprehenditur vt malum proprium, ex eo quod videatur diminutiuum propriæ gloriæ vel excellentiæ. Triſtari autem quod proximus in aliquo bono excellat, eſt directè contra proximi dilectionem, & ſic ſemper eſt peccatum; quia inuidus dolet de eo, de quo eſſet gaudendum. Ex ſuo genere, mortale: ſecundum enim rationem ſui obiecti, contrariatur charitati, per quam eſt vita animæ ſpiritualis, ſecundum illud 1. Ioan. c. 3. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Primi tamen motus in ſenſualitate exiſtentes ſunt tantùm peccata venialia. Et quia homo ex tali triſtitia impellitur ad aliqua facienda, vel vt illam fugiat, vel vt ei ſatisfaciat, ideo eſt vitium capitale: cuius filiæ ſunt ſuſurratio, dum quis in occulto diminuere vult gloriam alterius; Detractio, cum hoc manifeſtè intendit; Exultatio in aduerſis proximi, cum quis ſatis potens eſt vt proximi gloriam diminuat; Afflictio in proſperis, cum quis illam diminuere nequit: ſicut enim triſtitia eſt de bono proximi, ita ex eo ſequitur quod ſit exultatio de malo eiuſdem; Deniq; odium, quia ſicut bonum delectans cauſat amorem, ita triſtitia cauſat odium. Ita ex S. Thom.

Notandum ſecundò turpitudinem vitij, malitiæ, & peccati inuidiæ intrinſecam, qualis eſt in anima, non poſſe oculis ſubijci: ſicuti nec aliorum vitiorum, malitiarum & peccatorum; Ideo conijciendam ex actibus, quibus perſpici poteſt quantum anima diſſimilis ſit iis, quæ de Deo credimus; Secundò: quam parùm ſit idonea & parata ad proximi bonum procurandum ex motiuo charitatis; Tertiò quantum ſibi ipſi per inuidiam noceat inuidus. Quantum ad primum, tribus præcipue modis inuidia contra Deum militat. Primus modus eſt, quia ſi Deus aliquo ab extrinſeco poſſet affici gaudio, afficeretur proculdubio de bono creaturarũ ſuarum, cum ſit bonus & benignus, omnibus benefaciens & beneuolens, iuxta illud Pſ. 103. *Sit gloria Domini in ſæculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis. Se oblectabis in ſuo opificio*, inquit Genebrardus, *ſibi in eo placebit, gratulabitur de tam pulchro rerum ſuarum ornatu. Videt enim omnia, quæ fecit, eſſe valde bona, atque ita ea conſeruabit in perpetuum.* Ita Geneb. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.* Rom. 11. vt bonus creaturas producit; vt benignus illas fouet & conſeruat in eſſe. Quod ſi ex Marſilio Ficino Philoſopho, pulchritudo nihil ſit aliud quàm ſummi boni ſplendor fulgens, quia videlicet eius bonitas pulchra exinde perſpicitur, quod extra ſe in res creatas diffundatur; quàm turpis erit inuidia, quæ de bonis aliorum triſtatur, quæ de aliorum malis gaudet, contra Dei voluntatem ac propoſitum? Rectè igitur S. Baſilius hom. ſeu Serm. de inuid. inuidiam appellat ipſi Deo contrariam, & pugnæ in Deum magiſtram. Eſt enim contra Dei propoſitum ſi triſtemur de bonis, cum ea potiùs conferat & donet vt gaudeamus. Eſt quippe gaudium mentis, fructus Spiritus ſancti, charitati quam infundit in cordibus noſtris intimè coniunctum. Nec mirum ſi amatoribus ſuis Deus per charitatem impertitur gaudium: omnibus creaturis gaudium largiri videtur. Bonus enim Deus, & omnium bonorum largitor, ſumma & perenni fælicitate fruens, non tantùm ſuis creaturis eſſe communicat, ſed etiam eiſdem pro ratione naturæ cuiuſque creaturæ, quietem & delectationem quamdam conferre non abnuit in fruitione obiectorum ſibi conuenientium, dum ipſarum facultates circa propria obiecta verſantur. *Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu.* Et ſic de cæteris.

A

B Et affatim hoc præſtat: omnes ſiquidem ſenſus noſtri, nullo excepto, proprias habent delectationes ab inuicem deſtinctas, ac ſi Deus vellet gaudium inſtillare in mentem, per tot canales quot diuerſi ſunt, & diſtincti ſenſus. *Implet*, inquit Apoſtolus, *cibo & lætitia corda ipſorum*, etiam infidelium, quippe qui *pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*. Quod ſi iuxta Dei propoſitum, ſenſus noſtri ordinatè circa propria verſarentur obiecta, delectatio illa ex creaturis percepta ad intima mentis penetraret, iuxta illud Dauidis: *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Ac ſi diceret: Contemplatus pulchritudinem, varietatem, excellentiam, virtutes,
C vtilitates facturæ tuæ, cœli, terræ, aquarum, ſyderum, animalium, plantarum; quin etiam colores varios, harmoniam ſonorum & vocum, gratos odores, ſapores diuerſos, qualitates tangibiles tactum recreantes, hæc omnia contemplatus, hæc omnia ſentiens & percipiens, admirabilem animo percepi voluptatem: nec enim ſubſiſtendum nobis in creatura, vt animus ſuum obtineat gaudium: aliàs creaturæ muſcipulæ eſſent pedibus inſipientium, vt bene notat hîc Bellarminus; & mærorem menti, non gaudium ingererent. Vnde non dixit Pſalmiſta: Delectauit me creatura tua, ſed: *Delectaſti me in creatura tua.* Quod quidem præſtat Deus, dum in cordibus noſtris infundit charitatem, quia
D non tantùm de bono diuino, ſed etiam de bono proximi gaudemus. Vnde patet quod ſi de bono proximi doleamus ſeu triſtemur, contra Dei propoſitum militemus, qui proximis noſtris benefacit, vt de bono illorum, quaſi de noſtro, gaudeamus: & cum eo hac ratione conueniamus. Quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. *Quod ſi nos*, inquit S. Chryſoſt. *ad hunc modum inter nos coniungamur, de proximi bonis gaudentes, caput quoque ipſum nobis conciliabimus; ſin autem inter nos disiuncti atque diſtincti ſimus, Dei quoque opem à nobis auertemus.* Hom 27. in 2. ad Corinth. Sicque eius inimici conſtituimur.

At non modò per triſtitiam de bono proximi cum
E non Deo conſeruamus concinnitatem: ſed etiam cum exultamus in aduerſis proximi, quod ſummam redolet malitiam. Tales namque *relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis* Prou. 2. Gaudere enim de eo, de quo nullum tibi obuenit emolumentum, & Dei gloria apud nos minuitur, peſſimum eſt. Nec dicas, vt eſt apud Chryſoſt. hom. 7. in Epiſt. ad Romanos: *Non mihi moleſta eſt Dei gloria, ſed fratris.* Reſpondet enim Chryſ. *Verùm per hunc fratrem gloria ad Deum conſcendit. Igitur & bellum itidem à te exortum. Igitur fratre bene audiente, gaude: ac tum per te etiam Deus glorificabitur, & cuncti dicent: Benedictus Deus, qui tales famulos habet ab omni inuidentia liberos, de alienis bonis inter ſe congratulantes.* Ita Chryſ. Quod ſi non ſolum triſteris de bonis, ſed

Digitized by Google

exultas de aduerſis, certè malitia tua completa eſt, & aduerſus Deum militas, qui abſque tuo detrimento, pro bono vniuerſi & vniuſcuiuſque, vnicuique ſapienter ſua dona diſtribuit. Nam cum Dei ſapientia in hoc potiſſimùm eluceat, quod in rerum natura componenda tot ſpecies diuerſas condiderit, & in mundi huius gubernatione tot officia & miniſteria inſtituerit, & in Eccleſia ſua tot diuerſa dona diſtribuerit, cum inuidus exultat, ſi aliquid deſit proximo ſibi vel aliis neceſſarium; ſi hic ordo perturbatur, ſi hæc dona liberum non aſſequantur effectum, certè contra bonum vniuerſi & Dei gloriam, quæ in hac diuerſitate rerum, miniſteriorum & donorum maximè refulget, militat: & ſapientiæ Dei fit hoſtis & inimicus: ad cuius manifeſtationem oportuit vt Deus ſapientiſſimus architectus, vniuerſum hunc orbem ex diuerſis rerum ordinibus componeret, & vt prouidentiſſimus rerum gubernator illo no; ſpiritu viuificans, qui *replet orbē terrarū, & ſcientiam habet vocis* qua vnaquæque creatura Deum altè & ſonorè laudare ſuo modo poteſt, diuideret ac diſtribueret gratias ac dona ſingulis prout vult, ad gloriæ ſuæ manifeſtationem; & vt Dominus omnium vnicuique proprium iniungeret officium & miniſterium, ad hunc finem obtinendum conducens & neceſſarium. Et quia non vnica aut alia operatione tam præſtantiſſimus finis obtineri poteſt, Deus, qui propter ſemetipſum omnia operatur in omnibus, per plurimas operationes hunc finem obtineri curat: vnde & bona temporalia, & bona corporis, & bona animi diuerſimode diuidit ac diſtribuit. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Sapientia & diſciplina, & ſcientia legis apud Deum: dilectio & viæ bonorum apud ipſum.* Eccleſiaſt. 11. Ecce quomodo omnia bona tum temporalia, tum corporis, tum animi à Deo ſunt, prout vult, ad ſui nominis gloriam. Quod ſi quis gaudeat (ſi hæc deſint proximis) per inuidiam, certè malum incurret incurabile. *Nam*, vt addit Sapiens ibidem, *error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt. Qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo.* Ita Eccleſ. 11. Quod ſi doleat de diuitiis & honoribus, de pulchritudine corporis, de præclaris animi dotibus, de donis Spiritus ſancti, de gratiæ augmento, propriæ gloriæ cupidus, certè Deo contradicit ſapientiſſimo opifici, & prouidentiſſimo totius vniuerſi moderatori: Dei prouidentiam, ſapientiſſimamque eius ordinationem culpat, ac ſi eſſet iniquus aut iniuſtus bonorum diſtributor. In quod crimen facilè impingunt gloriæ cupidi, vt vult S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 1. ad 3. *Amatores*, inquit, *honoris ſunt magis inuidi.* Et S. Baſilius: *Qui gloriæ ita cupidus fuerit, vt omnes antecellere cupiat, nec ſecundas facilè patiatur, maximam profectò occaſionem cauſamque inuidiæ dabit.* Ita Baſ. Quæ inuidentia, maximè de augmento gratiæ Dei, inter grauiſſima peccata computatur: eſt enim peccatum in Spiritum ſanctum: quia per hanc inuidentiam homo quodammodo inuidet Spiritui ſancto, qui in ſuis operibus glorificatur. Tales alloquitur S. Auguſt. in Pſ. 139. *Quare inuides iuſto, homo iniuſte? Quia vis videri iuſtus? Citò fac quod melius eſt, & facilius eris. Quod vis videri eſto rebus: ita diliges cui inuidebas: quia quod illum doles eſſe, eris & tu; & amabis in eo te, & ipſum in te. Etenim ſi inuideres diuiti, non eſſet in poteſtate tua vt diues eſſes. Si inuideres alicui ſenatori nobili, non eſſet in poteſtate tua vt nobilis tu eſſes & clarus. Si inuideres pulchro, nunquam pulchrum te faceres. Si inuideres forti & valido, nunquam tibi vires dabis. Si inuides iuſto, res in voluntate eſt: eſto quod doles eſſe alterum.* Ita S. Auguſtinus ad mentem Apoſtoli 1. ad Corinth. 14. *Sectamini charitatem: æmulamini ſpiritalia*, id eſt: Studio incumbite ad Spiritus ſancti dona. Et

A cap. 12. eiuſdem Epiſtolæ: *Æmulamini autem chariſmata meliora: Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, nempe charitatem, cuius encomia latè proſequitur in capite ſequenti 13. Quod ſi quis te in charitate ſuperauerit, gaude, ſi Deum amas, quod reperiatur qui eum diligat prout optares & tu eum diligere. Vera enim dilectio de bono dilecti gaudet & lætatur. Et noli contra Deum dimicare (qui charitas eſt) per odium ex triſtitia & inuidia boni proximi cauſatum. Hoc enim odium tertius modus eſt; quo (ratione inuidiæ) inuidus Deo diſſimilis redditur, & ab eius longe recedit pulchritudine. Videndum igitur quomodo charitati contraria ſit inuidia, vt quantùm à Deo (qui charitas eſt) diſcedat, meliùs agnoſcamus.

B Quantùm igitur ad tertium modum, quo inuidia contra Deum militat, certè quamuis odium videatur eſſe grauius peccatum quàm inuidia, quia peius eſt appetere malum ſub ratione mali, quàm appetere malum alterius ſub ratione boni proprij, tamen multa ſunt quæ inuidiam reddunt odio turpiorem. Qua quidem ratione perſpicitur quomodo Deo (qui charitas eſt) valde eſt contraria. Et primò, quia qui inimicum odit, apertè profitetur te inimico malum velle: quo fit vt ab eo cauere poſſis. At inuidia malum eſt occultum, & tanquam ſcopulus aquis immerſus, contra quem illidas nauiculam, cum tibi perſuadeas ſecurè te poſſe vndas C ſecare. Deinde odium aliquando naturale eſt: quædam enim naturali quadam inclinatione odio habentur. Sic aquilæ dracones; leo, gallum; elephas mures, per quaſdam ſpecies inſenſatas auerſantur: Quin & abſque culpa etiam in hominibus odia ſunt quædam naturaliter innata. Quidam feles, alij muſcas cantharides, alij ſerpentes & ranas auerſantur. Imperator Germanicus cantum, & adſpectum galli impatienter ferebat. Quod quidem odium exſurgit ſub ſpecie mali veri vel apparentis, & aut complexioni & inſtitutioni naturali, aut ſenſibus ingratum: vel quia obiectum odij huiuſmodi cum quodam vitio inimico bonæ ad virtutem propenſionis ſymbolizat. Sic ſobrij porcum, ſimplices, vulpes; Pauperes Euangelici formicam auerſantur. At D inuidia fertur in id quod iuxta naturæ præſcriptum diligere tenemur. Homines inuidia ferit: & ex meritis, ex beneficiis, ex virtutibus, ex bona aliorum exiſtimatione excitatur: quod nunquam fieri poteſt abſque graui culpa. Rurſus odium non ſolum naturale, & indifferens eſſe poteſt, ſed & aliquando laudabile: quædam enim ſunt quæ odire tenemur. *Nonne*, dicebat Dauid Pſ. 138. *qui oderunt te, oderam; & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* At inuidia nunquam laudabilis eſt: nulla enim cauſa adferri poteſt, propter quam de bono proximi contriſtemur. Hinc ſi odium fatearis aliquando, de inuidia taces: E quia erubeſcit inuidus, fateri ſe inuidiâ pulſari. Si incedat inuidia, nube obtegitur: ſi quieſcat, in intimo cordis, tanquam in ſpecu & cauerna deliteſcit. Cum laude igitur poteſt aliquando odium incrementa capere, ſi malum odio dignum accreſcat. At inuidia vituperabilior euadit, dum creſcit creſcente proximi bono; & irriſioni patet, quòd impotentiam cum malitia coniungens, quamuis grauiùs affligetur, tamen proximi bonum impediri nequiuit. *Quamquam*, ait S. Baſilius, *mutire nihil audeat aut poſſit, ſimulat gaudium, ſecum tacitè rumpitur, coram hilaritatem præfert, intus verò ab inuidiæ malo perditur. Ceſſat quidem aliquando inuidia, cum quis extra inuidiam euadit, tanquam ſol in ſummo proſperitatis vertice poſitus, qui nullam facit vmbram. Irridenda quia nocere non potuit: quod ſi, depreſſo proximo, per calamita-*

Digitized by Google

tem habeat quod intendebat; eo peior quo diutiùs in ſua malignitate perſeuerat, vnam tantum mali requiem expectat, ſi quando cui inuideat ruentem forte aſpiciat. Hic finis odij. (Inuidus) ſi miſerum ex beato, infalicem ex æmulo videat, tunc demum fœdus cum eo iungit, amicus efficitur quando lacrymantem viderit, aut ſuos querentem caſus, libentiuſque lugentem miſeretur & plorat, quàm gaudenti collætetur aut applaudat. Fortunæ commutationem ſe dolere oſtendit, non humanitate ſeu charitate commotus, verbis priora collaudant, ſed grauiorem proximo calamitatem ex horum memoria, ac deſiderio faciens. Puerum filium poſt mortem extollit, verbis ornat, quàm fuerit formoſus, quàm ingenioſus, quàmque ad omnia accommodus; cum viuo ne lingua quidem rectum vſum dediſſet. Quod ſi plures in eamdem conuenientes laudem conſpexerit, rurſus ſententiam mutans mortuo inuidet: Diuitias item admiratur alienas poſt calamitatem amiſſas: formam quoque & robur, ac ſanitatem corporis, ſed poſt morbum laudat & effert. Et demum præſentibus rebus ac ſaluis inimicus, pereuntibus verò amicus & miſericors. Quid igitur hoc morbo pernicioſius? Ita Baſ. Sed dico: Quid magis charitati contrarium, & fortiùs contra eam inſurgens? Eo fortius quod inuidia contra charitatem, omnia alia vitia, & cæteras peccatorum malitias ſibi ſociare videtur, ſi Cypriano fidem adhibemus, de zelo & liuore. Ser. 12. *Latè*, inquit, *patet Zeli multiplex & fœcunda pernicies: radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit, auaritiam Zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem: ambitionem Zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excitante ſenſus noſtros, ac in ditionem ſuam mentis arcana redigente. Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, iudicij dies non præuidetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferueſcit: nec ſe iam poteſt cohibere nec regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc Dominicæ vinculum pacis rumpitur: hinc charitas fraterna violatur: hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur ſacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur, dum quis aut queritur non ſe potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de Zelo ſuperbus, de æmulatione, animoſitate & liuore, non hominis, ſed honoris inimicus.* Ita S. Cyprianus. Quomodo igitur cum Deo ſeruaret concinnitatem inuidia, quæ tot charitati (quæ Deus eſt) ſuſcitat hoſtes, vt nec rebus ſanctioribus, quæ charitati plurimum inſeruiunt, parcat: ſed eas aut euertere, aut turbare pertentat?

Quandum ad ſecundum, nempe quod inuidia nullam cum proximo poteſt ſeruare concinnitatem, hoc perſpicuum eſt: nam triſtari quòd proximus in aliquo bono excellat, eſt directè contra proximi charitatem, contra monitum Apoſtoli ad Galat. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Hinc S. Baſilius appellat inuidiam, *homicidij matrem, naturæ confuſionem, amicitiæ ac familiaritatis expertem.* Omnia namque amicitiæ iura diſrumpit, omnes mutuæ beneuolentiæ titulos euertit: quod inductione quadam manifeſtum fiet.

Primo: inter titulos beneuolentiæ mutuæ, eſt naturæ, & conſanguinitatis nexus. Hunc diſrumpit inuidia, planè ſatanica & diaboli æmula, per quam mors introiuit in orbem terrarum. *Hinc*, inquit S. Cyprianus, *noua fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iuſtum Cain Zelat iniuſtus: dum bonum malus inuidiâ & liuore perſequitur. Tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor, vt nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec* A *timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Iniuſtè oppreſſus eſt, qui iuſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non nouerat: occiſus eſt impiè, qui moriens non repugnabat.* Ita Cypr. Et S. Baſilius: *Quid, quæſo, Ioſeph ex ingenuo ſeruum fecit? Nonne fratrum inuidia? Hinc & admiratione digna huius morbi prauitas ac duritas.* Audiamus & Chryſoſt. hom. 7. in Epiſt. ad Rom. *Hoc ſcilicet malum fraternam manum armauit, perfecitque vt iuſto ſanguine dextera madeſceret. Hoc naturæ leges à ſuis compagibus motas reuellit: hoc mortis valuas adaperit, & execrationem illam ad opus deduxit; ac neque parturiginum, neque parentum, neque alterius cuiuſuis rei memorem eſſe miſerum illum permiſit.* Ita Chryſ. His addamus S. Petrum Chryſolog. Serm. 48. *Inuidia*, in- B quit, *de cælo abiecit Angelum, de paradiſo excluſit hominem. Ipſa primùm contaminauit terras germano ſanguine. Ipſa germanos compulit venundare germanum. Ipſa Moyſen fugauit, Aaron in fratris excitauit iniuriam, Mariam maculauit liuore germani, &c.* Ita Petrus.

Secundò: Alium titulum mutuæ beneuolentiæ violat inuidia, nempe familiaritatis & conuerſationis. *Sapiens profectò*, inquit S. Baſilius, *fueris quicumque; cum inuido minimè congreditur aut conuerſatur, nec etiam in eadem eſſe cum eo menſa ſtudet; quod ex conuictu, reliquæ vitæ commercia vitari facilè nequeunt. Quemadmodum enim aridam ſyluam aut materiam nobis cura eſt procul ab igne ſubmouere, ſic opus eſt (quoad fieri poſſit & liceat) inuidorum conuerſationes à noſtra amicitia re-* C *pellere, vt extra eorum venenatas ſagittas ſecuriùs agamus: neque enim poſſibile eſt vt hoc malo non implicemur, ſi illis familiaritate coniuncti fuerimus: quoniam, ex Salomonis ſententia, Zelus hominis, ex ſocio ipſius. Et profecto ſic res habet. Non enim Ægyptio vir Scytha inuidebit, ſed ſuæ genti quilibet; & in eadem gente, non ignotis, ſed familiaribus & vicinis, & eiuſdem artis hominibus, aut alia de cauſa coniunctis: & his denique coæuis, cognatis, & fratribus: omnino vt ærugo frumenti eſt vaſtatio, ſic inuidia amicitiæ eſt peſtis.* Ita S. Baſ. homil. de inuidia. Vnde Sapiens nos ab hac familiaritate inuidorum, vt pote pernicioſiſſima, auocare ſtudens ait, Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius: quoniam in ſimilitudinem* D *arioli & coniectoris exiſtimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non eſt tecum. Cibos, quos comederas, euomes; & perdes pulchros ſermones tuos.* Ita Sap.

Quibus verbis multa incommoda ex conuerſatione cum inuido indicat. Nihil in bonam partem accipit inuidus, malignè cuncta interpretatur: & ſicut intentio illius deuiat à rectitudine, ex his quæ dicis aut agis, aliquid ſemper coniectat mali: te talem eſſe arbitratur, qualem ſe eſſe intus animaduertit. Et ſicut hi, qui icterio morbo laborant, oculos vegetos pernicie quadam defluente & contaminante inficiunt: ita quidquid audiunt, quidquid aſpiciunt inuidi, hoc malignitate inuidiæ propria pol- E luunt. *Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non eſt tecum.* Inuitat ad comedendum, cum cor tuum corrodere, & conterere exoptaret. Si te prudentem, & circumſpectione in agendis aut dicendis conſpicuum animaduerterit; ſi diuitiis & fama pollentem, ſi negotia feliciter pertractantem, ſi proſperè in cunctis te agentem conſpexerit; cum te illa ſibi narrantem audierit, quot verba protuleris, tot ſagittis cor illius transfiges, & inſanabili vulnere exulcerabis, itaut apud ſe ſtatuat tibi inſidias ſtruere, & in quibus poterit clanculum obeſſe. *Cibos, quos comederas, euomes*: quia maiora erunt nocumenta, quæ ab illo accipies, quàm fuerint illius dapes tibi aut vtiles aut iucundæ. *Et perdes pulchros ſermones tuos*: nam ea quæ narraſti, quæ ad virtutem tuam imitandam potuiſſent alium accendere, & in ſuam

Digitized by Google

perniciem ipſe contorquebit, & eum ex inuidia concepta tabeſcere & marceſcere facient: ſicque nec illi, nec tibi, iuxta quod ſyncere exoptares, erunt proficua.

Tertiò mutuam beneuolentiam titulo beneficij aut commodi accepti aut accipiendi conceptam dirimit inuidia: non enim beneficiis inuidum poteris tibi deuincire. *Inuidia*, inquit S. Baſilius, *genus eſt inimicitiæ, intractabile quidem, ac admodum inſuperabile. Nam quam beneficentia eos, qui alioqui ſunt infeſti, reddat mitiores, malignum tamen & inuidum magis irritat, atque ad odium acuit: quantoque magis fortuna creſcit, tanto ille maiori premitur dolore atque luctu: Eis verò, quibus deuincti beneficiis exiſtunt maximis, non ſolùm ſe gratos eſſe reddendo non cogitant, ſed animo magnopere aduerſantur: & potentiam & rem proſperam videre non facile ob inuidiam ferunt. Quam beſtiam immanitate morum non ſuperant? Quod animal tum agreſte eſt, quod feritate non vincant? Canes namque educatione manſueſcunt: Leones obſequio tractabiles fiunt: inuidi tantùm officiis agreſtiores euadunt.* Ita Baſil.

Quartò, mutua beneuolentia etiam conciliatur, ſi ſciamus aliquem erga nos eſſe propenſiorem, noſque diligere: ſed dilaceratur per inuidiam. *Heri*, inquit S. Ioannes Chryſoſt. homil. 27. in 2. ad Corinth. *ac nudius tertius amicus illi eras, ſermoneſque ac menſam impertiebas: poſtea autem, ſimul atque membrum tuum florens atque in hominum laude poſitum vidiſti, abiectâ amicitiæ laruâ, inimicitiæ vel furoris potius perſonam induiſti. Hoc enim furentium canum eſt, rabieque laborantium; eorum enim more hi quoque liuoris æſtro perciti in omnium ora proſiliunt, &c.* omnium, inquam, etiam eorum qui eos diligunt impensè. Vnde exclamat S. Chryſoſt. *Amantem non redamas. Cur ergo huiuſce lucis vſura frueris? Qua tandem in re iam vſui eris? Quibuſnam in rebus, forenſibus aut priuatis? Haud ſanè nihil eo homine inutilius fingi poteſt, qui amare neſcit. Nam cum amanti obtrectas, cum obtrectante altero non ei opem fers, cum florenti inuides, quænam hæc beneuolentia?* Ita Chryſ. Certè vt ait S. Ambroſ. *non mediocris inuidia proditur, quæ ciuicæ charitatis oblita in acerba odia cauſas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur, quòd fruſtra opem miſericordiæ cæleſtis expectes, ſi alienis fructibus virtutis inuideas.*

Quinto: Denique vltimum beneuolentiæ nexum diſſoluit inuidia, nempe quod aliquid de ſe bonum ſit, & hoc modo per ſe amabile. Nam inuidus quod ex ſe amabile eſt, abſque vlla cauſa odio proſequitur: de quo conqueritur Propheta, Pſalm. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Igitur*, inquit S. Baſilius, *animæ bonum, natura quidem pulchrum exiſtimandum; eum enim qui opibus, potentia ſeu corporis viribus floret diligere, & omni ſtudio amplecti nos decet, vt pulchræ vitæ inſtrumentis vtentem, modo benè, & ad communem vtilitatem, vt diuitias egentibus diſtribuat, corporis vires debilibus communicet, reliquam denique facultatem non magis propriæ quàm alienæ ſeruire commoditati exiſtimet.* Ita S. Baſ.

Quod aſſerit S. Baſilius de bonis fortunæ aut corporis, hoc multo magis dicendum de bonis animæ, ſeu præclaris animi dotibus. Digni enim amore ſunt, qui bonis tum internis, tum externis rectè vtuntur ad aliorum commodum. Tales autem odio proſequi, quænam maior animi malignitas cogitari poteſt? Quam ita exaggerat S. Chryſ. hom. 7. in Epiſtol. ad Romanos, vt dicat: Quod ſi aliquis miracula patraret, virginitatem ſeruaret, ſobrietate inſigni polleret, terram nudam pro lecto haberet, denique his & ſimilibus virtutum exercitiis ad Angelicam perfectionem propiùs accederet; *Si tamen*, inquit, *hoc vitio laborauerit: & adultero, & ſcortato-*

A *tore, & prædone, & ſacrilego ſit iniquior.* Ita Chry. Si quis igne aut ferro Eccleſiam diruere conaretur, eum diceres impium, infidelem, filium Belial, abſque iugo, & lapidibus meritò obruendum: at inuidus igne voraciori præceptorum ædificium euertere conatur: & dum propriam gloriam quærit, gloriæ Dei redditur aduerſarius, qui præcepta ſua præcipit cuſtodiri nimis. Certè qui aduerſatur illi, à quo nullâ vnquam eſt affectus iniuriâ, hic ipſe gentilibus eſt deterior. Si nos redamauerimus, illis tantùm ſumus æquales: ſe enim inuicem diligunt. Si igitur nec nos inuicem diligamus, ſi erga benefacientes ingrati ſumus, ſi qui amore ſunt digni odiamus, ſi præſtitum amorem inuidentiâ remu-

B neramur, nonne iſtis infidelibus deteriores euadimus?

Sed ad quantum malignitatis gradum inuidia poteſt mentes hominum adducere, apparuit in ea quam erga Chriſtum Dominum Iudæi habuerunt, qui frater noſter eſſe voluit, qui in hoc mundo familiariter cum hominibus conuerſare voluit, qui nos ſuos fecit commenſales, vt eius cohæredes poſſimus tandem exiſtere, qui inſignis benefactor, fidelis amicus, per ſe amabiliſſimus, & totus deſiderabilis; & nihilominus per inuidiam traditus eſt morti. Quod etiam Pilato innotuit, de quo dicitur Matt. 27. & Marci 15. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum. Quamobrem*, inquit S. Baſilius, *tantis*

C *eſt petitus inſidiis? Ob magna eius prodigia. Quænam hæc erant? Salus ſupplicum ac miſerorum. Paſcebantur eſurientes, & qui paſcebat oppugnabatur: reuiuiſcebant mortui, & autor vitæ inuidiam ſuſtinebat.* Ita Baſil. *At ne multis*, vt ait Petrus Chryſolo. Serm. 48. *quod pauet mens, quod viſus tremit, quod auditus non capit, ipſam* (nempe inuidiam) *Chriſti attendit & peruenit ad ſanguinem. Inuidia omnibus malis peior, quos cœperit, liberari nequeunt: quos vulnerauerit ad curam non veniunt, non redeunt ad ſalutem.* Ita Petrus Chryſ. Cuius effectus pernicioſi erga proximum ſunt maledicentia, & implacabile odium. *Sicut enim vultures per multa quidem prata, multa etiam amœna & odorata loca circumuolantes, ad tabida & fæculenta loca feruntur:*

D *muſcæ quoque ſalubre ſi quid offenderint, prætereunt, ad vlcera verò properant: ſic & inuidi vitæ ſplendorem ac rerum bene geſtarum magnitudinem minimè quidem reſpiciunt, menca verò & fragilia, & ſi quid erratum, (vt quando rebus accidit humanis) tantùm obſeruant, hæc diuulgant; & per hanc tantùm homines cognoſci volunt, quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem vel ex contorta nare, vel tubere, aut membri cuiuſpiam mutilatione, naturâ ſeu caſu inſitâ, effingunt, notabilemque reddunt: iniquum profectò id; quod laudabile potiſſimum fuerit, alicuius peioris gratia manifeſti occultare, & virtutem ex vicinitate vitij (ſi quod forte reperitur) calumniari: Fortitudinem audaciam potius appellat; modeſtum verò, ſine ſenſu hominem; iuſtum immitem, & nimium ſe-*

E *uerum; prudentem, aſtutum; magnificum, vaſtum: liberalem vt prodigum taxant: domeſticè frugalem auarum dicunt; Denique omnis virtutis ſpecies in vicina vitiorum nomina conuertunt, nuſquam calumniâ rebus laudatis deficiente.* Ita Baſil. Contra quod malum Dei auxilium inuocabat dicens: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Pſ. 119. Et rurſus Pſ. 118. *Feci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me. Suſcipe ſeruum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.* Et quia odium, quod ex inuidia oritur, non appetit malum alterius ſub ratione alicuius boni (ſicut ira, quæ illud appetit ſub ratione iuſti vindicatiui: vnde ceſſat ira, cum expleta fuerit vindicta quàm expetebat) ſed appetit malum ſecundum ſe: ideo nunquam ſatiatur illud odium ex inuidia cauſatum, quodcumque adueniat malum ei cui in-

Digitized by Google

uidet : & eſt implacabile ; & inuidus quaſi de propria ſalute deſperatus cum dæmone, alios potius ſecum ad infernum deducere vellet, quàm aliorum bonum procurare, & de eo gaudere poſſet. Vnde patet quod inuidus nullam cum proximo habere poteſt conuenientiam.

Dicendum igitur tertiò : nec cum ſeipſo inuidus concinnitatem ſeruat : ſibi enim ipſi eſt contrarius. Hinc S. Baſilius, homil. de inuidia : *Nihil enim mortalium animis inuidiæ perturbatione pernicioſius contingit, quæ ante omnia ipſi nocet autori, aliis vero quam minimum. Quemadmodum enim venenum, ferrum, ſic inuidia : hos, qui eam poſſident, conſumit atque vaſtat : magis autem ſicut viperas dicunt abrupto matris ventre naſci, ſic & inuidia concipientem ſe animum corrodere ac tabefacere ſolet, &c.* Et poſtea addit S. Baſil. *illud autem in hoc malo laudauerit quiſquam, quod inuidus quantum in proximum vehementiùs mouetur tanto, ſibimet maius parit incommodum : Quemadmodum ſagittæ magna vi emiſſæ, ſi in durum aliquid ac reſpuens inciderint, in emittentem facilè redeunt : ſic inuidia proximis triſtitiam nequaquam affert, tantùm inuidenti officit. Quis enim vnquam in maiore poſitus, aliquod propterea proximo incommodum intulit? Seſe ſolum vaſtat & cruciat.* Ita Baſ. Satiùs certè eſſet ſerpentem in intimis viſceribus deliteſcentem geſtare, quàm in pectore inuidiam : medicamentis extra, ſerpens attrahi poſſet, vel alimentis quibuſdam diſtrahi ab inteſtinorum corroſione; at inuidiæ nulla medicamenta proſunt, nulla alimenta ſufficiunt. *Etiam ſi ſexcentas ei menſas appoſueris, animam ipſam corrodit, vndecumque mordens, vellicans, trahens, neque vllum ſolatij genus reperire eſt, cuius ope atque adiumento furorem compeſcat, vno duntaxat excepto, nempe vt ei, qui proſperis rerum ſucceſſibus vtitur, calamitas aliqua accedat. Nec adhuc huic morbo ſufficienter hac ratione mederi poteſt : nam alterius res lætas ac ſecundas cernens in iiſdem doloribus hæret, atque vbique vulnera, vbique plagæ : neque enim fieri poteſt, vt qui in terra degit neminem videat, quo eum præclarè ac fæliciter agat* Chryſ. hom. 27. in 2. ad Corinth. Denique S. Cyprianus de zelo & liuore ita diſſerit : *Qualis verò eſt animi tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo zelare : In altero vel virtutem eius vel fælicitatem, id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam, & velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices : cogitationibus ſuis & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta maleuolentiæ vngulis pulſent. Non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe iocundus : ſuſpiratur ſemper & gemitur, & doletur; dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus, perpetrato ſtupro. In latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo; & prædonis rapacitatem ſtatuit poſſeſſa præda; & falſario modum ponit impleta fallacia : Zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt : quantoque ille, cui inuidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit.* Ita Cyp. Sed hæc intrinſeca turpitudo exterius apparet, & exteriori hominis inuidi facie, quam proponit idem Cyprian. *Hinc*, inquit, *vultus minax, toruus adſpectus, pallor in facie, in labijs tremor, ſtridet in dentibus verba rabida, effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam ſi gladio interim vacua, odio tamen furioſæ mentis armata.* Ita Cyp. Quæ omnia ſenſibiliter oſtendunt inuidum ſplendore virtutis, id eſt, recta agendi ratione eſſe deſtitutum, vt optimè animaduertit S. Baſilius. *Serpentis*, inquit, *id eſt, præceptum diaboli inuentum, inimici ſatio,*

A *punitionis arrabo, pietatis impedimentum via ad gehennã, regni cælorum priuatio : Nam & ipſo fatentur ore hoc vitium inuidi : adſpectus eſt illi aridus & obſcurus, gena ſubtriſtis, ſupercilium demiſſum, anima ipſo morbo ſuffuſa, prudentiam in dignoſcenda veritate ac rebus agendis minimè habens : apud eos enim nec actio ſecundum virtutem vlla eſt, nec cui orationis grauitate ornata; non gratia comitata, non denique aliquid aliud honeſtum aut circumſpectum conſpicitur.* Ita Baſ.

Denique maculam contrahit inuidus, qua turpior euadit. Inhæret enim per amorem rei turpiſſimæ contra lumen rationis & diuinæ legis. Vult enim recta ratio vt quod noſtram vilipendit natiuam dignitatem fugiamus : at cum inuidia ſecun-B dum S. Thomam, ex puſillanimitate oriatur; quia quæ longe à noſtra dignitate exiſtunt tanquam magna reputamus, diuitias, verbi gratiæ, aut humanos honores, certum eſt inuidum amore inhærere rebus ſibi inferioribus, & ex hoc peruerſo amore maculam contrahere. *Puſillanimes*, inquit S. Thom. *ſunt inuidi : quia omnia reputant magna; & quicquid boni alijs accidit, reputant ſe in magno ſuperatos eſſe.* Vnde & Iob 5. dicitur : *paruulum occidit inuidia* : Et eo maior illa macula, quo altiora ſunt bona ad quæ adſperare debemus, iuxta Domini monitum, Matt. 6. *Nolite theſaurizare vobis in terra, vbi tinea & ærugo demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo; vbi neque ærugo* C *neque tinea demolitur & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Inhæreres igitur his præſentibus corruptioni obnoxijs, ſpretis his bonis cæleſtibus, quid aliud eſt quam mentem ſordidare ad cæleſtia capeſſenda procreatam?

Fugiamus igitur inuidiam, quæ bona, mala reputat : virtutes vitia exiſtimat; per quam euadimus diaboli imitatores ſeu æmulatores vt vult Chryſ. per quam omnium vitiorum malitiam induimus. *Per omne vitium*, inquit S. Gregor l. 5. Moralium c. 34. *Quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infunditur. In hac tamen nequitia, tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimenda malitiæ peſtem vomit.* Recte Petrus Chryſolog. ad hanc fugiendam nos pro-D uocans ait, Ser. 48. *Inuidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum. Hanc qui non viderit bona videt; hanc qui fugerit viuit. Inuidia vitari fuga poteſt, non poteſt ſuperari conflictu.* Ita Petrus Chryſ. Et quia ex amore inordinato rerum temporalium & creatarum, ſpreto autore omnium, oritur; contra eam præſentiſſimum erit remedium, ſi omnia detrimentum facias propter Chriſtum, & omnia propter Deum ſpernas; ſi, vt tradit S. Baſilius, *nihil rerum humanarum magnum aut ſupra naturam exiſtimemus, non potentiam, non gloriam, non opes, non corporis habitudinem proſperam : non enim, in rebus fluxis bonum conſtituimus, ſed ad ſempiternorum & verorum bonorum participationem vocati ſumus. Itaque nec diues* E *æmulandus eſt propter diuitias, nec potens ob dignitatis ac magiſtratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem : inſtrumenta ſunt hæc virtutis rectè vtentibus, nihil per ſe veræ felicitatis habentia. Miſer igitur eſt qui his abutitur, non aliter quàm qui in pugna contra inimicos enſem corripiens in ſe ac interitum ſuum conuerterit.* Ita S. Baſ. Et hæc de inuidia ſatis.

De Tertio nefando capite è beſtiæ mari prodeuntis, luxuria nempe; & de eius turpitudine.

ANNOTATIO X.

SVPPONENDVM primo quod docet S. Tho. 2. 2. q. 153. art. 2. poſt S. Auguſt. l. de bono coniugali, nempe quod eſt cibus ad ſalutem

Digitized by Google

hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis: & ideo, ſicut vſus ciborum poteſt eſſe abſque peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundum quod competit ſaluti corporis; Ita etiam & vſus venereorum poteſt eſſe abſque omni peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundum quod eſt conueniens ad finem generationis humanæ. At, vt ipſe poſtea docet, ſi in tali vſu venereorum valde neceſſario ad bonum commune, nempe humani generis conſeruationem, prætermittatur ordo & modus rationis (tantò magis neceſſarius, quantò neceſſarius eſt ille venereorum vſus) talis vſus venereorum proculdubio erit peccatum excedens rationis ordinem & modum: & tunc dicitur luxuria, vt pote ſoluens in voluptates hominis animum. Et quia vitium capitale eſt illud omne, quod ad multa alia peccata perpetranda inducitur, rectè luxuria inter vitia capitalia enumeratur, generans mentis cæcitatem, inconſiderationem, præcipitationem, inconſtantiam, ſui amorem, Dei odium, præſentis ſæculi affectum, futuri horrorem; ſiue illa ſit fornicatio ſimplex, ſiue adulterium, ſiue ſtuprum, ſiue raptus, ſiue vitium contra naturam, adde & ſacrilegium, cum committitur in perſonam cultui diuino per votum caſtitatis conſecratam. Supponendum ſecundo deformitatem intrinſecam huius vitij non ſubjici oculis corporeis: ideo recurrendum, vt agnoſcatur, ad ea quæ perpetrantur exterius, in quibus animaduertitur quædam diſconuenientia & inconcinnitas, cum iis quæ de Deo credimus, quæ proximis ſunt vtilia, & nobis proficua. Et ita, Dicò tertiò tale vitium eſſe horrendum & deforme, quia nullam cum Deo concinnitatem habere poteſt: Quia eius diuinam ſapientiam manifeſtè oppugnat. Deus qui potuit (vt ait. S. Auguſt. lib. de bono coniugali) etiam Adam & Euam ſine parentibus condere, qui potuit carnem Chriſti in vtero Virginali firmare, & (vt etiã ipſis infidelibus loquar) qui potuit apibus prolem ſine concubitu dare, potuiſſet certè homines cunctos independẽter ab inuicem procreare, ſicut & Angelos, & ſubſtantias ſpirituales ſigillatim procreauit & cõdidit, non ita tamẽ ordinauit homines multiplicari, ſed per coniunctionem maris & fœminæ illos multiplicari decreuit, propter altitudinem ſapientiæ ſuæ infinitæ. Et ne homines à tali actu omnimodè abhorrerent, adiunxit ad illam inclinationem, qua fit vt ex quodam ſenſu naturæ mortalis ſucceſſionem homines deceſſuri requirant, quamdam in tali vſu & actu voluptatem. Hanc autem inclinationem à Deo profectam eſſe nemo negare poteſt, ſicuti & cætera naturæ bona. Eſt enim Deus omnium bonorum, à cæleſtibus vſque ad terrena, ab immortalibus vſque ad mortalia, Creator: qui proinde hunc naturalem ſenſum non ſolùm hominibus, ſed & animalibus & auibus (quarum in promptu eſt cura nidificandi, & quædam coniugiorum ſimilitudo ad ſimul procreandum atque nutriendum) ingeſſit: quo fit vt cum delectatione quadam, connaturali concupiſcentia vnumquodque animal ad propagationem ſpeciei feratur. Sed cum homo ex ſui conſtitutione naturali tantùm impetu ad agendum ferri non debeat, ſed cum præſcripto rationis, quæ in eo dominari debet, & cum electione finis honeſti (Deus namque docet homines ſuper iumenta terræ, id eſt excellentiori modo) hinc fit vt ille actus, quamuis connaturalis, non ex titillatione ſenſus, non ex ſola inclinatione, non ſolius voluptatis cauſa exerceri debeat, ſed ſẽper in eo vigeat rationis vſus. Et quamuis ſtrictiſſima ſit animæ cum corpore vnio, nunquam fit ratio ſenſuum captiua, cum imperio dirigat, tanquam Regina & gubernatrix, ſenſuales motus in finem de-

A bitum; & prorumpens in contemplationem rerum vniuerſalium, & intellectualium, & cauſarum, tam ſupernarum quàm ſecundarum, eligat quod ſuo autori erit gratiſſimum, & magis conueniens ad aſſequendum tam ſalutem æternam quàm temporale bonum. Vnde hic actus, licet connaturalis, regulari debet ſecundum leges præſcriptas à lumine naturali, & etiam diuinitus inſpiratas, & à Magiſtratibus autoritatem habentibus latas, neglecta voluptate, quæ tanquam quid ſecundarium adſpici debet, nec pro fine legitimo haberi, aut intendi præcipuè, iuxta documenta Angeli Raphaëlis ad iuniorem Tobiam: *Hi namque*, aiebat ille, *qui coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant,* B *& ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Et hac de cauſa præſcripſit Tobiæ Angelus vt per tres dies continens eſſet ab vxore, & orationibus vacaret cum ea, tranſactâ vero tertiâ nocte acciperet Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus. Quæ documẽta Tobias fideliter ſeruauit. *Filij* (dicebat ille vxori) *quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Quem hoc modo deprecabatur: *Domine Deus Patrum noſtrorum, benedicant cæli & terræ, mareque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt. Tu feciſti Adã de limo terræ, dediſti que & adiutorium Euam. Et nunc, Domi-* C *ne, tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum* Iob. 8. Qui finis prolis conſequendæ ita religioſe intendi debet, vt ſi vltra illam neceſſitatem deſiderium voluptatis progreditur, dum non rationi ſed libidini obſequitur, nec culpæ immune ſit, niſi ratione reddendi debitum coniugi, aut concupiſcentiæ afferendi remedium excuſetur, dicente S. Auguſt. *Coniugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatianda, ſed tamen cum coniuge, propter fidem thori, venialem habet culpam.* Cum igitur finis à diuina ſapientia intentus, ſit bonum prolis, in qua benedicatur Dei nomen, ſi ſola voluptas intendatur & D quæratur in tali actu, manifeſtè diuina ſapientia oppugnatur ab iis, qui promiſcuam exercent libidinem ſola voluptate ducti; & non ſecundum rectam rationem delectatione venerea vtuntur, in quo conſiſtit luxuria. Hoc igitur vitio maculantur omnes, qui exercent actum venereum, ex quo generatio ſequi non poteſt, ſiue in ſemetipſis vt molles, ſimiles Onam, qui effundebat ſemen in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur, Geneſ. 38. ſiue in alijs eiuſdem ſexus, vt maſculorum concubitores, de quibus Apoſtolus Rom. 1. *Qui relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes;* Siue in alijs E alterius ſexus, ſed extra vas debitum. Ita Nero ille fœdiſſimus Poppæam ſuam in omnibus ferè corporis ſui partibus proluuiè libidinis ſuæ fœdabat, qui eo progreſſus eſt amentiæ & turpitudinis, vt neque ſuæ neque aliorum pudicitiæ parceret, amictus nubentium Virginum ſpecie ipſe nuberet, pelle tectus feræ vtrique ſexui genitalia vultu contrectaret, ſpadonem ſuũ Sporum exſectum formare in mulierem tẽtaret. Tales ſunt qui cum animalibus alterius ſpeciei, puta homo cum iumento & pecore, commiſcentur; quos veluti naturæ humanæ hoſtes, & fœdatores inſignes, ſcriptura ſacra morte plectendos eſſe decernit. Leuit. 20. Hæc enim omnia habent repugnantiam ad finem à ſapientia diuina præſcriptum, & ab homine rationis compote eligendum in exercitio venerei actus. Sed & alio modo

Digitized by Google

luxuria diuinam impugnat ſapientiam : nam cum Deus non ſolùm autor ſit naturæ, ſeu eſſe naturalis hominis ; ſed etiam autor ſit illius eſſe moralis, quo ſimul homines conuiuere debent ſecundum rationem, hac quidem ratione factum eſt vt Deus leges quaſdam dederit, ſecundum quas motus tam mentis quam corporis regulari debent ; itaut omnes hominis appetitus extra terminos à lege diuina præſcriptos tranſilire non debeant. Quam ſapientiſſimam diuinæ prouidentiæ erga homines ordinationem laudat propheta dicens : *Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Ac ſi diceret : Scit Deus facilè homines in peccata labi, & ex praua ad malum pronitate ad illicitos appetitus præcipitari. Propter hoc, ex nimia erga homines dilectione, cum ſit iuſtus & rectus, & iuſtitiam diligat, leges hominibus delinquentibus in via dare voluit : vt eos à peccatis compeſceret, & rectè ambulare in via mandatorum ſuorum edoceret ; vt in bonis demorentur, & à rectitudine nunquam reſiliant. Vnde & addit. *Quis eſt homo qui timet Dominum ? legem ſtatuit ei in via quam eligit. Anima eius in bonis demorabitur.* Pſ. 24. Ipſe itaque eſt *Rex & legifer noſter*, vt loquitur Iſ. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam*, inquit ipſa ſapientia, Pro. 8.

Quod ſi neceſſariæ fuerunt leges ad cæteros hominis actus optimè dirigendos, maximè fuerunt neceſſariæ ad iſtum actum regulandum, ne propter nimiam delectationem, & concupiſcentiæ connaturalitatem, homo rationem & modum in exercitio illius facilè tranſgrediatur. Ideo plurimæ datæ ſunt leges diuinæ & humanæ, vt ille actus debito modo rationabiliter exerceatur. Inter quas leges præcipua eſt amicabilis quædam ſocietas, quam Deus optat inuiolabiliter obſeruari, vt eius dilectio vigeat, dum ad ſe inuicem homines per dilectionem conuertuntur, iuxta ea quæ docet S. Auguſt. lib. de bono, coniugali c. 1. *Quoniam vnuſquiſque homo*, inquit, *generis humani pars eſt, & ſociale quiddam eſt humana natura ; magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ : ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in ſua ſocietate non ſola ſimilitudine generis, ſed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ ſocietatis copula vir & vxor eſt, quos nec ipſos ſingulos condidit Deus, & tanquam alienigenas iunxit, ſed alterum ex altero creauit ſignans etiam vim coniunctionis in latere, vnde illa detracta, formata eſt : lateribus enim ſibi iunguntur qui pariter ambulant, & pariter quo ambulant intuentur : conſequens eſt connexio ſocietatis in filiis, qui vnus honeſtus fructus eſt, non coniunctionis maris & fœminæ, ſed concubitus. Poterat enim eſſe in vtroque ſexu, etiam ſine tali commixtione alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quædam & germana coniunctio.* Ita Auguſt. Ex quo principio exordium ſumpſere omnes leges, quæ intra quoſdam gradus conſanguinitatis, aut affinitatis, matrimonia contrahi prohibent, vt bonum dilectionis incrementa capiat ; & ſicut homines multiplicantur per generationem, ita & charitas & amicitia multiplicetur, dum deficiente cognatione ex primo orta principio, alias homines contrahant, dum diuerſæ propagationes ex illo principio ſcaturientes, per matrimonia ſibi inuicem proximiores redduntur. At illam ſapientiſſimam ordinationem impugnat luxuria infinitis propemodum modis, per fornicationes, adulteria, inceſtus, ſtupra, raptus, ſacrilegia ; dum homines non attendentes, non modò rationem ſibi eſſe collatam, per quam ſenſuales motus refrenere debeant, ne ordinem naturæ inuertant, dum media pro fine ſeligunt, volendo

A frui vtendis, & vti fruendis ; ſed & teneri rationem ſuam legi æternæ reddere conformem, vt ordinatiſſimè viuant ; omnes leges infringunt vt voluptate fruantur ; itaut verè filij Belial, id eſt, abſque iugo, dici debeant. Quod quidem maximè cernitur in his, qui hæc crimina patrare non timent, iuxta illa quæ dicuntur de Beniaminitis impudicis, qui concubinam Leuites adeo intemperantiâ ſuâ vexarunt, vt mortua reperiretur à viro. *Venerunt filij ciuitatis illius, filij Belial, id eſt, abſque iugo, dicentes : Educ virum qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo.* Tales & adulteri apud Ieremiam. c. 5. *Super quo propitius tibi eſſe potero ? Filij tui dereliquerunt me, & iurant in iis qui non ſunt Dij. Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores in fœminas*
B *emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebant.* Nam & iſti ſunt abſque iugo, quaſi equi abſque freno, vt poſt luxurias ſuas abeant. Hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula, vt ibidem loquitur Ieremias. Quæ etiam dici debent de cæteris, qui per inceſtus, & alias luxuriæ ſpecies, leges quaſcumque tranſgrediuntur.

Sed & aliud quippiam præter prolis generationem, & amicabilem quamdam inter homines ſocietatem, voluit diuina ſapientia, dum homines ex mare & fœmina propagari decreuit. Hanc enim coniunctionem Sacramentum quoddam eſſe voluit, aliquid ſacrum ſignificans, iuxta illud S. Aug. c. 7.
C de bono coniugali : *Fœdus illud initum nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione initum fiat, quandoquidem viuente viro, à quo relicta eſt, mœchatur ſi alteri nupſerit, & ille huius mali cauſa eſt, qui reliquit.* Ita Auguſt. Igitur in coniugio, præter filiorum procreationem, & naturalem in diuerſo ſexu ſocietatem, aliud quoddam bonum conſiderandum eſt, nempe Sacramentum quoddam. Vnde S. Auguſt. c. 24. ait : *Hæc omnia bona ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, Sacramentum.* Ita Aug.

At quæres quod nam ſit illud Sacramentum, cuius cauſa tantum valet illud ſociale vinculum coniugum, vt cũ cauſa procreãdi colligetur, nec ipſa cauſa procreãdi ſoluatur; quod ait Aug. *Nequaquam puto*
D *tantùm valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex infirma mortalitate hominũ quoddã Sacramentũ adhiberetur.* Reſpondeo ad mentem Auguſtini illud conſiderandum eſſe ſecundum diuerſitatem temporum antiquæ & nouæ legis ; nam in veteri lege Sacramentum nuptiarum fuit, quòd vni Deo eſt adhærendum, vni Domino ſeruiendum, quòd vinculum nulla ratione diſrumpi poteſt : nulla enim ratione creatura à ſuo creatore diſiungi aut ſeparari debet. Sacramentum autem nuptiarum, in lege noua, addit eidem vinculo quòd ſicut animæ cauere debent ne à Deo diſiunguntur chariſſimo ſponſo, Ita Chriſtus vnam ſibi eligit Eccleſiam in ſponſam, quam nunquam deſeret nec derelinquet. Ex qua differen-
E tia factum eſt vt in lege antiqua plures fœminæ vni viro eſſe potuerint, ſicut multæ animæ vni Deo ſubduntur. At in lege noua non item ; quia vna eſt tantum Eccleſia, cuius vnitas in vnitate vnius vxoris ſignificari debet. In veteri ſiquidem lege, quia hoc contra naturam nuptiarum non erat, plures vxores haberi permiſſum fuit : quia Sacramento illius temporis congruebat, & pietatis erat operatio etiam carnaliter filios propagare. Illius namque populi generatio nuncia futurorum erat, & ad diſpenſationem Propheticam pertinebat, dum de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant, cuius genus ſecundum carnem diſtingueretur ab omnibus gentibus, & ſciretur ex quo genere, & ex qua gente eſſet in carne venturus : Non tamen vni fœminæ plures viros habere licuit, quod occulta lege naturæ

Digitized by Google

ament ſingularitatem quæ principantur; maritus autem principatum tenet: ideo vnus plures habere potuit vxores, at non vna plures viros. *Plures enim fæminæ*, inquit S. Auguſt. c. 17. *ab vno viro fœtari poſſunt, vna vero à pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis, vt plures fœminæ vni viro ſint, ſicut multæ animæ vni Deo rectè ſubduntur. Ideoque non eſt verus Deus animarum niſi vnus, vana verò anima poſt multos falſos Deos fornicari poteſt, non fœcundari. Sed quoniam ex multis animabus vna ciuitas futura eſt habentium vnam animam, & cor vnum in Deum, quæ vnitatis noſtræ perfectio eſt; poſt hanc peregrinationem futura eſt, vbi omnium cogitationes nec latebunt inuicem, nec inter ſe in aliquo repugnabunt. Propterea Sacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad vnum virum, & vnam vxorem redactum eſt, vt diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi vnius vxoris virum.* Ita Auguſt. Qui poſtea addit: *Ac per hoc, ſicut plures vxores antiquorum patrum ſignificauerunt futuras noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias, vni viro ſubditas Chriſto; ita noſter Antiſtes, vnius vxoris vir, ſignificat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro ſubditam Chriſto: quæ tunc perficietur, cum reuelauerit occulta tenebrarum, & manifeſtauerit cogitationes cordis: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Nunc autem manifeſtè ſunt latentes diſſenſiones, etiam ſalua Charitate, inter eos qui vnum, & in vno futuri ſunt; quæ tunc vtique nullæ erunt. Ergo ſicut Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis ſignificauit futuram multitudinem Deo ſubiectam in terrenis omnibus gentibus; ſic Sacramentum nuptiarum ſingulorum noſtri temporis, ſignificat vnitatem omnium noſtrum ſubiectam Deo futuram in cæleſti beatitudine.* Hæc Aug. Ex quo patet Sacramentum Matrimonij reſpicere finem, ad quem obtinendum creati ſumus, nempe cum Deo vnionem, & ſanctificationem noſtram.

At hoc Sacramentum digniſſimum, & ex Apoſtolo magnum (quo vnius Dei cultus ſignificatur, & vnus ſponſi erga vnicam ſponſam amor fideliſſimus deſignatur) contaminant adulteræ, quæ plures viros; Adulteri, qui plures fæminas expetunt. Peccant inſuper contra hanc ſapientiſſimam Dei ordinationem, qui Virginitatem, aut Cælibatum promittentes, vt Deo ſeruiant; vel ad nuptias conuolant, vel aliis modis ſacrilege commiſcentur. Nam cum Deus (vt admoneret homines ſibi ſoli eſſe ſeruiendum & adhærendum, & in eius fidelitatem qua ſuos non deſerit, ipſos debere omnes ſuas ſpes collocare, & curas in eum projicere) pro Sacramento talis intimæ cum Deo vnionis, indiſſolubile inſtituit Matrimonij vinculum; cum huius Sacramenti effectum perfectiùs obtineant Virginitatem aut cælibatum colentes, quàm qui Matrimonio iunguntur; Maior eſt enim & excellentior copula mentium, ad bonum ſocietatis ſanctæ & ſynceræ obtinendum per charitatem, quam corporum coniunctio ad eamdem ſocialem amicitiam conſequendam; & faciliùs obtinet, cum Deo vnionem, qui ſoli Deo adhærere poteſt per Virginitatem & cælibatum, ſolutus à vinculo nuptiarum, quàm qui Matrimonio iungitur, dicente Apoſtolo: *Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo:* Ex quo patet Matrimonij vinculum non eſſe neceſſarium ad Dei cultum, aut ſtrictam cum eo mentis adhæſionem) & cum iam timendum non ſit quòd numeroſitas & abundantia ſucceſſionis, in hominibus deficiat, cum non ſolum plures ſint qui ad nuptias conuolent, quàm qui continere velint, ſed multi etiam per illicitos concubitus luxuriantes (bono creatore de malis eorum faciente quod bonum eſt) ſatis ſuperque fiat numeroſitas hominum; ex eo fit vt neceſſe non ſit Matrimonium contrahere, vt illius cum Deo vnionis, & vnius veri Dei cultus admoneamur per Sacramentum vinculi indiſſolubilis nuptiarum. Vnde ad eos qui obmurmurarent inquit S. Auguſt. *Quid ſi omnes velint ab omni concubitu continere? Vnde ſubſiſtet genus humanum?* Reſpondet ſanctus Doctor: *Vtinam omnes hoc vellent duntaxat in charitate Dei, corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Multo citiùs Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus ſæculi.* Ita Auguſt. Ac ſi vnitas ſponſæ cum vnitate ſponſi tandem obtineretur perfectiſſimè, quæ in Sacramento nuptiarum ſingularum noſtri temporis, ſignificante vnitatem omnium noſtrum ſubiectam Deo futuram in vna cæleſti ciuitate, deſignatur.

At Sacramenta iſta violant & contaminant incontinentes & adulteri; & ſic ſapientiſſimæ Dei ordinationi contrariantur, nec cum ea concinnitatem habent. Ex quibus patet luxurioſos nullam cum Deo concinnitatem habere, dum vel prolis generationem impediunt, vel fidem thori infringunt, & ſocialem diſrumpunt amicitiam, vel Dei Sacramenta violare non pertimeſcunt. Ordinem namque naturæ deſtrunt, dum prolem impediunt, Politicum & Moralem, dum ſocialem amicitiam diſrumpunt, & ab vltimo fine auertuntur, dum Sacramentum vnionis animæ cum Deo (cuius voluntas eſt ſanctificatio noſtra, per intimam cum ſeipſo adhæſionem) contaminare non dubitant.

At non ſolùm luxurioſi cum Deo nullam concinnitatem habent, naturæ iura conculcantes, iugum legum omnium excutientes, & quidquid ſanctum eſt polluentes, ſed etiam nullam cum proximo concinnitatem habere poſſunt. Nocet ſimplex fornicatio proli natæ, quia impeditur debita eius educatio & promotio: dum igitur ille vagus concubitus importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui ex tali concubitu naſciturus eſt, patet iam quod illa ſpecies luxuriæ nullam habeat cum proximo concinnitatem. Nocet ſtuprum Virgini ſeu puellæ, quia ex hoc quod violatur, nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne ſignaculum Virginitatis amitteret. Nocet patri puellæ, ſub cuius cuſtodia exiſtit, propter opprobrium quod incurrit, iuxta illud Eccleſiaſt. 42. *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam: nequando faciat te in opprobrium venire inimicis:* Inordinatior autem eſt in ſtupro concupiſcentia, quæ à delectabili non abſtinet, vt iniuriam vitet ſiue puellæ, ſiue patris, in cuius eſt poteſtate. Similia dicendum de raptu, cum violentia infertur raptæ: iniurioſum enim eſt aliquid exigere ab eo qui non eſt in noſtra poteſtate, contra illius voluntatem. At quis neſcit adulterium multa nocumenta inferre proli & coniugi. Quæ nocumenta ſapiens explicat, Eccleſiaſtici c. 23. de muliere adultera vt S. Thomas 2. 2. q. 104. ar. 8. optimè animaduertit. *In acceſſu illo ad alienum thorum*, inquit S. Thomas, *dupliciter contra caſtitatem & humanæ generationis bonum aliquis delinquit. Primo quidem, in quantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ; alio modo quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ. Eadem eſt ratio de muliere coniugata, quæ per adulterium corrumpitur, vnde dicitur, Eccleſiaſt. 23. Omnes mulier relinquens virum ſuum, peccabit. Primò enim in lege altiſſimi incredibilis fuit, in qua ſcilicet præcipitur: Non mœchaberis; Et ſecundò in virum ſuum delinquit, in quo facit contra certitudinem prolis eius; Tertiò, in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi, quod eſt contra bonum propriæ prolis.* Ita S. Tho. At ſi in aliis luxuriæ ſpeciebus deformitatis ſpectari poteſt, propter iniuriam pro-

ximo illatam: maxima proculdubio deformitas talis in adulterio animaduertitur, quo fit vt peccatum grande nuncupetur ab Abimelech Rege Geneſ. 26. Nam cum Iſaac dixiſſet Rebecam vxorem eſſe ſuam ſororem, cum vidiſſet illum Abimelech tanquam cum vxore propria iocantem, ita eum pro ſua ſimulatione reprehendit: *Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum.* Vocatur etiam adulterium (Iob.31.) *nefas & iniquitas maxima*; & iuxta emphaſim vocis Hebraicæ, *iniquitas iudicata*. Et reuera, ſi rem penitiùs inſpiciamus, in ea turpitudine maximè apparebit iniuſtitiæ deformitas. Dixit olim Adam de Eua, Geneſ. 2. non ſolum; *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea*; quia de ſe viro ſumpta erat; ſed & addidit: *Erunt duo in carne vna*, vir nempe & vxor; ſiue quia par vtrique debebat eſſe cura de his, quæ ad vitæ conſeruationem & familiæ ſubuentionem pertinebant; ſiue quia ex duobus carne copulatis vnus prodire debebat fructus; ſiue quia caro vnius erat caro alterius, iuxta illud S. Pauli: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* 1. ad Corinth. c. 7. Cum igitur alia caro, imo aliena miſcetur, vt loquitur Tertull. alterius bonum iniuſtè vſurpatur, & aperta fit proximo iniuria; Amplitudine, quia in detrimentum boni ſpiritualis, boni corporalis, bonorum etiam temporalium parentum, coniugum, filiorum, conſanguineorum vergit; Fæcunditate, quia multa alia ſecum trahit peccata, vt veneficia, homicidia; Diuturnitate, & curandi difficultate alia exuperet peccata & vitia: vix enim ab eo crimine ſe explicat, qui in hoc ſcelus ſemel prorumpit.

Hinc Nicetas Paraphraſtes ait: *Qui torum violat alienum, ingens hoc incendium excitat malorum:* nam viro iniuriam facit, vxorem contaminat, ſuſpectos liberos incertos reddit, cum prouidentia certat, habitudinem diuidit, viro ſtruit inſidias. Tantum examen malorum ex intemperantia adulterij exiſtit. Et Tertullianus adulterum vocat *Idololatriæ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, vtriuſque collegam.* Ita Tertull. Colit enim pro Deo inordinatum appetitum; D & vix dici poteſt quot homicidia perpetrentur, vel vt adulteria liberiùs committantur, vel vt de adulterio vindicta ſumatur. At præcipuè marito & poſteritati fit inſignis iniuria. *Grandis dolor*, inquit S. Hieron. in illud Amos. c. 7. (*Vxor tua in ciuitate fornicabitur*) *incredibiliſque ignominia, quando maritus in media ciuitate, præſentibus cunctis vxoris iniuriam prohibere non poteſt. Filij quoque tui & filiæ tuæ in gladio cadent. Non eſt tantus dolor in filia conſtuprata, quantus in vxore polluta; nec tantus dolor in vxore occiſa, quantùm in filiis trucidatis. Maritus enim libentiùs audit vxorem interfici, quàm pollui.* Ita Hieron.

De poſteris autem in adulterio natis, ita Sapiens, Sap. 3. *Filij adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis, allocutionem: nationis enim iniquæ diræ ſunt conſummationes.* Ita Sap. Quanta autem mala patiantur vxores à maritis adulterantibus, quis enumerare poteſt? Itaut verum ſit adulterium omnem concinnitatem cum proximo, & proximioribus dirumpere. At non modo in his peccatis tollitur illa concinnitas, ſed etiam in inceſtu. Honorificentia enim quædam parentibus, & per conſequens conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt, naturaliter debetur; in tantum quod apud antiquos, vt Valerius Maximus refert, fas non erat filium ſimul cum pa- A tre balneari, ne ſcilicet inuicem ſe nudos conſpicerent: quæ honorificentia læditur in commiſtione venerea talium perſonarum ad inuicem. Deinde cum homines non arceantur ab hac commixtione propinquorum, nimia opportunitas datur illius: quo fit vt animi hominum nimis emolleſcant per luxuriam: & ideo, in veteri lege, illæ perſonæ videntur prohibitæ eſſe, quas neceſſe eſt ſimul commorari, quo facile videtur inceſtum maximum afferre proximis detrimentum ſi ſemel committatur. Qui enim ad illum prouocare conſanguineam audet, omnem mentis vigorem & fortitudinem illi adimit, dum depoſitâ omni verecundiâ cum proximioribus commiſceri non pudet. Denique im- B peditur per inceſtum multiplicatio amicorum: dum enim homo vxorem extraneam accipit, iunguntur ſibi quadam ſpeciali amicitia omnes conſanguinei vxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui. Vnde ſanctus Auguſtinus dicit 13. de ciuit. 18. *Habita eſt ratio rectiſſima charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis atque honeſta concordia, diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos.* Ita S. Th. 2. 2. q. 154. ar. 9. At dum inceſtus permittitur, hæc amicorum multiplicatio impeditur. Quod ſi libido concumbendi, ad perſonam Deo ſacratam extenditur, manifeſtum eſt ex ſcandalo proximum lædi. Vnde etiam tale ſacrilegium tranſgrediens & ſubuertens limitem C morum, in re ſacra, concinnitatem etiam cum proximo lædit. Quod denique in vitio contra naturam, cum ad notitiam aliorum venit, maximè locum habet: ſicut enim in ſpeculatiuis error circa ea, quorum cognitio eſt homini, naturaliter indita, eſt grauiſſimus, & turpiſſimus; ita in agendis agere contra ea quæ ſunt ſecundum naturam determinata, eſt grauiſſimum & turpiſſimum. Cum ergo in vitiis, quæ ſunt contra naturam, tranſgreditur homo id quod eſt ſecundum naturam determinatum circa vſum venereum, inde eſt quod in tali materia hoc peccatum eſt grauiſſimum, & ideo magis ſcandaloſum, & propter exemplum peſſimum magis magiſque nociuum.

Denique nec cum ſemetipſo luxurioſus concinnitatem habet: quia multa ſibi incommoda attrahit, qui luxuriæ dat operam. Hoc maximè attenditur ex octo illis filiabus Luxuriæ, quas vocant; nempe mentis cæcitate, inconſideratione, præcipitatione, inconſtantia, ſui amore, Dei odio, affectu præſentis ſæculi, horrore futuri: de quibus fusè. S. Tho. 2. 2. q. 153. ar. 5. Sed ſi animus hæc detrimenta patiatur, nec corpori minus eſt nocens: vocatur enim verius λυσιμελὴς id eſt, ſoluens membra omnia: cerebrum debilitat, ex Galeno; ſtomachum & neruos, ſecundum Hypocratem. Vnde exclamat autor ſermonum ſuper Apocalypſim Minorita, in cap. 16. *O extrema libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem exterminat vel excæcat, ſed corpus eneruat: non ſolùm maculat animam, ſed fœdat perſonam. Omne namque peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat, ait Apoſtolus. Semper illum præcedunt ardor & petulantia, ſemper comitantur fœtor & immunditia, ſemper ſequuntur dolor & pœnitentia. Hæc enim vires eneruat, ſenſus hebetat, diminuit dies, opes effundit, viſum inquinat, nocet doctrinæ, pabula ſpernit, doctos infatuat, homines animalibus æquat.* Hoc ille. Sed & Sapiens (Eccleſiaſt. 19.) ſapientiſſimè ait: *Vinum & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes, & arguent ſenſatos: Et qui ſe iungit fornicariis erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.* Ita Sap.

At non modò menti, non modò corpori nocet,

ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo; & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Hæc Apoſtolus. Qui ſatis indicat illum & animum maculare, dum fornicatur, quia admittit ea quæ tam longe abſunt à dignitate Chriſti, cuius membrum eſſe debet; & ſpiritus eius, qui in eo deberet habitare. Et hæc de luxuria ſatis.

De quarto capite beſtiæ è mari aſcendente, nempe ira.

ANNOTAT. XI.

IRA, paſſio appetitus ſenſitiui (à qua vis iraſcibilis denominatur) ex ſua ſpecie conſiderata, (ſcilicet ſecundum ſuum obiectum, cum ſit appetitus vindictæ, quæ poteſt benè & malè appeti) neque laudabilis neque vituperanda eſt. Ex quantitate tamen ſua, id eſt, ſecundum ſuperabundantiam vel defectum ipſius, quando ſcilicet aliquis iraſcitur plus vel minus præter rationem rectam, vituperanda eſt, & peccatum eſt. Paſſio ſiquidem appetitus ſenſitiui in tantum eſt bona, in quantum ratione regulatur; ſi autem ordinem rationis excludat, eſt mala. Quando igitur appetitur vindicta ſecundum ordinem rationis, ira laudabilis eſt; ſi autem contra ordinem rationis, puta ſi appetat puniri eum, qui non meruit, vel vltra quàm meruit, vel etiam non ſecundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, (qui eſt conſeruatiò iuſtitiæ, & correctio culpæ) vitioſa eſt, & peccatum; ſicut etiam peccatum eſt, ſi modum iraſcendi excedat, immoderatè ferueſcendo interiùs aut exteriùs, etiam ſi aliquis appetat iuſtam vindictam. Erit autem peccatum mortale ex genere ſuo, ſi quis appetat iniuſtam vindictam, quia charitati & iuſtitiæ contrariatur; niſi propter imperfectionem actus, venialis reddatur talis appetitus, dum vel motus iræ præuenit iudicium rationis, vel in modico tantum quis vindicari appetit. Erit etiam peccatum mortale motus iræ inordinatus, ſi ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei & proximi; qui aliàs ex ſuo genere non haberet rationem peccati mortalis, etiam ſi nimis ardenter quis iraſceretur interiùs, vel exteriùs nimis ſigna iræ manifeſtaret. Non eſt tamen ira grauiſſimum peccatorum, quia appetit malum pænæ alicuius ſub ratione boni, quod eſt vindicta; & ſic leuius eſt peccatum etiam quàm inuidia, quæ appetit malum alterius, propter appetitum propriæ gloriæ, quæ minus eſt bonum quàm rectitudo iuſtitiæ, quam appetit iratus. Leuius eſt etiam peccatum, quàm concupiſcentia boni delectabilis & vtilis inordinata: quia melius eſt bonum iuſtitiæ, quàm bonum delectabile vel vtile. Vnde Philoſophus dicit 7. Ethic. c. 6. quod *incontinens concupiſcentia turpior eſt quàm incontinens iræ.* Quantum autem ad inordinationem, quæ eſt ſecundum modum iraſcendi, ira habet quamdam excellentiam, propter vehementiam & velocitatem ſui motus, ſecundum illud Prouerb. 27. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Eſt autem peccatum capitale. Licèt enim non habeat rationem primæ originis aliorum vitiorum, vt auaritia & ſuperbia, habet tamen rationem propinquæ originis, reſpectu plurium peccatorum,

A duplici ratione. Primò ex parte ſui obiecti, quod multum habet de ratione appetibilitatis, in quantum ſcilicet vindicta appetitur ſub ratione iuſti vel honeſti; Alio modo ex ſuo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcumque agenda. Et ita ira habet ſex filias, quas cauſat & generat, nempe rixam, mentis tumorem, contumeliam, clamorem, indignationem, blaſphemiam. His ita poſitis, quanta ſit turpitudo huius vitij nobis eſt dicendum, eadem via procedendo, quam tenuimus in explicatione turpitudinis peccati in genere, & turpitudinis ſpecialis auaritiæ, inuidiæ & luxuriæ. Et ita

Dicimus primò, iram nullam habere concinnitatem cum Deo, quia appetit quod Deo eſt proprium,
B nempe vindictam, dum illam appetit contra rationis ordinem. At ſi appetere bonum proximi peccatum eſt, multo magis peccatum erit appetere quod Deo eſt proprium. Quod autem vindicta Deo propria ſit, habetur ex cap. 32. Deuteronomij. *Mea*, inquit, *eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* Scit Deus qua pæna & quanta crimina vindicari debeant, & quando ſit infligenda: quidquid noſtrum eſt eius eſt, cui totum quod ſumus debemus, & ideo iniuriæ nobis illatæ illi inferuntur. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. Et ideo ad eum pertinet propriè noſtras vlciſci iniurias. Vnde monet Apoſtolus ad Rom. 12. *Non voſmetipſos defen-*
C *dentes, chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.* Propterea, Pſalm. 93. vocatur *Deus vltionum*: quia quamuis ad omnes iudices pertineat vindicta ſcelerum, tamen abſolutè vindicta dicitur Dei eſſe: quia ipſe eſt ſupremus iudex, & vindictam ſumet de omnibus ſceleribus, non ſolùm populorum, ſed etiam iudicum, principum, & Regum omnium. Ait igitur: *Deus vltionum Dominus*, id eſt, Dominus noſter, qui propriè ſolus eſt Dominus, cui omnia ſeruiunt in cælo & in terra, hic, inquam, Dominus eſt Deus vltionum, id eſt, ſummus Iudex, ad quem vltio ſcelerum omnium pertinet. Appetere igitur vindictam, contra ordinem rationis ab eo præſcriptum
D & inſtitutum, eſt ſibi vſurpare quod alienum eſt, & Deo proprium. At quid, quæſo, iniuſtius, & conſequenter deformius, quàm velle aliquid auferre optimo & munificentiſſimo largitori bonorum omnium, quæ habere aut ſperare poſſumus? Eſt quidem vindicatio ſpecialis virtus, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 108. quæ perficit naturalem inclinationem ad remouendum nocumenta, ſiue ſe defendendo contra iniurias, ne ei inferantur; vel iam illatas iniurias vlciſcendo, non intentione nocendi, ſed intentione remouendi illa nocumenta. Dico non intentione nocendi. Si enim vindicantis animus feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum: quia de-
E lectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat: quia omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excuſatur ſi malum intendat illius, qui ſibi iniuſtè intulit malum; ſicut non excuſatur aliquis per hoc quod odit ſe odientem: non enim debet homo in alium peccare, propter hoc quod ille peccauit prius in ipſum: hoc enim eſt vinci à malo, quod Apoſtolus prohibet, ad Rom. 12. dicens: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Si verò intentiò vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pænam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem, vindicatio eſt licita, & ad eam exercendam, cum

Digitized by Google

debitis circumſtantiis, datur virtus ſpecialis vindicatio. Hinc vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ait S. Thom. 2. 2. q. 64. ſe defendendo propter conſeruationem propriæ vitæ, non intendendo occiſionem proximi, ſed vitæ propriæ tuitionem. Hinc qui publica funguntur autoritate, vt principes & iudices, & eorum miniſtri, propter bonum commune non propria moti libidine, occiſionem hominis etiam intendere poſſunt. Hinc bellum rectè ſuſcipitur (ex quo conſequuntur multa homicidia) *vel ad terendam, vel ad obterendam, vel ad ſubiugandam mortalium ſuperbiam*, vt loquitur S. August. l. 22. contra Fauſtum c. 75. ſiue ad vlciſcendas iniurias, ſi gens vel ciuitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, (propter quam cauſam ſuſceptum eſt bellum contra filios Beniamim, ab omnibus reliquis filiis Iſraël, quia noluerunt vindicare quod factum fuerat piaculum in Gabaa, dum Gabaonitæ incredibili furore libidinis concitati, vxorem Leuitæ ita vexarant, vt inde mors illius conſecuta fuerit;) vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt. Ordo enim naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli autoritas atque conſilium penes principem ſit; exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſalutique communi. At ſi nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, vel principes, vel eorum miniſtros, vel particulares perſonas moueant ad belligerandum, dimicandum, & occidendum, tunc ira & appetitus huiuſmodi vindictæ, lædens charitatem & iuſtitiam, in Deum inſurgit, & cum eo nullum habet concinnitatem ſeu conuenientiam, & tanquam deformis abhorreri debet; & tanto ampliùs, quanto poteſtatem a Deo ſibi non conceſſam quis vſurpare non timet. At non modo ira nullam habet concinnitatem cum Deo, cum ex ea quis appetit quod Deo eſt proprium, appetendo vindictam contra rationis ordinem à Deo præſcriptum; ſed etiam ex ſuo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcumque agenda à Deo vetita, & inter hæc ad blaſphemias contra Deum proferendas. Satis enim notum eſt ex commotione animi homines ſæpe ſæpius in blaſphemias prorumpere horrendas. Et quid deformius quàm videre hominem ex animi commotione contra diuinam maieſtatem inſurgentem? Homo terra & cinis Deum non timet laceſſere, & prouocare iniuriis: maledicit quem benedicere tenetur, & velut inſanus vitæ ſuæ autorem & conſeruatorem contra ſe exacerbare audet, furore & ira percitus blaſphemat Deum, cæli & terræ Dominum, ad modum Nabuchodonoſor, qui audiens Danielem cum ſociis noluiſſe adorare ſtatuam auream quam erexerat, in furore & ira comminatus eſt eos miſſurum in fornacem ignis ardentis: *Et quis eſt Deus*, dicebat ille impius, *qui eripiet vos de manu mea?* Daniel tertio. Ex quo ſatis patet per iram, ſiue vt eſt appetitus vindictæ contra rationis ordinem, ſiue vt excedit in quantitate, hominem non conſeruare cum Deo amicitiam, nec vllam habere cum eo concinnitatem, & ita excidere à pulchritudine virtutis, & in deformitatem incidere abominandam.

Dicimus ſecundò per iram, nullam cum proximo concinnitatem iratum habere, quod ſatis patet ex filiabus iræ. Nã cũ de proximo optimè ſentire debeamus, per indignationem eum reputamus indignum; quaſi nos tanti ſimus habendi, vt quilibet indignus cenſeri debeat, qui aliquid nobis ingra-

A tum agere audeat. Cum illi bene velle ex charitate debeamus, per tumorem mentis excogitamus diuerſas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum replemus, ſecundum illud Iob. 15. *Nunquid ſapiens implebit ardore ſtomachum ſuum?* Cum proximo bonum exemplum præbere debeamus, per inordinatam & confuſam locutionem iram demonſtrantes, clamoribus aera verberando & implendo, illi ſcandalo ſumus. Cum nemini vllam dare offenſionem debeamus, per verba iniurioſa Deum blaſphemando, vel contra proximum per contumeliam in verba iniurioſa prorumpendo, illum offendimus. Denique per rixam vſque ad actus exteriores prorumpimus, ſub qua intelligimus omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex
B ira.

Ad magna equidem conquirenda, & adipiſcenda nati ſumus: & ſenſu quodam innatæ excellentiæ, ſi propter actiones contemptu digniſſimas nos deſpectui; haberi pertimeſcimus, iuſta quadam animi indignatione contra vitia inſurgimus, & ad meliora niſu fortiori adſpiramus. *Eſt enim*, vt docet S. Baſilius homilia de ira, *pars animi iraſcibilis nobis ad multa virtutis opera neceſſaria, quando veluti miles quidam apud ducem arma ſumens, paratus eſt eius iuſſu auxilium præbere: ſic iracundia, rationi adiutrix contra peccatum fuerit, neruus eſt quidam animæ indignatio, fortitudinem conſtantiamque ac robur ad res benè & ordine agendas præbens,*
C *quæ animam fortè voluptate delinitam ac laſciuientem, veluti ferro quodam cohibens auſteriorem fortioremque ex molli & remiſſa reddit. Nec enim, ſi contra iniquitatem deſit indignatio & ira, ſatis eam odio, quo decet, perſequi poteris.* Ita S. Baſil. Cauendum tamen ne ira aut indignatione male vtamur. Quod quidem fit cum nimis extollimur, & proximum è contra deſpectui habemus. Propter enim noſtram præſumptionem, & proximi deſpectionem, plærumque exiſtimamus atrociori nos iniuria affici, & indignè tractari ab indigniori. Hinc commouemur: hinc indignamur. *Ad cuſtodiendam*, inquit S. Baſilius, *animi conſtantiam duo tibi toleranda: primum, ne te rebus magnis parem dignumue iudices; deinde neminem valde infra tuam eſſe*
D *dignitatem ac æſtimationem putabis: ſic enim animus nunquam ex iis, quæ nobis ex aduerſo inferuntur, indignabitur, aut magnopere dolebit.* Ita Baſil. At ſi ſuperbiâ inflatus alios deſpectui habueris, ecce exorietur animi indignatio (ſtatim atque in aliquo te deſpici putabis) contra proximum, quem in prætio habere deberes. Nec enim verba ſolent triſtitiam mouere, ſed ſuperbia aduerſus eum qui nos vituperat, & vniuſcuiuſque de ſeipſo phantaſia; & quanto plus recedimus ab humilitate & manſuetudine cordis, quam Dominus docuit, tanto deformiores intus euadimus. Quod ſi indignatio in tantum excreuerit, vt proximum odio habeamus, & innumeras vlciſcendi vias excogitemus, iam homicidij deformi-
E tatem contraximus. Siquidem ait S. Ioannes, 1. c. 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Quod ſi ad indignationem & tumorem mentis clamores addamus, iam manifeſtè exteriùs apparet mentis deformitas: *Nam iis qui ad vindictam anhelant*, inquit S. Baſilius homil. de ira, *ita quidem circum præcordia ſanguis feruet, quaſi vt ignis ebulliat & exæſtuet, accenſa verò facie illo adſpectu viſendum exhibet iratum: eam formam, quæ omnibus conſueta eſt & nota, quaſi larua quadam, vt in ſcena fieri ſolet, prorſus immutans: oculi conſueti non apparent, ſed ignei micanteſque; dentes acuunt, veluti ſues graſſantes: vultu ſunt liuenti ſanguine ſuffuſo, oris tumore increbeſcente; venæ, ob turbati*

Digitized by Google

intra viſcera ſpiritus anguſtias, diſruptæ, vox aſpera & intenſa; ſermo inconſtans & confuſus, ac temerè cadens, nec concinnè nec ſignificanter, ne ex parte quidem prolatus. Ita ſanctus Baſilius.

At nec cum ſeipſo, ſicut nec cum proximo, concinnitatem ſeruat iratus. Vtrumque diffusè oſtendit S. Baſilius, dum in initio homiliæ de ira, ira diſſerit: *Diſcentes*, inquit, *turpem eorum tumultuationem, qui hoc malo tenentur, agnoſcemus reipſa verbi ſacri dexteritatem, nempe quod viri iratus fœdus adſpectu ſit. Quando enim ſemel ira perturbatio, mentem præcipitans, imperium animæ ſumpſerit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem qui rationis ſit compos eſſe ſinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item & furor animo irritatis ac perturbatis, impetu feruntur, inſiliunt; rabie, vt canes, afficiuntur; punguntur vt ſcorpij, mordent vt ſerpentes. Nouit & ſcriptura eos, qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus ſeſe ob peruerſitatem ſimiles ac familiares reddiderunt. Nam & canes & ſerpentes, & genimina viperarum, & his ſimilia nominat. Qui enim ad mutua inter ſe eiuſdem generis parati ſunt inferenda incommoda, iure feris ac venenatis aſcribi poſſunt, quibus ex natura continuum aduerſus hominum genus odium ineſt. Effrenes lingua, ora incuſtodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accuſationes, verbera, & alia eiuſmodi, quæcumque, quis enumerare poterit, iræ ſunt ac furoris fructus. Ob iram enſis acuitur: mors homini ex homine venit: fratres inter ſe ignorantur: parentes ac liberi naturæ obliuiſcuntur: ſed & ante omnia, ſeipſos haud agnoſcunt irati, deinde quotquot habent neceſſariorum. Quemadmodum enim torrentes ad curua loca decurrentes ſecum obuia quæque trahunt, ſic & iratorum impetus violenti & inſtabiles omnia ſimiliter percurrunt atque obruunt. Non eis ſenectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non accepta iam gratia, non denique quicquid aliud quamuis æſtimandum in honore eſt. Momentanea quædam inſania eſt ira, quia & maximum ſe in malum ſæpius conjiciunt, & ſtudio vindicandi ſeipſos negligunt. Eorum namque memoria, quibus læſi ſunt, velut æſtro quodam incitati, & animo exacerbato atque æſtuanti, non prius deſinunt quàm incommodum aliquod infeſtanti inſligant, vel ipſi (ſi id contingat) accipiant; quemadmodum ſæpe euenit, vt quæ per vim tentata ſunt, plus accipiant quàm inferant, &c.* Ex quibus S. Baſiliis verbis ſatis conſtat iracundos nec cum proximo, nec cum ſeipſis concinnitatem habere: ſibi enim & aliis ſunt moleſtiſſimi, & vix ferendi, facti etiam ſibimetipſis graues & intolerandi. Ita Iuſtinus Martyr, Epiſtola ad Zenam & Serenam: *Diſcordat ſecum omnis qui iraſcitur, animuſque qui bellum & inimicitias præ ſe fert & voluit, in ſe ipſe ſolitus eſt incurrere. Iam enim quoſdam ſcimus, cum ignorarent quibus rebus proximorum, qui cauſas irarum eis dederant, commoto animo fuiſſent, ſemetipſos odiſſe, & doloribus eſſe confectos.* Ita S. Iuſt. Qui rurſus ait: *Iraſcendum autem eſt: benè quidem res habeat ſi nunquam. Inſana enim amentia eſt talis ſpecies: Si aliquando & cogar, iracundiæ concedendum eſt ad proximorum curationem: qui enim eam ſine ratione ſequitur eique paret, is primum ſe odit, deinde proximum; dum & ſe perturbat, & illum dolore afficit. Scriptum eſt enim: Omnis qui temerè fratri ſuo iraſcitur, reus erit iudicio.* Ita S. Iuſt.

Reſtat videndum quomodo qui iraſcitur ſine cauſa & ratione, & ſplendorem virtutis (qui in recta agendi ratione conſiſtit) amittat, nec finem, ad quem ab autore naturæ ira ordinatur, aſſequitur, dum cæca paſſione iracundiæ ad aliquid aggrediendum quis impellitur; imo & graui macula adſpergitur, famam & exiſtimationem viri prudentis & ſapientis amittens, dum irrationabiliter iraſcitur. *Quidam*, inquit Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 3. ſententiarum c. 56. *dum iudicare incipiunt, iraſcuntur, ipſamque iudicij ſententiam in inſaniam vertunt. De quibus rectè per Prophetam dicitur: Qui conuertunt in furorem iudicium. Qui enim iratus iudicat, in furorem iudicium mutat; cum ante profert ſententiam quam cognoſcat. Furor in iudice inueſtigationem veri non valet attingere, quia mens eius turbata furore, ab inueſtigatione alienatur iuſtitiæ.* Ita Iſid. Et quomodo maculam non contraheret turpiſſimam, qui diaboli imitatur nequitiam? At talis eſt vir iracundus & impatiens, vel S. Cypriano teſte lib. de bono patientiæ. *Vt patientia*, inquit, *bonum Chriſti eſt, ita contra, impatientia diaboli malum: & ſicut in quo habitat & manet Chriſtus, patiens inuenitur; ita impatiens ſemper exiſtit, cuius mentem nequitia poſſidet.* Ita Cyp. In capite interdum acutus & peſtifer morbus eſt (Cephaloen Græci vocant) cuius notæ ſunt horror calidus, neruorum reſolutio, oculorum caligo, mentis alienatio; vomitus, ſic vt vox ſupprimatur: vel ſanguis ex naribus, vt ſic corpus frigeſcat, anima deficiat. Talis eſt in anima vehementior iræ motus, horrorem & membrorum tremefactionem cauſat exterius, optimi ſenſus & iudicij neruos reſoluit, acumen intellectus in veritatis contemplatione offuſcat, mentis alienationem parit, itaut veritates quaſcumque cum abominatione mens rejiciat; vix homo loqui poteſt, & ſanguine circa cor confluente, totum corpus rigore frigeſcit, vt vix homini reſpirare liceat. Vel ſi furor erumpat exteriùs, mirum quomodo aërem indecenti clamore oppleat vir iratus, vt furioſo & dæmoniaco ſimilior euadat, quàm homini rationi prædito. Ne igitur dicas ipſum vllum virtutis ſplendorem conſeruare, qui talem maculam contrahat, vt dæmoni ſimilior ſit quàm homini. Lege inſuper S. Ioannem Chryſoſt. hom. 52. in Geneſ. vbi iracundum hominem ſtulto aſſimilat, cui res ſemper aliter quàm ſint appareant, qui nihil rationi conſonum vnquam adimpleat; qui cum ſenſum communem corruptum habeat, ſanè de quacumque re iudicare neſciat; & veluti arreptitij & dæmoniaci, nec præſentes agnoſcit, nec abſentium recordatur; conſanguinitatis, amicitiæ, conſuetudinis, dignitatis oblitus, quidquid ei proponitur recti aut æqui admittere nequit: ad omnia mala etiam atrociora (quale eſt homicidium) perpetranda paratiſſimus; (*Venient*, inquiebat Eſau, ira ferueſcens, *dies luctus Patris mei, vt occidam Iacob fratrem meum*) Ad Apoſtoli præceptum parùm attendens, qui ait: *Omnis ira, & indignatio, & clamor auferatur à vobis; cum omni malitia.* Irati namque Camelo animali aſſimilantur. Nullum ſiquidem in iumentis eſt æquè iracundum, & iræ grauioris magis memor, inquit S. Chryſ. hom. 3. in 2. ad Theſſalon. Spinis autem paſcitur; ſic iſti rixis, diſcordiis, clamoribus nutriuntur. *Quando*, ait S. Chryſ. hom. 5. in Geneſim, *affectio hæc intrinſecus excitatur, & cor tumet, non iam ſinit vt lingua vltra placidè loquatur, ſed affectionem cordis demonſtrans efficit vt clamoſè cum proximo loquatur.* At nulla ratione meliùs poterimus concipere quàm turpi macula fœdetur homo iracundus, quàm ſi ſemel verba Iacob de Simeone & Leui filiis ſuis (qui ſcelus ingens furore perciti circa Sichimitas perpetrarunt) ponderemus. *Simeon*, inquit Geneſ. 49. *& Leui, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.* Vocat eos vaſa iniquitatis, quia homo iracundus ad omne ſcelus perpetrandum aptum eſt inſtrumentum. Hinc ſanctus Ambroſius tom. 4. de obitu fratris,

Digitized by Google

iracundiam & libidinem vocat reliquorum vitiorum educatrices. Reſpuit gloriam Patriarcha Iacob prouenientem ex participatione in conſiliis & cœtu iracundorum; nam cum conſilium eorum ſit præceps, iudicij expers, nociuum, pernicioſum, laudis & gloriæ (quæ virtutis actum conſequitur) etiam expers eſſe notiſſimum eſt: vnde maledictionem meretur, non benedictionem, furor iracundorum, tum propter animi pertinaciam, quam vituperabat S. Stephanus in furioſis illis Iudæis, qui iracundiâ frementes diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum; tum propter duritiam illorum, quam etiam ſuggillat in hac reprehenſione: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtiſtis*; Denique propter inclementiam iracundis propriam, quam prauam animi affectionem annumerat Apoſtolus inter cæteras alias, quæ in nouiſſimis diebus reddent tempora periculoſa. *Erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes, &c. ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, &c.* 2. ad Timoth. 3. Quomodo igitur qui talis vitio laborant, finem à Deo præſtitutum poſſent adipiſci, ad quem nemo peruenit niſi per actus virtuoſos ex gratia profectos, quos excludit iracundia, quos profligat indomitus furor: non enim in commotione paſſionis immoderatæ Dominus, non in igne moratur iracundiæ; cui factus eſt in pace locus.

C Remedia contra hunc morbum ſi quæras, lege homiliam S. Ioan. Chryſ. de Dauid & Saule, in qua exemplo ipſius Dauidis nos ad iram temperandam, & manſuetudinem ſeruandam prouocat. Multâ enim manſuetudine vſus eſt Dauid erga Saulem, inimicum, ſceleratum, vitæ illius pluries inſidiantem, ingratum, quamuis David præceptis Euangelicis non eſſet imbutus. *Non contigit*, inquit S. Chryſoſt. *illi talem guſtare hoſtiam, neque particeps fuerat ſanguinis dominici, ſed legibus imperfectioribus educatus, neque tale quiſquam exigentibus, tamen ad Euangelicæ Philoſophiæ faſtigium peruenit animi moderatione.* Ita Chryſ. Quod ſi contra hoſtem bona diripientem, vitæ inſidiantem, iraſci non debemus, multo magis iraſci non licet contra eum, qui nos D tantùm verbis laceſſit, & prouocat iniuriis. *Hoc*, inquit Chryſ. *ſi verè dicit; corrige; ſi falsò, irride; ſi tibi ipſe conſcius es eorum quæ obijciuntur, reſpice; ſi non es deſpice*; Imo potius, non ſolùm deride ac neglige, verum etiam gaude atque exulta, iuxta Domini ſermonem, qui nos iubet ita facere. *Itaque*, inquit Chryſ. *ſi inimicus exprobrauerit tibi crimen, cuius tibi conſcius es, tu verò audiens non conuitiaris illi viciſſim, ſed cum amaro gemitu Deum imploras, protinus omnem culpam depoſuiſti. Quod ſi pariter & mentientes, & vera loquentes nobis proſunt, quam ob rem dolemus? Quam ob cauſam vremur? Ni teipſum læſeris, ô homo, neque amicus, neque inimicus, ne ipſe quidem diabolus poterit te lædere.* Ita Chryſ. Optimè ſapiens, Pro. 15. E *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.* Igitur ſi animi manſuetudinem ſeruare volueris, ad moleſta molliter reſponde; ad dura, dulcia adhibe, iram cohibe, patiens eſto ad omnes, iuxta monitum Apoſtoli 1. ad Theſſalo. *Patientes*, inquit, *eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Semper quod bonum eſt ſectemini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete: ſine intermiſſione orate. In omnibus gratias agentes.* 1. ad Theſſ. c. 5. Si maleuolum deponatis animum, quod intolerabile in proximo nobis videbatur, gratum erit. Si diſcutiamus nubes paſſionum mentem obnubilantium, omnia iucunda nobis erunt, quæ prius erant moleſtiſſima, & vix ac ne vix toleranda apparebant. *Quemadmodum*, inquit S. Chryſ. homilia de Dauide & Saule, *ſi inA ſtes in ſcintillam ignis, excitas incendium; contra ſi inſpuas, extinguis; & vtrumque tibi in manu eſt, quoniam vtrumque ex ore proficiſcitur: idem fit & in inimicitia proximi. Si inflatos ac vecordes ingeras ſermones, excitas ignem illius, accendis carbones; ſin mites ac moderatos ſermones admoneas priuſquam exardeſcet, iram omnem extinxeris.* Et homil. 4. in 1. ad Theſſalo. iram inueteratam & odium gelu comparat à ſole reſoluendum. *Si quis*, inquit, *ergo ſi quis ſit frigore concretus, ſoluat pruinam: pruina enim rerera & glacies eſt iniuriæ accepta recordatio: ſed inuocemus ſolem iuſtitiæ, cogemus eum vt immittat radios, & non erit amplius craſſa pruina, ſed aqua potabilis. Si ignis ſolis iuſtitiæ noſtram tetigerit animam, nihil relinquet concretum, nihil durum, nihil quod B vim habeat vrendi, nihil quod fructu careat; omnia oſtendet matura, omnia dulcia, omnia plena multâ voluptate. Si alter alterum diligamus, veniet ille quoque eadius, &c.* Ita Chryſ. Certè ſi Dauidis manſuetudo poteſt nos ad manſuetudinem excitare, multo magis Chriſti manſuetudo, quam nobis à ſe diſcendam proponit, hoc efficere poterit. *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Facile enim humiliter de ſe ſentiens, manſuetudinem ſeruabit, qui ſe potius omni malo, omni vituperio dignum reputat, quàm ſibi iniuriam inferri exiſtimet. *Sol* igitur *non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Epheſ. 5. Et hæc de horrendo iræ capite ſatis.

C *De quinto capite beſtiæ, nempe acedia.*

ANNOTAT. XII.

ACEDIA, triſtitia eſt aggrauans animum, & ita eum deprimens, vt nihil ei agere libeat, proinde importans quoddam tædium operandi: Inde dicitur torpor mentis bona inchoare negligentis. Mala eſt ſecundum ſe, ſi ſit de bono ſpirituali: ſicut enim delectatio mala eſt, quæ eſt de eo quod eſt apparens bonum, & verè malum; ita mala eſt triſtitia, quæ eſt de eo quod apparet malum, & verè eſt bonum, ſicuti eſt ſpirituale bonũ. Quod ſi ſit de verè malo, & ſic aggrauet hominem, vt D eum totaliter à bono opere retrahat, erit etiam mala ſecundum effectum, & proinde peccatum: nam malum in motibus appetitiuis dicimus eſſe peccatum. Erit autem ſpeciale peccatum, ſi ſit de bono diuino, de quo charitas gaudet. Proprium enim bonum ſpirituale charitatis, & actus illius proprius eſt gaudium de bono diuino: quo fit vt triſtitia de bono diuino propriè ſit actus contrarians charitati, & ſpeciale peccatum. Aliàs cum ſpirituale bonum communiter accipitur, cum omne vitium refugiat ſpirituale bonum virtutis ſibi oppoſitæ, triſtitia ſic ſumpta non eſt ſpeciale vitium; verbi gratia, cum refugit ſpirituale bonum, prout eſt laborioſum vel moleſtum corpori, aut delectationis eius impediE mentum, non ſeparatur acedia ſeu triſtitia de bono ſpirituali à cæteris vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem & delectationem corporis quærit. At cum eſt de bono diuino, de quo gaudet charitas, tunc eſt ſpeciale peccatum. Cum autem peccatum mortale dicatur illud omne quod ſpiritualem vitam tollit, quæ eſt per charitatem, ſecundum quam Deus nos inhabitat; acedia ſeu triſtitia de bono ſpirituali diuino, ſecundum propriam rationem contrarians charitati ex ſuo genere, erit peccatum mortale, ſi pertingat vſque ad conſenſum rationis: eſt enim conſummatio peccati in conſenſu rationis. Eſſet verò tantum peccatum veniale, ſi motus acediæ in ſolâ ſenſualitate (propter repugnantiam carnis ad ſpiritum) tantùm conſiſteret, & non pertingeret ad conſenſum rationis, carne contra ſpiritum omnino

non præualente, nec rationem in fugam & horrorem, & deteſtationem boni diuini, cum pleno conſenſu inducente. Quia autem promptum eſt vt alia vitia ex tali triſtitia oriantur, ideo dicitur capitale vitium, & vnum ex his horrendis capitibus beſtiæ, animam vitiis capitalibus opletam ſignificans. Homines ſiquidem propter triſtitiam multa operantur vt ipſam euitent, vel eius pondere in aliqua agenda prorumpunt: quæ ſi ſint vitioſa, clarum eſt ex triſtitia tunc multa oriri vitia. Hinc S. Gregor. 31. Moral. aſſignat ſex filias acediæ, malitiam, non prout eſt genus vitiorum omnium, ſed prout eſt quædam deteſtatio bonorum ſpiritualium; Rancorem, id eſt indignationem contra homines, qui nos inducunt ad ſpiritualia bona amplectenda; Puſillanimitatem, quæ fugit ardua, quæ ſub ſunt Conſiliis, quibus ad finem & conſecutionem boni diuini poſſemus peruenire; Deſperationem, quæ fugit finem, nempe boni diuini participationem & fruitionem; Torporem circa præcepta, quorum adimpletio neceſſaria eſt ad finem conſequendum; Euagationem denique mentis circa illicita, cum aliquis propter triſtitiam ſe transfert à ſpiritualibus ad delectabilia exteriora.

Iſidorus Hiſpalenſis in Deuteron. c. 16. de triſtitia rancorem, puſillanimitatem, amaritudinem, deſperationem oriri vult; De Acedia autem, quam à triſtitia hoc modo diſtinguit, otioſitatem, ſomnolentiam, importunitatem, inquietudinem, peruagationem, inſtabilitatem mentis & corporis, verboſitatem, luxurioſitatem. Quæ vitia optimè S. Thomas reducit ad ſex filias Acediæ, quas aſſignat S. Greg. Amaritudo namque eſt quidam rancoris effectus. Otioſitas autem & ſomnolentia reducuntur ad torporem, circa quæ eſt aliquis otioſus, omnia ea prætermittens, & ſomnolentus ea negligenter implens: Omnia autem alia quinque, quæ ponit ex Acedia oriri, pertinent ad euagationem mentis circa illicita: quæ quidem, ſecundum quod in ipſa arce mentis reſidet volentis importune ad diuerſa ſe diffundere, vocatur importunitas mentis; ſecundum autem quod pertinet ad cognitionem, dicitur curioſitas; quantum ad locutionem, dicitur verboſitas; quantum autem ad corpus in eodem loco non manens, dicitur inquietudo corporis, quando ſcilicet aliquis per inordinatos motus membrorum vagacitatem indicat mentis; quantum autem ad diuerſa loca, dicitur inſtabilitas: vel poteſt accipi inſtabilitas ſecundum mutabilitatem propoſiti. His præſuppoſitis ex D. Thom. 2. 2. q. 35. nunc ſecundum ea videndum nobis quanta ſit deformitas huius horrendi capitis beſtiæ, iuxta ea quæ ſuperiùs in aliis vitiis diximus.

Dicimus igitur primò Acediam nullam cum Deo concinnitatem habere. Hoc ita coniicere licet. Cum diuina eſſentia ſit infinitæ perfectionis & excellentiæ, propendit naturaliter & intimè ad communionem ſeu communicationem ſui infinitam; ſicut res inferiores propendunt ad procreationem ſui ſimilis & æqualis. Verùm quia id, quod omnino infinitum eſt, multiplicari non poteſt, idcirco diuina eſſentia non ſe communicat productione eſſentiæ ſimilis numero diſtinctæ, ſicut res creatæ faciunt, ſed largitione ſui ipſius, & veluti replicatione: itaut eadem numero ſimpliciſſima natura ſit, in diſtinctis numero hypoſtaſibus. Ex hac infinita & ſuperpleniſſima Dei bonitate, ſeu perfectione ac fæcunditate naturali Deo, oritur benignitas: cuius tamen actus ſunt liberi, id eſt, naturalis propenſio ad communicandum ſe liberè inferioribus creaturis; pro captu cuiuſque. Ex qua benignitate ſeu propenſione prouenit primò & immediatè amor

A erga creaturas, quo vult illis ſuorum bonorum communicationem; ſed maximè erga creaturam rationalem, quæ ſola diuinitatis per intellectum & voluntatem eſt capax. Sicut autem amor ex bonitate diuina procedens, deſcendit & exundat ad creaturas, ita rurſus eaſdem ad diuinam bonitatem conuertit, vt ibi æternùm quieſcant, vnde profluxerunt. Vnde ſupra diximus pulchrum in Deo dici ex pulchritudine, quæ ab eo communicatur, ſeu quod omnium concinnitatis & ſplendoris cauſa ſit, & quod ad ſe κάλλα id eſt, vocet omnia: ex quo κάλλος id eſt pulchritudo dicitur, & tota in totis ſe colligat, vt ait Dionyſ. Ideo amor diuinus à S. Dionyſio, de diuinis nominibus c. 4. definitur *Vis motrix, & ſurſum trahens in Deum, qui ſolus eſt ipſum per*
B *ſe pulchrum & bonum.* Ita Dion. Dicitur vis motrix, primò quia Deum mouet, vt deſcendat ad creaturas, eiſque ſua bona communicet. *Diuinus ſiquidem amor*, vt ait S. Dionyſ. *& bonus & boni cauſa. Ipſe enim bonus autor eorum quæ ſunt. Amor cum prius in ipſo bono, excellenti præſtantique ratione eſſet, non paſſus ipſum in ſe ſterilem & infæcundum manere, ſed eum impulit ad agendum, &c.* Ita Dionyſ. Ita tamen ſe communicat creaturis, vt à ſeipſo minimè diſcedat, dicente eodem Dionyſ. *Audendum etiam hoc pro veritate dicere, ipſum quoque rerum omnium autorem, honeſto bonoque omnium amore ductum, pro ſingulari bonitate amatoria, extra ſe fieri rerum omnium procuratione, &*
C *quaſi bonitate charitateque & amore deliniri; atque ex ſtatu (quo ſuperat omnia, ab omnibus ſecretus eſt) ad eum quo in omnibus eſt demittitur, ea vi eſſentiam ſuperante, quæ illam extra ſe rapit, nec interim à ſeipſo deſcendit.* Ita Dion. Secundo: Dicitur vis motrix ille diuinus amor, qui iuxta eumdem Dionyſ. multiplices habet effectus, nempe faciendi vnum, & colligandi præſtanti modo, res inter ſe miſcendi, qui continet paria communi inter ſe coniunctione; qui ſuperiora ad inferiorum procurationem impellit; qui inferiora cum ſuperioribus conuerſione corroborat: qui dimouet de ſtatu, nec ſui eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur. Quod declarant & ſuperiora, quæ inferiorum fiunt, eis conſulendo;
D & paria, mutuâ inter ſe cohærentiâ, & inferiora diuiniore ad ſuperiora conuerſione. Creaturas à ſe profectas ad ſeipſum conuertit, & non modo ſic ad inferiora deſcendit, à ſeipſo non diſcedens, ſed, vt dictum eſt, ipſas res creatas ſurſum trahit in Deum: *Audebitque*, vt ait S. Dionyſ. *vera ratio dicere ipſum quoque rerum omnium autorem pro ſingulari bonitate ſua amare omnia, omnia facere, omnia perficere, omnia conſeruare, omnia conuertere*, videlicet in ſeipſum, quia amantem transfert à ſeipſo in amatum, nempe Deum in creaturam & creaturam in Deum, & hic circulus eſt perpetuus, nec vnquam aberrare poteſt: quia amor Dei aſſidue in creaturas tendit, per quinque videlicet egreſſus; Per creationem, qua
E non ſolum rebus creatis illuſtre veſtigium ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis imprimit, ſed etiam naturæ rationali, Angelicæ & humanæ, vultus ſui imaginem inſerit; Secundò per gubernationem, quia omnia conſeruat, mouet & perficit, & ad ſuos fines dirigit; Tertiò per myſterium incarnarionis, qua Deus factus eſt verus homo, & corporata eſt inuiſibilis diuinitas, ad manifeſtationem potentiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, miſericordiæ, iuſtitiæ Dei; Quartò per doctrinæ illuminationem & iuſtificationem; Quintò per infuſionem, ſeu communicationem luminis gloriæ, & renouationem totius vniuerſi, qua ſe apertè manifeſtabit omnibus ſanctis, & omnia ad ſe conuertet. Vt autem homo cum Deo concinnitatem ſeruaret, & pulchritudinem ſibi conuenientem adipiſceretur, oporteret vt prorſus à ſe-

ipſo deficeret & pulchritudinem ſibi conuenientem adipiſceretur: oporteret vt prorſus à ſeipſo deficeret, & in Deum tranſiret, & veluti colliqueſceret, nihil amplius cogitans, intelligens aut ſentiens præter Deum, nihil aliud appetens aut deſiderans, nulla alia re gaudens quàm bonis Dei, vnus cum Deo ſpiritus quodammodo effectus. At ecce è contra, acedia omnem motum erga Deum comprimit, omnem de Deo ſenſum extinguit, & loco gaudij de bonis diuinis, de illis peſſimè triſtatur, tota mente & cogitatione & affectu ſe à Deo disiungens & ſeparans. Quomodo igitur cum Deo concinnitatem haberet, quæ de bonis Dei triſtatur, de quibus homo merito gaudere deberet? Quid enim peiuſquàm hoc modo ſe ingratum præbere erga ſuum creatorem, gubernatorem, conſeruatorem, Redemptorem, iuſtificatorem, glorificatorem, qui tot tantaque fecit, vt homini benefaceret, & ad eum communicationem omnium bonorum ſuorum eueheret? Hinc

Dicendum ſecundò plurimis modis acediam Deo eſſe contrariam. Eſt enim Deus actus puriſſimus: hæc autem eſt torpor mentis bona inchoare vel proſequi negligentis. Deus ab æterno nos dilexit. *In charitate*, inquit, *perpetua dilexi te miſerans tui*: Hæc Deum odio proſequitur, dum de bonis eius triſtatur. Deus nihil non facit, vt ad æternam perueniamus beatitudinem, nos propter eum ad ſuam imaginem formauit, nobis auxilia exteriora & interiora ſuppeditat, propterea hominem ſe fecit, mori dignatus eſt, Sacramenta inſtituit, per prædicationem fidem indidit, & cætera omnia perfecit: Hæc per deſperationem à ſummo bono auertitur, & quo maiori auerſione à Deo ſeparatur, eo fortius creaturis adhærere conatur, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. c. 4 *Vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum; qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Deus præcepta nobis dedit, quorum obſeruatione mereamur adipiſci vitam æternam: Hæc illa tanquam impoſſibilia per pusillanimitatem, omnem laborem ſubterfugiens, obſeruare reſpuit, contra illud Apoſtoli, ad Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.* De his optimè S. Ambroſius in c. 4. Epiſtol. ad Epheſios: *Quaſi enim vltra non futuri vitam ſuam contaminant turpiſſima operatione, nolentes ſe ſubjicere legi fidei, quæ prohibet voluptatem propter ſpem vitæ futuræ: quam hi idcirco ridendam cenſent, vt iure deboneſtare ſe, & aliena appetere auida cupiditate videantur, quaſi poſt hanc tranſpunctionem nulla ſit vita.* Ita Ambr. Optimè gloſſa (vt refert S. Tho. 2. 2. q. 20. ar. 3. in illud Prouerb. 24. *Si deſperaueris laſſus, in die anguſtiæ minuetur fortitudo tua.*) *Nihil eſt execrabilius deſperatione, quam qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & quod peius eſt, in fidei certamine conſtantiam perdit.* Et Iſidor. lib. 2. ſententiarum, ſeu de ſummo bono, c. 14. *Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ eſt; contemnere pœnitentiam, & permanere in culpa, deſcendere in infernum poſt mortem eſt. Ergo peccare ad mortem pertinet, deſperare verò in infernum deſcendere. Vnde & ſcriptura ait: Impius, dum in profundum malorum venerit, contemnit.* Ita Iſido. *Sublata ſiquidem ſpe, irrefrenatè*, ait S. Thom. *homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur.* Et dum triſtitia dejicit animam, itaut nimia delectatione occupatus deſperet ſe poſſe, vel per Dei auxilium, ad participationem ſuæ bonitatis peruenire, patet quomodo homo nullam cum Dei voluntate noſtram ſalutem exoptan-

A tis concordiam aut concinnitatem habeat, & ſic turpitudinem & deformitatem animi inſignem contrahat. Quantum nempe diſtet acedioſus à ſpiritu Dei, facile poteſt expiſcari ex his filiabus acediæ, & cæteris, quas ipſi ex S. Gregorio, & Iſidoro aſſignauimus. Eſt enim Dei ſpiritus benignus & ſanctus: Hæc malitiâ cor replet. Suauis eſt Dei ſpiritus & amans bonum: Rancore & indignatione contra eos, qui nos ad bonum inducunt, oſtendit acedioſus quantum diſtet à Dei ſpiritu. Omnem habet virtutem Dei ſpiritus: Hic puſillanimitate victus ab omni virtuoſo opere eſt alienus. Stabilis, certus, ſecurus eſt Dei ſpiritus: Hic deſperatione, nullam habet ſtabilitatem, certitudinem, aut ſecuritatem. B Mobilis eſt Dei ſpiritus, & multiplex, vt omnia agat: Torpore conſtrictus nihil agit acedioſus. Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam: Otioſus, ſomnolentus eſt acedioſus: Suauis eſt Dei ſpiritus: Amaritudine plenus eſt otioſus; qui inquietudine, peruagatione, inſtabilitate mentis, & propoſiti & corporis, ſatis oſtendit quantum diſtet à Dei ſpiritu, qui ſtabilis & certus eſt, & omnia proſpiciens, & omnes ſpiritus capiens, intelligibilis, mundus, ſubtilis, diſertus, curioſitatem & verboſitatem acedioſi deridet.

Dicimus tertiò nec cum proximo concinnitatem aut conuenientiam habere, qui acedia laborat. C Quamuis enim prima fronte non videatur acedioſus proximo nociuus, nihilominus ſi attentè ponderemus ipſum per otioſitatem eſſe tantum terræ pondus, deinde quantùm per malum exemplum alios ſcandalizet, certè videbimus acedioſum nec cum proximo, ſicut nec cum Deo, concinnitatem habere. De eo proculdubio intelligi debet illud Prouerb. 11. *Manus in manu non erit innocens.* Rationem reddit ſapiens, Eccleſiaſt. 33. dum ait: *Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas.* Homo ſiquidem malus, etſi nihil videatur agere otioſus, ex otio ad multas malitias excogitandas progreditur: quas, ſi occaſio ſeſe obtulerit, exequi non ti- D mebit, ex deſperatione meliorum bonorum, iuxta illud Ierem. c. 18. *Qui dixerunt: Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.* Non nobis certè nati ſumus, quod Apoſtolus eleganti comparatione expreſſit, dum corpus myſticum Eccleſiæ, corpori naturali aſſimilat, & docet omnia corporis membra ſibi inuicem eſſe neceſſaria, & pro ſe inuicem eſſe ſollicita: *Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Hinc *fit vt oculus dicere non poſſit manui: Operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij.* Nunc ſi oculus, ſi manus, ſi pes, ſi caput, quibus competit propria operatione E toti corpori inſeruire, membra eſſent pro ſe inuicem minimè ſollicita, nonne oculus eſſet eruendus, vt pote inutilis? Nonne manus amputanda eſſet, & membra illa putrida & inutilia reſecanda, quo pedetentim totum deperiret corpus? At tale membrum eſt corporis myſtici acedioſus, cum nihil agat ad ſalutem propriam & proximorum ædificationem conducens. Rectè S. Chryſ. hom. 43. in Ioann. (hæc Domini verba *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*) expendens. *Non*, inquit, *in deſideria viuendum ſignificat: hic enim cibus eſt, qui maximè perit: ſiquidem omnis malitiæ fames eſt deſideria.* Ita Chryſ. Quam certe ille fugit, qui aliquid operatur ea intentione vt obtineat vitam æternam; operando ex fide per charitatem operante; quia æterna appetit, & bonis diuinis ob-

Digitized by Google

lectatur. Vnde continuò addit S. Chryſoſt. ibidem: *Sed operandum & erogandum indigentibus, qui cibus minimè perit. Qui pigritiæ deditus ventri viuit, delitiis vacat, is cibum operatur qui perit. Qui verò ex labore ſuo Chriſtum nutrit, potum dat, veſtit, quis adeo ſenſu caret vt eum cibum pereuntem dicat operari, per quem & cæleſte regnum, & illius bona nobis promittuntur? Hic enim cibus perpetuò manet.* Ita Chryſ. Inutilitatem hominis otioſi, proximo auxilia ad ſalutem conducentia ſubtrahentis, & per malum exemplum proximo nociui, exaggerat optimè S. Chryſ. homil. 35. in Acta, dum ait: *Deſidia res inutilis eſt, & in ipſis delitiis nihil ita fructu carens vt delicatè agere. Habet enim ſuam ſatietatem, neque tanta alimentorum ne que remiſſionis voluptas eſt, ſed omnia friuola ſiunt ac diſfluunt.* Et poſt pauca: *Corpus quidem eius, qui talis eſt, eneruæ & ineptum eſt: deinde & ſenſus corporis non ſunt iam ſynceri ac ſani, ſed molles ac languidi. Vbi autem illi non ſunt, neque ſanitatis voluptas apparet. Quis equus vtilis eſt? Is qui in delitiis, vel qui exercetur? Quæ Nauis? Eane quæ nauigat, vel quæ in littore manet? Quæ aqua? Eane quæ fluit, vel quæ ſtat? Quod ferrum? An quod mouetur, vel quo nemo vtitur? Nonne illud quidem ſplendet, ac argento ſimile eſt; hoc autem rubigine conſumitur, & vbique inutile eſt, ac etiam aliquid materiæ ſuæ amittens? Tale quoddam fit etiam in otioſa anima. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & conſumit ſplendorem, ac alia omnia. Itaque quanam re detergetur rubigo illa? Cote tribulationum, illæ vtilem facient animam, & ad omnia accommodam. Quomodo enim poterit affectiones ſcindere acie hebetatâ, & (quaſi plumbea eſſet) flexili? Quomodo diabolum ſauciabit? Cui autem non eſt onéroſus homo aqualiculum pinguiſſimum parans, & quaſi bellua marina trahendus? Non loquor de his qui natura ſunt tales, ſed de his, qui ex delicata vita, corpora ſua effecerunt talia. Oritur ſol, & claros vbique diffundit radios, excitat ſingulos ad opera; agricola arrepto ligone egreditur, faber ferrarius ſuos folles aprehendit, & ſinguli opifices quod ſibi congruit; & inuenies vnumquemque ſua inſtrumenta in manu ſumere; mulier fuſum & contexta. Ille autem, quaſi porci, ſtatim à matutinis horis ad paſcendum ventrem egreditur, quærens vt menſam præſumptuoſam inſtruat, tametſi hoc ſolum ſit brutorum primo mane paſci, quoniam ad nihil vtilia ſunt quàm ad mactandum. Illa autem quæ dorſo geſtant, & operibus apta, etiam ipſa noctu ad opus egrediuntur. Hic autem à lecto ſurgit ſole iam totum implente forum, & omnibus labore ſatiatis. Surgit autem ſeſe diſtendens, ſicut ſus ipſa quæ impinguatur, optimâ diei parte in tenebris conſumptâ: deinde ſedet longo tempore in lecto, præ heſterna crapula inuenire veſtes & alia non valens, & conſumpta magna parte in illis, tum ſeipſum comit & ornat, & procedit turpitudinis ſpectaculum, nihil habens hominis, ſed omnia quæ ſunt beſtiæ in humana forma apparent. Oculi lippiunt, vinum os olet, miſera anima quaſi in lectum coniecta, ob varietatem ciborum ſine modo infuſorum, pondus carnium circumferens, ſicut Elephas, tandem veniens ſedet in locis dicit facitque talia, vt melius eſſet illum adhuc dormire quàm vigilem. Si pericula grauia denunciantur, quauis puellâ trepidior fit; ſi vtilia, puello quouis laxior ac mollior eſt: vultus eius oſcitationibus plenus eſt: omnibus adhæret, qui volunt male agere, etſi non ipſis hominibus, certè illorum affectionibus: & ira talem facilè excitat: & concupiſcentia, & inuidia, & omnia omnes adulantur, omnes miniſtrant, molliorem quàm eſt facientes animam. Et quotidie prodit cum inſigni quadam noui morbi acceſſione. Vbi in rerum inciderit difficultatem, cinis & puluis fit, & nihil ei ſericæ veſtes pro ſunt, &c.* Ex hac deſcriptione acedioſi, ſeu otioſi, nonne vides per inutilitatem, & ad malum quoduis patrandum animi præparationem, talem hominem cum proximo nullam habere concinnitatem, cum quo laborare

A renuit? *In labore* enim *hominum non ſunt. Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt impietate & iniquitate ſua.* Proximi gratiâ nihil prorſus boni agit, nec agere intendit, quem diſſolutione victus, loquacitate nimia, & verboſitate continuò ſcandalizat, itaut meritò viri probi de tali homine dicant, vt addit S. Ioan. Chryſoſt. *Onus hic eſt terræ: fruſtra aduenit in mundum talis, imo non fruſtra, ſed in malum ſui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum.* Ita Chryſ.

Sed dici non poteſt quanta mala ſpiritalia tales homines cauſare valeant. *Corrumpunt*, inquit Apoſtolus, *bonos mores colloquia praua.* O quantum igitur nocent proximis hi acedioſi verboſitate ſua, qua B de bonis diuinis irreuerenter loquuntur: & vt contemnantur ab omnibus, ſicut illos ipſi contemnunt, quantum in illis eſt efficiunt. Hi ſunt qui ore rabido ſuas deſpumant confuſiones, id eſt, tanquam ſpumam ſordidam ea proferunt exterius, de quibus erubeſcere & confundi deberent. Audies illos dicere: Quis de cœlo deſcendit, qui nos certiores faciat de his, quæ ibi aguntur? Quis ab inferis reſurrexit, à quo de pœnis grauiſſimis, quas aiunt ibidem peccatores perpeti, poſſimus reddi certos? Quaſi non ſufficiat pro his Chriſtus, qui de cœlo in terras deſcendit, & mortuus deſcendit ad inferos, & tertia die reſurrexit. Sed quod tanquam cognitu difficile adducit ſapiens, Eccleſiaſtici 3. vt optime C animaduertit S. Hieron. hi abſolutè hoc dicunt, nempe *vnum eſſe interitum hominis & iumentorum, omnia pergere ad vnum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.* Vnde addit ſapiens: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adæ aſcendit ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* inquit S. Hieron. *videtur eſſe blaſphemiam. Qui cognoſcit ſpiritum filiorum hominum, &c. Non inter pecudes & hominem, ſecundum animæ dignitatem, nihil intereſſe contendit; ſed adijciendo (quis) difficultatem rei voluit demonſtrare. Pronomen enim (quis) in ſcripturis ſanctis non pro impoſſibili, ſed pro difficili ſemper accipitur, vt ibi, Generationem eius qui enarrabit? Pſ. 14. Domine quis habitabit? &c. Et in Hierem. (licet in Hebræo aliter ſit) Et homo eſt, & quis* D *cognoſcet eum? c. 17. inter hominem igitur & beſtias hæc ſola eſt differentia, quod ſpiritus hominis aſcendit in cœlum, & ſpiritus iumenti deſcendat in terram, & cum carne diſſoluitur. Huius rei vir aliquis Eccleſiaſticus, & diſciplinis cæleſtibus eruditus, & quaſi dubiæ rei certus aſſertior ſit.* Ita Hieron. Difficile enim hoc percipitur, ſed fide creditur, quam annunciant verbi Dei præcones à Deo miſſi ad annunciandam hominibus veritatem. At acedioſi, odio participationis bonorum diuinorum, ſibi perſuadent facillimè vnam & eamdem eſſe hominis & iumentorum ſortem & conditionem: vnde autumant ſibi eſſe in hoc ſæculo in delitiis corporis conuiuendum. Horum enim vox eſt apud Iſaiam. c. 22. E *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur*; cum vocantur à Deo ad fletum & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci, id eſt, ad pœnitentiam. At mentem ipſorum fuſiùs explicat ſapiens, Sap. 2. Ibi enim quaſi omnino in morte perituri tandem ſtatuunt ſibi eſſe in luxuriis & comeſſationibus viuendum. *Quoniam*, inquiunt, *hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Sicut autem de fide deſperantes hæc dicunt acedioſi, ita etiam media, quibus ad hunc finem peruenire poſſumus, derident; Sacramenta à Deo inſtituta negligunt; ea quæ de iudicio, de paradiſo, de inferno dicuntur, cum riſu excipiunt; Dei mandata non obligare contendunt; Deum (ſi tamen Deum eſſe arbitrantur) eſſe miſericordem proclamant, qui nolit tormentis homines in æternum vexari; impoſſibile eſſe tantam bonitatem in

Digitized by Google

ſuppliciis hominume delectari. Quæ colloquia certè bonos mores corrumpunt. Et ſic patet quantum proximo acediâ laborans ſit nociuus, quem ad diſſolutionem morum, & odium & contemptum bonorum diuinorum, ſuo non modò exemplo, ſed ſermonibus etiam ſuis conatur adducere. Nunc videndum quomodo ſibimet etiam acedioſus ſit nociuus.

Dicimus igitur quarto, nec cum ſeipſo acedioſum concinnitatem habere. Cum enim homo natus ſit ad laborem, hic inertem ducit vitam, & fit ſibimetipſi grauis. Nam dum laborem fugit ex odio diuinorum, omnia fiunt illi acerba, ingrata, & intolerabilia: quo enim magis laborare ſubterfugit, eo magis in vitâ ærumnis plenâ, grauiora ſibi fiunt, quæ ſecundum humanam conditionem tolerare cogimur. Et certè eo ipſo quod acedia peccatum eſt veniale, ſi non adſit plenus conſenſus, ſi ſit in materia leui, vel cum oritur non ex bono diuino, ſed ex quadam circumſtantia loci vel temporis; vel cum non contrariatur directè charitati, ſed tantum feruori charitatis; nec eſt in materia quæ neceſſaria ſit ad bonum diuinum adipiſcendum; multo magis eo ipſo quod acedia peccatum mortale eſt, cum directè eſt de bono diuino, & de iis quæ neceſſariò ſunt facienda, qualia ſunt diuina præcepta; vel cum ſpem de diuino auxilio nobis ſuppeditando omnino abdicamus per deſperationem, ex peccati genericè ſumpti natura, nullam cum mente acedia concinnitatem habebit. Sed ſi attente conſideremus ſpecificam rationem acediæ, videbimus illam omnem acedioſo auferre concinnitatem cum ſeipſo. Animæ natura, vt optimè animaduertit S. Chryſoſt. eſt vt ſemper moueatur, & quieſcere nequeat; & à Deo homo creatus eſt vt operetur. Sicut igitur & oculus, & os, & venter, & vnumquodque membrorum, ſi quod ſuum eſt non operetur, indicium eſt morbi præſentis vel mox adfuturi, ita & mens hominis, ſi torpeat & deſidioſa ſit, maximam iram incurrit vel incurrere debet in proximo calamitatem. Certè, vt docet S. Chryſ. parænesi prima ad Theodorum lapſum, *ſpes in Deo eſt amica tua, fundamentum vitæ noſtræ, manu ductio in via qua in Deum ferimur, ſalus perditarum animarum, & quaſi catena aurea, qua de terra ad cœlum ſubleuamur. At ſi ſpem deſeruerimus, ſi hanc catenam relinquimus, diabolo ingerente, triſtes cogitationes omni plumbo grauiores, quibus vergimus ad extremum ſalutis deſperationem. Certè deſperatione ſemel admiſſa, continuò deprimimur pondere, & amiſſa illa catena dilabimur in vltima malorum. Iis enim, qui hac deſperatione afficiuntur, idem euenit ac viris furore correptis. Hi ſiquidem deperdita ſemel ſanitate capitis, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepidè quiduis audent; in ignem, in mare, in prærupta editaque ſaxa impigrè conuolant. In hunc modum qui ſe incuria per deſperationem permiſerũt, deinceps ſunt intolerabiles: per auia vitiorum aſſiduè diſcurſitant, ac niſi mors ſuperueniens eos ab inſania, atque ab illo impetu reuocet, infinitis ſe calamitatibus conficiunt*, ait Chryſ. Talem hominem diceres ne cum ſeipſo concinnitatem ſeruare? Minimè.

Dicimus igitur vltimò, acediam omnem auferre ab anima virtutis ſplendorem, id, eſt rectam agendi rationem, eamque maculâ ignominioſâ & graui macula adſpergere, hominemque pigrum nunquã ad finem à Deo præſtitutum poſſe peruenire. *Regnum enim Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* At acedioſus mollis & effœminatus nullam ſibi facit violentiam, vt ad regnum perueniat. Hinc comparatur à S. Bonauentura, (in dieta ſalutis, tit. 1.) ſalicibus infructuoſis, (*Circumdant eum*, nempe dæmonem, *ſalices infructuoſæ*. Iob. 4.) febri hecticæ, Phtiſicæ, paralyſi; quia in acedioſo omnis gratiæ humor conſumptus eſt, quia incurabilis, quia ad quemlibet motum & ſenſum circa bonum inualidus. Recitat ſacra hiſtoria olim fuiſſe quemdam Regem, quem vocat Adonibezec, cuius fuerat tanta ſæuitia, vt ſeptuaginta regibus ab eo deuictis ſummitates manuum & pedum cædiſſet. Iud 1. Hoc facit acedia: omnibus potentiis & facultatibus animæ aufert & operationem, & affectum operandi. Vnde ſicut ferrum inutile rubigine maculatur & conſumitur, ita & mens torpore, deſidia, puſillanimitate maculatur & conſumitur. Sicut terra inculta ſpinis oppletur, ita & mens vitiis opprimitur ſi otio torpeat. Sicut veſtis neglecta à tinea corroditur, ſic & virtutis ſplendor per negligentiam in anima conſumitur. Sicut aqua non fluens putreſcit, & fætore graui omnes inficit, ita anima in actus conuenientes non ſe exercens fæter, velut ille Lazarus à quatuor iam diebus vita functus. Mirum eſt quanta ſacra ſcriptura exagitat vituperiis homines otioſos & deſides; ſiue dum ait, Prouerb. 18. *Qui mollis eſt & diſſolutus in opere frater eſt ſua opera diſſipantis*; vel Prouerb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa*; Egeſtatem, inquam, non modo bonorum temporalium, ſed etiam ſpiritualium; & cap. 6. *Vſquequo piger dormies? Quando conſurges à ſomno tuo? Paululum dormies: Paululum dormitabis: Paululum conſeres manus; & veniet tibi quaſi curſor egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus*; Et Eccleſiaſt. 22. *In lapide lutero lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum excutiet manus.* Græci legunt: *Lapidi conſpurcato comparatus eſt piger, & omnis ſibilat ſuper ignominia eius. Stercori boum comparatus eſt piger: omnis qui tulit illum, excutiet manum.* Qua comparatione ſignificatur vilitas, contemptus & ſordities hominis pigri. Tam ſordidus eſt, vt etiam ſi de eo malè loquaris, eum arguendo & condemnando propter acediam, tu ipſe ſordeſcas. Non enim hominum memoriâ dignus eſt exiſtimandus; ac ſi quis te audiens de eo loquentem diceret: Tu ne in memoriam habes hominem tam inutilem, & memoriâ indignum? Satius eſſet loqui de ſtercore boum. Bos enim memoria dignus, qui ſuo labore omnibus prodeſt terræ incolis. Denique multa alia reperies in ſcripturis acedioſos & deſides ſugillantia; & meritò, cum hominem ineptum reddat perueniendi ad finem. Merces enim non datur niſi ſtrenuè & impigrè operanti. Ad magna vocati ad ea peruenire non poſſumus niſi per magnos labores. Tempus breue eſt, & grandis nobis reſtat via. Feſtinandum igitur, ſi velimus curſum noſtrum fælici conſummatione abſque offendiculo abſoluere. Nam, vt ait ſaluator Ioan. 11. *Siquis ambulauerit in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo.* Et hæc de acedia ſatis.

De ſexto capite horrendæ beſtiæ, nempe gula.

ANNOTAT. XII.

FATENDVM eſt appetitum naturalem, ſeu vim illam appetituam (quæ pertinet ad vires animæ vegetabilis, & diuiditur contra retentiuam, digeſtiuam, & expulſiuam) ad quam pertinet eſuries & ſitis, non eſſe vitium aut peccatum. Datus eſt etiam ille appetitus ab autore naturæ, vt quodlibet animal ſuam præueniat ruinam, vtendo cibis ad ſuam conſeruationem neceſſariis. At appetitus ſenſitiuus edendi & bibendi inordinatus, ex eo quod recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis

Digitized by Google

moralis conſiſtit, vitioſus eſt & peccatum; dum quis ſcienter propter concupiſcentiam cibi delectabilis excedit menſuram in edendo. Vnde à S. Gregorio lib. 30. Moral. c. 16. vocatur ille appetitus, *hoſtis intra noſmetipſos poſitus.* Et quidem mortale peccatum, quando ſcilicet delectationi gulæ ita homo inhæret tanquam fini, vt propter eam Deum contemnat, paratus contra Dei præcepta agere, vt delectationes huiuſmodi aſſequatur. Erit autem tantum peccatum veniale, ſi illa inordinatio concupiſcentiæ tantum ſit ſecundum ea quæ ſunt ad finem, vt pote quia nimis concupiſcit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei. Quando igitur importat auerſionem à fine vltimo, peccatum eſt mortale. Contrariatur dilectioni Dei, qui eſt ſuper omnia (ſicut finis vltimus) diligendus; & cunctas virtutes obruit, vel S. Gregorio teſte 3. Moral. c. 26. Quod quidem ſi ſpectetur ſecundum materiam, nempe in quantum eſt circa ea quæ ad ſuſtentationem corporis ſpectant, non erit ita graue ac ſunt peccata quæ ſunt circa res diuinas: Si rurſus ſpectetur ex parte peccantis, magis alleuiatur, quam aggrauatur, tum propter neceſſitatem aſſumptionis ciborum, tum etiam propter difficultatem diſcernendi & moderandi id quod in talibus conuenit. Ac ſi ſpectetur ex parte effectus conſequentis, habet certè vitium gulæ quamdam magnitudinem, in quantum ex ea occaſionantur diuerſa peccata; & in quinque ſpecies diuiditur. Si quis inordinatè appetit cibum, vel lautos ſeu pretioſos quærendo, vel nimis accurate & ſtudioſè præparatos, vel excedens nimis in edendo, vel præueniendo debitum tempus comedendi: vel non ſeruando modum in edendo, dum nimis ardenter quis fertur ad edendum, iuxta illum verſiculum:

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

Et quia ex qualibet ſpecie vitij iſtius multa alia vitia oriuntur, ſecundum rationem cauſæ finalis, in quantum ſcilicet habet finem multum appetibilem, vnde ex eius appetitu homines prouocantur multipliciter ad peccandum; (habet ſiquidem delectationem tactus, quæ præcipua eſt inter alias, quæ quidem vna eſt de conditionibus felicitatis, quæ eſt naturaliter appetibilis) ideo gula dicitur vitium capitale, id eſt, vitium à quo multa oriuntur vitia. Cui etiam aſſignantur quinque filiæ, ſcilicet inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam. Ita S. Thom. 2. 2. q. 148. His præſuppoſitis, videndum quomodo illud vitium nullam habeat cum Deo concinnitatem, nullam cum proximo, nullam cum ſeipſo, omnem auferat virtutis ſplendorem, & inſignem inurat homini maculam: quo fit vt qui tali vitio laboret, ad finem ſibi à Deo præſtitutum nunquam peruenire valeat. *Caro* enim *& ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.*

Dico igitur primò, hominem gulæ deditum cum Deo non conuenire. Primò, quia iniuſtè vſurpat quæ Dei ſunt, contra Dei voluntatem; & dominationem eius ſpernit. Secundò, quia Deo ingratus ea quæ data ſunt ei (vt Deo gratias agat pro immenſa liberalitate ſua) in Dei offenſam & contemptum conuertit. Quod vt clarè perſpicias, in memoriam reuocandum Deum eſſe Dominum vniuerſorum, quo fit vt contra illius intentionem de vlla re homo vti non debeat, ſed tantùm prout ei præſcribitur à Deo omnium autore, & præpotenti Domino. Vnde optimè S. Ambroſ. 1. de paradiſo c. 6. probat Adamum & Euam peccaſſe, quia contra Dei præceptum, de ligno ſcientiæ boni & mali comediſſent, ex eo quod intelligere debebant Deo

A eſſe obediendum, vt pote qui ſit rerum omnium autor & Dominus. *Conſiderare enim potuit homo*, inquit S. Ambroſ. *ex iis quæ Deus ante ei contulerat quod inſufflationem Dei accepit, quod erat in paradiſo voluptatis locatus, ſummam autori obedientiam deferendum. Et ideò ſi vim neſciebat boni & mali, quia tantorum auctor dixerat, de ligno ſcientiæ boni & mali non eſſe guſtandum, fidem præceptori ſeruare debuerat: non enim ab eo peritia, ſed fides exigebatur. Intelligebat vtique Deum omnibus præeminere, ideoque perſonam iubentis ſpectare debuerat. Et ſi non intelligebat vim qualitatemque iuſſorum, ſciebat tamen præceptori deferendam eſſe reuerentiam.* Ita S. Ambroſ. Cum igitur Deus ſit omnium Dominus, nec homo habeat aliquid niſi B ex dono & conceſſione ipſius, peccat proculdubio ſi de re aliqua vtatur contra præceptum ipſius. Quod ſatis declarat ſacra ſcriptura: nam ſtatim atque aſſerit Deum homini aliquid conceſſiſſe ad ipſius vſum, continuò addit præceptum aliquod prohibitiuum & reſtrictiuum largæ & liberalis conceſſionis & donationis. Geneſ. 2. *Præcepitque ei dicens. Ex omni ligno paradiſi comede*: Dederat ſiquidem Deus *eis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt eſſent illis in eſcam* Geneſ. 1. At ſtatim atque concedit vt iis vtantur in cibum, ſtatim addit præceptum prohibitiuum & reſtrictiuum, additâ pœnâ, ſi contempto præcepto de ligno prohibito ederent. C *De ligno*, inquit, *autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ita etiam poſt diluuium conceſſit Deus Noe & poſteritati, vt comederent non ſolùm de fructibus terræ, ſed etiam de animalibus, volucribus & piſcibus. *Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia: tradidi vobis omnia.* Geneſ. 9. At ſtatim, vt ſe Dominum eſſe innueret, addit exceptionem: *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Et cap. 14. Deuteronomij, Iſraëlitis præſcribit quæ comedere poterant licitè, & alia prohibet tam de animalibus quàm de piſcibus & alitibus.

Cum igitur Deus ſit omnium, quæ ab ipſo nobis D donata ſunt in cibum, verus Dominus; vnde dicebat Pſal. 4. *Si eſuriero non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius*; certum eſt iis rebus eo fine nobis eſſe vtendum, quem ipſe intendit. At duplex eſt finis quem Deus intendit. Primus eſt vt vitam, quam dedit & inſpirauit, ſaluam & incolumem ſuſtentemus, cibo reparantes quidquid de noſtra diffluit ſubſtantia. Secundus eſt vt ei gratias rependamus, dum quotidie experimur ſuo nos viuere beneficio, & panem quotidianum nos ab eo accipere; vnde in eodem Pſalmo proteſtatur non indigere ſe vt offeramus ei vitulos aut hircos, aut aliquid huiuſmodi, cum ſit omnium quæ in terra ſunt Dominus: ſed tantum deſiderare vt ei laudes dicamus. E *Immola*, inquit, *Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Finis itaque*, vt optimè ait Arnobius, in hunc Pſalmum, *ſemper ante oculos eſt habendus: & in Dei laudibus permanendum. Ibi enim eſt iter in quo oſtenditur ſalutare Dei, qui regnat in ſæcula ſæculorum.* Ita Arnob. At quid facit guloſus? Quæ data ſunt & conceſſa illi, ad corporis & naturæ ſuſtentationem, concupiſcit inordinato appetitu pro ſola delectatione, quæ in vſu cibi & potus experitur; itaut ſæpe à Deo auertatur, aliquod Dei præceptum tranſgrediendo, vt ea fruatur delectatione; nec opera Dei conſideret, aut benefactoris ſui recordetur. Effectus enim generalis gulæ eſt obliuio operum Dei, & benefactorum illius, iuxta illud Iſa. c. 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara*

Digitized by Google

lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris, & opus Domini, non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Et apud Oſeam, c. 13. conqueritur Deus de illis: *Adimpleti ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Et reuera negari non poteſt gulam homines ad hanc deformitatem ſæpe adducere, vt ita delectationem in cibis & potibus perquirant, quod inimicos crucis Chriſti ſe conſtituant, & ventrem ſuum pro Deo habeant, dicente Apoſtolo ad Philipp. 3. *Et gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt.* Hos Bacchi ſacerdotes vocat Tertullian. *Quorum Deus venter eſt, pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos cocus, & Spiritus ſanctus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Quibus* (ait rurſus Tertull.) *agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet.* Vnde non mirum ſi hoc caput Beſtiæ (ſicut & alia capita) ſuper decem cornua, quæ iſta capita formidabiliora reddunt, diademata decem habeat; quia Deo vero contempto, vt Deo ventri obtemperent, parata eſt gula decem Domini præcepta infringere: à Deo auertitur, quem amare deberet: abdicat ſpem futuram, ad quæ adſpirare deberet, vt gulæ vacet dicendo: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* Iſ. 22. ac ſi à Deo tantum ad comedendum & bibendum creatus fuiſſet; fidem deſerit, vnde in periuria & blaſphemias plærumque guloſus prorumpit, de quibus ait S. Iudas: *Quæcumque quidem ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrũpuntur. Conuiuantes ſine timore, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Sabbatha violat guloſus, dum dies feſtos in comeſſationibus & ebrietatibus tranſigit, quos ad Deum laudandum tranſigere deberet. Ex gula in parentes proprios inſurrectiones, homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, cupiditates inordinatæ & illicitæ: quo fit certiſſimum gulam decem modis, quaſi decem cornibus, contra Deum pugnare. *Non immeritò ergo,* inquit S. Ambroſ. 1. de Elia & ieiunio, *væ illis, qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conueniebat Deo laudes referre, præuenire lucem, & vacare orationi, occurrere ſoli iuſtitiæ, qui nos viſitat & exurgit nobis. Si nos Chriſto, non vino & ſiceræ, ſurgamus, hymni dicuntur; & tu Cytharam tenes? Pſalmi canuntur, & tu pſalteria inſonas, aut tympanum? Meritò væ, qui ſalutem relinquis, mortem eligis.* Ita Ambroſ. 1. de Elia & Ieiun. c. 15.

Dicimus ſecundò, guloſum ita diſſentire à proximo, vt etiam antequam proximus concipiatur, ipſi ſit nociuus: *Siquidem*, ait S. Ambroſ. lib. de Elia & de Ieiunio c. 16. *naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere ſe non queunt, & in beſtiales libidines excitantur, vt nullum tempus præſcriptum habeant, quod deceat indulgere concubitui.* Ita S. Ambroſ. Quo fit vt ex crudo & indigeſto ſemine, corpora peſſimis affectionibus & qualitatibus infecta generentur, vnde diuerſis ſubiacent infirmitatibus. At deinceps quomodo non eſſet nociua proximo gula, quæ bona & hæreditates diſſipat, quo fit vt filij & nepotes guloſi ad mendicitatem redigantur, fame diſpereat eius familia? Quod ſi damna ex ebrietate prouenientia ſpectes, quis illa enumerare queat? Optimè S. Chryſ. homil. 17. *Nihil tam gratum dæmonio quàm delitiæ ſunt & ebrietas, quoniam omnium fons eſt malorum & genitrix.* Et paulo poſt: *Quid enim mali non operantur delitiæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur in cœno, & ſtercore paſcitur. Hic autem abominabili magis veſcitur menſa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores: huiuſmodi nihil à dæmoniaco differt. Similis namque fertur impudentia, ſimili*

A *bacchatur furore; & dæmone quidem preſſum ſaltem miſereamur, huius autem auerſamur & odimus. Quid ita tandem? Quoniam ſpontaneum ad ſe trahit furorem, & os, oculos, & nares, & omnia generaliter diuerſoria, ductus, & vinos facit furoris.* Ita Chryſ. Quæ quidem cum proximo ſcandalo ſint maximo, patet guloſum proximo eſſe nociuum. Sic namque ebrioſus furore percitus non modo nocet proximo illicitis amoribus, quibus virgines corrumpit, thoros violat ſanctorum connubiorum, ſed etiam homicidiis, quæ plærumque ex ebrietate ſequuntur. Hydra proculdubio eſt multorum capitum gula ſeu ebrietas: Nam, vt ait S. Chryſoſt. homil. 57. ad populum, *hinc fornicatio: illinc ira, aliunde mollities; aliunde amores nefarij naſcentes.* Ita Chryſ. *Vbi ſiquidem*, vt ipſe
B rurſus ait, *ebrietas, ibi diabolus: vbi turpia, vbi ſaturitas, illis dæmones.* Ita Chryſ. At ſi adſit diabolus calumniator, dæmon nocentiſſimus, quid boni ſperandum? Certè maledicentiæ, calumniæ, periuria, blaſphemiæ, fornicationes, adulteria, homicidia, tanquam proprij dæmonis partus, ex crapula & ebrietate conſequentur: quod experientia ita docet, vt de hoc dubitare non liceat. Horrendam de hac re lege hiſtoriam apud ſanctum Auguſtinum.

Et certè qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit? *Cui autem*, vt ait Sapiens, Prouerb. 23. *væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui*
C *ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Vnde ſatis patet guloſum proximo & ſibi eſſe nociuum: quæ duo ita connexa ſunt, vt vix vnum ab altero ſeparare queas.

Dicimus igitur tertio, & ſibi nocet guloſus, cum proximo nocet. In hoc enim proximo nocet, quia in ſeipſum eſt nocentiſſimus, dum ſubtrahit proximo ex ſuperfluo vſu ciborum id quo neceſſitati illius abundè ſubueniret; dum proximo redditur crudelis, cum nimis molliter genio indulget, dum morbos contrahit, corpus proprium enecat, dum mente alienatur, dum in quoſlibet obuios furioſè debacchatur. Nonne proinde optimè dixit Sapiens, Pro. 21. *Qui diligit epulas, in egeſtate erit. Qui amat*
D *vinum & pingue non ditabitur.* Et c. 23. *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur.* Nocet igitur, in detrimentum proximi, bonis ſuis temporalibus & facultatibus guloſus, dum illas diſſipat indebitè. Et quomodo proximum de illis iuuaret, dum plus deuorat in vno epulo, quàm neceſſarium foret ad ſuam, per integram hebdomadam, debitam ſuſtentationem? Hinc viſcera impij guloſi cibos deuorantia, dicuntur crudelia erga egentes & mendicos. Habes exemplum in diuite epulone, qui nec de micis menſæ ſaturari curabat Lazarum ad januam ſuam fame expirantem. Adde his damna animæ & cor-
E poris. Rectè S. Ambroſius, lib. de Elia & ieiunio: *Quid te delectant damna ſine gratia? Rogas ad iocunditatem: cogis ad mortem. Inuitas ad potandum; efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis: tormenta irrogas. Vina prætendis: venena ſuffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum eſt: tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infeſtat, caput vexat: etiam maior vis vini quam veneni eſt. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moyſem non ſolum veneno, ſed etiam draconis veneno vinum comparauit dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis. Et pulchrè additur, inſanabilis. Multi enim reliquorum ſerpentium veneno curantur, nemo ebrietate. Certè veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia eſt ebrietas ad corporis ſanitatem, mentis etiam crimen adiungit.* Hæc Ambroſ. c. 14. de Elia, &c. S. Chryſ. adiungo, qui homilia 71.

plurima diſſerit de ebrietatis & gulæ incommodis. *Quæ namque lætitia non eſſe in ſemetipſo, innumeroſque pati dolores, & omnia ſe circumferentia ſpectare, vertigineque detineri, & iuxta febricitantes opus habere oleo caput rigantibus.* Et paulo poſt, ebrioſos viliores brutis ſeipſos reddere ait, *Quod enim canibus & aſinis vos viliores indicaſtis, inde manifeſtum eſt. Hæc namque bruta ſupra menſuram cibum ſumere non cogis. Et ſi quis dixerit, quare? Dices: ne lædantur. Tibi verò nec hanc curam impendis.* Ita Chryſ. Qui mox addit, hæc incommoda ponderans: *Sicut enim febre præteritâ febris manet detrimentum, ita & ebrietate ſublatâ, ebrietatis tam in anima quàm in corpore verſatur tempeſtas; & miſerum quidem corpus ſolutum iacet, ſicut ex naufragio ſcapha: hoc autem infælicior anima, hoc ſolato procellam ſuſcitat, accendit libidinem: & cum continens eſſe videatur, tunc præſertim inſanit, vinum & dolia, & phialas, & crateres mente concipiens. Et ſicut in tempeſtate, ſedatâ procellâ tempeſtatis tamen remanet nocumentum, itidem & in iſta: ſicut enim illis mercium fit iactura, ſimiliter & iſthic omnium fere bonorum efficitur, ſiue modeſtiam inueniat, ſiue pudorem, ſiue prudentiam, ſiue manſuetudinem aut humilitatem, in iniquitatis omnia projicit pelagus. Sed quæ ſequuntur non adhuc ſimilia. Illic enim poſt iacturam ſcapha leuis efficitur: hîc autem magis grauatur; nam pro diuitiis illic arenam admittit, & ſalſum laticem, & omnem ebrietatis ſordem, quæ cum nautis pariter & gubernatore ſcapham illicò ſubmergit.* Ita Chryſ. At (quod formidabilius eſt) damnationis periculum incurrit ebrioſus, dicente Apoſtolo 1. ad Corint. 6. *Nolite errare: neque ebrioſi, neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Interim, vt dictum eſt, & corpus & anima multa incurrunt incommoda; corpus quidem, quia, vt idem Chryſoſtomus hom. 29. in Epiſtol. ad Hebræos rectè diſſerit. *Voluptas vſque ad gulam, vſque ad linguam, menſâ autem ablatâ, & cibo deuorato, perinde est atque ſi non fueris eius particeps, imo verò longe deterior, vt qui inde auferas grauedinem, diſtentionem, pendiculationem, & crapulam & ſomnum, morti ſimilem, ſæpe etiam verò vigiliam ex ſaturitate & obſtructione ſpiritus, & eructatione, & millies quidem ventrem potueris execrari, cum execrari oporteat intemperantiam, & immoderationem. Ne corpus ergo impinguemus, ſed audiamus Paulum dicentem: Carnis curam ne geſſeritis ad concupiſcentias. Et reuera, vt idem ait, quod vſum ſuperat, & eſt pluſquam par ſit, non ſolùm non nutrit, ſed illud quoque affert noxam. Noli igitur corpus grauare ne obruas: quod ſufficit eſt & alimentum, & voluptas, & ſanitas; quod verò eſt plus quàm par ſit, eſt & damnum, & moleſtia & morbus. Crapula quippe corpus arrodens & putreſaciens longo tradit morbo, & deinde morti grauiſſimæ. Ingreſſa quippe redundantia totum diſſoluit & diffundit. Blandè certè ingreditur vinum, ſed in fine mordebit vt coluber. Nam inſenſibili quadam ratione, etſi delectet guſtu, corpus corrodit & conſumit.* Optimè adhuc S. Ambroſ. de Elia & ieiunio, c. 17. *Mihi*, inquit, *non poculi ſed profluuij genus eſſe videtur, quod in ora hominum, tanquam per fiſtulas aut canales vina funduntur. Hos homines an vtres veriùs æſtimauerim? Et tamen ipſi vtres, ſi immoderata transfuſio fit, ſæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt: & ſi quis reſpirauerit commiſſum flagitium ſoluta acies loco motus habetur. Aqua decurrens à Libano cautes rumpit & ſoluit. Quomodo mollibus putant nequaquam nocere viſceribus vinolentorum impetus fluentorum?* Miratur poſtea idem Ambroſ. Elephantes, quamuis immania habeant corpora, ſuperfluum nihil tenere: quo fit vt ſi promuſcide aquæ plurimum hauriant, (itaut ſi ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, tantum aquæ promuſcide hauriant, vt tabernam illius, de quo ſe putarint vindicandos, valeant inundationi-

A bus irrigare) tamen ad ſedandam ſitim moderato potu ſunt contenti; homines verò nunquam expleri valeant. *In ipſo conuiuio, dum bibunt ſitiunt; & cum inebriati fuerint ampliùs bibunt, quaſi aperto gurgite: vinum iam non imbibitur; ſed infunditur poculum; non libatur, ſed exinanitur: quo fit vt vocem amittant, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt: hinc phreneſis periculoſa: hinc calculi grauis pœna: hinc exitialis cruditas: hinc vomitus frequens, ſemeſas epulas cum internorum viſcerum cruore fundentium. Mentior niſi eadem Dominus per Hieremiam locutus eſt dicens: Bibite & inebriamini, & vomite; & cadetis, & non conſurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incertis viſus, inſtabiles greſ-*
B *ſus, vmbras ſæpe tranſiliunt ſicut foueas, nutat his cum facie terra, ſubitò erigi & inclinari videtur, & quaſi vertatur, timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt; aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi: murmur in auribus tanquam maris fluctuantis, fragor & reſonantia fluctu littora. Canes ſi videant, leones arbitrantur & fugiunt. Alij riſu ſoluuntur incondito, alij inconſolabili mœrore deplorant; alij cernunt irrationabiles pauores, vigilantes ſomniant, dormientes litigant, vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt: excitari nullis vocibus poſſunt, quantolibet ſtimulando impulſu petas, niſi reſipuerint, euigilari non poſſunt. Vnde benè Hieremias huiuſmodi hominem, tanquam ſuperfluam creaturam, deflendum putat. Quid eſt homo ebrius, niſi ſuperflua crea-*
C *tura? Iaζετ [illegible] factura ſuperflua.* Ita Ambroſ. Et reuera homo in tali ſtatu ad nihilum vtilis eſt. Si ipſum alloqui velis, mortuum, non hominem viuum alloqueris. Ex his ſatis patet quomodo vir guloſus nullam ſecum habet concinnitatem.

Dico quartò, quod nullo ſplendore virtutis fulget, imo turpi macula fœdatur: quia inordinatæ delectationi ciborum adhæret. Dici non poteſt quàm auidè homines delectationem ciborum, & potus eximij voluptatem perquirant, quàm tenaciter his voluptatibus inhæreant, vt impoſſibile ſit hominem his conſuetum ab ea voluptate abducere: & mens quæ verbo Dei paſci deberet, (iux-
D ta illud: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*) dignitatis ſuæ oblita nihil aliud cogitat quàm cibos delicatos, ſuaues potus, comeſſationes & ebrietates; vt pote quæ ventri tanquam Deo, & gulæ veluti præpotenti domino ſeruiat; quæ ſemper expetit, nunquam expletur. Quid enim inſatiabilius gula & ventre? At, vt optimè S. Chryſoſtomus homil. 22. in Geneſim, *non hac de cauſa in hanc vitam nati ſumus vt ſolum comedamus & bibamus: non vita eſt propter cibum & potum, ſed propter vitam cibus & potus. Ne ergo inuertamus ordinem, neque ſic ventri & carnis voluptati ſeruiamus, quaſi eam ob cauſam facti ſimus: ſed reputantes damnum quod inde naſcitur, caſtigemus motus carnis, ne ſimus ſe-*
E *gnes, ne permittamus illis vt aduerſus animam inſurgant.* Ita Chryſ.

At dices: Ergo nullam Deus in cibis ſuauitatem, in vino dulcedinem reponere debuit, ſi tali ſuauitate aut voluptate frui nobis non liceat. Fatendum eſt certè homines voluptate facillimè capi, tanquam animalia muta. *Per eſcam*, inquit S. Ambr. de Elia & Ieiunio, c. 8. *laqueus non cauetur. In eſca hamus latet, & cibus inducit in foueam, inducit in retia. Cibus etiam aues illigat, cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventrem pericula? Muta animalia crimen neſciunt, & in hoc ſolo tanquam pro crimine puniuntur.* Ita Amb. Quanto magis homines, qui ratione præditi ſunt, puniri debent, ſi contra rationem delectatione cibi & potus inordinatè afficiuntur? Certè iis qui objicient vinum fore è rerum natura abji-

Digitized by Google

ciendum, ſi illius vſus in crimen vocari debeat, recte reſpondet S. Chryſ. *O ignorantiam! ô ſtoliditatem! Aliis peccantibus donum Dei accuſas? Quantum hic eſt furor? Nunquid vinum hoc malum effecit? Non vinum, ſed malè diſpenſantium immodeſtia. Dic itaque ne ſit ebrietas, ne ſint delitiæ. Si verò dicas, ne ſit vinum, dices & ſenſim procedens, ne ſit ferrum propter homicidas; ne ſit nox, propter fures; ne ſit lux, propter calumniatores: ne ſit mulier, propter adulteria; & omnia penitus tolles. Sed noli ita facere, hoc enim eſt Satanicæ mentis; nec vinum, ſed ebrietatem accuſa, &c. Vinum eſt datum vt delectemur, non vt dehoneſtemur: vt rideamus, non vt rideamur; vt valeamus, non vt ægrotemus; vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ poſternamus virtutem. Te dono Deus honorauit. Cur te ipſum afficis contumelia?* Hæc Chryſ. hom. 71.

Quod autem grauem maculam contrahat guloſus & ebrioſus, audi Chryſ. homil. 13. in Epiſtol. ad Rom. *Vino madens turpe ſui ſpectaculum exhibet, id lucrifacit, vt nec eos quidem ſentiat quibus ridiculus eſt: die autem ſequenti exorto, & ſolatio hoc priuatur, tum ſentiens & famulos murmurantes, & vxorem erubeſcentem, & amicos ſuggillantes, & inimicos irridentes. Quid tandem hac vita miſerabilius, de die riſui omnibus eſſe, veſperi autem in eadem turpitudine de integro recidere?* Hæc Chryſ. Tranſcribendum hic eſſet totum caput 13. S. Ambroſij de Elia & ieiunio, graphicè deſcribentis quomodo hæc macula contrahatur, ſed quæ ſequuntur ſufficiant. *In bello ſi quis ſe inferiorem viderit, arma conuertit, & meretur veniam. Hic ſi calicem conuertat, vrgetur ad potum. In ſcammate ſi quis te manu leuat, exors quidem palmæ, ſed immunis iniuriæ es. In conuiuiis etſi manum reuocet à vino, ori eius infunditur, omnes inebriantur: victores victique omnes ebrij iacent, plerique ſopiti, nec portari eos ad ſepulchrum licet, priuſquam qui paſcit de carnibus vindictam viderit: vt vlciſcatur diſpendium: qui autem damna non ſentit, hanc menſæ ſuæ gloriam putat, ſi ex ea vulnerati omnes ac ſaucij tanquam de arena exeant. Spectaculum triſte Chriſtianorum oculis, & miſerabilis ſpecies. Cernas iuuenes terribiles viſu hoſtibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari, repleri vt exhauriant, & exhauriri vt bibant. Si quis verecundior fuerit vt erubeſcat, ſurgere cum iam immoderatior potus teneri non poſsis, anhelare vehementius, ſudare, gemere, ſignis prodere, quod pudet confiteri: ibi vnuſquiſque pugnas enarrat ſuas: ibi fortia facta prædicat: narrat trophæa: vino madidi & ſomnolenti neſciunt mente quid lingua proferat: vnuſquiſque ſtertit & potat, dormit & dimicat. Et ſi quando conſurrectum fuerit, vix præliatores ſtare poſſunt, greſſu vacillant, rident ſeruuli dominorum opprobria, manibus ſuis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaque hac atque illac tanquam nauigia ſine gubernatore fluctuant, & tanquam vulnere icti in terram defluunt, niſi excipiantur à ſeruulis. Alij referuntur in ſcutis, fit pompa ludibrij. Quos mane inſignes armis ſpectaueras, vultu minaces, eoſdem veſperi cernas etiam à puerulis rideri, ſine ferro vulneratos, ſine pugna interfectos, ſine hoſte turbatos, ſine ſenectute tremulos, in ipſo iuuentutis flore marcentes.* Ita S. Ambroſius.

Hæc macula fœdior redditur, ſiue ratione ſexus, vt in fœminis: ſiue ratione miniſterij, vt in iudicibus: ſiue ratione dignitatis vt in principibus: ſiue ratione ſanctitatis ſtatus, vt in religioſis & ſacerdotibus. Mulierum ebrietates vehementer reprehendit S. Ambroſ. c. 18. de Elia & ieiunio. *Sed*, inquit, *de viris loquemur, quando etiam fœminæ, quas oportet ſollicitiorem caſtitatis, ſobrietatiſque adhibere cuſtodiam, vſque ad ebrietatem bibunt? Deinde ſurgentes (quas etiam inter ſecreta domus vel audiri ab alienis non conuenit vel videri) prodire audent in publicum, non velato capite, vultu procaci. Apoſtolus mulieres tacere etiam in Eccleſia* A *iubet, domi viros ſuos præcipue interrogare. Illæ in plateis inuerecundæ etiam viris ſub conſpectu adoleſcentulorum intemperantium choros ducunt iactantes comam, trahentes tunicas, ſciſſæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, ſaltantes pedibus, perſonantes vocibus, irritantes in ſe iuuenum libidines, motu hiſtrionico, petulanti oculo, dedecoroſè: ſpectat corona adoleſcentum, & fit miſerabile theatrum inter ſaltantium ruinas, & ſpectantium lapſus, cœlum impuro contaminatur adſpectu, terra turpi ſaltatione polluitur, quæ obſcœnis cantibus* (alias *ſaltantibus*) *verberatur. Quomodo patienter loquar? Piè prætercam? Conuenienter defleam? Vinum tantarum nobis animarum damna intulit. Etenim ſi vinum & mulieres diſcedere à Deo faciunt, quod vel ebrietas vel libido præuaricationis* B *illecebræ ſint: ſi ſingula ac ſeparata hæc faciunt, quid facient vnita? Vnde non immeritò ais Sapiens ante nos; Mulier ebrioſa, ira magna, turpitudinem ſuam non celabit. Eccleſiaſt. 26. ſeu contumelia & turpitudo illius non tegetur.* Ita S. Ambroſ. Quam turpitudinem etiam ſuggillat S. Chryſoſt. *Nihil muliere delitiis dedita turpius, ebriâ fœdius nihil; ipſius adſpectus flos deletur, oculorum tranquillitas & manſuetudo turbatur, quaſi nebula quadam radios ſubeunte ſolares, opus illiberale ac ſeruile, omnique plenum ignauia. Quam eſt immunda fœtens vinum, olens putrefactum mulier carnium corruptarum ſuarum eructans, grauata nec ſurgere valens, plus æquo rubens, oſcitatione plena, multaque caligine. At non eiuſmodi* C *quæ delitiis abſtinet, ſed ſpecioſior & modeſtior. Etenim corpori multum affert decorem animæ compoſitio, ne tantum eum ex corporalibus formis hunc effici cenſeas: da ſpecioſam puellam, turbatam, loquacem, iurgioſam, ebriam, ornatam: Nonne turpiſsimâ quoque fœdior eſt? Si verò verecunda, ſi taceat, ſi erubeſcere diſcat, ſi moderate loqui, ieiuniis vacare, duplex pulchritudo, ſpecies maior, deſiderabilior adſpectus modeſtia plenus & ornatus.* Hæc Chryſ. hom. 54.

De quibuſlibet hominibus ibidem dicit Chryſ. *Quid ebrio turpius? Familiaribus deriſibilis, deriſibilis inimicis, apud amicos miſerabilis, infinita dignus damnatione, fera magis quàm homo, multa namque voracitas pardaleos & leonis eſt & vrſæ. Et meritò. Non enim ha-* D *bent rationalem animam; & tamen & illa ſi plus neceſsitate, & menſurâ ipſis à naturâ definitâ comederint, totum corpus corrumpunt, quantò nos magis? Etiam propterea nobis in breue ventrem Deus coartauit, propterea breuem ſtatuit cibi menſuram, vt animæ curam gerere doceret.* Ita Chryſ. Si autem quilibet homo ebrioſus qualibet fera turpior eſt, quid dicemus de Iudicibus, Principibus, Religioſis, Sacerdotibus? Iudices ebrioſos reprehendit Iſaias c. 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem; qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Propter hoc, ſicut deuorat ſtipulam ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet.* Deridet idem Pro- E pheta c. 21. Principes gulæ deditos, vt pote qui ab hoſtibus intercipiantur, dum genio indulgent. *Pone*, inquit, *menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes. Surgite principes, arripite clypeum.* Capta enim fuit Babylon à Cyro, nec tantam cladem præuidere potuerunt principes, qui in ea erant, & ſecurè comeſſationibus & ebrietatibus vacabant. Adde quod eſt apud Oſeam c. 4. nempe quod fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Quomodo igitur princeps vino & gulæ deditus, cui cor adeò neceſſarium eſt, id eſt animi perſpicacitas, firma memoria, rectum iudicium, magnanimitas, his dotibus ablatis per vinolentiam & ebrietatem, poterit ſuo ritè perfungi munere? Expertus eſt Holofernes in vino ſepultus quàm pernicioſa eſt ebrietas exercituum ducibus. Nam & peremptus eſt à fœmi-

Digitized by Google

ſta, & omnis exercitus fœdè obtruncatus & diſſipatus eſt.

At quanto excellentior eſt Religioſorum & Sacerdotum ſtatus, eo turpior eſt in eis ebrietas & intemperantia. *Verum hi*, inquit Iſ. c. 28. *quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumque, ita ut non eſſet vltra locus.* Et in his verbis vltimis notatur fœditas crapulæ & ebrietatis, nempe immunditia, vna ex filiabus gulæ, quam S. Ioan. Chryſ. homil. 54. reprehendit dicens: *Quod omnium eſt turpiſſimum, os poſteriorum partium aſſumit vſum, & illud fit ignobilius. Si verò in ore tanta turpitudo, cogita quanta ſit in anima: & illic omnia tenebræ, omnia tempeſtas, omnia caligo, & multus cogitationum clamor, dum premuntur & tribulantur, ipsâ calumniam animâ proclamante, omnibus ſeſe accuſantibus, aduocantibus, ſupplicantibus, interiorem fimum alicubi reponi, & poſtquam eiectus fuerit, nec ita ſedatur tempeſtas, verum & febris & ægritudines.* Hæc Chryſ. Ex quibus ſatis patet quomodo ab ebrioſis & crapulæ deditis abſit omnis ſplendor virtutis, & quomodo ipſi fœdam contrahant maculam, ex eo quod delectationi cibi & potus nimis adhæreſcunt. *Quid igitur mali non faciant delitiæ? Sibi ipſis contrariæ ſunt*, inquit Chryſ. *Vnde neſcio quomodo hoc nomen habeant. Sed ſicut gloria, quum ignominia ſit; & diuitiæ, cum ſit paupertas, vocatæ ſunt: ſic & delitiæ, cum iniucunditas ſit? Quid maiorem alis famem? Quid fætentes ſudorum fontes reponis? Quid ad omnia te reddis inutilem? Vis oculum fortem fieri? Fac corpus robuſtum: nam & in cordis craſſa quidem & immunda ad cantus ſuauitatem inutilis eſt, vndique verò raſa intenſa eſt & conſonantiſſima. Quid animam obruis? Quid parietem facis craſſiorem? quid multum fumum & nebulam, cum vapores tanquam caligo quædam vndique redduntur?* Ita Chryſ. homil. 54. Certè *caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Non enim*, ait Apoſtolus ad Rom. c. 14. *eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Igitur vt ait idem Apoſtol. ad Hebræos c. 13. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*; vt ſic decorem virtutis temperantiæ habeamus, qua ornati poſſimus ad finem noſtrum feliciter peruenire. Præcipiebat olim Deus populo Iſraëlitico ne comederent Larum ſeu Grauiam, nec Onocrotalum, aut Porphyrionem; non ſolùm quia hæ aues carnes habent ſanitati nociuas, ſed quia ſymbola ſunt guloſorum & ebrioſorum, & eorum qui condimentis delicatioribus cibos ſibi parari ſtudent. Larus in aqua natus volat per aëra, piſcatur piſces: ſymbolum eſt eorum in quorum ventribus ſepeliuntur, quidquid auium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, vt loquitur Seneca 10. Rhetor. Onocrotalus dicitur, quaſi crepitaculum aſini, & appellatur etiam gutturoſa, adeo vorax vt dicant deuorare piſces quinque librarum; & Aldrouandus refert l. 19. c. 2. repertum fuiſſe Onocrotalum eo pondere in terram depreſſum, qui infantulum deuorauerat Æthiopem. Hæc auis quos deuorauit cibos rejicit, vt rurſus ex illis quoſdam reſumat. Huius auis caro excrementis plena fœtorem emittit intolerabilem. Vera certe guloſorum imago, qui vſque ad vomitum ſtomachum replent. Porphyrionem denique dicunt nihil edere niſi aqua intinctum, auem voraciſſimam, indocilem, quæ nunquam cicurari valeat, roſtro & cruribus rubentibus. Certè in his auibus vides depinctum guloſum, voracem, & nimis in cibo & potu ſtudioſum, qui frequenti & reiterato potu potius ſitim accendere quàm extinguere vellet; cuius os & facies ex nimiis compotationibus in ruborem & puſtulas immutatur: qui proinde quia nimis adhæret præſentibus, nunquam futuræ gloriæ bona poterit adipiſci. Et hæc de gulæ vitio ſatis.

De ſeptimo & vltimo beſtiæ capite, nempe ſuperbia.

ANNOTAT. XIII.

De ſuperbia in genere. §. 1.

PRÆCIPVVM caput beſtiæ exiſtimo ſuperbiam: quamuis enim non ponatur à S. Greg. 30. Moral. c. 31. vt notat S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 8. intra vitia capitalia, quia ipſa debent eſſe quædam ſpecialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriantur; ſuperbia autem habeat quamdam vniuerſalem influentiam in omnia peccata, quo fit vt ſit veluti radix, & mater, & regina vitiorum, quæ cor miſerum peccatoris, quaſi quibuſdam ſuis ducibus, ſeptem vitiis capitalibus deuaſtandum tradit, vt loquitur S. Greg. tamen quia in capitali vitio, nempe inani gloria, ſedem collocare videtur, præcipuè quando inanis gloria contrariatur charitati Dei, ſiue ratione materiæ, de qua quis gloriatur, v. g. de aliquo falſo, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ; Ezechiel. 28. *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum*, vel cum bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo, contra illud Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me*; denique cum quis præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei, iuxta illud Ioan. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam hominum quàm Dei*; ſiue quando inanis gloria charitati contrariatur ex parte ipſius gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad gloriam, tanquam ad vltimum finem, ad quem ſcilicet ordinat etiam virtutis opera; & pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam ea quæ ſunt contra Deum; tunc dico ſuperbiam in inani gloria ſedem collocare, & regnare in corde hominis iſtius, contra illud Tobiæ c. 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Quod quidem fit, quando quis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, gloriam & laudem hominum appetit, ſicut faciebant de quibus dicebat Dominus, Ioan. 5. *Quomodo poteſtis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quærentes?*

Eſto igitur, ſi vis, inanis gloria ſit vitium capitale, quia ſpeciale eſt peccatum, ex quo multa vitia oriuntur; nihilominus quia ex quo quis manifeſtationem quærit propriæ excellentiæ per inanem gloriam, qua inordinato appetitu propriam concupiſcit excellentiam, dico ſuperbiam præcipuum eſſe caput huius horrendæ beſtiæ. Superbia namque nominatur ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit ſupra id quod eſt: inanis autem gloria vult vt homines dicant nos eſſe aliquid, quod ſit ſupra id quod reuera ſumus. At nec velle debemus aliquid quod non ſit proportionatum nobis, nec appetere quod homines dicant id de nobis, quod reuera non eſt in nobis: vtrumque ſiquidem eſt contra rationem rectam, quæ vult vt voluntas vniuſcuiuſque feratur in id quod eſt proportionatum ſibi: At appetere per ſuperbiam excellentiam ſuperexcedentem id quod eſſe debemus, vel velle vt homines de nobis id dicant quod non eſt, eſt appetere gloriam de eo quod non ſumus, vel quod non ſit gloria dignum: quod quidem eſt contra rationem, & per conſequens peccatum. Et talis gloria & ma-

Digitized by Google

niſeſtatio excellentiæ vana redditur, non modò quia falſa eſt excellentia, aut vana res, de qua quis gloriam & laudem deſiderat; ſed etiam quia iudicium hominum non eſt certum: vnde laudant quod vituperarent, ſi benè noſſent. Et cum vanum ſit illud omne quod non refertur in debitum finem, Deum nempe, qui manifeſtationem excellentiæ propriæ deſiderat propter ſe, non propter Deum, vanus eſt & excors; euaneſcunt enim omnia quæ in Deum referri non poſſunt; in hoc igitur ſenſu dico ſuperbiam eſſe vnum ex capitibus beſtiæ, & præcipuum caput: quia ſedem ſuam collocans in inani gloria, etiam aliis capitibus adiungitur, vt in Deum inſurgant. Et ſic,

Dico ſuperbiam vitium eſſe turpiſſimum & horrendum, nullam habens cum Deo concinnitatem, nullam cum proximo, nullam cum ſeipſo, nullum habens virtutis ſplendorem: imo ſuperbus fœdam contrahit maculam, & à debito fine maximè auertitur. Hæc fuſiùs videnda, vt horrorem huius vitij concipiamus.

Quantum ad primum, nempe quod ſuperbia nullam habet cum Deo concinnitatem, hoc clarũ eſt, quia ſuperbia humilitati opponitur, ex S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 5. Humilitas autem propriè reſpicit ſubiectionem hominis ad Deũ: vnde è contrario ſuperbia propriè reſpicit defectum huius ſubiectionis, ſecundum quod aliquis ſe extollit ſupra id quod eſt ſibi præfixum, ſecundum diuinam regulam vel menſuram, contra id quod Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 10. *Nos autem non immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus.* Et ideo dicitur, Eccleſ. 10. quod *initium ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo:* quia in hoc radix ſuperbiæ conſideratur, quod homo aliqualiter non ſubijcitur Deo, & regulæ ipſius; quod manifeſtè habet ſecundum ſe rationem peccati mortalis, licet quidam motus ſuperbiæ poſſint eſſe tantùm peccata venialia, dum eis ratio non conſentit. Regulam autem vel menſuram à Deo præſcriptam ſuperbus tranſcendere vult per præſumptionem, ambitionem & inanem gloriam. De bonis namque ſuis dat Deus vnicuique ſecundum propriam virtutem, iuxta parabolam talentorum Matt. 25. *Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Et vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic.* At dum præſumptuoſus contra naturalem ordinem, cuius Deus autor eſt, aliquid aggreditur, virtutem ſibi à Deo datam excedens regulæ diuinæ non ſubjicitur, & ſic à Deo auertitur. Similiter dum ambitioſus contra charitatem, quæ *non quærit quæ ſua ſunt*, honorem ab hominibus ſeu teſtimonium ſuæ excellentiæ expetit excedens propriam excellentiam, ſiue appetat teſtimonium excellentiæ quam non habet; vel ſi habet, contra Dei ordinem & voluntatem (qui dona ſua diſtribuit ſingulis prout vult ad ſui nominis gloriam & aliorum vtilitatem) hoc teſtimonium excellentiæ ſibi cupit, non referendo in Deum; vel in ipſo honore quieſcit non referẽs illum ad vtilitatem aliorum, tunc etiam regulæ diuinæ non ſubjicitur, dum appetit honorem virtuti ſibi à Deo datæ minimè proportionatum; vel ob finem alium ab eo qui à Deo præfigitur. Denique qui inanem gloriam immoderatè appetit, ſeu laudes hominum quærit; vel de eo quod non eſt gloria dignum, ſicut de aliqua re fragili & caduca; vel de eo quod tantùm hominum iudicio laudatur, & coram Deo non eſt laude dignum, *qui ſolus in laude & vituperatione iuſtus eſt*, vt ait Origenes hom. 2. in Lucam; vel laudem quærit ob alium finem ab eo quem Deus A præſcribit, nempe ad eius honorem, & proximi ſalutem, certè talis regulæ diuinæ non ſubjicitur, & per conſequens à Deo auertitur. Ex quibus patet quomodo ſuperbus per præſumptionem, ambitionem & inanem gloriam, nullam cum Deo concinnitatem habeat. Et quomodo cum Deo concinnitatem haberet, qui omnem Deo arripere gloriam contendit, dum ſuperbus bona, quæ habet, habere à ſeipſo exiſtimat, ſuam non agnoſcens dependentiam; aut ſi ſibi datam credit, propriis meritis adſcribit: gratuitam Dei bonitatem, & benignitatem præuenientem nos in benedictionibus offendens? In moralibus enim, æque ac in naturalibus & neceſſariis, dicendum eſt Dei ſapientiam omnia præcedere, vt omne bonum & omne datum optimum B à Deo eſſe agnoſcamus, de qua dicitur: *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit?* Eccleſiaſt. 1. Quomodo cum Deo concinnitatem haberet (qui veritas eſt) qui ſe iactat mendaciter de bono quod non habet? Quomodo cum Deo concinnitatem haberet, qui appetit videri habere ſingulariter quod habet, deſpectis cæteris, cum Deus, qui bonitas eſt ipſiſſima, & qui per gratiam ſuam diuinæ nos reddit conſortes naturæ, quantum concedi poteſt creaturæ, nos ſibi ſimiles in gloria efficere ſatagit? Ecce quomodo ſuperbus per præſumptionem, ambitionem, & inanem gloriam, & per ipſam ſuperbiam, Deo contrariatur & C aduerſatur potiſſimùm ſupra alia quæcumque peccata. Nam, vt ait S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 4. ex parte auerſionis ſuperbia habet maximam grauitatem; quia in aliis peccatis homo à Deo auertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſiue propter deſiderium cuiuſcumque alterius boni: ſed ſuperbia habet auerſionem à Deo, ex hoc ipſo quod non vult Deo & eius regulæ ſubjici. Vnde Boëtius dicit quod cum omnia vitia fugiant à Deo, ſola ſuperbia ſe Deo opponit: propter quod etiam ſpecialiter dicitur, quod *Deus ſuperbis reſiſtit.* Iacob. 4. Itaque auerti à Deo, & ab eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in aliis peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cuius actus eſt Dei contemptus. Et D quia id quod eſt per ſe, ſemper potius eſt eo quod eſt per aliud: conſequens eſt quod ſuperbia ſit grauiſſimum peccatorum, ſecundum ſuum genus: quia excedit in auerſione, quæ formaliter complet peccatum. Et non modo habet rationem primi peccati, ſed eſt etiam principium omnium peccatorum, quæ cum Deo nunquam conuenire aut concordare poſſunt.

Dico ſecundò: Nec cum proximo ſuperbus concinnitatem habet: quod ſatis probari poteſt ex filiabus inanis gloriæ, quæ ex ſuperbia generatur, quas enumerat S. Thomas 2. 2. q. 132. ar. 5. Cunctos fallere nititur, dum directè deſiderat propriæ excellentiæ manifeſtationem: ſiue per verba, iactando E bona quæ ſe habere exiſtimat: aut dum ea dicit quæ videntur noua, vt homines ad admirationem ſui trahat; vel falſa de ſe enuncians per hypocriſin. Cunctis eſt oneroſus, dum indirectè nititur ſuam manifeſtare excellentiam, oſtendendo ſe non eſſe alio minorem. Primò quantum ad intellectum, per pertinaciam, qua homo nimis innititur ſuæ ſententiæ, nolens credere ſententiæ meliori. Secundò quantum ad voluntatem, per diſcordiam, dum non vult à propria voluntate diſcedere, vt aliis concordet. Tertiò quantum ad locutionem, per contentionem, cum aliquis verbis clamosè contra alium litigat. Denique ſuperioribus ſuis eſt oneroſus per inobedientiam, dum non vult exequi ſuperioris præcepta, & ſic patet quomodo ſuperbus per inobedientiam, iactantiam, hypocriſim, contentio-

Digitized by Google

nem, pertinaciam, diſcordiam, & nouitatum præſumptionem, filias inanis gloriæ, nullam cum proximo concinnitatem habeat.

Dico tertiò, ſed nec cum ſeipſo ſuperbus conuenire poteſt. Ad ardua tendit ſuperbus; & dum alta ſapit, deſiderat, & ad ea tendit, tot obſtacula eius curſum impediunt, tot illi tenduntur retia, quibus irretitur, ne in altum ſeſe extollat, vt in profundas plærumque demergatur triſtitias, in ſtultitias riſu dignas incidat, in rabiem & furorem eius deſideria tandem conuertuntur. Superbis namque Deus reſiſtit. Et quis cum Deo congrediens, pacem & mentis tranquillitatem habere poterit? Ad quos dicitur Abdiæ c. 1. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Loquitur ad Idumæos, filios Eſau, qui in ſpecubus, propter nimios ſolis calores habitabant. Dum igitur ſuperbus contra Deum pugnat, premitur angoribus, & tandem deprimitur eo profundiùs, quo altiùs extolli concupiuit. Sed ne quid ieiunè dicamus, iſta omnia comprobemus per ordinem, plurimis ad hoc propoſitum quorumdam adductis autoritatibus & teſtimoniis, quibus & præſumptionis, & ambitionis, & inanis gloriæ, & filiarum eius natura exprimatur. Fieri enim non poteſt vt quis clarè naturam vitiorum iſtorum conſideret, quin ſtatim animaduertat ſuperbum, his vitiis laborantem, nullatenus conſentire cum Deo, & proximo, nec non cum ſemetipſo.

De præſumptione. §. 2.

Et primò, quantùm ad præſumptionem, cum ex S. Thoma 2. 2. q. 21. ar. 1. *non modo præſumptuoſus dici debeat qui tendit in aliquod bonum, vt ſibi poſſibile, quod ſuam facultatem excedit (ſecundum quod dicitur Iudith. 6. Præſumentes de ſe humilias) per præſumptionem quæ opponitur virtuti magnanimitatis; ſed etiam is præſumptuoſus ſit, qui tendit in aliquod bonum, vt poſſibile per virtutem & miſericordiam diuinam, quod poſſibile non eſt, (ſicut cum aliquis ſperat ſe veniam obtinere ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis)* patet quomodo cum Deo præſumptio & præſumptuoſus concordare non poſſunt. *Talis enim præſumptio inter peccata in Spiritum ſanctum reponitur, & grauius peccatum eſt quam præſumptio, qua quis innititur propriæ virtuti. Quod enim aliquis innitatur diuinæ virtuti, ad conſequendum id quod Deo non conuenit, hoc eſt diminuere diuinam virtutem. Patet autem quod grauius peccat qui diminuit diuinam virtutem, quàm qui propriam virtutem ſuper extollit.* Ita D. Thomas. ad 1. Nec præſumptio etiam, quæ innititur propriæ virtuti, conuenire cum Deo poteſt; vt pote quæ includatur in illa qua quis inordinatè præſumit de Deo. Ex hoc enim quod deſideramus, proprio amore impulſi, quod nobis eſt conueniens, ex hoc de facili æſtimamus illud per alios poſſe nobis prouenire, etiam ſi non poſſit. Inuicem autem ſe iuuant præſumptio de diuina virtute, & præſumptio propriæ virtutis, vt contra Deum militent. Nam ſicut præſumptio, quæ innititur propriæ virtuti, includitur in præſumptione de Dei virtute; ita hæc præſumptio de diuina miſericordia, habet conuerſionem ad bonum commutabile, in quantum procedit ex deſiderio inordinato proprij boni, & auerſionem à bono incommutabili, in quantum attribuit diuinæ virtuti quod ei non conuenit. Per hoc enim auertitur homo à veritate diuina; & ita patet qua ratione ſecundum doctrinam D. Thomæ, quoquomodo ſumatur præſumptio, ipſam non poſſe cum Deo conuenire, aut vllam habere concordiam,

A quia ſimul aduerſus eius honorem militare cernitur.

Quomodo autem cum proximo præſumptuoſus concinnitatem habere non valeat, patet ex S. Bernardo, dum de eo agens, ex effectibus oſtendit quantum proximo præſumptuoſus moleſtus & oneroſus ſit: Nam de gradibus ſuperbiæ agens, ſeptimum ponit præſumptionem, qua fit vt qui alios ſe præcellere putat, *primus in conuentibus,* inquit, *reſidet, in conſiliis primus reſpondet: non vocatus accedit, non miſſus ſe intromittit: reordinat ordinata. reficit facta; quicquid ipſe non fecerit aut ordinauerit, nec rectè factum, nec pulchrè exiſtimat ordinatum: iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis.* Ita S. Bernard. tract. de gradibus B humilitatis. Videſne quot homines præſumptuoſus hoc modo ſe gerens offendere queat? Talis certè minora ſpernit, qui ſe ad maiora putat idoneum; vnde ſi ſuperiorem habeat, qui ei aliquod munus aut officium imponere poſſit, illum aut inuidum aut deceptum exiſtimabit, ſi mediocre munus iniunctum fuerit. Nec ſi errauerit (vt facilè in errorem labitur qui de propria virtute nimium confidit) errorem ſuum confiteri poterit. *Quomodo enim,* ait S. Bernardus ibidem, *culpam ſuam confitebitur, qui nec eſſe putat, nec putari culpabilis patitur?* Fauet Seneca l. de quatuor virtutibus, cap. de moderanda fortitudine, apud S. Thomam, q. 130. ar. 2. ad 3. dum ait quod *magnanimitas ſi ſe extra modum ſuum ex-* C *tollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, & in quaſcumque excellentias dictorum factorumque neglecta honeſtate feſtinum.* Ita Seneca. At dum audis præſumptuoſum dici turbidum & inquietum, nonne ſatis vides nec cum ſeipſo poſſe conuenire? Dum enim ſemper excellere nititur, & maiora ſupra vires conatur adimplere; dum à propoſito ſæpe ſæpius aberrat, & ab incæptis ceſſare cogitur, certè turbatur in ſemetipſo, & millies confunditur, noua ſemper meditans ſub ſpe fælicioris cuiuſdam ſucceſſus, qua iterum atque iterum fruſtratur: vnde in continuo verſatur animi motu, nec in quo ſiſtat videre aut percipere poteſt, modò hunc ſtatum, modò alium, modò hanc occupationem, D modò aliam, modò hanc occupationem, modò aliam aggrediendo. Et quia ſemper ſupra vires & facultates ſuas euehi nititur, nunquam quietem obtinere poterit.

De ambitione. §. 3.

Quantum ad ambitionem, de ea paulo fuſiùs diſſerendum. Non malè proculdubio Timon ille, vocatus Miſanthropos, ambitionem & auaritiam vocabat elementa malorum. Sicut enim ex ſimplicibus elementis mixta corpora generantur ſeu componuntur, ita ex his duobus vitiis multa alia vitia originem trahunt.

E Eſt autem ambitio inordinatus appetitus honoris, quem conſequitur aliquis, dum alij teſtimonium dant excellentiæ ipſius, illum ſibi præficiendo, vt pote quem cæteris ad maiores dignitates adipiſcendas aptiorem & meliorem exiſtiment; ſiue voluntarie eius dominationi ſe ſubjiciendo, ſiue eum vt regnet & dominetur ſuper eos eligendo. Certè talis appetitus ſupra ſuam proportionem, ſeu vltrà quod meretur alicuius excellentia, vel dum honor ille deſideratur ſibi, non referendo in Deum, vel dum quis in ipſo honore quieſcit, non referens illum honorem ad vtilitatem aliorum, Deo eſt iniurioſus, proximo pernicioſus & nociuus, & appetenti exitioſus; *atque hoc ipſo,* inquit S. Ambroſ. lib. 4. in Lucam, *pernicioſior ambitio, quæ blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum: & ſæpe quot vitia*

nulla deſtectunt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos, Habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum; & vt dominetur aliis, prius ſeruit, curuatur obſequio vt honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior, cum in ipſa poteſtate quod præcellit alienum ſit. Legibus enim imperat, ſibi ſeruit. Ita S. Ambr. Hanc viuis colotibus depingit S. Bernard. Serm. 6. in Pſ. *Qui habitat. Ambitio,* inquit, *ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutem ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbis creans, generans ex medicina langorem.* Ita Bernard. Quomodo autem cum Deo contendat, eique contraria ſit, nunc videndum.

Cettè Deus Mundi Rector, hominumque gubernator ſicuti & creator, hanc ſibi arrogat autoritatem, vt hominibus conſtituat rectores, vices ipſius agentes; ſub quorum regimine alij & tranquillam in hoc ſæculo vitam degere poſſint, & ad æternam fælicitatem valeant peruenire. Paucis dico, Reges & Principes ſæculi conſtituit populis dominaturos; Prælatos & Pontifices conſtituit fideles ad æterna paſcua deducturos. Hoc ſatis notum eſt ex ſcriptura. *Per me,* inquit ſapientia æterna, *reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Prouerb. 8. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem,* ſcilicet ſacerdotij, inquit Apoſtol. Heb. 5. *ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron,* Quod ita verum eſt, vt nec Chriſtus honorem hunc ſibi arrogauerit: *Nec* enim *ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quod ita verum eſt, vt Apoſtolus ad Romanos c. 13. vniuerſaliter dixerit. *Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et ſapiens dicit: *In manu Dei poteſtas terræ, & vtilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam.* Nullus igitur honores & poteſtates ambire debet, ſed ſe ordinationi diuinæ libenter ſubmittere, itaut ſi à Deo vocetur, ſiue immediatè, ſiue mediatè, collum ſubmittat, & obediat Deo imperando hominibus. At hoc non deſideret, nec ambiat, vel ſupra merita, vel propter ſolum honorem Regiæ aut Pontificiæ dignitatis; qui honor deſiderari non debet ab iis etiam qui illum mereri poſſent, niſi ad Dei honorem & proximi vtilitatem. Quod in ſtatu naturæ lapſæ eo magis ſeruari debet, quod denſiſſimis ignorantiæ tenebris inuoluamur, inſigni malitia laboremus, variis infirmitatibus opprimamur, vt vix ac ne vix quidem ad nos ipſos regendos ſufficiamus: quanto magis inhabiles ſumus ad aliorum regimen? Sentiebat hoc Salomon, dum Deum in ſomnis ſibi apparentem, & ſe ita alloquentem: *Poſtula quod vis vt dem tibi;* inter alia eum ſic interpellat. *Et nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo. Ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitum meum. Et ſeruus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum iſtum, populum tuum hunc multum?* 3. Regum c. 3. Quis igitur propriam agnoſcens imbecillitatem audebit ad honorum & dignitatum culmina adſpirare? Iam à Deo erat Salomon ad regnum euectus: vnde ait: *Et nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo.* Et tamen ſe puerum, ſe ignorantem, ſe inſufficientem agnoſcit: Et audebit aliquis proprio appetitu ſolùm ductus maiores digni-

A tates vſurpare, non expectata Dei ordinatione? Fuiſſet quidem inter homines in ſtatu iuſtitiæ originalis quædam prælatio. Ordo namque naturæ exigit vt qui ſapientiores ſunt alios regant. Non autem omnes æquales fuiſſent in doctrina, probitate, ſapientia: quia probabile eſt aliquos, præter cæteros, maiores profectus in his virtutibus obtenturos fuiſſe; qua ratione aliis in regimine præfici mererentur; nec tamen putandum aliquem pro tunc præficiendum (quamuis ſapientior fuiſſet cæteris) abſque ſpeciali quadam Dei ordinatione, & manifeſtatione diuinæ voluntatis, ne donis ſuis Deus cogi & adſtringi videatur ad aliquem promouendum, qui in omnibus liberrimus eſt. Eſto quis ſapientior ſit

B cæteris; ſed ſolus Deus nouit cuius ſapientia vtilior futura ſit regimini aliorum, ad quorum vtilitatem euectio ad prælationes ordinatur. Obligantur quidem homines ad eos eligendos, quos meliores iudicauerunt in conſcientia, quia futurorum cognitio non eſt in eorum poteſtate: ſed qui corda nouit omnium, eos quos vult eligit: tum quia idoneos facit miniſtros eos quos elegerit, tum quia ſcit qua ratione ſe gerere debeant, & quid vtilius futurum ſit ſubditorum regimini. Vnde in electione S. Mathiæ ad Apoſtolatum, de competitore Ioſeph Barſaba dicitur: *Qui cognominatur iuſtus;* nulla de ſancti Mathiæ probitate facta mentione; vt ſciamus non defectu probitatis Ioſephum fuiſſe à Deo excluſum,

C ſed quia profundiſſimâ ſapientiâ ſua nouerat quis è duobus futurus erat Eccleſiæ vtilior. Et liberrimum eſt Deo quem voluerit aliis præficere: quo fit vt dum populos punire vult, peiores & imbecilliores ſæpe præponat. Vnde de Rege Aſſyriorum ait Iſa. c. 10. *Væ Aſſur: virga furoris mei, & baculus ipſe eſt. In manu eorum indignatio mea.* Et Eliu, Iob. 34. dicebat: *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.*

Igitur cum in quocumque ſtatu, Dei ordinatio ſit expectanda, & diuinæ voluntatis manifeſtatio, nullus illam præuenire debet deſiderio & appetitu inordinato; ad dignitatum adeptionem, modis illicitis, aut vehementiori appetitu adſpirando. Quod

D ſi quis aliter ſe gerat, & pecunia, ſollicitatione prece, obſequio, dignitates ambiat, hic proculdubio cum Deo concinnitatem & concordiam habere non poteſt. Hinc grauem Simon Magus accepit repulſam à S. Petro, dum pecuniâ donum Spiritus ſancti emere voluit, Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Contra tales inuehitur S. Cyprian. de ieiunio & tentat. tract. de Card. Chriſti operibus. *Etiam in ſinu ſacerdotum ambitio dormit. Ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto thalami* (puto legendum eſſe, calami: Ita enim textus ſcripturæ, ad quem videtur alludere S. Cyprianus, Iob. c. 40. de Behemoth loquens: *Sub vmbra dormit in ſecreto calami,*) *ſe fraudu-*

E *lenter occultat. Simon Apoſtolorum temporibus venalem putans Spiritum ſanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere poteſtatem per quam plura lucretur. Hæc ſacrilegij forma, per omnia officia, graduſque diſcurrit: nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quiſquam diaboli hæc eſſe negotia, & nundinatores eius quicumque hæc exercent commercia: nec quiſquam huiuſmodi ab eo, niſi præmiſſâ Apoſtaſiâ, donari inuerecundè tentator ambitioſos adgreditur, & conditione pernicioſa præmiſſa talia pollicetur: vltra quæ extendi non poſſit cupiditas, regnorum ſcilicet omnium Monarchiam, & vniuerſitatis dominatum, vt in omnibus mundanis vnus homo quaſi Deus habeat poteſtatem, & vni omnia ſubiecta ſint, & generale vectigal excellentiæ principali cuncta perſoluant. Quid vltra cupidè quæris? Quid amplius auare deſideras? Nunquid & ſic poteſt impleri ambitio tua, aut ſatiari poteſt*

Digitized by Google

teſt fame tua oſſâ huius mundi iniectâ dentibus tuis, & faucibus tuis vniuerſa rerum maſsâ intruſâ? Mundum habes, Deum non habes: tu cum eo, qui non ſtat, cades, tranſibis, & rues. Peremptoria ſunt hæc conſilia, quæ tibi talia pollicentur, in quibus te neceſſe eſt aut vomitu, aut ruptis interire viſceribus. Sed & pretium quod petitur, vt diabolum adores proſtratus, & cum ſibi Deum conſtituas, quem non dubitas ſeductorem: Si conſenſeris vt concedas, caſus tui te non poteſ excuſare improuidum, cum ipſe tibi caſum & ruinam prænominet, & præcipitium exigat, qui tanti ſe facit nundinatorem culminis, & tanta tibi promittit faſtigia poteſtatis. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo. Regnum cælorum tibi Deus promittit. Ipſum ſolum adora. Ipſi ſoli memento vt ſeruias, qui repulſo tentatore, te quoque gloria & honore poſt victoriam coronabit, ſi in iuſtitiæ rectitudine ſteteris, nec falſis promiſſionibus obtemperans, ad venerationem diaboli damnationis eius factus particeps incurueris. Ita Cyprian.

Certè ambitioſi, qui Chriſti humilitatem non imitantur, diabolum adorant, dum media illicita aſſumunt vt ad dignitates proueharitur. Et ſic clarum eſt ipſos cum Deo non conuenire, qui à dæmone expetunt (eius obediendo ſuggeſtionibus) quæ à ſola Dei ordinatione & voluntate expectari debent. At non modo culpandi ſunt, & Dei ordinationi repugnant, qui pecuniâ volunt ad honorum culmina peruenire, ſed etiam qui prece aut ſollicitationibus importunis, id conſequi appetunt: Vnde reprehenduntur à ſaluatore duo ſibi chariſſimi diſcipuli (qui per matrem primas ſedes obtinere ſperabant) his verbis: *Neſcitis quid petatis.* Matt. 20. Si enim in regno cœlorum has ſedes poſſidere contenditis, *neſcitis*, vt ait Euthymius, *quàm magnum, quàm mirabile eſt quod petitis, ac ipſas ſuperiores excedens virtutes.* Ita Euthy. Si de regno Eccleſiæ militantis vobis eſt ſermo, neſcitis quàm oneroſum ſit aliorum curam gerere: onus certe ipſis Angelicis humeris impar; ad quod ſubeundum malâ viâ adhuc contenditis: quia ſpirituale munus intuitu parentelæ & conſanguinitatis vos obtinere poſſe arbitramini: quod fieri non debet: Non enim eſt perſonarum acceptor Deus; nec medium quod aſſumitis, nempe matris veſtræ interceſſionem, eſt proportionatum tanto muneri. Quod ſi de terreno regno vobis eſt ſermo, neſcitis adhuc quid petatis. Ad æternum regnum vocati, cur ad curas, ſollicitudines, & vanitates ſæculi mentem conuertitis? Cæleſtia cogitate potius; & permanentia bona, non fluxa & caduca exoptate. Hæc enim veni prædicare & annunciare mundo. Propter ea vobis elargienda, calicem amaræ paſſionis ebibere volo: nec vobis aliâ viâ ſperandum eſt ad huius regni æterni participationem peruenire. *Poteſtis ne* igitur *bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Scio vos hoc poſſe, & reuera Calicem meum bibituros: ſed quidquid ſit quod petitis, ſiue ſpirituale, ſiue terrenum, ſiue æternum, ſiue tranſitorium, *ſedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo:* Mecum erit iudicare (qui iuſtitiam ſeruo non gratiam) an comprehenderitis, ſicut comprehenſi fuiſtis: an feceritis digna ea mercede, ad quam vocati & deſtinati eſtis à Patre meo. Quod ſi Eccleſiaſticas ambitis dignitates, Deus perſonarum non eſt acceptor: Pater meus non petitionibus deferre ſolet, ſed meritis; nec veſtra conſiderat, ſed aliorum vtilitatem ſpectat, quibus prouidere intendit: & ego, vt Eccleſiæ caput, cui incumbit ſaluti omnium inuigilare, debeo ſequi Patris ſapientiſſimam ordinationem, qui omnium corda ſcrutatur, & nouit quid Eccleſiæ ſuæ, iuxta temporum exigentiam, profuturum ſit. Quod ſi ad terrena regna oculos intenditis, non eſt meum veſtræ

A fauere ſuperbiæ, qui in mundum veni vt docerem humilitatem. *Filius enim hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Vnde qui maior erit inter vos, debet fieri ſicut minor, vt humilitatis meæ ſectator ſit. Qua quidem ratione, honores mundi potiùs contemnere quàm proſequi exoptabit, & prouidentiæ diuinæ relinquet vt quos voluerit ad faſtigia dignitatum euehat, prout expedire gloriæ ſuæ & hominum regimini conducibilius eſſe arbitrabitur. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ. Sed etſi poteſ fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti: Pretio empti eſtis: nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque* B *in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* 1. ad Corinth. 7. *Superbiam itaque abſcidit,* inquit S. Ambroſius, *& vnitatem fecit: vt neque ſeruus pudore conditionis deſpectum ſe putet, neque liber elatione mentis inflatus ſeruo ſe ſuperponat.* Ita Ambroſ. Quod ſi quis honores ambit, neglecta diuina diſpoſitione, hoc proculdubio non eſt cum Deo concordiam ſeruare, à cuius nutu & voluntate omnia noſtra dependere debent. Vnde Apoſtolus dixit de charitate: *Charitas non eſt ambitioſa: non quærit quæ ſua ſunt:* Quærit autem quæ ſua ſunt contra Dei charitatem, qui inordinato appetitu extra ordinem à Deo præſcriptum efferri & extolli deſiderat; & ſic cum Deo concordiam minimè ſeruat. Talis erat ille Diotre- C phes, quem S. Ioannes Epiſt. 3. grauiter reprehendit, quia amabat primatum gerere in Eccleſia; cuius Diotrephis nomen exponit Vatablus, Dei aut Iouis nutritius. Superbi namque, vt mox videbimus, ſe ſemideos eſſe putant, imo & Deitatis nomen aſſumunt. Hinc, vt ait S. Cyprian. de ſimplicitate Prælatorum, ſeu de vnitate Eccleſiæ, *ſunt qui ſe vltro apud temerarios conuenas, ſine diuina diſpoſitione præficiunt; qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt; qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen adſumunt; quos deſignat in Pſalmis Spiritus ſanctus ſedentes in peſtilentiæ Cathedra, peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis euomentes: quorum ſermo vt* D *cancer ſerpit, quorum tractatus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infundit.* Ita S. Cyprian. Ecce quomodo ambitioſi omnem Dei ordinationem confundere tentant, dum ſæpe per media naturalia, ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, veluti ſunt gradus Eccleſiaſtici, obtinere tentant; & cum ad Spiritum ſanctum pertineat conſtituere Epiſcopos ad regendam Eccleſiam (iuxta ea quæ dicit Apoſtolus Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*) hi pecunia, prece, obſequiis humanis, fieri contendunt Epiſcopi.

At non ſolùm cum Deo nullam habere concinnitatem poteſt ambitioſus, ſed nec cum proximo; tum quia ambitio facit vt indigni promoueantur E relictis idoneis, vel magis idoneis, quo fit vt iniuria inferatur, ſiue dignis, ſiue dignioribus; tum quia nunquam ferè qui ad hæc munera obeunda per ambitum acceſſit, vtilitati aliorum ſtudet, ſed vel diuitiis aggregandis, vel luxui vacat, vel fumo tantum honoris paſcitur, nulla habita ratione vtilitatis aliorum, in maximum ſalutis proximi detrimentum. Certè ne proximo fiat iniuria, aptiores deſiderat Mater Eccleſia, doctos, rerum experientia præditos, humiles & modeſtos, zelo diuini honoris, & charitate erga Deum ac proximum feruidos, pietate & morum integritate inſignes. Hinc Leo Papa, *C. Metropolitanus,* Diſtin. 63. de electione Metropolitani agens, ait: *Omnium Clericorum, & ciuium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris optimus eligatur.*

Magis idoneo cura animarum eſt demandanda, vt vult Innocent. 3. in c. vnico 1. *Vt Eccleſ. beneſ. Et quis pati poſſet eligi diuitem ad tenendum honores Eccleſiæ?* inquit S. Auguſt. verba iſta S. Iacobi ponderans: (*Nolite, fratres mei, in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, contempto iuſtiore & ſanctiore.*) Et Trident. Synodus ſeſſ. 24. decreto 2. de reformat. c. 1. *Monet ſancta Synodus alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, non precibus aut humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici curauerint.* Ita Conc. Et optimè Philo Iudæ, de creatione Princip. *Nec ſorte capiuntur Medici, ſed peritiſſimus quiſque eligitur. Idem cum de proſperitate, ſaluteque nauigantium agitur, non ſorte decernitur quis gubernaturus puppim aſcendat, ſed quæritur aliquis qui ſciat & didicerit.* Ita Philo. Multo magis hoc præſtãdum cum de medico animarum & gubernatore Eccleſiæ agitur: eſt enim ars artium, & ſcientia ſcientiarum regimen animarum. Integritatem morum cum doctrina inſigni exigit S. Paulus, vt videre eſt c. 1. Epiſt. ad Titum. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Hinc idem Apoſtolus Epiſcopum deſiderat non Neophytum. j. nuper natum aut plantatum: quod non ſolùm intelligi debet, ſecundum S. Gregorium, de eo qui eſſet nouiter in fide eruditus & plantatus, ſed etiam qui nouus eſſet in ſancta conuerſatione. *Sciendum*, inquit S. Gregorius l. 7. Reg. Epiſt. 112. *nobis eſt, quia ſicut Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter Neophytos deputamus qui adhuc nouus eſt in ſancta conuerſatione.* Ita Greg. Tanta debet eſſe ſanctitas paſtorum Eccleſiæ, vt vix dignus tanti muneris videatur poſſe inueniri. Irreprehenſibilem enim eum exoptat Apoſtolus, 1. ad Timoth c. 3. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Quod ponderans S. Hieron. Epiſt. ad Oceanum, ait: *Omnes virtutes in vno ſermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Quis eſt enim ille, qui abſque peccato & reprehenſione viuit?* Ita Hieron. Nec Apoſtolus ait laudabile eſſe deſiderium Epiſcopatus, ſed bonum opus deſiderare, vtilitatem nempe proximi, quicumque Epiſcopatum deſiderat.

At cum vires naturales excedat tantum munus, illud deſiderare temerarium eſt, & ambitionem redolet, niſi ad illud ſubeundum à Deo aſſumamur. *Ille benè*, inquit S. Thomas, *Epiſcopatum deſiderare poſſet, cuius facultas eſſet proportionata Epiſcopatui: ad hoc autem nullus eſt idoneus, quia prælatus ſecundum gradum & conuenientiam debet omnes alios excedere in conuerſatione & contemplatione.* Ita S. Thom. Quid igitur, inquies, faciendum? Nullus ne erit Epiſcopus? Reſp. 1. Dei ordinationem eſſe expectandam, *qui nos idoneos reddit miniſtros noui Teſtamenti*, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non littera ſed ſpiritu.* Concurſus nempe generalis, quem Deus paratum habet, vt propriam operemur ſalutem, non eſt ſufficiens vt dignè tantum munus exerceamus, niſi ſpecialem benignè elargiatur ſtatim atque nos aſſumit. Ad eius ſiquidem pertinet prouidentiam vt media ſuppeditet conuenientia fini, ad quem nos deſtinare intendit. Secundò dico: cum vel electionem vel deſignationem ordinariè Deus hominibus relinquat faciendam eius

A quem vult in Epiſcopum aſſumi, quia Dei eſt moderare omnia, etiam ſortes, iuxta illud Sapientis, Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*; qui paſtores Eccleſiæ, vel eligere, vel deſignare ſolent, prudenter & circumſpectè agere debent: vnde ad Neophytos in fide & moribus oculos dirigere non debent, ſed ad eos qui rerum experientia præditi ſunt. Vnde Apoſtolus eos præfici vult ad adminiſtrandam Eccleſiam, qui ſuæ ſeu propriæ domui benè præfuiſſe noſcuntur, 1. ad Timot. 3. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Vnde S. Gregor. l. 4. Regiſt. Ep. promotionem Laicorum ſubitaneam rejicit, ne hoc fiat per appetitum gloriæ temporalis. Certè temerarium eſſe videtur, ſi quis nondum miles, dux
B Religioſorum fieri non pertimeſcat; ſi quis nondum diſcipulus & auditor, alios docere præſumat. Aut quomodo aliena mala corrigat, qui necdum ſua fleuit? Qua de cauſa, *licèt quis eſſet (quantum humanæ fragilitati licet) quodammodo irreprehenſibilis, ad ſummos gradus euehi non debet, antequam*, inquit S. Gregor l. 7. Reg. Epiſt. 112. *per diſtinctos ordines Eccleſiaſticos exerceatur officiis. Videat quod imitetur; diſcat quid doceat. Diu ergo religioſa meditatione poliatur, vt placeat: & ſic lucernæ flammam non extinguat, ſed augeat. Ordinatè ergo ad ordines aſcendendum eſt: nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia, poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærit aſcenſum.* Ita Greg. Tali modo fuit
C S. Cornelius Papa ad ſummum Pontificatus apicem euectus, teſte S. Cypriano l. 4. Epiſt. 2. *Non iſte ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit nec voluit: nec vt cæteri, quos arrogantiæ atque ſuperbiæ tumor inflat, inuaſit; ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt qui ad hunc locum diuinitùs eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſuæ & cuſtoditæ verecundiæ: non vt quidam vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus acciperet.* Ita Cypr.

At non ſolùm ambitioſi proximo ſunt iniurioſi,
D eoquod ſanctiorum, & iuſtorum locum inuadere cernuntur, dum malis modis, contemptis ſanctioribus ad dignitates prouehuntur; ſed etiam quia ferè omnes qui hac ratione promoti ſunt, non dicam inutiles, ſed multa nocumenta ſæpe ſæpiùs afferunt Eccleſiis, quibus præficiuntur. Vnus Bernardus ſufficit Serm. 77. in Cantica, vt hæc nocumenta concipere valeamus. *Pauci*, inquit, *admodum ſunt, qui non ea quæ ſua ſunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dedere mammonæ.* Et poſt pauca: *Vnde verò hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod*
E *illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſerandâ, incultâ, hiſpidâ, exangui: propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregẽ, ſed mactare & deuorare, dicente de illis Domino: Qui deuorant plebem meam vt cibum panis. Et quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt; Et in alio loco Propheta: Peccata populi mei comedent. Quaſi dicat: Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quàm vitiis extirpandis? Vbi eſt qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? Leniora loquimur; grauiora grauius manet iudicium, &c.* Et adhuc paulo poſt: *Et quidem illorum iſti ſortiti ſunt miniſterij locum, ſed non Ze-*

Digitized by Google

*lum. Succeſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O
vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres
currunt ad Cathedram: vigilarent vtique ſolicitè ſeruantes
ab illis iuuentam ſibi creditam, immo verò vigilarent pro
ſemetipſis, nec ſinerent de ſe dici: Amici mei & proximi
mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Iuſta
omnino querimonia, nec ad vllam iuſtiùs quàm ad no-
ſtram referenda ætatem. Parum eſt noſtris vigilibus quod
non ſeruant nos, niſi & perdant. Altò quippe demerſi
ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiſcun-
tur, vt vel ſuum ipſorum periculum expaueſcant: inde eſt
vt non parcant ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes pari-
ter & pereuntes.* Ita S. Ber.

Ex quibus vltimis verbis via mihi aperitur dicen-
di ambitioſum non modo cum proximo cui nocet
non conuenire, ſed nec cum ſemetipſo. In magno
ſiquidem propriæ ſalutis periculo verſantur, qui per
ambitionem ad dignitates euehuntur. *Grandis digni-
tas,* inquit S. Hieron. l. 2. in Ezechiel, *ſacerdotum,
ſed grandis ruina, ſi peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed
timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe,
quàm mœroris de ſublimioribus corruiſſe.* Et S. Aug. Ep. ad
Valerium 48. *Ante omnia peto vt cogitet religioſa pru-
dentia tua nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore,
facilius aut lætius Epiſcopi aut Presbyteri aut Diaconi offi-
cio, ſi perfunctoriè & adulatoriè tranſigatur; ſed rurſus ni-
hil miſerius & triſtius, ſiquidem res ſerio agatur prout di-
gnum eſt.* Ita Aug. Quæ cum veriſſima ſint, & verum
ſit etiam quod dixit Dominus: *Quid prodeſt homini
ſi vniuerſum mundum lucretur, ipſe verò animæ ſuæ de-
trimentum patiatur?* Patet cum ſeipſo minimè con-
cordare qui in præiudicium æternæ ſalutis ad digni-
tatum culmina conſcendere nititur. Deinde duabus
adhuc rationibus hoc oſtenditur, primò quia am-
bitioſus ſemper ad maiora contendit, cum variis
animi angoribus. Secunda eſt præcipuè pro iis, qui
dignitates Eccleſiaſticas inuadunt, potiùs quàm ob-
tinere contendunt; quod Deus ſæpe temporaliter
punit eos qui dicunt: *Hæreditate poſſideamus ſanctua-
rium Dei.* Quantum ad primum, certum eſt ambi-
tioſum nunquam ſatiari honoribus adeptis, ſed ad
maiores ſemper adſpirare. *Nouimus,* inquit Sen. l. 3.
de beneficiis c. 13. *cupiditatibus occupati non quid habea-
mus, ſed quid petamus: ſuſpicimus non in id quod eſt,
ſed in id quod appetimus intenti: quicquid enim domi eſt,
vile eſt, &c. Non enim,* vt idem ait, *ambitio permittit
quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ
quondam fuit eius impudens votum, &c. quin etiam
adepta ſumma dignitate, v. g. conſulatu, vltra ſe cupidi-
tas porrigit, ac fœlicitatem ſuam non intelligit quia non
vnde venerit reſpicit, ſed quo tendit.* Seneca l. 2. de
beneficiis c. 27. Præclarè proinde S. Bernardus,
Epiſtol. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſ-
copum. *Cæterum,* inquit, *curritur in clero paſſim ab om-
ni ætate & ordine; à doctis pariter & indoctis ad Eccle-
ſiaſticas curas; tanquam ſine curis iam quiſque victurus
ſit, cum ad curas peruenerit: nec mirum de his, qui nec
dum in ſemetipſis experti ſunt: videntes enim illos, qui iam
proprios humeros cupitæ ſarcinæ ſummiſerunt, non ſolùm
non gemere tanquam ſub onere, ſed inſuper appetere plus
onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæca-
ti non vident, ſed fauoribus ampliùs quos illis inui-
dent prouocantur. O infinita ſemper ambitio, & inſatia-
bilis auaritia! Cur primos honorum gradus meruerint in
Eccleſia, meruerint autem vel vitæ merito vel pecunia,
ſiue etiam carnis & ſanguinis (quæ regnum Dei non poſſi-
debunt) prærogatiuâ non ideo corda quieſcunt, duplici
ſemper æſtuantia deſiderio, quo vtique magis ac magis &
dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur v. g. cum
factus quis fuerit in quacumque Eccleſia Decanus, præpoſi-
tus, Archidiaconus; aut aliquid huiuſmodi, non conten-
tus vno, in vna plures ſibi, imo quotquot valet conquire-
A re honores ſatagit, tam in vna quam in pluribus: quibus
tamen omnibus, ſi locus euenerit, libenter vnius profe-
ret Epiſcopi dignitatem. Sed nunquid ſic ſatiabitur factus
Epiſcopus? Archiepiſcopus eſſe deſiderat: quo forte adepto,
neſcio quid altiùs ſomnians, laborioſis itineribus, & ſum-
ptuoſis familiaritatibus Romanum ſtatuit frequentare pala-
tium, quæſtuoſas ſibi quaſdam exinde comparans amicitias.
Si lucri ſpiritualis gratia hoc faciunt, laudandus eſt Zelus,
ſed præſumptio corrigenda. Nonnulli, cum iſta non poſſint,
vertunt ſe ad aliud ambiendi genus, in quo nihilominus
aperiunt eam, quam habent, dominandi libidinem. Nam
cum præſideant vrbibus valde populoſis, & totus, vt ita
dicam, patrias propria diœceſis ambitu circumcludant, oc-
caſione inuenta ex quocumque veteri priuilegio ſatis agunt
B vt & vicinas ſibi ſubjiciant ciuitates; quatenus duæ, qui-
bus duo vix præſules ſufficiebant, ſub vno redigantur An-
tiſtite. Rogo quæ hæc tam odioſa præſumptio? Quis hic
tantus ardor dominandi ſuper terram? Quæ principandi
tam effrenis cupiditas?* Hæc Bernard. Ex quibus ſatis
patet ambitioſum nec cum ſeipſo conſentire, qui ex
poſſeſſione honoris adepti, ad aliud deſiderandum
inardeſcit, ſemper ſiti & fame, non iuſtitiæ, ſed
vanitatis grauiter laborans; itaut meritò idem
S. Bernardus l. 3. de conſiderat. exclamat dicens:
*O ambitio, ambientium crux! Quomodo omnes torquens
omnibus places? Nihil acerbiùs cruciat, nihil mole-
ſtiùs inquietat, nil tamen apud miſeros mortales celebrius
negotiis eius. An non limina Apoſtolorum plus iam am-
C bitio quàm deuotio terit?* &c. Ita ille in quietum certè
& inquietans malum ambitio, Regum & Pontificum
palatia replens: vnde optimè ambitioſus ſtellioni
aſſimilatur, de quo Prouerb. 30. dicitur: *Stellio ma-
nibus nititur, & moratur in ædibus regum.* Ad quid,
inquam, niſi vt pinguiora beneficia accipere valeat?
Nec ita ſtellio fixe hominis vultum intuetur, ac am-
bitioſus honoris culmen, quem adeo auidè pro
ſeipſo appetit, vt aliis inuideat ſi quem obtineant
honorem. De ſtellione dicitur quod pellem ſuam
exuens, quæ valet, inquiunt, contra Epilepſim,
illam deuorat; ac ſi bono eorum, qui ea vti poſſent
inuideret. Certè nullum videbis ambitioſum, qui
aliis non inuideat, dicente Seneca, Epiſt. 852. *Am-
D bitio tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet ter-
minum: tam ſollicita eſt ne quem ante ſe videat, quàm
ne alium poſt ſe. Laborat inuidiâ, & quidem duplici; &
inuidetur, & inuidet ipſe.* Ita Seneca. Aliorum operâ
& induſtriâ vtetur, vt ad concupitum perueniat ho-
norem; ſed ne habeat ſocium, cum cuius opera
vſus eſt plærumque peſſum dare non dubitauit: ſi-
milis ſtellioni, qui aranearum telam manu tangit vt
moueatur; quatenus aranea prædam meditans in
ſua reti captam, vt ea fruatur è foramine egredia-
tur in quo erat abſconſa, & ipſa ſtellionis præda
fiat. Sic ambitioſus eos quos adulationibus, vt ſibi
fauerent, adduxit; ne ſibi æquales fiant perdit:
quia ſolus regnare contendit. Vnde contrahitur
E crimen, quod vocant ſtellionatus, cum quis fallit
eos quibus fauere fingit, vt ad concupitum perue-
niat ſcopum, nempe honoris ſeu dignitatis adeptio-
nem. Certè blandum nomen honor, mala ſeruitus.
Ipſa quoque, inquit rurſus S. Bernard. (Serm. 6. in
Pſalm. Qui habitat.) *Eccleſiaſticæ dignitatis officia in
turpem quæſtum, & tenebrarum negocium tranſiere; nec
in his ſalus animarum, ſed luxus queritur diuitiarum.
Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias,
miſſas celebrant; Pſalmos decantant, pro Epiſcopatibus,
& Archidiaconatibus, Abbatiis, aliiſque dignitatibus,
impudenter hodie decertatur; vt Eccleſiarum redditus in
ſuperfluitatis & vanitatis vſus diſſipentur.* Ita Ber. Quàm
friuola in ambitu conſolatio, graue iudicium, vſus
breuis, finis ignotus. Vis è Pſalmiſta ediſcere quo-
modo quod quærunt ambitioſi fuit illis in oppro-

Digitized by Google

brium? *Qui dixerunt*, inquit, *hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei: Domine, pone illos vt rotam.* Ac ſi diceret: Tanquam paternam hæreditatem poſteritati relinquendam ſanctuarium Dei poſſidere percupiunt, vt domus ſeu familia ita firmas radices obtineat, vt vix concuti valeat. Sed ecce quomodo potiùs voluatur vt rota, varias rerum viciſſitudines, & multa ſubeundo infortunia; imo ecce quomodo ſunt *ſicut ſtipula ante faciem venti.* Ludibrium fortunæ euadunt, dum aliquam ſtabilitatem prætendunt in hæreditatis Domini poſſeſſione. Quod ſi aliqui ex hac familia remaneant aliqua bona poſſidentes, erunt veluti ſylua, ex igne, foliorum ornamento & viriditate ſpoliata. *Et ſicut ignis qui comburit ſyluam.* Quod ſi adhuc quædam ornamenta honorum & dignitatum remaneant in iſtis familiis, hoc multis domeſticis, litigationibus, diſſidiis, inimicitiis fiet infauſtum. *Et ſicut*, inquit, *flamma comburens montes*; Qui exteriùs aliquem habent virorem, at interius rediguntur in cinerem & fauillam. Et ſicut de his qui palatia ſuperba conſtruunt ex rapinis & auaritia, poſt eorum obitum dicitur, vt ait S. Chryſ. Hæc eſt domus huius auari, huius rapacis, huius viduarum & orphanorum ſpoliatoris: ita certè dicetur: Hæc eſt domus huius ſimoniaci, huius impij, Eccleſiæ Dei diſſipatoris. Igitur hoc non eſt memoriam bonam aſſequi, ſed etiam poſt mortem infamari, & ſpectatorum linguas acuere, in accuſationem eius qui illam poſſedit vel ædificauit. Sed transeundum nobis ad conſiderationem maculæ fœdiſſimæ, quam contrahit ambitioſus, qui nec cum Deo; nec cum proximo, nec cum ſeipſo pacem poteſt obtinere.

Maculam contrahit ambitioſus grauem: nam cum ornamentum intellectus ſit ſapientia; & voluntatis decor ſit vt ipſa Deo ſit ſubiecta, iuxta illud Iſ. *Vocabitur voluntas mea in ea*: ambitio reddit homines ſtultos, & amentes, & ſtultè ſubiectionem iſtam & dependentiam refugientes. Prouerb. 21. ſuperbus & arrogans vocatur *indoctus, Deriſor nomen eius*; iuxta Hæbraicam verſionem, oſtentator peſtilens vocatur, vt vertunt 70. interpretes. *Magnum eſt*, inquit S. Chryſ. *elationis malum: ſtulsum eſſe melius eſt quàm inſolentem. Illic enim ſtultitia tantùm eſt, mentiſque tarditas: his autem ſtultitia peior, nempe fatuitas cum furore. Stultus ſibi ipſi malus eſt, elatus & aliis peſtis.* Ita Chryſ. hom. 39. ad populum. Fœdatur quidem luxurioſus, dum meretrici commiſcetur: quia indebito & illicito modo, naturali copulà abutitur: ſed aliqua reali delectatione, quamuis tranſitoria, tamen fruitur. Fœdatur auarus amore pecuniæ inordinato: at nihilominus aliquid poſſidet reipſa exiſtens. At cum ambitio homines ad tantam mentis ſtultitiam trahat, vt dicant cum Lucifero: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium: ſedebo in monte teſtamenti. Similis ero altiſſimo.* Iſ. 14. Cæteris imperare volo, nec aliquem è creaturis ratione præditis mihi præferri permittam: vt hac independentia à cæteris rebus creatis ſimilitudinem habeam cum Deo à nullo dependentem; Quinimo ita amentes exiſtant, vt ſe Deos proclament: quod de rege Tyri dicitur, Ezechiel. 28. *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedi, in corde maris; cum ſis homo & non Deus*: Quis non videt fœde maculari, qui tam inſolenter, tum ſtultè & arroganter, tam mendaciter ſe Deum eſſe proclamat. Hac mentis ſtultitia fœdatum fuiſſe dicunt Alexandrum, quem vocant magnum, *qui faſtidio Philippi Iouem Hammonem Patrem aſciuit: tædio morum & cultus Macedonum, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit, ſpreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus eſt: nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem diſſimulare.* Ita

A Valer. Max l. 9. c. 5. Pari ſtultitia laborabat ille Menecrates Medicus, qui apud Atheneum l. 7. ſe Iouem eſſe dicebat; Et ſi quos à morbo Epilepſiæ curaſſet, eos volebat poſt ſe ambulare veſtibus indutos, quibus vel Herculem, vel Mercurium, vel Æſculapium repræſentarent. Nec abſimilis amentia Pſaphonis ſeu Annonis Carthaginenſis, qui multas aues proferre hæc verba, Θεὸς ἐν τὸν ἄννον *Annon Deus eſt*; docuerat: quas dimiſit, vt per aërem volantes, dum hæc verba proferrent, audientes Deum eſſe illum arbitrarentur. Ex quibus ſatis patet quod ambitioſus à Deo ſummè auertitur, qui diuinitatem aut ea quæ Dei ſunt impiè ſibi arrogare non pertimeſcit. Et hæc de ambitio ſatis.

B Ad inanem gloriam tranſeamus.

De inani gloria. §5.

Cognoſcere aut approbare bonum ſuum non eſt peccatum; ſicut nec ſi aliquis velit bona opera ſua ab aliis approbari. Vnde S. Ambroſ. in c. 5. Epiſt. ad Roman. hæc verba Apoſtoli ponderans (*certus ſum autem fratres, & ego ipſe de vobis, quia & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, itaut poſſitis alterutrum monere*) ait: *Hæc exhortationis ſunt. Per laudem enim prouocat eos ad meliorem & intellectum & vitam. Qui enim videt ſe laudari, datâ operâ elaborat vt vera ſint quæ dicuntur.* Ita Ambroſ. At velle ea, quæ nos

C ad meliora prouocant, bonum eſt; velle igitur vt bona opera noſtra ab aliis approbentur, nullum ex ſe erit peccatum. Nihilominus quiſque gloriæ caueat appetentiam, *quæ frequenter nocuit*, inquit, S. Ambroſ. *immoderatiùs appetita, ſemper autem vſurpata.* l. 1. de officiis c. 39. Nam vitioſus eſt inanis gloriæ appetitus, ſi quis appetit gloriam, claritatem, laudem & approbationem aliorum, pro eo quod non eſt, aut pro re quæ approbatione digna non ſit, aut ab hominibus quorum iudicium valde incertum eſt; vel propter alium finem, quàm Dei honorem, vel proximi ſalutem. Et tunc erit peccatum graue, ſi illud falſum ſit contra reuerentiam Deo debitam: qualis erat laus, quam optabant ij, qui Deos exi-

D ſtimari voluerunt, vt apud Ezechiel de quo dicitur c. 28. *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum*; vel ſi bonum caducum & temporale ſit, de quo laudari quis appetit; magis laudem expetens à tali bono quàm ab omni bono quo Deo fieret acceptior: Sic enim bonum temporale præfert Deo, contra illud Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire aut noſſe me*; Vel ſi pluris faciat laudari ab hominibus, quàm à Deo, diligendo magis gloriam hominum quàm gloriam Dei: Vel denique ſi quis omnia bona opera, propter quæ laudari poſſet, ad hanc finem faciat vt laudari poſſit, itaut non timeat aliquid facere con-

E tra Dei voluntatem, ſi tali ratione poſſit laudem & gloriam aſſequi ab hominibus: tunc enim ille amor humanæ laudis inimicus eſt piæ fidei, videlicet quia maior eſt in corde, gloriæ cupiditas, quàm Dei timor vel amor. Talis igitur gloriæ appetitus inanis, nec cum Deo, nec cum proximo, nec cum ſeipſo concinnitatem habere poteſt: quod tam ex ſui natura, quàm ex filiabus huius appetitus immoderati, nempe inobedientia, iactantia, hypocriſi, contentione, pertinacia, diſcordia, & nouitatum præſumptione, percipere poſſumus.

Quantum ad primum, ſatis patet inanem gloriam contra Deum pugnare, qui ait: *Ego ſum qui ſum*: cum quis laudari vult ex eo quod non eſt, cum Deus veritas ſit, hypocriſis autem opponatur veritati, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 111. ar. 3. Eſt enim

Digitized by Google

hypocriſis quædam ſimulatio, qua quis ſimulat ſe habere perſonam, quam non habet: v. g. vult haberi bonus, & malus eſt; vult reputari aliqua virtutis opera exercere ex amore virtutis, & tamen homines decipit circa hanc vel illam virtutem, dum talia opera exercet, non virtutis amore aut motione, ſed captandæ & aucupandæ gloriæ tantum gratia. Quod ſi finis, propter quem fingit & ſimulat ſe virtutis actum producere, repugnet charitati Dei vel proximi, puta cum quis ſimulat ſanctitatem, vt falſam diſſeminet doctrinam, vel vt adipiſcatur Eccleſiaſticam dignitatem indignus, vel alia temporalia bona, in quibus finem ſuum conſtituat; tunc manifeſtum eſt talem hypocritam cum Deo non conuenire, ſed cum illo pugnare directè, ſicut & ille qui per iactantiam quippiam de ſe profert, ſupra id quod in ſe eſt ſecundum rei veritatem: veritatem enim oppugnat per mendacium. Quod ſi illud, quod de ſe iactat & profert, ſit contra Dei gloriam, vt faciebat ille qui iactitabat ſe eſſe Deum Ezech. 28. vel contra charitatem proximi, vt faciebat ille Phariſæus prorumpens in contumeliam Publicani, dum ſua extollit; *Non ſum*, inquit, *ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri, veluti etiam hic publicanus:* tunc clarum eſt & cum Deo pugnare, & cum proximo belligerare, qui ita impiè, leuiter & mendaciter, & contumelioſè ſe iactat. Optimè dixit S. Bernard. Serm. 84. in Cantica: *Verè & abſque dubio eo quiſque peſſimus quo optimus; ſi hoc ipſum, quo eſt optimus, aſcribat ſibi: nempe peſſimum hoc. Quod ſi dicat quis: Abſit. Agnoſco: gratia Dei ſum id quod ſum; ſtudeat autem captare glorioſam pro gratia quam accepit, nonne fur eſt & latro? Audiat qui eiuſmodi eſt. Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam. Quid nequius ſeruo vſurpante ſibi gloriam Domini ſui?* Ita Bernard. Ne igitur per inanem gloriam cum Domino dimicemus. *Nunquid,* dicebat Iſaias c. 10. *gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt. Sic contra Dominum omnis qui gloriatur, ſi non in Domino glorietur,* inquit Ber. Serm. 13. in Cantica. Immobiles certè ſumus ad opus, ſi non à Deo, in quo viuimus, mouemur & ſumus, moueamur, attracti ab eo ad tale aut tale miniſterium obeundum: è contra niti non debemus, ſeu nihil nobis eſt aggrediendum ſupra vires aut facultates noſtras, nec nobis adſpirandum ad maiores dignitates illis ad quas Deus nos eleuare voluit. Per virgam enim, ſeu baculum ſceptrum poteſtatis inſigne deſignatur: nec nobis eſt gloriandum per iactantiam, ſupra id quod ſumus aut agimus. De ſtercore eleuati à Deo: quis ferat nos ſupra eum extolli velle? Quod fit dum voluntati eius ſubiacere renuimus. Et ſi Deus nobis bona ſua elargiendo, voluerit laudem & gloriam, quam à creaturis ſuis accipere debet, ſupra nos tanquam ſupra quemdam baculum (quem & ipſe plantauit, rigauit, & creſcere fecit) ſuſtentare, quid gloriabimur, quaſi à nobis aliquid habeamus, & quaſi illud omne à Deo non acceperimus? *Si gloriandum,* inquit S. Bernardus Serm. 13. in cantica, *Paulus me docuit vnde & in quo. Gloria, inquit, noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Securus glorior, ſi teſte conſcientia de gloria conditoris nihil mihi vſurpo: ſecurus planè quia iā non contra Dominum, ſed in Domino. Hæc nobis gloriatio non ſolùm non prohibetur, ſed & ſuadetur, cum dicitur: Gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non vultis. Reuera gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt; nec mediocris iſta gloria, quippe tam vera, quam de veritate, & in veritate; tam rara, vt vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea,* &c. Et poſt pauca: *Fratres, ſi hæc ſcitis, nemo veſtrum velit laudari in vita*

A *iſta, quia quicquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipſi furaris. Tibi enim vnde gloria, putide puluis? Tibi vnde? De vita ſanctitate? Sed ſpiritus eſt qui ſanctificat. Spiritus (dico) non tuus, ſed Dei. Etſi prodigiis aut ſignis effulgeas, in manu tua fiunt, ſed virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbum bonum, & bene fortè deprompſeris? Sed Chriſtus donauit os & ſapientiam: nam lingua tua quid, niſi calamus ſcribæ? Et hoc ipſum mutuò accepiſti.* Ita Bernard. Si igitur aliquis inani gloria ſe extollit ſupra id quod eſt; ſi quis contra veritatem hypocriſi pugnat; ſi quis gloriando in ſe, Deo gloriam furatur; nonne vides cum ipſo, qui ſolus eſt Deus, qui eſt ipſamet veritas, à quo ſolo omnia dependent, non poſſe conuenire, aut concinnitatem habere?

B Nunc quomodo nullam cum proximo habeat concordiam, qui inanem ſectatur gloriam, nobis eſt aperiendum. Et primò per pertinaciam: nam cum pertinaces illi dicantur, qui in propoſito ſuo ad victoriam perſeuerant, qui ſunt Iſchyrognomes, id eſt, fortis ſententiæ; vel Idiognomones, id eſt, propriæ ſententiæ, quia ſcilicet perſeuerant in propria ſententia plus quam oportet; per quod volunt ſuam excellentiam manifeſtare, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 138. ar. 2. ſatis patet hoc fieri non poſſe abſque perturbatione concordiæ cum proximo, qui meliùs ſentit; & per hanc pertinaciam homines & ſuperioribus, & æqualibus, & inferioribus ſæpiſſimè mo- C leſtos eſſe. Superioribus, quia propter adhæſionem propriæ ſententiæ fiunt ſubditi rebelles, & inobedientes præceptis & regulis. Quam pertinaciam hac de cauſa reprehendebat olim S. Bernard. in ſuis Monachis, ſer. 19. in Cantica, qui maiores in victu & veſtitu obſeruabant auſteritates, quam ipſe aut regula præſcriberet, quos ita redarguit. *Quouſque,* inquit, *vos ſapientes eſtis in oculis veſtris? Deus ſe mortalibus credit & ſubdit, & vos in viis veſtris adhuc ambulatis? Bonum receperatis ſpiritum, ſed non benè vtimini eo. Vereor ne alium pro iſto recipiatis, qui ſub ſpecie boni ſupplantet vos, & qui ſpiritu cæpiſtis, carne conſummemini.* Nec planior aut procliuior via eſt ad inobedientiam, quàm pertinacia. Et quis ignorat inobedientiam pacem cum ſuperioribus perturbare, eoſque D vehementer contriſtare? Hæc tam nota ſunt, vt in his diutius immorari ſuperuacaneum foret.

At maximè etiam cum aliis æqualibus aut inferioribus, ſicut cum ſuperioribus, pax perturbatur per diſcordias & contentiones; per diſcordias, inquam. Diſcordia namque per ſe concordiæ aduerſatur, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 37. ar. 1. *Concordia,* inquit ille, *ex charitate cauſatur, in quantum ſcilicet charitas multorum corda coniungit in aliquid vnum, quod eſt principaliter quidem bonum diuinum, ſecundariò autem bonum proximi.* Diſcordia igitur ea ratione eſt peccatum, in quantum huiuſmodi concordiæ contrariatur. Quod ſi hoc fiat ſcienter, & ex intentione, E hoc erit peccatum mortale: licèt primi motus huius diſcordiæ, propter imperfectionem actus, ſint peccata venialia. Si autem per accidens hoc fiat, dum intentio fertur ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi (ſed vnus æſtimat hoc eſſe bonum, alius autem habet contrariam opinionem) diſcordia tunc eſt per accidens contra bonum diuinum vel proximi. Talis diſcordia non eſt peccatum, nec repugnat charitati, niſi huiuſmodi ſit cum errore circa ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur. Cum autem concordia, charitatis effectus ſit, vnio voluntatum, non vnio opinionum, diſcordia quandoque ex peccato vnius tantùm, puta cum vnus vult bonum, cui alius ſcienter reſiſtit; quandoque autem eſt cum peccato vtriuſque, puta cum

Digitized by Google

vterque diſſentit à bono alterius, & vterque diligit bonum proprium, præferendo ſcilicet ea quæ ſua ſunt, inordinatè per ſuperbiam & inanem glotiam. Hanc diſcordiam S. Ambroſ. in c. 13. Epiſt. ad Rom. dicit eſſe exordium iniuſtitiæ: ergo litium origo. Et in c. 4. Ep. ad Epheſios, ponderans Domini verba: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur:* ait: *Perturbatio enim & inquietudo contentionem facit, quæ ſolet etiam ea, quæ mala nouit, velle defendere, ne cedere videatur. Hinc oritur diſcordia, quæ corrumpit pacis fœdera.* Ita S. Amb. Sicut autem ex diſcordia is qui inani gloria laborat, cum proximo concinnitatem non habet, ita etiam ex contentione qua impugnatur veritas, vel qua excedendo conuenientiam perſonarum & negotiorum, cum inordinatione impugnatur falſitas; itaut ex inordinatione generetur ſcandalum aliorum. Quod diſſuadet Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere. Ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Ex tali enim contentione pax cum proximo perturbatur, lites & iurgia naſcuntur, quibus fit, vt cum proximo non conſentiamus. Vnde Apoſtolus nolebat nos ambulare in contentionè & æmulatione. Rationem reddit S. Ambr. in c. 14. Ep. ad Rom. *Recte,* inquit, *ab his coërceri monet, quia omnis contentio & zelus inimicitias parit; quas tenebras vocat,* quia ad lucis præmium peruenire non poſſunt. Et in 2. ad Timot. c. 2. exponens hæc verba (*Noli verbis contendere.*) *Quoniam,* inquit, *ſunt aliqui qui dicunt contentionem audientibus prodeſſe. Apoſtolus autem ſciens magis obeſſe, hoc mandat, vt vnuſquiſque hoc curet, vt ſpreta altercatione ſemetipſum probabilem faciat. Impuderatos appellans eos qui contentionibus nituntur. Neceſſe eſt enim vt contentio extorqueat aliquid, immo multa, quæ dicuntur contra conſcientiam, vt intus in animo perdat, foris victor abſcedat. Nemo enim patitur ſe vinci, licèt ſciat vera quæ audit.* Ita Ambroſ. *Quod ſi,* dicebat Apoſtolus cap. 5. Epiſt. ad Galatas, *mordetis inuicem & comeditis, videte ne ab inuicem conſumemini. Manifeſtum eſt,* inquit Ambroſ. *quia diſſenſio fratrum inimica eſt dilectionis. Ideo monet vt pacifici ſint proficientes in bono, contentiones enim generant iurgium, cuius fructus eſt vitæ conſumptio.* Ita Ambr. Et quia contentiones reponuntur, ibidem ab Apoſtolo, inter opera carnis; & Dei ſpiritus non permanet in his qui caro ſunt, recte S. Ambroſ. dicit in 14. Epiſt. ad Rom. *Diſceptatio non habet gaudium, ſed iram ideo non illic reſpicit Spiritus ſanctus, qui gaudet in ſolis pacificis.*

At non ſolum inanis gloria contra Deum militat, contra proximum bellum gerit, ſed etiam nocet inanis gloriæ ſectatori. Optimè S. Ambroſ. in 4. c. Luc. *Dum homines gloriam virtutis ſuæ iactare deſiderant, de loco meritorum ſuorum & ſtatione decedunt.* Et paulo poſt: *Hoc eſt iactantiæ, vt dum ſe putat vnuſquiſque ad altiora conſcendere, ſublimium vſurpatione factorum ad inferiora tradatur.* Ita Ambr. Quantum verò pertinacia noceat pertinaci, docet idem S. Ambroſ. in c. 11. epiſt. ad Rom. *Quidam in pertinacia manentes ſeueritatem ſententiæ non euaſerunt, in perpetuum curuati, hoc eſt excæcati, ne de cætero poſſint veritatis viam aſpicere, quam maleuolentiâ aſpernati fuerunt declinantes ab ea, & ad ſalutis gratiam dedignantes peruenire. Qui enim cum intellexiſſet credere noluit, id debet conſequi quod vult, ne de cætero poſſit fidem recipere & ſaluari, quam ſciens prudenſque abnuit.* Ita ille: Et paulo poſt: *Ex voluntate ergo ſua adiuti ſunt, vt quoniam ſcientes verum dicebant eſſe falſum, de cætero non intelligerent verum quod haberent, ſed falſum quod volebant.* Ita Ambroſ.

Certè qui inanem gloriam ſectatur, quod deſiderat nunquam obtinet, mente obtenebratur, & pacem amittit. Hæc ex S. Bernardo oſtendere poſſumus, ſerm. 17. in Pſal. *Qui habitat. Fallax,* inquit, A *gloria & vana eſt claritas, dies hominum breuis. Sapiens eiuſmodi non optabit, magis loquetur ex corde ei qui intuetur cor: Et diem hominis non deſideraui: tu ſcis. Ego tamen plus aliquid quàm non deſiderat deſidero, vt ne recipiam quidem: Scio enim cuius vox ſit: Ego claritatem ab homine non accipio. Quàm verò miſeri qui gloriam, quæ ab inuicem eſt, quærimus: & nolumus eam quæ à ſolo eſt Deo! Sola ſiquidem ea, quam ſolam negligimus, longitudinem habet, ſola repletionem. Breuis dies hominis: & dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit. Exſiccatum eſt, inquit, fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini in æternum manet? Venit nimirum dies, qui non nouit occaſum, æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaq; ſatietas. Alioqui quomodo gloria illa replebit* B *quæ fallax & vana eſt? Denique & inanis dicitur, vt noueris te ex ea magis exinaniri poſſe, non poſſe repleri, Bonum ergo interim magis abiectio, quam elatio eſt, &c.* Quod autem vanitas obcæcet, idem ſanctus docet Epiſt. 18. ad Petrum Card. *Appetitus,* inquit, *vanitatis eſt contemptus veritatis: contemptus veritatis cauſa noſtræ cæcitatis.* Denique quod pacem non habeat ſectator vanæ gloriæ, teſtatur idem ſanctus, Epiſt. ad Epiſcopos Aquitaniæ 126. *Diſplicet,* inquit, *hominibus illa Angelica partitio, quæ gloria Deo, pax hominibus nunciatur, & dum gloriam vſurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur qui facit mirabilia ſolus; ſicut dicit Apoſtolus: Soli Deo honor & gloria. Porro autem cum noſtro genere benè agitur, ſi datur frui pace Dei, pace cum* C *Deo, & quidem fœliciter & miſericorditer. Quonam ergo modo ſtabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, ſi Deo non poteſt apud homines eſſe tuta ſua gloria? O ſtulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam.* Ita Bern. *Nullum ergo eſt malum,* inquit S. Chryſ. hom. 1. in 2. ad Theſſalon. *quod conferri poſſit cum ſuperbia. Hominem efficit dæmonem, contumelioſum, blaſphemum, periurum: facit vt appetantur cædes. Superbus ſemper viuit in doloribus & moleſtiis, ſemper iraſcitur, ſemper eſt triſtis. Nihil eſt quod hanc animi perturbationem poſſit ſatiare, etiam ſi videris Regem ſe ſubmittentem, incuruantem & adorantem, non eſt ſatiatus, ſed magis eſt accenſus. Quomodo enim auari, quo plura accipiunt, eo pluribus indigent: ita* D *etiam qui ſunt elatæ mentis quantacumque fruantur gloria, tanto maiorem expetunt: augetur enim eis affectio. Eſt enim affectio; affectio autem non nouit modum, ſed tunc demum ſiſtitur, quando occiderit qui ipſam habet.* Ita Chryſ. Nocet igitur inanis gloriæ ſectatori, inanis gloria.

Quantum ad maculam, qua omnis virtutis ſplendor deletur, hæc ſane in inaniter glorianti ſatis manifeſta eſt. Si ſiquidem ſtultitiâ notatur, quæ fœdior mentis macula eſt. Hinc S. Chryſ. Serm. 7. in 2. cap Epiſt. ad Philipp. & quod arrogans ſibi noceat, & quod maculam ſtultitiæ contrahat apertè docet, cum ait: *Satius eſt ſtolidum eſſe quàm arrogantem: nam ibi quidem ſtultitia ſola mentis infirmitas, atque* E *inopia eſt: hic verò ſtultitia deterior eſt: & ſtultitia quidem, cum furore coniuncta. Stolidus ſibi ipſi nocet: arrogans verò aliorum etiam eſt pernicies. A dementia hic morbus procreatur. Fieri minimè poteſt vt quis de ſe magnos ſpiritus ſumat, niſi ſtultus ſit. Qui verò valde ſtultus eſt, & arrogans quoque eſt. Audi ſapientem quemdam ita dicentem: Vidi hominem ſapientem ſibi videri, magis verò illo ſpem habet inſipiens.* Ita Chryſ. Qui pulchrè in iſta homilia oſtendit de nulla re nobis eſſe gloriandum: ſiquidem nihil habemus corporeum, in quo plærumque non ſuperemur ab aliis, etiam aliquando à brutis. Et cum ſola ratione poſſimus bruta ſuperare, nonne ipſiſmet brutis ſumus deteriores & fœdiores, ſi rationis vſum amittimus, dum contra rationem & veritatem inaniter gloriamur? *Vnde igitur,* inquit, *dignus es qui brutis domineris? Ex ratio-*

ne? *Minimè id quidem. Quando enim illâ quo oportebat non veris, rurſus illis es deterior.* Ita ille. *Nam*, vt antea dicebat, *qui arrogans eſt, hinc & contumelioſum eſſe neceſſe eſt, & percuſſorem, & iracundum, amarum, & triſtem, omninoque feram potius quàm hominem.* Itaque ab eodem Chryſ. diſcendum gloriæ conſequendæ nullam meliorem eſſe rationem, quàm gloriam fugere. *Quandiu enim ipſam perſequimur, fugit nos. Cum verò eam fugimus, ipſa nos ſubſequitur. Si vis in gloria eſſe, gloriam ne concupiſcas: Si vis celſus eſſe, ne te in ſublime efferas.* Ita Chryſ.

Hac ratione ſatis perſpicitur non modo inanem gloriam & ſuperbiam nullum habere virtutis ſplendorem, ſed nec per eam homines ad finem ſuum, Deum nempe, peruenire poſſe, cum initium ſuperbiæ hominis ſit ipſa à Deo auerſio. Igitur ſi inanis gloria dicat, vt eſt apud Ambroſ. De vitiorum virtutumque conflictu, to. 5. *Age bonum, quod vales. Oſtende cunctis bonum quod agis, vt bonus à cunctis dicaris, vt ſanctus ac venerabilis ab omnibus prædiceris, vt tanquam Dei electus noſcaris, vt nemo te contemnat, nemo te deſpiciat, ſed vniuerſi debitum tibi honorem perſoluant; Reſpondeat timor Domini: Si boni aliquid agis, non pro tranſitoriis, ſed pro æternis id honoribus age; Occulta quod agis, in quantum vales. Quod ſi ex toto non vales, ſit in animo occultandi voluntas: & tunc non tibi imputabitur de oſtentatione vlla iniquitas. Nam crimen eſſe non poterit aliquando manifeſtari, quod ſemper vis celatum haberi: Sic denique duas redemptoris ſententias ſibi quaſi contrarias videberis adimpleſſe, quibus dicitur: Faciente te eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: ſed ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi: Et, videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cœlis, &c.* Ita Ambroſ. Et hæc de inani gloria, & de ſeptem vitiis capitalibus, ſatis.

Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo; & pedes eius ſicut pedes vrſi: & os eius ſicut os leonis.

Quomodo peccatorum turpitudo inſigniter apparebit in Anti-Chriſto?

ANNOTAT. XV.

PRÆTERea, quæ dici poſſunt de peccati turpitudine in genere, quæ Anti-Chriſto conuenire nemini dubium eſt, tres inſignes illius nequitiæ hîc ob oculos proponuntur, quæ à Deo qui eſt ſimplex veritas, inæſtimabilis puritas, & bonitas infinita, maximè auertant; nempe ſuperba & verſipellis hypocriſis ac diſſimulatio, turpis & infamis in obſcænis voluptatibus immerſio, ac ſæua nimis & crudelis ambitio. His vitiis oppleti facilè ad hanc impietatem peruenient, vt Deum eſſe, ſi non ore, ſaltem corde; ſi non corde ſaltem opere pernegent, ſeque in locum Dei reponant. Et quis illos aut arguere, aut eis contradicere & ſe opponere auderet impune? Os habent leonis, vt habitu, dente venenato, omnes ſibi contradicentes interficiant & dilacerent.

Certè ſi pardus alia paruipendit animalia, ex nimia extollentia cunctos deſpicit anima illa, corde duplex, pelle varia, moribus ficta, ſermone fucata, vultu diſſimulata, opere ab omni ſimplicitate & veritate aliena, & in his fictionibus alta mente compoſitis adeo radicata, vt de ea Ieremias c. 13. dixerit: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Si igitur totum corpus operum, tota cogitationum aggregatio, tota mentis intentio mendaciorum tenebris offuſcetur, diſſimulatione A maculetur, hypocriſim redoleat; quomodo Deus, qui ſumma & ſimplex eſt veritas, ſuum in tali anima eligeret domicilium? Imo dico, quomodo ab ea non longiſſimè exularet?

At non tantùm hypocriſi laborat illa infelix anima, ſed vitio propriæ voluntatis, & inordinati ſuimetipſius amoris veneno inficitur. Suas enim adorat voluntates, veneratur cupiditates, omni æquitate & iuſtitia reiecta. Diceres vrſum pro victu pedes lambentem, aut ſugentem, (hoc enim aſſueuit facere vrſus famelicus, vt aiunt) nam nihil aliud curat, quàm vt pro arbitrio cupiditatibus ſuis indulgeat. Nauſeat ſupra veritate, tanquam ſupra cibo quodam leuiſſimo, nec aliam de quacumque B re, ſeu de quocumque actu, rationem reddere eſt parata, quàm vt dicat: Sit pro ratione voluntas, ſic volo, ſic iubeo. Quis me ab intentis, ab inceptis reprimere, aut impedire quibit? Talia fatur anima, & prudentiâ deſtituta, & infrunito & irreuerenti animo tradita, quæ nec frænis, nec loris, aut repagulis retineri, coarctari, aut cohiberi poteſt. Itaque ſicut de vrſo dicunt quod ſi ab alta & eminenti rupe ſe præcipitem dare cogatur, quia caput valde debile & infirmum habet, pedibus anterioribus illud ſeruare contendit; ita iſtæ infæliciſſimæ animæ quia ratione carent, dum in peccata cadunt aſſueta, voluntatem pro ratione omni anteponunt, vt dicunt quod iam dictum eſt: Sit pro ratio- C ne voluntas. Denique ſicut vrſi in coitu ita diu ſimul coniunguntur, quaſi inſatiabili quodam pruritu delectati, vt nec diei vnius ſpatium ad coitum ſufficiat; ita iſtæ infelices animæ voluptatibus inhiant, nec vnquam ſuas expleri aut exſaturari libidines poſſe exiſtimant: quo fit vt ſicut vrſus ad lora caput hac atque illuc continuò mouet & exagitat, ſic talis anima mentis inquietudinibus, & ſollicitudinibus variè exagitantur, ſuis colligatæ cupedinibus & prauis affectibus, quaſi clauis; conſuetudini peccandi veluti palo affixæ.

Verùm enimvero ſi vultum eorum ſpectes, os leonis ſtatim perſpicies: nec enim ſufficit vt mens eorum veritatem abhorreat, ac voluntas eorum in D ſui amore conquieſcat, nihil redolens virtutis, cum ab omni æquo & bono, & conſtanti benè & honeſtè agendi propoſito ſit aliena: non modo actiones eorum rectitudine iudicij & libertate arbitrij ſpoliatæ videntur: ſed, quod magis eſt, tantâ extolluntur ſuperbiâ, vt nemo ſit qui contradicat, in quem non ſæuiant crudeliſſimè. Et ſicut leonis halitus, (quem præ immoderato pectoris calore quaſi prunas ardentes euomere & exhalare cogitur) ſuo veneno inficit, ita horum pectus amaritudinibus oppletum, furore, crudelitate & arrogantia intolerabili feruens, ebullit in minas. *Sepulchrum quippe patens eſt guttur eorum.* Nihil niſi fœtidum, noxium, & virtuti contrarium è pectore eructant, à ſuauitate, E humilitate, & mititate ſponſi valde diſtantes, cuius ſi ſpecioſa vultus ac totius corporis delineamenta ſunt, non minus perfectionem omnimodam ſpirant interiores pectoris partes. *Guttur* quippe *illius ſuauiſſimum*, vnde *totus deſiderabilis*. At hi & exterius & interius peccati rabiem, fœditatem, & nequitiam redolent. *Leuiores pardis*: quia *veloces pedes eorum ad effundendam ſanguinem.* Et ſicut de muliere nequam dicitur, Eccleſiaſtici 25. *Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum ſuum tanquam vrſus, & quaſi ſaccum oſtendit*, ita iſti, ſicut vrſi, obcæcant & cooperiunt faciem, propriis affectibus indulgentes: lumen rationis valde in ipſis iam ex nequitia debilitatum quodammodo tenebris obuoluunt affectatæ ignorationis. Sed & omnes eorum determinationes ſunt pernicioſæ & noxiæ: ad pec-

Digitized by Google

candum ſemper feruntur, vt de iis dici debeat illud Eccleſiaſt. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata : & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum : quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas : plaga illius non eſt ſanitas.* Talis erit proculdubio Anti-Chriſtus, hypocrita inſignis, ad omnem turpitudinem pronus, ad omnem crudelitatem procliuis, velox ad malum, ratione orbus, omnibus pernicioſus.

Alia interpretatio de Anti-Chriſto ex variis autorum ſententiis eruitur.

ANNOTAT. XVI.

TICONIVS: *Pardo, propter varietatem gentium ſimilauit; vrſo, propter malitiam & veſaniam; leoni, propter virtutem corporis & linguæ ſuperbiam. Et quia temporibus Anti-Chriſti, cum varietate gentium & populorum regnum illius erit commixtum, pedes tanquam vrſi duces eius : os eius, iuſſio eius.*

Interpretationi à nobis allatæ fauet Ambroſius, dum ait : *Per pardum, qui fertur diuerſos colores habere, hypocriſis Anti-Chriſti deſignatur : qui cum futurus ſit homo nequiſſimus, variis virtutibus decolorabit, vt faciliùs ſtultos quoque decipiat. Per vrſum verò, qui calidiſſimum eſt animal, eius aſtutia ad decipiendos homines demonſtrari poteſt. Per leonem nihilominus eius crudelitas ad dilacerandum populum Dei deſignatur.* Ita Ambr.

Victorinus : *Regnum illius temporis Anti-Chriſti cum varietate gentium & populorum ſignificant pedes tanquam vrſi, fortis & ſpurciſſimæ beſtiæ. Duces, pedes eius dixit. Os eius tanquam ora leonum, inquit, id eſt, ad ſanguinem armatum. Os enim eius viſio illius eſt, & lingua, quæ ad nihilum proceſſura eſt niſi ad ſanguinem effundendum.* Ita Victor.

Primaſius : *Pardo propter varietatem gentium comparatur : vrſo, propter malitiam beſtialem; leoni, propter virtutem corporis, & linguæ ſuperbiam.* Ita Primaſ. Videtur ex Ticonio mutuaſſe.

Andreas Cæſarienſ. *Per pardum Græcorum; per vrſum, Perſarum; per leonem, Babyloniorum Regnum denotatur : quæ omnia vnus obtinebit Anti-Chriſtus, idemque Regis Romanorum titulo ornatus in medium ſe offeret; atque vbi primum fictiles pedum digitos (per quos regni in decem partes diuiſi infirmitas indicatur) animaduerterit, totum illum principatum funditus euertet.* Ita Andreas Cæſ. Veruntamen antequam illius ſententiæ veriſſimilitudinem exploremus, audiamus adhuc Rupertum, & S. Thomam.

Rupertus : *Pardus in viſione Danielis (vbi quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe) regnum ſignificat Macedonum. Eſt autem beſtia velociſſima, quæ præceps fertur ad ſanguinem, & ſaltu in mortem ruit. Comparatur ergo illi regnum Macedonum, regnum Alexandri, cuius victoriis velocius nihil fuit, quippe qui ab Illyrico & Adriatico mari, vſque ad Indicum Oceanum & Gangem fluuium, non tam prælis quàm victoriis percurrit, & ſex annis Europæ partem, & omnem ſibi Aſiam ſubiugauit.* Ita Rup. Qui proinde ait : *Similis erat pardo, ſecundum malignitatem Antiochi, id eſt, complebit Anti-Chriſtus illud quod per Antiochum præfiguratum eſt de illo.*

Rurſus idem Rupertus : *Vrſus, in eadem Danielis viſione, regnum Perſarum atque Medorum ſignificat, videlicet propter eiuſdem regni duritiam atque ferocitatem, illius verò pedibus pedes huius beſtiæ comparantur. Qui porro erunt huius pedes, niſi nequitiæ eius ſatellites, peſſimarum eius legationum per totum mundum ad effundendum ſanguinem portitores? &c. ergo pedes eius ſimiles vrſi, id eſt ac ſi diceret : Et miniſtri eius ſicut Aman ad effundendum ſanguinem erunt feſtini.*

A Addit Rupertus : *In eadem viſione Danielis, non leo, ſed (quod ſæuius eſt) leæna Regnum Babyloniorum ſignificat, videlicet propter ſæuitiam eius & crudelitatem; ſiue propter luxuriam & vitam libidini ſeruientem. Igitur os eius ſicut os leonis, videlicet cum ſuperba loquitur ac crudelia; velut ille Rex Babylonis cum diceret : Et quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea? Et nota quod illic, in viſione Danielis, prima ponitur leæna, deinde alia ſimilis vrſo; deinde alia, quæ pardus; deinde beſtia quarta ſine nomine, terribilis atque mirabilis & fortis nimis. Hic autem ordine reciprocato, regnum Anti-Chriſti primum beſtia dicitur, nomine generali, abſque nomine ſpeciali. Deinde in ea ſimilitudo pardi, deinde in pedibus ſimilitudo vrſi, deinde in ore eius ſimilitudo leonis; per quod my-* B *ſticè, apoſtaſia, diabolus, ſpiritus, qui in homine illo totus redundabit, ſignificatur quàm pertinax ſit mala ſua reciprocando ſeque in ſua veſtigia reuoluendo.* Ita Rup.

Sanctus Thomas : *Similis erat, id eſt, erit, pardo, in varietate ſententiarum, quia vnus habebit vnam, & alius aliam, & in eodem variabuntur errore; ſicut ſolet fieri in hæreticis; in quibus tamen ſententiis multi conuenient : Vel ſimilis in varietate ſimulationum, quibus celabunt quædam vitia; item in impatientia & crudelitate : Pardus enim eſt beſtia varietate diſcolor, impatiens, & ſæuiſſima. Ierem. 13. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam & pardus varietates ſuas & pedes eius, id eſt, illi qui mittentur, à principibus deputati ad pergendum vel obſequendum ſicut pedes : qui, inquam, erunt pedes beſtiæ, quia alios iuua-* C *bunt ad malum. Erunt ſicut pedes vrſi, id eſt, fortiter & ferociter conculcabunt fideles. Vrſus enim eſt animal ferox & fortiſſimum in pedibus, quibus & pedibus conculcat. Daniel 7. Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo : & os eius, id eſt, malitia inhians ad deuorandum fideles, tormentis & errorum documentis; erit ſicut os leonis, per crudelitatem deuorantis : ſupra c. 9. Dentes earum ſicut dentes leonum erant, vel os eius, id eſt, maiores in peritia loquendi; ſicut os leonis, quia deuorabunt alios voragine doctrinæ, fætebunt errore in doctrina, vt tangit Gloſſa.* Ita S. Thom.

His omnibus conſideratis, exiſtimo in his tribus beſtiis ſignificari hic tres vias, quibus vtetur Anti-Chriſtus vt ad tyrannidem perueniat, idemque eſſe ac ſi diceret : Veniet vt pardus, progredietur vt vr- D ſus, regnabit vt leo. Veniet vt pardus : quia ex humillimo loco natus, per fraudes & dolos regnum Iudæorum adipiſcetur : nam eo quod *Charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* 2. ad Theſſal. 2. prophetante de illorum perfidia ipſo Saluatore, Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Doloſè enim & fictè aget, vt Iudæos decipiat, dum ſaltem ad tempus ſimulabit ſe legis Iudaicæ zelatorem; & licet de tribu Dan ſit oriundus, finget ſe eſſe de familia Dauid. Lege Bellarm. lib. 3. de Romano Pontif. c. 12. Quia igitur pardus hypocriſis eſt ſymbolum, & Anti-Chriſtus tyrannidem ſuam per E hypocriſim & diſſimulationem obtinebit, ideo dicitur, quod ſimilis erit pardo. Quinam autem erunt qui ei potiſſimum adhærebunt, habemus ni fallor ex Pſ. 82. Nempe Idumæi, Iſmaëlitæ, Moabitæ, Agareni, Geballitæ, Ammonitæ, Amalechites, Philiſthiim ac Tyri, vt videbimus Deo dante in cap. 17. dum agemus de decem cornibus beſtiæ, de qua agitur in illo capite. Lege S. Hieron. in c. 11. Danielis, vbi docet Anti Chriſtum per inſidias & fraudulentiam obtenturum eſſe principatum.

Secunda ratio, qua Anti-Chriſtus tyrannidem ſibi conciliabit, erit quia ad omnia peccata perpetranda, & ad omnes nequitias exercendas, vnicuique libertima erit facultas. Sicut enim Mahumetana impietas graſſata eſt ex eo, quod ſenſibus delectabilia cuncta concedat ac repromittat, ita impius

illc

Digitized by Google

ille Chriſti hoſtis, nihil ſenſuum oblectamentis denegandum eſſe proponet.

Denique vt regnabit Leo. Sipatus enim perfidis Iudæis, qui illum expectabunt, & etiam iis quos ſeducet, tunc violentia alios ad ſibi parendum coget. Hinc S. Hyppolitus Martyr: *Atque initio quidem mendax & iniquus ille ſubdolè gloriam hanc repudiabit, ac perſeuerantes homines & obſecrantes illum declarabunt Regem. Poſtea extollet animũ, & qui prius erat manſuetus, euadet ferox; qui dilectionem amplectabatur, fiet immiſericors, &c. Cunctis enim populis fauſta, omnia acclamantibus, propter obiectas ſpecies, vehementi & grandi voce clamabit, &c. Perſpicite populi, tribus ac gentes, magnam meam poteſtatem ac potentiam, vireſque imperij mei. Quis princeps tam potens atque ego? Quis Deus magnus præter me? Potentiæ meæ quis reſiſtet?* Ita Hyppol. Nonne hæc audiens vides quomodo os beſtiæ os eſt leonis?

Quod ſi attentè huius impietatis progreſſum perſpexeris, videbis proculdubio hac via omnes hæreticos proceſſiſſe, vt primò per hypocriſin & prætextu pietatis ſubintroierint; Deinde paulatim caput extollentes, omnes Conciliorum ac Decretorum Eccleſiæ leges conculcauerint; Denique omnia cædibus & ſanguine oppleuerint. Sint Lutherani ad omnium inſtar. Quid magis pietatem redolens, quàm ne theſauri Eccleſiæ ſpiritales, nempe indulgentiæ, venundationibus potiùs ſacrilegè diſſiparentur, quàm ſanctè diſtribuerentur? At mox tranſitum eſt in contemptum omnium legum Eccleſiaſticarum, nec iſta beſtia cancellos Monachiſmi (quibus continebatur) ſemel tranſiliens vllis poſtea potuit retineri pagulis. Denique ventum eſt ad cruenta prælia, quibus tota Germania vexata eſt, pro impuri doctoris dogmatibus vel tuendis vel oppugnandis. Nec melior ſors Gallorum ex Caluino, vt ſatis notum eſt.

Hanc interpretationem potiùs amplector, quod exiſtimem beſtiam hic deſcribi potiùs vt ad tyrannidem occupãdam adſpirantem & conantem, quàm vt iam illam adeptam. Aſcendens namque dicitur è mari, quaſi ſit in procinctu & in via, non adhuc in termino; ad præliandum & bellandum poteſtate magna inſtructam, non vototum compotem, exercitio ſeu vſu tantæ poteſtatis.

Et dedit illi draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam.

Qua ratione diabolus virus ſuum infundat reprobis, inter quos præcipuus erit Anti-Chriſtus, eiſque poteſtatem ſuam tradat?

ANNOTAT. XVII.

HOC verificari debet primò de quolibet reprobo, ſeu de corpore reproborum, vt ſic; ſecundo ac præcipuè de Anti-Chriſto.

At quænam eſt virtus & poteſtas dæmonis ſeu Draconis? Hæc virtus in tribus potiſſimum conſiſtit. Primò vt tentare valeat: de qua poteſtate dicitur, cap. 9. *Et data eſt ei clauis abyſſi*, vt diximus ſupra in hunc locum. Secunda virtus eſt, vt per tentationes varias ſeducere valeat, & ad ſe plurimos attrahere: de qua dicitur c. 12. *Qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.* Tertium eſt, vt perſequatur bonos, & prælium ineat cum ſanctis & fidelibus: vnde dicitur cap. 12 *Et abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius.* Et antea dicitur quod perſecutus eſt mulierem.

Hæc tria accipiunt à dæmone reprobi. Ad hoc præſtandum dat illis poteſtatem magnam, ſiue fortiſſimam quamdam mendaciorum & errorum adinuentionem, ſiue præſtigiorum ac falſorum miraculorum

A copioſam ſupellectilem, ſiue inſignem ad quælibet flagitia committenda impudentiam; ſiue fortitudine corporis, diuitiarum abundantiâ, ac ſeculi poteſtate abutendi effrenatam quamdam licentiam, & ad effectum rem deducendi audaciam. Tales fuerunt Pſeudo-prophetæ, de quibus conqueritur Dominus apud Ezechiel c. 13. *Et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium.* Talis erat ille Elimas Magus, ad quem Apoſtolus Act. 13. *O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.*

Quantum autem ad præſtigia, tales fuerunt magi & malefici Pharaonis, de quibus dicitur, Exodi 7. *Et fecerunt etiam ipſi, per incantationes Ægyptiacas & arcana, quædam ſimiliter: proceceruntque ſinguli virgas*

B *ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Talis fuit Simon Magus, qui magiis ſuis *dementabat Samaritanos multo tempore, dicens ſe aliquem Magnum.* Act. 8. Quod ſi de impudentia ad omnia perpetranda fiat ſermo, nulla euidentior cerni poteſt illâ Sodomitarum impudentiâ, qui vim in ferre volebant hoſpitibus Loth, cui dicebant: *Educ viros qui introierunt ad te huc, vt cognoſcamus eos.* Geneſ. 19. Tales fuerunt illi habitatores Gabaa, in tribu Beniamin, qui virum Leuitem hoſpitio receptum opprimere præ poſtera libidine volebant, & illius concubinam, immoderato coitu vexatam, vſque ad mortem oppreſſerunt Iudic. c. 19, *filij Belial*, id eſt, *abſque iugo*.

C Quoad abuſum potentiæ, hoc tam familiare eſt, vt exemplis non indigeat. De tali peccatore inſigni canit propheta: *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem; oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.* Pſ. His & talibus, & tentare, & ſeducere, & perſequi fideles familiariſſimum & promptiſſimum eſt: & his itaque *draco dat virtutem ſuam, & poteſtatem magnam. Videmus*, inquit Ticonius, *modò hæreticos eſſe in hoc ſeculo potentes, qui habent virtutem diaboli: ſicut quondam pagani, ita nunc iſti vaſtant Eccleſiam.* Ita Ticon. *Dedit*, inquit Alexander de Hales, *quid? Virtutem ſuam, quam ſcilicet diabolus draco magnus habuit in primo parente, ſcilicet decipiẽdi, nocendi, in-*

D *terficiendi, & poteſtatem magnã impugnandi, annunciandi.* S. autem Thomas: *Et dedit illi, id eſt, dabit multitudini peruerſorum, Draco, id eſt, diabolus, ferox, violentus, aſtutus vt Draco; virtutem ſuam ad operationem miraculorum, & poteſtatem magnam ad ſeductionem hominum. Dabit, inquam, iuuando peruerſos ad actus peruerſitatis, quia faciet eos operari adiutorio potentiæ ſuæ: nam in miraculis poteſt, quia nouit naturas rerum, & quia magnam habet potentiam; item poteſt dare diuitias, & alia facere multa: tamen miracula quæ faciet, non propriè dicuntur miracula, quia non ſubitò illa faciet, ſed repentè: item multa faciet falsò, non verè.* Ita S Tho. Quæ expoſitio noſtræ expoſitioni de corpore reproborum fauet. Nũc quomodo ſpecialiter hæc de Anti-Chri-

E ſto interpretari debent, ex autoribus emendicemus.

Ambroſius: *Virtutem ſuam diabolus, quæ tota mala eſt, Anti-Chriſto dabit, quia in illo habitabit, & per eum quidquid nequitia diaboli excogitare poteſt operabitur. Sed cum ſcriptura dicat: Non eſt poteſtas, niſi à Deo; quomodo diabolus poteſtatem magnam Anti-Chriſto dabit? Deus dabit Anti-Chriſto poteſtatem, ſed ipſam poteſtatem tantum permutabit in malum, vt tota diabolica eſſe credatur & ſit.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Altiſſimus de corde ſuo veritatem, verum & bonum verbum genuit, ipſumque incarnari voluit: atque illi homini, propter perfectam humilitatis obedientiam, poteſtatem ſuam verè magnam in cælo & in terra dedit. Hic autem imitator eius, memor quod dixerat: Ero ſimilis altiſſimo; quaſi ſimiliter volens facere, mendacium de corde ſuo genuit, ipſumque in homine illo, qui venturus eſt*

Digitized by Google

totum congregabit atque fundabit, illi quoque omnem A
poteſtatem ſuam dabit, videlicet omnia regna mundi: Verumtamen ne illud de ſuo, ſed de rapina dabit, &c. Ita Rupert.

Andreas Cæſarienſ. *Spiritalis draco eſt Satanas, qui ſuam in ſignis & mendacibus prodigiis poteſtatem impertietur Anti-Chriſto, idque ad hominum inſtabilium ruinam & internecionem, &c.* Ita Andreas.

Ex quibus ſatis patet quomodo hæc verba Anti-Chriſto poſſunt accommodari, qui magicis artibus à iuuenilibus annis addictus infinita patrabit inſueta, quæ ad admirationem ſui mortales adducent. *In primis autem*, inquit S. Hyppolitus de conſummat. mundi, *Iudaicam gentem amabit: apud eos omnia ſigna edet, & horrenda miracula, non vera, ſed falſa, ad ſeducendos ſui ſimiles impios. Etenim, ſi fieri poteſt, etiam electos abducet à dilectione Chriſti.* Hæc Hyppolitus. Qui poſtea diſtinctiùs declarat quænam ſit prodigia editurus, dum addit: *Poſtea edet prodigia, leproſos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones, longinqua non aliter quàm præſentia denunciabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines contendentes ad amicitiam, his verbis: Sol non occidat ſupra iracundiam veſtram. Non poſſidebit aurum, nec diliget argentum: diuitias non amplectetur; atque hæc omnia faciet conſilio ſimulato, ac fraudulento, quo circumueniat omnes, vt ſe Regem creent. Nam vbi populi ac multitudines tantas eius virtutes atque facultates perſpexerint, vno conſenſu conuenient omnes vnum in locum ad creandum illum regem, ac potiſſimùm Hebræorum gens præ omnibus ipſi tyranno chara erit.* Ita Hyppol. Et tunc laxabit habenas iniuſtitiis, rapinis, latrociniis, homicidiis, impudicitiis cunctis, eumque auide ſectabuntur omnes homines, quorum indolem deſcribit S. Paulus 2. ad Timoth. 3. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Rectè enim dicit Hyppolitus, de conſumm. *Siquidem tunc illigati rebus vitæ, ac deſiderio huius ſeculi perfacilè adducentur ad diabolum, & ſignabuntur, &c.* Ita Hyppol. Nec mirum ſi tot mala graſſari debeant, imperante illo, qui impudentiâ nimiâ nihil non audebit perpetrare infame & noxium, turpe & flagitioſum: de quo, ſub typo Antiochi, Danielis 8. dicitur. *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quàm credi poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet; & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum, ſecundum voluntatem ſuam: & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.* Quæ ſi de Antiocho dicat Daniel, multo magis dicenda ſunt de Anti-Chriſto, cui dabit Draco virtutem ſuam, in mendaciis, & ſignis mendacibus; ſuamque præſtabit poteſtatem, vt impudenter cuncta mala poſſit peragere, & crudeliter in omnes ſibi contradicentes ſæuire.

Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam.

Quodnam ſit illud caput beſtiæ, ex ſeptem eius capitibus, quod appareat tanquam occiſum, ſiue in reprobis, ſiue in Anti-Chriſto?

ANNOTATIO XVIII.

B QVANTVM ad primum, de Reprobis, diximus ſupra hanc beſtiam ſeptem habere capita, quæ ſeptem deſignare vitia aſſeruimus, quorum primum eſt cupiditas, omnium malorum radix. Certè eo ipſo quo lex Euangelica ſcripta eſt, *non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*, vt loquitur Apoſtolus, 2. ad Corinth. 3. eo ipſo illud primum caput peſſimæ beſtiæ apparuit quaſi occiſum. Fuerunt quippe homines ab amore inordinato rerum, quæ ad præſentem pertinent vitam, quaſi abſtracti, & auulſi ab vberibus conſolationis carnis, quibus à diabolo irretiebantur, & detinebantur in laqueis peccatorum conſtricti, dum audiunt hoc legis ac perfe-
C ctionis Euangelicæ fundamentum ſibi intimari à Chriſto: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: vel dum audiunt nullum admitti in Chriſti obſequium, qui hanc legem ſeruare non velit. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quæ renunciatio tanta eſſe debet, vt nec ſui ipſius poſſeſſionem ferre queat, Chriſto Domino dicente: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Certè dum hæc ſanctiſſima lex firmas in cordibus fidelium radices egit, dum in horto cordium plantata creuit in arborem magnam, & tot ramos pullulauit, quot ſunt virtutes, quæ à rerum mundi contemptu, & ſui ipſius abnegatione ducunt originem;
D hæc praua radix malorum emarcuit. Videbantur Chriſtiani omnia detrimentum facere vt Chriſtum lucrifacerent; nihil habere velle, vt totum in Deo ſolo poſſiderent; omnia Dei cultui & obſequio poſtponere, ſeipſos perdere & abnegare, vt Chriſtum inuenirent; & hac ratione hoc primum caput beſtiæ videbatur quaſi occiſum.

At quàm labilis & deambulatoria eſt hominum voluntas! Statim vires reſumpſit peruerſa hæc cupiditas. Nam cordis humani malitia, & obdurata in peccato voluntas, in hoc capite grauiter ſauciata per legis Euangelicæ obſeruationem, reuiuiſcere incæpit, dum homines quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, terrenis inhiare cæperunt, & per
E fas & nefas conquirere quæ ſibi commoda & vtilia, & carni fauentia perſenſerunt. Sic plaga mortis (per legem à ſuiipſius amore adeo alienam) cupiditati illata, curata eſt dum dæmon ad peccandi libidinem homines ita deduxit, vt nulla ſint flagitia quæ non libenter admittant, modo concupitis ſibi frui liceat. Videres homines ſeipſos amantes, magicas exercere artes, Aſtrologiæ iudiciariæ illicitæ operam dare, ſortilegia, diuinationes, homicidia, veneficia non abhorrere, denique peſſimum quodque & facinoroſum non reſpuere, ac ſi Chriſtiano charactere nunquam fuiſſent inſigniti. Quod quidem quid aliud eſt, quàm in vitam reuocare peſſimam cupiditatem, quæ per legem Euangelicam videbatur quaſi enecata? Hæc facit dæmon, vt habeat qui ſibi ſimiles ſint in ſuperbia: *Superbia enim*

Digitized by Google

hominis eſt Apoſtatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum receßit cor eius. Mitis quippe & humilis Chriſtianus, dono ſapientiæ præditus, cæleſtia prægustans, terrena deſpicit, ſeſeque totum Dei voluntati ſubmittens, vt Deo obediat, cuncta contemnit. At homo ſuperbus & vanus, qui ſeipſum ſupra Deum extollit, quaſi cuncta pro ſe ſolo eſſenr condita, omnia ad ſe rapere temerario auſu contendit, & nihil non facit vt cupiditates ſuas explere valeat.

Vidiſti ne aliquem adeo potentem vt omnes ſuas expleat voluntates, ſiue bona aliorũ diripiendo, ſiue malis artibus famam ſibi conciliando? Videbis ſtatim homines terrenos in quemdam ſtuporem & ingentem admirationem euehi, ac ſi nihil eſſet eo altius. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ & iniquus benedicitur*, Pſ. 9. Et Eccleſiaſt. 13. *Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic & execratio diuiti, pauper. Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis; humilis autem cùm ceciderit expellitur. Diuiti decepto multi recuperatores, locutus eſt ſuperba & iuſtificauerunt illum humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur; locutus eſt ſenſatè, & non eſt ei datus locus. Diues locutus eſt; & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducunt: pauper locutus eſt, & dicunt. Quis eſt hic? Et ſi offenderit, ſubuertent eum.* Ita Sap. Talis eſt omnium hominum carnalium & terrena ſectantium indoles, vt ſi quem videant nullis legibus contineri, nulla potentia poſſe coërceri, omnia ad libitum facientem, nec Deum nec hominem reuerentem, hunc ſuſpicentur, illum felicem prædicent, tali adulatoriè dicunt: Quis te, ô præpotens, poſſet ab inceptis deturbare? Subeſt tibi facultas quæcumque volueris perficere; & quis contradicere aut mutire audebit? Grandis es auctoritatis, parem habes poteſtatem, ſubeſt tibi cum volueris poſſe. Sic loquebatur impia Iezabel ad Regem Achab, indignatum quod Naboth renuiſſet illi dare vineam ſuam. *Grandis auctoritatis es*, dicebat illa, *& benè regis regnum Iſraël. Surge & comede panem, & æquo animo eſto, & ego dabo tibi vineam Naboth.* 3. Reg. 21. Quod præſtitit, Naboth occiſo, ad mandatum impiæ mulieris.

Vidiſti ne inſuper aliquem Magum, ſeductorem, ſe-ſuaſque artes extollentem, qualis erat Simon Magus? Act. 8. Vide admirantem turbam. *Cui*, inquit ſcriptura, *auſcultabant omnes, à minimo vſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant ergo eum: propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eot.* Certè dum hæc audio, videre mihi ſuadeo vniuerſam terram, id eſt, omnes terrenos & animales admirantes poſt beſtiam, & adorantes draconem, cuius opera ſuſpicantur; qui dedit poteſtatem præpotenti diuiti vel Mago, eoſque audio dicentes: *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Exemplum affert Herodis Rupert. In hunc locum, qui cum ſtatuto die veſtitus veſte regia ſederet pro tribunali, & concionaretur ad populum, populus acclamauit & dixit: *Dei voces & non hominis.* Adorant autem draconem, cum mammonæ ſeruiunt; & vt diuitias ſibi comparare valeant, ſiue mandata iniquiſſimi hominis exequuntur, ſiue ad Magos recurrunt, ſiue aliquid aliud pietati contrarium committere non renuunt, putantes ſibi omnia eſſe licita, quæ redduntur poſſibilia: nec euidentiori ratione quis aliquem adorare perhibetur, quàm ſi ad implenda illius iuſſa in omnibus paratum ſe eſſe exhibeat, quales ſunt qui auaritiæ ſunt dediti; eſt enim ex Apoſtolo auaritia ſimulachrorum ſeruitus. Coloſſ. 3. Nihil enim perficere tenuût qui ditari concupiſcunt. Nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* 1. ad Timoth. 6. Sicque irretiti in his diaboli laqueis ab eo *captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, 2. ad Timoth. 2. Et ita meritò illum adorare dicuntur cui ſeruiunt, & cuius voluntati in omnibus obſequuntur. Ad aliam de Anti-Chriſto interpretationem tranſeamus.

Quantum igitur ad ſecundum: *Qui dixit* olim *de tenebris lumen ſplendeſcere*, lumen nobis ſuppeditare videtur, vt de errore veritatem eruamus. Sunt qui volunt caput iſtud occiſum Neronem deſignare. Ita Victorinus. *Vnum*, inquit, *autem de capitibus occiſum in morte, & plaga mortis eius curata eſt, Neronem dicit. Conſtat enim dum inſequeretur eum equitatus miſſus à Senatu ipſum ſibi gulam ſuccidiſſe. Hunc ergo ſuſcitatum Deus mittet regem dignum dignis, & Chriſtum qualem meruerunt Iudæi: Et quoniam aliud nomen allaturus eſt, aliam etiam vitam inſtituturus, vt ſic eum tanquam Chriſtum excipiant Iudæi.* Hæc Victor. At non ſolus in ea fuit opinione. Refert enim Sanctus Auguſtinus 20. de ciuitate cap. 19. *quoſdam voluiſſe Apoſtolum loqui de Nerone, cum dixit: Iam enim Myſterium iniquitatis operatur: cuius iam facta velut Anti-Chriſti videbantur. Vnde nonnulli ipſum reſurrecturum & futurum Anti-Chriſtum ſuſpicantur. Alij verò nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potius, vt putaretur occiſus, & viuum occultari in vigore ipſius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus; donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum.* Ita Aug. Qui rectè addit: *Sed multam mihi mira eſt hæc opinantium tacta præſumptio.* Et optimè Baronius animaduertit, Ann. 70. Apoſtolum epiſtolam hanc ſcripſiſſe non ſub Nerone, ſed ſub Claudio: vnde dici non poteſt ipſum de Nerone loqui voluiſſe. Nec modo ex verbis Pauli aliqui eo errore decepti ſunt, verùm & inter gentiles vulgata erat opinio Neronem fuiſſe ſubductum, & non occiſum, vt refert Suetonius in Nerone c. 57. & Tacitus lib. 2. hiſt. Quæ ſententia adeo etiam apud quoſdam ſcriptores Eccleſiaſticos inualuit, vt opinati fuerint non alium fore Anti Chriſtum, quàm ipſum Neronem, qui in fine mundi venturus ſit; vt qui Chriſti Eccleſiam in eius exordio primus crudeliter eſt perſecutus, idem ſub eius finem, & prope mundi interitum, eamdem crudeliſſimè ſit, perſecuturus, vel ipſo Hieron. teſte in cap. 11. Danielis. Quin & Seuerus Sulpitius l. 2. ſacræ hiſtoriæ hunc locum Apocalypſ. de Nerone intelligit. *Nero*, inquit, *creditur (etiam ſi ſeipſum gladio transfixerit) curato vulnere eius ſeruatus, ſecundum illud quod de eo ſcriptum eſt in Apocalypſi c. 13. Et plaga mortis eius curata eſt. Idemque putatur ſub finem ſeculi mittendus, vt myſterium iniquitatis exerceat.* Lege Baron. an. 70. & Leonardum coquæum in Auguſt. de ciuitate. Ex errore iſto, ſeu ex quibuſdam tenebris lucem veritatis eruamus. Conſtans erat apud fideles Chriſtianos Anti-Chriſtum fore, qui ſuis temporibus Eccleſiam eſſet oppreſſurus. Hinc facilè adducti ſunt vt crederent ipſum eſſe Neronem, propter magnitudinem crudelitatis & turpitudinis, qua cunctos mortales Nero ſuperauit, cum de tempore aduentus Anti-Chriſti nihil certi eſſet reuelatum. Vnde oportuit Apoſtolum, vt fideles ab hac opinione aduentus inſtantis Anti-Chriſti auocaret, de ſignis aduentus illius diſſerere, ad Theſſalon. 2. cap. 2. *Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini; ne quis vos ſeducat vllo modo, &c.* Ita probabile eſſe videtur hanc doctrinam apud fideles ſparſam fuiſſe & receptam, quod

Digitized by Google

Anti-Chriſtus ſignis mendacibus & prodigiis curaturus ſit vt verus Chriſtus habeatur, & verus Meſſias à Iudæis expectatus: vnde & mortem & reſurrectionem ſimulabit, vt Dominum ſe eſſe oſtendat vitæ & mortis. Hinc cum exiſtimarent Neronem eſſe Anti-Chriſtum, ipſum etiam ſurrecturum à mortuis aſſeruerunt.

Dico igitur optima ratione hunc locum de Anti-Chriſto exponi, ſed in diuerſa abeunt huius loci interpretes. Nam Ambroſius (qui docuit per ſeptem capita Anti-Chriſti ſeptem vitia principalia eſſe deſignata) per caput, quod non occiſum, ſed quaſi occiſum viſum eſt, blaſphemiam intelligit. *Blaſphemia*, inquit, *ergo quaſi occiſa eſt modo, quia quamuis ſint multi qui multas blaſphemias mente concipiant, malum* B *quod mente conceperint non audent proferre; ne per iſtorum doctrinam* (nempe orthodoxorum Patrum, *quos*, dicebat antea, *flumine ſapientiæ ſuæ replens, per eorum doctrinam, omnes hæreſes ab Eccleſia ſua extirpauit) turpiter conuincantur. Hoc igitur caput, id eſt blaſphemia, temporibus Anti-Chriſti mortuum eſſe videbitur, ſed à diabolo in Anti-Chriſto reſuſcitabitur, quem ad blaſphemandum Chriſtum in tantum accendet, vt omnes blaſphematores in ſuis blaſphemiis antecedat.* Hæc Ambroſ. Qui & addit: *Per terram peccatores homines deſignantur. Et adorauerant draconem, &c. Quomodo draconem, id eſt diabolum, adorabunt, quem non videbunt? Sed adorabunt Anti-Chriſtum illi qui per terram deſignantur, & in Anti-Chriſto diabolum, dicentes nullum eſſe Anti-Chriſto ſimilem,* C *nec eſſe qui eius fortitudini poſſit coæquari.* Ita Ambroſ.

Andreas Cæſarienſis Anti-Chriſtum etiam hîc reſpicit, ſed diuerſa ab Ambroſio ratione. Exiſtimat enim hoc caput, vel vnum aliquem è principibus ab Anti-Chriſto occiſum, & ab eo excitatum; vel Imperium Romanum poſt diuiſionem ab eo inſtauratum ſignificari. *Caput*, inquit Andreas, *quod hic veluti iugulatum in medium proponitur alterutrum innuit, aut vnum aliquem è principibus ab Anti-Chriſto occiſum præſtigiis eiuſdem impoſturiſque denuò excitatum apparuiſſe, qua arte cum Simon Magus familiariter vteretur, ab Apoſtolorum Coriphæo palam eſt reprehenſus; aut certè Romanorum regnum diuiſione illa in decem partes internecionem quodammodo paſſum, ad Monarchiæ formam,* D (*cuiuſmodi Auguſti Cæſaris ætate exiſtebat*) *ab Anti-Chriſto redactum rurſum conualuiſſe, & quaſi in integrum reſtitutum denuò viſum eſſe.* Ita Andreas.

Primaſius: *Et vnum caput ex ſeptem capitibus quaſi occiſum fuerit ad mortem, & plaga mortis eius curata eſt, vnum ex capitibus eius dicit Anti-Chriſtum, quia ſeptem non numero ſunt, ſed ſignificatione vniuerſitatis regni terreni agno contrarij. Hinc draconem, id eſt diabolum, ſuam dare rectum eſt poteſtatem, & thronum ſuum. Sicut enim in bono anima iuſti ſedes ſapientiæ, ſic in malo illis inimicus dare dicitur thronum, quos maximè poſſidens ad alios vtitur ſeducendos, admiranda per eos (Deo ſinente) frequenter exercens; qui tanta impietate progreditur ad eludendos* E *animos paruulorum, vt vnum ex capitibus ſeptem, imitatione veri capitis, ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe, & pro Chriſto, qui hoc verè perfecit, ſuſcipiendum audeat exhibere. Et admiratæ ſunt gentes inhabitantes terram. A beſtia tranſlationem nominum fecit, ne diceret: Mirata beſtia ſecuta eſt beſtiam: Terram enim poſuit pro terrenis, qui eum & ſequi & adorare maluerint, id eſt, qui in Anti-Chriſto tanquam in ſimulachro diabolum adorare dicuntur. Hoc eſt quod dicit: Et adorauerunt draconem, eo quod tradidiſſet omnem poteſtatem ſuam beſtiæ.* Ita Primaſ.

Sanctus Thomas verbis clarioribus hoc Anti-Chriſti figmentum enucleat, dicit enim quod *Anti-Chriſtus ſimulabit ſe habere maiorem poteſtatem quàm habeat, & ideo ſimulabit ſe per tres dies mortuum, & tunc latebit: poſt verò apparebit dicens ſe reſurrexiſſe, ſicut dicit Auguſtinus, & habetur in Gloſſa. Et vidi* A *vnum de capitibus ſuis*, Gloſſa, *Anti-Chriſtum quaſi occiſum, id eſt, fingentem ſe tanquam mortuum, vt per hoc poſſit poſtea credi reſurrexiſſe. In mortem: hoc additur ad oſtendendum quod fingeret ſe eſſe verè & plenè mortuum; ne credatur B. Ioannes loquitur communiter, ſecundum quod dicitur aliquis quaſi occiſus, vel quaſi mortuus, quando eſt morti propinquus. Prouerb. 3. Abominatio eſt Domino omnis illuſor. Et plaga mortis eius, quia mors plaga eſt, quia naturam lædit: curata eſt: quaſi, eſt repetendum, ſecundum Haymonem, id eſt, Anti-Chriſtus qui prius per triduum credebatur mortuus, poſtea credetur reſuſcitatus: non tamen ſecundum veritatem erit curata plaga mortis in eo, quia non prius habuerat veram mortem, ſed potius eum abſorbebit, quia poſt occidet eum* B *Dominus ſpiritu oris ſui 2. ad Theſſalo. 2. Finget autem ſe aſcendere in cœlum, vnde aſcendet in aëra, ferentibus eum dæmonibus, vt dicit Gloſſa. Sed poſtquam ſe multum inter homines magnificauerit, interficietur vili morte, diuina virtute, vt dictum eſt*, &c. Ita S. Thom. Vnum igitur caput beſtiæ, quaſi diceret, primum & præcipuum, videtur quaſi occiſum, id eſt fictè mortuum, & plagam eius curari per fictam etiam reſurrectionem. Quod etiam Bellarm. l. 3. de Rom. Pontif. c. 15. inter falſa miracula Anti Chriſti reponit, nempe *quod finget ſe mori & reſurgere*; docetq; *priorem hanc beſtiam ſignificare vel Romanum Imperium, vel multitudinem impiorum; Vnum autem, id eſt, præcipuum eius caput, quod viſum eſt mori & reſurgere, eſſe Anti-Chriſtum:* C *erit enim Anti-Chriſtus ſupremum, & vltimum caput impiorum, & eſt vltimus Rex qui imperium Romanum tenebit, tamen ſine nomine Romani Imperatoris, & hoc fictum miraculum reſurrectionis etiam omnino tribuendum Anti-Chriſto docent Primaſ. Beda, Haymo, Richardus, Rupertus & Anſelm. in hunc locum, & Gregorius lib. 11. Epiſt. 3.* Ita Bellarm. Beda: *Anti-Chriſtus ad capita regni terreni pertinens, imitatione veri capitis noſtri ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe, & pro Chriſto, qui hoc vere perfecit, ſe ſuſcipiendum audet exhibere.* Ita Beda. Vnde hæc interpretatio videtur ſatis probabilis. Tamen ipſe Rupertus nobis ad aliam etiam interpretationem parat viam, dum ait: *Et vidi vnum: vnus idemque homo peccati, Anti-Chriſtus.* Et paulo ante: *Beſtia ca-* D *pitum ſeptem, & hîc vnum de capitibus beſtiæ dicitur, videlicet beſtia tot capitum pro corpore ſuo, quod eſt omnis generatio impiorum; vnum autem caput pro ſua perſona, & pro illius temporis ſui, quo reuelandus eſt, principatu, rex omnium ſuperbiæ filiorum, &c.* Et paulo poſt: *Vbi quæſo caput iſtud occiſum fuit? Vbi plagam gladij accepit? Quomodo plaga mortis eius curata eſt? Quomodo vixit? Immo quomodo iſtud ad nomen ſpectat Anti-Chriſti, id eſt Chriſto contrarij? Verè modo mirabili, modo execrabili. Venit namque Chriſtus: plagas clauorum & plagam lanceæ accepit, & peccato mortuus fuit & nunc autem mors eius curata eſt, & ipſe Deo viuit. Hic autem, ô res mira! in cœlo coram Patre & Filio, & Spiritu ſancto, iudicio ſubactus, coram omni cœlorum curia,* E *beatorumque Angelorum ſancto ſenatu, pro ſuperbiæ crimine ſententiam capitalem accepit, & gladio percuſſus eſt æternæ damnationis; atque ita Deo mortuus, peccato vixit, & adhuc viuit. Viuit, certè viuit: quia ſemetipſum nimis pertinaciter defendit, neque ſe pro mortuo ſed pro Deo vult haberi: imo ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ſe extollit. Nunquid ergo verè plaga mortis eius curata eſt? Non curata eſt, ſed ipſe rebellis gladio, rebellis ſententiæ Dei, nihil ſibi plagam illam nocuiſſe contendit? Quid enim? Et antequam in illum ingrediatur diabolus, proprium vas: filius perditionis, quamuis in cœlo percuſſus fuerit, templa ſibi atque aras, atque ſacerdotes & ſacrificia, quaſi Deo viuo, conquiſiuit; Et poſtquam hominem illum ingreſſus fuerit, regna mundi obtinebit, & in templo Dei ſedebit, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Quomodo iſte concedat, vel propriæ ſaltem conſcientiæ*

Digitized by Google

conſentiens quod occiſus, quod vulneratus vnquam fuerit, aut vulnerari aut occidi vnquam debuerit? Ita Rupertus. Ex his vides potius Rupertum reſpexiſſe ad diabolum in Anti-Chriſto habitantem, quam ad ipſius Anti-Chriſti perſonam: ſed tamen aperit mihi viam, vt aliam interpretationem adducam.

Dicebat olim Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. *Volo autem vos ſcire quoniam omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir; caput verò Chriſti, Deus.* Certè ſicut in Chriſto Deus dicitur Chriſti caput, quia diuinitas verbi longè eſt excellentior humanitate, ita poſſumus dicere caput Anti-Chriſti eſſe in eo diuinitatem illam quam affectabit, & ſibi arrogare conabitur. Hoc præcipuum eſt caput beſtiæ, vt ſe extollat ſupra omne quod dicitur Deus, & ipſe in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. *Et non tantùm*, inquit S. Ireneus, *per ea quæ dicta ſunt ſed & per ea quæ erunt ſub Anti-Chriſto, oſtenditur quoniam exiſtens apoſtata & latro quaſi Deus vult adorari, & cum ſit ſeruus regem vult præconari: ille enim omnem ſuſcipiens diaboli virtutem veniet non quaſi rex iuſtus, nec quaſi in ſubiectione Dei legitimus, ſed impius & iniuſtus, & ſine lege, quaſi apoſtata, & iniquus & homicida, quaſi latro, diabolicam apoſtaſiam in ſe recapitulans, & idola quidem ſeponens, ad ſuadendum quod ipſe ſit Deus, ſe autem extollens, vnum idolum habens in ſemetipſo reliquorum idolorum varium errorem: Vt hi qui per multas dominationes adorant diabolum, hi per hoc vnum idolum ſeruiant ipſi, de quo Apoſtolus in Epiſt. quæ eſt ad Theſſal. 2. ait ſic: Quoniam niſi venerit abſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus aut colitur; itaut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſemetipſum tanquam ſit Deus. Manifeſtè igitur Apoſtolus oſtendit aduentum eius, & quoniam extollitur ſuper omne quod dicitur Deus vel quod colitur, ſuper omne idolum.* Ita Iren. Et poſtea idem Ireneus: *Illo enim veniente, & ſua ſententia apoſtaſiam recapitulante in ſemetipſum, & ſua voluntate & arbitrio operante quæcumque operabitur, & in templo Dei ſedente, vt ſicut Chriſtum adorent illum, qui ſeducuntur ab illo, qui propterea iuſtè in ſtagnum projicientur ignis.* Ita Iren.

Cum igitur verum ſit quod Anti-Chriſtus, & diabolus in Anti-Chriſto, affectabunt opinionem diuinitatis; ſi hæc præſumptio retundatur, & gladio verbi diuini percutiatur, itaut tanta præſumptio, vt falſa, impia, & blaſphema rejiciatur, certè poſſumus aſſerere vnum & præcipuum caput Anti-Chriſti eſſe quaſi occiſum, & plagam accepiſſe gladij dum Enoch & Elias prædicatione & miraculis eius inſolentiam & impudentiam condemnabunt, & non modo exemplo & verbo primum caput beſtiæ, quod ſupra aſſignauimus (cupiditatem nempe) in mortem vulnerabunt, dum Chriſtianos ad prima elementa perfectionis Euangelicæ reuocabunt, illos docentes omnia contemnere propter Chriſtum, & vſque ad ſanguinem peccato obſiſtere; ſed etiam fortiter inculcabunt Anti Chriſtum eſſe inſignem ſeductorem, & impoſtorem, illumque hominem peccati & filium perditionis, ſatanæ organum à tot retro ſeculis annunciatum: ſicque caput illius plagam gladij accipiet, quia à veris fidelibus pro impio & malefico reputabitur, & tanquam Dei hoſtis & Chriſti inimicus habebitur. Sed quia hac beſtia peſſima quæ aſcendit de abyſſo, cum finierint teſtimonium ſuum, vt datum eſt cap. 11. faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, hac ratione curata dicitur plaga mortis eius, *& admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam*: quia, vt dicitur cap. 11. *inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos & iucundabuntur, & munera mittent inuicem: quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant ſuper terram.* Sic *adorabunt draconem, qui dedit poteſtatem Beſtiæ, & adorabunt Beſtiam*, nempe Anti-Chriſtum, *dicentes: Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Nam cum Enoch & Elias, inſignes ſanctitate, verbo & opere potentiſſimi, tot ſignis & miraculis conſpicui, cum Anti-Chriſto decertarint, ipſo remanente ſuperſtite, ipſis & contra deuictis & occiſis, quis non quæſo diceret Anti-Chriſtum talem eſſe, vt deinceps nemo contra ipſum inſurgere audiat aut poſſit? Hinc permittetur ei ad breue tempus loqui ſublimia gloriabundus, vt mox videbimus.

Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias: Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & eos qui in cælis habitant. Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem. Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

De poteſtate Anti-Chriſto data permiſſiuè, potiſſimùm cultum Dei & adorationem eius conculcandi, & homines ſeducendi; & quanto tempore durabit illa permiſſio, & quos inter homines potiſſimum decipiet?

ANNOTAT. XIX.

De prima poteſtate ſeu permiſſione. §. 1.

SATIS erit ad proponendum ante oculos hominis reprobi nequitiam, ſi hæc verba de Anti-Chriſto exponamus de quolibet reprobo, pro proportione malitiæ etiam propriiſſima. Nam vnuſquiſque reprobus Deum ac diuina blaſphemat, ſanctos & fideles vexat, & quos poteſt ad errorem inducit, veluti diaboli organum, & cooperator nequiſſimus, in perdendis hominibus, ſanctis vexandis, & rebus diuinis irridendis.

Dico igitur primò dari permiſſionem Anti-Chriſto cultum Dei irridendi & conculcandi, & quantum in ſe erit exterminandi. Sanctus Hyppolitus, oratione de conſummatione mundi, hoc ad hanc extremam periodum deducit vt dicat; *Tum lugebit vniuerſa terra vitam cruciationum plenam, lugebit mare, lugebit aër, lugebit ſol, lugebunt animantes, feræ cum volatilibus, lugebunt montes & colles ac ligna campi propter genus humanum, eoquod omnes defecerunt à ſancto tuo, & crediderunt impoſtori illi, ſuſcepto charactere impuri illius & hoſtis Dei, loco viuifica crucis Saluatoris. Lugebunt etiam Eccleſiæ luctum magnum: quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes ſacræ tugurij inſtar erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, ſcripturarum recitatio non audietur; ſed erunt apud homines tenebræ, lamentatio ſuper lamentationem, væ ſuper væ.* Ita Hyppolitus. Hoc tamen ita intelligendum eſt, vt ſapienter docet Bellarminus, lib. 3. de Romano pontifice c. 17. circa finem, *quod propter ſæuiſſimam Anti-Chriſti perſecutionem extinguenda penitus non ſit Chriſti fideles & religio*, ſicut ſentire videtur Dominicus à Soto in lib. 4. ſent. diſt. 46. q. 1. ar. 1. apud Bellarminum, dum ait: *Abſceſſio & defectio totius orbis ab illa ſede, ſignum erit conſummationis ſeculi.* Et infra: *Ex tanta fide per diſceſſionem*

ab Apoſtolica ſede, totus mundus vanus erit, ac deinceps incaſſum proceſſurus. Et infra: *Expaueſcant ergo mortales, quàm ſit peſtilens amor ſui. Inde enim dimanat elatio & ſuperbia, quæ ſub ductu tandem Anti-Chriſti, ciuitatem Dei labefactabit.* Ita Domi. à Soto apud Bellarm. Nam & in primis docet S. Thomas, in expoſitione ex Gregorio, quod *multi erunt qui documenta, tormenta & facta Anti-Chriſti contemnent.* Ita Gregor. Ergo in his ſaltem remanebit Pſalmorum decantatio & alia pietatis exercitia, ſecundum temporum exigentiam & opportunitatem. Deinde S. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate c. 11. hæc verba ponderans cap. 20. Apoc. (*Et aſcenderunt ſuper terræ latitudinem, & cinxerunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.*) *Quod verè,* inquit, *aſcenderunt, &c. non vtique ad vnum locum veniſſe vel venturi eſſe ſignificati ſunt, quaſi aliquo vno loco futura ſint caſtra ſanctorum, & dilecta ciuitas, cum hæc non ſit niſi Chriſti Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, ac per hoc vbicumque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit, quod ſignificatum eſt nomine latitudinis terræ, ibi erunt caſtra ſanctorum, ibi erit dilecta Deo ciuitas eius: ibi ab omnibus inimicis ſuis (quia & ipſi in omnibus gentibus cum illa erunt) perſecutionis illius immanitate cingetur. hoc eſt, in anguſtias tribulationis artabitur, vrgebitur, concludetur; nec militiam ſuam deſeret quæ vocabulo eſt appellata caſtrorum.* Ita Auguſt. Si igitur Eccleſiam militiam ſuam non deſeret, ergo ſemper ſtabit cum inimicis ſtrenuè decertans. Quod autem S. Auguſt. hîc dicat hoſtes Chriſti ad locum vnum non eſſe venturos, quaſi aliquo vno loco futura ſint caſtra ſanctorum, pace tanti autoris nihilominus dico: Licet Eccleſia toto orbe etiam tunc diffuſa erit, vt ſanctus Auguſtinus docet, hoc tamen non impedit quod Eccleſiæ nobilior pars, in ſummo Pontifice & ſibi aſſiſtentibus, non poſſet dici concludi in aliquo loco, ſeu in quadam ciuitate, ad cuius exterminationem Anti-Chriſtus copioſum exercitum habeat paratum, ſciens quod ſi ſemel caput abſcinderit, cætera membra diſcindere facillimum erit, vt videbimus in hunc locum fuſiùs. Quidquid ſit, militiam ſuam non deſeret Eccleſia, & ſic non deficiet, promittente Chriſto, Matt. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* At quomodo non præualebunt ſi eam penitùs extinguent? Et cum Dominus dixit de miniſtris Anti-Chriſti Matt. 24. *Dabunt ſigna magna, itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi;* ſignificare voluit electos multos eo tempore futuros, qui Anti-Chriſti miraculis ſeduci ſe non patientur. Quis enim credat in eo prælio, in quo totis caſtris Deus & diabolus, Chriſtus & Anti-Chriſtus pugnabunt, Deum à diabolo, & Chriſtum ab Anti-Chriſto eſſe vincendum? Vnde etiam ſanctus Hyppolitus, oratione de conſum. mundi ait: *At multi qui audiunt ſcripturas diuinas, eas in manibus habebunt, mente verſabunt, impoſturam illius euitabunt. Clarè enim perſpicient inſidias eius, & impoſturæ arrogantiam, effugientque è manibus eius ad montes, & occultabunt in cauernis terræ cum lacrymis & contrito corde, quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos è laqueis illius, & conſeruabit à moleſtiis illius ſcandalis, dexteraque manu ſuâ, inuiſibili modo, proteget eos qui dignè ac iuſtè ei ſupplicabunt.* Ita Hyppol. Vnde, vt notat Bellarm. omnes qui de Anti Chriſti perſecutione loquuntur, vt Ezechiel, Daniel, Paulus, Ioannes, & Patres, victoriam illius belli penes Eccleſiam tandem futuram dicunt. Tollet quidem publicum Dei cultum, itaut nullus publicè, vbi vigebit illius tyrannis, ſacrificium Euchariſtiæ facere audeat; fideles tamen tunc priuatim in ſpeluncis, & locis abditis, Euchariſtiam celebrabunt eaque ſe contra Anti-Chriſtum communient, vti olim fecerunt ſub

A Decio, Diocletiano, & vti fecerunt & faciunt Catholici in Anglia.

Itaque quamuis hæc ita ſint vt continuus Dei cultus non auferatur in occulto, tamen publicus ceſſabit, inualeſcente Anti-Chriſti tyrannide, cui *datum eſt os loquens magna & blaſphemias, id eſt,* inquit S. Thomas, *ad magnificationem ſui & iniuriam Dei. Blaſphemabit enim Deum, vt ipſe ſolus colatur vt Deus, Danielis 7. & ſermones contra Excelſum loquetur. Quaſi dicat: Permittetur à Deo ſe arroganter magnificare, & dicere ſe eſſe Deum excellentem præ omnibus diis, qui coluntur ab hominibus, & ipſum Deum verbis iniurioſis blaſphemare valde enim ſuperbus erit, & ſe etiam Deo præferet.* Ita S. Tho. *Blaſphemare nomen eius, id eſt,*
B inquit S. Thomas, *ad loquendum verba iniuriæ contra nomen Dei, dicendo quod ſtatuta Dei ſiue præcepta non ſunt ſeruanda, & quod non eſt alius Deus præter ſe. Et aperiet os ſuum ad blaſphemandum tabernaculum eius, id eſt Eccleſiam militantem, quæ militat Deo. Tabernaculum enim dicitur habitaculum pugnantium in bello. Pſ. Domine quis habitat in tabernaculo tuo? Vel tabernaculum, id eſt, carnem Chriſti, in qua Chriſtus pro nobis militauit. Pſ. in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Dicet enim Chriſtum hominem fuiſſe. Propter hoc & propter alia dicitur Anti-Chriſtus, & tamen de Chriſto dicitur Ioan. 1. Et Deus erat verbum. Et eos qui in cœlo, id eſt, in cœleſti conuerſatione habitant, quaſi dicat: Blaſphemabit Deum, & fidelium congregationem, & maximè maiores de Eccleſia, vel eos*
C *qui in cœlis habitant, id eſt, ſanctos qui ſunt in Patria: quia dicens eos eſſe damnatos, cum tamen dicatur Matth. 5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Ita S. Tho.

Ambroſius item ſatis dilucidè exponit, dum ait: *Aperiet autem os ſuum ad blaſphemandum Deum, Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum ſanctum blaſphemabit & nomen Dei, dicens Chriſtum non eſſe Deum blaſphemabit etiam tabernaculum Dei, id eſt Eccleſiam Dei, dicens nihil prodeſſe fidelibus religionem Chriſtianam, ſed interitum magis afferre quàm ſalutem. Blaſphemabit & eos qui in cœlis habitant, id eſt martyres & cæteros ſanctos, dicens nihil prodeſſe eos poſſe cuique, falſumque eſſe quidquid de eis à fidelibus aſſeritur.* Ita Ambr.

D

Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere illos.

De ſecunda permiſſione ſeu poteſtate. §. 2.

Ambroſius: *Faciet bellum cum ſanctis, quoſdam blandiendo, quoſdam terrendo, & ad vltimum eis peſſima tormenta inferendo, vt eos in errores ſuos inducat. Sed fieri non poteſt vt in errorem inducantur electi. Vincet autem illos, non ſuperando, ſed interficiendo.* Ita Ambroſ. Nec mirum ſi permittitur Anti-Chriſto ſanctos vexare & interficere, cum per miſſum ſit Iudæis Chriſtum flagellis cædere, & affigere cruci? *Non eſt ſer-*
E *uus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Ioan. 15. Quod perſenſit Primaſius, dum ait: *Dicendo, Aperuit os ſuum, oſtenditur in hanc damnabiliter fiduciam prorupiſſe, vt quod ante occultè, nunc publicè audeat blaſphemare, quando dignitatem ei ſpecialiter debitam ſibi auſus fuerit adſignare, & iniquitatem in excelſo loqui, vt contrarius Chriſto ſe velit pro eo accipiendum, vel vi ingerere, vel fraude ſupponere: poteſtatem temporaliter accipiet, qua ille malè vtens, nocere volens corpori Chriſti, ſicut perſecutores Chriſto patienti, amplius extollitur, & cum ſuis acrius cruciatur. De hac Dominus dicit: Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi fuiſſet de ſuper ſi ergo, circa ſuam paſſionem, hanc ad momentum ſuis perſecutoribus Chriſtus dederat, cum in eo princeps huius mundi nihil dignum morte reperiret, quam mirum ſi in ſua Eccleſia ſic ad tempus malos graſſari per-*

Digitized by Google

imitat, vt eos viciſſe dicat, licet à toto pars intelligi debeat, quæ vinci poteſt? Ita Primaſ. Alio modo dicitur ſanctos vincere, non quia quædam pars vincatur, ſed quia datur illi poteſtas in eorum corpora; licet ſpiritaliter non vincantur. Hinc S. Thomas: *Et datum eſt illi, id eſt; permittitur Anti-Chriſtus à Deo (quia non poterit niſi à Deo permiſſus) bellum facere cum ſanctis, id eſt, cum iuſtis, ſcilicet diſputando, perſuadendo, comminando, promittendo, flagellando: & intelligitur quod iuxtam hanc permiſſionem pugnabit. Daniel. 7. Cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos. Et vincere illos, ſcilicet corporaliter, vt dicit Gloſſa, quia affliget eos & interficiet. Hanc tamen victoriam non timent ſerui Dei; & ideo vincunt, non vincuntur ſpiritualiter. Matt. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Ita S. Thomas. Quæ victoria in ſanctos potiſſimùm apparebit, dum Anti-Chriſtus Enoch & Eliam interficiet: qua quidem ratione impietas videbitur ad ſummam deueniſſe potentiam, vt nullus ſit poſtea qui ei ſceptrum eripere poſſe videatur.

Et adorauerunt eã omnes qui inhabitãt terrã, &c.

De tertia permiſſione ſeu poteſtate homines ſeducendi. §. 1.

Hæc eſt vltima beſtiæ poteſtas, vt homines ita ſeducat, vt illos ad ſui adorationem adigat. Declarat autem S. Ioannes quinam potiſſimùm ſeducentur, dum ait: *Et adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Rupertus hæc luculenter exponit, dum ait: *Terram inhabitare eſt terrenis toto deſiderio inhiare; quod qui facit, à Deo recedit, & in terra ſcribitur, iuxta quod alibi Prophetica confeſſione dictum eſt: Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. At ille ſolos adoratores illos admittit, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ ab origine mundi, qui liber eſt præſcientia Dei, & beata certitudo prædeſtinationis, ſicut certa cum determinatione Angelus ad Danielem dicit: Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Scriptura iſta contrariorum ſunt, & libri iſti contrarij. Sed & ſcribendorum librorum cauſæ contrariæ ſunt. Nam libri boni, libri vitæ, in quo ſcripti ſunt omnes & ſoli ſaluandi, cauſa eſt propoſitum Dei, de quo Apoſtolus dicit: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.* Ita Rup. Deinde Rupertus explicat cur addat: *Ab origine mundi*, & ita exponit: *Quorum nomina non ſunt ab origine mundi ſcripta in libro agni qui occiſus eſt.* Alexander de Hales ita exponit: *Non ſunt ſcripta ſtylo prædeſtinationis in libro vitæ & agni: agni dico, qui occiſus eſt, id eſt, occidi præfiguratus in morte Abel; vel occiſus eſt ab origine mundi, id eſt, ab æterno promiſſus occidi, ad liberationem generis humani.* Ita Alex. Monet tamen Alcazar trifariàm hæc verba poſſe connecti, Primo ſic: Et adorauerunt beſtiam illi, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ agni; Secundo, Agnum ipſum ab origine mundi occiſum dici: habet enim hæc locutio ſuum verum ſenſum, cumque ſequuntur Ireneus, Anſelmus, Hugo, Thomas, Ansbertus, Gagnæus, Viegas. Tertia conſtructio eſt beſtiam adorari ab iis, quorum nomina ab origine mundi non ſunt ſcripta in libro vitæ agni occiſi; quam conſtructionem magis probat Alcazar, eamque eſſe Ticonij, Andreæ, Aretæ, Ioachim, Zegeri, Riberæ, Ambroſij & Bedæ. Ita Alcaz. His adde Rupertum. *Et eſt ſenſus*, inquit Rupertus, *Non ſunt ſcripta in libro vitæ ab origine mundi, id eſt, non fuerunt in propoſito Dei in ipſa origine mundi, videlicet quando creatis primis hominibus benedixit illis, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam; Denique quos illa benedictione iuſſit naſci, omnes & ſoli in libro vitæ ſunt ſcripti: qui videlicet liber vitæ idcirco rectè dicitur liber agni; quia cuncti electi, quorum nomina in illo ſcripta ſunt, non aliter quàm per agnum Ieſum Chriſtum, per ſanguinem eiuſdem agni Ieſu Chriſti, benedictionem illam qua naſci vel multiplicari iuſſi ſunt, quam in Adam perdiderunt, recuperare potuerunt aut poſſunt, ad gloriam illius; vt naſcerentur & viuerent, erant in propoſito, & præſcientia, & prædeſtinatione Dei, &c.* Denique addit Rupert. *Porro libri mortis, in quo ſcripti ſunt omnes & ſoli qui non pertinent ad illud propoſitum Dei, cauſa fuit peccatum, quando primùm in hunc mundum intrauit per inuidiam diaboli, teſtante ſcriptura, cum non ante, ſed poſt actum eiuſdem peccati, Deus mulieri dicit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Iſta multiplicitas, ſiue ſuperfluitas conceptuum, & ab initio ſemper multitudine ſua vehementer oppreſſit tardiùs atque parciùs naſcentes filios benedictionis, incipiens à primogenito Euæ Cain, qui fratrem ſuum Abel iuſtum occidit. Et in illis nouiſſimis diebus, de quibus nunc ſermo eſt, adorans & dicens: Quis ſimilis beſtiæ, &c. reſiduos perſequetur & occidet filios benedictionis.* Ita Rupert. Cenſet etiam S. Thomas S. Ioannem loqui de reprobis, ex his verbis: *Quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ, id eſt, inquit, qui æterna Dei diſpoſitione non ſunt prædeſtinati ad vitam perpetuam. Liber enim vitæ eſt æterna diſpoſitio, in qua electi ſunt quaſi in libro ſcripti, quia ad vitam præordinati; Vitæ, inquam, agni, ſcilicet Chriſti, qui ad hanc vitam ab æterno præordinauit, & eam tandem dabit; vel libro, inquam, agni, quia æterna diſpoſitio, licèt toti Trinitati conueniat, tamen filio attribuitur: quare in filio Pater omnia diſpoſuit, ſicut in ſua ſapientia, & per ipſum in tempore perficit. Item quia diſpoſuit per filij paſſionem dare vitam electis. Ipſe ergo liber ſecundum rem eſt ipſe agnus, ſicut dicit gloſſa, ſicut æterna diſpoſitio eſt ipſe Deus. Reprobi autem non ſunt ſcripti in hoc libro vitæ, ſed in libro mortis. Ierem. 17. Recedentes à te in terra ſcribentur.* Ita S. Thom. Et rectè hoc addidit, vt intelligeremus quinam ex habitantibus terram erant adoraturi beſtiam: omnes enim adorantes beſtiam erunt habitantes terram, id eſt, erunt terrenorum amatores: qui enim bonis præſentibus delectantur, poteſtati illius ſe abſque retractione ſubjicient. Sed non continuò dicendum, quod omnes qui pro tunc erunt amatores terrenorum illam adorent: nam ſi fuerint electi non ſeducentur, ſed ſe à ſuis cupiditatibus retrahent, vt Chriſto adhæreant. Rectè enim Ambroſius: *Faciet bellum cum ſanctis, quibuſdam blandiendo, quoſdam terrendo, & ad vltimum eis peſſima tormenta inferendo, vt eos in errores ſuos inducat. Sed fieri non poteſt vt in errorem inducantur electi: vincet autem illos, non ſuperando, ſed interficiendo.* Ita Ambroſ. vt iam dictum eſt ſupra.

Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.

Quanto tempore durabit illa permiſſiua poteſtas blaſphemandi, perſequendi, & ſeducendi? § 4.

Certè ante illos menſes quadraginta duos, blaſphemabat, perſequebatur, ſeducebat. *Sed*, inquit Beda, *in myſterio facinoris, quod nudabitur, facta diſceſſione, & reuelato homine peccati: ante enim illos menſes dicebatur tantum: Ecce hic Chriſtus, & ecce illic: ſed tunc dicet: Ego ſum Chriſtus. Datur igitur illi poteſtas facere, id eſt, quidquid in mentem venerit adimplere: per menſes quadraginta duos, id eſt, per tres annos & dimidium.* Quo innuitur in huius beſtiæ deſcriptione S. Ioannem potiſſimùm reſpicere ad Anti Chriſtum, quaſi diceret: Iam à toto corpore reprobo-

Digitized by Google

rum blaſphemabatur Deus, perſequebantur iuſti, ſeducebantur reprobi; ſed Anti-Chriſtus caput omnium reproborum, in quo omnium illorum nequitiæ recapitulabuntur, regnare debet per tres annos & dimidium, & durante illo tempore faciet quodcumque libuerit. Tres autem illi anni hic exprimimuntur per menſes, non per dies vel annos; non per dies, quia hic potiſſimùm habetur ratio ſubuerſionis & ſeductionis futuræ deſignandæ: & quia quam plurimi per totum illud tempus ſeducentur, ideo illud tempus per dies minimè ſignificatur: & ſicut de nocte, in qua ſubuerſa eſt Babylon à Medis & Perſis, Iſaias dixit, cap. 21. *Emarcuit cor meum: tenebræ ſtupefecerunt me. Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in ruinam*; Ita pro toto illo tenebrarum tempore, ſtupefacti remanebunt electi, videntes omnimodam diuini cultus conculcationem. In hac enim nocte dicẽt hoſtes Eccleſiæ, quod olim hoſtes Hieroſolimitanæ ciuitatis, Ierem. 6. *Surgite & aſcendamus in nocte, & diſſipemus domos eius.* Et ſicut de falſis Prophetis, qui olim ſeducebant populum Iſraëliticum, dicitur, Micheæ 3. *Propterea nox vobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet ſol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies*; quia toto illo tempore ſurgent pſeudo-Prophetæ & ſeducent multos, Matt. 24. rectè hoc tempus per dies non deſignatur; Rurſus quia publicus & patens Dei & Chriſti cultus intermittetur, ſed tantum in locis abditis & ſpeluncis ac deſertis pij fideles Deo ſua exhibebunt obſequia. Nec tamen per noctes illud tempus debuit deſignari, quia tunc in Martyribus & Confeſſoribus ſole clarior apparebit pietas ac iuſtitia: & quo plus virtus eorum plura mala perpeſſa fuerit, eo magis reddetur illuſtrior. Nec etiam per annos illud tempus deſignari debuit, propter frequentiores rerum viciſſitudines, quæ tunc contingent, & propter diuerſitatem effectuum, quos Deus producet, ac ſi tanquam ſol diuerſis coniunctionibus cum luna, nempe Eccleſia, ſæpius tunc vniri debeat.

Ad deſignandum igitur quod in hoc tempore effectus iuſtitiæ & miſericordiæ ſubitò manifeſtabuntur, & quod earum diuinarum virtutum neceſſitudines frequentiores erunt quàm vnquam fuere, iuxta diuerſas diſpoſitiones eorum qui perſeueraturi ſunt, aut qui tentationibus ſeducentur, & à Chriſto deficient per apoſtaſiam, vel qui ad eum reducentur per pœnitentiam, ideo per menſes, & non per annos, hoc tempus perſecutionis & ſeductionis denotatur.

Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet. Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum.

Ex certa & indubitata pœna perſecutorum fortiùs & conſtantiùs debent fideles omnia aduerſa ſuſtinere, & in fide ſtabiles permanere.

ANNOTAT. XX.

RECTE monet Ambroſius, quod *vbicumque in diuinis ſcripturis ponitur: Si quis habet aures audiendi, audiat; obſcurum eſſe quod preceſſit demonſtratur: aures quippe cordis atque intelligentiæ requirit.* Ita Ambroſ. Qui deinceps cætera de Anti-Chriſto exponit, dicens: *Anti-Chriſtus, qui populum Chriſtianum à creatore ſuo captiuabit, à præſenti vita captiuabitur, & in infernum detrudetur, & qui gladio malitiæ ſuæ multorum animus perempturus eſt, gladioque corporali iuſtorum corpora occiſurus, ipſe gladio mortis perpetuæ damna-* A *bitur, id eſt, patientia & fides ſanctorum in perſecutionibus Anti-Chriſti comprobabitur.* Ita Ambroſ.

Exiſtimo tamen ſanctum Prophetam nos monere vt ſeriò conſideremus quid in hac beſtia ſignificare voluerit, ſciens, *quia Anti-Chriſti multi facti ſunt*, per imitationem actionum eius: à cuius imitatione nos reuocare intendit comminatione pœnæ, quam incurrere debet ille nequiſſimus tyrannus. Quod cum faciunt ſancti & electi omnia ſuſtinentes, & in fide perſeuerantes, ſuam ſemper manifeſtam reddunt patientiam & fidem in perſecutionibus; nec à pietate recedunt, quamuis tot tantiſque malorum vexationibus torqueantur. *Ne*, inquit Primaſius, *magni pendendum eſſe ruinoſi culminis momentaneum ſupercilium putaremus, tanquam cogitationibus humanis* B *occurrens inſtruit dicens: Qui duxerit, & ipſe capietur. Ac ſi diceret: Diabolus & Beſtia, qui ſuis nunc retibus gentes captiuare videntur, ipſe erit cum ſuis citò captiuus.* Ita Primaſ. Et optimè S. Ioannes hac formula loquendi vtitur: nam cum tam diabolus quàm Anti-Chriſtus ſint pœnâ acerbiſſimâ plectendi, pro diabolo ait. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet.* Proprium enim tyrannicæ vſurpationis diaboli opus eſt homines in ſeruitutem & captiuitatem redigere: vnde meritò in carceribus inferni erit includendus. Quam pœnam pertimeſcebant dæmones, qui apud Lucam c. 8. Chriſtum rogabant ne imperaret illis vt in abyſſum irent. Anti-Chriſtus autem C gladio ferietur, eoque dicitur occidendus, quia interficit eum Chriſtus Dominus *ſpiritu oris ſui*, gladio illo videlicet, qui viſus eſt vtraque parte acutus de ore illius exire, Apocalyp. primo, vt in ipſo percutiat gentes, vt dicitur c. 19. quod tam multos gladio perire coëgerit.

Si quis igitur (quod raro contingit) *habet aures internas, ſcilicet intellectum & affectum, quia vtrumque concurrit ad ſalubrem auditum; audiat, id eſt, efficaciter intelligat, cum affectu, & etiam cum effectu, quæ pœna debeatur impiis*, inquit hîc S. Thomas, *& ideo eis non adhæreat, nec eos intuetur, ne pœnam conſimilem incurrat.* Ita S. Thom. Quod nobis etiam nunc eſt animaduertendum: nam cum multi ſint in mundo, le- D gum diuinorum, & humanarum infractores, qui lætantur & gloriantur cum malefecerint, & ſub nomine Chriſtiano pietati inſultant, & malitiæ fauent; qui laudant peccatores in deſideriis animæ ſuæ, & obedientiam illis præſtant in peſſimorum conſiliorum executione, Deum contemnunt, quia eum pro vltimo fine ſibi non proponunt; nomen eius blaſphemant, quia iudiciorum ſuorum ſunt contemptores; Eccleſiam pedibus calcant, dum Paſtoribus illius non obediunt eiſque contradicunt; ſanctos paruipendunt, cum ſanctiſſimas illorum actiones derident, bonos perſequuntur & opprimunt, quælibet mala audacter & impudenter committunt; beatus eſt qui ſcit & intelligit Deum tan- E tam audaciam eſſe vindicaturum, nec eorum exemplis ad ſimilia perpetranda inducitur, nec propter perſecutiones à recta iuſtitiæ ſemita diſcedit.

Hic patientia & fides ſanctorum, qui Petrum audiunt dicentem 1. c. 4. *Communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete: vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis eius, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine: quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio?* &c. Hæc cogitare, hæc in mente reuoluere debebunt ſancti in temporibus iſtis periculoſis: nam ſi vnquam pa-

tientia

Digitized by Google

tientia aut fide opus fuerit, tunc potiſſimum erunt neceſſariæ patientia & fides, cum tribulatio talis futura ſit qualis nunquam ſimilis antea extiterit, & cum periculum ſubuerſionis pro tunc ingens futurum ſit, itaut ſeducendi ſint, ſi fieri poſſet, etiam electi. *Hic*, inquit S. Tho. *oſtenditur materia profectus Eccleſiæ: quia tribulatio tunc erit materia profectus. Ad hunc autem profectum concurrent duo, ſcilicet patientia in ſuſtinendo, fides in informando: quia fides cum dilectione informabit ipſam patientiam, & faciet eſſe meritoriam.* Ita S. Tho. Qui poſtea de fide dicit: *Fides eſt quæ docet & innuit pati aduerſa, fugere vitia, agere bona: oſtendit præmium ſimul & ſupplicium, & alia motiua ad bonum, & ſic vincit* 1. Ioan. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra.* Ita S. Thom. Qui etiam docet de fide formata charitate locum hunc eſſe intelligendum, quæ ſe habet non in quantum præcedens & mouens virtutes ad actum, ſed in quantum cum charitate informat actus aliarum virtutum, & ſic eſt completiuum in ratione vltimi, ordine naturæ, & fine temporis. Eſt autem quod conſequens, cum quanta eſt fides, per magnitudinem patientiæ oſtenditur, quia manifeſtans prius eſt manifeſtato.

Si quis habet aurem audiat.

Quam neceſſaria ſit fidelibus attentio ad ea, quæ de Anti-Chriſto in ſcripturis enarrantur. Annotatio valde vtilis pro elucidatione capitis 24. Matth. decimi tertij Marci, 21. Lucæ.

ANNOTAT. XX.

PATET veritas huius propoſitionis, non modo ex his S. Ioannis verbis, quæ nos prouocant vt autem cordis aperiamus, & credamus ea, quæ de Anti-Chriſto prædicit reuera futura eſſe talia qualia prædicit, ſiue perſecutiones ſpectes, ſiue periculum ſubuerſionis eminens ponderes: propter quas perſecutiones tolerandas patientia magnopere erit ſanctis neceſſaria; & ad quod euitandum periculum impigra fide tunc maximè opus erit; Sed inſuper huius propoſitionis veritas probatur, tum ex Danielis 12. vbi dicitur. *Neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent.* His enim verbis oſtenditur ſolos pios eſſe percepturos ea, quæ de ipſo prædicta fuerunt, vt caueant à ſeductione; impios autem miſerè fore decipiendos, quia non intelligent ea, quæ de ipſo prædicta fuerunt. Quin etiam probatur ex Matt. 24. vbi Dominus prouocat ad intelligentiam eorum, quæ de ipſo Anti-Chriſto Daniel prophetauit dicens: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, (qui legit intelligat.)* Non igitur erit alienum à noſtro inſtituto verba Domini & prophetiam Danielis expendere, demonſtrando hanc abominationem deſolationis nullam aliam eſſe quàm ipſummet Anti-Chriſtum.

Nemo vnquam ſatis maieſtatem ſcripturæ ſacræ dignis, vt par eſt, laudibus extollere poterit. Non eſt cuilibet legenti peruia, ſed quibus Deus dederit, ij poſſunt illius ſecreta & myſteria penetrare. Hac de cauſa dixit olim S. Auguſt. l. 4. de Geneſi ad litter. c. 3. *Si poſſis apprehendas: ſi autem hæc non poſſis, relinquas conſpicienda valentibus. Tu autem cum ſcriptura non deſerente infirmitatem tuam, & materno inceſſu tecum ambulante, proficias: quæ ſic loquitur, vt altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate paruulos nutriat.* Hæc Aug. Attamen, vt monet S. Ambroſ. Serm. 8. in Pſ. 118. *docet Deus, & mentes illuminat ſingulorum, & claritatem cognitionis infundit, ſi tu aperias oſtia cordis tui, & cæleſtis gratiæ recipias claritatem. Quando dubitas, diligenter inquiras: qui enim quærit inuenit, & ei qui pulſat aperitur. Multa obſcuritas in ſcripturis propheticis, ſed ſi manu quadam mentis tuæ ſcripturarum ianuam pulſes, & ea quæ ſunt occulta diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum: & aperietur tibi, non ab alio, ſed à Dei verbo, de quo legiſti in Apocalypſi quod agnus librum ſignatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat: quia ſolus Dominus Ieſus, in Euangelio ſuo, Prophetarum ænigmata & legis myſteria reuelauit: ſolus ſcientiæ clauem detulit, & dedit aperire nobis, &c.* Ita Ambroſ. Hoc dicendum fuit propter diuerſitatem expoſitionum illius loci S. Matt. c. 24. in quo nos ad attentè perlegendum & legendo intelligendum prouocat Danielis prophetiam, cum ait; *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto)* (*qui legit intelligat*, &c.) Tam multiplices enim huius loci reperiuntur expoſitiones, vt obſcuritatem potiùs pariant quàm claritatem.

Philo doctiſſimus Iudæorum abominationem deſolationis prædictam à Daniele, vult eſſe intelligendam de imagine Caij Caligulæ, quæ à Petronio introducta fuit in templo, vt adoraretur. Quidam recurrunt ad Cæſaris imaginem depictam in ſignis militaribus, quæ Pilatus erexit in media ciuitate, ſed pro breuiuſculo tempore, & de nocte, obnixè poſtulantibus Iudæis vt tollerentur, vt refert Ioſephus l. 18. antiquitatum c. 50. & de bello Iudaico c. 8. Origenes tractatu 29. hanc abominationem interpretatur de exercitu Romanorum Hyeroſolymam obſidente, de quo S. Lucas ait c. 21. *Cum videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius*; ac per locum Lucæ, mentem S. Matthæi de hac abominatione nobis aperiri, cum ait: *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* S. Hieronymus tres opiniones adducit: *Poteſt autem ſimpliciter de Anti-Chriſto accipi; aut de imagine Cæſaris, quam Pilatus poſuit in templo; aut de Adriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo ſancto ſanctorum loco vſque in præſentem diem ſtetit.* Ita Hieron. Ambroſius libro 10. in c. 15. Lucæ: *Iudæi putauerunt abominationem deſolationis tunc factam, eo quod caput porci in templo iecerunt illudentes Romani Iudaicæ rituum obſeruantiæ.* Alij volunt abominationem illam deſolationis intelligendam pro illo tempore, quo tam à Zelatoribus quàm ab Idumæis templum fuit occupatum, & in eo tot cædes tot homicidia perpetrata fuere, vt ſanguine copioſo fœdè redundaret, vt etiam refert Baronius, an 71. & in medio templi Zacharias vir potens & famoſus interfectus fuit, vt idem refert an. 69. Ex tot ſententiis ſatis patet locum iſtum Matthæi illuſtratione indigere, vt de qua abominatione Dominus loquatur (quantum fieri poteſt) certiores reddamur. Exiſtimo tamen ſancti Hilarij ſententiam eſſe ſequendam, qui canone 25. in Matt. ait: *Totum iudicium aduentus futuri Dominus ponit dicens: Cum ergo videritis abominationem deſolationis, &c. De Anti-Chriſti enim temporibus hic locutus eſt Propheta. Abominatio ex eo dicta eſt, quod aduerſus Deum veniens honorem Dei ſibi vendicet; deſolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum populo deſolaturus ſit, atque ob id à Iudæis ſuſceptus loco ſanctificationis inſiſtens, vt vbi ſanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis ſit. Et quia proprius iſte Iudæorum error erit, vt qui veritatem reſpuerunt ſuſcipiant falſitatem, Iudæam deſeri monet, & transfugere in montes, ne admixtione plebis illius Anti-Chriſto credituræ contagio afferatur; ſed omnibus, qui tunc fideles erunt, tutiora futura ſint deſerta montium quàm frequentata Iudæa.* Hunc locum refert S. Thom. in Catena. Quam Hilarij ſententiam vt veriſſimam amplectimur, remque ita deducimus,

Fateor cum S. Thoma in ſupplemento 3. p. q. 73. ar. 1. quod ſigna quæ in Euangeliis leguntur, vt Auguſtinus dicit ad Heſychium, de fine mundi, non ſolùm pertinent ad aduentum Chriſti ad iudicium, ſed etiam ad tempus deſtructionis Hieruſalem, & ad aduentum quo Chriſtus continuè Eccleſiam ſuam viſitat. Ita S. Thom. Diligenti tamen conſideratione, ipſo Auguſtino teſte, *cernendum eſt, quod eorum ſignorum ad quod, horum trium referendum ſit; ne fortè quod pertinet ad euerſionem Hieruſalem, ad finem mundi referendum putemus, aut è contrario, quod ad finem ſeculi pertinet, aſſirmemus ad ciuitatis illius excidium pertinere; aut quod pertinet ad eius aduentum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, dicamus pertinere ad eius aduentum nouiſſimum in corpore ſuo, quod eſt caput Eccleſiæ; aut rurſus quod pertinet ad aduẽtum eius nouiſſimum per ſeipſum, ad eum pertinere aſſeueremus aduentum, qui eſt per Eccleſiam. In quibus omnibus ſunt quædam manifeſta, quædam ſic obſcura, vt vel laborioſum ſit ea dijudicare, vel temerarium, quandiu non intelliguntur, de his aliquid definire.* Ita Auguſt. ad Heſichium. Tamen abſque temeritate dicere poſſumus ſub iiſdem verbis ac loquendi formulis diuerſa poſſe ſignificari, Spiritu ſancto, qui verbum abbreuiatum nobis in ſacris literis dare voluit, ſapienter illa verba ita ordinante, vt in iis plura ſpeculari valeamus: vnde eadem verba in diuerſos ſenſus, abſque errore, ab interpretibus plærumque trahuntur. Vnde S. Auguſtinus 12. Confeſſ. c. 32. dixit: *Cum aliud dixerit ſancta ſcripturæ ſcriptor, hoc ſenſu quod ego & alius, immo quod ego religioſiùs me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, ſi vtrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidiſſe credatur, per quem Deus ſacras litteras vera & diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit?* Ita Aug. Dico igitur ſub iiſdem verbis, quibus Euangeliſtæ ſigna excidij ciuitatis Hieroſolymitanæ expreſſerunt, ſigna etiam ſecundi aduentus Chriſti exprimere, ita tamen vt primò & per ſe, vel ad excidium vrbis pertineant, vel ad ſecundum aduentum, & conſummationem ſeculi, itaut ea quæ in excidio acciderunt, & per verba Euangeliſtarum proximè ſignificantur, quædam ſint figuræ eorum quæ in fine & conſummatione ſeculi euentura ſunt; ſenſuſque litteralis ſit, quem verba faciunt ſumpta propriè vel figuratè; ſenſus autem myſticus ſit, quem res ipſæ per voces ſignificatæ repræſentant ex vi ſimilitudinis. Imo fit aliquando vt eadem verba, per quæ aliqua hiſtoria exprimitur, transferantur à ſacris autoribus ad aliquid aliud etiam in literali ſenſu intelligendum & ſignificandum: v. g. 2. Regum c. 7. de Salomone hiſtorialiter ad literam dicitur: *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam domum eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Hæc eadem verba vltima S. Paulus ad Hebræos 1. ad Chriſti Domini diuinitatem demonſtrandam transfert. Ita S. Ioannes c. 19. hunc locum, qui de Agno Paſchali proximè intelligitur, nempe, *Nec os illius confringetis*, Exodi 12. v. 46. ad Chriſtum transfert. Hoc enim præceptum de non confringendis oſſibus agni datum fuerat, quia figura erat veri agni in cruce pendentis, cuius oſſa non erant confringenda. Pari ratione S. Matthæus locum ex Oſee 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, literaliter de Chriſto expoſuit, quamuis reductionem populi Iſraëlitici ex ſeruitute Ægyptiaca etiam ſignificet primario ſenſu.

His ita præſuppoſitis, Dicendum certum eſſe quod plæraque, quæ pertinent ad deſtructionem vrbis, & ad conſummationem orbis, ſub iiſdem lo-
A quendi formulis apud Euangeliſtas reperiuntur. Quod tanto libentiùs admittes, ſi D. Thomæ fidem adhibeas dicenti quod *fortè, ſi diligenter aduertatur, nullum eorum, ſcilicet ſignorum, inuenietur ad futurum aduentum pertinere, vt ipſe Auguſtinus dicit: quia illa ſigna, quæ in Euangeliis tanguntur, ſicut pugnæ & terrores huiuſmodi, à principio humani generis fuerunt; niſi fortè dicatur quod tunc temporis magis inualeſcent. Sed ſecundum quam menſuram creſcentia vicinum aduentum denuncient, incertum eſt.* Ita S. Thom. Fatendum eſt tamen cum S. Auguſtino quædam eſſe, quæ manifeſtè de excidio Ieroſolymæ ciuitatis intelligenda ſunt; quædam alia, quæ ad conſummationem ſeculorum, & vltimum iudicium ſunt remittenda.
B *Quis enim*, inquit S. Aug. *non videat ad illam ciuitatem pertinere quod dictum eſt: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquabit deſolatio eius? Item quis non videat ad aduentum Domini nouiſſimum pertinere quod dictum eſt: Cum autem videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei? Illud autem quod dictum eſt: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus; ſic eſt poſitum ſecundum Matthæum & ſecundum Marcum, vt incertum ſit vtrum de excidio illius ciuitatis, an de ſeculi fine intelligi debeat.* Ita Auguſt. ad Heſychium; quamuis vt ipſe addit, S. Lucas ita poſuit, vt appareat ad illius ciuitatis excidium pertinere.

At inter ea, quæ ad ſeculi finem pertinent, re-
C ponenda eſſe exiſtimo quæ Matthæus ſcribit: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, &c.* Matt. 24. & quæ ſcribit S. Marcus c. 13. *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem vbi non debet (qui legit intelligat.)* Quamuis enim S. Auguſt. cenſeat Matth. & Marcum per Lucam eſſe intelligendos, itaut dicendum ſit iam factam eſſe hanc deſolationem, & per conſequens iſta ad ſeculi finem minimè pertinere (ſic enim Aug. *Lucas verò, vt oſtenderet tunc factam fuiſſe abominationem deſolationis, quæ à Daniele prædicta eſt, quando expugnata eſt Hieruſalem, hæc eodem loco Domini verba commemorat: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquabit deſolatio eius. Apparet*
D *itaque tunc ibi poſitam deſolationis abominationem, de qua duo illi Euangeliſtæ locuti ſunt)* dico tamen, cum bona venia tanti Doctoris, hæc verba Matthæi & Marci nullo modo pertinere ad excidium ciuitatis, ſed aduentum Anti-Chriſti in templo Hieroſolymitano ſeſſuri deſignare, & quia magnopere expedit fidelibus vt cognoſcant illius aduentum, vt ad perſecutionem animos præparent, & ab eo non ſeducantur, permanentes in fide ſtabiles, ideo addit Dominus: *Qui legit intelligat.* Et eadem de cauſa S. Ioannes hic cum Anti-Chriſtum deſcripſerit, eiuſque nequitias peſſimas propoſuerit, addit: *Si quis habet aurem audiat.* Id eſt, Si quis habet aurem fidei, iis quæ ego de Anti-Chriſto annuncio fidem adhibeat.
E Hoc enim valde neceſſarium eſt: quia tunc ſanctis omnibus patientia erit valde neceſſaria. Nam tunc erit tribulatio magna: quin & eorum fides videbitur illuſtrior: nam tunc ſubuerſionis periculum maius erit quàm vnquam fuerit.

Quomodo autem hæc verba debeant ad finem mundi & aduentum Chriſti pertinere, hoc ita conjicio. Familiare eſt ſacris ſcriptoribus vt vnus exprimat quod alter omiſit, ſeque inuicem eo modo iuuant: v. g. Geneſ. 32. lucta Iacob cum Angelo exprimitur: quod fleuerit reticetur. At quod omiſit Moyſes, exprimit Oſee c. 12. dicens: *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit & rogauit eum.* S. Lucas c. 22. S. Marcus c. 14. S. Matt. c. 26. hiſtoriam orationis Chriſti in horto nobis proponunt: de apparitione Angeli confortantis Chriſtum, & de

eius ſudore ſanguineo altum apud S. Marcum & S. Mattheum ſilentium. At Lucas & Angeli apparitionem & ſudorem ſanguineum exprimit dicens: *Apparuit autem illi Angelus de cælo conſortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Matth. Marcus & Lucas inſtitutionem cœnæ dominicæ, & ſacroſancti Miſſæ ſacrificij vnanimiter referunt: de ſermone habito ad diſcipulos, & de ablutione pedum tacent. E contra S. Ioannes vltima illa Chriſti verba, & pedum ablutionem copioſè & cum omnibus circumſtantiis enarrat: de inſtitutione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ne verbum quidem, licèt eius promiſſionem capite 6. antea expoſuiſſet. Pari modo hìc fit. Quod vnus trium Euangeliſtarum omiſit, dum refert quæ Chriſtus Dominus docuit de excidio vrbis, de aduentu ſuo per Eccleſiam, de aduentu ſuo per ſeipſum in iudicio, hoc alter exprimit. Quod animaduertit S. Auguſt. Epiſt. ad Heſychium. *Signa*, inquit, *quæ in Euangelio futura prædicta ſunt, ſicut commemorat ſanctitas tua, ſecundum Lucam eadem ſunt, ſecundum Mattheum & ſecundum Marcum. Hi enim tres narrant quæ dixerit Dominus, cum interrogatus eſſet à diſcipulis ſuis quando futura eſſent quæ de templi euerſione prædixerat, & quod ſignum eſſet aduentus eius, & conſummationis ſeculi. Non enim diſcrepant rebus, ſi alius aliquid dicit quod alius tacet, aut alio modo dicit: magis autem collata inuicem iuuant, vt legentis intellectus regatur.* Ita Aug.

Hinc dico S. Lucam S. Matth. & S. Marcum in plurimis conuenire, dum loquuntur de conſummatione vrbis & orbis; quædam tamen reperiri apud Lucam, quæ propriè & proximè de excidio ciuitatis Hieruſalem ſunt intelligenda, quæ non reperiuntur apud Matth. & Marcum, vt eſt illud; *Cum videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem*; Quædam verò apud Matth. & Marcum reperiri de conſummatione ſeculi, vt hæc ſunt: *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat)*, quæ de Anti-Chriſto dicuntur, qui propriè dicitur abominatio deſolationis; quæ apud Lucam non reperiuntur. Patet hoc ex eo, quod Dominus remittit ad Prophetiam Danielis, & ad illam intelligendam dum legitur, prouocat.

At valde notandum eſt tribus in locis apud Danielem mentionem fieri cuiuſdam abominationis, nempe c. 9. cap. 11. & cap. 12. ſaluatoremque non ad primum aut ſecundum locum prouocare, ſed ad tertium. Nam in primo loco agitur de excidio vrbis; in ſecundo, de re iam præterita ſub Antiocho rege; at in tertio loco, de Anti-Chriſto fit ſermo. Hæc ita eſſe patebit ex ſequentibus.

Certè tres interrogationes fecerant diſcipuli, ad quas Saluator debuit reſpondere. Nam cum aliquando Chriſtus è templo fuiſſet egreſſus, & iter arriperet, *acceſſerunt diſcipuli, vt oſtenderent ei ædificationem templi*. inquit Matth. *Vnuſque ex diſcipulis ſuis ait illi*, inquit Marcus: *Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Et quibuſdam dicentibus*, inquit Lucas, *de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum eſſet, dixit illis: Videtis hæc omnia. Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*. inquit Matt. *Vides has omnes ædificationes*, inquit Dominus interroganti diſcipulo apud Marcum, *non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Hæc quæ videtis*, vt eſt apud Lucam, *venient dies in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Sedente autem eo ſuper montem Oliueti acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi?* inquit Matth. *Et cum ſederet in monte Oliuarum*, inquit Marcus, *contra templum, interrogauerunt eum ſeparatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: Dic nobis quando iſta fient, & quod ſignum erit quando hæc omnia incipient conſummari?* Sanctus verò Lucas nihil de tranſitu Chriſti in montem oliuarum dicit, ſed tantùm aſſerit quod ita interrogauerunt illum dicentes: *Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum cum fieri incipient?* Vides ex his multiplicem eſſe diſcipulorum interrogationem. Prima eſt de tempore, quando fieri deberet, vt non relinqueretur lapis ſuper lapidem, qui non deſtrueretur. Secunda interrogatio: Quodnam ſignum eſſet futurum illius deſtructionis. *Quod ſignum erit quando hæc omnia incipient conſummari?* Tertia interrogatio: Quodnam ſit ſignum euidens aduentus ſui, & conſummationis ſeculi?

Ad primam interrogationem, tres Euangeliſtæ in reſponſione conueniunt, & cauendam eſſe ſeductionem annuntiant. *Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent. Et tempus appropinquauit*, inquit S. Lucas. *Nolite ergo ire poſt eos.* Secundò docet ex variis præliis & ſeditionibus (quibus videlicet Iudæi vexandi erant ante excidium vrbis, & omnes gentes ante diem iudicij diuexandæ forent) non eſſe timendum ſtatim fore excidium, aut futuram rerum omnium conſummationem: *Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis: ſed non ſtatim finis* Et ad hæc addenda eſſe etiam alia ſigna monet, dum ait: *Surget gens contra gentem; & regnum aduerſus regnum: & terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt*, inquit Lucas. *Initium dolorum, hæc*, inquit Marcus. Tertiò prædicit quod ante hæc omnia deberent multa pati. *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides propter nomen meum*, inquit Dominus: qui qua ratione ſe gerere deberent in tot aduerſitatibus tolerandis illos inſtruit, ſeipſos omnino in reſponſis faciendis prouidentiæ eius committentes; & de protectione ſua illos reddit ſecuros. *Capillus*, inquit, *de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Qui autem*, inquit Marcus, *perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Sicque mirum de tempore, quo hæc fieri deberent, ſilentium. Non dicit: Hæc quæ dixi, ſiue de euerſione templi, ſiue de aduentu meo, olim prædixi, dum à Phariſæis fui interrogatus, vobis audientibus, quando venit regnum Dei, fierit poſt quinquaginta, vel centum, vel ducentos, vel mille annos. Sed potius dicere videtur: Moneo, tantum vos de iis, quæ vobis valde neceſſariò ſunt obſeruanda, videlicet cum regnum Dei intra vos ſit, ne illud amittatis ſeducti per eos qui venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus. Volo vt non cito turbemini ex bellis ac ſeditionibus, quaſi inſtet dies aduentus mei. Moneo enim vos multa prælia futura, multaque alia ſigna, antequam finis rerum eueniat. Volo inſuper vt ſitis parati ad omnia propter nomen meum toleranda mala, cum patientia & perſeuerantia vſque in finem. De tempore, quo iſta euenient, nihil dico: *non eſt enim veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Veſtrum eſt tantùm paratos eſſe, vt quocumque tempore venerim, ſiue ſerò, ſiue media nocte, ſiue mane & galli cantu, ſiue citiùs, ſiue tardiùs, ſemper ſitis parati ad me excipiendum. *In quo enim*, inquit S. Aug. ad Heſ. *quemque inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur. Vnde*, inquit Aug. paulo poſt, *cum Dominus dicit: Quiſnam eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt de illis cibum in*

tempore? Monet non vt bonus ſeruus cognoſcat temporum finem, ſed vt omni tempore in opere bono vigilet: quia neſcit temporum finem. Non monet vt tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, aſſequamur ſuper Apoſtolos; ſed monet vt quoniam neſcimus quando veniat Dominus, in cordis præparatione imitetur Apoſtolos. Itaque cum tempus, quando hæc erunt, relinquatur à Domino incertum, conſtituamus cum S. Auguſtino, in fine Epiſtolæ ad Hæſychium, ante oculos *tres ſeruos bonos familiam dominicam diligenter ſobrieque tractantes, aduentum Domini ſui ſitienter deſiderantes, vigilanter expectantes, fideliter amantes. Si vnus eorum citiùs, alter tardius Dominum putat eſſe venturum: tertius verò ſuam de hac re ignorantiam confitetur, quanquam omnes conſonent Euangelio, quia omnes diligunt manifeſtationem Domini, & eam deſideranter & vigilanter expectant; videamus tamen quis amplius conſonet? Vnus dicit: Vigilemus & oremus, quia citiùs venturus eſt Dominus. Alter dicit: Vigilemus & oremus, quia breuis & incerta eſt vita, quamuis tardiùs venturus ſit Dominus. Tertius dicit: Vigilemus & oremus, quia & breuis & incerta eſt vita, & neſcimus tempus, quando venturus eſt Dominus. Euangelium dicit: Vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. Obſecro te, quid aliud dicere audimus hunc tertium, quàm quod dicere audimus Euangelium? Omnes quidem pro deſiderio regni Dei hoc volunt eſſe verum, quod dicit primus. Sed hoc ſecundus negat. Tertius verò non negat aliquid horum, ſed ignorare fatetur. Quis verum dicat illorum? Proinde ſi hoc factum fuerat quod prædixerat primus, gaudebunt cum illo ſecundus & tertius: omnes enim manifeſtationem Domini diligunt. Exultabunt itaque citiùs veniſſe quod diligunt. Si autem factum non fuerit, & apparere cœperit hoc potius eſſe verum, quod dicebat ſecundus, metuendum eſt ne inter ipſas moras perturbentur, qui crediderant quod dixerat primus, & incipiant Domini aduentum non tardum putare ſed nullum, quod vides quantus ſit interitus animarum. Quod ſi tantæ fidei fuerint, vt ſe ad ſecundi prædicta conuertant, & Dominum etiam tardantem fideliter & patienter expectent, abundabunt tamen opprobria, & inſultationes atque irriſiones inimicorum multos infirmos à Chriſtiana fide auertentium, dicendo iam fallaciter eis regnum eſſe promiſſum, quàm fallaciter dicebatur citò eſſe venturum. Qui autem credunt quod ſecundus dicit, tardiùs Dominum eſſe venturum, ſi falſum fuerit inuentum, alius (Domino veniente) nullomodo, & qui ei crediderunt, turbabuntur in fide, ſed inopinato gaudio perfruentur. Quapropter qui dicit Dominum citiùs eſſe venturum, optabilius loquitur, ſed periculoſiùs fallitur. Vtinam ergo ſit verum: quia erit moleſtum ſi non erit verum. Qui autem dicit Dominum tardiùs eſſe venturum; & tamen credit, ſperat, amat eius aduentum, profectò de celeritate eius, etiamſi fallitur, feliciter fallitur: habebit enim maiorem patientiam ſi hoc ita erit, maiorem lætitiam ſi non erit: ac per hoc ab eis, qui diligunt manifeſtationem Domini, ille auditur ſuauiùs, iſti creditur tutiùs. Qui autem quid horum ſit verum ignorare ſe confitetur, illud optat, hoc tolerat: in nullo eorum errat: quia nihil eorum aut affirmat aut negat.* Hæc Auguſt. Epiſt. ad Heſych.

Quantum ad ſecundam interrogationem, de ſigno futuri excidij, ſanctus Lucas ſolus Chriſti reſponſum ad hanc interrogationem poſuit, his verbis: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius.* Deinde declarat calamitoſum rerum ſtatum in his temporibus, quia dies vltionis hi ſunt, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt; & occiſionem, & captiuitatem, & diſperſionem populi Iudaici in omnes gentes prædicit. *Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, &c.* De qua captiuitate & diſperſione ſanctus Mattheus & ſanctus Marcus nihil

A dicunt, vt pote qui non de euerſione ciuitatis loquantur, ſed de conſummatione mundi, in qua potius colligentur Iudæi, primo ab Anti-Chriſto quem ſequentur, deinde à Chriſto poſt necem Anti-Chriſti, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 11. *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob, &c.* Et quia magna eſt ſimilitudo inter calamitatem, quam paſſi ſunt Iudæi cum ciuitas fuit euerſa & capta à Tito, & calamitatem quæ futura eſt temporibus Anti Chriſti, cum in Ieruſalem ſedem ſuæ tyrannidis ſemel erexerit, ideo iiſdem ferè terminis vtuntur S. Euangeliſtæ Matthæus & Marcus B (vt deſcribant futuram calamitatem in vltimis temporibus) quibus vſus fuit S. Lucas in deſcriptione calamitatis, tempore euerſionis templi & ciuitatis. Addit S. Lucas: *Et Ieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Et poſt, tranſitum facit ad ſigna ſecundi aduentus Domini. Sed quid, quæſo, vult, dum ait: *Ieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum?* Certè illud ſignificat quod apud Danielem, cap. 19. dicitur: *Et erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio:* nam donec impleantur tempora nationum, id eſt, donec Euangelium regni in vniuerſo orbe prædicatum fuerit in teſtimonium omnibus gentibus, non veniet Anti- C Chriſtus, qui reſtauraturus eſt hoc templum, vt in illo ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus: & tunc veniet conſummatio.

Si autem quæras quid Dominus reſpondeat ad tertiam interrogationem, nempe, *Et quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi?* S. Matt. & S. Marcus illud ſignum exhibent. Nam poſtquam S. Matt. dixit: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus;* Vt implerentur tempora nationibus conceſſa, vt plenitudo gentium intraret, & quod tunc veniet conſummatio, immediatè proponit ſignum huius conſummationis eſſe tale, nempe: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Prophe-* D *ta, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat.)* Eadem prædicit S. Marcus: *Cum autem videritis abominationem deſolationis ſtantem vbi non debet (qui legit intelligat)* Deinde tranſeunt ſancti Euangeliſtæ ad declarationem calamitoſi rerum ſtatus, pro his temporibus, in quibus tribulatio erit maxima, & periculum ſeductionis. Sed quia Saluator nos ad legendum & intelligendum Danielem prouocat; cum, vt iam monuimus, tres ſint loci, in quibus apud Danielem mentio fit abominationis, ad quem nos remittat Chriſtus, diſcutiendum.

Dico igitur: primò nos non remittit Chriſtus ad caput nonum, quia certum eſt in hoc capite mentionem fieri, ſeu prædici euerſionem ciuitatis poſt E necem Domini: *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus qui eum negaturus eſt & ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Quid eſt, *Diſſipabit populus ciuitatem & ſanctuarium cum duce venturo?* Cornelius à Lapide per populum intelligit exercitum Romanum. Eſto poſſet etiam dici per populum intelligendos eſſe ſeditioſos ciues, qui intra mænia degentes ſeipſos trucidabant, templum prophanabant cædibus, quorum diuiſiones in cauſa fuere, vt adueniante Tito & Veſpaſiano patre ad obſidionem ciuitatis miſſo, faciliùs & citiùs ciuitas capta fuerit, & templum euerſum. Igitur S. Matth. loquitur (vt facile eſt conijcere) de re ad conſummationem ſeculi pertinente. Poſtquam enim dixit: *Et tunc veniet*

Digitized by Google

conſummatio; addit: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis*; Ac ſi diceret: Tunc ſcitote quia conſummatio appropinquat. Si igitur clarum eſt hîc à Daniele ſermonem fieri de excidio vrbis, in qua fuit in templo abominatio deſolationis; per profanationem templi factam à ſeditioſis, homicidis, & ſceleratis Iudæis, qui ex impio zelo patriæ & legis ſe Zelotas nuncupabant; & probabiliſſimum ſit ſanctum Mattheum loqui de re futura in vltimis temporibus; non ad hunc locum capitis noni nos remittit Chriſtus.

Dico ſecundò. Non etiam ad caput 11. vbi dicitur: *Et auferetur iuge ſacrificium: & dabunt abominationem in deſolationem*; nos remiſit Chriſtus. Ratio eſt: Chriſtum prædicit aliquid futurum: at quæ prædixit Daniel in hoc loco iam ſunt adimpleta, hæc enim Prophetia eſt de perſecutione facta ſub Antiocho: licèt enim plurima poſſint ad Anti-Chriſtum transferri, propter ſimilitudinem impij Antiochi cum Anti-Chriſto, & rerum geſtarum vtriuſque, tamen proximus & literalis ſenſus de Antiocho intelligitur, vt videre eſt apud Cornelium à Lapide in hunc locum, qui ita illum interpretatur: *Et dabunt, id eſt, ponent: abominationem, id eſt, ſimulachrum Iouis olympij: in deſolationem, id eſt, in templo deſolato, & profanato, ad omnimodam eius deſolationem, vt videre eſt 2. Machab. c. 6. Quod deſolati, ſuiſque ſacris deſtituti templi, erit ſignum pariter & cauſa.*

Reſtat igitur vt nos remittat Chriſtus ad caput 12. Danielis, vbi dicitur: *Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Quem locum exponit de Anti-Chriſto Cornelius à Lapide. *Abominatio*, inquit, *id eſt, idolum, puta Anti-Chriſtus ipſe, qui vice Chriſti coli volet vt Deus: idque in, id eſt, ad deſolationem, vt ſcilicet omnia bona perdat & deſolet.* Hoc autem valde probabile eſt, ſi perpendas quæ dicuntur antea à Daniele: *Et eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi: & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij: Porrò docti intelligent.* Non enim abſque cauſa Chriſtus Dominus addidit: *Qui legit intelligat.* Alludit enim proculdubio ad verba Prophetæ, & nos prouocat ad intellectum, vt ſcilicet non ſimus de numero impiorum, qui non intelligent, ſed de numero doctorum, qui ſcientia ſanctorum colluſtrati optimè perſpicient fraudes & fallacias Anti-Chriſti, vt eas euitare ſtudeant, & ſe contra tot perſecutiones fortitudine animi & conſtantia fidei præmuniant, ne ſeducantur, aut pœnis ac tormentis ſuccumbant.

Et optimo iure Anti-Chriſtus dicitur *Abominatio.* Abominabile eſt enim illud omne quod rejici debeat cum nauſea, & odio, & horrore. At quis magis rejiciendus quam hic homo peccati, & perditionis filius? *Quod hominibus altum eſt*, inquit Dominus, *abominatio eſt ante Deum.* Luc. 8. At quid altius apud homines carnales & terrenos, quàm Anti-Chriſtus, de quo dictum: *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Deteſtatur Dominus ſuperbiam Iacob: Amos 6. Quis magis Anti-Chriſto ſuperbus, qui extollet ſe ſupra omne quod dicitur Deus? *Certè ſex ſunt quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima eius* (Pro. 6.) *oculos ſublimes, linguam mendacem, manum effundentem ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Cui, inquam, euidentiùs iſta horrore & odio digna conueniunt, quàm Anti-Chriſto, oculos ſuos ſupra diuinitatem erigenti, tot mendacia proferenti, tot errores diſſeminanti, tot martyrum ſanguinem effundenti, cuius cordis cogitatio tota erit propenſa & intenta in

A malum, vt omnes ſeducat, Chriſti regnum euertat? Quis promptiori curſu ad malum perpetrandum vnquam cucurrit? Quis teſtis fallacior, qui tot ſignis fallacibus mendacia ſua credibilia reddere pertentabit? Quis ſeminans inter fratres diſcordias, niſi ipſe, qui bellis ac ſeductionibus vniuerſum orbem diuexabit? Certè abominabilis erit ille, qui omnem in ſe iniquitatem quodammodo recapitulabit, vt de eo loquitur ſanctus Ireneus. Certè ſi alij impij poculum propinauerunt alicuius erroris, plenũ abominatione & immunditia fornicationis ſuæ, quia errores adinuenerint conformes ſuis malis moribus, & peruerſitati indolis ac ingenij; ſi ſuperbi à Deo ſeparantur; errores erunt ſubtilitatem ingenij

B redolentes. Si propter voluptatès carnis à Deo auertuntur, errores erunt carnalium voluptatum amorem ſuadentes. Si malitiâ, inuidiâ, aut rancore, & odio, charitatem Dei & proximi amiſerunt; errores nihil aliud quàm ſchiſmata ſpirabunt, & omnem dominationem & poteſtatem ſpernent, vt liberè quæcumque voluerint perficiant. At ille nequiſſimus omnes in ſe errorum fontes recapitulabit, vt omnia mendacia proponet carnalia & terrena tantùm ſitientibus. At vbi ſedebit, inquies? *In loco ſancto*, inquit Mattheus. *Vbi non debet*, inquit ſanctus Marcus. *Itaut*, inquit S. Paulus, *in templo Dei ſedeat.* 2. ad Theſſalonic. 2. Sanctus Anſelmus apud Bellarminum lib. 3. c. 13 de Romano Pontifice, in-

C telligit per templum Dei mentes fidelium, in quibus Anti-Chriſtus ſedere dicitur. Quando eas ſeduxerit. S. Auguſt lib. 20. de ciuit c. 19. quorumdam opinionem refert, cui ſubſcribere videtur, dum ait: *Sed in quo templo Dei vt Deus ſit ſeſſurus, incertum eſt, vtrum in illa ruina templi, quod à Salomone rege conſtructum eſt; an verò in Eccleſia? Non enim templum alicuius idoli aut dæmonis, templum Dei Apoſtolus diceret. Vnde nonnulli non ipſum Principem, ſed vniuerſum quodammodo corpus eius, id eſt, ad eam pertinentem hominum multitudinem ſimul cum ipſo ſuo principe, hoc loco intelligi Anti-Chriſtum volunt, rectiuſque putant etiam Latinè dici (ſicut in græco eſt) non in templo Dei, ſed, in templum Dei ſedeat; tanquam ipſe ſit templum Dei,

D quod eſt Eccleſia; ſicut dicimus: Sedet in amicum; id eſt, velut amicus; vel ſi quid aliquid iſto locutionis genere dici ſolet.* Ita Aug. *Quanquam*, inquit Bellarminus loco citato, *non eſt neceſſaria iſta annotatio Auguſtini: nam etſi Latinè non rectè dicitur, ſedere in templum, pro, in templo, tamen Græcè non dicitur male κατίζειν εἰς ἐκκλησίαν vel εἰς τὸν ναὸν imo ſic communiter dicitur.*

Quidam etiam intelligunt Eccleſias Chriſtianorum, quas ſibi ſeruare iubebit Anti-Chriſtus, vt Chryſoſtomus, inquit Bellarminus, *interpretatur.* Hanc ſententiam etiam Hieronymus, Epiſtolâ ad Algaſiam, q. 11. & Theodoretus in 2. ad Theſſalo. 2. admittunt apud Leonardum Coquæum, in Auguſt. de ciuitate Dei. *At*, inquit Bellarm. *nec Iuſtinus, nec Ireneus, nec Ter-

E tullianus, nec Cyprianus, templi nomine vtuntur cum de Chriſtianorum Eccleſiis agunt.* Et Hieron. in Epiſt. ad Riparium dicit *Iulianum Apoſtatam iuſſiſſe, vt Baſilicæ ſanctorum aut deſtruerentur, aut in templa verterentur.* Ita Hieron. Nec tunc Chriſtiani habebant vlla templa, ſed ſolùm in priuatis domibus loca quædam deſtinabant orationi, concioni, & ſacris Miſſarum celebrationibus. Et quia vigebit adhuc memoria templi Iudaici, ne viderentur Apoſtoli ſimile aliquid introducere, templi nomine non vtebantur; & vt diſtinguerent Eccleſiam à ſynagoga, abſtinebant à voce templi. Igitur cum Apoſtolus dicit: *Itaut in templo Dei ſedeat*; intelligendus eſt de templo Hieroſolymitano: volebat enim intelligi ab iis, quibus ſcribebat: & illi tunc non intelligebant, nomine templi, niſi templum Hieroſolymorum: &

ex multis Patribus hoc probat Bellarminus: & citat Ireneum l.5. c.30. Hyppolitum de conſumm. mundi, Cyrillum Hieroſolym. Catecheſ. 15. Hilarium cap. 25. in Matth. Ambroſ. in cap.21. Lucæ, Sedulium in hunc locum Apoſtoli 2. ad Theſſalon. 2. Damaſc. l. 4. c. 28. Optimè igitur Feuardentius locum Irenei ponderans (nempe, *Cum autem vaſtauerit Anti-Chriſtus hæc omnia, in hoc mundo regnans annis tribus & menſibus ſex, & ſederit in templo Hieroſolymis, tunc veniet Dominus de cælis in nubibus, &c.*) ait: *Cum naſciturus ſit ex tribu Dan, & pro Meſſia recipiendus à Iudæis, non ambigendum quin Ieroſolymis & in ipſorum templo ſeſſurus ſit, ac ciuitatem illam primariam imperij ſui conſtituturus accedet: quod Ioannes in Apocalypſi ait duos teſtes diuinos, nempe Enoch & Eliam ab Anti-Chriſto necandos, in ea ciuitate in qua Chriſtus crucifixus eſt, &c.* Et paulo poſt: *Ergo nec ſedebit, nec vnquam ſedit Romæ, vt noui Gnoſtici garriunt.* Citat etiam eoſdem autores, quos citatos diximus à Bellarm. Erit igitur Iudæorum Meſſias & Rex: ergo ſine dubio ſedem ſuam conſtituet in Ieruſalem, & templum Salomonis reſtituere aggredietur. *Templum*, inquit Hyppolitus de conſum. mundi, *conſtituet Hieroſolymis, quod confeſtim excitatum tradet Iudæis.* Ita ille. Nihil enim aliud ſomniant Iudæi quàm Hieruſalem & templum Salomonis, neque videntur vnquam accepturi pro Meſſia vllum, qui non ſedeat in Ieruſalem, & templum aliquo modo reſtituat.

Cum igitur videbitur Anti-Chriſtus, verè idolum, verè abominatio abominationum, verè abominatio in deſolationem imperij Romani, quod vſurpabit; Eccleſiæ Chriſti, cui auferet libertatem publicè Deum colendi; animarum fidelium, quas ſeducet; Romanæ vrbis, quam funditus per ſuos miniſtros euertet, ſedens & ſtans in templo Salomonis reſtaurato, *qui legit intelligat.* Valde enim eſt neceſſaria attentio ad ea, quæ tunc fient.

Primò, *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet*, inquit S. Matth. *Erunt enim tribulationes tales*, inquit S. Marcus, *quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vſque nunc, neque fient.* In euerſione quidem & excidio ciuitatis & templi per Titum, ait quidem S. Lucas quod *preſſura magna erit ſuper terram, & ira populo huic: quam ad tria reducit*; ad multorum occiſionem, ad populi captiuitatem & diſperſionem in omnes gentes, & ad calcationem Ieruſalem à gentibus. *Et cadent*, inquit, *in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à gentibus.* At temporibus Anti-Chriſti præter ea mala, ſi quæ alia grauiora poſſunt excogitari, eo proculdubio tunc occurrent. Et attende, quæſo, quomodo propriè loquuntur Euangeliſtæ: nam cum S. Lucas loquitur de excidio ciuitatis, temporibus Titi, non ſolùm dicit: *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes, &c.* Sed vt intelligamus ad quos propriè Sermonem dirigat, addit poſtea: *Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira*, non quibuſlibet populis, *ſed populo huic*: qui erat occidendus, captiuandus, diſpergendus, calcandus. At S. Mattheus & S. Marcus cum dicunt: *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes*; ad aliquam gentem ſpecialiter non dirigunt ſermonem, nec de Iudæis ſe loqui quauis ratione indicant, ſed tantùm dicunt: *Qui in Iudæa ſunt*; ac ſi dicerent: Quicumque tandem illi ſint, qui tunc in Iudæa habitabunt fidelium, his fugâ promptiſſimâ opus erit, itaut *qui in tecto eſt non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*, ſed ex alto ſe projiciat, ſi poſſit, vt quàm citò fugam arripiat, ob vicinitatem tyranni, in Hieruſalem tunc ſedem tyrannidis ſuæ figentis. Et rectè animaduertit S. Auguſt. epiſtolâ ad Heſychium, quod ſi Iudæi Anti-Chriſtum primitùs & præcipuè recepturi ſunt, vt

A reuera illum recipient, idem populus facturus eſt potius tribulationem quàm paſſurus. Vnde ſanctus Marcus & S. Mattheus, qui de vltmis temporibus loquuntur, non dicunt iram fore populo huic, ſed tantùm iis qui habitabunt in Iudæa, quicumque tandem illi ſint, ſiue Iudæi, ſiue Gentes: qui cum venerit Anti-Chriſtus cum Iudæis, ad Iudæam inuadendam vt propriam ſedem, tunc illam occupabunt.

At non modo erit tribulatio magna, quia fideles in bonis fortunæ temporalibus, & in bonis corporis, & in libertate Deum colendi, multa detrimenta patientur, ſed etiam propter magnum ſubuerſionis periculum, de qua S. Lucas nihil aliud dicit B quàm, *Videte ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum.* Quod tamen etiam poteſt referri ad tempus præcedens excidium vrbis & templi: nam, vt notat Baronius, an. 72. quia ex oraculis habebatur, teſte Ioſepho, lib.7. c.12. quod è Iudæa quidam eſſet egreſſurus, qui totius orbis imperium ſibi vendicaret, nullus ex principibus, qui tyrannidem affectabant, apud Iudæos erat tunc, qui non ſuum haberet Prophetam, qui de ſe hanc Prophetiam eſſe intelligendam prædicaret, vt ſibi conciliaret auram popularem, ac ſi diuinitùs ei imperium promitteretur. Talis fuit ille Simon, qui copioſam multitudinem latronum & ſicariorum in deſerto collegit, ad quadraginta millia hominum. C Talis ille Ioannes Dux Zelatorum, qui templum occupauit. Et ſicut multi erant tyranni, ita etiam multi fuerunt falſi Prophetæ huic aut illi fauentes: propter quos etiam à S. Luca prædicente vrbis excidium, potuit dici: *Videte ne ſeducamini.* At de modo quo vti debebant ſeductores in vltimis temporibus, nihil tangit S. Lucas, quia ſolùm videtur agere de tempore excidij, Matthæus verò, & Marcus hoc expreſſerunt, qui de vltimis temporibus agunt. Matthæus enim, *Tunc*, id eſt, *cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, itaut in errorem in*-D*ducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere.* Similia dicit ſanctus Marcus. *Et tunc*, inquit, *ſi quis vobis dixerit; Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic; ne credideritis. Exurgent enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna & portenta, ad ſeducendos (ſi fieri poteſt) etiam electos. Vos ergo videte. Ecce prædixi vobis omnia.* Vides quomodo modum ſeductionis tangunt Mattheus & Marcus, qui à ſancto Luca omittitur, qui tantùm reſpicit falſos Prophetas excidium vrbis præcedentes, qui talia ſigna & portenta non leguntur feciſſe ad ſeductionem. At Matth. & Marcus reſpiciunt vltima tempora, in quibus his modis falſi Prophe- E phetæ fideles etiam ſeducere attentabunt. *Quale*, inquit Gregorius, lib. 3. Moral. c. 23. *illud tempus perſecutionis apparebit, quando ad peruertendam fidelium pietatem alij verbis ſeuiant, alij gladiis: quæ vtrorumque actio; id eſt, potentium atque loquentium, in Ioannis Apocalypſi breui eſt ſententiâ comprehenſa, qua dicitur: Poteſtas eorum in ore, & in caudis eorum erat. In ore namque, doctorum ſententia; in cauda verò, ſecularium potentia figuratur. Vnde non immeritò per gyrum dentium eius formido ineſſe deſcribitur, qui multis terroribus agitur, vt in peruerſis eorum prædicationibus, etſi non veritatis ſententia, certè temporalis potentia timeatur. Vnde benè eumdem Anti-Chriſtum Pſal. deſcripſit dicens: Sub lingua eius labor & dolor. Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis. Propter enim peruerſa dogmata, ſub lingua eius labor & dolor eſt; propter miraculorum verò ſpeciem, ſedet*

in inſidiis; propter ſecularis autem poteſtatis gloriam. cum diuitibus in occultis ſedere perhibetur. Ità Greg. Lege Auguſtinum in Pſal. 9. eumdem verſum exponens (*Sedet in inſidiis cum diuitibus, &c.*) *Penſemus*, inquit rurſus Gregorius, *quæ erit humanæ mentis illa tentatiò, quando pius Martyr & corpus tormentis ſubjicit, & tamen ante eius oculos tortor miracula facit? Cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, ſignis coruſcat?* Ita Greg. *Olim faciebant*, inquit Iſidorus, de ſumm. bono c. 28. *miracula martyres, tunc autem videbuntur facere ipſi perſecutores. Nunquid*, ait Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 15. *non beatus erit Martyr, qui tunc pro Chriſto martyrium pertulerit? Ego verò illum ſuper omnes Martyres eſſe dixerim: nam qui antea præceſſerunt, cum hominibus illis tantum certamen erat; qui verò tempore Anti-Chriſti patientur, perſonaliter cum Satana pugnabunt. Tunc vero ſuperiores illos Martyres reges ſolum occidebant, mortuos autem non excitabant, neque ſignis & prodigiis cuiuſque phantaſiam perturbabant. Hic autem & timore, & neceſſitatis mala ſubuerſione, vt ſeducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi, nequando in cor aſcendat quia Chriſtus plura bis geſſerit.* Ita Cyrillus. Qualia autem debeant eſſe illa ſigna docet Methodius, tom. 2. Bibliothecæ Patrum in ſuis reuelationibus, & Hyppolitus de conſum. mundi; quin & S. Ephrem de conſum. mundi, & Rabanus Maurus tractatu de Anti-Chriſto. *Poſtea*, inquit Hyppolitus, *edet prodigia, leproſos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones: longinqua non aliter quàm præſentia denunciabit: excitabit mortuos, &c.* & poſtea adhuc Hyppol. *Transferet montes ante oculos ſpectantium: ſiccis pedibus ambulabit ſupra mare: deducet ignem è cœlo: conuertet diem in tenebras, & noctem in diem: ſolem circumaget quo libuerit; Et, vt ſemel dicam, elementa omnia terræ mariſque, vi oblatæ apparitionis ſe coram ſpectantibus, obtemperare ſibi demonſtrabit.* Ita Hyppol. Cum igitur hæc tam reformidanda ſint, meritò ad illa attendendum eſſe monemur, ſiue à Domino, dum ait: *Qui legit intelligat*: ſiue à ſancto Ioanne, dum ait: *Qui habet aurem audiat.* Hinc illa prædicere voluit, vt pote ſcitu & cognitione valde vtilia. *Clementia* inquit S. Baſilius in cap. 5. Iſaiæ, *Dei erga homines peculiare hoc eſt: non clam aut ſilenter ingerit ſupplicia, ſed intendens comminationes, ea prædicit afferre, per hoc peccatores inuitans ad pœnitentiam: id quod fecit Niniuitis, Iona præcone.* Ita Baſil. Et optimè idem Baſilius de Rege apum verba faciens, homil. 8. in Hexaëmeron, qui aculeo præditus, ſpiculoque armatus, nunquam irritatur ad vltionem, nunquam vtitur illo, dixit: *Leges quidem iſtæ profectò naturæ ſunt, inſtitutaque literis non mandata; Tardos, inquam, eos ad vindictam pœnamque ſumendam eſſe oportere, qui maximas obtinent poteſtates.* Ita Baſ. Hinc Deus, qui eſt ſumma poteſtas, pœnas non exigit niſi tardiùs quàm fieri poſſit; & non tantùm hoc, ſed monet ac prædicit ſupplicia, vt ea per pœnitentiam amouere valeamus. Hoc modo hìc agit: nam non ſolùm prædicit electis vt ſe præparent ad tentationes, quanta illi pati debent pro nomine ſuo; non ſolùm prædicit in quanto futuri ſint periculo, ſed inſuper prædicit pœnas ac ſupplicia, quibus plectendi ſunt mali bonorum perſecutores & fidei ſubuerſores, dum S. Matthæus, in fine capitis, de ſeruo malo verba faciens percutiente conſeruos, manducante, & bibente cum ebrioſis, ait: *Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & horâ quam ignorat: & diuidet eum, partemque ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Et ſanctus Ioannes aſſerit hìc quod *qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Denique ſpem iuſtorum propter patientiam & conſtantiam in fide, inter tot aduerſa & ſubuerſionis pericula Dominus erigit, dum, poſtquam de vltimo iudicio verba fecit, tandem ait: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Et quia hæc omnia cum maxima attentione ſunt ponderanda, ab omnibus tribus Euangeliſtis ad vigilandum exhortamur, quia neſcimus *qua hora Dominus venturus ſit, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane*, inquit S. Marcus: *ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate. Attendite*, inquit Lucas, *ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Ita S. Lucas.

Exiſtimo hac ratione elucidari ea quæ narrant tres Euangeliſtæ, de excidio ciuitatis, & ſubuerſione templi, & de aduentu ſecundo Chriſti, & conſummatione ſeculi. At, inquies, nihil adhuc nobis eſt timendum: non inſtat fortè dies Domini: iuſti non vexantur: errores non diſſeminantur nemine contradicente, itaut tale & tantum ſit ſubuerſionis periculum, quale & quantum futurum erit in die Anti-Chriſti: mala non committuntur impunè abſque debita punitione, ab iis quorum intereſt: vt Deus de peccandi liberrima facultate poſſit conqueri his Iſaiæ verbis c. 57. *Dilexiſti ſtratum eorum manu aperta*, nempe adulterantium, *vt non erubeſceres in peccato tuo; nec fornicationis cuperes abſcondere turpitudinem; ſed tota libertate peccares*, inquit S. Hieron. in hunc Iſ. locum. Ideo adhuc in tanto verſari timore non debemus, quia Anti-Chriſtus non veni, nec adhuc fixit ſedem in loco ſancto. Sed nihilominus nobis, & nunc, ſeruiendum eſſe Deo cum timore & tremore ſapientiſſimum eſt, vt patebit ex ſequenti Annotat.

Sed qui habet aurem audiendi, audiat.

Cur etiam nunc aduentus Domini vltimus ſit pertimeſcendus?

ANNOTAT. XXI.

AVDITE, quæſo, periculum in quo eſtis. *Iam*, ex S. Ioanne, *Anti-Chriſti multi facti ſunt*: & ita facti ſunt, vt ſicut olim dicebat Apoſtolus, *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus*: ipſi meritò dicere poſſent: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Anti Chriſtus: adeo actiones eius imitantur, vt meritò dici valeant facti Anti-Chriſti. Anti-Chriſtus ille erit qui abominatio dicitur, ſtans in loco ſancto. Si igitur in te, qui templum Dei es, abominationes reperiantur ſtantes, quæ te Anti-Chriſto ſimiles reddunt, cur non timenda tibi erunt Dei iudicia? Diſce autem ab Ezechiele abominationes, quæ te Deo & Chriſto aduerſarium & hoſtem poſſunt conſtituere, capit. 8. Videbis fortè iuxta oſtium interius cordis tui poſitum idolum zeli, ad prouocandam æmulationem, nempe amorem tuiipſius inordinatum, ſicut vidit Ezechiel, ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipſo introitu, hoc eſt Baal, qui ſignificat poſſidentem herum, Dominum: amor enim proprius omnia ad ſe rapere vult, nulli ſubeſſe, omnibus præeſſe & dominari concupiſcit: vnde Dei amorem ſuper omnia excludit, illi obedire detrectat: eius leges & mandata infringere non timet. Hoc Dei zelum & æmulationem prouocat. Neſcis, ô miſer, quod *coanguſtatum eſt ſtratum, itaut alter decidat; & pallium breue vtrumque operire non poteſt?* Iſ. 28. id eſt, cor tuum duos amo-

Digitized by Google

res independentes & non ſubordinatos pati non poteſt, nec duabus vltimis intentionibus poteſt Deum ac creaturas inuoluere. Si Deum quæris, vt in eo quieſcas, abeant amor & intentio creaturarum; ſi creaturæ ſeruire deſideras, intentio tua breuis eſt; ad Deum peruenire nequibit. Videſne habere te in corde Anti-Chriſtum, Dei hoſtem, dum in te habes amorem proprium, amori Dei non ſubordinatum? Certè quidquid ſit, ab hoc inordinato amore procedens vocatur ab Ezechiele abominatio magna; & talis, vt propter tales abominationis Deus dicat procul ſe recedere à ſanctuario ſuo. Sed adhuc *conuerſus videbis abominationes maiores*, quæ te verum facient Anti-Chriſtum. Fode, ô homo, parietem interioris tui: ingredere, & vide abominationes, quas B tu facis & fortè neſcis. Ecce ſi ingreſſus ſemel fueris, occurrit *ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erunt in pariete, in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël, & Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas, & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebula de thure conſurgebat.* Certè ad literam ſeptuaginta fortaſſe Senatores Concilij Sanhedrin cum Sophonia, qui (ſecundum Polichronium) datus fuit quaſi Iudex (Ieremiæ c. 29.) fuerunt idololatræ, & vel licet exteriùs Deum colerent, interius idolorum fuerunt cultores; vel ſi mauis cum Cornelio à Lap. realiter idola in templo depicta habuerunt, quibus incenſum offerebant. At viſne in templo cordis tui videre idola, quæ colis, ſimilitudines videlicet reptilium, & abominationes animalium immundorum? Garrulitate rana, & malitiâ draco, inuidentiâ vipera, quæ marem coëundo necat, *cuius fœtus excreſcens perimit matrem*, inquit Origenes, ecce in te ſimilitudo reptilium. Viſne reperire in te abominationes animalium? Vide ne ſis aſtutia vulpes, rapacitate lupus, ingluuie porcus, crudelitate tygris, acediâ aſinus, luxuriâ hircus. His vitiis factus es Chriſto contrarius, qui coram tondente ſe obmutuit, qui charitate ſemetipſum ad mortem obtulit pro inimicis; qui benignitate nimia fratres habere voluit gloriæ ſuæ conſortes: in cuius ore dolus numquam eſt inuentus: *qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*; qui ſitiens felle & aceto pro te in cruce potatus eſt, vt te torrente voluptatis æternæ inebriare poſſet; qui tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, qui in orationibus pernoctans dies integros inſumebat ad ſalutem & corpoream & æternam hominibus procurandam: qui purus ab omni labe, agnus ſine macula, paſcitur inter lilia, ſeu inter candidos virginum choros. Certè auaritia ab Apoſtolo dicitur ſimulachorum & idolorum ſeruitus, & eos ventrem pro Deo habere dicit, qui gulæ dediti ſunt. Dic pariter illos cætera vitia, ad quæ procliues ſunt & addicti, pro idolis habere, quibus incenſum offerunt. Abominatio quidem eſt maxima ſeipſum amare amore inordinato, ſed abominationes ſunt maiores cum in actus peruerſos ille amor foris erumpit, & præcipuè ſi fueris de numero eorum, qui cultum Dei ex officio promouere debent. Certè *vides fili hominis*, inquit Deus ad Ezechielem, *quæ ſeniores domus Iſraël faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubiculi ſui. Dicunt enim: Non videt Dominus nos. Dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me. Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores, quas iſti faciunt. Et introduxit me*, inquit Propheta, *per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad aquilonem. Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Ecce quomodo verè ſis Anti-Chriſtus. Olim Chriſtus dixit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Olim docuit quod *Deus ſpiritus eſt, & eos*

A *qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Quod præſtare poſſunt ij omnes, quibus vſus omnium membrorum eſſet quacumque ratione interdictus. At tu mulier & effeminatus, plangis Adonidem, id eſt, cum ablata tibi fuerit poteſtas, ſenio aut morbo, indulgendi genio, & turpia quædam & obſcæna perpetrandi, luges tibi ademptam eſſe talem poteſtatem (fuit enim Adonis Amaſius Veneris, cuius necem amaris vt volunt proſecuta eſt fletibus & lacrymis) nec ad Deum conuerſus dicis: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris*; adeo peccatis es aſſuetus, vt ea potiùs te derelinquant, quàm tu ea relinquere ſtudeas. Quid, quæſo, abominabilius, cui occaſio deeſt, cui adimitur peccandi facultas, cui mors eſt in ianuis? Senio confectus, ad Dei iudicium properans, is adhuc gemit, quia adhuc non poteſt cupiditates ſuas obſcænas explere; & iſtum Adonidem Veneris Amaſium, non apro occiſum, vt fert fabula, ſed ſenio, ſed morbo, hunc reuiuiſcere cupit. Hæc certè peccandi conſuetudo, ſeu peccandi cupiditas maior eſt abominatio quàm peccata ipſa, quæ deſtruuntur ſtatim atque de illis conterimur; at per hunc deprauatum affectum mortua peccata vitam recuperant, ſi fuiſſent per pœnitentiam aliquando deleta; nec vnquam, dum complacentia quadam in eorum recordatione immoramur, remitti poſſunt aut deleri.

C At vltima abominatio eſt peccati defenſio, Deique contemptus, quo fit vt licèt media ad noſtram conuerſionem neceſſaria ſint peruia & proxima, tamen ea per contemptum aſſumere negligimus. Certè, inquit Dominus ad Ezechielem, *vidiſti fili hominis. Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interiùs. Et ecce in oſtio templi Domini, inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem. Et adorabant ad ortum ſolis.* Vt hanc abominationem expendamus, notandum quod Sanctum Sanctorum erectum erat ad occidentem: quocirca Iudæi conuerſi ad Sanctum Sanctorum orabant, conuerſi ad Occidentem. Templum
D inſuper habebat oſtium verſus Orientem, itaut ſol inde exoriens, ſubitò per templi & oraculi oſtia radios dirigens, arcam & propitiatorium colluſtraret, ac velut primus adoraret Dominum, in eo ſupra Cherubin reſidentem, vt Iudæi à ſole diſcerent Deum in templo adorare, non ſolem. Ita Cornel. à Lapide in hunc locum, At iſti auerſi terga arcæ Domini, & ipſi Domino, ſolem adorabant more gentilium. A quo crimine ſe purgat Iob. c. 31. *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo.* Hoc enim oſculum erat ritus adorandi & ſalutandi. Quem ritum habemus ex S. Chryſoſt. Hom. 30. in 2. ad Corinthios, dum rationem redE dit oſculi ſancti, ad quod fideles inuitabat Apoſtolus: *Salutate inuicem in oſculo ſancto. Templum*, inquit, *Chriſti ſumus. Itaque templi veſtibula & aditum oſculamur, cum alij alios oſculamur. An non cernitis quoſnam homines etiam huiuſce templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes? Ac per has portas & ianuas ingreſſus eſt Chriſtus, & ad nos ingreditur cum communicamus,* &c. Hi igitur ſectabantur morem gentilium & Ægyptiorum, qui præcipuè colebant ſolem, quem Macrobius, lib. 1. Saturnalium c. 21. ſub nomine Oſiris adoratum fuiſſe docet. *Inſculpunt*, inquit, *Ægyptij ſceptrum, in eoque ſpeciem oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirim monſtrant, quia ſolem Iouis oculum appellauit antiquitas.* Ita Macrobius, & Euſebius Cæſar l. 1. de præparat. Euangelica, c. 6. Docet etiam ſolem Oſirim

rim

rim fuiſſe dictum, quaſi Multioculum. Adorabant igitur iſti ſolem terga vertentes ad Templum. Certe hæc abominatio tam grauis eſt, vt Deus ſe vlturum profiteatur ſuam iniuriam abſque miſericordia. *Et dixit ad me*, inquit Dominus ad Ezechielem, *Certè vidiſti fili hominis: nunquid leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hîc; quia replentes terram iniquitate conuerſi ſunt ad irritandum me? Et ecce applicant ramum ad nares ſuas. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miſerebor. Et cum clamauerint ad aures meas, non exaudiam eos.*

Quare, quæſo, hæc abominatio maior eſt cæteris ſupra poſitis? Reſpondet Nicolaus de Lyra. *Quia ſignificat apoſtatas à fide, vel à religione, maximè quando ſunt in ſua malitia firmati*, quod ſignificatur per numerum vigeſimum quintum, qui numerus eſt quadratus, quia reſultat ex ductu quinarij in ſeipſum. Exiſtimo autem hanc abominationem dici maiorem, primò ex eo quod apparenter videntur adorare: at nihilominus reuera Deo terga vertunt, illos ſignificantes de quibus dixit Apoſtolus 2. ad Timot. 3. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Tales ſunt Simoniaci, qui videntur Dei obſequio ſeipſos deuouere, ſed terga vertunt Altari, dum malis artibus Eccleſiaſticas dignitates vſurpant, & pecunia emunt. Talis eſt vſurarius, qui ſub ſpecie proximum iuuandi, bona illius diripere ſtudet. Diceres illum beneficum, ſed terga vertit altari, quia non ſeruat legem charitatis, quæ docet nihil ſperandum eſſe de mutuo. Talis eſt hæreticus, qui Dei zelum ſe habere gloriatur; & veritati terga vertit, mendacium amplectando. Secundò quia conuerti negligunt, etſi media habeant præſentiſſima, & parata ad conuerſionem. Quid enim eſt facilius homini, quam ſi dorſo templo innixus ad templum faciem conuertat, audiatq; creatorem ſuum poſt ſe clamantem: *Reuertere, reuertere Sunamitis, vt intueamur te*; Cant. 6. vel quod dixit Iſaias: *Et aures tuæ audient verba poſt tergum monentis: Hæc eſt via: ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Iſ. 30. Deus certè hominum amator, qui obuiam currit filio prodigo reuertenti, dolet maximè ſi ad eum conuerti contemnamus, cum adeſt copia, & facultas, & occaſio. Ierem. 32. *Et verterunt ad me terga & non faciem*, inquit, *cum docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire, vt acciperent diſciplinam: & poſuerunt idola ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt polluerent eam.* Certè hoc maximè Deum ad iracundiam prouocat. Ideo propter talem impœnitentiam homines, tanquam abominabiles factos in iniquitatibus ſuis, & veros Anti-Chriſtos, à ſe ejicit. *Terra*, inquit Iſaias, c. 24. *infecta eſt ab habitatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram.* Ita Iſ. *Veniet Dominus ſerui illius, in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, &c.

De tertia beſtia, quæ eſt ſecunda Cap. 13.

Idea Symboli.

DE figura huius beſtiæ nihil aliud exprimere videtur textus, niſi ſolùm duo cornua illi ineſſe, cornibus agni ſimilia. Itaque relinquitur conjiciendum lectori quanam figura ſeſe obtulerit oculis S. Ioannis perſpicienda. Humanâ ſpecie dices apparuiſſe, ex nomine Pſeudo-Prophetæ, ex loquela. Sed diabolus ſub ſpecie ſerpentis, & Pſeudo-Propheta fuit, & locutus eſt Euæ. Et beſtia marina loquitur magna, & blaſphemias, quamuis ſpecie ab humana valde aliena. Ideo non poteſt certò conjici quod humanam habuerit figuram. Nec etiam dices ſimilem eſſe draconi: nam dum ait textus quod *loquebatur ſicut draco*; Inter iſtam beſtiam & draconem, ſimilitudinem aliam non eſſe ſignificat. Cur enim non diceret habere ipſam ſeptem capita ſicut draco, niſi quia ſimilitudo tantùm eſt in loquela, non autem in corporis figura. Nec etiam ex textu poteſt dici ſimilem eſſe beſtiæ marinæ, quia dicitur: *Vidi aliam beſtiam*, nam ſemper alia erit à marina beſtia, cuiuſcumque excogitetur figuræ, ſiue ſimilem ſiue diſſimilem affingas. Alia eſt enim beſtia ab equo, ſi alium equum aſpicias: ſicut alia eſt beſtia ab equo, ſi bouem aſpicias. Putat tamen Alcazar inter vtramque beſtiam ineſſe aliquam ſimilitudinem, propter maximam quam habent inter ſe, ex textu, familiaritatem; & hac de cauſa vtramque conſiderandam eſſe quadrupedem, vtramque eiuſdem fere magnitudinis, nec diſſimilis valde figuræ. Quidquid ſit; certum eſt non abſque ratione ſanctum Ioannem illi nullam ſpecialem attribuiſſe figuram, vt eam ad modum illius Prothei (qui diuerſas induebat figuras, modò ſub illa, modò ſub alia) apparere concipias: vt faciliùs decipiat, ac ſeducat homines: occaſioni enim ſe accommodat, itaut ſi ſub leonina pelle, vi ac violentia, nihil poſſit efficere; ſub vulpina per aſtutiam habeat quod intendit.

Quantùm autem ad ſignificationem huius ſymboli, iam vidimus per illud primò denotari hominum procliuitatem ad ea ſectanda & amanda, quæ mundus maximi ducit, ſiue ſapientiam carnis, ſeu propriæ carnis inordinatum amorem; Secundò deſignari quemdam reuera Pſeudo-Prophetam, Anti-Chriſti prodromum & anteſignanum ac præcurſorem, ſeu potius illius miniſtrum ſibi cooperantem & fauentem, in quo eluceſcet ad quantam mentis peruerſitatem illa ſapientia animalis & diabolica homines deducit, vt velit tantæ impietati ſua exhibere officia & obſequia, vt per ſuum miniſterium Anti-Chriſtus habeatur & colatur vt Deus, vt hac ratione valeat augeri honoribus, diuitiis abundare, & omnibus carnis voluptatibus liberè potiri. Igitur duobus modis hoc ſymbolum erit interpretandum, nempe quomodo ſapientiæ carnis aptari valeat; ſecundo quomodo Pſeudo-Prophetæ, ſeu Pſeudo-Pontifici Anti-Chriſti conueniat?

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra.

De prima ſymboli beſtiæ aſcendentis de terra interpretatione, & eius cum ſapientia carnis conuenientia.

ANNOTATIO I.

Quod diabolus nihil poſſet ad oppugnandum Chriſti Regnum: niſi beſtia è mari aſcendens, & beſtia è terra aſcendens illi ſuppetias ferrent. §. 1.

NON mirum ſi draco obſtinatas hominum in peccato voluntates, & carnis prudentiam ſibi ſtudeat comparare, vt earum fretus auxilio, Chriſti regnum inuadere attentet. Nam cum per peccatum, quod inſtigare conatur, hoc regnum tantùm poſſit aliquod ſubire detrimentum, ideo diabolus, vt ad peccandum propellat, malitia voluntatis & appetitu carnis vtitur: quia aliàs illud fruſtra perſuadere niteretur. Etenim ita eſt cauſa peccati, vt

Digitized by Google

voluntas humana nihilominus cauſa ſit directa illius; & carnis amor ſeu prudentia carnis de ſe ſit ſufficiens, abſque vlla dæmonis inſtigatione, vt ad mandatotum Dei tranſgreſſionem inclinemur. *Non enim*, inquit S. Thomas 1. q. 114. ar. 5. *omnia peccata committuntur diabolo inſtigante, ſed quædam ex libertate arbitrij, & carnis corruptione: quia, vt Origenes dicit, etiam ſi diabolus non eſſet, homines haberent appetitus ciborum & venereorum, & huiuſmodi, circa quæ multas inordinatio contingit, niſi per rationem talis appetitus refrænetur, & maximè ſuppoſita corruptione naturæ. Refrænare autem & ordinare huiuſmodi appetitum ſubiacet libero arbitrio.* Et 1. 2. q. 80. art. 1. docet *quod diabolus non ſit cauſa peccati directè vel ſufficienter, ſed ſolùm per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile.* Ita S. Thomas. Non mirum igitur ſi indigeat auxilio liberi arbitrij, & carnalis appetitus. Hos igitur habet adiutores, de quibus Iob. c. 34. dicitur: *Qui quaſi de induſtria receſſerunt à Deo, & vias eius intelligere noluerunt.* Qui videlicet, certâ quadam peccant malitiâ, omnium bonorum ſpiritalium potius iacturam facientes, quàm à minimo temporali bono ſibi temperare: quo fit vt cum ſcientes peccent, & cum plena & matura deliberatione, & in hac voluntate diutiùs immorentur, grauiùs offendunt Dei maieſtatem, quàm ſi impulſu alicuius inopinatæ paſſionis quicquam indeliberatè mali perpetrarent. Aduocat inſuper ſibi in auxilium, carnis prudentiam, qua homo ſemel à Deo auerſus, adeo ſtrictè adhæret rebus terrenis, & carnis voluptatibus, vt in eis vltimum finem conſtituens, incapax reddatur reſiliendi à peccatis; imo potius omnem ſuam adhibeat induſtriam, vt creaturâ, quam concupiſcit, & Dei præfert amori, liberè fruatur. Quod quidem hominem conſtituit in ſtatu peccati mortiferi, dum carnis curam faciens in concupiſcentiis omnes ſuas actiones ad hunc finem vltimum indebitum ordinat ac dirigit, nempe vt caro concupitis potiatur; cum impoſſibile ſit ex S. Tho. 2. 2. q. 55. ar. 2. eſſe plures fines vltimos. Si igitur carnem habes pro vltimo fine, Deo terga vertis, & hoc contemptu illum grauiter offendis. Conuenienti ergo ordine, poſtquam S. Ioannes peccatum in voluntate fixum (tanquam diaboli organum ad omnes ſuas voluntates explendas) deſcripſit, nunc deſcribere incipit aliam beſtiam, ſymbolum illius nequitiæ, qua voluntas in malo obdurata vtitur, vt in ſua perſiſtat malitia, & qua omnes peſſimas ſuas cogitationes & determinationes executioni mandat, quoque tanquam quodam alimento nutritur, & fouetur in anima peccatum, & qua mediante diabolus ita agit, vt regnet peccatum in mortali noſtro corpore, ac tyrannidem ſuam extendat in animam carni conſentientem & adhærentem, dum peccatum ex ſuggeſtione diaboli & lenocinio carnalis voluptatis allecta perpetrare non timet. *Qui* enim *facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Et hæc eſt illa prudentia carnis, quæ inimica Dei conſtituitur, vel Apoſtolo teſte.

Aſcendentem de terra.

Cur amor carnalium prudentia dicatur, nullaque ſpeciali figura repræſentetur? §. 2.

Si à ſancto Irenæo, lib. 5. aduerſus hæreſes, quæras quinam ſint verè carnales, dicet tibi: *Qui*, inquit, *pignus ſpiritus habent, & non concupiſcentiis carnis ſeruiunt, ſed ſubiiciunt ſemetipſos ſpiritui, & rationabiliter conuerſantur in omnibus, iuſtè Apoſtolus ſpirituales vocat, quoniam ſpiritus Dei habitat in ipſis; incorporales autem ſpiritus non erant homines ſpirituales; ſed ſubſtantia noſtra, id eſt, anima & carnis adunitio ad ſu-* A *mens ſpiritum Dei ſpiritualem hominem perficit. Eos autem qui abiiciunt quidem ſpiritus conſilium, carnis autem voluptatibus ſeruiunt, & irrationabiliter viuunt, effrænati deiiciuntur in ſua deſideria, quippe nullam habentes adſpirationem diuini ſpiritus, ſed porcorum & canum more viuunt, hos iuſtè Apoſtolus carnales vocat, quia nihil aliud quàm carnalia ſentiunt.* Ita Iren. Hæc illa eſt prudentia carnis è terra emergens, quia è carne, quæ terra eſt, in terram reuertenda originem ducit. Dum enim anima, quæ terrena tantùm ſapit, carni alligata ſpiritualibus adhærere deſinit, vt ad carnalia & terreſtria ſeſe conuertat, neſcio qua habitudine & procliuitate mentis erga ipſa induitur: quo fit vt ad hunc finem omnes ſuas dirigat actiones, nempe vt quæcunque carni grata ſunt conſequatur. B Ideo, cum Prudentiæ actus ſit finem præſcribere actionibus, deinde media conuenientia ſeligere, quibus finis obtineri valeat; cum homo hunc ſibi finem proponit (nempe vt caro quidquid concupiſcat conſequatur) omneſque ſuas cogitationes & cognitiones applicat ad hunc ſcopum, mediaque efficacia, & conuenientia ſeligit ad finis conſecutionem obtinendam, prudenter agere videtur, ſed carnis eſt prudentia: quia ad carnalia tantùm conſequenda hæc omnia ordinat ac dirigit. O ſtulta hominum carnalium prudentia, quæ mortem affert, quæ nos inimicos Dei conſtituit, quæ legi eius non poteſt eſſe ſubiecta, quæ Deo placere non poteſt, dicente Apo- C ſtolo, Rom. 8. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Certè non eſt mirum ſi eam diabolus exoptet habere ſociam, cum ipſe homicida ſit ab initio, cum ſit Dei aduerſarius, cum eius mandatis parere renuat, cum à facie Dei ſit expulſus, vt factus abominabilis ſuperbiâ ſuâ. Et attende, cum S. Auguſtino, de verbis Domini, ſerm. 6. Apoſtolum non dicere hominem, aut carnem, aut Dei creaturam non poſſe legi Dei eſſe ſubiectam; *Sed*, inquit Auguſtinus, D *prudentia carnis non poteſt, vitium non poteſt, non natura: quomodo ſi diceres, claudicatio rectæ ambulationi non eſt ſubdita, neque enim poteſt: Pes poteſt, ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem. Sed quandiu claudicatio eſt, non poteſt. Sic quandiu prudentia carnis eſt, non poteſt; non ſit prudentia carnis, & homo poteſt. Attende igitur quod cum dicitur inimica Dei, hoc non eſſe accipiendum quaſi inimica iſta poſſit lædere Deum: reſiſtendo inimica eſt, non occidendo: illi autem nocet in quo eſt prudentia carnis: quia vitium naturæ nocet, in qua natura ineſt.* Ita Auguſt. *Qui igitur*, vt ait paulò poſt idem Auguſt. *in carne ſunt, id eſt, qui in carne confidunt, qui concupiſcentias ſuas ſequuntur, qui in his habitant, qui earum voluptatibus oblectantur, qui* E *in earum delectationibus beatam felicemque vitam conſtituunt, ipſi ſunt in carne, Deo placere non poſſunt* (Ita Aug.) non in hoc ſeculo viuendo, ſed carnis concupiſcentiis conſentiendo. Huic prudentiæ carnali ſanctus Ioannes nullam attribuit figuram, quia vt multiformi ſapientiæ Dei ſeſe opponat, (qua Deus innumeris modis ſaluti noſtræ conſulere non ceſſat, & nos auellit à terrenis, vt ad cæleſtia capeſcenda nos promoueat) hæc Dei inimica in mille ſe transformat, vt nos ab vltimo fine noſtro, id eſt à Deo, abſtrahat: & ſemper aſcendit, iuxta illud: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*, donec ad vltimum peruerſitatis gradum perueniat, qua ita homines à Deo auertuntur, & rebus carnis adhæreſcunt, vt per omnimodam & totalem obliuionem beneficiorum Dei, & finis vltimi; propter quem adipiſcen-

Digitized by Google

dum procreati fuerant, omnia mandata Dei liberrimè tranſgrediantur, eiuſque voluntati contrarie non pertimeſcant. Licèt igitur homo peccator vti videatur ratione, in aſtutiis, dolis & fraudibus, & prauis adinuentionibus, ſemper beſtia eſt: quia tota eius intentio fertur in hunc ſcopum, vt carni & appetitui, quem cum beſtiis habemus communem, inſeruiat. De tali homine dictum eſt: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Geneſ. 6. At beſtia variæ figuræ, quia talis homo modò vulpinam, modo leoninam, modò aliam ſimilem pellem induit. Hæc non eſt deſurſum deſcendens, pudica, pacifica modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non iudicans ſine ſimulatione, qualem cæleſtem & diuinam ſapientiam depingit S. Iacobus c. 3. ſed *terrena animalis, diabolica*: quia videlicet de terra aſcendit, nihil aliud quàm carnalia ſapit, & eſt aptum diaboli inſtrumentum, vt Deo ſeſe opponat in omnibus; & per immunditias carnis, & impudicitias, per bella, contentiones & lites, per ſenſuum omnium inquietudinem nimiam, per contumelias proximi, per perſecutiones bonorum, per ſæuitiam & crudelitatem, per cuncta mala opera, per aliorum contemptum, per hypocriſim & ſimulationem, regnum Chriſti, qui eſt in omni puritate, in pace, in corporis ac ſenſuum mortificatione, in beneuolentia ac benignitate, in manſuetudine, in humilitate & proximi dilectione, in veritate, quantùm in ſe eſt euertat. De hac verſipelli prudentia, & omnes figuras induente, dixit S. Baſilius, homil. 12. in principium Prouerb. *Sermo*, inquit, *verus, & ex mente procedens ſana, ſobrius ac ſimplex eſt, vniformis, item præterea, ſemper eadem & de eiſdem vbique dicens; varius verò & artificioſus multùm, & circumuolubilitatis & apparatus habens mille figuras, atque inuectit inuolucra, ad ea tantùm fictus, quæ congredientibus ac colloquentibus placent.* Ita Baſil. *Bipartita*, inquit idem Baſilius, orat. 21. de infelicitate & infortunio ac prudentia, *ſanè eſt prudentia: vna quidem ſtudium propriæ vtilitatis continet, coniuncta cum inſidiis proximi, qualis eſt ſerpentis, qui in cuſtodiendo capite omnem operam ponit ſuam; altera quaſi improbitas quædam morum eſſe videtur, quæ propriam vtilitatem citiùs inuenit, & quæ homines ſinceriori animo præditos ſpoliat ac deprædatur. At vera prudentia nihil aliud eſt quam rerum faciendarum, omittendarumque cognitio, quam qui ſequitur, nullo tempore à virtutis operibus deflectet, nec vnquam prauitatis ſpiculo configetur.* Ita Baſil. Hanc ſectemur, aliã fugiamus, ne ſimus de ſatellitibus diaboli ad Dei noſtri contumeliam, & certiſſimam noſtrãm perditionem & damnationem. Dimicemus contra peſſimas carnis concupiſcentias, non ambulantes ſecundum carnem, carnalibus concupiſcentiis conſentientes; ſed ſecundum ſpiritum, id eſt, adiuti gratia Dei in mente, vt concupiſcentiis carnis non obediamus. Reſtat enim poſt baptiſmum, cum carne conflictus. *Quia*, inquit Auguſt. ſerm. 6. de verbis Domini, *deleta eſt iniquitas, ſed manet infirmitas*, id eſt, titillat delectatio illicitæ concupiſcentiæ. *Sed*, vt ipſe addit, *pugna, reſiſte, noli conſentire, & impletur hoc: Poſt concupiſcentias tuas non eas: quia etſi quando ſurrepunt, & vſurpant ſibi oculum, aurem, linguam, volaticam cogitationem, nec ſic deſperemus de ſalute noſtra. Ideo quotidie dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Ita Aug.

Et habebat cornua duo ſimilia agni: & loquebatur ſicut draco.

Quænam ſint illa cornua?

Duobus modis hæc cornua interpretantur: Primus eſt de duabus facultatibus animæ, concupiſcibili & iraſcibili; Secundus eſt de extinctione ſynderesis, & contemptu mortis.

ANNOTAT. II.

De prima interpretatione. §. 1.

QVANTVM ad primum, quamuis hæc beſtia nullam figuram ſpecialem habeat, cum in omnes ſe transformet figuras, videt tamen ſanctus Ioannes è capite eius duo cornua inſurgere ſimilia agni. Alluſionem fieri vult hîc Alcazar ad agni capitis quinti cornua, quamuis vox (*agni*) nullum hic articulum habeat præpoſitum, quia qui viſionem narrat, viſa tantùm refert. Vidit autem hanc terræ beſtiam conſtare duplici cornu, cornibus agni non abſimili, & per hæc duo cornua comminationem & ſeueritatem, quæ duo ſunt cornua è ſeptem agni capitis quinti: nam eius cornua Alcazar ſignificare contendit ſeptem diuinæ prouidentiæ virtutes, nempe virtutem, beneficentiam, æquitatem, ſapientiam, patientiam, comminationem, & ſeueritatem; & ex his duo tantùm vltima habere ſimilia agni hanc beſtiam terreſtrem aſſerit, quia ſub prætextu innocentiæ & ſanctitatis, prudentia carnis diris comminationibus terrebat fideles, eoſque variis tormentis exagitabat. Eſto, fiat ad agni capitis quinti alluſio: hæc alluſio nobis fauet, ſiue de duabus facultatibus partis ſenſitiuæ, iraſcibili & concupiſcibili, cornua intelligas; at potiſſimùm fauet, ſi de extinctione ſynderesis & mortis contemptu interpreteris.

Dico igitur primò, duo ipſius beſtiæ cornua aptè denotare duplicem appetitus ſenſitiui facultatem, concupiſcibilem & iraſcibilem, quas dicas velut partes deprauatæ propenſionis. Licèt enim externa ipſius ſpecies comitatem & facilitatem protendat, ſunt tamen cornua, quæ vim afferre conantur. Nec, quicquid dicat Alcazar, hoc magis eſt potiùs concionatorum quàm germana expoſitio, quàm dum de comminatione ac ſeueritate, quæ ſunt virtutes diuinæ prouidentiæ, cornua interpretatur; nec omittitur alluſio ad cornua agni, *in qua*, inquit, *plurimum leporis & concinnitatis ſitum eſt*. Nam eſto non interpretentur de cornibus, quæ ſignificent ſeueritatem & comminationem, vt habeat Beſtia duo cornua ſimilia duobus ex ſeptem cornibus agni; tamen dum ſignificant concupiſcibilem facultatem, & iraſcibilem, per quas caro & bona ſibi conuenientia comparare appetit, & mala ſibi contraria propellit, certè ſimilitudinem habebunt cum virtute, ſeu potentia aut beneficentia, quæ æquè ſunt denotatæ in cornibus agni, ac denotantur cõminatio & ſeueritas. Habet itaq; duo cornua ſimilia agni, per quæ aſtutia & fallacia carnis ſubodoratur, quæ ſub prætextu neceſſitatis, commodi vel incommodi, animum allicere ad aliquid proſequendum, vel deterrere poſſunt ab aliquo nociuo; ſicque indefluenter ſeu indeſinenter ac aſſiduè animum quaſi cornibus petit, vt ſe à Deo auertat, ſiue proſequendo bonum ſibi adeo prohibitum, ſiue fugiendo quod præcipit Deus quaſi nociuum & contrarium. Nam cum nihil dulcius aut ſuauius nobis appareat, quàm amor ille proprius, quo nobis bona volumus; nihil magis innocuum, ni-

hil iuſtius aut æquius exiſtimamus, quàm appetere ea quæ vel conſeruationi vitæ, vel oblectationi ſenſuum conducere putamus (*nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam,* Epheſ. 5.) ſub tali colore prudentia carnis vtitur cornibus, id eſt facultatibus, quibus poſſit continuo quodam motu & impulſu, ſed propemodum imperceptibili, vt videtur, & ſuaui quadam ratione animum ad illicita propellere & ſollicitare: quia hoc eſt connaturale vt carni acquieſcat in neceſſariis, & condeſcentia quadam amicabili ſibi obſequatur, vireſque ſuas ac omnem induſtriam adhibeat, vt poſſit caro omnia ſibi blandientia & grata comparare, quibuſcumque modis aut mediis vti oporteat; modò caro concupitis fruatur, nihil intereſt, an Deus offendatur, an iniuria fiat proximo, aut nulla æqui ac boni ac B honeſti habeatur ratio.

Si tamen attendas, eiuſque loquelam expendas, animaduertes ſtatim hanc carnis prudentiam draconis eſſe organum & adminiſtram, ab eo quodammodo ſpiritum & animum obtinere, vt planè ſit diabolica, dum perſuadere nititur menti nulla lege debere coërceri, veluti quæ ſufficiens ſit vt ſibi regulas agendi præſcribat.

Hinc caro legi Dei dicitur ſubjici non poſſe: quia legibus diuinis coarctari renuit, & vt mens iugum excutiat, totis viribus contendit; inimica Dei (qui ſpiritus eſt) concupiſcit aduerſus ſpiritum, qui ad imaginem Dei creatus eſt. C Vnde ſicut calor cum frigore conſiſtere nequit, ita carnis ſenſus cum recta agendi ratione vix ac ne vix quidem ſubſiſtere poteſt; ſicque dum nullis retinetur legibus, caro abſque vllo impedimento omnibus, quæ ſibi grata ſunt, potiri attentabit. Quod ſi aliquando eueniat aliquid, quo carnem contriſtari aut affligi contingat, tunc aſſiduè ſedet caro in inſidiis, vt animum impellat, vt ſeſe diuinæ diſpoſitioni, quantùm in ſe eſt, opponat; & ſaltem, ſi reſiſtere aut effugere nequeat Dei manum, nullo modo ſeſe humiliet ſub potenti manu Dei, ſed potius impatientia ac murmurationibus diuinam maieſtatem offendat. Sic caro loquitur vt draco, qui his verbis Euam ſeduxit: D *Cur præcepit vobis Deus vt non comederitis de omni ligno paradiſi? Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum* Geneſ. 3. Ac ſi diceret: abſque vlla cauſa Deus vobis hoc iniunxit, qui tantâ eſtis præditi ſapientiâ. Certè in vobis eſt diſcernere quæ vobis ſunt vtilia. Scio qua intentione hoc fecerit. *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri.* Id eſt, experientiâ cognoſcetis quàm mendaciter loquutus fuerit, cum vobis dixit: *In quacumque hora comederitis ex eo, morte moriemini*: nequaquam enim moriemini. Qua quidem ratione vobis erit euidens, quod nullo modo eius directione aut legibus indigetis, vt veſtras actiones poſſitis moderare: E & ita abiicientes iugum legum fallacium, *eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*, id eſt, abſque eius ſpeciali auxilio, quæ vobis vtilia, vel quæ vobis ſunt nociua diſcernere poteritis. Sic eos in enormem impulit mentis arrogantiam & veſaniam, & propriæ excellentiæ amorem, vt appeterent independentem à Deo ſuarum actionum directionem, ac vi & virtute propriæ naturæ ſeipſos gubernare abſque vllo recurſu ad Deum, cuius eſt hominem regere, eique leges & mandata imponere; vt poſſit ad finem, ad quem illum ordinauit, tandem peruenire. Secundò illos in quamdam impatientiam, & animi indignationem præcipitauit, audientes Deum illis iniunxiſſe abſtinentiam fructus, qui non modo erat pulcher ad videndum, & ſuauis ad guſtum, ſed

A ex cuius vſu tantam erant percepturi vtilitatem, vt qua vi ac virtute pollerent poſſent ex eius comeſtione animaduertere. Tandem illos miſerè in apoſtaſiam à fide induxit, dum Deum veluti mendacem reputauerunt, qui comminatus fuerat mortem, ſi de arbore ſcientiæ boni & mali comederent. Dum igitur prudentia carnis per paſſiones appetitus concupiſcibilis ita agit, vt mens leges Dei conculcet, nec mandatis eius velit obtemperare, ſed potiùs præceps fertur in quaſcumque actiones legi Dei contrarias, vt concupiſcentiis ſuis obediat; vel per paſſiones iraſcibilis appetitus mens contra Deum indignatione, & ira, & impatientia mouetur, & inquieta manet ſi in aliquo retardetur à fruitione eorum, quæ inordinatè concupiſcit, verè illa pru- B dentia loquitur vt draco, qui vtrumque homini perſuaſit: primò vt vellet eſſe ſine iugo; ſecundò vt Deo indignaretur, qui ſpeciali mandato eum à fruitione rei pulchræ & ſuauis reuocabat. Hinc Deus de hominis peruicacia conqueritur, Ierem. 2. *A ſeculo confregiſti iugum meum: rupiſti vincula mea: dixiſti: Non ſeruiam.* Et poſtea animam concupiſcentiis inſeruientem onagro comparat. *Onager,* inquit, *aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui, nullus auertet eum.* Ierem. 2. Tam difficile eſt auertere hominem à proſecutione eorum, quæ carni ſuæ grata ſunt & iucunda, vt potiùs ſæpe incidat in apoſtaſiam à fide, quàm ab- C ſtineat à voluptatibus carnis.

Alia, de ſyndereſis extinctione & mortis contemptu, cornuum Beſtiæ interpretatio. §. 2.

Per cornu aliquam ſignificari potentiam inſignem certiſſimum eſt. Dum igitur agno cornua tribuuntur, ad cuius ſimilitudinem peſſima beſtia duo cornua gerit, idem eſt ac dicere duas in Chriſto agno inter alias conſiderandas eſſe virtutes inſignes, quas imitari ſtudebit prudentia carnis, vt decipiat incautos, & eos qui carnis curam faciunt in concupiſcentiis miſerè perdat.

Itaque ſi quæras quænam ſint agni virtutes, di- D co duas potiſſimùm eſſe, nempe peccati extinctionem & extirpationem, & de morte triumphum ac victoriam. *Ecce*, inquiebat S. Ioannes Baptiſta, *agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi.* Ioan. 1. At de morte victoriam exprimit Oſee, c. 13. *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero, inferne.* Vtramque victoriam coniunxit S. Paulus 1. ad Corinth. 15. *Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt, mors, victoria tua? Vbi eſt, mors, ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* De quibus, quæſo, victoria data eſt? De morte & de ſtimulo eius, id eſt, peccato, cuius E virtus inſolens apparet ex infractione legis, quæ potenter debebat hominem à peccato auertere, propter reformidandam legiſlatoris maieſtatem. *Stimulus vel ſagitta mortis,* inquit Sedulius, *peccatum eſt, per quod animæ iugulantur; virtus verò peccati lex, dum fortius & violentius fit peccatum per ſcientiam commiſſum; victoria vel peccati contra legem commiſſi, vel illa qua mors abſorbebitur in victoria.* Ita Sedulius. *Qui autem Chriſti ſunt,* inquit Apoſtolus ad Galat. 5. *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*: & hac ratione de peccato victoriam reportant. *Vnde autem crucifixerunt,* inquit Claudius Altiſiodorenſis, vel, vt alij volunt, Taurinenſis, *niſi timore illo caſto permanente in ſeculum ſeculi, quo cauemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus? Et ideo ſi hoc modo omnia ſimul crucifixa ſunt membra, & deſtructum*

Digitized by Google

eſt in nobis omne opus peccati, & caro quaſi pendens in cruce ſeculi, & deſideriis extincta atque mortificata, nihil aduerſum Dei præcepta in ſeculo concupiſcit. Ita Claud. In quo certè vera apparet de peccato victoria, cum non modò non committitur, ſed nec opus eius deſideratur. *Hoc ſcientes*, inquit S. Paulus, *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato.* Rom. 8. Et paulò poſt: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius; ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Ita Apoſtolus. *Vetus homo noſter*, inquit Sedulius, *intelligendus eſt vita prior, quam duximus in peccatis, cuius finem & interitum facimus, vbi recipimus nobis fidem crucis Chriſti, per quam ita deſtruitur corpus peccati, vt membra noſtra, quæ ſeruiebant peccato, vltra ei non ſeruiant, ſed Deo.* Ita Sedulius. O magna agni potentia! O inſignis de tam potenti hoſte victoria, quam per Chriſti gratiam obtinemus! Aliam etiam victoriam obtinemus de morte, per mortis contemptum, ob ſpem certam futuræ reſurrectionis. Qui enim Chriſto credit, mortem verè contemnit. Sapienter Cyprianus, de mortalitate, dixit: *Regnum Dei: fratres dilectiſſimi, eſſe cæpit in proximo. Præmium vitæ, & gaudium ſalutis æternæ, & perpetua lætitia, & poſſeſſio paradiſi nuper amiſſa, mundo tranſeunte, iam veniunt: iam terrenis cæleſtia, & magna paruis, & caducis æterna ſuccedunt. Quis hic anxietatis, & ſollicitudinis locus eſt? Quis inter hæc trepidus & mæſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? Eius eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire. Eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim iuſtum ex fide viuere. Si iuſtus es, & fide viuis, ſi verè in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris amplectens, & quod diabolo careas gratulans?* Ita Cyp. Et paulo poſt: *Mori planè timeat, ſed qui ex aquâ & ſpiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur. Mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit. Mori timeat, quem de ſeculo recedentem, perennibus pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, hoc eſt, multi ex noſtris de ſeculo liberantur.* Ita Cypr. Contemnenda igitur mors Chriſto credentibus, quia, vt ipſe Cyprianus ait paulo poſt, *quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contingerit exire. Non eſt exitus iſte ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus, &c.* Ita Cypr. At non modò mors contemnenda, quia via eſt ad Chriſti regnum: ſed quia corpus, quod morte corrumpitur, reſurget in gloria; ipſo Apoſtolo teſte. *Nam ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* 1. ad Corinth. 15. Qui denique poſtquam fusè de reſurrectione mortuorum diſſeruit, tunc ait: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.* 1. ad Corinth. 15. Virtus igitur illa Chriſti, qua & peccatum & mortem deuicit, ſunt duo cornua agni, qui in cruce moriens vtrumque deſtruxit.

At, inquies, prudentia carnis poteſtne habere duo cornua ſimilia? Habet ſuo modo: nam extingui- A tur in anima carnali peccatum, dum obruitur ſynderesis, multitudine peccatorum; ita ut anima inſenſibilitate quadam laboret, & licèt quotidie accumulet peccata, peccare ſe non animaduertit. Quem infelicem & periculoſum animæ ſtatum agnouit S. Baſilius, interrogatione 301. ſcilicet. *Quod ſi quis dixerit: conſcientia me non reprehendit?* Ad quam ita reſpondet Baſilius: *Hoc accidit etiam in morbis corporis. Siquidem multi ſunt morbi, quos non ſentiunt qui in illis ſunt. Veruntamen maiorem ij adhibent fidem Medicorum peritiæ, quàm ſuo ipſorum ſtupori. Similiter etiam in morbis animi, peccatis videlicet, licèt quis ſeipſum non reprehendat, quod peccatum ſuum non ſentiat, tamen adhibere fidem iis debet, qui res eius peruidere* B *meliùs poſſunt quàm ipſe.* Ita Baſil. Hanc inſenſibilitatem pertimeſcebat Dauid, qui toto corde ad Deum clamabat: *Illumina oculos meos; ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: præualui aduerſus eum.* Pſalm. 12. *Et quid petis*, inquit S. Chryſoſt. in hunc Pſalmum, *vt vincas inimicos? Non hoc dicit, ſed vt illuminentur oculi cordis, vt expellantur tenebræ, quæ ſunt offuſæ perſpicaci animæ facultati, & intelligentiæ oculum obſcurarunt. Hoc peto: illumina oculos meos, nequando dicat inimicus meus, cum me viderit deturbatum ad mortem peccati: Ita præualui aduerſus eum, ipſum ſuperaui: quod volebam videre, hoc mihi accidit.* Et paulo poſt: *Aufer grauem ſomnum in peccatis meis, quo ſopitus propemodum, ad animæ mortem dormitando ſopitus ſum, &c.* C Ita Chryſ. *Oculos cordis oportet intelligi, ne delectabili defectu peccati claudantur*, inquit S. Auguſt. *Obdormire in morte*, inquit Genebrard. *eſt ſecurè mori, citra Dei metum & cogitationem, &c. vt nihil pij cogites. Vnde ad verbum (dormiam mortem) Chaldæus, Ne forte peccem, & dormiam cum his qui meruerunt mortem, æternam ſcilicet.* Ita Genebrard. At cum peccatum vera ſit animæ mors, ille obdormit in morte, qui in ſtatu peccati mortiferi exiſtens, hoc non animaduertit, vt exſurgat à mortuis, & illuminetur à Chriſto. Hoc enim accidit ambulantibus in carne, quod euenit Babyloniis, qui ebrietate contracta in compotationibus cum Baltaſare Rege Babylonis, ſomno profundo correpti, è ſomno temporali ad ſomnum D perpetuum, Perſarum gladio tranſmiſſi ſunt. Vnde de iis dixit Ieremias c. 51. *In calore eorum ponam potus eorum: & inebriabo eos, vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit Dominus.* Sic amatores carnis, qui ſe voluptatibus ingurgitant, ita inebriantur, vt nullo modo ſentiant peccata quæ committunt; & aduenit repentina mors, qua fit vt æternam mortem infallibiliter incurrant. Hæc eſt illa vis infelix prudentiæ carnis, vt conſcientiæ ſtimulum obtundat, cuius eſt bonum inſtigare, & de malo obmurmurare, in quantum per prima principia operabilium, ſynderesis dictat quæ recta ſunt; & dum aliquid contra hoc lumen naturale agimus, tunc murmurat, iudicando hoc non E eſſe rationi conueniens. Sed cum mens alibi diſtrahitur, & affectu peccati obnubilatur, tunc occluditur ille oculus. Ad quod prudentia carnis homines propellit, ne aliquam ex remorſu conſcientiæ ſentiant moleſtiam. Nec mirum ſi mali peccata ſua non agnoſcant: nam & vix iuſti ea poſſunt aliquando diſcernere. Hinc clamabat Iob: *Quantas habeo iniquitates & peccata? Scelera mea & delicta oſtende mihi. Iuſte*, inquit S. Gregor. lib. 11. cap. 21. *in hac vita, iuſtorum labor eſt, vt ſemetipſos inueniant, & inuenientes, flendo atque corrigendo, ad meliora perducant.* Ita Gregor. Rationem reddit huius laboris ſanctiſſimus Doctor, dum addit: *Sed inter hæc inueniri neceſſe eſt quanta peregrinationis noſtræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, vt nos ipſos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen hoc celeriùs deprehendimus.*

vel perpetrata. Excluſa quippe mens à luce veritatis, nihil in ſe niſi tenebras inuenit; & plærumque in peccati foueam pedem porrigit & neſcit: quod nimirum de ſola exilij ſui cæcitate patitur, quia ab illuminatione Domini repulſa, & ſemetipſam videre perdidit, quæ autoris ſui faciem non amauit. Ita Gregor. Ille certè obuoluitur delicto, cui delicta placent; at ſicut qui faciem ſuam panno inuolueret, nec ſe, nec inuolucrum cerneret; ita qui peccatorum amore aut delectatione cooperiuntur, ea diſcernere non valent. Rectè S. Auguſt. in Pſ. 18. *Quis enim delicta intelligit? Si videntur tenebræ, intelliguntur delicta. Denique quando nos delicti pœnitet, in luce ſumus, nam quando quiſque ipſo delicto inuolutus eſt, quaſi obtenebratis opertiſque oculis non videt delictum: quia ſi tibi tegatur & carnis oculus, nec aliud vides, nec hoc vnde tegitur vides.* Ita Auguſt.

Itaque tollit peccatum gratia Chriſti: quia ab eo culpa remittitur, aufertur macula, reatus diluitur, pœna euacuatur, affectus tollitur. At prudentia carnis tollit peccata, quia nulla agnoſcit peccata: Et ne aliquid moleſtum ſentiat, à diſcuſſione operum ſuorum abſtinet; cumque legi Dei non ſit ſubiecta (nec enim poteſt) nullamque admittat legem cui pareat, & peccatum ſit quod eſt dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei, mirum non eſt ſi dicamus prudentiam carnis imitari virtutem agni, qui aufert & tollit peccata. Prodigioſa certè prudentiæ carnis vis, quæ ita obnubilet lumen mentis, vt ſeipſam diſcernere non valeat. Hæc eſt prima illa virtutis ſimilis virtuti agni. Ad ſecundam tranſeamus.

Contemnunt mortem amatores carnis & mundi, multis modis; ſiue quia ita viuunt ac ſi nunquam eſſent morituri, nec recordantur finis ſui; ſiue quia exiſtimant nihil reſtare poſt mortem: vnde prudenter ſe agere arbitrantur, ſi præſentibus largius & liberiùs fruantur; ſiue denique, vt Mahumetani, quia ſperant ſe conſecuturos poſt mortem maiora carnis oblectamenta, mulierum copiam, vini flumina, ac cætera talia ſomniant, eamque non à Dei arbitrio pendere, itaut poſſit vitam vel producere, vel decurtare, ſed fato ſe exiſtimant extinguendos, vnde irruunt abſque vllo timore in quælibet pericula mortis.

Et reuera de quacumque anima in delitiis agente dicere poſſumus, quod olim de Hieruſalem dixit Ieremias, Thren. 1. *Nec recordata eſt finis ſui.* Nam ſicut in puerperio defluit ſanguis ad pedes, & apparent ſordes puerperæ in pedibus eius: ſic ex mentis fornicatione, cum erroribus variis defluunt ſordes in affectibus voluntatis, vt in peccati ſolum malitia delectetur, qui his adhæret erroribus. At in erroribus & affectibus prauis immorantur præcipuè, quia non recordantur finis ac iudiciorum Dei. Hoc viuis coloribus depingit Iob. c. 21. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? Et quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum? Veruntamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium eorum longè ſit à me. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris ſui, erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit.* Ita Iob. Exemplum habes in illo diuite, Luc 12. qui dum ad lætitiam ſe parat ex copia bonorum, ſpe ſua fruſtratus confeſtim moritur. *Anima*, dicebat ille, *habes multa bona poſita in annos plurimos. Requieſce: comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Diues*, inquit Cyrillus, apud S. Thomam, in Catena, *igitur non parat permanentia horrea, ſed caduca, & quod ſtultius eſt, vitæ longitudinem ſibi taxat. Sequitur enim: Et dicam animæ meæ: Anima, &c. Sed, ô diues, fructus quidem habes in horreis, ſed annos plurimos vnde poteris obtinere?* Idem Athanaſius ibidem in Catena: *Si quis autem ſic viuat, quaſi quotidie moriturus, eo quod incerta eſt naturaliter vita noſtra, non peccabit. Semper enim maior timor plurimum voluptatis diſſoluit. Sed è contrario diues longæuitatem ſibi repromittens, ad voluptates adſpirat. Sequitur: Requieſce, ſcilicet à labore. Comede, bibe, epulare, magno ſcilicet apparatu, &c.* Hac ratione contemnunt mortem, qui de morte minimè cogitant, nec recordantur finis ſui.

Sed & alia ratione etiam in mortis contemptum incidunt amatores mundi, dum prudenter ſe agere arbitrantur ſi præſentibus vtuntur liberiùs, quia nec futura ſperant bona, nec mala futura eſſe arbitrantur, quæ pertimeſcere debeant. De his Iſaias c. 22. *Et vocabit Dominus Deus ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere & bibere vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* At quantum hæc Deo diſpliceant oſtendit Propheta, dum addit: *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Et reuera nihil tam pietati ac bonis moribus contrarium, quàm deſperatio futurorum. *Si*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. *ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt.* Ac ſi diceret, iuxta Sedulium: *Si nihil remunerationis à Deo pro hoc certamine ſpero, pugnando contra beſtias, id eſt hæreticos & ſanos homines, an vt hominibus placerem? Manducemus, addit Apoſtolus: cras enim moriemur. Nolite ſeduci. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Increpat*, inquit Sedulius, *exemplo Prophetæ gulæ deditos deſperatione futurorum.* Ita Sedul. *Dixerunt* enim, vt eſt apud ſapientem c. 2. *cogitantes apud ſe non rectè: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus, &c.* Vnde tandem dicunt: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra: nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Hi hanc vſurpant parœmiam comicorum vt teſtatur Chryſoſt. Conc. 1. de Lazaro, *Vnum pro vno extitit, ſin autem nihil omnino ſit, duo pro nullo.* Ac ſi dicerent: Si quæ de bonis futuris vera ſunt, pares ſumus, nos enim præſentia habebimus, vos futura. Si autem hæc vera non ſunt, duo pro nullo: duo nobis commoda obueniunt: nam nunc bonis fruimur, & in futuro nulla mala timemus, quia nulla ſunt; vos autem hic pœnis cruciati, & variis agitati turbinibus, nulla tantorum laborum vobis manet merces, ſicque nullorum bonorum fruitio vobis contingit: quia nec in vita, nec poſt mortem, vlla contingunt. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* At inquit Chryſoſt. *Ne dixerimus de diuitibus hîc improbè viuentibus, & de illic felicitate fruentibus, quod vnum ſit vnum, ſed quod duo ſint nihil: quandoquidem iuſtis, & ea quæ illic ſunt, & ea quæ hîc ſunt, multam præbent voluptatem; qui verò ſibi per fraudem, quæ non oportet vſurparunt, tunc illic puniuntur, tunc hic diſcruciantur expectatione ſupplicij illis futuri.* Ita Chryſ. Qui iuſtis & in hac vita & in fu-

tura tribuit voluptatem; quia licèt multas tribulationes pati cogantur (vnde ſi non adeſſet eis ſpes reſurrectionis & gloriæ, eos miſerabiliores dicit Apoſtolus omnibus hominibus) tamen quia ſuperabundant gaudio in omni tribulatione, vt idem Apoſtolus, poſſunt dici & hîc & in futuro multa frui voluptate.

At dum auferuntur (vt plerumque fit) à facie impij; Dei iudicia, contemnit mortem, nec poſt mortem vlla pertimeſcit ſupplicia. Vides hac ratione quemadmodum prudentia carnis, agni virtutem peruersè æmulatur? Agni virtus eſt vt mortem non timeamus, ob ſpem reſurrectionis & gloriæ; hæc facit vt eam non horreamus, quia nulla poſt eam mala ineſſe exiſtimamus, aut inani ſpe deliciarum corporis paſcimur, vt Mahumetani: quo fit vt hæc prudentia fortitudinem quamdam animi præ ſe ferat, quæ tantùm eſt fucata, non vera animi virtus.

Hæc prudentia loquitur ſicut draco: quia mendaciter loquitur. *Deus bone!* inquit Ennodius, lib. 1. Epiſt. 1. Ioann. de tali lingua verba faciens, *in quantos ſe vſus diues lingua diſpergit? Cum voluerit, ſæuit vt beſtia, currit vt fluuius, fluctuat vt profundum, & quamcumque fucatis verborum imaginibus pingit ſpeciem, veri adſtipulatione repræſentat.* Ita Ennod. Hoc facit maximè, cum certam & longam repromittit vitam. Quid enim fallacius? Cum gaudendum ſibi eſſe exiſtimat, quia nulla ſperanda ſunt bona poſt vitam, aut timenda ſupplicia. Quid enim mendacius? Cum in voluptatibus corporis beatitudinem conſiſtere exiſtimat. Quid enim turpius aut ſtolidius? Cum fortiter ſe agere putat, periculis ſeſe exponendo imprudenter, ac ſi fato cuncta regerentur, non Dei prouidentia. Quid enim magis ſtultum aut impium?

Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Et fecit terram & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.

Quomodo prudentia carnis malitiæ peccati faueat, & auxilium ſuppeditet? §. 2.

Prudentia, quæ eſt vera virtus, & quæ ſedem habet in ratione, practica virtus eſt, qua matura & diligenti conſideratione rerum præteritarum, præſentium & futurarum, perſpicitur, & præuidetur, iudicatur, ac determinatur ſollicitè quid in vnaquaque re præcipuum ſit & magis amplectendum; & cum ſagacitate ac vigilantia opportunè præcipit quæ ſint eligenda aut rejicienda, in quocumque honeſto negotio, ſeruato ordine, proportione, ac conuenientia mediorum cum fine. Quidquid ſiquidem habet mens in ratione ſpeculatiua cognitionis, totum illud ratio practica impendit ac inſumit, prout occaſio exigit, vt res proſperè ſuccedat: Eſt enim prudentia recta ratio circa agibilia. Ad illius veræ prudentiæ imitationem, prudentia carnis rationem practicam mentis totam ſibi vſurpat, vt illa vtatur ad attentè perſpiciendum quid carni faueat, aut eidem noceat. Præuidet, iudicat ac imperat quidquid præcipiendum eſſe exiſtimat, vt carnis voluptatibus conſulat, & ab ea amoueat quidquid moleſtum aut incommodum eſſe carni perſenſerit, quod ſubtiliter indagatur, & ſagaciter adinuenit, omnem ſcientiam & cognitionem ita opportunè inſumens, vt fini, quem ſibi præſcripſerit, aſſequendo inſeruiat. Et ſicut ad veram pertinet prudentiam media neceſſaria prouidere, ac diſponere, vt finis

A obtineatur; ita hæc prudentia carnis, velut organum obſtinationis, & voluntatis in malitia induratæ peccatoris (quæ Dei locum ſibi vendicans omnem ſuam induſtriam, omneſque curas inſumit, vt cultum illius impediat) varia excogitat media, quibus Dei cultus impediatur. Nouit enim hæc prudentia diabolica menti ſuggerere varia rebellionis media, variaſque agendi rationes, quibus Dei mandata conculcentur & transgrediantur: qua de cauſa dicitur facere poteſtatem primæ beſtiæ: qua & ſagaciter inuenit, & fideliter exequitur quidquid neceſſarium eſt, vt deprauata intentio animæ peccatricis, qua Deo contradicere audet, adimpleatur. Inſuper dicitur ea facere in conſpectu beſtiæ: B ex eo quod omnes carnis adinuentiones peſſimæ, omnes appetituum carnalium inſultus, omnes paſſionum animi motus, & ſenſuum interiorum ac exteriorum titillationes, in tali anima non exiſtunt ex improuiſo, ſed ad omnia fertur cum plena & integra rationis aduertentia: cuius intentio, cum ſit corrupta & peruerſa, pleno & libero conſenſu ad malum currit, & omnes vires ac facultates ſuas adhibet, vt Deus quacumque ratione offendatur aſſiduè. Hoc modo Satan obtinuit quidquid volebat. Nam cum ardenter concupiſcat vt ſub iugo iniquitatis captiuemur, hac prudentia carnis fit vt homines adhibeant tum omnes animales facultates, quæ directionis ac imperij rationis C capaces aliquatenus ſunt; tum cæteras animi vires, vt ſeruiant iniquitati & iniuſtitiæ: & ſic adorant *Beſtiam primam, cuius plaga mortis curata eſt*, dum nulla diuinarum legum habetur ratio, & rectæ rationis vſus extinctus eſt. Hac enim ratione fit vt prudentia carnis iudicet liberum ſibi eſſe omnes carnis voluptates menti ſuggerere, quia nihil eſt quo impediatur ne caro fruatur quibuſlibet concupitis, ablata omnium legum ac iudiciorum Dei formidine.

Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram, in conſpectu hominum: & ſeduxit habitantes in terra, propter D *ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij & vixit.*

Quænam ſalutis impedimenta & obſtacula obueniant ex prudentia carnis? §. 3.

Impietate in altum poſita, dum omnes illam ſuſpiciunt, & laudi imputatur quod iniquè geritur, non mirum ſi multa detrimenta virtuti ac ſaluti fidelium obueniunt ex prudentia carnis. Plurimi etenim (quorum in cælis erat antea conuerſatio, in E quibus ignis charitatis inhabitabat, quorum corda flammea in cælum ſemper adſpirabant) è tam ſublimi gradu ceciderunt, dum multitudine impiorum obruti ad aliorum mores ſeſe conformandos eſſe neceſſarium duxerunt, vt iura ſua tueri valerent. Vident cunctos quæ ſua ſunt quærere; audiunt cunctos laudibus extollere eos, qui malis artibus, diuitiis cumulandis occupantur. Vident illos beatos prædicari, quibus licet delitiis ac voluptatibus carnis potiri ad libitum. Prouocantur, inuitantur ad ſimilia; ne ſtolidi, ne ſtupidi habeantur ab omnibus. Quis inter tot laqueos euaderet non irretitus? Qui tot tentationes ſuperare poſſet? Si in eo minima quædam remaneat proprij amoris ſcintilla, accendetur proculdubio inſtigante diabolo, mundo ſuadente, carne ſibi adblandiente. Quo fit vt non

Digitized by Google

tantum viſa fuerint crimina prodigioſa, in his qui in peccatis aſſueſcunt, ſed etiam viſi fuerint, in quibus Dei timor & amor vigebant, è ſtatu iuſtitiæ deturbari, vt cum cæteris præcipites agantur in varia peccata, terrena concupiſcentes, & quæ carnis ſunt ſectantes.

Certè ſigna & portenta ſunt iſta crimina ob atrocitatem: ſigna & portenta ſunt etiam lapſus inſignes eorum, qui Deo ingrati à iuſtitia excidunt, vt mundo & carni obſequantur. *In duobus*, inquit ſapiens Eccleſiaſt. c. 26. *contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus, & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum. Deus parauit eum ad romphæam* Et ne dicas hoc non eſſe prodigioſum. Ecce Ieremias, 2. c. clamat tanquam de portento: *Obſtupeſcite cæli, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Quod ſi illi, quibus veritas innotuerat, qui pietatis opera exercuerant quamplurima, propter quamdam occultam ſuperbiam aut ingratitudinem, ſeducuntur, & in peccata incidunt, contagio mortiferæ conuerſationis cum amatoribus mundi ad hanc dementiam adducti, (*Qui enim tetigerit picem, coinquinabitur ab ea; & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Eccleſiaſtic. 13.) non mirum ſi habitantes in terra, id eſt, qui terrena ſapiunt, terrena quærunt, ſeducuntur, dum eos extolli laudibus perſpiciunt, qui grauiora committunt crimina, dum qui probi habebantur, æqui bonique amatores cenſebantur, qui prudentiores & cautiores in populis videbantur, nefandas actiones perpetrare non dubitant, exemplo aliorum inducti. Rudiores ſiquidem nunquam exiſtimabunt ſibi aliâ viâ eſſe incedendum, quàm ea in qua ambulant nobiliores, potentiores, ſapientiores, doctiores, quos vident plena & perfecta mentis deliberatione hæc aut illa mala perpetrare; quamuis prudentiâ tantùm carnis præditi ſint, non supernâ, quæ rationibus æternis innititur, & ex his & finem eligit honeſtum, & media conuenientia aſſumit ad eum aſſequendum. Hæc ſunt portenta prudentiæ carnis, atrociora ſuadere crimina, vt ſpes omnis abſtrahatur pacis ac concordiæ cum bonis. Tale fuit nefandum crimen Abſalonis, ex conſilio Achitophel, qui ingreſſus eſt ad concubinas patris coram vniuerſo Iſraël: *Vt cum audierit omnis Iſraël*, dicebat Achitophel, *quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum*, 2. Reg. c. 16. Talia inquam ſunt rurſus portenta prudentiæ, carnis ſanctiores & doctiores aliquando ſeducere & allicere, itaut rudiores talia deinceps perpetrare non recuſent.

At dices: Quanam ratione prudentia carnis tantam ſibi conciliabit autoritatem? Hoc proculdubio fiet, quia quæ ſuggerit crimina, proponet tanquam quædam axiomata tenenda ab his qui in mundo viuere volunt potentes & famoſi; leges obſeruandas amatoribus terrenorum inculcabit, quas obſeruare tenebuntur, niſi maluerint ab omnibus negligi, contemni, & tanquam rudes ac ſtolidi, & inutiles à cunctis haberi. Sic quæ horrorem incutere deberent, nec cogitatione in animo verſanda, facilè perpetrant, vt ſunt homicidia, latrocinia, calumniæ. Dicent leges illæ peſſimæ, veræ imagines animæ in malis obduratæ: Cunctos deſpice, cunctis temetipſum ſuperiorem attende; quamuis homo ſit puluis ac cinis, quamuis hac lege, Chriſti legem negligat, qui dixit: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris.* Inani gloria elati dicent ſecundum iſtas leges: Age bo- A num quod vales, oſtende cunctis bonum quod agis, vt bonus à cunctis dicaris, vt nemo te contemnat; contra Chriſti mandatum dicentis: *Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Quibus conuenit quæ de hypocritis dicit: *Omnia opera ſua faciunt vt beatificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Simulantes Religionem dicunt: Quia nihil boni in abſcondito facis, ne à cunctis cognitus deteſteris finge te foris eſſe quod intus non appetis. Imo magis reſpondebit vera religio: Satage eſſe quod non es: nam oſtendere te hominibus quod non es, quid aliud quàm damnatio eſt? Verè Phariſæis ſunt ſimiles, quos reprehendit Chriſtus Matt. 23. & eos ſepulchris dealbatis comparat, *quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena* B *ſunt oſſibus mortuorum, & ſpurcitia.* Dicent illæ leges: Quis tu, vt peioribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? Te magis quàm illos decuerat imperare, qui tibi non poſſunt ingenio vel induſtria coæquari; contra Chriſti præceptum & exemplum docentis: *Qui vult in vobis maior eſſe, erit omnium ſeruus; ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare pro multis in redemptionem.* Et reuera cum non ſit poteſtas niſi à Deo, illi debetur ſubiectio, tales quales volueris exiſtant, quibus à Deo confertur autoritas. Inuidiâ tabidi dicent: In quo illo vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel ſuperior non es? Quanta vales ipſe, C quæ ipſi non valent? Quamuis charitas & dilectio, quæ à Chriſto præcipitur, non æmuletur nec agat perperam, & congaudeat veritati. Abſit, dicent hi, qui odium contra proximum concipiunt, abſit vt illum ames, quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi inſultat, qui te iniuriis exaſperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, operibus, honoribus ſemper præire feſtinat: niſi enim tibi inuideret, nequaquam ſe tibi ita præferret; Contra charitatis præceptum quo *diligere etiam inimicos iubemur.* Ventris ingluuies dicit: Ad eſum Deus omnia munda condidit, & qui ſaturari cibo reſpuit, quid aliud quàm muneri conceſſo cedit? Et ſic agit contra Chriſti monitum: *Attendite,* D *ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Alias vitiorum leges cum remediis lege in libello de conflictu vitiorum & virtutum, tract. 19. in appendice, inter opera Auguſt. tom. 9. Hi ſunt qui in omnibus quærunt quæ ſua ſunt, qui nullam occaſionem prætermittunt genio indulgendi. Eos iam audiuimus ſeipſos prouocantes, *Vino pretioſo & vnguento nos impleamus. Quatenus*, inquit Dionyſ. in 2. ſapientiæ, *ſinguli ſenſus noſtri delectationibus vtantur obiectorum ſuorum: adoleſcentiam ſeu iuuentutem noſtræ durationis non expendamus abſque abundantia voluptatum: vbique relinquamus ſigna lætitiæ. Denique tanquam lex, quam tranſgredi non liceat, illam iniquam conſtituunt, vt ſola infirmitas ſeu impotentia modos & terminos præſcribat cu-* E *piditatibus ſuis; illudque omne iuſtum exiſtiment, quod præſtare poſſunt, etiam ſi aliis hoc ſit iniurioſum & noxium. Opprimamus, inquiunt, pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. Ac ſi dicerent: Sola ſit nobis lex iuſta, vt videamus an hoc aut illud ſit nobis poſſibile: nam ſi poſſibile ſit, quamuis proximo iniurioſum, hoc totum erit iuſtum. Quod enim infirmum eſt inutile inuenitur. Inutile iudicamus ſuccumbere, impotentioremque eſſe ac ſubjici; dominari verò & præualere reputamus beatum*, inquit Dionyſ. in 2. Sap.

Hæ leges mundanæ ac prudentiæ carnis dici poſſunt beſtiæ imago. Etenim peccati malitia cernitur quaſi in imagine depicta in his legibus nequiſſimis, quæ impudicitiam, iniuſtitiam, ſæuitiem, impietatem inculcant. Itaque dum prudentia carnis his

& ſimilibus

Digitized by Google

& ſimilibus iniquitatibus autoritatem ſibi conciliare A nititur, vi ac virtute talium axiomatum, ac legum huiuſmodi, aut morum peruerſorum, qui à cunctis obſeruantur, hoc agit vt proponat videlicet hominibus qui habitant in terra (qui timorem Dei abiecerunt, propter terrenorum amorem) vt faciant imaginem beſtiæ, quæ gladio verbi diuini percuſſa in mortem, vires tamen reſumpſit dum cuilibet ad libitum viuere permittitur, & malum impunè graſſatur. In his ſiquidem, qui politicè tantùm viuunt; & pietatem Chriſtianam paruipendunt, vt nunc ſe gubernant Angli, beſtia vitam recuperat; dum omnes actiones eorum ad hoc tendunt, vt habeant quæ ſua ſunt, vel ſua eſſe concupiſcunt, & quæ in aliorum damnum vſurpare attentant, & vt delectationibus carnis liberè fruantur. Hinc aſtutiæ, circumuentiones, doli, fraudes, fallaciæ, ſiue in verbis, ſiue in actionibus, etiam ſi ex his vita & ſalus proximi periclitetur.

Et datum eſt illi vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ, & faciat vt quicumque non adorauerit imaginem beſtiæ occidatur.

Diabolo inſtigante, rationes inuenit prudentia carnis, quibus perſuadeat leges iniquas malitiæ peccati eſſe ſeruandas, etiam ſub pœna mortis. §. 4.

Et datum eſt illi (Ex dono agnoſce datorem, ſi beſtia malignitatem peccatorum deſignat) facere vt leges peſſimas ad peccatum inducentes vitam obtineant. Quis hoc facere poteſt niſi diabolus, per quem peccatum introiuit in mundum, dum eo inſtigante fuit primò commiſſum? *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat.* 1. Ioan 3. qui Euam decepit & ſeduxit, qua ſuadente Adam peccauit; Dei præceptum tranſgrediendo. Cum igitur hic dicit: Et datum eſt illi beſtiæ è terra aſcendenti, *vt daret ſpiritum imagini beſtiæ* è mari aſcendenti, certè à nullo alio datur hæc poteſtas quàm à diabolo totius mali fonte. Et reuera leges illæ peruerſæ mundanorum nullam impreſſionem facerent in mentibus, niſi Satanas ſuis inſtigationibus prudentiæ carnis faueret, eique media ſuggereret, quibus ad ſcopum perueniat. Rem altiùs repetamus.

Qui ſpiritu Dei aguntur, dicit Apoſtolus Rom. 8. *ij ſunt filij Dei.* In hoc ſpiritu adoptionis filiorum clamamus: *Abba pater. Ipſe enim*, addit Apoſtolus, *ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes*, &c. *Si recedat ſpiritus ille Dei, pondere ſuo ſpiritus hominis reuoluitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiſcentias carnales*, inquit S. Auguſt. ſerm. 6. de verbis Apoſtoli. *Si quis igitur ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Eſto itaque, adiuuante ipſius miſericordia, ſpiritum Chriſti habeamus, quia non noſtris viribus illum habemus (egena ſiquidem & vitiata natura, quæ in Adamo ſana ſtare non potuit, ſuis viribus ſurgere non poteſt, ſed adiuuante Dei miſericordia ſpiritum Chriſti recipit, dum Chriſtum ſcilicet in baptiſmo induit.) At quomodo dignoſcimus nos hoc ſpiritu agi, eumque in nobis ineſſe demonſtramus? Ex duobus: ex ipſa dilectione iuſtitiæ, & ex integra, id eſt, Catholica fide. *Ex ipſa dilectione*, inquit Auguſt. *iuſtitiæ, integra fide, Catholica fide, ſpiritum Dei nobis ineſſe cognoſcimus.* Aug. Si igitur abeſt dilectio iuſtitiæ; ſi exulat fides integra, iam ſatis perſpicuum eſt ſpiritum Dei in nobis eſſe extinctum; quia ex dilectione iuſtitiæ, & integritate fidei dignoſcitur. Tamen licèt ille ſpiritus ſit extinctus, quædam diligit homo, multa in mente reuoluit, ad hæc aut illa conſequenda mouetur. Quonam, quæſo, igitur tunc agitatur ſpiritu, qui à Dei ſpiritu non agitatur? Certè ſpiritu contrario ſpiritui Dei, ſpiritu ſatanico, quo ij qui imaginem portant beſtiæ, id eſt, qui omnes peſſimas leges mundi fideliter ſeruant, eiſque ſuas actiones conformare ſtudent, animantur; dum inſtigante diabolo media inueniunt, quibus poſſunt ea conſequi, quæ iniquè concupiſcunt; dum ſagacitate quadam diabolica falſas ac fucatas rationes adinueniunt; quibus perſuadere B poſſint has leges, quæ imaginem malitiæ peccati præ ſe ferunt, ſtudioſè eſſe ſeruandas, hoc vel illo colore ſeu prætextu; quia videlicet plurimam adducunt vtilitatem, quia commodis inſeruiunt, quia dignitates ac honores conciliant, quia carni & ſenſibus blandiuntur. Has proculdubio rationes adinuenire & excogitare, eſt dare ſpiritum imagini beſtiæ: nam cum rectæ rationi contradicant, non admitterentur, niſi ſub ſpecie boni cuiuſdam apparentis proponerentur. Datur igitur à diabolo prudentiæ carnis vt det ſpiritum imagini beſtiæ, id eſt, vt inueniat rationes & argumenta, quibus leges iniquas mundi obſeruandas eſſe perſuadeat.

Et reuera anima beſtialis in malitia peccati obdurata, propter inordinatum ſui ipſius amorem, finem vltimum in fruitione carnalium conſtituens, omnes C leges diuinas & humanas conculcans, leges ſibi præſcribit & axiomata quædam indoli ſuæ conformia. Si igitur prudentia carnis per rationes à ſatana ſeu diabolo inſtigatas, ſuadere nititur vt hæ leges admittantur, certè dat ſpiritum imagini, dum has aut illas rationes mundani adducunt ex prudentia carnis, propter quas ſuas actiones ad normam iſtarum legum perficiunt. Exemplum ſit familiare: Leges ſingularis certaminis legibus diuinis & humanis contrariæ nonne ita inualuerunt, vt ad eas potius attendatur, quàm ad ea quæ à Deo, ab Eccleſia, à principibus & magiſtratibus, contra tam perniciosum ſaluti animarum & reipublicæ incolumitati facinus ſtatuuntur? Quid dicam de legibus D irridendis compotantium, quibus tamen, ſi non gladio, dulci tamen veneno, non tantum animæ ſed etiam corpora plærumque perimuntur? Etenim ſicut lex naturæ nihil aliud eſt quàm quædam participatio diuinæ legis, & impreſſio diuini luminis, de quo dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, dediſti lætitiam in corde meo*: qua quidem ratione ſimiles reddimur ſupremæ & æternæ rationi ſapientiæ diuinæ, quæ mundum hunc regit ac gubernat; pari ratione leges mundi ſuſceptæ & admiſſæ in mentibus terrena ſectantibus, quædam ſunt impreſſiones & determinationes mentis ad malum paratiſſimæ, quibus ſi alij & cogitationes & determinationes ſuas conformare ſtudeant, certè E imaginem beſtiæ, id eſt, animæ peruerſæ, gerere optimo iure dicuntur, maximè quia has leges non admittunt, nec in eis alia via aut ratione hæ determinationes generantur, quàm per mundanorum perſuaſiones. Sicut igitur per verbum Dei annunciatum generari dicimus, & eis, quæ nobis annunciantur, fidem adhibentes, illorum imaginem in nobis retinemus; ita dum iis, quæ ab impiis & amatoribus mundi proponuntur, credimus, eorumque leges approbamus, ipſorum imaginem in nobis exprimimus; & ita tam ex conformitate voluntatum, per odium iuſtitiæ, & adhæſionem ad varios errores fidei integritatem dilacerantes, quàm quia actiones noſtras ad legum iſtarum regulam perficimus, facimus imaginem beſtiæ: cui ſpiritum dat prudentia carnis, cum inſtigante diabolo argumenta me-

Digitized by Google

ditatur & proponit, quibus mens ſibi perſuadeat A has leges ſtudioſiſſimè eſſe cuilibet ſeruandas.

Loquitur autem imago beſtiæ, dum ille præſtigiator & homo peruerſus has rationes ſeu hæc argumenta non modo concipit ex fœtu diabolico (eſt enim filius diaboli, qui pater eſt mendacij, quia eius ſpiritu agitur, dum mendacia & errores ſerit in mentes auditorum) ſed illa cum ornatu & lenocinio verborum proponere non dubitat. Quomodo autem loquatur imago beſtiæ, id eſt, homo, qui in ſe admiſit peruerſas leges malitiæ peccati, fuſè docet ſanctus Petrus 2. c. 2. *Fuerunt verò*, inquit, *& Pſeudo-Prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem.* B *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Et poſtea: *Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritiâ habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam errauerunt, &c.* Denique addit S. Petrus: *Superba, vanitatis loquentes pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Certè in his verbis ſancti Petri depictam habemus loquelam eius qui ſuos ſermones conformat legibus mundanis, à diabolo & malitiæ peccati inuectis, vt perſuadeat ſuis ſermonibus aliis vt actiones ſuas ad normam illarum legum adimpleant. C

Sed dum perſuaſione non contentus, vim adhibet malitiæ, peccati fautor & propugnator, & vi ac violentia facit vt leges iſtæ admittantur & obſeruantur, tunc reuera datur illi vt faciat *vt quicumque non adorauerint*, id eſt, cum honore non ſuſceperint iſtas leges, *occidantur*. Huius rei veritatem clarè perſpicies, ſi in memoriam reuoces ea quæ facta fuere in Anglia, vbi malitia peccati multas leges introduxit pietati ac religioni contrarias, quas prudentes prudentiâ carnis politici illius regni obſeruari volunt cum tanto rigore, vt mori neceſſe ſit & occidi crudeliter ſi tranſgrediantor. D Sic Chriſtus occiſus fuit à Phariſæis, quorum ſuaſu plebs conclamauit: *Crucifige, crucifige eum*; & eum reum eſſe mortis declararunt apud Pilatum, quia filium Dei ſe faceret: vnde *adiudicauit fieri petitionem eorum*, quia videlicet leges eorum non modò non admittebat, ſed ſeuerè & rigidè arguebat, Matt. 23. eos & ſtultos & cæcos nuncupando. Deinde aiebat Chriſtus: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Matt. 15. Cogitationes illorum etiam vt malas condemnabat: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Ad hæc quid illi faciunt? Eius mortem meditantur; & quia non adorabat imaginem beſtiæ, id eſt, non ſuſcipiebat nec approbabat leges, quas ipſi introduxerant in fauorem auaritiæ ſuæ, & E ambitionis ſecularis, ideo audiuntur voces eorum Sap. 2. prophetico ſpiritu: *Circumueniamus ergo iuſtum: quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. Improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt etiam nobis ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius, &c. morte turpiſſima condemnemus eum, &c.*

Hæc & ſimilia fiunt ab amatoribus mundi, vt occidant eos, qui ſuis moribus prauiſſimis ac legibus ſeſe opponere ſtudent. Sic occiſus fuit S. Thomas Martyr Angliæ: quia leges libertati & immunitati Eccleſiæ contrarias admittere noluit. *Proſternite vos, & adorate ſtatuam quam feci*, clamabat Nabuchodonoſor Rex Babylonis, Daniel. 3. Subjicite vos & obedite legibus iniquis, quas adinuenit peccati malitia, ambitio, vindicta, cupiditas, inquit prudentia carnis. *Quod ſi non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis eſt Deus, qui vos eripiat de manu mea?* Hunc impium Regem, hanc diabolicam prudentiam imitantur, qui mortem minitantur iis qui iniquis legibus mundi obedire renuunt. Nihil aliud expectandum ab iis, qui in hoc omnem excellentiam ſuam collocant, vt videantur iuxta leges mundi ambulare, & exactè & ad amuſſim cuncta præſtare quæ mundi amatores magni faciunt, & omnia eius axiomata ſcire & obſeruare gloriantur, qui hominibus, non Deo, placere ſtudent; qui auram popularem ſequuntur, & nihil omittunt quo ſapientes & aſtuti appareant; qui nec Deum nec homines reuerentur, nec ſibi perſuadent, propter arrogantiam, quempiam reperiri qui eis in minimo repugnare & contradicere audeat: denique qui ab omni dilectione proximi alieni, tantùm ea, quæ ſua ſunt, ſtudioſo affectu inquirunt.

Et faciet omnes puſillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos, habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.

Quid character, quid nomen, quid numerus nominis? §. 5.

Antequam ad ſignificationem veniamus, diſcutiendum priùs quid intelligat S. Ioannes, per characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis?

Contendit Alcazar hîc, & pluribus rationibus probare nititur conſtructionem grammaticalem huius textus talem eſſe, ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem: ſiue ille character ſit nomen beſtiæ, ſiue ſit numerus nominis beſtiæ; ſicque characterem in præſenti à numero & nomine diſcriminari non vult. Hoc probat quod character omnibus imprimi debeat in dextera & in fronte, nec poſſe dici tria omnia ſigna omnibus pariter imprimenda, quia ſub diſtinctione dicitur: *Characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius*: quia ſi tantùm qui non acceperunt characterem beſtiæ in fronte aut in manu, regnare debent cum Chriſto, cap. 20. niſi character idem eſſet cum nomine & numero, regnare poſſent cũ Chriſto qui nomen haberent, aut numerum: quod videtur abſurdum; Tertiò, quia niſi character extendatur ad nomen, & numerum nominis, ſoli qui haberent characterem ſupplicio afficerentur, c. 14. v. g. & 11. Non videtur autem probabile eos qui habent nomen aut numerum pœnas effugere; 4. Quia χάραγμα idem eſt quod nota impreſſa: Siue ergo imprimatur in cute nomen, ſiue numerus, vtrumque propriè eſt character; Denique quia aliàs difficile eſt definire quid ſit character nominis à nomine ipſo diſtinctus. *Quod enim*, inquit Alcazar, *Ribera ait eſſe notam aliquam ipſius nominis, quæ nec literæ expreſſæ ſint, nec numerus, ſed mera nota, id ſane difficultati non ſatis ſatis: quippe nota illa nomen etiam eſt.* Hæ ſunt rationes Alcazaris, quibus contendit characterem à nomine & numero non diſtingui: Hoc videtur ſenſiſſe Beda, cum ait: *Character enim, id eſt nota & nomen beſtiæ, & numerus nominis eius, vnum eſt.* Ita Beda.

Dico tamen certiſſimum eſſe characterem vtrum-

Digitized by Google

que importare, & nomen, & numerum nominis; probabile tamen aliquid aliud eſſe à nomine & numero diſtinctum, itaut quicumque habuerit illum characterem, cenſeatur habere aut numerum, aut nomen. Hic autem character videtur eſſe imago beſtiæ, ad quam faciendam omnes habitantes in terra prouocantur, quam ſub pœna mortis omnes adorare cogentur. Nam ſtatim atque dixit: *Et faciat vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur*: dum addit: *Et faciet omnes puſillos, & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis*; videtur explicare qua ratione imago illa beſtiæ adorari debeat & honorari, nempe eam habendo impreſſam aut in fronte, aut in manu. Æmulabitur enim Anti-Chriſtus (quem præcipuè in beſtia marina deſignari aſſeruimus) quantùm in ſe erit Chriſti Domini maieſtatem, cuius ſignum in fronte ſuſcipimus, & quem in operibus ita imitari debemus, vt veraciter dicere valeamus: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus*; & qui pro ſigno erga eum dilectionis, requirit vt ponamus eum quaſi ſignaculum ſuper cor, & ſuper brachium, id eſt, affectu & opere illum imitari ſtudeamus. Cant. 8. At non contentus erit Anti Chriſtus vt ſui ſequaces illum affectu & opere ſequantur, ſed inſuper faſtu & arrogantia plenus ſuam imaginem ita reuereri exoptabit, vt omnes illam in fronte & in manu impreſſam habeant. Dum autem dicitur: *Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius*; his verbis docet S. Ioannes quod cum difficillimum eſſet vt omnes poſſent hanc imaginem in ſe effigiendam curare, ſatis erit, vt liberum ſit inter eos commercium & conuictus, ſi quis notam nominis beſtiæ, aut notam numeri nominis eius gerat, aut in manu, aut in fronte: itaut cenſeantur ſufficienter adorare imaginem Anti-Chriſti, dum notâ nominis ſui fuerint inſigniti, vel notâ numeri nominis eius: quamuis qui perfectiori modo illam imaginem adorabunt, ipſam reuera imaginem in ſe inurendam & imprimendam procurabunt. Dum igitur ait: *Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius*; idem videtur mihi eſſe ac ſi diceret: Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet imaginem beſtiæ in manu aut in fronte, aut ſaltem habeat nomen eius inſculptum pro imaginem, aut numerum nominis eius, loco imaginis aut nominis: vt pote qui faciliori negotio poſſit imprimi, quàm nomen aut imago. Hoc modo ſatis fit rationibus ab Alcazaro adductis: & character, & nomen, & numerus nominis, remanebunt aliquid diſtinctum.

Et aduerte non videri neceſſarium vt nota nominis ſit aliquod nomen. Poteſt enim ſignum aliquod eſſe, nomen indicans, quod ex præſcripto vſurpabitur, vt qui habuerint hoc ſignum cenſeantur nomen habere: ſicut ſignum (Tau) ſiue ſignum crucis, quamuis non ſit nomen, Chriſtum inter Chriſtianos repræſentat: veluti etiam ſtemmata Heroum ſeu nobilium, quæ imprimuntur armentis & gregibus equorum, boum & ouium. Credibile ſiquidem eſt quod Anti Chriſtus, qui ſupra quod credi poteſt ſuperbiâ intumeſcet, hoc requirat in ſignum perfectæ ſubiectionis, vt videlicet homines habeant talia ſigna in ſeipſis impreſſa, & ad ſe pertinere hoc ſigno proteſtentur, vt olim erant ſerui ſtigmatici, iuxta illud Martialis: *Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.* Venio ad ſignificationem.

De ſignificatione characteris, nominis, & numeri nominis. §. 6.

In omnibus actibus humanis tria conſiderari poſſunt, ratio agendi, actus externus, & intentio. Hac de cauſa,

Dico per characterem ſeu imaginem beſtiæ impreſſam, ſignificari rationem qua quis inducitur ad agendum; quæ in mente impiorum nihil aliud eſt, quàm illæ leges quas ſibi præſcribunt mundi amatores, licèt ſint impiæ, licèt peccati malitiam foueant, licèt proximis nociuæ, licèt nihil aliud ſpirent quàm obſcœnas carnis voluptates. Qui actiones ſuas exteriores ſecundum has leges perficiunt, habent imaginem beſtiæ in dextera manu ſua: Qui harum legum obſeruantiam publicè profitentur, aut eas proponunt aliis obſeruandas, hi illam habent in frontibus. Talis eſt illa lex, iuxta quam mundi amatores ambulant: quærendum cuilibet quod ſuum eſt. Quam legem Apoſtolus euellere ab animis nititur pluribus in locis. De eius obſeruatione conqueritur, Philip. 2. *Neminem habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit: omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti*: Illam prohibet, 1. ad Corinthios 10. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quæ alterius*: Talis erat ipſe. *Sine offenſione*, inquit ibidem, *eſtote Iudæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Charitas*, inquit rurſus Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *non eſt ambitioſa: non quærit quæ ſua ſunt.*

Hæc lex mundi maximè elucet in commercio. Nemo enim vendit, qui non exiſtimet ſibi commodum exinde obuenire. Nemo emit, qui non eadem ratione ad emptionem moueatur. Nullus liberalitati ac beneficentiæ locus relinquitur: ſola iſta lex viget: Da vt dem: niſi dederis, fruſtra à me auxilium emendicare prætendis, licèt in graui ac manifeſto vitæ diſcrimine iaceas, licèt tibi de facto mori contingat.

Dico ſecundò: Nomen ſignificat actionem pernicioſam, qua quis à Deo auertitur, quæ de ſe mala eſt, vel quia impia, vel quia iniuſta, vel quia obſcœna: quam dum exercet aliquis, animo quodam in malo obdurato, nec ab ea abſtinere vult, *is proculdubio nomen beſtiæ in manu, & in fronte inſcripſit*; inquit Proſper, in dimidio temporum c. 5. *in fronte & in manu, hoc eſt, non tantùm diaboli facta imitari, quantum & gloriam in malis eius operibus, vt ſub figura Chriſti Anti-Chriſti facta exerceant.*

Dico tertiò: per numerum nominis intelligo intentionem malam, qua quis vltimam finem in creatura ponit. Vnde licèt bona quædam perficere videatur, quia tamen malo fine ea perficit, dicitur habere numerum nominis, id eſt, quidquid per mala opera poſſidere poteſt. Aliquis malis artibus diuitias accumulat, aliquis ex vindicta ſibi gloriam comparat, ille habet nomen beſtiæ: quia beſtiæ actiones imitatur, illius rapacitatem & crudelitatem ſequens. At ſi quis per eleemoſynam gloriam captat, vel per quædam opera, quæ videntur exteriùs recta, ad ea quæ iniquè prætendit peruenit, ille habet numerum nominis. Ad hoc pertinet quod dixit Auguſt. lib. 20. de ciuit. c. 9. *Quod verò ſequitur: Et ſi qui non adorauerunt beſtiam, nec imaginem eius, nec acceperunt inſcriptionem in fronte & in manu ſua; ſimul de viuis ac mortuis debemus accipere. Quæ ſit porrò iſta beſtia, quamuis ſit diligentiùs inquirendum, non tamen abhorret à fide recta, vt ipſa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium, contrarius populo fideli & ciuitati Dei imago verò eius, ſimulatio eius mihi videtur,*

Digitized by Google

in eis videlicet hominibus, qui velut fidem profitentur, & infideliter viuunt; fingunt enim ſe eſſe quod non ſunt, vocanturque, non veraci effigie, ſed fallaci imagine, Chriſtiani. Ad eamdem namque beſtiam pertinent non ſolùm aperti inimici nominis Chriſti, & eius glorioſiſſimæ ciuitatis, ſed etiam Zizania, quæ de regno eius (quod eſt Eccleſia) in fine ſeculi colligenda ſũt. Et qui ſunt qui beſtiam non adorãt, nec imaginem eius, niſi qui faciunt quod ait Apoſtolus? Ne ſitis iugum ducẽtes cum infidelibus? Non adorans enim, id eſt, non conſentiunt, non ſubjiciuntur, neque accipiunt inſcriptionem, notam ſcilicet criminis, in fronte, propter profeſſionem; in manu, propter operationem. Talis enim eris progreſſus impietatis, primò intentione iam vitiata, ab vltimo fine deficientes, voluptates carnis abundantiam bonorum, mundanam poteſtatem & gloriam comparare ſibi conabuntur & in conſecutione iſtorum omnem ſuam beatitudinem collocare deſiderabunt. Hoc in fine ſeculorum per ſimulationem pietatis & diuini cultus ſe conſecuturos Iudæi ſibi perſuadebunt, in reſtauratione Templi Iudaici, terrenum namque regnum tantùm à ſuo Meſſia expectant, vt alicubi docet S. Ambroſ. Sic numerum nominis tantùm habebunt. Deinde audaciores facti in omnia prorumpent ſcelera aperta; & in abominationes quam plurimas horrendas: & tunc habebunt verè nomen beſtiæ in ſe inſculptum. At dum potentiâ maximâ, ſoluto ſatana, leges à malitia peccati adinuentas promulgare incipient, quas qui obſeruare contradixerint, morte punientur, tunc verè apparebit imago beſtiæ inſculpta in manu, & in fronte. Exemplum habemus 2. Machab. c. 6. *Decretum autem exijt in proximas gentilium ciuitates, ſuggerentibus Ptolomæis, vt pari modo aduerſus Iudæos agerent, vt ſacrificarent; eos autem qui nollent tranſire ad inſtituta gentium interficerent. Erat ergo videre miſeriam*, &c. Hinc duæ mulieres, vt ibi dicitur, quia infantes circumciderunt circumductæ per vrbem, per murum præcipitatæ ſunt.

A B C

Igitur numerus ſignificabit intentionem: nam intentio iudicat omnes. Siquidem ſupradiximus numerum nominis ſignificare rationem, propter quam quis reprobatur ſecundum præſentem iuſtitiam: ea enim eſt, quæ ſi mala ſit, corrumpit totum corpus bonorum operum: vnde illis qui gloriam aucupant mundanam ex bonis operibus, à Saluatore dicitur: *Amen dico vobis, neſcio vos omnes; operarij iniquitatis;* quamuis ei dicant: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejicimus, & virtutes multas fecimus?* Nam quia non Dei gloriam, ſed ſuam accupabant, ideo rejiciuntur. Ab hac intentione Regnum ſibi vſurpare incipit impietas, fine enim conſtituto omnia deinde media aſſumit, quo illum conſequatur ſiue bona, ſiue mala: & poſtea tyrannidem vſurpat, & facit omnes puſillos, furtis & latrociniis; & magnos, tumore ac ſuperbia, diuites, oppreſſionibus pauperum; Et pauperes, blaſphemiis; liberos, luxu; ſeruos, perfidiâ, habere characterem in dextera manu ſua, & in frontibus ſuis. Hîc ſapientia eſt, ſi dignoſcere potueris quinam ſint verè amatores mundi & ſuiipſius, qui de rebus æternis nullo modo ſolliciti, tantùm ea cupiunt, quærunt & proſequuntur, quæ mundi & carnis ſunt: nam ex talium cognitione per facilè dignoſcetur Pſeudo-Propheta, & Pſeudo-Pontifex Anti-Chriſti vt mox videbimus, ad aliam beſtiæ huius è terra prodeuntis interpretationem tranſeuntes.

D E

Secunda interpretatio beſtiæ è terra aſcendentis.

ANNOTAT. II.

Diuerſæ plurimorum interpretum expoſitiones. §. 1.

TICONIVS ſeu Auguſtinus de Hæreticis intelligit. *Hæc eſt*, inquit, *illa, quæ ſub nomine Chriſtiani agnum præfert, vt draconis venena latenter infundat. Hæc eſt hæretica Eccleſia: agni enim ſimilitudinem non imitaretur, ſi apertè loqueretur. Nunc Chriſtianitatem fingit, quo ſecuriùs incautos decipiat. Propterea Dominus dicit: Cauete à Pſeudo-Prophetis. Habebat cornua duo ſimilia agni, id eſt, duo teſtamenta, ad ſimilitudinem agni, quod eſt Eccleſia. Ignem faciet deſcendere de cælo. Et quia cælum Eccleſia eſt, quid eſt ignem de cælo deſcendere, niſi hæreſes de Eccleſia cadere? Sicut ſcriptum eſt: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Ignis enim de cælo deſcendit, quando hæretici, qui de Eccleſia velut ignis recedunt, ipſam Eccleſiam perſequuntur. Beſtia ergo, cum duobus cornibus, facit vt populus ſimulachrum beſtiæ, id eſt, diaboli adinuentionem adoret, vt det eis notam ſuper manum eorum dexteram, aut ſuper frontem eorum. Myſterium enim diſputat facinoris. Sancti enim, qui ſunt in Eccleſia, Chriſtum accipiunt in manu & in fronte; hypocritæ autem, beſtiam ſub Chriſti nomine. Si qui non adorauerunt beſtiam, &c. Non abhorret à fide vt beſtia ipſa impia ciuitas intelligatur, id eſt, congregatio vel conſpiratio hominum impiorum; vel ſuperborum, quæ Babylonia dicitur, & interpretatur confuſio: & ad ipſam pertinent quicumque res confuſione dignas exercere voluerint. Ipſe eſt populus infidelium, &c.*

Primaſius: *Duo*, inquit, *cornua agni ſimilia, duo teſtamenta vero agno competentia ſibi vſurpare tentauit. Vt draco tamen loqui dicitur, quia in hypocriſi, id eſt, ſimulatione veritatis, quos ſeduxerit decipit. Agno enim ſimilis non eſſet, ſi apertè vt draco loqueretur; nunc autem agnum fingit, vt agnum inuadat, id eſt Chriſti corpus. Vt draco loquitur, quod eum quærentes à via veritatis deluſos expellat, &c.* Sic igitur de hypocritis intelligit hanc beſtiam Primaſius. Et poſtea hanc poteſtatem dixit facere beſtiam coram beſtia: *In præpoſitis enim quos diſtribuit, eſt omnis poteſtas populi, tanquam locuſtarum & equorum in caudis. Adſtante enim populo faciunt præpoſiti, quod diaboli voluntati proficiat, &c. In tantum autem vtramque beſtiam claret vnum corpus eſſe, & vnius nequitiæ cultum exercere, vt etiam ſequentis beſtiæ hypocriſis illi priori beſtiæ militare dicatur.*

Deinde docet terram, & qui habitant in ea, & beſtiam, aliqua ratione pro eodem vſurpari. *Beſtia ergo*, inquit, *cum duobus cornibus, quæ eſt pars beſtiæ, facit beſtiam adorare beſtiam: quia beſtiam dixit, & terram; vt in caput veluti occiſum, beſtiæ nomen transferret.* Deinceps monet *non ſine ratione dici terram, & qui habitant in ea, vt ſcilicet vim ſeductionis oſtendat, & animam & corpus ſibi miſerabiliter mancipaſſe. Qui enim vi cadit, non ſeductus, ſolo corpore captiuus eſt; qui autem ſeducitur, & corpore captiuatur & mente.* Poſtea docet: *inter Deum & Eccleſiam eſſe verum mediatorem; at inter diabolum & ſuos non eſſe veram perſonam, ſed tantum quoddam vanum ſimulachrum Chriſti, ſub quo diabolus adorari vult, Chriſtum falsò imitando. Beſtia iſta, quam dixi, inter diabolum & ſuos perſonam non habet, quia in ſolo eſt vocabulo, quo dicunt ſe adorare Chriſtum, qui mortuus eſt & reſurrexit; in quo vocabulo diabolum adorant, qui hoc ſimulachrum ſuis inuenit. Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe velut Angelum lucis, exhibens ſuis fallaciter ſolo nomine Chriſtum, &c.* Et paulo poſt: *Tres itaque, diabolus, beſtia velut occiſa, populus cum præpoſitis ſuis: duo ſunt mediante imagine, & quando mediante beſtiam dicis adorari, in diabolum res cadit, qui*

Digitized by Google

ſuum, & huius medij nominis implet locum, cum ſe ſuis opponit damnabiliter adorandum, de imitatione furti ſimulata obumbratione vocabuli. Ita Primaſ.

Quomodo autem faciat igem de cælo deſcendere, docet poſtea: *id eſt*, inquit, *de Eccleſia ad terrenos cum ſuis ex varietate gentium, ſiue ex inimici fallentis aſtutia, linguis nouis ac plurimis ſuos faciat loqui miniſtros vt hoc quaſi indicio donum Spiritus ſancti ſe garriant percepiſſe, qui ignearum formam linguarum ſuper ſingulos quondam veraciter legitur Chriſti enunciaſſe diſcipulos, &c.* Et paulo poſt: *Non ergo mirum ſi illa beſtia, quæ ſibi ſimulatè agni occiſi & viuentis nomen vſurpat, hanc etiam ſancti Spiritus per imitationem fraudulenter vindicet ſpecie tenus largitatem, ſuiſque miniſtris ſi mulet dominationem, ſicut Simonem quondam affectaſſe, nec potuiſſe meminimus, &c.* Et paulo poſt: *Et ideo fortaſſe hoc excellens de igne ſignum, quo Spiritus ſanctus figuratur, voluit ſpecialiter nominare; quo potior illo inueniri nō poterat. Nam cum multa nobiſcum hæreſes videantur habere communia, hoc ſpecialiter donum ſola ſe habere Chriſti gloriatur Eccleſia.* Ita Primaſ. Ex hinc conjicit Primaſius vehementiam ſeductionis, vt illum habere ſpiritum beſtia puteiur, quo reſiſtente, Magorum (qui videlicet ſimilia Moyſi miracula faciebant, donec victi dixerint: *Digitus Dei eſt hic*, qui digitus ex Euangelio eſt Spiritus ſanctus) fraudulentia vacuabatur.

Tranſit Primaſius ad docendum quid ſit facere imaginem beſtiæ, dicens: *Hæc ſimulatio eo vſque præualuis, vt terreni ſeducti propter ſigna beſtiæ, ipſi beſtiæ miſerabili adſenſu fauentes, mutua ſe deuotione cohortentur, beſtiæ in cordis phantaſmate imaginem fabricare, ſicut qui iam non æſtiment dubitandum, certo quaſi memorati ignis indicio confirmati, quod verè ipſe ſit Chriſtus; cum ſit in Anti-Chriſto diabolus, idemque malignus in imagine ſpiritus, qui tales etiam laqueos ſeductionis Deo ſinente prætendat, vt dare dicatur ſpiritum imagini illius Beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ. Gemino modo hic locus intelligi poteſt; ſiue quia indicio compellente virtutis, iam perſuaſum eſt omni corpori malignorum, tanquam diabolo operante, & inſiſtentibus præpoſitis populo, vt vna eſſet omnibus eademque profeßio, ſicut vniformem obſeruationem ab omnibus proferendam vt ſi quis hoc per imaginem beſtiæ, id eſt, mutuam imitationem, non loqueretur, necaretur.* Ita Primaſ. Qui in his verbis fauet noſtræ interpretationi imaginis, quam diximus ſignificare leges malignantium, ſeu rationes peruerſas, iuxta quas ſuas eliciunt actiones externas, quas proponunt ſeruandas ſub pæna mortis.

Denique quid ſit habere notam in dextera & in fronte explicat. *In manu*, inquit Primaſius, *ſignificat opera; in dextera, ſimulationem veri; in fronte, fidei profeßionem. Et quia vtroque bono fraudati ſunt, ideo dicuntur vtrobique notari, &c.* In hac mercandi & vendendi mentione, docuit quod *ſicut in bono ſymbolum tradit Eccleſia profuturum: noſtræ ſaluti; ita & illi in malo, tali ſe defenſione quaſi nouerint coarctari atque vinciri; vt nec mercandi aut vendendi ſinantur habere licentiam (ſicut mercatores, qui vna videntur naue portari, vniformi cognoſcantur ſigno teneri) niſi habens notam nominis beſtiæ & numerum nominis eius, &c.* Ita Primaſ. ſignificari volens ſimulationem & hypocriſim, hæreticorum maximè.

Rupertus hanc beſtiam de vi magica interpretatur, & docet primò, quod licet duæ beſtiæ vnum quid ſit, quia videlicet vnum corpus generationis prauæ repræſentant, tamen alia & alia dicitur beſtia, propter geminam vim, ſcilicet bellicam ſiue regiam, atque magicam; primamque beſtiam ſignificare vim bellicam; hanc è terra aſcendentem, vim magicam; exemplumque proponit de iis, quæ per acta fuerunt à Pharaone, qui dum regia ac hoſtica vi infantes in

A flumen projici imperat, per maleficos incantationes Ægyptiacas facientes Moyſi & Aaroni reſiſtere attentauit. Hoc autem ad rem præſentem pertinet, vbi de manifeſta, de aperta perſecutione Anti-Chriſti mentio fit, quia profecto prius quidem eſſe cœperunt & pugnæ aduerſus Deum, & præſtigia Magorum, ſed tunc magis abundabunt. *Surgent enim*, inquit Chriſtus, *Pſeu-do Chriſti*, &c. Matt. 24.

Docet proinde: *Magiam nunquam de fuiſſe, in ſocietate crudelis gladij, regibus qui perſecuti ſunt, & contriuerunt ſanctos altißimi, Ægyptiis, Iſraeliticis, Babyloniis, Medis atque Perſis, Græcis, Romanis: nec poteſtati Anti-Chriſti deerit, imo abundantior atque potentior aderit. Verùm Romani Imperatores illâ ſecretiùs vſi ſunt, quorum Iulianus Apoſtata malitioſiùs atque ardentiùs arti illi* B *incubuit; Græci quoque atque Macedones non adeo euidenter; ſuperiores autem Perſæ, Babylonij, atque Ægyptij, publicè & quaſi licenter illâ vſi ſunt, publicisque nominibus Magi ipſorum ſe prædicauerunt, nec abſconderunt. Porro Iſraelitici reges, Magos, ſuos prophetali nomine palliabant, qualium vna die quadringentos, quinquaginta viros Elias occidit.* Ita Rup.

Per duo cornua agni intelligit Rupertus duos Magos Iamnes & Mambres, qui ſub Pharaone reſtiterunt Moyſi. *Igitur duo cornua beſtia hæc habuit*, inquit, *vbi primùm aſcendit, id eſt, duo principes ſuæ efficaciæ magica ars habuit, vbi primùm contra Deum ſtetit. Dicuntur autem cornua ſimilia agni, quia dum ſigna* C *Moyſis & Aaronis conſummata ſunt per ſanguinem agni (quem populus Iſraël, vt vltimâ plagâ Pharao, & Ægyptus tangeretur, ad veſperam immolauit) ſigna quæ fecerunt malefici poſſunt dici eſſe ſimilia ſignis agni. Eodem modo*, inquit poſtea Rupertus, *per tempora ſequentia ſub cæteris regnis, ſupradicta ars magica ſemper affectauit ſimilitudinem Dei, voluitque videri quod non minora faceret ſigna, quam fiebant per verbum Dei. De qua præſumptione huius beſtiæ nunc protinus dicit: Et loquebatur ſicut draco, id eſt, ſicut diabolus, qui taliter locutus eſt: Ero ſimilis altißimo. Nam & hoc legimus in pleriſque veteribus, quod vt pro diis colerentur, quibuſdam magicis exigebant tormentis. Et hæc beſtia poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Ac ſi dicat: Signa facientes Magi confortabant regios animos, ad non credendum,* D *& reſiſtendum ſignis & virtutibus Dei; vt non minùs potentes viderentur ſibi quàm erat Deus, qui cum tantis prædicabatur prodigiis; cum haberent & ipſi ſecum tales, qui ſimilia facerent illi. Hoc erat facere omnem poteſtatem beſtiæ in conſpectu eius, æſtimationem magnifici cordis eius roborare, ne ſibimet impotens videretur.* Ita Rupert.

Docet poſtea Rupertus: *Illos fore ſtolidos & inſipientes, qui ſeducentur propter ſigna, quæ fient ab hac beſtia; quaſi quid nouum perficiat, dum facit vt ignis è cælo deſcendat, aut loquatur imago beſtiæ: nam ſimilia iam diabolus perpetrauit, ſiue dum ignis de cælo, ſatanæ operatione cecidit, qui tactas oues pueroſque Iob conſum-* E *pſit: ſiue dum per ſerpentem locutus eſt: nam per qualemcumque imaginem ſuam diabolus eo tempore locuturus ſit, de illo ſerpente, qui hominem primum decepit, conſtat quod imago eius ſit, eo vel maximè quod illud reptile genus genus humanum ex tunc quaſi naturaliter odit eos. Quod ſi imaginem manu factam velis intelligi, cui ſpiritum datura ſit, vt loquatur; multo magis miraculum iſtud diabolicæ malitiæ vſitatum fuit, vt loqueretur imago huiuſmodi. Huiuſmodi namque imagines loquebantur in templis, arte ſpiritus maligni cauerna patenter irrepentis, ante exaltatum ſignum crucis Chriſti.* Hæc Rupertus.

At ſanctus Thomas, Ambroſius, & Andreas Cæſarienſis hanc beſtiam potiſſimùm de inſigni illo impoſtore, qui erit Anti-Chriſti præcurſor intelligendus in Apocalypſi antonomaſticè ſub nomine Pſeudo Prophetæ, in quo quicquid in ſchiſmaticis

Digitized by Google

odioſum, in hæreſibus mendacioſum & erroneum, in ſimulatione & hypocriſi abominandum, in magia impium & ſacrilegum excogitari poteſt, coaceruabitur; & extenſiuè de multis, qui Anti-Chriſtum prædicaturi ſunt, interpretantur; Alexander de Hales, perſecutionem Anti-Chriſti per ſuos Apoſtolos, quos ipſe per totum mundum ſparget. S. igitur Thomas docet 1. *hîc agi de perſecutione facienda ab Anti-Chriſto, mediantibus Pſeudo-Prædicatoribus; cuius perſecutio per Principes, fuit per aliam beſtiam deſignata: qui Pſeudo-Apoſtoli erunt beſtiales, per vitæ brutalitatem quoad ſe & crudelitatem in Catholicos. Vides illam aſcendentem per progreſſum de malo in malum, de terra, id eſt, de amore terrenorum: hoc enim facit eos proficere in peruerſitate, ſcilicet amor diuitiarum, deliciarum & honorum. Nonnulli fidem rerum cæleſtium ad vitæ temporalis deſiderium inclinabunt; Vel, de terra, id eſt, ſe per ſuperbiam eleuantem de terrena dignitate. Habebat duo cornua ſimilia agni: dicent ſe habere ſapientiam & vitam, quæ verè in Chriſto fuerunt: in ipſis autem ſolum phantaſticè; Vel duo teſtamenta, quæ ſibi vſurpabunt, quæ tamen ſunt verè agni, & per hos malè expoſita, impugnabunt fideles; quæ non implebunt, licèt ſimulent.*

Et loquebatur, id eſt, loquetur; ſicut draco, id eſt, peruerſa ſuadendo, & blaſphemando Deum & ſanctos. Erit hæc beſtia conformis diabolo loquenti in Anti-Chriſto, & eſt perſecutio per verbum. De perſecutione autem per opera dicitur: Et faciet omnem poteſtatem j. omnes modos decipiendi exercebunt, quibus & Anti-Chriſtus, poteſtate diabolica ſecundum eius beneplacitum. Et ſpecialiter facient Anti-Chriſtum adorari, multos à fide recedere propter miracula, homines ſtatuam Anti-Chriſti colere, ſignum Anti-Chriſti portare, promiſſis, donis, minis flagellis, & aliis modis, vt etiam in confirmationem ſuæ prædicationis dent ſpiritum malignum in ſpecie ignis apertè. Anti-Chriſtus enim & ſui facient ſecundum ſimulationem. Facta Chriſti ſimulabit Anti-Chriſtus, mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem: & finget Spiritus ſancti miſſionem; & ſecundum placitum & iuſſum Anti-Chriſti, vel ad præſentiam nominis inuocati facient huiuſmodi miracula, vt faciant imaginem; Ad litteram, ſtatuam aliquam Anti-Chriſti, qui habet cicatrices ſiue veſtigia vulnerum, quæ ſunt ſigna præteritæ mortis, ſicut legitur de Chriſto; Vel aliter, vt faciant ſe conformes Anti-Chriſto, ſequendo eius documenta, qui reſurrexiſſe videbitur. Facient inſuper, permittente Deo, ſpiritum malignum eſſe in illa ſtatua, vt motorem, non vt naturaliter vnitum, aut vt formam perficientem; loqui autem, non propriè (cum loqui ſit cum intentione proferre per organum rationali animæ vnitum naturaliter) ſed ſecundum quid, per ſpiritum præſidentem idolis; vel denique quia iis, qui erunt Anti-Chriſti imagines per conformitatem, dabit vt variis linguis loquantur. Quos autem Pſeudo-Apoſtoli non poterant documentis vel miraculis peruertere, per Principes trucidabunt & occident. Deſcribit autem eos, qui ſignum Anti-Chriſti habebunt, quantum ad potentiam, fortunam, & perſonæ conditionem: omnes autem dicit, faciendo diſtributionem, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum: quia de puſillis & magnis multi peruertentur, ſimiliter & de aliis; non tamen omnes, vel puſillos apud Deum magnos, apud homines diuites rebus, pauperes, virtutibus, liberos à Deo ſeruos ſub peccato vel diabolo.

Compellentur homines portare ſignum Anti-Chriſti: quod ſignum erit iniquitas in opere, quod eſt habere ſignum in manu; Vel audaciam confitendi nomen eius ore, quod eſt portare ſignum in fronte.

Et faciet ne quis emere poſſit niſi habeat characterem, id eſt ſignum in opere, aut nomen beſtiæ, in denominatione vel expreſſione, vt ſcilicet denominetur ab eo Anti-Chriſtiani vel alio nomine; item vt eius nomen ore confiteatur, aut numerus nominis eius, ſcilicet in corde, expectando ſci-

A *licet remunerationem minorem, quæ ſignatur per ſex, vel mediocrem, quæ per ſexaginta; vel maximam, quæ per ſexcentos; & credendo ipſum poſſe ſic ſuos remunerare. Iſte enim eſt numerus nominis Anti-Chriſti.* Ita S. Th.

Ambroſius: Hæc, inquit, *Beſtia aut vnum ex diſcipulis Anti-Chriſti deſignat deteriorem cæteris, aut multos, qui eum prædicaturi ſunt. Quæ de terra aſcendiſſe viſa eſt, quia de ſocietate reproborum exurget.* Ita Ambroſ. Qui deinceps quia per ſeptem cornua agni omnes electos deſignari docuit, quos in ſeptem partes diuiſit, quartumque cornu Iudæos qui in Chriſtum crediderunt; ſextum, gentes quæ in Chriſtum crediderunt, nunc dicit *hanc beſtiam habere duo cornua ſimilia agni, quia Iudæos & gentes decipiendo poſſidebit.*
B *Loquitur vt draco; nunc diabolus, qui loquetur per Anti-Chriſtum, ipſe loquetur per diſcipulos eius: Et omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciet in conſpectu, id eſt, in nomine eius. Faciet namque miracula Anti-Chriſtus arte diabolica, faciens & diſcipuli eius: ſed eorum miracula erunt falſa, &c. in ſignis & prodigiis mendacibus, inquit Apoſtolus. Non enim credibile eſt,* ait Ambroſius, *vt eos quos Deus excæcauerit aut debilitauerit, ſanitati poſſint reſtituere; ſed eos tantummodò, quos ipſi læſerint, lædentes in occulto, ſanantes in aperto.*

Et fecit ſigna magna: Legimus diabolum, ex permiſſione Dei, ignem feciſſe de cælo deſcendere, & oues Iob pueroſque conſumpſiſſe. Quod ergo illic per ſemetipſum fecit, hoc per Anti-Chriſtum & ſequaces eius extremo tem-
C *pore faciet; vt faciant imaginem beſtiæ, vt in imaginibus Anti-Chriſtus adoretur. Quod autem Beſtiam plagam gladij habuiſſe dixit, & vixiſſe, poteſt fieri vt arte diabolica fingat ſe Anti-Chriſtus mori & ſurgere, vt hoc facto homines decipiat: quod Simon Magus feciſſe dicitur. Et datum eſt illis vt daret ſpiritum, &c. ſed & hoc quoſdam Magos feciſſe audiuimus. Faciebant quippe per Necromanticam artem vt ſtatuæ viderentur & loqui. Vel aliter imago ſpeciem habet hominis, ſed non eſt homo. Imaginem ergo Anti-Chriſti facient, qui eum Deum exiſtimabunt. Spiritum imagini dabunt Miniſtri Anti-Chriſti, cum eos qui in Anti-Chriſtum crediderint, Chriſtum blaſphemare compellent; fideles autem, qui Anti-Chriſtum adorare noluerint, diuerſis pœnis macerati interficientur.*

D *Et faciet omnes puſillos, &c. Poteſt fieri vt ſicut nos habemus characterem Chriſti, id eſt, crucem, qua ſignamur; ita Anti-Chriſtus proprium characterem habeat, quo ſignentur ij qui in eum crediderint. Poſſumus hoc & aliter intelligere. Diſcipuli Anti-Chriſti laudatores erunt vitiorum: docebunt enim ideo creatum vinum, cæteraſque diuitias, vt homines iis abundanter & efficaciter vterentur. Cum autem iſtam nefandam doctrinam virtutibus affirmauerint, terrenos homines qui prius erunt ad malum, quàm ad bonum, facilè decipient: Sæpe verò per manus, opera intelliguntur. Characterem ergo Anti-Chriſti in dextera manu habebunt, quia opera maligna doctrinæ Anti-Chriſti congruentia exercebunt: habebunt & in fronte, per quam mens ſæpe diſcernitur: quia ex prauis operibus, quas*
E *peſſimas mentes gerant dignoſcitur.*

Et ne quis poſſit emere. Scimus humanam vitam non poſſe ſubſiſtere, niſi aut vendant aliquando homines, aut emant. Eo itaque perſecutio erga fideles crudeliùs graſſabitur, quo eis hoc interdictum fuerit, ſine quo viuere non poterunt. Facient autem hoc miniſtri Anti-Chriſti, vt in tempore neceſſitatis eos, qui Chriſtianitatis fidem occultè ſeruare voluerint, deprehendant. Ita Ambroſ.

Andreas Cæſarienſ. *Sunt qui per hanc beſtiam Anti-Chriſtum intelligant: aliis magis placet quempiam è diabolorum numero eſſe: per duo verò eius cornua, Anti-Chriſtum & Pſeudo-Prophetam ſignificari. Nam Pſeudo-Prophetam quempiam Anti-Chriſti aduentum præuenturum multorum eſt opinio. Nos autem putamus per draconem, ſatanam: per beſtiam autem, quæ de mari aſcendit, Anti-Chriſtum: per beſtiam verò, quæ hoc loco è terra*

Digitized by Google

aſcendere ſcribitur, Pſeudo-Prophetam denotari. Quæ ſententia Irenæo quoque probatur. Dicitur porro è terra aſcendere, quia de terrena, humique repente conuerſatione, in medium prodit; habereque duo cornua agni cornibus ſimilia, ob id fortaſſis quod ſub ouina pelle, cædis ſtudium, occultique lupi ferociam celare ſtudeat: tum etiam quod initio aliquam pietatis formam præ ſe feret; qua de re Irenæus ita ferè ſcribit: De Satanæ ſatellite (quem Pſeudo-Prophetam quoque vocat) loquebatur, ait, vt draco. Addit porro ſignorum prodigiorumque poteſtatem huic impertiuiſſe, quo viam per hæc Anti-Chriſto ſterneret, aditumque ad hominum perditionem eidem pateſaceret. Cæterum ſanationem plagæ mortis, quam beſtia acceperat, momentaneam regni ante diuiſi viſionem eſſe dicimus; aut temporariam tyrannidis ſatanæ, quam Chriſtus ſua cruce fregerat; per Anti-Chriſtum inſtaurationem; aut fictitiam certè cuiuſpiam reſurrectionem. Dicitur tandem hæc beſtia loqui vt draco: nam quæ diaboli omnis mali auctoris & incenſoris ſunt propria, ea ipſa quoque patrabit & loquetur. Ita Andr.

Qui poſtea docet hunc Anti-Chriſti præcurſorem Anti-Chriſto fore quod fuit olim Chriſto Domino S. Ioannes Baptiſta. Siquidem mendacium, ad hominum ſeductionem, veritatem imitari contendit. Et hæc notatu digniſſima, de præſtigiis talis præcurſoris docet. *Narrat*, inquit Andreas Cæſar. *Apollonius, & alij confirmant, dæmones incantationum & præſtigiarum vi; per imagines & ſtatuas, per arbores rurſum & aquas, perque alia eiuſmodi ſæpe numero poſſe. Nam & Simon Magus in B. Petri Apoſtolorum Coriphæi, multorumque Romanorum præſentia, mortuum hactenus ex ſuſcitauit, quatenus ſeſe mouere palam videretur; etſi interim Apoſtolus impoſturam, hoc eſt virtutem, qua falsò eum excitauerat, aperuerit, & vim qua mortui verè reſurgunt publicè declarauerit. Ad eum itaque modum probabile ſit Anti-Chriſti quoque prodromum & adminiſtrum, dæmonum vi impulſum, beſtiæ imaginem facturum, arte & fraude diaboli loquendi facultatem illi communicaturum, adeoque daturum operam vt omnes trucidentur quotquot eam adorare recuſauerint; Neque his contentum lethiferi quoque nominis characterem omnium ſeductorum frontibus & dextris impreſſurum; his quidem, quo omnium dexterorum bonorumque operum vim amputet: illis verò, quo abs ſe deceptos hoc ſymbolo commone faciat perfrictâ fronte in errore & tenebris perſiſtendum eſſe. Verùm non facile ſuſcipient eiuſmodi characterem, qui vultus fronteſque diuino lumine ſignatas habent, &c.* Ita Andr.

Quibus adductis ex tot grauiſſimis autoribus, exiſtimo hác, quam mox adducimus interpretationem & expoſitionem, faciliùs eſſe admittendam.

Noſtra expoſitio de beſtia, è terra aſcendente. §. 2.

Eadem ratione, qua in deſcriptione beſtiæ è mari aſcendentis diximus & corpus reproborum deſcriptum fuiſſe, ſeu omnem animam in peccatis obduratam ex malitia, & Anti Chriſtum præcipuè, quia caput factus reproborum, qui eius actiones & mores in ſuis actionibus & moribus imitantur, præcipuus erit in malitia, & obſtinatione; dicere poſſumus in deſcriptione beſtiæ è terra aſcendentis nobis proponi mores & ingenium præcurſoris Anti Chriſti, & Pſeudo-Prophetæ, de quo dicitur c. 19. *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudo-Propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, qui ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ. & qui adorauerunt imaginem eius, viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*: vt videlicet prudentia carnis pari Sodomitarum ſupplicio perimatur: quia in culpa & ſcelere fuerunt pares cum iis qui ex malitia peccant in Anti-Chriſto incluſi eminenter. Itaque ſicut dixit Ioannes, *Anti-Chriſtus venit; & iam Anti-Chriſti*

A *multi facti ſunt*: Ita dicere poſſumus, Venit Pſeudo-Propheta, ac iam multi facti ſunt Pſeudo-Prophetæ, & veri Anti-Chriſti anteſignani & præcurſores, nempe omnes ſectatores terrenorum, voluptatum amatores magis quàm Dei: qui, quia creaturas Deo anteponunt, ideo à Dei gratia repelluntur, & digni habentur qui à diabolo aſſumantur, tanquam idonea ſuæ malitiæ inſtrumenta, quibus captiuis ad ipſius voluntatem vtatur ad ſeducendos alios homines. Talis erit ille inſignis impoſtor & ſeductor, qui nihil aliud quàm honores ac dignitates, & bona temporalia, & voluptates deſiderans, fœdè ſe totum obſequio & cultui Anti-Chriſti conſecrabit, & ab eo aſſumetur, tanquam præfectus ſacrorum, quibus ſibi cultus exhiberi deſiderabit. Nam ſi, vt anno-

B tauit Rupertus lib. 8. in c. 18. Apocalypſ. *Octauianus Auguſtus adhuc viuens, & in corpore præſens, Deus dictus eſt, templum quoque atque ſimulachrum, nec non & ſacrificiorum ritus ſibimet exhibitos à fatuis, nimiumque ſtultis adulantium populorum turbis, nimius præſumptor admiſit*; nonne probabiliſſimum quod Anti-Chriſtus (*qui extolletur ſupra id omne quod dicitur Deus, itaut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus*) & templa & altaria ſibi erigi curabit, & erecta vſurpabit; & ritus ſacrificiorum, & ſacrificulos, & præfectum ſacrorum habere volet, vt ſibi cultus exhibeatur.

Huius modi præfecti ſacrorum Anti-Chriſti, &

C Pſeudo-Prophetæ, & eorum qui iam facti ſunt Anti-Chriſti præcurſores, mores & ingenium nobis proponuntur, in hoc ænigmate. Beſtia eſt de terra aſcendens: Nam vt è terra aſſumptus, in terram totus reflectetur, & reuertetur: vltimum enim finem ſuum collocabit in amore terrenorum & carnalium, gloriæ mundanæ & vanæ curioſitatis, de numero eorum de quibus in actibus dicitur, *qui fuerunt curioſa ſectati*. Act. 19. Aſcendens eſt, quia *oculos habens plenos adulterij, & inceſſabilis delicti*, vt loquitur S. Petrus 2. c. 2. ager aſſiduè iuxta hanc mentis peruerſitatem, itaut in omnibus hoc vnum quærat, vt vel diuitiis abundet, vel carnis voluptatibus fruatur, vel gloriam ſeculi ſibi acquirat. Ad hunc fi-

D nem, animi paſſiones, voluntatis affectus impendet, vt vel ea conſequatur, vel vt retundat conatus eorum qui ſibi reſiſtere auderent.

Nulla forma aut figura aſcribitur beſtiæ, quia omnibus formis vtetur, vt quod intendit conſequatur: diſſimulatione & hypocriſi, pro rerum opportunitate, & occaſione negotiorum, hanc vel illam induens figuram. Irridebat olim ſapienter Hermias Philoſophus gentilium Philoſophorum Pythagoricam Metempſychoſim, to. 4. Biblioth. Patrum, his verbis. *Nunc immortalis ſum, & gaudeo: nunc contra, mortalis fio, & ploro: mox in indiuidua corpora ſolum: aqua fio, fio aër, fio ignis: paulo poſt, nec aërem, nec ignem, ſed feram me facit. Itaque viciſſim, fratres, habeo*

E *Delphinos: cum verò intueor corpus, pertimeſco; & neſcio quo nomine id vocem, nominemue an canem, an lupum, an taurum, an auem, an ſerpentem, an draconem, an chimeram. In cunctas enim beſtias ab illis ſapientiæ ſtudioſis commutor, terreſtres, aquatiles, volucres, multiformes, agreſtes, cicures, mutas, vocales, brutas, ratione munitas. Nato, volo, ſublimis in aëre feror, ſerpo, curro, ſedeo. Offert autem ſeſe Empedocles, & arbuſtum me facit.* Ita Hermias, de errore profan. Religio. At hæc prudentia in multas alias ſe commutat, ſi fieri poteſt, figuras ſeu formas. Ad has omnes tranſmutationes, vt notat Hermias, Pythagorici tria millia annorum pollicebantur; ſed prudentia carnis in inſtanti & momento variam induit formam, ſubitò tranſmutatur, vt obtineat quod concupiſcit, voluptatibus fluida, vanitate aërea, iracundiâ ignea,

Digitized by Google

crudelitate fera, & velut piſcis aquis immerſus tota peccatis inuoluitur: vt modo inuidiâ ſit canis, rapacitate lupa, audaciâ vt taurus cornupeta omnes inuadat, ſuperbiâ vt auis extollitur in altum, aſtutiâ ſerpens, malignitate draco. Quid dicam? Chimæra, cum in ea ſimul vitia cuncta videantur complexa.

Habet cornua quaſi agni: nam benignitatem & manſuetudinem quamdam præ ſe fert, licèt ad certandum cum quolibet ille Pſeudo-Propheta ſemper paratus futurus ſit, & ad euertendum poteſtate ſua quidquid pietati & iuſtitiæ fauet. Primum cornu erit poteſtas quædam pontificia, ſupra res ſacras ad Anti-Chriſti cultum & obſequium pertinentes. Secundum, erit poteſtas quædam regia, qua leges æquiſſimus Dei & Eccleſiæ ſubuertere conabitur. *Loquebatur* j. loquetur, *ſicut draco*: nam ſatis non erit ſi cuncta mala perpetrare audeat, ſed inſuper alios ſeducere, & in peccata præcipitare pertentabit. *Poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Et fecit terram, & habitantes in ea, adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.* Nulla enim erit actio adeo impia, adeo ſacrilega, adeo iniuſta, adeo pernicioſa, adeo turpis & honeſtati contraria, quam non exerceat ex certa deliberatione & malitia. Quod maximè apparebit in hoc vno effectu, quod cum nihil aliud ſit hominibus pernicioſius quàm adorare beſtiam primam, id eſt, peccati malitiam in pretio habere & æſtimatione, ſuâ induſtriâ ac ſuis artibus faciet vt hæc peccati malitia, quæ per legem Chriſti & prædicationem Euangelij plagam mortis acceperat, tamen rurſus in pretio habeatur, & in praxim continuò reducatur, non per ſubreptionem, ſed ex conſulto. *Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* id eſt, autoritatem conciliare omnibus modis conabitur malis & peruerſis actionibus, dum etiam per prodigia (quale eſt facere vt ignem è cœlo deſcendat) illas perſuadere non dubitabit, iuxta illud Matt. 24. *Surgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Propheta: & dabunt ſigna magna & prodigia, itaut in errorem inducentur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Quod quidem ſi apud electos nullum obtinebit effectum, tamen apud terrenos homines prodigioſum habebit effectum: nam *ſeduxit*, inquit, *habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.* Ad hanc enim impietatem promouentur, vt omnes leges & Anti-Chriſti mandata admittant abſque vllo delectu, itaut nulla alia ratione agant, quàm prout ſibi ab Anti-Chriſto præſcribetur: quæ quidem eſt prodigioſa ſubuerſio & ſeductio. Hinc pro lege habebit quicquid ab Anti-Chriſto fuerit mandatum, vt ſicut Propheta de Deo dixit: *Præceptum poſuit & non præteribit*; ita dabit ſpiritum imagini beſtiæ: quia multis argumentis probare contendet ea præcepta nulla ratione eſſe prætereunda. Sic Anti-Chriſtum coli & adorari prædicabit, & qua denique præditus erit poteſtate, ad hoc omnes cogere feſtinabit, nihilque obmittet, quo impietatis ac malitiæ, & peccati regnum ſtabiliri poſſit, vt omnia mala liberè & impunè, & impudenter perpetrari queant. Huius prodromi Anti-Chriſti adumbrationes ſunt hypocritæ, hæretici & magi: *Et hic ſapientia eſt*, ſi ex deſcriptione iſtius beſtiæ ſapienter præuideamus quinam hunc habeant ſcopum, vt nos in impietatis captiuitatem, & ſeruitutem redigant. Sic dignoſci poterunt Anti-Chriſti prodromi. Et cum multum interſit qua ratione illi conformes euadimus; & ex conſequenti, qua ratione inuolui poſſemus in pœnis ſibi & ſectatoribus eius præparatis, hac de cauſa prouocamur, vt qui intellectum habet, A numeret ſeu computet numerum beſtiæ. *Numerus enim hominis eſt.* Nam Anti-Chriſtus verus homo erit: *numerus enim hominis eſt, id eſt, numerus litterarum nominis Anti-Chriſti oſtendit ipſum hominem eſſe, & non Deū.* Ita Alexander de Hales. Rurſus *numerus hominis eſt*: quia in computatione, facultatem hominum & artem computandi communem non excedit. Non oportet vt quis omnes Arithmeticæ regulas ſciat, vt hunc numerum computet, vt hoc numero facilè ſibi liceat conjicere an in eo ſtatu ſit, vt ſicut Anti-Chriſtus debeat reprobari, & à facie Dei projici. Numerus autem ille eſt 666. quo incorrigibilitas & impœnitentia ſignificatur: quæ ſola cauſa eſt cur capaces ſimus reprobationis. Quæ impœnitentia, vt diximus, in numero 600. deſignatur. In numero au- B tem 66. perſpiciet ea, quæ nos ad talem incorrigibilitatem & impœnitentiam deducunt, nimirum ſubtractionem quarumdam virtutum, quarum ope facile nobis fuiſſet in bonis perſeuerare; ſeu ſubtractionem (ob ſcelera) gratiarum Dei. Et in eo etiam numero 66. diſces animam incorrigibilem & impœnitentem, in malo obduratam, omnes pœnas æternas (quæ per numerum 60. denotantur) & temporales (quæ per ſex deſignantur) ſibi comparare.

Cur autem Anti-Chriſtus, appetitor laudis, nomen ſibi velit imponi, quod hoc infauſto numero deſignari valeat, rationem reddit Beda in hunc locum: *Senarium*, inquit, *numerum quo mundus factus* C *eſt, perfectionem operis ſignificare quis neſciat? Qui ſiue ſimplex, ſiue per decem centumue multiplicatus, eiuſdem perfectionis ſexageſimum, centeſimumque fructum demonſtrat. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum. Quod ergo vero regi iure munus & debetur & ſoluitur, hoc etiam ſibi ſeductor ille tyrannus exigere præſumet.* Ita Beda. At quod ille ſuperbus ſibi eligit in arrogantiam, hoc Dei iuſto iudicio vertetur illi in ruinam & maiorem confuſionem, iuxta illud: *Quantum glorificauit ſe in delitiis, tantum date illi tormentorum.*

At antequam huic, de beſtia è terra aſcendente, interpretationi finem imponamus, occurrit mihi interpretatio irrefragabilis doctoris Alexandri de D Hales, quam hîc adducere non piget, præcipuè in hæc verba: *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, &c. Vnde*, inquit, *Apoſtoli Anti-Chriſti ipſos ſequentibus & conſentientibus mandabunt fieri ſtatuam aliquam, ad ipſius Anti-Chriſti recordationem & venerationem, ſicut nunc fiunt imagines ad Chriſti recordationem & ſanctorum. Vel dicent Apoſtoli Anti-Chriſti habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, id eſt, vt ſe conforment actibus Anti-Chriſti in perſecutione beſtiæ.* Et paulo poſt: *Quaſi dicerent Apoſtoli Anti-Chriſti: Vos debetis vos Anti-Chriſto conformare, & ad honorem eius imaginem facere, quia eſt mortuus, & die tertia reſuſcitatus: quod eſſe non poſſet, niſi eſſet verus Deus.* Et exponent illud: *Et datum eſt illi beſtiæ, vt daret ſpi-* E *ritum imagini beſtiæ, id eſt*, inquit, *ſtatuæ factæ ad ſimilitudinem Anti-Chriſti, quam imaginem ipſe faciet loqui & moueri, Deo permittente, & peccatis hominum exigentibus, ad maiorem populi deceptionem, &c.* Et paulo poſt: *Vnde diabolus in illa ſtatua loquetur diuerſa idiomata: & dabit diuerſa reſponſa, & prædicet multa futura vt populus ſeducatur, & ad Anti-Chriſtum trahatur, &c.* Vel, vt poſtea ait: *vt imagines & imitatores Anti-Chriſti loquantur futura, ſicut Apoſtolis datus fuit ſpiritus Prophetiæ, & ab Apoſtolis aliquibus aliis.* Ita Alexander de Hales. Quæ expoſitio non videtur improbabilis, ſed multa probabilitate veriſimilis. Horum autem omnium procurationem ſpecialiter adimplebit ille Pſeudo-Pontifex Anti-Chriſti, quem ad literam hinc deſcribi exiſtimamus ſub ſymbolo beſtiæ è terra aſcendentis.

Finis Cap. XIII.

Digitized by Google

DE PRÆPOTENTI ECCLESIÆ EXERCITV, & eius duce ſeu capite inuiſibili & viſibili, quo regnum Chriſti tueatur, ac peccati & diaboli ſuperbiæ & arrogantiæ obſiſtat.

CAP. XIV.

EVERTERETVR proculdubio clarum & auguſtum Eccleſiæ imperium, tot ferocibus aduerſatiis impetitum, ſi nullus tam impiis Satanæ conatibus ſe opponeret. *Deſiderium peccatorum peribit.* Stat & in æternùm ſtabit regnum illius, cuius Thronus in ſæculum ſæculi, cuius poteſtas, poteſtas æterna; cuius dominatio erit in generationem & generationem, copioſo ac generoſo exercitu inſtructa; duce ſapientiſſimo gaudet, ſub cuius vexillis militans conteret Satanam ſub pedibus ſuis.

Textvs.

Et vidi: & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.

Vidi ſiquidem quod Agnus, qui in ſummo ſtabat virtutum omnium vertice, & ſupremâ authoritate ſupra Eccleſiam pollebat; cuius oculi ſunt ſemper aperti, vt periculis Eccleſiæ ſuæ, cui præſidet, potenter occurrat, centum quadraginta quatuor millia ſecum euexerat ad ſupremum perfectionis gradum, qui eius imitatores facti, & ad Patris ſui ſimilitudinem efformati & euecti, Redemptionis eius & prædeſtinationis effectus perfectè in ſe exprimebant. *Habebant nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*; vt eſſent perfecti, ſicut & Pater eorum cæleſtis perfectus eſt.

Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis.

Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni. Hos vidi non in curribus aut equis, non in robore aut numero fiduciam ſuam reponentes, ſed in nomine Domini gloriantes, ex omnibus populis & linguis ſelectos, labio vnum Deum in Eccleſia collaudantes, tonitru nempe potenti eius voce conuocatos, gratia ipſius iuſtificatos, mox tandem poſt certamina fæliciter coronandos, ipſorum vox etiam fortis, ſonora ac præpotens tam validè aures aduerſariorum percellebat, vt æquè ac tonitru perculſi aufugiebant. *Exaltationes Dei in gutture eorum: gladij ancipites in manibus, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*, vt nihil attentare aut facere valeant aduerſarij, quo Chriſti regnum euerti contingat.

Vocem ipſorum *audiui tanquam cytharædorum citharizantium in cytharis ſuis*, id eſt, concordi & vnanimi voce cuncti occinebant Chriſti mortificationem in corporibus noſtris eſſe portandam; & illius manſuetudinis, & humilitatis, & patientiæ ac obedientiæ, nec non & charitatis ſequenda eſſe veſtigia: vt idipſum ſapientes in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum, vnanimes vno ore honorificarent Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quæ vnanimitas in fide & charitate, nouum eius canticum in mundo tot erroribus ſcatente, tot bellis ac conciſionibus ex concupiſcentiis exortis diſciſſo, attamen tale quale & auctoritas Eccleſiæ ſuprema Deo reddi decernit & imperat, quale Paſtorum doctrina docet & inculcat, quale ipſorum & ſanctorum virorum ſedulitas, vigilantia, ac pietas fieri procurat. *Sic cantabant canticum nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores*, qui ad hanc fidei & charitatis concordiam, qua poſſunt ratione, fideles adhortantur, & dicunt: *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium noſtrum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, idipſum ſentientes.*

Textvs.

Et cantabant quaſi canticũ nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores. Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt.

Quod quidem canticum nemo vnquam cantare poterit, niſi qui à terrenis omnibus abſtractus, ſelectus eſt à Deo, vt in eo clarè & perſpicuè redemptionis effectus eluceant, ſicuti refulgent in his centum quadraginta quatuor millibus, qui ex gratia ſibi collata centeſimum fructum effecerunt, qui tentationis omnes fortiter ſuperarunt, qui in omnibus virtutum ac pietatis exercitiis conſtanter perſeuerarunt, nec à gratiâ ſemel receptâ exciderunt. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt*; ſiue quia à teneris amnis, cordis & corporis puritatem coluerunt ſiue quia fidem & innocentiam in baptiſmo receptam nunquam amiſerunt. Tales enim decet Agnum ſequi quocumque aërit, ſiuè in montem ſecedat, vt orationi incumbat, ſiue inter homines conuerſetur, vt exemplo & doctrinâ illos ad veritatis agnitionem & amorem attrahat; ſiue, vt Patri obediat, ad ſupplicia & mortem lubens & gaudens gradiatur; ſiue pro victoriis in throno Patris reſideat.

Hi ſequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitia Deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

Hi empti sũt ex hominibus primitiæ Deo & Agno. Volens enim Deus oſtendere diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, vt cunctis, pateat bonitatis eius, quàm copioſa ſit effuſio in iis qui ſe Deo integrè & perfectè deuouent ac conſecrant, quàm ex ſe efficax & potẽs ſit eius gratia, qua & à malis auertimur, & bonum perficimus; quantum nobis attulerit meritum paſſionis & occiſionis agni immaculati, cuius ſanguine fuimus redempti; ex maſſâ adeo infectâ & corruptâ peccatis quoſdam ad tantam gratiam aſſumpſit vt diuinæ eius naturæ conſortes efficiantur, & in ſũmo puritatis & ſanctitatis faſtigio collocẽtur; itaut in corpore mortali vitam degant Angelicam baptiſmo renouati, illorum affectus & inclinationes compeſcit, ne ad malum currant. Sacramenti Confirmationis gratia illos donis Spiritu ſancti ita exornat, vt in omnibus cogitationibus & actibus ipſi obediant: & tam forti nexu ipſis copulatur, vt ne minimo quidem ſuarum intentionum intuitu ab eo diuelli queant. Opus recte Deo dignum. Quis enim *poteſt*, ô præpotens Deus, *facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?*

Et cum Deo ſint pleni nullum mendacium effu-

Digitized by Google

tiunt, cum eum habeant à dextris ne commoueantur, fidelitatem illi ſeruant. Nulli in ipſis errori aditus. Diabolo & pompis eius in baptiſmo vltimum vale dixerunt: ſtant promiſſis. Vnde ex ſupremâ Eccleſiæ autoritate tanquam ſancti & immaculati à fidelibus coluntur, inuocantur, imitandi proponuntur: *ſine maculâ enim ſunt ante thronum Dei.*

TEXTVS.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt Euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius.

Tam potenti exercitu Eccleſia præmunitâ, cæteri fideles faciliùs poſſunt ea exequi quæ ſibi neceſſaria ſunt pro ſalute conſequendâ; & ſiuè actiuæ & contemplatiuæ vitæ exercitia, ſiue actiuæ munia obeant, ſiue contemplationi vacare libeat, ſanctorum iſtorum exemplo & oratione ac protectione adiuti, & Deo honorem exhibere, & peccati fœtorem fugere, & pœnas peccatis debitas euitare, & ad cæleſtia bona ſuſpirare poterunt. Certantibus enim tam generoſis Athletis, cæteris fidelibus pace & tranquillitate fruentibus liberum fuit vt quibuſlibet veritas Euangelij proponeretur. *Hinc vidi alterum Angelum*, id eſt, ſecundum, Angelum, nempe Spiritum ſanctum, qui poſt miſſionem verbi incarnati etiam fuit miſſus, *volantem per medium cæli*, id eſt, quorundam corda pulſantem, vt per Eccleſiam diſcurrant, & tanquam nubes rore Euangelij æterni *fœta* volitent, vt per eos *Euangeliſaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius; & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.* Qui enim ſpiritu Dei aguntur, volant per contemplationem; & zelo ſalutis animarum inflammati omnes ſaluari concupiſcunt. Hinc Euangeliſant, vt exhortatione qua & ipſi exhortantur à Deo, alios ad Dei cultum promoueant, & eum timendum, honorandum & adorandum prædicent. Hoc enim eſt Euangelium æternum in cælo Angelis propoſitum; in terrâ, nempe in lege naturali & ſcriptâ hominibus præceptum; in mari, nempe in Eccleſia, in qua tanquam mare inundans ſuperfluit abundantia gratiarum, omni creaturæ promulgatum. Quod quidem à ſanctis hauſtum fit in eos fons aquæ ſalientis in vitam æternam, vt meritò ſit Euangelium æternum, illud ſcilicet quo Deus, qui fecit cælum & terram, & mare & fontes aquarum, coli, honorari, adorari præcipitur, vt ad vitam perueniamus æternam.

Et adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.

Ad huius Angeli vocem alius ſecutus eſt, qui apertè demonſtrauit quantum bonum iis acciderit, qui executioni demandarunt quæ ſuperior Angelus iniunxerat. *Cecidit, Cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes*, dicebat ille. Iam homines à peccatis receſſerunt. Iam in eis omnis peccandi libido exterminata eſt. Cecidit & actus & affectus aliquid agendi, quod tantæ diſpliceat maieſtati. De præteritis erubeſcunt: de futuris cauendis ſunt ſolliciti. Pudet eos de calice abominando Babylonis iſtius, id eſt, confuſæ reproborum multitudinis, hauſiſſe. Deſiderant de fontibus ſaluatoris haurire in poſterum aquas ſalutis.

Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.

Deo hominibus irato, fœdè omnes in voluptatibus ac libidinibus volutabantur: ſed eo nunc propitio, videtiſne ad quantam animi & corporis puritatem deuenerunt, vt ſtent cum ipſo in vertice montis, & eum quocumque ierit ſubſequantur? Audite hoc omnes, quique terrigenæ & filij hominum, ad hunc enim finem volat per medium cœli ille Angelus, qui euangelizat ſedentibus ſuper terram, & reliquis hominibus, Euangelium æternum.

Et tertius Angelus ſecutus eſt illos dicens

Et ſi audieritis, quantos cruciatus effugietis? Optimum ſanè vobis erit ſi aures præbueritis alteri An-

A gelo, qui duos præcedentes ſecutus, ex intimâ Dei maieſtatis contemplatione rectè coniecit quanta mereantur ſupplicia qui eum contempſerunt. De hoc admonet dicens voce magnâ. *Si quis adorauerit beſtiam*, id eſt, ſi quis pertinaciter in malo cor ſuum obdurauerit; *& imaginem eius*, id eſt, ſecundum leges impias à malitia peccati introductas vixerit, gloriam hominum diligens magis quàm gloriam Dei; *& acceperit characterem in fronte ſua*, de malefactis gloriam aucupando; *& in manu ſuâ*, actiones ſuas omnes his prauis legibus & peruerſis intentionibus turpiter conformando; ſicuti ebibit iniquitatem tanquam aquam, & voluptate ac libidine inebriatus eſt, *ita bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt* B *mero in calice iræ ipſius.* Nam licet vinum iræ Dei mixtum ſit, quia innumeri ſunt cruciatus & dolores, merum tamen eſt in calice iræ illius, quia nulla erit conſolatio, nullum ſolamen, nulla ſpes euadendi. *Cruciabitur* ſiquidem *igne & ſulphure, in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum; nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.*

TEXTVS.

voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne, & ſulphure, in conſpectu ſanctorum Angelorum, & ante conſpectum Agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.

Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei & fidem Ieſu. O quanta miſeris erit confuſio! Fuit in poteſtate eorum Angelis aſſimilari, ipſis in gloriâ ſociari. Propter hos Agnus occiſus: tantæ C gratiæ per baptiſmum fuerunt compotes, & nihilominus iſta omnia neglexerunt; imo potius iſti miſerrimi homunciones peccato ſeruierunt, mundo tantum placere concupierunt, & operibus infructuoſis, Dei iram in ſe exacuerunt. Meritò igne cruciantur, qui à Deo auerſi ſunt. Meritò ſulphure torquentur, qui poſt carnis voluptates abierunt. Gemant, dentibus ſtrideant, blaſphemiis concaua terræ continuò percutiant: aſcendet fumus ille in ſæcula ſæculorum, nec vnquam vllâ requie potientur: ſemper ille ignis ardebit: huius ardoris ſemper erunt ſuſceptibiles in conſpectu Angelorum (qui illorum ſuggillabunt puſillanimitatem & ignauiam) & Agni, qui illorum ingratitudinem eis exprobrabit in æternùm. D

Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu. Quoaduſque improbi his ſuppliciis puniantur, ſancti in ſua patientia perſeuerare debent, cuſtodientes mandata Dei, & vitam humilem, pauperem & contemptibilem, ac laborioſam eorum qui in Chriſtum credunt, & eum imitari exoptant, ſeligentes, irriſionibus, iniuriis ac perſecutionibus impiorum ſubmittuntur. Facti ſunt omnibus peripſema, & tanquam quædam piacula diris execrationibus onerati. Impij autem gaudent. In bonis ducunt dies ſuos: dignitatibus, diuitiis, deliciis florent. Gemunt ſub onere ſancti ſupra modum grauati, ne tædio afficiantur dicunt: *Tædet animam* E *meam vitæ mea*; ne ad hoc conuertantur, cum dies pleni calicis affectionum inuenientur in eis: *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo ſine causâ iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis:* nullus fuit ſolis exortus, qui nouam non attulerit moleſtiam, à pueritia & ætate primâ. Ne, quæſo, hoc dicant. Intrent in ſanctuarium Dei: intelligant in nouiſſimis impiorum & iuſtorum, quomodo impij *facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam*, cum fuerint in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitati. Iuſti autem & ij qui Dei mandata cuſtodiunt, & fidem Ieſu, audiant mecum vocem de cœlo, de Eccleſiâ reſonantem, dicentem mihi:

Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.

Digitized by Google

TEXTVS.

Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur: A modo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur eos.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Beati hi qui mortui peccatis, moriuntur, habentes nomen Ieſu ſcriptum in frontibus ſuis, & nomen Patris eius, tanquam perfecti Chriſti imitatores, & filij adoptiui ſummi Patris: erunt eius hæredes, ſicuti & Chriſti cohæredes. Nam *amodo dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos*: Ab inſtanti mortis eorum Spiritus ſanctus, qui Eccleſiæ ſuæ omnem aperit veritatem, docet nos per eam illos ab omni labore & moleſtiâ fore liberos, & ſuorum bonorum operum amplam recepturos mercedem. Nec enim Deus iniuſtus eſt, vt obliuiſcatur operis eorum & dilectionis. Ideo merita operum, quæ pro Deo peregerunt, illos ſequuntur, vt de eis remunerentur.

B Si autem ſcire deſideratis quomodo Agnus, qui ſtat in medio ſanctorum, tam admirabiles producit effectus, vt inimicos tandem ſubuertat poſt conflictum, & ſeruos ſuos ampla mercede remuneret poſt eorum obitum; mecum, quæſo, percipite quàm ſapienter omnia diſpoſuit in Eccleſiâ ſuâ, vt ea ſit tanquam acies benè ordinata, terribilis omnibus inimicis ſuis. Suis enim cooperatoribus in ſalute fidelium exequenda, diuerſa impertitus eſt munia; ex quorum executione, & de inimicis victoriam eſt reportaturus, & athletis ſuis fideliter certantibus præmia largiturus.

Et vidi & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem, ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.

C Etenim *vidi: & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem, ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* En primum munus ſeu officium à Chriſto in Eccleſiâ ſuâ inſtitutum, ipſo in cœlum eleuato, & tantùm inuiſibiliter apud ſuos remanente. Vt ſchiſmatis tolleretur occaſio, eligit qui vices ſuas in terris obtineret, & tanquam caput viſibile Eccleſiæ ſuæ conſtitueretur. Ille eſt filius maſculus, propter quem Eccleſia tantæ ac ſupremæ autoritatis grauida clamabat parturiens in flore primæuæ ætatis ſuæ, & cruciabatur vt pareret. Peperit illum tandem filium maſculum, qui recturus erat gentes in virgâ ferreâ, inuidente diabolo, fremente mundo; & licèt omnia draco attentauerit, vt deuoraret filium, & hanc autoritatem ſupremam è medio tolleret, raptus eſt D nihilominus ad Deum & ad thronum eius, qui ſub alas ſuas eum & fouit & protexit: Creuit identidem, & ad plenitudinem ætatis Chriſti peruenit, vt liberè valeat poteſtatem & auctoritatem à Chriſto ſibi collatam exercere. Is proculdubio non alius eſt ab eo quem videtis ſedentem ſuper nubem candidam, nempe ſuper Eccleſiam, tanquam caput viſibile præſidentem. Suſpenſa eſt Eccleſia, cum terram relinquens ad cœlum adſpirat: variis huc & illuc agitatur tentationibus: altitonantis organum eſt ad iudicia ſua mortalibus promulganda, vt eorum pectora ipſius timore concutiat, prouidentiæ eius adminiſtra ſingularis: per eam Deus terram imbre & E rore gratiarum irrigat & irrorat, & innumeros alios producit effectus, quo diuina eius ſapientia eluceſcat. Nubes eſt candida; ſanguine enim Agni dealbata, ſine maculâ exiſtit. Supra hanc nubem ille, cuius thronus in columnâ nubis, qui ponit nubem aſcenſum ſuum, ſecum euexit ſupremum caput viſibile Eccleſiæ, vt regat gentes in virgâ ferreâ, vti promiſſum illi fuerat, cum Petro aiebat: *Tibi dabo claues Regni cœlorum. Paſce Agnos meos. Paſce oues meas.* Similis eſt Filio hominis, quia legifer noſter eſt: hic autem diuinam legem ex autoritate ſibi collatâ dilucidat, Eccleſiaſticas leges condit, & de iis diſpenſat. *Filius hominis habet in terra poteſtatem dimittendi peccata*: Huic vero dictum eſt: *Quocumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis.* Filio hominis iudicium datum eſt: *Ipſe enim conſtitutus eſt à Deo iu-* A *dex viuorum & mortuorum*: Huic datum eſt vt liget & retineat: *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis.*

TEXTVS.

In ſignum huius poteſtatis caput habet coronâ redimitum, vt in eius autoritate & regale Chriſti ſacerdotium eluceat. Habet in manu ſuâ falcem acutam, omnem ſcilicet verbi diuini adminiſtrationem, qua Eccleſiam gubernet & regat: quo ſymbolo immediata à Deo ſibi collata iuriſdictio & autoritas in totum corpus Eccleſiæ fuit mihi adumbrata. Gladium habet Chriſtus in ore, vt imperet. Iſte in manu portat, vt quæ à Chriſto præcipiuntur ad regimen Eccleſiæ neceſſaria exequatur & perficiat. Gladius hic in manu eius eſt recuruus; tum B quia tantâ authoritate vti debet cum prudenti & accommoda rebus & negotiis conſideratione: tùm quia in falce quidquid inciditur, quaquaverſum flectitur, intus cadit: & ſicut poteſtas superni iudicij nullatenus euitatur (intra ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur) ita nullus eximi poteſt ab ea ſummâ poteſtate, quàm Chriſtus Petro contulit: potenter ad omnia obuiat: incidendo circundat.

Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad ſedentem ſupra nubem: Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora vt metatur: quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit qui ſedebat ſupra falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.

Hac ornatus eſt potentiâ. Vidiq; ex omnibus terræ partibus, vbicumque fuerit Eccleſia diffuſa, ab eo requiri vt hac poteſtate vtatur, ad demetendam meſſem terræ, id eſt, ad omnes electos congregandos in horreum Eccleſiæ. Audiui ſiquidem alium C Angelum exeuntem de templo, clamantem voce magnâ ad ſedentem ſupra nubem: *Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora vt metatur: quoniam aruit meſſis terræ*: quo omnes Angeli prouinciarum, Regionum ac ciuitatum, & oppidorum curam gerentes repræſentantur: qui vel ſummum Pontificem inſpirant, fidelem œconomum ac diſpenſatorem myſteriorum Dei, vt Epiſcopos, Paſtores ac concionatores deſtinet vbicumque terrarum, qui ſaluti hominum inuigilent, vel ipſos fideles pulſant ac impellunt vt ad eum recurrant, vt prouideat illis de perſonâ idoneâ, quæ eorum ſalutis curam gerat. Quod quidem cum ſedulò præſtat, demetitur terram: cum qui ad vitam ſunt præordinati, prædicatione Euan- D gelij, Sacramentorum debitâ adminiſtratione ac ſuſceptione demetiuntur, & in cœtu fidelium tum congregantur, tum incluſi ſimul retinentur.

Et alius Angelus exiuit de altari qui habebat poteſtatem ſupra ignem: & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ.

At prædicato vbique Euangelio, cum debitâ miſſione eius cui commiſſa eſt verbi diuini adminiſtratio, cum huic prouidæ ac vniuerſali ſalutis hominum ſolicitudini duo munia præcipuè inſeruiant (nēpe quæ adminiſtrationi Sacramēti Euchariſtiæ, vt ad finem nobis propoſitum perueniamus; & aliorum Sacramentorum, quæ ad præparanda fidelium corda, vt Euchariſtiam dignè ſuſcipiant, neceſſaria ſunt) hæc duo munia etiam mihi propoſita fuerunt, cum *alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cælo, habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus* E *exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem: & clamauit voce magnâ ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ.* Deus, qui cœlum & terram maieſtate ſua replet, ſpeciali quadam tamen ratione in Eccleſia ſuâ eſſe dicitur. Ibi enim cognoſcitur, amatur, colitur. In hoc cœlo templum habet in iis qui ſpecialiùs ad eius cultum deputantur. Ex numero eorum quidam ſunt qui habent etiam falcem acutam, nempe poteſtatem adminiſtrandi verbum Dei, non ſolùm illud diſſeminandi, ſed illud vſurpandi ad quoſdam ſanctificationis effectus, prout illud à Chriſto inſtitutum eſt, itaut hoc prolato ab iis, qui eius adminiſtrandi poteſtatem recepere, ſtatim (niſi ſit obex) peccata reſcindantur, gratia conferatur. Ad hos ille alius Angelus,

Digitized by Google

qui de altari exit, & poteſtatem habet ſupra ignem, nempe ſupra Euchariſtiam, ardentis eius charitatis præcipuum ſymbolum, clamat dicens: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ.* Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt. In terrâ tamen plantata vuas aliquando habet acerbas, ſed ad calorem ſolis matureſcunt, cum gratiâ Dei irradiante, timore aut amore eius ducti atteruntur, conteruntur. Tunc maturæ ſunt vuæ, vt ab eis vinum illud à ſponſa ſponſo promiſſum exprimatur. *Dabo tibi*, inquit illa, *poculum ex vino condito*, compunctione nempe cordis, ſynceritate fidei, ſpei ardore, charitatis ſuauitate. Sed niſi Chriſti paſſioni communicent, putreſcent proculdubio, areſcent potius in vineâ adhæreſcentes. Metantur igitur oportet, vt in lacum tam profundæ charitatis reponantur. Ibi enim paſſionis participes eas conculcari neceſſe eſt, vt debita ſatisfactione iuſtitiæ, Dei poculum iucundum præparetur. Sic ad Communionem corporis ſanguinis eius admitti poſſunt, vt dignè tam intimâ cum Deo vnione ſibi gaudere liceat. Poſtulat igitur iſte Angelus, qui de altari exit, quia habet poteſtatem conſecrandi & ſacrificandi corpus & ſanguinem Chriſti, & qui poteſtatem habet ſupra ignem, ex quo tanti ſacramenti (in quo Dei charitas in nos adeo perſpicuè elucet) eſt miniſter. *Solis* enim *presbyteris congruit vt ſumant & dent cæteris.* Nam cum Sacramentum corporis Chriſti conſecerunt, & ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis tranſmutarunt, maiori facilitate quàm ſi igne quodam fuiſſet ad nihilum deducta, vt tanti amoris Dei erga nos memoriam conſignarent eorum nomine. Hic Angelus poſtulat vt metantur ij qui per compunctionem ad maturitatem peruenerunt, & capaces ſunt abſolutionis Sacramentalis, qua meritorum Chriſti fiant participes. Huic voci obtemperat ſacerdos ille, qui poteſtatem habet abſoluendi à peccatis: mittit falcem ſuam acutam: exhortationibus ſuis horrorem peccati incutit, Dei amorem ac miſericordiam potenter inculcat, peccatorum genera ac ſpecies prudenter diſcutit & examinat, debitas pro eis ſatisfactiones imponit, & tandem tanquam falce præacuta per abſolutionem Sacramentalem pœnitentes in lacum iræ Dei magnum præmendos reponit. *Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem.* Chriſtus extra Hieruſalem hunc lacum calcauit: & nos cum eo exire debemus extra caſtra. Quod dico vt ſciatis de quo lacu iræ Dei loquar vobis. Scitote me de hoc lacu loqui, qui calcatus eſt extra ciuitatem, nempe de paſſione Chriſti, qui extra portam paſſus eſt. Tunc enim calcatus eſt ille lacus: quia quidquid poſtea meriti à ſanctis fuit repoſitutus in hoc lacu, vim ac energiam habuit ex hac extra ciuitatem Hieruſalem Chriſti paſſione, in qua *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi*, & Deo irato; tam ſeuerè peccata noſtra in proprio filio puniendo miſericordiâ effusâ ſupra omnem terram. *Iuſtitia enim*

TEXTVS.

Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

A *& pax oſculatæ ſunt*: vt quicumque deinceps eius paſſionibus communicaret, & remiſſionem peccatorum, & gratiam & gloriam mereretur. Hîc à Chriſto fideles calcantur, qui torcular calcauit ſolus, cum per bona opera magnam meritorum copiam effundunt, quo theſaurus Eccleſiæ repleatur; itaut hi, ſupra quos ſedet Chriſtus (qui aſcendit ſuper equos ſuos, nempe Paſtores Eccleſiæ ſuæ) iuxta ſuam fidelitatem & prudentiam (quibus tanquam freno coërcentur, ne indebitè theſaurum hunc diſpenſent) poſſint de hoc theſauro haurire ad remiſſionem omnium pœnarum fidelibus impertiendam: qui quotidie in immenſum creſcit, cum fideles quiſque Chriſti paſſionibus communicantes tam profundè immerguntur in hoc lacu paſſionum, vt qui B iumentum facti ſunt, vt Deus ſuper illis inſideat, & quo voluerit eos deducat, omnes motus, inclinationes, appetitus, paſſiones, ſenſus, intra debitos limites coërcẽdo; ne in illicita quæuis vllo modo ferantur, id eſt, in quamcumque mundi partem fideles degant, ſemper crucis mortificationem in corpore portent, nempè per ſtadia mille ſexcenta: Per illud enim ſpatium, merita paſſionum & dolorum Chriſti, & membrorum eius extenduntur. In cuius paſſione, ſicut & in pœnis & doloribus ſuorum, cognoſcitur clarè quanto odio Deus peccatum proſequatur, qui *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et licèt ſuos diligat, quaſi pupillam oculi, tantis nihilominus pœnis illos peccata ſua expiare decernit. Hoc lacu iræ magnæ Dei, C Eccleſia per quatuor orbis partes diffuſa alluitur, numero quadrageſimo decies rèpetito pro qualibet mundi parte; & quater centies quater etiam in numero ſtadiorum mille ſexcentorum reperitur, vt perſeuerantia in centeſimo fructu in quibuſuis ſanctis deſignetur. Et cum numerus quadrageſimus pœnitentiæ operibus ſit proprius, hoc numero quadragies repetito facilè ad perfectam pœnarum omnium indulgentiam, & quinquageſimo numero iubilæis aſſignato, octies pro qualibet mundi parte repetito, tandem peruenitur. Sic merita paſſionis Chriſti (ex quâ magis quàm ex ipſis pœnis inferni conjici poteſt quanta ſit ira Dei contra peccatores, vt innocentem filium pro eorum remiſſione adeo acerbam mortem ſubire voluerit) per vniuerD ſam Eccleſiam diffunduntur, cum per ſtudia ſexcenta millia (quæ terræ promiſſæ longitudinem, Eccleſiam Chriſtianam adumbrantis perficiunt) illum lacum diffundi dicimus. Ex hac immerſione in lacu paſſionum Chriſti tot martyres prodierunt, qui ad Deum conuerſi igne amoris ſui ſuccenſi mori potius elegerunt, quàm ab eo ſeparari: tot ſancti confeſſores quæuis moleſta conſtanter pertulerunt, vt tandem paſſionibus Chriſti communicantes poſſint ſtare ſupra mare vitreum, & cantare *canticum Moſis ſerui Dei, & canticum Agni dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum.*

TEXTVS.

Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

Digitized by Google

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM.

PRÆFATIO.

VIDIMVS Eccleſiam meritò poſſe iſtud Propheticum vſurpare *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.* Pſ. 127. Nam ſi à temporibus Abel, ſi ab Ægypti captiuitate olim expugnata fuit, certè noua Eccleſia Chriſtiana ab initio valde fuit oppugnata à Iudæis & Paganis, per annos præſertim trecentos, vſque ad Conſtantinum magnum; & poſtea per Saracenos, Mahumetanos, ſchiſmaticos, & hæreticos; nec oppugnari ceſſabit: licèt contra eam nihil poſſint inimici: quia *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et notat Genebrardus in voce hebræa, Rabbath, id eſt, multum ſæpe, deſignari impugnatores Eccleſiæ R. Romanos, B. Babylonios, id eſt, Saracenos, quorum Caliphatus contra Eccleſiam erectus in Babylonia tum Chaldaica tum Ægyptia; & T. Torgarnin, id eſt Turcæ. Quinque autem modis illam impugnari diximus, ex cap. 12. occiſione corporum, cultu idolorum, ſchiſmatum diuiſionibus, & vitiorum & paſſionum agminibus proprio amori inſeruientibus, prouenientibus ex hæreſum colluuie, ac diuerſis in poſſeſſione rerum caducarum & mundana tranquillitate vexationibus. Ad quorum omnium vel tolerantiam, nempe mortis & tormentorum; vel euaſionem per fugam; vel oppugnationem nempe cultus idolorum, vel ſchiſmatum eradicationem, per mortificationem ſenſuum & paſſionum; vel confutationem & redargutionem, nempe hæreſum, vel contemptum, nempe amiſſionis bonorum terrenorum, Eccleſia vt fidelis maneat à ſponſo prouocatur. His namque modis omnibus Satan Eccleſiam impugnat, cui fortis in fide reſiſtere debet, & ſtrenuè contra tot inſultus dimicare. At ſolus non eſt: nam, vt vidimus in cap. 13. prima beſtia, id eſt concilium malignantium pro dæmone arma ſumit, eiuſque fauet ſtudiis ac intentionibus tanto fortiùs & confidentiùs, quod à ſecundâ beſtiâ, nempe prudentiâ carnis, adiuuatur: quæ tam pernicioſi conſilij adiutrix, vt proficiat in peius maximo eſt adiumento. Nunc in capitibus ſubſequentibus, quomodo his omnibus contradictionibus Eccleſia fiat ſuperior, explicatur. Et in hoc capite decimo quarto Alcazar cenſet tria potiſſimùm recenſeri: primò exercitum Chriſti, quem opponat prædictis hoſtium phalangibus; ſecundò hortationem Chriſti in trinis Angelorum vocibus, qua ipſe per ſuos miniſtros concitat in prælium milites; tertio in meſſe ac vindemia ænigmatica, pictura præſtantiſſimæ victoriæ, quam Chriſti exercitus comparauit. Nos verò dicimus in hoc capite deſcribi quanam ratione mors corporis non officiat, nempe dum perfectam ſanctitatem, per Dei ſimilitudinem ac Chriſti imitationem, quis ſemel conſequitur, quæ quidem ſi olim in Chriſtianis primitiuæ Eccleſiæ maximè enituit, eminentiſſima etiam apparebit in his qui in fine ſeculorum contra AntiChriſtum dimicabũt. Cuius ſanctitatis decor in duobus maximè cernitur, nempe in virginitatis honore, qua anima abſtrahitur à quacumque carnis indecenti voluptate, & omnibus delitiis vltimum vale dicit; ſecundò in perfecta paſſionum Chriſti imitatione, dum quis pro iuſtitia agonizare non timet vſque ad vltimum vitæ ſpiritum; qua perſeuerantia & mortem peccati euadit, & mortem corporalem contemnit, ob ſpem certiſſimam futuræ reſurrectionis. Si enim Chriſto compatimur in præſenti, cum illo glorificabimur in futuro. Vnde in hoc capite dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

Dicimus ſecundò deſcribi in hoc capite, regni diaboli (qui per idololatriam tyrannidem exercet) euerſionem, per erectionem regni viſibilis in terris, dum ille puer maſculus ad Dei thronum raptus, menſuram plenitudinis ætatis Chriſti aſſecutus, apparet ſimilis filio hominis, ſedens ſuper nubem candidam, habens in capite coronam auream, & in manu falcem acutam. Nam ſub tanto duce & capite viſibili omnes videlicet ij, in quorum medio eſt Agnus, qui eſt caput inuiſibile ac præcipuum, victoriam de hoſtibus reportabunt; & in cap. 15. per dona Spiritus ſancti, vitia, & paſſiones, & proprium amorem, fontes & origines ſchiſmatum ſuperabunt, quibus ornati fideles, & præcipuè Eccleſiæ paſtores, fortiter contra Dei hoſtes dimicabunt in capite 16. Et proſtratâ in c. 18. impiâ (quæ poculum aureum plenum abominatione & immunditia fornicationis ſuæ propinabat) omnis errorum & hæreſum colluuies euaneſcet, & abſorbebitur in cordibus terrenorum hominum, qui ea quæ Dei ſunt ſapere non poſſunt, quia caro ſunt. Et tandem electi in arcto poſiti, congregatis contra eos in prælium innumerabilibus peruerſorum agminibus, glorioſè liberabuntur in cap. 20. Et poſt hoc iudicium.

Interim, quia tres hoſtes habemus, diabolum, mundum, & carnem, qui crudelitate immani, potentiâ, vel perfidâ aſtutiâ Eccleſiam conantur ſubuertere, ideo in hoc capite (ne terreantur ab his qui occidunt corpus, & poſtea non habent ampliùs quid faciant) demonſtratur quanta ſit gratiæ efficacia, à qua perfectam incorruptionem & integritatem corporis & mentis obtinemus, licèt carne adeo fragili compacti; & motiua potentiſſima proponuntur, quibus omnia peccata effugere prouocamur tanquam à facie colubri. Quod facillimum erit his præcipuè, qui ſub viſibili capite Eccleſiæ, illius communionem tenere, & vnitatem ſeruare ſtudebunt.

Idea ſymbolorum capitis decimi quarti.

PLVRIMA ſymbola, in hoc capite, nobis conſideranda proponuntur in tribus viſionibus. In prima viſione videt S. Ioannes agnum ſupra montem Sion, cum centum quadraginta quatuor millibus. Audit vocem aquarum multarum, tonitrui magni, & ſicut citharædorum cantantium canticum nouum ante ſedem, & quatuor animalia & ſeniores, ab iis tantùm decantandum. Quinam ſint illi citharædi aperitur, nempe Virgines, eorumque prærogatiuæ declarantur: quod agnum vbique ſequantur: quod ſint primitiæ Deo & agno: quod in ore eorum non ſit inuentum mendacium: quod ſint ſine macula ante Dei thronum.

In ſecunda viſione videt S. Ioannes tres Angelos, vnum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, dicentem magna voce: *Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius; Et adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fon-*

Digitized by Google

tes aquarum. Deinde videt alium Angelum ſequentem & dicentem: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes;* Denique alium Angelum illos ſequentem & dicentem: *Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, &c.* Quanta ſit eorum pœna declaratur: cruciandi enim ſunt igne & ſulphure in conſpectu Angelorum & ſanctorum, in ſecula ſeculorum: quod impiorum ſupplicium, cum patientia ſancti expectant. Interim ipſi beati prædicantur, quia in gratia Dei perſeuerantes, & patienter omnia ſuſtinentes, Domino moriuntur, cuius vitam & mortem fuerant imitati.

In tertia viſione videt S. Ioannes nubem candidam, & ſuper nubem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. Ad quem Angelus de templo exiens clamat voce magna: *Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora vt metatur.* Cui voci obtemperans mittit falcem in terram, & demeſſa eſt terra. Videtur alius Angelus exiens de templo, quod eſt in cælo, habens & ipſe falſem acutam: ad quem Angelus exiens de altari, habens poteſtatem ſupra ignem, clamat: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vuæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ.* Obtemperat ille, & mittit falcem in terram, & vindemiat vineam terræ. Et miſit liquorem expreſſum in lacum iræ Dei magnum: qui calcatus extra ciuitatem dedit ſanguinem ad tantam copiam, vt vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta perueniret.

Viſio prima cap. 14.

Et vidi: & ecce Agnus ſtabat ſupra montem ſion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.

De nobili & generoſo Chriſti exercitu, & ex quibuſnam componatur, nempe ex iis quos Chriſtus habere voluit fratres, quos faceret gratiæ ſuæ participes, poteſtatis ſuæ adminiſtros, & gloriæ conſortes.

ANNOTAT. I.

PER agnum Chriſtum ſignificari omnes conſentiunt, inter quos Andreas Cæſ. *Qui hîc cernitur, Chriſtum eſſe extra controuerſiam eſt. Conſiſtit autem ſupra montem Sion, non veteris illius ciuitatis, ſed noua viuentis Dei.* Ita And. Non abſque cauſa nomen agni aſſumit, dum ſuam præſentiam declarare intendit in medio eorum, qui in nomine ſuo congregati ſunt, vt ſub eius vexillis ſatanæ crudelitatem conterant, mundi arrogantiam conculcent, carnis aſtutias eludant, fideliter decertando contra Chriſti hoſtes. Non enim apparet in medio ſuorum in forma agni naturalis, non in forma viſibili, ſub qua olim conuerſabatur inter homines; ſed quia in medio noſtrum eſt vſque ad conſummationem ſeculi in Sacrificio Miſſæ, ideo agni nomen vſurpat, quia vt agnus immolatur: vt ſic modum explicet ſub quo dici debet ſtans ſupra montem Sion, in medio throni, & in medio centum quadraginta quatuor millium, qui habent nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.

Hi autem 144. millia ijdem ſunt cum illis capitis ſeptimi. At ibi repræſentantur vt coronas digito tangentes, propter conſummationem glorioſi certaminis; hîc verò vt in ſtatione militari poſiti, & ad certamen ſeſe mox accingentes. Ideo agnus dicitur eſſe in monte Sion, vt ſciamus ipſum ſe accingere A in prælium cum ſuis. Nam poſtquam Dauid abſtulit à Iebuſæis arcem Sion, dicta eſt poſtea ciuitas Dauid, vt patet 2. Reg. 5. *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid. Et ædificauit per gyrum à Mello & intrinſecus. Et ingrediebatur proficiens atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Et optimè dicitur Dominus Deus exercituum cum eo, quia ibi videtur quaſi in ſtatione militari poſitus, vt contra hoſtes populi Dei dimicaret. Ibi enim cognouit per experientiam Dauid *quod Dominus confirmaſſet eum regem ſuper Iſraël, & quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum ſuum Iſraël.* Ibi enim illo poſito Philiſthiim duabus vicibus aſcenderunt, vt quærerent Dauid, *audito quod eſſet vnctus in* B *regem Iſraël: & contra eum inierunt prælium, qui ab eo percuſſi & diffuſi ſunt, & ſculptilia ſua reliquerunt, quæ tulit Dauid & viri eius.*

Appoſitè ergo agnus dicitur cum ſuo exercitu ſtans in monte Sion, vt pote confirmato regno paratus ad prælium, & ad auferendum ſculptilia gentium. Hinc Iſa. 2. dicitur de hoc monte, in quo agnus ſtat: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et reuera ſtatim at- C que Apoſtoli recepto Spiritu ſancto in Penthecoſte, in Ieruſalem exierunt, per omnes orbis regiones initum eſt prælium cum Philiſthiim, id eſt, cum gentilibus. *Iudicabit* inquit Iſaias, *gentes: & arguet populos.* j. illos à tyrannide diaboli vendicando, eos regendo, eis dominando, lites eorum dirimendo, itaut pace illis data, ceſſantibus diſſidiis & bellis, ex militibus fiant agricolæ, & omnes ſtudeant concordiæ & paci: quam etiam ſeruabunt inter conflictus, quos inire opus erit cum diabolo, mundo & carne; & ablatis omnibus ſculptilibus errorum, phantaſmatum & prauorum affectuum, ambulabunt omnes in lumine Domini, in lumine veræ fidei & cognitionis Dei. *Et conflabunt*, inquit Iſaias, D *gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* Ita Iſ. Nam, vt dicitur, ex bello pax: quia iudicabit & arguet populos, ineundo contra gentium idololatriam. Iudæorum perfidiam, corruptionem morum, prælium, legem gratiæ annunciando: ex prælio exoptata pax, quam mundus non poteſt dare, conſequetur: qua externa etiam prælia ſopiri poterunt. Et ſi ineunda fuit pax cum Deo nunquam interrumpetur: non enim iniuſta bella ſuſcipient, qui Chriſtianam iuſtitiam colere ſtudebunt. Vnde ſi ex neceſſitate alicui iniuſtè ſe vel ſua inuadenti litem vel bellum moueant, odio E abſtinebunt, non alium lædere, ſed ſuum recipere cupientes; non bellum in ſe, ſed per bellum pacem & iuſtitiam quærentes, à bellis qui ex libidine dominandi, vel diteſcendi, aut ex inuidia ſuſcipiuntur, abſtinentes. *Oſtenſa igitur*, vt ait Primaſius, *ſimilitudine quam colit, & cui ſe ſimilem facit aduerſitas, inuicta quoque Eccleſiæ caſtra oportuit dilatari, ne tam vehementi perſecutionis impetu, vel ſuccubuiſſe vel periiſſe eamdem Eccleſiam infirmus animus æſtimaret; ac ne de electorum numero quemquam cecidiſſe putaret, & illorum maluit facere mentionem, qui arctioris viæ & anguſtioris ſemitæ apprehendere ſtatuerunt tramitem, atque vt oſtenderet aduerſantium imitationis eſſe, non veritatis, quam bonos nouerant viri Dei in re geſtare. Habebant*, inquit, *nomen eius, id eſt agni, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Ita Primaſius.

Digitized by Google

Agnus, id eſt Chriſtus, inquit S. Thomas, *ad modum agni pro nobis immolatus; & ideo ſuis non deerit, quos tam carè redemit: ſtat vt adiuuans ſuper montem Sion, id eſt, ſupra Eccleſiam: quæ mons eſt, propter virtutis ſublimitatem; mons autem Sion, propter contemplationis ſpeculationem. Sion enim interpretatur ſpecula vel ſpeculum: quia Eccleſia, quantùm ad iuſtos, ſpeculatur Deum oculo fidei, & amoris, & contemplationis. Dicitur autem Dominus ſtare ſupra Eccleſiam; tum quia ſuperior eſt & dignior tota Eccleſia, Ioan. 3. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; tum quia præſidet & dominatur Eccleſiæ. Ipſe enim Chriſtus rex noſter eſt, etiam in quantum homo. Et ideo, ſicut bonus rex, conſeruat ſeruos. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper montem Sion.* Ita S. Th. Dicitur autem agnus in medio centum quadraginta quatuor millium, quia ipſe dixit: *In medio veſtri ſum, tanquam qui miniſtrat*: quia in primo capite ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, vt tanquam cor in medio corporis, omnibus membris vitam transfundat, & tanquam ſol omnibus lucem ſuam communicet, & tanquam centrum omnes ad ſe attrahat.

Diſſimili autem de cauſa Chriſtus ſibi exercitum comparat, ab ea qua cogitur ſatan ſibi ſatellites comparare. Hoc enim facit dæmon, quia ſolus nihil efficeret. Hoc facit Chriſtus, quia ſuos in participationem meritorum ſuorum, poteſtatis & gloriæ ſuæ vocat. Dæmon ex indigentia & infirmitate ſocios habere deſiderat. Chriſtus ex abundantia & plenitudine poteſtatis, & bonitatis exuberantia comitatum requirit, qui ſolus poſſet cunctos hoſtes debellare. & ſolo nutu eos ad nihilum redigere. Dæmon aſciſcit ſocios, vt dum defectionis ſuæ comites ſuos conſcios fecerit, illos etiam ſocios habeat in ſuppliciis, ex ingenti malitia. Chriſtus autem fratres vult habere, quos cum fecerit participes meritorum & paſſionum per gratiam, illos faciat ex ſumma benignitate gloriæ ſuæ conſortes. Solus reuera iuit ad paſſionem; nec vllum ex Apoſtolis, quos comites itineris habuerat, voluit habere ſocios conſummationis curſus ſui. At non ſolus vult metere fructus paſſionis ſuæ, ſed vt leo generoſiſſimus alios ad prædæ ſuæ participationem admittit. *Torcular*, inquit ipſe apud Iſ. c. 63. *calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*; ne videlicet quis diceret cum eo homines redemiſſe, qui ſolus eſt mediator redemptionis, & verus hominis redemptor. *Oſtendens*, inquit S. Chryſoſt. in Pſal. 44. *victoriæ facilitatem, & quod nullum habuerit qui ei opem ferret, ſed ipſe ſibi ipſi ſuffecerit. Quemadmodum enim facile eſt ei qui ingreditur torcular calcare botros, ita etiam Deo facere quæ voluerit; imo nec ſic quidem, ſed longe facilius.* Ita Chryſ. Si igitur facillimum eſt Deo ſe ſolo præſtare, quod poteſt per quaſcumque creaturas, cur tantam multitudinem ſibi comparat? Cur tam copioſum exercitum inſtruit? Certè dum ad paſſionem ibat, dixit: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Vt ſermo quem dixit impleretur, quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Nolebat enim pro tunc pati, quos poſtea ad participationem paſſionum ſuarum vocabat; tum vt euidentius oſtenderet mortem pro ſuis ſufferre, vt illis vitam tribueret, dum ſolus mortem ſubire voluit; tum etiam vt manifeſtaret opus redemptionis eſſe planè opus diuinum, non humanum, nec etiam Angelicum, & Dei hominis ſolius eſſe pro aliis hominibus ſatisfacere, ideò nullum ex Apoſtolis ſocium paſſionis habere voluit: qui tamen latronem admiſit, vt oſtenderet non pro ſuis criminibus, quia nihil mali fecerat; ſed vt aliorum peccata expiaret, ſe mori deſiderare. Vnde in cruce pendens latronis crimina delet, & paradiſum petenti magnificè tribuit. Vox enim illa: *Hodie mecum eris in paradiſo*; fuit *vox in magnificentia*. Magnificũ enim, & pluſquam regium, nudum, ſitientem, anguſtiatum, agonizantem, & mortis doloribus circumdatum, indumentum gloriæ, torrentem voluptatis, cæli delitias, vitam æternam repromittere. Et dum latronem ſocium habere voluit paſſionum, non alia ratione hoc factum eſt, quàm vt fieret meritorum & gloriæ eius particeps; Chriſtoque Domino glorioſum fuit, dum in arenam ſolus deſcendere voluit, per paſſionem & mortem conſummare opus noſtræ redemptionis, & tamen velle vt alij fructum mortis ſuæ pleno hauſtu ebiberent, ſi aliquatenus eis contingeret, quacumque ratione mortis aut paſſionis ſuæ fieri participes. Hinc S. Paulus dixit ad Hebræos c. 2. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare; Qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te, &c. Per paſſionem conſummari*, inquit Sedulius; *de humilitate mortalis carnis, in gloria reſurrectionis exaltari, in exemplum eorum quos adducet in gloriam aliter conſummare, ipſam videlicet ſalutem perficere. Qui enim ſanctificat Chriſtus, & qui ſanctificatur homo iuſtificatus, per fidem ex vno omnes. Id eſt, Deo patre, ſiue ex Adam.* Ita Sedulius. *Vides*, inquit Primaſ. *quomodo eſt in medio noſtrum, nobiſque coniunctus ipſe filius, & nos filij; ille proprius, nos adoptiui; ſed ille ſaluat, nos ſaluamur. Multos filios adduxerat in gloriam: Hic coniunxit. Cum verò addit. Autorem ſalutis eorum; hic diſcernit.* Ita Primaſ. Vt illius ſalutis fructum conſequeremur, dicebat ad patrem orans in horto. *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Id eſt: Fac vt homines, quos fratres meos agnoſco, & paſſiones meæ poſſint eſſe participes, & fructus illius integros feliciter percipere. Optimè S. Hilarius: *Qui vt à ſe tranſeat rogat, non vt ipſe prætereatur orat, ſed vt in alterum id quod à ſe tranſiit excedat. Tranſeat calix à me, id eſt, Quomodo à me bibitur, ita ab eis bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Ideo autem; ſi poſſibile eſt; quia carni & ſanguini horum grauis terror; & difficile eſt eorum acerbitate corpora humana non vinci: facilè autem erit ſi quis aduertat & beneficia eſſe diuinitus conceſſa, & monitum eſſe Iacobi, dum ait: Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ita Hilarius.

Ne igitur terreamini propter horrendas beſtias, quæ Satanam comitantur. Habet ſecum Chriſtus, ſi non plures numero, ſaltem fortiores & generoſiores. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit; nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Non gaudet in brachio carnis, in brachio Ægypti, nec in multitudine hominum gloriatur. *Facile eſt*, dicebat ſtrenuiſſimus dux Iudas 1. Machab. 3. *concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis aut in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo victoria eſt.* Ideo nobilior eſt exercitus Chriſti; licèt pauciores videantur, (ſunt enim centum tantùm quadraginta quatuor millia; Quando autem numeratur exercitus impiorum, numerus equeſtris vicies millies, dena millia, c. 9. vel quorum numerus eſt ſicut arena maris, c. 20.) tamen tanta eſt fortitudo, conſtantia, magnanimitas, ſtrenuitas militum Chriſti, vt nihil timeant. Ex his componitur hic Chriſti exercitus, qui ad perfectio-

Digitized by Google

nis Chriſtianæ apicem ſunt prouecti. Chriſtus quidem eſt mons in vertice montium, qui eleuatur ſupra omnes colles: quia illius perfectio excedit omnium ſanctorum perfectionem. Siue ſupra montem, id eſt, omnem Eccleſiam, caput Angelorum & hominum, eminens in ſanctitate, ſicut ſupra alios eminet autoritate ac dignitate. Si quid enim Eccleſia perfectionis, ſi quam gratiam accepit in die Pentecoſtes, in monte Sion congregata, quando in ea abundè deſcendit plenitudo Spiritus ſancti, hoc totum habet ex plenitudine Chriſti, qui in ea ſtat & permanet, vt illam donis cumulet copioſiſſimè. Aſcendens in altum, & captiuam ducens captiuitatem accepit ex inexhauſto donorum fonte, è ſinu Patris, dona hominibus, quæ effudit effuſo in eis Spiritu ſancto, qui dator munerum præcipuum donum Dei meritò nuncupatur. *Donum* (canit Eccleſia in hymno) *Dei altiſſimi, fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio.* Hinc fit vt quamuis ſancti eadem dona non habeant in pari grandi ac in Chriſto reperiuntur, nulla tamen in Chriſto gratia (præter eam vnionis hypoſtaticæ, quæ incommunicabilis eſt alteri) talis eſt, cui ſancti participare non poſſint, prout Deus ſua dona diſtribuere vult: Gratia gratificante induuntur, decorantur; remittuntur eis omnia peccata, originale & actuale quodcumque, vi meritorum eius; ab omni peccato mortifero ſæpius præſeruantur; fiunt filij Dei adoptiui, & quod ille habet ex natura, iſti poſſideat per gratiam. In his elucent effectus redemptionis, & æternæ ad gloriam prædeſtinationis. Hi ſunt de quibus ait Propheta: *Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ad tam ſublimen quippe gradum gloriæ perueniunt poſt huius vitæ decurſum, in qua Chriſtum in ſuis virtutibus & paſſionibus fuerunt imitati, vt ad thronum illius ſublimentur, honoriſque eius fiant participes. Quis non multam ſpem victoriæ conciperet, videns exercitum ex tot inſignibus militibus compoſitum? Reuera ſint hoſtium incurſus & impetus furore & rabie formidandi quantum volueris, præualet vis & efficacia gratiæ contra omnem aduerſariorum nequitiam.

Hanc ſpem concipies, ſi animaduertas hos milites inſignia portare magnifica, quibus eorum & ſanctitas, & autoritas, & conſtantia certior redditur. Portant nomen filij per characterem baptiſmi, quo Chriſto ſunt conſepulti in participatione mortis eius & futuræ reſurrectionis. Portant characterem Sacramenti Confirmationis, quo eius militiæ aſcribuntur, & plenitudinem donorum Spiritus ſancti accipiunt, de eius plenitudine accipientes. Portant characterem Sacramenti ordinis, quo in Chriſti memoriam faciunt quod ille præcepit, & potentes fiunt vt aliorum ſaluti conſulant. At portant nomen Patris, propter perfectionem ſanctitatis, quia dictum eſt illis: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: Et quia de Patre dicit ſanctus Paulus: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate: qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Epheſ. 1. Hoc eſt habere nomen Patris ſcriptum in frontibus, benedici omni benedictione ſpirituali, eligi ad ſanctitatẽ, & ad filiationem diuinam, & hæreditatem æternam: Eſt enim character quidam (quo ſignantur prædeſtinati) indelebilis. Scriptum eſt enim: *At firmum firmamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognoſcit Dominus qui ſunt eius. Et diſcedat ab omni iniquitate om-*

A *nis qui nominat nomen Domini.* 2. ad Timoth. 2. His characteribus dignoſcuntur, ſicut noſcuntur ſatellites diaboli, qui characterem Anti-Chriſti portant in manu & in fronte.

Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audiui ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis.

Quinam poſſint ad hanc Chriſti militiam, aſcribi, & in numero militum eius reponi?

B

ANNOTAT. II.

CVM audis vocem de cælo, nihil terrenum cogites. Voces audiuntur de cælo, quia ad cælum vocamur: de qua vocatione Apoſtolus ad Hebræos 3. *Vnde, fratres ſancti, vocationis cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum.* At quinam ſunt, qui in hoc cælo commorantur, vt in eo illorum voces audiantur? Nulla gens aut natio excluditur, dictum eſt enim: *Prædicate Euangelium omni creaturæ;* & à quatuor ventis colliguntur electi, id eſt, à quatuor mundi partibus. Vnde hoc cælum, hæc ſuperna vocatio omnes admittit qui credere voluerint. Ideo dicitur hîc: *Audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum.* C Aquæ, populi ſunt. ap. 17. igitur quia Chriſtus congregat ſuam Eccleſiam ex omnibus populis & nationibus, vox ab Eccleſia erumpens dicitur. *Vox aquarum multorum.*

At ne cogites eos ad montem perfectionis abſque Dei præpotentis auxilio perueniſſe (*Quis enim aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus & mundo corde.* Reſpondet Propheta; quæ innocentia & mundities obtineri nequit abſque ſpeciali gratia Dei) ideo addit: *Et tanquam vocem tonitrui magni.* Ac ſi innuere vellet: cum agno ſtant in monte. *Intonuit* enim *de cælo Dominus: altiſſimus dedit vocem ſuam:* dum eis efficax dedit auxi-D lium aſcendendi cum eo in montem. *Beatus enim vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.* Niſi enim intonuiſſet, nunquàm ad tantam perfectionem conſcendere potuiſſent. Prædicat igitur illorum ſumma perfectio magnitudinem & magnificentiam Dei, alta & ſonora voce, Dei inquam, qui Iob alloquens dicebat: *Nunquid voce ſimili tonas?* Quàm alta in eis cæleſtium meditatio! Quàm ſublimis Dei contemplatio! Quam ardens Dei charitas! Quam vera in eis rerum omnium mundi deſpicientia! Quàm perfecta Chriſti patientis imitatio! Quiſnam hoc præſtare potuit? Deus ſolus omnipotens huius operis autor eſt. Eos autem tales effecit, quia per illos volebat prædicari verbum ſuum per vniuerſum or-E bem. Et quidem *in omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* Sed quid ſibi vult quod vox tam fortis & ſonora horrorem incutiens ex ſe, tamen ſuauis ſit? *Et vocem,* inquit, *quam audiui, tanquam citharædorum cytharizantium in cytharis ſuis.* Hoc ſymbolo diſce iſtud Euangelium eſſe Euangelium pacis & concordiæ. Vnde de iis dicitur: *Quàm pulchri ſunt pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!* Ad quam prædicandam vt redderentur idonei, oportuit vt mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo iugiter portarent, ſenſus cohiberent, appetitus refrænarent; paſſiones continerent, affectus rationi ſubjicerent, cogitationes coërcerent, mentem & voluntatem fixam & immobilem retinerent, in Dei cognitione & amore, vt quadam harmoniâ ſenſuum

internorum

Digitized by Google

internorum & externorum, & appetitus ſenſitiui & rationalis, paſſionum & affectuum, phantaſiæ & intellectus, intellectus & voluntatis fieret in eis quidam concentus Dei auribus gratiſſimus. Vnde indicat deſiderare ſe audire vocem ſponſæ, his verbis, Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Vox, inquam, dulcis: ob adeptam perfectam pacem, & concordiam mentis cum Deo, quam ineſſe non dubitamus, dum homo hac omnium ſuarum facultatum ſapientiſſima diſpoſitione ad Deum, quem pro vltimo fine habet, omnia ſua refert. At citharizant in citharis ſuis: quia quicquid eſt meritorium, eſt vnicuique perſonale. Proprio enim labori ac induſtriæ merces redditur, & honor impenditur; non alienis laboribus. Et cum vox ſit de cælo, vox ſit inſuper perfectum concentum faciens, nihil habens diſſonum aut inconcinnum; ſatis perſpicitur ab hoc concentu remoueri homines terrenos & carnales, omnes ſchiſmaticos & charitatis osores, omnes hæreticos & errorum diſſeminatores, propriumque eſſe eorum, qui in Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana degunt (vbi fides vera, charitas perfecta, morum integritas reperitur) has voces conſonas emittere, quæ Deo, Angelis, & hominibus gratæ ſunt & acceptæ, & quæ pacem cum Deo, cum proximo, cum ſeipſo, & conciliant & ſignant.

Quæres itaque quinam ſint illi centum quadraginta quatuor millia? Hi ſunt qui ex omnibus gentibus ſeliguntur, vt per aquas gratiæ diuinæ, & tribulationes magnas ad cælum perueniant; qui perfectionem in altiſſimo gradu conſecuti ſunt, quia præpotenti Dei auxilio fuerũt præuenti, quia idonei redditi ſunt eſſe Dei cooperatores, & myſteriorũ ac verbi diuini diſpẽſatores, cuius adminiſtrationis finis & ſcopus eſt ſumma pax inter Deum, & homines; inter ipſos homines, cum animi tranquillitate perfecta. *Sedebit enim populus in abundantia, & pulchritudine pacis*, in Eccleſia de qua dicitur: *Poſuit fines tuos pacem.* Et reuera ad hæc præſtanda cæleſtis ac diuina vocatio fuit neceſſaria: nec enim hominis eſt incipere tantum opus: ex toto enim, non ex parte eſt, quod gratia nos in omnibus præueniat, vt ad Deum veniamus. Vnde ſapienter S. Proſperus, libro contra Collatorem, dixit: *Superfluum imo impium eſt ſic velle meritis ante gratiam exiſtentibus locum facere, vt non ex toto verum ſit quod ait Dominus: Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me, attraxerit eum; ſi cuiuſquam hominis ſine Dei illuminatione eſſet credenda conuerſio, aut vllomodo ſe voluntas hominis ad Deum ſine Deo poſſet extendere: qui dum vocatum ad filium trahit, non reſiſtentem inuitumque compellit; ſed ex inuito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, vt cor audientis, obediendi in ſe dilectione generatâ, ibi ſurgat vbi premebatur; ibi diſcat, vbi ignorabat, inde fidat, vnde diffidebat: inde velit, vnde nolebat. Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Ita Proſp. Qui neceſſitatem gratiæ ad inchoandum tantum opus ſapienter demonſtrat, dum totum hoc opus Deo eſſe tribuendum aſſerit. Ad omnes autem nationes perueniet iſta vocatio externa, quæ auditur de cœlo: quia nulla erit natio, ad quam aliquando non perueniat Euangelij prædicatio. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Matt. 25. in teſtimonium, non in conuerſionem, quia non omnes credent Euangelio: credent tamen aliqui, vt congregentur electi ex omnibus gentibus, & ſic in cœlo fiat vox aquarum multarum, id eſt, multorum populorum: vt ſi in quibuſdam appareat humanæ voluntatis auerſio, dum Iudæi ex Euangelio ſcandalizantur, & à plurimis gentium tanquam quid ſtul-

A tum reſpuitur: in aliis eluceat diuinæ gratiæ operatio, in quibus Euangelium appareat eſſe Dei virtus, & Dei ſapientia. *In quibus ergo gentibus*, inquit Auguſt. Epiſt. ad Heſychium, *nondum eſt Eccleſia, oportet quod ſit: non vt omnes qui ibi fuerint credant. Quomodo enim & illud implebitur: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum; niſi in omnibus gentibus ſint & qui oderint, & quos oderint?* Ita Auguſt. Et dum oportet quod ſit Eccleſia in omnibus gentibus, fit ex electis è gremio gentium vocatis aggregatio aquarum multarum, vt verum ſit quod dicitur: *Et audiui vocem de cœlo, tanquam aquarum multarum.* Id eſt, Audiui fideles ad cœlum vocatos, ex omni natione & populo congregatos: quaſi diceretur: *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum.* Id eſt, con-
B gregentur electi in nationibus, in quibus erit copia gratiarum Dei, in vnum locum, id eſt, in vnam congregationem: & fiat Eccleſia.

At iſti ſunt filij tonitrui, qui ſanctitate præcipua ſunt famoſiſſimi. Altiori enim voce Deus dicitur loqui, qua, quia omnia ſolo verbo producit, excellentiora & altiora facit opera. Cum igitur hæc vox cæleſtis, quæ populos ad montem vocauit, ſit ad modum tonitrui, indicat magnitudo vocis magnitudinem operis: quod quidem reuera magnum eſt. Nam per illud homines fragiles & infirmi ſtant cum agno in monte ſanctificationis, & altiſſimæ perfectionis, qua præditi valeant Dei magnalia
C hominibus intrepidà voce prædicare. De his fit mentio in hoc loco, qui & verbo & exemplo debent pro Chriſto contra diabolum & eius ſatellites dimicare, illorum virtutes imitantes, qui olim à Chriſto Boanerges, id eſt, filij tonitrui fuerunt nuncupati; ſiue quia per tonitruum Chriſti vocantis fuerint generati, & per tonitruum patris, idonei verbi miniſtri & diſpenſatores effecti. Vnde S. Hieron. in catena S. Thomæ, ponderans quod dicitur, Marc. 3. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus; & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina, Boanerges, quod eſt filius tonitrui*, ait: *Per hoc trium ſuperiorum ſublime oſtenditur meritum, qui in monte merentur audire tonitruum Patris per nubem de filio to-*
D *nantis: Hic eſt filius meus dilectus: vt & ipſi per nubem carnis, & ignem verbi, quaſi fulgura in pluuiam in terris ſpargerent: quoniam Dominus fulgura in pluuiam fecit, vt extinguat miſericordia, quod iudicium vrit.* Ita Hieron. Pari ratione Chryſ. in eadem catena: *Filios quidem Zebedæi ſic nominat, propter hoc quod magna & clara diuinitatis edicta debebant orbi terræ diffundere.* Ita Chryſ. Igitur vox 144. millium, qui ſunt cum agno, non ſolùm indicat eos eſſe ex omnibus populis congregatos, ſed ad magnam ſanctitatem adipiſcendam vocatos, vt capaces fierent cunctis aliis magna Dei opera nunciare.

At cur hæc vox auditur tanquam citharœdorum citharizantium in citharis ſuis? Lumen præbet
E huic ænigmati S. Chryſoſt. in Pſ. 107. hunc verſ. exponens: *Exurge gloria mea: exurge pſalterium & cithara. Pſalterium*, inquit, *& citharam ſeipſum appellat Propheta. Spiritus enim gratia in organo muſico eſt. In ipſo Propheticum cantum, tanquam pulſatis quibuſdam fidelibus edebat: ſiquidem ad diuinum afflatum præparat, animam & corpus mouens: per citharam nimirum corporis membra, & ſenſuum inſtrumenta, quorum opera mens quicquid lubet, concinit; per pſalterium autem, rationales animæ facultates.* Ita Chryſ. Igitur quia iſti nunquam potuiſſent pacem hominibus nunciare, niſi corpus & ſenſus corporeos per mortificationem ſub mentis imperio perfectè ſubegiſſent, ideo vox illorum eſt tanquam citharizantium in citharis: quia videlicet Chriſtum crucifixum prædicant, & vt hoc præſtent fructuoſiùs, etiam mortificationem

A Ieſu Chriſti in corporibus ſuis portant. Sic enim in citharis propriis citharizant, dum mortificationem vitiorum & corporis annuntiantes, ipſi Deum in corporibus ſuis portant & glorificant. *Cithara*, inquit Victorinus in Apoc. *chordam in ligno extenſam ſignificat, id eſt carnem, Chriſti paßionis ligno coniunctam.* Ita Victor. Dum igitur hi paſſionem Chriſti explicant, citharam videntur pulſare. At dum ita Chriſti paſſiones annuntiant, vt ipſi etiam exemplo quomodo cum Chriſto ſit compatiendum demonſtrant, certè citharizant in citharis ſuis.

His omnibus ſupradictis fauet Andreas Cæſar. hunc locum exponens: *Vox aquarum multarum, ſonuſque tonitrui, & citharizantium hymnorum, & laudum quas ſancti fundunt claritatem, odæque & carminis ſuauitatem & conſonantiam ſignificant. Hæ namque inſtar chordarum citharæ apte compoſitarum, per vniuerſam Eccleſiam, cætumque primogenitorum in cælo deſcriptorum, latè circumſonant. Enimverò quod eſt concinna fidium conſonantia, hoc ſanctorum eſt conſenſio, mutuaque inter ſe conſpiratio. Ad quæ viam munit carnalis ſenſus mortificatio, libidinumque corporis compreßio.* Ita And. Cæſ. Fauet etiam S. Thomas in expoſitione, dum ait: *Tanquam vocem aquarum multarum, j. quaſi vocem populorum multorum: quia ſancti Virgines de multis populis diuinâ gratiâ colliguntur. Aquæ autem multæ ſignant populos multos: quia homines per ſe labiles ſunt, & defectibiles, quos tamen Dominus ſolidat, cum ei adhærent, &c. Et tanquam vocem tonitrui magni. Per hoc ſignatur quod iocunditas (quæ eſt in Virginibus, & etiam in aliis iuſtis) generat terrorem vtilem in impiis, qui ſtatum ſuum videntes, & cordis amaritudinem ſentientes; & è contrario veram iocunditatem iuſtorum, quæ exteriùs per ſigna, verba & opera manifeſtatur, conſiderantes, vtiliter terreri poſſunt, &c. Et vox, quam audiui, ſicut citharædorum. Nota quod in Cithara ſunt & chordæ conuenienter & aptè ſuper lignum extenſæ. Lignum Crux Chriſti, per chordas, ſingula membra corporis, vel ipſa corda. Hæ chordæ ſuper lignum extenduntur, quando ad imitationem dominicæ crucis, per deuotam meditationem iacent extenſæ meditationes & affectiones mentis. Matt. 10. Qui non accipit crucem ſuam, &c. Qui ergo carnem ſuam mortificant, ſunt optimi citharædi: quia canticum iocunditatis internæ, cum qua ſe mortificant, & laus qua Deum magnificant, quæ fiunt cum cithara, id eſt, carnis mortificatione deuota, dulciter reſonant, quaſi dulcis melodia citharæ in auribus Dei. Citharædus ergo eſt, qui per internam iocunditatem, vel per diuinam laudem cum carnis mortificatione Deo cantat. Tales citharizant in citharis ſuis, id eſt, ſuauem Deo melodiam reddunt, dum intimo gaudio iocundantur in mortificationibus propriis. Dicit autem, in citharis ſuis, id eſt, mortificationibus ſuis, auſteritatibus propriis, non alienis: contra illos qui ſemper petunt communicationem meritorum, & ſuffragia orationum; & ipſi citharizare nolunt, id eſt, per iocunditatem mentis cum carnis mortificatione, Galat. 2. Chriſto crucifixus ſum cruci.*

Hoc autem valde neceſſarium eſt virginibus, ſcilicet mortificatio carnis, quia virginitas facilè amittitur. Ita S. Tho. Tales igitur eſſe debent milites Chriſti: neque enim eius hoſtes exteriùs ſuperare poterit, qui internum & domeſticum hoſtem, nempe carnem, domare neglexerit.

Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem & ante quatuor animalia & ſeniores. Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.

Arma militum Chriſti eſſe Dei laudes, iuxta ea quæ de Deo ab Eccleſia docentur; quas aſſumere debent iuxta Paſtorum Eccleſiæ præceptum.

ANNOTAT. III.

B NE exiſtimates de iis loqui, qui iam ſunt æternam gloriam adepti, dicit illa centum quadraginta quatuor millia cantare ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores. Cum enim ſedes Eccleſiam militantem ſignificet, vt vidimus, certè iſti qui cantant ante ſedem, ad vitæ præſentis ſtatum & militantem Eccleſiam pertinere non eſt dubium.

Poſtquam igitur S. Ioannes dixit quinam ſunt idonei, vt in militiam Chriſti aſcribantur, nunc indicat quibus armis vti debeant, vt hoſtium cuneos penetrare, & illos proſternere valeant. Nouum genus inſtrumentorum bellicorum ſunt proculdubio hæc arma militiæ noſtræ: ſunt enim tantùm cantica,
C non currus, non equi, non lanceæ, non tela aut iacula, non bombardæ, aut inſtrumenta fulgura & tonitrua imitantia; ſed tantùm nouum canticum, mentis lætitiam & iocunditatem indicans.

Cantica autem & Dei laudes eſſe arma bellica, habes ex Pſal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Ac ſi diceret: Statim atque ſancti exultantes in gloria, & lætantes in cubilibus ſuis, habent in lingua & ex intimo cordis affectu Dei encomia, & prædicationes eorum, quibus exaltatur, pronunciant: diceres illas mentis & affectus, & vocis eleuationes eſſe quaſi gladios in manibus eorum duarum acierum, vtraque parte ſcilicet ſcindentes, vt de impiis capiant vindictam.
D Verbum enim illorum tam potenter proſternit hoſtes, ac ſi gladio ferirent. *Oſtendit*, inquit S. Chryſoſt. in hunc Pſalmum, *hîc bellum cum chorea gerendum, & quòd canentes & laudantes ſic vincent. Exaltationes enim dicit hymnos, pſalmos, gratiarum actiones*, &c. *Bellum hîc*, inquit S. Baſilius in ſcholiis in Pſ. *cum tripudio ſuperandum eſſe oſtendit: quòd videlicet canentes & laudantes hoſtium ſint victores euaſuri.* Et S. Auguſtinus in eumdem Pſalmum: *Framea appellatur, quam vulgo ſpatam dicunt. Sunt enim gladij ex vna parte acuti. Ipſe ſunt machæra, ipſæ autem frameæ, ipſæ & romphææ, ipſæ etiam ſpatæ appellantur. Magnum myſterium habet hoc genus ferramenti, quod ex vtraque parte acutum eſt. Ipſæ frameæ ſunt acutæ in manibus eorum. Fra-*
E *meas bis acutas intelligimus ſermonem Domini: & vna framea eſt: ideo multæ dicuntur, quia multa ora ſunt, & multæ linguæ ſunt ſanctorum. Sermo Dei gladius accutus. Vnde bis accutus? Dicit de temporalibus, dicit de æternis.* Ita Auguſt. Perpulchrum certè habemus in ſcripturis exemplum, quod Dei laudes in ore, ſint gladij ancipites in manibus, ex hiſtoria victoriæ quam reportauit pius Rex Ioſaphat de Ammonitis, Moabitis, & habitatoribus montis Seir, qui mutuis concidere vulneribus, cum Leuitæ cæpiſſent laudes canere antecedentes exercitum, ac voce conſona dicere: *Confitemini Domino: quoniam in æternum miſericordia eius.* 2. Paralipom. 20. c. Habemus igitur laudes Dei, ſermones Dei, eſſe gladios in ore ſanctorum, qui diſiungit ſanctos ab impiis. *Separat à te quod te impedit*, vt Auguſt. ait, *filium à patre, filiam à*

matre, nurum à ſocru. Affert promiſsionem vitæ præſentis, & futuræ: conſolationem temporalium: æternorum perfruitionem. Hi gladij ſunt in manibus, id eſt, in poteſtate, vt vbi vellent dicerent, cui vellent dicerent, non timerent poteſtatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium, qua volebant vibrabant, verſabant percutiebant: & hoc totum erat in poteſtate prædicantium, inquit Auguſt. alium ſenſum dat Auguſtinus poſtea. *Nam qui locuti ſunt*, inquit, *in lingua habuerunt ſermonem Dei: qui ſcripſerunt, in manibus.* Alium adde ſenſum. Illi habent ſermonem in manibus, qui opere complent quod lingua profitentur: & dum ore cantant, manu citharam pulſant, corpus ſuum caſtigando, ne dum aliis prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur.

Iam fratres, inquit S. Auguſt. *videtis ſanctos armatos. Attendite ſtrages. Attendite glorioſa prælia. Si enim imperator, & miles: ſi miles, & hoſtis, ſi bellum, & victoria?* Ita Auguſt. Vidimus imperatorem agnum. Vidimus milites centum quadraginta quatuor millia cum eo ſtantes. Vidimus hoſtes, ſatanam, belluam marinam, & belluam terreſtrem. Pugnandum erit, ſed ſperanda victoria: *Dominus* enim *fortis & potens, Dominus potens in prælio*, Et *ſermo Dei viuus & efficax eſt, penetrabilior omni gladio ancipiti*; & dat ſuis os & ſapientiam, cui non poſſunt reſiſtere omnes aduerſarij ſanctorum. Vnde in ſolo Dei nomine gloriantur, nec alias vires requirunt. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.* Pſ. 19. in curribus & equis hoſtes confidunt: eos inclamant: de eis mentionem omnem vel præcipuam faciunt: nos contra, Dei inuocatione nitimur. *Illi*, inquit S. Baſilius in ſcholiis, ſuper Pſ. *equis & curribus confici nihil prorſus effecerunt, ſed inuiſibiliter irretiti ceciderunt. Nos verò diuino inuocato auxilio virtutem ſalutis. Perſpicuè adepti, illiſque tanquam hoſtibus proſtratis inimici declarati ſumus.* Ita Baſilius. Vnde, vt mihi videtur, ſtatim atque Dauid Pſ. 143. dixit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus mea ad prælium, & digitos meos ad bellum*; vt innuat quibus armis inſtructus ſe accingat ad prælium, ad laudes Dei tanquam ad arma recurrit. *Miſericordia*, inquit, *mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus. Protector meus, & in ipſo ſperaui.*

His armis igitur inſtructi non timeamus inire prælium. Cadent inimici vt exurgant, ſeparabuntur vt congregentur, vulnerabuntur vt ſanentur, morientur vt viuant: datur enim ſermo in manibus, *ad faciendam vindictam in gentibus, increpationes in populis*; vt dum percutis peccatorem illum obiurgando, moriatur peccato; vt Deo viuat, & viuens alligetur his vinculis, de quibus dicitur: *Vincula eius alligaturæ ſalutis*; vt iam non amplius carni & mundo ſeruiant, ſed Chriſto, qui pro eis mortuus eſt. Hinc addit: *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Venit*, inquit S. Auguſtinus, *Deus Chriſtus prodeſſe omnibus, ſed elegit prodeſſe imperatori de piſcatore, non piſcatori de imperatore, & elegit ea quæ nullius momenti erant in mundo. Ipſos impleuit Spiritu ſancto, dedit eis frameas bis acutas; prædicare præcepit Euangelium, & ire per totum orbem terrarum. Fremuit mundus: erexit ſe leo aduerſus agnum: ſed fortior leone inuentus eſt agnus. Leo victus eſt ſæuiendo, Agnus vicit patiendo. Conuerſa ſunt corda hominum ad timorem Chriſti: cæperunt reges, cæperunt nobiles miraculis commoueri, prophetiæ adimpletione turbari. Vides in vnum nomen concurrere genus humanum. Et quid facerent? Multi elegerunt ignobilitatem, & dimittentes domos ſuas, & ſubſtantias ſuas diſtribuentes pauperibus, cucurrerunt ad perfectionem. Si vis perfectus eſſe, &c. Multi ex nobilibus fecerunt hoc, ſed ceſſauerunt iſti nobiles eſſe gentium, elegerunt paupertatem in ſeculo, nobilitatem in Chriſto.*

A Ita Aug. At dices; Non omnes fecerunt hoc. Eſto, tamen alligati ſunt in compedibus, & in vinculis ferreis. Vnde hoc? Reſpondit Auguſtinus: *Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes ſapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea, & non aurea? Ferrea ſunt quandiu timent. Ament, & aurea erunt.* Ita Aug. Hæc eſt victoria præcipua, quam Agnus deſiderat obtinere cum ſuis. Sed ſi qui verbo non ceſſerit Sermoni diuino fidem non adhibuerit; canticis, orationibus & Deo laudibus, quibus ſancti orant, vt mortales ad Deum conuertantur, reſiſtere voluerit, *hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Dei.* B Hæc erit victoria eorum, qui canticis & citharis laudare Deum non ceſſant. Sed vt videamus quàm feliciter omnia illis ſuccedant, quod cantant canticum nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores, quale ſit hoc canticum nobis eſt aperiendum. Victorinus in Apocalypſ. *Coniuncta veteris teſtamenti prædicatio cum nouo populum Chriſtianum oſtendit cantantem canticum nouum, id eſt, confeſsionem ſuam publicè conferentem, nouum & filium Dei hominem fieri, nouum cum corpore in cælos aſcendere, nouum remiſsionem peccatorum hominibus dari: nouum ſancto ſpiritu ſignari homines, nouum ſacerdotium accipere ſacræ obſeruationis, & regiam expectare immenſæ repromiſsionis.* Ita Victor. Et optimè: nam prædi- C catio horum omnium victoriam obtinuit de Satana eiuſque ſatellitibus. At etiam canticum nouum, quia non modo noua de Deo & Chriſto annunciant, ſed ad nouam etiam vitam inducant illa ſanctorum Cantica S. Chryſ. exponens Pſ. 149. *Cantate canticum nouum*, ait: *Si ſpectetur quidem anagoge, dictum eſt noui teſtamenti nouum canticum: facta ſunt enim tunc noua omnia. Teſtamentum: Dabo, inquit, vobis teſtamentum nouum; Creatura: Si qua enim, inquit, noua creatura: Homo: Exuentes, inquit, veterem hominem, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius qui creauit ipſum. Propter nouam ergo vitam, & alia omnia dicitur. Nouum teſtamentum, & nouum eius canticum adhortatur nunc canere Propheta.* D Ita Chryſoſt.

Sed cur non dicit abſolutè eos cantare canticum nouum, ſed cum modificatione ait, *Quaſi canticum nouum.* Rupertus ad Prophetas veteris teſtamenti recurrit, & quia canticum nouum eſt teſtamentum nouum, in quo veterem hominem depoſuimus, & nouum induimus, in quo innouati ſimilitudinem terreni parentis depoſuimus, & ad formam cæleſtis autoris tranſlati ſumus, *quaſi nouum canticum*, inquit Rupertus, *vetus eſt teſtamentum, quod per quaſdam ſimilitudines figuraſque multiplices eadem ſignificat, quæ nouum teſtamentum continet. Cantabant igitur quaſi canticum nouum, id eſt, mirabili Prophetici ſpiritus potentia præuidebant Euangelicæ gratiæ Sacramentum. Et ſecundum* E *hoc exemplar faciebant & docebant legale miniſterium, & per figuras competentes profitebantur agnum Dei Chriſtum pro ſalute mundi paſſurum, ſuaque paſsione mundum innouaturum. Ita cantabant ante ſedem, & ante quatuor animalia, in præparatione regni Dei, in obſequio Euangelij Chriſti, ad inſtructionem, quorum venerabilis ſenectus, id eſt, vita immaculata regit Eccleſiam Dei.* Ita Rupertus.

S. Thomas per illa 144. millia, virgines intelligens dicit, *Virgines cantare quaſi canticum, quia exultatio de integritate corporis eſt quoddam canticum. Interius, quod æquiualet, præfertur cantico exteriori: vel quaſi canticum, quia iucunditas gratiæ in via imperfecta eſt, ſimiliter & nouitas: in patria verò iucunditas erit canticum mentis perfectum, & nouitas plena quando nulla omnino erit vetuſtas: Dicit autem nouum, quia gaudium non vete-*

naſcet, ſicut dicit gloſſa, ſed ſemper erit nouum, in futuro enim conſeruabitur; & illa erit aureola virginum, quia ſpecialem gloriam honoris & gaudij in patria obtinebunt præ aliis, &c. Cantant autem ante ſedem, id eſt, ante Angelos, in quibus Deus ſedet: aſſiſtunt enim Angeli maximè virginibus. Ante quatuor animalia, id eſt, prædicatores, qui vita gratiæ & ſapientiæ diuinæ animati alios viuificant, & per quatuor orbis partes prædicant; Et ſeniores, id eſt Paſtores, qui maturitate vitæ, & virtute doctrinæ, & autoritate officij alios regunt; quaſi dicat: Ante Prædicatores & Prælatos virgines cantant, dum interius de proprio ſtatu iocundantes, ſe per doctrinam prædicatorum, & regimen Paſtorum & merita vtrorumque iuuari conſiderant, & de his ſimul gaudent, & quaſi patronos ſui meriti amplexantur mente, 2. ad Corinth. 1. Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra. Ita S. Th.

Dico autem: Illa centum quadraginta quatuor millia cantant non canticum nouum, ſed *quaſi canticum nouum*: quia repræſentant vt diximus in c.7. Sacerdotes inferioris ordinis, quorum non eſt de rebus fidei determinare, aut leges condere, ſed tantum docere iuxta id quod à maioribus Prælatis accipiunt, eorumque iuſſa & mandata populis intimare. Cantant animalia & viginti quatuor ſeniores coram agno canticum nouum c. 5. propter nouum beneficium redemptionis, & erectionem noui regni, & Sacerdotij: quia eorum eſt in nomine Chriſti congregatorum declarare quæ ſunt credenda aut facienda, vt redemptionis fructus percipiamus: ad hoc enim acceperunt regnum & ſacerdotium. Sed qui ſub eorum regimine deputantur, ea credere & facere debent, quæ ipſi præcipiunt; & ſi qui ſint inferiores myſteriorum Dei & verbi diſpenſatores (vt ſunt prædicatores & ſacerdotes inferioris ordinis à Pontificia & Epiſcopali dignitate) illa prædicare & intimare debent quæ à ſuperioribus determinantur. Ideo non dicuntur cantare canticum nouum, ſed *quaſi canticum nouum*, quia docere debent iuxta ſummorum Pontificum decreta, iuxta ſacras determinationes, præſertim quatuor Conciliorum generalium, quæ per quatuor animalia deſignantur, vt vidimus, & iuxta Epiſcoporum (qui ſunt ſeniores) in nomine Chriſti congregatorum, ſapientiſſimas ordinationes. Quod ſi dicas hunc locum de virginibus intelligi, etiam aſſero illas non cantare canticum nouum, ſed *quaſi canticum nouum*: quia niſi fidei integritatem habeant, & humiliter ſuperiorum Eccleſiæ legibus pareant, erunt de numero illarum virginum, quibus pulſantibus dicetur: *Amen dico vobis: neſcio vos.*

Et nemo poterat cantare illud canticum, niſi illa 144. millia: quia publico ritu nemini conceditur (cum Eccleſia ſit caſtrorum acies bene ordinata, in eaque omnia cum decenti ordine perfici debeant) vel cantare & pſallere Dei laudes & cantica, vel ſacram legere ſcripturam, vel docere aut interpretari eam, vel verbum Dei proponere, niſi eis qui à ſuperioribus admittuntur, deputantur, approbantur, & ab eis autoritatem & licentiam accipiunt. Hinc inter perſonas, quæ reponuntur in Hierarchia Ordinis, ponuntur Exorciſtæ, Lectores, Pſalmiſtæ, Catechiſtæ, vt videre eſt apud eos qui de Hierarchia Ordinis ex inſtituto tractant. Tanti fecit lectionis officium ſanctus Cyprianus, vt Aurelium illuſtrem adoleſcentem, qui gemino agone certauerat, bis confeſſionis ſuæ victoria glorioſus, putauerit honore affici, quòd ad Lectoris officium illum ordinauerat. *Merebatur*, inquit Cyprianus, Epiſ. 5. *talis clericæ ordinationis vlterioris gradus, & incrementa maiora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus: ſed interim placuit vt ab officio lectionis incipiat, quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædica-*

A *tione confeſſa eſt, quàm celebrandis lectionibus diuinis perſonare, poſt verba ſublimia quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt: Euangelium Chriſti legere, vnde martyres fiunt; ad pulpitum poſt cataſtam venire. Illic fuiſſe conſpicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conſpici: illic auditum eſſe cum miraculo circumſtantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, à me, & à collegis, qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis, quod vos ſcio libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quam plurimos ordinari. Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, Dominico legit. Interim nobis hac die auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem.* Hæc Cypr. Cum igitur nec legere ſimpliciter Euangelium ſit licitum, niſi illi qui ad hoc munus fuerit ordinatus, optimè dicitur nullos hoc
B canticum cantare, niſi illos quibus ab Eccleſiæ Paſtoribus fuit conceſſum, ad hoc deputatis videlicet & ordinatis.

Videnda quæ iam diximus in cap. 7. annot. 11. §.3. & notandum ſanctum Ioannem in tota hac Prophetia exteriorem Eccleſiæ ſtatum depingere ſub ænigmatibus: cumque inter ea, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, non mediocrem locum obtineant, quæ ad pſallendum, & laudes Deo decantandas ſpectant, non mirum ſi dicat neminem, videlicet publico ritu, poſſe cantare canticum nouum, niſi illa 144. millia, per quos ſignificantur miniſtri Eccleſiæ, & ij qui obſequio Chriſti præcipuè man-
C cipantur, illumque continuò comitantur in Eccleſia, in cuius altari Agnus manet integer & viuus, cum ad hæc præſtanda neceſſaria ſit ſuperiorum autoritas & deputatio. Vnde in Concilio Laodiceno c. 59. legimus: *Non oportet ab idiotis Pſalmos compoſitos in Eccleſiis dici.* Vbi Concilium ab hoc munere excludit eos qui propter ignorantiam male legerent, ne illorum ignorantiâ aures auditorum offendantur, dum malè legunt aut pronunciant. Et in Synodo Quiniſexta, quamuis partim reprobata, obſeruate licet ſollicitudinem antiquam patrum, vt Pſalmi qua debeant decentia cantentur, dum canone 75. ait: *Eos qui in Eccleſiis ad pſallendum accedunt volumus nec inordinatis vociferationibus vti, nec naturam ad cla-*
D *morem vrgere, nec aliquid eorum quæ Eccleſiæ non conueniunt, ſed cum magna attentione & compunctione ad pſalmodias Deo, qui eſt occultorum inſpector offerre.* Ita Concil. Et in Concilio Carthaginenſi 4. in qua diſciplina Eccleſiaſtica antiquitùs tradita, recepta, & obſeruata, ſed Africanis motibus pauliſper laxata in priſtinam conſuetudinem reuocata fuit, ordinationes legimus, & Exorciſtarum, & Lectorum, & Pſalmiſtarum. *Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Et commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum c.* 7. Et can. 8. de Lectoribus: *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Epiſ-*
E *copus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium. Poſthac ſpectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto Lector verbi Dei, habiturus (ſi fideliter & vtiliter impleueris officium) partem cum eis qui verbum Dei miniſtrauerunt.* Et de Pſalmiſtis c. 10. *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola iuſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero: Vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, opere comprobes.* Et de miniſtrio & officio prædicationis, hoc ſatis notum neminem prædicare abſque miſſione legitima. *Quomodo* enim inquit Apoſtolus, *prædicabunt niſi mittantur?* Vnde concludo non male exponi hic locus, dum dico neminem poſſe cantare canticum, niſi qui cantandi poteſtatem, & verbum Domini vſurpandi (quoquomodo fiat, ſiue prædicando

verbum, ſiue pſalmos cantando ſiue lectiones ſacræ ſcripturæ legendo, ſiue Dei auxilium contra dæmones inuocando) ab Eccleſia accipiat; ea enim dicuntur fieri non poſſe, quæ licite non fierent, ſi abſque legitima poteſtate perficerentur.

At inter Cantica, quæ Deo gratiora videntur, & laudes quæ ſtatui legis Euangelicæ magis ſunt conformes, Cantica & laudes quæ Deo redduntur propter effectus redemptionis nouæ potiorem locum obtinent. Vnde iſtud 144. millium Canticum dicitur *quaſi Canticum nouum*. Canticum quippe nouum cantauerunt animalia & ſeniores, c.5. ob beneficium redemptionis. *Cantabant Canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & accipere ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* At quinam ſint effectus huius redemptionis, regni & ſacerdotij explicant 144. millia; & ideo dicuntur cantare *quaſi Canticum nouum*, dum Deo laudes dicunt ob corporis integritatem inuiolatam: hinc dicitur: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt*; Ob animi magnanimitatem, & perfectam Chriſti in cruce patientis imitationem: Vnde additur: *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit*; Ob excellentem obſequio Dei & Chriſti ſui ipſius conſecrationem, v. g. per Religionis vota, & Conſiliorum Euangelicorum obſeruationem: Vnde ait: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno*; Ob fidei ſynceræ conſtantem profeſſionem: Hinc dicit: *Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium*; Ob morum integritatem, & omnium peccatorum fugam: *Sine macula*, inquit, *ſunt ante thronum Dei*. Verè noua: verè inaudita. Quis talia de homine carnali, vitæ temporali addictiſſimo, propriæ voluntatis ſequaciſſimo, propriæ rationis & iudicij amantiſſimo, in peccatis concepto expectaret? At hæc omnia præſtat noua redemptio, pro qua ſeniores & quatuor animalia cantauerunt canticum nouum; nunc propter inſignes effectus illius, iſti cantant *quaſi canticum nouum*. Hac ratione victoriam cantando reportant. Si phalanges peccatorum irruant, dicent: *Miſericordia mea, &c.* Et corde contrito cum Dauide clamabunt: *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Si perſecutor conſurgit, dicent: *Refugium meum*, & vanus erit perſecutorum conatus. Si ab omnibus videntur rejici, & abominari, & derelinqui dicent: *Suſceptor meus*; & erit eis auxilium & conſolatio in tempore opportuno. Si inſidias hoſtes poſuerint, & ſedeat in inſidiis inimicus, dicent: *Liberator meus de inimicis meis iracundis*; & liberabuntur à fouea & laqueis. Si eminùs iacula hoſtes emiſerint, dicent: *Protector meus*; & tanquam clypeo protecti ab eorum ictu immunes erunt: Et hac ratione pſallendo & cantando, omnes hoſtes viſibiles & inuiſibiles ſuperabunt.

At quid ſibi vult quod dicuntur empti de terra? Dei certè erant per creationem, & iure dominij, illos ad finem gloriæ ſuæ deſtinauerat, eiſque media præſcripſerat, quæ illis neceſſariò erant adhibenda, vt ad finem præſcriptum peruenirent. Quid actum eſt, quæſo? Iugum Domini excuſſerunt. Dixit omnis homo à Deo auerſus: *Non ſeruiam. Hinc reuelata eſt ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent; & quia mutauerunt gloriam inuiſibilis Dei in ſimilitudinem rerum corruptibilium, tradidit illos Deus in deſiderio cordis eorum, in immunditiam; & ſeruientes creaturæ potiùs quàm creatori, tradidit illos in paſſiones ignominiæ: & quia non probauerunt Deum habere in no-*
A *titia, tradidit illos in reproborum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, &c.* Sic homo venundatus eſt ſub peccato. Quis enim vendidit? Ira Dei iuſta, quæ ab eo propter inobedientiam, gratiæ diuinæ auxilio ſubtraxit, donec veniret per quem redimi poſſemus, & cuius intuitu rurſus gratia nobis conferatur. *Venundatus ſub peccato, id eſt, pretium temporalis voluptatis*, inquit Primaſius. *Inter vendentem autem & ementem hoc loco iſtud probatur eſſe commercium. Proponit inimicus iniquitatis conſilium, & accipit voluntatis aſſenſum. Accipio ergo amiſſæ innocentiæ pretium ipſam peccandi voluntatem, ac mortiferam de iniqua ſuauitate dulcedinem. Venundati, inquit, eſtis peccatis veſtris, ne quiſquam eum nondum re-*
B *demptum Chriſti ſanguine exiſtimet, ſed redemptionem, id eſt, immortalitatem expectat; Vel venundatum ſub peccato in prima tranſgreſſione præcepti; vt haberes corpus corruptibile, quod aggrauat animam, nunc verò tanquam emptum mancipium cogitas ſeruire libidini.* Ita Primaſ. Ecce ius quod terra habet in homines venundatos ſub peccato, vt ſeruiant libidini: cui dum ſeruiunt, certè inter milites Chriſti connumerari non poterunt. *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?* clamat Apoſtolus. *Corpus mortis eſt mortifera voluptas, & carnalis delectatio, & corporalis infirmitas, violentia conſuetudinis, quæ ad mortem trahit*, inquit Primaſius. Idem igitur eſt ac ſi diceret: Quis me liberabit à voluptatibus corporis, ab in-
C firmitatibus & peccatis, quæ ego gratiæ Dei deſtitutus ſæpiùs committo? Hoc bonum ſperari non poteſt niſi à gratia, quæ datur nobis per Chriſtum, qui nos redemit ſanguine ſuo. Vnde è terra emimur, vt Deo in ſpiritu ſeruiamus. *Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Vnde Apoſtolus reſpondet dicens: *Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc eſt quæ nos per iuſtam Dei iram gratiâ deſtitutos, & ſub peccato venundatos nos liberat, dum Deo placato per Chriſtum, mortis ſuæ prætio à diuina iuſtitia nos miſericorditer redimit, vt illius ſimus qui pro nobis mortuus eſt, & ſic inter milites illius poſſimus numerari. Nam, vt rectè Primaſius, *ante legem nulla*
D *pugna erat cum voluptatibus huius ſeculi, quia totum licebat; ſub lege verò pugnatur, ſed vincimur: Sub gratia autem pugnamus, & Deo adiuuante vincimus, quia non timore, ſed dilectione ſeruimus.* Ita Primaſ. in cap. 7. ad Roman. *Quiſnam ignoret*, inquit Rupertus l. 9. in Apocaly. *eoſdem ſanctos, iræ fuiſſe filios, & per gratiam eſſe redemptos? Vnus ex illa gente ſanctus & magnus Paulus ait: Eramus enim & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Ita Rupertus. Et paulo poſt, vbi dicitur: *Hi empti ſunt ex hominibus*; ait: *Repetitio, Hi empti ſunt ex hominibus; magnæ intentionis eſt indicium, vt non obliuiſcantur eos gratiæ redemptionis eſſe id quod ſunt: nam de terra & ex hominibus, idem eſt tanquam ſi diceret, ex maſſa terrena generis humani, quæ vniuerſa*
E *in primo parente ſub peccato ſe vendidit.* Ita Rupert. Quibus intelligimus quid ſit, *Qui empti ſunt de terra.*

Digitized by Google

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno; & in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante Thronum Dei.

Quod magna ſpes victoriæ obtinendæ ab exercitu Chriſti concipiatur, ex ſtrenuitate & inſigni virtute eorum qui in hanc militiam fuerunt aſcripti.

ANNOTAT. IV.

Variæ autorum expoſitiones. §. 1.

VIDIMVS Chriſtum exercitum comparare. Vidimus quinam idonei fuerint reperti, vt in militum catalogum aſcriberentur; quibuſnam armis ſint militaturi, nempe canticis & laudibus Dei iam expoſuimus. Nunc vt perfectam ſpem victoriæ concipiamus, militum iſtorum inſignis virtus nobis eſt exploranda. Virgines ſunt: Chriſtum patientem imitari debent: Conſiliorum Euangelicorum debent eſſe ſectatores, & Deo & Agno deuoueri: fidei ſinceræ integritatem ſeruant, & ab omni ſpecie mali abſtinent: quod dum præſtant, vere in eis apparet quantum fructum attulerit nobis Chriſti redemptio. Nec iam hoſtes, licèt feroces ſint, pertimeſcendi; cadent à latere talium mille, & decem millia à dextris illorum, nec vllum malum ad eos accedere poterit. At non pigeat autorum ſententias hic afferre, vt veritas magis ac magis eluceſcat.

Et primo Lud. ab Alcaz pro idea totius ænigmatis, vocem de cælo refert ad vocem aquarum multarum, & ad vocem tonitrui, vocem autem citharædorum dicit audiri in monte Sionis, & eſſe 144. millium exercitus Chriſti, qui cum illo ſunt ſupra montem Sion; in voce aquarum multarum, perſecutionem imperij Romani; in voce tonitrui, prædicationem Euangelij ſignificari, ex ſuprema diuinæ prouidentiæ gubernatione, quæ & hanc perſecutionem ordinauit, vt per illam Eccleſiam inſtrueret, & efficacitatem prædicationi Euangelij tribueret: vnde cœlum hic non accipit pro Eccleſia militante, ſed pro diuina prouidentia, in citharizantibus autem in citharis ſuis, Chriſtianos primitiuos, non vocibus ſolùm ſed manibus; id eſt, tum verbis, tum opere concionantes. Hi autem cantant ante ſedem Dei, dum Deus ipſe dulciſſima mulcetur harmonia, quæ reddatur in Chriſtianorum neruis per crudeliſſimos cruciatus diſtentis atque diſtortis; & ante quatuor animalia & ſeniores, id eſt, ante Apoſtolos, ante prædicatores & ſacerdotes, quibus magna fuit lætitia, quod ſcilicet ipſorum filij ſuaui illo concentu Deum prædicarent; & ita non includi in numero centum quadraginta quatuor millium Apoſtolos atque diſcipulos, ſed ipſorum filios, & eorum filiorum diſcipulos, Apoſtolos in cœlo thronum Dei conſtipare, ad denotandam excellentiorem ſanctitatem 144. millium tantùm in monte, quod inferior ſit illorum perfectio; Nouum autem canticum non eſſe tantùm explicitam Apoſtolici Symboli doctrinam, ſed inauditum illud, nempe gaudere poſſe in tribulationibus, & gloriari in cruciatibus & perſecutionibus. Emptos autem dicit, quia extracti ab eius poteſtate qui poſſidebat, in Chriſti erant vendicati ditionem, & de terrenarum rerum cupiditate, de mundi ſubiectione, de prophanis ipſius legibus tranſlati ſunt in libertatem & in regnum filij dilectionis ſuæ; Nomen verò, Virgines, ſumi myſticè & allegoricè, non vt ſonat pro puellis tantùm intactis, ſed pro iis omnibus vtriuſque ſexus, qui rerum creatarum inordinata affectione ſe non contaminant; & ab omni etiam licito affectu, qui aliqua ratione animum à diuino commercio retardaret, ſe abſtinent; vt idonei reperiantur decantare nouam cantionem, nouam & efficaciſſimam prædicationem, & in tribulationibus gloriationem, & animo forti ſequi Chriſtum, amplectendo eius conſilia, & eius crucem tollendo, & ad martyrium, ſi opus eſt, properando: quod in voto ſaltem habuerunt; Primitias autem dici, quia hi ſunt intelligendi de Chriſtianis primitiuæ Eccleſiæ, quorum ſermones veritatem & ſimplicitatem præ ſe ferebant, ex eo quod ſtudebant vt vitam ab omni ſcelerum contagione illæſam degerent, & Deum nec leuiter etiam offenderent.

At Ticonius ſeu Auguſt. vocem de cœlo ſicut aquarum multarum vult eſſe 144. millium, *id eſt*, inquit, *centum quadraginta quatuor millium; & ſicut tonitrui magni: & vocem, quam audiui, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis*. Ita Ticon. Quod reuera probabilitate non caret. Nam dum ait, *Vocem quam audiui*, videtur innuere hanc vocem, quam antea audierat, ſicuti audiretur ſonitus & fremitus maris, ſeu aquarum multarum, & ſicut audiretur fragor tonitrui magni, nunc ab eo poſtea audiri ad modum alicuius ſuauis harmoniæ, itaut eadem ſit vox, ſed diuerſa ratione conſiderata, & ad diuerſa de iiſdem centum quadraginta quatuor millibus ſignificanda, vſurpata. Et reuera ſiue vocationem ad Chriſtianiſmum ſpectes; ſiue ſanctitatem ad quam vocamur, ſiue altum munus Euangelicæ prædicationis conſideres, ſiue prædicationem crucis verbo & opere ponderes, omnia hæc dona ſunt cæleſtia, vt merito dici poſſit vocem de cœlo audiri, cum plurimi populi ad Eccleſiam vocantur, cum ad ſanctitatem & Chriſtianam perfectionem prouocantur, cum munus obeunt prædicationis, cum ſcopus prædicationis ſuæ eſt vt Chriſtum patientem, in cruce verbo & opere repræſentent, dicentes cum Apoſtolo. *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum*: cuius prædicatio eſt gratiſſima modulatio: nam in prædicatione crucis, noſtram intuemur redemptionem à peccatis & à morte.

Quantum autem ad Virgines, Ticonius ait: *Virgines hoc loco non ſolùm corpore caſtos intelligamus, ſed maximè omnem Eccleſiam; quæ fidem puram tenet, ſicut dicit Apoſtolus: Sponſaui enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: nulla adulterina hæreticorum commixtione pollutam, nec in malè blandis & mortiferis huius mundi voluptatibus, vſque ad exitum vitæ ſuæ abſque remedio pœnitentiæ infelici perſeuerantiæ colligatam, addit poſthac dicens: Et in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium. Non dixit, Non fuit, ſed, Non eſt inuentum. Qualem enim inuenit Dominus, cum hunc vocat, talem & iudicat, nam aut per baptiſmum, aut per pœnitentiam poſſumus in interiori homine & virgines effici, & ſine mendacio.* Ita Aug.

Ambroſius quia excludendos eſſe non exiſtimat Apoſtolos & martyres qui vxores habuerunt, à decantatione laudum Dei; & quod in vtroque ſexu multi reperiuntur, qui virginitatem ſeruauerunt vſque ad mortem, ſicut infantes & pueri, & tamen parui ſunt meriti; quidam etiam qui peccatis obnoxij fuerunt, & virginitatem vſque ad mortem ſeruauerunt, quos credimus per ignem purgatorium eſſe purgandos, vt in iuſtorum numero quandoque aſcribi mereantur, qui proinde non ſunt præferendi Apoſtolis & Martyribus, qui vxores habuerunt, quos propterea à laudibus Dei eſſe excludendos di-

Digitized by Google

cere non debemus, nam ſicut eſt dulcis ſanctis viſio Dei, ſic & laus Dei; Et quemadmodum ſaturari nequeunt viſione Dei, ita nec ſatiari laudibus Dei, & quanto proximiores ſunt (ſecundum meritorum qualitates) Domino Deo, tanto & feruentiores in laudibus Dei. *Ideo*, inquit Ambroſ. *quia de iis ſolummodo, qui Virginitatem corporis ſeruauerunt, intelligere non poſſumus; neceſſe eſt vt indagemus qui ſunt virgines, & qui illi qui canticum virginum dicere non poterunt.*

Cenſet igitur Ambroſius per illos 144. millia, ſanctorum animas eſſe deſignatas, quæ in cæleſti beatitudine Deum aſſiduè laudare non deſinunt, quæ nouum canticum dicunt, quia præceſſit quod vetus eſt, illos qui ad cæleſtem beatitudinem quotidie tranſeunt, & nouum eſt ad quod perueniunt. In conſpectu ergo fidelium, qui per ſedem & quatuor animalia & ſeniores deſignantur, animæ fidelium canticum nouum cantaſſe dicuntur: quia ſancti viri in hac terra poſiti gloriam ſanctorum in cœlis commorantium oculis mentis aſſiduè conſpiciunt, atque vt ad eorum ſocietatem quandoque perueniant tota virtute laborant. *Et nemo poterat*, &c. Id eſt, nemo illorum qui per ſedem, & quatuor animalia & ſeniores deſignantur, qui vident per ſpeculum, & in ænigmate gloriam ſanctorum, ſed dicere non poſſunt: quia oculus non vidit nec audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Emptos autem eſſe dicit de terra, quia empti ſanguine Chriſti: ſeu potiùs quia aſſumpti ſunt de terra, & in cæleſti beatitudine collocati. Ita Ambroſius. Qui peccatores etiam, qui per peccata, vel per baptiſmum, vel per pœnitentiam poſt baptiſmum delere ſtuduerunt; & coniugatos qui Deum tota vi rtute dilexerunt, atque in virtutibus vitam ducere ſtuduerunt, rectè Virgines vocari aſſerit: quidquid enim in eis fuit reprobum, charitatis remediis eſt purgatum: & ſi quas ſordes coniugati ex coniunctione fæminarum traxerunt, bonis operibus deletum eſt. Sequuntur agnum quocumque ierit, quia ſancti in patria miſerentur eius cui Deus miſeretur, & abſcondunt miſericordiam ab his à quibus Deus miſericordiam aufert: quod electi in terra poſiti non faciunt. Miſeretur Samuel Saul, quem Deus proiecerat. Niniuitas Ionas deleri cupiebat, quos Deus ſaluari decreuerat. Dicit denique in ore ſanctorum non eſſe inuentum mendacium, quia quod in baptiſmate promiſerunt, vſque in finem vitæ ſeruare ſtuduerunt. Et ſi quædam commiſerint peccata poſt baptiſmum; non eſt in ore eorum inuentum mendacium, quia per pœnitentiam & charitatis opera, malum quod geſſerunt ante mortem delere ſtuduerunt; eoſque ſine macula dici, quia quæ in hac lectione continentur, non ad fideles, qui in hac vita laborant, ſed ad eos qui in cæleſtibus ſedibus requieſcunt, pertinent. Quis enim in hac vita poſitus ſine macula eſſe poteſt? &c. Hæc eſt mens Ambroſij, qui poſtea tamen admittit ſeriem huius lectionis poſſe ad præſentis temporis virgines pertinere, ad eos videlicet, quos amor Dei ad integritatis cuſtodiam, adiunctis cæteris bonis operibus, quotidie impellit: canticum autem nouum eſſe, non Euangelium, ſed potiùs gaudium ſpiritale, quod eis ex cuſtodia Virginitatis accreſcit. *Nullus igitur canticum nouum dicere poteſt, niſi illi ſoli: quia gaudium Virginitatis nullus habere praualet, niſi ſoli qui hanc cæteris bonis operibus exornatam quotidie Deo offerre conſueſcunt.* Ita Ambr. Quod ſi de Virginibus iam beatitudinem adeptis locum hunc intelligas, canticum nouum non aliquod canticum, quod voce, lingua, labiis componi poteſt, ſed potius Virginitatis præmium, quod à Domino æternaliter percipere merentur, quod nullus percipere poteſt, niſi qui virginitatem in ſeculo poſiti, intemerata mente pro Chriſti amore ſeruare ſtuduerunt. Hæc eſt expoſitio Ambroſij.

Primaſius verò aſſerit quibuſdam viſum eſſe hunc locum ſic accipiendum, vt non de ſolis fide & carne Virginibus, ſed etiam qui legitimo temperanter vti potuerunt coniugio dicerent agnoſcendum, &c. Tamen præferendam eſſe Virginitatem docet, & adducit Auguſtin. lib. de Virginitate, quo clareat *Virgin[illegible] [illegible]bilem præ cæteris locum habere, quæ ſuper rellu[illegible] [illegible]dum quam virgo eſt omnis Eccle[illegible] [illegible]iam carnis integritate ſeruata. D[illegible] [illegible]gia bonum ſuum, non quia f[illegible] [illegible]neſtè, quia licitè, quia pudicè, [illegible] & procreatos pariter ſalubriter [illegible]ant, qui thori fidem inuicem ſeruant, [illegible] connubij non violant. Hæc tamen om[illegible] ſunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, cedat pudicitia coniugalis. Illa non eſt in poteſtate: iſta non eſt in æternitate. Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam coniugalem non habet cœlum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, quæ habent aliquid iam non carnis in carne.* Ita Primaſ. ex Aug. Andreas Cæſarienſis hunc locum de Virginibus intelligit. *Cæterum*, inquit, *Muſicam, de qua hic ſermo, nemo diſcere aut canere poterat præter eos, quos Virginitatis cultus condecorabat. Quando quidem cognitionis menſura, caſta conuerſationis & integritatis menſura commenſurabitur: quemadmodum ſecretorum manifeſtatio obtingere ſolet ſeruis, ſecundum magnitudinem familiaritatis, quæ illis cum Dominis intercedit: aut pro beneuolentiæ ratione, qua Domini erga illos affecti ſunt.* Et poſtea addit: *Poſt viginti quatuor ſeniores arbitramur hoſce ſupra nominatos cæteris omnibus gloriâ præſtare, tum propter virginitatem, tum etiam propter linguæ manuumque innocentiam & puritatem, quippe qui poſt Chriſti in carnem aduentum, cum virtutum ſplendorem nacti ſunt, vt digni habiti fuerint, qui einſmodi carmen edocerentur, quod per multis non modò in mortali hac vita, ſed etiam in futuro quoque ſæculo incognitum manet.* Ita Andr. Cæſarienſ.

S. etiam Thomas de Virginibus hunc locum exponit, & laudans hîc Virginitatem, quia Deo placet propter pulchritudinem ſinceritatis, ait: *Cum agno coniuncti per gratiam, & vniti per conformitatem, quia in ſe pulchra, homini oblectatiua, excellenter honorata, repræſentando gloriæ ſtatum, quia eminenter fructificat, acquirendo diuinam familiaritatem in ſtatu viæ, & eam meretur præcipuam. Vnde ſoli virgines cantabant illud canticum. Sed ad hoc quod ſit digna illo præmio, debet eſſe recta intentione, fœcunda operatione; læta integritate, vt ſcilicet ſit in mente & in carne feruida, vel informata caritate, ſubnixa humilitate.* Docet poſtea S. Thomas quomodo Virgines ſequantur agnum quocumque ierit, per virtutem exempli. *Exempla enim, quæ olim exhibuit ipſo actu, nunc oſtendit fidelibus per fidem, per ſcripturam, per gratiam, per affectum imitandi, quem eis præbet. Et ſic quaſi ambulat ante fideles, vt ipſum ſequantur per imitationem, quocumque ſequantur. Imitantur enim ipſum in actibus omnium virtutum, vt in charitate ad Deum & proximum, in pietate, prudentia, fortitudine, iuſtitia, in contemptu mundanorum, quæ relinquunt, vel ſecundum rem, vt viri Religioſi, vel ſecundum affectum, in carnis mortificatione: & ſic quaſi quamdam mortem ſiue Martyrium ſuſtinent. Non dicuntur autem eum ſequi in actu redimendi homines: debet enim homo ſequi Chriſtum, in quibus ante eos iuit in ducatum exempli; vt ſunt actus virtutum: non autem fecit redemptionem, in*

Digitized by Google

exemplum humanæ redemptionis, ſed in efficaciam liberationis. Ipſa tamen paſſio, per quam facta eſt redemptio, datur homini in exemplum mortificationis, vel ſuſtinentiæ paſſionis, cum eſt neceſſitas; & hoc prout congruit vnicuique, ſiue actu ſubeant mortem, ſiue per cæteris mortificationem: & hæc imitatio reſpicit actus virtutum, non actus dogmatum, ſiue officiorum Eccleſiaſticorum, qualis eſt actus docendi ſiue prædicandi; & qui reſpiciunt hominem pro ſua perſona, non neceſſariò de eis quæ ſunt principaliter alterius. Hi empti ſunt ſanguine Chriſti & paſſione, ex hominibus ſcilicet nationibus vel populis [illegible] *ex Iudæis quàm gentibus: quia ex diuerſi*[illegible] *ſacri & ſacræ Virgines vnde v*[illegible]*rum multarum; primitiæ, vt ſ*[illegible] *quantum ad meritum aureolæ,* [illegible] *Virginitatis; non aureæ, quæ reſp*[illegible] *quam qui habent Deo ſunt gratiores* [illegible] *uerſalitatem totius temporis vitæ, & ſ*[illegible] *bet quandam acceptabilitatem potiùs quàm* [illegible] *martyrium. Chriſtus autem ſimpliciter dicitur primitiæ, quantum ad omnem conditionem laudibilem, & reſpectu omnium hominum: Virgines ſunt tantum primitiæ, quantum ad gratiam Virginitatis, & reſpectu emptorum. Chriſtus ab Apoſtolo dicitur primitiæ, reſpectu reſurrectionis: Virgines hic ſunt primitiæ, quantùm ad integritatem incorruptionis. Et in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, per violationem eius quod verbo promiſerunt, quia pactum baptiſmi ſeruauerunt, quantùm ad corporis integritatem, & vltra promiſſum. Etſi in aliis fuit mendacium, in ore ipſorum non tamen manſit; vel mendacium erroris, qui frangit integritatem mentis, vel aliquod aliud, non eſt inuentum iamdudum ex quo Deo adhæſerunt: quia ſcilicet ſic deletum eſt, & ideo non eſt inuentum. Sine macula, ſcilicet mentis, & per conſequens operationis, ſunt ex omni parte mundi, &c. Ante thronum Dei, ante Deum iudicem.* Hæc eſt expoſitio S. Thom.

Operæ pretium duxi tantorum autorum ſententias proferre, vt his omnibus perpenſis, facilius videatur an noſtra interpretatio mox adducenda aliquid probabilitatis habeat. Nam certè (ſi attentè perſpexeris) omnes iſtæ interpretationes patiuntur aliquid difficultatis, dum vel ſolæ Virgines admittuntur in his 144. millibus, vel dum alij in eorum numerum coaptantur, qui Virgines non ſunt, & quibus ea, quæ ſolis Virginibus conueniunt, aptari non poſſunt.

Noſtra de his verſiculis expoſitio, & de prima turma exercitus Chriſti, nempe ex Virginibus compacta. §.2.

Perſpectis omnibus ſupradictis, dico primo in his verbis: *Hi ſunt qui cum mulieribus, &c.* & ſequentibus, certum eſſe deſignari eos, qui propter quaſdam inſigniores prærogatiuas, quibus decorantur à Deo, aptiores ſunt qui in numerum militum Chriſti aſcribantur. Hæc tamen verba ad ſolos aut ſolas Virgines coarctari non exiſtimo, ſed diſiunctiuè eſſe ſumenda, vt verus ſenſus eruatur, ac ſi S. Ioannes diceret: Loquor vobis de exercitu Chriſti, qui conſtat ex centum quadraginta quatuor millibus, qui empti ſunt de terra. Quæris forte quænam inſignes virtutes requiſitæ fuerint, vt quis eorum in hanc militiam aſcriberetur? Reſp. quod ſunt hi, qui vel Virginitate decorantur, vel martyrio nobilitantur, vel ſpeciali quadam ratione, Dei & Agni obſequio conſecrantur & deuouentur, vt illius gloriam & nomen omnibus verbo & exemplo inculcent. In ore iſtorum omnium non eſt inuentum mendacium, ob rectitudinem fidei, & fidelitatem in promiſſis. Sine macula ſunt ante thronum Dei: quia declinantes à malo, quodlibet bonum operari non neglexerunt. *Hi ſunt* igitur *qui cum mulieribus* A *non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt:* Ecce primi. *Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit:* Ecce ſecundi, nempe martyres. *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno:* Ecce tertij, nempe Religioſi, Sacerdotes, Prædicatores, & Doctores. Quaſi Agnus in tres turmas ſeu phalanges exercitum ſuum diſtribuat: multi enim ſunt Virgines, qui non ſunt Martyres; multi Martyres, qui non ſunt Virgines; multi Virgines aut Martyres, aut Virgines & Martyres; & multi erunt Religioſi, Sacerdotes aut Doctores, qui non erunt nec Virgines, nec Martyres. Tamen diſiunctiuâ (vel) non eſt vſus S. Ioannes: quia poteſt fieri vt in vna perſona hæc omnia conueniant & aliquis ſit Virgo, Martyr, Religioſus, Sacerdos & Doctor. Vnde tantùm articulo demonſtratiuo B vſus eſt: *Hi ſunt.* Ac ſi digito vnam turmam monſtraret, dicendo: Vides hanc turmam: Hi ſunt Virgines. Vides hanc ſecundam: Hi ſunt Martyres. Vides hanc tertiam: Hi ſunt Religioſi, Sacerdotes & Doctores.

Dices hac ratione non videri in qua claſſe reponi debeant qui ſimul fuerunt Virgines & Martyres, Religioſi & Sacerdotes. Reſp. reponi in nobiliori ordine. Itaque cum martyrium aliquid habeat excellentius Virginitate, qui ſimul fuerit virgo & martyr, in martyrum turma reponetur. Et cum magnus ſit in regno cælorum, qui fecerit ſimul & docuerit, qui martyrio adiunxerit vitam Deo voto vel officio C conſecratam, itaut Eccleſiæ per ſuam doctrinam vel miniſterium multum profecerit, is in numero eorum reponetur, qui præter martyrij gloriam, aureolam Doctorum ſibi promeruerunt. Quamuis enim aureola martyrij aliis duobus dicatur potior, tamen ſi hoſtem attendas, contra quem Doctores dimicant, nempe diabolum, nihil prohibet aureolam Doctorum excellentiorem eſſe aliis. Sed eſto aliquis ſit Doctor & Martyr, in numero martyrum erit reponendus, vt in principaliori turma. Lege ſupplem. S. Th. q. 96. art. 12.

Dico ſecundò, euidentiſſimum eſſe ſanctum Ioannem Virgines admittere ad hunc exercitum componendum. *Hi ſunt*, inquit, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt.* Sed cum duplex ſit D Virginitas, vna corporalis, alia myſtica, de vtraque abſque vlla violentia aut contorſione textum poſſet explicari. Virgo igitur eſt qui integritatem corporis, corpore & mente & affectu ſeruat illæſam ab incunabilis. Virgo myſticè eſt etiam qui cum hæreſibus non miſcetur (quæ in ſcripturis ſub typo mulieris alicuius fornicariæ ſæpiſſimè repræſentantur) quod fidei integritatem in baptiſmo receptam immaculatam ſeruauerit. Vtramque Virginitatem agnoſcit S. Ambroſ. l. 3. epiſ. Epiſt. ad Vercellens. Eccleſiam. De prima ait: *Quid autem loquar quanta ſit Virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet etiam corporale Dei Templum, in qua corporaliter, vt le-* E *gimus, habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit ſalutem: Virgo peperit vitam vniuerſorum. Sola ergo non debet eſſe Virginitas, quæ omnibus in Chriſto profuit. Virgo portauit quem mundus iſte capere aut ſuſtinere non poteſt: qui cum ex Mariæ naſceretur vtero, genitale tamen ſeptum pudoris, & intemerata Virginitatis conſeruauit ſignacula. Itaque in Virgine Chriſtus reperit quod ſuum eſſe vellet, quod ſibi omnium Dominus aſſumeret, &c.* Et de alia Virginitate loquitur; dum Eccleſiam ex nuptis, viduis, & Virginibus compoſitam, Virginem tamen vocat. *Hortus*, inquit, *clauſus ſoror mea ſponſa: hortus clauſus, fons ſignatus. Chriſtus hoc dicit ad Eccleſiam, quam vult eſſe Virginem ſine macula, ſine ruga. Bonus hortus Virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clauſus, quia vndique vallata eſt muro caſtitatis. Fons ſignatus, eoquod Virginitas ſit fons & origo pudicitiæ,*

Digitized by Google

lia, quæ inuiolata cuſtodiat integritatis ſignacula, in quo fonte imago Dei luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas ſimplicitatis. Nec poteſt dubitare quiſquam quod Eccleſia virgo ſit, quam etiam in Corinthiis, deſpondit Apoſtolus Paulus Virginem caſtam aſſignare Chriſto. Hæc Ambroſ. & tractatu de hortatione ad Virginit. Idem Ambroſius: Virgo eſt & illa, quam vocat Ieſus, cui & dixit: Ades huc à libano, ſponſa, ades huc à libano: tranſibit & pertranſibis. A principio fidei non ſolum tranſit virgo, ſed etiam pertranſit, quæ feſtinat ad ſponſum. Tranſit ſæculum, pertranſit ad Chriſtum; Vel quia ea quæ Chriſto ſe dicauerit, tranſeundo ad cæleſtia, terrena pertranſeat. Ita Ambroſ. & S. Auguſt. Serm. 8. in natali Domini: Eſt ergo & Eccleſiæ, ſicut Mariæ perpetua integritas, & incorrupta fæcunditas niſi quod illa peperit vnum hæc parit multos aggregandos in vnum, per vnum. Ita Aug. idem ſenſit Ticonius, loco ſupra citato. Siue igitur de Virginitate corporea ſtudioſiſſimo affectu cuſtodita, ſiue de Virginitate myſtica, ſeruata fide illibata, hunc locum intelligas; nihil intereſt. Vterque virgo & corpore, & fide, aptus eſt ad certamen. Primus quia ſubactis ſub iugo ſenſibus corporeis, mens liberiùs ad cæleſtia euehitur: Secundus, quia fides ſcutum eſt, quod aſſumere debemus in manibus, ad ignea tela inimici extinguenda. In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela ignea inimici extinguere.

Quomodo autem Virginitas corporea idonea ſit aſcribi in militiam Chriſti, docet idem S. Ambr. l. 1. de Virgini. Poſtquam enim dixit: Non enim ideo laudabilis Virginitas, quia in martyribus inuenitur, ſed quia ipſa martyres faciat; eamque aſſeruit nullis includi naturæ legibus, & ſupra vſum eſſe naturæ è cælo accerſiuiſſe quod imitaretur in terris; verbum Dei in ipſo ſinu patris inueniſſe, & toto hauſiſſe pectore; docet poſtea. Hanc vitam fluxiſſe de cælo, quam non facilè inuenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit. Elias quidem quia nullis corporei coitus fuit permixtus cupiditatibus, curru raptus, & aduentus dominici præcurſor futurus. Maria Moyſis ſoror ſumens tympanum, pudore Virgineo choros duxit, quia Eccleſiæ ſpeciem gerebat. In templo Hieroſolymitano fuerunt Virgines. ſed quid Apoſtolus dicit? Hoc autem in figura contingebant illis, Vt eſſent indicia futurorum. Figura enim in paucis eſt, vita in pluribus. At, inquit tandem Ambroſius, Poſteaquam Dominus in corpus hoc veniens, contubernium diuinitatis & corporis, ne vlla concretæ confuſionis labe ſociauit, tunc toto orbe diffuſus corporibus humanis vitæ cæleſtis vſus inoleuit. Hoc illud eſt, quod miniſtrantes in terris Angeli declararunt futurum genus, quod miniſterium Domino immaculati corporis obſequiis exhiberet. Hæc eſt cæleſtis illa militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris. Habemus ergo autoritatem vetuſtatis à ſeculo, plenitudinem profeſſionis à Chriſto. Hæc. Amb. Qui poſtquam ridicula fuiſſe integritatis ſtudia apud Paganos & Gentiles demonſtrauit, & violari, aut incurſari, aut neſciri, fecitque mentionem illius Virginis Pythagoreæ, quæ ne ſecretum proderet tyranno, morſu linguam abſcindit, ſed cuius vterus tumens incontinentiam prodebat; veram integritatis laudem eſſe prædicat apud noſtras Virgines, quæ & continentiam immaculatam ſeruant, & tyrannos vincunt, & proinde dignæ vt in Chriſti militiâ eas aſcribamus. Sed Ambroſium audiamus linguâ mellifluâ iſta fuſius diſſerentem. Certè, inquit, non eſt hoc (nempe Virginitatis cuſtodia) mihi commune cum gentibus, non populare cum Barbaris, non cum cæteris animabus vſitatum: cum quibus etſi vnam eamdemque vitalem aëris huius carpamus ſpiritum vulgarem terreni corporis participemus ſtatum, generandi quoque non diſcre-

A pemus vſu; hoc ſolo tamen naturæ parilis conuicia declinamus, quod Virginitas affectatur à gentibus, ſed conſecrata violatur, incurſatur à barbaris, neſcitur à reliquis. Quis mihi prætendit Veſtræ Virgines, & Palladis ſacerdotes? Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum, quæ non perpetuitate ſed ætate præſcribitur? Petulantior eſt iſta integritas, cuius corruptela ſeniori ſeruatur ætati. Ipſi docent Virgines ſuas non debere perſeuerare, nec poſſe; qui Virginitati fidem dederunt. Qualis autem eſt illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur eſſe impudicæ canæ? Sed nec illa pudica eſt quæ lege tenetur, & illa impudica quæ lege dimittitur. O myſteria! ô mores! Vbi neceſſitas imponitur caſtitati, autoritas libidini datur. Itaque nec caſta eſt: quæ metu cogitur; nec honeſta, quæ mercede conducitur; B nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expoſitus conuicio, flagitioſis ad ſpectibus verberatur. Conferuntur immunitates, offerantur pretia, quaſi non hoc maximum petulantiæ ſit indicium caſtitatem vendere. Quod pretio promittitur, pretio ſoluitur, pretio addicitur, pretio ad numeratur. Neſcit redimere caſtitatem, quæ vendere ſolet. Quid de ſacris Phrygiis loquar, in quibus impudicitia diſciplina eſt? Atque vtinam ſexus fragilioris. Quid de orgiis liberi, vbi religionis myſterium eſt incentiuum libidinis? Qualis igitur poteſt ibi vita eſſe ſacerdotum, vbi colitur ſtuprum Deorum? Non habent igitur ſacra Virginem. Videamus ne fortè aliquam Philoſophiæ præcepta firmauerint, quæ magiſterium ſibi omnium ſolent vendicare virtutum. Pythagorea quædam vna ex Virginibus C celebratur fabulis, quæ cum à tyranno cogeretur ſecretum prodere; ne quid in ſe ad extorquendam confeſſionem vel tormentis liceret, morſu linguam abſcidiſſe atque in tyranni faciem deſpuiſſe, vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, ſed tumenti vtero. Exemplum taciturnitatis & proluuium caſtitatis. Victa eſt cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequiuit. &c. Ita Ambroſ. Integritatis ſtudia gentilium deridens. At non tales Virgines habet Chriſtiana religio. Habet perpetuas: habet ſemper pudicas: habet quæ ſicut nouerant carnis cupiditates, frænare, poſſunt etiam tyrannos deridere & ſuperare. Vnde S. Ambroſ. ait: Quanto noſtræ Virgines fortiores, quæ vincunt etiam quas non vident D poteſtates? Quibus non tantum de carne & ſanguine, ſed etiam de ipſo mundi principe ſæculique victoria eſt. Ætate vtique Agnes minor; ſed virtute maior, triumpho numeroſior, conſtantia confidentior. Non ſibi linguam propter metum abſtulit, ſed propter trophæum reſeruauit. Nihil enim habuit quod prodi timeret, cuius non erat criminoſa ſed religioſa confeſſio. Itaque illa ſecretum tantummodo lauit: hæc probauit Deum, quem quia ætas nondum poterat confiteri, natura confeſſa eſt. Hæc Ambroſius.

Vides igitur optimo iure Virgines primam turmam exercitus Agni componere, & merito in prima acie veluti reponi; quia qui carnem domare non potuerit, ad alia certamina obeunda cum mundo E aut diabolo non erit idoneus. Vnde licet interpretatio de his, qui fidem integram ſeruauerunt, non ſit inconueniens, tamen interpretatio de Virginibus, qui corporis integritatem ſeruant illæſam, videtur planior germanior & primaria. Has igitur Virgines & corpore & mente cum Auguſtino, lib. de S. Virginitate c. 27. tom. 6. ſic alloquamur. Pergite itaque ſancti Dei pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cælibes & nuptæ. Pergite perſeueranter in finem. Laudate Dominum dulciùs quem cogitatis vberiùs. Sperate feliciùs, cui ſeruitis inſtantiùs. Amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis citharis veſtris, non vtique tale, quale cantat vniuerſa terra, cui dicitur: cantate Domino canticum nouum: cantate Domino

vniuerſa terra; ſed tale quale nemo poterit dicere, niſi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypſi quidam præ cæteris dilectus Agno, qui diſcumbere ſuper pectus eius ſolitus erat, & biberat, & eructabat mirabilia ſuper cæleſtia Dei verbum. Ipſe vos vidit duodecies duodena millia ſanctorum citharædorum illibatæ Virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde: & quia ſequimini Agnum quocumque ierit, ſcripſit ille de vobis, &c.

Hi ſunt qui ſequantur agnum quocumque ierit.

De ſecunda turma exercitus Chriſti, nempe de Martyribus. §. 3.

Negari non poteſt hæc verba poſſe exponi de Virginibus, cum S. Auguſtino de Virginit. c. 27. to. 6. vbi ait alloquendo Virgines: *Quo ire putamus hunc agnum, quo nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat niſi vos? Quo putamus eum ire? In quos ſaltus & prata? Vbi credo ſunt grandia gaudia, non gaudia ſeculi huius vana, inſania mendaces; nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris non Virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti non ſunt eadem non Virginum, quamuis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Ite in hæc: ſequimini agnum, quia & agni caro vtique Virgo. Hoc enim in ſe tenuit auctus, quod matri non abſtulit conceptus & natus.* Ita Auguſtinus. Hæc igitur verba de Virginibus exponi poſſunt, vt ſenſus ſit: Eorum eſt propriè Agnum ſequi, qui à carnis voluptatibus & ſenſuum oblectamentis abſtrahuntur, auulſi ab vberibus, ablactati à lacte: qui proinde nunquam ſeſe cum mulieribus coinquinauerunt; aut, ſi ſint ſexus fœminei, nunquam virum cognouerunt, aut cognoſcere appetiuerunt, Virginitatis ſtudium cum perſeuerantia ſine interruptione ſeruantes, & ſaltem nunquam corporis integritatem cum conſenſu amiſerunt. Hi Agnum ſequi, ipſum imitari poſſunt in exercitio omnium virtutum, quarum voluit nobis dare exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Hinc addit S. Auguſtinus Ibidem: *Meritò eum ſequimini Virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? Quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, ſicut ait Apoſtolus Petrus, vt ſequamur veſtigia eius. Hinc in eo quiſque ſequitur in quo imitatur, non in quantum ille filius Dei eſt vnus per quem facta ſunt omnia, ſed in quantum filius hominis quæ oportebat in ſe præbuit imitanda. Et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur, Virginitas autem carnis non omnibus: non enim habent quod faciant vt Virgines ſint, in quibus iam factum eſt vt Virgines non ſint.* Ita S. Auguſt. Et certè qui Virginitatem corporis amiſerunt, ſequuntur agnum, non quocumque ille ierit, ſed quouſque ipſi potuerint: & poſſunt vbique, præter cùm in decore Virginitatis incedit. Poſſunt imitari in paupertate ſpiritus eum, qui propter nos pauper factus eſt; in mititate eum, qui mitis eſt; in luctu eum qui fleuit, in fame & ſiti iuſtitiæ, eum qui ſemper Patris fecit voluntatem; in miſericordia eũ qui vulnerato à latronibus in via præſto fuit; in munditia cordis eum qui peccatum non fecit; in pace, eum qui pro perſecutoribus orauit: in tolerantia perſecutionum, eum qui pro nobis paſſus eſt. Et ſic illorum etiam erit agnum ſequi, qui donum gratiæ in baptiſmo recipientes, innocentiæ veſtem impollutam ſeruauerunt, qui rerum terrenarum affectum deponentes, Deo in omnibus obedire ſtudent, & in carne viuunt ac ſi non eſſent in carne: in carne enim ambulant, at non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Sic agnum ſequuntur, imitantes eius paupertatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem: quo fit vt potiùs malint mori, quàm peccato fœdari: potiùs omnia in corpore tormenta ſubeunt, quàm velint mentem crimine maculari, Deum voluntariè in aliquo offendentes. Certè qui tales ſunt, optimo iure poſſunt in militiam Chriſti aſcribi, & dæmonem, qui nos ad peccandum allicere ſatagit, delectabilia objiciendo, vel terrore mortis corporalis nos à bonis operibus retrahere tentat, ſuperare & conterere ſub pedibus ſuis. Nec dubitandum quod agnum hac ratione ſequentes, in omni virtutum exercitio, ac paſſionibus ſuis & mortis tolerantia, illum etiam ſequuntur in gloria cœleſti. *Si enim compatimur, & conglorificabimur.*

Hinc dico quod licèt coniugati fideles non poſſint ſequi Chriſtum in bono Virginitatis, tamen ſi Martyrium ſubeant, poſſunt dici ſequi Chriſtum quocumque ierit, id eſt, in eo quod excellentius eſt & vltimum in perfectione; itaut ſenſus ſit: Hanc aliam turmam quam vides, ex illis eſt, qui magnanimitate & conſtantia, in quodcumque diſcrimen & periculum vitæ parati ſunt agnum ſequi. Periculis inſultant: mortem derident. Hoc vnicum eſt illis votum, hoc vnicum mentis ſolamen, ſi pro Chiſto mori contingat, qui pro illis mortuus eſt. Quod ſi inter eos, qui Martyrium ſubeunt, plures ſunt qui Virgines fuerint, certè tales perfectiùs Chriſtum ſequuntur quocumque ierit, quàm ſi ſola Virginitate gaudere poſſent. Vnde S. Auguſtinus. de Virgin. c. 45. ait Virginitatem accedente Martyrio dici poſſe centenum fructum implere; ſolam verò, in ſexageſimo fructu remanere, neminemque ait eſſe, vt putat, qui audeat Virginitatem præferre Martyrio. In fine cap. 46. de Virg. Si igitur Martyr amiſerit Virginitatem, dicitur tamen ſequi Chriſtum quocumque ierit, id eſt, vſque ad perfectiorem gradum imitationis Chriſti, qui in Martyrio conſiſtit. Maiorem enim charitatem, in qua conſiſtit perfectio, nemo habet, quam ſi quis ponat animam pro amico. Si autem virginitatem cum Martyrio coniungat, quis non videt talem perfectiori ratione ſequi Chriſtum, quàm ſi in ſola Virginitate remaneat? Et ita, cum ex regula à nobis allata in proœmio S. Ioannes tangat in hac prophetia omnia, vt ſunt in gradu perfectiore, cum hic loquatur de perfecta Chriſti ſequela, debet intelligi potiùs de martyribus, aut de Virginibus martyrium adeptis, quàm de his qui non amiſerunt Virginitatem, & tamen martyrium non ſubierunt. At manifeſtum eſt quod qui tales ſunt, mundum mundique malitiam & nequitiam poſſunt facilè ſuperare. Vnde Saluator dicebat *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Matt* 10. Et proinde iſti, qui non timent eos qui occidunt corpus, qui contra omnes carnis concupiſcentias ſtrenuè dimicant per Virginitatis propoſitum: qui per deſiderium Martyrij contra omnes mundi inſultus fortiter ſeſe accingunt, vt illos repellant & confringant, idonei ſunt qui aſciſcantur in militiam Chriſti. Ratio autem quæ me mouet, vt de Martyribus præcipuè hunc locum intelligam, eſt quia ex pluribus locis ſcripturæ, Agnum ſeu Chriſtum ſequi, eſt poſt eum ad mortem pro iuſtitia ſubeundam properare. Vnde videtur S. Ioannes alludere ad illos locos, dum ait, *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit.* Ac ſi diceret: Ibunt poſt agnum præeuntem, etiam ſi eat ad mortem. Vult enim ſibi amiciſſimos eum ita ſequi, vt mori non timeant, ſi occaſio moriendi pro nominis ſui gloria & confeſſione ſeſe obtulerit.

Digitized by Google

Primus locus ſcripturæ, ex quo quid ſit ſequi Chriſtum, perſpicere poſſumus, eſt Matt. c. 16. vbi dicente Domino diſcipulis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere, *aſſumens Petrus cæpit increpare illum dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuerſus dixit Petro: Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ ſunt hominum.* Quid eſt ergo, *Vade poſt me*, niſi, Sequere me? Ita hunc locum exponit S. Hieronymus, in catena D. Thomæ. *Quaſi diceret: Meæ voluntatis eſt, & Patris, vt pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantùm conſiderans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, vt multos afferat fructus. Et ideo, quia contraria loqueris voluntatis meæ, debes aduerſarius appellari. Satanas enim interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius. Non tamen vt plærique putant, eadem Satanas & Petrus ſententia condemnatur. Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id eſt, Sequere me, qui contrarius es voluntatis meæ. Ille audit: Vade Satana, & non ei dicitur, retro; vt ſubaudiatur, in ignem æternum.* Ita S. Hieron. apud S. Tho. Ad hunc modum etiam illa verba exponit S. Hilarius, canone 16. in Matth. *Sed ſciens Dominus Zabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: Vade retro me, id eſt, vt exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum verò, per quem opinio hæc ſuggerebatur conuerſus adiecit, Satana: ſcandalum mihi es. Non enim conuenit exiſtimare Petro Satanæ nomen, & offenſionem ſcandali deputari, poſt illa indultæ beatitudinis, & poteſtatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus eſt, Petri reſponſione Dominus offenſus, cum opprobrio nominis infidelitatis iſtius eſt deteſtatur autorem.* Ita S. Hilarius. Tamen S. Hieron. vult quod error ille Apoſtolicus, vt loquitur, fuit de pietatis affectu, & nunquam incentiuum videbitur diaboli. Beatitudo quippe illi tantùm fuerat promiſſa, non in præſenti data. Igitur, Vade poſt me, eſt idem ac Sequere me. Quid autem ſequi Chriſtum, illud mox docet, cum dixit diſcipulis ſuis. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Ac ſi Petro diceret, vt vult S. Chryſoſtom. Hom. 56. in Matth. in Princip. tom. 2. in catena S. Thomæ, *Ego autem dico tibi, quoniam non ſolùm me prohibere à paſſione nocivum tibi eſt, ſed neque ſaluari poteris, niſi patiaris & moriaris, & vitæ ab renuncies ſemper, &c.* Et idem Chryſoſt. hom. 16. in Matth. in illud, *Et ſequatur me*, tom. 2. *Quia*, inquit, *etiam latrones multa grauia patiuntur, vt non æſtimes quod paſſio, malorum ſufficiat, adiungit cauſam patiendi, cum dicit: Et ſequatur me: vt propter eum omnia ſuſtineas, & alias eius virtutes addiſcas. Hoc eſt enim ſequi Chriſtum vt oportet, diligentes eſſe circa virtutes, & pati omnia propter ipſum.* Ita Chryſ. idem rurſus hom. 56. in Matt. *Ne autem æſtimes quod vſque ad verba tantùm, & contumelias, oportet abnegare ſeipſum, oſtendit vſque ad quantum abnegare ſeipſum oporteat: quia vſque ad mortem etiam turpiſſimam, ſcilicet crucis, quod ſignificat in hoc quod dicit: Et tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, vt ait S. Hilar. can. 16. in Matt. *ſequendus eſt cruce aſſumpta, & paſſionis ſua ſi non ſorte, attamen voluntate comitandus eſt. Quid enim prodeſt occupaſſe mundum, & toto terrenæ poteſtatis dominatu opibus ſeculi incubare, ſi perdenda anima, & ſuſcipiendum vitæ detrimentum eſt? Quæ autem commutatio pro anima, cum fuerit amiſſa, quæretur? Cum Angelus enim Chriſtus aderit, reddens ſingulis vt merebuntur. Quid afferemus ad vitam? Præparatos, credo, terrenarum opum futuris commerciis theſauros, ambitioſos dignitatum famæque titulos, aut veteres delicatæ nobilitatis imagines? Neganda ſunt hæc omnia, vt melioribus abundemus; & contemptu* A *vniuerſorum Chriſtus ſequentibus eſt: & æternitas ſpiritalium, terrenorum eſt damno comparanda.* Ita Hilarius. *O beatum damnum, & iactura fælix*, exclamabat Paulo ante S. Hilar. Et mirum eſt quomodo S. Petrus, qui tam cito crediderat Patri reuelanti de Chriſto, quod eſſet filius Dei, ipſimet filio vix fidem adhibet, dum ſe occidendum fore prædicit: poſtquam tamen fuit B. Petrus à Chriſto edoctus, optimè percepit quid ſibi vellet Dominus, dum & dixit: *Quod ego vado, non potes me modo ſequi: ſequeris autem poſtea.* Putans ſiquidem ſe ad omnia paratum dixit: *Quare non poſſum te modo ſequi? Animam meam pro te ponam.* Ioan. 13. Ac ſi ſequi Chriſtum idem ſic ac mori pro Chriſto. *Sic vtique*, inquit S. Auguſtin. tract. B 66. in Ioannem, *hoc dixit Magiſtro diſcipulus, tanquam ſequi paratus. Propterea Dominus, qui eius animum vidit, ſic reſpondit: nam ſequitur: Reſpondit ei Ieſus, &c. quo ego vado, &c. Dilationem intulit, non ſpem abſtulit; ſed eam ſequenti voce firmauit dicens: ſequeris autem poſtea. Quid feſtinas, Petre? Nondum te ſuo ſpiritu ſolidauerat Petra. Noli extolli præſumendo: non potes modo; noli deiiciendo deſperando; ſequeris enim poſtea.* Ita Aug. Denique Ioan. 21. Dominus dicens Petro: Cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quod tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum; & cum hoc dixiſſet, dicit ei. *Sequere me. Prænunciauit*, inquit S. Chryſ. hom. 87. in Ioan. *Martyrium quod pro ipſo debebat ſuſtinere. Hoc eſt*, ait S. Auguſtinus C tractat. 123. in Ioannem, *Crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet quod tu non vis, &c.* Ac ſi ſequi Chriſtum non ſit aliud quàm crucifigi, iuxta illud Auguſtini tractat. 124. in Ioannem: *Nunquid ſolus pro Chriſtiana veritate paſſus eſt Petrus? Nonne ibi erat Iacobus, qui ab Herode manifeſtatur occiſus? Verum aliquis dixerit (quoniam non eſt Iacobus crucifixus) meritò dictum eſſe Petro: Sequere me, qui non ſolùm mortem, ſed & mortem crucis, ſicut Chriſtus expertus eſt.* Ita Aug. Igitur cum ſequi Chriſtum in hac vita propriè ſit mori, imo & crucifigi pro Chriſto, quod proprium opus eſt Martyrum, dum dicitur de iſtis 144. millibus, qui videntur eſſe quaſi in ſtatione D militari, in hoc tempore luctæ & certaminis (*Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.*) *Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit*; de Martyribus ſpecialem haberi rationem exiſtimo, quorum eſt ſequi agnum, qui occiſus eſt, patiendo pro eius nomine mortem.

At quàm idonei ſint qui tales ſunt, vt in militiam Chriſti adſcribantur, quis non videt? *Hos*, inquit S. Cyprianus de laude Martyrij Epiſt. 66. ad Moyſem & Maxim. *nempe Martyrium fundamentum vitæ & fidei; hoc præſidium ſalutis, hoc vinculum libertatis & honoris. Et quamuis ſint & alia, per quæ adipiſci lux poſſit, tamen ad proximitatem muneris repromiſſi, pœnis melius patrocinantibus peruenitur. Quantæ enim ſit gloriæ* E *ponderate. Huius vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura, mundique commercio ſegregatum, contra aduerſantis diſcrimen opponere, nec ſæuitiam torquentis horrere animari hominem dolore, quo credatur extingui: & id ſibi in augmentum virtutis aſſumere, quod cruciatus putat; prodeſſe qui punit. Nam prædurantibus licèt coſtis reſultans vngula recurrat: & euntibus flagris cum auulſa corporis parte rediens habena ducatur, ſtat immobilis, pœnis ſuis fortior, hoc ſolùm ſecum ipſe conuoluens, quod in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur Chriſtus ipſe patiatur. Nam quando ſi negauerit Dominum, pro eo crimen ſubeat, pro quo viciſſe debebat, neceſſe eſt eum videri cuncta tolerare, cui victoria debetur & pugna.* Ita Cypr. Qui poſtea fusè diſſerit quid ſit Martyrium, quantum ſit, cui rei proſit; quibus percipi poteſt Martyrem idoneum eſſe militem Chriſti, quo mun-

Digitized by Google

dus Dei inimicus debellari poſſit. Vnde S. Cyprianus (A), poſtquam tria prædicta de Martyrio demonſtrauit, tandem concludit in laudem Martyrij, quo Chriſtum ſequimur: *Nam*, inquit, *præferatur licèt bono fidei cuſtodita iuſtitia, melioremque ſe inter omnium laudes Virginitas immaculata cognoſcat, cedat tamen ſanguini, ſummittatur cruori. Illi elegerunt bonum: hi imitati ſunt Chriſtum.* Ita Cyprian. Et reuera in Martyrio verè apparet de mundo & ſeculo victoria. *Negligit Martyr lucem vitæ præſentis, cui lux æterna promiſſa eſt. Non eum tenet cupiditas viuendi, & morientibus cunctis, morbis ſæuientibus gaudet Martyr ſe ſeruatum eſſe, vt Martyr eſſe poſſet. Vulneribus ſuis gaudet. Et labor lætus, quia triumphalibus ſpoliis onuſtus ingreditur, & per laborem ſecuritas inuenitur. Illi videntur toleranda eſſe omnia, patienda cuncta, nec ſibi appetendum quo modico gaudeat* (B) *tempore, & perpetuo puniatur ardore. Hinc in Martyre, gaudiorum mundi horror & contemptus. Mundus totus in maligno poſitus cunctos ſubuertere conatur: ſed Martyr eo tutior eſt, quo citiùs & glorioſiùs videt ſe mundi laqueos effugere. Etenim qui ſalutis æternæ cupiditatibus freti, vitæ huiuſce deſideria vicerunt, hos expertes doloris vniuerſi Domini promiſſa fecerunt.* Inquit S. Cypr. Plura alia in laudem Martyrij accumulat, quæ apud ipſum legere poteris. Quibus perſpectum erit Martyrem eſſe verum militem Chriſti, qui de mundo & ſeculo glorioſam reportat victoriam. *Et certè non poteris optare Martyrium, niſi ante oderis ſeculum; nec peruenire ad Dei præmium, niſi amaueris Chriſtum.* (C) *Qui autem amat Chriſtum, non amat ſeculum. Chriſtus enim eſt abiectus ſeculo, ſicut & ſeculum Chriſto, itaut ſcriptum eſt: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Nemini amabilis fuit mundus, quem non ante damnauerit Dominus; nec ſalute frui potuit æterna, qui mundi gloriatus eſt vita.* Ita Cypr. Vis igitur eſſe de his, de quibus hîc dicitur: *Hi ſunt qui ſequuntur agnum, quocumque ierit?* Mundum contemne, mundum deſpice, eius te hoſtem conſtitue: tunc vere cantabis *quaſi canticum nouum.* Nouum enim eſt mundo, vt quis renunciet ſeculo, vt quis mundi oblectaméta reſpuat, vt quis pro rebus futuris, ſenſibus incognitis, præſentia contemnat, vt quis nec tormenta, nec mortem pertimeſcat. Vnde meritò ſanctus Eulogius (D) Archiepiſ. Toletan. lib. 1. Memorial. ſanctorum, laudat eos *qui ſe Martyrio, inſtinctu videlicet Spiritus ſancti, vltrò offerunt, quia in eo vires militis comprobantur egregia, quo non requiſitus vltro ſe obtulerit paleſtræ Martyrij, ſancta ſcriptura teſtante: Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Dominum. Si ergo quis zelo charitatis noſtræ aduerſariis noſtris fidelis expugnator occurrerет, arma ſumeret, enſibus deſæuiret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis pateremur donariis, eiuſque liberalitatem largo muniſicandam beneficio cenſeremus. Quanto potioris gloriæ honore ferendi ſunt, qui obtentu capeſſendi gratiam regis æterni, vigore cincti iuſtitiæ, ad obitum quoque reſiſtentes inſenſi, crudeli morte perempti ſunt? Ille denique Angelus* (E) *veritatis, & præco iuſtitiæ, Redemptoris præcurſor, & nuncius pacis Baptiſta Ioannes, cum Regem iniquum de ſtupro Herodiadis commoneret, cumque adulterino inceſtu thorum violare fraternum inhiberet, ergaſtulo propter veritatis profeſſionem detruditur, ibique abſque vlla fidei perſecutione truncatur; nec tali ſuccumbere recuſauit diſpendio, qui ſine dubio nouerat, diuino reuelante ſpiritu, tantumdem eſſe propter iuſtitiam mori, quam pro fidei confeſſione proſterni.* Ita S. Eulog.

Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno: & in ore eorum non eſt inuentum mendacium. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei.

De tertia turma exercitus Chriſti, nempe eorum qui voto, officio, aut miniſterio, Dei & agni obſequio ſunt conſecrati. §. 4.

Quamuis textus poſſit conuenire Virginibus & Martyribus, tamen illum de iis, qui ſpeciali aliqua ratione obſequio Dei & agni ſunt mancipati, intelligi præcipuè aſſero.

Si ad Virgines & Martyres illum applicare deſideras, idem eſt ac ſi diceret: Qui Virginitatis ſtola induti Chriſtum ſequi parati ſunt, hi ſunt qui ex medio hominum, id eſt, ex fragili & corrupta maſſa peccatorum, quorum indoles ad peccandum prona & propenſa multam contrahit (vndequaque ſe vertat) ſorditiem, aſſumuntur; vt coram omnibus creaturis appareat, quàm bonus ſit Deus his qui recto ſunt corde, quàm profuſæ ſunt illius liberalitates erga eos, qui nihil ſibi reſeruantes, & animam & corpus eius obſequio conſecrant; quanta ſit vis & efficacia gratiæ, tum vt illa muniti in peccata non labamur, tum vt bona opera exerceamus; quanta ſit efficacia meriti agni patientis, qui apud patrem promeruit, vt ex poſteritate Adami, id eſt, ex maſſa peccato deturpata & infecta, Deus nihilominus aliquos aſſumat, qui fiant diuinitatis, ſeu diuinæ conſortes naturæ; propter eminentem gradum gratiæ & ſanctitatis præcipuæ, Angelos diceres in carne, adeo ſunt extra carnem, ambulantes in ſpiritu, ac Deo fideliter in omnibus obedientes. Iſti veræ ſunt primitiæ Deo & agno; nam ſicut olim in Paſchate ſpicæ virides Deo offerebantur pio primitiis; in Pentecoſte panes triticei, ex tritico anni noui confecti; in feſto tabernaculorum offerebantur primitiæ frugum terræ; hi ſunt quaſi primitiæ Deo & agno in noua lege: Nam ſtatim atque per baptiſmum à peccati morte ad vitam gratiæ reſurrexerunt, ſpiritus gratiæ omnes motus affectuum & inclinationum illorum in ſua redegit poteſtate, ne vitiis ac concupiſcentiis inſeruirent, aut in voluptatibus carnis volutarentur, ſtatim atque ratiocinandi facultas è medio phantaſmatum cœpit tanquam clarum lumen prodire in actum, donis Spiritus ſancti præuenti fuerunt, & ad eius nutum fuerunt mobiles, vt quocumque impelleret ſpiritus illuc ambularent, illorum cogitationes ſuggerit, meditationes format, determinationes inducit. At cum ad maturam peruenerunt ætatem, ſeu ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, id eſt, perfectam adepti ſunt virtutem; quicquid boni faciunt, hoc totum tanquam fructum gratioſiſſimum Deo offerunt. Sciunt enim omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum effluere, nihilque abſque Deo ſe poſſe autumant, cuius gratia ſunt id quod ſunt; & ne vacua in eis eſſet, ipſe etiam effecit, ſine quo factum eſt nihil. Et cum omnia perfecerint, ſe ſeruos inutiles profitentur, qui præditi humilitate puritatem corporis & animæ cuſtodiunt illæſam. Opus certè Deo dignum. *Quis* enim *poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Hinc habent Deum à dextris, ne commoueantur; non eſt inuentum in ore eorum mendacium; errorem omnem è mente expellunt, intellectum captiuantes in obſequium fidei: quidquid in baptiſmo promiſerunt, vt eſt abrenunciatio ſatanæ & pomparum eius, mandatorumque Dei adimpletio ſtudioſa, fideliter

Digitized by Google

cuſtodiunt. Quod dum perficiunt, ſine macula ſunt ante thronum Dei, qui iuſtus iudex reddet vnicuique iuxta opera ſua. Nec enim iuſti eſſe volunt tantùm ante homines, ſed ante Deum; qualem iuſtitiam Zacharias allaturum Chriſtum Dominum aſſerebat: *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis: Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.* Nec exiſtimandum plus concedi à Deo malitiæ peccati permiſſiuè, quàm effectiuè gratiæ conferri. Igitur ſi in AntiChriſto, & eius aſſeclis, nequitia peccati ſupremum attingat gradum, vt ſeducere valeant (ſi fieri poſſet) etiam electos, prorſus credibile eſt, ſuos milites Chriſtum ſumma decoraturum eſſe ſanctitate, vt tam potentes hoſtes ſuperare valeant. Hac de cauſa ſunt in vertice montis cum agno: quia ſummam adepti ſunt perfectionem, illum perfectè imitando. Ne timeant igitur imbecilliores certare cum hoſtibus. Ex tanta profuſione gratiæ in his 144. millibus magna ſpes datur infirmis (cum multæ ſint manſiones in cælis) recipiendi gratiam ſufficientem, imo efficacem, qua gloriam poſſint promereri, cum videant tantùm conferri iſtis, vt poſſint tam potentiſſimos hoſtes conterere, & propriam ſalutem ſibi comparare. Et ſi reperiuntur tales, qui per totum vitæ decurſum potuerint in gratia ſemel accepta perſeuerare, & omnibus tentationibus reſiſtere, ſperandum certè Deum (qui neminem permittit tentari ſupra modum) illis auxilium præbiturum, ſi quæ tentationes occurrerint, vt illas valeant ſuperare. Et ſi abſque peccato & macula quis multo tempore poteſt vitam tranſigere, poſſibile erit vt in vltimo vitæ articulo quis gratiam finalem recipiat, qua cælum valeat promereri.

Nunc videamus quomodo hic textus præcipuè intelligi debeat de his, qui Dei & Chriſti obſequio ſunt adſtricti, vel voto, ſeu profeſſione ſpeciali, vel ratione cuiuſdam officij aut miniſterij, Deo ſe libera voluntate deuouerunt.

Quomodo Religioſi, Sacerdotes, & Doctores dicuntur empti de terra? §. 5.

Exiſtimabit aliquis fortè idem eſſe emi de terra, & emi ex hominibus, cum Ruperto lib. 9. *Nam de terra & ex hominibus, idem eſt tanquam ſi diceret. Ex maſſa terrena generis humani, quæ vniuerſa in primo parente ſub peccato ſe vendidit.* Ita Rupertus.

Dico tamen cum bona eius venia, non abſque ratione ſanctum Ioannem vſum fuiſſe diuerſa loquendi formula, & aliquid aliud innuere dum ait: *Empti ex hominibus*, quàm dum dixit: *Empti de terra.* Prima enim hæc emptio de terra denotat abſolutè illam redemptionem, quæ nullam liberi arbitrij noſtri ſupponit cooperationem, & quæ facta eſt, hominibus nec de illa cogitantibus, ex mera, & gratuita Dei liberalitate & bonitate, qua voluit homines tenera terrenos redimere, eiſque primam gratiam mereri, ſecundum ſufficientiam, quoad omnes; ſecundum efficaciam, quoad eos qui per Sacramenta gratiam recipiunt neceſſariam, vt præmium eſſentiale beatitudinis accipiant. Emptio autem ex hominibus dicit quandam efficacem vocationem ad aliquam excellentiam & dignitatem, quam per ſanguinem ſuum quidem meruit Chriſtus, non autem pro omnibus electis, ſed pro quibus vult, & quando & quomodo vult, ſecundum conuenientiſſimam diſtributionem, quam ordinatiſſimè facit ſua ſapientia, vt loquitur S. Thomas in expoſitione huius cap. ſeruando inter alia hunc ordinem, vt actu non conferatur iſta dignitas, niſi priùs

A explorata libera voluntate ſuſcipientis: eſt enim hæc dignitas non neceſſitatis, ſicuti eſt mandatorum Dei obſeruatio, ſed maioris perfectionis; quia velis, nolis, niſi mandata ſerues, non habebis partem in hæreditatem Dei; ſed abſque detrimento ſalutis æternæ, quoad præmium aureæ, poterit quis hanc dignitatem nolle, ad quam tamen prouocatur, v. g. dum ei dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me.* Quæ tamen tanquam amplectenda conſulitur, dicente Apoſtolo: *De Virginibus autem, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis.* 1. ad Corinth. 7. Vtriuſque emptionis ſpecimen ali-

B quod habemus apud Paulum c. 5. ad Rom. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ecce prima emptio de terra. *Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij ſui, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.* Ecce ſecunda redemptio ex hominibus. *Si*, inquit Primaſius, *peccatores tantum dilexit, quanto magis iam quos iuſtos fecit cuſtodiet? Ac ſi pro extraneis interceſſit, multo magis ſuos perire non patitur. Si ſemetipſum dedit pro impio, quomodo ſua poterit denegare?* Ita Primaſius.

C At inter ſua, ſunt illæ dignitates ſpeciales, qualis eſt Virginitas, qualis eſt voluntaria paupertas, qualis eſt Sacerdotalis autoritas, qualis eſt prædicandi verbum Dei data & conceſſa facultas. Ad quas dignitates aſſumuntur, non bruta, non animalia, non infantes, quibus poteſt conferri baptiſmus, ſed homines adulti, qui hunc ſtatum eligere volunt, vt Dei & Chriſti eius ſint obſequio omnimodè adſtricti. Fauet huic interpretationi Ambroſius, dum per emptionem, aſſumptionem intelligit. *Sed*, inquit, *melius eſt vt per emptionem aſſumptionem intelligamus. Aſſumpti ſunt enim de terra, & in cæleſti beatitudine collocati.* Ita Ambroſ. Sic emitur, id eſt, aſſumitur ex hominibus, qui ad Sacerdotium vocatur, dicente Apoſtolo: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſum-*

D *ptus pro hominibus conſtituitur, in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, &c.* Heb. 5. Nec quaſi inſolens noſtra interpretatio de Virginibus, Martyribus, & Deo conſecratis Sacerdotibus, aut Religioſis, eſt ſtatim rejicienda. Eadem enim ratione qua S. Thomas hæc verba anteriora, *Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audiui, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum nouum*; intelligit de Prædicatoribus, Martyribus, & Virginibus, dum ait in hæc verba: *Notandum quod triplex eſt ſtatus excellens, ſecundum meritum in Eccleſia, ſcilicet Prædicatorum, Martyrum, & Virginum, quibus redditur in Patria triplex aureola, propter triplicē in-*

E *corruptionem. ſcilicet propter incorruptionem Virginitatis,* (puto legendū eſſe doctrinæ) *quoad rationalem; propter incorruptionem magnanimitatis, quoad iraſcibilem; propter incorruptionem carnis, quantum ad concupiſcibilem. Primum eſt Prædicatorum, ſecundum eſt Martyrum, tertium eſt Virginum. Hunc triplicem ſtatum ſignant quædam in verbis præmiſſis. De Prædicatoribus agitur, cum dicitur: Et audiui vocem, &c. De Martyribus, cum ſequitur: Et audiui vocem, &c.* Ita non mihi videtur abſurdum, aut rationi diſſonum, ſi has clauſulas, *Hi ſunt qui cum mulieribus, &c.* & ſequentes, de Virginibus, Martyribus, aut Dei & Chriſti obſequio conſecratis voto vel miniſterio ſpeciali intelligamus. Cur autem Religioſi, aut Sacerdotes, & Doctores primitiæ dicantur, inquirendum.

Digitized by Google

Primitiæ Deo & agno.

Cur obſequio Dei & agni conſecrati, primitiæ dicantur? §. 6.

Tribus modis ea, quæ Deo offerebantur, primitiæ dicebantur. Primò, quia ea eſſent primitiæ frugum, id eſt, primi fructus, quos Deus depoſcebat vt autor omnium bonorum. Leuit. 23. *Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem, &c.* Secundò, dicuntur primitiæ, ſi quidquid ſit quod offeratur, fuerit prima offerentis oblatio. Hoc ſenſu hunc verſum Exod. 25. *Loquere filiis Iſraël, vt tollant mihi primitias. Ab omni homine, qui offeret vltroneas, accipietis eas*, intelligit Cornelius à Lapide, *quia*, inquit, *prima fuit hæc communis Hebræorum oblatio, quæ facta eſt pro fabrica tabernaculi* Tertiò, primitiæ dicuntur ea quæ Deo offeruntur, ſi hæc fuerint prima & præſtantiſſima. Ita apud Cornelium in 25. Exod. Theodoret. q. 70. & Abulienſis. *Primitias*, inquiunt, *id eſt prima & præſtantiſſima. Hæc enim Deo offerenda ſunt.* In hoc ſenſu primitiæ hic accipiuntur à S. Thom. in expoſit. *Empti ſunt primitiæ, id eſt, vt ſunt primi, & excellentes alios*, inquit S. Thom. quaſi habentes præcellentiam ſupra alios. Qui ſenſus valde congruit dignitati. Sacerdotum, ac Religioſorum, ſeu Prædicatorum aut Doctorum, non gradu, ſed actu docentium, qui magni dicuntur in regno cælorum, quia docent & faciunt, de quibus hunc locum præcipuè intelligendum eſſe aſſeruimus. De quorum dignitate & excellentia conſulendi ſunt qui ex inſtituto tractant, ſiue de ſtatu religioſorum, ſiue de dignitate Sacerdotum, aut de præſtanti munere docendi & prædicandi in Eccleſia; quos omnes hic conſideramus in quantum actu ſaluti aliorum inuigilant. Aureolæ enim non dabuntur ſtatui aut habitibus, ſed actibus. Et hæc prima ratio cur iſti per primitias intelligantur.

At præter hanc rationem dignitatis, hi omnes per primitias optimè intelliguntur. Quatuor enim lego de primitiis in diuinis ſcripturis, quibus certè ſtatus Religioſus & Sacerdotalis, ac eorum qui miniſterio verbi deputantur, optimè adumbratur. Primum eſt Leuitic. 2. vbi prohibetur oblatio fermenti & mellis, acceptantur tamen primitiæ eorum. Ita tamen vt ſuper altare non imponentur in odorem ſuauitatis. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. Primitias tantùm eorum offeretis ac munera, ſuper altare verò non imponentur in odorem ſuauitatis.* Per fermentum Procopius verſutiam & aſtutiam, ſeu antiquam malitiam vel inueteratum vitiorum, ſeu mali ſtudium intelligit. *Mel*, inquit, *idem ſignificat carnalem voluptatem, quæ quidem ſi non ſubditur legi, prorſus abiicienda eſt: ſin vero inter legum limites, ſicut poſtulat legitimum matrimonium, carnis delectatio ſe contineat, non reprobatur; non tamen facit ad odorem bonæ fragrantiæ Domino, quemadmodum Virginitas & continentia, &c.* Ita Procopius. Quæres quare noſtri Religioſi, Sacerdotes aut Doctores dicuntur non tales quales primitiæ, ſed primitiæ emptæ ex hominibus? Quia debent eſſe continentes & cælibes, & à voluptatibus carnis etiam licitis abſtracti. Certè qui matrimonio iunguntur, poſſunt Deo offerri, qui matrimonium inſtituit; ſed non poſſunt ſuper altare imponi in odorem ſuauitatis, quia matrimonium ſtatui Religioſo, aut Sacerdotali, aut Miniſterio verbi non poteſt accommodari. Vnde noſtræ primitiæ ex hominibus aſſumun-

A tur, quia ab eo ſtatu Matrimonij, qui naturæ hominum fragili conuenit, debent auelli, vt altaris miniſterio deuoueantur. *Bonum eſt homini*, dicebat Apoſtolus, *mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat.* 1. ad Corinth. c. 7. Hoc proprium igitur eſt hominum, quamuis illis bonum eſſet mulierem non tangere. Qui igitur dono Dei præuentus, conſilium Apoſtoli ſequens, ſolutus ab vxore non quærit vxorem, vt ſollicitus ſit quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, is proculdubio extra humanum ſtatum aſſumitur, vt poſſit non ſicut fermentum & mel ab altari amoueri, ſed tanquam frumentum & oleum ſuper altare imponi, & Deo

B voto vel miniſterio conſecrari. Sunt igitur Sacerdotes & Religioſi primitiæ altioris ordinis quã fermentum & mel, quibus malitia vel voluptas ſignificantur, quæ quidem offeruntur, vt ſint in cibum Sacerdotum, quorum eſt comedere populi peccata, dum per confeſſionem illis manifeſtantur; ſed ſuper altare non imponuntur in odorem ſuauitatis, quia debent eſſe remiſſa per pænitentiam, antequam quis ad altare accedat. Primæ quidem ſunt hæ oblationes confeſſionis peccatorum, quia à confeſſione peccatorum incipiendum, ſed non præcipuæ, non potiores, non digniores, quas exigimus vt per eas ſtatus Religioſus aut Sacerdotalis deſignetur. Cedent quidem illæ primæ oblationes in eſum Sacer-

C dotum, ſed non imponentur ſuper altare: quia nemo cum conſcientia peccati mortiferi accedet ad altare impunè. Præcedat tantam dignitatem confeſſio peccatorum. Ab ea incipiat qui Deo appropinquare deſiderat, & tanquam præcipuum, & pretioſiſſimum donum illius obſequio conſecrari. *Audi*, inquit Origenes, hom. 3. in Leuiticum, *quid legis ordo præcipiat. Si peccauerit*, inquit, *vnum aliquid de iſtis, pronunciet peccatum quod peccauit. Eſt aliquod in hoc mirabile ſecretum, quod iubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuncianda ſunt; & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, ſi quod in occulto gerimus, ſi quod in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publi-*

D *cari, cuncta proferri, proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor. Ipſe enim nunc nos vt peccemus inſtigat. Ipſe etiam cum peccauerimus accuſat. Si ergo in vita præueniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitiam diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu, iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris, &c.* Et paulo poſt: *Vide ergo quia pronunciare peccatum, remiſſionem peccati meretur. Præuentus enim diabolus in accuſatione, vltra nos accuſare non poterit; & ſi ipſi noſtri ſumus accuſatores, proficit nobis ad ſalutem. Si verò expectemus vt à diabolo accuſemur, accuſatio illa cedit nobis ad pænam. Habebit enim ſocios in gehenna, quos conuicerit criminum ſocios.* Ita Orig. A cõfeſſione igitur peccatorum incipiendum:

E & hæc eſt oblatio prima, quæ in vſum cedit ſacerdotum, quia apud ſacerdotes eſt facienda, vt ipſe Origenes docet, homil. 2. in Leuiticum. *Eſt*, inquit, *adhuc & ſeptima, licèt dura & laborioſa per pænitentiam remiſſio peccatorum, cum lauit peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte; & cum erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait: Dixi, Pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam.* Ita Orig. Nec video quæ cauſa impulerit olim gentiles, vt dicerent Chriſtianos adorare ſacerdotis virilia, vt refert Minucius Fælix in Octauio, niſi quia tenera ad genua ſacerdotum fideles proſtrati, apud ſacerdotem conſcientiam ſuam detegunt, & peccata confitentur.

Secundum; quod lego de primitiis, eſt præſcriptio eorum quæ offerri debent vt primitiæ: nam

A præter frumentum, oleum, panes & primitias ex omnibus frugibus terræ, Exod. 25. multa alia etiam præſcribuntur, quæ accipi debebant pro primitiis. *Loquere*, inquit, *filiis Iſraël, vt tollant mihi primitias. Ab omni homine qui offeret vltroneus accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, aurum & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelleſque Ianthinas, & ligna Setim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod ac rationale, &c.* Longiſſimum eſſet & fortaſſe nimis tædioſum hæc omnia explicare, in quibus dignitas ſtatus Sacerdotalis, aut Religioſi, vel Miniſterij Doctorum exprimitur. Tamen quia Sacerdotes & B Doctores dicimus primitias nuncupari, non quod ab eis incipi debeat oblatio, ſed eo ſenſu quod diximus primitias ea quæ ſunt prætioſiora ſignificare, quæ Deo debent offerri: (ſic enim etiam Origenes primitias interpretatur, l. 10. in 16. c. Epiſt. ad Rom. *Vt intelligamus Angelos Dei, qui Eccleſiis præſunt, offerre ſingulos quoſque primitias Deo ex his qui credunt. Primitiæ autem apud illos iudicentur non hi qui tempore primi ſunt, ſed qui virtutibus & meritis præcellunt.* Ita Origen.) dico his omnibus conditiones vel optimi ſacerdotis, vel optimi Religioſi aut Doctoris ſignificari, vt ſint primitiæ, id eſt, prætioſiſſima dona Deo & agno offerenda. Sunt aurum per ſapientiam; argentum, quia *eloquia Domini eloquia caſta, argentum* C *igne examinatum, &c.* requirenda ab ore ſacerdotis. Sunt æs, quia non debent eſſe *canes muti, neſcientes latrare*, ſed opportunè, importunè debent populis mandata Dei inculcare, & quaſi tubam exaltare vocem ſuam. Sunt hyacinthum, quia conuerſatio illorum tota debet eſſe cæleſtis; Purpura per zelum diuini honoris: comæ enim eorum debent eſſe tanquam purpura regis; ad hoc enim vnum illorum cogitationes ſpectare debent, vt honorificetur Deus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Rex & Dominus ab omnibus agnoſcatur. Sunt coccus bis tinctus, per dilectionem Dei & proximi. Sunt byſſus per munditiem & caſtitatem. Habeant pilos caprarum, per auſteritatem victus & veſtitus, illis ſimi- D les de quibus dicitur, Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Sunt tanquam pelles arietum rubricatæ, quia pati debent bonorum omnium temporalium abdicationem, & propria exui pelle, ſi opus ſit, pro Dei amore; & pelles Ianthinæ, id eſt, coloris violacei, quia ea omnia etiam relinquere debent pro rerum cæleſtium deſiderio. Sunt lignum Setim incorruptibile, per immortalitatis deſideriũ. Habeant oleum ad luminaria, per opera miſericordiæ; aromata, per exercitium cunctarum virtutum, vt ſint Chriſti bonus odor in omni loco, & repleatur domus Eccleſiæ ex odore vnguenti; Thymiamata per ſpiritum orationis, dum ſicut incenſum, eo- E rum oratio ad Deum inceſſanter erigitur. Habeant lapides onychinos, & gemmas ad ornandum rationale, id eſt, non ſolùm prorumpant in actus quoſdam virtutum, ſed contrahant habitus earumdem, quibus mens eorum exornetur, vt quoties occaſio ſe prebuerit exercendi aliquem actum, hoc ſtudioſè & facilè ac iocundè perficiant. His omnibus exornati erunt veræ primitiæ, pretioſiſſimæ, Deo & agno dignæ. Aut, ſi vis, Origenis interpretationem ſuſcipe, qui homilia 6. in Exodum ait: *Iam vero cocci & hyacinthi, byſſi ac purpuræ ſpecie, multa ac diuerſa opera explicantur; inde tentoria, inde cælum exterius & interius, inde tota Sacerdotalis & Pontificalis veſtis auro & gemmis expeditur adiunctis. Sed ne diutiùs per ſingularum demoremur ſpecies virtutum, poſſumus breuiter dicere illa ſignificari per hæc, quibus ornaretur Eccleſia. Fides enim auro conferri poteſt, ſermo prædicationis eius, argento, lapidibus prætioſis; æs, patientiæ; lignis imputribilibus, ſcientia, quæ per lignum venit; aut incorruptio caſtitatis, quæ nunquam veteraſcit; byſſo, Virginitas; cocco, confeſſionis gloria; purpuræ, charitatis fulgor; hyacintho, ſpes regni cælorum. Iſta ſunt interiùs materiæ, ex quibus omne tabernaculum conſtruatur, induantur ſacerdotes, ornetur & Pontifex, &c.* Ita Origenes. Quod ſi ſacerdotes his virtutibus exornentur, tunc ſicuti ex his materiis olim Deo tabernaculum fuit conſtructum (vnde additur Exod. 25. *Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.*) ita his donis exornati ſacerdotes, Dei erunt ſanctuarium, vt habitet in medio fidelium.

Tertiò. Aliud quiddam de primitiis legimus, nempe vt offerens offerret vltroneus, pro libito & bona voluntate ſua. Exod. 23. & c. 35. *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino, aurum & argentum & æs, &c.* vt ſupra. Deus enim intuetur cor: cuius ſolo intuitu hæc omnia ſunt perficienda. Sacrificium eſt voluntatium, non neceſſitatis. *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.* Pſ. 53. Hoc faciunt qui Deum propter ſe, non propter aliud quærunt, qui non intuitu lucri aut boni alicuius temporalis ſe Dei obſequio conſecrant, vt faciunt, hi qui ad Sacerdotium accedunt vera intentione Deo placendi & ipſi ſeruiendi. *Quod enim Sacrificium hic accipiam, fratres*, inquit Auguſt. *aut quid digne offeram pro miſericordia eius? Victimas quæram de grege ouium? Arietem eligam? Taurum aliquem in armentis proſpiciam? Thura de terra Sabæorum offeram? Quid faciam? Quid offeram, niſi quod ait: Sacrificium laudis honorificabit me? Quare ergo voluntariè? Quia gratis amo quod laudo. Laudo Deum, & in ipſa laude gaudeo. Ipſius laude gaudeo, quo laudato non erubeſco. Non enim quemadmodum laudatur à ſtudioſis theatricarum nugarum vel auriga, vel venator, vel quilibet hiſtrio, & à laudatoribus ſuis inuitantur alij laudatores, & exhortantur vt pariter clament; & cũ omnes clamauerint, plerumque illo victo omnes erubeſcũt; non ita eſt Deus noſter. Laudetur voluntate: ametur charitate: gratuitum ſit & quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitũ? Ipſe propter ſe, non propter aliud. Si enim laudas Deum vt det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubeſceres ſi te vxor tua propter diuitias amaret; & fortè ſi tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te à coniuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es, ô auare? Non tibi terram ſed ſeipſum ſeruat, qui fecit cælum & terram. Voluntariè ſacrificabo tibi. Noli ex neceſſitate. Si enim propter aliud laudas Deum, ex neceſſitate laudas, &c.* Et paulo poſt: *Contemne omnia, ipſum attende. Et hæc quæ dedit, propter dantem bona ſunt: nam dat prorſus, dat ipſa temporalia, &c.* Denique paulo poſt: *Ipſum autem gratis diligo, quia melius ab eo non inuenio quod det quàm ſeipſum; aut ſi inuenis melius; hoc pete. Voluntariè ſacrificabo tibi. Quare voluntariè? Quia gratis. Quid eſt gratis? Et confitebor nomini tuo: quoniam bonum eſt: ob nihil aliud, niſi quia bonum eſt. Numquid ait: Confitebor nomini tuo, Domine, quia das mihi fructuoſa prædia, quia das mihi aurum & argentum, quia das mihi latas diuitias, amplam pecuniam, excellentiſſimam dignitatem? Non. Sed quid? Quoniam bonum eſt. Melius nihil inuenio quàm nomen tuum. Ideo confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt.* Ita Aug.

Vt quis igitur rationem primitiarum induat, dum vel voto ſe obligat Dei obſequio, vel Sacerdotium ſuſcipit, vel inſtat orationi & prædicationi verbi, oportet vt hoc faciat voluntariè, id eſt liberè abſque vlla neceſſitate, nihil intendens aliud quàm Dei

Digitized by Google

gloriam, non quia ſecurus erit de victu & veſtitu, non quia amplum habebit beneficium, non quia propter eloquentiam & doctrinam multam ſibi conciliabit apud homines gloriam & famam, ſed quia in his omnibus Deo cultum exihibebit, oratione, Pſalmodia, ſacrificio, verbi diuini prædicatione, ad animarum conuerſionem, & maieſtatis diuinæ ac beneficiorum eius manifeſtationem. Deinde voluntatium debet eſſe illud ſacrificium, quia nemo inuitus ordinari, nemo ad vota religionis emittenda cogi debet, vt clarum eſt. Quod quia caret difficultate, ad vltimum, quod de primitiis in ſcriptura legimus, tranſeamus.

Illud autem eſt quod dicitur Numerorum 18. ad Aaron ſummum Sacerdotem. *Locutus eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum: omnia quæ ſanctificantur à filiis Iſraël tradidi tibi, & filiis tuis, pro officio ſacerdotali, legitima ſempiterna.* Certè notum eſt quomodo tum Religioſi, tum Sacerdotes, tum Præcones verbi diuini ſub cuſtodia ſummi Pontificis reponantur, cui non modo dictum eſt. *Paſce agnos meos*; ſed etiam: *Paſce oues meas*; itant ſuperiores in Eccleſia æquè ac inferiores meritò illi ſubdantur. Quod cum ex aliis autoribus probari poſſit, ſuper ſe Deo de his ampliorem habere tractatum. Sufficit iſtud intimare, vt videamus non abſurdè, Religioſos & Sacerdotes, & verbi diuini Præcones per primitias hîc intelligere, dum ſunt prima, præcipua, & pretioſiora dona, quæ Eccleſia Deo offerat, vt eorum operâ & miniſterio, ipſius Dei cultus, cui omnes immediatè offeruntur tanquam quædam ſacræ oblationes, promoueatur & augeatur continuè.

Certè de religioſis vota fideliter adimplentibus dici poteſt, quod *in eorum ore non eſt inuentum mendacium*; & quod *ſunt ſine macula ante thronum Dei*; Hoc de Sacerdotibus, hoc de Prædicatoribus, ſuis officiis ac muneribus ritè & fideliter fungentibus, qui puris mentibus & corporibus Deo Sacrificia offerunt, Sacramenta ritè adminiſtrant, fidem receptam in Eccleſia audacter prædicant, nec ab Eccleſiæ doctrina ne latum vnquam diſcedunt, mores que ſuos ita componunt, vt tam ſanæ doctrinæ (qualis eſt doctrina Eccleſiæ Romanæ) nullo modo contradicant aut repugnent; Et primorum Chriſtianorum, primitiuam fidem & integritatem imitantur. Horum enim erat innocens vita, caſti mores, ſincera erga inuicem dilectio. *Nobis*, inquit Octauius, apud Minutium felicem in Octauio, *homicidium nec videre fas eſt nec audire; tantumque ab humano ſanguine cauemus vt nec edulium, pecorum in cibis ſanguinem nouerimus*; ita Minutius. Qui de caſtitate eorum poſtea diſſerens ait: *At nos pudorem non facie ſed mente præſtamus. Vnius Matrimonij vinculo libenter iu hæremus: Cupiditate procreandi, aut vnum ſcimus, aut nullum. Conuiuia non tantùm pudica colimus, ſed & ſobria: nec enim indulgemus epulis, aut conuiuia mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. Plerique inuiolati corporis Virginitate perpetua fruuntur, potiùs quàm gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit etiam pudica coniunctio.* Denique de charitate ad inuicem ait Minutius: *Sic mutuò, (quod doletis) amore diligimus,* (gentiles alloquitur) *quoniam odiſſe non nouimus; ſic nos (quod inuidetis) fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei cohæredes. Vos enim nec inuicem agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis; nec fratres vos, niſi ſane ad parricidium recognoſcitis.* Ita Minut. In Octauio.

Ex his patet quomodo & Religioſi, & Sacerdotes, & Doctores poſſunt meritò in album militum Chriſti reponi, expediti à carnis voluptatibus, tot ornati virtutibus, tanta alacritate animi vltro ſe A offerentes, vt in hanc aſcribantur militiam, ſub tanto duce militantes, cui adhærentes veram doctrinam ſemper retinent, & abſque macula poſſunt eſſe ante thronum Dei. Cantabant igitur meritò quaſi canticum nouum, propter nouum viuendi genus, per bonorum temporalium abrenunciationem, ſui ipſius abnegationem, ob inauditam à ſeculis prioribus poteſtatem datam hominibus in Sacerdotio, & ob præclaros verbi diuini effectus. Quod quidem ex ore eorum emiſſum ad Deum, qui per illos loquitur, non redit vacuũ, ſed facit fructum, & trigeſimũ, & ſexageſimum, & centeſimum: quia veram fidei catholicæ doctrinam prædicant & morum integritate, quod aliis prædicant, ipſi ſedulò perficiunt. Horũ veB rò bonorum ſuo modo erunt participes, quotquot vel per baptiſmum, vel per veram pœnitentiam, gratiam Spiritus ſancti acceperint, dicente Ticonio ſeu Auguſtino: *Et in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium. Non dixit, non fuit, ſed non eſt inuentum. Qualem enim inuenit Dominus, cum hinc vocat talem & iudicat. Nam aut per baptiſmum, aut per pœnitentiam poſſumus in interiori homine & Virgines effici, & ſine mendacio.* Ita Auguſt. ſeu Ticon. Hinc quia inuenit Virgines, Martyres, Sacerdotes, Religioſos & Doctores eminentiori ſanctitate decoratos, ideo illos cumulatioribus præmiis munerat in cœlis, quorum intuitu cantant canticum, quod nemo poterit dicere niſi illa centum quadraginta quatuor millia. Et tamen C cæteri beati nulla inuidentia turbabuntur, ſi eos viderint aureolis gloriari, quaſi ſibi minimè deberi agnoſcent; claritate qua Deum diligunt, aurea ſua corona contenti. Vnde & Martyres & Doctores iiſdem verbis compellere poſſumus, quibus S. Auguſt. de Virginitate c. 29. compellit Virgines: *Vos ergo, vos ite poſt eum, Virgines eius: & illuc ite poſt eum, quia propter hoc bonum quocumque ierit ſequimini eum. Ad quodlibet enim aliud ſanctitatis donum, quo eum ſequuntur, hortari poſſumus coniugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiſerunt. Vos itaque ſequimini eum, tenendo perſeueranter quod vouiſtis; ardenter facite cum poteſtis, ne Virginitatis bonum à vobis pereat, cum facere nihil poteſtis vt redeat.* Hæc ad Virgines S. Auguſt. D Ad Martyres & Doctores, Religioſo Sacerdotes, certè extendere poſſumus quæ poſtea addit, qui agnum ſequuntur ſpeciali ratione, quemadmodum & Virgines. *Videbit*, inquit, *vos cætera multitudo fidelium, quæ agnum ad hoc ſequi non poteſt; videbit, nec inuidebit: & collætando vobis, quod in ſe non habet habebit in vobis. Nam & illud canticum nouum, proprium veſtrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari veſtro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicetis, & audietis, quia & hoc quod dicetis, à vobis audietis, feliciùs exultabitis, iucundiuſque regnabitis. De maiore tamen veſtro gaudio nullus mœror erit, quibus hoc deerit. Agnus ille quippe, quem vos quocũque ierit ſequimini, nec eos deſeret, qui eum quò vos, non valent ſequi. Omnipotentem agnũ* E *loquimur. Et vobis præibit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. Et qui minus habebunt à vobis non abhorrebunt. Vbi nulla eſt inuidentia, concors eſt differentia. Præſumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vouetis & redditis Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ, non propter præſens ſeculum, ſed propter regnum cælorum.* Ita Auguſt.

Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia. Qua de cauſa exercitus Chriſti ſub numero 144. millium concludetur? §. 7.

S. Thomas in expoſitione rationem huius numeri nobis proponit, dum ait: *Nota ergo, quod per centum ſignatur integritas perfectæ Virginitatis, quia fructus centeſimus eſt perfectio ſtatus Virginum: numerus enim centenarius, quia terminat numeros, & eſt numerus com-*

parus

Digitized by Google

pletus, ſignat perfectionem: hic autem ſpecialiter perfectionem ſtatus Virginitatis, ſicut & Matth. 13. Numerus autem quadragenarius ſignificat feruidam pœnitentiam: partes enim aliquotæ quadragenarij ſurgunt in quinquagenarium, qui eſt numerus remiſſionis, quæ habetur per pœnitentiam. Licèt autem Virgines ſanctam Virginitatem ſeruent, tamen propter aliqua venialia pœnitentiam agunt. Per quaternarium ſignatur Euangelica doctrina, quam attentè obſeruant: per Millenarium autem, qui eſt numerus completiſſimus, ſignificatur perfectio perſeuerantiæ, quæ omnia prædicta perficit: Vel per centenarium, perfectio intemeratæ Virginitatis; per quadragenarium, labor pœnitentialis auſteritatis: per quaternarium; feruor Euangelicæ ſanctitatis, vt in diſperdendis rebus proprijs, & calcandis diuitiis, & relinquendis ſaltem affectu carnalibus propinquis, & huiuſmodi hæc tria non mutantur: Per millenarium verò, perfectio intimæ charitatis, qua ſcilicet calent in Deo, quæ informat omnia prædicta, qua etiam diligunt proximum. Iſidorus. 2. libro de ſummo bono. Sine amore caritatis, quamuis quiſque credat, ad beatitudinem peruenire non poteſt. Notandum autem quod licet ſupra, cap. 7. numerus iſte ſignificet omnes fideles, ſub tempore gratiæ, ſicut vult ibi gloſſa, tamen hic ſignat ſanctas Virgines in vtroque ſexu, vt patet ex gloſſa, & etiam ex litera ſequenti. Hoc etiam dicit Gregorius ſuper hunc locum. Ita S. Thom.

At Beda de hoc numero agens ait: *Numerus hic finitus pro infinito debet intelligi, & ſecreti ſignificatione myſterij virginali aptus examini, quod Deum ex toto corde, tota anima, totaque mente diligens, corporis quoque (quod ex quatuor qualitatibus ſubſiſtit) illi eſt integritate ſacratum. Ter enim terni, nouem; & quater quaterni, ſedecim; ſedecies autem noueni 144. adimplent; vt cum de his, qui in arctioris vitæ conſtituti merito, in monte Sion cum agno videntur, tam perfecta multitudo cernatur, de cæteris Eccleſiæ membris non dubitetur.* Ita Beda.

Certè qui tales ſunt, ſicut antea eos deſcripſimus, meritò cantant ante ſedem, ſeniores, & animalia: & ab eis, quamuis authoritate ſumma, quamuis doctrina potiantur eminentiore, & approbantur & in pretio habentur. Vident enim in iſtis dona Dei, & ſpiritum Chriſti: vnde ipſis fauent, eorum ope vtuntur, eoſque aſſumunt tanquam cooperatores fideliſſimos in opere ſuo. Et reuera omnem reiecerunt torpedinem, nec talentum in ſudario repoſuerunt. Viuunt in corpore, ac ſi eſſent corporis expertes: ſpiritu Dei repleti, ab eo aguntur aſſiduè, vt abſque vlla intercapedine temporum, in virtute proficiant. Sciunt tempus à Deo concedi, vt ſeminent in benedictione, vt de benedictionibus aliquando metent. Vnde nec incauti, nec imprudentes ſunt, vt tempus iſtud furtiliter elabi ſinant. Hac de cauſa gratia in eis vacua non fuit. Fructum attulerunt non ſolùm trigeſimum, per perfectam mandatorum Dei obſeruantiam: non ſolùm ſexageſimum, per conſiliorum Euangelicorum obſeruationem; ſed etiam centeſimum: dum carnis petulantiam à teneris annis reprimentes, & omnem germinationem aut radicem deprauati affectus erga carnem reſcindentes aut eradicantes, ſedulò perfectioni ſtuduerunt; & iuxta gratiam ſibi à Deo collatam, eam adepti ſunt perfectionem, quantum fert humana fragilitas, vt virtutes heroicas in quodam excellenti gradu obtineant. De præcipuis virtutibus dicunt, quod olim Iob de virtute miſericordiæ dixit c. 31. *Quia*, inquit, *ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Ita iſti ſtatim atque rationis vſum obtinuerunt, gratiæ Dei fideliſſimè cooperati ſunt, itaut contra carnis illecebras, mundi oblectamenta, dæmonis inſultus, ſtrenuè decertarent: & ita non modo gratiam, qua præuenti fuerunt, conſeruarunt; ſed etiam illius fructum ad centeſimum vſque perduxerunt. His ita deductis,

A Dico quod S. Ioannes videt numerum eorum omnium, qui millenario numero exprimitur, primò per centenarium multiplicari, dum ait, *Centum millia*, quia omnibus hoc erit ſtudium, omnibus hic erit ſcopus præſcriptus, vt nempe gratiæ ſemen in mente receptum vſque ad centeſimum fructum perueniat, & nunquam à gratia ſemel data excidant, quacumque pulſentur tentatione. Secundò cum millenarius numerus per quadraginta multiplicatur, didicimus quod licèt ſint in ſummo perfectionis apice ſupra montem conſtituti, tamen non erunt à tentationibus immunes, imò potius vt olim Goliath ad certamen ſingulare prouocabat Iſraëlitas per dies quadraginta, ita dæmon per totum vitæ eorum tempus B eis inſidias ſtruere non ceſſabit: quia *militia eſt tota vita hominis ſuper terram*; quæ numero quadragenariò declaratur, quo labores pœnitentiæ ſignificantur, qui neceſſarij ſunt, ſiue ad expianda peccata commiſſa, ſiue ad præſeruationem peccatorum: nam corporis maceratione, duro victu ac veſtitu, ieiuniis, vigiliis, & auſteritatibus aliis gratia conſeruatur in mente. Denique per quatuor, quo numerus millenarius multiplicatur, videre licet exercitium omnium virtutum neceſſarium eſſe, vt in gratia perſeueremus, & finalem perſeuerantiam habeamus. Per numerum enim quaternarium, quatuor virtutes Cardinales, nempe prudentia, iuſtitia, fortitudo & temperantia, quin etiam perſeuerantia deC ſignantur. Alias niſi talentum ad vltimum lucri gradum perueniat, (ecce centenarius numerus:) niſi omnibus tentationibus fortiter quis reſiſtat, (ecce quadragenarius numerus:) niſi quoties ſeſe offert occaſio, virtutes in actum reducamur vſque in finem (ecce quaternarius, per quem millenarius, ſicut per quadragenarium & centenarium multiplicatur) poſſibile non eſt vt ſtemus cum agno in monte, eique inſeparabili nexu coniungamur.

Quod cum ſit rariſſimum, non mirum ſi ad determinatum numerum, licèt myſticum & ſignificatiuum, exercitus Chriſti reducatur.

Quod autem rara ſit perfectio, qua quis euadit dignus vt in hoc numero inueniatur, patet: quia ex D omnibus, qui gratiam in baptiſmo ſuſcipiunt, alij aliquando aliquod Dei præceptum violarunt, alij non fuerunt Conſiliorũ Euangelicorum ſectatores, alij retro abierunt, ſiue tentationi per ignauiam obtemperantes, ſiue ab exercitio virtutũ per torporẽ & tepiditatem deficientes; alii Chriſti ſarcinã ſuper humeros niſi tardiſſimè ſuſceperunt, iuuenilem ætatem in vanitatibus ſeculi tranſegerunt. Hinc fit vt omnibus non liceat cantare canticum iſtud quaſi nouum, & eorum illud tantùm eſſe, qui auulſi ab omnibus carnis oblectamentis, vitam duxerunt ſpiritualem, perfectam & Euangelicam. Vnde multi erunt qui magnum ſanctitatis gradum obtinebunt, & in quibus Deus tanquam in ſede & in throno haE bitabit, cuius ſunt deliciæ eſſe inter filios hominum: qui inſuper illius perſonam gerent in ſuis functionibus & miniſteriis, denique qui docti erunt & ſanctiſſimi, at non Martyres, non Virgines, nón docentes, quibus proinde non conceditur cantare canticum nouum, quia videlicet vna ex his conditionibus per hunc numerum 144. deſignatis ipſis deerit. Hæc dicenda fuerunt de hoc numero, ne aliquid intactum, quantum fieri poteſt, relinquamus.

Digitized by Google

DE SECVNDA VISIONE HVIVS CAPITIS XIV.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij; & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum. Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, &c.

Connexio viſionis iſtius cum præcedenti.

POST deſcriptioné exercitus agni, nec non inſuper militũ eius deſcripta fortitudine & ſtrenuitate, optimo ordine S. Ioannes victoriam de carne, mundo & diabolo pollicetur: De carne, inquam, dum timore iudicij eius petulantia cohibetur, & menti locus datur vt poſſit adorare Deum in ſpiritu & veritate; De mundo, dum tam potentiſſimæ ciuitatis caſus exprimitur: De diabolo, dum peccati, cuius ille autor eſt & inſtigator, certa & ineuitabilis punitio manifeſtatur. Et quia præter victoriæ ſpem, promiſſio mercedis plurimum valet, vt quis ad certamen ineundum animetur, poſt promiſſam de hoſtibus victoriam, etiam merces proponitur. *Et audiui*, inquit, *vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: à modo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* Talem eſſe mentem S. Ioannis videbimus, ſingillatim omnia diſcutiendo. Et meritò à carnis victoria ſumimus exordium. Niſi enim quis carnem domuerit, fruſtra nititur mundum ſuperare, aut dæmonis eludere artes. Deinde cum dixerimus exercitum Chriſti in tres turmas diſtribui, Virginum, Martyrum, & Doctorum, tres illæ victoriæ ex ordine ad illas referuntur, Nam victoria de carnes Virgines reſpicit, qui perfectam de carne victoriam retuleſunt. Victoria de mundo reſpicit Martyres, qui omnes mundanorum perſecutiones fortiter ſuſtinuerunt & vicerunt. Victoria de diabolo, Doctorum eſt & Religioſorum, qui doctrina & prædicatione mendacia eius detegunt, & horrorem peccati imprimere ſatagunt, & ex comminatione ſuppliciorum ab illorum perperratione homines auertere ſtudent, & ſanctitate præcipua exemplum præbent peccata fugiendi, & virtutes exercendi.

Videntur igitur tres iſti Angeli quaſi tres buccinatores, itaut vnaquæque turma ſuum habeat, quo ad prælium prouocetur, dum victoria illi per eum de hoſte promittitur. Dices non videri victoriam repromitti à tertio Angelo, ſed tantùm ſupplicia. Reſpondeo optimè dici: *Si quis adorauerit*, &c. Idem enim eſt ac ſi diceret: Niſi conuerſi fueritis, peccata omnia fugiendo, Deus de vobis peccatoribus, qui gloriamini in peccatis veſtris, aliam magis reformidandam obtinebit victoriam. Nam bibetis A de vino iræ Dei & cruciabimini igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, quorum inſpirationes ſequi neglexiſtis: & ante conſpectum agni, qui vobis redemptionem parauerat, ſi ea vti voluiſſetis. Vnum igitur è duobus vobis eſt eligendum, aut peccati fuga, & ſic doctores, Chriſti milites, & tertiam conſtituentes turmam habebunt intentum: hic enim eſt illorum ſcopus, vt peccata omnia fugere ſtudeatis: vel ſi malueritis adorare beſtiam & imaginem eius, ne putetis vos Deo fore ſuperiores: ſi enim in præſenti eius mandata obſeruare neglexeritis, non effugietis eius iram venturam, ſed bibetis de vino iræ Dei, &c.

B *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli.*

Quis ſit ille Angelus?

ANNOTAT. V.

OPTAT Alcazar vt pro voce (alterum) legeretur (Alium) vt græca ſonant, inquit; vultque vocem (alium) non eſſe referendam ad aliquem qui præceſſerit, ſed reſpectu aliorum qui ſubſequuntur. Phraſis enim eſt frequenter vſurpata, vt alius non minus dicatur de primo, quàm de ſecundo & tertio, vt 1. ad. Corinth. 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Vt ergo*, addit Alcazar, *Ioannes aſſerat tres Angelos ſibi viſos, quorum alius prædicabat horam iudicij aduentaſſe, alius Babylonis ruinam, & alius æternas inferorum pœnas, optimè potuit de primo dicere:* Vidi alium Angelum, *& ex contextu manifeſtum eſt eum eſſe ſenſum. Nam numero 9. additur: Et tertius Angelus ſecutus eſt illos. Adhuc nullus alius in hoc loco Angelus præceſſerat, ratione cuius appellandus eſſet alius ille de quo hic ſermo eſt. Vicinio res enim qui anteceſſerant Angeli Michaëlis, de quibus cap. 12. Atqui illi longius diſtabunt, quàm vt reſpectu illorum hic poſſet conſueri.* Ita Alcazar.

Rupertus: *Ipſe agnus, ex cuius ore ſine dubio requiritur & requirenda eſt vniuerſa lex Angelus magni conſilij dictus eſt, &c. Benè ergo cum ſupra dixerit: Et vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra montem ſum; nunc dicit: Et vidi alterum Angelum.* Ita Rupertus.

S. Thomas in expoſitione putat alterum Angelum dici per reſpectum ad Chriſtum Dominum. *Iſte autem Angelus*, inquit, *eſt alter ab Angelo præmiſſo ſcilicet Chriſto, quia inferior eſt eo, & eius eſt nuncius, Ipſe enim Chriſtus Angelus eſt magni conſilij, ſupra cap.* 10. *Vidi alium Angelum fortem, deſcendentem de cælo.* Ita S. Tho.

Ego autem exiſtimo alterum Angelum dici per reſpectum ad Angelum præcipuum, qui miſſus eſt, vt per ſigna & ænigmata S. Ioanni reuelationem humanitati Chriſti factam notificaret. Illius enim E miniſterio formabatur in ſancto Ioanne, vel etiam extra, viſio montis, agni, & centum quadraginta, quatuor millia; quinetiam. Vox formabatur de cælo tanquam aquarum multarum, tonitrui, aut citharædorum Et dum ille in his imaginibus effingendis occupabatur, ecce alter Angelus, illi inferior, videtur volans per medinm cæli: ac ſi totum negotium huius reuelationis huic Angelo, primario eſſet demandatum, qui quoſdam habeat inferiores Angelos, qui ad nutum eius hæc aut illa perficiant, vt cum maiori decentia cuncta adimpleantur. Videtur enim hoc non ſatis conueniens dignitati illius Angeli, cuius miniſterio Chriſtus vtebatur ad hanc reuelationem S. Ioanni faciendam, ſi mutata facie, vt ſic dicam, qui modo occupabatur in efformandis iſtis ænigmatibus, videretur ipſemet ſtatim vo-

Digitized by Google

lans per medium cœli. At ſatis conſonum eſt rationi, vt quorumdam Angelorum miniſterio vtatur, qui prout ipſe ordinauerit, hæc aut illa dicant aut faciant. Cum igitur dicit S. Ioannes : *Et vidi alterum Angelum*. Idem eſt, ac ſi diceret : Dixi vobis in initio quod Ieſus Chriſtus reuelationem à Deo datam mihi ſignificauit, mittens per Angelum ſuum mihi ſeruo ſuo. Certè dum ille mihi, quæ modo dixi, per ſigna manifeſtabat, ſtatim alter Angelus illius iuſſu volauit per medium cœli, &c.

Quem autem repreſentet ille Angelus, variæ ſunt de hac re ſententiæ. Alcazar in his tribus Angelis exiſtimat repræſentari, in primo ſanctum Ioannem; in ſecundò, ſanctum Paulum ; in tertiò, ſanctum Petrum, treſque illas voces emitti, primam contra B draconem, ſecundam, contra Beſtiam maris, ſeu imperium Romanum tertiam, contra Beſtiam terræ, id eſt ſapientiam carnis, & ideo in primo Angelo ipſum Ioannem ſignificari, quia hic dicitur, quia venit hora iudicij eius: quod quidem dicitur non de vltimo iudicio ſed per alluſionem ad hunc locum Io. c. 12. *Nunc iudicium eſt mundi : nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sed tamen à noſtra ſententia non eſt diſcedendum : commodè enim & appoſitè hæc verba intelliguntur in alio ſenſu, vt videbimus.

Ambroſius autem de his tribus Angelis agens, ita ait : De primo : *Diem iudicij deſcribere cupiens, ab aduentu Chriſti inchoat, atque ſub ſpecie trium Angelorum cuncta comprehendens, ad diem iudicij peruenit. Iſte quip-* C *pe Angelus Chriſtum & Apoſtolos, cæteroſque Chriſti prædicatores ſignificat : qui Euangelium æternum habuiſſe dicitur, quia doctrina Euangelij à Chriſto Apoſtolis cæteriſque prædicatoribus data eſt, quam gentibus prædicarent.* Ita Ambroſius. De primo. De ſecundò : *Alius*, inquit, *Angelus Doctores Eccleſiæ, qui finitis perſecutionibus Eccleſiam Dei gubernauerunt, deſignat, &c.* De tertiò autem dicit : *Angelus tertius prædicatores ſunt, qui temporibus Anti-Chriſti futuri ſunt. Prædicabunt enim vt nullus Anti-Chriſtum adoret, neque ad eius peſſimam doctrinam aures accommodet, neque opera eius imitetur.* Hæc Ambroſ. Victorinus ait : *Angelum volantem medio cœli, quem dicit ſe vidiſſe, quem ſuperius tractauimus, eumdem eſſe Eliam, qui anticipat prædicatione ſua regnum* D *Anti-Chriſti. Alium autem Angelum ſequentem, eumdemque comitem prædicationis prædicat Prophetam.* Ita Victor.

Ticonius : *Et vidi alium Angelum, &c.* id eſt, *prædicationem in medio Eccleſiæ diſcurrentem. Volunt aliqui intelligi Angelum volantem in medio cœli, Eliam : & alium Angelum, qui eum ſequitur, comitem Eccleſiæ, qui eo tempore prædicabit.* Ita Ticon. Rupertus in his tribus Angelis tres Euangeliſtas intelligendos eſſe aſſerit, Ioannem de ſeipſo humilius ſentientem non dicere : Quartus ſecutus eſt tres alios volantes per medium cœlum ; ſed, *Audiuit*, inquit, *vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, &c.*

S. Thomas per iſtos Angelos intelligit *diuerſos* E *ordines prædicatorum, quorum quidam prædicant glorificare Deum & famulari. Alij tollunt impedimenta, quibus multi retrahantur à diuino famulatu. Primum impedimentum, nempe amorem mundi, tollit alius Angelus denuncians caſum Babylonis. Tertius tollit aliud impedimentum, nempe timorem male humiliantem, ne ſcilicet propter timorem aduerſariorum fideles adhæreant Anti-Chriſto.* Et paulo poſt dicit : *Igitur & alius, quaſi dicat, ita quidam prædicatores mouent homines ad diuinum famulatum ſpecialiter : perſuadent alij ſpecialiter tollere impedimentum : & hoc per viſionem intellexi, & hoc eſt alius Angelus, id eſt, alius ordo prædicatorum. Et poteſt intelligi alius, ſecundum diuerſitatem materiæ prædicationis. Vnus enim & idem prædicator poteſt prædicare præmiſſa, & ea quæ ibi dicuntur, vt gloſſa innuit. Secutus* A *eſt, quia prædicatores ſibi inuicem ſuccedunt, ſecundum tempora ; vel ſequutus ſecundum ordinem docendi, quia vnus & idem primo docet vnum, poſtmodum aliud.* Ita S. Thom.

Ego autem dicendum eſſe exiſtimo primò ideam trium Angelorum ita effingendam eſſe, vt non ſolum primus videatur volans per medium cœli, ſed etiam alij duo ſequentes ; itaut dum dicitur : *Et alius Angelus ſecutus eſt, dicens : Cecidit, &c.* Idem ſit ac ſi diceretur : Et alius Angelus ſecutus eſt, volans poſt primum, per medium cœli, habens etiam Euangelium æternum [illegible] Euangelizaret. Ita ſentit Rupertus : *Sanè quod nunc de primo dicit, Volantem per medium cœlum, habentem Euangelium æternum, vt Euan-* B *gelizaret ſedentibus ſuper terram &c. Idem & de alio, qui ſecutus eſt eum ; & de tertio, qui ſecutus eſt eos ; & de quarto, qui perſonam, ſuam exprimit, ſub intelligendum eſt.* Ita Rup.

Dico ſecundò. Non ad ſolos prædicatores primitiuæ Eccleſiæ, nec ad ſolos prædicatores, qui erunt circa tempora Anti-Chriſti, ſignificatio iſtorum Angelorum reſtringenda eſt, ſed ad omnes, quos Deus mittit per totum Eccleſiæ decurſum, vt Eccleſiæ fideles ad certamen animosè ineundum cum carne, mundo, & diabolo prouocentur, illorum ſignificatio eſt extendenda. Nam ſicut agnus ſemper eſt in medio Eccleſiæ ſtans, & ab initio Eccleſiæ naſcentis vſque ad conſummationem ſeculorum C ſemper ſtabit ; & ſicut erunt ſemper in Eccleſia, qui eius gratia, & auxilio freti contra illius hoſtes dimicabunt, æquum eſt dicere non defuturos qui Chriſti milites adhortentur ad fideliter decertandum, ex ſpe victoriæ & promiſſione ampliſſimæ mercedis, aut comminatione ſuppliciorum.

Dico igitur tertio hos Angelos deſignare quoſcumque prædicatores, quos Deus iuxta exigentiam temporum mittit ad inſtruendam, & informandam Eccleſiam, vt Dei timore fideles à carnis voluptatibus abſtineant ; vt perſpecta mundi vanitate, & gloria eius euaneſcente, mundum contemnant ; vt ponderatis grauiſſimis ſuppliciis, quæ ſubeunt ij qui diabolo non reſiſtentes peccata peccatis accumu- D lant, peccata omnia effugere ſtudeant. Sic olim S. Baſilius ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium in Pontum accerſitus, eam prouinciam à Chriſtianis inſtitutis aberrantem ad viam ſalutis reuocauit. Sic ſanctus Nortbertus prædicationi verbi Dei ſe totum deuouens, innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad pænitentiam, diſſidentes ad pacem & concordiam reuocauit. Sic in vltimis temporibus Deus duos ordines mendicantium, Dominicanos & Franciſcanos, ſub duobus ſanctiſſimis Patriarchis Dominico & Franciſco, ſuſcitauit, qui per medium Eccleſiæ diſcurrentes huic muneri præſtantiſſime incumbunt. Sic & alios quotidiè ſuſcitat & ſuſcitabit, vt fidelibus auxilia ſalutis opportuna non de- E ficiant ; quorum vox tamen tanto fortior audietur temporibus Anti-Chriſti, quanto pro tunc maior erit in pluribus mentis peruicacia, ac voluntatis, in peccatis obduratio.

Digitized by Google

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum.

Cur Prædicatores huiuſmodi Angeli dicantur; & cur volare cernuntur per medium cæli; & quid ſit eos habere Euangelium æternum?

ANNOTAT. VI.

QVANTVM ad primum, Rupertus ait: *Porro quod Euangelij prædicatores, ſiue ſancti quique ſacerdotes, rectè Angeli dicantur, fere nulli dubium eſt, cum ſcriptum ſit: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt, &c.*

S. Thomas, *Signantur*, inquit, *videlicet prædicatores, nonne Angeli, ratione autoritatis, quemadmodum indicat Apoſtolus, Rom. 10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Ita S. Th.

His adde prædicatores Angelos dici, quia per Euangelicam paupertatem ab omnibus rebus terrenis, tanquam à materia abſtracti, poſſunt expeditè per totum orbem diſcurrere; & per puritatem vitæ à corporis voluptatibus alieni, ad cæleſtia facilè euehuntur, vt per contemplationem ab inexhauſto ſapientiæ diuinæ fonte hauriant, quæ poſſint populis vtiliter proponere; & Angelorum zelum, magnanimitatem, ſapientiam, ſollicitudinem ac vigilantiam imitari, vt ſuo munere ac officio ritè fungantur, illudque fideliter obeant. *Volantem*, inquit S. Thomas, *id eſt, eleuantem ſe à terrenis, alis virtutum, & ſic in meritis velociter progredientem, per modum auis volantis: hoc enim nomen ad prædicatores pertinet. Iſa. 60. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant?* Ita ſanctus Thomas. Volant ſiquidem duabus alis, tum virtutum quæ propriæ ſunt vitæ contemplatiuæ; tum virtutum, quæ propriæ ſunt vitæ actiuæ, quia ſaluti aliorum conſulere ſtudent per prædicationem.

Quantum ad ſecundum, (*Per medium cæli*) *id eſt*, inquit S. Th. *communiter per omnem Eccleſiam, quæ cælum debet eſſe per altitudinem & claritatem meritorum: Medium enim communitatem notat. Omnibus debet prædicator lucere per exemplum, & ſic omnes informare debet per verbum, quia communitas ædificationis per exemplum parat viam ad communitatem informationis per verbum. Hoc eſt contra eos qui non curant de exemplo, niſi ad quoſdam, vt ad diuites vel nobiles: nec prædicare dignantur niſi in multitudine magna. Eccleſiaſt. 15. In medio Eccleſiæ aperiet os eius.* Ita S. Tho. Qui mox alium ſenſum affert: *Per medium cælum j. per mediam ſcripturam, ſcilicet non declinando ad extrema, ſcilicet ad dexteram adulationis, vel ad ſiniſtram obiurgationis: item, non aſcendendo nimis per curioſitatem, nec deſcendendo nimis per ignotorum inutilem manifeſtationem. Ezechiel. 1. Vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum. Duæ alæ ſunt duæ conditiones, quæ debent prædicatorem dirigere, ſcilicet circumſpectio contra præcipites, & manſuetudo contra fulminantes & cum iracundia docentes. Scriptura autem rectè dicitur cælum, quia cælat in ſe diuina ſecreta: item, clara eſt per continentiam claritatis cæleſtis; item alta & ſolida, quia caſſari non oportet veritas Catholica.* Ita S. Tho.

Rupertus: *Volabat ergo, id eſt, exibat de vna gente ad omnem mundum, & hoc per medium cælum, id eſt, in auditu omnium, non in vna tantùm lingua, vt priùs coanguſtatum habens Dei verbum, ſed omnibus linguis dilatatum, maximè autem Græcâ & Latinâ, quibus, æquè vt Hebraicâ linguâ, ſcripſit Pilatus ſuper caput eiuſdem agni in cruce, hunc titulum: Ieſus Nazar. Rex Iudæorum. Sed & libertatem Euangelizantium deſignat hic volatus per medium cælum; nec enim quiſquam eorum qui Euangelizant in angulo geſtum erubeſcendum eſt. Hinc ipſe Dominus ait: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Hinc ait Paulus: Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: ita, quod in me, promptum eſt & vobis qui Romæ eſtis euangelizare: non enim erubeſco Euangelium, &c. Volantem igitur per medium cælum, id eſt, cor habentem ſurſum cum deſpectu terrenorum, incedentem per publicum, non erubeſcentem miniſterium ſuum, eoquod nihil gerat aut doceat inhoneſtum aut infirmum.* Ita Rupertus.

Alcazar: *Volare per medium cæli eo ſpectat, vt ab omnibus videri & exaudiri poſſit: quo innuitur licèt hæc vox huic Angelo attributa myſterio plena ſit, ab eo tamen adeo clarè atque perſpicuè fuiſſe proditam, vt ab omnibus fidelibus generatim excepta & intellecta fuerit. Quid ſi volare per medium cæli denotet Euangelij ſui, boni nuncij, lætitiam & gaudium? Etenim ad ſignificandam ingentem lætitiæ voluptatem, non perperam induci poteſt ſublimis volatus, quo euehatur nuncius in cælum, & per aëra volitet atque diſcurrat.* Ita Alcaz.

Andreas Cæſarienſis: *Medium vtrumque deſignat, nempe ſublime, præcelſumque eſſe quod adnunciatur, & Angelum rurſum qui apparet è ſublimi, cæleſtique loco venire; nec alia de cauſa miſſum adeſſe è ſupernis, quàm vt Chriſti exemplo homines humi repentes per ſuam interceſſionem tranſmittat ad cælos, totumque Eccleſiæ corpus Chriſto capiti ſuo coniungat.* Ita Andr. Nec mirum ſi Angeli j. prædicatores volant per medium cœli: eſt enim Eccleſia nubes ſuſpenſa in aëre, thronus erectus in cœlo: & filius hominis, cuius perſonam gerunt, ambulat in medio candelabrorum aureorum, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ.

Quantum ad tertium, nempe quid ſit habere Euangelium æternum, Ambroſius ait: *Qui Euangelium æternum habuiſſe dicitur; quia doctrina Euangelij à Chriſto Apoſtolis cæteriſque Prædicatoribus data eſt, quam gentibus prædicarent. Quod Euangelium æternum eſſe dicitur, quia æternitatem præſtat omnibus facientibus illud; quod etiam ſuper terram ſedentibus prædicatum eſſe dicitur: Gentes namque, quibus Euangelium prædicatum eſt, nihil aliud quàm terram quærebant, totamque requiem ſuam in terra poſuerant.* Ita Ambroſ.

Andreas Cæſarienſis: *Vocat autem Euangelium æternum, quod ab æterno à Deo præfinitum ſit.* Ita Andr. Æternitatem reſpicit, prout eſt æternum quod nullum habet initium.

Rupertus: *Habentem Euangelium æternum: virtus enim Dei eſt, veritas Dei eſt, quæ tranſire aut veteraſcere non poteſt. Nam cælum, inquit & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ita Rupertus, qui æternitatem ſumit prout nullum habet finem, quod eſt æternum.

Alcazar æternitatem aliter explicat, dum ait: *Notandum tamen hic obiter eſt, tametſi apud ſcholaſticos Theologos æternitas, propriè loquendo, nec principium habet nec finem, in ſacris tamen literis non ſemper iuxta hanc ſtrictam acceptionem ſumi: ſed interdum accipi æternitatem ſecundum præteritam durationem, vt ad Roman. 16. 25. vbi de myſterio temporibus æternis tacito; interdum verò ſecundum futuram & poſteriorem, qua ratione hominis animam dicimus æternam, id eſt, in æternum duraturam. Et certè in hoc eodem ſenſu æternum Euangelium hic vocatur nuncius ille qui maximam importat felicitatem in æternum permanſuram.* Ita Alcaz.

S. Thomas: *Æternum, per effectum, id eſt, æterna promittentem, & ſuos obſeruatores ad æterna ducentem, vt dicit Gloſſa. Lex autem vetus promittebat tẽporalia. Iſaiæ. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, &c. Prædicatio tamen non dicitur formaliter æterna, quaſi ſemper duret, & ſine fine annuncietur: In iudicio enim ter-*

Digitized by Google

minabitur prædicatio. Vnde Gregorius in Gregoriano. Tunc erit noui Teſtamenti finis, cum ea quæ promiſit impleta fuerint. Ita S. Thomas. Si autem exemplar habere volueris, aut ideam eximij prædicatoris, cuius labia cuſtodierint ſcientiam, cuius autoritas fuerit inſignis, & miſſio legitima, qui omnia terrena contempſerit, qui carnis voluptates perfectè repreſſerit; cuius conuerſatio tota in cœlis fuerit, qui zelo, magnanimitate, ſapientia, ſolicitudine, vigilantia, Angelos imitatus fuerit, qui per medium Eccleſiæ diſcurrerit, qui exemplo æquè ac verbo omnes in pietate informauerit; qui verè ambulauerit in medio, quia omnibus omnia ſemetipſum fecerit; qui nec adulatione ierit ad dexteram, nec duriori increpatione ad ſiniſtram; qui nec curioſa propoſuerit, nec ad inutilia orationem deflexerit; cum circumſpectione docuerit, & cum manſuetudine vitia corripuerit; qui de Euangelij prædicatione non erubuerit, ſed palam Chriſtum eumque crucifixum, coram Regibus & Principibus, & populis & linguis confeſſus fuerit: qui licet alta myſteria proponeret, lac tamen, quando opus erat, propinabat, non eſcam ingerebat ſolidiorem: qui à Deo miſſus homines humi repentes ad Chriſtum ſubleuare ſatagebat, & ad cæleſtia adſpirare docebat, vt & Chriſto coniungerentur, & ad ea peruenirent; qui à Chriſto edoctus per reuelationem, ea annunciauit quæ æternitatem præſtant omnibus ea facientibus, Paulum attende: ad Paulum oculos conuerte. Is enim verè fuit Angelus volans per medium cœli, habens Euangelium æternum. Vas enim fuit electionis, vt portaret nomen Domini coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël, vt dicitur Act. 9. Sed quid dicat; eiuſque imitatores & ſectatores in hoc munere militibus Chriſti proponant, quo poſſint de carne, ſi voluerint, obtinere victoriam, audiamus.

Dicens voce magna: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius; & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.

Quomodo victoria de carne, obtinetur à militibus Chriſti?

ANNOTAT. VII.

TRIA potiſſimùm mala incurrunt, qui carnis voluptatibus ſunt dediti, vt S. Iudas in Epiſtola ſua docuit. Primum eſt quod carnem maculant, videlicet, vt poſtea dicit, quia *hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes*: qui vt ait S. Petrus 2. c. 2. *poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant.* Secundum eſt quod *dominationem ſpernunt.* Idem ait S. Petrus: *Dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes.* Tertium eſt: *Maieſtatem autem blaſphemant. Sectas*, inquit Petrus, *non metuunt introducere blaſphemantes. Hi autem*, vt ait S. Iudas, *quæcumque quidem ignorant blaſphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Ita S. Iudas. Amator igitur luxuriæ, gulæ, & immunditiæ, timorem Dei abjicit, honorem illi deferre neſcit, ad eum blaſphemandum eſt paratiſſimus. *Abeuntes* enim *poſt carnem alteram*, j. interprete S. Thoma, *ſequentes concupiſcentiam, in carne altera, id eſt, in carnem maſculorum, quæ eſt altera & indebita concubitui, carnem maculant propriam, vel aliorum, ſicut Sodomitæ; fornicatio enim corpus maculat: 1. ad Corinth. 7. Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Ita S. Thom. Sed vnde hoc malum? Certè ſine Cerere, & Baccho friget Venus. *Ecce*, inquit Ezechiel, *hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas*

A *panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius; & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me: & abſtuli eas: ſicut vidiſti.* Hinc poſtea S. Iudas addit: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes.* Non ſolùm in comeſſationibus, & ebrietatibus, & peccant & maculãtur, ſed etiam ſunt maculæ aliorum, omnia mala cum multo contemptu facientes, *maculæ, inquam, quoad impudicitiam; conuiuantes, quoad crapulam; ſine timore, quoad ineptam lætitiam; paſcentes ſemetipſos, non pauperes, quoad menſam. Poſt carnem ambulant, ſecundum S. Petrum, id eſt, poſt carnis concupiſcentiam, paſſionibus ſcilicet interioribus affectionum, & exterioribus operationum, ſimiles brutis, quæ trahuntur per ſuas concupiſcentias, & ſequuntur eas;* B *qui more animalium brutorum luxuriantur, pro reatu fœdæ corruptionis maiora patientur in iudicio, quàm generaliter iniqui: naturæ ſiquidem rationalis iura violarunt, dum poſt concupiſcentias ſuas intemperantiùs & fœdiùs quàm bruta ambularunt. Dominationem ſpernunt, contemnunt j. Dominum noſtrum, iudicem iuſtum talium cognoſcere nolunt. Dominationem autem Dei, vocat dominationem ſimpliciter: quia eius dominatio eſt nullius, id eſt, à nullo alio illam obtinet: non enim habet ſuperiorem, aut anteceſſorem; nec aliquid ab eius dominatione excipitur. Dominus vniuerſorum tu es, inquit Pſal. 82. Item, quia ſingularis. Eſther 14. Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuius præter te non eſt au-* C *xiliator alius. Item eſt interminabilis. Pſ. 144. Dominatio tua in omni generatione & generationem.* Ita S. Th. in Petri Epiſt. At in Epiſt. Iudæ ait: *Dominationem ſpernunt j. autoritatem principum, & Prælatorum Chriſtianorum, per inobedientiam & propriæ excellentiæ appetitum, quod eſt contra illud Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Ita S. Th.

Tertium malum, quod incurrunt, ſeu in quod incidunt amatores carnis, eſt quod maieſtatem Dei blaſphemant. Gloſſa apud S. Tho. *Angelos vel ſanctos, vel Deum, quod eſt peccatum grauiſſimum, &c.* De Deo Patre & Filio, & Spiritu ſancto indigna dicunt. Et reuera quot indigna effutiunt, de Deo & rebus diuinis, guloſi & ebrioſi. horrendum eſt di- D cere, vt liberiùs indulgeant gulæ ac delitiis; omnia quæ de Dei maieſtate, de iudicio, de pœnis inferni, de gaudiis paradiſi dicuntur, tanquam deliramenta ſenum, aniles fabulas, puerorum terriculamenta reputant ac derident; Et quo indulgentiùs Deus erga eos ſe gerit, de eis non ita promptam ſumendo vindictam, eo liberiùs & confidentiùs & peccata accumulant, & blaſphemias ex ore & pectore putido euomunt. *Domini noſtri*, ait S. Iudas, *gratiam transferentes in luxuriam*, tantò licentiùs peccantes, quanto vident erga ſe mitiùs agi. *Et ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, Saluatorem & Regem *negantes, corde, ore & opere*, ait S. Tho. Blaſphemant autem, quia E ignorant: ignorant, quia nolunt ratione apprehendere quod ſupra rationem eſt ac naturam. Nolunt autem ratione apprehendere, quia nolunt intelligere vt benè faciant, ex mala affectione. Ideo peribunt in ſuo ſenſu deprauato, in ſua corruptione, vel peccato corruptionem cauſante, & à conſortio Dei & ſanctorum in æternum ſeparabuntur.

Viſne exempla conuiuantium ſine timore, dominationem diuinam contemnentium, & maieſtatem Dei blaſphemantium, cum manifeſta Dei ex præcedentibus peccatis ad iracundiam prouocati punitione? Iudic. 16. Poſt captum Sanſonem, & obcæcatum à Philiſtæis, Philiſtiim conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur dicentes: *Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Sanſonem in manus noſtras.* Quod

Digitized by Google

etiam populus audiens laudabat Deum ſuum, eademque dicebat, lætantes per conuiuia. Sumptis iam epulis, adducto, Sanſone, ille aprehenſis duabus columnis, quibus innitebatur: inuocauit in auxilium ſuum Deum verũ, concuſſiſq; fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat. Vides conuiuantes ſine timore, dominationem Dei contemnentes & blaſphemantes, dum dæmoni & idolo tribuunt, quod Deo permittente euenerat; vides prõptam Dei affuiſſe vltionem. Vis adhuc videre conuiuantes quoſdam ſine timore, dominationem ſpernentes, & Dei maieſtatem blaſphemantes? Exod. 32. Vitulo conflatili offerunt Iſraëlitæ hoſtias: ſederuntque vt manducarent & biberent, & ſurrexerunt ludere, dixeruntque: *Iſti ſunt Dij tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Propter quod grande peccatum percuſſi ſunt à filiis Leui viginti tria millia hominum.* Denique Danielis 5. celebre eſt illud conuiuium compotantium ſine timore Baltaſſaris regis, in quo allatis vaſis aureis & argenteis templi, vt in eis biberent rex & optimates eius, vxores & concubinæ illius, bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos. At mox ſecuta eſt vindicta: venit hora iudicij eorum. Videt Rex digitos quaſi manus hominis ſcribentis, & adductus Daniel (inſtigante Regina ingreſſa domum conuiuij vt regi timore correpto hoc ſuggereret) vt legeret ſcripturam, poſt grauem obiurgationem quod aduerſum dominatorem cœli Rex eleuatus eſſet, quod malum proprium eſt compotantium ſine timore; poſt exprobrationem blaſphemiæ, quod omnes conuiuantes Deos ſuos laudaſſent, porro Deum qui habet flatum vitæ in manu ſua Rex non glorificaſſet; legit ſententiam contra Balthaſſarum à Deo latam; *Mane; Thecel: Phares;* & interpretationem dedit de conſummatione Regni: de ponderatione meritorum, in quo inuentus eſt minus habens: & de diuiſione regni illius in Perſas & Medos. Mox ſecuta eſt ſententiæ executio. Eadem enim nocte interfectus eſt Baltazar Rex Chaldæorum. Hæc ſufficiunt ad indicandum proprium eſſe amatorum carnis, conuiuia exercere ſine timore, dominationem contemnere, & maieſtatem Dei blaſphemare, Quod, proh dolor! à Chriſtianis ſæpiùs factitatur, dum ebrietatibus & comeſſationibus vacant abſque delectu dierum aut ciborum, nec dierum feſtorum habent rationem, quos in Dei laudibus inſumere deberent: nec dierum in quibus ex præſcripto Eccleſiæ vel abſtinendum, vel ieiunandum eſt; ſed abſque timore conuiuantes, ebrij & mero ingurgitati multas euomunt blaſphemias. Quis eos à tantis ſceleribus deterrere poterit? Appareat manus breuitatem & conſummationem vitæ, ſtrictam actionum & meritorum diſcuſſionem, & ineuitabilem mortis horam indicans, in qua coram iuſto iudice ſiſti neceſſe eſt: ſciant ſibi de omnibus eſſe reddendam rationem poſt mortem, quam inſtare perſpicient: Deo tanquam ſummo dominatori obediendum æquiſſimum eſſe & vtiliſſimum iudicabunt: & mundato corde per timorem iudiciorum Dei, & obedientiam mandatorum, illum adorare poterunt tanquam omnium creatorem. Ecce manus ſcribentis ſententiam contra vitia carnis, nempè ſanctus Ioannes, narrans quæ magna voce Angelus volans dixit, vt qua ratione Victoriam de carne obtineri poſſit, edoceret. *Timete Dominum, & date illi honorem.* Reddit rationem cur timendus ſit, cur honorandus. *Quia*, inquit, *venit hora iudicij eius.* Ac ſi diceret. Cum incerta ſit hora mortis, inſtat ſemper hora iudicij. Quis igitur audebit carnis indulgere voluptatibus, cum neſciat qua hora tanquam fur veniet Dominus eius illum

A iudicaturus? *Qui ſi illum inuenerit manducantem & bibentem cum ebrioſis, veniet in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Matt. 24. Clamat autem Angelus voce magna, vt innuat quàm difficile ſit hominibus renunciare carnis operibus. *Nemo enim carnem ſuam odio habuit, ſed fouet & nutrit eam.* Vt igitur indicet difficultatem negotij, ideo clamat grandi voce: *Timete Dominum, & date illi honorem, &c.* Sentiebat certè Dauid, quàm neceſſarius eſſet ille Dei timor, ad fugiendas carnis illecebras, & ad mandatorum Dei obſeruantiam amplectendam, dum Pſal. 118. ad Deum toto corde clamabat: *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis* B *enim tuis timui.* Ac ſi diceret: Quàm horrendum eſt incidere in manus tuas, Deus viuens, Deus iuſte, & inexorabilis Iudex! Timeo iudicia tua. At, res ſtupenda! adhuc caro petulans, ſibi omnia permittenda eſſe exiſtimat. Certè effrenis ac impudens nullis poterit retineri vinculis, quin ad illicita præceps feratur, niſi cum clauis timoris tui configas, ne audeat extra limites honeſti prorumpere. Confige, igitur, timore tuo, ô potentiſſime, carnes meas. Sagittæ tuæ acutæ, quibus configi poterit, cum carbonibus deſolatoriis. Id eſt, ſi ſuauitatem amoris tui cum timore ſuppliciorum ignis æterni coniungas, efficient vt fiat illi dulce ac ſuaue, quod alioquin illi amarum eſſet, nempe concupiſcentiis reſi- C ſtere, dura & aſpera pati, & maximè ſi cum Chriſto patiente illam cruci configas, vt poſſit dicere omnis cuius caro fuerit hoc modo confixa: *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Tunc enim fortiter omnia tolerare poterit. *Quid eſt*, inquit S. Auguſtinus, *confige: à timore tuo timui enim? Si enim iam timuerat, vel timebat; cur adhuc vt à timore ſuo Deus crucifigeret carnes ſuas orabat? An addi ſibi volebat timorem, vt tantùm timeret quantùm ſufficeret crucifigendis ſuis carnibus, id eſt, concupiſcentiis, affectibuſque carnalibus? Tanquam dicens: Perfice in me timorem tuum: timui enim à iudiciis tuis. Sed eſt hic alius altior ſenſus, quanto Deus donat ſcrutato ſinu ſcripturæ huius eruendus. Confige, inquit, clauis à timore* D *tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Hoc eſt: Timore tuo caſto, qui permanet in ſeculum ſeculi, carnalia mea deſideria comprimantur. A iudiciis enim tuis timui, cum mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare iuſtitiam. Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, conſummata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, ſed delectatione iuſtitiæ liberos reddit. Timor namque iſte, quo non amatur iuſtitia, ſed timetur pœna, ſeruilis eſt, quia carnalis eſt; & ideo non crucifigit carnem, viuit enim peccandi voluntas; quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas: Cum vero pœna creditur ſecutura latenter viuit, viuit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non ſpiritualiter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit, quod minatur. Ti-* E *more autem caſto ipſa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiam ſi ſequatur impunitas; quia nec impunitatem iudicat ſecuturam, quando amore iuſtitiæ peccatum ipſum deputat pœnam. Tali timore carnes crucifiguntur: quoniam carnales delectationes, quæ legis literâ vetuntur potius quam vitantur, ſpiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem vſque ad perfectionem creſcente victoria, perimuntur.* Hæc Aug. Cui addere libet S. Ambroſiij expoſitionem. *Qui diligit*, inquit, *Domini teſtimonia, configit clauis carnes ſuas; ſciens quia vetus homo ſuus cum Chriſto confixus cruci, luxuriam deſtruat carnis, ne cupiditates eius indomito feruore laſciuiant ne radix auaritiæ ſerpentibus ſe fundat radicibus. Confige ergo clauis, & deſtrue fomenta peccati. Moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum; libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Eſt quidam clauus*

Digitized by Google

ſpiritalis, qui patibulo crucis dominicæ affigat has carnes. Et fortaſſe ſunt carnes quædam animæ, ſicut corpus eſt animæ. Carnes animæ ſunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini & iudiciorum eius, & ſeruituti redigat. Quod ſi carnes iſtæ rejiciunt clauos diuini timoris, haud dubiè dicitur: Non permanebit ſpiritus meus in his hominibus, quoniam carnes ſunt. Niſi igitur affigantur cruci hæ carnes, & crucifigantur clauis à timore Domini, non permanebit in his ſpiritus Dei. Sicut ſunt aculei timoris, quibus compungimur, ita ſunt claui timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur, qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat, Deo viuat. Hæc Ambroſ. *Anima mea*, inquit Chryſoſtomus, in Pſalmum 118. *timorem tuum gerit. At quia corpus aduerſus eam impetum facit, idcirco ipſius quoque membra hoc timore tanquam clauis quibuſdam configas quæſo: quo ipſa peccato mortua & extincta animæ ductum ſequantur. Huic autem ſimile eſt illud, quod ab Apoſtolo dictum eſt: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus: Ac rurſus: Chriſto confixus ſum. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Vt enim qui clauis in ſaxo affixus eſt, moueri nequit; ſic nec qui diuino metu conſtrictus eſt, ab ipſius metu ſeiungi poteſt.* Ita Chryſ.

Ex his perſpicere licet qua ratione nos hîc fieri mentionem aſſeramus de victoria aduersùs carnem obtinenda. Cum enim certum ſit carnis concupiſcentiam animam maculare, timorem Dei expellere, eius dominationem ſpernere, & ad maieſtatem diuinam blaſphemandam inducere; cum clamet Angelus Deum eſſe timendum, ipſum honorandum, *quia venit hora iudicij eius.* Certè modus indicatur, quo carnis concupiſcentia reprimi poteſt, nempe timor iudiciorum Dei. Qui quantùm valeat ad hanc de carne victoriam obtinendam, indicant ſatis quæ ex Auguſtino, Ambroſio & Chryſ. adduximus. Et in hoc ſenſu intelligimus hæc verba: *Quia venit hora iudicij eius*, vt non ſit neceſſe illa referre ad hæc Domini verba Ioan. 12. *Nunc iudicium eſt mundi. Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, vt vult Alcazar: nec etiam ad diem vltimum iudicij; ſed ad quamlibet horam vitæ peccatoris, in qua dum non ſperat, die & hora quam ignorat, ad iudicium rapi poteſt, & ſepeliri cum diuite Epulone in inferno. Nec aliud aptius remedium afferri poſſe contra malum concupiſcentiæ cenſere videtur ſanctus Petrus, quàm iudiciorum Dei recordationem. Dum enim loquitur de his, qui introducunt ſectas, & eum qui emit eos Dominum negant, multos habentes ſequentes eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphematur; ſtatim addit: *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Et quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, nec originali mundo, dum in deletionem impiorum mundo diluuium induxit: Et quia ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redegit, exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens: concludit ſanctus Petrus iniquos in diem iudicij reſeruari cruciandos, magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia ambulant, *dominationem contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes. Vbi Angeli, fortitudine & virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium.* Ex quibus vides quomodo S. Petrus timorem iudiciorum Dei, ad reprimendam concupiſcentiam, magna voce intimat fidelibus. Quod ſi quis contendat de vltimo iudicio hæc verba eſſe intelligenda, non de hora mortis, in qua quiſque iudicatur, eſto. Quis neſcit totum tempus decurrens vſque ad vltimum diem dici horam nouiſſimam? Igitur venit hora iudicij, cum tempus totum

A quod tranſigimus, ſit nouiſſima hora præcedens iudicium. Tamen dum S. Petrus vult quod iudicium condemnationis iam olim ab æterno à Deo præuiſum (Deus enim ab æterno diſpoſuit & præordinauit pœnam, & ſi non culpam: id eſt, præuiſâ & præſuppoſitâ culpâ ordinauit pœnam pro culpâ) quod non ceſſat admonere, videtur nullum eſſe inſtans temporis, in quo iſtud iudicium condemnationis ab æterno præuiſum, executioni non poſſit demandari: & addens: *Perditio eorum non dormitat:* oſtendit quod incautos, & nihil de hoc cogitantes, ex improuiſo illorum certa perditio eos plærumque deprehendit. Videtur enim hæc perditio horum expectare, in qua impletâ menſurâ delictorum illis B mori contingat, & omni ſpe conuerſionis ablatâ, moriuntur; ne grauiori damnatione plectantur ob aliorum peccatorum accumulationem. Hinc S. Thomas exponit: *Quia venit, id eſt, inſtat in breui.* Omne enim tempus breue eſt, reſpectu æternitatis. Similiter Andreas Cæſar. in illa hora intelligit iudicij propinquitatem, vicinamque pro meritorum ratione retributionem.

Quod ſi ſemel timor iudiciorum Dei nos à peccatis abſtinere fecerit, & à carnis illecebris abduxerit: & ſcientes nos Dominum habere, apud quem de actibus noſtris rationem ſimus reddituri, ne illius iram incurramus, mandatis eius obedientes, illi honorem præſtare minimè neglexerimus, tunc fa- C cile illum adorare mens noſtra poterit, & adimplere quod Angelus præcipit: *Et adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum. Tangit*, inquit ſanctus Thomas, *creaturas corporales, quia ſunt ſubiectæ ſenſui tam fidelium quam infidelium.* Omnia tamen dat intellectui. Deinde docet quod licet ſufficere videretur dicere, *Et mare*, tamen addit, *Et fontes aquarum*: quia aquæ per meatus ſubterraneos excolatæ & dulcoratæ, decenter & pulchrè à profundo terræ ad ſuperficiem ipſius terræ in vſus hominum, manifeſtant diuinam ſapientiam bonitatem, & potentiam, diuinamque magnificentiam. Alcazar myſterium ineſſe ait in illis verbis, *Mare & fontes aquarum. Vt hoc*, inquit, *pacto denotetur ſingu-* D *laris prouidentia, qua Deus ſuæ conſulebat Eccleſiæ in media rerum perturbatione & calamitate, in qua minimè erat timendum ne Chriſti Eccleſia deficeret. Nam quemadmodum tellus, licèt primo adſpectu videatur à mari penitus abſorbenda, tamen firma conſiſtit; ita Eccleſia in mediis perſecutionum vndis, integra & inconcuſſa permanet; & ſicut fontes exoriuntur, qui terram irrigent ac fæcundent, non obſtante maris amaritudine, ita ex illo perſecutionum mari educturus erat Deus fontes ſapientiæ & ſolatij, ac felicitatis, quæ in Chriſti Eccleſiam redundarent.*

Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.

E

Secunda militum Chriſti victoria, nempe de mundo.

ANNOTAT. VIII.

VISO quomodo victoria obtinetur de carne per Dei timorem, per exhibitionem honoris debiti Deo, tanquam vero vniuerſorum Domino, & per adorationem ſummæ eius maieſtatis, nunc videndum qua ratione victoria obtineatur de mundo. Si ab autoribus ſenſum horum verborum exquiras, ita illa exponit primo Auguſtinus. *Et alius Angelus, id eſt, pacis futuræ prædicatio dicens: cecidit, cecidit Babylon. Babylonem, ciuitatem impiam, ſicut iam ſupradictum eſt, diaboli congregationem dicit, id eſt, populum ipſi conſentientem & omnem concupiſcentiam, &*

Digitized by Google

corruptelam, quam in prniciem ſui & humani generis exquirit. Nam ſicut Eccleſia ciuitas Dei eſt, & omnis conuerſatio cæleſtis, ita è contra ciuitas eſt diaboli Babylon in omni mundo, ſicut dicit Dominus: Ecce ponam Hieruſalem lapidem conculcabilem in omnibus gentibus. Eccleſia ergo dicit: Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Iam perfectum dicit quod adhuc futurum erat, ſicut illud: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea. Quæ à vino fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Omnes gentes, ciuitas eſt mundi, id eſt, omnes ſuperbi & impij, ſiue extra Eccleſiam, ſiue in Eccleſia conſtituti, &c. Ita Aug.

Primaſius: *Babylon interpretatur confuſio. Significatur autem in ea diaboli ciuitas ac populus, omniſque corruptela vitiorum. Hanc ruituram iam cecidiſſe dicit, ſiue vſitata ſcripturæ locutione, quæ ſolet præteritum tempus pro futuro contexere, quando id de quo pronunciat nouit ineuitabiliter adimplendum, ſicut: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & his ſimilia; Siue quia tunc iam ſuperbi cognoſcuntur cadere, quando auſi ſunt ſuperbire. Hinc Pſalmus: Deiecisti eos, inquit, dum extollerentur. Tunc vtique deiecti, quando elati. More autem ſuo dixit ſcriptura, A vino fornicationis ſuæ ceciderunt vniuerſæ gentes: cum hæc ciuitas, quæ aptatur, atque ex omnibus conflata gentibus aggregatur, ipſa biberit ex vino fornicationis: omnes enim gentes erroribus obrutæ, ipſa eſt ciuitas, ſed vnam diuidit more ſuo.* Hæc Primaſ.

Andreas Cæſar. *Nomine ex re ipſa ſumpto, mundi huius confuſionem, vitaque præſentis turbas Babylonem appellat, quam paulo poſt finem facturam prædicat: per vinum porro iræ fornicationis, non idololatricam furiam, mentiſque alienationem tantùm deſignat, ſed quamuis quoque temulantiam, animique inſaniam ex quouis peccato natam, propter quam, iuxta Pſalmiſtæ oraculum, omnes quotquot fornicantur à Deo, exterminabuntur. Ruet autem hæc Babylon tum demum perfectè, radicituſque euelletur, quando iniquitatis operariis in æternum ignem miſſis, Ieruſalem illa, quæ ſurſum eſt, apertè oſtendetur.* Ita Andreas.

Ambroſius: *Ceciderat autem, quia omnis cultura dæmonum per fidem Chriſti deleta fuerat. Et bis cecidiſſe dicitur, quia ex parte perſecutorum, & ex parte culturæ diabolicæ ceciderat. Quæ à vino iræ ſuæ potauit omnes gentes. Vinum iræ, errores ſunt gentilium, quibus Deum ad iracundiam prouocauerunt. Sed cum Babylon nihil ſit aliud quàm omnes gentes, id eſt, omnes reprobi, quomodo omnes gentes à vino iræ ſuæ potauit? Verum cum vnus alterum docuit, & ille tertium, & tertius quartum, & ita in omnes homines error diabolicus tranſiit, vtique Babylon omnes gentes vino iræ Dei potauit.* Ita Amb.

S. Thomas ad mentem noſtram, de victoria mundanæ vanitatis, propiùs accedit, dum ait: *Cecidit,* inquit, *id eſt cadet anima à mundano gaudio in infernum. Cecidit j. cadet corpore. Vel geminatio oſtendit certitudinem & perfectionem caſus, quia irreparabiliter. (Illa) hoc dicitur deſpectiuè, & fit demonſtratio ad intellectum, vt ſocietas malorum condemnetur. Magna, propter vitiorum magnitudinem, quæ numeroſitas mundanorum, in vitiorum concluſione & voragine abſorptorum; Seu,* vt antea dicebat S. Thom. *multitudo mundanorum mundum ſequentium; ideo quia confuſi & inuoluti ſunt in vitiis, qui vanitatem mundi amplexantur, & alios, ad peccandum trahunt, vel exemplo, vel verbo, vel aliter. Potauit j. quaſi potando inebriauit, ſiuè peruertit. Loquitur per ſimilitudinem hominis, qui alium inebriat; (omnes gentes) j. gentiliter viuentes: vnde faciliùs decipiuntur, quia qui ſunt peruerſiores, alios malos magis peruertunt; vino j. delectabili & inebriatiua vanitate vitiorum, quorum maxima eſt idololatria: vinum enim dicitur vanitas vitiorum, in quantum delectat & inebriat, hoc eſt, peruertit homines quantùm ad rationem & voluntatem. Vino iræ, id eſt, quod prouocat iram diuinam, quia meretur vindictam. Eccleſ. 5. Etenim peccatores reſpicit ira eius. Vino, inquam, fornicationis ſuæ, id eſt, per quod ſeparat ſe & alios à Deo, ſicut ſponſa fornicans recedit à ſponſo ſuo. Qualibet enim anima debet eſſe ſponſa Dei. Fornicatio hîc dicitur largè, ſecundum quod pertinet ad omne mortale. Pſ. Perdes omnes qui fornicantur abs te. Triplex eſt ergo affectus vanitatis mundanæ, quia multi peruerſi alios quaſi potando decipiunt, quia peruertit animum; quod item meretur ſupplicium, ideo dicitur vinum iræ; item aufert Deum, ideo dicitur vinum fornicationis. Iſti tales amatores huius vini, id eſt, mundanæ vanitatis, & deceptores aliorum, cadent animâ & corpore in infernum, à flore mundi quem dilexerunt; & per hoc fit exortatio ad abjiciendum amorem mundi, qui malè accendit.* Ita S. Th.

Ex quo præcipuè habemus non malè nos in clamore huius Angeli intelligere victoriam de mundana gloria reportatam, quam præcipuè videntur obtinere Martyres, dum contemnentes aulam regiam, terrenam paruipendentes poteſtatem, omnia perſecutorum tormenta ſuperantes, fortiter pro Chriſto occumbunt, Deo tandem aliquando, in vindictam ſanguinis eorum iniuſtè effuſi, Babylonem euertente, & multitudinem impiorum perſecutorum in tartarum detrudente, vbi quantùm ſe glorificauit in delitiis, tantum datur illi tormentorum.

Dico igitur primò Babylonem hîc ſignificare multitudinem peccantium, quocumque genere peccatorum, & de mũdana poteſtate & gloria ſuperbientium: quorum duplex caſus cerni poteſt in quadam inſigni ciuitate, quæ ſub nomine Babylonis in ſcriptura deſignatur, ſicut in ipſa quidquid mundani appetunt eminenti quadam ratione reperiri poteſt, ſicuti ſunt abundantia diuitiarum, delitiarum gurgites, ſtupenda poteſtas, nominis gloria. In qua viſum fuerit quod perturbare aſſerit Auguſtinus hominem Chriſtianum, nempe *malè viuentes felices rerum iſtarum copia circumfluere, ſanos eſſe, ſuperbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia ſuorum, obſequia clientum, excellentiſſimas potentias, nihil triſte interpellare vitam ipſorum.* Auguſt. in Pſ. 36. Hæc eſt illa impia ciuitas diaboli, quæ Chriſti regiam ſubuertere conatur, quæ cadere ſalubriter debet per pœnitentiam ab operibus malis; vel ſi ſtare voluerit in malis perdurando, cadet miſerabiliter duplici caſu: nam eius diuitiæ dilapidabuntur, delitiæ in amaritudinem conuertentur, potentia in cinerem redigetur, gloria euaneſcet. *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Ex ipſa ſimilitudine,* inquit S. Auguſtinus: *rem quam inſinuauit agnoſcite. Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur; & ipſa elatione in globum magnum erumpens intumeſcit: ſed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior. Ab illa enim magnitudine non fundata & ſolidata, ſed pendente & inflata, it in auras, atque dilabitur: vt videas ipſam ei obfuiſſe magnitudinem. Quantò enim plus erectus eſt, quantò extentus, quantò diffuſus vndique in maiorem ambitum, tanto fit exilior & deficiens, & non apparens.* Ita Auguſt.

Tum denique quaſi pondere quodam depreſſa illa Babylon cadet in profundum abyſſi, in æternum crucianda. Eius gloria, & felicitas quidem vt fumus euaneſcet, ſed ipſa quaſi lapis cadet in profundum miſeriarum & tormentorum, id eſt, infernum.

Quænam autem ſit illa ciuitas inſignis, in qua cerni poſſint modi diuerſi, quibus cadere dicitur multitudo peccantium, certè nulla alia illuſtrior eſt quam ciuitas Romana, quæ ab Apoſtolo Petro Babylon dicitur. Et illa eſt quæ cecidit, ſiue ſalubriter, quando ad Chriſtum fuit conuerſa; quæ cadet tandem in fine ſeculorum miſerabiliter, cum Chriſto

ac Eccleſiæ

ac Eccleſiæ rebellis ab Anti-Chriſti ſatellitibus ſubuertetur. Qui modus cadendi fusè deſcribetur, c.18. Apocal. Diuerſimodè igitur cadere dicitur. Primus modus cadendi eſt, in quo inſignis de mundo victoria apparet, ſi ad Chriſtum conuerſa ſit, & adimpleatur Iſ. Propheta c 28. *In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingredietur gens iuſta cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit: ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus. Speraſtis in Domino in ſeculi æternis, in Domino Deo forti in perpetuum: quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum. Semita iuſti recta eſt: rectus callis iuſti ad ambulandum. Et in ſemita iudiciorum tuorum, Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ, &c.* Quænam enim eſt hæc ciuitas ſublimis, niſi Roma, quæ ſub pede pauperis Chriſti. ſub pedibus, inquam, eiuſdem, nempe Apoſtolis, per quos gentilitatem ſubegit, ſubacta fuit, dum Petrus in ea ſedem imperij Chriſtiani fixit? Certè in eius conuerſione tota mundana impietas victa fuit, dum Eccleſiam docuit diuitias relinquere propter Chriſtum, delitias contemnere, dignitates mundi conculcare, gloriam eius pro nihilo ducere; dum tot Martyres in ea omnem rabiem perſecutorum ſuperantes, ſanguine fuſo teſtati ſunt omnium detrimentum eſſe faciendum, vt Chriſtum lucrificiamus. Quam de mundo victoriam promittebat Chriſtus, Ioan. 16. *In mundo*, inquit, *preſſuram habebitis: ſed confidite: ego vici mundum. Nec enim*, inquit Auguſt. *viciſſet ille mundum, ſi membra eius vinceret mundus.*

Sed alia etiam ratione mundus vincitur, dum etſi ad Deum non conuertatur, tamen à ſanctis Martyribus tota eius gloria contemnitur: quia certi ſunt quod ad nihilum tandem redigetur, caſura & temporaliter & æternaliter. Benè Ieremias mundi amatores alloquens dicebat illis. *Confundimini à gloriatione veſtra.* Nam certè in quibus gloriantur, vel rubore digna ſunt, quorum gloria eſt in confuſione, vel vana & pereuntia. *Multa ſunt*, inquit Origenes, homilia 7. in Hieremiam, *in quibus gloriantes inſipientiam noſtram oſtendimus: v. g. ſi quis in multis poſſeſſionibus gloriantur, dicitur eis: Confundimini à gloriatione veſtra. Si qui gloriantur in generis nobilitate, dicitur ad eos: Confundimini à gloriatione veſtra. Si qui iactabundi incedunt ſuper pretioſiſſimis veſtibus, ſuper domo multis exornata diuitiis, aliena eſt quippe à gloriatione ſanctorum, dicit ad eos: Confundimini à gloriatione veſtra. Verùm hoc parum eſt. Audi quid loquatur in Hieremia ſermo diuinus, iubens vt ne in ſapientia quidem noſtra gloriemur. Ne glorietur, inquit, ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis; ſed in iſto glorietur, qui gloriatur, intelligere & ſcire quia ego ſum Dominus.* Ita Origenes. Quare igitur inſipientiam noſtram in aliis gloriantes oſtendimus, & confundimur in gloriatione noſtra, vt ait Origenes? Quia proculdubio omnia hæc vana ſunt, & cito tranſeuntia. Lepida comparatione S. Auguſtinus docet quænam ſit differentia inter bona iſta temporalia, in quibus mundi amatores gloriantur, & animi bona; dum illa herbæ vireti comparat, hæc radici arboris, cuius folia hyemis tempore decidunt. Pſ.36. *Quoniam tanquam fænum citò areſcent, nempe facientes iniquitatem; & ſicut olera prati citò cadent. Quod ait fænum*, inquit Auguſt. *intelligimus olera prati; vilia quædam ſunt, & ſuperficiem terræ tenentia, altam radicem non habent: proinde per hyemem virent. At vbi ſol æſtatis ferueſcere cœperit, areſcent. Modò ergo tempus eſt hyemis: gloria tua nondum apparet. Sed ſi alta radix eſt charitatis tuæ,*

A *ſicut multarum arborum gloria per hyemem. tranſit frigus, venit æſtas, id eſt iudicij dies: tunc areſcet viror fæni, tunc apparebit arborum gloria. Mortui enim eſtis, ait Apoſtolus. Quomodo videntur arbores per hyemem quaſi aridæ, quaſi mortuæ. Ergo quæ ſpes, ſi mortui ſumus? Intus eſt radix? Vbi radix noſtra, ibi & vita noſtra. Ibi enim charitas noſtra. Et vita veſtra, inquit, abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quando areſcit, qui ſic habet radicem? Quando autem erit ver noſtrum? Quando æſtas noſtra? Quando vos circumueſtit dignitas foliorum, & vbertas fructuum locupletat? Quando hoc erit? Audi quod ſequitur: Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria. Quid ergo modo? Noli æmulari in malignantibus, &c. quoniam tanquam fænum citò areſcent, ſicut*
B *olera prati citò cadent: Quid ergo tu? Spera in Dominum. Illi ſperant, non in Dominum. Spes illorum mortalis: ſpes illorum caduca, fragilis, volatica, tranſitoria, inanis erit.*
Ita Auguſt. Et Proſper Aquit. de cohibenda ira:

Tempore in occiduo non longi eſt vſus honoris
Et celeri lapſu gaudia falſa fluunt.
Finem igitur proprij ſapiens ſpeculabitur æui,
Et via qua currit, quò ferat aſpiciet.
Nam mundo innixis pars eſt cum principe mundi.
At ſeruis Chriſti gloria Chriſtus erit.

Ita Proſper l. Epigrammatum. Igitur mundus, quia tranſit, & concupiſcentia eius, contemnitur, & ſic vincitur.

Tandem obtinetur victoria de mundo, cum Deus
C iratus florentiſſimas ciuitates euertit, & potentiſſimas nationes aufert è medio, & delet de numero viuentium.

Nam quod vbique agitur, quod geſtum eſt quodque gerendum eſt,
Ante oculos Domini puncto ſubſiſtit in vno.
Vna dies, cui ſemper adeſt cras atque heri noſtrum.
Sed quanquam examen Deus omnia ſeruet in illud,
Quo quæ nunc occulta latent, reſerata patebunt,
Multa tamen mundum per ſecula cuncta regentis,
Iuſtitiæ documenta dedit; dum maxima bellis
Regna quatit, dum ſæpe vrbes populoſque potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit vndis,
Dumque inopes ditat, deiectos eleuat, auctos
D *Imminuit, ſoluit vinctos, ſubigitque ſuperbos.* Ita Proſper Aquit. lib. de Prouid.

Certè hac via Deus mundum vincit, cuius victoriæ Epicinia hîc proponit ille Angelus dicens: *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Vbi nota proprietatem ſcripturæ, & quomodo appoſitè loquatur. Nam non hîc dicitur Angelum magna aut alta voce hæc inſonare, ſicuti primus Angelus dixit alta voce: *Timete Dominum.* Quia erat difficillimum mentem à carne auellere per Dei timorem, vnde clamandum fuit alta voce. Sed caſus ille ciuitatis erit ita notiſſimus & conſpicuus omnibus, & experientia quotidiana tam clarè demonſtrat mundum eſſe labilem, vt cuilibet aſſerenti hanc ciuitatem cecidiſſe facilè fides
E adhibeatur, ſtultuſque ac cæcus diceretur qui hoc negare auderet. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram. Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.* Pſ. 36. Non dixit, quia omnino non erit, ſed quia ad nullos vſus eſſe poterit. *Si enim omnino non erit, nec torquebitur. Iam ergo ſecuritas data eſt peccatori, vt dicat: Faciam quidquid volo quandiu viuo: poſtea non ero: non erit qui doleat, non erit qui torqueatur*, inquit Auguſt. *Et vbi eſt, Ite in ignem æternum?* Et poſtea addit. *Quid eſt, locum eius? Vſum eius. Habet enim aliquem vſum peccator? Habet. Hic vtitur illo Deus ad probandum iuſtum, quomodo vſus eſt diabolo ad probandum Iob, quomodo vſus eſt Iuda ad tradendum Chriſtum. Eſt ergo in hac vita quid agatur de peccatore: hic eſt ergo locus eius, quomodo eſt in fornace*

Ee

locus paleæ. Ardet palea vt aurum purgetur. Sic ſæuit impius, vt iuſtus probetur. Sed cum tranſierit tempus probationis noſtræ, quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur. Nunquid quia diximus, Non erunt qui probentur: non erunt ipſi? Sed quia iam non opus erit peccatoribus, per quos iuſti probentur, Et quæres locum eius & non inuenies. Modò quære locum peccatoris; inuenies. De peccatore fecit Deus flagellum: Emendantur inde pij, peccatori illi hîc redditur quod debetur, & tamen factum eſt de illo vnde proficiat pius, vnde deficiat impius. Ita Auguſt. Sic Babylon illa magna, poſtquam poteſtate quæ illi conceditur ad tempus, pios fuerit perſecuta, tandem & ipſa corruet: & dum de iuſtis ac Martyribus triumphos ſe agere putat, vt olim Philiſtiim de Sanſone, ipſi innixi columnæ diuinæ voluntatis illam flectunt, itaut licet pereant eorum corpora, ad breue tempus, cum ſint ad vitam reuocandi pereunt: & inimici eorum, & temporaliter & æternaliter, & anima & corpore. Et ſic de illis perfectam conſequuntur victoriam.

Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius: & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.

De victoria obtinenda ex dæmone, per peccati cuiuſcumque fugam.

ANNOTAT. IX.

QVAM feliciter ſe geſſerint ij qui empti ſunt ex hominibus, vt eſſent primitiæ Deo & agno, in quorum ore non eſt inuentum mendacium, & qui ſunt ante thronum Dei ſine macula, patet ex clamore Angeli tertij fortiter intonantis quod qui alio modo ſe geſſerit, intolerabiles patietur dolores ſentiet; acerbiſſimos diuinæ iræ, ac iuſtitiæ effectus. Niſi igitur per omnium errorum abdicationem, & vitam immaculatam peccatum vicerit, alio modo Deus de illo ſumet vindictam, & reportabit victoriam. *Reddet* enim *illis*, peccatoribus nempe, *iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos: diſperdet illos Dominus Deus noſter.* Pſal. 93. Quis autem, ſi quanta ſunt peccatorum ſupplicia attentè perſpexerit, non eliget potiùs primo modo peccata ſuperare, quàm gloriando in peccatis expectare vt Deus de illo tam luctuoſam & reformidandam reportet victoriam? At quia mortales ægrè à peccatis abſtinent, ægrè ſibi perſuadent ſibi tanta mala obuentura fore, ideo forti voce clamat tertius hic Angelus: *Si quis adorauerit beſtiam*, id eſt, malitiæ obſecutus fuerit, Anti-Chriſto obedierit aliquando, ac peccati & Anti-Chriſti in tempore ſuo ſe ſeruum conſtituerit, obſtinatè in malitia & in eius obſequio perſeuerando; *& imaginem adorauerit beſtiæ*, id eſt, mores ſuos compoſuerit iuxta leges à malitia adinuentas; *& acceperit characterem in fronte*, per externam in peccatis gloriationem, *& in manu*, per operationem, vel qui conſenſerit operibus taliter agentium, accipiendo hac ratione characterem nominis beſtiæ, ſuas intentiones ad hunc ſcopum diri-

A gendo, vt peccatum regnet in mundo, *hic bibet de vino iræ Dei*, id eſt, quàm ſeuera ſit & auſtera Dei iuſtitia erga peccatores perſentiet; vinum miſtum mero, id eſt, diuerſa & innumera decernens ſupplicia ſimul ſubeunda, quæ omnem excludunt conſolationem: ſunt enim mera ſupplicia nullum admittentia ſolatium, repoſita & concluſa in inferno, in quo Deus tanquam ex calice epotanda præbet omnibus damnatis iræ ſuæ ſigna; ſicut è contra in cœlo beatos potat torrente voluptatis, quo beneuolentiæ ſuæ ſigna beati perſentiant inebrati ab vbertate domus ſuæ. O vinum ſuauiſſimum beatorum! O vinum auſterum reproborum! Nec enim concipi poteſt quomodo Deus homines àdeo ſibi B charos, ſed inſuper tanta fragilitate præditos, velit in æternum tot pœnis ac ſuppliciis torqueri. Nihilominus hoc ita erit, quod qui talis fuerit *cruciabitur igne & ſulphure, in conſpectu Angelorum, & ante conſpectum agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.* Semper ibi erit fletus, & gemitus, & ſtridor dentium; & audientur planctus & ſuſpiria, & euomentur blaſphemiæ abſque intermiſſione vlla. Obſtinati enim peccatores ibi cruciabuntur, & ij omnes, qui actus ſuos iuxta malitiæ leges elicere voluerunt; tum etiam ij, qui ſolum aliquod peccatum mortale commiſerunt, quod quidem peccatum ſeu actus peccaminoſus nota eſt ſeu ſignum nominis, nempe deprauatæ intentionis peccatis inſeruien- C di. Hæc omnia faciliùs ex diuerſis autorum expoſitionibus intelligi poterunt, ſi ſingula percurramus. Quid ſit beſtia, imago, character in fronte, in manu, iam ſatis ſupra diſputatum eſt. Hinc ad alia properamus. Et primò de quibus hic agatur, inquirimus.

De quibuſnam hic agatur? §. 1.

Primaſius de hæreticis ac iis qui malis ſunt moribus intelligit hunc locum, dum ait; *Verùm quia certi hæretici mala à nobis credulitate deſciſcunt, alij autem diſſona morum prauitate à traditionibus noſtris exorbitantes, hoſtili vtique malo perire monſtrantur, omnes hîc in fronte* D *aut in manu complectitur inſcriptio beſtiæ, adiecta viuentibus.*

Alcazar, qui vocem tertij huius Angeli ad beſtiam terreſtrem vult eſſe opponendam, in hoc loco vult ſingillatim de Chriſtiano homine ſermonem fieri, qui ab hoc monſtro, nempe beſtia terreſtri, ſe decipi patiatur; itaut ab ea ſapientia carnis, nempe beſtia terreſtri, decepti adorent marinam beſtiam, eiuſque imaginem cultu ac veneratione proſequatur. Huic Chriſtiano proponitur quanta ſit, huius rei indignitas, vt Chriſti miles illaqueari ſe patiatur à beſtia terræ, & ante maris beſtiam eiuſque imaginem in genua procumbat; & præcipuè ſi æterna ſupplicia, quæ talia ſubſe- E quuntur, ponderet: quia certè ſi conſiderentur, vt par eſt, poteſt quilibet Chriſtianus maximè ſtimulari ad cruciatus & tormenta fortiter ſubeunda. Talia Alcazar, qui ad Chriſtianos contra ſapientiam carnis, gentilium, & imperium Romanum Ethnicum in initio Eccleſiam perſequens dimicantes, ſuam reſtringit expoſitionem.

S. Thomas de iis qui erunt temporibus Anti-Chriſti hunc locum intelligit: ſiquidem ait: *Et tertius Angelus, id eſt, tertius ordo prædicatorum: quia poſt alios prædicatores loquetur quidam Ordo Prædicatorum, maximè contra eos qui adhærebunt Anti-Chriſto.* Et paulo poſt: *Si quis adorauerit Anti-Chriſtum beſtialiter viuentem, & alios crudeliter perſequentem: Hoc dicitur quantum ad illos qui illum in ſua præſentia adorabunt; Et imaginem eius, id eſt, idolum ſiue ſta-*

Digitized by Google

tuam : hoc dicitur quantum ad illos qui in abſentia adorabunt imaginem ſiue ſtatuam Anti-Chriſti. Vel adorare imaginem Anti-Chriſti, erit adorare eius ſectatores, vel facere ſe ei in errore conformem : quod erit ex reuerentia, ad ipſum : & ideo adoratio dicitur. Et acceperit characterem, id eſt ſignum eius, in fronte ſua, aut in manu ſua : forſitan illi, qui non habebunt imagines, habebunt aliquod ſignum Anti-Chriſti manifeſtum in fronte vel manu. Quicquid autem ſit de hoc, myſticus ſenſus eſt, in fronte ſua, id eſt, eius ſignum in aperta confeſſione, aut in manu ſua, id eſt, in manifeſta operatione; vtroque modo erunt conſignati ſigno eius. Ita S. Th.

Secutus eſt S. Thomas Andream Ceſarienſem, qui de temporibus Anti-Chriſti hunc locum exponit, dum ait: *Si quis*, inquit, *Anti-Chriſto, ob feritatem in belluam verſo, manus dedit; impiamque vitæ conuerſationem, quæ ad viuum illum exprimit, adierit, aut dicto vel facto Deum eſſe prædicauerit (hoc enim per characterem, qui fronti & manui imprimitur, ſignificatur) ipſe vnà cum illo calicis diuinæ iræ particeps erit, hoc eſt, omnis commiſerationis expers.* Ita And.

Ita etiam Ambroſius: *Angelus tertius prædicatores ſunt, qui temporibus Anti-Chriſti futuri ſunt. Prædicabunt enim vt nullus Anti-Chriſtum adoret, neque ad eius peſſimam doctrinam aures cordis accommodet, neque opera eius imitetur. Quod ſi quis fecerit, perpetua pœna eum eſſe damnandum teſtabuntur.* Ita Ambroſ.

Tamen ſatius eſt & certius iſta etiam extendere ad omnia temporis curricula. Sicut enim iam multi Anti-Chriſti facti ſunt, ita etiam multi iam illam adorant beſtiam, & eius imaginem; & eius characterem portant in fronte & in manu; hi nempe, qui de peccatis gloriantur, qui nullam peccandi occaſionem prætermittunt. Nunc videndum quid ſit vinum miſtum mero in calice iræ ipſius.

Quid ſit vinum miſtum mero? §. 2.

Ambroſius: *Per vinum iræ Dei, damnatio vltima, quæ in die iudicij impiis irrogabitur, deſignatur. Merum autem, purum dicimus. Per merum igitur iuſtitia Dei deſignatur. Per calicem verò iudicium accipere poſſumus. Vinum itaque mixtum eſt mero in calice Dei: quia damnatio vltima, qua impij damnabuntur, miſta erit cum iuſtitia; in calice Dei, id eſt, in iudicio, quia iuſtiſſimo Dei iudicio perficietur. Bibent igitur impij vinum iræ Dei, cum illis dicetur: Ite maledicti in ignem æternum.* Ita Ambroſius.

Primaſius: *Calix autem iræ non ſolùm illius hic intelligi debet, quæ Dominus dicit: ira Dei manet ſuper eum; monſtrans originale peccatum; ſed etiam illa, de qua Iudæis contumacibus loquens ait: In peccato veſtro moriemini; adiecta damnabilium merita ſignificans actionum.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſis: *Dicitur autem hic calix merus, propter iudicij æquitatem. At verò propter peccati ſponte electi vltroque perpetrati multiplicitatem & diuerſitatem, ex variis cruciatibus, pœnarumque generibus mixtus. Percommodè autem cruciatus, iræ vinum appellatur, quippe quod ex impietatis vua conſletur, quod quidem inebriat omnes quotquot ex illo bibunt: nam per quæ quis peccauit, per ea puniri quoque ſolet.* Ita And.

Rupertus: *Ipſa autem damnationis pœna, vinum aut merum mixtum grauiſſima cum ironia dicitur: nam fel amariſſimum magis propriè dicitur: alias & vere vinum merum eſt, quia iudicium iuſtum, & irreprehenſibile eſt. Illic omnino ſine miſericordia iudicium erit. Quis enim miſerebitur, vbi & ipſe agnus miſericordiarum ſuarum memoriam non erit?* Ita Rup.

S. Thomas: *Hic qui talis erit, bibet de vino i. de æterna damnatione, quaſi inebriante, id eſt, replente & dejiciente, & ſubuertente vtrumque hominem, ad modum vini. Iræ Dei) id eſt, quod ex diuina iuſtitia, in cuius effectu Deus videtur iratus. Cum autem dicit, Bibet, &c. loquitur per ſimilitudinem omnis qui bibit malum vinum & multum, vnde inebriatur: & per hoc intelligitur multiplicitas & magnitudo pœnæ, quæ impios implebit, dejiciet & ſepeliet. Iſ. 24. Amara erit potio bibentibus illam, &c.* Et paulo poſt: *Nota ſecundum gloſſam quod calix Dei eſt vindicta, qua potat potantes, ſiue ad correctionem in præſenti, ſiue ad damnationem in inferno. Iſte eſt calix iræ Dei, quia hæc vindicta prouenit ex diuina iuſtitia: omnis enim pœna eſt ex iuſtitia Dei, in quantum pœna licèt, ex miſericordia ſit temperatio pœnæ, eo quod infertur ad correptionem. In hoc calice eſt quaſi merum deſuper, ſcilicet pœna temporalis, quæ hic infertur ad correctionem: dicitur enim merum, quia ordinatur ad humanam ſalutem. Quando autem non vult impius corrigi, tunc Dominus adiungit mero, ſiue adminiſtrat vinum amarum damnationis. Nam ſi aliquis vino puro adiungat ſiue admiſceat vinum malum, ſic fit vinum turbidum. Merum gratiæ eſt pœna præſens, quæ infligitur ad correctionem: vinum mixtum eſt damnatio æterna, quæ adiungetur in futuro. Thren. 4. Ad te perueniet Calix: & inebriaberis, atque nudaberis.* Ita S. Tho.

Exiſtimo autem per vinum reuera intelligi auſteritatem & ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, quæ tanta eſt vt nemo poſſit hunc bibere potum abſque ſtupore, abſque quadam mentis alienatione; mixtum autem dici propter multitudinem ac varietatem ſuppliciorum, quæ ſimul ſunt toleranda; Merum verò, quia nulla aqua conſolationis ſeu ſolatij intermiſcetur, teſte illo diuite epulone, qui guttam aquæ petiit, & eam non potuit obtinere. Hæc namque vox, Merum, dico interpretari iuxta exigentiam materiæ, de qua mentio fit, itaut ſi de gloria v. g. æterna diceretur quod daretur calix vini meri, dicendum eſſet merum deſignare gloriam, quæ nulla re illam perturbante miſceretur. Sic cum loquitur de vindicta, & punitione, dici debet ſignificare vindictam nulla conſolatione permixtam. Hoc vinum tamen merum & mixtum datur in calice iræ Dei: quia ſicut diuerſa ſunt delicta, ita diuerſa & multiplicia erunt ſupplicia; & tamen omnia mera ſupplicia, quia nulla conſolatione erunt permixta, ſed pro ratione delictorum erit plagarum modus, ac ſi Deus calicem præparet vnicuique tot genera ſuppliciorum ex ſtagno ignis & ſulphuris haurientem, quot neceſſaria eſſe iudicabit vt delicta debitâ pœnâ plectantur. Hinc ſequitur: *Et cruciabitur igne & ſulphure, &c.*

Et cruciabitur igne & ſulphure, in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni.

De genere & natura ſupplicij extremi impiorum. §. 3.

Locus illius ignis ac ſulphuris eleganter deſcribitur à S. Cypriano, *Sæuiens*, inquit, *locus, cui gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure & gemitu & eructandis flammis per horrendas ſpiſſæ caliginis noctes, ſæua ſemper incendia camini fumantis exſpirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæuiendi plurima genera tam in ſe ipſe conuoluit, quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit.* Ita Cypr. Vide, quæſo, vinum miſtum & merum. Proſequitur Cypr. *Hos quibus recuſata vox Domini, & imperia fuere contempta, diſparibus coercet exitiis: proque merito ſalutis exacta vires ſuas ſuggerit, dum pars ſceleris diſcrimen imponit: Et alios quidem moles intolerabilis curuat, alios per abruptum cliuoſi tramitis collem vis ſæua præcipitat, & catenarum ſtridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens ſtrictim rota & indefeſſa vertigo, & quos tenaci inter ſe denſitate conſtrictos adhærens corpori corpus includat, vt & abſumat incendium,*

& grauet ferrum, & ſe cruciet turba multorum, quibus aut inquiſitus fuit ſemper Deus aut notus. Ita Cypr. Tam de loco ignis ac ſulphuris, quàm de diuerſitate ac grauitate ſuppliciorum, quibus peccatores cruciabuntur. De igne autem cruciante, optimè Minutius. Felix in Octauio: *Illic ſapiens ignis membra vrit & reficit, carpit & nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt; ſicut ignes Æthnæ montis & Veſuuij montis, & ardentium vbique terrarum, flagrant nec erogantur, ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur. Eos autem merito torqueri, qui Deum neſciant, vt impios, vt iniuſtos, Niſi profanus nemo deliberat, cum parentem omnium & omnium Dominum non minoris ſceleris ſit ignorare quàm lædere.* Ita Minutius.

Cur autem non modò ignis, ſed & ſulphuris mentio fiat, quærit Alcazar. Quidam, eo teſte, ad illius ignis perennitatem ſignificandam, quaſi concipiatur ſulphure nunquam defecturo eum ignem ali. Quam tamen opinionem rejicit. Suſpicatur autem *ſulphuris mentionem fieri, quod veluti ſulphur eſt propria atque apta materia ignis, ita ſcelera atque flagitia, ſiue peccatores ipſi, ſint veluti propria materia ignis inferni, & illius nutrimentum, quod ille celeriter corripit & inflammat; quia, vt ait Plinius lib. 35. c. 15. Agens de ſulphure, non alia res faciliùs accenditur. Tertiò, ſicut ſuffitu ſulphuris, religionis intuitu domus expiabantur, Plinio teſte, nec non Alexandro ab Alexandro, lib. 15. c. 17. Ita mundus, Dei domus, igne tartareo expiatur: nam diuinæ iuſtitiæ improborum pœnas iuſtiſſimas exigenti ſatis facit inferorum ignis, dum ſuam ſeueritatem in damnatis exercet. Et hac de cauſa, fulmina, quæ ſunt diuinæ indignationis ſymbolum, habent etiam odorem ſulphureum. Denique in ſulphuris atque ignis coniunctione, alluditur ad Sodomæ & Gomorrhæ ſupplicium.* Ita Alcazar.

Certè diceres in hac coniunctione ignis & ſulphuris, S. Ioannem indicare quod nihil ſit actiuum ad pœnam infligendam, nihil ſit pœnæ alicuius ſuſceptiuum, quod in hoc loco non reperiatur. Nihil enim igne magis actiuum; nihil magis eſt ſuſceptiuum ignis, ſulphure. Fætorem notat Ambroſius, dum ait: *Ignis exurit: ſulphur autem fætorem peſſimam de ſe emittit. Igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in ſe extinguere noluerunt. Fætore ſulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fætor luxuriæ.* Ita Ambroſ. *in duobus ergo*, inquit S. Thomas, *oſtenditur grauitas ſupplicij, in igne comburente, & fætore inficiente, quæ pœna fætoris maximè carnis vitiis reſpondet*, inquit Haymo apud S. Thomam.

At cur addit S. Ioannes: *In conſpectu Angelorum ſanctorum?* Optimè S. Thomas: *Hoc eſt, videntibus hanc pœnam Angelis ſanctis, quorum monitionibus in viſionibus non acquieuerunt, & ipſi Chriſto quem impugnauerunt. Oſtenditur autem hic æquitas iuſtitiæ, quæ exigit vt coram Angelis ſanctis, quorum monita reſpuuntur, torqueantur; & coram ipſo Chriſto, quem, cum paſſus pro eis fuiſſet, vita & ſigno blaſphemauerunt. Hoc autem erit miſeris in augmentum pœnæ, quod ſciant pœnam ſuam manifeſtam eſſe eis, quorum conſortium contempſerunt. Item iuſtitia & æquitas exigit vt ab Angelis ſanctis, & ab ipſo Chriſti, in quorum conſpectu* (puto ita legendum, non contẽptu) *cruciabuntur, nullum remedium percipiant. Item hoc erit ipſis Angelis & aliis beatis in gloriam, &c.* Ita S. Thom. Ambroſius autem: *Vt in eorum conſpectu crucientur, in quorum conſpectu non timuerunt multa mala perpetrare.* Primaſius verò: *In conſpectu agni dicit, cuius judicium patientur, quem contemnebant ſuperbè, & cuius dominari affectabant membris iniuſtè; Angelorum ſanè eius, qui eos pœnas iuſtas luere, Deo reuelante, cognoſcunt.* Ita Primaſ. Rectè venerabilis Beda: *Pœnam malorum, ſancti cum Domino regnantes ſemper videre poſſunt, vt hinc maiores ereptori ſuo gratias agentes, mi-* A *ſericordias Domini in æternum cantent. Non enim eos iuſto iudici concordantes viſa prauorum tormenta contriſtant, ſicut nec diuitem in flammis ſepultum viſa Lazari requies refrigerare valebat.* Ita Beda.

Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum; nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt beſtiam, & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.

Quid per hunc fumum intelligendum ſit? §. 4.

Alcazar per fumum denotari ait Dei gloriam, B quæ in eum redundat, ex eo quod damnati æternis barathri incendiis diſcrucientur; vel, vt ipſe ait, *quia Deus ignis æterni officium præſtat, ſeu vices gerat. Atque huic ſignificationi valde fauet ipſius fumi natura, quippe ignis lignum aliquod corripiens, dum illud abſumit, fumum excitat; & ille quidem fumus in aëra ſublatus, quaſi prædicat ignis victoriam & ſtragem, quam in ſuo aduerſario edit. Itaque fumus videtur ſuapte natura ignis gloriam atque victoriam figurare, nec poteſt æternus eſſe fumus, quin ignis etiam æternus ſit. Sed cum Deus ſit æternus ignis, nec ipſius victoria finiatur vnquam; ſiue ſermo ſit de illa, quam in damnatorum punitione; ſiue de ea, quam in myſtico Romanæ vrbis incendio conſequitur, ele-* C *gantiſſimè fingitur ex vtroque igne tam vero inferni, quam myſtico Romæ, fumus aſcendere ſempiternas.* Ita Alcazar.

Andreas Cæſarienſis: Aut per fumum hunc intelligere oportet inflammatum *halitum, quem in tormentis conſtituti ex imo pectore continuò non abſque ſuſpiciis emittunt: aut illum certè, quem ignis, qui eos punit & incendit, qui in illum inciderunt ſurſum emittit. Dicitur hic autem fumus in ſæcula ſæculorum aſcendere; quo hinc diſcamus, vt iuſtorum voluptas & gloria finem neſcit, ita nec peccatorum quoque ſupplicia vllo vnquam tempore finem habitura.* Ita Andr.

S. Thomas: *Fumus, id eſt tenebroſitas, ſecundum gloſſam, tormentorum eorum. j. impiorum: Ibi enim ſunt* D *tenebræ, Matt. 25. Seruum inutilem projicite in tenebras exteriores; Aſcendet in duratione, id eſt, perſeuerabit in ſecula conſecutiua; Seculorum, id eſt, ſemper, quaſi dicat: Tenebroſitas, quam patientur mali in illis tormentis, æterna erit. Iſ. 24. Aſcendet fumus eius in generatione & generationem. Nec habent requiem die ac nocte, id eſt, in aliquo momento temporis: quaſi dicat: Continuè, ſine intermiſſione.* Ita S. Thom.

Cur, inquit Ambroſius, *neque in die neque in nocte reprobos habere dicit requiem, cum electi æternum diem poſſeſſuri ſint, reprobi verò perpetuam noctem? Sed more humano locutus eſt.* Ita Ambroſ.

Alcazar non vult hæc vltima verba referri ad inferorum ſupplicia, cum ibi nullus ſit dies. Tamen exiſtimo illa ad hæc ſupplicia referenda eſſe. Non E enim dicit, Non habent requiem die ac nocte qui adorant beſtiam, ſcilicet in præſenti vita; ſed, Qui adorauerunt beſtiam, ſcilicet dum eſſent in præſenti vita, & in altera cruciantur pro tanto delicto in vita præſenti commiſſo. Et cum dicit, Nec habent requiem die ac nocte, Dies & nox hic ſumi non debent quaſi diei nox ſuccedat, ſed ſimul vt idem ſit, ac ſi diceret. Quandiu iuſti fruentur die æternitatis, tandiu impij cruciabuntur; & vinculis noctis illius, in qua nemo poteſt operari aut conuerti ad Deum, detinebuntur: & nullam obtinebunt requiem. Duo enim dixerat S. Ioannes, primum, quod *ſi quis adorauerit beſtiam, &c. cruciabitur igne & ſulphure*: Secundum, hoc fieri debere in conſpectu Angelorum, & ante conſpectum agni. Appoſitè igitur

Digitized by Google

& conſequenter loquitur, dum ait eos qui adorauerunt beſtiam non habere requiem die ac nocte, itaut dies referatur ad Angelos & agnum, qui fruuntur die beatitudinis æternæ; & nox ad impios, qui cruciari debent nocte pœnarum in conſpectu Angelorum & agni. Et ſic ſanctus Ioannes alludere videtur ad locum illum ſapientiæ 17. vbi in eodem temporis articulo lux ſanctis refulgebat gratiſſima, impij autem denſiſſimis detinebantur tenebris in Ægypto. *Omnis*, inquit Sapiens, *enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum quæ superuentura illis erat. Ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris. Sanctis autem tuis maxima erat lux.* Sap. 17.

Fit autem mentio, & diei beatitudinis, & noctis damnationis: quia fumus tormentorum aſcendit propter vtrumque. Nam impij torquentur & pœna damni, & pœna ſenſus, & propter vtramque pœnam fumus aſcendet in ſecula ſeculorum, ſiue querularum vocum propter ſuam miſeriam, ſiue blaſphemiarum contra Deum, cuius ſeueritatem experiuntur omni ſolatio destituti. Nam ſi impij in præſenti vita nullum verum habent ſolatium, multo magis omni ſolatio deſtituentur in futuro. Audi Auguſtinum, in Pſ. 36. & videbitis ipſos in præſenti vita nullum locum ſolatij inuenire. *Quibus*, inquit, *enim locus nuſquam eſt quomodo non peribunt? Conſolatio non eſt in externis, non eſt in internis: extra ſunt enim à nobis, de quibus conſolatio nulla eſt & vniuerſi qui Deum non habent, pecuniæ amicitiæ, gloriæ, facultatibus mundi ſeruiunt, & quæcumque bona ſunt corporalia non poſſunt conſolari intrinſecus: Quomodo conſolabatur ille plenus ſagina interiore, & de ipſa ſagina ructans: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum? Ergo illis peccatoribus non eſt locus in his quæ foris ſunt: quia ibi patiuntur tribulationes, vbi conſcientia illos non conſolatur. Non eſt benè illis ſecum, quia benè eſſe cum malo non poteſt. Quiſquis autem malus eſt, malè ſecum eſt. Torqueatur neceſſe eſt ſibi tormento. Ipſe eſt enim pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab inimico quo potuerit: à ſeipſo quo fugiet?* Certè, vt dixi, multo magis in inferno poſito, nullus erit locus ſolatio; omnibus bonis in quibus iocundabantur, & tamen in hoc non poterant conſolari, ſunt ſpoliati; Omnia mala extrinſecus illis inferuntur, & grauiſſima ſupplicia ſubire coguntur; intus remordet ac vrit infælix conſcientia. Certè ira & indignatione nimia feruescunt, & ſicut hi qui meditatione cæleſtium in pia deſideria ſurſum, feruntur in laudes & gratiarum actiones, ad modum illius qui dicebat: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo; ita hi ex conſideratione ſuppliciorum & tormentorum, querulas voces tanquam fumum emittunt; nec non videntes ſe in his pœnis detineri; Deo vindice & cogente, in blaſphemias contra eius diuinam iuſtitiam aſcendunt. Hæc ſors illorum, in quibus regnauit peccatum, & ſic adorauerunt beſtiam. Hæc pars illorum, qui mundo placere potiùs quam Deo maluerunt. *Nunc confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos.* Hac pœna plectuntur, qui intentione à Deo auerſi, propter amorem alicuius creaturæ, ipſum peccato aliquo mortifero offenderunt, acceperunt enim notam, ſeu characterem nominis beſtiæ. Nota enim illius nominis, eſt tranſgreſſio mandatorum Dei.

A *Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu. Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.*

Patientia neceſſaria eſt ſanctis, vt mercedem tandem laborum adipiſcantur.

ANNOTAT. X.

PATIENTIA reuera eſt neceſſaria in omni- B bus. Fructus boni operis ex pectandus cum patientia, Iacobo dicente c. 5. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Fortiter & cum patientia tolerandi ſunt labores pro fide Chriſti tuenda, & ad eius ſequendá veſtigia. *Recogitantes eum, qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem. vt non fatigemini animis veſtris. Trademini autem*, dicebat Dominus, *à parentibus, & fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite veſtro* C *non peribit in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc 21.

At nunquam magis patientia ſanctorum illis eſt neceſſaria, quàm dum vident mandatorum Dei contemptoribus omnia proſperè ſuccedere; eos bonis temporalibus abundare, delitiis affluere; dum iuſtis multi ſunt tolerandi labores, multam pati penuriam opus eſt, variis afflictionibus & perſecutionibus exerceri & agitari contingit. Certè in his, ſanctis opus eſt patientia non modica, quæ nullos ſibi limites præſcribere debet in toto rerum humanarum decurſu: ſemper enim erit quo exerceatur; nec in tot viciſſitudinibus rerum ac temporum, animaduertere poterunt qua ratione fieri poſſit vt mali floreant, & ipſi areſcant, dicente Propheta: *A-* D *ruit tanquam teſta virtus mea. Pſ. 21. Et ego ſicut fœnum arui. Pſ.* 101. Huius admirandi myſterij rationem nunquam inuenire potuit Propheta, donec intrando in Dei ſanctuarium, intellexerit quænam ſint nouiſſima ſeu extrema eorum Pſ. 82. Vidit enim quomodo ipſi peccatores & abundantes in ſeculo, facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam; illos autem, qui mandata Dei & fidem Ieſu ſeruauerunt, in voluntate Dei deductos cum gloria ſuſcipi; & pro parte & hæreditate Deum in æternum poſſidere. Vnde concludit, quia ſi qui elongant ſe à Deo pereant, & perdat Deus eos qui ab eo fornicantur, bonum ſibi eſt Deo adhærere, & in Domino Deo ſuo omnem E ſuam ſpem collocare. Hic certè patientia ſanctorum eſt. *Verè magnus labor*, inquit S. Auguſt. in hunc Pſalmum, *cognoſcere quomodo & Deus curet res humanas, & benè ſit malis, & laborent boni: magna vis quæſtionis: intrandum igitur in Dei ſanctuarium. Ego enim de ſanctuario Dei intendo oculum in finem: præſentia tranſgredior. Totum hoc quod vocatur humanum genus, omnis iſta maſſa mortalitatis ventura eſt ad examen, ventura eſt ad libram: appendentur ibi opera hominum cuncta. Modò nubes inuoluit, ſed Deo cognita ſunt merita ſingulorum.* Ita Auguſt. Videbis homines impios fraudari in deſideriis animæ ſuæ, & in nequitiis ſuis: nam dum putant extolli & eleuari, in eo ipſo momento, quo elati ſunt, deiecti ſunt. Sic enim efferri, iam cadere eſt. Videbis eos perire propter iniquitatem

Digitized by Google

ſuam, & quicquid poſſident diuitiarum ac dignitatum, vel quo poſſint in delitiis ac voluptatibus vitam tranſigere, hoc totum velut ſomnum tranſire; & cum euigilauerint de hac vita, in qua dormiunt, fumo cupiditatum, ac malorum deſiderio, quaſi ſomno correpti, ſentient illud quo quaſi ſomno detinebantur, eſſe veluti ſomnium exurgentis. Itaque ſapienter Auguſtinus omnes alloquitur dicens: *In nomine Chriſti, & in timore eius exhortor vos, vt quicumque iſta non habetis, non cupiatis; quicumque habetis, non in eis præſumatis. Ecce dixi vobis: non dico, Damnamini, quia habetis, ſed damnamini, ſi de talibus præſumatis, ſi de talibus inflemini: ſi propter talia, magni vobis videamini: ſi propter talia, pauperes non agnoſcatis; ſi generis humani conditionem communem, propter excellentem vanitatem obliuiſcamini. Tunc enim Deus neceſſe eſt retribuat in nouiſſima, & in ciuitate ſua imaginem talium ad nihilum redigat.* Ita Auguſt. At non iſta ſufficiunt iuſtis, quod certi reddantur de malorum punitione: niſi laborum ſuorum ſciant fructum aliquem ſibi obuenturum, ideo vt fideles & ſtabiles permanerent in operibus bonis, Apoſtolus Paulus Corinthios admonebat laborem eorum non fore inanem. *Itaque*, inquit 1. ad Corinth. 15. *fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Hac de cauſa ſpecialem S. Ioannes accipit reuelationem mercedis, quam iuſti & ſancti debent expectare, & tanquam certò obuenturam ſibi ante oculos proponere, vt in certaminibus contra carnem, mundum & diabolum fortiter ſe gerant.

Et audiui, inquit, *vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur.* His enim promiſſionibus in ſpem eriguntur eorum laborem in Domino non fore inanem. *Opera enim*, inquit, *illorum ſequuntur illos.* Rectè S. Auguſt. ponderans titulum, Pſ. 74. *In finem, ne corrumpas*, ait: *Quid eſt, Ne corrumpas? Quod promiſiſti exhibe. Sed quando? in finem. Illuc ergo mentis oculus dirigatur, in finem: omnia quæ in via occurrerint tranſeantur, vt perueniatur in finem. Exultent ſuperbi de præſenti felicitate, tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis, obſequiis clientum conſtipentur: prætereunt iſta, & tranſeunt tanquam vmbra. Cum ille finis venerit, vbi omnes qui modo in Domino ſperant gaudebunt, tunc illis veniet ſine fine triſtitia. Quando acceperint humiles quod irrident ſuperbi, tunc ſuperborum typhus conuertetur in luctum: tunc erit illa vox, quam in libro ſapientiæ nouimus. Dicent enim tunc videntes gloriam ſanctorum, qui cum hic humiliarentur, tolerauerunt; qui cum hic ſublimarentur, non annuerunt; tunc ergo illi dicent: Hi ſunt quos aliquando habuimus in riſum. Vbi etiam dicent: Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tanquam vmbra. Quia de corruptilibus præſumpſerunt, ſpes eorum corrumpetur. Noſtra verò ſpes tunc erit res. Promiſſio enim Dei, vt maneat integra, & firma, & certa erga nos, diximus ex corde fidei: In finem, ne corrumpas. Noli ergo timere ne promiſſiones Dei aliquis potentum corrumpat. Ipſe verò non corrumpit, quia verax eſt. Potentiorem non habet, à quo eius promiſſio corrumpatur. Certi ergo ſimus de promiſſis Dei.* Ita Auguſt. Audiamus igitur Deum nobis promittentem, calamo ſancti Ioannis, beatitudinem. *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Horum verborum expoſitionem duplicem inuenio. Prima eſt Alcazaris præcipuè, qui cenſet, *mori, in hoc verſu non eſſe reipſa ex hac vita decedere, ſed conſtanti atque erecto animo eſſe ad vitam pro Chriſto cum ſanguine profundendam, & internecioni quaſi victimam eſſe iam deuotum ac deſtinatum pro Dei gloria, & Chriſtianæ fidei profeſſione; qua animi præparatione illico requie potiuntur, ac ſumma pace & tranquillitate fruuntur. Vnde dictur: A modo iam dicit ſpiritus. Ac ſi diceret: Statim* A *atque apud ſe ſtatuerunt vitam pro Chriſto libenter immolare, ſpiritus ſancti doctrina eſt viris ſpiritualibus tradita quod requieſcere debent etiam in præſenti vita à laboribus ſuis. Quod nouum ac mirum eſſe debet in carne degentibus, vt inter labores quies inueniatur, illud tamen verum eſt, ob ſpem certam beatitudinis, quam concipere debent, qui propter Chriſti fidem & iuſtitiam mori decreuerunt: Opera enim illorum ſequuntur illos. In bonis enim operibus ſtabiles ac firmi reperientur. At qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Ita Alcazar.

Andreas Cæſarienſis hunc locum exponit de vero obitu, & vera morte contingente iis qui iam vitiis & peccatis ſunt mortui. *Vox*, inquit Andreas, *de cælo lapſa non omnes mortuos beatos prædicat, ſed illos dumtaxat, qui in Domino vitæ finem faciunt, cuiuſmodi* B *inter cæteros ſunt, qui iam ante mundo mortui, Chriſti Ieſu mortificationē in corpore ſuo portabant, vnamque cum illo crucem circumferebant. Talium namque ex corpore exitus veram à laboribus requiem adfert. Quod autem ex operibus naſcitur, immarceſſibilium coronarum glorioſiorumque præmiorum cauſa exiſtit: quæ quidem coronæ & præmia multis partibus excedunt certamina & pugnæ labores, quos Chriſti Dei noſtri milites contra virtutes & poteſtates, quæ ſub adſpectum non cadunt, deſudant. Neque enim præſentis vitæ paſſiones condignæ ſunt ad futuram gloriam, quæ in illis, iuxta Apoſtolum, reuelabitur, qui Deo placuerunt. Quam ſi nos ex animo deſideremus, citrà intermiſſionem Dominum deprecemur.* Ita Andr.

C At reuera duplicem mortem hîc ſignificat S. Ioannes, vt rectè animaduertit Ambroſius, dum ait: *Sed quid eſt quod dicit? Beati mortui, &c. Quis mortuus mori poteſt? Nullus proculdubio mortuus mori poteſt, niſi priùs animam recipiat, vt iterum mori poſſit. Sed illi ſunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui priùs moriuntur ſeculo, poſtea carne; qui priùs veterem hominem, id eſt, omnes nequitias & ſpiritales & carnales in ſe extinguunt, vt poſſint dicere cum Apoſtolo: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Illi namque in Domino moriuntur, de quibus Dominus dicit in Euangelio: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. A modo iam dicit ſpiritus, &c. A modò, id eſt, à tempore mortis ſuæ requieſcent ſancti à laboribus ſuis: opera enim illorum ſe-* D *quuntur illos. Quomodo ſequuntur. Nonne Cornelium opera ſua præceſſerunt, cui ab Angelo dictum eſt: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei? Sed ſequi pro comitari poſuit. Nam & exercitus, qui regem comitatur, eum ſequi dicitur, cum alij præcedant, alij ad dexteram ſiue ſiniſtram incedant. Opera igitur ſanctorum ſequuntur illos: quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum.* Ita Ambroſ. Conſentit S. Thomas. *Beati*, inquit, *ſunt mortui morte naturæ, vel mortui mundo: qui in Domino, id eſt, confeſſione & obſequio Domini moriuntur, per diſſolutionem animæ & corporis, quando anima à corpore ſeparatur. Tales, qui in obſequio Dei decedunt, Beati ſunt, quia vitam æternæ beatitudinis intrant. Propter quod dicebat Apoſtolus Philipp. 1.* E *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, &c.* Et poſtea: *A modo enim, hoc eſt autem tempore mortis, dicit. Id eſt, præcipit nutu ſuæ voluntatis, id eſt, facit cum effectu, quia ſuum velle eſt facere. Et vocatur dictio ſiue locutio: quia ita facile facit omnia ſola voluntate, ſicut quis facilè dicit aliquid. Pſ. Dixit, & facta ſunt. Spiritus, id eſt, Deus, Trinitas. Ioan. 4. Spiritus eſt Deus. Vt requieſcant à laboribus ſuis, id eſt, vt requieſcant, itaut amplius non laborent: quod erit merito laborum præteritorum. Iſ. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta. Auguſt. Labor eſt pretium regni cælorum: quaſi dicat: Voluntas Dei eſt vt de cætero æternaliter requieſcant, quia olim laborauerunt, Sap. 3. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Operandum ergo in ſenario huius temporis, vt Sabbatiſmum aſſequamur: quod ſignatur, Geneſ. 2. Requieuit ab vniuer-*

Digitized by Google

ſo opere quod patrarat. Et verè requieſcent: opera enim illorum ſequuntur illos, quantum ad fructum, ſine mercede, quaſi dicat: poſt merita habebunt plenum præmium. Sunt, inquit S. Thomas paulo poſt, *qui portant opera ſua ante ſe, & ita opera præcedunt eos, quia hîc gloriam vel lucrum quærunt ex eis, Matt. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Ita S. Thom.

TERTIA VISIO CAPITIS DECIMI QVARTI.

Et vidi: & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam, &c.

ANNOTAT. XI.

Præfatio expoſitionis iſtius viſionis.

VISIONEM iſtam ingentia continere myſteria nemo inficietur; nec ſine trepidatione de eius expoſitione meam profero ſententiam, præſertim quod ſingularis ſit, neminemque habeam, qui facem gerat, à quo lucem niſi tantùm exiguam poſſim mutuare. Spero tamen nos à communi Doctorum interpretandi ratione minimè diſceſſuros, nihilque à ſcopo, aut maieſtate huius prophetiæ alienum aut diſſonum allaturos. Benignum itaque interpello lectorem, ne ſtatim atque legerit nos, in ſedente ſupra nubem, ſummum Pontificem intelligere; in Angelo exeunte de templo, Angelos tutelares aſſerere repræſentari; in alio Angelo exeunte de templo, quod eſt in cœlo, Epiſcopos & Paſtores Eccleſiæ; in alio exeunte de altari, poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti; in Angelo vindemiante botros vineæ, poteſtatem remittendi peccata; & ſimilia, ne ſtatim hæc rejiciat, tanquam parùm conuenientia ſymbolis huius viſionis, ſed attentè ponderet cuncta. Vt autem incipiamus, primùm notandum eſt non hîc agi de iudicio finali, vt multi putant. Secundò, notandum quomodo ſedens ſupra nubem de ſummo Pontifice intelligi debeat. Ex his enim duobus planior ad expoſitionem ſequentium via nobis aperietur.

Hæc viſio non eſt de finali iudicio exponenda. § 1.

Ea fuit S.Thomæ ſententia, optimam ſeriem huius reuelationis eſſe, ſi de iudicio hîc agatur, dum ait: *Habito à decimo tertio capitulo de profectu Eccleſiæ in perſecutione, hîc agitur de finali retributione, qua boni patientes præmiabuntur, & mali perſequentes condemnabuntur.* Ita S. Th. Quæ etiam fuit mens Ambroſij, dum ait: *Nunc quia pœnam illorum, qui in Anti-Chriſtum credituri ſunt, narrauit; beatitudinemque illorum, qui in Chriſti fide perſeuerarunt vſque in finem, breuiter comprehendit, conſequens eſt vt diem iudicij deſcribat, in qua hæc cuncta complebuntur.* Ita Ambroſ.

Viam tamen Rupertus aperit, & fiduciam præbet diſcedendi ab iſta ſententia, dum hæc intelligit non de ſecundo aduentu, ſed de primo. *Quanquam*, inquit, *autem iſta ſeſſio filij hominis de ſecundo aduentu rectè accipi videatur, nos tamen, vt pro poſſe propoſitum rerum geſtarum ordinem teneamus, de primo eius aduentu accipere non incongruè poſſumus, &c.* Et poſtea: *Nunc ergo dicendum qualiter in primo aduentu ſua falce acuta vſus fuerit, ſecundum præſens capitulum huius viſionis.* Ita Rupert. Eadem ſentit Alcazar, ſiue dum ait: *Nihilominus mihi certum eſt per meſſem in hoc loco denotari ingentem fructum, quem ſuis concionibus collegerunt* A *Apoſtolici viri, quos Deus ad prædicandum gentibus miſit, hoc eſt, vberrimam animarum ſegetem, & copioſiſſimam gentilium conuerſionem. Patet hoc Matt. 9. & Luc 10. Meſſis quidem multa, &c. Et Ioan. 4. Videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem, &c.* Siue dum addit 2. *Apocalypſeos ſeries & conſecutio hunc ſenſum omnino poſtulat, qui prætermitti non poteſt, niſi ab iis qui de Apocalypſeos filo, & cohærentia nihil curant. Etenim præterquam quod nullus locus eſt extremo iudicio (cum poſtea mille pacis anni ſubſequantur) in hoc ipſo capite euidens eſt nondum ad dies iudicij tractationem perueniri, quandoquidem ſub agni ſpecie Chriſtus apparet, & Agnus ipſe eſt huius belli huiuſque exercitus dux; nec non eius milites prælium ineunt, non ſecus atque agni inter lupos, &c.* Ita Alcaz.

B His adde quod reuera multa narrantur in ſequentibus capitibus, quæ neceſſario debent fieri ante diem iudicij. Vnde probabiliſſimum eſt de iſta die non fieri mentionem. Et ex quadam connexione eorum, quæ tum in hoc capite, tum in capite 15. & c. 16. narrantur, ſatis clarum eſt adhuc non fuiſſe agendum hîc de die iudicij: v. g. in hoc capite dicitur quod quidam Angelus vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum; & calcato lacu extra ciuitatem, exiuit ſanguis de lacu. In cap. 15. dicitur quod vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum. In ca- C pite 16. præcipitur eiſdem Angelis vt effundant ſeptem phialas iræ Dei in terram. Quod quidem ſinguli præſtant, vt videbimus. Quæſo, vbi iſti Angeli hauſerunt liquorem, quo replerentur phialæ, quem effunderent poſtea in terram? Non aliundè certè quàm ex lacu illo iræ Dei, in quo proiectæ fuerunt vuæ, & ex quo ſanguis exiuit. Lacus ille eſt lacus iræ Dei: phialæ plenæ ſunt iracundiæ Dei: dum liquorem quo plenæ ſunt effundunt, dicuntur effundere phialas iræ Dei. Certè mihi aliter perſuadere non poſſum hunc liquorem aliunde fuiſſe hauſtum, quàm ex lacu redundanti, de quo fit mentio in fine huius capitis. At cum poſt diem iudicij nihil ſit peragendum (finis enim imponetur totius operi gu- D bernationis Vniuerſi; & reddita retributione iuſtis, & pœna impiis, nihil de cætero erit expectandum) non exiſtimo hîc agi de die vltimo, ſed aliquid aliud hic nobis ſignificari.

Nec ad aliud ſentiendum nos cogere poteſt ſeries aut connexio rerum: nam non videtur optima rerum connexio, vt poſt exhortationem ad fideliter decertandum, ſtatim fiat tranſitus ad ſupplicia decernenda hoſtibus ſeu perduellionibus, antequam facta fuerit deſcriptio prælij, aut victoriæ. At vt vidimus, hi tres Angeli, cum voce de cælo audita, motiua efficacia protulerunt, quibus milites ad ſtrenuè dimicandum exhortabantur, nec de prælio inito adhuc facta fuit mentio. Fieret igitur quædam an- E ticipatio, ſi antequam perduelliones dicantur ſubacti, de eorum ſupplicio ageretur. Denique cum actio iudicij duas complectatur ſententias, vnam circa electos, alteram circa reprobos, in hac viſione nihil videtur quod commodè poſſit ad vtrumque applicari; ſolùm fit mentio meſſis & vindemiæ. Quod ſi ex vindemia, quod proijciantur vuæ in lacum iræ Dei, aliquid habeas quo poſſis ſuſpicari agi de reprobis; in meſſe dum demetitur terra, nihil affertur quo poſſit dici electos tanquam frumentum in horrea dominica recondi.

At conuenientior rerum ſeries videtur, ſi poſtquam Agnus viſus eſt cum ſuis commilitonibus ſupra montem ſtans, & facta fuerit militum in tres validiſſimas turmas diſtributio; poſtquam ad fideliter dimicandum fuerint prouocati, quomodo erit

Digitized by Google

illis dimicandum doceatur, nempe ſapienti regimine illius, qui agni ſit vicarius, & locum eius viſibiliter teneat, verbi diuini prædicatione, Sacrificio & oratione, Sacramentorum adminiſtratione, bonorum Angelorum vigili cura & ſollicitudine: quæ omnia Deo dante in hoc ænigmate videbimus ſignificari. Tum poſtea in capite 15. duces & milites ad bellum procedere videbimus, armis decoris ac pulchris optimè inſtructos. Committetur prælium in capite 16. & quantum periculoſum futurumque ſit bellum, dubiuſque cenſeri poſſit huius rei exitus, ex deſcriptione potentiſſimi hoſtis apparebit in capite 17. Qui tamen proſternetur, vt videbitur in cap. 18. Vnde in capite 19. voces laudis reſonabunt, & agetur pro victoria obtenta triumphus magnificus.

Et vidi: & ecce nubem candidam; & ſuper nubem, ſedentem, ſimilem filio hominis, &c.

De ſedente ſupra nubem candidam, nempe ſummo Pontifice. §. 2.

Qui expoſitionem hanc de ſummo Pontifice à nobis excogitatam aliqua ratione fulcirent, præter Ticonium & Primaſium neminem inuenio; dum hic, nempe Primaſius ait: *In nube incarnatio noſtri capitis Ieſu Chriſti, vel Eccleſia corpus, quam Chriſtus induit poſt perſecutionum incendia, niuatam oſtendit.* Ita Primaſ. Ticonius verò Eccleſiam deſcribit in claritate ſua præcipuè poſt perſecutionum flammas albentem. At dum in ſimili filio hominis Chriſtum intelligit, habentem in capite coronam auream, *id eſt*, inquit, *ipſi ſunt ſeniores cum coronis aureis.* Et Primaſius etiam dicit: *Ipſi ſunt ſeniores cum coronis aureis; ſiue duodecim Apoſtoli, quos initio prædicandi fidei principaliter acquiſiuit. Hinc legimus: Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Ita Primaſ. Quibus verbis mens excitatur & erigitur, vt ſicut coronam Chriſti in ſenioribus aut Apoſtolis intelligunt, ita nos in illo ſimili filio hominis, intelligamus vnum ex ſenioribus, vel vnum ex Apoſtolis præcipuum, qui ratione officij aut miniſterij dici poſſit Chriſti Domini gerere ſimilitudinem. Non enim alienum eſt à vero ſenſu ſcripturæ, vt qui Chriſti vices gerit, ei poſſit dici ſimilis. Cum enim audis S. Ioannem 1. c. 3. dicentem: *Chariſſimi: nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt;* Quis dicet Chriſto iniuriam inuri, ſi dicamus eum illi ſimilem, qui eius vices gerat, aut perſonam repræſenter in terris? Et quid mirum ſi qui in ſuo miniſterio Chriſtum operantem repræſentat, dicatur ei ſimilis, cum in eo ipſemet Chriſtus ineſſe & inexiſtere aſſeratur? *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?* dicebat Apoſtolus 2. ad Corinth. 13.

Quod ſi quilibet Chriſti miniſter ratione ſui miniſterij Chriſto ſimilis dici poſſit, vel, quod plus eſt, Chriſtus in eo operans agnoſci debeat, certè præcipuus Miniſter Chriſti ſummus Pontifex non abſurdè dicetur Chriſto ſimilis: Petra, ſupra quam fundata ſit Eccleſia, quia Petra eſt Chriſtus: Paſtor qui regat oues, quia Chriſtus Paſtor bonus; cui creditæ ſunt claues regni cœlorum, quia Vicarius eſt illis, nempe Chriſti; de quo dicitur: *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Apocalyp. 3. *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* dicit Apoſtolus ad Epheſios 4. Vt ſi pro Dei largientis arbitrio datus eſt tibi Apoſtolatus, tantum tibi gratiæ confertur, quantū Apo-

A ſtolatui congruit: ſi donum Presbyteratus aut Doctoratus, ea tibi pariter dabitur gratiæ menſura, quæ ad obeunda illa munera erit ſatis. Cùm igitur ex Chriſti arbitrio, modo dictum ſit Petro: *Tu es Petrus: & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum;* modo etiam: *Paſce agnos meos, paſce oues meas;* Cogita quanam fortitudine ille prædítus eſſe debeat, qui tanti ædificij molem ſuſtinere valeat: quanta autoritate fulgeat, qui poſſit cœlum aperire & claudere; quantam dignitatem obtineat, cui totius Eccleſiæ regimeń fuerit à Chriſto commiſſum? Certè ſi Apoſtolus Paulus neceſſarium eſſe duxerit, vt ſiue Apoſtoli, ſiue Prophetæ, ſiue Euangeliſtæ, ſiue Paſtores, ſiue Doctores dati à Chriſto ad conſummationem ſanctorū

B in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, occurrant omnes *in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,* Epheſ. 4. hoc eſt, viri perfecti euadant, cum ad eam ætatis menſuram peruenerint, in qua obtineant plenam & perfectam Chriſti cognitionem & imitationem, itaut non modo vna ſit omnium fides perfecta, ſed etiam vna ſit omnium perfecta Chriſti imitatio, ex quo dici poſſit Chriſtus in eis viuere & operari, *creſcentes* videlicet *in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis*

C *facit in ædificationem ſui in charitate;* multo magis ille Chriſti Vicarius debet occurrere in virum perfectum, obtinere illam menſuram ætatis, per quam plenè & perfectè Chriſtus in eo agnoſci poſſit; & ſi poſſibile eſt, non modo illius autoritatem, dignitatem & operationem repræſentet, ſed & charitatem imitetur, quam in ſancto Petro maiorem charitate cæterorum requirebat Chriſtus, antequam illi diceret: *Paſce agnos meos: paſce oues meas. Simon diligis me plus his?* dicebat Chriſtus.

Hinc factum eſt vt ſatis non fuerit S. Ioanni hunc Chriſti Vicarium, quaſi infantem recenter natum repræſentaſſe, raptum ad Deum, & ad thronum eius, c. 12. ſed oportet vt illum tanquam adultum,

D & virum perfectum nobis proponat intuendum; nec ſatis fuit aſſeruiſſe illum recturum fore omnes gentes in virga ferrea, ſed oportet vt tanquam actu regentem & omnia moderantem repræſentet. Hinc igitur ait: *Et vidi ſuper nubem ſedentem, habentem coronam auream.*

Promiſit reuera Chriſtus nobiſcum ſe commoraturum, vſque ad conſummationem ſeculi. *Et ecce ego vobiſcum ſum,* inquit, *vſque ad conſummationem ſeculi.* Et per gratiæ influxum, mentis illuminationem, infuſionem charitatis, diuinam protectionem, parata auxilia in tempore opportuno, plurima præſentiæ ſuæ ſigna edit in nobis. Inſuper in Sacramento Euchariſtiæ, vera & reali præſentia corporis ſui Ec-

E cleſiam decorat & nobilitat: & his de cauſis agnus eſt ſtans in monte, & ambulat in medio candelabrorum aureorum, & eſt caput immediatum, præcipuum, intrinſecum, inuiſibile. Et quemadmodum ſpiritus per neruos à cerebro ipſo deſcendens, ſenſum omnibus membris ad proportionem cuique partitur; ſic Chriſtus noſtris animis, qui illius ſunt membra, ſua dona ſuppeditat, nec fortuito & temerè, ſed pro menſura membri cuiuſque, hoc eſt, vt quodcumque membrum capere poteſt: & in hunc modum coædificari ſibi vniuerſum corpus & coaleſcere facit. Aliàs enim nequiret anima à ſpiritu deſcendente ſuperne à quo & vitam accipimus & incrementum, ſubminiſtrata excipere ſiue recipere; niſi charitate, corporis inſtar vnius, compacti eſſemus & iuncti. Nam vt manus à reliquo corpore auulſa

Digitized by Google

auulſa haudquaquam vltra eſt vegetantem ſpiritum receptura, vt quæ à membrorum nexu ſit diſciſſa, ſic ſanè & nos niſi vnitatem ſeruemus, & animorum coniunctionem, ſpiritus gratiam non recipiemus, quæ à Chriſto, qui caput eſt noſtrum, profluxit. Hoc modo igitur Chriſtus ſit caput. At opus eſt vt corpori viſibili Eccleſiæ conſtituat caput viſibile, miniſteriale, minus præcipuum, ſibi ſubordinatum, & qui eius ſimilitudinem gerat & locum teneat, ne tantus exercitus tanquam monſtrum ſine capite appareat. Ideo conuenienter, poſtquam S. Ioannes mentionem fecit exercitus, & motiua propoſuit quibus ad prælium excitari poteſt, optimo ordine agit nunc de illius viſibili capite, in quo Chriſtus, qui operatur omnia in omnibus, operatur ea quæ ſunt capitis, quoad regimen exterius Eccleſiæ, & politiam externam, & adminiſtrationem verbi, & Sacramentorum quæ inſtituit ad animarum ſanctificationem, vt ſibi interiùs vniantur, ſicut exteriùs vnitatem & conſenſionem ſeruant cum viſibili capite ipſum repreſentante. Conueniens quippe fuit vt aliquem aſſumeret ex hominibus, qui ſuum locum teneret, quadam abſoluta poteſtate præditum; cuius miniſterio externo, quodam regimine fideles ad vitam æternam dirigeret; cuius poteſtas nullis aliis circumſcriberetur limitibus, quàm quos vel natura & conditio hominum poſuit, aut quos ipſe Deus legibus ſuis ac mandatis diuinis præſcripſit; qui cum mendacio & erroribus perpetuum habeat diſſidium; qui aliorum nutantem fidem confirmet; qui iuriſdictionem omnem in totum Eccleſiæ corpus exerceat, & optima gubernandi ratione, diaboli artes eludat, vt qui iam à peccati laqueis ſunt expediti, & per mortis corporeæ contemptum mundum vicerunt, à dæmone minimè decipiantur, dum fortes in fide perſeuerant ſub tanti capitis optimo regimine. Confirmatur hunc ſimilem filio hominis debere intelligi de ſummo Pontifice, ex eo quod alius non dabitur aliquis locus in tota Apocalypſi, in quo quid factum ſit de filio maſculo recēter nato mentio fiat, nec in quo poſſit videri Prophetiam illam adimpleri, qua de eo dictum fuit quod recturus erat omnes gentes. At maieſtati huius prophetiæ non videtur conſonum, vt aliquid tangat, cuius abſolutam non indicet notitiam. Igitur debuit declarare quomodo ille puer maſculus creuerit, adoleuerit, & perfectam adeptus fuerit ætatem. Hoc autem commodè fit, ſi hunc locum de ſummo Pontifice intelligamus. Qui enim puer erat, nunc homo adultus videtur; qui recturus erat omnes gentes, nunc regnat ſupra totam Eccleſiam ſedens aureâ corona decoratus. Hoc magis patebit, ſi ſingulas huius ſymboli partes expendamus.

Et vidi: & ecce nubem candidam.

Nubes candida Eccleſiam hic deſignat.

ANNOTAT. XII.

IAM diximus ex Primaſio & Ticonio hanc nubem ſignificare Eccleſiam poſt perſecutionum flammas albentem. Et meritò Eccleſia per nubes deſignatur. Videtur enim quaſi ſuſpendium elegiſſe Eccleſia, dum ſe à terrenis extollens & ad cælum adſpirans, nondum tamen cælum attingens, quaſi ſuſpenſa in vaſto aëre perſpicitur, veluti nubes per aërem diſcurrentes, quæ à terra ſubleuatæ cælum tamen attingere non valent. Quia igitur Eccleſia militans nondum cæli gloriam adepta eſt, ſed tamen mente in cælis conuerſatur, & toto affectu & deſiderio ad cælum anhelat, nube optimè deſigna- A tur, quæ in media regione aëris conſiſtens, intra terram & cælum concludatur. Secundò nubes huc & illuc à ventis circumferuntur & agitantur: ita Eccleſia militans variis perſecutionibus vexatur, & agitatur. Tertiò Deus, nubium miniſterio dat terræ rorem, ac pluuias in temporibus ſuis; & ex eis fulgura emittit; & intra eas tonitrua includit, quibus timorem ſui nominis mortalibus incutiat: ita per Eccleſiam Deus fidelibus rorem cæleſtis gratiæ infundit, & diuerſa dona elargitur, quos etiam miraculis attonitos reddit, comminationibus ſuppliciorum terrefacit. Vnde Auguſt. in Pſ. 96. hunc locum expendens: *Apparuerunt fulgura eius vniuerſæ. Vnde*, inquit, *fulgura? De nubibus, quæ ſunt nubes Dei,* B *prædicatores veritatis. Vides autem nubem in cælo nebuloſam, obſcuram, & habet intus neſcio quid latens: ſi coruſcet de nube emicat ſplendor: ex eo ipſo quod contemnebas, inde exiliuit quod expaueſcas. Miſit ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus Apoſtolos ſuos, prædicatores ſuos ſanctos, velut nubes. Videbantur homines, & contemnebantur. Quomodo videntur nubes & contemnuntur, antequam de eis exiliat quod mireris? Erant enim illi primùm homines carnem portantes, infirmi, deinde, idiotæ indocti, ignobiles, ſed erat in illis quod fulguraret; erat in illis quid coruſcaret. Accedebat Petrus, homo piſcator; orabat, & ſurgebat mortuus. Forma humana nubes erat: ſplendor miraculi, coruſcatio erat; ſic in verbis, ſic in factis: cum miranda dicunt, & miracula faciunt. Apparuerunt fulgura orbi terræ:* C *vidit & commota eſt terra. Si non eſt verum, ſi non tota terra iam Chriſtiana clamat, Amen, commota fulgoribus de illis nubibus erumpentibus,* Ita Aug.

Quarto quia Deus innumeros effectus producit per nubes; quibus prouidentia eius maximè innoteſcit, dicitur ponere ſedem ſuam in nubibus, ſapientia de ſe aſſerente: *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis*; quin & ipſis vti, quaſi curru militari aut triumphali, in quo ſedens vel bellum indicet hoſtibus, vel de ipſis triumphos agat glorioſos. *Qui ponis*, inquit Dauid, *nubes aſcenſum tuum; qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Pſal. 110. Ita in Eccleſia Deus ſedem ſuam ſeu thronum collo- D cat, in quo ſedens iudicia ſua exerceat; & huc ac illuc notitiam nominis ſui diffundat, plurimoſque effectus ſuæ prouidentiæ, qui ad ſalutem æternam conſequendam conducant, emittat. *Per hæc verba*, videlicet, *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, &c.* inquit S. Chryſoſt. *prouidentiam ad omnia pertinentem ſignificauit. Siquidem & ventis & nubibus præſidet, eaque ipſe gubernat, atque eam, quæ hinc exiſtit, vtilitatem opportunè tribuit. Simul etiam illud docet diuinam naturam vbique adeſſe, atque omnia curare. Quoniam enim rerum omnium, quæ in ſenſum cadunt, celerrima ventorum natura eſt (puncto enim temporis ab occaſu in ortum percurrit, viciſſimque ab ortu in occaſum) idcirco cum nullam aliam perfectiorem in rebus ſenſibilibus imaginem reperiſſet, Deum* E *ventorum pennis inuectum ferri dixit: quo nimirum ipſum vbique adeſſe demonſtraret. Quin illud etiam reperimus, ſummum Deum filiis Iſraël in nube apparuiſſe, & item in tabernaculo per nubem ſeſe conſpiciendum præbuiſſe; atque item cum Salomon domum dedicaret, nubem domum obtexiſſe; eodemque modo Chriſtum Dominum lucidam circum ſe nubem tribus Apoſtolis in monte demonſtraſſe; ac poſtremo cum in cælum aſſumeretur, ſplendidam nubem ipſum ab oculis eorum ſuſcepiſſe.* Hæc Chryſ. Sicut igitur per nubes Deus ſuam prouidentiam in rebus naturalibus oſtendit; ita per Eccleſiam, illam ſpecialem prouidentiam, circa ea quæ ad ſalutem æternam conſequendam attinent, Deus manifeſtat: v. g. per Eccleſiam hominibus ſe cognoſcendũ præbet, ſuos protectione ſua muniri & circumdari oſtendit; quod de munditia mentis gaudeat, mani-

Digitized by Google

feſtat; quod fide ſyncera in ſinu mentis recipiatur declarat.

Denique nubes iſta candida dicitur, quia Eccleſia ſancta eſt in doctrina, in ceremoniis, in præceptis & documentis, in fine quem proponit hominibus proſequendum, vt alibi fuſius diximus: & illa eſt de qua Apoſtolus dixit. Epheſ. 5. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Nubes igitur iſta propter candorem optimè repræſentat Eccleſiam, in qua ſola reperiuntur viri ſanctitate conſpicui, & candidiſſimi propter vitæ puritatem, & fidei ſynceritatem; ſed tamen nubes, quia in fide ambulant, & non per ſpeciem. Vnde S. Ambroſ. lib. 10. in c. 21. Lucæ: *Non equidem puto quod in caligine tenebroſa, & horrore pluuiali Chriſtus adueniat; nubes enim, quæ videntur, cælum vtique caligant, horrore ſubtexunt. Et quomodo in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ſi pluuialis erit eius aduentus? Sed ſunt nubes, quæ (quia ſic oportet) cæleſtis obtexunt myſterij characterem. Sunt nubes, quæ rore gratiæ ſpiritalis humeſcunt. Aſpice nubem in veteri teſtamento. In columna, inquit, nubis loquebatur ad eos. Per Moyſem vtique loquebatur; per Ieſum Naue, qui ſolem ſtetit, vt plenioris luminis acciperet claritatem. Ergo Moyſes & Ieſus nubes ſunt. Aſpice quia viri ſancti nubes ſunt, qui ſicut nubes volant & quaſi columbæ cum pullis. Super me nubes ſunt, Eſaias, Ezechiel, qui mihi per Cherubim & Seraphim ſanctitatem diuinæ Trinitatis oſtendunt. Nubes ſunt omnes. In his nubibus venit Chriſtus. Venit in nube in canticis canticorum, ſerena nube, & ſponſi refulgens lætitia. Venit & in nube leui incarnatus ex Virgine. Vidit enim Propheta ſicut nubem venire ab oriente. Et bene leuem nubem dixit, quam terrena vitia non grauarent.* Hæc Ambroſ.

Dico igitur Eccleſiam nubem, ſed candidam; nubes eſt, quia in fide ambulat, quæ quamdam habet obſcuritatem cum certitudine ſua coniunctam; candida tamen propter doctrinæ & vitæ puritatem. De Chriſto dicitur (quia in eo diuinitas & humanitas coniunguntur) *Nubes & caligo in circuitu eius*; vt interpretatur S. Chryſ. *Aliud eſt nubes, aliud caligo: nubes eſt tenuiſſimus aëris lucidi contextus, lucem aliquam de ſe emittens; caligo verò craſſior, & nebuloſa obtenebratio. Quomodo igitur nubes & caligo in circuitu eius? Prius ponitur nubes, poſtea caligo. Ita in Chriſto primum eſt diuinitas, poſtea humanitas; nubem dicendo, diuinam eius & luculentam deitatis pulchritudinem inſinuat; caliginis autem nomine, humanum ſignificatur integumentum.* Ita Chryſoſt. Pari ratione, quia Eccleſia ex hominibus terrenis componitur, aliquid habet caliginis; ſed quia puritate fidei & doctrinæ refulget, nubes eſt candidiſſima. *Sancti*, inquit S. Thomas, *nubes dicuntur, quia eleuati ſunt à terrenis per ſanctitatem, & volant per contemplationem.* Ita Thom. Hinc videte licet optimè dici ſummum Pontificem ſedere ſuper nubem, id eſt, ſuper Eccleſiam.

Et ſuper nubem ſedentem, ſimilem filio hominis.

Optimè conijcitur hic agi de ſummo Pontifice, quod ſedens ſupra nubem ſimilis dicatur filio hominis.

ANNOTAT. XIII.

SEDENTEM, ait S. Thomas, *idem eſt ac præſidentem.* Vult enim nubem eſſe humanitatem, & ſedentem ſuper nubem filium Dei, quantum ad naturam diuinam præſidentem naturæ humanæ. Præſidet enim, in quantum Deus, ſuæ humanitati, & regendo & præcellendo. Ita, proportionaliter loquendo, ſi per nubem Eccleſia optimè deſignatur, dicere poſſumus ſedentem ſupra nubem illum eſſe, qui ei præſidet, regendo & præcellendo. At, vt diximus, qui regit & præcellit in Eccleſia Dei viſibiliter & ſenſibiliter, eſt ſummus Pontifex.

Quia autem Chriſti perſonam repræſentat, in iis præcipuè quæ Chriſto homini conueniunt, ideo dicitur ſimilis filio hominis: v. g. *Dominus eſt filius hominis, etiam Sabbati.* Matt. 12. Vnde ad ipſum pertinebat verum legis ſenſum aperire, qui etiam poterat nouam condere, & in lege diſpenſare, prout neceſſitas aut exigentia rerum requireret. *Filium hominis*, inquit Remigius, *ſeipſum appellat, & eſt ſenſus: Ille quem vos purum hominem putatis, Deus eſt, omnium creaturarum Dominus, & etiam Sabbati; & ideo poteſt legem mutare pro ſua voluntate, quia fecit eam.* Ita Rem. in cat. S.Thom. Chriſto filio hominis ſimilis eſt ſummus Pontifex, qua ratione, autoritate ſpirituali ſibi à Chriſto collata, poteſt leges condere obligantes in conſcientia, iudicare ac punire tranſgreſſores, cogere fideles vt id credant vel faciant, quod ipſe iudicauerit (habet enim veram poteſtatem in omnes fideles in ſpiritualibus, vt habent reges in temporalibus. Quod fusè probat. Bellarm. lib. 4. de ſummo Pontifice c. 16.) eius etiam legis diuinæ eſſe interpretem, illam elucidare, in omnibus legibus iuris poſitiui diſpenſare, nouaque decreta condere & promulgare: habet enim autoritatem vetandi vitia, præcipiendi virtutes debito modo & ordine, habita ratione boni communis & ſalutis æternæ ſubditorum, ideo ſedet ſupra nubem, id eſt, præſidet ſupra Eccleſiam, vt eam legibus moderetur ac regat. Omnes enim, qui ſunt in Eccleſia, autoritate præcellit.

Secundò, *Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata.* Matt. 9. vt oſtendat ſe patri æqualem. *Non dixit*, inquit Chryſoſt. in catena S.Thom. *quod filius hominis indiget aliquo ad dimittendum peccata, ſed quoniam habet, &c.* At in ea autoritate ſimilis eſt ſummus Pontifex filio hominis quia poteſtatem accepit à Chriſto dimittendi peccata, ligandi atque ſoluendi. *Quodcumque*, inquit, *ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Matt. 16. Cur Petro data fuerit ſpecialiùs, rationem reddit Rabanus in caten. S. Thom. *Hæc autem ligandi atque ſoluendi poteſtas, quamuis ſoli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apoſtolis datur, nec non etiam Epiſcopis ac Presbyteris omnis Eccleſiæ. Sed ideo Petrus ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius, quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt regni cæleſtis ingredi.* Ita Raban. Sedet igitur ſuper nubem, id eſt, ſupra Eccleſiam, quia autoritatem accepit dimittendi aut retinendi peccata, in quo ſimilitudinem habet cum Chriſto filio hominis, cuius eſt proprium auferre peccata.

Denique Chriſtus ſe filium hominis appellat, cum loquitur de poteſtate illa, quam habet præmia aut ſupplicia decernendi in die iudicij. Siue enim loquatur de poteſtate iudicandi humanitati data, ſiue de ſignis præcedentibus iudicium, ſiue de tempore iudicij extremi, ſiue de modo quo perficietur, ſemper ſe filium hominis nuncupat, vt meliùs concipiamus ad quam autoritatem noſtram naturam euexerit. Ioa. 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Et Luc. 21. *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, &c. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, &c.* Matt. 24. *Et videbunt filium hominis ve-*

Digitized by Google

nientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maieſtate, & mittet Angelos ſuos cum tuba, &c. Et Matt. 16. Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique iuxta opera ſua. Et Matt. 25. Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, &c. Igitur quia tunc ſeparabit oues ab hœdis, dicendo his qui à dextris eius erunt: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Et his qui à ſiniſtris erunt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* hac de cauſa ſummus Pontifex ſimilis illi dicitur, quia habet claues regni cœlorum, vt aperiat ianuam cœli, ſoluendo peccata, claudat retinendo. Poteſt enim ſoluere & ligare, & per excommunicationem hœdos ab ouibus ſeparare. Regit igitur Eccleſiam, quia ſedet ſupra nubem, id eſt, Eccleſiam. Miniſter eſt Chriſti, & perſonam eius gerit, leges condendo, peccata dimittendo, iudicia exercendo. Ideo ſimilis filio hominis dicitur.

Habentem in capite coronam auream.

In ſummo Pontifice Regia & Sacerdotalis dignitas. §. 2.

Non modo ſummus Pontifex gaudet autoritate quadam præcipua, quia Chriſti perſonam gerit, ſed & eminenti pollet dignitate, nempe Regia & Sacerdotali, ratione cuius habet quamdam plenitudinem poteſtatis.

Duplicem, inquit Rupertus l. 9. in Apocalyp. *ob cauſam hic filius hominis auream in capite ſuo dicitur habere coronam, tum quia Rex, tum quia ſacerdos eſt. Nam quod ſacerdotij honor coronam habeat, teſtatur ſapiens, cum in laudibus Patrum de ſacerdote Aaron dicit: Corona aurea ſupra mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus virtutis, &c.* Ita Rup. Quæ quidem dignitas videbitur ex his quæ infra dicemus, dum, vt lectoris labori parcamus, omnia ferè quæ Cardinalis Baronius attulit, ordine ſatis conuenienti afferemus, ex quibus conjici poteſt quædam ſubordinatio dignitatis Regiæ, dignitati Pontificiæ.

Et in manu ſua falcem acutam.

De plenitudine poteſtatis ſummi Pontificis, ſeu de eius iuriſdictione exteriori, quam habet immediatè à Deo. §. 3.

Summa autoritas patet in ſummo Pontifice. Sedet ſupra Eccleſiam, quaſi in throno eminentiſſimo: inſignis dignitas. Quia ſimilis eſt filio hominis. Et habet in capite coronam auream. At ingens eſt eius plenitudo poteſtatis, quia habet in manu ſua falcem acutam. Quid ſignificet falx, ex autoribus percipiamus.

Ticonius: *Iſta falx ſeparat Catholicos ab hæreticis, ſanctos à peccatoribus, ſicut dicit Dominus de meſſoribus.* Ita Ticon.

Falx, inquit Andreas Cæſar. *denique, quam tenebat in manu, conſummationis eſt ſymbolum. Nam ipſe quoque Dominus ſeculi conſummationem per meſſem deſignat.* Ita Andr.

Ambroſius per duas falces ſignari ait quia *aliter exterminabuntur iuſti, aliter iniuſti. Iuſtorum exterminatio, redemptio potius dicenda eſt; ſicut Dominus dicit: Reſpicite & leuate capita veſtra: quia ecce appropinquat redemptio veſtra. Redemptio iure vocatur, eoquod à malis temporalibus liberet, & ad gaudia æterna perducat. Impiorum autem exterminatio, & hîc grauis eſt, & poſt mortem grauior: damnatio enim luctuſque perpetuus in eis permanebit.* Ita Ambr.

S. Thomas. *Habentem in manu ſua, id eſt, in poteſtate,* A *falcem, id eſt, iudiciariam ſententiam, quæ dicitur falx, quia ſcindit, id eſt, diuidit bonos à malis, & è contrario, ſicut fœnum à terra ſecatur, item quia quicquid falce inciditur, infra falcem concluditur, ad quamcumque partem ſe vertat: ſimiliter nullus eſt qui Dei iudicium euadere poſſit. Vnde Gregorius ſuper hunc locum: Poteſtas diuina iudicij, quia omnia inter ſe incidendo complectitur, falcis appellatione ſignatur; Acutam, id eſt, virtuoſam, & potentem ad ſecandum.* Ita S. Th.

Alcazar: *Quod in belli allegoria eſt gladius, hoc in meſſoris figura eſt falx acuta. Quare ſine dubio, ſermo eſt de gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ita Alcaz.

His perſpectis, dico per falcem acutam in manu ſummi Pontificis, optimè exprimi vim & efficaciã B plenitudinis poteſtatis illius, quæ illi à Chriſto data eſt ad regendam Eccleſiam. Verbum enim diuinum videtur eſſe in manu eius, tanquam falx, id eſt, quoddam inſtrumentum tam artificioſè fabrefactum, vt ſe accommodet capacitati ſuſcipientium, quo poſſint ad Deum conuerti, & in Chriſto regenerari: quodque commodè inſuper aptari poſſit ad omnes effectus producendos, qui neceſſarij ſunt ad animarum iuſtificationem & ſanctificationẽ in adminiſtratione Sacramentorum. Nam ſicut falx acuta & recurua aptiſſima eſt ad metendas ſegetes, eaſque ſecando quodammodo ad metentem eas attrahere, & in vnum concludere; ita verbum diuinum ſecat, id eſt, ſeparat à terrenis; ad Deum, qui per homi- C nem loquitur, audientes trahit, & colligit in vnum diſperſos ex Iſrael, vt fiat vnum ouile, & vnus Paſtor: nam dum prudenter & cum zelo diuini honoris adminiſtratur, corda penetrat & ad ſe trahit, à peccatis purgat, eaſque mundat: *Iam vos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis.*

At non ſine cauſa eam falcem dicitur habere in manu, vt ſciamus verbi miniſterium eſſe in poteſtate, arbitrio, & diſpoſitione illius ſupremi moderatoris, dicente olim Petro, Act. 15. *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere, &c.* At quomodo credent, niſi audierint? *Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi* D *mittantur?* Cum hæc Miſſio ad prædicandum Dei verbum ſit in manu, & diſpoſitione ſeu poteſtate mittentis, rectè ille dicitur habere falcem in manu, id eſt, in poteſtate ſua: quia in diſpoſitione illius ſunt omnes, qui autoritate ordinariâ aut extraordinariâ ſeu delegatâ prædicare debent, vt hos probet, illos mittat, qui vel verbum Dei legitime prædicare poſſint, vel hoc idem verbum in adminiſtratione Sacramentorum, ſub quibuſdam formulis adaptatum, ad hos aut illos effectus producendos, poſſint legitimè adminiſtrare. Immediatè enim à Deo habet iuriſdictionem exteriorem fori, à qua exercitium iuriſdictionis interioris & poteſtatis ordinis dependet, vt legitimè exerceatur, & omnia in Eccleſia cum debito ordine perficiantur.

E At vt hæc autoritas, dignitas, & poteſtas, quales ſint reuera appareat, operæ pretium duxi in vnum congerere, & hîc adferre quæ Doctiſſimus Cardinalis Baronius ad autoritatem, dignitatem, & poteſtatem Pontificiam demonſtrandam, ex antiquis hiſtoriarum monumentis referre voluit, & hac ratione labori lectoris parcere, dum quæ in tam diuerſis locis grandis operis ſuorum annalium diſpergit, hîc fideliter, prout in eo reperiuntur, in vnum congerimus.

Digitized by Google

Sedentem ſupra nubem, &c.

In quibus nam poteſt digneſci quanta ſit ſummi Pontifica autoritas, dignitas ac poteſtas? §. 4.

Ad hæc tria capita potiſſimùm reduci poſſunt omnia, quæ de ſummo Pontifice tractantur, nempe ad eius autoritatem, in ſeſſione indicatam: *Sedentem ſupra nubem*; Dignitatem, in corona deſignatam; Poteſtatem, in falce ſignificatam. Autoritas patet: quia habet poteſtatem iudicandi controuerſias fidei, & de moribus iudicare poteſt, legeſque ferre, quæ homines in conſcientia obligent, & cogant credere & agere, prout ipſe ſummus Pontifex præſcripſerit.

Dignitas in hoc conſiſtit, quod illius autoritas ſpiritalis præfertur (in rebus fidei, & quæ ad ſalutem pertinent) omni dignitati Impeiali & Regiæ, ſitque ipſa poteſtas temporalis ſub regimine ſpiritali ſummi Pontificis; itaut licèt nullam iuriſdictionem merè temporalem iure diuino habeat (ſolum enim habet directè & immediatè ſpiritualem) habet nihilominus ratione ſpiritualis indirectè quamdam ſummam poteſtatem in temporalibus, vt docet Bellarminus l. 5. de ſummo Pontifice c. 1. & ſequentibus, & præcipuè cap. 6. & 7.

Eius poteſtas apparet ex multis, quæ pro verbi diuini & Sacramentorum adminiſtratione, pro Epiſcoporum electione, confirmatione, prouiſione, depoſitione, reſtitutione, diſponere poteſt; ac ex multis aliis, quæ pro Politia & regimine Eccleſiæ perficit, vt pote cuius eſt primatia potior, antiquior, & aliis omnibus ſuperior & antecellens. Ornatur quippe, vt ſupremum caput, Epiſcopis & Patriarchis ſibi adhærentibus, tanquam coronâ ſtellarum duodecim: tamen viciſſim ipſi illius poteſtate & autoritate fulciuntur, vt in ſuo permaneant fulgore, ac in ſua dignitate conſeruari queant. Iſta autem omnia ex inſtituto tractare non intendo, ſed, vt dictum eſt, ex Baronij annalibus hiſtorias elicere volo, ex quibus videri poſſit iſta omnia inniti rerum geſtarum veritate.

Sed antequam ad hiſtorias veniamus, monendum duabus Metaphoris Baronium docere, anno. 34. num. 59. Dominum Chriſtum voluiſſe primatiæ ſancti Petri figuram delineare. Prima eſt, quod ſanctus Petrus reuera cum ſociis rete iecit in mare, in piſcatione, ſed ſolus in terram recte attraxit: At apertiùs Metaphora Gregis, ouium, agnorum & Paſtoris, dum Petro dixit: *Paſce agnos meos: paſce oues meas*: itaut ſi Petrus plurima habuerit cum aliis Apoſtolis communia, v. gratiâ, Sacerdotium, de prædicatione verbi, adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi mandatum: ligandi & ſoluendi, remittendi aut retinendi peccata poteſtatem, ſcripturas intelligendi & interpretandi ſpeciale donum, habet inſuper multas prærogatiuas, quæ ſpeciali titulo ad eum pertinere Chriſtus indicauit, v. g. cum ad eum dixit: *Tu vocaberis Cephas: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claues regni calorum. Paſce agnos: paſce oues.* His addo, quod ſolus ex Apoſtolis ſuper aquas ſicco pede ambulauit.

Sicut autem vnum ouile tantùm eſt, & vnus Paſtor, ne Petro occumbente Eccleſia diſſiparetur, aut relinqueretur Grex ſine Paſtore, corpus ſine capite, ædificium abſque fundamento, fatendum eſt ſupradictam Petri autoritatem, dignitatem, & poteſtatem in ſucceſſores transfundi, vt fatentur omnes Catholici Doctores, & omnia Concilia legitimè conuocata ſemper agnouerunt. Quod Baronius an. 587. ex Pelagij epiſtola docet, in qua reſcindit quidquid Ioanni Conſtantinopolitano Patriarchæ attributum fuerat à Synodo, in cauſa Gregorij Epiſcopi Antiocheni celebrata, nempe ipſum titulo Patriarchæ Oecumenici inſigniri debere: in hac ſiquidem Epiſtola Pelagius, inter alia, docet priuilegia à Chriſto Domino Petro conceſſa redundare cum eadem eminentia in ſucceſſores, videlicet Romanos Pontifices.

Quanta ſit ſummi Pontificis autoritas?

ANNOTAT. XIV.

De autoritate circa res fidei. §. 1.

DICO igitur quod ſi Chriſtus Petro dixit quod fides eius non deficeret, de confirmandis fratribus in fide ſpecialem curam commiſit, ſummi Pontifices Petri ſucceſſores ea præſtare etiam debent, & omnia decernere quæ ad fidem pertinent. Ad eos itaque pertinet. Hæreſes condamnare, vt ſucceſſores Petri, qui ſpeciali prouidentia Dei ad Samaritanos miſſus fuit, apud quos dæmon alterum nomine Simonem, nempe inſignem Magum & impoſtorem excitarat, qui vt ait S. Epiphanius, *primus poſt aduentum Chriſti fuit hæreticorum Princeps*, vt eum Petrus debellaret, & tandem proſterneret. Ita Baron. an. 35. num. 14.

Hac poteſtate decernendi, & iudicandi de rebus fidei, vt refert Baronius an. 412. Pelagij hæreſis Romæ damnata fuit, vt teſtatur S. Proſperus, Carm. de Ingratitud. antequam hæc hæreſis condemnata fuerit in Concilio Carthagin. more nimirum Maiorum, vt noua emergens hæreſis primùm omnium à prima ſede examinaretur & damnaretur, n. 5. Et anno 430. literas S. Cyrilli ad Cæleſtinum profert in quibus Cyrillus declarat, quod licet Neſtorij hæreſis omni execratione digna cenſeretur, non auſus adhuc fuerat ſe à Neſtorij communione ſeparare, antequam ſummus Pontifex de eo ſententiam tuliſſet. *In quo*, inquit Baronius, Illuſtre cernitur teſtimonium, & autentica quædam confirmatio priſtini moris ab exordio Eccleſiæ, in his annalibus demonſtrati, nimirum ſolius eſſe Cathedræ Petri quæſtiones de fide definire, & emergentes hæreſes cum eorum autoribus primùm condemnare, n. 1. Et anno 449. n. 1. refert quomodo Flauianus Conſtantinopolitanus Patriarcha ad Leonem Papam ſcripſerit, vt Eutychetis damnationem in Synodo Conſtantinopolitano factam confirmaret. *Sic enim*, inquit Flauianus, *fore vt ea hæreſis, & turba quæ propter eam facta eſſent, facilè deſtruerentur, & Concilium, quod fieri diuulgaretur, remoueretur. Quibus*, inquit Baronius, *agnoſcitur tantum ipſum vim literis Romani Pontificis tribuiſſe, vt poſſent hæreſes funditùs euertere, & Concilio Oecumenico opus non eſſet, vbi eadem aliquid definiſſent. Illudque*, addit Baronius, *etiam attendas, ex veteri inſtituto abſque controuerſia eoſdem inter ſe altercantes Flauianum & Eutychetem profiteri legitimum & præcipuum iudicem Eccleſiaſticarum controuerſiarum eſſe Romanum Pontificem, ad quem tam actor quàm reus ſponte currunt ſua iura proſecuturi.* Vnde certè miror quoſdam reperiri alioqui doctos & pios, quos audio dicentes, de dubiis, quæ nunc emergunt, & de quibus eſt aliqua controuerſia, vel Pontificem non auſurum aliquid circa ea decernere, vel eius decretis non eſſe obtemperandum; & Concilio opus eſſe, vt omnia dubia omneſque controuerſiæ ſopiantur: quaſi in quadam temporis differentia, ſeu in quodam temporis articulo, ſpiritus veritatis Eccleſiæ promiſſus poſſet eam deſerere, nec ſufficiens lumen illi præ-

Digitized by Google

beret, ad diſcutiendas quaſcumque tenebras, & extricandas quorumuis errantium ambages, & tricas; aut timeret à facie ſerpentis ſibilantis, & impoperantium & in illam inſurgentium inſultus? Et quid fiet, ſi per longum tempus propter diſſidia principum Chriſtianorum, aliaque innumera obſtacula, Concilium congregari non poſſit? Pullulabunt errores & graſſabuntur abſque remedio? Non opinor certè: quia non deſeritur, quandiu remanebit vigor Apoſtolicæ ſedis; & os Petri, cui datum eſt confirmare fratres, in ſummo Pontifice nobis aperiet quid credendum ſit, & cuinam ſententiæ nobis ſit inhærendum, vt à ſemita veritatis non diſcedamus.

Ad Baronium reuertamur, qui ann. 823. Epiſtolam profert Theodori Studitæ ad Leonem Sacellanum, in qua docet, vt Eccleſiæ pax concilietur non oportere in rebus fidei ad iudices ſeculares recurrere, at potius ab vtraque parte litigantium de fide, mittendam eſſe legationem ad primæ ſedis Romanæ Præſulem, & inde fidei accipiendam certitudinem, quippe cui etiam ſumma poteſtas deferatur Synodorum Oecumenicarum.

Hæc decidendi de rebus fidei autoritas adhuc dignoſcitur ex eo, quod Concilia Oecumenica aut confirmationem ſuam acceperunt ex decretis Romanæ ſedis, aut decreta & ordinationes ſuas confecerunt iuxta ea, quæ à ſede Romana ipſis præſcripta fuerunt. Ita Baronius, an. 325. dum de Concilio Niceno agit, num. 51. Per latis autem Romam decretis Synodi, Syluester Papa collegit ex Italia aliud Epiſcoporum Concilium, quo Acta Nicæna confirmauit, & eos, qui auderent illa diſſoluere, excommunicauit. Quod attinet ad Concilium ſecundum vniuerſale Conſtantinopolitanum, *Photius*, inquit Baronius, an. 381. n. 6. in libello de ſeptem Synodis, *Confirmatum fuiſſe, pro rebus quæ ad fidem attinebant aſſerit, à Damaſo Papa.* Si ad Concilium Epheſinum veniamus, notum eſt in eo Concilio literas Cæleſtini Papæ contra Neſtoriũ fuiſſe per lectas & probatas; in qua Cæleſtini Epiſtolâ hæc clarè exprimuntur, ſic Miſſos eſſe illos legatos, non vt cauſam Neſtorij nouo ſubijcerent examini, ſed potiùs vt ſententiæ in eum anno ſuperiore Romæ latæ executores eſſent; ſicut etiam nihil quidpiam præter ſententiam Cæleſtini ſibi arrogaſſe Oecumenicam Synodum conſtat, Baron. an. 431. num. 4. Quod quidem manifeſtè probat autoritatem, quæ eſt apud Pontificem ſummum, decidendi de fidei articulis. Quod ſi ad Concilium Chalcedonenſe tranſeamus, an. 451. n. 4. ab eo Concilio illud addiſcere poterimus, Marcianum Imperatorem ad ſanctum Synodum verba facientem, declaraſſe fidem Myſterij incarnationis confirmandam eſſe iuxta doctrinam Patrum Concilij Nicæni. Et cum lecta fuit Epiſtola Leonis ad Flauianum in ſecunda ſeſſione, ab omnibus Patribus congregatis, immenſis laudibus cumulata fuit. Et non tantùm Legati, ſed etiam Iudices ſeculares, qui dicebantur cognitores, ad quorum arbitrium omnia moderabantur & diſponebantur in Conciliis, prout bonum pacis aut concordiæ exigebat; *ita tamen*, ait Baronius an. 451. n. 4. *Vt integrum iudicium penes Epiſcopos remaneret, nec aliud ſibi munus Vſurpabant, quam Vt pax ſeruaretur, & Vt Concilium quiete ac tranquillitate foueretur, & pacta & conuenta inter conteſtantes fideliter ſeruarentur*; ij inquã Cognitores cum Legatis proteſtati fuerunt, quod ſi patres ibi congregati conſentire nollent Epiſtolæ Leonis, legati diſcederent, & Oecumenicam Synodum in Occidente celebrarent. Baron. an. 451. n. 22. Et an. 447. notat Baron. quomodo in Synodo apud Lucenſem vrbem, ſeu Toletum, iuxta Epiſtolam Leonis ad Turibium, Patres ibi congregati ad articulum ſymboli de Spiritu ſancto, addiderunt: *Qui à patre filioque procedit.*

Tertio hæc autoritas decernendi de rebus, quæ ad fidem pertinent, cernitur ex eo quod Hæreſiarchæ omnes, qui redire ad vnionem Eccleſiæ voluerunt, ad ſedem Romanam ſeſe contulerunt, tanquam ad ſummum Paſtorem, qui ouilis claues tenet, vt aperiat & claudat. Hoc duo Hæreſiarchæ inſignes Valentinus & Cerdon præſtiterunt, inquit Baronius, an. 155. qui duo, tempore Hygini Romam ſeſe contulerunt, exiſtimantes quod ſi ſemel communionem Eccleſiæ Romanæ poſſidere arbitrarentur, ſtatim vt verè Catholici ab omnibus haberentur. *Illud autem*, ait Baronius, *obſeruatione magnopere dignum, curioſos atque putentes Hæreſiarchas, tam iſtos quàm alios complures, de quibus dicetur ſuis locis, fictè Vel Verò palinodiam recantaturos, non apud aliquam aliam ſedem quàm Romanam id ſibi legitimè faciendum putaſſe: quod in confeſſo eſſet apud omnes, eam eſſe Eccleſiæ totius Metropolim, eiuſque eſſe fidem probare & perfidiam condemnare, tum ob autoritatem, tum ob fidem illibatam, quæ inſeparabiliter eſt ei annexa.* Ita Baron. Idem notatur de Marcione, an. 180. qui tempore Eleutherij Eccleſiæ reſtitutus fuit, ſub hac conditione, quod ipſe reſtitueret Eccleſiæ quos ſeducens illi ſubtraxerat. Et ann. 207. Baronius Natalij hiſtoriam refert, qui cum olim Confeſſor fuiſſet, poſtea pecuniâ Epiſcopatum Hæreticorum Theodotianorum adeptus eſt, ſed diuinis viſionibus ſæpiùs admonitus, quin & ab Angelis virgis cæſus, ad meliorem mentem reuerſus; *ibi lita*, inquit Baronius, *conſuetudine, Vt Hæreſiarchæ pœnitentes à Romano Pontifice Catholicam communicationem promereantur, & ipſe cilicio & ſacco indutus, ac cineribus aſperſus ad Zephyrinum Venit, atque ad pedes eius ſe ſupplicem abijciens, patrati ſceleris exomologeſim fecit.* Ita Baron. Et anno. 350. Vrſatius & Valens, factionibus ſuis inter omnes Arrianos inſigniores, Romam abeuntes libellum pœnitentiæ Iulio Papæ obtulerunt, confitentes omnia, quæ vel dixiſſent, vel egiſſent contra Athanaſium, falſa eſſe, & anathema hæreſi Arrianæ dicentes. Vnde non mirum ſi Anthimus Patriarcha Conſtantinopolitanus, licèt ſectator eſſet opinionis ſeu erroris hæretici Seueri, vt ſe coram Iuſtiniano Catholicum exhiberet, diceret ſe in omnibus aſſenſurum iis, quæ Apoſtolica ſedes ſentienda præſcriberet; pariterque ad alios Patriarchas ſcripſit ſe per omnia ſequi eamdem ſedem. Etenim qui huius ſedis communione gaudent, Catholici habentur; qui ab ea diſcedunt, hæretica labe infecti cenſentur. Et ſi quis ad Eccleſiæ gremium redire poſt diſceſſum voluerit, ad eamdem ſedem pertinet fidem illius explorare, vt eamdem communionem impertiatur, ſi hoc expedire iudicauerit. Hinc anno 518. Epiſcopi Dardaniæ & Illyrici, qui propter tyrannidem imperatoris Anaſtaſij ſeſe à Communione Eccleſiæ Catholicæ ſubtraxerant, audita Anaſtaſij morte, legationem ad Hormiſdã Romanum Pontificẽ mittentes in Eccleſiam Catholicam recipi flagitarunt. Quibus idẽ Pontifex communionẽ impertitus eſt. Et anno 645. perſpicitur quomodo poſt diſputationem & concertationem, quam habuit Pyrrhus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Monothelita hæreticus cum Maximo Abbate orthodoxo, errore conuictus, pœnitens recantarit Palinodiam, Romamque accedens, oblato fidei Catholicæ libello Theodoro Papæ, receptus ſit vnà cum titulo Patriarchatus in Eccleſiam Catholicam, eidemque omnia neceſſaria Eccleſiæ Romanæ ſumptibus honorificè ſubminiſtrata. Et anno 792. quidam Felix Vrgelitanus in Hiſpania Epiſcopus, in Concilio Ratiſbonenſi condemnatus,

Digitized by Google

ex eo quod è cineribus reuocare tentaret Neſtorianam hæreſim, ductus fuit Romam ab Engelberto ſancti Ricarij Abbate, ad Papam Adrianum, vbi confeſſione rectæ fidei facta, hæreſim damnauit, reſtitutuſque in integrum ad ſuam ſedem remiſſus eſt. Et anno 478. reperitur legatio cuiuſdam Timothei, cognomento Soloſacioli ad Papam Simplicium, qua veniam poſtulabat ex eo quod ab Eutychianis coactus, Dioſcori nomen ad altare recitarat. Quin & Simplicius per litteras Acatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum certiorem facit ſe libellum pœnitentiæ ab iis, quos ſeduxerant Timotheus Ælurus & Mogus, recepiſſe, quo veniam peccati poſtulabant. *Hic*, inquit Baronius, *ſatis confirmatur; quod alias ſæpè factum vidimus, nimirum abſolutionem à crimine hæreſis reſeruari ſolitam Romano Pontifici, vel iis quibus ipſe eam facultatem delegaſſet. Quod ſi inconceſſum id fuit, vt iam cernimus, primæ poſt Romanam ſedis Antiſtiti, quinam inferiorum ſedium ſacerdotes ſibi id arrogare præſumpſiſſent?* Ita Baron. Hinc patet ex iure ſolum Pontificem Romanum ab hæreſi interna & externa ſimul, quæ ſit publica, abſoluere, ex textu Bullæ in cœna Domini, vbi de abſolutione caſuum, qui in bulla continentur (inter quos primus eſt hæreſis, & quæ ad hoc crimen ſpectant) agens ait quod *ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauiùs contra eos ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.* Ita textus Bullæ. Et quamuis, vt notat noſter Eligius Baſſæus, ab hæreſi occulta abſoluere poſſint Epiſcopi, vigore Concilij Tridentini, ſeſſ. 24. c. 6. de reformat. nec per ſubſequentes Bullas Cœnæ fuerit illis hæc poteſtas ſublata, imo Layman hanc poteſtatem concedat Epiſcopis, etiam pro hæreſi manifeſta, in regionibus Septemtrionalibus, propter frequentiam caſuum, & difficultatem adeundi Papam; Exiſtimarem tamen conſultiùs & ſecuriùs Epiſcopos agere, ſi imitarentur Epiſcopos Belgij, qui, vt idem refert, Bullam impetrarunt à Gregorio 13. an. 1576. die 25. Februarij, virtute cuius poſſunt abſoluere ab hæreſi manifeſta, & aliis caſibus reſeruatis Papæ in Bulla Cœnæ Domini, hancque poteſtatem poſſunt etiam cuicumque Sacerdoti idoneo delegare. Eligius Baſſ. v. hæreſis. Quod quidem pro hæreſi occulta Concilium Tridentinum non concedit Epiſcoporum vicariis. Optimè namque Gerſon tractatulo, *Super abſoluendi poteſtate; & qualiter expediat fieri reſeruationem caſuum*, ait: *Hæc autem poteſtas clauium, quæ circa corpus Chriſti myſticum cum membris ſuis (quæ ſunt fideles) exercetur, reſidet in ſua plenitudine & fonte apud Papam, de hinc ad Prælatos maiores, vſque ad minores (quos Curatos appellamus) deriuatur ordine Hierarchico, diuinitùs non humanitùs inſtituto, ad ædificationem Eccleſiæ, & ſalutem populorum, &c.* Ita Gerſon in 2. part. operum pag. 332.

Vnde patet meritò abſolutionem ab hæreſi, Papæ reſeruari: nam cum fidei ſit conſeruator, & Paſtor vnici ouilis Chriſti, ad ipſum pertinet de crimine fidem perimente cognoſcere, & intrare volenti excluſo hæretico à grege, denuò ianuam aperire. Quod verum eſſe cernitur in Berengario, qui damnatus à Leone Papa in duobus Conciliis, Romano nempe & Vercellenſi, anno 1050. tandem beneficium abſolutionis conſequutus eſt, bis in crimen relapſus, ſiue anno 1059. in Concilio Romano ſub Nicolao 2. & anno 1079. in alio Concilio Romano ſub Gregorio 7. in quo tandem Concilio hæreſim ſuam abdicauit & abiurauit.

Tandem hæc autoritas decernendi de iis, quæ ad fidem pertinent, adhuc innoteſcit ex more ſeu conſuetudine ad eam dirigendi quoſcumque libros, qui de rebus fidei pertractabant, vt ſuo examini ſubjicerentur: v. g. an. 496. Ioannes Epiſcopus Alexandrinus Apologiam à ſe contra Pelagianos editam ad Gelaſium Papam emittit; quod ſcientiæ clauem apud eam Eccleſiam eſſe, maiores omnes Orthodoxi intelligerent; quin & idẽ Gelaſius ſcripta ſynceriſſima Honorati Epiſcopi Maſſilienſis ſua firmauit autoritate: nempe Apoſtolicis literis ſignificabant Romani Pontifices commentarium illum, vt conſentientem in omnibus Catholicæ veritati, ab omnibus abſque ſcrupulo legi poſſe. Et anno 529. n. 3. notat Baronius quomodo ſanctus Cæſarius ad Papam Felicem, ſua de gratiâ & libero arbitrio ſcripta, contra libros Fauſti Rhegientis, qui eamdem materiam pertractabant, miſit: quæ ſcripta Cæſarij agnita, Felix non ſolùm probauit, ſed etiam per ſuam Epiſtolam roborauit, vulgandaque vbique curauit. Et anno 600. n. 3. Eulogius Patriarcha Alexandrinus Commentarium contra hæreticos Agnoitas ſcriptum ad ſanctum Gregorium miſit, vt eum & videret & probaret. Quod præſtitit S. Gregorius, & illud vt catholicum probauit. Et anno 1094. n. 3. ſanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ad Papam Vrbanum miſit librum de Incarnatione verbi, contra quemdam Sarcinatorem Sabellianæ hæreſis à ſe ſcriptum, dum in monaſterio Beccenſi degebat, vt illum videlicet examinaret. Et anno 1177. n. 11. Alexander Papa cum eſſet Troiæ in Apuilia, accepit commentarium aduerſus Græcos, de proceſſione Spiritus ſancti, miſſum ab Hugone Etheriano, natione Etrurio, Cõſtantinopoli agente: quod quidem opus, cum Alexandri Epiſtola ad eumdem ſcripta, reperitur tom. 9. Bibliothecæ Patrum. Et anno 1186. n. 5. Gotifridus Viterbienſis aut Virembergenſis hiſtoriam ſuam, intitulatam Pantheon, ad Papam Vrbanum tertium miſit; & in præfatione ſua profitetur & declarat ſe hoc præſtare, quia nullum ſcripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus, ſitientibus propinetur. Quare ſi quod hiſtoriarum opus noua per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico examini præſentetur; quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur, & ab eo vim autoritatemque ſuſcipiat, cui terrena, & cæleſtia diuinitùs ſunt commiſſa. Et in his, addit Baronius, ſanctum Paulum imitatur, qui vt acceptum diuinitùs Euangelium vniuerſæ probaretur Eccleſiæ, ad hoc ipſum vt cognoſceretur à Petro, Hieroſolymam acceſſerit. Rectè igitur Nicolaus primus, diſtinct. 1. c. 1. Archiepiſcopis & Epiſcopis per Gallias conſtitutis ait: *Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuſcula tractatorum approbantur vel reprobantur, itaut quæ ſedes Apoſtolica probauit hodie teneatur acceptum, & quæ illa repulit hactenus inefficax habeatur; quanto potiùs ea, quæ ipſa pro Catholica fide, pro ſacris dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus & fidelium moribus, diuerſo tempore ſcripſit, omni honore debent proferri; & ab omnibus prorſus, in quibuſlibet neceſſitatibus vel opportunitatibus, diſcretione vel diſpenſatione magiſtrâ, reuerenter aſſumi.* Hæc Nicol. Papa. Vnde Baronius conqueritur de iis, qui ſuos libros ſuaque ſcripta à ſummo Pontifice probata, cenſuris ſuis proſcindere audebant: quod quidem nihil aliud eſt quàm clauem ſcientiæ velle è manibus illius, cui commiſſa fuit, eripere; vt eam tradant iis ad quos illam pertinere nemo ſanæ fidei & mentis aſſerere poterit. Quod de Miniſtris Regis Hiſpaniæ certum eſt dici, quorum præſum-

Digitized by Google

ptioni & arrogantiæ, ſeu adulationi, Baronius ex ſumma animi ſui modeſtia potiùs aſcribendum eſſe aſſerit, quàm Principum Chriſtianorum animi moderationi, quippe qui ſæpiùs, nihil de ſimilibus auſibus cogitant.

At ita annexum eſt ſedi Romanæ vt de negotiis fidei curam habeat ſpecialiſſimam, vt ſi qui Pontifices hoc ſeriò præſtare neglexerint, Deus è vita hominum ſtatim illos ſubtraxerit, veluti qui munere dignitatis ſuæ proprio ritè non fungerentur, vt notat Baron. an. 397. n. 6. an. 497. n. 2. an. 1154. n. 2. Verbi gratiâ, Siricius Papa, qui animi ſimplicitate de aliis cogitans, *ex probitate ſui animi*, inquit S. Hieron. *neſciens mala exiſtimare de aliis, nunquam ſibi perſuadere potuit Ruffinum hæretica labe Origeniſtarum contaminatum eſſe.* Vnde cum talis minimè haberetur, & adhuc notorius & manifeſtus hæreticus non eſſet, illi denegare noluit literas communicatorias, quæ ſolis Catholicis concedebantur. Propter quod cum ſublatus eſſet è viuis, in locum eius ſuffectus eſt Anaſtaſius Papa; qui acerrimus fuit hoſtis & impugnator ſectæ Origeniſtarum. An. 397. n. 6. *Frequentibus ſiquidem*, addit Baronius, *atque pauendis demonſtratum eſt exemplis, Pontifices illos, qui cauſam fidei paulo ſegniùs tractarent, à Chriſto primario omnium paſtore fuiſſe quàm celeriter ſubtractos.* Eodem modo ſubtractus eſt Anaſtaſius ſecundus, qui in ſuſpicionem venit propenſionis cuiuſdam, circa reſtitutionem nominis Acacij in dyphticis ſeu tabulis, in quibus nomina Orthodoxorum inſcribebantur. An. 497. n. 2. Nec diſſimili de cauſa Anaſtaſius quartus citò ſublatus eſt, qui nimiæ cuiuſdam facilitatis arguitur, an. 1154. n. 2. Non enim annum integrum à promotione ſua vſque ad diem obitus compleuit, vt locum daret Adriano quarto, qui inter Pontifices maximè enituit.

De autoritate ſummi Pontificis in condendis legibus. §. 2.

Quantum ad autoritatem condendi leges, rectè in Monitorio Iulij Papæ contra Pragmaticam & eius ſectatores, Romanus Pontifex dicitur tenere locum in terris Regis æterni, rerumque & iurium D omnium conditoris: Ita ille, quo fit, vt vera autoritate poſſit condere leges in conſcientia obligantes. Et probatur primò ex canone Eccleſiaſtico per antiquo, quia à Socrate hiſtorico l. 2. c. 13. refertur, videlicet ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſancirentur, ac ſi alij abſque quodam periculo erroris decreta emittere non poſſent in præiudiciũ autoritatis ſedis Romanæ, cui ſoli competit leges ferre obligatorias pro vniuerſo cætu omnium fidelium. Hunc canonem refert Baronius an. 325. n. 5. Hinc Epiſtolæ Romanorum Pontificum in ſummo honore & ſingulari quadam veneratione fuerunt apud veros fideles & Catholicos, vt videre eſt ex his quæ dicuntur an. 849. de Leone Papa quarto, qui cum cuidam Nomenio (quia tyrannicè vexabat Epiſcopos, illos è ſedibus ſuis expellens) literas ſcripſiſſet comminatorias, vt ſeſe in officio contineret, ille has literas arrogantia ductus contempſit. At Epiſcopi Galliæ in ipſum arrogantem & præſumptuoſum hominem inſurrexerunt, ob talem dignitatis ſummæ ſedis contemptum, & in vrbe Turonenſi Synodum conuocantes, literas comminatorias excommunicationis huic Tyranno ſcripſerunt, in quibus ſignificabant & inculcabant crimen graue, & Deo ac ſanctis odioſum committere, dum literas contemneret ſummorum Pontificum; quin & addebant, nec fidem nec pietatem, aut alia bona opera poſſe prodeſſe, niſi obedientiam præſtaret tum ſummo Pontifici, tum Synodo

A Turonis congregatæ. Per reſcriptum quoque Valentiniani, datum in cauſa Hilarij Epiſcopi Arelatenſis, cernitur quomodo obedientia decretis Pontificum exhibenda ab ipſis imperatoribus agnoſcitur. Et erat ipſa quidem ſententia *per Gallias etiam ſine imperiali ſanctione valitura*, inquit Valentinianus in ſuo reſcripto. *Quid enim tanti Pontificis autoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlteriùs vel Hilario, &c. quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti præſulis permittit humanitas; nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare, &c. hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis quàm aliarum prouinciarum contra conſuetudinem* B *veterem liceat ſine viri Venerabilis Papæ Vrbis æternæ autoritate tentare; ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis autoritas, itaut quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani antiſtitis euocatus venire neglexerit, per Moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur.* An. 445. n. 5.

Ex hac poteſtate condendi leges, literæ Decretales trahunt autoritatis ſuæ, ſuique roboris originem: quæ nihil aliud ſunt, quàm Epiſtolæ ſummorum Pontificum, quibus ad dubia ſibi propoſita reſpondent, & præſcribunt quæ vel perfici vel euitari debent. Quæ quidem Decretales tantæ fuerunt autoritatis ac ponderis, vt in Concilio Telepcenſi, vt cauſæ (quæ pro tunc agebatur) finis imponeretur, C iniunctum fuit vt epiſtola decretalis Papæ Siricij, ad Africæ Epiſcopos, legeretur: *Quia*, inquit Concilium Telepcenſe, *mos eſt vt in Conciliis, in primis legantur Epiſtolæ à ſancta ſede emanantes.* Baron. an. 4. 18. n. 5. His adde Nicolaum Papam in Epiſtola 42. docere Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas æque omnes ſuſcipiendas, etiamſi non ſint inſertæ Canonum Codici. Baron. an. 865. n. 4. Ad hanc autoritatem referri debent centum & ſex reſponſa Nicolai Papæ ad totidem Bulgarorum quæſita; quin etiam libri, quos ad eos miſit, neceſſarij & vtiles, vt hi populi plenè inſtruerentur de dogmatibus, & rerum ſacrarum ſanctiſſimis inſtructionibus. An. 866. n. 2.

Et abſque dubio nunquam S. Paulus & Silas Syriis & Ciliciis præcepiſſent ſeruare præcepta Apoſtolorum & Seniorum, niſi quia probè nouerant hæc præcepta in conſcientia eſſe obligatoria. Nec mirum; ſi Epiſcopis licet in ſuis diœceſibus leges & conſtitutiones edere, vt docet Baron. an. 51. n. 15. ſi aſſeramus hoc licere ſummo Pontifici in Eccleſia vniuerſali. *Videas*, inquit Baronius, *inſuper quanti ponderis habitæ fuerunt Eccleſiaſticæ ſanctiones; quippe quarum Paulus & Silas præcones extiterint. Porro Apoſtolorum exemplo, ea ad poſteros, (qui loco Apoſtolorum ſunt in Eccleſiis eadem autoritate Epiſcopi ſubrogati) dilapſa eſt conſuetudo, vt cum ratio poſtulat, ad inſtruendam plebem ſibi commiſſam, vel ſinguli in ſuis Eccleſiis,* E *vel cum in ſacris conuentibus ſunt in Spiritu ſancto legitimè congregati, tum quæ ad Catholicam fidem, tum quæ ad bonos mores ſpectant legibus ſacris edicant, quæ ne licèt ab hominibus lata, humana tantùm & non diuina exiſtimarentur, perquàm egregiè in iiſdem à ſe ſancitis decretis, Apoſtoli hæc appoſuerunt: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis; vt ſic admirabilem quamdam Spiritus ſancti & Eccleſiæ coniunctionem, & conſenſionem ſignificarent.* Ita Baron. Quem lege etiam an. 528. n. 1. an. 541. n. 3. à quo diſces non eſſe iuris Principum ſecularium condere leges ad res Eccleſiaſticas attinentes. Quod ſi quaſdam leges Eccleſiaſticas tulerint, ſicuti fecerunt Carolus & Ludouicus, hoc certè fecerunt autoritate ſummi Pontificis, vt docet Baron. an. 819. n. 3.

Quomodo dignitas Pontificia Regiam dignitatem antecellat.

ANNOTAT. XV.

Præfatiuncula.

DIGNITATEM Pontificiam, Regiam & imperialem dignitatem præcellere dubitare non licet. Quam concluſionem ex profeſſo tractare, non eſt præſentis inſtituti. Solùm ex Baronio referre volo ea, quæ autoritatem ſpiritualem eminere ſupra temporalem oſtendunt; ſimulque exponere quantùm Reges & Imperatores pietate inſignes, homines pietate inſignes, honoris & reuerentiæ detulerint ſedi Romanæ, ſeu Petro, eiuſque ſucceſſoribus, & in eorum perſonis toti Eccleſiæ, imo & ipſimet Chriſto Domino.

Concluſiones Bellarmini de poteſtate temporali ſummi Pontificis. §. 1.

Si quis autem ea, quæ abſque fidei præiudicio, de his duabus autoritatibus adduci poſſunt, perſpicere voluerit, legat Bellarm. diſput. de Romano Pontifice, & præcipuè l. 5. de poteſtate Pontificis temporali. Tantummodo hîc appono concluſiones Bellarmini, vt hiſtorias ex Baronio adducendas cum theologorum doctrina concordare demonſtremus, vel quomodo ſint intelligendæ percipiamus. Prima concluſ. Dicere non debemus Papam eſſe Dominum vniuerſorum. Principes namque, etiam infideles, ſunt veri principes regnorum ſuorum. Dominium ſiquidem non requirit pro fundamento gratiam aut fidem, ſed liberum arbitrium, ſed rationem; nec originem ducit à iure diuino, ſed à iure gentium. Vnde Chriſtus non dixit: Date Cæſari, ſed, *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris*; vt pote Cæſari debita.

Dico ſecundò: Papa non eſt Dominus temporalis totius Chriſtianitatis; nec enim Chriſtus Petrum conſtituens Paſtorem Eccleſiæ vniuerſalis, illi dedit temporale Dominium aut Imperium in omnem Eccleſiam, nec Imperatoribus aut Regibus regna ſeu imperia abſtulit; nec denique voluit vt omnis regia poteſtas ſuam originem duceret à poteſtate Petro collata, ſicut ab eo fonte, Eccleſiaſtica deriuatur. Denique Ieſus Chriſtus regna non eripuit mortalia; nec deſtruere voluit, quod ante ſuum aduentum benè iam conſtitutum fuerat, ſed illud perficere, ſcilicet illud idem ad finem ſupernaturalem dirigens. Vno verbo dicam: Gratia non deſtruit naturam. Vnde cum Gelaſio Papa, ad Anaſtaſium Imperatorem, dicendum eſt his duabus poteſtatibus, ſacra nempe Pontificum autoritate, & regia poteſtate, mundum gubernari.

Dico tertiò: Papa iure diuino non eſt directè Dominus temporalis alicuius loci. Vicarius eſt Chriſti, eumque repræſentat, prout erat & conuerſabatur in mundo cum hominibus. At Chriſtus in quantum homo, nec aſſumpſit, nec aſſumere voluit aliquod Dominium purè temporale oppidi aut territorij. Vnde ſequitur quod ſummus Pontifex, vt eſt præciſè Pontifex ſummus, & Chriſti Vicarius, nullum habet Dominium alicuius territorij purè temporale ſeu terrenum. *Regnum meum non eſt de hoc mundo; non eſt hinc*, inquit Dominus. Ioan. 18. Verè regnum eius æternum eſt & ſpirituale, de quo Daniel: *In diebus regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod non diſſipabitur.* Nec dicit poſt finem dierum regnorum illorum, regnum illud initium habi-

A turum; ſed, *in diebus regnorum illorum*, id eſt, Dum hæc regna decurrunt, dum vnum poſt alterum ſibi inuicem ſuccedunt, ſuſcitabit Dominus ſuum regnum, cuius parua quidem erunt initia, varij progreſſus, ab aliis regnis in illud excitandæ vexationes & perſecutiones; ſed tam firmum ac validum, vt felicia ſemper capiat incrementa, nec mutationibus depereat, ſed in meliùs proficiat, immutabili & inuariabili ratione perfectionem ſuam & conſummationem adepturum, itaut de eo dicatur: *Et regni eius non erit finis.* Ex quo ſatis fuit Chriſto Domino ſummo Pontifici conferre omnes poteſtates, quæ poſſunt eſſe neceſſariæ, vt fideles taliter regat, quatenus valeant ſine impedimento ad vitam peruenire æternam; at non iſtam poteſtatem excellen-
B tiæ, quam obtinet Chriſtus in omnes res creatas: nec enim neceſſarium fuit vt illam Vicario ſuo communicaret aut tribueret. Sicque ab inuicem diſtinxit actus, officia, & dignitates Pontificum, & Imperatorum.

Quod ſi ſummus Pontifex Iudex eſt in quibuſdam cauſis temporalibus, hoc fit ratione honoris & reuerentiæ, qua Eccleſiam fideles proſequi debent, at non ratione officij. Cum enim contentiones aut lites à iudicibus ſecularibus felicem non poſſunt obtinere exitum, tunc cauſæ purè temporales deuoluuntur ad Eccleſiæ iudicium, quæ viâ correctionis fraternæ procedens, eos qui rationi obſi-
C ſtunt arguere poteſt, & lites terminare, quatenus filij ſui, omni impedimento ſublato, & gratiam obtineant in præſenti, & pacem conſequantur æternam in cælo.

Dico vltimò, quod ſummus Pontifex indirectè habet ſupremam poteſtatem temporalem, inquantum videlicet ſpiritualis poteſtas temporali maior exiſtens, ſupra illam præualere debet, ſi fortè contingeret aliquando temporalem poteſtatem obicem aut impedimentum interponere, ne ſpiritualis ſuum conſequeretur finem. Hinc aſſerunt quod licèt verum ſit Papam, vt Papam, non poſſe ad libitum ordinariè Principes temporales è ſedibus ſuis expellere ac deponere, & eos redigere in ordinem, quam-
D uis iuſta depoſitionis cauſa etiam intercederet (ſicuti cum adeſt iuſta cauſa, vt ordinarius iudex Epiſcopos deponat) poteſt tamen vt princeps ſummus ſpiritualis Regna mutare; & ſi hoc fidelium ſaluti abſolutè neceſſarium ſit, ab vno ad alium transferre. Pari ratione, licèt leges ciuiles condere non poſſit, nec ad eum pertineat confirmare aut abrogare Principum leges & ſtatuta, quippe qui non ſit princeps politicus in Eccleſia, tamen hæc omnia poteſt præſtare, ſi aliqua lex ciuilis talis eſſet naturæ, vt illius obſeruatio ſaluti animarum plurimum conduceret, & Reges eam ferre recuſarent; vel ſi qua lex reperiretur ſaluti nociua, & eam Reges pariter abrogare recuſarent: Vera etenim eſt Regula, *Poſſeſſor, De Regulæ iuris*, in ſexto. Quando de eadem re con-
E trariæ inueniuntur leges, Imperatoriæ, & Pontificiæ, ſi materia legis, eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam.

Quoad iudicia, equidem verum eſt Papam vt Papam ordinariè non poſſe ferre iudicia de rebus temporalibus: attamen ſi hoc expediret ſaluti animarum, poteſt ſummus Pontifex ad hæc iudicia rerum temporalium attendere, illaque exercere, videlicet cum nulli competit de iure has lites dirimere: v. g. dum duo principes ſupremi ſimul litem conteſtantur, vel cum qui iudicare deberent & poſſent, ſententiam definitiuam dare recuſant: Hanc Innocentius Papa 3. *Per venerabilem*, aſſerit iuriſdictionem temporalem competere ſolùm caſualiter

ſeu

Digitized by Google

ſeu accidentaliter, quoad exercitium, ſummo Pontifici. Et certè congruum eſt politicam poteſtatem Eccleſiaſticæ poteſtati eſſe ſubordinatam: Eccleſiaſticæ ſiquidē finis eſt æternus: eamdem quippe conſtituunt Rempublicam Reges, Principes & ſubditi; Pontifices, Clerici & laici, & cū idem corpus componant, connexionem & dependentiam inter ſe conſeruare debent, qualis ſeruatur inter caput, & membra. At nemo ſanæ mentis dicet res temporales præferendas ſeu anteponēdas eſſe ſpiritualibus: oportet itaque vt temporalia à ſpiritualibus dependeant, fiat amiſſio pedis, & oculi, ſi eius poſſeſſio conſecutionem ſalutis æternæ præpediat. Princeps igitur detrimentum aliquod patiatur in temporalibus, ſi temporalium conſeruatio ſalutis æternæ ſpem à nobis amoueat. Et in hoc maximè conſiſtit perfectio ſpiritualis huius Reipublicæ, vt quidquid pertinet ad eos, qui eam conſtituunt & conponunt, ad huius finem ordinetur, huicque rei inſeruiat, vt finis præcipuus, propter quem inſtituta fuit, obtineatur. Et reuera, eo ipſo quo Princeps aliquis Chriſtianam Religionem profitetur, in numerum gregis Chriſtiani coaptatur, & ſe ſub regimine ſummi Paſtoris (cui lupos arcendi à grege cura commiſſa eſt) ſeipſum conſtituit: quo fit vt ſi in hæreſim labi ei cōtingat, excommunicationis ſententiæ ſubjiciatur. Arietem in furorem verſum, à grege ſeparare æquum eſt. Sic principem, religionem & Eccleſiam impetentem cornibus, in ordinem redigere omnibus modis licitis iuſtiſſimum eſt. Et cum Paſtoris officium ſit gregem paſcere, & conuenienti cibo educare, Pontifex poterit vnumquemque in conſcientia aſtringere, vt iuxta leges & decreta Eccleſiæ, actiones ſuas (in quocumque ſtatu, aut in quacumque dignitate conſtitutus fuerit) dirigat; & hoc modo à Regibus Chriſtianis expoſcere, vt qua pollent autoritate vtantur ad cultus & obſequij diuini tuitionem & conſeruationem.

In rebus fidei autoritas Pontificis præualet regiæ poteſtati.
§. 2.

Si hæc Bellarmini doctrina tanquam vera amplectenda meritò cenſeatur, ex Baronio Cardinali nunc addiſcamus huius ſpiritualis poteſtatis exercitium, quo manifeſtum fiet ſpiritualem poteſtatem temporali præualere, & temporalem ſpirituali ſubordinari ac ſubiacere; Et quo honore tandem principes Chriſtiani timorati, ſummos Pontifices coluerunt, vt talem redderent Chriſto reuerentiam & gratiam, quod nos ad regium faſtigium extulerit, & ad regni æterni participationem euocauerit ipſe formam ſerui accipiens, vt tanto nos dignaretur honore, & tanta gloria decoraret.

Hanc hiſtoriarum inductionem incipio, ab eo quod refert Baronius, an. 386. de S. Ambroſio, qui de rebus fidei diſputare noluit cum Auxentio hæretico, licèt Imperator Valentinianus (vt Iuſtinæ matri ſuæ morem gereret) hoc peroptaret; & decreuiſſet vt coram ſe, & quibuſdam aliis viris ſecularibus, etiam Paganis & Ethnicis ab Auxentio ſelectis, qui eſſent arbitri & moderatores, diſputatio hæc iniretur. Aſſerebat enim Ambroſius ſe non poſſe in Palatium & ad Conſiſtorium diſputandi cauſa accedere, quod non eſſet Imperatoris de Epiſcopis aut religione iudicare, ſed ipſorum Epiſcoporum; quibus non ſolùm leges diuinæ eiuſmodi iudicium tribuerent, ſed & Imperatores Conſtantinus Magnus, Conſtantius eius Filius, ipſeque Valentinianus ſenior, eiuſdem iunioris parens, liberum eis reliquiſſent. Quod ſi ex Ambroſio, in præiudicium autoritatis Epiſcoporum non licet Imperatoribus

A de rebus fidei iudicare, potiori ratione hoc attentare, aut ſibi arrogare non poſſunt in præiudicium autoritatis ſummi Pontificis, qui caput eſt cæterorum Epiſcoporum. Et cum anno 535. Imperator Iuſtinianus Agapeto poſt illius promotionem ad Pontificatum, fidei ſuæ profeſſionem tranſmiſiſſet; quia docentis, & de rebus fidei ſententiam ferentis vices ſibi arrogare videbatur, illam quidem admiſit, ſed ſolummodo in quantum ſacris canonibus & regulis Eccleſiaſticis erat conformis. *Firmamus*, inquit, *laudamus, amplectimur: non quia laicis autoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.*

B Et cum Leo Armenus in hæreſim lapſus voluit vt Patriarcha Conſtantinopolitanus Nicephorus, & Abbates coram ſe diſputationem inirent, de retentione & vſu & cultu ſanctarum imaginum, hoc facere conſtanter abnuerunt, tum quod quæ ſemel in generali Concilio fuiſſent definita, non ſunt ampliùs in dubium reuocanda, ſed qui ea negarent execrandi; tum quod ſacerdotum eſſet, & non Imperatoris, atque in Eccleſia, non in Palatio, de fide agere. An. 814. n. 1. Hoc docuit Theodorus Studita, Epiſtol. ad Leonem Sacellarium, nempe quoad pacem in Eccleſia farciendam, primum omnium ait prorſus excludendum eſſe iudicium ſeculare à rebus fidei, cum nihil aliud Imperatoribus & Præſidibus
C de diuinis dogmatibus à Deo traditum ſit, niſi vt opem ferant, & comprobent quæ decreta fuerunt ab Epiſcopis, ac reconcilient qui carnaliter diſſident ac diſcrepant; deinde ab vtraque parte litigantium de fide mittendam eſſe ad primæ ſedis Romanæ Præſulem legationem, & inde fidei accipiendam certitudinem, quippe cui etiam ſumma poteſtas deferatur Synodorum Oecumenicorum. Bar. an. 825. num. 3. Nec cum minoris deceptionis periculo, de ſacris rebus definire aut decernere debent. Vnde Hiſtorici Græci & Latini annotarunt tempus Paſchale Conſtantinopoli indebitè & cum deceptione fuiſſe celebratum, dum Iuſtiniani definitioni fides adhibita fuit. Baron. an. 545. n. 3. Propterea rectè
D in Concilio 3. Aurelianenſi decretum fuit ad Epiſcopum pertinere indictionem Paſchatis in die Epiphaniæ faciendam; Quod ſi aliquod dubium occurreret circa hanc diem, tunc per Metropolitanos ſedes Apoſtolica conſuleretur. Ibidem. Quod ſi aliquid vnquam rebus Imperij nocuit ſub Iuſtiniano Imperatore, hoc certè aſcribendum eſt quod Imperator ille curioſiùs quàm par fuiſſet, & abſque vllo iuſto rationis diſcrimine, indifferenter de rebus ſacris tractare & determinare auderet. Baron. an. 349. n. 3.

Quin etiam Imperator Heraclius, cum ad ſui conſortium & familiare colloquium admiſiſſet quemdam Patriarcham hæreticorum Iacobitarum, quem
E ad receptionem Concilij Chalcedonenſis inducere volebat, quia contra præceptum Apoſtolicum S. Ioannis Epiſt. 2. iſtum in fide peruerſum in familiare colloquium aſciſciuit, qui iam vt hæreticus Eutychianus erat condemnatus, in errorem ob curioſitatem ſuam dilapſus eſt; & Monothelita factus, ex plurimis hæreſibus monſtrum horrendum conflauit, dum animam & intellectum creatum humanitati Chriſti auferens, Verbum diuinum animæ partes ac locum tenere aſſerebat. Sic Neſtorianos, qui vnionem Dei & hominis in ſolo affectu & ſola voluntate conſtituebant, & Eutychianos, qui vnam ſolam naturam in Chriſto agnoſcebant, ſimul conciliare voluit. Monſtrum horrendum, errorem pernicioſiſſimum inducens, dum omnia ſopire ſibi, perſuadet. Baron. an. 629. n. 2. & 3. Adeo puræ &

Digitized by Google

innocentes debent eſſe manus principum ab attrectatione quarumlibet rerum Deo conſecratarum, vt quod Aimonius pietati tribuit Clodouæo iuniori, filio Dagoberti, nempe ablationem coperculi argentei, quo obtegebatur S. Dionyſij ſepulchrum, vt illud argentum pauperibus diſtribueret, hoc tamen illi ab aliis autoribus crimini deputatur, eaque de cauſa volunt diuinam vindictam fuiſſe expertum, alienationem mentis patientem: adeo verum eſt ad principes ſeculares minimè pertinere res Deo dicatas pertractare, quarum diſtributio & vſus ad Sacerdotes & Pontifices propriè pertinent. Bar. an. 660. Et in Synodo Aquiſgranenſi congregata, perſuaſu & impulſu Ludouici Imperatoris, nulla alia cauſa dari aut reperiri melior potuit tot calamitatum, quibus Franciæ Regnum in his temporibus agitabatur, quàm quod Reges, nimis quàm deceret aut liceret, ſeſe immiſcebant cognitioni rerum Eccleſiaſticarum: Sacerdotes verò è contra, circa eas torpentes, ignorantiâ laborantes, ambitione elati, indecentes negotia ſecularia pertractabant. Baron. an. 836. n. 2. Deniq; tributum fuit vindictæ diuinæ, quod Ottonorum Imperatorum familia in tertio hærede extincta eſt, quia ſub ſpecie quadam pietatis nimis audacter de Sede Apoſtolica diſponebant ad arbitrium ſuum, expellentes è ſede quos volebant Pontifices, & alios in eorum locum ſubſtituentes. *Magno*, inquit Baronius an. 1002. *ſiquidem damno, quouis prætextu pietatis, à laicis quibuſcumque ſacra tentari; & ipſa ſacra ſcriptura de Saule, Oza, & Ozia, aliiſque demonſtrant.*

In iudiciis cauſarum Eccleſiaſticarum præualet Regiæ dignitati poteſtas Pontificis. §. 3.

Quod attinet ad iudicia cauſarum Eccleſiaſticarum, aut ad poteſtatem condendi leges de rebus ad Eccleſiam pertinentibus, de primo videbimus quid ſit ſentiendum, ſi ſancti Martini mentem conſulamus, quem cernere licet apud Maximum inſiſtentem, ne cauſæ Eccleſiaſticæ apud iudices ſeculares terminarentur: in cauſa videlicet Priſcilliani, an. 385. nu. 5. Et notatur nigro lapillo Iuſtinianus ac ſi rerum diuinarum inuaſor extitiſſet, ex eo quod omnibus fermè annis aliquas leges promulgaret de rebus ſacris, ac perſonis Eccleſiaſticis: quamuis fortaſſe veniat excuſandus, ſi exiſtimetur omnes illas leges Eccleſiaſticas, ſub nomine Iuſtiniani latas, fuiſſe Epiphanij Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Mennæ ſucceſſoris eius: qui vt autoritatem conciliarent ſuis decretis & ordinationibus, vt executioni demandarentur, gratum habebant vt ſub nomine Imperatoris in publicum prodirent. Baron. an. 528. Qua de cauſa videtur condidiſſe 137. Nouell. qua declarat dare ſe leges circa res Eccleſiaſticas, *non vt leges*, inquit, *Eccleſiæ præſcriberet, ſed vt aliorum querelis pulſatus vindicem ſe canonum ac regularum Eccleſiaſticarum præſtaret.* Certum eſt tamen nimio ardore illarum obſeruantiam ab Epiſcopis exegiſſe, dum vt ſeruarentur, aliqua ratione Eccleſiæ canones neglexit & conculcauit: v. g. dum decreuit in Nouell. 115. vt per prouinciarum præfectos Epiſcoporum iudicia exercerentur, & ab iis ad maiores præfectos appellaretur, Ac rurſus, ſi opus eſſet, ad Imperatorem: cum tamen cauſas cognoſcere Epiſcoporum & inferiorum Clericorum, non ſeculares iudices, ſed ſynodos Epiſcoporum: & ſi ab his eſſet appellandum, non ad Imperatorem, ſed ad maiores ſedes, ac denique ad Romanum Pontificem recurrendum docerent ſacræ ſanctorum Patrum regulæ, traditio oſtenderet, vſuſque probaſſet. Tunc verò laicis potiſſimùm conceſſum ſeſe his immiſcere, cum vel ad hæreticos aut ſchiſmaticos comprimendos, vel aduerſus potentiores diſcordes ab Epiſcopis eſſent ad auxilium vocati. Baron. an. 541. num. 3.

Agnouit ita eſſe faciendum & ipſe Conſtantinus Magnus, licèt plenam ordinis iudiciorum Eccleſiaſticorum notitiam nondum calleret. Nam cum, vt refert Optatus, in his verbis: *Petitis à me in ſeculo iudicium, cum ego ipſe Chriſti iudicium expectem*; Donatiſtarum libellos reieciſſet, quibus in Galliis iudices ſibi dari poſtulabant, tandem illorum importuna improbitate coactus, Maternum Epiſcopum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, & Marcum Arelatenſem iudices ipſis conceſſiſſet, tamen animaduertens fas non eſſe cognitionem iudiciorum Epiſcoporum ſibi aſcribere, abſque autoritate Epiſcopi primæ ſedis, vt hæc cauſa apud Melchiadem Pontificem Romanum agitaretur, decreuit vt Cælicianus cum decem Epiſcopis ſibi adhærentibus, & totidem factionis contrariæ Schiſmaticorum Donatiſtarum, ac tribus Epiſcopis Galliarum deſignatis, Romam adirent; ſententiam Melchiadis, cui parerent, præſto laturi, vt patet ex Epiſtola Conſtantini ad Melchiadem, apud Euſebium, lib. 10. hiſtoriæ c. 5. in cuius inſcriptione, vt cenſet Baronius, ſcripturæ error & deprauatio obrepſit, dum pro [illegible] legitur, *Magno & Marco*. Anno 313. Pietatem Conſtantini Valentinianus ſecutus eſt, dum reſponſum Imperatore Chriſtiano digniſſimum, cum eſſet in Thracia, dedit Legatis Epiſcoporum Helleſponti, & Bithyniæ, licentiam ſibi ab eo concedi poſtulantium alicubi ſimul congredi, vt de rebus fidei tractarent. Sibi, dicebat ille, qui vnus è laicorum numero eſſet, non licere ſe eiuſmodi negotiis interponere; & ideo Epiſcopos, quibus hæc curæ eſſent, ſeorſum per ſe vbicumque libitum foret in vnum conuenire poſſe. An. 364. n. 6. Quin & idem Imperator, cum poſt mortem Auxentij Arriani hæretici procedendum fuit ad eligendum Epiſcopum Mediolanenſem, Epiſcopos ad ſe aſciuit, quibus proteſtatus eſt ſuarum partium non eſſe de negotiis Eccleſiaſticis tractare. Et cum illius conſenſu & approbatione electus fuit S. Ambroſius de illius electione non modicam Imperatore concipiente & indicante lætitiam. An. 374. Et in quinta ſeſſione Cōcilij Chalcedonenſis, quæ in græco exemplari reperitur habetur Archimandritas Eutychianos libellum Martiano obtuliſſe, quo poſtulabant ſibi licere diſputationem de veritate fidei cum Epiſcopis Catholicis in eius præſentia inſtituere: quibus Marcianus tale dedit reſponſum, Synodum videlicet illis eſſe adeundum, à qua addiſcerent, quid ſequi & opinari deberent; ſui autem muneris non eſſe in talibus negotiis occupari, qui decretis Synodi adhærere apud ſe decreuerat. Quod cum Synodo relatum fuiſſet, Imperator à Synodo impenſè collaudatus fuit. Et in eadem ſeſſione, à iudicibus cognitoribus, ſeu Imperialibus pronunciatum fuit, vt vbicumque ceſſarent quæcumque Imperatorum pragmatica, quæ in detrimentum canonum facta eſſent in quibuſcumque prouinciis. Baron. ann. 451. n. 20. & 21. Nec mireris, quæſo, tantum honorem hos imperatores pietate plenos Eccleſiæ detuliſſe. Mirare potiùs quod cum Imperator à Synodo Romana ſub Symmacho Papa interrogatur & conſulitur, vt quid Synodus decerneret in cauſa Symmachi à ſchiſmaticis accuſati iudicaret, reſpondet in Synodi eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam, de Eccleſiaſticis negotiis pertinere. Bar. an. 502. n. 3. Potiori igitur iure decet Chriſtianos Principes Conſtantinum magnum

Digitized by Google

ſequi in ſimilibus negotiis, quàm aliter ſe gerere, & de Sacerdotibus aut negotiis Eccleſiaſticis iudicare. Is enim libellos & accuſationes Epiſcoporũ ſeſe inuicem accuſantium apud eum, non modo legere recuſauit, ſed etiam igni iniecit comburendos dicens: *Iſta criminationes tempus quidem ſibi præſtitutum habent, diem magni iudicij; iudicem autem, qui ſit tum de omnibus ſententiam pronunciaturus. Mihi autem non eſt fas, cum homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, præſertim cum & qui accuſant, & qui accuſantur Sacerdotes ſint.* Quin & Sozomenus refert his addidiſſe: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium: & veſtra iurgia ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos autem nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet deos; ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga deorum: in medio autem deos diſcernit.* Baron. an. 325. Tandem idem Imperator, vel S. Ambroſio teſte, in Concilio Niceno omne iudicium Epiſcopis reliquit de rebus ad fidem pertinentibus.

Cuius iuris & autoritatis poſſeſſionem ſartam tectam Eccleſia conſeruare volens, in Concilio Chalcedonenſi, Dioſcori admiſſa non fuit comparendi in concilio excuſatio & moroſitas, quod diceret non adeſſe iudices ſeculares (quos cognitores vocabant, moderatores eorum quæ agebantur, vt videlicet cuncta pacificè fierent, omnes pacificè & tranquillè conuenirent, pacta & conuentiones ſeruarentur, & æque iudicarent quorum rationabilior eſſet in tractandis negotiis proceſſus, interim negotiorum iudicium omnino Epiſcopis relinquendo, etſi quædam poſſent ingerere ex animi ſententia, & negotia intercidere, prout expedire videbatur, vt omnia tranquillè fierent.) Reſponderunt enim Legati Apoſtolici, quando quædam negotia examinantur ſecundum canones, neque iudices alios, vel laicos intereſſe oportere. Baron. an 451. n. 4.

Tandem vt huius materiæ finem imponam, Arioualdi Regis Longobardorum, etſi Arriani, notabile reſponſum cuidam Epiſcopo de quibuſdam Monachis conquerenti, hîc adducendam eſſe exiſtimo. *Non eſt meum*, inquit, *Sacerdotum cauſas diſcernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare.* Baron. an. 626. n. 6.

Regum non eſt tollere aut minuere iura Eccleſiaſtica. §. 4.

Nunc nobis probandum eſt inductione exemplorum, regum non eſſe aut tollere aut minuere iura Eccleſiaſtica. Hinc in Concilio Aruernenſi ſub regno Theodoberti Regis Francorum, quodque ſub Honorio Bituricenſi Archiepiſcopo celebratum fuit, inter alia, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebant in hoc concilio decreta, condemnati ſunt ij qui bona Eccleſiæ, pauperum dicata vſibus, à regibus impetrabant, aut fauore regum & principum, potiùs quàm pondere meritorum, Epiſcopatum obtinebant. Temporibus quippe Theodorici Patris Theodoberti, Sacerdotia vendebantur à regibus, & à clericis emebantur: à qua impietate Theodobertus recedere volens, gratum habuit vt leges Eccleſiaſticæ fierent, quibus antiquæ leges Eccleſiæ in integrum illeſæ remanerent. Baronius an. 541. n. 8.

Et quia Eccleſiæ leges eiuſque iura infregit & pedibus conculcauit Vuitiza Rex Hiſpaniarum, & viam aperuit diſſolutionibus, ita ut tam ipſe quàm principes regni plures haberent concubinas, quin etiam permiſit Epiſcopis, & Eccleſiæ Miniſtris vt impunè cum mulieribus & concubinis commiſceri poſſent, denique prohibuit ſedi Romanæ obedientiam ac reuerentiam exhiberi; pro his exceſſibus, ea quæ Lucas Tudenſis rerum Hiſpanicarum Hiſtoriographus refert, euenerunt: videlicet quia Reges & Sacerdotes Dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hiſpaniarum derelicta à Domino perierunt, Saracenis Hiſpaniam inuadentibus, Deoque vlciſcente Principum & Sacerdorum impias diſſolutiones, & denegatam ſedi Apoſtolicæ obedientiam in eo regno, quod olim in ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ à regibus Gothis oblatum datumque fuerat, non quidem poſſeſſionem regni relinquentibus, ſed certum quoddam tributum ſoluentibus, vt indicarent ac teſtarentur regnum illud ſe regere ſub nomine & autoritate Eccleſiæ Romanæ. Baron. an. 707. num. 6. & 7. Et quia hæc rebellio & ab Eccleſia Romana defectio Deo fuerat odioſa, temporibus Ruderici ſeu Roderici filij Theofredi Cordubenſis Ducis, qui Vuitizæ ſucceſſit, Saraceni omnem vaſtauerunt Hiſpaniam, vt refert Baronius an. 713. n. 6.

Quod ſi diligenter fiat inquiſitio qua de cauſa Balduinus rex Hieruſalem, qui Godifredo ſucceſſit, regnum inter tot labores & anguſtias adminiſtrauit; hanc potiſſimùm reperiemus, Balduinum videlicet auferre voluiſſe iura Ieroſolymitani Patriarchæ. Nihil enim tantopere principibus indignationem Dei conciliat, vt in eos plurima mala immittat, quàm ſi ſemel Eccleſiæ iura deprimere attentauerint. Baron. an. 1100.

Pari ratione funeſta mors Gulielmi Anglorum Regis exiſtimata eſt ei fuiſſe illata, quod Eccleſiæ libertates & immunitates perturbaret: Sanctũ enim Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum in exilium relegauit: ſagittâ quippe in ceruum immiſſâ vulneratus obiit, poſt multa prodigia, quibus de ira Dei contra ſe excitata certior fieri debuerat; eum inſuper tribus diebus ante mortem vidit S. Hugo Cluniacenſis Abbas accuſatum, iudicatum & condemnatum ante thronum Dei, mortemque eius S. Anſelmo prædixit. An. 1100.

Nec fallitur Baronius, dum Imperij Orientalis vſurpationem omnimodæ ſubuerſioni iurium Eccleſiaſticorum tribuit, miſerandum Eccleſiæ ſtatum deſcribens, an. 1148. His enim infeliciſſimis temporibus, neglecto & conculcato canone Concilij Carthaginenſis, quo decretum fuerat ne clerici cogerentur tribunali laicorum adſtare, laici, quinetiam & quam plurimi altarium miniſtri, Epiſcopos, Clericos & Monachos ad tribunal Laicorum, ſiſtere cogebant. Quod ſi ipſimet Clerici aut Monachi ad tribunal Eccleſiaſticum aduocarentur, refugiebant, recuſabant, & impunè ad forũ ſeculare appellabãt, aſſerẽtibus iudicibus imperatoriam poteſtatem omnia facere & immutare poſſe. Quibus oſtenditur ad ima prorſus demerſa iam fuiſſe omnia Eccleſiaſtica iura: vnde opus fuit, vlciſcente numine, Imperatores priuari imperio, & redigi in ſeruitutem, cùm cogerent Eccleſiam ſibi ipſis ſubijci ſeruitute. Diſcant hinc principes occidentales pro ipſis rem agi ab Epiſcopis, cum quod ſuum eſt vendicant ab eorum manibus, cenſuris Eccleſiaſticis. Ita Baron. an. 1148. Quod ſi Gulielmus Rex Siciliæ multos contra ſe inimicos concitatos expertus eſt; ſi Regnum iſtud è manibus Normanorum ereptum eſt, virili deficiente ſexu, qui huic coronæ ſuccederet; valde probabile eſt hoc eueniſſe, quia iniquis conditionibus coegit Adrianum Papam ſecum tranſigere, concedendo Bullam, qua ius appellationum ad Sedem Apoſtolicam à Regno Siciliæ auferebatur; quin & ſtatuebatur nullum deinceps legatum mittendum fore à ſummis Pontificibus in Regnũ Siciliæ,

Digitized by Google

niſi à Rege aut ſucceſſoribus eius peteretur, licèt veriſſimum ſit Pontifices non poſſe Pontificalibus iuribus renunciare: qua de cauſa hæc pacta ſeu conuentiones ſub Innocentio tertio abolitæ fuerunt, & Eccleſiaſtica libertas in priſtinum ſtatum reſtituta. Baron. an. v.56. Non igitur debet Principum autoritas ſuam vim exerere ad hoc, vt iura & immunitates Eccleſiæ aboleantur; quinimo intra Eccleſiam ſunt, vt omnem poteſtatem ſuam adhibeant ad Eccleſiæ autoritatem tuendam, vt illæſa & illibata ſeruetur: ſicut iam notatum eſt Imperatorem Valentinianum hoc declaraſſe, in reſcripto pro cauſa Hilarij Arelatenſis Archiepiſcopi, quem cogi & adſtringi voluit obedire decretis Romani Pontificis. Itaut quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur. An 445. n. 5. Et optimè Paleſtinæ Monachi, in Epiſtola quam contra Iconoclaſtas, ad Concilium Nicenum in Bithinia direxerunt, inſeruerunt: *Secundas Eccleſiæ portant Imperatores. Nam primum in Eccleſia locum ſacerdotes poſſident: ſacerdotium enim imperij ſanctificatio eſt & conſtitutio: & imperium, ſacerdotij fortitudo & firmamentum. De quibus ſapiens quidam princeps, & in ſanctis regibus beatiſſimus ait: Maximum donum Deus præſtitit ſacerdotium & imperium, illud quidem adornans & regens cæleſtia, hoc verò gubernans iſta terreſtria.* Baron. an. 787. num. 3. Qui quidem an. 57. n. 11. & 12. mentem ſuam verbis diſertiſſimis de his aperuit, dum ait: *At verò eiuſmodi iudiciariam poteſtatem, non tantùm ex dicta inſtitutione Apoſtolica proueniſſe; ſed ab ipſo Domino duxiſſe principium, & accepiſſe autoritatem certum eſt: quippe qui Rex ſimul exiſtens atque ſacerdos, conſtituit in Eccleſia in æternum permanſurum regale ſacerdotium, & omne iudicium quod à Patre accepiſſet transfudit in ſuos: cum eos miſit, ſicut miſſus ab illo fuerat. Eos denique conſtituit principes ſuper omnem terram, vt ſederent in iudicio, & regerent omnes gentes in virga ferrea, quæ eſt virga directionis, tum ad vlciſcendam omnem inobedientiam, tum ad docendum in charitate & manſuetudine.* Quæ tamen non ita accipienda ſunt, vt politicum Chriſtus Regnum voluerit eſſe ſublatum: quod, è contrario, tum ab ipſo, tum ab eius Apoſtolis eſt æquè firmiter ſtabilitum, ſed itaut illud ſubiecerit ſpirituali Eccleſiæ dominio. Cum enim Reges, quantum libet Chriſtiani, non niſi inter Laicos adnumerentur, nullum relinquitur dubium, quin maiorem illis habeant poteſtatem ſacri miniſtri, qui regnum cum ſacerdotio iunctum habent, ſicut & ſancti Gregor. Nazianz. Chryſoſt. Ambroſius, Martinus, aliique omnes antiqui Patres, tam verbis quàm factis pari conſenſione docuerunt: eoque reſpicit quod dicebat Apoſtolus: *Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed Deo potentia:* nimirum longe illis præſtantiora, *Ad faciendam vindictam* (quod habet Pſalmus) *in nationibus, & increpationes in populis: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Tales enim compedes*, inquit Auguſtinus, *conſolidat vobis Epiſcopi manus, ſed tum quidem cum illi quoquomodo in Deum inſurgunt, & à recta viuendi ratione & diſciplina Chriſtiana deſciſcunt, ſicut videbimus ſuis locis*, inquit Baron. *Fabianum Papam in Philippum Imperatorem, Ambroſium in Theodoſium ſeniorem, Symmachum in Anaſtaſium, & alios innumeros Sacerdotes in maximos principes, vigore ſacerdotali fortiter atque laudabiliter, cum exegit neceſſitas, inſurrexiſſe.* Hæc Baron. O ter quaterque beati principes, qui ſe religioſi præſtiterint obſeruatores eorum quæ Carolus Magnus Imperator olim, dum è manu Leonis Papæ coronam Imperij reciperet, repromiſit, præſtito ſuper hoc tali iuramento. *In nomine Chriſti ſpondeo atque polli-*

A *ceor ego Carolus Imperator, coram Deo & B. Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem fore huius S. R. E. in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero poteroque.* Qui modus iuramenti inſertus eſt in libro ſacrorum rituum, vt in pari forma à ſucceſſoribus præſtetur. Felices inquam erunt principes, qui pietatis huius Imperatoris erunt imitatores, qui in vno 23. capitulorum legum ſuarum hæc verba inſerere voluit, à Gratiano relata. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoranda eſt ſancta Romana & Apoſtolica ſedes, vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis.* Ideoque ſeruandam eſſe cum manſuetudine humilitatem, vt licet vix ferendum ab illa ſancta

B ſede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. An. 800. & 801. Hac deuotione impulſus Rex Lotharius, poſtquam multa tergiuerſatione vſus fuiſſet, vt iudicium ſedis Apoſtolicæ declinaret, tamen diligentia & ſuaſione Arſenij Legati Apoſtolici, mandatis Pontificiis obtemperauit, & legitimam vxorem Theutpergam reſumpſit, concubinam vero Valdradam repudiauit. Baron. an. 865. Et vt verum fateamur, rationi conſentaneum eſt, vt Reges, qui primum locum inter fideles obtinent, cum prælati ſuperiores Eccleſiaſtici deprauationem morum corrigere de officio ſatagunt, primi ſint qui ſapientiſſimæ Prælatorum directioni obedientiam præſtent, & ſibi ſubditis humilitatis Chriſtianæ

C exempla præbeant. Hinc in Concilio Meldenſi, quod celebratum fuit temporibus Caroli ſexti, an. 845. ab Vuendilone Senonenſi Archiepiſcopo, Hincmaro Rhemenſi, Rodolpho Bituricenſi, eorumque ſuffraganeis, Prælati in hoc Concilio congregati agnouerunt, imo & declararunt, cauſam propter quam ira Dei deſcendiſſet ſupra Galliæ regnum nullam aliam eſſe, quàm quod res Eccleſiaſticæ per Reges traderentur laicis hominibus poſſidendas. Quod corrigendum eſſe, Sacerdotali vtentes libertate, Regi propoſuerunt; & Hincmarus dicere non eſt veritus, in corrigendis peccatis filiorum Eccleſiæ, incipiendum eſſe à correctione Regum, qui ſi negligantur, vanus eſt quilibet conatus pro Eccleſiæ re-

D formatione ſuſceptus.

Qua de cauſa æquum eſt vt Reges ſubiaceant correctioni Eccleſiæ. §. 5.

Ex his facile eſt conijcere, cum ipſi ſint Eccleſiæ membra capiti Eccleſiæ ſubiecta, ſeu ipſi ſint Eccleſiæ filij, Patris familias domus curæ commiſſi; ſi ab officio ſeſe ſubtraxerint, muneris eſſe Paſtoris ſupremi Eccleſiæ illos corrigere viis ac modis, quibus poteſt filios ſuos in officio continere, & ſi deflexerint, in officium reducere, itaut aliquando illos è numero filiorum reſcindere debeat, cum honoris diuini zelus, Eccleſiæ vtilitas, eorum ſalus propria

E hoc requiſierit, & exigerit à ſeueritate Eccleſiaſtica. Fatendum tamen hoc debere fieri rariſſimè, & cum maiori circumſpectione & maturitate, quàm aliàs adhiberi ſoleat, & eo maiori quo perſonæ erunt eminentiores, & quo maius erit periculum, ne inſolentiâ, quæ plerumque naſcitur ex autoritate & poteſtate, leges Eccleſiæ contemnant obedientiam reddere detrectantes. Nihilominus ſi veritas periclitetur, & malum intolerabile videatur, aliquando feliciter ceſſit quod Eccleſia hac ſeueritate in aliquos vſa fuerit, qui pluris ſalutem ſuam quàm mundi gloriam facientes, ab his vinculis & catenis, quibus in inferna detruduntur contumaces, abſolui procurarunt. Multi igitur fuerunt Imperatores, Reges & Principes, quos in cognitionem honoris Deo exhibendi, pro vtilitate boni publici fidelium, cen-

Digitized by Google

ſuris Eccleſiaſticis ſedes Romana reducere pertentauit, vt à Baronio refertur.

Et primò docet Baronius Principes ſubjici Eccleſiaſticis cenſuris, ex epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis ad Epiſcopos Prouinciæ ſuæ: quos hortatur vt fidelitatem Regi Carolo abſenti debitam incolumem ſeruent, contra incurſiones fratris illius Ludouici, regeſque liberè de ſuis erratis monerent, & ſi parere nollent, excommunicarent; quod eos facere poſſe multis ſanctorum Patrum exemplis probat. An. 875. n. 2. Rurſus Bar. idem docet ex Epiſtola Fulconis Archiepiſcopi Rhemenſis ad Carolum Regem, qui de propriis viribus diffidens cum Nortmannis adhuc Paganis fœdus inire meditabatur. Vt illum igitur ab hoc piaculo amoueret, monendum eſſe Carolum dixit quàm deteſtabile ſit cum fidelibus ſocietatem inire. Ac demum addit, quod ſi hoc non faceret, non ſolùm ſe ei nunquam fidelem extiturum, ſed & quoſcumque poſſet ab ipſius fidelitate reuocaturum, & cum omnibus Epiſcopis ſuis ipſum Regem eiuſque ſequaces excommunicaturum, atque æterno anathemate damnaturum. Ann. 898. n. 1. Tertiò, Gregorius ſeptimus eadem docet, Epiſtola ad Herimannum Metenſem Epiſcopum, qui illum interrogauerat quid reſpondendum eſſet iis, qui aſſererent Regem non debere excommunicari, neque deponi. Baron an. 1076. num. 7. & ann. 1081. n. 2. 44. & 6. Et quamuis nimiam ſeueritatem Hugonis Dienſis eius Legati in Galliis repreſſerit, qui nemini parcens plures excommunicationi ſubjiciebat, illum monens vt mitiùs ageret, nec tanta vteretur ſeueritate, nihilominus munera Comitis Andegauenſis ſuſcipere noluit, quod à ſuo Epiſcopo excommunicatus ei ſatisfacere recuſabat. Quin & admonuit Theobaldum Comitem Pictauienſem, ne familiariter cum excommunicatis principibus conuerſaretur; ipſique petenti licentiam cum eis conuerſandi, reſpondit ſummorum Pontificum partes quidem eſſe à ſceleribus abſolutionem impertiendi, non autem permiſſionem concedendi crimina quæuis perpetrandi. Ann. 1081. Denique Ioannes Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, in Epiſtola ad Iuonem Carnotenſem, aſſertiones quaſdam ipſius confutat, & inter alias iſtam maximè reiicit, Reges, Imperatores non poſſe ab Epiſcopis condemnari aut iudicari. Baron. an. 1111. n. 6.

Hac poteſtate vſus Fabianus Papa Philippum Imperatorem in participationem Sacramentorum Eccleſiæ admittere noluit, antequam Confeſſionem publicam ſcelerum emiſiſſet. Bar. an. 246. n. 3. Hac poteſtate Innocentius Arcadium & vxorem Eudoxiam excommunicauit, propter vexationem quam ab eis paſſus eſt S. Ioannes Chryſ. Quos tamen abſoluit, dum apud eum excuſationes ſuas protulerunt Hac poteſtate Symmachus Imperatorem Anaſtaſium excommunicauit in ſynodo Romæ celebrata, an. 502. n. 5. Quin etiam Vigilius Papa Imperatricem Theodoram Iuſtiniani vxorem excommunicauit, quod apud Iuſtinianum inſtantiùs ageret, vt Anthimum in ſedem Antiochenſem, à qua depoſitus fuerat, reduceret. Et eadem pœna repreſſit hæreticos Acephalos, Seuerianos, & Eutychianos. An. 547. n. 5. Et in Synodo Romæ celebrata à Gregorio ſecundo anathematizatus fuit Leo Iſauricus tanquam Iconoclaſta cum omnibus hanc hæreſim profitentibus an. 726. Et Gregorius 7. de conſilio centum & decem Epiſcoporum, anathematis ſententia perculit Henricum Regem: de eo dedit ad omnes Chriſti fideles literas Encyclicas an. 1076. n. 5. Et in alia Synodo celebrata ann. 1078. menſe Nouembri, idem Gregorius excommunicauit Con-

A ſtantinopolitanum Imperatorem Nicephorum Botoniatem, qui tyrannicè ſibi imperium vendicans, Michaëlem cum Maria Auguſta coniuge, filioque Conſtantino Porphyrogenito in Monaſterium relegauit; quin & anathemate etiam percuſſit eos, qui inueſtituras beneficiorum Eccleſiaſticorum acciperent de manibus Principum Laicorum. Hac eadem de cauſa percuſſi fuerunt anathemate Henricus tertius Rex Germanorum, an. 1087. n. 5. ann. 1089. n. 1. ann. 1093. n. 2. Adde Henricum quartum imperatorem, ann. 1111. n. 7. an. 1112. n. 2. & 3. an. 1114. n. 3. an. 1115. n. 2. an. 1119. n 2. quin etiam & alij Reges, an. 1076. n. 5. an. 1095. n. 2. an. 1648. n. 9. ann. 1180. n. 2. an. 1191. n. 4. Quibus adde aliquos etiam Epiſcopos, an. 503. n. 4. an. 570. 5. an.

B 996. n. 1. anno 1079. n. 7. qui quoſdam Reges anathemate percuſſerunt.

De poteſtate Pontificis in erectione Regnorum, & Regum depoſitione. §. 6.

Super eſt vt ea quæ Baronius refert de erectione Principatuum ad Regiæ dignitatis titulum, & de tranſlatione imperij aut Regnorum in aliam gentem aut familiam, quin & de depoſitione Regum, adducamus: Sed quia hæc materia non ita grata exiſtit omnibus, & multa indagatione indiget, ad autorem iſtum lectorem remitto. Legat ſi voluerit ip-

C ſum, ann. 1000. n. 2. & 3. de Regno Hongriæ; de Regno Poloniæ ibidem, de Dalmaria, & Croatia an. 1076. n. 10. de Sicilia & Apulia, an. 1130. n. 6. an. 1134. n. 4. de Luſitaniæ regno; an. 1179. n. 7. de Regno Armeniæ, an. 1197. n. 4. Et circa materiam depoſitionis, ad ea quæ refert Baronius hîc addo Genebrardum agere de Depoſitionis iure Pontificio, l. 4. Chronologiæ. an. 1074. *Pontificis namque eſt*, inquit Genebrard. *Videre ne quid detrimenti res Chriſtiana à Principibus patiatur. Et quia Apoſtolica autoritas non minor eſt Propheticâ, quâ olim Samuel & Elias reges depoſuerunt, & Hieremias c. 1. accipit poteſtatem ſuper gentes & Regna, Veteri iure à ſacerdotibus donantur imperia, non vſurpantur, inquit Ambroſius, Epiſt. 14.*

D *& illud Petri Cluniacenſis, Epiſt. 29. l. 6. Quamuis Eccleſia non habeat imperatoris gladium, habet tamen ſuper ipſos Imperatores imperium, &c.* Ita ex Genebrardo.

Hinc ex Baronio, regio honore priuat Poloniam ob cædem S. Staniſlai Gregor. 7. an. 1079. n. 7. Et anno. 800. n. 4. anno. 1076. n. 7. an. 1081. n. 2. fidelitatis iuramento abſoluti ſubditi à ſummis Pontificibus aduerſus principes hæreticos & perſecutores, an. 730. n. 2. an. 1073. n. 13. an. 1076. n. 5 an. 1079. n. 7. an. 1080. n. 2. an. 1160. n. 6. an. 1168. n. 7.

Vnde non mirum ſi gratiora præſtat, qui tam odioſa poteſt perficere. Vnde idem Baronius docet quod ſummus Pontifex non tantùm coronat Impe-

E ratores, ſed verè confert imperium. An. 877. n. 5. Conſtituit Electores imperij, & quomodo hoc faciat docet an. 996. n. 7. & ſequentibus. Regem Longobardorum eligere concedit Gregorius Papa Epiſcopo Mediolanenſi, an. 600. n. 4. Regis Hiſpaniæ ſucceſſorem deligere in Epiſcoporum & procerum poteſtate eſſe ſtatuit concilium Toletanum, an. 653. n. 2. Docet præterea annos Imperatorum Occidentalium poſt tranſlationem imperij incipere tantummodo numerari à tempore coronationis per Romanum Pontificem, an. 881. n. 1. an. 1388. n. 3. an. 981. n. 2. an. 1001. n. 1. nec quemquem vocari Imperatorem, niſi quem Pontifex coronaſſet, an. 1014. eaque de re editur decretum an. 1013. n. 2, nonnullos eorum honeſtatos fuiſſe à Pontifice titulo conſiliariorum ſedis Apoſtolicæ, an. 878. n. 3.

Digitized by Google

duos ſimul regnare non eſſe paſſos eoſdem Pontifices, an. 1185. n. 1. an. 1186. n. 1. Quod attinet ad tranſlationem Imperij de Oriente in Occidentem, lege ipſum Baronium an. 800. De tranſlatione Regni Francorum à familia Carolinorum ad Hugonem Capetum, an. 987. n. 2. Illud ex familia Merouingiorum transfertur autoritate Apoſtolica in Pipinum an. 751. n. 1. an. 752. n. 1. an. 754. n. 10.

De honore exhibito à Regibus ſummis Pontificibus. §. 7.

Quantum ad honorem qui illis Pontificibus delatus eſt, ratione dignitatis, ab Imperatoribus & Regibus, qualis eſt adoratio, pedum exoſculatio, vel alij ſimiles, lege quæ de Iuſtino ſeniore affert Baron. an 521. n. 1. & de aliis an. 536. n. 5. an. 70. n. 1. an. 816. n. 6. an. 858. n. 1. an. 1177. n. 5. an. 714. n. 1. an. 753. n. 1. an. 1111. n. 1. an. 1130. n. 9. an. 1135. n. 4. an. 1162. n. 4. an. 1095. n. 11. an. 1120. n. 3. an. 1131. n. 2. an. 1177. n. 3.

Hæc ſunt quæ grauiſſimus & doctiſſimus Cardinalis adduxit, quibus cerni poteſt quantum emineat Pontificia dignitas ſuper dignitates temporales, qua ſi vtantur cum modeſtia & prudentia, ſoli zelo diuini honoris impulſi, aliquando vtilis eſſe potuit Eccleſiæ: quæ aliàs, ſi ad libitum omnia agere vellent, valde eſſet Regibus & Principibus odioſa, & iugum vix ferendum aut tolerandum.

De autoritate ſummi Pontificis circa regimen Eccleſiæ, & adminiſtrationem Sacramentorum.

ANNOTAT. XVI.

Præfatiuncula.

QVANTVM ad autoritatem ſummi Pontificis ſupra omnem Eccleſiam, hæc cernitur in iis quæ ſpectant ad politiam & regimen Eccleſiæ, & ad verbi Dei & Sacramentorum adminiſtrationem. Cuius autoritatis originem & antiquitatem perſpicies, ſi ponderes originem & antiquitatem primatiæ Romanæ ſedis; vſum dignoſces, ſi qua vſus eſt autoritate erga Epiſcopos inſpicias, eos videlicet inſtituendo, confirmando, deponendo, reſtituendo; Poteſtatem conjicies, ſi perpendas eam poteſtatem qua leges condere poteſt, qua diſpenſationes concedit, deprauatos mores & actus cenſuris coërcet, Vicarios inſtituit, aliquos ad prædicationem verbi & adminiſtrationem Sacramentorum deligit & admittit; Maieſtatem denique, ſi ius appellationis ad ſupremam ſedem ex omnibus orbis partibus attendas, itaut optimè Iuſtinianus Imperator, Epiſtola ad Ioannem Papam 2. meritò Pontificem dixerit caput eſſe omnium Sacerdotum, cunctarumque Eccleſiarum, vt refert Baron. an. 533.

De antiquitate primatiæ Romanæ ſedis. §. 1.

Hæc antiquitas ſumitur ex eo quod ſupremus Pontifex eſt Petri ſucceſſor, qui cõſtitutus fuit Paſtor & rector Eccleſiæ vniuerſalis. Quod quidem probant Catholici doctores, ex eo quod S. Petrus in vitæ decurſu, poſt Chriſti aſcenſionem, omnibus muneribus ſummi Paſtoris functus eſt. Miniſtros Eccleſiæ tribuit, Iudæ traditori ſubrogando S. Matthiam. Motas quæſtiones de legalibus ortas Antiochiæ dirimit ſacro ſuo reſponſo, in Concilio Hieroſolymis edito. Hæreſiarcham Simonem Magum conterit. De actionibus particularibus in Anania & Saphira iudicium profert. Eccleſias viſitat Act. 9. *Factum eſt autem vt Petrus, dum pertranſiret vniuerſos,*

A *deueniret ad ſanctos qui habitabant Lyddæ, &c.* Vnde meritò & primus ſemper nominatur in Euangelio; & incarcerato ipſo, pro eo vniuerſa orat Eccleſia. Cuius Paſtoralis dignitatis multa præceſſerũt ſigna, dum ei Chriſtus nomen mutauit, hanc denotans dignitatem; dum ei dixit: *Sequere me*, non ad moriendum pro eo, cum hoc fuerit illi cum cæteris Apoſtolis commune, ſed ad onus & munus regiminis Eccleſiæ: Hinc ambulat ſupra vndas maris, totum orbem fluctibus agitatum ſignificantis. Pro eo vt pro Chriſto ſoluitur tributum. Solus trahit rete in terram plenum magnis piſcibus. Rogatur pro fide eius à Domino, ne deficiat, vt poſſit fratres confirmare. Promittitur illi regimen Eccleſiæ à Chriſto: *Dabo tibi claues regni cælorum.* Stat promiſſis Chriſtus,
B dum ei dixit: *Paſce agnos: paſce oues.* Quod cum tanquam veriſſimum præſupponendum ſit, antiquitatem iſtius primatiæ in ſucceſſoribus Petri vigentis demonſtramus ex perantiquo vſu, & exercitio illius principalitatis & primatiæ in alios orbis Epiſcopos; Et primò, ex quæſtione, quæ olim agitata fuit, de tempore quo celebrandum eſſet Paſcha, ſedente Romæ Papa Victore, cuius autoritate plurima fuere celebrata Concilia; & exempli gratiâ, in Paleſtina, in quo Concilio Victor ſuam autoritatem Theophilo Cæſarienſi contulit; Secundò, Epheſi, vbi Epiſcopi Aſiæ conuenerunt, eos conuocante Epheſino Epiſcopo Policrate, ex autoritate eiuſdem
C Pontificis. Et cum Eccleſiæ Aſiæ noluiſſent iuxta traditionem Apoſtolicam celebrare Paſcha in die Dominica, ipſemet Victor eos à communione Eccleſiæ ſegregauit. Quibus rebus videre eſt quanta autoritate polleret Romanus Pontifex, qui per orbem Concilia indiceret, & prouincias non obtemperantes eius præcepto, à communione ſecluderet? Bar. an. 198.

Idem rurſus confirmatur, nempe perantiquum eſſe ſummi Pontificis primatum, ex eo quod, vt refert Baron. an. 258. n. 3. S. Cyprianus & Epiſcopi Galliæ fatentur autoritatem ſuam certis quibuſdam contineri ac coërceri limitibus, at ſupremi Pontificis autoritatem per vniuerſum orbem extendi: ac ſi
D innuerent ſe habere ſedes limitatas, quæ initia ſumpſerant ab hac vniuerſali autoritate, tanquam riuuli à fonte. Cuius amplitudo perſpicitur ex literis S. Cypriani, & Epiſcoporum Galliæ, ad Stephanum Papam, quibus poſtulabant vt Marcianus Arelatenſis Epiſcopus deponeretur, & alius in eius locum ſubſtitueretur; Similiter ex accuſatione Pentapolitanorum apud Dionyſium ſummum Pontificem, aduerſus Dionyſium Alexandrinum Archiepiſcopum: cui ſummo Pontifici ipſe Dionyſ. Alexand. rationem fidei ſuæ reddidit, itaut plenè ſeſe ab accuſatione purgauerit. Anno 263. Nec illa autoritas primis illis Eccleſiæ temporibus ignota fuit etiam infidelibus. Nam cum Paulus Samoſatenus Antiochen-
E ſis Epiſcopus in Cócilio Antiocheno ibidem coacto condemnatus fuiſſet, & tamen è domo Epiſcopali egredi renueret, ſupplicatum fuit ab Aurelio Imperatore, vt Imperiali autoritate fulciret decretum ſeu determinationem Concilij, quatenus poſſet effectum obtinere: qui reſcripto dato decreuit domum illam tradendam fore quibus Chriſtiani Italiæ, & vrbis Romæ Epiſcopi, per litteras tribuendam præſcriberent. Euſebius apud Baron. an. 273. Qua quidem ratione perſpicimus & Ethnicis innotuiſſe aliorum Epiſcoporum ſententias eſſe ratas, quas autoritas ſummi Pontificis confirmaſſet. Nec alia de cauſa diuinam prouidentiam permiſiſſe dicemus diſſenſionem illam, quæ interfuit inter ſanctum Ioannem Chryſoſtomum, & Theophilum Patriarcham Alexandrinum, quàm vt omnibus innoteſceret ſum-

Digitized by Google

A mum Pontificem ſummum locum tenere in Eccleſia, qui poſſit aliorum Epiſcoporum iudicia & ſynodos autoritate ſua fulcire, & ad quem oppreſſi poſſent confugere, dum S. Chryſ. ex vna parte ad Innocentium Papam recurrit, vt ſuam Innocentiam tueretur, & dum ex alia parte Theophilus Patriarcha ad eumdem Innocentium reſcribit, vt ſuum iudicium contra Chryſoſtomum, in Synodo Conſtantinopoli celebrato datum, ſua autoritate muniret. Baron. an. 404. n. 6. Ad eam ſedem quippe negotia maioris momenti referri patet, etiam ex graui reprehenſione facta per Celeſtinum Papam quibuſdam Clericis, qui ſingulari quodam veſtimenti genere vti volebant, ex eo quod ſcriptum ſit: *Sint lumbi veſtri præcincti*; nec non Epiſcopis Narbonenſi, & Viennenſi, qui in Epiſcopum ordinauerunt Danielem quemdam Virginum Sacrarum prophanum corruptorem. Baron. an. 428. n. 4.

Non mirum igitur ſi hæc autoritas à tot retro ſeculis incæpta, & in exercitium redacta, progreſſus obtinuit, & identidem obfirmata vſque adhuc in ſuo permanſit vigore: quod innumeris poſſet probari exemplis: ſed ne longiùs progrediamur, pauca adhuc ex Baronio adducamus.

Cum Hormiſda Papa tempore Imperatoris Iuſtini, iuxta decretum Synodi Romani, an. 518. anno ſequenti 519. Legatos miſiſſet Conſtantinopolim, S. Germanum Capuanum & Ioannem Epiſcopum, Blandum Presbyterum, nec non & Felicem & Dioſcorum Diaconos, vt negotia Orientis tractarent & dirimerent, tribuendo ipſis commonitorium, id eſt quoddam reſcriptum, in quo quæ ſibi eſſent tractanda & negotianda eis intimabat & præſcribebat; Imperator honoris cauſa in occurſum illorum miſit, Italiam vſque, Stephanum & Leontium viros præſtantes & inſignes, & cum maximo applauſu & honore populorum & Epiſcoporum iſti Legati ſuſcepti fuerunt in omni loco, per quos illos tranſire contigit, ſed præcipuè Conſtantinopoli, quam adierunt in hebdomada authentica, id eſt in hebdomada magna, ſuſceptique fuerunt ab Imperatore in ſenatu, omnibus ſenatoribus conuocatis, qui inſuper cum inſigni reuerentia literas ſummi Pontificis per legit. Et poſt quaſdam dilationes, Ioannes Epiſcopus tandem ſubſcripſit libello ſeu reſcripto ab eodem Hormiſda miſſo, vt eidem reſcripto ſubſcriberent omnes, qui de communione Eccleſiæ Catholicæ gaudere peroptarent, cum ſede Apoſtolica ſeruantes vnionem: Et iuxta tenorem illiùs reſcripti anathematizauit Neſtorium, Eutychen, Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Petrum Mogum, quin etiam & Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Epiſcopos huius ſedis ſchiſmaticos Phranitum, Euphemium, Macedonium, & Timotheum, quorum nomina deleta fuere ex Dyptycis, & nomina inſuper duorum Imperatorum hæreticorum Zenonis & Anaſtaſij. Cui libello ſubſcripſerunt Archimandritæ, non ſolùm quos Legati in itinere ſuo inuiſerunt, ſed etiam ij qui Conſtantinopoli degebant; & Imperatori, nec non omni populo, ingens gaudium factum eſt, quod in Paſchatis feſto renouata fuiſſet communicatio Eccleſiæ Orientalis cum ſede Apoſtolica. Et literis ſuis Imperator aliis prouinciis intimauit ſe magnopere exoptare vt & ipſæ in hanc communionem introirent; Quod ſi quis Epiſcopus Concilio Chalcedonenſi conſentire non vellet, è ſede expelleretur. Denique Imperator literis congratulorijs Hormiſdæ Papæ reſcripſit, & reciprocè ab Hormiſda literas & ipſe recepit, quibus gratias agebat de iis quæ facta fuerant: & à Patriarcha Ioanne & aliis ſummo Pontifici reſcriptæ fuerunt literæ, & ex titulis quibus ſuas literas inſcribebant patet quanta eum reuerentia proſequerentur, inter quos ille eſt quem inſcripſit Andreas Epiſcopus in Epiro: *Angelicis, inquit, meritis coæquando, Patri Patrum, Papæ Hormiſdæ.* Et in initio Epiſtolæ hæc verba appoſuit: *Commendans me humillimè veſtigiis veſtris piiſſimis, & Theodoritus Lignidi Epiſcopus, veſtris prædicandis & adorandis me præſentare veſtigiis* Sed ex ſequentibus hæc magis ac magis innoteſcent ac confirmabuntur.

De vſu ſupremæ illiùs poteſtatis in alias ſedes Patriarchales.
§. 2.

Igitur maximè demonſtratur illa ſuprema autoritas, B ex poteſtate qua vſus eſt ſummus Pontifex tum in quatuor præcipuas ſedes Patriarchales, tum in Epiſcopos quoſdam particulares. Et vt ab Alexandrina ſede incipiamus, Dionyſius Papa cauſam Dionyſij Patriarchæ Alexandrini iudicat, an. 263. Iulius Papa ad ſuum tribunal euocat & retinet cauſæ S. Athan. Patriarchæ Alexand. cognitionē, qui Papæ de cetero parens Romam adiuit, vbi ſciebat cauſas Eccleſiaſticas non tyrannicè, ſed iuxta Canones agitari & pertractari. Reſtiterunt Euſebiani, & friuolas excuſationes obtenderunt, quia præſenſerunt, vt refert Theodoretus l. 2. c. 4. apud Baronium, an. 340. & 341. n. 1. ſua mendacia eſſe iam manifeſta & notoria, ſuaſque impoſturas fraudeſque detectas. C Sic populus Alexandrinus in ſuam ſedem reſtituit Petrum Patriarcham in exilium relegatum, autoritate literarum Papæ Damaſi fretus, expulſo Lucio quodam Arriano intruſo. Baron. an. 371. n. 1. His accedunt quæ paulo ante diximus, de iis quæ inter S. Chryſoſt. & Patriarcham Alexandrinum Theophilum tranſacta fuerunt, cuius ſententiam abrogauit Innocentius, an. 404. qui eum inſuper excommunicauit & depoſuit, nec illum admittere voluit in communionem Eccleſiæ Romanæ, quia pertinaciter recuſabat nomen S. Ioannis Chryſoſt. referre in Dyptichis, ſeu tabulis Eccleſiaſticis, in quas nomina Epiſcoporum, qui deceſſerant in Catholica communione, referebantur. Baron. an. D 407. n. 7. Quinetiam ſatis notoria ſunt quæ facta fuere in Concilio Chalcedonenſi, in quo Concilio Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus expulſus & eiectus è Concilio & cætu Epiſcoporum adeo celebri, nec locum ſuum ibi obtinuit ad inſtantiam Legatorum Apoſtolicorum, quia auſus fuerat Synodum celebrare, abſque conſenſu Sedis Apoſtolicæ: quod quidem antea nondum attentatum fuerat, nec legitimè fieri poterat. Et denique Dioſcorus condemnatus fuit, & ſententia Legatorum Apoſtolicorum declaratum fuit ipſum Epiſcopali dignitate, & functione ſacerdotali priuatum eſſe: cui ſententiæ ſubſcripſerunt Epiſcopi in eodem Concilio congregati. Baron. an. 451. n. 15. & 17. Adhuc videtur E ſedem Alexandrinam Romanæ ſedi fuiſſe ſubiectam, ex honorifica legatione Timothæi cognomento Solofacioli, quam Simplicio Papæ miſit, qua ſeſe excuſat, & ab eo erratо veniam petit quod vi Arrianorum, Eutychianorum ad altare coactus fuiſſet recitare nomen impij Dioſcori; & ex Epiſtolis Simpliciani ipſum Timotheum ad illum direxiſſe pœnitentiæ libellos eorum quos Ælurus & Mogus ſeduxerant: etenim veriſſimum eſt abſolutionem ab hæreſi reſeruatam eſſe ſummo Pontifici, aut iis ſaltem, quibus ſuam delegat poteſtatem. Quod ſi hoc nec conceſſum eſt Epiſcopis primæ ſedis poſt Romanam ſedem, quis ex ſacerdotibus inferioris ordinis hanc ſibi arrogare poteſtatem auſus fuiſſet. Baron. ann 478. n. 2. Sed potiſſimùm manifeſtatur quanta ſit Romanæ ſedis autoritas, in diſcutiendis

Digitized by Google

& determinandis cauſis & negotiis ſedium Patriarchalium, ex eoquod duo Pontifices, Simplicius & Felix, Ioannis cognomento Talaidæ Patriarchæ Alexandrini protectionem ſuſceperunt contra Zenonem Imperatorem, qui ſuaſu Acacij Patriarchæ Conſtantinopolitani prædictum Ioannem expulerat, & in eius locum reſtituerat Petrum Mogum. Et pro deciſione huius cauſæ, Felix Papa Synodum quadraginta duorum Epiſcoporum conuocauit, Synodum certè celeberrimam & inſignem, quod in ea viſus ſit ſupremus Pontifex tanquam Iudex, Patriarcha Alexandrinus tanquam actor ſuas exponens querelas, Patriarcha Conſtantinopolitanus citatus, & Antiochenus Patriarcha Petrus Fullo Cnapheus dictus depoſitus, ſententiam condemnationis recipiens. Baron. an. 482. & anno 483. n. 3. Et in hoc percipitur eminentem ſupremæ ſedis Romanæ autoritatem deprimi non poſſe. Licèt enim tunc temporis gemeret ſub tyrannide Regum Arrianorum, tamen imperium adhuc retinebat in omnem Eccleſiam, ac ſi adhuc eadem pace floreret, qua potita fuerat ſub Conſtantino aut Theodoſio piiſſimis Imperatoribus; dum hunc Petrum Mogum è ſede Alexandrina eiecit, vt in ea ſede Ioannem ſeruaret. Baron. an. 484. n. 4.

Quantum ad ſedem Antiochenſem, notorium eſt quomodo ab initio Chriſtianiſmi, poſtquam S. Petrus ſedem ſuam Romæ fixit, ipſam Eccleſiam Antiochenam à Romana ſemper fuiſſe gubernatam & iudicatam. Hoc agnoſcebat Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus in Concilio Epheſino, qui directè inferebat Ioannem Patriarcham Antiochenum Concilio adeſſe debuiſſe, ea potiſſimùm ratione, quod hanc reuerentiam exhibere debebat Legatis Apoſtolicis, vt in eorum præſentia ſeipſum purgaret de iis, quæ illi objiciebantur. *Quæ*, inquiebat ille, *Apoſtolica ordinatione, & antiqua traditione, Antiochena ſedes perpetuò à Romana dirigeretur, iudicareturque.* Ann. 431. n. 14.

Qua quidem de cauſa Siricius Papa Theophilum Alexandrinum delegauit, vt ſua autoritate dirimeret diſſidium ortum inter Euagrium, & Flauianum, vtroque contendente de iure Patriarcharum Antiochenſem ad ſe attinere. An. 389. n. 11. Et in Concilio Chalcedonenſi ſeſſ. 9. legimus Sacram Synodum laudaſſe & approbaſſe charitatem Maximi poſtulantis vt illi permitteretur Domno, à Dioſcoro in conciliabulo Epheſino Patriarchæ Antiocheno inſtituto, ea quæ ad victum & veſtitum erant neceſſaria ſuppeditare, in cuius Domni locum fuerat ſubſtitutus. Huius enim deſtitutionis, & ſubſtitutionis cognitionem ſibi aſcribens Leo ſummus Pontifex decreuit Domnum meritò fuiſſe condemnatum, & Maximi ſubſtitutionem confirmauit. An. 451. n. 27. Et an. 453. n. 5. legimus Maximum Epiſcopum Antiochenum Legatos miſiſſe ad Leonem, vt eum inſtrueret & informaret de ſtatu Eccleſiæ Syriæ; eumque ſimul deprecatur vt priuilegia Antiochenæ ſedis conſeruaret, cum periculum eſſet ne infringerentur, & detrimentum acciperent, ſi è gradu & ordine ſibi debito amoueretur per ambitionem Anatolij Patriarchæ Conſtantinopolitani: ſiquidem cum tertius eſſet Patriarchatus, in quarto ordine rejiciendus erat, ſi ſedi Conſtantinopolitanæ ſecundus locus aſcriberetur: cui ſupplicationi S. Leo annuit, quin & promiſit quod ſeſe opponeret temeritati Anatolij, per litteras encyclicas, quas ad notitiam omnium voluit deuenire. An. 453. Et cum Stephanus Patriarcha Antiochenus fuiſſet ab Eutychianis infauſtè interfectus, Zeno Imperator, quaſi vrgenti neceſſitate preſſus, metuens ne in electione ſucceſſoris perturbationes orirentur, attentauit

A quod nunquam fuerat in praxim redactum: nam contra decreta Eccleſiaſtica Concilij Niceni, quibus cauebatur vt Epiſcopus Antiochenus ab Epiſcopis Syriæ ordinaretur, voluit Zeno, vt electio Conſtantinopoli fieret, reſcripſitque Simplicio Papæ vt hanc electionem ratam haberet: & hanc reuera ratificauit Simplicius, ea tamen conditione quam iam antea Zeno Imperator admiſerat, hoc ſcilicet attentaſſe vt præſentes ſeditiones compeſceret; at in poſterum permiſſurum vt iuxta morem antiquum electio & ordinatio Epiſcopi Antiocheni Antiochiæ fieret ab Epiſcopis Prouinciæ; Acaciumque Patriarcham Conſtantinopolitanum monuit, ne amplius talia auderet ſeu præſumeret. An. 479. n. 2.

B Et cum poſt mortem Patriarchæ huius apud Conſtantinopolim electi, & ab Acacio ordinati (vt mox vidimus, Stephani ſcilicet iunioris) poſt mortem inquam eius fuiſſet Antiochiæ electus vir quidam ſanctitate inſignis, nomine Calendrion, poſtquam Synodum conuocaſſet & celebraſſet, Epiſcopus nomine Anaſtaſius ad ſummum Pontificem Simplicium delegatus fuit, vt iuxta morem antiquum, electionem Stephani iunioris ſua autoritate muniret & ratificaret: quod præſtitit, obnitente è contra Acacio, qui Primatis honorem ſibi arrogare volens (cuius honoris redditus fuerat appetentior, quòd permiſſa fuiſſet illi, ob rerum ſeu negotiorum neceſſitatem, electio prædicti Stephani

C iunioris) vt voti compos fieret, callidis artibus egit apud Imperatorem, vt Calendrion tanquam criminis læſæ maieſtatis reus in exilium relegaretur Oaſin regionem aſperam, & duram eam incolentibus. An. 482. n. 1. Et poſt exilium Calendrionis, Petro Fullone in ſedem Antiochenam reſtituto, ipſe Petrus tanquam intruſus damnatus fuit ſub Felice Pontifice Simplicij ſucceſſore: & eadem ſententia confirmata fuit in alio Concilio Romæ celebrato an. 484. ſub eodem Felice. Denique cum Radulphus quidam natione Gallus, ex Epiſcopatu Citromanenſi oriundus, fauore populi muneribus corrupti ad Epiſcopatus dignitatem fuiſſet euectus, cum ſe à ſedis Romanæ dependentia ſubtrahere vellet, tandem

D damnationis ſententiam pertulit; & per Legatum Apoſtolicum depoſitus, & in carcerem detruſus, à carcere aufugiens Romam rediit, & cum ſede Romana reconciliatus, dum ſe ad reditum accingeret, veneno miſerè interiit.

Quod ſi ad ſedem Hieroſolymitanam oculos coniicere velimus, perſpicere licebit, an. 520. n. 10. Imperatorem Iuſtinum literas dirigentem Hormiſdæ Pontifici, in fauorem Ioannis Patriarchæ Ieroſolymitani, quod de ſua promotione dubia ſuboriri poterant, ex eo quod Eutychianorum ope fuerat intruſus, eiecto S. Elia Patriarcha; licèt Ioannes ille in defenſorem ſtrenuum fidei Catholicæ conuerſus fuiſſet, nihilominus peſſima illius inſtitutio cauſam

E iſtam valde dubiam exhibebat. Cui negotio Papa occurrere voluit, præcipiendo Epiphanio Patriarchæ Conſtantinopolitano vt Eccleſiæ Hieroſolymitanæ prouideret. An. 521. Et an. 643. Stephanus Dorenſis Epiſcopus, tum quia hoc illi olim iniunxerat Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus, tum quia poſt mortem Sophronij ab Epiſcopis Catholicis Paleſtinæ ad hoc deputatus & delegatus fuerat, Romam petiit, vt ibi ſedis Hieroſolymitanæ negotia pertractaret: quam ſedem inuaſerant quidam pſeudo-Epiſcopi, Paulo Conſtantinopolitano fautori hæreticorum peſſimo & moleſtiſſimo coniuncti. Qui Stephanus obtinuit à ſede Apoſtolica, vt in his regionibus inſtitueretur eiuſdem ſedis Apoſtolicæ Vicariatus, cuius miniſterio damnaretur Sergius Ioppenſis Epiſcopus, qui intruſus fuerat in ſedem Hieroſolymitanam;

Digitized by Google

roſolymitanam; quin & deponerentur, & à gradu (A) dejicerentur quidam Epiſcopi, quos ipſe ordinauerat: quod quidem ipſe perfecit, Deo ita prouidente ſeu permittente, vt nullum elabatur ſeculum, in quo non reperiantur Epiſcopi in diuerſis prouinciis vexati, ad hunc (vt ſuſpicari licet) finem, vt ad ſedem Romanam confugerent; totque exemplis perſpicuum redderetur, nullum eſſe tutius refugium contra hæreticos, Romana ſede. Portus certè ſecurus omnibus contra imminentia naufragia, & turris illa Dauidica, ad quam recurrentes, arma & clypeos, auxilium & ſolamen & refugium inueniant. Et anno 1107. Paſchalis Papa Gibelinum Arelatenſem Archiepiſcopum Ieroſolymam miſit, vt de cauſa Ebremari in ſedem Ieroſolymitanam à Rege Balduino intruſi cognoſceret. Qua autoritate (B) Apoſtolica fultus Gibelinus Concilium conuocauit, in quo Ebremarum expulit è ſede, quod ſedem Hieroſolymitanam occupare auſus fuerat, viuente adhuc Alberto prædeceſſore. Sed quia deuotione & ſimplicitate ornatus erat, & inuitus ac coactus in hanc ſedem fuerat intruſus, Epiſcopum Cæſarienſem ipſum inſtituit. Et anno 1108. idem Paſchalis Balduino Regi conceſſit, vt quaſcumque Prouincias aut Ciuitates ſuo Imperio ſubjiceret, eædem omnes ſedi Hieroſolymitanæ ſubjicerentur. Sed quia Bernardus Patriarcha Antiochenus conquerebatur hac ratione fieri quod iuriſdictio ipſius plurimùm imminueretur, peteretque vt limites à (C) Nicena Synodo præſcripti fixi permanerent, poſt Gibelini mortem Papa huic litigio finem imponere voluit, decernendo vt Eccleſiæ, quarum limites ab antiquis diebus præſcripti reperirentur, iis Patriarchalibus ſedibus ſubderentur, ad quas de more antiquitùs pertinerent. Tandem an. 1115. idem Paſchalis in Orientem miſit tanquam Legatum Arauſicenſem Epiſcopum in Galliis, qui in Concilio congregato depoſuit Arnulphum Patriarcham Ieroſolymitanam: ſed Romam ipſe veniens, adulationibus & muneribus in ſedem reſtitutus fuit, quam iiſdem prauis moribus, quibus eam ante fœdauerat, rurſus infecit, licentioſè vitam tranſigendo.

Ad ſedem Conſtantinopolitanam contemplandam (D) conuertamur tanto attentiùs, quod hæc ſedes iugum excutere pluries attentauit, tum ſe æqualem in poteſtate, vel etiam ſuperiorem autoritate profiteri volens; tum iudicare præſumens ipſos Romanos Pontifices, hæreticorum quorumdam & ſchiſmaticorum opera & auxilio, & fauore etiam Orientalium Imperatorum.

Anno 342. Paulus in ſede Conſtantinopolitana per populi ſuffragia reſtitutus, à qua Euſebij Nicomedienſis cauſâ eiectus fuerat; cum Conſtantius Imperator eumdem Paulum expuliſſet, ipſe ad ſedem Romanam confugit, quo tempore etiam ad eamdem ſedem confugerant diuerſis de cauſis Aſclepas Gazæ Epiſcopus, Marcellus Ancyranus Epiſ- (E) copus, Lucius Adrianopoli Epiſcopus. Cum illos Iulius Pontifex Romanus inueniſſet fidei Concilij Niceni ſectatores, propter ſedis ſuæ dignitatem (Eccleſia Romana ſupra alias hoc priuilegio gaudente) literas in Orientem direxit, quibus decernebat vt iſti ſinguli in proprium locum reſtituerentur; quin & grauiter coarguit eos, qui temerè illos expulerant; quin etiam comminatus eſt non paſſurum ſe impoſterum impunè talia eos attentare, & hac ratione Eccleſias perturbare. n 7. & 8. Iam antea retigimus Ioannem Chryſoſtomū Conſtantinopolitanum Patriarcham ad ſedem Romanam confugiſſe, vt Theophili Alexandrini perſecutiones, aliorumque inimicorum ſuorum inſultus euitaret. An. 404. Et an. 406. legimus quomodo Atticus ex Sebaſte Armeniæ, Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus, excommunicatus fuerit ab Innocentio, propter quaſdam violentias, quibus vſus fuerat erga Legatos Apoſtolicæ Sedis.

Hæc inſuper autoritas ſedis Romanæ in Conſtantinopolitanam adhuc animaduertitur in depoſitione Neſtorij Patriarchæ Conſtantinopolitani, virtute literarum & decretorum Papæ Cæleſtini: quæ decreta executioni mandauerat S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in Concilio Epheſino, an. 340. & ann. 341. n. 88. Et cum Theodoſius Proclum diſcipulum S. Ioannis Chryſ. (qui Proclus erat Cyzicenus Epiſcopus) in Patriarcham Conſtantinopolitanum promouere voluit, ad hunc effectum Pontificis Romani diſpenſatio requiſita eſt: quia Canones vetabant Epiſcoporum tranſlationes in alias ſedes. An 434. n. 1. His adde Imperatorem Theodoſium an. 450. exquiſiuiſſe Leonis Pontificis Romani aſſenſum & conſenſum, vt in locum Flauiani Anatolium in ſede Conſtantinopolitana collocaret. n. 2. Et cum idem Anatolius an. 452. literas miſiſſet Leoni, cum Epiſtolis Imperatoris Marciani & Pulcheriæ coniunctas, per quoſdam legatos ad hoc deputatos, vt Romæ cauſam Primatiæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ procurarent, idem Leo Pontifex Anatolio reſcripſit, eum arguendo quod rem nouam, & Concilij Nicenæ Synodi contrariam attentaret. Et in literis ad Marcianum & Pulcheriam reſcriptis, poteſtatem eſt ſe irritum declarare & omnino annullare quidquid in Synodo circa Primatiam ſedis Contantinopolitanæ decretum fuerat, inſtigante & procurante hoc Anatolio; docendo inſuper illum ſuper arenam ædificium conſtruere, qui abſque conſenſu ſedis Romanæ aliquid erigere conatur. n 3. Et anno 483. Felix Papa literas direxit ad Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quibus illum arguit quod fidei cauſam deſeruiſſet, & hæreticis conniuere viſus fuiſſet. Et quamdam formulam citationis, cuius virtute Romam adire compelleretur, tranſmiſit, vt obiectionibus contra ipſum conſtructis per Ioannem Patriarcham Alexandrinum reſponderet. Et Imperatori Zenoni ſcripſit, vt cogeret Acacium Romam adire, & iudicium ſubire: quem Acacium poſtea anathematizauit propter ſuam contumaciam, & temerarios auſu. Ann. 484. Quæ ſententia excommunicationis Conſtantinopoli miſſa fuit, & per Epiſtolam Synodi Romæ celebrati ſub Felici Papa, ob ea negotia, admoniti fuerunt Epiſcopi Orientales, vt Acacij communionem deuitarent. Cui decreto obtemperarunt Epiſcopi tam Macedoniæ, quam Dardaniæ, vt videre eſt ex Epiſtola Gelaſij ad Laurentium, & ex alia ipſius ad Dardanienſes. n. 4. Et in Concilio 70. Epiſcoporum, quos Gelaſius Romæ conuocauit, an. 494. inter alia declarauit Primatiam Romanæ ſedis ſupra omnes alias Eccleſias fore agnoſcendam, iuxta ea quæ Chriſtus verbo ſuo ſtabiliuit. Confirmauit inſuper iura & prærogatiuas ſedium Patriarchalium Alexandrinæ, & Antiochenæ, vt compeſceret præſumptionem Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, qui extollere ſe audebant ſupra ſedes, Alexandrinam videlicet, & Antiochenſem. n. 3. Et cum Epiphanius in Epiſcopum Conſtantinopolitanum fuiſſet electus, an. 520. monitus fuit ab Hormiſda Pontifice, per Epiſtolas, conſueuiſſe Epiſcopos electos Romam Legatos mittere, per quos ſedis Romanæ communionem peterent & impetrarent, per quam communionem Catholici nomen obtinerent, & Orthodoxi cenſerentur, ſicque in communionem Epiſcoporum Eccleſiæ Catholicæ intrarent. Quibus monitis morem geſſit Epiphanius, primò literas mittendo cum profeſſio-

Digitized by Google

ne fidei Orthodoxæ, deinde Legatos & quoſdam A deputatos mittendo, ferentes literas tum particulares ab ipſo, tum Synodales, Concilij apud Conſtantinopolim celebrati, & inſuper munera quædam, & dona prætioſa, num. 10. Et inſuper cum Agapetus coactus fuit à Theodato Gothorum Rege adire Conſtantinopolim, vt pacem cum Iuſtiniano Imperatore obtineret, ſtatim atque vrbem Conſtantinopolitanam adiuit, Anthimum intruſum in ſedem Conſtantinopolitanam admittere noluit ad pacis oſculum & ſalutationem, nec ad communionem, niſi ſcripto priùs fidem orthodoxam profiteretur, & promitteret rediturum ſe ad ſedem Trapezuntianam, quam reliquerat; nec vnquam à ſententia dimoueri valuit precibus & ſollicitationibus vrgentiſſimis, quin & minis Iuſtiniani Imperatoris B exilium minitantis. Qui quidem Imperator ſtatim atque agnouit Anthimum eſſe hæreticum, dum recuſaret confiteri duas naturas in Chriſto Domino, *humiliauit ſe*, inquit Anaſtaſius, *ſedi Apoſtolicæ, & adorauit beatiſſimum Papam Agapetum, & expulit Anthimum, per Agapetum è ſede depoſitum, in cuius locum ſuffectus, & ſubrogatus fuit Mennas vir orthodoxus, & virtute ac pietate inſignis.* Ann. 536. num. 5. Qui hac ſingulari prærogatiua donatus eſt, vt ordinaretur per manus Pontificis Romani, quod nulli Epiſcoporum Orientalium contigerat à temporibus B. Petri Apoſtoli, vt ait Agapetus in literis ſuis circularibus ad Epiſcopos Orientis: Et præterea, C cum Papa Vigilius Conſtantinopoli moraretur, voluit Imperator Iuſtinianus (contra promiſſionem à ſeipſo datam, qua ſpoponderat fore e expectaturum Concilium generale, pro deciſione trium Capitulorum Concilij Chalcedonenſis, quorum occaſione multi concitabantur tumultus) promulgare ſpeciale edictum, quo abſolutè damnabantur tria illa capitula, non expectatâ deciſione Concilij generalis; nec illud edictum abrogare voluit, de hac re a Vigilio rogatus; quinimo ipſummet Pontificem coërcere, & vitæ illius inſidias ſtruere auſus fuit. Quid in his anguſtiis conſtitutus egerit Vigilius? Certè ſui muneris ac dignitatis minimè immemor in Eccleſiam quamdam S. Petri, in loco manſionis ſuæ viciniori D ſe contulit, cum tredecim Epiſcopis Occidentis, & anathemate percuſſit Theodorum Cæſarienſem Epiſcopum, huius tumultus inſtigatorem; quin & ſententiam tulit ſuſpenſionis à communione Eccleſiaſtica contra Mennam Patriarcham, alioſque Epiſcopos, qui Imperatori adhærebant. An. 551. n. 2. Anno tamen ſubſequenti 552. monitus Imperator per Legatos à Vigilio miſſos, iuſſit edicta de tribus Capitulis, iam promulgata & affixa valuis, auelli & abſtrahi, & de iiſdem nullam deinceps fieri mentionem, donec Synodus vniuerſalis conuocaretur. Quin & Theodorus Cæſarienſis ſupradictus, horum malorum auctor, de his quæ peracta fuerant pertæſus ac dolens, Vigilio ſupplicationem obtulit, in E qua & fidem rectam profitebatur, & veniam poſtulabat iniuriarum, & contumeliarum, quæ ipſi ſummo Pontifici illatæ fuerunt. Idem etiam præſtarunt alij Epiſcopi fautores, ſed ſpecialiter Mennas conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui omnes poſt ſatisfactionem factam, in communionem fuerunt à Vigilio admiſſi. An. 552. n. 4. Quænam autem fuerunt illa tria Capitula Concilij Chalcedonenſis, accipe ex Baronio. Primum Capitulum erat de laudibus Theodori Mopſueſteni hæretici, quæ illi datæ fuerant in hoc Concilio. Secundum Capitulum erat approbatio Epiſtolæ Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, quaſi eſſet orthodoxa, quamuis eſſet Neſtoriana. Tertium Capitulum erat receptio Theodoreti Cyrenenſis Epiſcopi in communionem, licèt ipſe in ſuis ſcriptis fautorem ſe exhibuiſſet Neſtorij, contra Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum. Quæſtiones autem & diſſenſiones pro iis Capitulis exortæ, ſolùm extiterunt inter Catholicos & Catholicos, non autem inter Catholicos & hæreticos. Cætera proſequamur. Cum Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus Concilium congregauit, reuera vt ſibi nomen Oecumenici Patriarchæ arrogaret, ſimulans ſe cauſam Gregorij Epiſcopi Antiocheni in hoc Concilio tractarum: voti compos, Oecumenici Patriarchæ nomine à Concilio eſt auctus. Quid, quæſo, Pelagius Romanus Pontifex, cum hoc reſciuit, præſtitit? Certè quoſlibet actus huius Synodi caſſauit & annullauit, exceptâ ſententiâ abſolutionis latâ in fauorem Gregorij Antiocheni; quin & iniunxit cio ſuo, qui tunc Conſtantinopoli degebat, vt in rebus ſacris abſtineret à communione Ioannis Patriarchæ. Quod ſi in Epiſtola ſua Pelagius declarat ac decernit nullum ex Patriarchis nomen Oecumenici vſurpare poſſe, hoc intelligendum eſt pro Patriarchis Orientis, ad quos ſuas litteras dirigebat. In quo hallucinatur Molinæus, dum exiſtimat Pontificem Romanum tale nomen ſibi attribuere contra mentem & ſententiam Pelagij. Baron. ann. 587. num. 1. & 2. Quin & Epiſtola S. Gregorij 64 ad Ioannem Syracuſanum, lib. 1. Epiſt. docet Conſtantinopolitanam Eccleſiam Apoſtolicæ ſedi ſubditam eſſe: quod & probat teſtimonio Imperatoris, & teſtimonio Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani Bar. an. 599. Hinc anno 648. Theodorus Papa anathematizauit Paulum Conſtantinopolitanum, quod Monothelita extiteret; quin etiam Pyrrhum, qui olim fuerat Patriarcha Conſtantinopolitanus, quia in eum errorem impingerat n. 2. Hinc cum Leo Iſauricus è ſede ignominiosè expulit, & in exilium relegauit S. Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quia caput & anteſignanus videretur Orthodoxorum contra Iconoclaſtas, & in locum illius quemdam Anaſtaſium hæreticum Iconoclaſtam ſuffecit, cum hic Anaſtaſius Synodicam Epiſtolam Gregorio Pontifici Romano miſiſſet, ab eo reiectus fuit & anathematizatus, vt pote hæreticus. Bar. an. 730. Et cum Taraſius creatus & conſecratus fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Conſtantinus & Irenes Papæ Adriano reſcripſerunt, vt de hac re certiorem illum redderent; quin & ipſe Taraſius profeſſionem fidei ſuæ tranſmiſit. Quid ad hæc Adrianus? Imperatores per litteras arguit, quod in ſuis literis Taraſio titulum Oecumenici illi tribuerēt, & inſuper addit, quod quicumq; titulum Oecumenici illi tribueret, vel vt ei tribueretur conſentiret, à fide orthodoxa alienus haberetur, & Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ Apoſtolicæ, Romanæ videlicet, contumax redderetur. Probauit reuera profeſſionem fidei eiuſdem Taraſij; at ordinationem ipſius redarguit: quam tamen probare repromittit, ſi ita agat apud Imperatores, vt ſacræ imagines erigerentur & reſtituerentur, tum Conſtantinopoli, tum in aliis prouinciis ſubditis. An. 785. Et an. 863. Nicolaus Papa in Concilio Romæ conuocato eiecit è ſede Photium, qui ſedem Cōſtantinopolitanam vſurpauerat, expellēdo Ignatium legitimum Patriarcham; quem in ſedem reſtituit, cum aliis qui à Photio deiecti & expulſi fuerant n. 1. Denique an. 878. Ioannes octauus Papa, poſtulante hoc Baſilio Imperatore, Paulum Epiſcopum Anconæ, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopum miſit, vt Eccleſiam Conſtantinopolitanum viſitarent; quin & grauiter coarguit Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quod occupare auſus fuiſſet Diœceſim Bulgarorum, quæ immediatè ſedi Romanæ ſubdita erat; & ei anathema denun-

Digitized by Google

clauit, & depoſitionem à Patriarchatu, ſi intra triginta dierum ſpatium non reuocaret omnes Epiſcopos & Sacerdotes, quos ibidem direxerat. Denique iniunxit vt omnino abſtineret ab exercitio cuiuſcumque iuriſdictionis in prædicta Bulgarorum Prouincia. His ita viſis, quid mirum ſi aſſeramus ſedem Romanam exercere poſſe actus ſupremæ ſuæ autoritatis in Epiſcopos minus inſignes, & in alios ipſis inferiores, qui tam potenter ſupra prædictas ſedes Patriarchales eos exercere valuit; & præcipuè poſſe actus iuriſdictionis exercere in eos, qui ab antiquis diebus immediatè gubernati fuerunt à Patriarcha Romano. Facilè itaque credere poſſumus, quæ ex hiſtoria nouimus, de inſtitutione, depoſitione, reſtitutione Epiſcoporum inferioris autoritatis ab his ſedibus Patriarchalibus, Alexandrina, Antiochena, Ieroſolymitana, & Conſtantinopolitana, dum legamus Epiſcopos illi præſtare obedientiam, vt ſupremo Paſtori & capiti Eccleſiæ.

De inſtitutione, depoſitione, reſtitutione Epiſcoporum, per ſummos Pontifices; & de obedientia ipſis debita & præſtita ab eiſdem Epiſcopis. §. 3.

Quantum ad inſtitutionem Epiſcoporum, de his intelligendæ ſunt hæ ordinationes Epiſcoporum, de quibus fit mentio in vitis ſummorum Pontificium. *Quod verò*, inquit Baronius, an. 80. n. 3. *eodem libro de Romanis Pontificibus, tum in Lino, tum in ſingulis aliis Romanis Pontificibus recenſentur ab illis factæ ordinationes, non ſolùm Diaconorum & Presbyterorum, qui Romanæ Eccleſiæ vſui eſſent, ſed etiam Epiſcoporum, qui in diuerſas orbis prouincias mitterentur, ex his ſatis perſpicuum redditur fuiſſe muneris Romanorum Pontificum non ſolùm vrbis, ſed & orbis totius Eccleſiæ conſulere, quod ſemel de eiuſdmodi ordinationibus annotaſſe ſufficiat.* Et anno 591. notat Baronius. *Quod ad reliqua pertinet, idem Gregorius Papa hoc ipſo anno multas Eccleſias vacantes nouorum Epiſcoporum electione curauit implendas: cuius rei praxis his temporibus ita ſe habuiſſe cognoſcitur, vt ſi diſſentirent eligentes, vel minus idoneos eligere perſeuerarent, tunc Romanus Pontifiex, quem vellet daret illi Paſtorem; ſed & quod hodie fit, vt idem Romanus Pontifex in aliis etiam diœceſibus conſerat Sacerdotia, curam animarum annexam habentia, tunc pariter conſuetum fuiſſe docet eiuſdem Epiſtola ad Importunum Epiſcopum.* Bar.

Quantum ad degradationem, dum ab initio Eccleſiæ naſcentis fuerunt culpæ, ita debuerunt eſſe culparum punitiones. Hinc orta cenſura Eccleſiaſtica, quam vocamus degradationem, excommunicationem, ſeu depoſitionem, cũ videlicet Eccleſiæ miniſter cauſâ cuiuſdam criminis ab officio aut ordine ſuo amouetur. Pari ratione orta eſt alia, quam ſuſpenſionem dicimus, cum Epiſcopus prohibet ne Clericus in ordine iam ſuſcepto miniſtrare audeat. Sæpè etiam nomen Clerici delinquentis, è tabulis aut catalogis, in quibus redigebantur nomina cæterorum, eradebatur; aut ſi tantum de eo eſſet exorta mali cuiuſdam ſuſpicio, ſaltem nomen illius ſupprimebatur, ne publicè recitaretur in ſuo ordine, cum aliorum nomina recitabantur. Baron. an. 57. Iſtas pœnas ſeu cenſuras cernimus in diuerſis temporibus fuiſſe inflictas à ſummis Pontificibus erga plurimos. Euidentiſſimum proculdubio ſignum ſupremæ autoritatis ipſius: ſiquidem Epiſcoporum depoſitio negotium eſt maioris momenti in Eccleſia; neque enim Epiſcopi depoſitio fieri debet aliter quàm in Synodo prouinciali, quod optimè conſtituit Theophilus Alexandrinus, iuxta decretum cuiuſdam Concilii Antiocheni, in quodam Epiſcoporum conuentu habito Conſtantinopoli, in dedicatione Baſi-A licæ Ruffini, quæ Apoſtolorum nuncupata fuit. *Non licere*, inquit, *deponi Epiſcopum à duobus vel tribus aliis Epiſcopis, ſed maioris tantùm Synodi arbitrio, nempe eiuſdem Prouinciæ Epiſcoporum ſententiâ.* Bar. an. 394. n. 7. & an. 403. n. 7. Ita videmus an. 518. quod licet in Synodo Conſtantinopoli habita decretum fuiſſet quod nomina Euphemij & Macedonij reponerentur in dypticis, ſeu tabulis & catalogis Epiſcoporum, vt cum aliis recitarentur, nihilominus quia deceſſerant extra communionem Sedis Apoſtolicæ, ex eo quod pertinaciùs retinuerant nomen Acacij ſchiſmatici, & hæreticorum fautoris, in tabulis Eccleſiaſticis, decreuit Hormiſda Papa vt horum nomina è tabulis delerentur. *Qua in re*, inquit Baron. B *planè eluxit quanta eſſet, in vniuerſa Eccleſia moderanda, Apoſtolicæ ſedis autoritas; dum quæ tantæ ciuitatis tam frequens populus, vnà cum Monachis & Clericis tantâ inſtantiâ petiiſſet, & congregati in Synodo Orthodoxi Epiſcopi ſtabiliſſent, conſentiente Imperatore, vno tantùm Romano Pontifice diſſentiente, irrita prorſus reddita ſunt.* An. 518. n. 6. Hac autoritate S. Gregorius, per duorum menſium ſpatium, ſuſpenſionis cenſurâ mulctauit Andream Epiſcopum Tarentenſem, propter ſententiam ab illo redditam, vt mulier quædam fuſte percuteretur: vetitum enim erat aliquem fuſtibus cædi ab Epiſcopis: virgis autem ſubiicere reum fuiſſe conceſſum, ex pluribus eiuſdem Pontificis patet, an. 593. n. 4. Inſuper idem Grego-C rius Papa Epiſcopus variè peccantes redarguit, puniuit, depoſuit, Monachos diſcolos coërcuit, puſillanimes hortatus eſt; quin & in Numidiam miſit Hilarium S. R. E. Cartularium; vt in Concilio ibidem conuocato quemdam Epiſcopum deponeret, qui Donatiſtis conceſſerat, quatenus poſſent in ſua ciuitate Epiſcopum ſibi conſtituere. Et cum Papa Vitalianus excommunicaſſet Maurum Rauennatem Epiſcopum, quia Romam venire (iuxta quod præſcripſerat Vitalianus) contempſiſſet, & quia de poteſtate & amicitia Rauennatis Exarchæ nimium præſumens, eaque innixus, ad tantam dementiam deueniſſet, vt Papam Vitalianum viciſſim excommunicaſſet; omnes Epiſcopi Vitaliano ſe adiunxe-D runt, & Maurum, vt pote ſacerdotio omnino indignum, dignitate & gradu ſpoliarunt. Et cum morti proximus clerum ſuum Maurus adiuraſſet ne vnquam ſeſe ſummo Pontifici ſubiicerent, priuatus fuit communione Eccleſiaſtica, id eſt, ſuffragiis, quæ pro mortuis celebrantur, & commemoratione nominis ſui in tabulis Eccleſiaſticis, per Adeodatum Vitaliani ſucceſſorem. An. 669. n. 2.

At præter illos Epiſcopos ſedium præcipuarum, multos etiam alios ſedium inferiorum depoſuiſſe legimus. Inter illos primus ſeſe offert Baſſianus Epiſcopus Epheſinus totius Aſiæ Primas, qui fuit depoſitus per Leonem Papam: quia propria autoritate ſeipſum in ſedem illam vacantem intruſerat. An. E 447. Et Nicolaus Papa depoſuit Guathanum Archiepiſcopum Colonienſem, & Theutgaudum Treuirenſem: quia in Synodo Metenſi procurauerant vt confirmaretur expulſio Theuthpergæ legitimæ Lotharij vxoris, & in locum eius Vualdradam concubinam ſubſtitui decreuerant; & inſuper permiſerant vt ſententia à ſede Apoſtolica lata contra Engeltrudem Comitis Boſonis vxorem caſſaretur: mulier quippe erat vitæ pernicioſæ. Anno 863. Vnde factum fuit vt illa Synodus, quia adulteris fauiſſet, non Synodus ſacra, ſed proſtibulum nuncupatum fuerit.

Quantum ad reſtitutionem Epiſcoporum, inter alias ſeſe offert Theodoreti reſtitutio, qui depoſitus fuerat in Conciliabulo Epheſino. & à Leone Papa reſtitutus fuit, ſicut & Euſebius Dorilæus, ve-

luti patet ex actibus Concilij Chalcedonenſis. An. 449. n. 15. Itaut ex praxi diſcamus quod docuit Gelaſius Papa, in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, in qua confutat quod ab Euphemio Epiſcopo Conſtantinopolitano objiciebatur, nempe Acacium à nulla Synodo damnatum fuiſſe, ſed tantùm à Romano Pontifice: Ex quo inferebat non fuiſſe legitimè damnatum. At Gelaſius plurimis rationibus probat, & exemplis ſedium etiam Patriarchalium Orientis demonſtrat, Romanæ ſedis eſſe non ſolùm abſoluere quos quæuis Synodus damnaſſet, ſed & damnare noxios, abſque vllo Synodali conuentu. An. 495. n. 2. Cuius poteſtatis plenitudine vſus eſt Agapetus, in depoſitione Anthimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſat ſiquidem eſſe exiſtimans, ſi per libellos, & articulos contra ipſum datos, quibus eius perfidia aperiebatur, minimè ſeruatâ formâ iudicij, nec congregato (vt moris erat) Concilio ipſum damnaret, quod ſcilicet tanta eſſet Apoſtolicæ ſedis autoritas, vt etiam ſupra omnes Canones Pontifex emineret. An. 536. n. 5. Et anno 869. apud Baronium legimus, qua ratione in Synodo Conſtantinopolim celebrata, Epiſcopi, qui Photio adhæſerant, per Legatos Apoſtolicos recepti fuerunt & reſtituti, ſubſcribendo libello olim à Nicolao Papa formato, & ab Hadriano Legatis dato, vt illi ſubſcribere curarent quoſcumque ſchiſmaticorum ſeu Photij ſectatorum, qui in Communionem Eccleſiæ Catholicæ redire deſiderarent. An. 869. n. 3.

Quod ſi de obedientia ab Epiſcopis Pontifici exhibenda fiat ſermo, legimus apud Baronium, an. 723. quomodo Gregorius Papa audiendo felices verbi diuini progreſſus, ex prædicatione Euangelii per ſanctum Bonifacium, ipſum Romam euocauit, & poſt fidei confeſſionem ſeu profeſſionem, & iuramentum præſtitum & ſuſceptum, iuxta morem conſuetum Epiſcoporum, qui ordinabantur, & promiſſionem obedientiæ exhibendæ tam ipſi, quàm ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, tandem eum conſecrauit Epiſcopum, eumque Bonifacium nuncupari voluit, qui antea Vuinfridus dicebatur. An. 723. Et an. 1102. legimus quomodo in Synodo Romæ celebrata à Papa Paſchali contra Henricum Imperatorem, qui Antipapam introducere deſiderabat, ſtatutum fuit quaſi quadam Catholicæ fidei profeſſione omnes obedientiam exhibituros Pontifici Sedis Apoſtolicæ, non modò Epiſcopos, ſed & Archiepiſcopos; quin & quoſuis alios teneri illam præſtare cum iuramento, ſi hoc ab eis à ſummo Pontifice exigeretur. Ad hanc obedientiam reuocare licet, quod ſæpè Legatos ſuos miſerit, vt reſarciret, quæ inordinatè fuerant tranſacta in Oriente, ſicuti videmus factum fuiſſe à Leone Pontifice, an. 450. Miſit ſiquidem Abundum Comenſem Epiſcopum, Aſterium Epiſcopum, Baſilium & Seruatorem Presbyteros, vt probarent eos qui in hæreſi lapſi fuerant, & in vnitatem Eccleſiæ redire volebant; & inter alios examinare fidem Anatolij ſubrogati in locum Flauiani Patriarchæ Conſtantinopolitani. Ad hanc inſuper obedientiam reuocamus miſſionem Legatorum, quibus conquerebatur de Ignatii depoſitione, & ſubrogatione Photii adhuc laici, contra Patrum traditionem, & præter aſſenſum Pontificis Romani. Et vt de iſtis quæſtio inſtitueretur, & decideretur inſuper quæſtio de imaginum cultu, aſſerit ſe Legatos ſuos deſtinaſſe, qui tamen indignè ſuſcepti ſunt à ſchiſmatico Photio & perfido Barda, qui tunc cuncta moderabatur, Imperatore luxui & voluptati dedito. Et quia ſuo munere malè functi fuerant, nec ritè ſuam commiſſionem adimpleuerant, ideo in Synodo celebrata per Nicolaum Papam, an. 865. & redarguti & correpti fuerunt, & Photius & Gregorius Syracuſanus depoſiti, & Ignatius fuit reſtitutus, cum his quos depoſuerat in Concilio celebrato in præſentia eorumdem Legatorum præuaricatorum ſchiſmaticus Photius. Et anno 869. Hadrianus Papa Legatos miſit, eos nempe quos Nicolaus deſtinarat, Donatum Oſtienſem, Marinum, S. R. E. Diaconum, eiſque adiunxit Stephanum Epiſcopum Nepeſinum; quin & Imperatori & Ignatio Patriarchæ reſtituto literas direxit, in quibus confirmabat quæ peracta fuerant in expulſione Photii, & reſtitutione Ignatii; & ad conuocationem Synodi Oecumenicæ adhortatur, in qua Legatis Apoſtolicis præſidentibus prouideretur de his qui lapſi fuerant cum Photio communicantes, & remedium opportunum adhiberetur pleniſſimè Eccleſiæ Orientali. His adde quod alii Patriarchæ, vt pote ſe inferiores agnoſcentes ſummo Pontifice, indignum eſſe minimè duxerunt, nec dignitati ſuæ diſſonum, ſi ſuſciperent commiſſiones à ſede Apoſtolica datas, & ſi eius vices gererent, eſſentque Vicarij eius aut ab ea deputati. S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Vicariatus notorius eſt, quem à Cæleſtino Papa ſuſcepit an. 430. in cuius virtute præfuit Concilio Epheſino. Pari ratione Mennas Patriarcha Conſtantinopolitanus à Papa Agapeto recepit titulum Vicarij ſedis Apoſtolicæ. An. 536. n. 16. Et Simplicius Papa ſuam delegauit autoritatem curæ & ſollicitudini Prouinciarum Aſiæ Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, quia optimè ſe geſſerat contra Baſiliſcum tyrannum. An. 477. n. 2. Et Papa Hormiſda ſuam poteſtatem delegauit Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt inuigilaret obſeruationi eorum, quæ pro reſponſione ſcribebat litteris, quæ ab Epiphanio & Synodo Conſtantinopolitana ipſi ſcriptæ fuerant, tum vt prouideret Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, alioſque vbique lapſos cum libellis reciperet, ita tamen vt (ne quid ſubreperet hæreticæ communionis fermenti) ſingulorum libellos Romæ ad ipſum Pontificem mitteret.

De iure diſpenſandi, exempla. §. 4.

Anno 434. Sixtus Papa diſpenſat cum Proclo, vt transferretur à ſede Cyzicena ad Conſtantinopolitanam, quia Canones huiuſmodi tranſlationes Epiſcoporum ab vna ſede in aliam prohibebant. Ann. 479. Simplicius Papa permiſit electionem Patriarchæ Antiocheni celebrari Conſtantinopoli, quæ fieri debebat Antiochiæ per Epiſcopos Syriæ, ſecundum regulas Eccleſiaſticas Concilij Niceni. Anno 871. Patriarcha Conſtantinopolitanus Ignatius, & Imperator Baſilius, petunt à Papa Hadriano, vt diſpenſet à ſtatuto ſeu decreto in octaua Synodo facto, quo cauebatur ne reciperentur, qui à Photio promoti fuerant, aut pſeudo-Synodo ipſius contra Nicolaum Papam congregatæ ſubſcripſerant: quod concedere noluit, quòd non ſit moris Apoſtolicæ ſedis pro libitu proprio, prædeceſſorum ſanctionibus vel Synodorum Oecumenicorum decretis abuti. Et cum poſt mortem Ignatii, ann. 878. in magnum Eccleſiæ detrimentum Photius reſtitutus fuit in ſedem Conſtantinopolitanam per Imperatorem Baſilium, quamuis in Synodo Oecumenica dixiſſet non niſi operâ eius, qui cuncta violat, nempe diaboli, fieri poſſe vt Photius iterum Conſtantinopolitanam ſedem eſſet conſecuturus; hoc negotium reſtitutionis illius apud Ioannem Papam tractatum fuit, per Legationes tum Imperatoris Baſilij, tum Patriarchæ Ieroſolymitani, tum ipſiuſmet Photij. Pontifex autem humanis quibuſdam ratio-

Digitized by Google

nibus ductus, huic reſtitutioni Photij puſillanimiter conſenſit, ex quo fortè factum eſt vt hic Pontifex propter nimiam facilitatem & puſillanimitam, qua dereliquerat virilem animum (cum quo tum Nicolaus, tum Hadrianus huic reſtitutioni reſtiterant) non Papa ſed Papiſſa vocatus fuerit; & exinde ortum habuit fabula quod Ioannes Papa octauus mulier fuerit. Non ita tamen ſegniter negotium pertractauit, vt nullus appareret diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelus: quaſdam namque appoſuerat conditiones in ſuis literis, quæ zelum hunc ſatis teſtabantur, ſed quæ abraſæ, & ſilentio obuolutæ fuerant à Photio, qui literas Apoſtolicas falſificauit, & Synodum conuocauit, vt reſcinderentur & annullarentur quæ contra ſe peracta fuerant. Tandem moritur Baſilius, & Leo eius filius in eius locum ſubſtitutus ei ſucceſſit, qui capta occaſione quod Photius cum Santabareno conſpirauerat, vt ad Imperium quidam ex eius conſanguineis eueheretur, Photium depoſuit, & eum in Monaſterium Armenorum relegauit, & in locum eius fratrem ſuum Stephanum (quem Pater Baſilius ad functiones Eccleſiaſticas deſtinauerat) ſuffecit, flagellato & obcæcato, & in exilium deportato Santabareno. Sed quia Stephanus Diaconus ordinatus fuerat à Photio, ideo diſpenſatione opus fuit. Erat enim decretum Eccleſiaſticum, vt omnes qui à Photio ordinati fuiſſent, à quocumque ordinis ſui actu & exercitio abſtinerent, nec ad altiorem gradum promoueretur. Ideo à Papa Stephanus diſpenſationem impetrare curauit. Quam cum verbis humilitatem non mediocrem præ ſe ferentibus petiit, nempe, *Quoniam*, inquit, *verè ſcimus, quod à veſtra Apoſtolica ſede corrigi, & iuxta Canones corripi debemus, hac de cauſa humilibus his noſtris literis tuam oramus Venerabilitatem. Vt miſericorditer nobiſcum agat.* Quæ diſpenſatio tam ſubmiſsè petita, conceſſa continuò fuit. Petitum etiam fuit vt benignè ageretur, & diſpenſaretur cum Epiſcopis, qui à Photio decepti fuerant, vt integra pax redderetur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. An. 889. n. 5. Quæ petitiones adhuc reiteratæ fuerunt, an. 889. n. 2. quibus reſponſum dedit Formoſus Papa, Stephano è viuis ſublato, cum Romam peruenerunt. Qui reſcripſit Styliano, cognomento Mappa, Metropolitano Neocæſarenſi, ſe diſpenſare cum laicis, qui cum Photio communicauerant; ſed quoad Epiſcopos & Sacerdotes, quos Photius ordinauerat, voluit Pontifex vt in communionem reciperentur, modò ſcriptis confiterentur culpam, & veniam poſtularent. Et vt iſta perficerentur, & ad confirmandam in perpetuum ſententiam damnationis Photij, Legatos à Latere miſit Laudenulphum, & Romanum. An. 891. Et cum Nicolaus, cognomento Myſticus, Patriarcha Conſtantinopolitanus condemnauit, & benedicere noluit nuptias Leonis Imperatoris, Sacerdotemque qui illas benedixerat è gradu depoſuit, & ingreſſum in Eccleſiam ipſi Leoni prohibuit, ad Ioannem 2. Romanum Pontificem recurſum habuit. Qui Conſtantinopolim Legatos miſit, qui Matrimonium iſtud ratum habuerunt, & benignè cum Imperatore diſpenſatunt: cui diſpenſationi cum Nicolaus ſeſe opponeret, in exilium relegatus fuit. Anno 901. num. 2. & 3. Et anno 1041. inſignis eſt illa diſpenſatio facta cum Caſimiro Monacho Cluniacenſi & Diacono, ad inſtantiam Polonorum, qui bellis & internis diſſentionibus vexati, Cluniacum vſque (vbi Monachi vitam profeſſus fuerat) illum requiſierunt, & diſpenſationem eius inſtanter procurarunt: quam quidem poſt diuturnam, & maturam deliberationem (propter rei nouitatem, & quæ adhuc viſa non fuerat) tandem impetrarunt, & cum eo tam de habitu &

A regula monachali diſpenſatum fuit, quàm de Diaconatus ordine, dum ei permiſſum fuit ad matrimonium conuolare, cum his tamen conditionibus, quæ huius beneficii gratitudinem teſtarentur, nempe vnius aurei per ſingulos præſtatio ſeu perſolutio S. Petro à ſucceſſoribus; quod capillitium detonderent in modum Religioſorum, & in præcipuis Chriſti Domini feſtiuitatibus, nec non & beatæ Virginis Mariæ, linteum candidum in modum ſtolæ à capite ad pedes protendens geſtarent. Baro. an. 1041. Et ſub his conditionibus Monachus iſte Polonorum regnum, & diadema ſuſcepit, qui & feliciter regnum gubernauit, & in optimum ſtatum reduxit.

B Ad hæc indulta reuocare poſſumus S. Gregorii Papæ decretum in quadam Synodo Romana, quod nuncupatum eſt conſtitutio, quo decreto quieti & tranquillitati, & indemnitati Monachorum prouidere voluit, ne in poſterum aliquod grauamen ſeu moleſtiam ab Epiſcopis paterentur, ſiue in bonis temporalibus, ſiue in Abbatum electionibus, ſeu in promotionibus & ordinationibus ipſorum, inuitis Abbatibus. An. 601. Et anno 676. Priuilegium conceſſum fuit per Adeodatum Papam Monaſterio S. Martini Turonenſi, at aſſentiente Epiſcopo: *Tunc enim*, inquit Baronius, *expedire iudicabant Romani Pontifices abſtinere à conceſſione priuilegiorum, quod hoc potius cederet in preiudicium Regularis diſciplinæ,* C *quàm in eius auxilium.* Et aſcribit potiùs prudentiæ fratris Eliæ generalis Minoritarum poſt ſanctum Franciſcum, quàm ſpiritui huius viri ſanctiſſimi, quod ordo fratrum Minorum ab omni Epiſcopali iuriſdictione fuerit exemptus. Sed cum bona venia tanti viri, & de Eccleſia omni tempore optimè merentis, dicere liceat ſanctum Franciſcum ſpiritu reuera humilitatis prohibuiſſe fratribus ne prædicarent in diœceſibus Epiſcoporum, contradicentibus ipſis; eos enim in ſummo honore habebat: quo etiam ſpiritu animatus poteſtatur ſe nolle prædicare in Eccleſiis parochorum ipſis inuitis. Ex hoc tamen inferre non debemus ipſum noluiſſe Ordinem ſuum immediatè ſubiectum eſſe ſummo Pontifici & D Apoſtolicæ Sedi. Contrarium namque ſatis declarat in initio, & in fine regulæ. Sicut enim Regulam incipit promittendo obedientiam ſummo Pontifici, ita illam claudit præcipiendo Miniſtris Ordinis vt petant à Domino Papa vnum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, & corrector iſtius fraternitatis. *Vt ſemper*, inquit, *ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Et in Teſtamento ſuo præcipit quod ſi quis ex fratribus ſuſpectus de hæreſi inueniatur, ad eiuſmodi protectorem ſeuerè mittatur vtique ab eo corrigendus. Cur enim mitti non vult ad Epiſcopum diœceſanum, niſi quia volebat ſuum Ordinem Apoſtolicæ Sedi immediatè eſſe ſubiectum? Epiſcopos E igitur & Sacerdotes reuereri à ſuis fratribus exoptabat, nec priuilegiis prædicandi eos arroganter abuti cupiebat; directioni tamen, & iuriſdictioni ſummi Pontificis eos ſubmittere voluit, vt Ordinem ſuum ſupra inconcuſſam, & firmiſſimam Petram fundaret, quo nullis perturbationibus, ventis, ſeu procellis concuti & obrui valeret.

De poteſtate mittendi aliquos ad prædicationem verbi diuini. §. 5.

Quantum ad facultatem prædicandi Euangelium in omnibus orbis partibus, quæ quibuſdam à ſummo Pontifice conceditur viâ extraordinariâ, videlicèt præter ordinariam miſſionem, veſtigium huius conceſſionis ſeu praxis inuenimus in ſanctis

Digitized by Google

Paulo & Barnaba, qui à ſede Antiochena miſſi fuerunt, dum adhuc ibi erat ſedes S. Petri. Is namque an. 39. ſedem ſuam Antiochiæ collocarat, eamque retinuit ibidem vſque ad annum 45. & eodem anno Romam tranſtulit. Anno autem 144. ſede adhuc Antiochiæ permanente, dictum fuit à Spiritu ſancto Clero Antiocheno: *Segregate mihi Paulum & Barnabam, ad opus ad quod aſſumpſi eos.* Et reuera Paulus immediatè à Chriſto vocatus eſt, vt nomen ſuum portaret eorum gentibus & regibus, & filiis Iſraël (vt hæc addamus hic iis quæ à Baronio colligimus) & extraordinariâ quadam viâ ad hoc munus prædicandi verbum electus fuerat. Tamen non diſcendi ſtudio, quum & ipſe eumdem prædicationis haberet autorem, *ſed honoris priori Apoſtolorum deferendi*, inquit Cæſarius Altiſiodorenſis, *poſt tres annos venit Hieroſolymam videre Petrum*; & non modo vt honorem deferret, ſed vt ſui Euangelij ac doctrinæ ſuæ, & miſſionis approbationem ſibi cõpararet, poſt annos quatuordecim aſcendit ſecundum reuelationem, vt conferret cum Apoſtolis, qui Hieroſolymis erant, Euangelium quod prædicabat in gentibus, *ſeorſim autem iis qui videbantur aliquid eſſe: ne fortè in vanum currerem*, inquit, *aut cucurriſſem.* Ad Galat. 2. *Vt ſic Galatæ diſcerent non reprobaſſe Euangelium eius. eos quoque qui in Iudæa Eccleſiis præſidebant*, inquit Cæſarius. *Dignum fuit*, inquit S. Ambroſius, *vt cuperet videre Petrum: quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum: non vtiq; vt aliquid ab eo diſceret, quia iam ab autore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus; ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat.* Ita S. Ambroſius in c. 1. Ad ea quæ ex Baronio colligimus, redeamus. Ad hoc opus vocatus S. Patritius, vt Hyberniam ad fidem conuerteret, tantum opus aggredi noluit, quin prius Romam adiiſſet, *vt pro more & conſuetudine*, inquit Baron. *à Cæleſtino Papa tunc ſedente, Apoſtolatum & miſſionem acciperet, pro conuerſione huius nationis.* An. 431. n. 25. Et an. 597. celebertima eſt & inſignis illa miſſio S. Auguſtini, cum ſociis ſuis, à S. Gregorio Magno in Angliam miſſi, vt eam ad fidem conuerterent. Et anno 686. S. Kilianus Romam petiit, & à Papa Conone Epiſcopus factus facultatem obtinuit prædicandi Euangelium Gentilibus, & Franciam Orientalem Germaniæ prouinciam adiens, hanc nationem cum duci Goſberto à cultu idolorum ad fidem Chriſti conuertit. Et anno 690. quamuis Euangelium iam apud Alemannos promulgatum fuiſſet, attamen quia magna pars horum populorum in priores tenebras ignorantiæ inciderat, pars etiam eorum nondum diuinum verbum audierat, & præcipuè incolæ Friſiæ, & Saxoniæ, quidam Angloſaxones, qui in Anglia commorabantur, cum hos populos reſpicerent tanquam ſuos progenitores, ſuadente, & inſtigante S. Ecgberto Anglo in Hybernia Monacho, duodecim ex ipſis Sacerdotibus, præter Adelbertum Diaconum filium Regis Deirorum, à Britannia egreſſi in Galliam tranſmearunt, & à Pipino Palatij Magiſtro literas commendatitias poſtularunt, quibus freti poſſent abſque impedimento in Friſia Euangelium diſſeminare. Ii autem Romam miſerunt S. Vvilbordum, ſeu Vvillebrodon ad Sergium Pontificem, vt ab eo impetraret pro omnibus de more licentiam, & benedictionem Apoſtolatus, vt hoc negotium feliciter ſuccederet. Et anno 719. inſignis eſt miſſio magni illius Germaniæ Apoſtoli ſancti Bonifacij Angli Monachi, à Gregorio 2. Papa miſſi, cuius præclaræ & omni laude celebrandæ actiones narrantur à Baronio in annis ſubſequentibus. Et anno 997. S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, cum ab Boleſlao Rege Bohemiæ impediretur, ne in ſuam rediret Eccleſiam, vt functiones Apoſtolatus ſibi à Gregorio 5. Romano Pontifice delegati adimpleret, adiit Pruſſiam, vbi coronam Martyrij obtinuit, vinculis conſtrictus, & ſeptem lanceis confoſſus. Et poſt eum S. Bonifacius alius ab eo, de quo paulò ante loquuti fuimus, Ottonis Imperatoris cariſſimus cognatus, quem animam ſuam vocitabat, deſiderio Martyrii accenſus ob memoriam S. Bonifacii antiqui Martyriis, ſeculum reliquit, & S. Romualdi inſtitutum ſuſcepit. Cum S. Adalberti Martyrium audiuiſſet, moræ impatiens, & ſancta quadam æmulatione prouocatus, à ſede Romana licentiam obtinuit prædicandi gentilibus Euangelium: & Ruſſiæ Epiſcopus factus tandem meruit palmam martyrij conſequi, cum decem & octo ſociis ſuis. An. 997. n. 2. Quod cum audiſſet S. Romualdus ita martyrij deſiderio exarſit, vt licentiam peteret à Ioanne 3. prædicandi Euangelium, an. 1008. & Pannoniam ſeu Hongriam adiuit cum duobus diſcipulis ſuis Archiepiſcopis conſecratis. Sed Deo aliter diſponente de ſe, morbis variis in Italiam remeare coactus eſt, & ab incœptis deſiſtere. Et anno 1124. Otto Epiſcopus Bambergenſis, à Bolizlao Polonorum Duce prouocatus vt conuerſionem Pomeraniæ ſuſciperet, quæ adhuc idololatria laborabat, à Calixto Papa Apoſtalatũ impetrauit, & meruit nuncupari Pomeraniæ Apoſtolum. Denique S. Malachias, qui cum omnimoda autoritate apud Hybernos res Eccleſiaſticas pertractauerat, tanquã Hyberniæ Apoſtolus, nemine cum interrogãte quã virtute & autoritate iſta perageret, ob inſignia quæ patrabat miracula, tamen ſibi in animum induxit (vt fructus ſui Apoſtolatus permaneret, ac ſi alioqui deperdendus eſſet) ſibi eſſe Romam adeundum, vt autoritatem Apoſtolicam ſibi compararet. Quem Innocentius Papa ſuum Vicarium in Hybernia conſtituit. An. 1137. n. 3.

De iure appellationum. §. 6.

Tandem vt ad ius appellationum ex omnibus orbis partibus, deueniamus, quo ad ſedem Romanum prouocatum eſt à quam plurimis, Regula eſt Eccleſiaſtica ex traditione Apoſtolica proueniens; ſeu, vt meliùs dicamus, ex autoritate à Saluatore S. Petro tradita procedens; vt negotia maioris momenti, ſiue quæ ad fidem & religionem ſpectant, ſiue quæ ad diſſidia inter Epiſcopos occurrentia ſedanda pertinent, ab initio naſcentis Eccleſiæ ad ſedem Romanam deferrentur decidenda & terminanda. In cuius regulæ vi & virtute Iulius Pontifex ad ſuam cognitionem deferri decreuit diſſidia inter Euſebianos & S. Athanaſium, an. 325. n. 43. Et iuxta illam traditionem plurima decreta fuere in Conſilio Sardicenſi, quæ dignitatem Romanæ Eccleſiæ denotarent. Inter quæ & illud decretum fuit, quod ſi quis Epiſcopus ſe iniuſtè damnatum ab aliis Prouinciæ ſuæ Epiſcopis exiſtimaret, liberum illi eſſet prouocandi apud Romanum Pontificem, qui aut confirmaret, quæ iam iudicata fuerant, aut rurſus cauſam cognoſceret, & redintegraret; Quin & illud decretum fuit, nulli licitum eſſe ſubrogare alium Epiſcopum in locum Epiſcopi condemnati, ſi ipſe Epiſcopus condemnatus ad Pontificem Romanum prouocaſſet ſeu appellaſſet, cuius expectaret ſententiam. Quibus adde, quòd ſi qui reperirentur Epiſcopi depoſiti ad ſedem Romanam appellantes, ipſi Pontifici ad libitum relinqueretur facultas vel cauſam delegandi Epiſcopis vicinioribus, vel à Latere ſuo in hanc Prouinciam delegare ſacerdotes, qui de hac cauſa ſeu negotio cognoſcerent.

Digitized by Google

Denique decretum fuit, quòd ſi qui irent ad comitatum vt adirent Imperatorem, ſi Imperator Romæ exiſteret, ſupplicationes ſuas Pontifici Romano oſtenderent antequam eas Imperatori præſentarẽt, qui cuncta in eis contenta examinaret; & ſi hæc rationabilia viſa forent, illas ad Imperatorem referri ſatageret. Bar. an. 347. n. 12. Ex quibus conjicitur quod meritò Gelaſius in ſuo commonitorio ad Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum, inter alia declarauerit, omnes totius mundi Eccleſias, etiam Patriarchales, ſolitas fuiſſe ad ſedem Romanam prouocare ſeu appellare; Eccleſiam verò Romanam nullius Eccleſiæ iudicio ſubditam eſſe. An. 493. n. 3. Hinc anno 483. cernimus Ioannem Patriarcham Alexandrinum è ſede pulſum, hoc præcipiente Zenone Imperatore, litteras Synodicas commendatitias aſſumere à Calendione, qui tunc erat Patriarcha Antiochenus, ad Papam Simplicium prouocando, tanquam ad iudicem legitimum. Quod ius ita fixum, & notorium fuit, vt etiam quidam hæretici ad hanc ſedem appellare voluerint, vt patet in Macario Patriarcha Antiocheno Monothelita, cum diſcipulis ſuis (qui depoſiti fuerãt in ſexta Synodo) ad Agathonem Papam prouocante. An. 681. n. 10. At non modo ex Alexandria, & Antiochia prouocatum eſt, ſed & à Conſtantinopolitana ſede: quod præſtitit S Ioan. Chryſ. 404. qui à ſententia Theophili Alexandrini ad Papam Innocentium appellauit. Et cum Flauianus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſummum Pontificem informare voluit de iis, quæ contra Eutychen peracta fuerant, auſus eſt ille hæreticus ſcriptis & literis ſuis Romam adire, in quibus, licèt mendaciter, ſignificabat ſe iniuſtè condemnatum fuiſſe, & ad ſedem Romanam prouocantem, nullam rationem habitam fuiſſe ſuæ appellationi. Sciebat namque callidus Hæreſiarcha Eccleſiam totam propenſam iri in eam partem, in quam Pontifex Romanus inclinaret. An. 448. Quin & ipſemet Flauianus per Dioſcorum Alexandrinum in Synodo condemnatus, tam viua voce quàm ſcripto appellauit ab hac Oecumenica Synodo ad ſummum Pontificem: qua de cauſa malè habitus eſt à Dioſcoro, itaut mortem obierit, ex pœnis & laboribus quos ſuſtinere coactus fuit, & proinde Martyr occubuit, tum pro defenſione fidei decertans, tum quia à Synodo ad ſummum Pontificem generosè appellauit. An. 447. Item S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus appellauit ab iis omnibus, quæ contra ſeipſum peracta fuerunt à Photio intruſo, ad ſummi Pontificis iudicium, tanquam Præſidis, & Patriarchæ omnium ſedium, ac Principis Apoſtolorum ſucceſſoris, & vniuerſalis Papæ. An. 861. n. 5. Reſtat Sedes Hieroſolymitana inter præcipuas. Anno itaque 1104. Daibertus Patriarcha Ieroſolymitanus expulſus (vt in locum ſuum ſubſtitueretur Ebremannus à Balduino Ieroſolymorum Rege) Ieroſolyma abſcedens Romam petiit, & ſuas querelas expoſuit. Et Arnulphus Ieroſolymitanus Patriarcha à ſede depoſitus per quoddam Concilium, per Legatum Apoſtolicum in Oriente celebratum, Romam venit, vt in ſuam reſtitueretur ſedem. Ann. 1115. & an. 419. docet Baronius qua ratione ex Eccleſiis Africanis appellationes ad ſedem Romanam fuerunt in praxim reductæ, n. videlicet 8. 9. & 10. Et apud ipſum an. 602. leguntur plurima iudicia Sedi Romanæ delata fuiſſe, quæ S. Gregorius diſcutienda aliis commiſit. Sic notitiam cauſæ Pauli Epiſcopi Diadeni Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ commiſit. Cauſam etiam Clementij Primatis Prouinciæ Byzacenæ ad Concilium, quod in ea Prouincia celebrabatur, diſcutiendam delegauit. His adde cauſam Paulini Regenſis in Numidia Epiſcopi, & cuiuſdam Diaconi, nomine Donadeus, à ſuo Epiſcopo depoſiti, quam diſcutiendam commiſit Papa Concilio in eadem Prouincia celebrando; itaut tempus illud moleſtiſſimum, & bellis vndique graſſantibus incommodum minimè impediebat quominus ab Oriente, & Occidente quælibet negotia, iudicia & appellationes ad ſedem Romanam deferrentur. Bar. an. 602. n. 3. Et an. 1053. Epiſcopus Gummitanus ius Metropolitani in preiudicium Carthaginenſis Eccleſiæ ſibi arrogans, eo videlicet prætextu quod vrbs iſta diruta fuiſſet, Thomas Carthaginenſis Epiſcopus in ſuum auxilium aduocauit Sedis Romanæ autoritatem: vnde Leo Pontifex declarauit velle priuilegia Eccleſiæ Carthaginenſis ſarta tecta conſeruari. n. 6. Et in Gallia S. Brixius Turonenſis Epiſcopus à ſede ſua pulſus ad ſedem Romanam appellans in ſede reſtitutus fuit. Et quidem Leo Papa ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis docet conſuetudinem viguiſſe apud Galliarum Epiſcopos, vt ſæpe ſæpiùs ad ſedem Romanam appellarent. An. 432. n. 9. Et ann. 535. Epiſcopus quidem Gallus, nomine Contumelioſus, iam à Ioanne Papa condemnatus, ſecundum relationem ipſi factam Epiſcoporum Galliæ, ad ſucceſſorem illius Agapetum recurrens alios obtinuit iudices, qui de cauſa cognoſcerent. Et anno 570. Salonius Ebrodunenſis Epiſcopus, & Sagittarius Vapringenſis Epiſcopus fratres, in Concilio Lugdunenſi ad ſedem Romanam appellarunt, & literas impetrarunt à Ioanne Papa pro Rege Gonthranno, quarum virtute in ſedem reſtituti fuerunt. Et cum Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus, ab Epiſcopis Prouinciæ ſuæ perſecutionem grauem paſſus fuit, Gregorius Papa ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit, & mandauit permittendum eſſe Aldrico prouocare ad Sedem Romanam, & interim manere in ſuo Epiſcopatu, donec cauſa ipſius à Sede Romana iudicaretur. An. 839. Et Rhotaldus Epiſcopus Sueſſionenſis ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo depoſitus in Synodo Siluanectenſi, ſuas querelas Romæ expoſuit, quibus auditis, Nicolaus Papa decreuit vt cauſa ipſius coram ſe diſcuteretur, An. 863. n. 8. aut ſaltem obtemperaretur decreto ſuo, quo ſtatuebat vt ſub pœna ſuſpenſionis Synodus in ſuam ſedem reſtitueret Rhodoaldum. Et cum Carolomannus Caroli Calui filius à Patre coactus fuiſſet vt tonſuram Clericalem gereret, & in ordinem Clericorum redigeretur; cum ab Epiſcopis condemnatus fuiſſet, quod ab hac profeſſione reſiliret; ab hac ſententia appellans ad ſummum Pontificem, à carcere, in quo à Patre detinebatur, liberatus fuit, mediante Hadriano Papa an. 870. Et Hincmarus iunior Epiſcopus Laudunenſis ab Hincmaro patruo Rhemenſi Archiepiſcopo grauiter perſecutus, & ab eo iniuſtè depoſitus, ad Hadrianum Papam appellauit, licèt appellatio iſta locum & effectum non obtinuerit, impediente iſtud Carolo Caluo, rationibus politicis inducto. Nihilominus in Concilio Trecenſi à Papa Ioanne reſtitutus fuit, & licèt cæcus eſſet ei permiſſum fuit Miſſam celebrare; & pars quædam reditus Epiſcopatus Laudunenſis illi aſſignata fuit, ſeruatâ aliâ Hedeuulpho, qui in locum ſuum ſubſtitutus fuerat. Bar. an. 878. Et in cauſa Arnulphi Archiepiſcopi Rhemenſis, Abbo Abbas Floriacenſis, cum aliis quibuſdam, proteſtatus eſt Arnulphi iudicium peragi non poſſe abſque autoritate ſupremæ ſedis. Baron. an. 992. num. 2. Itaut optimè dixerit Durandus Epiſcopus Leodienſis ad Henricum Regem Francorum, in cauſa Brunonis Epiſcopi Andegauenſis, & Berengarij: *Cum de Epiſcopi damnatione agitur, non eſt progrediendum abſque ſummi Pontificis autori-*

Digitized by Google

tate. Et anno 1078. inter alia negotia quæ oblata fuerant Gregorio 7. decidenda, Archiepiſcopi, Rhemenſis, Biſuntinus, Senonenſis, Burdigalenſis, Turonenſis, à Legato Apoſtolico ſuſpenſi, cum ad Papam Gregorium 7. appellaſſent, decreuit ille, ipſis audientiam eſſe præbendam. Et cum Rhemenſis allegaret cauſam ſuam iudicandam eſſe à ſolo Romano Pontifice, aut Legatis ad hoc ſpecialiter deputatis, docet Pontifex *priuilegia ab ea Sede concedi ſolita pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco; interim pro iiſdem, ſi neceſſitas, vel vtilitas maior exegerit, licenter poſſe commutari.* Ita Gregorius. Reperiuntur adhuc & aliæ multæ ad ſedem Romanam appellationes, apud Baron. V.g. an. 258. legimus qua ratione quidam Baſilides Epiſcopus Legionenſis in Hiſpania, quamuis iuſtè expulſus, Papam tamen Stephanum appellat, ſpe reſtitutionis ex eius autoritate. Et an. 592. legimus cauſas plurimorũ Epiſcoporum corã S. Gregorio fuiſſe diſcuſſas; v.g. Epiſcoporum Thebani in Bœotia, & primæ Iuſtinianæ, Epidaurenſis, Agrigentini, Calaritani, Legionenſis, Catumenſis, Emetenſis, Tholoſani; quod reuera ſummus Pontifex ſit per omnes orbis partes Epiſcoporum iudex. Et an. 595. S. Gregorius arguit Ioannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, quod inferret moleſtiam cuidam Sacerdoti Ioanni, poſt ſuam ad ſedem Romanam prouocationem: cui admonitioni ceſſit Patriarcha, cauſæ actus, & proceſſus Romam mittendo, in hoc ſuam à ſummo Pontifice dependentiam agnoſcens, quamuis in huiuſmodi actibus nomen Oecumenici Patriarchæ ſibi arrogaret: propter quam vſurpationem grauiter fuit à S. Gregorio admonitus, & fortiter repreſſus, vt videre licet apud Baron. an. 595. n. 4. & 5. Vnde piè egit Mauricius Imperator, qui cum Primas Byzacenus in Africa fuiſſet de quodam crimine accuſatus, iuxta ſtatuta Canonica cauſam remiſit ad Papam Gregorium, tanquam ad communem omnium Epiſcoporum iudicem. Et an. 667. Ioannes Epiſcopus Lappæ in Creta, quamdam iniuſtitiam patiens ab Archiepiſcopo Cretæ, ad ſedem Romanam prouocauit, Romam adiit, vbi abſolutus fuit in Synodo ad hoc negotium pertractandum conuocata à Papa Vitaliano. Et cum olim Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Synodo depoſuit Gregorium Epiſcopum Syracuſanum, hoc præſtitit ea lege & conditione, quod eiuſmodi decreto Leonis Papæ conſenſus adhiberetur, quem conſenſum expetitum per Legatos ſeu deputatos quoſdam præbere Pontifex noluit; donec pars læſa, cuius cauſa agebatur, audiretur. An. 854. Et iam tetigimus appellationem à Synodo, à Flauiano & Theodoreto interiectam, quos è ſede expulerat Dioſcorus, an. 44. n. 11. & 14.

Quod ſi ius videre ius appellationum optimis rationibus fulciri, contra Hiſtoricorum Hiſpaniæ fauentium (pro Regno Siciliæ) prætenſionem, lege Baron. an. 1097. Et quamuis an. 1156. Hadrian. 4. coactus fuerit Guillelmo Siciliæ Regi concedere quòd in Sicilia nullum ius eſſet appellandi ad ſedem Romanam, cum hoc factum fuerit per violentiam, & inuito Pontifice, nullius eſt momentis nec valoris. Vnde ſub Innocentio tertio, hæc conceſſio ſublata fuit, & libertas Eccleſiaſtica in priſtinum ſtatum reducta. Hoc ſiquidem ius nulla præſcriptione aboleri poteſt. Vnde olim Deſiderius Cardinalis, Abbas antea Caſſinenſis, & poſtea ſummus Pontifex Victor tertius, Imperatorem Henricum Eccleſiæ iura vſurpantem ita alloquebatur: *Sedes Apoſtolica, Domina eſt noſtra, non ancilla; nec alicui ſubiecta, ſed omnibus Prælata; & ideo nulla omnino ratione ſub iugum à quoquam mitti poteſt. Quod ſi à Nicolao Pa-*

A *pa factum eſt* (quem dicebant ſcilicet decreuiſſe expectandam eſſe voluntatem Imperatoris in electione ſummi Pontificis) *iniuſtè profectò, & temerè præſumptum eſt: non tamen cuiuſquam ſtultitia, aut temeritate, Eccleſia amittit dignitatem ſuam.* Hæc ille. Et ita authenticum eſt ſummum Pontificem cognoſcere de cauſis fidelium Chriſtianorum, quod ipſimet Reges optimum eſſe duxerunt eos aſſumere in iudices diſſidiorum ſuorum. Imo & appellarunt & prouocarunt ad ſedem Romanam, ſi aliquando in ſuis pactis & conuentionibus, ea, quæ rationi exiſtimabant conſona, non conſequerentur. Hoc præſtitit Lotharius: ſiquidem appellauit à conuentione facta in quadam ſtatus Galliæ congregatione, in qua tres Reges, Carolus Caluus, Lotharius, & Ludouicus
B interfuerunt. Petiuit namque à Nicolao Papa, vt in ciuitate Metenſi Synodus conuocaretur, quod ei conceſſum fuit. An. 862. Optimè itaque dixit Nicolaus Pontifex, & multis rationibus & autoritatibus probauit in reſponſione ad Epiſcopos Galliæ, maiora omnia negotia ad ſedem Apoſtolicam deferri debere, vt refert Baron. An. 865. Et cum Vratiſlaus Bohemiæ dux procurauit apud ſummum Pontificem vt Epiſcopatus Pragenſis in duos diuideretur, erigendo de nouo Epiſcopatum in vrbe, quæ dicitur Olmus Toramia, Epiſcopus Pragenſis multam intulit moleſtiam Ioanni creato Epiſcopo huius loci; quin & verberibus cædere auſus eſt Romæ deputatos, vt de tantis iniuriis conquererentur.
C Quarum iniuriarum reparationem Dux ille Sedi Romanæ detulit. An. 1073. Et cum Archiepiſcopus Hamburgenſis apud ſe conſtituiſſet excommunicationi ſubiacere Ericum Regem Danorum, huius propoſiti effectum Rex ille præuenit, appellando ad Sedem Apoſtolicam, & obtinuit quod deinceps in poſterum Dania non eſſet amplius ſedi Hamburgenſi ſubiecta, ſed proprium haberet Metropolitanum. An. 1092. n. 2. Inter has appellationes indigna eſt computari appellatio Henrici Tertij, interiecta ab eo contra proprium filium, quod hæc viſa fuerit animo fallaci & diſſimulato facta. An. 1106. Atſfacta eſt tamen. Et cum S. Thom. Cantuarienſis Archiepiſcopus vellet excommunicare Regem An-
D gliæ Henricum, tam ipſe Rex quàm Epiſcopi Regi fauentes nullo meliori remedio exiſtimarunt ſibi eſſe prouidendum, quàm ad ſummum Pontificem appellare. An. 1167. n. 5. & an. 1166. n. 4. Denique ſedes Romana refugium facta eſt Richardo Regi Angliæ, quem Leopoldus Auſtriæ Dux in carcerem detinebat. An. 1193.

Dices duos Henricos, vnum Germaniæ Regem, alterum Angliæ, eiuſmodi appellationes impedire voluiſſe. De primo agit Baron. an. 1073. de altero an. 1164. Præterea exortam fuiſſe aliquando controuerſiam inter Africanam Eccleſiam & Sedem Romanam, vt refertur an. 419. n. 166. & quaſdam
E propoſitas difficultates, ſeu inconuenientia quædam ab Epiſcopis Galliæ oppoſita fuiſſe Nicolao Pontifici, an. 865. Hæc nihilominus infirmare non poſſunt ea quæ longo vſu, & inueterata praxi conſueta fuerunt fieri in vniuerſali Eccleſia. Nec enim Epiſcopi Africani vetabant appellationes, ſed tantùm monuerunt Pontificem vt non facilè, vel abſque vlla vrgente neceſſitate admitterentur. Lege Concilium Carthaginenſe 6. tom. 1. Concil. pag. 750. & Epiſtolam Concilij Africani, tom. 1. Conc. p. 757. cum notis Seuerini Binij. Maneat igitur tanquam conſtans & veriſſimum axioma, quod docet Nicolaus primus, epiſtola 30. ad Carolum Regem Francorum. *Priuilegia*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ totius ſunt Chriſti, vt ita dicamus, remedia Eccleſiæ Catholicæ. Priuilegia, inquam, Petri, arma ſunt contra omnem impetum prauitatum;*

Digitized by Google

prauitatum; & munimenta, & documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorſus qui in ſublimitate conſiſtunt, immo cunctorum, qui ab iiſdem poteſtatibus, diuerſis afficiuntur incommodis. Ita refert Baron. anno 1097. n. 43. & 44.

Quod ſi quoddam priuilegium emanet à ſede Romana, nunquam tamen in ſuum preiudicium illud concedere cenſetur. Hoc docet idem Nicolaus primus agens de priuilegio Eccleſiæ Rhemenſi conceſſo, quo abutebatur Hincmarus Archiepiſcopus. Sic enim de eo loquitur Nicolaus ad Turinenſem Epiſcopum reſcribens. *Sic Apoſtolica ſedes aliena iura cuſtodit, vt ſua non minuat. Sic honorem debitum dat, vt ſuum non tribuat alienis. Nam & arma illi à nobis collata ita volumus, vt pro eo ſint valida; vt potius pro nobis, vbi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem teneant.* Ita apud Baron. an. 1097.

Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad ſedentem ſupra nubem: Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

Quiſnam ſit ille Angelus?

ANNOTAT. XVII.

ALCAZAR exiſtimat *hunc Angelum ſignificare Ioëlem Prophetam alloquentem Euangelicos prædicatores, quos deſtinauit Deus ad Euangelium gentibus promulgandum. Et licèt Apocalypſis dirigat ſermonem ad Chriſtum, ſenſus tamen idem eſt, quia Chriſtus erat præcipuus, qui in ſuis operariis fruges demetebat: quamobrem ipſis vt inſtrumentis, Chriſto vt principali cauſæ, meſſis aſcribitur.* Ita Alcaz.

S.Thomas: *Alter Angelus, ſcilicet cœtus ſanctorum, qui dicuntur Angeli, propter excellentiam vitæ, vel propter conformitatem gloriæ. Dicuntur autem Angelus, ſingulariter, propter vnitatem voluntatis, & vinculum caritatis. Exiuit, id eſt, exibit; de templo, id eſt, de intimo & ſacro ſecreto intima contemplationis, in qua prius ante iudicium erant occulti. Exitus iſte eſt apparitio ſanctorum in iudicio, in magna claritate, quæ ante erat in occulto diuinæ fruitionis: non tamen frui ceſſabunt, &c. Vel exitus iſte poteſt intelligi motus ſpiritualis à contemplatione diuinæ miſericordiæ ad contemplationem iuſtitiæ, quam optabunt; quia deſiderabunt iudicium fieri.*

Andreas Cæſarienſ. *Vox iſthæc Angeli, & clamor, periphraſticῶs communis Angelicarum virtutum preces, communeque ſanctorum omnium deſiderium ſignificat. Omnes namque iuſtorum odorem & gloriam, peccatique & iniquorum exciſionem videre geſtiunt, quo fluxa tandem mortique obnoxia deſinant: ſuccedunt autem, & ſeſe produnt ſtabilia fixaque permanentia.* Ita And. Ad mentem noſtram propius accedit Beda, dum ait: *Angeli, quos terræ meſſores in Euangelio legimus, & qui omnes ſunt in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſingula penſantes Eccleſiæ merita quotidie Domino renarrant: Mitte falcem tuam & mete.* Ita Beda. Dominum monent vt fructum cæleſtem horreis recondat felicibus, & zizania & paleas flammis, vt poſtea dicit. Siquidem nos, qui in ſedente ſupra nubem Chriſtum quidem, ſed in perſona ſummi Pontificis, Eccleſiam regentem & moderantem intelligimus; itaut ille ſedens ſummum Pontificem repræſentet, in quo Chriſtus eſt, quia in eo functiones capitis in corpus ſuum myſticum quoad externam gubernationem exercet, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. c.13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* dicimus hunc Angelum repræſentare Angelos Tutelares prouinciarum, ſeu locorum particularium, qui vel appa-

A ritionibus quibuſdam, vel inſpirationibus prouocant vel ſummum Pontificem, vel eos qui in partem ſollicitudinis, quam erga Eccleſiam gerit, vocati ſunt; vt poteſtate ſibi tradita, vel prædicandi verbi, vel inſtituendi aut mittendi qui verbum Dei poſſint prædicare populis, vtantur. Sicut enim Pontifex habet in regimine Eccleſiæ ſocios & fratres, quamuis in eo plenitudo autoritatis refulgeat, quales erant hi quos ipſe Petrus alloquitur: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum.* 1. Petri c.5. ita modo ad eum poteſt hæc petitio Angeli- B ca dirigi, ſiue Angeli eam immediatè ſuggerant, apparitionibus ac inſpirationibus, Eccleſiæ ſummo Paſtori, aut aliis Paſtoribus; ſiue populi ipſi angelorum inſpirationibus obedientes, tanquam paruuli panem petant ab ipſo Patre Patrum ſummo Pontifice, aut ab Epiſcopis qui Patres ſunt fidelium, quos verbi diuini prædicatione gignunt Chriſto. Multos habetis pædagogos in Chriſto, *ſed non multos patres: nam per Euangelium ego vos genui*, dicebat Apoſtolus. Talis erat ille Angelus, qui Petro in eſtaſim rapto viſionem in eo operabatur cæli aperti, & lintei de cælo ſubmiſſi, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli: & formabat hanc vocem: *Surge, Petre, occide & manduca*; & qui recu- C ſante Petro, quòd nunquam manducaſſet omne commune & immundum, rurſus eum alloquutus eſt dicens: *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris.* Act. 10. Et fortè idem erat, qui Cornelio Centurioni in Cæſarea apparuit, illumque monuit ſuas orationes & eleemoſynas aſcendiſſe in memoriam in conſpectu Dei, eique dixit vt mitteret in Ioppen, & accerſeret Simonem, qui cognominabatur Petrus, qui illi dicturus erat, quid ſibi oporteret facere. Nam quid hoc eſt aliud, quam ad Petrum (ex cuius ore gentes audire debebant ex antiquo Dei decreto verbum Euangelij, & credere) clamare adeſſe horam, vt ex ore eius procederet gladius acutus, quem tanquam falcem ha- D bebat in manu, id eſt, in ſua poteſtate, vt meteretur terra, id eſt, gentiles ad fidem conuerterentur. *Mitte falcem tuam acutam, & mete: quia venit hora vt metatur, quia aruit meſſis terræ.* Iam Cornelius ille à fluxis & caducis rerum mundanarum, & voluptatum corporearum amoribus & affectionibus liber eſt, & aridus: Facilè ignem diuinis amoris in eo accendes, ſi ſemel gladio verbi illum percuſſeris. Talis fuit ille Angelus, qui apparuit ſancto Paulo: *Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti quod vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Act. 18. Sicut igitur Ange- E lus inuitat Petrum, vt mittat falcem ſuam acutam in terram, id eſt, prædicet gentibus; ita Angelus hic Macedonum Paulum interpellat, vt mittat falcem ſuam in Macedoniam, vt demetat eos qui præordinati erant à Deo in vitam æternam. Deus ſiquidem, (apud quem nec vnus paſſerculus eſt in obliuione, *Vnus*, inquit, *ex illis non eſt in obliuione coram Deo.* Luc. 12.) electorum ſuorum curam præcipuam gerens, Angelorum miniſterio vtitur, vt vel Paſtores à ſe conſtituti, vbi reperiunt oſtium apertum, ibi prædicent verbum; vel etiam populi conuertendi ad Chriſtum, aut conuerſi in fide perſeueraturi, eum qui gubernaculum tenet, prouocent vt mittant operarios & meſſores; vel vt ſancti denique Deum ac Dominum humiliter deprecentur, vt mittat meſſores, iuxta illud Matt. 9. *Meſſis quidem multa, ope-*

varij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis vt mittat **A** *operarios in meſſem ſuam.* Rectè enim S. Hilarius cano. 10. *Immundi autem ſpiritus dominante violentia, Vexatam & ſub legis onere ægrotantem plebem Dominus miſeretur. Quia nullus adhuc eis Paſtor eſſet cuſtodiam ſancti Spiritus redditurus. Erat autem doni iſtius copioſiſſimus fructus, ſed nondum meſſus à quoquam. Eius enim copia haurientium multitudinem vincit: nam quantum libet aſſumatur à cunctis, ad largiendum ſe tamen ſemper exuberat. Et quia plures eſſe vtile ſit, per quos miniſtretur, rogari Dominum meſſis iubet, vt in meſſem operarios plures ejiciat, ad capeſſendum ſcilicet quod præparabatur donum Spiritus ſancti, meſſorum copiam Deus præſtet. Per orationem enim ac precem, hoc nobis à Deo munus effunditur.* Ita S. Hilar. **B** Cum igitur à Regibus nominantur, à populis poſtulantur, vel à Clero eliguntur Epiſcopi & Paſtores, & vt de perſonis ſic nominatis, poſtulatis, vel electis agitur apud ſummum Pontificem, vt nominatam perſonam, aut poſtulatam inſtituat, electam confirmet, certè rogatur Dominus meſſis, vt mittat meſſores, quibus demetatur terra per prædicationem Euangelij & Sacramentorum adminiſtrationem, tanquam per falcem acutam, qua vel conuertantur homines ad fidem, vel confirmentur & corroborentur in fide iam recepta. Et dum populi parati ſunt ad receptionem verbi & Sacramentorum, poteſt dici quod aruit meſſis terræ, j. parata ſunt corda audientium, vt per verbum, à terrenis abſcindantur, & ad cæleſtia valeant adſpirare. *Quem enim docebis ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Eſa. 28. Nam dum arida eſt terra cordis noſtri, à dulcedine carnalium ablactata, & à terrenorum amore auulſa, tunc aruit meſſis & parata eſt terra, vt demetatur. Hac enim præciſione à terrenis audiunt Apoſtolum docentem 1. ad Corint. 7. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt; reliquum eſt vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.* Cum igitur ſummus Pontifex interpellatur à Clero, à populis, à Regibus, vt de Epiſcopo aut de Paſtore hic aut illic prouideat: vel ab eo licentia & facultas poſtulatur, vt in hanc vel illam nationem talis vel talis excurrat, ad regimen ſpeciale populorum, ad adminiſtrationem verbi aut Sacramentorum; cum hoc fiat miniſterio Angelorum, qui corda fidelium mouent ad ea procuranda, quæ ad ſalutem pertinent, tunc exit Angelus de templo, id eſt, de quocumque loco, in quo nomen Dei inuocatur: vt magna voce clamet ad ſedentem ſupra nubem, habentem falcem acutam: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ.* Et dum ille annuit, vel motu proprio inſpirationibus bonorum Angelorum obediens prouidet de Epiſcopis, Paſtoribus, Prædicatoribus, Miſſionariis, tunc ille qui ſedet ſupra nubem, mittit falcem ſuam in terram, & terra demetitur. Verbi gratia, mittit falcem, cum inſtituit Epiſcopũ ſub hac formula: *Prouidemus Eccleſiæ tali N. de tali perſona N. & præficimus eum in Patrem, & Paſtorem, & Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus.*

Quod autem hæc autoritas falcis nomine poſſit nuncupari, patet ex Epiſtola S. Bonifacij ad Ecbertum Epiſcopum; vbi autoritatem Epiſcopalem vocat falcem. *Si*, inquit; *radicem aliquam flagitiorum, de quibus in illa Epiſtola contra Regem Merciorum diſputatis, in gente tua germinare velle viderit, ſicut prouidus & ſapiens colonus, cum falce dominica autoritatis in tempus præcidas, &c.*

Et alius Angelus exiuit de Templo, quod eſt in cælo, habens & ipſe falcem acutam: Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem: & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ quoniam maturæ ſunt vuæ, &c.

Monitio neceſſaria ad intelligentiam dicendorum.

Tres poteſtates in Pontifice, aliiſque Epiſcopis eſſe, Theologi docent. Vna eſt ordinis, altera iuriſdictionis interioris, tertia iuriſdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda & miniſtranda; altera ad populum Chriſtianum regendum in foro interiori conſcientiæ; Tertia ad eumdem populum regendum, in foro exteriori. Primam habent & Pontifex & Epiſcopi à Deo omnes æquè immediatè. Confertur enim per quamdam conſecrationem, quæ æquè operatur in vno atque in alio. Secundam quidam volunt immediatè etiam à Deo conferri omnibus Sacerdotibus, quando ordinantur; quamuis non poſſit quilibet Sacerdos quoſlibet Chriſtianos abſoluere vel ligare, quia Eccleſia ad tollendam confuſionem diuiſit diœceſes, & vnum populum vni Epiſcopo **C** ſubiecit, alium alij.

Quidam vero docent hanc poteſtatem non conferri a Deo ex vi ordinationis, ſed ab homine, per ſimplicem inſtitutionem. Quidquid ſit. (quia non eſt noſtri inſtituti hæc enucleatius diſputare) omnes in eo conueniunt, quod vſus huius poteſtatis pendeat à iuriſdictione exteriori, quam exteriorem ſummus Pontifex accipit immediatè à Deo, ſtatim atque eſt Canonicè electus; Epiſcopis autem, quamuis eorum iuriſdictio exterior ſaltem in genere ſit de iure diuino (nam Chriſtus ipſe ita ordinauit Eccleſiam, vt in ea ſint Paſtores, Doctores, quod Chriſti inſtitutum abrogari aut mutari non poteſt) tamen Epiſcopi Canonicè electi illam non acci- **D** piunt immediatè à Deo, ſed deſcendit à ſummo Pontifice, vt probat Bellarm. l. 4. de ſummo Pontif. c. 24.

Huius exterioris iuriſdictionis ſymbolum habuimus in ſedente ſupra nubem, corona aurea decorato, habente falcem acutam in manu. Reſtat nunc vt duarum aliarum poteſtatum ſymbola nobis proponantur. Hoc dico fieri in duobus iſtis Angelis. Poteſtas namque iuriſdictionis interioris, in Angelo videlicet exeunte de templo, quod eſt in cœlo, habente etiam falcem acutam, nobis depingitur, poteſtas autem ordinis in Angelo exeunte de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, clamans ad eum qui habebat falcem acutam: *Mitte falcem tuam acutam,* **E** *& vindemia botros vineæ;* Deſignatur.

Et alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cælo, &c.

De poteſtate iuriſdictionis interioris, per Angelum exeuntem de templo deſignata.

ANNOTAT. XVIII.

IN meſſe ſignificari hominum conuerſionem ad fidem per verbi prædicationem, clarum eſt ex dictis, rogandum eſſe Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem. Patet ex verbis Domini, quæ referuntur tum Matt. 9. tum Luc. 10. *Sed non ſine graui mærore*, ex Gregorio hom. 17. in Euangelia,

Digitized by Google

hæc loqui poſſumus : quia etſi ſunt , qui bona audiunt, deſunt qui dicant. Ecce mundus ſacerdotibus plenus eſt , ſed tamen in meſſe Dei rarus valde reperitur operator : quia officium quidem ſacerdotale ſuſcibimus , ſed opus officij non implemus. Ita Gregor. Qui ibidem rurſus ait : *Per hoc etiam inducendi ſunt ſubditi , vt pro ſuis Paſtoribus , vt digna eis operari valeant , nec ab exhortatione torpeat lingua : ſæpè enim pro ſua nequitia , prædicantium reſtringitur lingua : ſæpè verò ex ſubiectorum culpa agitur , vt eis qui præſunt prædicationis ſermo ſubtrahatur.* Ita Greg. Quin & Dominus etiam , Ioan. 4. per Meſſem homines paratos ad ſuſceptionem verbi intellexit. *Nonne vos dicitis , quod adhuc quatuor menſes ſunt & meſsis venit? Ecce dico vobis : Leuate oculos veſtros , & videte regiones , quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Rectè Heracleon apud Origenem , tom. 15. in Ioann. in hæc verba (quamuis Origenes illius ſententiæ non attrideat :) *Attamen* , inquit, Origenes , *Heracleon , non ſecus atque multi , literæ aſsidet , ratus eam anagogicum ſenſum non recipere, inquit ergo Ieſum loqui de meſſe eorum , quæ generantur , prinde quaſi hæc meſsis ſpatium quatuor menſium determinatum habeat , quam ipſe dicebat iam inſtare. Nec ſcio quo pacto etiam meſſem interpretatus ſit de anima credentium , dicens eos iam maturos & paratos ad meſſem , atque etiam idoneos , qui inducantur in horreum hoc eſt per fidem in quietem ; ſi tamen ſint parati : nec enim omnes parati ſunt. Nam animarum aliquæ paratæ fuerant, inquit , aliquæ erant ſe preparaturæ , nempe illæ animæ : & aliquæ quidam iam ſeminantur ; aliquæ verò ſeminandæ ſunt. Hæc quidem ille. ſcilicet Heracleon* , inquit Origenes. Qui poſtea ſenſum ſuum aperit dicens: *Quamobrem per meſſem nos intelligimus meſſem fructus , qui colligitur in vitam æternam , iuxta perfectionem rationis, quæ in notionibus noſtri ſermonis inſtar , ingenita multo labore perficitur.* Ita Origenes. Tamen vt dixi , non male Heracleon: Saluator enim volebat vt diſcipulos leuarent oculos , & viderent regiones albas eſſe iam ad meſſem, vt intelligerent ac coniicerent quod ſicut ipſi videbant illas ſegetes paratas ad meſſem, ita ipſe videbat nationes paratas ad ſuſcipiendam fidem , per verbi prædicationem. Vnde ſciens quia vult Deus omnes homines ſaluos fieri , alios cibos reſpuebat, cui voluntas Patris erat Cibus ſuauiſſimus ; & deſiderabat vt fieret meſſis , ad adimpletionem voluntatis Patris ſui : ſciens quia ſi ſemel Euangelium prædicaretur , multi conuertendi erant ad Deum. Vnde Chryſoſtom. homil. 33. in Ioan. tom. 2. *Rurſus conſuetis nominibus ad maximorum eos contemplationem reducit. Regio enim & meſsis hîc indicat multitudinem animarum , quæ paratæ ſunt ad prædicationis ſuſceptionem. Oculos autem hîc dicit & eos qui mentis , & eos qui corporis. Etenim videbant de reliquo multitudinem Samaritanorum venientem. Has autem præparationes hominum decenter regiones albatas vocat. Sicut ſpicæ cum dealbatæ fuerint ad meſſem ſunt paratæ , ita & hi ad ſalutem ſunt parati , &c.* Ita Chryſoſtom. in cat. S. Thom.

Sicut autem in meſſe hîc ſignificatur conuerſio ad fidem. Ita vindemia videtur innuere aliquid cruentum, vt ſunt ſupplicia pœnæ, dolores, ac preſſuræ in hoc ſenſu Thren. 1. dicitur : *O vos omnes, qui tranſitis per viam , attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus : quoniam vindemiauit me , vt locutus eſt, Dominus in die iræ furoris ſui.* Et v. 22. dicit *ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos , ſicut vindemiaſti me propter iniquitates meas : multi enim gemitus mei, & cor meum mærens.* Hac de cauſa , cum hîc de vindemia fiat mentio , & botri vineæ miſſi dicantur in lacum iræ Dei magnum , & lacus dicatur calcatus, & ſanguis ex eo exiens , interpretes vel de vindicta malorum in die iudicij hoc ſymbolum interpretati ſunt, vel ad paſſiones Martyrum hæc retulerunt

A vel ad excidium vrbis Hieruſalem , vt Rupertus.

Victorinus : *Mitte falcem acutam , & vindemia botriones vineæ. De gentibus perituris ſignificat in aduentu Domini. Equidem pluribus ſpeciebus hic illud oſtendit , ſicut in meſſe arida , ſed ſemel in aduentu Domini , & conſummationis , & regni Chriſti , & apetitione regni ſanctorum. Futurum eſt. Quod autem dicit miſſum in torcular iræ Dei , & calcatum extra ciuitatem calcatio torcularis retributio eſt peccatoris.* Ita Victorin.

Ambroſius : *Videtur itaque mihi per meſſem terræ electos ; per botros autem (ex quibus vinum oritur , quod mentes hominum alienat) reprobos eſſe deſignatos.* Et poſtea : *Per quos impij deſighantur , quia viri ſancti videntes quotidie genus humanum à dæmonibus decipi , videntes etiam impios florere ,* B *mundumque ſemper ad deteriora delabi , orant vt dies iudicij veniat , in quo & nequitia dæmonum cum ipſis autoribus pereat , & omnis præuaricatio cum ipſis præuaricatoribus accipiat finem , & adducatur iuſtitia ſempiterna , quæ nullo fine terminabitur. Vinea quippe mundum ſignificat, quæ omnem impiorum multitudinem genuit & nutriuit : Lacus verò, quem infernum vocamus , ideo lacus iræ Dei dicitur , quia vindicta iræ Dei in eo conſummabitur.* Ita Ambroſ. Hinc etiam S. Thomas totam hanc viſionem de iudicio explicat , & in hoc Angelo exeunte de templo , quod eſt in cœlo , deſignari vult Angelos è cœlo empyreo venientes , vt iudici aſſiſtant , & quod iudicabitur impleatur exequendo : habent ad hoc falcem acu- C tam , id eſt , virtuoſam poteſtatem ſcindendi bonos à malis. Ita S. Thom.

Ita etiam Andreas Cæſar. qui Angelum hunc ait hominum inſigniter impiorum vindemiam facere, & lacum iræ Dei non eſſe alium quàm locum ſuppliciorum , qui diabolo , & Angelis eius præparatus eſt.

Rupertus de excidio vrbis Hieroſolymitanæ hæc intelligit. *Nota* , inquit , *eſt orbi vniuerſo vindemiatio illi, excidium illud infeliciſſimum, quo ſuper illos congeſtus eſt aceruus omnium miſeriarum , quarum ipſæ quoque lectiones horrore & admiratione plenæ ſunt.* Ita Rupertus.

Alcazar nihilominus in hac vindemiatione , ſeu D per hanc vindemiam , in præſenti figurari vult ſummum aliquod beneficium , in eos collatum qui vindemiari dicuntur : & exiſtimat quemadmodum per meſſem conuerſio multorum in fidelium denotatur, ita ſimiliter per vindemiam adumbrari eorumdem Martyrium , qui Chriſti amplectabantur fidem. *Cum enim tantopere ad Chriſti gloriam redundaret vt quam plurimi ex eis , qui paulo ante in miſera idolorum ſuperſtitione volutabantur , vix dum ad Chriſti ipſius fidem traducti , adeo inſigne accepta nuperrimæ fidei teſtimonium redderent , fortiter atque alacriter pro Chriſto inter crudeliſſima tormenta interirent , facilè cernitur rem hanc eſſe digniſſimam , quæ in Apocalypſi æternis celebrarentur præconiis ; atque in hoc præſertim loco , vbi agitur de fructu , quem viri Apoſtolici toto terrarum orbe diſie-* E *cti ex Chriſtianæ fidei prædicatione cæperant , id quod dignè Paulus expendit , ad Philip. 1. Quia vobis donatum eſt & non ſolùm in eum credatis , ſed vt etiam pro illo patiamini.* Ita Alcazar.

Nos verò exiſtimamus in iſto Angelo deſignari poteſtatem iuriſdictionis interioris, ſeu adminiſtrandi Sacramenta Baptiſmi & pænitentiæ. Nec enim ſatis eſt credere per verbi diuini ſuſceptionem , & ſic demeti à terra , id eſt , à terrenarum rerum affectione præſcindi ; ſed oportet & baptizari , & pænitentiam agere in remiſſionem peccatorum. Marci 16. *Qui crediderit , & baptiZatus fuerit , ſaluus erit. Qui verò non crediderit , condemnabitur.* Et Act. 2. Petrus ad compunctos corde ex ſua concione, poſt miſſionem Spiritus ſancti , habita ad populum , poſcentibus

Digitized by Google

illis, iam fidem dictis illius adhibentibus, quid ſibi agendum foret, dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum; & accipietis donum Spiritus ſancti.*

Habet ipſe Angelus falcem acutam, ſicut is qui ſedet ſupra nubem; ſed in multis differt. Nam primò ille primus ſedet: iſte videtur exiens de templo quod eſt in cælo. Primus habet coronam auream: iſte nullam habere dicitur. Exprimitur in primo falcem eſſe in manu ſua: qua ratione iſte falcem habeat, ſiue ad latus accinctam, ſiue alio modo illam gerat, non exprimitur, vt ſic quænam ſit diſtinctio inter poteſtatem iuriſdictionis exterioris & interioris, quæ ex receptione poteſtatis ordinis ſubſequitur, melius intelligamus. Nam ex eo quod Sacerdotes recipiunt poteſtatem in corpus Chriſti verum, per Ordinis ſuſceptionem, ideo recipiunt poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, id eſt, in eos omnes qui voto vel reipſa baptiſmum ſuſceperunt. Ille igitur, qui habet poteſtatem iuriſdictionis exterioris plenariam & omnimodam (qualem habet ſummus Pontifex; ſiue participatam & reſtrictam ad loca, perſonas, & materias, qualis eſt in cæteris, qui à ſummo Pontifice iuriſdictionem exteriorem recipiunt) ſedet ſupra nubem, id eſt, præſidet Eccleſiæ, tanquam autoritatem habens. Iſte exit, quia vſus illius poteſtatis iuriſdictionis interioris & actus pendet à iuriſdictione exteriore. Et attendenda eſt proprietas ſcripturæ: nam vidimus iam Angelum quemdam exeuntem de templo, id eſt, ex omni loco in quo inuocari poteſt nomen Domini, ſcilicet ex omnibus finibus terræ: nam *Domini eſt terra & plenitudo eius* Vnde Pſalmiſta dicebat. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Vnde nullus locus eſt, in quo non debeat benedici, quia nullus eſt locus in quo non dominetur ille, in cuius manu ſunt omnes fines terræ. Ad denotandum igitur quod non ad prophanum aliquid agendum, ſed ad ſacram operationem exit, exire dicitur è templo j. ex omni loco, ad quem Dei cognitio peruenit, ille Angelus, petens & poſtulans vt dentur huic aut illi populo & nationi Paſtores, & Doctores, quibus poſſint erudiri, quia verbi prædicatio nullos reſpuit, omnes admittit, paganos, infideles, hæreticos, ſchiſmaticos, peccatores, & iam credentes & iuſtos. At iſte, per quem deſignati dicimus poteſtas iuriſdictionis interioris, exit de templo quod eſt in cælo: qua loquendi formula locum aliquem ſacratiorem videtur dſignare. Eadem enim ratione, qua S. Thomas dicit Angelum exeuntem ab altari exire de ſecretori loco, hoc eſt, ſecretiori ac maiori ſubtilitate gloriæ (per quod intelligitur, quod ſicut altare eſt intimum quid in templo: *Sic*, inquit S. Thomas, *gloria Chriſti maior eſt, & profundior, & ineffabilior quàm gloria Angelorum vel ſanctorum*. Ita S. Tho.) ita dicere poſſumus Angelum exeuntem de templo, quod eſt in cælo, exire de loco ſacratiori, quàm exeat ille qui tantum dicitur exire de templo. Non enim fruſtra additur, *De templo quod eſt in cælo*: Innuit enim extra cælum etiam reperiri aliquod templum, ex quo quis poſſit exire. Hoc animaduertit etiam Alcazar, dum ait *Aduertere inſuper locutionis diſcrimen: nam Ioelem textus ait exiſſe de templo; de myſtico verò Moſe dicit exiſſe: Exiuit de templo quod eſt in cælo, videlicet, cum templum Chriſtianæ Eccleſiæ conuerſationem in cælis denotet: recondita quidem doctrina admirabilis huius & cæleſtis conuerſationis propriè ſpectans ad tempus legis gratiæ, Chriſtianum hominem diuini verbi gladio munit, ad vuam reſecandam, & Martyrium alacriter ſubeundum, id quod proprium eſt ſpiritus & gratiæ, quã lex Euangelica ſuis aſſeclis & obſer-* A *uatoribus communicat. Et propterea Ioël non dicitur exiſſe de templo, quod eſt in cælo, ſed de templo, quo tunc Prophetæ ingrediebantur, quæ erat Chriſti Myſteriorum cognitio.* Ita Alcazar. Habemus igitur aliquid ſacratius innui cum dicitur exire *de templo, quod eſt in cælo*, quàm cum dicitur ſimpliciter exire de templo; ac ſi extra cælum aliud etiam reperiretur templum. Vnde duobus modis hoc intelligo, vt per templum, quod non dicitur eſſe in cælo, vniuerſum orbem intelligamus, qui templum dici poteſt Dei, qui maieſtate ſua replet omnia. *Spiritus* enim *Domini replet orbem terrarum, & omnia quod continet ſcientiam habet vocis.* Per templum verò, quod eſt in cælo, intelligamus loca illa intra Eccleſiam iam in B hac aut illa orbis parte fundatam, in quibus Deus ſpeciali ritu colitur. Vel per templum, quod non eſt in cælo, intelligamus Synagogam, & templum illius, è quo exierunt qui verbum Dei diſſeminarunt per orbem, iuxta illud: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Per templum autem, quod eſt in cælo, intelligamus Eccleſiam Chriſtianam catholicam, è qua ſola prodire poſſunt, qui legitimè Sacramenta poſſint adminiſtrare; Et ſic per primum Angelum exeuntem de templo, ſignificari oportere, vt tam Iudæi quàm infideles & gentiles recurrant ad ſedentem ſupra ſedem, ſi media ſalutis obtinere deſiderent; Per Angelum autem exeuntem de templo, quod eſt in cælo, deſignari nullum C admitti ad Sacramentorum adminiſtrationem legitimam, & ad ſacras miniſterii Sacerdotalis functiones & actiones, qui non ſit intra Eccleſiæ ſepta incluſus: nec enim aut Iudæorum, aut paganorum, aut hæreticorum, aut ſchiſmaticorum, eſt hæc legitima Sacramentorum adminiſtratio; nec vſus aut actus poteſtatis iuriſdictionis interioris, ad poteſtatem ordinis ſubſequentis, ab eo qui ſedet ſupra nubem (id eſt, qui Eccleſiæ præſidet) permittitur aut conceditur alicui, qui non fuerit corpori myſtico Chriſti per fidem vnitus.

Ad maiorem igitur huius loci explicationem, omnes fideles qui ſunt in Eccleſia in duas claſſes diſtribuo. Prima eſt eorum, qui curis ac ſolicitudi- D bus ſeculi detinentur, vt ſunt vxorati: *Qui enim cum vxore eſt*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 7. *ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, &c.* Et ſic dicendum de aliis conditionibus, quæ ex ſe ordinem non habent ad ſalutem æternam. Secunda claſſis eſt eorum, quibus certæ quædam functiones & actiones competunt nobiliores & excellentiores, vt pote quæ de ſe referuntur & ordinantur ad ſalutem in cœlo conſequendam. Si fideles ſuas curas & ſollicitudines & actiones, ſecundum ſe immediatè tantùm quæ humana ſunt & temporalia reſpicientes, nihilominus eleuent per rectam intentionem ad Dei gloriam: iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 10. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis,* E *omnia in gloriam Dei facite*; proculdubio, quia per patientiam & per bona opera ſperant regnum cœlorum conſequi, intra cœlum, id eſt intra Eccleſiam, quæ ad cœlum adſpirat, includuntur. Hoc omnibus competit, ſiue his qui ſacris miniſteriis ſunt conſecrati, ſiue iis qui ad talia miniſteria non ſunt deputati. Tamen quia, vt diximus, quædam ſunt actiones ſacratiores & excellentiores, vt pote quæ de ſe ſunt ſupernaturalis ordinis, & à Deo inſtitutæ & præſcriptæ, ideo intra hoc cœlum, (omnium videlicet ad cœlum adſpirantium, & qui vocati ſeu aggregati ſunt in vnum, vt per media præſcripta cœli gloriam conſequantur) dicitur eſſe aliquod templum, nempe locus quidem anguſtior, dignior, excelſior, ſacratior, per quem locum deſignentur illæ Paſtorum ſacræ ac diuinæ actiones & functio-

Digitized by Google

nes: *Omnis ſiquidem Pontifex aſſumptus ex hominibus, conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.*

Nunc ſi templum hoc, quod eſt in cœlo, pars quædam eſt vniuerſalis Eccleſiæ, quæ conſtat & paſtoribus & ouibus, ſeu ex his qui ſacris myſteriis ac miniſteriis adminiſtrandis ac diſpenſandis deputantur, & ex his qui ad hæc myſteria ſuſcipienda ſunt idonei, ac nubes illa candida iſtius Eccleſiæ vniuerſalis ſit ſymbolum, illiuſque ſignificatiua, vt vidimus; cum ſeſſio ſupra iſtam nubem ſignificatiua ſit, vt etiam diximus, autoritatis illius, qui dicitur ſimilis filio hominis, & indicet ipſum eſſe caput viſibile Eccleſiæ, vt eam tegat & moderetur, non eſt abſurdum aſſerere eos, qui intra Eccleſiam ſunt deputati ad ſacras functiones obeundas, non exire in actum, nec exercere aliquam functionem, ex illis quæ perfici debent ad fidelium ſalutem, niſi ſub arbitrio illius qui Eccleſiæ præſidet: quod videlicet in vſu & actu adminiſtrationum ſacratum operationum, dependeant omnes ab eo, qui habet iuriſdictionem exteriorem in manu, id eſt, in poteſtate ſua: ab ea enim diximus & iuriſdictionem interiorem, & poteſtatem ordinis dependere. Hac de cauſa iſte ſecundus Angelus, qui dicitur habere falcem acutam, nec dicitur ſedens, nec coronatus, nec in manu tenere ſuam falcem, ſolùm dicitur exiſtere intra ipſum cœlum, id eſt, intra Eccleſiæ ſepta; in qua exit de loco eminentiori & ſacratiori, quia actiones & functiones exerit ſacratiores & excellentiores intra Eccleſiam, ita tamen vt eas exerat ad nutum illius qui Eccleſiæ præeſt, ne quid fiat inordinatè, incircumſpectè, & abſque legitima autoritate; *Omnia autem honeſtè & ſecundum ordinem fiant.* 1. ad Corinth. 14. *Omnis* enim *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe debet*, vt monet idem Apoſtolus Rom. 13. *Non eſt* enim *poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.*

Itaque quamuis poteſtas ordinis ac iuriſdictionis interioris ad regimen animarum, in foro conſcientiæ, immediatè à Deo ſacerdotibus cunctis conferri dicatur (ideo hic Angelus exiens de templo, quod eſt in cœlo, dicitur habere falcem acutam; ſicut ille habet falcem acutam, qui ſedet ſupra nubem) tamen, vt iam monuimus non ſine cauſa ſedens ſupra nubem dicitur illam tenere in manu, id eſt, in ſua poteſtate & diſpoſitione; Alius, non. Fortè vt ſciamus quod licèt in ſuſceptione Sacramenti Ordinis, quilibet ſacerdos facultatem ſuſcipiat & poteſtatem, vel verbi diuini prædicandi, vel Sacramenta adminiſtrandi, vel populum fidelem regendi in foro conſcientiæ interiori, non tamen illi conceditur actus & exercitium huiuſmodi poteſtatis, niſi iuxta præſcriptum illius, qui Eccleſiæ præeſt, qui habet falcem in manu, id eſt, in ſua poteſtate. Dices Deum ſummum moderatorem, & Imperatorem, gladium verbi diuini ad latus ſacerdotum ordinem ſuſcipientium appendere, ac ſi illos equites ſuæ militiæ inſtitueret; cum illis & conſecrandi corpus ſuum verum, & regendi in foro interiori ſuos fideles autoritatem præbet, cum ordinantur (habent enim iuriſdictionem in foro interiori in corpus myſticum, quia poteſtatem ſuſcipiunt per ſuam ordinationem in corpus Chriſti verum;) nolle tamen vt in manu gladium & falcem aſſumant, niſi iuxta præſcriptum & mandatum illius, qui ſuas vices gerit in terris, cui omnimodam iuriſdictionis exterioris poteſtatem contulit, pro bono regimine Eccleſiæ vniuerſalis; à quo legitimam iuriſdictionem exteriorem ſuſcipiunt, & miſſionem, vt hos aut illos fideles iuuent, in iis quæ ad ſalutem pertinent, per debitam verbi & Sacramentorum adminiſtrationem. Habent igitur & ipſi falcem acutam, ſed in manu illam aſſumunt ad nutum præſidentis. At videndum nunc quando illa falce vti debeant, & ſua exercere munia, poſtquam poteſtatem iuriſdictionis exterioris à præſidente ſupra nubem ſuſceperint. Hoc docet nos Angelus ſubſequens, è loco adhuc ſecretiori & ſacratiori exiens, nempe ex altari.

Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, &c.

De poteſtate ordinis, deſignata per Angelum exeuntem de altari.

ANNOTAT. XIX.

EVCHARISTIA Sacramentum eſt, quia vnionem omnium membrorum corporis Chriſti myſtici ad inuicem, & cum Deo coniunctionem, quæ finis eſt totius Hierarchici muneris, ſignificat. At nemo ad eam accedere debet, qui non fuerit baptizatus; aut (ſi in peccatum poſt baptiſmum inciderit mortiferum) qui non ſit per pœnitentiam correctus, & à peccato mundatus. Hac de cauſa Angelus ab altari exiens, & poteſtatem ordinis (quæ datur ad ſignificans, conſecrandum corpus Chriſti verum) clamat ad Angelum habentem falcem acutam (in quo poteſtas baptizandi vel remittendi peccata deſignatur) vt mittat falcem acutam, id eſt, vt per baptiſmum ſanctificet, vel per remiſſionem & abſolutionem peccatores reconciliet credentes, vt poſſint & idonei reddantur accedere ad altare, ſeu edere de altari illo, *de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Hæc breuiuſculè ſic delibata fuſiùs explicanda veniunt.

Certè à ratione explicandi ſcripturam ſeruata à Patribus non diſcedo, cum per hunc Angelum poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti ſignificari aſſero. Sicut enim S. Thomas in Angelo exeunte de templo intelligit actum orandi, in alio exeunte à templo, quod eſt in cœlo, actum iudicandi; & in Angelo iſto exeunte de altari, actum ſeu poteſtatem exequendi iudicium ſine aliqua reſiſtentia; vnde quamuis numeroſitas ſanctorum vtrobique ſignificetur, nempe in Angelo actum orandi ſignificante, & in alio actum iudicandi indicante, dicitur ille Angelus alius ab illo, propter diuerſitatem actuum; Pari ratione, quamuis triplex illa facultas iuriſdictionis exterioris, & iuriſdictionis interioris, & Ordinis, in vno & eodem ſuppoſito poſſit reperiri, tamen quia diuerſa eſt ratio illarum poteſtatum, poteſt vna poteſtas per vnum Angelum, alia per alium indicari.

Optimè autem ſacerdotes per Angelum ſignificantur, iuxta illud: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malach. 2. Vbi multas in ſacerdotibus Hieronymus ex Propheta perfectiones requirit: Prima eſt timor: *Pactum meum fuit cum eo*, nempe Leui, *Vitæ & pacis. Et dedi ei timorem, & timuit me. Et à facie nominis mei pauebunt. Mentis formidinem*, inquit Hieron. *horrore corporis indicantes.* Secunda eſt veritas, hoc eſt, doctrina populorum, quæ in ſacerdote nullo debet mendacio deturpari, ſed tota de veritatis fonte procedere. *Lex Veritatis*, inquit Malachias, *fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius.* tertia perfectio eſt pacis. *In pace & in æquitate ambulauit mecum. Vt ipſe*, inquit Hieron. *in ſe pacem habeat, & cæteros pacificet, nulliuſque perſonam accipiat in iudicio. & idcirco ambulet cum Deo ſicut ambulauit Enoch.* Quarta perfectio eſt, vt alios docere poſſit & corrigere. *Et multos*, inquit Mala-

Digitized by Google

chias, *auertit ab iniquitate. Qui ſacerdos eſt*, ait Hieron. *& non corripit delinquentes, ſacerdotis officium præterit labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam. Non dixit, Proferent, ſed, Cuſtodient: Vt loquantur in tempore, dentque conſeruis cibaria in tempore ſuo.* Et paulo poſt: *Ad ſacerdotis pertinet diſciplinam interrogatum reſpondere de lege: qui ſi ignorantiam in cæteris diligentem, in ſcripturis ſanctis obtendent negligentiam, fruſtra iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere.* Hinc appellatur Angelus Domini. *Quia*, addit Hier. *Dei & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum nunciat voluntatem: & idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur: Vt ſciamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem dominicæ veritatis.* Ita Hieron. Sacerdos igitur timens Deum, veritas amator, pacis cultor, delinquentium corrector, ſcientiæ cuſtos, voluntatis diuinæ nuncius & præco, rectè Angelus dicitur.

At, quæſo, qua de cauſa hic Angelus dicitur exire de altari, niſi vt aliquid in eo ſuſpicemus, quod excellit ſupra alios, qui exeunt de templo, ſiue ſimpliciter ſumpto, ſiue cum adiectione illa, *Quod eſt in cælo*? Reſpondeo. Quod altare relationem & ordinem habet ad ſacrificium. Cum igitur Angelus iſte ſacerdotum gerat perſonam, exit de altari, vt cogitemus ipſos eſſe ſacrificatores, & ex hominibus aſſumptos, vt Deo offerant dona & ſacrificia pro peccatis, ſintque myſteriorum Dei diſpenſatores. *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant & dent cæteris*, canit Eccleſia. Sicut enim inter actiones fidelium, qui ſunt in Eccleſia, quæ ad Deum tanquam ad finem ſupernaturalem diriguntur, illæ ſunt excellentiores & digniores, quæ de ſe ad Dei cultum ordinantur, tam ex vniuerſali intentione Eccleſiæ, quàm ex natura ſua adiuncta, etiam à ſanctis Sacerdotibus pura intentione Deum glorificandi in his actionibus; ita inter illas ſacras actiones, dignior eſt illa & auguſtior, qua Deus colitur cultu latriæ ſupremo, dum illi holocauſtum gratiſſimum offertur corporis & ſanguinis Domini. Et qua fideles per tantum myſterium ad ſuum quodammodo redeunt principium ſuper naturaliter cognitum, eique quodam ſtrictiſſimo amoris vinculo vniuntur (ad hunc enim ſupremum cultum, & ad hanc cum Chriſto & Deo vnionem perfectiſſimam cæteræ actiones ſacræ ordinantur) hinc ex ſacratiori ac digniori loco, qui ſit in Eccleſiæ Templo ad Dei cultum conſecrato, exire dicitur, vt cogitemus hic agi de illa poteſtate ordinis, qua poteſt Chriſti corpus ſacerdos ſacro ore conficere, ac Deo offerre, & populis communicare.

Sed quia admirabili & ſtupendo quodammodo, nempe per tranſubſtantiationem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis, hoc perficitur, ideo additur: *Qui habet poteſtatem ſupra ignem.*

Si Andream Cæſarienſem conſulas, cur iſte Angelus dicatur habere poteſtatem ſupra ignem, dicet: *Ex hoc loco, vt ex aliis quoque nonnullis, dicimus Deum Angelicas virtutes rebus abs ſe creatis adminiſtrandis præfeciſſe, vnam quidem aquæ, aliam autem igni, aliam denique alteri vniuerſitatis parti. Hunc igitur Angelum, quòd igni præpoſitus vim munuſque puniendi ſortitus eſſe, vnum ex ſupremis extitiſſe conijcimus. Quare clara quoque voce, alteri illi, qui falcem acutam habebat, vt vinea terræ botros vindemiet imperat.* Ita Andr. At dignior eſt illa poteſtas Sacerdotibus collata ad conficiendum corpus Chriſti, quàm illa quæ datur ad ſolam punitionem malorum; & ſupra ignem quemdam ſublimiorem habet poteſtatem, quam ſi cogites quamdam

A habere in ignem elementatem & ſenſibilem.

Si petas à S. Thoma qualis ſit ignis, in quem habeat poteſtatem? Reſpondet: *Super pœnam æternam, quæ per ignem erit. Iſ. vltimo. Et ignis non extinguetur.* Ita S. Tho. Si Ambroſio requiras qualis ſit ignis? Dicet quòd *quintus Angelus, qui exijt de altari, qui habebat poteſtatem ſuper ignem, eamdem ſignificationem habet quam & ſecundus, qui de templo exiſſe viſus eſt. Significat namque electos in hac vita laborantes. Altare autem Eccleſiam ſignificat, ſicut & templum. Per ignem verò charitatem poſſumus intelligere, quam in cordibus ſanctorum, ſpiritualibus fomentis Spiritus ſanctus enutrit. Super hunc ignem ſancti habere poteſtatem ideo dicuntur, quia & ipſi poſſident charitatem, & poſſidentur ab*
B *ea.* Ita Amb.

At reuera ſublimiori & excellentiori quodam modo Sacerdos poteſtatem habet ſupra ignem charitatis diuinæ, dum conſecrat corpus & ſanguinem Chriſti. Hic enim, vt ait S. Thomas. Opuſc. 57. *Recolitur memoria illius, quam in ſua paſſione Chriſtus monſtrauit excellentiſſimæ charitatis. Vnde vt arctiùs huius charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur; in vltima cæna, quando Paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorum ab ipſo factorum maximum, & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare.* Ita S. Tho. Dum igitur Chriſtus conſtituitur ſub
C ſpeciebus panis & vini, Sacerdote conſecrante, vt nobis eius præſentia frui liceat, quænam, quæſo, & quanta eſt illa poteſtas ſupra diuinam charitatem, vt ad arbitrium Sacerdotis, vt ita dicam, Chriſtus nobiſcum inſeparabiliter commoretur? Admiretur quis ignis in agendo actiuitatem ac promptitudinem. Promptiùs conſumitur ſubſtantia panis & vini, dum per verba conſecrationis, corpus Chriſti & ſanguis conſtituitur præſens ſub ſpeciebus panis & vini, per totalem immutationem vtriuſque ſubſtantiæ, quàm dum ignis aliquam materiam in ſe transformat. Nemo in ſinu aut in manu ignem portare impunè audebit: at dum diuino amori imperat ſacerdos, vt ita dicam, vt Chriſtus nobiſcum
D ſit, ore geſtamus Chriſtum, manu Chriſtum portamus, intra pectus illum includimus, vt igniferi planè reddamur, dum fontem amoris & charitatis diuinæ nobiſcum habemus permanentem. Hic enim omnes effectus & ſuauitates diuini amoris reperiuntur in eminenti gradu. Cum igitur Sacerdos per poteſtatem ordinis hanc habeat poteſtatem, quòd ad prolationem verborum conſecrationis, Deus omnipotens, qui ignis eſt conſumens, tam admirabile opus perficiat, certè illud eſt habere poteſtatem ſupra ignem, admirabili quodam modo, obediente Deo voci hominis; maiorque videtur eſſe illa poteſtas, quàm olim Eliæ poteſtas fuerit, qui ignem è cælo euocauit, vt holocauſtum paratum deuoraret,
E in teſtimonum diuinæ Maieſtatis.

Habet inſuper Sacerdos poteſtatem ſupra ignem, non ſolum ratione tanti operis, non ſolùm ratione modi, quo adimpletur illud myſterium, ſed etiam quia dum illum cæleſtem cibum diſtribuere debet fidelibus, ignem in eis charitatis diuinæ diſtribuit, itaut, *tanquam Leones ignem ſpirantes ab hac menſa recedant, facti diabolo terribiles*, vt loquitur Chryſ. Videtur enim Sacerdos illum eſſe virum indutum lineis, cui (Ezechiel. 10. (dicitur: *ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim: & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim: & effunde ſuper ciuitatem.* Ingreditur enim Sacerdos in medio ſapientiæ, iuſtitiæ, potentiæ Bonitatis diuinæ, quibus admirabilis Dei ſcientiæ in operibus ſuis fulcitur (omnia enim in ſapientia facit, potenter exe-

Digitized by Google

quitur, nemine ſibi reſiſtente, iuſtè perficit, & cum ſumma bonitate ad hominum ſalutem ordinare videtur.) Ibi ſumit tot ignis prunas, quot diſtribuit populis ſacratas hoſtias, in quibus reperitur ille pretioſus charitatis theſaurus, Chriſtus Dominus, qui de ſe dicebat: *ignem veni mittere in terram; & quid volo niſi vt ardeat?* Sed vide ne indignè accedas, ne huic puriſſimo igni ignem alienum adiungere audeas. Memor eſto Nadab & Abiu, qui offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, *Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos: & mortui ſunt coram Domino.* Leuit. 10. Ne hoc fiat, audiamus hunc Angelum altaris, clamantem voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, in eius clamore, diſcemus quanam ratione poſſumus dignos reddi acceſſus ad altare Dei; & participationis huius myſterij altiſſimi.

Et clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam: mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ eius.

Quod nemo debeat ad Sacramentum corporis Chriſti accedere, niſi Baptizatus, & gratiâ Dei iam ornatus.

ANNOTAT. XX.

QVID exigat ab Angelo, qui habebat falcem acutam, is qui exiuit ab altari, nunc nobis videndum. Per illum, vt diximus, ſignificatur poteſtas iuriſdictionis interioris (ſeu adminiſtrandi Sacramenta) in actum reducta, iuxta præſcriptum ſedentis ſupra nubem, cuius eſt dare iuriſdictionem exteriorem, & à quo vſus ſeu exercitium poteſtatis illius interioris dependet. Per iſtum autem exeuntem ab altari, deſignatur poteſtas ordinis, cuius eſt conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, illudque populis diſtribuere. Quid igitur iſte clamat? Certè quia indigni ad tantum Sacramentum accedere non debent, clamat, præcipit ipſe, vt qui per verbi prædicationem iam credidit, baptizetur (eſt enim baptiſmus ianua aliorum Sacramentorum) vt quis dignus ſit qui corporis & ſanguinis Domini fiat particeps; aut ſi iam baptizatus fuerit, & peccatum aliquod mortale commiſerit, ad contritionem inducatur per falcem acutam verbi diuini, & per abſolutionem Sacramentalem; id eſt, per verbum diuinum, ad effectum remiſſionis peccatorum accommodatum, in gratiam redeat, vt tanti Sacramenti fiat particeps. Clamat igitur magna voce, quia hoc eſt maximi momenti, vt quis fructum percipiat huius Sacramenti, quod dignus participationis illius reddatur, ac ne ingentia mala incurrat, ſi indignus accederet. Hoc clamabat Paulus 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

At quanam ratione hæc in noſtro Symbolo deſignentur, inquirendum & videndum primò quænam ſit vinea terræ? Secundò, quinam botri vineæ? Et tertio quomodo vuæ maturæ dicantur?

S.Thomæ: *vinea terræ eſt vinea mundi, qui eſt vinea producens malas vuas, ſcilicet peccatores, qui habent vinum diaboli, quo inebriabatur: de qua hic, & Deuterono. 31. De vinea Sodomorum vinum eorum, &c. Quæ terræ dicitur, quia hæc vinea ſita eſt in terrena vanitate, quia mundus terram ſapit, terram ingerit.* Ita S. Tho.

Eadem ſentit Ambroſius. *Vinea quippe*, inquit, *mundum ſignificat, quæ omnem impiorum multitudinem genuit & nutriuit: Lacus verò, quem infernum vocamus,* A *ideo lacus iræ Dei, quia vindicta iræ Dei in eo conſummabitur.* Ita Ambroſ.

Alcazar per vineam hanc Eccleſiam intelligit, dum ait: *Nemini nouum & inauditum videri debet quod Eccleſia appelletur vinea atque meſſis. Id enim & in multis ſcripturæ locis manifeſtum eſt, & ab ipſa Eccleſia decantatur in quadam Sabathi ſancti oratione, quæ ſic habet: Tribue quæſumus, Domine, populis tuis, qui & vinearum apud te nomine cenſetur & ſegetum. Si ergo Chriſti Eccleſiæ ſunt vinea, certè vindemia felicitatis maximæ ſymbolum eſſe debet.* Ita Alcaz. Et certè in bonam partem hæc vinea accipi debet. Siquidem per botros vineæ ipſemet Alcazar intelligit Martyres, qui ad ſubeundum Martyrium prompti ſunt: B qui vt ſignificent adeſſe occaſionem effundendi pro Chriſto ſanguinem, dicunt, ſeipſos ad Martyrium mutuò cohortantes, quod maturæ ſunt vuæ eius. Iis igitur, qui per vineam mundum ſeu mundanos intelligunt, botri erunt mali & peccatores. Ita ſentit S. Thomas dum ait: *Botros, id eſt vuas, quæ procedunt ex botris. Botrus quippe dicitur illud quod eſt in acino. Botrio autem Botrionis dicitur illud, quod exit a ſarmento turgente. Largè autem dicitur illud turgidum, quod exit de palmite, quod poſtea floret. Cant. 2. Botrus Cypri. Largiſſimè autem accipitur pro vua, vt Numer. 12. Similiter. Hic: Per botros autem, id eſt vuas, ſignantur homines pleni vino nequitiæ, inebriati qui primò floruerunt per iniquam poteſtatem, poſtea verò facti ſunt vuæ, quia ſucceſſit* C *in eis fructus malus, per operis peruerſitatem. Hic ergo accipitur botrus in malis; quandoque autem in bono, vt Michea 7. Non eſt botrus ad comedendum.* Ita S. Tho. Ij autem, qui per vineam Eccleſiam intelligunt, per botros fideles, aut bonas illorum actiones intelligere debent.

Maturæ autem dicuntur illæ vuæ (ſi de mala vinea fiat ſermo) quando completa eſt nequitia malorum, vt ſcindi debeant, & ſeparari à conſortio bonorum; vel adeſt hora illa, in qua corda eorum poſſunt à terrenis & à peccatorum affectu reſcindi, per verbi diuini prædicationem.

Quod ſi de bona vinea fiat ſermo maturæ dicuntur vuæ, quando adeſt occaſio & tempus, in quo D Deus fideles ad pœnitentiam de peccatis ſuis faciendis inducit, inſpirationibus, & Angelorum ſanctorum ſuggeſtionibus, & exhortatione Paſtorum, qui habent falcem acutam, vt eos vi verbi diuini ad pœnitentiam conuertant.

Vtramque autem ſignificationem amplector. Si enim vinea mundum ſignificat, prouocatur Angelus habens falcem acutam, vt prædicatione verbi Domini homines terrenos & infideles ad fidem conuertat, illoſque deinceps baptizet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, mundans eos lauacro aquæ in verbo vitæ. Si vinea Eccleſiam ſignificat, prouocatur ille Angelus, vt per idem verbum fideles peccatores ad contritionem inducat, E eoſque verbi præſcriptis abſoluat, dicendo videlicet: *Abſoluo te à peccatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; Vt ſic digni ſint accedere ad altare, & participare corpori & ſanguini Chriſti. Sic vindemiantur & infideles & fideles. Sed ex ſequentibus res clarior fiet, ſi vbi reponi debeant vuæ diſcutiamus, nempe in lacum iræ Dei magnum.

Digitized by Google

Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram: & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

Per Sacramenta Baptiſmi & pœnitentiæ, merita Chriſti applicantur, & gratia confertur, qua digni efficimur participatione corporis Chriſti, fide iam ſuſcepta per prædicationem verbi diuini.

ANNOTAT. XXI.

ECCLESIA non modò dicitur vinea terræ, quia in terra eſt, ſicuti cæteri homines etiam infideles, nec enim naturam mutat, etſi ad cœlum vocetur; ſed vinea terræ. quia neceſſe eſt illi ea mala perpeti, quæ in hac vita degentes pati coguntur, multique labores, vt colonæ terræ, illi ſunt ſubeundi. Inuenio autem illam vineam cum lacu, Marci 12. *Vineam*, inquit, *paſtinauit homo, & circumdedit ſepem: & fodit lacum; & ædificauit turrim. Et locauit eam agricolis. Vinea hæc*, inquit S. Hieronymus, *domus Iſraël eſt. Sepis eſt cuſtodia Angelorum. Lacus eſt Lex. Turris, templum; agricolæ, Sacerdotes.* Beda autem: *Sepis eſt murus vrbis: lacus ſiue torcular, altare*: aut illa torcularia, quorum tres Pſalmi prænotantur titulo, vt refert S. Thom. in catena, nempe octauus, & octogeſimus, & octogeſimus tertius, Beda in 12. Marci. Illa eſt vinea, de qua apud Iſaiam c. 5. *Plantauit illam electam, & ædificauit turrim in medio. Et torcular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas.* De qua Dauid etiam cecinit Pſ. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti: eieciſti gentes, & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius. Plantaſti radices eius, & impleuit terram. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.* Vinea igitur fuit antiqua Eccleſia. Et quia omnia illis in figuris contingebant, hæc in Eccleſia perfecte adimplentur. Ita ſentit Auguſt. in hunc Pſalmum. *Nunquid impleret terram, niſi via fieret in conſpectu eius? Quæ via facta eſt in conſpectu eius? Ego ſum, inquit, via, veritas & vita. Meritò impleuit terram. Hoc dicitur modo de vinea, quod perfectum eſt vſque in finem*, &c. Et poſtea: *Impleuit terram. Hoc de perfectione ipſius dictum eſt: ſed tamen prima gens Iudæa, fuit iſta vinea.* Ita Auguſtinus.

Igitur Eccleſia vinea eſt, inter alia habens lacum, habens torcular. Quinam lacus? Quodnam torcular? Lex aut altare. Baptizatur aliquis. Quid, quæſo fit? Vindemiatur vua, ex vinea mundi, vt projiciatur in lacum, id eſt, ſubjiciatur legi Chriſtianæ. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Matt. vltimo. *Docete omnes gentes.* Ecce falx acuta metentis. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ecce falx acuta vindemiantis, ſeu Sacramenta adminiſtrantis. *Docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Ecce quomodo præciſi à vinea mundi in lacum legis diuinæ mittuntur. Per legem enim iſtam, tria quæ fiunt in torcularibus, in eis adimplentur, nempe conculcatio, tribulatio, pondus, quo fiat quædam ſeparatio olei & amurcæ; vini & vinaciorum; vini recondendi in cellaria, vinaciorum quæ ſunt projicienda. Vinacia ſunt peccata, & actus veteris hominis: vinum ſunt fideles baptizati, qui poſt baptiſmum non ſunt ampliùs de mundo, à quo fuerunt præciſi, vt in lacum mitterentur legis Chriſtianæ, qua humiliantur ſub iugo & ſarcina Chriſti, qua cuſtodire coguntur vias duras, qua crucem poſt Chriſtum portare præcipiuntur. Lacus inſuper dicitur altare, quia Deo immolari debent, & in holocauſtum offerri, in memoriam paſſionis Chriſti. *Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. *Supra modum*, inquit idem Apoſtolus 2. ad Corinth. 1. *grauati ſumus, ſupra virtutem, itaut tæderet etiam nos viuere. Sed & ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos.* Videſne Paulum conuerſum, vindemiatum, miſſum in lacum, ibi conculcatum, tribulatum, pondere grauatum, vt vinacia rejiciat, id eſt peccata? iuxta illud ad Hebræos 12. *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per pœnitentiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Ipſe verò tanquam

B vinum in cellaria reconditur. Audi Auguſt. in Pſ. 83. *Vua certè pendet in vitibus, & oliua in arboribus. His enim duobus pro fructibus ſolēt torcularia præparari. Et quãdiu pendent in frutetis ſuis, tanquam libero aëre perfruuntur. Et nec vua vinum eſt, nec oliua oleum, ante preſſuram. Sic ſunt & homines, quos prædeſtinauit Deus ante ſecula, conformes fieri imaginis vnigeniti filij ſui, qui præcipuè in paſſione magnus botrus expreſſus eſt. Huiuſmodi ergo homines, antequam accedant ad ſeruitutem Dei, fruantur in hoc ſeculo tanquam delitioſa libertate, velut vuæ aut oliuæ pendentes. Sed quoniam dictum eſt: Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat. Con-*

C *tribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc ſeculo pereat, ſed vt in apotheca Dei refluat. Exuitur carnalium deſideriorum integumentis, quaſi vinaciis. Hoc enim ei contigit in deſideriis carnalibus, propter quæ & Apoſtolus dicit: Exuite vos veterem hominem, & induite nouum. Hoc totum non fit niſi ex preſſura. Propterea torcularia nominantur Eccleſiæ Dei huius temporis: ſed in torcularibus poſiti, qui ſimus filij Chore, in filiis Chriſti.* Ita Auguſt.

Idem dicendum de fidelibus, ſeu de baptizatis, ſed qui in peccata labuntur. Metuntur per falcem acutam, dum per prædicationem verbi ad compunctionem incitantur. Vindemiantur, cum per abſolutionem Sacramentalem ab eis reſcinduntur

D omnia peccata. Mittuntur in lacum, dum ad opera pœnalia pro ſatisfactione peccatorum adſtringuntur, & iuxta Dei legem deinceps ambulare eis iniungitur, quin & in lacum mittuntur, dum altaris Chriſtiani fiunt hoc modo participes, vt Chriſto crucifixo adhærentes, dicat vnuſquiſque eorum: *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.*

Hac igitur ratione fideles, qui ſunt naturalis vineæ, nec non & ſupernaturalis, Eccleſiæ nempe, botri ſeu vuæ, in hac terra viuentes, & laboribus ac ſudoribus terræ incolis in Adamo denunciatis addicti, per Sacramenta Baptiſmi & pœnitentiæ optimè diſponūtur ad ſuſceptionem Euchariſtiæ. Et ad illud

E Sacramentum ſecurè accedere poſſunt, vt hoc cæleſti igne inflammentur in Dei amore, non in cineres redigantur conſumpti, ſed in Chriſti corpus myſticum potius transformentur, dum plenè fiunt participes meritorum ſanguinis Chriſti in altari crucis effuſi, & in altari Eccleſiæ incruento ſacrificio immolari, eique in pœnis & doloribus redduntur conformes.

Itaque dum clamat Angelus altaris ad Angelum habentem falcem acutam: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt*; idē eſt ac ſi diceret: Vides, ô præpotens Dei miniſter, cui data eſt poteſtas adminiſtrandi Sacramenta (per quæ hominibus peccata dimittuntur) homines in terra degentes, quia carne & ſanguine compacti valde imbecilles redduntur. Cognoſcis eorum figmentum

Digitized by Google

mentum luteum, facilè in peccata labuntur, pon- A dere fragilitatis ſuæ grauati: Vnde indigni redduntur, qui corporis & ſanguinis Chriſti fiant participes (quo membra ſint corporis illius myſtici, inter ſe & cum Deo charitate coniuncti) dum adhærebunt communiori agendi rationi hominum, & naturæ inclinationibus, ac ſenſuum oblectamentis; nunquam poterunt tantum bonum ſibi comparare. Hac de cauſa, *mitte falcem tuam acutam*: applica verba diuinitùs à Deo inſtituta, per quæ peccatorum ablutio, & remiſſio ſignificantur: eoſque à prauis moribus & omni mundana conuerſatione reſcinde. Iam enim vuæ ſunt maturæ, quia credunt, & fidem ſuſceperunt, dum per falcem acutam verbi diuini, demeſſuit eos de terra, verbi diuini præco & miniſter. B Vnde fide imbuti ad Sacramenta recurrunt, quia ſciunt Sacramenta à Deo eſſe inſtituta ad eorum ſanctificationem efficiendam. Petunt baptiſmum, petunt peccatorum abſolutionem corde attriti, corde contriti & compuncti. Maturæ proinde ſunt vuæ. Adhibe falcem, applica verba à Deo inſtituta, vt abluantur, vt peccata eis remittantur. Hac ratione digni reddentur per corpus Chriſti verum, tranſire in corpus Chriſti myſticum. Sed ſciant ad quid vocati ſunt. Mitte eos in lacum magnum iræ Dei. Sciant deinceps præter fidem, ſpem, & charitatem, ac Spiritus ſancti dona (quæ omnia in Sacramento recipiunt) ſibi Chriſto crucifixo eſſe compatiendum, ac oportere vt per multas & varias C tribulationes perueniant ad regna cælorum. Nam exiſtimare debent, poſt baptiſmum, vitam ſibi degendam Chriſti paſſionibus perſimilem; & poſt Sacramentum pœnitentiæ, orationibus, ieiuniis, & eleemoſynis ſibi eſſe applicanda merita paſſionum Chriſti, mortificationem Ieſu Chriſti in corporibus ſuis ſemper eſſe ſibi circumferendam, appetitui carnis renunciandum, omnes occaſiones peccati ſedulò fugiendas. Nam hoc pacto gratia Sacramentorum illis collata fuit à Dei miniſtris, vt vitam veterem deſerentes, nouum induerent hominem, & à facie peccati fugerent, tanquam à facie colubri. Quæ omnia cum ſeruari nequeant abſque ingenti labore, ideo lacus eſt & torcular preſſurarum, laboris, ac D tribulationis, ac grauiſſimi ponderis. Et certè paſſio Chriſti, quam imitari debent fideles, verè eſt lacus magnus iræ Dei. Nec enim omnibus pœnis ac ſuppliciis, quibus Deus in præſenti vita aut in futura, peccata caſtigat ac punit, tam dilucidè & euidenter perſpici poteſt quanto odio Deus peccata proſequatur, & quòd immobili ac inuatiabili decreto apud ſe ſtatuit peccata in rigore iuſtitiæ punire, quàm dum cernimus diuinam iuſtitiam, vt ad rigorem ſibi ſatis fieret, nec proprio filio pepercisse, ſed pro nobis omnibus illum morti tam doloroſæ, tam ignominioſæ tradidiſſe, licèt eſſet agnus *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* Et quia non eſt ſeruus maior Domino E ſuo, nec æquum eſt vt membra meliorem ſortem accipiant eâ, quæ capiti ſuo obtigit; licèt fideles Deus tanta dilectione proſequatur, vt qui eos tangit, tangit pupillam oculi ſui, tamen quia in eis peccata inuenit, quæ poſſet punire, prætio laborum ac pœnarum Deus illis vendit regnum cœlorum, per Chriſti merita illis conquiſitum. Vult vt in lacum mittantur, ibi conculcentur, ibi conterantur, dum per verbum accedens ad elementum, vindemiantur: & ad vitam Chriſto crucifixo conformem adſtringuntur: & abnegationibus, mortificationibus, abſtinentia à cibis, bonorum temporalium abdicatione, publicis quibuſdam confuſionibus exerceantur, vt meritorum Chriſti fiant participes. Quibus omnibus magis ita Dei in peccata pateſcit, quàm ex ipſis inferni pœnis ac ſuppliciis. Nec enim quis ſuam diſplicentiam ita manifeſtat, cum in hoſtes agit ſeueriùs, quàm ſi pro eademmet re, propter quam hoſtes plectitur, contra proprium filium, innocentiſſimum, chariſſimum, aut ſibi amiciſſimos iraſcitur.

Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem. Et exiuit ſanguis de lacu, vſque ad frena equorum, per ſtadia mille ſexcenta.

Illæ ſolæ paſſiones & afflictiones ad ſalutem vtiles ſunt, quæ nos reddunt Chriſto conformes, & participes meritorum ſanguinis eius, quibus tota Eccleſia irrigatur.

ANNOTAT. XXII.

VIDIMVS vineam terræ eſſe vel naturam humanam, ex Adamo è limo terræ formato procreatam, vel congregationem hominum, qui ad cœlum vocantur; ſed adhuc in terris degentem, ſeu Eccleſiam non triumphantem in cœlis, ſed in terris adhuc militantem; Botros ſeu vuas illius vineæ eſſe peccatores, ſiue infideles, ſiue iam credentes; Falcem eſſe verbum Dei, ſiue dum euangelizatur ad fidem concipiendam, ſiue dum ſub conceptis quibuſdam verbis accommodatur ad quemdam ſpecialem effectum producendum, vt fit in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ; Ab hac falce vuas præſcindi, dum ex auditu verbi fides concipitur, vel verbo accedente ad elementum homo à peccatis abluitur, aut ſanctificatur: Mittuntur illi homines in quemdam lacum, ſeu in quoddam torcular, quia ad labores deſtinantur. Multa illis ſunt ſubeunda dura, & aſpera, conculcari, conteri opprimi debent pondere pœnarum & afflictionum. Nunc vt ſcias quaſlibet pœnas, aut quoſlibet labores non ſufficere, vt ſalutem per eas conſequi valeant (quia multa ſunt in mundo torcularia, diuerſæ ac variæ ſunt preſſuræ) illas tantùm valere docemur, per quas Chriſtum ſequimur, Chriſtum imitamus, iuxta illud Petri 1. c. 4. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine: quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.* Ac ſi diceret. Omnibus hominibus, tales quales ſint, neceſſariò multi ſunt tolerandi labores, ac diuerſæ pœnæ ſubeundæ. Et quomodo peccatores poterunt illas effugere, cum hoc Dei iudicium incipiat ab his, qui eius obſequio deſtinantur, nec ipſi poſſint ab his laboribus liberari, ſed potius ſæpiſſimè variis afflictionibus vexentur, dum peccatores in bonis ducunt dies ſuos, & voluptatibus ſeculi fruuntur? Hac de cauſa, poſtquam dixit vuas mitti in lacum magnum iræ Dei, quia multa ſunt torcularia, id eſt, multis modis in hac vita homines premuntur, conculcantur, conteruntur, eſt etiam infernus quoddam torcular pertimeſcendum, in quo conteri debent peccatores; non de his torcularibus indifferenter hic fit ſermo, ſed de illo, quod olim calcatum eſt extra ciuitatem Hieroſolymitanam, nempe crucis torcular, in quo Chriſtus Dominus morte fuit oppreſſus. In hoc mitti debent vuæ, vt vinum ab eis expreſſum in cæleſtes apothecas recondatur. Nomine enim ciuitatis indefinitè poſito, intelligenda eſſe videtur illa ciuitas, quæ olim fuit ciuitas

Digitized by Google

ſancti, & figura Eccleſiæ, quæ per totum orbem nunc diffunditur,& cuius magnitudo per ſtadia mille ſexcenta deſignatur; quæ ſanguine exeunte de lacu calcato extra ciuitatem irrigatur. Decretum quidem illud Dei, quo ſtatuit homines peccatores variis pœnis ac ſuppliciis fore plectendos, lacus eſt magnus iræ Dei. Eſt ſi quidem onus à Deo impoſitum, quo premi debent omnes peccatores. At ille ſolus lacus ſalutem comparat, qui calcatus eſt extra ciuitatem: ab eo enim diffuſus ſanguis Chriſti, tanquam vinum pretioſum ab vua expreſſum, totam irrigauit Eccleſiam.

In huius rei figuram, interprete Paulo, vacca rufa immolabatur extra caſtra, Num. c. 19. in conſpectu omnium: cuius ſanguine aſpergebantur fores tabernaculi ſeptem vicibus, & combuſtâ, ex eius cineribus fiebat aqua aſperſionis, ad emundationem populi. *Quorum*, inquit S. Paulus ad Hebr. 13. *enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Videſne lacum extra ciuitatem calcari? Ad hunc lacum accedamus, exhortante Paulo. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes.* Hoc facimus, dũ à mundanis conuerſationibus abſtracti Chriſtũ imitari ſatagimus. Optimè Primaſ. in hũ locũ: *Quia ergo Dominus pro nobis paſſus eſt, hortatur Apoſtolus vt imitemur illum, dicens: Igitur quia ipſe extra caſtra paſſus eſt, vt nos ſanctificaret, egrediamur ad eum extra conuerſationem carnalium hominum, mortificantes membra noſtra cum vitiis & concupiſcentiis. Imitemur & eius paſſionem, martyrium pro illo ſuſtinendo. Hoc eſt enim improperium illius portare, eadem, quæ ille ſuſtinuit, pati. Crux enim illius improperium videtur eſſe Paganis: nobis autem eſt ſanctificatio & redemptio. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, deſpicientes præſentia, amantes futura. contemnentes viſibilia, deſiderantes æterna ſequi.* Ita Primaſ. Hac optima ratione martyria à S. Auguſtino vocantur torcularia: quia in ipſis Martyres, ſicut Chriſtus in torculari crucis, conculcantur & conteruntur, & premuntur. *Solent*, inquit S. Auguſt. in Pſalm. 8. *accipi torcularia etiam martyria, tanquam afflictione perſecutionum calcatis eis, qui Chriſti nomen confeſſi ſunt: cum mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanſerunt: animæ autem in requiem cæleſtis habitationis emanauerunt.* Aug.

Et exiuit ſanguis de lacu, vſque ad frenos equorum, per ſtadia mille ſexcenta.

Quomodo merita paſſionum Chriſti per totam Eccleſiam diffundantur?

ANNOTAT. XXIII.

ANTEQVAM noſtra depromamus, aliorum ſententiæ nobis ſunt adducendæ, quo percipi poſſit (quamuis eis non adhæreamus) nihil tamen alienum ab interpretandi ratione aliorum interpretum in medium proferre: & comparatis aliorum interpretationibus, cum noſtra faciliùs videatur, quænam ſit conuenientior applicatio ſymboli cum re ſignificata.

Diuerſæ autorum expoſitiones.

Victorinus: *Quod autem dicit miſſum in torcular iræ Dei, & calcatum extra ciuitatem, calcatio torcularis retributio eſt peccatoris. Et exiuit ſanguis vſque ad frenos equorum. Exiet vltio vſque ad Principes populorum, id eſt, rectores, ſiue diabolum, ſiue Angelos eius: nouiſſimo certamine exiet vltio ſanguinis effuſi, ſicut ante prædictum eſt. In ſanguine peccaſti, & ſanguis te perſequetur. Per ſtadia mille ſexcenta, id eſt, per omnes mundi quatuor partes. Quaternitas eſt enim conquaternata, ſicut in quatuor ſquadriformibus & rotis: quater enim quadringenti mille excenti* Ita Victor.

Ab eo mutuaſſe videtur ſuam expoſitionem Ticonius, dum ait: *Et calcatum eſt torcular extra ciuitatem, id eſt, extra Eccleſiam, facta enim diſſenſione foris exit homo peccati. Calcatio autem torcularis, retributio eſt peccatorum. Et exiet ſanguis de torculari, vſque ad frenos equorum. Exiet vltio vſque ad rectores populorum: vſque enim diabolum, & Angelos eius, nouiſſimo certamine, exiet vltio ſanguinis effuſi. Per ſtadia mille ſexcenta id eſt,* &c. vt Victorinus.

Eorum veſtigiis inſiſtens Primaſius ait: *Dicendo (ira Dei) ſententiam hic pro ira Dei poſuit, quam ſuperbo dicit inflictam; quem etiam magnum vocat. Tu, inquit, humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Nam (torcular) ſicut græca exemplaria continent, fœminini generis poſuit, & (magnum) maſculini.* Ita Primaſ. Ac ſi diceret; Tu humiliaſti, ſicut diabolum vulneratum, hominem ſuperbum. Proſequitur Primaſius: *Extra ciuitatem, extra Eccleſiam. Futura videlicet diſceſſione facta, foris erit omnis homo. Peccati calcatio: hic torcularia, vel tritura areæ inutilia contexuit, & imputribilia probat, vt ignis vaſa, & iuſtos tentatio tribulationis. Sanguis exiens vſque ad frenos equorum, vltio vſque ad rectores perueniens populorum. Cum enim perſecutionis illatæ pœnas, diabolus cum ſuis complicibus cœperit luere; ſanguis ſanctorum, qui effuſus eſt, vſque ad eum principeſque eius non incongruè dicitur perueniſſe, id eſt, equos illos, per quos in perſona hæreticorum bella mouentur, & quicumque eorum ſectantur errores, ſicut ante prædicatum eſt: In ſanguine peccaſti, & ſanguis te perſequetur.* Et cætera, vt Victorinus & Ticonius.

Andreas Cæſarienſis: *Extra iuſtorum ciuitatem lacus hic calcatur; neque enim par eſt vt virga peccatorum ad ſortem iuſtorũ aliquomodo appropinquet. Nam vt virorumq; vita & mors fuere diſpares, ita domicilia quoq; & ſtationes inter ſe communicare non debent. Per ſanguinem autem, qui ex iudicio obnoxiis, dum in lacu calcantur, funditur, iuſtum incorruptumque Dei iudicium ſignificatur. Sanguis autem vinum eſt vuæ; vini autem puri calix plenus offertur, propter diuinam iram, qua ſæuiente cruciatur, qui pœnam pro meritis excepturus eſt, vſque ad equorum (hoc eſt, laſciuorum illorum hominum) fræna pertinget; & meritò, vt qui nullum, dum viuerent, in carnis voluptatibus frænum agnouerint, neque vllum vnquam adhibere ſtuduerint. Additur porro ad mille ſexcenta ſtadia dimanaſſe ſanguinem, ad deſignandam conſummatam hominum illorum nequitiam, pœnæque magnitudinem: ſiquidem millenarius numerus inter omnes eſt perfectiſſimus, & conſummatiſſimus: ſexcenteſimo ad hæc Noë anno, peccatum aqua obrutum nouimus. Fit autem mentio ſenarij, quia creaturam ſex dierum ſpatio conditam, improbis ſuis ſtudiis contumelia affecerunt; ſex denique dierum numerus, in quibus mundus conſtitutus eſt, operationis ſymbolum.* Ita Andr. In quodam vero exemplari Andreæ Cæſarienſis, inſeruntur ſequentia: *Vt ſuppliciorum locus extra cæleſtẽ Ieruſalem ciuitatem eſt poſitus, ita illi quoque, qui eiſdem addicti ſunt. Porrò autem quod ſanguis illorum vſque ad equorum fræna aſcendiſſe, ſe ſeque ad mille 600. ſtadia diffudiſſe hîc dicitur, iſtud ad inſinuandum pœnarum prolixitatem & grauitatem, quæ per Angelos cruciatibus præfectos irroganda eſt, pertinere videtur. Siquidem hos equorum nomine ſcriptura ſacra alicubi deſignat. Neque enim aliò ſpectat illud: Aſcendens ſuper equum tuum; & illud rurſum: Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te. Pertingit autem peccatorum, qui cæduntur, eiulatus & ſanguis vſque ad equorum frænos, hoc eſt, vſque ad præcepti limitem, quem ea de re Deus præfiniuit. Frænum enim ſanctæ illæ virtutes*

aliud non agnoſcunt, quàm diuinum præceptum, hoc vno namque diriguntur & impelluntur ad ea omnia exequenda, quæ in mandatis habent. Poteſt aliter quoque hic locus exponi: nam cum iniqui præuaricationes, inſtar equorum (qui præ cæteris animantibus laſciui, ſuperbi, & furioſi ſunt) voluptatibus vſque ad faſtidium incubuerunt, digni ſunt qui vſque ad frenos ſuppliciis viciſſim immergantur. Quid enim iuſtius, quàm vt ij, qui nullum in flagitiis modum tenuerunt, nulla pariter in pœnis relaxatione potiantur? Per mille autem & 600. ſtadia, magnum illud chaos, quod inter iuſtos & peccatores interiectum eſt, tum conſummata eorum (de quibus hic ſermo eſt) nequitia, ſummaque in operibus abominatio: decade quidem ex centenis perfectam malitiæ magnitudinem ſignificante, hexade verò eorumdem centenorum accuratum deque induſtria ſuſceptum peccandi ſtudium, fœdumque creaturæ, (quæ ſex dierum ſpatio condita eſt) abuſum: ſexcenteſima denique Noachi anno vniuerſam terram diluuij aquis proſtratam iuiſſe. Ita Andr.

Rupertus: *Et exiuit ſanguis, &c. Ordo verborum eſt: Extra ciuitatem, per ſtadia mille ſexcenta, calcatus eſt lacus: & exiuit ſanguis vſque ad frenos equorum.*

Per ſtadia mille ſexcenta. Stadium eſt ſpatium continens paſſus centum viginti quinque, ſcilicet octauam partem milliarij, & dicitur à ſtando, quia Hercules, cum cucurriſſet vno halitu centum viginti quinque paſſus, tunc reſpirauit & ſtetit. Propter hoc Græci hac menſura metiebantur loca, in quibus ludebant. Stadium ergo ſignat homines per viam vitiorum currentes, & ludis mundanæ vanitatis inſiſtentes. Ita S. Tho. Qui in ſenario minùs perfectos in bono aut in malo; in centenario perfectiores: in millenario perfectiſſimos intelligit. Vnde addit: *Per ſtadia mille ſexcenta, id eſt, per homines, qui ludis vitiorum detenti diuerſum vitæ curſum male viuendo tenuerunt, ſcilicet vel in gradu vitiorum minori, vel medioeri, vel maximo. Ex quo patet quod omnes reprobi æternaliter punientur, diſtinctè tamen, propter diuerſa demerita.* Ita S. Tho. Multa docet Alcazar hic annotanda: ad ſignificationem ſtadiorum ab illo allatam veniamus.

Docet igitur primò Paleſtinæ ſeu Iudeæ longitudinem, à ſeptemptrione ad meridiem, Plinio eſſe l. 5. c. 13. 189. millia paſſuum, S. verò Hieronymo, Epiſt. 129. conſtare 160. paſſuum millibus: cui potius fides eſt adhibenda quàm Plinio; eamdemque eſſe illam Hieronymi, cum ea quam ſcriptura deſignat, à Dan vſque Berſabee, quam duodecim tribus primo occupauerunt, licèt poſtea alias terras ſuo Imperio addiderint.

Docet ſecundo 160. millia paſſuum idem eſſe ac ſtadia mille ſexcenta, ac iuxta Romanorum numerandi rationem, ſtadiis octo confici vnum milliare; apud quos paſſus habet quinque pedes, ſtadium 125. paſſus, qui Romanos pedes conficiunt 625. in Græcorum verò dimenſione, decem ſtadia vnum milliare ſiue mille paſſus iuſtè conſtituunt; apud quos paſſus vnus continet ſex pedes (quæ menſura humanam ſtaturam prorſus adæquat) ſtadium centum paſſus ſiue ſtaturas hominum, id eſt pedes ſexcentos; ac proinde 160. milliaria præcisè ſunt ſtadia mille ſexcenta; Romanos ad vnius ſtadij dimenſionem, 25. pedes adjicere.

Docet præterea paſſus 160. millia, quibus Paleſtinæ longitudo protendebatur, & mille ſexcenta ſtadia, quæ Ioannes in Apocalypſi refert, vtramque menſuram fore reducendam ad Græcorum computationem, non ad Romanorum, Græcos in hac dimenſione conuenire cum Paleſtinis; apud quos Paleſtinos ſenorum pedum menſurá erat in vſu, vt pote quæ humanam æquat ſtaturam; Stadia inſuper mille ſexcenta Apocalypſeos, conuenire cum centum ſexaginta Paleſtinæ milliaribus, iuxta Græcorum

A rationem; & centum ſexaginta millia paſſuum accipienda eſſe de paſſibus ſenorum pedum, & ſtadia mille ſexcenta de centum paſſuum ſtadiis, iuxta Græcorum ſupputationem. Ita Alcaz.

Nunc ad ſignificationem, quam affert iſtorum, veniamus. *Exiuit ſanguis de lacu*: refert ad maximã Chriſtiani ſanguinis vim & copiam, quæ primitiuæ Eccleſiæ tempore profundebatur: quæ quàm ingens fuerit, ex congruenti fictione conjicitur, quæ repræſentat torrentem ſanguinis ita exundantem, vt equos frenorum tenus attingat; vt equi facilè ſanguine ex: ſaturari poſſint, ipſe emineret ſanguis ad eorum ora pertingebat.

Per equos autem intelligit quatuor equos capitis B ſexti, per quos præcipuæ virtutes diuinæ prouidentiæ, nimirum Virtus, Beneficentia, Æquitas, atque Sapientia, ſub contrariorum effectuum prætextu diſſimulatæ deſignantur: quæ ſatiari dicuntur, cum Deus ſuo ſatisfacit deſiderio hominum ſaluti proſpiciendi, per quatuor illarum virtutum abſolutiſſimam perfectionem, quæ conſiſtit, vt per contrarios effectus ſeſe prodant & manifeſtent: quin & manſuetudinem, zelum, modeſtiam, & mortificationem, in coloribus equorum quatuor deſignatas, in Martyribus clareſcere, dum ſcilicet in lacum mittuntur, id eſt, vt antea dicebat Alcazar eorum corpora myſticè objiciuntur vindictæ iræ nouiſſimæ Dei, vt in ipſis ſuam expleret indignationem ad-C uerſus hominum ſcelera conceptam, vtque ſuorum Martyrum cruore ſatiatus, iuſtiſſimam remitteret iram, qua in genus humanum erat accenſus. Lacus magnus, propter maximum numerum Martyrum, & quia Chriſti paſſioni comites ſe præbent, & in idem ſeſe projiciunt torcular, in quo Chriſtus preſſus eſt, vt cum illo pariter premantur, & eidem diuinæ vindictæ, qua ſe Chriſtus ſubiecit, ſemet vna cum Chriſto ſubjicianr, &c.

Denique per ſtadia mille ſexcenta, nec ad inferorum quantitatem eſſe referendum; nec pro ingenti aliquo numero, itaut ſit numerus certus pro incerto, reponi; ſed habitum fuiſſe reſpectum ad totam illam longitudinem, quam communiter ha-D bere dicebatur promiſſionis terra à filiis Iſraël occupata: quippe iuxta communem ac receptam comparationem, illi aſſignabantur centum milliaria, quæ mille ſexcenta ſtadia omnino conficiunt; ſicque ſignificari vniuerſam Eccleſiam (cuius Paleſtina fuit figura) ſanguine Martyrum immaduiſſe; & quamuis extra Eccleſiam fuerint vuæ conculcatæ, vinum tamen per totam Eccleſiam effluere, eamque lætificare; ſtadia autem reponi ad innuendum Martyrum agonem. Ita Alcaz.

Has omnes expoſitiones ante oculos poſuimus, tum vt loci illius difficultas facilius ponderari queat, tum vt quædam certa habeamus, quæ noſtram expoſitionem fulcire valeant. V. g. conſtat ex omnibus E his expoſitionibus calcationem laci pertinere ad aliquam pœnam pro peccato inflictam, ſiue illa ſit æterna, vt quidam volunt, ſiue illa ſit temporalis, vt alij.

Secundò certum eſt ſtadia mille ſexcenta poni ad deſignandum illas pœnas vniuerſum orbem ſeu vniuerſam Eccleſiam inundare, vel conſummatam quamdam nequitiam abſolutiſſimâ ac perfectiſſimâ quadam pœnâ punitam.

Tertiò, certum eſt equos à quibuſdam in malam partem accipi, ab aliis in bonam. Qui in malam partem accipiunt, hi vel dæmones, vel malos homines aliorum rectores intelligunt, qui frenis, id eſt pœnis, coërcentur; vel etiam carnales ac laſciuos, qui immergi in pœnis merētur, quia in ſuis voluptatibus nullum modũ tenuerũt. Per equos alij intelligunt bonos Angelos pœnis præfectos, qui præceptis diuinis

Digitized by Google

tanquam frenis huc & illuc feruntur (ita Andreas Cæſ.) vel virtutes diuinæ prouidentiæ præcipuas (vt ſingulariter Alcazar) cui tanta ſanguinis copia ſuppeditetur, vt vſque ad os perueniat, quo deſiderium ſuum ſalutis ſatietur, in perfecta peccati vindicta.

Quartò: Dicimus ſanguinem ſumi à quibuſdam pro vero ſanguine. Ita Alcazar, qui de vero ſanguine Martyrum intelligit per totum orbem diffuſo; ab aliis, per ſanguinem, myſticè vltio ſanguinis effuſi intelligitur, vel iuſtum incorruptumque Dei iudicium, quod quidem tanquam purum vinum proponitur, & exire dicitur ex conculcatione malorum. Sancto Thomæ ſanguis eſt pœna æterna pro peccato, qnod per ſanguinem ſignatur.

Noſtra de hoc textu expoſitio, de theſauro indulgentiarum.

ANNOTAT. XXIV.

HIS igitur præſuppoſitis, Dico primò projici fideles in lacum magnum iræ Dei, dum pro peccatis ſuis illis neceſſe eſt multa pati: quia Deus decreuit pœnam ſubſequi, ſtatim atq; peccatum fuerit perpetratum. At vt pœnæ iſtæ ad rigorē diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere poſſint, oportet vt ipſi proiiciantur, non in quaſlibet preſſuras, ſed in eas, per quas poſſint reddi conformes Chriſto patienti; itaut ſicut ille extra Ieruſalem paſſus eſt, ita nos extra Synagogam, in illum credentes, patiamur: extra quam eiecti fuerunt omnes, qui Chriſtum confitebantur, olim à Iudæis, vt dicitur Ioan. 9. *Iam enim conſpirauerant Iudæi, Vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Et hac de cauſa cæcum à Chriſto illuminatum & eum confitentem, foras eiecerunt; & S. Stephanum Ieſum aſſerentem ſtare à dextris Dei eiecerunt extra ciuitatem, vt lapidaretur. Inſuper oportet vt extra mundanam omnem conuerſationem exeamus, vt improperium Chriſti portemus, qui extra portam paſſus eſt: illius enim paſſio torcular eſt ab illo ſolo calcatum, extra ciuitatem; à quo quidem, tanquam ab inexhauſto fonte, manauit tanta copia meritorum & ſatisfactionum pro peccatis, vt vniuerſa Eccleſia per totum orbem diffuſa ab eis poſſit inundari. *Et omnis anima viuens*, vt dicitur Ezechiel. c. 47. *quæ ſerpit quocumque venerit torrens, viuet; & erunt piſces ſatis, poſtquam venerint illuc aqua iſta: & ſanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Ita Ezech.

Dico ſecundò. Tanta eſt copia meritorum Chriſti, quæ ex paſſione eius effluxerunt, tantaque abundantia meritorum, eorum etiam qui per gratiam ipſi coniuncti pro illo patiuntur, vt vſque ad frenos equorum iſta perueniant. Equi ſunt corpora ſanctorum, qui Chriſto coniuncti per varias pœnas, & mortificationes, ſenſus ſuos coercent, Chriſtum imitantes, ne poſt concupiſcentias eant effrenes. Equi ſunt populorum Rectores, quos Deus regit, quos Chriſtus (qui in his omnibus ſeſſor eſt) moderatur, quos Spiritus ſanctus agit & impellit, & præceptis ac motionibus ſuis huc aut illuc deducit. Quibus permittitur ex tam inexhauſto fonte pœnarum & ſatisfactionum Chriſti, & ſanctorum ſuorum, tantumdem haurire, quantum prudenter iudicauerint neceſſarium pro remittendis & relaxandis pœnis ſubditorum, indulgentias plenarias & iubilea concedendo. Vſque ad os eorum quidem peruenit ſanguis, id eſt, meritum ſanguinis Chriſti; ſed fidelitate & prudentia, quibus vtuntur in miniſterio ſuo peragendo (& proinde quibus tanquam freno reguntur, vt omnia debitè adminiſtrare valeant) hæc Chriſti merita fidelibus diſtribuunt. Quod autem frenum poſſit eſſe ſymbolum prudentiæ, ſatis patet ex hoc loco S. Iacob. c. 3. *Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus, &c.* Quid conuenientius noſtro ſymbolo? Sicut enim equos per fræna, quo volumus, ducimus: ita vir perfectus, per prudentiam, linguam ſuam frænando, totum corpus operum ſuorum ad bonum finem feliciter perducit. Et hoc modo Prælati, per prudentiam fideliter Chriſti merita diſtribuunt. Vel ſi ſecundum Hieronymum (in hæc verba 14. Zachar. *In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt ſanctum Domino.*) frænum ſymbolum ſit Sermonis Domini. (*Tale*, inquit, *frenum & talis ſermo, auri & argenti varietate compoſitus, feros equos Saluatori præparat ad ſedendum, & ſanctos facit, ac propriè illius cultui conſecratos.* Ita Hieron.) tunc fideliter prælati & paſtores merita Chriſti hauriunt & diſtribuunt, ſi omnia ſermoni ſeu verbo Dei conuenientia perficiunt. Sicut igitur quidam interpretes per ſanguinem intelligunt vltionem ſanguinis, ita nos rectè poſſumus intelligere meritum ſanguinis effuſi Chriſti & ſanctorum, quo fiat theſaurus quidam diſpenſandus à Paſtoribus & rectoribus populorum, qui ore ſacro ebibunt hunc ſanguinem, & emittunt dum prudenter & fideliter abſolutionem à peccatis & pœnis concedunt.

Quid ſit quod ſanguis exeat per ſtadia mille ſexcenta? §. 5.

At dices: Cur diffuſio iſta per totam Eccleſiam, per mille ſexcenta ſtudia ſignificatur?

Dicō primò: quia Eccleſia per vniuerſum orbem eſt diffuſa. Numerus 1600. eſt numerus, vt dicunt, quadratus, qui exurgit ex numero 40. quadraginta vicibus repetito; itaut pro qualibet mundi parte, quadrageſimus numerus decies repetatur; deinde numerus ipſe 1600. perficitur numero quatuor centum, quater repetito.

Secundò: Quia 1600. ſtadia idem valent ac 160. milliaria, quæ longitudinem terræ promiſſionis adimplebant. Fuit autem terra promiſſionis figura Eccleſiæ, in qua fit hæc communicatio pœnarum ac ſatisfactionum. At iſta longitudo ſeu amplitudo Eccleſiæ non fuit deſignata per paſſus aut milliaria, ſed per ſtadia: quia militia eſt vita hominum ſuper terram: omnes quidem in ſtadio currunt. Sed ita, inquit Apoſtolus, currendum eſt vt comprehendamus. Quod fit, ſi per viam mandatorum Dei & conſiliorum eius fideliter ambulemus.

Tertiò: In hoc numero 1600. quadrageſimus numerus quadraginta vicibus repetitur: qui numerus ſignificat pœnitentium labores, ad ſatisfactionem peccatorum ſuſceptos. Huius numeri repetitio per 40. vices, docet in Eccleſia reperiri ſufficientes, imo ſuperabundantes ſatisfactiones, quibus poſſunt expiari & ſolui omnes pœnæ peccatis quibuſlibet debitæ; quia in ea theſaurus meritorum & pœnarum, & ſanctorum illius reperiuntur. Deinde perfectiſſimum iubileum in ea reperimus: nam numerus quinquageſimus, qui ſymbolum eſt Iubilei, reperitur octo vicibus pro qualibet mundi parte. Etenim quater centum ſunt 50. octies repetita; & quater quatuor centum, 1600. abſoluunt. Et reuera per ſeptem beatitudines priores poteſt quidem comparari venia peccatorum, & remiſſio pœnarum: ſed vltima, per quam pro Chriſto & pro iuſtitia aliquid patimur, videtur potior: quod Chriſtus indicare voluit, dum centuplum repromittit. Marci 10. *Amen dico vobis: nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios,*

Digitized by Google

aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, & fratres, ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam. Theophilactus apud S. Tho. in catena: *Et maius eſt, quia cum perſecutionibus hæc omnia poßidebunt ſancti, ſi perſecutionem ſunt paßi & anguſtiati, propter quod ſequitur: Multi autem erunt primi nouißimi, & nouißimi primi. Phariſæi enim primi exiſtentes, facti ſunt nouißimi: qui verò omnia reliquerunt, & Chriſtum ſecuti ſunt, fuerunt nouißimi in ſeculo iſto per anguſtias & perſecutiones, ſed erunt primi per ſpem, quæ eſt in Deum.* Ita Theophyl. Dum igitur numerus quinquageſimus per octo vices in numero 1600. repetitur, perfectum iubileum iis, qui pro Chriſto patiuntur, repromittitur.

Deinde cum in hoc numero 1600. quatuor vicibus numerus quadringentus repetatur, hac ratione deſignatur firmitatem & ſoliditatem perfectionis Chriſtianæ in hoc conſiſtere, vt quis pro Chriſto, & cum Chriſto mala pati non pertimeſcat. Nam cum numerus centeſimus ſit perfectus & completus, optimè in eo deſignatur vltima actionum noſtrarum perfectio. Quod ſi per quatuor vices repetatur, in illa quadrata quaſi figura, ciuitatis illius in quadro poſitæ firmitatem imitatur.

Denique in illo numero 400. quo conſtantia & perſeuerantia in piis operibus deſignatur, poſſumus intueri quatuor cauſas, ſeu quatuor capita perſeuerantiæ iſtius. Prima eſt prædeſtinatio, ſiue ad gloriam, dicente Apoſtolo: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, illos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid autem dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, &c.* Secundò, huiuſmodi perſeuerantia originem ſuam trahit ex amplitudine meritorum Chriſti, cui Deus nihil denegare vult. Vnde ait Apoſtolus: *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus ·ª qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8.

Tertia cauſa huius perſeuerantiæ eſt energia ſeu efficacia mediorum, quæ à Deo fuerunt inſtituta, vt per ea nobis applicentur merita paſſionis Chriſti; qualia ſunt Sacramenta, quæ efficiunt id quod ſignificant, dum ritè adminiſtrantur, & cum debita præparatione ſuſcipiuntur. Quarta cauſa huius ſoliditatis ac perſeuerantiæ eſt ſedula ac fidelis cooperatio electorum: ad quam vt poſſibilem prouocabat S. Petrus dicens: *Satagite vt per bona veſtra opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Si igitur eo vſque perueniat exercitium virtutum, quæ in quatuor virtutibus cardinalibus includuntur, prudentia, iuſtitia, fortitudine, temperantia, vt ad numerum centenarium perueniat; cum nulla ſit ex his actionibus, per quas hunc numerum centeſimum attigimus, quæ non ſit effectus prædeſtinationis, cui ſuffragantur inſuper merita Saluatoris, ſine quo nihil poſſumus, nihil meremur; ac neceſſaria ſit præterea gratiæ ac liberi arbitrij cooperatio, cum ſuſceptione Sacramentorum, quæ à Deo preſcribuntur tanquam media, per quæ vult nobis gratiam conferri (vnde conſulto & ſcienter prætermitti non debent) quater proponitur aliquid perfectiſſimum, cuius perfectio poſſit per centenarium numerum deſignari, quo noſtra perfectio ſolidatur, ac certior redditur noſtra electio; videlicet ex Deo præ-

A deſtinante, ex Chriſto merente, ex efficacia gratiæ & mediorum, quibus nobis cõfertur, & ex fideli noſtra cooperatione; ſicque ex quater centum per quatuor vices repetita, 1600. ſtadia conficiuntur. Vnde qui tales ſunt, cum Apoſtolo dicunt confidenter: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti. Tribulatio, an anguſtia: an fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Rom. 8.

B Hoc modo vindemiati fideles optime dicuntur mitti in lacum iræ Dei magnum, dignique redduntur fieri participes altaris, in quo fit memoria iſtius torcularis, quod Chriſtus ſolus calcare voluit in ara crucis: per quam participationem vere calcatur ſuperbia intellectus, dum captiuatur in obſequium fidei. Nam qui noluit per effectus adeo ſenſibiles, quales ſunt omnes creaturæ huius mundi viſibilis, ſeſe ad Dei cognitionem euehere; nec per fidem opificem tanti operis glorificare, vt ſalutem æternam poſſet ſibi comparare; nunc, ſi ſaluari vult, cogitur credere Dei potentiâ ac ſapientiâ fieri vt Chriſti corpus & ſanguis ſit ſub ſpeciebus panis & vini, C quamuis ſenſus nihil percipiat, & ratio cæcutiet in tanti myſterij contemplatione: quod rectè dicimus eſſe myſterium fidei, quia reuera quidquid altum, quidquid ſupra humanum captum in rebus fidei poteſt reperiri, in hoc vno myſterio dignoſcitur. Quin etiam dum ij, qui dignè illud percipiunt, firmum iſtud propoſitum concipiunt nunquam à Chriſto diſcedendi, certè videri poteſt qua ratione animæ iſtæ fidelium (quæ demeſſæ fuerunt per conuerſionem ad fidem; ac vindemiatæ fuerunt, dum adſtrictæ fuerunt, vt vitam degant Chriſto crucifixo conformem, vt ſint tanquam equi flexiles, & ad nutum obedientes iis, qui eos regere & conducere debent: quo fit vt Deus & Chriſtus illorum ſeſſor, D per Eccleſiæ rectores, quorum miniſterio illos tanquam fræno quodam huc aut illuc deducit, vel per illos euentus quos ipſe immittit, iuxta ſapientiſſimam ſuam ordinationem, quantumuis iſti euentus ingrati ac iniucundi fuerint, de eis diſponat ad libitum) in ſanguine natant alacres; nec à pœnis aut laboribus ſibi parcunt, niſi prout per frænos prudentiæ, ac fidelis regiminis Paſtorum, poſſunt coerceri, vel ſaltem niſi cauerent ſibi à præſumptione ſuarum virium, ne dum natare vellent, per infirmitatem virium fluctibus ſubmergerentur, ſi aliquid ſupra vires attentare præſumerent, aut tolerare.

Quod ſi ſemel hæ mentes, Dei amore flagrantes, perſenſerint ſibi diuinum adeſſe auxilium, & benig- E no Spiritu ſancti afflatu fuerint ſuccenſæ & impulſæ, Zelo diuini honoris ſuccenſæ, nihil tantopere deſiderant, quàm vt dexterâ Dei ſuffultæ occaſionem aliquam nanciſcantur, in qua aliquid ſibi pati contingat pro Chriſti amore ac Dei gloria. Hincque fit vt Deus, qui exaudit vota humilium, & deprecationem illorum non aſpernatur, permittat vt propter illam, quam præceptis ſuis ac ſermonibus exhibent obedientiam, perſecutiones patiantur, & vindemientur, ſeu è numero viuentium reſcindantur, & in lacum magnum iræ Dei, mortem videlicet, immittantur, in quo calcati & contriti, ex pœnis ac laboribus, & morte libenter tolerata, egrediatur vinum immortalitatis, ſanguinis, inquam, myſtici, in quo vita nunquam peritura conſiſtit, quæ tanta copia bonorum affluit & redundat, vt in

Digitized by Google

torrentem voluptatis immergantur, vel ad talos, vel ad genua, vel ad renes, vel omnimodè prout præſcripſerit diuina iuſtitia, cuius eſt vnicuique reddere mercedem iuxta opera ſua in illa cælesti Hieruſalem, videlicet quæ figurata fuit per terram promiſſionis, cuius longitudo erat 1600. ſtadiorum, quæ verè ciuitas in quadro poſita inconcuſſa manet in æternum. Hac ratione exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum, per ſtadia 1600. Et Angelus ex altari exiens, nempe zelus veri Chriſtiani cum Chriſto coniuncti, prouocat illum ſpiritum veritatis, qui Eccleſiam concomitatur, vt propter obedientiam diuinorum mandatorum, & teſtimonium verbi, faciat vt quilibet fidelis Chriſtianus vindemiari, id eſt, è numero viuentium reſcindi non pertimeſcat: vt illis miſſis in preſſura & anguſtia mortis, ex illo lacu ſeu torculari exeat vita immortalis, iuxta illud: *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit & credit in me, non morietur, ſed tranſiet de morte in vitam.* Hic enim ſermo diuinus, acuta falx, & gladius bis acutus, vindemiat. Nam quia honori habetur quilibet Chriſtianus illo percuſſus gladio interiùs, mori non dubitat exteriùs in corpore, vt quanto in pretio ſit habendus teſtificetur ex opere, in hoc ſenſu zelus diuini amoris eſt Angelus clamans ab altari. Spiritus veritatis eſt Angelus habens falcem acutam ad vindemiandum. Mors eſt lacus iræ magnæ Dei. Corpora ſanctorum ſunt vuæ comprimendæ; eorum mentes & animæ, equi natantes in ſanguine, iuxta Dei præſcriptum, cum ex preſſuris & doloribus immortalitatis dote fruuntur in æternum. Talis enim vita immortalis exprimitur ex doloribus & pœnis, quæ pro Chriſti amore & imitatione tolerantur.

Quod ſi aliquis hoc modo iuſtitiæ diuinæ ſatisfacere renuerit, certè zelus diuini honoris in Angelo exeunte ab altari deſignatus, prouocabit potentiam verbi diuini, quo gladio aliquando Anti-Chriſtus occidetur, vt è numero viuentium reſcindat contemptores gratiæ diuinæ, eoſque mittat in lacum

A cum magnum iræ Dei, nempe infernum, in quo debitis pœnis afficiãtur; vel ſaltè, ſi reſipuerint à peccatis, ſed omnes pœnas tẽporales pro digna ſatisfactione ſubeundas non ſoluerint, morte interueniẽte proijciantur in ignem purgatorium, vt ibi expientur à torpore & negligentia, qua omiſerunt per opera ſatisfactoria in hoc mundo ſoluere pœnas ſuis peccatis debitas. Ex quibus pœnis ac ſuppliciis egreditur iam illud vinum lætitiæ, de quo dicitur: *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Dicent enim & animæ in purgatorio patientes: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

His duobus modis Eccleſia ſponſo fidelitatem B ſeruat, eique placere ſtudet; ſiue dum gratiæ cooperando ſublimem iſtum gradum ſanctitatis attingit, quem deſcripſimus in initio huius capitis, in illis centum quadraginta quatuor millibus, qui agnum comitantur; ſiue dum Chriſti, qui ſuprema eſt veritas, imperium & monarchiam promouere ſatagit, tam in ſe quàm in aliis. Quod quidem perficit, dum ſummi Pontifices, & alij Eccleſiæ Prælati ab eo iuriſdictionem accipientes, cum ſapientia & charitate regunt & moderantur Eccleſiam, ſuntque ſolliciti vt veritas Euangelij cunctis populis ac nationibus innoteſcat, & vt inferiores Paſtores ac verbi præcones ſuo muneri incumbant cum omni fidelitate, verbum diuinum & Sacramen- C ta ritè adminiſtrantes, poſtquam fuerint ad hæc munera obeunda legitime miſſi ac deputati; denique dum fideles libenter amplexati ſunt leges Chriſtianitatis, licet ingrata ſenſibus, & rationi inferiori repugnantes, vt ſub iugo ac ſarcina Chriſti vitam tranſigant vſque ad mortem, ea omnia quæ carnem affligunt paruipendentes, modo Chriſto, tanquam ſupremo Domino, debitam præſtent obedientiam ac reuerentiam, ab eo pro laboribus æternam recepturi mercedem, qua inebriabuntur ab vbertate Dei, & torrente voluptatis potabuntur. Ecce certè reuelata plurima myſteria ſub ænigmate valde difficili, vt puto, obuoluta.

FINIS CAPITIS DECIMI QVARTI.

Digitized by Google

DE VARIIS RATIONIBVS, QVIBVS Prælati & ſancti pro regno Chriſti contra Satanam dimicant, quibus & fideles ad portum ſalutis peruenerunt, & Dei iudicia vera & iuſta manifeſtantur: & quantis à Deo donis Eccleſia ſit inſtructa, vt Satanam conterat ſub pedibus?

Legendum c. 25. Eſ. pro Annotationibus huius c. 15 ſed præcipuè, cap. 63.

CAP. XV.

OPTATISIMA dies, in qua Dominus calcauit lacum in furore ſuo, & vltionem habens in corde, Redemptionis diem adduxit. Tunc ſaluauit ſibi eius brachium, ac ſumma potentia eos quos ſibi eligit; & tanta contra peccatum ira ac indignatio, (vt à Deo Patre, qui poſuit ſuper eum omnes iniquitates noſtras, fuerit percuſſus & humiliatus) ipſa auxiliata eſt ei. Ex ea enim largitus eſt indulgentiam. Ex eâ effuſa eſt multitudo miſericordiarum ſuarum, vt tanto profluuio Eccleſia tota fuerit inundata. *In indulgentia ſuâ ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi.*

Iſa. 63.

Hac ratione vidi quibus rationibus Epiſcopi ad quos litteras direxeram, ea quæ fuerunt illis iniuncta fœliciter perfecerunt; quomodo ex ſedulâ eorum executione & fideles ſibi commiſſos ad portum ſalutis perduxerunt, iudiciorum Dei æquitatem omnibus perſpicuam reddiderunt, ac Eccleſiæ ſponſæ Chriſti præclaras & mirabiles dotes manifeſtarunt. Ecce enim *Vidi aliud ſignum in cælo magnum & & mirabile.* Iam reuera ſignum magnum mihi apparuerat in cœlo, cum mulier amicta ſole habens lunâ ſub pedibus, & in capite coronâ ſtellarum duodecim, mihi apparuit. Sed nunc ſignum vidi, non tantum magnum, ſed etiam mirabile. Peperit tádem filium maſculum illa mulier, qui recturus erat gentes in virga ferreâ, qui raptus fuit ad Deum & thronum eius, itaut illi inuidia diaboli nihil nocuerit. Vidimus ſuper thronum ſedentem, ſimilem factum filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſuâ falcem acutam. Id eſt: Iam regit populos & nationes, iam ad opus reducit eam, quæ illi data fuit, ſummam poteſtatem & autoritatem: & demeſſa eſt terra prædicatione verbi Dei, vindemiata Sacramentorum Baptiſmatis & pœnitentiæ adminiſtratione, ſatiata ſanguine & corpore Chriſti, Chriſto in paſſione conformis reddita. Hoc tamen certè non adimplebitur abſque conflictu. Iraſcitur diabolus, & totis conatibus obſiſtet. Neque in vanum è mari belluam, è terrâ aliam beſtiam ſibi ſociauit. At nihil timendum. Septem *Video Angelos habentes plagas ſeptem nouiſſimas, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.* His plagis diſſipabitur Satanæ conſilium: & quæ Deus propoſuit, cum contra peccatores iratus pro eis filium percuſſit, fœliciter perficientur. Oratione peccata percutient: prædicatione verbi Dei, ſtupiditatem hominum vecor-

TEXTVS. Et vidi aliud ſignum in cælo magnum & mirabile.

Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas: quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

A dem transfigent: Sacramentorum vſu inclinationes peruerſas proſcindent: ſacrificiis intentiones eorum diſtortas contorquebunt: Legibus malitiam cordis diuerberabunt: iudiciis effrenatam audaciam eorum, qui leges negligunt, confringent; excommunicationibus contumaciam ſuperborum & inobedientiam contundent. Hac ratione terminatur ſeu conſummatur totum diuinæ prouidentiæ opus. Nam hæ plagæ eæ ſunt, in quibus ira Dei conſummatur in iis qui ſalui fiunt. Ad hoc enim Deus omnes fluctus iræ ſuæ ſupra filium ſuum induxit, vt vitia extirpentur, virtutes inſerantur, Deus & eius filius cognoſcatur & colatur ab omnibus, &

B tam amabilis creator & redemptor ardentiſſimè ametur. Quæ ſi neglecta fuerint, tunc conſummabitur ira Dei: nihil enim ampliùs Deus per Eccleſiam operabitur pro hominum ſalute: eos à ſe ſeparabit, & vt ramos & palmites inutiles & infructuoſos in ignem mittet in æternum comburendos. O verè prodigioſum & mirabile ſignum; quòd homines fragiles, & lutea vaſa portantes, cunctis diebus ſæculi ad hunc honorem eleuentur, vt tanquam poteſtatem habentes cum Deo facilè colloquantur, eius iuſſa & voluntates hominibus inculcent, Dei gratiam conferant, pro tota rerum natura Deo ſatisfaciant, legibus voluptates hominum coerceant, iudiciis ſuis eorum licentiam reprimant, gladio vindictæ eos potenter, diſcindant! Nec mirum ſi ad

C tam altiſſimum dignitatis gradum peruenerint. Aſſumpti ſunt è numero eorum, qui ab aliis iam fuerant in lacum iræ magnæ Dei miſſi, vbi conculcatis licèt vſque ad fræna equorum, hoc muſtum ſanguineum huius laci acceſſerit, itaut ipſis opus fuerit grauia & carni acerba multa libenter tolerare. Attamen è tam periculoſo vado emerſi omnium tribulationum ſuperiores effecti ſunt, vt conſolationibus repleantur, in omni tribulatione gaudeant, ſi ſibi aliquid pati contigerit pro nomine Chriſti, & fortes facti in bello Deum ſtare pro parte ſua glorientur, & audacter dicant. *Si Deus pro nobis, qui contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed*

D *pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Deus eſt qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? an nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die; æſtimati* Rom. 8.

Digitized by Google

ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Per mare igitur, ſiue baptiſmi, ſiue pœnitentiæ, ſeu tribulationum tranſierunt. Vnde habentes fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedentes cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ, tenent ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: vnde ſtant ſupra mare, & quaſi ſuper ſolido gaudentes deambulant, ſiue ad portum appulſi ob ſecuritatem & ſpei confeſſionem indeclinabilem, ad huius maris littora ſiſtunt; & cytharis ac vocibus, Dei laudes decantant.

Hebr. 10.

TEXTVS.

Et vidi tanquam mare miſtum igne.

Vidi ſiquidem *tanquam mare mixtum igne, & eos qui vicerunt beſtiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens. Iuſta & vera ſunt via tua, Rex ſæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.* Longè latéque excreuit lacus ille calcatus extra ciuitatem: mare eſt vniuerſam cooperiens & inundans Eccleſiam. Omnes per hoc mare tranſire oportet. Cunctis baptiſmus indicitur. Cunctis pœnitentia neceſſaria. Cunctis per multas
C tribulationes introire oportet in Regnum Dei. Vitreum eſt: quia arte diuinâ, ac Dei ſupremâ ſapientiâ adinuentum eſt & confectum. Tot enim tantæque tribulationes ac Sacramenta ordinata ſunt ad hominum iuſtificationem. Vitreum inquam, quia non fluxum remanſit, ſed fixum & ſolidum tandem arte diuina deuenit, vt ſuper eum ſtare valeant. Solidum: at nihilominus fragile, ſed pellucidum, & ardens; vt pote mixtum igne. Intra Eccleſiæ alueum continentur merita paſſionis, ibique remanent: alibi non effluunt. Supra ea omnis fidelium fortitudo firmatur, ſolidatur eorum efficacia; omnia aduerſa non ſolùm tolerantur, ſed franguntur: fragiles quidem & inconſtantes ex ſe ſunt hominum
D voluntates, firmè tamen & ſolidè perſeuerant tantæ gratiæ participes. Hinc lucent bonis operibus. Hinc charitate & zelo ardent: & licèt implacabilem Dei iram in peccatum, quandiu viuunt, eis experiri contingat, quia ad vitæ extremum halitum eis multa pati neceſſum eſt, nihil eos à charitate Dei ſeparat. Illo igne accenſi, quem Chriſtus miſit in terras, omnes tribulationes (quas Deus immiſit in homines igne iracundiæ ſuæ inflammatus) patienter & fortiter tolerant, vt æternos inferni ignes effugiant. Sic eos vidi calcantes ſupra mare vitreum mixtum igne, ob eorum magnanimitatem, fortitudinem, ac in Domino fiduciam, eos nempe *qui vicerunt beſtiam*, nempe malitiam & obſtinationem pec-
E cati, ad Deum conuerſi, & per Baptiſmum & pœnitentiam in lacum miſſi meritorum Chriſti; *Et imaginam eius*; non ampliùs ſecundum carnem ambulantes, non ampliùs legi peccati, quæ eſt in membris noſtris, obtemperantes; non ampliùs mundo placere deſiderantes, ſed legi ſpiritus ſubiecti, mandatis Dei obſequentes; *Et numerum nominis eius*, id eſt, omnes peruerſas non modò actiones, ſed & intentiones ſedulò comprimentes: hi ſupra mare ſtant, ſeu ad littus ſecuritatis perueniunt: hi habent cytharas in manibus, quia omnes eorum animi ſenſus ac facultates à charitate ad vnum finem diriguntur, nempe vt in eis Deus honorificetur. Ex quo perfecta & ſuauis reſultat concordia, & harmonia omnium potentiarum & facultatum animæ, pia vo-

Et eos qui vicerũt beſtiam & imaginem eius ſtantes ſuper mare vitreum habentes cytharas Dei.

A luntate eorum intellectus in contemplatione veritatis remanet; tota intentione eorum voluntas in veri amore requieſcit: quidquid imperat ſenſibus ac membris, ex ſyncerâ Dei charitate procedit. Hinc mortificationem Chriſti in corpore ſemper circumferunt, vt vita eius in ſeipſis manifeſtetur: vndè omni diſſidio peccatorum ac vitiorum expulſo, ſummâ pace hi perfruentes cantant canticum Moyſi, & Agni, dicentes: *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum?* Ac ſi cum Iſaiâ dicerent: *Recordatus eſt dierum ſæculi Moyſi, & populi ſui.* Nunc nobis dicendum eſt: *Vbi eſt qui eduxit eos de mari, cum*
B *Paſtoribus gregis ſui? Vbi eſt qui poſuit in medio eius Spiritum ſancti ſui?* Iam habemus qui eruit nos de tribulationibus noſtris ac peccatis. Iam in medio maris huius ſæculi miſit Spiritum ſancti ſui. Omnia enim quæ toleramus, charitate Dei animantur. Eſt enim nunc tribulationum nobis mare mixtum igne. Tu olim, ò Domine Deus omnipotens, eduxiſti ad dexteram Moyſem, brachio maieſtatis tuæ: & nunc tu nos in filio tuo educis, vt ad dexteram gloriæ reponamur. Tu ſcidiſti aquas ante eos, vt faceres tibi nomen ſempiternum. At nunc tam magnanimes nos effeciſti, vt omnia terrena & aduerſa calcare iucundum nobis ſit, de hoc confiſi, quòd ſicut ſemper & nunc magnificabitur Chriſtus in corporibus noſtris; ſiue per vitam, ſiue per mortem (nobis enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.) Tu eduxiſti eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem, quaſi animal in campo deſcendens: ſpiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxiſti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. Et nunc licèt nos immergi contigerit in profundum paſſionum Chriſti, vt ei conformes eſſemus vſque ad hoc, vt omnes motus animi & corporis frenare nobis neceſſarium fuerit, tamen generoſo curſu per ignem & aquam tranſiuimus, per mare mixtum igne, vt laus tibi ſit: quia iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum. Quis enim pati recuſare auſus fuerit, cum proprio filio tuo non peperciſti? Quis enim non timebit talia videns, & ſi in viridi ligno talia facta ſunt, in arido fieri non pertimeſcet? Magna & mirabilia igitur ſunt opera tua Domine. Equum enim, id eſt, carnem peccatricem, & aſcenſorem eius, id eſt, diabolum, peccati inuentorem & inſtigatorem deieciſti in profundum maris tuæ ſacratiſſimæ paſſionis, & factus es nobis in ſalutem. Verè, Deus omnipotens (omnipotens namque nomen tuum) currus Pharaonis & exercitum eius in hoc mare proieciſti, cum peccati fomitem eneruaſti, vitia extirpando, quibus ad peccata perpetranda impellimur. *Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum*; ſiue quia talibus viis horrendam hanc iniuſtitiam, quâ Deo rebelles eius voluntati repugnare audebamus,
E à nobis amouiſti: vt iuſti cultores effecti, & in omnibus de cætero obtemperantes ſimus; ſiuè quia, qui contumaces remanſerint, iuſtis ac debitis pœnis ſeuerè plectantur. Sic *dextera tua, Domine, magnificata eſt in fortitudine.* Sic *dextera tua, Domine, percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.* Hæc olim occinebat Moſes ſeruus tuus, ob temporalia beneficia, & pœnas temporales hoſtibus populi tui inflictas. Hoc nunc decantamus, ob ſpiritualia beneficia, & ob pœnas æternas, ad quas inimici nominis & gloriæ tuæ detruduntur, cum ſubmerguntur quaſi plumbum in aquis vehementibus, in ſtagno ignis & ſulphuris. *Quis igitur ſimilis tui in fortibus Domine? Quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia.* Timeat

TEXTVS.

Et cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum agni: Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum.

Quis non timebit, te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes veniẽt, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta sũt.

Digitized by Google

Timeat te quilibet ex hominibus, & magnificet ideo nomen tuum; At præcipuè magnificetur vehementer, quia adeo pius es ac benignus, vt quidquid operaris erga nos, ex ſummo procedat amore, & ad hunc potiſſimum finem ſpectet, vt te agnoſcamus & colamus, in quo tota noſtra beatitudo & felicitas conſiſtit. Magnificamus igitur te cum Moyſe. *Dux enim fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti. Et portaſti eum in fortitudine tuâ ad habitaculum ſanctum tuum*, Eccleſiæ Militantis; *& introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*, Eccleſiæ Triumphantis, *firmiſſimo habitaculo, quod operatus es Domine. Sanctuarium quod firmauerunt manus tuæ*, in quo regnabis *in æternum & vltra.* Sic pius es, quoniam omnes gentes adorabunt in conſpectu tuo, videntes quàm excelſa & profunda ſunt iudicia tua, quæ nunc manifeſtantur, tum in reprobatione impiorum, tum in præmiatione electorum. Hinc cum agno cantamus tibi laudes, qui olim reprobis exprobrabat arrogantiam ſuam, eorum nomine Capharnaitas alloquens. *Et tu Capharnaum, vſque ad cælum exaltata, vſque ad infernum demergeris.* Qui de victoria contra diabolum reportata ſanctiſſimè gloriabatur, cum aiebat. *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Qui pro æternâ noſtrâ ſalute, ad verâ gaudia nos maximè prouocabat dicens: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur. Gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Qui de gloriâ, quam ex nominis ſui manifeſtatione a Patre accipiebat, exultans in Spiritu, Patri gratias agebat, cum *in ipſâ horâ exultauit in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam Pater, quoniam ſic placuit ante te: Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit filius, niſi pater; & quis ſit pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.*

Ne mireris ſi tabernaculum dicimus Eucharistiam. Dominus corpus ſuum olim templũ dixit. S. Paulus corpora noſtra nomine tabernaculi intellexit, quandiu, ait ille, ſumus in hoc tabernaculo. & D. Petrus: velox depoſitio tabernaculi mei.

In Eccleſia igitur tabernaculum teſtimonij poterit eſſe ſacra humanitas Chriſti.

Talia cum Moſe & Agno concinnunt, qui *per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*; & ad conſummatam peruenerunt iuſtitiam, aut ad minus, ſummam adepti ſunt in Eccleſiâ autoritatem: quo cum peruenerint ſemel, in fide ſtabiles, in charitate firmati ac radicati, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenti, ecce *apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo*, id eſt, clarè perſpicitur quanta bona fideles hauſerint ex verâ humanitatis Chriſti præſentiâ in Euchariſtiæ Sacramento. Ipſa enim eius humanitas tabernaculum eſt noui teſtamenti, ſeu teſtimonij, per quam Deus habitat in hominibus. Huius ſanctiſſimi tabernaculi templum eſt apertum, cùm Eccleſia palam & liberè fidem Chriſtianam profitetur, & annunciat hominibus; cùm eius Paſtores, (qui in corpus Chriſti verum poteſtatem habent, per admirandam ipſum conſecrandi poteſtatem) in corpus Chriſti myſticum mira operantur, & in actus iuriſdictionis externæ prorumpunt. Sic enim exeunt de templo ſeptem hi Angeli, habentes ſeptem plagas: nempe cum ad exercendos quoſlibet actus ſuæ autoritatis prodeunt in medium, vt infideles ac peccatores ad Chriſtum conuertant: & quia talis conuerſio, myſtica eſt occiſio, ideo dicuntur habere ſeptem plagas, quibus videlicet afficiant conuertendos. Veſtiti ſunt lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis, vt ad quæ munia exercenda ſe præparent agnoſcamus. Prouocare debent homines ad pœnitentiam, ad virtutum exercitia, ad mandatorum Dei fidelem obſeruantiam, ad laborum & malorum tolerantiam, ad perfectam charitatem; cum & cogitatus, & affectus, & actus, intra limites & cancellos iuſtitiæ ac legis Chriſtianæ retinuerint, Deo & proximo cùm ſincerâ intentione quod iuſtum eſt exhibentes: & quia ad munditiam, quæ per pœnitentiam acquiritur; & ad candorem, qui ex virtutum exercitio, mandatorum Dei obſeruatione, malorum tolerantiâ conſurgit; & ad ſplendorem & ornatum, qui à charitate perfectâ poſſidetur, minimè perueniunt, niſi macerationibus, tunſionibus, preſſuris, & omnium ſuperfluitatum reiectione, & ſui ipſius abnegatione, ideo dicuntur veſtiri lino mundo & candido, & præcingi zonis aureis: quia linum, tunſione, maceratione, carminatione, ſemper melius, pura purius, candidius & ſplendidius euadit; & zonæ aureæ, ornatus gratiæ & gloriæ, qui ex perfectâ iuſtitiâ, & ad Dei obſequium promptâ & paratiſſimâ voluntate adipiſcitur, ſymbolum ſint genuinum. Ea autem perfectione instructi, quam cæteris exoptant, accipiunt omnem armaturam, quâ contra Dei hoſtes fortiter congredi valeant: cum à primo quatuor animalium (nempe Leone, omnipotentiam Dei, & diuinitatem filij Dei repræſentante) accipiunt de eius plenitudine ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſæcula ſæculorum. Ita non ſolum armis, quibus ſe protegant, inſtruuntur, lino veſtiti, zonis aureis præcincti, ſed etiam armis, quibus in hoſtes ruant, muniuntur: cum illis facultates dantur Deum obſecrandi, verbum Dei diſſeminandi, quæ quidem omnia phialis aureis deſignantur. Phialæ ſunt: quia externis quibuſdam ſignis hæ gratiæ ſeu facultates includuntur; aureæ, quia adinuentiones ſunt altiſſimæ ſapientiæ Dei, quia ad hominum ſalutem & Dei gloriam procurandam ordinantur. Plenæ ſunt iſtæ phialæ iracundiâ Dei: quia continent gratiam, quæ ex Chriſti paſſione (in qua Dei ira in peccatum maximè elucet) prouenit; Dei, inquam, viuentis: vt ſciamus has facultates in vanum non conferri, ſed ſuos habituras eſſe actus & effectus: quos cum habuerint, tunc implebitur templum Dei fumo, & Maieſtate Dei, & virtute Dei. Magna enim & imperſcrutabilia Dei iudicia, quæ in his effectibus odorantur, nec perfecta ac clara eorum notitia in Eccleſiâ habebitur, donec omnes hæ facultates ſuum adimpleuerint officium.

Et nemo in Eccleſiâ introducitur, niſi inſpirationibus Spiritu ſancti tactus, verbo Dei illuminatus, Sacramentis purgatus, Dei ſummum exhibeat cultum, legibus ipſius pareat, iudicium eius timeat, voluntati ipſius integrè obſequatur, ne ab ipſo aliquo modo ſeparari contingat.

TEXTVS.

Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo, & exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem Phialas de templo veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis, ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſæcula ſæculorum. Et impletum eſt templum fumo à Maieſtate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

Digitized by Google

ANNOTATIONES IN CAPVT XV.

IDEA EORVM QVÆ IN HOC CAPITE CONTINENTVR.

VIDET aliud ſignum in cælo magnum S. Ioannes, cui iam in cap. 12. ſignum magnum apparuerat in cælo. Magnum quidem, ſed quod tantum non ingerebat ſtuporem, quantum ingerebat ſignum, quod nunc vidiſſe ſe teſtatur in hoc cap. 15. Vnde dicit hoc ſignum non modò magnum, ſed & mirabile extitiſſe, nempe Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem nouiſſimas: quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

Si auté quæras quomodo ſeſe obtulerint intuendi, hoc ita factum eſt vt ſequitur. Vidit 1. tanquam mare vitreum miſtum igne;& eos qui vicerant beſtiam, & imaginem eius,& numerum nominis eius, ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum agni dicentes: *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine, &c.* Et ſtatim cantico expleto, vidit aperiri templum tabernaculi teſtimonij, ac ſi diceret, ea manifeſta fieri in Eccleſia Chriſtiana, quæ in antiquo templo tabernaculi teſtimonij olim figurabantur, miniſterio videlicet ſeptem Angelorum, quos vidit exeuntes de templo, habentes ſeptem plagas (videlicet infligendas hoſtibus, cum quibus mox in capite ſequenti ſibi erit decertandum) veſtitos lino mundo & candido, & præcinctos circa pectora zonis aureis. Et vnum ſeu primum de quatuor animalibus, dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum: quorum effuſione, plagæ quas habebunt, fierent & apparerent. Et impletum eſt templum fumo, à maieſtate Dei, & de virtute eius. Et nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

Et vidi, &c.

Quinam ſit ſcopus huius Capitis 15. & quænam ſit connexio illius, cum præcedenti & cum ſubſequenti Capite?

ANNOTAT. I.

LVDOVICO ab Alcazar argumentum huius capitis ac ſequentis eſt, quod ſicut in cap. 8. & 9. deſcriptæ fuerunt ſeptem plagæ, quæ inflictæ fuerunt Synagogæ Iudæorum, qui Euangelio reſtiterunt, ſicut olim variis plagis Ægyptus percuſſa fuit; ita ſicut poſt tranſitum maris rubri percuſſæ fuerunt gentilium nationes, ductore Ioſue, Nunc egreſſo ſpirituali Iſraëli ex illa myſtica Ægypto, poſtquam per baptiſmum tanquam per mare rubrum tranſiuit, deſcribendæ fuerunt ſeptem aliæ plagæ, quæ Deus immiſit in gentilitatem, & præcipuè in Romanum Imperium idolorum cultorem: per quas plagas nouas Deus pro populo ſuo acerrimè dimicauit, illique victoriam ex gentibus comparauit, dum eas in Euangelij ditionem redegit; ſicque ſuppoſito quod ſeptem hæ plagæ ſint deſcriptio ænigmatica eius belli, quod Deus intulit Imperio Romano per Euangelij prædicationem, vt illud Chriſtianæ fidei ſubijceret, ſtatim apparet connexio cap. 15. & 16. cum capite 14. præcedenti. Cum A enim depicta fuerit prius meſſis atque vindemia, hoc eſt, fructus ex Euangelij prædicatione ad gentes ſubſecutus, congruenter ſatis ſubſcribitur lætitia prædicatorum Euangelij, qui gentilitatis mare ingreſſi fuerant; atque etiam plagæ, quibus, media ipſorum prædicatione, Deus gentiles plectebat. Ita Alcazar.

Nobis autem ſcopus horum capitum eſt, eorumque connexio, quod poſt effuſionem ſanguinis Chriſti, qui pro multis effundi debebat tam copioſè, vt vniuerſam Eccleſiam inundare poſſet, operæ pretium fuit declarare qua ratione ex tam inexhauſto fonte meritorum diuerſa dona hauriri poſſent; quibus & Imperium Chriſti promoueri, & non B modò peccatum & mendacia, ſeu errores, quorum dæmon eſt autor & origo; extirpari, ſed & vitia inoleta & firmiter radicata eradicari valeant. Hoc præſtare debent, ſub regimine capitis viſibilis Eccleſiæ, omnes Eccleſiæ Paſtores, cæterique, quibus demandari poteſt, ſiue diuini verbi adminiſtratio, ſiue Sacramentorum diſpenſatio, ſiue exterior pro felici gubernatione fidelium, iuriſdictio. Sicut igitur in capite octauo vidimus per ſeptem Angelos deſignari vniuerſos Angelos Cuſtodes, quibus cura ſalutis fidelium commiſſa eſt, operam ſuam collocantes ad hoc videlicet, vt homines auertant, quantum fieri poteſt, ab omnibus peccatis & vitiis, propter quæ Deus varia immittit in homines ſupplicia C hominibus è contra præ nimia ingratitudine horum conatibus ſeſe opponentibus, quo tandem factum eſt vt iuxta menſuram contemptus inſpirationum ſanctorum Angelorum, in capita ſua attraxerunt horrenda ſupplicia, eo ordine quo in cap. 8. & 9. deſcribuntur; ita hic ex parte fidelitatis (quam ſponſo exhibet Eccleſia, vt gratiis quibus cumulatur & præuenitur cooperari poſſit) requiritur vt Eccleſiæ Paſtores cæterique, quibus cura incumbit verbum aut Sacramenta adminiſtrandi, aut regimini Eccleſiæ ſeſe occupandi, ſpiritibus Angelicis auxilium præſtent, & ex parte ſua id agant, cum fidelitate, prudentia & zelo diuini honoris, vt homines contra vitia inſurgant, quibus ad tranſgreſſionem D mandatorum Dei impelluntur, dignique efficiuntur ſuppliciorum, quæ præparauit Deus vniuerſi orbis ſapientiſſimus moderator, iis qui mandata contemnere & conculcare audent.

Hæc autem perficient Eccleſiæ Paſtores, verbi Dei præcones Sacramentorum diſpenſatores, fidelium populorum Rectores; ſi à Deo gratuita quædam dona, certaſque quaſdam functiones accipiant. Hac de cauſa ab omnipotentia Dei, cui omnia ſubeſſe debent, dantur in manu Angelorum ſeptem (nempe omnium Paſtorum Eccleſiæ) phialæ quædam aureæ, tanquam arma quædam militiæ eorum, ad hoſtes inuadendos idonea, & veſtiuntur lino mundo & candido, ac præcinguntur zonis aureis circa pectora, vt poſſint hoſtium impetus retundere. Sicque optima ſerie, poſt deſcriptionem duorum exercituum, ac ſtationis illorum militaris, in littore maris, in mari & in terra, & in vertice montis; poſt deſcriptionem militum ac Ducis; poſt motiua, quæ dantur, vt fortiter ſege-

Digitized by Google

tant milites in hoc bello myſtico; poſt manifeſtationem ſeu declarationem illius, qui viſibiliter præeſſe debet tanto exercitui,& enucleationem mediorum, quibus tanta victoria obtineri debet, dum poteſtas iuriſdictionis exterioris & interioris, nec non poteſtas ordinis & adminiſtrationis Sacramentorum deſcribuntur, quibus meritorum Chriſti per totum Eccleſiam diffuſorum participes efficimur; optimo inquam ordine proponitur quibus donis præditi eſſe debent, qui ad præliandum deſtinantur, ſiue illi ſint milites, ſiue illi ſint Duces. Hoc præſtatur in hoc capite, in quo milites cytharis ac canticis ad prælium accinguntur: Duces autem eorum phialis aureis, tanquam armis idoneis inſtruuntur, quibus hoſtes inuadant: & lineis ac candidis veſtimentis veſtiuntur, quo eorum ictus futiles euadant; & zonis aureis præcinguntur, vt ſe ſemper ad prælium paratiſſimos oſtendant.

At, quæſo, animaduerte hic non eſſe mentionem de prælio, quod quilibet inire debet pro ſua propria ſalute conſequenda: tale enim prælium iam feliciter commiſſum eſt à militibus, eorumque ducibus: hinc cum de militibus agitur in hoc capite dicuntur illi eſſe iam victores: quia vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & characterem nominis eius. Et dum Angeli dicuntur veſtiti lino mundo & candido, & præcincti zonis aureis, certè munditia animæ & corporis, eorumque charitas inſignis declaratur, vt pote qui vitia in ſe omnia repreſſerunt. Hìc igitur mentio eſt illius prælij, quod ſerui Dei ineunt contra homines peccatores, diabolum, ſeu Dæmonem, vt Chriſti Regnum viſibile promoueatur ac ſtabiliatur in terra. Ad quod ineundum, hi citharis ac canticis tanquam armis idoneis muniuntur; iſti autem phialis aureis inſtruuntur: quibus certè dimicant contra Chriſti hoſtes dum alij orationibus & canticis Deum exorant, vt fælix detur certamini exitus, vt olim Moyſes Deum orabat, certantibus Iſraëlitis contra Amalech: cuius certaminis deſcriptio optimo ordine depingitur in cap. 16. ſequenti.

Quin ex his commodè, vt mihi videtur, poſſunt conciliari diuerſæ autorum ſententiæ, de ſeptem ſpiritibus; qui eſſe dicuntur c. 1. in conſpectu throni, deinde de ſeptem Angelis tubis clangentibus, c. 8. & 9. ac de ſeptem Angelis, de quibus in hoc capite 15. fit mentio; ſi conuenienti quodam ordine dicamus per ſeptem ſpiritus, qui in conſpectu throni ſunt, intelligi ſeptem præcipuas virtutes diuinæ prouidentiæ, ſiue vtatur diuina prouidentia Angelorum ſiue hominum miniſterio, & quibuſcumque inſtrumentis ac medijs, v. g. Spiritus ſanctis donis internis, aut Sacramentis, vt virtutes ſuas prodat ac manifeſtet; ſiue ad nutum ſuum aliquid operetur immediatè; per Angelos verò capitis octaui, intelligendos eſſe Angelos Cuſtodes, in quantum hominum ſaluti inſeruiunt, & tanto operi feliciter conſummando auxilium præſtant ſuis inſpirationibus, ac ereptione à quamplurimis periculis, & propulſatione oppugnationum dæmonum; Per hos autem Angelos huius capitis 15. intelligendos eſſe Eccleſiæ Paſtores, quin & omnes, quorum curæ & muneri incumbit aliorum ſalutem procurare, in quantum miniſtri ſunt & inſtrumenta Dei ad ſalutem fidelium promouendam: quod feliciter exequuntur, dum ſanctorum Angelorum inſpirationibus ſe accommodant, & ad eorum impulſum hæc aut illa aggrediuntur, quibus cultus & honor Deo exhibendus incrementa capit, & homines ſalutem conſequuntur. Hinc in capite primo ſpiritus Dei, non Angeli, nominantur: vt fiat quadam abſtractio ab Angelis & hominibus, quorum miniſterio indifferenter Deus vtitur, vt ſuam adimpleat vo-

A luntatem, & ſuam gloriam manifeſtet. At cuilibet proprias ſuas functiones & officia, id eſt, Angelis & hominibus, diſtribuit. Iſto autem vocabulo (nempe Angeli) videlicet vtitur in octauo capite, quia reuera ſpiritus Angelici à Deo mittuntur, tanquam adminiſtratorij ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Homines autem hìc Angeli dicuntur, propter vitæ puritatem, miniſterij ſui ſanctitatem, legitimæ miſſionis veritatem. Hinc nihil abſonum adducere arbitramur, ſi in hoc capite ac in ſequenti, per Angelos phialas aureas habentes, Paſtores, ac verbi Dei præcones intelligamus. At res clarior fiet ex ſequentibus.

B *Et vidi aliud ſignum in cælo magnum & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem.*

Quinam ſint iſti Angeli ſeptem?

ANNOTAT. II.

QVAM magnum & mirabile ſit iſtud ſignum ſatis perſpicietur, ſi ſemel cognoſcere poterimus, quinam ſint illi Angeli, & quid ſibi vult, quod habere dicantur ſeptem plagas. De primò in hac annotatione agendum.

Primus capitis huius verſus, inquit Alcazar, *eſt inſtar propoſitionis, quam oratores ſolent præmittere, & veluti* C *ſumma capitis 15. & c. 16. Mox ſecundus verſus orditur narrationem, qua S. Ioannes narrat vidiſſe ſe coactum mare, canticum audiſſe; poſtea egreſſos è templo ſeptem Angelos, cum phialis totidem, quorum primus effudit phialam in terram, ſecundus in mare, &c. Hanc autem ſeruat enumerandi rationem, vt denotaretur maris atque victorum viſionem ad ſeptem plagarum viſionem pertinere, & ſi innueret S. Ioannes ſeptem viſionis huius plagas non eſſe illas, quas Deus myſticæ Ægypto, nempe ſynagogæ, inflixit; ſed alias diuerſas, quas poſt myſtici Iſraëlis egreſſionem ex Ægypto, immiſit Deus contra nouos hoſtes, qui ex altera maris parte aduerſus Iſraëlem, id eſt, populum fidelem, arma ceperunt.*

Ambroſius exiſtimat huiuſmodi narrationis ordi- D nem indicare magna myſteria in eorum viſione contineri; *Sicut*, inquit Ambroſius, *ſuperiùs, antequam ad narrationem ſeptem Angelorum tubis canentium veniret, eorum mentionem facere ſtuduit, ita & hic, antequam ad ſeptem Angelorum phialas habentium narrationem veniat, eorum mentionem facit, vt indicet magna myſteria in eorum viſione contineri.* Ita Ambroſ.

Hoc facit, inquit Primaſius, vt attentum reddat auditorem. *Inſtaurato*, inquit, *rurſus ordine, eaſdem plagas perſecutionis nouiſſimæ narraturus, attentum fieri voluit auditorem, dicendo ſignum magnum & admirabile.* Ita Primaſ.

Quinam autem ſint iſti Angeli, veros Angelos iniquitates coërcentes exiſtimat Andreas Cæſarien- E ſis. *Vbique*, inquit, *ferè ſeptenarium numerum aſſumit Euangeliſta. Docet autem hic fore, vt per ſeptem Angelos, totidemque plagas iniquitates, quæ intra ſeptenarium dictum numerum in præſenti hoc ſeculo temerè perpetrantur, comprimantur & coërceantur.* Ita Andr.

Ambroſius per ſeptem Angelos prædicatores intelligit. *Significans*, inquit, *prædica....s, qui fuerunt ab initio vſque ad finem.* Ita Ambroſ.

Ita etiam Rupertus: *Qui enim ſunt ſeptem iſti Angeli, niſi vniuerſi prædicatores Euangelij, veritatis nuntij? Nam quia Spiritus ſanctus (qui iam dictas & poſtmodum dicendas illas phialas dedit) ſeptiformis eſt, rectè ſeptenario numero comprehenduntur, & ſimul intelliguntur vniuerſi.* Ita Rup.

S. Thomas: *Angelos ſeptem, hoc eſt, vniuerſos prædicatores ſeptiformi ſpiritu imbutos: vel ſeptem Angelos,*

Digitized by Google

id eſt, ſeptem ordines prædicatorum, ſicut infra patebit, qui dicuntur Angeli, propter officium annunciandi hominibus quæ ſunt ſalutis, quia Angelus interpretatur nuncius; & propter excellentiam vitæ, quæ debet eminere in eis. Ita S. Thom.

Alcazar: *Phialas has in gentiles reapſe effuderunt omnes illi viri Apoſtolici, qui in clariſſima illa expeditione obſequium Deo præſtitere. Verùm enimuerò cum plagæ ad ſeptenarium rediguntur, operæ pretium fuit ſeptem viros Apoſtolicos deſignari in hac ſacra fictione, quorum ſingulis ſingulæ phialæ traderentur effundendæ.*

Victorinus, Ticonius, Primaſius, per ſeptem Angelos Eccleſiam intelligunt. Victorinus dum ait: *Dicit quæ in vltimo futura ſunt, cum Eccleſia de medio exierit.* Ticon. *Angelos ſeptem, id eſt Eccleſiam.* Et poſtea: *Iſtæ ſunt phialæ, quas cum odore ferunt ſeniores & animalia, quæ ſunt Eccleſia, qui & ſeptem Angeli.* Primaſius: *Denique in ſeptem plane Angelis, Eccleſiam figurari intelligimus, quoniam in illis indignatio Dei conſummata eſt.* Ita Primaſ.

Ego autem exiſtimo iſtos ſeptem Angelos illos eſſe, ad quos in cap. 2. & 3. directæ ſunt Epiſtolæ ſeptem: qui hîc cernuntur tanquam parati (per ſuſceptionem auxilij & donorum cæleſtium) ad executionem eorum, quæ ipſis fuerunt præſcripta, vt Chriſtus Dominus, talis qualis eſt, ab omnibus agnoſceretur & coleretur. Nec enim S. Ioannes omittere debuit, quam præſtiterint iſti Angeli ſeu Epiſcopi obedientiam omnibus conſiliis, monitis ac mandatis, quæ per eum ipſis data fuerunt à Domino, ne abſurdè expoſuiſſe videretur monita & exhortationes, dum nullam de executione & adimpletione exhortationum ac mandatorum faceret mentionem. Ad Maieſtatem quippe diuinæ voluntatis pertinet, vt ſi ſemel aliquid iniunxerit, hoc ſedulo fiat. *Tu mandaſti*, dicebat Propheta, *mandata tua cuſtodiri nimis. Non enim*, inquit Chryſ. in hunc Pſal. 118. *nos vulgarem in modum cuſtodire, ſed vehementer, hoc eſt cum ſumma cura, & diligentia cuſtodire iubet. Nec verò hanc quidem legem ſeruare, illam autem rejicere atque aſpernare iuſſit: verum vt omnia mandata maiorem in modum obſeruentur imperauit. Quocirca etiam alter Propheta dicebat. A mandatis tuis non recedam, ne moriar.* Ita Chryſ. Non igitur ſufficit Prælatis aut Epiſcopis, vt alia mandata, ad quæ vt cæteri Chriſtianorum obligantur, fideliter cuſtodiant; ſed inſuper neceſſarium eſt, vt ſi quid illis præcipiatur ad munus ſuum fideliter obeundum pertinens, hoc ſedulò præſtent. Inſuper ſi quæ ventura ſemel Deus prædixerit aut promiſerit, eadem adimplere pro fidelitatis ac maieſtatis ſuæ dignitate non obmittet. At multa & prædixit, & promiſit in eiſdem Epiſtolis. Oportet igitur vt adimpleantur. Et æquum eſt vt ſi prædictiones ac promiſſiones ſancto Ioanni cognitæ fuerint, etiam & adimpletiones promiſſionum ac prædictionum non abſcondantur, ſed eidem ſignificentur, vt de illis ſicut de cæteris teſtimonium reddat. Sic enim omnis Dei voluntas fieri par eſt, vt ait Iſaias c. 46. *Recordamini prioris ſeculi quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei. Annuntiani ab exordio nouiſſima, & ab initio quæ nondum facta ſunt. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Vocans ab Oriente iuſtum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Et locutus ſum, & adducam illud: creaui, & faciam illud. Audite me, duro corde, qui longe eſtis à iuſtitia. Propè feci iuſtitiam meam: non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam.*

Dico igitur, cum in his ſeptem epiſtolis Deus Eccleſiæ ſuæ reuelauerit quæ fieri cupiebat, vt prope fieret eius iuſtitia, vt ſalus ſua adueniat, vt eius gloria manifeſtetur; illorum executionem, vt pote

A conſideratione præcipua dignam, etiam prædicere debuit.

Habentes plagas ſeptem.

Quanam ſint plagæ, & quomodo illas habere dicuntur ſeptem Angeli?

ANNOTAT. III.

QVANTVM ad primum, quibuſdam plagæ ſunt veræ & reales quædam pœnæ, impiis infligendæ, ſiue æternæ, ſiue temporales; aliis ſunt myſticæ & ſpirituales.

B Victorinus in ſeptem plagis perfectionem punctionis contemplatur. *Percuti*, inquit, *populum contumacem ſeptem plagis, id eſt, perfectè, vt in Leuitico dicit; quæ in vltimo futura ſunt, cum Eccleſia de medio exierit.* Ita Victor. Quibus verbis videtur indicare perfectam punitionem malorum, in fine ſeculorum, ſeu temporibus Anti-Chriſti.

Eadem eſt mens Primaſij, dum ait: *Angelorum autem numero, vel plagarum vniuerſitatem conſummationis arbitror præſignari, ſicut in Leuitico frequenter dicit. Et percutiam vos ſeptem plagis.* Ad ſenſum tamen myſticum deflectere videtur Primaſius, dum in capite 16. has plagas interpretatur de peccato Iudæorum, qui Chriſtum non ſuſceperunt, vel qui legem carna-
C liter ſapere ſtuduerunt: vnde nec Chriſtum in ea ſapere ſtuduerunt, vt ibi fuſiùs videbimus.

Eamdem fuiſſe mentem Ticonij, eamdemque interpretandi rationem exiſtimo: nam de pœnis ac ſuppliciis videtur loqui, dum eumdem locum Leuitici refert dicens: *Nouiſſimas dixit: quia ſemper ira Dei percutit populum contumacem ſeptem plagis, id eſt perfectè, ſicut ipſe Deus in Leuitico frequenter repetit c. 26. Leuitic.* Tamen dum poſtea ait, *hæc vulnera, gaudere & placere ſibi vnumquemque in peccatis*, videtur pœnas ſpiritales intelligere.

Andreas Cæſarienſis duplices plagas agnoſcit, & vera ſupplicia, & ſpiritualia quædam vlcera, dum in cap. 16. ait: *Veriſimile*, inquit, *ſit quoque ex-*
D *terna vlcera eorumdem corpora grauiter excarnificatura, idque tum ob alia, tum maximè ad oſtendendum vlcerosæ animæ illorum ſtatum, vulneraque diabolicis impoſtoris Anti-Chriſti, & erroris iaculis inflicta.* Ita And.

Rupertus de pœnis, quæ animis immittuntur, intelligit, dum aſſerit has plagas dici nouiſſimas, reſpectu plagarum, de quibus mentio fit vbi ſupra c. 8. & 9. *Septem Angeli ſeptem cecinerunt tubis, quia*, inquit Rupertus, *plagæ illæ idcirco primæ dicuntur quia percuſſerunt corpora, iſtæ autem nouiſſimæ, quia peruenerunt vſque ad animas. Vnde & notandum eſt quod dicit, Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. Ira namque Dei occidendo corpora inchoatur, & poſtquam occiderit animas, in gehennam mittendo, conſummatur.* Ita Rupertus.

E Ambroſius omnes iſtas plagas ad ſolos reprobos pertinere aſſerit, & per ſeptem plagas intelligit ſeptem vitia principalia, ex quibus omnia mala oriuntur. Vel aliter, cum omne corpus impiorum in ſeptem partes diuiſerit, *Septem*, inquit, *plagæ ſunt peccata, quæ vnicuique parti aptius conueniunt. Aliter enim iudicabuntur ij, qui ante diluuium fuerunt, populumque Dei coniunctione fœminarum deceperunt; aliter ij, qui poſt diluuium idololatriam diuerſoſque errores inuenerunt, per quæ genus humanum deceptum eſt; aliter ij, qui ſub lege fuerunt, & mandata Dei non cuſtodierunt; aliter pſeudo-Prophetæ, qui populum Dei deceperunt; aliter impij Iudæi, qui Dominum interfecerunt, & Apoſtolos eius perſecuti ſunt; aliter perſecutores Eccleſiæ, qui fidem Chriſti extinguere conati ſunt; aliter Miniſtri Anti-Chriſti, qui Chriſtum deſerturi, & Anti-Chriſtum ſunt ſecuturi.* Ita Amb.

Digitized by Google

S. Thomas. *Habentes ſeptem plagas, hoc eſt poteſtatem inſligendi malis vniuerſas pœnas diuinæ iuſtitiæ, vt excæcationem in præſenti, & damnationem in futuro: Vbi erunt pœnæ multiplices. Pœnæ autem dicuntur plagæ, quia valde acerbè natura rationalis læditur in pœnis, quas diuina iuſtitia in perpetuum infert. Ierem. 30. Inſanabilis fractura tua: peßima plaga tua. Pœnarum autem reproborum vniuerſitas, per ſeptenarium ſignatur, ſiue ſint in præſenti, ſiue ſint in futuro. Si autem ad infernum referamus, ſeptem pœnæ poſſent notari in eodem. Vna eſt carentia diuinæ viſionis. Iſa. 26. ſecundum aliam literam: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei: Secunda anxietas vermis. Iſ. vltimo: Vermis eorum non morietur. Tertia eſt ardor ignis. Matt. 3. Paleas autem comburet igni inextinguibili. Quarta, vehementia frigoris. Iob. 24. Ad calorem nimium transeat ab aquis niuium. Quinta, horror caliginis. Matth. 5. Ligatis manibus, proijcite in tenebras exteriores. Sexta, fœtor intolerabilis. Iſ. 32. De cadaueribus eorum aſcendet fœtor. Septima, ſocietas abominabilis, quod ſignatur Sapient. 17. Perſonæ triſtes illis apparentes pauorem illis præſtabant.* Ita S. Thom.

Alcazar aſſerit ſeptem eas plagas, de quibus Ioannes meminit, initio c. 1. & quas poſtea ſingulatim deſcribit cap. 16. Myſticè fore accipiendas: nec enim eæ ſunt plagæ, quæ vindictam propriam, ſed quæ myſticam contineant: quarum effectus tandem Romæ atque imperij conuerſio ad Chriſti fidem. Atque hoc eſt eſſe plagas nouiſſimas, id eſt, nouam plagarum rationem, nouumque iræ modum, valde diuerſum ab aliis plagis, quibus Deus quondam ſuos puniuit hoſtes, nec non ab iis, quas in Iudaïcum populum rebellem immiſit, quæ fuerunt ſeptem tubarum plagæ. Etenim tam plagæ veteres, quàm illæ, quas Deus inflixit Iudæis Chriſtum reſpuentibus, propriam vindictam prætulerunt: At nouiſſimæ plagæ myſticam vindictam important, nimirum plagarum ſpeciem habent, re tamen ipſa ſunt ampliſſima beneficia. Et primam plagam myſticam eſſe ait pudorem Gentilium, dum de peccatis arguuntur: Secundam, perſecutionis crudelitatem in Euangelij prædicatores: Tertiam, in Gentiles etiam ad fidem conuerſos miram ſæuitiam: Quartam, ex Chriſtianorum ſapientia grauiſſimam offenſionem: Quintam, ſummam in ipſa perſecutione excæcationem: Sextam, poſt inuaſionem Romæ, maiorem perſecutionem: Septimam, manifeſtam vrbis Romanæ diuiſionem. Quæ plagæ reſpectum habent ad ſeptem diuinæ prouidentiæ ſpiritus: Magna enim fuit virtus diuinæ prouidentiæ Apoſtolicos viros roborantis, vt auderent principes etiam arguere. Magna beneficentia, vt prædicatorum necem Deus efficaciter ad gentium conuerſionem dirigeret. Diuinam æquitatem aſſerit Alcazar in tertia plaga poſſe conſiderari, ex textu: Sapientiam in quarta, dum Martyribus dat os & ſapientiam: In quinta, Dei patientiam, in ingenti cæcitate Ethnicorum: In ſexta, ſpeciem quamdam comminationis, in his verbis. *Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua.* In ſeptima, expreſſè agit de horribili ſeueritate, qua Deus grandinem depluit in eos, qui in ſua pertinacia perſtiterunt. Et quia, vt ipſe Alcazar in explicatione textus ait, *In hac noua vindicta ratione, quam Deus in gentiles exercuit, non eo deducta res eſt, vt peccatores ipſi interirent, ſed potius vt conuerterentur ad fidem, & Euangelij gratia fruerentur, idololatriâ & peccatis funditus exterminatis, ideo hæ plagæ dici poſſunt magna Dei beneficia.* Hæc eſt mens Alcazaris.

Sed fateor omnia hæc ingenioſè, & ſubtiliter, & non ſine magna animi contentione adinuenta. An autem pari ſoliditate gaudeant, meliori lectoris iudicio relinquo. Ad noſtra tandem veniamus.

A Dico igitur primò, has plagas nihil ſalutare in ſe continere aut ſignificare, eſto effuſiones liquoris phialarum ſint beneficia, vt reuera ſunt (vt videbimus.) Quæ ex effuſione phialarum conſequuntur, non beneficia ſunt, ſed ingentia vulnera: ſunt namque vitia in ſupremo quodam gradu: abominationes ſunt execrabiliores, ad quas per vitia horrenda fit aſcenſus, donec tandem extrema ſupplicia reprobi incurrant, propter animi peruicaciam, ſeu voluntatis in malis obſtinationem. Quod vt faciliùs concipiamus, animaduertendum eſt quod ſanctus Ioannes quaſi duos exercitus contrarios, & hoſtili animo ad inuicem oppoſitos formaſſe viſus eſt. Vnus ex his eſt exercitus Agni, ſub vexillo crucifixi militans. B Alius eſt exercitus Dæmonis, ex reprobis, & in malitia obduratis coadunatus & compoſitus. Quam ſtragem nunc milites Chriſti de hoſtibus commiſſuri ſunt aperit, dum quo vulnere hoſtes confodi debeant manifeſtat, vnde mortem æternam conſequantur. Sicut enim dum prælium committitur, plagæ, quæ infliguntur, antecedunt mortem, ſeu animæ à corpore ſeparationem; ità hîc fit, vt antequam quis ad æterna ſupplicia detrudatur, & morte plectatur æterna (qua à Dei & electorum conſortio reprobi in æternum ſeparabuntur) his plagis vulnerari dicitur, quaſi iſtæ præuiæ ſint, & infligi debeant, priuſquam quis mortem incurrat æternam. Ex his perſpici poteſt proprietas ſcripturæ; & cur vitia, quæ piis Prælatorum conatibus con- C trariantur, plagæ vocantur. Plagæ enim ſunt, quia qui his vitiis afficiuntur, quaſi immedicabili quodam vulnere feriuntur, itaut iſtud Ieremiæ c. 15. vſurpare poſſint: *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* Et certè verè dixit Sapiens, Eccleſiaſtici 21. *Quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas. Plagæ illius non eſt ſanitas.* Quænam autem ſunt iſtæ plagæ ſi quæras,

Dico ſecundò, Primam eſſe ſtupiditatem quamdam mentis, omnibus ſancti Spiritus inſpirationibus reſiſtentem; Secundam, peruerſitatem inclinationis, qua ſenſus & cogitatio cordis humani in ma- D lum prona ſunt ab adoleſcentia, cum ei non reſiſtitur, ſed laxis habenis omnia ei conceduntur; Tertiam, contemptum mediorum, quæ à Deo ordinata ſunt, vt à malis auerramur, propter nimiam adhæſionem rebus ſenſui & carni fauentibus; Quartam, ſeductionem mentis per errores, & mendacia, quæ libenter amamus & admittimus, ne ſi lux veritatis effulgeret in mente, à peccatis recedere cogeremur, de quo dicitur Apoc. vltimò: *Et omnis qui amat, & facit mendacium*; Quintam eſſe contemptum legis diuinæ, dum quis malitioſè & deliberatè legi Dei ſubiici non vult. Sextam, dico eſſe contemptum cuius libet autoritatis, cum quis dicit: *Labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* nec E vllum ſuperiorem in terris vult agnoſcere, vt liberiùs agat quicquid voluerit; cum quis tanquam filius Belial vult eſſe, & viuere abſque iugo aut dependentia; Septimam verò, manifeſtam ab Eccleſia diſceſſionem, & totius Eccleſiæ vnitatis & ſocietatis contemptũ, propter quem quis à corpore Chriſti myſtico rebellis Deo & Eccleſiæ tandem in æternum reſcinditur. Hæ ſunt plagæ, de quibus dicitur: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Id eſt, Euadet ſtupidus, inclinationibus prauis ſuccumbens, contemptor mediorum ſalutis, erroribus ſeducetur, contemptor erit diuinæ legis, ſpretor dominationis, & vnitatis diſciſſor ab Eccleſia reſcindetur.

Multum fauet huic interpretationi, quod ſupra Ambroſius dixit, has plagas pertinere ad ſolos re-

Digitized by Google

probos, ac per eas intelligi ſeptem vitia capitalia. Sed dum timeo ne ducem non habeam, quo ſecuriùs poſſem hanc interpretandi rationem in medium adducere, ecce occurrit mihi Ticonius, ſeu Aug. homilia 12. in Apocalypſ. dum ait: *Omnes iſtæ plagæ ſpirituales ſunt, & in anima fiunt. Nam ipſo tempore illæſus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis, quia non meretur in præſenti ſeculo flagellari, quaſi qui accepit totam ſæuiendi poteſtatem; ſed ſpiritaliter, id eſt, voluntaria & mortalia peccata, quæ ſunt vlcera, in animabus ſuis patiuntur, omnes impij & ſuperbi, &c.* Et paulo poſt: *Omnes autem plagæ iſtæ à contrario intelligendæ ſunt. Plaga eſt enim inſanabilis, & ira magna, accipere poteſtatem peccandi, maximè in ſanctos; nec corripi adhuc maior ira Dei, errorum fomenta ſubminiſtrari iniuſtitiæ. Hæc plaga ira Dei, hæc vulnera, gaudere & placere ſibi vnumquemque in peccatis. Sic proſperitas malorum, vlcera ſunt animarum: & aduerſitas iuſtorum, æternorum ſunt pretia* (alias præmia) *gaudiorum.* Ita Ticon.

Hinc clarè perſpicitur quomodo illæ plagæ dicuntur nouiſſimæ, *quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.* Nam cum ex ſeptem modis, quibus Deus peccata caſtigat, nempe fame, bello, peſte, mentis cæcitate, paſſionum colluuie & inordinatione, hæreſibus, vltimus ſit finalis impænitentia, iuxta ea quæ vidimus in cap. 9. vbi fit mentio de his *qui non egerunt pœnitentiam de operibus manuum ſuarum, neque ab homicidiis, neque à veneficiis ſuis, &c.* Facilè cernitur quomodo iſtæ plagæ dicuntur nouiſſimæ, quia videlicet in his hæc finalis impænitentia includitur. Inſuper cernitur quomo ira Dei in eis conſummari dicatur, quia nunquam Deus poteſt magis iraſci, quàm dum ſinit homines abſque pœnitentia ab hac vita recedere. Sic enim damnationem incurrunt, in qua conſummatur ira Dei. Igitur dum ait iſtas plagas eſſe nouiſſimas, *quoniam in illis conſummata eſt in ira Dei*, idem eſt ac ſi diceret: equidem Deus iraſcitur contra peccatores, & multis ac variis modis, quantum peccata illi diſpliceant, oſtendit: dum propter peccata iratus multa flagella immittit in peccatores, illos fame enecat, bellis vexat, peſte è numero viuentium aufert, cæcitate mentis percutit, paſſionibus ignominiæ relinquit de turpandos, vt cõtumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis; permittit vt commutent veritatem Dei in mendacium, erroribus variis ac hæreſibus aſſentiendo & adhærendo. At nunquam tantam iram demonſtrat, quàm dum eos tradit in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, & cæteris, quæ fuſiùs enarrat S. Paulus, Roma 1. non intelligentes quoniam qui talia agunt digni ſunt morte æterna. Vnde quia per hæc peccata, (quæ minimè delentur, propter finalem impænitentiam) mors æterna ſubſequitur, quæ ad alia peccata per pœnitentiam deleta non ſequitur, licèt ſint animæ vulnera metuenda; ideo iſtæ plagæ dicuntur nouiſſimæ, & in eis Dei ira cernitur conſummata: quia perfecta Dei ira cernitur in reprobatione malorum, & eorum damnatione. Certè ſi ex grauitate ſupplicij, magnitudo iræ poteſt dignoſci, & peccatum ipſum maximum ſit ſupplicium, etiam antequam puniatur, vt docet Chryſoſtom. in Pſ. 124. dum de virtute & vitio agens ait: *Vnde clarum eſt quod etiam ante ſupplicium, vitium ſupplicium infligit, & ante remunerationem virtus remuneratur. Quemadmodum enim illa habet in ſeipſa præmia ante coronas; Ita etiam hoc pœnam in ſe continet, antequam puniatur. Quid enim poſſit eſſe peccato grauius quod ad pœnam attinet? Quocirca Paulus quoque eorum mentionem faciens, qui meretriciam artem exercent, & florem ætatis proſtituunt, & naturæ leges euertunt, dixit hoc eſſe maximum ſupplicium, etiam antequam puniatur. Maſculi in maſculos, inquit, turpitu-*

A *dinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſe recipientes; Mercedem peccati ſui intemperantiam & ipſum actum vocans.* Ita Chryſ. Quomodo, ſi ita eſt, peccatum illud (ad quod æterna damnatio ſubſequitur) dici meritò non poterit nouiſſima plaga, Maior, intenſior, cæteris antecedentibus formidabilior, & in qua ira Dei perficitur & conſummatur? Et rectè S. Thomas in hunc locum. *Quoniam in illis plagis conſummabitur, id eſt, complebitur (ira Dei videlicet) vt vltra non addat alias pœnas ira Dei, id eſt, iuſtitia Dei in effectu, quia malis per iudicium à mundo ablatis, & in imo terrarum concluſis, non infert Deus ampliùs ſententiam iudicij. Ezech. 9. Nunc finis ſuper te: & immittam furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias*

B *tuas.* Ita S. Tho.

Alia de cauſa Alcazar dicit has plagas nouiſſimas dici, & in eis iram Dei conſummari: quia hæ plagæ non illi ſunt exitiales, ſed ſalutares. *Quapropter,* inquit, *huiuſmodi plagæ non appellantur nouiſſimæ, quod aliæ inſuper non maneant ſceleratos, ſed quia eſt nouus vindictæ modus, ratioque digniſſima, quæ inter admirabiles Dei inuentiones numeretur. Dicuntur item plagæ nouiſſimæ, quia reſpectu eorum, qui his plagis flagellantur, & Dei hoſtes priùs erant, in eiſdem plagis Dei indignatio terminatur, nec vlteriùs in eis puniendis procedit. In antiqua enim vindicta atque ſupplicio, quod Deus de ſuis quondam hoſtibus ſumebat, plagæ quidem in eos immiſſæ non erant extremæ, ac nouiſſimæ, nec enim deſtruebatur peccatum, ſed*

C *ſemper extabat, ac proinde ira Dei aduerſus peccatum ſemper etiam permanebat. Quare poſt vitæ eius ſupplicia, æternæ etiam plagæ ipſos manebant. At verò plagæ illæ, quæ reipſa peccatum extingunt, & peccatores ad Dominum ipſum conuertunt, congruenter nuncupantur nouiſſimæ. Cum enim in illis finiatur omnino ac diſſoluatur ea ratio, quapropter Deus oderat peccatorem, (nempe peccatum) veriſſimè dicitur Deo per has plagas ira & indignatio finiri: atque hoc eſt quod textus ait: Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. Vbi obiter aduerte, pro conſummata, græcum habere textum,* ἐτελέσθη *id eſt, expleta eſt. Et verò ita prorſus accidit: nam plagis in Iudæos perfidos illatis, numquã Dei ira fuit expleta. Quare æternum illos tartareis ſuppliciis afficiet, quia nunquam plenè diuinæ fit ſatis iuſti-*

D *tiæ. Verùntamen in plagis hiſce nouiſſimis (in quibus Chriſti paſſio potiſſimùm operatur,) cumulatiſſimè ſatis fit Dei iræ, in iis qui per illas plagas plectebantur. Quamobrem nullæ aliæ plagæ ſunt, ſuper quibus animaduertenda ſint peccata in Deum patrata, ab iis gentibus, in quos hæ plagæ nouiſſimæ immittuntur.* Ita Alcazar.

At cum, vt vidimus, certum ſit hîc de reprobis tantùm agi, nec quid ſalutare in his plagis deſignari, tenenda prior expoſitio: nec enim reſpectu reproborum, aut temporales afflictiones, aut Chriſti paſſio, aut peccati extinctio poteſt dici nouiſſima plaga, aut conſummata ira; cum reprobi & poſt temporales afflictiones æterna recipiant ſupplicia, & in eis Chriſti paſſio ſuum non habeat effectum, & nunquam peccatum in eis ſit extinguendum: vnde

E reſpectu illorum, nouiſſima plaga eſt impœnitentia; & conſummata ira, æterna illorum damnatio. Siquidem afflictiones temporales non ſunt nouiſſimæ plagæ: quia æternæ, quæ poſteriores ſunt, temporalibus, reprobis ſeruantur: non ſunt conſummata ira, quia per eas in electis datur ſpes veniæ peccatorum: Nec Chriſti paſſio eſt nouiſſima plaga, quia paſſio Chriſti ad compatiendum Chriſto, & toleranda mundi aduerſa nos prouocat: non eſt conſummata ira, quia donec fiat emendatio peccatoris per peccati extinctionem, manet adhuc ira Dei ſuper capita mortalium. At dum nec afflictionibus, nec mediis à Deo præparatis, peccator à peccandi libidine retrahitur, & tot auxiliis, quæ illi data fuerunt vt à peccatis reſipiſceret, abutitur.

Digitized by Google

Certè illa ſubtractio gratiæ eſt plaga nouiſſima; & conſummata ira ac perfecta, dum peccator propter impœnitentiam æternè damnatur.

Quantum ad ſecundum, nempe quomodo ſeptem Angeli habere dicuntur ſeptem plagas, Reſp. ſanctus Thomas: *Quia habent poteſtatem infligendi malis vniuerſas pœnas diuinæ iuſtitiæ, vt excæcationem in præſenti, & damnationem in futuro, vbi erunt pœnæ multiplices.* Ita S. Thom. Quæ expoſitio fauet noſtræ expoſitioni, vt patebit cuncta diligenter ponderanti.

Habuerunt, inquit Ambroſius, *ſancti Dei plagas ſeptem, in poteſtatem, non in pœnam ſuam: quia prædicatores ſancti in die iudicij ſeptem vitia principalia, id eſt, omnes operatores malorum ita in poteſtate habebunt, vt eorum iudicio perpetua pœna plectantur. Conſummata eſt verò in ſanctis prædicatoribus ira Dei, id eſt, per illos, quia eorum iudicio ira Dei perficietur.* Ita Ambroſ.

Ego autem exiſtimo illos Angelos dici habere ſeptem plagas, quia ex exercitio ſuarum functionum, ac muneris ſui executione manifeſtabitur (propter oppoſitionem & reſiſtentiam, quam exhibebunt reprobi piis eorum conatibus) quàm profundè peccauerint, vt loquitur Oſee de peccato Gabaonitarum c. 9. & quàm irremediabilibus plagis vulnerati ſunt, qui Deo circa eos adeo benignè agente, vt ſaluti illorum conſuleret, nihilominus quo benigniùs agit, eo peruicaciùs gratiæ eius obſiſtunt, vt cor eorum induretur per ea, quibus emolliri deberet.

Reuera prodigioſum fuit, & ſignum magnum, videre homines fragiles, ac lutea vaſa portantes congregationem quandam componere tam ſanctam, adeo præcellentem, vt licèt in terris degat & gradiatur, conuerſatio tamen tota illius in cælo eſt, diuinæ naturæ conſors, diuina & cæleſtia tantùm contemplatur ac deſiderat: vnde in cælo cernitur, ſole amicta conſpicitur. At nunc aliud ſignum magnum oculis ſubjicitur, & non tantùm magnum, ſed neſcio quem ſtuporem mentis, & admirationem ingerens, vt ad eius intuitum mens attonita extra ſe rapiatur. Illud autem eſt, dum è medio mortalium Deus quoſdam aſſumit, & ad tantam dignitatem euehit, vt poſſint certas quaſdam functiones ſacras peragere, ſunt ſupra humanum captum & intellectum, quales ſunt Sacerdotum, & Epiſcoporum functiones, per quas & Chriſti Domini virtutes & prærogatiuæ innoteſcent, & electi ſanctificentur.

At quod valde mirabile, eſt cum in his quanta ſit Dei beneuolentia & benignitas cerni poſſit, ex eo quod per eas nihil tam optare ſe manifeſtat, quàm hominum ſalutem, tamen adeo ingrati ſunt erga Deum plerique, vt quanto plus conatur illos in viam ſalutis deducere, tanto magis ab illo per contemptum auertantur, vertentes ei terga & non faciem. Vnde fit vt cum Angeli iſti ſuo munere fungantur, eo videlicet vt Deus glorificetur, Chriſtus agnoſcatur, electi ſaluentur; Reprobi & mali ſtupiditate, ſenſuum peruerſitate, contemptu mediorum ad ſalutem neceſſariorum, mentis cæcitate, malitia, ſuperbia, ac odio charitatis & proximi, hoc impedire (quantùm in ſe eſt) ſatagunt. Et illud eſt bellum ac prælium, quod ineunt hi duo exercitus, dum vnus conatur Chriſti regnum ſtabilire, ac promouere, alius conatur illud, ſi poſſet, funditùs eradicare & euertere. Et quia omnes gentes tanquam nihilum ſunt ante Deum, & omnis gens perire debeat, quæ huic Chriſti regno fauere, eique ſubjici recuſat, ideo vulnerantur, & plagis irremediabilibus feriuntur: & qui vulnerati Chriſti amore & charitate recuſarunt, & vitia in ſe extirpare, virtutes inſerere, Deum omnium bonorum fontem agnoſcere, Chriſtum Saluatorem admittere, ideo plaga

A incurabili, nempe finali impœnitentia vulnerantur, & nullâ habitâ ratione eorum, in æternum damnantur; vt Chriſti Maieſtas, ac potentia magis eluceſcant, iuxta illud Romanorum 2. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Hæc eſt nouiſſima plaga: quoniam in ea conſummata eſt ira Dei. Benè nouiſſimæ igitur plagæ, quia in eis conſummatur totum opus diuinæ prouidentiæ & gubernationis erga reprobos; ſicut gloria æterna eſt nouiſſima & vl-
B tima gratia, quam Deus electis ſuis dare poteſt, quos in voluntate ſua deduxit, vt cum gloria illos aliquando ſuſciperet.

Et vidi tanquam mare vitreum miſtum igne, & eos, qui vicerunt beſtiam & imaginem eius & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum agni dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum. Quis non timebit te,
C *Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.*

Idea huius viſionis, & præfatio in eamdem viſionem.

PER mare vitreum, hîc intelligere non debemus vas aliquod vitreum, capaciſſimum, figura & quantitate ſimile illi, quod mare æneum in ſcriptura appellatur; ſed tanquam congregationem aliquam copioſiſſimam aquarum, quæ vitro liquefacto ſimiles ſint: vnde dicitur mare miſtum igne.
D Nec enim neceſſe eſt vt fingamus, cum Alcazar, iſtius maris vndas eſſe coagulatas in vitream ſoliditatem, perinde ac ſi eſſet mare congelatum, in quo ſiſti ac deambulari ſine trepidatione poſſit, vt ita ſtantes ſuper illud videantur eos eſſe, qui vicerunt beſtiam. Dum enim S. Ioannes ſupra vndas liquoris igniti gradiens iſtos victores repræſentat, inculcare deſiderat quantùm excellat ſtatus legis gratiæ, ſupra ſtatum legis antiquæ, in quo quidem aquæ maris rubri diuiſæ ſunt, vt gradienti populo liberam & expeditam viam, atque adeo ſiccam præbuerunt: at in ſtatu legis gratiæ poſſũt fideles ſupra aquas ambulare, ſupra liquoris ignitos ſtare, nec aquis ſubmergi nec igne abſumi; itaut poſſint cum Pſalmiſta ali-
E quando cantare: *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium*; non viribus propriis, aut per naturam, ſed gratia illius, qui olim tres pueros in medio camini igniti illæſos ſeruauit, & Petrum ſupra mare gradientem (vt ad Chriſtum veniret) ne mergeretur, manum eius apprehendens impediuit. Ad hanc enim finem voluit Dominus in Petro hoc miraculum facere, vt ſciremus quæ apud homines ſunt impoſſibilia, à Deo tamen poſſe fieri, vt eius gloria manifeſtetur. Hinc S. Hieron. Petri orationem Dominum deprecantis (vt ad eum venire poſſet ſupra aquas) ponderans, ait: *Eodem igitur fidei ardore, quo ſemper, nunc quoque tacentibus cæteris, credit ſe poſſe facere per voluntatem Magiſtri, quod non poterat per naturam. Vnde ſequitur: Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, &c. Tu præcipe, & illico ſo-*

Digitized by Google

lidabuntur vnda, & leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt. Ita Hieron. tom. 9. in illud: *Statimque Ieſus locutus eſt.* Apud Caten. S. Thom. Et Auguſtinus, ſer. 13. in medio, tom. 10. de verbis Domini: *Non enim poſſum hoc in me, ſed in te. Agnouit Petrus, quid ſibi eſſet à ſe, quid ab illo, cuius voluntate ſe credidit poſſe, quod nulla humana infirmitas poſſet.* Et Chryſoſt. tom. 2. homil. 51. in Matth. *Vide autem quantus eſt feruor, quanta fides. Non dixit: Ora & deprecare, ſed, iube. Non enim ſolùm credidit, quoniam poteſt Chriſtus ambulare ſuper mare, ſed quoniam poteſt & alios inducere, & concupiſcit velociter ad eum ire, &c.* Ita Chryſ. apud Cat. D. Tho. Quod igitur Chriſtus ſigno ſeu miraculo ſignificauit, nempe fideles in ſtatu gratiæ omnes poſſe ſuperate difficultates, & cuncta mutabilia poſſe calcate, hoc ſanctus Ioannes ſigno ſeu ſymbolo indicat, dum illos dicit ſupra mare vitreum, id eſt, ſuper abundantem quemdam liquorem vitro liquefacto (in quo ſplendor igneus admiſcetur) ſimilem ſtare, & ſupra illum deambulare, vſque dum ad litus perueniant.

Hac interpretandi ratione occurritur obiectioni, quam ſibi objicit Alcazar, dum ait: *Si mare congelatum eſt, vbi conſideretur miſtum igne, conſectarium eſt illud ocyßimè liquefieri.* Ad quam reſpondet, in eadem figura ſupponi illud igne non diſſolui aut molliri; & in coacto mari idem accidiſſe, quod Sapient. 16. ponderatur, vbi agitur de Ægypti plagis: *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant. Creatura enim tibi factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior fit ad benefaciendum, pro his qui in te confidunt.* Ita Sap. Nam licèt mare hoc conſideretur tanquam quid liquidum, ſufficit vt cogites quod ſicut aquæ maris liquidæ remanſerant, quamuis ſupra eas Petrus (ac ſi eſſent ſolidæ) ambularet virtute diuina, ita etiam quamuis hoc mare vitreum liquidum remaneat, ſufficit vt virtute diuina ſupra eum fideles, & de beſtia victores, poſſint ſtare, & deambulare ſuper illud, ac ſi eſſet ſolidum.

Nec abſque graui cauſa exiſtimo hoc mare cenſendum eſſe liquidum, non congelatum. Nam ſi æquo animo ſeriem cunctorum ponderes, certè dices illud mate fuiſſe coaceruatum ex copioſo ſanguine, de lacu iræ Dei exeunte, & totam Eccleſiam inundante: è quo ſeptem Angeli haurire debebant illum pretioſum liquorem effundendum, quo implendæ erant phialæ aureæ, quæ poſtea dicuntur plenæ iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum. At vt de illo hauriri aliquid poſſit, neceſſe eſt vt liquidum remaneat, & non congelatum aut ſolidum, itaut nec ex igne poſſit liquefieri. Et proculdúbio facilè intelligitur quomodo iſtud mare ſit miſtum igne, ſi vitrum liquifactum cogites, in quo cernitur oculis ſplendor ignis permixtus: Et ſic inter mare rubrum, ad quod alluditur, & ſanguinem è lacu exeuntem, Eccleſiam inundantem, & iſtud mare vitreum igne mixtum, & phialas plenas iracundiæ Dei, quædam repetitur relatio, itaut optimè cuncta ſemel cohæreant ac concordent, ad vnam & eamdem rem ſignificandam. Et hæc eſt potiſſima ratio, cur hîc non vas tantùm capaciſſimum, ſed profuſiſſimum liquorem intelligamus: quia oportet vt de illo phialæ impleantur, ad effuſionem continuam faciendam (ſiquidem nunquam bellum contra hoſtes Chriſti eſt intermittendum) non autem propter ſolam alluſionem ad mare rubrum, ſicut vult Alcazar, qui mare vitreum capitis quinti vult eſſe quoddam vas, propter alluſionem ad templum Salomonicum, in quo erat mare æneum. Hoc autem mare vult eſſe aquas, in vitream ſoliditatem coagulatas, & congelatas, per alluſionem ad mare rubrum.

A Tria igitur hîc inquirenda ſunt, ad perfectam huius viſionis intelligentiam. Primum eſt, quid per mare vitreum intelligatur. Secundum, quinam ſint ſuper mare vitreum ſtantes. Tertium erit de cantico eorum, in quo & omnipotentia Creatoris, & benignitas ac pietas Redemptoris, laudibus extolluntur.

Et vidi tanquam mare vitreum.

Quid in mare vitreo intelligendum ſit?

ANNOTAT. IV.

ALCAZAR per mare gentilitatem intelligit, in quam nouus Iſraël, id eſt, populus Chriſtianus ingreſſus eſt, vt patet ex interpretatione paraphraſis cap. 15. *Illud*, inquit, *in primis admiranda Dei geſta commendat, quod aquæ multæ nouum Iſraëlem non modò non obruerent, verum etiam in ſeipſis ſuſtinerent, & Chriſti milites per ſummas maris vndas non ſecus ac per ſolidam planitiem graderentur.* Ita Alcaz. Quod mare gentilitatis, vt ipſe addit, calefieri, accendi, & inflammari cæpit, ipſomet prædicationis igne. Sed huic expoſitioni obſtat, quod ipſemet Alcazar cenſet fieri alluſionem ad mare rubrum, per quod ex ſcriptura gentilitas minimè ſignificatur. Hoc patet ex capite 10. 1. ad Corinthios. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, &c. Hic*, inquit Sedulius, *comparat duas plebes, veteris videlicet & noui teſtamenti; & exemplo prioris, terret ſecundum populum, quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt. Ideo hoc dicit, ne quis confidat in eo ſolo, quod baptizatus eſt; aut in eſca ſpirituali, aut potu; & putet ſibi Deum parcere, ſi criminoſum aliquid commiſerit. Aliter patrium promittit exemplum, tunc iſta meritò profutura, ſi præcepta ſeruarentur. Sicut enim de Ægypto à ſeruitute Pharaonis Iſraël liberatus eſt, ſub nube, & in Moſe baptizatus eſt, ac in deſertum venit, ſic nos à tenebris peccatorum liberati à ſeruitute venimus, atque ſub nube, hoc eſt, diuino auxilio ſumus: & omnes in Moſe, id eſt, in merito & poteſtate Moyſis myſtici, in Chriſto, baptizati ſunt. In nube baptizati ſunt figuraliter, quia nubes proprium honorem portabat; myſticè in nube, id eſt, in Spiritu ſancto; & in mari, myſticè in baptiſmo.* Ita Sedulius. Similia habet Primaſius in 10. Epiſt. 1. ad Corinthios. *Mare*, inquit, *rubrum ſignificat baptiſmum, Chriſti ſanguine decoratum. Et omnes in Moyſe baptizati ſunt. Moyſes ductor ſignificat Chriſtum. Populus tranſiens ſignificat fideles. Mors Ægyptiorum ſignificat abolitionem peccatorum. In nube & in mari: quæ nubes habet humorem, id eſt, aquam baptiſmi.* Ita Primaſ. Ad hunc ſenſum dixit S. Ambroſius, in hanc Epiſtolam: *Contecti enim nube, & ab aduerſariis ſuis tuti præſtiti; dum à morte liberati ſunt, baptizati dicuntur. Illis enim, id eſt Ægyptiis, in mari mortuis; duce Moyſe feliciter tranſeunt. Erepti ſunt morte, quod præſtat baptiſmum.* Ita Ambr. Si igitur per mare rubrum baptiſmus intelligi debet, fiatque alluſio ad illud, abſurdè detorquetur ſignificatio maris vitrei à ſignificatione maris rubri.

Melius igitur Ticonius: *Et vidi ſicut mare vitreum, id eſt, fontem baptiſmi pellucidum; mixtum igne, id eſt ſpiritu vel tentatione.* Ita Ticon. poſt Victorinum dicentem: *Quod autem dicit ſtetiſſe eos ſuper mare vitreum, habentes citharas & phialas, id eſt, ſuper baptiſmum ſuum ſtabiliter in fide conſtitiſſe, & confeßionem ſuam in ore habentes, & exultaturos in regno coram Domino.* Ita Victorinus.

Primaſius: *Et vidi*, inquit, *velut mare vitreum igni permixtum, aquam videlicet baptiſmi, igne ſancti Spiritus conſecratam; vel etiam (quod ad ignis pertinet qua-*

litatem

Digitized by Google

litatem) martyrio rubricatam. Hinc legimus : Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Ita Primaſ.

S. Thomas : *Baptiſmum autem, qui eſt meritorum origo, deſcribit, quantùm ad triplicem effectum, contra tria, quæ facit peccatum originale, quod facit in anima horrendam fœditatem, internam obſcuritatem, ineptam tepiditatem. E contrario autem baptiſmus introducit ſynceritatem, ideo dicitur, Mare, id eſt, vas lauatorium : Vnde dicit : Et vidi. Quaſi dicat : ita vidi Angelos habentes ſeptem plagas. Et vidi ſimiliter (Gloſſ.) cum illis Angelis. Ideo non tantùm videt Angelos, ſed etiam quoddam vas vitreum cum igne, quia ipſi prædicatores per baptiſmum facti ſunt filij adoptiui, & baptiſmum prædicant. Item quia illi, qui eis adhærent (de quibus ſequitur) per virtutem baptiſmi proficiunt, & ſaluantur. Tanquam mare, id eſt, quoddam ſignum ſimili vaſi lauatorio. Dicit autem, tanquam, quia non videbat veram vas materiale, ſed ſimile. Sciendum autem quod mare quandoque dicitur aqua multa congregata : Pſ. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud; quandoque vas lauatorium, propter continentiam multa aqua, ſicut in templo Salomonis poſitum eſt mare, vt ibi Sacerdotes abluerentur. 3. Reg. 7. Per hoc mare ſignatur baptiſmus, quia vim habet mundatiuam. Act. 3. Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Chriſti Ieſu, in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Ambroſius in 2. libro de Sacramentis. Baptiſmate peccata omnia diluuntur. Item baptiſmus infundit claritatem contra culpæ caliginem, vnde dicitur vitreum. Vitrum perſpicuum eſt & clarum, & ſolis claritas vltra ſe tranſcendit : per quod ſignantur quod baptiſmus animam claram facit per fidem. Supra c. 4. Et in conſpectu, &c. Item accendit caritatem contra teporem : vnde ſequitur, Mixtum igne, per Spiritus ſancti inflammationem. Spiritus enim ſanctus datur copioſè in baptiſmo, maximè adultis ſe benè diſponentibus. Ipſe autem eſt ignis, ignem caritatis ad Deum & proximum accendens. Matt. 3. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Ambroſ. l. 3. de Sacramentis : Ad inuocationem Sacerdotis, Spiritus ſanctus infunditur, & omnes quidem virtutes ad ſpiritum pertinent.* Ita S. Thom. Et quia pœnitentiæ Sacramentum eſt ſecunda poſt naufragium tabula, in quo, tanquam in mari miſericordiarum Dei, propter nimiam ſuam charitatem, peccata noſtra delentur, poſſet etiam ſignificatio iſtius maris ad hoc Sacramentum extendi. Denique cum per baptiſmum fideles ad imitationem Chriſti patientis multa debeant aduerſa tolerare, etiam temporales afflictiones poſſunt per hoc mare vitreum deſignari.

Iratus ſiquidem Deus contra peccata, omnem iram ſuam ac furorem collegerat, vt illa debitis afficeret pœnis, ſed quia nec pœnæ inferni ad rigorem poterant iuſtitiam ſuam explere, ideo omnes fluctus iracundiæ ſuæ induxerat ſupra caput dilecti filij ſui, ſuper quem omnes noſtras iniquitates imponere ſtatuerat : qua quidem ratione effectum eſt, vt ſi copia gratiarum ex eo fonte dimanaret abundanter, permixta reperirentur cum profluuio ſanguinis è Chriſti membris & ſacratiſſimo eius latere profluentis. Ab eo enim exiuit ſanguis & aqua, vt ſciremus aquam gratiæ ſalientem in vitam æternam cum ſanguine deinceps fore coniungendam. Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Sic etiam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14. Suam igitur ſemper gratia amat originem, nempe crucem, & ab ea in hac vita non vult diſiungi. Inundat ſiquidem gratia vniuerſam Eccleſiam, dum meritum paſſionis Chriſti per vniuerſas orbis partes diffunditur, diffuſa charitate in cordibus fidelium. Congregatio eſt aquarum cæleſtium, & mare puriſſimis aquis abundans : nemo tamen earum erit particeps, qui non Chriſto patienti conformem fieri ſtuduerit, & ſaltem in animi præparatione vſque ad ſanguinem reſiſtere peccato ſelegerit. Quid attonitus ſtupes, & in vehementem abis admirationem, extra te quodammodo raptus, cum vides ſanctos & electos concuti, vexari, turbari, ſtatim atque fiunt per gratiam membra Chriſti? Gratia quæ in eos infunditur, & effunditur, mare eſt turbinibus, ventis, ac procellis agitandum : quia ex torculari crucis profluit, in quo Chriſtus fons gratiæ vexatus, preſſus, ac contritus fuit; Mare eſt habens quidem aquas amaras & ſalſas, quia ex Chriſto, felle, & aceto & amaritudinibus repleto emanat, ſed puriſſimis & ſynceriſſimis aquis conſtat : eſt enim mare vitreum igne permiſtum, vt puritatem & ſynceritatem gratiæ in his paſſionibus, vexationibus, ac preſſuris, & amaritudinibus agnoſcas. Non extenditur vltra ſpatium 1600. ſtadiorum, per quæ ſtadia 1600. deſignatur Eccleſia, per quatuor orbis partes diffuſa : quia extra Eccleſiam, & cum Chriſto patiente vnionem & coniunctionem, paſſiones ac preſſuræ, & amaritudines ſeculi, fel ſunt draconum inſanabile; quæ initium dant ſuppliciis, quibus in æternum cruciati debent peccatores reprobi. Foris ethnici, hæretici, ſchiſmatici, in quos quandiu peccatum illorum manet, ne minima quidem ſtilla meritorum, aut gratiæ gratum facientis, diſtillare ſeu diffluere poteſt : quia à fide & charitate, ſeu vnitate Eccleſiæ ſeparantur.

Quod ſi, cum Alcazar, iſtud mare vitreum tanquam congelatum fingas, cum illud miſtum igne audis, ſcias nulla electos conſtringi afflictione, quæ non queat verbo Dei aut eius amore colliquefieri, iuxta illud Pſal. 147. *Mittit cryſtallum ſuum ſicut buccellas : ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea : flabit ſpiritus eius & fluent aquæ.* Citò tempeſtas in ſerenitatem commutabitur, bellum in tranquillitatem & pacem, calamitas in gaudium : quia iſta afflictio vitrea eſt, ideo fragilis, friabilis, & conterenda : glacialis eſt, ideo facile diſſoluenda, quia ignis admiſcetur, quo diſſolui queat. Sic afflictiones iuſtis ſunt veluti glacies : & ſicut acris hyems & glacies confert plurimum fæcunditati terræ, & futuræ meſſi (glacies enim eſt aquea, & licèt terram & corpora non irriget, aut liquet, aut reſoluat, conſtringendo tamen, ratione acris frigoris, paſcit & ſaginat terram, ac ſi eſſet buccella panis,) ita afflictiones conſtringentes iuſtis ſunt inſtar buccellarum panis, ſiue panis per buccellas ſumpti; quin & facilius tolerandæ, quia igne diuini amoris poſſunt citò liquefieri & reſolui. *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea.* Nam ardore ſolis, vel pluuia è parte maris orta, vel flante vento calido auſtrali, iſta conuertentur in aquas, vt fluant quæ priùs erant conſtricta. Ita adueniente in mente illa pluuia gratiæ ſpiritalis, voluntariæ, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ, vt per infirmitates, & tolerantiam laborum & afflictionum perficiatur, adueniente flatu diuini ſpiritus charitatis diuinæ, citò omnia iſta conſtringentia tanquam citò colliqueſcenda, & elabenda à nobis conſiderantur. Vnde propter illam ſpem, firmi ac ſtabiles in fide ambulamus, omnibus grauioribus afflictionibus ac pœnis ſuperiores, iuxta illud Apoſtoli Rom. 5. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem : ſpes autem non confundit : quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Videſne mare vitreum & glaciale, mixtũ igne, ſuper

quod gradiuntur intrepidè hi, qui fide & ſpe omnia tranſitoria contemnunt, & igne diuini amoris ſuccenſi, inter maiores anguſtias poſiti, ob ſpem æternorum, ſupra illas ambulare aut ſtare dicuntur: quia nunquam deficiunt à propoſito ſeu ſcopo, ad quem peruenire contendunt, quamuis multis variiſque laboribus ac anguſtiis coarctentur? Vel aliter dicere poſſumus, cum per iſtud mare infinita Chriſti merita ſignificentur, illud concipi tanquam vitreum ſeu congelatum, ad indicandum Chriſti merita cunctorum operum bonorum valorem fulcire ac ſuſtinere: Sed quia theſaurum gratiæ portamus in vaſis vitreis & fictilibus, & voluntates hominũ diuerſis ſunt obnoxiæ mutationibus, verè tota illa firmitas ex parte noſtra vitrea eſt, fragilis & diſſolubilis. Ignis quippe zeli diuini honoris admiſcetur, qui nullam pati poteſt in bono propoſito inconſtantiam. Vnde copia & abundantia gratiarum Dei ſtatim in ignem conuertitur, quo ſeueriùs noſtra infidelitas puniatur, ſi à bono propoſito per animi inconſtantiam deficiamus! Erit itaque mare vitreum ſymbolum afflictionum & laborum huius vitæ, quibus propter ſanguinem è Chriſti latere effluentem, viuificatiua quædam vis confertur; ſuper quod mare vel ſtare dicuntur, qui meritoriè aliquid agunt; vel per illud tranſire, quia qui ad littus ſalutis æternæ peruenire appetunt, per multas tribulationes tranſeunt, vt ad portum appulſi cum Iſraëlitis decantent: *Cantemus Domino glorioſè*. Equum enim & aſcenſorem eius proiecit in mare, dum peccata noſtra per diaboli ſuggeſtionem in corpore perpetrata ſubmerguntur, & ſpiritus hominis per ignem & aquam tranſiens educitur in refrigerium, vt pace & tranquillitate fruatur æterna. Quibuſdam enim, ſuper mare, idem eſt quod iuxta. j. iuxta maris littus, ſicut Pſ 136. *Super flumina Babylonis*. Quamuis probabilius ſit ſupra mare ſtantes, idem eſſe ac in ipſo mari pedibus inſiſtentes. Vel ſi mentem ſancti Chryſoſtomi in Pſ 147 ſpectes, mare congelatum, & tamen igne mixtum eſt omnis humana aduerſitas, per quam nos tranſire oportet: quia per Dei infinitam & inexpugnabilem potentiam, citò fit ab vna operatione ad aliam tranſitus, vt qui igne torrentur, aqua refrigerentur; vel qui aqua obruerentur, igne aquis deuoratis, incolumes euadant. *Et enim*, inquit S. Chryſoſt. *omnia locum dant & concedunt, & aliquando quidem eas mutat ſubſtantias, aliquando verò manentes mutat in aliam operationem; & eam quidem, quæ eſt ei propria & attributa, facit quieſcere aliam verò inducit contrariam. Quod quidem fecit in fornace. Ignis enim erat, & non vrebat. Sed qui in eum iniecti fuerant, ſentiebant rorem longe iucundiſſimum. Mare erat, cum Iudæi trajicerent, & aquæ non obruebant, ſed eos Petra firmiùs & ſolidius tranſmittebant. Sub Dathan, & Abiron, terra erat: eorum tamen corpora non ſuſtinuit, ſed mari faciliùs obruit. Virga Aaron erat lignum aridum: & iis, quæ in terra plantata erant, fructum pulchriorem protulit. Balaam erat Aſinus, Animal omnium hebetiſſimum, nec minus benè ſe defendit apud eum, qui ipſum pulſabat, quàm homo ratione præditus. Cum in lacum coniectus eſt Daniel, erant Leones, & oſtendebant ouium manſuetudinem, non ipſorum quidem deletâ naturâ, ſed mutata eorum operatione.* Ita Chryſ. Similiter dico: Mare eſt Glaciale, Cryſtallinum, ſi velis, id eſt, nix glacie durata per multos annos, itaut ſole vel igne facilè diſſolui non poſſit. Tamen ſtatim atque vult aut imperat Deus, ad nutum eius illud diſſoluitur, & in aquas conſolationum conuertitur, in torrentem voluptatis, quo inebriantur & potantur omnes Dei electi & amici. Hoc volebat Iudæo vix vllo ſenſu prædito perſuadere Propheta, ex iis quæ fiunt ſingulis annis per Dei potentiam, Deo facilè eſſe res eorum vt vult adminiſtra-

A re, & à contrariis in contraria mutare, dum dicebat: *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*. Et mox addidit: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Quemadmodum enim*, inquit S. Chryſoſt. *ſi fuerit tempeſtas & glacies intolerabilis, facile eſt illi inuecta tranquillitate omnia diſſoluere, ita etiam eos, qui in captiuitatem abacti fuerant, & bellis vexati erant, facile ei ad pacem, & ad patriam reducere, & reſtituere priori proſperitati. Non hoc ſolùm autem ſignificat, ſed etiam aliud latenter innuit. Quidnam? Quod quemadmodum hæc, licèt moleſtiam afferant, ſæpe fiunt vtiliter, ita etiam quæ eis euenerunt, eis fuerunt conducibilia, & multum commodi attulerunt.* Ita Chryſ. Igitur ex mari, & vitreo, & cum igne mixto, docemur Eccleſiæ ſtatum in hac vita talem B eſſe, vt reuera fidelibus multa toleranda ſint, ſed fideles omnibus tentationibus eſſe ſuperiores, quia pedibus calcant omnia tranſitoria, ſpe erecti quod omnia illa citò, ſunt tranſitura. *Deus enim*, vt ait Chryſoſt. ibidem, *eam muniuit validiùs quàm Hieruſalem, non vectibus & portis, ſed cruce circumſeptam, & renunciatione propriæ voluntatis, per quam vbique eius excitauit ambitum, cum dixit: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. In Principio itaque Imperatores & Reges omnes, & populi, & ciuitates, & dæmonum phalanges, & ipſa diaboli tyrannis, & alia innumerabilia inuaſerunt Eccleſiam: illa tamen omnia fracta & diſſoluta ſunt, & interierunt: ipſa autem creuit, & in tantam prouecta eſt altitudinem, vt ipſos etiam cælos ſuperauerit.* C Hæc Chryſ. Lege Auguſt. ſerm. de cataclyſmo, in initio. to. 9.

Et eos qui vicerunt Beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moyſis ſerui Dei, & agni.

Quinam illi exiſtant?

ANNOTAT. V.

CERTE omnes fideles baptizati poſſint dici hic eſſe intelligendos, qui fide tranſierunt mare D rubrum, tanquam per aridam terram, quod experti Ægyptij deuorati ſunt, dum eorum peccata per baptiſmum in Chriſti ſanguine delentur. Rectè ſiquidem, in hunc locum Pauli, Primaſius: *Allegoricè mare rubrum baptiſmus eſt, rubore ſaguinis Chriſti conſecratus. Hebræi, qui exierunt de Ægypto, & tranſierunt per mare rubrum, fideles ſunt, qui derelinquentes tenebras infidelitatis, tranſierunt per ſontem baptiſmatis. Pharao & Ægyptij mortui ſunt in mari, quia in fonte baptiſmatis mortuus eſt diabolus, amittendo poteſtatem, quam habebat: mortua ſunt etiam peccata originalia & actualia, ſi quæ antea erant.* Ita Primaſ.

Ad eos tamen potiſſimùm reſpicere exiſtimo, qui in fide recepta permanent immobiles. *Super ſtan-* E *tes*, inquit Primaſius, *ſtabiles demonſtrat in fide. Hos pſalmus ſimili penè ſermone deſcribit, qui poſteaquam dixit: Qui fecit cælos in intellectu, ſpirituales ſcilicet deſignans, ſupernæ veritatis ſerenâ intelligentiâ perfruentes; ſubiecit: Qui fundauit terram ſuper aquas, ſuper baptiſmum vtique immobiles. Licèt enim videantur lacte nutriti, non tamen circumferuntur omni vento doctrinæ. Ideo & hic dicuntur de beſtia eiuſque imagine triumphare.* Ita Primaſ. Veſtigiis Victorini inhærens, qui antea dixerat: *Super mare ſtantes. id eſt, ſuper baptiſmum ſuum ſtabiliter in fide conſtitiſſe.* Ita Victor. At non modo qui in fide perſeuerant, ſed inſuper illos arbitror eſſe, qui poſt Baptiſmum veſtimenta ſua non inquinauerunt. *Stantes*, inquit S. Thom. *per mentis & vitæ rectitudinem, & innocentiæ conſeruationem; Supra mare præmiſſum, id eſt, ſuper gratiam innocentiæ baptiſmalis. Hoc fit dum vi-*

Digitized by Google

gilantes homo incumbit gratiæ priùs ſuſceptæ, ſeruandæ & promouendæ. Pſ. Super aquam refectionis (ſcilicet gratiam baptiſmalem) educauit me, &c. Qui calcantes temporalia & tranſitoria per contemptum, per corporis mortificationes; concordiæ, pacis, & charitatis harmoniam, & Dei laudationes, ob ingentia beneficia creationis, gubernationis, & redemptionis, vincentes beſtiam & imaginem eius, & numerum nominis eius in ſeipſis, digni cenſentur qui in aliis de eadem victoriam reportent, & qui Dei cooperatores exiſtant in aliorum ſalute promouenda, ſiue qui aſciſcantur in numerum militum Chriſti, vt illius regnum viſibile in terris promoueant. *Vincitur,* inquit S. Thom. *ergo à iuſtis beſtia, per magnanimitatem, quæ erit in confidentia ſummæ poteſtatis. Vincitur imago, id eſt, eius conformitas, per caritatem, quæ accenditur imitatione ſummæ bonitatis, vt non imitentur Anti-Chriſtum. Vincitur numerus nominis eius, per fidem ſummæ virtutis.* Ita S. Thomas. Fides autem eſt virtus, qua in cognitionem diuinorum beneficiorum euehimur.

Calcant igitur mare iſti victores, per contemptum rerum mutabilium. Quamobrem Petrus, qui dixerat: *Ecce nos relinquimus omnia*; potuit Chriſti gratiâ fultus ad ipſum ſupra mare pergere; & non modò per contemptum rerum mundanarum, ſed etiam omnium laborum & tædiorum huius vitæ. *Calcari enim non poteſt niſi inferior. Sed inferior non eſt, qui quamuis in corpore multa in terra ſuſtineat, fixus tamen corde in cælo eſt,* inquit Auguſtin. de ſermone Domini in monte l. 1. c. 6. to. 4. Citharas habent. *Per citharas,* inquit And. Cæſ. *verò membrorum mortificationem, beneque compoſitam vitæ rationem, diuini ſpiritus plectro, per virtutum concentum, ritè moderatum inſinuat.*

S. Thomas: *Habentes citharas, id eſt carnis auſteras mortificationes, id eſt, carnem ſuam mortificantes. Coloſſ. 2. Mortificate membra veſtra, &c. citharas, inquam, Dei, tanquam cauſæ exemplaris, quia ipſe hoc exemplo docuit 1. Petri c. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum. Galat. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis; Vel Dei, tanquam cauſæ finalis. Auguſt. vltimo de ciuitate Dei: Præmium virtutis erit ipſe, qui dedit virtutem. Talis citharæ ſonus dulcis eſt in auribus Dei. Ad huiuſmodi ſonitum fugatur ſpiritus malus: quandoque etiam ab alio per vim exit. 1. Regum c. 16. Quandocumque ſpiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, &c. Dicit autem citharas pluraliter, quia quilibet iuſtus habet ſuam cytharam, id eſt, mortificationem carnis. Item rectè dicitur, Dei: quia Deus & Saluator noſter cytharam inſonuit: ad cuius citharæ ſonitum Pater ad miſericordiam flexus eſt. Hebr. 5. Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Item, Petræ ſciſſæ ſunt, & terra mota eſt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſurrexerunt.* Ita S. Thom. Sunt etiam citharæ, ſymbolum perfectæ obſeruationis mandatorum Dei, charitatis, ac pacis & gaudij, ac lætitiæ in Spiritu ſancto: *Fructus enim ſpiritus ſunt charitas, pax, gaudium, &c.*

Rupertus: *Profectò,* inquit, *cytharæ Dei non manufactæ ſunt, qualibus homo fidiculas arte dimenſas ſuper extendit. Sed citharæ pectorum fidelium, in quibus per fidem muſica cæleſtis, id eſt, verbum inhabitat veritatis; vbi chordæ ſunt extentæ præceptorum Dei, de qualibus Pſalmiſta dicit: Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi. Decem quippe legis præcepta ſunt, quorum ſine obſeruatione non valet Deo, quicumque hoc mare tranſiuit. Cum enim dixiſſet: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; addidit adhuc: Docentes eos ſeruare omnia, quæ mandaui vobis. Hæc obſeruare eſt ſuper hoc mare ſtando cantare, primùm in cithara, deinde in pſalterio clariùs ſonante; id eſt, primùm in timore, deinde in perfecta charitate. Habentes igitur cytharas Dei, id eſt,*

A *benè operantes ad gloriam Dei, non vt videantur vel audiantur ipſi ab hominibus, ſed vt glorificent Patrem ipſorum, qui eſt in cælis.* Ita Rupert.

Alcazar: *Omnes myſtici Iſraëlitæ cytharas manibus ferunt, quorum pulſus & cantus indicat gaudium atque gloriam, quam re ac verbis Deo deferunt, &c.* Et paulo poſt: *Et quidem non ſine energia, citharæ diuinæ appellantur admirabiles primorum Chriſtianorum virtutes, quorum actionibus, concentu, atque harmonia, difficultas omnis in maximam iucunditatem & Dei gloriam conuertebatur.* Ita Alcazar.

Denique Ticonius: *Habentes citharas Dei, id eſt, corda laudantium Deo dedicata.* Ita Ticon.

Qui tales ſunt, poſſunt Chriſti regnum viſibile
B in terris promouere, & de talibus (qui ad hoc regnum ſtabiliendum Deo ſeruiunt) loqui ſanctum Ioannem, & ad eos potiſſimùm reſpicere arbitror. Nunc illorum canticum audiamus.

Et cantabant canticum Moyſis ſerui Dei, & agni, dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens.

De cantico militum Chriſti.

ANNOTAT. VI.

TRIA beneficia Dei laudibus celebrare mihi videntur; creationem, in his verbis: *Magna &*
C *mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens*; Gubernationem, in iſtis: *Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum*; Redemptionem, in his quæ ſubſequuntur: *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.* At cur hoc illorum canticum, dicitur canticum Moyſis & agni?

Ticonius inquit, *Id eſt, vtrumque teſtamentum: Magna & mirabilia opera tua ſunt. Hæc enim in vtroque teſtamento ſunt, quod cantant ſupradicti.* Ita Ticon.

Ambroſius: *Canticum autem Moyſis, vetus teſtamentū; Canticum agni, nouum demonſtrat. Canticum ergo Moyſis & canticum agni cantabant, quia vetus & nouum teſta-*
D *mentum noui prædicabant.* Ita Ambroſ.

Primaſius: *Vtriuſq; paginæ teſtamenti hoc nobis conſona veritate teſtantur, quia vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.*

Andreas Cæſar. *Per Moyſis canticum eam laudationem & cultum accipimus, quibus Deum proſequebantur, qui ante effuſam Chriſti gratiam, in veteri lege iuſtificationis gratia potiebantur; Per agni autem carmen, indefeſſam illorum prædicationem & gratiarum actionem, qui poſt Chriſti aduentum ſanctè integreq; vixerunt. Hi enim de beneficiis & donis, quæ à Chriſto in genus noſtrum dimanarunt concinunt gratias, maxime verò de eo, quòd gentes per Apoſtolos ad ſui agnitionem vocare dedignatus non fuerit.*

Rupertus: *Cum ergo dixiſſet: cantantes canticum Moyſis ſerui Dei, rectè addidit. Et canticum Agni. Quia quod*
E *ſub Moyſe hiſtorialiter in figura geſtum eſt, illo tranſitu maris, hic ſpiritualiter in baptiſmate ſuo; quo nos regenerauit, Agnus Dei Chriſtus adimpleuit.* Ita Rupertus. Qui poſtea docet rectè hic filium Dei, cuius in morte baptizati ſumus, Agnum Dei nominari: quia id, propter quod Moyſes canticum illud cecinit, euenerat per immolationem Agni, in typum eiuſdem Chriſti filij Dei, propter peccata noſtra, vt ea tolleret, immolandi. Docet prætereà in his verbis: *Magna & mirabilia, &c.* in ſenſu, etſi non in verbis, canticum Moyſis contineri: qui non ſemel, ſed multis vicibus in ſuo cantico collaudat magnificentiam Dei; v. g. *Glorioſè magnificatus eſt.* Item: *Dextera tua magnificata eſt in fortitudine.* Item; *Magnificus in ſanctitate*; Duoque præcipuè hic laudari, Dei for-

titudinem, & iuſtitiam regis ſempiterni; duas inſuper vias Domini, miſericordiam & veritatem; De miſericordia cantare victores iſti: *Quia tu ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo*: Hoc namque gratuitæ miſericordiæ, vel miſericordis gratiæ eſt, quod gentibus omnibus, abſque perſonarum diſtinctione, euangelizatum eſt vt venirent; & vt hi, qui erant longè, propè fierent; De ſecunda autem via, cum dicunt: *Quoniam iudicia tua manifeſta ſunt*, (quod ſcilicet ſint vera) non quidem omnibus, ſed eis, quibus ipſe per ſpiritum ſuum reuelauit, & non perfectè adhuc, ſed ex parte, donec veniat quod perfectum eſt. Denique Rupertus hæc verba (*Quis non timebit te, &c.*) ita exponit: *Cum tam magna & mirabilia ſint opera tua, tamque iuſtæ & veræ viæ tuæ, ſuperbi & ingrati vbi parebunt? Qui enim non timet nunc, ſubiectus timebit, imo conturbabitur oppreſſus, iuxta illud, quod per Iſaiam Prophetica in eum inuectione dicitur: Ingredere in Petram; abſcondere foſſa humo à facie Domini, & gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram.* Ita Rup.

Sanctus autem Thomas noſtram de tribus beneficiis, creationis, gubernationis & redemptionis ſententiam fulcit, cum docet *Sapientiam, potentiam, & bonitatem hîc laudari, dum dicunt ad Dei honorem, & ad aliorum excitationem: Magna in creatione, & mirabilia in recreatione hominis, ſunt opera tua, diuerſa Dei opera deſignando, Vel magna in ſe, mirabilia in conſideratione, propter magnitudinem ſapientiæ & potentiæ, in eiſdem videlicet operibus. Iob. 5. Qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero. Qualis autem & ſit opifex ipſe, ſubiungitur, Dominus per præſidentiam, Deus per naturam, omnipotens per infinitam potentiam.* Ita S. Thom. In quibus omnibus ſatis innuitur beneficium creationis. Quantum autem ad beneficium gubernationis, & illud tangi perſpicuum eſt in hoc Cantico, iuxta S. Thomam. *Via tuæ*, inquit, *id eſt operationes tuæ, quibus ad nos venis, vel nos ad te, vt ſunt præcepta, Sacramenta & illa quæ Deus operatur circa hominem, quantùm ad profectum meritorum, ſunt iuſtæ, id eſt, rectæ in ſe, quia nihil habent diſtortum, & veræ in promiſſione, quia reddunt quod promittunt, id eſt, Deus reddit quod promittit, præmium quod promittit obſeruantibus ſuorum praeceptorum & Sacramentorum inſtitutiones. Vel de operibus punitionis; ſic, viæ tuæ, id eſt pœnæ, ſiue flagella, ſiue reprobationes, (cum malos impœnitentes abjicis) quæ docent nos redire ad te, ſunt iuſtæ: quia punis propter culpam; veræ, id eſt, nullatenus ad falſitatem iudicij declinantes: quia non punis ſupra culpam, imo ſemper infra.* Ita S. Thom. Cum autem opera retributionis & punitionis, ad gubernationem ſpectent, patet quomodo in iſto Cantico de hoc beneficio fiat mentio. Sed dum in Cantico Deus appellatur Rex ſanctorum, vt legit Sanctus Thomas, *ſcilicet*, inquit, *Angelorum & hominum, quia ſancti & iuſti ſunt familia tua, ſuper quam regnas: mali enim non ſunt de familia Dei*; Vel cum appellatur, iuxta aliam literam, Rex ſeculorum, *id eſt*, inquit S. Thomas, *omnium rerum in omnibus ſeculis, ab initio mundi in perpetuum. Tobiæ 13. Regemque ſeculorum exaltate in operibus veſtris. Ex quo patet quòd viuens & dominans in æternum ſuos præmiat æternaliter.* Ita S. Thom. Certè negari non poteſt haberi reſpectum ad gubernationem, per quam Deus regnare & dominari ſe oſtendit. At beneficium denique redemptionis tangitur, dum in iſto Cantico dicitur: *Quia ſolus pius es. Quod patet*, inquit S. Thomas, *in redemptione generis humani: & quia gratis ſaluat, vt dicit Gloſſ. 2. Paralipom. 30. Pius & clemens eſt Dominus Deus noſter. Dicit autem (ſolus) quia ſumma & ineffabilis miſericordia non conuenit niſi Deo. Effectus autem redemptionis tangitur, dum additur: Et venient omnes gentes, & adorauerunt in conſpectu tuo.*

A *Venient greſſu fidei aliqui de omnibus gentibus, non ſolùm in tempore primitiuo & medio, in quo ſumus, ſed etiam in tempore vltimo: quia multi ab Anti-Christo decepti reuertentur ad fidem, de diuerſis nationibus: & ipſi etiam Iudæi conuertentur, & adorabunt vera fide & deuotione. In beneplacito tuo præſentabunt ſe ad implendum tuum beneplacitum. Dignum autem eſt te adorare & venerari: quoniam iudicia tua (quibus quoſdam reprobas, quoſdam eligis) etſi in ſpeciali valde occulta ſunt, ſcilicet quare hunc potius eligis quàm illum, tamen in generali manifeſtum eſt quod iuſta ſunt. Et ideo cum reuerentia adorandus es, & caput tibi ſubmittendum. Pſ. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et ſic patet quomodo iudicia Dei dicuntur inſcrutabilia; Rom. 11. & dixerit S. Auguſtinus*

B *2. l. de ciuit. Cuius plenè iudicia nemo comprehendit, nemo iuſtè reprehendit. Ita Aug. Manifeſtum eſt enim quòd in generali ſunt iuſta, quamuis in ſpeciali ſint occulta.* Ita S. Thom.

Sed nec malè totum iſtud Canticum poteſt intelligi de opere redemptionis, quod quidem cætera Dei opera aliquomodo præcellit, veluti ſupra opera naturæ exiſtens, & ſine quo opus glorificationis nunquam extitiſſet: *Quos enim vocauit, illos & iuſtificauit; & quos iuſtificauit, illos & glorificauit.* At vocatio & iuſtificatio ex redemptione pendent (vocat enim Deus, & iuſtificat, quos Chriſtus redemit) Cantant igitur, propter magnam Dei potentiam: quia peccatum vicerunt, & diabolum illius inſtigatorem.

C Captiuus erat peccator ad ipſius diaboli voluntatem, & veluti ſuper equum ſuper eum dæmon inſidebat; at extincto peccato in ſanguine Chriſti, dicunt: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt. Equum, & aſcenſorem eius proiecit in mare; Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, &c. Dominus quaſi vir pugnator: omnipotens nomen eius. Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens.* Omnipotentiam ſuam quippe Deus parcendo maximè & miſerando manifeſtat. Cantant, quia non modò peccata deleta ſunt & extincta, ſed etiam vitia eradicata ex affectu, quibus ad peccandum impellimur. Ideo addunt: *Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum. Currus* enim *Pharaonis &*

D *exercitum eius proiecit in mare. Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro: abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* Nihil quippe iuſtius eſt, quàm vt creatura in omnibus ſubdatur creatori, itaut quidquid ei obſiſtere conatur & audet, abſorbeatur, & in nihilum redigatur: & ſi manet adhuc ſuperſtes, ſaltem debitâ pœnâ plectatur, & in profundum malorum dejiciatur. Cantant, quia à poteſtate diaboli liberati ſunt. Vnde dicunt: *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum?* Siquidem *dextera tua magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.*

E Cantant, inquam, quia poſſunt patienter cuncta aduerſa tolerare, Deo illis compatiente, eoſque à malis eripiente, vt pote pius ipſorum pater. Vnde pro motiuo ſuæ magnificationis addunt: *Quia tu ſolus pius es.* Nam ſi in ſpiritu furoris ſui congregatæ fuerint aquæ, ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari, putabat inimicus hæc videns, Chriſti milites per medium maris tranſeuntes inuadere. *Dixit: perſequar & comprehendam: implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum. Interficiet eos manus mea.* Ecce fruſtrati ſunt expectatione ſua. *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Ipſi autem incolumes euaſerunt, ex tantis periculis glorioſè liberati.

Cantant, quia deletis peccatis, vitiis extirpatis, dæmone victo, aduerſitatibus cunctis ſuperatis, poſ-

Digitized by Google

ſunt venire gentes, & adorare in conſpectu Dei, id eſt: Ad omnia bona opera ad Dei gloriam facienda ſunt idonei, Dei gratia & diuini brachij auxilio freti, itaut dicant, cum vident & ſentiunt ſe ad tantam gratiam euectos: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Quis ſimilis tibi? Magnificus in ſanctitate: terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.* Quænam, quæſo, mirabilia? Explicat mentem Moyſis ſanctus Ioannes, dum ait: *Venient, & adorabunt in conſpectu Dei.* Hoc enim opus Dei eſt mirabile, vel Dauide teſte. Pſ. 85. *Non eſt ſimilis tui in diis, Domine, & non eſt ſecundùm opera tua. Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient: Et adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus. Veritatem huius Prophetiæ*, inquit S. Baſilius in hunc Pſalmum, *tempus illud, quod incarnationi ſeruatoris ſucceſſit, oſtendit. Poſt crucis enim paſſionem, miſſi ſunt diſcipuli ad omnes gentes, quas & inſtruxerunt, vt ſeruatorem Deum adorarent. Et glorificabunt nomen tuum. Hymnum offerent tibi, te ſolum eſſe Deum edocti. Mirabilium enim tuorum magnificentia hanc illis cognitionem ſuppeditabit.* Ita Baſil. Videſne, ex Baſilio, Dei cognitionem opus eſſe magnificentiam mirabilium Dei manifeſtans? Vnde ipſe agnus Patri pro tanto opere congratulabatur, cum gaudio & alacritate charitatis Dei & proximi. *In ipſa hora*, inquit S. Lucas, c. 10. *exultauit in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terra, quòd abſcondiſti hac à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam, Pater, quoniam ſic placuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo ſcit quis ſit filius, niſi pater; & quis ſit pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Ecce Canticum agni pro tanto opere.

Cantant denique, propter manifeſtationem iudiciorum Dei, in punitione malorum, protectione bonorum, & iuſtorum retributione. Hinc poſtquam iſti victores dixerunt Deum eſſe adorandum, rationem reddunt cur adorari debeat. *Quia*, inquiunt, *iudicia tua manifeſta ſunt.* At quænam iudicia ſunt manifeſtanda, habemus diſtinctiùs in Cantico Moyſis, cuius quoddam compendium videtur nobis ob oculos poſuiſſe ſanctus Ioannes. Dum ait Moyſes: *Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra*; Ecce iudicium circa malos in eorum punitione. Sequitur: *Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti: & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.* Ecce protectio bonorum, quos ita protegit, vt licèt eorum hoſtes multa meditentur, quibus eorum iter impedire conentur, tamen inualidi ſunt, nec eos impedire poſſunt. *Aſcenderunt*, inquit, *populi, & irati ſunt; dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim. Tunc conturbati ſunt principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus, Domine; donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.* Vides Dei iudicium in protectione bonorum. Reſtat iudicium eius circa præmiationem iuſtorum, quod ſatis expreſsè tangitur à Moyſe, dum ait: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ, Dominus regnabit in æternum & vltra.* Verè enim iuſti præmiantur, dum eos Deus introducit in regnum cælorum, dum eos plantat in paradiſo voluptatis, ciues reddit illius ciuitatis, quæ dicitur à Deo ædificata, à Deo ornata, & parata ſponſo ſuo, & propter firmitatem inconcuſſam, ciuitas in quadro poſita, nempe cæleſtis Hieruſalem, in qua Dominus regnabit in æternum & vltra. Hic eſt exitus malorum, vt abſorbeantur in fluctibus & aquis vehementibus. Hic eſt exitus bo- A norum, vt per multas tribulationes tranſeuntes ſecurè ad portum felicitatis æternæ perueniant. *Ingreſſus eſt enim eques Pharao, cum curribus, & equitibus eius in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris. Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio maris.* Et ſic ſani & incolumes ad littus patriæ cæleſtis peruenerunt. *Hæc*, inquit Procopius, in Exodum, *quidem ſecundum allegoriam dici poſſunt in diabolum & dæmones, qui vehementer conturbati ſunt, conſpicientes inuictam & inexpugnabilem Dei manum extentam eſſe contra impios homines: proinde huiuſcemodi voces emittebant: Deſine. Quid nobis & tibi, fili Dei? Veniſti ante tempus cruciaturus nos? Præterea inuidia contabuerant, videntes vno eodemque die parturientem, & parientem Sion immenſam gentem, & populum con- B ditum, qui laudibus efferret Deum; vbi merſit peccati ſordes in myſtica aqua. Hi, inquam, per baptiſmum regenerati, vt ſe gratos declarent, canunt hymnum, petuntque ad Eccleſiæ ſublimitatem proueh i. De hac ſic vaticinauerat Eſaias: In extremis diebus apparebit mons Domini. Sic vbique in ſcriptura ſacra nominatur Eccleſia, Hieruſalem, quæ ſurſum eſt; cuiuſque tabernacula vocantur excelſa & ſancta. De his alloquitur diſcipulos Chriſtus dicens: Abeo, & paro vobis locum. De iiſdem tabernaculis alibi tradit in hunc modum. Sanctuarium quod parauerunt manus tuæ. Quæ verò ſunt illæ manus? Dominus regnat in æternum, & ampliùs. Per quem omnia condidit Pater: diſſoluit imperia: deſtruxit poteſtates, & C contundit vel contriuit capita ſerpentum ſuper aquas: in libertatem attraxit populum ſuum, qui iniquiſſima affligebatur tyrannide.* Ita ſanctus Procopius. Vides vnum & idem hoc canticum, poſſe dici canticum Moyſis & Agni, cum myſticus ſenſus cantici Moſaici ſit hominum per Agnum redemptio; dum illos à peccatis, & vitiis, & aduerſitatibus ſeculi, & diaboli tyrannide exemit, & iudicia ſua manifeſtantur impios conterendo, bonos protegendo, ac iuſtos in cœlos euehendo, vt eis æternam conferat mercedem. Lege, pro myſtico ſenſu huius cantici, Origenem, homilia 61. in 15. Exodi.

Et poſthac vidi: Et ecce apertum templum tabernaculi teſtimonij in cælo, & exierunt ſeptem D *Angeli habentes ſeptem plagas, de templo, veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.*

Idea huius viſionis.

SI Ludouico ab Alcazar fidem adhibeamus, Ioanni fuit viſa in cælo forma & ſpecies illius tabernaculi, quod ſcriptura tabernaculum teſtimonij appellat, quod erat tentorium Deo ſtructum à E Moſe, in eoque erat atrium patens & apertum, atque opertum etiam & tectum tabernaculum, quod hic vocatur templum tabernaculi: quod quidem in hoc loco ad ſanctum ſanctorum videtur coarctari: quare templum tabernaculi perinde erit atque ſancta ſanctorum tabernaculi teſtimonij, cui pro valuis prætentum erat velum. Vnde ſequitur hinc quod Ioannes ait: *Ecce apertum eſt templum*; idem eſſe ac ſi diceret, velum ſublatum, & ex interiori tabernaculi receſſu ſeptem Angelos prodiiſſe, ſeptem plagas in phialis totidem afferentes. Nec enim è templo egreſſi ſunt abſque phialis in manibus; quod innuitur verbis illis: *Exierunt de templo, habentes ſeptem plagas.* Quod perinde eſt ac ſi dicantur ipſi iam eas in manibus afferre. Sequenti autem verſu explicatur quis phialas Angelis in manus dederit, nempe

Digitized by Google

primum animal Leo videlicet, intra ipſum oraculum exiſtens. A

Phialæ autem quibuſdam dicuntur, quod ex vitro fiant: vitrum enim græcè dicitur ὕαλος: quam ethymologiam Alcazar rejicit, quia non ſcribitur phyala per y, ſed phiala per i, tum etiam quia ex hoc loco & aliis conſtat phialas eſſe vaſa aurea aut argentea, vt Numerorum 7. ſuntque ingentes pateræ, quibus vinum potabatur. Theſaurus græcæ linguæ notat dici φιάλη quaſi πιάλη & Alcazaro certum eſt phialas eſſe vaſa oris latiſſimi: atque ita Angeli cap. 16. non ſtillant, ſed eas effundunt. Viegas tamen ſect. 2. apud Alcazarum, non ſibi conſtat. Primùm enim ait, eſſe vas potorium ore lato. Et poſtea dicit eſſe vas inferiore parte latum, & ſuperiore ſui parte in anguſtum os deficiens. Et contendit ex phialis non poſſe niſi guttatim aquam vel vinum effluere, propter oris anguſtias: hoc ſibi perſuadens, vt viam ſterneret ad ea Ezechielis verba c. 20. *Stilla ad Africam.* Vbi Hieronymus: *Non dictum eſt, Effunde, ſed, ſtilla.* Addit Alcazar iſtas phialas dici per alluſionem ad aureas templi phialas, quarum vſus erat ad offerenda libamina, id eſt, effundendum vinum Deo oblatum, iuxta illud 2. Regum c. 23. de Dauide aquam effundente. *Sed,* inquit, *libauit eam Domino, vt idem ſit libare vinum, atque effundere.* Ita Alcazar.

Quo autem liquore plenæ ſint phialæ, non alio certè quàm ſanguine Chriſti vniuerſam Eccleſiam irrigante: eo enim ipſo inſtanti, quo Deum decreuiſſe cogitamus peccatores pœnis ac ſuppliciis afficere, cum nulla ſupplicia ſufficerent, vt rigori iuſtitiæ diuinæ fieret ſatis; oportuit vt Chriſtus pateretur, qui ſolus poterat vt homo pati; & ſimul, quia Deus erat, rigori iuſtitiæ ſatisfacere, & ita illam Iſaiæ Prophetiam c. 63. adimpleuit; *Torcular calcaui ſolus.* Qua quidem ratione factum eſt vt dum calcaret peccatores in furore ſuo, & conculcaret eos in ira ſua; indumenta ſua, nempe carnem ſuam ſanguine proprio irrigaret: & quia quamuis innocens & impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, factus fuit in ſimilitudinem carnis peccati, ideo dum patiendo, carnem ſuam ſanguine proprio irrorat & inundat, inquinare dicitur veſtimenta ſua, pœnis ſcilicet, quæ peccatorem hominem indicabant: cuius perſonam gerebat Chriſtus, cùm in cruce ſanguinem effudit. Vnde ait Iſaias: *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & omnia indumenta mea inquinaui.*

Hic pretioſus liquor per totam Eccleſiam diffuſus eſt & mare magnum effecit: è quo nunc hauriunt, & phialas implent iſti ſeptem Angeli.

Dicuntur autem veſtiti lino mundo & candido, (quidam legunt lapide mundo & candido) & præcincti circa pectora zonis aureis. Sunt enim ſacerdotes & miniſtri Euangelij, illiuſque perſonam gerunt, nempe Chriſti Domini, qui cap. 1. dicitur *veſtitus podere, & præcinctus ad mammillas zona aurea.* Et quia nunquam magis expreſsè Deus indicauit quantùm peccata illi diſpliceant, quantumque eum ad iracundiam incitant, quàm dum proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum, ideo iſti Angeli veſtiti lino mundo & candido, & præcincti zonis aureis, dum phialas ſuas implent ſanguine Chriſti pretioſiſſimo, dicuntur illas habere plenas iracundia Dei viuentis in ſecula ſeculorum.

Et ecce apertum eſt templum.

Quid ſit aperiri templum?

ANNOTAT. VII.

TABERNACVLVM, *de quo hic agitur,* inquit Andreas Cæſarienſ. *illud inſinuat, quod eſt in cœlis: ad cuius ſimilitudinem, Moyſi iniunxit Deus vt aliud defigeret infernè.* Ita Andr.

Per templum Ambroſius intelligit Eccleſiam Triumphantem, dum ait: *Quid autem per terram repromiſſionis, niſi cæleſtis patria deſignatur, quam repromiſit Deus diligentibus ſe? Et quid per templum, quod ex* B *optimis lapidibus ædificatum fuit, figuratur; niſi cæleſtis Hieruſalem, quæ ex viuis lapidibus quotidie ædificatur? Quid igitur dicit, apertum eſt templum Eccleſiæ? Templum verò Eccleſiæ, quid eſt aliud, niſi cæleſtis patria? In hoc templo Pſalmiſta habitare deſiderabat, cum dicebat: Vnam petij à Domino: hanc requiram. Vt in habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Hoc itaque templum per Chriſtum apertum eſt, quia aditus regni cæleſtis per eum omnibus fidelibus patefactus eſt.* Ita Ambroſ.

Rupertus per templum intelligit antiquam ſynagogam. *Templum,* inquit, *tabernaculi teſtimonij, Eccleſia erat temporis anterioris, cuius ritus omnis vel ordo figuratiuus à tabernaculo teſtimonij initiatus eſt, quod fecit in eremo Moyſes.* Ita Rupert. C

Meliùs tamen per templum intelligimus Eccleſiam militantem à Chriſto inſtitutam, per templum, ſeu ſanctum ſanctorum, quod erat in tabernaculo teſtimonij, adumbratam, & figuratam. Cum enim duplex ſit Eccleſiæ ſtatus, vnus in quo militat, alius in quo regnat & triumphat; in tabernaculo antiquo Moyſis videtur ſtatus Eccleſiæ militantis fuiſſe deſignatus; in templo verò magnifico Salomonis, ſtatus Eccleſiæ Triumphantis. In deſerto enim fuit tabernaculum erectum, quo figurabatur Eccleſia militans, in deſerto ſeculi degens & commorans, nec adhuc in loco quem elegit Dominus fixa & permanens. At templum Salomonis in terra promiſſa, & D in monte Sion (quem elegit & dilexit Deus) erectum fuit, figura fuit cæleſtis patriæ, ac ciuitatis Hieruſalem cæleſtis, iuxta illud Pſal. 77. *Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quam dilexit.* Quem locum exponens Genebrardus: *Ioſeph Patronymicè. j. tabernaculum Silo vrbis Ephraimitarum, qui erant à Ioſeph prognati per Ephraim. Repudiata Silo, elegit ſuæ arcæ locum in Gabaa, tum in Hebron, poſtremo in Sion tribus Iuda. Arca enim non in Silo, ſed in Kiria Iearim, in domum Aminadab, deinde in domum Obed Edom, tandem à Dauide 1. Paralyp. 13. in Sion deducta 1. Regum 6. & 7. & imperium è tribu Ephraim ad tribum Iuda delatum. Nam etſi Saul eſſet de tribu Beniamin, tamen in* E *Galgala oppido Ephraim regnabat 1. Regum. 10. Quin & Ieroboam ad eamdem tribum conatus eſt regnum deducere, dum eius ſedem in Sichem monte Ephraim collocauit. Verùm Deus regnum Saul reprobauit, regnum autem Ieroboam tandem per Aſſyrios perdidit, neque vnquam reſtituit, vt qui fœdè idololatria Iſraëlem contaminaſſet; ſed elegit tribum Iuda. Nam in tribu Iuda, id eſt Sion, regni & templi ſedem conſtituit, propter Chriſtum, qui è tribu illa erat exoriturus. Contra repulit tribum Ephraim, ne in ea ſacerdotium & Regnum collocaret.* Ita Genebrard.

Cum igitur ſanctus Ioannes non dicat Templum Salomonis fuiſſe apertum, ſed tantùm templum tabernaculi teſtimonij, ſe de Eccleſia militante loqui indicat, quæ peregrina eſt, & nondum ad patriam peruenit, & ambulat in ſpe terræ promiſſæ, nempe regni cæleſtis, non de Eccleſia triumphante, quæ

Digitized by Google

patria eſt nobis repromiſſa, nec de loco in locum transfertur: eſt enim ciuitas in quadro poſita, id eſt firma & immobilis.

Cum autem olim fuiſſent tria tabernacula, primum extimum, puta atrium quod clauſum erat cortinis per latera, ſed supernè patens, quod ab Apoſtolo putant (Hebr. 9.) vocari ſanctum ſeculare, græcè κόσμιον, id eſt, mundanum, eo quod omnibus commune erat in hoc erat æneum altare holocauſtum ſub dio.

Secundum tabernaculum erat ſanctum, quod erat quaſi templum Sacerdotum: Quod Apoſtolus vocat tabernaculum primum, vndique clauſum, & nexum ſancto ſanctorum, in quo erat candelabrum, altare thymiamatis, & menſa panum propoſitionis. Tertium tabernaculum erat ſanctum ſanctorum; ſoli Pontifici patens, in quo erat arca, cum propitiatorio & Cherubim, item vrna cum manna, & virga Aaronis. Vt ſanctus Ioannes indicaret ſe non loqui de ſtatu Eccleſiæ militantis ſub lege naturæ, qui in atrio ſeu ſancto ſeculari videtur repræſentari: in omni enim loco dominationis ſuæ Deus laudari & inuocari debet, iuxta illud prophetæ: *In omni loco dominationis eius* (id eſt, in vniuerſo orbe: *Domini enim eſt terra & plenitudo eius* (*Benedic anima mea Domino*; Nec de ſtatu Eccleſiæ antiquæ ſub lege ſcripta, qui in ſancto ſeu templo Sacerdotum fuit deſignatus & adumbratus; Sed de ſtatu Eccleſiæ ſub lege Euangelica ſe loqui demonſtraret, dixit: *Templum tabernaculi teſtimonij, quod eſt in cælo*, id eſt, Eccleſiæ militantis, ſub lege Euangelica, quæ cælum pro præmio ſuis cultoribus repromittit, qui quidem deſignatus fuit per ſanctum ſanctorum, in quo erat aureum thuribulum, arca teſtamenti circumtecta ex omni parte auro, vrna aurea habens manna, virga Aaron, & tabulæ Teſtamenti: ſuper quæ Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium ad Hebræos 9. Quorum omninum ſignificationem ſi expendas, verè illud ſanctum ſanctorum dicetur templum tabernaculi teſtimonij. Nam ibi erant multa, quæ de ſublimitate diuinæ naturæ, de præſentia Maieſtatis eius, de illius prouidentia, de illius æquitate & poteſtate, de dominatione illius, de infinita illius ſcientia ac ſapientia, de illius benignitate & miſericordia teſtimonium reddere poterant, ſiue quæ de Chriſto futuro teſtimonium reddebant, quod futurus eſſet is qui interpellaret pro nobis patrem, in quo habitare debebat plenitudo diuinitatis corporaliter, qui nobis còrpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum dare debebat; qui cunctas gentes regere in virga æquitatis, & in virga ferrea inimicos conterere ac confringere, tanquam vaſa figuli debebat; qui Dominus, Rex & legiſer noſter legem charitatis perficere debebat; in quo futuri erant omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei, denique qui futurus erat propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm autem noſtris, ſed etiam totius mundi. De his omnibus thuribulum aureum, arca auro contecta, manna in vrna aurea ſeruata, virga Aaron, tabulæ legis, Cherubim, propitiatorium, teſtimonium fidele reddebant. Ea etiam fuit mens D. Thomæ, S. Ioannem hîc ſtatum Eccleſiæ militantis, prout eſt à Chriſto inſtituta, reſpicere. Templum inquam tabernaculi teſtimonij, *id eſt*, inquit S. Thomas, *myſterium Eccleſiæ militantis. Illa enim myſteria ad Eccleſiam pertinent, ſimiliter & ad ſponſum ſuum. Et dicitur Eccleſia tabernaculum, quia ad honorem Dei militat contra vitia, & contra hoſtes fidei; & in ea Deus, ſicut in tabernaculo habitat, pugnans pro ſuis. Pſ. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Tabernaculum, inquit, teſtimonij, per ſimilitudinem quamdam ad tabernaculum feriale & materiale, quod fuit*

A *ſub veteri lege. Exod. 27. Vt ardeat ſemper lucerna in tabernaculo teſtimonij, quod panem cæli dedit eis. Tabulæ, in teſtimonium quòd legem naturalem ſopitam in eis ſuſcitauerat in ſcripto. Virga Aaron, in teſtimonium quòd omnis poteſtas eſt à Deo, iuxta hæc Eccleſia dicitur tabernaculum teſtimonij, quia in ſe habebat humanitatem Chriſti plenam manna deitatis, quod eſt teſtimonium diuinæ bonitatis Eccleſiam paſcentis veriſſimo cibo. Item habet legem nouam ſcriptam in tabulis cordis, quod eſt teſtimonium diuinæ bonitatis, ſimul & veritatis extollentis Eccleſiam dignitatis faſtigio. In cælo; quaſi dicas: Myſterium apertum eſt, & hoc in cælo, id eſt, in ipſa Eccleſia.* Ita S. Thom.

Porro de apertione huius templi, hæ ſunt quorumdam interpretum ſententiæ. Primaſius: *Hîc iam* B *reſerari dicit abdita teſtimoniorum arcana, de Chriſto Eccleſiaque promiſſa.* Ita Primaſ. Sed non declarat modum quo reſerantur.

Ambroſius per tabernaculum in deſerto à Moyſe factum (quod de loco ad locum transfertur) præſentem Eccleſiam deſignari vult, quæ de deſerto huius ſæculi quotidie ad cæleſtem beatitudinem tranſit, pergitque de virtute in virtutem, vt videat Deum deorum in Sion: vnde & cortinæ tabernaculi, quæ diuerſis coloribus depictæ erant, pellibus & ciliciis tegebantur, vt demonſtrarent mortificationem carnis, atque humilitatem, cuſtodiam eſſe virtutum; per terram repromiſſionis cæleſtem pa- C triam deſignari aſſerit, & per templum cæleſtem Hieruſalem, quæ ex viuis lapidibus quotidie ædificatur: dicitque hoc templum per Chriſtum aperiri, *Quia*, inquit, *aditus regni cæleſtis per eum omnibus fidelibus patefactus eſt, &c.* Ita Ambr.

Rupertus qui per templum antiquam ſynagogam intelligit, apertionem eius vult eſſe veli templi ſciſſionem in paſſione Chriſti. *Hoc templum*, inquit, *id eſt, hæc Eccleſia, in vna tantum gente Iudæa claudebatur, in qua ſola notus erat Deus. Claudebatur loci anguſtiis: claudebatur, non intellectis cæremoniarum cauſis myſticis atque figuratiuis. Verùm Domino Ieſu tradente ſpiritum, & in morte ſua ſupradictum condente Baptiſmatis Sacramentum, velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum,* D *& ipſe reſurgens à mortuis aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Apertum eſt ergo templum tabernaculi teſtimonij? Vbi? In cælo, inquit. Cælum vel cæli omnes ſancti, in quibus Deus habitat, & maximè Apoſtoli ſunt. De illis cælis namque ſcriptum eſt. Cæli enarrant gloriam Dei, &c. in cælo ergo, id eſt in Apoſtolorum cordibus, apertum eſt, vt pote quibus, ſicut iam ſupradictum eſt, aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.* Ita Rupert.

S. Thomas: *Apertum eſt templum, id eſt, reuelatum eſt myſterium, ſiue illud quod priùs fuit occultum, quod eſt ſacrum ac venerabile, quod continet virtualiter cultum Dei, quod erat prius, quaſi templum clauſum, antequam Chriſtus ea, quæ ſub figuris in lege latebant, aperuiſſet, im-* E *plendo humanam redemptionem & aperiendo ſcripturas. 2. ad Cor. 3. Nos autem reuelata facie, &c.*

Nos autem, qui in hoc capite agi exiſtimamus de his, qui iam per dona gratiæ gratum facientis, beſtiam & eius imaginem, & numerum nominis eius vicerunt in ſemetipſis, & qui per dona gratuita idonei facti ſunt miniſtri noui teſtamenti (iuxta illud 2. ad Corinth. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu: litera autem occidit ſpiritus autem viuificat;*) Vt Chriſti Regnum promoueant, & alios ad Deum conuertant; dicimus apertum fuiſſe templum, nempe Eccleſia, cum viſibiliter apparuit hanc viſibilem congregationem Chriſtianam quoſdam

Digitized by Google

habere Rectores ac Paſtores, qui omnem ſuam collocarent operam in hoc, vt tyrannica diaboli dominatio deſtrueretur, Chriſti vero Imperium ſeu Regnum, ac diuinus cultus in dies incrementa caperent, & promouerentur. Clauſum erat templum, id eſt, clauſa erat Eccleſia, cum iuxta Domini præceptum (qui *conueſcens præcepit Apoſtolis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum*) poſt aſcenſionem *reuerſi ſunt Ieroſolymam, à monte qui vocatur Oliueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, Sabbathi habens iter. Et introeuntes in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu & fratribus eius.* Act. 1. Clauſum, inquam, erat templum, ſeu tunc clauſa erat Eccleſia: ſed aperta eſt ſtatim atque *factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Nam omnes agnouerunt Apoſtolos eſſe à Deo electos, qui eſſent miniſtri noui teſtamenti. Vnde audita Petri concione, dicebant ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: *Quid faciemus, viri fratres?* Act. 2. eoſque præcipua à Deo autoritate & poteſtate præditos exiſtimarunt. Vnde nemo audebat ſe illis coniungere iuxta illud Act. 5. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium multitudo virorum ac mulierum, &c. Et cum Princeps ſacerdotum, & omnes Saducæi repleti zelo iniecißent in eos manus, & poſuißent eos in cuſtodia publica, pro ſecunda vice; ecce Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Act. 5. Quia reuera Eccleſia de cætero claudi, aut occultari non debebat. *Qui cum audiſſent,* inquit S. Lucas, *intrauerunt diluculo in templum: & docebant* Ecce apertum eſt templum: aperta eſt tunc Eccleſia: nec ampliùs claudi poterit. Faciunt quod illis præceptum fuerat à Domino: *Quod in aure auditis prædicate ſuper tecta. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Nec minis, nec flagellis, nec tormentis deinceps poterunt impediri, quominus munus ſuum fideliter non obeant. Ecce quomodo ego exiſtimem hîc dici: *Apertum eſt templum*; id eſt: Perſpectum eſt omnibus eſſe quamdam Rempublicam, ſeu veram Monarchiam viſibilem à Chriſto conſtitutam, & ſub eius auſpiciis ac vexillis militantem: in qua poſuit Deus Petrum, tanquam ſupremum caput; & Apoſtolos & Epiſcopos, tanquam præcipuos Principes, Paſtores & Doctores, regere & docere Eccleſiam Dei, quam ex omni populo & gente ad ſe vocauit, & in vnum congregauit. Hi autem omnes deſignantur in ſeptem Angelis, de quibus nunc nobis eſt dicendum.

Ex exierunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas, de templo, veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

Quomodo dicuntur exire Epiſcopi & Paſtores Eccleſiæ, in his Angelis deſignati?

ANNOTAT. VIII.

ISTOS Angelos putat Alcazar eſſe viros Apoſtolicos, primumque eſſe ſanctum Paulum Apoſtolum; ſecundum, S. Petrum; tertium, Clementem Papam; quartum, alium Pontificem tempore B. Agnetis aut S. Laurentij: Quintum, quempiam qui ſua prædicatione excitauit perſecutionem ingentem, in qua eminebant gentilium excæcatio, & Chriſtianorum patientia; ſextum forte Fabianum, qui in multorum Senatorum conuerſione magis claruit: ſeptimum, ſanctum Syluestrum, quia eius tempore magna facta fuit Romæ diuiſio, ſcilicet inter gentiles & Chriſtianos. Ita Alcazar. Sed facile eſt videre ea tantùm niſi coniecturis, nec vllis poſſe ſolidis argumentis fulciri. Probabilius mihi eſt vniuerſos Eccleſiæ Paſtores hîc deſignari, qui ſtatim atque Euangelium fuit promulgatum, ad opus ſe accinxerunt: quos Spiritus ſanctus poſuit, vt viſibiliter & patenter regerent Eccleſiam Dei (eoſque voluit in hac Prophetia deſignare per ſeptem illos Angelos ſeu Epiſcopos, ad quos ſuas Epiſtolas direxit cæleſti voce admonitus ſanctus Ioannes, nempe Epheſinum Epicopum, Smyrnenſem, Pergamenum, Thyatirenſem, Sardicenſem, Philadelphium, & Laodicenum) qui dati ſunt *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris: veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui, in charitate.* Epheſ. 4. Hoc fideliter exequuntur, & præſtant intra Templum, ſeu intra Eccleſiam, apud fideles, quos orationibus iuuant, prædicatione verbi inſtruunt, Sacramentis ſanctificant, ſacrificiis iuuant, legibus coërcent, autoritate gubernant, poteſtate & comminatione iudiciorum terrent, & quorumdam contumaciam frangunt, & iuxta præceptum Petro datum: *Occide & manduca*; plagas myſticas inferunt; & myſticam vindictam de peccatoribus ſumunt, dum quadrupedia, id eſt animales, & terrenos homines, ſeu terrenis rebus inhærentes, ſerpentia terræ, id eſt voluptatibus deditos, & volatiua, id eſt, vanitatibus ſeculi, & ambitione elatos occidunt, & auaritiam, luxuriam, & ſuperbiam in eis vulnerant, & exterminant; quin & eos manducant, dum eos inducunt ad pœnitentiam præteritorum exercitium virtutum, & mandatorũ Dei & Eccleſiæ fidelem obſeruationem, ad patiẽtiam, concordiam, & perfectam charitatem: quod quidem fit, ſi inſpirationibus diuinis per vim & efficaciam orationis impetratis obediant, ſi verbis eorum fidem adhibeant, ſi nullum obicem ponant, quominus in eis Sacramenta ſuos effectus ſortiãtur & obtineãt; ſi Deum pro vltimo fine ſibi conſtituant, ſi concupiſcentiam coerceant per mandatorum ac legum diuinarum obſeruantiam, ſi prælatis ſuis morem gerant, ſi nunquam per contumaciam ab vnitate Eccleſiæ ſeſe reſcindant, terrore iudiciorum Dei perculſi. Sed quia ſatis non eſt vt eos, qui curæ eorum commiſſi ſunt, per illas myſticas plagas (quibus ſtupiditas mentis, peruerſitas inclinationis, peccata actualia, errores, malitia peccati, ſuperbia, & contumacia perimuntur) vulnerentur, niſi etiam exteros & extra Eccleſiam exiſtentes ad Chriſti fidem conuertant, niſi inſuper diſperſos congregent, & contra Chriſti hoſtes fortiter dimicent, ne fortè dicant in gentibus: *Vbi eſt Deus eorum?* Ideo audacter cotra eos inſurgere debent, iis prædit facultatibus, quibus poſſint illorum nequitiam, & in malis & peccatis obſtinationem manifeſtam reddere,

illoſque

Digitized by Google

illoſque contercre tandem, vt Deo rebelles, ſub pedibus ſuis. Hac de cauſa dicuntur exire de templo, id eſt de Eccleſia.

Quæres igitur quomodo exeant? Ticonius in exitu, iuſſionem ſeu imperium Domini intelligit *Cælum*, inquit, *Eccleſiam iam diximus ſentiendam, Angelum, qui exiit de templo, & iuſſit ſedenti ſuper nubem imperium Domini eſſe dictum eſt iuſſionis enim exitus eſt: ſicut Euangeliſta dicit: Exiit edictum à Cæſare Auguſto.* Ita Ticon.

Ambroſius: *Si per templum cæleſtis patria, & per ſeptem Angelos prædicatores deſignantur, quomodo de templo exiiſſe dicuntur? Nunquid ſancti de illa cæleſti patria ad prædicandum deſcendunt? Sed ſancti prædicatores quaſi de cæleſti Patria exeunt, cum ab illo mittuntur, qui eſt gloria ſanctorum, & à quo omnis eorum doctrina procedit.* Ita Ambr.

Rupertus: *Quomodo exierunt, vel quo exierunt? Nimirum relinquendo carnales legis ceremonias, de templo exierunt, imo & excutiendo puluerem pedum ſuorum in Iudæos incredulos ad gentes exierunt. Habentes, inquit, phialas; id eſt, prædicare iuſſi iram & indignationem, & tribulationem in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci; ſic è contrario, gloriam & honorem, & pacem in omnem animam operantis bonum, primùm Iudæi, & Græci, videlicet quales erant illi, quos paulo ante dixit ſtantes ſupra mare, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei.* Ita Rup.

S. Thomas: *Et exierunt. Hic oſtendit præmiſſorum Angelorum, id eſt prædicatorum, idoneitatem: & hoc primo, quantum ad zeli promptitudinem, quia prompti ſunt ad adiutorium animarum, &c.* Et poſtea: *Et exierunt. Hoc intelligitur pro tempore præterito, præſenti, & futuro: quia quod nunc vidi ſeptem Angelos exiſſe, ſignat quod prædicatores ſancti olim ſe præparauerunt ad prædicandum, & nunc ſe præparant, & præparabunt. De templo, id eſt, de ſecreto contemplationis, in quo quaſi in templo habitant & colunt Deum, vel de interno cubiculo conſcientiæ, quaſi dicat: prædicatores ſancti reddunt ſe præparatos ad proficiendum aliis: ſe enim præparare quaſi quoddam exire eſt. Non enim loquitur hic de ipſo actu prædicandi, ſed infra cap. 16. ite & effundite: & abiit, &c.* Ita S. Thom.

Primaſius non explicat quomodo exeant, ſed rationes aſſignat cur dicantur exire de templo. *Et proceſſerunt*, inquit, *ſeptem Angeli cum ſeptem plagis, de templo, de Eccleſia, contra quam pars aduerſa indeſinentibus rebellauit inſidiis. Ideo dicit plagas procedere, ſiue pro defenſione ſanctorum, in quibus antea Dominus Chriſtus contumelias ſuſtinuit, ſicut Paulo dicitur: Saule, Saule, quid me perſequeris. Siue quia ſicut Petrus memorat tempus inchoationis iudicij de domo Dei. Gemino ſiquidem modo homines certum eſt flagellari, vt aut peccata, ſicut in Pharaone, diuinitas iuſta caſtiget; aut ſicut in Iob ampliore virtutis exercitio examinet. Nec immeritò ab eo dictum legimus: Probauit me Dominus ſicut aurum, quod tranſit per ignem. Vias eius cuſtodiui, & à mandatis labiorum eius non receſſi.* Ita Primaſ.

Mihi autem exire primò eſt, ita per externum opus ad extra prodire, vt quanam poteſtate ſint præditi, nempe diuinâ, manifeſtetur, iuxta illud Chriſti: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Ioan. 16. Quod ponderans S. Hilarius lib. 6. de Trinit. ait: *Alterum in diſpenſatione, alterum in natura eſt. A Patre enim veniſſe, & à Deo exiſſe non eſt ſignificationis eiuſdem, cum aliud ſit à Deo in ſubſtantiam natiuitatis exiſſe, aliud à Patre in hunc mundum ad conſummanda ſalutis noſtræ Sacramenta veniſſe. Cum autem exire à Deo, ſit ex natiuitate ſubſiſtere; quid aliud eſt quàm Deus eſſe poſſet?* Ita Hilarius.

Pari ratione cum iſti Angeli dicuntur exire de templo, ſignificatur eos tale habere munus exe-

A quendum, tale officium adimplendum, quod quidem ſit eiuſdem, vt ita dicam, naturæ ſeu ordinis, cum templo, Deo colendo & adorando conſecrato; nec iſtud munus eſſe terrenum, ſeu eorum poteſtatem non eſſe mundanam, ſed cæleſtem planè ac diuinam. *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*, &c. Et poſtea: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hebr. 5. *Confundit autem*, inquit Primaſius, *& percutit beatus*

B *Apoſtolus ſacerdotes cupidos honoris, ac ſacerdotij auidos, qui ſponte ſe immittunt, & ingerunt ad miniſterium ſacerdotale, non vocatione Dei vel voluntate, ſed potius interuentu munerum: quia non pro populi ſalute, ſed pro ambitione ſeculi hoc agunt, &c.* Et paulo poſt: *Chriſtus ergo ſemetipſum non glorificauit ſiue clarificauit, vt à ſemetipſo Pontifex fieret, Pontificatuſque honorem haberet, quia non erat à ſemetipſo: & hoc eſt quod ipſe Dominus in Euangelio dicit: Non veni à meipſo ſed ille me miſit. Et iterum: Gloriam meam non quæro. Et. Eſt pater meus, qui glorificat me. Sicut ergo à ſemetipſo non venit, ita non ſeipſum clarificauit, vt Pontificatus honorem à ſeipſo haberet; ſed à Patre clarificatus eſt, ad eum die baptiſmatis dicente. Hic eſt filius meus, &c.* Ita Primaſ. Sic iſti An-

C geli dicuntur exire de templo, quia non ſicuti hæretici ſubintroierunt, nec occultè ſerpunt vt cancer, ſed manifeſtè ab Eccleſia deputantur ad ſua miniſteria obeunda, non à ſemetipſis autoritatem vſurpant, ſed eam per legitimam accipiunt miſſionem, non à diabolo intromittuntur mendacij Patre, ſed Eccleſia, quæ firmamentum eſt, & columna veritatis exeunt.

Dico ſecundò: exeunt de templo, vt ad quem finem præparatio eorum ad opus externum tendat agnoſcamus. Conuenienter ſiquidem è templo exire dicuntur, vt ſciamus finem operationis illorum eſſe Dei cultum, Dei obſequium & adorationem.

Denique exeunt, quia non ſolùm ad fideles in

D fide conſeruandos aut promouendos ad pietatem, eorum tendit operatio; ſed etiam ad eos, qui extra Eccleſiam ſunt adducendos, eos quoque qui errauerunt reducendos & ad hoſtes Eccleſiæ fortiter tandem debellandos. In primo ſenſu S. Hieron. interpretatur hunc locum Matt. 13. *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* in comm. to. 9. *Conſiderandum etiam quod populus domum Ieſu non poterat intrare, nec eſſe ibi, vbi Apoſtoli audiebant myſteria. Idcirco miſerator Dominus egreditur de domo ſua, & ſedet iuxta ſeculi huius mare, vt congregentur ad eum multæ turbæ. Et audiebant in littore, quæ intus non merentur audire. Vnde ſequitur: Et congregatæ, &c.* Et rurſus idem Hieron. *Intus erat dum domi verſabatur, loquebatur diſcipulis Sa-*

E *cramenta. Exiit ergo de domo ſua, vt ſeminaret in turbis.* Ita Hieron. Sic iſti Angeli exeunt, vt qui foras ſunt Eccleſiam, in Eccleſiam introducant. Denique exeunt: quia contra eos, qui extra Eccleſiam ſunt, nec participes ſunt templi aut altaris, illis eſt dimicandum ſed non ſicut Rex ille, qui commiſſurus erat bellum cum alio rege, nec cogitabat ſi cum decem millibus occurreret illi, qui cum viginti millibus veniebat: inueniuntur enim optimè parati ad prælium, dum exeunt, vt Imperium & Regnum non internum ſolum gratiæ, ſed externum & viſibile promoueant. Habent ſiquidem arma & defenſiua contra impetus hoſtium, & offenſiua ad eos inuadendum. De primis enim armis bellicis, nempe defenſiuis dicitur quod ſunt induti lino mundo & candido, & præcincti ad mamillas zonis aureis. De ſecundis

armis ſeu inſtrumentis bellicis dicitur quod accipiant phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.

Veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis.

De armis defenſiuis Paſtorum Eccleſiæ, ſeu Ducum militiæ Chriſtianæ.

ANNOTAT. IX.

MVLTIPLEX eſt iſtorum verborum ſenſus apud interpretes, quorum ſententiæ adducendæ ſatis probabunt noſtram ſententiam, nempe in iſtis verbis doceri Angelos iſtos optimis armis eſſe inſtructos, ne ab hoſtibus in congreſſu ſeu conflictu plagas accipiant.

Primaſius: *Veſtiti lintea munda & candida mortificatio aſſolet in linteo figurari. Vnde ſi etiam in candore irreprehenſibilia Dei iudicia cognoſcantur, congruè in mundis linteis ſenſus putatur: vt mortificati hoc etiam candore vtantur, quum reuelata facie iudiciorum Dei gloriam ſpeculantur. Et cincti circa pectora Zonas aureas. In auro ſapientiam poni ſcriptura teſte docentur, quæ dicit: Accipite ſapientiam ſicut aurum. Et benè circa pectora, vbi etiam ſacerdotale pectus legaliter ſæpe iubetur geſtare logium, id eſt rationale, vt ſibi mens bene conſcia, diuina non audeat reprehendere ſed laudare iudicia; & illius auri fulgore alios quoque ad laudandum indubitanter hortetur.* Ita Primaſ. Certè & mortificatio, & iudiciorum Dei approbatio, valde neceſſariæ ſunt, vt ab hoſtium tentationibus protegamur, qui ſæpe vel per obiecta allicientia nos à Deo auocare ſatagunt, vel per ea, quæ ingrata ſunt ſenſibus, nos à via Dei deterrere ſtudent, aut in murmurationes contra Deum prouocant, quod prohibebat Apoſtolus. *Neque*, inquit, *murmurraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* 1. ad Cor. 10.

Andreas Cæſarienſis: *Ex illius autem tabernaculi templo egreſſuros prædicitur hoc loco Angelos, lino mundo, (vel, vt alia exemplaria legunt, puro lapide) amictos, tribuitur illis eiuſmodi amictus, vel propter naturæ munditiem, vel propter aſſinitatem quam cum Chriſto, qui eſt lapis angularis, ſortiuntur; aut certè propter virtutum ſplendorem. Dicuntur tandem præcincti lumbos circa pectora Zonis aureis, ad deſignandum illorum potentiam, & caſtitatem & nobilitatem; tum etiam & hinc intelligatur in obeundis iniunctis miniſteriis ita expeditos eſſe vt impediri non facile queant.* Ita Andreas. Qui de ſpiritibus Angelicis videtur loqui; ſed quod naturæ illorum tribuit, nos aſſignare debemus gratiæ, quæ datur Paſtoribus Eccleſiæ, qui vitam debent agere Angelicam. Nam & munditia mentis & Chriſti affinitate, & virtutum ſplendore & fortitudine & caſtitate, & agnitione dignitatis ſuæ & vigilantia, & animi alacritate præſtare debent, ne ab hoſtibus lædantur.

Ambroſius: per lapidem verò mundum atque candidum, quo ſeptem *Angeli veſtiti fuiſſe viſi ſunt, Chriſtus deſignatur, de quo dicit Apoſtolus: Omnes qui in Chriſto baptiZati eſtis, Chriſtum induiſtis. Per Zonas autem aureas, quibus circa pectora præcincti narrantur, prædicatorum ſapientia intimatur, quæ corda ſanctorum intra ſe ita concludit, vt extra ipſam per diuerſos errores euagari non ſinat.* Ita Ambroſius. Certè clarum eſt, quod qui Chriſtum opponunt iaculis hoſtium, iacula in ipſos retorquentur, & ſi mens ab errore ſit libera per ſapientiam, facilè rectitudo voluntatis ab eorum incurſionibus ſecura remanebit. Rupertus ſimiliter in lapide mundo & candido Chriſtum intelligit, at in zonis aureis charitatem. *Porro*, inquit, *Zona aurea circa pectora charitas in cordibus perfecta: nam charitas Dei, inquit Apoſtolus, diffuſa eſt in cordibus noſtris, per inhabitantem ſpiritum eius in nobis, bene igitur præparati & præmuniti exierunt, foris contra perſecutiones lapidei, intus contra tentationes præcincti.* Ita Rupert.

S. Thomas: *Veſtiti, id eſt, circumdati; lapide, id eſt firmitate, vt dicit gloſſa: quia lapis quid firmum eſt; veſtitus hominem circumdat & protegit. Sic vndique debet prædicator eſſe circummunitus fortitudine, contra omnem tentationem & aduerſitatem, vt protegatur à nocumento peccati, &c. Mundo, malitia peccati. Gregor in Gregoriano. Neceſſe eſt vt manus eſſe munda ſtudeat, quæ diluere ſordes curat. Et candido virtutibus & meritis, &c. Alia litera habet, Veſtiti linteo mundo. In quo notatur puritas caſtitatis. Linteum enim ex terra naſcitur, & iuſto labore ad candorem ducitur ſic eſt de caſtitate. Et præcincti circa pectora, id eſt, reſtringentes vanas cogitationes, ſicut aliquod cingulum pectus ſtringit. In hoc autem notatur quod non ſufficit reſtringere libidinem operis, ſed oportet etiam cogitationis. Vnde oportet habere caſtitatem carnis, & ſanctimoniam mentis. Epheſ. 6. State ſuccincti lumbos mentis veſtræ. Iſidor. lib. 11. de ſummo bono. Quod ſi ab opere malo quiſque vacet, pro ſolius tamen cogitationis malitia non erit innocens. Zonis aureis, id eſt, cingulo charitatis, quod reſtringit vanos cogitatus, ſicut Zona corpus Zona autem aurea dicitur, propter pretioſitatem, quia alias virtutes excedit, ſicut aurum alia metalla, 1. ad Corinth. 13. Maior autem horum eſt, caritas Coloſſ. 3. ſuper omnia autem hæc caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Dicitur autem in plurali, Zonis aureis, propter diuerſitatem ſubiectorum in quibus multiplicatur caritas, ſecundum munerum diuerſitates. Sed Zonas aureas pauci habent, multi autem luteas, id eſt, affectiones terrenorum, corda eorum ſtringentes. Pro hac Zona dabitur eis funiculus, quo ſemper in inferno ligati teneantur. Iſa. 3. Et pro Zona funiculus.* Ita S. Thomas. Quam fortis autem ſit ad reſiſtendum hoſtibus, qui habet charitatem, patet ex hoc loco Pauli: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? &c.* Rom. 8.

Alcazar autem in hoc duplici ſymbolo intelligit puritatem vitæ, & charitatem. *Itaque*, inquit, *proprius Euangelij miniſtrorum habitus puritatem vitæ & charitatem præ ſe fert.* Ita Alcazar. Ex quibus omnibus ſatis patet quamtùm ſint idonei iſti Angeli ſuſtinere vehementes hoſtium inſultus, dum nec delectatione ſenſuum poſſunt ad peccatum allici, nec aduerſitatibus à charitate ſeparari. Reſtat igitur vt videamus quomodo arma bellica habeant, quibus hoſtes cum magnanimitate inuadant.

Et vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.

Quænam ſint arma bellica, quibus inſtruuntur Eccleſiæ Paſtores, ad debellandos hoſtes nominis Chriſti.

ANNOTAT. X.

V*NVM de animalibus*, id eſt primum, nempe Leo, *dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas, &c.* Leo autem ſeligitur, qui det arma Paſtoribus, tribus de cauſis, prima eſt, quia ſymbolum eſt magnanimitatis & fortitudinis, quæ duæ virtutes valde neceſſariæ ſunt iis, quibus certamen cum hoſte ferociſſimo eſt ineundum. Secunda eſt, quod opus aggrediendum ab ipſis tale ſit, in quo ſummopere Dei virtus & fortitudo emineat: cuius ſignifer eſt Leo, id eſt, Paſtorum ſanctiſſimorum fortitudo & conſtantia. Tertia eſt, vt cogitemus hanc animi fortitudinem & virtutem à Chriſto deriuari, cuius diuinitatis gloria potiſſimùm enituit in his, quæ in ſede Alexandrina peracta fuere, vt vidimus, cuius ſe-

Digitized by Google

dis ſymbolum Leonem eſſe aſſeruimus, in cap. 4. Apocalyp.

Ex plenitudine igitur diuinitatis Chriſti accipiunt ſeptem phialas aureas, id eſt, ſeptem inſignes facultates, quibus poſſunt mira quædam operari in electis,& quibus quanta eſt malorum peruicacia (vnde iuſtè à Deo rejiciuntur) innoteſcet. Quænam autem ſunt illæ poteſtates, poſſumus conjicere ex S. Bonauentura, in Apologia pauperum, Reſponſ. 4. c. 3. *Sacerdotalis*, inquit, *officij opus præcipuum reductio plebeium ſubiectarum in Deum, per ſeptiformem influxum Hierarchicum, ſcilicet per eruditionem credibilium, per inſtaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, interuentionem precum, curationem plagarum hoſtilium, prænuntiationem inſidiarum,& repulſationem hoſtilitatum. Et hoc quidem opus ſacerdotale ſcriptura ſacra declarat ſub ſeptemplici Metaphora, ſcilicet, Architecti, Agricolæ, Paſtoris, Fideiuſſoris, Medici, Speculatoris, & Ducis.* Ita Bonauentura. Hos influxus hierarchicos ſi alio ordine recenſeas, nempe per interuentionem precum, eruditionem credibilium, curationem plagarum hoſtilium, inſtaurationem virtutum, exhibitionem exemplorum, prænuntiationem inſidiarum, repulſationem hoſtilitatum, certè hæc ſatis conformia ſunt his influxibus hierarchicis; quos per phialas aureas à Leone, ſeu Chriſto, Paſtoribus datas deſignari volumus.

Exiſtimamus ſiquidem ſeptem munia ſeu officia Paſtoribus conferri; & primò conceſſionem quamdam, valde efficacem, à Deo impetrandi per orationem quidquid voluerint; Secundò poteſtatem prædicandi verbum Dei omni creaturæ; Tertiò, adminiſtrandi Sacramenta ad hominum iuſtificationem: quæ tres facultates ſatis conueniunt cum tribus influxibus à S. Bonauentura aſſignatis, nempe interuentione precum, eruditione credibilium, curatione plagarum hoſtilium, iuxta ordinem à nobis præſcriptum. Quarta poteſtas data paſtoribus eſt illa ſacrificia offerendi pro peccatis, quæ conuenit cum influxu illo S. Bonauenturæ, inſtauratione nempe virtutum: nam cum per ſacrificiorum & donorum oblationem Deus ſupremo latriæ cultu colitur, virtutes proculdubio inſtaurantur, dum quidquid ſumus, quidquid poſſumus, quidquid habemus, Deo in holocauſtum offerimus: ſic namque illum propitium experimur, vt nobis omnia ſuppeditet auxilia, quibus quaſlibet virtutes exercere valeamus. Quintò datur quædam poteſtas paſtoribus condendi leges, & docendi Dei præcepta & mandata, quæ dum exemplo vitæ integræ, potiùs quàm verbis, plebibus inculcant, ſic per exhibitionem exemplorum (qui eſt quintus influxus à S. Bonauentura deſignatus, iuxta ordinem à nobis poſitum) cultum Dei promouent: ſic enim Chriſtus ipſe ſuam legem docere voluit. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Ioan. 3. Et Apoſtolus ad Titum c. 2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil malum habens dicere de nobis*. Quem locum exponens S. Ambroſius ait: *Quoniam iuuentus ſolet modum egredi, immo promptior eſſe ad lapſum; idcirco ſalubribus retinaculis contineri iubetur, vt infrænata diuinis legibus gubernetur. Quod vt effici non ſit arduum aut difficile, magiſtrum formam eſſe præcipit; vt ea quæ docet, quomodo fiant oſtendat: vt ij qui profani ſunt, & inimici fidei, erubeſcant videntes quia quæ verbis docet, vera eſſe probat factis*. Ita S. Ambroſ. Conuenit igitur optimè influxus hierarchicus S. Bonauent. per exhibitionem exemplorum, cum illa poteſtate, quam aſſignamus Paſtoribus, inculcandi populis legum diuinarum & Eccleſiaſticarum obſeruantiam.

A

Sextò, facultas ſeu poteſtas datur paſtoribus, per vim quandam coactiuam adſtringendi fideles ad hanc mandatorum obſeruationem. Iuriſdictio enim Eccleſiaſtica in foro externo, per ſententias à iudicibus Eccleſiaſticis latas, eos coercet ne liberè omnia pro libito faciant contra Dei præcepta, iuxta illud S. Pauli: *Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia*. 2. ad Corinth. 10. In quem locum Ambroſius: *Arma ergo ideo, quia repugnant vitiis, ſignum habentia Imperatoris ſui Chriſti, qui hoſtis eſt vitiorum. Sicut enim imperator per milites ſuos vindicat ſuum regnum, ita & ſaluator per nos ſeruos ſuos defendit vnius Dei profeſſionem & diſciplinam*. Et paulo poſt: *Munitiones ergo Principes dicit & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ, qui ſe extollunt, & armant infidelium animos, ad contradicendum Chriſto: contra quos pugnat Dei lex diſſipans conſilia eorum*. Hæc Ambroſ. Et vt videamus ſanctum Apoſtolum loqui de aliqua poteſtate alia ab ea, qua poterat nudè & ſimpliciter verbum Dei proponere & prædicare, addit poſtea: *Vt autem non exiſtimemur quaſi terrere vos per Epiſtolas, (quia Epiſtolæ quidem, inquiunt, graues & fortes ſunt: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis) hoc exiſtimet qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per Epiſtolas abſentes, tales ſumus & præſentes in opere. Ideo*, inquit S. Ambroſ. *non ſe aliam eſſe abſentem quam præſentem probat. Quia non erat præſumptor: à Domino enim poteſtatem acceperat. Cui enim non eſt data poteſtas, abſens poteſt audere; præſens autem pudorem patitur. Ideo Apoſtolus non erubeſcit, dum corripit, quia fiducia poteſtatis hoc agit*. Ita Ambroſius. Et Primaſius: *Hoc ideo dico, ne quis me putet illud comminari, quod implere non poſſim, ſicut de me veſtri iactitant deceptores. Qui hoc putas, ſciat me omnia poſſe facere per eum qui manet in me, ſi neceſſe fuerit, quæ promitto. Nam & obedientibus per humanitatem infirmus, & peccantibus per ſeueritatem fortis inuenior*. Ita Primaſ. Habent igitur prælati poteſtatem iudicia exercendi inter fideles, vt eos à peccatorum perpetratione compeſcat. Quod dum præſtant, quid aliud faciunt quàm quod S. Bonauentura ipſis faciendum eſſe declarat, dum ait eos plebes ad Deum reducere debere, per prænuntiationem inſidiarum. Speculatores ſunt, qui de longe præuident pericula ſalutis fidelium, dum liberius animo indulgent. Per iudicia ſalutaria illos debent admonere ne æternam incurrant damnationẽ, ſi aliquid aut impium, aut iniuſtum, aut ſacrilegum, aut honeſtati morum contrarium exerceant. Septimò, datur Paſtoribus poteſtas reſcindendi, per excommunicationem à communione fidelium, rebelles & contumaces. Cui certè poteſtati optimè accommodari poteſt ille hierarchicus ſeraphici doctoris influxus, quem nuncupat repulſationem hoſtilitatum; per excommunicationem ſiquidem repelluntur illi, qui ſe eſſe hoſtes pietatis ac iuſtitiæ per contumaciam profitentur.

Hæ ſunt igitur ſeptem phialæ aureæ, quæ dantur Paſtoribus, vt Chriſti regnum promoueant, & hoſtium eius audaciam frangant.

Prima phiala ſimilis eſt illis, quas habebant ſeniores c. 5. Apocalypſ. *Habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*.

Secunda phiala vna eſt ex his poculis, de quibus Cant. 7. dicitur: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis*. Ex ventre ſiquidẽ Eccleſiæ fluunt illæ

Digitized by Google

aquæ viuæ, de quibus dicitur: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Habet quidem verſio quædam, apud Philonem Carpathium in Cantica. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam carens mixto, vel temperamento.* Vnde hunc locum ita exponit. *Vmbilico ſponſi Sacerdotium ipſius Eccleſiæ nunquam carens mixto comparat. Cum enim dicis: Nunquam carens temperamento vel mixto; manifeſtum eſt de Sacerdotali dignitate intelligi. Quæ quidem in tam diuino, & tam ſalutari ſacrificio, & tam ineffabili Sacramento nunquam caret vero corpore & ſanguine Ieſu Chriſti, qui populo per fidem charitatem que miſcetur. Id quod per aquam illam, quam ſacerdos vino miſcet in calice, apertiſſimè docetur.* Ita Philo. Sed addit: *Idemque ſacerdotium rectè vmbilico non abſimile, & tornatile eſſe dixit: vt apertè doceret, Sacerdotes mundos ac puros, & omni labe deterſos, cunctis,que virtutibus benè ornatos eſſe oportere, nec aliud quicquam in tota vita & in omni re gerenda, quàm cæleſtia ſapere, meditari atque docere.* Ita Philo Carp. Sacerdotum mentes certè conſiderare monet, tanquam pocula, quæ ex plenitudine ſcientiæ Chriſti accipiunt doctrinam, quam ſupra populos effundant; vt idem ſit ac ſi diceret: Crater eſt vmbilicus Eccleſiæ, ſeu fons, quia in medio eius eſt Chriſtus, qui omnes eius gratias interiores alligatas tenet, ne effluant & diſſoluantur; à quo fluit per proceſſionem Spiritus ſanctus, tanquam flumen aquæ viuæ; ſeu in cuius medio eſt ipſemet Spiritus ſanctus, cuius præſentia ſit tanquam complementum & perfectio omnium donorum, è quo videlicet fluunt omnia dona gratiæ ſeu omnia chariſmata. Nunquam illa indiget poculis, quia ſemper in ea erunt, qui ex tam copioſo fonte hauriant doctrinam, quam ſuper cætera Eccleſiæ membra effundant. Fauet Iuſtus Orgelitanus in hunc locum Cantic. *Hi*, inquit, *qui non in extremo, ſed in medio Eccleſiæ corpore commorantur, vmbilicus dicuntur. Crater tornatilis: vaſa ſunt vtilia, in eo tornatilia, quia ad obediendum vel ad omne opus bonum parata, nunquam indigent poculis, quia Spiritus ſancti gratia ſemper repleta ſunt.* Ita Iuſtus Orgelit. Vel, ſi vis, iſta ſecunda phiala adumbrata fuit in phialis libaminum, iuxta illud S. Gregorij hom. 6. in Euangelia. *In Dei tabernaculo, id eſt, in Eccleſia poſiti, ſi per doctrinam ſapientiæ miniſtrare phialas minimè poteſtis, in quantum pro diuina largitate ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date; etiam vobiſcum alios trahite in via Domini: ſocios habere deſiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli perueniatis.* Ita Gregor.

Per tertiam phialam, Sacramenta deſignari arbitror, è quibus vinum gratiæ iuſtificantis effunditur, in Sacrificium Deo acceptiſſimum. De his phialis non malè intelligi poteſt locus Zachariæ, cap. vltimo. *Erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes: & ſument ex eis, & coquent in eis.* Ita Zacharias. Verè ſiquidem Sacramenta ſunt lebetes, in quibus coquuntur carnes, id eſt, præparantur & ſanctificantur homines carnales, vt Deo immolari poſſint verſi in phialas Domini. *Nos*, inquit S. Hieronymus, *Iudaicos lebetes, in quibus coquebantur carnes victimarum, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus ſponſus dicit ad ſponſam: Fratruelis meus deſcendit in hortum meum, ad phialas aromatum.* Et paulo poſt: *Iſtius modi lebetes cum verſi fuerint in phialas Domini, & dicere potuerint: Chriſti bonus odor ſumus; & pro virulentia carnium, varios cæperint flores geſtare virtutum, tunc erunt in Hieruſalem & in Iuda ſanctificati Domino* A *omnipotenti.* Ita Hier. Rectè enim dicere poſſumus antiqua legis veteris Sacramenta verſa fuiſſe in phialas aromatum, id eſt, in Sacramenta nouæ legis, quæ continent pretioſa vnguenta, quibus peccatis medetur. Alia verſio eſt apud Hieronimum, nempe, *Maxillæ eius ſicut phialæ aromatum. In maxillis*, inquit Hieronymus, *ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit.* Ita Hierony. Verba enim à Chriſto præſcripta, quibus adminiſtrantur Sacramenta, varia vnguenta depromunt, cum efficiunt quod ſignificant. In his igitur phialis poſſumus intelligere Sacramenta nouæ legis. Ad hunc ſenſum Ribera in hunc locum Zachariæ, ait *ſignificari magnum fore ſacrificantium numerum, & nul*B*lum futurum impedimentum, quia omnes qui volent, victimas offerre poſſint: erunt enim multi ſacerdotes, per quos immoletur corpus Chriſti, & qui ſacras confeſſiones audiant.* Ita Rib. Patet igitur quod in his phialis poſſumus intelligere Sacramenta nouæ legis.

Quarta phiala multis in locis deſignatur Pſ. 113. *Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.* Et apud Paulum 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nomine communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Hinc Alcazar, notat 3. *Cum ergo ſacerdotibus phialæ traduntur in manus, perinde videtur eſſe atque eis calices dari, quibus adumbratur conſecrandi poteſtas, & Deo altiſſimum illud ſacrificium offerendi.* Ita Alcaz.

Quintam phialam deſignari dico Cantic. 8. *Ap*C*prehendam te, & inducam te in domum matris meæ. Ibi me docebis: & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum meorum granatorum.* Ibi enim exiſtimo per iſtud poculum ſignificari lætam & alacrem mandatorum Dei obſeruantiam, quæ Deo grata eſt, & cor illius lætificat; & præcipuè ſi cum perfecta charitate & proximi dilectione, cætera legis præcepta perficiantur. Nam tunc eſt muſtum granatorum iucundiſſimum. Fauet Lucas in ſummariola Apponij, in Cantica. *Sola*, inquit, *eſt anima, id eſt natura humana, quæ ſponſum deſiderat apprehendere, & circundatum carne in domum matris ſynagogæ introducere, & ibi ab eo doceri ea quæ nec oculus vidit, &c. De qua circumdatione vel apprehenſione prædixit Hiere*D*mias dicens: Creauit Dominus nouum ſuper terram; & fœmina circumdabit virum. Ibi me docebis. Tollite iugum meum ſuper vos; & reliqua; Ex vino condito, proculdubio confeſſionis Trinitatis coæternæ; Et muſtum granatorum, videlicet Martyrij.* Ita Aponius ex Luca Abbate. In martyrio autem perſpicitur perfecta legis obſeruantia, dum vſque ad ſanguinem reſiſtitur peccato. Hunc calicem proponebat Chriſtus Dominus Ioanni & Iacobo propinandum, dum eos ita alloquebatur; *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Ac ſi diceret: Sicut ego obediens ero Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis, poteſtis ne etiam ipſi obedire vſque ad ſanguinis veſtri profuſionem, & mortem? *Dabo* igitur, inquit Eccleſia ſponſa E Chriſti, *poculum, &c. Quando*, vt ait Iuſtus Orgelitanus, *optimos & dulciſſimos protulero Martyrum & ſanctorum fructus, & filij hominum qui in vmbra alarum tuarum ſperant, inebriabuntur à pinguedine domus tuæ: & torrente delitiarum tuarum potabis eos.* Ita Iuſtus Orgelit. *Potabo te vino aromatico, ab vnda punicorum meorum*, vt vertit Philo Carpath. *Id eſt*, inquit, *à vino ſalutaris vndæ potata eſt Eccleſia, & quæque fidelis anima, potaturque quotidie, cum per ſanguinem pretioſiſſimum Redemptoris, mundata eſt primùm atque redempta, mox & per Apoſtolos Spiritu ſancto illuſtrata; & nece Martyrum rubentium punicorum inſtar, atque ſanguine confirmatur. Hoc ſalutare vinum omnium virtutum velut aromatum ſuauitate refertum, fideles populos Chriſto Ieſu cæleſti ſponſo ſanctiſſimè copulauit & miſcuit: ob id enim in Sacramento vinum miſcetur aquæ, quæ vna cum ſangui-*

Digitized by Google

ne ex eius latere ſalutariter fluxit, vt Chriſto populos fide & charitate iungente daretur intelligi: nam quod vino ſalutis potata ſit ſponſa à ſponſo, idem per ſe declarauit cum dixit. Accipite & bibite: hic eſt ſanguis meus, &c. Poſſumus etiam intelligere ſponſum à ſponſa nunc viciſsim potari per charitatis officia, vt quod à ſponſo gratis accepit, id aliquando rependat eidem. Potatur enim à ſponſa, cum ab eius filiis liquore ſanctimoniæ atque virtutum laudatur in terris; cum timetur à bonis, colitur à iuſtis, prædicatur à ſanctis. Tunc enim vino aromatico myſteriis cæleſtium donorum, & ſanctitatis odore, proborum mentibus delectatur humani generis autor: & vices grati animi, beneque operati accepta talenta, & charitatis immenſæ, quam pius ipſi ſponſæ donarat libentiſsimè, admittit: quod ex ſequentibus patet cum ſubdit dicens: Ab vnda punicorum meorum; hoc eſt, confluenti multitudine fidelium populorum. Vt enim populi multiplices ſunt & numeroſi, ſic & mala punica granorum multitudine complentur, iiſque non abſurdè fideles populi comparantur & Martyres. Ita Philio Carpath.

Quantum ad ſextam phialam, nempe poteſtatem iudicandi, hæc etiam phialam nuncupari poſſe, habemus ex Pſal. 74. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem: quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus* (ſupple) vobis erit euaſio, liberatio, auxilium: Dei enim imperium vel iudicium nullus poteſt effugere. Vnde addit: *Quoniam Deus iudex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini, vini meri, plenus miſto*, ſinceræ nempe æquitatis & iuſtitiæ, ſiue puniat, ſiue parcat: *Et inclinauit ex hoc in hoc.* Hunc dejicit, & hunc exaltat: quia in manibus habet poculum miſericordiâ & iudicio temperatum; Et inclinat ex hoc in illud, ex benignitate in ſupplicium ſceleribus debitum. Ita Iſidor. Peluſioſa, Epiſt. 6. apud Genebrard. Quis autem neſcit Eccleſiam Dei exercere iudicia, ſeu per eam Deus ſua exercere iudicia, iuxta illud 2. Paralyp. c. 19. vbi Ioſaphat iudices à ſe conſtitutos ita alloquitur. *Videte*, ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite; non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Quod ſi iudices à Ioſaphat conſtituti iudicia Domini exercent, quia videlicet omnis poteſtas à Deo eſt, quanto magis à Chriſto inſtituti eius iudicia exercere dicentur. Et ita ſi iudicium Domini calix dicitur, rectè poteſtas data iudicandl Paſtoribus, per phialam poterit deſignari.

Denique poteſtas puniendi contumaces poteſt etiam per phialam deſignari, iuxta illud Zachariæ c. 9. *Dominus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & ſubjicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris.* Prophetia eſt de victoria Machabæorum contra Macedones, ſecundum S. Hieron. quorum victoria per cædes hoſtium, & effuſionem ſanguinis eorum, grata debebat eſſe Deo, ac vini libatio in ſacrificiis ſibi oblatis; & dum Machabæi, quaſi ebrij ſanguine inimicorum, lætari debebant de proſtratione hoſtium, Deus hanc illorum lætitiam de morte hoſtium conceptam pro victima ſibi oblata gratiſſimam habebat, vt pote qui eam obtinere volebant & percupiebant, pro defenſione templi & altaris. Vnde Iudas Machabæus exhortans ad prælium 1. Machab. 3. dicebat: *Accingemini: & eſtote filij potentes & eſtote parati in mane, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt aduerſum nos, & ſancta noſtra.* Quia igitur dimicant propter zelum honoris diuini, quando, vt phialæ, replebantur lætitia, de effuſione ſanguinis hoſtium, hæc eorum lætitia Deo A erat vinum libaminum ſibi gratiſſimum. Pari ratione cum Eccleſia contumaces à ſe rejicit, ne Dei cultus detrimentum aliquod capiat, hoc Eccleſiæ iudicium à Deo acceptatur tanquam aliquod ſacrificium acceptiſſimum. *Vtinam*, dicebat Paulus, *abſcindantur qui vos conturbant.* Et lætatur iuſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lauat in ſanguine peccatoris. Et vt ſpiritus ſaluus fiat in die iudicij, temporaliter ſunt caſtigandi, vt, ſi fieri poſſit, contumaciam relinquentes, iterum corpori Chriſti vniantur. Ex his perſpicuum eſt optimè nos per phialas aureas intelligere ſeptem quaſdam poteſtates collatas Paſtoribus Eccleſiæ, ad promouendum Chriſti regnum: quæ dicuntur aureæ: quia à ſapientia diuina fuerunt inuentæ; quia ad Dei charitatem B promouendam ordinantur; ac plenæ ſunt iracundia Dei viuentis, quia plenæ ſunt meritis ſanguinis Chriſti, qui non eſt alia de cauſa effuſus, quàm quod Deus ſummè fuit contra peccatores iratus; deinde quia nos ad vindictam de peccatis ſumendam prouocant; Denique quia in his, qui effectus illarum in ſe admittere contemnunt, per talem contemptum, Deum contra ſeipſos valde eſſe iratum oſtendunt, qui ab eis concurſum gratiæ ſuæ ita ſubtrahat, vt licèt efficiſſima de ſe ſint ad ſalutem remedia & auxilia, tamen in iſtis propter contumaciam & duritiem cordis nullum obtinent effectum: *Iracundiæ*, inquam, *Dei viuentis in ſecula conſecutiua*, inquit S. Thomas; C *ſeculorum, id eſt, in æternum: vnde patet magnitudo punientis, & quod poteſt in æternum punire.* Ita S. Thom.

Et impletum eſt templum fumo, à maieſtate Dei, & de virtute eius.

Et nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

Cum tanta ſit efficacia mediorum, quæ à Deo inſtituta ſunt ad ſalutem, cur tamen in hominibus obſtinatis nihil efficiant?

D

ANNOTAT. II.

IN his verbis paratur via ad intelligentiam capitis ſubſequentis, in quo, vt videbimus, circa reprobos omnes iſtæ poteſtates nihil aliud operantur, quàm vt manifeſtent quanta ſit hominis peruerſitas, qui tot auxiliis adiutus & præuentus, quibus poſſet à peccatis conuerti, in eis tamen perſeuerat obſtinatus: Appoſita eſt ſiquidem ad hoc conjiciendum expoſitio S. Thomæ, dum ait: *Et impletum eſt quaſi dicat: ita ſunt aperta myſteria fidelibus, tamen infidelibus ſunt clauſa. Hoc eſt quod dicitur. Et impletum eſt templum, id eſt, Secretum diuinorum myſteriorum, quæ ſunt aperta fidelibus, vt ſupra dictum eſt; Fumo, id eſt,* E *obſcuritate excæcatura, quantùm ad infidelem; quaſi dicat. Myſteria quæ ſunt aperta fidelibus, obſcurata ſunt infidelibus propter eorum errorẽ. Et hoc eſt à Maieſtate Dei, id eſt, per altitudinẽ diuinæ Maieſtatis, quæ tãta eſt, quod infideles non poſſunt eam agnoſcere, etiam per fidem, propter cæcitatem cordis eorum. Poteſt quidem infidelis, licèt ſit cæcus per infidelitatem, cognoſcere magna, vt corporalia, quæ ſunt ſcientiarum ſecularium, quia non ſunt infinitæ altitudinis: ſed diuina Maieſtas non poteſt in eis cognoſci per fidem, niſi mentis oculo illuminato. Et de virtute eius, id eſt, propter virtutem Dei, qui claudit ſua myſteria indignis. Supra c. 3. Claudit, & nemo aperit. Differunt autem maieſtas & virtus per rationem intelligendi, quia maieſtas dicitur in ſe, virtus verò, in quantum operatur, vel poteſt operari in creatura, vel claudendo, vel aperiendo, vel alio modo. Et nemo, ſcilicet de reprobis; poterat, id eſt,*

Digitized by Google

poteſt, introire in templum, id eſt, cognoſcere myſteria Eccleſiæ, vt ea quæ ſunt noſtræ redemptionis, & alia multa; quia excæcauit eos malitia eorum. Sapient. 2. Donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum; id eſt, donec conſummentur; hoc eſt, donec completæ ſint comminationes vniuerſorum prædicatorum, de vniuerſis pœnis peccatoribus infligendis. Tunc enim ſenſus pœnarum experientiâ faciet eos intelligere, ſicut enim dicit Gregorius: Pœna oculos aperit, quos culpa claudit: Tunc enim dicent illud ſapientiæ quinto. Errauimus à via veritatis. Ita S. Thom.

Item idem ſanctus Doctor poſtea docet quod *poſſunt etiam hæc aliter intelligi de fidelibus, ſicut in parte innuit gloſſa, quaſi dicat: Ita templum, id eſt myſterium diuinum, apertum eſt fidelibus: & ita prædicatores inſtituuntur per Prophetas & per Christum: nondum tamen habent plenam notitiam, quæ erit in patria, & hoc eſt quod dicit: Et impletum eſt templum, id eſt ſacrarium diuini Myſterij: fumo, id eſt obſcuritate, quia licèt veritas ſit reuelata in nouo Teſtamento, tamen in magna obſcuritate ſumus reſpectu patriæ 1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Specialiter autem hunc eligit, illum reprobat. Hoc plenum eſt fumo. Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Quod autem myſterium Dei ſit nobis obſcurum, hoc eſt, A maieſtate eius, id eſt, propter infinitatem diuinæ maieſtatis, quæ à mortali clarè non poteſt cognoſci: Et de virtute eius, id eſt, propter infinitatem ſuæ virtutis, de qua non poteſt in via cognoſci quare hoc faciat potius quàm illud. Ierem. 32. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. In fine tamen ſeculi dabitur ſaluatis plenior cognitio. Vnde ſequitur? Et nemo, etiam fidelis in via; poterat, id eſt, poteſt introire in templum, id eſt, in ſecretum diuinum, cognoſcendum ſcilicet quare hunc ab æterno prædeſtinauit, non illum, donec conſummarentur cætera.* Ita S. Thom.

Quin etiam Primaſius ad mentem noſtram dixit. *Quæ,* inquit, *electis cedunt in ſalutem, impiis inferunt perniciem. Superiùs ſeptem Angelos cum totidem phialis memorat, habentes orationes ſanctorum; nunc autem plenas iræ Dei dicit. Eædem quippe phialæ & ſuauitates ſupplicationum, & iram ſuppliciorum continere dicuntur, cum à ſanctis pro regni Dei aduentu funduntur, quando iudicia Dei non iam occulta ſicut abyſſus, ſed aperta vt phialæ, iuſtis latura ſalutem, impiis verò prædicuntur inferre perniciem: ſicut Apoſtolus dicit, quia Chriſti bonus odor ſumus in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Si enim de Domino noſtro dictum eſt: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum; quid mirum ſi phialæ iuſtis ſuauitatem præbeant, impiis autem plagarum irrogent vltionem; ſi tamen ipſas & non alias debemus accipere. Et repletum eſt templum fumo de claritate & virtute Dei. Illud in fumo ſignificari puto, quod non ab omnibus iudiciorum Dei arcana penetrari queant, menteſque mortalium, inflictarum conſideratione plagarum caligent palpitantes, quas nunc ſtatuit enarrare: & vſque ad earum phialarum exitum, fumum in templo aſſerit perdurare. Meritò ſequitur: Nec quiſquam poterat intrare in templum, id eſt, in illud penetrare ſecretum, donec finirentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum. Vnde & Pſalmus: Hic labor eſt inquit, ante me, donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligam nouiſſima.* Ita Primaſ.

Quod enim aliis, nempe ſanctis, eſt claritas, hoc impiis eſt fumus; quod aliis virtutem præſtat, hoc impiorum manifeſtat imbecillitatem & inhabilitatem, ad verum cognoſcendum, bonum & operandum. Quomodo autem fumus ex Dei maieſtate, qui δόξα græcè dicitur, id eſt claritas, & eius virtute procedit; hoc ideo eſt, quia ſi iuſti prædeſtinantur abſque præuiſione meritorum, ex mera & gratuita Dei voluntate, quantum ad intentionem dandi illis gloriam, & media efficacia, quibus ad eam peruenire queant; reprobi non rejiciuntur, non repelluntur, niſi præſuppoſitis eorum peccatis, quæ Dei iram excitant. Vnde exardeſcit tanquam ignis ira eius, quæ naturæ tam terreſtri ac ſulphureæ adhæreſcens, certè fumus ſpiſſus & craſſus ex ea emittit: qua & mentes eorum obnubilantur, & impediuntur ne iudicia Dei aprehendant, donec tandem ab vnitate corporis myſtici ſeparati, ſuorum delictorum pœnas in inferno ſuſtinentes percipient, cæcos ſe fuiſſe in pleno meridie dicant: *Ergo errauimus, & ſol iuſtitiæ non illuxit nobis, &c.* Sed quia templum ipſum dicitur fumo oppletum, dicendum eſt peſſimas malorum actiones, (quas Deus permittit contra eos iratus ipſos perpetrare) impedire mentes fidelium, ne videant quomodo hoc cedat in gloriam ſupremæ illius maieſtatis, ac diuinæ potentiæ, vt malos permittat cum tanta audacia, ac animi præſumptione & impudentia inſpirationes ſuas reſpuere, veritatis doctrinam irridere, media ſalutis negligere, cultum & honorem ſuum pedibus conculcare, leges infringere, iudicia ſua ſpernere; donec completis omnibus plagis, per Excommunicationem tandem ab vnitate Eccleſiæ abſciſſis, dignoſcitur quod omnes viæ Domini ſunt miſericordia & veritas, & æquitatem videt vultus eius, vt qui miſericordiam illius contemnant, quàm iuſtus ſit peccatorum iudex & vindex perſentiant & agnoſcant. Talis enim pœnæ futuræ, ſeparationis hædorum ab ouibus eſt indicium. Quid enim de illis futurum ſit, inquibus ira Dei inardeſcit, permittendo illos fumo perſecutionum, ſcandalorum, ſeu etiam peſſimorum exemplorum, aut iniquarum actionum, ab oculis fidelium claritatem eripiente, Eccleſiam denigrante, & horrenti fuligine decolorante, pietatem ſuffocante, & ruinam & conflagrationem diuini cultus minitante, totum templum, nempe Eccleſiam opplere; an conuerſi, ſcilicet ad Deum, tacti inſpirationibus, illuminati verbo, ad Sacramenta recurrentes, à Deo petentes auxilium per meritum paſſionis Chriſti, mandatis eius obtemperantes, & tandem iudicio ac determinationi Eccleſiæ humiliter ſe ſubmittentes, à contumacia ſe reſilientes, poſſint æternam ſperare ſalutem: an verò omnia iſta paruipendentes, & inſuper nec timore iudiciorum Dei territi, contumaciter Eccleſiæ decretis ſeſe opponentes, ſint in manifeſto periculo æternæ damnationis, ignoratur, neſcitur, donec conſummatis iſtis omnibus plagis manifeſtatur illorũ ſtupiditas, peruerſitas, iniquitas, error & cæcitas, malitia, ac ſuperbia, & obſtinatio, dum non timent à Deo ſeparari, cum ſe vident ab Eccleſiæ vnitate (ſine qua ſalus ſperari nequit) ſeparari per excommunicationem.

FINIS CAPITIS DECIMI QVINTI.

Digitized by Google

DE CONFLICTV SANCTORVM & Paſtorum Eccleſiæ, cum carne mundo, & diabolo, vt Chriſti Regnum promoueant; & de modis, quibus tam piis eorum conatibus, impiè ab hominibus obſiſtitur.

ADVERTE, LECTOR OPTIME, VVAS MYSTICAS comprimi, iis calcatis, ſanguinem exprimi, quo lacus excreſcat in immenſum: lacum iſtum, ad modum maris igne mixti, contemplari: ex hoc mari phialas repleri. Eſt enim lacus, magnus iræ Dei: & phialæ iſtæ plenæ dicuntur iracundiæ Dei viuentis: Nullibi certè vllo modo quæſito humore, quo repleantur, quàm ab eo lacu, qui dicitur, lacus magnus iræ Dei.

CAP. XVI.

OPTIMO iure phialas Paſtores A Eccleſiæ præ manibus gerunt, vt ex omni generis gratiarum mari igne mixto, hauriant quamcumque gratiam ſeu poteſtatem, quæ ad regnum Chriſti promouendum neceſſaria fuerit, ex hoc igitur mari hauriunt lympidiſſimam orationis aquam, verbi Dei pluuiam voluntariam ibi hæreditati Domini ſegregatam, ſeu eloquia illa melle dulciora, oleum iſtud gratiæ Sacramentorum, per quod omnes animarum infirmitates quaſi præſentiſſimo ac efficaci remedio curantur, flagrantiſſimum & aromatizans balſamum intimæ deuotionis erga Deum, quæ in Sacrificiis Deo piè B exhibetur, vinum illud conditum fidelis obſeruationis multiplicum præceptorum, ac conſiliorum Dei, ac muſtum granatorum mortificationis, abnegationis, patientiæ in aduerſis, & vſque ad ſanguinis effuſionem, perſeuerantiæ in bonis operibus, auſterum illud vinum iudiciorum Eccleſiæ & coercitionis, qua quælibet placent, nobis exercere non permittitur: & tandem ex fluuio igneo & rapido ſeueritatis diuinæ, hauriunt debitas pro nimia contumaciâ pœnas. His liquoribus phialæ plenæ ſunt, vt effundantur contra Dei hoſtes, quo fit vt fruſtra renitente cordis humani malitia tandem plurimi conuertantur, vel obdurata nimis in pluribus miſerè C ipſi euertuntur & pereunt.

Animaduertere vobis libuit me ex Dei præſcripto ad ſeptem Eccleſiæ Epiſcopos quaſdam ſcripſiſſe Epiſtolas, quibus certa quædam intimabam ab ipſis peragenda fore, vt muneri ſuo ſatisfacerent. Nondum ipſos vidiſtis aliquid aggreſſos, quo diuinis paruiſſe mandatis perſpiceretur. Exigit tamen maieſtas imperantis vt omnis eius voluntas fiat. Oportet igitur vt ſtatim atque ſe præſenſerint virtute ex alto indutos, debita autoritate, legitima poteſtate præditos ad vocem imperantis ad opus ſe accingant, veſtiti lino mundo & candido, Præcincti circa pectora zonis aureis, ex plenitudine gratiarum ac poteſtate, quæ in verbo diuino incarnato reſidet, haurientes diuerſa donorum ac functionum genera in phialis. Audiunt vocem magnam de templo dicentem ſibi per legitimam miſſionem: ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram. Ac ſi diceretur: orationibus inſtantes eſtote: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Baptiſate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hominum peccata remittite; ſoluite illos à vinculis & ſinite abire, vt mea mandata exequantur. In mei commemorationem in fractione panis perſeuerate: calicem ſalutaris accipite, & ſacrificate hoſtiam laudis. Docete gentes ſeruare omnia, quæ ego præcipio vobis. Iudicate nationes & dominamini populis regnet Dominus veſter in perpetuum, Arma militiæ veſtræ *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.* Parati eſtote vlciſci omnem inobedientiam. His de cauſis phialas in manibus veſtris, à diuinitate verbi ſeu Chriſti, qui habet clauem domus Dauid, vt cunctis diuerſa iniungat ac diſtribuat munia, in ædificationem corporis ſui accepiſtis ite igitur, & veſtra exercete officia; prout neceſſitas poſtulauerit, fidelitas exegerit, prudentia dictauerit. In exercitio enim poteſtatis vobis traditæ, meas effundetis liberalitates, miſericordiæ ac benignitatis fontes aperietis; & licet videar iraſci contra gentes, quas regere volo in virga ferreâ, ipſis præcipiens per os veſtrum vias duras cuſtodiendas, & Chriſti mei pro ipſis in crucem acti, & dira & acerba paſſi imitationem, vnde phialas habetis plenas iracundiæ Dei; ſummam tamen redolet ſapientiam hæc mea intentio. Nihil enim aliud quàm ſalutem ipſorum exopto, qui omnes homines ſaluos fieri percupio. Audiant igitur omnes, licèt non exaudiant; & quamuis plurimi contradicant ac reſiſtant, attamen cum hoſtibus pugnate audacter. Quod veſtrum eſt, fideliter adimplete.

TEXTVS

Et audiui vocem magnam dicentem ſeptem Angelis ite & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

TEXTVS

Et abiit primus Angelus & effudit phialam ſuam in terram.

Ad hanc vocem abiit primus Angelus, nempè Epiſcopus Epheſinus, qui de priſtino feruore aliquid remiſerat, ſuipſius aliquatenus oblitus; non ita ſedulò ſaluti propriæ inuigilabat vt antiquitus. Multa tamen piè moliebatur, quæ humanas vires longè

Digitized by Google

ſuperabant. Technas enim & fallacias falſorum Apoſtolorum detegere cupiebat, eiſque occurrere, & malorum conatus ac progreſſus impedire. Quod cum Deo gratus & acceptus erat, eius fretus auxilio facilè perficiebat; ſed cum excidiſſet à priſtino feruore, & antiquâ ſedulitate proficiendi in melius, tali diuino auxilio ſubtracto, periculum erat maniſeſtiſſimum, ne eius Eccleſia aliquod detrimentum acciperet, imo fidei candelabro, falſis Apoſtolis præualentibus, & malis in peius proficientibus. Ideo ad pœnitentiam prouocatus, ad edendum de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei, inuitatur, nempe ad pinguem & feruentem orationem, quæ pro peccatoribus Deum exorare queat, vt ad ipſum conuertantur, vel ſaltem nulli progreſſum impediat. Sic phialam auream plenam odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, in terrâ effundit.

TEXTVS

Sed heu! quàm prauam ac peſſimam plagam peccatum in hominibus reliquit! Ad effuſionem huius phialæ hoc vulnus ſæuum ac peſſimum, potiſſimùm apparuit, in his videlicet qui habent carracterem beſtiæ, nempe qui prauis ſuis actionibus effectum impediunt orationis ſanctorum, vt ſanctis dicatur à Deo: *Nolite orare pro populo iſto.* In bonum ſtupiditate nimiâ obruti terrena tantum ſapiunt, fragiles ſunt, & fragilitati ſuæ cordis peruerſitatem addiderunt; & legem meam conculcantes mundi tantùm ſectantur errores, beſtiam & imaginem eius. Ideo licèt ad Deum pro eorum conuerſione feruenti oratione recurratur, tamen actionibus ſuis, & intentionibus ac legibus, quas ſibi præſcribunt, vt mundo placeant, ſe omnino terrenos & luteos eſſe manifeſtant, nec diuinis motionibus aurem accommodam præbent, cœleſtes negligendo ad paruipendendo inſpirationes.

Et factum eſt vulnus ſæuum, & peſſimum in homines qui habebunt characterem beſtiæ, & in eos qui adorauerunt imaginem eius.

At Deus, hominum fragilitati compatiens, eos è tenebris ignorantiæ eruere deſiderat. Serui peccati fortè liberabuntur, ſi Dei ſermo, qui veritas eſt, mentibus eorum illuxerit. Ideo non ſolùm per orationem, ſed etiam per verbi diuini prædicationem, eorum conuerſionem procurare intendit. Hinc ſecundus Angelus nempe Smyrnenſis Epiſcopus, ſuam effudit phialam; cum ſpiritu intelligentiæ à Deo repletus, tanquam imbres miſit eloquia ſapientiæ ſuæ; quibus certè intellectus conuinceretur, voluntas cederet, niſi violenter à concupiſcentiâ ſuâ abſtraheretur ad illicita: Iam per orationem ſancti confitentes Domino à Deo impetrarunt vt dirigat conſilium eorum in Regno Chriſti promouendo: medium efficax Deus in manu eorum dedit, cum factus eſt ſermo Dei in manu eorum, vt ipſum prædicent, & per prædicationem verbi fidem in hominum mentibus progenerent; *Fides* enim *ex auditu*: *Auditus autem per verbum Chriſti.* Ad hanc verbi Dei impigram prædicationem imitatur Epiſcopus Smyrnenſis, cum ei negligere præcipitur blaſphemias eorum, qui ſe notitiam Dei habere gloriabantur, nempe Iudæorum (*notus* enim *in Iudæa Deus*,) ſciens quia quidquid diceretur contra ſanam doctrinam, quam prædicabat, opus eſſe Synagogæ Sathanæ, cui attendere impium, cedere ingloriosum. Ideo verbi prædicationi, inſiſtendo doctrinæ traditæ, ad coronas per patientiam ac malorum tolerantiam, conſtantiam & fidelitatem vſque ad mortem, ac victoriam prouocatur.

Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare.

At quid inde accidit? Obturauerunt homines aures ſuas, ne audirent, & conuerterentur ac ſanarentur. Nam *factus eſt ſanguis tanquam mortui*: *& omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Id eſt: Quorum terra fragilitatem & ſtupiditatem denotat, horum ad peccandum pronitatem & inclinationem, ex

Et factus eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua eſt in mari.

A peccato Originali prouenientem, mare indicat: quo omnes omnino homines ſubmerſi ſunt. Hoc mare ſanguis apparuit ad prædicationem Euangelij. *Peccatum namque non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Rom. 7. Cum igitur per veritatem Euangelij clarè appareat, huic peruerſæ inclinationi fore reſiſtendum, & tamen homines vitam conformare huic veritati abnuant, tunc eorum vita apparet quaſi ſanguis mortui. Actus enim eorum, vitam gratiæ habere non valeat, cum diuinâ ſint gratiâ priuati: quo fit vt omnis anima viuens vitâ ſenſuali & animali, & huic inclinationi conformi, moriatur in mari; nempe actibus peccaminoſis nouam ſibi conciliant mortem, cum in ea peccatum inhabitans B operetur, illique malum adjaceat. Viuit quidem, quia ſenſibus vtitur, paſſionibus diuerſis agitatur, intellectu multa conſiderat, ad multa appetitui conuenientia, quin & rationi conformia, voluntate fertur; ſed moritur in mari, quia quandiu in eâ peccatum viget originale, nihil gratiâ dignum valet operari; Et quandiu peruerſæ inclinationi reſiſtere neglexerit, tandiu in morte remanebit, licèt Angelus iſte effundens phialam ſuam, ei dicat: *Exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

Huic morbo grauiſſimo mederi exoptat Dominus noſter: medicamenta habet parata, quibus valeat omnem à nobis expellere infirmitatem. Venit in ſi- C militudinem carnis peccati, vt euacuetur corpus peccati, & corpus mortis huius auferatur è medio. Sacramenta inſtituit, quibus gratiam conferat, qua valeamus adimplere, quæ nobis per prædicationem Euangelij proponit ac præcipit adimplenda eſſe. Hinc tertius adeſt Angelus, nempe Pergamenſis Epiſcopus, in quo fuit mihi deſignata hæc Sacramenta adminiſtrandi facultas. Reprehenditur enim, quia plurimos habeat appetitui carnis nimiùm indulgentes licèt illius ſit miniſter, qui gladio oris ſui poſſit omnem reſcindere libidinem: quin & manna abſconditum in præmium victoriæ illi proponitur, verbum ſiquidem Dei accedens ad elementum, quo fit Sacramentum, gladius eſt acutus id efficiens quod D ſignificat: & ſub ſpecie panis & vini, manna ſuauiſſimum, licèt abſconſum, nobis prægustandum præſtate. Effudit igitur Phialam: Sacramenta operi intentus pluribus adminiſtrauit, vt infirmitati humanæ occurreret, ne appetui indulgerent homines, doctrinam Balaam & Nicolaitarum ſectantes, qui docebant edere & fornicari licitum eſſe.

TEXTVS

Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & factus eſt ſanguis.

At quid euenit? Num homines gaudere voluerunt talibus remediis? Non certè: Nam cum hominum intellectiones ac volitiones ad ſupernaturalia erigere, ac intellectus ac voluntatis facultates humanarum actionum fontes ſupernaturalibus donis ac habitibus cumulare & exornare voluit, per Sacramentorum adminiſtrationem, quorum vi & efficaciâ de E ventre eorum flumina aquæ viuæ defluerent, & fieret in ipſis fons aquæ ſalientis in vitam æternam; Remedia ceſſerunt in eorum perniciem. Sole clariùs apparuit quàm verè ſenſus & cogitatio hominum ad malum prona ſunt; adeo effuſæ fuerunt eorum facultates ac potentiæ in quamlibet nequitiam, itaut tota ipſorum vita carnem & ſanguinem, quæ regnum Dei poſſidere non poſſunt, tantum redoleat. Per gratiam illis oblatam facillimum eis fuiſſet certè ſenſuum titillationibus obſiſtere, voluptates carnis frænare, vt materia & exercitium virtutis eſſet, quod ipſis eſt occaſio perditionis. Concupiſcentiæ ardoribus ita flagrant, vt peccata ebibant tanquam aquam; adeo & animi & corporis potentiæ & facultates peccatis delectantur, vt non ita rapidè flumina in mare redeant, vt ipſi, quacumque

occaſione

Digitized by Google

occaſione oblatâ, cum impetu feruntur in malum; (A) donec adeo continuo fluxu & indeficienti, aquæ è fontibus ſcaturiunt, vt ex eorum potentiis intellectualibus fluunt, cum delectatione, nouæ ad perpetranda mala adinuentiones & conſenſus: itaut non tantùm rejiciant Dei inſpirationes, nolint intelligere vt benè agant, imo erga eos, qui remedia proponunt, ingrati exiſtant, eoſque plerumque morte efficiant. *Contrarius eſt*, inquiunt, *operibus noſtris. Improperat nobis peccata legis: factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Contumelia & tormento interrogemus eum. Morte turpiſſimâ condemnemus eum.* His deprauatis affectibus impulſi Pergamenſes, doctrinæ Balaam & Nicolaitarum adhærentes, Antipam teſtem fidelem occiderunt, eorum imitatores facti, (B) qui & ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt. Vnde non mirum ſi ob tantam ac tam impiam ingratitudinem in tot crimina dilabantur. Non audiuit populus iſte vocem Dei. Ad Dei notitiam perduci præ[illegible]is illius minimè intende[illegible]t. Dimittuntur à Deo in deſideria cordis, vt am[illegible]at in adinuentionibus ſuis, & quodcumque nefas perpetrare audeant: quod iuſtum eſſe quilibet Sacramentorum miniſter in Eccleſiâ Dei iudicabit.

TEXTVS

Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras; ſanctus qui hæc iudicaſti: quia ſanguinem Sanctorũ & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: Digni enim ſunt. Et audiui alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua.

Hinc nomine eorum, quibus diſpenſatio Sacramentorum credita eſt, audiui Angelum aquarum dicentem: *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras; ſanctus, qui hoc iudicaſti: quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem dediſti eis bibere. Digni enim ſunt.* (C) Sicut enim non probauerunt Deum habere in notitia, iuſtè traditi ſunt in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, & vt indigni qui communionis corporis & ſanguinis Chriſti fiant participes: Audiui alium Angelum ab altari dicentem: *Etiam, Domine Deus omnipotens. Vera & iuſta iudicia tua.* Vt tanti Sacramenti vſu temerario peiores euadant, qui in melius ex ipſius perceptione proficere debuerant. Imitantur iſti Dei laudatores, & iudiciorum eius approbatores, illum Ioannem Baptiſtam ſanctitate pollentem, qui miſſus eſt prædicare baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, qui olim videns Chriſtum illius exhibitorem, cuius erat præcurſor, à Iudæis male haberi, (D) iuſtam eorum derelictionem prædicebat dicens: *Ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis quippe arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* imitantur & Moyſem, qui ingreſſus in tabernaculum, in quo poſuit olim altare aureum ſub tecto Teſtimonij, & adoleuit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut iuſſerat Dominus, hoc oraculum à Deo accepit: *Ecce tu dormies cum Patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos, in terra, ad quam ingreditur, vt habitet in eâ. Ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo; & iraſcetur furor meus contra eum in die illo; & (E) derelinquam eum: & abſcondam faciem meam ab eo: & erit in deuorationem. Inuenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Verè quia non eſt Deus mecum, inuenerunt me hæc mala.* Hic tam formidanda iudicia approbans, poſtquam populum de tali vaticinio admonuit, celebre canticum emiſit: cui finem imponens, ad laudandum Deum gentes inuitat, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlturus eſt, & vindictam retribuet in hoſtes eorum.

At non tantum effuſioni tot tantarumque gratiarum, per quas Chriſti regnum promoueri valeat, homines reſtiterunt ſtupiditate ac ſtoliditate ſuâ, ad diuinas motiones & inſpirationes inſenſibiles effecti, peruerſis inclinationibus ac concupiſcentiis aliorſum abſtracti, prauis & malignis actionibus repleti; quin imo ſpiritibus erroribus & doctrinis dæmoniorum attendentes, à fine vltimo, ad quem totis viribus aſpirare deberent, omnino auertuntur: media, quibus Deo ſummum exhibuere cultum deberent, vt ad ipſam peruenirent, rejicientes.

TEXTVS

Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem.

Hinc factum eſt, quod cum Angelus ſeu Epiſcopus Thyatirenſis effudit phialã ſuam in ſolem, id eſt voluit proponere intellectui hominum (in quo lumen veritatis ſedem figere debet) myſterium fidei quo Deo ſummus exhibetur honor in Sacrificio miſſæ, docens id nobis tenendũ quod ab eo accepimus. (Quotieſcumque enim manducamus panem hunc dominicum, & calicem bibimus, quem à Chriſto accepimus, mortem Domini annunciamus donec veniat) ſeque inſuper opponere voluit hæreticis prauitati, per mulierem Ieſabel deſignatæ (quæ ſe dicit Prophetem, vt ſeducat ſeruos Dei, docendo fornicari, & manducare de idolotythis) vt omni errore ſublato, ad perfectam veritatis contemplationem, vt ad optatiſſimum finem perueniamus; datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni, id eſt tota intellectus capacitas verum percipiendi cum facilitate ac ſagacitate, & de iis, quæ percipit, ad incognita per ratiocinationem perueniendi, hominibus in detrimentum cedit. Hac enim capacitate ſolùm vtuntur vt curioſitati vacent, & veritati reuelatæ ſe opponant: de quibus dicitur: *Erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis; & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuper inducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via Veritatis blaſphemabitur. Superbia enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſint ſerui corruptionis: A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Hinc æſtuauerunt homines æſtu magno, ſiue concupiſcentiâ, ſiue iracundiâ inflammati, quæ compeſcenda erant vſu tanti ſacramenti, ac fide tam alti myſterij, Chriſti paſſionem & mortem repræſentantis: & blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas: quia videlicet ſtupiditatẽ hominum vexat ſuis inſpirationibus: concupiſcentiis ſe opponit, ſignando ſuper mentem noſtram lumen veritatis à vultu ſuo prodeuntis; ſyndereſi actiones malas continuis percutit exprobrationibus; lumine fidei reuelatæ, intellectus humani curioſitatem contundit, noſtramque auerſionem à Deo per ſuam in Sacrificio Miſſæ præſentiam, & ſuis corporis & ſanguinis oblationem confundit. Quo fit vt homines ſuperbia Dei bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, omnipotentiam blaſphement, incredulitate ſuâ, à qua recedere non vult, neque de illâ pœnitentiam agere, vt det Deo gloriam: vnde ſedes beſtiæ, id eſt, omnis malitiæ receptaculum tandem efficitur.

Et datum eſt illi æſtu affligere homines & igni, & æſtuauerunt homines æſtu magno & igni.

Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas: neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

Enim vero cum talis tantaque ſit Dei bonitas, vt nunquam (niſi ad extremum laceſſitus iniuriis) auxiliatricem manum ſuam à nobis ſubtrahat, neque non derelinquat, niſi priùs ſit à nobis derelictus, ideo quandiu in anima quantulacumque rationis ſcintilla remanet, aut ad bonum propenſio, eam ſedulò conſeruare ac fouere ſatagit, ne talis propenſio aut diſrumpatur, aut minuatur, cauet ne igniculus ipſe rationis omnino extinguatur: adeo benignè ſe gerit erga eos, qui fidei lumen abiecerunt, & ſui ingenij limpiditatem ac perſpicuitatem, ex fideli mandatorum Dei obſeruatione prouenientem, deperdiderunt, vt de ipſo ab Iſaia c. 42. meritò dicatur: *Ecce ſeruus meus: ſuſcipiam eum: electus meus: complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum. Iudicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Ac

Digitized by Google

ſi diceret: Spiritu charitatis & erga homines dilectionis repletus, cum iudicia inter gentes proferet, nec minis terrorem incutiet, nec particularibus affectibus indulgebit. Si quem reprehenſionibus cōrrigere voluerit, hoc ſecretò perficiet, ne crimine ſuo propalato infamiam incurrat. Hominum voluntates mutationibus variis obnoxias, & omni vigore ſpoliatas, adeo benignè fouebit, vt ſi in ipſis vigeat aliqualis circa bonum affectus, eum conſeruare ſtudeat; quo, primâ occaſione oblatâ, ad meliora illos prouocare poſſit. Quod ſi item modicum lumen in ratione remanſerit, quo ad aliquod boni deſiderium euehi homines valeant, hoc non extinguet; patienter expectabit, vt hæc fax recenter extincta, & fumus quoſdam deſideriorum æqui ac boni adhuc emittet, humilitate deprimatur, intellectu obſequium fidei præſtante, quo diuinum lumen ad ſe attrahat, à quo è tenebris ignorantiæ & malitiæ eruatur. Vnde in veritate educet iudicium, cùm neminem condemnare intendat, niſi priùs huiuſcemodi condemnatione ſe dignum exhibeat, tantâ Dei patientiâ abutens.

TEXTVS

Et quintus Angelus effudit phialam ſuam, ſuper ſedem beſtiæ.

Ad hunc deploratiſſimum ſtatum properabat proculdubio ille Epiſcopus Sardenſis, cui dictum fuit: *Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Sed exhortatione, quâ ei dicitur: Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris: & ſerua, & pœnitentiam age*; veluti è ſomno excitatus ad fideliorem mandatorum Dei obſeruantiam ſe accinxit; imo ſciens ſui muneris eſſe vt alios ad ipſorum obſeruationem prouocet, effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, id eſt: Quantum in ſe fuit, eos, qui poſt agnitionem veritatis retrorſum conuerſi ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato, ſe ſedem beſtiæ ſeu iniquitatis conſtituerunt, ad meliorem frugem reducere conatus eſt, eis legem & mandata Dei fortiter inculcando.

Et factum eſt regnum eius tenebroſum: & commanducauerunt linguas ſuas præ dolore.

At ipſi libero arbitrio abutentes, quo ad ignem aut aquam manum apponere poſſunt, & videntes meliora, deteriora nihilominus ſequuti, adeo laxatis habenis & velis in malum prolapſi ſunt, vt in eis diabolus plenam habeat poteſtatem, ſedem in eis figere ſtatuerit. Tenebris ſiquidem obſcuratum habentes intellectum, alieni à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum, apparuit quàm denſiſſimis tenebris offuſcati remanere, qui ſub diaboli imperio degunt; qui & monitionibus & inſpirationibus diuinis non modò non obtemperant, ſed nec Deum nec homines reuerentes, omnibus legibus, ac ſuperiorum ſuorum præceptis parere recuſant. Sicque iugum omne confringentes, & excutientes, factum eſt Regnum diaboli tenebroſum: *& commanducauerunt linguas ſuas præ dolore. Et blaſphemauerunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis: & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.*

Et blaſphemauerunt Deum, cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Fugato enim à mentibus eorum pacis & concordiæ authore, ac totius conſolationis fonte, Deo Optimo Maximo qui pars eſt & portio eorum, erūt dolores & gemitus, anguſtiæ ac pœnæ: Quapropter, ſicuti cum cerebrum aliquo maligno humore impetitur, aut vapore nociuo concutitur, vel calore nimio aduritur, aut tandem aliquâ contuſione motus ipſius naturalis præpeditur fiunt dolores vehementiores, conuulſiones cauſantur frequentiores, quibus tota corporis machina fere diſſoluitur; vnde plerumque ſtrident dentibus, os contorquent, linguam exerentes dentibus eam in fruſta diſſecant; ita cum ratio malitiâ, quæ iudicium rectum peruertat, impugnatur; aut vapore concupiſcentiæ offuſcatur, aut immoderata iracundiâ inflammatur, aut violenta contradictione quatitur; non amplius vo-

A luntati bonum verum debitè proponitur, vt ipſum amplecti queat: nec vllam impreſſionem recipere poteſt, quâ ad ipſum proſequendum alliciatur, nec ad ea quæ ſupra ſe eleuari poteſt, vt timeat quæ pertimeſcenda ſunt: nec ſuam imbecillitatem ſatis perſpectam habet, vt ſecundum eam ſuas ponderet actiones, ne ad dexteram vel ſiniſtram deflectantur: quo fit vt anima & anguſtiis & doloribus crucietur, eiuſque facultates ac potentiæ interius torqueantur, fietque ſibimetipſi grauis: linguam diſſecat, aliud habens in corde, aliud in ore. Sic homines commanducant linguas ſuas, tum dolis fraudibus: tum cum aliorum ſenſus ac verba in peius ſumentes, in conuitia & contumelias præcipiti curſu feruntur. B Et tandem cum Deus ipſorum deſideriis ſe opponat, plerumque ipſum etiam blaſphemare audent: & tot tantiſque peccatis onuſti, nunquam ad pœnitentiam recurrunt, vt abſtineant ab his operibus malis, & mandata Dei ac ſuperiorum præcepta deinceps fidelit[illegible]uſtodiant.

Vidiſtis igitur vſque huc quomodo homines piis conatibus Paſtorum ſuorum obſiſtant, quan[illegible]s Regnum Chriſti incrementa capiat aut profectum. Horum naturam ſeu ſtatum ſub diuerſis formis ac rationibus explicuimus: Terræ, quia fragiles: maris, quia peccato originali ſubmerſi: fluminum ac fontium, quia quibuſdam potentiis ſeu facultatibus, actionum humanarum principiis præditi: Solis, C quia ad veritatis contemplationem creati: ſedis beſtiæ, quia vt liberi iniquitatem ſub ſpecie boni pro fine vltimo poſſunt ſibi præſcribere. Vnde factum eſt vt deuotas pro ſua ſalute ſanctorum orationes ſtupiditate ſuâ inutiles reddiderint, peruerſis inclinationibus abſtracti: verbo Dei obedire noluerint; effuſione potentiarum ſuarum in delectabilia, remedia parata in Sacramentis neglexerint; proprio iudicio nimium adhærentes, erroribus & mendaciis, veritatis lumen reſpuerint; finem vltimum in rebus creatis ſibi præſcribentes, Dei leges contempſerint. Quid nunc faciet ille, qui dicit: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quia expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Auferet ne ſepem eius, vt ſit in direptionem. Diruetne maceriam eius, vt ſit in D conculcationem? Num ponet eam deſertam? Aſcendentne vepres & ſpinæ, quia ampliùs, nec putabitur, nec fodietur? Mandabitne nubibus, ne pluant ſuper illam imbrem? Vinea Domini exercituum eſt. *Expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* Eos nempe Deus ſummus adhuc intuetur veluti ſibi ſubiectos, & vinculis ſtrictioribus ad ſibi obediendum adſtrictos. Hac ratione ductus poteſtatem impertitur Eccleſiæ ſuæ, vt eos regat in virga ferreâ, & tanquam vas figuli confringat, ſi contumaces extiterint.

TEXTVS

Et ſextus Angelus effudit phialam ſuã, in flumen illud magnum Euphratem.

Ideo ille, qui ſanctus eſt, vt ſanctitatis partes tueatur; & verus vt nullius perſonam accipiat: qui habet clauem Dauid, quia ipſius eſt regere Eccleſiam Dei: vult vt Eccleſia ho- E mines adigat, vt veniant & adorent ante pedes Paſtorum ſuorum, per diſtricta iudicia illos coërcendo, vt legibus ſuis pareant. Quod cum præſtare conatus eſt ille Angelus ſeu Epiſcopus Philadelphienſis, cui promiſerat Chriſtus (qui ſanctus eſt & verus, & habet clauem Dauid) quod faceret vt venirent, & adorent ante pedes eius; *effudit phialam ſuam*, id eſt, exercuit illam iudicandi poteſtatem in fluuium magnum Euphratem, in homines quibus iuſtitia Chriſtiana præſcripta eſt, vltra quam nec actus, nec cogitatus, nec ſermones, ipſis extendere nefas.

At ſiccata eſt aqua eius. Ex eorum enim contumacia, & iudiciorum Eccleſiæ (quibus longanimitas diuina eos ad pœnitentiam reducere pertentabat)

Digitized by Google

TEXTVS
Et ſiccauit aquam eius vt præpararetur via Regibus ab ortu ſolis.

contemptu, clarè apparuit quod in eis omnis amor iuſtitiæ funditus extirpatus erat, & ad vltimam guttam exhauſtus fons ille gratiæ diuinæ, ſeu aquæ ſalientis in vitam æternam. *Vt præpararetur via Regibus ab ortu ſolis*, id eſt. Neglectâ iuſtitiâ Chriſtianâ, homines tandem dorſa ad Deum conuertant, & propria iudicia ac proprias voluntates ſuas in omnibus ſectentur, ac dicant: Quis noſter Dominus eſt? his ſimiles, de quibus Ezechiel ait: *Ecce in oſtio templi Domini, inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quatuor viri dorſa habentes contra templũ Domini, & facies ad orientem. Et adorabunt ad ortum ſolis.* Clarè iſtud perſpicietur in his Regibus orientis, qui viam Anti Chriſto ſternent, vt Eccleſiam conculcare valeat, Eccleſiæ leges ac iudicia nempe, contemnendo; itaut ſicuti olim ſiccato magno fluuio Euphrate, Reges orientis Cyrus & Darius Babylonem inuaſerunt, ita omni reuerentia legum ac iudiciorum Eccleſiæ ablata, facillimum erit Anti Chriſto & aſſeclis eius ipſam inuadere, ac pedibus conculcare. Nam ſtatim atque iuſtitia Chriſtiana ſiccata eſt, videre eſt de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudo-Prophetæ exire ſpiritus tres immundos, in modum ranatum; qui ſunt ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna. Et procedunt ad reges terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei. Draco enim inſtigat. Beſtia iuſſis ac legibus ſuis fouet; Pſeudo-Propheta laudibus extollit tres quoſdam immundos & nequiſſimos ſpiritus, quibus dæmones totum orbem exagitant & conturbant, nempe ſpiritum ſuperbiæ, concupiſcentiæ carnis, & concupiſcentiæ oculorũm, quibus quidem impulſi homines horrenda & prodigioſa perpetrant ſcelera: & quorum opera dæmones congregant Reges terræ, ad præliandum contra Deum, eo ipſo quo Eccleſiam ſubuertere nituntur, vt vel ſuperbiæ, vel carni, vel auaritiæ ſuæ partes tueantur: qui quidem ſpiritus, propter nimiam iactantiam, terrenam ſapientiam, ac vitam voluptuoſam, ranis aſſimilantur.

Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudo-Prophetæ Spiritus tres immundos, in modum ranarum, ſunt enim ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna: Et procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei. Ecce venio ſicut fur. Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedõ.

At cauendum vobis, ô fideles mei, ne commercio taliter conuerſantium inficiamini, ſiue talia perpetrando, ſiue adulatione ducti ea tolerando. Ideo percupio vt ſæpe ſæpiùs in memoriam veſtram redeat me venturum eſſe ad modum furis, eâ hora quâ non putabitis. Scitote igitur illum fore beatum, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: ne cum venero, vt ſeueritate mea vtar erga peccatores, quiſquam ex vobis gratia mea expoliatus exterius appareat, cum miniſterio Paſtorum Eccleſiæ in criminibus obdurationem eius manifeſtam ac perſpicuam reddam, per ſententiam excommunicationis eum à fidelium communione cum dedecore expellendo. Futurum eſt enim vt tales congregem in locum, qui vocatur Hebraicæ Armagedon, id eſt, maledictio optimi contendentis. Quamuis enim apud me quilibet homo maximo ſit in pretio, vt potè pretioſior auro obrizo, nihilominus quia mecum contendere audet, ipſum maledictione ſeu anathemate à facie mea contumelioſè ejiciam.

Hoc tandem præſtat ſeptimus Angelus, nempe Epiſcopus Laodicenſis, iſtam Eccleſiæ anathematiſandi poteſtatem repræſentans, tum ex titulo, quem aſſumit Chriſtus cum ipſum alloquitur: *Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei*: ad eum ſiquidem pertinet iudicare quinam mereantur ſanctorum Dei ſocietatem ac commercium; Tum quia ei dictum eſt: *Incipiam te euomere ex ore meo*. In quâ quidem re, effectus iſtius anathematis deſcribitur; Tum quia addit Dominus: *Ego quos amo arguo & caſtigo*: quibus verbis finis iſtius ſeueræ correctionis prætenditur, qui debet eſſe vt ſpiritus ſaluus fiat in die

A iudicij; Et quia tandem de iudiciaria poteſtate ſeruorum Dei mentio habetur, cum ait Dominus: *Qui vicerit, dabo ei. Sedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Hic igitur effudit phialam ſuam in aëra: id eſt, Anathematizauit homines vanitati ſæculi addictos, vt tentaret num voluntatis flexibilitate vterentur in bonũ, à peccatis reſipiſcendo, tali anathemate perterriti; quin & alios ſeruaret à contagio peruerſorum, & in peccatis ac malitiâ obduratorum.

TEXTVS
Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem

Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt.

Quo quidem iudicio emiſſo, *exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum eſt.* Id eſt: Eccleſia declarat ex poteſtate iudicandi, & vlciſcendi crimina, ſibi collatá, ſe omnia præſtitiſſe, vt homines à B peccatis auerteret; ac cogi (ne alij inficiantur, aut ne malitia dominetur) ipſos denunciare excommunicatos, & vt tales à fidelium communione reiectos, euitari ab omnibus debere. Quibus quidem peractis, *facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræ motus ſic magnus.* Exinde nempe quidam ſtupore quaſi fulgure perculſi, alij Eccleſiæ iudicium laudibus proſequuntur: alij nempe nominatim excommunicati, minis (veluti tonitruis) Eccleſiam diuexandi ac proſcindendi, fidelibus terrorem incutiunt: nec vlla re ita commouetur Eccleſia vniuerſa, ſicuti quando fulmine iſto vt cogitur in rebelles & contumaces. Exinde, inquam, C vt fulgur crimina apparuerunt notoria. Admonitiones præceſſerunt: ſententiæ excommunicationis ſubſecutæ ſunt, & promulgationes factæ: vnde motus terræ factus eſt magnus. Nam cum excommunicationem contigerit fulminari, mali excandeſcunt, boni prauis eorum actionibus ſcandalizantur, feruentioreſque eos Eccleſiæ denunciant. Paſtores perquiſitiones de criminibus inſtituunt: ſæpe boni etiam nimia compaſſione ducti, quaſi de intempeſtino rigore conqueruntur. In fide debiles Iſraëlitas imitantur, qui de iuſtâ Core, Dathan, & Abiron correctione olim murmurabant. Tandem ſæpe exinde Religionis fundamenta concutiuntur, & bellis ac præliis orbis repletur, vt planè altera ſit D rerum ac negotiorum facies. Et ſicut cum terra concutitur motibus vehementioribus, fiunt hiatus & interruptiones: ita fulminatione anathematum, tota fidelium ſeu in Chriſto credentium collectio in tres partes quaſi diuiditur: eorum nempe, qui Dei & Eccleſiæ mandata cuſtodiunt: eorum, qui corruptis moribus alios inficiunt, ſed nondum à cœtu fidelium ſegregati ſunt: & eorum tandem, qui excommunicatione à communione fidelium iam fuerunt eiecti. Qui quidem motus ac diuiſiones potiſſimùm apparebunt in fine ſæculorum. Sic enim ciuitas magna; id eſt credentium multitudo, fiet in tres partes. Et cadent ciuitates gentium, omnes nempe hominum ſocietates, quæ Anti-Chriſto adE hærebunt, eius maledictionis participes erunt: & omni ſpe tum gratiæ, tum gloriæ æternæ promerendæ ſpoliabuntur. Tale anathema incurret potiſſimùm ciuitas quædam magna: propter ſuam à Chriſto defectionem, quæ propterea veniet in memoriam Dei, vt bibat de calice vini indignationis iræ eius. Hæc autem eſt ciuitas Romana, quæ propter ſchiſma contractum, & ſuam defectionem à capite viſibili Eccleſiæ, interdicto & anathemati ſubdetur. Tunc proculdubio diuina maieſtas de ea diſperdendâ cogitabit & in eius ruina, quanta futura eſt omnium malorum ac reproborum damnatio apparebit. Nam & vniuerſa illa reproborum collectio venit etiam in memoriam ante Deum, vt det illi calicẽ vini indignationis iræ ſuæ. Id eſt: Quia induere ſe elegerunt maledictione ſicut veſtimento,

Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua; & terra motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terra motus ſic magnus.

Et facta eſt ciuitas magna, in tres partes, & ciuitates gentiũ ceciderunt & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.

Digitized by Google

ingredietur maledictio ſicut oleum in oſſibus eorum, vt in pœnas corruant ſempiternas: nec ipſis vllum erit effugium, à quolibet cœtu fidelium repulſi, & ab ipſis ſanctis Dei neglecti: omnis ſiquidem inſula fugit: & montes non ſunt inuenti. Tantùm pars calicis eorum erit grando, & ſpiritus procellarum. Super illos enim grando magna, ſicut talentum deſcendet: operti erunt iniquitate & impietate ſuâ: ac pœnis æternis ſubiacebunt. Et talis tantuſque erit dolor, vt blaſphemiis contra Deum efferantur, propter plagam grandinis, quia magna facta eſt vehementer. Nec enim ita agri depopulantur, grandinis calamitate, ſicuti omnis in eis, ob grauitatem ſuppliciorum, ſolatij & gaudij ſpes deperditur.

IN CAPVT DECIMVM SEXTVM.

PRÆFATIO.

QVOD olim Chriſto repromiſit Pater æternus apud Prophetam dicentem: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: Hoc tandem videt ſanctus Ioannes adimpletum, poſt prælium cum hoſtibus Chriſti initum, vt ex fine huius capitis perſpici poterit: in quo ingens reproborum collectio caſura prædicitur: & de Babylone magna dicitur quòd venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Suprema certè illa poteſtas collata Eccleſiæ Paſtoribus, quam ex Sion emiſit, dum ex Sion Apoſtoli per orbem diſperſi ſunt, vt ipſe dominaretur in medio inimicorum ſuorum, ſceptrum eſt Chriſti, & virga virtutis eius. Nec mirum ſi tanta autoritate fulget, vt per viles homunciones omnia mundi regna, aut ſuo ſubdat imperio, aut illa conterat ſub pedibus, (*Omnis enim gens, quæ non ſeruierit illi: peribit*, Si non temporali damno, æterna ſaltem damnatione.) Cum eo namque eſt principium rerum omnium, nempe diuinitas Patris, cuius Maieſtas elucet quidem in illa bonitatis ſuæ diffuſione, qua ſanctos ſplendore gloriæ illuſtrat: ſed multo magis, quia ante ſecula genitus in ſinu patris conquieſcit. Manifeſtat autem virtutem ſuam, ac poteſtatem, quæ data eſt ei in cælo & in terra, dum electos gratia in hoc ſeculo decorat, & gloria in cælo coronat. At multo maior eſt eius ſplendor inter ſanctos, quod ſit ab æterno Patre genitus. Vnde non etiam mirum eſt quòd ſempiternum habeat Sacerdotium, ſecundum ordinem Melchiſedech: qui enim habet plus, poteſt habere & minus. Si igitur ab æterno eſt à patre genitus, in æternum permanere poterit, licèt ſecundum humanitatem habeat initium, ex Matre Virgine procreatus. Minus quippe eſt habere initium ſine fine, quàm habere æternitatem initio & fine carentem. Eius igitur Sacerdotium eſt ſempiternum, non ſecundum quod genitus eſt à Deo patre ante omnia ſæcula, coæternus gignenti, & conſubſtantialis, verus Deus manens apud Patrem; ſed ſecundum quod natus eſt ex vtero virginali, in fine temporum homo factus, propter victimam, quam pro nobis obtulit, & ex nobis aſſumpſit & accepit, ſuam videlicet carnem, ſuumque ſanguinem; & quia in ſempiternum ſe offeret Patri, à quo ſe omnia habere profitetur, ſempiternum eſt eius ſacerdotium, nos ſecum offerendo in holocauſtum ſuauiſſimum Deo, *cum tradiderit regnum Deo & patri, vt ſit Deus omnia in omnibus*. Et quia hæc oblatio ſui ipſius quotidie offertur à Sacerdotibus noui teſtamenti, ſui Sacerdotij æterni Miniſtri, ſub ſpecie panis & vini;
A ideo hoc ſempiternum Sacerdotium dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech: non enim offert victimas legales, ſecundum ordinem Aaron, ſed inſtar Melchiſedech panem & vinum, carnem videlicet & ſanguinem ſuum: quæ duo munera commiſit Eccleſiæ ſuæ in ſui memoriam offerenda, vt notauit Primaſius. Rex & Sacerdos à Spiritu ſancto vnctus, qualis fuit olim Melchiſedech, qui ſemel obtulit panem, & vinum: quia ſemel tantùm Chriſtus, cuius erat typus, cruento modo ſe obtulit immolandum. Sed quia *iurauit Dominus & non pœnitebit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*; ideo oportuit vt quotidie offeratur modo incruento, iuxta ritum ordinis Melchiſedech, vt ſic
B dicatur ſempiternum habere Sacerdotium: cuius finis obtinebitur in patria, cum omnia Chriſti membra cum ſuo capite fuerint Deo perfectiſſimè conſecrata, & in eum abſorpta, per intuitiuam cognitionem & indeficientem charitatem.

Interim oportet inſuper, vt ſui Sacerdotij ac regiæ dignitatis munia per Eccleſiæ Paſtores exerceantur, quos poſuit in nomine ſuo regere Eccleſiam Dei: ne in vanum poteſtatem omnem ſe recepiſſe in cælo & in terra profiteatur: quæ quidem tanta eſt, quia Dominus eſt à dextris eius; & ipſe ſedet ad dexteram patris, vt in terra in die iræ ſuæ confringat reges ſibi contradicentes, iudicia exerceat in nationibus, quas inuenerit dignas clementia,
C miſericordia, & benignitate, ad gloriam deducendo per voluntariam ſubiectionem, & mandatorum ipſius obſeruantiam; illiſque implebit ruinas in cœlo factas, Angelorum caſu; quas verò repererit ſibi contradicentes, & honorem à patre ſibi promiſſum illi exhibere nolentes, conteret ſub pedibus, & conquaſſabit capita contradicentium in terra multorum. Hoc promeruerunt illius humilitas, obedientia, paſſio, mors, iuxta illud: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput*. Pſ. 109. Quin inſuper & in hac vita, per eos quos elegit, vt ſuas vices teneant, rebelles & contumaces in ordinem rediget; & niſi obediant, ad æterna ſupplicia oblegabit abſciſſos ab vnitate corporis myſtici, per gladium
D anathematis, quo feriuntur illi, qui Eccleſiæ Paſtoribus, illiuſque mandatis obedire per contumaciam nolunt. Et hæc eſt nouiſſima plaga, & conſummata ira Dei. Vulnerantur quippe peccatores, dum ad contritionem peccatorum prouocantur. Iram Dei experiuntur; dum multa illis pati neceſſe eſt, ad peccatorum ſuorum expiationem. Sed hæc plaga non eſt nouiſſima, ſeu vltima, quæ infligi poſſit. Poſito enim quod quis in peccatum rurſus incidat; vel ei adhuc erit ad pœnitentiam recurrendum, vel nouiſſimâ plagâ finalis impœnitentiæ, qua mor-

Digitized by Google

A tem incurrat æternam, vulnerabitur. Vnde expiationes peccatorum non dicuntur propriè ira conſummata: quia ſalutem adducunt; ſed tunc conſummata ira dicitur, cum nulla ſpes ſalutis relinquitur.

In hoc vltimo ſenſu exiſtimamus ſumi plagas iſtas, ad effuſionem phialarum infligendas; quod qui non atttendunt, multas difficultates ſubeunt in explicatione huius capitis. Quid enim ſalutare poteris inuenire in his plagis, in quibus tantum vulnus ſæuum, mortem, ſanguinem, blaſphemias, & nihil niſi funeſtum repeties?

Quod ſi illas, vt reuera ſunt, tanquam quid proprium reprobis conſideres, malè ex phialarum effuſione quiddam ſalutare conſequi aliqui aſſerunt. B Inter quos Alcazar. Eſto, phialæ contineant Euangelij prædicationem. Eſto, inquam, liquorem illum, qui in eis eſt, & ita Dei nuncupatur, dicas eſſe ſanguinem Chriſti, & virtutem eius efficaciſſimam; effectus tamen, qui ex illa effuſione prædicationis & ſanguinis (non per ſe, ſed per malitiam eorum, ſuper quos effunditur) ſubſequuntur, non ſunt ſalutares, ſed funeſti. Nam prædicti effectus aliquid peius quàm mortem corpoream prætendunt, & ſignificare videntur. Dicuntur repetiri in his potiſſimùm, qui habebant characterẽ beſtiæ, nec mortem vita videtur ſubſequi, aut ex bello pax oriri, imo mors vitam adimit, & de internecione eorum, qui occiduntur, fit iubilus; vt pote qui digni ſunt affici C ſupplicio; ſanguinem ſanctorum, & Prophetarum effuderunt. Iuſtè igitur ſanguis ad bibendum eis proponitur. Et cum blaſphemias audis, in quartæ, & quintæ phialæ effuſione, certè nihil ſalutare hæc redolent; vt de morte & occiſione myſtica, qua vita gratiæ confertur, hæ plagæ debeant explicari. At ceſſat omnis hæc difficultas, ſi dicamus hic non deſcribi proprios & ſpeciales effectus effuſionis phialarum, qui in bonis & electis ſalutares ſunt; ſed deſcribi & repræſentari quidquid opponitur & contradicit cuilibet effuſioni miſericordiæ diuinæ, ac benignæ liberalitatis eius erga homines; quos donis & gratiis cumulare deſiderat, dum Paſtoribus Eccleſiæ D ſuæ adeo inſignes contulit poteſtates, quales ſunt illæ, quas ſupra per phialas deſignari diximus. Poſt effuſionem itaque phialarum, in hoc capite nihil ſalutare expectes, ſed tantùm vitia & abominationes hominum impiorum, quibus impedire conantur, ne præclari & proprij effectus effuſionis phialarum eueniant & producantur. Et hoc modo phialæ dicuntur plenæ iracundiæ Dei viuentis: nam ſi proprios eorum effectus ſpectes, verè plenæ ſunt iracundiæ Dei viuentis, cum plenæ ſint meritorum ſanguinis Chriſti, ſeu donorum nobis acquiſitorum per meritum paſſionis, effuſionis ſacri ſanguinis eius, cum Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, & cum ipſo omnia nobis donauit; inſuper fructum paſſionis illius adulti non E obtinent, niſi per tolerantiam plurimorum laborum, quibus Deus contra peccatum iraſci dignoſcimus; Denique nec in electis aut amicis illud impunitum relinquit, ſed pœnas exigit temporales, dum æternas propter Chriſti mortem benignè dimittit: Si autem conſideremus quomodo hominum impiorum peruicacia tantis donis Dei ſeſe opponat, verè plenæ ſunt iracundiæ Dei: nam ex earum effuſione manifeſtatur, quanta ſit impiorum peruerſitas, qui Deo miſericorditer cum eis agenti contradicere audent: vnde nouiſſima anathematis plaga vulnerantur, & ira Dei per damnationem æternam conſummatur.

CAPVT XVI.

Et audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

Vox magna è templo, motio & impulſio Spiritus ſancti mouentis Eccleſiæ Paſtores ad exercitium muniorum ſuorum.

ANNOTAT. I.

EADEM vox Angeli fortis, id eſt Spiritus ſancti, quæ olim mouit corda Apoſtolorum, vt orationi inſtarent, qua impetrare poſſent, vt per Euangelij promulgationem fundamentum Chriſtianæ Religionis, nempe Chriſti Domini & Saluatoris noſtri cognitio poneretur; nunc mouet & impellit corda quorumcumque Eccleſiæ Paſtorum, vt facultatibus ſibi datis vtantur, quarum vſu Chriſti regnum viſibile promoueant in terris. Audit illam S. Ioannes, quia reuelatione ſpeciali cognoſcit hoc futurum. Audit illam tanquam vocem magnam, quia indigent homines forti impulſu Spiritus ſancti, vt tantum & tam arduum opus aggrediantur, quod dæmones impedire ſatagunt, cui omnes poteſtates ſeculi contradicunt, iuxta Pſ. 2. *Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*: Carni etiam terribile, vt pote vitam exponens laboribus, periculis, quin & tormentis & morti. Egreditur vox de templo, vt intelligamus ad quid ordinetur, nempe ad Dei cultum externum promouendum in terris. Cum autem Dei cultus duo reſpiciat, & honorem Deo meritò exhibendum, & creaturæ rationali bonum conueniens, quo ad ſuum finem vltimum perueniat; illa vox duo motiua valde vrgentia inculcat Eccleſiæ Paſtoribus, nempe vt Deo obedientes, qui fidelitati & prudentiæ eorum, negotium tanti momenti commiſit, cultum ſibi & obſequium ab hominibus præſtandum promoueant, iuxta ſibi iniunctum munus & officium; Secundò, vt zelo ſalutis animarum ad vitam æternam præordinatarum impulſi, earum neceſſitati ſubueniant, præcepto Chriſti obtemperent, dum quod iniunctum fuit olim Apoſtolis adimplent, prædicantes quia Chriſtus *ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum*. Actuum 10. Et hoc non ſolùm Iudæis ſed & gentibus omnibus annuntiant, iuxta illud Act. 13. *Vobis oportebat* (nempe Iudæis, quos alloquebantur Paulus & Barnabas) *primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium: vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Dei igitur eſt magna vox, vt licèt mundus ſeſe opponat & reclamet, tamen qui cooperatores à Deo ſeliguntur in tanto opere, quale eſt promotio diuini cultus, nihil reformident, ſed ad opus ſtrenuè aggrediendum ſe accingant, ſcientes Deo magis obediendum eſſe quàm hominibus. Act. 5. Neceſſitati prædeſtinatorũ occurrunt, dum zelo ſalutis eorum mori ſua obeunt munia. Hoc zelo animatus Paulus, anathema volebat eſſe à Chriſto pro fratribus. Rom. 9. Hoc zelo ipſemet motus, ſalutem & profectum omnium percupiebat, iuxta quod Philippenſes alloquens aiebat: *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens ſuper communicatione veſtra*

Digitized by Google

in Euangelio Chriſti, à prima die, vſque nunc: confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu: ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, vt probetis potiora: vt ſitis ſynceri, & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei. Audiſne vocem magnam fortiter in Paulo clamantem, ſiue quia exoptat Dei cultum promoueri, ſiue quia magnopere deſiderat animas fidelium in charitate ad ſalutem æternam conſequendam conſummari?

Sed quia Deus vel interiùs loquitur diuina inſpiratione, vel etiam exteriùs ſuperiorum iuſſione, ideo hæc vox de templo dicitur exire, non ſolùm quia ordinatur ad Dei cultum promouendum, aut ad ſalutem animarum procurandam: ſed etiam quia per Prælatos ſuperiores aliquando inferioribus iniungitur vt muneri ſuo ſatisfaciant, nec ſegniter munia ſua obeant. Hinc hanc ſuperiorum iuſſionem ſub illa magna voce intelligimus: Et rectè: Superiores namque inferioribus præcipiunt, quia inſpiratione & motione Spiritus ſancti ipſimet mouentur & impelluntur ad præcipiendum. Fauet Primaſius dum in hac voce diuinam iuſſionem aut poteſtatem Eccleſiæ traditam videtur intelligere. *Incunctabilis*, inquit, *hîc diuinæ iuſſionis exitus reuelatur; ſed etiam illa poteſtas, quam diuinitùs accipere Eccleſia ſpecialiter meruit, iudicium irrogare damnandis, & abſolutionem miſericorditer dare conuerſis.* Ita Primaſ. Magna vox de templo, vt vult Alcazar, non ſolùm denotat præceptum Dei Opt. Maximi: verum etiam Apoſtolorum decretum in eorũ Concilio Sancitum de Euangelio gentibus promulgando, deque myſtica Romani imperij expeditione aggredienda. *Vt autem ſignificetur & maximum rei momentum, & maximum lumen, quod viris Apoſtolicis de cœlo ad eam cognitionem affulſit, appellatur vox magna, quæ ſeptem Angelis, id eſt, Euangelicæ prædicationis Miniſtris indixit, vt phialas in terram diffunderent.* Ita Alcazar.

S. Thomas: *Et audiui, in interno auditu: vocem magnam, id eſt, inſpirationem diuinam fortiter inſtigantem: quia ſanctos & ſpirituales prædicatores docet diuina inſpiratio, quando, & quomodo, & quid debeant prædicare Iob. 4. Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, &c. De cœlo, id eſt, de ſublimitate deitatis, vel de Eccleſia in qua Deus habitat: Aliqui libri habent, de templo, id eſt, de ſacro ac venerabili ſecreto diuinæ maieſtatis, vel de Eccleſia, in qua Deus habitat, vt in ſuo templo. Vel, vocem magnam, id eſt, aliquam commonitionem, ſiue per Angelum, ſiue per Prælatum ſuperiorem, ſiue per viſionem in ſomno, ſicut legitur, Act. 16. Vir quidam Macedo, &c. Et dicitur vox magna, quia magna ſuggerens, &c.* Ita S. Thom.

Ambroſius: *Vox de templo, vox Domini eſt præcipientis prædicatoribus vt verbum Dei non ſolùm electis, ſed etiam reprobis annuntient: quatenus habeant iſti vnde corrigantur, & illi vnde deteriùs damnentur.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Magna vox iſta eſt: quia magnam ſonat iram. Hæc de templo auditur: quia cum de cæremoniis templi Iudaici exituri eſſent, ſicut iam dictum eſt, eiſdem Angelis mox paſſurus prædixerat Dominus Ieſus: Et cum venerit paracletus, ille arguet mundum de peccato, &c. Ite ergo, inquit, & effundite phialas iræ Dei in terram. Id eſt: Palam arguite mundum: & dicite quas ob cauſas, qui terra ſunt, amando terram, Dei viuentis mereantur iram.* Ita Rup.

Ambroſius Anſbertus: *Quid eſt autem ad Angelos* A *Deum dicere: ite, &c? Niſi, ite, & offerte vulneratis potionem ſanitatis: quam ſi ſuſcipere renuerint, ne ſine excuſatione pereant, eoquod eis non fuerat oblatum remedium ſalutis. Inuitos eos etiam perfundite, vt quod eis peruenire non potuit ad remedium ſalutis, in teſtimonium cedat damnationis: Et addat adhuc deteriora vulnera medicamentum potionis perfuſum, quod curare poterat præcedentia, ſi gratanter hauſtum fuiſſet ſtatque illis modo miſerabilis, vt vnde alij veniam placationis, inde ipſi ſumant iram vltionis. Hæc denique eſt illa poteſtas Eccleſiæ, quam principaliter meruit accipere à Chriſto, videlicet in cœlo pariter & in terra, ligans & ſoluens, aliis ſua prædicatione conuerſis viam placationis, aliis verò minimè conuerſis iram irroges vltionis.* Ita Anſbertus. Quæ ſanè multum fauent noſtræ expoſitioni.

B Ex his omnibus expoſitionibus videri poteſt noſtram nihil habere aut continere, quod meritò reiici debeat, aut ſit contrarium communi illi rationi, qua Patres vtuntur in exponendis ſcripturis. Quod ſi quis aliorum ſententiam maluerit ſuſcipere, tanto faciliùs illud concedam, quod parum aut nihil officia interpretationi ſubſequendum: in quibus ex effuſione phialarum, ſeu executione munium Hierarchicorum Paſtorum Eccleſiæ, quanta ſit hominum peruicacia ad impediendum Chriſti Dominium & regnum, innoteſcit: propter quam tandem iram Dei contra ſe exacuerit, & mali ad ſupplicia deputabuntur æterna. Hinc ſi propter profuſionem C gratiarum copioſiſſimam magna vox audita eſt cap. 5. nunc magna vox auditur, propter timorem ingentium ſuppliciorum, quæ Deus expoſcit ob finalem hominum impœnitentiam.

Ite & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

Quid ſit effuſio phialarum, & quare ſuper terram?

ANNOTAT. II.

TERRÆ nomen pro orbe vniuerſo accipitur, id eſt, pro vniuerſis nationibus; & in terram, hoc eſt, in terrenos homines hæ omnes plagæ effunduntur, etiamſi vi- D *deantur prima ſpecie alio ſpectare, quemadmodum lapis in aëra coniectus, in terram demum recidit. Forte etiam etiam ſeptem Angeli in templo cæleſti eſſe figurentur, innuitur eos ex æthere phialas deorſum, id eſt, verſus terram effundere: quamuis non phialæ omnes liquorem rectà in terram immittant. Quod ſi ad ſignificationem ipſam, mentis oculos conuertamus, meritò phialæ omnes in terram iubentur effundi: inde enim ſubſecutura erat terrenarum affectionum medicina, & myſtica de terrenis hominibus vltio, tantopere ab Apocalypſi celebrata.* Ita Alcaz. Et hoc optimè, ſi pro myſtica vltione, per quam intelligit gentilium conuerſionem, veram & realem vltionem intelligas per ſubtractionem gratiæ, propter quam voluntati Dei homines terreni reſiſtant; itaut ex hac vita migrantes, in peccatis obdurati æternos cru- E ciatus experiantur.

Per terram, inquit Ambroſius, *verè peccatores deſignantur.* Ticonius: *Mare flumina, fontes aquarum, ſol, thronus, fluuius Euphrates, aër, ſuper quæ Angeli fuderunt phialas, terra eſt & homines: quia omnibus Angelis in terram fundere mandatum eſt.* Ita Ticon.

Quanam autem ratione, iidem homines peccatores & reprobi, ſub his diuerſis ſymbolis deſignentur, nobis eſt enucleandum.

Et primò, per terram intelliguntur: quia ex terra procreati, ad amorem terrenorum ſunt procliues, & vix cæleſtia poſſunt percipere: quia terrena mole obruti & grauati exiſtunt. Terra igitur dicuntur, vt intelligamus, quam difficile ad cæleſtia eleuantur.

Digitized by Google

Secundò, homines conſiderari poſſunt vt terra mari cooperta, vt intelligamus ſtatum eorum in peccato originali. Nã ſicut diluuio omnes homines perierunt (nam *vehementer inundauerunt aquæ, & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ: & præualuerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo*. Geneſ. 7. Ita peccatum habituale, originale præcipuè, omnes mortales inundauit, eoſque etiam, qui prædeſtinantur etiam ſanctitate conſpicui, cooperuit.

Tertiò, homines conſiderantur ad modum terræ, è cuius viſceribus fontes, & flumina emanant & ebulliunt: vt concipiamus quomodo ex animæ eſſentia, & ex natura totius ex materia & forma compoſiti, quædam ebulliunt potentiæ, ſeu facultates intellectiuæ & ſenſitiuæ, quæ ab obiectis materialibus ad operationes ſuas excitantur; itaut nec aliquid reperiatur in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu.

Quartò, homines concipiuntur ad modum terræ, in quantum à ſole illuſtrari poteſt: quo ſymbolo concipere poſſumus homines, in quantum ſunt rationales, & intellectuales creaturæ: quibus datur ſolem conſpicere, quia capaces exiſtunt aprehenſionis veritatis; imo poſſunt ſupremam etiam (diuina gratia fræti) veritatem contemplari, qua quidem ratione veritas in eorum mente, tanquam lumen & claritas in ſole, inſidere & inhærere debet.

Quintò, homines conſiderantur ad modum terræ, quæ fixa & immobilis manet, omniumque animalium & reptilium, ſedes eſt & habitatio: vt in hoc ſymbolo concipiamus vim liberæ voluntatis, quæ, quia regina & domina eſt actionis propriæ, poteſt ſibi finem vltimum præſcribere, in qua intentione fixa & immobilis perſiſtat: quæ quidem libertas in ſeligendo ſibi fine, in cuius amore fixa remanet, elucet maximè; quod etiam malum ſub ratione boni apparentis ſibi pro fine præſcribat, ac dicat homo: *Video meliora proboque: deteriora ſequor.*

Sextò, homines concipiuntur ad modum cuiuſdam partis terræ, quæ alluitur aliquo flumine, dum ſub ſymbolo fluuij Euphratis deſignantur: vt intelligamus ex natura ſua homines poſſe quibuſdam legibus, quaſi quodam flumine circumſcribi: vltra quos fines non debeant progredi. Quo fit, vt ſi malo vſu libertatis, qua ditati ſunt, leges ſibi à Deo præſcriptas tranſiliant, & voluntariè, plena deliberatione in peccatum prorumpant, finem alium à Deo ſibi præſcribentes, crimen incurrant ſupplicio dignum, licèt hoc naturaliter agant, quòd illis liberum ſit agere aut non agere, hoc aut illud ſeligere, aut illud reſpuere.

Denique homines conſiderantur ad modum terræ, quæ aëre circumdatur: vt hoc ſymbolo percipiamus nunquam homines flexibilitate voluntatis ſpoliati: nec enim vnquam libertatem amittunt, dum hunc aërem illis reſpirare licet: quo fit vt nunquam de eorum ſalute, dum adhuc viuunt, ſit deſperandum.

Nunc quid ſit effuſio phialarum in terram, id eſt, in homines ſub his diuerſis rationibus conſideratos, nobis eſt inquirendum.

Prædicatores, inquit Ambroſius, *itaque phialas ſuas ſuper terram effundunt, cum verbum Dei peccatoribus annunciant*. Ita Ambroſ.

Primaſio, *effundere phialas, eſt poteſtate diuinitus accepta ab Eccleſia iudicium irrogare damnandis, & abſolutionem miſericorditer dare conuerſi*. Ita Primaſ.

Rupertus: *Ite, & effundite phialas iræ Dei in terram, idem eſt ac ſi diceret: Palam arguite mundum, & dicite quas ob cauſas, qui terra ſunt, amando terram, Dei vincentis merentur iram*: Ita Rupertus.

S. Thomas: *Ite, inquit; notatur miſſio actualis, vt actu prædicent. Iſ. 17. Ite Angeli veloces, ad gentem conuulſam, &c. & effundite per diuerſas partes abundanter. Per hoc enim quod dicit: Effundite: notatur modus prædicandi, ſcilicet cum abundantia comminationum. Septem phialas, iræ Dei vniuerſam ſcientiam, continentem comminationes pœnarum, quæ ſunt ex ira, id eſt, ex iuſtitia Dei: in terram, id eſt, in terrenos: quaſi dicat: Abundanter comminamini peccatoribus pœnas ex diuina iracundia infligendas, &c.* Ita S. Thom.

Mihi autem idem eſt ac ſi diceretur cunctis ſaluti fidelium conſulere cupientibus, Regnum Chriſti ſtabilire deſiderantibus, contra illius hoſtes dimicare, eoſque conterere volentibus: ite, & effundite phialas veſtras in terram. Id eſt: ite, vtentes autoritate legitimæ miſſionis veſtræ, ad opus magnum & arduum à me vocati, electi, & deputati: Et effundite phialas in terra: Munia diuerſa, & officia ſuſcepiſtis, vt mei ſitis cooperatores, miniſtri, ac ſtrenui commilitones: illa exercete: vnuſquiſque ſuum adimpleat munus, quodcumque illud ſit, ad quod præſtandum, & exhibendum electus fuerit. Omnem terram circuite & perambulate, vt exeat in omnem terram ſonus veſter, & in omnes fines terræ verba veſtra audiantur. Poteſtates vobis traditæ per phialas aureas repræſentantur: & ex conſulto: vt ſciatis opus veſtrum fore cum omni fidelitate, prudentia, & ſapientia obeundum. Et hac ratione, dum veſtra exercendo munia, meas effundetis liberalitates, quanta ſit miſericordia mea & benignitas erga peccatores agnoſcetur; imo etiam quantâ ſapientiâ hæc omnia perficiantur, manifeſtabitur. In his ſiquidem phialis, in his facultatibus ac donis vobis collatis, continentur ineſtimabiles ac indicibiles gratiæ, quas ex abundantia bonitatis & miſericordiæ, filius meus dilectus hominibus promeruit, dum dies vltionis, ac vindictæ peccatorum, illi gratiſſimus & optatiſſimus fuit iuxta quod ait apud Prophetam: *Dies vltionis in corde meo: annus redemptionis meæ venit*. Iſa 63. Nam dum voluntariè & cum gaudio ſuſtinuit crucem, ac ſubire, voluit mortem, vt rigori ac ſeueritati iuſtitiæ meæ plenè ſatisfaceret, carnem quidem ſuam variis circumtexit ac induit pœnis, flagellis, tormentis: & inquinauit maledictis, factus pro vobis maledictum. At multa vobis promeruit dona, quæ ab infinita ſapientia mea ordinantur, vt efficaciter meritorum paſſionis ipſius poſſitis eſſe participes. Hæc dona in phialis aureis includuntur, id eſt, in facultatibus & poteſtatibus vobis collatis. Hoc ſuaue balſamum meritorum illius, quod expreſſum eſt ex illius preſſuris & doloribus immenſis, quos volui illum ſuſtinere, vt ira mea contra homines peccatores prouocata, ſopita conquieſceret, vt ſic mihi reconciliarentur, & in meam redirent amicitiam,) effundite ſuper eos. Scio equidem in plurimis hanc profuſionem donorum cæleſtium fore inutilem, pro bona erga eos mea & veſtra voluntate ingrati, addent peccata grauiora aliis iam perpetratis; & quidquid impendetis laboris, hoc totum perſecutionibus ac contradictionibus tantum compenſabunt. At nihilominus impigrè cuncta peragite. Multi ex talium donorum effuſione proficient in melius; & ſi quidam, imo quam plurimi, in peius proficiant, ſeu peiores euadent, propter nimiam cordis malitiam; hoc meam tamen commendabit charitatem. Nam dum ad promouendum cultum & obſequium meum plurimum laborem impenditis, hi tam generoſum ac ſanctum propoſitum oppugnabunt variis vitiis, & horrendis abominationibus: vt manifeſtè appareat ipſos nimiùm eſſe terreſtres, verè peccatis eſſe obrutos &

Digitized by Google

coopertos, ad omnem concupiſcentiam explendam profuſos, lumine rationis orbatos, creaturæ potiùs quàm creatori ſeruientes, ad omne bonum opus reprobos, & reos æterni delicti. Siquidem dum in Spiritum ſanctum peccant, reſpuentes omnia remedia, quibus, ſi voluiſſent à peccatis poterant liberari, & Deo reconciliari per pœnitentiam, certè reos ſe conſtituunt æterni ſeu irremiſſibilis delicti, iuxta illud Marci 3. *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum; ſed reus erit æterni delicti.* Marci 3. Contra tales vobis decertandum eſt, legem illis proponentes ſeruandam, terrenis & carnalibus affectibus eorum omnino contrariam. Ite igitur, & veſtra munia & officia exercete ſtrenuè & audacter: orationibus inſtantes eſtote, &c. vt in Paraphraſi huius capitis ſupra: ne eadem repetamus.

Et abiit primus: & effudit phialam ſuam in terram. Et factum eſt vulnus ſæuum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.

Effuſionem phialæ primæ in terram eſſe donum orationis aſſeritur, quæ etiam pro malis & peccatoribus fieri debet.

ANNOTAT. III.

ET *abiit primus* Angelus, nempe Epiſcopus Epheſinus, in quo ſignantur ij, qui donum orationis à Deo acceperint. *Et effudit phialam ſuam in terram.* Id eſt, cæpit orationes & ſupplicationes ad Deum fundere pro peccatoribus. Non nihil remiſerat de priſtino feruore concepti ſpiritus; ſiue quia propriè perfectioni non ita ſedulò inuigilabat, quæ prima eſt charitas; ſiue quia de ſalute proximorum procuranda non ita feruenter cogitabat, vt antea fecerat: qui zelus etiam potior eſt charitatis, quam ad proximum habemus; effectus: nec enim ſatis eſt ad propriam perfectionem, vt quis labore in agendis, & patientia in tolerandis aduerſis præditus ſit, niſi etiam peccatis aliorum ſeſe opponat, & ſolicitudine ac vigilantia multa caueat ne errores ſubrepant, quibus peccata fouerentur. Quod dum quis cum patientia præſtat, laudabilem ſe præbet, & commendatione dignum. Sed nec illud ſufficit, vt odio habeat peccata & facta peccatorum & hæreticorum, niſi inſuper eorum exoptet conuerſionem: Hac charitate primitùs hic Epiſcopus erat præditus: ſed forte negotio pertæſus, propter quorumdam pertinaciam; nec in melius proficiens, vt aliorum eſſet exemplo; nec ita feruidè operi conuerſionis animarum incumbens vt antea, ideo reprehenſus fuit, quaſi qui primam & præcipuam charitatem, tum erga Deum, cuius voluntas eſt ſanctificatio noſtra, tum erga ſeipſum, tum erga proximum reliquiſſet. Vnde reprehenſus fuit & ad pœnitentiam prouocatus, ne Eccleſia ſibi commiſſa aliquod detrimentum caperet; & ad prima opera facienda inuitatur: Quod quidem facillimum illi erat, ſi vincendo omne tædium & faſtidium in operatione, ederet de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei; id eſt, contemplationi & orationi vacare non deſineret. Meditatione nempe, & piis affectibus editur de illo ligno, quo vita ſpiritualis fouetur & nutritur; & charitatem obtinemus, qua diligamus diligenda: inter quæ propria perfectio, & ſalus æterna proximorum primas obtinent partes. Nec enim ſufficit ad plenè obtinendum effectum ſacramenti corporis Chriſti, qui dicitur lignum vitæ, vt quis edat corporaliter, & dentibus premat ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, niſi per piam meditationem & pium affectum, illi adhærere ſtudeat, eique ſe con-

A formare & aſſimilari exoptet, proximorum ſalutem vt propriam appetens, & quantum in ſe eſt, orationibus ſaltem adiuuans. Nihil ſiquidem adeo efficax eſt ad vires langueſcentes renouandas, quàm meditatio eorum, quæ ad Chriſti Domini perſonam ſpectant, piaque erga eum affectio. Vnde non mirum ſi hæc meditatio, & eleuatio mentis & affectus, quæ ſpiritalis eſt comeſtio, proponitur pro præmio huic Epiſcopo, ſi ad primum charitatis feruorem redierit. Hac enim ratione, & propriam obtinebit perfectionem, & coronam pro charitate ſua erga proximum reportabit; dum, quem edit ſub figura panis & vini, facie ad faciem videre poterit, beataque eius eſſentia illi frui licebit per viſionem beatificam. B Congruenter enim charitati perſeueranti, & non deficienti reſpondet gloria nunquam deficiens. At illius charitas non deficit, qui præſentiens omnia media, quæ adhibere poſſet, fore inutilia ad aliorum conuerſionem, propter illorum ſtupiditatem, animum tamen non deſpondet; ſed orationibus à Deo efflagitat, quod expetitur ſupra captum eſſe humanum, ſuamque ſuperare induſtriam, fragilitati & ſtupiditati illorum compatiens & Chriſti exemplum ſequens, qui antequam ad opus prædicationis ſeſe accingeret, abiit in deſertum, vt feruenti oratione initium, ſuæ prædicationi conferret. Matt. 4. *Exinde enim cæpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* C Pari modo ij, quibus incumbit aliorum ſaluti inuigilare, ſeriò ponderantes quanta fragilitate ac ſtupiditate homines ex terra ſeu luto compacti præditi ſunt, ſcientes proinde difficillimum opus eſſe illos ad cæleſtia amanda & proſequenda euehere, munere ſibi à Deo conceſſo, nempe cum eo in oratione familiariter colloquendi, vtentes, illum orare non ceſſant, vt peccatorum corda illuminet, & moueat, vt à viis ſuis prauis & peruerſis diſcedant, & ad eum conuertantur. Nec magnitudine operis deterrentur, plurimum de diuino auxilio confiſi, nec non promiſſis Chriſti fidem adhibentes, qui olim dixit: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* D Ioan. 14. At, quæſo, quodnam opus maius eſt miraculis & prædicatione Chriſti? Certè nullum aliud maius eſt, quàm conuerſio animarum ad Deum. Hoc opus & ipſe facit, non adhuc viſibiliter per ſe prædicando, ſed Deum Patrem orando. *Semper* enim eſt *viuens ad interpellandum pro nobis.* Hoc opus & ipſi perficiunt, dum eum adiutorem & aduocatum apud Patrem habentes, orationi inſtant, vt ab eo auxilium & opem obtineant: quod eis iniunctum fuit à Chriſto. Addidit: *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in filio.* Hinc *maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm locutus audientibus,* ait Auguſt. tract. 72. in Ioan. Et tract. 74. *Qui dixeras: Faciet; poſt ait: Faciam. Tanquam diceret: Non* E *vobis hoc impoſſibile videatur. Non enim poterit eſſe maior me, qui credit in me: ſed ego ſum facturus & tunc maiora quàm nunc; maiora per eum qui credit in me, quàm nunc per me. Quod non eſt defectio, ſed dignatio.* Ita Aug.

Cum igitur conuerſio animarum ſit opus tam arduum, nec ſine diuina virtute perficiendum, non mirum ſi dum de conuerſione animarum agitur, prima phiala effundenda dicatur eſſe ea, in qua orationes ſanctorum continentur. Certè quicumque ad tantum opus ſe præparare contendit, difficultate rei perterritus his verbis pij Regis Ioſaphat Deum orare debet: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* 2. Paralipom.

Digitized by Google

Kpom. 20. Semper igitur, & ſine intermiſſione, nobis eſt orandum. *In cæteris rebus*, vt notat ex Eccleſiaſte Antiochus abbas, homilia 91. *ſpectari debet & obſeruari temporis opportunitas, At orationi tempus non præſcribitur. Nunquam enim intempeſtiua poteſt eſſe oratio. Ait enim Dauid: Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. Et: Indeſinenter orate. In omnibus gratias agite.* Hæc ille. Sed maximè orationi inſtandum, ſi de conuerſione animarum promouenda agatur. Multa enim ſunt, quæ regnum peccati plurimum iuuant, & pietati officiunt. *Inter maximas*, inquit S. Hilarius in Pſalm. 63. *enim ſeculi tempeſtates, & grauiſſimas humani generis in Deum impietates ſumus conſtituti, cuius fidelem per nos & veram confeſſionem nunc Philoſophia irrideat, nunc hæreticorum furor incurſet, nunc auaritiæ ſtudia condemnent, nunc ambitionis furor inquietet: quibus omnibus diſſimulandis, tolerandis, vitandis & coarguendis, mens noſtra niſi per Deum erudita non ſufficit. Quantis enim, & quàm moleſtis diſputationum aculeis, Dei prouidentiam, & principalem, inimitabilem, in creato ab eo mundo dominatum eius, Philoſophia impugnat, nunc aquæ, nunc terræ; nunc atomis, nunc cælo, Dei nomen indulgens? Quàm verò ingenioſo calliditatis vſu, fidei doctrinam hæreticus mentitur? Quanto deinde audientium periculo, opum gloriam auarus affirmat? Quanto quoque continentiæ excidio, gaudia corporis voluptatum aſſertor exequitur? Quàm peſtifera autem ambitioſorum in honoris adhortatione facundia eſt? Quibus omnibus peruigil cura, per nox oratio, & æterna ad Deum confeſſio repugnabit, &c.* Et paulo poſt: *Ingruentibus his, quæ ſuperiùs memorauimus, per quæ fides noſtra & ſpes periclitantur; ad eum, qui ſolus his mederi poteſt, refertur oratio. Metus eſt enim ne infirmam per naturam & conſortium carnis animam vndique ſubrepentium illecebrarum æſtus abſorbeat. Adſunt namque quotidie & pugnant, blandimentis fallacibus, quaſdam machinas excidij admonentes. Itaque per doctrinam cæleſtis eruditionis, peruigilem curam fidei impendere admonemur, timere inſidiantem ſemper hoſtem ne incautam ſecuritatem noſtram ipſe in ſpeculis poſitus incurſet. Vigilandum ergo in oratione Dei eſt, & ſemper orandum: vt cum fatigari anima, & affligi ſubrepentium illecebrarum aculeis cœperit; Deus ſemper oratus exaudiat, noſque ab eis quæ timemus eripiat.* Ita S. Hilarius. Cum igitur tot & tanta ſint, quæ aliorum ſaluti & noſtræ periculoſa ſunt, ſine vlla intermiſſiione eſt orandum. De neceſſitate orationis lege S. Thomam, 2.2. q.83. ar. 2. ad primum.

Conſiderandum, inquit S. Chryſoſthomus, *quanta eſt tibi conceſſa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere ſermones, optare quod velis, quod deſideras poſtulare.* Ita Chryſ. Hoc noſtra exigit indigentia, cui ſubuenire Deus nullo iure tenetur, niſi ex mira & gratuita liberalitate. *Quis* enim *prior dedit illi, & retribuetur ei?* Hoc rerum magnitudo vires noſtras exuperantium requirit, quales ſunt oppugnationes dæmonum, quorum quidam ſunt, qui non ejiciuntur, niſi in oratione & ieiunio; qualis eſt mentis cæcitas, voluntatis imbecillitas ex malitia, carnis infirmitas, tot tantiſque malis ac morbis oppugnata, vt quo ſe vertat ignoretur, niſi præſens adſit Dei auxilium. Hac enim de cauſa Deus vult nos inter tot aduerſa & pericula vitam tranſigere, vt nos ipſi conſideremus in his ad diuinum auxilium eſſe recurrendum, vt recognoſcamus eum eſſe bonorum noſtrorum autorem, vt homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſecula diſpoſuit donare. Hic frequens ad Deum recurſus per orationem, ſignum eſt amoris & charitatis in Deum. *Qui amat Deum*, inquit ſanctus Nilus, de oratione cap. 51. *ſemper cum hoc, tanquam cum patre, conſuetudinem & ſermonem*

A *habet, repudians omnem notionem turbatam* Ita Nilus. Hoc Deo gratum: hoc Angelis etiam periucundum. Vnde Cant. 8. ſponſus ad ſponſam ait: *Quæ habitas in hortis; amici auſcultant. Fac me audire vocem tuam.* Olim Othoniel filius Cenez, Axam filiam Caleb ſibi in matrimonio datam à patre, quia primus ciuitatis Cariathſepher muros conſcenderat, docuit vt à patre ſuo poſtularet terram aquis irriguam. *Da mihi*, dicebat illa cum ſuſpiriis, *benedictionem. Terram Auſtralem & arentem dediſti mihi iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius, & inferius.* Ioſue 15. Nunc vetus Othoniel, qui interpretatur tempus Dei (hora Dei nempe Chriſtus, qui in plenitudine temporum à patre miſſus eſt) dum noſtram induit naturam, verè cœpit ciuitatem Cariathſepher, quæ interpretatur, ciuitas litterarum: quòd de homine dici poſſit: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Data eſt illi Axa filia Caleb in ſponſam, nempe Eccleſia, verè compoſita & adornata: quod Axæ nomen indicat. Adſtitit enim tanquam regina à dextris eius, in veſtitu deaurato, circundata varietate. Hanc docet vt potiſſimum à Patre petat terram aquis irriguam, nempe mentem cæleſtibus donis gratiæ præuentam, quo poſſit dignos pœnitentiæ fructus facere. *Oportet*, dicebat ipſe olim Apoſtolis, *ſemper orare, & nunquam deſiſtere.* Luc 18. Dat irriguum ſuperius & inferius: quia ad mentis illuminationem, & ad appetitus compeſcendos, vtilis eſt oratio.

C At iuſtum eſt, *non ſolùm pro purgatione propria orare, ſed etiam pro omnium purgatione, vt morem Angelorum imiteris*, inquit Nilus de orat. c. 37. Hoc modo implebimus ſapientis præceptum, Eccleſ. 9. *Sint in omni tempore veſtimenta tua candida, & oleum in capite tuo ne deficiat.* Mundat enim oratio mentem; & dum miſericordia & compaſſione miſeriæ peccantium, Deum oras pro eorum conuerſione, oleum à capite tuo non deficit; & quanto maior eſt peccatoris miſeria, tanto oratio debet eſſe feruentior & frequentior, vt illius miſeriæ occurras, ſi fieri poſſit. *Ne timeamus*, inquiebat S. Martialis, Epiſtol. 2. ad Tholoſanos, *vllo modo filios mendacij, qui inuidia & multis peccatis obcæcati, indigni ſunt cognoſcere veritatem Dei: etſi co-*
D *gnoſcunt, non eam diligunt; quin potiùs perſequuntur, quantum in ipſis eſt; quorum vindicta in proximo inſtat: quia quod nolunt, recuſant; quod volunt, approbant: quorum taciturnitas, (ſi non eam perſequerrentur) ſufficeret illis ad damnationem gehennæ. Nunc autem, quia cognitam perſequuntur, centuplicatam ſibi gehennam acquirant.* Matt. ep. 2. c. 14. Tamen idem ſanctiſſimus Apoſtolus non vult vt oleum orationis pro eiſdem deficiat. Nam cap. 15. ait: *Rogate tamen pro talibus, obſecrationem ad Dominum facientes, vt ſi non cognoſcant claritatem veritatis, quomodocumque item ab ignorantiæ nocte reſurgant, & aperiantur oculi eorum, ad intelligenda diuina & pietatis plena myſteria. Qui verò puritatem veritatis cognoſcunt quidem, ſed non diligunt, orate pro eis, vt purgen-*
E *tur à malitia & nequitia cordis ſui.* Ita S. Martial. Et licèt orationis fructus permodicus, aut tardè obuenturus expectetur, tamen ab oratione pro peccatorum conuerſione non eſt ceſſandum. Docet hæc duo Eccleſia apud Rupert. l. 6. de diuinis officiis c. 18. dum orat in die paraſceues pro Iudæis; nec genua flectit ad pronuntiationem Diaconi, vt in aliis orationibus. *Videlicet*, inquit Rupertus, *quia donec plenitudo gentium ſubintroeat*, cæcitas, quæ contingit in Iſraël, nullius orationis manu depelli vel expelli poteſt. Itaque diuinis nec debere, nec velle, aut poſſe contraire iudiciis profitentes, vehementem pro illis nunc intendendam non eſſe orationem ſignificamus in eo, quod genua non flectimus: & tamen oramus vtcumque, & pro his, quia futurum eſt vt illos quoque trahat ad ſe, qui idcirco in cruce

Digitized by Google

exaltatus eſt, vt ad ſeipſum omnia traheret. Ita Rup.

Cui addendum videtur aliquos ex eis aliquando conuerti, itaut Eccleſiæ ſancta deſideria non ſint omnino inutilia, aut ſine aliquo fructu.

Ad hanc charitatem igitur Epiſcopus Epheſinus reuocatus, aſſumit phialam in manibus, & illam effundit in terram, dum pro peccatoribus, quorum magis ſalus eſt incerta & dubia, orat feruenti oratione. *Phialam*, inquit S. Nilus, de orat. c. 71. *Verò exiſtimare licet eſſe amicitiam cum Deo perfectam. Dico & ſpiritualem charitatem, quæ efficit vt in ſpiritu & veritate oremus.* Ita Nilus. Nec ſuperfluæ ſunt tales orationes; propter certitudinem diuinæ prædeſtinationis, quia his factis vel non factis prædeſtinati ſalutem conſequuntur, reprobi non conſequuntur. Nec ex hoc fiunt, quod mutari poſſit diuina prædeſtinatio; dicitur enim 1. Reg 15. *Porro triumphator Iſraël non parcet, neque pœnitudine flectetur. Reuera enim, quantùm ad praeordinationem diuinam, prædeſtinatio non poteſt iuuari precibus ſanctorum ſeu fidelium: non enim precibus ſanctorum fit, quòd aliquis prædeſtinetur à Deo. At ſi effectum attendas, ſic iuuari poteſt: quia prouidentia (cuius prædeſtinatio eſt pars) non ſubtrahit cauſas ſecundas, ſed ſic prouidet effectus, vt etiam cauſæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, ſine quibus illi effectus non prouenirent. Ita prædeſtinatur à Deo ſalus alicuius, vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quidquid hominem promouet in ſalutem, v. g. orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiuſmodi, ſine quibus ſalutem non conſequitur.* Ita S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 8. Rectè igitur S. Ambroſ. l. 5. in Lucam c. 5. *Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam, quæ pro te precetur; cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare poſſet, ignoſcat.* Ita Ambroſ.

Et factum eſt vulnus ſæuum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.

Apparet quàm ſæuum & peſſimum vulnus peccatum reliquerit, ex reſiſtentia, quam faciunt ij (qui habent characterem beſtiæ, & adorant imaginem eius) diuinis motionibus & inſpirationibus.

ANNOTAT. IV.

ECCLESIAM orantem aſſiduè pro conuerſione peccatorum, probabiliſſimum eſt Deum exaudire, & ſaltem ad illius vocem, & clamorem multas ingerere inſpirationes in mentes hominum; quibus ſi attenderent peccatores, ad Deum conuerterentur. Hinc in ſcriptura dicitur ad oſtium ſtare, & pulſare; & animam, vt aperiat, obnixè prouocare. *Ecce*, inquit Apoc. 3. *ſto ad oſtium, & pulſo.* Et Cant. *Aperi mihi, ſoror mea, ſponſa: quia caput meum plenum eſt rore, &c.* Quin & per Prophetam homines terrenos ad audiendum prouocat, dicens: *Terra: Terra: Terra: audi ſermonem Domini.* Ierem. 22. Inſuper exhortatur Pſaltes, ne obdurentur corda, ſi vocem eius audire contigerit. *Hodie*, inquit, *ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra: Hoc autem dicit*, inquit S. Ioan. Chryſ. homil. 21. ad populum Antiochen. *admonens & conſulens nunquam deſperare; ſed donec hîc ſimus, bonas habere expectationes, & anteriora apprehendere, & ad brauium ſupernæ Dei vocationis ſequi.* Ita Chryſ. *Liberalis eſt ſpiritus gratiæ, & in omnes effundens*, inquit idem Chryſ. homil. 44. in Geneſim, *nullam partitionem ſuſtinet. Sed cum diſtribuitur, magis creſcit. Et quanto plures ſunt eius participes, tanto & beneficium magis extenditur.* Ita Chryſ. Non mirum igitur, ſi qui Eccleſiæ Paſtores excitat

A ad orandum pro peccatoribus, etiam ſeſe diffundat in eos per diuinas inſpirationes & motiones; quibus eos ad aliquid cogitandum aut proſequendum ad ſalutem conducens inducit.

At licèt pulſet, clamet etiam ſpiritus gemitibus inenarrabilibus, tamen fit in homines vulnus ſæuum & peſſimum. Vnde hoc? Quia malitia repleti, & mundi gloriam quærentes terrenis inhiant, & ſtupiditate nimia tam benignis motionibus ſeſe opponunt, & fiunt immobiles quaſi lapis. Certè grauiter peccant, qui ſe non reddunt dignos qui ſuſcipiant illuminationem, vt docet Chryſoſt. homil. in Pſ. 115. dum ait: *Si ergo Pater trahit, filius deducit, ſpiritus illuminat, quid peccant qui neque tracti*

B *ſunt, neque deducti, neque illuminati? Quoniam non præbent ſeipſos dignos, vt eam ſuſcipiant illuminationem.* Ita Chryſ. Quanto magis peccat, qui dum trahitur, deducitur & illuminatur, trahentem repellit, deducentem relinquit, illuminanti oculos claudit ne videat. *Etſi enim*, vt ait ibidem rurſus Chryſ. *eius eſt trahere & inducere animam, tamen requirit quæ morem gerat, & facilè pareat, & tunc ſuum adhibet auxilium.* Ita Chryſoſtomus. Dum igitur homines, propter cordis malitiam & mundi gloriam, diuinas reſpuunt motiones, certè fit in eis vulnus ſæuum & peſſimum. *Hoc autem eſt iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera*, in-

C quit Dominus. Ioan. 3. Ecce character beſtiæ (malum videlicet opus multiplicatum) propter quem fit in homines vulnus ſæuum & peſſimum. Viſne videre eos, in quibus etiam vulnus fit ſæuum, quia adorant imaginem beſtiæ? Audi B. Ioannem c. 12. *Propterea non poterant credere: quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam Dei, & locutus eſt de eo. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.* Qui habent characterem beſtiæ, immobiles ſunt ad fidem ſuſcipien-

D dam. Qui adorant imaginem eius, mundi gloriam appetentes, immobiles redduntur ad confeſſionem & profeſſionem fidei. Vnde apparet quàm graui vulnere eos peccatum percuſſerit, vt vel non credant ad iuſtitiam, vel non confiteantur ad ſalutem. *Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Experientia igitur docet & manifeſtat, quàm ſæuum ac peſſimum ſit peccati vulnus in his, qui habent characterem beſtiæ, & in his qui adorant imaginem eius. Nam prauis actionibus ſuis obicem poſuerunt, ne effectum ſuum obtineant preces & orationes ſanctorum, aut pia ipſorum vota & deſideria impleantur. Nullum enim alium conſequuntur

E effectum in reprobis aut fructum, quàm vt manifeſtè appareat ipſos cum humana fragilitate, & eum ad verum apprehendendum, & bonum appetendum, & concupiſcentiis reſiſtendum, ac virtuoſe operandum infirmitate & imbecillitate, coniunxiſſe quandam mentis ac voluntatis, ſeu intentionis peruerſitatem ac fœditatem. Nam quia multiplicant peccata ſua, characterem beſtiæ, id eſt, animæ à malitia deprauatæ, portant: quin & imaginem illius adorant, dum tota intentio ipſorum ad peccandum prona, hoc vnum præ oculis habeat, vt de peccatis glorientur, leges mundi, & axiomata ab animabus in peccatis obſtinatis introducta, cum reuerentia adorantes, dum ſuas actiones iuxta illa axiomata attentè & ſollicitè moderantur.

Digitized by Google

Vulnus ſæuum & peſſimum.

Quodnam propriè, & quale ſit hoc vulnus?

ANNOTAT. V.

HOC vulnus S. Thomas de damnatione futura intellexit: vnde, *Et factum*, exponit, id eſt, *fiet vulnus ſæuum, id eſt damnatio, quæ omnino lædit corpus & animam: quæ damnatio erit duriſſima: ideo dicitur ſæuum: item irreuocabilis, ideo dicitur, ac peſſimum: Ierem. 30. Inſanabilis fractura tua: peſſima plaga tua.* S. Thom.

Tamen exiſtimo, cum bona venia tanti Doctoris, non hîc fieri mentionem de damnatione, ſed de causa damnationis, nempe finali impœnitentia, per reiectionem aut repulſionem mediorum, quibus pœnitentia poteſt induci. Inter quæ media, plurimùm valet deprecatio Eccleſiæ aſſidua, pro conuerſione peccatorum. Meliùs igitur Ticonius hoc vulnus de peccatis interpretatur, ſiue dum ait: *Omnes iſtæ plagæ ſpiritales ſunt, & in anima ſiunt: nam ipſo tempore illæſus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis: quia non meretur in præſenti ſeculo flagellari, quaſi qui accepit totam ſæuiendi poteſtatem: ſed ſpiritaliter, id eſt, voluntaria & mortalia peccata, quæ ſunt vlcera; quæ in animabus ſuis patiuntur omnes impij & ſuperbi:* Siue dum paulo poſt ait: *Hæc plaga iræ Dei, hæc vulnera, gaudere & placere ſibi vnumquemque in peccatis.* Ticon. hom. 12.

Primaſius hoc vulnus intelligit de peccato Iudæorum, qui Chriſtum deſpicientes Anti-Chriſtum ſuſcipient. Hoc eſt irremediabile vulnus. Tamen ad peccatum eorum, qui Iudæos imitantur, extendit. *Verùm*, inquit, *quia multos habebunt imitatione peſſima ſequaces, ideo in fine dixit: Super eos homines, qui habent inſcriptionem nominis beſtiæ: ne de ſola Hebræorum hoc putaretur gente dixiſſe. Nam ſicut in bono, per imitationem fidei, gentes quoque filios Abrahæ lex vocitat, non de eius carne naſcendo, ſed confitendo Chriſtum de tribu Iuda à mortuis reſurrexiſſe victorem; in malo Iudæos ex gentibus ſectatores credendum eſt habituros, qui Anti-Chriſtum (qui de tribu Dan dicitur naſciturus) ſuſcipiendo atque ſequendo, eorum notentur eſſe complices in nota criminis, quorum participes erunt in pœna ſempiterna damnationis.* Ita Primaſ.

Dico primò, hoc vulnus de peccato originali poſſe exponi, ſi ita textum conſtruas: Et vulnus, ſcilicet peccati originalis, factum eſt ſæuum & peſſimum, in his videlicet hominibus, qui peccatis peccata accumulantes, & originali peccato multa actualia coniungentes, habent characterem beſtiæ; & qui deprauata intentione, à Deo, & vltimo fine auerſi, omnem ſuam felicitatem in amore rerum terrenarum conſtituunt: nam hac ratione fidem non ſuſcipiunt, qua poſſet illud peccatum aboleri, illos inducendo ad aſſumenda media, ad eius remiſſionem à Deo præſcripta: vnde tale vulnus fit in eis irremediabile malum. Et reuera peccatum originale languor naturæ dicitur: eſt enim quædam inordinata diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtobat ratio originalis iuſtitiæ, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 82. ar 1. Sed quia ex illa auerſione voluntatis à Deo, in qua conſiſtit formale peccati originalis (eſt enim priuatio iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo) conſecuta eſt inordinatio quædam in omnibus aliis viribus animæ: vnde mens ignorantiâ, voluntas malitiâ, appetitus concupiſcibilis libidine, iraſcibilis infirmitate vulneratur; ideo poteſt dici vulnus, mortem actualis peccati & æternæ damnationis plerumque inducens, niſi remedium afferatur. De quiA bus vulneribus lege S. Thom. 1. 2. q. 85. ar. 3. & Bellarm. lib. 6. de amiſſione gratiæ, cap. 9. & 10. & 11. vbi enumerat morbos & vulnera, tum mentis, tum voluntatis, tum etiam appetitus & iraſcibilis & concupiſcſbilis, peccatum originis conſequentia. Licèt autem verum ſit peccatum originis non eſſe fontem omnium actualium peccatorum, niſi per modum remouentis obſtaculum, ſi accipiatur pro carentia iuſtitiæ originalis; vel per modum extrinſecè proponentis obiectum voluntatis, ſi accipiatur pro fomite: vnde S. Iacobus dixit c. 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*; negari tamen non poteſt, quòd ſi peccato originali non deleto per baptiſmum, adiungantur actualia peccata, & poſitiua quædam infidelitas, dum Deo pulB ſanti & inſpirationibus nos ad fidem ſuſcipiendam monenti non obtemperamus, illud vulnus redditur ſæuum & peſſimum, vt pote æternam mortem & damnationem inducens, fitque illud vulnus, per reſiſtentiam poſitiuam, ſæuum, quod de ſe iam erat valde periculoſum; ſicut peior eſt infidelitas poſitiua, in iis, quibus verbum Dei proponitur, & à quibus rejicitur, quàm negatiua, in his, qui nunquam audierunt verbum.

Dico ſecundò, peccatum infidelitatis poſitiuæ, ſeu etiam quodcumque mortale peccatum habituale dici poſſe etiam vulnus ſæuum ac peſſimum: quod fieri dicitur, dum apparere incipit per actualem C oppoſitionem omnibus mediis, quæ à Deo aſſumuntur, & adhibentur, vt quis ab infidelitate aut peccato diſcedat. Sic in Saule Rege, illius inobedientia fuit vulnus ſæuum ac peſſimum, quia nec orante Samuele ad veram pœnitentiam poterat adduci, per quam Deus impediretur ne eum projiceret, vt non regnaret ſuper Iſraël. Tale erat peccatum Iudæorum, à cuius ſupplicio, aut punitione, nec ſanctiores viri poterant illos liberare. Ezechiel 4. *Si autem & peſtilentiam immiſero ſuper terram illam, & effudero indignationem meam ſuper eam in ſanguine, vt auferam ex ea hominem & iumentum; & Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius, Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi iuſtitiâ ſuâ* D *liberabunt animas ſuas.* Dum igitur quis in reprobum ſenſum dilapſus, talis eſt vt ſtupidus ſit ac immobilis ad omnes Spiritus ſancti motiones, certè dici poteſt in eo fieri ſeu apparere vulnus ſæuum, propter ingentia delicta, & voluntatis deprauationem, per inſignem à Deo auerſionem. Fauet Ambroſius, modò quod de reprobis ante legem dicit, hoc ad quoſlibet extendas; & quod prædicationi verbi attribuit, illud orationibus ſanctorum, & inſpirationibus Spiritus ſancti, & bonorum Angelorum ſuggeſtionibus aſſignes. *Hic*, inquit, *deſignantur ſcilicet reprobi, per eos qui vulnus ſæuum ac peſſimum paſſi ſunt. Effudit igitur Angelus phialam ſuam in terram, quia ſancti viri, qui ante legem fuerant, admonitionis ver-* E *ba impiis impenderunt, vt eos corrigerent: Sed vulnus ſæuum ac peſſimum in eos factum eſt, quia ex prædicatione ſanctorum deteriores effecti, mandata Dei contempſerunt.* Hæc Ambroſ. Cui concinit Beda, dum de his vulneribus agens, dicit triplici modo effuſione phialarum vulnerari, vel ſpiritualiter iudicando, vel ſanctæ Eccleſiæ manifeſtant prædicando. *Poteſt*, inquit, *& tertius modus intelligi, quo quiſque peccator audita prædicatione veritatis, grauiori contradictionis vulnere corrumpitur.* Ita Beda. Dicas ad noſtrum propoſitum, percepta interiori inſpiratione, grauiori contradictionis vulnere corrumpitur, per voluntariam renitentiam: interiori enim gratiæ reſiſti poteſt, vt declarauit Innocentius X. in ſua conſtitutione nuper promulgata 9. Iunij an. 1653. in qua dãnat quinq; propoſitiones Ianſenij, inter quas erat iſta: *Interiori gratiæ in*

ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur. Addit Ambroſius: *Vulnus namque ſæuum ac peßimum eſt contemptus mandatorum Dei. Verùm ſi vulnus ſæuum ac peßimum tantummodo ad reprobos pertinet, & illi tantummodo hoc paßi ſunt, quærendum nobis eſt quid ſit character beſtiæ? Quod ſi per characterem beſtiæ, ſuperbiam voluerimus intelligere, eo quod diabolus de cælo ceciderit, aduertere debemus multos electos ſuperbiæ vulnus habuiſſe, ſed medicamento humilitatis ſanatos eſſe. Eſt aliud vitium peßimum, quod medicamentum pœnitentiæ à ſe ſemper excludit. Scimus diabolum eſſe irreuocabilem, vt nullo modo ab iniquitatibus ſuis corrigi poßit: ideo qui irreuocabilis eſt, medicamentum pœnitentiæ non requirit; ſicut & diabolus: ab hoc medicamento alienus exiſtit. Ergo qui per doctrinam ſanctorum Patrum à ſceleribus ſuis reuocari non potuerunt, characterem diaboli habuerunt, qui incorrigibilis & impœnitens perſeuerat.* Ita Ambroſ. Tales erant hi, ad quos Stephanus plenus fide & Spiritu ſancto dicebat: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Sicut patres veſtri, ita & vos.* Act. 7. Hi enim manifeſtum reddiderunt quòd in eis eſſet vulnus ſæuum ſuperbiæ, & peſſimum finalis impœnitentiæ.

Rupertus: *Beſtiæ, id eſt diaboli, character eſt ſuperbia: & hanc habere rectè indicatur, quiſquis ſcienter & per contemptum peccat, ſicut de quibuſdam Apoſtolus: quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Imo, & ſicut idem ait, non probauerunt Deum habere in notitia. Itaque & in eo quod ſequitur, & in eos qui adorauerunt imaginem eius; Promptum eſt intelligere idololatriæ ſcelus, &c. In iſtos profectò factum eſt vulnus ſæuum & peßimum. Propterea, inquit, tradidit eos Deus in paßiones ignominiæ, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Ita Rupertus. *Non neſcierunt,* inquit Primaſ. in Epiſt. ad Roman. *ſed minimè probauerunt. Ille enim Dominum probat habere ſe in notitia, qui ſemper tanquam præſentem timet, & peccare non audet.* Ita Primaſ. At ego hic exiſtimo hanc plagam potiùs eſſe intelligendam de quadam animi ſtupiditate, qua Deum homines à ſe, & à mente & cogitatione ſua expellunt & excludunt, & ad diuina percipienda prorſus inhabiles redduntur, iuxta illud: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt*: quàm de his, qui Deum ſcientes, nec ignorantes illi dandam eſſe gloriam, illi tamen dare renuunt. Ratio eſt quia phiala hæc dicitur effuſa in terram: Terra autem ſymbolum eſt ſtoliditatis ac ſtupiditatis cuiuſdam, qua quis ad diuina percipienda prorſus inhabilis redditur. Sed væ, vt ait Iſaias c. 45. *qui contradicit fictori ſuo: teſta de ſamiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo ſuo: quid facis?* Ita Iſ. Væ nempe animæ terreſtri, quæ Deo vocanti, Deo inſpiranti contradicit, quæ nihil aliud eſt quàm teſta confracta vaſis lutei, in qua nec igniculus rationis ac iudicij ferri poteſt, vt & ipſi dici poſſit quod dicebat Chriſtus Iudæis: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Sed omnino terreni, etiam totius ſyndereſis lumen extinguere in ſe pertentant.

Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare. Et factus eſt ſanguis tanquam mortui. Et omnis anima viuens mortua eſt in mari.

De effuſione ſecundæ phialæ, ſeu de ſecundo medio iuuandi peccatores, vt pœniteant, nempe verbi Dei prædicatione.

ANNOTAT. VI.

NON in eo ſiſtit diuinæ prouidentiæ circa hominum ſalutem ſollicitudo, vt pro conuerſione peccatorum velit inceſſanter orari à ſanctis & iuſtis. Scit peccatores ſenſibus adhærentes vix diſcernere ſeipſos, & nimia potentiarum ſuarum ad exteriora effuſione diſtractos, non attendere ad ea quæ ipſis interiùs ſuggeruntur. Et licèt ſignatum ſit ſuper eos lumen vultus Dei, quo poſſint opus legis in cordibus eorum ſcriptum, non atramento, ſed digito Dei, ſeu diuino ſpiritu, legere; tamen mentem alibi occupatam & diſtractam habentes, non poſſunt legere, nec ad id attendunt; ac proinde non intelligunt, quid ſibi eſſet faciendum, vt ad veram Dei cognitionem poſſent peruenire, aut quæ facere aut non facere debeant. Vult igitur exteriùs illis ſuccurrere, & per diuini verbi prædicationem mentes eorum illuminare. *Verbum* enim *Domini lucidum illuminans oculos*, vt ſic excitentur ad fidem, qua valeant media à Deo præſcripta ad iuſtificationem aſſumere, & ab infectione peccati, ſiue originalis, ſiue actualis, per ea expiari & mundari; ſeu per ſermonem illum viuum & efficacem, vitam gratiæ, quæ ex fide eſt, recipere, dignoſque reddi, qui ad vitam perueniant æternam. At quomodo audient verbum ſine prædicante? Oportuit igitur vt hoc munus quibuſdam iniungeretur, vt gentes audientes verbum, à ſtupiditate ſua ſanarentur, & ignorantiæ tenebris expulſis, excuſationem non haberent de peccato ſuo, iuxta illud; *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Lege S. Aug. in hunc locum.

Et ſecundus Angelus.

Quis ſit ille Angelus?

ANNOTAT. VII.

HIC certè Angelus perſonam gerit illorum, ad quos attinet verbum Dei prædicare, nempe Epiſcoporum. Et appoſitè. Proprium enim munus Epiſcoporum eſt verbum Dei prædicare. Nam, vt docet S. Thomas 3. q. 67. ar. 1. ad 1. & ar. 2. ad 1. & q. 71. ar. 3. *exponere Euangelium, ſeu inſtruere de profundis myſteriis fidei, & perfectione Chriſtianæ vitæ, ex officio pertinet ad Epiſcopum. Cuius actus eſt, perficere. Hoc enim officium iniunxit Dominus Apoſtolis, quorum vicem gerunt Epiſcopi, vt ipſi per ſe illud exercerent, tanquam principaliſſimum munus. Vnde & ipſi Apoſtoli dixerunt, Act. 6. Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

At ego exiſtimo ſanctum Ioannem primariò reſpicere Epiſcopum Smyrnenſem, quem vt vidimus, hortatur vt intrepidè & abſque metu mortis aut ſuppliciorum hoc munus exerceret, dicens: *Nihil timeas horum, quæ paſſurus es*; à Iudæis videlicet, qui totis viribus impediebant ne verbum Dei diſſeminaretur, vt patet ex lib. Actuum Apoſtolorum, & blaſphemabant miniſtros Euangelij, ac ſi eſſent impij legis diuinæ euerſores. Probabiliſſimum enim eſt eos, qui ſe dicebant Iudæos apud Smyrnenſes, eodem animo, eademque indole præditos, qua erant Iudæi, qui Hieroſolymis Apoſtolis denunciauerunt ne vltra loquerentur, neque doceant in nomine Ieſu, Act. 4. ac Principi Sacerdotum conſentirent, qui adductis coram ſe iiſdem Apoſtolis, illis dicebat: *Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto? Et ecce repleſtis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.* Quin & exiſtimabant hunc Epiſcopum blaſphemare, dum Chriſtum annunciabat, & legem Euangelicam prædicabat; ſicut accuſatores ſancti Stephani de eo dicebant *ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſem & in Deum*; eo quod videlicet Ieſum annun-

Digitized by Google

tlaret gentibus & Iudæis, qui legem Moſaicam abrogare venerat, non illam ſoluendo, ſed adimplendo & perficiendo.

Ex multis autem conjicio hunc Angelum ſecundum, deſignare Epiſcopum Smyrnenſem, in quo verbi Dei Miniſtri ſignantur. Primò, quia, vt dictum eſt, in hoc capite bellum deſcribitur miniſtrorum Euangelij cum impiis. At ij videntur præcipuè inter ſe inire certamen, inter quos manifeſtior quædam apparet oppoſitio. Euidens autem videtur oppoſitio inter ea, quæ dicuntur de impiis in hoc cap. 16. ad ea quæ narrantur ſcripta Smyrnenſi Epiſcopo: nam Smyrnenſi Epiſcopo ex morte vita promittitur. *Hæc dicit primus & nouiſſimus, qui fuit mortuus & viuit: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit*, ſcilicet fortiter tolerando tormenta mortis, *non lædetur à morte ſecunda*. Nam vtique obtinebit vitæ coronam. At è contra, in iis quæ dicuntur de impiis in hoc capite, mors vitam ſubſequitur, ac ſi talis vita mortem inferret. *Et factus eſt ſanguis*. En ſymbolum vitæ. Anima enim ſeu vita dicitur eſſe in ſanguine. *Tanquam mortui*. Ecce mortem ex vita quodammodo prodeuntem. Promittebatur vita in ſanguine: at mors in hac vita reperitur: eſt enim ſanguis tanquam mortui. Rurſus. *Et omnis anima viuens mortua eſt in mari*. Ecce infælix quædam viuendi ratio, qua mors indubitata ſubſequitur. Secundò hoc conjicio, quia oportet vt in iſto Angelo ſecundo intelligatur ille, qui poſſit mortem imminentem iis, qui in mari iſto ſanguineo viuunt vt moriantur, oppugnare. At talis eſt iſte Epiſcopus Smyrnenſis. In eo ſiquidem eminent virtutes, quæ competunt maximè verbi diuini præconibus, per quos mors iſta impugnatur gladio verbi diuini. Hunc igitur ſignat ſecundus Angelus phialam effundens in mare. Patet ſiquidem per prædicationem, mortem incredulitatis, quæ aduenit iis qui vita naturali viuunt in mari peccati dominantis, oppugnari nec enim alio modo iſta mors deſtruitur, quàm fide, cum ſcriptum ſit Habac. 2. *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem in fide ſua viuet*. At iſta fides non alio inſtrumento in mentem inducitur, quàm gladio verbi diuini, quo mors incredulitatis deſtruitur. Si igitur Epiſcopus Smyrnenſis verus ſit miniſter huius verbi, certè patet hunc in iſto Angelo ſecundo contra mortem incredulitatis dimicante, debere intelligi. Et reuera iuſtus omnis, ex fide ſibi inhærente, tanquam in ſubiecto, viuit vita ſpirituali ac ſupernaturali. Quod voluit Habacuc, dum ait: *Iuſtus autem in fide ſua*, (id eſt, fide quæ eſt in eo tanquam in ſubiecto) viuet. Quem locum exponens S. Hieronym. ait: *Vbi ſeptuaginta poſuerint, iuſtus autem ex fide mea viuet; Omnes æqualiter tranſtulerunt. Ex fide ſua viuet. Denique ſignificantius Symmachus interpretans ait: iuſtus autem per fidem propriam ſuam viuet. Quod græcè dicitur, ὁ δίκαιος αὐτῇ πίστει ζήσει*. Ita Hieronymus. Rurſus Chriſtus ipſe dixit: *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam* Ioan. 6. Et Ioan. 11. *Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet. Vnde mors in anima?* Inquit S. Auguſt. tractatu 49. in 11. Ioannis. *Quia non eſt fides. Vnde mors in corpore? Quia non eſt ibi anima. Ergo animæ tuæ anima* (alias vita) *fides eſt. Qui credit in me, inquit, etiam ſi mortuus fuerit in carne. Viuet in anima: donec reſurgat & caro, nunquam poſtea moritura, &c. Crede ergo*, vt antea dicebat, *& ſi mortuus fueris viues. Si autem non credis, & viuis, mortuus es*. Ita Auguſt.

At quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Rom. 10. *Fides enim ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*, vt ibidem dicit Apoſtolus. *Qui audit*, inquit Chriſtus, *verba mea, & credit ei qui me miſit, habet vitam æter-*

A *nam, & in iudicium non veniet, ſed tranſiet à morte ad vitam*. Ioan. 5. *Seruans iſta*, inquit Auguſt. tract. 22. In Ioannem. *Credis & tranſis, & eſt quis ſtando tranſit: planè eſt. Stat enim corpore, tranſit mente, vbi erat vnde tranſiret? Et quò tranſit? Tranſit à morte ad vitam. Vide vnum hominem ſtantem, in quo agatur totum hoc quod dicitur. Stat, audit, fortè non credebat: audiendo credit. Paulo ante non credebat, modo credit, quaſi de regione infidelitatis ad regionem fidei tranſitum facit, motu cordis, non motu corporis, motu in melius, quia iterum qui deſerunt fidem mouentur in deterius*. Ita Aug.

Cum igitur opus ſit vt contra mortem opponamus id quod mortem oppugnat, phiala aurea huius ſecundi Angeli debet eſſe prædicatio verbi: ad quod prædicandum valde idoneus erat
B ille Eſpiſcopus, ſi attentè optimas illius virtutes attendas. Siquidem illum diuitem eſſe perſpicies virtutum, quæ maximè conueniunt diſpenſatori verbi diuini, qualis eſt, animi præparatio ad quaſlibet tribulationes patienter tolerandas, perfecta rerum omnium abdicatio, ex ſpiritu paupertatis, orta; qualis eſt magnanimitas, & quia quæritur inter diſpenſatores, vt ſit fidelis in adminiſtratione verbi, etiam conſtans & perſeuerans fidelitas vſque ad mortem. Itaque effuſioni huius phialæ mors ſeſe opponit. *Et omnis*, inquit, *anima viuens mortua eſt in mari*. Contendebat ille Angelus vitam dare mortalibus, effundendo verbum Dei, per quod ad vitam
C tranſirent. At mors incredulitatis ſeſe opponit piis eius conatibus, quia verbum Dei repellunt, nec illud recipere aut admittere volunt: quo fit vt in morte remaneant, & in æternum pereant. Nec ab hoc ſenſu alienum eſt quod vult Ambroſ. Nempe in hoc Angelo doctores legis ſignificari. Licèt enim eius interpretatio omnia tempora percurrat, legis naturæ, ſcriptæ, Chriſtianæ, ſufficit (vt noſtra ſententia veriſimilis habeatur) illum per Angelum ſecundum eos intelligere, qui per doctrinam fidei poſſunt fidem ingerere.

Effudit phialam ſuam.

D *Per phialam munus prædicationis optimè deſignatur.*

ANNOTAT. VIII.

IAM hoc diximus, & fuſiùs iſtam nunc expoſitionem proſequimur. Si phialam latam fingas, doctrinæ abundantiam & exuberantiam (quæ verbi diuini miniſtro valde neceſſaria eſt) intellige, iuxta mentem S. Thomæ in cap. 15. *Septem phialas*, inquit, *id eſt abundantiam diuinorum ſermonum & doctrinæ, ad enunciandam iram Dei*. Si autem ſtrictam & anguſtam illam eſſe ſtatuas, vt guttatim tantùm, ſeu ſtillando, ſacrum effundat liquorem, prudentiam in concionatore requiſitam deſignabit, qui pro captu auditorum ſermonem ſuum diſtribuit. Quæ duo
E requiri in verbi diſpenſatore docet S. Chryſoſtomus. De primo, hom. 2. in 1. caput ad Titum, hæc verba exponens. *Vt potens ſit exhortari & contradicentes arguere*, ait. *Non itaque illis faſtidioſis verbis, ſed ſumma illâ opus eſt peritiâ ſcripturarum, vt abſconditos ſenſus, intelligentiaſque timeatur. Non vides vt paulus orbem conuerterit vniuerſum, longèque maiora perfecerit, quàm Plato, & omnes huiuſmodi cæteri? At fortè dicturus es ſignorum gratiâ hoc illum potuiſſe peragere. Non ex ſignis tantùm hoc ille potuit: nam ſi Apoſtolorum euoluas actus, ſæpiùs illum vi doctrinæ obtinuiſſe comperies, quàm virtute ſignorum; eademque iugiter vtitur, vt poſſit exhortari in doctrina ſana hoc eſt, ad ſuorum cuſtodiam, & euerſionem hoſtium. Et contradicentes arguere. Nam niſi hoc poſſit, omnia pereunt. Niſi enim quis aduersùs hoſtes*

Digitized by Google

pugnare didicerit, & captiuare omnem intelligentiam in obedientiam Chriſti, cogitationeſque deſtruere: Qui, inquit, *ignorat rectam ſanamque doctrinam, vt oportuerit, tradere, longe à ſede Epiſcopali arceatur. Nam alia quidem & in ſubditis inuenire, facile eſt, puta, eſſe ſine crimine, filios habere ſubiectos, hoſpitalem, iuſtum & ſanctum: cæterùm hoc eſt, quod maximè Doctorem exprimit, poſſe ſcilicet verbis inſtruere, & confutare aduerſarios: cuius rei nullam fermè nunc curam haberi videmus, atque ingemiſcimus.* Ita Chryſ. Apoſtoli olim doctrina & ſignis aduerſarios veritatis reprimebant. Nunc ſi miracula deſunt, ſaltem doctrinâ armari oportet, ac muniri ſimul, vt ne aduerſariorum telis feriamur, ſimul vt illos feriamus, vt docet S. Chryſ. lib. 4. de Sacerdotio. *Quapropter,* inquit, *ingens adhiberi ſtudium oportet vt Chriſti ſermo in nobis largiter inhabitet. Neque enim nobis pugnæ ſpecies vna parata eſt, ſed bellum nobis varium ac multiplex propoſitum, variis, multiplicibuſque aduerſariis conſtans, atque inſtructum: qui ipſi neque iiſdem armis vtuntur omnes, neque vno eodemque nos artificio adoriri meditantur: eumque oportet, qui cum illis omnibus prælia decertaturus ſit, omnium artes notas habeat, eumque & ſagittarium, & funditorem, & centurionem, & manipuli ductorem, & militem, & ducem, & peditem, & equitem, & naualis & muralis pugnæ peritum eſſe.* Ita Chryſoſtom. Qui proinde ad diligenter ſtudendum & laborandum pro aliis prouocat, hom. 12. ad populum Antioch. Poſtquam enim dixit nobis diſcendum eſſe à brutis, quod à Doctoribus ſæpe nolumus audire; ſicque à minoribus exempla ſumamus, ſicuti fit in domibus, in quibus præſtantiores peccantes, per ſolertiam minorum confundimus, dicentes eis: Reſpice minorem te, quàm eſt induſtrius & ſolers, à formica docet nobis laborioſitatem, ab ape verò munditiam, & ſolertiam, & charitatem, in eo videlicet, quod pro aliis videtur laborare. *Etenim,* inquit, *illa non magis ſibi ipſi quàm nobis laborat, & quotidie fatigatur; quod maximè Chriſtiano proprium eſt, non ſua quærere, ſed quæ ſunt aliorum. Sicut igitur illa circumuolat omnia prata, vt promptam alteri præparet menſam, ſic & tu fac, homo; ſiue pecunias, ſiue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias.* Ita Chryſ. Certè aranea plurimùm laborat & fatigatur: at labor eius contemnitur; & quamuis opus eius plurimam redoleat induſtriam, eſt tamen ignobile animal: quoniam opus eius nobis vllatenus eſt vtile. Sunt etiam qui ſtudent, & qui plurimùm laborant, ſed niſi hoc fiat, vt aliis aliquem expendamus fructum, vanus erit & incaſſus labor noſter, & ſtudium inutile.

Quantùm autem ad prudentiam; illa in multis requiritur in ſermone, admonitione, exhortatione, & reprehenſione potiſſimùm.

Hanc prudentiam laudat in Paulo Chryſ. proœmio in Epiſt. ad Romanos. *Hunc morem videre eſt & Medicum & Magiſtrum obſeruare. Neque enim medicus cum iis qui in morbi ſunt adhuc initio, & iis qui ad valetudinis finem iam declinant, neque magiſter cum diſcentibus ab initio pueris, & cum iis qui perfectiori doctrinæ indulgeant, eadem ratione agit. Igitur aliis aliâ quadam causâ & argumento adductus ſcribebat Paulus.* Hanc etiam commendat in modo admonendi à Paulo ſeruatam, homil. 10. in Epiſt. ad Hebræos, hæc verba exponens; *Non omnino de vobis hæc dicimus. Cupimus,* inquit, *non ſolùm ergo ſtudemus, nec ad verba vſque hoc volumus. Sed quid? Cupimus vos adhærere virtuti, non tanquam priora condemnantes, ſed de futuris timentes. Et non dixit, Tanquam priora condemnantes, ſed, Præſentia. Eſtis enim diſſoluti: facti eſtis ſegniores. Sed vide quàm placidè id oſtendat, & non ferit. Quid enim dicat? Cupimus autem vnumquemque veſtrum eamdem oſtendere ſollicitudinem vſque in finem. Hoc enim Pauli prudentiæ eſt admirabile, quod non oſtendit eos ceſſiſſe, & factos eſſe remiſſiores. Dicere enim: Cupimus vnumquemque veſtrum. Hoc eſt perinde ac ſi dicas: Volo te ſemper ſtudere, & qualis priùs eras, talem eſſe & nunc, & in poſterum. Hoc enim mitiorem facit reprehenſionem, & non ægrè admittendam. Nec dicit: Volo: quod erat docendi autoritatis; ſed quod paternæ erat beneuolentiæ, magis quàm velle: Cupimus.* Et reuera admonitio perſonarum qualitatem reſpicere debet; alio ſiquidem magnates modo ſunt admonendi, alio plebeij & inferioris notæ homines: Principes ſiquidem ac diuites, cum ſupra alios emineant, non abſque difficultate ſupra ſe aliquem ſeſe extollere ſinunt; & cum cæteris dominari appetant, multiſque imperitent, aliorum voluntati cedere renuunt. E contra, pauperes, quia iugo aſſuefacti, ſubjici non recuſant, nec obedire illis difficile, quibus ex conditione aliis parere eſt neceſſe. Benè igitur S. Paulus in 4. cap. Epiſt. ad Coloſſ. *In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt, tempus redimentes. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.* Ita Paulus. Aduerſus enim domeſticos non tanta eſt cautione vtendum, quanta erga extraneos; ne tempus in vanum conſumere cogamur, ſi imprudenti reprehenſione, extraneorum contra nos prouocauerimus iracundiam. Optimè Chryſ. in hunc locum: *Si tempus ſit placidè loquendi, ne eam rem exiſtimes aſſentationem. Fac omnia, quæ ad honorem attinent, abſque eo quod lædatur pietas. Non vides quomodo Daniel hominem colit impium? Non vides quemadmodum pueri cum ſapientia ſe gerant, & animi oſtendentes fortitudinem, & confidentiam, & dicendi libertatem, non autem temerariam audaciam & aſperitatem. Hoc enim non eſt libertatis ac fiduciæ, ſed inanis gloriæ. Vt ſciatis,* inquit, *quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Aliter enim principi, aliter ei, qui alterius paret imperio, aliter diuiti, aliter pauperi. Quamobrem? Quoniam diuitum & principum animi ſunt imbecilliores, vt qui tumeant, & diffluant: quo fit vt ſe magis demittere, & accommodare oporteat; pauperum autem, & eorum qui ſunt ſubiecti alteri, ſolidiores, & prudentiores: quare & his vtendum eſt maiori loquendi libertate; vnum ſpectando, nempe ædificationem; non quoniam hic quidem eſt pauper, ille vero diues, ille quidem plus honoretur, hic vero minus; ſed propter imbecillitatem hic quidem feratur, ille vero non item.* Ita Chryſ. Prudentia inſuper eſt, non ſemper arguere, ſed fingere ſe ignorare crimina peccantium, vt corrigantur: quod ſi perſeuerauerint, tunc inferre reprehenſionem, ne pudorem exuant, vt ipſe docet homil. 31. in 12. ad Hebræos. *Denique,* vt idem Chryſoſth. docet hom. 12. in Epiſt. ad Hebræos c. 7. *ea eſt Pauli ſapientia, primum præmonens, deinde ad ea, quæ vult, aggreditur. Eſt enim genus hominum difficile ad perſuadendum, & multâ curâ indigens, & maiori quàm planta. Nam illis quidem eſt natura corporum, & cedens manibus agricolarum. His autem eſt libera eligendi voluntas, quæ multas ſuſcipit mutationes: & nunc quidem hoc, nunc autem illud eligit. Ipſa enim eſt propenſa ad vitium.* Ita Chryſ.

In phiala igitur lata, abundantiam doctrinæ; in ſtricta & anguſta guttatim liquorem effundente, prudentiam concionatori neceſſariam intelligimus. Videamus nunc vbi effundatur, & quid ex effuſione iſta conſequitur.

Effudit phialam ſuam in mare. Et factus eſt ſanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua eſt in mari.

Mare peccatum habituale, originale, aut actuale ſignificat, in quo homines permanentes per incredulitatem, nunquam vitam gratiæ conſequuntur.

ANNOTAT. IX.

IDEAM huius ſymboli ſatis congruè exiſtimat Alcazar eſſe, ſi fingamus maris aquas fuiſſe ſanguine infectas; quemadmodum aqua inficitur, dum vena pedis alicui in aqua ſcinditur.

Quantum ad ſignificationem, per mare, Ludouico ab Alcazar gentilitas ſignificatur, *in qua viſa fuit ſanguis commixtus, propter crudelitatem perſecutionis totius Romani imperij, autoritate & potentia inſtaurata contra prædicatores Euangelij: quorum ſanguis aquis gentilitatis immixtus bellum gentilibus indixit; non modò quia effuſus clamabat & expoſcebat à Deo vindictam aduerſus ipſos carnifices, ſed etiam quia martyrum ſanguis admirabili quadam ratione acriter imperium Romanum ethnicum oppugnabat. Et ſi de myſtico bello fiat ſermo, hic ſanguis mari gentilitatis admixtus ſignificat eius effuſionem, ad ipſius gentilitatis ſanctificationem fuiſſe ordinatam, in virtute ſanguinis Chriſti. Quod enim Chriſtus, è cuius latere aqua & ſanguis fluxerunt, ad vniuerſalem Eccleſiam, & populorum omnium ſanctificationem, per meritum paſſionis eius deſignandam, ſua paſſione incœpit, ab eodem deinceps per Martyrum paſſionem fuit prouectum: quare ſuo etiam modo, Martyrum ſanguis aquas, hoc eſt gentilitatis mare ſanctificauit; eorumque ſanguis effuſus, non tam eos deuictos à gentilibus deſignabat, quam ſignum eſt certum victoriæ, atque triumphi de gentilitate reportandi.* Ita Alcaz.

Primaſio aqua verſa in ſanguinem eſt de ſpiritualibus rebus ſentire carnaliter: vnde putat illos ſignificari, *qui in populo Iudæorum non ſolùm ſpiritualem legem carnaliter ſapere ſtuduerunt, vnde nec Chriſtum in ea cognoſcere potuerunt; ſi enim cognouiſſent, ait Apoſtolus, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; Sed eo vſque etiam ſunt pondere meritorum adducti, tanquam ſecundo vulnere deterioris plagæ percuſſi, vt ſimulachrum beſtiæ exoptent, & inſcriptionem nominis eius habentes, Antichriſtum pro Chriſto adorandum exiſtiment.* Ita Primaſ. Qui & addit omnem animam dici in mari, in iſto ſeculo fuiſſe necatam, à toto partem, ſicut: *Non eſt qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum.*

Ambroſius: *Per mare præuaricatores legis deſignantur, quod in ſanguinem verſum eſt, quia vindictam perpetuam pro contemptu mandatorum Dei receperunt: Omnis vero anima viuens mortua eſt in mari, quia multi ex iis, qui in mari erant, id eſt, ex numero reproborum, qui per mare deſignantur, & qui ante perceptionem legis viui, id eſt iuſti, videbantur; accepta lege, quòd iniuſti fuerint, ex præuaricatione legis comprobatum eſt. Sunt etiam modò multi in Eccleſia, qui antequam ad honores Eccleſiaſticos ſiue ſeculares conſcendant, ſancti & iuſti videntur; verùm acceptis honoribus, dum donum Dei in malum peruertunt, quod mortui & non viui fuerint omnibus patet.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Mare omnes illi ſunt, qui elati potentia ſeculi, tumorem imitantur Pharaonis & Ægypti. Pharao namque, & ſerui eius Ægyptij, tanquam mare tumuerunt, & fluctus ſuos eleuauerunt contra Dominum, &c.* Et paulo poſt: *Omnes ergo qui ſimiliter contendendo contra Dominum, variantur in ſemetipſis, exempli gratia, de qualibus Pſalmiſta dicit: Cum occideret eos, quærebant eum, reuertebantur, &c. Pſal. 77. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, &c. Omnes, inquam, qui*

A *in eiuſmodi infidelitate perſeuerant, rectè intelliguntur ſub appellatione maris; & in eos effunditur phiala iracundiæ Dei, taliter vt modo ſupradicto plaga nouiſſima ſit, &c.* Poſtea: *Et factus eſt ſanguis tanquam mortui, id eſt, damnatio huiuſmodi impiorum erit ſicut damnatio diaboli; qui vere iamdudum mortuus, id eſt, Deo viuo contrarius eſt: ei namque ſociabuntur, dicente iudice: Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & Angelis eius. Et omnis anima viuens mortua eſt in mari: quia videlicet viuere in peccato dicitur quicumque ſcienter & bono inuidens malum operatur. Sic Pharao, qui non per ignorantiam, ſed per inuidiam filios Iſraël perſequebatur.* Ita Rup.

S. Thomas. *Et ſecundus Angelus, id eſt, ſecundus ordo prædicatorum; effudit phialam ſuam, id eſt, annun-*
B *ciabit diuinam vltionem. In mare, in gentiles perſecutores fidelium, tempore Anti-Chriſti, & amaros ac profundos in erroribus. Mare etiam amarum eſt & profundum. Et factus eſt ſanguis, &c. Id eſt, damnatio eis infertur irreuocabilis.* Et paulo poſt: *Et omnis anima viuens, id eſt, omnis homo qui videtur habere animam ſpiritualiter viuentem, quia non aperte perſequitur iuſtos, ſed tamen non viuit, cum conſentiat; mortua eſt in mari, id eſt, in ſocietate perſecutorum Eccleſiæ damnabitur propter conſenſum.* Ita S. Thom. Qui aliam expoſitionem etiam nobis ſuppeditat, dum per mare gentiles intelligit contundentes ſanctos, *quando fuerunt Apoſtoli & diſcipuli repulſi à Iudæis, & prædicauerunt gentilibus: & quidam crediderunt, alij autem obſtinati manſerunt,*
C *quibus damnatio illata eſt irreuocabilis. Et omnis anima viuens, id eſt, omnis gentilis, qui videbatur viuere ſpiritualiter, propter altitudinem ſcientiæ, vel propter quædam excellentia opera, ſicut fuit in quibuſdam philoſophis, mortua eſt, morte culpæ infirmitatis tandem moritura morte æternæ acerbitatis, & hoc quia verba ſalutis non receperunt; in mari, id eſt, in ſocietate gentilium, in amaritudine erroris exiſtentium.* Ita S. Thom.

Ex his omnibus expoſitionibus noſtra poterit aliquam ſibi conciliare autoritatem: nam dum in mari peccati habitualis, originalis præcipuè, inundationem; in ſanguine, vitam eorum, qui in peccato viuunt, ſeu actiones naturalis vitæ, ſiue intellectualis, ſiue ſenſitiuæ; in morte, gratiæ priuationem in-
D telligimus; iſta ſatis conueniunt cum his, qui in mari gentilitatem, quæ negari non poteſt fuiſſe in mari peccati originalis ſubmerſam; vel reprobos, quos eſſe in peccato habituali mortifero, tanquam in fluctibus maris alicuius obrutos certiſſimum eſt, intelligant. Idem dicendum eſt de his, qui in mari ſeculum intelligunt, vel elatos potentia ſeculi, ſeu eos qui in eiuſmodi infidelitate perſeuerant, vt ait Primaſ. & Rupert. At ex Ambroſio, Ruperto, & S. Th. poſſumus intelligere quid ſit animam iam per peccatum mortuam, viuere in morte. *Et omnis anima viuens mortua eſt in mari.*

Dico igitur primò, per mare intelligendos eſſe cunctos homines in quantum ſunt ſub habitu alicuius
E peccati mortiferi, originalis aut actualis, tanquam ſub aliquo mari ſubmerſi. Eſt enim originale peccatum quidam habitus corruptus, non quidem infuſus aut acquiſcens per actum perſonæ illud contrahentis, cum tantum dicatur acquiſitus per actum primi parentis, ſed per vitiatam originem innatus, habens inordinatam diſpoſitionem partium animæ, ſub quo gemunt omnes gigantes, id eſt omnes etiam futuri ſanctiores, iuxta illud Iob. c. 26. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum iis.* Sanctiores enim futuri, cum reliquis hominibus habitantes cum eis ſuper terram, gemunt ſub aquis peccati originalis. Nam licèt in iuſtis & ſanctificatis, reatus illius auferatur, manet tamen actu, quia manet quædam perpetua corruptio ſenſualitatis, quantum ad fomitem, qui nunquam totaliter tollitur in hac

Digitized by Google

vita, quamuis talis corruptio fomitis non impediat quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat, puta diuertendo cogitationem ad alia: Ita S. Thom. 1. 2. q. 74. ad ſecundum. Pari ratione, licet tranſeat actus peccati mortiferi actualis; manet tamen effectu, ratione reatus eius, & maculæ, & offenſæ Dei, donec deleatur per debitam ſatisfactionem & pœnitentiam: quin & manet quædam inclinatio, ſeu habitus ad ſimiles actus. Certum eſt ſiquidem quod ex malis actibus cauſantur habitus vitiorum. S. Thom. 1. 2. q. 63. ar. 3. Quo fit vt quicumque commiſit aliquod peccatum mortale, ſit veluti ſub aquis ingemiſcens, illa oppreſſus ægritudine, quam peccatum quodlibet poſt ſe relinquit. Sub hoc mari igitur gemunt omnes gigantes, id eſt, ſuperbi ac reprobi. Reprobi namque non ſunt niſi propter peccata actualia, quæ retractare per pœnitentiam noluerunt: illa autem non retractant, niſi ex eo quod donum Dei, per quod ad pœnitendum prouocabantur, vel adiuuari poterant, neglexerunt ac reſpuerunt. Omnia enim, quæ peccati electionem impediunt, vel quæ, vt ab illo recedamus, adiuuant, & directè ducunt ad pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ſunt effectus Spiritus ſancti: quæ ſi contemnantur ex certa malitia, ſicut contemnuntur ab iis, qui ſpem per deſperationem abjiciunt, timorem per præſumptionem expellunt, veritatem cognitam impugnant; per effrenatam peccandi licentiam, interioris gratiæ auxilium rejiciunt; per inuidentiam boni ſpiritualis, non ſolum inuidendo perſonæ fratris, ſed etiam gratiæ Dei creſcenti in mundo, inductionem ad pœnitentiam (ex conſideratione turpitudinis actus peccati) per propoſitum non pœnitendi contemnunt: conſiderationem breuitatis ac prauitatis boni (quod ſecum affert peccatum) ab eius amore & adhæſione auertentem, & ad illud relinquendum inducentem: per obſtinationem, ſeu firmam inhærendi peccato voluntatem abjiciunt. Tunc enim fit illa finalis impœnitentia, ex perſeuerantia in peccato, qua quis damnationem incurrit æternam.

Dico ſecundò: In iis, qui ſub aquis peccati ita gemunt, quamuis mortui ſint, quia gratia diuina & vita ſpirituali ſpoliantur, manet tamen quædam vita, propter quàm verè dici poteſt quòd *omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Viuit, inquam, quia remanet ſubſtantia actus intellectionis & electionis, poſt peccatum: remanent actus habituum ſcientiarum rerum ſupernaturalium & artium: quin & quarumdam virtutum moralium actus poſſunt exerceri, quia per vnum actum peccati non corrumpitur habitus virtutis acquiſitæ. Sic enim in vitiis & peccatis homo priuatur debita commenſuratione rationis, vt non totaliter ordo rationis tollatur: alioquin malum, ſi eſſet integrum, deſtrueret ſeipſum.

Dico tertiò: Nõ modò naturalia bona, ſeu ſemina, aut principia virtutum intellectualium & moralium (quæ in nobis ſunt, ſecundum quamdam aptitudinis inchoationem à natura) remanent poſt peccatum, ſed etiam quoad actus quoſdam illarum. Siquidem actus humani, in quantùm procedunt ex altioribus principiis, poſſunt cauſare virtutes acquiſitas humanas: & hac ratione, qui in peccato exiſtunt, poſſunt dici viuere, cum actus vel quarumdam ſcientiarum, vel quarumdum virtutum eliciunt.

Dico quartò: Sublata vita intellectuali, ſupernaturali, aut naturali, viget in nobis vita quædam ſenſualis, ſecundùm inclinationem ſenſuum & appetituum, quæ peccatorum multitudine potiùs fouetur, quàm extinguatur, aut ſuffocetur; imo ex ea peccata & vitia in hominibus proueniunt: nam cum in homine duplex ſit natura, ſcilicet rationalis, & ſenſitiua, quia per operationem ſenſus homo peruenit ad actus rationis, plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis: Plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perueniunt. Hinc fit vt etiam ſi ſopiatur in nobis vita rationalis, dum dormit ratio, viget ſenſus ſeu inclinatio naturæ ſenſitiuæ contra ordinem rationis. De hac vita potiſſimùm intelligendum eſſe arbitror illud: *Et omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Quo ſenſu dixit S. Paulus de viduis delicatis 1. ad Timoth. 5. *Nam quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt. Mortuus eſt,* inquit S. Chry-
B ſoſt. *quiſque viuens, cum in delitiis degit. Quonam modo? Ventri ſolummodo viuit, ſenſibus cæteris mortuus. Neque enim aſpicit, quæ aſpicienda ſunt; neque audit quæ neceſſario audire conuenit: neque ea loquitur, quæ decet loqui, nihilque in ſe viuere præter ſolam ventris ingluuiem indicat. Cæterùm quemadmodum mortuus quiſpiam in lectulo iacens, complosis palpebris, clauſiſque luminibus, nullum omnino ſenſum habet, ita & hic, imo longe hic deteriùs quàm ille affectus eſt. Ille enim bona æquè ac mala eadem ratione non ſentit: Hic autem malorum tantùm non amittit ſenſum, ſed nihil boni penitus ſentit, nihil illum ex his, quæ in vita futura ſeruantur, mouet; ſed ad omnia perſtat immobilis, atque ita mortuus eſt, quemadmodum in cuniculum quemdam obſcurum, & te-*
C *nebroſum antrum præcipitatus, atque immunditia omni plenus, intimis & opacis vitiorum ſinibus conditus, ſemper in tenebris inſtar mortuorum degit, &c.* Quin & poſtea S. Chryſoſt. docens quomodo licèt actus vitæ animalis exerceat, tamen nullam eliciat actionem naturæ hominis rationalis conformem, ſatis indicat quomodo anima viuens in peccato mortua dici poſſit. *At,* inquit Chryſoſt. *comedit ac bibit? Non eſt id humanæ vitæ argumentum: quippe & muta animalia hoc ipſo funguntur munere. Cum igitur mortua iaceat anima, quid ex eo cibo emolumenti, potuque percipitur? Neque enim ſi iaceat cadauer exanime pulchra veſte contextum, ex eo flore veſtis proficiet quippiam: ita neque anima mortua, venuſtiori amicta corpore, aliquid ex eo*
D *decore lucrabitur.* Ita Chryſ. Qui hominem definiens poſtea ex Philoſophis, animal rationale, mortale, rationis ac diſciplinæ capax; ex diuinis literis, homo debet eſſe iuſtus, verax, pius, abſtinens ab omni opere malo, miſericors: magnum quippe quoddam eſt homo, & precioſum vir miſericors. Certè qui talis non eſt, vitâ hominis non viuit, ſed vitâ tantùm brutorum: vnde viuit vitâ beſtiali, ſed mortuus quantum ad vitam homine dignam. *Cæteros,* inquit Chryſ. *qui eiuſmodi non ſunt, quantumlibet rationis participes fuerint, diſciplinæque capaces, non nouit ſcriptura appellare homines, ſed canes, & equos, & viperas, & ſerpentes, & vulpes, & ſi quid hiſce feris ignobilius. Si igitur hoc homo eſt, quod ſcriptura definiuit, qui in de-*
E *litias ſoluitur, homo profectò non eſt.* Ita Chryſ. *Denique quemadmodum,* vt ipſe addit, *de his, qui virtute clari ſunt, licèt habeant corpus; dicere tamen ſolemus: Totus anima eſt; ita & de carnalibus, licèt illis per vitam non deſit anima, dicimus: Totus caro eſt. Sic & Paulus aiebat his, qui carnis opera non perficiebant: Vos autem non eſtis in carne. Pari profectò ratione, & qui in delitiis viuunt, non in anima neque in ſpiritu, ſed in carne ſunt.* Ita Chryſ. Intelligiſne igitur quomodo qui viuunt, vitâ ſcilicet ſenſibus & inclinationi vitæ ſenſitiuæ conformi, moriuntur, vitâ nempe rationali, intellectuali, ſupernaturali, dum in mari peccati habitualis, ſiue originalis, ſiue ex actuali mortifero relicti, permanent, nec ab eo extrahuntur; quorum ratio ſubmerſa in fluctibus maris iſtius turbulenti tota verſatur in hoc, vt inueniat per prudentiam carnis

rationes,

Digitized by Google

tationes ; & argumenta, quibus veritati propoſitæ vitam auferat, quantum in ſe eſt? Igitur ad effuſionem phialæ ſecundæ in mare, (id eſt, dum Euangelium annunciatur reprobis) *factus eſt ſanguis quaſi mortui*. Apparet qualis ſit vita reproborum, nempe vita hominum, qui à Dei gratia excluſi ſunt; propter peccatum mortiferum, quod contraxerunt, ſiue ratione originis, ſiue ratione propriæ electionis: quia omnis anima viuens, quacumque vita, ſenſus, aut rationis naturalis, in peccato remanens, mortua eſt, id eſt, à vita gratiæ excluditur. Et revera, Alcazaris expoſitio de glorioſo Martyrum ſanguine, cuius effuſione mare gentilitatis ſanctificaretur, potiùs eſſet deſcriptio victoriæ, quàm belli aut certaminis alicuius. At ex his, quæ ſupra diximus, in hoc capite tantùm eſt deſcriptio belli, non victoriæ & reſiſtentiæ, quam adhibent reprobi omnibus mediis, quibus Deus Regnum Chriſti viſibile ſtatuit ſtabilire in terris. Idcirco huiuſmodi ſacro ſanguine hunc ſanguinem minimè intelligendum eſſe cenſemus. ſicque huic ænigmati hunc ſenſum dandum eſſe exiſtimamus.

Non ſolùm homines, quòd ex luto effecti ſunt, quamdam ſtupiditatem contraxerunt (iuſtitia originali deſtituti) qua ſeſe opponant medio à ſuaui Dei prouidentia præparato, orationi nempe, vt à Dei gratia, poſſent illuminari, & iuxta lumen ſignatum ſuper eos aut infuſum ſeipſos diſcernere, ſeu motionibus Spiritus ſancti, aut ſanctorum Angelorum ſuggeſtionibus attendere, & aurem præbere; licèt vi orationum frequenter excitentur, vt aliquid cogitent, quo rectiùs viuant, & ad fidei lumen poſſint accedere, Deo talia per ſe & per Angelos ſuggerente ad id impulſus, tum ex ſua miſericordia, tum precibus Sanctorum: Sed inſuper aliud rejiciunt medium efficaciſſimum, quia prudentia carnis inclinationi peruerſæ vitæ ſenſitiuæ fauens, rationes infelici hominum menti ſuppeditat, quibus veritati propoſitæ aſſentire renuat. Etenim ex omnibus mediis, quæ oratione impetrantur à Deo, vt ſaluti aliorum conſulatur, primum quod adhibere neceſſum eſt, eſt veritatis propoſitio per prædicationem Euangelij; vt fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, per auditum verbi concipiatur, dum dictis proponentis ea, quæ credenda ſunt, præbetur aſſenſus, iuxta illud: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et illud Pauli. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. Quomodo autem audient ſine prædicante?* Rom. 10.

Sed quanta ſit peruerſitas inclinationis cordis humani manifeſtè apparuit. Ex illa veritatis propoſitione. Talis eſt enim illa inclinatio, vt eam Paulus Apoſtolus viuis depingit coloribus, Epheſ. 2. vt facilè ſit conjicere eam veritati propoſitæ repugnare. *Et vos*, inquit, *cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundùm ſeculum mundi huius, ſecundùm Principem poteſtatis aëris, huius ſpiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus, in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Gentibus ſe aſſimilat Paulus Iudæus; vt omnes ſub hoc mari peccati originali demerſos eſſe doceat. Quod rectè animaduertit Primaſius. *Gentes Deum non credendo, Iudæi male viuendo, omnes originali peccato detinebamur. In deſideriis carnis, &c. Quando anima noſtra rebus terrenis & carnalibus inhærebat, non ſolùm deſiderans, ſed & faciens quæ cogitatio ſuggerebat, Et eramus natura, &c. Ita nos paternæ originis mala, conſuetudo poſſedit, vt omnes ad damnationem naſceremus filij iræ, ſicut ſupra, diffidentiæ, filij Adæ, fili vindictæ.* Ita Primaſ. Viuentes igitur *ſecundum ſæculum*, id eſt, iuxta quod mundus A viuere ſolet, pro carnis ſeu naturæ depravatæ arbitrio & cupiditate; inſuper ſpiritibus malis, qui in aëre verſantur, obedientes abſque vlla coactione, qui in nobis operantur affectum mundanum, longè diuerſum ab illo ſpiritu Chriſti, nihil amantis niſi cæleſtia; imo qui operantur *ſpiritum incredulitatis*, vt non adhibeamus fidem promiſſionibus, quia inclinationi vitæ ſenſitiuæ obtemperamus, *facientes* ſcilicet *voluntatem carnis*, id eſt, hominis ſpiritum non ſapientis; *& cogitationum*, id eſt, mentium prauatum, & dogmatum veritati aduerſantium; En ſanguis, nempe vita ſenſualis & maligna apparens ad effuſionem phialæ, id eſt, ad prædicationem Euangelij, qua Eccleſiæ Paſtores conantur fidem inducere. B Sed ſanguis tanquam mortui, quia propter nimiam adhæſionem ad ea, quæ ſenſibus fauent, & propter diffidentiam ac incredulitatem, mors peccati regnat in nobis, dum veritatis rejicitur, nec ei debito modo propoſitæ aſſentitur. In vanum laborant, qui homines iſtos, tandem ob finalem impœnitentiam reprobandos, ad fidem recipiendam inducunt; ex eo quod peruerſa iſta inclinatione, cui liberè ſuccumbunt, ita diſtrahuntur, & auertuntur à conſideratione eorum, quæ illis proponuntur credenda, licèt ſint veriſſima, vt veritatem rejiciant. O quàm ſæuum eſt ac peſſimum vulnus peccati! Quàm profunda illa abyſſus, in qua omnes ſunt demerſi, vt caput extra aquas mendacij & erroris C & peccati nequeant attollere, dum ſenſus dominantur; & rationem præuenientes, ipſi ſceptrum è manibus eripiunt, & lumen eius tenebris offundunt: quæ tantò magis denſiores euadunt, quod voluntariè veritati propoſitæ, ſeu luci ſeſe gratuitò offerenti oculos claudunt, nolentes intelligere ea, quæ ſenſui & peruerſæ cogitationi contraria ſunt; vnde manet in morte, & peccatum in eis manet, ac cæcitas cordis; & ſic omnis anima viuens ſecundum deſideria cordis, moritur in mari, obruta peccatis: gratiâ Dei, quæ vita æterna eſt, ſpoliata: Et inclinationi peruerſæ ex peccato originali relictæ miſerè perdita, certam & indubitatam incurrit damnationem. Hoc modo facilè eſt videre quo- D modo ineatur prælium inter eos (quibus competit verbum Dei proponere) & mentes reproborum: nam illi effundunt phialam, id eſt, verbum Dei proponunt; iſti autem per prudentiam carnis adinueniunt rationes inclinationi peruerſæ vitæ ſenſitiuæ fauentes, quin & malitiam peccati fauentes, quibus veritatem propoſitam oppugnant & rejiciunt. Hæc ſufficiunt ad explanationem textus. Tamen ad maiorem huius materiæ elucidationem, de virtutibus optimi concionatoris, vt rectè ſuam obeat munus, aliquid dicendum; Secundò, de efficacia verbi diuini, vt tantò maior videatur hominum peruerſitas, quantò efficacius eſt remedium, quod rejiciunt, & inutile reddunt; Tertiò, quomodo verbi diuini præ- E dicatio, & legis Euangelicæ promulgatio manifeſtam reddat cordis humani peruerſitatem. Denique grauiſſimum eſſe peccatum, dum voluntariæ, & ex malitia, verbum Dei rejicitur.

Et ſecundus Angelus, &c.

Optimi concionatoris virtutes, in Angelo ſecundo, nempe Smyrnenſi Epiſcopo, depictæ cernuntur; v. g. fortitudo, ſeu magnanimitas, à rebus terrenis abſtractio, ſpiritualem Angelorum naturam imitans ſyncera in miniſterio fidelitatis.

ANNOTAT. X.

PRIMO verbi diuini miniſter ad omnem tribulationem patienter ferendam paratus eſſe

debet. Certè, vt probat S. Chryſ. homil. 66. (*De cæleſti regno acquirendo*) Si cæleſte regnum non acquiritur, niſi per tribulationes; nec Chriſti regnum in terris poterit promoueri abſque tribulationibus. *In mundo tribulationem habebitis. Sed confidite. Ego vici mundum*, dicebat Chriſtus. Et iterum: *Plorabitis, & lugebitis vos: mundus autem gaudebit, &c. Vides*, inquit Chryſoſth. *vbique tribulationem laudari, paßim aſſumi, tanquam nobis neceſſariam. Si enim in externis certaminibus abſque hac nemo coronam capere poteſt, niſi laboribus & ciborum obſeruatione, viuendi norma, & vigiliis, & innumeris aliis, ſemetipſum corroborauerit, multo magis hic. Quis è regibus procul armis vitam egit? Quot alia quilibet priuatus tolerare mala cogitur? Non enim poteſt citra tribulationem, non poteſt citra triſtitiam præſens vita tranſmitti. Patienter igitur toleranda eſt tribulatio, ſi eam pati contingat cum tanto lucro, vt per illam Dei cultus promoueatur. Tunc enim & anima purgatur, cum propter Deum tribulatur.* Tunc maiori potitur adiutorio, quando & maioris tunc indiget auxilij, maioris quæ gratiæ, vt ipſemet ibidem fusè demonſtrat. Sed & homilia 67. (*Quanam ratione ad omnem tribulationem tolerandam, Chriſti miles paratus eſſe debet?*) Fusè docet. *Nullus*, inquit, *athleta generoſus in ſtadio balnea quærit, aut menſam cibis & vino redundantem. Hoc non eſt athletæ, ſed delicati, Athleta namque pugnat, puluere, oleo ſolis ardore ſudore largo, tribulatione & anguſtia: hoc eſt certaminis tempus & pugnæ, igitur & vulnerum, & cruoris & doloris, &c.* Temerariè tamen non ſunt quærendæ tribulationes: qui enim nos ad tolerandam crucem poſt ſe prouocat, idem docet vt oremus, ne nos inducat in tentationem. *Tu namque*, inquit Chryſoſt. *Ita quidem te præpara tanquam miles generoſus. In armis continuò verſeris. Solers, vigilans, ſemper hoſtem expecta. Ne tamen hoſtes tibi paries: hoc enim non eſt militis, ſed ſeditioſi. Si verò religionis tuba vocet, ſtatim progredere, & animam paruipende, & multa cum alacritate deſcendas ad certamina: hoſtium aciem diſsipa: confringe caput diaboli: tropheum erige. Si verò pietas nihil lædatur, nec vllus noſtra populetur dogmata (ſecundùm animam dico) nec aliquid quod Deo diſpliceat agere cogit, ne ſis ſuperfluus. Sanguine plenam eſſe decet Chriſtiani vitam, non alienum effundendo, ſed ſe paratum ſuum effundere præſtando. Tantâ ergo promptitudine proprium effundamus cruorem (cum pro Chriſto ſit hoc agendum) quantâ quis aquam effunderet. Nam & qua ſanguis eſt corpus irrigans. Et tantâ facilitate carnem exuamus, quantâ veſtimentum.* Ita Chryſoſt. Certè onus ingens humeris ſuis impoſuit, qui contra diabolum carnem, & mundum, pro Chriſti regno promouendo dimicare apud ſe ſtatuit; viribus immenſis opus illi eſt aduersùs quotidianas contumelias, iniurias, maledicta, inſidias, pericula, iurgia, probra, mortemque, vt poſſit quis perſiſtere, neque laceſſere, neque referre pedem, innumeris vndique telis diebus ſingulis laceſſiri, & intentis ad ſuperna luminibus, fortiter ſtare, nulliſque omnino terroribus cedere. *Id*, inquit Chryſoſt. *profectò non humanarum virium, neque itidem diuini tantùm adiutorij; verùm ipſius propoſito voluntatis.* Hoc in Paulo verum agnoſcit S. Chryſ. qui vas electionis dictus eſt à Domino, vt portaret nomen ſuum coram gentibus, & regibus. Hoc in Epiſcopo Smyrnenſi etiam agnoſcimus, cuius non modo patientia commendatur in tribulationibus, ſed cuius firmum etiam propoſitum requiritur, dum ei dicitur: *Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Eſto fidelis vſque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Igitur *quemadmodum*, vt dicit Chryſ.

Hi qui in bello regia ſigna circumferunt, vt moris eſt, magnis laboribus indigent & viribus, maximaque peritia, vti ne ſe hoſtibus prodant; ita & qui Chriſti nomen por- A *tant, non in bello ſolùm, verùm etiam in pace ſummis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, ſed id ſtrenuè ferant, vexillo crucis armati. Ingenti enim profectò opus eſt robore, vt quis dignè portet Chriſti nomen. Nam qui indignum aliquid vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitauerit, Chriſti nomen non legitimè portat, neque habet in ſemetipſo Chriſtum. Porro qui id congruè portat, is profectò triumphat, non in foro, ſed in cælis, omneſque illi ad ſtant Angeli, circumdantes illum, atque admirantes.* Ita Chryſ. hom 3. in 1. ad Timoth.

Sed hæc patientia aut tolerantia laborum & tribulationum vix poterit acquiri, niſi quis omnibus quæ poſſidet renunciauerit. Ideo in Epiſcopo Smyrnenſi non ſolùm tolerantia tribulationum commendatur, ſed & eius paupertas. *Scio*, inquit, *tribulatio-* B *nem tuam & paupertatem tuam.* Optimè Chryſoſt. hom. 27. ad populum. *Hoc autem fiet, niſi pecuniis alligati fuerimus, niſi domibus, & niſi affectionibus, &c. Nam ſi militarem hanc vitam degentes omnibus abrenunciant, & quo Mars vocauerit, eo proficiſcuntur, & iter agunt, & omnia cum ſedulitate ferunt; multo magis nos Chriſti milites oportet ita præparari, & opponere nos vitiorum certamini.* Ita Chryſ.

Neque enim, vt ipſe ait, *Eccleſiis, tam prodeſſe valent diuites illi pompatici, vt pauperes magnanimi. Nemo dictum hoc miretur: nam multæ ſunt diuitiis moleſtiæ, & negocia. Timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat. Et qui multorum eſt* C *Dominus, idem multorum ſeruus, eſſe cogitur. Pauper autem nimirum parùm valens, & curis his omnibus carens, Leo eſt, ignem ſpirat: generoſo & forti animo aduerſus omnes inſurgit: facilè omnia agit, quæ prodeſſe poſſunt Eccleſiis, ſiue opus ſit vt arguantur aliqui, ſiue vt increpentur, ſiue vt Chriſti nomine ferantur pericula & inimicitiæ: quoniam qui ſemel vitam deſpexit præſentem, magna facilitate conficit omnia. Quid enim timeret, dic, obſecro? Num ne opes eius auferantur? Hoc nemo dicere poterit: Num ne quis imminuat ei miniſteria & delicias? Sed in omnibus illis gaudere ſe dicit. Cæli municeps eſt, & ad futuram feſtinat vitam. Non deprecabitur item ſi anima impendenda ſit, & effundendus ſanguis. Hinc eſt quod talis etiam & tyrannis, & Regibus, & populis, & omnibus potentior eſt* D *ac ditior. Et vt diſcas quòd verè hæc, & non adulantes ſint dicta; Et quod qui nihil poßidet, hic omnium liberrimus eſt, & maximè liberè loqui audet; Quot diuites erant tempore Herodis? Quot potentes? Et quis in medium prorupit? Quis tyrannum increpauit? Quis contemptus legis Dei vltus eſt? Diuitum quidem nullus, ſed pauper ille & inops, qui neque lectum, neque menſam, neque tectum habebat. Ille, inquam, ſolitudinis Inquilinus Ioannes, ille ſolus & primus, omni libertate tyrannum arguit, & adulterinas nuptias detexit, & præſentibus omnibus, ac audientibus, pronunciatâ ſententiâ eum condemnauit. Et ante hunc magnus Elias, qui nihil præter melotem poßidebat, impium & præuaricatorem Achab ſolus viriliter corripuit. Nihil enim nihil omnino ſic liberè loqui, & in* E *rerum diſcrimine fiduciam habere & contra captiuitatem ſatis munitum & fortem facit, vt nihil poßidere & nullis ſecularibus obrui negotiis: atque adeo ſi quis virtutum libertatiſque multum poßidere cupit, paupertatem amplexetur: præſentem vitam deſpiciat: nihil eſſe putet mortem. Hic non ſolùm plusquam diuites & principes, ſed & plusquam reges ipſi Eccleſiis prodeſſe poterit.* Ita Chryſoſt.

Vide, quæſo, quàm longe abſit S. Chryſ. à mente eorum, qui paupertatem, & mendicitatem Religioſis exprobrant, ac ſi dedeceret virum Eccleſiaſticis functionibus mancipatum. Imo & ipſis, & populis Chriſtianis vtilis eſt paupertas & mendicitas. Chryſoſtomum hæc docentem audiamus, vt tanto fulti Doctore habeant mendicantes Religioſi quo ſe Clypeo muniant contra detractores paupertatis: Sacerdos eſt, Doctor, Epiſcopus, Epiſcopus, inquam

Digitized by Google

ſedis illuſtriſſimæ & auguſtiſſimæ, nouæ ſcilicet Romæ, veteris æmulæ, ciuitatis imperialis, qui loquitur: ſed, quod maius eſt, ſanctitate præcipua & pietate inſignis vir. Hic igitur tantus vir exponens illud Epiſt. ad Galat. c. 6. *Communicet autem is, qui inſtituitur ſermone, ei qui inſtituit in omnibus boni, Hic iam de doctoribus loquitur; vult enim illos diligenter curari ab his, quos inſtituunt. Et quamobrem Chriſtus hoc ita præſcripſit? Nam in nouo teſtamento lex hæc poſita eſt, vt qui Euangelium prædicant, ex Euangelio viuant; Et in veteri ſimiliter, multi prouentus erant Leuitis è ſubditis. Cuius igitur gratiâ ſic hæc conſtituit? Sed prius ſubſtrato modeſtiæ & charitatis fundamento: quoniam etiam doctoralis autoritas frequenter inflat ea prædiſos, cohibens doctoris ſpiritum, illum conſtituit in hac neceſſitate, vt opus habeat diſcipulis. Et his rurſus præbet occaſionem, vt faciliores reddantur ad beneuolentiam, exercens eos per beneuolentiam erga doctores, vt & erga cæteros ſint manſuetiores. Quæ res non mediocrem charitatem excitauit in vtraque parte. Alioqui, niſi hoc eſſet, quod dixi: quam ob cauſam Deus, qui ingratos Iudæos manna aluit, Apoſtolos in mendicorum deieciſſet neceſſitatem? An non perſpicuum eſt, quòd hinc magna pararet bona, modeſtiam & charitatem? Et ne puderet diſcipulos ſubditos eſſe probro obnoxios (probrum enim eſſe videtur petere) at iam non videbatur, quum idem palàm omnique cum libertate facerent doctores. Itaque non mediocrem fructum & hinc tulere diſcipuli, dum per hæc docentur gloriam omnem deſpicere. Idcirco dicit: Communicet autem, &c. Hoc eſt, Omnem in illum exhibeat liberalitatem. Hoc enim innuens dicebat: in omnibus bonis.*

Nihil, inquit, *diſcipulis proprium, ſed omnia communia, quippe qui maiora quàm dat accipit, atque hoc maiora quod præſtabiliora ſunt cæleſtia terrenis. Quod & alibi ſignificans ait: Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia metamus? Eoque negotium hoc appellat communicationem, indicans fieri repenſationem. Ex hoc verò charitas redditur feruentior, multoque firmior. Itaque ſi Doctor quærit quod naturæ ſatis eſt, nihilominus accipiens manet in ſua dignitate, quando quidem & hoc laudi dandum eſt, Doctorem ſic aſſiduum eſſe miniſterio ſermonis, vt cæteris egeat, altiſſimaque laboret inopiâ, contemnens omnia quæ ad victus neceſſitatem pertinent. Quod ſi modum tranſgreſſus fuerit, corrupit ſuam dignitatem, non eo quod accipit, ſed quod præter modum.* Hæc Chryſ. Et ſermo 9. in Epiſtol. ad Philippenſes, oſtendit quod Chriſtus in magnam vtilitatem fidelium, ſuos diſcipulos, quos ditare poterat, voluit eſſe pauperes & abiectos. *Dic enim mihi*, inquit Chryſoſt. *annon ipſe poterat illos nutrire? Quomodo qui tibi voluntatem ſuam offendenti dedit, Paulo non daret? Qui Iſraëlitis dedit murmuratoribus, ſcortatoribus, idololatris, nonne multo magis Petro permitteret, qui omnia propter ipſum reliquerat? Qui ſceleratis hominibus poteſtatem habendi fecit, non multo magis Ioanni gratificaretur, qui eius cauſa Patrem quoque ipſum reliquerat? Attamen, noluit; ſed per te ipſos nutrit: vt tu ſanctificeris. Et animaduerte benignitatis exuberantiam. Voluit diſcipulos ſuos viliores eſſe, vt tu aliquantulum reſpirares. Etenim ſi illos nullius indigos præſtitiſſet, multo ſanè admirabiliores futuri erant, multò clariores. Sed ſaluti tuæ ſubſidium detractum eſſet. Noluit igitur illos fieri admirabiles, ſed maluit viles fieri, vt tu ſalutem conſequereris. Et viles illos eſſe paſſus eſt, vt tu ſalutem conſequi poſſes. Non enim æquè ſe venerandum præbet Doctor qui accipit. Verùm interea non iuuatur diſcipulus, ſed fructum amittit. Vides ſapientiam benigni atque hominum amantis Dei? Nam quemadmodum ipſe propriam gloriam non quæſiuit, nec ſua ſpectauit; ſed cum in gloria eſſet, voluit tuâ cauſâ fieri vilis; idem etiam in doctoribus ſeruauit, vt cum eos venerandos præſtare poſſet, maluerit tuâ cauſâ abiectos eſſe, vt tu haberes vnde lucrum faceres, vt tu haberes vnde diteſceres. Vt abundares in ſpiri-* A *tualibus, ille eget in iis, quæ ad hanc vitam pertinent.* Ita Chryſ.

O anima Apoſtolico ſpiritu plena! Vtinam Deus det tales Eccleſiæ Paſtores, qui Prophetiam Iſaiæ c. 60. in abundantia diuitiarum, quas iure & meritò poſſident, in ſe adimpletum agnoſcentes (*Pro eo*, inquit, *quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, &c. Et ſuges lac gentium: & mamilla regum lactaberis, &c. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, &c.*) gratum ſemper habeant pauperum Euangelicorum ſtatum, ad Eccleſiæ Dei vtilitatem, & ornamentum.

Tertia virtus, quæ maximè decet verbi diuini B diſpenſatorem, eſt vt ſit fidelis, id eſt, vt omnia ad Domini ſui gloriam peragat, & fideliter quæ ſibi ſunt commiſſa diſtribuat, iuxta illud S. Pauli: *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis, quis inueniatur.* 1. ad Corinth. 3. *Hoc eſt*, inquit S. Chryſoſtom. homil. 10. *ne ſibi vſurpet quæ ſunt Domini, nec ſibi vendicet, ſed adminiſtret tanquam diſpenſator. Eſt enim diſpenſatoris, rectè adminiſtrare ea, quæ ſibi ſunt tradita: non autem ſua dicere, quæ ſunt Domini; ſed contra, dicere eſſe Domini, ea quæ ſunt ſua.* Ita Chryſ.

Talis fuit Petrus, qui ſanitatem claudo datam ad Chriſtum referebat. Talis Paulus, qui ſuos labores Dei gratiæ aſcribebat. *Non ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum.* Addit Chryſoſtom. *Nihil enim habes tuum,* C *non pecunias, non orationem, non ipſam animam: nam ipſa quoque eſt Domini. Quando igitur opus fuerit, & vocarit neceſſitas, eam depone; ſin autem vitæ teneris amore, & iuſſus deponere, contradicis, non es vtique fidelis diſpenſator, &c.* Et paulo poſt: *Ad magnam perueniſti autoritatem, & aliquando Eccleſiaſticã aſſecutus es adminiſtrationem: ne ingentes ſumas ſpiritus. Non tu acquiſiuiſti gloriam, ſed Deus eã te induit. Parce ergo tanquam alienæ, eâ non abutens, neque vtens ad ea, quæ non decet; neque intumeſcens, neque eam tibi vendicans; ſed exiſtima te eſſe pauperem & inglorium. Neque enim ſi purpura Regia tibi ſeruanda eſſet tradita, oporteret abuti veſte, & eam corrumpere, ſed ei qui illam dedit conſeruare diligentiùs. Dicendi facultatem accepiſti. Noli inflari, neque* D *inſoleſcere. Tuum enim non eſt donum. Ne ſis ingratus & immemor in iis, quæ ſunt Domini, ſed ea diſtribue conſeruis, & neque iis efferaris, tanquam propriis; neque parcas, vt non diſtribuas.* Ita Chryſ.

Quam fidelitatem habuiſſe credibile eſt ſanctum illum Epiſcopum Smyrnenſem, cui, vt iam illam habenti dicitur: *Eſto fidelis vſque ad mortem.* Ac ſi diceret: certe fidelis ſeruus es, qui omnia ad meam operaris gloriam & honorem, & cuncta tibi myſteria concredita rectè & fideliter diſpenſas. At fidelitatem, quam hactenus habuiſti, ſerua vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

E *Effudit phialam ſuam in mare.*

Quanta ſit vis & efficacia verbi diuini ad conuerſionem peccatorum?

ANNOTAT. XI.

QVID eſt, quæſo, Dei verbum? *Sermo tuus*, inquit Chriſtus, *veritas eſt.* Ioan. 17. At quis veritatis ignorat potentiam? *Omnis terra*, dicebat Eſdras l. 3. c. 4. *veritatem inuocat. Cælum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam & non eſt cum ea quidquam iniquum. Vinum iniquum: iniquus Rex: iniquæ mulieres: iniqui omnes filij hominum:*

& iniqua illorum omnia opera, & non eſt in ipſis veritas,
& in ſua iniquitate peribunt: & veritas manet, & inua-
leſcit in æternum, & viuet, & obtinet in ſæcula ſæculo-
rum; nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differen-
tias, ſed quæ iuſta ſunt facit omnibus iniuſtis ac malignis,
& omnes benignantur in operibus eius. Et non eſt in iudi-
cio eius iniquum, ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas,
& maieſtas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis.
Ita Eſdras. Certè magna eſt veritas, & præualet.
Gum igitur Dei verbum veritas ipſa ſit, nemo eius
vim & efficaciam negare poterit. Quàm fortes igi-
tur & potentes erunt ipſius verbi diſpenſatores, ſi ta-
les fuerint, quales oportet illos eſſe, nempe veri-
tatis præcones! Qualis erat ille Paulus, de quo
S. Chryſoſtom. oratione encomiaſtica in Principes
Apoſtolorum. *Paulus*, inquit, *magnus præco veritatis,*
vniverſi terrarum orbis gloria, in cælis homo, & in terra
Angelus, decus Eccleſiæ, in ſublimibus aquila, Lyra ſpiri-
tus, hyrundo atque Cicada, organum Dominicum, vigilans
Chriſti miniſter, &c. os denique Chriſti. (Ita Chryſ.)
qui poſſit ſeparare pretioſum à vili. id eſt, homines
tam pretioſos, vt pote Chriſti ſanguine redemptos,
ſeparare à peccatis. Certè ſicut per verbum Deus
omnia creauit, verbi miniſtri videntur eius omni-
potentiæ cooperatores, vt maiora Deus per verbum
ſuum eorum miniſterio faciat, quàm fecerit dum
mundum condidit ab initio. Quod S. Chryſ. fusè
proſequitur, homil. 55. ad populum. *Vide*, inquit,
quanto nos honore proſecutus eſt, tale nobis opus præ-
piens? Feci, inquit, ego cælum & terram, do tibi quoque
creationem: fac terram, cælum: nam potes. Qui facit om-
nia & mutat; de Deo dictum eſt. Hinc & hominibus po-
teſtatem dedit. Sicut aliquis pater charitate plenus, pingens
non ipſe ſolus, ſed & filium ad patrum diſciplinam perdu-
cere ſtudet. Feci, inquit, ergo ſpecioſum corpus: do tibi
melioris creationem: tu bonam fac animam. Dixi ego: Ger-
minet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum.
Dic & tu: Producat ipſa terra fructum proprium. Et exi-
bit quicquid facere velis. Facio æſtatem & nebulam: for-
mo tonitru, & creo ſpiritum. Formaui draconem ad illu-
dendum, ei hoc eſt diabolum. Nec hanc inuidi tibi pote-
ſtatem. Illude tu quoque ſi vis. Potes enim vt paſſerem vin-
cire. Facio oriri ſolem ſuper bonos & malos. Imitare tu
quoque: communica quæ tua ſunt & bonis & malis. Con-
tumelias patiens tolero, contumeliaſque parantes beneficiis
proſequor. Imitare etiam tu, nec ita benefacias propter retri-
butionem, neque propter gratiarum actionem. Accendi
luminaria in cælo: hîc ſplendidiora tu quoque fac accendas
Potes enim: eos qui ſunt in errore illumina. Maius eſt illud
beneficium, quam ſolem intueri, me cognoſcere. Hominem
facere non potes, ſed iuſtum facere potes, & Deo gratum.
Ego ſubſtantiam creaui, tu voluntatem exorna. Ita Chryſ.
Videſne quàm potens & admirabile ſit Dei verbum,
quo Deum in creatione potes imitari? Verbum enim
Dei terram tenebris ignorantiæ offuſcatam illumina-
uit. Per illud cælum repletur. Per illud ad omnium
bonorum operum exercitium inducimur, timor iu-
diciorum Dei in cordibus mortalium infunditur,
mnis fugatur iniquitas. Fugax eſt vini iucunditas:
ſed veram verbi diuini perceptio & permanentem
ingerit in cordibus lætitiam. In firma eſt Regum po-
teſtas, & aliquando iniuſta, quæ à potentiore po-
teſt opprimi, vel poteſtate ſua inferiores opprime-
re: ſed verbo Dei cuncta creata obediunt, & poten-
tia ſua ſaluat à diabolo oppreſſos. Corrumpit mu-
lierum ſocietas eos, quibus data eſt in auxilium: at
homines ſanctificat Dei verbum, ſi fuerit, vt par
eſt, cum reuerentia in ſinu mentis ſuſceptum. Fal-
lunt homines eos, cum quibus conuerſantur, & eo-
rum opera plærumq; ſunt nociua: *At fidelis Deus in*
omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Qui
verbo eius fidem præbent, reperient illum veraciſſi-
A mum: nam *veritas Domini manet in æternum*, omnes
æqualiter benignitate ſua fouens, zelo iuſtitiæ æqua-
liter redarguens, omnibus æqualiter quod iuſtum eſt
reddens. Virtutes laudat, vitia vituperat, & me-
diante Dei verbo, virtus in infirmitate perficitur,
Dei gratia regnat intra nos, Dei manifeſtatur po-
tentia, eius adoratur & reueretur Maieſtas. Opti-
mè certè S. Chryſoſth. hom. 4. in 1. ad Corinthios
dicit quemdam Chriſtianum cum Græco diſputan-
tem malè contendiſſe Paulum fuiſſe Platone do-
ctiorem & eloquentiorem: nam dum Platonicos
ſuperauit, hoc eloquentiæ eius aſcribi deberet.
Quamobrem faciebat pro Græco, quod dicebatur
à Chriſtiano; ſicut faciebat pro Chriſtiano, quod
B contendebat Græcus, nempe Paulum fuiſſe imperi-
tum, ipſa enim accuſatio eſt encomium. Dicant igi-
tur mundi ſapientes Apoſtolos fuiſſe indoctos. Ad-
damus & nos fuiſſe imperitos, & illiteratos, & pau-
peres, vileſque & abiectos, & inſipientes & obſcu-
ros, *Non ſunt*, inquit Chryſoſtomus, *hæc in Apoſto-*
los maledicta, ſed eorum gloria, quod cum eſſent huiuſ-
modi, toto orbe terrarum fuerint clariores. Iſti enim ru-
des, & agreſtes, & imperiti, expugnarunt ſapientes, &
potentes, & tyrannos & qui gloriabantur diuitiis & glo-
ria, & omnibus externis. Perinde ac ſi non eſſent viri.
Vnde eſt perſpicuum quòd ſit magna crucis potentia, &
quod humanis viribus hæc non fierent: non enim humanam
habent naturam, quæ fiunt; ſed erant ſupra naturam, quæ
C *gerebantur.* Ita Chryſ. Et reuera in his clarè manife-
ſtatur quanta fuerit vis & potentia verbi Dei, quod
imperiti, rerum expertes; illiterati, doctos; rudes
& agreſtes, politicos; inſipientes ab omnibus ha-
biti, philoſophos: vix maternam calentes linguam,
oratores doctos, qui magna dicendi facultate præ-
diti erant, ſuperarunt. *Vicerunt*, *inquam*, ait Chryſ.
Reges, Principes, populos, gentes, Barbaros, Græcos,
Philoſophos, Oratores, Sophiſtas, & qui ſoluta ſcribunt
oratione, leges, iudicia, varia ſupplicia; innumerabile &
omne genus mortis: ſed tamen hæc omnia refellebantur, &
cedebant loquentibus piſcatoribus, non ſeiùs atque puluis
tenuis, qui vehementium ventorum ferre non poteſt impe-
tum. Ita Chryſoſt.

D *Et factus eſt ſanguis tanquam mortui.*

Cum tanta ſit efficacia verbi diuini ad animarum conuerſio-
nem, ingentem eſſe oportet peccati malitiam, quæ impe-
dit quominus multi ad Deum conuertantur.

ANNOTAT. XII.

AD effuſionem phialæ apparet ſanguis tan-
quam mortui. *Et factus eſt ſanguis*, inquit, *tan-*
quam mortui. Ea enim fieri dicuntur, quæ incipiunt
manifeſtari. Dum igitur poſt prædicationem verbi
E diuini, videntur homines adhuc terrena ſectari,
carnalibus inhærere, turpia ſequi, & peccatis obrui,
dicere poſſumus, quòd ad effuſionem phialæ, factus
eſt, id eſt, apparuit tantùm ſanguis quaſi mortui:
quia nihil aliud conſequitur poſt effuſionem, id eſt
prædicationem, quàm omnimoda morum corru-
ptio, qua verbi Dei prædicationi apertè reſiſtitur.
Ex hoc tamen non debet ceſſare ab effuſione, id
eſt, à prædicatione, diuini cultus & ſalutis anima-
rum zelator. Sciat multos vocari, ſed paucos futu-
ros eſſe electos. Sed cum incertum ſit quinam ſint
illi, iactat rete, vt capiat quos Deus præordinauit
ad vitam. Sit veluti alter Petrus, aut alter Paulus,
vel alter Apoſtolus. Quod ſi peccatores, de facto
non retrahat, audiat Chryſoſt. hom. 3. in 1. ad Co-
rinth. *Etſi non perſuaſeris hodie, cras perſuadebis, & ſi*

Digitized by Google

nunquam perſuaſeris, tu integram & perfectam habebis mercedem. Non enim ex exitu eorum, quæ rectè fiunt, ſed ex mente eorum, qui rectè faciunt, ſolet Deus coronas definire. Etſi duos immiſeris obolos, accipis: & quod fecit in vidua, facies in docentibus. Ne ergo, quoniam orbem terrarum non potes ſeruare, etiam paucos deſpice; neque propter magnorum deſiderium, te à paucis ſubtrahas. Et ſi non poſſis centum, decem curam geras; & ſi non poſſis decem, ne quinque quidem deſpicias; & ſi quinque non poſſis, vnum noli deſpicari; & ſi ne vnum quidem poſſis, noli deſpondere animum, neque quæ potes præſtare prohibere. Non vides quòd etiam in contractibus, non ſolùm ex auro, ſed etiam ex argento exercent mercaturam, qui in iis verſantur? Nam ſi ne pauca quidem deſpiciamus, magna etiam apprehendemus; ſin autem parua deſpexerimus, ne illa quidem facilè accipiemus. Ita Chryſ.

At, quæſo, vnde tanta in corde humano reperitur peruerſitas, vt audito verbo Dei potiùs ſcandalizentur, quàm conuertantur homines; potius appareat quòd caro ſunt & ſanguis, quàm mentes ad Dei imaginem & ſimilitudinem procreatæ? Cauſam adfert ſanctus Chryſoſt. hom. 50, ad populum Antioch. in fidelitatem, ex animæ mollitie, cum quadam deriſoria veritatis cognitæ impugnatione ortam. *Nil mirum*, inquit, *ſi nos homines vtique viles hæc patimur, etiam de his differentes, quippe & Propheta talia patiebantur.* Ita Chryſ. Quod ex Sedecia ab Hieremia redarguto; ex his qui videbant arcam fieri à Noe, & non crediderunt, & ex Sodomitis probat. *Sed vnde*, inquit Chryſ. *Talium infidelitas? Ex animæ mollitie. Bibebant & comedebant, & non credebant propterea: quæ enim quiſquam vult, hæc & exiſtimat, hæc & expectat, contradicentes verò nugæ ſunt*, &c. Et poſt pauca: *At, inquit & aliquis, quis illinc aduenit, & hæc annunciauit? Si iocans quidem dicis, nec ita benè: nec enim in huiuſmodi ludendum eſt. Non enim in ludicris, ſed periculosè ludimus: Si verò ſic ſeriò ſentis, & poſthæc nihil eſſe putas, quomodo te dicis eſſe Chriſtianum? Nulla namque mihi eſt alienorum cura. Quare baptiſmum ſuſcipis? Cur Eccleſiam ingrederis? Nunquid enim principatus pollicetur? Omnis nobis ſpes in futuris. Quid igitur accedis, ſi ſcripturis fidem non habes, ſi Chriſto non credis? Nunquam talem, Chriſtianum dixerim, abſit; ſed potius & gentilibus peiorem. In quo? In hoc quod Chriſtum putans eſſe Deum, ei non credit tanquam Deo*, &c. *Ebrietatis hæc verba, laſciuiæ, luxuriæ: comedamus & bibamus: cras enim morimur, non poſtridie. Sed cum hæc dicitis. Mortui iam eſtis. Nihil igitur à porcis differemus, nihil ab aſinis, quæſo? Nam ſi neque iudicium eſt, neque retributio, neque tribunal, qua de cauſa tali ſumus munere decorati, ratione, & habemus omnia ſubiecta? Quare nos quidem dominamur, illa verò ſubdita ſunt? Vide qualiter vndique Diabolus, vt Dei donum ignoremus, perſuadere feſtinat*, &c. Et poſt pauca: Si non eſt iudicium, Deus non eſt iuſtus (ſecundum hominem dico:) *Si iuſtus non eſt, neque Deus. Si Deus non eſt, omnia temerè feruntur. Nihil virtus. Nihil vitium. Sed horum nihil apertè dicit. Vidiſti Satanicæ cauillationis cogitatum? Qualiter ex hominibus bruta nos facere ſtudet? Imo verò feras, quin potius dæmones: itaque ne credamus: eſt enim iudicium, ô miſer & infelix! Noui vnde venias ad iſtos ſermones. Multa tibi peccata ſunt: lapſus es: fiduciam non habes. Rationes tuas, & rerum ſequi naturam exiſtimas. Interim, inquis, gehennæ expectatione animam non conficiam: licèt gehenna ſit, ei perſuadebo gehennam non eſſe. Interim his gaudebo*, &c.

Nunc quomodo agnoſcitur homines in tam infælici ſtatu exiſtere, niſi per verbi diuini ac legis Euangelicæ prædicationem, quæ illa quæ ſunt carnis condemnat, & ad illa reſpuenda nos prouocat, pœnas minatur æternas pro peccatis, gaudia promittit ſempiterna his, qui carnem ſuam crucifigunt

A cum vitiis & concupiſcentiis. Nam dum talia proponuntur credenda, peccatores ſe eſſe vident, qui ſe iuſtos exiſtimabant; percipiunt ſeipſos ex carne & ſanguine coagmentatos, vt à regno cœlorum proinde excludantur, qui ſibi de ſapientia ſua gloriabantur. Nam, vt ait S. Iacobus, *ſcienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi.* At illud *peccatum non cognoui niſi per legem*, ait Apoſtol. Rom. 7. id eſt, Quod bonum eſt non didici, niſi à lege, cum igitur lex mihi proponitur, qui contraria hactenus peregi, arguet me de peccato. *Oſtendit enim lex*, vt ait Ambroſ. in hunc locum, *& quæ latebant peccata, & quæ impunè futura non eſſent apud Deum: quo comperto homo factus eſt reus, &c. Nam & concupiſcentiam neſcie-*
B *bam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Quia cum nec ſuſpicio quidem eſſet iſtud non licere apud Deum, cognoui, inquit, eſſe peccatum. Apoſtolus ſub ſua perſona quaſi generalem agit cauſam. Lex itaque concupiſcentiam prohibet, quæ propterea, quod oblectamento eſt, non putabatur eſſe peccatum. Simplex enim videbatur cauſa concupiſcere aliquid proximi: hoc autem lex prodidit eſſe peccatum.* Ita Ambroſ. Certè ſi rei erant, qui poſt legem à Moyſe datam peccatum cognouerunt, & ab eo recedere noluerunt; quanto magis rei conſtituentur, qui legem Euangelicam audientes, qua poſſumus per legem fidei reconciliari Deo, eam rejiciunt & contemnunt. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur: quanto magis*
C *deteriora meretur ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Ad Hebr. c. 10. Hoc ad Chriſtianos dicendum: ſed nec infideles, quibus verbum Euangelij proponitur, immunes erunt à delicto, ſi credere noluerint, imo potius ſe in iniquitatibus conceptos, & in delictis natos conſpicient & oſtendent euidenter, (dum propter amorem carnalium, veritati propoſitæ contradicant.) *ſe totos carneos eſſe & ſanguineos. Nam*, vt ait S. Ambroſ. in 7. Epiſt. ad Roman. *Omnis incredulus in carne eſt, id eſt carnalis: & Chriſtianus ſub lege viuens in carne eſt. Et ſi quis Chriſtianus luxurioſam agit vitam, in carne eſt. Hoc tamen loco in carne eſſe ſic intelligamus,*
D addit Ambroſius, *quia ante fidem in carne eramus: ſub peccato enim viuebamus; hoc eſt, carnales ſenſus ſequentes vitiis & concupiſcentiis ſubiacebamus. Senſus autem carnalis eſt non credere ſpiritalia, id eſt, ſine commixtione virginem peperiſſe, & ex aqua & Spiritu ſancto hominem denuò naſci, & ſolutam animam à copula carnis rurſus in carne reſurgere.* Ita Ambr. in c. 7. Epiſt. ad Rom. hæc verba exponens: *Cum enim eſſemus in carne, vitia peccatorum, quæ per legem oſtenduntur, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.* Quibus certè poteſt intelligi quid ſit, *Sanguis tanquam mortui*, vel quod *omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Ille viuens moritur, in quo viget ſenſus carnalis, in quo viuunt vitia carnalia, quibus mors æterna incurritur. Nam
E crimen committit puniendum, cum agat contra iudicium rationis dictantis ſibi conuenire ea, quæ proponuntur per fidei doctrinam. Optimè enim Ambroſius in illud Rom. 2. *Hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Quia*, inquit, *dum natura duce credunt opus legis, oſtendunt non per literam, ſed per concupiſcentiam. Opus autem legis eſt fides, quam cum dictis exhibet Deo, naturali iudicio oſtendit ſemetipſum legem ſibi eſſe, quia quod mandat lex vltro facit, vt credat in Chriſtum, teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum, teſte interiore conſcientia ſua credunt, quia conſcij ſibi ſunt conuenire ſibi quod credunt. Congruum eſt enim creaturæ credere & venerari ſuum conditorem, nec abſurdum eſt vt Dominum ſeruus agnoſcat.* Ita S. Ambroſ. Agentes igitur contra conſcientiam, reſpuendo illa, quæ iudicant ſibi

Digitized by Google

conuenientia & valde credibilia, peccant peccato infidelitatis poſitiuæ, de quo dixit Chriſtus de Iudæis loquens: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Ioan. 15. *Aduentus quippe eius,* inquit, S. Auguſt. tractat. 89. in Ioann. *quantum credentibus ſalutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus eſt: tanquam & ipſe caput & princeps Apoſtolorum, quod de ſe ipſi dixerunt, extiterit quibuſdam quidem odor vitæ in vitam, quibuſdam vero odor mortis in mortem.* Ita Aug. Ad eorum numerum ex eodem Auguſt. reuocandi ſunt hi, ad quos in diſcipulis venit Chriſtus, & quibus per diſcipulos eſt locutus: quod & nunc facit: *Nam per Eccleſiam ſuam venit ad gentes, & per Eccleſiam ſuam loquitur gentibus. Ad hoc enim pertinet. Quod ait: Qui vos recipit, me recipit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. An vultis, inquit Apoſtolus Paulus, experimentum accipere eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Ita Aug.

Quod ſi aliqui exiſtunt, ad quos non venit Chriſtus, nec per ſe nec per Eccleſiam, poſſunt excuſari ab hoc peccato: ſed non ideo poſſunt effugere damnationem: *Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Si qui autem ſint, qui audierint & contempſerint, vel etiam reſtiterunt: nec tantùm contradicendo, ſed & eos, à quibus audierunt, odiis perſequendo, non leuiori certè pœna erunt puniendi, quali videntur plectendi, qui in firmitate legem quam audierunt non implent. Omnino enim legem Chriſti accipere noluerunt, & eam, quantum ad ſe attinet, omnino nullam eſſe voluerunt: quod peius eſt, quàm ex infirmitate à lege deficere. Tales mihi videntur deſignari in iſtis, qui ſignantur in his verbis: *Et omnis anima viuens mortua eſt in mari.* Nam per eos intelligo illos, qui propter amorem vitæ carnalis, legem ſpiritus omnino abjiciunt, eique, quantum in ſe eſt, contradicunt, & illam exterminare deſiderant: de quibus Ticonius: *Ideo quia ſuperbis & impiis non ſufficit quod eos qui ſancti ſunt non diligant nec imitantur, verùm etiam vbicumque potuerint perſequuntur.* (Ita Ticon. ne per illas leges Chriſtus Rex & legiſer noſter viſibile ſibi in terris Regnum conſtituat. Et hæc de ſecundæ phialæ effuſione ſatis.

De effuſione tertiæ phialæ, ſeu de poteſtate Eccleſiæ collata adminiſtrandi Sacramenta.

Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum. Et factus eſt ſanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras, ſanctus, qui hæc indicaſti: quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt. Et audiui alterum ab altari dicentem: Etiam Domine, Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua.

Synopſis omnium quæ in hoc ſymbolo ſignificantur.

ANTEQVAM ſingula membra huius ſymboli diſcutiamus, quid in illo ſignificetur nobis eſt aperiendum. Igitur idem eſt, ac ſi ſanctus Ioannes apertè diceret: ſatis ex prædictis patet: & licèt cœlo altiora ſint iſta myſteria, digito vobis illa tangere datum eſt. Percepiſtis namque homines in peccatis & iniquitatibus fuiſſe conceptos; ſemper in eis manere peccati fomitem, & ingreſſam fuiſſe vſque ad interiora eorum maledictionem; nam non ſolùm illam induit ſicut veſtimentum, per externas corporis infirmitates & miſerias, ſed inſuper *intrauit*

A *ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.* Medullam oſſium infecit: nam omnes eorum vires ſeu facultates intellectuales & ſenſitiuæ ad omnia illicita feruntur: de nulla re alia cogitant: nihil appetunt aut deſiderant, quàm quæ carnem ſapiunt & ſanguinem. Vnde non mirum ſi ſtatim atque offeruntur illis remedia, quibus peruerſæ illorum inclinationi ſubueniretur, inordinati motus ſenſuum poſſent cohiberi & coërceri, & ratio illorum gratiâ Dei muniti, qua fieri poſſet, vt ſi motus ſenſuales illi bellum inferrent, eamque aggredi auderent, dictamen & imperium illius præuenientes; hoc cederet ipſi in exercitium virtutis; nec certam & indubitatam fere afferret labendi in peccatum

B occaſionem, dum priuata diuino auxilio facilè conſentit delectationibus ac ſugeſtionibus appetitus inferioris, & ſenſuum exteriorum inquietudini morem gerit. E contra, hæc contempſerunt remedia; tam pio conatui diuinæ prouidentiæ, quo volebat illos à peccati conſuetudine & libidine retrahere, adeo fortiter obſtiterunt, vt non ſolùm apparuerint proni ad malum ab adoleſcentia ſua, ſed ſole clarius manifeſtum fuit ex hoc vno voluptatem percipere, vt gaudeant, & conquieſcant in malefactis. Fuerunt enim in ipſis facultates intellectuales mentis & voluntatis, quin & appetitus ſenſitiui & ſenſuum exteriorum vires (ac ſi eſſent quædam flumina cum impetu currentia) nullam occa-

C ſionem malè agendi prætereuntes, quam non ſecum attraxerint: ad malum cum tanta firmitate, facilitate, & delectatione currunt, vt diceres fluuios eſſe dulciter è fontibus ſcaturientes, vt ad mare, ex quo veniunt, cum ſummo quodam impetu redeant. Bibunt iniquitatem tanquam aquam, & velut is, qui ſiti grauiſſima laborat, potu aquæ frigidæ reſtinguit ſitim: ita hi ſitim concupiſcentiæ inexplebilem extinguere ſe poſſe autumant, ſi cunctis ſe delitiis & voluptatibus ingurgitent, & imperceptibili quodam ſenſualitatis motu ad hæc feruntur, itaut ſibi perſuadere nequeant aliquid reprehenſione dignum perpetrare, licèt nihil tam turpe ac in honeſtum dici queat, quod libertimè non perpetrent.

D Igitur ſtatim atque tertius Angelus, nempe Epiſcopus Pergamenus (cui iubente Chriſto epiſtolam ſcripſeram in nomine eius, vt ſeſe fortiter opponeret tenentibus doctrinam Balaam, quibus vnicum hoc erat votum, vt ſeſe delitiis ac voluptatibus ingurgitarent) quæ ſibi iniuncta fuerunt adimplere voluit, & media adhibere præſcripta, quibus efficaciter fieri poſſet vt retraherentur homines ab hac vitæ impuritate, & morum corruptione, phialam ſuam effundendo, id eſt, facultatem adminiſtrandi Sacramenta, ſiue Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ, aut aliorum, (quibus Deus infirmitati humanæ mederi ſtatuit) in actum reducendo, (nec enim Deus purè ſpiritualia dedit hominibus ad ſalutem media, ſed

E naturæ eorum ex anima & corpore compoſitæ proportionata (hæc ipſi reſpuerunt. Et quis hoc perſpiciens non fateatur eos non modò (quod ex terra fuerunt efformati) eſſe ſtupidos ac terrenos, non modò ex coquod mari peccati originalis ſunt operti, valde pronos & procliues eſſe ad malum; quin etiam præter deprauatam hanc inclinationem infinita propemodum actualia perpetrare peccata, quibus contaminantur, in quæ dilabuntur; quia eorum facultates tanquam fluuij quidam rapidi decurrunt, quaſlibet ſecum trahentes oblatas occaſiones peccandi: ſenſus ipſorum amplectantur quidquid illos titillare contingerit, nec ipſis curæ eſt ſi in his Dei offenſa incurratur, ſi natura, quæ omnia ex præſcripto rationis agere deberet, denigretur; ſi decor animæ ſpiritalis auferatur. Non enim ratione ducuntur, ſed

Digitized by Google

ad modum brutorum ſenſuum, titillationes & oble-ctationes, ſeu quælibet obiecta voluptatem afferentia amplectuntur.

In quo quidem manifeſtum eſt, Deum ab eis pœnas exigere contemptus inſpirationum ſuarum, & illius contradictionis, quam adhibuerunt veritati, quæ ipſis annunciata fuit, inſuper & ingratitudinis nimiæ erga Deum & homines, per quos Deus illis vitam conferre proponebat: tanta enim in ipſis fuit morum corruptio, tam præcipiti curſu ad quodlibet peccatum perpetrandum proruperunt, vt plærumque illos perſequi vſque ad mortem non dubitarint, per quos Deus remedia ipſis dare ſtatuerat, illis proculdubio ſimiles, quos ſanctus Stephanus olim grauiter his verbis redarguebat: *Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtiſtis: ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui praenunciabant de aduentu iuſti, cuius vos proditores & homicidæ fuiſtis.* Act. 7 Tales ſiquidem fuerunt antiqui in fideles & ethnici, ſed etiam plurimi ſchiſmatici & hæretici, imo tales etiam neoterici hæretici, qui in his vltimis & infælicibus temporibus ſurrexerunt. Nonne Dei Sacerdotes, per quos Sacramenta adminiſtrantur, exilio mulctarunt, membrorum mutilatione, & detruncatione vexarunt, nares, aures, pudenda præſcindentes, denique ſuppliciis grauiſſimis, & tandé morte. Teſtes sũt noſtri Caluiniſtæ in Gallia, Puritani in Anglia. Clamat adhuc tot Sacerdotum ſanguis effuſus, videns in eis tantam morum corruptionem, quod audit ſanctus Ioannes Angelum aquarum dicentem: *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras, ſanctus, qui hæc iudicaſti: quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt. Et ſanguinem dediſti eis bibere: digni enim ſunt.* In hoc enim Angelo ſignantur omnes, qui euidentiùs in Eccleſia dignoſcuntur ſuam nauaſſe operam, & omnem collocaſſe induſtriam, vt peccatores pertinaciores, ſi fieri poſſet, etiam conuerterentur. Talium ſiquidem præcipuè eſt diuino iudicio ſubſcribere, illud approbare, & meritò extollere. Meritò igitur tales diuinum iudicium laudant, quo ſtatuitur, vt ij, qui omnia ſalutis media, ſiue interiora, ſiue exteriora, (quæ Deus tanta cum beneuolentia gratuitò contulit (rejiciunt, ab eo derelinquantur, vt abeant iuxta adinuentiones ſuas, in innumera ſcelera & abominationes, iuxta illud Pſ. 80. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: Ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et de talibus agit Apoſtolus, Rom. 1. *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, &c. Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent*, nimirum quia ipſis per Euangelij promulgatores annunciata fuit, *non intellexerant quoniam qui talia agunt digni ſunt morte.* Ita Paulus. Non modo digni ſunt qui permittantur, vt effusè & abſque ſcrupulo omnia turpia exerceant, ſed etiam vt ad turpitudinem iniuſtitiam adiungunt; ſanctos, qui eos à vitiis retrahere conabantur, ad mortem vſque perſequendo: vt non modo myſticè flumina vertantur ipſis in ſanguinem, de peccatis ſuis gloriantes, ſed etiam, vt olim apud Ægyptios, cum contradictio euenerit maior, nempe temporibus Anti Chriſti, & perſecutio ſeruorum Dei ſæuior fuerit, ipſis flumina & fluuij verè in ſanguinem conuertantur.

Huius iudicij Dei æquitas Pergami cernebatur. Occiderant enim Antipam teſtem Dei fidelem. Ideo meritò derelicti ſunt à Deo, vt ſectarentur doctrinam Balaam, *qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari*, vt ſic biberent pleno hauſtu ſanguinem, id eſt, iniquitatem & iniuſtitiam, & impietatem, tanquam aquam. Iuſtum quippe eſt, vt qui media ad ſalutem efficacia, quæ Deus olim promiſerat, & pro eo tempore exhibebat, contemnunt; & non tantùm contemnunt, ſed etiam eos, per quos illis ſunt conferenda, perſequentur, à Deo derelinquantur, & peccatis ſeruiant, ſub graui iugo impietatis & malitiæ ſubacti.

Sancti & iuſti igitur, Dei, ſanctitatis autoris iudicia laudibus extollunt, cum vident vindictam incipere contemptus gratiæ Dei, propter quam impertiendam tantopere deſudarunt, & proprium ſanguinem effundere non dubitarunt. Et cum conſummata fuerit nequitia peccantium, & eorum menſura vſque ad cumulum impleta, plenaque vindicta pro tanta peruicacia & contradictione ipſorum in die iudicij ab iis expoſcetur, tunc pleno fruentes gaudio, *ſtabunt cum magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. lætabitur enim iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*, qui per demeritam gratiarum Dei ſubtractionem, in tanta incidet tormenta.

Cum autem ad eos præcipuè pertineat, qui in ſanctitate fuerunt eminentiores, & ab omni vitio remotiores, inſurgere in eos, qui pietati aduerſantur; vel quorum miniſterium magis notoriè à cunctis perſpicitur Deo plurimum inſeruiſſe, vt iniquitatis conatus infringeret, illorum etiam eſt iuſta Dei iudicia approbare ac laudare. Hinc rectè in iſto Angelo, Dei iudicia laudibus extollente, poſſumus ſanctum Ioannem Baptiſtam intelligere. Is enim cum eminenti ſanctitate miniſterium excellens & præclarum adeptus eſt, quo peccatis bellum indiceret; quin etiam expertus eſt in ſeipſo homines erga Deum eſſe ingratos, & veritatis inimicos: ſanguinem namque pro iuſtitia ac virtutis defenſione effudit. Eius igitur Angeli vox eſt iſta: *Iuſtus es, Domine, qui es, & qui eras, ſanctus, &c.* Ioannes igitur Baptiſta in vtero ſanctificatus ab omni labe & macula peccati mortiferi immunis, ab omni affectione deliberata (qua à Dei ſemita deuiaret) alienu·, cuius vita puriſſima, ab omni ſenſuali delectatione abſtracta, verò Angelus aquarum dici debet. Nam eius officium ac miniſterium prædicandi baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, tale nomen illi comparauit. Is vidit Deum verè ſanctum, ad ſanctificationem hominum exhibere quæ olim promiſerat; vt qui ſanctitatis ſe exhibuit amatorem promittendo, ſanctum ſe eſſe manifeſtaret, actu exhibendo media, quibus ad ſapctificationem perueniтur. Hinc ſanctitatis fontem oſtendit eſſe Chriſtum, dum illũ digito deſignans aiebat: *Ecce Agnus Dei. Ecce qui tollit peccatum mundi.* Hinc de illo teſtimoniũ perhibens dicebat: *Quia vidi ſpiritũ deſcendentem quaſi colũbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Ioan. 1. Quibus verbis ſatis declarat ſe optimè ſcire Deum eſſe ſanctum, dum filium ſuum, quem promiſerat, miſit, qui peccata auferret, in quo habitaret ſpiritus ſanctificationis, de cuius plenitudine accipientes, ſanctitatem comparare poſſemus. Si quos igitur animaduerterit pro tanto beneficio erga Deum ingratos, ſi quos perſpexerit filio Dei iniurioſos illum contemnentes, media ad ſanctificationem ab eo præſcripta paruipendentes, putaſne eos exiſtimabit veniâ dignos? Ne illud in mentem induxeris. Audis quomodo tales redarguat. *Genimina, ſeu progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à ven-*

Digitized by Google

& celabo faciem meam in die illa, propter omnia mala, quæ fecit quia ſecutus eſt Deos alienos. Deuter. 31. Vides ſententiam à Deo contra iſtum populum latam. Audi Moyſem ſtatim canticum Deo præcinentem celeberrimum & admirabile, & in eo Dei iudicia, quantùm poteſt, extollentem. *Videte*, inquit, *quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam. Percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Et in fine huius cantici ait: *Laudate gentes populum eius: quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur. Et vindictam retribuet in hoſtes eorum; & propitius erit terræ populi ſui.* Deut. 32. Videſne hæc optimè conuenire cum laude & approbatione Angeli aquarum, qui ab altari videtur in Moyſe clamare? *Etiam, Domine, omnipotens, &c.* Quia Moyſes prope altari, quod erexerat, exiſtens audiuit à Domino ſententiam contra populum rebellem latam, cui in ſuo cãtico videtur ſubſcribere. Et quia magnus Dominus & laudabilis nimis, voluit vt canticum iſtud, in quo magnificè extolluntur iudicia Dei, ab omnibus decantaretur. Hac enim de cauſa voluit illud & literis & memoriæ commendari, iuxta illud præceptum: *Itaque ſcribite vobis canticum iſtud: & docete filios Iſraël, vt memoriter teneant, & ore decantent. Et ſit mihi carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſraël,* Deuter. 32.

Expoſitio per partes huius ſymboli, iuxta varias diuerſorum autorum expoſitiones.

ANNOTAT. XIII.

TICONIVS: *In tertio vero Angelo, & aquarum conuerſione in ſanguinem, omnes Angelos populorum, & inferiores* (alias interiores) *homines in animo cruentos.* Ita Ticon. Fauet noſtræ expoſitioni, in qua flumina & fontes de interioribus animæ, facultatibus exponimus. Et, vt rectè antea dixi: *Omnes iſtæ plagæ ſpiritales ſunt: & in anima fiunt.* Primaſius, qui ſecundam phialam de Iudæis intellexit, in tertia concludit gentes generaliter: *quæ ſicut fuerunt naturali errore præuentæ, ac luxulentis deſideriis implicatæ, adiecerunt de diuinis etiam carnaliter ſapere. Vnde in fontibus intelligi poſſunt doctrinæ gentilium. Ideo dicit: Facta ſunt ſanguis. Sicut etiam in geneſi: Non permanebit ſpiritus, inquit, in hominibus iſtis in æternum: quia caro ſunt. In ſapientiæ quoque libro, ait: Sanguine ſordido turbati in redargutione. Et quia ſapere ſecundum carnem, ait Apoſtolus, mors eſt; & ſapientia carnis inimica eſt Deo; propterea de huiuſmodi hominibus, qui & talibus dicuntur peccatis offendere, pœnalia rurſus ſcelera notantur incurrere.* Ita Primaſ.

Item Primaſius de Angelo aquarum: *Angelus aquarum, nuncius populorum interiore affectu diuinis laudibus concrepantium.* Ita Primaſ. Fauet autem noſtræ expoſitioni, dum effuſionem ſanguinis ſanctorum, & captam de tanto ſcelere vindictam ſpiritaliter exponit, hoc modo. *Licèt*, inquit, *corporaliter & Iudæi & gentes ſanctorum ſanguinem fuderunt, quem Dominus memorat exigendum à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ; poteſt tamen etiam illius plaga cæcitatis intelligi; vt & illi cognoſcantur ſanguinem Prophetarum fudiſſe, qui eis abutentes, eorum ſenſus aliud decurarunt. Quomodo ſi diceret: Qui ſpiritualem legem carnaliter ſapuerunt, iuſtè corruptioni carnis & ſanguinis addicti traduntur: vbi & peccatum, & pœna cognoſcitur peccatorum. Hinc Apoſtolus dicit: Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed*
A *conſenſerunt iniquitati.* Ita Primaſ. De Angelo altaris nihil dicit, imo pro Angelo ponit aliam vocem.

Andreas Cæſarienſis de hoc altari ita agit. *Per altare*, inquit, *interdum deſignatur Chriſtus, quod in ipſo, & per ipſum ratione præditæ Deo Patri offerantur hoſtiæ, ſacrificiaque, & victimæ viuæ: quales ipſi offerri vult Apoſtolus; Nonnunquam verò Angelicæ virtutes, vt quæ noſtras preces, noſtraſque ſpiritales oblationes in ſublime euehant, Deoque offerant: ſiquidem haſce, propter eos qui hæreditatem ſalutis capiunt, in miniſterium mitti, ex eodem Apoſtolo diſertè diſcimus. Ex hoc igitur myſtico altari vocem delatam inquit, quæ omnia Dei iudicia iuſta, ac omnem mentem & orationem ſuperantia prædicabat.* Ita Andr. Ambroſius: *Iſte Angelus Prophetas deſignat. Per*
B *flumina verò, fonteſque aquarum, duodecim tribus cum ſuis familiis deſignantur, &c.* Et paulo poſt: *Angelus igitur phialam ſuam ſuper flumina & fontes aquarum effudit: quando Prophetæ ſancti impio populo verbum Dei annunciauerunt. Sed illi ex prædicatione ſanctorum multo deteriores effecti, non ſolùm mandata Dei contempſerunt, ſed & ipſos verbi Dei miniſtros occiderunt. In ſanguinem verò verſi ſunt: quia ipſi ſibimetipſis mortem perpetuam intulerunt.* Ita Ambroſ. Qui per Angelum aquarum, Angelum illius populi intelligit; qui videns iuſto Dei iudicio populum iniquum eſſe damnatum, laudat ſententiam iuſtiſſimam Dei omnipotentis; Per altare autem, ſanctos viros, qui eo tempore fuerunt, qui laudauerunt iuſtum Dei iudicium, eo quod im-
C pio populo iuſtiſſimam damnationem intulerit, ſicut legimus Danielem & tres pueros feciſſe. Ita Ambroſ.

Rupertus, qui ad antiquorum Iudæorum ſtatum recurrit fluminum loco intelligit eos, qui materiali gladio ſanctos quoque proſecuti ſunt in quæ flumina fonteſque ira Dei cecidit, dum ſeptem gentes ad introitum filiorum Iſraël Ioſue duce deleuit.

Et factus eſt ſanguis. Hîc, inquit Rupertus, *vbi effunditur nouiſſimatum tertia phiala plagarum, &c. Vniuerſitas gentium perſecutricum æterno iudicio addicitur, per hanc tertiam phialam iracundiæ Dei, itaut iam non ſuperſint ex eis, qui ſanctos eius perſequi aut ſollicitare vlterius poſſint.* Item Rupertus per Angelum aquarum intelligit fi-
D deles, de quibus Eſaias c. 33. *Porro*, inquit, *aquæ fideles, aquæ viuæ ſunt, quæ de ventre credentis fluunt, ſicut ait earumdem dator aquarum: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ergo iſte Angelus aquarum ille eſt, cuius aquæ illæ ſunt, cui datæ ſunt, cuius de ventre fluunt, videlicet omnis ſcriba doctus in regno cælorum, omnis ſanctarum fidelis interpres, ſiue etiam auctor ſcripturarum: qui pro eo, quod labia eius cuſtodiunt ſcientiam, meretur hoc loco dici Angelus aquarum: non quòd ſecundum perſonam vnus homo tantùm, ſed quòd ſecundum fidem vnus ſit ſenſus omnium; omnium quippe, qui veraciter in ſanctarum conuerſantur aquis ſcripturarum, vnus ſpiritus eſt, & vna fides; & ſi illas ritè conſulas, omnes concorditer dicunt, & in iſto*
E *conſentiunt, quia Deus iudex iuſtus eſt. Iuſtus es, inquit, qui es, &c. Hæc deſcriptio iam ante in hac ſcriptura frequenter eſt; Qui eras, & qui es, & qui venturus es. Porrò tertium hoc: Et qui venturus es; Idcirco non dicitur hîc, quia confeſſio iſta iuſtitiæ Dei temporis illius eſt, poſt quod iam vltra non eſt venturus.* (Vltima Rupertus Anti-Chriſti tempora hîc reſpicit.) *Igitur qui es, & qui eras, id eſt, qui & nunc permanes in ſecula, & qui eras ante ſecula, in quo fruſtrata ſunt omnia, quæ nomen tuum abſorbere molita ſunt flumina. Eſt enim qui eras, & in ſua firmitate ſtat & perſiſtit illa veritas prophetica: initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt: tu autem permanes, &c. Et audiui altare dicens. Apud nonnullos ita intelligitur: Et audiui alterum dicens. Et legendo alterum ſubaudiri voluit, ver-*

bum ſiue reſponſum. Porro in emendatioribus codicibus altare ſcriptum eſt. Et hîc non fruſtra placet, ſi recolas ſanctos & Prophetas, quorum iſti ſanguinem fudiſſe accuſantur ſuperiùs, ſubtus altare clamaſſe ad Deum, &c. Et paulo poſt: *Audiui altare, id eſt, ſubtus altare, illos quos prius audieram, non iam clamantes, & iudicium aut vindictam ſui ſanguinis repoſcentes, ſed iam peractâ vindictâ, quam exigebant, iudicantis; atque iuſtitiam laudantes, atque dicentes: Etiam Domine, Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua. Vera vtique in verbo, iuſta in facto.* Ita Rupert.

S. Thomas in tertio Angelo intelligit tertium ordinem prædicatorum, qui ſcilicet zelum ſpecialem habebunt ad fidem defendendam; *effudit.* j. annuntiabit diuinam vltionem venturam; *ſuper flumina*, id eſt, hæreticos; *& fontes.* j. Hæreſiarchas, qui fontes ſunt doctrinarum, quibus alios ad mortem potant. *Litera*, inquit S. Thomas, *videtur innuere quod videbat B. Ioannes, flumina & fontes verſi in ſanguinem, quia tales à ſtatu erroris tranſibunt ad damnationem: Senſus ergo eſt: Factus eſt ſanguis, id eſt, damnatio horribilis infertur. Sanguis enim mortem indicat & horrorem. Vel ſanguis ideo dicitur damnatio, quia infertur quibuſdam pro ſanguine, quem effuderunt corporaliter, vel ſpiritualiter, ſcilicet occidendo corpora vel animas.* Ita S. Thom. Qui in Angelo aquarum intelligit cætum doctorum, & prædicatorum, qui præſident aquis ſacræ ſcripturæ, & eas aliis in refectionem propinant. In altari, de quo auditur vox, vel corporalis, vel mentalis, iuxta eamdem intimam cordis affectionem, quod eſt altare Dei, in quo omne bonum Deo ſacrificatur.

Alcazar hunc ſenſum huic ænigmati tradit: quia non maris aqua, ſed fluminum potius & fontium aqua ebibitur, per fontes & flumina verſa in ſanguinem, ſignificari bellum inteſtinum & domeſticum, quo gentiles ipſimet acriter perculſi ſunt, per eaſdem leges immaniſſimas, quæ contra Chriſti ſeruos promulgatæ, & executioni mandatæ ſunt. Etenim factum eſt vt eorum domeſtici & amici, ac proximi, vi earumdem legum mortem ſubire coacti fuerint. Deinde Alcazar in Angelo aquarum Moyſen intelligit; in Angelo altaris, Eliam: qui quidem myſticè accipiuntur pro ſeruorum Chriſti ſapientia & ſanctitudine. Et quia in duabus primis phialis nondum deducta res erat ad fructum ex gentibus metendum, qui ſe & Chriſti iugo ſubjicerent, & morti pro ipſo ſubeundæ exponerent, non viſi ſunt oblectari aut exhilarati. At in tertia plaga, primitiæ tanti fructus viros Apoſtolicos, in Moyſe atque Elia figura figuratos, magnopere oblectant & exhilarant; & tum ipſorum ſapientia, quàm diuini obſequij zelus, in gentilium conuerſione atque Martyrio exultat; Denique non addi ad Dei nomen explicandum: qui venturus eſt; quaſi ſignificent hoc pacto antiqua illa veterarùm figurarum integumenta detecta iam eſſe & euoluta, ac proinde Deum reapſe ſeſe exhibuiſſe eum, qui iuxta antiquas figuras & promiſſiones erat futurus. Hæc eſt Alcazaris mens & ſententia. Nunc ad noſtram expoſitionem elucidandam tranſeamus.

In tertia phialæ effuſione agitur de Sacramentorum adminiſtratione.

ANNOTAT. XIV.

HANC concluſionem conjicio primò, quia recta ſerie poſt prædicationem verbi ſequitur Sacramentorum adminiſtratio: tum ex verbis Do-
A mini, qui poſt iniunctum munus de prædicatione verbi, ſtatim mentionem facit adminiſtrationis Sacramenti Baptiſmi. *Euntes ergo docete omnes gentes:* Ecce verbi annunciatio. *Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matt. vltimo. Ecce Sacramenti adminiſtratio. Quod quidem factitatum fuiſſe ab Apoſtolis patet ex 2. Actuum. Nam poſt concionem S. Petri, multis petentibus quid ſibi foret agendum, Petrus ad illos dixit: *Pænitentiam agite: & baptiſetur vnuſquiſque veſtrum.* Optimus eſt igitur hic phialarũ ordo. Primò orandum. Secundò annunciandum Dei verbum. Tertiò Sacramenta adminiſtranda. Orationem enim Apoſtolus præmittendam cenſet prædicationi. Ad Epheſ. 6.
B *Per omnem*, inquit, *orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes, in omni inſtantia, & obſecratione, pro omnibus ſanctis, & pro me; vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeam prout oportet me loqui.* Sciebat Apoſtolus quàm indigens ſit humana imbecillitas diuini auxilij, ad opus tam arduum fideliter & cum fructu aggrediendum. Et cum omne donum optimum ſit à Deo, illud etiam ab eo expoſtulari præcipit. Et præcipuè oratio præmittenda eſt, cum adeſt tentatio impediens libertatem prædicandi, qualem experiebatur Paulus in catena. *Vrget catena*, inquit S. Chryſoſtom. hom. 24. in Epiſt. ad Ephe-
C ſios, *obſtruens loquendi libertati, ſed veſtræ preces os meum aperiunt, vt ea dicam, ad quæ dicenda miſſus ſum.* Ita Chryſ. Quin & Apoſtolus 2. ad Theſſalo. c. 2. hanc orationis neceſſitatem agnoſcebat, vt prædicatio verbi curſum obtineat. *De cætero*, inquit, *fratres, orate pro nobis, vt ſermo Dei currat & glorificetur, ſicut & apud vos; & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Non eſt enim omnium fides.* Ita Apoſtolus. Vides ad quid orandum ſit ante verbi prædicationem. *Non hic*, inquit Chryſoſtom. homil. 4. in 2. ad Theſſal. *mihi videtur ſignificare pericula, ſed eos, qui contradicebant & impediebant, ſicut Alexander Ærarius. Valde enim, inquit, reſtitit verbis noſtris.* Ita Chryſ. Et tanto magis eſt ad orationem recurrendum, quod opus
D ex prædicatione expectandum, non armis, acie, aut pretio conſequi poteſt, ſed tantum oratione ac ſupplicatione ad Deũ. Si igitur qui armis olim poterant hoſtes ſuperare, miſſis armis confugiebant ad preces, ſicut Moyſes, Samuel, Ezechias; vbi precibus ſolùm res oportet confici, quomodo non multo magis eſt orandum? At certum dæmones non ejici, quos patimur aduerſarios, niſi oratione & ieiunio. Fides non vi, ſed Dei bonitate & gratia poteſt tantùm obtineri. Ideo pro ea inducenda, per prædicationem ad Deum eſt recurrendum. *Acrem*, dicebat Chryſ. hom. 4. in Epiſt. ad Theſſal. *& vehementem habemus hoſtem. Vnuſquiſque enim veſtrum res ſuas curat, & de eis eſt ſolicitus: nos autem omnium. Stamus in ea*
E *parte belli, quæ laborat. Aduerſum nos diabolus armatur vehementiùs. In bellis enim ante alios omnes, belli ducem ſternere conatur aduerſarius. Propterea illuc omnes currunt, coniunctis clypeis. Propterea magnus eſt tumultus, vnoquoque conante eum de medio tollere. Clypeis illum circumtegunt ac muniunt, illius caput volentes conſeruare.* Ita Chryſ. Paſtores ac Prædicatores verbi, ſunt populi Chriſtiani in certamine duces. Contra eos certè inſurget vehementius diabolus. Ideo egent multorum precibus, ne ſermo eorum euaneſcat in aëra ſine fructu. Optime igitur orationem præmiſimus, ante phialæ verbi effuſionem. Nunc annunciata veritate, credentibus Sacramenta ſunt adminiſtranda, non credentibus etiam proponenda, vt media à Deo inſtituta, quibus à peccatorum impia ſeruitute poſ-

Digitized by Google

ſimus liberari. Optima igitur horum miniſteriorum ſeries nos induxit, vt ſicut in prima phiala facultatem ad Deum recurrendi datam Eccleſiæ; in ſecunda phiala, verbi prædicationem; in hac tertia, Sacramentorum adminiſtrationem intelligamus.

Secundò, hoc conjicio ex duobus Angelis Deum laudantibus, qui dicuntur Angeli aquarum. Nam ſecundus ab altari clamans videtur etiam dici poſſe Angelum aquarum: alter enim dicitur. Ac ſi innueret S. Ioannes: Audiſtis quid dixerit primus Angelus aquarum. Alterum pariter aquarum Angelum audite de altari loquentem. Vnde per Angelum ab altari non intelligimus Eliam, ſed Moyſem, qui Angelus fuit aquarum, propter rationes ſupra allatas; Ab altari loquens, quia quæ in cantico ſuo annunciat, ea ſunt quæ à Deo didicerat; Prope altare à ſe erectum exiſtens, vt diximus; per quem, ſicuti per ſanctum Ioannem Baptiſtam, ſignantur qui præficiuntur à Deo, in aquis gratiæ diuinæ, per Sacramentorum adminiſtrationem; diſtribuendis. Sicut enim Deus in ordine rerum naturalium, vt docet Andreas Cæſarienſis, in cap. 14. Apocalyp. & in hoc caput 16. Angelicas virtutes rebus ab ſe creatis adminiſtrandis præfecit, vnum quidem aquæ, alium autem igni, alium denique alteri vniuerſitatis parti; ita certiſſimum eſt quoſdam præfeciſſe ſuper aquas, id eſt, ſuper eos per quos gratia Sacramentorum conferatur, haurientes eam de fontibus ſaluatoris; in phialis, id eſt, dum aliquod Sacramentum ſpecialiter adminiſtrant, iuxta illud Iſ. c. 12. *Ecce Deus ſaluator meus: fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris: & dicetis in illo die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius. Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.* In vulneribus ſaluatoris ſiquidem, tanquam in quibuſdam fontibus, includitur gratia ipſius: quæ hauriri videtur per Sacramenta, tanquam per quaſdam phialas. Eſt enim Sacramentum inuiſibilis, gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram ſanctificationem diuinitus inſtitutum. Gratia inuiſibilis: Ecce aqua ſpiritalis è fontibus ſaluatoris manans. Viſibile ſignum: Ecce phiala; in qua continetur. Fontes ſunt vulnera, propter generales gratiæ effectus, ſeu quia omnes gratiæ, quæcumque illæ ſint, ab illis effluunt: Phialæ ſunt Sacramenta, propter ſpecialem cuiuſlibet Sacramenti effectum: Sacramenta enim ſunt vaſa, in quibus merita Chriſti deferuntur, & per quæ ea nobis applicantur, gratiaque confertur. Modum explicat S. Thomas 3. p. q. 62. ar. 3. & 4. Vbi docet gratiam contineri in Sacramento, ſicut in ſigno; deinde ſicut in cauſa, ſeu ratione virtutis fluentis & incompletæ in eſſe naturæ: eſt enim Sacramentum inſtrumentalis cauſa gratiæ. Ideoque in eo debet eſſe quædam virtus inſtrumentalis, ad inducendum Sacramentalem effectum. Et quia quodlibet inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente; quod per ſe operatur, & ideo virtus eius habet permanens & completum eſſe in natura. Et contra, inſtrumentalis virtus habet tantum eſſe tranſiens ex vno in aliud, & incompletum, ſicut motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.

Huic virtuti tranſeunti reſpondet effuſio phialæ, ſeu applicatio virtutis Sacramenti, quæ continetur in Sacramento, tanquam in phiala quadam, quæ ex fontibus ſaluatoris haurit ſuum ſpecialem effectum, id eſt, ex illius vulneribus. Optimè ſiquidem S. Ambroſius exponens illum verſiculum Pſal. 37. *Curuatus ſum vſque in finem*, de Chriſto myſticè exponit, *qui finis legis eſt, qui ſe paſſus eſt verberari, paſſus eſt corpus*

A *ſuum mortuum vulnerari: ſed nullum fœtorem pœnitentiæ, odorem verò omnem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, ſicut hominum cæterorum. Sed fons vitæ ſcaturiuit æternæ, vt ſcriptura nos edocet dicens: & ſaliet aqua cum delectatione de fontibus ſaluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus ſalutem. Bibent omnes peccatores terræ, vt peccata deponant.* Ita Ambroſ. Hic eſt ille puteus profundus aquarum viuentium, quem Spiritus ſancti impulſu olim exoptare videbatur populus Iſraël, dum apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen: *Congrega populum, & bibat aquam. Et tunc cecinit Iſraël carmen iſtud. Aſcendat puteus. Et concinebant. Puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis.* B Numer. 21. Chriſtus enim puteus eſt, quem foderunt principes, id eſt, Scribæ & Phariſæi, dum clamantes, *Crucifige, crucifige*; & eum cruci affigentes, foderunt manus & pedes, & latus datoris legis Euangelicæ, baculis ſuis, nempe flagellis, clauis, & lancea, qua perfoderunt latus eius, ex quo exiuit ſanguis & aqua, id eſt, ſancta Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramenta. Origenes legit, homilia 12. in c. 21. Num. *Initiate illi puteum. Hoc eſt, initium omnium confitemini eſſe puteum, quia ipſe eſt principium & primogenitus omnis creaturæ. & in ipſo creata ſunt omnia. Ex hoc puteo fons aſcendit. Ex hoc puteo aqua Baptiſmi exſurgit, ex cuius aqua quicumque biberit, fluent de ventre eius flumina* C *aquæ viuæ, nempe gratiæ Spiritus ſancti ſalientis in vitam æternam. Qui biberit ex aqua hac, non ſitiet in æternum. De aquis Seon Regis Amorrhæorum, (qui interpretatur arbor infructuoſa, ſiue elatus) non bibet amplius. Afferet enim fructus boni operis, & humilitatis Chriſtianæ. Et ſicut olim Seon dicebant Iſraëlitæ: Non bibemus aquam de lacu tuo; ita poſt baptiſmum non vltra diſciplinæ diabolicæ, non aſtrologiæ, non magicæ, non vllius omnino doctrinæ, quæ contra Dei pietatem aliquid doceat poculum ſumet fidelis. Habet enim ſuos fontes, & bibit de fontibus Iſraël. Non bibit aquam de lacu Seon, nec relinquit fontem aquæ viuæ. Congregat ſibi lacus confractos.* Ita Origenes.

Igitur, vt paulo ante ipſe ait, *Recordetur vnuſquiſ-* D *que fidelium, cum primum venit ad aquas baptiſmi, cum ſignacula fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutaris acceſſit, quibus ibi tunc vſus ſit verbis, & quod renunciauerit diabolo, non ſe vſurum pompis eius neque operibus eius, neque vllis omnino ſeruitiis ac voluptatibus.* Mare igitur eſt paſſio Chriſti: fontes è mari ſcaturientes, ſunt ſanguinis è vulneribus factis eruptiones: vaſa, per quæ hauritur ſacer ille liquor, ſunt phialæ Sacramentorum. Haurientes ſunt illi, qui ſignantur in Angelo aquarum, in quo ſignantur ij, quos Deus præfecit aquis gratiæ, dando illis poteſtatem, vt adminiſtrent diuina & cæleſtia Sacramenta.

Tertiò, hoc conjicio ex laude, quam Deo præcinunt: *Qui es. & qui eras, ſanctus.* Nam his verbis E tangunt finem Sacramentorum, nempe ſanctificationem noſtram. Eſt enim, vt diximus, Sacramentum, ſignum ad ſanctificationem noſtram diuinitus inſtitutum. Iuxta quod Deus ipſe præcipiebat: *Sancti eſtote: quia ego ſanctus ſum.* Et illud Pauli: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Et dum dicunt: *Qui es. & qui eras,* indicant ſtatum Euangelicæ legis perfeciſſe ea, quæ promiſſa fuerant in ſtatu legis antiquæ. Nec addunt: *Et qui venturus eſt*, vt alibi; quia nullus alius ſtatus erigendus eſt in hoc ſeculo, nec vlla Sacramenta alia inſtituenda, ab iis quæ inſtituta ſunt pro lege Euangelica, in quibus perfecta ſunt abſolutiſſimè & conſummata legis antiquæ Sacramenta.

Denique alter Angelus, aquarum, videlicet iuxta noſtram expoſitionem, dicit: *Etiam Domine, om-*

Digitized by Google

nipotens, vera & iuſta iudicia tua: Quia non modò Sacramenta, quæ ad ablationem peccatorum, & ad remiſſionem eorum pertinent ſunt adminiſtranda; ſed etiam illa, quæ hominem conſummant & perficiunt, quale eſt Sacramentum Euchariſtiæ, iuxta ſanctum Dionyſium de Eccleſiaſtica Hierarchia, cum agit de Baptiſmo, vbi poſteaquam dixit morem fuiſſe recenter baptizatum duci ad Hierarcham, addit: *Is eum virum vnguento, quod maximè diuinos efficit, Euchariſtiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ ſanctitatis, participem eſſe pronunciat.* Ita Dion. Igitur cum videamus in hoc ænigmate mentionem fieri duorum Angelorum aquarum, & vnum ex his ab altari audiri, certè videtur optimâ coniecturâ in his Angelis nobis eſſe intelligendos eos, qui à Deo præficiuntur, vt Sacramenta tum Baptiſmi, tum Pœnitentiæ, ſeu alia, inter quæ præcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, diſtribuant & adminiſtrent: quorum Sacramentorum ſigna manifeſta edidit, dum poſt mortem è latere eius ſanguis & aqua effluxerunt: vt ſcilicet intelligeremus ſua morte meruiſſe, vt per applicationem talium Sacramentorum, gratiam, quam promeruit, reciperemus. Habent enim Sacramenta nouæ legis virtutem ſuam ex paſſione Chriſti. Oportet enim vt virtus ſalutifera à diuinitate Chriſti (quæ eſt principalis cauſa efficiens gratiæ) per eius humanitatem, (quæ eſt deitatis inſtrumentum coniunctum) ad Sacramenta, quæ ſunt inſtrumenta ſeparata, deriuatur. Gratia autem Sacramentalis ad duo præcipua ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum tranſeunt actu, & remanent reatu; & iterum ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum religionem vitæ Chriſtianæ. Manifeſtum eſt autem quòd Chriſtus liberauit nos à peccatis noſtris, præcipuè per ſuam paſſionem, non ſolùm efficienter & meritoriè, ſed etiam ſatisfactoriè. Similiter etiam per ſuam paſſionem initiauit ritum Chriſtianæ religionis, offerens ſeipſum oblationem & hoſtiam Deo, vt dicitur Epheſ. 5. Vnde manifeſtum eſt quòd Sacramenta Eccleſiæ habent virtutem ex paſſione Chriſti, cuius virtus quodámodo nobis copulatur per ſuſceptionem Sacramentorum: in cuius ſignum, de latere Chriſti pendentis in cruce fluxerunt aqua & ſanguis: quorum vnum pertinet ad baptiſmum, aliud ad Euchariſtiam: quæ ſunt potiſſima Sacramenta. Ita S. Thomas 3. q. 62. ar. 5. c.

Vnde non mirum eſt ſi S. Ioannes indicere volens ſe loqui velle, ſub hoc ægnimate effuſionis tertiæ phialæ, de adminiſtratione Sacramentorum, nobis proponit duos Angelos aquarum, vnum quo repræſentetur poteſtas adminiſtrandi Sacramentum Baptiſmi; alium ab altari, ad repræſentandam poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ: quæ duo Sacramenta, ſignificata fuerunt, cum è latere aqua & ſanguis effluxerunt. *Vigilanter*, inquit S. Auguſt. tractat. 120. in Ioan. *Verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud; ſed, Aperuit: Vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum. Aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc lauacrum præſtat & potum. Hoc prænunciabat quod Noe in latere Arcæ, oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de latere viri dormientis, & appellata eſt vita, materque viuorum. Magnum quippe ſignificauit bonum, ante magnum præuaricationis malum.* Ita Auguſt. *Non caſu & ſimpliciter hi fontes,* inquit S. Chryſ. homil. 84. in Ioan. tom. 3. hæc verba exponens: *Exiuit ſanguis & aqua) ſcaturierunt: ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati. Per aquam enim regenerati, ſanguine & carne nutriti. Hinc myſteria ortum habent, vt quoties ad admirandum Calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas.* Ita Chryſ. In cuius verbis nonne vides noſtram phialam ex fontibus Saluatoris haurientem liquorem præſtantiſſimum, quem effundat?

Per Angelum Pergami optimè deſignatur Sacramentorum diuinorum adminiſtrator.

ANNOTAT. XV.

ISTVD coniicio ex titulo Epiſtolæ, quæ illi ſcribitur: *Hæc dicit qui habet rompheam vtraque parte acutam:* Quibus verbis indicari exiſtimo magnam vim & efficaciam tam materiæ, tam formæ Sacramentorum, ſiue ad ſignificandum, ſiue ad efficiendum. Nam licèt ſint res ſenſibiles, gratiam tamen inuiſibilem & ſignificant, & efficiunt. Licèt enim virtus ſpiritualis non poſſit eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ (quia quælibet virtus vel eſt propria, vel eſt ab alio; ſi propria, debet fluere ab eſſentia rei, & ſic non erit tranſcendens ipſius rei eſſentiam; vel eſt ab alio, & tunc talis eſſe debet qualis eſt res, quæ illam ſuſcipit: quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur; *Nihil tamen prohibet*, inquit S. Thomas 3. q. 62. ar. 4. ad 1. *in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter, in quantum ſcilicet corpus poteſt moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali, ad aliquem effect. ſpiritualem inducendum; ſicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.* Ita S. Thom. Cum igitur & materia & forma, licèt ſint ſenſibiles & quid corporeum, à Deo ordinentur ad effectum ſpiritualem inducendum, rectè ſignum ſenſibile cuiuſlibet Sacramenti poteſt dici romphæa bis acuta, id eſt, tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, aliquid efficaciter ſignificans & efficiens ſpiritale. Vnde ex hoc titulo conjicio de illo agi, qui per romphæam bis acutam, id eſt, per Sacramentum, tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, aliquid potenter efficiens, aliquem mirabilem effectum producit. At talis eſt adminiſtrator Sacramenti inducens effectum ſpiritualem cuiuſlibet Sacramenti, cum illud adminiſtrat, ac ſi in ore pronunciando formam, haberet gladium; aut in manu, adhibendo materiam, teneret gladium.

Secundò, illud conjicio ex eo quod reprehenditur Epiſcopus Pergami, quod ibi eſſent tenentes doctrinam Nicolaitarum, qua vita luxurioſa fouebatur: At vita luxurioſa maximè reſcinditur, quando Sacramenta ritè & debito modo adminiſtrantur, & cum debita præparatione ſuſcipiuntur. Prorogatur verò, dum eorum adminiſtratio omittitur. Ordinantur enim à Deo, ad peccata reſcindenda, & auxilium afferendum contra concupiſcentiam carnis. Vnde videtur reprehendi Epiſcopus ille, quòd fuerit negligens & moroſus in adminiſtratione conuenienti Sacramentorum: ex cuius defectu vita luxurioſa adeo altas egerat radices, vt ad amplexandam Nicolaitaram doctrinam etiam ſibi ſubditos impulerit. Dum enim pullulant mala opera, nec reſcinduntur per pœnitentiam; peruerſæ doctrinæ, præcipuè carni fauentes introducuntur.

Tertiò, illud conjicio ex eo, quod fiat mentio erroris Nicolaitarum, qui nuptias deteſtantes, docebant fideles vt quibuſcumque vellent miſceren-

Digitized by Google

tur, more beſtiarum, vt notat Ambroſius in hunc locum; ſicque Sacramenti Matrimonij neceſſitatem & vtilitatem ad refrenandam & moderandam concupiſcentiam contemnebant. Vnde credibile eſt nec aliorum Sacramentorum neceſſitatem agnouiſſe. Vnde forte reprehenditur ille Epiſcopus, quòd non ſatis attendiſſet qua ratione celebrarentur matrimonia, vt eo honeſtè & ſanctè fideles vterentur. Qua de cauſa, ex indebita coniunctione, plurimorum, doctrina Nicolaitarum fuiſſet introducta, vt vagæ & incertæ libidinis ſuæ excuſationes prætexerent. Ex eo enim quod Nicolaus ille relinquit vxorem, de Zelotipia reprehenſus, & dixit vt qui vellet ea vteretur verſa eſt, vt inquit Rupert. lib. 2. in Apocal. in ſtuprum talis conſuetudo, vt coniugia commutarent; ſicque, contra Domini præceptum & Apoſtolorum doctrinam, rumpebatur indiſſolubile vinculum Matrimonij, quod iniuriam maximam faciebat Sacramento, quod magnum eſſe prædicat Apoſtolus, in Chriſto & in Eccleſia.

Quod ſi, ex Ruperto lib. 2. in Apocalypſ. Balaam propter benedicendi & maledicendi poteſtatem, ſiue efficaciam, geſſit figuram ſacerdotum, qui cum ſint mali, pro officio tamen communicandi vel excommunicandi, eam habent; certè dum de Balaam fit mentio, excitatur mens, vt cogitet male à Sacerdotibus Pergami conſtitutis Sacramenta adminiſtrari, eoſque fortè & auaritia alios admiſiſſe, alios repuliſſe. Vel tales fuiſſe, qui in aperto benedicebant, vt Balaam, ſed in occulto maledicebant. *Iſti*, inquit Rupertus, *non audent, cum velint, tranſire regulam fidei: & cum ex animo cupiant populis eximere futuri metum iudicij, vt multos ſua fautores iniquitatis, multoſque ſua ſocios habeant perditionis, lectiones tamen recitant, & teſtimonia cantitant Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & nouiſſimi diei iudicij. In hac fide benedicunt, baptizant, conſecrant. Porro cum hæc publicè fecerint: in occulto vertuntur ad conſilium, ad colloquia mala, quæ bonos mores corrumpunt.* Ita Rup. Si igitur Balaam fuit figura ſacerdotum, qui indebitè benedicunt, baptizant & conſecrant, non alienum eſt à vero ſenſu ſcripturæ, ſi intelligamus in iis, qui Pergami degebant tenentes doctrinam Balaam, malos Sacramentorum adminiſtratores, qui propter lucrum & auaritiam myſteria diſpenſarent; Et cum communicandi & excommunicandi poteſtatem habeant, indignos admittant, alios fortè dignos rejiciant; Et ſic optimè in Pergami Epiſcopo deſignari Sacramentorum adminiſtratores: de quorum adminiſtratione indebita redarguitur, dum reprehenditur Pergami eſſe tenentes doctrinam Balaam, qui male vſus eſt poteſtate benedicendi ſibi tradita: quia ſi apertè benediceret, in occulto docebat quomodo per gulam & luxuriam populus Iſraël poterat à vero Dei cultu & obſequio amoueri; & ex auaritia ductus volebat populo maledicere. *Sicque*, vt ait Rupertus, *formam illorum exprimit, qui benedictiones & maledictiones in Eccleſia vendunt, & omnia quæſtus cauſa faciunt.* Ita Rupert. Imitantur igitur Balaam mali adminiſtratores diuinorum myſteriorum. Imitantur & Nicolaitas: *Doctrinæ enim illorum vicinum eſt*, vt ait Rupertus, *quod iſti legitimum non volentes habere coniugium, vt pote legibus Eccleſiaſticis interdictum: vt ſint ſancti, & mundentur, quia portant vaſa Domini, nihilominus incontinentes ſunt. imo deteriùs eo prorumpunt, irritantes connubia quoties volunt; & qui nullam habent thronum licitum, dum ſic euagantur, nullum confidunt rupiſſe coniugij vinculum.* Ita Rup.

Denique illud conjicio, ex eo quod Vincenti promittitur manna abſconditum, quo Sacramenti corporis Chriſti digna ſuſceptio ſignificatur. *In iſto gradu*, inquit Rupertus, *vincere eſt doctrinam Balaam,*

A *id eſt, fornicationes primùm in ſemetipſo per virtutem continentiæ, deinde in aliis per virtutem ſcientiæ deſtruere. Porro qui hoc vincit, ille Sacramentum corporis & ſanguinis Domini dignè percipit: ſicut è contrario, ille qui vincere negligit accedens ad hoc Sacramentum, iudicium ſibi manducat & bibit. Rectè ergo, inquit Vincenti dabo manna abſconditum. Id eſt, Munditiam cordis & corporis cuſtodienti, dabo panem verum, panem viuum, cuius ſignum vel figura fuit manna, quod filij Iſraël manducauerunt. Dicitur autem hoc manna abſconditum, quia videlicet in hoc Sacramento aliud oculis cernitur, aliud fide intelligitur.* Ita Rupert.

Igitur ex titulo, & modo, quo vitia poſſunt extirpari, qui videtur ab hoc Epiſcopo obmiſſus, ex
B ſimilitudine quam habent mali Sacramentorum adminiſtratores, cum tenentibus doctrinam Balaam, & doctrinam Nicolaitarum; ex digna ſuſceptione Sacramenti Euchariſtiæ, per quam diuinam ſapientiam & Chriſti per quam diuinam ſapientiam & Chriſti perfectam cognitionem, nec non & imitationem percipimus (& non tantùm per ſcientiam acquiſitam ſcimus in Deo noſtram exiſtere beatitudinem, & mandata eius non eſſe grauia, ſed ſuper mel & fauum dulcia) ſed inſuper hæc deguſtamus, iuxta illud Pſ. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*; Et rurſus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo*; quia ad illum totis viribus adſpiramus, & mandata eius cuſtodimus; opti-
C mè, vt exiſtimo conjicio Pergami Epiſcopum aptum eſſe, quo ſignentur Sacramentorum adminiſtratores: & appoſite, *Diuidens cornua*, Pergamum interpretatur: ſiue quia confringuntur, per Sacramenta, cornua peccatorum; ſiue quia per præfectùm Sacrorum, nempe Epiſcopum, fit diſtributio officiorum, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent.

Super flumina & fontes aquarum. Et factus eſt ſanguis.

Effuſio phialæ, ſeu gratia Sacramenti, quomodo in facultates animæ deriuetur; & quiſnam effectus ex tali effu-
D *ſione in malis appareat?*

ANNOTAT. XVI.

CERTISSIMVM eſt peccati originalis ſubiectum primum eſſe animam. Eſt enim anima ſecundum eſſentiam, & non ſecundum potentias, forma compoſiti, quam vis generatiua, per quam traducitur peccatum originale, primò & per ſe vt terminum ſui motus reſpicit. Et hac de cauſa, ſi de inhærentia ad ſubiectum ſit ſermo, cum de peccato originali loquimur, primò peccatum originale ſpectare debemus, prout eſt in anima, & ex anima in potentias dilabitur. Si tamen de eo agamus ſecun-
E dum inclinationem ad actum, hoc modo reſpicit primùm potentias animæ, & præcipuè illam, quæ primam inclinationem habet ad peccandum, nempe voluntatem. Hinc fit quod ſanctus Ioannes loquens de adminiſtratione Sacramentorum, in effuſione tertiæ phialæ, vt dictum eſt, dicat illam effundi ſuper flumina & fontes, id eſt, ſuper facultates, tum apprehenſiuas ſeu cognoſcitiuas, tum appetitiuas, ex quibus in actus prorumpimus & diffluimus: quia cum Sacramentorum effectus ſit vt ipſæ potentiæ animæ ad debitum finem ordinentur, oportet vt per Sacramenta non modò detur gratia habitualis in eſſentia animæ, ſed etiam infundantur in potentiis habitus quidam ſupernaturales, v. g. fides, ſpes, charitas, aliaque dona Spiritus ſancti, per quæ inclinatio prona ad malum coërceatur, & animæ faculta-

tes ad verum & ſupernaturalem finem ordinentur. Effudit igitur hic Angelus ſuper flumina & fontes aquarum, id eſt, ſuper potentias eorum, qui ſuſcipiebant baptiſmum, multas virtutes in Sacramento contentas: per quas animæ eorum à labe contracta ex peccato originali mundabantur, prout mundari eas oportebat, vt in eis credentibus fierent flumina aquæ ſalientis in vitam æternam. Rectè enim Origines dixit, homilia. 12. in numeros. *Sicut vnus ille puteus, qui eſt ſermo Dei, efficitur putei & fontes, & flumina innumerabilia; ita & anima hominis, quia ad imaginem eſt Dei, poteſt in ſe habere & producere ex ſe & puteos, & fontes, & flumina. Sed & reuera putei, qui ſunt in anima noſtra, indigent fodiente: debent enim mundari, & omne quod terrenum eſt ab eis debet auferri, vt venæ illæ rationabilium ſenſuum, quas ei inſeruit Deus, pura ac ſyncera fluenta producant. Donec enim terra contegit aquarum venas, & obturat occultum fluenti, non poteſt puri laticis vnda profluere.* Ita Origenes. Dicamus iuxta ea, quæ antea allata ſunt, donec anima, quæ mari peccati originalis obruta eſt, quo etiam omnes animæ vires & facultates coinquinantur (intellectus enim ignorantia; voluntas, malitia; appetitus concupiſcibilis, libidine; iraſcibilis, infirmitate inficitur) fuerit ab hoc peccato purgata & mundata, fieri non poteſt vt eius potentiæ poſſint producere, tanquam ex puriſſimis fontibus, actus aut habitus puri laticis gratiæ diuinæ, qua tandem poſſint homo ſalire per bona opera meritoria, in vitam æternam. *Origo itaque*, inquit S. Ambroſ. lib. 1. de vocat. Gent. c. 5. *veræ vitæ, veraque iuſtitia, in regenerationis eſt poſita Sacramento, vt vbi homo renaſcitur: ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et incipiunt ad perpetuam gloriam perficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem.* Ita Ambroſ. *Qui per hunc fontem tranſit,* inquit Idem S. Ambroſ. lib. 1. de ſacram c. 4. *tranſit à terrenis ad cæleſtia. Hoc eſt enim Paſcha, id eſt, tranſitus eius tranſitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hunc fontem tranſit, non moritur ſed reſurgit.* Ita Ambr. Nec minus neceſſarius eſt baptiſmus pœnitentiæ, poſt lapſum à baptiſmate, quàm baptiſmus ipſe poſt peccatum originis, & in eo datur remiſſio peccatorum, ſicut in primo: itaut homo peccato mortuus renouetur ad vitam. Valet enim baptiſmus pœnitentiæ & lacrymarum, ad recuperandam gratiam in primo baptiſmate datam, ſi eam per peccatum deperdi contigerit. Hinc S. Ambroſ. l. 1. de pœnitentia c. 7. *In baptiſmo vtique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? Vnum in vtrumque myſterium eſt. Sed dices quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne nomen Dei operatur?* Ita Ambroſ.

Cum igitur adminiſtrator Sacramenti, ſiue Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ, effundendo phialam ſuam tanta bona poſſit conferre, quomodo pro effectu ſalutari tantùm viſitur ſanguinis cruor in fluminibus & fontibus? Id eſt: Quomodo omnes actus, habitus, & potentiæ hominum, videlicet reproborum, videntur tot peccatis inuolui? A quibus liberari cupiebat ille, qui tam fortiter ad Deum clamabat: *Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ; & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam. Quare*, inquit Auguſt. *pluraliter dixit, De ſanguinibus; cum Latinè minus propriè hoc dicatur?* Reſpondet ibidem S. Doctor. *In multis ſanguinibus, tanquam in origine carnis peccati, multa peccata intelligi voluit. Ad ipſa peccata reſpiciens Apoſtolus, quæ veniunt de corruptione carnis & ſanguinis, ait, caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Nam vtique ſecundum fidem veram eiuſdem Apoſtoli,*

A *caro iſta reſurget, & ipſa merebitur incorruptionem, dicente ipſo: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem. Quia ergo corruptio iſta de peccato eſt, ipſius nomine appellantur peccata: quemadmodum dicitur lingua & illud fruſtum carnis, & membrum quod in ore mouetur, cum verba diſtinguimus & linguâ, quod per linguam fit, ſicut dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam. Non enim caro diuerſa eſt, ſed ſonus. Quomodo ergo dicitur lingua locutio, quæ fit per linguam; ſic dicitur iniquitas ſanguis, quæ fit per ſanguinem.* Ita Auguſt. In Pſal. 50. Certè hic ſanguis auferri, hæc macula deleri poterat, tum per Sacramentum Baptiſmi, tum per Pœnitentiam. *Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, vt remittat peccata noſtra*, inquit S. Ioannes. Hic narra, inquit

B S. Chryſ. *vt non illic, id eſt, in iudicio narres: dic, & lacrymas funde. Peccata tua in libro ſcriptura ſunt. Spongiæ autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ. Lachrymas mitte, & oblitterantur. Lacrymas mitte, & purus hic liber inuenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt lacrymæ.* Ita Chryſ. in Pſ. 50. *Et ne dicas* (ex Chryſoſtom. ibidem) *non eſſe neceſſarium illa confiteri ſacerdoti: quia paulo ante dicit: Peccata autem tua ipſe commemora, vt ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico vt ea conſeruo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui ijs medetur. Neque enim ſi non dixeris, ignoras ea Deus.* Ita Chryſ. Nam qui ſacerdoti, qui à Deo autoritatem accipit peccata dimittendi, confi-

C tetur, Deo dicit & non homini. Quantum enim valeat confeſſio homini facta, & ad quid potiſſimùm ſit vtilis, docet ipſe, hom. 3. in cap. 3. Mattheo. 2. *Confeſſio*, inquit, *peccatorum, eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri. Qui autem erubeſcit, non timet. Perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confeſſionis aſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid neſcimus, quia confeſſio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipſum erubeſcere pœna eſt grauis? Sed ideo magis nos iubet Deus confiteri peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipſum pars eſt iudicij. O miſericordia! Quem totiens ad iracũdiam excitaui, ſufficit ei ſolus pudor pro pœna.* Ita Chry.

D At fiat apud eos, qui poſſunt poſt apertionem vulnerum adhibere medicinam, poſt accuſationem peccatorum ferre ſententiam, ne ſit inutilis noſtra confeſſio. At quinam ſo , qui de peccatis poſſunt ferre ſententiam, niſi ij qui à Deo illam acceperunt, qualem acceperunt ſacerdotes, Dei vices in terris gerentes. *Accipite Spiritum ſanctum: quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quemadmodum enim Rex*, inquit S. Chryſ. in verba Iſaiæ: *Vidi Dominum*, homil. 85. in Ioan.) *præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, & vt liberent poteſtatem præbet; ita Ieſus diſcipulos dimittens, hac munit autoritate.* Hæc Chryſ.

Magna reuera hæc autoritas, & maior regiâ, vt

E ipſe docet hom. 4. in verba Iſa. *Vidi Dominum. Regi corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit; ſacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit: hic exhortatur. Ille neceſſitate; hic conſilio. Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia. Ille bellum gerit cum Barbaris, mihi bellum eſt aduerſus dæmones. Maior hic principatus. Propterea rex caput ſubmittit manui ſacerdotis, & vbique in veteri ſcriptura ſacerdotes inungebant Reges.* Et homil. 5. in eadem verba: *Sacerdoti thronus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negociis pronunciandi habet autoritatem. Quis hoc dicit? Ipſe cælorum Rex. Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Quid cum hoc honore cõferri poſſit? A terra iudicandi principalem autoritatem ſumit cælum,*

Digitized by Google

Nam Iudex ſedet in terra. Dominus ſequitur ſeruum. Et quidquid hoc in inferioribus iudicauit, hoc ille in ſupernis comprobat. Ita Chryſ. Si igitur lachrymis, pudore, confeſſione, abſolutione iudicis poteſtatem habentis, poteſt deleri ſanguis, cur adhuc apparet, vbi deleri deberet?

Certè hoc non fit, niſi quia in eos, in quibus apparet ſanguis, talis effectus non inducitur. Hæc remedia rejiciunt, dum offeruntur, & reiecta potiùs maculant quàm mundent. Et veluti morbo correptus, qui ſalutarem medicinam ſibi propoſitam abhorrens, illam ſumere negligit, ingraueſcente morbo mortem tandem incurrere cogitur; ita iſti inſpirationibus non attendentes, verbo Dei fidem non adhibentes, & remedia illis præſcripta paruipendentes, deteriores fiunt, & mortem æternam ſubire coguntur. Quod ſi aliqui ex reprobis aliquando crediderint, refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, vt ait S. Petrus 2. c. 2. *Hi rurſus implicati ſuperantur. Facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti.* Quidquid ſit, hîc deſcribitur manifeſta oppoſitio gratiæ Dei, quam faciunt ij, qui carnales & animales media à Deo præſcripta (vt peccata expiare poſſimus, & ab eis præſeruari) reſpuentes, cum omni libertate ad turpia quæque perpetranda laxis habenis feruntur, itaut ſanguis tantùm in eorum potentiis appareat, id eſt, meditatio aſſidua, & affectus circa varia peccatorum genera.

Et hoc modo perſpicimus bellum, ſeu certamen inter Eccleſiæ Paſtores & reprobos. Illi Sacramenta adminiſtrantes conantur vitia & peccata deſtruere: iſti, ſiue quia deſperatione, illa exiſtimant inefficacia; ſiue præſumptione, minimè neceſſaria; ſiue quia nolunt credere iis, quæ ipſis annunciantur, quia à peccatis & rerum huius mundi amore ſeparari nolunt; remedia iſta reſpuunt. Propter quod manifeſtè apparet illos nihil aliud eſſe quàm ſanguinem, id eſt, peccatorum colluuie eſſe coinquinatos, & merito in eis iram Dei effundi, iuxta illud: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Pſalm. 78. *In eo quippe quod ait,* inquit S. Auguſt. *effunde iram tuam; ſatis hoc verbo indicauit, quàm multam iram voluerit intelligi. Vnde poſtea dicit: Redde vicinis noſtris ſepties tantum. An quid multum intereſt inter ſeruos, qui licèt neſciant voluntatem Dei ſui, tamen inuocant nomen eius; & alienos à familia tanti Patris-familias, qui ſic ignorant Deum, vt nec inuocent Deum. Inuocant enim pro eo ſimulacbra vel dæmonia, vel quamlibet creaturam, non creatorem, qui benedictus in ſecula. Neque enim iſtos, de quibus hoc prophetat, ita neſcientes vt nec inuocent eum, & inimici nominis eius exiſtans. Multum ergo diſtat inter ſeruos voluntatem Domini ſui neſcientes, & tamen in familia eius, atque in domo viuentes; & inimicos non ſolùm ipſum Dominum ſcire nolentes, ſed & non eius nomen inuocantes, atque ſeruos eius oppugnantes.* Ita Auguſtinus. Et reuera ſi ira Dei magna eſt iis, qui nunquam fidei myſteria cognouerunt, itaut propter peccati fomitem ex peccato originali prodeuntem, in multa peccata corruant; quanto magis ira magna manet ſuper eos, quibus & myſteria fidei fuerunt annunciata, & remedia propoſita, quibus à peccatis poſſent ſanari; & non modo illa neglexerunt, ſed etiam eos, qui annunciauerunt, crudeliter vſque ad mortem perſecuti ſunt? De talibus hîc fieri mentionem, certiſſimum eſt ex verbis Angeli aquarum, dum ait: *Iuſtus es Domine, qui es, & qui* A *eras, ſanctus: qui hæc iudicaſti: quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt. Et ſanguinem eis dediſti bibere. Digni enim ſunt.* Ac ſi diceret: Certè illi, quibus, non fuerunt vnquam remedia peccatorum propoſita, in quibus non fuit effuſa phiala adminiſtrationis Sacramentorum, quadam commiſeratione digni ſunt, ſi in peccatis concepti, in peccatis & ſanguinibus viuant; quamuis ſi in peccatis, moriantur, hoc fiat iuſto, ſed imperſcrutabili iudicio tuo. At quibus propoſita eſt myſteriorum fidei cognitio, quibus annunciatum eſt quibus mediis poſſent curari ſua vulnera; & oculis viderunt, vel auribus perceperunt plurimos doceri, baptizari, iuxta quod olim Apoſtolis tuis præcipiebas: *Euntes docete omnes* B *gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti;* Et tamen nec credere voluerunt, nec iis gaudere remediis; imo potius talia annunciantes perſecuti ſunt, hæc Sacramenta adminiſtrantes occiderunt; multò magis in eos iraſci iuſtiſſimum eſt, eoſque deſideriis & adinuentionibus ſuis derelinqui, vt bibant ſanguinem iniquitarum & peccatorum, tanquam aquam: digni enim ſunt. Certè qui hiſtoriam terrarum, (quæ in his vltimis ſeculis repertæ fuerunt) contexuerunt, multa afferunt de nationibus Barbaris, & incolis ſiue Africæ, ſiue Americæ, in quibus clarè cernitur. Quomodo qui his remediis ſalutaribus carent, variis & horrendis criminibus inquinentur, & ſanguinem bibant. Nonne bibunt ſanguinem incolæ regionis, Nicataguæ dictæ, qui C vel captiuum, vel emptitium hominem edunt; de ſanguine empti, idoli faciem tingunt: ad Eſum captiui, potu ſibi proprio, quem vocant Mahiz, inebriantur, ſaltant, tripudiant ad laſſitudinem nimiam vſque, & ſtylis ſeipſos pungentes, & carnem ſuam incidentes, ex omnibus ſui corporis partibus, etiam ex pudendis ſanguinem eliciunt: quo ſanguine panem, quo vtuntur, intingunt, illumque manducant. Hi certè bibunt ſanguinem: quia digni ſunt. Lege autorem natione Gallum Belleforeſt. l. 4. de terris nouis, Fernandum Cortez in ſuis relationibus ad Carolum 5. Diſces ex his autoribus adhuc vrgere in nationibus Africæ & Numidiæ ea omnia vitia, D quæ S. Paulus enumerat, Roman. 1. Verè mutant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis Nigri Guinenſes, qui quod primùm mane occurrerit, pro Deo colunt, ſiue Ranã, ſiue ſtellionem, ſiue lapidem. Maſculorum ſunt concubitores incolæ Panucco, quæ Mexicana Prouincia eſt, in qua homines ſeipſos proſtituunt impudenter, muliebri veſte induuntur, nullo alio vacantes negotio. Quin & apud Ceuolios ſeptemtrionales, in confiniis Mexicæ, hoc abominabile vitium ita viguit, vt ab incunabulis ad tam turpe & infame crimen infantes deſtinarent, quibus nec nubere, nec mulieri commiſceri vnquam permitteretur. Et apud Guineenſes etiam viguit Neronis illud connubij genus infandum, viri cum alio viro. E Nonne iſti bibunt ſanguinem? Nonne tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis? Certè apud infideles Peruenſes furta virtuti deputantur: de mendaciis gloriantur: ſæuitiâ delectantur: ingenij acumini ingratitudinem aſcribunt: quidquid abominandum habet luxuria, hoc apud illos honeſtum reputatur: deceptiones ac fraudes veluti quædam animi, oblectamenta amplectuntur. Nec turpe Naſamones Africæ populi, nec Indecorum exiſtimant, ſi coram omnibus plures cum eadem muliere commiſceantur; quam ducunt in vxorem, cunctis ad nuptias inuitatis proſtituunt: Ex qua turpi commixtione munera exigunt mulieres eos ad coitum prouocantes, quæ dom. reportant inſignum & teſti-

Digitized by Google

monium ſuæ lubricitatis. Nonne iſti ſanguinem bibunt, (quia nullis repagulis coërcetur infamis ille concupiſcentiæ fomes) verè repleti iniquitate & malitiâ: longum eſſet percurrere quomodo in Arabibus, incolis præcipuè deſertorum Benegomi & Fighid in Numidia, verſus plagam Meridionalem, & vicinioribus Regni Bornei, appareat eos, qui his ſupernaturalibus donis priuati ſunt ſanguinem bibere, id eſt, bona aliorum, quibus vita ſuſtentari poteſt diripere? Vix enim cuilibet impunè per eos tranſire licet, cui non vſque ad detractionem quorumlibet indumentorum cuncta auferant, pleni auaritia & nequitia inuidia, homicidio contentione dolo, malignitate. Quibus coloribus depinguntur Numidiam incolentes, quibus ſemper bonus odor lucri, ex quacumque causâ proueniat. Quibus vitijs ſcatent libyci, ſtupidæ ignorantiæ hæc omnia crimina adjicientes, à feris parum diſſimiles, quibus nec religio, nec lex, nec ratio in pretio aut in vſu habetur. Omnibus pernicioſi ſunt atque noxij, ſemper belli gerantes. Tales Guzuliari verſus Regnum Sur degentes, apud quos nullæ induciæ, quæ ſpatium trium dierum exuperent, vt mercaturæ ac negotiationibus ſuis aliquam poſſint nauare operam, quibus tranſactis, ſtatim ad homicidia reciprocè patranda miſerè redeunt; nec ætati, nec ſexui parcunt. Quomodò non eſſent apud eos ſuſurrones, & detractores, apud quos grandi loquentia, multiloquium, & mendacium, cum rapinis, & homicidiis, & odiis reperiuntur Deo certè ſunt odibiles, Dei oſores: Deum execrantur: Deum abhorrent; vel etiam à quibus abhorret & auerſatur Deus, cum quodcumque voluerint, pro Deo colant; cum Panucco incolæ pudendorum ſimilitudinem in funis ſuis colocent, cui & ſacrificia, & adorationem exhibeant; apud quos nec manſuetudo, nec pax, nec modeſtia, nec beneuolentia, nec fides, nec miſericordia. Contumelioſi, ſuperbi, elati, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſericordiâ, horrore homicidiorum terribiles; vt populus regni Suz, ſeditioſi; vt Panuccei, inſipientes; vt ſaltatores, ebrioſi, habitantes regionem Nicaragui dictam. Certè ſine affectione, vt Guineenſes, apud quos parentes filios vili pretio Luſitanis vendunt, & veluti hominum oſores: hominum conuerſationem fugientes, vt faciunt Indi, qui Vei vocantur, apud peruenſes: ſeipſos tantùm amantes, vt Iaguaſenſes inſulæ Malhado, quibus nec ſenum, nec puerorum, nec aliorum quorumlibet, ne minima cura eſt aut amor: anthropophagi, ſortilegi, & impietate qualibet oppleti. Hic eſt ſanguis, quem bibere delectantur, qui gratia ſunt deſtituti. Hoc ſanguine potantur, qui remedia à Deo præſtituta renuentes, abjicientes, & eos qui illa offerunt perſequentes, iram Dei ſupra ſe theſaurizant, qua in peccatis concepti, in peccatis viuentes, in peccatis moriantur, vt ſanguinem damnationis æternæ inexplebiliter cum ingenti horrore ebibant. Ita enim vidimus ſupra, ſanguinem hic à S. Thoma ſumi pro æterna damnatione. Optimo igitur iure, qui ad Sacramentorum adminiſtrationem à Deo præficiuntur, iuſta hæc Dei iudicia laudibus extollunt, vt dictum eſt. Ad aliam phialam tranſeamus.

A

De quarta phialæ effuſione.

Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem. Et datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni. Et æſtuauerunt homines æſtu magno. Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas. Neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

Acoluthia huius phialæ cum præcedentibus.

CERTVM eſt quòd quàm maiora ſunt Dei beneficia, eo maior plerumque apparet hominum ingratitudo & malitia. Infundit Deus inſpirationes, vt quis media ſalutis exquirat, itaut quod Pau-
B
lo Apoſtolo dictú eſt exteriori voce: *Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quæ te oporteat facere;* huic ac iſti intus ſuggeratur. Ambo obediunt: Ambo ingrediuntur Eccleſiam, Audiunt concionantem. Hic credit. Ille audita negligit. Et veluti Athenienſes, qui ad audiendum Paulum conuenerant, quidam in riſum omnia vertunt, alij dictis fidem adhibent, ex his qui crediderunt, vnus remedia ad delenda peccata præſcripta continuò aſſumit, recurrit feſtinanter ad Baptiſmum; alius procraſtinat, & differt de die in diem, & tandem obdurata voluntate ad illa recurrere negligit: vel ſi baptiſmi gratiam conſequutus fuit, illam (ad peccata grauiora perpetranda re-
C
deundo) amittit. Quid fiet tunc? Ceſſabitne diuina prouidentia ab opere? Nullum ne habebit contra hanc peruerſitatem remedium? Habet certè apud ſe, & valde efficax & optimum. *Quod ſi*, inquit S. Ioannes, *quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Semper viuentem.* ait S. Paulus, *ad interpellandum pro nobis.* In cuius rei ſignum ſeipſum exhibet offerendum quotidie in altari. Huius beneficiis ſymbolum eſt effuſio phialæ quartæ, per quam poteſtas Eccleſiæ data recurrendi ad Deum per ſacrificium, deſignatur. Ex huius ſacrificij efficacia fit vt electi à peccatis reſipiſcant, & conuertantur, impetratis gratiis præuenientibus, quibus adiuti per fidelem cooperationem, in Dei gratiam redeant.
D
At è contra reprobi à concupiſcentia abſtractij & illecti ardentiùs in illicita feruntur, & furoribus agitati, potius erroribus conſentiunt, quibus ad blaſphemandum Deum prouocantur, quàm ex tanto dono proficiunt, Deum pro vltimo fine ſibi conſtituentes. Vnde pœnitere nolunt, vt dent illi gloriam. Et ſic infelici modo diuinæ prouidentiæ contradicunt, quæ de remedio prouiderat, quo poſſent agnoſcere quanto honore & reuerentia Deum coli, & adorari oporteret.

Et quartus Angelus effudit, &c.

Quod in quarta phialæ effuſione contemplari debemus poteſtatem Eccleſiæ datam, per ſacrificium Miſſæ impe-
E
trandi à Deo dona, ad conuerſionem peccatorum conducentia.

ANNOTAT. XVII.

HOC conjicio ex fine effuſionis huius phialæ, qui ſignatur in his verbis: *Et non egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.* His enim verbis innuitur contrarium aliquid eueniſſe effuſioni phialæ iſtius, per quam expectabatur, vt qui in ſole deſignantur non in blaſphemias prorumperent, ſed ad pœnitentiam prouocarentur, per quam Deo darent gloriam. Cùm autem in hac reuelatione ea quæ interiùs in mentibus perficiuntur eatenùs contemplari debeant, quatenùs exteriùs manifeſtantur, & ad Dei

Digitized by Google

ad Dei cultum externum pertinent; ideo hæc gloria requirit aliquod ſignum exterius, quo exhibito homines optimo iure dici poſſint Deo dare gloriam, eumque colere quantum fieri poteſt ab humana fragilitate. Etenim diximus hanc prophetiam ad hunc ſcopum potiſſimum referri, vt ſub ſignis & ſymbolis exponat ea omnia, quæ peraguntur, ad Chriſti regnum viſibile in terris ſtabiliendum, promouendum, & manifeſtandum. Itaque; vt Deus gloriam obtineat, quam ex effuſione phialæ obtinendam ſtatuerit, oportet vt qui pœnitere volunt, dent illi gloriam, non tantùm interiori cordis ad eum conuerſione, ſed externis quibuſdam ſignis. Nulla enim vnquam fuit religio, quæ Deum verum coluerit, quæ non adhibuerit quædam ſigna viſibilia, vt profiteretur Dei maieſtatem, tãquam ſupremam, latriæ cultu eſſe adorandum. Hinc in lege naturæ quædam etiam fuerunt ſacrificia adhibita. In lege ſcripta quædam fuerunt ſpecialiùs præſcripta. In lege gratiæ nouum genus ſacrificij inductum cætera præcellens, quibus homines Deo gloriam dare conati ſunt. Quod S. Auguſtinus piè docuit, lib. 10. de ciuit. c. 20. Vnde verus ille Mediator, in quantum formam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus; cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt, tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quàm ſumere: ne vel hac occaſione quiſpiam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium, quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ipſum dicit offerre. Huius veri ſacrificij multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur: vt ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. Lege Leonardum Coquæum, in hunc Auguſt. locum.

Hoc tantum, & admirabile myſterium, ſi fuerit intellectui humano propoſitum, vt credatur, colatur, adoretur, velut opus, per quod diuina ſapientia elegit & ſtatuit ſibi ab hominibus cultum eſſe exhibendum, ſtatim reſilit mens humana, credere refugit, colere timet, adorare renuit: ſtupet ad tantæ rei propoſitionem, veluti omnem ſenſum & intellectum exuperantem. Effunditur ſic phiala in ſolem, id eſt, offertur menti tale ſacrificium corporis Chriſti eſſe Deo exhibendum, vt homines à Deo impetrare poſſint media ad ſalutem conſequendam conducibilia. Sed tota vis rationis, & totum acumen mentis hoc credere renuentis, potiùs illos æſtu magno curioſitatis affligit, quàm eos conuertat ad pœnitentiam; potiùs eos inducit, vt blaſphement Dei omnipotentiam, quomodo hic poteſt dare nobis carnem ſuam ad eam ſacrificandam, quàm vt pœnitentes Deo dent gloriam.

Itaque, ſi Deus gloriam ab hominibus exhibendam non obtineat modo perfectiori quàm per ſacrificium corporis Chriſti, quæ gloria videtur eſſe proprius effectus effuſionis quartæ phialæ, rectè in eius effuſione aſſerimus agi de illa poteſtate Eccleſiæ, offerendi corpus & ſanguinem Chriſti, per quam oblationem gloria illi datur: quam dare nolunt, qui propter tale & tantum beneficium pœnitere nolunt nec remediis vti, quæ per illud ſacrificium ab Eccleſia impetrantur pro conuerſione animarum ad Deum.

Et reuera nullum videtur eſſe myſterium, quod plures æſtus vnquam excitarit in mentibus, ſicuti hoc fidei myſterium. Iam ab initio, quo propoſitum fuit, audiuntur Capharnaitæ dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Hac de cauſa, ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres antiqui de hoc myſterio non tractabant coram infidelibus, verbis apertis, nec etiam coram Catechumenis, donec in fide firmati redderentur tanti capaces myſterij.

Hac ratione Tertullianus, lib. 2. ad vxorem cap. 5. dehortatur fidelem à matrimonio contrahendo cum infideli. *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Quod prodenda eſſent neceſſario myſteria marito infideli, quod nefas. Et Origenes, hom. 9. in Leuiticum. *Ritus quidem, apud veteres, propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit. Sed tu, qui ad Chriſtum veniſti Pontificem verum, qui ſanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te Patri; non hæreas in ſanguine carnis: ſed diſce potius ſanguinem verbi, & audi ipſum tibi dicentem quia, Hic ſanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Nouit qui myſteriis imbutus eſt, & carnem & ſanguinem verbi. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, & ignorantibus patere non poſſunt.* Ita Origen. Quid timendum, quæſo, fuiſſet, ſi Euchariſtia tantum eſſet fruſtum panis in memoriam Chriſti ſumendum? Quid in hac propoſitione abſurdi reperiſſent infideles, quo à fide auerterentur? Eſſetne hoc incredibile? Eſſetne hoc ab humana conſuetudine alienum, vt in memoriam amicorum conuiuium celebraretur, in re vſui humano accommoda & familiari, qualis eſt panis, quale eſt vinum? Sed quia hoc myſterium humanum ſenſum excedit, ideo patres de eo loquuntur apud infideles cum magna cautela, ne deriſui exponant myſterium omni reuerentia dignum, & ne eos ad blaſphemias prouocarent, ſi tam pulchram margaritum ante porcos iſtos ab ipſis conculcandam projicerent. Hinc idem Origenes, homilia 13. in Leuiticum, verbum Dei cum Euchariſtia coniungens, vtrumque docet non eſſe omnibus peruium. *Probet autem*, inquit, *ſe vnuſquiſque: & tunc de pane manducet, & de calice bibat. Sancta enim ſanctorum ſunt. Vides* addit poſtea Origenes, *quomodo non dixit ſancta tantummodo, ſed ſancta ſanctorum; vt ſi diceret: Cibus iſte ſanctus non eſt communis omnium, nec cuiuſcumque indigni, ſed ſanctorum eſt; Quanto magis hoc & de verbo Dei rectè meritoque dicemus? Hic ſermo non eſt omnium, nec cuiuſcumque, ſed ſanctorum eſt; non quilibet verbi huius poteſt audire myſterium. Nam tantummodo qui purificati ſunt mente, qui mundi ſunt corde, qui ſimplices animo, qui vita irreprehenſibiles, qui conſcientia liberi, ipſorum eſt de hoc audire ſermonem. Ipſi poſſunt explanare myſteria. Vobis datum eſt, inquit, noſſe myſterium Dei.* Ita Origenes. Et reuera Euchariſtia eſt myſterium regni Dei in terris. Eſt enim, vt vocitatur, myſterium fidei, per quam Chriſtus regnat in mundo. Et S. Chryſ. oratione de S. Philogonio to 3. fideles ad communicandum in die Epiphaniæ prouocans ait: *Quid enim excuſabimus, aut quam veniam obtinebimus, ſi quum ipſe noſtra cauſa deſcenderit è cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire grauemur? Quum alienigenæ barbarique ex Perſide accurrunt, vt illum videant in præſepe iacentem, tu verò ne breue quidem ſpatium emetiri ſuſtines, vt hoc felici ſpectaculo perfruaris? Nam ſi cum fide acceſſerimus, videbimus proculdubio illum in preſepi iacentem.*

Si quidem hæc menſa vicem explet præſepis. Nam & hîc ponitur corpus dominicum, non quidem faſciis inuolutum, ſicuti tunc, ſed vndequaque Spiritu ſancto conueſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac magi nihil aliud, quàm adorarunt: tibi vero, ſi cum pura acceſſeris conſcientia, permittemus vt ſumas, & ſumpto, domum abeas. Accede igitur tu quoque, munera offerens, non qualia deferebant illi, ſed multo religioſiora.

obtulerunt illi aurum : offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus : offer tu puras preces, quæ ſunt odoramenta ſpiritualia. Obtulerunt illi myrrham : offer tu modeſtiam, & cor ſubmiſſum cum eleemoſyna, &c. Ita Chryſ. Quem vides aſſerere eorum eſſe proprium intelligere hoc myſteriũ, qui myſteriis ſunt initiati, excluſis aliis, videlicet infidelibus, & aliis myſteriorum cognitione nondum ſufficienter imbutis, & ibidem docet breuem pœnitentiam ſufficere ad præparationem, ſi feruida fuerit, nec protelandam eſſe communionem propter conſcientiam peccatotum mulrorum, ſi pœnitentia ſetio perficiatur. Quod non eſt huius loci fuſiùs edocere. Lege ipſummet Chryſ. Quin & S. Auguſtinus etiam de hoc Sacramento agens, hac formula loquendi vtitur : *ſacramentum quod norunt fideles. Hoc eſt*, inquit ille, de ciuitate Dei, libro 10. c. 6. *Sacrificium Chriſtianorum. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto : quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia : vbi eidem demonſtratur quod in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur.* Ita Auguſt. Et in Pſalmum 39. hæc verba exponens : *Sacrificium & oblationem noluiſti*; ait. *Antiqui enim, quando adhuc ſacrificium verum, quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrant figuram futuræ rei multi ſcientes, ſed plures ignorantes, &c.* Et paulo poſt : *Sacrificia ergo illa tanquam verba promiſſiua ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt completiuum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod vtinam qui noſtis omnes, non ad iudicium noueritis, &c.* Et paulo poſt. *Quid ergo? Nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideo illa noluiſti, vt hoc perficeres. Illa voluiſti, antequam hoc perficeret. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia. Nam ſi adhuc ſunt promittentia, non dum impletum eſt quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis. Ablata ſunt ſigna promittentia, quibus exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus. Huius corporis participes ſumus. Quod accipimus, nouimus : & qui non noſtis; & cum didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis.* Ita Aug. Quod autem & Catechumeni ipſi arcebantur non modo à ſumptione, verumetiam à conſpectu Euchatiſtiæ, conſtat ex S. Dionyſ. l. de Eccleſ. Hierat. c. 3. *Catechumenos autem & Energumenos, quique in pœnitentia ſunt, ſancta Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram Pſalmorum modulationem, diuinamque Sacram ſcripturarum recitationem. Ad ſacra autem opera, quæ deincept ſequuntur, atque myſteria ſpectanda non eos conuocat, ſed perfectos oculos eorum qui digni ſunt. Eſt enim diuina Hierarchia ſacra iuſtitiæ plena, ac vnicuique pro dignitate ſalubriter conſentaneum tribuit rerum diuinarum communionem, ſancteque pro modo & captu in tempore concedit.* Ita Dyon. Etenim ſicut infantes in vtero exiſtentes, ſi antequam figurati eſſent, ab vtero exciderent, propter abortum intempeſtiuum, nec vitæ nec lucis vſura fruerentur; ita ſi quis nondum ritè in cognitione myſteriorum fidei formatus, ad tam arduum iubar ſeu fulgidum lumen intuendum fuerit admiſſus, caligabit oculus, veluti qui nondum tanti ſplendoris capaces exiſtunt. *Lux enim vim ſuam emittit in ea, quæ lucem natura recipere poſſunt*, ait Dyoniſ. Et S. Baſilius, lib. de Spiritu ſancto c. 27. agens de traditionibus Eccleſiaſticis, quibus multa nobis traduntur, tum in baptiſmo, tum in Euchariſtiæ myſterio ſeruanda, quæ ſcriptis non erant diuulganda dicit, *Eccleſiæ eſſe ex traditione arcana & priuata, ex doctrina, quam patres noſtri in ſilentio (quod curioſos & otioſos ſubmouet) ſeruarunt. Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſeruari : Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto?* Ita Baſ. Qui in hac prudentia patres ait *imitatores eſſe Moyſis, qui non omnia, quæ erant in templo, paſſus ſit omnibus eſſe peruia. Ad eumdem profecto modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt, Apoſtoli & patres in occulto ſilentioque myſteriis ſuam ſeruauere dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures effertur. Hac eſt ratio cur quadam citra ſcripturam tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Ita Baſil. Denique Auguſtinus, tractat. 11. in Ioannem : *Si dixerimus Catechumeno : Credis in Chriſtum? Reſpondet : Credo. Et ſignat ſe cruce Chriſti. Portat in fronte : & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum : Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? Neſcit quid dicimus : quia Ieſus non ſe credidit ei.* Ita Aug. Et notatu digna videtur oratio ſacerdotis, poſt ſumptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in Miſſa S. Chryſoſtomi, in qua ſacerdos potitus particulâ diuini corporis dicit : *Conuiuij tui myſtici hodie, fili Dei, communionem aſſumpſi : non tamen hoſtibus tuis dixi myſterium, neque oſculum tibi dabo, quemadmodum Iudas; ſed veluti latro ille confitebor tibi : Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Ita ex Miſſ. Chryſ.

Non mirum igitur, ſi dum effunditur phiala in ſolem, id eſt, proponitur hominibus Myſterium fidei, ſeu corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum ac ſacrificium; ſol iſte, nempe homo (in quantum conſideratur lumine rationis præditus, quo paruus hic mundus colluſtretur, ſicut maior mundus ſole iſto viſibili & conſpicuo illuminatur) potiſſs æſtuet, & mens humana radio ſuo quaſi reflexo in ſe calores excitet immoderatos, quam hoc myſterium placidè conſpiciat. Nam ſi ad cætera fidei dogmata, *omnes peruerſarum ac diuerſarum ſectarum homines*, vt docet S. Auguſt. tract. 96. in Ioannem, *vtique ferre non poſſunt quidquid in ſcripturis ſanctis, & in fide Catholica reperitur, quod contra eorum proferatur errores*, id eſt, æquo animo hæc habere & admittere non poſſunt; certè non mirum ſi ad propoſitionem huius myſterij mens refugit admittere, quod eius acumen obtundere certiſſimum eſt, cum nihil ſit adeo rationis acumen exuperans, vt eſt myſterium Euchariſtiæ. Hinc doctiſſimus Claudius de Xaintes Epiſcopus Ebroicenſis, quantùm æſtuarint neoterici hæretici in propoſitione huius myſterij fusè docet, dum notat quam ſibi omnes arrogauerint licentiam commentandi de inſtitutione Euchariſtiæ, & à verborum naturali ſignificatione recedendi audaciam; itaut nulla ſit inter eos de Euchariſtia fixa ſententia, nec vlla omnino conſiſtere poſſit, cum numerus opinionum in infinitum prope excreuerit, & circa verborum Chriſti ſignificationem ampliùs octoginta interpretationes afferri poſſint. Hic æſtus magnus conſequens ad effuſionem huius phialæ quartæ indicat hanc effuſionem ſignificare, quod dum fit talis effuſio in ſolem, aliquid proponitur intellectui, quod mentem hominum validè conturbet. Vnde ex illo æſtu recurrit etiam hæc noſtra coniectura, per effuſionem huius phialæ agi de ſacrificio hoc, quo maximè Dei gloria declaratur. Quod ſi in hoc capite diuerſa prælia inter Eccleſiæ Paſtores, & dæmonis ſectatores & aſſeclas deſcribuntur, vt ex prædictis patet, certè ſi hoc prælio in effuſione quartæ phialæ deſignato, aſſeratur ipſos dæmonis ſectatores æſtuare & blaſphemare nomen Dei, rectè conjicitur aliquid fieri, quod ſuper cæleſte ſit & planè diuinum, & quod ad Dei nomen extollendum & celebrandum pluſimùm inſeruiat. Quid autem magis diuinum, quàm iſte panis de cœlo deſcendens? Quid magis idoneum ad Dei nomen celebrandum, quàm myſterium iſtud, in quo Dei omnipotentia, bonitas, & ſapientia tantopere refulgent? Igitur & his patet noſtram coniecturam probabilem ſatis

Digitized by Google

veriſſimilem exiſtere.

Quod in Epiſcopo Thyatirenſi optimè hæc poteſtas offerendi ſacrificium iſtud admirandum deſignatur.

ANNOTAT. XVIII.

PRIMVM hoc conijcio ex interpretatione nominis Thyatiræ, quod idem eſt ac illuminata. Bene enim illuminata eſt illa hominum ſocietas, quæ Deum ſupremo cultu proſequi, & ad eum peruenire conatur; cuius quidem diuini cultus ac tam pij conatus ſignum proculdubio exiſtit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ac Sacrificium. Sacrificium enim viſibile, inuiſibilis Sacrificij Sacramentum, id eſt, Sacrum ſignum eſt, vt docet Auguſt. lib. 10. de ciuit. c. 5. & ad dilectionem Dei & proximi ſignificandam refertur, quia dilectione ad Deum peruenimus. *Hoc enim bonum*, inquit S. Auguſt. lib. 10. de ciuitat. c. 4. *diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Et diliges proximum tuum tanquam teipſum. Vt enim homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia quæ ageret, vt beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit aliud eſſe vult quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo. Iam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cum mandatur de proximo diligendo ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi vt ei quantum poteſt commendet diligendum Deum? Hic eſt Dei cultus: hæc vera religio: hæc recta pietas: hæc tantùm Deo debita ſeruitus.* Hæc Auguſt.

Et certè benè illuminata, quæ Deo Sacrificare volens hoc eligit ſacrificium externum, in ſignum inuiſibilis iſtius ſacrificij, quo Deum colimus, eique adhæremus per dilectionem & charitatem. Quod enim melius ſignum ſpiritus contribulati, contriti & humiliati (quod quidem ſacrificium Deus non ſpernit) quàm illud, quo reuocatur in memoriam paſſio & mors Chriſti, in qua pro peccatoribus, & contritus, & humiliatus fuit? Quodnam expreſſius ſignum laudis & inuocationis Dei in die tribulationis, (quod ſacrificium ſibi à nobis immolari præcipit) quàm dum offerimus illum, de cuius plenitudine accepimus, qui ſemper eſt viuens ad interpellandum pro nobis? Quanam meliori ratione opera miſericordiæ (quam magis deſiderat Deus quàm ſola viſibilia honoris ſigna) poſſunt eſſe vera, & Deo acceptabilia ſacrificia, quæ ad Deum referantur, imperata à charitate & Religione, vt ſint ſacrificia Deo accepta; poſſunt ſignificari, & ad ea exercenda poſſumus prouocari, quàm ſi illius miſericordiæ recordemur, qua Chriſtus pro liberandis à miſeria peccatoribus, ſemetipſum totum in cruce miſericorditer impendit? Quo meliori motiuo quilibet duci poterit, vt ſemetipſum Dei nomini conſecret, Deo ſe deuoueat, mundo moriatur vt Deo viuat, quam dum recordatur illius, qui in cruce hoſtiam, & holocauſtum ſe obtulit Deo viuo, vt per mortem ſuam peccatis mortui ad vitam reuocaremur? Cum igitur nullus perfectè illuminatus eſſe poſſit, qui non ſciat qua meliori ratione Deum colere poſſit, & ad eum tanquam ad finem ſuum peruenire; vt Eccleſia verè ſit Thyatira, id eſt, illuminata, hunc modum colendi Deum perfectiſſimum & agnoſcere & in praxim reducere debet. Verum enim ſacrificium eſt opus omne quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad A illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſumus.

Secundò, hoc conijcio ex eo, quod indicat velle vt iſte Epiſcopus recordetur quod ſit filius Dei, dum ait: *Hæc dicit filius Dei.* At nihil efficacius nobis in memoriam reuocare poteſt quod Chriſtus verè ſit Dei filius, quàm dum operamur illud opus, per quod ipſe voluit probare hominibus, eiſque manifeſtare ſe eſſe Dei filium. At tale opus non eſt aliud quàm illud ſacrificium corporis Chriſti, quod ipſe in ſui memoriam fieri præcepit. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Etenim cum Chriſtus Iudæos ad operandum aliquem cibum, qui permaneret in vitam æternam inuitaſſet, & docuiſſet eos huius cibi effectum non obtineri, niſi per fidem in B ſeipſum, itaut licet panis eſſet ad ſatiandum & reficiendum idoneus, neminem tamen actu reficeret, qui non haberet fidem in eum, quem Deus miſerat, petentibus ipſis aliquod ſignum, quo illud videntes ad ei credendum prouocarentur; & innuentibus quale potiſſimùm ſignũ peterent, nempe quod ſimile eſſet ſigno à Moyſe edito, dùm non panes hordeaceos dedit patribus, ſed panem de cœlo dedit eis manducare; excipit illorum verba Chriſtus: conditionem acceptat, & gratam ſibi eſſe aſſerit; veluti ſi ad eos diceret: Iam in me igitur, qui miſſus ſui à Patre, credite: Si enim optatis panem de cœlo, dico & aſſero Moyſen dediſſe tantum figuram panis veri de cælo deſcendentis. Nunc au- C tem exhibetur vobis panis verus, verè de cœlo deſcendens. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Cumque quis & qualis eſſet iſte panis de cœlo deſcendens (tam potens ad reficiendum, vt det vitam mundo) declaraſſet dicens: *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet. Et qui credit in me, non ſitiet vnquam*; ſimul dixit & ſeipſum eſſe panem, & fidem requiri vt quis ex hoc pane refici poſſet, & vitam obtinere, propter quam dandam iuxta voluntatem patris è cælo deſcenderat: *Hæc eſt autem*, inquit, *voluntas patris mei, qui miſit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Quod addit occurrens obiectioni, quæ fieret, D dum ij qui credituri erant in eum, mori viderentur. Ac ſi diceret: Ne putetis me falſo promittere vitam æternam iis, qui credituri ſunt in me. Nam ſi contigerit eos mori, ego reſuſcitabo eos in nouiſſimo die. Iam abſque vlla ambiguitate & ſe panem viuum & panem de cœlo deſcendentem dicit, à patre videlicet miſſum. Quem ipſe Chriſtus daturum promittit, cum carnem ſuam dabit ad manducandum. Ipſa ſiquidem caro eius panis erat, quem daturus erat pro mundi vita. *Ego*, inquit, *ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quam carnem verum eſſe cibum aſſerit; quæ dum manducatur, ipſe, qui filius Dei eſt, ma- E net in manducante, ſicut eum manducans manet in eo. Quam manſionem admiranda quadam comparatione elucidat, dum ait: *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem* (nempe eius carnem) *viuet in æternum. Se panem hic dicit*, inquit S. Hilarius lib. 10. de Trinitate. *Ac ne verbi virtus atque natura defeciſſe exiſtimaretur in carnem, panem carnem ſuam eſſe dixit, vt per hoc quod deſcendens de cælis panis eſt, non ex humana conceptione, origo eſſe corporis eius exiſtimaretur, dum cæleſte eſſe corpus oſtenditur: At verò cum panis eſt, aſſumpti per verbum corporis eſt profeſſio.* Ita Hilar. Et vt antea ipſe dicebat lib. 8. de Trinit. *De veritate igitur carnis & ſanguinis Chriſti non relictus eſt ambigendi locus.*

Nunc enim ex ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum, cum ea conditione, qua viuit ille, per patrem, &c. Ita Hilar.

Nunc igitur, ſi ſignum ab eo dandum, vt in eum credamus, fuit iſtud, nempe quod dederit carnem ſuam ad manducandum (quo admirabili ſigno prouocamur vt credamus in eum, quem miſit pater æternus, qui nullus eſt alius quàm ipſemet filius Dei) dum nos ad recordationem tantæ dignitatis prouocat dicens: *Hæc dicit filius Dei*, opus, per quod ſe eſſe filium Dei voluit demonſtrare, intuendum nobis proponere videtur: quaſi dicat: Hæc dicit, qui admirando quodam opere (quod nullus alius perficere poſſet) ſe filium eſſe Dei demonſtrauit. Nolo vt me tanquam filium hominis conſideretis, ſed vt filium Dei. Quod ſi de hac filiatione dubium in mente exoritur, cogitate quo ſigno me filium Dei eſſe profeſſus fuerim, qualem nunc me eſſe nunc profiteor, vt credatis in me, quem miſit pater. Nullo autem alio ſigno talem me eſſe meliùs profeſſus ſum, quàm dum aſſerui me daturum eſſe corpus & ſanguinem in cibum & potum. Omnipotentiam enim patris, quæ in me eſt tanquam in naturali filio, hoc opus exigit. Optimè igitur Alcuinus apud S. Thomam, in catena, in hunc locum: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, &c. Quando autem per manum Sacerdotis corpus Chriſti accipis; non Sacerdotem, quem vides, ſed illum, quem non vides, attende. Sacerdos eſt diſpenſator huius cibi, non auctor. Filius hominis ſeipſum dat nobis, vt nos in ipſo, & ipſe in nobis maneat. Iſtum filium hominis nolite ſic accipere, quaſi alios filios hominum. Sequeſtratus eſt enim quadam gratia, & exceptus à numero omnium. Iſte enim filius hominis, & Dei filius eſt. Hoc eſt quod ſubdit: Hunc enim pater ſignauit Deus. Signare eſt ſignum ponere. Quaſi dicat: Nolite me contemnere, quia filius hominis ſum: ſic enim ſum filius hominis, vt Deus Pater me ſignaret, id eſt, proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, ſed per me liberaretur genus hominum.* Ita Alcuinus. Qui poſtea etiam ait, in hæc verba Dixerunt ergo ad eum: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Intellexerunt*, inquit Alcuinus, eſcam iſtam, quæ permanet in vitam æternam, eſſe opus Dei: & ideo interrogant, quid facient, vt iſtum cibum, id eſt, opus Dei, operari poſſint? Et hoc eſt quod dicitur: Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, &c. Sicut igitur ex opere, ad cauſæ recordationem euehimur: iſta cauſæ recordatio & memoria in noſtram recordationem reuocare videtur, quid ſpecialius olim *perfecerit, vt ſe talem eſſe, qualem ſe eſſe profitetur, demonſtraret.*

Dices multa alia feciſſe ſigna, quibus filium Dei ſe eſſe probauit, & talem ſe eſſe manifeſtauit; v.g. cũ Lazarum à mortuis ſuſcitauit, ita patrem alloquutus eſt. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis: Sed propter populum, qui circumſtat, dixi: vt credant quia tu me miſiſti.* Ioan. 11. Reſpondeo verum eſſe multa alia edidiſſe opera, quibus ſuam miſſionem à patre, & diuinitatem manifeſtauit. Sed ad hoc vnum potiùs oculos conijcio, cum audio ſeipſum dicentem eſſe filium Dei; quia illud præcipuè perfecit, vt per illud eius memoria ſemper apud nos vigeret, dum Apoſtolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Et 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam cõmemorationem;* Hoc igitur opus proprium filij Dei, vt non ſolùm ipſe tanquam naturæ ſupremus Dominus naturas rerum tranſmutare poſſit, ſed etiam vt tantam det miniſtris ſuis poteſtatem, vt eorum miniſterio etiam rerum naturæ tranſmutentur. Re-

A ctè ſiquidem Theophylactus in 6. Ioannis. *Attende autem quod panis, qui in myſterijs à nobis aſſumitur, non ſolùm figuram gerit carnis Chriſti, ſed ipſe eſt vera caro Chriſti. Non enim dixit: Panis, quem ego dabo, figuram carnis meæ gerit; ſed, Caro mea eſt. Tranſmutatur autem inenarrabilibus verbis iſte panis (per myſticam benedictionem, & habitationem Spiritus ſancti) in carnem Chriſti.* Ita Theophy. in caten. S. Thomæ.

Tertiò, effuſionem quartæ phialæ huic Angelo Thyatirenſi aſſigno in quo poteſtas offerendi corpus & ſanguinem Chriſti deſignatur, ex eo quod additur: *Qui habet oculos, tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles auricalco.* Hoc enim ſchemate vult vt recordemur ipſum eſſe ſcrutatorem cordium, itaut clarè videat ſi cordis intentio talis ſit, qualis eſt externa profeſſio; B vt ſciant hi, qui illum honore proſequi profitentur, dum illi ſacrificium offerunt, hoc externum ſacrificium (quamuis ſecundum ſe gratiſſimum) non ſufficere, niſi reuera filij Dei ſimus imitatores, qui patris ſui gloriam in omnibus quæſiuit. At nunquam ſic patrem glorificare viſus eſt, quàm dum ſemetipſum obtulit in ſacrificium: eiuſque ſumus imitatores, cum facimus ea, quæ nobis eſſe facienda præcipit in ſui memoriam, offerendo illi hoc idem ſacrificium. Admonet autem ſe habere oculos tanquam flammam ignis, vt cogitemus Deum falli non poſſe, qui videbit abſque dubio, ſi dum offerimus illud ſacrificium, talis ſit intentio C cordis, qualis eſt proteſtatio externi operis. Vnde Apoſtolus volebat vt qui huius ſacrificij volunt eſſe participes, probarent ſe, & ſic de pane illo ederent, & de calice biberent, ſcientes quod qui manducat de illo pane, aut de calice bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini corpus videlicet Chriſti filij Dei viui.

Quartò, quia ad ſimilitudinem eorum, qui myſticæ Iezabel adhærebant, (quibus magna tribulatio promittitur, niſi pœnitentiam agerent ab operibus ſuis) ſic æſtu magno affliguntur, qui huius phialæ effuſioni contradicunt, non agentes pœnitentiam, vt darent Deo gloriam.

Denique dum promittitur poteſtas ſuper gentes, D hæc poteſtas in corpus myſticum conſequitur ad poteſtatem, quæ Sacerdotibus datur in corpus Chriſti verum: vnde conſequens eſſe videtur, vt illa poteſtas ſuper gentes promittatur illi præcipuè, cui iam data fuerat poteſtas in corpus Chriſti verum; dum ſcilicet accepit poteſtatem conſecrandi panem & vinum, in corpus Chriſti, & offerendi illud Deo in ſacrificium & holocauſtum. Et ita exiſtimo Angelum effundentem iſtam quartam phialam eſſe Epiſcopum Thyatirenſem, ad quem ſpectet repræſentare illam poteſtatem Sacerdotibus cunctis in Eccleſia datam offerendi corpus Chriſti in Sacrificium. Honorantur enim hac poteſtate ſuper gentes, quia ſummopere Deum glorificant, dum tale illi offerunt E ſacrificium: vt Deus ſtare videatur promiſſis, qui olim dixit: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum* 1. Regum 2. At illum glorificant offerentes hoc ſacrificium. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me.* Vnde meritò ſuper gentes poteſtatem accipiunt, vt honorificentur ab hominibus, qui Deo meritos reddunt honores.

Effudit phialam ſuam in ſolem.

Explicatio ſymboli phialæ quartæ, ex diuerſis interpretum expoſitionibus.

ANNOTAT. XIX.

TICONIVS: *Mare, flumina, fontes aquarum, ſol, (vt iam diximus) thronus Beſtiæ, fluuius Eu-*

Digitized by Google

phrates; ait, ſuper quæ Angeli fuderunt phialas, terra eſt & homines: quia omnibus Angelis in terram fundere mandatum eſt. Ac ſi diceret Ticonius: Siue mare dixerit, ſiue flumina, ſiue fontes, ſiue ſolem, ſiue thronum Beſtiæ, ſiue fluuium Euphratem, aut aërem, ſemper tibi in mentem venire debet has phialas effúdi in homines terram habitantes, qui ſub his ſymbolis; diuerſis rationibus deſignantur. Et poſtea de quarta phiala agens ait Ticonius: *Hoc futurum eſt ad huc in igne gehennæ. Nam diabolus in præſenti, cum in anima occidat amatores ſuos, non ſolùm non vrit in corpore, ſed quantum permittitur clarificat; quam claritatem, & lætitiam Spiritus ſanctus plagas definiuit & dolores. Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem in his plagis: nec egerunt pœnitentiam. Quia non in corpore, ſed in anima percutiuntur plagis iſtis a Deo. Ideo nec Domini recordantur, ſed in peius proficiunt, propterea blaſphemant, perſequentes ſanctos eius.* Ita Ticon.

Ex hac expoſitione Ticonij habes homines ſignificari in ſole. Non abſurdè igitur per ſolem, mentem intelligimus: quia nihil in homine reperitur, quod meliùs per ſolem repræſentetur, quàm intellectus, qui hunc microcoſmum illuminat; ſicut totus orbis a ſole iſto corporali illuminatur. Et dum ipſe plagas refert, non ad corpus, ſed ad animum, rectè æſtum illum magnum ad animorũ æſtuatioẽm & fluctuationẽ (dum menti myſteria, eius naturalẽ concipiendi capacitatẽ excedentia, proponuntur) tranſtulimus. Primaſius poteſtatem injiciendi hominibus æſtum & ignem Angelo effundenti phialam dari exiſtimat, non autem ſoli, in quem effunditur. *Non ſoli*, inquit Primaſius, *datum eſt, ſed ei Angelo, qui ſolem perfudit.* Secundo exiſtimat hunc ignem non eſſe gehennæ ignem. *Quocirca*, inquit, *ignem hîc & æſtum arbitror debere cognoſci, quod diaboli corpus de ſtabilitate ſanctorum irremediabiliter cruciabitur; & ad blaſphemandum ipſo æſtu excitati coguntur. Vnde* (addit Primaſius) *electi illuminationis percipiunt firmitatem, inde impij dicuntur ſumere incendium.* Ita Primaſ.

Ex quibus vltimis verbis Primaſij animaduerto in hoc capite deſcribi prælium Paſtorum cum amatoribus ſæculi, dum quæ agunt, vt regnum Chriſti promoueatur in electis, in reprobis contrarium obtineat effectum. Vnde enim illuminari deberent, exinde occaſionem ſumunt blaſphemias proferendi. Hinc addit Primaſius: *Neque egerunt pœnitentiam, vt darent ei claritatem. Blaſphemantium ipſa mors eſt* (exiſtimo legendum, ipſe mors eſt) *vt non ſe impietatis, ſed Deum malint iniquitatis arguere; nec poſt plagas pœnitentiam agere, ſed flagellati contumelias irrogare. Sicut enim vaſa ænea incendio grandi ſubacta, ab intimis exiliendo foris ebulliunt, & ſuæ capacitatis metas excedunt. Sic & pars beſtiæ in vaſto reſiſtens, cum Chriſti Eccleſiam infatigabili viderint conſtantiâ dimicare, intolerabilis inuidentiæ facibus inflammati, conceptum in corde incendium, oris impuris exhalant blaſphemiis. De hoc igne legimus: Zelus aprehendit populum ineruditum, & nunc ignis aduerſarios conſumet.* Ita Primaſ. Andreas Cæſarienſis ad vltima Anti-Chriſti tempora hæc omnia refert, dum ait: *Fortaſſis ſenſilis ſolis ardore homines tunc temporis incendentur, clemente Deo camo & freno maxillas eorum conſtringente, &c. quo hac ſaltem ratione excitati tandem aliquando ad pœnitentiam ſpectent, etſi illi interim, vt pote in profundum malorum delapſi, non ad conuerſionem reſpiciant, ſed impotenti animo, improbaque mente in blaſphemiam ſeſe efferant. Fieri quoque poteſt vt per ſolem diei curſum adumbret, adeoque variarum tentationum ardore hunc eos aduſturum ſubindicet, qui flagellis digni comperti fuerint; quatenus nimirum pœnarum & cruciatuum ſenſu admoniti, earum rerum parentem, nempe peccatum, odio habere incipiant. Verum inſani homines pro lapſuum & ſcelerum ſuorum agnitione & dete-* A *ſtatione, linguam ſuam contra Deum exacuent, &c.* Ita Andreas.

Rupertus: *Per ſolem illa Dei ſedes intelligitur, de qua in Pſalmo dicitur: Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, ſcilicet Eccleſia, de qua vel in qua Chriſtus eſt, ſol iuſtitiæ.* Et paulo poſt: *Hoc datum eſt huic Angelo, vt homines videlicet carnales, inter quos, verbi gratiâ, Zelus eſt & contentio, redarguens quod homines ſint, afficiat eos malo duplici, æſtu & igni, id eſt, præſentali pariter & futura poteſtate iudicandi, &c.* Et poſt pauca: *iudicant namque Prælati iam nunc eos, qui intus ſunt. Exempli gratiâ: Cum dicit idem Apoſtolus: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui tradere eiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domi-* B *ni. Taliter iudicare nimirum eſt homines æſtu afficere. Æſtuant namque quodam pudoris æſtu, quando à cætu Eccleſiæ ſegregantur, ita ut nec Aue dicere, nec cibum liceat cum huiuſmodi ſumere. Quod ſi tali æſtu non corriguntur, tunc demum iuſtum erit, vt in futuro afficiant eos igni, vt iudicio ipſorum quoniam rebelles & contemptores extiterunt, tradantur gehennæ igni.* Et paulo poſt addit Rupertus: *Eiuſmodi namque homines, quando pro ſuis exceſſibus corripiuntur, æſtuant æſtu magno, videlicet iraſcendo, contradicendo; contentionis, rixæ & implacabilis odij flammam contra rectores ſuos conſpirando, ſecundum formam Dathan, & Abyron, & cæterorum, qui conſurrexerunt aduerſus Moyſem & Aaron.*

Et blaſphemauerunt nomen Dei. Quidquid enim aduer- C *ſus Prælatos, vel patres inſaniunt, totum redundat in Deum: quia, quod Prælati propter diſciplinam faciunt aut iudicant, non ſua ſed Dei poteſtate vel autoritate faciunt.*

Denique in hæc verba: *Neque egerunt pœnitentiam,* ait: *Cor namque impœnitens conuincitur blaſphemare Deum, imo Spiritum ſanctum, quia dum defendit iniquitatem, ſine dubio pugnat contra Deum, impugnat Spiritus ſancti iudicium.* Ita Rupert.

S. Thomas: *Et quartus Angelus, id eſt, quartus ordo prædicatorum; Effudit phialam ſuam, id eſt, denunciabit pœnam æternam; in ſolem, id eſt, ſuper Anti-Chriſtum, qui ſe dicet ſolem mundi & illuminatorem hominum; Dicet enim ſe eſſe Deum 2. ad Theſſalo. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus: Ille ergo ordo prædicatorum prædicabit pœ-* D *nam Anti-Chriſto inferendam, & hypocritis, qui ſe aliquid magnum facient. Non tamen propter hoc Anti-Chriſtus deſiſcet, ſed affliget homines, & multos peruertet: Vnde oſtendens cauſam damnationis eius, ſubdit: Et datum eſt, id eſt, permittetur illi, ſcilicet Anti-Chriſto; à Deo ſine cuius permiſſu nullum malum fieri poteſt, affligi pœnis corporalibus, vt ſibi adhæreant. Aliqui libri habent, Afficere: & eſt idem, hoc eſt, cruciare homines; Æſtu, id eſt, minori tribulatione, quæ cremat ſuſtinentem, niſi patientia ipſum firmet; Et igni, id eſt, tribulatione maiori, quæ multum cruciat, vt ignis Matt. 24. Erit tunc tribulatio magna qualis, &c.* Et paulo poſt: *Nomen autem Æſtus, propter adiectiuum additum, ſignat magnum ardorem impatientiæ, ex vi tribulationis. Et blaſphemauerunt,* E *id eſt, blaſphemabant nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas: quia præ impatientia dicent verba magnæ iniuriæ contra Deum, qui habet poteſtatem ſuper illas tribulationes corporales, quia permittit eas inferri quibus vult, & non quibus non vult. Et tamen illos non liberauit. Vel poteſt intelligi de plagis mentium, ſuper quas Deus habet poteſtatem: quia quibus vult dat patientiam; alios autem permittit comburi igne impatientiæ vel erroris Rom. 9. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Loquitur autem de illis hominibus, qui fideles fuerant, & cognomen omnipotentis Dei habent, licèt propter tormenta deficiant. Multi autem non pœnitebunt, &c.* Et denique docet quod *multi pœnitentiam agent, cum viderint Anti-Chriſtum viriliter deiectum: Multi tamen remanebunt in errore, occulto Dei iudicio, ſicut hæc littera oſtendit.* Ita S. Thom. Sed ex dictis patet hôc caput non ita intelligi de

vltimis temporibus, vt non pertineat etiam ad omnia decurrentia tempora; in quibus homines militant contra eos, qui Regnum Chriſti promouere ſtudent. Itaque reperientur quidem temporibus Anti-Chriſti qui ex propoſitione myſteriorum fidei æſtuabunt æſtu magno, & igne iracundiæ & furoris inardeſcent; ſed ſicut iam multi ſunt Anti-Chriſti, ita iam multi ſunt, qui ex horum myſteriorum propoſitione, æſtu & igne torquentur.

Alcazar interpretationem quartæ & quintæ phialæ ſimul coniungit, *Vt*, inquit, *ex vtriuſque inter ſe collatione meliùs explicarentur. Altera enim ad æſtuantem ſolem, altera ad tenebroſam caliginem reuocantur.* Multaque dicit, quibus poteſt noſtra explicatio veriſimilior reddi, & probabilior. Verbi gratia.

Dicit eſſe animaduertendum quis ſit in his plagis præcipuus virorum Apoſtolicorum ſcopus, & quis effectus inde ſubſecutus. Conſtat enim Dei miniſtros directè neutiquam contendiſſe vt aut homines vehementi ſolis ardore æſtuarent, aut tenebræ Romanum imperium occuparent. Verùm ex eo, quod ipſi ſuum officium egregiè præſtarent, gentilium culpa prouenit: vt ſolis æſtus eos torqueret, & tenebræ denſiſſimæ vndique conſtringerent, atque in rabiem & furorem verterent.

Notat ſecundò quartam plagam aptiſſimè reuocari ad eum effectum, qui conſecutus fuit ex clariſſima luce, quam Euangelij prædicatio de veri Dei cognitione vbique diffundebat; Quintam vero plagam redigi etiam congruenter ad illud, quod redundauit ex ea gloria atque laude, quam viri Apoſtolici Deo per admirabile vitæ exemplum tribuebant: Duplex eſt enim Dei glorificatio, altera per concionandi ſapientiam, altera per vitæ integerrimæ ſanctitatem. Cæterum ex duplici hac Dei glorificatione ij effectus ob gentilium culpam prouenerunt. Ex prima, vt homines ſolis luce omnino æſtuarent; ex ſecunda, vt exempli lux in maximas verteretur tenebras: nunc enim inſtituitur ſermo de effectu illo, qui accidit iis, qui in ſua obſtinatione perſiſtebant, nõ iis qui ſe ad Chriſti religionẽ aggregabant. Et poſt pauca addit Alcazar: *Lux ea, quam de veri Dei cognitione prædicatio Euangelica huc illuc ſpargebat, tanta erat, tamque conſpicua, vt quamuis gentiles ipſos illius valde pœniteret, vt pote cupiditatibus ipſorum omnino contraria, nihilominus tamen reuera ſol ille eos illuminaret, atque adeo incenderet. At verò Dei gloria, quæ in admirabili vitæ exemplo elucebat, cum non in intellectus luce, ſed in ſanctitatis ſplendore conſiſtat, aptè dicitur nulla ratione eos illuminare, qui non ſolùm non accendebantur ad ſplendoris eius imitationem, ſed deteriores etiam fiebant.* Ita Alcaz. Qui poſtea docet quod in quarta hac phiala obſeruatur afflictio atque anguſtia, ex veri Dei cognitione per occaſionem proueniens.

Docet autem poſtea quod *in hiſce omnibus plagis ratio noniſsimæ plagæ, ſiue iræ noniſsimæ in primis ſita eſt, vt non ſit propria vindicta, ſed noua quædam vlciſcendi ratio, eo potiſsimum tendens vt peccatum conuellatur omnino, ac de medio tollatur; ipſe verò peccator, & veniam impetret, & maximâ Dei gratiâ fruatur. Quare licèt in ſeptem plagarum diſtinctione exprimatur gentilium repugnantia, qua diuinæ gratiæ obſiſtere nitebantur, hæc tamen oppoſitio, vna ex parte, conducit vt immenſa Dei bonitas atque clementia eluceſcat, dum myſticam nihilominus vindictam de gentibus ſumendam, & gentilium ipſorum conuerſionem promebit; ex alia vero parte hæc eadem contradictio deſeruit vt reconditum diuinæ prouidentiæ conſilium ſuos demum effectus atque exitus ſortiatur.* Ita Alcazar.

Per ſolem autem Alcazar Dei diuinitatem intelligit, itaut phiala in ſolem effuſa, ſit prædicatio verſari circa Dei diuinitatem & prouidentiam, cuius A diuinitatis prædicatio tanta claritate & perſpicuitate oſtendebat idololatriæ falſitatem, ac nugas, nec non veri Dei cultum eſſe eum quem Chriſtiana religio prædicabat, vt hac ingenti luce incredibilem hauſerint dolorem illi ipſi, qui in ſua impietate atque flagitiis (quibus ipſe idolorum cultus indulgebat) immobiles perſtare volebant. Ita Alcaz.

Ex hac Alcazaris interpretatione noſtra veriſimilior redditur, qua volumus non effectus proprios effuſionum deſcribi in hoc capite, poſt quarumlibet phialarum effuſionem; ſed repugnantias, & contradictiones & opoſitiones eorum, qui in peccatis obdurati, vel ſtupiditate ſua contra Dei bonitatem militant, vel peruerſis inclinationibus, (quibus obtemperant, ac ſi irrationabilia eſſent animalia) B Dei ſapientiam illudunt; vel peccatorum (quæ effrenata quadam licentia committunt) multidine, ſe diuinæ iuſtitiæ iudicia contemnere oſtendunt, media ad eorum extirpationem inſtituta paruipendentes, diuinæ omnipotentiæ operibus derogare non timent, dum erroribus, & hæreſibus conſentiunt, & ſiue cupiditate ducti, ſiue iracundia perciti, Deo dorſum vertunt & non faciem, veritatis ac fidei deſertores, & omnipotentiæ diuinæ (qua homines infirmos quidem & imbecilles ad gratiam, & gloriam euehit) illuſores: potentiæ ſiquidem diuinæ aſcribitur quod homines poſſint Deum ſibi proponere pro vltimo fine, & ad beatitudinem C æternam peruenire, iuxta illud Ezechielis. c. 20. *Neque cogitatio mentis veſtræ fiet, dicentium: Erimus ſicut gentes, & ſicut cognationes terræ, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento & in furore effuſo regnabo ſuper vos; & educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus diſperſi eſtis. In manu valida, & in brachio extento, & in furore effuſo regnabo ſuper vos.* Ita Ezechiel. Quod autem ait Ezechiel de cultu diuino temporaneo, & collectione Iudæorum diſperſorum, vt eum colerent, hoc multo magis dicendum eſt de ſalute æterna. Si igitur ad eum cultum temporaneum obtinendum Dei potentia requiritur, multo magis ad vitam ætenam promerendam requiritur. D Ieremiæ verba cap. 32. appoſitè ſatis poſſunt expendi, dum ait: *Heu, heu, heu, Domine Deus. Ecce tu feciſti cælum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne verbum. Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos. Fortiſsime, magne & potens, Dominus exercituum nomen tibi: magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentionum eius.* Ita Ierem. Huius autem potentiæ effectum poſtea futurum declarat, dum poſtea, ait. *Ecce ego congregabo eos de vniuerſis terris, ad quas & eieci eos in furore meo, & in ira mea, & indignatione grandi. Et habitare eos faciam confidenter. Et erunt mihi in populum, &* E *ego ero eis in Deum, &c.* Quod in figura contingit Iſraëlitis, hoc in veritate adimpletur in electis. Nam congregantur ex vniuerſis mundi partibus in paradiſum, vt ibi Deus illis ſit in Deum, ipſi autem ei ſint in populum. At non modo omnipotentiam Dei erroribus ſuis offendunt, ſed patientia eius abutuntur, dũ cunctas leges ſubuertunt; theſaurizant ſibi iram iuſti iudicij Dei, dum omnes comminationes diuinas pro nihilo ducentes, Eccleſiæ iudicia ſpernunt: quo tandem experiũtur ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, à cõmunione Eccleſiaſtica per ſententiam excommunicatiocationis in eos latam ſeparati: quæ maledictio ſi ab eis non auferatur per debitam & condignam ſatisfactionem, ſibi æternam acquirunt & acquirunt & accumulant maledictionem.

Digitized by Google

Effudit phialam in ſolem.

Explicatio ſymboli per partes, iuxta noſtram interpretationem.

Quid ſit effuſio phialæ in ſolem?

ANNOTAT. XX.

Verus huius ſymboli ſenſus obtineri non poteſt, niſi quid per ſolem ſignificetur intelligamus. Ex vera enim expoſitione ſolis pendet cæterorum, quæ in hoc ſymbolo continentur, expoſitio.

DICO igitur primò per ſolem non eſſe hîc intelligendum ſolem iſtum viſibilem oculis conſpicuum. Nam omnibus Angelis præcipitur, vt effundant ſeptem phialas in terram. At ſi ſol accipiendus eſſet ad litteram pro ſole viſibili & conſpicuo, hic Angelus non obtemperaret mandato diuino, nec etiam ſeptimus, qui phialam ſuam effudit in aërem. Myſticè igitur ſol intelligendus eſt & aer, ne iſti Angeli dicantur aliquid aliud agere, quàm quod fuerit illis præſcriptum. Vnde Ticonius dixit: *Mare, flumina, fontes aquarum, ſol, Thronus beſtiæ, fluuius Euphrates, aer, ſuper quæ Angeli fuderunt phialas, terra eſt, & homines: quia omnibus Angelis in terram fundere mandatum eſt.* Ita Ticon.

Dico ſecundò: Iſte ſol non ſignificat hîc diuinitatem, circa quam verſetur effuſio phialæ quartæ, id eſt, prædicatio Euangelij, ſeu oblationem ſacrificij corporis Chriſti: deberet enim potius dici effuſio de ſole, quàm in ſolem; quin & effuſio liquoris in phialis incluſi recipi debet ſiue à terra, in quam effunditur, ſiue à ſole, in quem etiam effundi dicitur, vel à mari & fluminibus, & ſede beſtiæ, ſuper quæ omnia effundi etiam dicitur. At abſurdum eſt dicere diuinitatem liquorem hunc in ſe admittere. Oportet igitur vt per ſolem indicetur aliquid, quod capax ſit ſuſcipiendi in ſe liquorem phialarum. In ipſa igitur effuſione intelligenda eſt ipſa diuinitatis & prouidentiæ diuinæ & aliorum myſteriorum fidei propoſitio, quæ fiat ad aliquem, qui huius effuſionis percipiendæ ſit capax. Vnde non admittenda mihi videtur expoſitio hæc Alcazaris, dum ait: *Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem. Sol ſæpe in Apocalypſi ad Dei diuinitatem refertur. Vnde ſi phialæ effuſio denotat prædicationis officium, vt ſignificetur effectus ex hac ipſa Dei diuinitatis prædicatione conſecutus, congruenter fingitur quarta phiala in ſolem effuſa, quod eſt prædicationem verſari circa Dei diuinitatem & prouidentiam.* Ita Alcazar. At ſi ſol eſt ipſa diuinitas, circa quam verſatur prædicatio, ſuper quem, vel in quem, quæſo, dirigitur iſta prædicatio? Dices effundi in terram, iuxta id quod ſeptem Angelis præſcriptum fuit. At ſi hoc ita eſt; omnes aliæ effuſiones debent eſſe prædicationes quorumdam, quæ ſignificentur per terram, per mare, per aerem, per ſedem beſtiæ: quam interpretandi rationem non eſt Alcazar in aliis phialis proſequutus. Vnde certè aptius eſſe videtur, vt terra, mare, flumina, ſol, ſignificent ſubiectum effuſionis phialarum, id eſt, in quod liquor phialarum ſit effundendus, quàm materiam ſeu ſubiectum, circa quod verſetur illa effuſio.

Dico igitur per ſolem nos intelligere hominem, in quantum mens eius ſignata eſt lumine rationis, quo capax eſt cognitionis veritatis cuiuſlibet ſibi objiciendæ; Lumen autem iſtud non per ſtellam, non per lunam, ſed per ſolem deſignari, quia non modò quamlibet rem in indiuiduo cognoſcere poteſt, non modò res omnes creatas mutationi obno-

A xias percipere valet; ſed etiam ſupremam & excellentiſſimam rerum omnium cauſam (quæ ſuprema eſt veritas) poteſt lumine naturali vt primam cauſam, lumine ſuper naturali vt gratiæ & gloriæ autorem, & vltimum ac ſupernaturalem hominum finem intueri. In ſolem iſtum phiala effunditur, dum aliquod myſterium fidei illi proponitur credendum. Credit illud mens fidei obſequio mancipata: æſtuat ad talem propoſitionem mens peruicax: quia dum ad phantaſmata, & ſenſibilia intuenda ſibi connaturalia recurrit, vt huius myſterij notionem percipiat, cum illud excedat vires ſuas, æſtuat, & ad iracundiæ ignem excitatur, potiùs quàm fidem adhibeat ſibi propoſitis. Nam ſicut æſtu affliguntur ho-
B mines, dum radij ſolares vehementiores in terram incidunt, & in ſe reflectuntur, qua reuerberatione calor fit intentior; pari ratione, dum mens ad ſenſibilia totum acumen ſibi à natura inditum infigit, vt ſupernaturalia aprehendat, quod non poſſit pertingere vſque ad myſterij illius comprehenſionem, quaſi in ſeipſum reflexa, æſtum tantum & calorem nimium excitat, quo cruciantur homines dum vel appetitui inſeruiunt, cæleſtia contemnentes, vel ita commouentur propter ſuperbiam: quia dum curioſitati naturali ſciendi obtemperare volunt, vinci ac ſuperari ſe à magnitudine & profunditate myſteriorum perſentiunt.

Nec mirum ſi eodem ſymbolo, quo Deus opti-
C mus maximus etiam adumbratur, mentem humanam deſignari poſſe aſſeramus, cum mens ipſa ad Dei imaginem & ſimilitudinem ſit efformata. Si veritatis ſymbolum, quale eſt ſol apud Pierium lib. 44. c. 4. (quod vnus ſit & ſimplex, & duplicia, ſeu multiplicia ſint veritati contraria) etiam ſymbolum cenſeatur mentis humanæ, in qua veritatis cognitio ſedem ſuam collocare debet (ſiquidem verum eſt proprium intellectus humani objectum.) non mirum, inquam ſi, mens, in qua Chriſtus, qui eſt ſumma veritas, formari debet, iuxta illud Apoſtoli: *Filioli mei, quos iterum parturio; donec Chriſtus formetur in vobis*; per ſolem, quo Chriſtus ipſe ſignificatur, etiam poſſit deſignari, in quantum in ea tanquam
D in ſede ſedem figit ipſam; & veritas, de qua dicitur: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, in mente, dum ſicut olim ſolem condidit, vt eſſet lucis receptaculum, ita etiam mentem hominũ creauit, vt in ea tanquam in quodam gratiſſimo domicilio habitaret, lumine naturali indito, lumine fidei infuſo, lumine gloriæ ſuper, addito, vt fiat tandem quod Paulus dixit. 2. ad Corinth. 3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam a Domini ſpiritu.* Quæ interpretatio non videtur alia ab interpretatione Ruperti, quam ſupra attulimus. *Per ſolem*, inquit, *illa Dei ſedes intelligitur, de qua in pſalmo dicitur: Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, ſcilicet Eccleſia.*
E Ita Rup. Quod enim de congregatione hominum dici poteſt, hoc de ſingulis hanc componentibus aſſerere meritò poſſumus. Si igitur Eccleſia eſt ſol; quia Dei ſedes, homo quilibet etiam ſol dici debet; quia mens eius ſedes eſt Dei, qui delitias ſuas conſtituit in hoc, vt ſit cum filiis hominum. In omnia ſol effundit radios, motu cietur velociſſimo: ipſa viſcera terræ penetrat influxu. Hæc menti conueniunt, quæ quodammodo fit omnia, dum omnia intuendo cuncta repreſentat, cuius actio velociſſima, abſconſa quæque peruestigans. Sol denique S. Ambroſio eſt mundi oculus: ex cuius contemplatione poſſumus omnium creatorem debitis extollere laudibus: intellectus eſt hominis rationalis ſpiritalis oculus, ex cuius cognitione, ad conditoris & prototypi (ad cuius imaginem eſt procreatus) laudes

Digitized by Google

tes ad verum & ſupernaturalem finem ordinentur. Effudit igitur hic Angelus ſuper flumina & fontes aquarum, id eſt, ſuper potentias eorum, qui ſuſcipiebant baptiſmum, multas virtutes in Sacramento contentas: per quas animæ eorum à labe contracta ex peccato originali mundabantur, prout mundati eas oportebat, vt in eis credentibus fierent flumina aquæ ſalientis in vitam æternam. Rectè enim Origines dixit, homilia. 12. in numeros. *Sicut vnus ille puteus, qui eſt ſermo Dei, efficitur putei & fontes, & flumina innumerabilia; ita & anima hominis, quia ad imaginem eſt Dei, poteſt in ſe habere & producere ex ſe & puteos, & fontes, & flumina. Sed & cetera putei, qui ſunt in anima noſtra, indigent fodiente: debent enim mundari, & omne quod terrenum eſt ab eis debet auferri, vt vena illa rationabilium ſenſuum, quas ei inſeruit Deus, pura ac ſyncera fluenta producant. Donec enim terra contegit aquarum venas, & obtureat occultum fluenti, non poteſt puri laticis vnda profluere.* Ita Origenes. Dicamus iuxta ea, quæ antea allata ſunt, donec anima, quæ mari peccati originalis obruta eſt, quo etiam omnes animæ vires & facultates coinquinantur (intellectus enim ignorantia; voluntas, malitia; appetitus concupiſcibilis, libidine; iraſcibilis, infirmitate inficitur) fuerit ab hoc peccato purgata & mundata, fieri non poteſt vt eius potentiæ poſſint producere, tanquam ex puriſſimis fontibus, actus aut habitus puri laticis gratiæ diuinæ, qua tandem poſſint homo ſalire per bona opera meritoria, in vitam æternam. *Origo itaque*, inquit S. Ambroſ. lib. 1. de vocat. Gent. c. 5. *veræ vitæ, veraque iuſtitia, in regenerationis eſt poſita Sacramento, vt vbi homo renaſcitur: ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et incipiunt ad perpetuam gloriam perficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem.* Ita Ambroſ. *Qui per hunc fontem tranſit*, inquit Idem S. Ambroſ. lib. 1. de ſacram c. 4. *tranſit à terrenis ad cæleſtia. Hoc eſt enim Paſcha, id eſt, tranſitus eius tranſitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hunc fontem tranſit, non moritur ſed reſurgit.* Ita Ambr. Nec minùs neceſſarius eſt baptiſmus pœnitentiæ, poſt lapſum à baptiſmate, quàm baptiſmus ipſe poſt peccatum originis, & in eo datur remiſſio peccatorum, ſicut in primo: itaut homo peccato mortuus renouetur ad vitam. Valet enim baptiſmus pœnitentiæ & lacrymarum, ad recuperandam gratiam in primo baptiſmate datam, ſi eam per peccatum deperdi contigerit. Hinc S. Ambroſ. l. 1. de pœnitentia c. 7. *In baptiſmo vtique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? Vnum in vtrumque myſterium eſt. Sed dices quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne nomen Dei operatur?* Ita Ambroſ.

Cum igitur adminiſtrator Sacramenti, ſiue Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ, effundendo phialam ſuam tanta bona poſſit conferre, quomodo pro effectu ſalutari tantùm viſitur ſanguinis cruor in fluminibus & fontibus? Id eſt: Quomodo omnes actus, habitus, & potentiæ hominum, videlicet reproborum, videntur tot peccatis inuolui? A quibus liberari cupiebat ille, qui tam fortiter ad Deum clamabat: *Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ; & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam. Quare*, inquit Auguſt. *pluraliter dixit, De ſanguinibus; cum Latinè minus propriè hoc dicatur?* Reſpondet ibidem S. Doctor. *In multis ſanguinibus, tanquam in origine carnis peccati, multa peccata intelligi voluit. Ad ipſa peccata reſpiciens Apoſtolus, quæ veniunt de corruptione carnis & ſanguinis, ait, caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Nam vtique ſecundum fidem veram eiuſdem Apoſtoli,*

A *caro iſta reſurget, & ipſa merebitur incorruptionem, dicente ipſo: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem. Quia ergo corruptio iſta de peccato eſt, ipſius nomine appellantur peccata: quemadmodum dicitur lingua & illud ſenſum carnis, & membrum quod in ore mouetur, cum verba diſtinguimus & linguâ, quod per linguam fit, ſicut dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam. Non enim caro diuerſa eſt, ſed ſonus. Quomodo ergo dicitur lingua locutio, quæ fit per linguam; ſic dicitur iniquitas ſanguis, quæ fit per ſanguinem.* Ita Auguſt. In Pſal. 50. Certè hic ſanguis auferri, hæc macula deleri poterat, tum per Sacramentum Baptiſmi, tum per Pœnitentiam. *Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, vt remittat peccata noſtra*, inquit S. Ioannes. Hic narra, inquit B S. Chryſ. *vt non illic, id eſt, in iudicio narres: dic, & lacrymas funde. Peccata tua in libro ſcriptura ſunt. Spongiæ autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ. Lachrymas mitte, & oblitterantur. Lacrymas mitte, & purus hic liber inuenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt lacrymæ.* Ita Chryſ. in Pſ. 50. *Et ne dicas* (ex Chryſoſtom. ibidem) *non eſſe neceſſarium illa confiteri ſacerdoti: quia paulo ante dicit: Peccata autem tua ipſe commemora, vt ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico vt ea conſeruo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui iis medetur. Neque enim ſi non dixeris, ignorat ea Deus.* Ita Chryſ. Nam qui ſacerdoti, qui à Deo autoritatem accipit peccata dimittendi, confitetur, C Deo dicit & non homini. Quantum enim valeat confeſſio homini facta, & ad quid potiſſimùm ſit vtilis, docet ipſe, hom. 3. in cap. 3. Matth. to. 2. *Confeſſio*, inquit, *peccatorum, eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri. Qui autem erubeſcit, non timet. Perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confeſſionis aſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid neſcimus, quia confeſſio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipſum erubeſcere pœna eſt grauis? Sed ideo magis nos iubet Deus confiteri peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipſum pars eſt iudicij. O miſericordia! Quem totiens ad iracũdiam excitaui, ſufficit ei ſolus pudor pro pœna.* Ita Chry. D At fiat apud eos, qui poſſunt poſt apertionem vulnerum adhibere medicinam, poſt accuſationem peccatorum ferre ſententiam, ne ſit inutilis noſtra confeſſio. At quinam ſu[illegible], qui de peccatis poſſunt ferre ſententiam, niſi ij qui à Deo illam acceperunt, qualem acceperunt ſacerdotes, Dei vices in terris gerentes. *Accipite Spiritum ſanctum: quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quemadmodum enim Rex*, inquit S. Chryſ. in verba Iſaiæ: *Vidi Dominum*, homil. 85. in Ioan.) *præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, & vt liberent poteſtatem præbet; ita Ieſus diſcipulos dimittens, hac munit autoritate.* Hæc Chryſ.

Magna reuera hæc autoritas, & maior regiâ, vt E ipſe docet hom. 4. in verba Iſa. *Vidi Dominum. Regi corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit; ſacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit: hic exhortatur. Ille neceſſitate; hic conſilio. Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia. Ille bellum gerit cum Barbaris, mihi bellum eſt aduerſus dæmones. Maior hic principatus. Propterea rex caput ſubmittit manui ſacerdotis, & vbique in veteri ſcriptura ſacerdotes inungebant Reges.* Et homil. 5. in eadem verba: *Sacerdoti thronus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negociis pronunciandi habet autoritatem. Quis hoc dicit? Ipſe cælorum Rex. Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Quid cum hoc honore cõferri poſſit? A terra iudicandi principalem autoritatem ſumit cælum.*

Digitized by Google

Nam Iudex ſedet in terra. Dominus ſequitur ſeruum. Et quidquid hoc in inferioribus iudicauit, hoc ille in ſupernis comprobat. Ita Chryſ. Si igitur lachtymis, pudore, confeſſione, abſolutione iudicis poteſtatem habentis, poteſt deleri ſanguis, cur adhuc apparet, vbi deleri deberet?

Certè hoc non fit, niſi quia in eos, in quibus apparet ſanguis, talis effectus non inducitur. Hæc remedia rejiciunt, dum offeruntur, & reiecta potiùs maculant quàm mundent. Et veluti morbo correptus, qui ſalutarem medicinam ſibi propoſitam abhorrens, illam ſumere negligit, ingraueſcente morbo mortem tandem incurrere cogitur; ita iſti inſpirationibus non attendentes, verbo Dei fidem non adhibentes, & remedia illis præſcripta paruipendentes, deteriores fiunt, & mortem æternam ſubire coguntur. Quod ſi aliqui ex reprobis aliquando crediderint, refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, vt ait S. Petrus 2. c. 2. *Hi rurſus implicati ſuperantur. Facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti.* Quidquid ſit, hîc deſcribitur manifeſta oppoſitio gratiæ Dei, quam faciunt ij, qui carnales & animales media à Deo præſcripta (vt peccata expiare poſſimus, & ab eis præſeruari) reſpuentes, cum omni libertate ad turpia quæque perpetranda laxis habenis feruntur, itaut ſanguis tantùm in eorum potentiis appareat, id eſt, meditatio aſſidua, & affectus circa varia peccatorum genera.

Et hoc modo perſpicimus bellum, ſeu certamen inter Eccleſiæ Paſtores & reprobos. Illi Sacramenta adminiſtrantes conantur vitia & peccata deſtruere: iſti, ſiue quia deſperatione, illa exiſtimant inefficacia; ſiue præſumptione, minimè neceſſaria; ſiue quia nolunt credere iis, quæ ipſis annunciantur, quia à peccatis & rerum huius mundi amore ſeparari nolunt; remedia iſta reſpuunt. Propter quod manifeſtè apparet illos nihil aliud eſſe quàm ſanguinem, id eſt, peccatorum colluuie eſſe coinquinatos, & merito in eis iram Dei effundi, iuxta illud: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Pſalm. 78. *In eo quippe quod ait,* inquit S. Auguſt. *effunde iram tuam; ſatis hoc verbo indicauit, quàm multam iram voluerit intelligi. Vnde poſtea dicit: Redde vicinis noſtris ſepties tantùm. An quid multum intereſt inter ſeruos, qui licèt neſciant voluntatem Dei ſui, tamen inuocant nomen eius; & alienos à familia tanti Patris-familias, qui ſic ignorant Deum, vt nec inuocent Deum. Inuocant enim pro eo ſimulachra vel dæmonia, vel quamlibet creaturam, non creatorem, qui benedictus in ſecula. Neque enim iſtos, de quibus hoc prophetat, ita neſcientes vt nec inuocent eum, & inimici nominis eius exiſtant. Multum ergo diſtat inter ſeruos voluntatem Domini ſui neſcientes, & tamen in familia eius, atque in domo viuentes; & inimicos non ſolùm ipſum Dominum ſcire nolentes, ſed & non eius nomen inuocantes, atque ſeruos eius oppugnantes.* Ita Auguſtinus. Et reuera ſi ira Dei magna eſt iis, qui nunquam fidei myſteria cognouerunt, itaut propter peccati fomitem ex peccato originali prodeuntem, in multa peccata corruant; quanto magis ira magna manet ſuper eos, quibus & myſteria fidei fuerunt annunciata, & remedia propoſita, quibus à peccatis poſſent ſanari; & non modo illa neglexerunt, ſed etiam eos, qui annunciauerunt, crudeliter vſque ad mortem perſecuti ſunt? De talibus hîc fieri mentionem, certiſſimum eſt ex verbis Angeli aquarum, dum ait: *Iuſtus es Domine, qui es, & qui* A *eras, ſanctus: qui hæc iudicaſti: quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt. Et ſanguinem eis dediſti bibere. Digni enim ſunt.* Ac ſi diceret: Certè illi, quibus, non fuerunt vnquam remedia peccatorum propoſita, in quibus non fuit effuſa phiala adminiſtrationis Sacramentorum, quadam commiſeratione digni ſunt, ſi in peccatis concepti, in peccatis & ſanguinibus viuant; quamuis ſi in peccatis moriantur, hoc fiat iuſto, ſed imperſcrutabili iudicio tuo. At quibus propoſita eſt myſteriorum fidei cognitio, quibus annunciatum eſt quibus mediis poſſent curari ſua vulnera; & oculis viderunt, vel auribus perceperunt plurimos doceri, baptizari, iuxta quod olim Apoſtolis tuis præcipiebas: *Euntes docete omnes* B *gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti;* Et tamen nec credere voluerunt, nec iis gaudere remediis; imo potius talia annunciantes perſecuti ſunt, hæc Sacramenta adminiſtrantes occiderunt; multò magis in eos iraſci iuſtiſſimum eſt, eoſque deſideriis & adinuentionibus ſuis derelinqui, vt bibant ſanguinem iniquitatum & peccatorum, tanquam aquam: digni enim ſunt. Certè qui hiſtoriam terrarum, (quæ in his vltimis ſeculis repertæ fuerunt) contexuerunt, multa afferunt de nationibus Barbaris, & incolis ſiue Africæ, ſiue Americæ, in quibus clarè cernitur. Quomodo qui his remediis ſalutaribus carent, variis & horrendis criminibus inquinentur, & ſanguinem bibant. Nonne bibunt C ſanguinem incolæ regionis, Nicaraguæ dictæ, qui vel captiuum, vel emptitium hominem edunt; de ſanguine empti, idoli faciem tingunt: ad Eſum captiui, potu ſibi proprio, quem vocant Mahiz, inebriantur, ſaltant, tripudiant ad laſſitudinem nimiam vſque, & ſtylis ſeipſos pungentes, & carnem ſuam incidentes, ex omnibus ſui corporis partibus, etiam ex pudendis ſanguinem eliciunt: quo ſanguine panem, quo vtuntur, intingunt, illumque manducant. Hi certè bibunt ſanguinem: quia digni ſunt. Lege autorem natione Gallum Belleforeſt. l. 4. de terris nouis, Fernandum Cortez in ſuis relationibus ad Carolum 5. Diſces ex his autoribus adhuc vrgere in nationibus Africæ & Numidiæ ea omnia vitia, D quæ S. Paulus enumerat, Roman. 1. Verè mutant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis Nigri Guinenſes, qui quod primùm mane occurrerit, pro Deo colunt, ſiue Ranã, ſiue ſtellionem, ſiue lapidem. Maſculorum ſunt concubitores incolæ Panucco, quæ Mexicana Prouincia eſt, in qua homines ſeipſos proſtituunt impudenter, muliebri veſte induuntur, nullo alio vacantes negotio. Quin & apud Ceuolios ſeptemtrionales, in confiniis Mexicæ, hoc abominabile vitium ita viguit, vt ab incunabulis ad tam turpe & in fame crimen infantes deſtinarent, quibus nec nubere, nec mulieri commiſceri vnquam permitteretur. Et apud Guineenſes etiam viguit Neronis illud connubij ge- E nus infandum, viri cum alio viro. Nonne iſti bibunt ſanguinem? Nonne tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis? Certè apud infideles Peruenſes furta virtuti deputantur: de mendaciis glorientur: ſæuitiâ delectantur: ingenij acumini ingratitudinem aſcribunt: quidquid abominandum habet luxuria, hoc apud illos honeſtum reputatur: deceptiones ac fraudes veluti quædam animi, oblectamenta amplectuntur. Nec turpe Naſamones Africæ populi, nec Indecorum exiſtimant, ſi coram omnibus plures cum eadem muliere commiſceantur; quam ducunt in vxorem, cunctis ad nuptias inuitatis proſtituunt: Ex qua turpi commixtione munera exigunt mulieres eos ad coitum prouocantes, quæ dom. reportant inſignum & teſti-

Digitized by Google

A monium ſuæ lubricitatis. Nonne iſti ſanguinem bibunt, (quia nullis repagulis coërcetur infamis ille concupiſcentiæ fomes) verè repleti iniquitate & malitiâ: longum eſſet percurrere quomodo in Arabibus, incolis præcipuè deſertorum Benegomi & Fighid in Numidia, verſus plagam Meridionalem, & viciniotibus Regni Bornei, appareat eos, qui his ſupernaturalibus donis priuati ſunt ſanguinem bibere, id eſt, bona aliorum, quibus vita ſuſtentari poteſt diripere? Vix enim cuilibet impunè per eos tranſire licet, cui non vſque ad detractionem quorumlibet indumentorum cuncta auferant, pleni auaritia & nequitia inuidia, homicidio contentione dolo, malignitate. Quibus coloribus depinguntur Numidiam incolentes; quibus ſemper bonus odor lucri, ex quacumque cauſa proueniat. B Quibus vitiis ſcatent libyci, ſtupidæ ignorantiæ hæc omnia crimina adjicientes, à feris parum diſſimiles, quibus nec religio, nec lex, nec ratio in pretio aut in vſu habetur. Omnibus pernicioſi ſunt atque noxij, ſemper belli gerantes. Tales Guzuliari verſus Regnum Sur degentes, apud quos nullæ induciæ, quæ ſpatium trium dierum exuperent, vt mercaturæ ac negotiationibus ſuis aliquam poſſint nauare operam; quibus tranſactis, ſtatim ad homicidia reciprocè patranda miſerè redeunt; nec ætati, nec ſexui parcunt. Quomodò non eſſent apud eos ſuſurrones, & detractores, apud quos grandi loquentia, multiloquium, & mendacium, cum rapinis, & homicidiis, C & odiis reperiuntur Deo certè ſunt odibiles, Dei oſores: Deum execrantur: Deū abhorrent; vel etiam à quibus abhorret & auerſatur Deus, cum quodcumque voluerint, pro Deo colant; cum Panucco incolæ pudendorum ſimilitudinem in funis ſuis colocent, cui & ſacrificia, & adorationem exhibeant; apud quos nec manſuetudo, nec pax, nec modeſtia, nec beneuolentia, nec fides, nec miſericordia. Contumelioſi, ſuperbi, elati, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſericordia, horrore homicidiorum terribiles; vt populus regni Suz, ſeditioſi; vt Panuccei, inſipientes; vt ſaltatores, ebrioſi, habitantes regionem Nicara- D guci dictam. Certè ſine affectione, vt Guineenſes, apud quos parentes filios vili pretio Luſitanis vendunt, & veluti hominum oſores: hominum conuerſationem fugientes, vt faciunt Indi, qui Vel vocantur, apud peruenſes: ſeipſos tantùm amantes, vt Iaguaſenſes inſulæ Malhado, quibus nec ſenum, nec puerorum, nec aliorum quorúmlibet, ne minima cura eſt aut amor: anthropophagi, ſortilegi, & impietate qualibet oppleti. Hic eſt ſanguis, quem bibere delectantur, qui gratia ſunt deſtituti. Hoc ſanguine potantur, qui remedia à Deo præſtituta renuentes, abjicientes, & eos qui illa offerunt perſequentes, iram Dei ſupra ſe theſaurizant, qua in peccatis concepti, in peccatis viuentes, in peccatis moriantur, vt ſanguinem damnationis æternæ inex- E plebiliter cum ingenti horrore ebibant. Ita enim vidimus ſupra, ſanguinem hic à S. Thoma ſumi pro æterna damnatione. Optimo igitur iure, qui ad Sacramentorum adminiſtrationem à Deo præficiuntur, iuſta hæc Dei iudicia laudibus extollunt, vt dictum eſt. Ad aliam phialam tranſeamus.

De quarta phialæ effuſione.

Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem. Et datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni. Et æſtuauerunt homines æſtu magno. Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas. Neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

Acoluthia huius phialæ cum præcedentibus.

CERTVM eſt quòd quàm maiora ſunt Dei beneficia, eò maior plerumque apparet hominum ingratitudo & malitia. Infundit Deus inſpirationes, vt quis media ſalutis exquirat, itaut quod Paulo Apoſtolo dictū eſt exteriori voce: *Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere*; huic ac iſti intus ſuggeratur. Ambo obediunt: Ambo ingrediuntur Eccleſiam, Audiunt concionantem. Hic credit. Ille audita negligit. Et veluti Athenienſes, qui ad audiendum Paulum conuenerant, quidam in riſum omnia vertunt, alij dictis fidem adhibent, ex his qui crediderunt, vnus remedia ad delenda peccata præſcripta continuò aſſumit, recurrit feſtinanter ad Baptiſmum; alius procraſtinat, & differt de die in diem, & tandem obdurata voluntate ad illa recurrere negligit: vel ſi baptiſmi gratiam conſequutus fuit, illam (ad peccata grauiora perpetranda redeundo) amittit. Quid fiet tunc? Ceſſabitne diuina prouidentia ab opere? Nullum ne habebit contra hanc peruerſitatem remedium? Habet certè apud ſe, & valdè efficax & optimum. *Quod ſi*, inquit S. Ioannes, *quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem*, *Semper viuentem*. ait S. Paulus, *ad interpellandum pro nobis*. In cuius rei ſignum ſeipſum exhibet offerendum quotidie in altari. Huius beneficiis ſymbolum eſt effuſio phialæ quartæ, per quam poteſtas Eccleſiæ data recurrendi ad Deum per ſacrificium, deſignatur. Ex huius ſacrificij efficacia fit vt electi à peccatis reſipiſcant, & conuertantur, impetratis gratiis præuenientibus, quibus adiuti per fidelem cooperationem, in Dei gratiam redeant. At è contra reprobi à concupiſcentia abſtractij & illecti ardentiùs in illicita feruntur, & furoribus agitati, potius erroribus conſentiunt, quibus ad blaſphemandum Deum prouocantur, quàm ex tanto dono proficiunt, Deum pro vltimo fine ſibi conſtituentes. Vnde pœnitere nolunt, vt dent illi gloriam. Et ſic infelici modo diuinæ prouidentiæ contradicunt, quæ de remedio prouiderat, quo poſſent agnoſcere quanto honore & reuerentia Deum coli, & adorari oporteret.

Et quartus Angelus effudit, &c.

Quod in quarta phialæ effuſione contemplari debemus poteſtatem Eccleſiæ datam, per ſacrificium Miſſæ impetrandi à Deo dona, ad conuerſionem peccatorum conducentia.

ANNOTAT. XVII.

HOC conjicio ex fine effuſionis huius phialæ, qui ſignatur iis verbis: *Et non egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.* His enim verbis innuitur contrarium aliquid eueniſſe effuſioni phialæ iſtius, per quam expectabatur, vt qui in ſole deſignantur non in blaſphemias prorumperent, ſed ad pœnitentiam prouocarentur, per quam Deo darent gloriam. Cùm autem in hac reuelatione ea quæ interiùs in mentibus perficiuntur eatenùs contemplari debeant, quatenùs exteriùs manifeſtantur, &

ad Dei

Digitized by Google

ad Dei cultum externum pertinent; ideo hæc gloria requirit aliquod ſignum exterius, quo exhibito homines optimo iure dici poſſint Deo dare gloriam, eumque colere quantum fieri poteſt ab humana fragilitate. Etenim diximus hanc prophetiam ad hunc ſcopum potiſſimum referri, vt ſub ſignis & ſymbolis exponat ea omnia, quæ peraguntur, ad Chriſti regnum viſibile in terris ſtabiliendum, promouendum, & manifeſtandum. Itaque; vt Deus gloriam obtineat, quam ex effuſione phialæ obtinendam ſtatuerit; oportet vt qui pœnitere volunt; dent illi gloriam, non tantùm interiori cordis ad eum conuerſione, ſed externis quibuſdam ſignis. Nulla enim vnquam fuit religio, quæ Deum verum coluerit, quæ non adhibuerit quædam ſigna viſibilia, vt profiteretur Dei maieſtatem, tãquam ſupremam, latriæ cultu eſſe adorandum. Hinc in lege naturæ quædam etiam fuerunt ſacrificia adhibita. In lege ſcripta quædam fuerunt ſpecialiùs præſcripta. In lege gratiæ nouum genus ſacrificij inductum cætera præcellens, quibus homines Deo gloriam dare conati ſunt. Quod S. Auguſtinus piè docuit, lib. 10. de ciuit. c. 20. Vnde verus ille Mediator, in quantum formam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus; cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt, tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quàm ſumere: ne vel hac occaſione quiſpiam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium, quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ipſum dicit offerre. Huius veri ſacrificij multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur: vt ſine faſtidio multùm commendaretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. Lege Leonardum Coquæum, in hunc Auguſt. locum.

Hoc tantum, & admirabile myſterium, ſi fuerit intellectui humano propoſitum, vt credatur, colatur, adoretur, velut opus, per quod diuina ſapientia elegit & ſtatuit ſibi ab hominibus cultum eſſe exhibendum, ſtatim reſilit mens humana, credere refugit, colere timet, adorare renuit: ſtupet ad tantæ rei propoſitionem, veluti omnem ſenſum & intellectum exuperantem. Effunditur ſic phiala in ſolem, id eſt, offertur menti tale ſacrificium corporis Chriſti eſſe Deo exhibendum, vt homines à Deo impetrare poſſint media ad ſalutem conſequendam conducibilia. Sed tota vis rationis, & totum acumen mentis hoc credere renuentis, potiùs illos æſtu magno curioſitatis affligit, quàm eos conuertat ad pœnitentiam; potiùs eos inducit, vt blaſphement Dei omnipotentiam, quomodo hic poteſt dare nobis carnem ſuam ad eam ſacrificandam, quàm vt pœnitentes Deo dent gloriam.

Itaque, ſi Deus gloriam ab hominibus exhibendam non obtineat modo perfectiori quàm per ſacrificium corporis Chriſti, quæ gloria videtur eſſe proprius effectus effuſionis quartæ phialæ, rectè in eius effuſione aſſerimus agi de illa poteſtate Eccleſiæ, offerendi corpus & ſanguinem Chriſti, per quam oblationem gloria illi datur: quam dare nolunt, qui propter tale & tantum beneficium pœnitere nolunt nec remediis vti, quæ per illud ſacrificium ab Eccleſia impetrantur pro conuerſione animarum ad Deum.

Et reuera nullum videtur eſſe myſterium, quod plures æſtus vnquam excitarit in mentibus, ſicuti hoc fidei myſterium. Iam ab initio, quo propoſitum

A fuit, audiuntur Capharnaitæ dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Hac de cauſa, ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres antiqui de hoc myſterio non tractabant coram infidelibus, verbis apertis, nec etiam coram Catechumenis, donec in fide firmati redderentur tanti capaces myſterij.

Hac ratione Tertullianus, lib. 2. ad vxorem cap. 5. dehortatur fidelem à matrimonio contrahendo cum infideli. *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Quod prodenda eſſent neceſſario myſteria marito infideli, quod nefas. Et Origenes, hom. 9. in Leuiticum. *Ritus quidem, apud veteres, propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter*
B *celebraretur edocuit. Sed tu, qui ad Chriſtum veniſti Pontificem verum, qui ſanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te Patri; non hæreas in ſanguine carnis: ſed diſce potius ſanguinem verbi, & audi ipſum tibi dicentem quia, Hic ſanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Nouit qui myſteriis imbutus eſt, & carnem & ſanguinem verbi. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, & ignorantibus patere non poſſunt.* Ita Origen. Quid timendum, quæſo, fuiſſet, ſi Euchariſtia tantum eſſet fruſtum panis in memoriam Chriſti ſumendum? Quid in hac propoſitione abſurdi reperiſſent infideles, quo à fide auerterentur? Eſſetne hoc incredibile? Eſſetne hoc ab humana conſuetudine alienum, vt in memoriam
C amicorum conuiuium celebraretur, in re vſui humano accommoda & familiari, qualis eſt panis, quale eſt vinum? Sed quia hoc myſterium humanum ſenſum excedit, ideo patres de eo loquuntur apud infideles cum magna cautela, ne deriſui exponant myſterium omni reuerentia dignum, & ne eos ad blaſphemias prouocarent, ſi tam pulchram margaritum ante porcos iſtos ab ipſis conculcandam projicerent. Hinc idem Origenes, homilia 13. in Leuiticum, verbum Dei cum Euchariſtia coniungens, vtrumque docet non eſſe omnibus peruium. *Probet, autem,* inquit, *ſe vnuſquiſque: & tunc de pane manducet, & de calice bibat. Sancta enim ſanctorum ſunt. Vides* addit poſtea Origenes, *quomodo non dixit ſancta tan-*
D *tummodo, ſed ſancta ſanctorum; vt ſi diceret: Cibus iſte ſanctus non eſt communis omnium, nec cuiuſcumque indigni, ſed ſanctorum eſt; Quanto magis hoc & de verbo Dei rectè meritoque dicemus? Hic ſermo non eſt omnium, nec cuiuſcumque, ſed ſanctorum eſt; non quilibet verbi huius poteſt audire myſterium. Nam tantummodo qui purificati ſunt mente, qui mundi ſunt corde, qui ſimplices animo, qui vita irreprehenſibiles, qui conſcientia liberi, ipſorum eſt de hoc audire ſermonem. Ipſis poſſunt explanari myſteria. Vobis datum eſt, inquit, noſſe myſterium Dei.* Ita Origenes. Et reuera Euchariſtia eſt myſterium regni Dei in terris. Eſt enim, vt vocitatur, myſterium fidei, per quam Chriſtus regnat in mundo. Et S. Chryſ. oratione de S. Philogonio to 5. fideles ad
E communicandum in die Epiphaniæ prouocans ait: *Quid enim excuſabimus, aut quam veniam obtinebimus, ſi quum ipſe noſtra cauſa deſcenderit è cœlis, nos ad illum vel ex ædibus ire grauemur? Quum alienigenæ barbarique ex Perſide accurrunt, vt illum videant in præſepe iacentem, tu verò ne breue quidem ſpatium emetiri ſuſtines, vt hoc felici ſpectaculo perfruaris? Nam ſi cum fide acceſſerimus, videbimus proculdubio illum in preſepi iacentem.*

Si quidem hæc menſa vicem explet præſepis. Nam & hic ponitur corpus dominicum, non quidem faſciis inuolutum, ſicuti tunc, ſed vndequaque Spiritu ſancto conueſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac magi nihil aliud, quàm adorarunt: tibi vero, ſi cum pura acceſſeris conſcientia, permittemus vt ſumas, & ſumpto, domum abeas. Accede igitur tu quoque, munera offerens, non qualia deferebant illi, ſed multo religioſiora.

Digitized by Google

obtulerunt illi aurum : offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus : offer tu puras preces, quæ ſunt odoramenta ſpiritualia. Obtulerunt illi myrrham : offer tu modeſtiam, & cor ſubmiſſum cum eleemoſyna, &c. Ita Chryſ. Quem vides aſſerere eorum eſſe proprium intelligere hoc myſteriũ, qui myſteriis ſunt initiati, excluſis aliis, videlicet infidelibus, & aliis myſteriorum cognitione nondum ſufficienter imbutis, & ibidem docet breuem pœnitentiam ſufficere ad præparationem, ſi feruida fuerit, nec protelandam eſſe communionem propter conſcientiam peccatorum multorum, ſi pœnitentia ſerio perficiatur. Quod non eſt huius loci fuſiùs edocere. Lege ipſummet Chryſ. Quin & S. Auguſtinus etiam de hoc Sacramento agens, hac formula loquendi vtitur : *ſacramentum quod norunt fideles. Hoc eſt*, inquit ille, de ciuitate Dei, libro 10. c. 6. *Sacrificium Chriſtianorum. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto : quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia : vbi eidem demonſtratur quod in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur.* Ita Auguſt. Et in Pſalmum 39. hæc verba exponens : *Sacrificium & oblationem noluiſti* ; ait. *Antiqui enim, quando adhuc ſacrificium verum, quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrant figuram futuræ rei multi ſcientes, ſed plures ignorantes, &c.* Et paulo poſt : *Sacrificia ergo illa tanquam verba promiſſiua ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt completiuum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod vtinam qui noſtis omnes, non ad iudicium noueritis, &c.* Et paulo poſt. *Quid ergo? Nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideo illa noluiſti, vt hoc perficeres. Illa voluiſti, antequam hoc perficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia. Nam ſi adhuc ſunt promittentia; non dum impletum eſt quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis. Ablata ſunt ſigna promittentia, quibus exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus. Huius corporis participes ſumus. Quod accipimus, nouimus : & qui non noſtis; & cum didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis.* Ita Aug. Quod autem & Catechumeni ipſi arcebantur non modo à ſumptione, verumetiam à conſpectu Euchariſtiæ, conſtat ex S. Dionyſ. l. de Eccleſ. Hierar. c. 3. *Catechumenos, autem & Energumenos, quique in pœnitentia ſunt, ſanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram Pſalmorum modulationem, diuinamque ſacram ſcripturarum recitationem. Ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda non eos conuocat, ſed perfectos oculos eorum qui digni ſunt. Eſt enim diuina Hierarchia ſacra iuſtitiæ plena, ac vnicuique pro dignitate ſalubriter conſentaneum tribuit rerum diuinarum communionem, ſancteque pro modo & captu in tempore concedit.* Ita Dyon. Etenim ſicut infantes in vtero exiſtentes, ſi antequam figurati eſſent, ab vtero exciderent, propter abortum intempeſtiuum, nec vitæ nec lucis vſura fruerentur; ita ſi quis nondum ritè in cognitione myſteriorum fidei formatus, ad tam arduum iubar ſeu fulgidum lumen intuendum fuerit admiſſus, caligabit oculus, veluti qui nondum tanti ſplendoris capaces exiſtunt. *Lux enim vim ſuam emittit in eas, quæ lucem naturâ recipere poſſunt,* ait Dyoniſ. Et S. Baſilius, lib. de Spiritu ſancto c. 27. agens de traditionibus Eccleſiaſticis, quibus multa nobis traduntur, tum in baptiſmo, tum in Euchariſtiæ myſterio ſeruanda, quæ ſcriptis non erant diuulganda dicit, *Eccleſiæ eſſe ex traditione arcana & priuata, ex doctrina, quam patres noſtri in ſilentio (quod curioſos & otioſos ſubmouet) ſeruarunt. Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſeruari : Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, quî conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto?* Ita Baſ. Qui in hac prudentia patres ait *imitatores eſſe Moyſis, qui non omnia, quæ erant in templo, paſſus ſit om-*
A *nibus eſſe peruia. Ad eumdem profectò modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt, Apoſtoli & patres in occulto ſilentioque myſteriis ſuam ſeruauere dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio cur quædam citra ſcripturam tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Ita Baſil. Denique Auguſtinus, tractat. 11. in Ioannem : *Si dixerimus Catechumeno : Credis in Chriſtum? Reſpondet : Credo. Et ſignat ſe cruce Chriſti. Portat in fronte : & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum : Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? Neſcit quid dicimus : quia Ieſus non ſe credidit ei.* Ita Aug. Et notatu digna videtur oratio ſacerdotis, poſt ſumptionem ſanctiſ-
B ſimæ Euchariſtiæ, in Miſſa S. Chryſoſtomi, in qua ſacerdos potitus particulâ diuini corporis dicit : *Conuiuij tui myſtici hodie, fili Dei, communionem aſſumpſi : non tamen hoſtibus tuis dixi myſterium, neque oſculum tibi dabo, quemadmodum Iudas; ſed veluti latro ille confitebor tibi : Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Ita ex Miſſ. Chryſ.

Non mirum igitur, ſi dum effunditur phiala in ſolem, id eſt, proponitur hominibus Myſterium fidei, ſeu corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum ac ſacrificium; ſol iſte, nempe homo (in quantum conſideratur lumine rationis præditus, quo paruus hic mundus colluſtretur, ſicut maior mundus ſole
C iſto viſibili & conſpicuo illuminatur) potiùs æſtuet, & mens humana radio ſuo quaſi reflexo in ſe calores excitet immoderatos, quam hoc myſterium placidè conſpiciat. Nam ſi ad cætera fidei dogmata, *omnes peruerſarum ac diuerſarum ſectarum homines,* vt docet S. Auguſt. tract. 96. in Ioannem, *vtique ferre non poſſunt quidquid in ſcripturis ſanctis, & in fide Catholica reperitur, quod contra eorum proferatur errores,* id eſt, æquo animo hæc habere & admittere non poſſunt; certè non mirum ſi ad propoſitionem huius myſterij mens refugit admittere, quod eius acumen obtundere certiſſimum eſt, cum nihil ſit adeo rationis acumen exuperans, vt eſt myſterium Euchariſtiæ. Hinc doctiſſimus Claudius de Xaintes Epiſcopus
D Ebroicenſis, quantùm æſtuarint neoterici hæretici in propoſitione huius myſterij fusè docet, dum notat quam ſibi omnes arrogauerint licentiam commentandi de inſtitutione Euchariſtiæ, & à verborum naturali ſignificatione recedendi audaciam; itaut nulla ſit inter eos de Euchariſtia fixa ſententia, nec vlla omnino conſiſtere poſſit, cum numerus opinionum in infinitum prope excreuerit, & circa verborum Chriſti ſignificationem ampliùs octoginta interpretationes afferri poſſint. Hic æſtus magnus conſequens ad effvſionem huius phialæ quartæ indicat hanc effuſionem ſignificare, quod dum fit talis effuſio in ſolem, aliquid proponitur intellectui, quod mentem hominum validè conturbet. Vnde ex
E illo æſtu recurrit etiam hæc noſtra coniectura, per effuſionem huius phialæ agi de ſacrificio hoc, quo maximè Dei gloria declaratur. Quod ſi in hoc capite diuerſa prælia inter Eccleſiæ Paſtores, & dæmonis ſectatores & aſſeclas deſcribuntur, vt ex prædictis patet, certè ſi hoc prælio in effuſione quartæ phialæ deſignato, aſſeratur ipſos dæmonis ſectatores æſtuare & blaſphemare nomen Dei, rectè conjicitur aliquid fieri, quod ſuper cæleſte ſit & planè diuinum, & quod ad Dei nomen extollendum & celebrandum plurimùm inſeruiat. Quid autem magis diuinum, quàm iſte panis de cœlo deſcendens? Quid magis idoneum ad Dei nomen celebrandum, quàm myſterium iſtud, in quo Dei omnipotentia, bonitas, & ſapientia tantopere refulgent? Igitur & his patet noſtram coniecturam probabilem ſatis

veriſſimilem exiſtere.

Quod in Epiſcopo Thyatirenſi optimè hæc poteſtas offerendi ſacrificium iſtud admirandum deſignatur.

ANNOTAT. XVIII.

PRIMVM hoc conjicio ex interpretatione nominis Thyatiræ, quod idem eſt ac illuminata. Bene enim illuminata eſt illa hominum ſocietas, quæ Deum ſupremo cultu proſequi, & ad eum peruenire conatur; cuius quidem diuini cultus ac tam pij conatus ſignum proculdubio exiſtit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ac Sacrificium. Sacrificium enim viſibile, inuiſibilis Sacrificij Sacramentum, id eſt, Sacrum ſignum eſt, vt docet Auguſt. lib. 10. de ciuit. c. 5. & ad dilectionem Dei & proximi ſignificandam refertur, quia dilectione ad Deum peruenimus. *Hoc enim bonum*, inquit S. Auguſt. lib. 10. de ciuitat. c. 4. *diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Et diliges proximum tuum tanquam teipſum. Vt enim homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia quæ ageret, vt beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit aliud eſſe vult quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo. Iam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cum mandatur de proximo diligendo ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi vt ei quantum poteſt commendet diligendum Deum? Hic eſt Dei cultus: hæc vera religio: hæc recta pietas: hæc tantùm Deo debita ſeruitus.* Hæc Auguſt.

Et certè benè illuminata, quæ Deo Sacrificare volens hoc eligit ſacrificium externum, in ſignum inuiſibilis iſtius ſacrificij, quo Deum colimus, eique adhæremus per dilectionem & charitatem. Quod enim melius ſignum ſpiritus contribulati, contriti & humiliati (quod quidem ſacrificium Deus non ſpernit) quàm illud, quo reuocatur in memoriam paſſio & mors Chriſti, in qua pro peccatoribus, & contritus, & humiliatus fuit? Quodnam expreſſius ſignum laudis & inuocationis Dei in die tribulationis, (quod ſacrificium ſibi à nobis immolari præcipit) quàm dum offerimus illum, de cuius plenitudine accepimus, qui ſemper eſt viuens ad interpellandum pro nobis? Quanam meliori ratione opera miſericordiæ (quam magis deſiderat Deus quàm ſola viſibilia honoris ſigna) poſſunt eſſe vera, & Deo acceptabilia ſacrificia, quæ ad Deum referantur, imperata à charitate & Religione, vt ſint ſacrificia Deo accepta; poſſunt ſignificari, & ad ea exercenda poſſumus prouocari, quàm ſi illius miſericordiæ recordemur, qua Chriſtus pro liberandis à miſeria peccatoribus, ſemetipſum totum in cruce miſericorditer impendit? Quo meliori motiuo quilibet duci poterit, vt ſemetipſum Dei nomini conſecret, Deo ſe deuoueat, mundo moriatur vt Deo viuat, quam dum recordatur illius, qui in cruce hoſtiam, & holocauſtum ſe obtulit Deo viuo, vt per mortem ſuam peccatis mortui ad vitam reuocaremur? Cum igitur nullus perfectè illuminatus eſſe poſſit, qui non ſciat qua meliori ratione Deum colere poſſit, & ad eum tanquam ad finem ſuum peruenire; vt Eccleſia verè ſit Thyatira, id eſt, illuminata, hunc modum colendi Deum perfectiſſimum & agnoſcere & in praxim reducere debet. Verum enim ſacrificium eſt opus omne quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad
A illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſumus.

Secundò, hoc conjicio ex eo, quod indicat velle vt iſte Epiſcopus recordetur quod ſit filius Dei, dum ait: *Hæc dicit filius Dei.* At nihil efficacius nobis in memoriam reuocare poteſt quod Chriſtus verè ſit Dei filius, quàm dum operamur illud opus, per quod ipſe voluit probare hominibus, eiſque manifeſtare ſe eſſe Dei filium. At tale opus non eſt aliud quàm illud ſacrificium corporis Chriſti, quod ipſe in ſui memoriam fieri præcepit. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Etenim cum Chriſtus Iudæos ad operandum aliquem cibum, qui permaneret in vitam æternam inuitaſſet, & docuiſſet eos huius cibi effectum non obtineri, niſi per fidem in
B ſeipſum, itaut licet panis eſſet ad ſatiandum & reficiendum idoneus, neminem tamen actu reficeret, qui non haberet fidem in eum, quem Deus miſerat, petentibus ipſis aliquod ſignum, quo illud videntes ad ei credendum prouocarentur; & innuentibus quale potiſſimùm ſigni peterent, nempe quod ſimile eſſet ſigno à Moyſe edito, dum non panes hordeaceos dedit patribus, ſed panem de cœlo dedit eis manducare; excipit illorum verba Chriſtus: conditionem acceptat, & gratam ſibi eſſe aſſerit; veluti ſi ad eos diceret: Iam in me igitur, qui miſſus fui à Patre, credite: Si enim optatis panem de cœlo, dico & aſſero Moyſen dediſſe tantum figuram panis veri de cœlo deſcendentis. Nunc au-
C tem exhibetur vobis panis verus, verè de cœlo deſcendens. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Cumque quis & qualis eſſet iſte panis de cœlo deſcendens (tam potens ad reficiendum, vt det vitam mundo) declaraſſet dicens: *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet. Et qui credit in me, non ſitiet vnquam*; ſimul dixit & ſeipſum eſſe panem, & fidem requiri vt quis ex hoc pane refici poſſet, & vitam obtinere, propter quam dandam iuxta voluntatem patris è cœlo deſcenderat: *Hæc eſt autem*, inquit, *voluntas patris mei, qui miſit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Quod addit occurrens obiectioni, quæ fieret,
D dum ij qui credituri erant in eum, mori viderentur. Ac ſi diceret: Ne putetis me falſo promittere vitam æternam iis, qui credituri ſunt in me. Nam ſi contigerit eos mori, ego reſuſcitabo eos in nouiſſimo die. Iam abſque vlla ambiguitate & ſe panem viuum & panem de cœlo deſcendentem dicit, à patre videlicet miſſum. Quem ipſe Chriſtus daturum promittit, cum carnem ſuam dabit ad manducandum. Ipſa ſiquidem caro eius panis erat, quem daturus erat pro mundi vita. *Ego*, inquit, *ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quam carnem verum eſſe cibum aſſerit; quæ dum manducatur, ipſe, qui filius Dei eſt, ma-
E net in manducante, ſicut eum manducans manet in eo. Quam manſionem admiranda quadam comparatione elucidat, dum ait: *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem* (nempe eius carnem) *viuet in æternum. Se panem hic dicit*, inquit S. Hilarius lib. 10. de Trinitate. *Ac ne verbi virtus atque natura deſeciſſe exiſtimaretur in carnem, panem carnem ſuam eſſe dixit, vt per hoc qui deſcendens de cœlis panis eſt, non ex humana conceptione, origo eſſe corporis eius exiſtimaretur, dum cæleſte eſſe corpus oſtenditur: At verò cum panis eſt, aſſumpti per verbum corporis eſt profeſſio.* Ita Hilar. Et vt antea ipſe dicebat lib. 8. de Trinit. *De veritate igitur carnis & ſanguinis Chriſti non relictus eſt ambigendi locus.*

Digitized by Google

Nunc enim ex ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum, cum ea conditione, qua viuit ille, per patrem, &c. Ita Hilar. A

Nunc igitur, ſi ſignum ab eo dandum, vt in eum credamus, fuit iſtud, nempe quod dederit carnem ſuam ad manducandum (quo admirabili ſigno prouocamur vt credamus in eum, quem miſit pater æternus, qui nullus eſt alius quàm ipſemet filius Dei) dum nos ad recordationem tantæ dignitatis prouocat dicens: *Hæc dicit filius Dei*, opus, per quod ſe eſſe filium Dei voluit demonſtrare, intuendum nobis proponere videtur: quaſi dicat: Hæc dicit, qui admirando quodam opere (quod nullus alius perficere poſſet) ſe filium eſſe Dei demonſtrauit. B
Nolo vt me tanquam filium hominis conſideretis, ſed vt filium Dei. Quod ſi de hac filiatione dubium in mente exoritur, cogitate quo ſigno me filium Dei eſſe profeſſus fuerim, qualem nunc me eſſe nunc profiteor, vt credatis in me, quem miſit pater. Nullo autem alio ſigno talem me eſſe meliùs profeſſus ſum, quàm dum aſſerui me daturum eſſe corpus & ſanguinem in cibum & potum. Omnipotentiam enim patris, quæ in me eſt tanquam in naturali filio, hoc opus exigit. Optimè igitur Alcuinus apud S. Thomam, in catena, in hunc locum: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, &c. Quando autem per manum Sacerdotis corpus Chriſti accipis;* C *non Sacerdotem, quem vides, ſed illum, quem non vides, attende. Sacerdos eſt diſpenſator huius cibi, non actor. Filius hominis ſeipſum dat nobis, vt nos in ipſo, & ipſe in nobis maneat. Iſtum filium hominis nolite ſic accipere, quaſi alios filios hominum. Sequeſtratus eſt enim quadam gratia, & exceptus à numero omnium. Iſte enim filius hominis, & Dei filius eſt. Hoc eſt quod ſubdit: Hunc enim pater ſignauit Deus. Signare eſt ſignum ponere. Quaſi dicat: Nolite me contemnere, quia filius hominis ſum: ſic enim ſum filius hominis, vt Deus Pater me ſignaret, id eſt, proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, ſed per me liberaretur genus hominum.* Ita Alcuinus. Qui poſtea etiam ait, in hæc verba Dixerunt ergo ad eum: *Quid faciemus, vt operemur opera* D *Dei? Intellexerunt*, inquit Alcuinus, eſcam iſtam, quæ permanet in vitam æternam, eſſe opus Dei: & ideo interrogant, quid facient, vt iſtum cibum, id eſt, opus Dei, operari poſſint? Et hoc eſt quod dicitur: Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, &c. Sicut igitur ex opere, ad cauſæ recordationem euehimur: iſta cauſæ recordatio & memoria in noſtram recordationem reuocare videtur, quid ſpecialius olim *perfecerit, vt ſe talem eſſe, qualem ſe eſſe profitetur, demonſtraret.*

Dices multa alia feciſſe ſigna, quibus filium Dei ſe eſſe probauit, & talem ſe eſſe manifeſtauit; v.g. cũ Lazarum à mortuis ſuſcitauit, ita patrem alloquutus eſt. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego* E *autem ſciebam quia ſemper me audis: Sed propter populum, qui circumſtat, dixi: vt credant quia tu me miſiſti.* Ioan. 11. Reſpondeo verum eſſe multa alia edidiſſe opera, quibus ſuam miſſionem à patre, & diuinitatem manifeſtauit. Sed ad hoc vnum potiùs oculos conjicio, cum audio ſeipſum dicentem eſſe filium Dei; quia illud præcipuè perfecit, vt per illud eius memoria ſemper apud nos vigeret, dum Apoſtolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Et 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam cõmemorationem*; Hoc igitur opus proprium filij Dei, vt non ſolùm ipſe tanquam naturæ ſupremus Dominus naturas rerum tranſmutare poſſit, ſed etiam vt tantam det miniſtris ſuis poteſtatem, vt eorum miniſterio etiam rerum naturæ tranſmutentur. Rectè ſiquidem Theophylactus in 6. Ioannis. *Attende autem quod panis, qui in myſteriis à nobis aſſumitur, non ſolum figuram gerit carnis Chriſti, ſed ipſe eſt vera caro Chriſti. Non enim dixit: Panis, quem ego dabo, figuram carnis meæ gerit; ſed, Caro mea eſt. Tranſmutatur autem inenarrabilibus verbis iſte panis (per myſticam benedictionem, & habitationem Spiritus ſancti) in carnem Chriſti.* Ita Theophy. in caten. S. Thomæ.

Tertiò, effuſionem quartæ phialæ huic Angelo Thyatirenſi aſſigno in quo poteſtas offerendi corpus & ſanguinem Chriſti deſignatur, ex eo quod additur: *Qui habet oculos, tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco.* Hoc enim ſchemate vult vt recordemur ipſum eſſe ſcrutatorem cordium, itaut clarè videat ſi cordis intentio talis ſit, qualis eſt externa profeſſio; vt ſciant hi, qui illum honore proſequi profitentur, dùm illi ſacrificium offerunt, hoc externum ſacrificium (quamuis ſecundum ſe gratiſſimum) non ſufficere, niſi reuera filij Dei ſimus imitatores, qui patris ſui gloriam in omnibus quæſiuit. At nunquam ſic patrem glorificare viſus eſt, quàm dum ſemetipſum obtulit in ſacrificium: eiuſque ſumus imitatores, cum facimus ea, quæ nobis eſſe facienda præcipit in ſui memoriam, offerendo illi hoc idem ſacrificium. Admonet autem ſe habere oculos tanquam flammam ignis, vt cogitemus Deum falli non poſſe, qui videbit abſque dubio, ſi dum offerimus illud ſacrificium, talis ſit intentio cordis, qualis eſt proteſtatio externi operis. Vnde Apoſtolus volebat vt qui huius ſacrificij volunt eſſe participes, probarent ſe, & ſic de pane illo ederent, & de calice biberent, ſcientes quod qui manducat de illo pane, aut de calice bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domicorpus videlicet Chriſti filij Dei viui.

Quartò, quia ad ſimilitudinem eorum, qui myſticæ Iezabel adhærebant, (quibus magna tribulatio promittitur, niſi pœnitentiam agerent ab operibus ſuis) ſic æſtu magno affliguntur, qui huius phialæ effuſioni contradicunt, non agentes pœnitentiam, vt darent Deo gloriam.

Denique dum promittitur poteſtas ſuper gentes, hæc poteſtas in corpus myſticum conſequitur ad poteſtatem, quæ Sacerdotibus datur in corpus Chriſti verum: vnde conſequens eſſe videtur, vt illa poteſtas ſuper gentes promitatur illi præcipuè, cui iam data fuerat poteſtas in corpus Chriſti verum; dum ſcilicet accepit poteſtatem conſecrandi panem & vinum, in corpus Chriſti, & offerendi illud Deo in ſacrificium & holocauſtum. Et ita exiſtimo Angelum effundentem iſtam quartam phialam eſſe Epiſcopum Thyatirenſem, ad quem ſpectet repræſentare illam poteſtatem Sacerdotibus cunctis in Eccleſia datam offerendi corpus Chriſti in Sacrificium. Honorantur enim hac poteſtate ſuper gentes, quia ſummopere Deum glorificant, dum tale illi offerunt ſacrificium: vt Deus ſtare videatur promiſſis, qui olim dixit: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum* 1. Regum 2. At illum glorificant offerentes hoc ſacrificium. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me.* Vnde meritò ſuper gentes poteſtatem accipiunt, vt honorificentur ab hominibus, qui Deo meritos reddunt honores.

Effudit phialam ſuam in ſolem.

Explicatio ſymboli phialæ quartæ, ex diuerſis interpretum expoſitionibus.

ANNOTAT. XIX.

TICONIVS: *Mare, flumina, fontes aquarum, ſol, (vt iam diximus) thronus Beſtiæ, fluuius Eu-*

phrates; ait, ſuper quæ Angeli fuderunt phialas, terra eſt & homines: quia omnibus Angelis in terram fundere mandatum eſt. Ac ſi diceret Ticonius: Siue mare dixerit, ſiue flumina, ſiue fontes, ſiue ſolem, ſiue thronum Beſtiæ, ſiue fluuium Euphratem, aut aërem, ſemper tibi in mentem venire debet has phialas effūdi in homines terram habitantes, qui ſub his ſymbolis; diuerſis rationibus deſignantur. Et poſtea de quarta phiala agens ait Ticonius: *Hoc futurum eſt adhuc in igne gehennæ. Nam diabolus in præſenti, cum in anima occidat amatores ſuos, non ſolùm non vrit in corpore, ſed quantum permittitur clarificat; quam claritatem, & lætitiam Spiritus ſanctus plagas definiuit & dolores. Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem in his plagis: nec egerunt pœnitentiam. Quia non in corpore, ſed in anima percutiuntur plagis iſtis à Deo. Ideo nec Domini recordantur, ſed in peius proficiunt, propterea blaſphemant, perſequentes ſanctos eius.* Ita Ticon.

Ex hac expoſitione Ticonij habes homines ſignificari in ſole. Non abſurdè igitur per ſolem, mentem intelligimus: quia nihil in homine reperitur, quod meliùs per ſolem repræſentetur, quàm intellectus, qui hunc microcoſmum illuminat; ſicut totus orbis à ſole iſto corporali illuminatur. Et dum ipſe plagas refert, non ad corpus, ſed ad animum, rectè æſtum illum magnum ad animorũ æſtuatioẽm & fluctuationẽ (dum menti myſteria, eius naturalẽ concipiendi capacitatẽ excedentia, proponuntur) tranſtulimus. Primaſius poteſtatem injiciendi hominibus æſtum & ignem Angelo effundenti phialam dari exiſtimat, non autem ſoli, in quem effunditur. *Non ſoli*, inquit Primaſius, *datum eſt, ſed ei Angelo, qui ſolem perfudit.* Secundo exiſtimat hunc ignem non eſſe gehennæ ignem. *Quocirca*, inquit, *ignem hîc & æſtum arbitror debere cognoſci, quod diaboli corpus de ſtabilitate ſanctorum irremediabiliter cruciabitur; & ad blaſphemandum ipſo æſtu excitati coguntur. Vnde* (addit Primaſius) *electi illuminationis percipiunt firmitatem, inde impij dicuntur ſumere incendium.* Ita Primaſ.

Ex quibus vltimis verbis Primaſij animaduerto in hoc capite deſcribi prælium Paſtorum cum amatoribus ſæculi, dum quæ agunt, vt regnum Chriſti promoueatur in electis, in reprobis contrarium obtineat effectum. Vnde enim illuminari deberent, exinde occaſionem ſumunt blaſphemias proferendi. Hinc addit Primaſius: *Neque egerunt pœnitentiam; vt darent ei claritatem. Blaſphemantium ipſa mors eſt* (exiſtimo legendum, ipſe mors eſt) *vt non ſe impietatis, ſed Deum malint iniquitatis arguere; nec poſt plagas pœnitentiam agere, ſed flagellati contumelias irrogare. Sicut enim vaſa ænea incendio grandi ſubacta, ab intimis exiliendo foris ebulliunt, & ſuæ capacitatis metas excedunt. Sic & pars beſtiæ in vaſto reſiſtens, cum Chriſti Eccleſiam infatigabili viderint conſtantiâ dimicare, intolerabilis inuidentiæ facibus inflammati, conceptum in corde incendium, oris impuris exhalant blaſphemiis. De hoc igne legimus: Zelus aprehendit populum ineruditum, & nunc ignis aduerſarios conſumet.* Ita Primaſ. Andreas Cæſarienſis ad vltima Anti-Chriſti tempora hæc omnia refert, dum ait: *Fortaſſis ſenſilis ſolis ardore homines tunc temporis incendentur, clemente Deo camo & freno maxillas eorum conſtringente, &c. quo hac ſaltem ratione excitati tandem aliquando ad pœnitentiam ſpectent, etſi illi interim, vt pote in profundum malorum delapſi, non ad conuerſionem reſpiciant, ſed impotenti animo, improbaque mente in blaſphemiam ſeſe efferant. Fieri quoque poteſt vt per ſolem diei curſum adumbret, adeoque variarum tentationum ardore hunc eos aduſturum ſubindicet, qui flagellis digni comperti fuerint; quatenus nimirum pœnarum & cruciatuum ſenſu admoniti, earum rerum parentem, nempe peccatum, odio habere incipiant. Verum inſani homines pro lapſuum & ſcelerum ſuorum agnitione & dete-*

A *ſtatione, linguam ſuam contra Deum exacuent, &c.* Ita Andreas.

Rupertus: *Per ſolem illa Dei ſedes intelligitur, de qua in Pſalmo dicitur: Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, ſcilicet Eccleſia, de qua vel in qua Chriſtus eſt, ſol iuſtitiæ.* Et paulo poſt: *Hoc datum eſt huic Angelo, vt homines videlicet carnales, inter quos, verbi gratiâ, Zelus eſt & contentio, redarguens quod homines ſunt, afficiat eos malo duplici, æſtu & igni, id eſt, præſentali pariter & futura poteſtate iudicandi, &c.* Et poſt pauca: *iudicant namque Prælati iam nunc eos, qui intus ſunt. Exempli gratiâ: Cum dicit idem Apoſtolus: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui tradere eiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domi-*

B *ni. Taliter iudicare nimirum eſt homines æſtu afficere. Æſtuant namque quodam pudoris æſtu, quando à cætu Eccleſiæ ſegregantur, itaut nec Aue dicere, nec cibum liceat cum huiuſmodi ſumere. Quod ſi tali æſtu non corriguntur, tunc demum iuſtum erit, vt in futuro afficiant eos igni, vt iudicio ipſorum quoniam rebelles & contemptores extiterunt, tradantur gehennæ igni.* Et paulo poſt addit Rupertus: *Eiuſmodi namque homines, quando pro ſuis exceſſibus corripiuntur, æſtuant æſtu magno, videlicet iraſcendo, contradicendo; contentionis, rixæ & implacabilis odij flammam contra rectores ſuos conſpirando, ſecundum formam Dathan, & Abyron, & cæterorum, qui conſurrexerunt aduerſus Moyſem & Aaron.*

Et blaſphemauerunt nomen Dei. Quidquid enim aduer-

C *ſus Prælatos, vel patres inſaniunt, totum redundat in Deum: quia, quod Prælati propter diſciplinam faciunt aut iudicant, non ſua ſed Dei poteſtate vel autoritate faciunt.*

Denique in hæc verba: *Neque egerunt pœnitentiam,* ait: *Cor namque impœnitens conuincitur blaſphemare Deum, imo Spiritum ſanctum, quia dum defendit iniquitatem, ſine dubio pugnat contra Deum, impugnat Spiritus ſancti iudicium.* Ita Rupert.

S. Thomas: *Et quartus Angelus, id eſt, quartus ordo prædicatorum; Effudit phialam ſuam, id eſt, denunciabit pœnam æternam; in ſolem, id eſt, ſuper Anti-Chriſtum, qui ſe dicet ſolem mundi & illuminatorem hominum; Dicet enim ſe eſſe Deum 2. ad Theſſalo. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus: Ille ergo ordo prædicatorum prædicabit pœ-*

D *nam Anti-Chriſto inferendam, & hypocritis, qui ſe aliquid magnum facient. Non tamen propter hoc Anti-Chriſtus deſiſcet, ſed affliget homines, & multos peruertet: Vnde oſtendens cauſam damnationis eius, ſubdit: Et datum eſt, id eſt, permittetur illi, ſcilicet Anti-Chriſto; à Deo ſine cuius permiſſu nullum malum fieri poteſt, affligi pœnis corporalibus, vt ſibi adhæreant. Aliqui libri habent, Afficere: & eſt idem, hoc eſt, cruciare homines; Æſtu, id eſt, minori tribulatione, quæ cremat ſuſtinentem, niſi patientia ipſum firmet; Et igni, id eſt, tribulatione maiori, quæ multum cruciat, vt ignis Matt. 24. Erit tunc tribulatio magna qualis, &c.* Et paulo poſt: *Nomen autem Æſtus, propter adiectiuum additum, ſignat magnum ardorem impatientiæ, ex vi tribulationis. Et blaſphemauerunt,*

E *id eſt, blaſphemabant nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas: quia præ impatientia dicent verba magnæ iniuriæ contra Deum, qui habet poteſtatem ſuper illas tribulationes corporales, quia permittit eas inferri quibus vult, & non quibus non vult. Et tamen illos non liberauit. Vel poteſt intelligi de plagis mentium, ſuper quas Deus habet poteſtatem: quia quibus vult dat patientiam; alios autem permittit comburi igne impatientiæ vel erroris Rom. 9. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Loquitur autem de illis hominibus, qui fideles fuerant, & cognomen omnipotentis Dei habent, licèt propter tormenta deficiant. Multi autem non pœnitebunt, &c.* Et denique docet quod *multi pœnitentiam agent, cum viderint Anti-Chriſtum viriliter deiectum: Multi tamen remanebunt in errore, occulto Dei iudicio, ſicut hæc littera oſtendit.* Ita S. Thom. Sed ex dictis patet hoc caput non ita intelligi de

Digitized by Google

vltimis temporibus, vt non pertineat etiam ad om-
nia decurrentia tempora; in quibus homines mili-
tant contra eos, qui Regnum Chriſti promouere
ſtudent. Itaque reperientur quidem temporibus
Anti-Chriſti qui ex propoſitione myſteriorum fidei
æſtuabunt æſtu magno, & igne iracundiæ & furoris
inardeſcent; ſed ſicut iam multi ſunt Anti-Chriſti,
ita iam mnlti ſunt, qui ex horum myſteriorum pro-
poſitione, æſtu & igne torquentur.

Alcazar interpretationem quartæ & quintæ phia-
læ ſimul coniungit, *Vt*, inquit, *ex vtriuſque inter ſe col-
latione meliùs explicarentur. Altera enim ad æſtuantem
ſolem, altera ad tenebricoſam caliginem reuocantur.* Mul-
taque dicit, quibus poteſt noſtra explicatio veriſi-
milior reddi, & probabilior. Verbi gratia.

Dicit eſſe animaduertendum quis ſit in his plagis
præcipuus virorum Apoſtolicorum ſcopus, & quis
effectus inde ſubſecutus. Conſtat enim Dei mini-
ſtros directè neutiquam contendiſſe vt aut homines
vehementi ſolis ardore æſtuarent, aut tenebræ Ro-
manum imperium occuparent. Verùm ex eo, quod
ipſi ſuum officium egregiè præſtarent, gentilium cul-
pa prouenit: vt ſolis æſtus eos torreret, & tenebræ
denſiſſimæ vndique conſtringerent, atque in rabiem
& furorem verterent.

Notat ſecundò quartam plagam aptiſſimè reuo-
cari ad eum effectum, qui conſecutus fuit ex clariſſi-
ma luce, quam Euangelij prædicatio de veri Dei co-
gnitione vbique diffundebat; Quintam vero plagam
redigi etiam congruenter ad illud, quod redunda-
nit ex ea gloria atque laude, quam viri Apoſtolici
Deo per admirabile vitæ exemplum tribuebant:
Duplex eſt enim Dei glorificatio, altera per concio-
nandi ſapientiam, altera per vitæ integerrimæ ſan-
ctitatem. Cæterum ex duplici hac Dei glorifica-
tione ij effectus ob gentilium culpam prouenerunt.
Ex prima, vt homines ſolis luce omnino æſtuarent;
ex ſecunda, vt exempli lux in maximas verteretur
tenebras: nunc enim inſtituitur ſermo de effectu il-
lo, qui accidit iis, qui in ſua obſtinatione perſiſte-
bant, nõ iis qui ſe ad Chriſti religionẽ aggregabant.
Et poſt pauca addit Alcazar: *Lux ea, quam de veri Dei
cognitione prædicatio Euangelica huc illuc ſpargebat, tanta
erat, tamque conſpicua, vt quamuis gentiles ipſos illius
valde pæniteret, vt pote cupiditatibus ipſorum omnino con-
traria, nihilominus tamen reuera ſol ille eos illuminaret,
atque adeo incenderet. At verò Dei gloria, quæ in ad-
mirabili vitæ exemplo elucebat, cum non in intellectus luce,
ſed in ſanctitatis ſplendore conſiſtat, aptè dicitur nulla ra-
tione eos illuminare, qui non ſolùm non accendebantur ad
ſplendoris eius imitationem; ſed deteriores etiam fiebant.*
Ita Alcaz. Qui poſtea docet quod in quarta hac phia-
la obſeruatur afflictio atque anguſtia, ex veri Dei
cognitione per occaſionem proueniens.

Docet autem poſtea quod *in hiſce omnibus plagis ra-
tio nouiſſimæ plagæ, ſiue iræ nouiſſimæ in primis ſita eſt, vt
non ſit propria vindicta, ſed noua quædam vlciſcendi
ratio, eo potiſſimum tendens vt peccatum conuellatur
omnino, ac de medio tollatur; ipſe verò peccator, & veniam
impetret, & maximâ Dei gratiâ fruatur. Quare licèt in
ſeptem plagarum diſtinctione exprimatur gentilium repu-
gnantia, qua diuinæ gratiæ obſiſtere nitebantur, hæc tamen
oppoſitio, vna ex parte, conducit vt immenſa Dei bonitas
atque clementia eluceſcat, dum myſticam nihilominus
vindictam de gentibus ſumendam, & gentilium ipſorum
conuerſionem prouehit; ex alia vero parte hæc eadem con-
tradictio deſeruit vt reconditum diuinæ prouidentiæ conſi-
lium ſuos demum effectus atque exitus ſortiatur.* Ita
Alcazar.

Per ſolem autem Alcazar Dei diuinitatem intel-
ligit, itaut phiala in ſolem effuſa, ſit prædicatio ver-
ſari circa Dei diuinitatem & prouidentiam, cuius
A diuinitatis prædicatio tanta claritate & perſpicuitate
oſtendebat idololatriæ falſitatem, ac nugas, nec
non veri Dei cultum eſſe eum quem Chriſtiana reli-
gio prædicabat, vt hac ingenti luce incredibilem
hauſerint dolorem illi ipſi, qui in ſua impietate at-
que flagitiis (quibus ipſe idolorum cultus indulge-
gebat) immobiles perſtare volebant. Ita Alcaz.

Ex hac Alcazaris interpretatione noſtra veriſimi-
lior redditur, qua volumus non effectus proprios
effuſionum deſcribi in hoc capite, poſt quarumli-
bet phialarum effuſionem; ſed repugnantias, &
contradictiones & opoſitiones eorum, qui in pecca-
tis obdurati, vel ſtupiditate ſua contra Dei bonita-
tem militant, vel peruerſis inclinationibus, (qui-
B bus obtemperant, ac ſi irrationabilia eſſent anima-
malia) Dei ſapientiam illudunt; vel peccatorum
(quæ effrenata quadam licentia committunt) mul-
tidine, ſe diuinæ iuſtitiæ iudicia contemnere oſten-
dunt, media ad eorum extirpationem inſtituta
paruipendentes, diuinæ omnipotentiæ operibus de-
rogare non timent, dum erroribus, & hæreſibus
conſentiunt, & ſiue cupiditate ducti, ſiue iracundia
perciti, Deo dorſum vertunt & non faciem, verita-
tis ac fidei deſertores, & omnipotentiæ diuinæ (qua
homines infirmos quidem & imbecilles ad gratiam,
& gloriam euehit) illuſores: potentiæ ſiquidem
diuinæ aſcribitur quod homines poſſint Deum ſibi
proponere pro vltimo fine, & ad beatitudinem
C æternam peruenire, iuxta illud Ezechielis. c. 20.
*Neque cogitatio mentis veſtræ fiet, dicentium: Erimus
ſicut gentes, & ſicut cognationes terræ, vt colamus ligna,
& lapides. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in
manu forti, & in brachio extento & in furore effuſo regna-
bo ſuper vos; & educam vos de populis, & congregabo
vos de terris, in quibus diſperſi eſtis. In manu valida, &
in brachio extento, & in furore effuſo regnabo ſuper vos.*
Ita Ezechiel. Quod autem ait Ezechiel de cultu diui-
no temporaneo, & collectione Iudæorum diſperſo-
rum, vt eum colerent, hoc multo magis dicendum
eſt de ſalute æterna. Si igitur ad eum cultum tempo-
raneum obtinendum Dei potentia requiritur, multo
magis ad vitam ætenam promerendam requiritur.
D Ieremiæ verba cap. 32. appoſitè ſatis poſſunt ex-
pendi, dum ait: *Heu, heu, heu, Domine Deus. Ecce
tu feciſti cælum & terram in fortitudine tua magna, & in
brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne verbum.
Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem
patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos. Fortiſſime, ma-
gne & potens, Dominus exercituum nomen tibi: magnus
conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi aper-
ti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicui-
que ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentio-
num eius.* Ita Ierem. Huius autem potentiæ effectum
poſtea futurum declarat, dum poſtea, ait. *Ecce ego
congregabo eos de vniuerſis terris, ad quas & eieci eos in
furore meo, & in ira mea, & indignatione grandi. Et ha-
bitare eos faciam confidenter. Et erunt mihi in populum, &
E ego ero eis in Deum, &c.* Quod in figura contingit
Iſraëlitis, hoc in veritate adimpletur in electis. Nam
congregantur ex vniuerſis mundi partibus in paradi-
ſum, vt ibi Deus illis ſit in Deum, ipſi autem ei ſint
in populum. At non modo omnipotentiam Dei erro-
ribus ſuis offendunt, ſed patientia eius abutuntur, dũ
cunctas leges ſubuertunt; theſaurizant ſibi iram iuſti
iudicij Dei, dum omnes comminationes diuinas pro
nihilo ducentes, Eccleſiæ iudicia ſpernunt: quo tan-
dem experiũtur ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, à cõmu-
nione Eccleſiaſtica per ſententiam excommunicatio-
cationis in eos latam ſeparati: quæ maledictio ſi ab
eis non auferatur per debitam & condignam ſatis-
factionem, ſibi æternam acquirunt & acquirunt &
accumulant maledictionem.

Digitized by Google

Effudit phialam in ſolem.

Explicatio ſymboli per partes, iuxta noſtram interpretationem.

Quid ſit effuſio phialæ in ſolem?

ANNOTAT. XX.

Verus huius ſymboli ſenſus obtineri non poteſt, niſi quid per ſolem ſignificetur intelligamus. Ex vera enim expoſitione ſolis pendet cæterorum, quæ in hoc ſymbolo continentur, expoſitio.

DICO igitur primò per ſolem non eſſe hic intelligendum ſolem iſtum viſibilem oculis conſpicuum. Nam omnibus Angelis præcipitur, vt effundant ſeptem phialas in terram. At ſi ſol accipiendus eſſet ad litteram pro ſole viſibili & conſpicuo, hic Angelus non obtemperaret mandato diuino, nec etiam ſeptimus, qui phialam ſuam effudit in aërem. Myſticè igitur ſol intelligendus eſt & aer, ne iſti Angeli dicantur aliquid aliud agere, quàm quod fuerit illis præſcriptum. Vnde Ticonius dixit: *Mare, flumina, fontes aquarum, ſol, Thronus beſtiæ, fluuius Euphrates, aer, ſuper quæ Angeli fuderunt phialas, terra eſt, & homines: quia omnibus Angelis in terram fundere mandatum eſt.* Ita Ticon.

Dico ſecundò: Iſte ſol non ſignificat hîc diuinitatem, circa quam verſetur effuſio phialæ quartæ, id eſt, prædicatio Euangelij, ſeu oblationem ſacrificij corporis Chriſti: deberet enim potius dici effuſio de ſole, quàm in ſolem; quin & effuſio liquoris in phialis incluſi recipi debet ſiue à terra, in quam effunditur, ſiue à ſole, in quem etiam effundi dicitur, vel à mari & fluminibus, & ſede beſtiæ, ſuper quæ omnia effundi etiam dicitur. At abſurdum eſt dicere diuinitatem liquorem hunc in ſe admittere. Oportet igitur vt per ſolem indicetur aliquid, quod capax ſit ſuſcipiendi in ſe liquorem phialarum. In ipſa igitur effuſione intelligenda eſt ipſa diuinitatis & prouidentiæ diuinæ & aliorum myſteriorum fidei propoſitio, quæ fiat ad aliquem, qui huius effuſionis percipiendæ ſit capax. Vnde non admittenda mihi videtur expoſitio hæc Alcazaris, dum ait: *Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem. Sol ſæpe in Apocalypſi ad Dei diuinitatem refertur. Vnde ſi phiala effuſio denotat prædicationis officium, vt ſignificetur effectus ex hac ipſa Dei diuinitatis prædicatione conſecutus, congruenter fingitur quarta phiala in ſolem effuſa, quod eſt prædicationem verſari circa Dei diuinitatem & prouidentiam.* Ita Alcazar. At ſi ſol eſt ipſa diuinitas, circa quam verſatur prædicatio, ſuper quem, vel in quem, quæſo, dirigitur iſta prædicatio? Dices effundi in terram, iuxta id quod ſeptem Angelis præſcriptum fuit. At ſi hoc ita eſt, omnes aliæ effuſiones debent eſſe prædicationes quorumdam, quæ ſignificentur per terram, per mare, per aerem, per ſedem beſtiæ: quam interpretandi rationem non eſt Alcazar in aliis phialis proſequutus. Vnde certè aptius eſſe videtur, vt terra, mare, flumina, ſol, ſignificent ſubiectum effuſionis phialarum, id eſt, in quod liquor phialarum ſit effundendus, quàm materiam ſeu ſubiectum, circa quod verſetur illa effuſio.

Dico igitur per ſolem nos intelligere hominem, in quantum mens eius ſignata eſt lumine rationis, quo capax eſt cognitionis veritatis cuiuſlibet ſibi objiciendæ; Lumen autem iſtud non per ſtellam, non per lunam, ſed per ſolem deſignari, quia non modò quamlibet rem in indiuiduo cognoſcere poteſt, non modò res omnes creatas mutationi obno-

A xias percipere valet; ſed etiam ſupremam & excellentiſſimam rerum omnium cauſam (quæ ſuprema eſt veritas) poteſt lumine naturali vt primam cauſam, lumine ſuper naturali vt gratiæ & gloriæ autorem, & vltimum ac ſupernaturalem hominum finem intueri. In ſolem iſtum phiala effunditur, dum aliquod myſterium fidei illi proponitur credendum. Credit illud mens fidei obſequio mancipata: æſtuat ad talem propoſitionem mens peruicax: quia dum ad phantaſmata, & ſenſibilia intuenda ſibi connaturalia recurrit, vt huius myſterij notionem percipiat, cum illud excedat vires ſuas, æſtuat, & ad iracundiæ ignem excitatur, potiùs quàm fidem adhibeat ſibi propoſitis. Nam ſicut æſtu affliguntur homines,
B dum radij ſolares vehementiores in terram incidunt, & in ſe reflectuntur, qua reuerberatione calor fit intentior; pari ratione, dum mens ad ſenſibilia totum acumen ſibi à natura inditum infigit, vt ſupernaturalia aprehendat, quod non poſſit pertingere vſque ad myſterij illius comprehenſionem, quaſi in ſeipſum reflexa, æſtum tantum & calorem nimium excitat, quo cruciantur homines dum vel appetitui inſeruiunt, cæleſtia contemnentes, vel ira commouentur propter ſuperbiam: quia dum curioſitati naturali ſciendi obtemperare volunt, vinci ac ſuperati ſe à magnitudine & profunditate myſteriorum perſentiunt.

Nec mirum ſi eodem ſymbolo, quo Deus optimus
C maximus etiam adumbratur, mentem humanam deſignari poſſe aſſeramus, cum mens ipſa ad Dei imaginem & ſimilitudinem ſit efformata. Si veritatis ſymbolum, quale eſt ſol apud Pierium lib. 44. c. 4. (quod vnus ſit & ſimplex, & duplicia, ſeu multiplicia ſint veritati contraria) etiam ſymbolum cenſeatur mentis humanæ, in qua veritatis cognitio ſedem ſuam collocare debet (ſiquidem verum eſt proprium intellectus humani objectum) non mirum, inquam ſi, mens, in qua Chriſtus, qui eſt ſumma veritas, formari debet, iuxta illud Apoſtoli: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*; per ſolem, quo Chriſtus ipſe ſignificatur, etiam poſſit deſignari, in quantum in ea tanquam
D in ſede ſedem figit ipſam; & veritas, de qua dicitur: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, in mente, dum ſicut olim ſolem condidit, vt eſſet lucis receptaculum, ita etiam mentem hominū creauit, vt in ea tanquam in quodam gratiſſimo domicilio habitaret, lumine naturali indito, lumine fidei infuſo, lumine gloriæ ſuper addito, vt fiat tandem quod Paulus dixit. 2. ad Corinth. 3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam a Domini ſpiritu.* Quæ interpretatio non videtur alia ab interpretatione Ruperti, quam ſupra attulimus. *Per ſolem*, inquit, *illa Dei ſedes intelligitur, de qua in pſalmo dicitur: Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, ſcilicet Eccleſia.*
E Ita Rup. Quod enim de congregatione hominum dici poteſt, hoc de ſingulis hanc componentibus aſſerere meritò poſſumus. Si igitur Eccleſia eſt ſol; quia Dei ſedes, homo quilibet etiam ſol dici debet; quia mens eius ſedes eſt Dei, qui delitias ſuas conſtituit in hoc, vt ſit cum filiis hominum. In omnia ſol effundit radios, motu cietur velociſſimo: ipſa viſcera terræ penetrat influxu. Hæc menti conueniunt, quæ quodammodo fit omnia, dum omnia intuendo cuncta repreſentat, cuius actio velociſſima, abſconſa quæque perueſtigans. Sol denique S. Ambroſio eſt mundi oculus: ex cuius contemplatione poſſumus omnium creatorem debitis extollere laudibus: intellectus eſt hominis rationalis ſpiritalis oculus, ex cuius cognitione, ad conditoris & prototypi (ad cuius imaginem eſt procreatus) laudes

Digitized by Google

celebrandas, via facilis nobis poſſet aperiri. S. Ambroſium audiamus de ſole viſibili dicentem, lib. 4. Hexaemer. c. 1. *Oculus eſt enim mundi, iucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ. Sed quando hunc vides, auctorem eius conſidera. Quando hunc miraris, lauda ipſius creatorem. Si tam gratus eſt ſol conſors & particeps creaturæ, quàm bonus eſt ſol iuſtitiæ! Si tam velox iſte, vt rapidis curſibus die ac nocte luſtret omnia, quantus ille, qui vbique ſemper eſt, & maieſtate ſua complet omnia! Si qui iubetur exire, quàm ſuper admirationem, qui dicit ſoli & non exoritur, vt legimus! Si magnus eſt, qui per horarum vices locis aut accedit aut decedit quotidie, quantus ille, qui etiam cum ſe exinaniret, vt nos eum poſſemus videre, erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si præſtantiſſimus, qui obiectu terræ patitur quotidie defectus, quanta maieſtatis qui ait: Adhuc ſemel ego mouebo terram? Illum terra abſcondit, iſtius non poteſt ſuſtinere lucẽ, niſi voluntatis eius ſubſtantia fulciatur. Si cæco damnum eſt huius ſolis gratiam non videre, quantum peccatori damnum, veri luminis munere defraudato, perpetuæ noctis tenebras ſuſtinere?* Hæc S. Ambroſ. Qui hoc modo à ſole materiam docet ſumi Deum verum ſolem laudibus celebrandi. At ſi quis mentis humanæ dotes, & inſignem capacitatem percipere poſſet, quibus quæſo laudibus tanti operis opificem meritò celebraret: cuius pulchritudo omnium rerum materialium pulchritudinem tranſcendit, qui abſque motu corporali omnia cogitatione ſiue infima ſiue ſuprema, quæ prope ſunt & quæ longe exiſtunt, ſubitò perluſtrat? Si Deus Opt. Max. admirabilem ſeſe exhibet, dum ad eius imperium ſol vel exoritur, vel non exoritur, quam admirabilis eſt ſupremus ille omnium artifex, ad cuius nutum & arbitrium mens omnis cognitionis capax naturalia vel ſupernaturalia poteſt perſpicere? Magna mentis humanæ præſtantia, quæ vel per conuerſionem ad phantaſmata à ſpirituali natura videtur recedere, vt in ſe poſtea reflexa rerum corporearum naturam ſpiritali quadam ratione perſpiciat, vel lumine infuſo perfuſa Deo appropinquat, exinanitionem Chriſti perfectè repræſentans, qui exinaniuit ſemetipſum, vt nos illuminaret, & exinanitione ſua promeruit vt nobis lumen infuſum donaretur; quin & promeruit vt nec mole corporea adeo premeremur, vt ad motionem, & inſpirationem eius impediretur mens noſtra, quominus ad hoc aut illud appetendum impellatur: & poſtquam eum pro vltimo fine ſibi propoſuerit, firma in tam felici electione & perſeuerans conſiſtat, hoc modo mentis cæcitatem & obſcuritatem corporea cæcitate formidabiliorem deuitans, dum Deo, qui verus ſol eſt iuſtitiæ, contemplatione & amore intimè copulatur.

Sit igitur ſol aptiſſimum ſymbolum illius facultatis hominis, qua quidem capax eſt diuinam in ſe ſuſcipere lucem, quam capacitatem deſcribit ſapiens Eccleſ. 5. *Creauit illis ſcientiam ſpiritus: ſenſu impleuit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Ita Sap. Cuius ſcientiæ vltimus & perfectiſſimus gradus erit cum ad claram Dei viſionem homo perductus fuerit. *Tunc* enim, vt ſaluator ait Matt. 13. *iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Nunc*, inquit Remigius, *fulgent in exemplum aliorum, ſed tunc fulgebunt ſicut ſol ad laudandum Deum.* Remig. in cat. S. Thomæ. Hoc lumen culpâ propria ſibi defuiſſe cognouerunt mali. Sap. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis; & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Eſt igitur intelligentia veluti ſol interiora hominis colluſtrans: in hunc ſolem effundi- A tur phiala quarta, dum illi proponitur quoddam fidei myſterium: At ex iſta propoſitione æſtus tantùm cauſatur, ignis vaporatur, vt loquitur Ambroſ. 1. Hexa. c. 3. *At verò ſol*, inquit, *non ſolum virtutem illuminandi habet, ſed etiam vaporandi. Igneus eſt enim. Ignis autem & illuminat & exurit.* Ita Ambroſ. Et ex æſtu & igne euomit homo blaſphemias, qui in laudes diuinas prorumpere deberet.

Operæ autem pretium fuit noſtram hanc de ſole expoſitionem corroborare, quia ex hac vera ſolis expoſitione pendet germana huius ſymboli expoſitio. Fauet nobis Nicolaus de Lyra in 5. Sapientiæ. *Diuini*, inquit, *inſtinctus ad bonum communiter fiunt omnibus, ſed aliqui eos accipiunt & ſequuntur, alij verò re-* B *pellunt, & ſic non fiunt eis ad eorum vtilitatem, ſed magis ad damnationem. Et eodem modo intelligendum eſt quod ſubditur: Et ſol intelligentiæ.* Ita Nicol. de Lyra. Sol igitur, iuxta illum, intelligentiæ eſt ſymbolum, & præcipuè cum de aptitudine eius agitur ad receptionem luminis ſupernaturalis, quo poſſit Deum cognoſcere: quo ſenſu dicitur Eccleſiaſtici c. 17. *Et omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei illorum;* inquit de Lyra, *ſcilicet Hebræorum, velut ſol in conſpectu Dei. Nam in illo populo vigebat cultus Dei, cæteris ad idololatriam declinantibus.* Ita Lyranus. Quomodo autem ex propoſitione diuinorum myſteriorum ſoli, nempe menti, æſtu & igne affligantur homines, nunc nobis eſt diſcutiendum..

C *Et datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni. Et æſtuauerunt homines æſtu magno: blaſphemauerunt nomen Dei.*

Ad propoſitionem Myſteriorum Incarnationis & Euchariſtiæ mens potiſſimùm obſtupeſcit & perturbatur.

ANNOTAT. XVI.

OMNIA reuera myſteria fidei humanum captum excedunt: ad quorumlibet propoſitionem mens attonita obſtupeſcit, quippe quæ eorum altitudinem attingere nequeat, & eorum profundi- D tate ſe abſorberi ſentiat. Quædam tamen ſunt, quæ non modò excedunt humanæ mentis vires, ſed inſuper eam diuerſis motionibus exagitant. Prioris generis ſunt myſteria, quæ de Deo magna, & tanta maieſtate condigna videntur aſſerere, vt v. g. quod ſit omnium rerum principium, omnipotens, optimus, maximus, ſapiens, beatus, incomprehenſibili pulchritudine decorus, beneficus. At ſecundi generis ſunt, quòd ſeueritate inſigni peccata punit, quod incarnari, pati, mori voluerit, quod ſe in cibum & potum ſumendum tradat in myſterio Euchariſtiæ. Priora vt pote Deo glorioſa mens faciliùs amplectitur: nihil enim in iſtis præſentit, quod tanta maieſtate indignum videri poſſit. At dum ſecun- E da proponuntur, tunc mens æſtuat, tunc igne iracundiæ & indignitate commouetur, quod iſta parũ æquè Deo tam bono, impaſſibili, immortali, inuiſibili, glorioſo tribuantur, nec non ſubtili quadam perſpicuitate mẽs animaduertat quanta arctitudine motus concupiſcentiæ ſint coërcendi, ſi verum ſit Deum hac tanta ſeueritate peccata punire, vt etiam pro inordinatis eius motibus expiandis ipſemet Dei filius pati ac mori oportuerit.

Equidem ſi iuxta Chryſoſtomum, homil. 5. *De incomprehenſibili Dei natura*, inferior ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfectè intelligere poteſt, etiam ſi parum intereſt; multo magis cum ſubſtantia noſtra infinitis ſpatiis ac modis inferior ſit ſubſtantiâ diuinâ, diuinam tam longe exuberantem & noſtram excedentem minimè comprehendere poterit. Hac

de cauſa

Digitized by Google

tes conaremur, quas vires humanæ nequeant attingere, voluit Deus etſi ſciamus animum noſtrum in noſtro eſſe corpore, ignoremus tamen modum, quo in eo exiſtit: vt ſic mentem detineat, ne ſe nimium ſupra quàm par ſit extollat, ſed deorſum ſpectans, ea quæ vires ſuas non excedunt, his contenta ſpeculetur. Ergo, inquies, Deum, quem colere debemus, ignorare neceſſe eſt. Neutiquam certe. Eum enim apprimè nouit, qui ſe neſcire quid ſubſtantiæ Deus ſit, qualis & quantus ſit, apertè profitetur; hi potiùs qui ſcire contendunt, Deum ignorant. *Dic, quæſo*, inquit Chryſoſtomus ibidem, *ſi inter duos orta altercatio eſſet de cæli magnitudine, quorum alter negaret hominis oculum rem poſſe percipere, alter contenderet fieri poſſe vt palmo ſuæ manus facilè metiendo totam molem tranſmitteret; quem cæli nouiſſe dixeris magnitudinem? Eumne, qui ſcire contendit quot palmos cæli ambitus compleat, an eum qui neſcire confitetur? Hunc prorſus. Quod ſi qui cæli amplitudini cedit, hic potius nouit eius magnitudinem, longe omnino abeſt vt is mente ſit ſanus, qui in Dei immortalis ratione ne tantillum quidem cenſeat temperandum. Requiritur certè à nobis vt eſſe Deum ſciamus, non vt quid ſit Deus indagemus.* Ita Chryſ. Hæc veriſſima ſunt. Deus certè incomprehenſibilis eſt naturæ: vnde quæcumque magnifica, quæcumque ſancta, quæcumque maieſtatem ac potentiam & ſapientiam redolentia, facilè de eo credimus; ſed ſi humilia & abiecta de eo dicantur, mens refugit dictis fidem adhibere. Hinc inter myſteria quæ menti proponuntur, quibus æſtus & ignes cauſantur, ſacrificium corporis Chriſti, quo recolimus memoriam paſſionis, dicimus ſignificari in effuſione phialæ quartæ in ſolem In eo ſiquidem myſterio cætera ſunt præſupponenda, quæ Dei exinanitionem & humiliationem prædicant; & exigunt vt concupiſcentiæ motus compeſcantur; & adeo videntur fide parùm digna, vt ad eorum propoſitionem ad iracundiam mens humana concitetur. Hinc multi hæretici, ne de Deo indigna viderentur admittere, myſterium incarnationis malè intellexerunt, & dilacerarunt. Etenim, vt docet S. Auguſt. Epiſtol. 3. ad Voluſianum, *quidam hæretici peruerſè mirando laudandoque eius virtutem, naturam humanam in eo prorſus agnoſcere noluerunt.* Tales fuerunt Ebionitæ, qui Chriſtum tantummodo hominem dicunt, apud Auguſt. de hæreſibus, Cerdoniani, qui Chriſtum ipſum neque natum ex fæmina, neque habuiſſe carnem, nec verè mortuum, vel quidquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem dicunt vt ibidem aſſerit, Aug. Sic modo dum volunt Deum ſolum mirabilia facere, auferunt quod ipſe miſericorditer fecit pro hominum ſalute. Talis etiam fuit Marcion, contra quem inuehitur Tertullianus lib. de carne Chriſti, oſtendens Deum ſtulta mundi elegiſſe, vt cònfundat ſapientes, indigna de eo eſſe admittenda, vt confuſione talis confeſſionis ſalutem conſequamur. Sed audiamus ipſum Tertullianum. *Quænam*, inquit, *hæc ſtulta ſunt? Conuerſio hominis ad cultum veri Dei: eiectio erroris: diſciplina iuſtitiæ, pudicitiæ, patientiæ, miſericordiæ, innocentiæ? Omnia hæc quidem ſtulta non ſunt. Quære ergo de quibus dixerit. Etſi te præſumpſeris inueniſſe, non erit iam ſtultum credere in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus ſit. Dicat hæc aliquis ſtulta non eſſe, & alia ſint quæ Deus in æmulationem elegerit ſapientiæ ſecularis. Et tamen apud illam faciliùs creditur Iupiter Taurus factus aut Cygnus, quam verè homo Chriſtus. Penes Marcionem ſunt planè & alia tam ſtulta, quæ pertinent ad contumelias, & paſſiones Dei: aut prudentiam dicunt Deum crucifixum. Aufer hæc quoque Marcion, imo hoc potius. Quid enim indignius Deo? Quid magis erubeſcendum naſci an mori? Carnem geſtare, an crucem? Circumcidi, aut ſuffigi?* A *Educari an ſepeliri? In præſepe deponi, an in monumentum recondi? Sapientior eris, ſi nec iſta crediderıs? Sed non eris ſapiens, niſi ſtultus ſeculo fueris, Dei ſtulta credendo.* Ita Tertull. Et quia aſſerebat Marcion Chriſtum nihil fuiſſe paſſum, poſtea addit: *Sceleſtiſſime hominum, qui interemptores excuſas Dei. Nihil enim ab eis paſſus eſt Chriſtus, ſi nihil verè eſt paſſus. Parce vnicæ ſpei totius orbis, qui deſtruis neceſſarium Decus fidei. Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit. Saluus ſum, ſi non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confuſus fuerit, confundar & ego eius. Alias non inuenio materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem, & feliciter ſtultum. Natus eſt Dei filius: potius credibile eſt, quia ineptum eſt. Et ſepultus* B *reſurrexit: certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Ita Tertull.

At non modo mens humana difficilè credit ea, quæ videntur Deo indigna, ſed etiam eà, per quæ voluntas à malis coercetur, concupiſcentia à voluptatibus retrahitur, veluti cum Deum iuſtum, ſeuerum, & malorum vindicem prædicamus. Quod animaduertit Tertullianus, lib. 1. in Marcionem. *Si aliquem de Epicuri ſchola Deum affectauit Chriſti nomine titulare, vt quòd beatum & incorruptibile ſit, neque ſibi neque alij moleſtias præſtet, (hanc enim ſententiam ruminans Marcion remouit ab illo ſeueritates & iudiciarias vires;) aut in totum immobilem, aut ſtupentem Deum concepiſſe debuerat*, &c. *Stultiſſimus quippe*, vt poſtea addit, *qui non offenditur facto quod non amat fieri; quando* C *offenſa comes ſit fruſtratæ voluntatis; aut ſi offenditur, debet iraſci; ſi iraſcitur, debet vlciſci: nam & vltio fructus eſt iræ; & ira, debitum offenſæ: & offenſa, vt dixi, comes fruſtratæ voluntatis: Sed non vlciſcitur: ergo nec offenditur. Sed non offenditur: ergo nec læditur voluntas eius, cum ſit quod fieri noluit, & fit iam delictum ſecundum voluntatem eius, quia non fit aduerſus voluntatem, quod non lædit voluntatem*, &c. Et poſt pauca: *Atqui nihil Deo tam indignum, quàm non exequi* (j. non vindicare, non punire) *quod noluit, & prohibuit admitti. Primò quod qualicumque ſententiæ ſuæ & legi debeat vindictam, in autoritatem & obſequij neceſſitatem. Secundò quia æmulum ſit neceſſe eſſe quod noluit admitti, & nolendo prohibuit. Malo autem parcere Deum indignius ſit,* D *quàm animaduertere, & quidem Deo optimò, qui non alias plenè bonus ſit, niſi mali æmulus, vt boni amorem odio mali exerceat, & boni tutelam expugnatione mali impleat. Sed iudicat planè malum nolendo, & damnat prohibendo. Dimittit autem non vindicando, & abſoluit non puniendo. O Deum veritatis præuaricatorem, ſententiæ ſuæ circumſcriptorem!* (j. abrogatorem.) *Timet damnare, quod damnat. Timet odiſſe quod non amat. Factum ſinit quod fieri non ſinit. Mauult oſtendere quod noluit, quam probare. Hoc erit bonitas imaginaria, diſciplina phantaſma, & ipſa transfunctoria præcepta, ſecura delicta. Audite peccatores, quique nondum hoc eſtis, vt eſſe poſſitis. Deus melior inuentus eſt: qui nec offenditur, nec iraſcitur, nec vlciſcitur, cui nullus ignis coquitur in ge-* E *henna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris. Bonus tantum eſt. Denique prohibet delinquere, ſed literis ſolis. In vobis eſt, ſi velitis, illi obſequium ſubſignare, vt honorem Deo habuiſſe videamini: timorem enim non vult.* Ita Tertull. aduerſ. Marcionem lib. 1. Sic irridet Tertullianus Marcionem, qui à Deo ſeueritates & iudiciarias vires remouebat: quia vltio criminum malæ voluntati & concupiſcentiæ repugnat. Cum igitur Deus proponitur menti, non modò vt bonus, ſed vt iuſtus, qui prauos animi motus voluntarios non modo coerceat nolendo & prohibendo, ſed etiam ſi fiant & eliciantur contra eius voluntatem, ſeuerè puniat; æſtus concitatur in hominibus, quo affliguntur & torquentur quia vellent peccare & cõcupitis liberè frui, & tamen his nullã pati moleſtiã.

Sed ſi alicuius myſterij propoſitio æſtus aut ignem

concitet, maximè hoc præſtat ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ myſterij propoſitio.

Iam audis ad primam huius myſterij propoſitionem Capharnaitas tumultuantes. Murmurant Iudæi, quia audiunt Chriſtum dicentem: *Ego ſum panis viuus.* Litigant ad inuicem dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.* Dum audiunt multi ex eius diſcipulis eum dicentem: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Dicunt: *Durus eſt hic ſermo: & quis poteſt eum audire?* Et ſcandalizati & non credentes, abeunt retro, & iam cum Chriſto nolunt ambulare. Murmurabant, inquam, & murmurando perturbationem ſuam oſtendunt, ſeu animi æſtum; quia expectantes menſam corporalem, panis de cælo deſcendens proponitur quærendus interioris hominis eſurie ac deſiderio. Litigabant, quia non intelligebant quomodo dare poſſet carnem ſuam ad manducandum, putantes fortè quod Dominus particulatim carnem ſuam diuideret, & eis ad manducandum daret, vt vult Beda poſt Auguſt. *Quaſi*, inquit, *hoc diſponeret Ieſus, carnem, qua indutum erat verbum; velut in fruſta conciſam diſtribuere credentibus in ſe.* Ita Beda. *Ideo*, vt antea dixit Beda, *murmurabant: Quia hunc panem non intelligebant hunc panem non eſuriebant, hunc panem non amabant) Nam ſi amarent vtique non murmurarent (ideo à pane cæleſti longè erant, nec eum eſurire nouerant: quia fauces cordis languidas habebant: auribus apertis ſurdi erant: videbant & cæci ſtabant. Panis quippe iſte, interioris hominis quærit eſuriem, &c.* Ita Beda. *Si autem*, inquit Auguſt. *diſcipuli durum habuerunt illum ſermonem, quid inimici? Et tamen ſic oportebat vt diceretur, quod non ab hominibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non aduerſos.* Sed vt ait S. Chryſ. homil. 45. in Ioann. tom. 3. *Non ſcandalizari oportebat: ſed interrogare congruum erat, quare illorum amentiæ ſcandalum fuit, non indiſſolubilitatis eorum quæ dicebantur.* Ita Chryſ. Hos Capharnaitas ac Iudæos murmurantes ſequuti ſunt plurimi poſtea hæretici, in quibus vehementes æſtus & iracundiæ ignes huius myſterij altitudo menti propoſita concitauit. *Annon*, inquit Gabriel Prateolus, lib. 11. Elenchi hæreſum, in Mahomete, *canibus ſanctam Euchariſtiam obiectam in Anglia Ioannes Foxus refert? An non pedibus conculcatam meminimus Tornaci, ann. 1556. & Pariſiis anno 1561. Adhuc Auerroës Chriſtianos dicebat impios, quod Chriſtum Deum ſuum ederent: ſed Caroloſtadius nos appellat Θεοφάγους deicidas, quod Dei filium deuorare volumus.* Nonne iſta æſtum & ignem clarè indicant propoſitionem huius myſterij in mentibus in errore obduratis concitaſſe? Et de Euangelicis, lib. 5. idem Prateolus ait: *Quos in Gallia liquet ſacra ignibus abſumpſiſſe, immo in cineres ſanctorum ſæuiſſe, ſanctam Euchariſtiam canibus obieciſſe, pedibus conculcaſſe, in cloacas proieciſſe; atque, ne quod deeſſet ludibrij genus, de arbore ſuſpenſam bombardis & ſcolpettis quaſi ſcopum petiſſe.* Ita Prateol. Longum eſſet enarrare quot hæretici in varios æſtus concitati ſunt, & iracundiæ ignes euomuerunt ad myſterij huius propoſitionem, ſiue Albigenſes, qui eam nihil eſſe aſſerebant, ſiue errorum Berengarij ſectatores, ſiue Caroloſtadij aut Caluini diſcipulos ſpectes, ſufficit hîc vt aſſerere valeamus nullum vnquam fidei myſterium tot æſtus & ignes concitaſſe, quot excitauit huius myſterij altitudo ac profunditas. Æſtus magnos paſſus eſt Caroloſtadius; quod videret ſacerdotes huius myſterij diſpenſatores cælibatui adſtrictos; & ideo iugum excuſſit, & ex ſacerdote laicus factus, primus ex Clero apud Germanos vxorem duxit. Quid dicam de Caluino, niſi ipſum fuiſſe ad tanti myſterij intuitum igne nimij furoris commotum? *Qui non modò*, inquit Prateolus lib. 3. *Sabaudiam; ſed totam adeo Galliam ſuis infecit, euertit,*

A *perdidit blaſphemijs, propter nouum ſuæ cænæ figmentum; quo Chriſtum licèt abſentem imaginatur ſua tantum vi & efficacia præſentem per metonymiam.* Ita Prateol. Quot oppida, quot templa exuſta & vaſtata ab hæreticis contra Sacram Euchariſtiam debacchantibus, vt meritò dicere poſſimus, ad effuſionem phialæ quartæ in ſolem, id eſt, ad propoſitionem myſterij Euchariſtiæ, datum eſſe Eccleſiæ affligere æſtu & igni homines carnales & animales, qui tantum myſterium nec credere, nec colere & adorare volunt: ſed quo deberent in laudes Dei prouocari, eo potiùs in varias blaſphemias miſerè prorumpunt, dum vel omnipotentiæ derogant, dicentes hoc eſſe impoſſibile, vel bonitati diuinæ, dum non exiſtimant Deum nos B tanto beneficio velle ſibi deuincire.

Quomodo æſtu & igne affliguntur, qui myſteria paſſionis Chriſti & Euchariſtiæ credere abnuunt.

ANNOTAT. XXII.

CVM paſſio Chriſti peccati punitionem præſupponat, & nos ad crucifixionem carnis & appetituum, gratitudinis quodam iure erga Chriſtum prouocet; imo non tantum titulo gratitudinis pati debeamus, ſed neceſſitate quadam adſtrictos oporteat nos cum Chriſto pati, ſi velimus glorificationis eius fieri participes; non mirum C ſi æſtus nimij in concupiſcentiæ appetitu concitentur. Neque enim fieri poteſt vt non perturbetur appetitus ex prædicatione crucis, qua ſentit ſe obligari vt carnem ſuam crucifigat cum vitiis & concupiſcentiis. Quod ſi inſtans paſſio naturalem in Chriſti elicuit doloris horrorem, vt turbaret ſemetipſum, & triſtitiâ vſque ad mortem quam maximâ premeretur, quid non perturbarentur homunciones ſeipſos amantes, dum eis indicitur ſibi eſſe compatiendum & commoriendum cum Chriſto. At ſi tales motus poſſunt in electis reperiri, multo magis reprobi commouebuntur, dum eis certa & indubitata perditio prædicitur iuxta Chriſti verba, dum ad mortem properans, datâ Simoni Cyrenenſi D cruce, vt illam portaret poſt Ieſum, ſignificauit quod qui prius crucis tropheum in ſeipſo erexerat, dum ipſe baiulauit crucem, illud traditurus erat Martyribus & fidelibus erigendum, neceſſitatem illis imponendo tollendi crucem poſt eum, dum dixit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Nam flentibus filiabus Ieruſalem, conuerſus ad illas dixit: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, &c. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. *Quaſi omnibus diceret*, inquit Beda: *Si ego qui peccatum non feci, lignum vitæ appellatus, ſine igne paſſionis à mundo non exeo, quid putas eis manere tormenti, qui ſunt fructibus vacui?* Ita Bed. Quin & iuxta illud Petri 1. c. 4. *Nemo autem veſtrum* E *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine: quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei: ſi autem primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Motus igitur varij odii, triſtitiæ, deſperationis excitantur in reprobis. Et quia non modò hæc myſteria iuſtitiæ diuinæ, ac paſſionis Chriſti, contrariantur concupiſcentiæ; ſed etiam propter altitudinem, ſciendi cupiditatem naturalem retundunt, dum tam incredibilia & ſenſibus repugnantia proponunt credenda; ideo non modo æſtus, ſed etiam ignes accendunt iræ, impatientiæ, indignationis, contemptus.

A Dei prima perfectio homini appetibilis & imitabilis eſt ſcientia : quia hominis naturalis operatio eſt ratiocinari, diſcurrere, intelligere ad veri inquiſitionem & apprehenſionem. Appetit igitur naturaliter ſcire : qui appetitus in vitium degenerans ex corruptione peccati, in curioſitatem quandam noxiam plerumque vertitur; qua fit vt ſi quid vires mentis excedat, quod non poſſit acumine proprio attingere, mox ex ſuperbia ſequatur animi indignatio, indignantis ſe arceri à rei huius comprehenſione. Et hac ratione, ex horum myſteriorum propoſitione non modo æſtus concitantur, ſed & ignes. Mens ſiquidem hominis omnis veræ cognitionis capaciſſima, ſagacitate quadam viuaciſſimâ prædita, ad rerum naturas ſubtili indagatione inueſtigandas B & penetrandas, facilitate quadam circa earum contemplationem in earumdem cognitione immoratur, & conſtanti ac firma ratiocinationis operatione ſemper conatur ad incognita eleuari, & quicquid illi proponitur, licèt altum, profundum, abſconſum & reconditum, hoc illum ſe poſſe comprehendere præſumit ac appetit. Quod ſi ſe ſenſerit ſuperatum magnitudine obiecti ſupra captum exiſtentis, in ſeipſum reflexa, & proprio pondere depreſſa, ad ſenſus & phantaſmata recurrit, & rationes conatur adinuenire, quibus falſa eſſe perſuadeat quæ comprehendere nequit. Hinc prodeunt illi, de quibus S. Petrus 1. c. 2. *In vobis erunt magiſtri* C *mendaces, qui introducent ſectas perditionis; & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, &c.* Hinc quaſi fatuis ignibus ob oculos mentis volitantibus, id eſt, vanis & erroneis ratiocinationibus ex falſis principiis procedẽtibus præcipites aguntur in præcipitia, in lacus & flumina æſtuantium cupiditatum, & irarum furentium: quos Deus reſeruat in diem iudicij cruciandos, *qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationem contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes*, vt loquitur S. Petrus. Et paulo poſt: *ſuperba enim vanitatis loquentes pelliciunt in deliſiis carnis luxuria eos, qui paulatim effugiunt, qui* D *in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Nonne vides quos æſtus, quos ignes patiuntur, qui vel cupiditate, vel curioſitate ducti, myſteria fidei agnoſcere non poſſunt, dum ſicut videmus ſolem iſtum viſibilem ex alto cælorum vertice, radios ſuos perpendiculariter vibrando in terram, per reflexionem radiorum æſtus non modicos excitare, quibus febres plerumque etiam peſtes cauſantur; ita dum mens circa corporalia phantaſmata verſatur, vt cæleſtium ac diuinorum myſteriorum cognitionem apprehendat, potiùs per talem conuerſionem ad phantaſmata in ſeipſam ſe reflectens perturbatur, commouetur, æſtuat & ira inflammatur, quàm per ſimplicem, & directam ve- E ritatis reuelatæ apprehenſionem, ac Dei ac diuinorum cognitionem euehatur. Vnde ex quo Deum laudare poſſet, ex hoc anſam & occaſionem aſſumit Deum blaſphemandi, illum quaſi impotentem, vel iniuſtum exiſtimando, dum impoſſibilitatem obijciunt in opere, parcitatem in bonitatis effuſione, ſtolidam bonitatem in delictorum & peccatorum impunitate.

Et blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas; neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

Poteſtas Dei ſuper plagas in eo conſiſtit, quòd per Euchariſtiæ ſacrificium Deus paratus eſt nobis ad eas vitandas remedia concedere : quo maximè ingratitudo hominum innoteſcit, qui pro tanto beneficio Deum non laudant, ſed potiùs blaſphemant.

ANNOTAT. XXIII.

IN his verbis denotatur maxima hominum ingratitudo, qui ad blaſphemandam Dei omnipotentiam & bonitatem inducuntur ex eo, quo poſſent ſibi comparare remedia contra plagas ſibi ex peccato originali & actuali inflictas. Nam cum ſacrificium corporis Chriſti inſtitutum ſit à Deo, vt per illud impetrare poſſimus à Deo omnia, quæ nobis neceſſaria ſunt, vt dignos fructus pœnitentiæ faciamus, itaut ſtupore mentis ſublato, motionibus Spiritus ſancti obtemperemus, & ignorantiâ expulſâ per verbi Dei prædicationem, fidem veram concipiamus, diuinæ gratiæ præuenti auxilio, conſopito ſaltem peccati fomite per Sacramentorum ſuſceptionem, peruerſas ad malum pronitates & inclinationes compeſcamus, tamen per ingratitudinem horrendam in blaſphemias prorumpimus. His plagis certè ſtupiditatis, ignorantiæ, & peruerſæ inclinationis pharmacum habemus præſentiſſimum, ſacro-ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum & ſacrificium. Sed heu! Quàm infœlices ſunt homines, qui cum eis hoc myſterium proponitur, in errores potius diſtrahuntur, quàm hoc remedio vti velint: neque pœnitentiam agunt ad dandum Deo gloriam qui contra has plagas hoc inuenerat remedium. Dum enim Iezabeli myſticæ, id eſt, hæreticæ prauitati conſentiunt, & cum ea mœchari, veritate exploſâ & derelictâ, non timent, & mendacio & erroribus implicati cum ea in lecto decumbunt, ſibi applaudentes pro inuentione errorum diuerſorum, quibus veritatem oppugnare adnituntur; cum ea in tribulatione maxima erunt, æſtu, & igni affliguntur: quia nolunt pœnitere à fornicatione ſua, id eſt, nolunt ab erroribus reſipiſcere. Conſenſus enim in hæreſim & errorem fornicatio eſt mentis, quæ veritati adhærere debet, vt legitimum ſuum cum verbo æterno & animarum puriſſimo ſponſo connubium immaculatum cuſtodiat. Quod dum polluit adhærendo erroribus & mendaciis, meritò æſtu & igne affliguntur, vt dictum eſt, & blaſphemant Dei nomẽ, cui dare deberent gloriã per condignam pœnitentiam, illiuſque bonitatem extollere laudibus, qui adeo bonus eſt, vt ſeipſum exhibeat in cibum & potum; illius ſapientiam admirari, qui in omnibus ſuis exquiſiuit tam ſuauem rationem cum hominibus commorandi; illius iuſtitiam commendare, qui dum ſibi ſatisfactum eſſe cupit, & ad rigorem iuſtitiæ pœnas exigit ſibi perſoluendas, hoc tam miſericorditer præſtitit, vt filium ſuum mori voluerit, & per Euchariſtiæ myſterium nobis fructum paſſionis elargiendum eſſe decreuit; illius omnipotentiam magnificare, qui hoc præſtantiſſimum edidit ſuæ potentiæ & æqualitatis cum Patre ſignum, nempe corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini realem & viuam ac viuificam præſentiam.

Digitized by Google

A

De effuſione phialæ quintæ.

Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ: & factum eſt regnum eius tenebroſum. Et commanducauerunt linguas ſuas præ dolore. Et blaſphemauerunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis. Et non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Connexio phialæ quintæ, eiuſque effuſionis, cum præcedentibus.

MVLTIS modis à peccatoribus Dei ac Chriſti eius Regnum impugnatur. Quatuor modos iam tetigimus, quibus peccatores ſeſe opponunt piis Paſtorum Eccleſiæ conatibus, quibus regnum Chriſti promouere ſtudent: hoc enim faciunt, dum vel fragilitate ac ſtupiditate quadam naturali, inſpirationibus diuinis obtemperare nolunt; vel propenſionibus & inclinationibus ad malum obedientes, lumen veritatis intus non admittunt, dum eis offertur per verbi diuini prædicationem; vel habitudinibus prauis ex peccatorum multimoda ac multiplici reiteratione conquiſitis, remedia ad fugandũ peccatũ à Deo parata reſpuunt; vel erroribus variis attendentes veritates reuelatas oppugnare friuolis quibuſdam ac futilibus ratiocinationibus contendunt. At verum eſt illud Prophetæ dictum: *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Nam ſi quis fragilitate peccat, commiſeratione dignus eſt. Si quis inclinationi ſuccumbit, non videtur à peccatorum venia omnino reiiciendus, ſi eam humiliter petat: habet enim domeſticum hoſtem, & amicum fallacem, à quo non mirum eſt ſi in malum protrahatur. Indignior videtur veniâ qui habitus peccandi contraxit propter multitudinem peccatorum: ſed tamen non denegatur eam petentibus à Deo, cuius miſericordiæ non eſt numerus. Ab errore ſeductus pœnam iam patitur præcedentium delictorum, ſed non videtur in iſto completam eſſe peccati malitiam fallitur ſub ſpecie recti. At completur malitia in eo, qui ſciens & volens cum plena & matura deliberatione in peccatis & erroribus ſuis perſeuerare intendit. Hac enim ratione fit ſedes beſtiæ, thronus beſtiæ, quia in eo peccatum & iniquitas regnare videntur. Vnde non mirum erit ſi deinceps leges diuinas, & Eccleſiaſticas contemnant, Eccleſiæ iudicia paruipendant, & tandem propter ſuam contumaciam à cœtu fidelium ſeparari mereantur. Quod tam in iſtius phialæ effuſione, quàm in ſequentibus videbimus. In hac phiala nunc diſcutiendum quomodo in eius effuſione ſignificetur exercitium poteſtatis datæ à Chriſto Paſtoribus Eccleſiæ condendi leges, iuxta quas populum Chriſtianum regere debeant, vt mandatorum Dei ſit fidelis & ſedulus obſeruator; Hanc deinde poteſtatem in Angelo ſeu Epiſcopo Sardenſi adumbrati; cui poteſtati ſeſe opponit mens impia, & voluntaria in malis & peccati cordis humani obſtinatio; dum poteſtate & autoritate, qua in ſeculo pollet, Dei & Eccleſiæ legibus ac inſtitutis ſeſe opponit.

Et quintus Angelus effudit phialam ſuam, &c.

Quod in quintæ phialæ effuſione agitur de poteſtate data Eccleſiæ condendi leges, quibus hominum nequitia à malis & peccatis retrahatur.

ANNOTAT. XXIV.

DVM in vniuſcuiuſque phialæ effuſione aliquod ab alia diſtinctum ſignificari aſſerimus, talis ratio exponendi harum phialarum effuſionem non mihi videtur tantum ingerere mentibus faſtidium, quantum poteſt ingeri dum ſub his effuſionibus ſolam verbi diuini prædicationem ſignificari aſſeritur. Sic enim apud Viegam, comment. 1. ſect. 3. in cap. 16. plurimi autores primum Angelum de Apoſtolis Iudæis Euangelium prædicantibus intellexere. Secundum de prædicatoribus gentibus verbum Dei annunciantibus expoſuerunt. In tertio Angelo prædicatores hæreticis veritatem inculcantibus intellexerunt, quarto Angelo neſcio qua ratione prætermiſſo; fortè quia per ſolem Prælatos intelligit, ne ſi de Prædicatoribus exponeret iſtum Angelum, in ſolem phialam effundere, occaſionem daret imprudentibus Paſtores publicè arguendi, ac ſi hoc fieret ſpeciali Spiritus ſancti impulſu, qui hoc aliquando fore in hac prophetia prædixerit. Satis mihi eſt quod quacumque ratione hoc faciat Viegas, expoſitione quarti Angeli prætermiſſa, ad quintum tranſit, & illum exponit de prædicatoribus, qui contra Anti-Chriſto fauentes omneſque alios reprobos inſurgant; & ſextum de aliis prædicatoribus, Principibus, & Regibus Anti-Chriſto fauentibus pœnas & ſupplicia minitantibus; Denique in ſeptimo, illos prædicatores, qui ipſis dæmonibus denuntiant horrenda Dei iudicia ipſis imminentia, eoquod ſuſcitarint contra Eccleſiam Anti Chriſtum, eiuſque ſectatores.

Ex hac interpretandi ratione, quæ tot autoribus placuit, conjicio nihil à nobis abſurdi in medium adduci, ſi in iſtis ſeptem Angelis intellexerimus ſeptem illos primos Angelos, ad quos directæ fuerunt ſeptem Epiſtolæ initio huius reuelationis; & in iſtis quoſcumque alios Eccleſiæ Prælatos, Paſtores & Prædicatores deſignari diximus, ſecundum diuerſa officia ac munia, quæ Eccleſiæ fuerunt collata, vt regnum Chriſti in terris viſibile promoueant: quibus etſi diuerſa dentur officia & munia, tantum phialæ dari in manibus dicuntur, ad demonſtrandam ſpiritus vnitatem, à quo omnes pariter ditantur muneribus, pariter reguntur, aguntur, impelluntur, viuificantur, & autoritatem ac poteſtatem accipiunt, qui operatur omnia in omnibus. Et licet vnus & idem ſit ſpiritus, diuerſa tamen vt diximus, debeat exercere officia: quorum differentiam & diſtinctionem conjicere poſſumus ex diuerſitate materiarum, in quas, ſuper quas effundunt phialas, & ex diuerſitate euentuum ad hanc vel illam effuſionem, ſeu ad huius aut illius poteſtatis exercitium ſubſequentium. Si igitur approbari poteſt illorum interpretatio, qui vnum tantùm munus prædicandi in iſtis effuſionibus intellexerunt, non minus grata (niſi ſit gratior) erit illa expoſitio, quæ omnia in ſe complectitur munia, quæ tribui poſſunt Eccleſiæ Paſtoribus, vt ſuo miniſterio ritè fungantur. Et non modo faſtidium tollit illa expoſitio, ſed videtur aptior: quod non vnum tantùm Eccleſiaſticum munus, ſed alia omnia complectatur, ad quæ quidquid fit in Eccleſia pro Dei cultu promouendo, facilè reducitur: & maieſtati prophetiæ huius ſatis conſonum videtur, quod illam ad plures hominum actio-

Digitized by Google

nes extendamus, nec eam ad ſola Anti-Chriſti tempora coarctemus, quo cuncta ſecula amplitudine ſpiritus Prophetici in Ioanne ſuperabundantis, vt pote qui ex proprio Chriſti pectore ſecreta cæleſtia haurire potuit, complectatur.

Ex diuerſitate igitur materiarum, in quas phialæ effunduntur, conjicio diuerſitatem muniorum & officiorum in iſtis Angelis: ſicut ex eo quod dantur tantum phialæ ſingulis, conjicio vnitatem ſpiritus & donantis & operantis.

Dices omnibus Angelis fuiſſe iniunctum vt effunderent phialas in terram.

Quomodo igitur abſque præcepti huius transgreſſione, non modò in terram, ſed in mare, in fontes, in ſolem, & cætera eas effundunt? Huic dubio poſt Haymonem & Pannonium reſpondet Viegas, in ſupradicta ſectione, hæc omnia comprehenſa fuiſſe nomine terræ, quæ hoc loco myſticè accipienda eſt, nimirum pro multitudine impiorum. Quibus addo terram myſticam poſtea fuiſſe ſub diuerſa ratione conſideratam, ad diſtinguenda diuerſa munia & officia, per quæ contra impios erat Prælatis & Paſtoribus pro Chriſti regno dimicandum; Sicque noſtra expoſitio probabilitatem ſibi conciliat, quod velimus homines per terram intelligi, ſed ſub diuerſa ratione. Quæ diuerſitas deſignatur, dum eos vel ſub terra ſimpliciter intelliguntur, vel quaſi mari obruti, fluminibus irrigati, ſole illuſtrati, tenebris inuoluti quod ſint ſedes Beſtiæ, flumine Euphrate coarctati, aëre circumfuſi repræſentantur, vt eos conſideremus tanquam fragiles, lutea vaſa portantes, tanquam in peccato originali, & iniquitatibus concepti, tanquam ad extra ſeſe profundentes, vt per potentias & facultates ſenſitiuas obiecta exteriora percipiant; tanquam cognitionis Dei, qui ſuprema eſt veritas, capaces; tanquam ſibi finem ex propria electione præſcribentes, tanquam qui teneantur ſuas voluntates regulare iuxta leges eorum, qui à Deo poteſtatem acceperunt leges condendi, & per quos ipſemet Deus vult ſuas voluntates illis notificari, vt hac ratione ipſi ſubdantur & in omnibus obediant: *Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; Denique vt eos conſideremus tanquam libertate arbitrij præditos, qui non modò liberè ſibi finem præſcribere & eligere valent, ſed etiam media conuenientia ſeligere, vt illum conſequantur. Fruuntur enim dum in hac vita degunt, libertate quo ad ſpecificationem actus, ſed etiam quoad exercitium, itant poſſint agere vel non agere: quæ libertas ſignificatur per aëris flexibilitatem, qua terra iſta myſtica, nempe homines circumfunduntur.

Itaque ſi homines (qui ſunt propria materia, in quam effunduntur phialæ) ſub diuerſis rationibus conſiderantur, non mirum ſi iuxta quod vnaquæque ratio exigit, aliquod ſpeciale munus à Deo confertur, vt eorum neceſſitati, in his quæ ad ſalutem æternam conducunt, ſubueniat. Hinc optimè ſupra ſeptem munia Eccleſiaſtica adduximus, ex S. Bonauentura, quæ ad hanc ſalutem promouendam inſeruiunt. Fragilitati eorum ſuccurritur per orationem, vt ſua peccata agnoſcant, & ab iis diſcedere addiſcant. Inſtruuntur verbi prædicatione, ne fallantur ſenſuum delectatione, dum eis vtuntur. Adiuuantur per Sacramentorum ſuſceptionem, vt ſciant quomodo Deo cognito, quem ſibi pro fine vltimo præſcribere debent, honorem & cultum exhibeant; vt non ſint ſimiles iis, qui Deum olim cognouerunt, ſed non ſicuti Deum glorificauerunt. Datur illis poteſtas ſacrificium offerendi rem omnium præſtantiſſimam ac pretioſiſſimam, quæ omnium mirabilium Dei eſt ſumma quædam & memoria. Et vt ſciant qua ſemita illis eſt in via Dei ambulandum, vt ad finem præſtitutum fœliciter perueniant, leges illis dantur, quarum obſeruatione poterunt aſſequi quod deſiderant: ne libertate abutentes extra metas ferantur, prouiſum eſt Eccleſiæ de poteſtate quadam, non modo directiua, ſed etiam coactiua, qua in iudiciis ſuis vtitur, vt effrenatam peccandi licentiam inter mortales plærumque graſſantem cohibeat. Denique, ſi hæc omnia contemnant, & peccare voluerint contra leges, ac iudicia ſecundum leges lata neglexerint, poteſtas datur eos ab aliis ſegregandi, vt territi comminationibus ſuppliciorum æternorum, libertate (qua dum viuunt præditi ſunt) vtentes, à peccatis ſuis reſipiſcant.

Attentè autem ſingula ponderanti patebit hæc omnia munia plurimùm quadrare cum his omnibus rationibus, ſub quibus homines conſiderantur; & remedia eſſe, & auxilia efficaciſſima, vt eorum neceſſitatibus in iis, quæ ad ſalutem pertinent, ſubueniatur.

At dum homines conſideramus vt fragiles, vt ad malum pronos, vt facultatibus intellectualibus & ſenſitiuis præditos, quibus poſſint iuxta finem ſibi à natura præſcriptum, in actum prorumpere; vt cognitionis Dei etiam ſupernaturalis capaces, licèt humi gradiantur, ac terrenis affectibus adhæreſcant; vt actionum ſuarum dominos, qua dominatione, & finem, & media ad finem ſibi eligunt; vt Deo nihilominus tanquam ſupremo omnium Domino ſubditos; tandem vt ſalutis æternæ vel damnationis æternæ capaces, & diuino examini ſubiectos, ac ſupremi iudicis throno aliquando ſiſtendos, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit in corpore; eis auxilia opportuna dari aſſeruimus, viam nobis aperuimus ad dignoſcenda vitia, quibus hæc auxilia repelluntur.

Fragilitas nempe humana, quæ oratione iuuatur, ſtupiditate quadam hoc rejicit auxilium. Status peccati, qui per prædicationem verbi diſcernitur, & agnoſcitur, remanet in ſuo vigore: quia inclinationi peruerſæ, & pronitati ad malum, quæ ex peccato originali contrahitur, non reſiſtitur. Naturalis illa ad obiecta exteriora facultatum cognoſcitiuarum conuerſio (oportet enim intelligentem ſpeculari phantaſmata) vel profuſio facultatum circa ſenſibiles delectationes ad peccandum allicientes (quæ Sacramentorum perceptione reprimi poterat) fouetur effrenata & multiplici peccatorum perpetratione & reiteratione, qua hæc remedia inutilia redduntur, & inefficacia.

Appetitus ſciendi naturalis, & capacitas percipiendæ cuiuſlibet veritatis menti indita, quæ per propoſitionem altiſſimorum myſteriorum poterat ea credendo hominem eleuare vſque ad Dei cognitionem ſupernaturalem; & in fide recta vnius myſterij, nempe ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ, cæterorum altitudinem poterat contemplari; per adhæſionem ad errores & mendacia obſcuratur, dum omnia mens humana percipere vult modo connaturali, nec aliquid ſupra rationem ſuam cognoſcit, aut putat ſibi tanquam verum eſſe credendum.

Facultas illa, qua homo poteſt ſibi finem præſcribere, ad quem tendat; quæ Dei legibus ac mandatis poterat dirigi, vt ad vltimum finem attingeret, volũtate liberè ad peccãdum determinata, & in peccatis obdurata, vinculis impietatis colligatur & conſtringatur; vt fiat ſedes beſtiæ, quæ Dei domicilium eſſe debuerat. Naturalis illa hominis ſubiectio & dependentia à Deo, tanquam ſupremo omnium Domino, moderatore ac creatore (quæ perfici poterat obediendo iis qui à Deo ordinati ſunt, vt locum ſuum teneant; ad demonſtrandum quòd ipſe poſſit nos ſub quolibet redigere ordine, abſque vlla ſpecie ali-

cuius iniuſtitiæ) excutitur per contemptum illius autoritatis, dum leges & iura impunè & audacter conculcantur, & Eccleſiæ iudicia pro nihilo ducuntur.

Denique naturalis illa libertas hominis, quæ poteſt agere & non agere, quæ circa bonum firmari poterat timore iudiciorum Dei (qui excitatur comminationibus æterni ſupplicij, quod incurrunt ij omnes, quos Eccleſia anathemate ferit, niſi redeant ad cor) conuellitur contumacia, & propria complacentia, qua homo gaudet in ſua ineſſe poteſtate ea quæcumque velit pro libito perficere.

Quæ optima ſeries & connexio materiarum, auxiliorum, & vitiorum, quæ ſeſe opponunt gratiæ Dei, ne aliquem habeat in nobis effectum, certè nos compellit vt poſtquam produximus tanquam inſtrumenta optima, ad Regnum Chriſti promouendum, orationem, verbi prædicationem, ſacramenta, & ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, nunc agatur de poteſtate directiua, quæ data eſt Eccleſiæ, vt per leges & præcepta ſanctiſſima homines deducat ad ſalutis portum; Directiua enim poteſtas præcedere debet coactiuam, & coactiua vindicatiuam. Directiua eſt in legum promulgatione, coactiua in iudiciis contra particulares perſonas prolatis, quibus multa fideles agere coguntur contra ſuam voluntatem. Vindicatiua cernitur in poſtate feriendi anathemate rebelles & contumaces. Ex hac igitur optima ſerie conjicio hic agi de poteſtate directiua Eccleſiæ, cui competit legibus ſuis hominibus lumen præbere, ne ab erroribus in præcipitia & periculis ſalutis impellantur.

Quod autem in Eccleſia, ſcilicet apud principes Eccleſiaſticos, iſta tria (nempe poteſtatem leges ferendi, quæ in conſcientia obligent, poteſtatem iudicandi in cauſis Eccleſiaſticis more aliorum iudicum, & denique poteſtatem puniendi, v. g. rejiciendo incorrigibiles à ſuo cœtu) probat Bellarminus, l. 4. de Rom. Pontifice c. 15. & 16. Cum enim homines, vt benè viuant, debeant ſecundum rationem viuere; & tamen quia conſtant ex corpore & ſpiritu, ex ratione & ſenſu, vix poſſunt ſine affectu ſecundum ſolius rationis ductum iudicare. Ideo igitur leges inuentæ ſunt, quæ nihil continent niſi rationis iudicium, vt cum eas ſequi homines coguntur ſimul rationem ſequi: quæ ratio etiam in Eccleſia locum habet. Nam licet Chriſtiani per gratiam Chriſti liberati ſint à peccato, non tamen liberati ſunt à concupiſcentia, & paſſionibus, quæ cum ratione perpetuo pugnant. Vnde debuit Eccleſiæ dari poteſtas quaſdam leges condendi, quæ in conſcientia obligent, per quas fideles poſſit dirigere, vt ſecurè in via Dei ambulent. Habet etiam poteſtatem iudiciariam, qua ad legum ſuarum obſeruationem fideles cogat, dum de eorum actibus iudicat ſecundum allegata & probata, & præcipit vt hæc aut iſta faciant. De qua poteſtate intelligitur illud 1. ad Corinth. 4. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Et de qua etiam 1. ad Timoth. 5. loquitur, dum ait: *Aduerſus Preſbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus aut tribus teſtibus. Quoniam*, inquit S. Ambroſius, *huius ordinis ſublimis honor eſt (huiuſmodi enim Vicarij Chriſti ſunt) idcirco non facilè de hac perſona accuſatio debet admitti. Incredibile enim debet videri iſtum, qui Dei antiſtes eſt, criminosè verſatum, ſicut credibile eſt ſcenicum eſſe turpiſſimum. Delinquentes autem coram omnibus argue: vt cæteri metum habeant. Quoniam verò non facilè credi debet de Preſbytero crimen; ſi probetur tamen, aut ſit manifeſtum, quia irreuerenter verſatus eſt, publicè præcipit arguendum, vt cæteri terreantur. Quod non ſolum ordinatis proficit, ſed & plebi. Quando enim vident dignitoſum virum erroris cauſa corripi,*

A *neceſſe eſt vt ſibi caueant.* Hæc Ambroſ. At iudiciaria hic cernitur poteſtas, vbi extra forum vindicatiuam etiam poteſtatem in Paulo cernimus, 1. ad Corinth. 5. qui abſens, & ſine conſilio & ſuffragio Eccleſiæ, excommunicauit inceſtuoſum, & ſcribit Corinthiis, non eos conſulens de hac re, ſed præcipiens, vt congregatâ Eccleſiâ promulgent illum excommunicatum.

Cum igitur in his effuſionibus dixerimus omnia munia Eccleſiaſtica ſignificari, recto ordine, ſeu recta ſerie, hic de poteſtate Eccleſiæ directiua per legum lationem hîc agi aſſerimus poſt cætera media ad promotionem Regni Chriſti adhibita, antequam de poteſtate coactiua per iudicia, & vindicatiua per B excommunicationem, in ſubſequentibus agamus.

Secundò, hîc agi in effuſione phialæ quintæ de hac poteſtate condendi leges dicimus, quia effuſio debet eſſe aliquid omnino oppoſitum ſedi beſtiæ, quæ altare contra altare, thronum contra thronum Dei videtur velle ſibi erigere, dum ſedem ſibi arrogat in re quadam tyrannicè vſurpata, nempe in mente impia finem ſuum vltimum in creatura conſtituente; quam ſedes iſta beſtiæ, vt videbimus poſtea, ſignificat. Quæ etiam effuſio opponitur regno tenebroſo beſtiæ iſtius. At quid magis opponitur voluntati peruerſæ & malignæ, in qua ſedet & requieſcit ille immundus ſpiritus (de quo dicitur quod ſemel expulſus per gratiam, videlicet poſtquam alibi C quæſiuit requiem, & non inueniês reuerti meditatur in eum, à quo expulſus fuerat, & aſſumens ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, intrantes in domum habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.) Quid, inquam quæſo tali menti (in qua ſedet, & habitat & requieſcit diabolus) & eius regno tenebroſo magis opponitur, quàm lex iuſta, lex rationi rectæ conformis, *lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis?* Quàm, inquam, *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; quo tenebræ operientes terram, id eſt homines, in quorum mortali corpore regnat peccatum, fugantur & diſſipantur: Igitur cum nihil adeo directè opponatur peccato, ſicut D lex, quæ illud manifeſtat (*non enim cognoui peccatum, niſi per legem*) illud prohibet, illud condemnat & contra illud pœnas ac ſupplicia decernit: meritò in iſta effuſione intelligimus hanc poteſtatem condendi aliquas leges ſecundum Dei præcepta, ſeu diuinis præceptis conformes. *Quemadmodum enim*, inquit Bellarminus, *in Republica ciuili neceſſariæ ſunt leges ciuiles, quæ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex iure naturæ, vel determinationes iuris naturæ, ſic etiam in Eccleſia præter legem Euangelicam, neceſſariæ ſunt leges Eccleſiaſticæ, quæ ſunt velut concluſiones deductæ ex principiis Euangelij, vel determinationes. Exempli gratia: Euangelium dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Inde Eccleſia deducit concluſionem: Ergo vtile erit ſancire legem, ne ad mini-* E *ſterium ſacrum admittantur, qui noluerint eſſe continentes.* Ita Bellarm. l. 4. de Rom. Pontifice c. 16. Tales autem leges ſunt optima inſtrumenta ad euertendam beſtiæ ſedem, & ad diſſipandum eius regnum tenebroſum.

Et quintus Angelus, &c.

Quod in Epiſcopo Sardenſi optimè cæteri Eccleſiæ Paſtores deſignantur, in quantum eis data eſt poteſtas condendi leges, quibus fideles dirigant in viam ſalutis æternæ.

ANNOTAT. XXV.

MVLTA ſunt, quæ me ad hoc conjiciendum impulerunt. Primò interpretatio nominis

Digitized by Google

Sardis, quod idem eſt ac Principium pulchritudinis. Nam cum animæ pulchritudo in optimo & conuenienti ordine, circa id quod bonum ac iuſtum eſt, & rationi conſonum conſiſtat, lex ad talem ordinem mentem & voluntatem hominum deducens optimè dicitur Principium pulchritudinis. Secundò ex titulo, quem aſſumit Chriſtus in initio Epiſtolæ ad Sardenſem Epiſcopum: *Hæc dicit qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas.* Quo titulo omnes virtutes ad optimum regimen requiſitæ in moderatore ſignificantur, dum ille dicitur habere ſeptem ſpiritus Dei, per quos ſeptem diuinæ prouidentiæ virtutes deſignantur. Omnimoda etiam autoritas deſignatur, dum ille aſſeritur habere ſeptem ſtellas in manu. Nam ſi in ſtellis, vt vidimus, ſignificantur Epiſcopi eas habere in manu, idem eſt ac ſi dicere omnem illorum autoritatem & poteſtatem ab eius pendere arbitrio. In omni autem legiſlatore duo hæc requiruntur, & optimi moderatoris dotes, vt leges ferat bonas, ad bonum commune vtiles, iuſtas, nihil contra virtutem, aut in fauorem vitiorum continentes, ac ſapientiam redolentes, dum feruntur iuxta exigentiam rerum, perſonarum, ac temporum. Secundò requiritur in eo poteſtas & autoritas; poteſtas, vt quod præcipit cogat ſeruari: autoritas, vt non ferat iniuſtè & illegitimè leges in eos, qui ſibi ſubditi non eſſent.

Tertiò, quia huic Epiſcopo præcipitur vt habeat in mente qualiter acceperit & audierit, & ad ea ſeruanda inuitatur: ac ſi ei iniungeretur vt iuxta doctrinam & præcepta Apoſtolica, ac leges ab eis latas, ſe ſuæque curæ commiſſos dirigat ac gubernet; & inter alia præcepta, cum ſe per peccatum mortiferum vita priuauerit, pœnitentiæ præceptum impleat, niſi velit Dei iram experiri, cum tanquam fur venerit.

Quartò, quia ſi pœnitentiam agat, ei promittitur gratiæ recuperatio, quæ in ſuo decore remanſit apud eos, qui per fidelem mandatorum Dei ac præceptorum eius obſeruationem nullo peccato inquinauerunt veſtem illam candidiſſimam, quam in baptiſmo ſuſceperunt.

Quintò, ex præmio quod illi promittitur, ſi deinceps fuerit mandatorum fidelis obſeruator, nempe quod non modò veſtietur veſtimentis albis, per gratiæ recuperationem: ſed etiam per donum perſeuerantiæ, non delebitur nomen eius de libro vitæ, & quod filius Dei confitebitur nomen eius coram Patre ſuo, & Angelis eius. Hoc enim præmium conuenit illi, qui non erubuit ſe ſubdi Dei mandatis, & maximo honori ac ingenti gloriæ duxit ſe ſeruum Dei profiteri.

Denique quia ad vigilandum prouocatur: *Eſto vigilans. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur.* Quibus verbis videtur ad vigilantiam paſtoralem prouocari: quæ vigilantia facit vt paſtores optimis legibus ac præceptis impediant ſibi ſubditos, ne in errores aut vitia dilabantur aut diffluant. Quod dum obmittunt, grauem committunt culpam: & contra eos inuehitur Ezechiel. c. 34. *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum, non alligaſtis: & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia, &c.* Et ibidem Deus promittit illa præſtiturum, quæ à dormitantibus paſtoribus negliguntur. *Ego enim*, inquit, *paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod fractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat,*

A *conſolidabo, & quod pingue & forte, cuſtodiam; & paſcam illas in iudicio.* Ita Ezechiel. Quid eſt autem paſcere in iudicio, niſi iuſtis legibus ac mandatis pro rerum ac perſonarum diuerſitate & exigentiâ illos inſtruere quæ agere debeant? Vt ſi perierint, redeant ad ſalutem, pœnitentiæ præceptum adimplendo; ſi fuerint excommunicati, ad Eccleſiæ reconciliationem & vnionem redeant, eius iuſſis ac mandatis obtemperando: ſi confracti fuerint, ex eoquod ignorantiâ eorum, quæ facere ac præſtare debent, in peccata inciderint, vinculis præceptorum ac optimarum legum veluti quodam alligaturâ ſalutis fortiores reddantur, ne in alia iterum incidant peccata; ſi voluntas eorum ſit infirma ad bonum
B eligendum, optimis legibus fulciatur. Denique quod forte eſt & robuſtum, faciliùs ſuam cuſtodit fortitudinem, dum optimis legibus corroboratur. Quia igitur hoc neglexerat Epiſcopus Sardenſis, ideo reprehenditur, ideo mortuus erat, etſi viuere videretur; & ad vtendum per maiorem vigilantiam poteſtate ſibi tradita prouocatur, vt meliùs ſuo fungatur deinceps miniſterio.

Interpretatio ſymboli, iuxta varias autorum expoſitiones.

Ticonius: *Thronus beſtiæ Eccleſia ipſius eſt, id eſt, congregatio ſuperborum, quæ huiuſmodi plagis obcæcatur. Comedebant linguas ſuas a doloribus ſuis, id eſt, ſibi nocebant blaſphemantes. Et pœnitentiam non egerunt vtique obdurati lætitia.* Ita Ticon.

Primaſius: *Sedes beſtiæ vel regnum eius, tanquam iudiciaria poteſtas, dicitur ideo obtenebrari, quia æternæ felicitatis contenebrati lætitia, cum bona præſentia pro ſumma felicitate poſſidendo collaudant, & veritatem in iniquitate detinent, linguas ſuas comedunt. Huic ſenſui Pſalmus concinit dicens: Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Et: Iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Supercilio enim momentaneæ proſperitatis, vt fumus elati; vnde pœnitendo conuerti debuerunt, contenebrati ſunt, lætantur. Ducunt enim (vt Iob dicit) in bono dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Ita Primaſius, certè non abſque caligine mentem ſuam
D explicans, nempe ni fallor, præſentem quaſi æternam, pro bonorum temporalium poſſeſſione, ipſos habere & reputare lætitiam.

Andreas Cæſarienſis: *Phiala ſuper beſtiæ ſedem effuſa eiuſmodi iram ſuper Anti-Chriſti regnum venturam indicat, quæ illud penitus obſcuratum, palamque omnibus oſtenſura ſit ſolis iuſtitiæ luce prorſus deſtitutũ eſſe. Porro autem linguarum commanducatio eminentem doloris magnitudinem denotat. Hic autem ideo infertur, quo ab apoſtata ſeducti, plagis diuinitùs illatis admoniti confundantur; confuſique impoſtorem & ſeductorem tandem aliquando illum eſſe agnoſcant, quem Dei loco coluerant & obſeruarant; eaque ratione ab errore deſiſtant. Verùm ita comparati erunt miſeri, vt hinc ad conuitia & verba in Deum
E blaſphema potiùs ſeſe conuertant, quàm ad pœnitentiam morumque mutationem.* Ita Andreas Cæſ.

Ambroſius per ſedem beſtiæ hæreticos intelligit, per beſtiam diabolum. *Iure igitur*, inquit, *hæretici ſedes beſtiæ dicuntur, quia in eorum cordibus diabolus inhabitat. Quintus igitur Angelus phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ effudit, quia ſancti viri errores hæreticorum detegentes, quæ pœna illis inſtaret manifeſtare ſtuduerunt. Factum eſt verò regnum eius tenebroſum, quia illis, quibus doctrina hæreticorum fulgida videbatur, per doctrinam ſanctorum Patrum quod miſera & tenebroſa eſſet demonſtratum eſt. Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore: quia ſinguli ſingulorum errores reprehendebant. Qui etiam Deum præ doloribus & vulneribus ſuis blaſphemaſſe dicuntur. Dolebant quippe hæretici, eo quod à Catholicis viris ſemper conuincerentur: vulnera verò eorum erant errores ſingulorum.*

Digitized by Google

Blaſphemabant vero hæretici Deum præ doloribus ſuis, quia quanto ampliùs à catholicis viris ſuperabantur, tanto ampliores blaſphemias ad eos reuincendos inueniebant. Impellebantque eos ad Deum blaſphemandum proprij errores, quos profitebantur. Qui etiam ſine pœnitentia fuiſſe dicuntur: vix namque aliquem ex inuentoribus hæreſeon inuenias, qui pœnitentiam egerit è ſuis erroribus. Ita Amb.

Rupertus: *Quid, rogo, eſt ſedes beſtiæ, niſi illud ſuper quod beſtia innititur? Quid autem illud eſt, niſi mendacium? Denique ſicut autoritas Dei non niſi veritas eſt, ſic fulcimentum diaboli non niſi mendacium eſt, &c.* Et paulo poſt: *Nimirum ex quo diabolo mendacio per linguas hæreticorum ſe prodente, venerabilis ordo ſanctorum Patrum è contra exurrexit, & perfidiam illorum promptis ſcripturarum teſtimoniis conuictam, inſuper æterno anathemate damnauit, ex tunc Angelus iſte ſuam ſuper ſedem beſtiæ phialam effudit. Sed quid è contra hæretici?*

Nunquid quieuerunt, & victrici obtemperauerunt veritati? Non vtique. Imo magis inſanierunt, & magis ſuam impietatem dilatauerunt, & in furore ſuo laborare fecerunt orbem terrarum. Et factum eſt regnum; &c. Ipſi enim, inquit Rupertus, *regnum beſtiæ ſunt vel fuerunt, vt pote in quibus locum paratum inuenit illa ſedes beſtiæ, id eſt mendacium. Effuſâ ergo phialâ regnum beſtiæ factum eſt tenebroſum, quia datis ſententiis iudicialibus ſuper perfidiam hæreticorum, illi furore & inuidiâ fumigantes ampliùs excæcati ſunt. Quomodo autem illi commanducauerunt linguas ſuas? Nimirum contra ſemetipſos, ſentiendo contraria ſibimetipſis dicenda, aduerſus ſemetipſos ſectarum contrarietatibus dimicando. Nam contra Catholicam quidem Eccleſiam pari & quaſi concordi malignitatis ſpiritu depugnant: ſed contra ſemetipſos diſcorditer confligendo hæreſes multifidas fecerunt. Et ita ſuas quique partes defendendo, contendendo atque rixando, linguas ſuas commandu.ant.* Addit Rupertus: *Sectas inter ſe contrarias faciendo, ſemetipſos linguis ſuis infeſtauerunt. Additur adhuc: Et blaſphemauerunt Deum præ doloribus, &c. Id eſt, propter inuidias & odia priuata, quæ profecto vulnera ſunt non corporis, ſed cordis.* Affert Rupertus exemplum Arrij, qui propter odium in Alexandrum Pontificem ſuum, quoniam oderat illum & inuidebat illi, contraria de filio Dei dogmatizare cæpit. *Et non egerunt pœnitentiam. Iudicium,* inquit Rupertus, *eſt Spiritus ſancti; vt qui ſic peccauerit, nunquam condignam pœnitentiam agere inſpiret illi. Vbi autem pœnitentia non præcedit, remiſſio non poteſt ſubſequi, &c. Quia,* addit Rupertus, *blaſphemauerunt Deum, non per ignorantiam, ſed doloribus inuidiæ, vulneribus odij.* Hæc Rupert.

Sanctus Thomas in expoſitione, in Angelo quintum ordinem prædicatorum prædicantem diuinam vindictam venturam intelligit; per ſedem beſtiæ, congregationem infidelium, in quibus ſedebit & quieſcet per dominium Anti-Chriſtus, qui eſt beſtia crudeliſſima. Cenſet etiam S. Thomas quod idem eſt hic ſedes & Regnum, ſecundum gloſſam. *Factum eſt,* inquit S. Thom. *id eſt, fiet tenebroſum, id eſt, magis excæcantur dum volunt lumen verbi ſuſcipere, quod illuminat, &c. Et commanducauerunt. j. verba linguarum ſuarum. Quaſi dicat: Quilibet infidelis delectabitur detrahendo iuſtis, ſicut qui delectatur cum cibum ſapidum auidè comedit. Ille enim linguam ſuam manducat, qui in verbo detractorio linguæ delectatur & gaudet, ſicut ſi aliquem cibum ſuauem comedas.* Et paulo poſt: *Benè autem dicitur, commanducauerunt. Ex hoc enim intelligitur non tantùm vniuerſitatem detrahentium, ſed etiam coniunctio ipſorum, quia vnus manducat linguam ſuam iuxta alium, apud quem detrahit bonis; & quanto plures ſunt commanducantes, tanto plus gaudent, dum non tantùm de verbo ſuo detractorio, ſed etiam de ſermone alterius, &c.*

Et paulo poſt: *Præ doloribus, &c. id eſt, præ anguſtiis inuidiæ, qua mouebuntur contra eius* (nempe Chriſti) *cultores, & contra ipſum. Et vulneribus ſuis, quæ ipſi ſibi fecerunt commanducatione linguarum, vt dicit gloſſa. j. per peccatum detractionis, &c. Nam,* vt ait ibidem S. Thomas; *licèt illa manducatio ſit ſpiritalis, vulnera accipiens, quod per illam detractionem, quæ dicitur commanducatio linguarum, non poterunt fideles dejicere, & fidem extinguere. Hoc ipſum erit eis vulnus magnum, & afflictio dura. Sicut enim boni gaudent, cum poſſunt aliquos ad Chriſtum conuertere, ſic Anti-Chriſtiani valde dolebunt, cum non poterunt fideles quoſdam Anti-Chriſto ſubjicere per errorem: & propter hoc ipſum Deum blaſphemabunt, &c. Vel aliter, peccatum animam vulnerat, maximè peccatum nequitiæ & malitiæ. Vnde de peccato detractionis illi impij vulnerabuntur: quia eorum animæ deteriores fiunt, per naturalium bonorum dominationem, & & elongationem à Deo. Quando autem eſt magna animæ oppreſſio, generatur amaritudo & anxietas in ipſa anima, licèt quandoque cauſa ſit ignota: & ex tali amaritudine blaſphemabunt Deum cæli, &c. Ex hoc quod dicitur Deum cæli, oſtenditur grauitas peccati blaſphemiæ, &c. Non egerunt, &c. Ecce finalis impœnitentia.*

Notat autem plurima inuidiæ mala S. Thomas, nempe quod *bona perimit, ſubiectum affligit, mortem culpæ & gehennæ infligit, Deum confligit, proximum corrodit, & inuidum diabolo ſubjicit.*

Alcazar: *Sedes beſtiæ eſt Romana ciuitas, atque ipſa iudicum ſubſellia; beſtia, Romanum Imperium Ethnicum. In iſtis tribunalibus Chriſtiani de grauiſſimis delictis accuſabantur: ſed Deus ibidem eorum innocentiam demonſtrabat, quantumuis perſecutorum inuidia illis tenebras offundere laborarent. Et factum eſt regnum eius tenebroſum: vel quia lux prædicationis gentilitiæ ſuperſtitionis tenebras retexerit; vel quia fiebant deteriores, reuelato ipſis Deo totius mundi opifice, odio proſequentes quos propter doctrinæ & ſanctitatis ſplendorem diligere maximè deberent.*

Et commanducauerunt linguas ſuas propter dolorem, non ex tenebris prouenientem, ſed tenebras comitantem. Intelligit autem Alcazar in his linguarum morſibus, *vel edictorum perſecutionis repreſſionem, quòd viderent Chriſtianos ex perſecutionibus magis ac magis creſcere; vel quod quantumuis Ethnici admirabilem Chriſtianorum ſanctitatem quaſi manibus contrectarent, tamen linguas comprimebant, ne Chriſti diuinitatem in ſuis ſeruis conſpicuam faterentur, ob vehementem rabiem qua ipſi correpti erant, quæque illos mutos reddebat & elingues.* Ita Alcaz.

Explicatio ſymboli iuxta noſtram interpretationem in ſedem beſtiæ.

Quænam ſit ſedes beſtiæ.

ANNOTAT. XXVI.

CVM homines ſub diuerſis rationibus conſideratos dixerimus eſſe ſubiectum in quod phialarum iſtarum effuſiones ſuſcipi deberent, nunc ſicuti ſub ſymbolo ſolis eos perſpeximus, in quantum mente præditi capaces ſunt admittendi in ſe lumen etiam ſupernaturale, quo ad Dei cognitionem ſupernaturalem euehi poſſent, illos conſiderare poſſumus in quantum ſunt libertate præditi, & ſuarum actionum Domini, qua quidem poteſtate poſſunt ſibimetipſis præfigere & determinare aliquid pro fine vltimo, in cuius adeptione quietem ſe poſſe conſequi arbitrantur. Quæ poteſtas non adeo euidenter apparet, cum ſibi bonum pro fine conſtituunt (bonum enim omnia naturaliter appetunt) quàm dum videntes & probantes meliora, deteriora tamen ſequuntur, alium à Deo finem ſibi præfigentes. Dum igitur homines hac poteſtate abutuntur, fiunt ſedes beſtiæ, nempe malitiæ peccati, qua diabolus

Digitized by Google

diabolus in eis regnat ad ipſius voluntatem miſerè captiuis. Hanc malitiam, ac deprauatam determinationem poſſent emendare legibus; ac præceptis diuinis, optimiſque Eccleſiæ inſtitutis; ſed ecce videre licet iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Nam ſuperbia eorum, qui Deum oderunt, aſcendit ſemper, & in peiora ruunt, quo fortiùs à malis & peccatis Deus curâ ac vigilantiâ Paſtorum Eccleſiæ eos conatur auertere. Ad tantam enim dementiam illos per ſuperbiam dæmon adducit, vt ſeipſos pro fine habeant, & ad ſeipſos omnia referant: qua quidem ratione omnem à Deo dependentiam excutiunt, Deique ſimilitudinem, qui ſupremus eſt rerum omnium Dominus, peruersè æmulantur. Hanc enim ſimilitudinem dæmon primis parentibus affectandam ſibi perſuaſit, dum dixit: *Eritis ſicut dij*; non eſſentia, ſed ſimilitudine ſcientiæ; vnde primum eorum peccatum fuit ſuperbia, appetendo ſcilicet vt per ſeipſos, ac virtute naturæ ſuæ & ingenij poſſent in omnibus ſe dirigere, diſcernendo & eligendo quod bonum eſt, atque cauendo quod malum eſt, omniaque poſſe in ſuum commodum & propriam oblectationem conuertere, de Dei gloria, ac honore, ad quem omnia referri debent, vt ab eo conceſſa, nihil cogitantes. Ad hanc ſuperbiam impelli ſapienter pertimeſcebat Dauid, impensè Deum his verbis exorans: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Pſ. 37. *Non enim*, inquit S. Auguſtinus, *inerat Adæ primo homini, ſed venit illi pes ſuperbiæ, & mouit illum manus peccatoris, id eſt, manus diaboli ſuperba. Quomodo ille, qui cum ſeduxit, dixit. Ponam ſedem meam ad aquilonem: ſic illi perſuaſit: Guſtate, & eritis ſicut dij. Superbia ergo lapſi ſumus, vt ad iſtam mortalitatem perueniremus.* Ita S. Auguſt. Et meritò pertimeſcit hanc ſuperbiam, nam ſtatim atque menti inſedit, in eaque thronum ſuum erexit, peruertitur omne rationis iudicium quo noſtras actiones regulare debemus: ſicque fit regnum & imperium rationis omnino tenebroſum. *Nam*, vt ait S. Auguſt. in Pſalm. 73. *multi qui attendunt ad terram obſcurati ſunt, & repleti ſunt terrâ. Intrauit in oculos eorum puluis, & excæcauit eos, & facti ſunt puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Repleti ſunt qui obſcurati ſunt terræ domorum iniquarum: quia corda iniqua habent.* Ita Auguſt. Et paulo poſt: *obſcurati ſunt: repleti ſunt terra. Illi obſcurati, qui ſunt? Qui corda iniqua habent.* Ita Auguſt. At quorum, quæſo, corda iniqua ſunt, & iniuſta, niſi eorum qui à Deo aut in eſſe, aut in directione, aut in ſubiectione voluntatis dependere nolunt, à quo & eſſe, & moueri, & operari habent? Quorum, quæſo, corda iniqua ſunt, niſi eorum qui ad ſe omnia referri volunt, Dei gloriâ prætermiſſâ, qui omnia propter ſemetipſum feciſſe profitetur? Hinc meritò monebat Chriſtus Dominus, vt attentè, ac cum magna diligentia inquireremus, qualis eſſet oculus mentis, ſeu qualis eſſet noſtra intentio. *Lucerna*, inquit, *corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Ac ſi diceret: Sicut oculus tuus corporeus lucidus eſſe debet, vt habeant cætera corporis membra quo in actus ſuos dirigantur, ita intentio tua lucida eſſe debet, vt cæteræ tuæ actiones poſſint ad bonum finem dirigi. Nam ſi ſemel intentio deuiauerit à vero fine, cætera in te erunt tenebroſa. Intentio autem noſtra lucida eſt, cum ad verum lumen intuendum & proſequendum intenditur, & ad finem ab autore nobis præſtitutum adſpiramus, veritatis cognitionem ſemper appetentes, vt tandem in ſuprema veritate conquieſcamus. Cuius quidem appetitionis ſignum aliquod illi dabant,

A ita Chriſtum Dominum alloquentes, cum illum audierant dicentem: *Et ego, ſi exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. Reſpondit ei turba*: Ioan. 12. *Nos audiuimus ex lege quia Chriſtus manet in æternum. Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis?* Quibus dixit Ieſus: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.* Vocat hunc diſcurſum Iudæorum modicum lumen, quod ad dubium ſibi reſpondere volunt tantùm vt cognoſcant, non vt credant, & fidem illi adhibeant. Quod ſatis innotuit: nam *cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt ſermo Iſaiæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credi-* B *dit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Eſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Ioan. 12. At hoc non ſufficit, vt perfectum lumen habeamus, audire quæ vera ſunt, niſi fidem adhibeas. Nec etiam fides ſufficit, niſi reuelata tibi veritate, illius amore captus eâ frui appetas, & media ad eam conſequendam à Deo ordinata aſſumas. Vnde Chriſtus videns quoſdam ex principibus, qui in eum credebant, & tamen non confitebantur eum propter Phariſæos, vt è Synago- C ga non eiicerentur, diligentes magis gloriam hominum quàm gloriam Dei, clamauit & dixit, *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me. Et qui videt me, videt eum qui miſit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Ita Chriſtus Dominus. Quomodo ſermo, quem locutus eſt, iudicabit eum, niſi quia non cuſtodiuit illum? Neque enim ſufficit audire & credere, niſi ſtudeas & ſermonem, in quem credis, cuſtodire. Vocat igitur mo- D dicum lumen Chriſtus, quod ſui dicti explanationem deſiderabant, dum ita ratiocinantur. Tu aſſeris quod Chriſtus maneat in æternum: & te Chriſtum eſſe profiteris. Et nihilominus dicis oportere filium hominis exaltari à terra, ſeu crucifigi. Scire volumus, quis nam ſit ille filius hominis. Nec enim credibile eſt quod qui manet in æternum, in crucem ſit ſuſpendendus, & mortem ſubiturus. Sed in eis perfectum eſſe lumen negat: tum quia quidam non erant credituri in eum, quamuis multa ſigna editurus eſſet, vt in eum crederent, tum quia ſi qui credituri eſſent, ipſi Deum glorificare non auderent: eoſque potiùs aſſerit in maximo verſari periculo obtenebrationis, niſi ambulauerint dum lucem ha- E bebant. *Ambulate*, inquit, *dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant; & qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.* At quis talis eſt, niſi is qui magis diligit gloriam hominum quàm gloriam Dei, qui hac ratione actiones ſuas ad ſeipſum conuerſus omnimodè refert, nec Dei gloriam intuetur. Talem ſiquidem tenebræ comprehendunt, quem ita inuoluunt, vt nullus relinquatur amori bonorum æternorum facilis acceſſus, propter voluntariam cæcitatem; & ſic fit eius regnum tenebroſum, quia quicquid iudicat faciendum, aut fieri præcipit, hoc totum demonſtrat mentem eſſe offuſcatam tenebris ignorantiæ ac malitiæ. Et ſic talis mens fit ſedes beſtiæ, nempe dæmonis, qui per peccatum illum tyrannicè ſibi vendicat; & tanquam in throno ſedens, quicquid molitur, quidquid machinatur contra

Digitized by Google

Chriſti regnum, in ea mente ſedens decernit. A qua tyrannica ſubiectione nos ſubtrahere ſatagebat S. Paulus, Epheſ. 4. dicens: *Hoc igitur dico, & teſtiſicor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam, &c.*

Quod autem diabolus nomine beſtiæ optimè deſignetur, habes ex S. Auguſtino in Pſalm. 73. illum exponens verſiculum: *Ne tradideris beſtiis animam confitentem tibi. Quibus*, inquit, *beſtiis, niſi quarum capita contrita ſunt ſuper aquam? Quia dictus eſt beſtia, leo, & draco, ipſe diabolus. Noli*, inquit, *dare diabolo & Angelis eius animam confitentem tibi: deuoret ſerpens, ſi adhuc terrena ſapio, ſi terrena deſidero, &c.* Ita Aug.

Hæc quidem vera ſunt. Sed dum attentiùs conſidero iſtam prophetiam præcipuè agere de externo & viſibili Chriſti regno, & de iis quæ exteriùs fiunt, ſiue vt promoueatur, ſiue vt eius progreſſus impediatur, &, ſi poſſibile eſſet, funditus euerteretur; ideo in ſede mentem impiam ad ſe omnia referentem equidem intelligo, ſed quæ præter impietatem fulgeat aliqua autoritate & poteſtate terrena, qua dæmon abutatur, vt omnibus conatibus Paſtorum Eccleſiæ Chriſti regnum promouere ſatagentium ſeſe opponat. Et, ſi velis, mens impia ſit ſedes beſtiæ, ſit poteſtas & dignitas terrena; quæ eo ipſo quo in tam peruerſa mente inſidet aut reperitur, contra Chriſtum inſurgit. Omnis enim legitima autoritas & poteſtas à Deo eſt. Sed illa met, quæ ſecundum ſe ad Dei cultum ordinatur, ſtatim atque in mente impia reperitur, contra Deum erigitur & extollitur. De tali poteſtate dixit Apoſtolus 2. ad Corinth. 10. *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei &c.* Ecce poteſtas in mente impiâ tanquam in ſede & throno poſita, quæ audet ſe extollere aduerſus Deum. Hæc quidem verba Apoſtoli à S. Ambroſio intelligantur de dæmonibus, dum ait: *Arma ergo: quia expugnant vitia ſignum habentia Imperatoris ſui Chriſti, qui hoſtis eſt vitiorum. Sicut enim Imperator per milites ſuos vindicat ſuum regnum; ita & ſaluator per nos ſeruos ſuos defendit vnius Dei profeſſionem & diſciplinam, ad deſtructionem munitionum &c. Arma ſpiritalia fides eſt incorrupta prædicationis. Per hæc Deus vincit principes & poteſtates, quos conſtat, vt ſibi vſurpent imperium, extolli contra fidem Chriſti, cogitationibus ſe hominum inſerentes, vt auocent eos à Dei dominio. Quas cogitationes deſtruit veritas fidei. Munitiones ergo principes dicit, & ſpiritalia nequitiæ; qui ſe extollunt, & armant infidelium animos ad contradicendum Chriſto, contra quos pugnat Dei lex diſſipans conſilia eorum.* Hæc Ambroſ. Tamen dum Apoſtolus dicit non hanc aut iſtam altitudinem, ſed omnem, hoc etiam de principibus & poteſtatibus ſeculi intelligere poſſumus, quorum operâ diabolus vtitur, vt Chriſto contradicat, & ſeruorum ſuorum conatus futiles ac inutiles reddat. Vnde Sedulius hunc locum extendit ad falſos doctores, qui muniunt & circumdant doctrinam ſuam aſtutia, argumentiſque ad omnem ſuperbiam. *Quid enim*, inquit, *tam ſuperbum, quàm diuinis contradicere præceptis?* Ita Sedul. Qui cum Primaſio etiam hunc locum extendit ad pſeudo-Apoſtolos, & quemcumque viam Dei ſubuertere volentem diſputationibus, & ad hæreticos. Qui enim omnem dicit altitudinem, nullam excipit ex eis quæ ſe contra Deum extollunt. Hinc quia hoc faciunt plærumque principes ſeculi, de ipſis hunc lo-

A cum exponimus, de quibus Pſalm. 2. dicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerũt in vnũ aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipſorũ.* Vnde Apoſtoli hunc locũ expoſuerũt de Herode & Pilato, Act. 4. Et cum Rege Herode iuxta S. Chryſoſt. peccati quoque regem diabolum oſtenderunt, & cum principe Pilato, dæmonum poteſtates, & principatus ſignificarunt. *Quia*, inquit Chryſ. in hunc Pſ. *Deus in carne erat, qui crucifigebatur, & qui ſub viſum non cadebat: in eo quod videbatur, afficiebatur iniuria, dæmones cum hominibus, & qui carnis erant expertes cum carnalibus aduerſus eum conuenerunt.* Ita Chryſ. At quod vani &
B inutiles ſint dæmonum & principum ſeculi conatus, habitatore cælorum deridente eos, Domino eoſdem ſubſannante, eo ipſo momento temporis quo talia erant conſpirantes & contra Chriſtum inſurgentes, ſentient & videbunt nõ ſine conturbatione, & animi vehementi commotione, quod ipſemet Chriſtus aſſerit: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius*; Et quod tanquam verè filius Dei & hæres poſſidebit gentes in hæreditatem, quas reget in virga ferrea. Vnde ad ei ſeruiendum reges & iudices prouocari debent, niſi maluerint eius iram experiri, & perire de via iuſta, ſi ſemel ira eius exarſerit.

C *Qua ratione effuditur phiala quinta ſupra ſedem beſtiæ, nempe per legum iuſtarum inculcationem, & ad illarum obſeruationem inductionem.*

ANNOTAT. XXVII.

HABET Chriſtus Dominus proculdubio thronum, in quo Regni ſui habenas moderatur; nempe Eccleſiam: de quo Apoſtolus ad Heb. c. 2. *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis virga regni tui.* Hunc thronum ad modum ſolis eſſe in conſpectu Dei ipſemet Deus pater aſſerit, Pſ. 88. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Thronum Dauidis
D inquit optimè Genebrardus, vocat Regiam eius Maieſtatem & potentiam in Eccleſia ſiue populo Dei vigentem, cuius hæreditas, autoritas, ius eſt in Chriſto, Miniſterium in Chriſtianis Pontificibus & Regibus, iuxta illud S. Athanaſij in Euangelium de Deipara: *Ergo capiens Chriſtus thronum Dauidis tranſtulit illum, & dedit ſanctorum Chriſtianorum Regibus, vt conuerterent eos ad domum Iacob, quâ tradita in opprobrium & direptionem regnabit in æternum, & regni eius non erit finis, &c.* Ita Athanaſ. Siquidem, vt ipſe addit, *genitus ex virgine, & conſummatis omnibus, quæ ad negotium mortis & crucis pertinebant, poſt reſurrectionem ad ſuos aiebat: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ecce iam regnare incæpit, & prædica-*
E *tur Chriſtianorum Rex, quemadmodum in exordio preum ſuarum ſe inuicem adhortantes, atque in cælum conuocantes clamare ſolent: Venite, adoremus & procidamus coram Chriſto rege noſtro.* Ita Athan. Citat etiam Genebrardus Epiphanium de hæreſi Naz. *Et licet hanc ſedem Dauid dicat in terra collidendam, v. g. à Turcis, hæreticis, & cæteris impiis, illis videlicet in locis, in quibus iſti Chriſtianum nomen, Chriſtianos Reges, & Pontifices extinxerunt, interim vniuerſè hoc Chriſti Regnum ſpirituale & temporarium etiam in terra erit perpetuum, id eſt vſque ad conſummationem ſeculi. Nam Eccleſia, in qua regnat Chriſtus per fidem & per ſuos miniſtros, reges ſcilicet Chriſtianos & Pontifices, eo vſque cum vtraque adminiſtrandi ratione perducetur: ſicque perpetuò erit viſibilis. Neque enim vnquam tota ſimul pedibus infidelium vel hæreticorum ſubſternetur. Atque iſtud eſt quintum mundi Regnum à*

Digitized by Google

Daniele prophetatum: quod & regnum cæli & regnum ſacerdotum ab eodem dicitur, à ſcholaſticis Regnum Eccleſiæ. Sicut ſol in perpetuum durabit, vt ſol æquè perpetuus erit: ac ſol item ſplendidiſsimus, clariſsimus, pulcherrimus. Sicut ſol, plena luna, & iris, plenum gloria & maieſtatis. Tum erit illuſtre regnum eius coram me, quàm ſol terram illuſtrans. Ita Genebrard.

Hinc in 1. capite facies Chriſti in medio ſeptem candelabrorum aureorum deambulantis videtur ſplendens, ſicut ſol lucet in virtute ſua. Qua etiam de cauſa mons Sion, (in quo ſedem ſuam Deus collocauerat) verſus meridionalem plagam, in qua ſol lucet in virtute ſua, erat poſitus, vt notat Genebrard. In illum verſic. Pſ. 47. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera aquilonis, ciuitas Regni magni. Quaſi dicat,* inquit Genebrard. *mons Sion meridionalis, & latera Aquilonaria vrbis ſunt ciuitas Regni magni.* Et poſt pauca: *Ineptè aliqui putant eſſe appoſitionem: nam mons Sion minimè erat ab vrbis Aquilone, ſed meridie, ex Ioſepho l. 6. belli Iud. c. 6. & l. 13. antiquit. c. 14. Nicephor. l. 8. hiſt. Brocardo. Itinerar. 6. id eſt, Habebat vrbem Hieruſalem ab Aquilone Eſ. 14. v. 15. Eoque toto auſtrali tractu ambiebat.* Ita Geneb. Videtur igitur hic mons dici latera aquilonis: quia ad latus eius erat poſitus, nempe verſus meridionalem plagam: non quod fuerit ipſe ad aquilonem, vt exiſtimat Cornel. à Lapide, comm. in Iſ. c. 14. *Templum,* inquit, *vocatur latera aquilonis, quia erat ad aquilonarem vrbis partem ſitum, vt patet ex illo Pſ. 47. Mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni. Vnde ſeptuaginta hic vertunt: Super mõtes excelſos (Sion & Moria) quia ſunt ad aquilonem* Ita Cornelius. Sed de ſuo addit Cornelius (Sion & Moria.) Vnde cum non expreſſerint ſeptuaginta hos montes, illorum autoritas non extenuat quæ pro ſua ſententia Genebrardus adducit. Mõtes enim illi excelſi poſſunt intelligi de aliis præaltis montibus in aquilonari parte poſitis, ſuper quos ille dicit ſe ſeſſurum, ſicut Deus ſedebat in monte teſtamenti, qui ad latus aquilonaris plagæ erat poſitus: vt ſic ſeſe opponeret throno Dei, ex altera parte ſedem ſibi collocare & erigere proponens. Vnde ipſemet Cornelius hæc verba exponens: *Sedebo in monte teſtamenti,* ait: *Intellige per Hebraiſmum, ſicut. Quaſi dicat: Sicut Deus cultus fuit in monte Dei, id eſt, in templo Hieroſolymitano, ita ego Baltaſar colar vt Deus in ſolio meo, vel in delubris Babylonis.* Ita Cornel.

Veriſſimilius igitur mihi videtur montem Sion eſſe in meridionali plaga ſitum, vt ex loci poſitione conjiciamus Dei ſedentis gloriam & maieſtatem, qui mundum & Eccleſiam ſuam gubernans lucet ſicut ſol in virtute ſua, id eſt in meridie: non enim regnum eius tenebroſum, ſed lumine clarum & illuſtre. Hoc benè nouerat ſponſa, quæ eum inuenire percupiebat: nec alibi quàm in meridie illum recumbentem ſuſpicatur, dum ad eum clamat, Cantic. 1. *Indica mihi, quem diligit anima, vbi paſcas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Sentiebat proculdubio in quantis iaceret tenebris, & iam clamauerat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vt ſcilicet ab eo illuminaretur, qui verè lux eſt mundi, omnem illuminans hominem: ac mihi videtur dicere quod eam dicentem Philo Carpathius in primum Canticorum inducit. *Magnus enim olim fuit morbus meus ac languor (clamat Eccleſia, vocat & ſponſa.) Non vili egeo curatore, ſed magnis mihi medicamentis opus eſt omnino) cæleſtem medium voco, huius neceſſariò indigeo: ſine hoc vno pereo: ab huius ſola curatione conualeo. Ab hoc verò mihi medicina ſalutaris ac certa. Maximum hunc ergo medicum planeque perfectum quærito. Intolerabiles me tenebræ offuderunt. Non iam caligo: non cæcutio: non offendo: ſed diu miſera cæcitate premor, denſaque caligine circumfundor, ac grauor. Veniat igitur hoc lumen: lucerna enim lex, & prophetæ. Vnde illud: lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis mei. Sed illa me illuminare nequeunt, niſi mihi quod perfectum lumen eſt illuxerit. Illud ergo ſydus ſplendoris immenſi, illud fulgentiſsimum mihi cæcitatem depellit omnem, tenebrarumque caliginem; & viam commonſtrabit qua reuertar in patriam. Hoc legem præſtat, hoc Prophetas excellit. In ipſo deoſculari vnigenito deprecatur Eccleſia: rogat & ſponſa cæleſtis, & anima fidelis. Os enim Dei patris & filius. Propterea cum Deus & ipſe ſit æqualis natura patri, verbum appellatur: quoniam quæcumque vult pater, per filium loquitur, creat, conditque ſimul & ſeruat vna cum diuino illo ſpiritu, qui à Patre filioque procedit.* Ita Philo Car. At his non contenta, nec his oſculis ſatiata, vult ſponſa illud lumen aſpicere, dum lucet in virtute ſua in meridie. Timet ne caliget oculus ad tantum ſplendorem. Ideo corrobari ſe exoptat, vt tam fulgidum lumen in meridie ſplendores ſuos emittens poſſit intueri. Hinc rurſus clamat: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* id eſt, in paſſione tua, in qua offuſcatus tenebris, deficiente lumine ſolis iſtius viſibilis, clarius tamen quàm vnquam effulſeris in vita, refulges. *Sic,* inquit Philo Carpathius, *ſponſa Chriſti facta, ſponſi deſiderio & amore ardet, inquiritque officiis, ac ſanctiſsimis actionibus meditationibuſque & intimis affectibus ad illum ipſum peruenire anhelat. Vnde ait: Indica mihi, quem diligit anima mea, &c. vbi cubes in meridie, hora ſuæ necis, quam paſsionem vocant, quando ab hora ſexta ad nonam vſque, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Idcirco clamat: Vbi paſcas, vbi cubes in meridie. In quo quidem meridie, & vis æſtus maxima tentationum inſurgit, & ſæpe dilectos ſuos Dominus iuſto iudicio tentari ſinit: ſed nemo poteſt, niſi ipſemet ſponſus, quem quærit ſponſa, ſe quærenti ſponſæ declarare. Quis enim inacceſſibilem lucem adeat? Quis infinitum verbum illud capiat, de quo ab homine verbum formari nequit? Ex ipſo igitur, & per ipſum, & in idipſum ſancta anima quærendo peruenit, aſſequiturque quod auet.* Ita Philo. Carpat. In hoc cubili, in hoc throno crucis ſedens Rex noſter, mirũ eſt quanto lumine fulgeat, quot ſplendores emiſerit. Hic poſitus legem charitatis Dei & proximi ſigillo cicatricũ ſuæ paſſionis muniuit. Hic leges humilitatis, obedientiæ, patiẽtiæ, temperantiæ, continentiæ, paupertatis & miſericordiæ propoſuit: ad quorum normam actiones noſtras regulandas nobis præcepit, dum ſe exhibuit imitandum. *Exemplum,* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quis fulgentiſſimum lumen fixis intueri poterit oculis? Hoc tantùm proprium generoſæ aquilæ, nempe animæ ad cæleſtia expanſis alis totis viribus anhelantis. Hoc proprium eſt fidelium in Eccleſia Catholica viuentium; Optimè ſiquidem Iuſtus Orgelitanus. Epiſcopus: *Legimus in Euangelio: Si dixerint. Ecce hîc eſt Chriſtus; ecce illic; nolite exire. Hic enim atque illic partes eſſe noſcuntur; Chriſtus autem in Eccleſia Catholica, tanquam in meridie cubans, mundum vniuerſum ſuo fulgore perfudit, & in ſpiritu feruentibus requieſcit, atque ex charitate, qua vniuerſum irradiat, credentes in ſe populos quotidie paſcit.* Ita Iuſtus Orgelitanus Sed Aponium antiquum ſcriptorem audiamus inducentem Chriſtum perfectiores paſcentem in cruce de occultioribus myſteriis tanquam exquiſitiſſimis cibis. *Vbi,* inquit, *hæc omnia operata à perfecta anima fuerint, & amori Chriſti nulla dilectio mundi fuerit antepoſita, tunc magna fiducia & ardentiſsimum deſiderium naſcitur inquirendi & etiam quæ ſunt occulta, & habitante in receſſu mentis ſuæ Spiritu ſancto, qui omnia ſcrutatur, ſecundum Apoſtolum, alys proculdubio inuiſa & inaudita, quæ adepta eſt, perfecta anima reuelauit, cuius vox præſenti introducitur loco: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, &c. Sicut ergo oues ſine paſtore, & ſine bono*

paſtore ſubſiſtere minimè poſſunt, ita docuit præſenti loco animam ſine notitia rectæ fidei (in qua creator noſter, in qua æterna Trinitas probatur conſiſtere) & ſine adiutorio diuinæ protectionis, nec vitam æternam adipiſci, nec à diaboli morſibus liberari. Hæc proculdubio paſcua ſponſa deſiderat adipiſci, quæ in Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatione oſtenſa ſunt: Vbi credentium animæ paſcuntur floribus, vernante campo, dulciſſima Euangelica doctrina, ſicut Prophetatum eſt per Ezechielem, Domino ipſo dicente: Ego requiram oues meas de cunctis montibus, & non erunt vltra in deprædationem beſtiarum. Et ego paſcam eas: & ego accubare eas faciam: & ſeruus meus Dauid paſcet eas iuſtitia, & doctrina. Vbi vnaquæque anima pro capacitate ſenſus ſui, quanta volueris paſcua miri ſaporis currendo decerpit: Vbi poſt ardentis nequitiæ ſolis æſtus, ſub tegmine defenſionis crucis, in perſpicuo intelligentiæ lumine, Dei hominiſque ſocietate, agnito redemptionis myſterio, à diaboli impetu, qui ſolus mentitur, defenditur. Ita Aponius. Ardore igitur charitatis Dei, in cruce omnis æſtus nequitiæ diabolicæ ſuperatur, & claritas mundana perſpicuo intelligentiæ lumine è cruce prodeunte offuſcatur. Nunquam enim Chriſtus diuina præcepta (quibus omnis concupiſcentiæ ardor extinguitur, & omnis mundi gloria conculcatur) fortiùs inculcauit, quàm dum in cruce pendens, quæcumque fieri præcepit ipſe adimpleuit. Sed quia à nobis erat auferendus poſt reſurrectionem & aſcenſionē, ipſius curæ ac prouidentiæ fuit poſt ſe relinquere à quo doceremur, & doctrinæ ſuæ ac mandatorum ſuorum notitiam accipere poſſemus. Nobis enim Petri veſtigia ſequenda reliquit: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum.* Cant. 1. Petro namque altiora myſteria reuelauit, vt ſciamus ab eius ore pendere notitiam credendorum. Vnde vniuerſi Eccleſiæ cætus ad eum recurrunt: quorum veſtigia ſequi debemus, Petrum adeuntes, vt omnes hœdos curioſitatum mentis paſcamus, non intrantes curioſè tabernacula ſummi Paſtoris, ſed iuxta illa commorantes. Noſtrum quippe non eſt de rebus fidei decernere, ſed iuxta quod Paſtores decernunt, iis quæ docent fidem adhibere. Quod animaduertit Aponius in hunc locum, dum addit: *Manifeſtata eſt autem omni terra, vbi paſcua ſanæ doctrinæ Apoſtolorum principi reuelata eſt Petro, dum interrogante Chriſto reſpondet: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ecce quomodo oues aliquando ad vocem veri paſtoris paſcua vitæ æternæ in Petro inueniunt: & ideo Petrus tantis laudibus coronatur, cum ei dicitur: Et beatus es Simon Barjona: quia non reuelauit tibi caro & ſanguis, ſed ſpiritus. Patris mei, qui in cælis eſt. Quia ita ore eius, reuelante Spiritu ſancto, glorioſa paſcua & requiei ſempiternæ vitæ cubilia Eccleſiæ indicata ſunt, Vt iam non vltra per malos & alienos greges vel paſtores vagetur, eo quod miram ſententiam protulit, reſpondendo quæ nullius niſi ſolius notitiæ erant indiuiduæ Trinitatis. Etenim hic euidenter coæternæ perſonæ monſtrantur, qui venit, à quo venit, & quis reuelauerit Petro. Nam ſicut terra ſolis calore & pluuiâ, paſcua iumentis, victumque hominibus germinare ad vitam præſentem probatur; ita & Dei filius in aduentu ſuo, manifeſtando clementiſſimam Trinitatem, vitam dediſſe animabus credentibus comprobatur, ſicut ipſe Chriſtus ait. Pater, quos dediſti mihi dedi illis vitam æternam. Et quæ ſit vita, quam dedit, in ſequentibus declarauit. Vt cognoſcant, inquit, te verum viuum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ita paſcua non videt anima, niſi quæ veſtigia Petri credendo & confitendo fuerit proſequuta.* Ita Aponius.

Chriſtus igitur, qui in vita docuerat, in morte documentorum ſuorum praxim & exemplar inſigne propoſuerat, Petrum & in Petro Eccleſiam omnem, ſeu reliquos eius paſtores poſt reſurrectionem A & aſcenſionem ſuam nobis relinquit, à quibus ſua præcepta & leges addiſceremus; quos cum audimus, ipſum audimus. *Qui vos*, inquit *audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Luc. 10. Hinc, ſicut Apoſtolis præceptum fuit à Domino vt docerent omnia, quæ Chriſtus docuerat & præceperat. *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Matt. vltimo, ita etiam Apoſtolorum mandata ſeruanda eſſe Paulus fidelibus præcipiebat, Act. 15. *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* Nec in Apoſtolis finiuit autoritas miniſterij, & poteſtas adſtringendi fideles quibuſdam legibus ac præceptis. Pau- B lus enim docet obediendum eſſe præpoſitis. Ad Heb. c. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Et reuera non modo diuina lex ſupra legem naturalem addenda fuit, vt ad vitam æternam dirigi poſſemus, ſed & Eccleſiæ leges & conſtitutiones addendæ fuerunt, vt facilior nobis pateret aditus ad fidelem mandatorum Dei obſeruationem.

De diuerſitate legum, quæ ſedi beſtiæ proponuntur, vt per illarum obſeruationem fiat Dei ſedes & domicilium.

C

ANNOTAT. XXVIII.

REVERA Deus ſummus rerum omnium moderator rationes habet apud ſe, quibus ſapienter ordinat quæcumque neceſſaria ſunt ad rerum omnium gubernationem, & directionem earum ad finem competentem per media conuenientia: imo eſt ipſamet ratio gubernationis rerum æterna; quia diuina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet conceptum æternum. Huic ſummæ rationi participant omnia creata, in quantum ſcilicet ex impreſſione eius habent inclinationes in proprios actus & fines. At excellentiori modo rationalis creatura il- D lius prouidentiæ ſubiacet, & huius ſupremæ rationis ſeu prouidentiæ fit particeps, dum illi conceditur vt ſibi & aliis poſſit prouidere, & per quamdam impreſſionem diuini luminis diſcernit quid ſit bonum, & quid malum, & naturaliter inclinatur ad debitum actum & finem. Hoc illud eſt lumen, de quo Propheta Pſ. 4. dixit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Dictat autem ratio practica quædam (quæ deducit ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus & indemonſtrabilibus) ad aliqua magis particulariter diſponēda, quaſi habeant omnes conditiones, quæ pertinent ad rationem legis; puta quod nihil contineant rationi repugnans, E quod ad bonum commune ſeu felicitatem communem referantur; quod ſint ab habente autoritatem imperandi, aut prohibendi aliquid communitati regendæ; quod applicentur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent, per promulgationem, vt in eorum notitiam deducantur. Habebunt vim legis. Lex enim nihil eſt aliud quàm quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. Hæc rationis dictamina dicuntur leges humanæ, quia per induſtriam hominis ratiocinantis circa finem & media adinueniuntur. Clamat autem Dauid ad Deum, Pſalm. 118. *Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Ac ſi experiretur, nec illud lumen naturaliter inditum, nec illam humanam induſtriam ſufficere ad directionem

Google

Bene, inquit S. Ambroſius, ait: *Conſtitue: vt in pectore eius immobilis & fixa permaneat, nec aliquo ſæculi turbine ab eius conuellatur affectu.* Ita Ambroſ. Facillimum quippe eſt homini à ratione deficere, ſiue ex paſſione, ſiue ex mala conſuetudine, ſiue ex mala habitudine naturæ, vel etiam propter malas perſuaſiones, & aliorum praua colloquia, ac peruerſa malorum exempla. Vnde deſiderat legem accipere fixam & permanentem: ne in particulari operabili, à communibus agendi iuxta rectam rationem principiis diſcedat, qua etiam naturalis illa ad virtutem aptitudo & inclinatio perficiatur. Licèt enim legibus ex induſtria humana adinuentis poſſit homo retrahi ab indebitis delectationibus, & ad actus virtutum induci monitionibus & directione legum, quoad eos qui ex bona diſpoſitione naturæ, vel conſuetudine, vel magis diuino munere proni ſunt ad actus virtutum; vel ſaltem metu pœnæ per leges imponendæ cohibeantur à malo, quoad proteruos, & ad vitia pronos: vt ſic male facere deſiſtentes, aliis quietam vitam reddant, & tandem per bonam aſſuetudinem ipſi fiant virtuoſi; tamen homo non ſufficienter dirigeretur ad finem, ſi tantùm naturalem illam virtutem, & felicitatem illi proportionatam conſequeretur. Oportuit igitur quòd præter legem naturalem & legem humanam diuina quædam lex daretur, per quam homo in ſupernaturalem ſuum finem, qui eſt æterna beatitudo, ordinaretur, atque infallibiliter dirigeretur. Equidem ſi homo ordinaretur tantùm ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quod homo haberet aliquod directiuum, ex parte rationis, ſupra legem naturalem & legem humanitùs poſitam: ſed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo neceſſarium fuit vt ſupra legem naturalem & humanam dirigeretur etiam ad ſuum finem, per legem ſcilicet diuinitùs datam, de qua conſtat quod non poteſt errare. Vnde homo inter incerta hominum iudicia, de rebus contingentibus & particularibus abſque omni dubitatione poteſt ſcire per illam legem infallibilis veritatis, quid ſibi ſit agendum, & quid vitandum: non modo in exterioribus actibus qui apparent, qui ſoli poſſunt lege humana, & iudicio hominum cohiberi & ordinari: ſed etiam in actibus interioribus, qui ad virtutis perfectionem requiruntur. Denique quod lex humana non poteſt præſtare (nec enim poteſt omnia mala punire vel prohibere, ne dum auferre vellet omnia mala, multa etiam bona tollerentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conuerſationem hominum) hoc præſtat lex diuinitus data. Omnia enim peccata prohibet. *Et iſtæ quatuor cauſæ*, inquit S. Thomas, *tanguntur in Pſalmo* 18. *Lex Domini immaculata, id eſt, nullam peccati turpitudinem permittens. Conuertens animas: Quia non ſolùm exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit. Teſtimonium Domini fidele: Propter certitudinem veritatis & rectitudinis. Sapientiam præſtans paruulis, in quantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem & diuinum.* Ita S. Th. 12. q. 91. ar. 4.

O quàm tenebroſum eſt diaboli regnum, auertens hominem à ſupernaturali fine, mendacio & malitia corda hominum ſeducens: non modo interiora cordis ſuggeſtionibus prauis inficien[illegible] homines etiam ad quæcumque mala oper[illegible] n-da inducens, & eos denique, omni [illegible] a-to, ad quaſcumque carnis ſpurciti[illegible] i-tias impellens. Ne ig[illegible] ne ſuo, ne mendacio [illegible] am declinaret: ne par[illegible] ad peccandum alli[illegible] ibus

A adhæreret, rogat obnixè Deum vt inclinet cor illius in teſtimonia ſua, & non tantùm legem ponat ſibi ſcriptam in tabulis lapideis, vt olim in veteri teſtamento *ordinata fuit per Angelos in manu mediatoris.* Ad Gal. 3. *Angelos dicit*, inquit S. Ambroſ. *Dei nuntios, ad Moyſem, Ieſum Naue, & cæteros Prophetas, vſque ad Ioannem Baptiſtam, de quo Deus dicit: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam. Per hos ergo lex ordinata, impoſita eſt à Deo, in manu, id eſt, in poteſtate ſaluatoris.* Ita Ambroſ. Videtur tamen S. Thomas. 1. 2. q. 93. ar. 3. veros Angelos intelligere. Ibi enim citat hunc locum Pauli, dum probare vult legem veterem datam per Angelos. Et Sedulius Hybernenſis: *Quia per Angelos lex miniſtrabatur, ſiue Moyſi, vt*
B *quidam putant (nam & Moyſes, aiunt, inter Deum & populum medius fuit) ſiue Chriſto.* Quidquid ſit, ſcripta tunc fuit, cum Moyſi data fuit, in manu, id eſt virtute, veri mediatoris (cuius ille typus fuit) in tabulis lapideis: Sed nunc oportet vt ſancto Spiritu, tanquam digito Dei, in mente & in corde ſcribatur, gratiâ & veritate per Chriſtum allatâ, qui verus eſt mediator, cuius Moyſes legem accipiens erat tantùm olim figura; ne quam memoria teneat, vita negligat, ſed quam ſciat intelligendo, faciat diligendo, *in latitudine amoris, non in timoris anguſtiis*, vt ait Auguſt. in Pſalm. 118. contio. 11. *Nam qui*, inquit ille, *timore pœnæ, non amore iuſtitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, ſi poſſet*
C *fieri, mallet vtique non iuberi: ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate. Talis non poteſt quod iſte dixit in ſuperioribus verſibus: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Quia illa dilatatio charitatem ſignificat, quæ, ſecundum Apoſtolum, legis eſt plenitudo. Cur ergo iſte adhuc poſcit ſibi legem poni; quæ vtique ſi non ei poſita fuiſſet, non in viam mandatorum Dei in cordis latitudine cucurriſſet. Sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit eſſe quod proficit, quid aliud petit, cum ſibi legem poni petit, niſi vt in ea magis magiſque proficiat?* Ita Auguſt.

Hæc eſt illa lex noua, lex nempe gratiæ, lex amoris & charitatis, lex fidei, lex ſpiritus vitæ in Chri-
D ſto, quia liberat nos à lege peccati & mortis. Rom. 8. Quæ enim ſunt leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, per gratiam, qua iuſtificamur, à Chriſto allatam, quæ quidem gratia bonum præcipuum & principale eſt legis nouæ: vnde ab initio mundi data non fuit, quia gratia abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummatâ per Chriſtum redemptione; & quia aliquid non ſtatim à principio ad perfectum adducitur, ſed quodam temporali ſucceſſionis ordine, ſicut aliquis prius fuit puer, & poſtmodum vir. Et denique oportuit, vt homo relinqueretur quodam temporis ſpatio ſibi in ſtatu vete-
E tis legis, vt in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcendo, cognoſceret ſe gratia indigere. O ter quaterque beatus, qui hanc legem gratiæ in corde ſuſcipit! Quam propinquus fini ſuo vltimo approximat! Eſt enim charitas *vinculum perfectionis. Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo.* Certè ſi aliqua inſit difficultas circa opera virtutum in interioribus actibus, quia non habenti virtutem difficillimum eſt [illegible] delectabiliter opera virtutum exerc[illegible] ino per gratiæ & charitatis lege [illegible] nes. 1. c. 5. *Mandata eius gra-* *uia* [illegible] ficet: nam non *amanti grauia* ſ[illegible]

[illegible] hriſti regnum viſibile & exter- [illegible] mouentur. Dum enim illud re

Google

gnum per charitatem intra nos eſt, facilè exteriùs colimus & adoramus Deum, ſecundum ea quæ præſcribere voluit, cum illum interna charitate diligimus; facilè Chriſto in nobis interiùs operanti cooperamur ad promerendam vitam æternam de plenitudine eius accipientes: hanc enim gratiam conſequuntur homines per Dei filium hominem factum, cuius humanitatem Deus repleuit gratia, & exinde eſt ad nos deriuata: & ideo conuenit vt per aliqua exteriora ſenſibilia gratia à verbo incarnato profluens in nos deducatur; & ex gratia interiori, per quam ſpiritui ſubditur, exteriora quædam opera ſenſibilia producantur. Dei igitur amator libenter aſſumit exteriora illa opera ad gratiam inducentia, qualia ſunt opera ſacramentorum, & exteriora opera, quæ ex inſtinctu gratiæ producuntur; ſiue neceſſariam habeant conuenientiam cum gratia, vt eſt confeſſio fidei: ſiue non habeant, modo ab eis, quorum intereſt aliorum curam gerere, determinetur hoc expedire fieri, & ſubditis ordinetur à præpoſitis Eccleſiæ hoc aut illud eſſe faciendum, quamuis à prima legis inſtitutione hoc relictum fuiſſet liberum vnicuique à legiſlatore Chriſto; inſuper libenter abſtinet ab his omnibus, quæ vetantur & prohibentur fieri, ſiue illa neceſſariam habeant contrarietatem ad gratiam, vt eſt negatio fidei, ſiue non; quia verè diligit, & placere in omnibus deſiderat, nec in aliquo, licèt minimi momenti, illius oculos offendere cupit. Et non modo Dei amator omnia exteriora opera exercet, quibus dilectionem ſuam, & reuerentiam erga Deum manifeſtare poteſt, quæ ſunt neceſſaria & præcepta, ſed plærumque etiam conſilia Euangelica, quibus meliùs & expeditiùs homines beatitudinem conſequuntur, amplectitur; ſicque diuitias abdicat, per paupertatem: delitias carnis, per perpetuam caſtitatem; ſuperbiam vitæ, per obedientiæ ſeruitutem. Et non modò Deo exteriùs per ſacramentorum ſuſceptionem, & moralium præceptorum adimpletionem, obſequium præſtare conatur, ſed etiam omnes interiores animi motus conatur in Deum ordinare, iuxta Chriſti legis gratiæ autoris inſtitutionem, ſiue quantum ad ſeipſum, dum illa lex Chriſti ordinat hominis voluntatem, vt ſcilicet abſtineat aliquis non ſolùm ab exterioribus operibus, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ſed etiam ab interioribus, & ab occaſionibus malorum, & dum ordinat intentionem hominis, prohibendo ne in bonis, quæ agimus, quæramus humanam gloriam, neque mundanas diuitias, quod eſt theſaurizare in terra; Siue quantum ad proximum, vt ſcilicet eum non temerariè aut iniuſtè iudicemus, aut præſumptuosè, neque tamen ſic ſumus erga proximum remiſſi, vt eis ſacra committamus, ſi ſint indigni; Et quia audit Chriſtum dicentem: *Nihil ſine me poteſtis facere*; de ſua infirmitate conſcius ad diuinum recurrit auxilium, & quantum in ſe eſt conatur ingredi, diuino mediante auxilio, per anguſtam portam perfectæ virtutis, & cautelam adhibet ne à ſeductoribus corrumpatur, vt fideliter non modo mandata, ſed etiam prædicta conſilia aut alia Euangelij documenta poſſit ad Dei gloriam adimplere.

Ex his patet quomodo neceſſaria & vtilis eſt lex diuina, & ad quam perfectionem nos deducere & inducere valeat, vt idonei reddamur qui Chriſti regnum, & interiùs in nobis, & exteriùs promoueamus: contra quam legem videbimus regnum ſatanæ tenebroſum ſeſe erigere, eique ſe opponere, vt Chriſti regnum euellat & euertat, ſi poſſit Nunc videndum quomodo per leges quaſdam ſpeciales poſſunt etiam adhuc Eccleſiæ prælati, Chriſti regni gloriam promouere, quibus ſanctiſſimis Eccleſiæ A inſtitutis dum ſeculi amatores contradicunt, ſe ad ſatanæ regnum tenebroſum pertinere oſtendunt.

Quod ad promouendum & ſtabiliendum regnum Chriſti viſibile, præter legem naturalem & diuinam, & legis Euangelicæ promulgationem & notitiam, manet adhuc in prælatis Eccleſiæ quædam poteſtas ordinandi & ſtatuendi aliqua, quibus in conſcientia morem gerere debemus: quæ poteſtas in effuſione phialæ quintæ etiam includitur.

ANNOTAT. XXIX.

B SI ſufficeret Deum in mente legem naturalem tanquam principium directiuum humanarum actionum indidiſſe; ſi ſufficeret legem diuinam tradidiſſe, qua in ſupernaturalem finem dirigimur: ſi ſufficeret legem Euangelicam addidiſſe, vt non modò directionem, ſed potentiſſimum habeamus auxilium ad illum finem perueniendi, dum gratiam Spiritus ſancti infundit in cordibus noſtris, (quæ gratia illud eſt quod potiſſimum ac præcipuum agnoſcimus in lege Euangelica, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 106. ar. 1. *Id*, inquit, *quod eſt potiſſimum in lege noui teſtamenti, & in quo tota virtus eius conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti, quæ datur per* C *fidem Chriſti; & ideo principaliter lex noua eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus.* Ita S. Tho. Certè ſi hæ leges ſufficerent, non induceret ſapiens diuinam ſapientiam rerum moderatricem, de ſe dicentem, Pro. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Datis enim illis legibus, nihil relinqueretur Principibus & legum conditoribus, quæ decernere aut ſtatuere deberent. Sed peruerſa hominum inclinatio ad malum prona, naturalis illorum infirmitas, & imbecillitas, ac diuerſæ rerum viciſſitudines, nec non imperfectio quorumdam carnalium, qui nondum peruenerunt ad perfectionem nouæ legis; ac debita Sacramentorum D eius ſuſceptio & adminiſtratio exigunt vt quædam reperiatur poteſtas in iis, qui curam gerunt Reipublicæ ſeu Eccleſiæ, per quam quaſdam leges ferre poſſunt, quæ pertineant ad communem vtilitatem, & impedimenta obſeruationis legis naturalis aut diuinæ amoueant & auferant. Fruſtra enim daretur Prælatis temporalibus vel ſpiritualibus hæc poteſtas, niſi aliquando reduci deberet ad actum. Neceſſe enim eſt vt ratio humana procedat ad particulares quaſdam legum ſanctiones, quas educat & hauriat per ratiocinationem ex principiis communibus & indemonſtrabilibus legis naturalis, vel ex principijs reuelatis legis diuinæ, propter quaſdam particulares directiones ſingulorum, quæ licet in E æterna lege contineantur, non ita tamen notæ ſunt ſingulis hominibus, vt non indigeant aliquo duce, quo præuio poſſint rectâ viâ ad felicitatem ſiue temporalem ſiue æternam expeditiùs, & ſecuriùs properare.

Mirum quippe eſt quomodo lumen illud in nobis ſignatum, licèt de ſe fulgidum, facilè plurimas patiatur offuſcationes; & quomodo rectitudo voluntatis, quam inducit, cito ad vitia inflectatur. Licet enim lex naturæ quantum ad principia communiſſima, quæ ſunt omnibus nota, nullo modo poſſit à cordibus hominum deleri in vniuerſali, deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem. Quando enim motus appe-

Digitized by Google

titus ſenſitiui fortificatur ſecundum quamcumque paſſionem, neceſſe eſt quod remittatur vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas; & non ſolùm remittitur vel impeditur motus voluntatis, ſed etiam iudicium & apprehenſio rationis (qua bonum apprehenſum proponitur voluntati) impeditur propter vehementem & inordinatam apprehenſionem imaginationis. Impeditur etiam iudicium æſtimatiuæ, vt patet in amētibus: quo fit vt, & lumē naturale obtenebretur, & rectitudo voluntatis corrumpatur, dum iudicium rationis plerumque ſequitur paſſionem appetitus ſenſitiui; & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi iudicium rationis. Poteſt etiam ratio diſtrahi à proprio actu per contrarietatem, quia plerumque paſſio inclinat ad contrarium huius quod habet ſcientia vniuerſalis. Tum etiam per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat ſicut etiam ſomnus & ebrietas, quadam corporali tranſmutatione facta, ligat vſum rationis. Et aliquando cum paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter vſum rationis. Multi enim propter abundantiam amoris & iræ ſunt in inſaniam conuerſi. Et per hunc modum paſſio trahit rationem ad iudicandum in particulari, contra ſcientiam quam habet in vniuerſali. Vnde non mirum ſi quantum ad ſecundaria quædam præcepta, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis, poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo quo etiam in ſpeculatiuis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter prauas conſuetudines & habitus corruptos; ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apoſtolus dicit 1. ad Romanos. Vnde oportuit, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 99. at. 2. ad 2. contra vtrumque defectum homini ſubueniri per autoritatem legis diuinæ; ſicut etiam inter credenda nobis proponuntur non ſolùm ea, quæ ratio attingere non poteſt (vt Deum eſſe Trinum;) ſed etiam ea, ad quæ ratio recta pertingere poteſt, vt Deum eſſe vnum: ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis. Et ſic lex ſcripta dicitur corrigere legem naturalem, vel quia ſupplet id quod legi naturæ deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, quantum ad aliqua, erat corrupta in tantum vt exiſtimarent eſſe bona, quæ naturaliter ſunt mala: & talis corruptio correctione indigebat, quam quidem adhibere non omiſit prouidentiſſimus rerum moderator, ſed vt ait Eccleſiaſt. c. 17. *Addidit illis diſciplinam & legem vitæ: hæreditauit illos teſtamentum æternum. Conſtituit cum illis, & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis.* Ita Sap. Nec ſatis illi fuit oſtendere nobis peccatum per legem, ſed pius hominum conditor voluit nobis auxilium ſuppeditare, dum in lege noua attulit gratiam, qua iuſtificamur, & per donum Spiritus ſancti operamur iuſtitiam fidei, & à præuaricationis damnatione liberamur, dum legem adimplemus.

Attamen quia licèt Chriſtiani per gratiam Chriſti liberati ſint à peccato, non tamen liberati ſunt à concupiſcentia & paſſionibus, quæ cum ratione perpetuo pugnant: ideo oportet vt Prælatis Eccleſiæ detur facultas condendi leges, quæ nihil connotant niſi rotius rationis iudicium, vt cum eas ſequi homines coguntur, cogantur ſimul rationem ſequi: quas quidem leges veluti concluſiones deducunt ex principiis Euangelij, vel iuxta eadem præcepta quaſdam faciant determinationes, vt quæ præcipiuntur, conuenienter perficiantur. Exemplum

A dat Bellarminus: *Euangelium dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Inde Eccleſia deducit concluſionem: Ergò vtile erit ſancire legem, ne ad miniſterium ſacrum admittantur qui non ſunt continentes. Item Euangelium iubet ſumi Euchariſtiam, ſed non determinat quomodo aut quando. Igitur princeps Eccleſiæ determinat vt ſaltem in paſchate ſumatur, & Apoſtoli legem condunt vt ſumatur ante omnes alios cibos, nimirum à ieiunis. Hinc Auguſt. in Epiſtol.* 118. *c.* 6. *Non præcepit, inquit Dominus, quo deinceps ordine ſumeretur; vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.* Ita Bellar. l. 4. de ſummo Pontifice c. 16. Qua poteſtate ſe vſurum fore Apoſtolus Paulus ſcribebat Corinthiis, dum illis tradebat quod à Domino acceperat de ſacro-ſancto Euchariſtiæ myſterio. B Poſtquam enim diſſeruit de tanto myſterio, & de fine illius, ac probatione neceſſaria ad eius ſuſceptionem, tandem concludit: *Cætera autem, cum venero, diſponam.* 1. ad Corinth. c. 11. Vt oſtendat in ſua eſſe poteſtate quædam ſtatuere circa tanti myſterij adminiſtrationem, quæ prout rerum ſtatus exigeret erat diſpoſiturus, cum illos eſſet aditurus.

Cætera autem, inquit S. Ambroſius, *quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinent, præſentia ſua ordinare ſe promiſit.* Quod potuit Paulus ad Eccleſiæ ædificationem in hac materia, hoc poſſunt Prælati Eccleſiæ, & præcipuè ſummus Pontifex circa cuncta, quæ ad Eccleſiæ ædificationem conducunt. Vnde multæ leges C & ſtatuta iuxta rerum exigentiam ab Eccleſia emanarunt, quibus fideles obtemperare in conſcientia tenentur. Si enim lex humana imponit homini neceſſitatem in foro conſcientiæ, multo magis lex Eccleſiaſtica, quæ finem digniorem, & bonum altioris ordinis reſpicit. At ex S. Thoma 1. 2. q. 96. ar. 4. leges humanæ iuſtæ, quando ordinantur ad bonum commune, non excedunt poteſtatem ferentis, & ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune, obligant in conſcientia. Igitur & leges Eccleſiaſticæ iuſtæ, quia ad hoc feruntur vt boni mores tueantur, Dei præcepta adimpleantur, Sacramenta ritè & debitè adminiſtrentur vel ſuſcipiantur; nec excedunt D poteſtatem ferentis, nempe Paſtorum Eccleſiæ, quibus datum eſt ligare, & ſoluere, & qui poſiti ſunt à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei; & æqualitatem proportionis ſeruant, (imponuntur enim iuxta perſonarum qualitatem, rerum ac temporum exigentiam, officiorum quorumlibet decentem executionem, perſpecta cuiuſlibet conditione, ſeu vniuſcuiuſque ſtatu) obligant ad ſuam obſeruationem.

Habent reuera Chriſtiani legem Euangelicam, quam ſequantur; ſed quia illa nimis eſt vniuerſalis, nec ſufficit dirigere omnes actiones noſtras, oportet vt per determinationes Principum Eccleſiaſticorum fiat aliquo modo particularis. Sicut Politicæ E Reſpublicæ habent legem naturalem, & tamen quia illa eſt nimis generalis, non ſufficit, niſi deducatur ad particularia per determinationes Principum, vt rectè ait Bellarm. lib. 4. de ſumm. Pontifice c. 16. Qui ibidem probat apud ſummum Pontificem eſſe iuriſdictionem vere coactiuam, itaut poſſit leges condere, quæ obligent in conſcientia, & iudicare ac punire tranſgreſſores: ex multis ſcripturæ locis. Deuteron. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Et ex loco Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Et ex loco Ioann. 20. *Paſce oues meas.* Et: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Et Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil vltra vobis imponere*

Digitized by Google

uneris, niſi hæc neceſſaria. Et Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et infra: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

O ſi quis fideliter ſacras inſtitutiones Eccleſiæ obſeruaret, ad legis Euangelicæ normam ſuas actiones regularet, quàm fælici curſu ad cœli properaret gaudia. Certè Dei & Chriſti eius Regnũ interiùs in ſe, exteriùs in aliis promoueret aſſiduè. Sed heu! quænam eſt illa humanæ mentis peruerſitas, & totius rectitudinis voluntatis corruptio? Quod facere conãtur Prælati Eccleſiæ, legis naturalis iura manifeſtando, diuinæ legis præcepta inculcando, Euangelicæ legis prærogatiuas & excellentiam demonſtrando: & per particularia quædam ſtatuta, quæ pro vigili cura & ſolicitudine ad communem Eccleſiæ vtilitatem ferre ſatagunt, procurando quantum in ſe eſt vt illæ leges cuſtodiantur, hoc totum inutile redditur nimiâ hominum peruicaciâ. Nam fit ſedes beſtiæ humana voluntas, quæ Deo obedire ad nutum deberet: exſurgit quoddam regnum tenebroſum, & poteſtas tenebrarum graſſatur in eis, qui transferendi erant in regnum filij Dei, iuxta illud ad Coloſſ. c. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine; qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, &c.* Et in blaſphemias prorumpunt, qui Deo gratias agere, illique cultum & obſequium præſtare deberent. Quod vt clariùs videamus, ſequentem inſtituimus annotationem.

Et factum eſt regnum eius tenebroſum.

Qua ratione reprobi, qui ex effuſione phialæ quintæ, per obſeruationem legum deberent fieri ſedes Dei & regnum Chriſti, fiant ſedes beſtiæ, & regnum diaboli tenebroſum?

ANNOTAT. XXX.

QVI emolumentum è paſtorum vigili cura ac optima directione ſuſcipiunt, fiunt equidem thronus & ſedes Dei. Sedes enim Dei eſt anima iuſti: iuſtus autem eſt, qui legis Euangelicæ, & mandatorum Dei & Eccleſiæ fidelis eſt obſeruator, iuxta illud Luc. c. 1. de Zacharia & Anna loquens: *Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini.* Et quia tales non inueniuntur niſi in vera Eccleſia, ideo Eccleſia, ratione eorum qui potiora ſunt membra illius, ipſa eſt Dei ſedes & thronus. Dicitur ſecundò etiam thronus Dei & ſedes, ratione autoritatis & poteſtatis ſibi commiſſæ, quæ in eius paſtoribus reſidet. De quo throno dicitur Pſalm. 9. *Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* De quo plura diximus in c. 4. huius reuelationis.

At Deus ita ſedet in electis, ita ſedet in Prælatis, vt hos ad labores, curas & ſolicitudines plurimas, non ad otium & ſocordiam vocare videatur, illos etiam ad maiorem ſemper perfectionem per actus ſtrenuos acquirendam continuò prouocat. Vnde Eccleſia & anima fidelis ſedi curruli, non fixæ aſſimilatur. Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Quin & hæc ſedes ferculum nuncupatur. Cant. 3. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* Id eſt, ſedem portatilem, non

A fixam. *Ferculum*, inquit Aponius, *à ferendo nomen accepit.* Vnde Iuſtus Orgelitanus notat aliam editiontionem habere, *geſtatorium.*

Arbitror, Inquit Philo Carpathius in 1. Canticorum, *equos vel equitatum ipſius, iuſtorum congregationem ſignificare, qualis Apoſtolorum fuit: quos veluti in mare miſit ad turbandas aquas, hoc eſt, ſeculi huius populos ad fidem conuertendos, ſecundum illud Habacuc: Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ob id equos appellatos, quod velociter in ſtadio ſuæ pietatis curſum, benè beatéque viuendo & prædicando, confecerint, &c.* Qui etiam in ferculo intelligit nõ modò carnem Chriſti, ſed & Eccleſiam. *Vt enim Conſules & Duces dum procedunt in ferculo ſedent, per ipſoſque negotia mundi reguntur: ſic & in carne humana Deus conuocatam Eccleſiam* B *ſanctam ferculum ſibi fecit: quo quidem non mundi negotia, ſed cæleſtis regni documenta firmauit. Ferculum enim non modò caro Ieſu Chriſti dicitur, ſed & ipſa Eccleſia, quæ corpus eſt ipſius, quippe quæ digna facta ſit illum ferre filium Dei, ſecundum illud: Glorificate Deum in membris veſtris, &c.* Hoc ferculum dicit Philo ex lignis Libani, propter prædeſtinatos & electos in Eccleſia ſua ſancta in æternum permanſuros: cuius columnæ argenteæ, propter Apoſtolos & rectos Chriſti prædicatores; cuius reclinatorium eſt aureum, propter Martyres, quorum fides probatur, & ærumnatum tentatione firmatur, qui diuinitatis contemplatione in hac mortali luce refocillantur & requieſcunt: C ad quod reclinatorium per aſcenſum purpureum, id eſt, per multos labores peruenitur. In talium certè pectore fides per charitatem operantem viget, quam ſaltem, vt pote omnibus fidelibus communem, habere debemus, vt ad illud ferculum pertineamus. Et quia Apoſtoli & prædicatores, qui columnarum inſtar ſunt, intra hoc ferculum Chriſti ſponſam per vniuerſam terrarum orbem, verbo Spiritus ſancti geſtarunt ac gerunt, ideo ferculum dici poſſunt, vt vult Philo Carp. Et Iuſtus Orgelitanus in 1. Cantic. *Tunc equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, cum ſapientes mundi ad meam fidem euocandos conuerti; vt depoſito tumore ſeculi ſub me, qui ſum ſalus vera, currendo proficiant, meque cir-* D *cumferendo piis prædicationibus, credentium fide oculis manifeſtent. At ſicut princeps mundi huius, qui iam miſſus eſt foras, falſis philoſophis tanquam claris curribus vſus eſt ad perniciem, ita & ego meâ ſapientiâ repletis Apoſtolis credentes inſtituam ad ſalutem.* Ita Iuſtus Orgel.

Aponius Angelos ſeu virtutes Angelicas per equos intelligit. *Quibus*, inquit, *equis ſociati coniunctique intelliguntur Apoſtoli, ſimul & illi qui ſuccedunt in eorum locum & ordinem, qui ſedentem ſuper ſe Spiritum ſanctum, multiplicem gratiam impertientes, portant Deum in corpore ſuo; & diſcurrunt, non quo vitia traxerint, & diabolus perſuadendo illecebram, ſed quocumque ducti fuerint eius habenis, confirmante Apoſtolo Paulo: Quotquot ſpiritu Dei aguntur (id eſt ducuntur) hi filij Dei ſunt, glo-* E *rificantes & portantes Dominum in corpore ſuo, &c.* Ita Aponius.

Hac ratione, quia thronus iſte eſt ſemper in luce & in meridie, (eſt enim ſedes ſeu Thronus illius, cuius facies lucet, dum ambulat in medio candelabrorum aureorum, id eſt Eccleſiæ, tanquam ſol lucet in virtute ſua, iuxta illud Iſaiæ c. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Qui oculos non clauſerunt, ſed lumen illud ſuſceperunt, vt ſuſcepit Paulus dum eſſet in via, quem lux circumfulſit, & eum obcœcando corporaliter, intus illuminauit;) qui ſic eam lucem ſuſceperunt, in eis gratia Dei non fuit vacua, ſed in eis remanſit, vt ſedes eſſent Dei, ſedes geſtatoria, vt cum eodem Paulo portent nomen Dei coram gentibus & populis.

Digitized by Google

A & populis Nam, vt ait Salomon Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem.* Id eſt, vſque ad meridiem, dicente Propheta: *Et educet tanquam lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*; vt non ſolùm ſibi luceant, ſed & aliis proficiant; & hoc modo contra diabolum, qui princeps eſt tenebrarum, dimicantes, regnum Chriſti erigant, ſtabiliant, promoueant. Et optimè ad noſtram mentem Aponius lib. 2. in Cantica: *In quibus equis vel quadrigis ſedens Chriſtus Redemptor noſter, loquens in Apoſtolis, acutiſſimo gladio verbo ſuo expugnat exercitum dæmonum; qui ſuper impios Reges vel philoſophos, magicarumque artium Doctores equitabant, & de ſingulis ſecundum virium qualitatem currus, equos, vel arma fecerunt,* B *per quos creatori bellum inferre attentabant, Deorum ſibi nomina vſurpando, &c.* Et paulo poſt: *Nunc autem redemptore noſtro Domino Chriſto pugnante & vincente principem mundi cum exercitu ſuo, liberati de manu eius, Apoſtolorum collo doctrinæ tracti Dominum portant; Et in quorum mentibus immundi ſpiritus inſidere conſueuerant, equitantes per facinorum campos, nunc Domini equi effecti per gratiam regenerationis, Spiritum ſanctum vehere comprobantur. per quos mox, vbi in inſidiis inuenerit inimicum eorum, qui adhuc paruuli ſunt ad peragendum bellum, ſub currus vel ſæpe dictis equorum proculcat veſtigiis, ſub eorum ſcilicet, pro quibus orat Apoſtolus: Deus, Dominus noſter conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Ita Apon. Et paulo poſt: *De illis ergo potentibus in malitia, qui per* C *doctrinam ipſius credentes liberati ſunt à malo ſeſſore, portant Spiritum ſanctum: Et in quibus ſolebat ſedere Pharao (qui diſperdens vel diſſipans eos interpretatur, qui vtique princeps intelligitur mundi) nunc vehitur in eis princeps cæleſtis militiæ Chriſtus; Et quos conſueuerant auctores vitiorum, miniſtri Anti-Chriſti trahere per ſaxoſa conuallia criminum, nunc à potentibus & manſuetis equis Apoſtolis, vita exemplo & ſana doctrina trahuntur per iuſtitiæ campos: in quibus tota ſunt voluntas, & rationabilis ſenſus, temonis agens officium, per quem aut Pharaonis, aut Chriſti, vnuſquiſque efficitur currus.* Hæc Aponius. Cum igitur voluntas in malo voluntariè & liberè obdurata ſit ſedes beſtiæ, cum quæ poterat eſſe Chriſti currus & ſedes per obedientiam & obſerua- D tionem legum & præceptorum, hæc omnia contemnendo & reſpuendo fit currus Pharaonis & diaboli.

Hæc itaque eſt illa effuſio phialæ quintæ, quæ circa electos, & ad fidem vocatos tam felicem obtinet effectum; & dum eis directiones dantur in via ſalutis, per mandatorum Dei, & Eccleſiæ præceptorum propoſitionem, flexibiles, rotatiles ac obſequentes ſe præbent, ſinentes ſe duci, quocumque vult illorum ſeſſor, Dei ſpiritus, aut Chriſtus: ad vocem aut motum aurigæ ſeu equitis, id eſt Paſtoris, omnia perficientes. Sed quid accidit, quæſo, circa reprobos? Fiunt ſedes fixa & permanens beſtiæ per mentis obcæcationem, nec mouentur motu fidei, nec recta ad Deum voluntate aut intentione E ad beatitudinem currunt: ſed fiunt immobiles quaſi lapis, per obſtinationem in peccatis, fidei Chriſtianæ reiectionem, legum omnium Dei & Eccleſiæ contemptum: Vnde leges ſibi conſtituunt, quibus Regnum beſtiæ, diaboli, peccati, & regum iniquorum (qui ad diaboli voluntatem captiui, Chriſti Regnum euertere conantur) fit verè tenebroſum. Illius ſunt imitatores, qui contra meridiem, id eſt, contra lucem diuinam, & montem Sion, in quo Deus ſedet, ſedem ſibi conſtituit, & poſuit in lateribus aquilonis. Dicunt Geographi ſub Polo Boreo ſeu ſeptentrionali eſſe Rupem nigram & altiſſimam, ambitu 33. circiter leucarum, & circa hanc eſſe quatuor inſulas, inter quas oceanus decem & nouem oſtiis erumpens, quatuor Euripos facit, quibus indeſinenter ſub ſeptentrionem fertur. Dicere beſtiam in hac rupe altiſſima ſedem ſuam collocaſſe ac fixiſſe. Addunt Mathematici ſeu aſtronomi eos, quorum Zenith eſt directè in polo mundi Arctico, vnum tantùm in anno diem artificialem habere ſex menſium, noctem item artificialem ſex menſiũ, ibiq; ſolē ſemper mittere vmbras. *Eſt adhuc*, inquit Paulus Venetus l. 3. c. 49. *alia regio prioribus regionibus multo verſùs aquilonem interior, quippe quæ extremũ occupat locum, quam obſcuritatem appellant, eo quod multo per annum tempore ibi ſol non appareat; & tũc nedum noctu ibi tenebræ ſint, verùm & interdiu aër in modum crepuſculi caliginoſus ſit.* Ita Paulus Ven. Qui addit homines ibi degentes Regem non habere, & more viuere beſtiarum. Ecce certè in tam longa nocte, in his vmbris aliqua idea regni tenebroſi beſtiæ, quæ ſedet in Rupe altiſſima ſuperbiæ, & tyrannicæ vſurpationis cordium illorum hominum, qui beſtialiter viuunt, & ſe eius ſeruitio & obſequio inſuper deuouerunt, & arbitrij ſui iura deferentes, ſeſe eius voluntati adimplendæ manciparunt. Vnde non mirum ſi ſicut piis legibus ac inſtitutis Eccleſiæ Paſtores conantur regnum Chriſti ſtabilire, hi qui ſedes ſunt beſtiæ, in tenebris regnum ſuum exercentes, per impia edicta, impias leges, ſeſe omnino opponant ne Regnum Chriſti viſibile pacificè ſuas functiones exerceat ad Dei cultum promouendum. Stabiles & radicati in fide & charitate permanent Eccleſiæ fideles, vt ſint perpetuæ ſedes Chriſti & Regnum eius in ſecula ſeculorum: & nihilominus ambulant; ſed viâ rectâ, ſed pacificis incedunt greſſibus: viæ enim Domini, per quas ambulant, viæ rectæ, & ſemitæ eius pacificæ. E contra ſtant in malitia immobiles reprobi: & tamen mouentur turbantur, in circuitu ambulant, ad modũ Euripi cuiuſdam, id eſt, maris, ſeu oceani ſub Arctico exiſtentis, qui reciprocis vndarum iactationibus modo hac modò illac agitatur, & quaſi in circuitu quodam turbulento flexuoſum habet curſum, & tandem in viſcera terræ abſorbetur. Ita & impij mouentur quaſi mare feruens, quaſi quadam Euripi, donec tandem in viſcera vt cum Dathan, Core & Abiron, imo cum diabolo, cuius ſunt captiui, in infernum detrudãtur. De Euripo mũdi lege Chryſoſt. tom. 1. homil. in Pſal. 119. pag. 1111. & to. 2. pag. 63. & pag. 177.

At ſicuti leges, quæ Regnum Chriſti ſtabilire conantur, lumen præbent, (*Præceptum* enim *Domini lucidum illuminans oculos*), & demonſtrant quod Regnum Chriſti eſt Regnum lucis, non habens aliquam partem tenebrarum, ſed eſt lucidum totum; ita ex legibus prauis vel rationi repugnantibus, ac contra legem naturalem dimicantibus, cultum Dei euertentibus, veritati Euangelicæ contradicentibus, & contra Eccleſiæ Prælatos inſurgentibus patet quomodo Regnum beſtiæ omnino eſt tenebroſum; lumen enim rationis non ſequuntur, quia iniuſtæ: nec lumen ſupernaturale infuſum, quia impiæ; nec ad Chriſti exemplar efformantur, quia ſuperbiam redolent; nec ex Dei & proximi dilectione prodeunt, aut ad cõmunem referũtur vtilitatem, quia tyrannicè omnino proprium tantùm commodum reſpiciſit.

De talibus impiis legibus & iniuſtis audi ſanctum Baſilium, homil. 12. In principium Prouerbio. *Sed & gentium leges ac mores*, inquit, *multam inter ſe differentiam habentes, illorum prorſus mentes confundunt, qui iuſtitiæ diligentem rationem minimè comprehenderunt. Quidam enim populi Patrem necare fas putant, alij verò ab omni cæde abhorrent. Sunt item qui pudicitiam maximè colant: nonnulli vero & matribus & filiabus & ſororibus commiſcentur. Denique plurimi patrio & antiquo more detenti, in rebus agendis abominandum deteſtabileque minimè diſcernunt.* Ita Baſ. Tales impuriſſimas leges introductas fuiſſe à Cham filio Noë docet Beroſus.

Digitized by Google

l. 3. de antiquitate Iani patris, dum de ipſo ait: *At verò Chem, cum publicè corrumperet mortale genus, aſſerens & reipſa exequens congrediendum eſſe, vt ante inundationem, cum matribus, ſororibus, filiabus, maſculis, brutis, & quouis alio genere, ob hoc eiectus à Iano piiſſimo, & caſtimonia atque pudicitia refertiſſimo, ſortitus eſt cognomentum, Chem Eſenua, id eſt, Chem infamis & impudicus, incubus propagator. Eſt enim Eſen apud Scythas Arameos, infamis & impudicus; Enua verò tum impudicus, tum propagator.* Hæc Beroſus. *Enuum Latini dicunt, quaſi inuum, ab ineundo*, ait Annius Viterb. Ecce quanta aduenit deuiatio in iudicio rationis, cum mores ſunt proterui & corrupti: vbi autem boni mores vigent, ratio ſemper quod rectum eſt facilè amplectitur. Hinc etſi pudicitia maximo ſit in pretio apud Chriſtianos, hoc tamen fit abſque præiudicio naturæ. Conſulitur enim pudicitia, non præcipitur, vt liberum maneat autori naturæ ſpeciem humanam per quos voluerit conſeruare. Quod ſi licita hominis ac fœminæ coniunctio lege interdiceretur cunctis, nullus non videt talem legem rationi non eſſe conſonam; qualem legem quidam hæretici olim tulerunt, quos S. Auguſt. Abelonij, punica declinatione nominat, vel ab Abel Abelianos, & Abeloitas. *Hi non miſcebantur vxoribus*, inquit S. Auguſt. de hæreſi; *& eis tamen ſine vxoribus viuere, ſecta ipſius dogmate non licebat.* Sed ſi veram Regni huius tenebricoſi delineationem videre cupis, lege S. Auguſtinum lib. 2. de ciuitate cap. 20. In hoc regno nulla cura eſt ſi peſſima ac flagitioſiſſima ſit Reſpublica: tantùm ſtet, tantùm floreat, copiis referta, victoriis glorioſa; vel quod eſt felicius, pace ſecura ſit. In hoc regno nec ad hanc communem temporalem felicitatem habetur reſpectus, modò quiſque propriis conſulat commodis, & vtilitatibus. Vnde addit S. Aug. *Et quid ad nos? Imo id ad nos magis pertinet, ſi diuitias quiſque ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant, per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſque potentior, obſequantur diuitibus pauperiores cauſa ſanitatis; atque vt eorum patrocinijs quietâ inertiâ perfruãtur diuites pauperibus ad Clientelas, & ad miniſterium ſui faſtus abutantur; Populi plaudant nõ conſultoribus vtilitatum ſuarũ, ſed largitoribus voluptatum: nõ iubeantur dura, non prohibeantur impura.* Ita Aug. O quàm iſta pugnant cum lege Chriſtiana, quæ iubet animam dare pro fratribus, quæ ad præmia æterna per rerum omnium abdicationem, per abſtinentiam voluptatum, per humilitatem & obedientiam, per laborem, duritiem, fideles vocat. Vnde dicere poteſt quiſque fidelium. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Addit Auguſt. *Reges non curent, quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent, Prouinciæ Regibus, non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum prouiſoribus ſeruiant, eoſque non ſinceriter honorent, ſed nequiter ac ſeruiliter timeant; Quid alienæ vineæ potius, quam quid ſuæ vitæ quiſque noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus aut noxius; cæterum de ſuis, vel cum ſuis, vel cum quibuſque volentibus faciat quod libet: abundent publica ſcorta, vel propter eos maximè, qui priuata habere non poſſunt. Extruantur ampliſſimæ atque ornatiſſimæ domus, opipara conuiuia frequententur, vbi quiſque libuerit & potuerit die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes vndique concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atque omni genere ſiue crudeliſſimæ ſiue turpiſſimæ voluptatis exæſtuent. Et ille ſit publicus inimicus, cui hæc fælicitas diſplicet; quiſquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertet è ſedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur Dij veri, qui hanc adipiſcendam populis procurauerunt, adeptamque ſeruauerunt.* Ita S. Aug. Qui

A nobis in his rectè depingit ac deſcribit beſtiæ regnum tenebroſum. Hinc emanarunt tot turpia edicta Imperatorum aut Regum (ſiue gentiles, ſiue ſchiſmatici, ſiue hæretici fuerint) contra Chriſtianos ſummo Pontifici addictos, ſeu veram & Catholicam fidem profitentes. Sic publico edicto ſub Nerone prohibita fuit Religio Chriſtiana, vt refert Baronius, Appio Iunio & P. Silio conſulibus. Sic vi edicti à Diocletiano & Maximiano editi, cuilibet permiſſum fuit Chriſtianum quemlibet obuium impunè occidere, vt ex actis S. Anyſiæ Martyris refert. Baron. an. 303. Quæ edicta crudelia nouis firmauit edictis Galerius Maximus, Cæſar recenter proclamatus, vt gratiam Galerij Maximiani auunculi ſui iniret, qui implacabili odio Chriſtianos proſequebatur. B Tale edictũ à Licinio Imperatore latum fuit, de quo S. Baſilius oratione in 40. Martyres. *Vbi verò,* inquit, *iniquum præconium edictumque omnibus denunciatur, ne quis Chriſtum profiteretur, propoſitaque omnia pœnarum genera confitentibus, multa quoque à iudicibus iniuſtis ira & feritas prodiit. Multæ tendebantur vbique inſidiæ, doli, delationes, ignis inſuper paratus, enſis in promptu, crux affixa, bothrus, Rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione nonnulli fugiebant: alij qui ſuccumbebant: alij fluctuabant: quidam ante certamen, ſolis minis abſterrebantur, alij, vbi coram videbant intentatos cruciatus, conſternebantur: alij certamen ineuntes, deinde vſque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam* C *ac periculum detrectabant, & velut in Pelago naufragantes, quæ virtute patientiæ parta multorum annorum ſecum in naui vehebant, per impatientiam amiſerunt. Tunc igitur hi quadraginta inuicti & generoſi milites, cum præfectus Imperatoris literas oſtendiſſet, & obedientiam requireret, liberâ voce audacter ac fortiter nihil ex iis quæ viderant exemplis expaueſcendo, ſed minas omnes contemnendo, in medium procedentes ſeſe Chriſtianos eſſe faſſi ſunt.* Ita Baſil. Videſne in his depictam Regni tenebroſi beſtiæ Tyrannidem ad euerſionem (ſi fieri poſſet) Regni Chriſtiani omnes ſuos conatus adhibentem? Longum eſſet enarrare quomodo Imperatores gentiles ſua poteſtate & autoritate vſi ſunt, vt Chriſti regnum euerterent.

D Sed quid dicã de ſchiſmaticis & hæreticis Imperatoribus aut Regibus? Nec ad antiquiora ſecula recurrendum, cum in vltimis his temporibus apparuerit. Quanta ſit hæreticorum Regum ac Principum contra Eccleſiam Catholicam ferocitas. Taceo quod lib. 5. de hæreſum exortu cap. 9. notat Florimundus, nempe apud Germanos lege cautum eſſe vt omnes ſubditi Principum ſuorum religionem amplectantur. Qua quidem lege, quam pro fundamento optimæ gubernationis ponunt, quis non videt ſtatim veram Religionem eſſe funditùs euertendam, dum hic Lutheri, iſte poſtea Zuinglij aut Caluini doctrinæ adhærebit? Sed quot edicta Anglia audiuit, ad vnitatis Eccleſiæ & veræ fidei euerſionem, ab eo tempore quo Henricus octauus E an. 1530. In odium ſummi Pontificis illud publicauit, quo cauebatur ne quis ſubditorum aliquid è curia Romana aut poſtularet aut obtineret abſque ſuo conſenſu præuio? Quadraginta duas leges impia illa non Elizabeth, ſed Iezabel tulit iniquas contra Catholicos, quas legere poteris apud eundem Florimundum, lib. 5. de ortu hæreſ. c. 12. & alios hiſtoriæ Anglicanæ autores. Hæc tantùm adduco, vt videas quomodo Regnum beſtiæ ſit tenebroſum, dum ſuam omnem autoritatem ac poteſtatem inſumit, vt Chriſti Dominationem euertat, leges ferendo iniuſtas & impias, rationis ac fidei lumini contrarias. Ad hanc obcæcationem deueniant qui legibus Eccleſiæ parere nolunt, & ab eius obedientiæ iugo collum excutere deſiderant. Optimè ſiqui-

Digitized by Google

dem S. Baſilius, comment. in c. 8. Iſaiæ, immorigeræ incredulitatis & inobedientiæ cauſam aſſignauit dicens: *Non excipiunt mandata vitæ, quibus vſa eſt ſcriptura: Immorigeri ac rebelles detrectarunt imperium eorum, quæ iuſſi erant facere: aſperitatem non ferentes, ad exemplum Iudæorum, qui minimè tolerantes Euangelicam Domini doctrinam dicebant: Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire? Vtique ſcortatori ſiue puer meretricio, & concubino prædura eſt continentia. Ebrioſo homini quàm eſt auſterum ſibi temperare à vino? Quam ſtrigoſum & aſperum conuitiatori benedicere? Atque in genere dicam: iugum legis auſterius apparet his omnibus, qui libertatem vitæ concupiſcunt, & à collo ſuo excutere volunt iugum Domini. Ob hoc multi præcipites corruerunt in abyſſum perditionis, propter læuorem & latitudinem viæ. Pauci autem, qui conſequendi regni gratia ſuſtineant ſubire auſteram & operoſiorem vitam, quæ rectà ad virtutem prouehit. Siquidem malitia nitido & illici læuore blandæ voluptatis ineſcat hominis mentem. Contra, virtus auſteritate diſciplinæ operoſiſque laboribus vitam exaſperat ſe in ea exercentium, iuxta Prophetæ ſententiam: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Vias duras dicit mandata inſtaurandis exornandiſque animabus noſtris indicta; &c.* Ita Baſil.

Quam auſteritatem reprobi non ferentes, commanducant linguas ſuas præ dolore: & blaſphemant Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis: & non agunt pœnitentiam ex operibus ſuis. Vnde æternam incurrunt damnationem, Deo contra eos irato.

Quemadmodum enim, inquit S. Baſilius in Pſ. 28. *per bona opera Domino afferimus gloriam, itidem ex contrario eam ipſam auferimus per malignitatis & nequitiæ opera. Quid enim dicit peccantibus: Nomen meum per vos blaſphematur inter gentes. Et rurſus Apoſtolus: Per præuaricationem legis Deum inhonoras? Legiſlatori ſiquidem contumelia eſt deſpectio legum atque contemptus. Domus ni ritè gubernetur, nimirum in qua indignatio & clamor ſint, contumelia item, riſus, voluptas, prodigus ac profuſior luxus, immunditia, & ex conſuetudine flagitioſa ſcortatio, eorum quæ fiunt ignominia atque turpitudo in eum regeruntur ac reſiliunt qui domui præſidet. Conſentaneum igitur fuerit ipſi, vt intelligamus quoniam Deus quemadmodum per efficacem & bonam operationem glorificatur, ſic & per malignam & flagitioſam inimicus. Quando enim ſumens membra Chriſti, facio membra meretricis, tunc gloriam ab eo, qui me ſeruat, ad eum transfero qui me perdit.* Ita Baſ.

Et commanducauerunt linguas ſuas præ dolore. Et blaſphemauerunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis. Et non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Quia vnus eſt ſpiritus in Eccleſia, omnem in ea expellit diuiſionem in doctrina. Impium autem & tenebroſum regnum diaboli, tot habet dogmata, quot ſunt capita Chriſto rebellantia in ipſo.

ANNOTAT. XXXI.

PRÆTEREA, quæ iam diximus in annotationibus præcedentibus, ſiue in paraphraſi, dico iniquos commanducare linguas ſuas, cum quòd vnus probat, alter improbat; quod vnus fatetur, alter inficiatur; quod vnus iubet, aliùs prohibet. Lex autem Domini vna eſt: quia vnicum habet principium, ſiue Patrem reuelantem, ſiue filium docentem, ſiue Spiritum ſanctum inſpirantem: quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus, æterna quadam lege ſeu ratione totam vniuerſi communitatem gubernans, à qua tanquam à fonte lex naturalis, quæ participatio quædam eſt & impreſſio diuini A luminis, in nobis effluxit. Cuius quidem licèt ſint plura præcepta, ad vnum tamen referuntur, nempe quod bonum ſit faciendum & proſequendum, & malum quodcumque vitandum. Et ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehēdit eſſe bona humana, & vt bona appetenda, vt eſt ſui eſſe conſeruatio, ſpeciei propagatio, rationis ſuæ perfectio per veritatis cognitionem, voluntatis rectitudo per iuſtitiæ amorem, ſocialis vitæ quietudo per inculpatam & innocentem cum aliis conuerſationem. Hinc licèt plura dentur præcepta, propter hæc omnia, ad quæ homo vt ſubſtantia, vt animal, vt rationalis inclinatur, tamen vnum eſt præceptum, nempe quod B bonum faciamus, quodlibet malum fugiamus.

Hac de cauſa non commanducant linguas ſuas, qui hæc præcepta docent, quia in hoc vnum conueniunt. Eadem dicendum de lege diuina, quæ etiam ab illa lege æterna deriuatur. Quidquid enim iuſtum ac legitimum eſt, ab illa ſumma ratione, & ſuprema ſapientia originem ducit. At nihil tam iuſtum ac legitimum, quàm quod præcipit lex diuina, nempe dilectionem Dei & proximi. Ergo & hoc præceptum dilectionis ab illa lege æterna deriuatur. Vnum autem eſt præceptum, quia licèt plura dentur præcepta ad hoc vnum ordinantur, vt Deus ſupra omnia diligatur, cum etiam nec proximus ſit diligendus, niſi per ordinem ad Dei dilectionem, cui C omnes homines ſubdi debent. Qui quidem finis propiùs quidem & perfectiùs attingitur à lege Euangelicâ quàm à veteri: vnde ſolùm aliqualiter poteſt dici alia lex à veteri, cum non omnimodè ſit diuerſa, quia vnus vtriuſque eſt finis proſequendus, nempe quod homo ſubdatur Deo. Hinc etiam qui hanc legem docent, non commanducant linguas ſuas, quia omnium præceptorum & conſiliorum, quæ in Euangelio continentur, doctrina & iniunctio ad hoc tendit, vt Deus ſit omnia in omnibus.

Denique cum Eccleſia Spiritus ſancti inſtinctu regatur, qui datus eſt illi, à quo omnem addiſcit veritatem, nec in ea Paſtores commanducant linguas ſuas, quia eodem ſpiritu aguntur, & eodem ore D loquuntur, cum nulla doctrina in Eccleſia recipiatur vt Catholica, quàm quæ per os Petri profertur aut approbatur, vt pote à ſpiritu veritatis inſpirata; vt feliciter videatur in Eccleſia quod exoptat Paulus ad Philippenſ. c. 2. *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Ita Paulus. Nam cum à ſummi Pontificis ore (cuius eſt paſcere gregem, agnos & oues) pendeant omnes Catholici, tunc in diuerſa non raE piuntur dogmata, cum illum audiunt, ab illo diuino ſpiritu (qui Eccleſiæ præſidet, & per ſupremum Paſtorem illam docet) animati, qui ſic habitare facit vnanimes in domo. Vnde tam de legibus Eccleſiaſticis, quàm de doctrina eius dicendum nobis quod ait Pſaltes, Pſalm. 30. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Quod eſt tabernaculum?* inquit S. Auguſt. *Eccleſia huius temporis tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur: tabernaculum enim habitaculum eſt militum in expeditione poſitorum. Ipſa dicuntur tabernacula. Domus non eſt tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, vt ſaluus factus in tabernaculo glorioſus recipiaris in domum. Erit enim in cælo domus tua æterna, ſi modo benè in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes,*

Chriſti regnum, in ea mente ſedens decernit. A qua tyrannica ſubiectione nos ſubtrahere ſatagebat S. Paulus, Epheſ. 4. dicens: *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam, &c.*

Quod autem diabolus nomine beſtiæ optimè deſignetur, habes ex S. Auguſtino in Pſalm. 73. illum exponens verſiculum: *Ne tradideris beſtiis animam confitentem tibi. Quibus*, inquit, *beſtiis, niſi quarum capita contrita ſunt ſuper aquam? Quia dictus eſt beſtia, leo, & draco, ipſe diabolus. Noli*, inquit, *dare diabolo & Angelis eius animam confitentem tibi: deuoret ſerpens, ſi adhuc terrena ſapio, ſi terrena deſidero, &c.* Ita Aug.

Hæc quidem vera ſunt. Sed dum attentiùs conſidero iſtam prophetiam præcipuè agere de externo & viſibili Chriſti regno, & de iis quæ exteriùs fiunt, ſiue vt promoueatur, ſiue vt eius progreſſus impediatur, &, ſi poſſibile eſſet, funditus euerreretur; ideo in ſede mentem impiam ad ſe omnia referentem equidem intelligo, ſed quæ præter impietatem fulgeat aliqua autoritate & poteſtate terrena, qua dæmon abutatur, vt omnibus conatibus Paſtorum Eccleſiæ Chriſti regnum promouere ſatagentium ſeſe opponat. Et, ſi velis, mens impia ſit ſedes beſtiæ, ſit poteſtas & dignitas terrena; quæ eo ipſo quo in tam peruerſa mente inſidet aut reperitur, contra Chriſtum inſurgit. Omnis enim legirima autoritas & poteſtas à Deo eſt. Sed illamet, quæ ſecundum ſe ad Dei cultum ordinatur, ſtatim atque in mente impia reperitur, contra Deum erigitur & extollitur. De tali poteſtate dixit Apoſtolus 2. ad Corinth. 10. *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei &c.* Ecce poteſtas in mente impiâ tanquam in ſede & throno poſita, quæ audet ſe extollere aduerſus Deum. Hæc quidem verba Apoſtoli à S. Ambroſio intelligantur de dæmonibus, dum ait: *Arma ergo: quia repugnant vitiis ſignum habentia Imperatoris ſui Chriſti, qui hoſtis eſt vitiorum. Sicut enim Imperator per milites ſuos vindicat ſuum regnum; ita & ſaluator per nos ſeruos ſuos defendit vnius Dei profeſſionem & diſciplinam, ad deſtructionem munitionum &c. Arma ſpiritalia fides eſt incorrupta prædicationis. Per hæc Deus vincit principes & poteſtates, quos conſtat, vt ſibi vſurpent imperium, extolli contra fidem Chriſti, cogitationibus ſe hominum inſerentes, vt auocent eos à Dei dominio. Quas cogitationes deſtruit veritas fidei. Munitiones ergo principes dicit, & ſpiritalia nequitiæ; qui ſe extollunt, & armant infidelium animos ad contradicendum Chriſto, contra quos pugnat Dei lex diſſipans conſilia eorum.* Hæc Ambroſ. Tamen dum Apoſtolus dicit non hanc aut iſtam altitudinem, ſed omnem, hoc etiam de principibus & poteſtatibus ſeculi intelligere poſſumus, quorum operâ diabolus vtitur, vt Chriſto contradicat, & ſeruorum ſuorum conatus futiles ac inutiles reddat. Vnde Sedulius hunc locum extendit ad falſos doctores, qui muniunt & circumdant doctrinam ſuam aſtutia, argumentiſque ad omnem ſuperbiam. *Quid enim*, inquit, *tam ſuperbum, quàm diuinis contradicere præceptis?* Ita Sedul. Qui cum Primaſio etiam hunc locum extendit ad pſeudo-Apoſtolos, & quemcumque viam Dei ſubuertere volentem diſputationibus, & ad hæreticos. Qui enim omnem dicit altitudinem, nullam excipit ex eis quæ ſe contra Deum extollunt. Hinc quia hoc faciunt plærumque principes ſeculi, de ipſis hunc locum exponimus, de quibus Pſalm. 2. dicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerũt in vnũ aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorũ.* Vnde Apoſtoli hunc locũ expoſuerũt de Herode & Pilato, Act. 4. Et cum Rege Herode iuxta S. Chryſoſt. peccati quoque regem diabolum oſtenderunt, & cum principe Pilato, dæmonum poteſtates, & principatus ſignicarunt. *Quia*, inquit Chryſ. in hunc Pſ. *Deus in carne erat, qui crucifigebatur, & qui ſub viſum non cadebat: in eo quod videbatur, afficiebatur iniuria, dæmones cum hominibus, & qui carnis erant expertes cum carnalibus aduerſus eum conuenerunt.* Ita Chryſ. At quod vani & inutiles ſint dæmonum & principum ſeculi conatus, habitatore cælorum deridente eos, Domino eoſdem ſubſannante, eo ipſo momento temporis quo talia erant conſpirantes. & contra Chriſtum inſurgentes, ſentient & videbunt nõ ſine conturbatione, & animi vehementi commotione, quod ipſemet Chriſtus aſſerit: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius*; Et quod tanquam verè filius Dei & hæres poſſidebit gentes in hæreditatem, quas reget in virga ferrea. Vnde ad ei ſeruiendum reges & iudices prouocari debent, niſi maluerint eius iram experiri, & perire de via iuſta, ſi ſemel ira eius exarſerit.

Qua ratione effuditur phiala quinta ſupra ſedem beſtiæ, nempe per legum iuſtarum inculcationem, & ad illarum obſeruationem inductionem.

ANNOTAT. XXVII.

HABET Chriſtus Dominus proculdubio thronum, in quo Regni ſui habenas moderatur; nempe Eccleſiam: de quo Apoſtolus ad Heb. c. 2. *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis virga regni tui.* Hunc thronum ad modum ſolis eſſe in conſpectu Dei ipſemet Deus pater aſſerit, Pſ. 88. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Thronum Dauidis inquit optimè Genebrardus, vocat Regiam eius Maieſtatem & potentiam in Eccleſia ſiue populo Dei vigentem, cuius hæreditas, autoritas, ius eſt in Chriſto, Miniſterium in Chriſtianis Pontificibus & Regibus, iuxta illud S. Athanaſij in Euangelium de Deipara: *Ergo capiens Chriſtus thronum Dauidis tranſtulit illum, & dedit ſanctorum Chriſtianorum Regibus, vt conuerteret eos ad domum Iacob, quâ tradita in opprobrium & direptionem regnabit in æternum, & regni eius non erit finis, &c.* Ita Athanaſ. Siquidem, vt ipſe addit, *genitus ex virgine, & conſummatis omnibus, quæ ad negotium mortis & crucis pertinebant, poſt reſurrectionem ad ſuos aiebat: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ecce iam regnare incæpit, & prædicatur Chriſtianorum Rex, quemadmodum in exordio precum ſuarum ſe inuicem adhortantes, atque in cælum conuocantes clamare ſolent: Venite, adoremus & procidamus coram Chriſto rege noſtro.* Ita Athan. Citat etiam Genebrardus Epiphanium de hæreſi Naz. *Et licet hanc ſedem Dauid dicat in terra collidendam, v. g. à Turcis, hæreticis, & cæteris impiis, illis videlicet in locis, in quibus iſti Chriſtianum nomen, Chriſtianos Reges, & Pontifices extinxerunt, interim vniuersè hoc Chriſti Regnum ſpirituale & temporarium etiam in terra erit perpetuum, id eſt vſque ad conſummationem ſeculi. Nam Eccleſia, in qua regnat Chriſtus per fidem & per ſuos miniſtros, reges ſcilicet Chriſtianos & Pontifices, eo vſque cum vtraque adminiſtrandi ratione perducetur: ſicque perpetuò erit viſibilis. Neque enim vnquam tota ſimul pedibus infidelium vel hæreticorum ſubſternetur. Atque iſtud eſt quintum mundi Regnum à*

Digitized by Google

Daniele prophetatum: quod & regnum cæli & regnum ſacerdotum ab eodem dicunt, à ſcholaſticis Regnum Eccleſiæ. Sicut ſol in perpetuum durabit, vt ſol æquè perpetuus erit: ac ſol item ſplendidiſſimus, clariſſimus, pulcherrimus. Sicut ſol, plena luna, & iris, plenum gloriæ & maieſtatis. Tum erit illuſtre regnum eius coram me, quàm ſol terram illuſtrans. Ita Genebrard.

Hinc in 1. capite facies Chriſti in medio ſeptem candelabrorum aureorum deambulantis videtur ſplendens, ſicut ſol lucet in virtute ſua. Qua etiam de cauſa mons Sion, (in quo ſedem ſuam Deus collocauerat) verſus meridionalem plagam, in qua ſol lucet in virtute ſua, erat poſitus, vt notat Genebrard. In illum verſic. Pſ. 47. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera aquilonis, ciuitas Regni magni. Quaſi dicat,* inquit Genebrard. *mons Sion meridionalis, & latera Aquilonaria vrbis ſunt ciuitas Regni magni.* Et poſt pauca: *Ineptè aliqui putant eſſe appoſitionem: nam mons Sion minimè erat ab vrbis Aquilone, ſed meridie, ex Ioſepho l. 6. belli Iud. c. 6. & l. 13. antiquit. c. 14. Nicephor. l. 8. hiſt. Brocardo. Itinerar. 6. id eſt, Habebat vrbem Hieruſalem ab Aquilone Eſ. 14. v. 15. Eoque toto auſtrali tractu ambiebat.* Ita Geneb. Videtur igitur hic mons dici latera aquilonis: quia ad latus eius erat poſitus, nempe verſus meridionalem plagam: non quod fuerit ipſe ad aquilonem, vt exiſtimat Cornel. à Lapide, comm. in Iſ. c. 14. *Templum*, inquit, *vocatur latera aquilonis, quia erat ad aquilonarem vrbis partem ſitum, vt patet ex illo Pſ. 47. Mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni. Vnde ſeptuaginta hîc vertunt: Super mõtes excelſos (Sion & Moria) quia ſunt ad aquilonem* Ita Cornelius. Sed de ſuo addit Cornelius (Sion & Moria.) Vnde cum non expreſſerint ſeptuaginta hos montes, illorum autoritas non extenuat quæ pro ſua ſententia Genebrardus adducit. Mõtes enim illi excelſi poſſunt intelligi de aliis prææltis montibus in aquilonari parte poſitis, ſuper quos ille dicit ſe ſeſſurum, ſicut Deus ſedebat in monte teſtamenti, qui ad latus aquilonaris plagæ erat poſitus; vt ſic ſeſe opponeret throno Dei, ex altera parte ſedem ſibi collocare & erigere proponens. Vnde ipſemet Cornelius hæc verba exponens: *Sedebo in monte teſtamenti*, ait: *Intellige per Hebraiſmum, ſicut. Quaſi dicat: Sicut Deus cultus fuit in monte Dei, id eſt, in templo Hieroſolymitano, ita ego Baltaſar colar vt Deus in ſolio meo, vel in delubris Babylonis.* Ita Cornel.

Veriſſimilius igitur mihi videtur montem Sion eſſe in meridionali plaga ſitum, vt ex loci poſitione conjiciamus Dei ſedentis gloriam & maieſtatem, qui mundum & Eccleſiam ſuam gubernans lucet ſicut ſol in virtute ſua, id eſt in meridie: non enim regnum eius tenebroſum, ſed lumine clarum & illuſtre. Hoc benè nouerat ſponſa, quæ cum inuenire percupiebat: nec alibi quàm in meridie illum recumbentem ſuſpicatur, dum ad eum clamat, Cantic. 1. *Indica mihi, quem diligit anima, vbi paſcas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Sentiebat proculdubio in quantis iaceret tenebris, & iam clamauerat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vt ſcilicet ab eo illuminaretur, qui verè lux eſt mundi, omnem illuminans hominem: ac mihi videtur dicere quod eam dicentem Philo Carpathius in primum Canticorum inducit. *Magnus enim olim fuit morbus meus ac languor (clamat Eccleſia, vocat & ſponſa.) Non vili egeo curatore, ſed magnis mihi medicamentis opus eſt omnino). cæleſtem medium voco, huius neceſſariò indigeo: ſine hoc vno pereo: ab huius ſola curatione conualeo. Ab hoc verò mihi medicina ſalutaris ac certa. Maximum hunc ergo medicum planeque perfectum quærito. Intolerabiles me tenebræ offuderunt. Non iam caligo: non cæcutio: non offendo: ſed diu miſera cæcitate premor, denſaque caligine circumfundor, ac grauor. Veniat igitur hoc lumen: lucerna enim lex, & prophetæ. Vnde illud: lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis mei. Sed illa me illuminare nequeunt, niſi mihi quod perfectum lumen eſt illuxerit. Illud ergo ſydus ſplendoris immenſi, illud fulgentiſſimum mihi cæcitatem depellit omnem, tenebrarumque caliginem; & viam commonſtrabit qua reuertar in patriam. Hoc legem præſtat, hoc Prophetas excellit. In ipſo deoſculari vnigenito deprecatur Eccleſia: rogat & ſponſa cæleſtis, & anima fidelis. Os enim Dei patris & filius. Propterea cum Deus & ipſe ſit æqualis natura patri, verbum appellatur: quoniam quæcumque vult pater, per filium loquitur, creat, conditque ſimul & ſeruat vna cum diuino illo ſpiritu, qui à Patre filioque procedit.* Ita Philo Car. At his non contenta, nec his oſculis ſatiata, vult ſponſa illud lumen aſpicere, dum lucet in virtute ſua in meridie. Timet ne caliget oculus ad tantum ſplendorem. Ideo corrobari ſe exoptat, vt tam fulgidum lumen in meridie ſplendores ſuos emittens poſſit intueri. Hinc rurſus clamat: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* id eſt, in paſſione tua, in qua offuſcatus tenebris, deficiente lumine ſolis iſtius viſibilis, clarius tamen quàm vnquam effulſeris in vita, refulges. *Sic*, inquit Philo Carpathius, *ſponſa Chriſti facta, ſponſi deſiderio & amore ardet, inquiritque officiis, ac ſanctiſſimis actionibus meditationibuſque & intimis affectibus ad illum ipſum peruenire anhelat. Vnde ait: Indica mihi, quem diligit anima mea, &c. vbi cubes in meridie, hora ſuæ necis, quam paſſionem vocant, quando ab hora ſexta ad nonam vſque, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Idcirco clamat: Vbi paſcas, vbi cubes in meridie. In quo quidem meridie, & vis æſtus maxima tentationum inſurgit, & ſæpe dilectos ſuos Dominus iuſto iudicio tentari ſinit: ſed nemo poteſt, niſi ipſemet ſponſus, quem quærit ſponſa, ſe quærenti ſponſæ declarare. Quis enim inacceſſibilem lucem adeat? Quis infinitum verbum illud capiat, de quo ab homine verbum formari nequit? Ex ipſo igitur, & per ipſum, & in idipſum ſancta anima quærendo peruenit, aſſequiturque quod auet.* Ita Philo. Carpat. In hoc cubili, in hoc throno crucis ſedens Rex noſter, mirũ eſt quanto lumine fulgeat, quot ſplendores emiſerit. Hic poſitus legem charitatis Dei & proximi ſigillo cicatricũ ſuæ paſſionis muniuit. Hic leges humilitatis, obedientiæ, patiẽtiæ, temperantiæ, continentiæ, paupertatis & miſericordiæ propoſuit: ad quorum normam actiones noſtras regulandas nobis præcepit, dum ſe exhibuit imitandum. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quis fulgentiſſimum lumen fixis intueri poterit oculis? Hoc tantùm proprium generoſæ aquilæ, nempe animæ ad cæleſtia expanſis alis totis viribus anhelantis. Hoc proprium eſt fidelium in Eccleſia Catholica viuentium; Optimè ſiquidem Iuſtus Orgelitanus. Epiſcopus: *Legimus in Euangelio: Si dixerint. Ecce hîc eſt Chriſtus; ecce illic; nolite exire. Hic enim atque illic partes eſſe noſcuntur; Chriſtus autem in Eccleſia Catholica, tanquam in meridie cubans, mundum vniuerſum ſuo fulgore perfudit, & in ſpiritu feruentibus requieſcit, atque ex charitate, qua vniuerſum irradiat, credentes in ſe populos quotidie paſcit.* Ita Iuſtus Orgelitanus Sed Aponium antiquum ſcriptorem audiamus inducentem Chriſtum perfectiores paſcentem in cruce de occultioribus myſteriis tanquam exquiſitiſſimis cibis. *Vbi*, inquit, *hæc omnia operata à perfecta anima fuerint, & amori Chriſti nulla dilectio mundi fuerit antepoſita, tunc magna fiducia & ardentiſſimum deſiderium naſcitur inquirendi & etiam quæ ſunt occulta, & habitante in receſſu mentis ſuæ Spiritu ſancto, qui omnia ſcrutatur, ſecundum Apoſtolum, aliis proculdubio inuiſa & inaudita, quæ adepta eſt, perfecta anima reuelauit, cuius vox præſenti introducitur loco: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, &c. Sicut ergo oues ſine paſtore, & ſine bono*

paſtore ſubſiſtere minimè poſſunt, ita docuit præſenti loco animam ſine notitia rectæ fidei (in qua creator noſter, in qua æterna Trinitas probatur conſiſtere) & ſine adiutorio diuinæ protectionis, nec vitam æternam adipiſci, nec à diaboli morſibus liberari. Hæc proculdubio paſcua ſponſa deſiderat adipiſci, quæ in Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatione oſtenſa ſunt: Vbi credentium animæ paſcuntur floribus, vernante campo, dulciſſima Euangelica doctrina, ſicut Prophetatum eſt per Ezechielem, Domino ipſo dicente: Ego requiram oues meas de cunctis montibus, & non erunt vltra in deprædationem beſtiarum. Et ego paſcam eas: & ego accubare eas faciam: & ſeruus meus Dauid paſcet eas iuſtitia, & doctrina. Vbi vnaquæque anima pro capacitate ſenſus ſui, quanta voluerit paſcua miri ſaporis currendo decerpit: Vbi poſt ardentis nequitiæ ſolis æſtus, ſub tegmine defenſionis crucis, in perſpicuo intelligentiæ lumine, Dei hominiſque ſocietate, agnito redemptionis myſterio, à diaboli impetu, qui ſolus mentitur, defenditur. Ita Aponius. Ardore igitur charitatis Dei, in cruce omnis æſtus nequitiæ diabolicæ ſuperatur, & claritas mundana perſpicuo intelligentiæ lumine è cruce prodeunte offuſcatur. Nunquam enim Chriſtus diuina præcepta (quibus omnis concupiſcentiæ ardor extinguitur, & omnis mundi gloria conculcatur) fortiùs inculcauit, quàm dum in cruce pendens, quæcumque fieri præcepit ipſe adimpleuit. Sed quia à nobis erat auferendus poſt reſurrectionem & aſcenſionẽ, ipſius curæ ac prouidentiæ fuit poſt ſe relinquere à quo doceremur, & doctrinæ ſuæ ac mandatorum ſuorum notitiam accipere poſſemus. Nobis enim Petri veſtigia ſequenda reliquit: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum.* Cant. 1. Petro namque altiora myſteria reuelauit, vt ſciamus ab eius ore pendere notitiam credendorum. Vnde vniuerſi Eccleſiæ cœtus ad eum recurrunt: quorum veſtigia ſequi debemus, Petrum adeuntes, vt omnes hœdos curioſitatum mentis paſcamus, non intrantes curioſè tabernacula ſummi Paſtoris, ſed iuxta illa commorantes. Noſtrum quippe non eſt de rebus fidei decernere, ſed iuxta quod Paſtores decernunt, iis quæ docent fidem adhibere. Quod animaduertit Aponius in hunc locum, dum addit: *Manifeſtata eſt autem omni terræ, vbi paſcua ſanæ doctrinæ Apoſtolorum principi reuelata eſt Petro, dum interrogante Chriſto reſpondet: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ecce quomodo oues aliquando ad vocem veri paſtoris paſcua vitæ æternæ in Petro inueniunt: & ideo Petrus tantis laudibus coronatur, cum ei dicitur: Et beatus es Simon Barjona: quia non reuelauit tibi caro & ſanguis, ſed ſpiritus Patris mei, qui in cælis eſt. Quia ita ore eius, reuelante Spiritu ſancto, glorioſa paſcua & requiei ſempiternæ vitæ cubilia Eccleſiæ indicata ſunt, Vt iam non vltra per malos & alienos greges vel paſtores vagetur, eo quod miram ſententiam protulit, reſpondendo quæ nullius niſi ſolius notitiæ erant indiuiduæ Trinitatis. Etenim hic euidenter coæternæ perſonæ monſtrantur, qui venit, à quo venit, & quis reuelauerit Petro. Nam ſicut terra ſolis calore & pluuia, paſcua iumentis, victumque hominibus germinare ad vitam præſentem probatur; ita & Dei filius in aduentu ſuo, manifeſtando clementiſſimam Trinitatem, vitam dediſſe animabus credentibus comprobatur, ſicut ipſe Chriſtus ait. Pater, quos dediſti mihi dedi illis vitam æternam. Et quæ ſit vita, quam dedit, in ſequentibus declarauit. Vt cognoſcant, inquit, te verum viuum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ita paſcua non videt anima, niſi quæ veſtigia Petri credendo & confitendo fuerit proſequuta.* Ita Aponius.

Chriſtus igitur, qui in vita docuerat, in morte documentorum ſuorum praxim & exemplar inſigne propoſuerat, Petrum & in Petro Eccleſiam omnem, ſeu reliquos eius paſtores poſt reſurrectionem

A & aſcenſionem ſuam nobis relinquit, à quibus ſua præcepta & leges addiſceremus; quos cum audimus, ipſum audimus. *Qui vos,* inquit *audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Luc. 10. Hinc, ſicut Apoſtolis præceptum fuit à Domino vt docerent omnia, quæ Chriſtus docuerat & præceperat. *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Matt. vltimo, ita etiam Apoſtolorum mandata ſeruanda eſſe Paulus fidelibus præcipiebat, Act. 15. *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* Nec in Apoſtolis finiuit autoritas miniſterij, & poteſtas adſtringendi fideles quibuſdam legibus ac præceptis. Paulus enim docet obediendum eſſe præpoſitis. B Ad Heb. c. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Et reuera non modo diuina lex ſupra legem naturalem addenda fuit, vt ad vitam æternam dirigi poſſemus, ſed & Eccleſiæ leges & conſtitutiones addendæ fuerunt, vt facilior nobis pateret aditus ad fidelem mandatorum Dei obſeruationem.

De diuerſitate legum, quæ ſedi beſtiæ proponuntur, vt per illarum obſeruationem fiat Dei ſedes & domicilium.

C

ANNOTAT. XXVIII.

REVERA Deus ſummus rerum omnium moderator rationes habet apud ſe, quibus ſapienter ordinat quæcumque neceſſaria ſunt ad rerum omnium gubernationem, & directionem earum ad finem competentem per media conuenientia: imo eſt ipſamet ratio gubernationis rerum æterna; quia diuina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet conceptum æternum. Huic ſummæ rationi participant omnia creata, in quantum ſcilicet ex impreſſione eius habent inclinationes in proprios actus & fines. At excellentiori modo rationalis creatura il- D lius prouidentiæ ſubiacet, & huius ſupremæ rationis ſeu prouidentiæ fit particeps, dum illi conceditur vt ſibi & aliis poſſit prouidere, & per quamdam impreſſionem diuini luminis diſcernit quid ſit bonum, & quid malum, & naturaliter inclinatur ad debitum actum & finem. Hoc illud eſt lumen, de quo Propheta Pſ. 4. dixit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Dictat autem ratio practica quædam (quæ deducit ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus & indemonſtrabilibus) ad aliqua magis particulariter diſponẽda, quaſi habeant omnes conditiones, quæ pertinent ad rationem legis; puta quod nihil contineant rationi repugnans, E quod ad bonum commune ſeu felicitatem communem referantur; quod ſint ab habente autoritatem imperandi, aut prohibendi aliquid communitati regendæ; quod applicentur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent, per promulgationem, vt in eorum notitiam deducantur. Habebunt vim legis. Lex enim nihil eſt aliud quàm quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. Hæc rationis dictamina dicuntur leges humanæ, quia per induſtriam hominis ratiocinantis circa finem & media adinueniuntur. Clamat autem Dauid ad Deum, Pſalm. 118. *Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.* Ac ſi experiretur, nec illud lumen naturaliter inditum, nec illam humanam induſtriam ſufficere ad directionem vitæ.

Digitized by Google

Benè, inquit S. Ambroſius, ait: *Conſtitue: vt in pectore eius immobilis & fixa permaneat, nec aliquo ſæculi turbine ab eius conuellatur affectu.* Ita Ambroſ. Facillimum quippe eſt homini à ratione deficere, ſiue ex paſſione, ſiue ex mala conſuetudine, ſiue ex mala habitudine naturæ, vel etiam propter malas perſuaſiones, & aliorum praua colloquia, ac peruerſa malorum exempla. Vnde deſiderat legem accipere fixam & permanentem: ne in particulari operabili, à communibus agendi iuxta rectam rationem principiis diſcedat, qua etiam naturalis illa ad virtutem aptitudo & inclinatio perficiatur. Licèt enim legibus ex induſtria humana adinuentis poſſit homo retrahi ab indebitis delectationibus, & ad actus virtutum induci monitionibus & directione legum, quoad eos qui ex bona diſpoſitione naturæ, vel conſuetudine, vel magis diuino munere proni ſunt ad actus virtutum; vel ſaltem metu pœnæ per leges imponendæ cohibeantur à malo, quoad proteruos, & ad vitia pronos: vt ſic male facere deſiſtentes, aliis quietam vitam reddant, & tandem per bonam aſſuetudinem ipſi fiant virtuoſi; tamen homo non ſufficienter dirigeretur ad finem, ſi tantùm naturalem illam virtutem, & felicitatem illi proportionatam conſequeretur. Oportuit igitur quòd præter legem naturalem & legem humanam diuina quædam lex daretur, per quam homo in ſupernaturalem ſuum finem, qui eſt æterna beatitudo, ordinaretur, atque infallibiliter dirigeretur. Equidem ſi homo ordinaretur tantùm ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quod homo haberet aliquod directiuum, ex parte rationis, ſupra legem naturalem & legem humanitùs poſitam; ſed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo neceſſarium fuit vt ſupra legem naturalem & humanam dirigeretur etiam ad ſuum finem, per legem ſcilicet diuinitùs datam, de qua conſtat quod non poteſt errare. Vnde homo inter incerta hominum iudicia, de rebus contingentibus & particularibus abſque omni dubitatione poteſt ſcire per illam legem infallibilis veritatis, quid ſibi ſit agendum, & quid vitandum: non modo in exterioribus actibus qui apparent, qui ſoli poſſunt lege humana, & iudicio hominum cohiberi & ordinari: ſed etiam in actibus interioribus, qui ad virtutis perfectionem requiruntur. Denique quod lex humana non poteſt præſtare (nec enim poteſt omnia mala punire vel prohibere, ne dum auferre vellet omnia mala, multa etiam bona tollerentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conuerſationem hominum) hoc præſtat lex diuinitus datà. Omnia enim peccata prohibet. *Et iſte quatuor cauſæ*, inquit S. Thomas, *tanguntur in Pſalmo 18. Lex Domini immaculata, id eſt, nullam peccati turpitudinem permittens. Conuertens animas: Quia non ſolùm exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit. Teſtimonium Domini fidele: Propter certitudinem veritatis & rectitudinis. Sapientiam præſtans paruulis, in quantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem & diuinum.* Ita S. Th. 1. 2. q. 91. ar. 4.

O quàm tenebroſum eſt diaboli regnum, auertens hominem à ſupernaturali fine, mendacio & malitia corda hominum ſeducens: non modo interiora cordis ſuggeſtionibus prauis inficiens, ſed homines etiam ad quæcumque mala opera perpetranda inducens, & eos denique, omni pudore ſublato, ad quaſcumque carnis ſpurcitias & immunditias impellens. Ne igitur Dauid auerteretur à fine ſuo, ne mendacio ſeduceretur, & in viam prauam declinaret: ne pateret inſidiis inimicorum, & ad peccandum alliceretur: ne carnis oblectationibus

A adhæreret, rogat obnixè Deum vt inclinet cor illius in teſtimonia ſua, & non tantùm legem ponat ſibi ſcriptam in tabulis lapideis, vt olim in veteri teſtamento *ordinata fuit per Angelos in manu mediatoris.* Ad Gal. 3. *Angelos dicit*, inquit S. Ambroſ. *Dei nuntios, ad Moyſem, Ieſum Naue, & cæteros Prophetas, vſque ad Ioannem Baptiſtam, de quo Deus dicit: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam. Per hos ergo lex ordinata, impoſita eſt à Deo, in manu, id eſt, in poteſtate ſaluatoris.* Ita Ambroſ. Videtur tamen S. Thomas. 1. 2. q. 98. ar. 3. veros Angelos intelligere. Ibi enim citat hunc locum Pauli, dum probare vult legem veterem datam per Angelos. Et Sedulius Hybernenſis: *Quia per Angelos lex miniſtrabatur, ſiue Moyſi, vt* B *quidam putant (nam & Moyſes, aiunt, inter Deum & populum medius fuit) ſiue Chriſto.* Quidquid ſit, ſcripta tunc fuit, cum Moyſi data fuit, in manu, id eſt virtute, veri mediatoris (cuius ille typus fuit) in talibus lapideis: Sed nunc oportet vt ſancto Spiritu, tanquam digito Dei, in mente & in corde ſcribatur, gratiâ & veritate per Chriſtum allatâ, qui verus eſt mediator, cuius Moyſes legem accipiens erat tantùm olim figura; ne quam memoria teneat, vita negligat, ſed quam ſciat intelligendo, faciat diligendo, *in latitudine amoris, non in timoris anguſtiis,* vt ait Auguſt. in Pſalm. 118. contio. 11. *Nam qui*, inquit ille, *timore pœnæ, non amore iuſtitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, ſi poſſet* C *fieri, mallet vtique non iuberi: ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate. Talis non poteſt quod iſte dixit in ſuperioribus verſibus: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Quia illa dilatatio charitatem ſignificat, quæ, ſecundum Apoſtolum, legis eſt plenitudo. Cur ergo iſte adhuc poſcit ſibi legem poni, quæ vtique ſi non ei poſita fuiſſet, non in viam mandatorum Dei in cordis latitudine cucurriſſet. Sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit eſſe quod proficit, quid aliud petit, cum ſibi legem poni petit, niſi vt in ea magis magiſque proficiat?* Ita Auguſt.

Hæc eſt illa lex noua, lex nempe gratiæ, lex amoris & charitatis, lex fidei, lex ſpiritus vitæ in Chri- D ſto, quia liberat nos à lege peccati & mortis. Rom. 8. Quæ enim ſunt leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, per gratiam, qua iuſtificamur, à Chriſto allatam, quæ quidem gratia bonum præcipuum & principale eſt legis nouæ; vnde ab initio mundi data non fuit, quia gratia abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummatâ per Chriſtum redemptione; & quia aliquid non ſtatim à principio ad perfectum adducitur, ſed quodam temporali ſucceſſionis ordine, ſicut aliquis prius fuit puer, & poſtmodum vir. Et denique oportuit, vt homo relinqueretur quodam temporis ſpatio ſibi in ſtatu vete- E ris legis, vt in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcendo, cognoſceret ſe gratia indigere. O ter quaterque beatus, qui hanc legem gratiæ in corde ſuſcipit! Quam propinquus fini ſuo vltimo approximat! Eſt enim charitas *vinculum perfectionis. Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo.* Certè ſi aliqua inſit difficultas circa opera virtutum in interioribus actibus, quia non habenti virtutem difficillimum eſt promptè & delectabiliter opera virtutum exercere, tollitur omnino per gratiæ & charitatis legem. Vnde dixit Ioannes. 1. c. 5. *Mandata eius grauia non ſunt*; amanti ſcilicet: nam *non amanti grauia ſunt.* inquit Auguſt.

Per hanc legem, Chriſti regnum viſibile & externum erigitur ac promouentur. Dum enim illud re-

gnum per charitatem intra nos eſt, facilè exteriùs colimus & adoramus Deum, ſecundum ea quæ præſcribere voluit, cum illum interna charitate diligimus; facilè Chriſto in nobis interiùs operanti cooperamur ad promerendam vitam æternam de plenitudine eius accipientes: hanc enim gratiam conſequuntur homines per Dei filium hominem factum, cuius humanitatem Deus repleuit gratia, & exinde eſt ad nos deriuata: & ideo conuenit vt per aliqua exteriora ſenſibilia gratia à verbo incarnato profluens in nos deducatur; & ex gratia interiori, per quam ſpiritui ſubditur, exteriora quædam opera ſenſibilia producantur. Dei igitur amator libenter aſſumit exteriora illa opera ad gratiam inducentia, qualia ſunt opera ſacramentorum, & exteriora B opera, quæ ex inſtinctu gratiæ producuntur; ſiue neceſſariam habeant conuenientiam cum gratia, vt eſt confeſſio fidei; ſiue non habeant, modo ab eis, quorum intereſt aliorum curam gerere, determinetur hoc expedire fieri, & ſubditis ordinetur à præpoſitis Eccleſiæ hoc aut illud eſſe faciendum, quamuis à prima legis inſtitutione hoc relictum fuiſſet liberum vnicuique à legiſlatore Chriſto; inſuper libenter abſtinet ab his omnibus, quæ vetantur & prohibentur fieri, ſiue illa neceſſariam habeant contrarietatem ad gratiam, vt eſt negatio fidei, ſiue non; quia verè diligit, & placere in omnibus deſiderat, nec in aliquo, licèt minimi momenti, illius oculos offendere cupit. C Et non modo Dei amator omnia exteriora opera exercet, quibus dilectionem ſuam, & reuerentiam erga Deum manifeſtare poteſt, quæ ſunt neceſſaria & præcepta, ſed plærumque etiam conſilia Euangelica, quibus meliùs & expeditiùs homines beatitudinem conſequuntur, amplectitur; ſicque diuitias abdicat, per paupertatem; delitias carnis, per perpetuam caſtitatem; ſuperbiam vitæ, per obedientiæ ſeruitutem. Et non modò Deo exteriùs per ſacramentorum ſuſceptionem, & moralium præceptorum adimpletionem, obſequium præſtare conatur, ſed etiam omnes interiores animi motus conatur in Deum ordinare, iuxta Chriſti legis gratiæ autoris inſtitutionem, ſiue D quantum ad ſeipſum, dum illa lex Chriſti ordinat hominis voluntatem, vt ſcilicet abſtineat aliquis non ſolùm ab exterioribus operibus, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ſed etiam ab interioribus, & ab occaſionibus malorum, & dum ordinat intentionem hominis, prohibendo ne in bonis, quæ agimus, quæramus humanam gloriam, neque mundanas diuitias, quod eſt theſaurizare in terra; Siue quantum ad proximum, vt ſcilicet eum non temerariè aut iniuſtè iudicemus, aut præſumptuoſè, neque tamen ſic ſumus erga proximum remiſſi, vt eis ſacra committamus, ſi ſint indigni; Et quia audit Chriſtum dicentem: *Nihil ſine me poteſtis facere*; de ſua infirmitate conſcius ad diuinum recurrit auxilium, & quantum E in ſe eſt conatur ingredi, diuino mediante auxilio, per anguſtam portam perfectæ virtutis, & cautelam adhibet ne à ſeductoribus corrumpatur, vt fideliter non modo mandata, ſed etiam prædicta conſilia aut alia Euangelij documenta poſſit ad Dei gloriam adimplere.

Ex his patet quomodo neceſſaria & vtilis eſt lex diuina, & ad quam perfectionem nos deducere & inducere valeat, vt idonei reddamur qui Chriſti regnum, & interiùs in nobis, & exteriùs promoueamus: contra quam legem videbimus regnum ſatanæ tenebroſum ſeſe erigere, eique ſe opponere, vt Chriſti regnum euellat & euertat, ſi poſſit. Nunc videndum quomodo per leges quaſdam ſpeciales poſſunt etiam adhuc Eccleſiæ prælati, Chriſti regni gloriam promouere, quibus ſanctiſſimis Eccleſiæ A inſtitutis dum ſeculi amatores contradicunt, ſe ad ſatanæ regnum tenebroſum pertinere oſtendunt.

Quod ad promouendum & ſtabiliendum regnum Chriſti viſibile, præter legem naturalem & diuinam, & legis Euangelicæ promulgationem & notitiam, manet adhuc in prælatis Eccleſiæ quædam poteſtas ordinandi & ſtatuendi aliqua, quibus in conſcientia morem gerere debemus: quæ poteſtas in effuſione phialæ quintæ etiam includitur.

ANNOTAT. XXIX.

SI ſufficeret Deum in mente legem naturalem tanquam principium directiuum humanarum actionum indidiſſe; ſi ſufficeret legem diuinam tradidiſſe, qua in ſupernaturalem finem dirigimur: ſi ſufficeret legem Euangelicam addidiſſe, vt non modò directionem, ſed potentiſſimum habeamus auxilium ad illum finem perueniendi, dum gratiam Spiritus ſancti infundit in cordibus noſtris, (quæ gratia illud eſt quod potiſſimum ac præcipuum agnoſcimus in lege Euangelica, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 106. ar. 1. *Id*, inquit, *quod eſt potiſſimum in lege noui teſtamenti, & in quo tota virtus eius conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti; & ideo principaliter lex noua eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus.* Ita S. Tho. Certè ſi hæ leges ſufficerent, non induceret ſapiens diuinam ſapientiam rerum moderatricem, de ſe dicentem, Pro. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Datis enim illis legibus, nihil relinqueretur Principibus & legum conditoribus, quæ decernere aut ſtatuere deberent. Sed peruerſa hominum inclinatio ad malum prona, naturalis illorum infirmitas, & imbecillitas, ac diuerſæ rerum viciſſitudines, nec non imperfectio quorumdam carnalium, qui nondum peruenerunt ad perfectionem nouæ legis; ac debita Sacramentorum eius ſuſceptio & adminiſtratio exigunt vt quædam reperiatur poteſtas in iis, qui curam gerunt Reipublicæ ſeu Eccleſiæ, per quam quaſdam leges ferre poſſunt, quæ pertineant ad communem vtilitatem, & impedimenta obſeruationis legis naturalis aut diuinæ amoueant & auferant. Fruſtra enim daretur Prælatis temporalibus vel ſpiritualibus hæc poteſtas, niſi aliquando reduci deberet ad actum. Neceſſe enim eſt vt ratio humana procedat ad particulares quaſdam legum ſanctiones, quas educat & hauriat per ratiocinationem ex principiis communibus & indemonſtrabilibus legis naturalis, vel ex principijs reuelatis legis diuinæ, propter quaſdam particulares directiones ſingulorum, quæ licet in æterna lege contineantur, non ita tamen notæ ſunt ſingulis hominibus, vt non indigeant aliquo duce, quo præuio poſſint rectâ viâ ad felicitatem ſiue temporalem ſiue æternam expeditiùs, & ſecuriùs properare.

Mirum quippe eſt quomodo lumen illud in nobis ſignatum, licèt de ſe fulgidum, facilè plurimas patiatur offuſcationes; & quomodo rectitudo voluntatis, quam inducit, cito ad vitia inflectatur. Licet enim lex naturæ quantum ad principia communiſſima, quæ ſunt omnibus nota, nullo modo poſſit à cordibus hominum deleri in vniuerſali, deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem. Quando enim motus appe-

Digitized by Google

titus ſenſitiui fortificatur ſecundum quamcumque paſſionem, neceſſe eſt quod remittatur vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas; & non ſolùm remittitur vel impeditur motus voluntatis, ſed etiam iudicium & apprehenſio rationis (qua bonum apprehenſum proponitur voluntati) impeditur propter vehementem & inordinatam apprehenſionem imaginationis. Impeditur etiam iudicium æſtimatiuæ, vt patet in amẽtibus: quo fit vt, & lumẽ naturale obtenebretur, & rectitudo voluntatis corrumpatur, dum iudicium rationis plerumque ſequitur paſſionem appetitus ſenſitiui; & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi iudicium rationis. Poteſt etiam ratio diſtrahi à proprio actu per contrarietatem, quia plerumque paſſio inclinat ad contrarium huius quod habet ſcientia vniuerſalis. Tum etiam per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat ſicut etiam ſomnus & ebrietas, quadam corporali tranſmutatione facta, ligat vſum rationis. Et aliquando cum paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter vſum rationis. Multi enim propter abundantiam amoris & iræ ſunt in inſaniam conuerſi. Et per hunc modum paſſio trahit rationem ad iudicandum in particulari, contra ſcientiam quam habet in vniuerſali. Vnde non mirum ſi quantum ad ſecundaria quædam præcepta, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis, poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo quo etiam in ſpeculatiuis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter prauas conſuetudines & habitus corruptos; ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apoſtolus dicit 1. ad Romanos. Vnde oportuit, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 99. ar. 2. ad 2. contra vtrumque defectum homini ſubueniri per autoritatem legis diuinæ; ſicut etiam inter credenda nobis proponuntur non ſolùm ea, quæ ratio attingere non poteſt (vt Deum eſſe Trinum;) ſed etiam ea, ad quæ ratio recta pertingere poteſt, vt Deum eſſe vnum: ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis. Et ſic lex ſcripta dicitur corrigere legem naturalem, vel quia ſupplet id quod legi naturæ deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, quantum ad aliqua, erat corrupta in tantum vt exiſtimarent eſſe bona, quæ naturaliter ſunt mala: & talis corruptio correctione indigebat, quam quidem adhibere non omiſit prouidentiſſimus rerum moderator, ſed vt ait Eccleſiaſt. c. 17. *Addidit illis diſciplinam & legem vitæ: hæreditauit illos teſtamentum æternum. Conſtituit cum illis, & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis.* Ita Sap. Nec ſatis illi fuit oſtendere nobis peccatum per legem, ſed pius hominum conditor voluit nobis auxilium ſuppeditare, dum in lege noua attulit gratiam, qua iuſtificamur, & per donum Spiritus ſancti operamur iuſtitiam fidei, & à præuaricationis damnatione liberamur, dum legem adimplemus.

Attamen quia licèt Chriſtiani per gratiam Chriſti liberati ſint à peccato, non tamen liberati ſunt à concupiſcentia & paſſionibus, quæ cum ratione perpetuo pugnant: ideo oportet vt Prælatis Eccleſiæ detur facultas condendi leges, quæ nihil connotant niſi totius rationis iudicium, vt cum eas ſequi homines coguntur, cogantur ſimul rationem ſequi: quas quidem leges veluti concluſiones deducunt ex principiis Euangelij, vel iuxta eadem præcepta quaſdam faciant determinationes, vt quæ præcipiuntur, conuenienter perficiantur. Exemplum

A dat Bellarminus: *Euangelium dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Inde Eccleſia deducit concluſionem: Ergò vtile erit ſancire legem, ne ad miniſterium ſacrum admittantur qui non ſunt continentes. Item Euangelium iubet ſumi Euchariſtiam, ſed non determinat quomodo aut quando. Igitur princeps Eccleſiæ determinat vt ſaltem in paſchate ſumatur, & Apoſtoli legem condunt vt ſumatur ante omnes alios cibos, nimirum à ieiunis. Hinc Auguſt. in Epiſtol. 118. c. 6. Non præcepit, inquit Dominus, quo deinceps ordine ſumeretur; vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.* Ita Bellar. l. 4. de ſummo Pontifice c. 16. Qua poteſtate ſe vſurum fore Apoſtolus Paulus ſcribebat Corinthiis, dum illis tradebat quod à Domino acceperat de ſacro-ſan- B cto Euchariſtiæ myſterio. Poſtquam enim diſſeruit de tanto myſterio, & de fine illius, ac probatione neceſſaria ad eius ſuſceptionem, tandem concludit: *Cætera autem, cum venero, diſponam.* 1. ad Corinth. c. 11. Vt oſtendat in ſua eſſe poteſtate quædam ſtatuere circa tanti myſterij adminiſtrationem, quæ prout rerum ſtatus exigeret erat diſpoſiturus, cum illos eſſet aditurus.

Cætera autem, inquit S. Ambroſius, *quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinent, præſentia ſua ordinare ſe promiſit.* Quod potuit Paulus ad Eccleſiæ ædificationem in hac materia, hoc poſſunt Prælati Eccleſiæ, & præcipuè ſummus Pontifex circa cuncta, quæ ad Eccleſiæ ædificationem conducunt. Vnde multæ leges C & ſtatuta iuxta rerum exigentiam ab Eccleſia emanarunt, quibus fideles obtemperare in conſcientia tenentur. Si enim lex humana imponit homini neceſſitatem in foro conſcientiæ, multo magis lex Eccleſiaſtica, quæ finem digniorem, & bonum altioris ordinis reſpicit. At ex S. Thoma 1. 2. q. 96. ar. 4. leges humanæ iuſtæ, quando ordinantur ad bonum commune, non excedunt poteſtatem ferentis, & ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune, obligant in conſcientia. Igitur & leges Eccleſiaſticæ iuſtæ, quia ad hoc feruntur vt boni mores tueantur, Dei præcepta adimpleantur, Sacramenta ritè & debitè adminiſtrentur vel ſuſcipiantur; nec excedunt D poteſtatem ferentis, nempe Paſtorum Eccleſiæ, quibus datum eſt ligare, & ſoluere, & qui poſiti ſunt à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei; & æqualitatem proportionis ſeruant, (imponuntur enim iuxta perſonarum qualitatem, rerum ac temporum exigentiam, officiorum quorumlibet decentem executionem, perſpecta cuiuſlibet conditione, ſeu vniuſcuiuſque ſtatu) obligant ad ſuam obſeruationem.

Habent reuera Chriſtiani legem Euangelicam, quam ſequantur; ſed quia illa nimis eſt vniuerſalis, nec ſufficit dirigere omnes actiones noſtras, oportet vt per determinationes Principum Eccleſiaſticorum fiat aliquo modo particularis. Sicut Politicæ E Reſpublicæ habent legem naturalem, & tamen quia illa eſt nimis generalis, non ſufficit, niſi deducatur ad particularia per determinationes Principum, vt rectè ait Bellarm. lib. 4. de ſumm. Pontifice c. 16. Qui ibidem probat apud ſummum Pontificem eſſe iuriſdictionem vere coactiuam, itaut poſſit leges condere, quæ obligent in conſcientia, & iudicare ac punire tranſgreſſores: ex multis ſcripturæ locis. Deuteron. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Et ex loco Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Et ex loco Ioann. 20. *Paſce oues meas.* Et: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Et Act. 13. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil vltra vobis imponere*

Digitized by Google

oneris, niſi hæc neceſſaria. Et Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et infra: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

O ſi quis fideliter ſacras inſtitutiones Eccleſiæ obſeruaret, ad legis Euangelicæ normam ſuas actiones regularet, quàm fælici curſu ad cœli properaret gaudia. Certè Dei & Chriſti eius Regnũ interiùs in ſe, exteriùs in aliis promoueret aſſiduè. Sed heu! quænam eſt illa humanæ mentis peruerſitas, & totius rectitudinis voluntatis corruptio? Quod facere conãtur Prælati Eccleſiæ, legis naturalis iura manifeſtando, diuinæ legis præcepta inculcando, Euangelicæ legis prærogatiuas & excellentiam demonſtrando: & per particularia quædam ſtatuta, quæ pro vigili cura & ſolicitudine ad communem Eccleſiæ vtilitatem ferre ſatagunt, procurando quantum in ſe eſt vt illæ leges cuſtodiantur, hoc totum inutile redditur nimiâ hominum peruicaciâ. Nam fit ſedes beſtiæ humana voluntas, quæ Deo obedire ad nutum deberet: exſurgit quoddam regnum tenebroſũm, & poteſtas tenebrarum graſſatur in eis, qui transferendi erant in regnum filij Dei, iuxta illud ad Coloſſ. c. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine; qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, &c.* Et in blaſphemias prorumpunt, qui Deo gratias agere, illique cultum & obſequium præſtare deberent. Quod vt clariùs videamus, ſequentem inſtituimus annotationem.

Et factum eſt regnum eius tenebroſum.

Qua ratione reprobi, qui ex effuſione phialæ quintæ, per obſeruationem legum deberent fieri ſedes Dei & regnum Chriſti, fiant ſedes beſtiæ, & regnum diaboli tenebroſum?

ANNOTAT. XXX.

QVI emolumentum è paſtorum vigili cura ac optima directione ſuſcipiunt, fiunt equidem thronus & ſedes Dei. Sedes enim Dei eſt anima iuſti: iuſtus autem eſt, qui legis Euangelicæ, & mandatorum Dei & Eccleſiæ fidelis eſt obſeruator, iuxta illud Luc. c. 1. de Zacharia & Anna loquens: *Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Dòmini.* Et quia tales non inueniuntur niſi in vera Eccleſia, ideo Eccleſia, ratione eorum qui potiora ſunt membra illius, ipſa eſt Dei ſedes & thronus. Dicitur ſecundò etiam thronus Dei & ſedes, ratione autoritatis & poteſtatis ſibi commiſſæ, quæ in eius paſtoribus reſidet. De quo throno dicitur Pſalm. 9. *Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* De quo plura diximus in c. 4. huius reuelationis.

At Deus ita ſedet in electis, ita ſedet in Prælatis, vt hos ad labores, curas & ſolicitudines plurimas, non ad otium & ſocordiam vocare videatur, illos etiam ad maiorem ſemper perfectionem per actus ſtrenuos acquirendam continuò prouocat. Vnde Eccleſia & anima fidelis ſedi curruli, non fixæ aſſimilatur. Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Quin & hæc ſedes ferculum nuncupatur. Cant. 3. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* Id eſt, ſedem portatilem, non fixam. *Ferculum*, inquit Aponius, *à ferendo nomen accepit.* Vnde Iuſtus Orgelitanus notat aliam editionem habere, *geſtatorium.*

Arbitror, Inquit Philo Carpathius in 1. Canticorum, *equos vel equitatum ipſius, iuſtorum congregationem ſignificare, qualis Apoſtolorum fuit: quos velut in mare miſit ad turbandas aquas, hoc eſt, ſeculi huius populos ad fidem conuertendos, ſecundum illud Habacuc: Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ob id equos appellatos, quod velociter in ſtadio ſuæ pietatis curſum, benè beatéque viuendo & prædicando, confecerint, &c.* Qui etiam in ferculo intelligit nõ modò carnem Chriſti, ſed & Eccleſiam. *Vt enim Conſules & Duces dum procedunt in ferculo ſedent, per ipſoſque negotia mundi reguntur: ſic & in carne humana Deus conuocatam Eccleſiam ſanctam ferculum ſibi fecit: quo quidem non mundi negotia, ſed cæleſtis regni documenta firmauit. Ferculum enim non modò caro Ieſu Chriſti dicitur, ſed & ipſa Eccleſia, quæ corpus eſt ipſius, quippe quæ digna facta ſit illum ferre filium Dei, ſecundum illud: Glorificate Deum in membris veſtris, &c.* Hoc ferculum dicit Philo ex lignis Libani, propter prædeſtinatos & electos in Eccleſia ſua ſancta in æternum permanſuros: cuius columnæ argenteæ, propter Apoſtolos & rectos Chriſti prædicatores; cuius reclinatorium eſt aureum, propter Martyres, quorum fides probatur, & ærumnarum tentatione firmatur, qui diuinitatis contemplatione in hac mortali luce refocillantur & requieſcunt: ad quod reclinatorium per aſcenſũm purpureum, id eſt, per multos labores peruenitur. In talium certè pectore fides per charitatem operantem viget, quam ſaltem, vt pote omnibus fidelibus communem, habere debemus, vt ad illud ferculum pertineamus. Et quia Apoſtoli & prædicatores, qui columnarum inſtar ſunt, intra hoc ferculum Chriſti ſponſam per vniuerſam terrarum orbem, verbo Spiritus ſancti geſtarunt ac gerunt, ideo ferculum dici poſſunt, vt vult Philo Carp. Et Iuſtus Orgelitanus in 1. Cantic. *Tunc equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, cum ſapientes mundi ad meam fidem euocandos conuerti; vt depoſito tumore ſeculi ſub me, qui ſum ſalus vera, currendo proficiant, meque circumferendo piis prædicationibus, credentium fide oculis manifeſtent. At ſicut princeps mundi huius, qui iam miſſus eſt foras, falſis philoſophis tanquam claris curribus vſus eſt ad perniciem, ita & ego meâ ſapientiâ repletis Apoſtolis credentes inſtituam ad ſalutem.* Ita Iuſtus Orgel.

Aponius Angelos ſeu virtutes Angelicas per equos intelligit. *Quibus*, inquit, *equis ſociati coniunctique intelliguntur Apoſtoli, ſimul & illi qui ſuccedunt in eorum locum & ordinem, qui ſedentem ſuper ſe Spiritum ſanctum, multiplicem gratiam impertientes, portant Deum in corpore ſuo; & diſcurrunt, non quo vitia traxerint, & diabolus perſuadendo illecebram, ſed quocumque ducti fuerint eius habenis, confirmante Apoſtolo Paulo: Quotquot ſpiritu Dei aguntur (id eſt ducuntur) hi filij Dei ſunt, glorificantes & portantes Dominum in corpore ſuo, &c.* Ita Aponius.

Hac ratione, quia thronus iſte eſt ſemper in luce & in meridie, (eſt enim ſedes ſeu Thronus illius, cuius facies lucet, dum ambulat in medio candelabrorum aureorum, id eſt Eccleſiæ, tanquam ſol lucet in virtute ſua, iuxta illud Iſaiæ c. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Qui oculos non clauſerunt, ſed lumen illud ſuſceperunt, vt ſuſcepit Paulus dum eſſet in via, quem lux circumfulſit, & eum obcæcando corporaliter, intus illuminauit;) qui ſic eam lucem ſuſceperunt, in eis gratia Dei non fuit vacua, ſed in eis remanſit, vt ſedes eſſent Dei, ſedes geſtatoria, vt cum eodem Paulo portent nomen Dei coram gentibus & populis.

Digitized by Google

& populis Nam, vt ait Salomon Prouerb. 4. *Iuſtorum*
ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad
perfectum diem. Id eſt, vſque ad meridiem, dicente
Propheta: *Et educet tanquam lume iniuſtitiam tuam, &*
iudicium tuum tanquam meridiem; vt non ſolùm ſibi
luceant, ſed & aliis proficiant; & hoc modo con-
tra diabolum, qui princeps eſt tenebrarum, dimi-
cantes, regnum Chriſti erigant, ſtabiliant, promo-
ueant. Et optimè ad noſtram mentem Aponius lib.
2. in Cantica: *In quibus equis vel quadrigis ſedens Chri-*
ſtus Redemptor noſter, loquens in Apoſtolis, acutiſſimo
gladio verbo ſuo expugnat exercitum dæmonum; qui ſuper
impios Reges vel philoſophos, magicarumque artium Do-
ctores equitabant, & de ſingulis ſecundum virium qualita-
tem currus, equos, vel arma fecerunt, per quos creatori
bellum inferre attentabant, Deorum ſibi nomina vſurpan-
do, &c. Et paulo poſt: *Nunc autem redemptore noſtro*
Domino Chriſto pugnante & vincente principem mundi
cum exercitu ſuo, liberati de manu eius, Apoſtolorum
collo doctrinæ tracti Dominum portant; Et in quorum men-
tibus immundi ſpiritus inſidere conſueuerant, equitantes per
facinorum campos, nunc Domini equi effecti per gratiam
regenerationis, Spiritum ſanctum vehere comprobantur.
per quos mox, vbi in inſidiis inuenerit inimicum eorum,
qui adhuc paruuli ſunt ad peragendum bellum, ſub currus
vel ſæpe dictis equorum proculcat veſtigiis, ſub eorum ſci-
licet, pro quibus orat Apoſtolus: Deus, Dominus noſter
conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Ita Apon.
Et paulo poſt: *De illis ergo potentibus in malitia, qui per*
doctrinam ipſius credentes liberati ſunt à malo ſeſſore, por-
tant Spiritum ſanctum: Et in quibus ſolebat ſedere Pharao
(qui diſperdens vel diſſipans eos interpretatur, qui vtique
princeps intelligitur mundi) nunc vehitur in eis princeps
cæleſtis militiæ Chriſtus; Et quos conſueuerant auctores vi-
tiorum, miniſtri Anti-Chriſti trahere per ſaxoſa conuallia
criminum, nunc à potentibus & manſuetis equis Apoſto-
lis, vita exemplo & ſana doctrina trahuntur per iuſtitiæ
campos: in quibus rotæ ſunt voluntas, & rationabilis
ſenſus, temonis agens officium, per quem aut Pharaonis,
aut Chriſti, vnuſquiſque efficitur currus. Hæc Aponius.
Cum igitur voluntas in malo voluntariè & liberè
obdurata ſit ſedes beſtiæ, cum quæ poterat eſſe
Chriſti currus & ſedes per obedientiam & obſerua-
tionem legum & præceptorum, hæc omnia contem-
nendo & reſpuendo fit currus Pharaonis & diaboli.

Hæc itaque eſt illa effuſio phialæ quintæ, quæ
circa electos, & ad fidem vocatos tam felicem ob-
tinet effectum; & dum eis directiones dantur in via
ſalutis, per mandatorum Dei, & Eccleſiæ præcepto-
rum propoſitionem, flexibiles, rotatiles ac obſe-
quentes ſe præbent, ſinentes ſe duci, quocumque
vult illorum ſeſſor, Dei ſpiritus, aut Chriſtus: ad
vocem aut motum aurigæ ſeu equitis, id eſt Paſto-
ris, omnia perficientes. Sed quid accidit, quæſo,
circa reprobos? Fiunt ſedes fixa & permanens be-
ſtiæ per mentis obcæcationem, nec mouentur motu
fidei, nec recta ad Deum voluntate aut intentione
ad beatitudinem currunt: ſed fiunt immobiles qua-
ſi lapis, per obſtinationem in peccatis, fidei Chri-
ſtianæ reiectionem, legum omnium Dei & Eccleſiæ
contemptum: Vnde leges ſibi conſtituunt, quibus
Regnum beſtiæ, diaboli, peccati, & regum ini-
quorum (qui ad diaboli voluntatem captiui, Chri-
ſti Regnum euertere conantur) fit verè tenebroſum.
Illius ſunt imitatores, qui contra meridiem, id eſt,
contra lucem diuinam, & montem Sion, in quo
Deus ſedet, ſedem ſibi conſtituit, & poſuit in late-
ribus aquilonis. Dicunt Geographi ſub Polo Boreo
ſeu ſeptemtrionali eſſe Rupem nigram & altiſſi-
mam, ambitu 33. circiter leucarum, & circa hanc
eſſe quatuor inſulas, inter quas oceanus decem &
nouem oſtiis erumpens, quatuor Euripos facit, qui-
A bus indeſinenter ſub ſeptentrionem fertur. Diceres
beſtiam in hac rupe altiſſima ſedem ſuam collocaſſe
ac fixiſſe. Addunt Mathematici ſeu aſtronomi eos,
quorum Zenith eſt directè in polo mundi Arctico,
vnum tantùm in anno diem artificialem habere ſex
menſium, noctem item artificialem ſex menſiũ, ibiq;
ſolẽ ſemper mittere vmbras. *Eſt adhuc*, inquit Paulus
Venetus l. 3. c. 49. *alia regio prioribus regionibus multo*
versùs aquilonem interior, quippe quæ extremũ occupat lo-
cum, quam obſcuritatem appellant, eo quod multo per annum
tempore ibi ſol non appareat; & tũc nedum noctu ibi tenebræ
ſint, verùm & interdiu aër in modum crepuſculi caliginoſus
ſit. Ita Paulus Ven. Qui addit homines ibi degentes
Regem non habere, & more viuere beſtiarum. Ecce
B certè in tam longa nocte, in his vmbris aliqua idea
regni tenebroſi beſtiæ, quæ ſedet in Rupe altiſſima
ſuperbiæ, & tyrannicæ vſurpationis cordium illo-
rum hominum, qui beſtialiter viuunt, & ſe eius
ſeruitio & obſequio inſuper deuouerunt, & arbi-
trij ſui iura deſerentes, ſeſe eius voluntati adim-
plendæ manciparunt. Vnde non mirum ſi ſicut piis
legibus ac inſtitutis Eccleſiæ Paſtores conantur re-
gnum Chriſti ſtabilire, hi qui ſedes ſunt beſtiæ, in
tenebris regnum ſuum exercentes, per impia edicta,
impias leges, ſeſe omnino opponant ne Regnum
Chriſti viſibile pacificè ſuas functiones exerceat ad
Dei cultum promouendum. Stabiles & radicati in
fide & charitate permanent Eccleſiæ fideles, vt ſint
C perpetuæ ſedes Chriſti & Regnum eius in ſecula ſe-
culorum: & nihilominus ambulant; ſed viâ rectâ, ſed
pacificis incedunt greſſibus: viæ enim Domini, per
quas ambulant, viæ rectæ, & ſemitæ eius pacificæ. E
contra ſtant in malitia immobiles reprobi: & tamen
mouentur turbantur, in circuitu ambulant, ad modũ
Euripi cuiuſdam, id eſt, maris, ſeu oceani ſub Arctico
exiſtentis, qui reciprocis vndarum iactationibus mo-
do hac modò illac agitatur, & quaſi in circuitu quo-
dam turbulento flexuoſum habet curſum, & tandem
in viſcera terræ abſorbetur. Ita & impij mouentur
quaſi mare feruens, quaſi quædam Euripi, donec tan-
dem in viſcera vt cum Dathan, Core & Abiron, imo
cum diabolo, cuius ſunt captiui, in infernum detru-
D dãtur. De Euripo mũdi lege Chryſoſt. tom. 1. homil.
in Pſal. 119. pag. 1111. & to. 2. pag. 63. & pag. 177.

At ſicuti leges, quæ Regnum Chriſti ſtabilire co-
nantur, lumen præbent, (*Præceptum* enim *Domini*
lucidum illuminans oculos), & demonſtrant quod Re-
gnum Chriſti eſt Regnum lucis, non habens aliquam
partem tenebrarum, ſed eſt lucidum totum; ita ex
legibus prauis vel rationi repugnantibus, ac con-
tra legem naturalem dimicantibus, cultum Dei
euertentibus, veritati Euangelicæ contradicentibus,
& contra Eccleſiæ Prælatos inſurgentibus patet
quomodo Regnum beſtiæ omnino eſt tenebroſum,
lumen enim rationis non ſequuntur, quia iniuſtæ:
nec lumen ſupernaturale infuſum, quia impiæ; nec
E ad Chriſti exemplar efformantur, quia ſuperbiam re-
dolent; nec ex Dei & proximi dilectione prodeunt,
aut ad cõmunem referuntur vtilitatem, quia tyranni-
cè omnino proprium tantùm commodum reſpiciſit.

De talibus impiis legibus & iniuſtis audi ſanctum
Baſilium, homil. 12. In principium Prouerbio. *Sed*
& gentium leges ac mores, inquit, *multam inter ſe dif-*
ferentiam habentes, illorum prorſus mentes confundunt,
qui iuſtitiæ diligentem rationem minimè comprehenderunt.
Quidam enim populi Patrem necare fas putant, alij verò ab
omni cæde abhorrent. Sunt item qui pudicitiam maximè
colunt: nonnulli vero & matribus & filiabus & ſororibus
commiſcentur. Denique plurimi patrio & antiquo more de-
tenti, in rebus agendis abominandum deteſtabileque mini-
mè diſcernunt. Ita Baſ. Tales impuriſſimas leges in-
troductas fuiſſe à Cham filio Noë docet Beroſus.

Digitized by Google

l. 3. de antiquitate Iani patris, dum de ipſo ait: *At verò Chem, cum publicè corrumperet mortale genus, aſſerens & reipſa exequens congrediendum eſſe, vt ante inundationem, cum matribus, ſororibus, filiabus, maſculis, brutis, & quouis alio genere, ob hoc eiectus à Iano piiſſimo, & caſtimonia atque pudicitia refertiſſimo, ſortitus eſt cognomentum, Chem Eſenua; id eſt, Chem infamis & impudicus, incubus propagator. Eſt enim Eſen apud Scythas Arameos, infamis & impudicus; Enua verò tum impudicus, tum propagator.* Hæc Beroſus. *Enuum Latini dicunt, quaſi inuum, ab ineundo*, ait Annius Viterb. Ecce quanta aduenit deuiatio in iudicio rationis, cum mores ſunt proterui & corrupti: vbi autem boni mores vigent, ratio ſemper quod rectum eſt facilè amplectitur. Hinc etſi pudicitia maximo ſit in pretio apud Chriſtianos, hoc tamen fit abſque præiudicio naturæ. Conſulitur enim pudicitia, non præcipitur, vt liberum maneat autori naturæ ſpeciem humanam per quos voluerit conſeruare. Quod ſi licita hominis ac fœminæ coniunctio lege interdiceretur cunctis, nullus non videt talem legem rationi non eſſe conſonam; qualem legem quidam hæretici olim tulerunt, quos S. Auguſt. Abelonij, punica declinatione nominat, vel ab Abel Abelianos, & Abeloitas. *Hi non miſcebantur vxoribus*, inquit S. Auguſt. de hæreſi; *& eis tamen ſine vxoribus viuere, ſecta ipſius dogmate non licebat.* Sed ſi veram Regni huius tenebricoſi delineationem videre cupis, lege S. Auguſtinum lib. 2. de ciuitate cap. 20. In hoc regno nulla cura eſt ſi peſſima ac flagitioſiſſima ſit Reſpublica: tantùm ſtet, tantùm floreat, copiis referta, victoriis glorioſa; vel quod eſt felicius, pace ſecura ſit. In hoc regno nec ad hanc communem temporalem felicitatem habetur reſpectus, modò quiſque propriis conſulat commodis, & vtilitatibus. Vnde addit S. Aug. *Et quid ad nos? Imo id ad nos magis pertinet, ſi diuitias quiſque ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant, per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſque potentior, obſequantur diuitibus pauperiores cauſa ſaturitatis; atque vt eorum patrociniis quietâ inertiâ perfruātur diuites pauperibus ad clientelas, & ad miniſterium ſui faſtus abutantur. Populi plaudant nō conſultoribus vtilitatum ſuarū, ſed largitoribus voluptatum: nō iubeantur dura, non prohibeantur impura.* Ita Aug. O quàm iſta pugnant cum lege Chriſtiana, quæ iubet animam dare pro fratribus, quæ ad præmia æterna per rerum omnium abdicationem, per abſtinentiam voluptatum, per humilitatem & obedientiam, per laborem, duritiem, fideles vocat. Vnde dicere poteſt quiſque fidelium. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Addit Auguſt. *Reges non curent, quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent, Prouinciæ Regibus, non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum prouiſoribus ſeruiant, eoſque non ſinceriter honorent, ſed nequiter ac ſeruiliter timeant; Quid alienæ vineæ potius, quam quid ſuæ vitæ quiſque noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus aut noxius; cæterum de ſuis, vel cum ſuis, vel cum quibuſque volentibus faciat quod libet: abundent publica ſcorta, vel propter eos maximè, qui priuata habere non poſſunt. Extruantur ampliſſimæ atque ornatiſſimæ domus, opipara conuiuia frequententur, vbi quique libuerit & potuerit die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes vndique concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atque omni genere ſiue crudeliſſimæ ſiue turpiſſimæ voluptatis exæſtuent. Et ille ſit publicus inimicus, cui hæc felicitas diſplicet; quiſquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat è ſedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur Dij veri, qui hanc adipiſcendam populis procurauerunt, adeptamque ſeruauerunt.* Ita S. Aug. Qui

A nobis in his rectè depingit ac deſcribit beſtiæ regnum tenebroſum. Hinc emanarunt tot turpia edicta Imperatorum aut Regum (ſiue gentiles, ſiue ſchiſmatici, ſiue hæretici fuerint) contra Chriſtianos ſummo Pontifici addictos, ſeu veram & Catholicam fidem profitentes. Sic publico edicto ſub Nerone prohibita fuit Religio Chriſtiana, vt refert Baronius, Appio Iunio & P. Silio conſulibus. Sic vi edicti à Diocletiano & Maximiano editi, cuilibet permiſſum fuit Chriſtianum quemlibet obuium impunè occidere, vt ex actis S. Anyſiæ Martyris refert. Baron. an. 303. Quæ edicta crudelia nouis firmauit edictis Galerius Maximus, Cæſar recenter proclamatus, vt gratiam Galerij Maximiani auunculi ſui iniret, qui implacabili odio Chriſtianos
B proſequebatur. Tale edictū à Licinio Imperatore latum fuit, de quo S. Baſilius oratione in 40. Martyres. *Vbi verò, inquit, iniquum præconium edictumque omnibus denunciauit, ne quis Chriſtum profiteretur, propoſitaque omnia pœnarum genera confitentibus, multa quoque à iudicibus iniuſtis ira & feritas prodiit. Multæ tendebantur vbique inſidiæ, doli, delationes, ignis inſuper paratus, enſis in promptu, crux affixa, bothrus, Rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione nonnulli fugiebant: alij qui ſuccumbebant: alij fluctuabant: quidam ante certamen, ſolis minis abſterrebantur, alij, vbi coram videbant intentatos cruciatus, conſternebantur: alij certamen ineuntes, deinde vſque ad finem laborum durare nequeuntes, pu-*
C *gnam ac periculum detrectabant, & velut in Pelago naufragantes, quæ virtute patientiæ parta multorum annorum ſecum in naui vehebant, per impatientiam amiſerunt. Tunc igitur hi quadraginta inuicti & generoſi milites, cum præfectus Imperatoris literas oſtendiſſet, & obedientiam requireret, liberâ voce audacter ac fortiter nihil ex iis quæ viderant exemplis expaueſcendo, ſed minas omnes contemnendo, in medium procedentes ſeſe Chriſtianos eſſe faſſi ſunt.* Ita Baſil. Videſne in his depictam Regni tenebroſi beſtiæ Tyrannidem ad euerſionem (ſi fieri poſſet) Regni Chriſtiani omnes ſuos conatus adhibentem? Longum eſſet enarrare quomodo Imperatores gentiles ſua poteſtate & autoritate vti ſunt, vt Chriſti regnum euerterent.

D Sed quid dicā de ſchiſmaticis & hæreticis Imperatoribus aut Regibus? Nec ad antiquiora ſecula recurrendum, cum in vltimis his temporibus apparuerit. Quanta ſit hæreticorum Regum ac Principum contra Eccleſiam Catholicam ferocitas. Taceo quod lib. 5. de hæreſum exortu cap. 9. notat Florimundus, nempe apud Germanos lege cautum eſſe vt omnes ſubditi Principum ſuorum religionem amplectantur. Qua quidem lege, quam pro fundamento optimæ gubernationis ponunt, quis non videt ſtatim veram Religionem eſſe funditùs euertendam, dum hic Lutheri, iſte poſtea Zuinglij aut Caluini doctrinæ adhærebit? Sed quot edicta Anglia audiuit, ad vnitatis Eccleſiæ & veræ fidei euerſionem, ab eo tempore quo Henricus octauus
E an. 1530. In odium ſummi Pontificis illud publicauit, quo cauebatur ne quis ſubditorum aliquid è curia Romana aut poſtularet aut obtineret abſque ſuo conſenſu præuio? Quadraginta duas leges impia illa non Elizabeth, ſed Iezabel tulit iniquas contra Catholicos, quas legere poteris apud eundem Florimundum, lib. 5. de ortu hæreſ. c. 12. & alios hiſtoriæ Anglicanæ autores. Hæc tantùm adduco, vt videas quomodo Regnum beſtiæ ſit tenebroſum, dum ſuam omnem autoritatem ac poteſtatem inſumit, vt Chriſti Dominationem euertat, leges ferendo iniuſtas & impias, rationis ac fidei lumini contrarias. Ad hanc obcæcationem deueniant qui legibus Eccleſiæ parere nolunt, & ab eius obedientiæ iugo collum excutere deſiderant. Optimè ſiqui-

Digitized by Google

dem S. Baſilius, comment. in c. 8. Iſaiæ, immorigeræ incredulitatis & inobedientiæ cauſam aſſignauit dicens: *Non excipiunt mandata vitæ, quibus vſa eſt ſcriptura: Immorigeri ac rebelles detrectarunt imperium eorum, quæ iuſſi erant facere: aſperitatem non ferentes, ad exemplum Iudæorum, qui minimè tolerantes Euangelicam Domini doctrinam dicebant: Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire? Vtique ſcortatori ſiue puer meretricio, & concubino prædura eſt continentia. Ebrioſo homini quàm eſt auſterum ſibi temperare à vino? Quam ſtrigoſum & aſperum conuitiatori benedicere? Atque in genere dicam: iugum legis auſterius apparet his omnibus, qui libertatem vitæ concupiſcunt, & à collo ſuo excutere volunt iugum Domini. Ob hoc multi præcipites corruerunt in abyſſum perditionis, propter læuorem & latitudinem viæ. Pauci autem, qui conſequendi regni gratia ſuſtineant ſubire auſteram & operoſiorem vitam, quæ rectà ad virtutem prouehit. Siquidem malitia nitido & illici læuore blandæ voluptatis meſcat hominis mentem. Contra, virtus auſteritate diſciplinæ operoſiſque laboribus vitam exaſperat ſe in ea exercentium, iuxta Prophetæ ſententiam: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Vias duras dicit mandata inſtaurandis exornandiſque animabus noſtris indicta;* &c. Ita Baſil.

Quam auſteritatem reprobi non ferentes, commanducant linguas ſuas præ dolore: & blaſphemant Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis: & non agunt pœnitentiam ex operibus ſuis. Vnde æternam incurrunt damnationem, Deo contra eos irato.

Quemadmodum enim, inquit S. Baſilius in Pſ. 28. *per bona opera Domino afferimus gloriam, itidem ex contrario eam ipſam auferimus per malignitatis & nequitiæ opera. Quid enim dicit peccantibus: Nomen meum per vos blaſphematur inter gentes. Et rurſus Apoſtolus: Per præuaricationem legis Deum inhonoras? Legiſlatori ſiquidem contumelia eſt deſpectio legum atque contemptus. Domus ni ritè gubernetur, nimirum in qua indignatio & clamor ſint, contumelia item, riſus, voluptas, prodigus ac profuſior luxus, immunditia, & ex conſuetudine flagitioſa ſcortatio, eorum quæ fiunt ignominia atque turpitudo in eum regeruntur ac reſiliunt qui domui præſidet. Conſentaneum igitur fuerit ipſi, vt intelligamus quoniam Deus quemadmodum per efficacem & bonam operationem glorificatur, ſic & per malignam & flagitioſam inimicus. Quando enim ſumens membra Chriſti, facio membra meretricis, tunc gloriam ab eo, qui me ſeruat, ad eum transfero qui me perdit.* Ita Baſ.

Et commanducauerunt linguas ſuas præ dolore. Et blaſphemauerunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis. Et non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Quia vnus eſt ſpiritus in Eccleſia, omnem in ea expellit diuiſionem in doctrina. Impium autem & tenebroſum regnum diaboli, tot habet dogmata, quot ſunt capita Chriſto rebellantia in ipſo.

ANNOTAT. XXXI.

PRÆTEREA, quæ iam diximus in annotationibus præcedentibus, ſiue in paraphraſi, dico iniquos commanducare linguas ſuas, cum quòd vnus probat, alter improbat; quod vnus fatetur, alter inficiatur; quod vnus iubet, aliùs prohibet. Lex autem Domini vna eſt: quia vnicum habet principium, ſiue Patrem reuelantem, ſiue filium docentem, ſiue Spiritum ſanctum inſpirantem: quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus, æterna quadam lege ſeu ratione totam vniuerſi communitatem gubernans, à qua tanquam à fonte lex naturalis, quæ participatio quædam eſt & impreſſio diuini
A luminis, in nobis effluxit. Cuius quidem licèt ſint plura præcepta, ad vnum tamen referuntur, nempe quod bonum ſit faciendum & proſequendum, & malum quodcumque vitandum. Et ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehēdit eſſe bona humana, & vt bona appetenda, vt eſt ſui eſſe conſeruatio, ſpeciei propagatio, rationis ſuæ perfectio per veritatis cognitionem, voluntatis rectitudo per iuſtitiæ amorem, ſocialis vitæ quietudo per inculpatam & innocentem cum aliis conuerſationem. Hinc licèt plura dentur præcepta, propter hæc omnia, ad quæ homo vt ſubſtantia, vt animal, vt rationalis inclinatur, tamen vnum eſt præceptum, nempe quod
B bonum faciamus, quodlibet malum fugiamus.

Hac de cauſa non commanducant linguas ſuas, qui hæc præcepta docent, quia in hoc vnum conueniunt. Eadem dicendum de lege diuina, quæ etiam ab illa lege æterna deriuatur. Quidquid enim iuſtum ac legitimum eſt, ab illa ſumma ratione, & ſuprema ſapientia originem ducit. At nihil tam iuſtum ac legitimum, quàm quod præcipit lex diuina, nempe dilectionem Dei & proximi. Ergo & hoc præceptum dilectionis ab illa lege æterna deriuatur. Vnum autem eſt præceptum, quia licèt plura dentur præcepta ad hoc vnum ordinantur, vt Deus ſupra omnia diligatur, cum etiam nec proximus ſit diligendus, niſi per ordinem ad Dei dilectionem, cui
C omnes homines ſubdi debent. Qui quidem finis propiùs quidem & perfectiùs attingitur à lege Euangelicà quàm à veteri: vnde ſolùm aliqualiter poteſt dici alia lex à veteri, cum non omnimodè ſit diuerſa, quia vnus vtriuſque eſt finis proſequendus, nempe quod homo ſubdatur Deo. Hinc etiam qui hanc legem docent, non commanducant linguas ſuas, quia omnium præceptorum & conſiliorum, quæ in Euangelio continentur, doctrina & iniunctio ad hoc tendit, vt Deus ſit omnia in omnibus.

Denique cum Eccleſia Spiritus ſancti inſtinctu regatur, qui datus eſt illi, à quo omnem addiſcit veritatem, nec in ea Paſtores commanducant linguas ſuas, quia eodem ſpiritu aguntur, & eodem ore
D loquuntur, cum nulla doctrina in Eccleſia recipiatur vt Catholica, quàm quæ per os Petri profertur aut approbatur, vt pote à ſpiritu veritatis inſpirata; vt feliciter videatur in Eccleſia quod exoptat Paulus ad Philippenſ. c. 2. *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Ita Paulus. Nam cum à ſummi Pontificis ore (cuius eſt paſcere gregem, agnos & oues) pendeant omnes Catholici, tunc in diuerſa non ra-
E piuntur dogmata, cum illum audiunt, ab illo diuino ſpiritu (qui Eccleſiæ præſidet, & per ſupremum Paſtorem illam docet) animati, qui ſic habitare facit vnanimes in domo. Vnde tam de legibus Eccleſiaſticis, quàm de doctrina eius dicendum nobis quod ait Pſaltes, Pſalm. 30. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Quod eſt tabernaculum?* inquit S. Auguſt. *Eccleſia huius temporis tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinantur: tabernaculum enim habitaculum eſt militum in expeditione poſitorum. Ipſa dicuntur tabernacula. Domus non eſt tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, vt ſaluus factus in tabernaculo glorioſus recipiaris in domum. Erit enim in cælo domus tua æterna, ſi modo benè in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes,*

Digitized by Google

diuerſa ſchiſmata perſonant: linguæ multa contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei. Eccleſiam Catholicam tene. A regula veritatis noli diſcedere: & proteges in tabernaculo à contradictione linguarum. Ita Aug. Quod de doctrina dicitur, hoc de præceptis dictum puta. Omnes enim Eccleſiæ leges ad hoc vnum tendunt, vt declines à malo, bonum facias, Deum & proximum diligas. At extra Eccleſiam commanducant linguas ſuas pro dolore principes Eccleſiam perſequentes: pro diuerſitate enim doloris, quo tanguntur, modò hanc modò illam legem ferunt, & quæ vnus ædificat, alter deſtruit, mutant quadrata rotundis; aliæ enim ſunt leges rapacis, aliæ luxuriantis, aliæ ſanguinem ſitientis, aliæ ſuperbia & ambitione inflati. Et blaſphemant Deum cœli: Quia omnia media, per quæ nos ad cœlum euehere pertentabat, ipſi non modò reſpuunt ac rejiciunt, ſed etiam ne ab aliis aſſumantur, quantum in ſe eſt, totis viribus impediunt: quales ſunt leges, quæ ab Anglorum Regibus latæ fuerunt, ne ſummo Pontifici obediatur, ne ſacrificium celebretur, ne alia Sacramenta à ſacerdotibus legitimè adminiſtrentur. Quibus mediis ſelectis, per quæ ſalus æterna nobis erat procuranda, non mirum ſi impœnitentes in peccato moriantur.

De effuſione ſextæ phialæ.

Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem, & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis, &c.

Connexio iſtius phialæ cum præcedenti.

AGNOSCIMVS in politico regimine Eccleſiæ trinam poteſtatem, Directiuam, Coactiuam, Vindicem. Directiuam vidimus in effuſione quintæ phialæ Eccleſiam exercere, in eo quod leges Dei proponere, & nouas condere pro exigentia rerum ac temporum valeat. Optima ſerie igitur de coactiua poteſtate agendum eſt, quæ maximè cernitur in iudiciis Eccleſiaſticis, quibus particulares perſonæ adſtringuntur & coguntur ſuas actiones ad præſcriptum legum regulare. Habet quidem lex ex natura ſua quod ſit coactiua. Eſt enim lex regula quædam humanarum actionum à Deo immediatè vel mediatè conſtituta. Deuiare autem à regula peccare eſt. Itaque eſſentia legis in hoc poſita eſt, vt liget & cogat, itaut ſit peccatum aliter agere. Vnde peccatum definitur tranſgreſſio legis. Sed coactiua Eccleſiæ poteſtas maximè cernitur in eo, quod Eccleſia poteſt exercere iudicia de perſonis particularibus, earumque actionibus, quæ poteſtas ſignificatur hîc in effuſione phialæ ſextæ.

Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam.

Quod in ſextæ phialæ effuſione agitur de poteſtate data Eccleſiæ iudicandi de perſonis particularibus, illorumque actionibus.

ANNOTAT. XXXII.

ESSE in Eccleſia hanc poteſtatem patet ex S. Paulo 1. ad Corinth. 16. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis ſecularia?* Cum

A igitur indignum eſſet Chriſtianis pro iis quæ ad victum ad facultatum, & vitæ proprietatem vel vſum pertinent, aut alias res leuioris momenti, vt de pecuniis repetundis, de calumnia aut iniuriis litigare apud infideles; & tamen quia concupiſcentiæ fomes relinquitur fidelibus, vnde vix fieri poteſt vt aliquando inter eos non exoriantur iurgia & lites (vt patet ex c. 4. Iacobi: *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris?*) Cum inſuper vix ab impio iuſtum poſſit expectari iudicium. (*Qui enim ſibi iniquus eſt, cui bonus erit?*) Operæ pretium fuit vt Deus tum propter dignitatem ſtatus Chriſtiani, tum propter meliorem iuſtitiæ adminiſtrationem, hanc etiam poteſtatem Eccleſiæ daret; vt in B quibuſdam materiis, v. g. in iis quæ Sacramentorum adminiſtrationem, aut ſuſceptionem reſpiciunt, aut ad Dei cultum pertinent, aut ad veritatem fidei, vel morum integritatem tuendam ſunt neceſſaria, poſſet iudicia ſua exercere, imo etiam aliquando de ſecularibus negotiis iudicia proferat. Iuxta Conſtantini Imperatoris reſcriptum ad Ablauium l. 1. de Epiſ. Iudiciis Codic. Theodoſ. *Siue,* inquit, *inter minores, ſiue inter maiores ab Epiſcopis fuerit iudicatum apud vos, qui iudicium ſummum tenetis, & apud cæteros omnes iudices ad executionem volumus peruenire. Quicumque ita litem habens ſiue poſſeſſor, ſiue petitor fuerit; inter initia litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cum negotium peroratur, ſiue cum iam cœperit* C *promi ſententia, iudices elegit ſacro-ſanctæ legis Antiſtites, illico ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad Epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in iudicio captioſæ præſcriptionis vincula non patiuntur, inueſtigat & promit ſacro-ſancta religionis autoritas. Omnes itaque cauſæ, quæ prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis iure firmentur: nec liceat vlterius retractare iudicium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.* Ita Conſtant. Hac poteſtate vſus eſt S. Auguſtinus vt patet ex his eius verbis de opere Monachor. *Quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in benè moderatis Monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas* D *habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati, de negotiis ſecularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis.* Ita Aug. Et reuera, vt ait Syneſius, Epiſtola 57. *Reipublicæ adminiſtrandæ vim cum ſacerdotio coniungere, perinde eſt atque ea nere, quæ nendo connecti nequeant.* Tamen vt ipſe addit, *priſca tempora eoſdem ſacerdotes, ac iudices tulerunt. Nam Ægyptij & Hebræi, longo tempore, ſacerdotum imperio vſi ſunt.* Ita Syneſ. Nihilominus ſi humana ponderetur imbecillitas, ſi præcipuus ſacerdotij finis attendatur, ſacerdotij functiones & negociorum ſecularium tractationes vix ab vna & eadem perſona exerceri poſſunt. Hinc Epiſcopi ſuos E habent Officiales, qui de negotiis ad eorum tribunal pertinentibus, eorum autoritate ac nomine cognoſcant ac iudicent. Rectè enim Syneſius addit: *Deinde poſteaquam, vt mihi videtur, diuinum opus humano more fieri cœptum eſt Deus ambo vitæ genera ſeparauit, vnumque eorum ſacrum, alterum ad regimen atque Imperium conſtitutum eſt. Alios enim ad infimarum rerum fæcem conuertit; alios ſibi ſociauit. Illi in negotiis, non in oratione collocati. Ab vtriſque verò quod honeſtum & conſentaneum eſt requirit Deus.* Ita Syneſ.

Sicut igitur Deus Pontificibus curam rerum ſpiritualium præcipuam dedit, Imperatoribus ac Regibus temporalium; ita æquum fuit vt ipſi Pontifices, qui (quia præſunt ſpiritualibus) etiam de temporalibus poſſunt ferre iudicium, iuxta edictum Conſtantini ſupra allatum, huius poteſtatis exercitium

Digitized by Google

aliis committere debuerint, vt liberiùs proprio fini, nempe contemplationi incumberent. Vnde Syneſius nullam ad duas iſtas functiones ſimul exercendas cogi debere aſſerit. *Contemplatio*, inquit ille, *ſacerdotii finis eſt, ſi non falſo id ſibi nomen vſurpet. Contemplatio verò & actio nequaquam in vnum conueniunt. Voluntatis enim impetus motus eſt in actionem: nullus autem ſine affectu aliquo eſſe poteſt. At omnium expertem affectuum animam illam eſſe oportet, quæ Dei receptaculum futura ſit. Nam ei qui impurus ſit, quod purum eſt attingere nefas fuerit. Vacate enim, & cognoſcite quoniam ego ſum Deus.* Ita Syneſ. Nec tamen damnat aut reprehendit, vel ſuggillare vult Epiſcopos, qui negotiis deſtinantur: ſui ipſius tantùm imbecillitatem agnoſcit, qui vni tantùm rei vacare poteſt. Vnde eos ſuſpicit cum admiratione, qui vtrumque præſtare poſſint. *Non eſt*, inquit, *mearum virium duobus vt Dominis ſeruiam; ſin aliqui reperiantur, quibus ne mentis quidem ad inferiora deſcenſus detrimentum afferat, meritò illi poſſunt ſacerdotes fieri, & præeſſe ciuitatibus. Solarius radius, quamuis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet. Ego ſi idem fecero, fontibus & mari opus habeo.* Ita Syneſ. Nec homini deputandum eſt onus Angelicis humeris impar; & quod ſolus Deus homo factus potuit perfecto modo ſuſtinere. Vnde cum quadam exaggeratione addit Syneſius: *Ac ſi Angelus poſſet ſupra triginta annos cum hominibus ita conſueſcere, nulla vt ex infima rerum contagie affectus inficeretur, quid neceſſe eſt deſcendere filium Dei? Sed eſt virium abundantia quædam ac copia inter deteriora verſari, vt in naturæ ſtatu conſiſtat, nec vllo modo inficiatur. Hæc Dei laus ac prædicatio eſt. Homini verò deputandum illud eſt naturæ ſuæ imbecillitatem metuenti.* Ita Syneſ. Ac ſi diceret: Minimè hoc homini imbecillitatem ſuam metuenti hoc onus eſt imponendum, ne ſibi ac negotiis ipſis ipſis detrimentum afferat. *Iis*, inquit tandè Syneſius, *opprimor. Nã modò mei obliuioſus reddor, ſed & negotiis ipſis detrimẽtum facio. Fieri enim non poteſt vt quod quis oderit, rectè & ordine conficiat: ſed qui non ex totius animi ſui ſententia aliquid facit, languidus ac triſtis ad opus accedit, cui præ eſſe illum conuenit.* Vides ex Syneſ. opus quidem eſſe arduum ac difficile ſimul omnia præſtare, tamen apud Epiſcopos hanc poteſtatem reperiri. Vnde non reprehendit eos, qui hac vtebantur, ſed ſe tantùm purgat à calumnia, ſi propter propriam infirmitatem ab eius vſu & exercitio ſe contineat. Cuius rei cauſa, vt liberiùs aliis grauioribus negotiis vacarent Eccleſiæ Prælati, ſuos habent Officiales, vt dictum eſt, qui de cauſis ad tribunal ſuum ſpectantibus cognoſcunt. Sufficit quod apud Eccleſiam eſt illa poteſtas iudicia ferendi, quibus cogunt fideles vt ad legis Chriſtianæ ac Euangelicæ, & conſtitutionum Eccleſiæ præſcriptum, ſuas actiones moderentur.

Quod ſi hæc poteſtas aliquando etiam ad quædam temporalia extendatur, multo magis ſpectari debet in negotiis Eccleſiaſticis, & in iis materiis quæ ad fidem & religionem ſpectant. Quæ quidem ita ad Epiſcopos & Prælatos pertinet, vt Conſtantinus appellationem Donatiſtarum à ſententia Eccleſiaſtica reiecerit, vt patet ex Epiſtola quadam ad Epiſcopos, in qua de Donatiſtis loquens ait; *Meum iudicium poſtulant, qui ipſe iudicium Chriſti expecto. Dico enim, vt ſe veritas habet, ſacerdotum iudicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti, &c.* Et paulo poſt exclamat: *O rabida furoris audacia? Sicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Ita Conſtantinus. Et optimè Conſtantinus declarat iudicium Paſtorum tale eſſe debere, ac ſi Chriſtus in eis inſit ac reſideat. Non enim alia ratione hac poteſtate gaudent, quàm ex eo quod

A Paſtores ſunt, & Sacerdotium obtinent in eminentiori gradu, vt illius gerant perſonam, apud quem ſupremum & æternum eſt ſacerdotium, & cui, vt ſupremo ſacerdoti, data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, vt de omnibus ad libitum diſponat, prout Dei honor & cultus exigere poteſt, ad cuius gloriam omnia ordinantur, ac referri debent. Ex eo enim quod finis temporalis poteſtatis, nempe tranquillitas & pax temporalis, ordinari debet ad finem pacis æternæ, quam propriè reſpicit Paſtorum Eccleſiæ ſollicitudo, ideo non mirum ſi quamuis diſtinctæ ſunt poteſtates, politica & Eccleſiaſtica, (itaut politica ſtare poſſit ſine ordine ad aliquam veram poteſtatem Eccleſiaſticam & ſpiritualem, vt B patet in infidelibus, vbi eſt vera poteſtas temporalis & politica) tamẽ dum politica reperitur infidelibus, ea ordinari neceſſe eſt ad finem, ad quem fideles aſpirant, per eos ad quos pertinet fideles ad bonum ſpirituale promouere. *Cum igitur*, inquiunt Theologi apud Bellarm. l. 5. de ſummo Pontifice c. 7. *Poteſtas ciuilis ſubiecta ſit poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem reipublicæ Chriſtianæ poterit Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale. Omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo.* Ita Bellarm. Et ex natura rei poteſtas politica ſubjicitur poteſtati Eccleſiaſticæ: quia ad finem vltimum, quem reſpicit Eccleſiaſtica poteſtas refertur finis politicæ poteſta- C tis, nempe tranquillitas ſeu felicitas temporalis. Conſtat autem ex Ariſtotele, lib. 1. Ethic. c. 1. Ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines. Cuius quidem rei ampliorem tractationem vide apud eumdem Bellarminum. Sufficit ad noſtrum inſtitutum vt ex ipſo dicamus quod *ſummus Pontifex poteſt ac debet omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſtatum ſuum tenetur, id eſt, ſingulos cogere vt eo modo Deo ſeruiant. quo ſecundum ſtatum ſuum tenetur. Qua quidem ratione, cum Regum Chriſtianorum officium ſit defendere Eccleſiam, punireque hæreticos & ſchiſmaticos, poteſt ac debet Regibus iubere vt hoc faciant: & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem.* Ita Bellarm. Vt noſtra firma maneat D propoſitio, apud Eccleſiam manere aliquam poteſtatem exercendi iudicia, quæ indirectè aliquando extenditur ad quædam negotia ſecularia & temporalia, cum hoc exigit bonum ſpirituale fidelium, quod Paſtores Eccleſiæ omnibus rationibus commodis & idoneis promouere ac conſeruare debent. In cuius rei figura olim ſacerdotes veteris Teſtamenti geſtabant Mithram auream, ad ſignificandam ſummam illorum poteſtatem; & geſtabant duos lapides nempe Praſinum & Carbunculum, ad deſignandum hanc poteſtatem & cæleſtium cognitionem & terrenorum diſpoſitionem aliqualiter continere. *Quid ſibi vult*, inquit Procopius Gaza, in ſecundum Geneſ. (de fluuio Phiſon loquens) *ſacra ſcriptu-* E *ra, cum amplitudinem paradiſi delineat, poſteaquam illius depinxit pulchritudinem? Quid ſibi, inquam, vult quod ait: Vbi eſt aurum optimum & Carbunculus, lapiſque Praſinus? Nam neceſsitas requirebat, ſi volebat Geographi fungi officio, vt etiam aliorum, quæ etiam in ea regione erant memoratu digna, mentionem faceret. Ipſe verò commemorat ſolummodo duos lapides, primitias ſacerdotij, & aurum. Sacerdos etenim gerebat mitram auream, & duos lapides ſupra pectus. Præterea Praſinus peculiariter dedicatus eſt ſacerdotali tribui, quæ Cæleſtium cognitionem rimatur. Cæterùm Carbunculus conſecratus eſt regiæ poteſtati. Vt enim ignis eſt vt vrat, & lucem præbeat, ſic Regis eſt vt benefaciat & puniat. Quapropter in hoc Iudam expoſuit, ex quo Chriſtus. Idcirco Iſaias introducit Deum dicentem ad Hieruſalem: Ecce pono Carbunculum lapidem tuum, id eſt ſaluatorem. Et iterum: Ecce pono lapidem in Sion, &c.*

Digitized by Google

Ita Procop. Et quia Saluator ſummus rex & ſacerdos vtrâq; poteſtatem erat Eccleſiæ ſuæ collaturus, ideo in pectore ſacerdotis antiquæ legis, qui ſacerdotij nouæ legis typus fuit, vterque lapis, & Praſinus cæleſtium rerum ſymbolum, & Carbunculus regiæ poteſtatis inſigne, dicitur in eius eſſe pectore.

At, inquies, vnde conjicere poſſumus hanc iudicandi poteſtatem deſignari in effuſione ſextæ phialæ? Reſpondeo hoc nos conjicere ex optima rerum ſerie & connexione, de qua ſupra. Secundò ex ſubiecto, in quod fit effuſio, nempe flumen illud magnum Euphratem, id eſt, in homines, in quantum ſubduntur legibus diuinis, & intra limites iuſtitiæ Chriſtianæ continentur, & Eccleſiaſticis inſtitutis ac præceptis in officio conſiſtere coguntur. Licèt enim poſſint ex arbitrio & propria malitia in malis & peccatis perſeuerare, eximi tamen non poſſunt ab obligatione parendi & obediendi præceptis legis Chriſtianæ & Prælatorum ſuorum, quam contraxerunt ſimul atque fuerunt in baptiſmo in corpore myſtico Eccleſiæ incorporati. Promiſerunt enim Chriſti mandata ſe eſſe adimpleturos, eo ipſo quo fidem in baptiſmo ſuſceperunt: cuius promiſſionis in pueris fideiuſſores ſeu ſponſores ſunt patrini. Hac de cauſa cum legibus ſint adſtricti, quas obſeruare oportet, non ſolùm leges illis proponi poſſunt, vt illas obſeruent, ſed etiam Epiſcopi & Prælati vti poſſunt erga eos comminationibus & pœnis temporaliter infligendis, vt ſunt excommunicationes, interdictiones, ſubituros abſque dubio æternas reſciſſiones & excommunicationes, niſi prælatis obedientiam reddiderint, & mediis præſcriptis ad ſalutem conſequendam, vti voluerint. At qui legi ſubiectus eſt, cogi poteſt ad eius obſeruationem: & ſi tranſgreſſor fuerit, punitioni ſubiacet. Non immeritò igitur conjicimus iudicandi poteſtatem in effuſione phialæ ſignificari, cum videmus effuſionem fieri in fluuium magnum Euphratem, ſymbolum hominum, vt videbimus, qui conſtituti ſunt intra fines & limites Chriſtianæ legis, quas fas non eſt illis tranſilire; Itaut illa effuſio ſit ſymbolum iudicij Prælatorum, quo inquirunt qualiter ſe habeant fideles circa mandatorum Dei & legum Eccleſiaſticarum obſeruationem. Nulla enim conuenientior actio Prælatorum circa ſubditos ſub illa formalitate conſtitutos (quòd legibus iuſtitiæ Chriſtianæ ſubjiciātur) ex cogitari poteſt, quàm iudicialis actio, qua de actibus illorum an ſint legi conformes inquiratur, iudicetur, & prout compertum fuerit ſeſe geſſiſſe, vel quod poſtulant obtineant ſententiâ iudicis, vel à cauſa excidant; & ſi compertum fuerit aliquos legis eſſe infractores, debitis pœnis puniantur, quibus Eccleſia legum ſuarum ac diuinarum tranſgreſſores punire ſolet, puta ſuſpenſione, interdicto, excommunicatione: his enim pœnis puniti debent, qui Sacramentis, quibus poſſent ſanctificari, iniuriam aliquam inurunt in eorum illegitima adminiſtratione aut ſuſceptione; qui ſalutares pœnitentias & ſatisfactiones, aut iniunctiones, vel ad reparandam iniuriam proximo factam, vel ad animæ medelam impoſitas, adimplere nolunt; qui in ſecreto tribunali Sacramenti pœnitentiæ rationem actionum ſuarum reddere contemnunt, & in delictis ſuis perſeuerantes, peccata peccatis accumulant, & theſaurizant ſibi iram in die iuſti iudicij Dei: cum ſi vellent, facillime (à præteritis delictis abſtinentes) illa delere poſſent, non ſolum quoad culpam per contritionem, aut attritionem cum abſolutione Sacramentali coniunctam; ſed etiam quoad pœnam, lucrando videlicet indulgentias, quas Eccleſia benignè verè pœnitentibus frequenter concedit. Hoc enim modo dum peccata

A prodeunt in publicum, & ſcandalum pariunt, cogitur Eccleſia effundere phialam, id eſt, poteſtatem iudicialem exercere, & formâ iuridicâ delicta vindicare ac reprimere.

Quomodo autem flumen Euphrates ſymbolum ſit fidelium in quantum legum obſeruationi adſtringuntur, quas tranſgredi non debeant, videbitur in explicatione ſymboli.

Tertiò, conjicio agi de hac poteſtate iudiciaria, ex audaci illa & aperta præparatione ad pugnam, de qua agitur hîc poſt effuſionem phialæ ſextæ. Deſignat enim hæc præparatio rebelles & contumaces nullam habere rationem eorum, quæ ab Eccleſia ad reprimendam peccatorum colluuiem ſapienter decernuntur. Quo fit vt dum recti & æqui nulla habe- B tur ratio, ſiccato fluuio iuſtitiæ Chriſtianæ, pateat facilis acceſſus perſecutoribus Eccleſiæ, vt eam inuadant & opprimant. Sic præparatur via regibus orientis, id eſt, miniſtris Anti Chriſti.

Et ſextus Angelus.

Quod in Epiſcopo Philadelphiæ, in ſexto Angelo deſignato, poteſtas iudicia exercendi in foro exteriori paſtoribus Eccleſiæ data optimè adumbratur.

ANNOTAT. XXXIII.

C HANC poteſtatem ſubodorare licet ex interpretatione nominis Philadelphiæ, quod interpretatur primò, amator fraternitatis. Verus enim iudex eſt amator fraternitatis, dum vnicuique tribuit quod ſuum eſt. Nihil enim fortiùs poteſt homines in fraterna charitate conſeruare, quàm ſi nemini permittatur alteri iniuriam inurere. Secundo Philadelphia à S. Hieronymo, de nominibus Hebraicis, in Act. Apoſtol. interpretatur, Saluans hærentem Domino. Iuſtus enim adhærens Deo ſaluatur per iudicem ab iniqua malorum perſecutione. Quod ab illo iudice poſtulabat paupercula illa vidua (de qua Dominus, Luc. 18.) iniquum iudicem his verbis interpellans: *Vindica me de aduerſario meo.* Id eſt. Libera me. Quod ſi iniquus ille iudex, qui D nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur, apud ſe ſtatuit illam vindicare de inimico, ne illa in nouiſſimo veniens ſuggillaret eum, certè verus iudex, amator fraternitatis, ſaluabit hærentes Domino, Dei imitator factus, de quo ibidem dicitur: *Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.* Iuſtus igitur iudex ille eſt, qui valens virtute irrumpere iniquitates, iuſtos à malorum oppreſſione eximit. Et meritò appellatur Amator fraternitatis, & in laudem eius prædicatur quod ſaluet hærentes Domino.

Secundò hoc idem conjicio ex titulo Epiſtolæ: E *Et Angelo Philadelphiæ ſcribe: Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* In his enim verbis, optimi iudicis qualitates exprimuntur, qui iuſtitiam diligere, & vitia abhorrere debet per ſanctitatem, veritatem amare & inquirere, vt iuſtam ferat ſententiam, & hoc præſtare quod apud eum reſideat legitima autoritas & poteſtas. Hæc quatuor in filio Dei videntur, qui ſanctus eſt, per morum integritatem; Verus eſt, per iudicij æquitatem; Et qui habet clauem Dauid, propter regiam poteſtatem, vt ait Primaſius; & ſic tanquam Rex & Monarcha habet omnimodam regni Chriſtiani diſpoſitionem, iuxta illud: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Id eſt: Cuncta meæ diſpoſitioni relinquuntur. Vnde poteſt cui voluerit aperire

Digitized by Google

theſauros gratiarum, cui voluerit illos claudere: quia ſuprema in eo poteſtas cum autoritate coniungitur. Poteſt delicta relaxare, pœnas remittere aut decernere, præmia largiri, Dei conſilia aperire, quæ falſa ſunt apertè demonſtrare, occulta pandere myſteria cui voluerit, alios à myſteriorum participatione excludere. Optimè igitur in hoc titulo iudiciaria Eccleſiæ poteſtas exprimitur, cui datæ ſunt in Petro claues regni cælorum.

Tertiò, hoc etiam conjicio ex his verbis: *Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos.* Quibus verbis deſignari poteſt ſuprema quædam dignitas, autoritas & poteſtas, quæ cum in Chriſto ſit abſque dependentia & principaliter, participatiuè & miniſterialiter reperitur in Eccleſiæ Prælatis, quibus debetur honor & adoratio, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoh. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur:* Videlicet propter autoritatem in eis exiſtentem, & legitimum illius autoritatis exercitium: quia ritè videlicet implent officium ſuum. Vnde S. Thomas hæc verba exponens: *Et adorent ante pedes tuos in reuerentiam*, inquit, *Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ eſt in te.*

Denique illud conjicio ex iis quæ promittuntur vincenti, in quibus videre licet de quibus Eccleſia potiſſimum iudicia exercere debeat. *Qui vicerit*, inquit, *faciam illum collumnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei: & foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. Poteſt*, inquit Ambroſius, *in hunc locum per templum Eccleſia deſignari; per columnas autem, quæ ſuſtentant templum, prædicatores. Nam & Paulus Apoſtolus Petrum & Iacobum columnas Eccleſiæ vocat, eo quod ſuper ipſos ædificata ſit Eccleſia, ſicut Dominus dixit Petro: Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ita Ambroſ. Optimè quidem. Sed verè Prælati Eccleſiæ, columnæ ſunt Eccleſiæ, cum per iuſta iudicia, illius leges, ſtatuta, & Sacramenta fulciunt, illiusque autoritatem in ſuo vigore & ſplendore conſeruare nituntur. *Rex*, inquit Salomon, Prouerb. 20. *qui ſedet in ſolio iudicij: diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Pontifices igitur regia poteſtate præditi, dum ſedent in ſolio iudicia exercentes ſuſtentant Eccleſiam, illiuſque ſunt columnæ diſſipantes omne malum intuitu ſuo. *Aufer*, inquit Sapiens Pro. 25. *impietatem de vultu Regis: & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Dum igitur Prælati iuſta exercent iudicia, Eccleſiæ poteſtatem & autoritatem corroborant.

At ad tria reducere poſſumus illa, de quibus iudicare debent, nempe ad ea quæ ad bonos mores pertinent, & propriam vniuſcuiuſque ſanctitatem; Secundò ad ea, quæ pacem & concordiam inter fideles conciliant, reddendo vnicuique quod ſuum eſt; Tertiò, ad ea quæ ad Dei cultum pertinent, ſeu ad tuitionem myſteriorum & Sacramentorum legis nouæ, per quorum fidem aut adminiſtrationem effectus ſalutis à Chriſto allatæ conſequimur. Hæc tria deſignantur in ſupradictis verbis. Primum in eo quod dicitur: *Scribam ſuper eum nomen Dei mei.* Quia videlicet ait: *Sancti eſtote: quia ego ſanctus ſum.* Secundum deſignatur his verbis: *Et nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hieruſalem:* Quæ interpretatur, Viſio pacis. Dum enim Prælati per recta iudicia vnicuique tribuunt quod iuſtum eſt, ponunt Eccleſiæ fines & terminos pacem, id eſt, faciant vt cuncti in maiori pace & tranquillitate vitam tranſigere valeant. Denique tertium: *Et nomen meum nouum.* Nomen enim Chriſti nouum eſt, Ieſus ſcilicet, & ſaluator. Quod verè inſcribitur in frontibus, dum & veritas myſteriorum nullis offuſcatur erroribus, & Sacramenta cum debita reuerentia adminiſtrantur & ſuſcipiuntur à fidelibus.

Et ſextus Angelus, &c.

Interpretatio ſymboli phialæ ſextæ, ex variis autorum expoſitionibus.

ANNOTAT. XXXIV.

TICONIVS: *Et ſextus Angelus, &c. Super flumen magnum illud Euphratem, id eſt, ſuper populum. Et ſiccata eſt aqua eius. Sicut ſupra dixit: Aruit Meſſis terræ. Id eſt: ad combuſtionem parata eſt. Vt præparetur via eorum, qui ſunt à vita ſolis, id eſt Chriſto: his enim perfectis, iuſti proficiſcuntur obuiam Chriſto.* Ita Ticon. hom. 12. Et homil. 13. *Et vidi ex ore draconis, &c. Vnum ſpiritum vidit, ſed pro numero & portione* (aliàs partitione) *vnius corporis. Draco id eſt diabolus, & beſtia, id eſt corpus diaboli; & Pſeudo-Propheta, id eſt præpoſiti corporis diaboli, vnus ſpiritus eſt, quaſi ranæ. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna. Ranæ namque præter horrorem proprium, etiam in loco immundo ſunt. Quæ tum aquarum incolæ & indigenæ videantur, non ſolùm aquarum refugæ, & ſiccitatis impatientes ſunt, ſed etiam in ipſis aquis, in aquæ ſordibus & cœno volutantur. Sic hypocritæ non in aqua, vt putantur, degunt; ſed in ſordibus, quas credentes in aqua deponunt. Ranis ſunt ſimiles etiam homines, qui in peccatis vel criminibus (quæ alij per pœnitentiam vel baptiſmum deponunt) volutari non erubeſcunt. Quando enim aliquis ſe conuertit ad Deum, & pœnitet fuiſſe ſuperbum, adulterum, ebrioſum, vel cupidum, qui iſta peccata (quæ alius confitendo relinquit) imitatur, cogitans apud ſe & dicens: Facio quod volo; Et poſtea: Quomodo iſte agit pœnitentiam, & ego ago; Et ſubdito dum ei ſuperuenit vltimus dies, vnde perit confeſſio, & reſtat damnatio; Iſte qui talis eſt, dum alios non ad bonum ſed ad malum vult imitari; in luto vnde alius liberatus eſt, velut rana inuoluetur & volutatur, &c.* Denique in hæc verba: *Qui exeunt ad reges, &c. Diem magnum, totum tempus dicit à paſſione Domini: ſed pro locis accipiendus eſt dies. Aliquando diem iudicij dicit, aliquando nouiſſimam perſecutionem, quæ ſub Anti-Chriſto futura eſt: aliquando totum tempus, per amos Prophetum: Væ, inquit, eis qui concupiſcunt diem Domini. Et vt quid vobis diem perſecutionis?* Ita Ticon. Quæ certè mihi adeo obſcurè dicuntur, vt alia expoſitione ad hanc benè percipiendam indigerem.

Ambroſius in iſto Angelo Martyres intelligit; per flumen magnum Euphratem, perſecutores Eccleſiæ Dei. *Super flumen effudit Angelus phialam, quia quæ damnatio perſecutoribus Eccleſiæ inſtaret, ipſis perſecutoribus ſine aliqua trepidatione prædixerunt. Per aquam ipſa perſecutio deſignatur. Siccauit aquam eius: quia ſandiu in prædicatione verbi Dei ſancti Martyres perſtiterunt, vſque dum omnis perſecutio finem acciperet, quibuſdam ex perſecutoribus in infernum demorſis, quibuſdam fidei Chriſtianæ ſemetipſos ſubjicientibus. Per reges, multitudinem gentium, quæ ad fidem Chriſti confluxit, poſſumus intelligere. Regibus ſiccata eſt aqua: quia finitis perſecutionibus libera facultas data eſt omnibus gentibus ad fidem Chriſti veniendi. Ab ortu ſolis, id eſt, à Chriſto veniunt, quia inſpirante & impellente ad eum veniunt, &c.* Et in illud: *Et vidi de ore draconis, &c. Spiritus tres immundi diſcipulos deſignant Anti-Chriſti, qui eum per vniuerſum orbem prædicaturi ſunt, qui quamuis homines ſint futuri, ſpiritus immundi & ſpiritus dæmoniorum vocantur: quia dæmones in ipſis habitabunt, & per ora eorum loquentur. Qui de ore Anti-Chriſti, & de ore Pſeudo-Prophetarum eius exiſſe viſi ſunt, quia per eorum doctri-*

Digitized by Google

nam filij diaboli efficientur. Qui etiam de ore draconis exiſſe viſi ſunt, quia per os Anti-Chriſti diabolus loquetur, &c. Ranis aſsimilantur: quia ſicut ranæ in ſordidis aquis immorantur, tales diſcipuli Anti-Chriſti facilè decipient. Qui diuerſis vitiis & ſceleribus non timuerant ſordidari: nam & ranarum vox rauca, & turpis impiſsimam eorum prædicationem blaſphemiis plenam deſignat. Et procedunt ad reges totius terræ, &c. Per reges terræ non ſolùm reges, ſed & populi deſignantur. Congregabunt eos in prælium ad perſequendam Eccleſiam, vt in die magno Dei omnipotentis, perpetuâ pœnâ damnentur. Et quia finita perſecutione Anti-Chriſti Dominus ad iudicium in proximo veniet, ſubdit: Et ecce venio ſicut fur, &c. Beatus qui vigilat. Ambroſius rectè hic notat *impios dormire, quia in voluptatibus requieſcunt, & nolunt præuidere mala quæ ſequuntur: è contra iuſtos vigilare, qui mala quæ ſequuntur præuidere ſtudent, qui voluptates carnales in ſe extinguunt, &c. Veſtimenta autem noſtrarum animarũ ſunt opera bona. Cuſtodia veſtium, cuſtodia eſt mandatorum Dei. Veſtimenta autem noſtra cuſtodiamus, ſi ea quæ præcepit Deus operãdo implemus. Nudus verò eſt, qui à bonis operibus alienus exiſtit. Nudi impij ambulant, cum ad diem iudicij à bonis operibus vacui deducentur. Et ideo turpitudo illorum videbitur, quia & Angelis & hominibus eorum ſcelera manifeſtabuntur.* Ita Ambroſ.

Armageddon; mons globoſus, & conſurrectio in priora interpretatur; quæ vtraque interpretatio dici iudicij coaptari poteſt, tum eo quod, vt ait Ambroſ. globis flammarum vniuerſus mundus tunc deleatur, & ex eoquod homines in priorem ſtatum reſurgendo reparentur. Ita ex Ambroſ.

Primaſius per Euphratem immundos deſignari vult, ſicuti eos deſignari aſſerit, per mare, flumina, fontes aquarum ſolem, thronum beſtiæ. Siccari dicit aquam Euphratis igne iudicij, quo vel impij conſumentur vt fœnum, vel ſancti approbentur vt aurum. *Vt præparetur,* inquit, *via venienti regi ab oriente ſole, id eſt Chriſto, cui venturo ad iudicium via præparatur.* Secundò in dracone diabolum, in beſtia Anti-Chriſtum, in pſeudo-Propheta Anti-Chriſti dogmatum Doctores intelligit, ac docet malignos ſpiritus dici habere qualitates pro varietate vexationum ac vitiorum, vnum tamen ſpiritum videri, & tres nihilominus dici, pro munere partium vnius corporis, vt omnis numerus perditorum vno maligno ſpiritu agi proderetur. Ranis aſſimilari pſeudo-Prophetæ, quia ranæ, loco, viſu, moleſtoque ſtrepitu odibiles habentur; ac tantùm diſtare doctores veritatis ab eis, quantùm ranas ab hominibus ſanctis, vt etiam qui idonei non ſunt eius fraudes potentia diſcretionis repellendas agnoſcere, ranarum ſaltem horrore perculſi tales ſtudeant deuitare qui ſicut ranæ ignaros impediunt, ne quieto deuotionis cultu percipiunt veritatem. Tertiò docet hoc pſeudo-Prophetas ſigna facturos, ſicut fecerunt magi Pharaonis, qui vſque ad ſignum ranarum ſuis incantationibus valere per miſſi ſunt; Et eos exire ad reges totius terræ contrahendos in pugnam non quod ex toto orbe ad vnum locum colligunt, ſed quod vnamquamque gentem in loco habitationis ſuæ, ſuis captam velint ſuperſtitionibus militare; *In diem magnum omnipotentis Dei*, per totum tempus vitæ præſentis huiuſmodi homines congregati.

Denique ait veſtimenta immaculata hîc commendari ſeruanda: *Vt nec iterato Baptiſmate reſcindantur, nec reproborum reſperſa maculis inquinentur. In vtroque enim præuaricatorum detegitur turpitudo, quam vigilantius perſeuerans deuitat intentio. Et congregauit illos in locum, qui vocatur hebraïcè Armageddon in alia recapitulatione interpretatus eſt locum dicens: congregauit eos in bellum. quorũ eſt numerus ſicut arena maris.* Hæc Primaſ.

Andreas Cæſar. *Flumen Euphrates diuino nutu ita fortaſsis vadoſum euaſurum, vt gentium Regibus ad mutuam cædem, aliorumque hominum intentum, commodum tranſitum præbeat. Quantùm autem ex iis, quæ infra ea de re in Apocalypſi traduntur, diuinando conſequi poſſumus, arbitramur illos Gog & Magog nominibus deſignatos ex Scytharum regione moturos. Quinuero quoq; conſentaneum arbitramur Anti-Chriſtum ex Orientali Perſide, ad quam tribus Dan) è qua ortum ille ducturus dicitur (ablegata eſt, vna cum aliis Regibus & Principibus Regium nomen adeptis, Euphratem tranſmiſſurum, animæque vel corporis mortem hominibus illaturum; hanc quidem propter fidei conſtantiam, animique fortitudinem, illam verò propter ignauiam, animique mollitiem.*

Deinde Andreas Cæſarienſis, ex diabolo, Anti-Chriſto, & alio quopiam ab illis diuerſo, è quorum ore tres ſpiritus immundi ranis ſimiles (ob vitulentum: obſcænum, & immundum affectum, virtutem malignorum ſerpentium, & ad cænoſas voluptates ſtudium) exeunt, qui ſola iuſſione, quæ per os ſignificatur, fucata falſaque prodigia edent, hominibus oſtendent.

Denique ait: *Vigilare, veſtemque cuſtodire, aliud nihil eſſe videtur quàm bonis operibus impigrè inſiſtere: ea enim ſanctorum ſunt indumenta & ornamenta, quibus proinde qui orbatus eſt, nudus, confuſione & turpitudine plenus appareat, oportet. Ad nomen autem Armageddon quod attinet, illud intercisionem, vel ſeparationem denotat. Et meritò. Ad eum namque locum gentes adductæ, & à diabolo in prælium concitatæ, penitùs (vt probabile eſt) excidentur. Gaudet enim ille cæde, humanoque ſanguine.* Ita Andr.

Rupertus per aquas fluminis, & deinde per tres immundos ſpiritus in modum ranarum per ſtrepentes, ſignificari vult quoddam malum trifidum, cuius partes ſunt præſtigia magorum, commenta Philoſophorum, figmenta poëtarum. *Eorum*, inquit, *profunda malitia & turbida loquacitas congruè per aquas Euphratis ſignificatur, quia Euphrates Babylonia flumen eſt: quæ Babylon vniuerſam generationem impiorum ſignificat. Reuelatâ irâ Dei de cælo per Euangelium Chriſti, ſiccata fuit aqua illa ſapientiæ ſecularis, itant Principes ſiue autores ſcripturarum veritatis (quorum etiam ſeculari dignitate reges fuerunt nonnulli, qui veniſſe dicuntur ab ortu ſolis, quia non ſunt loquuti à ſemetipſis) ſtultam fecerint ſapientiam huius mundi: & ſtultum eſſe apparuit & aridam quod catenus grande videbatur & profundum.* Deinde Rupertus per tres ſpiritus immundos ait *intelligi ſectas, quaſi ſapientiæ & ſcientiæ, & magicæ, & poëticæ, & Philoſophicæ, quas contrarius ſancto ſpiritui immundus huius mundi ſpiritus adſpirauit, qui præliati ſunt, & prælium non deſinunt, perſequendo omnes qui in Chriſto piè viuere volunt: ſed malo ſuo, quia taliter congregati in prælium congregabuntur in iudicium. Vnde addidit: Ad diem magnum omnipotentis Dei, &c. In loco qui vocatur Hebraicè Hermagedon.* In hoc loco, ex Ruperto, boni Reges (de quibus cenſet intelligendum eſſe: *Vt pararetur via Regibus ab ortu ſolis*;) & Mali (de quibus dicitur quod *procedent ad reges totius terræ, congregare illos in prælium*) congregabuntur in loco iudicij finalis: *quia videlicet illic prælij malorum & bonorum mirabilis & horrendus finis ſtatutus eſt. Qui deſignatur hoc nomine, Hermagedon, quod interpretatur, conſurrectio in priora: quia ſancti reges ad iudicandum ſedebunt; ſeu, mons globoſus, quia mali reges tollentur cum diabolo ſuo principe. Tunc enim reuera dicetur monti huic: Tollere, & mittere iam in mare, ſed in profundum gehennæ.* Ita Rup.

Sanctus Thomas in ſexto Angelo, ſextum ordinem prædicatorum; in effuſione phialæ, comminationem vltionis æternæ; in flumine Euphrate, diuitiarum magno fluxu defluentes de peccato in peccatum, & vitiis vocatos, alios violenter, vel aliquos inducendos in errores, vel aliquod peccatum, flagellis

gellis, minis, donis, vel per alium modum, intelligit.

Hic Angelus ſiccauit, id eſt ſiccabit, hoc eſt ſiccandam citò & aunullandam prædicabit affluentiam talium diuitum, hac intentione vt via ſalutis præparetur per contemptum mundanorum, & deſiderium cæleſtium; Regibus, id eſt, fidelibus Chriſtianis; qui in Reges inuncti ſunt in baptiſmo, & ſeipſos benè regere norunt, ex eo quod Chriſtus orietur magis ac magis in cordibus ipſorum per gratiam, qui eſt ſol irradians ſuper ſequentes ſe. Conuertentur enim quidam Chriſtiani tandem; qui priùs Anti-Chriſto adhæſerint; & ad hoc iuuabit prædicatio, quæ erit in comminatione pœnarum diuitibus & aliis impiis inſligendarum. At occaſione talis prædicationis dæmones magis ſtudent detinere diuites & alios in errore & offuſcatione, tum per errorum ſuggeſtionem, tum per miraculorum operationem, tum per malitiæ ſuſcitationem, quia principes ſuſcitabunt ipſi dæmones, ad detinendum errores, & ad impugnandum Catholicos.

Quantum autem ad errorum ſuggeſtionem, fiet vel inuiſibiliter diabolo inſpirante, vel ſuggeſtione Anti-Chriſti allectiuâ per promiſſa, vel comminatoria, vel perſuaſoria, & verbo Pſeudo-Apoſtolorum Anti-Chriſti. Et hæc inſpiratio, ſuggeſtio, ac prædicatio generabunt dæmones in cordibus hominum ſpiritualiter, ſicut ſancti prædicatores generant ſpiritualiter Chriſtum, ſiue eius fidem in cordibus aliorum. Qui tres eſſe dicuntur, quia fidem ſanctæ Trinitatis impugnant, vel tres virtutes (in quibus origo boni) fidem, ſpem & charitatem: & immundi ſunt, quia pleni immunditia ſuperbiæ, inuidiæ, nequitiæ, iræ, impœnitentiæ; & quia ſtudent cæteros inquinare. Quantùm ad miraculorum operationem, hæretici tempore Anti-Chriſti multa patrabunt miracula, vt dictum eſt c. 13. ſupra.

Quantum ad malitiæ ſuſcitationem, dæmones ſtudebunt omnes potentes prouocare contra fideles præliando verbis perſuaſoriis, vel diſputatoriis, vel flagellis, vel illatione mortis, ſed malo ſuo, quia citò ducentur ad diem magnum omnipotentis Dei. Vnde iuſti motiuum habent ſibi prouidendi, ſiue ratione præmij, vt ſint beati, ſiue ad declinationẽ dãni, & euitationem opprobrij, ne videlicet nudus quis ambulet & videant turpitudinem eius. Debent adhibere ſolicitudinem bene operandi, & conſtantiam perſeuerandi, ad adſpectum veri luminis oculos apertos tenere, torporis & negligentiæ, tenebras à ſe repellere, ſtabilitatem ſeruare contra tentationes, & perſeuerantiam, cuſtodiendo veſtimenta innocentiæ baptiſmalis, & virtutum, ac meritorum, quæ animam decorant ac protegunt. Hæc ex S. Thoma compendiariè breuitatis cauſa. Qui etiam Hermagedon interpretatur montem furum, vel montem globoſum, vel conſurrectionem teſtium iniquorum: & ſignat Anti-Chriſtum, qui maximus inter fures, qui furantur per aſtutiam fidelibus fidem; & refugium furum, qui & ſuperbiâ elatum conglogabit plurimos ad ſui erroris doctrinam: & faciet quaſi falſos teſtes, impios homines, proferre in Chriſtum verba blaſphemiæ. Hæc ex S. Thom. Longum eſſet has omnes expoſitiones diſcurrere, & an veritate ſubnixæ ſint inquirere. Vnum ex illarum lectione ſpero futurum, quòd noſtra illis comparata æque ad minus probabilis & acceptabilis videbitur. Sed antequam ad illam accedamus, quædam ex Ludouico ab Alcazar annotanda veniunt. Illius enim interpretationem integram hîc attexere ſuperuacaneum eſſet & incommodum.

Hic igitur Euphratem ſymbolum eſſe vult aptiſſimum, ad ſignificandum torrentem rapidiſſimum ſuperbiæ, delitiarum, atque opum, & fortè etiam humanæ ſapientiæ & eloquentiæ, quibus Romani circumfluebant. Namque vt Babilonios olim Euphratis latitudo ac profunditas de vrbis inuaſione reddebat omnino ſecuros, ita etiam copioſa hæc rerum mundanarum affluentia adeo negligentes ac ſecuros tenebat Romanos de myſtica Romæ expeditione, vt ſtultum planè prorſus inſanire reputarent ſi quis Chriſtianam Religionem ad Romæ intimos receſſus penetraturam, & Senatorum ipſas domos occupaturam exiſtimaret.

Secundò per Reges orientales, Apoſtolicos viros, & ſigillatim Romanos Pontifices deſignari dicit, (quorum figura fuerunt Cyrus & Darius) eoſque potiſſimùm qui Romam myſticè inuaſerunt. Chriſtiana enim religio ex Orientis partibus, id eſt Ieroſolyma aduenit, & præcipuè per Petrum & Paulum Romam illata, poſtea incrementa capit. Et ſicut Cyrus non aperta vi atque armis Babylonem occupauit, ſed occultè; ſimiliter Chriſtiana religio non violentâ armorum impreſſione Romam irrupit, ſed prius eo ſeſe inſinuauerunt, quàm Romani præſentire potuiſſent quà ſibi aditum poſſet Chriſtiana Religio patefacere. Et terrenarum rerum & delitiarum affluentia, per Euphratem deſignata, quæ maiori impedimento videbatur eſſe, myſtici Darij induſtria omnino complanata, & ſublata fuit. Quod autem Euphrates ſymbolum ſit voluptatum fluxus, Alcazar citat Ticon. ho. 10. in Apocal. & Rupertum in 9. Apocalypſ.

Tertio docet quòd (ſicut cernitur plerumque) quando torrens aliquis ſiccatur, ſolens ranæ, ſi quæ ſunt, ibi mox apparere; ſic exſiccato Euphrate conſpiciuntur quaſi in eius alueo tres ranæ ſingulæ, ex ſingulis trium monſtrorum oribus eiectæ; & Terræ beſtiam hic Pſeudo Prophetam appellat. Illæ autem ranæ ſunt diabolici ſpiritus, & rerum admirabilium effectores, quorum conſilium vnum eſt, vt confletur exercitus, bellumque fiat aduerſus ſummum ac præpotentem Deum: ad quem finem Principes & Reges terræ ſolicitant, vt inter ſeſe coniurent, & voces ſuas, roburque congregent contra Chriſtianum nomen, & Chriſti ipſius Euangelium. Sed hæc conſpiratio nihil aliud proficiet, quam vt omnipotens Deus eos ſimul collectos corripiat, & ſuæ potentiæ documentum clariſſimum in eorum excidio edat, idque præſtet eadem ipſa via atque conſilio, qua ipſi Chriſtum oppugnare & ſuperare tentabant.

Quarto docet tres ranas ſignificare quòd vbi aſpexere gentiles fidem in eorum ſeſe domos inſinuaſſe, ingentes mox clamores & vociferationes aduerſus Chriſtianam Religionem ediderunt. Aruit flumen, & mundani faſtus atque pomparum contemptio locum præbuit vt Chriſtiana fides aliquorum animos occuparet. Atque hæc ipſa gentilicæ vanitatis deſpicientia extitit ratio vt ranæ erumperent, & aduerſus Chriſti fidem clamitarent. Qui quidem clamores ſunt clamores mundi, dæmonis, atque carnis. Hæc enim triplex ſermocinandi ratio bellum Euangelio indixit. Et ſicut ſermo Chriſti per gladium ex ore exeuntem deſignatur, ita rana de ore draconis prodiens ipſius ſermo eſt.

Dicuntur prætereà ſpiritus dæmoniorum. Quæ enim res grandiorem aliam ſimilitudine refert, dicitur halitus ſiue ſpiritus illius, vt felem leonis aut tigridis ſternutamentum. Hiſpani dicunt. Hinc quia in eo clamore ad viuum exprimebatur dæmonis ſpiritus, mundi, & carnis, hæ ranæ dicuntur ſpiritus dæmoniorum. Et optimè per ranas, quod dæmon ſuggerit, mundus proponit caro complectitur, nempe luxuria, auaritia, & ſuperbia ſignificatur. In cœno, quippe, in quo degunt luxuria: in maculis veluti ocellis, oculorum concupiſcentia: in elatione clamoris importuni, ſuperbia adumbratur. Cui etiam ſignificationi deſeruit ranæ tumor, quem deridet Æſopi fabella de rana, cum Bouis ingenti mole ſeſe comparante: &

per communes ranas, rubetas, terreſtres, & virulentas, calamitas ſeu virides, quæ degunt inter arundines & fruticeta, hi tres ſpiritus deſignantur à dæmone inſpirati, vt ſint quaſi ſpiraculum eius, perinde ac homo (qui ad Dei imaginem efformatus eſt) dicitur ſpiraculum Dei. Tres autem ranæ, id eſt, dæmonis, mundi atque carnis ſermocinatio, faciunt ſigna, de quibus agitur c. 13. Fueruntque miniſtri præcipui, qui tam Imperatores, quam eorum aſſeclas aduerſus Euangelium cogerent vt Chriſti nomen ex orbe, ſi poſſent, exterminarent. Diem autem magnum Dei vocat Alcazar, quoties Deus Regum ac Principum coniurationem aduerſus Euangelium pactam, in maiorem atque illuſtriorem ſui nominis gloriam conuertit. Poteſt etiam Dei dies nuncupari repentinum peccatoris ſupplicium, quando ille imprudentior & imparatior erat, & curabat vt ſui conatus, quibus ſe veritati ac virtuti opponebat, irriti forent & inanes.

Quintò. Alias explicationes trium ranarum affert Alcazar; quas tamen non probat. Prima eſt Viegæ, qui exiſtimat tres ranas huius capitis eſſe tres dæmones, ab Anti-Chriſto ſub viſibili legatorum ſpecie mittendos: qui exire dicuntur, quia mitti debent ex diaboli, Anti-Chriſti, & præcurſoris eius imperio. Ex Eucherio apud Pietium aliam explicationem adducit, quòd ranæ ſint hæreticorum ſymbola. Et reuera Staphilus, lib. de Lutheranorum concordia, has ranas peculiariter de tribus Lutheranis ſectis intelligit, nempe Anabaptiſtarum, quorum Pater fuit Rothmannus: Sacramentariorum, quorum auctor Caroloſtadius, ex quo Zuinglius, & Caluinus: Proteſtantium, quorum Dux Melancthon. Et negari non poteſt qui ranæ ſint aptiſſimum hæreticorum ſymbolum, quia apud Ægyptios ſymbolum erant inuerecundæ curioſitatis, imperfectionis, & ruſticitatis; & quia ranæ, luce appoſitâ illico conticeſcunt. His adde eſſe ſymbolum ſtultæ & importunæ garrulitatis.

Aliam explicationem affert B. Proſperi, in dimidio temporis, c. 11. de Anti-Chriſti præconibus, qui exient tanquam in tres partes orbis, Aſiam, Europam, Africam: qui perſuadeant Anti-Chriſtum eſſe Chriſtum. Hanc nec admittit expoſitionem Alcazar, & tres illas rejicit: primam, quia incertum quid inducit: ſecundum, quia non dat rationem eorum quæ textus recenſet, neque in ea conſtare ſibi poteſt Apocalypſeos acoluthia: Tertiam inſuper Proſperi, quia Apocalypſis conſequentia admittere non poteſt, & quatuor ſunt orbis partes, Americanaque addenda, & forte quinque, nempe Auſtralis nondum ſatis cognita.

Adiungit ipſemet Alcazar aliam, vt tres ranæ Gentiliſmum, Hæreticiſmum & Iudaiſmum ſignificent, quæ aduerſus Eccleſiam importunè clamitant, dum conantur reges potentiſſimos & Principes aduerſus illam inſtigare, Gentiliſmus ex ore beſtiæ marinæ, Iudaiſmus ex ore beſtiæ terreſtris, hæreſis ex ore Draconis. In flumine verò Euphrate figurari poſſet humanæ eloquentiæ atque ſapientiæ flumen, quod Euangelio videbatur opponi.

Sextò Alcazar hæc verba: *Ecce venio ſicut fur*: explicat non de aliquo ſupplicio hoſtibus Eccleſiæ infligendo, ſed in his verbis fideles admoneri vt ſibi caueant: ac ſi eis diceretur, quod ſicut nihil tale cogitantibus fuerant de repente occupati, inopinatè inuaſione in eos facta: ita Dei aduentum ad fideles inuiſendos repentinum pariter fore. Quod perinde eſt atque illos admonere ne ſe ſocordiæ ac negligentiæ dedant, exiſtimantes ſatis ſibi eſſe ſi Chriſti fidem & præteritorum ſcelerum impunitatem adepti eſſent: ſubitò enim ſæuiſſimam perſecutionis

A procellam exorituram, in qua Deum occulto iudicio permiſſurum vt in inertiam, fidelium nonnulli incidant.

Denique in hæc verba: *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon*; dicit: *Græcè eſt in præterito, Congregauit: quia hæc eſt communis prophetiæ ratio, in qua de futura re per modum præteriti, agitur*; Suppoſitumque illius verbi vult eſſe, ſpiritus, quod græcè neutriùs eſt generis; atqui neutro plurali ſingulare verbum phraſi græca adiungi ſolet; in lectione verò Latina, ſuppoſitum verbi, (Congregauit) videtur eſſe, omnipotens Deus, vt hoc pacto intelligamus trium ſpirituum hoſtile ſtudium eſſe quaſi diuinæ prouidentiæ inſtrumentum, cuius
B miniſterio Deus ipſa ſua conſilia ad deſtinatum exitum perducat, videlicet vt aduerſariorum exercitum in campum Armagedon, hoc eſt, inſidias deducat, ibique eos comprehendat. Armagedon enim non eſt peculiare alicuius loci nomen, ſed ad miniſterij huius ſignificationem hebraicè confictum. Propriè autem ſignificat locum tendendi inſidiis aptum. Nam etymologiam vocis Armagedon inquirens plurimas etymologias adfert, primò ex Hieronymo de nominibus hebraicis. *Armagedon*, inquit, *conſurrectio tecti ſeu conſurrectio in priora, ſed melius mons è latrunculis, vel Mons globoſus. Sed*, inquit Alcazar, *ſi Armagedon ſignificaret Mons è latrunculis, vel Mons globoſus, apponendus erat nomini Armagedon,*
C *ſpiritus denſus: nam Har hebraicè mons dicitur; & dicendum Harmigedudim, ſi ſignificaret mons è latrunculis: quin & Gedud ſignificat tantum in dictionariis exercitum, Turbam, Globum militum, latronem, latrunculum.*

Dicit præterea alios ſignificationem Gedud non attendere, ſed ſolùm ſignificationem Mageddon, quod eſt proprium nomen ciuitatis in tribu Manaſſe, in cuius campo occiſus fuit Ioſias 4. Regum c. 23. Et denotat Mageddo vel Mageddon annunciationem; vel pomum, ſiue fructum electum. Inde ſuſpicantur Harmagedon eſſe idem quod montem Euangelij, vel montem pomorum, ſiue fructuum: Aliam etiam ſignificationem eſſe Armagedon, nempe quod ſit mons ſucciſionis. Quod Zachar. 12.
D ſeptuaginta legunt. verſ. 11. *Sicut campus malogranati, quod in campo ſucciditur.* Ibi enim Mageddon interpretantur ſucciſionem, quas etymologias Alcazar non recipit, ſed amplectitur Riberæ etymologiam, quod Armagedon ſignificet doloſam exercitus congregationem, id eſt inſidias, ſeu inſidiarum locum, ab Ghatmah, Calliditas, aſtutia, & Gedud ſiue Gedod, exercitus. Hæc fuſiùs Alcazar.

Quanam ſit noſtra expoſitio.

Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem. Scopus huius viſionis.

E

ANNOTAT. XXXV.

TOTO, inquit Alcazar, *errat cælo, qui huius orientalium Regum ingreſſum per flumen Euphratem eo tendere putat, vt bellum in Eccleſiam fiat. Secundò exiſtimat Alcazar hanc ſextam plagam non eſſe accipiendam, vt ſonat, de vero & proprio tranſitu regum orientalium, perſiccatum Euphratis alueum, ſed antiquum illud facinus Cyri & Darij in Babylonis inuaſione renouandum fore myſticâ & ſpirituali quadam renouatione, & ex antecedentibus & ſubſequentibus oſtendi exiſtimat huius loci verba nullo modo vt ſonant eſſe intelligenda: quia hoc exigit cohærentia atque ſeries Apocalypſeos, vt ſexta hæc plaga ad perſecutionis per Imperium Romanum excitatæ tempora referatur. Quo fit vt cum hoc explicandam ſit myſticè, & pro eo tempore quo Romanum Imperium oppugnabat Eccle-*

Digitized by Google

ſtam, hinc planum fit myſticam Babylonem, quam orientis reges per ſiccum Euphratem illati adorti ſunt, eſſe Romam idolorum cultricem. Ita Alcaz.

Nihilominus dico Viegæ ſententiam non eſſe rejiciendam, qua ait agi in præſenti de regibus orientalibus Euphratem traiecturis, vt bellum Eccleſiæ inferant; nec eos toto errare cælo, qui hunc orientalium regum ingreſſum per flumen Euphratem eo tendere putant, vt bellum in Eccleſiam fiat, quod patebit ex ſequentibus.

Scopus igitur huius viſionis eſt oſtendere quomodo per contemptum iuſtitiæ Chriſtianæ, & iudiciorum Eccleſiæ, ad quorum decreta ſeſe conformare tenentur fideles Baptizati, datur facultas principibus infidelibus, vt Turcis, ſchiſmaticis (quales fuerunt quidam Imperatores tam orientis quàm occidentis,) Hæreticis, (vt regibus Sueuiæ, Daniæ, Angliæ) inuadendi Eccleſiam, eamque opprimendi. Nam ſtatim atque in ea ſiccatur amor ſeu zelus iuſtitiæ & æquitatis, nec fideles per Eccleſiæ leges ac iudicia amplius intra officij ſui limites continentur, omnia in ea confuſa eſſe neceſſe eſt, vt fiat Babylon quædam, inuadenda facillimè ab iis qui regna ſua dilatare volunt, vt vel liberius concupiſcentiis indulgere, vel bona Eccleſiaſtica dilapidare & ſibi arrogare pertentant; vel tandem per nimiam ſuperbiam de rebus ipſis, quæ ad ſpirituale regimen Eccleſiæ pertinent, pleno iure iudicare ac decernere & de omnibus ab libitum diſponere volunt. Quæ quidem ſiccatio aquarum iuſtitiæ Chriſtianæ maximè apparet, cum ſapientiſſimis Eccleſiæ decretis reprobi & contumaces, (etſi legibus & iudiciis Eccleſiaſticis adſtricti, propter fidei Chriſtianæ profeſſionem, quam in baptiſmo fecerunt) ſeſe opponunt, nec eius ſequuntur ſententiam. Tunc enim paratur via principibus ſeculi, (qui ſpiritu dæmoniorum ducuntur) vt prælium ineant contra Deum ad ſuam ipſius perniciem, & æternam damnationem. Qui ducuntur reges ab oriente, quia adorant ad ortum ſolis, terga vertentes templo Dei, vt imperij ſui fines dilatare queant, & ambitioni immoderatæ obſequantur: propter quam, Eccleſiaſticam poteſtatem, quæ eos compeſcere & in officio continere vellet, contemnunt. Talium ambitio, auaritia, & mala concupiſcentia manifeſtiſſimè agnoſcetur in iis regibus decem, Anti-Chriſti miniſtris, qui poſteaquam Romana ciuitas ſchiſmatica euaſerit, neglecto & expulſo proprio Paſtore, & illius ſententiis & decretis contemptis, eam inuadent temporibus Anti-Chriſti. Nam ex contemptu Eccleſiaſticæ iuriſdictionis & poteſtatis, fiet de nouo ciuitas confuſionis, quæ antea fuerat ſanctiſſima ciuitas, & ſedes pontificia Vicarij Chriſti; & ſic inuadetur ab illis regibus, de quibus dicitur cap. 17. *Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt, &c.* Qui ab oriente venient, vt videbimus poſtea.

Itaque ſcopus huius viſionis eſt oſtendere quomodo reprobi & Eccleſiæ rebelles (qui ad viam ſalutis reduci poſſent, ſi iudiciis paſtorum ſuorum ſeſe ſubmitterent) fiant hoſtes Chriſti, obtemperantes ſpiritibus luxuriæ auaritiæ, aut ſuperbiæ: & ſe præparant ad perſequendam Eccleſiam Dei, regnumque Chriſti euertendum, ſi fieri poſſet. Vnde merito Anathemate digni habebuntur, quo percutiendi erunt propter contumaciam, vt in phialæ ſeptimæ effuſione poſtea videbimus.

Hic ſcopus bene congruit cum iis quæ antea diximus: nam in hoc capite certum eſſe exiſtimo non agi de proprio effectu exercitij alicuius poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed de reſiſtentia quam adhibent impij ad omnia media, quæ Deus ſapienter ordinauit, A vt ſuum Regnum in terris viſibile ſtabiliret: qualis eſt poteſtas data Eccleſiæ iudicia exercendi ad conſeruationem legum, ſolamen bonorum, & repreſſionem malorum, qui his iudiciis coërcentur, ne bonis inſultent, eoſque à recto ſalutis tramite deuiare cogant, ſiue malis exemplis, ſiue aliis in debitis modis aut rationibus. Hæc ex interpretatione commoda ſingularum partium ſymboli, ſatis eſſe veriſimilia apparebunt.

In flumen illud magnum Euphratem.

Quid per flumen Euphratem ſignificatur?

B

ANNOTAT. XXXVI.

IAM habemus ex ſupradictis autorum ſententiis flumen Euphratem ſignificare populum: Ita Ticonius. Perſecutores: Ita Ambroſius, Diuites: Ita S. Thomas. Nihil igitur abſurdum dicemus, ſi quoſdam homines per flumen intelligamus. At quinam erunt iſti? Certè qui ciues ſunt non antiquæ Babylonis, ſed Myſticæ, quam alluit fluuius Euphrates myſticus. At Babylon iſta eſt ciuitas Romana, non in antiquo ſplendore fidei & pietatis conſiderata, ſed ſchiſmatica, & moribus corrupta: quæ tamen cum ex Baptiſmo tinctis componatur, complectitur eos qui coërceri & contineri debebant in officio, per C fidei Chriſtianæ & catholicæ profeſſionem factam in baptiſmo, per Eccleſiæ præcepta & iudicia, quibus obedire (ſub pœna damnationis æternæ proculdubio incurrendæ ſi aliter fecerint) obligantur. Igitur Dico hîc præſupponendum eſſe quæ diximus in c. 9. flumen Euphratem ſymbolum eſſe iuſtitiæ Chriſtianæ, ſeu potius eorum qui ad hanc iuſtitiam colendam adſtricti ſunt, qua quidem iuſtitia tota Eccleſia alluitur, ſicut olim vel paradiſus terreſtris, vel terra promiſſionis, quæ flumine Euphrate claudebatur, iuxta illud: *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Euphratem intelligunt*, inquit Genebr. in Pſ. 71. *Quouſque pertinebat regnum Dauidis & Salomonis.* Sicut igi- D tur regnum Dauidis & Salomonis claudebatur vero Euphratè flumine, ita regnum Chriſti myſticum & ſpirituale tranato fluuio illo materiali, vt gloria & poteſtas eius extendatur vſque ad terminos orbis terrarum, ab oceano orientis ad oceanum occidentis, ab Indico ad Gaditanum, ab vno mari ad alterum oppoſitum, clauditur myſtico flumine Euphratis, nempe vniuerſalis cuiuſdam iuſtitiæ; quæ non debet violari, ſi quis velit intra fines Eccleſiæ contineri. Hæc autem tranſgreſſio non eſt hæc aut illa alicuius præcepti (per peccatum mortiferum) violatio, ſed contemptus ſeu conculcatio (per contemptum) iudiciorum Eccleſiæ, quibus fidelis obſeruatio omnium mandatorum (quam requirit iſta vni- E uerſalis iuſtitia) quantum fieri poteſt munitur: Nec ſolus ſum, qui in fluminibus è paradiſo ſcaturientibus ſignificationes virtutum exquiro. Hoc Iſidoro placuit in Gen. c. 8. *Virtus*, inquit, *eſt animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus diuinitatis, honor hominis æternæ beatitudinis meritum: cuius ſcilicet partes quatuor principales, quæ deſignantur per quatuor paradiſi flumina; prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia.* Ita Iſ. licèt enim in hac enumeratione videatur non fluuio Euphrati, qui quarto loco à Moſe reponitur, ſed Tigridi, qui tertium locum obtinet, iuſtitiam aſſignare; habeo tamen S. Ambroſium, quem citauimus in c. 9. qui per Euphratem iuſtitiam intelligit. Et meritò. Si enim Euphrates, vt vult idem Iſidorus l. 13. Origin. c. 21. de paradiſo exurgens, copioſiſſimus gemmis, qui per me-

Digitized by Google

diam Babylonem influit, à frugibus vel ab vberta-te nomen accepit, certè iuſtitia hæc omnes gemmas vittutum tequirit, vt abundantiâ ſuâ iuſtitiam Phariſæorum & ſcribarum vincat, & facilem acceſſum ad cælum obtineat, & multorum bonorum operum ferax æternam mercedem mereatur. Nam, inquit Iſidorus, *hebraicè Euphrata, fertilitas interpretatur:* At dum vnicuique quod ſuum eſt tribuitur, hoc fieri non poteſt abſque fertilitate multorum bonorum operum. Optimè igitur definitur iuſtitia ab Iſidoro in Geneſ. c. 8. *Iuſtitia eſt animi nobilitas, vnicuique res propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus, & humanitatis iura, vera iudicia & æquitas totius vitæ conſeruatur.* Ita Iſidor. Rectè itaque diximus hac iuſtitia Eccleſiam tueri, & ab hoſtibus defendi, ne in eam ingrediantur. Sed conſule ea quæ in c. 9. adduximus pro iſta interpretatione. Nunc videamus quomodo aqua eius ſiccari dicatur.

Et ſiccauit aquas eius.

Quomodo ex iudiciis Eccleſiaſticis obdurentur in malis corda iniquorum?

ANNOTAT. XXXVII.

QVAM limpidæ, quàm viuæ ſunt illæ aquæ iuſtitiæ Chriſtianæ. De quibus dixit Chriſtus: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hinc Apoſtolus fidei in Chriſtum tribuit quod iuſtitiam Dei obtineamus. *Iuſtitia autem Dei*, inquit, *per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Rom. c. 3. Cuius iuſtitiæ fructus copioſiſſimus. Et enim iuſtitia, vt diximus, feraciſſima, & fructuum abundans. Ille eſt quem docet Apoſtolus, Rom. 5. *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Sic enim Deo reconciliati gratiam habemus ad meritum, & gloriam ſperamus pro præmio. At quanam, dices, ratione illæ aquæ ſiccantur ab Angelo, ſeu ad effuſionem phialæ ſextæ?

Dico primò, eo modo illas aquas dici ſiccari ab Angelo ſeu Epiſcopo Philadelphienſi iudicia Eccleſiaſtica exercenti, quomodo olim Moſes prodigia faciens coram Pharaone indurauit cor Pharaonis. Nam licet finis iudiciorum Eccleſiaſticorum non ſit, vt illi in quos ſententias ſuas fert Eccleſia, obſtinatiores euadant, peruerſitate tamen cordis humani fit aliquando vt mali exinde occaſionem ſumant ab Eccleſia diſcedendi, & ſe ab eius obedientia & fide ſubtrahendi. Vnde fit vt in eis totius iuſtitiæ fons deſiccetur. Nam dum fidem deſerunt, charitatem non obtinent, qua bona opera meritoria redduntur, vt in vitam æternam ſaliant. Dum igitur ex diſtricta Eccleſiæ in peccata ſeueritate, mali occaſionem ſumunt diſcedendi à fide & obedientia eius, exercitium poteſtatis iſtius dicitur ſiccare in malis aquas iuſtitiæ ſalutaris, nec non omnium diuinarum conſolationum, quibus anima intra limites iuſtitiæ Chriſtianæ ſeſe continens impinguatur: inſuper, Deo plerumque puniente peccata & infractiones legum ſuarum, fit etiam vt abundantia opum, quæ quibuſdam per flumen Euphratem ſignificatur, qua ad ornamentum & gloriam etiam temporalem (iuxta Iſaiæ Prophetiam) Eccleſia decorata fuerat, ab ea auferatur. Licèt enim temporales diuitiæ appeti non debeant ab his qui Chriſtianam iuſtitiam profitentur, cuius fundamentum primum eſt rerum om-

A nium ac deliciarum huius ſeculi abdicatio, tamen Deus voluit (qui omnium bonorum autor eſt) vt ad ſui tuitionem, & defenſionem, & ad Dei cultum, & ad opera miſericordiæ exercenda, etiam temporalibus bonis Eccleſia ditetur; quæ ab ea auferuntur, dum talis eſt morum corruptio vt nullis repagulis, hominum malitia detineatur, & omnia Eccleſiæ iudicia ad mali coercitionem lata impunè infringuntur.

Dum igitur ſextus Angelus, nempe Epiſcopus Philadelphiæ munus ſibi iniunctum exequi incæpit nempe vt ſibi datam autoritatem ſartam tectamque ſeruaret, nec ſineret peccati malitiam graſſari, & perfrictâ fronte cuncta ad libitum perpetrare illici-
B ta, (nimis enim periculoſum, & nociuum eſt fidelibus, ſi Dei leges ac mandata infringantur, nemine contradicente: & ſeſe viriliter opponente) perſpiciens infelices homunciones audacter nullam peccandi occaſionem prætermittere quin eam amplecterentur, effudit phialam ſuam in flumen magnum Euphratem; id eſt, Poteſtatem exercendi iudicia, & iudicandi de actionibus hominum ſibi ſubditorum ad actum reduxit. Inquirere voluit, an illæ fuerint ad præſcriptum legum Chriſtianæ legis elicitæ, an non; an videlicet perfecerint quæcumque Chriſtus per ſe, vel per ſuos miniſtros ipſis iniunxit, iuxta illud: *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*; vt ſic malis exemplis occurreret, in-
C nocentes ab oppreſſione potentum erueret, elatiores in ordinem redigeret; verbi gratia, quoſdam ab vſuris, ſimoniacis cōuentionibus abſterruit, alios ab illegitimo concubitu retraxit, clandeſtina, Matrimonia contra leges inita diſſoluit, legitimè contracta ne diſſoluerentur iniunxit ablata vt reſtituerentur præcepit. Sic effudit phialam ſuam in magnū flumen Euphratem, nempe in homines mortales, qui tanquam aqua dilabuntur, legum è paradiſi fonte originem ducentium obſeruationi adſtricti, eo ipſo quo fuerunt aquis baptiſmi intincti & renouati. Quid exinde ſubſequutum eſt attendite.

Putares fortè eos ab incæptis peſſimis abſtinuiſſe, morem geſſiſſe iniunctis, in eius ſchola eruditos,
D qui ait: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Nihilo ſecius factum eſt. Imo potiùs omnem Eccleſiæ autoritatem neglexerunt & contempſerunt, & iugum obedientiæ excutere auſi ſunt: à Prælatis ſchiſmate diuiſi in malitia perſtiterunt, qua quidem ratione factum eſt vt aqua iſta fluuij Euphratis ab oculis euanuerit, quia amor æqui & boni in eis omnimodè ſit deſiccatus. Præparauerat Deus hoc remedium contra torrentem impietatum & iniquitatum, vt ſcilicet diſtrictis iudiciis Prælati impedirent ne peccata graſſarentur: ſed hoc remedio abutentes per proteruiam deteriores & audaciores euaſerunt, dum legitimam Eccleſiæ poteſtatem contemnunt. Quorum miſerrimus & deploratiſſimus ſtatus viuis coloribus depingitur, Iſ. c. 59. vt ex his verbis
E (cæteris breuitatis ergo omiſſis) videre licet: *Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri, vt loqueremur calumniam: & tranſgreſſionem concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij. Et conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longe ſtetit: quia corruit in plateа veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in obliuionem, & qui receſſit à malo prædæ patuit, &c.* Quid ſperandum eſt ex tam deploratiſſimo rerum ſtatu, ſiccato alueo iuſtitiæ nec illa amplius præterfluente in medio ciuitatis? Quomodo nō facilè patebit hoſtibus ſuis liberrimus aditus? Quod vt meliùs percipiamus, reuocare debemus in memoriam quod ex Herodoto, & Xenophōte diſcimus. Obſidebat olim Babyloniam Cyrus cū Dario, ſed quid ſibi agendū eſſet, vt tantæ ciuitatis mænia

Digitized by Google

altiſſima tranſcenderet, & tam populoſam ac munitiſſimam vrbem occuparet, ignorabat. In ea erat innumerabilis propugnatorum multitudo, muri ipſi quinquaginta in latitudinem, cubitos ducentos in altitudinem patebant; obſeſſi res neceſſarias habebant pluſquam viginti annorum. Quænam vis hæc ſuperare poſſet? Intraretne Cyrus per portas? Tranſcenderetne muros? Illoſue machinis euerteret? At eorum latitudo & altitudo, & vigil obſeſſorum cuſtodia, omnes hos conatus facilè irritos reddere poterat. Itaque excogitauit facilem ſibi aditum fore ſi fluminis Euphratis alueum deſiccaret, aquis illius nimirum alibi diſtractis. Hoc præſtitit, & alueo Euphratis deſiccato via illi conceſſa eſt, qua mediam intraret ciuitatem: quod fuerat à Ieremia præuiſum c.50. *Siccitas ſuper aquas eius erit, & areſcent: quia terra ſculptilium eſt.* Et Iſaias c. 44. *Quid dico profundo: Deſolare: & flumina tua areſaciam.* Lege interpretes & Salianum, an. 3616. *Aqua*, inquit Xenophon, *noctu infoſſas manabat, & alueus fluuij per vrbem tendens hominibus permeabilis eſſe cœpit.* Certè dum iuſtitia colitur à fidelibus, Eccleſia eſt ab omnium hoſtium incurſibus tuta: Deus eſt illi murus in circuitu. Sed ſtatim atque læditur iuſtitia, non mirum ſi Deus, qui *iuſtitias dilexit*, eam diripiendam derelinquat hoſtibus. Vnde hic dicitur quod *ſiccatæ ſunt aquæ Euphratis, vt pararetur via regibus orientis.* Quia nunquam magis violatur iuſtitia, quam cum Eccleſiæ autoritas à Deo data violatur vel vſurpatur. Ideo cum hoc fit, Deus hæc attentantes ſeuerè caſtigat. Lege Baronius an. 1148. Inuaſionem imperij orientalis à Turcis violationi & vſurpationi Eccleſiaſticæ iuriſdictionis tribuentem.

Vt præparetur via Regibus ab ortu ſolis.

Hi Reges ſunt illi qui futuri ſunt Anti-Chriſti miniſtri, ad Romanam ciuitatem ſchiſmaticam & Pontifici rebellem inuadendam.

ANNOTAT. XXXVIII.

ASSENTIRI non poſſum ſententiæ Alcazaris, qui in his regibus viros Apoſtolicos intelligendos eſſe aſſerit, nec ſententiæ Ruperti, qui exiſtimat per eos deſignari ſcripturarum veritatis autores, qui lumine diuino illuſtrati illas ediderunt; & hos reges ab ortu ſolis alios eſſe putat ab iis, qui congregantur ad prælium. Exiſtimo namque reges ab ortu ſolis in numero eorum, qui congregandi ſunt ad prælium, eſſe reponendos, eiſque ſociandos. Etreuera cum audis ſiccatâ aquâ fluminis viam præparari & ſterni Regibus, quæri poteſt quo tendant iſti reges? Quo illis proficiſcendum eſt, vt opus ſit viam illis ſterni ac præparari? Cui certè quæſtioni ſatisfacit Propheta, dum immediatè ſubdit vidiſſe quoſdam tibicines clangentes, & concrepantes rauca & importuna voce, vt alios reges conuocent, qui ſe adiungant regibus ab ortu ſolis, quibus via aperta eſt, & facilis ad ineundum prælium & dimicandum contra Deum. Huic ſententiæ ſuffragatur Andreas Cæſar. Supra, dum ait: Flumen Euphrates, diuino nutu fortaſſis vadoſum euaſurum, vt gentium regibus ad mutuam cædem, aliorumque hominum interitum, commodum tranſitum præbeat.

Quare autem dicantur reges ab ortu ſolis? Reſpondeo primò iuxta Andream Cæſar. *Quia ex partibus Orientalibus, ad Occidẽtalem plagam proceſſuri ſunt. Quantum ex iis, quæ infra ea de re in Apocalypſi traduntur, diuinando conſequi poſſumus, arbitramur illos Gog, & Magog nominibus deſignatos, ex Scytharum regione mo-* A *turos. Quin verò quoque conſentaneum arbitramur Anti-Chriſtum ex orientali Perſide, ad quam tribus Dan (è qua ortum ille ducturus, dicitur) ablegata eſt, vna cum aliis Regibus & Principibus regium nomen adeptis, Euphratem tranſmiſſurus.* Ita Andreas. Huic rationi aliam ſubiungit Dionyſ. Carthuſ. nempe dici reges ab ortu ſolis, non ſolùm, quia maxima ex parte orientales erunt, ſed quia non redibunt ad veritatem, niſi oriente in eorum cordibus ſole iuſtitiæ. Vult enim ſextum hunc Angelum ordinem quorumdam prædicatorum deſignare, cuius tam efficax futura ſit prædicatio, quatenus ſua prædicatione ad Chriſtum reducat Reges & Principes ab Anti-Chriſto deceptos, qui ad literam pro maxima parte orientales, vt dicitur, erunt. B Idcirco quoque ait, *Ab ortu ſolis, quoniam non redibunt ad veritatem, niſi in cordibus eorum oriente per inſpirationem ſole iuſtitiæ.* Ita Dionyſ. Carthuſ.

Hæc vera ſunt. Exiſtimo namque ſanctum Prophetam præcipuè intueri tempus illud, in quo Roma inuadenda erit à Regibus orientalibus ab Anti-Chriſto miſſis, vt ſedem imperij occidentalis, id eſt, Romanam ciuitatem, in qua tunc expulſo ſummo Pontifice erit Imperator ſchiſmaticus, funditùs euertant, nomenque Chriſtianorum penitùs exterminent, congregata illa multitudine, vt rectè annotauit Andreas Cæſar. nomine Gog & Magog. cap. 20. deſignata, cuius numerus erit ſicut arena maris. Hoc tamen non impedit quin tangantur C etiam alij ſimiles euentus, qui futuri ſunt ſeculis decurrentibus. Sicut enim Anti-Chriſtus dicitur iam aduéniſſe, propter eos qui Anti-Chriſti mores & ſæuitiem imitantur: ita dicere poſſumus multos eſſe, qui iſtorum Anti-Chriſtorum (in quibus adumbratur nequitia vltimi Anti-Chriſti) ſunt miniſtri, qui ab ortu ſolis veniunt myſticè, ſicut reuera futuri ſunt quidam reges, qui ab ortu ſolis venient ad inuadendum Romam temporis Anti-Chriſti.

At quinam ſunt, qui ſeculis decurrentibus Eccleſiam perſequuntur, ſtatim atque flumen iuſtitiæ Chriſtianæ exſiccatum fuerit, ſtatim atque omnis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis autoritas, & poteſtas conculcata fuerit & neglecta? Certè ſunt hi qui D Reges ſunt ab ortu ſolis, nempe qui dominari cupiunt ambitione ac ſuperbia ducti, & Deo terga vertentes, nihil aliud appetunt, quàm gloriam mundanam. Regna vſurpant aut poſſident, ſolem intuentes & adorantes, quorum crimen deſcribitur Iob. 31. *Si vidi ſolem cum fulgeret & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum & oſculatus ſum manum ore meo: quæ eſt iniquitas maxima.* Hi ſunt, de quibus dicitur Ioan. 12. *Qui dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei:* Qui nullum ſcelus perpetrare timent, modo regnent, modo imperent, cædibus omnia replent rapinis cuncta deuaſtant, perfidia omnes decipiunt, nullum apud eos fœdus ſecurum, quibus pro lege eſt iſtud Iulij Cæſaris dictum. E *Si ius violandum eſt, regnandi causâ violandum eſt.* Imo illud violare non timent, dum omnes Dei & Eccleſiæ leges iudicia, ac decreta, ſiccato in eis æqui ac iuſti amore, contemnunt, & conculcare audent; qui ius in manu reponunt, vt Lucianus in captiuo apud Eraſmum, in adagiis, verbo, *Dignitas*; apud quem etiam reperies Pyrrhum, cuidam è Liberis admodum adoleſcenti, interroganti cuinam eſſet relicturus regnum, reſpondiſſe: *Cuicumque veſtrum acutiorem habet gladium.* Quibus tandem ſufficit quod poſſint, iuxta illud impiorum dictum Sapient. 2. *Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. Quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur:* nulla æqui ac boni habita habita ratione.

Reges igitur ab ortu ſolis omnes illos eſſe exiſtimo, qui regnum & dominationem appetunt, quòd

Digitized by Google

perſpiciant oſtium ſibi aperiri magnum & euidens ad hanc aut illam dignitatem perueniendi, ſi magnâ freti audaciâ, hæc aut iſta iure (an iniuriâ, nihil intereſt) aggrediantur; itaut ſpes regnandi tanquam. Sol quidam exoriens oculos eorum perſtringens illos inducat vt aliquam dominationem inuadant, nihil prætermittentes, etſi nequiſſimum; nihil non audentes, etſi impium, modò concupita ambitione perfruantur: adorantes ad ortum ſolis, templo Dei terga vertentes, regnandi cupiditate (quod inter maiores abominationes Ezechiel reponit) vt ab ortu ſolis veniant ad præliandum contra Deum, ipſius regnum euertere meditantes. Quibus via ſternitur ad propoſitum exequendum, niſi Deus ſuccurreret, dum iura & omnis æquitas & iuſtitia violantur, dicente Iſaia c. 24. *Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius. Ideòque inſanient cultores eius: & relinquentur homines pauci, &c.* Ea ſpe regnandi, tanquam ſole ſibi oriente, Otomanus quidam ſortis humilis, & fortuna tunc obſcurus, erectus, dum propter quaſdam (vt ei videbatur) iniurias ſibi à Tartaris illatas, ſecedit cum quadraginta equis in montes, & aditus ad prædas opportunos, confluentibus plurimis, quod priùs occultis inſidiis egit, palam cæpit oppida, ciuitates & gentes inuadere & occupare: & occupauit Capadociam, Pontum Bythiniam, Aſiam, Maiorem, Pamphiliam & Ciliciam, & initium dedit familiæ & regno Otomannorum & Turcorum, quo (Deo permittente, propter contemptum autoritatis Eccleſiæ) Imperium Conſtantinopolitanum fuit occupatum à Turcis, & Orientalis Eccleſia gemere ſub iugo ſeruitutis coacta eſt. Cuius inuaſionis initia & progreſſus deſcribit Matthias Amichou Canonicus Cracouienſis l. de duabus Sarmatiis, cap. 15.

Et ad huius interpretationis confirmationem animaduertendum eſt expoſitionem illorum verborum, Reges ab ortu ſolis, à nobis allatam, non eſſe inſolentiorem ea quam attulit Dionyſ. Carthuſ. dum Reges ab ortu ſolis interpretatur Reges, in quorum cordibus per inſpirationem oritur ſol Chriſtus: nobis autem reges ſunt, in quorum cordibus affulget ſpes ingens inuadendi, occupandi, ampliandi & dilatandi regna & imperia; quo ſplendore tanquam ſole oriente perculſi, ad inuadendam, & perſequendam Eccleſiam etiam ſeſe præparant, pedibus conculcata illius autoritate, dum propter contemptum iudiciorum eius omnia in ea confuſa videntur, & crimina quæque impune graſſantur; iis videlicet, qui eius legibus aſtricti, iuſtis Prælatorum mandatis obtemperare debent, recalcitrantibus, iugum excutientibus, tum quia adorant idolum zeli in introitu portæ, id eſt amorem proprium; dum pro Dei amore ducuntur) in principio cuiuſque actionis (ſuiipſius amore; dum ſeipſos poſſidere, non Dei eſſe cupiunt, omnibus præeſſe, nulli obedire volunt; de omnibus ad libitum diſponere, nullis legibus adſtringi concupiſcunt. Propter quam abominationem magnam, quam domus Iſraël facit, vt loquitur Ezechiel, id eſt, quæ fit abiis qui Dei cognitionem acceperunt, intra Eccleſiæ ſepta exiſtentes. (*Notus enim in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius.*) Deus procul recedit à ſanctuario ſuo. Nec mirum: quia ſtatim atque idolum Baal, Idolum zeli (quod idem eſt ac poſſidens, Herus, Dominus) id eſt amor proprius ſe in loco & ſede Dei, in corde nempe collocauit, ſtatim omnibus vitiis adoratio exhibetur. Huic auaritia pro Deo eſt: huic gula: huic luxuria: huic ambitio, & vana mundi glo-

A ria. In tali anima omnis ſimilitudo reperitur reptilium & animalium, abominatio & vniuerſa idola depicta ſunt in pariete, in circuitu per totum; idolum draconis, per nequitiam, vulpis, per aſtutiam, Lupi, per rapacitatem; Hirci, per fœdam Luxuriem; Porci per gulam; Canis, per inuidiam; Leonis, per immoderatam iram. Quibus idolis thurificant, dum vitia laudant, dicentes bonum malum, & malum bonum; & ſe culpa immunes exiſtimant; quia malefaciendo hominum laudem, & gloriam ſibi comparant. *Laudatur enim peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Vnde ait Propheta Ezechiel 70. Seniores ſtare ante picturas, quorum vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & B vapor nebulæ de thure conſurgebat: ignis eſt ardens peccandi deſiderium: thus, occaſio ſeſe offerens concupitis frui. Incenditur thus, dum iuxta peccandi ardorem occaſio amplectitur, & peccatum committitur. Aſcendit fumus, dum quis in peccatis gloriatur. Vapor nebulæ de thure conſurgit, dum quis exiſtimat peccando, peccata eius nunquam fore reuelanda; & quia nemine vidente in tenebris, in abſcondito cubiculi ſui illa perpetrat, dicere videtur. *Non videt Dominus nos. Derelinquit Dominus terram. Super cardines cæli ambulat, & noſtra non conſiderat.* Proculdubio abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, & in iniquitatibus ſuis. Sed aliquid condonandum aliquando fragilitati, inexpertæ & ſto- C lidæ iuuentuti, inclinationi peruerſæ, occaſioni, inſolentiæ poteſtati eminenti vt plurimum adiunctæ, mundi adulationi ac deceptioni: Sed quàm verè illi oſtendunt omnem Dei timorem abieciſſe, in quibus tanta ineſt animi peruerſitas, vt vel male perpetrent quæque, ſi ſe obtulerit occaſio. Sed dum deeſt occaſio dum facultas non datur, tamen, vellent peccare, nec deſideria ſua poſſunt ſaltem compeſcere aut continere, imo potius plangunt, & lamentantur, quia vel morbo, vel paupertate, vel alia quacumque ratione à malis abſtinere coguntur. Hi ſunt quos Ezechiel repræſentat, tanquam mulieres plangentes Adonidem, Veneris, olim Amaſium. *Mulieres enim appellantur molli & effeminato ani-* D *mo,* inquit Hieronymus, *qui plangunt ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur pulcherrima.* Id eſt: plangunt Adonidem ab apro occiſum, id eſt, Propter ſublatam ſibi peccandi aut materiam aut occaſionem ingemiſcant. Sed vincitur, ſed maior euadit hæc humana peruerſitas, & in peiora ruit, dum ſub prætextu pietatis ac religionis Dei verus cultus negligitur, Deus offenditur, vt fit ab eis qui charitatis & beneuolentiæ ſpecie, vſuris bona proximi diripiunt, qui ſpecie religionis & Deo ſeruiendi per ſimoniacas conuentiones ad dignitates Eccleſiaſticas perueniunt; ſed maximè ab his, qui veram perſequuntur Eccleſiam & fidem, vt nouas ſectas introducant, illis ſimiles, de quibus dicebat Chriſtus: *Abſque ſy-* E *nagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Quos Ezechiel repræſentat ſub figura viginti quinque virorum, qui dorſa habentes contra templum Domini & facies ad orientem, adorabant ad ortum ſolis. Tales ſunt quicumque aliquid, quod Deus non eſt, tanquam Deum colunt, Deo terga vertentes, id eſt, mandata ac leges eius paruipendentes, quales ſunt qui regnare ac dominari appetunt, ſplendorem Regni tanquam ſolem adorantes, dum illum vel conſequi vel illuſtriorem reddere ſperant, vi, ac violentia, armis, ac potentia. Hi dum contra Eccleſiam arma vertunt, reges ſunt ab ortu ſolis, quibus præparatur via ab ingratis Chriſtianis, qui leges Dei ac Eccleſiæ mandata derident, & infringere audent.

Digitized by Google

Denique fortè ſanctus Ioannes hos reges, futuros Eccleſiæ perſecutores, reges ab ortu ſolis nuncupauit, ac ſi diceret, recenter exorientes: quia ad eos reſpiciebat, de quibus dicitur Apocalypſ.17. *Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam:* Quorum videlicet operâ vtetur Anti-Chriſtus, vt Romam inuadat ac deſtruat ciuitatem, & hanc Babyloniam factam per ſchiſma, & diſceſſionem ab obedientia ſummi Pontificis (deſiccatâ reuerentiâ ſeu obedientiâ præſtandâ poteſtatis & autoritati Eccleſiæ) tāquam ſiccato flumine Euphrate, capiat; & illorum Regum miniſterio deſtruat, & funditùs euertat. At quonam ſpiritu ducti tales reges terræ, contra Eccleſiæ regnum inire prælium & inſurgere incipiunt? Audiamus Prophetam nobis hoc ſub ſchemate pulcherrimo deſignantem.

Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudo-Prophetæ ſpiritus tres immundos, in modum ranarum. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna. Et procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium.

Propter concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ, contra Chriſtum inſurgunt peccatores.

ANNOTAT. XXXIX.

MIHI videtur ſanctus Ioannes in his verbis declarare quo ſpiritu ducuntur, qui inituri ſunt prælium contra Eccleſiam. Inſtigat dæmon animi ſuperbiam, bonorum temporalium immoderatam cupiditatem, voluptatum carnis liberam fruitionem. Excogitat malitia cordis quibus mediis vtatur, vt quod ſuggerit dæmon perficiat, eaque iubet ac præcipit, ac cogit fieri, quæ ad nominis ſui celebritatem, ſuam auaritiam & cupiditatem explendam, libidinem ſuam exſaturandam conducunt.

Mundi amatores, ac peruerſorum dogmatum autores laudant ac probant eos, qui tam nefanda peragunt, & ad omnem illis fauorem præſtandum inducunt. Et ſic de ore draconis, beſtiæ, & Pſeudo-Prophetæ, tres egrediuntur ranæ, qui ſunt ſpiritus dæmoniorum, reges terræ impellentes vt contra Chriſtum inſurgant in prælium. *Quoniam*, inquit S. Ioan. 1. c. 2. *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo.* Et ideo tranſitoria *quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Trium iſtorum ſpirituum impulſu, mirum quot nefanda, quot perniciosa, quot prodigioſa crimina homines perpetrare audent, deitatem affectant, cuncta etiam ſacratiora ſacrilegâ manu diripiunt, beſtialiter viuunt. Quis præſtigia Simonis Magi, & Apollonij Thyanei; quis Neronis rapacitatem, Heliogabali fœdam ignorat luxuriam? His vitiis ſcatebit orbis, cum Dominus tanquam fur adueniet. Beatus qui tunc innocens repertus fuerit, & Dei timore perculſus, ac tantæ maieſtatis reuerentia inductus manum ab omni auaritia cohibebit, corpus ab omni macula immaculatum ſeruabit. Beatus qui importunis ſuggeſtionibus diaboli, clamoroſis impulſionibus cordis nequitiâ & malitiâ corrupti, & hæreticorum garrulæ loquacitati obtemperare noluerit, cum illæ ranæ, illi ſpiritus dæmoniorum totum opplebunt orbem, replebunt palatia, & domos potentum ſu-

A perbas ex ſanguine pauperum conſtructas, & luxu ac diſſolutionibus fœdatas. Lecti etiam conopæis ac velis ſericeis auro & argento intextis circumdari, quid aliud ſæpè indicant, quàm vanitatem, rapacitatem, mollitiem eorum qui ibi dormiunt in culcitris mollioribus, & laſciuiunt in ſtratis ſuis; dum pauperes nuda humo decumbentes ſpoliati bonis ingemiſcunt? Ingredientur domos ſeruorum, qui exempla potentiorum ſectantes, pari inſaniâ ad vanitatem, auaritiam, & luxuriam explendam nihil nō audebunt attentare; nec tantùm ad ea, quæ vitæ ac ſanitati tuendæ neceſſaria, aut conditioni noſtræ cōſentanea videntur, conquirenda impellunt; ſed quo quis ad altiorem gradum euectus fuerit pinguiorem
B fuerit nactus fortunam, abundantioribus delitiis oppletus fuerit, eo magiſtris ſpiritibus malis agitabitur, vt ad altiora tendat, aliena rapiat, liberius genio indulgeat. Sic ad modum ranarum Ægypti ingrediuntur domos principum, cubicula, thoros, ſtrata, domos ſeruorum, furnos, penaria, cellaria, diuites & pauperes diuexant.

Quis igitur non videt quam neceſſarium erit tunc animum & mentem applicare, ſiue ad meditationem iuſti iudicij Dei, qui plærumque minimè de hoc cogitantes rapit ad iudicium: (*Venit enim vt fur.*) ſiue ad cuſtodiam integritatis & innocentiæ, vt poſſit quis immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo nequiſſimo. *Beatus enim qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.*
C Quorum verborum expoſitio ſatis ex his, quæ ſupra ex diuerſorum autorum expoſitionibus adduximus, poteſt intelligi.

Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraicè Armagedon.

Interpretatio vocabuli Armagedon.

ANNOTAT. XL.

PRÆTER etymologias ex aliis autoribus ſupra allatas, hanc noſtram accipe, fortaſſis (vt
D ſpero) minimè reiiciendam, vt pote quæ interpretationi noſtræ ſatis conueniat. Armagedon igitur dico vocabulum eſſe compoſitum ex tribus aliis nempe ab Ar, quod idem eſt ac maledicere, in theſauro Pagnini; Et à vocabulo Meged. j. omne pretioſum & optimum, tam in fructibus, quàm in auro & argento, &c. delitias, delicatum: Nata etiam Pagninus; Denique à Don, id eſt iudicare, litigare, contendere: ita idem Pagninus; itaut Armagedon ſit idem quòd Maledicere optimo contendenti, vel, Maledictio optimi contendentis. Nihil certè homine pretioſius. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Iſa. 13. Inſuper quanto in pretio ſunt apud Deum fideles baptizati, pen-
E ſandum eſt ex ingenti pretio quo redempti fuerunt, & hanc conſecuti ſunt gratiam. *Empti enim pretio magno*, inquiebat Apoſtolus, nempe pretioſo Chriſti ſanguine. Res tam pretioſa, tantopere dilecta, tamen ad hanc ingratitudinē dilapſa eſt vt contra Deū contendat contra ſuū autorē inſurgat, contra redemptorē ſuum arma capiat; & quem redamare debebat, à quo tātā fuerat præuenta charitate, illū odio exitiabili proſequetur. Quid fiet huic rei, etſi pretioſæ, etſi chariſſimæ? Maledicetur certè. *Si quis*, inquit S. Paulus primæ ad Corinthios, *non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit Anathema, maran atha.* Quanto magis qui in eum inſurgere audent, anathemate feriri debent? *Maran atha*, inquit ſedulius Hybernens. In Paulum, *Syrum eſt, & interpretatur, Deus noſter venit. Quaſi ergo Apoſtolus diceret: Qui non*

Digitized by Google

mini. Ita Sedul.

Quomodo, inquit Primaſius, *illis qui eum amant, redemptio venturus eſt Chriſtus; Ita his, qui eum non amant, anathema illis venit; id eſt, vt illos abominetur & perdat.* Ita Primaſ. Rectè igitur ſpiritus dæmoniorum dicuntur congregare reges terræ, quos impulerunt ad prœliandum contra Chriſtum, in locum Armagedon). in locum, in quo etiam quod optimum eſt (quia contra Deum inſurgit & contendit) maledicetur à Deo: nam eo ipſo quo ſe contra Deum extollunt, digni ſunt anathemate, & abominatione, & maledictione æterna.

Vides, optime Lector, quàm benè omnia conueniant, & quomodo ſtatim atque Eccleſia nihil potuit obtinere per diſtricta & auſtera iudicia, nec coërcere hominum nequitiam, debent nunc poteſtate vindicatiua ſeu vindice malos à bonis ſeparare, ne per eos boni corrumpantur: quo deum præſtiterit, functa eſt ſuo munere & officio.

Huius rei optimam habemus figuram in Ioſia, qui occiſus fuit in campo Mageddo, licèt eſſet Rex optimus: quia monitioni diuinæ non obtemperauit, ſed impio præbuit auxilium. Quam apud Deum pretioſus fuit Ioſias, accipe ex his quæ præſtitit pro Dei cultu. Is eſt de quo Prophetatum fuerat, à viro Dei, Ieroboam ſtante ſuper altare prophanum, quod erexerat in Bethel: *Altare, altare*, inquiebat ille vir Dei: *Hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine; & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt; & oſſa hominum ſuper te incendet.* 3. Regum c. 13. Is eſt qui fœdus percuſſit coram Domino, vt ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia, & ceremonias, in omni corde & in tota anima, qui vaſa prophana facta Baal combuſſit, deleuit Aruſpices efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem, & combuſſit eum. Ibi deſtruxit ædiculas effæminatorum, contaminauit Topheth, currus ſolis combuſſit igni; excelſa, quæ ædificauerat Salomon Aſtaroth & aliis, polluit; altare à Ieroboam extructum deſtruxit & combuſſit, celebri phaſe fecit, tale quod nullum factum fuerat illi ſimile. Denique ſimlis illi non fuit Rex, qui reuerteretur ad Dominum in toto corde ſuo. Vnde de eo dicitur, Eccleſiaſtici 44. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta, opus pigmentarij, in omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini. Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernauit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem.* Et tamen tantus Rex tantopere Deo & hominibus amabilis & charus, vulneratus eſt, & ex vulnere mortuus eſt, quia præparauit contra Nechao Regem Ægypti bellum, nec acquieuit ſermonibus Nechao ex ore Dei. Miſerat enim ad eum Nechao, qui dicerent: *Quid mihi & tibi eſt, Rex Iuda? Non aduerſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Dominus feſtinatò ire præcepit. Deſine aduerſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te.* Noluit Ioſias reuerti, & ſic contra Deum contendere viſus eſt, dum perrexit vt dimicaret contra Nechao in campo Mageddo. Ibi vir optimus contra Deum contendens iudicatus eſt, & interiit. Quid igitur expectandum eſt iis qui contra Dei Eccleſiam dimicare audent, qui eam euertere conantur, qui ſe Chriſti hoſtes conſtituunt, vt concupiſcentiis ſuis indulgeant? *Congregabuntur in loco, qui dicitur hebraicè Armagedon.* Id eſt: licèt pretioſo Chriſti ſanguine redempti, licèt homines Deo ſint pretioſi, tamen quia Eccleſiæ Paſtores, Dei locum tenentes, fideles in fide perſeuerantes dinexare volunt, quia leges Dei & Eccleſiæ violare non timent, quia Anti-Chriſti facti ſunt, &

A Chriſti inimici, ſicut maledictionem temporalem paſſus eſt Ioſias infeliciter dimicando contra Dei voluntatem, iſti maledictionem incurrent ſempiternam, quia contra Chriſtum dimicare auſi ſunt. Et vt eos ſemel interficiat, congregabuntur in locum vnum Armagedon, vt à Deo ſeparentur, & ante eum interficiantur, iuxta illud Luc. c. 9. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me*, non ſolùm gladio anathematis & excommunicationis cuiuſdam temporalis ſed gladio illo iudicialis ſententiæ, qua impiis dicetur. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

B

De effuſione phialæ ſeptimæ.

Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem. Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt. Et facta ſunt fulgura & voces, & tonitrua: & terræ motus factus eſt magnus: qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræ motus ſic magnus.

Connexio phialæ ſeptimæ cum præcedentibus.

POSTEAQVAM Eccleſia per leges directionem
C preiudicia coërcitionē & coactionem adhibuit, vt poſſint fideles in via Dei rectè ambulare, non declinantes ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſi nec directionis lumē ſequi voluerint, nec iudicia & decreta paſtorum ſuorum adimplere, quid aliud faciat nō habet Eccleſia, niſi qua pollet poteſtate contumaciā peccantium reprimat, vibrato mucrone anathematis contra ſibi contumaces & rebelles. Hoc præſtat in effuſione huius ſeptimæ phialæ, per Angelum ſeu, Epiſcopum Laodicenſem, in quo hæc poteſtas deſignatur, vt poſtea videbimus.

Et ſeptimus Angelus effudit phialam.

D

Quod in Eccleſia ſit quædam poteſtas, quæ crimina poſſit vlciſci: de qua agitur in effuſione ſeptimæ phialæ.

ANNOTAT. XLI.

HOC præſupponendum eſt ex ſcholaſticorum Doctorum Eccleſiæ doctrina; nec mei eſt inſtituti quæſtionem hanc ad plenum pertractare: quædam tamen adducenda, ne eam omnino prætermiſiſſe videamus; vbi hic de ea diſputandi datur locus opportunus.

Dico igitur primo certum eſſe poteſtatem iudiciariam puniendi peccatores, de qua S. Paulus primæ ad Corinth. c. 4. *Quid vultis? In virga veniam ad*
E *vos, an in ſpiritu manſuetudinis? In virga iuſtitiæ*, inquit Primaſius, *qua virga vſus eſt Petrus ad Ananiam & Saphyram, & Paulus ad Magum ſimulque conſiderandum, quod ipſa ira in noſtra ſit poſita poteſtate, non nos ad illius; & tunc exercetur, quando Dei iniuria vindicatur.* Ita Primaſ.

Et S. Auguſtinus hæc verba Apoſtoli adducens l. 3. contra Parmenianum c. 1. *Iam hic apparet eum loqui de vindicta, ad cuius ſignificationem virgam nominauit.* Ita Aug. *Quid eſt*, inquit Chryſoſt. homil. 14. in 1. ad Corinth. 4. *In virga? In caſtigatione & ſupplicio. Hoc eſt. De medio tollam, & excæcem? Quod quidem Petrus fecit in ſapphira, quod ipſe in Elyma Mago: non enim iam dicit tanquam ſeipſum cum illis conferens, ſed cum autoritate.*

Tribus aliis ſymbolis hæc poteſtas in ſcriptura exprimitur, Clauium, vinculorum, gladij; Clauium, Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Eadem enim poteſtate, qua Eccleſia poteſt cœlum aperire fidelibus, peccata quoad culpam & pœnam condonando, eadem poteſt illud claudere contumacibus, eadem peccata retinendo. Eſt ſiquidem clauis regni cœlorum, poteſtas quædam ſpiritualis, qua qui illam habet poteſtatem poteſt aliquod bonum conferre, quo cœli ingreſſus aperitur iis quibus hoc conceditur bonum, & qua huiuſmodi bonum ſubtrahere poteſt demerentibus: & hac ſubtractione & priuatione difficilior illis redditur cœli aditus & acceſſus, ſi cum iuſtitia & æquitate fiat ab habente poteſtatem, qualem habet miniſter Eccleſiæ legitimus: Vnde ianua cœlorum talibus occludi dicitur. Secundum ſymbolum eſt vinculorum, Matt. 18. Nam ſtatim atque dixit Dominus; *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*; addidit continuo: *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, &c.* At nullus ligatur, niſi vincula illi injiciantur. Hinc definiunt Clauem regni cœlorum poteſtatem ligandi atque ſoluendi, qua Eccleſiaſticus iudex dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno. *Hanc poteſtatem accepit Eccleſia in Petro*, inquit Auguſtinus, tract. 50. in Ioann. *dum ei dictum eſt à Domino: Tibi dabo claues regni cælorum. Quæcumque ſolueris in terra, ſoluta erunt in cælo, & quæcumque ligaueris in terra, ligata erunt in cælo. Si hoc Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia: ſi autem & in Eccleſia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur; & quæ ſoluuntur in terra, ſoluantur in cælo, quia cum excommunicat Eccleſia, in cælo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia, in cælo ſoluitur reconciliatus: Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit, &c.* Ita Aug. Hac pœna animæ non corpora obligantur, dicente Auguſt. Epiſt. 75. ad Auxilium ſacerdotem: *Neque enim hæc corporalis eſt pœna, qua legimus quoſdam contemptores Dei, cum ſuis omnibus qui eiuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur quandoque vtique moritura. Spiritalis autem pœna, qua fit quod ſcriptum eſt: Quæ ligaueris in terra erunt ligata & in cælo; animas obligat, de quibus eſt: Anima Patris mea eſt, & anima filij mea eſt. Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* Ita Aug.

Denique gladius eſt, de quo Apocalypſ. 19. dicitur: *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes. Gladius*, inquit Andreas Cæſar. in hunc locum, vt fuſiùs videbimus, *hoc loco ſignificat ſupplicium, quod ſecundum iuſtum Dei iudicium, certumque eiuſdem mandatum, quod ex ore illius procedit, impiis & peccatoribus infertur.* Ita Andr. Hoc igitur ſchemate optimè cenſura Eccleſiaſtica, qua peccata puniuntur, poterit exprimi: quo gladio vtitur Eccleſia, vt malos à bonis ſeparet, donec Dominus diſtinguat gentes bonas à dextris, & malas ſtatuens à ſiniſtris ſuis: vbi & vltimam eamdem irreuocabilem exerat vim gladij, id eſt, ſententiam iudicij in vtramque partem pro ipſorum meritis, vt loquitur Rupertus in hunc Apocalypſ. locum. *Quamuis enim*, vt ait S. Ambroſius lib. 2. de officiis c. 27. *cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur ſi poteſt ſanari medicamentis; tamen ſi non poteſt tunc à medico bono abſcinditur; ſic Epiſcopi affectus boni eſt vt optet ſanare infirmos, ſerpentis auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere, poſtremo quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere.* Ita Ambr. Hæc eſt illa igitur ſpiritualis vindicta, quam Eccleſia ſumit de peccatoribus obſtinatis, quam excommunicationem vulgo nominamus, quæ nihil & aliud quàm cenſura Eccleſiaſtica, per quam Eccleſiæ ſubditus, aliquo eiuſmodi (communi bono) cuius communicatio pendeat alioqui ex ipſius Eccleſiæ placito) ſeu peculiari intentione priuatur; propter ſuam ſcilicet contumaciam. Vnde vel à ſuſceptione Sacramentorum, vt in minori excommunicatione; vel eorum etiã adminiſtratione, vt in Maiori, arcetur; & ab omni publico religionis cultu, à miſſis & diuinis officiis, à conſortio & commercio fidelium ſeparatur, & tandem à communibus Eccleſiæ precibus, ſuffragiis, quibus Eccleſia pro ſuis membris apud Deum intercedit; & maledictioni æternæ tandem ſubjicitur, ac ſatanæ traditur, niſi reſipiſcat. Rectè enim Tertullian. in Apologetico c. 39. *Iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummumq; futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.* Ita Tertull. *Si is*, inquit Apoſtolus, *qui frater nominatur, eſt fornicator & auarus, &c. cum eiuſmodi ne cibum quidem ſumere.* Et 2. ad Theſſalon. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Et ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem deuita.* Et Paulus tradidit ſatanæ inceſtuoſum Corinthium, vt ſpiritus ſaluus fieret in die iudicij, videlicet ſi pœniteret, vt pœnituit: at qui temporaliter traditur ſatanæ & non pœnitet, nec à peccato recedit, is procuidubio à corpore myſtico Eccleſiæ ſeparatus à beatorum etiam conſortio excludetur. Et hæc de hac poteſtate ſufficiant.

His præſuppoſitis, Dico de illa intelligendam eſſe phialæ ſeptimi Angeli effuſionem: quod ego conjicio primò ex optima rerum ſerie. Nam dato quod in his effuſionibus ſignificentur, vt diximus ſupra, ſeptem poteſtates conceſſæ Eccleſiæ, ad regnum Chriſti promouendum, per actis ſex ex illis ſacris functionibus hæc vltima tandem reſtat deſignanda.

Secundò hoc verum eſſe ſatis perſpicietur, ex optima totius ſymboli cum cauſis & effectibus excommunicationis applicatione: quod quidem nunc prætermittimus, ne bis eadem dicere cogamur. Sed antequam ad ſymboli interpretationem veniamus, videndum quomodo per Angelum Laodicenſem hæc poteſtas deſignetur.

Et ſeptimus Angelus, &c.

Quod in Angelo Laodicenſi deſignetur poteſtas illa Eccleſiæ data puniendi per excommunicationem obſtinatos peccatores.

ANNOTAT. XLII.

CONVENIT hoc nomini Laodicea, quæ S. Hieronymo idem ſonat ac *Fuerunt in vomitu.* Qua loquendi formula rectè excommunicati denotantur. Sunt enim digni qui à Deo rejiciantur. Deinde quia Chriſtus in initio Epiſtolæ profitetur ſe eſſe teſtem fidelem & verum: nemo enim excommunicari debet niſi qui crimine notorio & manifeſto, vel teſtibus fidelibus, fide dignis, de crimine fuerit conuictus.

Tertiò ob comminationem illam huic Epiſcopo factam: *incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis quod, diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo.* In quo notatur arrogantia & audacia excommunicandorum, qui propterea à Deo & ab Eccleſia rejiciantur, quia Eccleſiæ directionem recipere nolunt, nec communionis Eccleſiæ neceſſitatem ſatis agnoſcunt. Quartò quia ſtatus huius Epiſcopi miſer & miſerabilis, &

Digitized by Google

pauper, & cæcus & nudus, optimè adumbrat ſtatum illius, qui in peccato mortali notorio cum aliorum ſcandalo perſeuerare intendit. Quintò, quia inuitatur ad meliorem frugem, & ad prouidam ſapientiam, ne ſcilicet propter aliquid terrenum, à communione fidelium cum notabili infamia & confuſione ſeparetur. Sextò, quia tangitur finis, propter quem Eccleſia hac ſeueritate vtitur erga peccatores, dum ait: *Ego quos amo, arguo & caſtigo. Æmulare ergo, & age pœnitentiam.* Denique quia reſipiſcenti promittitur, ſi aperuerit ianuam cordis, & obaudierit, videlicet Chriſtum in paſtoribus ſuis loquentem, quod admittetur ad cænam agni, à qua quidem fuerat per excommunicationem excluſus; & tandem ſedebit in throno cum Chriſto, qui nec ſanctorum contubernio & fidelium conſortio erat dignus. His adde quod ad imitandum Chriſtum inuitatur, qui quos amat arguit & caſtigat: qua quidem ratione illud videtur innui ipſum muneri & officio ſuo defuiſſe, dum peccantes arguere & caſtigare iuxta poteſtatem ſibi datam neglexit, propter teporem videlicet, quia eos carnaliter diligebat, non ſecundum Deum, illiſque diſplicere pertimeſcebat. Sed ex compendiaria huius ſymboli expoſitione, donec per partes illud exponamus, hoc clariùs apparebit.

Compendiaria totius ſymboli effuſionis ſeptimæ phialæ expoſitio.

ANNOTAT. XLIII.

Et ſeptimus Angelus, &c.

PATIENTIAM diuinam homines legum tranſgreſſione multiplici læſerunt, eius longanimitaté & benignitatem ad iracundiam prouocauerunt, contemptu comminationis iudiciorum Dei & decretorũ Paſtorum Eccleſiæ, quibus eos à malis coërcere deſiderabant. Prohibentibus enim ipſis, ne hæc aut illa crimina perpetrarent, ſub pœna excommunicationis & damnationis æternæ, vt pote ſibi ac proximis valde nociua, & pietati contraria, audacter tamen & impudenter ea committere auſi ſunt. Certè hic contemptus à ſeueritate Dei exigit vt non ampliùs vtatur Eccleſia comminationibus, ſed exerat gladium, & percutiat contumaces poteſtate ſibi tradita abſcindendi à corpore myſtico Eccleſiæ membra putrida, ne alios contagione inficiant.

Hinc fit quod Angelus Laodicenſis effudit phialam ſuam in aërem, tepore relicto, emptá à Chriſto diuinâ illâ ſapientiâ, qua ſatiùs eſſe ducimus Deo obedire, quàm hominibus placere. Non ampliùs malo conſentire, aut conniuere vult. Nunc illam intentionem recuruam, qua non Deo placere ſtudebat, ſed hominibus, non ad eius gloriam & honorem omnia dirigebat, ſed quod ſibi erat commodum aut proficuum aſpiciebat, deponere vult; vt Dei timorem & honorem præ oculis habeat, omni alio timore aut affectu depoſito. Emit, inquam, illud aurum ignitum, probatum, zeli ardentis honoris diuini & zeli animarum Paſtoribus Eccleſiæ, vt ritè ſuo munere fungantur apprimè neceſſarium, vt capta temporis opportunitate viriliter & animosè torrenti iniquitatum repagula opponat, ne præterfluat, & omnia ſubruat impetu ſuo. Effudit phialam ſuam, id eſt, vſus eſt illa poteſtate, ſibi à Deo conceſſa, abſcindendi à corpore myſtico Eccleſiæ eos, qui per contumaciam hac pœna dignos ſe reddunt, dum leges transgrediuntur. Eccleſiæ mandatis ac decretis non obtemperant, & alios inficiunt verbo & exemplo, illiſque nocent plærumque, vi aut violentia illos vexando. Audit Dominum ſibi dicentem: *Vtinam frigidus aut calidus eſſes: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Ideo alios mauult abſcindere, quàm ſeipſum ſentiat à Deo æternaliter ſeparari. Scit Deum æquitate inflexibili omnia ponderare, vt neminem voluntariè peccantem abſque pœna relinquat. Scit illum fragilitatis humanæ non modicam habere rationem, ſi quis ignorantia aut quadam tantum inaduertentia alibi diſtractus & occupatus, malis obuiare neglexit, nec conuenientia adhibet remedia, huic compatitur, etſi frigidus videatur. Si quis etiam calidus, id eſt, zelo indiſcreto pulſus, malo obuiare ſtudens tempus opportunum non captauerit, hanc tolerat, nec contra tales tantopere irritatur. At iraſcitur contra eum qui ſciens & animaduertens mala quæ committuntur à ſubditis, quia tepidus eſt, non alium habens calorem quàm proprij commodi. His malis occurrere non vult.

Quem autem tepidum dicemus? Eum nempe qui quæcumque agit, ea non charitate Dei aut proximi perficit, ſed tantùm in quantùm illa poteſt perficere abſque detrimento proprij commodi, propriæ quietis, proprij honoris, aut apud homines, quibus placere vult, exiſtimationis. Talis namque ſtatim atque animaduertit aliquid eſſe temporalibus ſuis commodis contrarium, ab incæpto opere retrahit manum, nec vlteriùs progreditur, quippe qui peruerſa intentione, ſeipſum, non Deum quærit. Et certè qui ignorat mala, qui alibi diſtractus eſt, poteſt inſtrui, & à negligentia ſua ſuſcitari. Qui ardentiori zelo in actus prorumpit, poteſt aliqua ratione moderari: illorum enim intentio cum bona ſit, ſtatim atque quod bonum & melius eſſe dignoſcere poterunt, illud libenter amplectentur. Sed cuius oculus (intentionis ſcilicet) malus eſt, is nec inſtrui nec excitari ad bonum poteſt. Ex negligentia frigidi nemo putat mala eſſe liberiùs perpetranda: ea ſemper vt odioſa & rejicienda eſſe exiſtimantur: Facilè excuſatur zelus indiſcretus calidi: optima enim intentione contra peccata inſurgit, ne fiant. At tepidus dignus eſt cenſura & ſupplicio, eo quod per conniuentiam peſſimam, occaſionem præſtat infirmis ſibi perſuadendi hæc crimina non tanto ſtudio eſſe euitanda, cum ille Paſtor, qui apud homines exiſtimatur diues virtutibus, meritis locupletatus; in rebus gerendis prudentiſſimus videtur & agnoſcitur ea mala non ignorare; & tamen politicis quibuſdam & mundanis rationibus ductus, aliquod remedium quo compeſcerentur non vult adhibere: quo fit vt peccatis quædam autoritas concilietur, ac ſi facilius eſſent committenda, quia perniciosè tolerantur. Probari eim videntur nec adeo pernicioſa exiſtimari, dum qui ea, poteſtate ſibi traditâ extirpare deberet, ſciens & volens remedia adhibere non vult. Vnde tam infidelis diſpenſator myſteriorum Dei meretur à Deo rejici, & vt abominabilis ab eius ore & pectore euomi. Sic olim Saul abominabilis factus eſt & rejiciendus, dum ſpecie alicuius boni, contra Dei præceptum *Pepercit Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis quæ pulchra erant, nec voluit diſperdere ea*, 1. Regum 15. timore populi, cuius voci obedire magis ſelegit quàm ſermoni Dei, aut Samuelis verbis obtemperare. Vnde audiuit: *Pro eo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* Vt tam formidabile malum à ſe auertat Epiſcopus Laodicenſis, & quilibet alius in eo deſignatus, ecce effudit phialam in aërem, id eſt, in hæreticos, in contumaces & rebelles vibrat gladium excommunicationis, ſub ſpe correctionis, & emendationis: quia adhuc ob innatam

Digitized by Google

libertatem, quandiu in vita degunt, poſſunt ad Deum conuerti.

Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt. Etenim quia talis abſciſſio & ſeparatio non fit niſi intuitu boni vniuerſalis Eccleſiæ, ideo hæc ſententia non modò lata fuit, & pronunciata, quin etiam promulgata fuit per omnem locum in quo ramos ſuos extendit ſancta & Catholica Eccleſia, vt ab omnibus excõmunicati habeantur & maledicti, tanquam Ethnici & publicani, qui Eccleſiam audire contempſerunt. Hæc eſt illa vox magna de templo, quia non ad finem ſolius boni temporalis hoc fit, ſed intuitu pietatis & cultus diuini & ſalutis æternæ; A throno procedens, quia hoc fit non autoritate politica aut ſeculari, ad quam hoc ius minimè pertineat, ſed autoritate diuina & Eccleſiaſtica; Quæ dum ait: Factum eſt; oſtendit ſe omnia præſtitiſſe, quæ præſtare poteſt ad promotionem boni & extirpationem mali. Nam poſteaquam hoc remedium adhibuit, nihil reſtat quod præſtare poſſit; Itaut ad imitationem ſponſi dicentis: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Ipſa audeat dicere: Quid adhibere potui iis hominibus, vt eorum ſalutem promouerem, & illud non adhibui? Nulla enim mihi alia facultas ſuppeditatur, nullum ſupplicium habeo formidabilius quo mala compeſcere poſſim, quàm ſi aliquem abſcindam à participatione & communione corporis Chriſti myſtici, vt ſi fieri poſſit hac ſeueritate territus ad mentem redeat, & alios à contagione peſtifera malorum immunes proinde reddam.

At quid emolumenti ex hac ſeueritate accepit ille Epiſcopus, dum teporem vincens, zelo igniro & probato munitus, quo inſurgit in contemptores ſententiarum & decretorum Eccleſiæ, ſententiam tulit excommunicationis, eamque promulgari fecit per vniuerſam Eccleſiam, veluti intuitu pietatis cultus diuini & ſalutis fidelium latam, veluti emanantem à poteſtate diuina quam accepit, iudicandi de actionibus fidelium ſibi ſubditorum, & incorrigibiles abſcindendi à cætu cæterorum: vt vel timore æterni ſupplicij reſipiſcant, vel vt alios à contagione prauorum reddat immunes. Et vt oſtendat Eccleſiam peccata abhorrere, eiuſque ſtudium præcipuum eſſe vt fideles ab eorum perpetratione omnimodè ſeſe contineant, fecit quod debuit: de criminibus, & crimine infectis diligentem habuit inquiſitionem: crimine notatos & reos monitionibus ſuis ad pœnitentiam & emendationem prouocauit: contra incorrigibiles tulit ſententiam. Sed quid inde accidit, attendite. Proprius effectus ab Eccleſia intentus, nempe correctio peccatoris, non eſt hic expectandus; ſicut nec proprius effectus effuſionis phialarum præcedentium, vt vidimus, non fuit obtentus: ſed aliquid quod talem effectum potiùs impediat, vel ſaltem non fuiſſe obtentum manifeſtè oſtendat. Hic enim, vt diximus, bellum inter Eccleſiam & reprobos deſcribitur, non autem fructus poteſtatum Eccleſiæ, ſeu proprius illarum effectus. Quod valde notandum eſt in omnibus effuſionibus ſeptem phialarum.

Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua; & terræ motus, factus eſt magnus, qualis nunquàm fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræ motus ſic magnus. Nam ſtatim atque hæc ſententia fulminata fuit, viſa ſunt fulgura, auditæ voces, & tonitrua aures fortiter pulſarunt, & terra incredibi motu concuſſa fuit. Quanta exinde rerum mutatio & perturbatio? Hi admiratione, alij ſtupore attoniti, alij timore perculſi, alij ſcandalo commouentur: murmurationibus & querulofis vocibus aërem verberant: vehementes iracundiæ motus manifeſtant,

A minis, blaſphemiis bellis, ſeditionibus, ſchiſmatibus, perſecutionibus, itaut vix cogitari poſſit aliquid, quo maior perturbatio oriri poſſit in rebus humanis. Sed quia propter ſcandalum euitandum, non eſt veritas omittenda, ideo Eccleſia officio ſuo ac munere fungi non dubitauit, & ſic apparuit quinam eſſent è cætu fidelium merito excluſi, & nominatim excommunicari; apparuit quinam eſſent excludendi, quia hæc aut illa actio prohibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſtatim incurrendæ; apparuit denique quinam eſſent fideles Deo & Prælatis Eccleſiæ fideliter obedientes. Sic *facta eſt ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt.* Quibus verbis deſignatur illa extenuatio meri- B torum, vel potius totalis conſumptio, quam inducit ſeparatio à corpore myſtico Eccleſiæ: eorum enim opera in numerum operum Ethnicorum ſunt releganda, in quibus nec charitas viget, nec fides ſincera videtur remanere: nam perdurans in excommunicatione pertinaciter habetur de hæreſi ſuſpectus.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti. Apparuit certè peccatores falli, dum putant Deum non attendere dum peccatis ſeſe inuoluunt. Ex illa enim maledictione, qua ſentiunt ſibi eſſe iratum, poteſt perſpici quod reproborum peccata ab eius memoria non recedunt. C Quod ſenſibili ratione Deus demonſtrabit, dum ciuitatem quamdam inſignem (quæ Babylonis nomine ſignificatur.) hac pœna excommunicationis, & hac maledictione, à Deo & ab Eccleſiæ corpore myſtico abſcindetur, cui nullum erit effugium, nullum relinquetur extrinſecum auxilium, quo in gratiam redire poſſit, & à Deo auerſa ipſi reconciliari. Nam præter intrinſecam gratiæ iuſtificantis ſubtractionem, ac ſi ad eorum perditionem intentus eſſet, excluduntur à participatione ſuffragiorum Eccleſiæ, à participatione Sacramentorum, quibus Deo reconciliari poſſent; non enim illis ſunt adminiſtranda, donec ſoluti fuerint ab hoc anathematis vinculo: à quo non ſoluuntur, donec Eccleſiæ iudicio, D ac decretis paruerint.

Quod ſi obedire renuerint, pars illorum erunt varia ſupplicia, quibus Deus eorum pertinaciam frangere attentabit. Sed ſuperbiâ eorum aſcendente ſemper in blaſphemias ad Deum prorumpent, qui iuſtè per hæc ſupplicia vult vt agnoſcant nimiâ audaciâ & temeritate Eccleſiam ſponſam ſuam contempſiſſe, & abſciſſionem ab ea non timuiſſe.

Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cælo, inquit Propheta noſter *in homines. Et blaſphemauerunt Deum homines, propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.* Hoc ſupplicio affici merentur; Quibus hoc vnum ſtudium, vt impleant menſuram peccatorum ſuorum, donec eorum in malo E voluntas per ſubtractionem gratiarum Dei, tanquam vas quoddam, obſtruatur, talento plumbi, nempe iræ Dei gratiam ſubtrahentis: vt ſi in numerum reproborum deputentur. Quorum deploranda perditio deſcribitur, Zachariæ quinto, ſub ſchemate iniquitatis proiectæ in medio cuiuſdam amphoræ cuius os Maſſâ plumbeâ obturatum fuit, & poſtea à duabus mulieribus in terram Sennaar aſportata, vt ibi ponatur ſuper Baſem ſuam. Quam viſionem Ribera intelligit de Iudæorum peccatis & excæcatione; in qua, propterea quod Dominum ſeruatorem occiderunt, vſque ad finem ſeculi manent. Deus autem mulieres amphoram ſuſtollentes dicit eſſet excæcationem Iudæorum, & indurationem voluntatis.

Hanc viſionem certè ad quoſlibet reprobos ex-

tendere poſſumus, & præcipuè ad eos, quos anathemate ferit Eccleſia, cum illud contemnentes in peccatis perdurant, vt latiùs poſtea explicabimus.

Expoſitio huius ſymboli ex diuerſis autorum expoſitionibus.

ANNOTAT. XLIV.

OPTIMAM ſeriem noſtræ expoſitionis, & concinnam & conuenientem cum ſymbolo eius applicationem meliùs percipere non poteris, quàm ſi mecum expendas attentiùs aliorum autorum expoſitiones.

Nihil apud Ticonium de Angelo ſeptimo, nec de effuſione aut terræ motu reperies. Tranſit ad interpretationem iſtorum verborum: *Et facta eſt illa ciuitas magna in tres partes. Hæc ciuitas*, inquit Ticonius, *magna, omnis omnino populus intelligitur quiſquis eſt ſub cœlo; qui fiet in tres partes, cum Eccleſia diuerſa fuerit, vt ſint gentiles vna pars, hæretici & ficti Catholici altera, Eccleſia Catholica tertia. Sequitur enim & dicit, oſtendens quæ ſint tres partes: Ciuitates gentium ceciderunt, & Babylon illa magna in mentem venit Deo, dare ei poculum vini iræ ſuæ. Et omnis inſula fugit: & montes inuenti non ſunt. Ciuitates gentium gentes ſunt. Babylon abominatio vaſtationis. Montes & inſulæ, Eccleſia eſt. In ciuitatibus gentium omne munimen & ſpem dicit gentium cecidiſſe: non enim diuerſas habent à Chriſtianis, ſed ciuitates bonæ atque malæ in hominibus deſcribuntur. Tunc ergo Babylon cecidit, aut iram Dei bibit, cum poteſtatem accepit aduerſus Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia. Inſulæ inuentæ non ſunt, id eſt, non ſunt ſuperatæ. Et grando magna quaſi talentum deſcendit de cœlo ſuper homines. Grandinem iram Dei dicit. Omnes plagas iſtas figuras eſſe dicit plagarum ſpiritalium. Et blaſphemauerunt homines Deum.* Ita Ticon.

Primaſius: *Et ſeptimus Angelus, &c. Factum eſt: finitum eſt. Et facta ſunt fulgura, &c. Et ſigna magna. Recapitulatâ eadem perſecutione commotionem incomparabilem memorat. In qua miracula, & prædicationes quidem dicit ineſſe, ſed vtrum à parte bonorum falſitati contradicentium; an à parte malorum illa ſigna, quæ memorat, perſeuerant, ad exercendum bonos & obdurandum malos; an ex vtraque parte ſigna ſibi altrinſecus vocant, non hic ſatis elucet: ſicut à Moyſe & Magis factum eſt Pharaoni. Si quid tamen horum ſit, etiam ſigna ſicut terræ motum prænoſcendum eſt inſtante dubio ampliùs dimicare.* Ita Primaſ.

Et ciuitas illa magna in tres partes diuiſa eſt. Ciuitas magna, inquit Primaſius, *pro multitudine populorum & ſupercilio factus quod immodicis auſibus ferebatur: quæ fiet in tres partes, vnam gentilitatis, alteram in hæreticis & in Iudæis, & vnam tertiam quæ in falſis fratribus reprobatur, qui confitentur ſe noſſe Deum factis autem negant, cum abominati ſint & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Sequitur namque: Et ciuitates gentium ceciderunt. Id eſt: Omne robur fiduciaque gentium. Et Babylon illa magna recordata ſub conſpectu Domini venit. Confuſam deſignat omnium multitudinem perditorum. Vt daret ei, inquit, de vino iræ ſuæ indignationis, debitæ vltionis. Retributio malis reddi præſcribitur. Et omnes inſulæ fugerunt. Et omnes montes non ſunt inuenti, Nomine inſularum ſimul ac montium Eccleſiæ figuratur cognitio propter ſtabilitatis eminentiam, quibus per Iſaiam dicitur: in doctrinis glorificate Dominum; in inſulis maris nomen Domini Dei Iſraël. Itemque: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini ſuper cacumina montium. Fuga hæc, quando malorum ſocietas ſic poſtremo fugietur. vt iſta deinceps Eccleſiæ cum malis non inueniatur confuſa permixtio. Hinc Propheta: Fugite, inquit, de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſque animas veſtras. Tunc autem Babylonis cadit, quando nouiſſimè poteſtatem perſequendi ſanctos acceperit. Propterea ante ruinam exaltabit, inquit, cor: & ante gloriam humiliabitur ſpiritus:* Ita Primaſ. Qui per grandinem iram vltionis; per talentum, æquitatem diuini iudicij pro diuerſitatibus culparum ſingulis intelligit. Quia videlicet talentum, alterius apud græcos, alterius apud Romanos quantitatis æſtimatiuè penſatur. Et poſtea hæc verba ponderans: *Blaſphemauerunt homines Deum, propter plagam grandinis*, ait Primaſ.

Hic blaſphemare Dominum propter grandinem & peccatum cognoſcitur, & plaga peccati, quæ ſic impij ſecantur, vt nec correcti reſipiſcant & ipſis plus deterioratis flagellis inſaniant. Iſaias denique dicit: Domine tu iratus es, & ecce peccauimus. Ita Primaſ.

Andreas Cæſar. *per Angeli vocem, quæ de cælo facta aſſeritur, diuinum mandatum effectum ſortitum indicatur. Cæterùm fulgura, & voces, & tonitrua, ſtuporem & terrorem, qui ex iis rebus (quæ inuſitato modo tum fient) exorietur, futurumque Chriſti aduentum ſignificant: quemadmodum ea olim quoque Dei ſuper montem Sinai deſcenſum indicabunt. Denique terræ motus eorum, quæ in rerum natura exſtant, tranſlationem & in meliorem ſtatum mutationem inſinuant.*

Et facta eſt ciuitas magna per ciuitatem magnam i. non ciuium multitudine, aut ædium & domicilliorum amplitudine, ſed religione & pietate antiquiſſimam & maximam Hieroſolymorum vrbem deſignatam putamus: vt quæ per Chriſti mortem & paſſionem mirè ſit magnificata, & à gentium ciuitatibus diſtincta. Porro eius in tres partes ſectionem triplex hominum genus, quod in ea degit, adumbrari exiſtimamus; vnum Chriſtianorum, alterum Iudæorum, Tertium Samaritanorum; Aut vnum eorum qui firmi conſtanteſque in fide conſiſtunt; alterum eorum, qui Baptiſma ſuſceptum fœdis operibus contaminauerunt: poſtremò illorum Iudæorum & Samaritanorum, qui Euangelij prædicatione repudiata, ſuæ voluntatis indicium liberè citra vllum impedimentum ſequi & explere permiſſi ſunt, ſicut illa quoque loca eamque ſortem concedere, quæ horum vtrique magis conuenire cenſebantur.

Quod autem gentium ciuitates cadere dicantur, ſignificat regno Dei iam præſente) quod ſancti ſecundum Danielem occupant (cum ipſas Paganorum ciuitates, tum vitam quoque & conuerſationem Ethnicam interituram. Et Babylon illa magna, &c. quæ propter diuturnam Dei patientiam in obliuionem veniſſe quodammodo videbatur, propter iuſtum iniuſtè calcatum, dictorumque & factorum impietatem, vindictam expetentem, denuò in memoriam rediit antè Deum. Et omnis inſula fugit &c. inſulas ſanctas vocat Eccleſiam, per montes autem ſacræ literæ deſignant Eccleſiarum Paſtores & Doctores, cæteroſque qui primatum inter illos tenent. Eiuſmodi autem tempore, quo prædicta mala graſſabantur, fugam inituros Chriſtus ipſe Deus & Dominus noſter præmonuit. Tum, inquit, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque erit. Siquidem alij propter peccata, quæ perpetrarunt, variis incommodis & ſuppliciis afficientur; alij ad virtutis probationem, grauia perpeſſuque difficilium perferre compellentur, &c. Denique Andreas Cæſar. per grandinem Dei iram ſignificari ait: *quod hæc autem talenti magnitudinem ſortita fuerit, id perfectum illius ardorem denotat; & hic rurſum ſummam peccati malitiam, eminentemque eius grauitatem. Huius namque rei ſymbolum talentum exiſtit, quemadmodum Zachariæ quoque patefactum aliquando fuit; Quod illi denique, qui icti læſique ab illa fuerant, ad pœnitentiam non reſpexerint, ſed ad blaſphemiam ſeſe conuerterint, iſtud excellentem cordis illorum duritiem, ſaxeamque obſtinationem innuit. Quare etiam Pharaoni aſſimilari poterunt, aut illo quoque duriores obſtinatioreſque cenſeri, &c.* Ita Andr. Cæſ.

Ambroſius: *Angelus igitur phialam ſuam in aërem effundit, quia prædicatores ſancti varus & impiis homi-*

tibus quod perpetua morte ſint damnandi denuntiabunt. Ita Ambroſ. Qui per templum & thronum, Eccleſiam; per vocem prædicationem intelligit. *Factum eſt*, inquit Amb. *Id eſt, finis mundi inſtat.* Per fulgura, miracula præcipuè, per Eliam & Enoch facienda; per voces, prædicationes; per tonitru, terrorem ignis æterni; per terræ motum, motionem cordium, ſiue de malo ad bonum, vt Iudæi qui in Chriſtum credituri ſunt; ſiue de bono ad malum, vt illi qui fidem Chriſti relicturi ſunt; Per ciuitatem magnam, ciuitatem diaboli, id eſt multitudinem reproborum in Iudæos Paganos & falſos Chriſtianos diuiſam, intelligit. Ciuitates autem gentium dicit caſuras cum eo igne videlicet, qui faciem Domini ad iudicium venientis præcedet, omnes gentes delebuntur.

Babylonem autem vult Ambroſius in memoriam Dei venire, non quod aliquid accedat aut recedat ad Dei memoriam, ſed memoriam pro tempore poſuit, quando illud veniet in quo ſtatuet Deus iudicio mundum. Vinum autem indignationis ait eſſe pœnam perpetuam, & inſulas deſignare gentes, & montes, earum principes. Fugiunt autem, cum ab igne in die iudicij delebuntur. Ita Ambroſius. *Et grando magna ſicut talentum.* Idem Ambroſius ait: *Quæcumque temporalia, aut quaſcumque artes à Domino accepimus, pro talentorum acceptione nobis reputabuntur, iuxta parabolam Matt. 25. de talentis, de quibus alij benè vtantur, impij abutantur. Ex bonis temporalibus nempe, quæ à Domino acceperunt, vitia potius quàm virtutes eunt triums.* Ita Ambroſ. Addit ille: *Per grandinem) quæ ea, quæ ex terra naſcuntur, conterit & delet (vindicta omnipotentis Dei deſignatur, quæ impios conteret, & in infernum demerget; quæ ſicut talentum eſſe dicitur, quia vnumquemque ſecundum talenti ſui qualitatem puniet, & quanto ampliùs quis deliquit, tanto ampliora tormenta ſuſtinere cogetur.*

Et blaſphemauerunt homines. Obſcurum eſt iſtud ex Ambroſio. *Quis enim*, inquit ille, *in illo tam diſtricto iuſtorum iudicio blaſphemare Deum audebit? Sed blaſphemare dicuntur, quia blaſphemiæ reproborum, quas modo in corde tegunt, cunctis manifeſtabuntur.* Hoc ex Amb. expoſitione.

Rupertus per aërem poteſtates aëreas intelligit. *Factum eſt: Idem eſt ac ſi dicat: in electis Regnum Dei adimpletum, & in reprobis ira Dei conſummata eſt: quia diabolus quoque cum Angelis ſuis in profundum inferni præcipitatus eſt, &c. Et dum effunduntur phialæ*, inquit Rupertus, *fiunt fulgura, nempe miracula; voces teſtimonia ſcripturarum: tonitrua; comminationes futurorum malorum terræ motus, motus cordium noſtrorum. Sic magnus non fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram: quia videlicet nunquam ante Chriſti aduentum factum fuerat, vt prædicatores miſſi vniuerſum commeærent mundũ.* Ciuitas magna Ruperto eſt generis humani vniuerſitas, *quæ eſt quaſi vnum atrium vnius ſortis ante aduentum Chriſti permixtum ex electis ac reprobis. Iſta ciuitas in tres partes diuiditur, iuxta illud: Nolite putare quod venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere ſed gladium. Veni enim ſeparari hominem aduerſus patrem ſuum, &c. Apud Matt. c. 10. & Lucam cap. 12.* Paulo poſt addit Rupertus: *Hic partibus factis, dum iſti conuertuntur, & fiunt Ieruſalem ciuitas Dei, illi auerſi permanent, vt erant Babylon ciuitas diaboli. Profectò ſunt inexcuſabiles, & tunc demum peccati illorum, quo fideles perſequuntur, Deus recordatur, vt videlicet ſcriptum eſt. Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum. Et Babylon magna, &c. Sententiam damnationis appellat calicem vini, addendo iræ & indignationis, ad diſtantiam boni & præclari calicis, &c. Hoc calice ciuitas diaboli æternâ ſopitur ſtultitiâ, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia ſunt apud inferos. Ec-*

A *cleſ. 9. Deus autem eius meminit: quia perſequuntur bonos, quorum fuga deſignatur in his verbis: Et omnis inſula fugit. Nam per inſulas, Eccleſias intelligit; & per montes, ſanctos eminentiores, qui quanto maiores perſecutiones paſſi ſunt, tanto magis prædicauerunt, & iram Dei de cælo ſuper omnem impœnitentiam hominum reuelauerunt. Hæc erat grando magna ſicut talentum: quo dicto ſignificat vnicuique reddi quod meretur, quaſi ad pondus, ſecundum peccati ſui modum. Et blaſphemauerunt. Et conuerterunt ſe ad blaſphemias, propter inſuperabilem conſtantiam prædicationis, & quia ratione non poterant defendi, ſæuierunt maledictis, &c.* Ita Rup.

Sanctus Thomas hæc ad vltima tempora refert. *Et*, inquit, *facta prædicatione exiuit, id eſt, exibit, in*
B *manifeſtum veniet. Vox confortatiua ab Eccleſia, & à magnis prædicatoribus per thronum deſignatis, dicens: Factum eſt: Id eſt: Conſummata ſunt omnia, & mundi finis adeſt. Et facta ſunt. Id eſt, fient, data confortatione fidelibus per maiores; fulgura, id eſt miracula, per malos blanditiæ ad peruertendos fideles, comminationes flagellorum, vel mortis; Et terrenorum impiorum commotio, qualis nunquam fuit; ad literam, tam grauis per acerbitatem & multiplicitatem perſecutionum, quia tempore Anti-Chriſti erit tribulatio imcomparabilis.* Sed & S. Thomas hæc etiam in bonum partem exponit, de miraculis bonorum, ſuauibus admonitionibus, comminationibus, terrenorum commotionis ad pœnitentiam temporibus Anti-Chriſti.

C *Et facta eſt ciuitas; id eſt, frangetur, diuidetur, & ſecundum diuerſitatem pœnarum in inferno; cum prius integra & ſolida videretur per proſperitatem vel Dominium ſuper iuſtos. Hæc autem eſt babylon, ſcilicet malorum multitudo, qui ſunt vniformes in malo, licèt non æquales: quæ ciuitas ciuium vnitas dicitur, quia in eſſerſa Dei concordes ſunt. Magna, propter ſcelerum magnitudinem. Et ſceleratorum multitudinem. Diuidetur autem pœna, & dabitur vnicuique ſecundum diuerſitatem vitiorum, Iudæis, Paganis hæreticis, ſecundum triplicem differentiam vitiorum, in ſe, in Deum, in proximum: vel cogitationis, locutionis, operationis.*

Et ciuitates gentium, ſocietates malorum conformes in malo, licèt diſpertitæ loco, cadent à mundano flore in ter-
D *ram: quas poſtea nomine Babylon deſignat: diſtrictè à Deo iudicanda venit in memoriam apud Deum, ad puniendum, dare illi calicem, id eſt, potum pœnæ menſuratæ iuxta menſuram peccatorum: iræ indignationis eius: Sufficeret dicere: iræ, aut indignationis. Vtrumque dicit, ad oſtendendam diſtrictionem diuinæ iuſtitiæ. In Deo autem non eſt animi vlla commotio, ſiue affectionis, ſiue irritationis, ſed aliquid ſecundarium, quod iræ in hominibus coniunctum eſt, ſcilicet comminatio, vel ipſa punitio. Indignatio ergo dicitur in Deo, non ratione principalis ſignati, ſed ratione alicuius adiuncti: Æquitatem autem diuinæ iuſtitiæ ſcriptura iracundiam nominat, vt quia Deum (ſicut eſt) non poſſumus agnoſcere, noſtræ loquutionis more ſeipſum nobis inſinuet.*

E *Obliuio autem propriè non cadit in Deum, ſed largè loquendo dicitur obliuiſci, quantum ad effectum: vel miſericordiæ: obliuiſcitur ſic malorum, qui prius boni fuerant: vel iuſtitiæ: ſic obliuiſcitur peccata pœnitentium, qui prius peccauerant. Hic autem dicitur Babylonis oblitus, dum pœnam non infligebat. Et omnis inſula fugit. Quaſi dicat: ita mali damnabuntur, & è contrario, omnis iuſtus vita actiua vndis tribulationum vndique percuſſus fugit in vita culpam malorum, vt vitaret pœnam; & contemplatiui, qui ſunt montes, non ſunt in pœna cum malis, quia non ſunt inuenti in culpa.*

Pœnam autem iuxta triplicem conditionem, nempe vt grauiſſimam, quia grando: vt menſuratam, quia ſicut talentum: vt irritatiuam, quia ex magnitudine pœnæ mali prouocabuntur ad blaſphemandum, deſcribit. Hæc blaſphemia poteſt intelligi mentalis, quia in mente dicent, id eſt,

Digitized by Google

cogitabant multa iniurioſa contra Deum; & licèt ſciant ſe pro merito punitos, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habeat puniendi malos. Et hoc erit blaſphemia. Plaga autem grandinis damnationem æternam ſignificat. Ita S. Thomas.

Ludouicus ab Alcazar huius plagæ ſeptimæ cenſet eſſe vindictam myſticam, quam Deus de Roma deſumpſit per publicum Chriſtianæ Religionis exercitium & profeſſionem, quæ in ea fidelibus permiſſa fuit: ex quo ſubſecuta fuit poſtea totius Romæ conuerſio. Vnde rejicit eorum ſententiam, vt Viegæ, qui hanc plagam referunt ad ſigna extremi iudicij imminentis, & exiſtimant effuſâ in aërem plagâ ſeptimâ admirandas in eo rerum impreſſiones viſum iri; Ac vocem: *Factum eſt:* de impendente fine exponunt, & ciuitatem diuiſam de Hieroſolyma exponunt. B Per cœli templum ſignificari ait illud quod Deus in Chriſtiana Eccleſia poſſidet, & in hoc templo ſuum Deus thronum fixit. Effunditur autem phiala in aërem, quia plaga ſeptima figuratur ſub vehementis tempeſtatis ſpecie: atqui tempeſtas in ipſo aëre excitatur.

Alcazar inſuper per fulgura, voces & tonitrua, Euangelicæ prædicationis efficacitatem deſignari vult, *ad quam conſecutus eſt ingens terræ motus, id eſt, inſignis terræ mutatio ex Dei cognitione proueniens, quaſi apparente Dei maieſtate tellus ipſa contremiſcat. Quamobrem vltima ex ſeptem plagis, quibus Deus de gentilitate triumphauit, fuit admirabilis diuini verbi ac prædicationis* C *vis, quibus Deus de gentilitate triumphauit, qua Imperatorum repugnantia & contradictio fuit ſuperata. Illico enim apparuit præſentiſſimum diuinæ prouidentiæ auxilium, quo id roboris ac fortitudinis diuino verbo fuit additum, vt intra paucos dies tota plenè facies mundi immutata fuit.*

Et facta eſt ciuitas magna, &c. Senſus eſt, inquit Alcazar, tantum tamque ingentem fuiſſe terræ motum, vt ciuitas Babylon in tres diuerſas vrbes fuerit diuiſa, eodemque tempore aliæ gentium ciuitates corruerint: in Babyloniæ item diuiſione apparuiſſe Deum illius iniquitatem & meritam pœnam non fuiſſe oblitum. Hoc autem de Babylone potiùs quàm de cæteris vrbibus exprimitur: non quod ipſæ etiam eiuſdem calicis hauſtum non participauerint, ſed quia ſingulariter gloriatur Deus de ſupplicio illi vrbi infligendo, D *quam textus Babylonem vocat.* Illam autem Alcazat exiſtimat eſſe non Ieroſolymam, non impiorum multitudinem, ſed Romanam ciuitatem; & viginti autores pro ſe habere affirmat, iuxta ea quæ dixit Notat. 11. proœmiali, & c. 15. initio; Eamque Ethnicam, quæ bellum peracre faciebat aduerſus Chriſtianam Eccleſiam: Hanc autem in tres partes diuiſam dici, quia ſtatim atque Conſtantini Imperatoris edicto, Chriſtianæ Religionis profeſſio recepta eſt, tres partes diſtinctæ apparuerunt, nimirum eorum qui Chriſtianam fidem propalam profeſſi ſunt, eorum qui publicè in cæcitate idololatriæ perſtiterunt, tertia pars autem quorumdam, qui cognita idolorum falſitate, & eorum adoratione reiecta, E non tamen ſe Chriſtianæ humilitati ſubdere voluerunt, ſed in ſuperbo antiquæ Philoſophiæ faſtu perſeuerarunt, ſicut ex tunc Turcis & Mauris accidere videmus.

Et ciuitates gentium ceciderunt. Non admittit Alcazat ſententiam Viegæ, qui hæc vti ſonant accipit de proprio terræ motu ſub mundi finem euentuto: per quem ciuitates toto orbe diſperſæ ſunt ruituræ, vt ipſe ſuſpicatur. *Quia,* inquit Alcazar, *hæ ſuſpiciones ſunt valde incertæ. De ruina ergo myſtica loquitur hic Apocalypſ. ſicut c. 11. cum ait: Decima pars ciuitatis cecidit: Vbi agitur de Hieroſolyma, hic de gentilium ciuitatibus, non tamen de omnibus, ſed de quibuſdam inſignioribus Romani orbis ciuitatibus, & ſingulariter de illis vrbibus quæ propter idololatriæ ſuperſtitionẽ inibi vigentẽ, & plurimorũ Ethni-* A *corum eo confluentiũ frequẽtiam nobiliores erant. Cuiuſmodi fuere Epheſus, propter Dianæ templũ; Delos propter Apollinis oraculum ruina autem cæterarum vrbium, ſicut & vrbis diuiſio, conſiderantur, tanquam pœna ipſi Babylon. Ad eius enim ſupplicium ſpectat caſus illarum vrbium, quibus ipſa dominabatur. Quamuis autem myſtica vindicta ſit, vtitur Ioannes modo loquendi, ac ſi de propria vindicta loqueretur, propter reſpectum ad cruciatuum calicem, quem ipſa Chriſti Martyribus propinabat. Dicitur autem Babylon venire in memoriam ante Deum, propter vindictam myſticam. Illius enim excellentius recordatur quem multis cumulat beneficiis.*

Et omnis inſula, &c. Vt denotet deinceps nihil fore impedimenti aut difficultatis Euangelicæ prædicationi, mirificè figuratur mare ipſum omni inſularum, Rupium ac Montium obſtaculo liberum & expeditum; vt Petri Nauis, nempe Eccleſia, per gentilitatis mare liberè poſſet excurrere. Tellus porro abſque montibus plana & æquabilis conſideratur, vt Euangelij prædicatores nullis montium molibus obiectis faciliùs ac celeriùs ad doctrinæ Euangelicæ promulgationem ferantur, quin etiam ſignificatur perſecutiones Eccleſiæ, quæ eam (tanquam in mare inſulas) verberabant, ſublatum iri.

Et grando magna ſicut talentum non ſumi debet pro quodam numi genere, quod vnciam vnam: aut ea minus ponderet; aut talento exigui ponderis. Textus enim cogit vt pondus eiuſmodi ſit admodum ingens; & ſignificationis elegantia exigit vt iuſtam omnino talenti ponderis menſuram æquiparet, præſertim quia alluſio ſit ad plumbi talentum, Zachariæ 5. Loquitur igitur Ioannes de talento antiquo Hebraico, quod eſt duplum reſpectu attici talenti, quod conſtabat atticarum minarum ſexaginta, id eſt ex Romanis libris ſexaginta ducti, quæ conficiunt omnino vncias 750. & paulominus quam duas arrobas ponderabiles continent, ex iis quæ apud Hiſpanos in vſu ſunt. Vox autem græca ſonat idem quod iuſtum pondus. Hoc autem talentum ſymbolum eſt grauiſſimæ obſtinationis. Etenim fidei non ſe ſubmittere, ante tot miraculorum & admirabilis doctrinæ euidentiam, non adeo grauis erat culpa. At poſt tantam lucis perſpicuitatem cæcos adhuc & tenebris demerſos voluiſſe iacere, atque in Chriſtum adhuc blaſphemare, id ſane duriſſimam præ ſe ferebat obſtinationem. Porro licèt in plagis c. 16. non alius finis fuerit ſpectatus, quàm [illegible] *diuinæ prouidentiæ conſilium, in Eccleſiæ victoria de* [illegible] *no parta, ob oculos poneretur verùm Rebellium obſtinatio diuinæ etiam intentioni in ea victoria deſeruiuit. Quanto enim maior fuit gentilium aliquot pertinacia, tanto fuit diuinæ virtutis illuſtrior demonſtratio in clariſſima illa victoria, quam Eccleſia de Roma, deque eius imperio fuit adepta. Grauiſſimum denique eſſe hoc obdurationis ſupplicium ac iuſtiſſimum ſignificat grando magna ſicut talentum.* Hæc fuſius Alcazar.

Cæterum has expoſitiones adducimus, vt ex eis multa, quæ à nobis adducuntur, probabilitatem obtineant: tum etiam quia cum vel non plenè ſatisfaciant, vel quandam præ ſe ferant à ſymbolis diſproportionem, videat faciliùs Lector an noſtra aliquid habeat quod ſymbolis congruentiùs adaptari poſſit, & ſeriei totius Apocalypſis, quam adduximus, optimè connectatur. Nec enim Alcazaris ſeriem admittimus, quia à capite quarto vſque ad vndecimum agi vult de repudiatione ſynagogæ, & à duodecimo vſque ad vigeſimum de Romæ Ethnicæ conuerſione ad fidem. Multa enim cogitur myſtico ſenſu & violento ad ſuam interpretationem accommodare, quæ commodiùs poſſunt ad alium myſticum adaptari, vel etiam ad literam intelligi, iuxta aliorum autorum expoſitiones.

Digitized by Google

Expoſitio ſymboli fuſior, iuxta noſtram de pœna anathematis ſupra allatum expoſitionem.

ANNOTAT. XLV.

MVLTA in anathemate ſeu excommunicatione conſiderari poſſunt. Primò: Poteſtas requiſita, ad illam ferendam. Secundo, ſubiectum excommunicationis capax. 3. Motiuum quo induci debent Paſtores, vt aliquem hoc ſupplicio afficiant. Quartò: Cuius criminis rei eſſe debent, quibus talis pœna infligitur. Quintò: Quænam debeant præcedere excommunicationis ſententiam, vt iuſta ſit ſententia quæ profertur, eiuſque promulgatio. Et tandem ea, quæ plærumque ſequuntur eiuſmodi ſententiæ pronuntiationem & promulgationem. Ea autem omnia dicimus in hoc ſymbolo ſignificari.

Et ſeptimus Angelus effudit phialam, &c. Et exiuit vox de Templo à throno.

Symbolum poteſtatis anathematizandi eſt phialæ effuſio. §. 1.

Quamuis non ſit abſolutè neceſſarium in hoc loco ad plenum differere de eo qui poteſt excommunicare, tamen ad maiorem elucidationem aliquid dicendum de eo apud quem eſt talis poteſtas, à qua arceantur mulieres. *De Maioritate, & obedient. Cap dilecti; & de pœnitentiis & remiſſionibus.*

Nec enim Beatæ Mariæ vnquam claues conceſſæ ſed ſolis Apoſtolis & eorum ſucceſſioribus, ad quos hæ claues deuoluuntur. *Nec vnquam*, inquit, Sotus, *delegata fuit illis excommunicandi poteſtas, ſed nec decere vt illis committatur.* Eſt tamen hæc indecentia iuris [poſit]iui: nam excommunicatio præciſe ſumpta non eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis. Vnde ſummus Pontifex iuri poſitiuo non adſtrictus poſſet, vt docent Caſuiſtæ, Mulieribus hanc delegare poteſtatem. Idem dicendum de laicis. Hæc enim poteſtas ſpiritalis eſt, & ad claudendum vel aperiendum cælum ſpectat: quo non extenditur Laïcorum facultas. Summus tamen Pontifex prærogatiuam iuriſdictionis excommunicandi poteſt Laicis concedere. Epiſcoporum igitur eſt, & eorum qui habent iuriſdictionem in foro externo, & contentioſo, vel ex iure, vel conſuetudine ſaltem præſcripta, poſſe excommunicare; & maximè ſummi Pontificis pro tota Eccleſia; quamuis etiam velint Epiſcopos adeo abſolutè poſſe excommunicare, vt habeant facultatem præcipiendi ſingulis & vniuerſis Chriſtianis etiam extra diœceſim exiſtentibus, vt excommunicati à ſe conſortium fugiant, ne videlicet ab eo peruertantur: quod quidem cedit in fauorem Chriſtianorum. Ad hoc probandum poteſt adduci quod Syneſius ait de excommunicatione cuiuſdam Andronici à ſe excommunicati. Nam cum primo anno ſui Epiſcopatus ſynodum conuocaſſet Ptolemaïden in Prouincia Pentapolis Ægypti, (cuius erat Epiſcopus (contra Andronicum Prouinciæ præfectum, ipſum à conſortio, fidelium abſcindit. Deinde addit: *Quod ſi quis contemnat Eccleſiam Ptolemaidem, & eos ab illa excommunicatos ſuſcipiat, quaſi neceſſarium non ſit obedire Eccleſiæ pauperculæ, ſciat quiſquis ille ſit ſe diuidere Eccleſiam, quam Chriſtus voluit vnam eſſe & indiuiſam. Vnde ſi quis hoc faciat, ſiue Leuites, ſiue Sacerdos, ſiue Epiſcopus,* ait Syneſius, *à nobis reputabitur Andronici criminis conſcius, & in eius ordine redigetur; nec ei dextram dabimus, nec in eadem menſa cum eo cibum capiemus: nec participes erimus in abſcondito communionis*

A *myſterio cum eis, qui cum Andronico & Tonante communicauerit.* Hæc autem poteſtas ad parochos minimè extenditur, quia iuriſdictionem non habent ex iure. Vnde in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. c. 3. *De reformatione*, decernitur vt ſoli Epiſcopi poſſint ferre excommunicationis ſententiam, ad eorum reuelationem quæ furto ſublata ſunt. Hæc ſufficiunt de eo qui habet poteſtatem ferendi hanc ſententiam. At nonne hoc optimè repræſentatur in noſtro ſymbolo. *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem. Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt.* In ſcriptura enim nihil frequentius reperies, ad ſignificandam iram Dei, quàm ſymbolum cuiuſdam phialæ aut Calicis. Pſ. 10. *Spiritus procella-* B *rum pars calicis eorum.* Pſal. 7. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus miſto. Fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Iſaiæ c. 51. *De manu Domini calicem iræ eius.* Optimè igitur effectus iræ eius per effuſionem huiuſmodi calicis deſignabitur. Quod ex loco Ieremiæ c. 25. poteſt ſatis ſuperque probari: *Quia ſic dicit Dominus exercituum: Sume calicem vini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas me miſit Dominus, Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda, & Regibus eius, & Principibus eius; vt darem eos in ſolitudinem & in ſtuporem, & in ſibilum,* C *& in maledictionem, ſicut eſt dies iſta.* Ita Hieremias. Accepit igitur ſeptimus Angelus phialam à Domino, ſeu calicem, cum accepit hāc poteſtatem. Propinat illam bibendam peccatoribus, cum illam effundit; ex qua propinatione & effuſione ſubſequuntur ea, quæ Ieremias ait, quia dantur in ſolitudinem ab Eccleſia præciſi. Sunt in ſtuporem Angelis, in ſibilum iuſtis, in maledictionem æternæ dānationis. Quin & Ieremiæ c. 10. dicitur: *Effunde indignationem tuam ſuper gentes, quæ te non nouerunt, &c.* Effuſio igitur phialæ, optimum eſt ſymbolū vindictæ. At vt ſciamus hanc poteſtatem non eſſe humanam, ſed diuinam, non eſſe autoritatis Regiæ Principum terræ, ſtatim Propheta ait: *Et exiuit, vox de templo, de throno*; quia D de Eccleſia, non autem de foro ſeculari: à throno, quia non cuicumque (qui membrum eſt Eccleſiæ, & eſt pars templi) permittitur aut conceditur hac vti facultate, ſed iis tantum, qui ſedent in throno, id eſt, qui præſunt, & regunt Eccleſiam. Quod quidem nihil aptius dici poteſt ad deſignandam poteſtatem hanc eſſe tantùm ſummorum Pontificum, Epiſcoporum, quos poſuit Deus regere Eccleſiam & Dei.

Effudit phialam ſuam in aëra.

Quis poteſt excommunicari, & quo motiuo debet impelli qui poteſt excommunicare, nempe odio & abominatio- E *ne peccati, & ſpe emendationis peccatorum.* §. 2.

Cum is ſolus duntaxat excommunicari poſſit, qui eſt aptus ad bona ſuſcipienda, quibus priuat excommunicatio; cumque excommunicatio ſit actus iuriſdictionis, qui exerceri non poteſt niſi in ſubditum, certum eſt nullum eſſe capacem excommunicationis paſſiuè, niſi hominem fidelem & baptizatum, quia homo tantùm fidelis ſolus eſt particeps ſuffragiorum Eccleſiæ. Hinc animalia ratione expertia, aut creaturæ ſenſus expertes non poſſunt excōmunicari, quamuis poſſint coniuratione aliqua, vel precibus & ſuffragiis ab Eccleſia prolatis arceri ne hominibus aut agris noceant. Hinc Angeli, ſiue boni, ſiue mali non poſſunt excomunicari, quia non ſunt capaces ſacramentorum, aliorumque bo-

Digitized by Google

norum, quibus excommunicatos priuat Eccleſia: ſuntque non ſubditi, ſed hominibus ſuperiores. Nec obſtat dictum Apoſtoli ad Galat. 1. Si Angelus de cælo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizatum eſt, ſit anathema. Nam ibi anathema ſumi debet pro maledicto, imprecatione, aut deteſtatione; vel loquitur Apoſtolus ex hypotheſi, ſi per impoſſibile Angelus peccaret, excommunicaretur: quia impoſſibili dato, non eſt alienum à ratione aliud ſequi impoſſibile. Hinc Turcæ & infideles non poſſunt excommunicari, imo neque etiam Catechumeni, quia non ſunt baptizati. Baptiſmus enim eſt ianua aliorum Sacramentorum, quorum non ſunt capaces qui baptiſmum nondum ſuſceperunt. Denique mortui excommunicari non poſſunt. Poteſtas enim Eccleſiaſticæ iuriſdictionis in viuentes tantùm conceditur & in eos tantum (quantum ad excommunicationem,) qui contumaces, & rebelles ſunt, id eſt, in eos qui ſemel atque iterum moniti non reſipiſcunt, quales non ſunt mortui, qui non poſſunt moneri: Idcirco non poſſunt dici contumaces. Quod ſi aliquando dicatur quoſdam hæreticos fuiſſe poſt mortem excommunicatos, hoc non fuit excommunicatio, ſed tantùm declaratio eos tales fuiſſe, & in hæreſi obſtinato animo ex hac vita exceſſiſſe. Vel hæ ceremoniæ adhibitæ fuerunt ab Eccleſia, non vt animæ ligentur, ſed tantùm vt bona excommunicatorum in fiſcum deferantur; vel vt ſi filij eorum Religionem ingrediantur, beneficium obtinere non poſſint vſque ad ſecundam generationem, ſine diſpenſatione; & tandem vt ſi quis agnoſcatur poſt mortem in vita fuiſſe hæreticum, ſepulturâ Eccleſiaſticâ priuetur, & Eccleſiæ ſuffragiis. Sic decreto Concilij Conſtant. oſſa Vuiclef quatuor poſt mortem annis fuerunt exhumata, & publicè Oxoniæ in Anglia combuſta.

His poſitis, Dico ſymbolum idoneum à S. Ioanne exprimi, ad ſignificandam hominem viuum, Baptizatum & contumacem, dum ait effuſam fuiſſe phialam in aërem, & poſt fulgura, voces, tonitrua, non pluuiam deſcendiſſe de cælo & aëre, ſed grandinem magnam, ſicut talentũ, deſcendiſſe in homines.

Nam cum ſupra dixerimus terram, mare, flumina, & fontes, ſolem, ſedem beſtiæ, fluuium Euphratem, aërem homines ſignificare, videlicet ſub diuerſis rationibus conſideratos, nunc poſteaquam eos perſpeximus vt fragiles & ſtupidos peccato originali ſubmerſos, prauis inclinationibus ad malum propenſos, cognitionis Dei tamen capaces, finemque vltimum ſibi præſcribere valentes, tanquam etiam legibus diuinis ſeruandis adſtrictos, reſtat vt eos etiam conſideremus tanquam qui ad vltimum vitæ ſuæ halitum ſunt voluntatis deambulatoriæ itaut licet ſibi aliquem finem præſcripſerint, tamen valeant flecti in contrarium, & alium ſibi præſtituere finem: quo fit, vt eorum, qui videntur determinati ad perpetranda quædam ſcelera, non ſit deſperanda ſalus, dum adhuc viuunt: poſſunt enim à tali determinatione recedere, & ad bonum conuerti: vnde ſperari poteſt minis ſeu comminationibus, pœnis ac ſuppliciis poſſe ita terreri, vt à contumacia ſua ſeſe retrahant. *Vexatio enim plerumque dat intellectum auditui.* vt loquitur Iſaias. Vnde Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. 5. dicebat: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui vt præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere: huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* In interitum carnis, id eſt, vt moriatur in eo, & extinguatur ille immoderatus carnis appetitus, quo impulſus tam enormem commiſit forni-

A cationem, vt vxorem patris ſui ducere auſus fuerit. Sperandum enim erat, quod reuera factum fuit, quod audiens ſe traditum fuiſſe Satanæ ab Eccleſia, ſtatim ab hac inceſtuoſa coniunctione abſtineret, vt per pœnitentiam facti, & carnis ſuæ mortificationem, ſpiritus ſaluus fieret in die iudicij. Ita Auguſtinus lib. 3. contra Parmenianum c. 1. *Quid ergo agebat Apoſtolus, niſi vt per interitum carnis ſaluti ſpiritali conſuleret, vt ſiue aliqua pœna, vel morte corporali, ſicut Ananias, & vxor eius ante pedes Apoſtoli Petri ceciderunt; ſiue per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam.* Ita Aug. Quam vltimam eius ſententiam amplector. Vel aliter, ſi volueris primam eligere,
B dicendum ex Claudio Guillaudio in Epiſtol. Pauli, *Vt Satanas ſcilicet hunc morbo maceret: Nam cum ex corpore, ait Theophilactus, luxuriæ concupiſcentia defluat, debet hoc ſanè ſuppliciis affici, vt ſaluus ſit ſpiritus, hoc eſt, vt anima ipſa ſaluetur, aut vt gratia Dei illi integra ſeruetur. Præſcribit hic Paulus diabolo terminos, quales illi & Deus in Iob præfiniuit, vt corpus duntaxat animâ inoffenſâ contingeret. Agnoſce ex hoc loco quod in primitiua Eccleſia poteſtas erat ſanctis hominibus in peccatorum animaduerſionem dæmonia in rebelles immittendi, ſicut & expellendi, quæ corporaliter eos in pœnam contumaciæ afficerent. Qui excommunicatur, & è conſortio Eccleſiæ expellitur, cum non ſit Ieſu Chriſti traditur Satanæ, vt accipiendi illum corporaliter habeat poteſtatem, quoad du..us fuerit pœnitentia.* Ita Guillaud. *Tradere Satanæ*, inquit
C Primaſius, *vt habeat poteſtatem accipiendi illum, vt vel ſic conuertatur: dum viderit ſe nec hic carnis, nec in futuro ſpiritus requiem habiturum. Cauendum qui excommunicatur, Satanæ traditur.* Ita Primaſ. Quidquid ſit, certum eſt nullum eſſe adeo contumacem, qui non poſſit (ſi voluerit) ad Deum conuerti, antequam, in manifeſtam mentis excæcationem, & voluntatis obdurationem, & finalem impœnitentiam incidat.

At hæc flexibilitas voluntatis poteſt optimè per aërem deſignari, qui huc ac illuc agitatur, qui facilè penetratur, qui varias poteſt ſuſcipere impreſſiones frigoris ac caloris. Cum igitur ſeptimus Angelus dicitur effundere phialam ſuam in aërem, idem
D eſt ac ſi diceret effudiſſe illam in homines, qui (quia liberi ſunt) poſſunt impreſſionem amoris diuini ſuſcipere, qui prius frigore peccati erant rigidi & contumaces. Qui verſus ſeptemtrionem currebant ad malum poſſe ad meridiem iuſtitiæ eminentioris propelli; qui ad occidentem mortis æternæ propulſabantur, ad orientem gratiæ, qua ſalus æterna ſperatur, poſſe conuerti. Sunt enim liberi: vt vel iuſtitiam & pietatem colant, vel in peccatis perſeuerent. Rectè enim ait S. Chryſoſt. in 1. ad Corinth. c. 4. homil. 14. *Et enim & hoc & illud ſitum eſt in noſtra poteſtate, nempe vt & demur præcipites in gehennam, & vt regnum cælorum aſſequamur quoniam ſic Deus voluit. Ecce*, inquit, *ignis & aqua:*
E *ad quod voles extendes manum tuam. Et: Si volueritis, & me audieritis, bona terræ comedetis. At, dicet fortaſſe quiſpiam volo; & nemo eſt tam ſtultus, qui ſe dicat nolle. Sed non ſufficit mihi velle: atqui ſufficit ſi velis vt oportet, & facias ea quæ ſunt volentis. Nunc autem non vis admodum.* Ita Chry.

Qui vult vxorem, vt ipſe ait ibidem, *quærit pronubas, rogat amicos. Cogit pecunias qui mercari vult, non domi ſedet, nauem conducit, & remiges eligit, pecuniam dat fænori, de pretiis rerum inquirit. Quomodo ergo, non eſt abſurdum ad res quidem terrenas tantam curam oſtendere & ſtudium, cælum autem mercaturos ſatis habere quod ſolùm velimus? Imo verò, ne id quidem oſtendunt, cum eo quo par eſt ſtudio. Qui enim vult vt oportet, res quoque iungit quæ ducunt ad id quod vult. Nam quoniam eſurire, neceſſitatem affert, vt alaris non expectat*

vt cibi

Digitized by Google

vt tibi ſua ſponte veniant, ſed omnia facis vt cogas alimentum; & in ſiti, & in algore, & in aliis omnibus ſimiliter operaris, eſque inſtructus & paratus ad curam gerendam corporis: hoc fac, etiam in regno, & id omnino conſequeris. Propterea enim te fecit Deus libero arbitrio præditum, ne poſtea Deum accuſes, vt qui ſis alligatus neceſſitate. Ita Chry.

Hac ſpe erecti & impulſi Paſtores Eccleſiæ, quibus hæc excommunicandi poteſtas competit, tanquam principali motiuo gladium iſtum exerunt in peccatores, quia ſperant ipſos ad meliorem frugem reduci poſſe. Optimè enim Auguſt. l. 3. in Parmenianum c. 1. *Ideo dilectione ſeruata, non ſine ſpe correctionis vindicandum eſt quidquid corrigi, vel vindicari neceſſaria ſeueritas poſtulat.* Ita Aug. Vel ſaltem vt alij à contagione ſceleratorum immunes ſint per ſeparationem. Hoc motiuum priori addit Anacletus, ep. 3. 24. q. 3. c. *Tam ſacerdotes,* inquit, *quàm reliqui fideles omnes ſummam curam habere debent de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut ſi incorrigibiles appareant, ab Eccleſia ſeparentur.* Et S. Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia c. 14. *Sequeſtrari oportet grauiter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.* Quam rationem tangit etiam Syneſius in Andronicum, ipſum fore proſcindendum ab Eccleſia, tanquam membrum incurabili morbo ac vulnere ſauciatum, ne ſuo quod ſanum eſt & integrum, corrumperet conſortio. *Qui enim tetigerit picem, coinquinabitur ab ea.* Pari ratione, qui malum hominem attrectauerit, ſordes faciliſſimè contrahit. At puros eſſe oportet mente & corpore in conſpectu Dei. Hoc autem motiuum etiam in aëre poteſt adumbrari. Nihil enim adeo facilè poteſt aliquo malo vel optimo odore infici, ſicut aër facilè quamlibet bonam vel malam admittit in ſe qualitatem. Ne igitur bonus aër voluntatis fidelium corrumpatur ex prauo odore malorum, ipſi mali ſunt à bonis longiùs ſegregandi.

Quantum autem ad crimen, propter quod ferri debet excommunicatio, debet eſſe peccatum mortale: quia vt excommunicatio cenſura eſt, & pœna grauiſſima, ita non niſi ob graue aliquod peccatum & mortale ferri poteſt. Quod tamen non eſt ita intelligendum, vt id propter quod incurritur excommunicatio ſit ſuapte natura peccatum mortale, ſed vel ſit ſuapte natura tale, vel etiam ex prohibitione Eccleſiæ. Vnde quando in Canone aliquid prohibetur ſub pœna excommunicationis, cenſetur peccatum mortale hoc ſolo nomine, quod prohibeatur ſub tali pœna, licet ſuapte natura non eſſet peccatum mortale, niſi acceſſiſſet prohibitio Eccleſiæ; vt quando ſacerdotibus prohibetur ne tribus menſibus dent operam Medicinæ, ſub pœna excommunicationis, non eſt dubium ipſis ſacerdotibus eſſe peccatum mortale medicinæ incumbere tribus illis menſibus. Idem iudicium eſt de aliis omnibus canonibus, qui excommunicationis pœnam habent annexam.

Quando verò fertur ob crimen aliquod, tum qui peccatum mortale non admiſit, non poteſt incurrere excommunicationem. V. g. ſi excommunicatio feratur contra fures, qui leue furtum admittit non incurrit excommunicationem; vel ſi excommunicatio feratur contra debitorem, ſi hic non eſt ſoluendo non incurrit excommunicationem: Et ſic de ſimilibus. At non tantùm requiritur peccatum mortale, vt feratur excommunicatio, ſed etiam neceſſe eſt vt peccator ſit contumax, & Eccleſiæ morem gerere nolit aut iudici. Quod cõtigit quando vocatus nõ vult intereſſe tribunali iudicis, vel eiuſdẽ ſententiæ non vult obtẽperare. Ita habetur Matt. 18. *Si non audierit, ſit tibi tanquã Ethnicus & publicanus.* Vbi ſatis de-

A monſtratur neminem ſubiacere excommunicationi, niſi poſt peccatum mortale ſit contumax & obſtinato animo. Vnde apparet ob ſola peccata præterita neminem poſſe excommunicari, cum in illis nihil reſideat contumaciæ. Itaque excommunicationes omnes, quæ feruntur ob peccata præterita; ſemper aliquid futuri includunt: quod quidem niſi fiat, excommunicatio non videtur legitima: vt quando excommunicantur omnes qui ſciunt furtum, & non reuelant; illa excommunicatio non fit ob furtum præteritum, aliàs eſſet iniuſta; ſed tantùm in eos torquetur, qui cum ſint furti conſcij, illud ipſum nolunt reuelare: vbi ſemper eſt aliquid futuri & contumaciæ, vt dicatur excommunicatio valida. Quæ tamen intellidenda ſunt non de quauis
B excommunicatione, ſed de ea tantùm quæ fit ab homine: quando quidem in excommunicatione à iure non habetur vlla ratio contumaciæ aut futuri temporis, ſed ipſo facto incurritur. Et de crimine excommunicatione digno, hæc dicta ſufficiant. Nunc qua ratione tam graue ſupplicium, pro tam graui culpa, poſſit adumbrari in noſtro ſymbolo, enucleandum.

Propheta Regius Dei cultores ad celebrandum laudes eius inuitans, multa congerit & accumulat, tum mirabilia, tum beneficia, propter quæ Deus & ſuſpiciendus cum omni reuerentia, & benedicendus eſt pro ſumma eius erga nos beneuolentia. Lau-
C dandus ſcilicet quia bonus, quia ſuauis, quia nos elegit; ſed præcipuè quia magnus virtute & maieſtate præ omnibus Diis. Quod probat Regius Propheta, primò ab effectibus naturalibus ordinariis & extraordinariis. *Laudate*, inquit Pſalm. 134. *Dominum quia bonus Dominus: Pſallite nomini eius, quoniam ſuaue eſt; quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſraël in poſſeſſionem ſibi; quia ego cognoui quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus Diis. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit.* Creat nubes, fulgura, tonitrua, pluuiam, quæ perſpicua ſunt ſuæ omnipotentiæ ſigna, dum cauſæ eorum latent; ſed inter alia
D illius omnipotentiæ ſignum eſt quod *fulgura in pluuiam fecit.* Id eſt: in ſignum proximum pluuiæ, itaut ſtatim atque apparent fulgura per aërem diſcurrentia, ſperanda ſit terræ pluuiæ fœcunditas. Magnum certè miraculum, vel quod è nubibus (quæ aqueæ ſunt) exiliant flammæ; nec fulgura & coruſcationes (quæ igneæ ſunt ſubſtantiæ) à pluuiarum vel nubium aquis extinguantur; vel quod fulgura Deus mutat in pluuiam, qui fulgurum materiam vapoream tranſire facit in imbres; qui eam in pluuiam reſoluit & deſinere facit. Nam in fulguribus mixtus eſt cum flamma & exhalatione ignea vapor, & pluuiis præmitti ſolet fulgurum terror, vt poſtea ſequatur pluuiæ fœcunditas. Ita Genebrard. in hunc
E Pſalm. 134. Cum itaque in noſtro ſymbolo videas fulgura, audias voces & tonitrua fieri in aëre ad effuſionem phialæ, expectanda eſſet (iuxta communem rerum naturalium ordinem) pluuiæ fœcunditas. Fulgura enim Deus terræ propitius in pluuiam facit. At hîc è contra: nam loco pluuiæ grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo. Quid hoc, quæſo, deſignat? Diximus ſupra, ab Alcazar, grandinem ſymbolum eſſe obſtinationis & obdurationis. Et optimè: nam ſicut in aëre grando generatur, cum virtute ſolis & aſtrorum vapor eleuatur; ſi calidior fuerit, mediam regionem aëris aſcendit, quem circumſtans frigus propter ſui raritatem penetrat, & calore expulſo partes eius in aquam vertere & inſpiſſare incipit. Frigus autem, quoniam magnum eſt, partes iam in guttas verſas & fluentes congelat, &

Digitized by Google

grandinem magnam vel paruam ſecundum frigoris & vaporis diuerſitatem generat. Solem diximus ſupra, mentis eſſe ſymbolum. Sed heu! quàm malè impij mentis ſuæ lumen impendunt, dum voluntati peruerſæ mens obſequitur: ſemper noua quærit peccandi motiua, *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Quam malitiam à ſe amoueri cupiebat Propheta Regius, Deum obnixè rogans, Pſalm. 140. *Non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Quid facit igitur ille ſol, illa mens vitiata? Attrahit vapores: quærit excuſationes, quibus ſua peccata defendat. Eas vſque ad aëris regionem eleuat, dum voluntariè amplectitur quod terrenus affectus & peruerſa carnis ad malum pronitas & inclinatio ſuggerit & ſuppeditat ad excuſanda peccata: ſynderesi reclamante poſſent hi vapores reſolui in pluuias, anima gemente quòd ſe videat tot illicitis cogitationibus obſeſſa: & terrenus iſte calor appetitus carnalis poſſet extenuari & exinaniri. Sed quia frigore nimio voluntas occupatur ſpoliata charitate, ideo omnes illę cogitationes in obſtinatas & obduratas mentis determinationes generātur: quæ per grandinē ritè deſignantur; quæ inferius deſcendunt, dum in actus peſſimos deſinunt. De cælo, inquam, deſcendūt: quia quot actibus à Deo auertuntur, tot vicibus à Dei gratia & ſpe ſalutis æternæ decedunt. Hinc tot antiſque peccatis homines obruuntur, vt plaga, ſit illis quod antea videbatur eſſe in delitiis: Laſſantur in via iniquitatis: & ambulant vias difficiles, viam Domini ignorantes: quia lumen iuſtitiæ non ſuſceperunt, nec ſol intelligentiæ ortus eſt eis, vt ipſi fatentur, Sapient. quintò. Certè debuiſſent conuerti, & reſolui in lacrymas pœnitentiæ, dum per Prælatorum diligentem inquiſitionem peccata eorum tanquam fulgura emicuerunt; dum diuerſas audierunt admonitiones & comminationes, quod niſi reſipiſcant, peccata eorum diſtricta ſeueritate punientur; dum in eos ſententia anathematis tanquam tonitru quoddam terribile audita fuit reſonans in vniuerſa Eccleſia, vtilius ſibi eſſe exiſtimantes quod correpti fuerint à iuſtis Paſtoribus, quàm laudari à peccatoribus in deſideriis animæ ſuæ, & à ſceleratis vnguento quantumuis pretioſo ac ſuaui blanditiarum deliniri, iuxta illud: *Corripiet me. Feriet me propriè, vel feriat me*, inquit Genebrard. *iuſtus in miſericordia: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Vnguentum veneni, id eſt, peccatoris*, inquit Genebrard. *ne frangat, ne lædat, ne obtundat caput meum.*

At loco pluuiarum, quibus terra noſtra irrigata poſſet bonis operibus fæcundari, ecce grando magna ſicut talentum generatur, id eſt, mens fit obſtinatior & contumacior, vt ingentia crimina accumulet, quorum pondere opprimatur. Quæ cum vera ſint, optimè excommunicationis materia, nempe peccatum mortale cum contumacia in noſtro ſymbolo adumbratur. Nullum enim alium effectum obtinuit vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ non ciuili aut politica poteſtate, ſed Eccleſiaſtica, & à Deo Eccleſiæ collata in Epiſcopis & ſummis Pontificibus, vt pote autoritate ipſis data; eorumque miniſterio, Eccleſiæ cenſeretur conceſſa. De templo à throno exit vox magna ſententiæ excommunicationis in eos qui talia agunt: fiant inquiſitiones, monitiones & fulminationes interim, vt iuſtè feratur. Nullum, tanquam, alium effectum in reprobis obtinuit, quam omnimodam contradictionem piis Eccleſiæ conatibus, manifeſtamque eorum oppugnationem, à Deo iuſtè derelicti peccata & crimina ingentia identidem committere non ceſſant, & propter multitudinem peccatorum, Deum blaſphemare inceſſanter audent.

Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua.

Quænam requirantur vt ſententia excommunicationis iuſtè feratur? §. 3.

Et facta ſunt fulgura. Id eſt: Reddita ſunt crimina peccatorum notoria & manifeſta. Etenim hoc requiritur, vt cauſa propter quam fertur excommunicatio ſit certa & manifeſta, ex Concilio Meldenſi 11. q. 3. c. nemo Epiſcoporum. *Nemo*, inquit, *Epiſcoporum quemlibet ſine certa, & manifeſta peccati cauſa communione priuet Eccleſiaſtica; ſub anathemate autem, ſine conſcientia Archiepiſcopi aut Coëpiſcoporum nullum præſumat ponere* (aliàs: *Anathema autem ſine conſenſu Archiepiſcopi aut Epiſcoporum, Prælatâ etiam Euangelicâ admonitione nulli imponat*) *niſi vnde Canonica docet autoritas; quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Et S. Gregorius lib. 8. Epiſt. 30. Conſtantio Mediolan. Epiſcop. *Graue ſatis eſt & indecens, vt in re dubiâ certa detur ſententia.* Ita Greg. Quamuis vera ſunt quædam, non tamen iudici ſunt credenda, niſi certis indiciis demonſtrentur, quia & decreuit Eleutherius 2. c. nihil q. 1. Quod *nihil abſque legitimo & idoneo accuſatore fiat. Nam & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Iudam furem eſſe ſciebat: ſed quia non eſt accuſatus, ideo non eſt eiectus.* Ita Eleuther. Et 11. q. 3. c. *Summopere*, dicitur: *ſummopere præcauere debent rectores Eccleſiarum, & qui publica iudicia exercent, vt in dictandis ſententiis nullatenus lenitate, aut furore ducti ſint præcipites; ſed cauſis priùs diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur pleniter ad notitiam venerit, tunc diuina, & humana lex reſoluatur; & tunc ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remotâ perſonarum acceptione definitiua proferatur ſententia.* Ita Ibidem. *Quid ergo voluit Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, inquit S. Auguſtinus tract. 50. in Ioann. *Fratres mei, admonere Eccleſiam ſuam, quando vnum perditum inter duodecim haberi voluit, niſi vt malos toleremus, ne corpus Chriſti diuidamus? Ecce inter ſanctos eſt Iudas. Ecce fur eſt Iudas; & (ne contemnas) fur ſacrilegus, non qualiſcumque fur; fur loculorum, ſed dominicorum; loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcumque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de republica) & non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ; quanto vehemētiùs iudicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non vnde cumque tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur, Iudæ perdito comparatur. Talis erat iſte Iudas. Et tamen cū ſanctis diſcipulis vndecim. Intrabat & exibat: ad ipſam dominicam cœnam pariter acceſſit: conuerſari cū eis potuit: eos inquinare nō potuit. De vno pane & Petrus & Iudas accepit; & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit vitam, Iudas ad mortem.* Et poſt pauca, hæc verba Domini ad Iudam ponderans: *Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*; ait: *Videte, fratres: non illi ait: Propter furta tua dicis iſta. Furem nouerat, & prodere nolebat, ſed potius tolerabat, & ad perferendos malos in nobis exemplum patientiæ demonſtrabat.* Ita Auguſt. Hæc igitur criminis notitia & manifeſtatio requiritur, antequam quis ob crimen ab Eccleſia rejiciatur. Sed requiritur etiam vt voces audiantur, id eſt monitiones, quæ præcedere debent fulminationem 12. q. 2. c. *indignè. Debet tamen eſſe prouiſio, vt vindictam admonitio præcedat.* Et §. *Quando autem* 2. q. 1. Dicitur: *Aliquando euidentia ipſa operis reum eſſe teſtatur, quando opere publico crimen ſuum confitetur. Tunc poſt ſecundam & tertiam correctionem ſine examinatione damnandus eſt, ſi incorrigibilis extiterit.* Ita Ibid.

Hoc ſatis indicatur in hoc ſymbolo, cum ad ful-

Digitized by Google

gura voces adduntur. *Et facta ſunt fulgura & voces.* Vnde inter regulas ſeruandas de ſententia excommunicationis non modò requiritur ex c. *Cum Medicinalis, in 6.* vt excommunicatio feratur in ſcripto, & etiã in ſcripto cauſa excõmunicationis cõtineatur, & vt intra menſẽ detur exemplar excommunicationis ei qui eſt excommunicatus, ſi fortè illud requiratur; & ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, præcipitur vt detur in ſcriptis; quamuis ſi hæc deſit conditio non reddatur inualida; Sed prætereà ex cap. *Sacro, de ſententia excommunicationis,* *trina* requiritur admonitio; vel ſi neceſſitas aliud exigit, ſaltem vna, quando excommunicatio eſt ab homine nam ſi nulla præceſſit admonitio, excommunicatio eſt nullius momenti; ſi non præceſſit trina admonitio, excommunicatio quidem valet, ſed qui excommunicat ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem. Hæc de monitionibus ſatis, quæ optimè per voces deſignantur in noſtro ſymbolo.

Admonitionibus factis, quid reſtat, niſi vt feratur ſententia excommunicationis? Quæ cum ſit vindicta quædam & pœna, *Qua*, vt ait Auguſt. lib. de corrept. & grat. c. 15. *in Eccleſia nulla maior eſt*, rectè per tonitru hîc deſignatur. Vnde ex S. Gregorio 11. q. 3. c. 1. *Sententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, timenda eſt.* Et rectè Auguſt. tract. 27. In Ioannem: *Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti non eſt membrum eius; ſi non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, &c.* Hæc autem ſententia non exprimitur per tonitru in ſingulari, ſed per tonitrua, quia multa in ea includuntur valde pertimeſcenda, non ſolùm complexa, ſed ſolitariè etiam ſumpta: v. g. arceri à participatione Sacramentorum, priuari Eccleſiæ ſuffragiis, priuari Eccleſiaſticâ ſepulturâ; ſed præcipuè comminatio damnationis æternæ proculdubio incurrenda ab eo, qui iuſtâ ſententiâ excommunicationis damnatur, niſi ante mortem reſipuerit, & ad Eccleſiæ redierit vnitatem.

Denique promulganda eſt ſententia illa iuxta decretum Honorij Papæ 11. q. 3. c. 20. *Curæ ſit omnibus Epiſcopis excommunicatorum omnia nomina, tam Epiſcopis vicinis, quàm ſuis parœchianis pariter indicare, eaque in celebri loco poſita pro foribus Eccleſiæ cunctis conuenientibus inculcare: quatenus in vtroque diligentiâ, & excommunicatis vbique Eccleſiaſticus aditus excludatur, & excuſationis cauſa omnibus auferatur.* Hæc autem promulgatio non modò per tonitruum ſignificatur, ſed etiam in his verbis deſignatur. *Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt;* quin etiam dum poſt fulgura, voces & tonitrua, additur: *Et terræ motus factus eſt magnus.* Primus enim motus myſticus eſt illa promulgatio poſt ſententiæ fulminationem.

Et terræ motus factus eſt magnus.

Quanam potiſſimùm ſententiam & promulgationem excommunicationis ſubſequi videntur? §. 4.

Fateor præter ingentem terræ motum reuera futurum, qua ciuitas illa (de qua hîc agitur) in tres partes diuideretur, alios motus myſticos eſſe intelligendos. Tamen non videtur denegandum verum & realem terræ motum futurum, poſtquam Eccleſia ſententiam excommunicationis protulerit, in ciuitatem illam inſignem, de qua hic agitur, quam Ioannes nobis in medium profert, vt ſit veluti exemplar quoddam, in quo euidentiùs & contumaciam peccatorum, & Dei indignationem, & Eccleſiæ maledictionem poſſumus animaduertere. Qui qui-

A dem motus tanto maior hîc deſcribitur, quanto & maioris contumaciæ, & indignationis Dei videtur eſſe indicium. Talis quippe fuit & futurus eſt mos diuinæ prouidentiæ erga homines, vt per ſimiles motus, vel varias in Eccleſia mutationes noxias fidei & pietati indicauerit & prædixerit, vel varia & ingentia hominum crimina & ſcelera ſupplicio condigno affecerit. Quod ſatis patet ex eo quod ipſe ſaluator inter ſigna conſummationis ſeculi, quæ futura prædicit, tanquam initia dolorum terræ motus reponit. *Erunt*, inquit, *peſtilentia & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.* Matt. 24. Et ſanctus Ephrem, oratione de terræ motu, inuehitur in eos qui hos terræ motus ad cauſas ſolum- B modo naturales referunt, nec verum exiſtimant hoc ſæpiùs fieri ſpeciali Dei prouidentia, vt homines his comminationibus admoneat vt à peccatis reſipiſcant; multoſque adducit effectus terræ motuum, & inter alios, montium Armeniæ, qui terræ motu ingenti ab inuicem ſeparati, ac ſi ad prælium eſſent propulſi collidebant ſeſe inuicem tam vehementi impetu, vt ignis ex illa colliſione produceretur, & fumus exinde proſiliret: qui poſtea ad ſuum locum reuerterunt immobiles, vt refert etiam Baronius an. 340. num. 10. Multos alios ſimiles motus ab eo autore poſſunt hic adduci, quibus facile erit videre non abſurdè exiſtimari poſſe ſanctum Ioannem hic loqui de vero terræ motu futuro, dum tam C inſignis excommunicatio lata fuerit in ciuitatem illam, quæ pro prototypo contumaciæ & defectionis ab Eccleſiæ autoritate, adducitur. Sed ne longiùs nunc protrahamus orationem, lectorem ad eum legendum prouocamus, dum anno 34. num. 38. agit de terræ motu quo terra concuſſa eſt in morte ſaluatoris. Alios terræ motus à Deo ordinatos, vt ſuam indignationem contra peccatores indicaret, legere poteris apud eumdem Baronium. an. 68. n. 14. anno 117. an. 340. an. 358. & 359. an. 365. an. 367. an. 368. an. 394. n. 5. anno 403. n. 6. an. 446. anno 458. an. 525. an. 581. an. 587. an. 740. n. 4 & an. 742. n. 11 an. 746. & an. 749. an. 801. & an. 862. & denique an. 1064. & 1117. Quibus exemplis facile eſt conji- D cere futurum eſſe vt ad deſignandam ingentem in Eccleſia mutationem ex perſecutione Anti-Chriſti, fiant terræ motus per loca, ex quibus & ciuitas illa magna in tres partes diuidatur, & ciuitates nationum & gentium plurimæ corruant & cadant; qui talis ſit, vt meritò S. Ioannes dicat: *Qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram talis terræ motus ſic magnus.* Sed his omiſſis,

Dico optimè hac loquendi formula vſum eſſe ſanctam Euangeliſtam, vt doceat excommunicationem ingentes & varias cauſare mutationes, diuerſoſque animorum motus concitare. Nam reuera ſtatim atque *à templo*, id eſt, ab Eccleſia, *de throno*, id eſt, ab eius poteſtate iudiciaria, hæc vox emanat & exit: *Factum eſt:* qua declaratur operæ pre- E tium eſſe vt ad mali coercitionem & punitionem viâ excommunicationis procedatur; poſtquam omnia alia adhibuit remedia, vt peccata compeſceret aut emendaret, vel orationibus, vel verbi diuini prædicatione, vel Sacramentorum adminiſtratione, hominum infirmitati ſubueniendo, vel ſacrificiis; quomodo Deum tanquam finem vltimum reſpicere debeant admonendo, vel illorum actiones per leges æquiſſimas dirigendo, vel iudiciis æquiſſimis effrenatam peccandi libidinem cohibendo; tandem perſpiciens ſe operam perdidiſſe, oportet refractarios & inobedientes à ſe reſcindat, inquiſitione exacta criminum & perſonarum facta, adhibitis monitionibus, & excommunicatione lata & promulgata. Quibus omnibus varij excitantur

Digitized by Google

motus. Nam hæc non fiunt abſque denuntiationibus eorum qui læſi fuerant, vel qui zelo honoris diuini accenduntur. Paſtores Eccleſiæ commouentur, dum inquirunt de perſonis & criminibus, teſtes audiunt, & examini ſubmittunt. Mali homines in furorem abeunt, & magis redduntur incorrigibiles. Ex eorum peruicacia boni ſcandalizantur, quin etiam indiſcreto quodam zelo plærumque ſcandalizantur, ac ſi potiùs fuiſſent mali patienter tolerandi, quàm ſeueritate ab Eccleſia reſcindendi. Debiles & infirmi obmurmurant, vt olim Iſraëlitæ, cum Moyſis voce terra aperta fuit, & deglutiuit Core, Dathan, & Abiron. Et denique excommunicati exinde prouocantur ad perſecutiones Eccleſiæ inferendas, variaſque alias ſeditiones, & bella, & ſchiſmata excitare incipiunt, vt illatam ſibi iniuriam (vt putant) vlciſcantur. Vnde veriſſimum eſt nihil in Eccleſia obuenire, quod tantas conciter commotiones, quot per excommunicationem concitantur, dum præcipuè feruntur in principes ac ſeculi potentes, aut in eos qui populos variis erroribus dementarunt, illiſque grati & accepti exiſtunt. Quod ſatis ex hiſtoriis Eccleſiaſticis probari poteſt.

Et facta eſt ciuitas magna in tres partes. Et ciuitates gentium ceciderunt.

Quænam terræ motum conſequantur, & quænam ſit ciuitas magna diuidenda?

ANNOTAT. XLVI.

IN terræ motibus fiunt quidam hiatus magni: quin etiam quæ antea erant coniuncta & vnita, ſeparantur ab inuicem, & elongantur: itaut euidentiſſima & manifeſta appareat illa diuiſio. Sic in iſta myſtica rerum mutatione, cum anathema pronunciatur: nam ciuitas magna, de qua hic fit mentio, in tres partes diuiditur. At quænam ſit illa ciuitas inquirendum.

Dices fortaſſe hanc ciuitatem deſignare vniuerſos homines, qui in tres partes diuiduntur; vel infidelium, vel Iudæorum, vel Chriſtianorum, ſeu infidelium, Hæreticorum, & Catholicorum. Sed hæc diuiſio non fit ratione excommunicationis quoad infideles, in quos Eccleſia nullam habet iuriſdictionem: qua propter non videtur hæc diuiſio, quæ à terræ motu (id eſt, ratione excommunicationis) cauſatur, eſſe hic intelligenda.

Deinde dices hanc ciuitatem deſignare omnes qui charactere baptiſmi inſigniti fuerunt: quæ quidem congregatio baptizatorum, vi excommunicationis in tres diuiditur partes, dum iam diuiſa in duas, (nempe eorum qui Dei & Eccleſiæ præcepta fideliter cuſtodiunt, & eorum qui legum diuinarum & Eccleſiaſticarum tranſgreſſores ſunt) cum excommunicatio intercedit, tertia pars reperitur, nempe eorum qui ab vnitate Eccleſiæ, & participatione Sacramentorum & ſuffragiis excluduntur, quales ſunt hæretici & ſchiſmatici, & notoriè excommunicati: vnam tamen videntur conſtituere ciuitatem, cum ratione baptiſmi omnes fuerint corpori Myſtico Eccleſiæ coaptati, & Chriſtianæ legis obſeruationi adſtricti.

At ego dico hic S. Ioannem ſpecialiùs deſignare vrbem Romanam, pro tempore videlicet vltimo, quo ab obedientia ſummi Pontificis ſeipſam ſubtrahet per defectionem & diſceſſionem, & adhærebit inuaſori ſchiſmatico aut hæretico Romani Imperij, qui Eccleſiaſticam iuriſdictionem & Eccleſiæ maieſtatem proſcindet, & pedibus conculcabit: quæ quia repræſentat bonorum & malorum in Eccleſia A ſocietatem, & electorum & reproborum coniunctionem in vita præſenti, & ciuitas magna dicitur, & Babylon nominatur, ad deſignandam confuſam illam plurimarum ſectarum permixtionem, quæ cernitur inter eos, qui ab Eccleſia ſemel diſceſſerunt; qui omnes vinculo excommunicationis detinebuntur, quia eiuſdem criminis, propter quod diſtringetur, erunt participes. Licèt enim generatim tota ciuitas, prouincia aut Regnum, non poſſit excommunicari, (alias excommunicatio eſſet iniuſta, quia nemo puniri poteſt pœna ſpirituali ob peccatum alterius: ex quo quoties fertur aliqua excommunicatio, nunquam ferri ſolet in totam familiam, vrbem vel Regnum, ſed tantùm contra eos qui cer- B tum aliquod crimen perpetrant, vt quando excommunicantur omnes hæretici) fertur tamen in eos, qui (vt dictum eſt) hoc aut illud crimen perpetrare audent: & ſic omnes illud perpetrantes illum incurrunt, tum enim quiſque ob proprium ſcelus excommunicationem incurrit, idque ſpeciatim, non autem generatim. Hinc auditur illa monitio ad fideles c. 18. *Exite de illa, populus meus. Et ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Nam cum ſemel ſeſe ſubtraxerit ab obedientia ſummo Eccleſiæ Paſtori ab omnibus fidelibus præſtanda, non ampliùs erit Caſtrorum acies benè ordinata, non amplius erit Arx Imperij Chriſtiani, non amplius Domus pacis, & tabernaculum fœderis, ſed Baby- C lon confuſione plena, Religionis Chriſtianæ & Catholicæ inimica diſſidij fomes, dæmonum domicilium: quæ quia inſigniori ingratitudine deturpata eſt, poni debet in exemplum eorum, qui impiè antea egerunt, vt hæc de ea legentes ſciant pari pœna ſe eſſe plectendos, qui contumaciæ illius fiunt præceſſores. Vnde ſi Deus iuſto iudicio illam anathemate & euerſione feriet, quia ſchiſmaticis & Eccleſiæ perſecutoribus adhærebit, quid mirum ſi qui talia nunc perpetrare audent, & anathemate & euerſione plerumque afficiuntur? In ea igitur quælibet alia ciuitas & natio depingitur, quæ ab Eccleſiæ obedientia ſeſe ſubtrahere audet, propter quod anathematizari demeretur.

D Tres autem in partes diuiditur illa ciuitas, quæcumque illa ſit. Prima eſt eorum, qui notoriè ſunt excommunicati, de quibus S. Auguſtinus de verbis Apoſtoli Sermon. 68. & citatur 11. q. 3. c. *Omnis, inquit, Chriſtianus, dilectiſſimi, qui à ſacerdotibus excommunicatur, ſatanæ traditur. Quomodo? Scilicet quia extra Eccleſiam diabolus eſt, qui quidem in Core, Dathan & Abiron, quia incorrigibiles, deſignantur, cum eiſdem in infernum detruduntur.*

Secunda pars eorum eſt, qui in manifeſto verſantur periculo, & occaſione incurrendi parem ſeu ſimilem à Chriſti corpore myſtico ſeparationem, propter improbitatem morum: à bonis ſunt ſeparati propter defectum Charitatis in eiſ- E dem, qui inordinatè ambulant, inimici crucis Chriſti, & terrenarum rerum amatores; de quibus Orig. hom. 14. ad c. 24. Leuit. Citat. 24. q. 3. c. *Cum aliquis. Cum aliquis, inquit, exit à veritate, à timore Dei, à fide & Charitate, exit de caſtris Eccleſiæ, etiamſi per Epiſcopi vocem minime abijciatur, &c.* Et vt dicitur in 5. Synod. Collat. 5. citata 24. q. 3. c. Certum eſt. *Certum eſt quod qui impius demonſtratus eſt, omni modo ſeparatus eſt à Deo, ſicut etiam ille qui anathematizatus tanquam impius ſeparatus eſt.* Ita ille ibid. Hi deſignantur (quia adhuc ad pœnitentiam poſſunt conuerti) in iis ad quos olim (Core, Dathan & Abyrum iam iam in barathrum detrudendis) aiebat Moyſes. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent: ne inuoluamini in peccatis eorum.*

Digitized by Google

De hac duplici ratione ſeparationis à fidelium A communione, ſiue quantum ad delineamenta exteriora, vt ita dicam; ſiue quoad ſpiritum internum charitatis, loquitur Origenes, homilia 2. in lib. Iudic. ex verſ. S. Hieron. vt citatur 11. q. 3. c. *Audi denique. Et vt*, inquit, *mihi videtur, dupliciter etiam nunc traduntur homines de Eccleſia in poteſtatem Zabuli: vno modo cum delictum eius manifeſtum ſit Eccleſiæ, & per Sacerdotes, de Eccleſia pellitur, vt notatus ab omnibus erubeſcat, & conuerſo conueniat illi illud quod ſequitur: Vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Alio autem modo, quis traditur Zabulo, cum peccatum eius manifeſtum non ſit omnibus; Deus autem, qui videt in occulto, perſpiciens eius mentem & animam vitiis ac paſſionibus ſeruientem, & in corpore eius non ſe diligi, ſed aut* B *auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiuſmodi, iſtum talem ipſe Dominus tradit Satanæ. Quomodo eum tradit Satanæ. Diſcedit à mente eius, & auertit ſe, & refugit à cogitationibus eius malis, & deſideriis indignis: & relinquit domum cordis eius vacuam.* Ita Orig. Hi ſunt Iebuſæi, de quibus idem Origenes, homil. 21. ad c. 15. Ioſue qui citatur c. *Nolite recedere. Qui indigni audiunt verbum Dei; & cum audierint, neque vt in fideles diſcedunt, neque permanent vt fideles; ſed percepta myſteriorum notitia, & fide noſtra ſecretioribus ſcrutatis, conuerti poſtmodum impugnant nos, & contradictionibus ſuis corda noſtra dirumpunt.*

Tertia pars eorum eſt, qui charitate, & operibus, & fide integra, tum ab hæreticis, tum à malis Chri- C ſtianis manifeſtè ſeparantur, in his ſenioribus deſignati, qui Moſem comitabantur, cum proceſſit obuiam Core, Dathan & Abyron, vt contra eos ferret ſententiam damnationis, & præciſionis à populo Dei. Cum igitur excommunicatio, ſiue à iure, ſiue ab homine, duo operetur; primum, vt per illam diſcernere poſſimus quænam ſint actiones, quæ nos à charitate Dei ſegregant, qualia ſunt peccata mortifera; ſecundum, quænam aliquando ſunt perſonæ, quæ de facto ſeparantur, non ſolùm à charitate Dei & proximi, ſed quæ etiam de facto à corpore Chriſti myſtico reſcinduntur; Duas veluti claſſes conſtituit baptiſatorum, nempe eorum qui impiè agunt, dum peccata committunt, ſed qui nihilo- D minus non ſunt priuati ſuffragiis Eccleſiæ, nec à communione fidelium externa disiunguntur; & eorum qui manifeſtè ab hac communione externa ſunt diuiſi. Adde tertiam claſſem bonorum, qui cum Dauide dicunt: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Habebis certe ciuitatem magnam in tres partes diuiſam.

Hanc interpretandi rationem ſequutus eſt Andreas Cæſar. licèt de Hieroſolymitana ciuitate S. Ioannem loqui arbitretur. Ait enim: *Per ciuitatem magnam, non ciuium multitudine, aut ædium & domiciliorum amplitudine, ſed religione & pietate antiquiſſimam & maximam Hieroſolymorum vrbem deſignatam putamus, vt quæ per Chriſti mortem & paſſionem mirè ſit* E *magnificata, & à gentium ciuitatibus diſtracta. Porro eius in tres partes ſectionem, triplex hominum genus, quod in ea degit, adumbrari exiſtimamus; vnum Chriſtianorum, alterum Iudæorum, tertium Samaritanorum; aut vnum eorum, qui firmi conſtanteſque in fide conſiſtunt; alterum eorum qui baptiſma ſuſceptum fœdis operibus contaminauerunt; poſtremo illorum Iudæorum & Samaritanorum, qui Euangelij prædicatione repudiata, ſuæ voluntatis iudicium liberè citra vllum impedimentum ſequi & explere permiſſi ſunt.*

Et ciuitates gentium ceciderunt.

Qua ratione hæ ciuitates dicantur cadere, ſiue vero caſu, ſiue myſtico?

ANNOTAT. XLVII.

NON modò in motibus terræ, & montes, & ædificia ſeparantur, ſed & etiam omnimodè corruunt & concidunt. Pari ratione dicere licet ciuitates gentium cadere, dum propter aliquod crimen, quod habeat ſecum excommunicationem annexam, quale eſt hæreſis crimen, cui cuncti in particulari conſentiunt, aliquando terræ motu euertuntur. Inſigne habetur exemplum apud Baroni. an. 358. vbi refert Niceam Bithyniæ, motu terræ euerſam: quia ibi Arriani Concilium celebrare volebant, vt Niceni Concilij decreta infirmarent; Similiterque Nicomediam, in qua Concilium Arriani celebrare etiam voluerant quo ingenti terræ motu non modò ædificia corruerunt, ſed plurimi etiam homines cum Cecropio Epiſcopo Arriano interierunt. Et anno. 368. Alexandria euerſa fuit motu terræ, Deo ſic vindicante Arrianorum conatus, quibus fidem Concilij Nicæni euertere conabantur, vt notat Baronius. Sed alio modo ciuitates gentium dicuntur euerti, Ratione excommunicationis, dum omnis in eis pietas extinguitur, & cunctis crimini conſentientibus, ab eis gratia Dei ſubtrahitur: quo fit vt cunctorum actiones moraliter bonæ ab omni ſupernaturali excellentia decidant, nec meritoriæ cenſeantur, dicente Saluatore: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* At qui Ethnicus eſt, merito ex gratia prouenientе caret: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Vnde Auguſtinus Epiſt. 152. citatus 23. q. 4. c. *Si quis. Si quis*, inquit, *à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quod à Chriſti vnitate diſiunctus ſit, non habebit vitam, ſed Dei ira manet ſuper eum. Quemadmodum enim*, vt ipſe ait, Epiſtol. 50. *membrum ſi præcidatur ab hominis viui corpore, non poteſt tenere ſpiritum vitæ: ſic homo, qui præciditur de Chriſti iuſti corpore, nullo modo poteſt tenere ſpiritum iuſtitiæ, etiam ſi figuram membri teneat, quam ſumpſit in corpore.* Ita Auguſt. Fauet huic expoſitioni Andreas Cæſar. dum ait: *Quod autem gentium ciuitates cadere dicuntur, ſignificat regno Dei iam præſente, quod ſancti ſecundum Danielem occupabunt, cum ipſas Paganorum ciuitates, tum vitam quoque & conuerſationem Ethnicam interituram.* Ita Andr. Nam ſicuti vbi regnum Dei adeſt, concidit vita & conuerſatio Ethnica; ita vbi regnum Chriſti abeſt, ratione excommunicationis homines ab hoc regno exſcindentis, omnis vita cæleſtis & diuina corruit: nec aliqua actio, quamtumlibet ciuilis & honeſta ſit moraliter, aliquid meretur ad vitam æternam conſequendam idoneum. Vnde tandem fit vt in inferno deglutiantur, ſicut Core, Dathan & Abyron, quia à peccatis non recedunt, & obſtinati ab hac vita decedunt, nullumque poſt ſe poſteris relinquunt pietatis veſtigium; ſicut aliquando fit in motibus terræ, vt non ſolùm ædificia à ſe inuicem ſeparentur aut corruant funditùs, ſed etiam abſorbeantur in viſceribus terræ, vt nullum eorum appareat veſtigium.

Digitized by Google

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis inſula fugit : & montes non ſunt inuenti.

Propter excommunicationem fideles excommunicatorum ſocietatem fugiunt: ſancti pro eis non orant : & Eccleſiæ Paſtores beneficium abſolutionis ipſis denegant.

ANNOTAT. XLVIII.

BABYLONEM iſtam exiſtimo intelligẽdam eſſe ciuitatem Romanam, non Ethnicam, ſed ſchiſmaticam, poſt defectionem ſuam & diſceſſionem ab obedientia ſummi Pontificis. Videbatur quaſi à Deo oblita, dum ad modicum tempus læta dicebat: *Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* c.18 Ap. Deo non vlciſcente adhuc illius crimina, & nimiam ingratitudinem. Sed venit in memoriam ante Deum, vt det illi calicem vini indignationis iræ eius, dum propter ſchiſma, (cui omnes eius incolæ conſentient, exeuntibus ab ea fidelibus, ne participes ſint delictorum eius, & de plagis eius accipiant, vt habetur ibidem,) maledictionem diuinam anathematis vinculo innodata incurret, & euertetur, & corruet, vt videbimus poſtea. Tunc omnis inſula fugiet : tunc montes non inuenientur. Sic enim in motibus terræ, inſulæ aliquando euaneſcunt, vel alibi transferuntur : ſic omnis Catholica congregatio, tanquam inſula vndique perſecutionibus impiorum quaſi fluctibus maris concuſſa, in fide & obedientia perſeuerans, ab ea fugiet & ſeparabitur : *Inſulas*, inquit Andreas Cæſarienſis, *autem vocat ſanctas Eccleſias.* Illæ, inquam, Eccleſiæ ſanctæ, id eſt, particulares congregationes fidelium, à ciuitate Romana ſchiſmatica, & deficiente ab obedientia ſummi Pontificis, ab illa fugient, tanquam ab ea cuius incolæ erunt vinculo anathematis innodati : nulla cum ea fidelium ſocietas aut pax : nulla cum ea communicatio in ſacris : nullum erga eam in notam communionis beneuolentiæ ſignum, iuxta illud S. Ioan. Epiſt. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Ita S. Ioan. Nullum igitur cum ea commercium : nullum cum eadem celebrabunt conuiuium, iuxta Apoſtoli præceptum 1. ad Corinth. c. 5. *Nunc autem ſcripſi vobis ; non commiſceri : ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* At hæc omnia crimina abundabunt pro tunc in illa ciuitate ſchiſmatica, quæ verum reiecit ſponſum. Igitur ab ea omnino diſcedendum. Nec enim oſculum pacis debetur eis, qui Eccleſiæ concordiam diſcindunt. Nulla habenda cum eis participatio in ſacris, qui Sacramenta Eccleſiæ prophanare audent. Nullum eis exhibendum beneuolentiæ ſignum, qui Deo odibiles propter contumaciam redduntur, dicente Propheta : *Iniquos odio habui*, &c. *Nonne*, inquiebat ipſe, *qui oderunt te, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Nullum denique cum eis habendum eſt conſortium, quorum ſocietate aliquod periculum incurrere poſſemus diſcedendi à Deo, & ab Eccleſiæ vnitate. Fugiet itaque omnis inſula ab ea Babylone : quia priuata ſuffragiis Eccleſiæ, & fidelium omnium, nullum illi remanebit refugium, quo iram Dei effugere valeat. *Quemadmodum enim*, vt ait Theophilus ad Antolicum, *in mari inſulæ quædam prominent habitabiles, frugiferæ, & quibus eſt aqua ſalubris, nec non naualia, & portus commodi, quibus ſe naufragi recipient : ſic Deus dedit mundo, qui peccatorum tempeſtatibus & naufragiis iactatur, Synagogas quas Eccleſias nominamus, in quibus veritatis doctrina feruet : ad quas confugiunt veritatis ſtudioſi omnes quotquot ſaluari, Deique iudicium vitare volunt.* Ita Theoph. At nullum erit tale refugium iſtis ſchiſmaticis : quia ab eis omnes Eccleſiæ particulares diſcedent, nolentes delictorum illius ciuitatis eſſe participes.

Denique & montes non inuenientur. *Per montes*, inquit Andreas Cæſ. *ſacræ literæ deſignant Eccleſiarum Paſtores & Doctores, cæteroſque qui primatum inter illos tenent.* Ita Andr. Non inuenientur iſti montes. Nam Paſtores Eccleſiæ reſeruatam ſibi retinebunt poteſtatem abſoluendi ab hoc vinculo excommunicationis iſtos rebelles & contumaces, ad quos cum recurrere non velint, quia illorum autoritatem contemnunt, in cœlis illorum retinebuntur peccata, ſicut in terra retinentur. Nec ſanctorum ſuffragiis poterunt adiuuari : qui ſancti verè montes ſunt, quia à communione ſanctorum ſunt excluſi. *Quicumque enim*, ait Beda, (vt citatur 24.q.1. c. *Quicumque*) *ab vnitate fidei, vel ſocietatis Petri Apoſtoli quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt regni cæleſtis ingredi.* Ita Beda.

Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cælo in homines. Et blaſphemauerunt Deum homines, propter plagam grandinis : quoniam magna facta eſt vehementer.

Cauſa tantorum motuum eſt peccatorum multitudo, & grauitas, & in ipſis obduratio.

ANNOTAT. XLIX.

CAVSAM deſignare videtur S. Ioannes tot motuum ac mutationum, & diuiſionis & ſeparationis, & cæterorum quæ diximus, dum ait : *Et grando magna*, &c. Ac ſi diceret : Vis ſcire cur Deus maledictionem ſuam hominibus immittit per Eccleſiam? Scias illud fieri, quia peccata illorum non modò procedunt à voluntate in malum obdurata ; ſed etiam multiplicantur nimis. Itaut homines hac multiplici peccatorum mole obruti, nihil aliud quàm blaſphemias in Deum euomant. Vnde certè abominabiles & Deo odibiles redduntur. Hæc autem expoſitio probabilior redditur, ſi vim particulæ (Et) à grammaticis exquiras. Dicunt enim illam particulam ſeu coniunctionem aliquando eſſe cauſalem. Exemplum affert Calepinus ex Virgilio,

Quorum iphitus æuo,
Iam grauior Pelias & vulnere tardus Vlyſſes.

Id eſt : propter vulnus. Interdum etiam ponitur pro (Quia) *Audieras & fama fuit.* Id eſt : quia fama fuit. Et Quintilianus ait : *Has primum audiet puer : harum verba effingere imitando conabitur : & natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ mollibus animis percipimus.* Id eſt. Quia natura tenaciſſimi ſumus eorum, &c. Sic igitur hic dicere poſſumus hanc particulam (Et) ita eſſe exponendam. *Et grando magna* : Ac ſi diceret : Facta ſunt fulgura, voces, tonitrua. Factus eſt terræ motus magnus, diuiſa eſt ciuitas in tres partes. Ciuitates gentium ceciderunt. Babylon venit in memoriam Dei, vt puniatur. Omnis inſula fugit : & montes non ſunt inuenti, propter grandinem magnam peccatorum, ſiue quia peccata multiplicata ſunt ad modum grandinis, dum homines nihil cæleſte cogitantes, ad terrena defixi nihil non attentare audent contra Deum. Vnde meritò debuerunt ab Eccleſiæ vnitate ſeparari, & Dei maledictionem incurrere.

FINIS CAPITIS XVI.

Digitized by Google

QVAM IVSTE ECCLESIA IN impios ac rebelles excommunicationis gladium vibret, oſtenditur; ex deſcriptione impietatis ac malitiæ Imperiorum ſeu Regnorum poteſtate temporali abutentium, vt Chriſti Regnum quantum in ſe eſt euertant: qui quidem impius conatus in fine ſæculorum in Româ ſchiſmaticâ futurâ potiſſimùm apparebit.

CAP. XVII.

MIRANDVM minimè eſt ſi Eccleſia hac ſeueritate vtatur in homines qui tot ac talibus contradictionibus eius pios conarus de Chriſti regno tum ſtabiliendo tum promouendo euertere voluerunt. Audiat quiſque horrenda hominum crimina, quibus in ſe iram Dei exacuerunt: Iuſtam certè eſſe eorum damnationem proculdubio fatebitur.

At quia rebus ſenſibilibus, ac experimentis homines faciliùs ducuntur ad eorum cognitionem, quæ intelligere debent, ſelecta eſt quædam inſignior ciuitas, in quâ impietas ad ſummum malitiæ gradum deueniet: in cuius euerſione, & ſeuerâ punitione, quid omnes reprobi à Deo ſibi irato expectare debent, facilè conjicitur. Nam cum in eâ maior eluxerit ingratirudo, quo in ipſa omnes Eccleſiæ traditæ poteſtate exerceri pleniùs ac auguſtius contigerit, ideo ſeuerior ac notior debet eſſe eius punitio.

Hanc autem notitiam non accepi, niſi vi orationis, ac profundæ totius Eccleſiæ ſtatus (prout mihi reuelabatur) meditationis; huc enim & illuc in hanc & illam ciuitatem oculos mentis meæ conieci, quatenus percipere valerem quænam inter omnes totius orbis ciuitates potiſſimùm eſſet, quæ nomine Babylonis magnæ inſigneretur, & cujus præuaricatio ac damnatio adeo foret perſpicua, vt in eadem, & hominum ingratitudo, & reproborum iuſta in æternùm damnatio optimè adumbraretur.

TEXTVS

Et venit vnus de ſeptem Angelis qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum dicens. Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.

Et venit vnus, nempe primus, *de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas*, quippe qui hanc cum Deo familiariùs colloquendi facultatem Eccleſiæ datam (vt ab eo quæ neceſſaria ſunt & addiſcat & conſequatur) deſignabat, vt diximus. *Et locutus eſt mecum dicens. Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum quâ fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius.* Ac ſi diceret: iniunctum mihi fuerat vt memor eſſem vnde excideram, & de pœnitentiâ peragendâ præceptum acceperam, & ad prima opera adimplenda fueram prouocatus, niſi vellem candelabrum fidei dimoueri è medio populi mihi commiſſi; vt in me tota Eccleſia addiſceret quàm periculoſum ſit profuſione donorum Dei abuti, & gratiam eius in vanum recipere, aut talentum in terram abſcondere. Hoc non attendit illa ciuitas, quam Deus ſpecialiùs donis cumũiauerat, nempe ciuitas Romana: quæ quidem ſedet ſuper aquas multas, quia caput orbis effecta latius præſidet nunc Religione diuinâ quam olim dominatione terrenâ. Imo potiùs variis criminibus à Deo auerſa, à vero ſponſo ſuo Chriſti Vicario defecit, vt Regibus terræ poteſtati Eccleſiæ (quæ poſita fuerat à Deo in ſuperbiam ſæculorum, & ſupra omnes Imperatorum ac Regum thronos, eleuata fuerat) malignè inuidentibus faueret: de cuius quidem defectione adeo lætati ſunt, vt mens eorum omnino fuerit peruerſa, verum Eccleſiæ Paſtorem contemnendo, & à fide ipſius ſicuti ab eius obedientia, ſe dimouendo. Sicque biberunt de vino proſtitutionis eius nempe de gaudio quo inebriata fuit, cum ſe exemit ab eius obedientia & ſubiectione: & quod antea impiè concupierunt reges illi, ac Principes, de quibus dictum fuit: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum ipſorum*; adueniſſe tandem perſpexit.

TEXTVS

Cum qua fornicati ſunt reges terræ & inebriati ſunt qui in habitant terram de vino proſtitutionis eius.

Heu! ſi Eccleſia durante perſecutione in deſertum fuit ſublata, vt faciliùs conciperem quot quantaque mala ipſi forent toleranda; vt *æquè faciliùs* perciperem quomodo hæc ciuitas ob hanc præuaricationem omni gratiæ cæleſtis influxu ſpolianda foret, ecce ille Angelus, qui & Epiſcopi Epheſini, & eorum qui ad Deum per orationem recurrere poſſunt, perſonam gerebat abſtulit me in ſpiritu in deſertum: id eſt: in mea imaginatione horribilis cuiuſdam deſerti vaſtitatem depinxit, vt intelligerem ex tali ſchemate qualis euaſura erat illa ciuitas ſchiſmate à capite ſuæ diuulſa, in qua nec flunij, nec Riui bonarum operationum, nec ſontes Sacramentorum, nec habitus virtutum intellectualium, nec veſtigia ſanctorum imitanda, nec arbores vmbriferæ amicorum Dei, nec nubes diuinæ protectionis apparent: ſed arena & ventis huc & illuc agitata

Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum.

Digitized by Google

vanitatis ſæculi; pulois ſiccus, quem projicit ventus à facie terræ; hominum de quibus dici poteſt: *Aruit tanquam teſta virtus mea:* Nullum hominis veſtigium, propter inhumanitatem & inclementiam ipſorum: omnia ſolis, id eſt diuinæ ſeueritatis, ardoribus exuſta; omnia continuis tonitruum ictibus concuſſa, aut fulgure tacta maledictionum & execrationum. *Si quis* enim *non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha*: quales erunt qui in ciuitate hac (pro tunc execrandâ) ſe ab obedientia ſummi Paſtoris ſubtrahent. Hic tantùm vrticæ, ſpinæ, dumeta curarum, ſollicitudinum, vitiorum vigent. Hic horribilia peccandi præcipitia. Hic Petræ tantùm duriſſimæ animarum in malo obſtinatarum. Hic horrenda monſtra hominum, qui rectum rationis vſum deperdiderunt, & commutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem ferocium belluarum. In tali deſerto vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Vidi impietatem in ſummo collocatam faſtigio, eo ipſo quo mollis & diſſoluta ſedet, & ſuſtentatur ſuper poteſtatem quandam eminentiorem, nempe beſtiam, Principum impiorum & Chriſti regnum euertere nitentium prototypam; beſtiam, inquam, ſupremâ ac imperiali autoritate ac poteſtate fulgentem, contra Deum, moribus, legibus, iuſſis ſuperbè ſe extollentem. Quæ quidem beſtia ſeptem habet capita: quia ſeptem erunt potiſſimùm Monarchiæ, quæ contra Chriſti regnum inſurgent, quæ hac eminentiori auctoritate gaudebunt. Habet & cornua decem, id eſt, multas alias poteſtates inferiores ſibi parentes, quibus ad executionem impiorum mandatorum tanquam inſtrumentis idoneis vtetur.

TEXTVS

Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ habentem capita ſeptem, & cornua decem.

Ciuitas igitur illa ſedet & præſidet ſuper beſtiam nempe animas omni animi peruerſitate repletas. Erat circumdata purpurâ & coccino, quia imperiali fulgens dignitate; quia hac eminenti autoritate tantùm vtitur, ſiue ad crudelitatem & tyrannicam inhumanitatem, ſiue ad effuſiſſimas carnis voluptates exſaturandas, auro inaurata, propter fucum vel faſtum; & lapide pretioſo & margaritis, quia ſi aliqualis ſplendor aut pulchritudo ineſt in iis rebus in quibus gaudet, hoc tantùm extrinſecum, nullâ ab intus pulchritudine gaudet, in ſe turpis ac deformis; itaut ſi ab ea opes ſuperfluas ſubtraxeris, horribile apparebit monſtrum. Habet poculum aureum in manu ſuâ: facillimum eſt ei (propter ſummam eius poteſtatem) honores, diuitias, & omnia voluptatibus carnis conducibilia, ſuis aſſeclis propinare. Sed totum quod poſſidet, illi obuenit ob eius abominandam à Chriſto defectionem: nec enim poteſtate, quâ nobilitatur, vt à Deo profecta, à quo omnis poteſtas terræ ordinata conſurgit, ſed vt vſurpata & tyrannicâ vtitur, ad internecionẽ piorum, Dei cultus ſubuerſionẽ omnium immunditiatũ, voluptatum carnis inebriationẽ, ad quæ eo ipſo quo à Chriſto defecit, tota effuſa eſt. Quod ſi electi Dei & eius cultũ promouere ſummoperè exoptãtes, frontem gerunt inſignitam nomine Agni & nomine Patris eius, hæc impia mulier myſticũ nomen inſcriptũ gerit, quo eius nequitia graphicè deſignatur. Habet ſiquidem in fronte nomen ſcriptum. Quodnam, quæſo, dices? En, *myſterium*. Proprium nomen celatur, miſticum aſſignatur, nempe Babylon. *Magna mater fornicationum & abominationum terræ*: Nec enim expedit vt ita clarè pro tempore quæ & qualis ſit illa ciuitas omnibus innoteſcat. Iam omnigenæ idololatriæ fœturam horrendam in mundo emiſerat. Iam omnium vitiorum confuſam progeniem ediderat. Iam illecebrarum carnis, ad dæmonum

Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo, & margaritis.

Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.

Et in fronte eius nomen ſcriptum myſterium Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.

opem recurſus, magicæ artis, ſimoniacæ labis, vniuerſæ impietatis, crudelitatis nimiæ ſpecimen apparuerat. Reſtabat vt ſchiſmatis & defectionis à Chriſto ſchema inſigne redderet, vt dici poſſet mater fornicationum & abominationum terræ. Hoc tandem præſtabit aliquando. *Vidi* ſiquidem *mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum & de ſanguine martyrum*, Id eſt: Adeo dementata fuit, vt naturæ iura violauerit, & quidquid rationi, virtuti, pietati, fidei Chriſtianæ conſonum fuit, reſpuerit: itaut idola ſæculi vanitates luxum coleret, cum tantâ peruicacitate, vt omnes veritatis fautores ſæuæ morti cum gaudio & voluptate addixerit.

TEXTVS

Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu.

Et miratus ſum cum vidiſſem illam admiratione magna.

Et miratus ſum, cum vidiſſem illam, admiratione magnâ. Heu! dixi, quanta hominum debilitas in tentationibus fugandis? Quanta impudentia in peccatis perpetrandis? Quanta ſagacitas in peccandi occaſionibus capiendis? Quam garrulas voces emittunt, vt mala ſuadeant? Quam longè & latè ſerpit eorum malitia, vt incrementa capiat? Quàm inſatiabili appetitu ad delectabilia feruntur? Verè nimio ſuipſius amore impulſi, cupidi & elati, eorum ſuperbia ad immenſum excreuit. Iugum Chriſti & Eccleſiæ excutientes, verè tantùm quæ carnis & ſanguinis ſunt ſapiunt. Verè pedes eorum veloces ad effundendum ſanguinem. In hypocriſi loquuntur, mendacium, fuco ac fallaciis alios ſubuertere nituntur: faſtu ac luxu cunctis oneroſi, arrogantiâ omnibus iniurioſi, præſumptione odibiles, affectatâ ſingularitate irridendi. Verè quærit extra ſe humana præſumptio non ſuam pulchritudinem, ſed alienam quaſi ſuum affectat fulgorem, dum non valens mutare naturam ſuam quin ipſa ſit lutum rutilum, ſibimet circundat aurum, lapideſque pretioſos & margaritas, vt interdum ſcabie ſqualens, & leprâ liuidâ, de ſuper talibus inſtrumẽtis adſe non pertinẽtibus ſuperbiſſimè niteat. Tollerabilia vtcùque certè hæc erant in illâ ciuitate, antequam luce veritatis irradiata fuiſſet. Sed poſtquam Chriſti lumine colluſtrata fuit, quo quantum bonum ſit ſuipſius deſpicientia & abnegatio, humilitatis modeſtiæ, puritatis, veritatis amor; quomodo rurſus rediit ad vomitum, & turpiora quàm antea adamauit? Quomodo qui Calicis Domini erant participes; ex quibus paradiſi delitiis inebriari facillimum erat, nunc tam facilè hauriunt omnem iniquitatem, & ebibunt eam tanquam aquam? Calice dæmoniorum participes, *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Heu! quo rerum facies, & quàm iniqua commutatio? Pro iis qui in eâ erant, Dei myſteriorum diſpenſatores, eos includit qui ſe beatos putant, ſi alios ad omnia ſcelera prouocare valeant, habentes poculum aureum in manu ſuâ, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis eius ſole clarius apparet ab operibus eius quod ipſa in cauſâ fuerit totius confuſionis & inordinationis, quæ ex contempta Eccleſiæ ſacro-ſancta autoritate totum ſubuertit orbem, vt meritò myſticum illud nomen obtineat: *Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Cuius Babylon ſpecimen ſit & idololatriæ, & ambitionis, & luxus, & ſæuitiæ, & impietatis. *Miratus ſum* igitur *cum vidiſſem illam, admiratione magnâ*: ea potiſſimùm ratione, quod non contenta talem ſe eſſe qualem præmiſſa deſcriptio denotat, adiecit hoc aliud malum, vt ſanguinem funderet ſanctorum, eo quod videret illos non eſſe conſentientes immunditiis fornicationum ſuarum. Animaduerti ſiquidem quòd inter cætera peccandi oblectamenta hoc vnum lætiùs impietas amplectabatur, vt aliis noceret, bonitatis diuinæ inimica, quæ etiam inimicis elargitur bona. Quod quidem damnabilius perpetrabat, quo iniquiori intentione hoc

Digitized by Google

hoc faciebat, nempe in Dei & Saluatoris noſtri odium & contemptum. Adeo igitur mente capta erat, vt gauderet ſi ſanctorum ſanguinem funderet, vt pote rationis & virtutis inimica; & martyres Chriſti occideret, vt pote Religionis ac pietatis erga Deum & ſaluatorem aduerſaria.

TEXTVS

Et dixit mihi Angelus: quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.

At dixit mihi Angelus. *Quid miraris ego dicam tibi Sacramentum mulieris & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem & cornua decem.* Dicam tibi, inquam, quid tum per mulierem, tum per beſtiam conſiderare te oportet. *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt Et aſcenſura eſt de Abyſſo: & in interitum ibit.* Malorum collectio, in quibus fuit facultas diuitiis ac potentiâ regnum Chriſti impetendi, ſeptem capitibus B ſeu regnis ſubdita, quædam cornua ſeu inferiores poteſtates ſibi obtemperantes habens, quibus hi qui autoritatem ſupremam poſſident, iſti nempe reges, pernicioſas & exitioſas voluntates ſuas exequi tentabunt. Iam in pluribus ſuis capitibus fuit regnum Chriſti potenter oppugnans, & ad interitum propè adducens. At nunc non eſt: quia quo ſæuiùs in Chriſti fideles ac ſeruos inuehitur, eo plures illi ſubmittunt colla, & ſanguis effuſus ipſorum, ſemen eſt aliorum Chriſtianorum. Quo fit vt minimus in mille multiplicetur, & augeatur, & paruulus euadat in gentem fortiſſimam. Futilis eius numeroſitas. Inutilis tam præpotens autoritas, & impia miniſtrorum ſæuitia invanum omnem adhibet induſtriam, vt eos deterreat, & à Chriſti fide & obe- C dientia diſtrahat, imo potius quod fœliciter inchoatum eſt ſubitò Dominus in tempore faciet, vt victâ, pedibus egenorum conculcatâ, venient curui filij eorum, qui Chriſti regnum humiliauerunt, & adorabunt veſtigia pedum eius omnes qui illi detrahebant & vocabunt illud ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſraël & in profundum maris ſeu abyſſi diuinorum iudiciorum ac miſericordiæ, peccata eius fuerunt demerſa, & omnis poteſtas contra Deum ſe extollens ſubmerſa, vt minimè noceat. Ecce aſcenſura eſt iterum de abyſſo, Deo ſic volente & permittente. At pro modico tempore: nam citò in interitum ibit. *Mirabuntur* tamen *inhabitantes terram* (*quorum videlicet non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ, à conſtitu-* D *tione mundi*) *videntes beſtiam, quæ erat & non eſt*: gaudentes potiſſimùm quod ad priſtinam redierint poteſtatem, per vltimum è capitibus ſuis; omnem regni Chriſti gloriam exterius poſſint è medio auferre, nullus ſit qui eis reſiſtere valeat. *Et hic eſt ſenſus*, nempe quem potiſſimum intendo, & cuius cauſa de hac beſtia mentionem facio, loqui volo de quadam potentia, quæ regnum obtinuit in quadam ciuitate: quæ quia ſepticolis, ſuper ſeptem montes ſedere dicitur. Ideo dico quod *ſeptem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier.* id eſt impietas, ſeu impiorum magna multitudo ſedet & inhabitat. Sed etiam illa capita ſeptem deſignant imperia ſibi inuicem ſuccedentia, quæ huius mulieris abominanda E ſcelera ſemper fouebunt quantùm in ipſis erit. Dixi iſta imperia ſibi inuicem ſuccedere, nam quinque ceciderunt: quia in eis nulla eſt poteſtas aut autoritas, quæ regni Chriſti progreſſum impediat. Vnum tamen caput beſtiæ reſtat, quo fideles exerceantur, vſque dum vltimum appareat. *At cum venerit, oportet illud breue manere.* Tribus ſiquidem annis cum dimidio durabit iſtud Imperium. Veniet autem cum beſtiâ, quæ in quinto ex ſuis capitibus fuerat regnum Chriſti vehementius perſequens, & poſtea illi omnino ceſſerat; quaſi octauum conſtituet imperium, cum contra regnum Chriſti rurſus inſurget, licet iam de numero ſit ſeptem capitum. Sed ſtatim atque à Chriſto deficiet, vt ſuos fideles perſequatur, in interitum vadit, ſepti-

Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam quæ erat & non eſt.

Et hic eſt ſenſus qui habet ſapientiam, ſeptem capita ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet & reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt vnus eſt & alius nondum venit & cum venerit oportet illum breue manere. Et beſtia quæ erat & non eſt, &

A mo capite illud octauum inuadente. *Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt: ſed poteſtatem tanquam reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam.* Vſque ad vltimum hoc Imperium omnes inferiores poteſtates, quæ beſtiæ iuſſa exequebantur, regiâ dignitate non pollebant. Attamen dico quod reges ſunt: quia vltimum imperium potiſſimum ſpecto, quo durante miniſtri & fautores impii capitis decem reges erunt, qui ſub eius autoritate quaſi regnabunt, ſed per breue tempus. Poteſtatem, nempe tanquam reges vnâ horâ accipient poſt Beſtiam. Vna eorum mens: vnum idem conſilium, vt partes Anti-Chriſti tueantur: quo fiet vt virtutem & poteſtam ſuam Beſtiæ tradant, nempe B ſeptimo illi capiti, Chriſti Imperium inſectanti: cui cum obedientiam præſtauerint, ab ipſo aſſumentur, & eorum poteſtate vtetur, vt cum Agno pugnent. *Agnus* tamen *vincet illos*, tùm propter ſuam gloriam: *quoniam Dominus Dominorū eſt & Rex Regum* tum propter bonum electorum. Nam qui cum illo ſunt vocati electi & fideles, propter quos Deus omnia ordinat ac permittit, vt vocationi reſpondeant, ad id ad quod adipiſcendum electi ſunt perueniant, & ad ſui gloriam fideles permaneant. Vt autem clarius, videas quænam ſit hæc beſtia, in qua capita reperiuntur tantâ poteſtate & autoritate prædita, ſcias populos & gentes & nationes diuerſorum idiomatum eſſe, quæ colla impietati ſubmiſerunt. C Nam dixi tibi quod mulier illa ſedet ſuper beſtiam. Ea autem ſedet ſuper aquas multas, quæ populi ſunt. Beſtia igitur erũt populi impietati fauentes, & diuerſi idiomatis, quia hæc imperia apud Caldeos, Aſſyrios, græcos, Romanos, diuerſi idiomatis cõſurgent. Si autẽ quæras quodnam ſit potiſſimùm conſilium eorum Regum? Dico tibi quod decem illa cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam dum ſuperbiæ & audaciæ ciuitatis illius à Chriſti obedientia ſubtractæ inuident, timentes ne ab illâ opprimantur abſque negotio. Beſtiæ auxilium præſtabunt, vt per eorum virtutem & poteſtatem illâm euertat: ſicque *deſolatam illam facient*, muros eius & portas dituendo: *& nudam*, omnes eius opes & diuitias D diripiendo: *& carnes eius manducabunt*, ciues eius interficiendo: *& ipſam igni concremabunt*, omnia eius ædificia ignibus in fauillas ac cineres redigendo: Deus enim, cui omnia ſeruiunt, qui de malis nouit bona elicere, eorum malitiam ordinabit ad executionem ſuæ voluntatis. Statuit ipſe eam diruere, propter eius diſceſſionem à fide: Ideo cum corda regum in manu habeat, in corda eorum regum ponet vt faciant quod placitum eſt ei, ipſam diruendo, diripiendo, concremando: itaut beſtia nullam deinceps in terris aliam poteſtatem metuens, ipſos etiam poſtea in ordinem redigat, & ſola regiâ poteſtate polleat, donec conſummentur verba Dei. Quænam autem ſit mulier quam vidiſti, facillimè E conjicies, ſi attendas quandam eſſe ciuitatem magnam, quæ habet regnum nunc ſuper reges terræ. At nulla alia præter Romanam ciuitatem habet nunc regnum ſuper reges terræ. Hæc igitur ciuitas Roma eſt, quæ Chriſti iugo ſubdita à ſe impietatem expulſerat, ſed eo reiecto fiet habitatio dæmoniorũ, & ſedes impietatis. Propter quod eam fore euertendam & diruendam Deus decreuit ac ſtatuit, vt ſit in exemplum ſummæ eius erga ingratos peccatores ſeueritatis.

TEXTVS

ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit.

Et decem cornua quæ vidiſti decem reges ſunt qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam.

Hi vnum conſilium habent & virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Hi cum agnó pugnabunt, & agnus vincet illos quoniam Dominus Dominorum eſt & Rex Regum & qui cum illo ſunt vocati electi & fideles. Et dixit mihi: à quæ quas vidiſti vbi meretrix ſedet populi ſunt & gentes & linguæ. Et decem cornua quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam & deſolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt & ipſam igni concremabunt Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum eſt illi vt dent regnum ſuum beſtiæ donec conſumentur verba Dei. Et mulier quam vidiſti eſt ciuitas magna quæ habet regnum ſuper reges terræ.

IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Connexio ſeu ſeries eorum, quæ tractanda ſunt, cum iis quæ in ſuperiori potiſſimum capite fuerunt deſcripta.

CVM caput decimum ſextum nihil aliud complectatur quàm deſcriptionem vitiorum, & abominationum, quibus mortales impugnant omnes facultates Eccleſiæ à Deo conceſſas, vt ſuum in terris viſibile ſtabiliat & promoueat imperium, & edoceat homines cultum & obſequium ſibi præſtandum: In hac impugnatione apparuit veluti quidam conflictus congregationis malorum, beſtiæ nempe Marinæ, & terreſtris, Draconem concomitantium, cum Eccleſiæ Paſtoribus. Optima igitur erit rerum ſeries, ſi poſt conflictum, cui victoria contigerit deſignetur: ſi quid ex tanta contradictione & oppoſitione dæmonis & membrorum eius obuenerit, ſignificetur. Hoc præſtat ſanctus Propheta in capitibus ſubſequentibus. Vidimus nempe in ſuperiori capite ſtupiditatem hominum terrenorum, militantem contra vim & energiam ſpiritus charitatis infuſæ in cordibus ſanctorum, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt eis. Vidiſtis peruerſam ad malum inclinationem ſeu pronitatem, efficaciæ verbi diuini reſiſtentem, vt quamuis ſermo diuinus penetrabilior ſit omni gladio ancipiti, in his videlicet qui ſalui fiunt: in his tamen qui pereunt nullum obtinet effectum. *Verbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt.* Perſpeximus quandam omnium facultatum hominis profuſionem & propenſionem circa obiecta ſenſuum (cui ſuccumbentes innumera committunt ſcelera) retundentem Sacramentorum efficaciam: vt quamuis in ſe contineant gratiam, illamque non modò ſignificent, ſed & efficiant, itaut gratiæ (quam producunt) auxilio, inordinati motus ſenſualitatis reprimi valerent, tamen nihil efficiunt: quia vel negliguntur, vel indignè ſuſcipiuntur. Animaduertere potuimus quomodo error in mente voluntariè admiſſus (quia proprio iudicio nimium homines adhæſerunt) reijciat modum à Deo in Eccleſia ordinatum, quo abſque negotio via eſt aperta, vt & ſupremam veritatem cognoſcamus, & ad Deum tanquam ad vltimum finem adſpiremus. Ante mentis oculos propoſita fuit fixa & deliberata determinatio animi noſtri in re propoſita, vt pote Dei & proximi dilectioni contraria (, quia poteſt ſibi homo quiſque præſcribere finem in quo conquieſcat) conculcans & infringens leges diuinas & Eccleſiaſticas, quibus & actiones noſtræ erant dirigendæ, & deſideria moderanda. Contemptus autoritatis Paſtorum Eccleſiæ audacter ſeſe perſpiciendum obtulit præliantem cum poteſtate illis tradita adigendi & cogendi fideles, vt iuxta leges ſibi datas, actiones ſuas dirigant. Denique vidimus qua ratione contumacia & obſtinatio in peccatis ineat certamen cum poteſtate Eccleſiæ data puniendi contumaces per excommunicationem, vt hac ſeparatione à myſtico corpore timere addiſcamus æternam à Deo ſeparationem, & à regni cæleſtis participatione excluſionem.

Cernere proculdubio facillimum eſt in iſtis quamdam certaminis ſpeciem, inter eos qui huiuſmodi rationibus Imperium Chriſti promouere ſtudent, & eos qui illis reſiſtunt. Nihil igitur conuenientius adduci poteſt, quàm quid ex illo conflictu contigerit deſcribatur, & quidem illa ſeparatione à corpore myſtico Eccleſiæ & comminatione ſupplicij æterni obueniat, proponatur. Hoc agit S. Ioannes, **A** & victoriæ modum, & malorum ſupplicia, temporalia & æterna, & triumphos ob partam victoriam de iis cui cultum diuinum & pietatis exercitia ſubuertere & euellere tentabant, proponit in capitibus ſubſequentibus: Et quanti etiam facienda ſit illa victoria declarat S. Ioannes, ex deſcriptione amplitudinis, dominationis, opulentiæ, potentiæ, crudelitatis mundanæ poteſtatis, contra Chriſti imperium dimicantis. Cumque hoc in abſtracto, vt ita dicam, ſeu in genere, abſque determinatione alicuius ſubiecti particularis proponere non ſufficeret, eligitur quædam certa & determinata ciuitas, in qua palpabiliter & ſenſibiliter impietas ad ſummum perueniet gradum, & in qua intenſior malitia, turpior ingra- **B** titudo reperietur: in qua, inquam, omnes facultates Eccleſiæ datæ ad Chriſti regnum promouendum, cum maiori ſplendore & dignitate effectum ſuum obtinuerunt aliquando, & tamen poſtea maiori cum contemptu neglectæ fuerunt. Vnde tandem propter contumaciam, cui omnes eius incolæ conſentient, ab Eccleſiæ vnitate ſeparari merebitur, pœniſque tum temporalibus tum æternis puniri. Quæ quidem ciuitas, & omnium reproborum impietatem: & eius ſupplicia, ſuppliciorum quibus puniuntur grauitatem & acerbitatem valeant adumbrare, & quodammodo in ſeipſa continere.

Hanc ciuitatem in iſto capite ſub ſpecie cuiuſdam mulieris deſcribit S. Ioannes & ſuis coloribus **C** depingit: itaut facilè cerni poſſit, quàm impia, quàm abominabilis ob ſcelera ingentia facta fuerit. Et in fine capitis poſtea declarat quibus inſtrumentis, ſeu quorum operâ Deus illius audaciam & contumaciam conſtringet. Et tandem in capite 18. illius euerſionem deſcribit. Videamus igitur in hoc capite decimo ſeptimo, quam glorioſa futura ſit victoria, quæ de tam potenti hoſte erit reportanda. Simulque videbimus quàm iuſto Dei iudicio tota ſimul impiorum turba damnabitur, & potentes ſeculi potenter tormenta patientur, qui diuitiis, honoribus, & potentia, ſibi à Deo conceſſis, tantùm ad luxum, & immunditiem, & ſeductionem, & crudelitatem, & perſecutionem bonorum vſi ſunt.

D

Et vidi vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas. Et locutus eſt mecum, dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magina.

Scopus viſionis iſtius.

CAPITIS XVII.

PERSPECTA ex his, quæ dicta ſunt in ſuperiori capite, fidelitate qua Eccleſia omnem ſuam adhibuerit induſtriam, vt ſuo munere ritè fungeretur, exercendo videlicet omnes ſibi collatas **E** facultates, ſtrenuè dimicando contra hoſtes & aduerſarios Chriſtiani Imperij, vt pro ratione dignitatis, & diuinæ gratiæ, quam accepit, quantum in ſe eſt, & Dei cognitionem ingerat mentibus, & eius cultum promoueat in vniuerſo terrarum orbe; Nec non etiam perſpectâ impiorum hominum nequitiâ, qui tum pios Dei conatus, quibus eorum ſalutem ſe exoptare manifeſtat, futiles reddiderunt quantùm ad ipſos attinet, dum ſanctæ Eccleſiæ piis deſideriis in eorum ſalute procuranda, per contumaciam obſtiterunt: operæ pretium eſt videre qua ratione illa hominum turba in memoriam ante Deum veniat, vt bibat de vino iræ indignationis eius. Hoc videre licet in hoc capite, in quo poſt depictam iſtius multitudinis impiorum horrendam & abominabilem nequitiam, qua cum agno pu-

gnant: ipſe, vt Rex Regum & Dominus Dominantium, eorumdem miniſterio vtitur, vt euertat eminentiorem inter eos ciuitatem: quæ vt flagitiis abundantior, ſæuiorii ſupplicio erit punienda. Hanc ſub Typo cuiuſdam mulieris magnæ repræſentat quidam Angelus damnandam *ad conſolationem ſanctorum*, inquit Rupertus l. 10. in Apocalypſ. *Vt non fatigentur aduerſis, neque æmulentur in malignantibus: dum faciendo iniquitatem eleuantur & exaltantur in gloria huius mundi, & cupitis fruuntur delitiis ac diuitiis.* Duobus enim modis poſſunt ſpiritu pietatis conſolari ſancti, primò demonſtrando eis citò auferendam eſſe malignorum (qui ſanctos perſequuntur) vim & potentiam: deinde ſucceſſuram fore gloriam regni Dei, *In quo Deus à ſanctis ſuis frequens Alleluia dicentibus, æterna cum exultatione laudabitur*; vt ait Rupertus. Primus modus conſolationis proponitur in hoc & ſequenti capite. Secundus in cap. 19. vt videbimus. Et reuera magna conſolatio proponitur fidelibus, quibus ingens irruet animi perturbatio, dum videbitur Romana ciuitas à ſummo Pontifice defeciſſe, & ab eius obedientia per ſchiſma, cui conſentiet, ſeſe ſubtraxiſſe, vt poſtea videbimus. Vnde non parua datur piis conſolatio, dum prædicitur hanc ſummã ingratitudinem fore citò à Deo puniendam. Sed antequam videamus quod reuera in hac meretrice magna deſignetur impietas regnans potiſſimùm in Romana ciuitate ſchiſmatica, & à ſummo Pontifice diuiſa in fine ſeculorum, tanquam omnium impietatum Prototypa & exemplar: quinam ſit ille Angelus ſanctum Ioannem alloquens diſcutiamus.

Et venit vnus de ſeptem Angelis.

Quiſnam ſit ille Angelus oſtendens damnationem meretricis magnæ.

ANNOTAT. I.

ANGELVS, inquit Ambroſius, *verò, phialam habens, prædicatores ſanctos Ioannes typum tenet omnium fidelium.* Ita Ambr.

Rupertus omnes ſcripturarum ſanctarum tractatores ſeu ſcriptores videtur in eo intelligere, dum ait: *Vnus iſte de ſeptem Angelis ſeptem phialas habentibus, vnam fidem & vnum ſignificat ſpiritum, qui in eis loquitur. Omnes quippe Angeli iſti, id eſt, omnes ſcriptores, ſiue ſcripturarum tractatores, quos Eccleſia ſancta recipit, idem dicunt, idem ſapiunt, & ſchiſmata in eis non ſunt. Porrò Ioannes, qui vnum illum ad ſe veniſſe, ſecumque loquutum eſſe dicit tot & tanta verba conſolationis, hoc loco ſanctorum omnium in ſua perſona typum gerit, quicumque in hoc ſeculo peregrinantes meruerunt vel merentur per conſolationem ſcripturarum beata ſpe confortari.* Ita Rupert.

Alcazar per hunc Angelum non quemlibet ex ſeptem Angelis, qui phialas habent, intelligendum eſſe putat, ſed in ordine primum, huncque S. Paulum deſignare aſſerit. *Ad huius*, inquit Alcazar Prolog. ad cap. 17. & 18. diſputat. 3. *explicationem, animaduerto in Apocalypſi cum dicitur vnus de ſeptem Angelis phialarum, idem valere quod primus illorum: ſicuti vnum de quatuor animalibus idem eſt atque primum, nempe Leo. Vidimus autem cap. 15. & 16. qui primam effudit phialam, eſſe Paulum, qui vt gentilitatis Apoſtolus, myſtici illius belli in gentiles ſuſcepti dux eſt.* Hæc Alcazar. Paulo autem hoc conuenire vult, quia myſterium primæ phialæ eſt Romanos de ſuis ſceleribus arguere, & eos per huiuſmodi prædicationem verecundia afficere. Quod reuera præſtat Epiſtolâ ad Romanos c. 1. Secundò, quia probabile eſt Ec-

A cleſiæ ſucceſſum reuelatum fuiſſe, & Apoſtolo Paulo, & etiam Petro, quem deſignari vult Alcazar c. 18. in his verbis: *Et poſthac vidi alium Angelum deſcendentem de cælo.* Fuerunt enim Romanæ Eccleſiæ fundatores. Vnde congruum eſſe videtur, vt eis reueletur quidquid circa eam futurum ſit, tum quia de myſtica conflagratione Romanæ ciuitatis per illius conuerſionem agi exiſtimat, cuius quidem felicis nuncij præcones, meritò S. Petrum & S. Paulum eſſe par eſt exiſtimare; Paulum, inquam, qui 2. ad Corinth. 12. narrat audiſſe *ſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Vbi*, inquit Alcazar, *verbum illud, Non licet, nequaquam referendum eſt ad myſteriorum excellentiam. Nulla enim præſtantiora, aut ſublimiora eſſe* B *poſſunt, quàm ſunt myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ, quæ non modò licet reuelari, ſed & oportet. Quamobrem quod Paulus ait: Non licet: accipiendum eſt de expreſſa ac manifeſta prædicatione, quæ Chriſtianam Eccleſiam prædicaret de Roma triumphum acturam, nec non ſenatores omnes ad Chriſti fidem traducturam. Veruntamen illa ipſa, quæ palam ac publicè pronunciari non expediebat, certè minimè dubitaret Apoſtolus Ioanni integrè renunciare.* Ita Alcaz.

S. Thomas in expoſitione hunc Angelum Chriſtum intelligit per inſpirationem docentem. *Non*, inquit, *quod, ſicut dicit gloſſa, Angelus tenet perſonam docentis; Ioannes perſonam diſcentis. Vnde per hunc Angelum poteſt intelligi Chriſtus, Angelus magni Concilij, qui* C *ſua inſpiratione docet Eccleſiam, cuius typum gerit Ioannes* Ita S. Thom.

Ego verò iis quæ ſupra docuimus inhærens, Dico illum Angelum deſignare ſpiritum orationibus fidelium præſidentem, eoſque impellentem vt ad Deum in rebus neceſſariis, & quæ vtilia ſunt ſibi vel Eccleſiæ, recurrant cum fiducia. Hunc enim ſpiritum in Epiſcopo Epheſino adumbratum, primum eſſe inter Angelos ſeptem, qui tenent ſeptem phialas, docuimus; eorum enim eſt, qui orationi & contemplationi dediti ſunt, myſteria Dei percipere, & quæ futura ſunt pro bono Eccleſiæ regimine præuidere. Hac ratione Paulus vſque ad tertium cœlum raptus *audiuit arcana verba, quæ non licet homini lo-* D *qui.* Hac ratione Petrus in extaſim abſtractus cognouit tempus adueniſſe aperiendi gentibus Euangelium. Hic ille eſt ſpiritus, quo reſuſcitatur in nobis gratiæ Dei: qui ſi ſemel extinctus fuerit mens offunditur tenebris, & voluntas à boni proſecutione retardatur, fidei lumen deperditur, charitas euaneſcit; nihilque niſi tranſitorium homo concupiſcit. Sapienter enim & verè dixit S. Chryſoſt. de orando Deum, libro primo. *Itaque cum video quempiam non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruidâ vehementique cura teneri, continuò mihi palam eſt eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter* E *orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum eſſe meditatorem ac Dei templum.* Ita Chry. *Beati mundo corde*, inquit Chriſtus. At oratio cor mundat. *Porrò*, inquit paulo ante Chryſoſth. *Vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris. Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur, ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam, ſiue quis meditatur inijcere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere; ſiue quis cupit ab inuidentiæ lue purus eſſe; denique, ſi quis aliud quippiam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, commodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri vt qui poſtulant à Deo pudicitiam, iuſtitiam, manſuetudinem ac benignitatem, non aſſequantur id quod petunt.*

Digitized by Google

Ita Chryſ. Dum igitur per orationem cor mundatur, & vitam ducimus ab omni impuritate alienam, certè mens noſtra facilè poterit ad cæleſtium myſteriorum cognitionem eleuari, & diuina percipere. Itaut dicere debeat cum ſponſa, Cant. 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua. In illa proculdubio cellaria*, inquit Apponius in Cantic. *Vbi ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. De quibus cellariis in B. Petro ſuſcepit* (ſcilicet Eccleſia) *claues, in quibus ſummam rerum adepta eſt poteſtatem, & ligandi ſoluendique meruit principatum; vbi audit verba arcana in Paulo, quæ non licet homini loqui.* Ita Apon.

Optimè igitur S. Ioannes introducit primum Angelum, ex his qui ſeptem habent phialas, ſecum loquentem, cumque prouocantem vt veniret, vt oſtenderet illi grande myſterium damnationis reproborum. Nam ſi in illo primo Angelo ſpiritum orationis recte intelleximus, vt dictum eſt ſupra, huius munus & officium eſt ſanctos ad ſupernorum cognitionem, & ſecretorum Dei perceptionem prouocare. Venit igitur ille Angelus, vt inſpirationis diuinæ præuentionem agnoſcamus, mentem S. Ioannis impellentem ad cæleſtium ſecretorum contemplationem.

Venit, *inquam*, ait S. Thomas in expoſitione, *vt excitaret intellectum meum. Sic ad litteram videbat, in viſione ſcilicet, vnum ex ſeptem illis Angelis accedentem ad ſe, & excitantem eius intellectum ad intelligenda ea, quæ conſequuntur. Et locutus eſt mecum, verbo interiori. Ecce quanta beati Ioannis dignitas, vt per Angelos ſibi familiares reciperet reuelationes, vt pote ſemper virgo.* Ita S. Thomas. *Cum dicit: veni*, inquit Rupertus l. 10. in Apocalypſ. *Intelligere debemus electam animam quaſi intus vocari, vt non euagetur & ipſa foras poſt concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum; ſed colligat ſe intus ad ſecretum contemplationis, vt poſſit ea quæ ſunt, & quæ poſt futura ſunt, penſare diligenter penes ſe, cum iudicio rationis.* Ita Rup.

Quodnam autem myſterium reuelare velit B. Ioanni, aperit dum ait: *Veni, & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Vt autem illud intelligamus, inquirendum nobis quænam ſit illa meretrix magna, cuius damnatio pro myſterio ſit oſtendenda.

Veni & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitabant terram, de vino proſtitutionis eius.

Quænam ſit meretrix magna, cuius damnatio reuelatur?

Variæ autorum expoſitiones de meretrice magna, & ciuitate magna, quæ Babylon vocatur.

ANNOTAT. II.

TICONIVS homilia 13. *In muliere corruptela monſtratur.* Et poſtea circa finem: *Meretrix, beſtia, eremus, vnum ſunt, quod totum Babylonia intelligitur.* Et homil. 15. *Meretrix eſt vita luxurioſa, quæ rapinis & voluptatibus agitur. Ideo dixit quod odio habeant meretricem, quia homines luxurioſi, ſuperbi, cupidi & elati, non ſolùm ſanctos perſequuntur, ſed etiam ſeipſos odio habent. Et alio modo ſeipſos odio habent, in quibus impletur quod ſcriptum eſt: Qui diligit iniquitatẽ, odit animam ſuam.*

Rurſus idem Ticon. *Mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, id eſt omnes mali & impij. Sic & de Eccleſia dictum eſt: Veni oſtendam tibi mulierem agni. Et oſtendit ciuitatem deſcendentem de cælo.* Ita Ticon.

Primaſius per meretricem corpus omnium perditorum intelligit. Ait enim: *Conſiderans Spiritus ſanctus corpus omnium perditorum, quod diuerſis quidem, ſed congruis nominibus vocitat, variis iamdiu ſuperbientem exceſſibus progredi, corrumpi flagitiis, erroribuſque raptari, tantaque impietate ſæuire, vt mitibus etiam aduerſetur; congruâ precitorum circumſcriptione depingit, meretricem vocans: quia relicto creatore, dæmonibus ſe proſtituit conſtuprandam. Magnam, propter immanitatem præuaricationis, per quam ſanctis diutiùs inſultabat.*

Rurſus Primaſius: *Illa ipſa eſt*, inquit, *quam corruptionibus carnis & ſanguinis deditam, mundanaque regni præmiſit floruiſſe potentia: quia cum ex ipſis regibus conſtet, ſuper eos ipſam dicit regnare, more ſuo vnam diuidens, eamdẽque per partes, tanquam à genere ad ſpeciem. In muliere, in ciuitate, in regibus, ſuper regibus, ſuper hanc, verba Domini complebuntur, cuia & miſericorditer redemerit ſuos, & iuſtè damnauerit contumaces. Vbi autem conſummationis mentio, ibi eadem huius libri fiat opportuna concluſio.* Hæc Primaſ. Qui hac ratione videtur collectionem omnium regum impiorum intelligere, cum dicit hanc ciuitatem ex ipſis regibus conſtare, ſuper quos habet regnum: quia iniquitas ſuper eos dominatur.

Andreas Cæſar. *Hanc meretricem quidam veterem Romam deſignare putant, vt quæ ſuper ſeptem colles exædificata traditur, &c. Nos autem*, addit Andreas, *ex iis conſecturam facientes quæ hinc ſequuntur*, per hanc vel vniuerſale orbis terræ regnum, in vnum quaſi corpus conflatum, inſinuatum exiſtimamus; aut prænobilem ac præpotentem quampiam ciuitatem, quæ vſque ad Anti-Chriſti aduentum Principatum in terrarum orbe ſit obtentura. Siquidem antiqua Roma iam olim Imperij Maieſtatem amiſit. Niſi quis forſan arbitretur priſtinam dignitatem & maieſtatem ſuo poſtea tempore denuo recuperaturam. Verum hoc admiſſo, ciuitas illa magna, quæ hodie primatum obtinet, è medio faceſſat oportet. Nam Apocalypſis verba ſunt: *Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet Imperium ſuper Reges terræ.*

Ambroſius: *Meretrix iſta in aliquibus locis Romam ſpecialiter, quæ tunc Eccleſiam Dei perſequebatur; in quibuſdam verò generaliter ciuitatem diaboli, id eſt, omne reproborum corpus demonſtrat. Angelus igitur Ioanni oſtendit damnationem meretricis magnæ, quia prædicatores ſancti, & verbis & ſcriptis oſtendunt quas pœnas impij pro ſceleribus ſuis patiantur, vt eorum pœnis territi, à peccatis abſtineant. Quæ ſuper aquas multas ſedere dicitur quia ex multitudine gentium, quæ per aquas deſignantur. Ciuitas diaboli conſtituitur. Cum qua reges terræ fornicati eſſe dicuntur, quia ſcelera Babylonis auxerunt potiùs quam deſtruxerunt, &c.*

Rurſus idem Ambroſ. *Ciuitas magna, quæ habet poteſtatem ſuper cunctos reges terræ. Hoc*, inquit, *manifeſtum eſt: Scimus enim Romanos eo tempore cunctis regibus terræ dominari. Sed dicet aliquis: Quomodo per mulierem meretricem, Romani deſignantur, cum illis temporibus, quando hæ gentes diuerſas clades generi humano intulerunt, Romani Chriſtiani extiterint? Ad quos nos Reſpondemus quia per mulierem meretricem, non electi, qui ex eadem gente fuerunt, intelliguntur, quique mundi gloriam pro amore gloriæ cæleſtis contempſerunt: ſed reprobi, ſiue Pagani, ſiue falſi Chriſtiani fuerunt. Illorum ergo poteſtas ab iis gentibus deſtructa eſt, quia impia dominatione genus humanum premebant.* Ita Ambroſ.

Rupertus meretricem interpretatur cupiditatem, dum ait: *Verè enim ſedet hæc meretrix ſuper aquas multas, quia multæ ſunt gentes, ſuper quas regnat cupiditas.* Et paulo poſt: *Quia ergo ſedet hæc meretrix ſuper aquas multas, id eſt; quia multi ſunt populi vel gentes, quibus*

dominatur cupiditas, ideo cum dixiſſet. Oſtendam tibi damnationem meretricis; addidit, magna. Sed profectò talis magnitudo eius fallax eſt, quia non ſtat. Et paulo poſt addit: *Vera namque & magna fornicatio creaturæ rationalis, id eſt hominis, elongare ſe à Deo, & adhærere mundanæ cupiditati. Hinc enim Pſalmiſta cum dixiſſet: Quia ecce qui elongant ſe à te, peribunt, continuò ſubiungit: Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Hoc maximè fecerunt reges terræ, quorum cupiditati ad regnandum nulla ſuffecerant ſpacia terrarum, quinimò & pro dilatandis terminis ſuis cædes hominum innumerabiles perpetrauerunt.* Ita Rup.

Quibus certè hoc valde ignominioſum eſt, iuxta Rupertum, quod à muliere regantur: ſed multo ampliùs hoc valet ad inſinuandam ſeruilem ſtultitiam Regum terræ, cum dicitur; Quæ habet regnum ſuper reges terræ. Quid enim? Nonne reges terræ ſupini incedunt, & ſeſe eſſe liberos confidunt? Sed ecce regem ſe habere comprobantur. Et quod turpiſſimum eſt, mulier meretrix ſuper eos regnare, & ceruicibus eorum incumbere, rationabiliter & irrefragabiliter aſſeritur. Mentiuntur ergo liberos ſe eſſe pronunciantes, quia ſerui ſunt, & meretricium portant iugum, ſemper anhelantes, & ſub onere curui; tot dominorum ſerui, quot vitiorum captiui. Ita Rup.

S. Thomas: *Meretricis, id eſt,* inquit S. Doctor, *multitudinis ſiue numeroſitatis malorum collectio: quæ ſupra c. 16. dicitur Ciuitas magna, & vocatur Babylon. Supra 15. capite. Et infra, eodem, Babylon magna mater fornicationum. Numeroſitas autem ſiue collectio malorum dicitur meretrix, quia relicto conditore, qui eſt ſponſus ſanctarum animarum, fornicantur mali cum dæmone per cultum idolorum, vel cum rebus terrenis, per affectum temporalium: vel cum immunda carnis voluptate, per immunditiam delitiarum. Dicitur etiam meretrix multitudo peruerſorum, qui peruerſi faciant alios ſecum fornicari ſpiritualiter per prauam doctrinam, vel exemplum malum, vel conſilium prauum, ſicut ſequitur: Cum qua fornicati ſunt. &c.*

Et poſtea S. Thom. *Hæc mulier ſiue meretrix intelligitur multitudo malorum magis peruerſorum, qui in malitia ſunt principaliores & ad peruertendum alios ſtudioſi: & quandoque occultè, quandoque apertè, ad modum meretricis faciunt alios tam principes quàm eorum ſubditos adhærere ſibi, inducendo eos doctrina, vel perſuaſione, vel exemplo, vel alio modo, ad ſequendum delectabiliter errores vel alia peccata. Et hoc factum eſt, & fit, & fiet, maximè tempore Anti-Chriſti, per hæreticos vel alios peruerſos: & cum his damnabuntur alij quos ſeducent, &c.*

Denique S. Thomas ait: *Poſſet tamen intelligi hæc meretrix multitudo malorum communiter. Singulares autem perſonæ, in quantum adhærent per imitationem prauitati, quæ eſt in communi multitudine malorum, dicuntur cum ea fornicari. Item in quantum multitudo, ſuo communi exemplo, vel ſpeciali exemplo, aut verbo eorum qui magis ſunt inter malos peruerſi dejiciant plurimos in peccata, & detinent in eis, dicitur meretrix ſedere ſuper aquas multas, id eſt ſuper populos, particulares malos. Diuerſitas ergo inter hanc meretricem, ſiue mulierem, & inter eos qui cum ea debent fornicari, vel eius Dominio ſubeſſe, ſicut eſt inter Eccleſiam communem, & membra particularia.*

Rurſus idem S. Thom. *Mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, id eſt, collectio, ſiue numeroſitas peruerſorum conformium in malo: quod notatur per vnitatem ciuium in ciuitate. Magna, propter numeroſitatis eorum multiplicitatem, ex vitiorum magnitudine, multitudo peruerſorum dicitur. Mulier, propterea quia ad malum emollit. Ciuitas, quia multos colligit. Magna, quia quaſi numerum excedit, vel quia enormiter offendet. Meretrix, quia homines à Deo diſiungit. Babylon, quia ſe in vitiis confundit ſiue inuoluit. Quæ habet regnum, id eſt Dominium, ſuper reges terræ, id eſt, ſuper potentes diligentes terram. Societas enim impiorum, qui pluſquam alij ſunt ſtudioſi ad*

A *malum, quæ dicitur mulier, & meretrix, & ciuitas magna, trahit potentes ad nutum ſuæ voluntatis: ſicut videmus quod hæretici multos Principes trahunt. Et hoc maximè erit tempore Anti-Chriſti. Si autem mulier dicatur multitudo malorum communiter, tunc mulier dicitur habere regnum, id eſt Dominium; ſuper reges terræ, quia vitia, quæ ſunt in malis communiter, dominantur ſpecialiter in multis maioribus & potentioribus, quia poteſtas dominationis dat eis ſuperbiam & audaciam peccandi.* Ita S. Th. Qui in eo quod dicitur, Reges terræ, ait S. Ioannem loqui non de bonis regibus, ſed de prauis, qui diligunt terram. Ita S. Th.

Alcazar in Commentario. *Meretricis magnæ nomen tribuitur magnæ ciuitati idololatriæ: nam ciuitates idolorum* B *cultrices ſolent in ſacris literis meretrices nuncupari, ſicut idololatriæ etiam nomen fornicationis tribuitur. Iſ. 23. Ierem. 2. & c. 3. Ezechiel. 16. v. 15. Nahum. 3. 1. 4. Michea 1. v. 7.*

Et Alcazar Romanam ciuitatem intelligit (ſed antiquam & Ethnicam, quæ Chriſti Eccleſiam exagitabat) plurimorum autoritate fultus. Sed præcipuè hoc conjiciendum putat ex ſua ſerie, quam amplectendam eſſe contendit: in qua ſerie hic agitur de exitu horribilis illius belli, in quo Roma Ethnica cum Eccleſia Chriſtiana acriter dimicabat: qui quidem exitus prætermitti non debuit, tranſiliendo repente ad finem illius vrbis, quæ ſub temporibus Anti-Chriſti Anti-Chriſtiana eſſe debet, & C Eccleſiæ contraria, & propter hoc euertenda, prout in hoc capite hæc ciuitas magna deſolari, nudari, & concremari debet. Hæc eſt Alcazaris mens & expoſitio, quam probabiliorem exiſtimat, ex eo quod nullum putat afferri ſolidum fundamentum Romanam Eccleſiam ſub Anti-Chriſti tempus Romæ oppreſſum iri: quod tantum ab eſt vt adduci poſſit, vt Gregor. Magnus l. 2. Dialog. c. 15. affirmet S. Benedicto fuiſſe diuinitùs præſignificatum, Romam nunquam ab infidelibus euerſam iri. Ita Alcaz. Nihilominus noſtra nunc adducenda eſt expoſitio, in qua videbimus quomodo Roma reuera ſit iſta ciuitas magna.

D

Veni & oſtendam tibi, &c.

Noſtra de muliere meretrice ciuitate magna expoſitio.

ANNOTAT. III.

PRÆSVPPONENDVM primò quædam certa eſſe ex textu præſupponenda, vt quid per mulierem iſtam meretricem S. Ioannes intelligat, meliùs percipiamus.

Et primò: certum eſt meretricem magnam mulierem illam eſſe ſedentem ſuper beſtiam coccineam. Secundò certum eſt mulierem illam vocari Babylonem, eſſeque matrem fornicationum, & abominationum terræ 3. Certum eſt mulierem illam E à beſtia diſtinguendam, quomodo diſtinguitur ſeſſor, ſeu eques ab equo ſuper quem ſedet. Vnde dicitur: *Dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam.* Quartò certum eſt illam mulierem, quæ meretrix & babylon nuncupatur, eſſe quamdam ciuitatem, quæ habet regnum ſuper reges terræ. Ex quibus, quatuor ſunt inquirenda. Primò, quænam ſit illa ciuitas? Secundò Cur meretricis nomen illi conueniat? Tertiò: Babylon vocitetur? Quartò: quænam ſit illa beſtia, quæ portare dicitur ciuitatem illam, quæ meretrix & Babylon dicatur?

Quantum ad primum, quidquid dicat Alcazar, Dico. Primò ciuitatem iſtam magnam Romam eſſe, ſub vltima Anti-Chriſti tempora conſideratam, non ad idololatriam reuerſam, vt quidam putant, ſed

ſchiſmatico & hæretico Imperij Romani & Romanæ ciuitatis inuaſori adhærens, expulſo ex ea per vim & violentiam ſummo Pontifice, Romanis ciuibus impiæ huic defectioni & diſceſſioni iſtius inuaſoris à capite Eccleſiæ fauentibus & conſentientibus, quaſi quæ proprium ſponſum in hoc ſchiſmatico inuaſore recuperarit.

Prima pars huius propoſitionis ſatis patet ex tot autoribus, qui ab Alcaz. adducuntur: Inter quos ſunt Tertullianus, Hieronymus, Apringius, Paulus Oroſius, & alij primæ notæ autores, vt ipſe ait. Etenim iſta ciuitas magna, ea eſt quæ ſub nomine Babylonis ſignificatur in hoc capite. At nomine Babylonis intelligenda eſt Romana ciuitas Ethnica, iuxta illud Petri 1. c. 5. *Salutat Vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone, coelecta.* Gloſſa Romam vocat Babylonem, propter confuſionem multiplicis idololatriæ. In cuius medio ſancta Eccleſia adhuc rudis & parua iam fulgebat, ſicut in Babylone gens Iſraëlitica captiua. Quam gloſſæ expoſitionem adducit S. Thomas in Epiſtol. 1. S. Petri. Et ſub hoc nomine omnes autores illi ab Alcazare citati illam etiam intelligunt, & plurimorum eſſe ſententiam aſſerit Andreas Cæſar. dum ait: *Hanc meretricem quidam Veterem Romam deſignare putant; Vt quæ ſuper ſeptem colles exædificata tradatur.* Ita Andr. Igitur ciuitas magna, de qua hic mentio fit, Roma eſt.

Secunda pars huius propoſitionis (nempe Romanam ciuitatem eſſe hic conſiderandam, non ſecundum tempora primitiuæ Eccleſiæ, in quibus erat idololatriæ addicta; ſed iuxta tempora vltima conſummationis ſeculi, in quibus à Chriſto non per idololatriam, ſed per inſignem defectionem ab obedientia Eccleſiæ, ſeſe ſubtrahet) probabilis redditur ex reſponſione ad quamdam obiectionem, quam ſic ſibi objicicit Andreas Cæſar.

Dices ciuitatem illam magnam eam eſſe intelligẽdam, quæ Imperium habet ſuper reges terræ. At talis non poterit eſſe tunc Romana ciuitas, quia (vt vult And. Cæſ.) antiqua Roma iam olim Imperij Maieſtatem amiſit: ergo illa non eſt ciuitas magna, de qua hic mentio fit; ſed (vt ait Andreas) præpotens quæpiam, ac prænobilis. Ciuitas, quæ vſque ad Anti-Chriſti aduentum principatum in terrarum orbe ſit obtentura.

Reſpondeo primò ipſum Andreum exiſtimare poſſibile eſſe vt Romana ciuitas redeat ad priſtinam dignitatem, & Imperij Maieſtatem ſuo poſtea tempore denuo recuperaturam. *Ciuitate*, inquit, *quæ hodie primatum obtinet, è medio ſublata.* Conſtantinopolitanam, vt puto intelligit, apud quam tranſlatum fuit Imperium à Conſtantino magno, Româ veteri relictà. Et reuera ſuſpicatur apud Alcazar. Aretas cum aliis, de Conſtantinopoli ciuitate hunc locum eſſe intelligendum. At non repugnat illam è medio auferri, vt Roma priſtinam recuperet dignitatem. Reſpondeo ſecundo: Romanam ciuitatem, etſi ſedes Imperij Romani alibi ſit tranſlata, excellentiori ratione habere regnum ſuper reges terræ, dum in ea ſedet Romanus Pontifex, quàm haberet dum in ea imperabant Ethnici Imperatores, iuxta præclaram illam & celebrem S. Leonis ſententiam. *Vt ciuitas ſacerdotalis & regia, per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta Victoriis, ius Imperij tui terra marique protuleris, minus tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Ita S. Leo. Serm. 1. in natali Apoſtolo Petri & Pauli cum igitur hoc modo habeat adhuc regnum ſuper reges terræ, quamuis priſtinam illam dignitatem & maieſtatem non recuperaret, vt arbitrantur quidam apud Andr. Cæſarienſem, non vigent rationes

A Alcazaris in contrarium adductæ, ex ſua ſerie, quàm validè reſciſſam eſſe exiſtimo, ex ea ſerie quam pluries, in hoc opere & in proæmio ante oculos objicimus. Nec reuelatio S. Benedicti officit. Intelligenda enim eſt de illa ciuitate, prout in ea ſedes Petri collocata eſt. Quamdiu enim ſummo Pontifici erit ſubiecta, credibile eſt nunquam eam ab infidelibus eſſe euertendam. Sed cum ex ſede Petri facta fuerit per rebellionem & defectionem ſedes imperij impij inuaſoris, & ſchiſmaticorum, videtur ſuam dignitatem, & Dei protectionem amiſſuram, itaut in vindictam ſchiſmatis eam tradat infidelibus conculcandam & concremandam.

Reſpondeo tertiò: Cum dicitur in hoc c. verſu 18. *Et mulier, quam Vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet*
B *regnum ſuper reges terræ*; hoc ita intelligendum eſſe: Si vis ſcire quænam ſit illa mulier, ſcias eſſe ciuitatem Romanam quæ pro nunc habet regnum ſuper reges terræ: quidquid ſit de tempore, in quo deſolabitur in vltimis temporibus.

Nec adhuc obſtat alia ratio Alcazaris, quæ talis eſt. *Nec*, inquit diſput. 2. Prologo ad cap. 17. & 18. *ferri poteſt poſt duo annorum millia Romam illam poſtremam pœnas dare eorum ſcelerum, quæ altera illa Roma antiqua perpetrauit.* Ita Alcazar. Sicut enim poſt necem Saluatoris venit ſuper Hieruſalem ciuitatem *omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, Vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ*, Matt.
C 23. Et de ea prædixit Saluator: *Ecce relinquetur domus Veſtra deſerta*; nihil à ratione diſſonum excogitamus, ſi dicamus omnem ſanguinem iuſtum venire ſupra Romanam ciuitatem, à ſanguine Apoſtolorum Petri & Pauli, & Martyrum primitiuæ Eccleſiæ, vſque ad ſanguinem eorum, qui pro Eccleſiæ maieſtate, contra ſchiſmaticos dimicabunt in vltimis temporibus; itaut relinquatur deſerta, & à gentibus conculcanda & euertenda.

Neque iſta Romanorum ciuium ſeu ciuitatis Romanæ à ſummo Pontifice defectio & diſceſſio incredibilis eſt, cum iam aliquid tale acciderit. Nonne quamdam vltimis huius futuri ſchiſmatis vmbram videmus delineatam in ſchiſmate Petri Leonis
D (quem Anacletum ſecundum dixerunt) contra Innocentium ſecundum legitimum Pontificem? In quo ſchiſmate, Romani vel argento corrupti, vel timore plebis (cui ſuum patrimonium Petrus Leonis, ſeu Anacletus diſtribuerat) perculſi, vel ipſi Anacleto affinitate coniuncti, aut aliis modis adſtricti tandem ab Innocentio defecerunt: itaut ipſe Innocentius coactus fuerit Roma diſcedere, vt Franciam peteret, & in ea tutum reperiret refugium. Lege Baronium, an. v. 30. tom. 12. & Epiſtolas 242. & 124. & 126. S. Bernardi. Propter quam defectionem, Romani grauem paſſi ſunt rerum ad victum neceſſariarum inopiam.

Dices: Hæc ciuitas ea eſſe debet, cum qua for-
E nicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram, de vino proſtitutionis eius. At hoc dici non poteſt de ciuitate Romana Chriſtiana: Ergo de ea non videtur hic locus intelligendus. Reſpondeo in hoc vltimo ſchiſmate futuro vltimis temporibus fieri poſſe, vt quod attentauit Pſeudo-Pontifex Anacletus, perficiat aliquis Pſeudo-Pontifex inuaſori Romanæ ciuitatis fauens.

Nonne cum Romanis fornicati fuiſſent Lotharius Rex Romanorum, quin & Reges Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniæ, Ieroſolymæ, ſi ab Anacleto legationibus vel epiſtolis ad eos miſſis inducti ipſi adhæſiſſent; ſicut adhæſit Rogerius dux Siciliæ & Calubriæ, qui de vino proſtitutionis eius inebriatus, vt ab Anacleto titulum Regis obtineret, ipſi adhæſit, & Epiſcopos & Abbates in ditione ſua exiſtentes illi

Digitized by Google

obedientiã præſtare coëgit? Non igitur improbabile eſt, vt generali diſceſſione à S. Paulo prædicta adueniente, Reges terræ propter aliquod cõmodũ tẽporale à legitimo Põtifice deficiãt, & ſchiſmatico inuaſori imperij, ſuoque Pſeudo-Pontifici conſentiant. Nonne rurſus adhuc poſſibile eſt vt verum à ſe Romani ejiciant Pontificem, ſicut olim eiecerunt ab vrbe Eugenium, vel ipſo ſancto Bernardo teſte epiſt. 124. Vt in his vltimis temporibus calamitoſis præualeat Arnaldi Breſſenſis Hereſiarchæ peruerſum dogma, quo olim Romanos ad rebellionem induxit, dum docuit omnia bona temporalia Laicorum eſſe, & iniuſtè ab Eccleſiaſticis poſſideri? Cui doctrinæ adhærentes Romani, qui bonis temporalibus Clericorum & Monachorum inuidebant, antiquum ſenatum & ordinem equeſtrem de nouo erigere attentarunt. Et ſub Innocentio II. & ſub Lucio ſecundo Iordanem quemdam Patritium elegerunt & inſtituerunt, cui tanquam legitimo principi præſtarent obedientiam, ad ipſumque pertinere aſſerentes ius Regis, & omnem iuriſdictionem temporalem, tam intra vrbis Romanæ mænia quàm extra, Pontificemque è decimis & oblationibus ad modum antiquorum ſacerdotum ſuſtentari oportere. Quam hæreſim politicorum ſeu Arnaldiſtarum damnauit cum autore Innocentius ſecundus, in Concilio Lateranenſi, ſtatim atq; ſub eo exorta fuit. Et tamen & Cæleſtino ſucceſſori, & Lucio ſecundò, plurimam attulit vexationem. Et ad tantam inſaniam deuenerunt, vt Conrado Romanorum Regi perſuadere auſi fuerint, vt parti eorum faueret, quippe qui hæc omnia attentarent ſub eius nomine, & ad Imperij Romani tuendam maieſtatem, illius amplitudini ſtudentes, & in eum ſtatum illud reducere volentes, in quo fuerat ſub Conſtantino, & Iuſtiniano, qui orbis ferè terrarum Domini fuerant, autoritate ſenatus, & populi Romani potentia & armis.

Sed nec ab incæptis citò ceſſarunt. Nam Eugenius tertius Roma diſcedere coactus fuit, ne ſenatum iſtum autoritate Apoſtolica firmare cogeretur. Et Arnaldus Hæreſiarcha Romam veniens, commotam contra Pontificem ſeditionem accendit, Romanis perſuadendo vt Capitolium reſtaurarent, ſenatum & equeſtrem ordinem inſtaurarent, docens etiam ad ſummum Pontificem non pertinere aliquid diſponere circa ea quæ vrbis & ciuitatis erant, quippe cui ſufficere deberet ſi de negotiis Eccleſiaſticis iudicaret. Vnde etiam à plebe Cardinales in vrbe commorantes vulnerati fuerunt; nobilioreſque ciues coacti, vt expulſo vrbis gubernatore à Pontifice conſtituto, obedientiam præſtarent Iordani iſti Patritio, quem ad hanc dignitatem euexerant, legendus S. Bernardus, epiſt. 242. ad populum Romanum; & 243. ad Conradum Regem Romanorum; & Baron. tom. 12. ſub Innocentio 2. Cæleſtino, Lucio 2. Eugenio 3. Ex quibus perſpicere eſt fieri poſſe, vt generali diſceſſione adueniente, quod iſti attentare auſi fuerunt perficiatur; Et ſic Roma non ampliùs Pontifici adhæreat, ſed ſchiſmaticis faueat, expulſo ſummo Pontifice. Vnde non mirum erit ſi Deus eam ſtatuat euertendam; & veluti Hieroſolymam ob cædem Saluatoris ſubuertit, ita & iſtam ciuitatem ob tam impiam à Chriſti Vicario diſceſſionem funditùs euerti permittat; quia ipſis exprobari poterit & dici, quod, prædeceſſoribus ſuis exprobauit & dixit S. Bernardus, dictâ epiſtolâ 242. ad Rom. *Quid vobis viſum eſt, O Romani, offendere principes mundi, veſtros autem ſpeciales patronos? Cur regem terræ, cur Dominum cæli, furore tam intolerabili quàm irrationabili in vos pariter prouocatis, dum ſacram, & Apoſtolicam ſedem, diuinis regalibuſque priuilegiis ſin-* A *gulariter ſublimatam, auſu ſacrilego inceſſere, ſuoque munere, bonore priuare contenditis, quam vel ſoli contra omnes, ſi oportuiſſet, defendere debuiſtis? Sic fatui, Romani, non iudicantes, neque quod boneſtum eſt diſcernentes, caput veſtrum atque omnium, quod in vobis eſt, deturpatis, pro quo magis nec veſtris ipſis ceruicibus parcendum à vobis foret, ſi neceſſitas exegiſſet? Patres veſtri vrbi orbem ſubiugauerunt: vos vrbem properatis orbi facere fabulam. En Petri hæres, Petri ſede & vrbe à vobis expulſus eſt. En rebus & domibus ſuis veſtris manibus ſpoliati ſũt Cardinales atque Epiſcopi, miniſtri Domini. O popule ſtulte & inſipiens! O columba ſeducta, non habens cor? Nonne ille caput, & illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma, niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis frons effoſſa, facies tenebroſa?* B *Aperi, gens miſera, aperi oculos tuos, & vide deſolationem tuam iam iamque imminentem.* Ita Bernard. Certè in iſtis videre mihi licet imaginem quamdam futurorum depictam? Quæ cum euenerint, non modò erit imminens deſolatio, ſed aderit deſolatio actu omnia deuaſtans, iuxta illud: *Hi odient fornicariam: & deſolatam facient illam, & nudam; & carnes eius manducabunt: & ipſam igni concremabunt. Stabunt* enim ipſi Apoſtoli & Martyres *in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Et millia Martyrum, qui apud eam ſunt, contra eam erunt, non modò propter peccatum, quod peccarunt in eorum nece; ſed etiam pro eo in quo perſiſtunt, ratione ſchiſmatis, cui C adhærebunt.

Dico ſecundò: Quamuis Romana ciuitas proponatur tanquam quoddam exemplar, in quo euidentiùs apparebit quanta eſt hominum ingratitudo, peruicacia & obſtinatio ex vna parte; ex alia vero parte, quanta eſt Dei ira & indignatio contra peccatores in peccatis ſuis perſeuerare volentes; tamen in ea, hac de cauſa optimè deſignatur ingens reproborum & malorum turba & collectio: itaut quod in ea fieri cernitur, in quolibet reprobo aut collectione reproborum ſpeciali aut vniuerſali fieri ſæpe ſæpius ſit exiſtimandum. Deus enim non modò pœnis illos ac ſuppliciis æternis plectit Eccleſiæ rebelles & inobedientes, ſed etiam aliquando illos punit temD poralibus quibuſdam ſuppliciis, & potiſſimùm eos qui ſchiſmata aut hæreſes inducunt ad euertendam Eccleſiæ vnitatem & fidem. *Non ſolùm*, inquit ſapientor Mauclerus 4. p. de Monarchia l. 5. c. 11. *ſuæ ſponſæ, ſediq ue Apoſtolicæ ſui imperij in terris throno, hæretica rebellione, contumaciaque ſchiſmatica reluctantium, eamque ſæua qua poſſint perſecutione vexantium capita, ſuæ iuſtitiæ furoriſque fulmine conterit Deus, regendo eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringendo eos; verum etiam eorum regna, ciuitates & populos, eius tonitrui fulminiſque ſeueritate, ſuorum facta rebellia nefariaque Principum ſectantes imitanteſque deſtruit; præcipuè verò, ſeueriùs & acerbiùs horum Principum populorumque corruptores, & in fide Chriſti polluenda, obedientiaque Ec*E*cleſiæ Dominio, eiuſque viſibili capiti Romano Pontifici deneganda, deteſtabiles, adulteros, Hæreſiarchas videlicet, diabolicorum dogmatum contra Chriſtum Dominum, eiuſque ſponſam Catholicam, Apoſtolicam, Romanamque Eccleſiam progenitores & inuentores exterminat.* Ita Mauclerus.

Sit igitur pro expoſitione huius ſymboli, certum & conſtans mulierem illam, (quam dicit S. Ioannes eſſe ciuitatem magnam, quæ habet regnum ſuper reges terræ (deſignare primariò ciuitatem Romanam, ab obedientia Eccleſiæ in fine ſeculorum ſeſe ſubtrahentem; ſecundariò autem in ea deſignari omnes rebelles Eccleſiæ, in decurſu temporum ab ea recedentes. Nunc nobis enucleandum quare vocetur *Meretrix magna, Babylon, mater fornicationum*, & cur ſedeat ſupra beſtiam. Meretrix, cer-

tè eſt, propter morum corruptionem & infidelitatem; Babylon, propter mentis ſuperbiam, quæ radix eſt omnium peccatorum: ab ea enim omne peccatum ſumit exordium. Supra beſtiam ſedet: quia hæc iniquitas fulcitur potentia quadam ſeculari, Regiâ aut Imperatoriâ, vt Eccleſiæ regnum in terris impetere audeat, alioſque etiam impellit & inducit vt Eccleſiam perſequantur, & variis afflictionibus diuexent.

Oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.

Cur & ſub quo tempore ciuitas Romana (quamuis nunc ſit ſedes Apoſtolica) meretrix dici valeat; & collectionis omnium reproborum poſſit eſſe ſignificatiua, quamuis mater ſit vera omnium fidelium Chriſtianorum?

ANNOTAT. IV.

NON arrigant aures hæretici, ac ſi aliquid illorum impudentiæ fauens adducere velimus, dum Romanam ciuitatem meretricem nuncupamus. Alia eſt ciuitas Romana, ab Eccleſia Romana. Eccleſia Romana ſemper pudica, ſemper caſta & fidelis ſponſa Chriſti, quæ omnes fideles Deo parit, & electos in cælum tranſmittit. At ciuitas Romana, hoc eſt, hæc ciuium Romanorum Romam inhabitantium collectio, meretrix poterit eſſe, Eccleſiâ Romanâ in ſua fidelitate permanente. Et de hac collectione ciuium intra muros huius ciuitatis commorantium loqui intendimus, in quibus cæteri mali, & fidei Chriſtianæ & vnitatis Eccleſiaſticæ deſertores deſignantur. Hi meretricis nomine notantur, ſiue ob Apoſtaſiam à fide, ſiue ob auerſionem à ſummo bono. Cum enim Deus ſuprema ſit veritas & Bonitas, ei quilibet fidelis adhærere debet mente & voluntate, fide, & charitate: vt dicat cum Propheta: *Mihi autē adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo meo ſpem meam.* Quod ſi Diaboli fraudibùs quis ſeductus, erroribus & vitiis coinquinatur, iam à Deo fornicatur perditioni proximus, cum dicitur: *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* At quia ciuitas Romana talis futura eſt vt à fide deficiat, & Eccleſiæ vnitatem derelinquat, ſchiſmatica & rebellis effecta, ideo vocatur meretrix magna, & damnatio eius oſtenditur ab Angelo dicente ſancto Ioanni: *Veni: oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Ac ſi diceret: Veni: Oſtendam tibi ciuitatem illam, quæ tot populos habet ſibi ſubiectos, ſiue dum temporali potita eſt imperio, ſiue dum ſpirituali honorata eſt faſtigio. Cum qua fornicati ſunt olim reges terræ, (qui iuxta eius edicta Chriſtianos olim perſequebantur) idolis ſeruientes, ſicuti & fecerant quicumque terrenis addicti de perſecutione fidelium gauiſi ſunt. Cum qua fornicaturi ſunt etiam in vltimis temporibus reges terræ, qui propter aliquod temporale commodum ei conſentient & fauebunt, cum iugum ipſa excuſſerit ab obedientia ſummi Pontificis, & omne in ea exercitium ſuæ iuriſdictionis in temporalibus & ſpiritualibus ipſi ademerit. Vnde ad eius imitationem licitum illis erit ab eius obedientia ſeipſos ſubtrahere, & temporalia Eccleſiæ bona vſurpare, & ad libitum genio indulgere, auaritia & voluptatibus coinquinatis & à Deo auerſis.

Meretrix igitur magna eſt Romana ciuitas, & impia reproborum collectio, in quantum à Deo auerſa, & peccatis & iniquitate plena, & moribus corrupta. Et quia maior efficietur iniquitas eius peccato Sodomorum, vt de Ieruſalem loquitur Ieremias, Thren. 4. Propterea quod maioribus donis A gratiæ fuit præuenta, & impudentiori fluxu defluet; & iniquiori cupiditate & rapinâ, quia Sacrilegâ, per direptionem & vſurpationem bonorum temporalium replebitur, ideo non modò meretrix, ſed magna meretrix dicitur.

Talis autem non erit, quamdiu in ea Eccleſiæ autoritas & maieſtas effulgebit. Licèt enim multi inter Catholicos luxu diffluant, licèt bonorum Eccleſiaſticorum malus vſus in quibuſdam ea poſſidentibus intueri poſſit, nunquam tamen aut legibus ſuis luxus permittitur, aut iudiciis ſuis approbatur, aut remedia tolluntur, quibus his malis mederi poſſit. Poteſt enim quiſque Sacramentorum digna perceptione cupiditates illicitas coërcere; & dum bona temporalia Eccleſiæ à Prælatis & ſacerdotibus poſ- B ſidentur, eſto abutantur eiſdem, tamen non ſunt eorumdem iniuſti poſſeſſores, ſed tantùm mali diſpenſatores. At tunc erit meretrix magna, cum hominum cupiditas laxis habenis per contemptum legum Eccleſiaſticarum, & diuinorum præceptorum, ad illicita quæque perpetranda prorumpet; cum erunt homines tales quales eos depingit S. Paulus, *ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes,* (2. ad Timot. 3.) *Ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi voluptatum amatores magis quàm Dei*, videlicet in nouiſſimis diebus quando *inſtabunt* C *tempora periculoſa,* vt ait S. Paulus ibidem. Nec enim de iniquitate, qua contaminata fuit olim Ethnica, Roma, hîc potiſſimùm mentio fit, ſed de ea de qua loquitur ſanctus Paulus, quæ non eſt Paganorum & infidelium, qui verum Deum non agnoſcunt, ſed eorum, vt ipſe ait, qui *habentes ſpeciem pietatis, virtutem eius abnegant*: quales erant illi ſchiſmatici, qui quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtent veritati, eruntque homines *corrupti mente, reprobi circa fidem*, vt loquitur Paulus. Fauent huic expoſitioni quotquot autores reperiuntur, qui hoc caput intelligunt (cum Cornelio à Lapide de iis quæ fient in vltimis temporibus. Fauet quod Roma, licèt plurimas paſſa fuerit ærumnas & calamitates, tamen ſemper re- D ſtaurata fuit. At capite 18. dicitur quòd vltra non inuenietur poſt caſum & ruinam. Vnde manifeſtum eſt ea, quæ hîc dicuntur, intelligenda eſſe de Romana ciuitate, non pro tempore primitiuæ Eccleſiæ, ſed pro vltimis temporibus conſummationis ſeculorum. Et cum in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum ſit inueniendus, & omnium qui interfecti ſunt in terra, vt dicitur eodem capite 18. oportet vt expectetur illud quod dictum eſt Martyribus vindictam expoſcentibus, nempe *vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi*, c. 6. vt hac ratione Deus illuſtre exemplar proponat iuſtitiæ ſuæ, in punitione illius ciuitatis, in qua eui- E dentiùs & apertiùs hominum erga Deum ingratitudo apparebit. Et reuera non video quomodo conflagratio illius meretricis intelligi poteſt de conuerſione Romanæ ciuitatis ad Chriſti fidem & cultum (qua quidem ratione effecta eſt domicilium ſanctitatis) cum audio c. 18. quod poſt caſum facta fuerit habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.

Meretrix igitur magna eſt ciuitas Romana, ſchiſmatica effecta, in quantum in ea vigebit inſignis iniquitas & impietas; non autem in Romana Eccleſia, quæ nunquam erit habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, ſed *mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem.* Pſalm. 67. *Aliud enim eſt Roma vrbs,* inquit,

Digitized by Google

inquit Cornelius à Lapide in c. 17. *aliud Romana Eccleſia.* Aliter conſiderandi ſunt fideles, vt ſunt Eccleſiæ ſiue corporis Chriſti myſtici membra per charitatem, aut per fidem, aut ſaltem per externam fidei profeſſionem, & cum capite viſibili Eccleſiæ vnionem; aliter conſiderandi ſunt, vt ſunt huius aut illius ciuitatis terrenæ incolæ & ciues. Primo modo ſancti ſunt, dum charitatem ſeruant, dum fidem retinent, dum eam profitentur, & capiti per obedientiam vniuntur, licèt poſſit fieri vt externa tantum delineatione membra ſint Eccleſiæ: in quantum enim tales, ſanctitatem tantùm externam obtinent, quamuis coram Deo membra ſint putrida iam iam reſcindenda: nam vt dicebat S. Ioannes de ſimilibus, Matt. 3. *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, qui non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vt autem ciues ſunt Romani, aut alterius ciuitatis, nullam habent ſupernaturalem ſanctitatem, & poſſunt eſſe iniquitatis & impietatis domicilium (ſicuti fuerunt ſanctitatis, & veritatis, & pietatis habitaculum, prout fuerunt membra Eccleſiæ) maximè cum ſemel fuerint ab illa vnitate fidei & Eccleſiaſticæ communionis ſeparati, quales erunt omnes, qui rebellioni & ſchiſmati ciuium Romanorum his vltimis temporibus adhærebunt. Poterit enim fieri vt aliqui Romæ adhuc reperientur fideles & ſancti, vti erant olim, tum publici, tum occulti, & abdentes ſe intra crypta & latibula, vt notat Cornel. pag. 216. ad quos eſt illa vox: *Exite de illa, populus meus,* &c. c. 18.

Hanc diſtinctionem ciuium agnouit S. Petrus dicens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone, electa.* Dum enim dicit Eccleſiam electam, fideles deſignat; dum eos in Babylone dicit reperiri, eos deſignat qui ab vnitate fidelium erant præſciſſi, in quibus vigebat apertè iniquitas & idololatria: hic meretrix dicitur, propter à Deo auerſionem & ſeparationem, quam inducit in ſchiſmaticis, ſicut eam induxerat olim in idololatris & falſorum deorum cultoribus. Vnde fit vt optimo iure proponatur ante oculos, vt in eius ingratitudine, iniquitate, impietate, obſtinatione, peruicacia, ſupplicio & exterminio poſſimus facilè dignoſcere & animaduertere omnium peccatorum ingratitudinem, iniquitatem, impietatem, obſtinationem, peruicaciam, ſupplicium & exterminium.

Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.

Cur ciuitas Romana ſchiſmatice effecta Babylon dicatur?

ANNOTAT. V.

CERTE Auguſtino Roma Babylon dicta eſt ob ſimilitudinem in amplitudine, potentia, & Maieſtate Imperij Romani, cum Imperio Aſſyriorum, cuius ſedes fuit Babylon; ſicut Roma ſedes fuit Romani Imperij. Quia enim in ſocietate vniuerſorum hominum, ſeu magna mundi huius ciuitate, quidam reperiuntur, qui pacem præferant dominationi, quidam vero qui dominari & imperare appetant; dum iſti alios bellis atterere contendunt, alij vocem naturæ pacem & quietem exoptantis audientes ſubiugari victoribus maluerint, (poſtquam eis contigit vici) quàm bellicâ omnifariâ vaſtatione deleri; *Hinc factum,* inquit S. Aug. l. 18. de ciu. c. 2. *vt non ſine Dei prouidentia, (in cuius poteſtate eſt vt quiſque bello aut ſubiugetur, aut ſubiuget) quidam eſſent regnis præditi, quidam regnantibus ſubditi. Sed inter plurima regna terrarum, in quæ terrenæ vtilitatis vel cupiditatis eſt diuiſa ſocietas (quam ciuitatem mundi huius vniuerſali*

A *vocabulo nuncupamus) duo regna cernimus longè cæteris prouenisse clariora, Aſſyriorū primum, deinde Romanorum, vt temporibus ita & locis inter ſe ordinata atque diſtincta: Nam quomodo illud prius, hoc poſterius, eo modo illud in oriente, hoc in occidente ſurrexit. Denique in illius fine, huius initium confeſtim fuit. Regna cætera cæteroſque reges velut appendices iſtorum dixerim.* Ita Auguſt. Quæ cum ita ſint, non mirum ſi ciuitas Romana Babylon nuncupatur, & Auguſtinus Babyloniam quaſi primam Romam dicat cum peregrina in hoc mundo Dei ciuitate procurrere, & ipſam Romam quaſi ſecundam Babyloniam aſſumi debere eodem capite l. 18. de ciuit. Dei.

At in hoc loco Apocalypſ. Romana ciuitas non
B dicitur Babylon propter ſimilitudinem potentiæ ac Imperialis maieſtatis, ſed propter mentis ſuperbiam, & animi elationem, ac dominandi cupiditatem. Vnde habet in fronte ſcriptum: *Myſterium. Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.* Et rectè. Quis enim neſcit ſuperbiam & elationem initium eſſe omnium peccatorum, quibus à Deo ſeparamur, vt creaturis adhæreamus? Quis ignorat, quantas abominationes pariat regnandi cupiditas, dominandi appetitus! Rectè S. Auguſt. lib. 5. de ciuit. Dei c. 19. *Intereſt ſanè inter cupiditatem humanæ gloriæ, & cupiditatem dominationis. Nam licèt procliue ſit, vt qui humana gloria nimium delectatur, etiam dominari ardenter affectet, tamen qui veram licet humanarum lau-*
C *dum gloriam concupiſcunt, dant operam benè iudicantibus non diſplicere: ſunt enim multa in moribus bona, de quibus multi benè iudicant, quamuis ea multi non habeant, & per ea bona morum, nituntur ad gloriam & Imperium, & dominationem, de quibus ait Salluſtius: ſed ille verâ viâ nititur. Quiſquis autem ſin cupiditate gloriæ (quæ veretur homo benè iudicantibus diſplicere) dominari atque imperare deſiderat, etiam per apertiſſima ſcelera quærit plerumque obtinere quod diligit.* Ita Aug.

Hæc igitur dominandi cupiditas, ſcelerum & abominationum mater eſt, potiſſimùm cum caret appetitu veræ gloriæ, quæ omnia ad Deum referre ſatagit, à quo habet homo quidquid in eo iure laudatur; vel ſaltem gloriæ humanæ, qua veretur ho-
D mo benè iudicantibus diſplicere. Tunc enim *qui contemptor gloriæ, dominationis eſt auidus,* vt poſtea ait ibidem S. Aug. *beſtias ſuperat, ſiue crudelitatis vitiis, ſiue luxuria. Tales,* inquit, *quidam Romani fuerunt. Non enim curâ exiſtimationis amiſſâ, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tales fuiſſe prodit hiſtoria.* Hæc Auguſtinus. Tales futuri erunt inuaſores Romanæ ciuitatis, qui cupiditate dominandi allecti, omnem Eccleſiæ dignitatem opprimere, conculcare attentabunt. Et hæc eſt potiſſima cauſa cur Roma ſchiſmatica effecta Babylon vocatur, quia ſicut nuſquam antiquitùs tanta enituit dominandi cupiditas & ſuperbia, quanta apparuit in Regibus Babylonicis, & Babyloniis; ita nunquam
E retro futuris ſeculis alicubi tanta erit dominandi libido, quanta erit in inuaſoribus Romanæ ciuitatis, & Eccleſiæ perſecutoribus.

Et reuera magna eſt inter antiquam Babylonem (ex Auguſtino primã Romam) & Romanam ciuitatem ſchiſmaticam effectam (ex eodem, vt diximus ſecundam Babyloniam) ſimilitudo. In prima Roma regnauit Nemrod, id eſt, rebellis, vel (vt habet Biblia. Frobeniana Baſileæ impreſſa, an. 1491. in interpretatione nominum Hebraicorum) Nemroth, id eſt tyrannus profugus, tranſgreſſor, apoſtata. Et optime. Fuit namque primus tyrannus. In ſecunda Babylonia, Imperium vſurpabit aliquis ſchiſmaticus tyrannus, patrimonij Eccleſiæ vſurpator. In prima Roma fuit origo idololatriæ, quia iuſſu Nini, Bel Pater eius, qui interpretatur Dominus & domina-

tor, diuinis honoribus fuit cultus. In ſecunda Babylonia vſurpata dominatio bonorum Eccleſiæ tanquam à Deo orta in pretio habebitur: vnde cæteri Principes per vniuerſum orbem fas ſibi eſſe eadem vſurpare exiſtimabunt. Prima Roma, id eſt Babylonia, cum turri altiſſima, cuius culmen ad cœlum pertingere volebant, ædificata eſt in terra ſennaar (quod vocabulum idem ſonat ac excuſſio dentium, vel dentium vacuefactio) vanitate ducti, *Vt celebremus*, inquiunt, *nomen noſtrum*: fortè vt eſſet arx, vel qua liberarentur à periculo diluuij ſi rediret, vt vult Ioſephus, quaſi Dei promiſſis excuſſis ex eorum ratiocinationibus, minimè credentes ei qui dixerat: *Neque erit deinceps diluuium diſſipans terram*; Vel qua facilius Nemrod ſuam poſſet exercere tyrannidem. Secundò: Iſta Babylonia, id eſt Roma ſchiſmatica effecta, ſuam ab Eccleſiæ vnitate & obedientia diſceſſionem ſtabilire, & vſque ad cœlum extollere attentabit, dum omnimodam independentiam eius ciues affectabunt, & ab Eccleſiæ Paſtoribus aliqua ratione dependere recuſabunt, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugũ ipſorum* Pſ. 2. Quaſi Dei promiſſa nõ eſſent adimplenda, qui Chriſto Domino promiſit. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quod imperium conſilium verè reperitur in terra ſennaar, id eſt, in his quibus excuſſi ſunt dentes, id eſt, optimus vſus rationis (quo quæque ſapienter diſcutiuntur) ablatus. Nec enim cogitabunt Deum eſſe malorum vindicem, & ſuperborum attritorem: nam *qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.* Pſ. 2. Et ſicut olim Dominus deſcendens, vt videret ædificantes turrim, confundit linguam eorum, & idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi eſt confuſum labium vniuerſæ terræ: ſic fiet iſtis ſchiſmaticis, in quibus varia erit errorum, & hæreſeon, & opinionum confuſio, intentionum & voluntatum commixtio, vt quid agant, quo tendant, quid exoptent vix ipſimet diſcernere queant. Et certè ſtatim atque ab Eccleſiæ obedientia & vnitate diuidimur, fieri non poteſt vt rectâ viâ ad cœlum tendamus, quin potius in diuerticula variarum opinionum aberramus. *Neque enim aliunde*, inquit S. Cyprianus ad Cornel. *hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum Collegium quidquam moueret.* Ita Cypr. Ex ſchiſmate igitur & diuiſione à capite, venit confuſio, fit Babylon. Babel enim Cornelio à Lapide in vltimum c. 1. Petri, idem eſt ac *Venit confuſio*: ex Ba, Venit, & Bel, confuſio. Denique in Babylone inſignum portentoſæ ſuperbiæ, erecta olim fuit ſtatua aurea adoranda, in ſecunda iſta Babylonia erigenda eſt in ſignum ſuperbiæ mentis, & elationis animi, ob auaritiam, & dominandi cupiditatem, inſignis ab Eccleſiæ autoritate diſceſſio: propter quam, omnes adhærentes, & huius ſchiſmatis fautores & autores congregandi ſunt in loco Armageddon, in loco excidij, intercisionis & ſeparationis, iuxta quorumdam interpretationem, vt Eccleſiam perſequantur, & ciues euadant Babylonis, ciuitatis Dei inimicæ & contrariæ. *Nec hoc enim nouum*, inquit Tertull. aduerſ. Iudæos c. 7. *ſcripturis diuinis figuratè vti tranſlatione nominum ex comparatione criminum. Nam & ἄρχοντας Sodomorum, appellat archontas veſtros; & populum veſtrum populum Gomorræ vocat, cum iam olim eſſent ciuitates iſtæ extinctæ. Et alibi per Prophetam ad populum Iſraël dicit: Pater, inquit, tuus* A *Amorreus, & mater tua Cethæa: quorum ex genere procreati non ſunt, ſed ob conſimilem impietatem: quos aliquando etiam filios ſuos dixerat, per Eſaiam Prophetam: Filios generaui & exaltaui. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum; ſuperſtitionis & maledictionis elogio. Sic & Babylon apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & Regno ſuperbæ, & ſanctorum debellatricis.* Ità Tertull. Quod ſi Babylon Romanæ vrbis figuram portat propter antiquam idololatriam, pari etiam ratione dicenda eſt illam portare propter ſuam rebellionem & per ſuperbiam & mentis elationem, ab vnione & obedientia Eccleſiæ diſceſſionem & ſubtractionem: & in ea etiam deſignantur (ob conſimilem impie- B tatem & criminum comparationem) quotquot à Deo & Eccleſia per ſuperbiam ſeparantur, & ciuitatis Dei fiunt hoſtes & perſecutores. Optimè ſiquidem Ticonius, homil. 16. In Apocalypſ. *Quotieſcumque Babyloniam nominari auditis, nolite ciuitatem de lapidibus factam intelligere, quia Babylonia confuſio interpretatur; ſed homines ſuperbos, raptores, luxurioſos, & impios, in malis ſuis perſeuerantes. Ipſius nomen ſignate, cognoſcite. Sicut è contrario, quotiens nomen Hieruſalem audieritis, quæ viſio pacis dicitur, homines ſanctos ad Deum pertinentes intelligite. Nam quia Babylon, malorum hominum imaginem gerit, & reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, id eſt, cum inuicem, non enim cum vna meretrice omnes reges fornicari poſſunt, ſed dum ſe lu-* C *xurioſè qui ſunt Meretricis membra inuicem corrumpunt, cum meretrice, id eſt, luxurioſa conuerſatione fornicari dicuntur.* Ita Ticon. At quia maximè in Roma ſchiſmatica effecta vigebit luxus & diſſolutio, habitantiumque ipſius conuerſatio erit omnino diſſoluta, ideo cum ea fornicari dicuntur illi reges, qui eius conuerſationem imitabuntur.

Et vidi mulierem ſedentem.

Quomodo in Romana vrbe ſchiſmaticâ ſedebit impietas, ſicut olim ſedebit in Babylone antiqua.

ANNOTAT. VI.

D DICIMVS igitur ex ſupradictis Romanam ciuitatem eſſe alteram Babylonem, & veluti prioris filiam Babylonis, vt loquitur S. Auguſt. 18. de ciuit. c. 22. hîcque hoc nomine inſigniri, non tam quia Roma, ortu, potentia, magnitudine, bonis ſeu opibus ſimilis eſt priori Babyloniæ, ſed quia priori ſimilis erit in malis, id eſt, in elatione, ſuperbia, & dominandi cupiditate: propter quæ vitia, in ea etiam deſignantur omnes qui per mentis ſuperbiam à Deo diſcedunt: de quibus Eccleſiaſt. 10. dicitur: *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor eius. Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia. Qui tenuerit illam adimplebitur male-* E *dictis, & ſubuertet eum in finem.* Ita Sapiens. Vnde non mirum ſi in talem Babylonem Zacharias Propheta aſſerat impietatem ſub ſpecie mulieris fuiſſe aſportatam, vt ibi ſuam ſedem fixam & immobilem collocaret. Zachariæ capite quinto, Propter quam impietatem maledictio egreditur ſuper faciem omnis terræ, vt ait Zacharias. Vidit namque volumen volans, cuius longitudo viginti cubitorum, latitudo eius decem cubitorum. Et dictum eſt ei: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ. Quia omnis fur,* ſicut ibi ſcriptum eſt, *iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. Et commorabitur in medio domus eius: & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Hæc Propheta. Quodnam,

Digitized by Google

quæſo, eſt illud volumen volans, niſi oculus Domini, omnes actiones malas hominum intuens, eaſque in ſua memoria indelebili charactere ſcripta retinens, ſimulque decernens quibus pœnis ac ſuppliciis, & temporalibus, & æternis, cum ſumma æquitate eas puniat, plagaſque pro menſura delictorum imponat? Hoc enim volumē dicit eſſe maledictionē egredientem ſuper faciem omnis terræ, quæ non niſi propter peccata maledicitur, iuxta illud ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo.* Geneſ. 3. Septuaginta interpretes pro volumine, falcem dixerunt, quæ ſeueritatem diuini iudicij deſignat, ſecundum Remigium Altiſiodorenſem. Quæ quidem ſeueritas notatur in longitudine viginti cubitorum: per quam perfectam vindictam, & temporalem; & æternam intelligo, menſurâ decem cubitorum bis repetitâ, ad temporalem & æternam pœnam deſignandam, vt idem ſit ac ſi diceret: in hoc ſeculo, & in futuro punietur perfectiſſimè, quidquid iniquum videt & percipit Dei oculus; qui omnia ſimul conuoluens tempora, omnium ſcelerum notitiam in ſe complectitur, vt de illis debitas exigat pœnas. Et ne exiſtimes aliquid prætermitti, habet latitudinem decem cubitorum: quia quaſlibet decem mandatorum tranſgreſſiones in te continet, nullâ omiſsâ. Et quia in duobus mandatis dilectionis Dei & proximi, vniuerſa lex pendet, Matt. 22. duo tantùm ſcelera commemorat, nempe furtum, & periurium? *quia omnis fur,* ſicut ibi ſcriptum eſt, *iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* In furto omnia peccata in proximum intelligens. In periurio omnia peccata contra honorem Deò debitum comprehendens. *Sicut enim falx,* inquit Remigius Altiſiodorenſis, *cuncta ſuo circumitu ambit exteriùs & interiùs incidit, ita diuinæ animaduerſionis potentia vniuerſa forinſecus complectitur, intrinſecus dirimit & decernit, diiudicans opera & cogitationes.* Ita Remig. Educit igitur Deus hoc volumen, hanc falcem, hanc maledictionem, cum actu ſupplicia immittit, & quæ intus decreuerat opere complere incipit. Et commorabitur in medio domus hominis iniqui erga homines, & impij erga Deum, id eſt: penitiora & occultiora delicta furis, & iurantis perſcrutatur, vt peccatori auferat omnia in quibus confidebat, & requiem & conſolationem temporalem poſſidebat: omneſque prætextus & excuſationes, quibus ſe obtegere conabatur, futiles oſtendat, omnemque deinceps materiam & copiam adimat peccata perpetrandi. Quæ voluntas pertinax ſemper patrare deſideraret, ſi vita ſuperſtes remaneret. Ita commoratur Dei falx, & iudicij diuini ſeueritas in medio domus furis & peierantis, vt conſumat eam, & ligna, & lapides eius. In domo, requies deſignatur, in lignis, quibus tecta domus conſtruuntur, excuſationes, in lapidibus, peccatorum ex obdurata voluntatiè prodeuntium cumulus.

Docet S. Hieron. pro volumine nomen Hebraicum. *Megilah,* verti, *Ab aquilone,* & Theodotione, *dephtera id eſt,* vt vult Ribera. *Membrana, aut pellis Amalthea, in qua veteres fabulabantur Iouem omnium hominum ſcribere peccata. Vnde factus locus prouerbio: Antiquiora dephtera loqueris.* Ita Ribera. Fuit autem, vt aiunt, Amalthæa Iouis nutrix, quem lacte capreæ illam educaſſe ferunt. Symmachus autem apud eumdē Ieronimum vertit κεφαλη j. Capitulum. Quod fauet iis quæ diximus, in peccatis furti & per iurij, quæ ibi ſcripta erant, omnia alia peccata comprehendi. *Volumen volans oſtenditur,* inquit S. Hieron. *in quo omnium peccata deſcripta ſunt.* Qui poſtea verſionem ſeptuaginta ponderans, δρέπανον πετόμενον id eſt, *falcem volantem,* ait: *iſte gladius non ſolùm falx appellatur, quæ fœnum, ſtipulam, ſpinaſque ſuccidit: ſed*

A *& ſecuris arborum dicitur, quæ ſuccidet qui non fecerint dignos fructus pœnitentiæ.* Et paulo poſt aſſignat rationem, propter quam dicitur hæc falx viginti habere cubitos longitudinis, & decem latitudinis. *In quo numero,* inquit Hieron. *triſtibus læta ſociantur, Ad hoc enim Dominus corripit, vt emendet. In vigeſimo (qui ex duobus decadibus efficitur) auſtera & triſtia nunciantur; in decimo, id eſt vna decade, meliora & proſpera. Per omnia enim flagella atque ſupplicia eruditur Iſraël.* Ita S. Hieron. Eſt enim decimus numerus clementiæ ſymbolum: quod iota, prima litera nominis Ieſu, nota ſit numeri decimi: vigeſimus autem, ſymbolum laboris. Iacob enim ſeruiuit viginti annis. Ita Ribera. Qui inſuper ait: *Docet igitur horum peccatorum magnam fuiſſe latitudinem: nam denarius perfectus* B *numerus eſt, ſed duplum, id eſt, multo maiorem fuiſſe longitudinem, eo quod tanto tempore pœnitentiam agere noluerint.* Ita Ribera. Nec myſterio vacat quod Dei decretum de puniendis peccatis, & ſupplicium inflictum ob delicta tantùm dicatur habere longitudinem ac latitudinem quantum longitudinem habebat olim porticus Salomonis, ſiue Moſis tabernaculum nempe viginti cubitorum, eamdemque latitudinem, nempe decem cubitorum. *Et porticus,* inquit, ſacer textus, *erat ante templum, viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi. Et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* 3. Reg. 6. Vt ſcias crimen eſſe ſupplicio dignum, ſi non am- C bulaueris in latitudine mandatorum Dei, iuxta illud: *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſiui.* Aut ſi labore pertæſus, qui per vigeſimum numerum deſignatur, vt diximus, pedem reuocaueris à via Dei recedens per ſocordiam. Etenim qui vel vnum tantùm tranſgrediuntur mandatum, à Dei templo, id eſt, à cœleſti gloria excluduntur. *Qui enim peccat in vno, factus eſt omnium reus:* quia non ambulauit in tota latitudine mandatorum. Vnde meretur falce decem cubitorum latitudinis præſcindi. Et quia à via Dei ad peccatum tranſgreditur, pœnas temporales & æternas incurrere meretur, quæ in duplicato denario numero perfecto deſignantur; vel vt veſtibulum ſeu atrium D deſignet ordinem pœnitentium, ſicut templum ſignificat fideles perfectos, & ſacrarium ſacerdotes vt vult Simeon Archiepiſ. Theſſalonic. de diuino templo c. 1. Non poteris ingredi in Patriam cœleſtem, ſi peccare contigerit, niſi libenter laborem ſuſcipias ſacræ pœnitentiæ, qui per vigeſimum numerum ſignificatur: quia non ſufficit peccanti ſi deinceps mandata cuſtodiat, niſi opera laborioſa in ſatisfactionem præteritorum peccatorum libenter ſuſcipiat.

At quanā de cauſa hic oculus diuinus omnia proſpiciens, omnia quæ videt in mente retinens (vnde nec peccati hominū obliuiſcitur: *Recordabor,* inquit *peccati eorum in die viſitationis*) de omnibus actibus hominū iu- E dicās delicta, peccata tanquā fœnum à facie terræ auferens (*Vultus enim Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum*) quale cauſa in furis & periurantis, vt dictum eſt, domo commoratur, donec & ligna excuſationum, quibus ſe defendere meditantur, & cuncta ab eis ex malitia perpetrata delicta præſcindat, & conſumat?

Certè Zacharias in viſione ſubſequenti tangit cauſam huius maledictionis, ad conſumptionem peccatorum ſuper faciem vniuerſi gradientis; nempe quia impietas in peccatoribus ſedem ſuam fixam & immobilem collocarit. Ad hoc enim videndum ab Angelo, qui in eo loquebatur, inuitatur his verbis: *Leua oculos tuos, & vide quid eſt hoc quod egreditur Et dixi: Quidnam eſt? Et ait: Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra*

Digitized by Google

Vel, vt ſeptuaginta vertunt, *Hæc eſt iniquitas eorum in vniuerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur. Et ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit. Hæc eſt impietas.* Quænam, quæſo eſt amphora egrediens, niſi iniquitas, paulatim ad menſuram quandam innumerabilium peccatorum progrediens, dum corde concipitur, actu completur, ſine timore & audacter reiteratur: quam implere mali conantur: ad quam implendam videntur omnes ſuas intentiones dirigere. *Hæc eſt* enim *oculus eorum in vniuerſa terra.* Adeo profuſè in mala prorumpunt, vt nihil aliud videantur præ oculis habere, quàm vt nequiter & impiè agant. Portatur talentum plumbi, id eſt, vindicta diuina, tanquam plumbi talentum, parata exiſtit, vt ſtatim atque peccata ad talem numerum peruenta fuerint, ea amplius diuina patientia abſque manifeſta vindicatione tolerare nequeat; & confeſtim appareat quanta ſeueritate Deus, peccatorum impudentiam, & temeritatem puniat. Etenim quia theſaurizauerunt ſibi iram, in die iudicii Dei, qui eos ad pœnitentiam expectabat, ecce apparet imminens capiti eorum Dei vindicta grauiſſima, tanquam talentum, ſed talentum plumbi, ad denotandum ſupplicia reproborum alium obtinere exitum, à pœnis quibus Deus fideles ſuos & amicos caſtigat. Ipſi enim tanquam aurum probantur, nec conſumuntur, ſed puriores euadunt è camino afflictionum. At reprobi tanquam plumbū ab igne ſuppliciorum conſumuntur & euaneſcunt. *Et ecce*, inquit Zach. *talentum plumbi portabatur.* Hinc factum eſt vt impietas quæ tantùm ſedebat in amphora, & auelli & abſtrahi adhuc poterat, id eſt, negatio Dei, quæ ſedet ſuper iniquitatem & morum corruptionem, id eſt ſuper mulierem illam meretricem, (de qua S. Ioannes) in medio eius dicatur proiecta, & os amphoræ ita occluſum vt egredi exinde nequeat: *Ecce enim*, inquit Propheta, *mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit: hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ: Et miſit maſſam plumbeam in os eius.* Impietas enim & negatio altiſſimi non reperitur niſi in iniquis & peccatoribus. Hæc autem impietas à peccatoribus non egreditur, quia per grauiſſimam Dei iram ſubtrahitur ipſis diuinæ gratiæ auxilium, & grauiſſimis ſuppliciis comprimuntur, quibus comminuuntur, conteruntur, & omnis ſpes ſalutis amouetur: vnde dicuntur ſuppliciis conſumi.

At vbi, quæſo, impietas, idololatria, negatio altiſſimi ſedem ſuam collocat? *Hæc impietas*, inquit S. Hieron. *quæ ſedebat ſuper peccata Iſraël, & in ſuo ſcelere gloriabatur, poſtea mittitur in medium Babylonis, & captiuitatis malo premitur. Vel, iuxta Theodotionem, ipſa ſe proiicit & abſcondit in medium amphoræ, ducitque ſuper ſe pondus grauiſſimum plumbi, vt obduratum os habeat, & vltra ſe iactare non poſſit; vel certè ab Angelo Dei opprimitur, vt quæ ſæpius latabatur in ſcelere, æterno ſilentio conticeſcat.* Ita Hieron. Vides, ex Ieronymo, impietatem ſedere ſupra peccata, quaſi ſupra amphoram. Peccator enim eſt ille inſipiens, qui *dicit in corde ſuo: Non eſt Deus.* Amphora autē hæc, cum impietate in medio eius conſiſtente, à duabus mulieribus egredientibus (in cuius alis, quaſi alis milui, erat ſpiritus) leuata fuit inter terram & cælum. Et interroganti Prophetæ quo iſtæ deferrent amphoram; ab Angelo reſpondetur: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.*

Pertimeſcenda procul dubio eſt peccandi aſſuetudo. Etenim in medio eius ſemper eſt ſedens Dei contemptus, & obliuio, impietas, & altiſſimi negatio: quo fit vt tandem tot & tantis ſceleribus offenſus peccatores longe à ſe reiiciat, & non modo pra-

A uas illorum actiones, ſed etiam eas quæ ſpeciem aliquam haberent pietatis, contemnat: iuxta illud Eſ. c. 1. *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta. Laboraui ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Ita Iſ.

Quid igitur ex hoc odio Dei, mali obuenit peccatoribus? Primum eſt Dei ira, & vltio grauiſſima, per ſubtractionem gratiæ & auxiliorum Dei. Secundum eſt, vt extra Eccleſiæ fines in hæreſes aut ſchiſmata deferantur, in regionem videlicet Sennaar, ſeu in Babylonem; à duabus mulieribus, nempe B ab excæcatione mentis, & obduratione voluntatis; quarum alæ ſunt quaſi alæ milui, Erodij ſeu Vpupæ. *Erodiorum*, inquit S. Hieron. *hi qui de volucrum ſcripſere naturis, tria genera autumant; vnum album, aliud ſtellatum, tertium nigrum, quod & ſæuiſſimum eſt & ſanguinarium pugnans, ad coitum impatiens, itaut ex oculis eorum erumpat cruor. Vpupa autem auem eſſe dicunt ſpurciſſimam, ſemper in ſepulchris, ſemper in humano ſtercore commorantem; denique & nidum ex eo facere dicitur, & pullos ſuos de vermiculis ſtercoris alere putreſcentis. Quamcumque ex tribus auibus intelligere volueris baſidam, conuenit iſtis mulieribus, Iudæ & Iſraëli, quæ propter peccata tradita ſunt dæmonum poteſtati, & ab eis ducta in captiuitatem.* Ita Hieron. Nos cum C Ribera duas iſtas mulieres, excæcationem mentis & obdurationem voluntatis intelligimus, quæ reuera animam iniquam erga proximum, & erga Deum impiam, inſtigante diabolo, extra Eccleſiæ fines efferunt, vel alis ſuperbiæ, vel alis hypocriſis & ſimulationis, vel alis vindictæ & iracundiæ, vel alis luxuriæ & profuſæ libidinis, vel gulæ & delectationes fœtidæ carnis. Nam ſtatim atque impietas per talentum plumbi vltionis diuinæ incluſa remanet in corde impiorum, nec egreditur per confeſſionem peccatorum, anima obcæcatur, voluntas obduratur, & à dæmone poſſidetur: qui vel per ſuperbiam mentis, vel per amorem carnalium eleuat iniquos & impios inter terram & cælum: quia ſupra D alios extolli volunt, ſed ad cæleſtia nunquam pertingunt, qui carnis macerationes, & quidquid carni moleſtum eſt fugiunt, ſed ea quæ ſpiritus ſunt negligunt: de quibus dicitur: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt impietate & iniquitate ſua.* Et aſportat eos in terram Sennaar, ſeu in Babylonem, iuxta verſionem ſeptuaginta interpretum. *Et eleuaui oculos meos*, inquit Zacharias, *& vidi. Et ecce duæ mulieres egredientes: & ſpiritus in alis earum. Et habebant alas quaſi alas milui. Et leuauerunt amphoram inter terram & cælum. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo iſtæ deferrant amphoram. Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* Ita Zacharias. Quod ex- E ponens S. Hieronymus ait: *Sennaar enim caput eſt Chaldæorum. In quo hi qui mouerunt ab oriente pedes ſuos, & in ſeruitute Dei ſtare non poterant, ædificauerunt turrim ſuperbiæ. Vnde & ciuitas ipſa appellata eſt Babylon, id eſt confuſio: eo quod ibi linguæ omnium confuſæ ſunt & permixtæ.* Ita S. Hieron. Ibi ponitur ſupra baſem ſuam, vt æterna ſtatione requieſcat. Verè enim in Babylone, ſedes eſt impietatis, & iuxta hiſtoriam: & iuxta myſticos ſenſus, vt optimè addit S. Hieronymus.

O quàm grauis & ponderoſa vltio, quæ & captiuitatem temporalem, & multa mala, & æternos carceres ſecum adducit, dum propter ſubtractionem gratiæ diuinæ, quam iuſtè quis promeretur, tandem mens impia, cæca, & obſtinata transfertur

Digitized by Google

ab Eccleſia (quæ caſtrorum eſt acies benè ordinata) in terram Babylonis & confuſionis diuerſarum hæreſum. Tranfertur in terra Sennaar, quod vocabulum interpretatur excuſſio dentium. Id eſt: Paſtores ſuos, à quibus cæleſtem cibum accipere debebant, videntur à ſe excutere, & illorum mandata detrectare. Dentes enim Eccleſiæ ſunt Prædicatores, Doctores, & Prælati, in quantum paſcunt verbo Dei oues ſi Philoni Carpathio credamus exponenti illud Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, &c.* Vt enim per oculos, prædicatores ſanctos & Doctores Eccleſiæ intelligit, *per quos Eccleſia illuminatur; ſic per dentes eoſdem poſſumus accipere: Ab iis enim & infideles conteruntur, & paruulii adhuc in fide nutriuntur. Sancti enim prædicatores veluti dentes cibum ſalutarem ſcripturarum & mandatorum imperitioribus exponentes, tanquam maiores filiis paruulis panem commanducant, quo fortiores in dies ad cæleſtia conualeſcant. Hi rectè gregibus tonſarum de lauacro aſcendentium comparantur: quia dum ſe per lauacrum Spiritus ſancti ex baptiſmate regeneratos eſſe intelligunt, libentes onera huius ſeculi deponunt, ſeque ipſos ad æterna conſequenda & alios ſanctiſſimè adhortantur.* Ita Philo Carpathius. Eadem eſt interpretatio huius loci, Iuſti Orgelitani Epiſcopi, nec non & Aponii ſcriptoris antiqui lib. 6. in Cantica: *Dentes itaque*, inquit Aponius, *Eccleſiæ, illos opinor intelligi, qui non lacte doctrinæ indigent, ſed infantiæ tranſcendentes ætatem, non ſolùm fortiſſimum cibum mandunt, ſed etiam mutuò fortiſſimi in Eccleſiæ corpore ad diuidendam & ruminandam carnem verbi Dei conſtituti probantur, & acutiſſimi ingenio ad diuidendas vnicuique animæ pro poſſibilitate (vt cuique conuenit) diuinas ſententias. Omnes quidem dentes in vno ore conſiſtunt: ſed alíud officium habent qui labiorum vicinitati iunguntur, qui in partes diuidunt cibum; & aliud qui diuiſim ad vnam ſubtilitatem redactam ad omnia membra Eccleſiæ ſuſtentanda tranſmittant, ſicut ait magiſter gentium Paulus. Vnicuique, inquit, diuiſit Deus ſecundum menſuram fidei. Et primùm conſtituit Deus in Eccleſiam Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores.* Ita Aponius. Cæcitate igitur mentis, & obduratione voluntatis, dæmone impellente, transferuntur iniqui (impietate obfirmati per ſuperbiam & concupiſcentiam) in terram Sennaar, in terram alienigenarum, nempe hæreticorum & ſchiſmaticorum, in qua excutiuntur dentes, nempe rejiciuntur Eccleſiæ Doctores & Paſtores (à quibus paſci debent fideles) vt propriò ſenſui hæretici & ſchiſmatici inhæreant, & in impietate ſua perſeuerent, ad ſuammet confuſionem & æternam damnationem. Hîc igitur ſedem fixit impietas: quia ex hac abyſſo, ex hac confuſione naſcetur beſtia, quæ aſcendit de abyſſo; orietur Anti-Chriſtus. Nam, vt ait S. Hieron. in 11. caput Danielis, in hunc verſiculum: *Et Rex auſtri prouocabitur. Noſtri autem ſecundum ſuperiorem ſenſum interpretantur omnia de Anti-Chriſto, qui naſciturus eſt de populo Iudæorum, & de Babylone venturus.* Ita Hieron.

Quænam ſit illa beſtia, quæ portare dicitur ciuitatem illam, quæ meretrix & Babylon nuncuputur?

Variæ de beſtia, autorum expoſitiones.

ANNOTAT. VII.

TICONIVS: *In beſtia omnis populus malus intelligitur.* Et paulo poſt: *Beſtia, vt iam dictum eſt, corpus eſt aduerſus agnum. In quo corpore nunc diabolus, nunc caput velut occiſum, quod ſignificat hæreticos, qui velut de morte Chriſti gloriantur, &c.* Ticon. hom. 13. Et in fine eiuſdem homiliæ eadem repetit. Et addit

A quod *ſignificat perfidiam hæreticorum, qui velut de morte Chriſti gloriari videntur, cum tamen Chriſti Eccleſiam iugiter perſequantur. Et quia non ſolùm hæretici vel Pagani, ſed etiam Catholici mali, id eſt, ſuperbi & impÿ, eos quos in Eccleſia manſuetos & humiles viderint, perſequuntur; quantum poſſumus Dei miſericordiam deprecemur, vt & illos de tam malis actibus ad bonum corrigat, & nobis in bonis operibus felicem perſeuerantiam pro ſua pietate concedat.* Ita Ticon.

Primaſius: *Super beſtiam ſedere dicitur (nimirum corruptela) vt pote de qua faſtu præſumptionis extollitur; coccineam, cruentam beſtiam, vt dictum eſt, corpus agno contrarium: in quo nunc diabolus, nunc caput velut occiſum, nunc eius accipiendus eſt populus, quod totum Babylon, id eſt confuſio.* Ita Primaſ.

B Andreas Cæſarienſis per beſtiam diabolum intelligit, ſiue dum ait: *Vidit eamdem aquæ ſuper beſtiam coccineam ſedentem, ob id forſan quod propter nefaria opera, ſuper diabolum, qui cæde & ſanguine gaudet, quieſcere ſoleat. Per quæ etiam opera idoneam Apoſtata blaſphemiarum contra Deum materiam ſubminiſtrat. Immanitatis namque & feritatis mentiſque cædem ſpirantis indicium eſt cum ipſa beſtia, tum coccineus quoque eiuſdem color.* Et in illum verſiculum: *Beſtia quam vidiſti, &c. Hæc beſtia eſt diabolus: qui nunquam non quærit quem abſorbeat.* Ita And.

Ambroſius etiam per beſtiam diabolum intelligit. Ait enim: *Beſtia verò, ſicut ipſe in ſequentibus exponit,*
C *diabolum ſignificat. Coccus autem colorem ſanguinis habet, & per ſanguinem ſæpe mors deſignatur. Diabolus itaque ſanguineus eſt: quia autor eſt mortis, & omnis perditionis, quæ beſtia plena nominibus blaſphemiæ eſſe dicitur: eo quod ipſe diabolus auctor ſit omnium blaſphemiarum.* Ita Ambr.

Rupertus: *Paulo ante is, qui loquebatur, meretricem ſuper aquas multas ſedere dixit. Hic autem eamdem ſuper beſtiam coccineam ſedere dicit. Ergo ipſa multitudo aquarum, id eſt, populorum, ſiue gentium, beſtia eſt. Verè ita eſt: quia quæ ſedet ſuper talium multitudinem aquarum, mulier meretrix, id eſt cupiditas, agitat illam, vt beſtialiter viuat. Hæc beſtia coccinea dicitur, qui color igneus eſt:* Ita Rupertus.

D S. Thomas: *Super beſtiam, id eſt, ſuper diabolum, quæ beſtia eſt, quia crudeliter ſæuit in homines cum poteſt. Beſtia enim dicitur, quaſi vaſtia, à vaſtando. Ierem. 1. Crudelis eſt, & non miſerebitur.* Ita S. Thom. Alcazar adductâ ſentẽtiâ Riberæ & Viegæ, quia volunt beſtiam hanc, cui meretrix inſidet eſſe ab ea diuerſam, quæ beſtia maris vocatur; eam ſententiam reiiciens ait. *Verùm enimuerò pro comperto habeo huiuſmodi belluam, in qua mulier reſidet, eamdem eſſe cum maris beſtia, quæ cap. 13. deſcripta eſt. Vtrobique enim ſignificatur Romanum Imperium idololatriæ deditum, ſiue Romanus orbis idololatra, quem Roma Ethnica lege & Imperio adminiſtrabat.* Ita Alcaz. Sed certè ſubtilius quàm ſolidiùs, vt arbitror, probat ſuam opinionem, veluti cum ad
E obiectionem, quæ fieri poſſit, beſtiam hanc non eſſe eiuſdem coloris cum beſtia marina, quæ ſimilis dicitur pardo, ac proinde diuerſi coloris à colore coccineo beſtiæ, c. 17; Reſpondet *fieri quidem poſſe vt Panthera, ſiue Tigris, aut Pardus hominem aliquem diſcerpens, eius ſanguine ita vndique reſpergatur, vt ſanguineo colore appareat infectus.* Ita Alcaz. Quid enim opus eſt fictione, ſi commode alia poſſit dari & aſſignari ratio, cur beſtia capitis decimi alia debeat eſſe & diſtincta à beſtia maris, qualem nos aſſignauimus, ni fallor, ſatis congruam; nempe beſtiam capitis decimi tertij ſignificare impios, & in peccatis obduratos; iſtam autem beſtiam, vt mox videbimus, poteſtatem quamdam immanem, qua poſſunt ſecundum impietatem ſuam Chriſti regnum impetere, itaut omnis qui poteſtate terrena abu-

Digitized by Google

tens perſequitur Eccleſiam, vt impius, beſtiâ capitis decimi tertij poſſit optime deſignari, & inſuper eius potentia impietati obſequens in beſtia c. 17. deſignetur. At non eſt neceſſarium, vt qui impius eſt, & iniquus, & reprobus, ſemper regali fulgeat poteſtate, ſicuti neceſſarium eſt vt ſi quis regia poteſtate pollens Eccleſiam Dei perſequatur, exiſtimetur eas conditiones habere quæ in beſtia marina capitis decimi tertij adumbrantur. Diuerſæ igitur erunt hæ duæ beſtiæ: quia diuerſa ſignificant videnda, quæ diximus in c. 13. de his beſtiis, quæ hic repetere eſſet ſuperfluum.

Beſtia, ſuper quam ſedet meretrix, eſt omnis potentia humana, quæ aduerſus Deum & Chriſtum eius extollitur.

ANNOTAT. VIII.

DICO primò hanc beſtiam non eſſe præciſè intelligendam de ſolo imperio Romano, vt vult Alcazar, itaut ad nullum aliud imperium extendi nequeat. Vnde eius ſententiam rejicit Cornelius à Lapide, in c. 13. Apocalypſis.

Et reuera ſi attentè ponderes quàm difficilè ſit ſeptem huius beſtiæ capita ad ſeptem Imperatores Imperij Romani applicare, aut ad ſeptem perſecutiones ab Imperio Romano excitatas contra Eccleſiam, manifeſtum erit hanc de Imperio Romano ſolummodo interpretationem non ita facilè eſſe admittendam. Quis cum quadam certitudine quinque Imperatores deſignabit, de quibus verificetur quod ait S. Ioannes: *Quinque ceciderunt?* Quis digito demonſtrabit vnum illum ſuperſtitem, alterius ſubſequentis aduentum expectantem? Vnde plærique interpretes, non de ſingularibus quibuſdam Imperatoribus ſeptem beſtiæ capita exponunt, ſed de imperiis ſeu Monarchiis inſigniotibus, inter quæ capita & Imperium Romanum venit in ſuo ordine reponendum. Quod ſi hæc capita de perſecutionibus à Romano Imperio excitatis interpreteris, durum eſſe videtur Neronis & Iuliani Apoſtatæ, quin & Maximiani & Aureliani perſecutiones reſcindere, aut cum aliis confundere, vt ad ſeptenarium numerum hæ perſecutiones reducantur. Secundò hæc ſententia Alcazaris non ita plauſibilis redditur, nec ita facilè admittenda, vt ipſe arbitratur. Si enim hæc beſtia eiuſque ſeptem capita tantùm ſignificent Imperium Romanum, in quo ſunt ſeptem Imperatores ſeligendi, qui in his capitibus deſignentur, vel à quo fuerint ſeptem concitatæ perſecutiones, certè explodenda eſt omnino eorum interpretatio, qui ſaltem vnum de iſtis capitibus de Anti-Chriſto intelligunt.

Quæ tamen interpretatio non ita facilè eſt rejicienda, cum Anti-Chriſtus præcipuus ſit annumerandus inter hoſtes & perſecutores Chriſtiani nominis. Tertiò: quia ſi Meretrix illa, quæ ſedet ſuper beſtiam, ciuitatem Romanam ſignificet, eaque ſit deſolanda, nudanda, concremanda; per decem cornua huius beſtiæ difficile eſt conjicere, quomodo hoc fieri debeat, vt Imperium Romanum ſuam ſedem, & arcem funditùs euertat. Et violenta videtur ſatis expoſitio decem cornuum beſtiæ, de ſenatoribus ad fidem Chriſtianam conuerſis, quorum ope idololatria fuerit à ciuitate Romana expulſa Quod, vt dicit Cornelius à Lapide, non ſolum myſticum eſt, ſed & Antilogon.

His adde quod de hac beſtia dicitur quod *fuit & non eſt.* Quod quidem Imperio Romano minimè conuenit. Licet enim plurima fuerint ab eo regna diſciſſa, manet tamen dignitas Imperij Romani in Imperatoribus occidentis, vt dici non poſſit omnino deletum, aut amplius nullo modo exiſtere, quamdiu hæc dignitas vſque ad vltima tempora permanebit donec ſcilicet veniat diſceſſio, à S. Paulo prædicta. Et quomodo poſt conuerſionem ad fidem diceretur Imperium Romanum ampliùs non eſſe, cum ſub Conſtantino Imperatore Chriſtiano dominationis eius amplitudo inſignior quã antea fuerat, apparuerit? Denique hæc beſtia dicitur ab abyſſo conſurgens, cum omnium Imperiorum legitima poteſtas Deum habeat autorem. *Non* enim *eſt poteſtas niſi à Deo.* Rectè enim S. Ireneus l. 5. aduerſus hæreſes c. 24. *Cuius enim iuſſu homines naſcantur, huius iuſſu & reges conſtituuntur, apti his qui in illo tempore ab ipſis reguntur. Quidam enim ad correctionem, & vtilitatem ſubiectorum dantur, & conſeruationem iuſtitiæ; quidam autem ad timorem & pœnam, & increpationem; quidam autem ad illuſionem, & contumeliam, & ſuperbiam, quemadmodum & digni Dei iuſto iudicio, ſicut prædiximus, in omnibus æqualiter ſuperueniente.* Hæc Ireneus. Cum igitur Reges qualeſcumque fuerint à Deo dentur, non ab abyſſo prodeant; ex eo fit vt hæc beſtia ex abyſſo aſcendens ſolummodo deſignare debeat ac denotare aliquam potentiam, in quantum contra Deum ſeſe extollentem, & contra eum militantem, non autem Regiam aut Imperialem dignitatem, ſecundum ſe ſimpliciter conſideratam. Denique credibile non eſt S. Ioannem ſolummodo reſpexiſſe ad Imperium Romanum Ethnicum Chriſti Eccleſiam perſequens, & prætermittere alia Imperia aut Regna, quæ Chriſti nomen è medio tollere voluerunt; aut etiam Anti-Chriſtum, qui tam acerbus erit hoſtis nominis Chriſtiani. Si enim ab vnico illo Imperio fuiſſet Eccleſia vexata aut vexanda, rectè reſtringenda eſſet ſignificatio illius beſtiæ ad Imperium Romanum. Sed cum tot Imperia ante Chriſti aduentum, & poſt Chriſti aduentum in Eccleſiam & Dei regnum inſurrexerint, & inſurgere debeant, meliùs ſentire mihi videntur qui interpretationem huius beſtiæ ad inſigniora præcipuè regna extendunt, à quibus aliquod ſubuerſionis publici cultus diuini periculum paſſa fuit aut paſſura eſt Eccleſia. Huic ſententiæ fauet Primaſius, dum ait: *Septenario numero vniuerſitatem voluit ipſius dominationis oſtendere: eoquod externario & quaternario, id eſt, ex impari & pari, tanquam ex diuerſo confectus vniuerſitatem inſinuet: ſicut ſatis ſuperque iam dictum eſt, quod de ſeptem Eccleſiis in bono præmiſimus figuratum, cum vna Chriſti Eccleſia prænunciatur orbem poſſeſſura terrarum, cum nunc idem numerus ex aduerſo in iſtis, quos memorat, ſeptem capitibus videtur apponi, in quibus ſignificata vniuerſitate potentiæ fore dicitur principari. Et in bono eum, & in malo ſeptenarium numerum frequenter poni ſancta ſcriptura teſtatur. Nam cum Spiritus ſanctus pro ſeptenaria operatione; Iſaia Propheta teſtante, ſepti formis eſſe credatur in bono, ſpiritus etiam nequam ſeptiformis ſæpiùs deſignatur. Et quoniam horum Monarchia, regnumque Chriſti Eccleſiæ contrarium frequenter opponitur, non ſolùm aperta oppreſſione potentiæ fideles impugnat, ſed etiam ſub mentita ſpecie veritatis illaqueare deſiderat, manifeſtam eius potentiam in decem cornibus, veriſimilem fraudem in ſeptem capitibus deſignat.* Ita Primaſ. Et cum poſtea addit: *Ex vniuerſo potentatu ſecularis regni Eccleſiæ contrariam eſt vnum caput, id eſt Anti-Chriſtus, qui ſe pro Chriſto vult ſuſcipi, &c*; Satis inſinuat ſe per beſtiam intelligere omnem & vniuerſam potentiam, quæ Chriſti regno ſeu Eccleſiæ contraria exiſtat & inimica. Vnde:

Dico ſecundò quod iam diximus in c. 13. hanc beſtiam deſignare quamdam mundanam ſeu ſecularem poteſtatem dæmoni obſequentem, quæ præcipuè in quibuſdam viguit Imperiis, quæ Imperia

manifeſtè Dei regnum & oppugnare & euertere attentauerunt; at non talem qualem poteſtatem, ſed magnam, ſed inſignem, ſed talem vt nullam habeat maiorem qua coërceri poſſit. Hoc patet quia coccinea, quia ſeptem habet capita, qui ſunt ſeptem reges; decem cornua, qui etiam decem ſunt reges, qui poteſtatem accipient poſt beſtiam, qui virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Vnde manifeſtum eſt hos reges hanc poteſtatem in maximo habere pretio, illamque ſummo proſequi honore; cum quidquid poſſunt & valent; illius beſtiæ obſequio tradant.

Dico tertiò hanc poteſtatem hic ſub figura beſtiæ non repræſentari, in quantum omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ſed in quantum in hominibus beſtialiter viuentibus aliquando reperitur, qui captiui ad ipſius diaboli voluntatem, quocumque eos impellit, ipſi obſequantur. Hinc dicitur plena nominibus blaſphemiæ. Hinc dicitur quod aſcenſura ſit de abyſſo. Hinc admirationem parit, cum gaudio coniunctam, reprobis; qui quaſi ex inſperato illam vident prodeuntem. *Et mirabuntur*, inquit ſacer textus, *inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi videntes beſtiam quæ erat, & non eſt.* Hinc ſtatim atque decem reges virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradiderunt, illorum operâ vtitur vt bellum inear, & cum agno pugnet, cum agno non pro agno, vnde dicitur: *Et agnus vincet illos.* Nec enim pro eo, ſed contra eum pugnant. Hos montes ad cœlum vſque pertingentes conterit. Hos reges tam potentes, vt ſub ſe habeant reges alios ſibi obſequentes, nullum ſupra ſe extolli aut eleuari permittentes, ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium humiliabit vſque ad puluerem, & tanquam vas figuli illos tandem confringet, & non modo cornua potentiſſima, quibus mandata beſtiæ executioni dabuntur, conuellet & comminuet; ſed omnem beſtiæ autoritatem & dominationem auferet, iuxta illud Danielis: *Et iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem. Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient.* Daniel. 7. c.

His de ciuitate magna, de meretrice magna, de Babylone magna, de portentoſa beſtia ita conſtitutis, facilior erit totius huius capitis per partes expoſitio, vt ex ſequentibus patebit.

Veni: oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quis ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui habitant terram de vino proſtitutionis eius.

Impietas latè graſſatur in omnes nationes, & eo magis ſuam exercet tyrannidem, quo ij, in quibus ſedem fixit, ſunt potentiores vel terrenis affectibus implicantur.

ANNOTAT. IX.

VIDEBAT S. Ioannes, *in viſione ſcilicet, vnum ex ſeptem illis Angelis accedentem ad ſe, & excitantem eius intellectum ad intelligenda ea quæ conſequuntur; & locutus eſt cum Ioanne verbo interiori.* (Ita S. Thom.) & familiariter eum vocat: Veni, per intelligentiam mentis. Quaſi dicat: Præpara te, ad Deum accedendo, & intellectum eleuando ad percipienda ea quæ tibi oſtendam, nempe ad cauſam damnationis iniquorum, (nempe vitam iniquam, quam habent in ſe peruerſi, & qua alios peruertunt)

A percipiendam quæ quidem iniquitas, & in ea incluſa impietas latè certe graſſatur in omnes nationes. Vnde hic dicitur ſedere ſuper aquas multas: Aquæ enim populi ſunt; & à magnis & humilioribus in pretio habetur & cum ea conuerſantur. *Super aquas multas, populos ſcilicet multos*, inquit Primaſius, *cum qua fornicati ſunt reges terræ, id eſt, regna terrena appetentes.* Sic autem eam in reges & terrigenas diuidit, vt ex eis eam exiſtere nouerimus qui reuera cum impietate libenter conuerſantur, vel libidinem explendo, vel (quia ſine Cerere & Baccho friget Venus,) ebrietatibus & comeſſationibus ſeſe ingurgitant. *Cum qua*, inquit, *fornicati ſunt reges terræ.* En libidinis expletio. *Et inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino* B *proſtitutionis eius.* En alia ſpecies luxuriæ, in immoderato vſu vini. Qua fornicatione, & ebrietate myſticè ſignificatur, vt diximus, & infidelitas, ſeu apoſtaſia à fide, & corruptio morum, ex profuſa delectatione, in quorumcumque peccatorum perpetratione.

Quod ſi videre cupias quàm meritò S. Ioannes dicat meretricem magnam, id eſt corruptelam, iniquitatem, impietatem, ſedere & conquieſcere ſuper aquas multas, id eſt longè latéque in quoslibet homines dominationem ſuam extendere, lege epiſtolam S. Cypriani ad Donatum. *Illam in agris, in vrbibus, in theatris, in priuatis ædibus & cubiculis, in foro dominantem cernes. Paulisper te crede ſubduci in montis* C *ardui verticem celſiorem. Speculare inde rerum infra te iacentium facies; & oculis in diuerſa porrectis, ipſe à terrenis contactibus, liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam ſecli & ipſe miſereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, maiore lætitia quod euaſeris gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum bella vbique diuiſa. Madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cum admittant ſinguli, crimen eſt; virtus vocatur, cum publicè geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo.* Iam, addit S. Cyprianus, *ſi ad vrbes ipſas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendas omni ſolicitudine triſtiorem: Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Impletur in ſuc-* D *cibis fortioribus corpus, & aruina toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnã chariùs pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem; & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantùm geritur, ſed docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit, & gloria eſt quod perimit. Quid illud, oro te? Quale eſt, vbi ſe feris obijciunt, quos nemo damnauit ad beſtias? Ætate integrâ, honeſtâ ſatis formâ, veſte pretioſa, viuentes in vltroneum funus ornantur. Malis ſui miſeri etiam gloriantur. Pugnant ad beſtias, non crimine, ſed furore. Spectant filios ſuos patres. Frater in cauea, & ſoror præſto eſt. Et ſpectaculi licèt pretium largior muneris apparatus amplificet, vt mæroribus ſuis mater interſit, &c.* Hæc Cyprian.

E Quod de gladiatoribus, quod de pugna ad beſtias dicit, hoc dicendum de ſingulari certamine duelliſtarum noſtri temporis. Quid ſæuius? Quid crudelius? Vbi non cum feris, aut beſtiis, aut ignotis hominibus certamen initur; ſed amicus in amicũ, proximus in proximum, conſanguineus in conſanguineum, frater in fratrem plærumque inſurgit: vt cuiuſdam vanæ gloriolæ fumum hauriat, & generoſi animi euaneſcentem ſubito exiſtimationem ſibi conciliare ſtudeat. Sed quid dicam de ſcenicis, ſeu comicis repræſentationibus, in quibus ſcelera quæ exoleta eſſe deberẽt, in memoriam reuocantur? *Exempla fiunt*, inquit S. Cyprian. *quæ eſſe iam facinora deſtiterunt. Tunc delectat in mimis, turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & le-*

Digitized by Google

nocinante ad vitia publicæ autoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes? Quæ probrorum fomenta? Quæ alimenta vitiorum? Hiſtrionicis geſtibus inquinari. Videre contra fœdus iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares. Honor omnis & vigor ſexus, eneruati corporis dedecore mollitur, pluſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis fregerit, in laudem creſcit ex crimine, & eo peritior, quo turpior iudicatur. Spectatur hic pro nefas & libenter, quod non poteſt ſuadere qui talis eſt: mouet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem, nec deeſt probri blandientis autoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam venerem, adulterum Martem, Iouem illum ſuum non magis regno, quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptum miniſtris auibus proſilire. Quæro iam nunc an poſſit eſſe qui ſpectat integer vel pudicus Deos ſuos, quos venerantur, imitantur? Fiunt miſeris & delicta religioſa. Hæc Cypr. Proh dolor! Hoc Ethnicis probro vertitur, & non erubeſcunt Chriſtiani ſi hæc turpia, ſi hæc dedecora adhuc recolenda, & ante oculos ſuos repræſentanda ſtudeant, ne ex eorum memoria decidant, etiam pingenda curant.

Sed videamus, ex eodem Cypriano, quomodo iniquitas non modò graſſetur in agris, in vrbibus, in theatris, ſed etiam in cubiculis. *O ſi*, inquit, *& poſſis in illa ſublimi ſpecula ſubſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam hominum penetralia occulta reſerare? Aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit adſpicere frons pudica. Videas quod crimen ſit & videre: Videas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis in viros viri proruunt: Fiunt quæ nec ipſis poſſunt placere qui faciunt. Mentior niſi alios, qui talis eſt, increpat. Turpis turpes infamat, & euaſiſſe ſe conſcium credit, quaſi conſcientia ſatis non ſit. Iidem in publico accuſatores, in occulto rei, in ſemetipſos cenſores pariter & nocentes, damnant foris quod intus operantur. Admittunt libenter, quod cum admiſerint criminantur. Audacia prorſus cum vitiis fauens, & impudentia congruens impudicis, &c. Sed*, addit S. Cyprianus, *poſt inſidioſas vias, poſt diſperſas toto orbe multiplices pugnas, poſt ſpectacula vel cruenta, vel turpia, poſt libidinum probra, vel lupanaribus proſtituta, vel domeſticis parietibus obſepta, quo ſecretior culpa, maior audacia eſt. Forum fortaſſe videatur immune, quod ab iniuriis laceſſentibus liberum nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte: plura illis quæ deteſteris inuenies magis. Oculos tuos inde diuertes. Inciſæ ſint licèt leges duodecim tabulis, & publico ære præfixo iura præſcripta ſint, inter leges ipſas delinquitur, inter iura peccatur: innocentia, nec illic vbi defenditur, reſeruatur. Sæuit inuicem diſcordantium rabies, & inter togas, pace rapta, forum litibus mugit inſanum: haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt. Vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum ſupplicia plura quam membra ſunt. Quis inter hæc verò ſubueniat? Patronus? Sed præuaricatur & decipit. Iudex? Sed ſententiam vendit. Qui ſedet crimina vindicaturus admittit: & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubjicit: ille falſum capitali fraude conſcribit. Hic arcentur hæreditatibus liberi. Illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat. Calumniator impugnat. Teſtis infamat. Nullus de legibus metus eſt; de quæſtore, de iudice pauor nullus. Quod poteſt redimi, non timetur, eſſe iam inter nocentes innoxium, crimen eſt. Malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere iura peccatis & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt.* Ita Cyprian. Vi-

A deſne iniquitatem & impietatem, longè lateque graſſantem, non potui meliori penicillo hanc diffuſionem malitiæ depingere, quàm ſancti Cypriani: Cuius verba excerpſi cum bona tua venia, lector, quia appoſitè ad noſtrum inſtitutum, impietatis graſſationem repræſentant. Certè ſi hæc non in vna tantùm gente aut natione fieri cogites, ſed in omnibus eadem fieri perpendas, facillimum erit videre quomodo magna iſta meretrix ſedet ſuper aquas multas.

Quod ſi iniquitas & impietas eos, quibus inſederint, coinquinant & inficiant, certè tantò nocentiores erunt, quanto ſublimioris dignitatis erunt ij quibus inſederint. Optimè enim Philoſophia apud
B Boëtium lib. 2. de conſolatione Philoſophica, proſâ ſextâ, de hac re hanc profert ſententiam. *Quid autem de dignitatibus & potentia que diſſeram, quas vos veræ dignitatis ac poteſtatis inſcij cœlo exæquatis? Quæ ſi in improbiſſimum quemque ceciderint, quæ incendia flammis Æthnæ eructantibus, quod diluuium tantas ſtrages dederint?* Ita Boët. *Quaſi dicat*, inquit S. Thom. in expoſitione Boëtij: *Plura mala proueniunt ex dignitatibus, & poteſtatibus malorum, quam ex incendio ignis, vel diluuio fluuij.* Ita S. Thom. Non poteſt diu humana fragilitas magnam ſuſtinere dignitatem, quin ſtatim in inſolentiam & in ſuperbiam extollatur. Hinc Philoſophia ibidem Boëtium alloquens ſubdit. *Certè, vti meminiſſe te arbitror, conſulare imperium, quod libertatis*
C *principium fuerat, ob ſuperbiam conſulum veſtri veteres abolere cupierunt: qui ob eamdem ſuperbiam prius regium de ciuitate nomen abſtulerunt.* Ita Boët. Nec enim dignitates ſecundum ſe poſſunt meliores efficere eos quibus obueniunt. *Si enim*, inquit ipſe Boëtius, *ipſis dignitatibus, ac poteſtatibus ineſſet aliquid naturalis ac proprij boni, nunquam peſſimis peruenient. Neque enim ſibi ſolent aduerſa ſociari. Natura reſpuit vt contraria quoque iungantur. Ita cum peſſimos plerumque dignitatibus fungi dubium non ſit, illud etiam liquet naturâ ſuâ bona eſſe, quæ ſe peſſimis hærere patiantur.* Ita Boët.

Imo dignitates ad hoc tantùm inſeruiunt, cum malis obueniunt, vt eorum magis appareat nequitia, & plura mala audeant perpetrare mali, cum in
D dignitate ſublimi collocantur. *Agit enim cuiuſcumque rei natura quod proprium eſt, nec contrariarum rerum miſcetur effectibus, ſed vltro quæ ſunt aduerſa depellit. Atqui nec opes in expletam reſtringere auaritiam queunt; nec poteſtas ſui compotem facit, quem vitioſæ libidines inſolubilibus adſtrictum retinent cathenis, & collata improbis dignitas non modò non efficit dignos, ſed prodit potiùs & oſtentat indignos.* Ita Boët.

Vnde Metro ſexto, 2. lib. de Nerone exemplum ponit, qui Romam incendit, vt ſpectaculo illius ignis ſeu conflagrationis cognoſceret, quantus fuerat ignis, quando Troia capta arſerat. Senatores plurimos interfecit, fratrem occidit, vt ſecuriùs regnaret. Matrem interimi iuſſit, vt videret locum
E ventris, in quo iacuit.

Nouimus quantas dederit ruinas
Vrbe flammata, patribuſque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuſo maduit cruore, &c.

Heu! *Grauem ſortem, quoties iniquus*
Additur ſæuo gladius veneno,

Princeps enim crudelis & ſæuus, vt loquitur S. Cyprian. Epiſtolâ ad Donatum, *arridet vt ſæuiat: blanditur vt fallat: illicit vt occidas: extollit vt deprimat, fœnore quodam nocendi, quàm fuerit amplior ſumma dignitatis & honorum, exigitur vſura pœnarum.* Ita Cyp. Quod non tantùm verum eſt de poteſtate, erga eos quos ſublimat. Quibus plærumque cauſa eſt ruinam; ſed etiam dici poteſt de modo, quo ſe gerunt potentiores erga alios, quibus arrident, blandiuntur, quos illiciunt

Digitized by Google

clunt & extollunt, vt illos occidant, & deprimant, & diuerſis ſupplicijs afficiant. Vnde non mirum eſt ſi per ſeptem reges, ſuper quos hæc mulier ſedere dicitur, dicamus deſignari regna quæ Eccleſiam variis perſecutionibus diuexarunt.

At non modo perfidia & corruptela, iniquitas & impietas valde nocent, ſi in his qui potentes ſunt reperiantur, ſed etiam in his qui nimio amore terrena ſectantur, & de peccatis ſuis glorientur, de quibus dicitur hic: *Et inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius*, id eſt, de conſolatione, quam percipiunt iniqui, dum ſuam explent libidinem, & genio indulgent; & per adhæſionem ad errores & mendacia, & ad carnis oblectamenta, à Deo ſeparantur. *Qui*, vt ait Sapiens Prouerb. 2. *relinquunt iter rectum & ambulant per vias tenebroſas: qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis; quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Illo quippe amore terrenorum & delectationum carnis inebriati, vſum rationis amittunt. [illegible]tè enim apud Clementem Alexandrinum, [illegible] Pædagogi c. 2. amatos voluptatum, in conſtellatione illa, (quam ſub figura Tauri Mathematici depingunt, & acephalum appellant, quod caput intra pectus quaſi occultatum gerat) deſignari dicit. *Nam & in his, nempe amatoribus voluptatum, quoque facultas ratiocinandi, non in capite, ſed inteſtinis collocatur voluptati ſeruiens.* Ita Clem. Nec malè, vt aiunt, Phidias olim ſub pedibus ſtatuæ veneris ex auro & Ebore Teſtudinem collocauit. Teſtudo enim corde caret, vel Ariſtotele Teſte, *de ſumno & vigilia*, c. primo. Nam reuera, qui voluptati ſeruit, cor amiſit. Quid ſibi voluerit olim praxiteles apud Plinium, lib. 36. c. 5. me latet, dum quatuor ſatyros depinxit, quorum primus muliebri veſte indutus erat, & Bacchum in humeris portabat, alius eumdem gerebat, ſed nudum; Tertius Bacchum plorantem & gementem, vt à ploratu & gemitu abſtineret inuitare videbatur: ſed quartus poculum illi propinabat. At certè in hoc ſchemate animaduerto indolem voluptatis depictam. Nam ſatyri lubricitatis ſunt ſymbolum. Hac autem ratione voluptas progreditur, vt primò ſub ſpecie neceſſitatis obuelata appareat; ſed ſtatim nuda prodit in medium, veluti naturæ amica. Quod ſi ratio ſeu ſynderesis gemat & obmurmuret, ſilentium illi imponitur: Vnde tandem non modò voluptuoſus ſeſe in voluptatibus obſcænis immergat, quin etiam alios prouocat vt voluptatibus indulgeant, iuxta illud Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, &c.* Vnde non mirum, cum ſint *voluptatum amatores magis quàm Dei*, ſi bibant de poculo aureo meretricis magnæ, & inebrientur de vino proſtitutionis eius.

Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum, &c.

Cur ſanctus Ioannes ablatus eſt in ſpiritu in deſertum?

ANNOTAT. X.

PRIMA ratio, propter quam S. Ioannes in deſertum abducitur, eſt Ruperti, dum ait: *Deſertum namque, propter ſuimet ſolitudinem, ſignificat hoc loco ſolitariæ mentis remotionem, cum ſeſe remouet à tumultibus curarum, propter indagandam Dei veritatem. Vnde benè cum dixiſſet: Et abſtulit me in deſertum; addidit, in ſpiritu: quia profectò quiſquis eiuſmodi quærit ſolitudinem, non carne ſed ſpiritu ducitur.* Ita Rup.

Secunda eſt: Quia deſertum aptum eſt ad denotandum miſerrimum & deploratiſſimum huius mulieris ſtatum. Quænam enim poteſt eſſe conuenien-

A tior nefandæ huius mulieris habitatio, quàm in horrendo quodam deſerto? Non enim in paradiſo, & horto delitiarum gratiæ commoratur aut reperiri poteſt impietas in Deum, iniquitas in proximum; ſed in deſerto, in quo nec aquæ irrigantes, nec arbores fructiferæ, nec viror ſpei rerum æternarum reperiuntur. Non illic videntur ij, de quibus dicitur: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Pſalm. 1. Sed hi tantùm, de quibus dixit S. Iudas in Epiſtola ſua: *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ. Autumnales, propter filiorum caſum, id eſt, verborum vanitatem: infructuoſæ, propter operum inutilitatem. Bis mortuæ, propter Apoſtaſiæ crimen. Eradicatæ, propter ſchiſmatis præciſionem.* Ita S. Thom. in B expoſit. Epiſt. S. Iudæ. In hoc deſerto tantùm commorantur, qui tanquam puluis aut arena mobilis (quæ à vento huc & illuc transfertur) nullam habent in bono firmitatem, iuxta illud: *Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Pſalm. 1. Hîc nullum hominis veſtigium, quia ab eorum memoria, ſanctorum Patrum, fidei & pietatis antiquæ deleta eſt recordatio. Ibi nulli fontes, quia nullus ibi Sacramentorum vſus, qualis eſt intra Eccleſiæ fines, vbi haurire licet aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Ibi nullæ apparent nubes, quibus ab ardoribus ſolis vehementioribus quis protegi queat, qualis erat illa nubes, quæ populum Iſraëliticum ſequebatur in deſerto. C *Et dedit nubem in protectionem eorum*, &c. Pſ. Non enim à ſanctis Deo vicinis proteguntur orationibus ſuis. Etenim à ſanctos dicitur à Deo, de iis qui impietatem admittunt in cordibus, quod de Saule dictum fuit olim Samueli: *Vſquequo tu luges Saul, cum ego eum proiecerim à facie mea?* Hic igitur tantùm Dumeta videntur curarum, & ſolicitudinam, & anxietatum vitæ præſentis. Hîc tantùm præcipitia variarum occaſionum ad peccandum impellentium. Hic tantùm ſaxa & rupes animarum in malis obduratarum. Hîc receptacula ferarum & beſtiarum, id eſt, hominum in fericitate & crudelitate Leones & Tygrides ſuperantium, qui cum rationis vſum amiſerint, iuxta D concupiſcentias ſuas ambulant. Vnde non mirum ſi in animabus hoc modo gratia omni deſtitutis, reperiatur ab Eccleſiæ Paſtoribus diſceſſio, audax contra Eccleſiæ autoritatem rebellio, Vbi enim tantùm paſſio dominatur, ibi nec ratio, nec fides, nec Dei amor, nec erga Chriſtum propenſio. Ibi tanquam ex abyſſo aſcendit beſtia crudelis, Dei cultum euertere (quantùm in ſe eſt) deſiderans & moliens. *Ideo dicis in eremo*, inquit Ticonius, *quia in impiis, id eſt in animâ mortuis ſedeas, & à Deo deſerti ſ. Spiritus, dicit, quia non niſi ſpiritualiter videri poteſt huiuſmodi deſertio, quæ intus in anima fit.* Ita Ticon. Et Primaſius: *Deſertum ponit diuinitatis abſentiam, cuius præſentia paradiſus eſt. In ſpiritu, quia ſpiritu poſſunt iſta* E *diſcerni.* At Andreas Cæſar. *Deſertum proinde in rebus ſpiritualibus omnem ciuitatem, aut numeroſam turbam, aut hominum multitudinem denotare putamus, quæ ob animæ temulentiam, aut turpem à Deo fornicationem, aut alia huiuſmodi crimina, apud Deum innoxa eſt.* Ita And.

Ambroſius: *Per deſertum omnis impiorum multitudo deſignatur, eo quod ipſi deſeruerint Deum, & ideo derelicti ſunt à Deo. In deſerto igitur mulier meretrix eſt, quia ex multitudine iniquorũ ciuitas diaboli conſtat.* Ita Amb.

S. Thomas duobus modis exponit hoc deſertum. *In deſertum*, inquit, *in corda reproborum conſideranda, quæ à diuina gratia ſunt deſerta, quia per viſionem ſequentem intellexit ſtatum reproborum. Vel in deſertum, id eſt, in ſecretum mentis, ſine omni tumultu mundanæ vanitatis, ſicut in deſerto tumultus hominum non eſt.* Ita S. Thom.

Digitized by Google

Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam.

In hac muliere ſymbolum videtur magnæ cuiuſdam & enormis ſecularis, ſeu mundanæ dignitatis ac potentiæ, quam viciſſim regit, & ad quæ vult impellit.

ANNOTAT. XI.

PROMISERAT Angelus B. Ioanni oſtenſurum ſibi meretricem magnam. Dum enim ducit in ſpiritu in deſertum, vt illam oſtendat, videt mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam. Putaſne abſque myſterio eſſe, quod non dicat ſe vidiſſe meretricem magnam, ſed tantum ait, *mulierem ſedentem?* Non proculdubio. Murat nempe loquendi formulam, vt ad aliquid nouum, & non ſatis expreſſum cogitandum mentem erigamus. Certè meretrice magna impietatem in cordibus iniquorum hominum inſidentem & quieſcentem deſignauit. At cum in cordibus plurimorum reſideat (ſedet enim meretrix ſuper aquas, multas) mens S. Ioannis non ita facilè potuiſſet conjicere in quas gentes, in quos populos oculos ſuos conuerteret, vt impietatis damnationem, tam in cauſa quàm in effectu diſcerneret. Dum mens eius in ambiguo eſt, ſeu in diuerſas mundi nationes conſiderandas rapitur, ecce videt mulierem, (ſub cuius typo ſcriptura ſæpe ſæpiùs ciuitates ac populorum congregationes deſignat (ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem, tot ornamentis decoratam, tantâ ſapientiâ ſeculi, & mundanâ, ad impietatem fouendam, præditam, vt iam facilè poſſet conjicere in illa muliere deſignari aliquam ciuitatem prædiuitem, & præpotentem, quæ omnem ſuam induſtriam & ſapientiam inſumeret, vt cæteræ gentes de abominatione & immunditia fornicationis ſuæ inebriarentur. Et ne hæſitares, & ſuſpicionibus variis huius aut illius ciuitatis in longum tempus protraheretur mentis inquiſitio, legit ſcriptum in fronte huius mulieris: *Myſterium, Babylon, magna mater fornicationum, & abominationum terræ.* Quaſi dicat: Sacramentum mulieris & beſtiæ. Id eſt: Si quæras quid in muliere & beſtia occulti contineatur, ſcias per mulierem & beſtiam deſignari ciuitatem Babylonicam. Et quia adhuc de ciuitate antiqua Babylone poſſet ſuſpicari haberi ſermonem, vt nouam cogiter videt illam mulierem ebriâ eſſe de ſanguine ſanctorum, non antiquorum, aut veterum Patrum in antiqua Babylone olim commorantium, ſed de ſanguine Martyrum Ieſu: vt hac ratione ad Romanam ciuitatem, quæ noua erat Babylon, oculos conuerteret. Sed obſtupeſcit & miratur ſanctus Ioannes, cum illi conjiciendum relinquitur ciuitatem Romanam fore damnandam, & in ea contuendam eſſe impiorum omnium damnationem, ſiue in cauſa, ſiue in effectu, cum tunc ſpes magna effulgeret conuerſionis illius ad fidem. Vnde ait: Et miratus ſum, cum vidiſſem illam, admiratione magna. Sed rationem & modum addiſcit, quo iſtud completi debeat, dum audit poſt conuerſionem adhuc Romam in beſtiæ feritatem reuertendam. Et ſicut tunc ebria ſanguine Martyrum Ieſu, beſtialiter ſuâ gloriâ & maieſtate imperij ſui abutebatur, futurum fore vt quamè cœlo habuerat poteſtatem (Deo ita ordinante) hanc ſibi, Deo permittente, rurſus arrogaret humana præſumptione, lætantibus de hac vſurpatione reprobis & malis; vnde meritò damnationem ſibi compararet, quod ad priſtinam in Martyres Ieſu crudelitatem exercendam rediret, octaua inter ſeptem Monarchias, quæ in decurſu

A ſeculorum Chriſti regnum impugnarunt. In quarum numero iam erat, propter primam ſuam in Martyres Chriſti ſæuitiem reponenda.

Sed ad maiorem huius ſymboli explicationem tria dicenda ſunt. Primò optimè ſub typo mulieris ciuitatem deſignari. Secundò beſtiam ſymbolum eſſe poteſtatis contra Dei cultum ſeſe erigentis. Tertiò dicendum qua de cauſa ſupra talem beſtiam hæc ciuitas ſedere dicatur?

De prima propoſitione nulla eſt difficultas. In Iſaiæ 4. *per ſeptem mulieres ciuitates ſeptem intelliguntur. Et aprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa dicentes, &c. Et cap. 32. Mulieres opulentæ, ſurgite, & audite vocem meam. Filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum. Vbi Chaldæus intelligit vrbes Iudaicas.*
B Ita Corn. à Lap. Nec mirum ſi per mulieres ciuitates malorum intelligantur. Siquidem Eccleſia ſub typo Mulieris in ſcriptura repræſentatur. Eſt enim Eccleſia mulier illa fortis, cuius pretium eſt de vltimis finibus: illa d[illegible] Iſ. 54. *Lauda ſterilis, quæ non paris.* Iuxta ver[illegible]ſem Pagnini: *Quia es. vt mulier, quando peperis, decanta laudem. Exulta, quia es vt mulier quæ non parturiuit: quia plures ſunt filij deſolatæ, quam filij maritatæ, dixit Dominus.* Vnde duo regna Iudæ & Iſraëlis ſub typo mulieris alloquitur Ieremias c. 3. *Et vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata eſſet auerſatrix Iſraël, dimiſiſſem eas, & dediſſem ei libellum repudij. Et non timuit præuaricatrix*
C *Iuda ſoror eius. Sed abiit & fornicata eſt etiam ipſa.* Adde Ezechielem c. 16. In quo Ieruſalem ſub typo mulieris adulteræ alloquitur Propheta, & ſub typo etiam filiarum & mulierum ciuitates plurimas intelligit. *Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium, &c. Et dabo te in animas odientium te filiarum palæſtinarum, quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata.* Et verſu 41. *Et comburent domos tuas igni. Et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum.* In quibus locis, per filias, oppida & vrbes paleſtinæ intelligi debent, & per mulieres plurimas, alias ciuitates & nationes. Vnde cum hoc ſit in ſcripturis familiare, vt ſub ſpecie mulierum, vrbes, ciuitates, nationes ſeu congregationes intelligantur, non mirum ſi ſan-
D ctus Ioannes (qui ſub ſpecie mulieris amictæ ſole iam nobis Eccleſiam depinxerat) nunc videns illam mulierem ſedentem ſuper beſtiam, in ea aliquam deſignari ciuitatem ſibi perſuadeat. Quantum ad ſecundam propoſitionem, nempe per beſtiam poteſtatem quamdam Dei cultum ſubuertere conantem intelligi, ex Daniele ſatis notum eſt vt probatione alia non indigeat, ſub typo beſtiarum regna potentiſſima intelligi. In ariete enim, Regem Medorum atque Perſarum; in hirco caprarum, Regem Græcorum intelligit, cap. 8. Et c. 7. quatuor beſtias grandes videt diuerſas inter ſe, de mari aſcendentes, Leænam, Vrſum, Pardum, quatuor capita habentem, & aliam beſtiam terribilem, mirabilem,
E fortem nimis, dentes ferreos habentem, reliqua pedibus conculcantem, per quas beſtias quatuor Monarchiæ deſignantur, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum.

Cum videt igitur S. Ioannes mulierem ſedentem ſuper beſtiam, idem eſt ac ſi diceretur videre illum ſpiritu ciuitatem quamdam inſignem, quæ in diuitiarum ſuarum gloria, in delitiarum omnium abundantia, fulciebatur & nitebatur potentiâ alicuius Imperij potentiſſimi, cuius ipſa habenas moderaretur, ſicut qui equo inſidet, equum quocumque vult impellit; Ita hæc iuxta indolem ſuam nequiſſimam (eſt enim iniquitate & impietate inſignis) hac poteſtate vtatur, vt Dei regnum euertat ſi poſſit. Hæc eſt illa ciuitas, in qua vidimus præcipuè iniquitatem cum impietate coniunctam ſedem ſuam collo-

Digitized by Google

taſſe, ciuitati ſanctorum verè contrariam & oppoſitam. Hæc ſanctiſſima mulier ſole amicta eſt, nempe incorrupto & indeficienti lumine colluſtrata: Illa impia ciuitas purpurâ & coccino & veſtimentis à tinea corrodendis veſtitur. Hæc in cœlo apparet, quia conuerſatio eius in cælis eſt, & ſedes eſt Dei viuentis: illa in deſerto horribili ſubtractionis gratiarum & benedictionum Dei commoratur: Stat in pedes erecta, in ſpecimen magnanimitatis ac generoſi animi, chariſſima hæc ſponſa Chriſti: illa fætida & diſſoluta ſedet in fæcibus ſuis. Habebat caſtiſſima Chriſti ſponſa lunam ſub pedibus tum quia meritorum humanitatis Chriſti, & interceſſione B. Virginis, ſeu fulcris ac ſuſtentaculis quibuſdam fulcitur; tum denique quia Reges terræ Dei cultores eam ſuſtentare in tempore ſuo debebunt: illa autem proſtituta mulier, rebus caducis, animalibus, terrenis, tyrannica poteſtatis vſurpatione ſuſtentatur; ſedet nempe ſuper horribile quoddam monſtrum, tyrannicæ cuiuſdam poteſtatis ſymbolum: Hæc puriſſima ſponſa, duodecim micantibus ſtellis caput habet redimitum; illa verò nequiſſima in fronte laminam portat, in qua non verum inſcribitur nomen illius ciuitatis, ſed aliquod nomen, quo myſticè deſignatur, nempe *Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Et rectè quia hæc impia inaurato auro, & lapide pretioſo, & margaritis inſuper ornata, habet in manu ſua poculum aureum, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ſuæ: omnia eius quæ parent & percipiuntur oculis, gloriam mundanam, fucum, faſtum, luxum, & ſuper fluas opes redolebant. Mundana felicitate, ſicuti & Imperij maieſtate pollebat, ac rerum abundantia, donis, muneribus, carnis illecebris, ac dignitatum largitione cupidos & ambitioſos ad ſe allicere conabatur; quin & gloriatur, & iactantia effertur, quod poſſit tot homines ſeducere. In vtero filios ſuos habet, & cruciatur vt eos cælo pariat Eccleſia ſponſa Chriſti legitima: illa verò nequiſſima mulier fructus fornicationis ſuæ, nempe abominationem & immunditiam, incluſos geſtat in poculo aureo, vt pote fætus ſuppoſititij; & alieni, quos ſurripuit clancuſum æmulæ ſuæ, ſanctiſſimæ Eccleſiæ, vt eos interficiat: Clamat quidem in partu, ſenſu doloris Eccleſia: at filium maſculum parit. Alia obmuteſcens inebriatur, & quos ſurripuit; nefandæ neci tradere non timet: & ſanguinem ſitiens legitimos Eccleſiæ fætus enecat crudeliſſimè, & in eorum morte lætatur. Vnde ebria dicitur de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu. Quod ſi Eccleſiæ venter commendetur, quod ſit aceruus tritici, vallatus liliis, quia veritatis ſpiritu repleta, fructus innocentiæ, pietatis, ſanctitatis, magnanimitatis, ſapientiæ & æquitatis parit, filiumque edit maſculum; qui in virga ferrea, in inflexibili iuſtitia, in virga æquitatis & directionis recturus eſt omnes gentes. Impia mater fornicationum & abominationum terræ nihil ſanum, nihil robuſtum, nihil iuſtum, nihil purum parere nouit. Talis erit Roma ſchiſmatica, rebellis, cum ab ea ablatus fuerit ſponſus Eccleſiæ viſibilis, & adhærebit impiis, & cum eis contra Dei Eccleſiam arripere arma non timebit.

Quantùm ad tertium, nempe de beſtia, ſupra quam ſedet mulier, dico quod ex multis, quæ tetigimus, videretur probabiliſſimum eſſe ſententiam Cornelij à Lapide, de beſtia, fore amplectendam: qui plures adducens aliorum expoſitiones, hanc mox dicendam veluti probabiliorem admittit. *Quartò*, inquit, *alij propriè beſtiam accipiunt nunc mundum, ſiue ſeculum imperans & dominans. Mundum, inquam, non tam phyſicum quàm moralem & theologicum, hoc eſt, complexionem hominum mundanorum & vitioſorum, qui ex vitio naturæ corruptæ ſtudent honoribus, deliciis, opibus & pompis mundi: ideoque ſunt ſuperbi, auari, luxurioſi, impij. Mundus ergo hic eſt regnum infidelitatis, idololatriæ, ſuperbiæ, omniſque peccati.* Ita Cornel. Re tamen attentiùs conſiderata, cum omnes, qui hanc complexionem hominum mundanorum componunt, Imperiali aut Regia dignitate non fulgeant, ad omnes mundanos & vitioſos, in quibus imperat & dominatur impietas, hanc beſtiam pertinere non arbitror: quorum indoles iam ſatis fuit perſpecta in beſtia è mari aſcendente, ſed tantùm ad eos qui reuera cum impietate in eis dominante adiunctam habuere Regiam aut Imperialem dignitatem: qua freti potuerint legibus, edictis, bellis, ſuppliciis, vi ac violentia publicum Dei cultum impedire. Et ſicut ab impietate in eis dominante reguntur & impelluntur ad opus, ita impietas eorum autoritate & potentia fulcitur, vt ſubſiſtat, dum per eos quicquid à Chriſto per Eccleſiam perficitur, vt impietas auellatur è cordibus mortalium, hoc totum per vim & violentiam, quantum in ſe eſt, futile & inane, & abſque effectu reddere conantur. Et quia hoc ſingulariter enituit in Imperio Romano Ethnico, & eniteſcet in eodem ſchiſmatico, ſeu potiùs in vſurpatore huius Imperii, ſchiſmate & hæretica prauitate ab Eccleſiæ vnione præciſo, ideo aliquid S. Ioannes adducere debuit, quo Romanum indicaretur Imperium.

Tria igitur dico: nempe hanc beſtiam ſpecialiter deſignare inter impios, illos qui cum impietate, regali fulgent dignitate. Hoc ex colore coccineo coniicio, qui in roſis micat, & dibaphæ purpuræ ſeu bis tinctæ nitorem & ſplendorem emittit. Eſt enim purpura regiæ dignitati propria, iuxta illud Cant. 5. *Coma capitis tui quaſi purpura regis capiti huius plebis*, inquit Lucas Abbas montis S. Cornelij, ex Aponio, *reges Romanorum intelligo, illos dumtaxat qui agnita veritate, Chriſto exhibent ſupplicem famulatum: eoquod Carmelus, fluuius mollis, cognitio circumciſionis interpretatur, non in carne, ſed in anima. Et comæ capitis tui ſicut purpura regis, &c. Comas eas perſonas intelligere poſſumus, quæ Chriſtum venerantes lateribus coniunctæ ſunt regum. Et ſicut purpura circumdatum regem fulgentiſſimum reddit, ita & prædictæ perſonæ, largitate, benignitate, & reliqua Imperatoris Chriſti, qui eſt Eccleſiæ caput, exornant: maximè, dum per confeſſionem Martyrij, præparatur Eccleſia.* Ita Lucas. Eſt igitur purpura & coccus Regiæ dignitatis indicium. At purpura huius beſtiæ videtur in ſanguine Tyri vermis venenoſi intincta. Ita enim S. Thom. in expoſitione Boëtii, de conſolat. Philoſophicæ, lib. 2. Metro 5. *Nota*, inquit, *quod Tyrus eſt vermis venenoſus in cuius ſanguine intingitur purpura.* Ita S. Thomas. Dico igitur quòd ſi hæc beſtia coccinea & purpurata eſt, illum obtinet colorem ex eoquod verme venenoſo ambitionis & crudelitatis nimiæ percita, autoritate & poteſtate ſua vſa ſit vt Martyrum effunderet ſanguinem. Hinc dicitur plena nominibus blaſphemiæ, vt intelligamus hanc poteſtatem contra Deum ſeſe extollentem, ratione Atheiſmi, dicentem inſipienter in corde ſuo. *Non eſt Deus*; propter idololatriam impie laudantem idola, cum illis de quibus dicitur Danielis 5. *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos*; propter hæreticam prauitatem de Dei bonitate aut potentia dubitantes, eique vel quod proprium eſt detrahentes, vel quod ei non cōuenit affigentes: Denique propter voluntatis deprauationem eius mandata contemnentes, dum dicunt: *Labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Et quia in Romana ciuitate, & Atheiſmus, & idololatria, & infidelitas & hæretica prauitas, &

Digitized by Google

& morum corruptela vigebunt, cum ab obedientia, A & vnione Eccleſiæ ſeſe ſubtraxerit, ideo dicitur, per reſpectum ad illud tempus potiſſimùm: *Plenam nominibus blaſphemiæ:* Blaſphemat enim, vel Deo detrahit quod debetur, vel qui quod Deo debetur, alteri tradit; vel qui illi quod eius bonitati aut iuſtitiæ contrarium eſt, affingit. Athei Deo detrahunt. Idololatræ quod eius diuinitati proprium eſt, alteri tribuunt. Hæretici & moribus corrupti de Deo indigna ſentiunt, nec eum aut iuſtum, aut bonum, aut miſericordem, aut omnipotentem profitentur. Et de omnibus hæreticis dici poteſt quod de Valentinianis dixit olim S. Ireneus, prologo in 4. librum de hæreſibus, quod *nihil ſit apud eos ſine blaſphemia.*

B Denique tertium conjicio, quòd ſanctus Ioannes ſpecialiter ad Romanum Imperium oculos conuertat, dum ſeptem capita huius beſtiæ exponens ait: *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet; & Reges ſeptem ſunt.* Idem enim eſt ac ſi diceret: Volo vt dum vobis propono beſtiam habentem capita ſeptem, vt oculos mentis veſtræ dirigatis verſus illud imperium, cuius caput eſt ciuitas quædam inſignis, quæ ſupra ſeptem montes constructa eſt, ſeu ſeptem montes in ſuo ambitu complectitur, nempe Romana ciuitas, quæ olim dicta fuit ſepticollis. Hac enim ratione facilè erit coniicere quàm crudelis quàm profuſæ libidinis quàm ſuperba fuerit vnquam impietas, in omnibus Monarchiis ſeu Imperiis, quæ contra Dei regnum inſurgere auſa fuerunt, C in ſeptem potiſſimùm, inter quæ ipſum Imperium Romanum numerandum venit. Vnde de ſeptem Capitibus eſt. Quod quidem, & octauum conſtituet, cum rurſus per ſacrilegam apoſtaſiam ab obedientia Chriſti ſeſe ſubtrahet. Optimè enim ſanctus Ioannes inter Imperia, quæ Chriſti regnum impugnare voluerunt, Imperium eligit Romanum, vt quid impietas contra Dei honorem poſſit, oſtendat: quia notior erat huius Imperij hiſtoria, in qua impietatis mala clarè aperiuntur; quia facile erat eo ipſo tempore, quo ſuam reuelationem ſcribebat S. Ioannes, perſpicere quàm acerbè impietas in Chriſti fideles inſurgeret. Denique, quia quæ in iſto Imperio erant perficienda, maioris erant momenti: D eſt enim illud imperium duràturum vſque ad conſummationem ſeculorum. Non ad cæteras igitur vrbes infidelium aut Chriſtianorum oculos conuertere debemus, vt ciuitatem (in qua impietas fixam ſedem obtineat, & quæ imperij potentiſſimi ſit caput) repetiamus; non ad Babylonem antiquam, quæ iam iuxta Prophetarum prædictiones deſtructa fuit, & quæ ad Chriſtianitatis ſtatum non pertinet (requirenda enim ciuitas, in qua Religio Chriſtiana admiſſa, & ex qua per corruptionem morum & impietatem fuerit expulſa) non ad ciuitatem Hieroſolymitanam, cuius deſtructio iam aduenerat, viginti quinque videlicet annis antequam ſanctus Ioannes ſuam reuelationem conſcriberet: Sed ad ciuitatem, E quæ ſeptem montes complectatur, quæ nulla alia eſt quàm Romana, quæ (vt dictum eſt) ſepticollis dicta fuit. Lege Tertullianum in apologetico c. 53. Virgilium 2. Georg. Ouidium, Iuſtinum, Horatium, Claudium in Panegyrico. Et hæc eſt mens Primaſij, in hunc locum, Romam hîc intelligi, & in Romæ nomine, totius regni potentiam figurari, vt mox videbimus in ſequenti Annotatione.

Habentem capita ſeptem.

De Capitibus beſtiæ, ex diuerſis autorum expoſitionibus.

ANNOTAT. XII.

DIFFICILIOR eſſet huius loci expoſitio, niſi Angelus diceret ſancto Ioanni: *Et hic eſt ſenſus. Qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet; & reges ſeptem ſunt.* At licèt hoc exprimere videatur, quid ſeptem capita ſignificent adhuc ſapienter diſcutiendum eſt & quinam ſint illi montes aut Reges.

Ticonius: *Habentes capita ſeptem, & cornua decem, id eſt mundi Reges, & regnum, cum quibus diabolus viſus eſt in cælo.* Ita Ticon.

Primaſius: *Perſecutione nouiſſima properante; decem reges futuros ſancti quoque Danielis Prophetia teſtatur. Hos nunc in ſeptem capitibus, & decem cornibus beſtia hic liber ſæpe deſignat: ſuper quos ideo ſuperiùs etiam diademata eſſe dicis, quod regnis omnibus interemptis, ſoli poterunt in toto orbe regnare. Deuictorum quippe ſigna regnorum diademata, vt trophæa, ſuperbis dicit præferri capitibus. Propter ea autem ſeptem capita ſeptem montes per ſapientiæ ſenſum monet conſequenter intelligi; vt Romam, quæ ſuper ſeptem montes præſidet, ſignificans, omne quod orbi Monarchia præfuit dominatu, ad iſtorum regnorum ſimilitudinem adduxiſſet; & in Romæ nomine, totius regni potentiam figuraret.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſis: *Per ſeptem capita totidemque montes ſeptem loca deſignari putamus: quæ mundana potentia, & excellentia cæteris præſtabant. In quibus diuerſis temporibus mundi huius regnum firmatum nouimus. Primum, exempli cauſâ, Aſſyriorum ſit Regnum, quod in Niniue exordium habuit. Secundum Medorum in Ecbatanis, ſub principe Arbace. Hic enim, vt hiſtoriæ tradunt, Sardanapalo rege perempto, Aſſyriorum regno potitus eſt. Poſt hoc in Babylone Chaldæorum Imperium initium fecit, quibus Nabuchodonoſor imperauit. His porro deletis ac diſſipatis, in Suſis Perſarum dominatus ſub Cyro emerſit. Iſthoc rurſum ab Alexandro magno extincto, Macedonum Regnum ſucceſſit. Poſt hoc autem Romanorum robur in antiqua Roma emicuit, quod ſenſim vſque adeo creuit, vt ſub Augusto Cæſare, poſt primos illius reges & Conſules Monarchiam obtinuerit. Quæ ſub impiis principibus diu multumque detenta, tandem ad magnum Conſtantinum peruenit. Hic autem tyrannis omnibus iam deletis, Chriſtiani Regni ornamenta in nouam Romam tranſtulit. Eadem ſententia ſeptem quoque regibus accommodari poteſt, generum enallage neutiquam obſtante, aut ſententiæ identitati præiudicante. Nam etſi κεφαλαὶ ad genus fæmineum ſpectant, ὄρη autem, montes, ad neutrum, βασιλεῖς verò, Reges, ad maſculinum; hoc tamen veritatem non infringit: ſæpe numero enim in ſcripturis pro fæmininis collocantur maſculina, & diuerſo. Notum eſt enim illud Theologi. Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Et hi tres vnum ſunt. Et illud rurſus Salomonis: Tria ſunt, hircus, & gallus, & rex concionans. Igitur per ſeptem capita ſeptem ciuitates fæminino denotantur; per ſeptem autem montes, ſeptem eminentiora terræ loca, non locali ſitu, ſed præſtantia & dignitate, neutraliter; aut ſeptem reges ad modum iam expoſitum, maſculinè, cuiuſmodi haberi poſſunt illi, qui locis vel ſedibus regia dignitate ornatis primi præfuerunt: Ita tamen vt Synecdochicos totum regnum illorum nomine deſignetur. Per Ninum itaque accipiatur primum regnum, nempe Aſſyriorum; Per Arbacem, Medorum; per Nabuchodonoſorem, Chaldhæorum ſeu Babyloniorum; per Cyrum, Perſarum; Per Alexandrum magnum, Macedonum vel græcorum; per Romulum vel Auguſtum Cæſarem, Romanorum; per Conſtantinum denique, orientalium aut nouæ Romæ.*

Digitized by Google

Et reges ſeptem ſunt quinque ceciderunt, &c. Beatus Hyppolitus, inquit Andreas Cæſarienſis. *Per hoſce reges ſecula accepit: è quibus quinque iam præterierunt; ſextum, in quo Apoſtolus hæc vidit, & adhuc decurrit; ſeptimum autem, vt ille opinatur, poſt elapſa ſex annorum millia tandem ſe prodet. Vbi autem ſeſe prodiderit, parum durabit. Et hæc quidem ad eum modum ille: forſan vt beati Irenei ſententia ſeptem conditi ſunt dies, & ſeptem cæli, & ſeptem Angeli cæteris præſtantiores. Ita iam inde ab exordio vſque ad ſæculi finem, ſeptem regna cæteris celebriora citra abſurditatem ſtatuere licebit: è quibus quinque iam tum conſiderunt: ſextum, cum Apocalypſis cernebatur, adhuc conſiſtebat, & quidem in antiqua Roma. Septimum porro per id tempus nec dum aduenerat. Siue per aliud inſinuaretur nouæ Romæ Imperium, ſiue aliud quodcumque regnum. Sed neque abſonum quoque fuerit, ſi orbis vniuerſi principatum, vſque ad Anti-Chriſti aduentum, vnam regnantem ciuitatem conſtituamus; Poſtremum autem Anti-Chriſti tyrannidem: quæ modico tempore (ſi priores Monarchias ſpectemus) duratura eſt: ſiquidem aliæ ex illis ſuper quingentos annos imperarunt; aliæ vltra mille. Sed & omnis quoque temporis menſura, ſi cum futura ſanctorum vita, quæ eſt æterna, comparatur breuis eſt* Hæc Andreas Cæſ.

Multa certè hic adducit Andreas, quæ non modicam lucem præſe ferunt ad veram expoſitionem, ni fallor, inueniendam, cum per capita & montes ciuitates ſeu loca quædam dicit eſſe intelligenda, in quibus ſedes huius aut illius imperij collocatæ extiterunt. Secundò dum ait in regibus quibuſdam illorum Imperiorum inſignioribus, ipſa Imperia, ſeu Regna deſignari; v. g. per Ninum Regem Aſſyriorum, & ſic de cæteris. Sed quinam ex Regibus iſtorum Regnorum ſint ſeligendi, vt per eos illa Regna deſignati poſſint, videbimus ex his quæ poſtea dicemus, exponentes quænam conditiones requirantur, vt aliquod Regnum ſeu Imperium computetur inter capita beſtiæ. Tertiò cum ex Ireneo ſeptem regna cæteris celebriora in his regibus eſſe intelligenda aſſerit. Sed diſcutiendum erit à quo tempore illa regna exoriri debuerint, an ab exordio mundi, an verò in aliquo alio temporis momento, quod ex infra dicendis poterit dignoſci. Denique non malè inter capita beſtiæ annumerat. Regnum nouæ Romæ, nempe ciuitatis Conſtantinopolitanæ: Sed quo ſenſu hoc accipiendum ſit, ex dicendis videbitur; ſicut optimè ſeptimum caput de regno Anti-Chriſti intelligendum eſſe aſſerit,

Ambroſius per beſtiam diabolum deſignari vult, cuius capita, ait, *eſſe eos, per quos diabolus genus humanum decipit, ante diluuium, poſt diluuium vſque ad legem, ſub lege vſque ad Prophetas, à tempore Prophetarum vſque ad Chriſtum, à Chriſto vſque ad Anti-Chriſtum, Eccleſiæ videlicet perſecutores. Septimum verò caput diaboli, erit Anti-Chriſtus.* Ita Ambroſ. in caput 12. *Quæ capita*, inquit in cap. 17. *montes dicuntur, quia altiores fuerunt illi in ſceleribus, qui cæteros deceperunt, quàm illi qui ab eis decepti ſunt. Sicut in ſequentibus de Babylone dicis, quia venerunt peccata eius vſque ad cælum. Vocantur nihilominus & ſeptem reges, eo quod cæteris ad perditionem euntibus ducatum præbuerint. Super hos ergo montes meretrix ſedere dicta eſt: quia ab iis ciuitas diaboli in omnibus erroribus atque ſceleribus informata eſt. Nam ſicut Apoſtoli fundamenta dicuntur Eccleſiæ, ita è diuerſo inuentores errorum fundamenta ſunt ciuitatis diaboli.* Ita Ambr.

S. Thomas in expoſitione. *Septem capita illa deſignant ſeptem montes, id eſt vniuerſos Reges, ſiue potentes, qui dicuntur montes per altitudinem ſuperbiæ: dicuntur autem capita, per affluentiam malitiæ: quia per hos diabolus influit in membra alia ſenſum & motum. Super quos ſcilicet montes, id eſt ſuperbos Reges & potentes, mulier, id eſt congregatio ſiue multitudo hominum peruerſorum, qui* A *alios ad malum emolliunt, ſedet, id eſt dominatur & regnat, quia peruerſi, ſicut ſunt hæretici. Et huiuſmodi habent iniquos potentes, quaſi ſub nutu ſuæ voluntatis, & per eos alios peruertunt, ſicut fiet tempore Anti-Chriſti. Vel ſedet, id eſt, quaſi fundata, & ſtabilita quieſcit multitudo impiorum, quia Principibus innituntur alij mali, & per eos ſe fulciunt, Vniuerſi verò potentes diſtinguuntur ſecundum ſeptem tempora. Primum tempus fuit ab Adam vſque ad Noe. Secundum à Noe vſque ad Abraham. Tertium, ab Abraham vſque ad Moyſem. Quartum, à Moyſe vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quintum, in tranſmigratione Babylonis, vſque ad Chriſtum. Sextum, tempus gratiæ, vſque ad Anti-Chriſtum. Septimum ſub Anti-Chriſto. Septem ergo capita ſeptem ſunt Regna mundi nouiſſima, ſecundum ſeptem tempora*, Ita S. Thom. iuxta B Rupertum, qui addit: *Quorum vnumquodque ſuo tempore, ſicut ſacræ teſtantur ſcripturæ, contra Regnum Dei ſtetit, ciueſque eius in hoc mundo peregrinantes variis tribulationibus preſſit. Primum enim Ægyptiorum Regnum filios Iſraël afflixit. Secundum Regnum Iſraëliticum iuſtos homines & Prophetas Domini, Iezabel incipiente occidit. Tertium Regnum Babyloniorum Hieruſalem igne ſuccendit, & populum eius captiuauit, & tres pueros miſit in caminum ignis. Quartum Regnum Perſarum & Medorum, inſtigante Aman ſuperbiſſimo vniuerſum genus Iudæorum propter Mardochæum penè deleuit. Quintum Regnum Macedonum, per Antiochum. Epiphanem, populum eumdem crudeliter afflixit, ſub quo & Machabæi fratres mirando ſunt Martyrio coronati. Sextum Regnum Romano-* C *rum, orbem terrarum Chriſtianorum ſanguine impleuit. Septimum Regnum Anti-Chriſti tanta tribulatione fideles turbabit, vt (ſi fieri poteſt) in errorem inducantur etiam electi. Iſti ſunt ſeptem montes, id eſt ſeptem regna. Denique Regna hæc propter ſuperbiam ipſorum, quâ in altum contra Deum tumuerunt, montes appellauit, Vnde cum dixiſſet: Septem capita ſeptem montes ſunt; exponens quid dixerit, addidit: Et reges ſeptem. Reges enim pro Regnis æquipollenter poſuit, imo magis propriè, quia non tam Regna vel ſpacia terrarum quàm Reges in crimine ſunt, & beſtiæ capita dicuntur & ſunt: quamuis multi in ſingulis regnis per ſucceſſiones regnauerint, pulchrè tamen quod regna ſunt tot reges poſuit, quia non tam perſonas Regnantes quam* D *regias poteſtates numerari præſens cauſa flagitat.* Ita Rupertus.

Notandum autem, ex Ruperto, *hæc ſeptem regna incipienda eſſe à tempore promiſſionis, quo Patri noſtro Abrahæ ſemen benedictionis Chriſtus repromiſſus eſt; quæ ab eo tempore fidem ſeminis eiuſdem impugnauerunt, eumque extinguere contenderunt, impugnando fidelem populum, ſcilicet regnum Ægyptiorum, Regnum Iſraëlitarum carnalium, Regnum Babyloniorum, Regnum Perſarum atque Medorum, Regnum Macedonum, Regnum Romanorum, & Regnum Anti-Chriſti, quod erit vltimum.* Ita Rupertus.

Alcazar (qui eamdem eſſe exiſtimat beſtiam capitis huius decimi ſeptimi, cum beſtia marina capi- E tis decimi tertij) Imperium Romanum Ethnicum Eccleſiam acriter vexans intelligit. Et ſic conſequenter de ſeptem capitibus loquens ait: *Septem montes, Romam, & ſeptem Reges totidem Romæ Imperatores deſignant Chriſtianæ Eccleſiæ oppugnatores. Quare cum ſeptem beſtiæ capita dicuntur eſſe montes totidem, innuitur pariter Romam eſſe caput Romani Imperij Ethnici Eccleſiam perſequentis. Cum verò dicitur ſeptem capitum ſignificatio ad ſeptem reges referri, indicatur Romanos Imperatores eſſe illius imperij caput, quorum vtrumque eodem recidit. Prima ergo ſignificatio eſt de ſeptem Romæ montibus, hoc eſt de Roma ipſa, quæ propter ſeptem montes appellabatur ſeptimontium, vt norunt in humanioribus literis mediocriter verſati. Hi autem ſeptem montes ſunt huiuſmodi, Palatinus, Quirinalis, Auentinus, Cælius, Viminalis, Æſquilinus, Ianicularis. Vnde liquet per ma-*

Digitized by Google

ris beſtiam apertè Imperium deſignari Romanum, cuius caput erat Roma idololatra. In ſeptem enim montibus Roma figuratur, eoquod ſuper illos fundata ſit. In hac autem ſignificatione manifeſtum eſt capitum numerum cum montium numero exæquari; atque adeo, vt dicitur, Roma eſſe Imperij caput, congruenter in beſtia pro vno capite ſeptem reponi. Roma enim, cum ob montes ſeptem, tum ob ingentem ſuam molem ac magnitudinem, quaſi ſeptem vrbium pariter coniunctarum ſpeciem præ ſe ferebat, &c. Et paulo poſt addit Alcazar: *Altera ſignificatio ſeptem beſtiæ capitum ab Angelo expreſſa eſt de ſeptem Regibus (hoc de multis Imperatoribus) nempe de illis qui Chriſtianam Eccleſiam exagitarunt. Maris enim bellua non adumbrat Romanum Imperium, prout à Chriſtiano & Ethnico abſtractum, ſed quatenus idolorum ſuperſtitioni velificatur, & Dei Eccleſiam vehementer premebat: atque ita in huius beſtiæ capitibus ij ſolum Imperatores notantur, qui perſecutionem aduerſus Eccleſiam ſuſcitarunt. Huic declarationi fauet Proſper, in dimidio temporis c. 8. Vbi agitur de ſeptem beſtiæ capitibus: in quantum datur (inquit) exiſtimatio, priores reges memorat Ioannes, qui truculentiores fuerunt in Religionem Chriſti*: Ita Alcazar.

Qui poſtea per ſeptem capita, ſeptem perſecutiones, ſeu potius multas perſecutiones, & non ſolùm ſeptem Imperatores, ſed multitudinem Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianam religionem vexarunt, intelligendas & intelligendos eſſe aſſerit, receptiſſima in ſacris literis phraſi, qua certus numerus pro incerto ponitur. Id quod præcipuè locum habet in quibuſdam numeris, qui completi appellantur, cuiuſmodi ſunt ſeptenarius, Denarius & Millenarius. Ita Alcaz. §. 1. & §. 2. in 1. verſum c. 13. Vult igitur Alcaz. Beſtiæ capita per diuerſas perſecutiones diſtingui. *Quia*, inquit, *non opus eſt ſibi ipſis continua viciſſitudine ſuccedere, vt Neroni Galba, Galbæ Otho ſucceſſit: quinimo videtur neceſſarium vt inter vnum atque aliud interiectum ſit ſpatium aliquod temporis; & non modò perſecutiones, ſed potiùs, vt dictum eſt, multitudinem Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianam Eccleſiam vexarunt, deſignare. Et licèt conſtet in ænigmate figuram atque picturam ſeptenarij fuiſſe, tamen aſſerendum eſt ſeptenarij huius ſignificationem non eſſe neceſſariò ad certum aliquem Imperatorum ſeptenarium reuocandam.*

Hæ ſunt præcipuæ autorum expoſitiones huius loci, quas, optimè Lector, ante oculos tuos proponimus, vt expoſitionem noſtram adducendam infra faciliùs admittas, poſtquam duo prænotanda protulerimus. Primum eſt, quidnam requiratur, vt ciuitas aliqua poſſit eſſe caput alicuius Imperij Eccleſiam Dei perſequentis? Secundum, quænam etiam requirantur conditiones, vt aliquod Regnum aut Imperium in numero capitum beſtiæ huius reponatur?

Quidnam requiratur, vt ciuitas aliqua poſſit eſſe ſedes aut caput Regni ſeu Imperij, Dei Eccleſiam vexantis?

ANNOTAT. XIII.

VT ciuitas aliqua caput ſit Imperij alicuius Eccleſiam perſequentis, oportet vt ſuper eam mulier illa meretrix, ſymbolum impietatis ſedeat. Sedet quidem ſuper aquas multas, quia ſedet ſuper multos populos & multas gentes. *Aquæ enim populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Sedet ſuper beſtiam coccineam, id eſt, ſuper mundanam & ſecularem potentiam, ambitione, & luxuria, & crudelitate inſignem. At inſuper ſedet ſuper eminentiores in potentia & Imperio. Quia ſedet ſuper ſeptem capita, de quibus dicitur: *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet.* Si igitur ſedet ſuper montes, & montes dicantur capita; Capita autem eos, qui toti corpori præeminent, ſignificent; cum dicitur ſedere ſuper montes, qui capita & eminentiores deſignant, dum ſuper montes ſedere aſſeritur, idem eſt ac ſi diceretur impietatem vt plurimum in principalioribus dominari: principaliores ſiquidem in populis, & gentibus, & linguis, capita nuncupantur. Hinc. 1. Reg. 15. Samuel ad Saul dicebat: *Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus factus es? Vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſraël, &c.* Et Amos c. 6. *Væ qui opulenti eſtis in Sion & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël. Optimates & capita*, inquit Remigius Altiſiodorenſis, *id eſt, principes populorum.*

At ſtatim atque impietas principes populorum poſſidet, aut ab eis fouetur ac fulcitur, continuò inferiores iniquitate & impietate opplentur. Et talium ciuitas fit ſedes ac domicilium impietatis, videlicet ſi in principibus, & inferioribus reperiantur ſemel (impietate in eos dominatum vſurpante) ſeptem illæ nequitiæ, per quas diximus ſupra impugnari Regnum Dei. Quæ quidem ſatis concinnè video poſſe deſignari per ſeptem montes, de quibus in ſcriptura mentio fit ſpecialis: Sicque pereant ſi volueris reges, qui etiam per capita deſignantur, vt vidimus in expoſitionibus ſupra allatis, vno alteri ſuccedente, manent tamen montes immobiles, vt impietas ſedem ſemper obtineat fixam in aliqua ciuitate, aut hominum confuſa multitudine.

Primus mons erit mons Seir, in quo olim commorabatur Eſau; quo deſignari dico primum illud animi vitium, quo retunditur pius Eccleſiæ conatus ad conuerſionem cordium, ad cultum & obſequium Deo exhibendum, id eſt, quædam animi ſtupiditas, qua mens omnibus inſpirationibus reſiſtit, quæ vel à Deo immittuntur nullis præcedentibus meritis, vel Eccleſiæ ſuffragiis & oratione ſanctorum plærumque à Deo pro nequioribus impetrantur. Optimè autem per montem Seir hæc ſtupiditas deſignatur. Nemo enim ignorare poteſt Eſau ſymbolum eſſe animarum terrenarum: qui videlicet vt gulæ ſuæ ſatisfaceret, primogenita ſua vendidit vili & deſpicabili pretio, ventris repletionem virtuti, cibi guſtum ſolido honori, panem & Lentis Edulium, & coctionem rufam primogenitis ſuis, id eſt ſacerdotali honori antetulit. Vnde prophanus à S. Paulo dicitur, Heb. 12. *Prophanus autem*, inquit Primaſius in Paulum, *propriè dicitur irreligioſus, quaſi porro, id eſt, longè, à phano & templo Dei. Hic autem pro Gaſtrimargo, ſiue pro illo qui vtile pro inutili ponit, quod benè congruit Eſau, qui fuit Gaſtrimargus atque guloſus, vendens primogenita ſua pro vili cibo, pro lenticula ſcilicet rufa. Primogenita autem iſto in loco appellantur honor & dignitas ſacerdotij. Ante ſacerdotium enim Aaron, quod à Deo conſtitutum eſt in lege, omnes primogeniti ſacerdotes erant, ſicut fuit Sem, qui & Melchiſedech, primogenitus Noe. Magna etenim dignitas erat habere primogenita: quoniam & de ſubſtantia & hæreditate paterna maiorem portionem ſumebat, veſtimentoque ornatus locupletior ſplendebat.* Hæc Primaſ.

O mira cordium ſtupiditas, eorum nempe qui velut Eſau ſedent in monte Seir, dignitatem regalis ſacerdotij Chriſtianorum paruipendentes, hæreditatem cæleſtis patriæ ſpernentes, veſtimentum gratiæ abjicientes, vt terrenis potiantur, & induantur maledictione tanquam veſtimento. Seir ſeu Sehir ſignificat apud Pagninum, hiſpidum, piloſum. Vnde mons, in quo habitabat Eſau, ab eo qui totus erat piloſus, Seir videtur fuiſſe nuncupatus. Talis eſt habitatio eorum, qui propter ſtupidi-

Digitized by Google

tatem, & nimiam ad terrena adhæſionem, inſomniis, & vanis agitantur, & implentur cogitationibus, curiſque ſollicitudinibus innumeris ac ſuperfluis occupantur: qui, quia carni & ſanguini, Gulæ, & Luxuriæ dediti ſunt, & terrenarum opum abundantiam exoptant, verè ſunt Eſau nomine nuncupandi. Eſau enim Rubens aut Rufus, ſiue terrenus dicitur, & aceruus lapidum. Et S. Hieronymus Eſau vertit Vanus, & Fruſtra. Vocatus etiam fuit Edom, propter eſcam rufam, quam appetiuit. *Quam ob cauſam*, inquit ſcriptura Geneſ. 25. *Vocatum eſt nomen eius Edom*. Verè igitur ſunt iſti carnales, ſanguinei, terreni, inſenſibiles quaſi lapides, vani. Vani ſiquidem ſunt homines, in quibus non eſt ſcientia Dei, & qui propter amorem ſeculi cunctas inſpirationes diuinas rejiciunt, quibus ad cæleſtia cogitanda & deſideranda prouocantur.

Aliud ſequitur vitium cultum Dei impediens, & Regnum eius impugnans, nempe praua carnis, & appetituum carnalium inclinatio, ſeu lex illa peccati, quæ in membris noſtris reperitur poſt peccatum originale, de qua loquitur S. Paulus in Epiſt. ad Romanos.

Hic autem peccati fomes ſignificari poteſt per montes Armeniæ, ſeu Ararath. *Ararath*, inquit Pagninus, *eſt Armenia, & interpretari poteſt maledictio, aut collectio trementis*, qui montes, licèt altiſſimi, aquis diluuij inundati fuere. *Operti enim ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo*. Geneſ. 7. Quis eſt autem ille tremens, niſi Adam, poſt peccati perpetrationem. Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui. Geneſ. 3. At quænam eſt maledictio trementis, niſi fomes ille peccati, & concupiſcentiæ rebellis, quam poſt peccatum ſentientes Adam & Eua ſpoliati gratiæ tegumento aduerterunt ſuam nuditatem & confuſionem, ex eo quod ſentirent in ſe motus concupiſcentiæ rebellis rationi, præſertim libidinis ad inuicem, de qua etiam illud Geneſis 4. ad Cain poteſt intelligi: *Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit. Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*. Septuaginta vertunt: *Ad te conuerſio eius*. Sicque ſollicitationem peccati indicant hæc verba, ad conſentiendum, à nobis conſenſum petendo, quem denegare poſſumus, quia nobis ſubeſt appetitus. Peſſima certè maledictio eſt iſta concupiſcentiæ ad peccatum ſollicitatio, quæ homini accidit poſt peccatum, & quæ ſemper contra Deum eleuatur, vt homines ab eius timore diſtrahat, & ad peccandum inducat. Quæ maledictio eos afficit, qui diluuio peccati originalis operti ſunt, quos collegit ſimul Adam tremulus, dum omnem ſuam poſteritatem huic maledictioni ſubiecit. *Omnes enim declinauerunt: ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Sed hæc peſſima inclinatio, in monte, in quem fugit olim Loth (de quo dicitur Geneſ. 19. Aſcenditque Loth de Segor, & manſit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo.) Optimè deſignatur. In hoc monte duæ filiæ Loth inclinationis peſſimæ ſuggeſtioni obtemperantes, Patrem vino madentem ad inceſtuoſum coitum fœdè compulerunt.

Certè ſi ſemel mens ſeu Ratio ad ea, quæ carni fauent, conſideranda intenta fuerit, & in conſortium & ſocietatem admiſerit duos appetitus, nempe concupiſcibilem, & iraſcibilem, qui quidem ex coniunctione animæ cum corpore originem ducunt fiet proculdubio vt vino delectationis mentem inebrient, itaut appetitui cuilibet conſentiendo, inceſtuoſos generet fætus actionum prohibitarum, dum animus vel voluptate motus, vel appetitu vindictæ pulſus, multa cogitat, multa perficit contra Dei mandata. Et benè per Loth deſignatur, qui (vel

A Hieronymo autore, de nominibus Hebraicis) interpretatur Vinctus, ſeu declinatio. Vincitur enim, & ligatur animus vinculis concupiſcentiæ, & peſſimè inclinatur ad ea quæ carnis ſunt, voluptate carnali, aut appetitu vindictæ, tanquam vino inebriatus.

Alia ratione diximus homines Regni Dei promotionem impedire, nempe per quamdam potentiarum ſenſitiuarum, in delectationes ex perceptione ſuorum obiectorum prouenientes, profuſionem, quo fit vt modò eis potiantur, nullam pertimeſcant præceptorum Dei tranſgreſſionem. Hæc contra Dei mandata inſurrectio adumbratur in monte Samariæ, de quo dicitur, Amos c. 4. *Audite verbum hoc, vaccæ quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam* B *facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis veſtris: Afferte & bibemus: Loquitur autem*, inquit S. Hieronymus, *ad Principes Iſraël, & optimates quoſque, qui delitiis & rapinis vacabant*. Et paulo poſt addit S. Hieron. *Ex eo autem quod poſuit: Date nobis & bibemus; & non dixit: Date, & comedemus: ebrietatem earum ſignificat in vino atque luxuria, quæ ſtatum mentis euertunt*. Ita S. Hieron. Cuius veſtigiis inhærens Remigius Altiſiodorenſ. ait: *Principes decem tribuum, deſpectione Vaccæ vocantur: qui reſidentes domi, gulæ & ventri ſeruiebant, opprimentes egenos, & confringentes in iudicio pauperes, vt bona illorum in ſuos redigerent vſus. Quæ dicitis Dominis veſtris, id eſt Regibus: Afferte, & bibemus. Hoc eſt: Iubete & præcipite nobis, & ſpoliabi-* C *mus domos pauperum. Quare dixit: Bibemus: & non, Manducabimus? Vt denotaret eos ebrietatem ſectari, quæ errorem & libidinem generat. Sic dicebant Principes & iudices decem tribuum regi ſuo. Præcipe vt opprimamus pauperes, & bona illorum in noſtros vſus redigamus*. Ita Remig.

In hoc monte Samariæ ſedet impietas. Nec enim meliùs foueri aut fulciri poteſt, quàm ſi præter inclinationes & pronitates interiores ad malum, adjiciatur ſenſuum exteriorum delectatio, & audax, vt ea quis fruatur, mandatorum Dei tranſgreſſio. Propter quam Deus prædicit eos vi ac violentia è patria in captiuitatem transferendos,) *Ecce dies venient: & leuabunt vos in contis, & in variis regionibus, tanquam* D *in ollis feruentibus poſitos*,) igne tribulationis fore decoquendos, & non modò in varias nationes & regiones fore diſpergendos, ſed etiam in nationes ſibi inuicem inimicas, & bella inter ſe gerentes. Vnde contra ſe inuicem arma ſumere plærumque cogerentur: vt qui in confractione pauperum fuerunt concordes, in hoſtilitate gentium, in quas erant diſpergendi, in ſeipſos ſæuire cogerentur, tandem proiiciendi in Armon, dicit Dominus. *Armon regio eſt Armeniæ, vltra montes Medorum & Perſarum*, inquit Remigius Altiſiodorenſis. Vel eſt mons quidam in Armenia. Armon autem, iuxta S. Hier. de nominibus hebraicis, de lib. iudicum, *interpretatur anathema mæroris, vel imago triſtitiæ*. Hic reponuntur & E transferuntur ex monte voluptuoſo, qui propter delectationes carnis Deum offendere non timent, in montem videlicet maledictionis, mæroris & triſtitiæ, quæ imago ſit & adumbratio futuræ triſtitiæ in æternum poſt mortem ſubeundæ, iis, quibus vexationem dedit intellectum, vt à peccatis reſipiſcant.

Alio modo adhuc homines contra Deum eleuantur, nempe proprio iudicio nimium adhærentes, vnde erroribus variis, & falſis opinionibus à veritate diuina deficiunt. Quæ quidem ſuperbia deſignatur In monte illo, dequo Iſ. 57. dicitur: *Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum. Et illuc aſcendiſti, vt immolares hoſtias*. Quo in loco Deus non tantùm Iſraëlitis exprobrat idololatriam, ſed hæc verba etiam S. Hieron. ad hæreticos extendit. *Hæretici*

Digitized by Google

quoque, inquit, *quorum cor eleuatur in ſuperbiam, & Eccleſiaſtica humilitate contempta, ſibi excelſa promittunt, aſcendunt ſuorum dogmatum montes ſublimiſſimos, & illic ſuum dæmonibus cubile proſtituunt.* Ita Hieron. Quod tanto magis Deum ad iracundiam prouocat, quando quis inter Catholicos degens, impudenter audet hæreticas prauitates conſectari. Quod noſtris temporibus fecerunt Ianſeniſtæ. *Quia*, inquit Iſaias, *iuxta me diſcoperuiſti, & ſuſcepiſti adulterū dilataſti cubile tuum, & pepigiſti cum eis, dilexiſti ſtratum eorum manu aperta. Id eſt*, addit S. Hieron. *Vt non erubeſceres in peccato tuo, nec fornicationis cuperes abſcondere turpitudinem ſed tota libertate peccares.* Ita Hieron. Vel certè hoc vitium proprii iudicii deſignari poteſt in monte, qui eſt contra Ieruſalem, in quo Salomon ædificauit (3.Reg.c.11.) Phanum Chamos Idolo Moab, & Moloch Idolo filiorum Ammon. Et ad hunc montem fortè reſpexit Eſaias. Quod coniici poteſt ex eo quod hæc Eſaiæ ſubſequentia verba. *Et ornaſti te Regi vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua*; Ita interpretatur. *Quod autem*, ait Hieron. *dicitur: Te ornaſti regi vnguento; dupliciter intelligitur, aut regi Deo, dum his ornaris quæ ille dederat, & idolis proſtitueris; Aut certè regi idolo Ammonitarum, qui appellatur Moloch, & in lingua noſtra regem ſonat.* Optimè igitur hic mons, in quo erectum eſt Moloch Phanum, qui erat contra Ieruſalem, deſignat mentem ſuperbam, in qua erigitur proprium iudicium, Eccleſiæ determinationi contrarium, à Salomone diuinam ſapientiam deſerente, vt in fatuatā ſuperbiæ ſapientiam amplecteretur. In hoc monte verè ſedet impietas, quia nulla re meliùs foueri poteſt, quàm ſi Eccleſiæ determinationibus proprium iudicium opponas, & errores fidei contrario amplecti non pertimeſcas. Hinc S. Hieronymus locum Eſaiæ de hæreticis interpretatur dicens: *Quod quidem & de hæreticis poſſumus dicere, qui derelicto Deo ſuo ſequuntur errores; & putant ſe aliquid plus habere, cum ſequentes mendacia perdiderint veritatem, & multiplicauerunt fornicationem ſuam, non in vno dogmate, ſed in pluribus; & fecerint à ſe Eccleſiarum præſides Angelos recedere: Qui non contenti fornicatione vicina, mittunt legatos vltra terminos ſuos ad gentilium dogmata, & errores gentium barbararum, vt nouitate ſermonum decipiant audientes.* Ita Hier. Nullam igitur impietas gratiorem ſedem inuenire poteſt mente proprio iudicio nimium adhærente. Hac enim ratione latè graſſati poteſt, & Imperii ſui fines extendere.

Sed ecce ſeſe offert ſedes alia impietati gratiſſima, nempe voluntas impia, alium à Deo finem vltimum ſibi liberè & cum plena deliberatione præſcribens. Quod quidem faciunt, qui vel mundanum honorem, vel carnis voluptatem, vel diuitiarum accumulationem tam inordinatè appetunt, vt nullum in eis inueniatur diuini timoris indicium. Qui Deo terga vertunt & non faciem, vt creaturis adhæreant. Quæ quidem audacia optimè deſignatur in monte, de quo Ieremias loquitur c. 51. *Ecce ego ad te, mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram. Et extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de petris: & dabo te in montem combuſtionis.* Per montem peſtiferum Ieremias deſignat ciuitatem Babylonem, quæ verè erat peſtifera, quia ad eius imitationem & exemplum plurimæ gentes & idola & vitia colebant. Talis eſt anima impia, quæ aliquid aliud à Deo pro fine vltimo ſibi præſcribit. Omnia enim confundit, & rerum omnium perturbat ordinem, cum Deus vltimus finis ſit omnium rerum creatarum. Babylon autem mons dicitur. Licet enim fuerit in planitiè ædificata, tamen mons dicitur, habita ratione ad altitudinem ædificiorum ſuperborum, & palatiorum, quin & murorum. *Erat enim*, ait Oro-

A ſius l. 2. c. 6. apud Cornel. à Lapide, *murorum Babylonis latitudo quinquaginta cubitorum: altitudo quater tanta.* Vel ſaltem, iuxta Salianum, ann. mundi 2049. ratione ducentarum quinquaginta Turrium, quarum altitudo proportionata erat altitudini Murorum. Quæ tantum erat, ſi Saliano credas, 50. cubitorum. Quidquid ſit, huiuſmodi altitudo ſufficit, vt Babylon, præter latitudinem & amplitudinem Imperij, mons dicatur, prauæ intentionis ſymbolum: ſiquidem mentis ſtupiditas, peruerſa inclinatio, ſenſuum exteriorum voluptas, proprium iudicium, voluntarij rationem non ita induunt, ſed naturæ quemdam impetum ſequi videntur. At libera & deliberata electio finis vltimi propriè videtur contra Deum B inſurgere. Eſt enim actus à voluntate elicitus, qui optimè deſignatur per montem, non naturaliter, ſed artificio hominum ſublimatum, & voluntate Semiramidis reginæ ad tantum faſtigium eleuatum. Et, vt verum, fateamur, nihil etiam poteſt impietati magis eſſe gratum, quàm ſi Deo contempto, in Dei locum creaturam aliquam ſubſtituas. Nunquam enim magis ciuitas Babylonica impietatem potentia ſua & autoritate fulciuit ac fouit, quàm eam fouet hic Dei contemptus. Sexta in Deum inſurrectio impiorum, eſt contemptus autoritatis Eccleſiaſticæ, ſeu Prælatorum Eccleſiæ: qui optimè adumbratur per montes Gelboe, qui, teſte Hieronymo de locis Hebraicis, ſunt montes alienigenarum. C Quod conuenit huiuſmodi contemptui, qui reuera proprius eſt eorum, qui iam ab Eccleſiæ ſinu & gremio abjiciendi ſunt: de quibus dicitur: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. In hoc monte Gelboe *abiectus eſt Clypeus fortium, Clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* Nam qui in hoc contemptu viuunt, abjiciunt fidem, qui Clypeus eſt fidelium, iuxta illud Pauli: *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea poſſitis extinguere.* Epheſ. 6. *ſine ſcuto*, inquit Sedulius, Hybern. *Omnis armatus inermis eſt; ita & hæ virtutes ſine fide ſaluare non poſſunt. In omnibus certaminibus fide muniamur.* Et Primaſius: *Sicut ſcutum omnia iniecta reſpuit & excutit, ita & fides omnes eius* (ſcilicet diaboli) D *ſuaſiones extinguit, quamuis quaſi rationales lumen habere videantur.* Ita Primaſ. Sed ſtatim atque quis reuerentiam & obodientiam autoritati Prælatorum Eccleſiæ præſtandam abiicit, eo ipſo inſtanti Clypeum fidei abiicit. *Quaſi non eſſet vnctus oleo.* Id eſt: Ac ſi non eſſet Chriſmate delibutus, & verè Chriſtianus. In monte Gelboe olim Saul & Armiger eius proprio gladio ſeſe interemerunt. In hoc contemptu eorum, quos conſtituit Deus regere Eccleſiam Dei (quorum miniſterio Deus ſtatuit lumen fidei inferioribus infundere; vt ſicut Angeli inferiores à ſuperioribus illuminantur, ita qui in Eccleſia inferiores ſunt, à ſuperioribus lumen accipiant, & tanquam oues à Paſtoribus paſcantur) in hoc, inquam, E contemptu, mortem nobis conſciſcimus & inferimus. Mortem ſibi intulerat, id eſt, priuationem gratiæ, olim Lucifer, proprio gladio, ſtatim atque apud ſe ſtatuit & decreuit agno (qui occiſus eſt à conſtitutione mundi) mortem inferre, ne aliquem haberet naturâ inferiorem ſibi prælatū & ſuperiorem, ſed æternam mortem & confuſionem ſibi conciliauit. Hunc imitantur Hæreſiarchæ, qui ſibi ipſis iudicium & condamnationem comparant, dum proprio iudicio inhærent contra Eccleſiæ decreta & determinationes: & ſic ſe ſuo iugulant gladio. *Apoſtolus*, inquit Tertullianus, lib. de præſcipt. *In omni penè Epiſtola de adulterinis doctrinis fugiendis, hæreſes taxat, quarum opera ſunt adultera doctrina. Hæreſes dictæ ſunt græca voce interpretatione electionis: qua quis ſiue ad inſtituendas ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur. Et* ideo

Digitized by Google

ideo & ſibi damnatum dixit hæreticum, Epiſt. ad Titum: quia in quo damnatur, ſibi elegit. Ita Tertull.

Denique Gelboe interpretatur Reuolutio inueſtigationis, vel, vt vult Pagninus, Reuolutio quærentis aut ſcrutantis, vel aceruus tumoris aut inflationis, & iuxta S. Hieron. de nominib. Hebraicis, Volutatio, ſiue decurſus, vel aceruus pluens. Quæ omnia optimè conueniunt hæreticis & ſchiſmaticis, & omnibus, qui contra Eccleſiæ decreta & autoritatem extolluntur. Et quidem de hæreticis, ait S. Leo epiſt. 76. ad Leonem Auguſtum: *Hæreticorum ſtudium eſt*, inquit, *quæ patefacta ſunt quærere; quæ perfecta ſunt retractare; & quæ ſunt diffinita conuertere. Quidquid eſt aliud, quàm de acceptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Ita S. Leo. Sic ſuſdeque omnia peruertuntur, dum veritates receptæ, & determinationes Eccleſiæ in dubium reuocantur. Sic fit aceruus tumoris & inflationis, audaciæ, præſumptionis, arrogantiæ, inobedientiæ, contumaciæ; & aceruus pluens erroneorum opinionum, quæ diſtillantur in aures credulorum: qui ſic abducuntur in diuerſas hæreſes, propter quod à Deo rejiciuntur, quia ſermonem Dei abjiciunt, nec vocem paſtorum audiunt, ſicut olim Saul Dei ſermonem abiecit, & Samueli non obediuit. Vnde hæc ſententia in eum lata fuit: *Pro eo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex. Melior eſt enim obedientia quàm victimæ* 1. Reg. c. 15. Et miſerè tandem occubuit. Quis autem dubitat impietatem plurimùm fulciri aperta inſurrectione in autoritatem, & in decreta, & determinationes Eccleſiæ, dum decreta fidei aut morum ab ea prodeuntia contemnuntur.

Denique ſeptima nequitia in Deum inſurgens, eſt contemptus iudiciorum Dei, qui propriè reperitur in his, qui obcæcata mente, & obdurata voluntate malitioſè peccant, & in peccatis perſeuerant. Qui quidem in monte Caluariæ deſignantur, in quo Chriſtus inter duos Latrones crucifixus eſt. In hoc monte nempe apparuit quanta erat Iudæorum obcæcatio & malitia. Neque enim vnquam innocentia & ſanctitas, ac pietas fortius oppugnata fuerunt, nuſquam magis depreſſæ, & pedibus conculcatæ, quàm dum Chriſtus adeo crudeliter & ignominioſè neci traditus fuit. Ibi iam victoriæ ſuæ trophæa erexerat. Siquidem in hoc monte, vt ex Tertulliano, Origene, & aliis autoribus probat Baronius, an. 34. to. 1. Sepultus fuit Adamus, & in cinerem reuerſus. Hic igitur impietas, Dei imaginem, creatoris chariſſimum opus proſtrauit, quinetiam de Dei filio incarnato triumphare viſa eſt, irridentibus inimicis, eique dicentibus: *Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas. Salua temetipſum filius Dei & deſcende de cruce.* Matt. 27. Quorum Iudæorum impietatem imitantur, qui ſententia anathematis propter contumaciam innodati futura ſupplicia non pertimeſcunt, gehennam non metuunt, rurſum crucifigentes Ieſum in ſemetipſis, & oſtentui habentes. Heb. 6. pro illis enim crucifixus fuerat, vt pænitentiam agerent; ſed dum pænitere nolunt, rurſus crucifigitur in eis, & deriſui & deſpectui habetur. Et reuera Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ, contempto & crucifixo, quis non videt impietatem non poſſe vltra ſuæ malitiæ & peruerſitatis pernicioſos effectus extendere?

A *Et mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationum eius; & in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.*

Qua ratione impietas ſupra hos montes ſedeat, ſeu per mentis ſtoliditatem, peruerſam inclinationem, ſenſuum delectationem, hæreſum adinuentionem, voluntatis à Deo auerſionē per conuerſionem ad creaturas, autoritatis Eccleſiæ contemptum, B *iudiciorum Dei obliuionem in aliqua ciuitate ſedem ſuam erigat?*

ANNOTAT. XIV.

Fatuitas & ſtoliditas peccatorum per mulierem deſignantur. §. 1.

EX hac deſcriptione patet quomodo impietas ſupra montes ſupradictos ſedeat. Mulier dicitur, & non vir, vt eius fatuitatem & ſtoliditatem concipiamus. *Sunt*, inquit Pierius, Hieroglyphicorum l. 12. c. 14. *qui mulierem conceptum euitantem, aut virum admittere nolentem, per aſinam & fuſtem inhærentem* C *tergo deſignent. Ea enim ſemen à coitu rejicit, niſi interpelletur. Quamobrem ſtatim poſt coitum neceſſe eſt eam verberari.* Talis anima impia, quæ ſacras à Deo inditas inſpirationes, vt ſpiritum ſalutis concipiat; vel immiſſas rejicit, vel ne immittantur impedit. Vtinam vel vexatione daretur intellectus auditui, ſed illa infelix anima, aſinâ vel muliere malè morigerâ ſtolidior, Deo à tergo clamante, & fuſte afflictionum aliquando eam, vt audiat, prouocante, ſurda eſt, nec ab inſipientia ſua recedit. Impietas igitur mulier dicitur, quia originem ducit ab infirmitate carnis, & ſemper debiliorem ſequitur partem. Hac de cauſa animæ carnales, & ſenſibus ſuis adhærentes, per mulieres Adonidem plangentes ſi- D gnificantur. Ezechielis 8. Et duo regna, nempe Iudæ & Iſraëlis, in quantum idololatriæ addicta, ſub ſpecie mulierum deſignantur. Ezechiel 23. *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt; & fornicatæ ſunt in Ægypto. In adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt, &c. Ibi ſubactæ ſunt vbera earum, & fracta ſunt mammæ pubertatis earum. Nomina autem earum, Oolla Maior, & Ooliba ſoror, &c.* Per. Oollam, Samarias, per Oolibam Hieroſolyma ciuitas deſignatur. Nec abſque cauſa impietas mulieri aſſimilatur, quæ animam reddit infirmam, vt malo reſiſtat; Impudentem, vt peccare non erubeſcat; ſagacem, vt & modos inueniat, quibus explere valeat libidinem; Garrula, vt malum perſuadeat; vaga & inquieta, vt occaſio- E nes peccandi inquirat, perpetratione peccati vehementiora concipiens deſideria ea rurſus committendi, quia inſatiabili appetitu fertur ad illicita, iuxta illud Prouerb. 30. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit: Sufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur aqua, & ignis verò nunquam dicit: Sufficit.* Et certè Salomon, qui experientia didicerat quàm pernicioſa ſit mulierum conuerſatio, meretricis mores & indolem deſcribendo, imaginem nobis depinxit impietatis. *Ne intendas*, inquit, *fallaciis mulieris. Fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidior oleo guttur eius: nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem.* Pro. 5. Et c. 7. de iuuene decepto à muliere verba faciens ait: *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas*

animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, &c. Et c. 9. *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedet in foribus domus ſuæ, ſuper ſellam in excelſo vrbis loco vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo, &c.* Certè tali mulieri optimè aſſimilatur impietas. Si fallat & ſeducat mulier meretrix; error, idololatria, impietas fallunt & decipiunt incautos & imprudentes, qui eis aſſentiunt. Mulierum meretricum colloquia, audientes ad malum inducunt incantationibus ſuis: impietatis axiomata, quibus omnia licent ſimiliter: ſecundum ea namque nulli animi motus reprimuntur; deſideriis quibuſlibet fræna laxantur; mentis cogitationes huc & illuc liberè feruntur: linguæ præcipiti quælibet effutire permittitur: agendi ad libitum, quæcumque ſuggerit impietas, conceditur: videntur hæc omnia melle dulciora, oleo nitidiora, ſed nouiſſima eorum amara ſunt quaſi abſynthium. Etenim ſi multa mala obueniunt in hac vita iis, qui luxui & luxuriæ vacant, impij poſt mortem acerbiora tormenta paſſuri ſunt. Quid igitur eſt fatuitas & ſtoliditas impietatis? Primò, hypocriſis & ſimulatio, quia ab ea veritas fugatur. Secundò, garrulitas, quia omnis animi modeſtia procul abjicitur. Tertiò, Inquietudo & impatientia, quia omnis virtutis firmitas & conſtantia, ac ſoliditas auellitur. Quartò: Seductio & fallacia, & ad peccatum inductio, quia omnis amor boni excluditur & exterminatur. Quintò: Stultitia, quia recedit ſapientia ab omnibus malignis & ſtultis cogitationibus: perſtrepunt elamores, mentis perturbationes & capitis vertigines patientes, vbi nulla mititas aut animi manſuetudo reperitur; illecebræ ad malum frequentiores; vbi iudiciorum Dei memoria omnino deleta eſt, inſignis apparet audacia, & impudentia: nulla eſt de Dei præſentia recordatio, ita vt dicat impius *inſipiens in corde ſuo. Non eſt Deus.* Quomodo alloquentem & inſpirantem eum audiret, quem nec exiſtentem & præſentem, præ ſoliditate & inſipientia agnoſcere poteſt? *In cuius igitur impietatem potiſſimùm ſermo diuinus ſpecie ſubornaret, niſi mulieris*, vt loquitur Primaſius, *à qua initium peccati, & propter quam, vt ſcriptum eſt, morimur omnes?* Et S. Thomas rationem reddens cur impiorum multitudo per mulierem deſignetur, ait: *Vidi interno adſpectu mulierem, id eſt, multitudinem impiorum, mollem ad mala, & alios emollientem: quia magis peruerſi alios emolliunt ad malum. Mulier enim dicitur à mollitie, vel à molliendo. Nahum 3. Ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Ita S. Thom. Sed quæ mollis & facilis eſt ad malum, dura eſt ad ſuſcipiendum bonum, ſeu ad amittendas excitationes ad bonum amplectendum. Vnde fit vt in tali anima, quæ difficile ſuſcipit Dei inſpirationes, impietas ſedem gratiſſimam obtineat,

Circumdata purpura & coccino.

Praua ad malum inclinatio, per purpuram & coccinum deſignatur. §. 2.

Cum audis hanc mulierem circumdari purpurâ & coccino, aliquid regium in ea eſſe exiſtimabis. Indui enim purpurâ regale eſt indumentum, vt etiam ex 1. Machab. c. 8. videre eſt. Ibi enim ſacra hiſtoria de Romanorum potentia agens ait: *obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos: quibus vero vellent auxilio eſſe vt regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant. Et exaltati ſunt valde. Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpurâ, vt magnificaretur in ea.* Ita ſacer textus. Nam cum purpura æque ac diadema eſſet regale inſigne, nomenque regis odioſum eſſet apud Romanos, Regibus extinctis, nemini veſtimento purpureo vti apud eos permittebatur. Si igitur hæc mulier purpurâ induitur, aliquid in ea regium animaduertere debemus. Eſto, regium ſit inſigne purpura, qua hæc mulier impia circumdatur, nihilo ſeciùs amore digna eſt, ſed odio, vt pote abominatione plena, & mater fornicationum, & abominationum terræ. Regnat quippe per eam peruerſa ad malum pronitas & inclinatio, quam nutrit amor propriæ excellentiæ. Hæc eſt ſapientia carnis, quam Apoſtolus, Roman. 8, aſſerit eſſe inimicam Deo, legi Dei non ſubiici, nec etiam poſſe, quandiu videlicet mens, carnis appetitus conſenſu fouet, nec eis ſeſe per rectum rationis vſum opponit. Vnde addit Apoſtolus: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* In iis autem certè qui in carne ſunt, ſeu in carne ambulant, regnat praua inclinatio, quæ lege Dei obtemperare neſcit, quæ nec mandatis aut præceptis ſeſe alligari permittit: & ſalutaria vincula Dei diſſoluit.

At non modo purpurâ induitur, ſed coccino. Quæ enim tota ſanguinea & rubra eſt propter amorem carnalium delectationum, ipſa etiam ſanguinea eſt, propter vindictæ appetitum. De talibus dicitur: *Pedes eorum veloces ſunt ad effundendum ſanguinem. Per coccinum*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *cruenta ferocitas inſinuatur.* Coccinuſque, vt ipſe notat, ſanguinei eſt coloris. Hoc peſſimo veſtimento induitur homo iuxta proprias concupiſcentias ambulans, & prauæ inclinationi regnanti ſuccumbens. De quo Pſ. 108. dicitur: *Et dilexit maledictionem, & veniet ei. Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Quænam, quæſo, eſt benedictio, niſi gratia? De qua dicitur, Pſalm. 22. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Quænam maledictio, niſi fomes ille peccati pernicioſus, proueniens ex peccato originali, & ablatione iuſtitiæ originalis, qua naſcimur filij iræ & vindictæ? Quis enim diligit maledictionem, niſi is qui inclinationi prauæ conſentit? Certè reſpuens benedictionem gratiæ oblatam, per contemptum inſpirationum diuinarum: & diligens maledictionem, per conſenſum in prauam ad malum pronitatem, elongatur ab eo Dei gratia, & induitur maledictione ſicut veſtimento, at coccineo veſtimento, id eſt, purpurâ bis tinctâ: quia duplex eſt appetitus inordinatus, & modò paſſionibus concupiſcibilis, modò paſſionibus iraſcibilis rationem præuenientibus ad malum fertur. Vnde à regno Dei excluditur, quia *caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt.* Coccus granum eſt tinctorium, quod arbuſto cuidam annaſcitur, ex Plinio, lib. 16. ex arbore videlicet Ilice. In hoc grano naſcitur vermiculus, in lib. 4. Dioſcoridis c. 43. Hoc granum ideo vocant Scolerion, quia eius medulla in vermiculos conuertitur, vt ipſe docet ex Plinio lib. 24. c. 4. Qui ex grano prodiens, vino albo forti inſpergitur, areſcit, & conuertitur in puluerem rubricantem pannos, qui inde coccinum & coccinei dicuntur. Qui color iteratus, dibaphus, ſeu bis tinctus, pertinax eſt, vt notat Cornelius à Lapide in 1. c. Iſ. Huic colori non ob fulgidum, & rutilantem ſplendorem peccata aſſimilantur, ibidem: *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, &c.* ſed propter ſanguineum colorem. Per ſanguinem enim peccata ſignificantur, iuxta illud Dauidis: *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ*, Pſalm. 50. à peccato adulterij cum Berſabee, & homicidii quod patrauerat in nece Vriæ. Et iuxta illud Ezechiel. c.

Digitized by Google

c.16. *Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, id eſt, peccato originali.* Ita Maldonatus apud Cornel. Ex concupiſcentia certè, quaſi ex arbuſto, oritur conſenſus in peccatum, quo tandem in actus externos peccatorum prorumpimus. Qui, quia delectationibus carnis, tanquam vino albo inſperguntur, exteriorem mortalium conuerſationem adeo inficiunt, vt omnino carnales eſſe & animales appareant, & vix ac ne vix quidem poſſunt hunc amittere colorem, id eſt, à peccatis ſeſe reſilire, vt albis veſtimentis gratiæ & iuſtificationis induantur, vt in albis agnum ſequi valeant. Vnde fit vt in talibus, vt pote peccatis aſſuefacti, impietas ſedem fixam obtineat.

Inaurata auro, & lapide pretioſo, & Margaritis.

Impudens & audax peccandi libertas, propter ſenſuum delectationes, denotatur in ornamento mulieris, auro vero, ſeu fucato, lapidibus pretioſis, & margaritis compoſito. §. 3.

Non poſſunt iſta ornamenta in bonam partem accipi, cum ſint ornamenta mulieris meretricio, infectæ veneno. Vnde mater dicitur fornicationum & abominationum terræ. Ex iſtis pretioſis ornamentis conjicere debemus aliquid mali; cuius gratia, meretriciâ impudentiâ impietas gaudeat ſibi ſedem paratam eſſe in animabus peccatorum, ſeu in ciuitate aut ſocietate quadam hominum impiorum. Nihil autem tantopere fouet peſſimas hominum oblectationes in peccatis, quàm ſimulatio & hypocriſis, vel amor & cupiditas gloriæ, & mundanæ laudis. Hæc duo hic optimè adumbrantur. Nam propter hypocriſim hæc mulier dicitur inaurata auro. Id eſt. Non erat veſtita vero, & ſolido auro, ſed auri tantùm ſuperficie, & externa ſpecie. Puta, veſtita erat auro, id eſt, aurichalco, ſiue ære inaurato. Ita Cornel. à Lap. Et propter vanitatem & gloriam mundanam; dici poteſt κεχρυσωμένη χρυσῷ, in aurata auro, id eſt, vero auro veſtita. *Aut potiùs*, addit Cornel. *id ad luxum & faſtum referendum videtur, quod ita ſplendidè fuit veſtita, vt non auro ſimplici; ſed inaurato, id eſt duplici, ornaretur. Solent enim aurifices in re magnifica aurum vulgare cooperire & inaurare auro præſtanti & fulgenti.* Ita Cornel. Duobus ſiquidem modis impietas homines ſeducit, vel ſimulata ſanctitate, vel appetitu & cupiditate gloriæ, vt quos ad errores non poteſt per morum corruptionem adducere, illos per hypocriſim & ſimulatam ſanctitatem ad eos ebibendos prouocet; & quos videt ad libidinem pronos, illos ad epotandam abominationem & immunditiam, tanquam aquam (quia *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*) faciliùs excitet. Quis autem hypoctiſis peruerſitatem poterit exprimere? Quis vanæ gloriæ perniciem poterit explicare? *Hypocriſis*, inquit Iulianus Epiſcop. Tolet. Comm. in Nahum, circa finem, *ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis. Hypocriſis ſecura ſimulat, proſpera fallit curioſa mentitur, crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Ieiunium ieiunio perimit: orationem oratione euacuat: miſericordiam miſeratione proſternit. Quod corporibus eſt hydropiſis, hoc animabus eſt hypocriſis. Bibendo ſitit hydropiſis: ſiti inebriata eſt hypocriſis. Hypocrita, licet tibi facies ſit inculta, cutis neglecta, triſtis vultus, exterminatus adſpectus, nec ab hominibus laudem inueniſti, & apud Deum fructum ieiunij perdidiſti.* Ita Iul. Et paulo poſt: *Fugiendum eſt igitur hypocriſis virus, peſtilentia cauenda. Remediis morbos conficit, de medecina languorem: ſanctitatem vertit in crimen: placationem facit reatum: generat de propitiatione diſcrimen.* Ita Iulian. At non modò propter hypocriſim & vanam gloriam, falſo auro, aut falſis lapidibus & margaritis ornatur: ſed eſto, vero auro ſit ornata, veris lapidibus & margaritis, hoc meretricio ornatu luxum nimium impietatis denotatur. Nam quia anima impia ſenſuum voluptate detinetur non modo quæ tactui grata, quæ guſtui ſuauia ſunt exquirit, ſed etiam ea, quæ oculis delectant, ſtudioſè appetit. Vnde in tam multiplici & pretioſo ornatu, luxuriam mulieris iſtius taxari exiſtimamus, quæ in delitiis ſuis, præter voluptatem, pretioſitatem etiam exquirit. Quam vanitatem cum diſſolutione coniunctâ reprehẽdebat olim Amos c. 6. *Qui dormitis* inquit, *in lectis eburneis, &c.* Et poſtea: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti. Tantis diuitiis*, inquit Remigius Altiſiodor. *adundabant, vt etiam in lectis eburneis, vel auro paratis, ſuam cupiditatem explerent, & libidinem.* Ita Remigius. Quam ſuperbiam ſe Dominus deteſtari profitetur poſtea. *Deteſtor*, inquit, *ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi. Et tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis.* In tribus autem hîc cernitur ſuperbia laſciuientium ſeu luxuriantium. Primò, in auro, quia de prudentia ſua & aſtutia gloriantur: etenim, vt ait Dionyſ. Carthuſ. *per aurum ſapientia, quia aſtuti ſunt filij ſæculi.* 2. In lapidibus pretioſis, quæ quandam firmitatem deſignant; in poſſeſſione pacifica diuitiarum huius ſeculi, quarum abundantia quis ſecurè ſe poſſe gaudere putat: quia ſicut in lapidibus fulgor inhæret, qui hebetari neſcit, ita iſti exiſtimant ſe nulla vnquam rerum aut fortunæ mutatione poſſe delitiis ſuis aut voluptatibus fraudari. Et cum illo diuite Euangelij, dicunt: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos. Requieſce: comede: bibe: epulare.* Luc. 12. Tertiò, quædam notatur ſingularitas in margaritis, quia volunt ſingulares videri. Margarita quippe vnio dicitur.

Tollitur è conchis ſpecies memoranda marinis:
Vnio dictus ab hoc quod ab vno tollitur vnus. tract. de Lapid. c. 136.

Vnde vnio ſingularitatis affectatæ ſymbolum eſt. Rectè igitur Rupertus, in hunc locum: *Sunt diuitiæ mulieris: omnes iſti ſunt fructus humanæ cupiditatis, falſæ & fallentis. Quærit enim extra ſe humana præſumptio non ſuam pulchritudinem, & alienum mutare quaſi ſuum affectat fulgorem, dum non valens naturam ſuam, quin ipſa ſit lutum, rutilum ſibi circumdat aurum lapideſque pretioſos & margaritas, vt interdum ſcabie ſqualens, & leprâ luridâ, deſuper talibus inſtrumentis ad ſe non pertinentibus ſuperbiſſimè niteat.* Hæc Rup. Non mirum igitur, ſi in his impietas ſedem figat. Diuitiarum abundantiâ & iactantiâ poſſunt liberè ſemper abundare delitiis, & voluptatibus carnis potiri, de quibus cecinit Dauid: *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias.* Pſalm. 72. Rectè igitur Ticonius in hæc verba: *Circumdatam purpura & cocco, & ornatam auro, &c. Oſtendit*, inquit, *ſuperborum & impiorum plebem, omnibus illecebris ſimulatæ veritatis repletam.*

Habens poculum aureum in manu ſua.

Hæreſum adinuentio per poculum aureum denotatur. §. 4.

Habens poculum aureum in manu ſua, &c. Hypocritæ, inquit Ticonius, *& ficti Chriſtiani intelliguntur, qui à foris quidem parent quaſi iuſti, intus autem pleni ſunt omni immunditia.* Ita Ticon. Quinam autem ſunt iſti, niſi hæretici?

Ambroſius Philoſophorum & poëtarum doctrinam deſignari vult. *Per poculum aureum*, inquit, *quod manu tenuiſſe dicitur, Philoſophorum & poëtarum doctrina deſignatur. Quod plenum abominationum, & im-*

munditiæ fornicationis dicitur, quia doctrina Philoſophorum plena erat mendaciis, omnibuſque erroribus ad decipiendum genus humanum compoſitis. Ita Ambr.

Rupertus in portione huius poculi, errorem & Dei obliuionem intelligi cenſet. *Ad quid enim,* inquit, *poculum habere in manu dicitur, niſi vt propinet, & potionem ſuam offerat cunctis prætereuntibus? Quæ autem eſt potio eius, niſi error & obliuio, quâ recedit à Deo ſenſus hominis, vitiorum delibutus illecebris? Poculum ergo mulier habere dicitur in manu ſua plenum abominationum, & immunditiis fornicationis ſuæ, quia nimirum totius cupiditatis fructus ſiue affectus eſt ſubuertere hominem rationalem, ſenſumque eius funditus obruere; vt à Deo vero & viuo mente fornicetur & corpore, traditus in anima idololatriis, ſubditus in corpore omni immunditiæ, & cunctis paſſionibus ignominiæ.* Ita Rup.

At ſanctus Thomas hoc maximè de hæreticis intelligit. *Habere poculum*, inquit, *id eſt, errorem doctrinæ, ad potandum homines potu mortifero. Sumitur autem poculum pro continente, non pro contento. Hoc maximè in hæreticis locum habet, qui prauè exponendo ſcripturas, deſiderant homines peruertere, inebriando potu erroris. In manu, id eſt in poteſtate vel ope ſuæ expoſitionis: Vnde dicitur fideli, Eccleſiaſtici. 13. Attende tibi à peſtifero, &c. Aureum, quia ſimulant ſe habere cognitionem diuinorum: quæ cognitio ſignatur per aurum, vt ſupra eodem dictum eſt, cum tamen dicatur Eccleſiaſtici 33. Non eſt illi à Deo gratia data. Omni enim ſapientia defraudatus eſt. Plenum. Hic oſtenditur dolus nefariæ deceptionis per errorem doctrinæ, & oſtenditur doctrina hæreticorum eſſe horrida. Vnde dicitur plenum abominatione, id eſt, plenum documentis generantibus horrorem rationi, ſiue animæ bene diſpoſitæ. Item oſtenditur eſſe ſordida. Vnde ſequitur: Et immunditiâ: quia error hæreticorum immundus eſt, & ſordidat homines. Ezechiel. 14. Viri iſti poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis. Item oſtenditur eſſe noxia: quia à Deo ſeparat. Vnde ſequitur: Fornicationis eius. i. Impietatis, per quam facit hæc mulier ſecum fornicare homines ſpiritualiter, hoc eſt, delectabiliter adhærere hæreſibus & peccatis. Et ſic ſeparat ſe, & alios à Deo. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Ita S. Thom.

Andreas Cæſ. *Per poculum, prauorum, operum, dum primum guſtantur, dulcedo exprimitur; per aurum autem, præmij amplitudo, vel pœnæ quoque (vt quidam exponens illud Iob: Bibens deriſionem inſtar aquæ; opinatur) magnitudo. Vel manu certè poculum tenet, vt planum fiat malitiam ſectari: non vt inde ſatietur, ſed vt perditionis illius ſtudium & ſitis manifeſtetur. Suas proinde abominationes, quas Deus ſubinde execratur, multiplicat, quibus turbam quoque peccatis deditam inebriat, earumque abominabilem peccati temulentiam, profanamque à Deo ſcortationem, auide, veluti dulce poculum, haurire ſolet.* Ita Andreas. At bene conueniunt mala & praua opera, cum erroribus: quo fit vt eodem poculo, quo propinantur errores, hauriantur facilè deprauati mores. Et certè error mentis in ſe eminenter & virtualiter continet auerſionem à ſummo bono. Quis enim ſanæ & integræ mentis, à Deo auerteretur, ſi ſanam ſemper de Deo haberet cognitionem? Nihil enim in eo, niſi amabile, & omni honore dignum animaduerti poteſt. Vnde non mirum ſi libenter impietas ſedem ſuam figat in mentibus ſuperbis hæreticorum, qui proprio iudicio innitentes, varias adinueniunt hæreſes, plenas abominatione & immunditia illius fornicationis, qua à ſumma veritate deficientes mendacio adhæſerunt.

Plenum abominatione & immunditia.

Abominatio & immunditia ex erroribus prodeuntes ſignificant auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturas, cum in eis vltimus finis conſtituitur. §. 5.

Occupata olim ab Alexandro magno, poſt adeptam victoriam, ciuitate Regia Suſan, ille in regia Aula ingreſſus conſedit, vt refert Quintus Curtius, in Regia Darij ſella, multo excelſiore quàm pro habitu corporis: itaque cum pedes imum gradum non contingerent, vnus ex regiis pueris menſam ſubdidit pedibus. Ingemuit ſpado quidam, qui Darij fuerat, hoc intuens. Cauſâ mæſtitiæ requiſitâ, ille indicauit Darium in ea veſci ſolitum, ſeque ſacram eius menſam ad ludibrium expoſitam, pedibus conculcandam, ſine lacrymis conſpicere non poſſe. Quis, quæſo potiori iure, temperaret à lacrymis, ſi oculis mentis intueretur menſam, ſedem, & Dei hoſpitium, hominum nempe mentem & voluntatem ab impietate conculcari, dum homo ſibi creaturam aliquam pro vltimo fine præſcribit?

Beatus eſt certè qui eſurit & ſitit iuſtitiam. Nemo autem iuſtus, niſi in quo Deus manet per cognitionem & amorem: quia propter id creatus eſt, vt ſit Dei ſedes & thronus, dicente ſapiente: *Anima iuſti ſedes eſt Dei. Tunc*, ait Salomon, Prouerb. 2. *intelliges iuſtitiam, & iudiciam, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam, ſi intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit.* Intrat autem ſapientia cor hominis, & iuſtitia illi placet, ſi Deum cognoſcat & diligat. Illum autem verè cognoſcit & diligit, ſi illum vt ſummum bonum (quod omnia appetunt,) ſeu vltimum finem, (ad quem omnia tendunt) reſpiciat. Qui igitur Deum tanquam vltimam finem reſpicit, ille verè iuſtus eſt, ille intelligit iuſtitiam & iudicium: intelligit iuſtitiam, quia iuſtum eſt vt bonum infinitum finito anteponatur. Intelligit iudicium, quia illud eligit, quo beatificari poſſit; & à vanitate, cui omnis creatura ſubiecta eſt, liberari poſſit. *Vani enim ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Intellexit iſtam iuſtitiam ſponſa, Cant. 8. dum, vt haberet motiuum potentiſſimum eligendi Deum pro fine, exoptabat vnionem hypoſtaticam fieri, quam ſi ſemel factam animaduerteret, promittebat ſpôſo nec vitam propriam amori ipſius vnquam fore anteponendam, ſed omnia, vſque ad vitæ & ſanguinis effuſionem, detrimenta libentiſſimè ſubituram, vt illi vnicè & intimè copularetur per amorem, & indiſſolubilem charitatem. *Quis mihi det te, fratrem meum*, inquit, *ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* En ardentia pro incarnatione Verbi deſideria & ſuſpiria. Fratrem nominat, quem hominem fieri exoptat. Sugentem eum vbera ſapientiæ diuinæ, à qua omnia originem ducunt, reperire vult, vt de plenitudine eius accipiat. Attraxit enim Chriſtus pro omnibus hominibus copioſam gratiam, ex vnione humanitatis cum verbo & ſapientia diuina, qua repletus alios repleret. Solo & vnico bono contenta ſponſa, eum per fidem inuenire, illi oſcula figere per intimam Charitatem deſiderat. Ex quo ſcit ſibi tantam dignitatem obuenturam, vt nemo iam illam deſpicere valeat. Tunc enim natura humana, cum fuerit verbum diuinum caro factum, verbum apprehendet per vnionem indiſſolubilem. Tunc ille Deus homo ducetur in domum ſapientiæ, rerum omnium formatricis, dum inter res creatas & ab ea productas ratione humanitatis computabitur. Tunc ducetur in cubiculum eiuſdem ſapientiæ, vt promittit ipſa, Cant. 2.

Digitized by Google

Introducam eum in cubiculum genitricis meæ. Cuius opus præclarum eſt hominum iuſtificatio & glorificatio. In hoc enim opere conquieſcit, nec habet quod vltra ad ſuam gloriam manifeſtandam exoptandum ſit: quia per eum tam præclarum opus perficietur. Erit enim autor ſalutis hominum, vt multos filios per paſſionem ſuam ad gloriam adducat, quos diuina ſapientia non modò producere, ſed (ſi ita dicendum eſt) generare dicitur: Non enim in inſtanti homines digni fiunt gloria æterna, ſed concipiuntur inſpirationibus, fide & charitate formantur, bonis operibus creſcunt, vt ad plenitudinem ætatis Chriſti perueniant, & tandem gloriam conſequantur. Fauet in multis nobis in hac huius loci expoſitione Philo Carpathius, dum ait: *Quomodo fieri poteſt, vt frater ipſius ſponſæ homo factus ad vnguem iam ætate perfectâ, quaſi infans rurſus vbera lactare queat ac ſugere (ſiquidem lactare, non ætatis perfectæ, ſed infantilis omnino.) Ait ergo ſponſa ad ſponſum: Quis det te, mi frater, ſugentem vbera matris meæ? Mater ſponſæ, æterna eſt ſapientia. Frater verò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in homine quem aſſumpſit & portat, vna perſona, duabuſque naturis diuinâ ſcilicet & humanâ ſubſiſtens. Cum igitur ad nuper illuminatos homines Chriſtus ipſe veluti ad infantes Eccleſiæ gratia ſuæ viſitationis accedit, tunc per illos incipientes Deum ipſum agnoſcere, & cæleſtia deguſtare, vbera lactare dicitur, hoc eſt, duo teſtamenta & duo præcepta charitatis exugere, & emulgere: è quibus quidem mel & lac nuper in lucem veritatis editis ad perfectæ ætatis plenitudinem, per Spiritus ſancti gratiam præbentur aſſiduè, ad innocentiam & probitatem comparandam exercendamque ſanctiſſimè, &c.* Et poſtea hæc verba Philo expendens: *Et te inueniam foris, &c. Grandis*, inquit Philo, *fiducia, & mira felicitas ſponſæ terrenæ corpore, atque mortalis, quanquam animâ cæleſtis & immortalis. Cæleſtem ſponſum & inuiſibilem mortalibus non poſſe videri oculis & manibus contrectari diximus; ſed hanc inuiſibilem impalpabilemque ſubſtantiam, increatam, rerum omnium creatricem, cunctaque creata atque producta ſapientiſſimè moderantem & regentem, viſibili atque palpabili ſubſtantia atque corpore veſtiri oportuit, vt ab ipſa ſponſa beatiſſimè videri (vel in terris) & oſculari poſſet: Tunc enim foris inuentus eſt ſponſus, & oſculatus à ſponſa, cum humanitate veſtitus, & extra Hieruſalem crucifixus eam ipſam à ſempiterna morte redemit, & per ineffabilem charitatem ſoluto omni debito ſibimet amantiſſimè reconciliauit, & Patri. Sic enim ſponſa neque ab Angelis poſthac contemnitur, neque vilis eſſe ducitur, quæ talem ac tantum meruit habere ſuæ captiuitatis redemptorem, &c.* Ita Philo.

Sed quid pro tanto beneficio rependet ſponſa fideliſſima? *Ibi*, inquam, *me docebis: & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* Ibi, inquam, nempe in domo ſapientiæ, per effectus naturales me docebis, vt te autorem & creatorem omnium agnoſcam. Ibi, in cubiculo genitricis, per effectus ſupernaturales me docebis. *Per cubiculum*, inquit idem Philo, *quoniam in cubiculo quæque optima collocantur, & pretioſa fides, ſpes, charitas, iuſtitia, fortitudo, temperantia, prudentia, virtus, hæc quidem non corporis ſed animi ſunt ornamenta.* Ibi, inquam, nempe in conſideratione effectuum ſupernaturalium me docebis, vt te redemptorem agnoſcam; Et quia hac ratione percipiam quantum me docebis, vt cognoſcam exinde nunquam me pro tanto amore poſſe aliquid præſtare condignum, niſi pro te moriar, & te tantopere diligam, vt pro amore tuo ſanguinem effundam. Dabo tibi poculum ex vino condito, per exercitium omnium virtutum; & muſtum granatorum meorum, per ſanguinis mei effuſionem. *Ex vino condito*, inquit Lucas Abbas S. Cornelij, in Summariola ex Aponio, *pro-*

A *culdubio confeſſione Trinitatis coæternæ; & muſtum, videlicet Martyrij.* Ita ille. *Dabo*, inquit iuſtus Orgelit, *poculum, quando optimos & dulciſſimos protulero Martyrum, & ſanctorum fructus. Et filij hominum, qui in vmbra alarum tuarum ſperant, inebriabuntur à pinguedine domus tuæ, &c. Et torrente delitiarum tuarum potabis eos.* Ita iuſtus Orgel. Rurſus Philo Carpath. *Poſſumus etiam intelligere ſponſum à ſponſa tunc viciſſim potari per charitatis officia, vt quod à ſponſo gratis accepit, id aliquando rependat eidem. Potatur enim à ſponſa, cum ab eius filiis liquore ſanctimoniæ atque virtutum laudatur in terris, cum timetur à bonis, colitur à iuſtis, prædicatur à ſanctis. Tunc enim vino aromatico, Myſteriis cæleſtium donorum, & ſanctitatis odore, proborum mentibus delectatur humani generis author; & vices grati animi* B *beneque operati accepta talenta, & charitatis immenſæ, quam prius ipſi ſponſæ donarat, libentiſſimè admittit ac probat, &c.* Ita Philo Carp.

Igitur certum eſt animam iuſtam eſſe & ſanctam, quæ ſic non ſolùm in rebus facilioribus Deo cultum exhibere conatur, ſed quæ inſuper, tanquam Domina ac Regina ſuarum actionum, etiam difficiliora aggreditur, vt illi obediat. Hoc equidem poculum eſt refrigerans Chriſti ardentiſſimam ſitim, qua propter immenſos labores in cruce clamabat: *Sitio.* Quo teſtatur eum ſibi præſcripſiſſe pro vltimo fine. Vnde libentiſſimè omnia detrimentum facit, vt Chriſtum lucrifaciat. Sed ſi ab eo auertatur, ſi il- C lum deſerat propter creaturarum vilium amorem, nonne abominabilis redditur? Nonne errat? Nonne fallitur, decipitur, ſeducitur? Ita eſt proculdubio: haurit de poculo aureo ſimulatæ & falſæ ſapientiæ, erroris abominationem & immunditiam, quia abominabilis redditur, à Deo auerſa: & immunda redditur, dum ad creaturas ſeipsâ dignitate inferiores conuertitur, eiſque commiſcetur. De iis enim dicitur Pſ. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Eum enim deſerere, nec pro fine habere, idem eſt ac ſi eum diceret non eſſe. Quid proinde tam infelici animæ mali prouenit, ſubdit Propheta. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt. Abominationem deſolationis*, inquit S. Baſil. In hunc Pſal. *impietatem dicit: ſiqui-* D *dem in templo cordis ſui impietatem ſuam ſtatuerunt. In ſtudiis, inquit, quoniam quæ natura negauit, ea malus excogitauit animi affectus.* Ita Baſil.

Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in affectionibus ſuis, inquit S. Auguſt. *Id eſt: dum amant hoc ſeculum, & non amant Deum, ipſæ ſunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & ſic excæcant, vt poſſit etiam dicere imprudens in corde ſuo. Non eſt Deus. Sicut enim non probauerunt Deum habere in notitiam, dedit illos Deus in reprobum ſenſum.* Ita Auguſt. *Abominabiles facti ſunt*, inquit S. Chryſoſth. *quoniam tanquam porci in peccatorum cœno volutati, & tanquam canes ad ſuum ipſorum vomitũ reuertentes exoſi euaſerunt. Ita enim ſcriptum eſt: Abominatio peccatoribus eſt pietas & Dei cultus. Quoniam er-* E *go abominati ſunt Dei cognitionem, eos viri pij ſunt abominati. Corrupti ſunt tanquam pannus à tineis, tanquam ferrum quod exeditur à rubigine. Abominabiles facti ſunt, vt qui oſſa & mortuos tetigerunt. Propterea lex eum, qui mortuum tetigerat, fecit abominabilem, quoniam Iudas Chriſtum mortuum ſemper tangens, & viuentem non adſpiciens, factus eſt abominabilis.* Hæc Chryſoſt. in Pſ. 13.

At non modo à viris piis abominantur, qui Dei cognitionem abominantur; ſed, quod plus eſt, à Deo ipſo abominãtur & rejiciuntur. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans*, inquit Sapiens Pro. 16. At quis magis arrogans, quàm qui Deum ſpernit? *Abominatio eſt apud Deum põdus & pondus.* Statera doloſa non eſt bona. Cuius autem ſtatera magis eſt doloſa & falſa, quàm illius qui creaturam & Deum ad inui-

Digitized by Google

cem comparans & ponderans, Deo creaturam præfert? Denique, Prouer. 15. dicitur: *Abominatio eſt Domino via impij. Qui ſequitur iuſtitiam diligitur ab eo.*

Propter hanc abominationem & immunditiam impietas ſedem ſuam fixam collocat & permanentem in quacumque anima impia. At multo magis in collectione impiorum, qui mutuo exemplo colloquiis, & auxilio, ſeſe ad mala perpetranda prouocant.

Et in fronte eius nomen ſcriptum: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.

Contemptus autoritatis Eccleſiæ & Prælatorum deſignatur in nomine Babylonis ſcripto in fronte. §. 6.

Quandiu remanet in rebus humanis aliqua erga eos, qui autoritate à Deo acceptâ Eccleſiam gubernant, reuerentia, tuta manet pietas ſub eorum Paſtorali vigilantia: qua bonis laudem, malis pœnas decernunt. At ſi ſemel audaciâ & temeritate peccantium, nullus legum timor, nullus iudicii Eccleſiæ habetur reſpectus, omnia ſanè perturbantur & confunduntur. Hæc impudens mandatorum, legum, & iudiciorum Eccleſiæ, tranſgreſſio, optimè deſignatur in eo quod mulier iſta in fronte habet nomen ſcriptum: *Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Ab operibus enim cognoſcuntur Lupi ab agnis. Agni obedientes ſunt, & tanquam oues ad occiſionem ducuntur, dum propria eorum voluntas quotidie iugulatur, & felici quadam neceſſitate ad meliora cogantur. At Lupi nullis, quantum in ſe eſt, retinentur repagulis, & niſi vi ac violentia à grege arceantur, nulli ex ouibus parcunt, omnes inuadunt, omnibus noxij cuncta confundunt. Perturbatur enim omnis rerum gerendarum ordo, dum quæ præcipiuntur à ſuperioribus pro nihilo habentur. Et ex hac rerum confuſione oriuntur & hæreſes, & quælibet alia abominanda crimina. Vnde iſta impudentia impietatis, Babylon nominatur, & mater dicitur fornicationum & abominationum terræ. Horum enim ambitio, & independentiæ affectatio, qua ſuperiorum ſuorum iugum excutiunt, nec eis obedire volunt, rectè adumbratur per antiquam Babylonem, in qua olim regnauit Nemrod, de quo dicitur: *Nemrod autem cæpit eſſe potens in terra.* Geneſ. Fuit autem principium regni eius Babylon; qui primus in vicinos tyrannidem exercuit, teſte Hieronymo. *Nemrod filius Chus*, inquit, *arripuit inſuetam primus in populo tyrannidem.* Lege Salian. tom. 1. an. 1932. Quæ tyrannica vſurpatio incrementa cæpit, ſub Nino eius filio, Ciuitatem Aſſur è manibus poſteriorum Sem rapiente. Huius Tyrannidis exemplar habuit Rex Ægypti Pharao, dum populum Iſraëliticum captiuum retinere voluit, fortè memor Ægyptium olim coactam fuiſſe cedere potentiæ Semiramidis in Babylone regnantis, vt refert Salianus, an. 2099. Ex Babylonia antiqua orta fuit idololatria. *Ninus*, inquit S. Hieronymus in Oſeam, *in tantam peruenit gloriam, vt Patrem ſuum Belum referret in Deum.* Et paulo poſt ait Hieronymus. *Didiſcimus exordium dæmonis, imo hominis in dæmonem conſecrati. Omnia enim idola ex mortuorum errore creuerunt.* Ita Hier Hanc Babylonis impietatem æquè ac ambitionem ſectantur, qui Eccleſiæ autoritatem conculcant, dum vel proprium iudicium tanquam aliquod idolum colunt; vel aliquod vitium, veluti auaritiam, aut gulam, pro Deo adorant. Eſt enim, teſte Apoſtolo, auaritia, idolorum ſeruitus. Et de guloſis ait idem Apoſtolus: *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum.* Et ſicut Regnum Aſſyriorum à Babylone per Ninum ortum habuit, qui Imperium Babylonium in Niniuem Aſſyriorum ciuitatem tranſtulit, in quo fuit populi Iſraëlitici perſecutor inſignis Sennacherib; Et rurſus in Babylone Nabuchodonoſor etiam regnauit, qui Ieruſalem deſtruxit; & in Babylone Alexander Magnus obiit, cuius Regnum in quatuor partes diuiſum: tandem vna pars fuit Syria & Babylon, in qua regnauit Antiochus perſecutor poſt Seleucum; ita ab hac confuſione rerum omnium (quæ certè oritur ſtatim atque Eccleſiæ autoritas contemnitur) quælibet vexatio fidelium, & diuini cultus ſubuerſio originem ducit. Quod, ſi vt docet Feuardentius Minorita doctiſſimus in Ireneum, Babylonij fuerunt qui primi ſectam Mahumeticã amplexati fuerunt, & in Babylone Anti Chriſtus naſci debeat, reuera Babylon dici poteſt mater fornicationũ, & abominationũ terræ. Sed æq; dici poteſt fons fornicationis & abominationum hic toritatis Eccleſiæ contemptus: ex eo enim, & terrenorum amor, & animorum tumor, & in Deum impietas originem ducit. Hoc manifeſtum erit in noua Babylone, id eſt, in Romana ciuitate, cum iugum Eccleſiæ per ſchiſma ſemel excuſſerit; itaut ſi de antiqua Roma, Chriſti Regnum perſequente, dictum fuit olim à S. Leone Serm. de Apoſtol. Petro & Paulo: *Vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quidquid vſquam fuerat vanis erroribus conſtitutum.* Et rurſus: *Cum penè cunctis dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* Ita S. Leo. Hoc etiam de nouiſſima dicendum erit. Erit enim omnium errorum & abominationum mater, quæ fuerat ante fidei & probitatis domicilium, ſemel atque ab obedientia ſummi Paſtoris ſeſe ſubtraxerit. *Frontis inſcriptio*, inquit Andreas Cæſar. *ſignificat omni malitia, & impudentia, omnique ſcelerum genere & animi confuſione refertum eſſe. Vocatur autem mater fornicationum, quia omnis ſpiritalis fornicationis anima magiſtra & cauſa exiſtit, vt quæ ſubiectis quoque Domino ſuo ciuitatibus, multas Deo execrabiles præuaricationes peperit.* Ita Andr.

Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu. Et miratus ſum, cum vidiſſem illam, admiratione magna.

Manifeſta ſeruorum Dei vexatio, ſignum eſt impietatis perfectæ regnantis in eis quos Eccleſia à ſe reijcit, & vt Chriſti hoſtes anathemate ferit.

ANNOTAT. XV.

BIBERAT ſanè impietas ſanguinem ſanctorum ante Chriſtum, in occiſione Prophetarum, à ſanguine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Bibit ſanguinem Martyrum Ieſu poſt Chriſti aduentum, cum ante conuerſionem Imperij Romani ad fidem tot Martyrum ſanguinem Roma Ethnica effudit. At ebria propriè erit, & mente capta, cum ad ſacrilegam rebellionem contra Chriſtum reducta per ſchiſma peruerſum, ſanctos & fideles perſequetur. Et hæc eſt cauſa admirationis S. Ioannis, qui hanc ingratitudinem hominum Prophetico ſpiritu videre non poteſt abſque ingenti ſtupore. Miratus eſt olim fidem Centurionis Chriſtus Dominus, de eo dicens: Amen dico vobis: non inueni tantam fidem in Iſraël. Miratur S. Ioan. perfidiam ciuitatis Romanæ ab Eccleſiæ obedientia recedentis, quia nulla grauior perfidia poteſt excogitari, quã poſt tot gratiarũ cumulum ad perfidiam & impietatem amplexãdam perfricta fronte reuerti, cum tanta, rabie immanique furore, vt matrem Eccleſiam

Digitized by Google

eius ciues perſequi& vexare velint, & ſi poſſint extinguere, à qua vitam in baptiſmo acceperant. Et ad propoſitum rectè ait Ticonius: *Quod autem dixit ebriam eſſe mulierem ſanguine ſanctorum, & martyrum Ieſu, vnum corpus malorum intelligere voluit, quod ſemper aduerſatur Eccleſiæ, intus & foris: quia & in Eccleſia ſunt ficti Chriſtiani, extra Eccleſiam hæretici vel pagani: & licèt interdum corpore ſeparentur, vno tamen animo in Eccleſiæ perſecutione iunguntur.* Ita Ticonius.

Hic animus perſequendi Eccleſiam non modò cernitur in paganis, ſed maximè etiam viguit in hæreticis, & in iis qui anathemate ab Eccleſia præciſi fuerunt, qui odio nimio exardeſcentes, & appetitu vindictæ, multa Eccleſiæ intulerunt mala. Hoc ſatis notum eſt ex Imperatoribus Iconoclaſtis, & aliis hæreticis, & hæreticorum fautoribus & ſchiſmaticis. Hoc manifeſtum fuit in Henrico 8. Angliæ Rege, poſt excommunicationem in eum latam. Nec meliori ratione S. Ioannes potuit aliquod ſymbolum obliuionis iudiciorum Dei nobis proponere, quàm dum ciuitatem hanc impietate plenam, repræſentat vt ebriam ſanguine ſanctorum, & martyrum Ieſu. Verè enim ebrij ſunt ſanctorum perſecutores, neſciētes Deum illos diligere vt pupillam oculi, itaut qui eos tangit, tangat pupillam oculorum ſuorum. Vnde certiſſimum ſibi comparant exitium. Quod non modò in Pharaone vndis ſubmerſo, in Sennacherib à filio perempto, in Nerone ſibimetipſo necem inferente, & pluribus aliis infidelibus Eccleſiæ perſecutoribus certiſſimum eſt; ſed etiam in plurimis hæreticis & hæreticorum fautoribus. Notiſſimum inſuper eſt, v. g. in Valente Imperatore Ariano, qui viuus combuſtus fuit; Ruff. l. 11. c. 13. in Henrico Rege Vuandalorum, qui vermibus corroſus occubuit. Victor. l. 3. in Anaſtaſio Eutychianos fouente, qui fulmine tactus interiit, vt referunt Cedrenus & Zonaras. Et reuera cum ſuperbia eorum qui Deum oderunt aſcendat ſemper, non mirum ſi qui Eccleſiæ mandata & iudicia contempſerunt, nec illius correctione emendantur, ſed peiores euadunt, in eam crudeliter de bacchantes deſæuiant, iuxta illud Amos c. 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt. Non amat*, inquit ſapiens, prouer. 13. *peſtilens eum qui ſe corripit, nec ſapienter graditur.* Rectè igitur poſtquam S. Ioannes impietatem deſcripſit vt ſtolidam & fatuam, vt prauis inclinationibus ſuccumbentem, vt apertâ malitiâ de peccatis gloriantem, vt errorum & hæreſum ſectatricem, vt Deo terga vertententem, vt Eccleſiæ autoritatem contemnentem, eam vt Ecleſiam perſequentem repræſentat. *At illa*, inquit Rupertus, *non contenta talem ſe eſſe, qualem præmiſſa deſcripſio denotat, adiecit hoc aliud malum, vt ſanguinem funderet ſanctorum, eoquod videret illos non eſſe conſentientes immunditiis fornicationum ſuarum.* Ita Rup.

Verè hæc impietas Deo inimica eſt & contraria. Deus inimicis ſuis multa bona confert: Hæc proximis correctionem & emendationem impiorum ſitientibus, in Dei odium, perſecutionem inferre nō timet: hoc peſſimo ſolatio non modò lætatur, ſed quod plus eſt, inebriatur; quin & pietatem, & virtutem, & pietati ac virtuti fauentes exterminare cupit, vt nihil habeat quo frenari poſſit, aut impediri ne impunè quidquid mali meditatur perficiat. Et benè notauit Rupertus diſtinctionem ſanctorum & Martyrum Ieſu, illos propriè nuncupans Martyres Ieſu, quos eadem meretrix occidit pro confeſſione nominis Ieſu poſt aduentum ipſius; & per ſanctos intelligit Prophetas, & alios, qui occiſi fuerunt propter teſtamentum Dei, antequam in carne veniſſet. Sed ad mentem Ruperti addo maximè inter martyres Ieſu

A annumerandos eſſe eos, qui non tantùm pro tuenda fide diuinitatis illius, aut myſterii Incarnationis, occiſi ſunt ab infidelibus, ſed etiam pro tuenda fide illius honoris, quem à Patre accepit, cum illi in hæreditatem dedit omnes gentes, vt Regnum habeat viſibile in terris, cuius regimini incumbit per miniſterium Paſtorum Eccleſiæ, quos poſuit ſpiritus ſanctus, regere Eccleſiam Dei in nomine Chriſti.

Quantum autem ad admirationem S. Ioannis, cenſet Rupertus hoc non ſuo ſenſu, ſed aliorum qui adhuc infirmantur, dicere, in perſona videlicet eorum, qui adhuc infirmo corde nitorem magnæ meretricis reſpexerant, cum ipſi tribularentur: quia verè ſuo ſenſu nequaquam talia mirari dignaretur. Ve-

B riùs tamen exiſtimo hanc admirationem S. Ioannis ſumendam eſſe in ſua propria perſona. Rei nempe nouitate perculſus fuit, quod præuideret quanta futura eſſet hominum inſania & dementia, vt ſuaue iugum Chriſti excutientes vellent pro tranſitoria quadam gloria à regno Chriſti excludi; nec ſatis adhuc cognoſcat, donec ab Angelo inſtruatur, qua de cauſa homines ad tantum malitiæ gradum perueniant, vt rationis vſum quodammodo amittentes hoſtes ſe conſtituant omnis pietatis, ac virtutis; tantaque mentis cæcitate percellantur, vt contra Deum (cuius potentiæ nemo reſiſtere poteſt) dimicare audeant ſuos perſequendo, cum ſcire deberent ſe non poſſe effugere à facie eius, aut pœnas

C ab eo infligendas pro tanta audacia euitare. *Mirantur*, inquit Ambroſ. *fideles, cum vident reprobos tantùm à timore Dei alienos, vt ſine aliqua trepidatione, & innocentibus plurima mala ingerant, & in omnibus flagitiis ſemetipſos demergant; ſcientes Deum nullum ſcelus impunitum relinquere, niſi priùs pœnitentiâ, cæteriſque medicaminibus, quibus peccata ſanantur, fuerit deletum.* Ita Ambroſ.

His addo S. Ioannem iam præſentire ex dictis (quod ab Angelo explicatiùs audiuit) ad Romanam ciuitatem præcipuè haberi reſpectum. Miratur igitur quomodo poſt conuerſionem, ad tantam impietatem perueniat, vt de ſanguine Martyrum Ieſu inebrietur; quomodo quæ ad tam ſublimem

D ſanctitatis & eminentis dignitatis gradum ſublimata fuerat, in hanc laberetur miſeriam, vt rurſus dici poſſit Babylon, magna mater fornicationum & abominationum terræ; qualis erat, dum Ethnica primos Chriſtianos perſequeretur. Sed admirationi occurrit Angelus, dum ei nullam admirationis cauſam fore aſſerit, ſi perpendat ea quæ futura ſunt, nempe tanti imperij potentiam (quæ proſtrata fuerat ſub pedibus Apoſtolorum Chriſti, poſt conuerſionem ad fidem) rurſus reſtaurandam, & ex abyſſo humanarum paſſionum, & perturbationum ſeculi ſuſcitandam, Eccleſia ſchiſmate inſigni laborante: quò futurum eſt, vt qui Chriſti gloriam in autoritate ſummi Pontificis & Eccleſiæ Paſtorum

E agnoſcere recuſant, eos qui illius gloriam in hac autoritate agnoſcunt perſequantur. Nam ſicut Ethnici olim ſtultum eſſe exiſtimabant, ſi quis Chriſtum crucifixum pro Deo colerent, ita iſti ſcandalizantur ſi Chriſtus tanto honore dignus aſſeratur, vt qui eius vices in terris gerunt ita coli & honorari debeant, vt in conſcientia omnes Chriſticolæ ipſis obedire teneantur.

Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.

Quænam conditiones requirantur, vt aliquod Regnum inter capita beſtiæ computetur.

ANNOTAT. XVI.

CORRVERET impietas orationibus ſanctorum proſtrata, gladio verbi transfixa, Sacramentorum energia in fugam verſa, fidei ac præceptorum diuinorum claritate confuſa, legibus coercita, Eccleſiæ autoritate & maieſtate oppreſſa, iudiciorum Dei ſeueritate attonita; niſi haberet qui ei audaciam & auxiliam præſtaret, & à quo fulciretur. Fulcrum eius, beſtia ſeptem capitum, quæ portat mulierem: Id eſt, humana & mundana quædam potentia, quæ in ſeptem potiſſimùm Monarchiis inſignioribus refulſit, à quibus Chriſti regnum ab initio promiſſionis vſque ad conſummationem & perfectionem grauiter vexatum fuiſſe percipimus. At cum multæ in mundo fuerint ac ſint Monarchiæ, videndum eſt quænam conditiones requirantur, vt aliquod Regnum inter capita beſtiæ computetur.

Prima eſt, vt ſit aliqua Monarchia, quæ poſt promiſſionem de futuro Meſſia Abrahæ factam, C eius poſteritatem è medio tollere attentauerit, vt futuri Regis ab ea oriundi ortus impediretur. Nam cum certiſſimum ſit quod S. Ioannes in hac reuelatione ſub ſymbolis deſcribat præcipuos euentus, qui in Eccleſia militante futuri ſunt, non quidem iuxta omnes eius ſtatus indifferenter, id eſt, non iuxta ſtatum quem habuit in lege naturæ, aut illum quem obtinuit ſub tempore legis Moſaicæ, ſed iuxta ſtatum legis Chriſtianæ; ideo illi Reges, qui hunc ſtatum impedire aut oppugnare voluerunt, in capitibus beſtiæ intelligendi ſunt: ſeu illæ Monarchiæ veniunt intelligendæ, quæ extiterunt poſtquam Deus manifeſtam & expreſſam conſilij ſui abſconditi à ſeculis reuelationem dederit. Cum hac in mente re- D uoluerem, occurrit mihi Rupertus, à quo, vt in hac ſententia permanerem, eius autoritate fultus, adductus fui. Licèt enim in quibuſdam à nobis diſſentiat, tamen in hoc nobiſcum ſentit, quod dicat illa Regna conſideranda eſſe à tempore promiſſionis apertæ de Chriſti aduentu & Regno. *Sunt*, inquit Rupertus, *ſiquidem ſeptem capita ſeptem mundi Regna, quæ à tempore promiſſionis, quo Patri noſtro Abrahæ ſemen benedictionis Chriſtus repromiſſus eſt, fidem ſeminis eiuſdem impugnauerunt, eamque extinguere contenderunt, impugnando fidelem populum; ſcilicet Regnum Ægyptiorum, Regnum Iſraëlitarum Carnalium, Regnum Babyloniorum, Regnum Perſarum atque Medorum, Regnum Macedonum, Regnum Romanorum, & Regnum Anti-* E *Chriſti, quod erit vltimum.* Ita Rup. Huuc verſum exponens: *Septem capita ſeptem montes ſunt, &c. Denique*, inquit, *Regna hæc propter ſuperbiam ipſorum, qua in altum contra Deum tumuerunt, montes appellauit. Vnde cum dixiſſet: Septem capita ſeptem montes ſunt, exponens quid dixerit, addidit: Et Reges ſeptem. Reges enim pro Regnis æquipollenter poſuit, imo magis propriè, quia non tam regna vel ſpacia terrarum, quam Reges, in crimine ſunt. Et beſtiæ capita dicuntur, & ſunt; quamuis multi in ſingulis regnis per ſucceſſiones regnauerint, pulchrè tamen quot regna ſunt, tot reges poſuit: quia non tum perſonas regnantes, quam regias poteſtates præſens cauſa flagitat.* Ita Rupert. Hanc de ſeptem capitibus ſententiam lib. 7. in 12. caput Apocaly. Iam docuerat dicens, *capita draconis illos rectè dici, qui principales extiterunt in*

A *opere, ſiue intentione diaboli, videlicet in obſidione iam dictæ mulieris, in intentione occidendi puerperium Eccleſiæ Dei, præfocandi verbum Dei, deſtruendi fidem ſeminis Abrahæ, id eſt Chriſti. Huiuſmodi capita veraciter ſeptem ſunt, quia nimirum ex quo Pater Abraham, & poſteri eius, fidem ſeminis, in quo benedicentur omnes gentes, ſuſceperant, ſeptem ſunt mundi huius regna, ex traditione ſanctarum ſcripturarum, quæ aduerſus eamdem fidem dimicauerunt. Sed nondum venit Regnum ſeptimum.* Ita Rupertus. Et optimè incipiendum eſſe cenſet à tempore promiſſionis factæ Abrahæ Patriarchæ: nec enim in ſcriptura legimus aliquam promiſſionem factam Regis venturi; nec deſignatus fuerat aliquis populus peculiaris ab aliis nationibus diſtinguendus B qui ad eum recipiendum & admittendum ſe ipſum præpararet, antequam fuerint Abrahæ dictæ promiſſiones, & datum fuerit illi ſignum circumciſionis pro ſe & pro poſteritate ſua, vt ab aliis gentibus ſecerneretur. *Abrahæ*, inquit S. Paulus Galat. *dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno. Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Et Rom. 4. ait Apoſtolus: *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam, & ſit Pater circumciſionis, non iis tantum qui ſunt ex circumciſione ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio Patris noſtri Abrahæ.* Vides ne Abraham accepiſſe circumciſionem, in ſi- C gnum pacti fœderis inter Deum & populum ſuum, hoc ſigno à gentili diſtinctum. Quæ circumciſio typum gerebat Chriſtianæ, quæ non aufert pelliculam à glande, ſed amputat omnes noxias cupiditates à corde. Et quomodo per illud ſignum circumciſionis carnalis diſtinguebatur poſteritas Abrahæ à cæteris gentibus, ita etiam per circumciſionem ſpiritualem, Chriſtiani ab aliis ſecerni debent, videlicet vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini. Non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt; *Quia Patrem multarum gentium poſuit te, ante Deum, cui credidiſti*, ait S. Paulus. Vnde non mirum ſi aſſeramus promiſſiones Abrahæ D factas pertinere etiam ad ſtatum nouæ legis; Itaut ſanctus Ioannes (qui hunc ſtatum nouæ legis præcipuè reſpicit, dum de perſecutoribus Eccleſiæ agit) à tempore Abrahæ potiſſimùm incipiat quando ei factæ ſunt promiſſiones. Tunc enim præuidens diabolus ſceptrum tyrannicum in homines ſibi eſſe auferendum, in eam gentem ſæuire incæpit à qua oriundus erat, qui ei ſceptrum auferre debebat.

Secunda conditio illius Regni eſt, quod manifeſtè fouerit idololatriam aut impietatem, nec vera in eo regno de Deo habeatur cognitio. Vnde plenum ſit nominibus blaſphemiæ.

Tertia conditio eſt, vt non modò in tenebris ignorantiæ diuinæ maieſtatis obuoluatur, ſed aliqua E ratione veram de Deo fidem è cordibus auferre attentauerit.

Quarta conditio eſt, vt fideles ad tantas anguſtias redegerit, vt niſi breuiati fuiſſent dies perſecutionis, vel niſi Deus auxilio & protectione ſpeciali ſuccurriſſet, omnis Dei cultus publicus fuiſſet ablatus, ac Religionis ſtatus deperiiſſet.

Quinta conditio eſt, vt ſæuitiâ & crudelitate, in odium fidei & Religionis, plurimorum ſanguis effuſus fuerit.

Sexta eſt, vt publicis edictis, vel aliqua ratione, vi ac violentia, publicus Religionis cultus prohibitus fuerit, & impeditus.

Septima denique, vt hi deploratiſſimi euentus, vt pote res maximi momenti, ante prædicti fuerint; vt fideles eorum admoniti, non perturbentur cum

hæc

hæc viderint euenire, quæ multò ante futura eſſe Deus prædixit.

His præſuppoſitis dico has conditiones primò reperiri in Ægypti regno, in quo regnauit Pharao; Secundò, in Monarchia Aſſyriorum, in qua regnauit Sennacherib; Tertiò, in Monarchia Babylonis, in qua regnauit Nabuchodonoſor; Quartò, in Monarchia græcorum, de qua prodiit Antiochus; Quintò, in Monarchia Romanorum, in qua fuit Nero. De his quinque dicitur: *Quinque ceciderunt.* Sexta Monarchia eſt Turcarum, quæ adhuc ſtat.

Septima erit Anti-Chriſti regnum. Vel, ſi volueris, loco Sennacherib reponendus erit Artaxerxes, pro Monarchia Perſarum, qui impediuit ne templum reſtauraretur, & ſub cuius autoritate, Aman populum Dei valde afflixit, & è medio auferre voluit. Quod fuſiùs poſtea diſcutiemus.

Porro prædictas conditiones appono conuenienter: qui neceſſariæ videntur, vt aliquod regnum dicatur Regno Eccleſiæ contrarium, & aperto Marte ad illud euertendum omnem ſuam induſtriam & potentiam applicuiſſe.

Primum Caput Beſtiæ fuit Regnum Aegyptiorum.

ANNOTAT. XVII.

FVERVNT quidem ante Regnum Ægyptiorum quædam alia regna iam erecta. Mox enim poſt diſperſionem, *Nimrod nepos Cham*, inquit Genebrard. l. 1. Chronolog. *primus affectato Imperio, regni formam in Chaldæa inſtituit ad Euphratem.* Licèt autem impius fuerit, impietatiſque exactor, quaſi firmius ſic ſuum Regnum eſſet conſtituturus, vt Hebræi conſtanter aſſerunt, defectionemque à Deo docuerit, vt cui nihil eſſet tribuendum, ſed omnia humanæ virtuti atque induſtriæ; quin & addat Genebrard. Ipſum autorem fuiſſe Conſilij, quod cœpit illa ætas de conſtruenda Turri, ac ſeduxiſſe vniuerſos, vt in Deum rebellarent, eiuſque iram prouocarent, primuſque perſecutionem mouerit contra religionem, anno regni decimo octauo, diſperſionis 20. Abrahæ 68. cuius cauſa Thare cum Abraham, & reliqua familia reliquit Chaldæam, & ſe Charras Meſopotamiæ contulit, Geneſ. 11. Nimrodque inſuper cultum idolorum, ſeu potiùs ignis, promouerit, non diu regnauit. Videtur enim ſubactus ab Aſſur. Nam Belum Patrem Aſſur, ſiue Nini, dicitur habuiſſe ſucceſſorem, vel potius Amraphel, ſiue ei ſucceſſerit iure legitimo, ſiue violento. Ita Genebrard. Cenſet tamen Salianus to. 1. an. mundi 1931. num. 35 Nemrodum eumdem eſſe cum Belo, & Ninum ſecundum eſſe Regem Aſſyriorum, & Beli proximum ſucceſſorem. Citat Euſebium initio Chronici. *Quando*, inquit, *natus eſt Abraham, iam regnabat Rex ſecundus, qui vocabatur Ninus filius Beli. Nam primus Aſſyriorum regnauit Belus annis ſexaginta quinque, quem Aſſyrij Deum nominauerunt Saturnum.* Euſebium ſecutus eſt Auguſt. lib. 16. de ciuit. c. 17. Ibi autem Ninus regnabat poſt mortem patris ſui Beli, qui primus ibi regnauerat 65. annis. *Atqui*, inquit Salianus, *ex ſcriptura & Ioſepho, & omnibus ſcripturæ interpretibus, Nemrod primus Babylonem condidit, in eaque primus regnauit. Ergo Nemrod idem cum Belo eſt.* Ita Sal.

Quidquid ſit (hoc enim fuſiùs diſcutere non eſt mei inſtituti) hoc Regnum non eſſe inter Beſtiæ capita annumerandum exiſtimo: primò, quia hæc idolorum introductio non videtur prodiiſſe tam ex odio veræ religionis, quàm ex quadam dilatandi fines Imperij cupiditate. *Fines*, inquit Iuſtinus, *Imperij tueri magis quàm proferre mos erat. Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus, Rex Aſſyriorum, veterem, & quaſi auitum gentium morem noua Imperij cupiditate mutauit.* Et deinceps addit Iuſtinus: *Ninus magnitudinem quæſitæ dominationis continua ſucceſſione firmauit. Domitis igitur proximis, cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret; & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius orientis populos ſubegit.* Ita Iuſtin.

At Imperium aliquod quærimus, quod quidem ex odio veræ Religionis potiſſimùm Idola colere coëgerit. Quin etiam ex Sapient. 14. cap. habemus idololatriam introductam fuiſſe in initio, ex honore quem vel mortuis, longe abſentibus exhibere volebant. Et conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum Imperio colebantur figmenta. Sed ex ille peſſima idolorum adinuentione, quam initium fornicationis & vitæ corruptionem nominat Sapiens, in principio veri Dei cultum non prohibebant, nec eorum qui Dei erant adoratores in odium religionis ſanguinem effundebant: nec improbabile ſit Ninum primò non voluiſſe vt Pater eius pro vero Deo haberetur aut coleretur, ſed tantùm voluiſſe illius memoriam poſteritati venerandam relinquere, & ciuili honore proſequendam, propter eximiam illius virtutem & magnanimitatem: qui honor ciuilis, poſtea in diuinos honores fuit commutatus: facile enim eſt humanæ fragilitati, ab iis quæ honeſta ſunt & licita, ad illicita tranſire, itaut quæ primò erant licita, lapſu temporum illicita fuerint, dum ſuperſtitioſè coluerunt quos ciuili honore antea tantùm colere volebant. Quod ſi Nemrod aut Ninus Dei cultores odio Religionis vexauiſſet, non videtur credibile Moyſem nihil de hac re tetigiſſe, cum hoc maximè pertineret ad fidelitatem hiſtoriæ ſacræ quam poſteritati relinquere exaratam ſcriptis intendebat, &c.

Dices ex Hebræis, apud Salianum, an. M. 1939. vim hominibus à Nemrod illatam cogente illos ad idolorum cultum, & nominatim familiam Thare, atque adeo ipſum Abrahamum. Sed reſpondet Salianus hoc ineptè dici, cum Abrahamus multis annis poſterius natus ſit quàm Belus aut Nemrod viuere deſiit. Ex qua Saliani reſponſione apparet Nemrod, etſi initium dederit idololatriæ, ſiue vt fines Imperij dilataret Nemrod, peruerſæ hominum inclinationi fauendo; ſiue quia dum ciuili honore patrem proſequutus fuit, hoc poſtea in ſuperſtitionem impiam tranſierit, tamen non ab eo veri Dei cultum prohibitum fuiſſe, vel ipſum veros Dei cultores vexauiſſe ſuppliciis, aut morte affeciſſe.

Dices ſecundò, Abraham ex 2 Eſdræ c. 9. eductum fuiſſe de igne Chaldæorum. Vnde Hebræi dixerunt Abraham à Chaldæis in ignem fuiſſe coniectum, ſicque Chaldæos veros Dei cultores & adoratores perſecutos fuiſſe. Reſp. Salianũ an. M 2039. num. 25. docere in Hebræis haberi Vr Chaldæorum; ac ſeptuaginta interpretes, ad vitandam amphibologiam ignis & vrbis, quæ in Hebræo reperitur, pro Vr, χώραν id eſt regionem, verterunt; Vr autem non ignem ſignificare, è quo fuerit eductus, ſed vrbem Chaldæorum, quæ vr, ſiue via dicebatur; hancque in ignem coniectionem fabulam vocat, non hiſtoriam, de qua vide Hieron. in quæſtionibus Hebraicis, in Geneſ.

Dices denique S. Auguſt. l. 16. de ciuit. c. 13. aſſerere domum Thare perſecutionem paſſam fuiſſe à Chaldæis, pro vera pietate, qua vnus & verus ab eis colebatur Deus. Reſpondeo non ſatis eſſe, vt aliquod imperium conſtituatur caput huius beſtiæ, vt quaſdam moleſtias ab incolis illius Dei cultores accipere potuerint, quibus ſatius eſſe duxerint alibi commigrare; ſed requiri præterea vt mors plu-

Digitized by Google

rimorum pro fide tuenda ſubſequuta fuerit. Eſt enim hæc beſtia non tantùm nominibus blaſphemiæ plena, ſed & coccinea: quia impietas, quam portat, ebria eſt de ſanguine ſanctorum. Quod quidem dici non poteſt de hoc primo Aſſyriorum ſeu Chaldæorum Imperio.

Denique, ſi quas diabolus ſuſcitauit Dei cultoribus vexationes, antequam facta fuiſſet manifeſta promiſſio de Chriſto ex Abrahami ſtirpe oriundo veluti cum à poſteris Cain, filij Dei aliquas moleſtias perpeſſi ſunt ante diluuium, aut à Nemrod poſt diluuium: incertum tamen erat in quam gentem, populum aut familiam, ſuam rabiem effunderet. Sed facta promiſſione animaduertit ſibi eſſe cum Abrahæ poſteritate concertandum. Vnde furore in eam efferbuit, & in eam debacchare incæpit ardentiùs, vt ſi fieri poſſet, illam extingueret. Vnde conuenientius primum caput huius beſtiæ Imperium Ægyptiorum eſſe aſſerimus, in quo omnes conditiones ſupradictæ, imperij alicuius Eccleſiam perſequentis animaduerti poſſunt, vt mox videbimus.

Poſtquam igitur diabolus compertum habuit ex Abrahami ſtirpe oriundum fore qui & prædam auferret, & ab eo ſpolia detraheret, tunc omnem ſuam aſtutiam, rabiem ac furorem collegit, vt eam perſequeretur, & (ſi fieri poſſet) è medio tolleret: & primum caput potentiæ ſecularis ſuſcitauit contra Abrahami ſtirpem, nempe Regem & Regnum Ægyptiorum, in quo plurimum impietas præualuit. *Hic*, inquit Genebrardus, *aucta eſt idololatria à poſteris Cham, Mizraim.* Ægyptiæ gentis autore: nam Ægyptij omniũ primi aras, ſacrificia & delubra diis inſtituerant, ex Herodoto l. 2. Et docet S. Epiphanius in Panario & Anacephalioſi, Græcos Magiam didiciſſe ab Ægyptiis, aliaſque ſuperſtitiones, arietem pro Ioue Ammonite coluiſſe, vaccam pro Iſide, Bouem pro Api. Secundò, patet impiam fuiſſe Ægyptiorum mentem, ex reſponſo Amenophis regis Ægyptij ad Moyſem, cum ei Dei ſummi voluntatem indicaret, nempe illius maieſtatem velle vt dimitteret populum ſuum, vt ſibi ſacrificaret in deſerto. Talibus enim verbis Moyſi reſponſum dedit: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum & Iſraël non dimittam.* Quod ponderans Philo Iudæus ait: *At Rex ab incunabulis innutritus maiorum ſuorum faſtui, nec credens vllum Deum præter iſta viſibilia, contumaciter reſpondit: Quis eſt, cui me obedire iubes? Non noui iſtum, quem prædicas, nouum Dominum.* Ita Philo. In quibus verbis notatur inſignis impietas. Quænam enim maior poteſt eſſe diuinæ maieſtatis ignoratio aut contemptus? Neſciebant igitur Ægyptij Dominum. Adorabant animalia bruta. Blaſphemias euomunt contra altiſſimum. In eis igitur manifeſtè impietas ſedet & regnat.

At hoc non ſufficit, vt aliquod Regnum ſit caput Beſtiæ. Requiritur inſuper vt per eam fides periclitetur. Quod ſatis patet ex his quæ acciderunt Hebræis. Nam dum fortiùs opprimuntur à Pharaone, quo maior ſpes elucebat ex promiſſionibus proximæ liberationis, Moyſem his verbis diffidentiam ſuam indicantibus alloquuntur. *Videat Dominus & iudicet, quoniam fætere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſti ei gladium, vt occideret nos.* Exod. 5 Et c. 6. narranti Moyſi omnia populo, quæ promiſerat illi Dominus, eductionem videlicet de ergaſtulo Ægyptiorum, inductionem in terram Abrahæ promiſſam, *non acquieuerunt ei, propter anguſtiam ſpiritus, & opus duriſſimum.* Vnde Moyſes apud Deum conquerebatur eos ſibi fidem non adhibere. *Ecce*, inquit, *filij Iſraël non audiunt me.* Exod. 6. Sed in quantum periculum diffidentiæ & incre-

A duliitatis inciderint, patet ex cap. 14. *Cumque*, inquit ſacer textus, *appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valde; clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſem: Forſitan non erant ſepulchra in Ægyptio. Ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine. Quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Ægypto? Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Aegypto dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptiis? Multò enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine.* Ita ſacer textus. Et tanto maius erat periculum ſubuerſionis fidei, & fiduciæ in Deum, quod plures ex illis, idolis ſeruierant in Ægypto, vt conjicere licèt ex vltimis Ioſue verbis: *Auferte*, dicebat, vltimum emittens ſpiritum,

B *Deos quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto, & ſeruite Domino.* Ioſue 24. Vnde Ezechiel. c. 23. exprobrat Samariæ & Ieruſalem adoleſcentiæ fornicationem, id eſt idololatriam, interprete Hieronymo, qua in Ægypto ſeſe videlicet polluerant.

Venio ad aliam conditionem, nempe vt illud Imperium ad extremas redigat anguſtias populum fidelem, itaut penè deleatur de numero viuentium, niſi ſpeciali Dei protegeretur auxilio. De rapina bonorum Sileo, oneribus & tributis. Salian. an. M. 2451. n. 15. Sileo labores immenſos abſque aliqua mercede impenſos, quibus attriti fuerunt, itaut dixerit Moyſes, Exodi 1. *Ad amaritudinem perducebant*

C *vitam eorum, operibus duri luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Quin & laboribus contumelias iungebant & irriſiones. Vnde antea dicit Moyſes: *Oderantque filios Iſraël Aegyptij, & affligebant illudentes eis.* Tributis, laboribus, irriſionibus addebant & verbera. Vnde Moyſes occidit Aegyptium percutientem Hebræum. Qua de cauſa ſeceſſit ex Aegypto, quod eum Pharao propter hoc quæreret occidere. Vnde Exodi 5. vociferantes apud Pharaonem: *Cur ita agis contra ſeruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur. Operibus præerat*, inquit Philo l. 1. de vita Moyſis, *immitiſſimus quiſque crudeliſſimuſque, qui imperabat eis grauiora quàm ferre poſſent,*

D *alios ſuper alios labores accumulans. Si quis autem labori ob infirmitatem ſe ſubtraheret, capitalis noxa iudicabatur.* Ita Philon. Et tam crudeliter cædebantur, vt plærique ſub verberibus animam exhalarent. *Itaque alij poſt alios*, inquit Philo, *tanquam peſtilentiâ emoriebantur.* His certè modis in magnum vitæ diſcrimen verſabantur. Sed quia quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant; ideo Amenophis ſæuiſſimus Rex Aegypti aliam iniit rationem exterminandi populum Dei cultorem. Præcepit quippe obſtetricibus Hebræorũ vt ſub tempus partus infantes maſculos Hebræorum mulierum interficerent, omnibuſque hoc præceptum voluit occultè aliis innoteſcere per duas Primarias, Sephora,

E & Phua, quibus mentem ſuam aperuit, ne res facilè euulgaretur, Sed hoc præceptum adimplere nolentibus, quia timebant Deum, aliud nefandum conſilium iniit, præcepit quippe Pharao omni populo ſuo dicens: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid fæminini reſeruate.* Ex his omnibus vides conditionem hanc ſæuitiæ & crudelitatis in Dei cultores ſatis eſſe conſpicuam, & in quantas anguſtias & pericula inciderint, & facilè eos in breui deletos fuiſſe, niſi Deus opem tuliſſet.

Deinde requiritur vt hæc ſæuitia exerceatur in odium Religionis. Quod huic Imperio non defuit. Ita enim Salianus, an M. 2451. num. 12. Quamuis aliqui Iudæi idololatriæ ſcelere polluerent ſeſe, plerique tamen ab ea inſania abhorrebant. *Ergo diuerſitas ſacrorum*, ait Ioſephus, *multas inter eos fecit inimi-*

Digitized by Google

citias, tanto præſtantiore noſtra pietate, quàm ſolemnitates illorum, quantùm Dei natura animantibus ratione carentibus ſine dubitatione præſtat. Communis namque apud illos ritus eſt bruta arbitrari Deos, vani ac fatui homines, &c. Ita Salian. ex Ioſepho. De quo odio loquens Moyſes non abſque cauſa dixit: *Oderant filios Iſraël Aegyptij, affligebant illudentes eis.* Vocabant enim eos, teſte Philone, κατέχματα ἢ πυρτεχλάμματα, ἢ γῆς ἄχθη ἢ οἷα τοιαῦτα, piaculares, conturbatores, onera terræ, & huiuſmodi. Cur enim non dixit Moyſes, Oderant Hebræos; quales eos pluries nominat I. 5. *Deus Hebræorum,* &c. *Obſtetricibus Hebræorum*, niſi vt ſimul rationem huius odij deſignaret, nempe quia erant Deum videntes & cognoſcentes? Nam hoc modo nomen Iſraël interpretatur. Auguſt. l. 16. de ciuitate c. 39. *Interpretatur autem*, inquit, *Iſraël videns Deum. Quod erit in fine, præmium omnium ſanctorum.* Ita etiam Philo, lib. de temulentia, lib. *Quis rerum diuinarum hæres?* lib. de præmiis & pœnis. Et Origenes, homil. 2. in lib. Numero. Et alij quos citat Leonard. Coquæus in Auguſtinum. Vel, vt vult S. Hieron, *Princeps cum Deo. Non vocabitur*, inquit, *amplius nomen tuum Iacob, id eſt ſupplantator, ſed Iſraël, id eſt, princeps cum Deo. Quomodo enim princeps ego ſum, ſic & tu, qui mecum luctare potuiſti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus ſum, ſiue Angelus, (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti, quanto magis cum hominibus, id eſt cum Eſau, quem formidare non debes?* Ita Hieron. in traditionib. Hebraicis in Geneſim. Quidquid ſit, oderant Aegyptij Hebræos, vel quia videntes Deum, quem colebant, vel quia Principes erant cum Deo. Etenim licèt multis malis opprimerentur, sẽper Deo protegẽte ſuperiores euadebant; quantò opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant: quin & Deus eſſe cum illis cernebatur ex florentiſſimo illorum ſtatu. Nam & animi induſtria, & corporis robore & dignitate, & externorum bonorum copia, Aegyptios ſuperabant. Propterea & dicebant. *Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt.* Vnde & ab eis deprimi timebant, cuidam vati fidem adhibentes, qui prædixerat Regi naſciturum per id tempus apud Iſraëlitas quemdam, qui res Aegyptiorum eſſet afflicturus, Iſraël contra euecturus, ſi modo ad adultam ætatem perueniſſet. Ita Ioſeph apud Salian. an. M. 2451. num 5.

Quod autem publicus Dei cultus, qualis debetur pro ſumma reuerentia tantæ maieſtatis, non eſſet permiſſus in Aegypto, conjici poteſt ex Sapient. 18. *Abſconsè enim ſacrificabant iuſti pueri bonorum, & iuſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt.* Ita Sapiens. Hoc referri videatur ad immolationem Agni Paſchalis, quam abſconditè celebraſſe, neſcientibus Aegyptiis, probabile eſt. Etenim cum poſt plagam grauiſſimam muſcarum, Pharao dixiſſet Moyſi & Aaron: *Ite, & ſacrificate Deo veſtro in terra hac*; Reſpondit Moyſes: *Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quod ſi mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, coram eis, lapidibus nos obruent.* At adorabant Ægyptij Arietes. Vnde credibile eſt filios Iſraël abſconditè Agnum Paſchalem immolaſſe, quia publicè videntibus Aegyptiis, agnos ſacrificare non auſi fuiſſent. Ita Salian. to. 2. an. M. 2543. n. 180 Moſe igitur & Aarone ad ſe aduocatis: *Ite*, inquit, *& ſacrificate Deo veſtro in terra hac*, nimirum in terra Geſſen, intra Aegypti fines. Hinc autem apparet Iudæos non fuiſſe permiſſos in Aegypto ſacrificare Deo ſuo: alioqui nihil gratiæ offerret Pharao, quo plagæ huic imponeretur finis. Niſi placet quod ſignificat Caietanus, concedi à Pharaone commune totius populi Iſraëlitici ſacrificium, quale à Moyſe poſtulatum fuerat;

A priuata tamen ſacrificiã ſeorſim ab oculis Aegyptiorum, aut permiſſa fuiſſe, aut clanculum potius vſurpata, propter cauſam quæ mox à Moyſe affertur: idque videtur affirmare Sapiens. *Abſconsè enim ſacrificabãt iuſti pueri bonorum.* Quanquam id de ſacrificio Agni Paſchalis plerique accipiunt. Sed eſto, hoc intelligatur de Agno Paſchali, ſatis manifeſtum eſt ex reſponſione Moyſis non potuiſſe agnos immolari publico ritu ante Aegyptios, qui non modo vaccam nomine Iſidis, Taurum pro Api, Aegyptiorum maximo Deo; Capras (quòd eorum ſpecie dæmones ipſis plærumque apparerent) colebant; ſed & arietem quaſi Ammonium Iouem appetitus inſignem cornibus venerabantur.

Denique ſi prædictionem tantæ afflictionis & duræ captiuitatis requiras, B lege 13. c. Geneſeos: vbi poſtquam Deus numeroſiſſimam prolem Abrahæ repromiſit, iubente Domino in ſacrificium Abraham præparauit vaccam triennem, Capram trimam, arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. *Cumque*, inquit ſacer textus, *ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum dictumque eſt ad eum: ſcito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubjcient eos ſeruituti: & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo. Et poſthæc egredientur cum magna ſubſtantia.* Eſt manifeſta futurorum prædictio.

C Ex his igitur conjicio Regnum Aegyptiorum primum reponendum eſſe inter capita Beſtiæ, quia primum fuit Regnum quo populus Dei valde afflictus fuit poſt electionem familiæ Abrahami à Deo factam, ex qua vellet Chriſtum Regem Angelorum & hominum exoriri.

Secundum caput beſtiæ eſt Regnum Aſſyriorum.

ANNOTAT. XVIII.

REGNVM Aſſyriorum pro ſecundo capite beſtiæ computamus: quia in eo Reges fuerunt plurimi, qui à tempore Moſis vſque ad Ezechiæ D tempora populum Dei grauiter afflixerunt & oppreſſerunt: & quidam in eis annumerantur, in quibus ſupradictæ conditiones verificari facillimè poſſunt. Etſi enim ſatis conſonum rationi videatur, in his ſeptem regibus vniuerſos & ſingulos Reges deſignari, à quibus Eccleſia vexata fuerit, hoc tamen non impedit quod ſi ſeptem præcisè reges reperiuntur; qui & euidentiùs, & vniuerſaliùs Eccleſiam perſecuti ſint præ cunctis aliis regibus, ad eos deſignãdos prophetia hæc ſpecialem habeat reſpectum; ac ſi S. Ioannes diceret: inter cunctas Monarchias, quæ poteſtatem, & autoritatem ſibi à Deo datam, in malum vſum conuerterunt, volo vt ad ſeptem potiſſimùm oculos dirigatis. Peſpicietis proculdubio, E quod iſtæ nihil omiſerunt ex iis quo opponi poſſunt Dei voluntati, qua decreuit & ſtatuit velle ſe à creatura rationali coli & adorari, quod non factitarint & in actum non redegerint. At inter has ſeptem, Aſſyriorum Monarchiam computo. Multæ quidem populo Iſraëlitico obuenerunt ſub tempore Iudicum afflictiones: At hæ potius obuenerunt illis manifeſtâ Dei vindictâ, quia non vi ac violentia, ſed peruerſa quadam ad idololatriam pronitate, ad idolorum cultum ſeſe conuertebant. Quod ſatis conjici poteſt ex 2. Iudic. vbi Angelus Domini hæc populo dixit: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris, & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum; ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, ſed aras eorum ſubuerteretis. Et noluiſtis au-*

dire vocem meam. Cur hoc feciſti? Ita Angelus, ſatis indicans quod abſque vlla vi dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, & ſecuti ſunt Deos alienos, & ad iracundiam concitauerunt Dominum dimittentes, & ſeruientes Baal & Aſtaroth. Iratuſque Dominus contra Iſraël, tradidit eos in manus diripientium. Vnde ſi aliquid paſſi ſunt, hoc non fuit quia verum Dei cultum apud ſe retinere vellent, ſed Deo peccata illorum vlciſcente; vel ſaltem quia finitimæ gentes pro finium ſuorum dilatatione, aut aliis de cauſis, cum eis bellum inire volebant. Vnde hæ omnes afflictiones & vexationes annumerari non debent inter perſecutiones populi Deum colere & adorare cupientis. Igitur ad regnum Aſſyriorum tranſimus, in quo conditiones regni Eccleſiam perſequentis poſſunt euidentiùs animaduerti & reperiri.

Taceo de prima: quia licèt hoc regnum incæperit ante promiſſionem Abrahæ factam de Meſſia futuro, non tamen pro eo tempore, vt vidimus, computandum eſt inter capita beſtiæ; multiſque poſt ſeculis, nihil ipſis Iſraëlitis cum Aſſyriis aut Babyloniis negotij interceſſit, vt qui pluribus ab hinc ſeculis in populum non coaluerint, deinde ſub Iudicibus in Syriæ angulo incluſi contemptique latuerunt, vt notauit Salian, an. 1997; Sed pro tempore Sennacherib, qui gentem Iſraëliticam valde afflixit. Tunc enim iſtud regnum videtur caput beſtiæ plenæ nominibus blaſphemiæ, vt videre eſt ex 2. Paralipom. c 32. *Quis eſt de vniuerſis Diis gentium, quas vaſtauerunt Patres mei*, inquiebat Sennacherib per ſeruos ſuos, *qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea, vt poſſit etiam Deus veſter eruere vos de manu mea &c. Sed & alia multa locuti ſunt ſerui eius contra Dominũ Deum & contra Ezechiam ſeruum eius. Epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſraël, & locutus eſt aduerſus eum. Sicut Dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu ſua, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta.* Vnde meritò Ezechias 4. Regnum 19. Vocat dies iſtos. *Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemiæ.* Et ſic in hoc regno ſecunda conditiò regni Eccleſiam & fidelem populum perſequentis manifeſta eſt. Et certè ad tantam impietatem erat adductus Sennacherib, vt expulſus è terra Iuda cum tanta ſtrage ſuorum, nihilominus proſtratus ante idolum Neſroch, illi exprobrauit ſed ab eo fuiſſe auxilio deſtitutum. Qui etiam filios ſuos Sadramelech & Saraſar ipſi offerret, ſi hoc ille ratum duceret, vt refert S. Hieron. de traditionibus Hebraicis. Vnde meritò pro tanta impietate à filiis ſuis interfectus fuit. *Quoniam*, inquit Theodoretus in 4. Regum, *aduerſus eum, qui ipſum fecerat, rabie erat percitus; ab iis qui ex ipſo procreati fuerant, fuit interfectus.* Ita Theodor.

Tertiò, quantum periclitata eſt fides in Deum, & vera Religio, ex pluribus patet. Primò, quia Achaz, vt ſe gratum redderet Regi Aſſyriorum, intercluſit viam, quæ è Regis palatio ducebat in templum: vt hac ratione Rex Aſſyriorum certus redderetur à vero Dei cultu ipſum receſſiſſe, deoſque tum Aſſyriorum, tum aliarum gentium colere. *Lyranus*, inquit Salian. an. M. 3297. n 20. *ait Achaz obſtruxiſſe viam quæ à Regia patebat ad templum, quam alio loco diximus fuiſſe nobilem porticum ſupra voraginem mello impoſitam. Quod Theodoretus ſignificat: Vt ſcilicet Rex Aſſyriorum inde intelligeret ipſum planè Dei cultum deſeruiſſe, & ad Aſſyriorum, Syrorum, aliorumque populorum Deos tranſiuiſſe.* Ita Salian.

Direptis itaque, ait ſcriptura 2. Paralip. 28. *omnibus vaſis domus Dei, atque confractis, clauſit ianuas templi Dei, & fecit ſibi altaria in vniuerſis angulis Ieruſalem.* A Hæc ſacer textus. *Itaque hic ordo & progreſſus impietatis fuit*, inquit Salian. n. 18. *primò vt vaſa Miniſterij inutilia redderet; tum ea confringeret; tertiò vt templum occluderet, ne à quoquam ibi coleretur Deus. Poſtremo altaria impia, totâ vrbe, totoque regno idolis excitauit.* Ita Sal. In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum Deum Patrum ſuorum, 2. Paralypom. 28. feciſſe autem hoc propter Regem Aſſyriorum, habes ex 4. Reg. 16. *Muſach quoque Sabbathi, quod ædificauerat in templo, & ingreſſum Regis exterius conuertit in templum Domini, propter regem Aſſyriorum.* Quem locum ex Hebræo Pagninus ita vertit: *Et tectum Sabbathi, quod ædificauerant domo,* B *& ingreſſum Regis exterius circuire fecit domum Domini propter regem Aſſur.* Muſach Sabbathi quidam interpretantur pulpitum, Chaldæus exemplar. Alij velum, vel operimentum, alij tentorium, ſub quo ſacerdotes aut Leuitæ perfuncti munere ſuæ hebdomadæ quieſcerent Sabbatho, poſtridie abituri. Septuaginta vocant fundamentum Cathedræ Sabbathorum Et conuertit, Chaldæus habet, Auertit; Hebræum, circum ire fecit: Vt ſcilicet ſi quis à Regia in templum ire vellet, magno circuitu deſcendere cogeretur ex monte Sion, & trajicere totum Ophel, id eſt, munitionem & arcem: vt veniretur ad radices montis Moria, indeque in templum; quadringentis, aut quingentis etiam gradibus aſcen- C deretur, ſuperatis ſcilicet illis templi ſubſtructionibus, quæ ad trecentos cubitos in altum attollebantur, vt eo labore regia familia ab adeundo templo Domini auocaretur. Ita Salian. an. 3297. n. 18. & 20. Si igitur propter Regem Aſſyriorum Teglatphalaſar rex impius Achaz ad tantas impietates adductus eſt, nonne veriſſimum eſt hoc Regnum Aſſyriorum fidei & Religioni plurimùm nocuiſſe? Hunc igitur locum 4. Regum c. 16. Sic exponit Lyranus: *Muſach quoque Sabbathi dicunt expoſitores communiter quod erat quoddam Gazophilacium, vbi diebus Sabbathorum ponebatur oblatio regum, pro agendis neceſſariis in templo. Rabbi Salom. dicit quod erat quidam locus in porticu templi gratiosè coopertus, in quo ſedebat Rex in die Sabbathi, & in* D *ſolemnitatibus magnis. Et ingreſſum regis exterius, &c. Erat enim quædam via de domo Regis ad templum, per quam veniens ad templum poterat videri. Et illam viam ſic obturauit, quod non poterat per illam viam aliquis ingredi templum Domini, propter Regem Aſſyriorum: vt ſi Rex Aſſyriorum illuc veniret, videret qualiter amouiſſet cultum Dei, & quia non eſſet via de Palatio Regis ad templum, & ſic Achaz ſe oſtenderet tranſiiſſe ad cultum regis Aſſyriorum.* Ita Lyr. Secundò: Quantum Religio periculum ſubierit ſub Ezechia Rege, notiſſimum eſt ex verbis Rabſacis, 4. Regum 18. quibus populum fortiter perſuadet vt omnem fiduciam in Deum, deponant; & promittit eos à Rege Aſſyriorum transferendos fore in terram fructiferam. E Quibus verbis populi fides valde periclitabatur. Sciebant enim iam vrbes munitiores captas, decem tribus iam in captiuitatem fuiſſe tranſlatas; potentiſſimum exercitum cernebant ad vrbem Hieroſolymitanam obſidendam paratum: nullum erat humanum præſidium, quo tueri poſſent, aduerſus tam infeſtiſſimum hoſtem. Cuius fides non titubaret in tantis periculis? Quin & ſi tranſlati fuiſſent in alias regiones idololatriæ deditas, certè plurimorum fides & religio periclitata fuiſſet. Gens enim Iudæorum ad idololatriam prona, facilè Patrum ſuorum religionem deſeruiſſet ex commercio cum gẽtibus. Vnde meritò laudandus Ezechias, qui hoc periculum præſentiens rebellauit contra Regem Aſſyriorum, & fiduciam ſuam in Deum collocans, noluit populum ad Rabſacis voces & promiſſiones, Regis

Digitized by Google

Aſſyriorum dominationem admittere; ſed eum, vt in Deum ſperaret, ita hortatus eſt: *Viriliter agite, & confortamini. Nolite pauere, nec timeatis Regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem quæ eſt cum eo. Multo enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo.*

Cum illo enim eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt pugnatque pro nobis. Confortatuſque eſt populus huiuſmodi verbis Ezechiæ Regis Iuda. Hinc quod Ezechias facit laude dignum, dum rebellat contra Regem Aſſyriorum, hoc Sedechias fecit cum vituperio & infeliciter, dú rebellauit contra Nabuchodonoſor: ſolam enim obedientiam poſtulabat Nabuchodonoſor, non populi transmigrationem; nec deſerta relinqui optabat terram, ſed vt Rex agnoſceretur, & tributa ei ſoluerentur promiſſa. At Sennacherib volebat gentem Iudaicam diſſipare, & in omnes diſpergere nationes: qua quidem ratione omnis Religio & Dei cultus grande ſubibat periculum ſubuerſionis. Hinc enim Deus, Ierem. 42. præcipit iis, quos reliquerat Nabuchodonoſor, (poſtquam rebellentem ſibi Sedechiam occidit, & populum in captiuitatem abduxit) ne irent in Ægyptum; & graui comminatione eos terret, & auocare conatur ab illa profectione. Præuedebat enim eos, ſi ſemel in Aegyptum redirent, ad idolorum cultum conuerti; ſicuti & fecerunt, vt patet ex cap. 44. Ieremiæ. Sic enim ij, qui ſeceſſerunt in Phathures, in terra Aegypti, Ieremiæ reſpondent: *Facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos & Patres noſtri, & Principes noſtri in vrbibus Iuda, &c.* Vnde meritò pertimeſcebat Ezechias populum transferri in alias nationes, Si Sennacherib Regi Aſſyriorum obediret, quia ſciebat populum ex diſperſione in varias gentes poſſe facillimè ad gentium ritus, & deorum cultum tranſire, ſi enim in propria patria commorantes, vix ac ne vix quidem in officio continebantur, multo magis poterant à vero Dei cultu abduci, alibi tranſlati in medio nationum.

His addo, præter periculum ſubuerſionis fidei & Religionis, etiam periculum excidij & exterminij. Nam cum à Salmanaſare Rege Aſſyriorum iam fuiſſent decem tribus è ſedibus propriis expulſæ, iuxta illud 4. Regum c.17. *Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo. Et non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo*, nempe anno quinto Salmanaſaris Regis Aſſyriorum, iam à ſucceſſore eius Sennacherib anno regni eius quinto & quatuordecimo regis Ezechiæ, captis ciuitatibus Iudæ munitis, iuxta illud 4. Regum c. 18. *An. 14. regis Ezechiæ aſcendit Sennacherib Rex Aſſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas, & capit eas.* Sola videbatur ciuitas Ieroſolyma, quæ tantæ potentiæ reſiſteret. Sed, quæſo, quomodo effugere potuiſſet vaſtationem, cum aſcendiſſet Sennacherib, maximis inſtructus copiis, quas non ſolum ex Aſſyria & Media auitis regni ſui ſedibus, ſed ex Babylone quoque (cui tunc imperabat) & Arabia, & ex toto pene Oriente contraxerat? Quas omnes ſi ſemel collegiſſet tandem, & obſediſſet Hieruſalem, illamque cæpiſſet, hoc minimè contigiſſet abſque ingenti clade, & ſtrage ciuium, reliquis in captiuitatem diſperſis. At ecce Deus præſto eſt, qui ex tanto exterminij ſeu excidij periculo populum ſuum eripuit, dum per Angelum in vna nocte centum octoginta quinque millia exercitus Aſſyriorum interfecit.

Hinc Sennacherib reuerſus in Patriam, impietati ſæuitiem & crudelitatem adiunxit. Hoc conjicitur ex Tobiæ c. 1. *Denique cum reuerſus eſſet Rex Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occiderat ex*
A *filiis Iſrael, &c.* Quum enim iram in Deum autorem cladis ſuæ effundere non poſſit; in populum eius (in cuius gratiam tam diro flagello proſtratus fuerat) indignationis ſuæ tela mortifera intorquebat. Ita Salian. an. 3324. n. 17. Quam perſecutionem populi Iſraëlitici in odium Dei ab Aſarhaddon filio fuiſſe continuatam docet idem Salian. an. 3326. n. 5. De Aſarhaddon illud hoc loco notandum, eum male tractaſſe hoc tempore Iſraëlitas in regno ſuo, Patris ſui veſtigiis inſiſtendo, qui, ex quo fuga ſe in Niniue recepit, eos afflixit. Id ſatis intelligitur ex Tobiæ c. 1. & 2. Cum enim dixiſſet poſt mortem Sennacherib Tobiam ſeniorem reuerſum fuiſſe in domum ſuam, omnemque eius facultatem illi re-
B ſtitutam, mox, c. 2. refert Iſraëlitam vnum iugulatum in platea iacuiſſe: *Quem cum ille rapuiſſet vt occultè ſepeliret, dum ſol occubuiſſet, arguebant eum omnes eius propinqui dicentes: iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quàm regem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea.* Vnde intelligitur has cædes non ex priuatorum querelis ortas, ſed publica factas autoritate: quæ etiam ſub pœna capitis ſepulturam illorum prohibebat, volente Rege, præter mortis iniuriam, etiam occiſorum corpora volucribus, & feris abjici inſepulta. Ita Salian. Quæ ſufficiunt, vt crudelitatem in hoc Imperio reperiamus, vt ſit caput
C beſtiæ coccineæ, id eſt, ſanguine eorum, qui Deum colunt, reſperſæ.

Quantum autem ad publicum Dei cultum, certè multum diminitus fuit Dei cultus huius Imperij tyrannide. Cum enim Deus vellet adorari in Hieruſalem, facultas adimebatur populo Iſraëlitico locum hunc à Deo electum adeundi, eo ipſo quo in alienas terras deportabantur, alij exteri in fines & terras populi Iſraëlitici introducebantur. Cuius rei cauſa Deus iram ſuam immiſit in nouos incolas terræ Iſraëlticæ, immittens Leones qui eos deuorabant. *Cumque ibi habitare cæpiſſent, nempe qui de Babylone, & de Cutha & de Anath, & de Emath de Sepharuaim in Samariam fuerant à Rege Babyloniorum collocati,*
D *non timebant Dominum, & immiſit in eos Leones qui interficiebant eos* 4. Reg. c. 17. *Cauſa*, inquit Salian. an. M. 3315. n. 8. *cladis huius, non ſimpliciter tribuenda eſt idololatriæ, ſed idololatriæ, quæ in terra pertinente ad cultores Dei, & quam peculariter Deus ſibi elegiſſet, vt in ea coleretur, exercebatur.* Ita Sal. Ex quo facilè eſt conjicere Aſſyrios Reges populum, à quo Deus coli ſeligerat, in longiſſimas terras transferentes (itaut non poſſent ei cultum reddere in loco à ſe electo) Deo diſplicuiſſe, vt pote qui ſuum cultum Tyrannide ſua (quantum in ſe erat) impedirent. Licèt enim Ieroboam filius Nabath præſidia poſuiſſet in regni ſui limitibus, nequis Ieroſolymam aſcenderet, ea ſuſtulit Oſee vltimus Rex Iſraëlis. Vnde de
E eo dicitur *feciſſe malum coram Domino, ſed non ſicut Reges Iſraël, qui ante eum fuerant.* Quod exponens Chronicum Hebræorum c. 22. ait Oſeam (cum cerneret abductos eſſe ab Aſſyriis vitulos aureos, qui erant in Dan & Bethel) ſuſtuliſſe præſidia, quæ poſuerat Ieroboam filius Nabath in regni ſui limitibus, ne quis Hieroſolymam aſcenderet, ad adorandum ſcilicet ter quotannis Dominum, vt explicat Genebrardus in Achaz. Ita Salian. an. 3305. num 6. Et ex Tobiæ c. 1. cernitur quod licèt omnes irent ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Iſraël; tamen Tobias pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël. Notat tamen Salian. hoc non eſſe ita intelligendum, neminem omniũ præter vnum Tobiam veniſſe Hieroſolymam. *Nam*, inquit, cap. 5. *In textu græco ita loqui-*

Digitized by Google

tur ipſemet. Cognoui ego Ananiam, & Ioanatham filios Semei Magni, quomodo ibamus vna Hieroſolyma adorandum offerentes primogenita & decimas germinum, & errauerunt in errore fratrum noſtrorum. Solus autem iuiſſe dicitur, quia ſæpe ſolus iuit, vt in Græco eſt aut ſolus habitâ ratione magnæ multitudinis adeuntis vitulos. Ita Salian an. M. 3311. n. 6. Et ex actis Ezechiæ patet multos ex tribubus Aſer, Manaſſe & Zabulon adiiſſe Hieroſolymam, vt adorarent. Vnde certum eſt non ita fuiſſe ademptam facultatem Iſraëlitis adeundi templum, vt qui pietate præditi erant & fide, hoc facere non poſſent. Illos igitur ex hac terra in remotiores abducere regiones, quid aliud erat, niſi velle omnino Dei cultum delere, cum auferretur eis facultas adeundi templum Hieroſolymitanum, in quo ſolo Deus volebat ſibi ſacrificia publico ritu offerri? Dum igitur reges Aſſyriorum volunt omnes Iudæos tranſportare, nonne Dei cultum proinde impedire cupiebant, itaut meritò hoc Regnum computetur à nobis inter capita beſtiæ plenæ nominibus blaſphemiæ.

Quantum ad vltimam conditionem, quam requirimus, nempe vt aliquod regnum Dei cultum impediens computetur inter capita beſtiæ, oportet vt eius perſecutio, & vexatio prædicta fuerit; nec huic regno hæc conditio deeſt. Nam de eo Eſaias c. 10. *Væ Aſſur. Virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in manu eius indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam.* Quam prophetiam S. Hieron. interpretatur de Sennacherib. Et Amos Propheta: *Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus.* Qua de cauſa Amaſias ſacerdos Bethel accuſauit Amos apud Ieroboam dicens: *Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſrael. Non poterit terra ſuſtinere, omnes ſermones eius. Hæc enim dicit Amos: in gladio morietur Ieroboam, & Iſrael captiuus migrabit de domo ſua.* Amos c. 7. Denique ex S. Hieron. Eſaias c. 7. tempus deſignat, quo iſta poſt Prophetiam Amos eſſent euentura nempe annis ſexaginta quinque. *Adhuc*, inquit, *ſexaginta quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus.* Et c. 14 tertij Regum. *Percutiet Dominus Deus Iſrael ſicut moueri ſolet arundo in aqua. Et euellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum; & ventilabit eos trans flumen.* Et denique 4. Reg. c. 17. dicitur populum in has calamitates, & perſecutiones incidiſſe, quia non audierat Prophetas, quos ad eum miſerat Deus, vt ambularent iuxta præcepta eius.

Tertium caput beſtiæ eſt Regnum Babylonicum.

ANNOTAT. XIX.

INITIVM habuit hoc Regnum vt vult Salianus, an. M 3324. Ezechiæ Regis Iudæ an. 16. A Merodach filio Baladan, qui Prorex fuerat Babylonè pro rege Aſſyriorum, cui ſuccedens Merodach filius (occaſione immenſæ cladis, quæ res Aſſyriorum proſtrauerat, adiecta morte Sennacherib, & fuga maiorum natu filiorum, & hæredis in firma ætate) ex Prorege, aut certè Rege vectigali, Regem planè agere cœpit, liberumque ſibi regnum contractâ cum aliis Regibus amicitiâ ſtabilire: ſicque diſſoluto Regno Aſſyriorum, per Babylonios & poſtea per Medos initium habuit Regnum Babylonicum, à quo poſtea populus Dei multa paſſus eſt, & Dei cultus oppugnatus fuit. Nam ſi initia huius regni ſpectes (nempe cum Merodach iſte, victo Aſarhaddon Rege Aſſyriorum, Babyloniorum Regnum erexit, itaut quomodo à Principio, ex Babyloniis Imperium Aſſyriorum natum fuerat; ita

A nunc vice verſa, ex Aſſyriorum ruinis, Babylonicum Imperium conſtrueretur,) videbis impietatem caput erigere, & contra Dei veri cultum impudenter inſurgere. Merodach ſiquidem ille eſt, qui in libro Iudith dicitur Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, (quia Reges Babyloniorum ſiue Chaldæorum, etiam Reges Aſſyriorum dicebantur, ex eoquod penes ipſos erat Aſſyriorum imperium eique belli iure ceſſerat) qui nimia arrogantia elatus ex victoria parta de Arphaxad Rege Medorum, pro Deo adorari & coli voluit. Præcepit enim Holoferni vt omnes Deos exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus quæ poſſent Holofernis potentia ſubiugari. Iudith. c. 3. Sed nec
B ab iis diis falſis verum Deum voluit eximi. Nam Achior vero Deo gloriam dante coram Holoferne & Satrapis eius, audi blaſphemiam impiam magnatorum Holofernis: *Vt agnoſcat Achior quoniam fallit nos, aſcendamus in Montana; & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eis gladio tranſuerberabitur, vt ſciat omnis gens quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt Deus.* Iudith. c. 5. Nonne his verbi diuinitatem ipſam armis petebant, & eam exterminare (ſi poſſibile eſſet) intendebant? Nonne hac ratione volebant fidem Dei auellere è cordibus? Et dum Bethuliam obſidet Holofernes, & ab eo obturantur fontes, itaut infantes eorum liquebantur animo, mulieres & iuuenes præ ſiti defi-
C ciebant, atque concidebant in plateis vrbis, portarumque tranſitu, nec ſupererat in ipſis vllum robur: in quantum, quæſo, vitæ diſcrimen deducti ſunt veri Dei cultores? Quin & confidentiæ in Dei prouidentiam & bonitatem defectum paſſos fuiſſe, declarant verba Iudith ad ſeniores. *Poſuiſtis vos*, inquiebat, *tempus miſerationis Domini. Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum, &c.* Quaſi ſi vltra differat, cenſeatur immiſericors. Et certè ſi Deus tam copioſum exercitum non proſtraſſet cum ſuo Duce, meritò timebant filij Iſraël. De quorum timore dicitur, Iudith. c. *Audientes filij Iſraël, qui habitabant in terra Iuda, quæ fecerat Holofernes omnibus ciuitatibus, per quas tranſierat, timebant. Et tremor & horror inuaſit ſen-*
D *ſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis eorum.* Iudith. c. Nam veriſſimile eſt iuxta Imperium Nabuchodonoſor, Holofernem templum fuiſſe euerſurum. Fuit igitur hoc Regnum, etiam ab initio, Dei cultui & honori valde contrarium.

Sed ſi ad tempora magni Nabuchodonoſor veniamus, quantum Dei cultus ab hoc regno nocumenti acceperit, facile eſt videre. Primò, quia *tertio anno regni Ioachim regis Iuda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, etiam & cepit. Tradidit enim Dominus in manu eius Ioachim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei, & aſportauit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum*
E *theſauri Dei ſui.* Quod certè fieri non potuit abſque diminutione ſacrorum, & cultus qui Deo erat in eius templo exhibendus. Hæc fuerunt initia huius principis, qui miſſus fuerat ad hanc expeditionem faciendam, à Paſtore Nabuchodonoſore, ſeu Nabulaſare. Auxit calamitatem, dum rurſus venit Ieroſolymam, anno Ioachimi vndecimo & vltimo, & capto & interfecto Rege florem iuuentutis Hieroſolymitanæ vna cum ipſo rege interfecit. Sed maximè aucta eſt miſeria, dum rurſus Ioachim ſeu Iechonias filius Ioachimi nuper interfecti, qui octo iam annis regnauerat cum Patre, iterum ſolus Nabuchodonoſoris indulgentiâ regnare cœpit, anno decimo octauo, & regnauit tribus menſibus poſtquam ſolus regnare cœpiſſet. Abductus enim fuit in captiuitatem, dicente Nabuchodonoſore, vt refert Chronicum

Digitized by Google

Hebræorum : *E prauo came catulus probus non naſcitur;* dum obſeſſa Ieruſalem egreſſus eſt Ioakim ad Regem Babylonis, qui dum eum habuit in poteſtate, liberum redire non permiſit, ſimulque cum exercitu in ciuitatem ingreſſus, eam pro arbitrio viris, theſauriſque ſpoliauit. *Protulit*, inquit ſcriptura, *inde* Nabuchodonoſor ſcilet *omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus Regis. Et concidit vniuerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Iſraël in templo Domini*, id eſt, vaſa aurea, quæ nuper Ioſias ad eorum ſimilitudinem conflauerat, vt vult Salianus, an. M. 3456. n. 22. Sed cum ex his cultus Dei valde imminueretur, aſportatis vaſis, quæ ſacrificiis ſeruiebant, omnino externus ille Dei cultus in templo fuit ablatus, (contra quem volumus præcipuè hæc ſeptem capita beſtiæ pugnare) dum anno Sedechiæ (in locum Iechoniæ, cuius erat patruus, ſubſtituti) vndecimo, à Nabuzardan duce capta eſt ciuitas, templum ſpoliatum & concrematum. Succendit enim domum Domini & domum Regis, & domos Ieruſalem, & omnem domum magnam ſuccendit igni, vniuerſaque vaſa domus Domini, tam maiora, quam minora, & theſauros templi, & Regis, & principum, transtulit in Babylonem. Ex quibus patet publicum Dei cultum, qui conſueuerat Deo reddi in templo Hieroſolymitano, fuiſſe interciſum, & interruptum, vt patet ex oratione Azatiæ, Danielis 3. *Et non eſt in tempore hoc princeps & Dux, & Propheta; neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam.* Quæ quidem ſatis eſſent, vt hoc Regnum diceretur caput beſtiæ, oppugnantis nempe publicum Dei cultum, exiſtimamus ſiquidem, vt antea diximus, hanc beſtiam ſepticipitem potiſſimùm ſpectandam eſſe in quantum hunc Dei cultum, vel impugnare, vel intermittere, vel delere contendit. At hæc omnia, quæ in loco à Deo electo, nempe in ciuitate Ieroſolymitana, amplius non exercebantur, & alibi ſaltē contempta iacebant, & nihili fiebant propter hanc vexationem tyrannicā Nabuchodonoſoris, ſatis indicant hoc Regnum reponendum eſſe inter capita beſtiæ, ſeu potentiæ, quæ cultum Deo exhibendum delere contendit. Et quamuis hæ omnes clades immiſſæ fuerint ob ſcelera Regum, & idololatriam eorum & plurimorum principum, aliorumque Iudæorum, hoc non impedit quominus (dum ea, quibus à piis & timoratis Deus colebatur, auferuntur per potentiam, & ambitionem Regnum Babyloniorum) hoc Regnum dici non debeat honori diuino & Dei obſequio contrarius & hoſtis, vt meritò inter capita beſtiæ reponatur.

At vis videre impietatem ſeſe contra Deum extollentem? Ad ſtatuam illam auream iſtius Nabuchodonoſoris oculos tuos conuerte, quam erexit, vt ipſe adoraretur in ſtatua, vt ait S. Hieron. *Velox obliuio veritatis, vt qui dudum ſeruum Dei quaſi Deum adorauerat, nunc ſtatuam ſibi fieri iubeat, vt ipſe in ſtatua adoretur.* Ita Hieron. Et, vt ait S. Chryſ. hom. 4. in Mattheum, *ſtatuam erexit à ligno, & mortua corporis imagine, magnam ſcilicet famam aucupaturus, ac viuus à re non viua claritatem mutuaturus.* Ita Chryſ. Quid magis impium, quàm velle adorari in ſtatua, vt Deum, clamante valenter præcone: *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & Pſalterij, & Symphoniæ, & vniuerſi generis Muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex.* Quid dicam de voce hac? Verè eſt beſtiæ, plenæ nominibus blaſphemiæ, ad tres pueros eam non adorantes. *Quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Taceo de Balthazaris huius Nabuchodonoſo-

A ris nepotis impietate, qui in conuiuio iam temulentus præcepit vt afferrentur vaſa templi, vt biberent in eis Rex & optimates eius, vxoreſque eius, & concubinæ, hymnos & laudes Deorum ſuorum decantantes. Taceo de idolo Bel, de adoratione Draconis, quæ omnia ſatis indicant impietatem thronum ſuum apud Babylonios collocaſſe, & ſuper beſtiam plenam nominibus blaſphemiæ ſtetiſſe.

At in quantum periculum incidit Religio, & pietas, vt ab omnibus deſereretur, niſi Deus ſuccurriſſet miraculis, ſiue dum tres pueri in fornacem ignis immittuntur, ſiue dum Daniel in lacum Leonum iniicitur? Cuius enim fides non titubaſſet, ſi pueri fuiſſent ignibus conſumpti, ſi Daniel fuiſſet à Leo- B nibus dilaceratus ob confeſſionem veri Dei præſertim in tanta populi in captiuitate poſiti erga idolorum cultum propenſione? At Deus tanto occurrit pietatis ac religionis diſcrimini, vt ex hiſtoria patet, liberando pueros de camino ignis, Danielem de lacu Leonum. Rectè ſiquidem S. Chryſ. homil. 4. in Mattheum: *Mos ſiquidem*, inquit, *Dei eſt iſte, vt cum mala ad cumulum ſuum venerint, cumque viderit grauiter & ſuos affligi, & aduerſarios tyrannide contra ſe impietatis, vel potius mentis ebrietate bacchari, tunc diuinitatis ſuæ potentiam per ſigna declaret: quod etiam propter Iudæos in Babylone legitur impleſſe.* Ita Chryſoſtomus.

Sed deſideras Martyres fieri ab hac beſtia. Certè C non deſunt. Optimè enim Cornelius à Lapid. in c. 3. Danielis, tres pueros probat eſſe Martyres, imo Martyrum quaſi primitias, quia poſtpoſuerunt verbum Regis legi Dei, ſcientes oportere Deo magis obedire, quàm hominibus; item & Danielem eſſe Martyrem, qui ſimili de cauſa miſſus eſt in lacum Leonum duabus vicibus, licèt inde à Deo ſit ereptus. Adde eos qui in euerſione ciuitatis Hieroſolymitanæ. Bonis fuerunt ſpoliati, patria eiecti, crudeliter interfecti, qui tantæ cladi cauſam non dederant: nec enim probabile eſt in tanta corruptione morum aliquos non fuiſſe, imo probabiliſſimum eſt multos extitiſſe, veri Dei cultores, qui ab impiis Babyloniis in odium Religionis malè fuerunt habi- D ti, & contumeliis, ac variis vexationibus afflicti, dicentes: Vbi eſt Deus veſter, in quem ſperabatis? Veniat, & eruat vos de manu noſtra. Tales fortè extiterunt Elnathan, Dalaias, & Gamarias, qui contradixerunt Regi, ne combureret librum Ieremiæ. cap. 36. Nec deeſt etiam Prophetia tantæ calamitatis, vt facile eſt videre ex c. 34. Ieremiæ & c. 35. & 36. & 37. & 38. Ad caput quartum beſtiæ veniamus.

Quartum caput huius beſtiæ eſt Antiochi Epiphanis Tyrannis.

ANNOTAT. XX.

E IMPERIO Perſarum tandem ab Alexandro deleto, & morte Darij planè proſtrato, poſt mortem Alexandri Regnum eius contritum eſt, & in quatuor potiſſimùm partes diuiſum eſt. *Factum eſt*, inquit Daniel, *cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli.* Taceo diſtributionem huius Regni in decem prouincias, de qua Q. Curtius lib. 10. Cui conſonant hæc ſcripturæ verba, lib. 1. Machab c. 1. *Et obtinuerunt pueri eius. Regnum vnuſquiſque in loco ſuo. Et impoſuerunt ſibi omnes diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos annis multis.* Sed omiſſis aliis, duo præcipuè Regna in ſcriptura memorantur, Syriæ, & Ægypti, quorum illud Regnum Aquilonis & Græcorum, hoc Regnum Auſtri appellatur. Quod autem attinet ad Regnum

Digitized by Google

Syriæ Aquilonis, ſeu Græcorum dictum fuit Græcorum Imperium, non quia Græcia aut aliqua eius vrbs Imperij ſedes fuerit, vt Niniue Aſsyriorum, Babylon Chaldæorum, Ecbatana Medorum, Perſepolis Perſarum, & Roma Romanorum; aut quia omnes eius principes græci fuerint; ſed quia ab homine Græco partum, Alexandro videlicet, ad Principes græcos transfuſum, apud eos ad annos plurimos propagatum eſt, donec à Romanis euerſum ſuccubuit, eorumque armis & potentiæ ceſſit.

Poſt mortem autem Alexandri, exordium Regni Græcorum fuit per Seleucum, cum recuperata Babylone Dominari cæpit, an. M. 3743. vt vult Salianus. Ab hoc Imperio multa mala perpeſsa eſt Religio, & diuinus cultus pene fuit extinctus: vt meritò hoc Regnum inter capita beſtiæ ſit computandum. Ex iſto enim Seleuco ortus eſt Antiochus ille Epiphanes, qui ante Chriſti Domini aduentum, fuit Anti Chriſti (poſt Chriſti aduentum in carne futuri) vera effigies. In quo certè omnes capitis beſtiæ, id eſt, potentiæ alicuius contra Deum ſeſe extollentis, & publicum veri Dei cultum exterminare contendentis, conditiones facilè inuenies. De eo ita S. Hieron. in Danielem: *Conſurget Antiochus Epiphanes, frater Seleuci, qui & Philopater appellatus eſt, qui cum obſes fuiſſet Romæ, & neſciente ſenatu per dolum cepiſſet Imperium, contra Ptolomæum Philometorem dimicauit, hoc eſt, contra meridiem & Ægyptios; rurſumque ad orientem contra eos, qui res nouas in Perſide moliebantur; ad extremum contra Iudæos dimicans, captâ Iudæâ ingreſſus eſt Hieroſolymam, & templo Dei ſimulacrum Iouis olimpij ſtatuit & vſque ad fortitudinem cæli, id eſt, filios Iſrael, qui Angelorum vallabatur auxilio, duxit magnificentiam ſuam; itaut de ſanctis plurimos idololatriæ ſubiecerit, & veluti ſtellas cæli conculcaret pedibus ſuis. Atque ita factum eſt vt veritas proſterneretur in terra, & cultu idolorum florente, Dei religio acquieſceret.* Ita Hieron. Nonne in his S. Hieron. Verbis, vides impietatem regnantem, fidei ſubuerſionem, populi Dei vaſtationem, diuini cultus abolitionem, iuſtorum perſecutionem: quæ omnia à Daniele prædicta reperiuntur in his verbis. *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget impudens facie, & intelligens propoſitiones. Et roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis; & ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum ſanctorum, ſecundum voluntatem ſuam dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos. Et contra principem principum conſurget.* Quæ omnia S. Hieron. Ex loco citato, de Antiocho dicta intelligit. Et ex libris Machabæorum ſatis ſuperque videri poſsunt veriſſima. Viſne in eo impietatem cernere? *Templum ingreſſus, ſceleſtis manibus ſumens ſancta vaſa* 2. Mach. 6. *contrectabat indignè, & contaminabat altare aureum, candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa, & menſam propoſitionis, libatoria, & phialas, mortariola aurea, velum cortinæ, & ornamentum aureum: comminuit omnia, & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam. Inſuper iuſsit contaminari quod Hieroſolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij, &c. Ædificauit Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei.* 1. Mach. 1.

Vis periculum religionis & fidei? *Scripſit Rex Antiochus omni regno ſuo, vt eſſet omnis populus vnus, & relinquet vnuſquiſque legem ſuam. Et miſit Rex ſenem quemdam Antiochenum, qui compelleret Iudæos vt ſe transferrent à patriis & Dei legibus?* Vis videre publicum Dei cultum interdictum. *Tulit iuge Sacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius libros legis combuſſerunt igni, ſcindentes eos. Et apud quemcumque inueniebantur libri teſtamenti Domini, & quicumque obſeruabant legem Domini ſecundum edictum legis, trucidabant*
A *eum. Vnde multi ex Iſrael conſenſerunt ſeruituti eius, & ſacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt Sabbathum. Sic prohibita ſunt ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei, celebrationes Sabbathi & dierum ſolemnium: ædificata delubra, immolatæ carnes ſuillæ, abrogata circumciſio, itaut obliuiſcerentur legem, & immutarent iuſtificationes Dei.*

Vis ſæuitiem & crudelitatem? *Ingreſſus in vrbem iuſsit Antiochus militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendentes trucidare eos. Fiebant ergo cædes iuuenum, ſeniorum, mulierum, natorum exterminia, virginum & paruulorum neces. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* Quæ fiebant non tantum ex auaritia & malitia, ſed ex odio etiam in Iu-
B dæorum religionem, quam extinguere cupiebat, vt patet ex Martyrio ſenis Eleazari, & ſeptem fratrũ, & matris eorum; itaut de Antiocho benè dixerit ſanctus Hieron. *Sicut Saluator habet Salomonem, & cæteros ſanctos, typum aduentus ſui; ſic & Anti-Chriſtus peſſimum regem Antiochum, qui ſanctos perſecutus eſt, templumque violauit, rectè typum ſui habuiſſe credendus eſt.* Ita Hier. Hæc autem mala à Daniele prædicta fuerunt; & ſic in hoc regno omnes conditiones beſtiæ reperiuntur. Ad 5. caput veniamus.

Quintum caput beſtiæ, imperium Romanum Ethnicum.

C ANNOTAT. XXI.

QVOMODO hoc Imperium inter capita beſtiæ non reponeretur, cum quidam velint beſtiam ipſam ſolum iſtud Imperium deſignare, & ſeptem eius capita ſeptem Imperatores iſtius Imperii ſignificare? Ita Victorinus. *Intelligi*, inquit, *oportet tempus, quo ſcriptura Apocalypſis edita eſt, quoniam tunc erat Cæſar Domitianus; ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Veſpaſianus Pater, Galba, Otho, & Vitellius. Hi ſunt quinque, qui ceciderant. Vnum extat, ſub quo ſcribitur Apocalypſis, Domitianus ſcilicet. Alius nondum venit. Neruam dixit. Et cum venerit, breui tempore erit: biennium enim non impleuit. Et beſtia, quam*
D *vidiſti*, inquit, *de ſeptem eſt: quoniam ante iſtos regnauit Nero, &c.* Sed vnus pro hac ſententia Alcazar ſit inſtar omnium, qui in cap. 13. diſputatione de totius capitis argumento §. 5. beſtiam marinam probare contendit eſse Imperium Romanum, & in cap. 17. In commentario verſ. 4. & 5. vult belluam, in qua mulier reſidet, eamdem eſse cum maris beſtia, quæ cap. 13. deſcripta eſt; & vtrobique ſignificari Romanum Imperium idololatriæ deditum, ſiue Romanum orbem idololatram, quem Roma Ethnica lege & imperio adminiſtrabat. Ita Alcazar. item docet non omnes Imperatores Ethnicos conſiderari tanquam beſtiæ huius capita, ſed eos dumtaxat, qui peculiare Eccleſiæ bellum indixerunt: qui qui-
E dem aptè reducuntur ad ſeptem, vt videre eſt apud ipſum.

Quidquid ſit, certum eſt ad minus Romanum Imperium Ethnicum vnum caput beſtiæ huius conſtituere; cuius hiſtoria de oppugnatione Chriſtianæ Religionis ſatis nota eſt & manifeſta, vt in longiorem ſermonem res non protrahi debeat. Quis enim neſcit impietatem à tanta potentia fulcitam magnâ audaciâ in Chriſti Religionem inſurrexiſse? Quis non periculum ſubuerſionis fidei excidium Religionis non videat, propter graues perſecutiones quas ab hoc Imperio paſsa eſt Eccleſia? Quis enumerare poſſet Martyres, qui ſanguinem ſuum effuderunt pro tuenda fide, ſæuiente in eos hoc potenti Imperio? Quis non videat publicum Dei cultum ab hoc Imperio ſæpiùs fuiſse interdictum, vt crimen eſset capitale

Digitized by Google

capitale profiteri ſe eſſe Chriſtianum? Teſtes ſunt huius interdicti, Cryptæ & loci ſubterranei, in quibus Chriſtiani ſimul conueniebant, quia in aperto ſimul conuenire non audebant. Quæ omnia Chriſtus Dominus prædixerat. *Tradent enim vos in conciliis ſuis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ante Reges & præſides ducemini propter me, in teſtimonium illis & gentibus.* Itaut nulla ex conditionibus requiſitis, vt aliquod Imperium computetur inter capita beſtiæ, huic Imperio deſit.

Sextum caput beſtiæ eſt Imperium Turcicum.

ANNOTAT. XXII.

DOCTISSIMVS Feuardentius Minorita, in ſuis annotationibus, in 5. lib. S. Irenei aduerſus hæreſes, duodecim coniecturis probat Mahometum vel ipſum definitè & verè Anti-Chriſtum, vel illius Regni ſaltem maximum ac ſtudioſiſſimum conditorem eſſe; vt non mirum cuiquam videri debeat, ſi iſtud imperium inter capita beſtiæ computemus à quo tot blaſphemiæ & impietates in ſanctiſſimam Trinitatem, in Chriſti incarnationem euomuntur: cui nihil tam gratum, quàm ſi Chriſtianum cogat fidem Chriſtianam deſerere, & ad impietatem Mahumeticam amplectendam tranſire. Teſtis eſt autor libri, de Moribus Turcarum, cuiuſdam captiui, in quo, cap. 3. hæc reperies. *Iſta malitioſa ſecta, non cum violentia, ſed longi temporis conſuetudine voluntatis libertatem auſert, firmitatem frangit cordis, conſtantiam vincit, & in tantam cæcitatem perducit rationem hominis, vt fidem (pro qua paratus erat mori) poſtea infectus & deuictus turpiter negare cogatur.* Hæc Ille. Nec cuiquam hoc ignorare licet, adeo hoc eſt manifeſtum, inueteratum in Chriſtianam Religionem odium; nemini licere apud eos contra tam impiam ſectam verbis contendere, vi ac armis, non ratione illos ſuam ſectam, & doctrinam introducere aut defendere; plurimos eis viam veritatis aperire deſiderantes, vel Chriſti fidem publicè profitentes morte affeciſſe, & nobili coronaſſe Martyrio. Et de Mahumeto Feuardentius vult iſtam Saluatoris prædictionem eſſe intelligendam: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Et reuera Mahumetem Iudæi receperunt in initio, eumque exiſtimarunt Meſſiam & liberatorem, vt refert Paulus Diaconus; quin & Vatablus Mahumetem ſeu imperium Turcicum deſignari vult in illo cornu, è medio cornuum Beſtiæ terribilis à Daniele deſcripta (in qua Romanum præfiguratur imperium) exurgente, ſeu egrediente. Et reuera in eo Anti-Chriſti imperium fundari videtur, id eſt, ipſius Anti-Chriſti Tyrannis figuratur. Nam ſicut Anti-Chriſtus futurus eſt vindex omnium Regum Chriſtianorum, qui à fide Catholica, & obedientia Eccleſiæ præſtanda diſcedent, ita iam Mahumetes venit, vt imperij orientalis à Romana ſede reiteratas defectiones vindicaret. Ciuitas autem illius imperij præcipua ſedes, eſt noua Roma, id eſt vrbs Conſtantinopolitana: quod congruit expoſitioni.

Vltimum caput beſtiæ eſt Anti-Chriſtus.

ANNOTAT. XXIII.

EXTOLLETVR ſupra id omne, quod dicitur Deus, Anti-Chriſtus; multorum fidem ſubuertet: omnem Dei cultum publicum auferet: fideles crudeliter vexabit. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet. Et*

A *niſi breuiati fuiſſent dies illi non fieret ſalua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Matt. 24. De illa & Prophetæ & Euangelium, & ſanctus Paulus, & S. Ioannes in hac reuelatione iuxta multorum autorum & Doctorum expoſitiones, multa prædicunt: vt dubium non ſit illum inter capita beſtiæ eſſe computandum, & vltimum illius caput conſtituere, vt ex ſequentibus patebit.

Alia expoſitio. De ſeptem capitibus beſtiæ, nempe per Reges, ſecula ſe inuicem ſubſequentia (in quibus diuerſimodè oppugnata fuerit Eccleſia à Reprobis) eſſe intelligenda, expenditur & explicatur.

B

ANNOTAT. XXIV.

EA fuit expoſitio B. Hyppoliti apud Andream Cæſarienſem, *per hoſce Reges ſecula eſſe accipienda, è quibus quinque iam præterierunt; ſextum, in quo Apoſtolus hæc vidit, adhuc decurrit; ſeptimum autem, vt ille opinatur, poſt elapſa ſex annorum millia tandem ſe prodet. Vbi autem ſeſe prodiderit parum durabit.* Ita Andreas Cæſar.

Hanc ſententiam videtur ſequi Ambroſius, dum per ſeptem capita draconis & beſtiæ, intelligit reprobos, qui in diuerſi ſeculorum temporibus extiC terunt. Per primum caput, reprobos ante diluuium; per ſecundum, reprobos poſt diluuium, ante legem; per tertium eos qui poſt legem datam populo Dei idola colere ſuadebant; per quartum falſos Prophetas & reges impios, à quibus populus deceptus in varia incidit peccata, propter quæ in captiuitatem fuit abductus; per quintum, Iudæos, qui Chriſtum perſecuti ſunt; per ſextum, Eccleſiæ perſecutores; per ſeptimum, Anti-Chriſtum. Sic enim in vnoquoque capite aliquas ætates aut ſeculorum decurſus ſibi inuicem ſuccedentes intelligit, quamuis inæqualiter pauciores aut plures annos hæc ætatum diſtributio complectatur.

Cornelius à Lapide has ætates ſeu hæc ſecula, in D quibus iuxta diuerſas periodos temporum, varias expecta eſt Eccleſia vexationes; ſeu in quibus decurrunt perſecutiones Eccleſiæ, quæ à diuerſis tyrannis excitatæ fuerunt, ita deſignari oportere aſſerit, vt primum ſæculum ſit ab Adam vſque ad Noe, in quo primus Rex ſit Cain, cum omnibus gigantibus, aliiſue optimos quoſque perſequentibus. Secunda ætas ſit à Noe vſque ad Abraham, in qua ætate fuit Nemrod. Tertia ætas ab Abrahamo vſque ad Moyſen, in qua reperiuntur pietatis hoſtes, reges Sodomorum, & Pharao Aegyptius. Quarta ætas à Moyſe vſque ad captiuitatem Babylonicam, in qua reperiuntur impij Reges, qui ſiue in Iude, ſiue in Samaria, ſceptra tenuerunt. Quinta ætas eſt à captiuiE tate Babylonica vſque ad Chriſtum, in qua Nabuchodonoſor, & Reges Aſſyriorum & Syriæ, & Antiochus Epiphanes. Sexta ætas à Chriſto vſque ad aduentum Anti-Chriſti, in qua reperiuntur Imperatores Ethnici, Saraceni, Turcæ, & alij Eccleſiæ perſecutores. Vltimam Anti-Chriſtus complebit. Quarta ætas conſignatur à Richardo, à Moyſe, vſque ad Dauid, in qua reperiuntur Balaam, Balac, Moabitæ, Idumæi, Philiſthini. Quinta autem ætas, à Dauid vſque ad Chriſtum. Sed ſi quam habeat hæc exponendi ratio veritatem, aliter, vt puto, deſignandæ ſunt illæ ætates, & per certas Epochas, id eſt, certas notas, fixas atque conſtantes, à quibus plures anni deinceps decurrentes notantur, deſignari debent. Et ſic ætates illas ego conſigno, primo ab Abraham vſque ad Moyſem. Secundò, à

Digitized by Google

Moyſe vſque ad Ezechiam 3. ab Ezechia vſque ad Zorobabel. Quarta à Zorobabel vſque ad Auguſtum Cæſarem : ſub cuius Imperio Chriſtus Dominus natus eſt. Quinta ab Auguſto vſque ad Conſtantinum magnum. Sexta à Conſtantino magno vſque ad Anti-Chriſtum. Septima ab Anti-Chriſto vſque ad conſummationem ſeculi.

Tria ſiquidem equiro , vt aliqua ætas, ſeu aliquod ſeculum deſignetur , vt ſub eo reducamus perſecutiones , aut tyrannicas vexationes , quas perpeſsa fuerit Eccleſia. Primùm neceſse eſt vt Regnum aliquod ſenſibili ratione incipere ſtabiliri ſeu vt aliquis exercitus ſenſibiliter & perceptibiliter congregari , & in ſtatione poni videatur, antequam concipiamus aliud Regnum ei opponi , aliumue exercitum ad alterum oppugnandum comparari. At , vt verum fateamur ſemper Eccleſia fuit viſibilis , & ante legem datam , & ante etiam Abraham natam. Qui enim ante Abraham erat Deus , antequam ille exiſteret , coli debebat & adorari. Quam Eccleſiæ viſibilitatem ante legem ex inſtituto dilucidè demonſtrauit R. P. Iacobus Balducus Capucinus , in libro de Eccleſia ante legem. At aliud eſt aſserere Eccleſiam eſse viſibilem , aliud eſt illam videre in ſuo ſplendore emicantem : quem quidem aſsequî non debebat , niſi poſt Chriſti aduentum, vt ex Prophetia Eſaiæ c. 54. & cap 60. & ex cap. ſecundò , Danielis conſtat, vbi expreſsè dicitur : *In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum , quod in æternum non diſſipabitur , & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc : & ipſum ſtabit in æternam.* Quod de temporali Chriſti regno in terris intelligitur , id eſt , de regno ſpirituali , quod in terris obtinet per fidem & gratiam , & in cælo conſummabitur per gloriam. Vnde conſumit omnia regna , non ſolùm quia in fine mundi , puta in die iudicij, deſtruet perfectè & plenè omnia regna mundi ſed mox à ſuo ortu illa comminuit ; non quoad terrenum Dominium , ſed quoad myſticum & ſpiritale , quo per idololatriam hominibus dominabantur , eoſque dæmoni, & pœnis æternis mancipabant. *Quod eſt enim eius Regnum* , vt ait Auguſt. tract. 115. in Ioann. *niſi credentes in eum , quibus dicit : De mundo non eſtis , ſicut & ego non ſum de mundo*. Et paulo poſt : *Hoc eſt enim regnum eius vſque in finem ſeculi, habens inter ſe commixta Zizania vſque ad Meſſem. Meſſis enim eſt finis ſeculi , quando Meſſores venient , id eſt Angeli , & colligent de regno eius omnia ſcandala. Quod vtique non fieret, ſi regnum eius non eſſet hic.* Ita Auguſt. Huius regni igitur ſplendor non erat futurus in tempore Synagogæ , ſed poſt Meſſiæ aduentum incipiendus , & in futuro perficiendus. Vnde dicit Daniel : *in æternum ſtabit.* Nec ita huius Regni ſplendor ſpiritalis futurus eſt , vt nullus emineat in eo ſplendor temporalis : nec enim cap. 60. Iſaiæ poteſt ita myſticè , intelligi , vt in eo claris & diſtinctis verbis non videamus externam etiam Eccleſiæ ſplendorem prædici , vt notauit Cornelius à Lap. in hunc verſum c. 60. Iſ. *Pro ære afferam aurum , &c. Porro* , inquit , *hæc tam propriè accipienda ſunt : exaggerat enim opes , & ſplendorem externum Eccleſiæ.* Hoc Regnum in tanto ſplendore futurum conſiderare debemus à tempore quo promiſsum fuit. Dicimus autem, & verum eſt , nullam extare promiſſionem , ex qua Eccleſiæ reiiciendus ſit ſplendor, aut honor, vel dignitas aliqua niſi ab eo inſtanti quo promiſsus eſt Chriſtus. Benedicendæ erant omnes gentes , & caput Angelorum & hominum , Rex Regnum , & Dominus dominantium erat in perpetuum regnaturus. At Abrahæ facta eſt hæc Meſſiæ ſolemnis promiſſio , & datum fuit illi ſignum circuncisionis , quo ab aliis nationibus , & gentibus eius poſteritas erat

A diſcernenda : quæ ad ſpecialem profeſſionem fidei in Chriſtum ab hoc tempore obligata fuit. Credere enim debebant Abrahæ poſteri adimpletionem huius prophetiæ : *In ſemine tuo* , id eſt , in Chriſto , vt Apoſtolus hunc locum interpretatur , *benedicentur omnes gentes.*

Secunda condito requiſita vt fiat diſtinctio inter hanc vel illam ætatem, hoc vel illud ſæculum, & deſignari poſſint diuerſæ Epochæ , ſeu diuerſæ temporum periodi , eſt vt aliqua inſignis fiat rerum mutatio , qua vel aliquid ad progreſſum vel conſummationem illius ſplendoris Eccleſiæ conducens eueniat , vel aliquod inſigne impedimentum, quo retardetur aut oppugnetur , obueniat.

Tertia conditio , vt ille rerum mutationes in iſtis B aut illis ætatibus vel ſeculis euenientes , iam antea fuiſsent à prophetis præuiſæ , itaut in his ſeculis eueniant , quæ vel pro felici huius ſplendoris progreſsu erant prædicta , vel quæ illum felicem ſucceſsum impedire debebant. His præſuppoſitis , primò dicendum occurrit nobis iſtas ætates tantùm ab Abraham eſse incipiendas ; Secundò , Epochas illarum ſumendas , & conſtituendas eſse , ſeu diſtinguendas , ſicuti iam diximus ab Abraham ad Moyſem , à Moyſe ad Ezechiam , & cætera , vt iam tetigimus , & mox videbimus.

C *Ætates , quas quidam putant ſeptem capita eſſe beſtiæ , ab Abraham ſunt incipiendæ.*

ANNOTAT. XXV.

PRÆSVPPONENDVM hîc hanc prophetiam continere potiſſimùm inſigniores euentus in Eccleſia futuros , non iuxta quemlibet ſtatum ſpectatâ Eccleſiâ , ſed in ſtatu Chriſtianitatis conſtitutâ. Hinc pertractare debuit ea , quæ impedire potuerunt ne fundaretur ; qualia ſunt ea quæ populum , è quo Meſſias erat oriundus, exterminare poterant : nam licèt Chriſtus ex alia gente potuiſset naſci , & propter peccata gentis Iudaicæ , Deus mutare ſententiam potuiſſet , (non quia in ſe ſit mutabilis , ſed D mutare dicitur ſententiam , dum iuxta mutationes in creaturis repertas , contrarios iuſtitiæ aut miſericordiæ producit effectus ,) tamen viſus non fuiſſent ſtare promiſſis , ſi ex alia natione ortum duxiſſet Chriſtus. Vnde irato Domino contra populum , & dicente Moyſi , Exodi 32. *Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit : Dimitte me , vt iraſcatur furor meus contra eos , & deleam eos : faciamque te in gentem magnam.* Hanc Dei pollicitationem Abrahæ factam iræ Dei Moyſes oppoſuit dicens : *Quieſcat ira tua , & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham , Iſaac & Iſraël , ſeruorum tuorum , quibus iuraſti per temetipſum dicens : Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli ; & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum,* E *dabo ſemini veſtro , & poſſidebitis eam ſemper.*

Pertractare etiam hæc prophetia debuit ea , quæ poſtquam Eccleſia fundata fuit à Chriſto ex Abrahamo orto , eius progreſſum impedire potuerunt. Hinc non alienum eſt ab eius propoſito , ſi perſecutiones contra iſtum populum à dæmone inuido ſuſcitatas , ante Chriſti aduentum , tangat ; aut de eis aliquid pertractet , aut ſaltem ad eas in memoriam reuocandas nobis aliquod ænigma proponat , ab eo tempore videlicet , quo factæ ſunt de Chriſto promiſſiones ; ſicut etiam ſub eodem ænigmate futuras poſt aduentum Chriſti perſecutiones deſignat. Et hac de cauſa ab Abrahamo incipio , non ſolùm quia à Noe vſque ad Abraham nullam Monarchiam videmus , à qua Dei cultores & adoratores fuerint attriti perſecutionibus (fuit ſiquidem , vt vidimus ,

Digitized by Google

Nemrod potiùs ambitioſus, quàm diuini cultus hoſtis & aduerſarius (ſed etiam quia congruum, quin & oportet, vt ab eo tempore incipiamus, à quo factæ ſunt promiſſiones; vt magis eluceſcat, quomodo diabolus Chriſti Domini ſit inimicus, qui perſecutiones contra gentem & familiam, è qua oriundus eſſet Chriſtus, concitare ſtuduit, vt illam deleret ſi fieri poſſet, ſtatim atque ſcire potuit è qua gente aut familia eſſet reuera ex Dei pollicitatione, & ſpeciali pacto oriundus. Hinc & odia finitimarum gentium contra hanc gentem excitauit: hinc vt variis contaminaretur ſceleribus, & iram Dei contra ſe ſuſcitaret, qua potuit induſtriâ ſategit.

Dico igitur primam ætatem incipiendam eſſe ab Abrahamo: quia Illis vt ait Paulus ad Galatas c. 3. *Dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, in ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno: Et ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Semen Abraham, cui dictæ ſunt promiſſiones*, inquit Claudius Altiſiodorenſis, *Chriſtum dicit Apoſtolus, hoc eſt, omnes Chriſtianos, fidem imitantes Abrahæ: quos ad ſingularitatem redigit, commendando quod non dictum eſt, Et ſeminibus, ſed, Semini tuo, quia vna eſt fides; & non poſſunt ſimul iuſtificari, qui viuunt ex operibus carnaliter, cum his qui viuunt ex fide ſpiritualiter.* Ita Claud. Ex quo habemus promiſſiones ad Abraham factas non terminari ad ſolam Chriſti perſonam, ſed etiam vſque ad corpus eius myſticum extendi. Vnde non mirum ſi dæmon in Eccleſiam rabiem ſuam exercuerit, ſimul atque in promiſſionibus Abrahæ factis præſentire potuit ad quantam gloriam eueheretur Eccleſia in nomine Chriſti congregata, itaut eum calcare, & pedibus conterere poſſet, iuxta illud Luc. 10. *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit*; & illud votum S. Pauli, *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.* Ad Rom. c. 16. Initium igitur Eccleſiæ Chriſtianæ fuit promiſſio facta Abrahæ, cui fundamentum Eccleſiæ, præter quod aliud poni non poteſt, nempe Chriſtus promiſſus eſt. Fuerat quidem fides in Chriſtum neceſſaria etiam ante Abrahami tempora, non tamen explicita fuit omnibus & ſingulis neceſſaria in qualibet temporum differentia, implicita ſufficiebat. In prima mundi ætate explicitam habuerunt inſigniores patres, vt Adam, Seth, Enos, Noe, & alij: ſed ad hanc habendam omnes non tenebantur, quibus credere explicitè ſufficiebat Deum eſſe & inquirentibus ſe remuneratorem exiſtere. Sed cũ Eccleſia ſit quaſi aurora conſurgens in ſuo initio, in lumine proficiẽs in ſuo progreſſu, vt ſit pulchra tãquã luna plena: & tandẽ perfecta in lumine à Chriſto edocta, qui ei omnia, quæ audiuit à patre, notificauit, appareat ſole amicta. Hinc factum fuit vt quæ in initio ſeculorũ fuit tanquã ſtella matutina in medio nebulæ, paulatim irradiare cœperit fulgidiùs, dum per Abrahã reuelatione myſterij incarnationis, didicit & Chriſtum incarnandum, & ex Abrahami ipſius ſtirpe oriundum: quod tunc reuelatione iſta accepta explicitè credere, & confiteri, & ſperare oportuit. Fuerit itaque Eccleſia ſemper viſibilis, neceſſaria fuerit etiam fides in Chriſtum, ſaltem implicita; Explicita reperta ſit inſignioribus fide & pietate viris; negari tamen non poteſt Deum diſtinctiùs, & apertiùs voluntates ſuas ac conſilia à ſeculis abſconditas aperuiſſe Abrahæ, dum de Meſſia futuro ex tua poſteritate oriundo illam certiorem fecit. Vnde factum eſt vt aduerſarius gloriæ ſuæ ſtatuerit apud ſe voluntati diuinæ contraire, & effectum tanti conſilij, ſi poſſet, impedire, & Chriſtum in progenitoribus ſuis perſequi, & ſi potuiſſet in lumbis Patrum extinguere; dum ſtirpem Abrahæ, id eſt Iſraëlitas,
A delere voluit, *quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.* Rom. 9. Magna huius populi commendatio, eſſe filios Dei adoptatos per fidem & gratiam: magna gloria ſingulari diuinæ bonitatis frui ac pollere præſentia: inſigne cum Deo familiaritatis indicium, pactorum & promiſſionum Dei fieri particeps: ſingulare beneficium, ab eo inſtitui de doctrina vitæ, quæ in lege eſt, & de vera colendi Deum ratione. Ingens conſolatio, vitam pro fide & obedientia mandatis Dei exhibita, ſperare æternam. Dignitas immenſa, genus ducere ex ſanctis
B Patribus, Deo charis & amiciſſimis. Sed nonne omni commendatione digna, omni gloria maior, omni alia conſolatione dulcior, omni nobilitate altior fuit illa dignatio, illa gloria, illa charitas, illa liberalitas, illa conſolatio, illa nobilitas, qua illo populus nobilitatus fuit, dum ex ea gente Chriſtus Dominus naſci voluit? O verè nobiles & beatos Iudæos, ſua ſi bona nouiſſent! Non mirum ſi dæmon, qui Chriſti mortem ab initio ſeculi per inuidiam meditabatur, tanto odio proſequutus ſit illum populum, ex quo didicit ab eo oriundum eſſe Chriſtum. Chriſtus ſiquidem dicitur occiſus ab origine mundi, non ſolùm quia æternum eſt decretum de eius morte pro reſtauratione & reparatione generis
C humani, non ſolùm quia eius mors figurata fuit in morte Abel innocentis, ſed etiam quia ſtatim atque eius incarnatio propoſita fuit per reuelationem diabolus apud ſe ſtatuit illius machinare mortem, quem videbat morti obnoxiam aſſumpturum fore naturam. Quo concepto ſemel odio, vt vidit Abrahæ promitti quod in ſuo ſemine, id eſt Chriſto, benedicerentur omnes nationes, cœpit quod decreuerat moliri, & cum Eccleſia ex hoc populo coadunata impenſiùs & fortiùs dimicare, & non tantùm cum iis belligerare ſeu bellum gerere, qui ex ſemine ſunt Abrahæ ſecundum carnem, ſed cum iis qui reputantur in ſemine per fidem, & ſunt filij promiſſionis. Ab Abrahæ promiſſionibus incipiamus. Nunc
D quomodò rectè aſſignauerimus diuerſitates ſeculorum quæ ſeptem capita conſtituunt, videamus.

Qua ratione ſeptem capita conſtituant ſeptem ætatum diuerſitates, quæ ab Abrahamo incipiunt.

ANNOTAT. XXVI.

A Moyſe incipienda alia temporum periodus, quia alius ab eius tempore futurus eſt rerum populi Dei & Abrahami poſteritatis ſtatus, in populi Iſraëlitici à ſeruitute Aegyptiorum liberatione, & huius promiſſionis à Deo Abrahæ factæ, quæ loco fuit Prophetiæ futurorum, dum reuelata ei fuit
E hæc populi manſio & captiuitas in Aegypto futura. *Veruntamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo. Et poſthac egredientur cum magna ſubſtantia.* Geneſ. 15. Quæ quidem omnia Eccleſiam ſub nomine Chriſti poſt ſuum aduentum congregatam reſpiciunt: neceſſe enim erat, vt antequam quod ſpiritale eſt conſtitueretur, quod temporale eſt præcederet, vt figuræ rerum veritatem adumbrarent, iuxta illud Apoſtoli, 1. ad Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem: Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Itaut hic ordo in rerum gubernatione & ordinatione à diuina prouidentia ſeruetur, vt imperfecta præcedant, perfecta ſubſequantur. Regnum igitur temporale in populo Iſraëlitico conſtitutum eſt, vt poſtea in Eccleſia Regnum

Digitized by Google

ſpirituale conſtitueretur: quo conſtituto, quia adhuc perfectius eſt vtrumque ſimul coniungere, omnia ſub pedibus ſuis ſubjiciat Chriſtus, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſimè autē inimica deſtruetur mors: omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum dicat, Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Interim à regibus terræ coli & adorari vult; quin & eos Eccleſiæ Paſtoribus, in his quæ ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria ſunt, eos obedire ſtatuit, eorumque ſceptra baculo Paſtorali ſubmitti. Itaut quidquid habent potentiæ & autoritatis, ad promouendum Dei cultum iuxta Eccleſiæ leges inſeruiat, iuxta Iſaiæ Prophetiam: *Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi peribit.* Et quia *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo*, ſpirituali regno Eccleſiæ, etiam terrenam promittit abundantiam. *Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis. Et ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.* Iſ. 60. Donec ſcilicet plenitudo veniat regni æterni, in quo, vt dictum eſt, erit Deus omnia in omnibus, Chriſtus agnoſcetur regnans, non ſolùm vt homo, caput hominum & Angelorum à Deo conſtitutus, ſed etiam vt Deus, æqualis patri ſecundum diuinitatem. Quod quidem erit conſummatio & perfectio Regni, cuius initia perſpicimus ſtatim atque ſtirps Abrahæ à captiuitate Ægyptiaca vindicata mox in caput liberum & regnum euecta fuit, iuxta promiſſionem Abrahæ factam Geneſi 17. *Faciamque te creſcere vehementiſſimè; & ponam te in gentibus, regeſque ex te egredientur*: Perfectio autem regni temporalis facta fuit ſub Dauide & Salomone, in figuram regni ſpiritalis Chriſti, quod quidem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit, cum ſacerdotali dignitate, vt pulchrè docet S. Epiphanius, hæreſi 20. dum ait, *non veniſſe Chriſtum vt progreſſum regni acciperet, qui ſemper regnat, largitus eſt autem ſub ſe conſtitutis regnum, & ne diceretur à paruis ad maiora procedere, manet enim thronus eius, & regni eius non erit finis, & ſedet ſuper thronum Dauid, itaut regiam Dauid transtulerit, ac largitus ſit ſeruis ſuis, hoc eſt Pontificibus Catholicæ Eccleſiæ.* Ita Epiphan. At dum ait Epiphanius Chriſtum non procedere à paruis ad maiora, hoc intelligitur de iure regio, & de poteſtate eius, quæ ſemper in eo fuerunt æqualiter, licèt ſucceſſiuè & regiam maieſtatem & poteſtatem ſuam manifeſtauerit, à temporali incipiens, vt regnum ſpiritale conſtitueret, quod ad tantam gloriam eueheret, vt quidquid temporale eſt illi ſubjiceretur. Lege Mauclerum 4. p. l. 1. c. 3. pag. 1689. *Hoc*, inquit, *ſacri Canones, hoc ſancti Patres docent, dicendo oportere gladium eſſe ſub gladio, & temporalem autoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati.* Ita Maucler.

At dum hæc ætas creuit, multas populus iſte electus perpeſſus eſt calamitates ex inuidia Diaboli, dum reprobos ad eius voluntatem captiuos ſuſcitauit (qui omnes in beſtia, regnum Dei & eius cultum publico ritu illi exhibendum oppugnante, deſignatur) qui hoc Dei regnum & eius cultum oppugnarent.

In hac autem multitudine impiorum huius ætatis in hac beſtia deſignata, apparet caput quoddam præcipuum, Pharao ſeu Regnum Ægyptiorum, quia fortiùs impugnauit, maiori & euidentiori impietate, & cum maiori periculo pietatis ac Religionis, populum Dei electum; itaut quotquot decurrente illo ſeculo populum Dei & Dei cultores impugnarunt, ſint veluti corpus beſtiæ, id eſt potentiæ contra Deum rebellantis. At Pharao ſit caput illorum, quia, vt dictum eſt, eius perſecutio maior, & euidentior, & periculoſior fuit. Secunda igitur ætas erit à Moyſe ad Ezechiam, in qua Abrahæ factæ promiſſiones videntur adimpletæ. Educitur populus ex Ægypto, à Ioſue in terram promiſſam introducitur: Reges illi dantur Dauid & Salomon poſſidentes aut ſaltem tributarias habentes omnes regiones, quæ in poſſeſſionem Abrahæ promiſſæ fuerant. Sed in Ezechia apparet magna rerum mutatio, & primò Aſſyriorum Imperium ad Chaldæos tranſiuit per Merodach, qui regnare incæpit in temporibus Ezechiæ. Secundò Regnum Iſrael deletum eſt, anno ſexto Ezechiæ: At non tantùm inſignis illa mutatio exigit vt in Ezechia tertiam ætatem incipiamus, & non à Dauide: nec enim cur Dauid ad regnum euectus fuit, dicit debet factam fuiſſe aliquam ſtatus populi Iſraëlitici mutationem: fuit enim hæc Dauidis Regni gloriæ, Prophetiæ adimpletio, (*Et reges ex te*, inquit, *egredientur, &c.*) Potius quàm alia rerum facies: pedetentim ſiquidem & ſucceſſiuè opus ſuum ad perfectionem adducit diuina prouidentia, & ei vltimam manum apponit. A Moyſe incæpit Regni Iſraëlitici erectio: perfectionem habuit in Dauide & Salomone: videlicet permanſit in poſſeſſione rei promiſſæ aliquandiu populus ille electus: ſed dum decem tribus è poſſeſſione ſua ejiciantur, ſub Ezechia inſignis eſt rerum mutatio: quo vt optimè ſecunda ætas à Moyſe incæpta, in Ezechia terminetur, vt ab eo tertiam inchoëmus. Nec deeſt Prophetia de hac rerum mutatione. Deuteron. namque 31. c. hæc Deus apparens in columna nubis, quæ ſtetit in introitu tabernaculi, dixit: *Ecce tu dormies cum patribus tuis. Et populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos in terra, ad quam ingredietur, vt habitet in ea. Ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. Et iraſcetur furor meus contra eum. In die illo, & derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Inuenient eum omnia mala, & afflictiones, itaut dicat in illo die: Verè quia non eſt Deus mecum, inuenerunt me hæc mala.*

Hi igitur duo termini ſecundæ ætatis, Moyſes & Ezechias Moyſes videt initia benedictionum promiſſarum, & Ezechias videt initia maledictionum prædictarum, itaut ab vnoquoque propter rerum mutationem, incipienda ſit aliqua ætas, à Moyſe ſecunda, ab Ezechia tertia.

At hoc decurrente ſeculo, multi populum Dei diuexarunt, Moabitæ, Ammonitæ Philiſtæi, Aſſyrij, qui omnes velut corpus fuerunt beſtiæ, Dei populum & eiuſdem diuinum cultum perſequens, ac voluntati diuinæ contrarians. At Sennacherib in hoc corpore impio videtur caput, propter inſigniorem impietatem, & maius periculum deletionis reliquiarum populi Iſraëlitici, ſi duas alias tribus, vt volebat, poſt decem tribuum tranſportationem in alienas terras tranſtuliſſet. Tertiam ætatem deſignamus ab Ezechia ad Zorobabel, tum quia magna eſt rerum mutatio, tum quia prædictiones de illa rerum mutatione adimpletæ fuerunt in hac ætate, decurrente ab Ezechia ad Zorobabel. Sicut enim in præcedente ætate Deus oſtenderat fidelitatem ſuam in promiſſis, bonitatem, & benignitatem, & patientiam, dum tot opibus, tot benedictionibus populum ſuum cumulare voluit, nec eos (licèt plurimis ſceleribus ad iram fuerit prouocatus) à facie ſua

Digitized by Google

reſicere voluit; ita in hac ætate oſtendet iudiciorum ſuorum æquitatem, dum pœnas, & calamitates, quas prædixerat, immittere incipiet regnante Ezechia. Vidit enim Ezechias initium iſtius prædictionis: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint; ſi iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Pſ. 88. Videt enim Ezechias decem tribus in captiuitatem actas. Videt Regni Iuda deuaſtationem ab Aſſyriis. Videt Aſſyrium ad obſidionem ciuitatis Hieroſolymitanæ ſeſe præparantem; nullâ adhuc ſibi à Deo promiſsâ protectione audit Rabſacis blaſphemias, ingenſque tremor cor eius inuadit, ne fieret Hieruſalem ſicut factum fuerat aliis ciuitatibus Iudæ. Inſuper in morbum incidit in diebus illis. Cauſam morbi aſſignat Salianus ſtatum infelicem huius temporis. Quod ſatis congruit his, quæ à Domino audiuit per Iſaiam: *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Et ecce ſanaui te: die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: Sed & de manu regis Aſſyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc.* 4 Reg. 20. *Contractam*, inquit Salianus, *ægritudinem ex horum temporum ſtatu infelici, quo regnum vniuerſum populatus erat Aſſyrius, & propediem ad portas ipſius regiæ ciuitatis affuturus timebatur, nec dum edito Iſaiæ de liberatione vaticinio; quin & virum ſanctum animo & corpore affecerunt blaſphemiæ Aſſyriorum, quas vlciſci æquâ pœnâ non poſſet.* Aliam cauſam ægritudinis affert S. Hieron. *Plorat fletu magno, propter promiſſionem Domini ad Dauid, quam videbat in ſua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam poſt mortem eius Manaſſes, cum duodecim eſſet annorum, regnare cœpit in Iudæa. Ex quo perſpicuum eſt poſt tertium annum, conceſſis votis, Manaſſem eſſe generatum ergo iſte omnis eſt fletus, quod deſperabat Chriſtum dè ſuo ſemine naſciturum.* Ita S. Hieron. Etſi de Chriſto nihil dicat Ioſephus, tamen anxium fuiſſe aſſerit Ezechiam, quod ſine liberis decedere. *Nec tam*, inquit Ioſeph lib. 10. c. 3. *Vitæ periculum angebat Regem, quam quod ſine liberis decedens, generis ſucceſſio in eo deficere videbatur, & regnum ſine legitimo hærede futurum. Hoc igitur mœrore potiſſimum affectus, ſupplex cum lacrymis Deum rogauit, vt tantiſper differretur vitæ terminus, donec pareret ſobolem, neue moriens factus pater eximeretur è numero viuentium.* Ita Ioſeph. Hinc Cornelius à Lapide, in Iſa. c. 32. Interpretatur hunc verſiculum: *Non videbo Dominum Deum, Chriſtum hominem factum, de ſtirpe & ſanguine meo.* Septuaginta vertunt: *Salutare Dei.* Hebræi, Iaia, quaſi dicerent, Deum Dei, vel Deum de Deo. Et ex S. Hieron. Lyrano, & S. Thoma, hunc verſiculum: *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum Paſtorum,* Cornelius ita interpretatur: *Stirps mea, & poſteritatis ſpes ablata eſt; prole careo, ex qua naſcatur Chriſtus, Dauidi & conſequenter ſemini meo promiſſus. Quare mihi domum, familiam ſtabilem non ædificabo, ſed ea inſtar tabernaculi mox corruet.* Ita Corn. Amaritudo (addere videtur Ezechias) quam experior ex morte, in flore iuuentutis mihi obueniente, amariſſima mihi eſt, dum moriens pacem & quietem à laboribus ſperare poſſem, quia ſine liberis morior. At noluiſti mihi hanc triſtitiæ & amaritudinis cauſam inferre, dum vitam concedis longiorem. Eruiſti ſiquidem animam meam, vt non periret. Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea; non ſolùm quia in ſepulchro iacens & moriens erepta mihi fuiſſet occaſio confiteri, & laudare nomen tuum ob ſanitatem mihi conceſſam; ſed quia ſi nunc mors mihi ſurripuiſſet vitam, non expectarent qui deſcendunt in lacum veritatem promiſſorum tuorum, venturi

A ſcilicet Meſſiæ, videntes me ſine liberis è viuis deceſſiſſe. At ſi vixero, omnis qui viuit confitebitur tibi, ſicut & ego hodie ferè è ſepulchro rediuiuus confitebor tibi, & omnis Pater prædicabit filiis ſuis Meſſiam eſſe futurum, quia tu verax es in promiſſis. Ex fidelitate enim verborum tuorum ſanitatem mihi reſtituens, conjicient ea, quæ Dauidi & ſemini eius promiſiſti, fore obuentura. *Saluam*, igitur *me fac, Domine, & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.* Timet igitur ſibi Ezechias: timet ciuitati: timet Religioni & pietati: timet ne Deus populum ob ingentia ſcelera à facie ſua ejiciat, & indignus cenſeatur, in quo promiſſiones de Meſſia futuro ab eo naſcituro, non adimpleantur.
B At in tribus proſpera illi promittuntur. Reſtitutio ſanitatis: Liberatio ciuitatis: Religionis ac diuini cultus perfectio ex Meſſia venturo. In cuius rei ſignum ſol decem lineis reuertitur, per gradus quos deſcenderat, vt ſciat ſe non ſterilem futurum, cum quo ſol paratus concurrere ad filij generationem. Et licèt Religio & pietas quaſi ſol receſſiſſet decem lineis, decem videlicet tribubus, extra locum à Deo electum, vt in eo adoraretur & coleretur, in captiuitatem abductis; reuertitur tamen ſol, vt ſciat Ezechias populum ad pietatem, & Religionis lucem denuo reuerſurum, videlicet cum orietur ſol iuſtitiæ, qui lumen eſt ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël.

C Nihilominus ab Ezechia tertiam ætatem incipimus, quia in eius temporibus inceperunt omnes calamitates (quas Deus prædixerat populo Iſraëlitico obuenturas, ſi ab eius cultu diſcederent:) non tantùm in captiuitate decem tribuum, ſed in prædictione captiuitatis duarum tribuum, quæ ſub Nabuchodonoſore in Babylonem tranſlatæ fuerunt, iuxta Eſaiæ Prophetiam c. 39. Oſtenſis enim omnibus theſauris ab Ezechia Legatis Merodach Regis Babylonis, hoc accepit oraculum à Deo per manum Iſaiæ. *Audi verbum Domini, ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt Patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem. Non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis, qui
D exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis, &c.* Cum igitur Ezechias initia pœnarum (quæ vſque huc progredi debebant, vt tribus Iuda etiam in captiuitatem foret abducenda) viderit, ab eo incipimus illam ætatem, in qua Deus iudicia ſua exercere voluit in populum ſuum, & in Dauidis poſteros, eoquod patientiam ſuam exacerbaſſent prolongatione tranſgreſſionum & iniquitatum ſuarum.

Hanc autem ætatem in Zorobabel abſoluimus. In eius ſiquidem temporibus veritas iſtius promiſſionis Dauidi factæ: *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de la-
E biis meis non faciam irrita.* Pſ. Quin & conditiones requiſitæ ſupra, vt aliqua fiat diſtinctio inter iſtas ætates, clarè reperiuntur. Prima, ex inſigni rerum mutatione, quæ connexionem quamdam retinent, cum adimpletione promiſſionum quæ Abrahæ factæ fuerunt: Et primò iis temporibus Zorobabelis, Monarchia Babyloniorum ad Perſas & Medos tranſlata eſt, in populi Iſraëlitici maximum commodum: hæc enim tranſlatio facta fuit, & à Deo ordinata, vt populus è captiuitate liberaretur, & templum deſtructum reſtauraretur. Secundò: Magna etiam fuit mutatio circa ſtatum populi Iſraëlitici, tum quia è captiuitate in patriam rediit, tum quia regia dignitate & ſceptro erepto, Duces tantùm obtinuit & Pontifices, ſicque noua fuit Reipublicæ Iudæorum forma, ſicut & nouum Perſarum

Digitized by Google

Imperium, vt latè docet Salian. tom. 5. an. 3. 3517. n. 23. Tertiò denique, Zorobabelis temporibus fuit reductio populi, & templi reædificatio. Ecce igitur prima conditio requiſita, vt aliqua ætas ab alia diſtinguatur. Secunda eſt Prophetia de iſta rerum mutatione. At multæ ſunt illorum omnium prædictiones. Eſ. 44. *Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, & formator tuus ex vtero:* Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens ſigna diuinorum, & Areolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam illorum ſtultam faciens, ſuſcitans verbum ſerui ſui, & concilium nunciorum ſuorum; qui dico Ieruſalem: Habitaberis: & ciuitatibus Iuda: Ædificabimini: & deſerta eius ſuſcitabo: Qui dico profundo: Deſolare: & flumina tua arefaciam: Qui dico Cyro: Paſtor meus es tu, & omnem voluntatem meam complebis: Qui dico Ieruſalem: Ædificaberis: & templo: Fundaberis. Lege 1. Eſdræ, & 1. c. Aggæi Prophetæ.

Ab hoc itaque tempore, quo Ezechias perſpexit initia punitionis à Deo immittendæ in populum ſuum ob ſcelera ſua, vſque ad Zorobabel, fluxit illa ætas, in qua adimpleta fuit Ieremiæ Prophetia c. 16. *Eijciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, patres veſtri. Et ſeruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*; ſimulque illa liberationis populi ſub tempore Zorobabel, de qua idem Ieremias: *Et non dicetur vltra: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti; Sed, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra aquilonis, & de vniuerſis terris, & ad quas eieci eos, & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum.* Ita Ieremias. At fluente illa ætate, multi populum Dei diuerſimodè vexauerunt, & diuini cultus fuerunt aduerſarij, & corpus beſtiæ diuinum honorem conculcantis conſtituerunt. At illius beſtiæ caput in hoc ſeculo fuit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, vt iam tetigimus.

Quartam ſeculorum Epocham habemus in Zorobabele vſque ad Chriſtum. Et rectè in hac ætate, in qua adimplendæ erant Prophetiæ de Chriſti aduentu à Zorobabel, tanquam ab inſigni Epocha, ſeu nota fixa & conſtanti, quartam ætatem incipimus. Fuit ſiquidem Zorobabel vera & germana figura eorum quæ Chriſtus peregit in mundo veniens. Zorobabel filius erat Salathiel, qui ex Pagnino interpretatur *Petitio Domini*, vel, *Poſtulatio mea Deus*. Chriſtus deſideratus cunctis gentibus, cuius aduentum flagrantibus deſideriis, continuis precibus, veteres Patriarchæ ac Prophetæ à Deo poſtularunt: quem etiam exoptabat Pater hominem fieri, vt haberet qui condigno pretio ſuæ iuſtitiæ ſatisfaceret, & homines ab eo alienos ſibi reconciliaret. Zorobabel ſignificat magiſter confuſionis, vel ex Pagnino, lib. interpretationis nominum Hebraicorum, quaſi *Zarabbe Babel*, id eſt, *iſte magiſter in Babel*; vel, *Diſpergite confuſionem*, vel diſperſio calcatio, ventilatio, aut alienatio confuſionis. Quis potuit confuſioni, & deordinationi rerum, quæ in mundo erat, potenti virtute ſuccurrere, niſi ſapientia diuina rerum omnium magiſtra, dum per incarnationem omnia reſtaurauit, omnia in ordinem redegit, quæ per peccata perturbata fuerunt. A Cyro Rege Perſarum miſſus fuit Zorobabel, vt tanquam Dux populum Iſraëliticum in terram promiſſam reduceret, à qua expulſi fuerant Iudæi, propter horrenda crimina. Chriſtus Dominus à Deo Patre miſſus fuit, vt ſit caput omnium electorum, quos in Patriam cæleſtem introducat. Fuit olim Zorobabel reſtaurator, & fundator veteris templi, de cuius reſtauratione prædictum fuerat Aggæi ſecundo: *Magna erit gloria domus illius nouiſſimæ pluſquàm primæ.* Chriſtus

A fundator eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, cuius gloria maior eſt quàm gloria veteris ſynagogæ: cuius præcipuus honor in hoc conſiſtebat, vt eſſet figura & typus illius nouæ Eccleſiæ. Quid dico Chriſtum eſſe fundatorem Eccleſiæ Chriſtianæ, cum etiam fuerit fundamentum veteris? Neque enim ſub cœlo datur aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Proinde quia Zorobabel typus erat ſaluatoris, de eo Aggæus in nomine Domini exercituum dixit: *Aſſumam te, Zorobabel, fili Salathiel, ſerue meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum*, Optimo iure ab eius æuo incipimus hanc felicem ætatem, ſeu illud ſeculum beatum, propter aduentum Saluatoris. Dictus fuit Zorobabel ſignaculum: quia ſicut in ſignaculo quædam B effigies inſculpitur, quæ poſtea in materia impreſſionis ſuſceptiua, velut eſt cera, imprimitur & repræſentatur: ſic in Zorobabel Deus poſuerat quaſdam virtutes, & optimas qualitates, quas in actum reductis, in eis apparuit cuius erat typus ſeu figura, nempe Chriſti ſaluatoris.

Huius autem ætatis ab Epocha Zorobabel incipientis, Chriſtus eſt terminus abſoluens hanc ætatem, quia in eius aduentu maxima fuit rerum mutatio. In Republica Iudæorum. Lex Moſaica mutata fuit in legem Euangelicam. Aaronis ſacerdotium tranſlatum fuit in ſacerdotium Melchiſedech. Dignitas Regia terrena in ſpirituale Regnum, ſeu C regale ſacerdotium: figuræ in veritates tranſierunt. Tenebræ verſæ ſunt in lucem ſole ſplendidiorem. Denique omnia renouata fuerunt.

Quantum autem ad Prophetias, in hac ætate Prophetiæ de Chriſti aduentu adimpletæ fuerunt, & inter alia hæc, quæ tempore Zorobabelis ab Aggæo Prophetata fuit: *Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus; & confortare, Ieſu fili Ioſedec: & confortare omnis populus.* Et paulo poſt: *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus. Et implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.*

Quod ſi in præcedentibus ſeculis viſæ fuerunt D euerſiones plurimorum Regnorum, (tempore Moſis videlicet euerſio Regum Amorrhæorum, Sehon Regis Heſebon, & Og Regis Baſan, & aliorum Regum Chanaam) quæ poſt mortem Ioſue euerſa ſunt, Si tempore Ezechiæ Regnum Iſraël diſſipatum fuit ab Aſſyriis, & Aſſyriorum Regnum tranſlatum fuit ad Babylonios; Si tempore Zorobabel Regnum Babylonicum à Perſis occupatum: tempore Chriſti impleta eſt Danielis prophetia c. 2. *In diebus autem Regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & conſumet vniuerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum; ſecundum quod vidiſti quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & com- E minuet teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.* Regnum ſiquidem hoc ſpirituale Chriſti poſt eius aduentum ſuſcitatur, quo deſtrui debebat non quidem dominatio temporalis, quæ à diuina ſapientia ordinata eſt, & conſtituta à Deo ad regimen populorum: ſed mortis & peccati Imperium, ſed tyrannica diaboli dominatio, quæ impedimento erat ne Deus ab hominibus coleretur.

Hac ætate decurrente & labente, plures populum Dei diuexarunt, inter quos fuit grauis Aman Agagitæ perſecutio. At quia Antiochi Epiphanis perſecutio & grauior fuit & diuturnior, huius beſtiæ Eccleſiam (labente iſta ætate,) ſeu fidelem populum Dei perſequentis, caput dicimus eſſe Antiochum Epiphanem.

Digitized by Google

Quintæ ætatis Epocha incipit à Chriſto, qui Auguſto Cæſare imperante fundauit Eccleſiam: & ætas illa ad Conſtantinum vſque extenditur, qua quidem decurrente deſcendit pluuia; venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in Eccleſiam, à Chriſto ædificatam, & non cecidit: quia à ſapiente ædificata erat ſupra Petram: nec contra eam portæ inferi præualere potuerunt, quinimo Chriſto crucifixo & patienti conformis effecta, tãdem glorioſior ex perſecutionibus apparuit. Huius ætatis periodus ſeu terminus fuit Conſtantinus, quia ſub eo magna fuit in Republica Chriſtiana facta mutatio; & quia Chriſtus Dominus (qui omnium ſalutem exoptat: nec Reges & Principes à ſuo Regno æterno arceri deſiderat) volebat, quod Reges & Principes ſeculi cũ populis (vt cuncti ſalui fiant,) Pontificibus principatibuſque ſpiritualibus, vt corpus animæ ſubditi eſſẽt, faceſque Imperiales Pontificum monitis iuſſiſque ſubmitti, vt tranquilla vita principibus terræ; eorumque populis, Deo largiente, obueniat, vt fusè Mauclerus 4. parte l. 1. c. 2. & p. 2. lib. 1. c. 1. & lib. 3. c. 14. In hoc titulo: *Summa diſtringendi gladium ſpiritualem, ſcilicet excommunicationem, poteſtas in omnes principes & populos, iuſta de cauſa Romano Pontifici diuinitùs à Chriſto Domino data, ſummum illius ſpirituale Monarchicumque Imperium deſignat.* Ita Maucler. Huius decreti executio incæpit à Conſtantino, qui magno honore & ſummos Pontifices, & quoſlibet Epicopos proſequutus eſt; & adimpleta eſt Prophetia Iſ. c. 60. iam ſupra allata: *Et aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges eorum adducantur. Gens enim & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* Et in huius Prophetiæ adimpletione, magna, vt dictum eſt, fuit rerum Eccleſiæ mutatio. Nam Eccleſia, quæ quaſi derelicta fuerat, & odio habita, poſita eſt in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem, & generationem, & nomen Chriſtianam antea ignominioſum, glorioſum eſſe incæpit.

In hac autem ætate à Chriſto ad Conſtantinum, plurimi fuerunt Chriſti hoſtes, Eccleſiæ acerbi perſecutores, qui corpus beſtiæ conſtituerunt. At inter eos Nero quaſi caput apparuit, ſiue quia primus ex Romanis Imperatoribus perſecutionem excitauit contra Chriſtianos; ſiue mores eius profligatos & corruptiſſimos ſpectes, quibus ius naturæ violauit nequitiâ inſigni, *Matris concubitum appetiuit olim etiam quoties lecticâ cum matre veheretur*, inquit Suetonius, ſporam quemdam, *quo turpiter vtebatur in fœminam transfigurari deſiderauit, eumque in vxorem ſibi copulauit. Vnde ortum eſt facetum iſtud, Benè agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius pater talem habuiſſet vxorem.* Ita Suet. c. 28. Qui quidem c. 29. refert pudicitiæ ipſius proſtitutionem homine ſanæ mentis indignam contaminatis pene omnibus mẽbris, multa excogitans turpitudinis genera quæ referret pudet. Ad hanc nequitiam crudelitatem adiunxit: nam interfecit præceptorem, vxorem, Matrem & Auum. Denique, ait Tacitus lib. 16. *Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam excidere concupiuit, interfecto Barea Sorano & Thraſea Peto.* Ita Tacit. Quæ ſcelera tantopere enormia ſunt, vt eius auaritia leue peccatum videatur: quæ tamen tanta fuit, *vt nulli delegarit officium*, inquit Suetonius c. 32. *vt non adjiceret ſcies quid mihi opus ſit; & hoc agamus ne quis quicquam habeat. Vltimò templis compluribus bona detraxit, ſimulachraque ex auro vel argento fabricata conflauit.* Ita Suet. Quomodo ſuper tale caput non ſederet impietas in Deum de qua Plinius dixit: *Idem Nero primùm imperare dijs concupiuit* (magiâ ſcilicet) *nec quicquam generoſius voluit.* In quantum, quæſo, periculum ſub eo Religio adducta, patet ex eoquod nomen Chriſtianum ab eo exterminatum eſſe putabatur vt teſtatur antiqua quædam inſcriptio in Hiſpania reſpecta: *Neroni Claudio Cæſar. Aug. Pontifici maximo. Ob prou. vind. Latronibus, & his qui nouum generi hum. ſ. Superſtitionem inculcare, purgatam.* Denique adeo fuit vehemens iſta Neronis perſecutio, extinctis duobus luminaribus Eccleſiæ Petro & Paulo, cum innumeris Chriſtianis, vt error irrepſerit apud antiquos ipſum eſſe Anti-Chriſtum; & de eo intelligendum eſſe illud S. Pauli: *Iam enim myſterium operatur iniquitatis.* Quod placuit etiam S. Chryſ. ſerm. de Eleemoſi & pluribus aliis, vt patet ex S. Aug. l. 20. de ciuit. c. 19. *Quidam putant hoc de Imperio dictum fuiſſe Romano, & propterea Paulum Apoſtolum non id apertè ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio malè optauerit, cum ſperaretur æternum; vt hoc quod dixit: iam enim myſterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta velut Anti-Chriſti videbantur.* Ita Auguſt.

Monet tamen Baronius, vt hoc obiter dicam, to: 1. an. 70. quod ij nequaquam ex verbis Pauli in eum errorem incidiſſent, ſi diligenter tempus attendiſſent in quo à Paulo ſcripta fuit illa Epiſtola: Cum enim conſtet, vt antea demonſtrauerat, illam Epiſtolam ſub Claudio, non ſub Nerone, à Paulo fuiſſe ſcriptam, nulla potuit eſſe ſuſpicio Paulum illis verbis ſignificare voluiſſe Neronem. Quidquid ſit, meritò Nero poteſt conſtitui caput beſtiæ, Eccleſiam à Chriſto ad Conſtantinum vſque perſequentis, propter inſignem illius fœditatem, crudelitatem, impietatem; & ſub ipſo adimpleta eſt Chriſti Domini prædictio: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; Nimirum*, inquit Baron. an. 66. *quod ipſum nomen eſſet in crimen.*

Sextam ætatem incipimus à Conſtantino vſque ad Anti-Chriſtum, quæ quidem ætas complectitur illos mille annos, quibus Eccleſia permanere debet in florentiſſimo iſto ſtatu, in quo eſt, & in quo publicum Dei cultum, & promouere, & ſtabilire, & conſeruare poteſt autoritate ſibi à Chriſti tradita. Decurrente hac ætate plurima mala perpetitur Eccleſia à ſchiſmaticis, hæreticis, & infidelibus, ſed notior, & diuturnior, & periculoſior Mahumeticæ impietatis Tyrannica vſurpatio, itaut Imperium Mahumeticum pro ſexto capite beſtiæ reponamus. Veniet poſtea Anti Chriſtus, ſub quo maxima erit omnium rerum mutatio, confuſio & perturbatio, cuius aduentus tot prædictionibus & Prophetiis deſignatus eſt, vt ex hac rerum mutatione, & his prædictionibus, Anti-Chriſtus debeat ſeptimum caput conſtituere vltimi ſæculi, ſeu vltimæ ætatis.

Septimam igitur ætatem dicimus eſſe ab Anti-Chriſto, ad finem & conſummationem vſque ſeculorum, in quo fiet vltima rerum mutatio in melius, in die iudicij; & mundi renouatio, (de qua ſanctus Ioannes: *Et vidi cælum nouum & terram nouam* c. 21. præter illam inſignem rerum mutationem, quæ poſt necem Anti-Chriſti ſubſequetur, cum duo populi, Iudæi & gentiles, in vnum coaleſcent: ſicque vltimæ huic ætati non deſunt duæ conditiones, quas in ſingulis ætatibus aſſignauimus, nempe alicuius inſignis rerum mutationis, quæ inſuper prædicta ante fuerit à Prophetis. Et hoc modo exiſtimo ſententiam illam, quæ ſeptem capita beſtia putat eſſe ſeptem diuerſas ætates ſibi inuicem ſuccedentes, eſſe exponendam & admittendam.

Digitized by Google

Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo. Et in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram, (quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiã quæ erat & non eſt, &c.

Quo ſenſu dicitur: beſtia fuit & non eſt, iuxta ideam ſymboli?

ANNOTAT. XXVII.

TRES ſtatus beſtiæ nobis proponere videtur S. Ioannes, vnum exiſtentem, alterum iam præteritum alterum futurum. Primus, quia beſtia videtur. *Beſtia*, inquit Angelus, *quam vidiſti, fuit, & non eſt. Et poſtea: Mirabuntur inhabitantes terram, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.* Et dum ait: *Quinque ceciderunt*, ſtatim addit. *Vnus eſt*: quod præſentem denotat exiſtentiam. Secundus quia dicitur: *Fuit, & non eſt, Quæ erat & non eſt.* Tertius in his verbis: *Et aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum vadit.* Senſum autem huius ænigmatis aperire videtur, in quantum vult vt beſtia videatur tanquam ſeptem capita habens, quæ in ea ſimul debeant intueri; quæ fuiſſe, & non eſſe dicitur, quia quinque ex his capitibus ceciderunt; nihilominus adhuc exiſtere, quia vnus erat, quaſi vnum permanens caput. *Vnus eſt*, inquit, *& alius nondum venit, &c.* At aſcenſura eſt de abyſſo, ſecundum aliud caput, quod quidem venturum aſſerit. *Et alius*, inquit, *nondum venit: & cum venerit, oportet illum breue manere:* Nec mirum ſi ſimul debeant intueri ſeptem capita beſtiæ, licèt non videantur ſimul debere exiſtere: nam ſi quinque ceciderunt, & alius nondum venit, ſimul non exiſtunt: at debent in ænigmate ſimul proponi intuenda, vt illius beſtiæ detur perfecta cognitio; quæ non perfectè cognoſceretur, ſi tantùm ſub vno capite videretur. Videt igitur illam, non iuxta vnam tantum temporis differentiam ſed ſecundum omnes temporis differentias, in quibus ſub illis capitibus debet exiſtere: cognoſcunt enim Prophetæ ea quæ eueniunt, iuxta omnium temporum differentias, prout exegit ordo & ratio rerum, quæ ipſis reuelantur.

Ad ſtipulatur huic expoſitioni ſymboli Alcazar, diſputatione de totius capitis decimi tertij argumento. *Ex capite*, inquit 17. *planum fit ſeptem iſthæc capita non eſſe reapſe comprobanda, ſiue aſſerenda, ſub eodem tempore, ſed per ſucceſſionem atque decurſum: itaut de illis verè poſſit aſſeuerari, Quinque ceciderunt. Vnus eſt, & alius nondum venit. Quod perinde eſt ac ſi dicatur poſt capita quinque præciſa ac demortua, ſextum eſſe ſuperſtes, nec dum ſeptimi tempus adueniſſe.*

His verbis, ni fallor, addit Alcazar, *euincitur falſitatis quæcumque expoſitio contendat ſeptem capita de eodem tempore explanare. Arripit enim viam contrariam iis quæ textus exprimit, præterquam quod vtcumque ſeptem hæc capita accipiantur, euident ex contextu eſt in illis reges ſeptem diuerſos, aut Principes denotari: atqui ſingulari alicui perſonæ ſeptem capita effingere, quòd ſeptem ei Reges præſtent obſequium, id verò non eſt aliud quàm ex pedibus capita conflare.* Ita Alcaz. Appoſitè ad veram ſymboli ideam efformandam. Ad quam etiam melius percipiendam, ponderanda eſt proprietas vocabuli ſeu verbi, *Ceciderunt*: quo certè deſignatur omnimoda rei alicuius ruina, & certiſſimum excidium, vt in cap. 11. *Decima pars ciuitatis cecidit.* Et c. 16. *Ciuitates gentium ceciderunt.* Et c. 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna.* In quo caſu eius totale excidium exprimitur, dum in vltimo capite viuens in

A profundum maris demergetur. *Et ſuſtulit*, inquit ſacer textus, *vnus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum & miſit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Hinc magnopere differunt. Hæc quinque capita beſtiæ huius capitis decimi ſeptimi, ab illo capite beſtiæ marinæ capitis decimi tertij, in qua deſignari diximus collectionem omnium reproborum, propter obſtinatam in peccatis voluntatem, & malitiam voluntariam & deliberatam. Hoc ſiquidem caput dicitur tantùm quaſi occiſum in morte, ſed non præciſum, vnde plaga mortis eius curata eſt. At quinque capita videntur quaſi præciſa, vnde cecidiſſe dicuntur. Adhærebat adhuc corpori beſtiæ caput illud beſtiæ marinæ, licèt vulneratum in mor-
B tem. Ad hæc capita cadunt, vnde nulla eis ſpes datur redeundi. Hinc mirantur homines, dum præciſo vno capite & amputato, beſtiam adhuc vident ſub alio capite mox prodeunte quaſi reuiuiſcentem: & ſic intelligi poteſt quomodo videatur exiſtens ſub aliquo capite, & dicatur nihilominus, vel quod fuit & non eſt, vel quæ erat & non eſt, quia præciſum eſt vnum ex capitibus, ſub quo olim ſeu antea. Vigebat. At quid eſt beſtiam & ipſam octauam eſſe, & de ſeptem eſſe? Hoc modo locutionis exprimere voluit S. Ioannes aliquod ex capitibus iam præciſis denuo in medio prodituram, mirabili quadam ratione, ſub quo beſtia rurſus Eccleſiam vexabit: vn-
C de octauum erit caput, & de ſeptem erit.

Hæc igitur ſit huius ſymboli idea, cuius expoſitionem ab autoribus (quos nunc habemus in manibus) requiramus, antequam noſtram expoſitionem in medium proferamus.

Quinque ceciderunt.

Variæ autorum expoſitiones, de capitibus quæ ceciderunt, vno ſuperſtite, & alio quod nondum aduenit.

ANNOTAT. XXVIII.

TICONIVS ſucceſſionem quandam in his
D capitibus agnoſcit, non coëxiſtentiam, dum ait: *Et beſtia fuit & non eſt, & futura eſt aſcenſura de abyſſo, & in perditionem ira Dei ibit, id eſt, ex populo naſcetur, vt poſſit dicere, beſtia ex beſtia, abyſſus ex abyſſo. Quid eſt beſtia ex beſtia, & abyſſus ex abyſſo, niſi populus malus naſcens ex populo malo? Hoc fit dum filij mali parentes peſſimos imitantur. Et aſcendit ſuperſtes, & in perditionem vadit, ſicut & Patres ſui, ex quibus aſcendit. Et iam non ſunt, quia aliis morientibus alij ſuccedunt eis, & ſic nunquam deſunt, ſeu in paucis, ſeu in multis, ſeu occultè, ſiue quaſi apertè, qui ab initio ſemper inſidientur Eccleſiæ.* Ticon. ho. 14. Iam quid ſentiat Victorinus vidimus ſupra, qui quinque capita, quæ ceciderunt, exiſtimat eſſe quinque Imperatores. Titum,
E Veſpaſianum, Galbam, Othonem, Vitellium, & Domitianum eſſe illum vnum exiſtentem, ſub quo ſcribebat Apocalypſ. S. Ioannes: & alium venturum eſſe Neronem, beſtiam autem, quæ de ſeptem, eſſe Neronem, quoniam ante iſtos regnauit. Et Octaua eſt: Exiſtimat enim Victorinus Neronem ſuſcitandum fore. *Quem ſuſcitatum Deus*, inquit, *mittet Regem dignum dignis, & Chriſtum qualem meruerunt Iudæi; Et quoniam aliud nomen allaturus eſt, aliam etiam vitam inſtituturus, vt ſic eum tanquam Chriſtum excipiant Iudæi, &c.*

At hanc Victorini, & quorumdam aliorum antiquorum opinionem optimè rejicit S. Auguſt. l. 20. de Ciuit. cap. 19. eorum ſiquidem qui eum reſurrecturum & futurum Anti-Chriſtum ſuſpicantur; vel qui nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potiùs, vt putaretur

Digitized by Google

vt putaretur occiſus, & viuum occultari in vigore ipſius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum. Opinionem hanc ſeu ſententiam ibi S. Auguſt. nouam vocat præſumptionem. *Sed*, inquit, *multum mihi mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio.*

Primaſius in beſtia totum corpus omnium malorum intelligit, quæ fuit & non eſt, quia decedentium, & ſuccedentium ſibi generationum ordine ſupplendum extruitur. Aſcenſura eſt de abyſſo, diuino enim iuditio occulto quidem, ſed iuſto, peragitur, ſiue quod de cordibus proditura ſit impiorum. Capita autem Primaſius ad omnem beſtiam, tanquam ſpeciem ad genus reuocat, & vniuerſos malos, tam in præpoſitis, quàm in ſubditis, in regibus & montibus deſignat. Beſtia autem, quæ alias vi premit, hîc deſcribitur tanquam quæ fraude decipit, dum mens ſeducta ſenſibilium oblectationibus cadit in conſenſum peccati per quinque partitum ſenſum, viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum: & quæ lumine rationis regi deberet, ad modum beſtiæ ſenſibus regitur, & humanæ vitæ primordia adminiſtrat. Vnde cadit & moritur: ſic enim intrat mors, id eſt peccatum, per feneſtras, id eſt per ſenſus quibus mens infelix regitur, & quibus coniungitur tanquam viris legitimis, quia naturale eſt rationi in operatione ſua ad ſenſus conuerti: quorum tamen coniunctione cadit, & moritur, quia prætermiſſo vſu rationis illis copulatur. Vnde errori tanquam non legitimo viro veluti alia Samaritana copulatur. Quinque igitur ſenſus Reges ſunt, quia eis mens regitur: ſed ceciderunt, per peccata videlicet, quæ propter delectationem quinque ſenſuum perpetrata ſunt. At vnus ſuper eſt, nempe error in mente: omnis enim peccans ignorans. *Errant* inquit Sapiens Pro. 14. *qui operantur malum.* Et Prouerb. 13. *Animæ doloſæ errant in peccatis.* Ceciderunt itaque omnes, qui propter ſenſuum delectationes peccatis conſenſerunt: & error in eis manet: ſicque dici poteſt quod quinque ceciderunt, vnus autem ſupereſt. At alius nondum venit, nempe reſidua eiuſdem corporis mali pars decidenti generationi ſucceſſiua, quæ eodem ſpiritu maligno per numerum ſeptenarium, qui ex quinque & vno, & ex altero venturo exſurgit, deſignato poſſidenda eſt: cuius quidem nequitia deſignatur in eo, quod dicitur ille ſpiritus totum corpus malorum poſſidens, ſeptiformis; propter Domini teſtimonium, qui de vno ſpiritu immundo loquens ait: *Aſſumit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe.* Nequiores verò in toto corpore deſignare voluit, dum octauum addit. *Et beſtia*, inquit, *quæ fuit & non eſt, & ipſa octauo loco eſt*, cum ſit ex ſeptem, ne alterius generis exiſtimares, ſed nequior, quia ſeptenarium numerum excidit. Sicut enim inchoando ab vno, ſeptem nequiores ſpiritus nequitiam vnius ſuperarunt & exceſſerunt, ita hîc à ſeptem inchoando, & vnum addendo, exceſſum quemdam nequitiæ deſignat, vt nequiores in Hypocriſim ſignificaret, propterea dicit: *Ex ſeptem eſt, & in perditionem ibit*: vt eadem pœna vnius generis meritum perduceret: Nec immeritò dicit: *Ex ſeptem eſt*, quem octauam quoque numero ponit: & ſubiecit: *Et in interitum vadit*: futuro iudicio omnem malorum dicit finiri nequitiam. Hanc eſſe mentem Primaſij arbitror, ſi attentè legatur. Qui meliorem ſenſum illius expoſitioni afferet, hunc libenter ſuſcipiemus & amplectemur. Quidquid ſit, eſt tantum moralis expoſitio, non literalis, nec ad omnem Apocalypſis ſeriem accommoda.

Andreas Cæſarienſis per beſtiam, *quæ fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit*, dia-

A bolum intelligit: per ſeptem reges, ſeptem ſæcula, vel ſeptem regna: per octauum, qui de ſeptem eſt, intelligit Anti-Chriſtum. De primo igitur ſic ait in hunc verſiculum: *Beſtia, quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: Hæc beſtia*, inquit, *eſt diabolus, qui nunquam non quærit quem abſorbeat. Hic per Chriſti crucem fractus, ſub ſeculi finem denuo reuerſurus dicitur: ſiquidem per prodigia, & erronea ſigna, quæ per Anti-Chriſtum operabitur, Chriſti ſeruatoris negationem quanta vi poterit prouocaturus eſt. Propter hoc ergo ante ſalutarem crucem & mortem, & erat, & potens erat, poſt illam autem ſuper eſſe negatur, quia vi illa & poteſtate, qua ante pollebat, gentesque per idololatriam in ſuam ſeruitutem redigebat, exutus cernitur;* B *conſummationis autem tempore (ſecundum modum, quem indicauimus (ex abyſſo, aut ex eo loco in quem condemnatus fuerat (nam ne in abyſſum abirent, ſed in porcos inuadere permitterentur dæmones Chriſto ſupplicaſſe leguntur) denuo emerget, aut certè ex præſenti vita, quæ propter peccati profunditatem, quæ in eâ verſatur, fluctuſque perturbationum quibus variè iactatur & agitatur, metaphoricôs abyſſus appellatur; Ex qua ipſe etiam Anti-Chriſtum, qui Satanam ad hominum interitum in ſe geſtat, exſurget ad æternam perditionem paulo poſt abiturus.*

De ſæculis autem aut regnis, ſeptem reges exponens ait quinque præteriiſſe, ſextum autem ſeculum decurrere: aut regnum ex ſeptem celebrioribus regnis, quæ ab exordio vſque C ad ſeculi finem erunt, conſiſtere in antiqua Roma dum Apoſtolus hæc vidit; ſeptimum autem ſeculum poſt elapſa ſex annorum millia tandem proditurum, at ſeptimum regnum per id tempus nec dum adueniſſe, ſiue per aliud inſinuaretur nouæ Romæ Imperium, ſiue aliud quodcumque regnum. Hæc mens Andreæ Cæſarienſis, qui poſtea addit: *Sed neque abſonum quoque fuerit, ſi orbis vniuerſi principatum, vſque ad Anti-Chriſti aduentum, vnam regnantem ciuitatem conſtituamus, poſtremam autem Anti-Chriſti tyrannidem, quæ modico tempore (ſi priores Monarchias ſpectemus) duratura eſt. Siquidem aliæ ex aliis ſuper quingentes annos imperarunt, aliæ vltra mille, ſed & omnis quoque temporis menſura, ſi cum futura ſanctorum vita, (quæ eſt* D *æterna) comparatur, breuis eſt.* Ita Andreas. Qui de beſtia, quæ octaua eſt, ſic proſequitur: *Hæc beſtia*, inquit, *eſt Anti-Chriſtus, octauus quidem, quia poſt ſeptem regna, ad mortalium perniciem, deceptionem & deſolationem exortus. Vnus verò ex ſeptem, quia ab vno ex illis prognatus: neque enim tanquam extraneus quiſpiam, aut alius ex prædictis exſurget, ſed tanquam Romanorum Rex ad illorum interitum & internecionem, cui fidem ipſi habebunt, in medium ſeſe efferet. Poſtea verò, vbi nimirum ad breue tempus bacchatus fuerit, in gehennæ perditionem præceps ruet.* Ita And.

Rupertus: *Beſtia, quam vidiſti, fuit & non eſt, &c. Conſolemini igitur, quia qui pro vobis eſt Deus, ſemper eſt, quæ autem contra vos eſt beſtia, fuit, & non eſt: non enim* E *ſemper eſt, ſed omne quod agit, quod valet, aut poteſt, tranſitorium eſt, &c. Et aſcenſura eſt, &c. Quod idem eſt ac ſi dicat: Crudelitatis ſuæ potentiam, quæ fuit, & non eſt, reſuſcitabit in Anti-Chriſto, ſed cum ad modicum ſæuierit, in interitum ibit, &c. Septem capita ſeptem ſunt regna mundi nouiſſima, quorum vnum quodque ſuo tempore, ſicut ſacræ teſtantur ſcripturæ, contra Regnum Dei ſtetit, &c. Quinque ceciderunt, nempe, Rex Ægyptius, Iſraëlitus Rex Achaz, ſiue Iezabel, quæ vel cuius poſteritas, occidit; Babylonius Rex, Perſicus Rex, imo qui illum inſtigauit Aman hoſtis Iudæorum, & Antiochus de Regno græcorum. Vnus eſt, nimirum Rex ſiue Imperator Romanus, qui tunc erat, & in Chriſtianos ſæuiebat, quando hæc dicebantur. Iam quidem Nero de decore ſuæ turpiter perierat, ſed perſecutio, quam primus in Chriſtianos edixerat, tunc in Romano principatu vigebat: quamuis multi*

Digitized by Google

fuerint eiuſdem Imperij Principes, Chriſtianorum perſecutores; tamen pro vno, ſicut iam dictum eſt, regno, vniuerſitas illorum, Vnus eſt. Et alius, inquit, nondum venit, nimirum qui Anti-Chriſtus erit. Et Beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, &c; hoc loco beſtiam vnum beſtiæ caput intelligi oportet, quod videlicet caput Anti-Chriſtus eſt. Hæc, inquit, beſtia, & octaua eſt, & de ſeptem eſt. Quod idem eſt ac ſi diceret: Anti-Chriſtus vnum idemque beſtiæ caput, & octauum, & ſeptimum eſt. Quod nimirum ſtare vel intelligi non poſſet, niſi conſtaret: quia in vno eodemque Anti-Chriſto duo quædam ſunt pariter: Etenim ille filius perditionis ſimul & homo & diabolus eſt. Itaque ſi ſolum quod exterius videtur in Anti-Chriſto attendas, de ſeptem eſt: quia de genere vel natura cæterorum Regum vel Impiorum hominum eſt. Si autem ad id reſpicias quod intrinſecus latet, octauum caput eſt, quia diabolus eſt: qui antequam ingrediatur habitaculum illius perditi hominis, in cælo ſemetipſum aduerſus Deum erexit, & nunc vſque inuiſibiliter ſuperbit: nihilominus tamen, & in interitum, inquit, vadet: quia tam facilè eſt Deo mittere in interitum hominem ſimul & diabolum, quàm hominem ſimplicem; vel ſolùm vt veraciter dicatur de vtroque, quia non eſt, Deus autem ſemper eſt, &c. Ita Rup.

Sancti Thomæ expoſitionem nunc adduco, non ad verbum, ſed ad ſenſum. *Ego dicam*, inquit, id eſt, manifeſtabo tibi *Sacramentum*, id eſt, ſignificationem *Mulieris & beſtiæ, quæ portat eam.* Omnia enim, quæ viderat, ad hæc duo retorquentur, C ſcilicet ad mulierem, quæ ſignat numeroſitatem impiorum, & ad beſtiam, quæ beſtia ſignat diabolum: *Quæ fuit* ſcilicet in magna poteſtate ante aduentum Chriſti; *& non eſt in* illo Domino poteſtatis poſt aduentum Chriſti: nihili quidem factus erat, nec erit in perpetuum, iuxta illud Ezech. c. 28. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum*; etiam ante aduentum, quantum ſcilicet ad eſſe gratiæ; ſed erat propter magnitudinem potentiæ in dominandis malis, cuius potentiæ maximam habuit diminutionem poſt Chriſti aduentum. Multum quippe debilitata eſt eius poteſtas per paſſionem Chriſti: quia omnes, ſi volunt, poſſunt eius euadere manus, & ſaluari, ante autem aduentum Chriſti nullus ſaluari poterat, & fere to- D tus mundus erat in peccatis. Vnde inſtante paſſionis tempore dixit: *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, &c. *Aſcenſura*, id eſt, aſcendet, id eſt, eleuabit ſe beſtia hæc, id eſt diabolus, ante finem mundi, tempore Anti-Chriſti, in magnam poteſtatem; *De abyſſo*, id eſt, de peccatoribus profundis, & tenebroſis in vitiis. Nunc enim latet in multis impiis, ſed tunc apertè ſæuiet in fideles. Vel, *de abyſſo*, id eſt per abyſſum, id eſt, per eos qui profundi ſunt in peccatis. *Et in interitum ibit*, id eſt, in damnationem æternam, in die iudicij, quando detrudetur in æternum ſupplicium. *Et mirabuntur* terræ infixi per amorem, *videntes beſtiam*, quæ prius magnam poteſtatem habebat, illam poteſtatem mortuo Anti-Chri- E ſto perdidiſſe. Hoc autem cognoſcere poterunt, quia tunc mali non ita vt priùs florebunt. Et in hoc habet ſapientiam, vt ſcilicet homines ſibi ab amore terrenæ proſperitatis caueant, ab actione peruerſitatis, ne ſcilicet dejiciantur totum amittendo, & pœnam æternam ſuſtinendo.

Septem autem capita docet S. Thomas deſignare ſeptem montes, id eſt vniuerſos reges, ſiue potentes, qui dicuntur montes per altitudinem ſuperbiæ. Dicuntur autem capita per influentiam malitiæ, quia per hos diabolus influit in membra alia ſenſum & motum, ſuper quos ſuperbos reges & potentes mulier, id eſt congregatio ſiue multitudo hominum peruerſorum, qui ad malum emolliunt, ſedet, id eſt, dominatur & regnat: quia peruerſi,

A ſicut ſunt hæretici & huiuſmodi, habent iniquos potentes, quaſi ſub nutu ſuæ voluntatis, & per eos alios peruertunt, ſicut fiet tempore Anti-Chriſti; Vel ſedet, id eſt, quaſi fundata & ſtabilita quieſcit multitudo impiorum, quia principibus innituntur alij mali, & per eos ſe fulciunt. Vniuerſi verò potentes diſtinguuntur ſecundum ſeptem tempora. Primum tempus fuit ab Adam vſque ad Noë. Secundum à Noe vſque ad Abraham. Tertium ab Abraham vſque ad Moyſen. 4. à Moyſe vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quintum in tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum. Sextum, tempus gratiæ, à Chriſto vſque ad Anti-Chriſtum. Septimum ſub Anti-Chriſto. Quoniam autem ſunt B diſtincti ſecundum diuerſa tempora, ideo rectè ſequitur: *Quinque*, ſcilicet Reges, id eſt, quinque potentes quinque temporum, *ceciderunt.* Hoc dicit quantum ad quinque tempora quæ tranſierunt; ſcilicet vſque ad tempus gratiæ, ex quo patet iam quod omnia tranſierunt. *Vnus eſt* cætus malorum potentum ſub ſexto tempore gratiæ, qui impugnant, cum poſſunt, Eccleſiam: *& alius*, ſcilicet Anti-Chriſtus, qui ſeptimo tempore regnabit, *nondum venit*, quia tempore beati Ioannis nondum venerat. *Et cum venerit*, ſcilicet Anti-Chriſtus, *oportet* propter diuinam voluntatem, *breue tempus manere*, id eſt, breui regnare tempore, ſcilicet tribus annis & dimidio. *Et Beſtia*, id eſt diabolus, in ſe beſtialis, & beſtiales C faciens, *quæ erat*, id eſt, videbatur aliquid magnum, propter magnam poteſtatem ante Chriſti aduentum, *& non eſt*, ſcilicet in illa poteſtate, poſt paſſionem Chriſti, *Et*, id eſt etiam, *ipſa octaua eſt*, id eſt, omnes alios in malitia tranſcendit, ſicut numerus maior tranſcendit minorem. Quaſi dicat: Cum potentes mali ſint in malitia peruerſi, Diabolus connumeratur cum eis in malitia; ita tamen quod eos tranſcendit vel ſuperat in nequitia. *Et de ſeptem*, conformitate culpæ & pœna in genere. Diabolus igitur beſtia octaua ſupra præmiſſos Reges, propter exceſſum in malitia & pœna ei debita: *de ſeptem* autem, propter conformitatem in malitia & pœna in genere. *Et in interitum vadit*, id eſt, in pœnam æternam. D Ita S. Thom.

Alcázar plura docet, quorum quædam mihi ſunt annotanda, tum ad maiorem loci explanationem, tum vt lector faciliùs conjiciat an noſtra expoſitio cum aliis comparata cenſeri poſſit veriſſimilior.

Et primò per ſeptem capita ſeptem Reges, id eſt multos Imperatores deſignari vult, illos nempe qui Chriſtianam Religionem ſeu Eccleſiam exagitarunt. Maris enim Bellüa, quæ Lud. ab Alcazar eamdem habet cum beſtia c. 17. ſignificationem, non adumbrat Romanum Imperium prout à Chriſtiano & Ethnico abſtractum, ſed quatenus idolorum ſuperſtitioni velificabatur quondam, & Dei Eccleſiam vehementer premebat: atque ita in huius be- E ſtiæ capitibus ij ſolum Imperatores notantur, qui perſecutionem aduerſus Eccleſiam ſuſcitarunt. Ita etiam ſentit Proſper, *in dimidio temporis*, c. 8. Et optimè. Habent enim hæc capita inſcripta nomina blaſphemiæ. Et ſic rejicienda victorini ſententia ſupra allata, quia nullus ex Imperatoribus, quos recenſet, aut Eccleſiam conflictauit, aut ſanguinem effudit Chriſtianum.

Septem igitur beſtiæ capita, inquit Alcaz. *Non opus eſt ſibi ipſis continua viciſſitudine ſuccedere, vt Neroni Galba, Galbæ Otho ſucceſſit: quinimo neceſſarium videtur vt inter vnum atque aliud interiectum ſit ſpatium aliquod temporis, atque adeo beſtiæ capita per diuerſas perſecutiones diſtinguantur. Quare dum eadem continuatur perſecutio, quàmuis ab vno Imperatore cæptam alius promouerat, (vt in tertia perſecutione accidit ſub Traiano, &*

Digitized by Google

Adriano, Et in quarta ſub Antonino, & Lucio Commodo, atque in quinta ſub Seuero & Aurelio, nihilominus aſfirmatur beſtia non diuerſum exhibere vultum, ſed eumdem hoſtilem faciem præ ſe ferre. Continuatio enim efficit vt & eadem perſecutio. & beſtiæ facies eadem dicatur, ſicuti in eiuſdem fluminis vndis quantumuis aſſiduo fluxu decurrentibus accidit. Quamobrem numerica Imperatorum diſtinctio non videtur in beſtia capita diſtinctionem inducere, quando propter perſecutionis eiuſdem progreſſionem eadem oſtenditur beſtia facies aduerſus Eccleſiam: Quod ex eo amplius roboratur, quia quando duos ſimul Imperatores extare contigit, & vtrumque perſecutionem pariter vrgere (vt ſub Diocletiano; & Maximiano accidit) vterque ſane pro eodem beſtiæ capite debet reputari. Perſonalis igitur diſtinctio non capitum diſtinctionem arguit, quando perſecutio eadem abſque vlla diſtinctione continuatur; atqui manifeſtum eſt non eſſe diuerſam perſecutionem, quando illa ipſa, quæ prius inceperat; abſque vlla intermiſſione prouehitur, vt conueniunt omnes qui Eccleſiæ perſecutiones enumerant. Cum igitur perſecutiones interrumpendæ forent, hac ipſa interruptione ſignificatur quod Angelus ter in cap. 17. repetit, dum ait de beſtia: Fuit, & non eſt; erat, & non eſt. Quod idem eſt' ac ſi diceret: Modò eſt, & modo non eſt. Etenim diuina prouidentia ſuauiter diſpoſuit vt noctem dies exciperet, & perſecutionis ærumnam pax atque tranquillitas. & hac rerum viciſſitudine pugnaret Eccleſia, & non ſuccumberet, nec oppugnata expugnaretur; Et infeſtiſſima illa bellua, vbi Imperator crudelis naturâ non erat, quaſi abſcondi & deliteſcere videbatur; Vbi autem Imperator quiſpiam veluti caput Leoninum eminebat, prodibat ex templo ex ſuis latibulis, & è mari emergens aſcendebat, vt bellum aduerſus Chriſtianos reintegraret.

Secundò: Docet Alcazar ex ipſo textu liquidò inferri ſeptem capitum ſignificationem ad ſeptenarium numerum non eſſe ſtrictè redigendam. *Non enim S. Ioannes ſe ad ſeptenarium numerum nimis religioſè adſtrinxit, dum ait: Et beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt. Quæ vox in græco ponitur in maſculino genere: Et ipſe octauus eſt; Vbi de octauo capite ſermo eſt, eodem modo quo prius dixerat Angelus: Quinque ceciderunt: vnus eſt, &c. Quod autem octaua beſtia dicatur ratione capitis octaui, & octauæ perſecutionis, id eſt exiguæ difficultatis præſertim cum in ænigmatis facilè fiat tranſitus ab Imperio ad caput, qui eſt Imperator, vt Daniel. 2. Tu es caput aureum, & poſt te conſurget aliud regnum argenteum, & aliud æreum, & aliud ferreum. Quo in loco ſi exactè nimis ac formaliter eſſet loquendum, diceret Daniel: Tuum Imperium eſt caput aureum. Sed parum refert, &c.*

Rurſus Alcazar, prætermiſſâ Neronis perſecutione, de qua agi contendit c. 12. & Iuliani perſecutione (quia fuit quaſi ſemiuſtus torris, qui cinere ſopitus ac penè extinctus reuiuiſcere & rurſus fumigare cæpit, poſt perſecutionum incendium in imperio prorſus reſtinctum) ad ſeptem perſecutiones reducit, alias, quæ mediæ fuerunt inter Neronis & Iuliani perſecutiones. Prima Domitiani, ſecunda Traiani, tertia Antonini, quarta Seueri, quinta Decij, ſexta Valeriani, ſeptima Diocletiani. *Atque*, inquit, *his ſeptem reſpondent totidem beſtiæ capita, relictâ Iuliani perſecutione, de qua intelliguntur verba illa c. 17. Et ipſa octaua eſt; itaut res quaſi à ſuperioribus diuerſa conſideretur, & eo minus afferens timoris, quo altiores iam radices egerat Chriſtiana Religio.*

Deinde aſſerit veriſſimile eſſe ſignificationem ſeptem capitum non eſſe reducendam ſtrictè ad ſeptenarium perſecutionum numerum, ſed ſolùm ad multitudinem Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianam Religionem vexarant; receptiſſimam quippe eſſe in ſacris literis phraſim, certum numerum pro incerto poni, id quod præcipuè locum habet in quibuſdam numeris, qui completi appellan-

A tur, cuiuſmodi ſunt ſeptenarius, denarius, millenarius; denariumque numerum (licèt vt completus indefinitè ſumi poſſit) nuſquam tamen reperiri vſurpatum ad deſignandùm aliquem numerum rerum ſuccedentium, ad quod tamen præſtandum ſeptenarius vſurpatur. Nam & ſeptenarius continet dies, hebdomadæ; & totidem etiam annorum hebdomada eſt, & hebdomadæ ſeptem pariter ſunt. Vnde hîc ſeptem capita dicuntur, ad exprimendam ſucceſſionem, quia multitudo illa Imperatorum non fuit ſimul, ſed temporis decurſu ſibi ſucceſſerunt: quàm ſucceſſionem euidenter exprimit dum ait: *Quinque ceciderunt: vnus eſt, & alius nondum venit*; omnemque dubitationem ſuſtuliſſe Angelum ſe-
B ptem capita non eſſe ſtrictè ac præcisè pro ſeptem Imperatoribus ſumenda, ſed latè pro multitudine, dum ait: *Et beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt*; ſiue vt in græco legitur: *Et ipſa octaua eſt*: Vbi eum dixiſſet antea: *Quinque ceciderunt: vnus eſt, & alius nondum venit*; Videbatur quidem ſenſus eſſe huiuſmodi, vt ſeptem omnino eſſent; cæterùm vt alium longe diuerſum eſſe ſenſum appareret, ſubiungiſſe Angelum inter ſeptem illos reges numerari etiam octauum, & nihilominus fuiſſe ſatis ſeptem tantùm capita beſtiæ apponi, quia octauus Rex ex ſeptem illis vnus erat; nec eſt aliqua difficultas ſi ſeptem indefinitè ſumantur, vt in ænigmate ſeptem capitibus octauum includi aſſeratur. In ſepte-
C nario namque indefinitè ſumpto, non modò octo ſed etiam nouem, aut duodecim, aut multo plures comprehendunt; quare mirum non eſt ſi octauus in ſeptenario illo includatur. Hæc Alcazar in c. 13. in quo tractat de beſtia c. 17. qui eamdem illam habere ſignificationem exiſtimat, quam habet bellua Marina. Et in commentario textus c. 17. v. 8. per, *Fuit, & non eſt*, dicit deſignari perſecutionem non diu duraturam, & idem eſt ac ſi diceret: Eſt, & non eſt. Et in verſ. 11. *Et beſtia, quæ erat, & non eſt, &c.* Ait non ſignificari beſtiam eſt octauum Regem; ſed quæ beſtia in ſeptem regibus conſumpta videbatur eſſe, eam rurſus viſum iri, Rege alio ſiue Principe exurgente, qui ſe eiuſdem beſtiæ caput oſtenderet.
D Conſtructio ergo eſt huiuſmodi: Et beſtia, quæ erat, & non eſt, iterum apparebit, eiuſque caput erit rex alius, ſiue tyrannus octauus, &c.

At Ribera & Viegas apud Alcazar, ita literam ordinant, *vt dæmon (qui eſt beſtia) de ſeptem ſit, quia in omnibus tyrannis ipſe eſt, qui diuexat Eccleſiam; & nihilominus octaua eſt, quippe quæ ab illis diſtinguatur. Alij ſic: Dæmon de ſeptem eſt, quia ſimiliter peccat: & octauus eſt, quia omnium excedit malitiam. Alij ad Anti-Chriſtum transferunt verba illa: Et ipſa octaua eſt; vt Proſper in dimidio temporum c. 8. & Haymo.* Hæc Alcazar.

Habes, optime Lector, potiores huius loci expoſitiones. Nunc nobis aperiendum quod ſentia-
E mus.

Quædam præſupponenda ad faciliorem huius loci expoſitionem.

ANNOTAT. XXIX.

PRÆSVPPONENDVM primò veriſimile eſſe per ſeptem reges ſeptem Regna eſſe intelligenda, & non præcisè tantùm ſeptem reges, aut Imperatores: quamuis negari non debeat in his regnis, ſeptem Reges aut Imperatores: poſſe reperiri, ad quos reſpexerit S. Ioannes quia inter alios Reges ſeu Imperatores, qui in his Regnis, aut his labentibus & decurrenti-

bus ſeculis Eccleſiam vexarunt, iſti fortiùs eam oppugnarunt, & crudeliùs in eam ſæuierant, cultumque Dei magis oppreſſerunt. Prima pars huius propoſitionis plurimos habet autores, vt antea vidimus. Secunda ſatis conſona rationi videtur, vt ſi aliqui alios ſuperarint in nequitia, de eis ſpecialis ratio habeatur. Et confirmatur: quia iuxta multorum interpretationem, Anti-Chriſtus vltimum caput huius beſtiæ conſtituit. Sicut igitur in vltimo capite vna particularis aliqua perſona deſignatur, fieri poteſt vt ſub aliis etiam aliqui particulares ſpecialiùs deſignentur: quamuis ad alios, qui ipſis fuerunt conformes in nequitia & crudelitate, etiam habeatur reſpectus.

Præſupponendum ſecundò beſtiæ ideam ita eſſe efformandam, vt quaſi proprium habeat caput, ne mutila ſit, & quaſi corpus ſine capite cenſeatur: quæ beſtia ſeſe transfundat in ſeptem alia capita, & ſi eadem ſemper ſecundum ſe maneat, & in eis & oriri & interimi, ſeu interire dicatur. Quod quidem caput ſemper viget, etſi quinque intereant, in quibus transfuſum erat; & aliud nondum ſit, quo exurgente & illud ipſum tamen permanebit, & tamen vnum conſtituet ex ſeptem capitibus, in quo illius indoles euidentius apparebit, & in octauo capite iam exurgente etiam denuo transfundatur. In ſymbolis ſiquidem & ænigmatibus multa poſſunt fingi vt ea, quæ ſignificant, euidentiùs demonſtrent: quæ, ſi rerum ordinem naturalem ſpectes, fieri non poſſunt, & abſurda videntur: vt cum dictum fuit c. 12. mulierem habere Lunam ſub pedibus, Draconem attrahere caudâ tertiam ſtellarum partem, & hic ſeptem capita eſſe ſeptem montes, & ſimilia, quæ licèt optimam habeant ſignificationem, in ſe tamen videntur aliquam continere abſurditatem.

Præſupponendum tertiò beſtiam iſtam ſignificare regna aut Reges, non ſecundum quod omnis poteſtas à Domino Deo eſt, vnde *qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit*; ſed in quantùm hæc poteſtas à Deo hominibus collata aliquando reperitur in quibuſdam beſtialiter viuentibus, qui poteſtate ſibi data abutuntur; itaut Luciferum imitantes, qui excellentia naturæ ſuæ elatus Dei ſimilitudinem in dominatione appetiuit, ipſi contra Deum dimicare audeant, eius legibus & mandatis obtemperare renuentes.

His præſuppoſitis quatuor ſunt enucleanda: Primum, Quænam Imperia cecidiſſe dicantur, ex ſeptem quæ ſupra diximus in capitibus beſtiæ deſignari; Secundum, quodnam ſit illud vnum, de quo dicitur: *Vnus eſt.* Tertiò, quinam ſit ille alius, qui cum aduenerit, *oportet illum breue tempus manere.* Quartò. Quodnam ſit illud octauum, quod quidem de numero ſeptem eſſe debeat, licèt octauum conſtituat caput.

Quinque ceciderunt.

Quænam ex ſeptem Imperiis per ſeptem capita deſignatis iam ceciderint.

ANNOTAT. XXX.

IN his deſignandis non magna eſt difficultas, quantum ad quatuor. Cecidit Regnum Ægyptiorum. Aſſyriorum regnum eſſe deſiit. Chaldæorum ſeu Babyloniorum nullum eſt veſtigium. Græcorum Imperium Antiocho Epiphane periit. Perierunt igitur iſta quatuor regna, ſi præcipuè ea ſpectes in quantum Eccleſiæ nociua, & Dei cultum oppugnantia. Quintum, Romanum eſt Imperium, A Ethnicum videlicet: quod quidem cecidiſſe dicimus in quantum Ethnicum, & idolis ſeruiens, & impietatem fulciens. Nam ſtatim atque Dei cognitio per Romanum orbem inoleuit & increbuit, & Chriſti Regnum altas emittere cœpit radices in cordibus plurimorum per vniuerſum terrarum orbem, & Conſtantinus magnus Imperator ſub crucis vexillo Chriſto militare cœpit, & Religionem Chriſtianam propagauit, verè dicere poſſumus illud Imperium in quantum Ethnicum cecidiſſe. Et meritò. Etenim licèt cum hæc ſcriberet S. Ioannes, adhuc vigeret impietas, & à Domitiano grauis eſſet excitata perſecutio in Chriſtianos, tamen poterat dicere iam cecidiſſe illud Imperium, ſtatim atque ſedes B Petri Romæ conſtituta eſt, qua idololatria erat debellanda & proſternenda, itaut nulla deinceps poteſtate poſſet thronus ille veritatis Chriſtianæ dejici, ſed contradicentibus Paganis, hæreticis & ſchiſmaticis ita firmari debebat, vt ad ſummum gloriæ apicem tandem ſublimatus fuerit. Igitur, quia inchoatiuè iam idololatria cadere cœperat, throno Eccleſiæ in æternum permanſuro ibi erecto, etſi adhuc impietas graſſaretur, & per Imperatores idola colentes multam exerceret tyrannidem, meritò dicit S. Ioannes etiam hoc Imperium cecidiſſe.

Secundò diximus in vnoquoque Imperio aliquem reperiri Regem ſeu Imperatorē, ad quem ſpecialis habetur ratio, quod magis ſæuierit in religio- C nem, & grauior & periculoſior fuerit illius perſecutio, quàm aliorum, qui vel eum præceſſerunt, aut ei ſucceſſerunt; itaut optimè dici poſſit, illo Imperatore mortuo, qui in Romano Imperio grauiorem & periculoſiorem excitauit perſecutionem, illud Imperium vt Chriſto contrarium iam cecidiſſe, etſi poſt eum adhuc plures fuerint ab aliis Imperatoribus excitatæ contra Eccleſiam perſecutiones. At diximus Neronem caput eſſe quintum beſtiæ, quia inſignior & periculoſior Religioni fuit illius perſecutio: ideo quia iam extinctus erat, dici potuit illud Imperium in morte Neronis, in quantum Eccleſiam vexantis, iam cecidiſſe, Deo nihilominus permittente (vt ſuam Eccleſiam in humilitate, pa- D tientia obedientia, animi ſubmiſſione, rerum mundi abnegatione, omnimoda in manus illius reſignatione, & indiſſolubili charitate exerceret) quod adhuc multas perpeſſa fuerit alias à Neroniana perſecutiones. Sicut enim noluit Deus delere gentes populo ſuo contrarias, *vt in ipſis experiretur Iſraël, vtrum cuſtodirent viam Domini, & vt in eis erudiret Iſraelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi*, Iudic. 2. & 3. Ita Deus noluit tam citò perſecutiones finiri, vt experiretur fidelitatem primorum Chriſtianorum, & poſteris relinqueret fortitudinis & patientiæ exemplum. Denique hic caſus Imperij Romani potiſſimum conſiderari debet pro eo tempore, in quo idololatriâ ſublatâ, faſces E Imperiales Eccleſiæ ſubmiſſæ ſunt loquitur enim S. Ioannes conſequenter ad ea, quæ in præcedentibus narrauit. Itaque cum ſanctus Propheta eouſque res Eccleſiæ deduxerit, vt in fine capitis decimi ſexti illius functiones deſcriberet à prima ad vltimam, quæ talis eſt vt poſſit Eccleſia ſibi rebelles & contumaces gladio Anathematis afficere; ideo conſequenter locutus eſt. Idem enim eſt ac ſi diceret: Tunc reuera dici poterunt quinque capita beſtiæ Regnum Chriſti oppugnantis cecidiſſe, cum eouſque res deducta fuerit, vt tanta gloria & poteſtate prædicta ſit Eccleſia, vt Reges etiam illi obediant, & ſi qui reperiantur contumaces, illos ſpiritali gladio à corpore Chriſti poſſit reſcindere.

Digitized by Google

Vnus eſt.

Quodnam ſit illud vnum caput?

ANNOTAT. XXXI.

CERTE attentiùs ponderans hunc verſiculum: *Quinque ceciderunt, &c.* Ni fallor, exiſtimo dicendum eſſe illud vnum caput coëxiſtere omnibus, ſiue iis quæ iam ceciderunt, ſiue illi quod nondum aduenisse dicitur, quamuis & ipſum vnum ex ſeptem capitibus inſuper conſtituat, vt ex quinque & vno, & alio, fiant ſeptem. At quærimus, dum iſtud vnum nunquam intercidens caput, ſed ſemper permanens, pro vno aliquo Imperio particulari ſumitur, quodnam ex omnibus, quæſo, Imperiis, quæ Chriſti Regnum oppugnant & vexant, in eo vno capite nunquam cadente deſignari debet? Vt huic quæſtioni reſpondeamus,

Dicendum duobus modis Eccleſiam vexari: vno modo, ſi fides & doctrina illius oppugnetur: ſi Religio & nomen Chriſtianum, quo gloriatur, odio habeatur & contemptui: Alio modo, ſi quam profitetur ſanctitatem, & morum integritatem, prauis & profligatiſſimis moribus impugnetur. Primo modo, circa Dei cultum, & Religionem, & fidem, vexata fuit potiſſimùm à quinque Imperiis, quæ iam cecidiſſe diximus. Pharao impediuit ne populus iuxta Dei præſcriptum & mandatum iret in deſertum, vt Deo ſacrificia offerret. Sennacherib tranſtulit populum, ne Deum in loco, quem elegerat, adoraret. Nabuchodonoſor eumdem locum combuſſit & deſtruxit. Antiochus illum locum reſtauratum impiè prophanauit: & ne in eo, Deo ſacrificia offerrentur, prohibuit & impediuit. Romanum Imperium Chriſtianæ Religionis initia extinguere attentauit, & ingenti odio illam oppugnauit, & perſequi non deſiit. Hinc apud Tacitum vocatur Religio Chriſtiana, execrabilis ſuperſtitio, & ille Critias apud Lucianum irridens Chriſtianos, exclamat in Philopatre: *Phy, Phy, Phy, Phy, nugas illas. Heu, heu, heu, heu conſultationes malas. Va, va, va, va ſpei inani.* Et Tertullianus in Apologetico c.3. *Bonus vir Caius Seius, ſed malus tantùm, quia Chriſtianus.* Et rurſus: *Ego Lucium ſapientem virum repente factum Chriſtianum defero.* Ita Tertull. Tanto odio Chriſtianos inſequebantur, vt ſolum nomen eſſet contemptui & execrationi. At ceſſarunt iſtæ perſecutiones.

Secunda eſt quæ ſemper viget, & nunquam intermittitur, nempe morum corruptio, per carnis ſuperbiam contra ſpiritum militantem. Hæc vexatio interiora eius viſcera dilacerat, dum in ſuis membris regnat: nec Eccleſiæ minùs pernicioſa, quàm dum fides tormentis & pœnis probatur. *Semen quippe eſt ſanguis Chriſtianorum,* dicebat olim Tertullianus, *plures efficimur, quoties metimur à vobis.* At ſi fideles leges eius conculcant, ſi eius ſanctitatem prauis moribus proſcindunt, contorquentur viſcera eius immenſis doloribus. Cum igitur vidit S. Ioannes Imperium Romanum, in quantum vexans nomen Chriſtianum, cecidiſſe, propter conſtantiam Chriſtianorum in confeſſione nominis Chriſti, qua futiles redditæ fuerunt omnes Satanæ aſtutiæ, tormenta tortorum inania & deridenda extiterunt, perſecutorum malitia confuſa, & opprobrio onerata quieſcere coacta eſt: potuit dicere: *Quinque ceciderunt.* Sed ait de ſexto capite (quod in capitibus iam præciſis transfuſum, in ſeptimo transfundendum & in octauo transfundendum ſemper manet, nec vnquam à corpore beſtiæ, id eſt, à collectione omnium reproborum præſcinditur:) *Vnus eſt:* Ac ſi diceret: Etſi fidei perſecutores moriantur, interimantur, pereant, cadant, & ampliùs non ſint, reſtat ſemper in beſtia, in collectione & multitudine reproborum vnum caput vigens, ac ſemper viuens, quo Eccleſia vehementer affligitur, nempe morum corruptio, propter carnis cum ſpiritum certamen continuum. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem:* & hæc ſibi aduerſantur.

Hæc autem corruptio morum, quæ ceſſante primæuo ardore fidei & charitatis iam à multo afflixit tempore Eccleſiam, caput aliquod extulit in ſexta mundi ætate, (id eſt, à Conſtantino vſque ad Anti-Chriſtum) nempe Imperium Mahumeticum, à
B quo potiſſimùm multa mala Eccleſia paſſura eſt. Hoc Imperium videt S. Ioannes, dum ait: *Vnus eſt,* ſcilicet Rex & Imperator, ſeu Regnum, à quo iam vexatur Eccleſia. Licèt enim in eius temporibus Mahumeticum Imperium adhuc non exiſteret, eodem modo quo S. Ioannes de Anti-Chriſto venturo loquens dixit multos iam eſſe Anti-Chriſtos, (1. c. 2. *Filioli,* inquit, *nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis quia Anti-Chriſtus venit, & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* Quo ſenſu dixit *Rabanus, tractat de Anti-Chriſto, inter Auguſtini opera: Anti-Chriſtus multos habet ſuæ malignitatis miniſtros, à quibus multi in mundo præceſſerunt, qualis fuit
C Antiochus, Nero, Domitianus; nos quoque noſtro tempore Anti-Chriſtos multos nouimus eſſe. Quicumque enim ſiue Laicus, ſiue Canonicus, ſiue Monachus, contra iuſtitiam viuit; & Domini ſui gloriam impugnat, & quod bonum eſt blaſphemat, Anti-Chriſtus eſt, miniſter Satanæ.* Ita Raban.) Sicut igitur in his, qui Anti-Chriſti opera faciunt, Anti-Chriſtum eſſe & exiſtere dici potuit; ita in his, qui corruptis erant moribus, dici poteſt Imperium illud iamiam extitiſſe, à quo morum corruptio & carni voluptas plurimorum autoritatis ſibi conciliant, & liberè regnant.

Itaque cum S. Ioannes ait: *Quinque ceciderunt: vnus eſt:* Idem eſt ac ſi diceret. Etiam nunc, nulla exiſtente potentia, quæ de hinc valeat vnquam cur-
D ſum Euangelij impedire, aut eſſe obſtaculo quo minus nomen Chriſtianum in maximo ſit pretio, attamen quædam alia potentia prodit è medio, qua plurimum oppugnabitur Eccleſia, nempe amor carnalium, & proprij intereſſe ardens cupiditas; donec veniat Anti-Chriſtus, qui vltimum caput conſtituet beſtiæ Regnum Chriſti oppugnantis. Tales ſunt de quibus loquitur S. Petrus Epiſt. 2. c. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes. Vbi Angeli, fortitudine & virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe
E execrabile iudicium: hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delitias, &c.* De quibus & S. Iudas: *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* At nonne hæc omnia optimè conueniunt Imperio Mahumetico? Etenim Mahumetes in ſuo Alcorano (teſte Ricoldo ord. præd. Contra ſectam Mahumeticam c. 8.) Docuit non fore beatitudinem, ſi vlla illis deeſſet voluptas: *ſed potiùs,* inquit, *fruſtra eſſent omnia, niſi voluptas ſequeretur venerea.* Ita Ricold.

Quomodo igitur reſpueretur carnis voluptas, ſi

Digitized by Google

ea pro præmio, pro beatitudine appetenda proponatur? Certè notum eſt quomodo Mahumetici inimici ſunt crucis Chriſti, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt*, vt loquitur S. Paul. ad Philipp. c. 3. Hoc caput nequiſſimæ beſtiæ nondum cecidit, etſi ita regnare videatur, vt non impediat omnimodè ne fides Chriſti annuncietur: quin & in multis locis permittit Chriſtianis viuere ſecundum leges proprias. Tamen notum eſt quomodo ſpe terrenorum, & amore carnalium ſemper conatur plurimos à fide deficere. Hoc caput ſemper erectum habet beſtia, ſeu multitudo reproborum, ex quo oriuntur hæreſes, & ſchiſmata, multique veritatis & ſanctitatis hoſtes originem trahunt.

At verè caput omnis nequitiæ cernitur in Mahumete, à quo tot populi decepti fuerunt, quòd legem tulerit carni fauentem, & terrenarum rerum amatoribus gratiſſimam. Suis, vt notat Baron. to. 8. an. 630. plures permittit vxores, paradiſum eiſdem promittit exquiſitiſſimis cibariis abundantem, & fæminarum pulcherrimarum greges, cū quibus ad ſaturitatem valeant ſuam explere libidinem, quibus illi, qui plurimos ſectæ ſuæ hoſtes interfecerint, abundantiùs fruentur, vel etiam ij, qui in bello occumberent; vt ſic ſuos ad bellum ineundum audaciores redderet, quippe qui vi & armis ſuam Religionem introducere & defendere volebat, non autem argumentorum vi aut ratione; itaut meritò pro ſexto capite beſtiæ illum collocauerimus, qui Anti-Chriſtum ſeptimum caput præeat. Quod S. Damaſceno placuit, De hæreſibus, in fine, apud Baron. an. 630. dum ipſum aſſerit eſſe Anti Chriſti præcurſorem, cunctis aliis abominabiliorem.

Quàm autem ſit hoc caput perniciosum, & Chriſti Regno contrarium, quod quidem in crucis mortificatione gloriam ſuam ponit, experientia docet. Per illud ingens fidei periculum incurritur. *Peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur ab ſuperueniente iniquitate.* Sap. 1. Quis enumerare poſſet in quot quantoſque errores amor carnis plurimos induxerit, ad quærendas excuſationes in peccatis? Quis ignorat quam acerba attrahant ſupplicia carnis peccata, in capita eorum qui in his delectantur? Teſtes ſunt Sodomitæ: hoc clamant Gomorrhæi, quorum clamor ad Deum ſanctitatis amatorem peruenit. Vnde monet Apoſtolus ad Epheſ. c. quinto. *Fornicatio autem, aut omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, &c. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immūdus, aut auarus; quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Hac mira corruptione homines in ſe inuicem ſæuiunt, & homo eſt homini lupus. Sanguis enim Luxuriæ, ſanguinem vindictæ tangit, & ab adulteriis & fornicationibus facilè fit ad homicidia tranſitus. Nihil præterea adeo Dei cultum & obſequium impugnat, ac morum corruptio. In perſecutionibus namque, & in tormentis manet fides, erigitur ſpes, charitas roboratur. At vbi mores corrupti ſunt, hæc omnia pereunt. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, ait Dauid Pſalm. 13. Hinc, quia maxima erit morum corruptio in fine ſeculorum, hoc fidei & charitatis exterminium prædixit Chriſtus. *Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem ſuper terram?* Et, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Itaut nulla ex conditionibus (quas antea diximus requiri, vt aliquod regnum conſtituatur inter capita beſtiæ) huic capiti deſit. Cuius nequitia & potentia euidentiùs eminet in Mahumetico Imperio, quod ſextum caput conſtituere iam pluries diximus. Initium habuit equidem à tempore Apoſtolorum hoc genus perſecutionis, in Cerinthianis, Nicolaitis, quos S. Ignatius appellat voluptatum amatores, & ſycophantas. Incrementa habuit, feruore Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ deficiente. Caput extulit, dum quæ lege naturæ & diuina prohibentur, pro præmio virtutis proponuntur à Mahumete, donec tandem in Anti-Chriſto ad cumulum nequitiæ peruenerit. Itaut beſtia deſignet potentiam aliquam, quæ per morum corruptionem, ſenſum & motum obtinet; ſicut corpus animalis, per influentiam capitis ſentit & mouetur. Hæc in ſingulis Imperiis viuit. Hæc cæteris capitibus decidentibus, in hoc ſemper viget & vigebit, donec tandem completâ omni nequitiâ, ſæuitiâ, & morum corruptione: in Anti-Chriſto coniunctis eminentiſſimè, beſtia cum Dracone in profundum tartari demergetur.

Et alius nondum venit. Et cum venerit, oportet illum breue tempus manere.

ANNOTAT. XXXII.

Septimum caput Anti-Chriſtus, de quo hic loquitur S. Ioannes.

ILLE alius, qui nondum venit, procul dubio eſt Anti-Chriſtus, de cuius aduentu S. Paulus agit, 2. ad Theſſalo. c. 2. Qui locus difficilis certè elucidatur à S. Auguſtino 20. de ciuit. c. 19. & ad ſuum ſenſum accommodat Alcazar, fusè illum explicans, Not. 2. in 15. c. Apocalypſ. Ait igitur Apoſtolus: *Ne quis vos ſeducat vllo modo. Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Non retinetis, quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis. Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis. Tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.*

Huius loci explicationem aggredimur, vt quomodo ille alius venire debeat melius percipiamus. Duo ſigna aduentus Domini ad iudicium proponit S. Paulus primum eſt diſceſſio: Secundum eſt ipſe Anti-Chriſtus, qui hanc defectionem ſeu diſceſſionem ſtatim perſequetur.

Quantum ad primum, ex græco vocabulo ἀποστασία Syriaco Marduta, quod reſpondet Hebræo Mered, per diſceſſionem intelligenda eſt Apoſtaſia quædam defectio & rebellio, qua quis deficit à ſuo Principe, illique rebellat. Ita Cornel. à Lapide in hunc locum. S. Auguſt. 20. de ciuit. c. 19. pro diſceſſione legit refugam. Vnde Anti-Chriſtum per diſceſſionem intelligere videtur, per Antonomaſiam, quia erit multis cauſa recedendi à Chriſto, & quia erit hic præcipuus illius ſcopus, vt multos faciat à Chriſto deſciſcere, vel electos ipſos, ſi fieri poteſt. Sed cum S. Paulus aliis verbis perſonam Anti-Chriſti ſatis exprimat, videlicet addendo: *Et reuelatus fuerit homo peccati, &c.* Probabile eſt aliquid aliud quàm Anti-Chriſtum, per diſceſſionem deſignari. Vnde Cornelius exiſtimat S. Auguſtinum pro Apoſtaſia legiſſe Apoſtata, quamuis ex Græca, Latina, & Syriaca editione legendum ſit Apoſtaſia, quæ inſignis eſſe debet. Quod innuit in græco articulus ἡ & quod

Digitized by Google

nulla hîc gentis aut loci nominatione reſtringitur aut nominatur. Vnde reſtat inquirendum de qua inſigni diſceſſione aut rebellione S. Paulus loqui velit.

At notandum primò, ex communi expoſitione, hîc agi de Imperio Romano. Quam ſententiam S. Aug. refert l. 20. de ciu. c. 19. eique ſuſcribere videtur. *Quidam*, inquit, *putant hoc de Imperio dictum fuiſſe Romano, & propterea Paulum Apoſtolum non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio male optauerit, cum ſperaretur æternum, &c.* Et paulo poſt: *Illud tamen, quod ait Apoſtolus: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat; non abſurdè de ipſo Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit, tantùm qui modò imperat, imperet, donec de medio fiat, id eſt, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus. Quem ſignificare Anti-Chriſtum nullus ambigit.* Ita S. Auguſt. Sed in hoc omnes conſentiunt, nempe quod in hoc loco S. Paulus loquitur de Imperio Romano, vt ex expoſitionibus patet.

At difficultas eſt cuius ſit illa diſceſſio, à quo fiat illa diſceſſio, & an materialis ſit, vel formalis, ſeu ſpiritalis: id eſt: an ſit aliqua rebellio contra temporalem dominationem, vel an ſit diſceſſio à ſpirituali quadam dominatione. Quidam diſceſſionem eſſe dicunt gentilium à Regno Romano, ſicut in Daniele per beſtiæ imaginem dicitur. (Ita Sedulius Hybern. & Primaſius) & diſceſſionem ſeu rebellionem ſecundum eá quæ ad regnum temporale pertinent. Ita S. Ambroſ. dum Regni Romani defectionem vocat Regni Romani abolitionem. Et clarè S. Hieron q. 11. ad Algaſiam. *Niſi*, inquit, *venerit diſceſſio primùm, vt omnes gentes, quæ Romano Imperio ſubiacent, recedant ab eis; & niſi fuerit Romanum Imperium antea deſolatum, & Anti-Chriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet.* Ita Hieron. Et S. Chryſoſt. in hæc verba: *Et nunc quid detineat ſcitis. Quoniam autem hoc dicit de Romano Imperio, meritò etiam ænigmaticè & adumbratè eſt locutus. Neque enim volebat ſuperuacaneas ſuſcipere inimicitias, & inutilia pericula. Nam ſi dixiſſet futurum iam vt paulo poſt Romanum euerteretur Imperium, eum protinus tanquam exitioſum, & peſtiferum hominem infodiſſent, & fideles omnes, vt qui ſub eo viuerent & militarent, &c.* Et paulo poſt in hæc verba: *Tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec è medio fiat. Hoc eſt: Quando Romanum Imperium de medio fuerit ſublatum, tunc ille veniet. Et meritò. Quamdiu enim fuerit metus huius Imperij, nemo citò ſubiugetur. Quando autem hoc fuerit euerſum, vacans inuadet Imperium, hominumque & Dei Imperium aggredietur rapere. Quomodo enim euerſa ſunt, quæ ante id fuerunt, regna, vt pote Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Perſis, Perſarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis, ita hoc quoque ab Anti-Chriſto, & ille à Chriſto, & non amplius retinebit. Et hoc cum magna euidentia nobis tradit Daniel.* Ita S. Chryſoſt.

Eadem ſentit Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice c. 5. *Sciendum*, inquit, *eſt Romanum Imperium tandem diuidendum in decem Reges, quorum nullus erit vel dicetur Rex Romanorum, etſi omnes occupabunt prouincias aliquas Romani Imperij, ſicut modò Rex Galliæ, Rex Hiſpaniæ, & Regina Angliæ; & tamen non ſunt Romani Reges vel Imperatores. Donec autem hoc non fit, non poteſt Anti-Chriſtus venire.* Ita Bellarm. Ex quibus patet quorum ſit defectio & diſceſſio, nempe omnium Prouinciarum quæ Romano olim ſubiacebant, vel nunc adhuc eidem ſubiacent Imperio: A quo fiat diſceſſio, nempe à Romano Imperio: Et in quo fiat diſceſſio, nempe ab eius Imperij aliquali dependentia temporali, itaut huius Imperij partes nec tributa pendeant, nec reuerentiam aut obedientiam præſtent: imo deleto hoc Imperio, nullus

A ſit qui amplius vocitetur Rex aut Imperator Romanorum.

At liceat mihi, cum bona venia tantorum autorum, & ſalua eorum reuerentia, dicere, non eſſe improbabile diſceſſionem hanc eſſe gentium quidem & nationum à fide & à Chriſto: ſed potiſſimùm eſſe Romani Imperij ab obedientia, & ſubiectione Eccleſiæ omnimodam ſubtractionem, quæ præcedere debet aduentum Anti-Chriſti. Nam ſtatim atque Imperium illud fuerit ita ab autoritate Eccleſiæ independens, vt nec ab eo coërceri queat, ſicut coërciti fuerunt Imperatores ſchiſmatici, dum Eccleſiæ legibus obedire detrectarent, tunc fiet diſceſſio vniuerſalis, & Anti-Chriſtus adueniet,
B hanc rebellionem per deſtructionem temporalis regni, & Imperij Romanorum, à ſchiſmatico quodam aut hæretico occupati & vſurpati, vindicaturus. Fauet Anſelmus apud Cornelium à Lapide, qui *cenſet diſceſſionem & defectionem iſtam eſſe à Romano Pontifice & Eccleſia, tum denique à fide & Chriſto.* Ita Cornel.

Hic igitur erit rerum ordo, ni fallor. Deficiet in plurimis fides, iuxta illud Saluatoris: *Quando venerit filius hominis, putas inueniet fidem ſuper terram?* Ex defectu fidei abundabit iniquitas. Ex abundantia iniquitatis, tanquam ex abyſſo, aſcendet beſtia in octauo capite; nempe quia Imperium Romanum, quod olim tanquam Ethnicum vexauit Eccleſiam,
C rurſus in fine ſeculorum tanquam ſchiſmaticum, in quodam Imperatore ſchiſmatico vel etiam hæretico, Eccleſiam perſequetur, & è Romana ciuitate ſummum Pontificem expellet, vt poſtea fuſiùs dicemus. Quam tyrannicam vexationem & vſurpationem vindicabit Anti-Chriſtus. Tunc enim & reuelabitur ille iniquus *homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus.* Hoc conjicio, quia hæc Apoſtaſia, ſeu rebellio, & defectio debet eſſe inſignior. At non eſſet, niſi qui inter populos & nationes eminentior cenſetur, contra id quod ſupra omnem temporalem dominationem à Deo exaltatum eſt, inſurgat, quale eſt Eccleſiæ Romanæ autoritas & dignitas; quæ po-
D ſita eſt in ſuperbiam ſeculorum, & cui omnes Reges ſeruire debuerunt, & obedire in iis quæ ad ſalutem æternam conſequendam pertinent. Cum igitur & Imperatoria dignitas cæteris præemineat, & Eccleſia ſupra omnia temporalia ſublimetur; vt ſit inſignior diſceſſio, debet eſſe diſceſſio Imperij ab autoritate Pontificia: nec etiam eſt tam inſignis diſceſſio à temporali Dominio, quàm eſt defectio à ſpirituali Dominio: ſubiecti equidem debent eſſe fideles omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus eius, quaſi ab eo Miſſis in vindictam malorum, laudem verò bonorum. At cum non ſemper Reges terreni iuſta præcipiant, (ſi videlicet aliquid contra Deum, aut Dei cultum
E & fidem iniungant,) quia apud eos non eſt illa virga directionis, de qua Pſalmiſta ait: *Virga directionis, virga regni tui*; Quæ inflexibilem ſeruat in omnibus iuſtitiam, ſed ea tantum in Eccleſia reperiatur; ideo cum Regibus in iſtis non obtemperatur, nec eis obedientia præſtatur, (quia *obedire oportet Deo magis quàm hominibus*) non eſt tam ſaluti pernicioſum, quàm ſi à iuſta Eccleſiæ autoritate diſcedat: quam qui non audiunt, ipſo ſaluatore autore, tanquam Ethnici & publicani habendi ſunt. Vnde diſceſſio à Regibus non eſt tam inſignis, quàm defectio ab Eccleſia & fide; quia hæc nunquã poteſt fieri abſque detrimento ſalutis, alia autem in quibuſdam fit abſque vllo ſalutis detrimento. Itaque ſi hîc inſignior diſceſſio intelligenda ſit; de diſceſſione potius ab Eccleſiæ autoritate, quàm à temporali Dominio hîc

Digitized by Google

locus intelligendus eſt.

At cur nondum venit? Eſt reuera aliquid quod remoretur aduentum Anti-Chriſti, etſi iam myſterium operatur iniquitatis, iam fiunt & exercentur ea, è quibus emergere & aſcendere debet illa mala beſtia, ſiue ſit illa octaua, quæ diſceſſionem & rebellionem factura eſt, cum ob ambitionem intollerabilem dicet ille inuaſor Imperij Romani; *Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipſorum*, nempe Paſtorum Eccleſiæ, à quibus Reges & principes ſeculi Chriſtiani intra officij limites per metum iudiciorum Dei continebantur; Siue ſit illud ſeptimum caput, nempe Anti-Chriſtus, fiant nempe & exerceantur ea omnia quæ ſuggerit; vel morum corruptio ingens, ſeu proprij commodi immenſa cupiditas, vel tandem amoris carnalium ardor vehementiſſimus, aliter iam typus Anti-Chriſti ſuam vim exercet in his, qui perſequuntur Chriſtianos. Vnde apud Cornelium Syrus vertit: *Myſterium iniqui illius iam ſedulò agere incipit.* In primo ſenſu verbum (*operatur*) paſſiuè ſumitur. Ac ſi diceret ſanctus Paulus: iam multi ſunt corrupti moribus, in quorum vita profligatiſſima blaſphematur Chriſtus: è qua morum corruptione & colluuie orietur tanta animi præſumptio & audacia, vt veniat tandem qui ad eo erit arrogans, vt Eccleſiæ autoritatem ac maieſtatem dejicere, & pedibus conculcare proponat. In quo ſenſu dixit S. Auguſtinus 20. de ciuit. c. 19. *Alij verò, & quod ait. Quid detineat ſcitis, & myſterium operari iniquitatis; non putant dictum niſi de malis & fictis, qui ſunt in Eccleſia: donec perueniant ad tantum numerum, qui Anti-Chriſto magnum populum faciat; & hoc eſſe myſterium iniquitatis, quia videtur occultum; Hortari autem Apoſtolum fideles, vt in fide, quam tenent, tenaciter perſeuerent, dicendo: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat. Hoc eſt: donec exeat de medio Eccleſiæ, myſterium iniquitatis, quod nunc occultum eſt. Ad ipſum enim myſterium pertinere arbitrantur quod ait in Epiſtola ſua Ioannes Euangeliſta: Pueri, nouiſſima hora eſt. Et ſicut audiſtis quod Anti-Chriſtus ſit venturus, nunc autem Anti-Chriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus quod nouiſſima ſit hora. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Sicut ergo ante finem, in hac hora, inquiunt, quam Ioannes nouiſſimam dicit, exierunt multi heretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Anti-Chriſtos: Ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Chriſtum, ſed ad illum nouiſſimum Anti-Chriſtum pertinebunt: & tunc reuelabitur.* Ita Auguſt. At ſi verbum (*Operatur*) actiuè ſumas, idem erit ac ſi diceret: Figura, typus, myſterium ſignificans & delineans Anti-Chriſtum, iam multa agit vi & violentiâ, quæ illius crudelitatem & perſecutionem optimè adumbrant. Quo ſenſu dixit ſanctus Ambroſius: *Myſterium iniquitatis & à Nerone inceptum eſt, qui Zelo idolorum, Apoſtolos interfecit, inſtigante patre ſuo diabolo, vſque ad Diocletianum & nouiſſimè Iulianum, qui arte quadam & ſubtilitate cæptam perſecutionem implere non potuit, quia deſuper conceſſum non fuerat.* Ita Ambroſ. *Myſterium iniquitatis*, inquit Cornel. à Lapide, *id eſt, iniquitas arcana & myſtica, id eſt pietatis aut legitimi Dominij & Imperij titulo & nomine palliata, occultè iam in impiis, hypocritis & hereticis, ac præſertim in impiiſſimo Nerone operatur, quæ ſenſim proſerpit, & creſcit, donec per Anti-Chriſtum in publicam iniquitatem proſiliat.* Ita Cornel. Cum igitur iam tanta ſit ad diſceſſionem præparatio, cum iam typus Anti-Chriſti adeo genuinus cernatur, quid detinet quominus non adueniat ille Anti-Chriſtus? Dico: detinebat & remorabatur illius aduentum primat fidelium fides, pietas, & obedientia, quæ impediebat diſceſſionem à fide, & ab obedientia prælatis exhibenda.

A Detinebat & remorabatur illius aduentum ipſa perſecutio, quæ impediebat ne numerus electorum compleretur, inquit Lud. ab Alcaz. quod nec dum impleta eſſent Romanorum peccata, vt delerentur; nec dum venerat diſceſſio, & defectio generalis à Romano Imperio, vt vult Cornel. ex Chryſoſth. Ambroſ. & aliis. Sed ſi diſceſſio ſit, vt diximus, diſceſſio ab Eccleſiæ obedientia, prima admittenda eſt expoſitio. Quandiu enim ſummo Eccleſiæ Paſtori obedientia exhibebitur, tandiu permanebit Romanum Imperium, nec delebitur; & eo non deleto, nondum veniet Anti-Chriſtus. Quid igitur agendum fidelibus, ſi quis dixerit quod inſter dies Domini? Hoc vnum tantum illis faciendum, & huic vni attendere, huius rationem habere debent, nem-
B pe vt qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat. Id eſt: Primò, vt qui habent fidem, in fide permaneant ſtabiles, donec prodeat è medio Eccleſiæ, ex ingenti morum corruptione, inſignis illa defectio & diſceſſio ab Eccleſia, & contra Paſtores, & præcipuè ſummum Pontificem, manifeſta & aperta rebellio. Secundò, qui autoritatem, & poteſtatem habent, illam retineant, donec Deus permiſerit vt è medio Eccleſiæ, ex immenſa ambitione prodeant qui eis obedire manifeſtè detrectent. Tertiò: Qui Imperij Romani tenent ſceptrum, illud teneant, donec illis auferatur, ſtatim atque eo ſceptro vti voluerint ad Eccleſiam rurſus perſequendam: nam
C ſtatim atque peribit fides in corde plurimorum, ſtatim atque fiet talis diſceſſio ab Eccleſia vt nulla amplius exhibeatur Eccleſiæ Paſtoribus obedientia, tunc reuelabitur ille iniquus, qui & Romanum Imperium delebit, & ſe ſupra omne, quod dicitur Deus, efferre non dubitabit. Et ad maiorem horum elucidationem, Ex Cornelio à Lapide annotandum eſt certum eſſe Romanum Imperium eſſe vltimum; & duraturum vſque ad finem mundi; tunc verò in aliud Imperium, Anti-Chriſti ſcilicet, ſed breue, commutabitur. Deinde certum eſt Romanum Imperium deſtruendum eſſe, vel ab ipſo Anti-Chriſto, vel potius ante eum; Tertiò, Romam ſub finem mundi ad priſtinam Imperij dignitatem, æquè ac ad ſcelera, & à Chriſtianiſmo ad Ethniciſ-
D mum, ſi Cornelio credimus redituram, *Ego verò dico ad ſchiſma & hæreſim deuenturam, Pontificemque ſuum expulſuram, & fideles ei adhærentes perſecuturam, vti fecit tempore Neronis, Decij, & aliorum Imperatorum gentilium.* Ita Cornel. Sed de his poſtea, poſtquam dixerimus quomodo breue tempus manere debeat Anti-Chriſtus.

Et cum venerit, oportet illum breue tempus manere.

ANNOTAT. XXXIII.

BREVE quidem tempus manebit Anti-Chriſtus
E quia tantum tres annos cum dimidio regnabit, & à Chriſto profligabitur, iuxta illud S. Pauli ad Theſſalonic. 2. c. 2. *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Quod quidem, quidquid dicat Alcazar, intelligendum eſt de propria atque perſonali Anti-Chriſti nece. Nec video, cur velit Pauli locum de hac propria occiſione non agere, ſed ſolum velle Chriſtum Dominum, ſui oris ſpiritu, & excellentiſſima ſuæ præſentiæ manifeſtatione, fraudem ac tyrannidem Anti-Chriſti euerſurum. *Hoc*, inquit, *mihi textus ipſe ſonat cum ſua origine collatus.* Ac quid ſonat textus, quæſo, ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, ἀναλώσει propriè, inquit Alcazar, Conſumet; atque, vt in græco theſauro obſeruatum, verbum ἀναλίσκω ſignificat conſumere,

Digitized by Google

conſumere, extinguere, perdere. Itaque non hic ſignificat occidere, ſiue interficere, vitâ prorſus ablatâ, ſed deſtruere, ſiue euertere. Leuis certè & ingenioſa potiùs quàm ſolida coniectura. Nihil enim iam familiare eſt apud autores, quàm hæc verba, conſumere extinguere, perdere, pro vera occiſione vſurpate. De verbo, conſumo, Deuter. 32. *Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.* Ioſue 10. *Cuncta quæ in ea reperit, conſumens gladio.* Et de Ioram dicitur 2. Paralip. 21. *Longa conſumptus tabe, langnore pariter & vita caruit* Et de Heroina illa matre Machabæorum ſanctiſſima, 2. Machab. c. 7. dicitur: *Nouiſſimè autem poſt filios mater conſumpta eſt.* Et de verbo extinguere 2. Regum 14. Thecuitis illa, illo vſa eſt pro verbo, interimere, aut interficere. *Quærunt*, inquit, *extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen.* Vnde poſtea mentem ſuam aperiens ait: *Recordetur Rex Domini Dei ſui, vt non multiplicentur proximi ſanguinis ad vlciſcendum & nequaquam interficiant filium meum.* Quantum ad vocabulum (perdo) Geneſ. 18. *Nunquid perdes iuſtum cum impio?* Geneſ. 19. *Miſit nos, vt perdamus illos.* Deuteron. 28. *Conterat te, & perdat velociter.* Matt. 2. *Quærebat puerum ad perdendum eum.* Eſto igitur, græcum verbum ſonet, Conſumere, extinguere, perdere; non video ex hac verborum ſignificatione nos cogi debere, vt dum dicitur: *Quem Dominus Ieſus conſumet*: extinguet, perdet, exiſtimare debeamus interpretem vulgatæ editionis mentem S. Pauli non attigiſſe, dum vertit: *Interficiet ſpiritu oris ſui.* Meliùs igitur Cornelius: *Abſumet, conſumet, perdet, itaut in terra inter homines viuentes eſſe deſinat; & præcipitetur in mortem æternam inferni.* Ita Cornel. Quam interpretationem tanto libentiùs amplector, quod videam S. Paulum, in his quæ ſubſequuntur, cum indicare ſenſum, quem affectat Alcazar non eſſe dandum prædictis verbis: *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui*: Nam dum S. Paulus addit. *Et deſtruet illuſtratione aduentus ſui*; bis eadem dicere videretur, ſi in prima verſiculi parte tantùm indicare vellet Chriſtum Dominum excellentiſſima ſuæ præſentiæ manifeſtatione fraudem ac tyrannidem Anti-Chriſti euerſurum. Græcum ſiquidem *καταργήσει* pro quo latinus interpres ponit, *Deſtruet*, ſignificat, Reddere inefficacem, imbellem, enetuem, euanidam, omnem vigorem & vires adimire, interdum deſtruere, ait Alcazar. Quod enim viribus ac vigore ſpoliatur, euerſum ac deſtructum remanere videtur. Exiſtimo igitur in prioribus verbis S. Paulum de vera nece perſonæ Anti-Chriſti eſſe intelligendum: in ſubſequentibus, de euerſione illius tyrannidis & fraudis.

Dices: Anti-Chriſtus & præcurſor eius viui detrudendi ſunt ad inferos, Apocaly. 19. Ergo non interficietur. Reſpondet Cornelius: *Viuus mittendus eſt in infernum, quia viuus eo dimitti & deſcendere incipiet: ſed in via, antequam pertingat ad infernum, ſuffocabitur, & occidetur, vti Core, Dathan, & Abiron.* Ita Cornel.

Diceres quodam halitu & ſpiritu è ſede deturbari ac dejici, & terra hiſcente abſorberi & interimi antequam ad ima tertari deſcendat extingui.

De modo, quo interficiendus eſt Anti-Chriſtus.

ANNOTAT. XXXIIII.

CHRISTVS, vel per ſe, vt docet Lactantius l. 7. c. 19. vel potiùs, vt alij per Michaelem Archangelum, adminiſtrum, ſuæ ſententia executorem & præcurſorem,

A *ad iudicium, deturbabit Anti-Chriſtum: cumque dehiſcens terra abſorbebit, viuumque rapient dæmones in tartara. ſiue viuus eo perueniat, ſiue non, ſed in itinere occidatur.* Ita Cornel. in Paulum.

At antequam mentem meam aperiam, Dico primò. Deo familiare eſſe, (ſi velit prouidentiæ ſuæ magnitudinem declarare, & potentiæ ſuæ ſignum edere) hæc quatuor obſeruare; Primum, modo extraordinario Eccleſiæ adiutorem ſe præbere. Adiutor verè in opportunitatibus, ſi eam ſemel permiſerit ad anguſtias redigi & coarctari nec eam eouſque periculi deuenire permitteret, niſi vellet ipſi auxilium præbere in tempore opportuno: vt euidentiùs pateat quantam curam de ea gerat. Tunc
B enim, dum in extremis agit maior gloria ad Deum redundare videtur, cum ei ſuppetias præſtat, & eam, rebus omnibus ad deſperationem adductis, potenter eripit è quacumque vexatione, & ab omnibus liberat anguſtiis, quas amouere potuiſſet, ſi voluiſſet, antequam eiſdem premeretur. Secundum: Quo maior viſa fuit derelictio, & Eccleſia magis depreſſa fuit, eo conſueuit ipſam reddere glorioſiorem & illuſtriorem. Tertium eſt, quo magis extolluntur, & ſuperbiunt Eccleſiæ perſecutores, & maiori arrogantia efferuntur inalium, eo debiliora & infirmiora media Deus aſſumit, vt illos reddat inglorios, & per contemptibiliora & debiliora confundat fortia. Quartum addo:
C Quo maior notior, & euidentior eſt rebellio contra ſuam voluptatem, eo ſtudioſiùs vult vt percipiatur omnes creaturæ ſibi militare, & pro ſe pugnare contra inſentatos. Quæ quidem omnia valde congruunt gloriæ diuinæ prouidentiæ. Ex quibus conjicio quod cum Anti-Chriſtus Eccleſiam ſit deducturus ad maiores, quas vnquam paſſa fuerit, calamitates & anguſtias, Deus (vt illam eripiat ex his anguſtiis) medium aliquod aſſumere & eligere debet, quo ſenſibiliùs percipiatur quantùm ſollicitè de illa curam habeat: Secundò eam tanto altius extollat poſt Anti-Chriſti necem, quo demiſſiùs depreſſa ab eo fuerat. Tertiò, Anti-Chriſtus, qui ſeſe extulerat ſupra omne quod dicitur Deus, interi-
D mendus eſt & dejiciendus re quæ pro tunc deſpicabilior exiſter. Denique vt hæc ita fiant, oportet vt ex ſupplicio & depreſſione Anti-Chriſti, percipiatur Deum Dominum eſſe omnium, ad cuius nutum omnia obediunt.

His præſuppoſitis, Dico primò, Anti-Chriſtum non eſſe moriturum de genere mortis, quo è viuis exceſſit Alexander magnus, de quo dicitur 1. Machab. 1. *Et congregauit virtutem & exercitum fortem nimis. Et exaltatum eſt & eleuatum cor eius. Et obtinuit regiones gentium, & tyrannos: & facti ſunt illi in tributum. Et poſthæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.* Hoc enim genus mortis non videtur extraordinarium; nec tam euidenter videretur Anti-Chriſtum
E mori aut decedere ex ſpeciali quadam circa res Eccleſiæ prouidentia Dei, ſed hoc tantùm accidiſſe ſecundum ordinem rerum naturalem, qui talis eſt vt quidquid initium habuit, finem etiam nanciſcatur.

Dico ſecundò, Anti-Chriſtum à ſua tyrannide non fore expellendum per aliquam alium principem, aut Monarcham, ſicut expulſus eſt Darius per Alexandrum à Regno Babylonis; Balthazar Rex Babyloniorum neci traditus à Cyro Rege Perſarum. Nam ſi Deus aliquam externam potentiam adhiberet, vt Eccleſiam à tyrannide Anti-Chriſti eriperet, (ſicuti olim Cyri operâ vſus eſt, vt populum Iſraëliticum in terram Iuda redintegraret, à qua fuerat abſtractus) hoc non tantam gloria Eccleſiæ afferret, quantam obtinebit, ſi propria ſibi à

Digitized by Google

Deo datâ ſubnixa virtute, draconem hunc conterat ſub pedibus ſuis, abſque vllis ſeculi adminiculis. Voluit quidem Deus vt potentia ſecularis manum aliquando auxiliarem præberet Eccleſiæ, tum vt meriti occaſionem daret Principibus & Regibus, dum Eccleſiæ Dei protectionem ſuſcipiunt, eique contra hoſtes fidei ac Religionis, auxilium præſtant; tum vt indicaret corda Regum in ſua eſſe manu, ſicut ait Sapiens, Prouerb. 21. *Diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud.* At non videtur ita agendum pro iſtis temporibus, in quibus dici poterit: *Adſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum eius.* Tunc enim ſatius erit vt Eccleſia ſeipsâ tantùm ſubſiſtat, appareat que tanquam ſaxum immobile, contra quod fluctus feri maris huius ſeculi illiduntur & franguntur, & manifeſtò appareat quod contra eam non poſſunt præualere inferorum portæ.

Dico tertiò Anti-Chriſtum genere mortis prodigioſo & extraordinario extinguendum fore. Siquidem ſatis non erit vt veluti Sennacherib occidatur à ſuis, aut vt Holophernes, dum vino ſepultus iacet, ſopitus, à muliere interimatur; ſed portentoſo quodam modo à Deo percuſſus ſentiat quàm fortis & potens ſit ille, contra quem militare auſus eſt impudentiùs, verumque dixiſſe olim Antiochum eius figuram & typum: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Machab. 2. c. 11. Quod ſi olim Herodes, quia non dedit gloriam Deo, (cum à populo ſibi adulante acclamatum fuit, ipſo ad populum concionante: *Dei voces non hominis*) ab Angelo percuſſus fuit, & conſumptus vermibus expirauit; quomodo non percutietur ille impius, qui ſeſe extollere audebit contra id omne, quod dicitur Deus?

Dico quartò: illud genus mortis, quo interficietur, ita erit prodigioſum & extraordinarium, vt ſimul percipiant mortales Deum in eo interimendo vti aliqua re, tanquam inſtrumento, quæ pro tunc maiori ſit deſpicationi & contemptui. Cauſa igitur illius interitus non erit incognita aut inuiſibilis, ſicut cum Deus deſcendiſſe dicitur, vt confunderet linguam eorum qui turrim Babylonis ædificabant; qui mirati ſunt, dum non audit vnuſquiſque vocem proximi ſui, causâ huius confuſionis manente illis incognitâ. Vnde non eſt credibile Chriſtum Dominum viſibiliter deſcenſurum, vt halitu ſuo illum dejiciat, ſicuti olim S. Paulo apparuit, quem alloquens proſtrauit in terram: nec enim tantæ maieſtati congruit, vt quod per minimam ex ſuis creaturis, vel ſola voluntate, nullâ adhibitâ creaturæ operâ, præſtare poteſt, hoc velit viſibili quadam ſui ipſius præſentia exequi & perficere. Exigit potiùs tam enormis Anti-Chriſti arrogantia, vt ſenſibili deiectione, re viliori & contemptibiliori conteratur. Et ſicut Deus debilibus inſtrumentis vti voluit, vt maior videretur illius ſapientia & potentia, quo debilioribus vteretur inſtrumẽtis (Vnde dicebat Apoſtol. 1. ad Cor. 4. *Videte enim vocationẽ veſtrã, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*) Ita congruum eſſe videtur, vt eadem agendi ratione vtatur in euerſione tam potentis inimici, qui ſuum opus, nempe Eccleſiæ regnum, voluit quantum in ſe fuit abolere & deſtruere. Hinc oportet vt per ſolam Eccleſiæ autoritatem, & ſpiritalem illius potentiam confundatur, & conteratur. Eccleſia namque, in his

A temporibus, ſapientibus huius ſeculi videbitur quædam congregatio hominum ſapientiâ omni & prudentiâ deſtitutorum, quæ audeat tantæ potentiæ ſe opponere; mente deſtituta, quæ tot ſignis & prodigiis fidem adhibere renuat. At non modo ſtulta videbitur, ſed infirma: quia vel Reges terræ Anti-Chriſto obſequentes illam delere attentabunt; vel, ſi qui ſunt alij, illi ſuppetias ferre contra tam potentem hoſtem non audebunt. Erit igitur tunc verè odio & abominationi habita, & omnimodè derelicta. Taceo de innumeris generibus tormentorum, quibus torquebuntur omnes, qui Chriſti nomen confiteri palam & publicè audebunt: cuius nominis confeſſio, fide deficiente, parum momenti eſſe

B reputabitur ab iniquis, & infidelibus, & incredulis. Vnde ſtultum eſſe exiſtimabunt, ſi quis pro re tam parui momenti tanta pati & perferre tormenta feligat. Deus igitur ſolâ potentiâ, quam ſuæ Eccleſiæ contulit, vtetur. Erit enim tunc hæc Eccleſiæ autoritas contemptibilis valde, cum nec credent eius hoſtes apud eam aliquam reſidere aut exiſtere poteſtatem. Hanc igitur Deus adhibebit, vt non glorietur in conſpectu eius homo iſte carnalis. Et ſic deſtruet eum illuſtratione aduentus ſui, quia per ſpiritalem potentiam, quam Deus, pater ſpirituum, Eccleſiæ contulit, propter verbi diuini incarnationem, (cuius Eccleſiæ caput factus eſt Chriſtus) deſtruetur & confundetur homo carnalis Anti-Chri-

C ſtus.

Dico denique, quod quamuis re contemptibiliori in oculis mortalium, Deus Anti-Chriſti arrogantiam ſit depreſſurus, nihilominus cum hoc perficietur, omnia mundi elementa obſequium creatori exhibere videbuntur; ac ſi quælibet creatura indignatione quadam commoueretur contra Anti-Chriſtum, propter illatam creatori iniuriam: & à tyrannica Dominatione Anti-Chriſti iugum excuteret, qui per ſigna & prodigia, quæ peregit in omnibus elementis, in ea tyrannicam vſurparat autoritatem. At antequam dicamus quo medio vtetur Chriſtus, vt interficiat Anti-Chriſtum, præſupponendum primò, quod licet Anti-Chriſti perſecutio maior

D cæteris ſit futura, vniuerſalior, acerbior, quacumque aliâ, nihilominus Eccleſia ſemper viſibilis apparebit in plurimis Chriſtianis, qui in fide & confeſſione nominis Chriſti patenter & publicè perſeuerabunt: & licèt variis crucientur tormentis, & premantur innumeris calamitatibus, anguſtiis, vexationibus, in fide conſtantes permanebunt. Hoc ſatis innuit Chriſtus Dominus, dum ait: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Matt. 24. Erunt igitur tunc adhuc plurimi electi, quorum gratia breuiabuntur dies illi: nec incogniti & inuiſibiles, quia ad eos dicetur vt à Romana ciuitate diſcedant, cum eius deſtructio fi-

E nalis aduenerit, quam prædicit S. Ioannes c. 18. Audient enim hanc vocem: *Exite de illa, populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius accipiatis.* Multi igitur in his calamitoſis temporibus erunt, ad quos hæc poſſit dirigi oratio: quamuis pauci cenſeantur, ſi cum multitudine impiorum immenſa comparentur, de qua c. 20. fit mentio, qui circuire debent caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam, id eſt, congregationes particulares fidelium, ſiue illæ in deſertis & locis abditis ſint, ſiue quoſdam exercitus cogites, qui Eccleſiæ autoritatem contra impetum tot hoſtium defendere audeant: Denique omnem illam ciuitatem dilectam, id eſt, multitudinem confitentium publicè Chriſti nomen, toto orbe diffuſam, vel illam ciuitatem à

Digitized by Google

Deo electam, vt in ea ſecedat Romanus Pontifex cum ſuis, cum ab vrbe Roma per Imperatorem inuaſorem ſchiſmaticum & hæreticum fuerit expulſus. Nec enim exiſtimandum eſt in his infeliciſſimis temporibus Eccleſiam capite viſibili eſſe deſtituendam. Hoc non conueniret promiſſis à Chriſto: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Præualerent ſiquidem, ſi capite deſtitueretur, ſi inuiſibilis tantùm exiſteret in quorumdam cordibus. Vnde extat S. Malachiæ Prophetia, quam refert Cornelius in 17. Apocaly. p.256. *In perſecutione extrema S.R.E. ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oues in multis tribulationibus: quibus tranſactis, ciuitas ſeptiscollis diruetur, & Iudex tremendus iudicabit populum ſuum.* Ita Malach. Et Cornelius ipſe in fine capitis ait: *Poterit Pontifex, vrgente perſecutione, vrbiſque excidio, profugere extra Romam, ſeque in aliis locis & vrbibus abdere, vti fecit S. Sylueſter in monte ſoracte, & aly plures poſt eum.* Ita Cornel. Erit igitur adhuc Eccleſia, cum ſuo capite, viſibilis. Hoc præſuppoſito, Dico: Modus, quo exterminari debet Anti-Chriſtus, is probabiliter, vt mihi videtur, erit. Summus Eccleſiæ Pontifex, in Anti-Chriſti perſona agnoſcens omnes Prophetias de eo factas adimpleri, & pro comperto habens ipſum eſſe illum, quem ſcripturæ prædixerant hoſtem & aduerſarium Chriſti & Dei implacabilem futurum, illum anathematizabit, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran atha*, illumque nominatim declarabit, non modo à communione fidelium in hac vita præcidendum ac præciſum; ſed veluti diaboli captiuum ad omne opus bonum reprobum illum tradet poteſtati eius cruciandum & torquendum, non in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die iudicij (quo fine anathematizauit S. Paulus Corinthiacum fornicatorem) ſed tanquam diuinæ iuſtitiæ miniſtro & tortori, vt hunc iniquum perditionis filium ſecum trahat ad ima tartari, vt pote Chriſti hoſtem, pietatis vaſtatorem, Deo exoſum & abominabilem. Et tunc vel fulgure tactus, vel vi quadam occulta è throno eiectus, terra dehiſcente adhuc viuus abſorbetur, ſuffocabitur, & in gehennam ignis æterni dimittetur comburendus: quin & ignis de cælo deſcendet à Deo, vt dicitur Apocaly. 20. ad deuorandum eos qui ſub eius vexillis Eccleſiam obſidebant & oppugnabant, & delere eam & exterminare volebant. Et ſic illum Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Ac in hoc genere exterminij Anti-Chriſti, facilè erit videre adimpleri ea quæ ſupra tetigimus, nempe Deum ſolitum eſſe in extremis periculis auxilium præſtare Eccleſiæ, modo quodam mirabili, & prodigioſo, & extraordinario. Mirabili enim modo interficietur ſola anathematis, & maledictionis pronunciatione, ab ore ſummi Pontificis & Paſtoris Eccleſiæ prodeunte. Mirabile erit ad prolationem verbi tantum hoſtem proſterni, eius auxiliares copias igne cõſumi, & Eccleſiam in tali anguſtia redactâ, abſq; armis, abſq; vllis ſeculis adminiculis, ad pacem & tranquillitatem redire, qua ſecurè fruatur, nullo deinceps illi reſiſtere audente. Certè hac ratione in immenſum extolletur eius autoritas & dignitas, cum abſque ope alicuius temporalis poteſtatis hac ſua autoritate fulta, qua ſpoliari nequiuit, quamuis cæteris aliis ornamentis, & mundano quolibet ſplendore & gloria ſeculi fuerit ſpoliata, potuerit tam impudentem, arrogantem, & ſuperbum hoſtem proſternere. Prodigioſum proculdubio genus mortis, fulmine tangi, viuus intra viſcera terræ abſorberi, inferno ſepeliri, ſola hominis voce illum proſterni, ſub quo vniuerſus tremebat orbis. Sed cuiuſnam hominis voce, quæſo? Illius nempe qui deſpicabilis videbatur, qui omni illo ſplendore priuatus erit, quo nunc auguſtior, & maiori honore dignior redditur.

Denique Angelis, qui motores ſunt cœlorum, modo ſpeciali concurrentibus ad formationem nubium, tonitruum, & fulgurum, & ignium, quibus conſumentur Anti-Chriſtus, & eius milites & fautores: terra in eodem inſtanti dehiſcente, vt illum abſorbeat, igne è cœlo cadente, vt deuoret caſtra exercitus illius, quibus nomen Chriſtianum abolere & delere contendebat: quis non videt omnia tunc elementa in vindictam iniuriæ Dei illatæ armari, & contra impios & blaſphematores nominis Chriſtiani, tanquam contra verè inſenſatos, fortiter dimicare?

Nec iſta repugnant iis quæ aſſerit S. Paulus, dum ait: *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Imo potius iſta optimè conueniunt. Non enim abſque cauſa S. Paulus noluit dicere præcisè, Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui; ſed addidit, *Dominus Ieſus*, ſi enim ſolummodo Dominum poſuiſſet, hæc actionum videretur adeo expreſsè ordinem habere ad Chriſti humanitatem, qualem habere videtur, dum addit, *Dominus Ieſus*, vt hæc actio ordinem habeat ad humanitatem Chriſti, ſeu ad verbum incarnatum, cuius nomen (in quantum eſt homo) eſt Ieſus: Chriſtus ſiquidem diuinitatem verbi denotat, vt docent Theologi; Ieſus, humanitatem à verbo aſſumptam. Quod ſi dixiſſet præcisè, Quem Dominus interficiet, hæc actio ad diuinam Patris poteſtatem, ordinem diceret, qui vel ſpiritu ardoris, ſeu zeli honoris ſui. (De quo dicitur Iſa. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris*, &c.) Illum extincturus eſſet: vel ſaltem virtute verbi, quod procedit de ore Dei, nulla habita ratione ad poteſtatem illam excellentiæ, quæ Chriſto tanquam homini collata fuit, vt eſt caput Eccleſiæ. At dum dicit, *Dominus Ieſus*, illam poteſtatem Chriſto homini datam indicare videtur, de qua dicebat: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Nunc, quæſo, ſi hæc actio interfectionis ad Chriſtum incarnatum, in quantum eſt homo, ordinem dicit, quinam eſt illius ſpiritus, quodnam os, quo interficere debeat Anti-Chriſtum? Iam diximus tantæ maieſtatis indecorum eſſe è cœlo perſonaliter deſcendere, ſecundum ſuam humanitatem: veluti voluit viſibilis apparere S. Paulo, vt eum ad ſe conuerteret. Vnde non per ſe, ſed per alium debet tam ſuperbum hoſtem tam impium & deteſtandum hominem conterere, vt maieſtatis iura tueatur.

Quodnam igitur Chriſti os, ex cuius ſpiritu interficiendus ſit Anti Chriſtus? Os Dei, os ſummi Pontificis, *Qui vos audit, me audit*, inquit Chriſtus: quaſi Paſtorum os Chriſti ſit, itaut dum ipſi loquuntur, ipſe loquatur, & per eos, quaſi per os ſuum, nobis aperit cordis ſui arcana, & animi ſui voluntates. Hinc dicebat Petrus, Act. 15. *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Et reuera dum Paſtores conuertunt ad Deum peccatores per Sermonem, os Dei dicuntur apud Ieremiam c. 15. *Si conuerteris conuerſam te, & ante faciem meam ſtabis: & ſi ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Id eſt: Si dederis operam, vt ex vilibus, impiis, rebellibus, incredulis, facias credentes, obedientes, ſicque eos ſepares & educas à ſua & aliorum impietate, eris mihi quaſi os meum, quod voluntatem meam annunciat & implet. Vatablus & Iſidorus apud Cornelium: id eſt: id omne quod dixeris. Ita certè præſtabo, ac ſi ego dixiſſem.

Digitized by Google

At nunquid os Dei erit ſummus Pontifex, dum per anathema prolatum, ſeparabit Anti-Chriſtum à conſortio fidelium, & eorum qui tam pretioſi ſunt apud Deum, quia præordinati ſunt ad vitam: vt poſt mortem Anti-Chriſti debeant conuerti ad Dominum? Sed quonam ſpiritu illud os Apoſtolicum oppletur, vt ex ſufflans in Anti-Chriſtum, quaſi vento valido obruatur, & deorſum euertatur ille impius? Audi S. Ioannem c. 20. *Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: pax vobis. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Spiritus igitur Apoſtolicus eſt ſpiritus ex ore Chriſti in os Apoſtolorum immiſſus, quo animati, quia miſſi ſunt ab eo, facti illius poteſtatis participes, poſſunt & delere peccata, ea inſuper retinere. Hac poteſtate vtens ſummus Pontifex, Anti-Chriſti peccata retinebit, dum in eum proferet anathema in nomine Chriſti Ieſu, & eum tanquam execratione dignum maledictioni æternæ ſubiectum declarabit, veluti qui nec correctione emendari nec ſermone perſuaderi queat, vt à ſua impietate reuocetur, ſed in malo obduratus, & ex ſcriptura per reuelationem ſpecialem reprobus declaratus, debeat flammis æternis deputari. Et ſicut Iudæ proditoris adhuc viuentis Dominus Ieſus reprobationem verbis ſatis apertis declarauit, ita ſummus Pontifex reprobationem Anti-Chriſti declarabit, quæ ex ſignis ex ſcriptura depromptis ſatis manifeſta erit.

A ſummo igitur Pontifice, tanquam ab ore Dei, in virtute ſpiritus Ieſu Chriſti condemnabitur. Quæ ſententia in cœlis confirmabitur. Dixit ſiquidem: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt ligata in cœlis.* Vnde ſtatim atq; illata fuerit hæc maledictio, miniſterio Angelorum hæc ſententia effectũ ſortietur, & in manu ſatanæ tradetur, vt eum ſecum ad gehennam trahat. Hoc ſpiritu olim S. Paulus Corinthium fornicatorem Anathematizauit. *Ego quidem*, dicebat Apoſtolus, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu tradere huiuſmodi hominem ſatanæ, &c.* Differunt tamen ab hac Anti-Chriſti execratione aliæ execrationes impiorum, ſeu anathemata. Proferuntur enim in alios ſub ſpe correctionis & emendationis: at iſta maledictio Anti-Chriſti proferetur tantùm, non vt corrigatur, quia incorrigibilis exiſtet, ſed vt in infernum detrudatur, non modò ne alios coinquinet, ſed ne imbecilles cogat ad impietatem, & non deleat penitus à facie vniuerſæ terræ nomen Chriſtianorum. Sic ore ſummi Pontificis, tanquam ore Chriſti, in virtute ſpiritus illius, qui in eo habitat, interficietur ille impius: ſeparabitur vile à pretioſo, & vniuerſus orbis Deo obediens in eius necem conſpirabit: & Angeli boni gaudebunt. Lætabuntur iuſti, cum viderint vindictam, manus ſuas lauabunt in ſanguine peccatoris. Turbabuntur dæmones, præuidentes iam iam iudicium vltimum imminere, quo in tartara detruſi æternis carceribus mancipabuntur.

At huius exterminij hæ ſunt cõuenientiæ coniecturæ, & veriſimilitudines, quibus credibile redditur.

Prima eſt: Si Deus hunc olim honorem detulit ſynagogæ, vt voluerit per eam manifeſtari & declarari magis ab oriente venientibus, quo in loco natus erat Chriſtus; non mirum ſi Eccleſiæ ſuæ hunc deferat honorem, vt poſſit cum certitudine infallibitatis declarare, quis ſit ille qui impietate Herodiana deterior delere contendit nomen Chriſtianorum; & eum impium Chriſti hoſtem eum ad infernum condemnare.

Secunda eſt: Sicut Moyſes, vt ſuam à Deo miſſionem probaret, tam inſueto mortis genere voluit rebellionem Core, Dathan, & Abiron à Deo puniri (*Et ait Moyſes: in hoc ſcietis quia Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa quæ cernitis; & non ex proprio ea corde protulerim. Si conſuetâ hominum morte interierint, & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum, ſecum degluttiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcederintque viuentes in infernum, ſcietis quod blaſphemauerint Dominum. Confeſtim igitur, vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit eos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Numer. 16.) ſic ſummus Pontifex videns autoritatem ſibi datam à Chriſto conculcari, meſſionem ſuam in dubium reuocari, tanquam quid fictitium, & hominum ambitione inuentum, longa tantum annorum ſerie venerandum; vt illam à Deo eſſe, non ab hominibus, demonſtret & probet; contra tam vniuerſalem rebellionem, qualis ea erit arma militiæ Chriſtianæ ſumens, non carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruere volens, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, in captiuitatem redigere cupiens omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habens vlciſci omnem inobedientiam, vt S. Pauli verbis. 2. ad Corinth. 10. vtar, exclamabit: Audite fideles, audite Mortales. Si hic homo Apoſtata, eiuſque ſectatores, vitæ ſuæ curſum confecerint conſueto hominibus mortis genere, exiſtimate autoritatem, & poteſtatem, totumque miniſterium, quo functi ſunt vſque adhuc Eccleſiæ Paſtores ac Pontifices, aliquid eſſe ab hominibus inuentum, non autem à Deo inſtitutum. At ſi extraordinario quodam mortis genere interierint, ſcitote, quia nos miſit Dominus, qui olim dixit: *Sicut miſit me pater & ego mittos vos*; Scitote iſtos eſſe blaſphematores, & impios, & Chriſto rebelles, iſtumque eſſe illum Anti-Chriſtum ante tot ſecula præuiſum, & à Prophetis annunciatum, vt ab eius perfidia cuncti recederent. Ignis è cœlo deſcendat, fulgure percutiatur, terra dehiſcat & aperiatur illumq; & ſuos omnia mũdi elementa perſequantur, vt Creatoris contemptorem, vt Redemptoris hoſtem, vt operationi Spiritus ſancti (qui olim in forma ignitarum linguarum deſcendit) aduerſarium. Quo dicto, interibit, vt ſupra diximus.

Tertiò: Si Elias, vt probaret Prophetiam à ſe editam, de morte Ochoziæ Regis Iſraël, veriſſimam fore, & à ſpiritu veritatis reuelatam; & vt ſui miniſterij contemptum vlciſceretur, bis ignem fecit è cœlo deſcendere, qui duos principes quinquagenarios cum ſuiſ deuorauit; nonne veriſſimile eſt futurum, vt hæc multitudo impiorum, quæ in dubium reuocabit Eccleſiæ maieſtatem, & ſummi Pontificis autoritatem, nec veritatem ſuo miniſterio inſeparabiliter vnitam exiſtimabunt, hac maledictione ſentiat veritatem Eccleſiæ comitem ſemper fuiſſe, iuxta illam Chriſti ſaluatoris promiſſionem: *Spiritus paraclitus docebit vos omnem veritatem*; dum Deus, (qui olim in Eccleſiam miſit ignem illuminantem, non conſumentem niſi peccata) immittet in eos ignem deuorantem?

Quartò: Si Petrus dignus fuit habitus, cui pater æternus, non caro aut ſanguis, reuelaret hanc veritatem, cuius fides tanti momenti habenda eſt, vt homines ſalutem conſequantur, nempe: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: Propter quam fidei confeſſionem promeruit audire: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ*

Digitized by Google

inſeri non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Matt. 16. nonne ſatis congruum rationi, vt eius ſucceſſor, inter tot opiniones quæ hactenus fuerunt de Anti-Chriſto, dum iſti dicunt eſſe Neronem, alij Mahometem, alii vt Eccleſiæ perduelles, ſummum Pontificem; ipſe certò determinare debeat quis ille ſit, in quo omnes notæ à ſcriptura de Anti-Chriſto deſignatæ reperiantur, vt agnoſcatur Ieſu Chriſti filii Dei hoſtis acerrimus: Nonne rationi conſonum eſt, vt qui poſitus fuit pro ſaxo immobili, & Petra firma, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia, ipſe concutiat & conterat Anti-Chriſtum, qui ſuperbiâ nimiâ elatus Eccleſiæ firmitatem euertere conabatur, & Chriſti Regnum è medio tollere attentabat? Certè Satan in Anti-Chriſto euomet quidquid diabolica nequitia excogitari poterit, vt Eccleſiam ſubuertat. Sed hæ omnes inferorum portæ non præualebunt aduerſus eam. Credibile igitur eſt ſummum Pontificem audientem ea quæ de Anti-Chriſto dicentur (poſtquam multa mala, & plurimas calamitates per ſpatium trium annorum cum dimidio perpeſſa fuerit Eccleſia) eos, qui ſecum erunt, Eccleſiæ Paſtores in nomine Domini congregaturum, vt diſcutiant num ille, de quo tanta mala audiunt, & à quo tantas patitur Eccleſia perſecutiones, verè ſit Anti-Chriſtus, aut tantum illius anteceſſor, qualis fuit olim Antiochus, aut Nero, aut Mahometes; diſcutienſque cuncta ex ſcripturis, & Prophetiis, tandem illum Anathematizabit, & anathemate æternæ maledictionis alligabit. Cuius ſententiæ virtute, cælo ligante quod in terris Chriſti Vicarius & Petri ſucceſſor alligauit, modo inſueto peribit Anti-Chriſtus, vt clarè appareat Deum eſſe autorem poteſtatis, quam hactenus Eccleſia adhibuit id adminiſtratione functionum ſuarum, nullamque in mundo eſſe potentiam, qua iſta opprimi valeat.

Quintò: Sicut in mundi initio (Lucifero & Angelis eius per inſignem Apoſtaſiam, & rebellionem à Deo recedentibus) ſuſcitatus eſt Michaël, qui hoc vno verbo: *Quis vt Deus?* Luciferum, ſuoſq; ſectatores deiecit in infernum; rationi videtur conſonum, vt in terris alius Michaël reperiatur, qui videns Anti-Chriſtum contra Dei filium Dominum inſigniter rebellantem, illũ dejiciat dicens: Quis vt Chriſtus? Ad quem enim alium ibimus? Verba vitæ æternæ habet, & nos credimus quia ipſe eſt Chriſtus Dei filius. Qua veritate percutietur tanquam fulmine Anti-Chriſtus, & in tartara demergetur cum Lucifero, cuius erat miniſter. Et certè nulli rationabiliùs hoc competit, quàm Romano Pontifici, ad quem pertinet veritates Chriſtianas præcipuè profiteri, eaſque decidere.

6. Si labentibus ſeu decurrentibus ſeculis ſedes Romana Regnũ Chriſti eſt, de quo dicitur, Mat. 21. *Ideo dico vobis, quia auferetur vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum;* Vnde omnes quotquot in eum impegerunt hæretici, aut ſeculi potentes, perierunt, & confracti interierunt; Cur aliâ viâ hic rerum Chriſtianarum acerrimus hoſtis periret, aut confringeretur, non meliori ſorte dignus, aut valentiori potentia fretus? Denique, ſi ad vocem Petri, Ananias & Saphira perierunt ob mendacium, cur non peribit ille homo mendax, ad ſucceſſoris Petri vocem ac Imperium? Si oratione Petrus Simonem Magum ex aëre deturbauit, cur non ſucceſſoris voce Anti-Chriſtus è throno dejicietur? Crediderunt olim Romani Chriſto, propter virtutem miraculorum, quæ ab

A eius præconibus facta fuere: at inter alia, vel Arnobio teſte, lib. ſecundo, aduerſus gentes, fuit illa Simonis ex aëre deiectio, *apud ipſam Dominam Romam*, vt ipſe loquitur Arnobius, *in qua cum homines eſſent Numæ regis actibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ: viderant enim curſum Simonis Magi, & quadrigas Petri ore diſflatas, nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem diis falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis: poſt deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio.* Ita Arnob. Cur non igitur mendaciorum ſator, & ſeminator eximius,
B peribit Imperio illius quem Deus poſuit in mundo, vt ſit veritatis & integritatis fidei conſeruator certiſſimus? Cur non ille, qui extolletur ſupra id omne quod colitur, aut dicitur Deus, interimetur afflatu oris Petri, cuius os difflauit quadrigas igneas currus illius Simonis Magi?

Ex his igitur omnibus concludo, quod ſicut in initio Eccleſiæ naſcentis voluit Chriſtus Dominus vt confeſſio ſancti Petri (congregatis in vnum cum Chriſto Apoſtolis, tanquam ſi aliquod concilium, aut ſynodum celebrare voluiſſet) pro fundamento fidei Chriſtianæ, & Eccleſiæ poneretur: cuius confeſſionis intuitu Petro contulit ſupremam quandam autoritatem, qua fides, quæ in Eccleſia vigere de-
C bet confirmaretur, qua poſſet ligare & ſoluere, remittere & retinere peccata; ita valde probabile eſt, quòd in fine ſeculorum rebellantibus ſchiſmaticis, Romanâ ciuitate deſtructâ & euerſâ funditùs per Reges illos, qui iam Anti-Chriſto parebunt, abominatione deſolationis in templo Dei ſedente, ita vt Anti-Chriſtus ſe tanquam Deum coli & adorari faciat, ſummus Pontifex è Româ pulſus coactis in vnum quos poterit Eccleſiæ Paſtoribus, cunctis ritè perpenſis, hunc numero hominem Anti-Chriſtum eſſe declarabit, & vt talem maledicet, & Anathematizabit. Quo præſtito, apparebit ea in cœlo firmari, quæ in terris fiunt ab Eccleſiæ rectoribus: nam confeſtim nubibus aër opplebitur tenebroſis
D & denſis, horrenda tonitrua perſonabunt, & fulguribus vndique coruſcantibus, fulmine percutietur, & è ſublimi throno vel aëre, in terram projicietur: quæ aperiens os ſuum illum deglutiet, igne de cœlo immiſſo interim deuorante eos, qui ſimul conuenerant, vt Eccleſiam funditùs euerterent. Et ita verum eſt quod Dominus interficiet eum ſpiritu oris ſui, & deſtruet. Illuſtratione aduentus ſui. *Illuminatione præſentiæ ſuæ*, inquit Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 19. *claritate aduentus ſui*, vt vult Vatablus apud Cornel. quaſi luce, claritate, ſplendore, qui quaſi prænuncius præibit Chriſti aduentum. Eſto. At ego exiſtimo deſtruendum eſſe Anti-Chriſtum illuſtratione primi aduentus, quia eius præſtigia & malæ
E artes, quibus ſeducebat gentes, & ſe tanquam Meſſiam & Deum probare volebat, euaneſcent & euacuabuntur, cum ex eius horrenda morte omnes agnoſcent illum fuiſſe inſignem impoſtorem; & Eccleſiam Chriſti ſponſam verè ab eo, qui viâ, veritas, & vita eſt, fuiſſe ſuo ſpiritu animatam, ſapientiâ ſuâ repletam, & ab eo in via vitæ & veritatis, vt ad cœlum perueniat, feliciter deductam. Et reuera primus Chriſti aduentus ſpiſſis obuoluetur ignorantium hominum tenebris, eorum nempe qui charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: Vnde ſeduci meruerunt, Deo permittente, vt credant mendacio, propter ingentia ſcelera quibus ab eo receſſerunt; quin etiam tot ſignis & prodigiis, quæ ab Anti-Chriſto fient, electi erunt in periculo ſubuerſionis manifeſto, tum propter eorum multi-

tudinem, tum quia (etſi non ſint vera miracula) tamen valde mirabilia erunt, nec à cæteris præſtigiatoribus & maleficis talia vnquam patrata fuerũt. Neceſſarium igitur erit, vt ante diem iudicij veritas innoteſcat, ac Iudæis conuertendis manifeſtè pateat, illum fuiſſe inſignem ſeductorem, vt ſic ad Chriſtum conuertantur, & iuxta Prophetias, Reliquiæ Iſraël ſaluæ fiant. Deſtruet igitur illum Dominus Ieſus illuſtratione aduentus ſui, viſibiliter, ac horrendo mortis genere, omnibus conſpicuo, Anti-Chriſtum interficiendo, miniſterio videlicet ſui Vicarij in terris, & autoritate quam contulit Eccleſiæ ſponſæ. Qua quidem ratione, quanta fuit dignitas humanæ naturæ aſſumptæ à verbo data, & ad quem ſublimem fuerit honoris apicem ſublimata in myſterio incarnationis, & primo aduentu ſuo, facilè innoteſcet. Et licèt fuiſſet per præſtigia Anti-Chriſti hæc veritas obnubilata tenebris infidelitatis (dicente S. Paulo de Anti-Chriſto: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, in iis qui pereunt, eoquod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent.* 2. ad Theſſalon. 2.) illuſtrabitur, fugatis illis tenebris, per potentem (à Tyrannide Anti-Chriſti) Eccleſiæ liberationem; & omnes agnoſcent illam à Chriſto fuiſſe fundatam ſupra firmam Petram, contra quam non prævaluerunt omnes inferorum portæ. De ſignis Anti-Chriſti lege Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 19. & Cornel. in hunc locum Apoſtoli. Et quia Anti-Chriſtus poſt tres annos cum dimidio interficiendus eſt, ideo dicitur quia oportet illum breue tempus manere, ὀλίγον id eſt, paululum impiè igitur & mendaciter Hæreticorum miniſter Molineus, in ſuo libro, quem intitulauit, Prophetiarum adimpletio, *Oportet illum breue tempus manere*, vertit idiomate Gallico: *Et quand il ſera venu, il faut qu'il dure vn peu plus de temps que les autres*: Quòd videat tam longo tempore Eccleſiaſticam Monarchiam perduraſſe: qua diuturnitate falſi arguuntur omnes, qui ſummum Pontificem Anti-Chriſtum eſſe volunt, cuius Monarchia erit tantum mille ducentorum ſexaginta dierum.

Beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt: & in interitum vadit.

Quodnam ſit illud octauum Caput beſtiæ?

ANNOTAT. XXXV.

OCCVRRISSE mihi videtur S. Ioannes ſententiæ eorum, qui exiſtimare poſſent octauam hanc beſtiam diabolum deſignare; cum ait: *Beſtia quæ erat, & non eſt.* Nam dum hoc ſymbolo deſignatur aliqua potentia enormis, quæ non exiſtit niſi vt actu Eccleſiam vexet de diabolo hoc dici, poteſt conjici, ex eoquod diabolus apud Iob nuncupatur, *qui non eſt. Quia*, inquit S. Gregor. 14. Moral. c. 11. *à ſumma eſſentia receſſit, & quaſi ad non eſſe tendit.* Sed malè, quia cum diabolus à Deo receſſit, beſtia non erat: ſed recedendo, in beſtiam conuerſus eſt. At is, de quo loquitur S. Ioannes, beſtia erat iam, & poſtea non fuit. *Beſtia*, inquit, *quæ erat, & non eſt.* Non igitur de diabolo intelligi poteſt, qui non fuit beſtia, niſi cum à Deo receſſit. Rurſus diabolus ſemper in omnibus aliis capitibus fuit nocens, & nunquam ſic interiit, quia ſemper per ea Eccleſiæ nocuit. Igitur de diabolo dici non poteſt quod ſit *beſtia, quæ erat, & non eſt.*

Dico ſecundò, quod nec de impietate dici poteſt quod ſit octauum caput: ea enim fuit, & permanſit, & permanebit in omnibus capitibus beſtiæ. Vnde dici non poteſt, occiſo vno capite, & altero prodeunte, *Beſtia quæ erat, & non eſt*: quia ſemper eſt, nec ceſſabit, donec beſtia ad ima tartara detrudetur.

Dico tertiò: Nec Anti-Chriſtus poteſt eſſe octaua beſtia, quia certum eſt quod illo ſemel extincto, nec ipſe, nec illius Monarchia aſcenſura eſt rurſus de abyſſo, vt Eccleſiam denuò vexet; nam eius perſecutio vltima erit Eccleſiæ perſecutio. Igitur oportet vt hoc ſit intelligendum de vno ex illis capitibus, de quibus dicitur: *Quinque ceciderunt.* At quænam ex his quinque rurſus aſcenſura ſit de abyſſo, dubium eſt; vt & octauum caput conſtituat, & de ſeptem iam extiterit.

Certè non eſt veriſſimile hoc eſſe intelligendum de regno Ægyptiorum, aut Aſſyriorum, aut Chaldæorum, aut Græcorum quæ à tot retro ſeculis interierunt; nec ex eoquod oriri debeat Anti-Chriſtus ex Babylone, ad Babylonicum debemus mentem conuertere: ſemel enim erit tantùm Anti-Chriſtus, qui cum ſeptimum caput conſtituat, præcisè pro octauo ſupponi non poteſt; Non Mahumeticum, quia ex eius deſtructione conflabitur Imperium Anti-Chriſti: poſt cuius Imperium nulla alia Monarchia Eccleſiæ inimica ampliùs conſurget. Vnde illud caput octauum debet præcedere Anti-Chriſti aduentum, vt Anti-Chriſti Monarchia vltima ſit futura Eccleſiam vexans. Non video igitur cui hoc magis conueniat quàm Romano Imperio, quod quidem fuit olim Eccleſiam vexans, dum erat Ethnicum, & idolis ſeruiens. Non eſt ampliùs Eccleſiam perſequens, poſtquam in Chriſtum credidit; ſed octauum erit caput, cum ab hæretico aut ſchiſmatico vſurpabitur, qui Eccleſiam vexare incipiat. Quærit Cornelius à Lapide, in hunc locum, quomodo Roma in fine mundi ad priſtinas opes & gloriam, æquè ac Ethniciſmum redibit? Reſpondet nobis modum huius reditus ad priſtinam gloriam nobis eſſe incognitum, & Deo ſolo notum. Plures tamen modos, quibus hoc fiat, excogitari poſſunt. Primus eſt: *Si*, inquit Cornelius, *Ethnicus aliquis occupet Imperium Romanum, Romæque Senatores gentiles, ac dignitatem priſtinam reſtituat, vti fecit Iulianus Apoſtata.* At, vt mihi videtur, probabilius eſt non ad gentiliſmum Romam redituram, ſed in hæreſim aut ſchiſma ſaltem conſenſuram: vnde ſeſe ſubtrahet ab obedientia ſummi Pontificis: cui ſchiſmati viam parant quicumque Regiam autoritatem, in rebus quæ ad ſalutem æternam conducunt, ſupra Pontificalem extollere volunt, vt fit in Anglia: ad quam rebellionem ſeuerè puniendam veniet Anti-Chriſtus, & per eam Eccleſiæ fidelitas, & in Deum pietas, fortitudo & conſtantia, tanquam aurum in fornace probabuntur.

Hinc igitur dico beſtiam, *quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt*, Imperium Romanum in ſchiſma dilapſum, Eccleſiam perſequi incipiens: ſeu beſtia hæc octaua, eſt illa diſceſſio, & defectio à ſancto Paulo præuiſa & prædicta. Ac ſi ſanctus Ioannes ſignum aduentus Anti-Chriſti dare vellet, ſicut dedit S. Paulus, ac diceret: Vultis neſcire quomodo adueniet ille vltimus Rex, Eccleſiam vexans? Adueniet poſtquam beſtia, quæ erat, & non eſt, id eſt, Imperium Romanum Ethnicum poſt ſuam conuerſionem ad fidem, à fide deficiet, & ab obedientia Eccleſiæ ſeſe ſubtrahet, vt ſit octaua beſtia perſequens, quæ iam fuerat è numero ſeptem Monarchiarum Chriſti Regnum oppugnantium. Et hoc vobis erit ſignum aduentus illius ſeptimi regis, nempe Anti-Chriſti, cuius Imperium. *Oportet breue tempus manere.* Et reuera in illo vocabulo (*oportet*) manifeſtè tempus Anti-Chriſti deſignatur.

Digitized by Google

Cur enim oportet illum breue tempus manere, niſi quia tam acerba erit eius perſecutio, vt niſi breuiarentur dies illi, non fieret ſalua omnis caro?

Nec video vnde etiam apud quoſdam patres antiquos, in mentem venerit Neronem denuò reſurrecturum, niſi fortè, quia hæc doctrina in auribus fidelium inculcabatur, fore aliquando vt Imperium Romanum tandem conuerteretur, & in fine ſeculorum à fide deficeret vt rurſus ab eo Eccleſia pateretur, quod à Nerone videbant & experiebantur Eccleſiam perpeti.

Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam.

Per cornua intelliguntur Reges Orientis ab Anti-Chriſto decepti, quos mittet ad currendum & inuadendum Occidentale Imperium.

ANNOTAT. XXXVI.

SATIS conuenientem decem cornuum ideam proponit Alcazar §. 3. in 1. verſ. c. 13. *Decem cornuum diſtributio, eo quo depingi ſolet modo, aliis capitibus cum vno cornu, aliis cum duplici affixis, congruentem non poteſt, meo iudicio, habere applicationem, in ænigmatis ipſius ſignificato. Quamobrem, cum bona pictorum venia, magis conſentaneum putarem ſi omnia 10. cornua in præcipuo capite ponerentur. Nam, vt videbimus c. 13. In marinæ beſtiæ deſcriptione, vnum erat magis principale caput, & cætera minus præcipua. Capitis autem principis ſignificatio ea eſt, quam Angelus c. 17. 10. attingit, cum ait, Vnus eſt. Vbi ſupponit ſingulis ſuam vicem tempuſque per ſucceſſionem appropinquare; atque illi, quod reipſa Imperium tenet, 10. cornua tribuendo, innuit omnia cornua in eo ſimul eſſe capite, quod tunc regnat. Quamobrem ipſamet cornua (quæ primo capiti cum regnabant, inerant) ſecundum etiam caput, cum regnat, comitantur, & tertium pariter comitabantur, cum regnabit.* Ita Alc.

Quantum ad ſignificationem decem cornuum, diximus ſupra beſtiam deſignare aliquam potenciam, quæ omnem ſuam induſtriam, & operam collocat, vt Dei cultum impediat. In quo quidem tria ponderanda ſunt. Primum aliqua potentia ingens; ſecundum, quædam eminens autoritas, qua hæc potentia regatur, & cuius Imperio ad agendum moueatur; Tertium, quædam inſtrumenta, quibus executioni dentur quæ ab hac autoritate tam enormi potentiæ Imperante fuerunt iniuncta. Primum ſignificatur in corpore beſtiæ, qua deſignatur collectio omnium rebroborum, qui diuitiis ſuis, viribus & armis poſſunt impugnare Eccleſiam, & Dei cultoribus multa ingerere mala. Secundum ſignificatur in capitibus, quibus deſignatæ fuerunt ſeptem (vt vidimus) inſigniores Monarchiæ, quæ autoritatem habuerunt in totum corpus hoſtium regni Chriſti. Tertium ſignificatur in cornibus: ſunt enim cornua tanquam inſtrumenta, quibus hæc capita (quæ autoritatem, & dignitatem obtinent) percutiunt, & exequuntur ſuas peſſimas determinationes & voluntates.

Cum igitur S. Ioannes dicit: *Decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt;* cornua vult à capitibus diſtinguere. Nam capita fuerunt quidam reges & Imperatores. At non ita eſt de cornibus. Reges enim ſunt tantùm quia futuri ſunt aliquando Reges, quamuis non ſint Reges in aliqua temporis differentia ſeu intercapedine: *Nondum* enim, inquit, *regnum acceperunt.* Sunt itaque capita ſeptem Mo-

A narchiæ, in quibus cernitur autoritas, & dignitas quædam in totum corpus impiorum dominans: quæ quidem habuerunt cornua, id eſt, miniſtros ſuorum decretorum, qui prompti ad exequenda eorum mandata fuerunt, quaſi inſtrumenta talis autoritatis, vt Chriſti regnum oppugnarent.

At dum dicitur: *Qui regnum nondum acceperunt,* indicium eſt illas Monarchias nondum vſque huc habuiſſe Reges, qui eis fuerint tanquam inſtrumenta ad ſuam tyrannidem in Eccleſiam exercendam. Non enim ſcriptura exprimit Pharaonem habuiſſe ſub ſe aliquem, aut aliquos Reges, qui ipſi obſequuti fuerint, & manum ſuam dederint, vt per eum Dei populus premeretur. Eadem dicendum de Sen-
B nacherib, de Nabuchodonoſor, & Antiocho; quin nec de Imperatoribus Romanis legimus habuiſſe ſubſe decem reges, qui ad eorum Imperium, ſeu mandatum, perſecutiones excitarint contra Eccleſiam, per vniuerſum orbem, in quo dominabantur. Habebat Roma ſuos Conſules, Proconſules, Senatores, Tribunos, exercituum Duces, qui eius mandatis obtemperabant: at difficile eſt reperire regem vnum, qui propter edicta Imperatorum Romanorum Chriſtianos perſecutus fuerit. Si qui fuerint Reges Chriſtiani nominis hoſtes, vt Sapor, Choſroes, Reges Perſarum; ſi quam perſecutionem excitarint, hoc fecerunt proprio motu non imperante illis aliquo Romano Imperatore. Nec Im-
C periũ Turcicum ſeu Mahumeticum legimus per Reges ſibi ſubditos Eccleſiam vexare. Habet quidem Imperator Turcarum ſuos Ianiſſario, & alios ſuarum voluntatum miniſtros: at non ſunt dignitate Regia præditi. Itaque ex omnibus Imperiis, quæ vſque huc Eccleſiæ Regnum diuexarunt, nullum eſt de quo dici poſſit, quod ſub ſe habuerit Reges Eccleſiam ad eius nutum perſequentes: nam vſque huc ſemper fuerunt, qui in demiſſiori ſtatu fuerunt quàm ſit Regius honor, quibus vſi fuerunt. At cum vltimum caput aduenerit, & hæc beſtia vltimum ſuum caput obtinuerit, tunc illud adimplebitur quod à S. Ioanne hîc prædicitur: *Et poteſtatem tanquam reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam.* Ac ſi diceret: cum be-
D ſtia in vltimo capite ſuo regnauerit, hi miniſtri vnâ horâ ſeu breui tempore regnum accipient, quorum induſtria & armis vtetur Anti Chriſtus, vt ſuam tyrannidem exerceat, & Monarchiam Vniuerſi obtineat. Sed mox illis hanc dignitatem eripiet nimia elatione ductus, qua volet nullum pro Deo aut Rege haberi, præter ſeipſum.

His præſuppoſitis, Dico primò: Hi decem reges non ſunt illi, per quos Romanum Imperium fuit diuiſum, aut diuidendum erit, de quibus fit mentio in 2. cap. Danielis, & in ſeptimo cap. iuxta S. Hieronymi interpretationem, qui ait in 7. Danielis: *Ergo*, inquit, *dicamus, quod omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando re-*
E *gnum deſtruendum eſt Romanorum, futuros decem reges, qui orbem Romanam inter ſe diuident.* Ita Hierony.

Et primò, quia hi decem reges, qui per decem cornua ſignificantur, non obtinebunt poteſtatem regiam, aut dignitatem, niſi cum Anti-Chriſto, aut paulo poſtquam apparuerit Anti-Chriſtus: at Reges qui Imperium Romanum diuiſerunt, quales ſunt Reges Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, iam à multis annis & temporibus hanc dignitatem poſſident. Igitur de his non loquitur hic S. Ioannes. Secundò, hi decem Reges pro vna tantum hora, hoc eſt, breuiſſimo tempore, poteſtatem regiam, ſeu exercitium regiæ poteſtatis accipient: at, vt dictum eſt, à multis temporibus ſtat Regnum Francorum. Igitur Reges, de quibus loquitur S. Ioannes, non ſunt de numero eorum, qui diuiſerunt orbem Romanum,

Digitized by Google

antequam veniat Anti-Chriſtus.

Tertiò, Angelus apud Danielem c. 7. exponens quænam ſint decem cornua, de quibus agit Daniel, ait: *Cornua decem ipſius Regni, decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos: & ipſe potentior erit prioribus: & tres reges humiliabit.* Ex quibus verbis Angeli, S. Hieron. his, quæ ſupra dixit, addidit: *Et vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulum, qui tres Reges de decem regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ, ſicut in conſequentibus manifeſtius dicemus: quibus interfectis, etiam ſeptem alij Reges victori colla ſubmittent.* Deinde idem S. Hieron. in 13. Danielis, hæc verba exponens: *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius. Et veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia. Noſtri autem & melius) interpretantur & rectius, quòd in fine mundi hoc ſit facturus Anti-Chriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum: & tam humilis erit atque deſpectus, vt ei non detur honor regius, & per inſidias & fraudulentiam obtineat principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo, & conterantur.* Ita S. Hier.

Ex iis conjicio Anti-Chriſtum contra eos pugnaturum & præliaturum, qui Romanum diuiſerunt Imperium, & ad minus tres ex his ad obedientiam ſibi præſtandam adiget aliis timore perculſis, proprio motu ſub eius. Dominatione ſeſe ſubmittentibus. Quod ſi bellum gerat cum iſtis regibus, quorum aliorum Regum copiis & exercitibus inſtructus erit, vt contra eos prælietur? Non erunt certè illorum exercitus, qui Imperium diuiſerunt: ſiquidem contra eos iuſtruit prælium. Ex quo neceſſarium eſt dicere oportere alios ab illis reges eſſe, qui antequam in prælium deſcendat, tres ex decem illis regibus, qui Imperium diuiſerunt, humiliet, ipſi iam ſeruiant, eique obediant. At quinam erunt iſti, niſi ij de quibus in hoc loco dicitur: *Decem cornua, quæ vidiſti, decẽ reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatẽ tanquã Reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam;* qui quidẽ proprio motu vel timore adducti ſeſe Anti-Chriſto ſubmiſerint, non vi armorum ad hoc redacti? Nam textus expreſſe ait: *Hi vnum conſilium habent, & virtutem: & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.* Et paulo poſt: *Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum eſt illi, & dent Regnum ſuum beſtiæ.* Hoc certè videtur probabiliſſimum. Hinc,

Dico ſecundò: Hæc decem cornua deſignant decem Reges, qui ab Anti-Chriſto decepti & ſeducti credent ipſum eſſe ducem fæderis, hoc eſt, legis & teſtamenti Dei, vt interpretatur S. Hieron. in c. 13. Danielis: qua de cauſa illi obedientiam præſtabunt. Vnde ipſe, qui antea erat deſpectus, tanquam cornu paruulum, ortum de medio eorum, Regum iſtorum armis & potentia roboratus (qui vnanimi conſenſu omnem ſuam virtutem & poteſtatem illi tradent, propter laruatam ſanctitatem, quam præ ſe feret, & pietatis vmbram) Dominationi ſuæ vniuerſum orbem ſubdere attentabit, & eorum miniſterio tres illos Reges, Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ ſubiugabit; aliis, qui Imperium Romanum diuiſerunt, vltro illi ſeſe ſubmittentibus. Et tunc elatus ſuperbiâ, vt alter Nabuchodonoſor, omnia regna mundi ſibi ſubdere cogitabit; & ſe non modò ſupra alios quoſcumque Reges, ſed etiam ſupra omnem Deitatem extollet. Vnde iſti reges, qui illi ſuppetias tulerunt, vt hæc regna conquireret, veluti nominis Chriſti acerrimi hoſtes, odio quodam immenſo ciuitatem Romanam, antiquam pietatis & Religionis ſedem aggredientur, eamque euertere conabuntur, ſibi perſuadentes in eius deſtructione omnem Religionis Chriſtianæ firmitatem obrui, timentes ne ſi ille locus (qui fuerat capitis viſibilis

A Eccleſiæ ſedes) ſuperſtes remaneret, ab eo recuperaretur, vt ſic in ea Religio conculcata reuiuiſceret. Sic olim à Babyloniis fuit templum combuſtum, & ciuitas Hieroſolymitana deſolata, vt Iudæis auferretur deſiderium ad eam inhabitandam vnquam redeundi, & omnis ſpes ipſis adimeretur in ea Dei cultum poſſe reparari. Hac de cauſa dicitur quod Deus miſit in corda iſtorum regum, vt faciant quod placitum eſt illi, nempe vt morum corruptionem, defectionem, & hæreſim (quæ in eam vrbem inuectæ fuerant rebellione ſchiſmaticorum) debita punitione afficiant, dum decem iſti Reges virtutem ſuam & poteſtatem Anti-Chriſto dabunt ad hunc finem, vt totius vſurpet Monarchiam mundi, & ſit ſolus Monarcha ſuper terram. Quo honore temporali minimè contentus diuinos affectabit honores,
B & miniſterio Regum iſtorum Romam euerti funditùs curabit: ne in ea ruſus Chriſtiani (quos probè noſcet ſuam impietatem deteſtari), nec eum pro Meſſia recipere velle) inhabitare conentur, ibique cultum veri Dei reſtaurare.

Dico tertiò, probabile eſſe iſtos Reges eſſe Reges Orientis. Qua coniectura locus c. 16. Poteſt commodè de his explicari, vbi dicitur: *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccauit aquam eius; vt prepararetur via regibus ab ortu ſolis;* ſi dicamus quod ſtatim atque ſiccata fuerit & exterminata iuſtitia Chriſtiana, per contemptum
C legum diuinarum & Eccleſiaſticarum, præparata erit via his regibus, qui ab Oriente venient ab Anti-Chriſto miſſi, vt Imperium Occidentale inuadãt. Etenim Reges terræ ſuperbiâ elati, per contemptum legum & mandatorum Dei & Eccleſiæ, occaſionem dabunt ſchiſmati & rebellioni contra Eccleſiæ autoritatem: ſed etiam materiam ſubminiſtrabunt diuinæ iuſtitiæ, vt permittat Reges Orientis virtutem & poteſtatem ſuam dare Anti-Chriſto, cuius malitiâ Deus vti decreuit, vt pœnis conficiat eos qui ſe exhibebant contemptores legum ſuarum, & cum tyrannide Eccleſiam vexabant: & tanquam aurum in fornace probabit electos, qui in fide, & cognitione, & confeſſione nominis ſui conſtanter
D perſeuerabunt, eique obedire geſtient, licèt innumeris atterantur calamitatibus.

Dico quartò, probabile eſſe iſtos Reges regnaturos in quibuſdam Regnis è nouo erectis, ex diſſipatione Monarchiarum, quæ nunc in partibus Orientis exiſtunt: nam dicitur de his regibus, *Qui regnum nondum acceperunt.* Nec enim regna aut Imperia Perſarum, Turcorum, Tartarorum, Moſchouitarum, Indiarum, Sinarum, melioris eſſe debent conditionis quàm fuerint olim aliæ Monarchiæ, quæ rerum viciſſitudines omnes expertæ ſunt: & vel deletæ, vel in alias nationes, tranſlatæ, vel diuiſæ fuerunt. Vnde fieri poterit vt quædam regna oriantur per rebellionem, & defectionem ab Imperio Turcico, aut Perſarum,
E quæ ſtatim atque orta fuerint, veniet Anti-Chriſtus, cui credent, à quo ſeducentur, & quorum ope tyrannidem ſuam incipiet exercere; & tandem illis regium nomen auferet, vt ſolus Rex Regum, & Dominus Dominantium, æmulator peſſimus gloriæ Chriſti dici queat.

Hinc Dico quintò, hac de cauſa videri S. Ioannem dixiſſe: *Poteſtatem tanquam Reges vnâ horâ accipient poſt beſtiam.* Nam credibile eſt, quod ſtatim atque Anti-Chriſtus horum operâ vſus fuerit, vt res ſuas corroboret, eoſque ad ſe attraxerit ſimulatâ ſanctitate, & apparenti dulcedine ſeduxerit, tandem rerum potitus ad libitum, corde elatus, & arrogantia tumens, ſicut nullam ſupra ſe Deitatem & coli & adorari permittet, ita nec ſinet in Dominatione aliquem ſibi fieri conſortem, nec re, nec nomine:

& regium

Digitized by Google

& regium nomen, accreſcente pedetentim ſua ambitione, ab omnibus ſibi parentibus auferet. Et ſicut olim Romani *nemini permittebant capiti ſuo diadema imponere, aut purpura veſtiri inter eos, vt magnificaretur in ea*, inquit ſacra ſcriptura 1. Machab. c. 8. vt omnes ſe eiuſdem corporis membra agnoſcerent, & conciues, ad fugandam hac ratione omnem à ſe ambitionem; hic alio ſpiritu ductus, quia regni conſortem ferre non poterit (eadem & arrogantia: qua non patietur alium à ſe Deum coli, aut adorari, aut inuocari, ſupra id omne quod dicitur Deus impiè elatus) nec aliquem dici Regem permittet. Vnde tantum tempore breuiſſimo, vnâ videlicet horâ regnare dicuntur, quia confeſtim atque eorum miniſterio vſus fuerit, vt autoritatem ſibi conciliet, illos omni regia dignitate priuabit, nec alios titulos quàm Ducum exercituum ſuorum, aut locum eius tenentium vſurpare permittet: ſicut, vt dictum eſt, poſt deſtructionem ciuitatis Romanæ, quæ ſedes fuerat Religionis Chriſtianæ, ſolus vt Deus adorari volet.

Dico ſextò, ex hac interpretatione facile eſſe conjicere qua ratione inuenientur quidam Reges flentes propter euerſionem totalem ciuitatis Romanæ, vt dicitur c. 18. *Flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt.* Nec enim exiſtimandum eſſe arbitror quod voluit Ribera apud Cornelium, quòd illi reges, qui eius deflent deſtructionem, ſint ij ipſi Reges, qui illam ſubuertent & deſtruent: ex hoc quod ſolent ingentes calamitates & clades etiam ipſis victoribus compaſſionem, luctum, & mœrorem afferre. At erunt alij Reges ex decem, qui inter ſe diuiſerunt Imperium Romanum, qui audientes & videntes tres illos Reges potentiſſimos, Ægypti, Africæ & Æthiopiæ ab Anti-Chriſto ſuperatos, & ciuitatem Romanam deſtructam, & cum ea nomen Imperatoris Romanorum deletum, videntes ſe impares vt poſſint tantæ potentiæ obſiſtere, timentes parem perpeti calamitatem, flebunt & plangent ſe, mittent puluerem ſuper capita ſua. Id eſt: ſuam agnoſcent imbecillitatem, eique ſeſe ſubmittent, ne eius crudelitatem, ſi fieri poſſit, experiantur.

His ita conſtitutis, facile eſt cætera intelligere. *Hi vnum conſilium habent. Et virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.* Scilicet cum hi Reges, qui ex deſtructione Monarchiarum orientis, ſceptra aſſumpſerunt, & ab Anti Chriſto ſeducentur, *hi cum agno pugnabunt*: nempe cum deuictis eorum ope regibus Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ, arma conuertent vt Romanam ciuitatem deſtruant, & inſuper ciuitatem illam dilectam, in qua ſeſe abdidit & receſſit ſummus Pontifex, ſeu omnem Chriſtianorum multitudinem, qui in hac ciuitate deſignantur: *Et agnus vincet eos*, cum ſcilicet ignis è cœlo deſcendet in eos, de quibus dicetur c. 20. *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam. Et deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos. Quoniam*, inquit S. Ioannes, *Dominus Dominorum eſt Rex Regum.* Finis ſiquidem & ſcopus huius victoriæ à Deo intentus eſt, vt Chriſtus filius Dei, ab omnibus mortalibus agnoſcatur Rex & Dominus omnium quæ in cœlo ſunt & in terra: quem honorem illi deferre nolebant ſchiſmatici Reges, dum Eccleſiaſticam autoritatem, per quam Chriſtus regnat in terris, nec agnoſcere, nec illi ſubmitti voluerunt, & quam omnino delere prædicti alij Reges orientis pro Anti-Chriſto militantes omnino volebant. Sic Chriſto vt omnium Rege agnito, adimplebitur Ezechielis Phrophetia: *Et magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium. Et ſcietis quia ego Dominus.* c. 38. Aliam rationem huius Victoriæ

A affert S. Ioan. dum addit: *Et qui cum illo ſunt vocati electi & fideles.* Deo enim familiare eſt ſuos protegere, & electis & dilectis amicis in extremis conſtitutis auxilium præbere.

At licet innumera ſit hoſtium multitudo, & pauci ſint qui agnam ſequantur, in comparatione eorum; nihilominus Deus Dominus eſt omnium, & cuncti in manu illius ſunt, in cuius conſpectu omnes gentes ſunt quaſi non ſint, vt nullus ſit qui eius poſſit reſiſtere voluntati: omnia illi ſeruiunt, etiam impius ad diem malum. Hinc Miniſterio iſtius multitudininis, & Regum iſtorum, vtetur, vt impietatem (quæ ſedem ſuam collocarat in inſigniori ſede Eccleſiaſticæ Monarchiæ) euertat, deſtructa illa ciui- B tate quam tyrannicè vſurparat. In cuius ſeuera punitione typus datur ſeueritatis, & punitionis, qua Deus tandem omnes reprobos afficiet. *Et dixit mihi*, inquit S. Ioannes: *Aquæ quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes & linguæ.* Ac ſi diceret: Vidiſti aquas, id eſt, populos multos diuerſarum gentium & idiomatum, ſuper quos impietas ſedet, illos quò vult impellens, & ab eis ſuſtentata. At quis non exiſtimaret hoc torrente rapido paucos fideles fore abſumendos & abſorbendos, præcipuè cum hæc multitudo decem Regum poteſtate fulgeat? *Et decem*, inquit, *cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt.* Quomodo hic paruus fidelium numerus, inglorius & imbecillis, & omni præſidio deſtitutus, C tantæ potentiæ reſiſtere poſſet? At hæc eſt Dei maieſtas, in cuius manu ſunt omnia. Hoſtibus enim tanquam miniſtris vtetur, vt rebellem, & ingratam erga ſe ciuitatem funditùs euertat. Nam hi *odient fornicariam, & deſolatam illam facient*, deſtructis muris & portis eius. *Et nudam*, omnes illius diuitias expilantes, *Et carnes eius manducabunt*, ciues illius morti & neci tradentes. *Et ipſam igni cremabunt*, omnia illius ædificia incendio deuaſtantes. Vnde adimplebitur Danielis Prophetia c. 7. qui loquens de quinta beſtia (qua Imperium Romanum deſignare volebat) & de tempore quo deſtruendum erit, (ſcilicet temporibus Anti-Chriſti, cum ſeſe ille extollet ſupra omne quod dicitur Deus) Deum videt D in throno ſedentem fluuium igneum ex ore eius egredientem, id eſt, igneam ſententiam. Videt Deo in iudicio aſſiſtentes. Videt innumeros Angelos illum comitantes, & libros aperiri: quibus addit: *Aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quos Cornu illud* (nempe Anti-Chriſtus) *loquebatur.* Ac ſi diceret: Videns Deum ad iudicium paratum, cui nihil manet in cognitum, mirabar quomodo patiebatur impium tantopere extolli. At ſtatim perſpexi, *& vidi. Quoniam interfecta eſt beſtia, & periiſſet corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum igni.* Nec enim alia ratione cornu illud ad tantum potentiam peruenit, quàm vt eius Imperio, per decem reges ſibi ſubditos, impiam hanc ciuitatem euerte- E ret. Hinc, quia hæc euerſio erit à Deo ordinata, vt rebellionem Chriſtianorum ſchiſmaticorum ſupplicio afficiat, nec non morum corruptionem pro eo tempore liberè graſſantem, dicitur quod Deus miſit in corda ipſorum vt dent Regnum ſuum beſtiæ, virtute & poteſtate eorum vtens, per miniſterium ipſorum impiam & ingratam ciuitatem deſtruat. *Deus enim dedit in corda ipſorum, vt faciant quod placitum eſt illi.* Illi nempe, vt quidam volunt, Anti-Chriſto; alij, & fortè melius, ipſi Deo: qui ſicuti vtitur diabolo, vt reprobos pœnis afficiat, ita malis hominibus vtetur, vt rebelles Eccleſiæ temporalibus ſuppliciis, ad manifeſtationem ſuæ iuſtitiæ & potentiæ, puniat. *Dabunt* igitur *Regnum ſuum beſtiæ, donec conſumentur verba Dei*, id eſt, Prophetiæ,

Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet Regnum ſuper reges terræ.

ANNOTAT. XXXVII.

HOC addit S. Ioannes, vt faciliùs conjicere valeamus in qua ciuitate impietas ob enormia ſcelera inſigni ſupplicio afficietur: quæ ſicut, dum hæc ſcriberentur, propter idololatriam erat impia, in impietatem ſimillimã rurſus reuertetur per ſchiſma & rebellionem contra ſummum Eccleſiæ Paſtorem, & per innumera ſcelera, quibus coinquinabitur in fine ſeculorum, dum ſeſe ſubtraxerit præcipuè ab omni obedientia Eccleſiæ.

An tres Ciuitates Magnæ, de quibus fit mentio in Apocalypſis c. 11. & c. 16. & capite rurſus 16. 17. & 18. ſint vnius tantum ciuitatis ſignificatiuæ.

Diuerſæ ſunt, & diuerſa etiam deſignant. Primò quia decima pars illius, de qua fit mentio in cap. 11. cecidiſſe dicitur. Secundò vocatur Sodoma, & Ægyptus. Tertiò, quòd in ea Dominus eorum crucifixus eſt. Quibus certè circumſtantiis Hieruſalem deſignatur. Nec enim alibi quàm Hieroſolymis Chriſtus crucifixus fuit: quæ apud Prophetas rationibus ſupra allatis in cap. 11. Sodoma, & Ægyptus vocatur Iſ. c. 1. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum.* Et c. 3. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt.*

Quantum ad ciuitatem, de qua agitur in cap. 16. alia eſt proculdubio à præcedenti. Nec enim vel tota, vel decima illius pars cecidiſſe dicitur, ſed tantùm quòd ſit diuiſa in tres partes, ciuitatibus cæteris gentium cadentibus: Deinde alia eſt à Babylone magna, de qua ibidem fit mentio: per quam diximus deſignari ciuitatem Romanum. *Et Babylon*, inquit, *magna venit in memoriam ante Deum.* Quæ clauſula, cum abſque relatiuo ad illam magnam ciuitatem, (quam Paulo ante in tres partes diuiſam dixerat) ponatur, indicium eſt de alia ciuitate loqui, quæ nomine Babylonis deſignetur. Cur enim non vſus fuiſſet illa formula loquendi cum articulo, cum illa vſus fuerit c. 18. cum dixit: *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Nam poſtquam hoc dixit, vt de eadem ciuitate in verſibus ſubſequentibus ſe loqui indicaret, ſemper relatiuo vſus eſt: v. g. *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis.* v. 10. & v. 16. *Væ, væ, ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo & purpura.* Et v. 18. *Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ?* Et v. 19. *Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt.* Et v. 29. *Hoc impetu mittetur Babylon illa magna.* At cum c. 16. poſtquam dixit, *Et facta eſt ciuitas magna in tres partes. Et ciuitates gentium ceciderunt*; veluti qui de alia ciuitate loquuturus ſit, abſque articulo dicit: *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi, calicem vini indignationis iræ eius*, Cum igitur hæc ciuitas in tres partes diuiſa, non ſit ciuitas Hieroſolymitana, quæ ſecundum decimam ſuam partem cecidiſſe aſſeritur; Non debeat eſſe è numero ciuitatum gen-

A tium (eo ſenſu quo dixit S. Paulus: *Cunctæ Eccleſiæ gentium*, id eſt nationum, quibus Euangelizauerat,) quia illæ omnino ceciderunt; non ſit denique Babylon illa magna, quæ tota etiam concidit; oportet neceſſariò vt illa ciuitas in tres partes tantùm diuiſa aliquam hominum ſeu ciuium multitudinem deſignet, quæ vſque ad vltimam mundi conſummationem per durare debeat, & alia ſit ab aliis, ſiue à Romana ciuitate in Babylone deſignata; ſiue à ciuitate Hieroſolymitana, quæ Sodoma dicitur; ſiue ab aliis ciuitatibus gentium, id eſt nationum; vel, vt vult gloſſa, gentiliter viuentium. At quænam illa, quæſo eſt?

Dico illam ciuitatem in tres partes diuiſam deſi-
B gnare omnem multitudinem Chriſtianorum, omnes illos qui characterem Chriſti in Baptiſmo receperunt in quos Eccleſia peculiarem iuriſdictionem ſibi arrogare poteſt. Vnde illis dona cæleſtia conferre poteſt per ſacramentorum adminiſtrationem, vel in eos animaduertere, ſi legum illius fuerint tranſgreſſores, aut fidei deſertores. Hæc ciuitas in tres partes diuiditur, nempe Electorum & fidelium benè viuentium en prima pars: ſecunda Catholicorum quidem fide, at non moribus, propter morum corruptionem: Tertia pars hæreticorum ſeu ſchiſmaticorum. Quæ quidem partitio eorum qui characterem Baptiſmi ſuſceperunt, vſque ad conſummationem ſeculi perdurabit, donec veniat Dominus, qui
C *expurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleam autem comburet igni inextinguibili*, in finali iudicio. Sic mali Catholici cum bonis permiſcentur, iiſdem legibus ſubdici, iiſdem ritibus colendi Deum, & iiſdem Sacramentis participantes; pari ratione zizania hæreticorum & ſchiſmaticorum, vſque ad conſummationem mundi perdurabunt. Dicitur enim de illis Matt. 13. *Sinite vtraque creſcere vſque ad Meſſem*, id eſt, vſque ad ſeculi conſummationem. Cum igitur vſque ad finem mundi, ex omnibus charactere baptiſmi inſignitis quidam debeant eſſe verè & ſyncerè Deum colentes, quidam malè viuentes, tot donis, & gratiis abutentes, quidam denique qui fidei ſuſceptæ in baptiſmo erunt deſertores; hæc congregatio baptizatorum
D dici poteſt ciuitas in tres partes diuiſa, ſicuti olim temporalis ſeu terrena Hieruſalem in tres partes erat diuiſa, cuius ſanior pars vocatur c. 20. *Ciuitas dilecta, & caſtra ſanctorum*; Cum contra eam, & impij, & hæretici, & ſchiſmatici, & peruerſi Catholici inſurgere debeant, illamque vi, armis, erroribus, rebellionibus ac vitiis, & deprauatiſſimis moribus euertere & obruere conabuntur. At ipſa firma ſtabit in electis, propter quos breuiabuntur dies illi calamitatis, & anguſtiæ; qui nec minis, nec terroribus, nec adulationibus, nec promiſſis, poterunt à Chriſti amore & obedientia ſeparari.

Tertia autem ciuitas, quæ Babylon dicitur, & mater fornicationum, Romanam ciuitatem deſignat, vt fusè diximus, quæ à Deo eligitur, vt in eius punitione videatur quàm ſeuerè ſit omnis multitudo reproborum in finali iudicio punienda.

FINIS CAPITIS DECIMI SEPTIMI.

Digitized by Google

QVEM EXITVM TANDEM obtinebit conflictus Eccleſiæ, contra impios ſibi Rebelles, oſtenditur ex euerſione inſigni Romanæ ciuitatis, à Pontificis fide & obedientia ſe impiè ac ingratè ſubducentis.

CAP. XVIII.

EO ipſo quo homines per ſuperbiam à Deo deſciuerunt, & apoſtatarunt & ab eo qui fecit eos, corda ipſorum receſſerunt, nunquam ſtetit eorum peruicacia ac impietas. Superbia enim eorum, qui Deum oderunt, ſemper aſcendit. Hoc perſpicuum erit in illa ciuitate magnâ, quam diximus habere regnum ſuper Reges terræ. Nam ſtatim atque à ſe expulit iugum Chriſti, & dirupit vincula, quibus eius erat addicta obſequio: ad tam immenſa & innumera prorupit ſcelera, vt dici debeat ipſiſſimamet impietas ac mulier fornicaria. Vt autem eius abhorreatis crimina, ne eiſdem inuoluamini pœnis, ne ſitis participes delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, vult pius Dominus vt in quas plagas incurrere illi tandem continget, ob inſignem ipſius apoſtaſiam & ingratitudinem, vobis ob oculos proponamus.

TEXTVS.

Et poſthac vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habētem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius.

Hac de cauſâ, poſtquam eam vt impiam ac fornicariam ſatis perſpeximus, *Vidi poſthac alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam & terra illuminata eſt à gloria eius.* Et vt ad eius euerſionem attenderem, *exclamauit in fortitudine*, eam ſententiam, quæ à Chriſto proferenda eſt contra hanc ciuitatem rebellem, exprimendo.

Reuera plurimos Angelos videre nobis licuit diuinæ prouidentiæ adminiſtros. At illuſtrior inter eos eminet ille Angelus alius, quem iam vidimus fortem, de cœlo deſcendentem: & nunc dicimus habere poteſtatem magnam, quâ quidem fretus tandem cum videbimus alligantem fortem, nempe Satanam, & in abyſſum ipſum mittentem. Perſonam enim Domini Chriſti gerit ipſe, tum ſanctorum prædeſtinationem fœliciter ac potenter exequentis: itaut ex ouibus, quas optimè nouit, nulla in æternum pereat, nec vllus valeat eas è manibus ſuis eripere; tum impios ac reprobos hîc ad pœnam & gehennam condemnantis. *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant & Patrem.* Deſcendit de cœlo, *Vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*, vt videat an completæ ſint iniquitates huius deploratiſſimæ ciuitatis. Habet poteſtatem magnam, tum quia hæc iudicandi poteſtas cæteris præeminet & ſupremam redolet maieſtatem; tum quia facillimum erit ei hoſtes ſuos ſub pedibus conterere, & tanquam vas figuli confringere. *Terra illuminata eſt à gloria eius.* Nam cum gloria hac potietur, vt iudicet mundum, omnes homines qui ante eius tribunal aſtabunt, quibus incognita manet iudiciorum eius æquitas, optimè perſpicient quàm æquè, quàm iuſtè alios ſit præmiaturus, alios condemnaturus. At cum temporalibus pœnis; ſicuti & æternis, hominum peccata puniat, poteſtatem magnam habere dicitur: quia ad fortem ciuitatem euertendam ſe præparat: qua ſemel euerſâ, ſi vnquam eius gloria in terrâ enituit in ſeuerâ inimicorum nominis & gloriæ eius punitione, tunc potiſſimùm eniteſcet. Fortis ſiquidem eſt Deus, qui iudicabit illum. Nam obſtupeſcent & contremiſcent mali; exultabunt ſancti propter iudicia eius. Dicent iuſti, fatebuntur mali, vel ſaltem inuiti, *Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.*

Horum autem iudiciorum temporalium miniſtrum habet idoneum, Vicarium ſuum in terris, qui à Deo immediatè ſuam accipiens poteſtatem, rectè per Angelum è cœlo deſcendentem deſignatur. Alius eſt à ſuperioribus Angelis: quia vnicum viſibile caput conſtituit Chriſtus, vt ſchiſmatis tolleretur occaſio. Habet inſuper poteſtatem magnam: quia non in partem ſolſcitudinis, ſed in plenitudinem poteſtatis vocatur: à cuius gloria terra illuminatur, cum ob autoritatem ſibi collatam (quod ad eius honorem cedit potiſſimùm) omnibus veritatis lumen impertitur.

TEXTVS.

Et exclamauit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna.

Et exclamauit in fortitudine dicens: *Cecidit, cecidit Babylon.* Simpliciſſimo verbulo loquitur Deus, & quod vult procreat & facit: & cum beneficia hominibus conferre intendit, ſibilo auræ tenuis eos alloquitur. At nunc exclamat: quia quodlibet obſtaculum ſuperaturus ſit: quia ſententiam condemnationis pronunciare intendit. Egreditur ſicut fortis, ſicut vir præliator ſuſcita zelum. Vociferatur & clamat ſuper inimicos ſuos, vt doloris, ac iræ, & indignationis, & ſeueræ punitionis, & ſummæ potentiæ (cui nihil poteſt reſiſtere) magnitudinem oſtendat. Quin & exclamat in fortitudine, quia quidquid ſiue interius ſiue exterius, Reprobi contra ipſum moliuntur, euertit ac ſubruit, & non ſolùm per ſe, ſed per ſuum Vicarium, anathemate Rebelles & contumaces ferientem, eorum frangit audaciam.

Et facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes,

Talem autem profert ſententiam: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* Tali formulâ vtitur, vt efficacitatem ſententiæ ſuæ demonſtret, & eius infallibilitatem executionis innuat; quæ euentura ſunt vt iam facta deſignando. *Cecidit, cecidit*, inquam: Gratiam Dei amiſit, in ſcelus & culpam atrociſſimam incurrit, à vitâ voluptuoſa & delitiis refertâ

& Reges terræ cum illa fornicati sūt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.

in mala & extremas calamitates eſt deuoluta; ab eminenti honore & dignitate, quâ præcellebat cunctis, cum in ea ſedes ſummi Pontificis erat conſtituta, in ſummum dedecus & ignominiam deiecta eſt, ſuâ ſpe deluſa ac expectatione fruſtrata. *Cecidit; cecidit.* Quia ad æternas pœnas ſicuti ad temporales condemnata eſt. *Et facta eſt habitatio dæmoniorum*, tum quia in peccata dilapſa eſt peiora prioribus: meliùs enim ei fuiſſet non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quòd illi traditum fuerat, ſancto mandato; Tum quia gaudent dæmones, cum à nobis ordinatione diuinâ exigunt pœnas peccatis debitas. *Facta eſt* inſuper *cuſtodia omnis immundi ſpiritus, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* Vellet proculdubio & ſummopere exoptaret dæmon omnes ita ſeducere, & genus humanum per ſuas ſuggeſtiones multimodis immunditiæ & ignominiæ paſſionibus afficere. Exoptaret item vt eius ſuperbiam & arrogantiam ſectarentur, malitiamque odibilem in cæterorum perniciem noua ſemper molientem imitarentur. Sed Deus nouit ſuos à tentationibus eripere: manet quaſi in cuſtodia in his quos Deus neglexit, nec in alios ſuam exercere rabiem permittitur. Hi igitur ſpiritus immundi, hæ immundæ volucres & odibiles, quæ per concupiſcentias, ſuperbiam, & malitiam, in hac miſerrima ciuitate commorabantur, in ea remanent: quia diuina prouidentia non permitit eorum malitiam graſſari in ſeruos ſuos, qui à plagis huic ciuitati inflictis eos liberabit, nec eas vlteriùs progredi permittet. Ab ea exituri ſunt: ne ſint eius delictorum participes, de eiûs plagis nihil accipiant.

Tria autem potiſſimùm ad eius ruinam decernendam Dei iuſtitiam impulerunt. Primum quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, deliciarum eius ac voluptatum participes, quæ exemplar pietatis ac obedientiæ eſſe debebat, ſe primariò ac præcipuè præuaricationis ſurgentis oſtendit; Eccleſiæ maieſtatem, eius doctrinam ac leges pro nihilo ducent: ſe liberos natos gaudebunt, vt credant, dicant, faciant quæcumque libuerit; de eius elatione, à capite viſibili Eccleſiæ diſceſſione lætabuntur: ſchiſmati eius adhærebunt, illud fouebunt; terrenas poteſtates ſæculi contra Eccleſiæ maieſtatem ſe extollentes, & eam deprimentes, iuſtè id agere profitebuntur, & vt id perficiant, quas potuerint ſuppetias ferent. Secundum, quod diuinam impellet iuſtitiam ad eam puniendam, erit quia Reges terræ cum eâ fornicati ſunt, Eccleſiæ iura ac priuilegia conculcando, eius leges abrogando, nouas condendo, in præiudicium obedientiæ, quæ in his quæ ad ſalutem pertinent, Paſtoribus debetur; eos, qui eius auctoritatem in ſuo ſplendore conſeruare nitebuntur, ad mortem crudeliter perſequendo. Tertium, quia mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt. Nam ſtatim atque amatores voluptatum, laxatis habenis, deliciarum illecebris illecti, ſe ad quæcumque turpia perpetranda effuderunt; ſtatim atque iugum obedientiæ reges per ſuperbiam proiecerunt, nullo habito reſpectu rerum ſacrarum, ac Dei cultui conſecratarum, bona temporalia Eccleſiæ inuadent, nimia auaritia ac rapacitate ducti, & ea (quibus potentiſſima ciuitas olim abutebatur) Eccleſiæ bona in deliciis ſuis inſumendo, vſurpabunt, quibus quidem ditati ſuas proprias expleant concupiſcentias: nec ita auidè mercatores lucrum reportant de ſuis negotiationibus, ſicuti hi auidè omnia tẽporalia bona Eccleſiæ dilapidabunt ac deglutient. His de cauſis igitur Deus, cui enormia & patentia ſcelera vlciſci in promptu eſt, prædictam in eam feret ſententiam.

TEXTVS

Et audiui aliā vocem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

A *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem.* Qua quidem ſententia ſemel prolata, eam per totam Eccleſiam, voce Epiſcoporum ac prædicatorum in verâ Chriſti fide & Pontificis obedientia permanentium, audiui diffamari. Percrebuit fama tam inſignis audaciæ, qua illa ciuitas Pontificem exulare coegit. Pontificis conſtantia intuenda Eccleſiæ autoritate innotuit, qua fretus ſententiam excommunicationis in ſchiſmatis autores & fautores, & interdicti in hanc ciuitatem peſſimam fulminauit. Hanc Eccleſiæ legitimi Paſtores & concionatores ardore fidei impulſi omnibus inculcabunt, & alios fideles à communione ſchiſmaticorum ſeparari procurabunt. *Exite*, dicent, *de illa populo meus, vt ne participes ſitis eius delictorum; & de plagis eius non accipiatis.*

B Quàm vſque huc fuerunt corrupti mores incolarum huius ciuitatis, in iis etiam qui pietate & ſanctimonia aliis exempla præbere debebant morum caſtiſſimorum ac virtutum: quantæ exortæ contentiones inter Principes politicos & Eccleſiæ Prælatos, vt vnuſquiſque ambitioni ac concupiſcentiæ propriæ terminos laxaret ac diſtenderet? In vanum laborauit ſummus Eccleſiæ Paſtor, vt hæc mala compeſceret, & diſſidia exorta conſopiret, animoſque conciliaret, vt ſibi mutuò auxilium præſtarent, ad Chriſti fidem & erga Deum pietatem tuendam. Præualuit malitia. Poteſtas terrena liberam nacta eſt graſſandi occaſionem. Iam per totum orbem Reges

C & Principes ad corrodendas pecunias, quibus indigere ſe exiſtimant ad immenſas animi cupiditates explendas, facti ſunt infami ſtudio Abbatiarum & Epiſcopatuum peſſimi nundinatores. Dilacerata manet, conculcata & contempta ſacra ſummi Pontificis autoritas. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Quo fit vt clerus tantùm ſuis commodis ac deliciis intendat, Principes ambitione ducti pedetentim omnia Eccleſiæ iura proſcindant: impunè recalcitrare, & iugum excutere ab obedientiâ ſummi Paſtoris huic ciuitati liberum fuit. Hoc tandem præſtitit, & ſibi in caput conſtituit hominem perditum moribus, erroribus ſubditum, audaciâ inſignem: qui temerario auſu Imperij habenas, inde-

D bitè, impiè, ac tyrannicè aſſumat, Pontificem è ſede dejiciat, clero nullum deferat honorem, veros Chriſti cultores ab vrbe expellat, & exulare cogat; & vt quandam Religionis ſpeciem exhibeat, abominationem deſolationis erigat in loco ſancto, aliquem Anti-Pontificem ſeligendo, qui ſe tanquam legitimum Eccleſiæ Paſtorem proponat, & huic imperiali dignitati cella ſubdens veritatem captiuam detineat. Animum non deſpondit ſummus Eccleſiæ Præſul. Eccleſiæ ſponſa iniurias ſibi & Chriſto illatas diſtricto iudicio vlciſci decreuit. Hoc fecit, fulmine Eccleſiaſtico vibrato in hoſtes. At nequis ex fidelibus incautus decipiatur, Eccleſia per totum orbem diffuſa, ore Prælatorum & concionatorum,

E omnes huius ſchiſmatis autores ac fautores tanquam Eccleſiæ rebelles & perduelles declarat eos Sacramento benedictionis exauctoratos, Eccleſiæ caſtris excluſos, à fratrum communicatione expulſos, lumine ſalutis, lucerna Eccleſiæ, habitatione fidelium ac ſalutatione indignos. Hinc cunctis clamat: *Exite de illa populus meus, vt non ſitis participes delictorum eius; & de plagis eius non accipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cœlum, & recordatus eſt Deus iniquitatum eius;* nec corde, nec affectu, nec imitatione, nec applauſu aut approbatione huic ciuitati commiſceamini. A contubernio etiam & cohabitatione ſeparate vos, portas & tecta eius minimè ingrediamini, ne ruina quæ illi imminet vos obrui contingat. Peruenerunt peccata eius vſque ad ſummum, iniquitatem in excelſum locuti

Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius.

Digitized by Google

ſunt: poſuerunt in cœlum os ſuum. Deum ac ſanctos eius blaſphemauerūt. Eccleſiæ leges ac cæremonias detriuerunt, & ad tantam audaciam peruenerunt, vt altius euehi non valeat. Has Eccleſiæ voces tandem audiuit Dominus: qui eorum ſuperbiam quotidiè ſuccreſcentem videns, Deum exorabat dicens: *Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniuſtitiam. Populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.* Harum iniquitatum recordatus Dominus debita præparat ſupplicia: & cum nullus ſit ſanctorum, qui pro ea preces effundat, à cōmunione ipſorum excluſa, Deus cuius proprium eſt audaces deijcere, eius arrogantiam ad ima proſternet.

Textvs

Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis

Reddite illi ſicut reddidit vobis. Tenebrionum & lucifugarum iſtorū odia in vos excitaſtis, cum eorum oculis veritatis lumen propoſuiſtis, vitia carpendo eorum iras exacuiſtis, ſanctitate morum veſtrorum veluti tacita iniquitatum eorum correptione offenſis graues fuiſtis ipſis ad videndum. Vnde odiis ac contumeliis, pœnis ac ſuppliciis vos affecerunt, pro bono malum reddentes. Nunc reddite illis. Diſcedite ab eis, vt iuſtas ſcelerum luant pœnas. Adeo mihi chari eſtis, vt propter vos vſque huc manum meam ſuper eos extendere noluerim; & quandiu in medio eritis eorum, non potero facere quidquam. Diſcedite ab eis, vt eos diſperdam: & duplicate duplicia ſecundum opera eius. Anguſtiis animas veſtras repleuerunt, corpora variis cruciauerunt tormentis: *Duplicate duplicia,* ab eis diſcedendo, vt & in anima & in corpore pœnas ab eis exigam. Impedimento fuerunt, quominus debitus cultus à vobis exterius mihi exhiberetur; & bona veſtra temporalia inuaſerunt, diripuerunt: cæcitate & obſtinatione animi ac voluntatis percuriantur, & iſta temporalia iniuſtè vobis ablata ab eis auferantur. Veſtram & temporalem & æternam ſocietatem fuerunt aſpernati, pœnis & temporalibus & æternis ſubiaceant.

Et duplicate duplicia ſecundum opera eius.

In poculo, quo miſcuit miſcete illi duplum.

In poculo, quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Sapientia animali, terreſtri & diabolica inebriati, omnia excogitarunt, quibus cultum nominis mei extirparent, & Eccleſiæ ſplendorem offuſcarent: his peſſimis adinuentionibus vos extorres fecerunt, è ſedibus expulſerunt, & multa vobis aduerſa præpararunt. Iiſdem viis ac rationibus, quibus tot tantaque perpeſſi fuiſtis: eorum malitia vtar ego, vt ſentiant poſt diſceſſionem veſtram ab eis, quàm facili negotio inimicorum meorum conſilia deſtruam, & de eorum audaciâ ſumam vindictam.

De nullâ re lætari ſciunt, (ac ſi cordis eorum lætitia tota incluſa maneret in adinuentionibus malignis ſapientiæ carnis) niſi cum vindicari voluptatibus concupitis potiri ſibi contigerit. Lætati ſunt cum tot adinuenerunt mala in detrimentum pietatis, iuſtitiæ, in veſtri perniciem. Fugite ab eis, & recto veſtræ rationis vſu prudenter animaduertite vobis cedendum eſſe violentiæ ipſorum ad tempus. Si vos perſequuntur in illa impiâ ciuitate, fugite in aliam: ſeruate voſmetipſos, vt quæ ſumpturus ſum de ipſis ſupplicia, ad eorum maiorem ignominiam & confuſionem perſpicere valeatis.

Quantùm glorificauit ſe, & in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum. Glorificauit ſe dicens: *Sedeo Regina, & vidua non ſum.* Ac ſi diceret: Cum à me Romanus Imperator diſceſſerat; quaſi ſponſa proprio priuata ſponſo, in aliorum dominium & poſſeſſionem tranſieram, cum Eccleſiæ colla ſubmittere coacta fui. Nunc eiecto eius domi-

Quantùm glorificauit ſe, & in delitiis fuit tantùm date illi tormentū & luctum.

A nio ad proprium regreſſa ſum ſponſum: Imperatorem mihi ſeligendo & conſtituendo. Sedeo igitur Regina, & vidua non ſum. Nullis Eccleſiæ coarctor legibus, quibus conſtricta iacebam conſternata & humilis: extento collo mihi in omne quod libitum fuerit progredi licet: luctus amplius non videbo. At tantùm date illi tormentum & luctum, quantum in delitiis fuit. Morte ex ei plurimi afficiantur. Si qui relicti fuerint, lugeant bonorum ſuorum dilapidationem: fame tabeſcant, & eorum ſuperbæ ædes in cinerem redigantur. Nam quia nimium ſe extulit, & glorificauit, & in viribus ſuis confiſa exiſtimauit ſe ſecurè poſſe diuitiis ſuis ac voluptatibus frui, *ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus,*
B *& fames; & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.*

quia in corde ſuo dicit. Sedeo Regina, & vidua non ſum & luctū non videbo.

ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus & fames & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.

At quid tandem euenit poſtea, quæſo, percipite. Beſtia, quam diximus ſeptem habere capita ſibimet ſuccedentia, & decem cornua; pro diuerſitate capitum diuerſa habet cornua, eadem tamen ſignificantia, poteſtates nempe capitum, beſtiæ exequentes iuſſa. Poteſtates iſtæ poſt beſtiam, paruo licèt tempore, regiam poteſtatem accipient: hanc tradent beſtiæ, eique eam prompto animo ſubmittent, cum ſeptimum eius caput nempe Anti-Chriſtus emerſerit, ſexto enecato; vt quintum rediuiuum, & ſic octauum conſtituens, iſtorum Regum ope tandem interimat. Qui quidem Reges erunt in
C Oriente, in cuius partibus orietur nequiſſimum iſtud caput, nempe Anti-Chriſtus. Et ſicut illius ciuitatis effuſa in omnem nequitiam libido in cauſa fuit, vt Reges orientis, nempe *Tabernacula Idumæorum & Iſmahelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalech, Alienigenæ cum habitantibus, Tyrum,* Aſſur & filij Loth, qui oderunt Deum, extulerunt caput, & ſuper populum eius malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos eius, dixeruntque: *Venite & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Et quia vnum habentes conſilium cogitauerunt vnanimiter, & aduerſus Chriſtum teſtamentum diſpoſuerunt, vt virtutem & poteſtatem beſtiæ ſuæ tradant, qua quidem ciuitatem illam
D (vt ipſam regnare faciant) euerterunt; ita iſtorum Regum nequitia, & vita voluptuoſa, & ſchiſmati adhæſio eos imbelles reddet, vt illius tyrannidi reſiſtere nec audeant nec valeant; quin potius illi victori colla ſubmittent, eo ipſo quo rumor obſeſſionis & incendij percrebuerit. Flebunt, & plangent ſe, & longe ſtabunt: nec enim ei auxilium præbere attentabunt, propter timorem tormentorum eius, dicentes: *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vnâ horâ venit iudicium tuum. Væ tibi: væ nobis.*

Et flebunt & plangent ſe, ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt cum viderint fumū incendij eius, longe ſtantes propter timorem tormentorum eius dicentes.

Ad hoc igitur te adduxit audacia tua. Ah! O ciuitas omni confuſione digna, cum ea, quæ à Deo ordinata erat poteſtas, è ſinu tuo eieciſti, & nos
E ad ſchiſma conficiendum, & ad diſceſſionem prouocaſti. Ad has igitur nunc deuoluimur anguſtias, vt quæ paſſa fuiſti, perpeti timeamus. Si tam citò fuiſti euerſa & in cinerem redacta, licèt magna, & populoſa, & fortis, quomodo nos ab inuicem diſciſſi, & imbelles, tantæ potentiæ reſiſtere poterimus? Iam ſceptrum tenet Romanum, qui extollitur aduerſus omne quod dicitur Deus: ſibi quidquid Chriſto conſecratum fuerat, arrogat: & cum ea à nobis exiget, parendum erit. Rapiet fiſcum eius, quem nos impiè tecum nundinantes poſſidebamus. Flemus non tantùm vt reges, quorum ſceptra in alienum tranſire dominium oportet; ſed etiam vt mercatores & nundinatores. Sed potiſſimum fleant & lugeant nobiſcum Pſeudo-Pontificis miniſtri, qui de rebus Deo conſecratis nobiſcum nundinabantur:

Digitized by Google

quoniam merces eorum nemo emet amplius: Nec illis, nec nobis publico mercatu diſtrahere aut emere licebit: quidquid habebunt in poteſtate ſua Deo conſecrata, quicquid nos in noſtris ditionibus vſurpamus nunc tanquam ſibi dicata Anti-Chriſtus ipſa ex omnium aliorum manibus eripis.

Nolite igitur in iſta negotiatione ac nundinatione exiſtimare hanc ciuitatem deploratiſſimam cum Principibus terræ aliquid liciti peregiſſe. Vetitum quid ac Deo abominabile pertractabunt, cuius cauſa tali pœnâ punientur. Nec enim diuitiis Eccleſiaſticis inhiabant, vt Dei cultus ornatius perficeretur, aut vt inopiæ ſubuenirent aut naturæ neceſſitates ſubſtentaculis fulcirent. Imo potius rebus ſacris peperceruut, vt auaritiam ſuam explerent. *Merces eorum fuit auri & argenti, & lapides pretioſi, & margaritæ*, vt in terra non in cœlo theſaurizarent. Hic eorum oculus, hæc ipſorum intentio vt diuites fierent. *Merces eorum fuit byſſi & purpuræ, & ſerici & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore*. Ad hoc enim auide de bonis Chriſto conſecratis ad libitum diſponere concupierunt, vt delicatas veſtes, & pretioſam ſupellectilem, & commodam, abundantiùs & copioſiùs poſſiderent.

Flumine Euphrate, vt diximus, exſiccato, id eſt, ablato omni iuſtitiæ Chriſtianæ ſtudio, his Regibus facillima erit via ac parata, vt Anti-Chriſto vniuerſi monarchiam affectanti ſedulò inſeruiant. Venient igitur, vt contra Reges, à quibus diuiſum fuit Imperium Romanum, dimicent. Tribus iam ſuperatis, Ægypti, Africæ & Æthiopiæ, ad eum qui Romanum Imperium ac ciuitatem Romanam Pontificis expulſo inuaſit, interimendum, & ciuitatem euertendam properabunt. Hoc præſtiterunt. Iam hæc vrbs potentiſſima & florentiſſima omnino eſt euerſa. Quænam, putatis, erit mens aliorum Regum? Flebunt proculdubio: flebunt, & plangent ſe ſuper eam Reges terræ, qui cum eâ fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt. Timebunt ne talia patiantur ab Anti-Chriſti miniſtris & aſſeclis, quæ viderunt ciuitatem illam adeo ſuperbam & florentem fuiſſe perpeſſam. Impares ſe ſentient ad reſiſtendum tam potenti ac benè inſtructo & copioſo exercitui iſtorum Regum, qui Romam combuſſerunt & in cinerem redegerent. Ideo *flebunt, & longe ſtabunt, ob timorem tormentorum eius*.

Ad hoc inſuper ditari cupiunt, vt non ſolùm in veſtitu & ſupellectili luxurient ſed etiam vt omnia ſenſibus gratiora ac ſuauiora habeant. Ideo merces eorum fuit *cinnamomi, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini & olei, & ſimilæ & tritici*. Ad hoc ditari cupiunt, tum vt hominum labores effugiant, tum vt faciliùs & abſque grandi negotio aut ſollicitudine rem familiarem adaugeant. Ideo merces eorum fuit *& iumentorum, & Ouium, & Equorum, & Rhedarum*. Ad hoc ditari cupiunt vt ſuper alios dominari valeant, & in corpora & in voluntates poteſtatem exercere. Ideo merces eorum fuit *& mancipiorum, & animarum hominum*. At, ô Miſerrima ciuitas, *poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenies*. Ad ea omnia, quæ ſenſus tuos oblectari, carnem abundantiùs nutrire, vanitatem ſæculi fouere valebant, impotenti appetitu inhiabas: ſed heu! hæc omnia diſceſſerunt, & perierunt. Principes terræ ex nundinatione, quam tecum exercebant, eadem auidè exoptantes, non amplius ex tali commercio ditari poterunt.

Imo potius mercatores horum, qui diuites à te facti ſunt, longè ſtabunt propter timorem tormentorum tuorum, flentes & lugentes. Væ ingeminabunt, & dicent: Væ, væ, illa ciuitas magna, quæ delicatè: & molliter nimis carnem veſtiebat, amicta byſſo; quæ nullum ſibi dominari prætendebat, purpura Regia decorata; quæ voluptatibus ac ſanguine eorum, quos odio habebat, erat inebriata, cocco bis tincto induta; quæ nimiâ arrogantiâ efferebatur, lapide pretioſo redimita; quæ ſingularitate gaudebat, nec ſibi parem eſſe alium exiſtimabat, margaritis ſeu vnionibus fulgens; Væ, væ, inquam, tibi: quia aliis tantæ ceſſerunt diuitiæ: quoniam in vnâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ.

Textus. Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vnâ horâ venit iudicium tuum.

Heu infœlix! byſſum iuſtificationis ſanctorum in aſtutam malitiam commutaueras; Purpuram zeli diuini cultus, in apertam inobedientiam: Coccum B charitatis in proximum, in carnis propriæ inordinatum amorem: aurum ſapientiæ, quo terrena deſpiciens cœleſtia prægustabas, in prudentiam carnis, animalem, terreſtrem, diabolicam: amorem veritatis, in hypocriſim & diſſimulationem: lapides pretioſos virtutum, & bonorum operum, quibus aliis prælucebas, in determinatam malè agendi voluntatem, & de malis operibus gloriationem: vnionem ſeu margaritam Euangelicæ perfectionis, in arrogantiam indicibilem, ac ſingularitatem minimè tolerandam induta maledictione ſicut veſtimento commutaueras. Facta ſedes Religionis promiſſiones magnificæ Eccleſiæ factæ, ſole clariùs in te adimpletæ cernebantur. Poſita eras in ſuperbiam C ſæculorum. Pro ære collatum tibi fuerat aurum, pro ferro argentum. Cinxeram te byſſo, indueram te ſubtilibus. Ornaueram te ornamento, auro & argento & multi coloribus. Et dedi annulos in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Decora facta ex vehementer, & profeciſti in regnum. Ab his viſibilibus ad inuiſibilia tibi aſcendere facillimum fuit, vt mihi debitum reddores honorem. Sed væ, væ tibi: ſicuti omnibus gratiæ diuinæ ornamentis ſpoliata remanſiſti, Chriſti iugum ſuaue excutiendo, ita nunc exterioribus iſtis ornamentis ſpoliaris, quia in luxum, & diſſolutionem, & ſuperbiam conuertiſti quæ tibi collata fuerant, vt ſtrictioribus vinculis dilectionis mihi adhæteres.

Et negotiatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet ampliùs, merces auri & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci (& omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum, & odoramĕtorũ, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & redarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

D At non ſolùm Reges & mercatores, huius ciuitatis deploratiſſimum ſtatum vidi lacrymis & fletibus proſequentes. *Omnis etiam gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur longè ſteterunt, & clamauerunt, videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari de pretiis eius: quoniam vnâ horâ deſolata eſt.*

Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerũt à te: & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.

Dum Petri nauis fœlici curſu, licèt ventis & procellis agitata, ſupra vndas ſæculi ferebatur, Chriſti Vicario Petri ſucceſſore clauum tenente, cæteri Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Præ- E lati & Eccleſiarum Paſtores, & Verbi Dei prædicatores, qui huc & illuc diſcurrebant, vt longè lateque Eccleſia, mulier illa fortis panem ſuum diſtribueret nationibus cunctis: ſi erroribus, ſi hæreſibus, ſi perditis moribus, ſi variis tentationibus eos diuexari & exagitari contingeret, fiebat tranquillitas, cum Chriſtus per os ſummi Pontificis dicebat: Obmuteſce. Venti enim & mare obediunt ei. Et ſic illi omnes damna ſua reſarcire poterant. At nunc Paſtore percuſſo, oues diſpergi neceſſe eſt, & ad quem habeant recurſum videre non valent, ipſum percipientes omni ſua maieſtate & autoritate (quoad exercitium) deſtitutum. Ideo gemunt. Ideo imbre lacrymatum dolorem ſuum exprimunt. *Omnis enim gubernator*, nempe Patriarcha, Archiepiſcopus, ſeu Epiſcopus: *& omnis qui in lacum nauigat*, id eſt, in-

Mercatores horum, qui diuites facti ſunt ab ea, longè ſtabunt, propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco; & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis, quia vnâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ.

Textvs

Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua. Et clamauerūt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habebant naues in mari de pretiis eius: quoniam vnâ horâ deſolata eſt

ſecior in Eccleſia Prælatus: *& nautæ qui in mari operantur*, id eſt, Verbi Dei prædicatores, *longè ſteterunt*, A tum quia peccatum illius ciuitatis contumacis deteſtantur, & ſchiſma eius abhorrent: tum quia ſe impares ad hæc mala diuertenda ſentientes cum ab ea ſemel diſceſſiſſent (vt huic voci: *Exite de illa, populus meus*, obedirent) & amplius aliquod auxilium præſtare, aut bonum procurare nec volent, nec poterunt, imo potiùs conſilium Domini ſequentes, fugient ad montes, nec ad eam reuertentur, ſed eiulationibus ſuis aëra replebunt, videntes eam ciuitatem in cineres redactam, dicentes: *Quis ſimilis ciuitati huic magnæ?* Fuit ne vſque huc in orbe ciuitas, quæ tot tantiſque beneficiis præuenta ac cumulata fuerit, & cuius ideo erga Deum ingratitudo turpior B appareat, cuius audacia proteruior, cuius luxus profuſior, cuius ſchiſma nocentius, cuius ruina manifeſtior, cuius reparatio deſperatior? *Et miſerunt cinerem ſuper capita ſua.* Innitantur Ioſue, qui poſtquam vidit Deum è medio populi receſſiſſe, propter ſacrilegium Achami, ex Anathemate vrbis Hiericho, pallij purpurei & regulæ aureæ, & Siclorum argenti ſuffuratoris, ſcidit veſtimenta, & cum ſenibus populi miſit puluerem ſuper caput ſuum. Ita hi Eccleſiæ Prælati in memoriam reuocantes quot ſacrilegia commiſſa fuerant, quantum Deus exacerbari potuerit ex contemptu Eccleſiaſticæ autoritatis, ex ſchiſmate conſtituto, ex moribus perditis hominum: videntes Sathanam ſolutam, & tempus poteſtatis C tenebrarum aduenîſſe, humiliauerunt ſe coram Deo, ne tot tantiſque calamitatibus, permittat eos obrui, ſed propter electos dignetur abbreuiare dies perſecutionis adeo acerbæ & formidabilis, ne forte deficiant, & animum deſpondeant: nec non iudicia Domini approbantes, & eius ſententiæ ſubſcribentes dixerunt: Æquo Dei iudicio, ô ciuitas magna, maledictionem æternam & temporalem incurriſti: quia ex tua defectione plurimi bona Deo conſecrata ſibi audacter vſurpauerunt, & diuites facti fuerunt ex alienatione indebita talium bonorum, quæ à te pretio coëmerant peſſimi rerum ſacrarum nundinatores. Heu! quàm citò deſolata fuiſti!

Iam nemo inficias ire poterit, ô ſancti Dei, iſtos D abſtuliſſe labores veſtros, & monitorum & exemplorum proteruis contemptores impiè aduerſus vos olim inſurrexiſſe, lauate manus veſtras in ſanguine eorum. Iuſta de eis à Deo ſumpta vindicta clarè demonſtrat opera veſtra Deo fuiſſe grata, quibus eos à malis auertere tentabatis: eorum autem opera Deo fuiſſe odioſa. Iuſtificati eſtis à calumniis quibus vos impetebant, iugum præceptorum veſtrorum à ſe excutere geſtientes. Quin etiam, ô ſancti adhuc Viatores, exultate. Licèt enim erumpant lacrymæ profuſiſſimè, ob innatam in cordibus veſtris miſericordiam, tantam ſpeculantes calamitatem, ecce tamen appropinquat redemptio veſtra. Gratias Deo agite quia delictorum ipſius non fuiſtis participes, ſed in fide & obedientia Chriſti permanentes, tem- E pore congruo ab eius communione abſtinuiſtis. Viriliter agite: confortetur cor veſtrum, & ſperate in Domino. Adeſt aduerſarius. Inſtat Anti-Chriſtus. Iam vobis cum tam acerbo & teterrimo hoſte congrediendum erit. Sed confidite. Videtis me iudicium incœpiſſe ab ea, quæ domum ſe Dei eſſe gloriabatur. Qualem, quæſo, putatis exitum futurum eorum, qui non ſolùm non credunt Euangelio, ſed ipſum odio implacabili euertere, & euellere conantur?

Exulta ſuper eam cælum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ

Exultate & vos, ô ſancti Chriſti Apoſtoli ipſum fore adorandum tanto ſtudio annunciaſtis & in nomine ipſius omne genu flectendum cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: potenter iniunxiſtis iudicium eorum non ceſſare, perditionem eorū non dormitare denunciaſtis iis, qui ſectas introducerent, & Deum negarent, ſequerentur luxurias, viam veritati blaſphemarent, & in auaritia fictis verbis, iis quæ ad ſalutem hominum pertinerent negotiarentur: quibus melius fuiſſet non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti inſerti in bonam oliuam in fide firmi minime ſteterunt, ſed alta ſapientes meruerunt ne illis parcere Deus, ſed eos propter perfidiam potius excideret. Omnia detrimentum feciſtis, vt Chriſtum lucraremini & propter eum omnia arbitrati eſtis vt ſtercora. Sanguinis proprij effuſione, quàm honorandus, quàm colendus ſit ſatis perſpicuè demonſtraſtis. Ad hoc minimè attenderunt. Iudicauit iudicium veſtrum de illa ciuite. Exultate, & Deo laudes dicitur.

quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa.

Exultate & vos, ô Prophetæ Dei, qui de honore Chriſto Domino exhibendo olim tam ſolliciti fuiſtis. Exulta; ô Moyſes, qui olim dixiſti. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui. Et ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Iudicauit iudicium tuum de illis. nunc tibi exultare licet. Exulta, ô Iſaia, qui olim de Eccleſiâ Chriſti verba faciens dicebat: *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam tibi reſiſtentem in iudicio iudicabis. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me dicit Dominus.* Iudicauit Eccleſia linguas reſiſtentes ſibi. Ad eius iudicium ecce inquantam inciderunt miſeriam. *Vox populi de ciuitate. Vox de templo. Vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.* Iſa. 66. Iudicauit Dominus iudicium tuum de illâ: exultandum tibi, ſicut & cæteris Prophetis. Confregit Chriſtus inimicos: reddidit retributionem ſuperbis. Exultandum tibi, ô Dauid. Iam humillimus hominum Chriſtus conſtitutus eſt vt regnet ſuper terram, & alia conterat regna. Exultandum tibi, ô Daniel, quia iudicauit Dominus iudicium tuum de illa. Hoc faciet omnibus inimicis ſuis quod fecit huic ſuperbæ ciuitati.

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidē, quaſi molarem magnū, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.

Vt autem eius ruinam ſicuti & aliorum Reproborum, meliùs perciperem, ecce vnus Angelus fortis, nempe Gabriel, *ſuſtulit lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Gabriel, inquam, Angelus, ad quem pertinet oſtendere quæ futura ſunt in extremo iræ; cuius nomen fortitudo, & robuſtus, qui iam venit ad Zachariam & Mariam, eo tempore quo Dominus naſciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus erat de mundo. Nunc Domino triumphante de inimicis, partes ſunt ipſius oſtendere quàm glorioſè de omnibus Chriſtus triumphaturus ſit. Hoc præſtitit. Gloriabatur illa ciuitas, quaſi in dominatione immobilis permanſura: ſe ab omni Imperio liberam exiſtimabat, in ſinu ſuo tanquam vero ſponſo, Imperatore ſchiſmatico ſuſcepto, nihil aliud quàm delitias & ſæculi voluptates ſibi pollicebatur. Dixit: ſed eo Regina. Videte quia inſtabilis facta eſt. Experiatur ſolam Dei voluntatem fixam & immobilem permanere, cætera volui & conuolui ſuper eam, ipſa immobili permanente. Eradicetur igitur, ſuſtollatur in altum, vt grauiori caſu ruat. Dixit vidua non ſum. Chriſto contempto, ſibi caput conſtituit. Demergatur in profundum cum impetu & ignominia; ſubitò deficiat & pereat propter iniquitatem ſuam. Dixit: luctum non videbo. In abyſſum omnium dolorum deijciatur, ſicuti lapis in profundum aquarum demerſus & vltra iam non inueniatur, quia ad priſtinam firmitatem ei redire non permittetur: antiquum ſplendorem amplius non poſſi-

Digitized by Google

debit, & omnis ab ea gaudij materia reſcindetur. Ablatâ ſiquidem & auulsâ illâ petrâ, quæ totius ædificij molem ſuſtinebat, ſummo Pontifice expulſo, quomodo non corrueret? Quomodo firma ſtare poſſet? Et cum ob eius ingratitudinem, in aliam ciuitatem dilectam ſedem tranſtulerit, ampliùs ſuum ſplendorem ob eius præſentiam non recuperabit. Et omnis ſpes gaudij auferetur quia vox cytharædorum, & muſicorum, & tibiâ canentium, & tuba non audietur in te amplius; Et ſolatij, quia omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius. Quidquid vſui commodius, quid quid ſenſibus delectabilius, quidquid naturæ conuenientius; cogitari poteſt, totum hoc auferetur. Vox molæ non audietur in te ampliùs, & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc A in te: quia mercatores tui erant Principes terræ, ob deteſtabilem auaritiam quâ ſuſdeque omnia euerſa de rebus ſacris nundinaſti, & prophanè omnia Chriſti Sacramenta pertractaſti, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes, cum & ſchiſmatis & erroris eis vinum propinaſti, & in te ſanguis Prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terrâ. Adhuc enim clamat ſanguis eorum, qui effuſus eſt, tot perſecutionibus contra fideles excitatis. Etſi enim alibi plurimi extincti fuerunt, ſi qua malitia, ſi qua impietas, ſi qua ingratitudo in eis perſequendis alicubi enituit, in te potiſſimum eluſceceт malitia, impietas, & ingratitudo: quæ tot cumulata honoribus, quos colere debueras, B improperiis affeciſti, tormentis ac pœnis diuexaſti, ac crudelitate nimiâ intеremiſti.

TEXTVS

Et vox cytharædorum, & muſicorum, & tubâ, non audietur in te ampliùs.

Et omnis artifex omnis artis non inuenietur in te ampliùs. Et vox molæ non audietur in te amplius.

Et vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te. quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerũt omnes gentes. Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

IN CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

PRÆFATIO.

SEDVLO Notandum, quod licèt in hoc capite S. Ioannes iiſdem vtatur loquendi formulis, quibus vſi fuerunt Prophetæ, Eſaias c. 21. & c. 33. Hierem. c. 30. Ezech. c. 27. & c. 32. dum de Babylone, aut Tyro, aut Ægypto loquuntur; non eumdem tamen ſenſum habent verba S. Ioan. vt ad literã, de antiqua Babylone, aut de Tyro aut Ægypto veniat intelligendus. Rectè ſiquidem Dion. Carthuſ. in c. 18. Apoc. ait: *Vnde in illo capitulo multa verba ſcribit Ioannes, quæ in memoratis habentur Prophetis: Verus tamen literalis ſenſus diſtinctus eſt.* Ita Dionyſ. Et rectè: quia in hoc capite S. Ioannes loquitur de Romana Ciuitate, ſub nomine Babylonis, quam proponit tanquam exemplar quoddam, in quo conſiderare licet quàm acerba futura ſunt omnium reproborum ſupplicia.

Igitur S. Ioannes capiti decimo ſeptimo finem impoſuit in his verbis: *Et mulier, quam vidiſti, ciuitas magna eſt, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Ac ſi diceret: iſta impietas, quam ſub ſchemate mulieris vobis depinxi, adeo inuaſit ciuitatem, quæ Regnum obtinet ſuper terram: & tam potenter in ea vigebit in poſterum, cum ad vomitum rediens, iugum ab Eccleſiæ obedientia excutiet, vt rectè dici poſſit hanc ciuitatem magnam verè eſſe hanc mulierem, ſeu impietatem. Nunc in hoc capite 18. deſcribere vult ſupplicia, quæ Deus immiſſurus eſt in eam, ob immenſam erga Deum ingratitudinem: vt hac ratione nos ad timorem iudiciorum ſuorum, & pœnarum æternarum, tam inſigni exemplo deducat.

Nec tamen Eccleſiæ hoſtes exiſtimare debent (cum fatemur in hanc calamitatem Romanam vrbem caſuram, vt omninò diruatur) nos causâ excidiſſe, dum aſſerimus Eccleſiam Romanam nunquam eſſe intercidendam: nec propterea illam Eccleſiam eſſe Babylonem à Deo reprobatam eis opinari licet. Etenim veritas Religionis ſuam venerationem & commendationem minimè amittit, ſtatim atque loca, in quibus inſigniora pietatis exercitia magis floruerunt, fuerint propter hominum ſcelera euerſa funditùs, & omnimodè deſtructa. Arca Dei à Philiſthinis captâ nullum ex eo Religionis veritas paſſa eſt venerationis debitæ detrimentum. Ablatio theſaurorum & vaſorum ex templo Salomonis, quin & templi eius euerſio, indicia non fuerunt falſæ cuiuſdam Religionis, quam profeſſa fuiſſet illa ciuitas: nec proinde dicendum erat templum illud falſæ cuiuſdam Deitatis cultui fuiſſe conſecratam. Quinimo potius hæc omnia indicabant, quòd Deus zelotes, ſui honoris curam gerens præcipuam, tolerare nolebat peccata regnare in eo loco (quem elegerat vt in ipſo coleretur) C abſque graui pœna & ſupplicio, ſi perpetrarentur; vt ſic ſcelera ſeuerè caſtigans demonſtraret ſe eſſe ſanctitatis autorem & amatorem, dum qui proprio filio non pepercit, nec etiam parcit iis, quos chariores habere videbatur, itaque quamuis ciuitatem Romanam aſſeramus ruituram, euertendam, ac funditùs diruendam circa conſummationem ſeculorum, non exinde in minori pretio & exiſtimatione habere debemus veritatis Catholicæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ altitudinem, pietatis illius celſitudinem, Religionis illius dignitatem, autoritatis illius firmitatem: quæ omnia nunc in ea elucent, & in honore ac pretio habentur. At tantum fatendum eſt nobis, quòd ſicut inter cæteras Chriſtianorum ciuitates maioribus donis cumulata fuit, pari ratione maior fuit ex abuſu donorum illius ingratitudo, quo gra- D uiori proinde ſupplicio puniri debeat, iuxta illud S. Pauli: *Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus es, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Heb. 10. Sicut igitur Hieroſolymitana ciuitas olim euerti & dirui promeruit, ob contemptum legis Moſaicæ: ſi, vt vult Cornel. à Lap. Roma ad idololatriam reuerſura eſt: vel (vt probabiliùs exiſtimamus) in hæreſim & ſchiſma prolapſura, ſummũ Pontificem à ſede expel- E lendo, & iugũ obedientiæ illi exhibendæ excutiẽdo, quin & peſſimis motibus corrupta, Eccleſiæ ſummam maieſtatẽ proſcindendo, & pedibus proculcãdo, quæ pro pietate & ſanctitate ſua omnibus fuerat olim cõſpicabilis & ab omnibus nationibus & Regibus terræ debitis fuerat culta honoribus, nonne facile eſt conjicere quod Deus ampliùs nolens ferre tantam ingratitudinem, ab ea pœnas exigere non tardabit, veluti ab ea, à qua quo maiora ab eo acccepit dona, eò etiam fideliora expoſcentur obſequia, & ratio donorum exactior exigetur?

Et vt verum fateamur, in quanam orbis ciuitate vnquam

Digitized by Google

vnquam omnes Eccleſiaſticæ functiones fuerint diu-
turniori tempore, abſque diſcontinuatione, cum
maiori ſplẽdore & maieſtate in exercitium redactæ,
ab initio Chriſtianiſmi vſque ad finem ſeculorum;
veluti fuerunt, & erunt in poſterum, in Romana
ciuitate, ad actum redactæ? Quænam vrbs oratio-
nibus frequentioribus ſanctorum poteſt vnquam
apud Deum adiuuari, pro qua tam obnixè Apoſto-
lus Deum rogabat, vel ipſo teſte? *Primùm quidem*,
inquit Roman. 1. *Gratias ago Deo meo per Ieſum Chri-
ſtum, pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in
vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in
ſpiritu meo, in Euangelio filÿ eius quod ſine intermiſſione
memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, ma-
gnum*, inquit Guillaud. in Paulum, *erat, Paulum
nullas preces ad Dominum fundere, & non faceret Ro-
manorum mensionem*. Orationibus eorum, qui li-
mina Apoſtolorum adeunt, iuuatur; pro cuius
Pontifice per vniuerſum orbem in miſſa oratur.
Vnde in Concilio Vaſenſi, ſeu Vaſionenſi an-
no Dom. 442. cap. 6. decernitur: *Et hoc nobis iu-
ſtum viſum eſt, vt nomen Domini Papæ, quicumque ſe-
di Apoſtolicæ præſuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.*
Quænam magis prædicatione verbi fæcundata fuit?
Quæ cum prædicatione verbi, ſanguine Apoſto-
lorum Petri & Pauli irrigata fuit, vt fæcundior eua-
deret. Vnde gratias agit Paulus Deo, quia fides il-
lius ciuitatis annuntiabatur in vniuerſo mundo. *Id
eſt*, interprete Sedulio Hybernienſi, *quod fides iſta,
quam Romani habent, ipſa eadem ſit, & non alia, quæ in
vniuerſo mundo adnunciatur & creditur, quæ non ſolum
in terris, ſed & in cœlis prædicatur.* Ita Sedul. Inqua-
nam ciuitate ſacramenta Eccleſiæ liberiùs admini-
ſtrari poſſunt? In quanam fulgidior apparet ſacer-
dotalis dignitas, & ſacrificandi Deo poteſtas? Quæ-
nam faciliùs in cognitionem legum Eccleſiaſtica-
rum deuenire potuit, à qua emanant leges, à qua
concilia confirmationem accipiunt? Vbinam iudi-
cia Eccleſiaſtica promptiùs promulgantur ac notifi-
cantur, cum ab ea proferri debeant omnia iudicia,
quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen pertinere
poſſunt? Si igitur maiora accepit dona, ſi præuenta
fuit inſignioribus beneficiis, ſi ampliori fauore cu-
mulata fuit, nonne maiori ſupplicio afficienda erit,
ſi tot donis ſpretis, & pro nihilo habitis, ad ſchiſ-
mata conficienda aut hæreſes amplectandas propen-
dat, vel ipſa incipiente iugum excutere ab obedien-
tia ſummi Pontificis, occaſionem præſtet Regibus
terræ, Eccleſiæ gloriæ inuidentibus, ab eius obe-
dientia ſeſe ſubtrahendi, & ad diſceſſum vniuerſa-
lem, quem prædixit Apoſtolus, viam parare inci-
piat? Vnde dictum fuit: *Cum qua fornicati ſunt Reges
terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino
proſtitutionis eius, & mater appellatur omnium fornica-
tionum & abominationum terræ.* Vino, inquam, pro-
ſtitutionis eius inebriabuntur, nempe gaudio illo,
quo exultabit, cum ſe ſubtrahet ab obedientia Ec-
cleſiæ, & Imperatore ſchiſmatico ſibi conſtituto, di-
cet. *Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctũ non videbo.*
Eſto igitur, deſtruxerit Nabuzardan princeps mili-
tiæ regis Nabuchodonoſor ciuitatem Hieroſolymi-
tanam, incenderit domum Domini deſtruxerit mu-
rum, turres combuſſerit, quidquid pretioſum erat de-
molitus fuerit; omnes Theſauros templi, & Regis, &
Principum, tranſtulerit in Babylonẽ; nec non omnia
vaſa templi vel cõfregerit, vel abſtulerit, ſalua tamen
manſit vera Religio in cordibus plurimorum, qui
Deum timebant; nec minori honore & reuerentia di-
gna erat, quàm cum ciuitas iſta, opibus, & opulentia
nimia abundabat. Pari ratione dico: Roma, quæ
ſedes eſt Vicarij Chriſti, funditùs euertatur, opes
eius & diuitiæ eripiantur, nihilominus ſalua erit
A ſemper Religio Chriſtiana, & fides Catholica, in
cordibus fidelium. Quod ſi externo quodam ſplen-
dore ſpolianda ſit, firmior remanebit tot probata
tentationibus, Dei freta protectione ſpeciali & au-
xilio opportuno, ne deficiat fides, dum terrenæ
Eccleſiæ diripiuntur opes. Hoc repræſentare voluit,
& quadam figura prædicere Ieremias, dum in de-
ſtructione templi, à deuaſtatione ſubtraxit. Taber-
naculum, Arcam fæderis, & altare incenſorum,
eaque omnia in monte Nebo occultauit, quinimo
etiam ignem diuinum in puteo profundiſſimo ab-
ſcondit, voluitque locum in quo hæc omnia recon-
debat, eſſe incognitum vſque ad tempus præfixum.
Donec, inquit l. 2. Machab. cap. 2. *congreget Deus
congregationem populi, & propitius fiat.* Itaque licèt
B columnæ, quæ ornatum, & decorem externum Ec-
cleſiæ præſtant, confringantur, ſicut confractæ fue-
runt columnæ æreæ, quæ erant in domo Domini, à
Chaldæis, id eſt: auferantur ab Eccleſia diuitiæ tem-
porales, quibus eam ditari voluit ad tempus omnium
bonorum diſtributor magnificus, imo cultus ille
Dei publicus & externus, quem Eccleſia ſemper Deo
& ſacrificiis ſolemnibus & feſtiuis diebus exhibuit,
vi quadam & virtute inuincibili omnium tyranno-
rum conatus eludens, ſub temporibus Anti-Chriſti
deleatur, (iuxta illud Danielis c. 7. Et ſermones
contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi con-
teret: & putabit quod poſſit mutare tempora & le-
C ges. Et tradentur in manu eius, vſque ad tempus
& tempora, & dimidium temporis.) Auferantur
candelabra, & vaſa omnia, quæ ad ſacrificia facien-
da deſtinata erant, quin & thuribula, mare æneum,
& baſes quas fecerat Salomon, id eſt, auferantur
ſancti Doctores per Martyrium, & omnibus Sacer-
dotibus ſacrificandi nullus locus detur: laudes, quæ
publico ritu Deo dantur, non ampliùs audiantur:
quin & difficilis ſit ad Sacramentum pœnitentiæ
(ratione perſecutionis) recurſus, quia rari erunt
Sacramentorum adminiſtratores idonei: nihilomi-
nus ſemper tabernaculum, nempe Eccleſia militans,
in qua Deus inhabitare vult, ſtabit ſupra firmam
Petram poſita & ædificata. Stabit caput illius viſibi-
D le, tanquam Arca fæderis, in quo Manna ſalutaris
doctrinæ, in quo tabulæ legis diuinæ, nempe auto-
ritas præſcribendi media, quibus nobis aditus ad
cœlum paratur; in quo virga Aaron, nempe auto-
ritas regendi Eccleſiam, & poteſtas inſignis coër-
cendi ſub pedibus ſuis Satanam, includuntur: ſtabit
& altare incenſorum: ſiquidem etſi fidelibus non
liceat publicè ſacrificia Deo efferre, poterunt ta-
men in cordibus ſuis ad Deum precibus & oratio-
nibus recurrere: poterunt in antris & cauernis, &
ſpeluncis terræ, vt iam fecerunt in primis Eccle-
ſiæ temporibus, Deo ſacrificia offerre: Deni-
que ignis diuinus amoris Dei, & Charitatis Chri-
ſti, tunc abſcondetur, quaſi in puteo exſiccato, in
E cordibus fidelium, qui ab omni cupiditate terreno-
rum deſiccati, hoc vnum meditabantur, imperſcru-
tabilia & altiſſima eſſe Dei iudicia. Quod ſi in aquam
craſſam conuerſus appareat propter ingentes affli-
ctiones, quibus præmebuntur, (vnde dicere tunc
poterit vnuſquiſque eorum: *Infixus ſum in limo pro-
fundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris,
& tempeſtas demerſit me.*) nihilominus tandem, cum
ſol ille iuſtitiæ, (qui deſtructurus eſt Anti-Chriſtum,
illuſtratione aduentus ſui) apparuerit, cum Deus
imperabit, & faciet tranquillitatem; cum ſol reful-
get, qui priùs erat in nubilo, reddita Eccleſiæ pace;
accendetur rurſus ille ignis magnus, quo imperfe-
ctionis cuiuſlibet rubigo conſumetur; & iſtæ animæ
fideles, qui conſtantia ſua & magnanimitate hoſtem
Chriſti deuicerunt, veluti lampades ſole ſplendidio-

Digitized by Google

tes effulgebunt : itaut de illis dicatur : *Et educet tanquam lumen iuſtitiam tuam , iudicium tuum tanquam meridiem.*

Hæc igitur figura perſpicitur quomodo Deus Eccleſiam ſuam tuebitur , licèt plurimum affligi ei contingerit. Nec enim permittet Deus vt hæc vltima inferni porta , qua euomere diabolus tentabit torrentem perſecutionis validiſſimæ Eccleſiam abſorbeat. Hæc enim ciuitatis Romanæ à ſummo Pontifice defectio videtur vltima quaſi porta , ſeu inuentio ſatanica, qua diabolus attentabit religionem & pietatem ſubuertere. Sed nec iſta , ſicut nec aliæ , quæ præceſſerunt , præualere poterunt contra Eccleſiam , dicente Domino : *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Quod ſi olim Ieremias, vt legere eſt 2. Machab. 2. & apud Salian. an. 3447. Abſcondendo hæc ſymbola præcipuarum, & eſſentialium partium Religionis, voluit locum in quo illa recondebat , incognitum manere , donec congregaret Deus congregationem populi , & propitius fieret ; Et tunc oſtendere hæc debebat , & apparere Maieſtas Domini : Ita probabile eſt quod licèt Anti-Chriſtus omnem adhibeat diligentiam & induſtriam , vt eos inueniat quos nouerit aut ſuſpicabitur, doctrina, autoritate, ac exemplo ſuo religionem tueri Chriſtianam : nunquam tamen locum , in quem confugerint , eius ſatellites explorare poterunt , vt ab Anti-Chriſti perſecutione illæſi permaneant , & ſint de numero eorum , de quibus Danielis 12. dicitur : *Beatus qui expectat , & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Ne Eccleſia , contra quam præualere non debent inferorum portæ , deficiat : ſed inter ignes ſeu procellas perſecutionum ſalua & incolumis in electis ſaltem conſiſtat. Et ſicut pueris occiſis ab Herode , Ieſus Chriſtus , qui ad necem quærebatur , illius crudelitati , peculiari Dei prouidentia ſubtractus eſt : ita fieri poterit vt Eccleſiæ caput viſibile , ſummus Pontifex ab Anti-Chriſto ad necem requiſitus (vt ſic illo ſublato , omnem ſpem Eccleſiæ afflictæ adimat reſtaurationis Monarchici ſtatus Eccleſiæ) tamen ſeruetur incolumis , quamuis innumeros fideles neci tradat Anti-Chriſtus, vt ſic Dei gloria magis reſplendeat , & Eccleſiæ ſtatus illuſtrior reddatur : capite illæſo , quo membra firmiora in fide permaneant. Quod certè non tam à veritate alienum videbitur, ſi S. Athanaſij hiſtoriam in memoriam reuocemus, qui Arianorum pertinacem iram , & ſummum vitæ diſcrimen fugiens , in ſicca ciſterna quinque annis ſe abdidit , eius rei tantum conſcio quodam amico, qui eumdem ſuſtentabat. Expleto tamen tempore conceſſo Anti-Chriſto , & poteſtati tenebrarum , vt Eccleſiam valeant diuexare , explorabit tandem in quam ciuitatem confugerit. Sed cum congregatæ ab eo gentes, quarum numerus erit ſicut arena maris , aſcenderint ſupra latitudinem terræ, & circuierint caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam (vt dicitur Apocalyp. 20.) *Tunc deſcendet ignis à Deo de cælo , & deuorabit eos. Et diabolus , qui ſeducebat eos, mittetur in ſtagnum ignis , & ſulphuris , vbi & beſtia & Pſeudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte , in ſecula ſeculorum.* Sic Dei maieſtas apparebit. Sic Chriſti gloria manifeſtabitur. Sic Eccleſiæ autoritas illuſtrior reddetur , dum hoſte deuicto , & gloriæ Chriſti æmulatore proſtrato & vſurpatore Dominij ſui, in vniuerſas orbis terrarum partes (quæ pro prærogatiuâ ſingulari Chriſto datæ ſunt in hæreditatem) extincto , Eccleſia , in capite & præcipuis membris, à tot tantiſque malis & periculis eripietur.

Ex dictis facile eſt conjicere nihil magni pro cauſa hæreticorum præſtare miniſter hæreticorum ſubdolus , *Du Moulin* gallicè dictus , cum in libro cui titu-

A lum dedit , *L'accompliſſement des Propheties* , ea quæ in hoc capite 18. dicuntur, exactiſſimè applicat ad omnia quæ diuino cultui inſeruiunt , vt ſunt aurum , lapides pretioſi , de quibus fiunt vaſa , & ornantur veſtimenta ſacerdotum, & ſummorum Pontificum : & addit Romanam ciuitatem iis omnibus ſpoliandam fore. Hoc fatemur. Hoc illi libenter concedimus. In hac enim vltima Anti-Chriſti perſecutione futurum eſt vt Eccleſia adeo vexetur, opprimatur, conculcetur , vt hic pretioſus omnis ornatus & apparatus , cum quo ſuas nunc celebrat feſtiuitates, & ſacra peragit , ab ea auferatur , & diuitiæ illius, quibus nunc abundat, auferantur, & hac ſubtractione etiam puniatur vel auaritia , vel cupiditas , vel ſuperbia, vel luxuria plurimorum Eccleſiaſticorum, B qui tot tantiſque diuitiis abuſi fuerunt. Et tamen aſſerimus , & firmiter tenemus , quod Eccleſia Romana in ſuo capite viſibili , in ſuis membris præcipuis , firma permanebit ; & interim ciuitas Romana (non Eccleſia Romana) diruetur , euertetur , punietur : quia animaduertere recuſauit quanto fauore à Deo præuenta fuit , dum electa fuit , vt eſſet ſedes capitis viſibili Eccleſiæ , & Eccleſiaſtici ſenatus , & pietatis ac Religionis Chriſtianæ domicilium ; nec animaduertere potuit in ſeipſa adimpleri , quæ Eccleſiæ promiſſa fuerunt , Eſ. c. 60. *Pro eo quod fuiſti derelicta , & odio habita , & non erat qui per te tranſiret* , (v. g. tempore perſecutionum ſub Claudio , à quo C omnes Chriſtiani è Roma expulſi fuerunt) *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum , gaudium in generationem , & generationem. Et ſuges lac gentium : & mamilla Regum lactaberis. Et ſcies quia ego Dominus ſaluans te , & Redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum , & pro ferro afferam argentum , & pro ligno æs , & pro lapidibus ferrum. Et ponam viſitationem tuam pacem , & prępoſitos tuos iuſtitiam.* Et cap. 61. In quo illi promittitur quod erit quaſi ſponſus decoratus corona in capite ſuo , videlicet in ſummo Pontifice ; & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis, in ſuis videlicet membris. Summus ſiquidem Pontifex ſponſus Eccleſiæ dicitur , *C. vbi periculis , de elect.* In 6. In Concilio Lugdunenſ. Et cuncti Eccleſiæ fideles , D qui ei ſubjiciuntur , ſunt veluti ſponſa , illius ornata virtutibus , prærogatiuis , ac proprietaribus quibuſdam , quæ per monilia deſignantur. De quibus ornamentis interioribus & exterioribus cecinit Propheta. *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus , in fimbriis aureis , circumamicta varietatibus.*

Apparatus quippe & ornatus exterior requiritur, vt per ea, quæ videntur oculis corporeis , mens exurgat ad contemplandam illam pulchritudinem virtutum , quæ ſub ſenſibus corporeis cadere non poſſunt. Quo fit vt iuſtè hæc ciuitas ſeuerè ſit punienda , quæ in hoc exteriori apparatu , religionis maieſtatem , Chriſti Dominationem ſupremam , E (cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra) colere & adorare minimè potuerit. Auferentur ab ea tot diuitiæ , quædam Eccleſiæ ſubditæ erant , viam illi ſternebant ad contemplationem gratiarum & donorum ſpiritualium , quibus Deus Eccleſiam decorare voluit ; & dum potiùs elegit vt illæ diuitiæ luxui & ſuperbiæ inſeruirent quàm Chriſto in ſuis miniſtris promerebitur proculdubio vt illis diuitiis totaliter ſpolietur , & funditùs tandem euertatur.

At ponderanda ſunt verba Iſaiæ ſuperiùs allata : *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum* ; & iſta cap. 61. *Fortitudinem gentium comedetis , & in gloria eorum ſuperbietis* ; Et vt Aquila vertit : *in gloria eorum purpura veſtiemini.* His enim verbis indicatur Eccleſiam fore in tantam gloriam etiam terrenam ſubleuandam , vt ſi ſtatum humilitatis Chriſtianæ ſpectemus, quam pro-

Digitized by Google

ſitetur, videatur ſuberba; cui omnes diuitiæ Regum, ſapientum induſtriæ, poteſtates ſeculi inſeruient; vt illius gloria auguſtior & venerabilior appareat, dum populi honore proſequuntur quos vident à Regibus ſingulari honore coli, quos tanquam patres reuerentur, quibus libenter ſceptra ſubmittunt, ad quorum pedes coronas deponunt; vt in eorum perſonis ac miniſterio, Chriſti Domini perſonam, & maieſtatem adorent, veluti qui locum illius in terra teneant. Hæc eſt celſitudo, is honor, hæc gloria, quam nunc obtinet Romana ciuitas, vt ſit ſedes illius, in cuius perſona Chriſtus à Regibus colitur & adoratur. Qua quidem gloria ſpoliabitur propter ingratitudinem in fidelitatem perfidiam cum Deus ſupplicio afficiet Eccleſiaſticorum actus diſſolutos, & peruerſorum Chriſtianorum deprauatos mores, poſtquam ſemel permiſerit vt ſedes pietatis & Religionis in ſedem tranſeat impietatis. dum per ſchiſma & hæreſim abominatio deſolationis ſtabit in loco ſancto hac enim de cauſa ea eueniant in eius ruinam omnimodam, quæ ſupra S. Ioannes c. 17. ad quatuor reducit. Primò: *Deſolatam illam facient:* Secundò, *Nudam:* Tertiò, ciues illius occidentur. *Carnes*, inquit, *eius manducabunt.* Quartò, euertetur & comburetur. *Et ipſam*, inquit, *igni concremabunt.* Hæ ſunt quatuor plagæ, quæ vnâ horâ illi obuenient. Mors quæ deuorabit eorum carnes. Luctus qui eam omni gaudio & conſolatione ſpoliabunt. Fames, qui eam nudam reddent. Et tandem C igne concremabitur. Ideo *vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* c. 18. Quibus malis afficietur à decem illis regibus, de quibus in cap. præcedenti mentionem fecimus; morte, quia carnes eius deuorabunt; luctu, quia deſolatam illam facient, dum muros, turres, & magnifica ædificia ſubuertent. Sicut enim dum quælibet vrbs ab hoſtibus inuaditur, audiuntur ſenam mulierum, & infantium, languidorum, & vulneratorum clamores luctuoſi, propter imminens periculum amittendi vitam, dum bona illorum diripientur: ita dum hæc vrbs potētiſſima deſolabitur, id eſt, in talem ſtatum redigetur, vt facilè capi valeat ab hoſtibus, muris euerſis; fletus in ea habitantium D audietur: fames additur, quæ ad nuditatem refertur. *Et nudam illam facient*, direptis opibus. Vnde ablatis omnibus, quibus fami occurrere poſſent, qui carnificinam & necem gladij effugerunt, in rerum omnium inopiam incident: qua etiam ratione conſumentur: & tandem igne comburetur. Hi ſunt quatuor effectus acerbi odij, quo eam proſequentur Anti-Chriſti miniſtri & ſatellites, qui vt illius thronum ac Imperium ſtabiliant, huius ciuitatis ruinam & deſtructionem procurabunt, quæ olim fuerat ſedes Imperatorum, & poſtea ſummorum Pontificum; ne obex ponatur quominus Anti-Chriſtus eleuari poſſit, ſupra omne etiā quod dicitur Deus. Hæc enim ſola ciuitas tunc videbitur aliquem obicem E ponere, ne votis ſuis potiatur. Vnde illius deſtructioni ſeriò incumbent.

Et reuera hic ordo plagarum à S. Ioanne poſitus, videtur rationi conſentaneas. Mors prima ponitur: eſt enim mors malum cæteris terribilius. Secundò, ponitur luctus: fletus enim proprius erit eorum, qui prima mortis pericula effugerunt, tum quia charos ſuos amiſerunt, tum quia adhuc in diſcrimine vitæ verſantur. Tertiò, fames & inedia, qua præmebuntur ij, quibus omnia bona diripientur. Denique ignis, quo comburentur ædificia, poſtquam habitatores illius vrbis, vel occiſi, vel a ſedibus expulſi, & bonis omnibus ſpoliati, alibi tranſmigrare cogentur.

Diuiditur autem hoc caput in quatuor præcipuas A partes. Prima erit à primo verſu vſque ad tertium incluſiuè, in qua S. Ioannes declarat quam ſententiam proferre debet Chriſtus in ciuitatem illam rebellem, ſub nomine Babylonis deſignatam; & quænam motiua illum impellent, vt per os Vicarij ſui in terris talem in eam fulminet ſententiam. Secunda pars erit v. quarto, vſque ad octauum incluſiuè, in qua vox auditur, qua ſententia condemnationis lata à Domino contra illam, miniſterio Paſtorum Eccleſiæ, promulgabitur à prædicatoribus, huc aut illuc diſperſis; ibique inſuper declaratur motiuum ſpeciale condemnationis illius, crimen videlicet rebellionis contra ſummum Eccleſiæ Paſtorem, quia *in corde ſuo*, inquit, *dicit: Sedeo Regina, & vidua non* B *ſum, & luctum non videbo.* Hac enim de cauſa Deus decreuit ciuitatem illam fore euertendam: Denique exprimuntur ſupplicia, quibus eſt afficienda, de quibus ſupra. Tertia pars eſt à v. 9. vſque ad 19. in qua deſcribitur quomodo deſolata ciuitate, iuſtam timendi cauſam habituri ſint ij, qui eam in rebellione imitati fuere, & vitiorum, & delictorum illius fuerunt participes; ne ſimilia incurrant mala; & è contra, quam æquè ac iuſtè ſanctis lætari continget, cum viderint vindictam rebellionis illius, quam præuiderant, & prædixerant, v. 20. Denique quarta pars à v. 21. vſque ad finem capitis, in qua docet S. Ioannes quomodo hæc ruina, & deſtructio extra omnem ſpem reſtaurationis futura ſit, ob ingentia C ſcelera quibus contaminata reperietur, tam ſuperbiæ, quàm auaritiæ, & impietatis, & luxuriæ, & crudelitatis: & hoc modo eam nobis proponit, tanquam aliquod ſpeculum, in quo contemplari liceat irremediabile malum æternæ damnationis, quod incurrent omnes reprobi, poſtquam illos Deus tradiderit æternis ignibus cruciando.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Et poſthæc vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria eius.

De ſententia Chriſti, per miniſterium Vicarij ſui in terris, contra ciuitatem Romanam, ab Eccleſiæ obedientia ſeſe per ſchiſma ſubducentem.

ANNOTATIO PRIMA IN QVA PRIMA PARS HVIVS CAP. ELVCIDATVR.

Et poſthac vidi alium Angelum, &c.

Quiſnam ſit ille Angelus de cælo deſcendens?

SECTIO I.

IN tribus huius reuelationis capitibus S. Ioannes mentionem facit Angeli fortis è cœlo deſcendentis, c. 10. *Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cælo*, in hoc cap. 18. *Et poſthac vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam.* Et in c. 20. *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi.* Vbi notandum in c. 20. ſanctum Ioannem non addere particulam (alium) ſed tantum dicere: *Vidi Angelum.* Vt conjiciamus, non de alio Angelo è cœlo deſcendente ipſum loqui, quàm de eo, de quo antea iam loquutus fuerat; cuius tanta eſt fortitudo, vt alliget fortem, nempe dæmonem, cuius tanta eſt fortitudo vt nulla ſit in terra poteſtas quæ ei aſſimiletur,

tamen ſuperanda ab eo, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt.

Notandum ſecundò, in duodus aliis locis ſupradictis hanc particulam (alium videlicet) exprimere, vt hunc Angelum fortem ſciamus ab aliis diſtinguendum: ne cum aliis, qui ad miniſterium ſalutis hominum deputantur, eum confundamus.

Viderat S. Ioannes c. 8. & 11. ſeptem Angelos, qui habebant tubas in manibus. Viderat Angelum habentem thuribulum aureum in manu ſua. Proinde ne putaremus iſtum Angelum deſcendentem vnum eſſe ex illis, ait: *Et vidi alium Angelum fortem, &c.* Pari ratione in hoc capite 18. dicit: *Poſthæc vidi alium Angelum:* ne de quo loquitur hîc, aliquem eſſe exiſtimemus ex iis quos vidit c. 14. & c. 15. & c. 16. & c. 17. vt pote qui ab illis ſit diſtinguendus. Et certè niſi dixiſſet, *alium*, occaſio daretur exiſtimandi (cum videatur è cœlo deſcendere) vnum eſſe ex illis ſeptem, de quibus ait: *Et vidi aliud ſignum in cælo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem nouiſſimas.* Sed dum ait (*alium*) conjiciendum nobis relinquit iſtum non eſſe in numerum eorum computandum. Nunc quiſnam ſit ille inquiramus.

Dico primò igitur eumdem eſſe Angelum, de quo agitur c. 10. & c. 18. & c. 19. in locis ſupra citatis. In his enim locis de cœlo deſcendere dicitur. Secundò, fortitudo illius in ſingulis locis etiam deſignatur. Fortitudo enim eius ſatis declaratur, ſiue dum c. 10. fortis dicitur, ſiue dum c. 18. dicitur habere poteſtatem magnam; ſiue dum in c. 20. repræſentatur habens in manu clauem abyſſi, & antiquum ſerpentem, diabolum & Satanam alligantem: quod certè magnam indicat poteſtatem.

Dico ſecundò, primario ſenſu iſtum Angelum deſignare Chriſtum in ſingulis his locis c. 10. & c. 18. & c. 20. ſed diuerſimodè, iuxta diuerſitatem effectuum, quos ipſum perficere & operari indicare vult ſanctus Propheta, vt opus prouidentiæ diuinæ, in gubernatione hominum, glorioſè & potenter adimpleat.

Primus effectus eſt effectus prædeſtinationis ſanctorum, quos per vias & ſemitas à Deo præordinatas feliciter deducit ad gloriam æternam: de quo fit mentio in c. 10. Hac de cauſa nube cernitur amictus, eſt enim myſterium abſconditum, humanæ mentis aciem fugiens, Habet arcum, ſeu iridem in capite, quia rore miſericordiarum ſuarum omnes homines reſpergere vellet. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Facies eius vt ſol relucet, nam terminus prædeſtinationis & tanti operis, eſt cœli gloria, & viſio Dei. Pedes habet tanquam columnas igneas, qui duas ſententias in fine ſeculorum proferet, quibus ab inuicem ſeparabuntur palea à frumento, oues ab hædis, electi à reprobis: quæ cum ſemel prolatæ fuerint, nunquam retractabuntur; manebit Dei decretum firmum & immutabile. Habet librum apertum in manu, vt ſciamus quod ipſe ſuas optimè agnoſcit oues. Cum clamat, audiuntur ſeptem tonitrua loquentia: vt quanta ſit verbi diuini efficacia oſtendatur, qua omnes admirabiles viæ, & adinuentiones diuinæ prouidentiæ, quibus hominum ſalutem promouere ſatagit, in actum reducuntur. Signat S. Ioannes, iuxta vocem de cœlo auditam, quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, nec illa ſcribit, vt quàm altæ à cogitationibus noſtris ſint Dei cogitationes quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius in opere prædeſtinationis perficiendo, faciliùs concipiamus. Denique Angelus fortis dicitur: Etenim certum eſt effectus prædeſtinationis opus eſſe, ad quod adimplendum immenſa re-

A quiritur ex parte prædeſtinantis potentia. Audi de hoc myſterio ipſum Dominum apud S. Ioannem altè & profundè diſſerentem c. 10. *Oues, inquit, meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Vides quomodo agnoſcit electos. Vides quanta ſit verbi illius efficacia, quia dum ſemel locutus fuerit, oues audiunt, & ſequuntur, & opera faciunt, quibus vitam promereantur æternam. Vnde addit: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Etenim decreto quodam immutabili vult eis vitam conferre, quo fit vt non pereant, cum potentia exæquet patrem, cuius quidem tanta eſt poteſtas, vt quæ maiora ſibi filio dederit pater dona,
B nemo poſſit rapere de manu eius. Simili modo, cum ſit æqualis Patri in potentia, nemo poterit rapere electos de manu eius. *Pater meus*, inquit, *quod dedit mihi maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum ſumus.* Si igitur quod dedit illi pater excellentius eo omni quod datur electis, nemo poteſt rapere de manu patris; multo magis quod datur electis inferius omnimodè eo, quod filio datur, non poterit de manu filij eripi, cum æqualis ſit cum Patre potentiæ. Hac de cauſa Angelus fuit de cœlo deſcendens per incarnationem, dicente ipſo Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et Angelus fortis, qui inter tot ſalutis diſcrimina poteſt ſaluare electos.

C Secundus effectus diuinæ prouidentiæ erga homines, quem Dominus executioni mandare prætendit, eſt condemnatio, reproborum. *Neque enim pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.* Ioan. 5. De hoc effectu loquitur in hoc c. 18. iuxta Rupertum. *Rectè ego habentem poteſtatem magnam dixit, poteſtatem faciendi iudicium, ſiue damnationem meretricis magnæ.* Ita Rup.

Deſcendit itaque Chriſtus de cœlo, non eo modo quo deſcendiſſe dicitur per incarnationem, vt nos ad cœleſtia ſubleuaret, & per doctrinam fidei genus humanum à tenebris ignorantiæ atque incredulitatis eriperet, vt ſentire hîc videtur Ambroſius,
D ſed vt iudicet mundum, ſeu vt faciat iudicium meretricis illius ciuitatis, & in eius damnatione oſtendat quomodo iudicaturus ſit omnes reprobos in die iudicij. Illo igitur modo deſcendit, quo Deus deſcendere dicitur, qui licèt cœlum & terram maieſtate ſua repleat, deſcendere dicitur cum per quoſdam ſeueritatis ſuæ effectus oſtendit ſe attendiſſe, & oculos ſuos direxiſſe, vt videret quis eſt qui faciat bonum, & omnes actus hominum diſcernat ac iudicet. Ita Geneſ. 11. dicitur: *Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem.* Et Paulo poſt: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Et Geneſ. 18. Moyſes diuinam maieſtatem repræſentat, veluti circa aliquid, more hominum,
E cogitatione intentam, quam interrumpere cogeretur clamore Sodomorum, & Gomorrhæorum, vt attenderet ad eos, & videret quidnam eſſet, quòd tantùm excitaſſet clamorem. *Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Et reuera cum Deus ſaluat, aſcendere dicitur. *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.* Habac. 3. Et optimè. Motiua ſiquidem, quibus excitatur Deus, vt in nos liberalitates ſuas effundat, non in nobis reperit, ſed in theſauris ſapientiæ, & bonitatis ſuæ ea exquirere debet. At dum damnat, oportet vt deſcendat: oportet ſiquidem vt extra ſe cauſas condemnationis noſtræ perquirat: non enim aliquem reprobat abſ-

Digitized by Google

quæ præuiſione, & præſuppoſitione peccatorum. *Non enim*, inquit Hierem. Thren. 3. *Humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum*. Sicut igitur Deus olim deſcendiſſe dicitur, cum per ſeueritatis ſuæ effectus oſtendit conſiderare ſe actiones quaſlibet hominum, quos pœnis addixit propter immenſam cordis malitiam, ita hic Angelus magni conſilij deſcendere dicitur, quia licèt ſemper ſedeat ad dexteram patris, nec è throno ſuo dimoueatur, contemptores maieſtatis ſuæ nihilominus variis afficit ſuppliciis, & conterit ſub pedibus ſuis: habet enim poteſtatem magnam. Poteſtas enim iudiciaria Chriſti magna eſt, qua facillimè inimicos conterit, iuxta illud: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Et terra illuminata eſt à gloria eius.

Et iudicandi poteſtate Chriſto Domino data innoteſcit quanta ſit eius gloria.

SECTIO II.

DIXIMVS ſupra Patrem omne iudicium dediſſe filio, *vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem*; Quibus verbis ſatis declaratur gloriam filij in hoc conſiſtere, vt per actum iudicij, æqualis patri agnoſcatur: ad hoc enim conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum. Hæc Chriſti gloria proculdubio offuſcatur, dum non timetur ab hominibus, dum per contemptum, ab obſeruatione præceptorum illius voluntariè diſcedunt, dum impunè ſcelera cuncta perpetrare audent, dum nomen eius ſanctum & venerandum blaſphemant, nec vllam ei fidem adhibent, aut exhibent obedientiam. At ſtatim atque euidenter & manifeſtè Deus veniet, & non ſilebit, dum ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius erit tempeſtas valida, ad conterendos hoſtes; & iudicium proferet, quo decernet qui ſaluandi erunt, qui vero damnandi, tunc apparebit quanta ſit Chriſti gloria; & terra, (id eſt, omnes homines, qui in terra vitam duxerunt) illuminabitur ab eius gloria. Pateſcet ſiquidem eius cum patre æqualitas in potentia, nec vllus erit cui non innoteſcat, quanta & quàm formidabilis ſit tanti regis immenſa maieſtas. Pateſcet inſuper iudiciorum illius ſumma æquitas, quæ vſque huc quaſi occultata remanſerat, dicente Salomone, Eccleſiaſt. c. 9. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quod vniuerſa æque eueniunt iuſto, & impio bono & malo, &c.*

At reuera hæc filij Dei gloria illuſtrior & ſplendidior apparebit in iudicio vniuerſali. Dicendum tamen eam radios ſuos emittere plerumque, cum in decurſu temporum de plurimis peruerſis honoribus Deus pœnas exigit, ob ingentia ſcelera. Sic Arrium, ſic Iulianum apoſtatam percuſſit: ſic plurima regna, ſic plurimas ciuitates, quæ Chriſti regnum euertere conabantur, proſtrauit & ſubuertit, vt ſciant omnes benedictionem, quam dedit Iſaac Iacob filio ſuo, in Chriſto adimpleri: *Et ſeruiant tibi populi. Et adorent te tribus terræ. Eſto Dominus fratrum tuorum; & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Gen. 27. Cum igitur hoſtes, ſui nominis, (cuius gloriam mendaciis, & erroribus, & blaſphemiis, & tyrãnicis vexationibus eorũ qui illud confitebantur, proſcindere, offuſcare, & obſcurare voluerunt) proſtrauerit, tunc terra illuminabitur à gloria eius. Supplicia enim hoſtibus inflicta ſatis oſtẽdent quantus & qualis ſit, dum qui ſuaui vocatione

A ad veritatis agnitionem fuerunt inuitati, & ſingulari ſalutis eorum zelo ad pietatis ſtudia fuerunt prouocati; quia obedire noluerunt, & aures ſuas obturauerunt, pœnis atrociſſimis plectentur, & ſeuere punientur. Et ſicut olim, qui propter eius miracula, ſolidam doctrinam ſuauem ſermonem, dulciſſimam conuerſationem, eum confiteri filium Dei noluerunt, terrâ in morte eius tenebris obuolutâ Petris & rupibus diſciſſis, nec non & templi velo in partes ſciſſo, & terræ motu attoniti eum confeſſi ſunt; (Matt. 27. *Centurio autem & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè filius Dei erat iſte.* Et Luc. 23. *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit* B *eum dicens. Verè hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.*) Et qui ad hanc nominis eius confeſſionem, beneficiis & miraculis ſanitatum adduci non potuerunt, terroribus ſubacti ad illum confitendum coacti ſunt videntes cœlum, ſentientes terram, quaſi pro gloria eius tuenda decertare, dum homines ingrati illum ad necem vſque proſequuntur; ita in fine ſeculorum illuminabitur terra à gloria eius, dum de hoſtibus vindictam ſumet, dum etiam ciuitatem illam rebellem, ac contumacem diruet, & funditùs euertet.

Et certè cum in hoc libro frequenter Angeli ap- C pareant, figurâ, ſitu, & Epithetis proportionatis & conuenientibus officiis, quibus deſtinantur, & effectibus quos perficere debent, hic Angelus ſaluatoris perſonam gerens, Magnam dicitur habere poteſtatem. Ad hoc enim deſtinatur vt audaciam reprimat ciuitatis, quæ ſe æternam & inuincibilem arrogantes prætendebat, & de fortitudine ſua nimium gloriabatur. Vnde hic fortis nuncupatur. *Væ, væ ciuitas illa magna, ciuitas illa fortis.* Ad hanc ſiquidem euertẽdam ingenti poteſtate opus erat, & humanas vires excedente. Vnde cum plagas eius receſeret Propheta, de fortitudine eam iudicantis facit mentionem. *Ideo*, inquit, *venient plagæ eius. mors, & luctus, & fames: & igni comburetur: quia fortis eſt Deus, qui iudicabit il-* D *lam.* Ac ſi diceret: licèt apud homines videatur inuincibilis, punietur tamen & euertetur: quia qui eam iudicat, Dominus eſt. *Dominus fortis* ſcilicet *& potens, Dominus potens in prælio.* Vt executioni det quam de ea ferre voluerit ſententiam. Statim atque igitur hanc protulerit ſententiam, *cecidit, cecidit*; in eodem temporis momento, die ac horâ funditùs euertetur, *quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.*

At ex hac ſententia, quanta ſit iudicantis poteſtas videbitur. Sed præterea terra illuminabitur, id eſt, homines, qui in terra ſunt, illuminabuntur. Vel enim ſunt reprobi & peccatores, quotidie Deum ad iram prouocantes, lucro dediti, voluptatum amatores, vanitatibus ſeculi addicti & hi poſt ciui- E tatis iſtius euerſionem timore concutientur, *& flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt; cum viderint fumum incendij eius. longè ſtantes. propter timorem tormentorum eius, &c.* Vel ſunt electi & iuſti, qui ad exultationem, & gaudium, ex hoc iudicio prouocabuntur. *Exulta ſuper eam cælum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa.* Et c. 19. *Poſthæc audiui vocem quaſi turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia laus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus ſuis.*

Hæc eſt Chriſti gloria, vt qui tot beneficiis, tot bonitatis ſuæ effectibus agnoſci ac coli non potuit;

Digitized by Google

ex iudiciis ſuis, & potenti hoſtium ſuorum proſtratione, quantus & qualis ſit ab omnibus agnoſcatur, malis timore perculſis, bonis illi ex charitate congratulantibus, iuxta illud Prophetæ Pſ. 95. *Commoueatur à facie eius vniuerſa terra. Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate lætentur cæli, & exultet terra.* Et illud Pſal. 96. *Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine: quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.* Ametur igitur à bonis, timeatur à malis. *Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Et tam iuſtis quàm iniuſtis dicere tunc poterit Chriſtus: *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam & ego ſanabo; & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Deuteronom. 31. Quia igitur complerur Dei gloria, & potentiæ eius manifeſtatio, in malorum punitione, ideo ex euerſione impiæ ciuitatis dicitur terra illuminata à gloria eius.

Tertius effectus diuinæ prouidentiæ verſatur circa electos, nempe ſpecialis quædam illorum protectio, qua quælibet externa poteſtas eis nocere prohibetur, nec vnquam contra eos præualere poterit, itaut vltimum prædeſtinationis eorum effectum impediat. In periculis enim, in tentationibus ſeruabuntur, iuxta illud: *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in ea.* c. 3. De hac potenti protectione agetur c. 20. in alligatione diaboli, per Angelum clauem abyſſi in manu habentem.

Et poſthac vidi alium Angelum, &c.

De ſecundario ſenſu huius viſionis.

SECTIO. III.

CVM præter iudicium vniuerſale, Chriſtus Dominus in decurſu ſæculorum quædam ſpecialia exerceat iudicia, quibus appareat illius circa res humanas prouidentia; in ſecundario ſenſu hic Angelus deſcendens è cœlo, Chriſti Vicarium in terris, ſummum nempe Pontificem deſignat; per quem in Eccleſia militante ſeu cuius miniſterio plurima exercet iudicia, videlicet cum ſummus Pontifex Anathemata fulminat contra impios & contumaces, quæ plærumque) præter interminatam maledictionem æternam) temporalibus quibuſdam ſuppliciis comitantur, Deo in cœlis confirmante quæ in terris à viſibili Eccleſiæ Paſtore Vicario ſuo ad honorem & exaltationem nominis ſui perficiuntur, iuxta illud: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Hic Angelus è cœlo deſcendit, quia hæc poteſtas illi immediatè à Deo conceditur. Cuius E poteſtatis amplitudinem explicat Vigilius Papa, Epiſt. 1. tom. 1. Epiſt. Roman. Pontif. *Nulli,* inquit, *vel tenuiter ſentienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quod Eccleſia Romana fundamentum, & forma ſit Eccleſiarum, à qua omnes Eccleſias Principium ſumpſiſſe nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apoſtolorum par eſſet electio, Beato tamen Petro conceſſum eſt vt cæteris præemineret. Vnde & Cephas vocatur, quia caput eſt, & Principium omnium Apoſtolorum, & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſe eſt. Quamobrem ſancta Romana Eccleſia, eius merito, Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum autoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia, & iudicia atque querelæ, quàm maiores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput ſemper referenda ſunt.*

A Ita Vigil. Et rurſus: *Cæteræ Eccleſiæ in partem vocatæ ſunt ſollicitudinis: at Eccleſia Romana in plenitudine poteſtatis. Vnde omnium appellantium ſedem Apoſtolicam Epiſcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia cauſarum, eidem ſanctæ ſedi reſeruata eſſe liquet, &c.* Ita Vigil. Non mirum igitur ſi per Angelum habentem poteſtatem magnam, alium à ſeptem Angelis, per quos vniuerſitas Epiſcoporum ſpecialiter deſignatùr, ſummum Pontificem intelligamus. Nec enim inter Epiſcopos aliquis parem habet poteſtatem, nec alicuius iuriſdictio extenditur in Eccleſiam vniuerſalem, ſicuti extenditur ſummi Pontificis iuriſdictio, quam è cœlo habet, quia eam immediatè à Deo obtinet. Et reuera terra illuminatur à gloria B eius, omnes enim in contemplatione autoritatis illius, agnoſcunt Chriſti Domini maieſtatem cui omne genu flectitur in cœlo & in terra, & in omnibus abyſſis. Nec adeo inſolens videtur expoſitio huius Angeli de ſummo Pontifice. Lud. ab Alcaz. ſiquidem contendit tum in prologo, cap. 17. & c. 18. hunc Angelum magnæ poteſtatis S. Petrum ſignificare. *Atque,* inquit in commentario primi v. c. 18. *ad eius excellentiam & primatum dignè expendendum, omnino neſcio quæ verba poſſent magis appoſita proferri, quàm vt Angelus magnæ poteſtatis & autoritatis vocaretur.* Ita Alcaz. Qui hanc poteſtatem illam vult eſſe, de qua Chriſtus Petro dixerat Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum. Iam,* inquit, *rurſus quod dicitur C de cœlo hic Angelus deſcendere, perinde eſt quaſi de Petro, quatenus ſummo Pontifice & Chriſti Vicario, inſtituatur ſermo. Hæc enim dignitas eſt prorſus cæleſtis, atque diuina. His addo,* inquit Alcaz. *id quod de B. Petro in præſenti dicitur, nempe terram illuminatam eſſe à gloria eius, aptiſſimè referri ad luculentam illam confeſſionem: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Hæc enim eſt illuſtriſſima Petri gloria, iuxta illud: Beatus es Simon Barjona. Hæc autem Petri confeſſio illuminauit terram, & facem prætulit cæterorum fidelium fidei, circa Chriſti diuinitatem.* Ita Alcaz.

At quæ de B. Petro dicuntur facilè applicari poſſunt ad illius ſucceſſores. In illo enim ipſis dictum eſt. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Ab his terra D illuminatur, cum eorum curâ & autoritate fides diuinitatis Chriſti contra veritatis hoſtes defenditur & confirmatur. Et verè illuminabitur terra, cum Anathemate prolato à ſummo Pontifice in ciuitatem à Chriſti fide deficientem, ipſa corruet & euertetur.

Et exclamauit in fortitudine dicens,

Cur ille Angelus ſententiam proferens in Babylonem, exclamat in fortitudine?

SECTIO. IIII.

DICERE Dei, facere eſt. Clamare Deo eſt, qualibet obſiſtente potentia, & difficultate occurrente, quod vult nihilominus perficere. Voce nempe forti ad aures ſurdorum clamamus, vt nos audiant; vel alibi diſtractos, & tumultu aut ſtrepitu vario occupatos, vt ad nos attendant, clamore valido, ſtrepitus ac tumultus exuperante, prouocamus. Ita Deus clamare in fortitudine dicitur, vt ſciamus ſurdiores, & obduratiores poſſe ad vocem illius excitari; & quidquid contra eius voluntatem inclament paſſiones noſtræ turbulentæ tamen quod intendit perficiet, à cunctis exaudietur, & vox illius efficaci quadam ratione ſuum obtinebit effectum.

Clamat inſuper, quia de damnatione hominum fit mentio. At non ex corde ſuo abjicit & rejicit à ſe filios hominum. Fit, vt ita dicam, bonitati ac be-

Digitized by Google

nignitati eius quædam violentia cum in homines A adeo ſibi charos ac pretioſos proferre cogitur damnationis ſententiam. Equidem cum bona ipſis largitur, cum erga eos miſericorditer agit, venit in ſpiritu auræ tenuis. Peccauerunt Adam & Eua & quia ad miſericordiam pronus, vt illis delictum condonaret, ſi reſipiſcerent, accedebat; Ecce audiunt vocem Domini Dei ambulantis in medio paradiſi, ad auram, poſt meridiem. Diceres ſcripturam Deum nobis proponere velut cogitabundum, & ſeriò in mente reuoluentem quid ſibi agendum ſit, & furore ex peccato concepto iam iam mitigato, ob amorem quo ſuum opus proſequebatur accedere, non tam vt ſeueritate ſua illum è paradiſo ejiceret, quàm vt cum flagellis ſuis erudiret, & ad pœnitentiam B prouocaret. At ſi neceſſe ſit extrema vti ſeueritate, clamat, quaſi dolore nimio oppreſſus, quem contentione vocis demonſtrare cogitur. *Dominus*, inquit Iſaias c. 42. *ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum. Vociferabitur & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur. Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar. Diſſipabo, & abſorbebo ſimul*: Clamat igitur ſicut parturiens hîc, quia patientiâ ipſius tædiò affectâ ob malitiam & obſtinationem hominum, iræ ac furori ſuo laxare habenas cogitur. Vnde qui illius vocem ad pœnitentiam prouocantem obturatis cordibus audire neglexerunt, tandem percipient quàm horrendum ſit incidere in manus Domini; nec vlla erit humana, aut diabolica potentia, C quæ illum ab incæpto deſiſtere cogat: ſed licèt tactus dolore intrinſecus, ob innatam bonitatem, ad vindictam procedat, ſententiam tamen proferet voce potenti in ciuitatem ingratam, & impiè contumacem.

At cur non modò clamare, ſed in fortitudine clamare dicitur? Reſponderi poteſt hoc dici, vt in memoriam reuocemus duas difficultates circa peccatores à Deo ſuperari. Prima eſt in eorum conuerſione. Conuerſio ſiquidem peccatoris opus eſt arduum & difficile. Recalcitrat nempe contra ſtimulum quilibet peccator, veluti alter Paulus, nec inſpirationibus cedit, nec gemitus inenarrabiles Spiritus ſancti percipit, nec ſapientiæ diuinæ voces audit D clamantis ſcilicet: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ad hanc difficultatem ſufficit Deo voce ſolito contentiori clamare, Saulo v. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Aliæ verò ſunt difficultates, quas infringere oportet, vt Dei & Chriſti filij dilecti cognitio promoueatur, nempe obſtacula ingentia, quibus peccatores huius cognitionis promotionem impedire ſatagunt, dum Dei ſeruos & amicos operam ſuam omnem & induſtriam adhibentes, vt Deus ab omnibus agnoſcatur & colatur, perſequuntur, & obſtinatâ malitiâ in peccatis obdureſcunt: qua quidem de cauſa diuina maieſtas eorum nequitiam diutiùs ferre non ſuſtinens, grauibus ſuppliciis illorum audaciam reprimere cogitur. Cuius ſupplicij E grauitas & pondus immenſum deſignare vult, dum non vocem tenuem, non clamorem tantùm, ſed clamorem fortem adhibet; dum clamat in fortitudine, vt hoſtes ſuos conterat. Babylon quippe iſta non ſolum in peccatis ſuis obſtinata non tantùm corrupit terram in proſtitutione ſua, ſed inſuper *ſanguis Prophetarum & ſanctorum in ea inuentus eſt.* Ideo grauiter eſt punienda temporalibus pœnis, & æternis ſuppliciis. Propterea clamat, & exclamat in fortitudine, vt dolorem ſuum de proſtratione hoſtium; & grauitatem etiam ſupplicij deſignet. *Clamor*, inquit S. Thomas in expoſitione, *oſtendit zelum Chriſti ad homines Zelus domus ſuæ comedit me Pſal. in fortitudine: quia fortiter complebit damnationem, quam comminatus eſt.* Ita S. Thom.

Et fortè etiam dicitur exclamare in fortitudine, ad denotandam magnam animi fortitudinem requiri in Prælatis Eccleſiæ, ac ſummis Pontificibus, vt ſeſe vitiis & peccatis opponant, vt arguant & increpent peccantes in omni patientia & doctrina; vt ſeculi potentes, poteſtate ſua in præiudicium diuini cultus abutentes coerceant: vt contra rebelles & contumaces ſententiam anathematis ferant. Ad quos Paſtores Eccleſiæ eſt illa vox Prophetæ: *Clama ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.*

Cecidit, cecidit Babylon magna.

De ſententia Anathematis ab Eccleſia Prælatis in rebelles & contumaces ferenda.

SECTIO V.

EXISTIMO tribus modis in hac Prophetia Babylonem eſſe exponendam: Primò pro collectione malorum, ſeu eorum omnium, qui in ſtatu peccati commorantur, è quibus eruuntur electi, vt in Dei ciuitatem transferantur. Hoc modo illam exponit Ticonius, homil. 1. c. 16. in Apocalypſ. *Quotieſcumque Babyloniam nominari auditis, nolite ciuitatem de lapidibus factam intelligere, quia Babylonia confuſio interpretatur: ſed homines ſuperbos, raptores, luxurioſos & impios, in malis ſuis perſeuerantes, ipſius nomen ſignare cognoſcite. Sicut è contrario, quotiens nomen Ieruſalem audieritis, quæ viſio pacis dicitur, homines ſanctos ad Deum pertinentes intelligite, &c.* Et paulo poſt illum verſiculum exponens: *Exite de ea, populus meus,* &c. ait: *Hoc loco demonſtrat Babyloniam in duas partes eſſe diuiſam: quia dum aſpirante Deo conuertuntur mali ad bonum, transferuntur ad Hieruſalem, & de Hieruſalem ſeducuntur ad Babyloniam: dum & mali conuertuntur ad bonum, & qui videbantur in hypocriſi boni, manifeſtantur publicè mali.* Ita Ticon. ſeu Auguſt.

In hoc ſenſu videtur Babylon accipi in cap. 14. Vbi auditur Angelus dicens: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.* Hæc cecidiſſe dicitur caſu quodam ſalutari & optabili nam in hoc capite fit mentio eorum, qui per mandatorum Dei fidelem cuſtodiam, oſtendunt peccatum in eis minime regnare. Iuxta quam expoſitionem dicit Ambroſius, in c. 14. *Per Babylonem ſicut ſuperiùs diximus, ciuitas diaboli deſignatur, quæ ex omnibus impiis conſtat. Ceciderat autem, quia omnis cultura dæmonum, per fidem Chriſti deleta fuerat. Et bis cecidiſſe dicitur, quia ex parte perſecutorum, & ex parte cultura diabolica ceciderat.* Ita Ambroſ. Ego vero exiſtimo bis cici cecidiſſe, prima voce pro iis, qui reuera ad fidem & Dei cultum conuortuntur; ſecunda vice ad deſignandam imbecillitatem malignantium, quæ tanta fuit, vt licèt omnem adhibuerint induſtriam, & poteſtatem, vt impedirent quominus Regnum Chriſti in terra firmaretur, tamen impedire non potuerunt quin à fidelibus & credentibus Chriſtus coleretur & adoraretur. Vnde audiuntur voces eorum qui conuerſi viderunt: nec à parte contraria impediri potuerunt, cantantes laudis canticum. *Magna*, inquiunt cap. 15. *& mirabilia ſunt opera tua Domine, Deus omnipotens. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Domine, Rex ſeculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo. Quoniam iudicia tua magnificata ſunt.* In quo cantico pro motiuo laudis ponitur, primò nationum ad Deum adorandum & colendum conuerſio. Secundò iudiciorum Dei manifeſtatio: quæ videlicet fit,

Digitized by Google

cum proſtrata idololatria, & peccatorum colluuie, Dei mandata obſeruantur, nonobſtante obduratorum in peccatis ſuis contradictione. Vnde caſus Babylonis, de quo antea egerat, talis eſſe videtur, vt diximus; nempe prædeſtinatorum ſeu iuſtificandorum pro præſenti ſtatu ad Deum conuerſio, & perſequentium Chriſti nomen proſtrata audacia, itaut impedire non valuerint erectionem, & promotionem Reipublicæ Chriſtianæ, ſeu Regni Chriſti in terris.

Neque vt voluit Corn. à Lap. in hoc loco cap. 14. fit Hyſterologia, aut reponatur in vno loco quæ in alio reponi deberent, ſecundum ordinem quo perfici debent: nam conuenienter in c. 14. mentio fit de illo caſu Babylonis ſalutari, in iis qui conuertendi ſunt, qui bibunt de phialis plenis iracundiæ Dei viuentis, per condignam pœnitentiam peccatorum. De cætero, quoad alios, qui de hoc ſalutari poculo bibere nolunt, ipſi bibituri ſunt de calice vini indignationis iræ eius nempe de Calice ſuppliciorum æternorum: de quo Calice dicitur c. 16. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi Calicem vini indignationis iræ eius.* Qui ſcilicet dandus eſt tum ciuitati contumaci ac rebelli, nempe Romanæ, in conſummatione ſeculorum, per euerſionem & deſtructionem illius; tum ſocietati omnium reproborum in die iudicij, quorum æternus interitus in ſupplicio temporali illius ciuitatis adumbratur. Et eſt ſecundus cadendi modus, iuxta Ambroſ. in Apoc. c. 18. *Cecidit primò, cum per doctrinam Euangelij, maximam multitudinem electorum amiſit, qui ab ea per fidem Chriſti præciſi, ciues ſanctæ ciuitatis. i. ſanctæ Eccleſiæ facti ſunt. Cadet ſecundò, cum in vltimo die morte perpetua (quæ in hoc libro mors ſecunda vocatur) punietur.* Ita Ambroſ. De quo certè caſu intelligo hunc verſiculum c. 18. *Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.*

Secundo modo Babylon ſumitur pro ciuitate Romana (vt fuſe ſupra docuimus) quæ reuera caſura eſt, cum ex felici ſtatu Religionis in ſchiſma dilabetur: & poſtea ob contumaciam, cadet in temporalem ruinam & deuaſtationem. Cuius deuaſtationis comminatio poſita eſt ſupra, cap. 16. inter effectus excommunicationis, vbi dicitur: *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi Calicem vini indignationis ſuæ.* Et hæc eſt ſententia Anathematis (quam in illam nunc fulminat in hoc capite Angelus ille habens poteſtatem magnam, cum exclamat in fortitudine dicens: *Cecidit, cecidit Babylon magna,*) illius caſum futurum veluti iam præteritum ſignificans ob certitudinem euentus, Cecidit, inquam nempe à ſtatu gratiæ, ab honore quem poſſidebat dum erat ſedes Vicarij Chriſti, & Petri ſucceſſoris. Cecidit ſecundo ab omni gloria, & amplitudine diuitiarum & opum, quibus redundabat, ab omnibus oblectamentis, & proſperitatibus mundi; & quæ in ſua conuerſione ad fidem Chriſti duplici modo ceciderat, vel quia error proſtratus, vel quia peccati malitia deſtructa fuerat; vel quia mens in obſequium fidei ſubdita, vel quia caro mortificationi crucis Chriſti fuerat addicta, vt tum per mandatorum, tum per conſiliorum Euangelicorum obſeruantiam Deo ſubderetur; nunc propter Apoſtaſiam duplici contritione conteretur, nempe temporali & æterna, quæ deſignantur in repetitione verbi (*Cecidit*) & etiam in ea repetitione deſignatur ineuitabili fato ſeu diuinò decreto illam eſſe euertendam. Quis enim Deo reſiſtere poterit, qui eam ſubuertendam eſſe decreuit, & per ſuum Vicarium eam maledixit?

Tertiò modo, Babylon ſumitur pro collectione omnium reproborum, quorum perpetuus interitus in temporali interitu huius ciuitatis adumbratur, dum in fine huius capitis 18. dicitur: *Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Cuius comminationis effectus deſcribitur in capite 19. *Et vidi,* inquit, *beſtiam & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius: Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudo-Propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, qui ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem. Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* In beſtia enim & Pſeudo-Propheta intelligendi ſunt omnes qui characterem beſtiæ acceperunt, & à Deo receſſerunt, & contra Chriſtum militare auſi fuerunt. Eadem enim ſors illis obueniet, iuxta illud: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.*

Et hac ratione poſſunt conciliari diuerſæ expoſitiones huius nominis Babylonis, itaut in c. 14. ſumatur pro collectione gentilium & Iudæorum, quorum vna pars conuerſa fuit, alia in incredulitate permanſit. In initio huius capitis 18. ſumatur pro ciuitate Romana, quæ ſubruenda prædicitur in fine capitis decimi ſeptimi; & tandem in fine capitis decimi octaui ſumitur pro collectione omnium reproborum, tam Chriſtianorum quam Iudæorum, aut infidelium, qui cum beſtia & Pſeudo-Propheta duce demergendi ſunt in infernum.

Et facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.

Quam miſerabilis ſit ſtatus eorum, qui à gratia exciſi per peccatum, à ſocietate ſanctorum & Communione fidelium excluſi ſunt per excommunicationem.

SECTIO VI.

CECIDIT, *cecidit Babylon.* Reuera ſtatim atque per excommunicationis ſententiam fuit à communicatione fidelium ſeparata, & à ſacramentorum ſuſceptione & adminiſtratione excluſa, propterea facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.

At ſicut duobus modis cadere dicitur, primus quia cadit à gratia in peccatum; ſecundus, quia à ſtatu temporariæ voluptatis ac proſperitatis cadit in manifeſtum & deplorandum excidium; ita dici poteſt quod duobus modis fit habitatio dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.

Primus igitur modus, quo propter lapſum in peccatum, in ſchiſma, in errorem, & hæreſim, fit habitatio dæmoniorum, &c. Ita concipiendus eſt, vt videbimus, ſi primò quinam ſint illi ſpiritus immundi, ex autorum expoſitionibus exquiſierimus.

Ambroſius: *Qui ſunt dæmones, ipſi ſunt ſpiritus immundi, & volucres immundæ. Volucres quippe nominantur, eoquod per aërem iſtum more ventorum indeſinenter diſcurrant. Cuſtodes Babyloniæ ideo vocantur, quia ſicut Angeli electos Dei cuſtodiunt, ne tam peſſimè peccent vt pereant; ita & dæmones impios obſeruant, ne aliquando ab iniquitatibus ſuis reſipiſcant & ſaluentur.* Ita Ambroſius.

Rupertus lib. 10. *Dæmones ſpiritus immundi ſunt &c.* Et

Digitized by Google

&c. Et addit poſtea: *Porro volucres immundæ & odibiles, omnes ſuperbi, tum dæmones, quam homines rectè intelliguntur volatus namque volucrum, leuitatem atque vanitatem ſignificat ſuperbientium. Nec verò qualibuſcumque volucribus, ſed immundis aſſimilantur, v. g. noctuis, ſiue vpupis, quæ ſtercoribus humanis inſidere delectantur, atque idcirco rectè, immundæ & odibiles habentur.* Ita Rup.

S. Thomas: *Cuſtodia omnis ſpiritus immundi, id eſt, cuſtodiuit ſe omnis ſpiritui immundo. Siue: Omnis ſpiritus immundus cuſtodiuit eam ſibi. Et hoc fit per obſtinationem, ſiue impænitentiam, & dicitur ſpiritus immundus ſpecialiter quantum ad ſuggeſtionem luxuriæ; & cuſtodia omnis volucris id eſt, omnis dæmonis ſuperbi, ſuperbiam ſuggerentis. Dæmones enim dicuntur volucres, propter ſuperbiam, quam habent & ſuggerunt. Et dicitur hoc quantum ad ſuggeſtionem ſuperbiæ. Sed quia ſunt volucres mundæ & bonæ, ſcilicet viri iuſti, qui volant vt volucres per contemplationem, rectè ſubditur immundæ per ſuperbiam. Etſi enim ſpecialiter luxuria immunditia ſit, tamen omne mortale immunditia eſt. Superbia autem multum inquinat. Vnde loquens Auguſtinus de ſuperbia, & vana gloria, dicit in 5. libro de ciuit. Dei: tanto eſt quiſque Deo ſimilior, quanto ab hac immunditia mundior: Et odibilis: quantum ad ſuggeſtionem auaritiæ: quia dæmon quilibet eſt odibilis Deo, quia per vana temporalia decipit homines, & ipſi homines per amorem mundi odibiles fiunt.* Ita S. Thom.

Et rectè per ſpiritus immundos dæmones intelliguntur. Tali enim Epitheto ſignantur in Euangelio, Luc. c. 11. *Cum ſpiritus immundus.* Et c. 4. Lucæ imperat ſpiritibus immundis. Pari ratione per volucres dæmones deſignari poſſunt, vt patet ex parabola ſeminantis, Matt. 13. & Marci 4. Ibi enim volucres cæli comedentes ſemina, Diaboli intelliguntur ſub nominé mali. *Venit*, inquit Matt. *malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius.* Diabolus enim malus rectè nuncupatur, quia in malo obduratus: Expreſſiùs S. Marcus diabolum deſignat. *Venit*, inquit, *ſatanas, & aufert verbum quod ſeminatum eſt in cordibus eorum.* Hoc præſuppoſito, videndum quomodo anima à communione fidelium ſeparata fit habitatio dæmoniorum. Meminiſſe oportet dæmonem ab hac Ciuitate fuiſſe olim expulſum, cum fidem Chriſti admiſit. Fortior enim Chriſtus fortem armatum, nempe ſatanam vicerat, & expulerat. Exiuit immundus ille ſpiritus, & nunc ambulat per loca in aquoſa, & arida in fidelium, & hæreticorum, quærens requiem & non inueniens. Requies enim illius eſſet, ſi à cordibus hominum verbum Dei auferret, & Dei timorem, & amorem ac cultum extingueret. At cum ſuperbia eorum, qui Deum oderunt, aſcendat ſemper; nec illi ſufficiat quòd plurimos à fide auertat, redire vult in priſtinum locum in quo olim per idololatriam liberè regnabat, nempe in hanc ciuitatem, quæ fuit olim idolorum cultrix, & impietatis domicilium. At dum continua verbi diuini prædicatione, irrigatione, dum Paſtorum vigili cuſtodia ab omni errore homines immunes redduntur: dum ſeueritate diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & delictorum caſtigatione vitia comprimit, inueniens hanc ciuitatem ſcopis mandatam, & ornatam, aſſumet tandem ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, nempe ſeptem illarum nequitiarum (de quibus egimus in cap. 16.) ſuggeſtores & incentores: quibus tandem rurſus in illam ciuitatem aditus illi dabitur, & ingredietur in eam, cum in his ſpiritibus nequioribus fiant nouiſſima ciuitatis illius peiora prioribus. Id eſt: ſtatus pecccati ſchiſmatis, & erroris, & contumaciæ, & rebellionis, & ab Eccleſiæ communione præciſionis, periculoſior illi erit quàm fuerit olim ſtatus idololatriæ, in quo fuerat à dæmone poſſeſſa, iuxta illud 2. Petri c. 2. *Si enim refugientes conquinationem mundi, in cognitione Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illum veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Hoc modo ciuitas illa reddere habitatio dæmoniorum. Eſt enim pater mendacij, & erroris, & ſeminator diuiſionis, & perturbator pacis, & ſuperbiæ incentor, & rebellionis autor: quo errores diſſeminante, diuiſionem inſtigante, rebellionem ſuggerente, hæc impia ciuitas ab vnitate fidei, & obedientiæ Eccleſiæ exhibendæ, ſeſe ſubtraher. Vnde merito à Communione fidelium præſcindetur. Vnde euadet habitatio dæmoniorum: erroribus nempe mentes ſeductæ, & voluntates malitia oppleræ fiunt gratiſſima dæmonis habitatio, propter maximam cum dæmonis peruerſitate conformitatem.

Cur autem hæc ciuitas non modò habitatio dæmoniorum dicitur, ſed inſuper cuſtodia nuncupatur ſpirituum, & volucrum immundorum? Reuera impij habitatio ſunt & domicilium dæmoniorum: Sicut enim Deus gaudet immorari in iis, qui eum diligunt, (*Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*, inquit Chriſtus Ioan. 14.) Ita dæmon plurimùm lætatur, & gratanter immoratur in iis qui Deum oderunt, ſicut ipſe inardeſcit odio in Deum. Sed ipſi cuſtodia illius ſunt. *Quia*, inquit Rupertus, *in electis tantum omnis ſtructura peccati, cunctaque mortis & inferni poteſtas corruit: in reprobis & damnatio peccati & pœnalis inferni carcer perſiſtit.* Ita Rupert.

Quia dæmones, inquit ſupra Ambroſ. *impios obſeruant, ne aliquando ab iniquitatibus ſuis reſipiſcant & ſaluentur.* Ita Ambroſius. *Cuſtodiant eam ſibi*, inquit Thomas, *per obſtinationem ſiue impænitentiam.* Ita S. Thom.

At dico: impij dicuntur cuſtodia dæmonum, quia extra eos graſſari illi non permittitur, nec in alios ſinitur ſuam exercere tyrannidem. Quis enim Leonis rugientis, & quærentis vndique quem deuoret, ſæuitiem effugeret? Quis non vngulis eius diſcerperetur? Quis illius inſidias euaderet, inſultus euitare poſſet, niſi Deus eius retunderet conatus, auſus comprimeret? At dum tantùm ſuam malitiam exercere permittitur in eos, quos Deus deſerit, Deus in manus illius, ſceleratos tradit, veluti ſeuerus iudex, quaſi in manus carnificis à dæmone vexandos; & illi quos dæmon tenet ipſe ad voluntatem ſuam captiuos, cuſtodia illius dicuntur, quia extra eos ſuam exercere poteſtatem non permittitur.

Quod autem dicantur impij non ſolùm cuſtodia ſpirituum immundorum, ſed etiam volucrum immundarum, *hoc videlicet eſt*, inquit Rupertus, *quia damnati Angeli, qui ſunt dæmones, ſiue ſpiritus maligni, duplici pro cauſa pœnas dabunt. Altera cauſa eſt, quia in cælo contra creatorem ſuperbierunt: altera, quia genus humanũ à prima præuaricatione deceptum cunctis vitiorum ſordibus polluerunt. Propter illam dæmones, hoc eſt, ſcientes, quia contra ſcientiam Dei ſeſe extulerunt. Propter iſtam cauſam ſpiritus immundi dicuntur, quia ſpurciſſimi ſunt; quia, ſicut iam dictum eſt, genus humanum per ſuas ſuggeſtiones multimodis immunditiæ atque ignominiæ paſſionibus affecerunt. Porro volucres immundæ & odibiles omnes ſuperbi, tam dæmones, quàm homines intelliguntur. Volatus namque volucrum, leuitatem atque vanitatem ſignificat ſuperbientium.* Ita Rupertus.

His addo ſpiritus immundos rectè dici, quia paſſiones carnis excitant ad turpia quæque; Volucres

immundæ, quia ratiocinationis hominum facultatem ad hoc vnum cogitandum, ratiocinandum impellunt, vt aut luxuriæ adinueniat modos, aut ſuperbiæ ac iactantiæ varias excogitet rationes; Et volucres odibiles, quia ad Dei & proximi odium voluntates impellunt. Et quia Deus ſeruat electos, ne his perturbationibus animi, ac impulſionibus malis ſuccumbant, ad quæ facilè impellunt reprobos, ideo reprobi his impulſionibus obtemperantes cuſtodia dicuntur ſpirituum immundorum, & volucrum immundarum, & odibilium, iuxta illud Petri 2. c. 2. *Nouit Dominus pios de tentationibus eripere iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes.* Quæris ſpiritus immundos: Habes iſtos: *qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant.* Quæris volucres ſuperbos: Habes iſtos: qui *dominationem contemnunt, audaces, ſibi placentes.* Hi cuſtodia ſunt dæmoniorum, quia *pios nouit Dominus de tentationibus potenter eripere.*

At ſicut dæmon habitare dicitur in mentibus quæ ſcienter peccant, quia maximam habent cum eius malignitate conformitatem; & veluti incarceratus dicitur in illis quorum appetitum inferiorem ita excitat, vt tanquam equi indomiti ad illicita quæque & turpia ferantur, quorum mentes ita circumuenit & ſeducit, vt nec præterita recordentur, nec præſentia perſpiciunt, nec futura præuideant, ſed tantùm ea meditentur, quibus poſſint ſuas explere liberiùs cupiditates, aut malitias ſeu nequitias exercere: ita etiam habitare dicitur in illis tantùm locis, aut hominibus, in quos Deus iram ſuam effundit, iuxta illud: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Cum enim diabolus nocere nequeat Deo, de quo Pſalmiſta: *Non accedet ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo*; In hominem totam rabiem, ſeu furorem ſuum impendit, & in hoc conquieſcit. Diſcerpit imaginem, tigride ferocior, cuius prototypum nequit attingere. At ibidem non modò conquieſcendo habitat; ſed inſuper incarceratur, Deo minimè permittente vt alibi crudelitatem ſuam exerceat. *Siquidem ad deſignandam perfectam illam deſolationem*, inquit Andreas Cæſarienſ. *& vaſtitatem, fore prædicit vt feris immundiſque ſpiritibus impleatur. Solent namque feræ belluæ malignique dæmones deſerta loca conſectari partim quidem quod cæleſte numen homines non abſque ſingulari prouidentia à detrimento, quod inferre poterant, hac ratione liberare ſtudeat; partim etiam, quod ſuapte natura ſunt miſantropi, hominumque oſores.* Ita Andr. Cæſ.

Quod ſi propter voluptatem (quam percipiunt dæmones ex peccatis & pœnis, quibus Deus afficit peccatores) in eis habitare dicuntur, & in eis quaſi in carcere cuſtodiri, quia pios eripit à peccatis & tribulationibus, & diaboli vexationibus: multò magis habitare & incarcerati dicentur in reprobis & damnatis, quo maius eſt malum, eo vehementius delectantur: & quo longius abſunt electi à perpeſſione horum malorum, eo ſtrictius in reprobis dæmones conſtringuntur: quia qui plura mala temporalia electis aliquando inferre permittuntur, nunquam pœnas perpetuas, & ſupplicia æterna infligere poterunt electis: & ideo illorum ingens furor, & damnationis hominum ardens deſiderium, in ſolis reprobis conquieſcere cogitur, ad quos vexandos & torquendos, veluti iuſtitiæ diuinæ tortores deputantur. Hic eſt ille carcer, in quem coarctari timent dæmones, vt patet ex cap. 8. Lucæ, vbi dæmonia audiuntur Chriſtum rogantes ne imperaret

A illis, vt in abyſſum irent: nec mirum eſt ſi nequeant quos vellent homines vexare, quibus nec conceditur animalia etiam viliora vſurpare, abſque Dei permiſſione. *Erat autem*, inquit Euangeliſta, *ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte. Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permiſit illis, &c.*

Hic eſt igitur miſerabilis ſtatus hominum, qui ab Eccleſiæ vnitate & communione præſcinduntur: vt ſint habitatio grata dæmoniis, & dæmoniorum carcer, in quibus ſuum furorem exerceant, tum illos ad peccata varia inducendo, tum pœnis ac ſuppliciis illorum ſcelera puniendo. Nec mirum erit, ſi ciuitas illa poſt ſententiam anathematis corruat, iuſto Dei iudicio. Si enim olim, vt refert Bar. an. 1150. Poſt- B quam Eugenius Papa ad querelã Petri Cluniacenſis Abbatis Hugonem quemdam; quem vocabant diſcalceatum, Anathemate percuſſit, eo quod caſtellum quoddam conſtrueret, Monaſterio Cluniacenſi damna cauſaturum, nec ille ab incœpto deſiſtere vellet, Monachos Cluniacenſes deridens; ſex annis elapſis, ingenti terræ motu caſtellum illud in terræ hiatu immenſo abſorptum eſt, & in eius locum lacus profundiſſimus apparuit; cur illa ingrata ciuitas non dirueretur poſt Anathema in eã pronunciatum, quæ contumaci audacia ſeſe ab obedientia Eccleſiæ ſubtraxit, & Chriſti Vicarium à ſe contumelioſè eiecit?

C *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati ſunt & mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.*

Quibus motiuis inducetur Eccleſia, vt Anathema pronunciet in eos, qui rebellioni & ſchiſmati adhærebunt?

SECTIO VII.

MONET S. Thomas quod odibilis referri non debet ad volucrem immundam ſed ad Babylonem. *Quod autem ſequitur*, inquit, *& odibilis, poteſt ſumi nominatiuè de Babylone. Et ſic incipit ibi pars illa,* D *in qua oſtenditur eius culpa per comparationem ad homines Et hoc videtur rectius: quia ſtatim ſubditur ratio quare Babylon eſt odibilis coram Deo, quia de vino, &c. Dicit igitur: Et facta eſt odibilis, id eſt, digna odio apud Deum, propter peccata, ſpecialiter autem propter illa quæ ſequuntur.* Ita S. Thomas. Quæ autem ſunt illa ſpecialia peccata, ab expoſitoribus inquirendum antequam noſtram afferamus expoſitionem.

Ticonius: *Quoniam ex vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, id eſt, cum inuicem. Non enim cum vna meretrice omnes reges fornicari poſſunt, ſed dum ſe luxurioſè qui ſunt meretricis membra inuicem corrumpunt, cum meretrice (id eſt) luxurioſa conuerſatione fornicari dicuntur.* E *Poſt hæc ſequitur dicens. Et omnes mercatores terræ ex luxuria eius diuites facti ſunt. Hoc loco diuites peccatis dicit: nam nimietas luxuriæ pauperes potius quàm diuites facit.* Ita Ticon.

Primaſius tria hîc vitiorum nominat genera, totidemque præuaricationum perſonas inducit; *Auaritiam, quæ iuxta Apoſtolum, idolorum ſeruitus dicitur; laſciuiam in nomine fornicationis; & in delitiis, gaſtrimargiam, quam Dominus cauendam præmonens dicit: Non grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Et paulo poſt: *gentes permixtam vulgi ignobilis multitudinem deſignant. Reges verò, qui inter eos temporaliter videntur excellere; mercatores, qui terrenis lucris inhiantes, pro abundantia temporali ſuas infelici mercatu animas committunt, contraria dictis Domini peragentes, qui dicit: Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Ita Primaſ.

Digitized by Google

Andreas Cæſarienſis. *At quomodo ſcortationis ſuæ vino gentes potauit hæc Babylon? Sanè ad omnis præuaricationis & iniquitatis viam, ducem ſe illis præbens; ſubditiſque ſibi ciuitatibus, muneribus corrupta, principes & Magiſtratus veritatis contemptores, iuſtitiæque corruptores præficiens. Et Reges terræ, &c. propter opum iniquis artibus partarum abundantiam. Otio, inquit, & ignauia tabeſcens, & in iis quæ in neceſſarium egentium vſum verti debebant, ſupra decorum & modum laſciuiens, opportunam terræ mercatoribus quæſtus materiam obtulit.* Ita Andreas.

Ambroſius: *Quid ſit vinum iræ, & quid fornicatio Regum cum Babylone ſuperius diximus*, nempe in c. 17. vbi ait: *Vinum proſtitutionis, diuerſi errores, diuerſa ſunt ſcelera impiæ ciuitatis. Nam ſicut meretrix proſtituitur omnibus ſecum fornicari volentibus, vt eorum immunditiis polluatur, ita & omnes impij ſubjiciuntur dæmonibus, cum eorum prauis ſuggeſtionibus ſceleribus ſe dejiciunt.* Et poſt pauca addit: *Ebrietas verò malitia, eſt Babylonis: quia ſicut ebrioſus tandem impletur vino, vſque dum à mente ſua alienus efficiatur, ita & reprobi tandiu omni malitia ſemetipſos replent, vſque dum à mente ſua alieni effecti timorem Dei omnemque bonitatem à ſemetipſis abjiciunt; ſicut dicit beatus Iob: Quia biberunt ſicut aquam iniquitatem.* Hæc Ambroſ. in c. 17. Et in c. 18. addit: *Per mercatores terræ amatores ſeculi poſſumus intelligere, qui animas ſuas pro acquiſitione pecuniarum perditioni tradunt.* Et paulo poſt: *Delitias virtutem Babylonis vocat quia ſicut electi tota virtute laborant, vt diuitias cæleſtes ad quirant; ita reprobi totis niſibus inſiſtunt, vt diuitias perituras ſibi accumulent.* Ita Amb.

Rupertus: *Tria hic dicuntur: Quia de ira fornicationis eius biberunt omnes gentes: Quia Reges terræ cum illa fornicati ſunt: Et quia delitiis eius mercatores diuites facti ſunt. Cauſæ ſumma totiꝰ fornicationis opprobriũ regibus imputatur & ſæpius, in hac lectione, fornicationis eiuſdẽ ſcelere denotatur. Et meritò: quia videlicet quod meretrix illa docuit nõ ſolum ſuſceperunt, verum etiam Imperij ſui decreto ſimul & gladio roborauerunt. Porro gentes quæ Regibus ſubiectæ, ſiue pro Imperio illorum, ſiue ſponte ſua, pro Deo monſtra coluerunt rectè de ira, inquit fornicationis eius biberunt. Non ait tantùm; De fornicatione eius; ſed, de ira fornicationis eius biberunt. Quia videlicet fornicationem (quæ coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, potiùs quàm creatori) protinus ira Dei ſubſecuta eſt, vt derelinqueret eos, & traderet paſſionibus ignominiæ; traderet eos in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt traderet eos in reprobum ſenſum, vt facerent ea quæ non conueniunt.* Hæc Rupertus.

Sanctus Thomas: *Quia de vino, id eſt, de vanitate, ſiue delectatione, quæ eſt in vitiis, inebrians & abſorbens, amentes faciens homines; iræ, id eſt, quod prouocat iram Dei. Vino, inquam, fornicationis, id eſt peccati, quo anima fornicatur ſpiritualiter. Omne enim peccatum mortale fornicatio eſt ſpiritualis: quâ à Deo receditur Pſ. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Eius, id eſt: quam fornicationem habet Babylon in ſe, & ad quam alios verbo documenti, vel exemplo facti inducit. Bibunt omnes gentes, id eſt, gentiliter viuentes. Loquitur per ſimilitudinem alicuius, qui potat alios malo potu. Similiter multitudo hominum, qui magis ſunt peruerſi, & peruerſo aliorum, in ducunt alios perſuaſione & exemplo ad vitia.* Et paulo poſt, per Reges, potentes terræ, amantes terram intelligit, & per mercatores, eos, *qui*, inquit, *vendunt & emunt, & animas ſuas diabolo vendunt, inhiando lucro temporalium. Vnde ſequitur, Terræ, id eſt, inhabitantes terrenis diuites facti ſunt. Ad literam de diuitiis vanis, de virtute delitiarum eius, id eſt, de peccatis, quæ Babylon reputat habere virtutem & efficaciam, ad felicitatem quam in mundo conſtituit: quæ etiam peccata reputat delitias. Et dicit, delitiarum eius, quia peruerſi docent alios delitias peccatorum, & per multa genera peccatorum, quæ delectabilia videntur, fiunt multi diuites. Ex hoc patet periculum acquirendi diuitias, quia per peccatum ſæpe aggregantur.* Ita S. Thom.

Lud. ab Alcaz. *Triplex hic*, inquit, *de Babylonis vaſtitate redditur ratio, &c. Prima ratio eſt, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes. Per vinum autem non modò errorem à Deo permiſſum intelligi putat, ſed & amaritudinem, afflictionem, tributis ac vectigalibus oppreſſionem, bellorum moleſtias; Calicemque iræ omnibus propinare, eſſe bellico inflammare furore. Altera ratio exprimitur: Et Reges terræ cum illa fornicati ſunt.*

Ciuitatibus idolorum cultricibus, inquit Alcazar, *appellatio meretricum tribuitur. In hac igitur Allegoria meritò dicuntur Reges terræ (qui ciuitatis Imperio dominantes idololatriam ſequuntur) cum illa pariter ad fornicationem commiſceri.* Conſtat autem Babylonem, quatenus Romam figurabat, dici Dominum regnorum. Et paulo poſt addit: *In hac loquendi ratione innuitur eorum vilitas & abiectio, qui cum ſummi alioquin ac præpotentes ſint, in ſeligenda tamen Dei Religione & cultu nihil adhuc ſpecioſius aut ſublimius meditentur, quàm quod vulgus rude & imperitum: id quod attribuitur efficaciſſimo lenocinio meretricis cui nomen Babylon.* Tertia damnationis Babylonicæ ratio eſt: *Et mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.* Virtutis nomine hic Alcazar intelligendum putat mercium pretium ac valorem? Et poſtea addit; *Atque in primis id poteſt reuocari ad nimium Romæ Ethnicæ luxum & pompam, quæ quia tanta tamque nimia erat: vt pote grauiſſimum ſcelus, dignam de cælo vltionem flagitabat. Cæterùm ſi ſeriò expendatur quales fuerunt Romæ delitiæ, prout idolorum cultui ſtudebat, & quinam huiuſmodi mercatores, de quibus Apocalypſis: non ineptè dixerimus agi in hoc loco de faſtu atque ſuperbia earum rerum, quæ ad ipſam idololatriam faciendam ac propagandam imprimis conducebant, cuiuſmodi erant ſuperba ac magnifica templa, ſimulacra aurea & argentea, admirabili ſculpturæ varietate & ornatu diſtincta, gemmæ, & pretioſiſſimis lapillis, quibus veneris, cupidinis, aliorumque monſtrorum imagines celebrantur, pellucentes margaritæ famoſis idolorum delubris atque aris conſecratæ, celeberrima gladiatorum ſpectacula; & quod horribilius & deteſtabilius eſt, ſub ipſa perſecutionum tempora, innumerabiles puerorum Chriſtianorum, & puellarum nobilium cædes, victimæ, & ſacrificia, quæ pro infamis meretricis libito paſſim fiebant.* Hæc Alcazar. Qui de antiqua Roma hoc caput 18. Apoc. intelligendum eſſe contendit. Vnde non ad propriam vrbis vaſtitatem, quæ in eo continentur referri vult, ſed ad ipſius Romæ conuerſionem ad fidem. Quæ exponendi ratio, vt pote nimis violenta ab ipſo Cornelio à Lapide meritò rejicitur.

His ita adductis, noſtram nunc aſſeramus expoſitionem, pro comperto præſupponentes hic agi de ſubuerſione ciuitatis Romanæ, ſub vltima tempora Anti-Chriſti, Chriſtianorum nomen exterminare contendentis; non de veteris Romæ ad fidem conuerſione.

Noſtra, de rationibus, propter quas Anathematizatus hæc ciuitas, & poſtea deuaſtatur, Expoſitio.

ANNOTAT. II.

HÆC verba, ni fallor, *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt*; Elucidationem accipiunt ex his, quæ in fine capitis dicuntur, ver. 25 *Quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes: Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in*

Digitized by Google

terræ. In his ſiquidem verbis vinum iræ fornicationis eius, dicitur venenum, & veneficium, ori dulce, mortem cordi inferens, animas videlicet in errorem inducens; Et exponitur quomodo cum illa Reges fornicati ſunt, nempe quia in ea ſanguis omnium qui interfecti ſunt in terra, inuentus eſt. Denique docetur quinam ſint illi mercatores terræ, diuites ex valore diuitiarum illius facti, nempe principes terræ: *Quia*, inquit, *mercatores tui erant principes terræ.*

Nunc ſi quæras quodnam ſit vinum iræ fornicationis eius, id eſt, quænam ſit illa delectatio; qua inebriantur, cum à Deo irato derelinquuntur labi in errorem? Per fornicationem intelligo omnia peccata, quibus à Deo ſeparamur: propter quæ iratus permittit, vt in errorem, qui per vinum deſignatur, incidamus, quo potari appetimus, quia quamdam delectationem conſectamur, cuius dulcedine allecti nullam reſpuimus falſitatem.

Prima certè voluptas, quam in potatione erroris homo exquirit, vt appetitum ſuum expleat, ſuæque voluntati ſatisfaciat, & in eius fruitione velut in vltimo fine actionum ſuarum conquieſcat, eſt voluptas carnalis, ac ſenſuum delectatio. Quam voluptatem præſcindere volebat ſapientia diuina ab hominibus, ne aliquid committerent contra illud præceptum Exodi 34. *Noli adorare Deum alienum*: dum gulæ, luxuriæ incentiua prohibebat his verbis: *Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam vt comedas de immolatis. Ne vxorem de filiabus earum accipias filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Cui ſanctiſſimo mandato ſi attendiſſet ſapientiſſimus Rex Salomon, non incidiſſet in peſſimum idololatriæ crimen. De eo enim, 3. Regum dicitur c. 11. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, &c. de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael: Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad veſtras. Certiſſimè enim conuertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* Quod reuera factum eſt in Salomone. *Cum enim iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos.* Hinc experientiâ cautior factus, Prouerb. 7. poſtquam ad obſeruantiam mandatorum adoleſcentem hortatus eſt, quàm longe fieri debeat à mulierum colloquio & conuerſatione docet, ne blanditiis illarum ineſcatus, illis aſſentiendo animæ periculum ſubeat. *Viæ enim inferi domus eius*, nempe mulieris meretricis, *penetrantes in interiora mortis.* Abyſſus ſiquidem abyſſum inuocat, & à delectatione carnali, & fornicatione carnali, facilis fit tranſitus ad ſpiritualem fornicationem erroris, & quamdam mentis complacentiam in proprio ſenſu. Sectator enim, & amator voluptatum facilè ſibi perſuadebit nulla ſibi ſupplicia eſſe timenda, vt illa abhorret; ea etiam credere renuit ne ſi fidem adhiberet iis, quæ de pœnis futuris aſſeruntur, à voluptatibus abſtinere cogeretur. Nec ſperat mercedem virtutis, quia ſpiritualis proponitur, & amor ſenſuum, & voluptatum carnis, deſiderium vitæ præſentis ingenerat, & odium parit recordationis futurorum, ac ſi ſemper illi concederetur frui concupitis præſentis vitæ delitiis, ac voluptatibus carnis.

Secundo: magnopere homines delectantur, cum propriæ electioni ac voluntati relicti à Deo, quia eũ deſeruerunt, & gratiâ ab eis iuſto Dei iudicio ablatâ, quia eam reiecerunt, qua quidem præſumptio ſpiritus, & ſuperbia mentis coërcetur: Eis continget neminem habere, à quo dependeant, cuiqui ſubjiciantur: Qui nec cedere norunt cuiquam in colloquio, & reciproca ſermocinatione, imo potiùs clamant: *Linguam noſtram magnificabimus: labia noA ſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Qui & ipſemet Deo ægrè obediunt. De quibus Hieremiæ 2. dicitur: *A ſæculo confregiſti iugum meum: rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam.* De quibus etiam S. Iudas ait: *Dominationem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.* Tanta animi præſumptio viam ſternit ad errorem. *Quaſi peccatum ariolandi repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*, dicebat olim Samuel, 1. Reg. c. 15. ad Saul: *Si Eccleſiam non audierit: ſit tibi tanquam Ethnicus*, inquit Chriſtus. Vnde damnat Apoſtolus, Rom. 13. iſtam inobedientiam, & independentiam, dum ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati,* B *Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, &c.* Quod autem illa ad errorem tendat, & hæreſim pariat, plærumque rectè dixit S. Gregorius Turon. l. 2. c. 23. de geſtis Francorum, dum refert hiſtoriam cuiuſdam ſacerdotis, qui eodem genere mortis, quo Arrius olim è viuis ſublatus eſt, ſubitò eſt interemptus (dum ſcilicet iret in receſſum) in vindictam inobedientiæ & rebellionis qua vſus eſt erga Sidonium Apollinarem Epiſcopum ſuum: *Quia*, inquit Gregorius, *nec illud ſine hæreſi poteſt accipi, vt in Eccleſia non obediatur ſacerdoti Dei, cui ad paſcendum oues commiſſæ ſunt.* Ita Gregor. Adeo verum exiſtit, inter illum appetitum independentiæ, & errorem, minimam eſſe diſtan- C tiam. Quam animi peruerſitatem timebat Sapiens, dum ita Deum exorabat, Eccleſiaſt. 23. *Domine Pater, & Deus vita mea, ne derelinquas me in cogitatu maligno. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me; & animæ irreuerenti, & infrunitæ ne tradas me.* Ita Sapiens. Qui ſtatim conſulit vt audiatur doctrina, ne in ſermone aut opere quis aberret à recto. *Doctrinam*, inquit, *oris audite, filij. Qui cuſtodierit illam, non periet labiis, nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis.*

Tertiò, homines non modo magnopere delectantur, ſi ad modum onagri ſe liberos eſſe ſentiant: de D quibus dicitur Iob. c. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Sed multo magis ſi pluribus dominentur, nec ſit qui illos poteſtate vincat: quorum cogitatio in eo eſt, vt ſi valerent, omnem terram ſuo ſubiugarent imperio. Qua cogitatione ambitioſa olim laborauit Nabuchodonoſor, vt refertur in hiſtoria Iudith. c. 2. Huic ambitioni ſæuitia ſemper eſt coniuncta. Imitantur enim eum, qui ſciens per reuelationem futurum eſſe vt agnus, id eſt Chriſtus, illi dominaretur, mortem ipſi conſciſcere decreuit, dum Adamum, à quo erat oriundus, ad peccandum induxit, quo immortalitate cum omni ſua poſteritate ſpoliaretur. Cuius peſſimi decreti executionem adimple- E uit miniſterio Iudæorum, qui Chriſtum cruci affixerunt, ita illi ambitioſi nemini parcunt. Quorum ſæuitiam & nequitiam viuis depinxit coloribus Pſalmiſtes, Pſalm. 9. & Pſalm. 13. *Quorum*, inquit, *os maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Et vt dicitur Pſalm. 9. *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentes.* Quem locum de Anti-Chriſto intellexit S. Auguſtinus. *Prima enim perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus, Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per huiuſcemodi, hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia ſuper eſt per Anti-Chriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta, & fraudulenta erit. Vim habebit in Imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum eſt quod dictum eſt leo, ad dolos, quod*

Digitized by Google

dictum eſt, in cubili ſuo. Ita Auguſt. Sed cur vi aut dolo innocentes, & pauperes, & iuſtos, ad necem vſque perſequetur, niſi quia dominari percupiet ambitioſè nimis. *Ita enim traditur*, inquit S. Auguſt. *quòd reges omnes ſuperaturus ſit, & ſolus Regnum obtenturus. Quando etiam ſecundum Apoſtolum, qui de illo prædicat, in templo Dei ſedebit, extollens ſe ſuper omne quod colitur, & quod dicitur Deus. Et quoniam traditus eſt in concupiſcentiam cordis ſui, & damnationi vltimæ deſtinatus, per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen, dominationemque venturus eſt.* Hæc Auguſt. in Pſalm. 9. Quæ dominandi cupiditas, cum ſæuitia coniuncta, in omnibus qui Anti-Chriſti impietatem imitantur ſemper enituit; itaut verè aſſerere poſſimus ipſum conſtituere peſſimum illud genus delectationis perverſæ voluntatis, de quo inebriantur omnes quos impietas vino iræ fornicationis eius potare dicitur.

Sit igitur primum genus delectationis, voluptas, & delectatio carnis. Secundum, libera quædam agendi facultas, & independentia qua nullis repagulis peruerſa voluntas in officio continetur. Tertium, dominandi cupiditas cum ſæuitia coniuncta, qua quis gaudet ſe in alios habere poteſtatem vitæ & necis. Vinum hoc veneficum eſt, venenum eſt aſpidum inſanabile. Hoc vino potantur omnes, quos Deus dereliquit ambulare iuxta vias ſuas, & ſecundum deſideria cordis, neminem cogens. Vnde talem ſibi præſcribunt vltimum finem, qualem eligere volunt, in quo conquieſcunt, ſi tamen quies aut pax impiis eſſe queat.

Vinum certè iræ: nunquam enim tantopere iraſcitur Deus contra homines, quam dum eos ſinit abire, iuxta proprias volūtates & concupiſcentias. Quibus inebriati mortales, lumen rationis amplius non ſequuntur, leges diuinas & humanas conculcant, mendacia & errores facilè amplectuntur, omnem legitimam dominationem contemnunt, ſchiſmata conficiunt, hæreſes adinueniunt: *ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes*, vt ait S. Petrus 2. c. 2. *Superba enim vanitatis loquentes*, vt addit poſtea. *Pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.*

Hoc vino inebriabitur ciuitas illa infelix: & de vino iræ fornicationis iræ eius bibent omnes gentes cum ipſa iugo ab obedientia ſummi Pontificis excuſſo, exemplo ſuo alias nationes prouocabit vt autoritatem Eccleſiaſticam in omnibus finibus ſuis diſcindant, & contemptui habeant. Cum enim diabolus ſemel perſuaſerit Eccleſiam eſſe ſpoliandam omni ornatu externo poteſtatis cuiuſuis temporalis ac ſpiritualem, illius autoritatem temporali Regum poteſtati eſſe ſubjiciendam (vnde illa impia ciuitas cum parato ſibi ſponſo, nempe Imperatore quodam ſchiſmatico, dicet in corde ſuo: *Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo,*) Tunc erit in Eccleſia vniuerſali perſecutio magna, plurimis fidelibus tam impiis conatibus obſiſtentibus & contradicentibus, quos ad necem vſque perſequentur ſchiſmatici iſti, & errorum adinuentores & diſſeminatores qui vt cupiditatibus carnis obſequentur, vt liberè agant quidquid voluerint, talem qualem ſibi finxerint opinionem pro veritate amplectentur: eoſque, qui veræ fidei & doctrinæ erunt aſſertores, vſque ad necem perſequentur. Exinde contemptus legūm Eccleſiaſticarum; nulla in matrimoniis ineundis conſanguinitatis aut affinitatis, nulla ieiuniorum, quæ ab Eccleſia iniunguntur, amplius habebitur ratio. Pietatis ac virtutis ſplendor offuſcabitur, irriſionibus carna-
A lium, & peſſimorum hominum. Et in his veneficiis errabunt omnes gentes. Et ſi qua apud impios emineat poteſtas, hæc omnis impendetur vt error vigeat & foueatur. Et ſic vſurpata poteſtate, quæ Eccleſiæ erant bona temporalia, diripientur, & in alienum transferentur Dominium. Hæc igitur erunt tria euerſionis ciuitatis iſtius motiua. Primum, laſciuia, & morum corruptio. Secundum, inobedientia, & legum omnium Eccleſiæ libertima infractio. Tertium, bonorum Eccleſiæ, & autoritatis illius tam temporalis quam ſpiritualis vſurpatio, cum manifeſta perſecutione illorum; qui adhuc in obedientia Eccleſiæ permanebunt, eiuſque iura & priuilegia tueri non dubitabunt.

B Primum deſignatur in vino fornicationis. Secundum in Regibus terræ cum Babylone fornicantibus. Terræ enim Reges nō modo dici poſſunt qui regnorum ſceptra tenent, & poteſtate fulgent, ſed etiam ij omnes, qui ab omni dominatione iugum excutiunt, nec alicui ſubjici patiuntur. Tertium in his verbis. *Mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.* Quinam ſint illi mercatores habemus ex fine capitis. *Quia*, inquit, *Mercatores tui erant principes terræ.* Quærendum igitur quomodo Principes terræ, de virtute, ſeu de pretio & valore delitiarum ciuitatis Romanæ, diuites fieri poſſunt?

Negare proculdubio non poſſumus quòd licèt Eccleſia Romana nunquam erroribus aut hæreſibus
C contaminari queat, tamen fieri poteſt vt in plurimis Eccleſiæ miniſtris morum corruptio ac diſſolutio repetiatur. Quo fit vt bona temporalia, (quorum adminiſtratio illis tribuitur, vt illa in operibus pietatis & charitatis inſumant) potiùs dilapident, eiſque vtantur, vt gulæ, & laſciuiæ, & vanitati ſuæ ſatisfaciant. Qua quidem de cauſa Deus ad iram prouocatur, & ſæpe, fidei candelabrum transfert de gente in gentem: ſchiſmata permittit, hæreſes ſinit graſſari, & Eccleſiam ab illis vexari. Non eſt igitur improbabile, quòd ſi aliquando eueniat vt immenſæ illæ opes ac diuitiæ, quæ à Deo datæ ſunt (iuxta Iſaiæ potiſſimùm Prophetiam) Eccleſiæ in ſplendorem diuini cultus externis cæremoniis illi
D exhibendi, & in tuitionem dignitatis & autoritatis illius: diſſolutioni, & laſciuiæ, & vanitati ſolùm inſeruiant, iratus Deus hac de cauſa lumen gratiæ ſuæ ſubtrahat: & ciuitas illa Romana, in qua manifeſtiùs hic externus Eccleſiæ ſplendor enituit, propter morum diſſolutionem in errorem & ſchiſma deducatur: quo ſchiſmate vigente ejiciatur, vt alias factum eſt, ſummus Pontifex ab ea, qui forte omnem ſuam operam collocaret vt errores expelleret, ſchiſmata ſopiret, deprauatos ac diſſolutos mores corrigeret ac reprimeret. Qua quidem rebellione ac defectione commotus Anathema pronunciet contra factioſos & ſchiſmaticos, veluti olim, vt refert Baronius, tom. 11. an, 1060. Nicolaus ſecundus
E Anathema pronunciauit in ciues Anconitanæ ciuitatis, quia ſuadente quodam Tyranno ab obedientia ſummi Pontificis ſeſe ſubtraxerant; Et veluti etiam Eugenius primus Romanos Anathemate perculſit, eoquod quemdam Iordanem in Patricij dignitatem extulerant, expulſo vrbis gubernatore à Pontifice conſtituto, vt refert idem Baronius, an. 1145. tom. 12. Sed hac ratione ſchiſmatici nihilominus in ſchiſmate perſeuerantes, Deus hoc ſcelus alio modo vindicabit. Nam dum cæci iſti Pontificem à ſe expellunt, dum bona temporalia patrimonij ſancti Petri vſurpant ac diripiunt, ad exemplum eorum alij Principes terræ in ſuis dominiis etiam bona Eccleſiaſtica vſurpabunt, nec ampliùs pro aliquibus gratiis aut priuilegiis obtinendis ad hanc ſedem erit recurſus. Principes autem terræ dicuntur mercatores, quia

Digitized by Google

hæc bona inuadent eodem ardore lucri inflammati, quo mercatores inardeſcunt, ſic diuites fient de virtute deliciarum, ſeu de valore bonorum temporalium quibus plurimi Eccleſiæ miniſtri abutebantur, ea in peſſimos vſus conuertentes. Tam deplorandi Eccleſiæ ſtatus delineationem habemus in ſchiſmate Anglicano, vt videre eſt in libro hiſtoriæ huius ſchiſmatis, lib. 1. Ibi enim videmus quod ſtatim atque Henricus 8. Rex Angliæ Anathema in ſe pronunciatum contempſit, omnia bona Eccleſiarum & Monaſteriorum inuaſit, & ſibi vſurpauit. Eodem modo ſi aliquando contingat ſummum Pontificem ab hoc externo temporali Dominio ſpoliari, & Anathemata illius contemptui haberi, nec vllam autoritatis illius ſpiritualis haberi rationem, facilè conjicere licèt Principes terræ, qui tantopere inhiant facultatibus Eccleſiaſticis, illas eſſe vſurpaturos & in ſuam proprietatem & Dominium ſuum tranſlaturos. Qua de cauſa exiſtimandum eſt Deum, (qui iuſtè iudicat, & cuius vultus videt æquitates) hanc Babylonem, nempe Romanam ciuitatem à ſummo Pontifice ſchiſmate diuiſam, ſupplicio afficiendam eſſe iudicaturum: quia tot ſacrilegiis ac rapinis per totum Chriſtianitatis orbem anſam & occaſionem præſtiterit. Heliodoro cuidam ærarium templi Hieroſolymitani, pecuniis ibi reconditis & concreditis, expilaturo iuſſu Regis, apparuit olim quidam equus, terribilem habens ſeſſorem, qui cum impetu ei priores calces eliſit: & in eodem temporis momento apparuerunt duo iuuenes, qui eum ex vtraque parte flagellabant ſine intermiſſione, multis plagis verberantes. Hoc modo Deus pœnas ſumpſit ab impio templi expilatore 2. Machab. 3. Et exiſtimandum erit tot ſacrilegia manere impunita, nec ab eis qui occaſionem præſtiterint tot ſacrilegiis, nullas pœnas Deum Opt. Maximum expoſtulaturum? Non ita erit proculdubio: ſed hæc ciuitas rebellis, omni honore, omnibus opibus & facultatibus ſpolietur, eritque in ſibilum, & in opprobrium omnium populorum. Opibus inquam ſpolietur, diruetur, funditùs euertetur, igne conſumetur, cum Angelus fortis miniſterio ſummi Pontificis eam Anathemati ſubjiciet, & velut certus de euentu dicet: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum: tradita eſt in poteſtatem Satanæ, & gentibus conculcandam.* Quod quidem tanquam iuſtitiæ diuinæ miniſtri præſtabunt Anti-Chriſti ſatellites, qui *odient fornicariam, & deſolatam illam facient & nudam; & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.*

Et audiui aliam vocem de cælo dicentem: exite de illa populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum. Et recordatus eſt Dominus iniquitatum eius.

Secunda pars huius capitis. De promulgatione, ſeu publicatione ſententiæ Anathematis per Vniuerſam Eccleſiam, & de præcipuo motiuo quo debuit hæc ſententia proferri, nempe diſceſſione & ſchiſmate à ſummi Pontificis Vicarij Chriſti obedientia.

ANNOTAT. III.

Exire de Babylone ſpiritaliter, non corporaliter, præcipi putat Ticonius. *Quod autem*, inquit, *totiens dixit, exite, nolite hoc corporaliter, ſed ſpiritualiter intelligere. De medio Babylonis exitus, quando conuerſatio mala deſeritur: nam & in Vna domo, & in Vna Eccleſia, & in Vna ciuitate ſimul ſunt Babylonij cum*

A *Hieroſolymitanis; & tamen quandiu nec boni conſentiunt malis, nec mali conuertuntur ad bonos; & in bonis Hieruſalem, & in malis Babylonia eſſe cognoſcitur. Simul habitant corpore, ſed longe diuiſi ſunt corde: quia malorum conuerſatio ſemper in terris eſt, quia terram diligunt, & omnem ſpem ſuam, & totam intentionem animi ſui in terra conſtituunt. Bonorum Verò mens, ſecundum Apoſtolum, ſemper in cælis eſt; quia quæ ſurſum ſunt ſapiunt, &c.*

Idem ſentit Primaſius: *Exi de ea, populus meus, ne particeps ſis delictorum eius. Huc Vſque*, inquit, *ad primum mihi pertinere Videtur aduentum, quando Vſque ad finem ſeculi ſic permixtos ſibi boni tolerant malos, Vt pro eis nec bonos exiſtiment deſerendos, nec ipſos noxia imitatione ſectandos. Sic enim & illud Propheticum adimpletur: Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis; Cum*
B *non Vtique diſceſſu corporis ſed diſceſſu nequiſſimæ Voluntatis rectus non commiſceatur prauis.* Ita Primaſ.

Ita etiam Ambroſius. *Dominus*, inquit, *per prædicatores ſuos ſuadet electis Vt exeant à Babylone, non corpore, ſed mente. Quemadmodum à Babylone exire debeant in ſequentibus docet: Et ne participes ſitis delictorum eius Illi à Babylone conuenienter exeunt; qui à malis operibus eius ſe alienos reddituri ſunt: ſicut pſalmiſta de ſemetipſo loquitur dicens: Non ſedi cum concilio Vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Ita Ambroſ.

Rupertum addo: *Non ergo de loco ad locum exire iubentur, ſed Vitam mutare, Vt relictis peccatis, & ſupradictis fornicationibus eius, conſequenter & condigne plagarum quoque eius immunes habeantur.* Ita Rupert.
C S. Thomas: *Ne ſitis conformes ſocietati malorum, malè agendo. Hoc eſt enim exire de Babylone ſpiritualiter: Ierem. 51. Fugite de medio Babylonis, &c. Et ne participes ſitis delictorum eius, id eſt, peccatorum eius, in quibus delectatur quaſi dicat: Malefacientibus ne præbeatis conſenſum.* Ita S. Thom.

Exiſtimo tamen hîc non ſolum ſuaderi huiuſmodi ſpiritualem egreſſum, ſed etiam de corporali fieri ſermonem: itaut velit ſacer textus, vt fideles, qui tunc Romæ erunt, exeant ex hac vrbe, ne contagio malorum inficiantur, ne in obſidione & euerſione illius ciuitatis cum ſchiſmaticis pereant. Sic fugerunt Chriſtiani Hieroſolymis habitantes, Paulò ante illius obſidionem, in ciuitatem bella, vt re-
D fert S. Epiphanius, ne obruerentur cum impiis & obſtinatis Iudæis. Pro prima ratione fauet Andreas Cæſarienſis, cum ait: *Vitandus eſt namque illorum Viſus & habitatio, qui nefariis ſceleribus Deum quotidie exaſperant.* Ita Andreas. Pro ſecunda fauet Ribera, qui exiſtimat (cum Roma ſub Anti-Chriſti aduentum erit euertenda,) Deum ſuos electos admoniturum, vt inde exeant. Ita Ribera apud Alcazar, in comment. verſ. 4. & 5. cap. 18. Quod verum eſſe exiſtimo, & hîc non modò præcipi egreſſum à perfidia ſchiſmaticorum, eorumque conſortium prohiberi, ſed etiam egreſſum ab hac vrbe corporalem ſuadere, vt fideles non ſolùm non conſentiant malignis operibus eorum, ſed etiam ne cum illis
E obruantur & interimantur. Rem ita explico.

Nihil ſub ſole nouum. Plurimi humani euentus ſimilitudinem quãdam habere ad inuicem manifeſtum eſt. Tantùmodo diſtinguuntur perſonis, ac temporum ac locorum differentiis. Ablatis verò perſonarum nominibus, ablatis locis, ac temporibus, magnam inter eos euentus reperies ſimilitudinem. Eadem eſt indoles hominum, eadem ratio agendis, eodem modo mens & voluntas eorum feruntur ad actus proprior, iiſdem paſſionibus ſubiacent, eadem concupiſcentiâ illiciuntur & abſtrahuntur. itaut ſi eadem occurrat materia, ſimiles etiam prodeant actiones. Et ſicut in effectibus ineſt ſimilitudo, quia eorum cauſæ eiuſdem ſunt rationis & naturæ, ita dicere poſſumus ex parte diuinæ prouidentiæ (cuius

Digitized by Google

oculi aperti ſunt, vt videant quid agant hominis) ſimilitudinem eſſe inter decreta, quibus horum, vel iſtorum bonos aut malos actus præmiat aut puniat. Hinc fit vt dum quæ fiunt decurrentibus ſeculis, in memoriam reuocamus, multam inter ea animaduertamus ineſſe conformitatem, itaut ſub vna & eadem ſpecie, ratione, idea, aut imagine poſſint repræſentari. Et ſicut de Angelis dicitur, quòd iuxta naturæ illorum diuerſitatem pauca vel multa ſub vna & eadem forma percipiunt, itaut qui maiori ſimplicitate gaudent, & excellentioris ſunt naturæ; ſimpliciori quadam ſpecie plura videant, quàm inferiores percipiant, ſpecierum in ſeipſis exiſtentium multiplicitate: ſic dicere poſſumus eos qui acutiori ingenio, ſolidiori iudicio prædıti ſunt, ſub eodem conceptu modi agendi hominum, & conſtantis rationis, qua vtitur diuina prouidentia in eorum gubernatione, ſecundum diuerſos reſpectus boni aut mali, præſentia cum præteritis ponderantes; facillimè conjiceret ex memoria præteritorum, & conſideratione præſentium quid poſtea futurum ſit, iuxta illud Sapientis, Eccleſ. 1. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole nouum: nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt. Iam enim præceſſit in ſeculi, quæ fuerunt ante nos.* Nec proinde dicere volumus locum inuenire Epicurum, qui aſſerit per innumerabiles periodos eadem, & eiſdem in locis, & per eoſdem fieri. *Alioquin & Iudas*, inquit Hieron. in Eccleſiaſt. *crebrò prodidit; & Chriſtus paſſus eſt ſæpe pro nobis: & cætera, quæ facta ſunt, & futura, in eaſdem ſimiliter periodos reuoluentur.* Sed vel dicendum eſt cum Hieronymo, *quod ex præſcientia, & prædeſtinatione Dei, iam ea facta ſunt quæ futura ſunt. Qui enim electi ſunt in Chriſto ante conſtitutionem mundi, in prioribus ſeculis iam fuerunt.* Ita Hieron. Vel hoc dicit ſapiens ratione illius ſimilitudinis, quæ inuenitur in actionibus hominum, quod illæ ſint eiuſdem naturæ & ſpeciei. Vnde eadem etiam ſupplicia aut præmia decernit Deus, vt illas aut præmiet aut puniat. Eſto igitur, quæ eueniunt ſeſe mentibus & oculis offerant intuenda, cum quadam diuerſitate circumſtantiarum, quibus adornentur, & veſtiantur, & ab aliis euentibus diuerſam quamdam videantur habere faciem; ſi tamen propiùs videantur, eadem eſſe natura & ſpecie apparebunt, eiſdem lineis depingi poſſe, eodem colore veſtiri: itaut qui vnam ſemel viderit, aliam ſe vidiſſe exiſtimet; vel ſi maius, vnam in alia ſeu per aliam agnoſcat, ac ſi vna & eadem res in duobus ſpeculis ſibi oppoſitis videretur.

Hinc Prophetæ facilè diuino colluſtrati lumine, ſub eiſdem verbis & loquendi formulis plures euentus prædixerunt, in diuerſis temporum differentiis futuros; & dum quædam annunciant futura, ad quæ ſpecialiùs prædicenda ſuam dirigunt orationem, tamen multos alios ſimiles delineant euentus, in prædictione eorum quæ & inſigniora & vniuerſaliora exiſtunt. Sic conſummationem ſeculi & finale iudicium prædicentes & deſcribentes, quarumdam etiam nationum particularium ſupplicia & iudicia deſcripſerunt. Hoc modo S. Ioannes, dum ſupplicia, quibus Deus afficiet ciuitatem in vniuerſo orbe celebriorem, & ſuppliciorum quibus afficietur grauitatem, ob inſignem illius ingratitudinem deſcribit, quaſi quoddam nobis propoſuit ſpeculum, in quo intueri poſſimus quas pœnas Deus aliis ciuitatibus, ingratitudinem illius & impietatem ac perfidiam imitantibus, ſit illaturus: quarum quidem pœnarum imagines præceſſerunt in ſuppliciis, quæ ab eâ iam ſumpta ſunt, dum ſimilia perpetrauit ſcelera: propter quæ tandem, quia in vltimo gradu malitiæ A & nequitiæ deuenerit, omnino eſt euertenda, nunquam deinceps in priſtinum ſplendorem reditura.

Cum igitur res humanæ tantam inter ſe habeant ſimilitudinem, cum inſtituitur ſermo de Anti-Chriſto, & de eius aduentu, & Tyrannide; aut mentio fit inſigniorum ſuppliciorum, quæ Deus hominibus intulit, exiſtimandum non eſt aliquid fieri extra communem rerum ordinem, aut ordinariam prouidentiæ diuinæ agendi rationem. Facilè quippe deciperemur, dum veniet Anti-Chriſtus, ſi aliquid concipiamus, cuius nulla præceſſiſſet imago, vanâ & futili expectatione omnimodæ cuiuſdam nouitatis. Erit equidem Anti-Chriſti perſecutio talis qualis non fuit retrò ante ſeculis, ex quo homines B eſſe cœperunt, vt ait Chriſtus. Tamen ipſa nihil aliud erit quàm quod antea factum eſt. Verbi gratia, falſæ doctrinæ diſſeminabuntur: falſis miraculis autoritatem ſibi concilient: in exilia fideles mittentur: tormentis ac pœnis ad impiam abnegationem nominis Chriſti adigentur: Morte afficientur: quorum omnium veſtigia iam in præcedentibus ſeculis præceſſerunt. Hac de cauſa illi deprehendentur his malis, qui non animaduertent quomodo pedetentim hæc ingens perſecutio vires acquiret eundo; & dum tepidè obſiſtunt iis, quæ Anti-Chriſti Tyrannidi viam parant; dum nimia animi deiectione iis quæ Anti Chriſti tyrannidem promouere ac ſtabilire poſſunt, obtemperabunt: quia nihil videbunt C cuius non præceſſerit quædam facies in prioribus ſeculis, ex improuiſo emerget illud malum, & euenient illa, quibus hæc perſecutio reddetur horribilior & formidabilior cunctis aliis quæ præceſſerunt, iuxta ſaluatoris Prophetiam. At dum iſti decipiuntur: qui lumine diuino corroborati ea quæ eueniunt penitius contemplantur, ex vngue diſcent Leonem. Hinc quandò videbunt Eccleſiam Chriſti ſponſam à Regibus & principibus terræ conculcari, omnem illi adimi autoritatem; quando perſpicient fidem deficere, charitatem extinctam in cordibus fidelium, vitium impunè graſſari, & thronum vſurpare, virtute & pietate neglecta: tunc timere incipient, tunc tempus aduenisse exiſtimabunt, in quo D Deus ſatanam alligatum ſoluere debet, vt omnem ſuum furorem effundat.

His itaque hoc modo conſtitutis ſeu præſuppoſitis, cum aſſerimus fieri poſſe vt Romana ciuitas ab obedientia ſummi Pontificis ſeſe ſubtrahat, fieri item poſſe vt ab aliquo tyrannicè occupetur, vt in ea ſedeat aliquis Pſeudo Pontifex & Anti-Papa, à nequiſſimo Tyranno in ſedem illam elatus: cum aſſerimus quod propterea à ſuis finibus & terminis expellat ſummũ Pontificem, legitimum Eccleſiæ militantis ſponſum; cum inſuper dicimus, quod hac de cauſa ſummus ille Paſtor pro tempore exiſtens impietati ac malignitati peruerſi huius ſeculi ſeſe opponens, in virtute Domini Ieſu, & diuini illius ſpiritus, E Anathema fulminabit contra vſurpatores, & detentores iurium Eccleſiaſticorum, & legum Eccleſiæ contemptores; cum denique dicimus quod Deus in cœlis confirmabit quam eius in terris vicarius protulerit ſententiam, & autores & fautores illius ſchiſmatis, & vſurpatores Patrimonij Petri, ac pacis perturbatores, & omnis iuſtitiæ euerſores ingenti ſupplicio torquebit; Nihil certè aſſerimus, cuius non habeamus aliquod in prioribus ſeculis veſtigium. Eſto tunc diſceſſio ſit vniuerſalior, inuaſio iniuſtior, ſchiſma periculoſius, error ſtolidior; quo maior in his erit diuinæ maieſtatis contemptus; quo vniuerſalior, audacior, & maiori temeritati coniunctus; quo obſtinatiùs ei adhærebitur, quo euidentius perfricta fronte à pluribus fouebitur, eo maior ſummi paſtoris apparebit animi fortitudo,

Digitized by Google

conſtantia, & zelus, dum ſententiam ſuam proferet; & inſignior & formidabilior erit vindicta, quam Deus pro tantis ſceleribus de hac ciuitate expoſcet. Igitur ex his, quæ iam facta fuerunt, conjiciamus quid tandem veriſimiliter futurum ſit in his calamitoſis temporibus.

Exempli gratia. Quis extra fidem eſſe exiſtimabit quòd quis reperiatur inuaſor ſedis Apoſtolicæ, poteſtate & autoritate cuiuſdam Tyranni fretus, cum legamus aſtutiâ Theodoræ Iuſtiniani Imperatoris vxoris, eiuſque iuſſu Siluerium à Belliſario fuiſſe (ann. 538.) omnibus Pontificalibus ornamentis ſpoliatum, & in exilium apud Pataram relegatum, ac eius mandato in illius locum ſuffectum fuiſſe vigilium Diaconum, qui ambitione ductus, & oblatâ pecunia; & promiſſione reſtitutionis Anthimij Patriarchæ Conſtantinopolitani ab Agapeto è ſede depoſiti, fauorem & gratiam Imperatricis Theodoræ ſibi conciliauerat; & tandem Siluerio in inſulam Palmariam tranſlato, omnia perficiebat ac ſi legitimus eſſet Eccleſiæ Paſtor, licèt vt lupus in ouile eſſet intruſus. Quis dubitabit fieri poſſe vt maneat adhuc, in extremis temporibus, apud Pontificem à ſede expulſum vigor Apoſtolicus, vt rebelles & ſchiſmaticos Anathemate percellat; cum legamus Siluerium vigilium excommunicationis gladio intrepidè percuſſiſſe. Sic enim ait idem Siluerius in ſententia illius excommunicationis: *Decet fidem ſanctorum Patrum in Eccleſia ſeruari catholica, vt quod habuit amittat. qui improbabili temeritate quod accepit aſſumpſerit.* Ita Siluerius. Et tunc dicet ille fidelis Dei ſeruus, & myſteriorum ſacrorum diſpenſator, cum Paulo: *Laboro vſquè ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Et tandem quis dubitabit Deum tunc illos ſchiſmaticos pœnis ac ſuppliciis puniturum, miniſterio ſatellitum Anti-Chriſti, cum Deus minimè impunitam reliquerit. Iſtam Eccleſiæ tyrannicam oppreſſionem. Etenim Regio orientalis, huius mali origo, Hunnorum incurſionibus vaſtata fuit: quin & huiuſmodi plagam etiam Europa experta eſt. Quam deuaſtationem Cardinalis Baronius, an. 538. violentiæ, quam paſſus eſt Siluerius, aſſignare non dubitat, dum ait, quod *hoc fuit quodammodo monſtrum, vt qui victor in omnibus Iuſtinianus Imperator vniuerſa Africâ potitus fuit, atque item bello Siciliam, Dalmatiam, Italiamque, vna cum vrbe recepit, idem ex inſperato Hunnos pati coactus ſit, infundentes ſe vſque in Conſtantinopolitanæ vrbis mœnia: nec quicquam virium habuerit expellendi. Quis non manu tractet, & aperta omnino luce non videat vocari à Deo Barbaros in demolitionem & damnum Imperij cum ſancta Religio à principe ſauciatur? Cum factum eſt in Siluerium quod nec profanus aliquis tentare auſus fuiſſet, paſſum eſt ab Hunnis Romanum Imperium quod vix qualibet deſtituta ſine Rege prouincia ſubitura fuiſſet.* Ita Baron.

His adde diuturnitatem obſidionis Romanæ ciuitatis, quæ à Gothis obſeſſâ, fames adeo inualuit, vt duæ mulieres decem & ſeptem homines iugulauerint & comederint, dum apud eas hoſpitij neceſſitudine ſigillatim ſeceſſiſſent. Quin & peſtilentiæ, & alij morbi, quibus Deus mundum afflixit, apertè indicarunt Deum pati non poſſe autoritatem iſtam, quam ipſe fundauit, pedibus conculcari; quin ſtatim de illius contemptu pœnas grauiſſimas exigat ab iis, qui huiuſmodi contemptui occaſionem præbuerunt. Si igitur poſſibile, imo & veriſſimile ſit in fine & conſummatione ſeculorum, quòd ſedes Pontificia vſurpetur, verus Eccleſiæ Paſtor è ſede expellatur, qui tamen vigorem Apoſtolicum retinens in afflictione poſitus ſua autoritate hoſtes Eccleſiæ maledictioni ſubjiciat, eritne impoſſibile, aut incredibile, Deum vindictam ſumere ob contemptum illius, in quo ſtatuit ſibi honorem exhiberi, quem ſibi comparauit, & acquiſiuit, per illam ſtupendam humiliationem mortis ſuæ, quia factus eſt obediens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis? Ex his igitur iam factis conjicere poſſumus quid futurum ſit; eſto peccata futura ſint grauiora, & frequentiora, ſchiſma vniuerſalius, ſupplicia formidabiliora quàm antea vnquam fuerint. At quo ordine excogitare poſſumus hæc fore euentura, aperiendum eſt, prudentis lectoris iudicio relinquentes vtrum iſta ſufficientem, habeant veriſſimilitudinem, necne.

Primò igitur, credibile eſt morum corruptionem & diſſolutionem inſignem etiam in perſonis Eccleſiaſticis eſſe futuram. Delitiæ, quibus hæc ciuitas abundare dicitur, hoc ſatis indicant. *Quantùm*, inquit ſacer textus, *glorificauit ſe, & in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum, &c.* At qui in delitiis viuunt: integritatem morum facilè deſerunt.

Secundò: veriſimile eſt futurum quod ex peſſimo Eccleſiaſticorum exemplo naſcentur diſſidia inter eos & politicos. Dum enim ipſi Eccleſiæ miniſtri diuitiis ſibi concreditis ad explendas concupiſcentias abutuntur, politicorum ambitionem exacuunt, vt illis inuideant, & in debitis modis illas corradere & ad ſe attrahere pertentent.

Tertiò: etiam piè credendum eſt in tanta morum corruptione, & rerum omnium perturbatione, Deum Eccleſiam non deſerere, ſed prouiſurum ipſi de Paſtore vigilantiſſimo, & magnanimo, qui totis viribus conabitur omnes in officio continere, & ad recti ſemitam reuocare. Et fortaſſe is erit, de quo ſanctus Malachias in Prophetiis ſuis dixit. *In perſecutione vltima. S. E. R. ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oues in multis tribulationibus.* Et qui potiori iure quàm olim Gregorius ſeptimus Dominum ita alloqui poterit, *Si Moyſi & Petro tantum pondus imponeres, credo quia illos grauares. Quid ergo de me, qui nihil ad eorum comparationem valeo fieri.* Greg. l. 5. Epiſt. Ep. 21. ad Hugonem Cluniacenſ. Abbat. Etenim ſi hic Pontifex, vt refert Baronius, multas anguſtias expertus eſt, quia vndique ſciſſam contemplaretur Eccleſiam Simoniacos & fornicarios, ne Eccleſiaſticum ſubirent iudicium, vndique rebellantes, contumacia Apoſtatantes; ſchiſmaticis inhærentes in dies magis numero, ſicut & impietate, infauſto germine multiplicantes; Baron. an. 1078. tom. 11. prorſus probabile eſt maiores anguſtias paſſurum fore eum Pontificem, qui in his calamitatibus Eccleſiam gubernabit, quamuis inutiliter anguſtietur, & laboret.

Quartò: Siquidem probabile eſt, quòd in omnibus orbis partibus, Principes & Reges terræ ſibi arrogare attentabunt omnem poteſtatem, & autoritatem, & ad libitum & arbitrium diſponere, de dignitatibus, ac diuitiis Eccleſiæ. Hinc dicitur, antequam de euerſione ciuitatis fiat ſermo: *Mercatores terræ* (quos S. Ioannes dicit eſſe terræ Principes) *de virtute deliſiarum eius diuites facti ſunt.* Quod quidem probabile redditur ex his quæ iam attentata fuerunt à quibuſdam Principibus. Occurrit memoriæ Henricus Rex Germaniæ, *Qui*, vt ait Baronius, an. 1072. *ad corrodendas pecunias (quibus indigeret, ad immenſas animi cupiditates explendas) factus eſt infami ſtudio, Abbatiarum atque Epiſcopatuum peſſimus mundinator.* Ita Baron.

Quintò, autoritate Pontificia vndique oppugnata, deſerentibus eius communionem plurimis viris Eccleſiaſticis, politicorum ambitione pedetentim vires acquirente, probabiliſſimum eſt fieri poſſe vt Romani ciues iugum obedientiæ excutiant, & ad hæreſim Arnaldi de Brixia redeant, cuius operâ contra

tra

Digitized by Google

tra Innocentium ſecundum, Lucium ſecundum, Eugenium tertium rebellarunt, dicentes Laicorum eſſe omnia temporalia, & à Clericis iniuſtiſſimè detineri: quo nomine politicorum hæreticorum Patriarcham atque Principem ſe conſtituit. Ita Baron. an. 1142. Et quia in humanam vindictam de Tiburtinenſibus eos capere prohibuit Innocentius, ſeditionem mouerunt, ac in ipſo impetu in Capitolio conuenientes, antiquam vrbis dignitatem renouare cupientes, ordinem Senatorum, qui iam per multa curricula temporum de perierat conſtituerunt, vt refert Otho Friſig. apud Baronium, an. 1142. n. 2. Quin & ſub Lucio ſecundo populus Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus quos ante inſtituerat, Patricium adjiciunt; atque ad hanc dignitatem Iordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei tanquam Principi ſubjiciuntur. Ita Baron. an. 1144. ex epiſtola ad Regem Conradum. *Deinde*, addit Otho Friſig. *Pontificem ſuum adeunt, ac omnia Regalia eius, tam in Vrbe quàm extra poſita, ad ius Patricij ſui repoſcunt, eumque more antiquorum Sacerdotum, de decimis tantùm & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes; de die in diem animam iuſti affligere non timuerunt.* Ita Otho. Quin res vſque huc proceſſit, vt Arnaldus iſte an. 1. Pontificatus Eugenij 3. Romam rediens populum ad ſeditionem commouit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex ſenatus maturitatis conſulto, & ex iuuenum animorum fortitudine, ordine & integritate, totum orbem terræ ſuum fecerunt quare reædificandum capitolium, renouandam dignitatem Senatoriam, reformandum Equeſtrem ordinem docuit nihil in diſpoſitione vrbis ad Romanum ſpectare Pontificem, ſufficere ſibi Eccleſiaſticum iudicium habere. Quæ impiæ ſuaſiones tantam vim obtinuerunt, quantam conjicere licet ex Ligurino in Friderico, lib. 3.

Totamque nefarius Vrbem
Inficit corruptam ſemine Verbi.
Et populi tantas in Clerum concitat iras,
Vt penitus nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, Clerumque adeo vexaret iniquè.

Quod quidem odium, quæ etiam perſecutio adeo increuerunt, vt coactus fuerit Eugenius à Roma diſcedere, & Viterbium adire. At Romanus populus cum Patricio ſuo Iordane in furorem verſus Præfecturæ dignitatem abolentes, omnes principes ac nobiles ex ciuibus ad ſubiectionem Patricij compellunt; & non ſolum quorumdam illuſtrium Laicorum Turres, ſed & Cardinalium ac Clericorum domus ſubruentes, prædam immenſam diripiunt, Eccleſiam etiam S. Petri, omnium Eccleſiarum caput, ſacrilegè & profaniſſimè incaſtellare non metuunt. Peregrinos cauſâ orationis aduenientes, ad oblationem, queſtus gratiâ, plagis & verberibus cogunt; ac quoſdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſo porticu & veſtibulo templi, nefario auſa occidere non verentur. Ita Otho. Hæc rerum facies, in his temporibus, in qua legere poſſumus qualis poſſibiliter futura ſit in vltimis temporibus. Credibile ſiquidem eſt Romanis rebellantibus, ejecto Pontifice, vt alicubi ſecedere cogatur. Vtinam eius refugium illud idem ſit, quod fuiſſe pluries compertum eſt; vt Galliæ Regnum, vt pote Chriſtianiſſimi regni nomine gaudens, in Chriſtiana, & Catholica fide adeo firmiter perſiſtat, vt in ſuo ſinu complectatur & foueat Religionis Chriſtianæ viſibile caput in hac vltima perſecutione, & dicat quod olim Gelaſius dixit, in rebellione contra eum excitata per Frangipanenſes, in fauorem Henrici 4. Imperatoris, dum miſſam celebraret in Eccleſia ſanctæ praxedis. Sequamur, dicebat ille, *Patres noſtros: quoniam valde bonum eſt antiquos ſequi parentes.*

A *Sequamur nihilominus Euangelium. Quando equidem viuere in ciuitate iſta non poſſumus, fugiamus in aliam.* Quo dicto à ſuis probato, in Galliam ſe recepit, quæ eum cum multo honore excepit ingenti ſtudio. Et hiſtorici dicunt Francos ad exulem Pontificem confluxiſſe, eorum magnificentiâ ingentem vim argenti & auri fuiſſe collectam, ex ſpontaneis fidelium ſuas domus euacuantium oblationibus, vt exuli Pontifici ſubuenirent.

Ex quibus verbis Gelaſij occaſionem ſumit Baronius dicendi: *Ita quidem benè prouocat Gelaſius, vt audiſtis, ad antiquitatem. Siquidem vnicum illud vſitatum, tutum, certumque refugium fuit ſemper Romanis Pontificibus perſecutione vexatis, regnum Francorum, Reges ipſos Francorum adire, à quibus & dignè conſueuiſſent* B *ſuſcipi, digniùs retineri; atque digniſſimè, cum facultas adeſſet, compreſſis hoſtibus ad Romanam Eccleſiam reuocari; adeo vt ſi quis dicat portum Romanæ Eccleſiæ, fluctuantis nauiculæ Petri, Galliam eſſe, non mentietur.* Ita Baronius. Vtinam igitur Gallia noſtra hac pietate ad hac prædicta ſit, cum orbis totus & morum corruptione & ſchiſmate à Pontifice diſceſſerit, vt adhuc ſit portus & locus refugij eiecto Pontifici. Ibi arca noui Teſtamenti, ibi candelabrum, ibi tabernaculum veluti in tuto reponantur, (vt olim Ieremias abſcondit) & à crudeli perſecutione ſchiſmaticorum ſeruetur, contra ipſum Anti-Chriſtum certamen initurus, quem Chriſtus occiſurus eſt ſpiritu C oris ſui. *Fugiamus Sodomam*, inquiebat Gelaſius, *Fugiamus Ægyptum. Fugiamus nouam iuxta verbum Propheticum Babyloniam, Ciuitatem ſanguinam fugiamus.*

Hoc potiori de cauſa dicere poterit tunc ille vltimus Pontifex, cum recedet ab ea vrbe, in qua ſanguis Prophetarum, & Sanctorum, & omnium qui interfecti ſunt in terra, inueniendus eſt.

Sextò: Credibile eſt futurum, quod Romani rebelles facti, vt habeant ſuæ rebellionis fautorem, eligent aliquem potentiſſimum Regem, cui imperiales faſces offerant. Ita enim fecerunt olim Arnaldiſtæ, ſub Lucio ſecundo an. 1144. ad Conradum Regem, vt eis faueret, hæc ſcribentes, *Reminiſcatur*, inquiunt, *veſtra ſolertia, & quanta mala Papalis Curia,* D *& dicti quondam ciues noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerunt, & nunc deteriora vobiſcum facere tentant. Sed nos Chriſti gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab vrbe ſicut peſſimos hoſtes Imperij, vt ſunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor: quoniam quidquid vultis in vrbe obtinere poteris; & vt breuiter ac ſuccinctè loquamur, potentes in vrbe, quæ caput mundi eſt (vt optamus) habitare, toti Italiæ, ac regno Theutonico, omni Clericorum remoto obſtaculo, liberum; & meliùs quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis.* Ita Romani ad Conradum. Qui quidem Princeps aſſumendus, quia fortè erit hæreticus, aut ſaltem iam ſchiſmaticus, non eadem modeſtia, & erga Eccleſiam reue-E rentia vtens, qua vſus fuit Conradus (qui Arnoldiſtas contemnens, non modò eis adhærere noluit, ſed potius Eccleſiæ priuilegia confirmauit) eorum diſceſſioni & ſchiſmati adhærebit, & ambitione pulſus Imperium ſibi oblatum accipiet, licèt tunc fortè alius ſit futurus legitimus Imperator, à quo fiet diſceſſio. Et quia Romam in ſuam ditionem obtinebit, & ibi regni ſeu Imperij ſui ſedem ille ſchiſmaticus collocabit, tunc dicat illa in corde ſuo: *Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* Sicque ex hac vſurpatione videbitur Romanum Imperium extinctum, dum propter tyrannicam iſtam vſurpationem fiet generalis illa diſceſſio à legitima Pontificis & veri Imperatoris obedientia, de qua locutus eſt S. Paulus: *Donec*, inquit, *veniat diſceſſio primùm.*

Et eademmet ratione, qua regnante olim Hero-

de apud Iudæos, verè dici poterat ipſum eſſe regem Iudæorum, & nihilominus Regnum Iuda prorſus eſſe extinctum: ſic dicetur ille Romanorum Imperator, quamuis legitimum Imperium in vero Imperatore (à quo fiet diſceſſio) extinguatur.

Septimò: Ciuitas Romana iam ſecurè degens in ſua rebellione, exiſtimabit nullum eſſe qui ei reſiſtere valeat. *Luctum*, inquit illa, *non videbo.* Cernens inſuper Principes totius terræ rebellioni ſuæ applaudere, nullo ex eis cauſam Romani Pontificis protegente, tunc ſibi caput ſpirituale conſtituet, & Pſeudo-Pontificem aliquem, tanquam idolum abominationis, & Laruam quamdam Pontificiæ autoritatis, in ſede Petri collocabit, autoritate illius inuaſoris & ſchiſmatici Imperatoris. Vnde potius erit Tyrannicæ illius poteſtatis Miniſter, quàm caput Eccleſiaſtici cætus, aut Eccleſiæ. Talis fuit olim Mauricius Epiſcopus Bracharenſis (quem Henricus quartus in ſede Petri collocauit, ſub nomine Gregorij) à Paſchali excommunicatus, & à Gelaſio vt talis declaratus, vt pote qui eſſet periurus, & ſanctæ Matris Eccleſiæ & fidei Catholicæ corruptor.

Tali capite in rebus Eccleſiaſticis conſtituto, non mirum ſi omnia perturbata erunt: ſi etiam res ſpiritales venales redduntur, ſi errores pullulent, ſi ſtet in loco ſancto abominatio deſolationis. Qua quidem de cauſa legitimus Pontifex cum ſuo Clero hæc perſpiciens, licèt exul extra Romam degat, voce potenti ſententiam excommunicationis fulminabit contra omnes rebelles, ſchiſmaticos, hæreticos, & Patrimonij Petri inuaſores; & hanc infelicem vrbem, à Dei gratia, à communione fidelium cecidiſſe, & maledictioni æternæ ſubiacendam eſſe declarabit: quia ſe reginam, id eſt, ab omni Eccleſiaſtica autoritate independentem profitetur; quia pro legitimo ſponſo, adultero adhærebit, dum obedientiam, quàm exhibere debebat Pontifici, illam exhibebit Imperij vſurpatori.

Hanc ſententiam maledictionis ſubſequetur illius ciuitatis euerſio, per Anti-Chriſti ſatellites perficienda, qui hanc exſcindere cogitabunt, vt totius orbis Imperium Anti-Chriſto cedat.

Sic ex rebus antea factis, conjicere poſſumus quæ euentura ſunt. Lectoris prudentis iudicio relinquentes an hæ coniecturæ aliquam habeant veriſimilitudinem, ſed maximè omnia iudicio Eccleſiæ ſubmittimus, cuius eſt de quacumque doctrina iudicium ferre; Eccleſiæ dico Romanæ, vt pote quæ ſit columna veritatis. At quid probabilitatem his omnibus afferat, eſt quod hæc maximè cum verbis Prophetiæ iſtius conueniunt, vt mox videbimus.

Et audiui aliam vocem de cælo, &c.

Applicatio ſymboli cum re ſignificata; ſeu expoſitio ſymboli de Anathemate à ſummo Pontifice proferendo in ſchiſmaticos, Romanæ ciuitatis rebellantis incolas.

ANNOTAT. IIII.

SECTIO I.

ET audiui aliam vocem. Quænam ſit illa vox alia, docet Ambroſius. *Per cælum*, inquit, *in hoc loco, Eccleſia deſignatur. Vox de cælo, vox eſt prædicatorum de Eccleſia procedens. Sed quid dicit vox iſta? Exite de illa, popule meus. Dominus per prædicatores ſuos ſuadet electis vt exeant à Babylone, &c.* Ita Ambr.

Duas expoſitiones vocis S. Thomas nobis proponit. *Et audiui aliam vocem, id eſt, diuinam inſpirationem, quæ alia dicitur à præmiſſa voce Chriſti malis comminantis; quia hæc vox eſt admonitionis ad electos: illa fuit vox comminationis ad reprobos. De cælo, id eſt, de ſublimitate diuinæ maieſtatis, quæ fidelibus condeſcendendo admonet ipſos. Vel per hanc vocem ſignatur prædicatio, quæ fideles admonet non conformari malis. Hanc vocem audiuit, id eſt, intellexit fieri de cælo, id eſt de Eccleſia, id eſt de prædicatoribus Eccleſiæ, qui debent eſſe lucidi, excelſi, & ſolidi in vita; Dicentem: Exite de illa, id eſt, de Babylone, hoc eſt de impiorum multitudine, ô vos fideles, qui eſtis popule meus per prædeſtinationem, & adoptionem & obedientiam.* Ita D.Thom.

Habemus igitur ex duobus iſtis autoribus vocem iſtam eſſe vocem prædicatorum. Quod mihi ſatis eſt, vt dicam hanc vocem eſſe ſignificatiuam vocis inferiorum Paſtorum & concionatorum Eccleſiæ, quorum miniſterio Anathema pronunciatum à ſummo Pontifice, per totum orbem omnibus fidelibus innoteſcet. Audita ſiquidem rebellione illius ciuitatis, audita expulſione ſummi Pontificis, Imperij tyrannica vſurpatione, Anti-Papæ intruſione, in illos latâ ſententiâ excommunicationis à vero Pontifice; qui permanebunt in communione illius, Epiſcopi & Prædicatores, zelo honoris impulſi alta voce proclamabunt nemini licere, (niſi velint peccato illorum coinquinari) cum eiſdem ſchiſmaticis in ſacris Myſteriis communicare, nec auxilium aut fauorem illis præbere, aut eiſdem in aliquo conſentire, aut quoquo modo cooperari; niſi eiſdem pœnis Eccleſiaſticis, interdicti aut excommunicationis velint ſubiacere. Hoc in his verbis exiſtimo ſignificari. *Exite de illa, popule meus: & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius accipiatis?* Nec abs re exiſtimamus hîc de excommunicatione huiuſmodi agi: ex effectu quippe coniicimus cauſam. Eſt enim excommunicatio (vel Tertulliano teſte, Apologet. c. 39. & lib. de pudicitia) *tanquam cenſoria virgula: qua qui peccant, ſacramento benedictionis exauctorantur, Eccleſiæ caſtris excluduntur, à fratrum communicatione repelluntur, non ſalutis lumine, non Eccleſiæ limine, non tectis, non fidelium ſalutatione recipiuntur.* Ita Tertull. Qui excommunicationis effectus ſatis exprimuntur in illis verbis: *Exite de illa, popule meus, &c.* In quibus verbis ſeparatio à malis præcipitur, tum ne ſint participes delictorum eius, tum ne de plagis eius accipiant, ſi ſemel in eorum ſocietate reperirentur, cum tempus vltionis aduenerit. Cum igitur nullius ſocietas aut conſortium in Eccleſia prohibeatur ſub pœna peccati & participationis delicti, quàm ſocietas eorum quos Anathematizat; ſi hîc percipiamus conſortium habitantium in Babylone iſta noua, prohiberi ſub pœna peccati, coniicere licet excommunicationem præceſſiſſe contra eos, qui ſchiſma confecerunt & fouerunt, à quorum conſortio (vt pote qui rebellionem ac ſchiſma Core, Dathan & Abiron imitantur) fideles debeant ſeparari. *Separamini*, dicebat Deus olim Moyſi & Aaron, *à medio congregationis hominum, vt eos repente diſperdam.* At illi proſtrati in terram ad Deum ſic orabant. *Fortiſſimè Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, num vno peccante contra omnes iratus deſæuies?* At oratione eorum exaudita, iuſſit Deus vt cæteri à ſchiſmaticis diſcederent, ne in eorum ſupplicio inuoluerentur. Et Moyſes clamauit: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent: ne inuoluamini in peccatis eorum*, Sicut inuoluti fuerunt ducenti quinquaginta viri, qui offerebāt incenſum, igne egreſſo à Domino & quatuordecim millia hominum, & ſeptingenti qui murmurauerunt ob interfectionem Core, Dathan, & Abiron, vt pote eorum rebellioni conſentientes, eamque quodammodo approbantes. Numer. 16.

Digitized by Google

Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum, & recordatus eſt Deus iniquitatum eius.

Vtile eſt electis fugere conſortium malorum, ne peccatis eorum conſentiant, ſed etiam ne in ſuppliciis eorum inuoluantur.

SECTIO II.

RVPERTVS hæc verba ita explicat: *Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum. Id eſt: Quoniam fornicando, & ſanguine ſanctorum ſeſe inebriando, ad hoc vſque peruenit, vt ipſum occideret cæli regem & Dominum. Et ob hoc recordatus eſt, ait, Dominus iniquitatum eius. Id eſt: Diem ſtatuit iudicij vniuerſalis, in quo iniquitates eius puniantur.* Ita Rup.

Quidam, inquit Alcazar, *vt Eraſmus, legunt,* ἠκολούθησαν, *id eſt, conſecuta ſunt. Eadem fortaſſe phraſi, qua dictum eſt c. 14. 13. Opera illorum ſequuntur illos; de illis operibus, quæ in externas actiones prodeunt. Alij vero Codices habent* ἐκολλήθησαν, *id eſt, adhæſerunt, concreuerunt, conglobata ſunt. Sic legunt Biblia Regia. Et, meo iudicio, hæc lectio videtur præferenda; eamque Vulgatus ſequi videtur: quia peruenire ad cælum perinde eſſe apparet quaſi coaceruari, & in cumulum ſiue aceruum adeo ingentem excreſcere, vt cælum ipſum contingant.* Ita Alcaz. Qui & in hac phraſi ſuſpicatur non malè fieri alluſionem ad turrim Babel, quam qui erexere dixerunt: *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Sed ad ſuum myſticum ſupplicium Ethnicæ Romæ recurrit. Meliùs S. Thomas qui ad verum, & reale ſupplicium ſumendum de ea vult Deum permoueri excelſitudine peccatorum. *Peccata eius*, inquit, *venerunt propter ſui grauitatem non ſolùm vſque ad diſplicentiam, ſed etiam vſque ad memoriam Dei habitantis in cælo per manifeſtationem ampliorem. Quaſi dicat: Peccata Babylonis propter ſui enormitatem prouocauerunt iram Dei regnantis in cælo. Itaut eorum memor ſit ad puniendum. Vnde exponendo ſubditur: Et recordatus eſt, id eſt recordabitur Deus, à cuius offenſa cauendum fuit. Deus qui offenſam vindicare poterit, actualiter puniendo, qui priùs, cum proſperari permitteret, videbatur oblitus iniquitatum eius. Oſee 9. Recordabitur, iniquitatum eorum, &c. Et dicit, iniquitatum, pluraliter: quia nullum peccatum, quod priùs purgatum non fuerit, remanebit impunitum: Ezechiel. 7. Et imponam tibi omnia ſcelera tua. Vel aliter: Meritò plagas habebit, quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum. Id eſt: Peccata eius aggrauata ſunt, vſque ad contemptum Dei, per obſtinationem & impœnitentiam: & ideo punienda eſt. Vnde ſequitur: Et recordatus eſt, &c.* Ita S. Thom.

Dico verò hîc reddi rationem, propter quam optimum ſit recedere è medio Babylonis, non ſolùm corde aut affectu, nec illi coniungi imitatione, conſenſione, aut approbatione actionum illius; ſed etiam ab eius finibus & mænibus longiùs diſcedere. *Quia*, inquit, *peccata eius peruenerunt vſque ad cælum, & recordatus eſt Deus iniquitatum eius.* Ac ſi diceret: Ad talem ſtatum malitiæ deducta eſt, vt certum ſit & indubitatum eius exitium. *Iniquitates Babylonis*, inquit Ambroſius, *omnipotens Deus ſemper intuetur; ſed cum vindictam non exerit, videtur non videre quod videt.* Ita Ambr. Nunc eo ipſo quo aſſeritur illa in memoriam reuocare, cum iuſtus ſit & iuſtitias diligat. Æquitatemque videat vultus eius, abſque dubio de illis vindictam ſumet. Dormiebat quippe Deus, vino dulciſſimæ charitatis erga homines (vt ita dicam) quaſi inebriatus. Siquidem illos cum tanta teneritudine diligit, vt multas illorum imbecillitates & infirmitates patienter, longiſſimis etiam temporum interuallis ſuſtineat: tamen clamore delictorum grauiſſimorum quaſi expergiſcitur & tanquam à ſomno, quo correptus erat, excitatur, iuxta illud Pſalm. 77. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit illis.* Loquitur de Philiſtinis, quos Deus in poſterioribus partibus, morbo natium, ſiue fico alui hæmorrhoidum genere (qui æternam eis impoſuit ignominiam) diſcruciauit, infami podicis ignominia affecit illos; quam nunquam eluere potuerunt. Ita Genebrard. Pari ratione Deus illos ſchiſmaticos grauiter diſcruciabit, & quorum ſcelera & audaciam vſque huc ſuſtinuerat, tandem illa vlciſcetur, & implebit facies eorum ignominia: quia quantum ſe glorificauerunt, tanto depreſſiùs humiliabuntur, cum ciuitas illorum funditùs euertetur. *Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum.* Ac ſi diceret primò: Completa eſt malitia eius. Altiùs non poteſt pertingere. Peruenit ſiquidem vſque ad Dei & iudiciorum eius contemptum, & vſque ad Blaſphemiæ ſcelus. *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.* Pſalm. 72. Vt igitur indicet vſque ad cumulum malitiæ peccata perueniſſe, ait: *Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum.* Secundò: ita loquitur, vt doceat Deum diutiùs non permiſſurum vt illorum audacia, & arrogantia impunita remaneat. Nam cum tanta ſit animi illorum præſumptio, propter duritiem cordis, vt nec Deum nec homines reuereantur; cum Dei ſit præſumentes de ſe deiicere, & ſuperbos confundere ſoleat, ſicut æmulatores fuerunt illius qui dicebat: *Aſcendam, & ero ſimilis altiſſimo*; nullam ſupra ſe volentes agnoſcere poteſtatem, ſed independentiam quamdam affectantes, meritò cum diabolo in tartara demerguntur, qui ad cœlum vſque ſeſe exaltabant. Tertiò: his verbis docet S. Ioannes, quod cum iſti contempſerint pœnas, quas irrogare ſolet Eccleſia in contemptores legum ſuarum, quales ſunt ſuſpenſiones, interdictiones, & excommunicationes; quin & cæteræ Eccleſiæ execrationes, & maledictiones in Dei contemptores, ac ſi iſta omnia nullius eſſent momenti aut virtutis: cum in terra nulla inueniatur autoritatis temporalis, terrena; aut ſpiritualis, quæ illorum audaciam reprimere queat, ad cœlum pertinet vires ſuas exerere, vt iniquitatem coërceat. Dei enim eſt proprium iuſtitiam inter mortales ſartam tectamque ſeruare: quo fit vt ſi homines amore, vel odio, adulatione, aut timore & puſillanimitate delicta non vlciſcantur, & iuſtitiæ iura infringant; vel quia qui iuſtitiam adminiſtrare debent, cæteris ſceleratiores exiſtant: vel quia etſi apud eos ſit autoritas, deeſt tamen exequendi decreta ſua poteſtas, & vis coërcitiua caret, itaut delicta impunita remaneant: Tunc rationi conſonum videtur, vt Deus (qui dicitur Deus vltionum Dominus) ipſe flagella, & baculum, & gladium aſſumat, quibus filios caſtiget, ſeruos percutiat, hoſtes interimat. Si igitur apud quos eſt autoritas, aut nolunt, aut non valent crimina compeſcere pœnis, tecti clamare videntur ad Deum: *Exaltare qui iudicas terram. Redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores, Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? Effabuntur & loquentur & iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniuſtitiam.*

Hæc dicenda maxime erunt in iſtis infæliciſſimis temporibus, & ad Chriſtum clamandum: *Populum tuum, Domine, humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.* Populus tuus, qui in fideli obſeruantia mandatorum tuorum, & in vera cum capite viſibili Eccleſiæ tuæ communione perſeuerat, valde humiliatus eſt ab iniquis, qui tam nobile caput pedibus conculcare audent. Hæreditas tua vexatur in legiti-

Digitized by Google

mis Paſtoribus illi ſummi Paſtori adhærentibus, ab hæreticis & ſchiſmaticis, qui illos inſectantur. *Viduā, & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt*; adeo immites vt dolorem doloribus commiſceant, innocentiores opprimant, omni auxilio deſtitutis inſultent. Quid mirum ſi Eccleſias Paſtoribus orbatas inuadant, ſi eos adeuntes ad impietatem cogant, ſi greges Paſtoribus deſtitutos diſpergant. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*; Sed audiant nunc peccata ſua ad cœlum vſque perueniſſe. Intelligant inſipientes, & ſtulti aliquando ſapiant, quia qui plantauit aurem illorum clamorem audiet, & qui finxit oculum conſiderat omnia quæ agunt: & cuius eſt corripere gentes, illas tandem arguet: & ſi patienter illos ad tempus ſuſtinuit, hoc factum eſt quia qui docet hominem ſcientiam, ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, quod manifeſtè apparebit, cum quæ iſti fecerunt, vt in otio & dæliciis liberiùs viuere poſſent, hæc in damnum & detrimentum conuertuntur, vt quò altiùs ſe extulerint eò profundiùs in tartara abſorbeantur. Beatus, igitur ille erit, quem tunc erudiet Dominus, & de lege ſua docuerit eum: vt mitiget ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Beatus qui audierit iſtam vocem, & obaudierit: *Exite de illa, popule meus.* Vnde enim erit ei fugere à ventura ira, ira enim magna erit huic ciuitati. Fidelis enim Deus, qui olim miniſterio Angelorum, Loth eduxit de incendio Sodomorum. *Cumque eſſet mane*, ait ſacer textus, Geneſ. 19. *cogebant eum Angeli dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne tu & pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Ita ſuos ad exeundum ab hac ciuitate prouocabit, ne ſint participes delictorum, & ne accipiant de plagis eius: *quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet, quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam, omnes qui recto ſunt corde.* Pſal. 93. Eos enim vel à malis præſentibus liberat, quibus peruerſos obruit; vel ſi cum peruerſis eiſdem malis ſubiaceant, in die tamen iudicij, quando iuſtitiæ iudicabuntur, illorum iuſtitiam educet tanquam meridiem, illos ſecum in gloriam euehens, cum reprobos à ſe repellet dicens: *Diſcedite à me, maledicti in ignem æternum*: Tunc Dei iuſtitia, quæ nunc bonos abſque remuneratione relinquere malos abſque punitione negligere videtur; vel bonorum & malorum æqualem reddere in hac vita ſortem æſtimatur, admirabiles ſuos proceſſus manifeſtabit; dum quæ mala iuſtis permiſit euenire, vias fuiſſe ad maiorem adipiſcendam gloriam oſtendet; quæ autem reprobis euenerint mala, initia dolorum & æternæ pœnæ præludia fuiſſe patefaciet.

Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

Funeſta eſt, & præſentiſſimi excidij præuia malis, bonorum ab eis ſeceſſio.

SECTIO III.

HÆC *omnia*, inquit Ticonius, *Chriſtianis bonis, id eſt, Eccleſia dicit Deus: de Eccleſia enim exeunt in mundum plagæ viſibiles & inuiſibiles.* Ita Ticonius. At quando immittantur inquirendum.

Primaſius: *Hæc omnia ſecundo quidem aduentu futura creduntur conuenire. Quando examine ſupremi iudicij ſocietas impiorum excluſa, retributione iuſta plectetur, vt qui temporaliter peccauerunt, in perpetuum puniantur. Hoc eſt enim quod ait: Reddite ei duplicia, & duplum remixtum eſt, vt qui tranſitoriis delitiis fruebatur, æternis*

A *crucietur tormentis.* Ita Prim. Eadē ſentit Amb. *Præcipitur*, inquit, *electis vt reddant Babyloni ſicut illa ipſis reddidit, ſiue pro eo quod ſancti Dei impios iudicabunt, ſicut dicit Dominus in Euangelio: in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c. Siue pro eo quod ipſi membra ſunt eius, cui iudicandi poteſtas à patre tradita eſt. Reddent itaque iuſti impiis mala, quæ ab eis paſſi ſunt; cum Chriſtus, qui caput illorum eſt, & cuius membra ipſi ſunt, eos perpetua pœna damnabit. Et duplicate duplicia ſecundum opera eius. Dupliciter Babylon electos Dei perſecuta eſt, quando corporibus & animabus eorum multa mala ingeſſit: quia pro pœnis temporalibus atque breuibus, quibus iuſtos afflixit, pœnas æternas excipiet. Per poculum tribulationes, quas ab iniquis*

B *ſancti paſſi ſunt, poſſumus intelligere.* Ita Ambroſ.

Eadem ſentit Rup. *Quinā ſunt hi, qui reddere illi, &c. Iubentur, niſi hi qui cum Domino ſedente ad iudicandum in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebūt & ipſi iudiciariis ſedibus? &c. Reddite ergo, &c. i. condemnate illam, ſicut ipſa ſanguinem veſtrum innocentem condemnauit, &c.* Et paulo poſt: *Duplicate duplicia ſecundum opera eius. Conſtat enim quia dum hæc ſanctos perſequitur, & Martyres Ieſu corpus tantùm occidit; & poſt hæc non habet quid faciat, ipſi autem poteſtatem hanc in iudicio cum eodem Domino Ieſu habent, vt corpus & animam mittant in gehennam.* Ita Rupert.

Eadem etiam S. Thomas. *Loquitur enim ad eos, qui habebant poteſtatem iudiciariam in Iudicio, &c. Du-*

C *plicate duplicia, id eſt, pœnas duplices inferte impiis ſupra quas vobis intulerunt. Illi enim afflixerunt vos corpore, vos autem adiudicate eis pœnas corporis & animæ. Quia verò quidam minus perſecuti ſunt ſanctos, & minus peccauerunt: alij vero magis, ideo differenter puniendi ſunt: Vnde ſequitur: Secundum opera eius. Id eſt: Pœna illa duplex corporis & animæ ſit grauior vel minus grauis, ſecundum quod magis vel minùs peccauerunt, &c.*

Alij iſta non videntur referre ad tempus iudicii; ſed hoc pertinere volunt ad ſanctos, qui cum malis erant permixti, *Iſthæc*, dixit Andreas Cæſarienſis, *vel ad illos pertinent, qui iſthic inſontes, inculpatique videbantur, & peſſimè interim in iis tractabantur, qui in illa ciuitate rerum potiebantur, vt pote propter triſtium,*

D *quæ pertulerant, patientiam. Hoc quoque inter cætera promeriti, vt cumulatè vicem illis redderent, à quibus iniuriam acceperant, pœnaſque & cruciatus perpeſſi fuerant.* Ita Andreas. Qui poſtea non ſanctos alloqui exiſtimat, ſed cæleſtes virtutes pœnis irrogandis præfectas. Addit ſiquidem: *Aut ſignificant tranſitum à perſona ad perſonam, nimirum ex illis qui iniuria affecti erant, ad quaſdam cæleſtes virtutes pœnis irrogandi præfectas; quæ & diuina charitate inflammatæ, iniurias Dei ſerius illatas non ſecus plectant, ac ſi ipſis illata forent.* Ita Andreas.

Alcazar etiam ad ſanctos in præſenti rerum ſtatu, non in futuro iudicio exiſtentes, hæc omnia refert. Sed ad myſticum ſuum ſenſum accommodat, his

E verbis:

Cum Dei verbum, & efficax Euangelij virtus, in mundi totius conuerſione longè lateque excreſcerent, Chriſti fideles ſpiritaliter erant reipſa expleturi, quod tyranni barbarè & immaniter exequebantur. Tyranni enim vitam Chriſtianis auferebant, & miſeras in eis edebant ſtrages, quo tempore præualebat perſecutio: Poſtea autem Euangelij prædicatione ſuperante, myſticam fideles vindictam de infidelibus ſumpſere, &c. Et poſt pauca: *Et duplicate duplicia: Si magnus fuit zelus & æmulatio, quæ Babylon ſiue Roma idololatria falſo idolorum cultui velificata eſt, & bellum peracre Euangelicis prædicatoribus indixit, duplo ſit vehementior zelus, ſtudium, atque contentio, quæ fideles ad idololatriæ expulſionem & ſpiritalem Ethnicorum internecionem accendat.* Ita Alcazar.

Exiſtimo verò, & ad ſanctos, & fideles, ad quos

Digitized by Google

hæc verba fiunt: *Exite de illa, popule meus*; haberi A ſermonem, non pro tempore futuri iudicij, in quo ſancti iudicabunt nationes: ſed pro eo tempore, quo diſceſſuri ſunt à ſocietate & conſortio impiorum. Licèt enim S. Petrus 1. c. 2. moneat fideles ne ſint reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes: *Quia*, inquit, *in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poßideatis.* Ad hoc vocati eſtis vt patientiam habeatis, at benedictionem paſſiuam (illam ſcilicet, qua dicitur, Matt. 25. *Venite, benedicti Patris mei, poßidete regnum, &c.*) In hæreditatem, id eſt, firmiter & perſeueranter, ſicut hæreditaria poſſeſſio firma eſt. *Quaſi dicat*, ait S. Thomas, in Ep. Petri: *Benè iuſtum eſt, vt qui æternam expectant benedictionem, ſemper in ore eorum reſonet benedictio, non maledictio.* Et ita, licèt B non conueniat perfectioni eorum, quibus dicitur Luc. 6. *Diligite inimicos veſtros. Benefacite iis qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Etſi: Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et: Ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue.* Et: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas*; Non conueniat, inquam, perfectioni eorum, duplici odio proſequi iuimicos. malum pro malo reddere, aut maledictum pro maledicto, vel execratione vti erga eos, qui illos calumniantur, aut duas alapas pro vna inferre, vel pro iniuria in bonis temporalibus alia damna inferre, duplò pluſquam acceperint imo C potiùs ablatis iis, quæ ſua ſunt, non debeant ea repetere, vt mentis quietem, animi tranquillitatem, & conſcientiæ puritatem illæſam cuſtodiant; tamen aliud eſt loqui de ſanctis, prout particulares ſunt perſonæ, & iniuriæ illis illatæ in eis terminantur. At dum in illorum iniuria Dei cultus & honor negligitur & conculcatur, & Dei Maieſtas offenditur, vt dicat Deus quod olim dixit Samueli, 1. Regum 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*; Tunc ſancti autoritate ſibi data vti poſſunt ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Hac poteſtate vſus eſt Moyſes, vel cum propter vitulum aureum, ad eius Imperium occiſa ſunt quaſi viginti tria millia hominum. Exodi 32. Vel cum ad eius D optationem terra dirupta eſt ſub pedibus Core, Dathan, & Abiron, & deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. Numer. 16. Conſequenter igitur ad ea, quæ dicta ſunt, iſta veniunt intelligenda. Eo enim ipſo, quo aliquis ab Eccleſia anathematizatur, ſtatim redditur illi quod ipſe Eccleſiæ præſtitit, & ſpirituali pœna, & temporali etiam punitur, vt patet ex effectibus excommunicationis. Priuat enim excommunicatio fructu orationum, & participatione bonorum communium. In Eccleſia, nec non etiam exercitio actiuo & paſſiuo Sacramentorum: Efficit quod excommunicatus non poſſit intereſſe diuinis officiis in Eccleſia, vel extra cum aliis, quamuis poſſit ſeparatus ab aliis E in Eccleſia orare: Excludit à regno cælorum: Si quis excommunicatus exerceat actum alicuius ordinis peculiarem, efficitur irregularis: Excommunicatus non poteſt beneficium Eccleſiaſticum acquirere: Si acquirit, collatio eſt nulla: Et ſi quis per annum perſeueret in excommunicatione, poteſt omnibus beneficiis priuari: Excludit ab electione Canonica, paſſiua, & actiua; Id eſt: Excommunicatus nec poteſt eligi ab aliis, nec ipſe alios eligere: Si excommunicatus ſit denunciatus, ſubditi abſoluuntur à debito fidelitatis & ſubiectionis: Excluditur ab omni actu legitimo, vt procurare, inſtrumenta facere: Non poteſt ſe immiſcere actibus humanis communiter prohibitis, qui continentur illo verſiculo:

Os, orare, vale, communio, menſa, negatur:

Id eſt: prohibentur colloquia, oſcula amicitiæ, munera, literæ: Prohibentur Eccleſiaſtica Sacramenta, ſuffragia Eccleſiæ, & orationes, tam intra quàm extra Eccleſiam, & omnino ſpiritualia: interdicuntur mutuæ ſalutationes, quæ ſcripto, ſigno & verbo fieri poſſunt: interdicitur habitatio in eadem domo, mutuum exercitium & conuerſatio. Denique ne in eadem menſa bibat aut comedat aliquis eum excommunicato, aut in eodem lecto. Ita ex Binſeldio, par. 5. de cenſuris Eccleſiaſticis.

Quæ quidem omnia, ſi à fidelibus, vt par eſt, piè ac Religioſe obſeruarentur, certè facilè eſt conjicere quomodo exite debeant de medio hæreticorum & ſchiſmaticorum, & qua ratione ipſimet ſchiſmatici, (qui Eccleſiæ communionem contemnunt, eiuſque vnitatem diſcindunt, bona illius temporalia inuadunt) recipiunt quæ Eccleſiæ intulerunt damna, & duplici contritione conteruntur, cum & bonis ſpiritualibus priuentur, & temporalia etiam accipiunt detrimenta, vel ſaltem poſt gratiæ Dei ſubtractionem, æternam etiam, (niſi reſipiſcant) incurrunt damnationem.

Alio modo reddit Eccleſia impiis quod ipſi illi reddiderunt, dum ſcilicet exit è medio ſchiſmaticorum. Quorum enim intuitu Deus parcebat impiis, ſi ſemel fuerint alibi tranſlati, nullus eſt qui iram Dei valeat compeſcere. Patent impij iræ Dei iaculis, nullo Clypeo eos protegente. Dum igitur vox illa dicit: *Exite de medio eius, populi meus, & reddite illi ſicut & ipſa reddidit* vobis: videtur innuere, quod ſtatim atque exierit Dei populus, mala quæ fidelibus impij intulerunt, redibunt in pectora eorum, quibus confodientur. Nec enim liberum eſt iuſtitiæ diuinæ, propter immenſam ſuam erga amicos benignitatem, plærumq; omnem iram ſuam effundere: oratione eorum impeditur. Vnde Moyſi dicebat: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos.* Exodi 32. Præſentia illorum retinetur, vt patet Geneſ. 19 Ex verbis Angeli, Loth eripere ſatagentis. *Feſtina*, inquit, *& ſaluare ibi, quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc*, nempe vrbem Segor, quæ non eſt ſubuerſa propter preces eius: Sed ſtatim atque diſcedunt, relinquuntur impij, gladio diuinæ iuſtitiæ perimendi. Sic ſubuerſa eſt ciuitas Hieroſolymitana, ſtatim atque fideles primitiuæ Eccleſiæ, oraculis diuinis obtemperantes, videntes ſigna, quæ de eius excidio à Chriſto data fuerant, adimpleri, ab exercitu videlicet circundari Ieruſalem, abominationem in loco ſancto ſtare: in ciuitatem Pella ſeceſſerunt. Lege Baronium, to. 1. ann. 68 Sic in futuris ſeculis relinquetur Romana ciuitas ſchiſmatica, ab Anti-Chriſti ſatellitibus ſubruenda, ſtatim atque qui in ea erant electi, ab illa diſcedent, ne ſint participes delictorum illius, & de pœnis eius accipiant. Non reddunt igitur iuſti malum pro malo: ſed dum ab impiorum conſortio ſeſe diſiungunt, manet ira Dei ſuper eos: & reddunt illi mala, Deo iniurias ſponſæ ſuæ illatas ſeuerius plectente, itaut cum Propheta Eccleſia dicere valeat, in interitu & punitione ſchiſmaticorum. Certè conſtituta à te, ô potentiſſime Deus, in caput gentium, populus quem non cognoueram ſeruiebat mihi, in auditu auris mihi obediebat: dum ecce reperti ſunt quidam mihi rebelles, filij reuera alieni, qui mentiti ſunt mihi. *Filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. At viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.* Hæc Eccleſia. At cur quæſo, ô ſanctiſſima Chriſti ſponſa, in hanc Dei laudem prorumpis? *Deus*, inquit, *qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro ini-*

Digitized by Google

quo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, & nomini tuo pſalmum dicam. Pſ. 17. A

Sed cur non dicit: Reddite illi, ſicut dedit vobis: ſed *Sicut ipſa reddidit vobis*? Non quid iam boni aliquid dederant impiis, quod iidem impij illis rederent? Ita eſt prorſus. Idem enim eſt ac ſi diceret Spiritus ſanctus iuſtis: Dum iſtis viris ſchiſmaticis, & Eccleſiæ rebellibus, quæ vera ſunt annunciaſtis, inimicos illorum vos conſtituiſtis. Quo ſenſu dixit olim Paulus ad Galatas ſcribens: *Ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens vobis.* Ad Galat. 4. Dum vitia illorum ipſis exprobraſtis, iram eorum acuiſtis: nec præſentiam veſtram ſuſtinere, nec vos videre poſſunt: quia contrarij eſtis prauis moribus & operibus ipſorum. Exinde malum pro bono reddentes, B plurimas contumelias, plurima vobis intulerunt damna. Sed nunc, quæ reddiderunt mala pro bonis, reddite: iuſtis pœnis, nempe Eccleſiaſticis cenſuris illos plectentes, & ab eis recedentes. Dimittite me, vt iraſcar contra eos, & nullâ habitâ amplius veſtri ratione, iuſta ab eis exigam ſupplicia. Quæ quidem impiorum indoles, qua in malam partem arripiunt iuſtorum reprehenſiones pro malis moribus & iniquis operibus, vnde reddunt pro illis reprehenſionibus multa incommoda iuſtis & probis, graphicè deſcribitur, Sap. 2. *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiã Dei habere, &* C *filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionẽ cogitationũ noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndũ: quoniã diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis: & præfert nouiſſima iuſtorum. Et gloriatur patrem ſe habere Deum.* Ita Sapiens, de odio Iudæorum erga Dei filium incarnatum Prophetizans: quod in tantum excreuit, vt ad mortem vſque illum perſecuti fuerint. Quod nec omittit Sapiens, dum ait: *Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius. Si enim eſt verè filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumeliis & tormentis interrogemus eum, vt ſciamus* D *reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum, &c.* Videſne filium Dei incarnatum dantem malis moleſtias, & reciprocè alias ab eis accipientem, vt ipſi reddant quod ipſe dederit? Sed cum pœnas requiſiuit mortis ſuæ, in deſtructione ciuitatis Hieroſolymitanæ, nonne potuit de eo dici, quod reddidit ipſe quod illi Iudæi reddiderant. Quod in filio Dei factum eſt, hoc fit ſæpiùs in filiis adoptionis. *Non enim eſt ſeruus maior Domino ſuo. Sufficit ſeruo ſi ſit ſicut Dominus eius. Si me,* inquit, *perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Dolentes erant ſacerdotes, & magiſtratus templi, quòd Apoſtoli docerent populum. Moleſtiam illis inferebat Apoſtolica prædicatio. Sed illis reddere non tardant E moleſtiam pro moleſtia. Iniecerunt quippe in eos manus, & poſuerunt in cuſtodiam. Act. c. 4. illos arguit S. Stephanus, & reprehenſione ſua moleſtiam illis dat. *Dura*, inquit, *ceruice, & in circuncisis cordibus, vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis.* Sed quid? Nonne ipſi illi reddent? *Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis.* Et hæc moleſta reddunt S. Stephano. *Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant.* Quod ſi Deus, ob Chriſti Domini necem, Apoſtolorum perſecutiones, & S. Martyris Stephani mortem, Iudæis grauiſſimas pœnas inflixit, nonne dum hæc eorum ſcelera puniuit, reddit ipſe pro iuſtis quod iuſtis Iudæi reddiderunt.

Quid autem eſt: *Duplicate duplicia, ſecundum opera eius*, videamus.

Andreas Cæſarienſis: *Poculum miſceri iubet, vel quod inſigniter ſcelerati & peccatores, & in hoc & in futuro quoque ſeculo puniantur; vel quod corpus & anima, ex quibus opus procedit, communi ſupplicio olim afficientur: aut quod peccatum non modò pœnâ externâ plectatur, verùm ſæpe quoque interiori, cuiuſmodi eſt illa, quam conſcientiæ ſtimuli afferunt.* Ita Andr.

Duplicia mala inferunt iuſtis impij, tum quia impediunt publicum Dei cultum: tum quia iuſtos bonis temporalibus & vita ſpoliant. Duplicabuntur illa duplicia, quia & incorrigibiles reddentur, & angoribus cruciabuntur, & bona illorum diripientur, & corpora interficientur; quin & pœnæ illæ temporales, æternarum pœnarum erunt præcurſiones, ſed anticipationes.

At quodnam eſt illud poculum? *In populo*, inquit S. Thomas, *id eſt, menſura afflictionis, tamen ampliatæ. Populum quandoque dicitur ſcyphus, quo datur potus cum menſura; Quandoque ipſe potus. Hic autem videtur ſumi iuxta primum modum, pro menſura afflictionis, quo, id eſt, in quo poculo miſcuit vobis, id eſt, propinauit vobis potum multiplicis anguſtiæ. Per hoc enim quod dicitur: Miſcuit; videtur intelligenda multiplicitas pœnæ ſanctis inflictæ. Et loquitur ad ſimilitudinem hominis, qui potat alios multiplici potu amaro. Miſcetum, & duplum, neutraliter, id eſt. Propinate eis per iudicium veſtrum, potum pœnæ maioris quàm vobis intulerint, ſcilicet æternam pro temporali, ſicut duplum excedit ſimplum, licèt non ſit perfectum ſimile, quia longe plus excedit pœna æterna temporalem. Vel, Duplum, id eſt, pœnam duplicem, ſiue pœnam vollis illatam; ſcilicet, in corpore & anima, pro corporum perſecutione. Per hoc autem quod dicitur: Miſcete; poteſt intelligi pœna multiplex, tam animæ quàm corporis, quia vbi hæc mixtio, ibi eſt adunatio multorum. Quaſi dicat: ſicut vos potauit potu afflictionis multiplicis, ita tamen quod pœna eorum grauior: & in corpore & anima torqueantur.* Ita S. Thom.

Exiſtimo autem poculum iſtud ſumi reuera pro vaſe ſeu menſura, & myſticè ſignificare ſapientiam, & prudentiam carnis, animalem, terreſtrem, & diabolicam in qua includitur illud vinum inebrians delectationis peccatorum, cum mentes impiorum ſibi complacent in ſuis adinuentionibus peſſimis, & lætantur quia modos & media inuenerunt, quibus potuerunt ſuas explere cupiditates. Si de inimicis ſuis vindictam ſumpſerint, audies illos dicentes: Nõne ſciebam quod citò vindictam eram ſumpturus & abſque mora iniuriam mihi illatam in eum qui intulit retorſurum. Quod ſi pudicitiæ mulieris cuiuſuis laqueos tetenderint, itaut voto potiantur, exultant in re peſſima, & dicunt: Sciebam quod nunquam illuderet mihi, ita agendo vt immunis à me tranſiret, capta eſt & illaqueata, itaut ea potitus ſim. Et ſic de ſimilibus. In hac ſapientia & prudentia carnis continentur, tanquam in vaſe, omnes rationes, quibus mali conantur bonos auertere à recta veri & æquis ſemita, omnes etiam rationes, quibus illos vexare & affligere ſtatuunt; Et in his peſſimis adinuentionibus magnopere oblectantur. Eſt igitur poculum mixto plenum. Eadem enim ratione; qua oblectantur mali, eadem torquentur boni, amiſſione bonorum, tormentis corporum, ignominiis & opprobriis quibus potantur ab impiis, gaudentibus de illorum torſione & vexatione.

At quomodo in illo poculo miſcent impiis duplum? Certè hoc erit, ſi iiſdem vexationibus (quibus conantur impij iuſtos à bono auertere) iuſti vtantur, vt virtus & pietas in ipſis firmiores agant radices. (Quod ex hiſtoriis martyrum elucidatur, quorum conſtantia in tormentis in rabiem & furo-

Digitized by Google

rem tyrannos frequenter agebat) ſi per eaſdem rationes, quas adinuenerunt mali, ipſi à ſua ſpe excidant, & confundantur ab expectatione ſua, dum prudentia humana ad bonum finem, boni tempori & occaſioni cedant; v. g. volunt impij à ſe expellere bonos; hoc etiam prudenter volunt boni, in pœnis impiis imminentibus inuoluãtur: quo fit vt recedentibus ipſis citius mali à Deo puniantur; hoc modo erit in eodem poculo, quo miſcuit, miſcere duplum. Hàc enim loquendi formula videtur Deus prædicere fidelibus, in hac ſchiſmaticorum perſecutione non eſſe cum eis diſputandum ſub ſpe correctionis aut emendationis: malitia ſiquidem illorum ad hoc peruenit, vt meritò debeat omnia ſalutis auxilia ab eis ſubtrahere, & quidquid ad ſalutem emolumenti habere poterant ex bonorum conuerſatione cum eis, eiſdem auferre, itaut ſtatim atque ab eis ſeparati fuerint, iram ſuam ſuper eos effundere valeat, & tempore elapſo, à Deo conſtituto vt opus prouidentiæ ſuæ abſoluat, pœnas debitas ab illis exigere. *Qui nocet* igitur, *noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*. Ac ſi dicat Deus: Si vos à ſe expellendo exiſtimant fidem veſtram vos eſſe deſerturos, amore patriæ veſtræ ineſcatos, fugite ab ea. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc, omnia propter me relinquentes, certi quod maius hi ex veſtro diſceſſu accipient detrimentum, quàm vos eſtis accepturi, Et hoc modo, eodem poculo, quo vos afflictione potare cupiebant, eodem pœnis replebuntur, dum quæ adinueniunt ad veſtram vexationem, illis vertentur in pœnam. Si igitur vos perſequentur in hac ciuitate, fugite in aliam. Vos enim incolumes ſeruare cupio, vt adhuc viuentes poſſitis animaduertere, quomodo ſuperbos iſtos, & de ſe præſumentes dejicere, & deprimere decreueram. Volo quippe, vt qui illius ciuitatis arrogantiam perſpexerint ad ſummum gradum perueniſſe, perſpiciant etiam eius ad ima depreſſionem. *Ecce enim venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua*. Quod namque ſuperſtites maneatis, dum de illa ſumam ſupplicium, hoc plurimum facit ad maiorem illius humiliationem. Non mediocriter enim quis humiliatur) ſi quos habuit contemptui, teſtes eſſe valeant ſuæ humiliationis. *Quantum* igitur *glorificauit ſe & in delitiis fuit tantum illi date tormentum & luctum. Quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo; ideo in vna die venient plagæ eius, &c.*

Rectè proculdubio de Deo dicit apud Iob. c. 5. Ille Eliphaz. *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cæperant. Qui aprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat. Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. Porro ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. Et erit Egeno ſpes iniquitas autem contrahet os ſuum.* Nec non S. Paulus 1. ad Cor. 3. Optimè dixit quod *ſapientia huius mũdi. Stultitia eſt apud Deum. Scriptũ eſt enim: Comprehendã ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum: Deus nouit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt.* Nemo itaque glorietur in hominibus. Ita certè erit in his vltimis temporibus Deus diſſipabit cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cæperant. Exiſtimabant ſiquidem fieri poſſe vt regnum terrenum & temporale diſſiparet regnum Chriſti ſpiritale & æternum, dum ſummum Pontificem exulare cogerant: at opus ſuum non perficient. Citò eorum à fide & obedientia Eccleſiæ Apoſtaſia & rebellio plectetur, & Regnum Chriſti exaltabitur, non modo ſubuerſa hac ciuitate rebelli ſed etiam interfecto Anti-Chriſto. Et tunc manifeſtabitur Chriſti gloria. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Rom. 14. Verè tunc Deus comprehendet ſapientes in aſtutia eorum. Sicut enim Pontifices & Phariſæi mortem Chriſto inferre decreuerunt, tum ne in eum homines crederent, tum ne occaſionem darent Romanis eos inuadendi. *Si dimittimus*, inquit, *eum ſic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Et tamen quod timebant euenit illis. Morte enim ſua Chriſtus omnes ad ſe attraxit, non modo Iudæos, ſed & gentiles, qui præordinati erant ad vitam; & Deus ex morte Chriſto illata, occaſionem ſumpſit euertendi Hieroſolymam ciuitatem, equidem non immediatè poſt Chriſti mortem, vt daret locum pœnitendi; ſed generatione adhuc eorum qui huius necis Chriſti poterant eſſe teſtes, vel ſaltem apud quos certa erat de huiuſmodi re cognitio & ſcientia: vt maior eſſet dolor Iudæis, qui Chriſtianos tam atrociter perſecuti fuerant in initio naſcentis Eccleſiæ, cum viderent illos incolumes ſeruatos fuiſſe, cum receſſiſſent ab vrbe Hieruſalem, monitis Chriſti fidem adhibentes: gentem verò ſuam tot mala pertuliſſe, & ciuitatem ſuam ſuccenſam, & vehementer deſolatam. Tunc omnis iniquitas oppilauit os ſuum, quia videbant adimpleri quod recenter ad fidem conuerſi palam annuntiabant citò futurum, nempe loci huius ac templi deſolationem, & fidei Chriſtianæ dilatationem. Pari ratione in fine ſeculorum comprehendentur ſapientes ſeculi in aſtutia ſua, quia dum fideles & Catholicos perſequuntur, quod ſibi exiſtimabant plurimam gloriam allaturum vertetur eis in certiſſimum exterminium ſeu excidium.

Quantum glorificauit ſe, & in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum. Quia in corde ſuo dicit: Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo; ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames; & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.

Cauſa præcipua Anathematis ciuitatis Babylonis nouæ, erit affectatio independentiæ ab autoritate Eccleſiæ, & in ſua defectione propter talem affectationem complacentia.

SECTIO IV.

OTIOSORVM, & voluptatibus deditorum conſuetudinem taxari hic putat Andreas Cæſ. *Mos eſt*, inquit, *iis qui voluptate & gaudio vitam tranſigunt, (niſi forſan diuinus timor ipſos coërceat atque contineat) dicere: Non mouebor in æternum. Id quod hæc ipſa quoque mulier adultera ſibi pollicetur, ſed vanè.* Ita Andr.

Argui verò ſuperbiam illius in peccatis exiſtimat Rupertus. *Itaque*, inquit, *propter ſuperbiam, quia non quomodocumque peccat hæc meretrix, ſed ſuperbiendo peccat. & peccando ſuperbit & exultat, quòd non ita vt ciuitas Dei (quæ in hoc mundo peregrinatur) vidua ſit, cum ſit meretrix, & multi Reges cum ea fornicentur: tanquam hoc ſit matrimonium legitimum beatæ Reginæ potentis & dominantis.* Ita Rupert.

Illam ſuperbiam oriri putat Ambroſius ex abundantia bonorum temporalium. *Quantùm*, inquit Ambroſ. *glorificauit ſe, id eſt, in ſuperbiam erexit, & in omnibus vitiis ſe implicauit; tanta, & ampliora tormenta excipiet. Quia in corde ſuo dicit; Sedeo Regina, &c. Reginam ſe Babylon vocat, cum ſe in proſperis huius mundi extollit. Viduam non ſe eſſe dicit, quia à bonis tem-*

Digitized by Google

poralibus, quibus coniuncta eſt, & ex quibus luxuriam ſuam enutrit, non ſe poſſe diſiungi confidit. Luctum non ſe eſſe viſuram dicit: quia impij, quamuis ſciant ſe pro ſceleribus ſuis eſſe puniendos, fingunt ſe non videre quod vident, memoriamque mortis à mente reijciunt, ne triſtis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. Ita Ambr.

Ad ſuperbiam verò ex dignitate & poteſtate ortam hæc refert S. Thomas in expoſitione. *Quia*, inquit, *in corde ſuo dicit. Ibi enim mala ebulliunt, ideo dicit Dominus, Matt. 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Sedeo, id eſt, ſtabilis permaneo, nunquam mouendo. Permaneo, inquam, vt Regina. Quaſi dicat: in dignitate & poteſtate honoris, à qua nunquam mouebor. Hoc habet locum in peruerſis exiſtentibus in honore, maximè in infidelibus, cum tamen dicatur, Eccleſiaſtici 10. Omnis potentatus breuis vita. Et vidua non ſum, id eſt, deſtituta à ſolutio temporalium, & intelligitur quod temporalia non putat tranſire.* Ita S. Thom.

Alcazar hanc ſuperbiam ponit in confidentia Romæ Ethnicæ, quod non ſperaret ſe Imperatore Ethnico ſpoliari; & alludi ad locum Iſ. de Babylone, c. 47. *Quia dicis in corde tuo: Ego ſum, &c. non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. Quibus verbis*, inquit Alcazar, *ſignificatur Roma Ethnicæ vanitas, ſuperbia & confidentia, quæ ſibi viduitatem nequaquam accidere poſſe putabat, id eſt, ſe Imperatore Ethnico ſpoliari, qui illius Reipublicæ veluti vir erat, & coniux. Putabat enim ſe nunquam ſterilem fore, & filiis orbam, id eſt, abſque numeroſa Ethnicorum ciuium multitudine, qui ipſius idololatriam promouerent.* Ita Alcazar in comment.

Nos verò conſequenter ad ea, quæ diximus, non de antiqua Roma Ethnica hîc agi putamus, ſed de Roma ſub vltimis temporibus ſchiſmatica futura, & ideo horum verborum genuinum ſenſum hunc eſſe exiſtimamus:

Quantùm glorificauit ſe, ſcilicet dum dixit in corde, quodam affectu complacentiæ, propter ſuam independentiam ab Eccleſiaſtica autoritate, excuſſo obedientiæ iugo: *Sedeo Regina, & vidua non ſum.* Ac ſi diceret: Neminem habeo, cui obedire cogar, ad cuius nutum, & voluntatem meas debeam regulare actiones. Firmiter ſedeo, vt aliis imperem, & dominationem meam in alios longè lateque diffundam. Faceſſat illa ſpiritualis autoritas Pontificum, quæ ambitionis meę impetus retardabat ac retundebat, quæ concupiſcentiis meis fræna immittebat, (ne diffluerent in concupitas delectationes) ſeueritate legum ſuarum. *Vidua non ſum.* Conſtitui enim mihi in caput & Imperatorem, quem votis meis obſecundantem exiſtimaui; qui nullam honoris Chriſto exhibendi à fidelibus in perſona Vicarij ſui, & aliorum Paſtorum Eccleſiæ, habebit rationem: omnes Eccleſiæ Paſtores, & præcipuè ſummum Pontificem in maximum habebit contemptum, & illorum poteſtatem ſpiritualem paruipendet, omnemque temporalem illorum ornatum & poteſtatem auferet, bona Eccleſiæ temporalia inuadendo. Videbar vidua, cum Imperator vel apud Germanos, vel apud Francos, vel apud Hiſpanos Imperij ſui ſedem fixerat. At nunc vidua non ſum: nam qui ſchiſma mecum fouet & tuetur, mecum eſt, quaſi legitimus Imperij Romani ſponſus. Eſto nec ſucceſſione, nec electione, nec Pontificis autoritate ad hunc apicem peruenerit: tamen quia ſchiſmatis fautor eſt à nobis aduocatus, illum vt proprium ſuſcipio ſponſum, cuius poteſtate ſubnixa non timeo Eccleſiæ fulmina, quæ mihi ſunt ac ſi eſſent puerilia terriculamenta. Poſſum igitur abſque vllo timore genio meo libertiùs indulgere.

Igitur quia talia fatur, & tam ſuperbè gloriatur de ſuo ſcelere, de ſua diſceſſione ab Eccleſiæ autoritate, tantùm illi date tormentum & luctum. Quò plus ſe extulit, eo demiſſus cadat, nec à caſu queat excitari. Quò maiorem ſibi putat concupiſcentiis indulgendi dari facultatem, eò plura experiatur mala. Et ideo, quia in animum ſuum induxit vt independentem à Chriſti Domini mandatis vitam tranſigeret, & audacter nimis conſtituere voluit quamdam autoritatem, quæ Chriſti Domini poteſtatem in Paſtoribus, ſub pedibus conculcaret, ſpe ſua fruſtretur, in vna die diſpereat quod per plures annos ſtabilire voluit, morte plures è viuis auferantur: ſi qui remanſerint, ob bonorum dilapidationem, proximorum necem mortis incurrendæ imminente periculo, in luctu & fletu miſerè dies tranſigant, fame & inedia oppreſſi languidè iaceant: itaut mori cum aliis ſatiùs illis fuiſſet. Et tandem hæc ciuitas, quæ æternam, inuincibilem, & tanquam ſaxam immobile, firmam contra quoſlibet inſultus ſeſe exiſtimabat, in cinerem redigatur igne concremata. *Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus, & fames: & igni comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.*

Nec extra fidem eſt iſta Romanorum ciuium nimia gloriatio, quam ſupra deſcripſimus, ſi attendas quomodo olim Alexander Seuerus à victoria Perſarum rediens, & de illis triumphum agens, ab omni populo cum ingenti clamore exceptus fuit: omnes vtique clamarunt: *Nihil nunc Romæ timendum, cum apud ſe nunc habeat ſuum Alexandrum.* Ita Annæus Florus.

Dico igitur præcipuam cauſam euerſionis illius ciuitatis. Fore iſtam affectatam independentiam. Deus ſiquidem facillimè condonat delicta, quæ per fragilitatem carnis, vehementes dæmonum tentationes, perpetrantur, dum quis in fide & obedientia Eccleſiæ perſeuerat: Contritione, Sacramento pœnitentiæ, indulgentiarum acquiſitione, & veniam obtinere, & expiare poteſt ſua delicta. Ac ſi Eccleſia deſeritur, apud quam ſolem eſt remiſſio peccatorum (illi enim ſoli dictum eſt: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*) Non poteſt quis remiſſionem ſperare delictorum extra Eccleſiam poſitus. Non enim in vanum claues illi conceſſæ ſunt. Hac de cauſa, ſi hæc autoritas Eccleſiæ contemnitur, & illius iudicia conculcantur, qui non timent ſeparationem à corpore Chriſti per excommunicationis ſententiam, nec abſolutionem peccatorum ab Eccleſia requirunt, veluti qui media à Deo præſcripta paruipendunt: extra communionem corporis Chriſti myſtici exiſtentes, maledicti, nullam poterunt conſequi aut ſperare ſalutem.

Huc vſque igitur ſententiam condemnationis explicuimus, & cauſam illius vidimus. Nunc enucleandum eſt quoſnam effectus producat in mentibus, tam malorum, quàm bonorum?

TERTIA

Digitized by Google

TERTIA PARS HVIVS CAPITIS.

Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ (qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt cum viderint fumum incendij huius, longè ſtantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vnâ horâ venit iudicium tuum, &c.

Quoſnam effectus fama & rumor, ſeu etiam memoria deſtructionis myſticæ Babylonis poſſunt producere, in mentibus tam malorum, quam bonorum?

ANNOTAT. V.

Et flebunt & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt.

Quæ de cauſa à malis incipiat ſanctus Propheta?

SECTIO I.

A Malis incipit S. Ioannes narrare quoſnam animi motus pariat tantæ ruinæ & deſolationis fama, quia ipſi fuerunt qui huic ruinæ occaſionem dederunt, & pro quorum correctione & emendatione Deus ſuperbam illam ciuitatem humiliabit, vt ſit aliis in exemplum ſeueritatis diuinæ. Nunc videndum quinam ſint futuri, qui ex illa deſtructione, vel timorem concipient, vel ob eam timore percutientur? Proculdubio propriè pertinet aut dolere & triſtari, aut timere, ad eos qui illius delictorum facti ſunt participes; ſiue quia manum & operam dederint, vt rebellaret; ſiue autoritate & poteſtate ſua illam rebellionem fouerunt, vel materiam præſtiterunt, vel conſenſum præbuerunt. Hac de cauſa S. Ioannes tria genera hominum in medium adducit, qui vel dolore tacti ſunt, vel timore perculſi, ex cognitione illius euerſionis. Regum; Negotiatorum; & Nauigantium, Nautarum, & eorum qui in mari operantur: de quibus ſigillatim eſt dicendum. Etenim ſi qui ſint iſti probè nouerimus, verum capitis huius ſenſum facile erit de cætero conjicere. Primi igitur ſunt Reges, de quibus ait Propheta.

Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, &c.

Quiſnam ſint illi Reges, qui flere & plangere debeant?

SECTIO II.

SVNT in numero eorum, qui ciuitatem Babylonicam componunt, ſi Ticonio credimus. *Qui reges*, inquit, *plangent euerſam, ſi eam reges euertent? Sed quod eſt ciuitas? Qui eam plangent.* Ita Ticonius.

Alcazar ſuo myſtico & violento ſenſui mordicùs inhærens, huiuſmodi lamentationes myſticè eſſe intelligendas contendit, nec fieri poſſe vt in iis de propria & materiali Romæ vaſtatione fiat ſermo, Bedam ſequutus, eſſeque per elegantem quamdam fictionem, quæ valde ornet clariſſimum hoc de myſtica Babylonis ruina vaticinium: Et cum apud eum pro comperto habeatur Babylonis ruinam; quæ hîc deſletur, eſſe myſticè vſurpandam, manifeſtum item eſt ænigmaticum pariter eſſe debere ſenſum næniarum, quibus hæc ornatur Prophetia: ſicque quia huiuſmodi næniæ ei ænigmaticæ ſunt Reges, mercatores, & Nautæ ij ſunt, qui propter Romæ conuerſionem magnopere doluerunt. Namque vt cæci illam ipſam conuerſionem ad fidem, & humilitatem Euangelij, pro vrbis iſtius caſu & vaſtitate reputabant; quapropter ſuperbis publica humilitatis profeſſio, auaris contemptus diuitiarum, libidinoſis verò puritas & integritas acerbiſſima erat; & ſuperbos in regibus, auaros in mercatoribus, Luxurioſos in Nautis, vt pote vilibus atque abiectis hominibus, figurari aſſerit. Maneat Alcazari ſuus myſticus ſenſus. Quicquid dicat, Riberæ potiùs atque Viegæ aſſentiendum eſſe exiſtimo, qui de propria & materiali Romæ vaſtatione fieri ſermonem contendunt. Viegæ potiſſimùm adhæreo, qui affirmat non ſolùm hîc agi de materiali vaſtatione, ſed verè Reges lamentatos fore in excidio vrbis Romæ.

Quinam autem ſint hi Reges, Ribera cenſet eoſdemmet eſſe, à quibus Roma eſt comburenda: ſicut olim Titus in Ieroſolymæ ruina lacrymas profudit: nullus enim Rex alius præter decem illos Reges in toto orbe futuros. Sed meliùs Viegas affirmat, alios præterea multos in orbe fore, nec decem illos ploraturos qui Romam vaſtaturi ſunt: ſed alios, qui ſimilem ſibi timeant deſtructionem, ac demum illos ipſos, qui lacrymis & lamentis indulgebant, prædam ac pabulum hiſce decem Regibus futuros, itaut nulli alij præter decem ipſos Reges in toto orbe ſint ſuperſtites. Ita Viegas apud Alcaz. Quidquid ſit de illa omnium Regem deuoratione à decem Regibus Romam vaſtaturis, certum eſſe exiſtimo Reges, qui hic dicuntur flere & plangere, alios eſſe debere ab his decem regibus, qui Romam ſunt vaſtaturi.

Si autem quæratur, inquit S. Thomas: *quare potiùs agat de dolore ſiue planctu iſtorum, quàm aliorum generum hominum; Dicendum quod per hoc genus humanum intelligitur, quantum ad illos qui plus habere vel poſſidere videntur: quia per negociatores terræ intelliguntur illi qui negotiantur in terra: Per gubernatores & nautas, illi qui negocianiur in aqua; per Reges, illi qui præſunt vtriſque: Vel per Reges, illi qui præſunt in regimine temporali: per gubernatores, qui in Regimine ſpirituali: per negociatores, illi qui ſubditi ſunt vtriſque.* Ita S. Thom.

Dico igitur primò, ex Viega, Reges illos, qui videntes fumum incendij Babylonis longè ſtabunt, præ timore: diuerſos planè eſſe ab iis decem Regibus, qui eam vrbem euertent: eſſeque plurimos per orbem Principes ac Dynaſtas, qui videntes Romanam vrbem, totius orbis Reginam ac Principem, ab illis decem Regibus euerſam, ipſi quoque ſimilem cladem, & vaſtitatem regnorum ſuorum formidabunt, timebuntque ne illi decem reges in ipſos anima conuertant. Ita Viegas. Nec enim credibile eſt tantam humanitatem reperiri in ſatellitibus Anti-Chriſti, vt aliquo motu compaſſionis moueantur in quibus proculdubio maxima inerit ſæuitia. Alij victores vrbium excidia defleuerint: non erat apud eos deletus omnino humanitatis ſenſus. At de iſtis impiis, qui de numero eorum erunt, de quibus prædixit Apoſtolus: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi elati, ſuperbi, ſine affectione, ſine pace*; hoc non videtur præſumendum. Nec etiam exiſtimandum illos ex vltione iſtius infelicis ciuitatis aliquo Dei timore poſſe percelli, à quorum mente auferentur iudicia Dei, iuxta illud Pſalm. *Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.*

Dico ſecundò, præterea quæ iam attulimus in c. 17. Reges qui Romam vaſtaturi ſunt, fore Reges orientis, qui regnaturi ſunt ſupra illas decem natio-

Digitized by Google

nes, de quibus ſit ſermo, Pſalm. 82. Quem Pſalmum ſanctus Auguſtinus, intelligit de Anti-Chriſti perſecutione. Decem enim illæ nationes, quæ exprimuntur in hoc Pſalmo, verſ. 6. 7. & 8. his verbis: *Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur venit cum illis facti ſunt in adiutorium filiis Loth;* Significant, inquit Bellarminus, *gentes quæ pugnauerunt cum Machabæis, vel potiùs multitudinem Orientalium Barbarorum, qui cum Anti-Chriſto grauiſſimam perſecutionem mouebunt aduerſus Eccleſiam.* Ita Bellarm. Poſt Auguſtinum. Qui illum verſum exponens: *Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, &c.* ait: *Nouiſſimos dies ſignificare mihi videtur, quando hæc, quæ non mota comprimuntur, in liberam vocem erumptura ſunt, ſed planè irrationabilem, vt ſonitus magis quàm locutio vel ſermo dicendus ſit: Non itaque tunc odiſſe incipient, ſed qui oderunt te, tunc leuabunt caput; nec capita, ſed caput, quando eo peruenturi ſunt, vt etiam illud caput habeant, quod extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, & quod colitur: vt in illo maximè impleatur: Qui ſe exaltat humiliabitur. Et cum eum ille, cui dicitur: Ne taceas, neque miteſcas Deus; interficiet ſpiritu oris ſui, & euacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ.*

Dico tertiò: Si expoſitionem nominum iſtarum nationum expendamus reperiemus in illorum ſignificatione viuis depingi coloribus eos omnes, qui Anti-Chriſti erunt ſallites, & tyrannidis illius miniſtri & fautores. Quorum nominum ſignificationem mutuorum à S. Hieronymo, tum à S. Auguſtino. Idumæa igitur ſignificat: Sanguinea, aut terrena. Rectè igitur per Idumæos Auguſtinus exponit ſanguineos & terrenos. At qui tyrannidem Anti-Chriſti fouebunt, nonne erunt ſanguinei & terreni, id eſt, voluptatum carnis & terrenarum opum amatores? Iſmaëlitæ, ex Hieronymi interpretatione, idem eſt ac obedientes ſibi, *Hoc eſt*, inquit S. Hieron. *quodcumque cor habuerit, & mala cogitatio, ſtatim faciunt. Propterea dicitur in Ezechiel. 13. Fili hominis, loquere aduerſus Prophetas, qui ſequuntur cor ſuum, & quodcumque impellit cogitatio, faciunt. Nos autem non debemus ſequi cogitationem noſtram, nec dici Iſmaelitæ, hoc eſt, obedientes ſibi, ſed Iſraël, hoc eſt, obedientes Deo.* Ita S. Hieron. At dubitare non licet eos qui Anti-Chriſti erunt fautores, tales futuros, vt ſequantur cor ſuum & cogitationem ſuam, nec Deo fore obedientes, ſed ſibi: contra quos erat illud Dei præceptum, Numer. 15. *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos vt faciat ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vitas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo.* Tales non erunt Anti-Chriſti ſectatores ibunt in adinuentionibus ſuis, & ſequentur cogitationes cordis ſui peſſimi, vt omnem adinuentam cogitatione nequitiam, nullâ prætermiſſâ, adimpleant. *Gradientur in via non bona poſt cogitationes ſuas*, vt dicitur Iſ. 65.

Poſtea veniunt Moabitæ. *Moab*, inquit S. Hieronymus, *ex Patre, hoc eſt, recedentes à Deo patre.* Et S. Auguſtinus: *Ex patre*, inquit, *qui in malo non intelligitur meliùs, niſi cum ipſa hiſtoria cogitatur, quòd pater Loth filiabus ſuis illicitè permixtus eum genuit: quia ex ipſa re tale nomen accepit. Bonus autem pater lex ſed, ſicut Apoſtolus ait, ſi quis ea legitime vtatur, non inceſtè & illicitè.* Ita Aug.

Certè in Iſmaëlitæ contemplari licuit eos qui propriæ voluntati obſequuntur, in Moabitis contemplari licet eos qui proprio iudicio nimium ad-

A hærent. Loth igitur ſit intellectus: eius filia, libertas, qua quis ſibi finem præſcribere valet: libertas enim eſt in intellectu radicaliter, tanquam in fonte: illius eſt enim, voluntati proponere obiecta eligenda. Hæc filia intellectus voluptatem ſibi pro fine conſtituens, illam tanquam vinum ſuaue proponit menti proſequendam adhæret intellectus huic electioni, & ad hunc finem adipiſcendum media adinuenire ſatagit, & paſſione & affectu obſcuratus à vero declinat, & errorem amplectitur. Certè ex filia, nempe ex voluntatis libertate, generat proprium iudicium: proprium ſiquidem iudicium nihil eſt aliud quàm falſum & erroneum de re aliqua iudicium, rationi vniuerſali repugnans, & à vero de-
B ficiens & declinans, vt inferiori adhæreat, quæ ea tantùm proponit proſequenda, quæ cuidam ex ſenſibus externis ſigillatim conueniunt, & ad vnum quid ſingulare determinatur. Vnde tunc intellectus verè Loth nuncupatur, quod quidem nomen idem eſt ac *Declinans.* A conſideratione ſiquidem veritatis (quæ abſtrahit à ſingularibus) deficiens, adhæret ſingulari determinationi ſenſuum, quorum oblectamenta iudicat eſſe proſequenda, in præiudicium virtutis ac pietatis, contra vniuerſale rectæ rationis iudicium. Vnde proprium iudicium nuncupatur. Aliter enim de obiectis propoſitis iudicat à cæteris intellectibus qui paſſionibus aut inordinatis affectibus minimè præocupantur & ſeducuntur. Hoc vi-
C tio laborare debent omnes Anti-Chriſti ſectatores qui non modo carnales, & affectibus terrenis addicti erunt: non modò ibunt poſt cogitationes cordis ſui, de quibus dicitur Ierem. 16. *Ecce enim ambulat vnuſquiſque poſt prauitatem cordis ſui mali, vt me non audiat*; propriam videlicet facientes voluntatem; ſed inſupe erunt homines proterui, capitones, omnia ad proprij iudicij trutinam ponderantes, vt omnem abjiciant dictis alienis, fidem, nec Deo ipſi, per Eccleſiam nobis quæ credenda ſunt proponenti, fidem adhibeant.

Quinto locò ſeſe offerunt Agareni. *Proſelyti*, inquit S. Hieronymus, *qui cum deberent eſſe habitatores Dei, proſelyti facti ſunt.* Et S. Auguſtinus. *Proſelyti,*
D *aduenæ quo nomine ſignificantur inter inimicos populi Dei, non illi qui ciues fiunt, ſed qui in animo alieno atque aduentitio perſeuerant. & nocendi occaſione inuenta ſe oſtendunt.* Ita Auguſt. Agareni igitur deſignant eos, qui ſemper peregrinantur, ſemper alieni ſunt à Deo, quia quamcumque nanciſcantur peccandi occaſionem, eam libenter amplectuntur, & ſic peccatis ad cumulum vſque replentur, & infinitis actionibus nefariis & abominandis contaminantur, vt ſemper à Deo exiſtant ſeparati, iuxta illud: *Peccata veſtra diuiſerunt inter me & vos.* Ad quid aliud expectandum eſt ab hominibus carnalibus & terrenis: Nō permanet Dei ſpiritus in his, quia caro ſunt. Quod ſi Deus bonas actiones eorum, qui propriæ voluntati addi-
E cti ſunt, etiam deſpicit: *Quare*, inquiunt Iſai. 58. *ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce*, inquit, *in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Quomodo eos à ſe non abjiceret, qui nullis bonis actionibus eum placare ſtudent, ſed potius peccata peccatis addendo illum ad iram prouocare non ceſſant, veritatis hoſtes, virtutis ac pietatis perpetui irriſores ac euerſores? Tales proculdubio erunt Anti-Chriſti ſatellites, veri Agareni à Deo & ab Eccleſia alieni.

Quinto loco ponuntur habitatores Gebal. Gebal autem à S. Hieronymo interpretatur vallis vana. *Iſti*, inquit, *qui contra Dei populum ſunt, non ſunt de monte, ſed de valle vana. Gebal*, inquit Auguſtinus, *vallis vana, fallaciter humilis.* Verè peccator fallaciter eſt humilis, & abiectus: nihil enim adeò deprimit homines ac

Digitized by Google

peccandi libido : lumine rationis orbatur, rectitudine debita ſpoliatur. Audi pſalmiſtam hanc abiectionem depingentem. *Homo*, inquit, *cum in honore eſſet non intellexit : comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Audi rurſus illum pro hac miſeria ingemiſcentem. *Miſer*, inquit, *factus ſum*, Pſ. 37. *Et curuatus ſum vſque in finem. Tota die contriſtatus ingrediebar : quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis.* Ad modum igitur brutorum animalium obſequi concupiſcentiis, vt faciunt qui intentionem ſuam offuſcarunt amore terrenorum, inquinata voluntate ob delectationem & complacentiam in peccatis, deperdito rationis vſu, mente à vero aberrante, dum bonum malum eſſe putat, & malum bonum eſſe affirmat; tandem abſque vllo timore, homine ad quamlibet occaſionem liberè in peccata prorumpente, quis non videt tales eſſe habitatores, non montis ſed vallis vanæ? *Vani enim ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Vana & fallax humilitas. Vera quippe humilitas exaltat vſque ad cœli gloriam ſeipſos humiliantes : hæc deprimit vſque ad ima tartari, eos qui cum Appetitum ſub ſe habere debuiſſent, appetitui rationis ſuæ vſum ignauiter ſubmiſerunt. De his dicitur, Pſal. 13. *Omnes declinauerunt : ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnam.*

Sexto loco ponuntur Ammonitæ. *Ammon, ſignificat*, inquit S. Hieron. *populum turbidum, hoc eſt, qui confidunt in multitudine, & non in ſimplicitate.* Et S. Auguſtinus. *Ammon*, inquit, *populus turbidus vel populus mœroris.* Ita Auguſt. In his ego intelligo iracundia turbidos, itaut ſicut in Gebal, eos qui ſub concupiſcentiis ſubmittuntur, intelleximus; nunc in Ammon iracundos intelligamus. Hi enim ob nimietatem iracundiæ cuncta perturbant contentionibus, clamoribus perſtrepentibus, contumeliis, homicidiis frequentibus. Hæc immoderata iracundia non deerit Anti-Chriſti ſatellitibus. Vnde erepta tandem Eccleſia de eorum manibus, Deo gratias agens Pſ. 17. ait : *Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populum ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, &c.*

Septimo loco veniunt Amalechitæ. *Amalech*, inquit S. Hieron. *ſignificat, lingentem terram. Quicumque enim pugnant aduerſus populum Dei, non comedunt cæleſtem panem : lingunt terram, ſicut ſerpens.* S. Auguſtinus ad hunc ſenſum citat locum Pſal. 71. *Et inimici eius terram lingent.* Iam ſanctiſſimus Propheta de Idumæis fecerat mentionem ſanguineis & terrenis. Hi vero Amalechitæ terram lingunt. Omnia certè optimo ordine digerens : nam in Idumæis vidimus eos deſignari, quorum intentio tota eſt in rerum carnalium ac terrenarum proſecutione. In Amalech deſignantur illi qui terram lingunt, ad hanc deducti miſeriam, vt quamuis auidè appetant frui carnalibus & terrenis, tamen nunquam illis conceditur eiſdem ſatiari : illa tantùm lambere permittuntur; itaut quamuis plurimùm inſudauerint, & ingentem dederint operam, vt aliqua ſolida voluptate frui poſſent, ſuperficie tenùs illam tantùm deguſtabunt. In corde ſiquidem, mœrore, dolore, anguſtia, & amaritudinibus replebuntur. Et tamen ab appetitione voluptatum & terrenorum auelli nequibunt. Tales erunt Anti-Chriſti ſectatores proculdubio, qui futurorum bonorum non modò immemores, ſed contemptores nihil aliud appetent quàm frui præſentibus, & dum in exterioribus quærunt oblectamenta, interioribus animi anguſtiis cruciabuntur vehementiùs.

Octauo loco veniunt alienigenæ, Hebraicè Philiſtin, id eſt, S. Hieron. interprete, *Cadentes potione,*

A *hoc eſt, qui inebriati ſunt de Calice diaboli, & inebriati ceciderunt.* Et S. Auguſt. *Velut*, inquit, *quos fecit ebrios luxuria ſecularis.* Ita Auguſt. Qui ebrius eſt, rationis vſum amiſit; iſti inimicos Dei ſeſe conſtituentes, vt Satanæ & Anti-Chriſto ſocientur. Verum proculdubio amiſerunt rationis vſum : & dum eadem potione potantur, quam pleno hauſtu ebibit dæmon, delectatione nempe in peccatis, ſicut iam à Deo alieni fiunt ratione peccatorum, ita ab eo elongantur ratione anguſtiarum, quas perpeti coguntur dum à fronte & origine totius conſolationis, Deo nempe, abſtrahuntur, *Gaudium quippe hypocritæ ad inſtar puncti.* Quàm infelix peccantium conditio! Superficie tenùs de creaturis capiunt oblectamenta,

B nec hac vmbratili voluptate eis diu frui permittitur: citò cadunt inebriati de Calice diaboli : hæc enim duo inſeparabiliter coniunguntur cum mundi delectationibus. Primum, quòd illæ voluptates nihil ſolidi contineant, & ſicut ea quæ lingua tantùm lingimus intima pectoris non penetrant, ita hæ voluptates animi penetralia non attingunt. Secundum eſt, quòd citò tranſeunt, velut vmbra, aut inſomnium, cuius nec meminis homo experge factus. Nec in hoc tantùm infelices ſunt, quod vmbratili & tranſitoria voluptate fruuntur vino fornicationis mulieris poculum aureum propinantis inebriati, dum lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Sed in hoc ſunt infeliciores, quod

C non modò cadunt ſeu excidunt à ſuis voluptatibus, ſed cadentes excipiuntur à tot angoribus, mœroribus & malis, vt optabilius illis eſſet non malos fuiſſe. Vnde appoſitè ad hæc quæ diximus, Pagninus vertit, Ruinam potantes. Et optimè poſt Philiſtæos ponuntur Tyrij, vt mox videbitur.

Alienigenas ſeu Philiſtæos ſequuntur Nono loco Tyrij. *Alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Tyrus*, inquit S. Hieron. *lingua Hebraica dicitur Tzor, quod interpretatur tribulatio & anguſtia. Qui debuerant eſſe peregrini in illo ſeculo, facti ſunt habitatores. Iſti ſunt, qui expugnant populum Dei, habitant in Tzor, hoc eſt, in anguſtia & tribulatione animæ ſuæ.* Ita Hieron. Eamdem habet interpretationem Auguſtinus. Rectè

D enim Apoſtolus dixit : *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.*

Decimo loco tandem ſunt Aſſyrij. Aſſur S. Hieronymo eſt Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, in quo diabolus deſignatur. Et S. Auguſtinus ait: *Aſſur pro ipſo diabolo figuratè intelligi ſolet, qui operatur in filiis diffidentiæ, tanquam in vaſis ſuis, vt oppugnent populum Dei.* Ita Aug. Factus eſt diabolus certè in adiutorium filiis Loth : per quos S. Hieron. & S. Auguſt. ſignificari volunt Angelos Apoſtatas, & deſertores. A veritate quippe declinando in ſatellitium diaboli diſceſſerunt. Hæc illa eſt vltima eorum Regum aut populorum, qui pro tyrannide Anti-Chriſti promouenda militabunt, miſera conditio, nempe vt ſcint

E organa & inſtrumenta Luciferi, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, vt dæmoniorum fiant ſocij, quorum miniſterio vtitur, tum ad ſubuerſionem hominum, tum ad bonorum vexationem.

Ex his vides quomodo in his nationibus poſſumus contemplari conditiones, ſeu qualitates vitioſas illorum, qui Anti-Chriſto fauebunt : vt primò tales ſint, vt tota illorum intentio conquieſcat in rerum carnalium & terrenarum appetitione. Secundò, vt ſuas voluntates ad libitum conſectentur. Tertiò, vt proprio iudicio pertinaciter adhæreant. Quartò, vt præcipites ferantur in quamlibet peccandi occaſionem. Quintò, vt captiui ſint concupiſcentiarum. Sextò, vt immoderato furore, & immani iracundia in odia prorumpant. Septimò, vt voluptates conſectentur, nunquam tamen vlla

Digitized by Google

ſolida frui liceat. Octauò, vt ab inanium voluptatum fruitione citò auellantur, nec illis diù frui liceat: momentaneum eſt enim quod delectat, æternum quod cruciat. Nonò, vt anguſtiis & calamitatibus plurimis cito obruantur. Decimo, vt ſint captiui dæmoniorum, ad omne bonum opus reprobi, & ſocij eorum in quorumlibet ſcelerum perpetratione.

Nec putes me tibi illudere, optime Lector, dum in nominum interpretatione ludere videor. Poſt tantos autores quales ſunt S. Hieron & S. Auguſtinus errare non poſſum, dum in his nominibus, miniſtrorum Anti-Chriſti conditiones exquiro. Ad hoc propoſitum audi S. Hieronymum dicentem. *Videtis*, inquit, *quia difficillima loca ſunt. Videtis quia obſcura ſunt, & in ſingulis ſermonibus magis ſunt Sacramenta, & neceſſitate compellimur in verbis Hebraicis & plenis myſteriis diutiùs immorari. Neque enim nunc Rhetoricam euentilamus: ſed id quod à Spiritu ſancto dictum eſt interpretari nitimur. Niſi enim ſic interpretemur, vt diximus, quid prodeſt Eccleſiis Chriſti legere, Tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, & cætera nomina? Quoniam ergo venerunt contra populum tuum, videamus ergo quid eis imprecetur Pſalmiſta? Fac illis ſicut Madiam & Siſare, &c.* Ita S. Hieron. Hæc igitur eſt prima ratio, propter quam dico has nationes in hoc Pſalmo expreſſas deſignare Anti-Chriſti ſatellites: ſeu illos decem reges, qui poteſtatem vnà horâ accipient, vt in illius fauorem Romanam euertant & comburent ciuitatem.

Dico quartò probabile eſſe tempore Anti-Chriſti in his regionibus quoſdam reges futuros ſceptra tenentes, itaut vnus ſit Rex Idumæorum, alius Rex Iſmaëlitarum, & ſic de cæteris, Rex videlicet Moabitarum, Rex Agarenorum, Rex Gebal, Rex Ammonitarum, Rex Philiſtinorum, Rex Tyri, Rex Aſſur ſeu Aſſyriorum, qui de diſciſſis Turcarum & Perſarum Regnis ad breue tempus diademata ſibi imponant, & populis habitantibus Idumæam, Arabiam, Phæniciam, Syriam, Paleſtinam, Schytiam ſiue Tartariam dominentur. Nec obſtat quod in pluribus illis locis, & pluribus huiuſmodi nationibus, iam olim fuerint Reges ſceptra tenentes; de decem autem regibus iſtis qui Romam ſunt deuaſtaturi, dicatur quod Regnum nondum acceperunt. Sufficit enim vt qui tunc ex diſciſſione Monarchiarum, quæ nunc exiſtunt, diademata ſibi impoſituri ſunt, antea hac dignitate non fulgerent; quam breui temporis interuallo poſſidere debent, vt verè dici queat quod Regnum nondum acceperunt. Nec hoc videtur incredibile. Quis enim affirmare vellet Monarchiam Turcarum communem omnium Regnorum ſortem non fore ſubituram, itaut nunquam nullam patiatur iſtud regnum diſciſſionem? Si igitur Monarchia iſta ſortem aliarum ſubire debeat, non eſt improbabile poſſe fieri vt in his locis quidam Regiam dignitatem ſibi arrogare præſumant, qui ab Anti-Chriſto ſeducentur ſimulata ſanctitate, illius grandiloquentia, ac ficta animi manſuetudine, nec non ſignis & prodigiis, propter quæ ſibi in animum inducent illum à ſe Meſſiam Iudæis promiſſum; & Mahumeticam ſuperſtitionem, ſi qui ex eis illam teneant, relinquentes, ad eius cultum tranſeant, quorum opera tres Reges potentiſſimos ſuperabit, ex his qui Romanum orbem inter ſe diuiſerunt, iuxta illud S. Hieronymi in Danielem: *Dicamus*, inquit, *quod omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi quando Regnum Romanorum deſtruendum eſt, decem futuros Reges, qui Romanum orbem inter ſe diuident; Vndecimum Regem paruulum ſurrecturum, qui tres Reges de decem ſuperaturus eſt, Regem Ægypti, Regem Africæ, & Regem Æthiopiæ, quibus interfectis etiam reliqui ſeptem reges illi victori colla ſubmittent.*

A Ita S. Hieron. At quis eſt iſte paruulus Rex, niſi Anti-Chriſtus, qui in initio vilis & abiectus apparebit, & paulatim vires ſibi comparabit?

Sed inquies, quibuſnam modis, aut quorum operâ vtetur, vt tres potentiſſimos Reges ſuperare valeat? Nec enim videtur dicendum ſe ſolo tres fortes & robuſtiſſimos exercitus fuſurum eſſe, & vt alium Sanſonem ſupernaturali quadam potentia præditum, quoſcumque obuios ſibi contrarios trucidaturum. Probabilius eſt pedetentim ad Monarchiæ vniuerſalis apicem peruenturum, & operâ vſurum illorum regum, qui recenter rebellarunt, & diſceſſerunt ab illis regibus, qui tunc illas regiones obtinebant, & à quibus olim Romanum Imperium

B cum aliis Regibus fuerat diſciſſum; & inſtigante Anti-Chriſto, ſub prætextu Religionis ipſos arma ſumpturos, quibus inuadant tria Regna ſupradicta viciniora, Babyloniæ, Iudeæ, & Arabiæ. In quibus regionibus Anti-Chriſtus naſcetur educabitur & regnare incipiet. Hi enim Reges virtutem ſuam & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent, vt dictum eſt c. 17. Quorum ope potitus victoria, & in oriente longè lateque dominans, de inuadendo occidentali Imperio cogitabit, & hanc inuaſionem ſibi à deſtructione Ciuitatis inſignioris incipiendam eſſe exiſtimabit, quam odio maiori proſequetur, quòd fuerit ſedes Chriſtianitatis; & quæ ſola videbitur poſſe in aliquo retardare progreſſum tyrannicæ ſuæ vſurpatio-

C nis. Quæ cum ab his regibus ſatellitibus ſuis fuerit funditùs euerſa, & in cinerem redacta, tunc non illi decem Reges, ſed alij Reges, qui in his partibus occidentalibus exiſtunt; *Flebunt, & plangent ſe ſuper illam.*

Ex his intelligi poteſt cur apud Danielem, c. 11. dicitur: *Et introibit in terram glorioſus, & multi corruent. Hi autem ſoli ſaluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.* Siue quia, vt vult Theodoretus, illæ nationes illi vehementer erunt addictæ, propter morum peſſimorum ſimilitudinem, ſiue quia ſuam operam, virtutem & poteſtatem illi tradent, vt alia regna inuadat. Quin & exiſtimat S. Hieronymus Arabes deſerta ſua eſſe re-

D licturos, vt Anti-Chriſti caſtra ſequantur, Dei ſingulari prouidentia, vt habeant plurimi fideles loca, in quæ poſſint ſeſe abſcondere à facie perſecutionis Anti-Chriſti. *Quia illuc ſancti*, inquit Hieron. *ad deſerta fugient.*

Igitur cum veriſimile ſit iſtos orientales Reges eos non eſſe qui flere debeant propter Romæ euerſionem; imo potiùs lætari & gaudere debent ob partam victoriam de odioſa ſibi Ciuitate (*Hi enim odient fornicariam*, vt dicitur c. 17.) eſt etiam probabile illos Reges, qui flere debeant, eſſe ſeptem illos reges ex decem regibus, qui diuiſerunt orbem Romanum, quorum Regna adhuc non inuaſit Anti-Chriſtus.

E Dico vltimò, probabile eſſe iſtos Reges Chriſtianos eſſe, ſed ſchiſmaticos. Illi enim ſunt, qui cum Romana ciuitate fornicati ſunt. Si igitur fornicatio illius ciuitatis ſit ſchiſma ſeu rebellio contra Eccleſiam, illius delicti erunt participes, ſchiſmati ſcilicet adhærendo, & contra Eccleſiam etiam rebellando. Nec hoc malè conijcitur: nam ſi politicorum hic eſt ſcopus, vt Regibus Chriſtianis perſuadeant ipſos ſceptra & diademata immediatè à Deo habere, quo fit vt nulli debeant de actionibus ſuis rationem, nullam ſupra ſe debeant agnoſcere aut admittere autoritatem; probabile eſt, quod ſtatim atque Romani ſummum Pontificem à ſede ſua expulerint, iſti Reges faciliùs ad excutiendum iugum Eccleſiæ perſuadeantur. Permanet nunc in ſchiſmate & hæreſi Anglia, etſi adhuc plures ſint Reges potentiſſimi,

Digitized by Google

qui ſummo Pontifici obedientiam, & reuerentiam exhibeant. Quomodo non facile iugum eius excutietur, illo eiecto, bonis temporalibus ſpoliato, vi ac tyrannica vſurpatione, & exercitio ſpiritualis autoritatis ipſius à ſchiſmaticis perturbato, ac quantùm in eis erit impedito.

Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam.

De fletu & planctu illorum Regum.

SECTIO III.

NON *luxuriæ malum*, inquit Ticonius, *quia cum ea peccant (agendo pœnitentiam) plangunt: ſed quia proſperitatem ſeculi, per quam ſuis voluptatibus ſeruiebant, perire cognoſcunt. Vel quia ceſſare incipiunt in eis ea, quæ per luxuriam ante placebant. Luxurioſi inuicem conſumentur, tanquam fumus inſtantis gehennæ longè ſtantes, non corpore, ſed animo, dum vnuſquiſque ſibitimet quod alterum, per calumnias, & per ſuperborum potentiam pati videt.* Ita Ticon.

Primaſius. *Non hic omnimodum iam finem mundi debemus accipere, ſed diminutionem rerum humanarum, & contritionem gentium diuerſarum. Secularium quippe diuitiarum pompam dicit auferri, per quam prauis voluntatibus adimplendis circumfluens carnalium delitiarum oportuna quodammodo importunitatem ſuffragabatur occaſio. Qua ſublata per defectum & deſolationem diuinis modo iudiciis irrogatam, cæteri ſuperſtites, aliorum perhibentur interitum plangere. Ideo dicuntur à longè ſtare, & metu pœnæ ſimilis formidare.* Ita Primaſius.

S. Thomas: *Flebunt interius animo, & plangent exteriùs ſigno: ſuper illam, id eſt, deiectionem & damnationem Babylonis, pro amiſſione delitiarum, & aliorum quæ dilexerant, qui peribunt, quando multitudo impiorum damnabitur: item pro paſſione gehennæ, ſicut ex litera colligitur. Reges, id eſt potentes, ſua potentiâ malè ac ſuperbè vtentes: Terræ, id eſt, terram diligentes. Qui cum illa fornicati ſunt, id eſt, errori peruerſorum delectabiliter adhæſerunt, & per hoc ſe à Deo ſeparauerunt, & in delitiis carnis vixerunt: quæ vita eſt mors, 1. ad Timot. ita plangent, quando viderint fumum incendij eius, id eſt, incendium eius magnum, cuius indicium erit fumus aſcendens: vel pœnam incendij eius ſupra modum alti & magni: fumus enim incendij magni valde ſolet exaltari & dilatari.* Ita S. Thom.

Qui exiſtimat iſtos Reges in eodem incendio comburendos. Ideo longe ſtantes exponit, *voto ſiue affectu, licèt non exteriùs effectu. Vnde dicit in inferno grauem generari horrorem, & timorem ipſius continuandæ afflictionis, qui augent dolorem, non fugant timorem, qui ex præſenti tormentorum dolore fugari poſſe videretur: quia ceſſat timor cum abeſt quod timetur, ſed hîc, ex Gregorio, dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat.* Ita S. Thom.

Ambroſium ſequitur S. Thomas, qui de pœnis æternis hæc tormenta intelligit. *Sed*, inquit Ambroſ. *mirum valde eſt quod longè ſtare dicantur, cum in eaſdem pœnas ſint iſti demergendi, in quibus & cæteri reprobi, qui per Babylonem deſignantur. Stabunt igitur longè, mente & voluntate, non corpore, horrentes ſua quibus æternaliter cruciabuntur. Stabunt longè per deſiderium, aliud deſiderantes, id eſt requiem, & aliud patientes, id eſt tormenta æterna.* Ita Ambroſ.

Alcazar conſequenter ad ſuum ſenſum myſticum, de Romæ conuerſione: *Longè ſtare, eſt ob Chriſtianæ religionis, ac vitæ rigidæ formidinem & horrorem procul ab Eccleſiæ communione, & ab ipſa animi ſalute recedere, vocemque tormentorum mirificè exprimere, quàm acerbum mundanis hominibus ſit condonare iniurias, inimicos diligere, rem familiarem contemnere, pellicem arcere, ac*

A *voluntaria animi deteſtatione, & caſtigatione corporis, ante acta vitæ ſcelera delere. Deflebant igitur Romæ conuerſionem, quod cum veteri Roma, ipſorum pariter faſtus, cupiditas, & luxuriarum occaſio interirent.* Ita Alcazar. Qui ingenioſè magis quàm ſolidè iſta hoc modo exponit. Ex illo tamen notandum illud (*Se*) quod in Latina Lectione videtur redundare, dum dicitur: *Plangent ſe*; non quidem ſuperuacaneum eſſe, ſed valde expediens ad ipſam ſignificationis vim, videlicet vt ſignificaretur, *qui in iis Romæ næniis præficarum vices agunt, eos ſeipſos potiùs lamentari: nec enim tam alienam miſeriam, quam propriarum rerum iacturam deplorabant, quamuis eiuſmodi dolorem ſpecioſo commiſerationis velo obducerent.* Ita Alcaz.

B Nos verò conſequenter ad ea, quæ diximus, iſta ſic exponenda eſſe exiſtimamus. Flebunt igitur & plangent ſe ſuper illam reges terræ, non propter mala quæ patientur actu, ſed quia ſimilia pati pertimeſcent; præcipuè quia ſe iiſdem ſceleribus contaminatos norunt: ſchiſmati ſiquidem huius ciuitatis conſenſerunt: quia æquè ac incolæ illius ciuitatis, & genio indulgere, & nullis legum frænis in officio contineri volebant; vnuſquiſque ſequi prauitatem cordis ſui exoptabat, reges præcipuè, qui quò erant potentiores & ditiores, eo vehementiori ſtudio concupiſcentias ſuas explere gaudebant. Ideo ait: *Qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt.* Hi igitur audita fama obſidionis Romanæ ciuitatis à C Regibus orientis, quam ſe combuſturos, & in cinerem redacturos alta voce proclamabant, iſti Anti-Chriſti ſatellites, tunc flere incipient, ſeu poſtquam igne in eam immiſſo ab hoſtibus, ſtatim atque hoc percrebuit, & in notitiam Regum terræ peruenit; cum viderint fumum incendij eius, longè ſtabunt, ſiue quia ei auxilium ferre recuſabunt de ſuis viribus diffiſi, & tanti hoſtis ferociam pertimeſcentes; ſiue quia tunc deteſtari incipiens impiæ ciuitas ſchiſma & rebellionem, videntes quàm ſeuerè Deus pœnas tanti ſceleris ab ea ſumpſerit, quamuis diligentes gloriam hominum magis quàm gloriam Dei, Anti-Chriſto colla ſubmittent, & quidquid iniunxerit perficient. Nec mirum. Iam à Chriſtianis & D Catholicis principibus, ne pax aut tranquillitas regnorum perturbetur, hæreſes impunè graſſari permittuntur. Non mirum igitur ſi Reges ſchiſmatici, & in hæreſim lapſi, ne bonis ſpolientur, ſpe allecti quod ſceptra ſua ab eis non auferentur (quamuis in poteſtatem Anti-Chriſti redactis, titulus Regius ab eis ſit auferendus, vt ſolus ipſe Rex & Dominus vniuerſi nuncupetur) Anti-Chriſtum coli & adorari permittant, cumque ipſi adorent, quin & contradicentes, iuxta edicta Anti-Chriſti puniant, & variis tormentis torqueant.

Dicent tamen, audita Romæ deſtructione: *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vnâ horâ venit iudicium tuum.* Væ, væ duplicatur ad E indicandum, & huius ciuitatis maledictionem, cuius effectus innoteſcet cunctis, & timorem ſimilis exitii, quo concutientur, quia illius maledictionis vinculo ſe ſentiunt innodatos. Eam Babylonem vocãt, quia fatebuntur hanc incurriſſe miſeriam, ex eo quod omnia ſchiſmate ſuo in Eccleſia perturbarit, & omnem Eccleſiæ ordinem inuerterit per inobedientiam. Fatentur illam ciuitatem fortem, vt indicent non panico timore ſe concuti, ſed rationabili de cauſa ſibi eſſe timendum. Nam ſi ciuitas adeò glorioſa, adeò fortis & potens, Anti-Chriſti ſatellitibus reſiſtere non potuit, ſed ab eis euerſa, & in cinerem redacta fuit, optimo iure timendum eſt, ne ſimiliter obruantur tantâ potentiâ. *Quoniam vnâ horâ*, inquiunt, *venit iudicium tuum.* Ac ſi faterentur hoc fieri iuſto Dei iudicio. Et tamen de diuino auxilio

deſperantes, eligent potiùs Anti-Chriſto colla ſubmittere, quàm zelo honoris diuini in Deo confidentes contra tam potentiſſimum hoſtem decertare, aut impiæ illius ambitioni, qua pro Deo coli volet, obſiſtere.

Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam: quoniam merces eorum nemo emet ampliùs, &c.

Quinam ſint illi mercatores, flentes, & lugentes ſuper deſtructionem ciuitatis Romanæ ſchiſmaticæ?

SECTIO IV.

SANCTVS Gregorius ſemen ſeminantis parabolam exponens, homilia 15. in Euangelia, rationem reddens cur Dominus eam per ſemetipſum exponere voluit, rectè monet hoc Dominum præſtitiſſe, vt doceret nos *rerum ſignificationes quærere, in iis etiam quæ per ſemetipſum noluit explanare. Quia ſi,* inquit, *nos vobis ſemen, verbum; agrum, mundum: volucres, dæmonia; ſpinas diuitias ſignificare diceremus, ad credendum, mens forſitan veſtra dubitaret. Vnde & Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere, quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere, in iis etiam quæ per ſemetipſum noluit explanare.* Ita Greg. Pari ratione exiſtimo ſanctum Ioannem quædã per ſemetipſum expoſuiſſe, vt ad eius imitationem, aliorum ſignificationem quæramus. At ſicut temerarium eſſet aliam adducere expoſitionem parabolæ ſeminantis, ab ea quam Chriſtus protulit, ita exiſtimo nobis non licere aliam ſignificationem verborum S. Ioannis quærere, ab ea quam ipſe proferre voluit. In quibuſdam enim locis, caligine & obſcuritate prophetici ſpiritus obuolutis, voluit facem præferre, ne nimium à vero ſenſu aberrare permitteret. Sic capite primo ſeptem ſtellas, & ſeptem candelabra, per ſemetipſum exponit eſſe ſeptem Angelos, & ſeptem Eccleſias. Sic cap. 5. ſeptem oculos agni aſſerit eſſe ſeptem ſpiritus Dei miſſos in omnem terram. Sic mulierem illam 17. aſſerit eſſe ciuitatem magnam, quæ habet regnum ſuper reges terræ; & ſeptem capita beſtiæ, ſeptem montes & ſeptem reges exponit; & aquas, populos & gentes ſignificare dicit. Quibus omnibus facilè poſſumus conjicere mulierem illam eſſe impietatem, regnantem in vrbe Romana Ethnica aut ſchiſmatica, quæ latè dominatur ſupra populos, & ſupra nationes orbis vniuerſi. Pari ratione exiſtimare debemus illos eſſe mercatores terræ, quos per mercatores & negotiatores terræ eſſe aſſerit intelligendos in hoc capite. Exponere enim videtur quos per mercatores terræ intelligi volebat, in fine capitis, dum ait: *Quia mercatores tui erant principes terræ, &c.* Si igitur ipſe ait mercatores terræ eſſe principes terræ, abeat quæcumque alia expoſitio, quæ nunc ſenſum non poſſet admittere. Mercatores igitur & negotiatores terræ, ſunt Principes & Magiſtratus, qui aliquo genere negotiationis Eccleſiæ detrimenta inferunt, vt hac ratione & ſuam autoritatem augeant, & ſuis cupiditatibus morem gerant. Inquirendum igitur quodnam genus negotiationis & commercij habere poterunt terræ Principes, cum Romana ciuitate?

Dico igitur primò, probabiliſſimum eſſe S. Ioannem hoc nomen negotiatoris, ſeu mercatoris, non ſumere communi & vſitato ſenſu, pro eo qui merces emit aut diſtrahit, pecuniam pro re appretiabili, vel rem appretiabilem pro numerata pecunia tribuendo. Primò: quia S. Ioannes dicit mercatores ciuitatis, ſeu qui cum ea negotia exercent, eſſe Principes terræ. Nam etſi plærumque Principes ad rapacitatem & auaritiam proni ſunt, ambitio tamen non permittit vt ad hæc negotia inferioris notæ ſeſe demittant. Et cum delitiis potiùs diffluere, quàm curis & ſollicitudinibus cruciari exoptent, etſi rapinis, vi ac violentia, & oppreſſione pauperum, multas corradant pecunias, vt auaritiam ſuam expleant, tamen non erunt propriè mercatores aliquid meliori pretio ementes ſpe lucri, vt cariùs illa poſtea vendant. Secundò: ad quid tantus luctus pro euerſione vnius tantùm ciuitatis? Nam eſto in ea negotiari poſt euerſionem ampliùs non liceat, alibi tamen omnia illa mercium genera poterũt diſtrahi, nec enim aduentu Anti-Chriſti luxus & ſuperflus domorum ac veſtium cultus ceſſabit, imo potiùs incrementa ſumet morum diſſolutio, cum & ipſemet Anti Chriſtus multos ad ſe ſit attracturus ſub ſpe maioris abundantiæ rerum omnium, quæ ad Pompam, & faſtum maiorem, & maiorem delitiarum fruitionem cõducere poſſunt. Talia igitur mercatores poterunt diſtrahere ſub regno Anti-Chriſti, cum illius cultores pace temporali fruituri ſint, itaut comeſſationibus, ebrietatibus, luxuriis liberè poſſint indulgere; & futurum ſit quod Chriſtus prædixit, Matt. 24. *Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, & nuptui tradentes, vſque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis.* Ad hæc omnia præſupponunt vſum & abundantiam rerum omnium, quæ ad pompam, aut luxum, & ſeculi vanitatem neceſſaria ſunt, qualia ſunt veſtes pretioſæ, vaſa pretioſa, & cætera, quæ ad ſuppellectilis inſtructionem, vel ad ſenſuum oblectationes neceſſaria ſunt. Nulla igitur eis erit tantopere lugendi iuſta occaſio.

Tertiò: ea præcipuè tangere videtur S. Ioannes, quæ ad Eccleſiæ ſtatum prædicendum pertinent. At quid intereſt ſtatui Eccleſiaſtico futuro temporibus Anti-Chriſti, & deſtructionis Romanæ ciuitatis, ſi mercatores, (quia mercimonia nec emere nec diſtrahere poterunt) ex hac lucrandi occaſione amiſſa cauſam habeant lacrymarum? Cur de eorum luctu ſpecialis fiat mentio, & nulla habeatur ratio aut Nobilium, aut iudicum, aut miniſtrorum Eccleſiæ, ſeu quorumcumque aliorum, qui temporalia detrimenta accipient ex deſtructione illius ciuitatis, cum qua omnes nationes commercium habebant, dicente Propheta: *De vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes*; quamuis hoc dictum videatur, vt indicet eius criminibus, & delictis omnes nationes fore participes, quia ſimilia perpetraturæ ſunt ſcelera? His adde, quòd cum de Regibus loquitur S. Ioannes, illos abſolute Reges nominat, quia reuera Reges futuri ſunt, qui tunc flebunt, & dolore & timore concutientur. At dum de mercatoribus agit, quia aliud quid indicare volebat, ne fluctuaremur in ambiguo mentem ſuam aperire voluit, cum dixit: *Quia mercatores tui*, de quibus ſupra ſcilicet loquutus fuerat, *erant principes terræ.* Nec tamen negare debemus inter eos qui occaſionem luctus ſe habere exiſtimabunt ex deſtructione ciuitatis Romanæ, mercatores in proprio ſenſu reponi poſſe. Hac enim deſcriptione luctus Mercatorum, exprimere voluit S. Ioannes quanta futura eſt ambitio, & pompa, ac diſſolutio in hac ciuitate, in qua tot, ad faſtum tantum, & ſuperflua ſenſuum oblectamenta, inſumentur; quæ à Mercatoribus habitantibus in ea vendebantur, vt Mercatores, lucri auidiſſimi, ex illius ruina iuſtam habeant lugendi occaſionem. Maximè tamen lugebunt Principes terræ, quibus amplius non licebit de his nogotiari cum incolis illius ciuitatis, pro quorum negotiatione, id eſt, emptione aut venditione, Deus contra eam &

contra terræ principes iraſcetur.

Dico ſecundò : Genus illud negotiationis Deo tantoperè exoſum, & huic ciuitati exitiabile, non eſt illud quo quis Negotiator, vt aliquod lucrum aut emolumentum capiat, ad ſui ſuæque familiæ ſuſtentationem, & pauperum ſubuentionem neceſſarium, aliqua mercimonia emit aut diſtrahit; non iniuſtis & vſurariis pactis vtens; non vt defectum annonæ vel Mercimoniorum inducāt, & eadem carius vendant, ſed abundantiā in Reipublicæ commodū, & vtilitatē. Quamuis enim periculoſum ſit illud vitæ genus, Itaut S. Chryſoſtom. ſeueriùs dixerit : *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, ſignificauit quod Mercator nunquam poteſt placere Deo. Ideo nullus Chriſtianus debet eſſe Mercator, aut ſi voluerit eſſe, projiciatur de Eccleſia, dicente Propheta : Quia non cognoui negociationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere, ſine alloquio mali eſſe non poteſt, neceſſe eſt vt illi male loquatur de iſto, & iſti de illo; ſic Mercator ſine mendacio & periurio eſſe non poteſt.* Ita Chryſ. Tamen ſi nullum mendaciis & ſermonibus blandis circumueniant (os enim *quod mentitur, occidit animam.* Et Leuit. 19. dicitur : *Non mentiemur, neque decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* Et rurſus : Nolite aliquid facere iniquum in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statura iuſta, & æqua ſint pondera. Iuſtus modius, æquuſque ſextarius.) Si ea quæ vendunt eam habent bonitatem, quæ in eis requiritur; & ſi quod ſit vitium, ſi quis ſit defectus, ſimpliciter aperiant, ne quis fallatur ab eis; ſi nemini iniuriam faciant, vt cariùs poſſint ſua mercimonia diſtrahere, memores dicti ſaluatoris : *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, ea facite ipſis*; Et illius S. Pauli moniti 1. ad Corinth. 6. *Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus*; Si denique primum quærant regnum Dei; feſtorum & aliorum Dei & Eccleſiæ mandatorum memores exiſtant, ſi inquam hac ratione negotiationem exerceant, non immoderata ſpe lucri, quaſi illud pro præcipuo ſcopo ſibi conſtituant : *Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli*; licita erit talis negociandi ratio, & ex labore ſuo, ex vigiliis ſuis, ex itinerum expenſis, & aliis huiuſmodi aliquod emolumentum & lucrum capere, quo poſſit & plurium ſolatio, & familiæ ſuſtentationi prouidere. Rectè enim dixit S. Paulus : *Non alligabis os boui trituranti.* Non igitur de illo genere negotiationis præcipuè hîc fieri mentionem exiſtimo; neque etiam ad illud tantùm reſpicit S. Ioannes. Alcazar illa verba exponens : *Quia mercatores tui erant principes terræ. Quaſi dicat : Quia decreuit Deus immanem illam exterminare tyrannidem, qua mercatores per idololatriæ cultum compendia facientes, erant ipſimet principes ac magiſtratus; qui idcirco Chriſtianos perſequebantur, vt hac ratione rem ſuam, & autoritatem augerent, & ſuis morem gererent cupiditatibus.* Ita Alcazar. Cuius peſſimæ nundinationis exemplum habemus in Anglicano Regno, vbi Catholicorum bona prædæ patent, in odium Chriſtianæ Religionis. Iſta enim Ethnicorum, & hæreticorum bonorum inuaſio, non eſt propriè negotiatio, quæ aliquod pactum liberum requirit inter ementem & vendentem; ſed eſt potius bonorum alienorum iniuſta vſurpatio ac direptio, quæ vi ac violentia tyrannica, fraude ac dolo, inuitis illis quorum bona diripiuntur, perficitur.

Quærendum igitur aliquod genus negotiationis, quo principes terræ dici poſſint de vino iræ fornicationis eius bibiſſe, omnes gentes & reges terræ cum illa fornicatos eſſe, & Mercatores terræ de

A virtute deliciarum diuites factos fuiſſe, dum liberè ex vtraque parte, tam incolarum huius ciuitatis, quàm eorum qui alibi degunt, aliquid venditur aut emitur, cuius venditio & emptio Deo ſit odioſa, itaut hac de cauſa ſtatuat illam vrbem in luctum & fletum cum illa negotiantium eſſe inducendam & euertendam. Rem tetigiſſe mihi videtur Ambroſius, cuius expoſitionem adduco, ne abſque autore meam proferam ſententiam. *Quia*, inquit Ambroſius, *ſuperiùs per Mercatores terræ, amatores ſeculi diximus eſſe deſignatos, poſſumus in hoc loco per negotiatores eos accipere, qui bonum quod facere videntur, vendunt. Sunt namque multi, quibus legum ſecularium ſcientia data eſt, qui cauſas pauperum in iudiciis portant; ſed quia non*
B *pro amore Dei, ſed pro præmiorum acceptionibus hoc faciunt, mercedem à Deo non recipiunt. In tantum vero hæc miſeria conualuit, vt non inuenias aliquem ex iis, qui locum habent apud principes, qui aliquod verbum ad proximi pauperis neceſſitatem ſuſtentandam proferat, ſine præmij acceptione. Poſſumus & per negotiatores terræ eos intelligere, qui ex bono quod faciunt, laudes ab hominibus requirunt. Poſſumus etiam & per eoſdem illos, qui gradus Eccleſiaſticos vendunt, intelligere; quod diuina ſcriptura valde condemnat. Et quamuis multi ex Epiſcopis ab hoc ſcelere videantur immunes, miniſtri tamen eorum in hoc ſæpè polluuntur. Sed ad magiſtros reſpicit, quicquid à diſcipulis delinquitur. Eſt & aliud ſcelus valde peſſimum, quod ab iis, qui Archidiaconi appellantur, committitur.*
C *Nam ab adulteris Presbyteris pretium accipiunt, & tacendo malum conſentiunt, quod per autoritatem, quam ab Epiſcopis acceperunt, emendare poſſent. Sunt etiam alij ex huiuſmodi Presbyteris, qui timentes ſe damnari pro ſceleribus ſuis, in ſeruitiis Archidiaconorum plus ſunt aſſidui quàm cæteri. Contra quos ſi quis aliquod verbum contrarium proferre voluerit, defenditur ab eis, & fingunt ſe neſcire quod ſciunt; condemnanturque illâ Propheticâ ſententiâ, quæ dicit : Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Ad te ergo loquor, qui talis es : Ecce animam ſacerdotis diabolo vendidiſti. Quis enim ſuaſit Presbytero vt fornicaretur, niſi diabolus. Qui ergo ſuaſit vt fornicaretur, ipſe ſuaſit vt pretium tibi daret, quatenus hoc ſcelus ſine timore perpetrare poſ-*
D *ſet. Per manum ergo Presbyteri pretium perditionis animæ ipſius tibi diabolus dedit. Ecce pretium accepiſti, & animam fratris, Chriſti ſanguine redemptum, eidem diabolo, à quo redempta eſt, tradidiſti : in lege ſcriptum eſt (Exod. 21.) quod ſi quis hominem, qui frater eius eſſet, vendidiſſet, morte moreretur. Si igitur reus eſt ille, qui hominem homini vendit, quanto magis tu reus exiſtis, qui hominem, Chriſti ſanguine redemptam, non homini, ſed (quod perniciosius eſt) diabolo vendidiſti? Tales itaque negociatores flebunt, & lugebunt in inferno, quorum merces eorum nemo emet amplius. Amittent enim quod tenere videbantur, & incident in malum quod prauidere neglexerunt.* Ita Ambroſ. Qui locus ſuſpicionem ingereret hanc expoſitionem eſſe ſancti Ambroſij Epiſcopi Medio-
E lanenſis, & celeberrimi Eccleſiæ Doctoris. Eccleſia enim Mediolanenſis plurimum vitio Simoniæ laborabat ſub eius temporibus. Quicquid ſit,

Dico tertiò : Genus negotiationis, de quo hîc mentio fit, eſt Simoniaca labes, propter quam Deus hanc ciuitatem ſubuertendam eſſe, æquè ac pro ſchiſmatis rebellione decernet. Eſto arguatur hîc auaritia & cupiditas mercatorum, etiam infimorum, Regum ſuperbia, plebeium luxuria, Magiſtratuum peculatus, Rapinæ nobilium : certè inſuper eadem exprobrari poſſunt huic ciuitati, quæ olim exprobrata fuere Ieroſolymitanæ apud Iſa. c. 1. *Quomodo facta eſt meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam : vinum tuum miſtum eſt aqua. Principes tui infideles, ſocij furum. Omnes diligunt mune-*

Digitized by Google

ra : ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa Viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Iſraël : Heu! ego conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et apud Ieremiam etiam c. 6. *A minore quippe vſque ad maiorem, omnes auaritiæ ſtudent, & à Propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt dolum* quin & ad eam dici poſſunt hæc Micheæ c. 3. *Audite hoc, Principes domus Iacob, & iudices domus Iſraël : qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis : qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabunt, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabunt, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes : Nunquid non Dominus in medio noſtrum? Non venient ſuper nos mala. Propter hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.* Ita Micheas. Quin & illud Ezechiel. c. 22. ad eam dici poterit : *Fili hominis, dic ei : Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris. Coniuratio Prophetarum in medio eius, ſicut Leo rugiens, rapienſque prædam. Animas deuorauerunt. Opes & pretium acceperunt : Viduas eius multiplicauerunt in medio illius. Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuarium meum. Inter ſanctum, & Prophanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & à Sabbathis meis auerterunt oculos ſuos. Et coinquinabor in medio eorum. Principes eius in medio illius, quaſi Lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ad ſectanda lucra, &c. Et effudi, tandem ſuper eos indignationem meam. In igne iræ meæ conſumpſi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.* Ita Ezechiel. Quia igitur in ſcelere erit conſimilis ciuitatis Hieroſolymitanæ Roma ſchiſmatica, ideo pari ruina plectetur. Et ſicut veteres illi ſacerdotes ac Principes, propter auaritiam omnia ſpiritalia pretio vendebant, ita tunc fiet, quando Deus Romanam ciuitatem deſtrui patietur, quam olim in caput Chriſtianæ Religionis erexerat. Equidem quodlibet auaritiæ genus turpiſſimum eſt : at Simoniæ labes crimen eſt adeò execrabile, vt ſi Deus cupidos & auaros graui ſupplicio plærumque afficiat, grauioribus certè pœnis Simoniacos plectatur, quòd iſtud crimen ſpecialem quamdam habeat deformitatem, quæ quos inficit reddat Deo odibiles & abominabiles, vt pote quæ impietatem & rerum diuinarum contemptum inſignem in ſe contineat. *Pecunia tua*, dicebat Simoni Mago Simon Petrus, *tecum ſit in perditionem : quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.* Ac ſi diceret : Cæce & impie, quid in toto mundo tanti eſt valoris, vt Deo poſſit comparari?

Quomodo igitur propter exiguum quid pecuniæ, Dei donum tibi eſſe conferendum exiſtimaſti, cuius valor nec omnibus rebus huius mundi poteſt æſtimari? *Certè in felle amaritudinis, & in obligatione iniquitatis video te eſſe.* Certiſſimum eſt peſſima induci intentione, dum illud donum pecunia vis obtinere, nec gratuitò dandum fore quod pecunia tibi emendum eſſe exiſtimas. Vbi illud erit ſaluatoris : *Gratis accepiſtis, gratis date.* Matt. 10. Cum diſcipulis poteſtatem daret euangelizandi, infirmos curandi, mortuos ſuſcitandi, Leproſos mundandi, dæmones ejiciendi. Quomodo donis cæleſtibus participarent pauperes, ad quos tamen euangelizandos Dominus miſſus eſt, & quibus, quia nullam Deus reſpuit conditionem etiam abiectiorem, dicitur apud Prophetam : *Omnes ſitientes venite ad aquas : & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite : venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum & lac.* Iſ. 55. Si autem pecuniâ Dei dona eſſent diſtribuenda, vt exiſtimabat ille qui lucrum ſitiebat, quænam relinqueretur ſpes pauperibus, & quomodo non offuſcaretur ingens Dei benignitas erga homines, (quæ non pecunias aut opes exquirit, ſed tantùm corda ſyncera puta, vt ſua dona elargiatur) ſi illa tantùm obtineri poſſent ab offerentibus pecunias?

Quanam rerum ſerie conjicere poſſumus, ex his quæ antea facta fuerunt, Eccleſiam in extremis temporibus à Simoniaca labe eſſe vexandam?

ANNOTAT. VI.

HÆC iſta hoc ordine obuentura crebibile eſt. Primò ingens & enormis erit morum corruptio in quouis genere hominum, ſiue ſint ſerui, ſiue liberi, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue Reges, Magnates, ſiue ſubditi & infimæ conditionis. *Et quoniam*, vt ait Dominus, *abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.*

Secundò, Ex hac morum corruptione, velut è quadam malorum colluuie, non modò ſchiſmata hæreſes orientur, ſed etiam atheiſmus in pluribus reperietur; vt meritò dixerit Chriſtus Dominus: *Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem ſuper terram.*

Hinc tertiò ambitio & cupiditas graſſabitur, & in potentatibus & principibus ſeculi altas emittet radices, ſicque potentiâ ſuá velut philtro inebriati, nihil non audebunt, nihil non attentabunt, vt ſuam ambitionem & cupiditatem expleant, ſi fieri poſſet. Tolerabile eſt concedi Principibus nominationes ad maiores Eccleſiæ dignitates, quod iuramentum fidelitatis exigant. Hoc niti videtur ratione, ne aliquid machinetur quieti & ſaluti propriæ perſonæ, aut Regnorum ſuorum tranquillitati officiens. At veluti iſta non ſufficiant, pleno iure vſurpato omnia Eccleſiaſtica beneficia conferre, alios è gradu dejicere, alios in locum illorum ſubſtituere deſiderabunt; & inueſtiturarum ius prætenſũ cõtra quod tantopere ab Eccleſia decertatum fuit, rurſus reuocare; Denique omnia ſpiritualia æquè ac temporalia pertractare, veluti quibus perſuaſum erit apud ſe plenam reſidere poteſtatem, quæ nullam agnoſcat ſupra ſe autoritatem, à qua dependeat.

Qui ad dignitates Eccleſiaſticas propter auaritiam & cupiditatem explendam inhiabunt, hac infami ratione non pertimeſcent ſibi viam parari ad illas obtinendas; & vt Lupi & Mercenarij intrabunt in ouile, vt furentur & mactent. Deerit illis legitima miſſio à ſummo Paſtore obtinenda : non eis baculus Paſtoralis, ſed ſceptrum regale autoritatem conciliabit. Quænam quæſo deploranda rerum facies, cum Eccleſia tot in locis fuerit legitimis Paſtoribus deſtituta, neglectâ ſupremi Pontificis autoritate? Quàm mala erit rerum Eccleſiaſticarum, & Sacramentorum diuinorum adminiſtratio, vbi ſemel iis ad quos ſpectabit illa adminiſtrare, ad hoc præſtandum ſola auaritia & cupiditate impellentur. Hoc fieri certè non poterit non reclamante contra tot ſacrilegia ſummo Pontifice, non reclamantibus idem plurimis fidelibus Epiſcopis, ac verbi diuini præconibus; ſed ſupremus Eccleſiæ moderator, excommunicationibus & interdictis, & aliis melioribus viis ac remediis, præcones verbi diuini, concionibus & exhortationibus ſuis, ac coargutionibus ſuis vehementibus hæc impedire, extirpare conabuntur. Sed numero ſchiſmaticorum ſuccreſcente, & autoritate Eccleſiæ conculcata, Regibus terræ illam vndeqnaque diuerſimodè dilacerantibus, quin & Romana ciuitate ſchiſmaticis adhærente, eoſque in ſuo ſinu excipiente, patique cupiditate & ambitione laborante, quod iam olim factitatũm eſt iterum

Digitized by Google

rum renouabitur : auferetur ab ea ſponſus, Pontifex Romanus, vt adultero conſentiat. Nam vſurpata ciuitate à ſchiſmatico à Romanis euocato, videtur ſatis veriſimile, vt quædam larua religionis veræ remaneat ; vt Anti-Papa aliquis creetur, vt qui intruſus in ſedem, tanquam Mercenarius, non Paſtor, non per oſtium in ouile introductus ; ſed aſcendens aliunde, omnia deuaſtabit, tempori & politicorum voluntati ſeſe accommodans. Exinde omnia erunt venalia, omnes illius miniſtri per omnes orbis Chriſtiani partes & Epiſcopatus & Abbatias pretio emere aut vendere non pertimeſcent, principibus terræ eis conſentientibus, ex tam infami negotiatione ſeu nundinatione ſibi bona comparantibus. Ex quibus dici non poteſt quantùm detrimentum obuenturum ſit fidei, Religioni, pietati. Et illud eſt quod his verbis dicere voluit S. Ioannes : *Quia mercatores tui erant principes terræ.*

Tunc exacerbata Dei patientia furorem ſuum effundet. Tunc erit tempus *vt incipiat iudicium à domo Dei.* 1. Petri c. 4. Quæ enim fuerat Magiſtra, & domina gentium, & populum Chriſticolarum ; ſub tributo Mercenarij redacta, quia præcipua fuit & prima in rebellione, & impietate, prima etiam plectetur & euertetur.

Qua deſtructâ, & funditùs euersâ, iſti peſſimi rerum diuinarum nundinatores flendi & quærendi occaſionem habebunt: *Quoniam merces eorum nemo emet ampliùs.* Nam ſtatim atque Anti-Chriſtus rerum abſolutè potietur, qui ſe extollet ſupra id omne quod dicitur Deus, omnia iſta bona quæ Deo Optimo Maximo olim erant conſecrata, ſibi arrogabit : vt videlicet ex his bonis, cultus ſibi, non Deo exhibeatur : vel omnes illos reditus & theſauros ad ſe deferri procurabit, vel hæc tandem ſuis miniſtris deſtribuet, itaut iſti Pſeudo-Chriſtiani, de his ampliùs diſponere non poſſint. Quis enim ex terræ Principibus tantæ poteſtati reſiſtere audebit, aut eius contradicere voluntati ? Itaque qui ex bonis Eccleſiæ ditabantur peſſima quadam & ſimoniaca negotiatione, lamentandi cauſam aſſument, ex tam infelici ciuitatis illius (cum qua fornicabantur) euerſione : *Quia merces eorum nemo emet ampliùs.*

At dices : Hoc eſt Prophetam agere, non interpretem. *Nunquid Saul, inter Prophetas ?* Reſpondeo me non Prophetam agere, ſed interpretem, cum in tam obſcura Prophetia, ex his quæ euenerunt conjicio quæ fieri poterunt, omnia Eccleſiæ iudicio humillimè ſubmittens. Igitur ne temere ea conjicere videar, ex his quæ fuerunt, futura ſapienter & prudenter præuideamus.

Et primò : quod ex morum corruptione ſchiſmata aut hæreſes oriantur, hoc perſpicuum eſt, vel Petro Apoſtolo teſte 2. c. 2. *Fuerunt vero & Pſeudo-Prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant.* At quæſo qualeſnam ſunt hi ſectarum introductores, luxurioſi, auari ? *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur. Et in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur.* Et paulo poſt : *Qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes.* Et paulo poſt iterum : *Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delitias, coinquinationes, & maculæ delitiis affluentes,* &c. Et reuera *qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem.* ad Galat. 6. *Corpus caſtigandum eſt*, inquit S. Baſilius, De legendis libris gentilium ; *ne frenum voluptati omnino laxando, mentis velut*

A *auriga ab equis contumacibus ac minimè obtemperantibus feratur ac rapiatur.* Hinc S. Hieronymus l. 2. contra Iouinianum, hunc ita alloquitur. *Quod multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt. Et pro magna ſententia deputas ſi plures porci poſt te currunt, quos gehennæ nutrias ?* Et paulo poſt : *Vexillum crucis, & prædicationis auſteritas idolorum templa deſtruxerat. E regione, luxuria ventris & gutturis ſubuertere nititur fortitudinem crucis. Denique ſemper Pſeudo-Prophetæ dulcia pollicentur.* Ita Sanctus Hieronymus. Quis his autoritatibus nixus aſſerere non audebit ſectas & ſchiſmata ex corruptione morum oriri ? Hoc tam ſæpè euenit, vt ſuperfluum ſit inductione aliqua hoc probare. Teſtes ſunt noſtri Lutherani & Caluiniſtæ, qui vt liberiùs ventri & Gulæ immoderatæ B libidini, indulgerent, tollunt abſtinentias & ieiunia Eccleſiæ ; & illegitima permittunt connubia ; & tandem ſe ab Eccleſiæ obedientia ſubtraxerunt. Ad eos accedunt qui voti Religioſi inimicos ſe conſtituunt. Et licèt nullum de hac re datetur exemplum ; eo ipſo quo ex Petro diſcimus luxurioſos & auaros ſectas introducere, cum certum ſit in fine ſeculorum iuxta Chriſti Prophetiam mores hominum pernicioſiſſimos fore, quia abundabit iniquitas, ſatis veriſimile redditur ex tanta corruptione ſchiſmata eſſe prodeunda, veluti è proprio & natiuo fonte.

Quod autem hæc corruptio morum Reges & Principes inducat & propellat ad vſurpandam autoritaC tem in bona Eccleſiæ, lege quid Comes quidam Ludouicus de Henrico 3. Imperatore ſcribat ad Vualtramum Epiſcopum Magdeburgenſem illi fauentem. *Omnis*, inquit, *qui dignitates ſpiritales vendit, hæreticus eſt. Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit ; etiam Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alias pro pecunia ; Ratiſbonenſem, Auguſtenſem, Straʒburgenſem pro gladio : Abbatiam Fuldenſem pro adulterio : Monaſterienſem Epiſcopatum, quod dicere & audire nefas eſt, pro Sodomitica immunditia vendidit.* Ita ex Baronio, an. 1090. n. 16. *Fuit quidem aliquando*, inquit Baronius, an. 1077. *Inueſtitura Principibus ſecularibus, licèt indebita, tolerata à ſummis Pontificibus. Quandiu*, inquit D ille, *iidem Principes non mercimoniâ iſta tractarent. Vbi verò ſemel irrepſit eiuſmodi ſacrilega nundinatio, cum à Principibus, Epiſcopatus, Abbatiæ, & alia Eccleſiaſtica beneficia & dignitates venales factæ ſunt, auctione diſtrahi captæ ſunt.* Tunc Gregorius 7. Papa animosè cæpit tantum abuſum introductum, & ad tempus in Eccleſia toleratum tollere & euellere. Et in Synodo Lingonienſi inſeri voluit iſtud decretum : *Interdicat*, Synodus ſcilicet, *vt (pro conſeruanda deinceps in promouendis Epiſcopis canonica & Apoſtolica autoritate) nullus Metropolitanus, aut quiuis Epiſcopus alicui, qui à Laica perſona donum Epiſcopatus ſuſceperit, ad conſecrandum illum manum imponere audeat, niſi dignitatis ſuæ honore officioque carere & ipſe velit : Similiter etiam, vt* E *nulla poteſtas aut aliqua perſona de huiuſmodi honoris donatione vel acceptione vlteriùs ſe intermittere audeat.* Hæc Synodus. Et meritò, cum Simonia, & inueſtitura dici debeat hæreſis ſpecies. Lege Goffridum Abbatem Vindonienſem, lib. 1. Epiſt. 7. Paſchali Papæ, & lib. 3. Epiſt. 11. Rainaldo ; & Tractatu ſecundo de ordinatione Epiſcoporum, & de inueſtitura Laicorum ; & tract. 3. de Simoniaca & inueſtitura Laicorum, quod vtraque dicatur hæreſis, tom. 15. Bibliothecæ. Lege etiam librum ſecundum S. Anthelmi Epiſcopi Lucenſis, pro defenſione Gregorij 7. eodem tomo, parte 2.

Hæc iam præceſſerunt. Quis non timebit, excuſſo Eccleſiæ iugo à plurimis Regibus, par emanare edictum illi quod ab Eduardo ſecundo prodiit, vt refert hiſtoria ſchiſmatis Anglicani ; quod quidem

Digitized by Google

huius erat tenoris: *Eduardus Dei gratia, Rex Angliæ & Hiberniæ, caput ſupremum in terris Eccleſiæ Angliæ & Hiberniæ, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus Thomæ Cantuarienſi Epiſcopo ſalutem. Et quia omnis autoritas exercendi qualemcumque iuriſdictionem ſiue illam quam Eccleſiaſticam vocant, ſiue ſecularem, à poteſtate Regia dependet tanquam à capite ſupremo: hac de cauſa vi iſtius noſtri edicti in robore ſuo permanſuri vſquequo à nobis aliter ordinatum fuerit, poteſtatem facimus conferendi ordines ſacros omnibus qui in tua Diœceſi Cantuarienſi ad ordines promoueri poſtulabunt, eoſque promouendi non tantùm ad inferiores ordines, ſed etiam ad Presbyteratum.* Ita ille profanus ſacrarum rerum perturbatos. Hæc vſque progreditur humana ambitio? Vſque huc graſſatur ſchiſmatis impudentia, & vſque ad hanc mentis cæcitatem inducuntur, qui nec Deum, nec Chriſtum eius ante oculos habentes, ſibi omnia arrogare præſumunt. Similia præſumi poſſe à ſchiſmaticis in vltimis temporibus quis dubitet? Præſertim cũ tunc Eccleſia deſtituenda ſit ſuo ſplendore externo, nec valeat tunc tantis malis occurrere, propter vniuerſalem contra eam, hæreticorum ſchiſmaticorum, & politicorum rebellionem; imo potiùs à ſchiſmaticis opugnabitur, à quibus ſummus Pontifex ejicietur extra ſedem; veluti olim Principes Romani contra Ioannem 20. In Eccleſia ſancti Petri conſpirantes, cum illum interimere non potuiſſent, eum tandem è ſede expulerunt, vt refert Baron. an. 1033. Sic Innocentius ad fugam captandam coactus fuit timore Anacleti Anti-Papæ perculſus. Baron. an. 1130. Et alio tunc ſchiſmatico ſedem inuadente, vi aut Simonia exclamandum erit cum Petro Damiano: *Heu ſedes Apoſtolica, orbis olim gloria, nunc, proh dolor! efficeris officina Simonis. Terunt incudem mallei, nummi ſunt tartares.* Epiſtolâ ad Firminum, apud Baron. an. 1033. De ſalute Patris ſui timebat olim Imperator Henricus ſecundus, quod tanto crimini olim viſus eſſet conniuere; & plures Epiſcopos ſimul congregatos ita alloquebatur, vt refert Glaber. l. 1. c. 5. *Omnes quippe gradus à maximo Pontifice vſque ad oſtiarium opprimuntur per ſuæ damnationis pretium, ac iuxta vicem Dominicam in cunctis graſſatur ſpiritale latrocinium.* Ita Henric. Quod quidem malum non ſolùm pullulauerat in Galliæ Epiſcopis, verum etiam multò ampliùs totam occupauerat Italiam. *Omnia quippe miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia.* Ita Glaber. Quod ſi iam Eccleſia potuit ad hunc deploratiſſimum ſtatum deduci, nonne adhuc ad illum deduci poterit? Certè qui tunc fuerit verus Eccleſiæ Paſtor, hæc Gregorij ſeptimi verba ad Lanfrancum apud Baronium, ann. 1703. Vſurpare meritò poterit: *Cogor*, inquiebat ille, *contra multos inſurgere, & eos in animam noſtram prouocare: Nam dum omnes ferè, ſicut ait Apoſtolus, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti quærunt, Regnorum Principes & huius mundi potentes, vt cupiditates ſuas expleant, legem Dei & iuſtitiam non iam negligenter deſerunt, ſed ſũmis conatibus impugnant; vt illud Prophetæ nunc ſub oculis videamus impletũ: Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Epiſcopi verò, & qui Paſtores animarum eſſe deberẽt, mundi gloriam & delitias carnis inſatiabili deſiderio proſequentes, non ſolum in ſemetipſis, quæ ſancta, quæque ſunt religioſa confundunt, & ſubditos ad omne nefas, operum ſuorum exemplo pertrahunt; quibus non contraire quàm nobis periculoſum, reſiſtere autem & eorum nequitiam refrenare, quàm difficile ſit tua prudentia norit.* Hæc Greg.

Ille autem pro tum Pontifex habebit æmulum nequiorem illo Cadolao Epiſcopo Parmenſi, qui contra Alexandrum 2. vt refert Baron. an. 1061. ſedem vſurpare volebat, cui Petrus Damianus Epiſto-A lam ſcripſit, vt eum à tali ſtulta cogitatione diſtraheret, hæc inter alia dicens: *Iuſto Dei iudicio, vt quiſquis Apoſtolicam ſedem ſemel comparat redimere, non deſinat donec malè pereat, Cathedram peſtilentiæ, preſſu. Anathemate tenet cum ſacerdotibus, Chriſti peremptoribus Fit tibi terra ferrea, cæli ſedes ænea. Diligenter intende qui dico.* Hæc Petrus Damian. Sed cum in vanum hæc protuliſſet, de tam nefario homine ita ſcribit ad Hildebrandum poſtea Pontificem: *Nunc etiam cum Simon ille veternoſus ſcilicet Trapezita malleum & incudem præparat, cum Romanã vrbem veluti officinam ſibi per monetarios peſtifera negotiationis vſurpat, quo vos Petrus vobiſcum fugiens intrabit, illic eſſe Romanam Eccleſiam omnibus indubitanter oſtendit.* Hæc Petrus Dam. apud B Baron. an. 1061. n. 27. ſignificans Alexandrum Papam poſt creationem ſuam timentes Romanos illos potentiores, qui Cadolao fauerent, ab vrbe fugam arripuiſſe. Ita Baro. Qualis autem fuerit ille Cadolaus habemus ex eodem Petri epiſtola ad Cuniperum Ianuenſem Epiſcopum. Talis nempe erat qui luxurioſis & immundis omnem licentiam eſſe daturus, vt ab eo Cadolaitæ nuncupari poſſent non autem Nicolaitæ. *Sed nec accidit*, inquit, *vt hoc inſigne vocabulum nouum, ſi præualeat, acceperit incrementum: & qui hactenus dicti ſunt Nicolaitæ, amodo vocentur & Cadolaitæ. Speratur enim quia ſi Cadolaus, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, vniuerſali Eccleſiæ Anti-Chriſti vice præſidebit, ad eorum votum luxuriæ fræna laxabit.* Ita C Petrus Dam. 1. Credibile eſt nequiorem Cadolao tunc à ſchiſmaticis ſibi pro capite inſtitui, & Romam in deteriorem ſtatum deduci quàm fuit olim, dum Henricus tertius Romam adiit vt Gregorium ſeptimum expelleret, & Anti-Papam intruderet, Guibertum ſcilicet Archiepiſcopum Rauennatem, iam à Pontifice Romano depoſitum, & excommunicatũ, quem ſacrilega conſecratione Clementem tertium nuncuparunt, à quo anno ſubſequenti 1084. ipſe Henricus coronam ſuſcepit. *Cuius ſchiſmatici Anti-Papæ Cardinales erant*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius, apud Baron. an. 1084. n. 9. *ciues Romani vxorati ſiue concubinarij, barba raſi, & mitrati, peregrini oratoribus, Principes vero multitudini, Ruſticani Longobar-D dorum mentientes aſſerentes ſe Cardinales Presbiteros eſſe, quique oblationibus receptis indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum vſu nefario impudenter præſtabant, & occaſione cuſtodiendæ Eccleſiæ conſurgentes, intempeſtæ noctis ſilentio intra & citra eamdem Eccleſiam impunè homicidia, rapinas, varia ſtupra, & latrocinia exercebant: quos, vt diximus, beatus Pontifex ab eadem Eccleſia non ſine multa difficultate remouit, & cuſtodiæ curam honeſtis Sacerdotibus & Clericis commiſit & tradidit.* Hæc Anaſt.

Nonne igitur ex dictis veriſimile redditur, quòd ſi in hoc capite Spiritus ſanctus inter motiua, quibus Deus ad iram prouocatus ſtatuit hanc euertere ciuitatem, illud aſſignat, quod *Mercatores eius erant* E *principes terræ*; de nullo alio negotiationis genere loquitur quàm de iſto, vt pote magis attinente ad Eccleſiæ ſtatum, quem deſcribere intendit S. Ioannes, quàm quodcumque aliud negotiationis genus ad res Eccleſiaſticas minime pertinens, nec in aliquo reſpiciens euentus præcipuos Eccleſiæ euenturos, dum adhuc in hac vita peregrinatur aut militat. Quod ſi olim Roma perfidiæ ſuæ pœnas dedit, quia adhæſerat Anti-Papæ, dum in illius vrbis partem Robertus Guiſcardus Normanorum Dux ignem immiſit, in auxilium Gregorij ſeptimi veniens, vt refert Baron. an. 1084. cur non propter inſigniorem perfidiam tandem tota combutetur? Optimè ſiquidem Olim Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcribens ad Simeonem Bulgarorum Regem, apud Baron. an. 917. dixit: *Caue enim putes idem tibi*

Digitized by Google

planè licere in ſanctiſſimum Pontificem Romanum, quod olim in me licuit, quem ludibrio habuiſti. Si quid in eam commiſeris, non impunè feres Apoſtolorum primores, quorum ille ad aras quotidie litat, iratos in te oculos conjicientes; quaſi propriam iniuriam, contemptum illius vltum ibunt. Subeat animum Ananiæ & Saphiræ caſus, quos obiurgatio Petri neci dedit. Menti obuerſetur Elymæ magi paulo contradicentis cæcitas. Hæc Apoſtolicæ indignationis monumenta cogitantem, excipiet te, certè ſcio horror quidam & pauor ſalutaris; nec permittet vt Beatiſſimi Papæ monita deſpicias. Hæc ille Nicolaus.

Cuius dicta ſatis comprobat infauſtus Bardæ Cæſaris exitus, propter iniurias ſanctæ ſedi illatas. Vidit enim ipſe Bardas ſanctum Petrum in ſomnis (ad cuius pedes proſtratus erat Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus; conſolationem ab eo petens in multis quas patiebatur afflictionibus) clamantem: *Aſſume Bardam iſtum execrandum, & extra ante atrium Eccleſiæ illum membratim concide quam primum. Quod reuera factum eſt: nam à militibus in Thracia diſcerptus fuit; deinde genitalia ipſius membra haſta appenſa per exercitum traducunt.* Ex Niceta Baron. an. 867. n. 81.

Ex his quæ diximus, ſatis, vt opinor, probabilis redditur illa quam adduximus coniectura, nempe ex iis quæ iam acta fuerunt prædici aut præuideri poſſe ea quæ futura ſunt. Nunc ad textus expoſitionem redeamus, conſtanter tenentes mercatores iſtos eſſe Principes terræ, iurium Eccleſiæ vſurpatores, & priuilegiorum illius infractores; & negotiationem illorum, propter quam Deus Romanam ciuitatem cum illis negotiantem ſubuertet, nullam aliam eſſe quàm pacta Simoniaca, & rerũ ſpiritalium venditionẽ & emptionem. Omnia enim apud ſchiſmaticos & hæreticos Eccleſiæ perduelles & rebelles erunt tunc venalia: & propterea euertetur. *Quia*, inquit, *mercatores tui erant Principes terræ.* Qui flebunt & lugebunt ſuper illam, *quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Ac ſi diceret S. Propheta: Quæritis à me quæ cauſa luctus ſit Regibus & Principibus terræ ſuper vrbem Romanam, cum ſubuertetur; dico vobis cauſam luctus eorum fore quià nemo cum Romanis & Pſeudo-Eccleſiaſticis amplius de venditione & emptione rerum ſacrarum tractare, aut pacta inire poterit.

Qua ratione fieri poterit vt ſchiſmatici & Eccleſiæ rebelles de bonis temporalibus Eccleſiæ diſponere ampliùs ad libitum non valeant, poſtquam ſemel Roma occupata fuerit, & deſtructa ab Anti-Chriſti ſatellitibus?

ANNOTAT. VII.

CVM ſemel Anti-Chriſtus in poteſtatem ſuam redegerit reliquias Imperij antiqui Romani in occidente, Roma videlicet ſede vſurpatoris illius capta & deſtructa, tunc eleuabitur cor eius, vt de Nabuchodonoſor dicitur, Iudith. c. 1. Victo Arphaxade Rege Medorum; & nulla poteſtate terrenâ ei obſiſtente, cœlum oppugnare incipiet. *Licèt enim*, vt docet Viegas, Comm. 3. in c. 18. in Apocalypſ. ſect. 6. *In occulto aliquod dæmonium colat, cui apud Danielem nomen eſt MaoZin, id eſt fortitudines, palam tamen ab omnibus coli & adorari volet, ſibique altaria & templa erigi & conſtrui decernet, aut erecta dedicari.* Quod per miniſtros & procuratores ſuos perficere conabitur, (ex S. Hyppolito, oratione de conſummatione mundi) qui magna voce clamabunt per vniuerſas orbis partes: *Magnus Rex natus eſt ſuper terram. Venite omnes ad eum adorandum. Properate omnes ad ſpectandas vires potentiæ eius: En vobis ille præſtabit* A *frumentum, vinum largietur opes pretioſas, & ſublimes dignitates præſtabit: eius namque imperio omnis terra, màreque obtemperat. Ad illum omnes accedite.* Ita Hyppolitus. Qui etiam addit: *Præterea ipſi dæmones ſplendentium Angelorum ſpeciem referentes, eumque diuinis laudibus & honoribus celebrantes, & aliquando in cælum euehentes, deinde ingenti pompa & ſpectantium ſtupore de cælo in terram deducentes.* Hæc Hyppolitus. Quæ ſi fiant, nonne veriſimile eſt, quod ipſe homo impius & iniquus, qui extolletur ſuper id omne quod colitur, aut dicitur Deus, non eſt permiſſurus vt alius præter ſe ſolum adoretur & colatur? Et ſic per vniuerſas orbis regiones, vbi longè lateque dominabitur, ſi quæ ſint loca cuicumque Deo, vero, aut falſo conſecrata; ſi qui ſunt theſauri. Ibidem repo- B ſiti: ſi quæ ſint prædia ad diuinum cultum, aut miniſtrorum altarium ſuſtentationem deſtinata, ea omnia non dubitabit arripere, itaut nihil relinquat Principibus, ſub eius tyrannide gementibus, de quo ad libitum diſponere valeant. Exinde fletus exinde gemitus: *Quia merces eorum nemo emet amplius.* Cogentur relinquere in prædam Anti-Chriſto quod impiè Chriſto Domino auferre voluerunt. Olim Caius Caligula, vt refert Suetonius, vt Deus coli & adorari voluit, & hac de cauſa ſibi templa conſtrui permiſit: quin & gratiſſimum illi fuit, quod Ægyptij in omnibus oratoriis Iudæorum ſuam ſtatuam erexiſſent, *vt augeretur conſecratorum templorum* C *numerus*, inquit Philo, de legatione ad Caium. Talia ab Anti-Chriſto fieri probabiliſſimum eſt. Vnde per miniſtros ſuos loca Deo conſecrata vſurpabit, præcipuè quia odio & furore nimio ad veri Dei cultum abolendum omnem ſuam operam & induſtriam collocabit, & in veri Dei locum ſubſtitui: vt ibi colatur ipſe, vbi Deus olim coli præcipuo honore & adorari voluit. Olim Nero, vt refert Tacitus, *Templa quæ Romæ conſtructa erant ſpoliauit, & quidquid auri ibidem erat abſtulit: quod Triumphis, quod votis omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacrauerat; ſed, quod magis eſt, per Aſiam atque Achaiam non dona tantùm ſed ſimulachra numinum abripiebantur, miſſis in eas prouincias* D *Acrato, ac Secundo Carinate. Ille libertus cuicumque flagitio promptus; hic græcâ doctrina ore tenus exercitatus, animum bonis artibus non in duerat.* Ita Tacitus. Non eſt exiſtimandum quod talia non perpetrent Anti-Chriſti ſatellites, vt in ſatiabilem illius cupiditatem expleant, ſi expleri poſſet: quam tyrannidem pati principes terræ cogentur Statim atque Henricus octauus Rex Angliæ, pro Eccleſiæ Anglicanæ capite ſupremo haberi voluit, trecenta ſeptuaginta ſex Monaſteria deſtruxit, eorumque bona occupauit, Ex quibus fiſco Regio annuatim reddebãtur centum millia aureorum; & in aliis rebus quatuor centum millia aureorum ex iis bonis ſibi comparauit. Quomodo Anti-Chriſtus, (qui non ſolùm pro capite ſu- E premo alicuius Eccleſiæ, ſeu populi aliquam aliam ab eo deitatem colentis haberi volet; ſed qui ad hanc impietatem deducetur, vt velit ipſe adorari vt Deus Optimus Maximus,) loca Deo dicata non ſibi arrogaret? Certè ea ſibi vendicabit, ac ſi ſibi fuiſſent ſubrepta, & quaſi ad proprium Dominum redeuntia; & eo ipſo quo iſta deitati cuilibet fuerunt conſecrata, & ſibi eſſe dedicanda exiſtimabit. In hoc ſiquidem ſuam gloriam collocabit, vt vbi Chriſto Domino cultus fuit exhibitus, & vbi præcipuos honores à fidelibus recepit, ibi ipſe colatur & adoretur præcipuè. Quod cum præſtabit, Dæmon gloriæ Chriſti æmulus paria Chriſto reddere tentabit. Illius aduentu foras eiectus fuerat à Chriſto: nunc Chriſtum è propriis ſedibus deturbare putabit, cum vbi fuit adoratus, ibidem coletur Anti-Chriſtus.

Hac ratione apud principes terræ non erunt amplius Mercimonia, quibus emolumenta ſibi comparare valeant.

Merces auri & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci: & omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

Quis finis peſſimarum nundinationum rerum ſacrarum nempe theſaurizatio in terris, gula, luxuria, & ſeculi pompa ac ſuperbia.

ANNOTAT. VIII.

TACET equidem S. Ioannes de genere negotiationis, quod explorare non potuimus, niſi ex illo principio, quod in hac reuelatione ſolùm ea tanguntur, quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum pertinere poſſunt. Et ideo ſi de illo ſtatu fiat ſermo, dum de negotiatione agitur, de illa agendum erit, quæ inter Eccleſiaſticos haberi poteſt, in rebus videlicet Deo & eius obſequio conſecratis. Sed ſi taceat de genere negotiationis, ſaltem exprimit finem & ſcopum peſſimorum nundinatorum rerum ſacrarum, ſeu propter quod tantopere exoptant diuitiis Deo conſecratis ditari.

Ad tria potiſſimum temporalia Eccleſiæ bona ordinantur: ad Dei cultum: ad pauperum ſubuentionem: ad miniſtrorum Eccleſiæ honeſtam ac ſine ſuperfluitate & luxu ſuſtentationem: Sed heu quomodo iſta omnia ad alios fines extraneos omnino diſtrahuntur. Audiamus Petrum Damianum, Epiſtola ad Cardinales, poſtquam è ſtatu Monachi ad Cardina latum fuit promotus. Si illum attente audiamus, videbimus non abſque cauſa damnari, propter hos extraneos fines, negotiatio principum terræ cum Eccleſiaſticis. Nam cum negotiatio ſimplex non ſit damnabilis, cum hæc ita damnabilis cenſeatur, vt pro ea Romana ciuitas ſit euertenda: indicium eſt illam, de qua hîc mentio fit, includere in ſe aliquam intrinſecam malignitatem, propter quam damnanda ſit, & meritò reprobanda. Nam poſtquam ille dixit in ea Epiſtola. *Non ille ſolummodo dicendus eſt Simoniacus, qui dat vel accipit de ſacris ordinibus pretium: ſed qui vendit ſynodum, qui diſtrahit ſacerdotale iudicium.* Poſtea vt rem exemplo probet ait: *Vidi planè, dum Epiſcopatus officio fungerer, quemdam de fratribus noſtris (nomen quidem ſupprimo, vitium noto) qui ſic ſubſultabat atque gliſcebat, dum præfixum Synodalis Concilij tempus inſiſteret, ac ſi trituræ in fine vindemialis prouentus articulus immineret. Accingebat enim ſe muneribus colligendis, ad quæ vtique præſcindenda non aciem ferri, ſed falcem exacuebat Eloquij.* Ita Petrus.

Sed quo fine, quæſo, corradere pecunias Simoniaci expetebat? Addit idem Petrus: *Porro autem qui eiuſmodi ſunt, non ea ad hoc conquirunt, vt inopiam & indulgentiam naturæ neceſſitatum ſuſtentaculis fulciant, ſed vt turrita dapibus lances indica pigmenta redoleant, vt in Chriſtallinis vaſculis adulterata melle vina flaueſcant. Ad hoc certe ditari cupiunt, vt quodcumque deueniunt, præſtò cubiculum operoſis & mirabiliter textis cortinarum phaleris inueniant, ſicque parietes domus ab oculis intuentium tanquam ſepeliendum cadauer obuoluant. Mox etiam tapetis prodigioſas imagines præferentibus ſedilia ſternunt; περὶ πλάσματα laquearibus, ne quid occiduum dilabatur opponunt.*

Deinde clientium turba diuiditur, alij ſiquidem Domino ſuo reuerenter aſſiſtunt: nutumque eius, ſi quid fortè iubeatur, curioſa nimis velut rimatores ſyderum obſeruatione cuſtodiunt: alij Marthæ miniſterio dediti velut hirundines inquieti per diuerſa diſcurrunt. Inter has autem deliræ ambitionis inſanias, quid ſibi dorſalia quærunt, quæ à ſuis conſpici Dominis non merentur? Graue quidem diſpendium ſui patiuntur ornatus, dum in occipitio vel ceruicibus oculi non erumpunt. Et quàm vile diuitiarum genus, quod dum nullum vſum præter ſolam habeat pulchritudinem, ſpecie tamen ſua nequeat paſcere poſſidentem: alienorum nempe dumtaxat oculorum famulatur illecebris, cum non ad adſpectum, ſed poſt tergum ſui appenditur poſſeſſoris. Cui non diſſimilis & illa creditur eſſe dementia, dum lectulus tam operoſis decuſſatur impendiis, vt ornamentum ſacro-Sancti cuiuſlibet vel etiam ipſius Apoſtolici præcellat altaris. Et quàm videtur abſurdum vt veſtitus ille diligentiùs excolatur, vbi corruptibilis caro ſoporis quiete reſoluitur, quàm ara crucis, in qua videlicet hoſtia Dominici corporis immolatur. Hoc ergo modo, cum ſobrietas ſoleat commendare Pontifices, Cardinales effuſi facti ſunt Helluones. Regalis itaque purpura, quia vnicolor eſt, vilipenditur: pallia verò diuerſis fucata nitoribus, ac ſublimis lectuli deputantur ornatum: & cum domeſtici muricipes noſtris adſpectibus ſordeant, tranſmarinorum pelles (quia magno pretio coëmuntur) oblectant: ouium itaque ſimul & agnorum deſpiciuntur, & Ermelini Gibelinæ exquiruntur & vulpes. Ita Petrus Dam. Quod ſi aliquando in prælatis in fide & in obedientia ſanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ permanentibus, fieri poteſt vt tam prauis intentionibus ducti ad dignitates Eccleſiaſticas adſpirent, vt pinguem Chriſti hæreditatem deuorent: quid ſperandum eſt de hæreticis & ſchiſmaticis? Nonne diducto ore ad hæc inuadenda inhiabunt? Quod ſi Catholici ad hoc ditari cupiunt, vt, inquit Petrus Damian. *obtineant per beneficia Eccleſiaſtica, illa omnia, quæ commoditati vitæ, vanitati ſeculi plurimum ſuppeditant rerum abundantiam:* certe credibile eſt hos mercatores peſſimos parem habere intentionem, nec vendere aut emereres ſacras alio fine ducti, quàm vt in voluptatem & vanitatem ea omnia conſumant.

Prima igitur intentio iſtorum mercatorum, dum de rebus ſacris diſponere volunt, & ea emunt aut vendunt, non eſt vt ratione muneris & officij aliquid fiat, quod ad Dei gloriam cedat: de hac nullo modo cogitant: at potius vt auaritiam & cupiditatem ſuam expleant, aggregando diuitias, & theſaurizantes theſauros in terra, contra Chriſti conſilium dicentis: *Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur, &c.* Matt. 6. Hanc auaritiam deſignat S. Ioannes ſub his verbis: *Merces auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ.* Hæc enim potiſſimum in theſauris reconduntur, quia corruptioni non ſubiacent. Talis erat ille, de quo ſupra Petrus Damianus, *qui ſe accingebat muneribus colligendis*, vt ſcilicet diteſceret, & diuitias accumularet.

Secunda intentio mercatorum impiorum eſt vanitas in ſupellectilibus domus, & in veſtimentis, quæ manifeſtabatur in pretioſa ſupellectile quam arguebat ſupra Petrus Damianus: & deſignatur à S. Ioanne in his verbis: *Et margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, & omne lignum thyinum,* (id eſt, lignum odoriferum, vt Cedri, Cupreſſi, Pini) *& omnia vaſa Eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro & marmore.*

Tertia praua intentio eſt vt obtineant quæ con-

Digitized by Google

ducunt non ſolùm ad vitam commodè tranſigendam, ſed etiam ad vitam voluptuoſè ducendam inſeruiant, vt ſunt ea quæ quinque ſenſibus delectabilia ſunt, quæ guſtum acuunt, recreant adoratum, carnis aſperitatem & rigiditatem auferunt, vt ad motum membra ſint aptiora; quæ aërem à fætore expurgant, quæ guſtui ſunt ſuauia, quæ abundè nutriant; quæ ad onera portanda, vel etiam vt iucundè huc & illuc diſcurrere valeamus, plurimum iuuant. Hæc omnia deſignantur à S. Ioanne in his verbis; *Et cinnamomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum.*

Quarta denique intentio iſtorum eſt, vt in plures dominentur, quæ deſignatur à S. Ioanne, cum addit: *Et mancipiorum, & animarum hominum*; vt duplicem deſignet dominationem. Prima eſt in corpora, qualem habent ij qui aliquos tanquam captiuos detinent, tanquam vilia mancipia; Alia eſt in voluntates hominum: nihil enim adeo appetunt homines ambitioſi, quàm vt plures ſint qui voluntariè illorum mandatis obtemperent: quam intentionem non tacuit ſupra etiam Petrus Damianus.

Denique nihil aliud appetunt quàm vt nihil eis deſit, omnia abundè illis ſuppeditentur. Hinc addit S. Ioannes: *Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, &c.* Sed vt autoritatem conciliemus iis quæ mox diximus, Primaſium & Ambroſium in hunc locum audiamus.

Primaſius igitur ait: *Enarrat proinde ſi qua humanis ſenſibus neceſſaria, ſi qua ſæcularibus nouit vtilitatibus à cupidis & carnalibus magnopere concupiſci; ſed & illa, quæ notiſſimis quinque ſenſibus carnis delectabiliter nouit hauriri, eaque pronunciat futura, &c.*

Ambroſius: *In omnibus quæ enumerata ſunt, auaritia Babylonis, atque luxuria condemnatur. Nam & in iudicio Dominus non dicet reprobis ite maledicti in ignem æternum. Homicidæ fuiſtis, ſuperbi, fornicatores, adulteri; ſed dicet: Eſuriui, & non dediſti mihi manducare: ſitiui, & non dediſti mihi bibere; & cætera miſericordiæ opera, à quibus auaritia retrahit reprobos, ne miſericordes ſint erga pauperes. Auaritia quippe nutrix eſt luxuriæ: nutrimenta autem luxuriæ in hoc loco deſcripta ſunt, quibus ab auaritia nutritur. Et ſi diligenter inſpicere voluerimus, inueniemus omnia, quæ in hoc loco ad auaritiam ſiue luxuriam Babylonis demonſtrandam enumerata ſunt, ad quinque corporis ſenſus pertinere. Quinque enim ſunt corporis ſenſus, id eſt, viſus, auditus, guſtus, adoratus, & tactus, quos Deus hominibus & animalibus dedit: animalibus ad vitam ſuam tantummodo tuendam: hominibus autem, & ad vitam tuendam, & vt per eos ratio animam, quæ illi commiſſa eſt, per viam rectitudinis poſſet ducere. Iuſti itaque, qui per hos quinque corporis ſenſus ſecundum rationis rectitudinem incedere ſtuduerunt, amicitiam ſibi Dei omnipotentis acquiſiuerunt. Impij verò, qui rationis bonum in malum peruertentes, hoſque corporis ſenſus luxuriæ & cæteris vitiis ſeruire coëgerunt, iram nihilominus iuſti iudicis incurrerunt. Igitur ſi ea, quæ inſequentibus ſcripta ſunt, voces ſcilicet citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium & tubâ, cum iis coniungere volueris, inuenies omnes diuitias Babylonis, quæ hic deſcriptæ ſunt, ad quinque corporis ſenſus, vt ſupra diximus, pertinere. Aurum namque & argentum, & lapides pretioſi, & margarita ad viſum; byſſus & purpura & coccus ad tactum; cinnamomum & odoramenta, & vnguenta, & thus ad odoratum; Vinum, oleum, ſimila, triticum, & cætera ad guſtum; Vox citharœdorum & muſicorum, & tibiâ canentium, ad auditum pertinent. Damnatio ergo Babylonis, ſicut ex ſcriptura demonſtraui, maximè in diuitiis conſiſtit, eoquod diuitiæ nutrimenta, ſunt vitiorum, & ex quibus auaritia, quæ modo regina mundi dici poteſt, luxuriam ſuam alit.* Ita Ambroſ.

Ad hunc finem igitur conſequendum hæ peſſimæ nundinationes fuerunt introductæ inter ſchiſmaticos, tum Eccleſiaſticos, tum principes terræ: propter quam peſſimam nundinationem hæc poma deſiderij illorum diſceſſerunt ab ea ciuitate. In pomis ſiquidem tria videmus ineſſe, propter quæ appeti poſſint: pulchritudinem in colore, ſuauitatem in odore, delectationem in guſtu. Sed auferetur ab eis quicquid viſui erat iucundum, quidquid odorabant, vt vtilitati ſuæ commodum, & eis lucrum aut emolumentum allaturum: nihilque fætidum exiſtimabant, modò illud eſſet lucratiuum, eadem auaritia repleti qua olim impulſus erat ille Imperator Veſpaſianus, qui ex lotio & vrina quæſtum quærẽs dicebat: *Bonor odor lucri*: ita etiam quamuis apud Deum ex Simonia ingens fætor oriatur, tamen iſti ad lucrum ex tam infami nundinatione adſpirant, quaſi bono odore attracti currant in odorem, non virtutum agni, nempe Chriſti, ſed bonorum terrenorum, quæ ad eius cultum, & membrorum ſuorum alimoniam conſecrata erant. Hæc lucrandi occaſio hic odor Pomorum ab eius auferetur, quin & omnia, quæ illis delectationem aliquam ſenſualem ad tactum, aut guſtum ingerebant, etiam auferentur. *Et omnia pinguia*, inquit, *& præclara perierunt à te*: & amplius illa iam non inuenient, quibus pinguiora & meliora plærumque non ſufficiebant. Et victui neceſſaria ipſis deerunt, quæ cupiditati explendæ, inſanæ vanitati, immoderatæ arrogantiæ, & ſuperbiæ & luxuriæ non erant ſatis, ſed tantum conducebant vt vitam in otio & acedia tranſigerent. Hæc ita euaneſcent, vt nec illorum omnium quoddam appareat veſtigium, nulla ſpes fulgeat ad illam proſperitatem, & otioſitatem, in qua conquieſcebant redeundi. *In poſterum*, ait Andreas Cæſar. *mortalium animas non amplius emet, neque liberos homines in ſeruitutem rediges, neque in pinguibus illis & ſplendidis, in quibus olim volutabaris, poſthac volutabere, aut quidquam ex eis ad vſum habebis.* Ita Andr. Cæſ. Vnde ſequitur.

Mercatores horum, qui diuites facti ſunt ab ea, longè ſtabunt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ, væ, illa ciuitas magna; quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis: quoniam vnâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Id eſt: Principes terræ, qui ex venditione bonorum temporalium Eccleſiæ, quæ ſub ditione eorum erant, plurimas diuitias in theſauris ſuis repoſuerant: qui ex bonis cultui diuino & Chriſto dicatis diuites facti fuerunt, nunc ſe nullam habere confœderationem cum illa ciuitate, cum qua hanc exercebant negotiationem, profitebuntur. Scientes quippe quomodo conſenſerunt impiis ipſius ſceleribus, imminentem cladem ab Anti-Chriſto ſibi inferendam pertimeſcent. Vnde nec illi ſuppetias ferre contra Anti-Chriſtum audebunt; longè ſtabunt propter timorem tormentorum eius, ne in eius ruina inuoluantur. Solæ reſtabunt lacrymæ, ſoli reſtabunt pectoris gemitus, & voces queruloſæ.

Væ, væ, dicent, illa ciuitas magna, quæ tam delicatè veſtiebatur, tam pretioſè ornabatur, tam ſuperbè de ornamentis ſuis ac decore ſuo gloriabatur, quoniam vna hora deſtitutæ tantæ diuitiæ. Ita eſt. Ciuitas iſta, quæ corpus ſuum demulcebat delicatis veſtimentis, byſſo induta, quæ ſe Reginam & independentem à quacumque poteſtate ſpiritali exiſtimabat, purpurâ cooperta, quæ voluptatibus erat inebriata, vnde purpurâ bis tinctâ ſeu cocco operiebatur; quæ tam arroganter incedebat auro

Digitized by Google

& lapide pretioſo circumdata, quæ ſe ſingularem, & nullam ſibi comparandam putabat, margaritis & vnionibus vndique cincta; nunc quàm crudeliter vexatur, pedibus conculcatur, anguſtiis & amaritudinibus repletur, ad terram vſque deuoluta, in cinerem imo ad nihilum reducta eſt. In vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Hoc promeruit: nam byſſum iuſtificationis ſanctorum in aſtutiam peruerſum commutauit, & induens ſe maledictione tanquam veſtimento, purpuram zeli honoris Dei in apertam & impudentem inobedientiam & rebellionem permutauit, dixitque: *Non ſeruiam.* Coccum charitatis Dei & proximi in carnis & terrenorum amorem conuertit. Aurum ſapientiæ, qua terrena olim deſpiciebat, vt guſtaret æterna, in prudentiam carnis animalem, terreſtrem, diabolicam, cum hypocriſi & indicibili ſuperbia coniunctam commutauit. Lapides pretioſos virtutum, & actiones bonas, quibus oculos omnium ad Deum attrahebat, in peſſimam & determinatam voluntatem peccandi, vt pote quæ lætetur cum malefecerit, & exultet in rebus peſſimis, immutauit. Denique margaritam perfectionis Euangelicæ in ſingularitatem quamdam præſumptuoſam permutauit. Hac de cauſa, quia paruipendit & pro nihilo duxit fuiſſe ſe à Deo conſtitutam, vt eſſet ſedes Pontificia, & Religionis Chriſtianæ domicilium, itaut facilè potuiſſet euehi in cognitionem virtutum, quæ omnibus Chriſtianis neceſſariæ ſunt, ex contemplatione pulchritudinis ornamentorum ſacerdotalium; cum videre poterat ſacerdotes pretioſis ac myſticis indutos veſtibus, veluti olim Aaron, quem Deus voluit pretioſis indui veſtimentis; cum ad altare ſcilicet Deo ſacrificia offerrent, aut in Eccleſia laudes diuinas decantarent, aut ſacramenta adminiſtrarent aut cætera exercerent Pontificum ac Sacerdotum munia; hac de cauſa inquam grauiter plectetur. Eſt ſiquidem Eccleſia, de qua dicitur Pſ. 44. *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Qui exterior ornatus, pulchritudinis interioris eſt indicium, de qua dicitur: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* O cæci nimis Romani ciues qui in opibus & diuitiis, quibus abundabat Eccleſia Romana, animaduertere non potuerunt Iſaiæ Prophetiam adimpletam. cap. 60. *Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Gloria libani ad te veniet. Abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſraël. Pro eò quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.* Ita Propheta Iſ. Cæci, inquam, Romani, qui hæc animaduertere non potuerunt, ſed in mentem ſuam induxerunt Eccleſiam ſuis ornamentis eſſe ſpoliandam. Eſto plurimi ſacerdotes, ac altarium miniſtri his abutantur, tamen quia Deo erant conſecrata, illibata eſſe debebant, nec ſacrilega manu dilapidari. Sed gloriam ſuam agnoſcere non potuerunt, & detracta ſibi è capite coronâ, cum ab obedientia ſummi Pontificis diſcedere voluerunt, nunc propter tantum ſcelus illorum ciuitas funditùs eſt euerſa, & duplici væ videtur perculſa; primo, quia ſpoliabitur illo

A decore & ornatu, quo induebatur in perſona ſummi Pontificis, & ſacerdotum miniſtrantium Deo; ſecundò, quia cum bona Eccleſiæ ſibi arrogare præſumpſerat, vt illa in vanum, & ſuperfluum, & luxurioſum vſum conuerteret, his omnibus ſpoliabitur. Væ, væ, quoniam vnâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ.

QVARTA PARS HVIVS CAPITIS.

Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nauta, & qui in mari operantur, longè ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari, de pretiis eius: quoniam vnâ horâ deſolata eſt.

B

Quinam ſint gubernatores, & in lacum nauigantes, & nautæ, & qui in mari operantur?

ANNOTAT. IX.

C NOTANDVM pro explicatione literæ, ex Cornelio, in hunc verſiculum: *Et omnis qui in lacum nauigat. Græcum,* inquit, *πλοῖον magis parua nauigia ſignificat, qualia ſunt in lacubus: Et quia paulo poſt de marinis ſequitur: Et qui in mari operantur. Rectè ergo noſter hæc de lacubus accipit, licèt id in græco disertè non exprimatur.* Ita Cornel.

Agitur autem hîc de tertio genere hominum, qui lugere debent ſuper deſtructionem ciuitatis magnæ. Sed difficultas eſt an ad literam de gubernatoribus nauium, nautis, & remigantibus, hic textus exponi debeat, an myſticè quoſdam debeamus intelligere. Ad literam exponit Rupertus: *Omnes omnino,* inquit, *tam Reges quàm nautæ, ſiue gubernatores; tam nautæ quàm negotiatores, longè ſtabunt, non tam loco,*
D *quàm defectu cordis, & animo inualido: quia videlicet nec Reges tunc arma vel exercitus ad pugnandum, neque Nautæ remos ad nauigandum, neque negociatores inſtitas colligendas ſarcinas habebunt: nam & iumentorum, & equorum, & rhedarum ſubſidia cuncta deerunt. Notandum interea quia Paſtores aut ruricolæ fletum hunc & luctum habituri non ſcribuntur: quia videlicet ſimplicis vitæ officia ſunt, magiſque neceſſario vſui quàm ſuperfluæ cupiditati famulantur. Ab eius modi fletu & luctu rectè nimirum nautæ non excipiuntur, quia non nihil, & ipſi vident & gloriantur dum remigant, & proſpero per maria curſu feruntur,* &c.

Poſſe etiam ad literam exponi arbitratur Andreas Cæſarienſis, quamuis & myſticum ſenſum admittat.
E *Etſi,* inquit, *præſens vita mare per metaphoram appellatur, vt quæ fluctibus & tempeſtatibus ſit plena, & quotquot in ipſa negotiantur curis & ſolicitudinibus, quas ipſa affert, haud ſecus fore iactentur, atque piſces, qui in pelago natantes vndis procelliſque iactari ſolent; attamen non eſt à vero alienum, ciuitatem, quæ iſthæc incommoda perpeſſura hîc traditur, quampiam ex earum numero eſſe, quæ vero mari adiacens, ea quæ mare ſulcantes important ſuſcipere aſſueta erat: quæ ſua proinde ſolitudine & vaſtitate nautis & mercatoribus iuſtam luctus materiam ſit paritura, dum ſub ſeculi finem oracula hæc conſummabuntur. Lugebunt enim, & lamentabuntur, nullam admittentes conſolationem, cum à vita huius voluptatibus & delitiis ſeſe vel inuitos abduci, ſtimuliſque conſcientiæ propter flagitia perpetrata citra intermiſſionem compungi animaduerterint.* Hæc Andreas Cæſar.

Digitized by Google

Sed, vt verum fatear, mihi perſuadere non poſſum hæc ad literam de Nautis aut remigantibus in mari hæc eſſe exponenda. Ratio eſt, quia expoſitio debet eſſe de iis, quæ immediatiùs & propinquius pertinent ad ſtatum Eccleſiaſticum, quia de ſtatu Eccleſiæ propriè & præcisè tractat S. Ioannes. At quid attinet ad ſtatum Eccleſiæ, ſi ciuitate aliquâ maritimâ deſtructâ, lugendi cauſam habeant operantes in mari, quia lucrandi plura ocaſionem perdiderint? Deridet meritò & rejicit S. Hieron. verſum 28. capitis 27. Ezechiel exponens, eos qui gubernatores nauium, & Nautas, & remiges, de quibus loquitur in hoc capite Ezechiel, myſticè interpretantur de Epiſcopis & Sacerdotibus. *Quidam*, inquit S. Hieron. *ridiculè gubernatores, Epiſcopos hæreticorum; Conſiliarios, Presbyteros; proretas, Archidiaconos: remiges atque Nautas, Diaconos interpretantur. Rectores verò ad ſanctum populum referunt. Quod ſi addidiſſent Nauclerum diabolum impleſſent tragædiam. Qui omnes eiulabunt pariter poſtquam ſenſerint naufragium nauis ſuæ, & in terra ſteterunt, omnemque decorem falſi nominis ſcientiæ amiſerunt, & pro gaudio atque lætitia, in cordis amaritudine pœnitentiam mœrore ſignauerunt.* Ita S. Hieron. Ezechiel namque verè loquitur de euerſione vrbis Tyri maritimæ & opulentiſſimæ. *Quæ habitabas*, inquit Ezechiel, *in introitu maris negotiationi populorum ad inſulas multas.* Id eſt: ideo conſtructa fuerat, vt ab ea ad inſulas maris populi vicini naues ſoluerent, ad mercimonia ſua huc atque illuc transferenda; & viciſſim ex aliis regionibus plura etiam adducerentur, quæ enarrat Propheta. *Carthaginenſes*, inquit, *negotiatores tui: à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque repleuerunt nundinas ſuas, Græcia, Thubal, & Moſoch. Ipſi inſtitores tui mancipia & vaſa ærea aduexerunt populo tuo de domo Thogorma, equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum. Filij Dedan negotiatores tui. Inſulæ multæ negotiatio manus tuæ. Dentes eburneos, & hebeninos commutauerunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus. Propter multitudinem operum tuorum, gemmam & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum, & chochod propoſuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui. In frumento primo, balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.* Et cætera huiuſmodi ex aliis regionibus ibi adducebantur. Vnde non mirum ſi cum euerſa fuit ob ſuperbiam ſuam, quia dixit: *Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita*; & ob regis ſui impietatem, de qua c. 28. Ezechiel ait: *Fili hominis, dic Principi Tyri Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedi in corde maris; cum ſis homo & non Deus, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei*; tunc & Nautæ, & remiges, & Nauium gubernatores lugendi occaſionem aſſumunt. Vnde de eis dicit Ezechiel: *Et deſcendent de nauibus ſuis omnes qui tenebant Remum; nautæ, & vniuerſi gubernatores maris in terra ſtabunt, & eiulabunt ſuper te voce magna: & clamabunt amarè, & ſuperiacent puluerem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur. Et radent ſuper te caluitium, & accingentur ciliciis, & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amariſſimo*, &c. Quia reuera iſti omnes in euerſione & ruina huius ciuitatis Tyri multa pati debebant bonorum temporalium detrimenta. At alia eſt ratio ciuitatis huius: alia eſt ratio Babylonis myſticæ. Illa ad literam eſt intelligenda: hæc myſticè eſt interpretanda. Sicut enim Babylon ponitur in myſtico ſenſu pro ciuitate Romana ſchiſmatica futura, vt fusè ſupra diximus; ita nec mercatores eius, nec Nautæ, nec gubernatores nauium ad literam intelligendi ſunt, ſed myſticè. Hac de cauſa,

Ambroſius primo in myſtico ſenſu hunc locum A accipiens ait: *Poſſumus per mare hoc ſeculum, per gubernatores verò principes iniquos intelligere: per eos autem qui de loco ad locum nauigant, & per Nautas qui in mari operantur, eos qui diuerſa officia ad deprædationem pauperũ, & ad peccata ſua quotidie augenda in mundo exercent.* Ita Ambroſ. Sed ne fiat repetitio inutilis aut ſuperflua, ſi iam de principibus egit S. Ioannes ſub nomine mercatorum terræ, probabile eſt alios ſub nomine gubernatoris nauium aut Nautarum deberè ſub intelligi. Ideo meliùs, vt arbitror, Dionyſ. Carthuſ. dum hæc ad principes Eccleſiaſticos extendit.

Et omnis gubernator, inquit Dionyſ. Carthuſ. *ſcilicet in temporalibus, vel in ſpiritualibus præſidens, vt Epiſ-* B *copi & principes ſeculares: Et omnis qui in lacum, id eſt in mundo nauigat, vel in aqua, vt qui ad maiora adſpirant, & in præſenti vita exaltari affectant: Et nautæ, qui in mari operantur. Per Nautas intelligi poſſunt, vel qui nauem Eccleſiæ regere habent, vel qui nauigia dirigunt. Vel mare quoque intelligitur, vel ſeculum nequam, vel qualibet congregatio aquæ, in qua homines lucris inſiſtunt.* Ita Dionyſ. Dilucidius hæc exponit S. Thomas cum ait: *Item hæc tria ſic poſſunt diſtingui, vt gubernator dicatur maior rector in naue: Nauigatores autem lacus & Nautæ dicantur minores, qui non ſunt ita periti, vel ſi ſunt ita periti, non ſunt in tanto regimine principales: tales autem nauigant in aqua minori, vt in ſtagnis, & huiuſmodi: vnde dicit: Et omnis qui in lacum id eſt, per la-* C *cum nauigat, aut in maiori, vt in mari: vnde ſequitur: Et nautæ, qui in mari operantur: trahendo merces cauſa lucri. Aliqui libri habent: Et qui operantur in mari. Et tunc Nautæ ſunt alij quam operantes in mari: vt ſit ſenſus: Et qui operantur in mari, pugnanda ad lucrum, vel rapiendo, ſicut ſunt piratæ, & alij, qui in aqua alios expugnant vel expoliant: iſti prædicti longè ſteterunt, id eſt, longè ſtabunt pro voto, licèt non re. Nota quod gubernatores poſſunt intelligi Prælati, qui iam ſunt indignitate optata. Nauigantes autem lacus & Nautæ, ſunt illi qui adſpirant ad hoc. Sed hoc poteſt eſſe dupliciter, vel appetentes aliquid determinate, vt Epiſcopatum: tales ſignantur per nauigatores in lacu: Vel aliquid indeterminate, & hi ſignantur per Nautas in mari, quod habet maiorem latitudi-* D *nem & terminos diſtantes multa reuera operantur multi in mari & voragine honorum, vt obtineant. Bernardus in tertio libro de conſideratione. O ambitio, ambientium crux! Quomodo omnes torques, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil moleſtiùs inquietat: nihil tamen apud miſeros mortales crebriùs negotiis eius: Vel per gubernatores, & nauigatores lacus, & nautas operantes in mari, poſſunt intelligi Prælati maximi, infimi, & mediocres, ſe & alios in cupiditate malè regentes. Hi omnes horrebunt viſâ pœnâ inferni, & plangent euacuationem eorum quæ dilexerunt.* Ita S. Thom.

Iuxta mentem igitur S. Thomæ, per gubernatores intelligo maiores Eccleſiæ Prælatos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos: Per eos qui in E minoribus nauigant, Abbates, Priores, Rectores: & per Nautas, qui in mari operantur, verbi Dei Præcones, Sacerdotes, Confeſſores, & alios Eccleſiæ miniſtros. Hi enim ſunt qui maximè dolere debebunt in euerſione ciuitatis Romæ, vt pote quorum cauſa agitur, dum ſedes Religionis Chriſtianæ contaminata fuit ſchiſmate, facta eſt habitatio dæmoniorum: ſacrilegorum, & ſimoniacorum, & ſchiſmaticorum facta eſt receptaculum, & ex domo orationis tranſiuit in domum peſſimæ negotiationis & tandem in punitionem ſceleris funditus euertetur.

Quod autem hæc maris, nauium, & nautarum expoſitio congrua ſit, vel & iſtud patet ex epiſtola ſancti Bonifacij Germaniæ Apoſtoli ad Cuthbertum Archiepiſcopum Anglicanum, dum ait: *De cætero,*

Digitized by Google

frater cariſſime, quia nobis æqualis labor & maius periculum imminet quàm cæteris ſacerdotibus, quia canones antiqui præcipiunt vt omnes ſciant Metropolitanum ſolicitudinem totius prouinciæ gerere: & vt verbi gratia, dicam ſicut timeo, nauim gubernandam inter fluctus feri maris ſemel ſuſcepimus, quam nec cautè regere, nec ſine peccato dimittere valemus. Quia vt quidam ſapientium dicit, ſi periculoſum eſt nauem inter fluctus cautè non regere, quanto periculoſius eſt eam vndis tumeſcentibus fluctuantem in tempeſtate relinquere? Et idcirco Eccleſia, quæ velut nauis magna per mare mundi huius nauigat, diuerſiſque tempeſtatum fluctibus in hac vita tunditur, non eſt tamen relinquenda, ſed regenda. Ita Bonifacius. Et hic vides Eccleſiam per nauim, & Eccleſiæ Paſtores per nauium gubernatores poſſe intelligi. Sed hoc longiori probatione non indiget, ſi præcipuè recordemur nauem Petri Chriſtum conſcendiſſe, ſymbolum Eccleſiæ quam illi regendam traditurus erat.

De fletu & planctu Paſtorum Eccleſiæ, ob deſolatam & euerſam ciuitatem Romanam ſchiſmaticam.

ANNOTAT. X.

POSSVNT hæc exponi de Catholicis Eccleſiæ Paſtoribus, qui tamen peccatorum colluuie & multimoda morum corruptione, Dei iram in ſe excitarunt, communionem nihilominus cum Apoſtolica ſede ſartam tectamque conſeruantes, qualem eſſe ſeruandam decreuerunt Epiſcopi à Bonifacio germanorum Apoſtolo congregati, in concilio, quod ipſe indixit vi literarum Apoſtolicarum Gregorij 3. an. 740. *Decreuimus*, inquiunt, *in noſtro Synodali conuentu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & vnitatem & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſeruare ſancto Petro & Vicario eius* (*Sic*, inquit Baronius, *vſurpatur impropriè vox iſta* (*Vicarius*) *vſu loquendi huius temporis, quod loco Petri Chriſti vicem Papa gerat in terris.*) *Velle ſubijci; ſynodum per omnes annos congregare: Metropolitanos pallia ab illa ſede quærere; & per omnia, præcepta ſancti Petri canonicè ſequi deſiderare, vt inter oues ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni vniuersè conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus ſancti Petri Principis Apoſtolorum direximus.* Ita Concil. Quod gratulando Clerus Romanus & Pontifex ſuſcepit; Si igitur de iſtis Epiſcopis afflictionibus & vexationibus purgandis ob multa peccata, & correctione diuina emendandis loquimur, hoc modo textum huius Prophetiæ exponimus.

Et omnis gubernator. Non ſolùm Reges & Principes terræ lugebunt ſuper illam ciuitatem, ſed etiam Eccleſiaſtici Principes, vt Patriarchæ Archiepiſcopi Epiſcopi, non modò maiores Eccleſiæ prælati, ſed & illis inferiores, vt Abbates, Priores, Decani, Rectores. *Et omnis, qui in lacum nauigat*, ſed potiſſimum *Nautæ, qui in mari operantur*, nempe Sacerdotes, Confeſſores, verbi diuini Præcones, qui plurimum laborant in Euangelio; *hi longe ſteterunt*, nam toto corde à ſchiſmate huius ciuitatis ſemper adhorruerunt; eique quantum in ſe fuit reſtiterunt; ſed inualeſcente rebellione dici non poteſt cum quanto zelo & fidei ardore tantum crimen damnauerunt; nec ſic tantùm, odio & auerſione tanti ſceleris à longe ſteterunt, ſed & iuxta Chriſti conſilium exierunt è medio ſchiſmaticorum, & in deſerta & montes, & ſolitudines ſeſe abdiderunt imitantes Mathatiam, qui occiſo Iudæo idolis ſacrificante, & viro quem Rex Antiochus miſerat, qui cogeret immolare; exclamauit voce magna in ciuitate dicens: *Omnis qui Zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me. Et fugit ipſe & filij eius in montes, & reliquerunt quæ-*
A *cumque habebant in ciuitate* 1. Machab. 2. iuxta Anathematis ſententiam ab ea vrbe diſcedentes, quæ ſimilis erit illi ſententiæ excommunicationis latæ à Clemente ſeptimo in Henricum octauum Regem Angliæ, in qua expreſſis verbis Papa præcipiebat Prælatis, & quibuſlibet perſonis Eccleſiaſticis, vt quàm citò fieri poſſet, ab illo regno, & ab omni ditione Regis Henrici diſcederent, vt refert Nicolaus Sanderus, lib. 1. de ſchiſmate Anglicano.

Et clamauerunt, videntes locum incendij eius, dicentes. Qui audientes hanc ciuitatem funditùs fuiſſe euerſam, & incendio conſumptam, tunc ad reſiduos fideles clamabunt, vt illos ad horrenda Dei iudicia contemplanda excitare poſſint; ex temporali
B ruina, timorem ſuppliciorum & ignium æternorum inculcantes. *Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ?* Ac ſi dicerent: Quæ in mundo vrbs vnquam fuit maioribus aucta fauoribus, & inſignioribus beneficiis præuenta, & ſpecialioribus ditata priuilegiis? Sed quæ, quæſo, fuit magis Deo ingrata, & tantorum beneficiorum immemor? Hoc clamat morum corruptio, hoc exortum ſchiſma, hoc rebellio fota contra ſuum legitimum Paſtorem. Sed gloriabatur in potentia ſua, & promittebat ſe luctum non eſſe viſuram. Certè nemo vnquam eius ſuperbiam, opulentiam, potentiam intuens, exiſtimare potuiſſet ad tantam calamitatem illam fore caſuram. Sed quis vnquam Deo reſtitit, & pacem habuit? Non eſt
C prudentia, non eſt ſapientia, non eſt potentia contra Dominum, cuius proprium eſt exaltare humiles, & ſuperbos deprimere; cuius eſt illa vox apud Abdiam: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in sciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicit in corde tuo: Quis detrahet me in terra? Si exultatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Ecce quomodo deiecta eſt & deſolata.

Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua. Hæc Dei iudicia ſancti illi Paſtores admirantes humiliauerunt ſe profundiſſimè coram Deo, vt Deum ſibi redderent propitium, ſcientes quia Deus reſpicit humiles, & orationem humiliantium ſe exaudit, qua Deum
D exorant ne permittat Eccleſiam diutiùs vexari, & opprimi, ac velit ſtare promiſſis, dies ingentis & horrendæ illius perſecutionis abbreuiando, ne animum deſpondeant fideles, ſi prolixior aut vehementoir exiſteret; ne tot fluctus inundantes, ne tot venti irruentes, ne tot vehementes procellæ naues ſibi commiſſas ſubruant, & in mare ſubmergant. Dum autem mittunt puluerem ſuper capita ſua, imitantur Ioſue & ſenes Iſraël, qui videntes ſuos terga vertiſſe habitatoribus Hai, Ecce] Ioſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, vſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſraël, miſeruntque puluerem ſuper capita ſua; Et audierunt à Deo peccaſſe Iſraël, quia repertus
E fuerat qui de Anathemate furatus fuerat, Achan nempe filius Charmi, qui tulerat pallium coccineum, ducentos ſiclos argenti, regulam auream quinquaginta ſiclorum, præceptum Domini infringens, quo præceperat vt quidquid auri & argenti in Iericho reperiretur, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecraretur, & reponeretur in theſauris ſuis. Ita iſti ſcientes eſſe Anathema in medio Eccleſiæ (id eſt, plures extitiſſe qui furati erant bona illa temporalia, quæ cultui diuino erant conſecrata, quæ Deus à pietate fidelium requiſiuerat, vt illorum donatione & conceſſione, ipſi proteſtarentur ſe eum cœli & terræ Dominum agnoſcere) timentes ne à Deo derelinquerentur, ob multitudinem hæreticorum, ſchiſmaticorum, & politicorum, qui illa quæ erant Deo dicata vſurparunt, ideo mittunt

puluerem

puluerem ſuper capita, vt Dei miſericordiam humilitate ſibi concilient, qui Satanam vndique Eccleſiam diuexantem ad ima inferni detrudat, & tantis miſeriis & calamitatibus finem imponat: ac eis robur præſtet, vt mala tunc imminentia vincant, & patienter ferant. Interim clamant flentes & lugentes, dicentes: *Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari, de pretiis eius, quoniam vnâ horâ deſolata eſt.* O infelix ciuitas, quæ in tua rebellione duplicia amiſiſti bona, dum ſacrilegâ manu diuina & humana inuadere, & tibi arrogare præſumpſiſti: vtriſque bonis nunc ſpoliata fuiſti. In te quidem erant plurimi valde diuites, quia plura beneficia habebant in diuerſis mundi partibus, de quorum reditibus diuites facti fuerant; dum tanquam Nauium, ita harum Eccleſiarum facti fuerant gubernatores. Ecce quoniam omnia iſta perierunt, quoniam vnâ horâ deſolata fuiſti. Vel, ſi vis, hoc intelligi poteſt de Principibus terræ, qui in mari, id eſt, in ſeculo, in ſuis regionibus habebant Naues, id eſt, Eccleſiaſtica beneficia, quæ cum pretio comparato conferrent ſchiſmaticis Romæ commorantibus, qui poſſunt dici de pretiis eius ditiones euaſiſſe. Quidquid ſit, hoc modo lugebunt boni Eccleſiæ Prælati, ad pœnitentiam & ſanum intellectum per vexationem adducti: lugebunt, inquam, ob deploratiſſimum & calamitoſum Eccleſiæ ſtatum, & ſe ad pœnitentiam prouocabunt, & correctioni ſuæ fortiter incumbent.

Quod ſi hæc de ſchiſmaticis debeant intelligi, hi erunt Epiſcopi, aut alij, qui parem ſe Pontifici Romano poteſtatem habere exiſtimabunt, aut illi obedientiam & reuerentiam exhibere denegabunt, ordinis Eccleſiaſtici perturbatores, qui ſchiſmati occaſionem proximam dederunt propter ſuam peruicaciam, quærendo quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Hi cum audient Romanam ciuitatem eſſe deſtructam, tanquam Mercenarij & terrenis rebus addicti fidem deſerere non dubitabunt. Et dicent: Quid proderit nobis ſi permanſerimus in cultu Chriſtianæ Religionis? Quæ nobis ſupereſt facultas reſiſtendi tantæ potentiæ? Si opulentior & potentior ciuitas illi reſiſtere non potuit: & dum ei reſiſtit, capta, & deſolata, & deſtructa, & igne combuſta eſt. quid nobis expectandum eſt? Melius eſt nobis ſi tantum Regem & potentiſſimum Monarcham colamus eique præſtemus obſequium, vt viuamus, & delitiis frui valeamus. Neſcimus enim quid in poſterum futurum ſit. Vel ſi apud aliquos adhuc maneat aliquod lumen rectæ rationis, in memoriam reuocantes quomodo Principum terræ arrogantiam, & in ſedem Pontificiam rebellionem adulationibus fouerunt, quo poſſent ab eis dignitates ampliores faciliùs impetrare, vnde factum eſt vt tandem Pontificia autoritas pro nihilo habita fuerit & deſpecta; audientes qua ratione præcipua ſchiſmaticorum ciuitas deſolata fuit, dicent: Heu! quid miſeri egimus? Nobis animaduertere non licuit ambitione noſtra obcæcatis, quomodo ſimul atque Pontificis Romani autoritatem paruipendi & conculcari permiſimus, à capite noſtro coronã gloriæ noſtræ amouimus. Nunc quanta fuerimus cæcitate perculſi perſpicimus nunc deſolata eſt illa ciuitas, in qua principes terræ inueniebant, qui ab eis emerēt pinguia beneficia Eccleſiaſtica: quorū diſpoſitionem ſibi arrogabant, quia in locis ſuæ ditionis & dominationis exiſterent. At finis illorum appropinquauit, & tandem venit. Et ex eius ruina manifeſtum eſt quantopere hæc abominanda & infamis negotiatio Deo odioſa fuit. Et tamen impœnitentes remanebunt: diligent enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Et Chriſtianum nomen palam & apertè profiteri non audebunt, nec animas ſuas ponere pro ouibus, nec eos ad peccatorum pœnitentiam prouocare timore iudiciorum Dei, quorum ingens ſeueritas ſatis clareſcet in ruina huius ciuitatis. Et de eis dici poterit quæ olim dixit Ezechias, Iſ. c. 37. *Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc, quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Nam ex timore Dei, (à quo concipere deberent ſpiritum ſalutis, & condignam pœnitentiam parere) nec ad compunctionem, nec ad motum correptionem conuertentur; ſed Anti-Chriſto adhærentes cum eo æternam damnationem incurrent.

Hi ſunt effectus, quos in mentibus producet rumor euerſionis Romanæ ciuitatis in malis & peccatoribus. Nunc videndum eſt quales ſint producendi in ſanctis, vitam integram & ſanctam ducentes; ſanctificantur adhuc in præſenti ſeculo tollerantia laborũ, forti & conſtanti confeſſione nominis Chriſtiani; & in myſtico Eccleſiæ militantis cælo, vel ſaltem ſancti qui in cœlo ſunt, ad Dei laudes decantandas prouocantur, & præcipuè illi qui Eccleſiam ſanguine ſuo fœcundarunt, vt Apoſtoli, vel qui mala hæc prædixerunt, vt Prophetæ, ad quos hæc ſenquentia verba diriguntur.

Exulta ſuper eam, cælum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa.

Exultant de æquitate iudiciorum Dei, tam ſancti in gloria, quam ij qui adhuc ſunt in Eccleſia militante.

ANNOTAT. XI.

HÆC prouocatio ad gaudium (tam ſanctis in gloria exiſtentibus quam iis qui adhuc ſunt in terris in Eccleſia militante) videtur prodire ab illa voce de cœlo audita, quæ populum fidelem vt exiret de medio Babylonis admonuit, & nunc ſanctos ad exultationem, & gaudium prouocat, pro eorum liberatione, deuicta ciuitate inimica & contraria.

Ad ſanctos in patria exiſtentes dirigi iſtam prouocationem dici poteſt, itaut idem ſit ac ſi beatis diceretur: ô ſancti, qui nunc Dei viſione fruentes, ardenti, honoris Dei zelo inardeſcitis, nunc lauate manus veſtras in ſanguine peccatorum: conſtanter nunc in iudicio Dei ſtate, aduerſus eos qui vos anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores veſtros. Nam cum verba & exempla veſtra illis innotuerunt, vt ad veſtram imitationem Deum adorarent, labores veſtros peruerſitate cordis ſui inutiles reddiderunt. Nunc apparet quàm iniquè erga vos ſegeſſerint, dum blaſphemauerunt nomen veſtrum, & irriſerunt doctrinam veſtram, quam poſteritati relinquiſtis credendum. Nunc iuſtitiæ veſtræ educuntur in lumen, & iudicium veſtrum tanquam ſol in meridie reſplendet. Deus ſiquidem tam graui ſupplicio manifeſtat voluntatem ſuam fuiſſe vt vobis crederēt, ac fidem adhiberent. Sed potiſſimum ad hanc exultationem prouocantur Apoſtoli, quia opus fuit vt hoc ſupplicio Deus confirmaret quod ſpecialiùs mundo annunciauerunt. Quod enim fuit munus Apoſtolorum, niſi vt prædicarent Ieſum, & hunc crucifixum; niſi vt annunciarent quod ipſe eſt conſtitutus iudex viuorum, & mortuorum, & quod in eius nomine omne genu flecti debeat, cæleſtium terreſtrium, & infernorum, & quia Chriſtus Dominus in gloria eſt Dei patris, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra? Quem honorem om-

Digitized by Google

nes iſti fidei Chriſtianæ hoſtes ac deſertores, illi deferre noluerunt, dum Eccleſiæ ab eo fundatæ autoritatem conculcare non timuerunt: Et ideo ad eos pertinet exoptare vt agnoſcant omnes nihil eos dixiſſe de honore Chriſti exhibendo, quod fortiter inculcare auribus & mentibus non debuerint; quia nihil æquius ſit quàm vt omnes Chriſtum adorent & colant. Hac de cauſa Deus ſententiam protulit in fauorem illorum, & iudicium illorum approbauit.

Nam cum S. Petrus olim dixerit: *Erunt in vobis magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Deum negant, ſuper ducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur; & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non ceſſat & perditio eorum non dormitat.* 2. Petri 2. nonne verum eſt in excidio huius ciuitatis iudicium Petri à Deo probari? Etenim apparet in hoc excidio quod perditio eorum non dormitabat, vt merito hæc ciuitas iſtud quod de Hieruſalem Ieremias c. 1. dixit, poſſit pro ſeipſa vſurpare. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum. In manu eius conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo. Infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere.* Thren. 1. Quo certè *melius erat, vt ait rurſus Petrus, illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Similia dicere poſſumus de S Paulo. Apparebit enim ex hoc excidio ſe vera dixiſſe ad Romanos ſcribens, dum eos vt in fide permanerent exhortabatur. *Dicis: quia fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè, propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem, bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. Alioquin & tu excideris.* Rom. c. 11. Tunc inſuper quæ de Chriſti gloria noſter Ioannes, & de vrbis iſtius ruina prædixit, vera fuiſſe manifeſtabitur. Denique & cæteros Apoſtolos pro Chriſti nomine optimo iure ſanguinem fudiſſe apparebit; nec enim pro confeſſione nominis eius timuerunt mori, vt docerent nos omnia arbitranda eſſe vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciamus, ipſiuſque tantam eſſe maieſtatem, vt maximo honori habendum ſit ſi pro eo aliquid patiamur.

Ad hanc exultationem etiam prouocantur Prophetæ, vt pote qui tam potenter inculcauerunt tantum Dei donum, tam rarum, ac pretioſum non eſſe contemnendum Moyſes in primis ſeſe offert, ad quem Deus olim dixit, Deuteron. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius: Loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Quid autem dixit ille Propheta eximius à Deo promiſſus? Hæc ſunt illius verba: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* At iſti Apoſtatæ illam non audient: nonne Deus vltor erit huiuſmodi contumaciæ, quia contempſerunt Eccleſiam, quam Propheta promiſſus præceperat audiendam? Hæc enim Eccleſia illa eſt, de qua Iſaias c. 54. dixit, *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio iudicabis. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.* Et vt ipſe rurſus ait cap. 60. *Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur.*

Ad exultationem igitur prouocantur cœlum, id eſt Angeli, & ſancti, & præcipuè Apoſtoli & Prophetæ, quia Deus puniendo illam ciuitatem iudicium illorum approbare ſe oſtendit, qui prædixe-

A rant ruinam cuiuſlibet regni & gentis, ſi Chriſto obſequium præſtare denegarent. *Per cœlum*, inquit Andreas Cæſar. *vel Angelos, vel ſanctos accipe, qui ſuam in illo conuerſationem habent: cum quibus Apoſtolis ſimul & Prophetis lætitia feſtumque gaudium indicitur, ob id nimirum quod vindicta ſemel ab eis exigatur, à quibus magnam ſæpe iniuriam acceperant: & magno rurſum mœrore & contumelia, propter diuinorum præceptorum præuaricationem, affecti ſæpe numero fuerant; quippe qui nullo ferè fructu, diuina animæque ſalutaria documenta prædictæ ciuitatis habitatoribus occinerant. Aut ob id ſanè, quod à confuſa orbis terræ potentia, propter Deum, eiuſque verbum, quod fideliter adminiſtrabant, trucidati, iuſtam vltionem tandem aliquando videant. Conſtat namque ſanctos*
B *Prophetas à Iudæis, Apoſtolos autem à gentibus, quibus Euangelium præcipuè prædicauerunt, occiſos fuiſſe. Gaudent autem ſancti, dum impij & peccatores flagellantur, pœnaſque promeritas pendunt: non quod ex aliorum malis oblectationem capiant, ſed quod peccatum reſcindi & coërceri ſummopere deſiderent. Quo hac ratione ſerui illius mitiores pœnas in futuro ſæculo luunt, propterea quod in hoc præſenti aliqua iam ex parte videantur caſtigati.* Ita Andreas.

S. autem Thomas in expoſitione: *Cælum, id eſt, ſancti, ſecretorum Dei conſcij Ierem. 53. laudabunt ſuper Babylonem cæli & terra. Deinde in ſpeciali diſtinguit cælum, id eſt, ſanctos, dicens (Et) pro id eſt, ſancti Apoſtoli & Prophetæ iſti ſpecialiter inuitantur, quia ab Apo-*
C *ſtolis & Prophetis propriè fuerunt prænunciata, quæ hic vt verificata narrantur. Et præponuntur Apoſtoli Prophetis, ratione dignitatis maioris. Vel cælum, id eſt, cæleſtes Angeli. Et ſancti Apoſtoli, id eſt ſancti, qui fuerunt maiores in Eccleſia. Et Prophetæ, id eſt, ſancti qui fuiſtis in dignitate minores: vel qui prædicandi officium habuerunt, non tamen Paſtores fuerunt. Propheta enim quandoque eſt idem quod prædicator, 1. ad Corinth. 14. Prophetæ duo vel tres, &c.* Ita S. Thom. Qui poſtea docet quomodo gaudeant ſancti de damnatione malorum, *non certè inquantum eſt afflictio, ſed inquantum iuſtè infertur ex diuino iudicio, & in quantum poſt ipſorum damnationem complebitur ſanctorum retributio. Exultant de ea, non abſolutè, ſed per comparationem ad diuinam iuſtitiam cui*
D *concordant, & ad propriam gloriam quam amant. Pſ. lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Ita S. Thom.

Poſſunt igitur hæc verba: *Exulta cælum*, &c. referri ad Angelos & ſanctos in gloria iam exiſtentes. Tamen re attentius inſpecta, ni fallor, hæc prouocatio ad exultationem ad ſanctos in Eccleſia militante adhuc exiſtentes referri debet. Huius ſententiæ habeo autorem Rupertum, lib. 10. qui in iſtis verbis: *Exulta ſuper eum cælum, & Apoſtoli, & ſancti Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa*; finiri ait, verba illius vocis, quæ ſuperiùs audita de cœlo ſic exorſa eſt: *Exite de illa populus meus.* Quod nos etiam exiſtimamus. Is autem inſuper vult huic prouocationi ad gaudium & exultationem obtemperari à ſanctis peregrinantibus in hoc ſeculo,
E qui cap. 19. decantant quatuor Alleluia. Ait enim Rupertus in hæc verba c. 19. *Poſthæc audiui quaſi vocem magnam tubarum multarum de cælo dicentium, Alleluia. Laus & gloria, & virtus Deo noſtro, quia vera & iuſta iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna*, &c. In hæc igitur verba. Ita Rupertus. *Hic eſt auditus, conſolationis, hoc eſt, carmen in ſupradicto libro ſcriptum, carmen exultationis, carmen veſtrum, ô peregrini, ciues cæleſtis patriæ, qui in hoc mundo peregrinamini, & lamentamini, Quando flebunt & lugebunt reges illi, mercatores illi, gubernatores & nautæ illi, videntes perire vanitates & in inſanias falſas, in quibus ſunt confiſi, & dicent: Væ, væ, tunc vos Alleluia cantabitis.* Ita Rupertus. Si igitur ad peregrinantes pertinet iſta laudatio, & hæc illa ſit iuxta Rupertum, ad quam inuitantur &

Digitized by Google

prouocantnr; etiam hæc verba, *Exulta cælum*, &c. ad ſanctos in hac vita referri debent. Nihil enim tam familiare eſt in hac Prophetia, quam vt per cælum etiam Eccleſia militans ad cælum adſpirant ſignificetur, vt in c.4. diximus. Et meritò poſt executionem iudiciorum Dei, etiam ſancti in hac vita lætari debent, de quibus dicitur Iſ.26. *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis*. Gaudet cælũ, nempe tota Eccleſia militans. Gaudent in ea præcipuè Apoſtoli, id eſt, omnes qui per legitimam miſſionem ſucceſſores ſunt Apoſtolorum. Gaudent Prophetæ, nempe quibus datum eſt verbum Dei prædicare, & exponere populis, qui doceant quomodo quæ facta fuerunt in hac ciuitate magna, euenerunt vt Prophetiæ de illa adimplerentur, & ſecundum comminationes iudiciorum Dei, quibus frequenter illam admonuerant vt recederet à ſceleribus ſuis, & ne ſchiſmate peſſimo ab Eccleſia diſiungeretur. Gaudent, non de afflictione illius, cui corde charitatiuo valde compatiuntur; ſed quia clarè perſpicitur quod citò finis erit malorum, & finis Anti-Chriſti citò aduenier. Qui ſtatim atque ad vltimum periodum arrogantiæ ſuæ peruenerit; quo ſe altiùs extollet, eò citiùs detrahetur in terram. Gaudent quia ſchiſmati non adhæſerunt, nec in hæreſim dilapſi ſunt. Sed conſtantes in fide & obedientia permanſerunt, & videntes iudicium Dei incepiſſe à domo Dei, ſciunt certiſſimè finem eſſe imponendam nequitiæ & infidelitati: *Quoniam*, inquit S. Petrus 1. c. 4. *tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?* Si qui rebelles fuerunt Eccleſiæ Chriſti perierunt, quis finis eorum qui ſe hoſtes conſtiruerunt nominis eius, & illius memoriam delere voluerunt? Certè nihil tam gratum eſt ſanctis, quàm ſi videant fideles, in amore Chriſti feruentes, & illam imitantes. Si quis autem eum non amat, nec eum ſequi & imitari vult, clamant ſtatim cum Apoſtolo: *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit Anathema. Maram atha*. 1. ad Corint. 16. Id eſt, Dominus venit, vt alibi iam diximus. Non mirum igitur ſi videntes illius nominis hoſtes ad pedes eius proſtratos, ſub pedibus eius conculcatos, lætitia perfundantur. Venit enim Dominus iuxta illorum deſiderium, cum ſe de hoſtibus ſuis vindicauit. Sic enim Chriſtus Dominus ſententiam Anathematis Vicarij ſui confirmabit in cœlis, & iudicabit verum eſſe & iuſtum Eccleſiæ ſuæ iudicium. *Quoniam*, inquit, *iudicauit iudicium veſtrum de illa. Vox* igitur *Domini de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis*. 66. Iſ. Quilibet enim fidelis Eccleſiæ, quilibet Dei obſequio mancipatus; at illi præcipuè, per quos Deus iudicia ſua manifeſtat hominibus, vt ſunt Epiſcopi, & verbi ſui præcones. Apoſtoli & Prophetæ ſimul exultant de victoria, & ſimul concinunt Alleluia, & laudes de quibus poſtea dicemus in cap. ſequenti 19. *Exulta* igitur *ſuper eam cælum, & ſancti, &c.* Vobis licet nunc, ô ſancti Dei fideles & iuſti, lætitiâ perfundi, & gaudio exilire. Ecce enim vota & deſideria veſtra adimpleta ſunt, coguntur impij nunc fateri Deum hominibus valentiorem eſſe, vanoſque eſſe omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei; nullam eſſe prudentiam, nullum conſilium contra Dominum. Confracti ſunt qui in hanc ſolidiſſimam Petram angularem impegerunt. Subuerſi ſunt, qui lapidem illum in fundamento fundatum, Petri videlicet ſedem, cui dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; ſubuertere voluerunt. Quid illis profuit iactantia? Quid emolumenti illis attulit rebellio, & ambitioſa præſumptio, qua ab Eccleſiæ obedientia iugum excutere non

A timuerunt? Ecce quæ gloriabatur, dicens: *Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo*; Iacet in puluere, in cinere redacta, nunquam de cætero ab priſtinum ſplendorem reditura. Ecce qui dulciſſimum Chriſti iugum à ſe abjicere voluerunt, redacti ſunt ſub dura Anti-Chriſti tyrannide, ſub dominatione tam crudelis Tyranni, qui vrbem adeò potentem, quia ſibi reſiſtentem funditùs diruit. Hæc fuit ſententia Vigilum, ſiue Angelorum, qui Eccleſiam cuſtodiunt: ſiue Paſtorum Eccleſiæ, qui vigilant ſuper ſui cuſtodiam, & ſuper Chriſti gregem. His fuit ſermo ſanctorum, qui clamabant ad Deum ſub altari reconditi: *Vindica ſanguinem noſtrum ab his qui habitant in terra*. Hæc eſt petitio fidelium, qui clamant ad Deum quotidie: *Exurge Domine, adiuua*
B *nos, & libera nos propter nomen tuum*. Hoc Eccleſiæ in oppreſſione ſua votum: *Eripe me Domine de inimicis meis, & ab inſurgentibus in me libera me*. Sententia nunc Angelorum & Paſtorum executioni demandata eſt. Sermo ſanctorum Propheticus adimpletus eſt: exauditæ ſunt preces fidelium & humilium, & ſponſæ vocem ſponſus audiuit, vt cognoſcant viuentes quoniam *dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominum conſtituet ſuper eum*. Danielis 4. Chriſtum videlicet, de cuius regno dictum fuit, Danielis cap. 2. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum*
C *eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum*. Quod cum euertere conati ſunt ſchiſmatici, confracti ſunt contra Petram duriſſimam, & comminuti perierunt. Nam quicumque ille fuerit, cui Deus dare voluerit regnum hominum, ille proculdubio à Chriſto dependebit, qui Rex Regum eſt, & Dominus dominantium, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, qui *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eos*. Pſalm. 2. *Et nunc* igitur *Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*. Hoc non præſtiterunt iſti ſchiſ-
D matici, imo potiùs contra ſtimulum ſemper recalcitrarunt. Dixerunt: Non ſeruiemus. *Adſtiterunt Reges, & Principes, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*. Dixerunt: *Dirumpamus vincula eorum, & abjiciamus à nobis iugum ipſorum*. Ecce contriti ſunt & comminuti & confracti. Beati autem omnes qui confidunt in Domino. Exultent nunc amatores zelatores honoris Chriſti, quia perierunt hoſtes nominis eius, nec multo tempore durabit Tyrannis Anti-Chriſti, cuius miniſterio vſus eſt, vt hanc rebellem, & contumacem ciuitatem deſtrueret, & pax Eccleſiæ dabitur. Nam elapſis diebus mille ducentis nonaginta, interficietur ſpiritu oris Chriſti.

Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille
E *trecentos triginta quinque*, inquit Daniel c. 12. *Hic enim numerus*, ait S. Thomas in Danielem, *excedit numerum Paulo ante dictum in ſexaginta quinque; qui poſt mortem Anti-Chriſti dabuntur lapſis ad pænitentiam, & ſanctis ad refrigerium, quaſi dies pacis & quietis, poſt quos dies Dominus in ſua maieſtate venturus eſt*, ait S. Hieron. Ita S. Thomas. Ideo nunc poſt ciuitatis iſtius ruinam exultandum eſt, quia redemptio eorum appropinquauit. Hæc de quarta parte huius capitis. Ad quintam veniamus.

QVINTA PARS HVIVS CAPITIS.

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna: & vltra iam non inuenietur.

Neceſſarium eſt Deum pœnas temporales immittere, vt homines à ſtupore ſuo expergefacti, vel eius patientiam agnoſcant, vel eius ſeueritatem pertimeſcant; & quò maiora hominibus confert dona, eò ſeueriùs contemptum donorum caſtigat, ac finem imponit operi prouidentiæ ſuæ, quo miſericordiam & iuſtitiam ſuam hominibus oſtendere voluit.

ANNOTAT. XII.

FATENDVM proculdubio eſt quòd mortales vel ſuperbia elati, vel voluptatibus ſeculi inebriati difficillimè guſtare ac videre potuerunt. Quàm ſuauis & bonus ſit Dominus omnibus quærentibus eum; nec apprehendere quam è contrario ſeuerus ſit & auſterus erga nominis ſui contemptores, ſi ſemel & patientia, & bonitas illius illum attigerint terminum, intra quem, ſecundum ſapientiæ ſuæ decreta, & iuſtitiæ ſuæ leges ſibi licet hominibus bona largiri, & peccata illorum tollerare. Experientia plærumque opus eſt, vt à ſuo ſtupore homines expergiſcantur. Et ſæpè ſæpiùs ſerò ſapiunt Phryges: nam citius aliquando obruuntur, & ſub ruina cadunt, quàm caſum ſuum præuideant, aut ſidem comminationibus, aut miſericordiarum promiſſis adhibuerint. Nec tamen ille caſus eſt omnibus infructuoſus. Reperiuntur enim qui ex tam acerbis pœnis tandem ad meliorem frugem redeant, ac Deo dicant: iuſtus & Domine, & rectum iudicium tuum.

Hoc inopinato caſu potiſſimum mundus obruetur, cum manifeſtum reddiderit ſe ingratitudine nimia laborare, quia accepto meliori bono & inſigniori dono, ad maiora ſcelera perpetranda prorumpet. Deteriora enim merebitur ſupplicia, quia maiora ſuſceperit dona. *Scimus enim*, ait Apoſtolus, Hebræor. c. 10. *qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Hanc veritatem video ab Iſaïa Prophetico ſpiritu nobis proponi ſpeculandam, c. 28. Nam poſtquam grauiſſimas comminatus fuit pœnas decem tribubus, ſiue propter ilarum arrogantiam, ſiue propter nimium luxum, & inſignem morum diſſolutionem, eiſque prædixit ruinam illam totalem, quam incurrerunt temporibus Salmanazar, à quo regnum Iſraëliticum diſſipatum fuit, & ad Aſſyrios tranſlatum. *Væ*, inquiebat, *coronæ ſuperbiæ, & ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ errantes à vino. Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens, ſicut impetus aquarum multarum innundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.* Ecce comminatio pœnarum, qui acciderunt Iſraëlitis, cum ab exercitu Aſſyriorum velut grandine vaſtata terra eorum, cum quaſi turbine confracta eſt omnis fortitudo regni Iſraëlitici, cum tanquam torrente tranſlati ſunt à terra ſua in terras alienas, poſtquam etiam multa bona promiſit duabus aliis tribubus, Iudæ, & Beniamin, in his verbis: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ & ſertum exultationis reſiduo populi ſui, & ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.*

A Mirum dictu habitatores Ieruſalem nec minis nec promiſſi Dei fidem adhibent. De promiſſis dubitant videntes ſe ſatis humiliatos ſub Achaz patre Ezechiæ, & quodammodo contemptui expoſitos, quod eis fuiſſet recurrendum ad Teglaſphalazar Regem Aſſyriorum vt è manu Regum Syriæ liberarentur, videntes etiam nondum Regnum Iſraëliticum proculcatum fuiſſe aut deſtructum: minas æquè ac promiſſiones contemnebant, & illudentes Prophetis: cum riſu dicebant: *Manda, remanda. Manda, remanda, Expecta, reexpecta. Expecta, reexpecta. Modicum ibi. Modicum ibi*, &c. Ac ſi deriſoriè dicerent: nihil aliud Prophetæ iſti crebriùs auribus noſtris occinunt ſeu inculcant, quàm hæc: Mandat Dominus. Etſi de B mora conquiramur, addunt expectandum nobis fore aliquantulum, moxque iſtis bona, iſtis mala obuentura. At fruſtra expectauimus. Nec mala obuenerunt Iſraëlitico regno. Pedibus non fuit conculcata corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim, vt minitabantur; nec bona Iudæorum regno, quibus ab ignominia ſua eximeretur, & ſertum exultationis ſibi imponere deberet, vt promittebant. Ignorabant proculdubio iſti quod poſtea à S. Petro dictum fuit, quia *vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur.* 2. Pe- C tri c. 3. Hac de cauſa proſequitur Iſaias: *Propter hoc, audite verbum Domini, viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Ieruſalem. Dixiſtis enim: Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſiet, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Ita Iſ. Videtur igitur vobis non eſſe expectandas à Deo conſolationes promiſſas, nec promiſſam vobis gloriam ex protectione ſua ſpeciali expectandam: quia non tam citò iſta euenerunt, vt euenire velletis. Ideo nec ſi minæ intentarentur putatis vobis eſſe aliquid timendum: vanæ enim & ridiculæ fuerunt minæ contra Regnum Iſraël intentatæ. Tot vicibus à Prophetis deluſi dicitis: Valeant D Dei promiſſa, abeant Prophetarum illius comminationes: nihil de his vel timendum, vel ſperandum eſt: A promiſſis igitur ad minas, ſi voluerint, conuertantur. Sicut nihil ſperamus, ita nihil timebimus. Etſi nos veluti torrente, afflictionum inundationibus rapiendos eſſe aſſeterent, pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſiet, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Sicut tota ſpes noſtra vana fuit, quia eam fundauimus ſuper falſas Prophetarum promiſſiones; ſicut nullam habuimus à malis protectionem, quam ipſi prædixerant futuram, quæ nondum apparuit. Ita verum eſt ſi mini- E tarent mala ingentia, nec illa eſſe pertimeſcenda erunt enim æquè mendaces in minis, ac fuerunt mendaces in falſis promiſſis.

Quid faciet Deus zelotes, vt hanc hominum vecordiam vincat, vt gloriam ſuam apud eos tueatur, & ſciant omnes ipſum eſſe veracem & fidelem in omnibus verbis ſuis, & ſanctum in omnibus operibus ſuis? Opus aliquod faciet certè, in quo tanta elucebit miſericordia & bonitas erga homines, vt ſi illud ſemel contempſerint, nullus mirabitur ſi obruatur tota ſpes ſalutis eorum, quam in mendacio repoſitam dicebant, & ſi nulla protectione muniantur contra impetum inundantium calamitatum, ſi quod putant fœdus habere cum morte, aut pactum cum inferno ſtare non valeat. Tanta enim erit hominum ingratitudo, ſi illud bonum contempſerint

Digitized by Google

vt Deus qui patiens eſt & miſericors minimè poſſit iræ ſuæ motus continere quin pro illo contemptu, à primo tempore, quo bonum iſtud datum fuit, vſque ad conſummationem ſeculorum, contemptores boni iſtius prompto ſupplicio potenter conterat. Tale enim erit iſtud bonum, vt profuſiùs bonitas illius non poſſit liberalitates ſuas effundere; vt altius homines, quibus hoc donum elargietur, non poſſint ſubleuari. Et hac de cauſa tam atrox erit pro illius contemptu ſupplicium, vt nulli dubitare licebit, magnam fuiſſe hominum apud Deum ingratitudinem, bonumque eſſe ſpetare in Domino, ac timore iudiciorum eius à malis auerti, & illud cantici Iſaiæ dici poterit: *Vetus error abiit: ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus. Speraſtis in Domino in ſeculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram: detrahet eam vſque ad puluerem.*

At quodnam eſt illud bonum? Audiamus Iſaiam addentem his quæ ſupra ab eo retulimus: *Idcirco hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* Primo ac primariè lapis iſte eſt Chriſtus, de quo dixit Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus.* Lapis verè probatus, ſputis, alapis, flagellis, ſpinis, cruce, ac clauis, quæ omnia pro peccatorum expiatione patienter ſuſtinuit. Lapis angularis, quia populum Iudaicum cum gentili ſociauit, & fecit ex vtroque vnum, imbecillem ceremoniarum legalium maceriam ſolués, cuius interpoſitio aliquando poſſet ingerere diuiſionem, ne vnirentur in eadem fide, ſpe & charitate: & hoc modo & coronam gloriæ, & ſertum exultationis in vnum coadunauit, dum naturam humanam eo ſublimauit, vt altiùs non poſſit conſcendere; & eam à peccatis redimens, & à pœnis liberans, totius exultationis fontem hominibus aperuit, vt hauriant aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris. *Ipſe enim*, inquit Apoſtolus ad Epheſ. ſecundo, *eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconcilians ambos in vno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo: & veniens Euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis*, (gentilibus nempe,) *& pacem iis qui propè*, (Iudæis videlicet) *quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem.* Quo fit vt cum idem habeamus fundamentum, ſuper quod & Apoſtoli & Prophetæ altitudinem perfectionis & ſanctitatis ſuæ extulerunt, ipſo angulari ſummo exiſtente, duos populos in vnum coadunante, facti ſimus ciues ſanctorum & domeſtici Dei. *In eo enim omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum*, non in alio quàm in Domino, & Deo vero, à quo eſt omnis ſanctificatio. Vnde fit vt in Chriſto omnes Iudæi & Græci coædificati facti ſint in habitaculum Dei in ſpiritu.

O pretioſum donum! Vt ſimus Dei habitaculum in ſpiritu charitatis, in qua qui manet, manet in Deo, & Deus in eo. Quis hoc donum contemnens, magna non demerebitur ſupplicia? Sed & aliud donum addidit, quo poſſimus coædificari, conſtrui, & fieri hac Dei gratiâ adiuti verum Dei templum.

Quæris autem quodnam ſit illud aliud donum? Reſpondeo illud eſſe collatam Eccleſiæ autoritatem, qua & diſcere poſſumus quæ credenda ſunt, & quæ ſint facienda, & cuius miniſterio ſpiritum ſanctificationis accepimus per ſacramentorum, quæ ſanctè adminiſtrant, dignam ſuſceptionem.

Hac de cauſa Chriſtus, qui lapis eſt primarius dignitatem ſuam alteri conferre voluit; Petro A nempe, (cui dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,*) dignitatem nominis ſibi proprij communicauit. *Mutat*, inquit Tertullianus l. 4. aduerſus Marcionem cap. 17. *Et Petro nomen de Simone: quia & creator Abrahæ & Saræ & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum: illis ſyllabas adiiciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei multa materia, ſolidaque nomen de ſuo accommodarent: an quia & Petra & lapis Chriſtus: ſiquidem legimus poſitum eum in lapidem offendiculi, & in Petram ſcandali. Omitto cætera. Itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto propiùs quam de non ſuis.* Et S. Hieron. in Iſa. 62. c. Illud nomen vult eſſe illud nomen nouum, quod os Domini nominauit: B *Quod vocabulum*, inquit, *à nomine Domini deriuauit, vt dicatur Dominicum.* Et S. Leo Ser. 3. in Aſſump. ſuæ anniuerſario, ita loquentem Dominum inducit: *Cum ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum: ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidatis: vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi ſint mecum participatione communia.* Ita S. Leo in quo certè elucet quanto honore Deus naturam humanam affecerit. Vnde vt Dei liberalitates erga nos ad vltimum gradum vſq; deducamus, & ponderemus hunc locum Iſaiæ, qui primario ſenſu de Chriſto intelligitur, in ſecundario ſenſu de Petro, qui ſecundariè, participatiuè, eſt lapis.

C Eſt igitur Petrus lapis probatus per tolerantiam perſecutionum Imperatorum Ethnicorum, ſchiſmaticorum, hæreticorum, qui illum ſubuertere & euellere tentarunt. Lapis angularis, quia in eo dignitas Pontificia, & Regalis coadunantur. Pretioſus propter eminentem autoritatẽ, & miniſterij ſui ſanctitatem. In fundamento fundatus, quia ſuam autoritatem à Chriſto accepit, itaut ſicut humanitas Chriſti omnẽ ſuam excellentiam ab vnione verbi cum ipſa accipit, per quod omnia facta ſunt, & quo cæli firmantur ita S. Petrus omnem ſuam autoritatem à Chriſto incarnato ſuſcepit, à quo ſolidatur, itaut non præualeant aduerſus eum inferorum portæ. Poſito igitur quod ſecundariò hic locus de S. Petro intelligatur, D quæ ſequuntur ſic exponimus, vt Dominus dicere videatur: Talem lapidem ponam, vt videlicet ſciatis, quod ex protectione regis Ezechiæ, cui fui corona gloriæ, & ſertum exultationis, quando eum cum ciuitate Hieroſolymitana eripui de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum; quod ex tranſmigratione decem tribuum in terras longinquas ſub Salmanazar Rege credere noluiſtis, nempe me eſſe & in promiſſione fidelem, & in comminationibus veracem; hoc inquam ea tali lapide vobis certiſſimum eſſe videatis.

Sed *Quid crediderit, non feſtinet*: non ſtatim in mentem ſuam inducat opus iſtud tam arduum, tam magnificum, quod mirabile faciam conſilium meum E & magnificabo iuſtitiam meam, confeſtim eſſe adimplendum. Multa erunt ponderanda, antequam iudicium proferam. Et primò ponderandum erit donum, cum acceptatione doni ex alia lance, & gratiarum actione de ipſo. Secundò: Ponderandus erit huius doni contemptus, cum dilectione quo collatum fuerat: vt appareat quanta fuerit hominum ingratitudo. Et ſi ſemel hæc ingratitudo ad cumulum peruenerit, tunc pro menſura delicti erit plagarum modus. *Et ponam*, inquit Iſaias, *in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.* Hæc iuxta expoſitionem Nicolai de Lyra. *Hoc*, inquit, *poteſt referri ad dictum Eſaiæ: & ſic eſt ſenſus. Qui crediderit mihi denuncianti aduentum Chriſti primum, non feſtinet; ſic intelligendo verbum meum, quod Chriſtus ſtatim ſit venturus, quia adhuc eſt longum tempus. A tempore enim*

Digitized by Google

*Eſaiæ, vſque ad tempus Chriſti, fluxerunt anni quingenti,
vel circiter. Alio modo poteſt referri ad Chriſtum ipſum,
& ſic eſt ſenſus. Qui crediderit, ſcilicet doctrinæ Chriſti, quia
pluries locutus fuit de aduentu ſuo ad iudicium; vt patet
ex prædictis, non feſtinet imo expectet patienter tempus à
Deo determinatum. Vnde & Apoſtolis quærentibus de
tempore huius aduentus, Act. 1. reſpondit: Non eſt ve-
ſtrum noſſe tempora vel momenta.* Ita Nicol. At cum
iſtud tempus aduenerit, ſiue primi aduentus Chriſti,
ſiue ſecundi, tunc ponam in pondere iudicium. Pon-
derabo an acceptauerint iſtum lapidem pretioſum,
angularem, an verò illum reprobauerint. Et quia
multi illum reprobabunt, ideo ponam iuſtitiam
in menſura, vt eadem menſura qua menſi fuerint
Chriſtum ad eos miſſum, illum neci tradendo, ea-
dem metiantur, dum neci tradentur. *Hic*, inquit
Nicolaus de Lyra, *conſequenter deſcribitur pœna Iudæo-
rum acerbitas, pro morte Chriſti nequiter procurata, cum
dicitur: Et ponam in pondere iudicium, &c. Id eſt: Pu-
niam eos ſecundum de merita. Exercitus enim Romanorum
cum magno ſtrepitu veniet ad modum grandinis deſcen-
dens, qui ſubuertet ſpem mendacij, quia ſperabant euade-
re inſultum exercitus Romani mendaciter, procurando mor-
tem Chriſti. Et aquæ tribulationum illos auferent, ſicut
aquæ inundantes rapiunt quæ inueniunt, itaut euadere non
valeant mortem: & obſtinati in ſua infidelitate & incre-
dulitate detrahendi ſunt ſecundùm animas ad pœnam ge-
hennæ. Erit ſiquidem exercitus Romanorum quaſi flagel-
lum inundans, occiſionibus conculcans terram eorum, &
multos ex illis tollens captiuos: & quacumque hora vene-
rit continget ſine dilatione iſta miſeria, & tantummodo
ſola vexatio dabit intellectum auditui. Prædixit enim Chri-
ſtus hanc deſtructionem pluries, vt patet in Euangeliis: ſed
noluerunt credere, donec cenſerunt per experientiam.* Ita
ex expoſitione Lyrani.

Quod Lyranus de primo aduentu Chriſti dixit,
hoc etiam de ſecundo aduẽtu illius dicere debemus.
Hæc mala incurrerunt Iudæi propter necem Chri-
ſti, & contemptum lapidis pretioſi, angularis, quem
reprobauerunt, & à ſe eiecerunt. Ita tandem falſi
Chriſtiani ſubuertentur per exercitum Anti-Chriſti,
quia lapidem ſecundarium, pretioſum, nempe au-
toritatem Pontificiam, abolere voluerunt.

Sperabant quippe mendaciter, quod illam auto-
ritatem, quam Chriſtus dedit, vt per eam viam
certam & ſecuram (qua ad vitam peruenitur æter-
nam) diſceremus, proponendo quæ credenda ſunt,
præcipiendo quæ iuſta ſunt, & gratiam conferendo
per Sacramentorum adminiſtrationem; ſperabant,
inquam, quod illam autoritatem euellerent, & ad
nihilum reducerent. & hoc præſtito quod in magna
quiete temporali poſſent in omnibus deliciis & va-
nitatibus ſeculi vitam tranſigere; at ſubuerſa eſt
ſpes mendacij. Qui Eccleſiam ſubuertere volebant,
ipſi per grandinem exercitus Anti-Chriſti ſubuerſi
ſunt. Putabant illi, capite ſibi conſtituto ab Eccle-
ſiæ vnitate diuiſo. Magnum habere protectorem;
ſed aquæ afflictionum grauiſſimarum, quibus
inundabuntur, vanam illam ſpem protectionis inun-
dabunt: & morti tradentur & in infernum detru-
dentur. Quando enim venerit exercitus Anti-Chri-
ſti, erit quaſi flagellum inundans, qui illos miſere
conculcabit. Habet enim Deus malos in manu qua-
ſi aliquod flagellum (vnde olim Attila dictus fuit
flagellum Dei,) per quos quandocumque vult ſi-
bi rebelles grauiter punit. Hoc experta eſt in mane,
ſeu in initio naſcentis Eccleſiæ, ciuitas Hieroſoly-
mitana. Hoc in die & meridie pluries experta eſt
ciuitas Romana, quæ vaſtata fuit ſæpiùs à Gotthis
& ab Hunnis. Hoc ſentiet in nocte illa grauiſſimæ
perſecutionis Anti-Chriſti, quando elapſus fuerit
ille dies libertatis Regni Chriſti viſibilis in terris.

A Mille anni ſiquidem in conſpectu Dei tanquam dies
vnus. Soluto quippe ſatana nox adueniet obſcuriſſi-
ma afflictionum, & calamitatum. Et tantummodo
vexatio iſta dabit intellectum auditui. Sentient &
experientur malum illis fuiſſe quod ſe à Deo & ab
vnitate Eccleſiæ ipſius ſeiunxerint, quod lapidem
illum concutere auſi fuerint: qui tantæ ſoliditatis
eſt, vt qui ceciderit in eum, confringatur, & ſuper
quem ipſe ceciderit, dum poteſtate ſua vtens Ana-
thema pronunciat, etiam conteratur. Deus hoc
modo ſe gerit erga peccatores: nam cor hominis
duobus Dominis ſeruire non poteſt. *Aut enim vnum
odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, &
alterum contemnet.* Non poteſt Deo ſeruire, & Mam-
B monæ, vt habetur Matt. 6. Non mirum igitur ſi
iſti peſſimi rerum ſacrarum nundinatores, qui aua-
ritia ducti omnia in Eccleſia perturbarunt, à Deo
ejiciantur. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum*, inquit Iſaias,
*itaut alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non
poteſt. Cor humanum*, inquit Nicolaus de Lyra, *non
poteſt capere ſimul Deum & diabolum, ſed ſuſcepto dia-
bolo per peccatum, exit Deus; & è conuerſo, ſuſcepto Deo
per charitatem, exit diabolus. Et pallium breue, ſcilicet
amoris, vtrumque operire non poteſt: quia diabolus non po-
teſt operiri pallio charitatis nec Deus pallio amoris malè in-
flammantis. Et quia Iudæi à ſe eiecerant Deum humanatum;
& per conſequens receperant diabolum in Dominum: ex
quo meritò debebat ſequi iſta punitio.* Ita Nicol. de Ly-
C ra. Sic bona inſpiratio & lumen à Deo infuſum,
cum mala ad peccatum adhæſione ſubſiſtere non
poteſt. Non permanet ſpiritus Dei in homine car-
nali. Sic veritas à mendacio propulſatur, gratia
per peccatum excluditur. Et quamuis ſub vmbra
alarum Chriſti crucifixi omnes peccatores poſſint
veniam ſperare peccatorum, & eius pallio coope-
riri effugere tela iracundiæ Dei, tamen nimis breue
eſt pro iis qui pœnas effugere volunt, nec ad pœni-
tentiæ remedia recurrere volunt, ſeu media ſalutis
reſpuunt, dum grauiter peccare intendunt. Ita erit
in iſtis, qui cor ſuum dederunt auaritiæ, qui Eccle-
ſiæ ſacram autoritatem abiecerunt: decident à ſpe
ſalutis æternæ, & à temporali tranquillitate: nec il-
D lis proficiet quod ſe eſſe Chriſtianos profitebuntur:
reſciſſi enim ab Eccleſiæ vnitate, tanquam infideles
& Ethnici conculcabuntur à gentibus, & punientur
grauiſſimis ſuppliciis.

Duobus autem modis grauiſſima, ſentient ſup-
plìcia. Primo modo: quia à Deo & ab Eccleſia ſe-
parabuntur per ſententiam anathematis, quæ qui-
dem Eccleſiaſtica pœna omnibus malis & damnis
temporalibus formidabilìor eſt: Secundò, quia ob-
ruentur calamitatibus innumeris per Anti-Chri-
ſtum: qua quidem ratione Deus faciet vindictam
hoſtium ſuorum, quamuis vindicta opus ſit alienum
à Clementia & bonitate ſua. Hac de cauſa Prophe-
ta Iſaias tangit in hoc capite duas inſignes hiſtorias,
E vt oſtendat quomodo Deus puniat illuſores verita-
tis. Prima eſt ex 2. Regum c.5. vbi dicitur quod au-
dientes Philiſtiim quod vnctus fuiſſet Dauid in Re-
gem Iſrael, aſcenderunt vniuerſi vt quærerent Da-
uid. At ille ex Dei mandato venit in Baal pharaſim,
& percuſſit eos ibi, & dixit: *Diuiſit Dominus inimi-
cos meos coram me, ſicut diuiduntur aquæ.* Propterea
vocatum eſt nomen loci illius Baalpharaſim. Sicut
in hoc monte diuiſionum ſtabit Dominus, dum Ec-
cleſia ſtans in monte plenitudinis poteſtatis ſibi tra-
ditæ, ſchiſmaticos diuidet à ſe. Sententia enim hæc
diuiſionis & maledictionis à Chriſto eſt, qui per Ec-
cleſiam loquitur. At non ſolùm hoc modo grauiſſi-
mè punientur, ſed etiam, *Sicut in valle Gabaon Domi-
nus iraſcetur*, ait Iſaias, *vt faciat opus ſuum, alienum
opus eius, vt operetur opus ſuum.* Peregrinum eſt opus

eius ab eo. In hac valle olim Ioſue perſequente Amorrhæos, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, vſque ad Azeca. Et mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos percuſſerunt gladio filij Iſraël. Inſuper ibidem Ioſue dicente coram eis: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Ioſue 10. Deo pugnante pro Iſraël. Deus enim gladio belli, fame quaſi grandine, & ſolis ardoribus peſtilentias immittendo, hoſtes ſuos grauiter punit.

Concludit itaque Propheta Deum non eſſe illudendum, imo potiùs cum promittat, vel minatur, fidem adhibendam eſſe dictis illius, ne fortè timorem iudiciorum ſuorum abiicientes, & ſpem miſericordiarum ſuarum deponentes, vincula peccatorum (quibus conſtringimur) fortiùs conſtringantur, & ſic in peccatis noſtris moriamur, & ex inſperato ruina temporalis & damnatio æterna nos incautos & nihil tale expectantes deprehendat. *Et nunc*, inquit Iſaias, *nolite illudere, ne fortè conſtringantur vincula veſtra. Conſummationem enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram.* Vel, vt ait de Lyra, *Nolite illudere veritatem Euangelicæ prædicationis, ne conſtringantur vincula veſtra pœna irremediabili in iudicio finali. Ideo ſubditur: Conſummationem enim, ſcilicet mundi, & abbreuiationem, id eſt, infra breue tempus reſpectu æternitatis.* Ita Lyran.

Rationem reddit huius conſummationis poſtea Iſaias, nempe quia Deus operi prouidentiæ ſuæ finem tandem imponere vult. Quod eleganti quadam comparatione agricolæ non ſemper arantis, non ſemper ſerentis, proſcindentis aut ſarrientis humum ſuam, non ſemper diuerſo ſemine per ordinem terram ſeminantis, nec ſemper triturantis aut excutientis in ſertis aut rotis plauſtri, aut in virga, aut in baculo, iuxta ſpeciem ſeminum, aut panem, id eſt, triticum, non in perpetuum triturabit illum, neque vexabit illum rota plauſtri, aut vngulis, id eſt ſertæ ſummitatibus comminuet. *Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium & magnificaret iuſtitiam.* Ita Deus & Chriſtus verus agricola non ſemper arabit corda noſtra per inſpirationes ſuas; non ſemper ſemina iaciet diuerſarum illuſtrationum & cognitionum; non ſemper animam noſtram compunctione proſcindet, ſpiritu mortificationis à paſſionibus expurgabit. Tandem ibi primò ſeminabit propriarum culparum perfectam cognitionem: Media præſcribet quibus illis mederi poſſit: cognitionem myſteriorum Dei infundet: amorem Chriſti crucifixi & crucis imitationem inſtillabit, & omnes motus ſenſuales reprimere ſtudebit: peccata fragilitatis, virga excutiet; malas conſuetudines baculo conteret: & vt fructum exquirat ſpecialis prouidentiæ ſuæ & amoroſiſſimæ ſollicitudinis, pœnis & laboribus, conſcientiæ frequentioribus ſtimulis, diuerſorum euentuum moleſtiis (quæ vix abſque eius gratia ſufferri valerent, tandem magna & fideli obſeruatione mandatorum ſuorum. Sed audiamus ſymbola iſtorum omnium per ordinem ab Iſaia. *Auribus percipite* inquit Iſaias, *& audite vocem meam: attendite & audite eloquium meum. Nunquid tota die arabit arans, vt ſerat? Proſcindet & ſarriet humum ſuam? Nonne cum adæquauerit faciem eius, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis? Et erudiet illum in iudicio: Deus ſuus docebit illum. Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo Panis autem* (Id eſt triticum, ex quo fit panis, per Metonymiam) *comminuetur: verum non in perpetuum triturans triturabit illum; neque*

A *vexabit eam rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam.* Ita Iſa.

Pius & miſericors Deus, ait Gloſſa, *genus humanum vt fructum boni operis afferat, arat: vt agricola, vomere prædicationis proſcindit; verbere tribulationis, nunc peſte, nunc captiuitate corrigit: per gith & cyminum, quæ in virga excutiuntur, gentes quæ cognitionem Dei non habent intelliguntur, quæ nimis punientur: Triticum & hordeum vnde panis fit, Iudæi præeminentes cognitione Dei, vel mali Prælati Eccleſiæ & Principes huius ſeculi, qui punientur grauioribus tormentis: vel gith, ſimplices & idiotæ, qui fidem acceptam malè viuendo corruperant, frumentum Eccleſiæ Sacerdotes clauem ſcientiæ habentes.* Ita Gloſſa.

Quæ, quæſo, ciuitas vnquam diligentiori manu
B fuerat exculta, qualiter fuit Romana ciuitas, Apoſtolorum Petri & Pauli ſanguine irrigata, ſicut & prædicatione? Quænam maiores illuſtrationes, & cognitiones diuinorum myſteriorum vnquam accepit? Certè ſi aliæ ciuitates in virga, aliæ in baculo purgari aut probari debuerint, hæc tanquam frumentum vehementioribus flagellis, rotâ plauſtri, ſerris & vngulis comminui debuit: quia quo ampliora ſuſcepit dona, eo ingratitudo maior fuit. Vnde ſequitur vt qui iuſtitiam ponit in menſura, eam grauiùs punire debeat, vt mirabile faciat conſilium, & magnificet iuſtitiam ſuam.

C *Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna: & vltra iam non inuenietur.*

Quomodo in caſu & ruina ciuitatis Babylonis myſticæ, tanquam in imagine & figura, depicta eſt omnium iniquorum & reproborum damnatio?

ANNOTAT. XIII.

Quorumnam ruina prædicitur.

SECTIO I.

D SICVT ex ſancto Iuda, *Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimiliter exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*, (vel, vt ait S. Petrus, 2. c. 2. *& ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euerſione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens.* Ita S. Petrus (ita dico, ſicut crimina huius ciuitatis ſceleribus Sodomæ & Gomorrhæ comparantur, ſic ſupplicia, quæ de illis criminibus Deus ſumpturus eſt, omnibus erunt in exemplum. Videntibus nempe qua ſeueritate Deus Optimus Maximus depreſſerit eos qui rebelles Eccleſiæ, & contra eam contumaces, Chriſti Vicarium in ter-
E ris, lapidem illum ſecundarium, probatum, & pretioſum, in quo Chriſti regalis poteſtas & ſacerdotalis dignitas coniungebantur, repulerunt & reprobauerunt, certè facile erit coniicere quanta cum ſeueritate Deus in iudicio puniet vniuerſos reprobos, qui verum & primarium lapidem Chriſtum reiecerunt, & in peccatis ſuis mortui ſunt, ſiue fidem in illum (vt infideles) non receperint, ſiue Clypeum fidei abiecerint, vt Apoſtatæ & hæretici; ſiue vnionem charitatis contempſerint, vt ſchiſmatici; ſiue tandem eum imitari & ſequi neglexerint, vt mali Catholici; omnes, inquam, illi ad modum illius ciuitatis, quæ temporaliter euerſa eſt, & igne concremata, ſeuerè punientur. Primò, quia pœnam ignis æterni ſuſtinebunt, à quo nunquam eximi poterunt. Secundò, quia nulla erit in tantis pœ-

Digitized by Google

nis conſolatio, nullum in tantis ardoribus refrigerium, nullum in tantis anguſtiis mentis ſolatium: mittentur in mare tormentorum, & in lacum miſeriæ, in quo nihil iucundum, nihil commodum, nihil naturæ conſonum, nihil vtile aut neceſſarium ſolatio miſerorum inueniri vnquam poterit.

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis, &c.

Quiſnam ſit iſte Angelus fortis?

SECTIO II.

PER hunc Angelum, ſi Ludouico ab Alcazar credas, deſignatur Ieremias Propheta, de quo c. 1. dicitur: *Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum &c. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt.* Et hoc forte, quia S. Ioannes in hoc loco alludere videtur ad cap. 51. Ieremiæ, vbi loquens de Babylonis ſubuerſione hæc habet: *Cumque compleueris legere librum iſtum, ligabis eum ad lapidem, & proycies illum in medium Euphratem & dices: Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis, quam ego adduco ſuper eam.* Ita Alcazar. Debilis proculdubio coniectura, cum alia ſit Babylon, de qua S. Ioannes loquitur, ab ea de qua Ieremias. Lapis Ieremiæ non dicitur immenſi fuiſſe ponderis: Lapis S. Ioannis eſt lapis molaris magnus. Lapis Ieremiæ mittitur in flumen, quo vitæ huius præſentis fluxus ad mortem continuè properans deſignatur. Lapis S. Ioannis mittitur in mare, in quo omnes recipiuntur aquæ fluentes per quod deſignatur omnium malorum interitus perpetuus, adueniente omnibus fine huius vitæ labentis. Non videtur igitur neceſſarium vt recurramus ad Ieremiam, pro ſignificatione huius Angeli, ex quadam ſimilitudine quæ interuenit inter ea quæ narrat S. Ioannes, cum iis quæ narrauit olim Ieremias.

Rupertus autem exiſtimat hunc Angelum eſſe Chriſtum Dominum. *Porro hic Angelus fortis, qui continuo lapidem magnum, quaſi molarem, ſuſtuliſſe, & in mare miſiſſe dicitur, hoc, inquiens, impetu mittetur Babylon, magna illa ciuitas, & vltra non inuenietur; ipſum fortem & potentem ſignificat Dominum, qui ſedens in ſede maieſtatis ſuæ, congregatis ante ſe cunctis gentibus, his qui à ſiniſtris eius erunt proprio ore dicturus eſt: ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Tunc enim veraciter vniuerſa ciuitas diaboli cum magno impetu in profundum mittetur; & ſicut lapis magnus in mare miſſus non ſupernatat, neque reſilit vlterius, ſic illa ſemel præcipitata de inferno non emerget ampliùs.* Ita Rup.

Eadem ſentit S. Thomas in expoſitione. *Vnus*, inquit, *non habens parem, Angelus, ſcilicet Chriſtus, qui eſt Angelus magni conſilij. Iſ. 9. Fortis, cui non poterit reſiſti: qui eleuatos damnabit qui & dæmones iam ſua paſſione deuicit Iob. 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt*, &c. Et paulo poſt: *Per hunc Angelum ſignatur Chriſtus, ſicut expoſitum eſt; per hoc autem quod Angelus dixit, ſignatur quod Chriſtus, qui magiſter noſter eſt, id eſt, reuelat per ſcripturam, vel per inſpirationem, ſuæ Eccleſiæ. (cuius typum gerit Ioannes) quod mali irreuocabiliter in infernum detrudentur. Hoc impetu, id eſt, ſubito & fortiter, & profundè. Lapis enim cum impetu iactatus vadit vſque fundum. Mittetur, id eſt, demergetur, ſcilicet in infernum.* &c.

At certè cum inter ſignantem & ſignatum debeat eſſe diſtinctio, ille Angelus non debet eſſe Chriſtus, vt voluit Rupertus, ſed tantùm quidam reuera Angelus: qui dum lapidem in mare mittit, Chriſtum ſignat, qui miſſurus eſt reuera in infernum, mare tormentorum, omnes reprobos. Miſſio autem præ- A ſens lapidis ſignificat temporalem caſum ciuitatis Babylonis, in qua nobis ſpeculari datur æternus interitus omnium reproborum. Et hac de cauſa dicitur: *Miſit in mare lapidem molarem*; & in futuro dicitur: *Hoc impetu mittetur Babylon.* Vt per aliquam inſtantem actionem quod futurum eſt deſignetur.

Dico igitur iſtum Angelum Chriſtum ſignantem, & lapidem in mare mittentem, eſſe Angelum Gabrielem, Angelum fortem. Hoc conjicio ex Daniele c. 8. vbi poſt viſionem duarum beſtiarum, Arietis & Hirci caprarum, & fractionis cornu vnius, ex quo orta fuerunt quatuor cornua, vox auditur ad Gabrielem dicens: *Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem.* Ad cuius adſpectum pauens Daniel, collapſus B eſt pronus in terram: ſed illo erecto, dixit Gabriel Danieli: *Ego oſtendam tibi quæ futura ſunt in nouiſſimo, maledictionis, quoniam habet tempus finem ſuum*: Et arietem de Rege Medorum atque Perſarum exponens: hircum, de Regno Græcorum: & cornu magnum hirci, de primo Rege græcorum (Alexandro videlicet, ex cuius fractione ſurrexerunt quatuor Reges pro eo, Ptolomæus in Ægypto. Seleucus in Syria, Philippus in Macedonia, Antiochus in Aſia, ita S. Thom. in Danielem tandem addit Gabriel: *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, &* C *proſperabitur, & faciet: & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam: & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum conſurget. & ſine manu conteretur. Quia ſicut Antiochus*, inquit S. Thomas in Danielem, *rediens de Perſide infectus, morbo horribili & triſtitia periit; ſic Anti-Chriſtus peribit, non per manum hominis, ſed eum interficiet Dominus ſpiritu oris ſui, vt dicit Apoſtolus; 2. ad Theſſalonic. Cum igitur Angelus Gabriel oſtenderit Danieli quæ futura ſunt in nouiſſimo maledictionis probabiliſſimum eſt ipſum ſigno, & ſymbolo etiam deſignare ſancto Ioanni quæ Chriſtus faciet in nouiſſima maledictione, quando videlicet dicet omnibus reprobis: ite maledicti in* D *ignem æternum*, &c. Seu etiam quæ antea temporaliter futura ſunt in vltima maledictione, id eſt, in vltimo Anathemate ab Eccleſia proferendo ante necem Anti Chriſti, cum Deus Babylonem rebellem Anathemate perculſam ob ſchiſma, in temporalem mittet interitum, in quo æternus ille interitus omnium reproborum figuretur. Fauet nobis S. Hieron. in hunc locum Danielis. *Virum illum*, inquit, *qui præcepit Gabrieli vt Danielem faciat intelligere viſionem, Iudæi Michaelem autumant. Conſequenter autem, quia viſio de præliis erat, regumque certaminibus, imo Regnorum ſucceſſionibus, Gabriel qui præpoſitus eſt præliis huic officio mancipatur Gabriel enim in linguā noſtrā vertitur Fortitudo vel robuſtus Dei. Vnde & eo tēpore* E *quo erat Dominus naſciturus, & initurus bellum dæmonibus, & Triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam.* Et poſtea: *In Pſalmis legimus de Domino triumphante: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio, ipſe eſt Rex gloriæ.* Ita Hieron. Sicut igitur Gabrielis opera vſus eſt Dominus, vt antiqua prælia annunciaret, vt prælium Chriſti cum dæmonibus in ſuo primo aduentu indicaret, nonne probabiliſſimum eſt ipſum ſancto Ioanni deſignare quid tandem futurum ſit ex prælio, quod initurus eſt Chriſtus Dominus contra Reges, & Principes qui contra Eccleſiam inſurgent in fine mundi, contra ſchiſmaticos Eccleſiæ perduelles, contra Satanam è carcere ſolutum, contra Anti-Chriſtum. Siquidem iſta prælia inſigniora ſunt prioribus, & cum fortiori hoſte erit dimicandum.

Digitized by Google

dum. Vnde meritò qui hoc vltimum prælium deſignat Angelus fortis dicitur, quia magna erit Chriſti potentia, qui illuſtratione aduentus ſui tantum hoſtem proſtrabit. Gabriel igitur Angelus, qui Domini exercituum primum aduentum annunciauerat oſtendere volens quod nullus hominum impunè contradicet honori, quem ſibi Chriſtus Dominus acquiſiuit, merito paſſionis & humiliationis ſuæ, illorumque conatus futile fore qui Regnum viſibile in terris euertere conabuntur (ſiquidem filius ille eſt altiſſimi, cuius regni non erit finis) ex ruina ciuitatis ſchiſmaticæ & rebellis occaſionem ſumpſit eam in exemplum proponere, vt oſtendat mortalibus quid futurum ſit cunctis hoſtibus Chriſti, cum illos ponet ſub pedibus ſuis. Nam ſicut iſta ciuitas funditùs fuit euerſa, ita omnes diſperibunt; & vtrorumque caſus repræſentauit ſub ſymbolo lapidis molaris in mare cum impetu à manu potenti proiecti ſeu deiecti. Sicut enim ille lapis in profundam maris demerſus nunquam ſupra vndas ſupernatura videbitur, ita nec vnquam temporaliter ad priſtinum ſplendorem ciuitas illa redibit, nec ab æternis cruciatibus reprobi poterunt vnquam liberari.

Hoc impetu mittetur Babylon.

Deſcriptio caſus ſeu interitus tum ciuitatis Babylonis, tum omnium reproborum, ſub ſymbolo lapidis in mare proiecti.

SECTIO III.

LIBET hic Andreæ Cæſarienſis expoſitionem adducere, ex qua videre licebit Babylonem, & Romanam ciuitatem, & collectionem reproborum deſignare, itaut in vnius caſu poſſimus alterius caſum optimè intueri.

Quemadmodum, inquit Andreas Cæſarienſis, *molaris lapis magno impetu ad maris fundum fertur, ita Babylonis huius interitus vſque adeo impetuoſus, & abſolutus erit vt ne veſtigium quidem poſt ſe reliquum faciat. Hoc enim per citharædorum, & muſicorum, & reliquorum huiuſmodi defectionem deſignatur. Cauſam autem huius defectionis non aliam reddit, quàm quod gentes omnes Muſicæ ſuæ ſuauitate, ſuiſque veneficiis & incantationibus ſeduxerit, ſanguiniſque Prophetarum & reliquorum ſanctorum receptaculum extiterit. Per quæ omnia videri queat impiam illam Babylonem, quæ apud Perſas extat, denotari, vt quæ multorum ſanctorum ſanguinem diuerſis temporibus effuderit, & vſque ad præſentem diem effundere non deſinit, magiiſque & incantationibus, & cæteris ſuperſtitionibus ſtudioſè ſemper dedita fuerit. Et quidem optari poſſit hanc eam ipſam eſſe, quæ ſuperbia & inſolentia aduerſus Chriſtum & ſeruos eius declaratæ pœnas, de quibus dictum eſt, luat. Verùm huic opinioni aduerſari videtur quod plerique veteres Eccleſiæ Doctores hæc contra eam Babylonem prædicta tradant, quæ apud Romanos extat, cum ob alia, tum verò maximè quod in quarta beſtia, nempe in Romano Imperio, viſa ſunt decem cornua, è quibus vnum inde enatum tria mox radicitùs euertit, cætera verò ſibi ſubiungat; Tum rurſum quod Anti-Chriſtus, vbi venerit, tanquam Rex Romanorum in medio proditurus ſit, eo quidem colore & prætextu quaſi illorum Imperium velit inſtaurare & conſouere, nec non aduerſus hoſtes cum illis conſpirare; cum reipſa tamen conſummatam illius euerſionem & vaſtitatem moliturus ſit. Eapropter, vt ante quoque dictum eſt, rectiùs per regnum hoc accipitur orbis Imperium, in vnum quaſi corpus ex variis membris, quæ iam inde ab initio vſque modo extiterunt, conflatum, rerumque potitum.*

Hoc enim illud eſt quod reuera Apoſtolorum & Prophetarum, & Martyrum ſanguinem effudit, non vna ali-
A *qua ſingularis ciuitas. Quiigitur vrbem hanc magnam hoc ſenſu interpretatus fuerit, haud facilè ille à ſcopo aut decoro aberrauerit. Etenim vt vnus chorus, & vnus exercitus, & vna ciuitas dicitur, etiamſi multitudo, quæ vnumquodque iſtorum membrorum conſtituit, identidem mutetur, ita vnum etiam regnum dici poteſt, etiamſi multa loca & tempora diſtinguantur & diſcindantur.* Ita Andr. Cæſar.

Quamuis igitur Andreas propenſior ſit, vt in illa ciuitate omnes malos intelligamus per vniuerſum orbem diffuſos, fatetur tamen veteres in hac ciuitate ſubintellexiſſe Romam in fine ſeculorum ab Anti-Chriſto euertendam: Quorum ſententiæ inhærentes, itaut tamen in hac ciuitate collectionem
B omnium malorum deſignari fateamur reliquam capitis expoſitionem proſequimur.

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis, &c.

Formitatem, gloriam & pacificam fruitionem voluptatum ſibi promittebat Babylon illa myſtica; & à Deo punita mobilitatem ignominiam, & omnium voluptatum priuationem incurrit.

SECTIO IIII.

TRIA hæc ſuperba ciuitas in vanitate ſua dixerat. Primum: *Sedeo Regina*: Quaſi diceret: mea dominatio firma ſtat, quæ nunquam ſubuerti poterit. Secundum: *Vidua non ſum.* Quibus verbis ſibi
C ita blandiebatur, vt nunquam ignominiam vllam incurrere poſſet, poſſidendo ſcilicet illam omnem gloriam, quæ vxori ex mariti honore & dignitate poteſt contingere, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinthios c. 1. *Mulieris autem gloria eſt vir: non enim vir ex muliere, ſed ex viro mulier.* Cum igitur hæc ciuitas Imperatorem ſibi aſciuiſſet, quem tanquam ſponſum habebat, & cui adhærere in perpetuum intendebat, reiecta omni autoritate Pontificia gloriabatur, ac ſi iſta dignitate Imperiali nunquam eſſet ſpolianda, & cum Iudæis clamabat: *Non habemus regem niſi Cæſarem. Vidua*, inquit, *non ſum.* Tertium: fruitionem pacificam, & tranquillam omnium voluptatum ſibi pollicebatur. *Et luctum*, inquit, *non videbo.* At ſub ſym-
D bolo molaris lapidis in maris profundum deiecti, quam vana ſit illius ſpes & expectatio apparebit. At vt facilior ſit ſymboli expoſitio, probabile eſt lapidem hunc molarem non illum eſſe qui in molendino alteri ſuper iacenti ſubſternitur aut ſupponitur, qui quidem firmius, & abſque motu ſemper in eadem poſitione manet immobiliter, ſed eſſe lapidem molarem ſuperne rotatum, quem detraxiſſe fingitur Angelus fortis, & ſuſtuliſſe in aërem, vt illum cũ impetu dejiceret. Nam ſi deſtruendum ſit molendinum, ſeu piſtrinum aquarum, vel ventilatũ, à ſuperiori parte videtur eſſe inchoandum. Cum igitur duæ ſint molentes in mola, id eſt, in reuolutione, & decurſu temporum, duæ ſint ciuitates, quæ totum hoc ſpatiũ tem-
E porum decurrunt, nempe ciuitas Dei, & ciuitas diaboli, ciuitas Dei firma & immobilis tanquam petra, malorum impetus & inſultus patienter tolerat; malis ſemper in circuitu ambulantibus, & bonos ſibi ſubſtratos prementibus. At cum Deus finem operi ſuo imponet deſtruendum illud piſtrinum à ſuperiori parte incipit & illum eo altius tollit, quo depreſſiùs dejiciatur. Hoc præſuppoſito pro idea ſymboli,

Dico primò, hanc ciuitatem fruſtratam in expectatione ſua: nam quæ inſtabilitati & viciſſitudini rerum caducarum minimè obumbrari aut offuſcari poſſe exiſtimabat: euelletur; à poſſeſſione diuitiarum ſuarum abſtrahetur, à ſede Dominationis ſuæ propulſabitur, & quàm Deus potens ſit experietur. Hac enim potentia ſua Deus concutit etiam fundamenta terræ: ad eius intuitum: columnæ cæli contre-

miſcunt : nihil firmiter ſtat aut permanet quod mutationi non ſit obnoxium, ipſo Imperante ; multo minus firmabuntur impij, de quibus dicitur Pſ. 1. *Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem projicit ventus à facie terræ.* Quapropter tota firmitas & ſtabilitas gloriæ mundanæ aſſimilatur molæ ſuperiori Piſtrini, quæ quamuis grauis adhæreri ferro rotulæ ex ligneis columnis compactæ in fixo, quæ ad motum maioris rotæ dentatæ voluitur, dentibus illius intra columnas inſertis mouetur in circuitu, & diuerſas patitur partium poſitiones, licèt tota intra vnius & eiuſdem ſpheræ ſpatium in eodem loco conſiſtat ; Pari ratione, etſi videatur nobis hominum gloria ſeu proſperitas aliquam habere ſtabilitatem nunquam tamen homo in eodem ſtatu permanet. Mouetur enim prout ordo à Deo præſcriptus omnibus rebus mutationi & viciſſitudini obnoxiis homini præcipit moueri. Deus, cuius voluntas in æternum manet, ſolus eſt immutabilis, qui patientia & fortitudine ſua nullâ aliâ vi ſuperanda cunctas res creatas in eo ſtatu quem voluit conſeruat donec illæ è medio tollantur, quæ nihil boni fructus, afferunt ex omnibus motionibus, quibus eas moueri contingit. Sic tolluntur impij ; quia ſi illorum facultates ad operationes mouentur, nihil aliud moliuntur quàm peſſimas ad peccandum determinationes, quibus velut pernicioſſimo ſemine, panis tantùm malitiæ conficietur, gaudij ſcilicet & lætitiæ in malefactis ; beneficio conſeruationis (quo à Deo ineſſe & operari ſuſtinentur) abutentes. Dicat Igitur illa peſſimorum ciuitas: *Sedeo Regina* : quantum libuerit. Glorietur ac ſi nunquam loco aut ſede dimoueri valeat, mutabilitatis rerum omnium oblita : tamen auelletur, & eradicabitur è medio rerum viuentium, vt in profundum tormentorum inferni demergatur, *quoniam tempus habet finem ſuam*, vt ait Angelus Gabriel, Danielis 8. Nec enim rerum natura patitur vt ſint ſemper res in motu. Deus ſiquidem cunctis rebus præſcripſit terminos, qui præteriri non poterant.

Sit igitur beneficium conſeruationis rerum creatarum ineſſe & operari tanquam lapis molaris inferior. Super illum lapidem moueantur cunctæ res creatæ, quas Deus ſinit proprios motus peragere, iuxta præceptum & ordinem à Deo poſitum. Qui bonas eliciunt actiones, ex illis conficiunt ſibi panem gratiſſimum Deo, Angelis, cæteris hominibus, & ſibimetipſis. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum*, inquit Apoſtolus. Rom. 2. Qui verò malas producunt, panem amaritudinis inſipidum Deo, ipſis nociuum & aliis conficiunt : propter quod auelli, & è numero viuentium abſtrahi debent : vt in infernum, tanquam in malorum omnium centrum detrudantur. *Tribulatio enim & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Rom. 2. Sic Deus bonos in bonis operibus continuò vitam tranſigentes, in firmam & opulentam requiem euehit, vt ibi ſedeant in pulchritudine pacis ; malos verò in malis operibus vitam ducentes euellit, vt demergantur in interitum, vt ibi iaceant æternis tormentis addit. Hac igitur de cauſa Angelus iſte fortis damnationem ſuperbæ illius ciuitatis deſignat ſub ſymbolo lapidis molaris, quem in altum ſuſtulit, vt eum dejiciat in profundum abyſſi: & quæ exiſtimabat ſe fædus iniiſſe cum morte, & pactum feciſſe cum inferno, nullis poſſe malis concuti, nec plagis Dei corripi, de qua dici poſſet illud Pſal. 72. *Quia non eſt reſpectus morti eorum* ; diceres mortem illorum eſſe oblitam ; *Et firmamentum in plaga eorum*, adeo leuiter tanguntur malis communioribus. *In labore ſiquidem hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos ſuperbia operti ſunt ini-*

A *quitate & impietate ſua* ; Tamen enim Deus illos dejicere voluerit aut deprimere, verum dixiſſe Dauidem percipiemus, cum in eodem Pſalmo ait : *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis : deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Qui igitur firmam ſedem fixiſſe ſibi ſtatuerant in rebus caducis, & temporali proſperitate ; auellentur vt cadunt in lacum inferni, è quo non poterunt ſurgere. Qui caſus omnibus erit notus, & facilè à cunctis percipi poterit, ſicut facillimum eſt omnibus videre lapidem prægrandem ex alto aëre cum impetu decidentem.

At non ſolùm eradicabitur, ſed etiam cum ignominia & confuſione dejicietur. Superbos enim Deus
B confundere, & ignominia afficere ſolet, vt dilucidè docet Sapiens, Eccleſiaſtici 10. *Initium*, inquit, *ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo : quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor eius : quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & deſtruet eos vſque in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamentum. Areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu.* Et paulo poſt : *Semen*
C *hominum honorabitur hoc quod timet Dominum, ſemen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.* Ita Sapiens. Quia igitur hæc ciuitas mandata Dei præteriuit, ideo quod ſibi cedere putabat in gloriam, nempe diſceſſio ab Eccleſiæ autoritate, vt ſuo Imperatori ſchiſmatico coniungeretur, hoc illi vertetur in ignominiam & confuſionem, iuxta illud : *Qui dixerunt. Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Domine pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Imple facies eorum ignominia.* Dicat ſi velit hæc ciuitas : *Vidua non ſum* : honore concupito poteſtatis Imperialis adhuc fruor : hoc honore ſpoliabitur, cum funditùs euertetur, & ſeuerius agetur cum ea, quàm egerit Deus olim erga veterem Ba-
D bylonem. Etenim pœna veteri Babylon inflicta talis fuit vt videatur vltimum malitiæ gradum huius ciuitatis præueniſſe, id eſt, non ad vltimum gradum malitiæ nouæ Babylonis perueniſſe, ne ſi vltimum attigiſſet gradum, cogeretur grauiora inferre ſupplicia, & numero, & enormitate, multiplicatis & auctis criminibus, multipliciores & intenſiores pœnas infligere. At ſi attentè perpendamus quid actum fuit erga nouam Babylonem, videtur Deum voluiſſe oſtendere, ad quem ſummum nequitiæ gradum permittat ſcelera accreſcere, & ſuperbiam eorum qui illum odio habent aſcendere, quò quanta ſit eius patientia, longanimitas omnibus clariùs innoteſcat ; nec nouam Babylonem præue-
E nire voluiſſe caſtigationibus, vt mitiùs cum illa ageret ; ſed eam velle in exemplum & portentum omnibus proponere ſeuerioris iuſtitiæ, nempe præſuppoſita ſumma illius malitia, dum ſinit ipſam maioribus criminibus implicari ; vt quæ magis immemor fuit beneficiorum, & erga Deum ingrata, cum eius ingratitudo, ſuperbia & malitia vltimum attingerint punctum, eo fortiùs ac depreſſiùs dejiciatur proprio pondere, maiori cum impetu ad ima corruens, vt in profundiorem cadat miſeriam. Quod ſi quadam humiliatione & afflictione impedita fuiſſet ne ad vltimum gradum perueniret, hoc illud ſaltem boni ſibi contigiſſet, vt ad tam profundam abyſſum demergeretur, itaut lamentabili voce dicere adigatur : *In fixa ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Hæc

Digitized by Google

autem differentia inter punitionem veteris & punitionem nouæ Babylonis perſpicies, ſi verba Ieremiæ veteris ruinam deſcribentis, cum verbis S. Ioannis nouæ caſum exprimentis, conferas. Ita enim Ieremias c. 51. de veteris ruina : *Et ſcripſit Ieremias omne malum quod venturum erat ſuper Babylonem in libro vno, omnia verba hæc quæ ſcripta ſunt contra Babylonem. Et dixit Ieremias ad Saraiam : Cum veneris in Babylonem, & videris & legeris verba hæc, dices : Domine, tu locutus es contra locum iſtum, vt diſperderes eum, ne ſit qui in eo habitet ab homine vſque ad pecus, & vt ſit perpetua ſolitudo. Cumque compleueris legere librum illum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in medium Euphratem, & dices : Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis quam ego adduco ſuper eam, & diſſoluetur.* Ita Hierem. De nouæ autem ruina ita paucioribus verbis S. Ioannes. *Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem quaſi molarem, & miſit in mare dicens : Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna ; & vltra iam non inuenietur.* Nunc animaduerte. Homo eſt qui librum projicit ad lapidem alligatum, in quo deſcripta erant ſupplicia Babylonis : At Angelus eſt, qui lapidem molarem ſuſtulit in altum : vt hac ratione doceat Spiritus ſanctus Deum humanius & benigniùs cum Babylone veteri ſeſe geſſurum, cuius ſupplicia ad quemdam numerum reducta erant, qui in vno libro continebatur. At nullus numerus ſuppliciorum taxatur pro noua Babylone, quia ad æterna ſupplicia extenditur, cum ad temporalia ſolùm ſupplicia videatur Ieremias reſpicere pro veteri Babylone. Solùm dicitur à S. Ioanne quod ab Angelo forti ſuſtollitur : Ac ſi diceretur : Tanta eſt eius iniquitas, vt hominis opera ſeu fortitudo non eſſet ſufficiens ad illam prout demeretur puniendam : Angelica fortitudine opus eſt, vt ſcelera illius iuxta merita plectantur. Rem ſimilitudine illuſtro. Reges terræ & principes ſeculi ſi prudenter agant, nunquam tempus concedunt hoſtibus ſuis, vnde fortiores reddantur, & plurimam accumulent pecuniam, vel tritici & inſtrumentorum belli copiam, vel copioſos ſibi comparent exercitus : ne ſi his omnibus inſtructi ſemel fuerint, difficilior reddatur de eis victoria : Quod etiam cecidit in hoſtium vtilitatem, qui tanta detrimenta non patiuntur, ſi penes impugnantes ſe victoria adſit. Ita dum Deus non permittit vt populi & nationes tot tantaque ſcelera committant, ſapienti quadam ratione agit, ne (ſi ita dici liceat) clementia ſeu benignitas eius enormitate ſcelerum vincatur, & ad vlciſcenda crimina maioribus ſuppliciis cogatur : & dum præſentibus plectit ſuppliciis, remiſſiùs tandem agat in die iudicij. Igitur dum citiùs Babylonem veterem temporalibus affecit ſuppliciis, egit cum illa miſericorditer & humaniter : quæ benignitas & humanitas deſignatur in eo quod homo eſt, qui pœnam in libro taxatam projicit in flumen.

At dum hoſtes ſuos Deus non præuenit, certus quod quidquid faciant, ſtatim atque voluerit, in momento, in ictu oculi illos deprimere poterit : in hoc fortitudinem ſuam ac potentiam oſtendit. Dicant : *Aſcendam, & ſimilis ero altiſſimo : ſuper cælum conſcendam : ad cælum vſque exaltabo ſolium meum. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis.* Dicant : *Quis eſt Dominus, vt audiam eum ?* Et ſimilia : ſolo flatu illos è ſede ſua propulſabit, & in infernum detrudet. Hac de cauſa Angeli miniſterio vtitur, qui fortis dicitur, vt in memoriam reuocemus Deum eſſe fortem, & potentem in prælio, qui patienter tulit eorum crimina, cuius longanimitas tanta fuit, vt expectare potuerit quòd illa ciuitas vltimum malitiæ gradum attingeret, & maiori ingratitudine ſeſe contaminaret, & permittere vt omnem ſuam adhiberet induſtriam & potentiam ne Dei voluntas fie-

A rer, & quæ decreuerat faciendum adimpleretur. At dum potentia ſua nimium confidentes, ſimul conueniunt aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum eius, & dicunt : *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum eorum.* Deus *qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos,* Pſ. 2. & ſolo flatu diſperget eos, omneſque illorum conatus & auſus ſubuertet.

Secundò, differt punitio antiquæ Babylonis à punitione nouæ Babylonis, quod neceſſarium fuit vt liber in quo deſcripta erant ſupplicia inferenda, cum lapide alligaretur, vt in profundum poſſet demergi : at mola tantùm aſſumitur, quæ pondere ſuo ima petit. Qua quidem ratione Spiritus ſanctus, vt
B mihi videtur, deſignare voluit non tam atrocitate aut numero criminum Babylonis antiquæ fuiſſe ad iracundiam commotum contra eam, & decreuiſſe has pœnas in libro conſcriptas inflicturum, quàm quia ab illis peccatis reſipiſcere nolebat, vnde pœna temporalis ſceleribus illius finem imponere valeret, ne accumulatis & multiplicatis criminibus ſupplicia æterna grauiora exigere cogatur. At dum lapis molaris magnus pro ſymbolo nouæ Babylonis aſſumitur indicium eſt, & numero & pondere, ac magnitudine, crimina huius ciuitatis aliarum ciuitatum ſcelera ſuperare, vt de ea dicatur : *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento.* Lament. c. 4. Illudque
C Ezechielis c. 16. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſoror tua, ipſa & filiæ eius ſicut feciſtis tu & filiæ tuæ.* Et paulo poſt : *Ergo & tu porta confuſionem tuam quæ feciſti, ſorores tuas peccatis tuis, ſceleratius agens ab eis iuſtificatæ ſunt enim à te : Ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iuſtificaſti ſorores tuas.* Tota ſiquidem vota huius Babylonis nouæ, à die defectionis ſuæ ab Eccleſiæ vnitate, fuit inceſſabile quoddam delictum. *Oculos*, inquit S. Petrus 2. c. 2. *Habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.* Qua quidem ratione ad cumulum peruenerunt, & ad illam menſuram quæ requiritur, vt Deus iuſtus vltimam manum operi ſuo imponat, & vindictam ſumat de hoſtibus ſuis.

D Tertiò : differt punitio veteris Babylonis à ſupplicio Nouæ quod Ieremias tacet de æternitate ſuppliciorum, & tantum exprimit temporales pœnas. *Domine*, inquit, *tu locutus es contra locum iſtum, ne ſit qui in eo habitet ab homine vſque ad pecus, & vt ſit perpetua ſolitudo.* Quæ quidem verba pœnas æternas non indicant, niſi ex accidente : verbi gratia, ſi quis in illo temporali damno inuoluitur, in ſtatu peccati per finalem impœnitentiam moriatur, æternaliter punietur : ſed hæc punitio non exprimitur in libro continente ſupplicia, quia etſi pro obſtinatione in peccatis ſuis decretum fuiſſet vt hac temporali pœna plecterentur, manebit tamen apud eos libera facultas ad Deum redeundi, quo poſſent per debi-
E tam pœnitentiam pœnas æternas effugere. At non ita eſt in punitione Babylonis nouæ : nam quia inceſſabiliter deliquerat : & vitæ ſuæ curricula, peccata peccatis addendo, ſceleratiora reddiderat ; ideo pro annis in peccatis continuis elapſis, æterna ſecula in pœnis illis erunt percurrenda. Eſt enim lapis molaris ſublatus, projiciendus tamen, qui ſymbolum eſt volubilis cuiuſdam in peccatis rotationis, nec non ſymbolum pœnarum, quæ nullo fine ſeculorum clauduntur, ſed præteritis pœnis ſemper aliæ ſuccedant inceſſanter.

Fauet his quòd vetus Babylon dicitur in flumen proiecta, noua vero in mare. Per flumen autem volubilitas vitæ ad mortem currentis exprimitur. *Omnes*, inquit mulier Sapiens Thecuites, *morimur, & tanquam aquæ dilabimur.* At mare procelloſum in lecto ſuo, à quo non egreditur, conquieſcens,

Digitized by Google

quamuis ventis, turbinibus, procellis continuò agitetur, firmitatem & ſtabilitatem aliquam in ſua inconſtantia ſolùm retinens, ſymbolum eſt pænarum æternarum. Sicut enim omnia flumina intrant in mare, ita omnes pænæ, quæuis ſupplicia, quæ in hac vita malis inferuntur, in pœnas æternas deſinunt, itaut temporales pænæ fuerint ſolummodo æternarum præuiæ. His adde quod flumina poſſunt è lectis ſuis diſtrahi, & à curſu ordinario impediti, vt alibi fluant. Et locus in quo prius fluebant exſiccari. Quod factum fuit in flumine Euphrate. Quo fit vt ſi quid in fundo illorum exiſteret, exſiccato & alibi diſtracto fluuio reperiri valeret. Ita fieri poſſet vt poſtquam Deus ſemel aliquod ſcelus puniuit, torrente iuſtitiæ ſuæ alibi diſtracto, non aliis pænis illud puniat: Vnde quo in flumine iſto diuinæ iuſtitiæ præcipitarentur, poſſent à pœnis illis reddi immunes, & tandem liberari. At dum aliquid in mari profundum deiicitur, ſperandum non eſt vt tandem liberari poſſit. Pæna veteris Babylonis talis quidem erat, vt illam effugere nequiret. Non conſurget à facie afflictionis, quam ego adducam ſuper eam, & diſſoluetur, licèt tranſacta illa afflictione ſpes non auferatur redeundi ad priſtinum ſplendorem. At de pæna Babylonis nouæ dicitur abſolutè quod *Vltra iam non inuenietur*, vt pote proiecta in tàm profundiſſimum & copioſiſſimum aquarum gurgitem ac barathrum, vt nunquam inueniri poſſit. Nec enim licet ab iſtis aquis abſtrahi, vt licet de aquis fluuij aut torrentis, quæ poſſunt vel exſiccari, vel alibi diſtrahi. Quo quidem ſymbolo deſignatur collectionem omnium reproborum, quæ in hac noua Babylone ſignificatur, in pænas æternas eſſe proiiciendam, vbi nullus erit pænitentiæ locus, qualis habetur in pœnis temporalibus, quæ iam caſu veteris Babylonis adumbrantur. Vnde non erat adeo pertimeſcendus caſus Babylonis veteris, quæ non ab alto videtur deiecta: altior enim non fuit caſus ipſius, quàm ſit altitudo hominis librum cum lapide in flumen dejicientis: ſed caſus Babylonis nouæ valde eſt pertimeſcendus, quia ex eminentiori loco fit, ab Angelo nempe è aëre in profundum maris, ſimilis in caſu ciuitati Capharnaum, ad quam dicebat Dominus? *Et tu Capharnaum, nunquid Vſque in cælum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent Virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent Vſque in hanc diem.* Matt. 11. Et hæc de confuſione & ignominia illius nouæ Babylonis, quæ gloriabatur dicens: *Vidua non ſum.* Implebitur enim ignominia & confuſione æterna; & tantò citiùs vehementiùs, & profundiùs projicietur, quòd

A ſibi fortiſſimum, & præpotentiſſimum hoſtem, Deum videlicet, comparauit.

Quantum ad vltimum, nempe quod illa ciuitas quæ dixit: *Et luctum non Videbo*; omni voluptate deſtituenda ſit, certè exiſtimandum non eſt in inferno aliquam reperiri conſolationem, in quo aquæ gutta diuiti epuloni denegatur. Hoc voluit innuere S. Ioannes in deſcriptione extremæ infelicitatis nouæ iſtius Babylonis.

Primò deſtituta eſſe dicitur innocentioribus voluptatibus, nempe iis quæ per aures percipiuntur. *Et Vox*, inquit, *Citharædorum, & Muſicorum, & tibiâ canentium, & tubâ non audietur in te amplius.* Muſica enim delectantur primò ij qui meliori ingenio præ-
B diti ſunt: delectantur enim ſuaui ac dulci harmonia, & concentu vocum & inſtrumentorum Muſicorum. Ideo dicit: *Vox Citharædorum & Muſicorum*, Muſica etiam delectnatur ingenio tardiores & hebetiores: cantant & inſani. Sed cum ſenſus habeant obtuſiores, oportet vt inſtrumentis ſonos intenſiores edentibus excitentur. Ideo addit: *Et tibia canentium.* Delectantur etiam inſtrumentis Muſicis qui caſtra ſequuntur: Hac de cauſa addit: *Et tuba non audietur in te ampliùs.*

Secundò: deſtituetur ab omni ſolatio quod artes vitæ humanæ attulerunt. Addit propterea: *Et omnis artifex omnis artis non inuenietur in te ampliùs.*

Tertiò: deſtituetur non modo omnibus quæ ſen-
C ſibus commoda & iucunda ſunt, ſed etiam iis omnibus, quo facilior vſus rerum ad vitam neceſſariarum redditur. *Et Vox molæ*, inquit, *non audietur in te amplius.*

Quartò, non ſolùm innocentiores delectationes ab ea amouebuntur, ſed etiam puriores & ab omni contagione carnis remotiores, qualis eſt vſus lucernæ in nocte. *Et lux lucernæ*, inquit, *non lucebit in te amplius.* Nihil ſiquidem lumine purius.

Denique & voluptates naturæ conformes, & à Deo ipſo ad conſeruationem ſpeciei humanæ inſtitutæ, procul exultabunt. *Et Vox*, inquit, *ſponſi & ſponſæ non audietur in te ampliùs.* Vides quomodo omnia auferuntur ab ea, quæ ſenſus oblectare, men-
D tem diſtrahere à paſſionibus & perturbationibus, vitæ ſolamen præbere, eam fouere & conſeruare poſſent; & communicationem, & conuerſationem reddere iucundam & gratam: vt meritò dicamus illam ad extremam reduci miſeriam.

Lege ad ampliorem huius textus expoſitionem, Primaſium, Ambroſium, & S. Thomam in expoſitione huius Capitis 18.

FINIS CAPITIS XVIII.

Digitized by Google

DEI LAVDES OB VICTORIAM reportatam: Pia Eccleſiæ exercitia quibus Deum colit: Chriſti Triumphus: & quomodo in Pontificis Romani autoritatis ſplendore, viſibiliter appareat quæ de eius Triumpho ænigmaticè hîc deſcribuntur.

CAP. XIX.

EQVIDEM tot diuinarum perfectionum manifeſtationes, quæ per totum Eccleſiæ decurſum fidelium oculos perſtrinxerunt; eos vſque huc ſummè oblectauerant, diuinam in eis contemplantes pulchritudinem. Tot iudiciorum imperſcrutabilium Dei Eccleſia colluſtrata fulgoribus in vehementes ac frequentes admirationes rapiebatur: nimia eorumdam profunditate obſtupefacta, proſtrata inſuper iacebat ante thronum tantæ maieſtatis, à qua omnia bona procedunt, eam ſummis honoribus ac ſupremo cultu proſequens ac reuerenter adorans propter ſuam excellentiam, & omnimodam ab ea omnium rerum dependentiam. In nouam creaturam reformata, in admirabile lumen eius vocata, brachio eius potenti liberata, ſub vmbra alarum ipſius ab omnibus impugnationibus defenſa, auxiliis ipſius corroborata, gratiis adaucta, beneficiis præuenta, donis cumulata, ad laudes eius aſſiduè prouocata fuerat. In his magnificentiſſimis ſponſi caſtiſſimis amplexibus læta nimis conquieſcebat, dulciſſima ipſius contemplatione fruens. Quod ſi aliquando è cubili opus eſſet aſſurgere, vt eius voluntati obtemperaret, ſuauiſſimos vndequaque virtutum omnium odores efflabat, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, benignitatis ac miſericordiæ vbicumque & in qualibet occaſione odorem ſpargendo, inter aduerſa & proſpera conſtanter progrediens, à dextris & à ſiniſtris aduerſarios omnes proſternebat; & aliorum ſalutem vehementer, exoptans, munia ſibi iniuncta fideliter exercebat, orationi ac prædicationi verbi potiſſimùm inſiſtens, vt ſponſi ſui regnum, ſtabiliret, promoueret, & ſuper omnia alia regna ſublimaret.

TEXTVS.

His quidem exercitiis Eccleſia Deo cultum exhibuit, pro temporum ac rerum opportunitate, ac diuerſitate, ab eo tempore quo in vnum collecta & à Deo plantata ramos & palmites ſuos in vniuerſas mundi partes extendit. Sed potiſſimùm eadem frequentabit exercitia, cum eius iuuentus tanquam aquilæ renouabitur in fine ſæculorum. Quantò enim actiùs impugnabitur, tanto magis eius virtus eniteſcet, arctionibus charitatis vinculis ſponſo adhærebit: virtutum omnium habitus in praxim frequentiùs reuocabit: & maioribus periculis expoſita ſuis muneribus fungetur ardentiùs, vt à ſe omnem expellat nequitiam, & impetus inimicorum retundat valentiùs.

Poſt hæc audiui quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentiũ, Alleluya.

Hac ratione factum eſt, vt cum de iſtis nihil hactenus mihi intimatum fuiſſet, ad ea contuenda & conſideranda potiſſimum fuerim prouocatus, cum vltimus Eccleſiæ ſtatus menti fuit obiectus. In quo eò glorioſiùs de hoſte trophæa reportábit, quo periculoſiùs cum ipſo congredietur ac decertabit, ad plenitudinem ætatis Chriſti in cruce cum hoſte decertantis ac de eodem triumphantis fœliciter perducta, vt mox perfectam conſequatur Redemptionem.

Poſthæc igitur, id eſt, poſtea quàm plenè ac perfectè percepi ad quem gradum ingratitudinis, impietatis, ac contumaciæ, homines peruenturi ſunt; quam ſtrenuè ac fideliter Eccleſia cum Chriſti hoſtibus dimicatura ſit, quanam ratione Deus Eccleſiæ ſuæ conatus fouebit, eique ſuppetias feret; ſententiam Anathematis in rebelles latam in terris, in cœlo decreto ſuo firmans, vt in euerſione cuiuſdam ciuitatis potiſſimum ingratæ ac ſupremè contumacis omnium impiorum perditionem deſignaret, ſicuti graphicè hæc omnia deſcripta fuere, ita perſpicuè mihi innotuerunt: & his ritè delineatis ac perceptis, tunc conueniens fuit vt pia Eccleſiæ exercitia (vitæ ſeu contemplatiuæ, ſeu actiuæ, ſeu ex vtraque mixtæ, quibus per tot annorum curricula Eccleſia ſponſo ſuo obſequia ſua præſtiterit) mihi deſcriberentur: quòd eo tempore potiſſimùm maior erit neceſſitas fidelibus in talibus exerceri, & eadem frequentare. In cœlo itaque, id eſt in Eccleſia, pro tunc maximè ad cœlum aſpirante audiui vnam vocem, id eſt, vnanimem omnium fidelium conſpirationem ad Dei laudes intonandas: Vna enim erat vox: *Alleluya. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro.* Vnde taliter eos alloqui mihi licet. Si vnquam, ô fideles, mentes veſtras inter tot turbines & tempeſtates conquieſcere optimum fuit, Dei veſtri perfectiones miſericordiam & iuſtitiam contemplantes, nunc fixi & immobiles ſtate, quamuis ſæuior tempeſtas immineat: ſcientes quod apud eum ſit ſalus, gloria, & virtus. Salus, inquam, ab omni rerum creatarum imperfectione aliena, nulli mutationi obnoxia. Nullum vnquam beatitudinis, ſuæ detrimentum patietur. Gloria, inquam, quia terribilis eſt, & nullus reperietur qui eius poteſtati aut virtuti reſiſtere valeat. Virtus tandem, quia omnia quæcumque voluit, aut vult in cœlo & in terrâ & fecit & adimplebit, prout libuerit. Salus inſuper,

TEXTVS.

Salus, & gloria & virtus Deo noſtro eſt quia vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua: & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius.

Digitized by Google

quia omnium bonorum fons omnia mala excludit. Gloria, quia fortitudine cæteris præemihet, vt & dicere valeamus: *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius.* Pſ.34. Quia ſapientiæ eius non eſt numerus. *Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Pſalm. 39. Quia eius iuſtitia, potentiæ eius adæquatur. *Potentiam* enim *tuam, & iuſtitiam tuam, vſque in altiſsima, quæ feciſti magnalia. Deus quis ſimilis tibi?* Quia perfectione ac pulchritudine, & Angelos & ſanctos omnes longè ſuperat. *Non eſt enim ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua: Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei?* Hinc glorificatur in conſilio ſanctorum, & in cœlis ſupernatum poteſtatum gloriosus agnoſcitur. Hinc optimè non ſolùm ſalus decantatur, ſed etiam gloria. *Omnes enim gentes, quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.* Adjiciatur intrepidè, & virtus: quia Deus virtutum, quia Dominus virtutum eſt ipſe Rex gloriæ, & ſanctus, & irreprehenſibilis eſt in omnibus operibus ſuis.

At cum operatio eſſe cauſæ cuiuſlibet excellentiam ſequatur, hinc quia ſalus, nos ſaluat; quia apud eum gloria, gloriæ participes reddit; quia virtus, nos quaſlibet tentationes ſuperare, & omnium aduerſariorum impetus confringere facit; ſaluando, bonitatem; ſapientiam glorificando; victoriam impertiendo, ſummam demonſtrat potentiam. In ſpiritus igitur ſancti bonitate & amore conquieſcite. In ſapientia filij Eccleſiam moderantis confidite: & in potentia ſummi Patris omnem ſpem veſtram collocantes, nihil eorum quæ paſſuri eſtis pertimeſcite. Quod quidem vobis facillimum erit, ſi ſemel attendatis quomodo ſe geſſerit erga ciuitatem illam contumacem. Videbitis enim *quia vera & iuſta ſunt indicia eius, qui iudicauit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ: & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius.*

Perpendentes ſiquidem hoc iudicium facilè percipietis quonam odio ſummum illud bonum peccatum proſequatur; quomodo à ſe impios omnes expellat, quomodo creaturas rationales ſaluet, eas debitis mediis ad finem vltimum fœliciter perducendo. Vnde congaudere ei & congratulari æquum eſt, ob perfectam, quam ab eo adipiſci poſſumus, ſaluationem. Sicuti etiam ob eam gloriam, quæ ei obuenit, quia domare illi facillimum ſit omnem poteſtatem ſe nimium extollentem, & per eadem media qua contra ſe inſurgere auſa fuit, eam ad ima deprimere, & tandem ob eius virtutem (cum perficere valeat quæ ſemel propoſuit ac incœpit, licèt aduerſarij ſint multi, & multimoda obſtacula) auferre de medio opus fuerit. Et maximè illi congratulandum: quia cum ſancti ab impiis habeantur deſpectui, veluti omnibus bonis ſpoliati, omni ignominia digni, omni virtute ac potentia deſtituti, apparebit tamen eos veris bonis eſſe refertos, quia ſalus ipſis eſt in Deo eorum, ampliſſima & ſingularis gloria: quia gloria & diuitiæ in domo eius; potentia inuincibilis, quia omnipotens eſt qui iudicauit meretricem ſanctos ſuos perſequentem.

Quin etiam ex vindictâ ſanguinis ſeruorum eius per eandem impiam ciuitatem effuſi, ipſi decantandum eſt *ſalus, gloria & virtus.* Videbatur impiis ex coquod impunè in ſeruos ſuos graſſabantur, eum indigum & inopem mediorum quibus eorum reprimeret inſolentiam; carere ingenio aut prouida mente, vt apta adinueniret; vel ſaltem ſi qua haberet, ſi qua inueniret, imbecillitate aut infirmitate detineri, ne ipſis vteratur. At ſalus ſit ei, cui omnia ſeruiunt, qui armare poteſt omnem creaturam ad vltionem inimicorum. Gloria ſit ei qui ſuos ita diligit, vt qui ipſos tangit, tangat pupillam oculi ſui: quo fit vt ſit in gloria in medio eorum, & ſit eis in murum igneum in circuitu, vt promptè & efficaciter inimicos eorum diſperdat; virtus ſit ipſi qui potenter ſuos inter tot aduerſa gradientes à peccatis liberauit, eoſque tandem ad ſummam pro præmio laborum euexit beatitudinem, ad ima tartara aduerſarios eorum detrudendo pœnis æternis cruciandos.

TEXTVS

Et iterum dixerunt, Alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.

Hinc non ſolùm congratulari licet, ſed in maximam rapi admirationem, quòd tam ſeuerè imbecilles homunciones Deus caſtiget, vt pœnis non ſolùm temporalibus, ſed æternis inſuper delicta eorum proſequatur. Vnde & iterum dixerunt omnes fideles, *Alleluya*, nempe quia fumus ciuitatis illius flammis addictæ aſcendit in ſæcula ſæculorum illius inquam ciuitatis, quæ auaritiæ, luxui & ambitioni dedita, Chriſti & Eccleſiæ iugum audax nimis & temeraria impiè excuſſerat, & ad ſimilia perpetranda exemplo ſuo & autoritate omnes terrenarum rerum amatores prouocarat: ſæua inſuper & crudelis in Chriſti ſeruos & veræ Religionis ſectatores, igne tandem comburentur, & *fumus incendij eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.* Non enim tantùm eius ædificia in cinerem redigentur, & corpora habitatorum eius exurentur; At quod grauius & formidabilius eſt animæ eorum igne æterno comburentur. Deſcendent viui in infernum operti humo, ab illo igne temporali à decem Regibus ipſam deuaſtantibus & diripientibus immiſſo, ad flammas inextinguibiles tranſient. Ibi ſepoſiti, blaſphemiis horrendis quas euoment, cœlum impetent: humido proprij amoris, amore voluptatum carnis, & abominationum quas huc vſque ebiberunt cum iucunditate, ad huc detenti, pro fumo emittent blaſphemias in æternum. At quis non miretur eum optimum ac piiſſimum propter iniurias ſibi illatas tanto ardore ſæuire in imbecillem & infirmam creaturam, vt nullomodo placari valeat? Quis non miretur quòd & ex eadem maſsâ alia vaſa fecerit in honorem, alia apta ad interitum fecerit in contumeliam, vt oſtendat iram & odium in peccatum, & notam faciat potentiam ſuam, compeſcendo peccatorum audaciam, & in æternum eos puniendo? Quis tandem non miretur quod cum ab omnibus creaturis amari & laudari debeat, odio haberi & blaſphemiis ſe impeti patiatur ab eis, quorum munus & finis potiſſimùm erat ipſum & diligere, & laudibus extollere in perpetuum, vt clarius perſpiciamus tum quam independenter à creatura gloriam poſſideat, tum diuitias gratiæ & gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam? O fumus aſcendens in æternum! ô incomprehenſibilitas iudiciorum Dei, quorum ſplendor ſeu fulgor adeò emicat, vt perſpicatiores mentes obnubilentur ad eorum intuitum æquè ac ſi quodam ſpiſſiſſimo opplerentur fumo.

Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes, Amen Alleluya.

Quis enim adorari debere negaret eum, qui noſtrorum bonorum minimè indigus, tam liberaliter, tam profusè ac magnificè electos ſuos bonis replere, ac ipſos tandem beare intendit, propter hanc ipſius ab omni re creata independentiam, & noſtram ac omnium rerum ab ipſo omnimodam ſubiectionem ac dependentiam? Ecce vidi quod *ceciderunt viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes, Amen Alleluya.* Ac ſi dicerent: Verum eſt, ô ſumme Deus, quod emines ſuper omnem creaturam, quàm creaſti, non quaſi ipſa indigus, ſed quia bonus es, & bonitatis amans. Verum eſt quòd à te omnia bona procedunt. Hinc te adoramus, te reueremur, & ad te laudandum cunctos prouocamus, dicentes,

Digitized by Google

Alleluya. Te quidem, ô ſuprema maieſtas, iam vt Creatorem omnium adorauimus, vt vniuerſi gubernatorem honore debito proſecuti fuimus: vt mundi dominatorem cum timore ac tremore coluimus: vt glorificatorem ſuſpeximus: vt ſalutis fontem, & animarum ſanctificatorem agnouimus. Nunc, ô ſuprema maieſtas, quia potens es vt omnes inimicos ſub pedibus conteras, appropinquante victoria, vt perfectâ redemptione fruamur, te adoramus & dicimus, Amen, Alleluya. Poſſibile non eſt creaturæ tuæ, ô incomprehenſibilis bonitas, tua iudicia perfectè comprehendere, nec fas eſt nobis ipſa curioſius inueſtigare: ea tantum approbare reuereri licet, dicentes: Fiat, fiat. At quamuis recondita remaneant apud te, nihilominus illa iuſtiſſima & æquiſſima eſſe fatendum eſt. Cum igitur de tua maieſtate ſemper in ſimplicitate & bonitate animi optima quæque meditanda ſint, hinc quantum in nobis eſt exoptamus ora omnium ad laudes tibi perſoluendas aperire, & manifeſta iudicia tua reuereri. Hac ratione decernimus, ac authoritate Throni, in quo nos ſedere feciſti, mandamus cunctis fidelibus vt in laudes tuas prorumpant, & decretum iſtud ſtatuimus per vniuerſam populari Eccleſiam. *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni.* Hæc eſt vox de throno exiens: quia Deus iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus ſuis. Et hac ratione & approbamus iudicia tua, & eâ quâ pollemus autoritate omnibus fidelibus nobis commiſſis iniungimus, vt in gratiarum actionem, & hymnos, & pſalmos, & litanias decantent, & ad hoc perficiendum noſtro exemplo quantum in nobis eſt prouocamus.

TEXTVS.

Et vox de Throno exiuit dicens: laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni.

His exemplis ac præceptis, cæteris in Eccleſia fidelibus excitatis, *Audiui vocem quaſi turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluya.* Eccleſia nempe, perfectionum diuinarum contemplatione recreata, iudiciorum Dei timore, & tantæ maieſtatis honore perculſa, ac tot beneficiis ac gratiis præuenta, Deum admiratione, adoratione ac laudibus quantum in ſe eſt honore debito colens; ſtatim vt audiuit vocem paſtorum ſuorum, ac eorum qui in ea præcipua ſanctitate pollent, ſe ad Dei laudes præcinendas accinxit, & ad quælibet virtutum exercitia adimplenda præparauit, vt digna fieret quæ introduceretur, in thalamum nobiliſſimi Sponſi, & cuius caſtiſſimis frueretur amplexibus. Vna eſt ideo vox turbæ multæ; ex multis gentibus, & tribubus, & populis eſt coadunata ideo vox aquarum multarum. At vox tonitruorum magnorum, tum ob intenſiorem charitatis ardorem ex circunſtanti frigore perſecutionum excitatum, quæ ardentiùs & feruentiùs Dei nomen confitentur, ac eius laudes intonant; tum quia exaltationes Dei in faucibus eorum, ac gladij ancipites in manibus: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, nec enim ignis cum fragore è nubibus erumpens ac vibratus, ſeu fulmen, adeo facilè altiſſima montium iuga, aut turrium ſummos apices ferit ac euertit, ſicuti ſuperbos quoſque laudes Dei à ſanctis prolatæ dejiciunt ac proſternunt. Dicunt igitur, Alleluya, duplici ratione ſeu motiuo inducti nempe ob excellentiam diuinæ maieſtatis, & ob ingentia bona, quæ ſibi ab inexhauſto fonte bonitatis obueniunt. *Quoniam*, inquiunt, *Regnauit Dominus Deus omnipotens.* En prima ratio propter quam Deus optimo iure laudatur, quia poteſtate emineat ſupremâ, cuius effectum præclariſſimum perſpexerunt in euerſione ciuitatis illius apoſtatricis ac contumacis, de propria virtute nimium confidentis.

Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium Alleluya: Quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotēs.

A Cuius gratiâ freti iam tot labores exantlarunt, & miranda opera perfecerunt, cum auxilium præſtolaretur, vt fortiter contra impetus Anti-Chriſti dimicare liceat, & victoriam glorioſè reportare. Gaudeamus, inquiunt, interiori gaudio perfruamur, & exultemus: huius gaudij ſigna exterius edamus, & demus gloriam ei: quia ſoli Deo honor & gloria debetur, quam ipſi nunc exoptamus, eo quod tempus nuptiarum ſponſi adimpletum eſt, & ſponſa iam præparata eſt, vt ad thalamum ipſius introducatur. En ſecunda ratio qua impelluntur fideles, vt Deo laudes & gratias agant.

TEXTVS.

Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei quia venerunt nuptiæ agni & vxor eius præparauit ſe.

Quæſita & vocata, & allecta per promiſſiones Patribus factas, ſponſata in incarnatione in baptiſmo, B per verba de præſenti rato matrimonio in miſſione Spiritus ſancti, ampliſſimè dotata in myſterio Euchariſtiæ, ſtrictiſſimè puriſſimo ſponſo coniuncta ad oſcula eius & ſuauiſſimos amplexus iam admiſſa neceſſe eſt vt ad tantæ vnionis conſummationem ſolemniter nuptiæ celebrentur in patria cæleſti, & qerfectiſſimo vinculo inſeparabiliter Deo vinita eius viſione ac amore fruatur in æternum. Ad hanc vnionem luminis gloriæ, & intimam verbi cum animabus beatorum vnitionem Eccleſia præparauit ſe: quia cum nihil coinquinatum in hanc introduci valeat gloriam, datum eſt illi vt omnem à ſe amoueat nequitiam, & ſine macula aut rugâ appareat. Hoc ſiquidem donum accipit, vt ſe cooperiat byſſino C ſplendenti & candido. Dixi quod datum ſit illi, quia fides eſt Dei donum: quia charitas diffunditur in cordibus per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis: quia datum eſt nobis non ſolùm vt in eum credamus, ſed etiam vt pro eo patiamur. His donis præuenta debet ſe cooperire byſſino, quia cooperari debet, & gratiæ oblatæ conſenſum præbere, & eâ acceptâ eam minimè vacuam reddere, imo potiùs in actus virtutum omnium prorumpere: vt hac ratione omni remotâ maculâ ſplendeat virtutum ornatu, & candida eluceſcat lumine gratiæ cœleſtis decorata. *Byſſinum autem iuſtificationes ſunt ſanctorum.* Nam ſicuti byſſus maceratione, tunſione, carminatione, purior & candidior, & ſplendidior euadit, D ita oportet vt ſancti per multas tribulationes intrent in gloriam Dei, puriſſimam & innocentiſſimam vitam degentes.

Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendido & candido byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorū.

Tunc Angelus, qui locutus fuerat mecum, vt oſtenderet mihi damnationem meretricis magnæ, addidit etiam iſtud: *Scribe*, inquit, *beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.* Iam vides quinam ſit exitus futurus tam malorum quàm bonorum; malorum, in damnatione meretricis magnæ; bonorum, in vocatione ipſorum ad cœnam nuptiarum agni, id eſt. ad Patriæ beatificam refectionem ſeu diuinæ bonitatis immediatam fruitionem, per prædeſtinationem & inſpirationem internam, efficacem; ita quod actua- E liter ad eam peruenturi ſint. Iſtam refectionem potiùs cœnam quàm prandium appellaui, cum vltima ſit, nec alia ei ſuccedat; nec inſuper veluti in prandio mali ac boni ad cœnam admittuntur, ſed tantùm electi, qui ad candorem æternitatis peruenerunt, ac bonis operibus, innocentia manuum, integritate morum, puritate cordis, mortificatione corporis, imitatione Chriſti, vigilantia, fidelitate, conſtanti operatione, prudenti ſagacitate, ingenioſa omnium virtutum connexione, tanquam lini filo optimè deducto, veſtem ſibi immortalis gloriæ texuerant. At ne dubites, ait: tum de pœnâ malorum tum de beatitudine bonorum (ſunt enim hæc Dei verba, qui mentiri non poteſt) hæc Eccleſiæ proponenda ſunt, vt hac ratione fortior reddatur, & in vltimo conflictu animoſiùs cum hoſte congrediatur.

Et dixit mihi: Scribe beati qui ad cœnam nuptiarū agni vocati ſunt; Et dixit mihi. Hæc verba Dei vera ſunt.

Digitized by Google

TEXTVS.

Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum: & dicit mihi: Vide ne feceris conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu Deum adora.

Et cecidi ante pedes eius, & adorarem eum: & dicit mihi: Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ. Tantum lumen gratiæ in hoc Angelo inexiſtere percipiens, vt potè qui probè eſſet inſtructus cognitione eorum, quæ nullus abſque Dei reuelatione ſcire poteſt; præcellens eius miniſterium intelligens quo Eccleſiam informare deberet eorum omnium quæ cognitu ipſi ſunt neceſſaria, vt valeat per tot aduerſa proſpero curſu pertranſire, in eo tandem, diuinæ maieſtatis veſtigia inſigniora agnoſcens, ex cognitione rerum futurarum cum Dei ſit proprium ea noſſe, & cui voluerit reuelare æquum eſſe exiſtimaui vt me inferiorem ipſi præſentiens, debitum illi exhiberem honorem. Hinc cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Naturâ dignior, gratiâ illuſtrior, ſtatu fœlicior, miniſterio potior, communicationi ſecretorum Dei & natura & officia aptior cum ſit, quomodo eum ſuperiorem non agnoſcerem? Quomodo eum non adorarem? At obſtitit ipſe, & dixit mihi: *Vide ne feceris. Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.* Ad hunc gradum honoris illi perducuntur, qui nobis Ieſum repræſentant aliquo modo, vt ſicuti in me veſtigia diuinitatis agnoſcens me adorare proponis, ita nos ab eis adorationem & honorem recipere minimè velimus, in quibus Ieſum omnium noſtrum caput & Dominum contemplamus. Vos conſeruos agnoſcimus: & ſi noſtro modo Deo ſeruitia præſtamus, vos etiam pro modulo veſtro ipſi cultum exhiberis. Deum igitur adora.

Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ.

Quod ſi ad hunc honorem mihi deferendum potiſſimùm excitatus fuiſti, quod de rebus futuris te inſtruendo, de Ieſu hominum redemptoris gloria teſtimoniú exhibeam; ſcias quod cum ſpiritus Prophetiæ, qui tibi datus eſt, ad hoc ordinetur vt de Chriſto teſtimonium reddas, in hoc æquales ſumus, qui de vno & eodem Chriſto teſtimonium reddas. Sim quidem naturâ dignior ac præſtantior: At quænam admiranda dignitas naturæ humanæ non acceſſit ex vnione verbi cum ipsâ? Quid non gratia operetur in vobis, vt nobis coæquati valeatis? Fortè putas me gratia illuſtriorem; at commenſurata eſt naturæ meæ, vt determinatum gradum acceperim, & ad ſuperiorem ordinem mihi aſcendere minimè liceat. Tu verò ſi volueris, ad ſuprema conſcendes, gratiam & charitatem ab inexhauſto fonte hauriendo, qui volentes ad ſuperiora euehit. Dilata cor quantum volueris: illud ipſum tamen implebit.

Tu fortè me ſuſpicis quia comprehenſor ſum, & in ſtatu ſecuræ beatitudinis iam poſitus. At cum ſupra Petram decreti diuini exaltatus, ſupra Petram Chriſtum ſecurus exiſtas; ac firmiter ſtes prædeſtinatus, & in gratiâ confirmatus, & promiſſione diuinâ iam de beatitudine certus; tot ſuſtineas labores pro Chriſto tantâ emineas virtute, in corpore mortali Angelicâ puritate fruens, tantum diuinæ bonitatis opus in maximo pretio habemus; & repoſitam tibi coronam iuſtitiæ mox reddendam tibi intuentes, vt compares ac quaſi gloriæ noſtræ iam iam conſortes vos ſuſpicimus.

Miniſterium noſtrum honorare prætendis, quo Eccleſiam illumino, eamdem corroboro, ipſam protego? Sed quæſo, nonne conſeruus noſter es? Vnum & eundem colimus Deum & Dominum: ad eundem finem, nempe Dei gloriam, & hominum ſalutem. noſtra miniſteria ordinantur ego conſulo impello, excito. Tu inſuper & fidelibus præcepta & leges imponis. Ab eodem Chriſto mittimur: & ſi conueniens eſt vt per ſuperiora inferiora regantur, ſi nos per ſenſibilia ad intelligibilia vos deducere valemus, & etiam valdè conſentaneum eſt ordini diuinæ prouidentiæ, ac naturæ veſtræ conſonum, vt homines per homines regantur, paſcantur, & ſenſibilibus verbis & ſignis ad intelligibilia promoueantur; & ſicuti inter intelligibiles creaturas ordo quidam ſeruatur, vt per prima ſecundis lumen diuinum impatiatur: ita conueniens eſt vt inter ſenſibiles creaturas lumen iſtud eadem ratione diſtribuatur; & cum Eccleſiam munere paſtoritio fungendo, & illuminare, & corroborare, ac protegere valeas, tibi ſicuti & nobis obedire præcipitur. Pares igitur ſumus in miniſterio, & conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.

Tandem quia de rebus futuris tecum ago, mihi honorem vis impendere. At attende quæſo, quod immediatè à Deo lumen Prophetiæ accipias; ab eodem Dei verbo & Chriſto & ego & tu inſtruimur. Ipſe me miſit loqui ad te. Ipſe te mittit vt ea ſignifices toti Eccleſiæ. Et cum res futuræ extra ſphæram actiuitatis creaturæ intellectualis ſint, & earumdem cognitio ex Dei pendeat arbitrio, ſiue Angelis ſiue hominibus, reuelentur, etiam pares ſumus. Sicuti omnia, quæ ſcitu ſunt neceſſaria Eccleſiæ, mihi ſignificauit, quia voluit, eadem omnia per me ſignificatsqđia vult te ſecretorũ ſuorum fore participem, vt per tuum miniſterium eorum cognitione Eccleſia perfruatur. Hoc nempe munus noſtrum ordinatur, vt de Chriſti gloria teſtimonium reddamus. Tu de Chriſto per ſpiritum Prophetiæ teſtimonium reddis Eccleſiæ: ego de ipſo per reuelationem mihi factam de ipſo tibi teſtimonium debitum exhibeo. Conſerui igitur Chriſti ſumus, qui de eodem Chriſto ſimul teſtimonium reddimus, ſicuti & illorum omnium qui quocumque modo Chriſti gloriam prædicant, & manifeſtam reddunt. Propter hoc adorationem hanc non admitto. Deum adora, qui omnium bonorum fons, & mihi & tibi hæc reuelauit.

TEXTVS.

Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.

Nam ſpiritus Prophetiæ is eſt, vt dixi, vt de Chriſto quæcumque ſublimia, quæcumque ſancta, quæcumque ſummam redolentia bonitatem, ſapientiam iuſtitiam, omnipotentiam ſentiamus. Hinc cum Eccleſia fruetur apertè ac manifeſtè ſupremâ illa autoritate, qua decoratur, vt liberè Chriſtum confiteatur, ipſique inſeruiat, tunc aperte eius maieſtas apparebit. Quod mihi intimatum eſt ſymbolo præclariſſimo, quo perſpexi quid intenderet Spiritus ſanctus hanc Prophetiam mihi ſuggerendo, nimirum vt Chriſti gloriam à Patre ipſi in terris promiſſam manifeſtam redderem omnibus Chriſti amatoribus, ipſumque colentibus.

Vidi nempe *cœlum apertum & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.* Hac enim ratione intellexi ipſum eſſe fidelem in promiſſis, veracem in verbis, iuſtum in præceptis, inflexibili æquitate vigere in iudiciis, ſapientiſſimum in Conſiliis, verum à falſo optimè diſcernentem. Quæ quidem omnia optimum & maximum decent Principem, qui tot Regna moderatur, qui præcellenti & eminentiori ſupra omnes vtitur poteſtate, qui pro ſuis ita ſtrenuè decertat, vt pro eis vltimam ſanguinis guttam profundat, qui verbo ſuo efficaci omnia reſtaurat.

Maieſtas quidem & gloria Chriſti tanquam quodam fumo obnubilata cernebatur, antequam cuncta Paſtorum Eccleſiæ munia, Orandi, Verbum Dei diſſeminandi, ſacramenta adminiſtrandi, ſacrificandi, præcepta & leges condendi, de actibus humanis exterius iudicia ferendi, Anathematizandi contumaces; fuiſſent executioni conuenientiori ratione demandata. At ſtatim atque cæteris muniis iam fœliciter per actis, vltimo fuerit functa Eccleſia; Anathematizatâ videlicet ciuitate contumaci, tunc nul-

lus

Digitized by Google

lius fumus erit qui impediat ingreſſum in templum Dei. Conſummatæ ſiquidem erunt ſeptem plagæ ſeptem Angelorum, & proinde & maieſtas Dei & virtus eius ſole clariùs eniteſcet. Hinc vidi cœlum apertum, id eſt, nullo vapore ac fumo obnubilatum. Quanta vigeat in Eccleſia Chriſti maieſtas & virtus vnuſquiſque poterit intueri & diiudicare, conſummatis ſeptem plagis: cuius quidem maieſtatis ac virtutis hoc ſymbolum accipe. *Et ecce equus albus.* Quo quidem equo oculis ac imaginationi obiecto, ſtatim excitata eſt mens mea vt de Chriſti Domini ſacra humanitate cogitarem, in quâ tam obediens apparuit, & eius nomine dicat Propheta. *Vt iumentum factus ſum apud te & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Nullum iumentum ad onera ferenda adeo idoneum. Nullus equus adeo facilè quocumque voluerit eques impellitur. Nullus adeo viget diſpoſitione membrorum, vt ſuſcitari valeat ad modum locuſtæ. Nullus adeo audacter exultat, & in occurſum pergit armatis, contemnendo pauorem, ſicuti hæc ſancta Chriſti humanitas in ſe fæliciter ſuſcepit ac ſuſtinuit omnia onera peccatorum noſtrorum; ſicuti prompta & alacri voluntate Patri ſuo obediuit vſque ad mortem. *Propoſito enim ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, omni confuſione contempta.* Nec mirum, cum omni genere gratiarum ac virtutum inſtructus, ad omnes actus ſtrenuos ac virtuoſos optimè fuerit diſpoſitus, vt ſic iuxta voluntatem Patris deduci valeret. Vnde intrepidè ac glorioſè mortem oppetiit, cum diabolo dimicauit inferna ſpoliauit mundum deiicit. Hac de cauſâ albei coloris apparuit, gloriæ iſtius (cum qua ſuſceptus eſt à Patre, ſicuti fuerat ab eius dextera deductus) ſymbolum genuinum.

Hic igitur fidelis in promiſſis: Verax in verbis: cum iuſtitia iudicat. Nihil enim niſi æquiſſimum conſulit, præcipit decernit. Et cum iuſtitia pugnat, nempe ſibi reſiſtentibus, conſilia eius ſpernentibus, præcepta conculcantibus, decretis ſuis ſe opponentibus, opponit tantam æquitatem & iuſtitiam conſiliorum, præceptorum, decretorum. *Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Sap. 5.

TEXTVS.

Oculi autem eius ſicut flamma ignis.

Oculi autem eius ſicut flamma ignis. Limpidiſſimâ nempe cognitione omnium rerum gaudens, quid Dei maieſtas exigat, quid infirmitas humana valeat auxilio gratiæ corroborata, optimè callet: ad quem finem homines tendant, quænam ſint media neceſſaria, vt ad eum perueniatur, perfectè cognoſcere, nec fallere præcipiendo, aut promittendo, nec falli præmiando aut puniendo poteſt, adeo perſpicuè vniuſcuiuſque virtutem metitur, actus diiudicat. Intentiones diſcernit ventillat affectus. Sapientiâ denique perſpicaciſſimâ & oculatiſſimâ præditus eſt, qua omnia regit ac moderatur. Hinc multo diademate caput habet redimitum, quia per eum Reges regnant, & Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam: quia & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei, eoſque præcellit eminenti quadam ratione ſupremæ alicuius poteſtatis & dominationis, habens nomen ſcriptum quod nemo ſcit niſi ille. Quis enim hominum ſcire poſſet quidnam decoris, honoris ac virtutis contineat illud nomen, quod eſt ſuper omne nomen, in quo omne genuflecti & curuari debet? Inter homines ille ſolus Deus eſt, & non alius, à quo omnis ſalus, à quo omnes iuſtitiæ noſtræ, à quo omne imperium, de cuius plenitudine omnes accipiunt, in quo iuſtificabitur & laudabitur omne ſemen Iſraël.

Et in capite eius diademata multa habens nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe.

At cum eadem gratia fiat ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus & de eodem ſpiritu hic ſit renatus, de quo ille natus; eodem ſpiritu fiat in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt vt nullum haberet peccatum; Apparet in noſtro capite ipſe foris gratus, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram ſe per cuncta eius membra diffundit. *Auguſt.*

At quis noſſe, quis experiri poſſet cur gratia illa ſingularis eius humanitati ſit data, quæ data non eſt aliis hominibus, cum quibus tamen naturam habet communem? Sciat ille homo Deus: ſapiat, exultet. Ille, inquam, experiatur ſolus, quid honoris, quid decoris, quid gaudij ſummæ eius bonitati obueniat ob tantam gratiam ſibi collatam, quæ nulli ſanctorum impertienda fuit; & hoc oleo exultationis perfuſus præ conſortibus ſuis ſingulari quadam ratione exultet ille homo Deus: quia nomen habet quod nemo ſcit niſi ipſe. Nemini enim dabitur vt ſciat aut experiatur rationes illas, quibus ſumma Dei maieſtas hanc humanitatem prælegit, & ſuper omnia alia creata ſublimauit. Sentiat ille ſolus, cur præ cæteris dilectus, ſuper cætera ſit exaltatus.

Mihi ſiquidem videtur tali ſermone à ſummo Deo animam Chriſti Domini affari. Vides chariſſima ſponſa, quanta & quàm ſublimis ſit in me perfectio. Percipis ne meorum bonorum profuſiſſimam communicationem eſſe neceſſariam, vt aliquo modo reſpondeat tantarum gratiarum fonti & origini? In varios & multiplices proinde effundor effectus, & quo plus communicor, manet & manebit integer theſaurus, vt in plures valeam communicari. Hinc oportuit vt te ad hanc dignitatem eueherem, vt quantum creaturæ licet, tantam per te creatura adipiſcatur dignitatem ac potentiam, vt nihil vltra queat deſiderari aut concipi. Nomen accepiſti quod eſt ſuper omne nomen, quo hæc ſuprema potentia tibi communicata deſignatur. Nomen, inquam, quod nemo ſcit niſi tu, tum quia verbum omnia diuina conſilia & decreta, & omnia ad quæ ea extendere poſſim ac velim diuinam omnipotentiam, optimè nouit: & ita habes hoc præclariſſimum nomen, quaſi in capite ſcriptum (caput enim Chriſti Deus:) quia quæcumque operaturus ſum in Eccleſiâ, vt hæc mea potentia & ſapientia omnibus innoteſcat, & meam in omnia dominationem ac regnum demonſtrem, tibi reuelata fuere. Hinc apparet iſtud nomen quaſi in diademantibus ſcriptum, quia ex dominatione tuâ in omnia regna mundi clariſſimè perſpicitur quanta tibi collata fuerit poteſtas ex vnione verbi. Iam ad effectus prorumpe, quibus poſſim in operibus meis gloriari. Morte & paſſione homines redime, vt mea charitas refulgeat. Per pœnas & tribulationes eos ad gratiæ & gloriæ tuæ participationem eleua, vt mea ſapientia eluceat. Sanctitate præcipuâ ditentur, meis perfectè obediendo præceptis vt quàm ſanctus & iuſtus ſim appareat. Immortali tandem vita dotentur, vt quàm bonus, & ſuauis, & diues ſum in miſericordia homines cognoſcant & fateantur. Et cum nulla alia creatura noſcat quale & quantum gaudium in meipſo poſſideam, ex tam ingenti bonorum profuſione, ſicuti tu ſpeciali quadam ratione percipis quia in te profuſior fuit omnium bonorum communicatio, tibi ſoli ſpeciali quodam modo gaudere & exultare licet, ex pleniſſimâ cognitione tuæ dignitatis & honoris exinde mihi prouenientis.

TEXTVS.

Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine.

At vt meliùs perciperem hos inſigniores effectus, quos ſacra Chriſti humanitas ad Dei gloriam productura erat, is ipſe homo Deus apparuit, veſtitus veſte aſperſa ſanguine ſtolâ nempe in vino lauatâ, &

pallio in ſanguine vuæ purpurato, inductus veſtimentis vltionis, & pallio zeli opertus, viſus eſt vlciſcens in carne ſuâ immaculatâ iniquitates hominum, quas portauit. Salus ſiquidem certo certiùs deſperata erat, niſi Deus ad talem iracundiam prouocatus, filium ſuum pro peccatis pati voluiſſet. At eo ipſo, quo indignatio eius ipſi in auxilio fuit, & conculcauit peccatores in furore ſuo, cum aſpertus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta eius apparuit formoſus in ſtola ſua, & gradiens in fortitudine, propugnator ad ſaluandũ. Hinc tãtam gratiam hominibus largitus eſt, vt ex eo largiſſimo meritorum ſonte fortes Athletas exurgere fecerit; tantâ gratiâ dotauit, tribuens eis remiſſionem peccatorum, eos per pœnas & tribulationes ſanctificans, & ad ſummam euehens gloriam, vt iſtis omnibus eius ſanguine dealbatis, quaſi ornamento veſtiretur; vt ſicut ſanguine eorum fuit cruentatus, mortem pro eis obeundo; ita ſanguine eius fuerunt ſancti dealbati, cum pro gloriâ ipſius pœnas tolerarunt, & ſanguinem ſuum effuderunt. Igitur veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, quia & ſtola humanitatis fuit propter peccata ſanguine proprio rubricata, & pallium eius nempe ſancti fuerunt ſanguine eius aſperſi, per iuſtificationem eorum; propter gloriam ipſius mortem liberrimè oppetierunt. Vocatur autem verbum Dei verbum enim quo ſumus redempti Caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt nobis eſſet via. veritas & vita.

TEXTVS.

Et vocatur nomen eius verbum Dei.

Hac ratione factum eſt vt cum ipſe paſſus fuerit pro nobis, nobis relinquent exemplum, vt ſequeremur veſtigia eius, multi fuerunt qui peccatis mortui & iuſtitiæ viuentes, conuerſi ad Paſtorem & Epiſcopum animatum ſuarum, ipſius fortitudinem, obedientiam, iuſtitiam & magnanimitatem imitati fuere, multa mala patienter ſuſtinentes, ſcientes ſe ad hanc gratiam vocatos, vt benefacientes etiam mala ſuſtineant. Nullus quippe electorum eſt, qui alia ratione viam ſibi paret ad gloriam, quàm per perfectam Chriſti Domini imitationem. Hinc vidi quod exercitus qui ſunt in cœlo, nempe in Eccleſia, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo: quia & Patriarchæ, & Prophetæ, & Apoſtoli, & Martyres, & Confeſſores, & Virgines, omnis denique chorus iuſtorum, & munditia corporis, & puritate cordis, & obedientia mandatorum, & adimpletione conſiliorum, & tribulationum tolerantia, ad perfectam ſanctitatem & immortalem gloriam ipſum imitantes peruenerunt.

Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.

Qua autem ratione illos ad ſui imitationem prouexit, didici, cum vidi quod de ore eius procederet gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes. Gladium habet in ore. Os enim eius manus eius eſt, qui verbo ſuo omnia operatur, ſiue à ſeipſo proferatur, ſiue ab eis qui eius autoritate diuini verbi ſunt adminiſtratores. Ex vtraque parte acutus eſt: quia ad opera tum miſericordiæ, tum iuſtitiæ extenditur: errores exterminat malitiam humani cordis reſcindit: ad obedientiam mandatorum rebelles hominum voluntates compellit: gratiam procreat, effectus ſalutares operando in his qui illud verbum ſuſcipiunt, cum gaudio, ſicuti & effectus iuſtæ vindictæ producit in his qui illi reſiſtunt, eos à communione fidelium reſcindendo, Satanæ poteſtati tradendo, mortem etiam corporalem inferendo. Sic vtraque parte ille gladius eſt acutus penetrat corda iuſtificando, impios exterminat debitis pœnis plectendo.

Et de ore eius procedit gladius ex vtraq; parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes.

Cum igitur per Paſtores Eccleſiæ, vt pote verbi diuini adminiſtratores, ſicuti & myſteriorum diſpenſatores, aliquid vi & efficacia verbi ſui operatur, gladium habet in ore. Os enim illius ſunt ſiquidem per eos nobis loquitur, & potiſſimum per eum quem elegit, vt per os eius audiant gentes verbum Euangelij; Petrum videlicet & eius ſucceſſores, qui conſtituti ſunt ſuper gentes & Regna, vt euellant & deſtruant, & diſperdant & diſſipent, & ædificent, & plantent: qui præcipuam habent & omnimodam poteſtatem in adminiſtratione verbi & ſacramentorum, in determinatione dubiorum doctrinæ fidei: agendorum præceptione, controuerſiarum ſeu cauſarum finali deciſione, contumacium reſciſſione, obſtinatorum condemnatione.

TEXTVS.

Et ipſe reget eas, videlicet gentes, *in virgâ ferreâ*. Non tantùm dignitate eminet, ſed autoritate ſumma præditus eſt, vt homines dirigat; præcepta quæ præteriri nec debent nec poſſunt impunè, illis iniungat, eadem contemnentes, & temerario auſu infringentes, potenter conterat. Nec flecti poteſt vt alias condat leges, aut à punitione tranſgreſſionum abſtineat. Tam ſanctæ ſunt & tam iuſtæ, vt nihil melius iniungi queat. Tam ſanctus tam iuſtus eſt, vt de contemptoribus & tranſgreſſoribus ſumere vindictam inflexibili ſententiâ decernat.

Et ipſe reget eas in virga ferrea.

Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Cum Deus omnipotens qualibet vindicta in peccata iram ſuam & odium in peccatores oſtendit, ex æquiſſimâ & iuſtiſſimâ præmiorum diſtributione quaſi vino quodam ſuauiſſimo ac odoratiſſimo potatus, lætatur in tali operæ iuſtitiæ ſuæ. At Ieſus eſt, à quo tale vinum ex vuis matureſcentibus exprimitur, ipſique Deo omnipotenti propinatur, cum calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Id eſt: cum præſentis vitæ miſeriis, tunſionibus, ac preſſuris homines exercet, vel morte tandem eos caſtigat iratus Deus in primum hominem totum genus humanum maledictioni ſubiecit, pœnis & laboribus addixit. Quantus enim furor iræ eius fuit Adamum & paradiſo ejicere, & omnem eius progeniem in captiuitatem diaboli reducere. At cum omnes homines hac ratione calcauit in furore ſuo, vinum ex eis expreſſit quam ſuauiſſimum. Ex hac ſiquidem maſsâ maledictâ elegit quoſdam in Chriſto ante mundi conſtitutioné qui eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, & prædeſtinauit eos in adoptioné filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.

Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Iratus igitur in genus humanum eos in terram maledictam, tanquam in locum in quo conculcati deberent in furore ſuo eiecit; & in eis opera iuſtitiæ & miſericordiæ exercendo, eos quaſi in torculari poſitos conculcauit, & electos ex eis aſſumendo, & alios aptos ad interitum expellendo, vinum ſibi iucundiſſimum præparauit. At cum omnia hæc in verbo, & per verbum, & cum verbo adimpleantur, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, dicitur verbum calcare ſolum torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

1. Interpretatio.

Status igitur præſentis vitæ miſeriis ac maledictioni addictæ, torcular quoddam eſt, in quo omnes omnino homines tanquam vuæ calcandæ reponuntur: Ex quibus tandem vinum electorum exprimitur, cum in verbo eliguntur & reparantur, & per verbum incarnatum à peccatis redimuntur.

2. Interpretatio.

Status pœnitentiæ, compunctionis, cótritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis pro peccatis, torcular quoddam eſt, in quo omnes ad Deum conuertendi reponi debent, vt per verbum (ſine quo nihil facere poſſumus) opera meritoria poſſint gratia eius adiuti fæliciter exercere. Omnibus enim fidelibus ſeu credentibus dicitur: *Pœnitentiam agite, & baptiſetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti.* Act. 2. At hoc torcular Chriſtus calcauit ſolus: quia nemo venit ad Patrem niſi per eum, ipſe Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ inſtituit: nec aliud

Digitized by Google

eſt nomen in cœlo aut in terrâ, in quo nos oporteat A ſaluos fieri, creati in ipſo in operibus bonis.

Tertia interpretatio. Crux, in quo fuit affixus ipſe ſaluator; & mors ipſius, quæ nos ad omnia mala pro ipſo ſufferenda, & mortem pro eius amore tum ſubeundam tum acceptandam potenter prouocat, torcular quoddam eſt, in quo vinum pretioſiſſimum rigoroſæ ſatisfactionis, ac meritorum, & ardentiſſimæ charitatis Dei & proximi, & dilectionis reciprocæ Dei ad homines, hominum erga Deum exprimitur. De hoc enim lætatur Dominus Deus, quod ſuauiſſimam ſuam miſericordiam eum perfecto iuſtitiæ rigore ſapienter in crucis paſſione copulauit, & hac viâ nos ad ſimilia pro eius amore toleranda inuitauit. At illud torcular calcauit ille ſolus, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit. Non enim homo redimet, nec Angelus nos ſaluabit, nec Pater aut Spiritus ſanctus mortem ſubierunt pro ſalute hominum: Sed ipſe, ipſe filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe nos per crucem & mortem à morte æternâ liberabit, & immortalitate dotabit.

Quarta interpretatio. At ſi in hac præſenti vitâ pœnas peccatis noſtris debitas minimè perſoluimus, ignis purgatorij torcular quoddam eſt, in quo paleæ conſumentur, vt frumentum purum remaneat, ſeu feces imperfectionum deponent, vt vino æterni gaudij, electi inebrientur. Si inſuper propter finalem impœnitentiam peccata minime in præſenti vita fuerint dimiſſa, infernus torcular erit, in quo amurcæ & feces reproborum reponentur: Talia autem torcularia calcat ille ſolus, cui omne iudicium datum eſt à Patre, vt reddat vnicuique prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum: & exinde vinum exprimitur admirationis iudiciorum Dei, & glorificationis diuinæ maieſtatis, de inimicis ſuis ſeipſam potenter vlciſcentis. *Omnia* enim *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque in diem malum.*

Igitur torcular eſt omnis ſtatus & locus in quo Deus iuſtiſſimus ex iuſta peccati vindicta gloriam ſibi vindicat & comparat. Vnde quicquid in præſentis vitæ decurſu homines tunſionibus ac preſſuris affligit, vel genus mortis quo è ſæculo decedunt, vt vinum nempe electi in cellam vinariam reponantur; vel tandem infernus, in quem & mali obſtinati veluti vinacea & feces & quiſquiliæ detrudantur, & ſub prelo pœnarum (quæ in perpetuum infligentur) premenda conduntur: vel ſi in vita pœnituerint, in purgatorio deputantur: torcular erit ſeu locus, in quo Deus ex hominum pœnis iuſtiſſimè inflictis honorem reportabit.

In primo torculari reponuntur ij qui voluntariè & cum gaudio prodeo pœnas aſſumunt. In ſecundo, qui ſaltem patienter à Deo immiſſas tolerant; In tertio, qui inuiti in futuro ſæculo pro peccatis pœnam ſubire coguntur. Primi ſunt vinum ex vuis, quaſi voluntariè fluens, vinum purum ac defecatiſſimum. Secundi ſunt vinum forte & optimum, expreſſum pedibus conculcantium. Tertij ſunt ij qui ſub prelo pœnarum purgatorij vel inferni vinum auſterum, nec ita gratum exprimunt: *Non enim Deus ex corde abijcit à ſe filios hominum*, licet de vindicta peccatorum lætetur.

Intellectu igitur ac mente anima fidelis comprehendat opera naturæ & gratiæ: videat quomodo Deus exaltauerit naturam humanam in incarnationis myſterio; quantum homines dilexerit, pro ipſis patiendo ac moriendo, quàm ſapienter eos per multas tribulationes adducit ad gloriam, quàm incomprehenſibili iudicio totum genus humanum mortis Imperio addixerit; vt quoſdam ad gloriam euehat æternam, alios à ſe proijciat. Certè exprimet vinum pretioſum, iucundum, forte & auſterum, vt in vehementes rapiatur admirationes, pro tantâ gloriâ Deo omnipotenti proueniente ex operibus ſuis, nec difficile erit illum confiteri Regem Regum & Dominum dominantium.

TEXTVS.

Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium.

Habet namque *in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Veſtimentum eius caro eius, in quâ ſpinis coronatus, arundineum ſceptrum geſtans irriſiones & opprobria multa patienter ſuſtinuit, quâ ratione Regem ſe eſſe oſtendit: Primò, Patris gloriam ſummopere promouendo: Seruire autem Deo regnare eſt. Secundò, quia clementiâ, liberalitate, ſtupenda patientiâ, magnanimitate, ſapientiâ & æquitate, virtutibus nempe quæ regiam decent maieſtatem, hoc præſtitit; B Tertiò, quia hac via ad manifeſtationem regiæ ſuæ poteſtatis tandem peruenit, vt etiam in crucem actus fuerit Rex declaratus ex titulo crucis inſcripto: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Veſtimentum eius ſancti ipſius, quibus ſtipatur, & tanquam pallio pretioſiſſimo decoratur. Super eos ſcribitur quòd ſit Rex Regum & Dominus Dominantium. Ad hoc enim & actus, & cogitatus, & ſermones eorum, & intentiones cordium ſpectant, vt adueniat Regnum ipſius, vt ab eis & à cæteris hominibus tanquam Rex ſummus & omnipotens Deus agnoſcatur, colatur & honoretur.

At quia regnum eius regnum eſt omnium ſæculorum, C & Dominatio eius in generationem & generationem extenditur; ideo non ſolùm in veſtimento ſeu pallio, ſed etiam in femore inſcriptum habet quod talis exiſtat. Crura autem eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Quidquid in eis inſcriptum fuerit, in æternum ſtabit ſapientiâ ſummâ fulcitum. Ideo regnum eius non exterminabitur, ſed permanebit in æternum. Data eſt ei poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur: Sed magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, dabitur populo ſanctorum altiſſimo, cuius regnum eſt ſempiternum.

Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole.

Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole. Ecce quomodo ille, qui antea mihi apparuerat in medio Eccleſiæ deambulans, (vt oſtenderet quid in electis & D Paſtoribus Eccleſiæ ſuæ operari meditabatur, ipſam cum zelo nimio ſuæ gloriæ & conſtantiâ inconcuſſâ regendo ac gubernando) nunc mihi vt vidiſtis, apparuit in tali formâ, in qua valeam percipere quem exitum tandem imponere decreuerit tot pœnis, laboribus ſolicitudinibus, ac circuſpectionibus impigris Paſtorum Eccleſiæ & ſanctorum illius, videlicet cum apparuit ſedens ſuper Equum album. Vocatur fidelis & verax, iuſtitiam colens, ſiue iudicet, ſiue puguet; oculis flãmeis, eminenti autoritate & poteſtate ſingulari inſignitus, diadematibus coronatus, veſte ſanguinea indutus, gladium vtraque parte acutum geſtans in ore, nationes in virga regens ferreâ, torcular calcans vini furoris iræ Dei omnipotentis. E Nam per hæc omnia, nota tandem fit illa claritas & gloria à Patre ſibi repromiſſa in præmium tam profundæ & abiectæ ſuæ humiliationis, & Rex Regum ac Dominus Dominantium optimo iure nuncupatur: quo fit vt habeat poſt ſe qui eum ſequantur, perfectiori modo eum imitantes & non ſolùm per contemplationem, ſed etiam per opera excellentiora, quæ non corporis, non pacis temporalis bona tantum ſpectant, ſed ſalutem hominum pro fine habent, impigro ac propenſo ſtudio ipſius veſtigiis inſiſtentes. Talis ac tam inſignis eorum omnium, quæ hic deſignantur, erit tandem exitus.

At eum oporteat quidem cœlum eum recipere vſque in tempora reſtitutionis omnium, cum videbitur filius hominis veniens in nubibus, eo modo

Digitized by Google

quo aſcendit in cœlum, vobis exiſtimare non licet hanc claritatem temporalem, quæ ipſi repromiſſa eſt, perfici debere ſub tali formâ, qualis eſt ea in quâ apparuit, vt viſibiliter equo inſideat: ſed hanc gloriam adepturus eſt ex optimo & efficaci vſu ſummæ ac plenæ poteſtatis, quæ Eccleſiæ collata eſt, & ſingulari modo viget in viſibili Eccleſiæ capite ſummo Pontifice. Hac ratione factum eſt vt ſtatim atque eo modo apparuit, quo hæc gloria graphicè deſcriberetur, appareret etiam mihi Angelus vnus ſtans in ſole, à quo certè fuit mihi deſignatus ſummus omnium Paſtor, qui Eccleſiæ ſole amictæ conſtanter præeſt ac præſidet. Etſi enim in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento honorem debitum continuò recipiat, nihilominus quia inuiſibiles & inſenſibiles ſunt illius ſacramenti effectus, de hoc honore hîc non agitur, ſed de eo quem recipit in viſibili Paſtorum Eccleſiæ regimine, & præcipuè illius ſummi Paſtoris, qui tanquam Angelus verè ſtat in ſole. Angelus eſt quia Epiſcopus quia Rex. Sapiens eſt, ſicut ſapientiam habet Angelus Dei, vt intelligat omnia ſupra terram, quia ſicut Angelus Domini nec benedictione nec maledictione moueatur. Vnde Dominus Deus cum illo eſt: nec enim hæreſi fauere poteſt ſiue adulationibus, ſiue minis impetatur: quia labia illius ſummi ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent omnes ex ore eius. Angelus enim Domini exercituum eſt, & pro fide eius rogauit Chriſtus, ne deficiat. Vnde intrepidè velut Angelus Domini veritatem Euangelij annunciare debet cunctis gentibus, quin & excellit Angelos, quia tale quid reuelatum eſt Petro (cuius Papa ſucceſſor exiſtit) quod nec Angelus, nec homo ſcire potuit; Quia eius iuriſdictio vſque ad cælum euehitur: terram implet, inferna penetrat; Quia prudens & fidelis eſt ſacramentorum & myſteriorum Chriſtianæ Religionis adminiſtrator & diſpenſator: quod minimè competit Angelis, qui nec ſacrificiis Deum placant, nec à peccatis abſoluunt: Quia & in gratiâ & in gloria poteſt euadere multis Angelis ſuperior.

1. Reg. 19.

Gloſſa ordinaria in Math. 16.

Angelus vnus eſt, vt vnitatem miniſterij in vno viſibili capite Eccleſiæ Chriſti Vicario ac Petri ſucceſſore deſignet. Ille ſicut ſol ſolus eſt, in ſole ſtans, huic enim ſoli datum eſt vt non deficiat fides eius, vt valeat conſtanti operatione fratres ſuos illuminare & confirmare, & de moribus ac viis ad ſalutem neceſſariis ratione infallibili diiudicare. Ex exercitio tam auguſtæ ac eminentis poteſtatis pendet manifeſtatio illius gloriæ Chriſto in terris repromiſſæ Deo quia Chriſti Regnũ ſempiternum & thronus illius ſicut ſol permanet in æternum ille Angelus ſtat in ſole, & ſolus ſtat: quia ſi cæteri labantur, erectus manet & manebit in lumine & claritate ſempiternæ veritatis, vt nec in fide, nec in moribus aliquid falſi vnquam ſuis decretis admiſceat; imo potiùs ſicut ſol luminare maius eſt, vt lucem præbeat diei, vt calore terræ viſcera ſeminibus, rerum fœcunda foueat; Sicut ſol dignitate cæteris planetis eminet, ſiue corporis luminoſi magnitudine, ſiue exuberantiâ luminis, ſiue vi & efficacia influentiarum, ſiue quia motus illius menſura & regula eſt cæterorum motuum, ſiue quia præeſt potiſſimùm productionibus & generationibus corruptibilium, ſicut ſol cuſtodit fornacem in operibus ardoris, quo Deus febres & peſtes & morbos immittat in homines, cum illis ob delicta ſubiraſcitur: ſicut ſol fons inexhauſtus eſt lucis, quam per vniuerſum diffundit aërem, & à quo alij planetæ ſplendorem præcipuum hauriunt & mutuantur, ſicut ſol motu conſtanti & infatigabili curſu mouetur, nec extra ſuas metas excurrit nec retardatur, nec retrograditur: ſed inuariabili ratione,

A vbi incœpit, ibi deſinit, & diſcurrendo renaſcitur, & renaſcendo interit, & ex ſuo interitu vitam ſibi prorogat, cum aliud hemiſphærium ſua luce colluſtrat. Ita ille Angelus ſtans in ſole, vt manifeſtam reddat generationibus cunctis Chriſti regiam maieſtatem, ſolus à Chriſto accipit nomen Paſtoris, qui lumine veritatis omnes alios paſcere debeat: ad cuius luminis fulgorem examinari habeant omnes doctrinæ, qui prauas reiiciat, veras confirmet, dubias ſoluat, fidem ſtabiliat.

Arnobius in Pſal. 138.

Qui boni amans & cuſtos ſanctitatis cultor & fautor, quaſi calore quodam foueat virtutum ſemina decreta ſancta proponit, & nihil vnquam contra bonos mores decernit: & non tantùm in ſpecie, de

B bonitate & malitia actuum humanorum diiudicat, ſed etiam rectitudinem illorum perſpicaci intuitu contemplatur, & eos nobis imitandos proponat, nempe cum ſanctos nobis proponit, quos colere ac imitari & valeamus & debeamus, ſi recto tramite & pernicioſi curſu ad cœlum properare velimus.

Qui cæteris præeminet dignitate & amplitudine poteſtatis, quæ nullis coarctatur terminis, & per vniuerſas orbis partes & hemiſphæria, & in cunctos quacumque dignitate temporali ſeu ſpiritali fulgeant, extenditur, illiſque leges præſcribat ſedulò ſeruandas, ſi ad vitam velint peruenire æternam, imperio maior, cognitione ac diſſolutione veri exuberantior, influxu gratiarum potior: quia

C inſtrumentum vniuerſalius diuinæ bonitatis, ad eius motum cæteri mouentur, cum aliorum iuriſdictionem limitat aut extendit, & vſum illius impedit, coarctat, ampliat, prout ratio & æqui ac boni libratio dictauerit.

Cuius autoritas talis eſt, vt cuncti gratiæ diuinæ effectus ab eo quodammodo dependeant veluti radij à ſole. Nec enim quis ab eius vnione ſeparatus, poterit aliqua cœli gratiâ aut rore diuino perfundi. Auelle radium à ſolis corpore. Diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum: non poterit fructus germinare. A fonte præcide riuum: præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Romana Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit:

D vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs pandit: vnum tamen caput eſt, & origo vna, & mater eſt fœcunditatis ſucceſſibus copioſa: illius fœtu naſcimur. Illius lacte nutrimur. Spiritu eius animamur. Sic cuncti ſalutares effectus ab hac vniuerſali cauſâ dependent. Hinc Pater Patrum rectè indignatur; qui fornax eſt ardoris, cum Anathemate aliquem quacumque dignitate pollentem ferit, cum ſuſpenſionibus, interdictis ac depoſitionibus malos hominum mores coërcet ac reprimit, itaut cuicumque iraſcatur, Deum ſibi iratum non hominem putare debeat.

S. Cyprianus.

D. Bern.

E Et ſicut ſol non ſolùm immediato radiorum influxu multa operatur, ſed etiam lumine ſuo aſtra cuncta colluſtrans, per eorum influxum mediatè concurrit ad productionem effectuum ab ipſis dependentium, ita non ſolùm omnis ordinaria poteſtas ab eius influxu pendet, ſed delegare valet per cunctas orbis partes, qui ordinariorum Paſtorum munia in eorum ſolamen, & leuamen, & ſupplementum exercere valeant; in quo quidem ſe plenitudinem poteſtatis accepiſſe demonſtrat cum opitulationes mittit quoties ſibi videtur expedire, qui cæteris collaborent, ne periclitetur ſtatus Eccleſiæ defectu operariorum, qui ſint idonei.

Denique verè Angelus in ſole ſtans dicitur, quia videlicet firma & inconcuſſa manet eius autoritatis ſummæ fidelis ac prudens adminiſtratio & diſpenſa-

tio; nec declinat ad dexteram aut ſiniſtram, ſed regiâ graditur viâ, patenter & audacter Regnum Chriſti in terris promouens ac ſtabiliens; nec eius lumen poterit vnquam offuſcati tenebricoſa peccatorum aut errorum caligine, nec influxus eius impediti infauſto perſecutionum turbine, nec euaporari aut diſſipari procelloſâ contradictionum aut ſchiſmatum ad modum ventorum fortiter pulſantium quaſſatione.

Hac plenitudine poteſtatis gaudens, & eius munia intrepidè exercens, vt Chriſtus exaltetur & honorificetur in terris inſtãter inuigilat ne aliquid ſubrepat quo eius cultus detrimentum aliquod patiatur. Hinc plurimos in Eccleſia fideles animaduertens rerum temporalium & ſui ipſius deſpicientia à terra & à ſeipſis auulſos, & in aëra per cœleſtium rerum deſideria ſubleuatos, eos tanquam idoneos ad ſe aduocat, & copiis Eccleſiæ (quæ tanquam caſtrorum acies ordinata, mundo & diabolo bellum indicit) eos adiungit, ac militiæ Chriſtianæ aſcribit. Audiui nempe quod ille Angelus in ſole ſtans, *Clamauit voce magna dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorum & magnorum.*

TEXTVS

Et clamauit voce magna dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli.

Clamat igitur veluti is qui nunc audiui non metuit, liberè & audacter omnia exequitur, quia nullus eſt qui voluntati eius audeat impunè repugnare. Clamat vt omnibus voluntas eius innoteſcat (ne de ea dubitari queat) dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli. Id eſt: Eius vox ad eos dirigitur qui plurimis perfectionibus præditi, quæ per aues deſignantur, liberè poſſint per medium Eccleſiæ vt olim Apoſtoli diſcurrere. Ii ſunt qui affectibus carnis & terrenis abrenunciantes, omnem ſui curam in Dei prouidentiam reiecerunt, ad quos olim Saluator dicebat: *Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis?* Matt. 6. Nec illis pericula & diſcrimina vitæ metuenda, quibus ait c. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? Et vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Quorum deinde conuerſatio ſit in cœlis, ad anteriora ſe ſemper extendentes, ſenſibus & rerum phantaſmatibus, minimè irretiti, omnia tranſitoria tranſuolant, vt ad æterna continuo aſpirent. Quo fit vt fruſtra iaciatur rete ante oculos pennatorum, & pernicieri volatu columbinis alis præditi, alta petentes in Dei ſinu tandem conquieſcant. Qui inſuper ſalutis animarum zelo ducti, nihil omittunt quo promoueri valeat, zelum Dei cuius ſunt cooperatores, pro poſſe imitantes, de quo dicitur, Iſ. 31. *Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, protegens & liberans, tranſiens & ſaluans.*

Vidiſtis ne quomodo aues, vt defendant fœtus ſuos, nidos ſuperuolant, & ſiue ſerpentem, ſiue hominem viderint, aueſque alias ad pullos ſuos accedere, oblitæ infirmitatis, roſtro pugnant & vnguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant. Sic Dominus proteget Hieruſalem. Sic eius imitator de aliorum ſalute erit ſollicitus. Quod ſi vt columbæ quærunt aliquando auolationem, vt orando pro eis proſint qui eorum monita ſpernere audent, non tamen amittunt dilectionem paruulorum, ad eos redeunt identidem. Nam ſi quis infirmatur, ſi quis ſcandaliſatur, vruntur, & veluti gallina congregans pullos ſuos ſub alis, infirmantur & tabeſcunt in pullis. Quod vt fœlicius adimpleant, doctrinæ ſanæ inſiſtũt. Fruſtra illis dicitur: *Tranſmigra in*

A *montem ſicut paſſer.* Licèt enim hominum ſibi ſimilium amatores ſint, vt paſſeres tamen non attendunt arrogantiæ, præſumptioni, aut curioſitati, non circunferuntur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutiâ, ad circumuentionem erroris. Epheſ. 4. Doctrinis variis ac peregrinis nolunt abduci. Hebr. 13. Quod ſi aliquando pluuiæ talium Doctrinarum ingruerint, vt paſſeres (ne à ſerpentibus, qui aëre madido & cauernis exiliunt deuorentur) alta petunt, ſic ipſi, ne à dæmonibus, (qui ſemper in inſidiis ſunt cum errores diſſeminantur, vt aliquem deglutiant) decipiantur; ad Eccleſiæ tectum, id eſt, ad eius charitatem & vnitatem confugiunt, vt ſint tanquam paſſeres ſolitarij in tecto,

B ad alta virtutum confugientes, ſeque à moribus carnalium aut ſuperborum ſeparantes. Quod ſi charitate ducti ad prædicationis officium in medium prodeunt, vt gemebundæ turtures nihil niſi compunctionem cordis & gemitus animæ pœnitentis annunciant. Vox eorum vt turturis clamantes aſſiduè: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Chriſto compatimini pro vobis in cruce mortem ſubeunti. Columbæ ſunt, cum innocentia vitæ, intentionis ſimplicitate condecorantur, & caſtitate præcellenti fulgentes, vnum ad modum turturis tantummodo Chriſtum videlicet amatorem admittunt, & ad caſtitatem & pudorem quantum in ſe eſt cunctos prouocant exemplo & verbis: & velut Aquilæ, magnani-

C mitate regia montium iuga conſcendunt, ſolis radios refulgentes oculis excipiunt. Agnis, leporibus, & vulpibus paſcuntur. cum ei mites ac dociles, timore iudiciorum Dei, & aſtutiores & prudentiores filios ſæculi, ſapientia ſua ad Deum conuertunt. Quod ſi Aquilæ à longe cadauera ſubodorantur, multo magis à Chriſto ad eius mortem imitandam attrahuntur, & nihil aliud in ore habent quam Chriſtum & hunc crucifixum. Tandem ſumma ſolertia ac prudentia inſtructi ſunt, ne occaſioni deſinit, ad modum illarum auium quæ tempora ſibi apta optimè dignoſcunt. Ad tales igitur his virtutibus, fœlicius quàm aues ſuis proprietatibus præditos & ornatos, ille Angelus ſtans in ſole clamat, & ait:

TEXTVS.

D *Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei.*

Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum.

Quàm ardenti ſtudio Deus ſalutem omnium exoptet, nullus explicare poteſt nec eius in virtutem propenſionem in peccata odium nemo edicere valet. Gaudet quippe ſi ſaluari nos contigerit. Gaudet de profectibus noſtris, quin & bibit vinum lætitiæ ex vindicta peccatorum expreſſum, cum lacte miſericordiæ, cum videlicet vnicuique dat ſecundum opera ſua, & aliis præmia, aliis ſupplicia iuſto iudicio decernit. Ad illius gaudij participationem vos omnes inuito & prouoco. *Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Gaudet quidem pius Pater in conuerſione peccatoris, & redeuntem filium oſculo & amplexu benigniſſimè excipit: conuiuium parat:

E & ad gaudij ſui participationem prouocat dicens: Epulari & gaudere oportet, quia qui mortuus erat reuixit, qui perierat inuentus eſt. Si plurimum fructum afferimus, ſi efficimur diſcipuli eius, & hac ratione clarificetur Pater eius, gaudium certè in nobis eſt, & viciſſim gaudium noſtrum impletur: quia lætatur de profectibus noſtris. Poſuit enim nos vt eamus & fructum afferamus, & fructus noſter maneat. Ad huius gaudij participationem nos prouocat, cum inuitat ad prandium paratum ob nuptias, cum præcipit vt diligamus inuicem ſicut dilexit nos, & potiſſimùm cum ſuos diligens vſque in finem vehementi deſiderio exardeſcens manducandi vltimum paſcha cum diſcipulis ſuis ſeipſum in cibum & potum tradidit, cum ait: *Comedite amici, inebriamini chariſſimi. Venite comedite panem meum, & bibite*

Digitized by Google

vinum quod miſcui vobis. Hoc facite in meam commeratio-nem. At plenè gaudebit cum tandem ad cœnam nuptiarum Agni ventum fuerit. Tunc enim implebitur Regnum Dei, & effectus tanti ſacramenti in conſummatione ſanctorum plenè inducetur: & glorificabitur in conſilio ſanctorum, cum de inimicis ſuis vlciſcetur. Ad hanc cœnam prouocantur aues iſtæ. *Beati* enim *qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Lætabuntur ſiquidem, quia voluntas Dei perfectè adimplebitur, cum in fine ſæculorum ad Deum plutimi conuertentur, reliquæ Iſraël ſaluabuntur, & omnes gentes ſeruient ei humero vno: quia laboribus & perſecutionibus finis tandem imponetur, quia Chriſti aduerſarij & Sathanas ſub pedibus conterentur. Sic manducabunt carnes Regum & car- B nes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorum & magnorum, cum in quibuſlibet hominibus, cuiuſcumque conditionis ſint, quidquid ſuperbiam redolet, quidquid animi anxietatem procurat quidquid præſumptionem cauſat, quidquid concupiſcentiam inflammat, quidquid ſapientiâ carnis fulcitur, quidquid inobedientiæ fauet, quidquid in ſeruitutem peccati nos redigit, quidquid inducit puſillanimitatem, quidquid in diuitiis fiduciam & de ipſis iactantiam ingerit, depaſcetur, conſumetur, & exterminabitur, vt Reges in ſeruitutem Chriſti redigant, gubernatores populorum Eccleſiæ ſubmittant, fortiores ſeu C nobiliores ad humilitatis Chriſtianæ praxim reducant, concupiſcentiis liberè inſeruientes ieiuniis & auſteritatibus doment, carni fauentes legi ſpiritus ſubdant, vinculi ſalutis audaciores alligent, puſillanimiores ad ardua tentanda prouocent, ditiores ad diuitiarum contemptum adigant.

TEXTVS

Carnes tribunorum, & carnes fortiū, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum & magnorum.

Denique ſic manducabunt carnes Regum & cæterorum, quia quidquid temporale eſt, Eccleſiæ & Eccleſiaſticis viris abundè ab omnibus ſuppeditabitur. Suget enim Eccleſia lac gentium, & mamilla regum lactabitur. Diuitias regum, inquam comedet, & ſic gaudebunt de eorum perfectâ ad Deum conuerſione, & cœnâ omnibus ferculis refertiſſima cœnabunt cum Deo, & ipſe cum eis; cum & tem- D poralium bonorum ſubſidio, & animarum ſalute, & iudiciorum Dei manifeſtatione prouidentiam Dei peruigilem, miſericordiam ipſius infinitam, & iuſtiſſimam æquitatem collaudari & exaltari perſpicie. At minimè exiſtimandum eſt hæc omnia perfici abſque graui conflictu. *Vidi* nempe *beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.* Perſpexi quomodo malitia cordis humani dæmoni obſequentis, & captiui ad ipſius voluntatem, vt animo obſtinato Chriſti imperium conetur euertere, qualis eniteſcet in quibuſdam Hæreſiarchis, & maximè in Anti-Chriſto vigebit; quin & Reges terræ, quibus Eccleſia poſita in ſuperbiam E ſæculorum videbitur ſuæ dignitati præiudicium afferre, itaut eius gloriæ inuideant, & exercitus eorum, qui tum malitia impulſi, tum amore rerum temporalium à carnis inducti, Chriſti iugum excutere attentabunt: qualis eſt omnis vir vanus, qui in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat; Vidi, inquam, quomodo omnes congregantur ad reſiſtendum veritati, quæ à verbo Dei (qui venit vt teſtimonium perhiberet veritati) omnibus proponitur amplectenda, & ad præliandum cum exercitu eius, eos perſequendo qui obedituri ſunt veritati, verbo & exemplo eius præcepta ſequentes.

Et vidi beſtiā & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prelium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.

At triplici viâ victoria reportata eſt. Nam *apprehenſa eſt beſtia, & cum eo Pſeudo-Propheta, qui fecit ſi-* A *gna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eis.* Ne dicatur ab hominibus: omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent. Aut certe, vbi eſt Deus iudicij. Vt agnoſcant omnes vtique quia eſt Deus iudicans eos, nondum in illa vita, nondum in igne æterno, nondum apud inferos, ſed hîc in terra apprehenſa eſt beſtia, id eſt Anti-Chriſtus. Omnes exitus euadendi illi intercludentur: nec enim eſt ſapientia, aut prudentia, aut aſtutia contra Dominum, nec poteſtas in cœlo aut in terrâ, quæ valeat illi obſiſtere. *Et cum eo Pſeudo-Propheta*, is illi nempe qui prudentia carnis ductus Eccleſiæ maieſtatem proſcindens, & eius autoritatem B conculcans viam Anti-Chriſto parabit ad euerſionem Regni Chriſti in terris, ſiue vi aut violentia, ſiue eloquentiâ ſæculari, ſiue præſtigiis diabolicis ſeducat eos, qui ex operibus ſuis malitiam cordis ſe induiſſe oſtentabunt, & qui prauis moribus & legibus obtemperantes ſe eius imaginem adorare profitebuntur. *Hi duo vini miſſi ſunt in ſtagnum ignis cardentis ſulphure.* Infernus ſubter eos conturbatus eſt in occurſum aduentus eorum, & adhuc viuentes in viſceribus terræ abſorpti morti æternæ adiudicabuntur in perpetuum cruciandi.

TEXTVS.

Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudo-Propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnū ignis ardentis ſulphure.

En prima ratio qua verbum diuinum de inimicis triumphabit. Cæteri autem occidentur in gladio ſedentis ſuper Equū, qui procedit de ore ipſius. Quid- C quid enim faciant, quidquid collaborent omnes qui verbum Dei ſequuntur, is ille vnus eſt qui omnia operatur in omnibus. Cum igitur habeat gladum in ore vtraque parte acutum effectus tum ſalutares, tum funeſtos producit, alios ſaluando, alios condemnando, ex his igitur qui malitiæ quodammodo obſecuti ſunt, vel rerum temporalium & carnis amore in culpam lapſi ſunt, quidam occidentur, ea nempe occiſione de qua dictum eſt Petro quaſi ori Eccleſiæ: *Occide, macta & manduca.* Id eſt: A peccato eos, in quo viuunt, interfice, & à ſeipſis illos in tua membra conuerte, nouam vitam induant vt capiti viſibili à me conſtituto conuertantur, adiungantur: & ideo eorum vetuſtatem contere, & in D corpus Eccleſiæ & tua membra conuerte. Non ampliùs per ſuperbiam in ſublime extollantur, vt aues immundæ; non ampliùs vt ſerpentes inuidiâ & malitiâ contabeſcant, aut furore inardeſcant; non ampliùs auaritiâ, gulâ aut luxuriâ beſtialiter viuant; humiliter de ſe ſentiant, charitate flagrent, bonitate ac benignitate cunctis grati exiſtant, patientiâ omnia vincant, caſtitate & abſtinentia, & liberalitate polleant, & de eorum perfectâ conuerſione & correctione ad ſatietatem gaude, epulare, quia mortui reuixerunt, perdiri inuenti ſunt.

Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equū.

Qui procedit de ore ipſius.

Quod ſi credere noluerint, iam eos occidam in gladio oris mei, cum Anathemate eos percutiam, cum eos flammis ignis æterni addicam, hanc for- E midandam in eos ferens ſententiam; Ite maledicti in ignem æternum. Sic *omnes aues ſaturatæ ſunt à carnibus eorum.* Sancti enim Dei prædicatores, qui dum in Eccleſiæ ſinu recipere populos ambiunt, magno ardore ſuccenſi nunc ad hoc nunc ad illos colligendos deſiderium mittunt, & velut ad loca varia tranſeunt, dum pro adiuuandis animabus in modos innumeros ac in partes diuerſas éſurientes mente diſcurrunt, gaudent cum ad cœnam tot ferculis refertam tandem peruenerint, cum vident errores auulſos, peccata exterminata, concupiſcentias carnis corporis mortificatione ac paſſionum animi reprimi ac extingui. At tandem gaudebunt, cum abſorpta fuerit mors in victoriâ, & mortalitate corporum præciſâ, dote immortalitatis dotabuntur, & viderint reprobos tanquam hœdos gladio verbi ab

Et omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

Digitized by Google

ouibus ſeparatos. *Lætabitur* enim *iuſtus cum viderit* A *vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*; quin & impiæ & malæ volucres, quæ olim rapuerant verbum Dei ſeminatum in cordibus hominum, ne veritati obedirent, gaudebunt & ſaturabuntur ſitientes enim & quærentes quem deuorent, cum homines in malo obſtinatos in pœnis & tormentis ſocios habebunt, ſaturabuntur, cum audierint: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

IN CAPVT DECIMVM NONVM.

PROLOGVS.

POSTQVAM ex Capitulis præcedentibus B percepimus quanta futura eſt rebellio & contumacia, mentium reproborum per omnimodum contemptum gratiarum ſeu fauorum, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam in terris decorauit; poſtquam inſuper vidimus, qua vtetur ſeueritate iuſtitia diuina in plectenda tam enormi temeritate & inſolenti contradictione diuinæ voluntati, quia non tantùm pœnis æternis plectetur, ſed ne inter homines vita mortali fruentes aliquid patiatur detrimenti diuinæ prouidentiæ nomen, ac ſi dormitaret, & ſuper actus humanos oſcitanter vigilaret, ſuppliciis etiam temporalibus punietur; facillimè enim homines ad iudiciorum Dei contemptum proni ſibi perſuaderent, hæc crimina impunita remanere, ſi vſque ad finem ſeculorum illorum punitio re- C tardaretur; hac de cauſa igitur in capite 18. præcedenti æternum ſupplicium reproborum deſignatum fuit ſub ſymbolo lapidis molaris, in profundum maris proiecti; & pœnæ temporales in ſubuerſione illius ciuitatis temporaria deſignatæ fuerunt. Quibus peractis obſeruat S. Ioannes hiſtoricorum morem & conſuetudinem qui de triumphis non agunt ob particulares quaſdam victorias, quæ interueniunt, cum aliquod bellum initur inter duos potentiſſimos principes: ſed cum proſtrato & debellato hoſte vltima parta eſt victoria, tunc de triumphis agendi locus conceditur. Certè decurrentibus ſeculis plurima peragit Eccleſia quibus Deo de beneficiis ſibi collatis gratias agit, quibus eum colit, quibus de hoſtibus plærumque victoriam reportat: quas actiones ſacras, quas gratiarum actiones, operæ pretium fuiſſet iam expoſuiſſe, vt ſciremus qui- D bus exercitiis Eccleſia ob tot & tantas profuſiones gratiarum & donorum Deo gratam ſeſe exhiberet. At expectauit ſanctus Propheta vt inſignior obtineretur victoria, vt nobis explicaret ea, quæ iuxta rerum exigentiam, & temporum opportunitatem, etiam ante iſtam vltimam & totalem victoriam iam peracta fuerunt.

Partâ igitur nunc victoriâ, poſt euerſionem rebellis & contumacis ciuitatis, per quatuor Alleluya Deo laudes decantantur: tunc enim Eccleſia præparabit ſe, vt digna habeatur quæ in ſe admittat omnium Prophetiarum adimpletiones, & quæ votis ſuis ac feruentiſſimis deſideriis pleniſſimè potiatur, dum intrauerit plenitudo gentium in ea. Tempus enim approximat, in quo & à Iudæis, & à Gentilibus iuxta vota ſua agnoſcatur Chriſtus, nemine E contradicente. Hinc ait S. Ioannes: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.* Et certè non mirum ſit tot ſecula decurrerunt antequam parata inueniatur. Si annus integer exigebatur ab vxoribus aſſueri, vt ſeſe præpararent antequam in cubiculum aut thalamum Regium introducerentur; totus vitæ præſentis decurſus, totumque illud ſpatium omnium ſeculorum non ſufficit Eccleſiæ, vt ſe dignè præparet ad nuptias cum agno celebrandas: itaut omnes omnino nationes in hac præſenti vita Chriſtum agnoſcant & adorent illique ſeruiant; donec tandem conſummatio ſeculorum adueniat, & ad cœnam nuptiarum Agni in cælo introducatur. Quapropter, vt mihi videtur, in hoc capite S. Ioannes cum debito ordine & conuenienti ſerie declarat, quòd poſtquam Roma ſchiſmatica euerſa fuerit, in cuius ſubuerſione exemplar quoddam proponetur excidij finalis omnium reproborum, tunc Deo laudes decantabuntur in vniuerſis locis, in quibus Chriſtiani fideles congregati fuerint: certiores enim redditi finem approximare perſecutionum atrociſſimarum Anti-Chriſti ſperabunt Eccleſiam cito ab omni perſecutione fore liberam: nam vltima erit omnium perſecutionum Anti-Chriſti perſecutio. Qua quidem ratione, quod tam ardenter deſiderarunt eueniet, nempe inſeparabilis quædam cum ſponſo vnio occiſo quippe Anti-Chriſto, tunc intrabit plenitudo gentium in ſinum Eccleſiæ, Iudæis, & Gentibus ad Chriſtum conuerſis. Quod ſi increduli quidam remaneant, in pauciſſimo erunt numero, & inglorij & imbecilles, & hanc Chriſti & Eccleſiæ gloriam impedire non valentes. Vnde per vniuerſum orbem Eccleſia Chriſto laudes & gratiarum actiones reddere liberrimè poterit, & Deum vnum ſolum adorabit, & ſaluatorem Chriſtum omni honore & cultu proſequetur.

Hoc præuidit & prædixit Apoſtolus, Rom. 11. *Nolo, inquit, vos ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis in vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum autem electionem chariſſimi propter Patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem eorum, ita & iſti non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.*

At præparatio, qua præparabitur ſponſa ad inſeparabilem cum ſponſo vnionem, vt videbimus, erit ſanctitatis acquiſitio quæ talis ſit, vt libenter plurima mala ſeu aduerſa patiatur. Etſi non ita grauia, qualia erunt mala quæ tunc in illis vltimis temporibus tolleranda erunt dicente Domino, Matt. 24. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet*; Quorum perpeſſione vegetior, & purior, & candidior lino mundo & candido reddatur. Hiſque tranſactis celebrabuntur nuptiæ, quarum intuitu ad Epithalamium cantandum prouocatur. Hinc, Lucæ 21. Saluator vltima tempora præuidens, in quibus Regnum ſuum per vniuerſum

Digitized by Google

orbem glorioſum erit, ſuperato vltimo hoſte, omnium, qui antea impedimento fuerunt ſuis perſecutionibus, ne actu prout meretur ab omnibus coleretur, infeſtiſſimo; ad gaudia prouocat fideles dicens: *His autem fieri incipientibus; reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem. Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.* Si perſecutionibus incipientibus, quia approximat regnum Dei fideles leuare debent capita ſua, & lætitiâ perfundi, multo magis illis gaudendum erit, cum vltima aduenerit perſecutio citò finienda qua conſummatâ regnum Dei refloreſcet, liberè omnibus Deum colentibus, & eius laudes concinentibus. Sed ſicut ante vltima hæc certamina per totum orbem graſſantia, & vltimam iſtam Eccleſiæ victoriam de hoſtibus reportandam, plurima erunt particularia prælia, pluresque particulares victoriæ; ſic ante has perfectiſſimas laudes per vniuerſum orbem Deo dandas ob illam inſignem victoriam de Anti-Chriſto reportatam, Eccleſia plurimas laudes Deo reddit continuè, ob particulares victorias, quas de hoſtibus ſalutis ſuæ & honoris diuini, in hac vel illa temporis differentia, vel in hoc aut illo loco plærumque fideles huc & illuc diſperſi referunt. Hinc dum S. Ioannes hic deſcribit, quid in Eccleſia fiet finitâ vltimâ perſecutione, & vltimâ reportatâ de hoſtibus victoriâ, in hac deſcriptione ob oculos proponit quid Eccleſia perficere debet, ab eo inſtanti quo condita fuit, vſque ad conſummationem ſeculorum. V. g. laudes Deo decantabit partâ vltimâ victoriâ: ſic ſtatim atque aliquam victoriam obtinuerit, & piæ intentioni ſuæ, qua Deum colere & adorare intendit, contradicentes ſuperauerit, exercitium illius erit Deo laudes decantare, & ei gratias agere: in quo exercitio occupatur, donec digna habeatur vt cum pompa & ſolemnitate nuptias cum ſponſo celebrare valeat. Hæc eſt illa virgo Chriſto per promiſſiones deſponſata ante incarnationem, ſed ipſi maritata poſt incarnationem, & in caſtis amplexibus illius admiſſa per Euchariſtiæ perceptionem. At ſolemnitates huius ſanctiſſimi Matrimonij celebrabuntur tantùm, cum parata fuerit & ornata, vt in domum, vt in cubiculum, & thalamum Regium ſpôſi in cælo introducatur. Tunc enim ſponſo ſociabitur, & illius honoris & gloriæ plenè fiet particeps.

Parata autem erit cũ in vltimis temporibus perfecta ſãctitate; & charitate probata, & igne tribulationis examinata tyrannidi Anti-Chriſti fortiter ſeſe opponet, & de ſatana glorioſè victoriam reportabit, iuxta Apoſtoli votum ſeu deſiderium, Rom. 16. *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.*

Et, vt verum fateamur, cum Eccleſia adhuc militat in terra ipſa, adhuc manet quaſi in domo paterna, Adami videlicet terreni, & ex terra formati: vel, ſi mauis, quaſi in domo conductitia: ſiquidem *non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* At ſtatim atque totus prouidentiæ diuinæ curſus ſemel fuerit abſolutus in fine ſeculorum, tunc parata erit vt in domum ſponſi admittatur. *Et beati qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati ſunt.* Hac de cauſa. Cum tempus illius introductionis in ſponſi domum aduenerit, parata eſſe aſſeritur. *Quia venerunt nuptiæ Agni*, inquit, *& vxor eius præparauit ſe.* Hoc igitur erit primum Eccleſiæ exercitium quandiu militabit in hoc mundo, Deum propter magnifica opera laudibus extollere Secundum exercitium eius erit vt dignam ſe exhibeat vocatione ſua, per actus quarumlibet virtutum.

A Quod ſignificat ſanctus Ioannes in his verbis: *Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendido & candido. Byſſinum enim ſunt iuſtificationes ſanctorum.* Qui & capite vltimo ad hoc exercitium prouocat dicens: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Tertium exercitium eſt ſequi Chriſtum, in cuius virtute trophæa de hoſtibus reportamus, illum ſeriò imitando in eo zelo quo accenſus fuit honorem Patris ſui & proximorum ſalutem promouendi, digni redditi per perfectam praxim omnium virtutum, qui aſcribantur, ſeu quorum nomina referantur in numerum militum Chriſti exercitus componentium, de quibus hic dicitur: *Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis*
B *albis, veſtiti byſſino albo & mundo.*

Quis autem omnes Eccleſiæ exercitus, ſeu particulares congregationes poſt Chriſtum, ſeu poſt Dei verbum incarnatum deducat, niſi qui locum eius tenet in terris, ſummus videlicet Pontifex? De quo proculdubio intelligere debemus viſionem circa finem huius capitis poſitam, vnius ſcilicet Angelis ſtantis in ſole, & clamantis voce magna omnibus auibus: *venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum, &c.* Id eſt, prouocantis omnes qui per opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ idonei redditi ſunt, qui per vniuerſam Eccleſiam diſcurrant, vt per verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem homines ad Dei co-
C gnitionem & amorem, adducant. Qui certè ſatiabuntur, dum & conuertendorum pœnitentiam viderint, & ſibi contradicentium ſupplicia perſpexerint, Dei miſericordiam & iuſtitiam in illorum conuerſione, & iſtorum ſuppliciis contemplantes. Tres namque ſtatus fidelium in hoc capite deſcribuntur. Primus eſt eorum qui vitæ contemplatiuæ addicti ſunt, qui ſignificantur in his, qui in laudibus diuinis occupantur. Secundus eorum, qui vitæ actiuæ vacant, qui deſignantur in his, qui cooperiuntur byſſino ſplendido & candido, per exercitium quarumlibet virtutum. *Byſſinum enim*, inquit, *iuſtificationes ſunt ſanctorum.* Qui ſi tales fuerint vt perfecti ſint Chriſti ſectatores & imitatores, ipſum ſequentur in equis
D albis, per perfectam corporis mortificationem & puritatem, vt tandem tanquam aues volare poſſint per medium cœli, id eſt, Eccleſiæ, & Chriſti nomen portare coram Regibus, & Principibus, actiones vitæ actiuæ & contẽplatiuæ ſimul coniungentes.

Quæ quidem certè conueniunt omnibus Eccleſiæ Paſtoribus, qui benè ſuo funguntur munere, & maximè iis qui Apoſtoli præcipui fuerunt nationum; ſed abſque inuidia dixerim, optimè quadrant omnibus qui ſub autoritate ſummi Pontificis, ſeu Angeli illius in ſole ſtantis, procurandæ ſaluti proximorum inuigilant. Siquidem inter facultates autoritati Pontificiæ à Deo conceſſas, illa vna eſt vt poſſit quoſdam delegare, qui per totum cœlum, id eſt,
E per vniuerſam Eccleſiam toto orbe diffuſam, zelo & feruore ducti, autoritate Pontificia verbum Dei valeant diſſeminare, & Dei viuentis virtutes annunciare. Ad quos ſpeciali ratione, propter miniſterium illis iniunctum, pertinet quod ait S. Petrus 1. c. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

In hoc igitur capite videbimus tria Eccleſiæ exercitia. Primum erit pro contemplatiuam vitam agentibus, nempe laudibus diuinis ſedulò incumbere. Secundum eſt pro actiuæ vitæ ſectatoribus, nempe cunctas virtutum & pietatis actiones impigrè elicecere. Tertium eſt eorum qui vitam actiuam & contemplatiuam ſimul coniungunt: quod proprium videtur eſſe eorum qui ſaluti fidelium procurandæ incumbunt

cumbunt

Digitized by Google

cumbunt; & hi maximè Religioſi, qui ad hoc delegantur & deputantur. Eſt enim ſummus Pontifex verè Angelus ſtans in ſole, quia eius autoritas omnibus viſibilis eſt, & (vt ſol refulgens) notiſſima & conſpicua; & quidquid gloriæ & ſplendoris Eccleſiæ promittitur, in eo potiſſimùm adimpletum eſſe cernitur. Hic ille puer maſculus ad thronum Dei eleuatus, quem ſupra nubem candidam, ſedentem conſpeximus, coronâ aureâ redimitum; qui nunc vt Angelus ſtat in ſole; quia thronus eius vt ſol permanet, nec vnquam à ſole veritatis recedet: vnde fit vt meritò ab eo prædicatores veritatis dependeant, & eius voci & Imperio obedientes per vniuerſum orbem diſcurrunt, vt de conuerſione plurimorum cum Angelis in cælis colletentur, quos per prædicationem verbi in gremium Eccleſiæ adduxerint.

Poſt hæc audiui quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium, Alleluya.

Ex iis quæ Eccleſia exercere debet poſt ſubuerſionem Babylonis Myſticæ in fine ſeculorum, conjicere poſſumus quibuſnam exercitiis in toto decurſu ſeculorum Deo placere debeat.

ANNOTAT. I.

POST *hæc*: id eſt, his quæ diximus perſpectis, nempe quanta futura ſit hominum impietas ob eorum ingratitudinem erga Deum, quanta futura ſit illorum oppoſitio & contradictio aduerſus diuinam voluntatem, itaut legitimis Paſtoribus obedire renuant, omnem Eccleſiæ autoritatem pedibus conculcare audeant, vt præcipites ferantur poſtea per contemptum iſtorum in omnem iniuſtitiam, in ſacrilega in rapinas, in errores, & mentis & corporis coinquinationes; Perſpecta ex alia parte quanta futura ſit è contra Eccleſiæ fides & fidelitas, itaut audacter abſque vllo timore ſeſe opponat nequitiæ peſſimorum, ſiue fideliter executioni mandando omnia munia, ſeu facultates, quibus à Deo ditata fuit vt ſuum cultum promoueat; ſiue quia tunc ſummus Eccleſiæ Paſtor vi & vigore: Eccleſiaſtico animatus omnia præſtabit, quibus poſſit fratres ſuos confirmare, oues, & ouiculas, & Agnos paſcere præceptis veritatis, id eſt, Epiſcopos, Sacerdotes & Laicos: vnde potiùs ſeliget mitti & expelli extra propriam ſedem, & quæcumque incommoda libenter patietur, quàm vt officium ſuum deſerat, ſicque rebelles & ſchiſmaticos Anathemate percutiet, & eos à numero fidelium reſcindet; Denique poſtquam perſpeximus quomodo Deus in cœlo ſententiam in terra latam confirmabit, dum temporalem vindictam ſumet de hac rebellione contra Paſtores Eccleſiæ, & ab eorum obedientia ſubtractione & defectione, per excidium ciuitatis cuiuſdam, in qua talis rebellio cum maioris ingratitudinis nota euidentiùs apparebit, in cuius temporali excidio manifeſtè videbitur quàm formidandum ſit æternum ſupplicium, in quod ipſa & cæteri reprobi tandem detrudentur:

Poſt hæc, inquam, *audiui vocem*, inquit S. Ioannes, *turbarum multarum in cœlo, dicentium Alleluya. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro.* Ac ſi ſanctus Ioannes diceret, Tunc animaduerti futurum eſſe vt in Eccleſia vrgentior occaſio, & cauſa potior præſtabitur exercendi omnes pietatis actiones, quibus antea Deum colere ſtuduit, & quas vſque huc, quantum in ſe fuit, ad Dei honorem in praxim reduxit: nempe pia contemplationis exercitia, laborioſa vitæ actiuæ munia, in operibus virtuoſis Chri-

A ſtum ſequendo & imitando; denique audaces conatus & ſuſceptiones animarum fortitudine & generoſitate inſignium, quæ coniungentes actionem cum contemplatione, zelo diuini honoris accenſæ, peruerſos & infideles ad Chriſtum conuertere conabuntur. Et reuera ſi vnquam contemplationi addictis ſeſe obtulit materia laudandi & admirandi Deum, propter magnitudinem & magnificentiam operum ſuorum, aut Deo gratias agendi propter infinita beneficia & dona hominibus liberaliter collata, tunc maximè talis ſeſe offeret materia: tunc enim iuſtitiæ & miſericordiæ opera clariùs innoteſcent: Tunc inſuper oportebit vt ſerui Dei fideliter impendant, pro ſua aliorumque ſalute, quidquid B gratiæ, quæcumque dona gratuita Deus ipſis contulerit. Inſuper ſi vnquam futurum ſit neceſſarium vt fideles in praxim redigant omnes quarumlibet virtutum actus ſiue paupertatis Euangelicæ, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, abſtinentiæ, continentiæ à cunctis carnis illecebris & voluptatibus, tunc maximè illud erit neceſſarium: habebunt enim hoſtem impugnandum potentiſſimum, & omnium quos vnquam contra iuſtos & fideles ſuſcitauerit diabolus formidabiliſſimum. Denique ſi vnquam neceſſarium fuit, vt ſummus Pontifex per omnes mundi regiones aliquos mitteret ad annunciandum & prædicandum Chriſti Euangelium, tunc maximè illud erit neceſſarium: tunc ſiquidem non permittetur vt C patenter & apertè Paſtores ordinarij pacificè valeant ſuas obire munia, ſuas exercere functiones aut miniſteria: publicus quippe Dei cultus temporibus Anti-Chriſti prohibebitur & impedietur per illius tyrannidem: ipſique omnibus bonis temporalibus deſtituti & ſpoliati tanquam aues cæli, Dei prouidentiæ ſeſe committent. Quod ſi defecerint, veniant in auxilium fidelium illi, qui nullis alligati locis, ad cooperandum Eccleſiæ Paſtoribus à ſummo Pontifice mittantur, qui præbeant illis manus auxiliatrices in procuranda ouium ſuarum ſalute, illos in fide retinentes & Enoch & Eliæ ſectatores & imitatores facti, audacter ſeſe opponant impiis conatibus Anti-Chriſti. Tales mitti debent à ſummo Pontifice, D qui Angelus eſt ſtans in ſole, quia fides ejus nunquam deficiet. Is, inquam, dicet auibus cœli, id eſt, animabus ab omni temporalium bonorum affectu ſolutis: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Ac ſi diceret: Nunc quàm fideles Deo eſtis manifeſtate. Ecce enim eius vltimum conuiuium in terris.

Prandium iam parauit hominibus, ad quos ipſos inuitarat. *Prandium*, inquit, *meum paratum eſt*: quia omnibus mandata ſua facienda propoſuit, in quorum adimpletione valde delectatur. At cœnare vult, & vltimum conuiuium celebrare, cum in fine ſeculorum deuicto Anti-Chriſto plurimos ad ſe conuertet. Ad hoc conuiuium, ad hanc cœnam inuitat E omnes, qui tunc audacter ſeſe impiis eius conatibus opponent.

Tunc igitur quæ in Eccleſia per totum ſeculorum decurſum perfecta fuere, & in praxim reducta ad Dei cultum & obſequium, hæc eadem tunc perficientur, cum maiori feruore, zelo & magnanimitate, quia tunc vrgentiores erunt occaſiones eadem perficiendi: Materia erit inſignior eadem agendi, neceſſitates ampliora & frequentiores, obſtacula frequentiora & propè continua, difficultates maiores, quibus mentes fortiores, & Dei honorem & gloriam maiori zelo promouentes animos deſpondere poſſent. Et hac ratione cum S. Ioannes nobis proponit ea quæ tunc fient & perficientur in Eccleſia; quaſi quoddam compendium omnium actionum, quæ in Eccleſia quaſi in cœlo myſtico peragi

Digitized by Google

poſſunt, ante oculos noſtros proponit, vt ſic doceat quibuſnam actionibus potiſſimùm Eccleſia Deo ſe gratam exhibere debet pro omnibus donis, & beneficiis, quæ ipſi collata fuerunt, & quæ in ſecunda parte huius operis illi fuiſſe collata diximus. Hæ autem actiones ſunt actiones vitæ contemplatiuæ, actiones vitæ actiuæ, & denique vitæ mixtæ ex actiua & contemplatiua, in imitatione & ſequela Chriſti circa animarum conuerſionem.

Poſthac audiui vocem, &c.

Pia Eccleſiæ exercitia optimè ad tria vitæ genera reduci, vitæ contemplatiuæ, actiuæ, & mixtæ.

Fauet S. Thomas 2. 2. q. 179. ar. 1. dum docet vitam hominum conuenienter & ſufficienter diuidi in contemplatiuam, & actiuam. Conuenienter, quia non quælibet vita diuiditur, non vegetatiua, non ſenſitiua, ſed ea quæ homini rationali propria eſt, ſecundum ſpeciem propriam, in qua per intellectum conſtituitur. Eadem igitur eſt diuiſio intellectus & vitæ humanæ. Datur intellectus ſpeculatiuus: datur & practicus: & ideo vita intellectualis diuidenda eſt conuenienter in contemplatiuam, & actiuam. Conuenienter, inquam, quia omnes hominum actiones, in quibus potiſſimùm delectantur, & ad quas inclinantur, vt ad aliquid ſibi ſecundum ſe conueniens, & naturali eorum conditioni, nempe quòd ſint creaturæ rationales, proprium. Vel ſunt, inquam, actiones contemplationis veritatis, in quibus præcipuè delectabuntur; vel actiones quædam externæ, iuxta vniuſcuiuſque beneplacitum: plures enim dantur, & hæc vni, alia alteri perplacet & gratiſſima eſt. Hinc non modò hæc diuiſio eſt conueniens, ſed etiam ſufficiens. *Quia*, inquit S. Thomas ar. 2. *finis intellectiuæ cognitionis, vel eſt ipſa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplatiuum; vel eſt aliqua actio externa, quod pertinet ad intellectum practicum, ſiue actiuum. Et ideo vita etiam ſufficienter diuiditur per actiuam & contemplatiuam.* Fauet S. Thomæ S. Gregorius, hom. 14. in Ezechiel. *Duæ*, inquit, *ſunt vitæ, in quibus nos Deus omnipotens per ſacrum eloquium erudit, actiua videlicet & contemplatiua: quæ iſtæ duæ vitæ ſignificantur per duas vxores Iacob, actiua quidem per Liam, contemplatiua vero per Rachelem;* Et per duas mulieres, quæ Dominum hoſpitio receperunt; contemplatiua quidem per Mariam actiua verò per Martham, vt dicit idem Gregor. l. 6. Moral. c. 28. *Non autem eſſet congrua ſignificatio*, infert S. Thomas, *ſi eſſent plures quàm duæ vitæ. Sub his autem duobus generibus vitæ*, inquit idem S. Thomas, art. 2. ad 2. *continetur id quod ex vtroque compoſitum, nempe vita eorum qui modò exercent functiones vitæ actiuæ modò in contemplatione veritatis ſublimantur.* Vnde optimè ad tria genera exercitij reuocamus omnia Eccleſiæ exercitia: nempe vitæ contemplatiuæ, actiuæ, & ex vtraque mixtæ; prima delicata: ſecunda laborioſa: tertia eſt eorum qui ſunt animi fortitudine præditi, & zelo honoris diuini accenſi.

Dicentium Alleluya. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro, eſt, &c.

Ad quos actus terminetur Dei & perfectionum eius contemplatio.

ANNOTAT. II.

CONTEMPLATIO, inquit S. Laurentius Iuſtinianus, de diſciplina & perfectione Monaſticæ conuerſationis c. 18. *dignior eſt quàm operatio. Contemplatio namque, quoniam principaliter intendit Deo, eſt rectior, eſt clarior, eſt mundior, eſt ſecurior, eſt quietior, eſt iucundior, eſt permanentior, eſt rarior, & eſt beatæ vitæ ſimilior; ſi tamen iuxta ſuæ excellentiæ puritatem exerceatur. Eſt namque intuitus purus, & actus ſpiritualis, atque prorſus in ſpiritu operandus, vnde pro ſua nobilitate ac perfectione ſolis illis congruit, qui ſpretis temporalibus facultatibus; & calcata omni affectione labentium rerum, vniuerſali Domino ſe totaliter dedicarunt.* Ita S. Laurent. Ibi autem iuxta S. Proſperum de vita contemplat. l. 1. c. 7. *contemplationis diuinæ ſperanda perfectio, vbi erit omnium bonorum plenitudo.* Ita Proſper. nempe in Patria cæleſti. Mens tamen hominis viatoris diuino lumine colluſtrata, pro modulo ſuo Deum in hac vita contemplari poteſt, & in magnitudine, diuerſitate, pulchritudine & iucunditate eorum, quæ ſenſu corporeo haurimus, ſummæ diuinæ eſſentiæ potentiam, ſapientiam, munificentiam mirandam venerari; vel rimando vniuſcuiuſque rei ordinem, diſpoſitionem, cauſam, modum, & vtilitatem perſpicere quanta ſit Dei bonitas, quæ miro modo communicauit ſe etiam inſenſibilibus, tribuens illis virtutem curandi, effectum procreandi, donum roborandi, ſuauitatem odoris, dulcedinem ſaporis, pretioſitatem valoris, pro beneplacito voluntatis ſuæ; vel per rerum viſibilium ſpeculationem ſubleuatur, & quadam manu ductione ad inuiſibilia ſuſpenditur. Hæc enim viſibilia confitentur creatorem ſuum, & modo ſuo dicunt: *ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Vel ſegregato omnis imaginationis officio, ſolus animus intendit quæ imaginatio non nouit, ſed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem comprehendit, vt quando inuiſibilia noſtra, quæ per experientiam nouimus & intelligentiam, in conſiderationem adducimus, & ex eorum conſideratione in cœleſtium animarum, & ſpirituum beatorum intelligibilem contemplationem aſſurgimus; Vel facilè acquieſcimus iis quæ ex diuina reuelatione cognoſcimus: fide enim attingimus ea quæ ſunt ſupra rationem, vt eis reuelatis acquieſcamus, & ſic contemplationis acumine poteſt æterna Dei claritas videri, & ſenſu præcipuè illuminati amoris attingi. Certius enim ſenſu humilis & illuminati amoris, quàm quolibet cogitatu rationis attingitur: & ſemper melius eſt quàm cogitatur, meliùs cogitatur quàm dicitur. Inter ea autem quæ reuelantur, ſunt certè iuſtitiæ & miſericordiæ Dei opera, pro quibus in hoc capite Dei laudes decantantur, vel Ruperto teſte lib. 10. in Apocalypſin. *Cantant ergo & laudant, & ſpecioſa laus eſt in ore ipſorum; Et quid cantantes laudant, quid laudantes cantant, iudicium & miſericordiam, in quibus tota pendet materia cantionis & laudis diuinæ. Pſalmiſta dicente: Miſericordiam & iuſtitiam cantabo tibi Domine.* Ita Rupertus. Laudant, inquam, primo quia vera & iuſta iudicia eius ſunt. *Quia iudicauit de meretrice magna.* Secundò: *Quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quoniam venerunt nuptiæ agni, &c.* Et quia Deus non ſolùm in operibus ſuis eſt contemplandus & laudendus, ſed etiam in ſeipſo, ea etiam quæ nobis reuelantur ſunt ea quæ ad diuinæ eſſentiæ, & ſanctiſſimæ, & adorandæ Trinitatis cognitionem pertinent, quantum in hac vita aſſequi poſſumus, in quorum contemplatione mens conquieſcit; quia cognito ſummo bono, prout in ſe eſt & exiſtit, ſiue clara viſione in patria, ſiue per fidem in via, non habet ampliùs mens quod requirat vltra, ſi nimirum per intelligentiam intelligibilium humanum ratiocinationem, & intentionem tranſcendentem, acumine mentis contempletur abundantiam ſuauitatis Dei, eius potentiam, virtutem, gloriam, maieſta-

tem, bonitatem, beatitudinem.

Hæc autem contemplatio diuinæ maieſtatis & operum eius in quatuor potiſſimùm prorumpit pios affectus. Primus eſt complacentiæ, & congratulationis, cum ſumma quadam & intima mentis dulcedine, ob Dei immenſas perfectiones. Secundus eſt profundiſſima quædã admiratio iudiciorum Dei imperſcrutabilium. Tertius eſt humilis quædam agnitio beneficiorum Dei, qua quidquid poſſumus, quidquid ſumus, quidquid habemus ratione dignitatis aut conditionis noſtræ, hoc totum ſuæ diſpoſitioni relinquimus, eaque omnia illi offerimus, adoratione quadam latriæ diuinæ maieſtatis, quam libentiſſimè fatemur omni honore & obſequio eſſe colendam. Vno verbo dicam: ille affectus eſt Deum adorare ſuprema latriæ adoratione, vt autorem, & conſummatorem, & moderatorem vniuerſi, à cuius nutu perfectè & integrè dependemus. Quartus affectus ex contemplatione Dei & operum eius emanans, eſt gratiarum actio, & laus Dei, ob innumera eius beneficia, & potiſſimùm ob media quæ contulit, quorum ope & auxilio ſalutem æternam conſequi poſſumus: quæ dum clarè & euidenter agnoſcimus per experientiam, ad eum laudandum ſyncero cordis affectu prouocamur.

Hi autem quatuor affectus, in quos prorumpit ex contemplatione ſummæ veritatis, & operum creatoris, & mediatoris, animæ contemplantis, optimè deſignantur & exprimuntur in hoc capite. Primus, complacentiæ & congratulationis, in his verbis: *Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro*. Secundus, admirationis in his verbis: *Et iterum dixerunt, Alleluya*: eoquod tam ingens ſit ſupplicium meretricis magnæ, (quæ corrupit terram in proſtitutione ſua) vt fumus eius aſcendat in ſæcula ſæculorum. Tertius eſt adorationis Dei, autoris, & finis omnium, qui deſignatur in hac proſtratione 24. ſeniorum & quatuor animalium. *Et ceciderunt*, inquit, *ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia. Et adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum dicentes: Amen: Alleluya*. Ac ſi ſeipſos Deo offerrent, fatentes totum illud quod ſunt à Deo habere, itaut de ſe tanquam de propriis bonis Deus ad libitum diſponere valeat. Quartus affectus laudis & gratiarum actionis ob beneficia, exprimitur in his verbis: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis Deum puſilli & magni*. Eſt autem Dei laus ſiue per complacentiam, ſiue per admirationem, ſiue per adorationem, ſiue per conceptus internos de Deo, aut per verba conceptum exprimentia teſtata interna quædam & mentalis formatio conceptuum, aut externa verborum, cum intima quadam reuerentia diuinæ maieſtatis: quibus conceptibus aut verbis exprimitur quid de Dei excellentia in omni bonitate & ſimplicitate cordis ſentimus: vnde in illo complacet ſibi anima noſtra, & in admirationem rapitur ob immenſam & incomprehenſibilem eius maieſtatem omnia ab eo æquanimiter ſuſcipit, nihil mali de eo ſuſpicatur, omnia bona ab ipſo expectat, illum ſumme reueretur: quo fit vt etiam in ſigna externa prorumpat, verba proferendo cogitationum & affectuum internorum ſignificatiua: ſub quibus ſignis, ſeu verbis exprimere conamur Dei perfectiones, & magnitudinem operum ſuorum, non vt ei cogitationes noſtræ, aut affectus innoteſcant, cum ſit inſpector cordium; ſed vt nos ipſos & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus. Ita ſanctus Thom. 2. 2. q. 91. art. 1. Sicut inducuntur fideles in his verbis huius capitis: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe*. At cum ita ſit quod ſecundum quod aliquid à nobis intellectu cognoſci poteſt ſic à nobis poteſt nominari; vt ait S. Thom. 1. q. 13. art. 1. Hinc accidit quod cum Deus videri nequeat in ſua eſſentia in hac vita mortali, ſed ſolùm per creaturas, & effectus, & fidei reuelationem, hæc nomina exprimere non poſſunt diuinam eſſentiam talem, qualis in ſe eſt. Vnde S. Dionyſ. 4. de diuin. nominibus dixit, quod *neque nomen eius eſt neque opinio*. Et vt ait S. Thomas ad primum *eſſentia eius eſt ſupra id quod de Deo intelligimus: & voce ſignificamus*.

Nihilominus hæc nomina ſeu verba, quibus aliquid de Deo exprimere intendimus, diuinam ſubſtantiam exhibent animo præſentem; eamque repræſentant, non quidem perfectè, quia nulla creatura in particulari, nec etiam omnes ſimul poſſunt perfectè repræſentare diuinam ſubſtantiam, ſicuti illam repræſentare poſſent ſi cum his ſignis aut verbis ſeu nominibus diuina ſubſtantia conueniet in genere aut ſpecie, aut eiuſdem eſſet cum eiſdem ordinis; ſed cum non conueniant in genere aut ſpeciè, nec ſint eiuſdem ordinis nomina & diuina ſubſtantia; ideo tantùm imperfectè eam repræſentant. In quantum autem diuina ſubſtantia excellentiſſimum eſt principium, ad cuius pulchritudinem, formam & naturam nullus effectus poteſt attingere; (illos enim omnes à longè præcellit (hinc fit vt perfectiones, quæ per hæc nomina ſignificantur, propriè competant Deo, & magis propriè quàm ipſis creaturis, & per prius dicantur de eo. Si verò modum ſignificandi nominum iſtorum attendas, in hoc modo ſignificandi Deo non competunt, ſed creaturis: ſignificant enim per modum cuiuſdam qualitatis ſubiectum afficientis: quidquid autem in Deo eſt, ſubſtantia eſt. Hi ſunt omnes modi quibus Deus à contemplatiuis laudari poteſt. De ſingulis ſigillatim agendum.

Poſthac audiui quaſi vocem turbarum in cælo, dicentium Alleluya. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro.

De tribus actibus complacentiæ, ſeu congratulationis, ob Dei perfectiones, & propter operum illius magnificentiam; & quorum operum ratione ſeu intuitu hic potiſſimùm eliciantur.

ANNOTAT. III.

QVANTA futura ſit ſanctitas fidelium, qui cum Anti-Chriſto dimicabunt, oſtenditur ex hoc loco. Quamuis enim ſint turbæ multæ, id eſt, multæ Eccleſiæ particulares, vnam tamen habebunt vocem, vna voce dicent Alleluya, Deum laudabunt, & cum lætitia vocem extollent, Deum laudando. Præſtabunt quippe quod à Philippenſibus tantopere exigebat Paulus c. 2. *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum; vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, idipſum ſentientes*. Et effectum obtinebunt orationis Chriſti ad Patrem Ioan. 17. *Non pro eis*, inquit, *autem rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus quia tu me miſiſti*. Ipſi igitur erunt in Patre & Chriſto vnum quid. *Vt ipſi*, inquit, *in nobis vnum ſint*: quia erunt vnanimes, eodem ſpiritu quo Pater & filius ſe diligunt animati, itaut illorum omnium voluntates vnum ſolum bonum ament & diligant, & totis viribus ad illud aſpirent, vnicum habeant obiectum contemplandum, de cuius poſſeſſione gaudeant, de cuius gloria exultent; & ita perfectè ſimul vniti eamdem habeant vocem laudis

Digitized by Google

& exultationis, congratulationis, & complacentiæ de diuinis perfectionibus, & magnificentiſſimis eius operibus. Et non modo erunt vnanimes, quia eandem habebunt charitatem, ſed etiam quia eandem habebunt ſententiam. *Idipſum*, inquit Apoſtolus, *ſentientes. Replebitur* enim *terra ſcientiâ Domini ſicut aquæ maris operientes*, vt prædicit Iſaias cap. 11. Poſtquam ſcilicet iudicauerit in iuſtitia pauperes, & arguerit in æquitate pro manſuetis terræ, & percuſſerit terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interfecerit impium. Tunc enim coadunatis ſimul omnibus nationibus, licèt valde diſſimiles naturâ, habitatione, moribus, viuendi ratione, & reductis in ſinum Eccleſiæ Iudæis. *Leuabit* quippe *ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iudæ colliget à quatuor plagis terræ*, vt ibidem prædicit Iſaias. Reuera omnes magni & puſilli tunc agnoſcent Dominum, iuxta illud Ieremiæ 31. *Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Hæc Ierem. Vnde non mirum ſi omnes ad exercitium actuum vitæ contemplatiuæ prouocantur his verbis, in hoc capite: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum, puſilli & magni.* Quia omnes Deum cognoſcent, & eum contemplabuntur, & in operibus ſuis meditabuntur, itaut omnes hos actus complacentiæ elicient, propter profuſam in omnibus maieſtatis diuinæ cognitionem. Hi autem actus exprimuntur in his verbis, *Salus, gloria, & virtus Deo noſtro eſt.* Nunc nobis Deus laudandus eſt, alta & hilari voce. *Alleluya*, inquiunt. Genus autem laudis erit per actus complacentiæ, ob ſummas eius perfectiones, & magnifica opera; quæ nunc videmus facta, *quia iudicauit de meretrice magna, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius.* Nunc enim ſalus noſtra appropinquat, & Deus glorificabitur in ſanctis ſuis, & omnipotentia eius & virtus perſpecta erit omnibus.

Et reuera ſi attentè iſta verba ponderemus: *Salus, gloria, & virtus*; In illis videbimus optimè ſignificari actus ſeu affectus complacentiæ in Dei perfectionibus, & ſanctioribus illius operibus. Docet ſiquidem S. Thom. 1. q. 12. ar. 12. nos de Deo tria cognoſcere. *Primum, habitudinem ipſius ad creaturas, quod ſcilicet omnium eſt cauſa. Secundum, differentiam creaturarum ab ipſo, quòd ſcilicet ipſe non eſt aliquid eorum, quæ ab eo cauſantur. Tertiò: Quod hæc non remouentur ab eo propter eius defectum, ſed quia ſuper excedit.* Quod in ſequenti quæſtione, att. 1. vocat *per modum excellentiæ & remotionis.* Cum igitur dicimus alta voce (*Salus*,) ab eo remouemus quidquid imperfectionis in creaturis reperiri poteſt, & aſſerimus ipſum ſaluari ab omni imperfectione creaturarum, nihilque eſſe eorum quæ creauit. Cum exclamamus, *Gloria*, declarare volumus, quod ſi amoueamus ab eo quod in creaturis formaliter reperitur, hoc non eſt quod deſit ipſi aliqua earum perfectionum quæ in creaturis exiſtunt, cum omnem creaturæ perfectionem eminenter contineat, & creaturæ perfectionem in excellentia longiſſimè excedat. Et cum addimus, *virtus Deo noſtro eſt*, confitemur Deum omnipotenti manu, & in brachio extento omnes creaturas produxiſſe, ipſumque eſſe cauſam primam, à qua omnia emanant, eſſe ſupremum per ſe ſubſiſtens, à quo omne quodlibet eſſe dependet.

Ruſſus cum dicimus, *Salus*, ſignificare volumus, & ei propter hoc congratulamur, quòd talis ſit vt nihil ei nocere valeat: nulla ſiquidem in eo reperitur creaturarum imperfectio, propter quam timere debeat quandam in felicitate ſua alteratio-

A nem, extenuationem, aut conſumptionem. Eſt enim actus purus & ſimplex, immutabilis: creaturæ autem ſunt in potentia, itaut aliquid poſſint de nouo comparare, ſiue per alterationem perficientem, ſiue per aliquam alterationem: Vnde optimè Dauid de Deo cecinit Pſ. 101. *Initio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: autem ipſe es, & anni tui non deficient.* Cum ſaluti gloriam in congratulatione noſtra adiungimus, idem eſt ac ſi diceremus, quod ſicut nihil eſt quod ei noceat, ita etiam nulla eſt in creaturis poteſtas, quæ ei reſiſtere valeat. *Tu terribilis eſt,* B *& quis reſiſtet tibi.* Pſ. 75. Et Sapient. c. 11. *Virtuti brachij tui quis reſiſtet.* In quo certè cernitur magnam eſſe Dei gloriam, quod non ſolum verè ab eo remouere poſſumus quidquid illi incommodum eſſe poſſet, aut quidquid felicitatem illius perturbare poſſet ſed etiam quod aſſeramus nullam eſſe creaturam, quæ arte, ſcientia, aut induſtria, aut vi & violentiâ, illius poteſtati poſſit ſeſe opponere, eique obſiſtere; ſed oportet vt omnia neceſſario ei ſubdantur, & voluntati eius obtemperent. Vnde optimo iure addere poſſumus: *Et virtus, Deo noſtro eſt*: quia *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.*

Tertiò, ſub alia ſignificatione in his verbis, affe- C ctus complacentiæ & congratulationis elicimus. Nam cum dicimus, *Salus*, agnoſcimus in illo omnium bonorum exuberantiam & abundantiam, qua beatus in ſeipſo eſt. Cuius exuberantiæ cognitionem Moyſi promittebat dicens, Exod. 33. *Ego oſtendam omne bonum tibi.* In quibus verbis pollicebatur illi beatificam viſionem, qua ſemel adeptâ Moyſi oſtenſurus erat quomodo in ſe omnes omnino perfectiones cunctaque bona formaliter aut eminenter exiſtant. Quod ſi ſemel hoc vnum & omne bonum viſum fuerit, optimo iure additur. *Gloria.* Facile enim percipitur cognoſcenti Deum vt in ſe eſt, nullam eſſe creaturam, licèt inter creaturas perfectiſſimam, quæ ei adæquari aut aſſimilari poſſit. Eſt D enim in comparatione ipſius (qui in Angelis ſuis reperit prauitatem) defectuoſa. Vnde Pſalmiſta multis in locis exclamat totis viribus nullum eſſe Deo ſimilem. Pſ. 34. *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* Ita eſt. Nec in fortitudine, aut potentia, *Eripiens*, inquit, *inopem de manu fortiorum eius.* In ſapientia, & profundis cogitationibus, & conſiliis, & operibus. *Multa*, inquit, *feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Pſ. 39. in iuſtitia, quæ tantam ſapientiam, & tam immenſam concomitetur potentiam. *Potentiam*, inquit, *tuam & iuſtitiam tuam Deus, vſque in altiſſima quæ feciſti magnalia. Deus quis ſimilis tibi?* Ac ſi diceret: iuſtitia, & potentia tua lucent in omni- E bus operibus tuis altioribus. Quis enim aliqua poteſtate præditus eâ cum tanta æquitate vtitur, ſicut tu Domine, in omnibus operibus tuis admiratione digniſſimis, adeo iuſtus appares, vt nihil tibi exprobrari queat? *Non eſt* igitur, *ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.* Pulchritudine, virtute, perfectione omnia ſuperas. Quod cum gloriam magnam Deo afferat, dum nullus eſt qui cum eo ad æquari queat in perfectione, addit Propheta: *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Nulla creatura quippe exiſtit, quæ fateri non cogatur meritò illum eſſe glorificandum propter infinitas ſuas perfectiones, & ingenuè ſeipſam fatebitur illi eſſe multo inferiorem. *Confitebuntur*, inquit, *cæli mirabilia tua, Domine, etenim veritatem tuam in Ec-*

Digitized by Google

cleſia ſanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in concilio ſanctorum. Id eſt iuxta Bellarminum: *Qui in cælis ſupernarum poteſtatum glorioſus agnoſcitur.* Ex quibus perſpicere licet non abſque ratione inter actus complacentiæ & congratulationis ob infinitas Dei perfectiones, & magnifica illius opera, meritò reponi gloriam. Hoc enim vocabulo ſignificare volumus nihil inter res creatas illi adæquari aut aſſimilari poſſe in bonitate aut perfectione. Hæc enim eſt gloria eius, quam nemini dabit, vt ſit vnus & ſolus Deus, cui nullus eſſe poſſit ſimilis aut æqualis. *Magnus* quippe, vt ait Propheta, *& terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. Domine Deus virtutum quis ſimilis tui? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Ex quibus B patet quod meritò tertium complacentiæ, poſſumus addere actum ſeu affectum, qui ſignificetur hoc nomine, *Virtus*: quo vocabulo illius ſanctitas deſignati poteſt. De eo enim dicitur: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Dominus enim virtutum eſt, qui omnes ad ſanctitatem promouet & accendit, dicens: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum,* Vel, *eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*

Sed quia quælibet cauſa operatur ſecundum eſſe ſuum (operari enim ſequitur eſſe) ideo Deo congratulamur propter illius opera naturæ ipſius conformia, & dicimus ei congratulando, *Salus.* Ab eo enim tota ſalus noſtra dependet, qui nos ab omnibus malis & peccatis ſaluat, & omnibus bonis re- C plet. *Triſtitia*, inquit, *veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Ioan. 17. Dicimus inſuper, *Gloria*: quia nos ad tantum prouehit honorem, vt gloriæ ſuæ reddat nos conſortes & participes. De quo beneficio S. Ioan. 1. c. 3. *Chariſſime, nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus, Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: videbimus enim eum ſicuti eſt.* Tertiò, addimus. *Virtus.* Ipſe enim eſt qui dat nobis virtutem & fortitudinem, vt tentationes ſuperemus, & omnia obſtacula frangamus, quæ nos à fruitione tanti boni poſſent retardare aut impedire, & mandata eius (quorum obſeruatione vitam æternam adipiſcimur) adimplemus. D *Hæc eſt enim charitas Dei vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra.* Ioan. Epiſ. 1. c. 5.

At cum nos ſaluat bonitatem ſuam oſtendit; cum nos in gloriam eleuat, ſuam manifeſtat ſapientiam; cum nos contra omnia aduerſa corroborat, ſuam demonſtrat potentiam. Quæ virtutes cum approprientur tribus perſonis diuinis ſanctiſſimæ Trinitatis; dum canimus, *Salus, gloria, & virtus*; congratulamur ſanctiſſimæ Trinitati; Spiritui ſancto, cui appropriatur Bonitas, in ſalute, cui ſapientia tribuitur, in gloria; Patri, cui potentia aſſignatur, in virtute. Sicque lætamur ob bonitatem, gloriam, maieſtatem, ſanctitatem & virtutem altiſſimæ & E admirandæ Trinitatis, id eſt, Dei in tribus perſonis ſubſiſtentis.

Quia vera & iuſta ſunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna quæ corrupit terram in proſtitutione ſua; & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius.

Quarum operationum intuitu hi actus complacentiæ ſeu congratulationis Deo exhibendæ hic exprimantur?

ANNOTAT. IIII.

LVDOVICVS ab Alcazar ſuæ expoſitioni inhærens de myſtica Romanæ ciuitatis conflagratione, per conuerſionem ciuium illius ad fidem Chriſti: docet primò, quadruplex Alleluya, quod in hoc capite videmus quatuor vicibus exprimi, denotare perfectiſſimè laudem quam Chriſtiana Eccleſia Deo decantauit, ob victoriam quam illi ex Roma comparauit: Quæ perfecta laus, quatuor complectitur partes, quadruplici Alleluya reſpondentes: Prima pars fuit fide ipſa firmiter cognoſcere illius admirandi facinoris magnitudinem, & quantum beatiſſimæ Trinitati honoris & gloriæ propterea tribuendum eſſet. Secunda fuit Deo ipſi non ſolùm fide, ſed Chriſtianæ etiam vitæ integritate laudem deferre: quæ laudandi ratio diuturna eſt. Tertia eſt quam Deo tribuunt ipſius miniſtri, nempe ſacerdotes, & Euangelici concionatores, in ſuorum munerum functione, id eſt, in Miſſæ ſacrificio; in concionibus, in diuinis officiis decantandis: & his rationibus in mundi conuerſionem incumbunt.

Quanta eſt vt ſingulares homines tam ſummi quàm infimi, licèt peculiari miniſtrorum officio non fungantur, ad maiorem Dei gloriam animam, & mentem omni ſtudio & contentione adjiciant, idque tum optimo vitæ exemplo, tum etiam cæteris omnibus, quibus ad quarumlibet animarum conuerſionem & ſalutem allaborare poſſunt. Ita ille. Quæ ſanè doctrina fauet his quæ antea diximus, in hoc capite videlicet deſcribi officia tum vitæ contemplatiuæ, tum vitæ actiuæ, tum vitæ ex vtraque mixtæ. Deinde idem Alcazar docet in his verbis, *Salus, & gloria, & virtus Deo*, &c. tria perſtringi ad notatu digniſſima, & beatiſſimæ Trinitati glorioſiſſima. Primum eſt perſecutionum magnitudinem, quas Roma Ethnica excitauit, non fuiſſe potentem vt Chriſtianum nomen extingueret, quinimo Eccleſiam integram ex eis, & illæſam euaſuram: atque hoc eſt propriè ſalus, quæ ſonat ereptionem à periculis. Secundum, quod in iis verbis attingitur, illud eſt, peccata ſcilicet eorumdem fidelium, quæ Deus per eiuſmodi perſecutiones plectebat, non fuiſſe ſatis vt præcipuum Dei finem, & ſcopum impedirent, & conſilium de glorioſiſſima illa victoria Chriſtianæ Eccleſiæ conferenda. Id quod propriè ad Dei gloriam ſpectat, iuxta illud Pauli: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Tertium ponderandum ſpectat ad diuinis ſpiritus ſanctificantis virtutem & efficaciam, quæ in eo Eccleſiæ triumpho de Roma parto enituit. Et ſecundum hunc ſenſum nomen (*Virtus*) in ſacris literis vſurpatur; Ex quibus tribus perfectionibus, potentia eripiendi Eccleſiam ab omni ingruenti periculo congruenter Patri tribuitur gloria redemptionis filio; & virtus ſanctificandi, Spiritui ſancto. Hæc ille.

Nos autem (qui ad vltima tempora; & ad verum excidium Babylonis Myſticæ, ſeu Romæ ſchiſmaticæ, quæ in ſuperiore capite dicta ſunt, pertinere cenſemus) hæc verba, *Salus, gloria, & virtus*, ad ſignificandam eam laudem vſurpari aſſerimus, quæ Deo reddenda eſt ob deuictá ſchiſmaticorum perfidiam, & propter abundantiam gratiæ tunc Eccleſiæ fidelibus dandam, vt fortiter contra Anti-Chriſtum dimicare valeant, & victoriam de illius atrociſſima perſecutione fæliciter reportent. Rem ita explicamus & deducimus. In hac præſenti vita Deus per effectus tantum cognoſcitur. Ideo vt ad pios affectus complacentiæ, & congratulationis ob excellentiſſimas Dei perfectiones S. Ioannes nos prouocaret, duos effectus nobis proponit. Primum eſt iudicium datum, & ſententia lata & pronunciata contra rebellem ciuitatem, quæ ſuum obtinuit planè effectum quia in Deo dicere idem eſt ac facere. *Dixit & facta ſunt.* In quo effectu relucet diuina iuſtitia. Secundus effectus eſt quia in eo excidio vindi-

cauit ſanguinem ſeruorum ſuorum. In qua vindicta clarè cernitur quanta ſit erga ſuos miſericordia & ſingularis dilectio, qui eos non ſolùm ab hoſtibus ſaluat, ſed hoſtes eorum & perſecutores potenter caſtigat. *Quia*, inquit, *Vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua; & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus ſuis.*

Quod autem exprimi effectus contemplatione poſſimus in hos pios affectus prorumpere, patet conſideranti quomodo Deus rejicit à ſe & reprobat illam ciuitatem, & ſchiſmaticorum congregationem, quæ alios inducebat ad quarumlibet nequitiarum exercitia. Hac enim ratione manifeſtè cernitur ipſum eſſe ſummum bonum, qui odit & iniquos & iniquitates, & abominatur impios & eorum impietates. *Sex ſunt*, inquit Sapiens Prouerbiorum 6. *quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Et cap. 15. *abominatio eſt Domino via impij.* Vult quippe Deus vt omnes ad ſuum vltimum finem perueniant, & ſalutem conſequantur per media conuenientia. Dum igitur punit eos qui alios ad malum inducunt, & à via veritatis & ſemitis iuſtitiæ auertunt, oſtendit quantopere ſalutem hominum deſideret; & ideo congratulari ei debemus, quia ſalus ex Deo eſt. Deinde cum tantùm præcipit dari tormentum ſacrilegæ ciuitati & luctum, quantùm ſe glorificauit, & in delitiis fuit; eiuſque ſuperbiam tantò demiſſiùs & profundiùs deiecit, quantò altius ſeſe per arrogantiam extulerat, hac ratione manifeſtauit quanta ſit eius gloria. Non enim modica eſt gloria Deo Optimo Maximo, quod nullum ſit conſilium, nulla exiſtat prudentia aut ſapientia, quæ poſſit eius deſtruere conſilia, fraudare ſuo effectu media ab eo adhibita, aut operis incæpti perfectionem impedire imo iiſdem mediis, quibus eius conſiliis reſiſtitur, vtitur plærumque, vt illos reprimat & confundat, qui nimia arrogantia & audacia fretipatabunt perfectionem & executionem operum ſuorum præſcindere. Denique virtus & poteſtas illius euidenter manifeſtatur, & in ſuo ſplendore elucet, ſi conſideremus quod ſicut ipſe eſt primum Principium, poteſtate ſua omnibus rebus initium dedit, eadem virtute & potentia vltimam manum operi ſuo imponat, quauis oppoſitione & contradictione ſuperatâ.

Secundò, cum improbos punit, ſatis euidenter oſtendit quod ſalus, gloria & virtus ad electos pertinent: de quo potuiſſet aliquod ſuboriri dubium, dum manus conſerunt cum aduerſariis, ſeu dum cum mundo dimicant. Quis enim exiſtimare poſſet iuſtos ſuperiores futuros, & victoriam reportaturos in virtutis & ſanctitatis gratiam & fauorem, ad quam comparandam & promouendam pro virili parte decertant: ſi perſpicias quomodo reprobis omnia prouoto eueniunt, boniſque omnibus abundant, iuſti è contra vitam miſerè tranſigunt inopia & paupertate vexati: ſi perſpicias malos honoribus & dignitatibus inſignes & conſpicuos: iuſti è contra deſpectui haberi, & à mundanis contemni, & tanquam purgamenta huius mundi rejici, facti opprobrium & peripſema omnibus ſuperbis: Denique ſi perſpicias, quomodo impij omnia pro libito agunt, nullo eis reſiſtere valente, quibus fortitudo lex eſt iuſtitiæ: iuſti è contra quaſi omni virtute deſtituti, & bona & honorem, imo & vitam vi & violentia reproborum amittunt, ſæpe inſuper fruſtrantur ſpe & expectatione, dum quæ promouere ſtu-

A dent affectuoſiſſimè, nempe Dei obſequium, ab omnibus contemnitur, & conculcatur, Etſi fuerit aliquatenus promotum euertitur, ſuperante hominum malitia illorum induſtriam ac ſtudium? Ex his prodeunt Dauidis iuſtiſſimæ querelæ, & iuſtorum luctuoſæ voces, ob ingentes quas experiuntur tentationes & moleſtias. *Vſquequo*, inquit ille, *peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur?* Pſ. 93. *Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.* Et Pſ. 12. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam à me? Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? Reſpice & exaudi me, Domine Deus meus.* Exitus autem impiorum,
B & iuſtorum comprobabit an virtus amabilior, vtilior, commodior vitio exiſtat: & an expediat magis Dei mandata obſeruare, quàm ab eorum ſemitis deuiare. Euidenter ſiquidem apparebit ſalutem in partibus fidelium ſedem ſuam collocaſſe, & propriam eſſe eorum qui Deo ſeruiunt, in quem omne ſuum refugium poſuerunt, cum ipſe omnium bonorum fons & origo ſit, qui non modò liberat & eximit ſuos in articulo mortis ab inſultibus hoſtium, iuxta illud Saluatoris: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, animæ autem non habent ampliùs quid faciant: Sed etiam in præſenti vita Eccleſiam ſuam protegit, nec permittit eam inſultibus hoſtium gloriæ ſuæ ſuccumbere, quorum vehementes impetus
C frangit, non ſecus ac fluctus ferè maris rupe inuincibili diſrumpantur. Ipſaque ſtat immobilis, hoſtibus qui eam perſequebantur proſtratis & confractis.

Quod quidem maximè eniteſcet cum Eccleſia, fortitudine, conſtantia, & magnanimitate prædita cernetur, vt contra Anti-Chriſtum certamen ineat, quamuis à ſchiſmaticis, hæreticis & politicis fuerit valde depreſſa & oppreſſa, & pœnè funditus ſubuerſa, omnique decore externo ſpoliata. Quod cum ita futurum ſit, nonne hac de cauſa Deo congratulari poterit, quod ſalutem illi præparet auxiliator in tempore opportuno? Dicet igitur Alleluya: alta voce Deum laudabit dicens: *Salus Deo*, videlicet à quo ſalutem ab hoſtium incurſu conſequor.
D Deinde non modò hac voce de Dei perfectionibus & ſanctiſſimus operibus eius congratulabuntur, ſed addent inſuper, *Gloria*. Nam ſicut olim Noe valde fuit glorioſum, quod inuentus fuerit ſolus qui cum familia ſua periculum imminens vniuerſalis illius inundationis effugeret. Sicut honorificum fuit Loth eripi ac erui è flammis ſulphureis, quibus Sodoma ſubuerſa eſt; Hebræis non affligi plagis Ægyptiacis, quæ totam vexabunt Ægyptum; Primis Chriſtianis non fuiſſe ſub ruina ciuitatis Hieroſolymitanæ extinctos; ſic glorioſum & honorificum erit Chriſtianis, qui erunt in his calamitoſis temporibus vltimis, quod diuina prouidentia adeo erit de ipſis ſollicita, & ſuper illorum protectionem inuigilabit, vt non poſſint à tam validis, & infeſtiſſimis inimicis exter-
E minari, quam vis omnem ad eorum internecionem adhibeant induſtriam, Deo omnia cum tanta ſuauitate diſponente vt faciat etiam cum tentatione prouentum, itaut tanto magis eluceat ſeruorum ſuorum virtus, conſtantia, gloria, & honor, quo fortiùs impugnabuntur. Hinc Deo erit decantãdum in laudem & congratulationem, *Virtus Deo noſtro.* Siquidẽ vis & efficacia gratiæ, maximè effulgebit, qua fideles adiuti tot tentationes ſuperabunt, tot difficultates pertranſibunt. Quanto enim maiora, & imminentiora ſunt pericula, tanto magis elucet virtus eorum qui per Dei gratiam & auxilium ab eis periculis eximuntur, & hæc impedimenta confringunt & auferunt. Ex his videre licet quomodo ex ſententia contra myſticam Babylonem lata, materia da-

Digitized by Google

bitur Deo congratulandi ſub his vocibus ſeu vocabulis : *Salus, gloria, virtus Deo noſtro eſt.*

At non ſolùm propter illam ſententiam condemnationis Deo ſub his verbis congratulandum erit, ſed etiam quia vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Quod duobus modis intelligi poteſt. Vel, vindicauit, id eſt, vindictam de impiis ſumpſit, vel, vindicauit, id eſt liberauit, eripuit animas eorum de poteſtate inimicorum, iuxta ſenſum huius loci Luc. 10. *Vindica me de aduerſario meo.* Et certe eo ipſo quo de eis ſumit vindictam, ſeruos ſuos miſericorditer liberat & eripit de poteſtate eorum, vt hac ratione pro effectu miſericordiæ, ſicut pro effectu iuſtitiæ, Deo congratulemur dicentes: *Salus, gloria, & virtus Deo noſtro eſt.* Eſto igitur, vindicauit, idem ſit ac vindictam ſumpſit, certè ſalus Deo eſt. Etenim dum crimina remanent impunita, & iniuriæ quæ illi inferuntur inultæ, exiſtimare poſſent impij hoc fieri, quia caret mediis efficacibus quibus vindictam ſumat de hoſtibus: vel quia ignorat quomodo illa media expediat adhibere, vt effectum obtineant, vel imbecillis eſt ad ea exequenda. Vt igitur nec indigens, nec ignorans, nec imbecillis appareat perfidis & incredulis oportet vt vindictam ſumat de hoſtibus ſuis. Vnde à Pſalmiſta Deus vltionum nuncupatur. *Deus vltionum*, inquit, *Dominus, Deus, vltionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.* Pſalm. 93. Et reuera non indiget mediis, quibus ſumat de hoſtibus vindictam, cui totus militat orbis. *Pugnabit*, inquit Sapiens c. 5. *pro illo orbis terrarum contra inſenſatos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Quis autem faciliùs ſaluare poteſt, cui ſolis radij ſagittæ ſunt acutiſſimæ, & aſtrorum influentiæ iacula ſunt penetrabiliora omni gladio ancipiti, cuius enſes fulmina & fulgura, cui lapides grandinis pro tormentis lapides & globos plumbeos aut ferreos eiaculantibus exiſtunt; Denique cui totus orbis inſeruit, & ad nutum obedit, ſiue vt ſaluet quos voluerit, ſiue vt exterminet contra quos iratus fuerit? Erunt illi ranæ, Muſcæ & Cyniphes pro agminibus & exercitibus copioſis, omni armatura inſtructiſſimis, quibus hoſtes proſternet validiùs, quàm ſi in eos innumeri homines inſurgerent ſcutis, galeis, thoracibus coriaceis, aut chalybeis, enſibus, iaculis, lanceis inſtructi, vt illos inuaderent, & ſe ab eorum ictibus protegerent. Quis igitur non projiciet omnem ſuam ſollicitudinem in eum, cui tota natura pro armamentario, qui ex puluere terræ ſuſcitare poteſt minutiora animalcula, qualia ſunt Scyniphes Ægypti, ad cuius nutum omnia obediunt; At ſi ex his propter abundantiam inſtrumentorum bellicorum, quibus vti poteſt vt ſuos defendat & hoſtes conterat, ſalus ei proclamanda eſt, certè & gloria etiam decantanda venit. Multâ enim gloriâ ſerui ſui afficiuntur, quæ in eum redundat, quod ipſi illi adeo chariſſimi ſunt & pretioſi, vt nullus impunè illos offendere queat, cito vel tardè ſentiet quiſquis ille ſit qui eos offendat, Hoc ſibi diſplicuiſſe. Hinc Zacharias c. 2. *Poſt gloriam miſit me ad gentes quæ ſpoliauerunt vos. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his qui ſeruiebant ſibi, & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me. Miſſus eſt*, inquit Remigius Altiſiodorenſis in hunc locum, *ergo Dei filius poſt gloriam diuinæ maieſtatis, ad gentes quæ ſpoliauerunt populum Dei, vt eſſent eis præda, à quibus antea fuerant prædati. Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Tactum pro vexatione & iniuria debemus accipere, iuxta illud: Nolite tangere Chriſtos meos. Sancti enim ſunt quaſi oculos Dei, quibus dicitur. Vos eſtis lux mundi: quos qui lædit,*

A *habetur quaſi pupillam oculi Dei tangat, & clarâ luce velit illum priuare.* Hæc ille. Hanc ſuam protectionem Chriſtus Dominus potiſſimùm demonſtrabit in fine ſeculorum erga Eccleſiam ſuam, in cuius medio & in circuitu eius erit. In circuitu, inquam, vt eam ab omni impugnatione protegat; in medio, vt in ea glorioſè regnet. Glorioſumque ſibi eſſe reputabit, ſi omnes conatus hoſtium diſpergere & diſſipare valeat. *Et ego*, inquit apud Zachar. c. 2. *ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Murus, inquam, ignis: quia promptiſſimè & efficaciſſimè hoſtes Eccleſiæ conſumet, & in fauillam & cinerem rediget. *Qui ipſe*, inquit S. Hieron. in Zachariam, *eſt & Paſtor, qui regit nos;* B *& oſtium, quia per illum in Eccleſiam, & ad Patrem ingredimur; & murus ignis in circuitu, vt credentes, & habitantes in medio calefaciat, qui priùs frigore intepuerant; & poſſint ſpiritu eſſe ferventes. Lupos autem & ſæuiſſimas beſtias, de quibus ſcriptum eſt, ne tradas beſtiis animas confitentes tibi; hos ſuo igne conſumat; Et qui aduerſariis ignis eſt, ſit in medio credentium gloria.* Ita S. Hieron. Quod certè in vltima perſecutione Anti-Chriſti euidenter innoteſcet. Tunc enim, vt Eccleſiæ ſuæ ſuccurrat in extremis redactæ, immittet Dominus ignem de cœlo à Deo, qui deuorabit hoſtes caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam obſidentes. Apocalypſ. 20. Nec mirum ſi conſumantur qui Eccleſiam oppugnant: omnipotens enim eſt C qui cuſtodit illam, & Dominus virtutum, Dominus exercituum, Hebraicè, inquit S. Hieron. Iehoua Theanot, id eſt, iuxta 70. interpretes παντοκράτωρ, i. omnipotēs. Ex quo addit S. Hier. *Intelligimus vbicumque, Dominus virtutum, de Chriſto dicitur; omnipotentem eũ debere intelligi: nec mirum ſi Chriſtus dicat omnipotens, cui tradita eſt omnis poteſtas, &c. Et qui dicit: Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt. Si autem omnia, id eſt, Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen de lumine, ergo ex omnipotente omnipotens. Neque enim fieri poteſt vt quoniam vna natura eſt, diuerſa ſit gloria. Miſſus eſt ergo poſt gloriam diuinæ Maieſtatis, ad gentes quæ ſpoliauerunt populum Dei, vt qui eos ante prædati fuerant, prædæ ſint ſeruientibus ſibi; & omnis quondam ſeruientium turba cognoſ-* D *cat quoniam omnipotens Deus miſerit eum.* Ita S. Hier. Et reuera poſt gloriam quæ Chriſto data eſt, per totum ſpatium temporis quo liberè Eccleſia ei cultum exhibere permiſſa eſt, dum regnauit in Eccleſia per mille annos; finitis mille annis ſoluetur ſatanas, & populus Dei ſeu Eccleſia ſpoliabitur ſuo externo ſplendore. Sed filius Dei, qui olim miſſus fuit omnipotens ſaluator, mittetur adhuc per operationem ad extra ad protectionem Eccleſiæ ſuæ; dum hoſtes illius, igne de cælo deſcendente, in fauillam rediget, pluente ignem Domino à Domino, iuxta illud Geneſ. 19. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo;* Et tunc extincto Anti-Chriſto, qui prædæ fuerant, E nempe fideles bonis exterioribus à ſchiſmaticis & Anti-Chriſti miniſtris ſpoliati, prædam accipient hoſtium, illos ad Chriſtum conuertendo; & ſaturabuntur de carnibus regum, & tribunorum, vt in hoc capite dicitur: quia gaudebunt de eorum conuerſione ad Chriſtum, mortificatis & terrenis eorum affectibus. Nec quis igitur dicat ſeruos Dei eſſe ſine honore; vel fatentibus, inimicis videbuntur computari inter filios Dei, & inter ſanctos ſortem & locum obtinere. Quis Deo ſeruire, & tam potenti Domino obedire recuſabit, apud quem ſerui eius tanto ſunt in pretio, vt quæ eis irrogatur iniuria ſibi inuri arbitretur? Et ſi vt pœnitentiæ locum concedat, aliquando pœnæ inflictionem proroget, vindictam tamen tandem ſumet de iniuria ſeruis ſuis illata, vt videre eſt de Amalechitis. *Recenſui,*

Digitized by Google

inquit, *quæcumque fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cum aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius. Non parcas, & concupiſcat ex rebus ipſius aliquid; ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & parientem atque lactentem; bouem, & ouem, camelum, & aſinam*, dicebat Dominus Sauli 1. Reg. c. 15. Et quia non obediuit Saul voci Domini, amotus eſt à Regno, & melior in locum eius ſubſtitutus; nec ſententiam ſuam Deus reuocare voluit. *Porro*, inquit Samuel, *triumphator in Iſraël non parcet, & pænitudine non flectetur: neque enim homo eſt vt agat pænitentiam.* Hoc modo vindictam ſumet de ſanguine ſeruorum ſuorum, quos à tot annis hæc impia Babylon myſtica interfecit, illam funditùs euertendo. Sic ſchiſmaticos, & hæreticos, & infideles Eccleſiam perſequentes igne tandem conſumet, vt appareat quod ſerui ſui apud eum in tanto ſunt honore, vt qui eos tangit, tangat pupillam oculi ſui.

At non modò gloria illi danda eſt ex hac glorioſa ſanctis ſuis data protectione; ſed etiam virtus, quod illis tantam virtutem contulerit, vt non defecerint in aduerſis, ſed conſtanter Anti-Chriſto reſtiterint. Vnde dicent cum animi gratulatione: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Et confundentur eorum hoſtes, qui quamuis omnem adhibuerint induſtriam & violentiam, vt nomen Chriſti extinguerent, tamen nec hoc præſtiterunt; ſed potiùs miſerè interierunt, aut ſaltem per veram pœnitentiam conuerſi ad Chriſtum agnoſcent ſe omni confuſione & pœna digniſſimos, qui ad necem quærebant Dei ſeruos, qui cum laboribus plurimis eos ad veritatis agnitionem adducere conabantur: ſicque dum vindictam ſumet de hoſtibus Deus ſuam iuſtitiam manifeſtabit, & dum ſeruos ſuos liberauerit, & è manu hoſtium eripuerit, quanta ſit erga electos illius benignitas & miſericordia declarabit; & in his virtus Dei potiſſimùm declaratur, quod opus incæptum quouis obſtaculo ſuperato ad perfectionem poſſit adducere. Vidimus quomodo ex intuitu operum iuſtitiæ & miſericordiæ elici debeant affectus complacentiæ & congratulationis, ſub his vocibus (*Salus, gloria, & virtus Deo noſtro eſt*) deſignati. Nunc quoddam talium affectuum ſpecimen nobis eſt efformandum, quo poſſimus in tam pios affectus prorumpere.

Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.

Specimen affectuum complacentiæ, & congratulationis, ob diuinas perfectiones & operationes in his verbis ſignificatas.

O Domine Deus, eſſe ſupremum & per ſe ſubſiſtens, quantum gaudij & lætitiæ, mens mea concipit, dum te contemplatur & agnoſcit ab omni illa imperfectione liberum & alienum, quæ quodlibet eſſe noſtrum creatum ſemper concomitatur in circumſcriptus, nullius loci ambitu contineris. Immutabilis, temporum lapſu nulla tibi contigit alteratio. Inuincibilis & infatigabilis: nihil eſt quod tuæ operationi aut impedimentum aut retardationem afferre queat. Nihil de nouo tibi obueniendum expectas. Non ad aliud ordinatis, cum ſis omnium vltimus finis. Nulli debitor exiſtis. Quis enim prior dedit tibi, & retribuetur ei? Abſque initio, ab æterno exiſtis. Abſque fine, omnia tempora concludis, æternus æquè ac immenſus. Nulla inter eſſe tuum, tuam exiſtentiam & eſſentiam ineſt diſtinctio, vt actu acquiras ad quod antea ſolùm habuiſſes potentiam. Nihil ſupra te exiſtit, quod te exuperet. Nil ſub te ſubſternitur, quo fulciaris.

A Nullius tanta eſt perfectio, vt concludat in ſe quidquid in te repererit perfectionis præ exiſtentis: quia infinitus à nullo concludi aut determinari potes. Et ſicut nihil de nouo acquirere vales, ita nihil tibi auferri aut abſtrahi poteſt; ſic abſque vllis limitibus abſque termino & fine, abſque vlla mutatione aut alteratione es & eris. O amantiſſime Deus, eſſe ſimplex & independens, à quo omne malum excluditur, quælibet imperfectio à longe remouetur. Nec enim cœlum tantùm à terra diſtat, quantùm à te disiungitur quidquid inter res è nihilo à te creatas includit in ſe, aut trahit poſt ſe aliquam imperfectionem.

Nec cœlum es, ô incomprehenſibis Deus; & tamen omnia contines & includis. Nec terra es, ô B fortiſſimè Deus, & tamen omnia ſuſtines. Nec aqua, ô mundiſſime Deus; & tamen cuncta purificas. Nec lux es aut ignis, ô ineffabile lumen: & tamen omnia colluſtras, & illuminas, & viuificas. Nec Angelus, ô Deus ſpirituum, & cuncta gubernas. Nec homo, ô benigne omnium creator, & ſapientiſſime plaſmator, & tamen naturæ & conditioni omnium creaturarum te accommodas. Tibi ſalus. Ab omnibus malis & imperfectionibus alienus: omnium bonorum fons: beatitudine decorus: fælicitate ditiſſimus: qui nos ab omnibus malis eripis, & omnibus bonis cumulas & ditas. Infinita bonitas, amor ifinitus, qui odio habens iniquitatem, C omnia ad debitum finem dirigens & inducens, nullum peccatum impunitum, nullum bonum abſque mercede relinquens.

At, ô magnificentiſſime Deus meus! Exultet anima mea in gaudio, cum magnam gloriam tuam ſpeculatur. Quis enim reſiſtet tibi? Quis tibi ſimilis erit, ſiue in potentia, ſiue in ſapientia, ſiue in iuſtitia, ſiue in virtute, perfectione, puritate, ſanctitate, pulchritudine? Quanta eſt ſapientia tua, quæ Bonitati tuæ ſuppeditauit modum & rationem, qua ſe adeò abundanter communicaret creaturæ, itaut valeat per cognitionem & amorem particeps reddi fælicitatis tuæ? Tua inſuper eſt potentia, Domine. Tua eſt fortitudo. Tuum eſt regnum. Tu es ſuper D omnes gentes, cuius proprium eſt arrogantes & de ſe præſumentes deprimere, & ſuperbos diſpergere mente cordis ſui, imbecilles eorum conatus deridendo, quibus voluntati tuæ ſeſe opponere audent. At beatus, terque beatus, qui te omnem ſuam ſpem & fiduciam collocauit. Nam facillimum tibi eſt illi media conferre, viam ſternere, qua expeditè valeat ad hanc fælicitatem peruenire: & ſi quis hoc opus impedire attentauerit, potius in ſummam incidet miſeriam, & infælicitatem, quàm à te dilectum ab hac fælicitate extrudere aut diſturbare queat. Nemo rapiet eum de manu tua.

O principium abſque principio! Si de tua gloria, qua omnes creaturas à longè excedis, exultare poſ- E ſumus, non minor occaſio datur exultandi in gaudio ob immenſam poteſtatem tuam & virtutem infinitam, qua omnia quæcumque vis operaris in cœlo & in terra: & cum ſis autor totius ſanctitatis, das nobis virtutem, qua bonum morale & meritorium operari poſſumus, tua præuenti & adiuti gratiâ. Tu enim es qui omnia in omnibus operaris, ſine quo nil facere, ſed nec ſpirare licet: ſed omnia in te poſſumus, tua gratia confirmati & corroborati. Quod ſi pro nobis es, ſeu ſtes, quis erit aut ſtabit contra nos? Quis nobis nocere poterit? Et quia nullus eſt qui nocere valeat, tuum opus in nobis perfeciſti, ſublatis omnibus impedimentis, deuictis cunctis hoſtibus: & ſic, quos in voluntate tua deduxiſti manum illorum dexteram tenens: illos cum gloria ſuſcipis, & coronâ gloriæ, & ſtola immortalitatis honoras.

Digitized by Google

honoras. Hac dè cauſa ſit tibi, ô Spiritus ſanctè optimè! ô filij vnigenite & increate ſapientiſſime! ô Pater omnipotentiſſime! Salus, gloria, & virtus in ſecula ſeculorum. Hoc deſiderat, hoc totis votis concupiſcit ille, qui omnia ſua bona à te habere agnoſcens & confitens, nunquam maiori lætitia perfundetur, aut intimiùs gaudebit, quàm ſi agnoſcat te ab omnibus amari, coli, timeri, & reuereri, ob immenſam tuam bonitatem, ſapientiam infinitam, incomprehenſibilem virtutem.

Et hæc de prima ſpecie laudis diuinæ, in qua vitæ contemplatiuæ ſectatores poſſunt occupari. Ad aliam tranſeamus, nempe ad affectum admirationis.

Et iterum dixerunt Alleluya. Et fumus eius aſcendet in ſeculà ſeculorum.

De affectu admirationis, ob profunda Dei iudicia.

ANNOTAT. V.

QVOD *autem*, inquit Primaſius, *iterum dixerunt Alleluya, Eccleſia Deum ſuper iudiciis eius indeſinenti affectu collaudat. Alleluya enim dicitur, laudate Dominum. Sequitur de illa meretrice: Et fumus, &c. de illa aſcendit in ſecula ſeculorum. Eccleſia ſcilicet perſeuerante in illius laude lætitia, perditionis fumus permanet impiorum. Sicut enim fumus, ignis initia: ſic igne perſeuerante fumum dicit ineſſe.* Ita Primaſ.

Andreas autem Cæſarienſis. *Quòd autem accenſæ ciuitatis fumus in ſecula ſeculorum aſcendit, illud tormenta eius nunquam finem habitura, neque vllo vnquam tempore in obliuionem ventura innuit.* Ita And.

Et reuera fumus incendij Babylonis myſticæ aſcendet in ſecula ſeculorum: quia illius ſupplicium non erit tantummodo temporarium, ſed æternum, igne æterno mox arripiente animas eorum quorum corpora concremabuntur flammis huius incendij, & obruentur in ſubuerſione ædificiorum deploratiſſimæ huius ciuitatis: & de eis dicetur quod olim de Core, Dathan, & Abiron: *Deſcenderunt viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Num. 16.

Adeo ſubitus erit à flammis iſtis temporariis in ignes æternos tranſitus, vt in puncto in infernum deſcendent, itaut temporarius ignis vel futurus ſit quaſi prodromus ignis æterni, vel temporarius & æternus ſint conſiderandi velut vnum totale inſtrumentum & principium ſupplicij, ad quod condemnata fuit. Quo fit vt fumus huius incendij debeat eſſe æternus, quia igne æterno cruciabuntur illi qui hoc incendio temporario perimentur in corporibus ſuis. Et ſicut de die iudicij dicitur: *Ignis ante ipſum præcedet: & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* Quē ignem ſuares, *De myſteriis*, docet eiuſdē fore naturæ & ſpeciei cum igne inferni; ad eumdem quippe finem & effectum immittetur: v. g. vt ſit diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum; qua de cauſa quidam voluerunt hunc ignem attrahendum fore ex inferni latebris; Pari ratione dicere poſſumus, quod antequam iſti reprobi, in incendio, & ſubuerſione Babylonis myſticæ perimendi, in inferni tartarum detrudentur, igne peribunt & conſumentur; qui etſi non ſit eiuſdem naturæ aut ſpeciei cum igne inferni, nec ex eius ſinu attrahatur (immittetur enim in eam operâ Regum, qui eam ſubuertere debent, ideoque erit ignis communis & per eius) tamen ad eumdem finem & effectum, ad quem paratus eſt ignis inferni, immittetur à Deo; plurimam ſimilitudinem habebit & proportionem cum igne inferni, ſiue quia erit diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum, vt varios & extraordinarios producat effectus; tum quia eumdem cum eo igne æterno habebit finem, ſcilicet punitionem eorum qui ad pœnas æternales iam condemnati erunt. Ex quo dici poteſt quod fumus tormentorum in perpetuum erit: quia eorum pœnæ futuræ ſunt æternæ.

Nec extra metam ibimus (cum liber hic myſticus ſit, & ſpiritaliter intelligendus) nec aliquid à ſenſu literali alienum adducemus, ſi dicamus per hunc fumum intelligendas eſſe horrendas blaſphemias, quas impij euoment contra Deum cœli ob memoriam ſuppliciorum præteritorum, & dolorem præſentiſſimum eorum quibus in æternum cruciabuntur. Sicut igitur humidum in ligno exiſtens, in cauſa eſt vt cum comburitur ſpiſſus quidam fumus ex eo exhalatur & euaporatur, præcipuè. Si ad ſint quædam qualitates ipſum humidum magis craſſum & terreſtre efficientes; his adde quod aliquando propter corruptionem & putrefactionem eorum quæ comburuntur, cum fumo euaporatur putidus & fætidus quidam odor vix ferendus; Pari ratione damnati ad pœnas æternales, oppleti humido peſſimo proprij amoris, & nimium adhærentes ad ea quæ ad carnem & ſenſualitatem pertinent; Et (quod magis eſt) corruptione abominationum ſuarum, & peccatorum redundantes, euoment contra Deum ſpiſſum & fætidum fumum horrendarum & execrandarum blaſphemiarum, quæ in æternum aſcendent: quia ſuperbia eorum qui oderunt Deum aſcendit ſemper. Quod ſi incrementa intenſiora eorum malitia & ſuperbia capere non poſſunt, quia ſummum attigerunt gradum, ſaltem incrementa capient in reiteratione & multiplicatione actuum blaſphemiæ & maledictionis, quos contra Deum & ſanctos eius proferent, quorum intuitu in tantas inciderunt miſerias: ſiquidem ob Dei offenſam & mala ſanctis illata, tam horrendis & metuendis afficientur pœnis.

Et in his omnibus ampla datur materia admirationis, ob magnitudinem & profunditatem iudiciorum Dei. Siquidem manebunt in æternum incognitæ illæ rationes cuilibet intellectui creato, propter quas Deus permiſerit iſtas animas, non autem alias in has cecidiſſe miſerias. Quas quidem rationes S. Paulus cenſuit ita eſſe omni reuerentia & honore colendas, vt contra eas Dei determinationes, multo minus nobis mutire liceat, quàm figmento contra eum qui ſe finxit. *O homo*, inquit Paulus Roman. 9. *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram: & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta ad interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c.* Ac ſi diceret: indurati ipſi per ſemetipſos, poſitiuè ſe fecerunt & aptarunt vaſa iræ. Deus ergo non fecit eos, ſed ſuſtinuit. Id eſt: Patienter peccare permiſit, differens diu ſupplicium; ſicque eos induraſſe dicitur: idque duplici de cauſa. Prior eſt, vt iram, id eſt, iuſtum & potentem ſuam vindictam in eos oſtenderet, vti fecit dum Pharaonem merſit in mari Rubro. Putabat enim Pharao, ſicut exiſtimant alij indurati, Dei patientiam (per quam non punit peccata ſtatim atque perpetrantur) impotentiam eſſe. Poſterior eſt, vt ex hac ſeueritate Dei in induratos appareat glorioſa Dei miſericordia, opulentia, & liberalitas in vaſa miſericordiæ, id eſt, in ſanctos & electos, quibus non pœnam ſed gloriam præparauit. Ex magnitudine igitur ſupplicij agnoſcetur quanta ſit ira eius, propter odium implacabile quo peccata proſequi-

tur; Et quanta ſit eius patientia, vt ſuperbos & obſtinato animo ſibi contradicentes deprimat; Et ſicut candor nigredini oppoſitus magis refulget, manifeſtiùs videantur diuitiæ gloriæ ſuæ in iis in quibus theſauros miſericordiarum ſuarum recondit, dum illos præparat per dona gratiæ miſericorditer & gratuitò ipſis conceſſa, vt ſuæ gloriæ reddantur conſortes. Itaque ſi ex duobus peccatoribus luto abiectioribus Deus vnum eligit, cui gratiam conferat per infinitam ſuam miſericordiam; alium verò in peccato immerſum relinquit, vt oſtendat iuſtitiam ſuam (*Oportet enim*, vt ait Sedulius in hunc locum, *aliquos deſeri ex tota maſſa damnata generis humani, vt ex pluribus non liberatis, atque damnatione iuſtiſſima derelictis, oſtendatur quid meruiſſet vniuerſa conſperſio, ex qua ſi nullus liberaretur, nemo rectè poſſet Dei iuſtitiam vituperare. Vnde etiam iuſtos debitum Dei iudicium damnaret, niſi in eius debitum miſericordia ſubueniret, vt volentium de ſuis meritis gloriari omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ita Sedulius in hunc locum.) Electo igitur vno, derelicto altero, ſi iſti duo peccatores ad inuicem conferuntur, & inter illos fiat comparatio, nullam cauſam aſſignare poteris, propter quam Deus efficaciorem gratiam vni contulerit, niſi voluntati Dei hoc totum aſcribas: quæ cum non agat abſque delectu & ratione, optimè nouit qua de cauſa hoc ita fiat. Manebunt tamen illæ rationes apud Deum incognitæ cuilibet intellectui creato. Sunt enim illæ rationes incomprehenſibilia illa Dei iudicia, & inueſtigabiles viæ, de quibus loquitur Apoſtolus, quas neque comprehendere quis poterit, nec per eas ambulare. Semitæ ſiquidem eius in aquis multis, & veſtigia illius non cognoſcentur, vt quis huiuſce rei rationem reddere queat. Horum iudiciorum ſplendor ita emicat, vt acumen mentis vegetioris & acutioris in eum obtutum figere volens retundatur, nec illa comprehendere poterit; & de iis ſemitis dicere debemus cum Propheta Abacuc: *Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Curuantur enim etiam qui portant orbem, ſi per iſta æternitatis itinera progredi attentauerint; & gradum reuocare coguntur, quia nec metam aut terminum inuenire poſſunt, & ad ſe redeuntes clamare debent cum Apoſtolo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Et vt rex exemplo manifeſtior fiat, poteſt certè aſſignari ratio congrua damnationis Iudæ, nempe proditio & perfidia, & finalis impænitentia. Sed quis rationem reddere poterit, qua de cauſa factum fuit vt Petrus & Iudas ſimul peccantes, ille negando, iſte proditione tradendo Chriſtum in manus impiorum, Deus miſericordiam maiorem exercuerit erga Petrum, dum illi contulit gratiam efficacem, vt à culpa reſipiſceret, ſolo benigno intuitu illum in lachrymas ſoluens: quàm erga Iudam, qui dulciſſimis & ſuauiſſimis iſtis verbis: *Amice, ad quid veniſti? Oſculo filium hominis tradis?* A duritia cordis reſilire non potuit, aut ad pœnitentiam prouocari: ſicut nec antea ad reſiliẽdum à malo propoſito auerti non potuerat actionibus Domini, tantam benignitatem, modeſtiam, & charitatem redolentibus, quales fuerunt lotio & oſculum pedum, & ſuauiſſimum eius Conuiuium, ac ſanctiſſimum Epulum corporis ſui: aut ſuauiſſimis illius monitionibus perſuaderi, vt impiam & damnabilem determinationem de ſereret: Et quod mirum eſt, teneri non potuit: & ad adorandam Chriſti maieſtatem prouocari, licèt videret milites, quos adduxerat armis inſtructos, retrò cadentes ad ſolam Chriſti vocem dicentis: *Ego ſum.* Et hac ratione ſi voluntas diuina de vnius damnatione, aut voluntas de alte-

A rius ſaluatione in notitiam veniat, quia ex effectu cognoſcetur, vno reuera damnationem incurrente, altero ſalutem adipiſcente, nunquam tamen cauſa cur Deus hunc alteri prætulerit comprehendetur, nec rationes aperientur per quas Petrus Prælatus fuit Iudæ, accipiens maiorem gratiam & miſericordiam, vt à culpa reſipiſceret, quàm Iudas acceperit, qui à culpa non reſipuit.

Qua de cauſa, Dico fumum incendij deplorandæ huius ciuitatis aſcenſurum in ſæcula ſæculorum, non ſolùm quia illæ pœnæ erunt æternæ, non ſolùm quia reprobi in æternum blaſphemias euoment in Deum, ob ſuppliciorum grauitatem, ſed etiam quia incognitæ remanebunt rationes propter quas B Deus Niniuitis maiorem gratiam contulerit, (quâ comminationum Ionæ effectum effugerunt, excidium nempe & ſubuerſionem: *Adhuc*, inquiebat, *quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*: quia ſcilicet pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ:) quàm huic ciuitati peſſimæ, Babyloni ſcilicet myſticæ vt ſupplicia euitare poſſit, de quibus per tot annorum ſpatia comminatur. Hæ ſcilicet rationes incognitæ remanebunt. Quod deſignari videtur in eo fumo, de quo Iſaias c. 6. *Et domus repleta eſt fumo.* Nam dum audit Angelos quoſdam, ex vna parte, electos omnes repræſentantes (clamantes ſcilicet: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum. Plena eſt omnis terra gloria eius.* Quod quidem exercitium C laudendi Deum non modò pertinet ad Angelos, ſed etiam ad omnes ſanctos:) Et ex alia parte ad deſignandos reprobos, Prophetæ dicitur. *Vade & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi eius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur & ſanem eum.* Ita Iſaias. Ad indicandum quod huius diſcriminis electorum & reproborum, incognita eſt ratio: quamuis hæc domus domicilium ſit Dei, qui amictus eſt lumine tanquam veſtimento, tamen repleta eſt domus fumo, vt ſciamus reprobationem iſtorum obduratorum, ſi conferuntur cum D iis qui per Dei miſericordiam ſalutem conſequuntur, & electionem illorum Deum laudantium, ſi conferantur cum his qui per obſtinationem in peccatis moriuntur, eſſe veluti quemdam fumum, ſeu exhalationem, & euaporationem ex igne ardentiſſimi cuiuſdam amoris, aut flagrantiſſimi odij in ſacro pectore diuinæ maieſtatis exiſtente prodeuntem. Splendor rationum illarum, propter quas vnus potius miſericordiam conſequitur quàm alius, ita occultatur cuilibet intellectui creato, vt fumus eſſe appareat. Sicut enim per fumum conjicere poſſumus ignem alicubi adeſſe, dum oculis cernitur: lux autem & ſplendor ignis hoc fumo offuſcatur & abſconditur, vt cerni nequeat: & neſcientia impedit E ne rei quiditatem & proprietates cognoſcamus, quamuis eius exiſtentiam nouerimus; ſic ſplendor illarum rationum tantus erit, vt omnes beati cognoſcent hoc Dei decretum de reprobatione iſtorum, & electione aliorum, eſſe iuſtiſſimum & æquiſſimum; ſed abyſſum iudiciorum eius comprehendere nequibunt, ac ſi fumus adeſſet, & in eo eſſent quædam tenebræ. Et hoc modo Deus dicitur habitare lucem inacceſſibilem, & poſuiſſe tenebras latibulum ſuum. Hac de cauſa fideles animaduertentes incomprehenſibilitatem iudiciorum Dei, ſi iam vnum Alleluya pronunciarunt, ad congratulandum Deo ob infinitas illius perfectiones, ecce addunt ſecundum Alleluya, in admirationem rapti ob iſtam iudiciorum Dei incomprehenſibilitatem. Nam quæſo vnde fit, vt qui olim taliter Ionam contriſta-

Digitized by Google

tum, quia iuxta verbum ſuum Niniue non fuerat ſubuerſa eſt, affatus eſt: *Tu doles ſuper hæderam, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret: ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit. Et ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram, & iumenta multa?* Ionæ vult. Illemet, inquam, non ægrè ferat, imò potiùs cum gaudio & exultatione ſeruorum ſuorum, funditùs euertat abſque vlla ſpe miſericordiæ, aut reſtaurationis expectatione, quamdam ciuitatem à tot annis dilectam, & ſibi cariſſimam, tantis miſericordiis & miſerationibus temporalium, & ſpiritualium bonorum præuentam & cumulatam? Ad cuius conuerſionem chariores ſibi Apoſtolos miſerat; pro cuius ſalute procuranda tot ſibi amiciſſimi olim ſtrenuè laborarunt: quam de excidio futuro monuit, non per Ionam Prophetam, qui cum tergiuerſatione præcepto ſibi dato obtemperauit, & ægrè illud adimpleuit, ſed per chariſſimum diſcipulorum, ſibi fideliſſimum, & obſequentiſſimum, qui de pectore Chriſti hauſerat ſapientiam, cui ſpecialis facta eſt de futuris reuelatio, quippe ait: *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.* Apoc. 1. in qua inſuper non minor erit numerus eorum, de quibus dicitur: *Qui neſciunt quid ſit inter dextram ſuam & ſiniſtram*: qui æquè excuſari poſſent à culpa à iudice illo æquiſſimo, ſicut excuſabat eos olim qui Niniue erant, ſiue propter ætatis infirmitatem, ſiue ob imbecillitatem mentis, qui nec ſeipſos agnoſcebant, nec diſcernere valebant quid ſit inter bonum, & malum. Ad hæc nihil aliud dicere poſſumus, quàm quod dixit Apoſtolus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c.* Et poſtea in actum admirationis prorumpere dicentes Alleluya: ſiue quia ſupplicia illa erunt æterna, ſiue quia in æternum Deum blaſphemabunt: ſiue quia rationes incomprehenſibiles ſunt, quibus inductus decreuit vt tam infirma & imbecillis creatura æternis tormentis addicta ſit, vt creatura quæ creata eſt eo fine vt eum cognoſceret, amaret, laudaret aſſiduè, tot beneficiis cumulata, in æternum illum blaſphemet. Certè *incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Et ſic *aſcendet fumus illius in ſæcula ſæculorum.*

Admiratio animæ contemplantis profunditatem iudiciorum Dei, in damnatione reproborum.

O ſumme Deus, qui nihil odiſti eorum quæ feciſti: Benigniſſime hominum amator, quos tantopere diligis vt eos velis gloriæ tuæ eſſe participes, itaut eis dederis filium tuum dilectiſſimum, qui pro ſalute & gloria iſta ipſis promerenda in cruce moreretur! Quæ cauſa, quodue, quæſo, motiuum cor tuum ad pietatem & propenſionem miſerorum propenſiſſimum inducit, vt creaturam iſtam fragilem, ad peccandum procliuem, ſubmerſam & abſorptam derelinquas in æternas & intolerabiles pœnas? Deeſt ne tibi poteſtas eam eripiendi ab his ſuppliciis? Non. Deeſtne ſapientia, qua media adinuenias conuenientia & efficacia? Minimè. Deeſtne bonitas, qua omnibus creaturis bonum ſibi conueniens velis? Nequaquam. Nonne eam bonus es vt neminem velis perire, imo potiùs omnes homines ſaluari exoptas, & ad veritatis agnitionem peruenire? Vnde igitur hoc fit, vt creaturæ tam charæ, adeo dilectæ ita deſeruntur, vt incidant te permittente in flammas, quas nec aquæ miſerationis, nec lacrymæ compunctionis, nec fletus eiulationis ob immenſos dolores vnquam extinguere poterunt? Qua de cauſa, oro, potentiſ- A ſimum brachium tuum non liberat eos, quos ſapientia tua condiderat, non ad tam luctuoſam perditionem & infælicitatem, ſed ad indicibilis cuiuſdam beatitudinis participationem?

O ſanctiſſime, & iuſtiſſime Deus, cuius viæ iuſtæ, pulchræ, pacificæ, æquitatis pleniſſimæ, quo fit vt non modò Angeli & homines, ſed etiam cæteræ creaturæ ſenſibiles, & inſenſibiles, ſuo modo debeant laudes tuas intonare. Certè laudauerunt te ab initio aſtra matutina, nullò adhuc hominum laudes tuas proferente. Nunc dicam quod ſi vocibus æque ſonoris ac purum & nitidum eſt lumen ſplendidum quod effundunt, poſſent nomen tuum celebrare; ſi Sol & Luna duo illa luminaria magna B æquè dignè poſſent nomen tuum magnificare, ſicut radios emicantiores emittunt, ſplendore ſuo oculos perſpicaciores perſtringentes, & caligine offundentes; ſi herbæ virentes & gramina terræ, variique flores tanta diuerſitate idiomatum, & ornatu ſermonum vterentur, quanta reperitur in eis varietas, & excellentia proprietatum, & colorum, ac figurarum; Certè ſi omnia hæc verterentur in linguas, nunquam ſufficerent vt iuxta magnitudinem tuam laudes tuas explicare, & exprimere poſſent. Impar eſſet tuis meritis, tuaque ſuprema dignitate, omnium creaturarum conatus. Quomodo enim ſingulæ hoc poſſent præſtare, quæ nec ſimul ſufficiunt vt condignè ab eis magnificari queas? Verum C quippe eſt, quod magnus es & laudabilis nimis. Quæ cum ita ſint, quomodo abſque pœnitentia & mutatione patienter hoc videre & audire ſtatueris, creaturas infæliciſſimas permitti horrendas proferre blaſphemias aduerſus infinitam maieſtatem tuam, maledictionibus impetere eum per quem exiſtunt, & annihilari velle eum, per quem ſubſiſtunt & ſubſiſtent in æternum? Heu! quid eſt? cur non in nihilum redigis tam infælices creaturas? Illos à doloribus extraheres, nec maledictionibus eorum tam impiis ac iniuſtis aures tuæ opplerentur. Si per ſpatium immenſurabile æternitatis infinitis ſæculis reſpondens carere voluiſti honore illo, qui tibi obuenit ab extrinſeco ex productione creaturaD rum; nonne abſque tui honoris detrimento carere poſſes in poſterum eo honore, qui ex conſeruatione illius infæliciſſimi eſſe iſtorum tibi accidere poteſt? Si ex nihilo illos creaſti, cur non facillimè in nihilum poterunt redigi? Nec cauſandum numerum neceſſarium ad perfectionem tui operis defuturum, ſi ad nihilum redigerentur: potes enim ex lapidibus alios producere, quibus hæc detrimenta reſtaurentur: & vniuerſitatem creaturarum liberabis à partibus quibuſdam, quæ naturam omnem potiùs rubore confundunt, quàm ei auxilio ſint, vt ab ea glorificeris. His præterea infælicibus non modicam gratiam exhibebis: Satiùs enim eſſe exiſtimant ſi annihilarentur, (quamuis recta ſapientibus E melius ſit eſſe quàm non eſſe) doloribus diſtracti, quàm tam infælices exiſtere in æternum.

Sed hoc tuum eſt decretum, hæc voluntatis tuæ determinatio. Et quia voluntas tua ſemper eſt ſanctiſſima & iuſtiſſima, ſanctiſſimè & iuſtiſſimè hoc vis ita fieri. Noſtrum non eſt exquirere rationem, aut perſcrutari tuarum voluntatum iuſtiſſima motiua: noſtrum eſt tantum ea reuereri, ea admiratione proſequi, ſcientes te iuſtum, & rectum eſſe iudicium tuum. Si hæ rationes à nobis abſconduntur, gloria noſtra hæc eſt vt tantò Deo cultum & obſequium præſtare debeamus, qui ſit adeo magnus, ita magnificus, vt mentibus Angelicis & humanis ſit omnino incomprehenſibilis, quas par eſt contremiſcere ad minimum etiam indicium voluntatum tuarum; nec aliud inquirere aut perſcrutari licet,

Vuu ij

Digitized by Google

quàm vt ſciant hanc tuam eſſe voluntatem, hoc tibi placere, hoc à te fuiſſe decretum immutabili decreto, propter quod neceſſarium erit vt in hoc ſtatu miſerando remaneant in æternum. Hoc vnum reſtat nobis præſtandum, ſcilicet vt de hoc opere te magnificemus, ſicut de effectu præſtantiſſimo, ex cuius cognitione poſſumus conjicere quantum ſis amator puritatis, ſanctitatis, & iuſtitiæ, & quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, & viæ tuæ inueſtigabiles. Semitæ ſiquidem tuæ in aquis multis infinitæ cuiuſdam ſapientiæ, quæ vt vaſtiſſimum mare operit omnes mentes, quæ nimiâ audaciâ illam exhaurire conarentur, & proinde veſtigia tua à nullo vnquam intellectu creato cognoſcentur.

Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes Amen. Alleluya.

De tertio actu vitæ contemplatiuæ, videlicet adoratione.

ANNOTAT. VI.

CVM adoratio ſit teſtificatio quædam reuerentiæ, & cultus ſupremæ maieſtatis, ob eminentem excellentiam, qua cætera omnia præcellit, & à qua omnia dependent, omniaque profluunt bona, rectè inducuntur viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia, dum de adoratione ſermo habendus eſt. Nam per ſeniores, ſacerdotes: per quatuor animalia, maiores Prælatos intelligendos eſſe diximus quorum certè miniſteria, & officia maximè teſtantur quanto honore & cultu Deus Opt. Max. ſit colendus, ſiue ſacrificium Miſſæ ſpectes, cuius ſunt Miniſtri; ſiue cætera officia conſideres, quibus cultum & obſequium Dei promouere ſtudent, vt eſt adminiſtratio Sacramentorum, & prædicatio verbi, vt ſunt ſalutaria præcepta, quibus fideles ad Deum colendum & adorandum per fidem ſynceram, Sacramentorum ſuſceptionem, mandatorum Dei obſeruantiam inducunt. Sed cum huius Dei cultus plura ſint motiua, quæ animos & mentes compellunt vt eum Deo exhibeant, multa motiua dantur huius cultus diuini in hac reuelatione, quæ ſimul explicanda remiſimus in hac vltima adoratione: vnde longiuſcula erit tractatio iſtius affectus adorationis, quia plures locos complectetur huius reuelationis, in quibus de adoratione ſit mentio. Et vt verũ fateat, ſi quis attentè conſideret, quã profunda ſunt myſteria ſublimis iſtius reuelationis factæ aquilæ volanti, S. Ioanni videlicet, quem myſticè poſſumus dicere eſſe aquilam Ezechielis c. 17. *aquilam grandem*, propter magnitudinem ſanctitatis; *magnarum alarum*, propter puritatem mentis & corporis, quibus facilè ad cæleſtia contemplanda euehi poterat: (*Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*) longo membrorum ductu, propter perſeuerantiam in bonis operibus; plenam plumis & varietate, propter varietatem fructuum bonorum quos tulit, aliorum ſalutem promouendo: hæc aquila *venit ad Libanum*, dum in Chriſti pectore candidiſſimæ lucis theſauro requieuit; *& tulit medullam Cedri*, id eſt ex hoc altiſſimo ſapientiæ fonte ſecretiore myſteria hauſit: *ſummitatem frondium eius auulſit*, dum ſigna (per quæ Chriſtus nobis ea, quæ humanitati illius reuelata fuerunt, ſignificare voluit) in hoc libro expreſſit: qua quidem ratione *tranſportauit eam* medullam *in terram Chanaam*; in vrbe negotiatorum poſuit illam, dum intelligentiam myſteriorum negotiandam nobis relinquit, prophetiam ſuam meditandam nobis relinquens, vt in eius meditatione ſecreta cæleſtia percipiamus. *Beatus enim qui legit & audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt; tempus enim prope eſt.* Apoc. c. 1. At vt motiua harum adorationum diuerſarum, quæ in hoc libro continentur, faciliùs exquiramus, notandum nobis eſt multas reperiri differentias inter ipſas adorationes, quas (antequam explicentur) ante oculos ponere, operæ pretium eſt.

Sex ſunt adorationes, quæ in hac reuelatione deſcribuntur; & quænam ſit inter eas differentia?

Prima deſcribitur Capite quarto, quæ eſt viginti quatuor ſeniorum. Poſtquam enim S. Ioannes exhibuit quatuor animalia requiem non habentia die ac nocte, & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*; ait quod cum darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum, procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Vides ſeniores proſtratos, adorantes, coronas demittentes ante thronum, animalia verò dare Deo gloriam, honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, & inceſſanter clamantia celebre iſtud triſagion Iſaiæ: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.*

Secunda adoratio deſcribitur in cap. 5. in quo docet S. Ioannes quomodo agnus aperuit librum, (qui in medio throni & quatuor animalium & ſeniorum viſus fuerat) ſtans & accedens, vt acciperet de dextera ſedentis in throno librum; quem cum aperuiſſet, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. *Et cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Nunc notanda eſt differentia, quæ intercedit inter ſecundam iſtam adorationem, & primam. In prima namque ſoli viginti quatuor ſeniores proſtrati cernuntur, qui ſitus adorantibus Deum peculiare eſt: in hac ſecunda non modò 24. ſeniores, ſed etiam quatuor animalia cadunt in faciem. In prima adoratione viginti quatuor ſeniores ante thronum proſternuntur, & ante ſedem mittunt coronas ſuas: in hac ſecunda proſtrantur coram agno. In prima, nec quatuor animalia, nec 24. ſeniores aliquid geſtare dicũtur: ſolummodò dicitur quod ſeniores mittebant coronas ſuas ante thronũ: in hac ſecunda, & quatuor animalibus & 24 ſenioribus dantur in manibus geſtandæ, cytharæ & phialæ aureæ. In prima adoratione quod cantant quatuor animalia, quod dicunt ſeniores, ad creationis beneficium pertinere videtur: ſiquidem animalia Deum Dominum Deum omnipotentem prædicant, qui cum creauerit omnia, & eadem conſeruet in eſſe, tandem opera ſua perficiet: Vnde addunt. *Qui erat*, ecce creatio: *Et qui eſt*, ecce conſeruatio: *Et qui venturus eſt*, ecce quomodo tandem vltimam manum operibus ſuis imponet: Deinde vocatur ſanctus, quia omnia opera ſua valde ſunt bona, & ſanctus eſt in omnibus operibus ſuis: bona enim benè facit, & optimo fine: & quia tandem opera ad extra, ſunt ab omnibus perſonis diuinis tanquam ab vno principio: opera enim Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa: ideo

Digitized by Google

ter. Sancti nomen ab animalibus reiteratur. Sicut autem animalia ex his ad beneficium creationis reſpicere videntur. Ita 24. Seniores illud tangunt dicentes: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Verum quidem eſt Deum omnia propter ſemetipſum produxiſſe: eſt enim finis rerum vltimus, ſicut omnium illarum eſt principium. At in ſecundo adoratione non ſolùm ſeniores, ſed & animalia materiam laudis ſuæ haurire videntur ex conſideratione beneficij redemptionis, & bonorum omnium, quæ nobis ex ea proueniunt. Cantant propterea canticum nouum, quia nouum eſt beneficium, & dicunt propterea: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Nonne clare in his verbis exprimitur beneficium redemptionis? Audi effectus etiam expreſſos. *Et*, inquit, *feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes.*

Tertia adoratio deſcribitur in eodem cap. quintò. Nam poſtquam S. Ioannes teſtatus eſt ſe vidiſſe & audiſſe vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & ſeniorum dicentium voce magna: *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem; & omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes. Sedenti in throno & agno benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia dicebant Amen:* Tertiam refert adorationem viginti quatuor ſeniorum. *Et viginti quatuor ſeniores*, inquit, *ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* Quæ ſanè adoratio exhiberi videtur in actionem gratiarum, quia Deus adeo abſolutè dominatur, vt in perſona Chriſti naturæ noſtræ contulerit omnem poteſtatem in cœlo & in terra, & omnium rerum adminiſtrationem; qua poteſtate Chriſtus media efficacia qualia ſunt Sacramenta inſtituit, quibus meritum paſſionis ſuæ nobis applicaret, inter quæ inſigne eſt Miſſæ Sacrificium, & Euchariſtiæ Sacramentum, quo Deo ſummum cultum exhibemus, & autorem gratiæ cum donis ipſis ſuſcipimus.

Quarta adoratio deſcribitur in capite ſeptimo, in quo poſtquam S. Ioannes de his qui ſignantur in fronte loquutus eſt, & de illa turba quam dinumerare nemo poterat, eorum nempe quos ait candidis veſtibus eſſe indutos, & palmas in manibus geſtare; in primis deſignans fideles prædeſtinatos, qui aliquem inſigniorem gradum ſanctitatis adepti ſunt; in ſecundis alios fideles electos, qui gratiam per pœnitentiam recuperantes, & tentationes ſuperantes, tandem digni efficiuntur, qui participes ſint æternæ gloriæ: qua de cauſa totis viribus clamant omnes tam ſanctitate ſuperiores, quàm inferiores: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno*, his adductis ſanctus Ioãnes quartam adorationem deſcribit dicens: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium. Et ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas: & adorauerunt Deum dicentes Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum Amen.* Quæ ſanè adoratio manifeſtè diſtinguitur ab aliis. Primò quia non fit à ſenioribus aut ab animalibus, ſiue ſeorſim, ſiue ſimul ſumptis, ſed ab Angelis. Secundò. Hæc adoratio diſtinguitur à præcedentibus, quia laus, quæ in ea Deo datur, coaceruat & complectitur quidquid laudis Deo defertur in aliis quæ vel ab animalibus pro-

A nunciantur, vel à ſenioribus, vel à fidelibus prædeſtinatis, vt ſic. Tertiò: quia videtur eſſe Angelorum Eccleſiæ, & fidelium cuſtodum, qui quidem Deum collaudant ob reſtaurationem cœleſtium ſedium, quæ vacuæ caſu Angelorum ſucceſſiuè reparantur eo ipſo quo quis eorum qui præordinati ſunt ad vitam, è vita hac mortali egrediens in poſſeſſionem cæleſtis gloriæ admittitur. Denique hæc adoratio ab his ſpiritibus redditur zelo honoris diuini accenſis, quòd videant media à Deo præſcripta, quibus paſſionis Chriſti merita applicantur, fælicem in hominibus obtinere effectum, qui iis adhibitis ſalutem efficaciter conſequantur.

Quinta adoratio deſcribitur in cap. 11. in quo B poſtquam ſeptimus Angelus tuba cecinit, multæ voces in cœlo formantur dicentes: *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius: & regnabimus in ſæcula ſæculorum amen.* Et tunc additur: *Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus noſter omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* Adoratio hæc à præcedentibus in hoc diſtinguitur, quia hic de animalibus nulla fit mentio, quæ in aliarum deſcriptione vel adorant cum ſenioribus, vt fit in ſecunda: aut quaſdam laudes Deo concinunt, vt in prima; aut datas à ſenioribus approbans, vt in ter- C tia. Videturque hæc adoratio Deo exhiberi in gratiarum actionem, quòd non obſtantibus cunctis contradictionibus & oppoſitionibus, quas adhibuerit malitia cordis humani, vt Dei conſilia deſtrueret, nihilominus ſuum regnum inſtituit & ſtabiliuit in hoc mundo. Eccleſia nempe ſeu congregatio omnium fidelium etiam in præſenti vita Deo debitam exhibet ſeruitutem, & cultu & obſequio externo eum colit, obedientibus fidelibus præceptis & mandatis prælatorum ſuorum ſub fælici ſeniorum regimine, qui vigilant ſuper gregem, vt non deficiat, nec animum deſpondeat, tempore tentationum & perſecutionum.

Vltima, & ſexta adoratio deſcribitur in hoc capi- D te 19. Nam poſtquam S. Ioannes de ſupplicio egit Babylonis myſticæ, tam temporario quàm externo; poſt actum admirationis ob æternitatem ſupplicij, ſequitur: *Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes Amen: Alleluya.* Quæ vltima adoratio hac ſingularitate ab aliis diſtinguitur, quòd cum in aliis vel ſoli viginti quatuor ſeniores procumbunt in facies ſuas, & adorant, vt in prima, tertia, & quinta, vel ſi animalia cum eis adorent, præcedunt ſeniores vt in ſecunda: *Et cum aperuiſſet librum*, inquit, *quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno.* Vides animalia ſeniores anteire, & ſeniores animalia ſubſequi. At in hoc loco viginti quatuor E ſeniores præcedunt, animalia autem ſubſequuntur. Rurſus in ſecunda adoratione cadunt animalia & ſeniores coram agno ad adorandum: in hac vltima adoratione ſeniores & animalia Deum non prout carne indutum, ſed ſecundum ſe præciſè conſideratum adorant. Quod non vacat myſterio: nihil enim in ſcriptura abſque cauſa exprimitur: à ſpiritu ſiquidem ſcientiæ & ſapientiæ inſpirata fuit. *Spiritu* enim *ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, inquit S. Petrus 2. c. 1. Quo fit vt non ſolùm verba ſint ponderanda, ſed etiam ordo verborum non ſit plærumque abſque myſterio poſitus: itaut in illius conſideratione aliquid ſcitu dignum animaduerti valeat.

Hæc autem vltima adoratio Deo exhibetur à ſenioribus & animalibus, in gratiarum actionem quòd ſeruati fuerint ab atrocitate ſuppliciorum, per quæ

Digitized by Google

Deus depreſſit arrogantiam, & ſuperbiam ciuitatis illius contumacis.

Ex his igitur vides ſex in hac Prophetia reperiri adorationes; Tres quæ ad ſolos ſeniores pertinent, primam videlicet, tertiam, & quintam: Duas, quæ ad ſeniores & animalia attinent, in quarum vnâ animalia ſeniores præcedunt, nempe in ſecunda: At in alia, nempe in ſexta, ſeniores animalia præcedunt. Quarta autem nec ad animalia, nec ad ſeniores pertinet, ſed ad Angelos cuſtodes ſeu tutelares. Nunc rationes reddamus propter quas hæ diſtinctiones reperiuntur inter iſtas adorationes. Sed antequam has rationes in mediam proferamus, dicendum primò quidnam ſit propriè adoratio, & quænam ſint motiua præcipua ad adorandum Deum inducentia, & quidnam requiratur vt iuxta illa motiua actum admirationis eliciamus.

Quidnam ſit adoratio, & de motiuis ad illam inducentibus.

ANNOTAT. VII.

QVANTVM ad primum, adoratio nihil aliud eſt in mentibus ſeu creaturis intellectu & ratione præditis, quàm mente fateri & agnoſcere rem aliquam cæteras præcellere, & ſupra illas eminere, vt pote ipſi inferiores: quo fit vt eam honore & reuerentia dignam exiſtimemus, & cenſemus illi parendum eſſe & obediendum. Dum igitur de Dei adoratione loquimur, intelligimus quamdam liberrimam, & ingenuam confeſſionem, & agnitionem excellentiæ, & eminentiæ naturæ ipſius (quæ tanta eſt, vt in poteſtate, dignitate, ſanctitate & virtute ſupra omnia creata exiſtat) cum pio quodam affectu exoptantes, vt iuxta hanc eminentiam & excellentiam, à nobis, & ab omnibus honoretur, cuncta illi pareant & obediant, nullus ſit qui eum non timeat, & qui non contremiſcat ad nutum eius. Siquidem omnes creaturæ ab ea & eſſe & exiſtere habent, & ab ea omnimodè, vt ſubſiſtere valeant, dependent.

Quam quidem mentis confeſſionem creaturæ rationales, tum purè ſpirituales, dum corpora aſſumunt vt exterius appareant: quàm quæ corpore & anima conſtant, ſignis quibuſdam externis manifeſtant, vt laude vocali, qua teſtificantur in quanto pretio & æſtimatione habetur hoc eſſe ſupremum & independens, aut demiſſione capitis, genuflexionibus, proſtratione in terram, aliiſue ſignis reuerentiæ hoc idem teſtantur, & pro viribus declarant ſe naturam diuinam cæteris rebus anteponere, quam exoptant coli & reuereri, vt cuncta ei ſubjiciantur abſque vlla reſtrictione, & in omnibus obediant.

Quantum ad motiua ad hunc actum eliciendum inducentia, ſex ſunt præcipuè, quæ mentem impellunt vt hunc actum eliciat interiùs: & exterius ſignis, id eſt voce, capitis ſubmiſſione, genuflexionibus, proſtrationibus eumdem actum manifeſtet.

Primum motiuum eſt beneficium ſeu opus creationis. Secundum eſt quod ſit rerum omnium gubernator, & homines ſpeciali prouidentia regat, media eis ad excellentiſſimum finem deducentia ſuppeditans: qua de cauſa eos proprio ſanguine redimere non dubitauit. Hæc duo motiua tetigit Chriſtus, Luc. cap. 10. dum congratulatur Patri, eique confitetur tanquam Domino cœli & terræ, reuelanti quibus voluerit Sacramentum incarnationis verbi. Primum, cum eum proclamat cœli & terræ Dominum: Dominus quippe cœli & terræ Deus eſt, quia in principio cælum & terram creauit, & dum abſcondita reuelat paruulis, reuelat verbum illud abſconditum in carne, vt per illud verbum ſeipſum præbeat reuelan- A dum & cognoſcendum. Beneficium redemptionis tetigit Chriſtus. *Confiteor*, inquit, *tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, & nemo ſcit quis ſit filius, niſi Pater; & quis ſit Pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Tertium motiuum eſt quod ſit omnium Dominus, iuxta illud: *Dominus vniuerſorum tu es.* Qua de cauſa naturam humanam ſupra Angelicam extulit; & poteſtatem illi dedit in Chriſto ſupra omnia quæ in cœlo ſunt & in terra. Vnde & exultat in ſpiritu, & dicit: *Confiteor tibi Pater*; audiens diſcipulos ſeptuaginta mirantes quomodo ſpiritus ſubjicerentur illis; ſimulque tetigit quartum B motiuum, quo inducimur ad Deum adorandum, nempe quod ſit animarum noſtrarum & omnium ſpirituum glorificator (*gratiam* enim *& gloriam dabit Dominus*) dum poſtquam dixit diſcipulis de poteſtate data ſupra dæmonia exultantibus: *Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper omnes ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Statim addidit. *Veruntamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur. Gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Et in ipſa hora exultauit in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, &c.* Vt ſupra Luc. 10. Quintum motiuum adorationis eſt, quia eſt ſanctificator animarum, & gratiam infundens, qua ad gloriam perueniant, tam efficacem & potentem; vt licèt multa aduerſa pati C contingat, tamen valeant ſerui illius omnes irrumpere difficultates. Propter quod laudabat Patrem Chriſtus, Ioan. 17. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & eos mihi dediſti, & ſermonem meum ſeruauerunt.* Et poſtea: *Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo: non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate, &c.* Et paulo poſt; *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Quibus certè verbis Deum non modò ſancti- D ficatorem agnoſcit, ſed cuius gratia & fortitudine electi è mundi malis ſeruari poſſint, vt ſint ſanctificati in veritate, cum nihil eos à ſemitis iuſtitiæ & veritatis auertere poteſt, vt tandem vnum ſint, cum idem beatitudinis obiectum ſimul poſſidebunt. Qui igitur Patris erant per creationem, dati ſunt filio ad redemptionem, quam adepti ſunt per ſermonis Chriſti obſeruationem, quia ſermo Chriſti ſermo Patris eſt itaut qui ſermonis Chriſti ſit obſeruator, voluntatis Patris notificatæ per Chriſtum ſit executor. Eos odio habet mundus, quia mundi amator Dei eſt inimicus: nec propter tale odium è mundo tollendi ſunt, ſed ne mundi ſceleribus & malis coinquinētur rogat pro eis Chriſtus; mundi operibus non communicant, quia E Chriſtum ſequuntur, qui cæleſtia ſapit, & ſuos ad ea adſpirare docet; vt verè ſancti ſint, cum ſermonibus Chriſti fuerint in veritate conformes: vt digni ſint mitti ad aliorum ſalutem promouendam, ſicut ad omnium ſalutem miſſus eſt Chriſtus; & multa paſſus eſt, ſeipſum ſanctificans pro ſuis, vt & ipſi eſſent ſanctificati in veritate. *Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Hebr. 2. Et ita quia Chriſti claritas & gloria eſt quòd pati voluerit, & ita intrare in gloriam ſuam, hoc honore fuerint præuenti, vt tandem in beatitudine ſint ei conformes, & cum eo conglorificentur, quia cum eo pati non abnuerunt.

Vltimum motiuum adorationis eſt, quia tanta eſt Dei ſapientia, vt quæcumque impedimenta ob-

Digitized by Google

jiciantur, ne illius decreta & conſilia effectum obtineant, hæc omnia erunt tanquam telæ aranearum, & facillimè diſrumpentur, hoſteſque ſuos conteret ſub pedibus ſuis. Sicque non tantùm regnabit regno illo, de quo dicitur: *Regnum Dei intra vos eſt:* Sed etiam exteriùs regnabit regno illo viſibili Eccleſiaſtici regiminis Eccleſiæ; & Eccleſia etiam in perſecutionibus vigens, tandem Anti-Chriſto extincto ſuam iuriſdictionem exercebit per vniuerſum orbem, cunctis nationibus Deum & Chriſtum agnoſcentibus & adorantibus. Hoc ſignificare voluit in transfiguratione, cum facies eius vt ſol refulſit, & nubes lucida obumbrauit diſcipulos. Indicare enim voluit Eccleſiam etſi adhuc nube fidei circumfuſam (quâ tamen certiorem de Deo haurit cognitionem, quàm quacumque ſcientia naturali acquiſitâ) poſt perſecutiones & vexationes tandem fore ſole ipſo lucidiorem. Sole amicta omnes nubes perſecutionum diſſipabit. Portæ enim inferi non præualebunt aduerſus eum. Quin & huius rei ſpecimen dedit in initio huius reuelationis, facies enim eius apparet ſicut ſol lucens in virtute ſua, id eſt in meridie, ſuperatis quippe nubibus perſecutionum, quæ in initio Eccleſiæ naſcentis illius ſplendorem offuſcare videbuntur; quin & diſſipatis omnibus vaporibus & exhalationibus aliarum perſecutionum, quas perpeti cogitur in decurſu ſæculorum, & præcipuè illa denſiſſima nube Anti-Chriſti omnino diſſipatâ, lucebit Eccleſia ſicut ſol in virtute ſua; nec enim interius aut exterius impedietur à culto diuino. Quam Eccleſiæ gloriam præuidens Ioannes, cecidit ad pedes Chriſti tanquam mortuus, adorans ſcilicet eum quem agnoſcebat creatorem, Redemptorem, glorificatorem, ſanctificatorem, & potentiſſimum protectorem.

Quidnam requiratur vt iuxta hæc motiua actum adorationis eliciamus?

ANNOTAT. VIII.

REQVIRITVR horum beneficiorum agnitio, nec enim hi actus honoris & reuerentiæ Deo exhiberi poſſunt, niſi vel per effectus & euentus, aut per reuelationem illius, eminentiſſimæ perfectiones (quarum intuitu adoratur & honorificatur) innoteſcant. Sic cum per fidem omnium rerum autor & creator agnoſcitur, ei debetur actus ſpecialis adorationis. Statim igitur atque promulgatum fuit Euangelium, & fides mundum ab idolorum vanitate, & pluralitate Deorum repurgauit, Deo exhibenda fuit adoratio ob beneficium creationis. At agnitio beneficij redemptionis vim potiſſimum obtinuit, cum plures viſi fuerunt Chriſti crucifixi perfectiſſimi imitatores. Siquidem quantum bonum nobis Redemptio attulerit agnoſcimus ex illa Chriſti imitatione, qua à peccatis & vitiis repurgamur, & in virtute & pietate proficimus. Tertiò: adoratio ob ſupremam dominationem exhibenda fuit, ſtatim atque innotuit quàm efficacia media Chriſtus Eccleſiæ contulit ad ſalutem conſequendam, eique populos & nationes ſubiecit, & tantum autoritatem dedit, vt poſita ſit inſuperbiam ſæculorum, vt prædixit Iſaias. His enim patet quantum ſublimata fuit natura humana in Chriſto, omniaque eius pedibus eſſe ſubiecta. Quartò: Angeli Deum adorare debuerunt, ſtatim atque poſt aſcenſionem viderant ſedes ducum ſuperborum repleri mitibus & humilibus hominibus, qui de die in diem in cæli gaudia admittebantur: tunc enim apparuit Deum eſſe mentium glorificatorem, & gloriæ Dominum, qui poſſit ad tam magnificum

A bonum ſublimare creaturam tam imbecillem, & quæ ratione peccatorum videbatur ab ea gloria omnino eſſe excludenda. Quintò: alius actus adorationis eſt eliciendus, cum per reuelationem diſcimus electis tantam gratiam impertiri, vt licèt vehementes futuræ ſint & frequentes tentationes, & perſecutiones, præcipuè in vltimis temporibus, *itaut inducantur in errorem (ſi fieri poteſt) etiam electi*; tamen omnibus tentationibus erunt ſuperiores, inuicto & infracto animo cuncta ſatanæ ſtratagemata ſuperabunt, nihilque erit in mundo quo à Charitate Chriſti ſeparari poſſint. Et quis non miretur gratiæ diuinæ vim & efficaciam, quæ cum à Deo ſit, qui ſolus præſtare poteſt ne mens hominis tot modis im-

B pugnata, tentationibus ſuccumbat, certè quia ſanctus & ſanctitatis autor, adorandus eſt, & omni honore colendus.

Denique adorandus eſt, cum per reuelationem diſcamus quod poſtquam ſchiſmatici autoritatem Eccleſiæ conculcauerint, eamque omni ſuo decore externo ſpoliauerint, & Anti-Chriſtus aduenerit, qui diuinam cultum publicè Deo exhibendum penitùs ſubuertet, Eccleſiamque in extremo periculo, & ingenti anguſtia conſtituet; tandem ipſa potenter eripietur, & ſuum ſplendorem recuperabit: qua de cauſa Deo adoratio debetur, qui omnes inferorum portas occludet, vt de cætero Eccleſia, coadunatis ſimul Iudæis & Gentibus, Deo ſuo ſeruiat cum

C omni fiducia & libertate.

Quod ſi attentiùs hanc reuelationem perlegeris, & has adorationes in ea deſcriptas, perſpicies ſuaui quodam ordine & diſpoſitione collocari, vt iuxta hunc ordinem aliquid præuium, & ad meditationem, & agnitionem horum motiuorum mentem inducens deſcribatur, antequam de adoratione fiat mentio, creatorem ſe exhibet in throno ſedentem in quarto capite ac rerum omnium principium & cauſam. Redemptionis beneficium tangit in quintò, antequam ſecundam narret adorationem, qua autor, redemptionis agnoſcatur. Antequam omnium Dominus prædicetur, ob diuinæ prouidentiæ ſuæ erga homines ſuauitem, omnis creatura ei optat

D benedictionem, omnia ſua opera vt bona approbando; honorem, mandata & præcepta ſua colendo; gloriam, eum confitendo ſolum omni honore digniſſimum; poteſtatem, vt fateatur eum agere vt Dominum, qui omnia quæcumque vult facit in cœlo & in terra. In capite autem ſeptimo adoratio Angelorum exprimitur, poſtquam de numero ſignatorum facta eſt mentio, itaut Deo exhiberi videatur ex eo quod agnoſcatur homines Angelis in beatitudine reddere æquales. In capite autem 11. adoratio deſcribitur, poſtquam dictum fuit: *Factum eſt regnum huius mundi*: quod de regno gratiæ intelligi debet. Nec enim Eccleſiæ ſtatus deſcribitur, in quo regnabit exteriùs abſque vlla hoſtium impu-

E gnatione; quem ſtatum nondum obtinuit, ſed obtinebit poſt necem Anti-Chriſti. Vnde S. Ioannes de Deo loquens ait: *Qui venturus eſt*: ac ſi adhuc aliud opus illi perficiendum reſtet, & dicit gentes iratas fuiſſe, cum audiunt factum eſſe regnum: quia licèt gratia manifeſtè in pluribus vigeat, qua Chriſtus regnat in Eccleſia, tamen exteriùs plurimis vexanda eſt perſecutionibus. Sed in capite 19. deſcribitur illa adoratio Deo exhibenda ob operis prouidentiæ ſuæ perfectionem: nam ſubuerſâ & concrematâ myſticâ Babylone, fideles capita leuare poterunt, quia appropinquabit redemptio eorum, & liberatio Eccleſiæ ab omni impugnatione & perſecutione: vltima ſiquidem erit Anti-Chriſti perſecutio. Siue enim longum fuerit tempus tranquillitatis Eccleſiæ, ſiue paucis diebus aut annis abſoluetur,

Digitized by Google

certum eſt tamen quod prophetiæ de coadunatione duorum populorum adimplendæ ſunt, & ſumma pace Eccleſia fruitura eſt poſt necem Anti-Chriſti, vſque ad tempus iudicij: & conuertentur omnes, tam Iudæi quàm infideles, vel ſaltem nihil audebunt attentare contra Eccleſiam, ſed confuſi remanebunt abſque vlla poteſtate nocendi.

Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia, &c.

Qua de cauſa in prima adoratione pro opere creationis, animalibus ſtantibus, & dicentibus. Sanctus, ſanctus, &c. Viginti quatuor ſeniores procidebant ante ſedentem in throno, & mittebant coronas ſuas ante thronum?

ANNOTAT. IX.

IN memoriam reuocare debemus quinam ſint illi viginti quatuor ſeniores, & illa quatuor animalia. Ex dictis in capite quarto vidimus thronum ſymbolum eſſe Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, Romanæ videlicet, abſque vlla diſquiſitione an qui ad hunc Thronum ſeu ad Eccleſiam iſtam pertinent, ſint in tempore è numero electorum, aut tandem reprobandi, gratiam habitualem aut actualem habeant an non: ſufficit ſiquidem vt quis de Eccleſia viſibili cenſeatur, vt exteriùs vniatur corpori Myſtico Eccleſiæ, & ſupremo capiti corporis iſtius obedientiam & reuerentiam ſubmiſſe exhibeat, Sacramentorum Eccleſiæ particeps exiſtat, iiſdem exterius ceremoniis vtatur, eamdem fidei profeſſionem emittat, vt ipſe reputetur pars throni in quo ſedet Deus, tanquam Rex & omnium ſupremus Dominus, vt pote à quo tanquam à creatore & principio omnia dependeant. Si autem de viginti quatuor ſenioribus loquamur, qui in Eccleſia videntur ſedentes ſuper ſedilia 24. per eos deſignantur illos, qui præter iſtam vnionem cum vniuerſis fidelibus thronum viſibilem componentibus, in fidei poſſeſſione, Sacramentorum ſuſceptione, & ceremoniis exterioribus, ſpiritu gratiæ & Charitatis viuificantur: propter quem ſtatum ius habeant ad vitam æternam, in quorum cordibus per fidem Chriſtus habitet, *in charitate radicati & fundati*; vt loquitur Apoſtolus, Epheſ. tertio & de quibus dici poſſit, quod idem Apoſtolus Coloſſenſibus exoptat: *Sicut ergo*, inquit, *accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuper ædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis abundantes in illo, in gratiarum actione.* Coloſ. 2. In quibus verbis optimè deſcribuntur ij, qui in viginti quatuor ſenioribus deſignatur: qui confirmati debent in gratia, vt ſedere dicantur ſuper ſedilia, ſiue quia de facto donum perſeuerantiæ acceperint, per inhærentem gratiam, in qua dicuntur confirmati; ſiue per ſpecialem protectionem, qua præſeruantur à Deo, ne cadant à gradu gratiæ quem adepti fuerunt; ſiue quia contraxerint virtutum habitus per longam & continuam actuum virtutis cuiuſlibet reiterationem qua fit vt ægrè peccato conſentiant, mandata Dei fideliter cuſtodientes: nam qui ea ſeruat perfectior eſt in charitate. *Qui dicit*, inquit Ioannes 1. c. 2. *ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. Qui autem ſeruat, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. In hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Tales illi igitur ſunt qui acceptâ gratiâ, ſiue in baptiſmo, ſiue in Sacramento pœnitentiæ, vacuam illam non ſuſcipiunt: & quamuis non ſint confir-
A mati in gratia vt Apoſtoli, aut ſpecialem non habeant protectionem, qualem habuerunt plurimi ſanctorum, tamen fideliter cooperantur ſpiritui gratiæ, & exercitio bonorum operum, & obſeruatione mandatorum Chriſtum ſequuntur in via perfectionis, in ipſo tandem radicantur, & ſuper ædificantur: quo fit vt dicantur ſedentes ſuper ſedilia: quia vix ac ne vix quidem à gratia excidere poſſint, adeo fideliter Deo obſequium præſtant, & ſollicitè ambulant cum Deo ſuo. Nam, vt ait S. Ioannes 1. c. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat*; in ſenſu ſcilicet compoſito, poſito quod maneat. *Talis eſt ille*, inquit Oecumenius apud Cornel. in Epiſt. Ioan. *qui nulla intermiſſione facta, virtutes exercet, & nunquam ab*
B *operatione iſtarum deſiſtit.* Ita ille. In quo ſenſu accipiendum quod addit S. Ioann. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare: quoniam ex Deo natus eſt.* Exercitio quippe bonorum operum iuxta Dei mandata, contrahit habitum benè operandi; & magis ac magis in bono firmatur, & à malo & ab omni peccandi occaſione longiùs abſcedit: & cum gratia ſecundum ſe ſufficiens ſit ad peccandum euitandum, cum magna difficultate & rarò cadat in peccatum. Abundat enim in Chriſto in gratiarum actione, ne Deo (à quo continuò multa beneficia accipit) ingratus exiſtat: quin & probabile eſt Spiritum ſanctum ſpecialem habuiſſe rationem prædeſtinatorum, & ad
C eos præcipuè reſpicere, dum viginti quatuor ſeniores hic deſcribit, qui impoſſibilitate quadam conſequenti (quæ libertatem non tollit, ſed eam includit & præſupponit) perire non poſſunt. De quibus S. Fulgentius de fide ad Petrum c. 35. *Firmiſſimè tene, nullum eorum qui prædeſtinati ſunt, poſſe perire.* Ita ille. Prædeſtinati quippe Deo videntur cæteris omnibus chariores, vt ad eos ſpecialiter reſpiciat in horum viginti quatuor ſeniorum ſignificatione.

Secundò: viginti quatuor ſeniores deſignant eos, qui inter vniuerſos fideles thronum Dei, id eſt, Eccleſiam componentes, in aliquo ſtatu collocantur, & quadam funguntur permanente & conſtanti autoritate, qualis eſt ſacerdotalis autoritas, perma-
D nens propter charactere indelebilem, quo ſacerdotes inſigniuntur: vel ſaltem alicui functioni ita ſunt addicti, vt ab ea eximi non poſſint, qualis eſt obligatio votorum in Monachis & Religioſis. Nam ratione huiuſmodi ſtatus, cum quadam firmitate & ſtabilitate Dei obſequio mancipantur, & facultatem quamdam obtineant Deo honorem exhibendi, quæ in aliis fidelibus non reperitur. Et hæc de viginti quatuor ſenioribus.

Si autem de quatuor animalibus ſermo habeatur, Dico per animalia deſignati eos, qui in hac vniuerſalitate eorum qui charitate viuificantur, ſiue eorum qui ſpeciali ratione in perpetuum deſtinantur, & deuouentur, ſeu conſecrantur, attigerunt emi-
E nentiorem ſanctitatis gradum, vel maiorem & eminentiorem dignitatem & autoritatem in Eccleſia adepti fuerunt; vel præter gratiam gratum facientem plura dona gratuita conſecuti ſunt, vt ſaluti aliorum vtiliter incumbant, ad quam promouendam ex ſuo officio, munere aut dignitate ſeu ſtatu obligantur. Et ſicut alias diximus per duodecim ex viginti quatuor ſenioribus deſignari eos, qui ſanctitatem quamdam adipiſcuntur, & per alios duodecim, illos qui aliquam autoritatem & poteſtatem nacti ſunt, ad exhibendum Deo quemdam honorem & cultum publicum pro ſe & pro aliis fidelibus; Nunc dicimus quòd ſi per viginti quatuor ſeniores intelliguntur ſacerdotes, qui *aſſumuntur*, ex Paulo Hebr. 5. *& pro hominibus conſtituuntur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerant dona, & ſacrificia pro peccatis*; animalia

Digitized by Google

malia, qui ex his aſſumuntur, deſignabunt Epiſcopos; qui in his miniſteriis & functionibus gradum eminentiorem obtinent. Ipſi enim non ſolum Deo ſacrificia offerre poſſunt, ſed inſuper & ſacerdotes poſſunt conſecrare. Si autem in viginti quatuor ſeniores Epiſcopos intelligamus, animalia deſignabunt Archiepiſcopos, qui præter Epiſcopalem dignitatem, eminentiorem quamdam obtinent, ad exteriorem politiam & gubernationem Eccleſiæ. Si in viginti quatuor ſeniores Archiepiſcopos intelligas, per animalia intelligendi erunt Primates ſeu Patriarchæ, quorum iuriſdictio amplior & diffuſior eſt.

Quòd ſi inſuper per viginti quator ſeniores intelligimus myſticos ſacerdotes, de quibus S. Petrus 1. c. 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis:* qui quidem nullam habent ex officio poteſtatem aliquod miniſterium publicum exercendi in Eccleſia, ſed Deum in ſpiritu & veritate adorant, omnes ſuas actiones ad Deum dirigunt, & quidquid ſunt & poſſunt, Deo offerunt & conſecrant; in ſacerdotibus deſignari dicemus eos, qui ſic Deo deſeruiunt abſque vlla voti obligatione aut immobilitate, quæ à ſtatu quem ſelegerint proueniat; qualis eſt ſtatus religioſorum votis Dei obſequio ſeſe mancipantium. Per animalia autem intelligendi erunt qui ratione voti aut ſtatus perfectionis acquirendæ, quadam obligatione ſtrictiori adſtringuntur ad obſeruantiam mandatorum Dei & conſiliorum Euangelij Quod ſi in viginti quatuor ſenioribus intelligas eos qui hoc modo votis ſpecialibus Deo conſecrantur; per animalia eos intelligemus, qui præter gratiam gratum facientem, cuius ope quæ promiſerunt fideliter adimplent, inſuper donis gratuitis ditantur, vt poſſint aliorum ſalutem promouere.

Denique ſi in viginti quatuor ſenioribus intelligas eos qui ſaluti aliorum promouendæ incumbunt, animalia illos deſignent, qui maiori auxilio gratiæ prædití fæliciores fuerunt in efficaci conuerſione animarum, quorum miniſterio Deus vti voluerit vt animas à damnatione eriperet, ſicut miniſterio Machabæorum vſus eſt vt Iudæos è poteſtate hoſtium erueret, quales fuerunt Apoſtoli, & diſcipuli Domini, fundatores Eccleſiæ in his aut illis orbis partibus & regionibus, vel fundatores inſtitutorum, congregationum religioſarum, aut ſaltem prædicatores inſigniores, qui de facto mutationes morum in melius induxerunt, vi verborum, & exemplo bonorum operum, & gloria miraculorum, quales fuerunt S. Vincentius Ferrarienſis S. Antonius Paduanus. S. Bernardinus Senenſis.

His præſuppoſitis, quærimus qua de cauſa poſtquam fides ſanctiſſimæ Trinitatis promulgata fuit & recepta, dum ij qui Dei gratia prædití ſunt, interiori adoratione Deum omnium rerum principium & autorem ſeu omnium creatorem colunt & & honore proſequuntur, quam internam adorationem teſtantur genuflexionibus, proſtrationibus & ſacrificiis externis (hoc enim & Lud. ab Alcazar. placuit, ſeniores deſignare Chriſtianæ Eccleſiæ ſacerdotes, per ſacrificia Deo gratias agentes, & vt ſuam fateantur omnimodam à Deo dependentiam, coronas ſuas ante ſedem Dei deponunt, vt coram omnibus publico ritu Deo gratias agant, iuxta illud Pſalm. 34. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te;*) Interea animalia ſtantia audiuntur dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat. & qui eſt, & qui venturus eſt:* ac ſi iſta animalia ſeniores prouocarent quia Deus, cui ſeruiunt ſanctus eſt, eiſque in memoriam reuocarent beneficium creationis, cum eum Dominum

A omnipotentem, qui erat, prædicant; omnipotentiæ effectum præteritum proponentes, quo Dominus fieri voluit; nempe rerum omnium productionem.

Huius certè rei hæc mihi occurrit ratio, quòd animalia repreſentent eos qui maioris ſunt autoritatis & ſanctitatis in Eccleſia, ad quos pertinet alios ad perfectionem inducere, exhortatione, præceptis & exemplis. Talis ſe exhibuit S. Paulus, vt patet ex 1. ad Corinth. c. 3. *Neque qui plantat*, inquit, *eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat vnum ſunt: Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis. Dei ædificium eſtis. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi,* B *vt ſapiens Architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat.* Ita Paul. Qui nec curæ nec laboribus ſuis parcebat; vt fideles à ſe conuerſos ad perfectionem promoueret. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Ad Galat, 4. *Iterum*, inquit, *parturio.* Ac ſi diceret: iam plurimos dolores & labores ſuſtinui, vt vos regenerarem in Chriſto; multos adhuc patior, vt vos ad perfectionis apicem per veram Chriſti imitationem deducam. Hi itaque Paulo ſimiles, ſibi in Eccleſia inferiores, legibus præceptis, monitionibus, coercitionibus; exemplis ad meliora promouent, & dum ſanctitatem, dominationem, omnipotentiam Dei prædicant, videntur dicere inferioribus: *Eſtote perfecti, ſicut Pater* C *veſter cæleſtis perfectus eſt.* Matt. 5. Eſtote imitatores noſtri, ſicut & nos Chriſti. Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ, cui obedire debetis; & eum ſequi inuitantem & dicentem: *Exemplum dedi vobis, vt ſicut & ego feci: ita & vos faciatis.* Nec de viribus veſtris diffidere debetis. Omnia poſſumus in eo qui nos confortat. Eſt enim omnipotens qui omnia creauit, qui vobis gratiam ſuam in præſenti offert, & quod incæpit ipſe perficiet, ſi velitis obaudire. Quin etiam videmus eos, qui ſanctitate alios præcellunt, graui plærumque admonitione, & acri reprehenſione etiam ſuperiores in autoritate & dignitate ad meliora capeſſenda inducere.

In viginti autem quatuor ſenioribus deſignantur D ij qui ſunt inferiores dignitate, autoritate, aut ſanctimonia. Etſi enim habeant gratiam in qua perſeuerent, qua quidem ratione in ſedilibus ſedere dici poſſunt, propter conſtantem in bono perſeuerantiam; nondum tamen vltimum perfectionis gradum attigerunt. Vnde fit vt poſſint ab eminentioribus, & ſanctioribus ad meliora promoueri, vel etiam ad præſcriptum legum & mandatorum ſuperiorum ſuorum actiones ſuas dirigere. Sic enim ſacerdotes, vt perfectè viuant, Conciliorum canones & leges obſeruare debent. Et non mirum ſi qui inferiores ſunt dignitate aut ſanctitate poſſint ad meliora promoueri: ſiquidem & ipſi ſuperiores debeant ſemper, dum viuunt, in via Dei progredi, ne retrogradi cogantur. Hinc de ſe S. Paulus lo- E quens ad Philipp. c. 3. dicebat: *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionis illius, configuratus morti eius, ſi quo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe: vnum autem (quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum) ad deſtinatum perſequor ad brauium ſuperne vocationis*

Digitized by Google

Dei in Chriſto Ieſu. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Ita Paulus. Fatetur igitur Paulus nondum fuiſſe aſſecutum perfectionem, vt illi iam quieſcendum eſſet, ſed adhuc ei currendum, contendendum, perſequendum, vt perfectionem cognitionis & vitæ melioris attingeret, ad quam in hoc ſæculo poſt quamtumlibet profectum ſemper adhuc aſpirandum eſt, & oculis ſemper in ſcopum defixis, curſu properandum ad palmam ſeu præmium regni cæleſtis. Et ne quis exiſtimaret hoc tantum ab inferioribus & infirmioribus faciendum eſſe, addit Paulus. *Quicumque ergo perfecti ſumus,* id eſt ſpirituales, firmiores, ſapientiæ ſublimioris capaces, & percipientes ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & pro conſuetudine habentes ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali, hoc ſentiamus quod ergo de meipſo iam profeſſus ſum, ſcilicet me nondum apprehendiſſe, aut perfectum eſſe, ſed adhuc multa mihi deeſſe; me eorum quæ retro ſunt oblitum ſemper ad anteriora me extendere. Nō mirum ergo ſi idem dicamus de inferioribus per viginti quatuor ſeniores deſignatis, nempe eos ad meliora induci & promoueri à ſuperioribus, qui per animalia deſignantur: ſiquidem & ipſi ſuperiores debeant etiam propriæ perfectioni inuigilare. Sed quia in hoc libro Eccleſiaſtica officia & munia deſcribuntur, quodnam ſit officium ſuperiorum deſcribitur, cum de animalibus dicitur quod ad perfectionem excitent inferiores; & inferiorum modeſtia & obedientia declaratur, cum ipſa animalia dant ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum, gloriam, & honorem, & benedictionem, dicendo videlicet: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt & qui venturus eſt.* Ac ſi dicerent ſuis inferioribus. Sancti eſtote, quia Dominus ſanctus eſt. Glorificate & portate Deum in corporibus veſtris. Oportet enim vt ad finem à Creatore veſtro vobis præſcriptum perueniatis. Qui enim vos creauit, nunc dat vobis gratiam, & ſuppeditat media neceſſaria. Ipſe autem, ſi ei cooperari volueritis, opus ſuum perficiet, conſummabitque. Ad hanc vocem animalium, id eſt ſuperiorum, & iuxta ea quæ præſcribunt, ecce ipſi inferiores, nempe viginti quatuor ſeniores procidunt ante ſedentem in throno, adorant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittunt coronas ſuas ante thronum dicentes: *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt.* Quibus verbis ſatis apertè declarant hanc primam adorationem fieri intuitu tanti operis, & beneficij creationis, & exercitia eorum deſignantur adorationis Dei, cuius ſigna & indicia dant exteriùs ſacerdotes, diuina officia & Miſſæ ſacrificium deuotè exoluentes & celebrantes. Si autem formulam adorationis deſideres, hanc accipe.

Formula adorationis elicienda ob beneficium creationis.

O potentiſſime creator noſter, & Domine tremendæ maieſtatis, qui omnibus creaturis imperas. Eſſe ſupremum, à quo omne eſſe profluit & dependet! Te colo, te adoro, te inquam, à quo habeo omne quod ſum, & eſſe, & viuere, & animam & corpus. Quam poſſideo eſſentiam, in tuis conſiliis imperſcrutabilibus, & profundis cogitationibus adinueniſti, excogitaſti, concepiſti, & eam mihi dandam decreuiſti ab æterno. O infinita & excellentiſſima eſſentia! Idea & exemplar omnium quæ eſſe aut exiſtere poſſunt! Ita eſt. Eſſentia tua digniſſima, actualis eſt cognitio de facto, actu repreſentās omnia quæ intellectu tuo intueris, ac ſi eſſet ſpecies quædā expreſſa illorum, formaliter ea repreſentans. Hacde cauſa te ſuſpicio vt cauſam idealem & exemplarem totius exiſtentiæ meæ. Quod ſim, quod exiſtam, voluntatis tuæ fuit, qui me ex nihilo produxiſti, vt eſſem id quod ſum. Liberæ inquam, & gratuitæ voluntatis tuæ fuit, cum vt eſſem aliquod conferre nequirem. Per te eſt quod ſubſiſtam. Si à me tuam faciem auerteris, ſi ſpiritum tuum ſubtraxeris, planè in nihilum ex quo extractus fui reuertar. Denique ſi aliquod opus tranſiens, aut actionem immanentem eliciam aut producam, hoc fit te cooperante qui in nobis omnia operaris, & ſine quo nihil poſſumus facere. Quidquid enim aut eſſe, aut exiſtentiæ ſit particeps, hoc totum habet à tuo eſſe infinito & independente. Omnes facultates & potentiæ noſtræ te glorificant, & tuis voluntatibus obſequuntur, magnitudinemque tuam collaudant, cum per potentiſſimi brachij tui concurſum, in actum reducis cunctas corporis & animæ facultates, ſicque perficiendo opera tua ſolus manes cui nihil deeſt, qui nulla re indiges, cui nihil euenire poteſt, nec aliquid expectare debes, quo perfici debeas; actu namque exiſtis omne illud quod es, aut eſſe oportet, bonum infinitum, nullis circumſcriptum limitibus, & ſola infinita magnitudine tua, in tua fælicitate menſuraris.

Si igitur à te habeam eſſentiam, talem enim me feciſti qualem voluiſti; Exiſtentiam, nam produxiſti me cum tibi placuit; ſubſiſtentiam, quia pro bona voluntate tua me conſeruas; facultatem & potentiam, nam ad quem voluiſti finem me præordinaſti; operationem, nam mecum in omni actione concurris, mihique cooperaris: nonne ad pedes tuos mittere debeo omnem illum honorem, quem aſſecutus ſum, dum me in numero creaturarum tuarum nobiliſſimarum, & excellentiſſimarum annumerare decreuiſti?

Sic manus tuæ plaſmauerunt & formauerunt me. Digiti tui me diuerſis donis cumularunt ad meam perfectionem requiſitis. Et dum inſpiraſti in me ſpiraculum vitæ, opus certè admirabile omnipotenti manu tua digniſſimum produxiſti. Si anima ſeu ſpiritus, quem creando infudiſti, & in fundendo creaſti, vitam vegetatiuam ſicut plantæ formaliter contineat, hoc habet quia bonitas tua infinita rapido quodam & inexplicabili curſu mouetur & fertur, vt profusè ad extra bonorum ſuorum participationem creaturæ conferat, dum in me liberalitatum tuarum veſtigia imprimere ſtuduiſti. Si vitam cum animalibus communem mihi contuliſti, qua præditus poſſim per ſenſus haurire & colligere omnes perfectiones, quas in creaturis materialibus diſperſiſti, vt perceptione obiectorum viſibilivm, per eorum cognitionem, ad tuam cognitionem tuumque amorem, mentem meam eleuare valeam; hoc fecit amor quo te ipſum diligis, perfectionibus tuis infinitis & eminentiſſimis delectatus, vt in me veſtigia agnoſcerentur illius ſuauiſſimæ & dulciſſimæ dilectionis. Quod ſi vita perfruar intellectuali cum Angelis, vt in me reluceat imago & ſimilitudo tua, itaut perfectè à quocumque alio obiecto creato mentem meam abſtraham, vt actu tota in cognitione tua occupetur, & ſolo amore tuo delectetur: hoc quia ſignaſti ſuper nos lumen vultus tui, id eſt, verbi tui, luminis de lumine ab æternitate à te geniti, filij dilectiſſimi, qui ſplendor eſt & imago immenſæ gloriæ tuæ. Quod ſi ex eoquod inſignia tua geram, in potiori & digniori conditione ab aliis creaturis poſitus, quia ad imaginem & ſimilitudinem tuam factus ſum, quaſi corona gloriæ & honoris redimitus appaream, cuius ſunt hæc dona? Nonne à te ſunt, ô amantiſſime creator? Quapropter tibi offerri &

Digitized by Google

conſectari debent. Et in ſignum omnimodæ ſubmiſ- A ſionis, ecce ad pedes tuos proſtratus, cum Angelis & hominibus, & cæteris creaturis, ecce coronam decoris mei ad pedes tuos demitto. Et quia opus tuum ſum, ô ſanctiſſima Trinitas, ecce non modo vnitatem & ſimplicitatem tuam adoro, ſed & perſonarum Trinitatem quanta poſſum reuerentia proſequor.

O Pater ſanctiſſime, qui in natura intellectuali mirè fœcunda & omnibus bonis redundante ſubſiſtens, propter quod communicationis ad intra (ſiue per viam intellectus, quia intellectualis, ſiue per viam voluntatis, quia amor eſt ſui ipſius) es capaciſſimus, cum opus naturaliſſimum rei viuentis ſit generatio ſibi ſimilis, ecce gignis verbum adæquatum infinitæ maieſtati tuæ, filium perfectiſſimè tibi B coæqualem: Nec in productione ſeu generatione filij ſiſtit bonitatis infinitæ ad intra communicatio. Siquidem charitas & amor eſt illa diuina eſſentia, non alterius, ſed ſuiipſius: quo fit vt in hoc amore qui in te eſt abſque vlla præuia productione, in filio autem tuo per generationem, cum filio tuo ſeu verbo tuo, vnanimi conſenſu amando id totum quod es, digniſſimum certè tuæ dilectionis obiectum producas amorem, ſeu ſpiritum ſanctum in vllo tibi inferiorem. Meritò, ô Pater, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, te adoro, qui propter hanc tuam bonitatem fœcundam, ſuper effluentem, & ſuper abundantem, non ſolùm potentet me ex nihilo extraxiſti, ſed (quod maius eſt) C participem me feciſti eſſe excellentioris & melioris notæ ſeu ſortis inter quaſcumque creaturas. Hunc honorem quem à te ſuſcepi tibi offero, & ad pedes tantæ maieſtatis tuæ demitto, qui à nullo procedens fons & origo es omnis emanationis & paternitatis. Hac demiſſione tantò magis honorandus es, quòd in eſſe Patris nullam tibi arrogas dignitatem, qua aut filius tuus aut diuinus amor duotũ inferiores tibi cenſeantur. Abſque inuidia communicas totam naturã diuinã, qua tibi obuenit vt à nullo procedas, quod ſis primus ſubſiſtens in ea natura, quæ ex ſe ſeu ex natura rei eſt per ſe ſubſiſtens. Hanc, inquã, cõmunicas cum omnibus, quas in ſe cõtinet aut in ſe inclu- D dit, perfectionibus; nullã tibi reſeruas. In te ſola originis, non temporis aut dignitatis prioritas animaduertitur: quo fit vt cum filio & Spiritu ſancto poſſideas cum ſumma æqualitate vnum & idem bonum, in quo ſit vna perſona primò ſubſiſtens, quia ſubſtantia; verbum ſibi ſimile generans, quia intellectualis; cum quo producat amorem ineſtimabili & ineffabili bonitati ſuæ æqualem, quia ſe inuicem amando eadem voluntate, quidquid in Deo eſt Deus eſt. Hoc modo ſanctus rectè nuncuparis: ſiquidem in poſſeſſione bonitatis infinitæ totus es eius quem reſpicis, quem producis, & ad quem habes relationem, itaut totus pater ſit in filio, & filius totus ſit in te, ô pater, & ambo toti ſitis in E Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus totus ſit in vobis. O bone Deus! Totus in te ſim: ſiquidem totum id quod ſum, hoc totum de te & per te habeo, vt ita ſanctus ſim, ſicuti ſanctus es. Et ſicut nihil in te arguendum aut corrigendum venit, cum ſis omnimodè irreprehenſibilis, fac vt infinita bonitate tua faciei tuæ intimam præſentiam tam profusè effundas, vt intimè præſentiſſimus fias, per mutuam indiſtantiam & inexiſtentiam iis quibus illam communicas bonitatem, itaut ab eis ſeparari aut diſiungi nequeas, licèt maneat ſemper inter ſe & eos vera & realis diſtinctio. Ita ſanctus ero, ſi omnia à te habens ea omnia pro te ſolo poſſideo.

Hoc modo patris perſonam adorare poſſumus. Quomodo filius ſit adorandus, nunc nobis eſt exponendum.

O fili ſantiſſime, qui perfectè Patrem repreſentans vapores virtutis Dei. Nam ſicut vapor, licet è terra exeat, in nullo tamen videtur ſubſtantiam terræ minuere; ſic à patre exiens, & ab eo genitus, nihil amittis de bono tibi per generationem communicato, manente apud eum eadem naturâ, qua ſis per generationem æqualiter cum eo particeps & conſors, vt vnum & idem ſis. Ita omnia patris tua ſunt, & tamen in nullo detrimentum patitur, cum omnia tua Patris tui ſint. At ſi ad modum vaporis è terra exeuntis à patre exeas, nullum detrimentum ei qui te genuit afferens, vaporibus tamen terræ abſimilis es, qui obſcuri per aëra ex halantur, non percipiente terra quo eant & progrediantur: nam Deus lux eſt, & perfectiſſimus intellectus, & in eo nec tenebræ, nec neſcientia, nec ignorantia poſſunt reperiri. Vapor es igitur virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei, ſyncera ſap. 7. Ex eo enim quod à patre procedis per generationem, quia ſeipſum clare cognoſcit; Ex hoc emanatio exiſtis non confuſa & obſcura, ſed clara & ſyncera claritatis omnipotentis Dei. Clara, inquam, quia nihil alienum, nihil adiectitium, nihil diſſonum aut diſſimile reperitur. In ea productione luminis de lumine nihil inquinatum, inquam, in eam incurrit emanationem. Nec mirum: procedis enim ab intellectu Patris, tanquam à principio quo, tam puro vt ſeipſum non cognoſcat aut apprehendat per indiſtantiam aut intimam præſentiam, ac ſi intellectus & eſſentia eſſent à ſe inuicem diſtincta (in diuinis namque eſſentia nihil eſt aliud, quàm illud intelligere eſſentiale, à quo producens conſtituitur;) nec cognoſcit res quaſcumque per ſpecies acquiſitas aut infuſas. Eſt enim diuinus intellectus ad modum cuiuſdam formæ expreſſæ, quæ repreſentat in ſe quidquid cognoſcit, ſiue poſſibile, ſiue actu exiſtens. Longè Angelicis mentibus eminentior, quæ nihil extra ſe cognoſcunt quàm mediantibus ſpeciebus ſibi infuſis. Nec opus eſt vt diuinus intellectus in actiones ſuas reflectatur ad modum hominum, vt per has reflexiones in proprias actiones quid ſit apprehendat. Nec inſuper opus eſt vt res extra ſe poſitas agnoſcat, ipſum ad phantaſmata à natura ſpirituali diſcrepantia & aliena conuerti. Eſt enim actus purus & ſimplex, actu ſemper & directè ſeipſum tanquam proprium obiectum intuens. Vnde merito aſſerimus nihil alienum, nihil diſſimile aut adiectitium in te reperiri: quo dici poſſet alicuius rei te participem eſſe, quæ ſit extra hanc eſſentiam, vel ea minor, aut minus digna, ſeu minus excellens. Illæ ſiquidem res in ea eſſentia omnes exiſtunt. Vnde *quod factum eſt in ipſo vita erat.* Nihil extra eam emendicans. Procedis quippe à cognitione diuinæ eſſentiæ, quæ nihil aliud eſt quàm intellectus diuinus ſeipſam cognoſcens. Procedis ex cognitione diuinarum perſonarum, quæ in ea ſubſiſtunt eſſentia, eamque perfectiſſimè poſſident. Imo procedis ex cognitione creaturarum, non ſecundum illud eſſe formale in ſeipſis, ſeu in earumdem exiſtentia particulari, ſed ſecundum quod diuinus intellectus actu ſcit & cognoſcit quidquid poteſt. Et ſic dum quidquid conducit & pertinet ad tuam productionem ſeu generationem ſit omnino diuinum, Deus es de Deo: & ita nihil coinquinatum in eam emanationem virtutis Dei incurrit: omnia ſunt in ea in claritate, eſt enim productio eius, apud quem tenebræ non ſunt vllæ.

Hac de cauſa verè ſanctus nuncuparis, nòn ſolùm ex eo quod qui te producit nihil amittit tribuendo, quo fit vt non rapinam arbitreris, ſi te dicas &

Digitized by Google

iſtius emanationis idẽ eſt cũ ipſo. Candor es ſiquidẽ lucis æternæ. Nec enim tanta eſt idẽtitas inter ſplẽdorem luminis & lumen ipſum, quanta eſt identitas inter te & Patrem tuum. Ideo es ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, non quod Pater te indigeat, tanquam ſpeculo, vt in te ſeipſum intueatur: non ex indigentia, ſed ex fœcunditate, æqualem ſibi genuit filium: ſed quia quicumque te videt, videt & Patrem, quia in omnibus & per omnia illi es æqualis & ſimilis, dum tibi communicat omnem realitatem quæ in ſe eſt, non ſecundum eſſe reſpectiuum, ſed abſolutum; qua quidem ratione ſis eidem ſimilis, non ſolùm ratione identitatis, ſed etiam vi ſeu virtute productionis, quæ vera eſt generatio, cum ſit productio rei viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, ad aſſimilationem rei productæ cum re producente tendentis: & ideo imago es bonitatis Dei, ſplendor gloriæ, & character ſeu figura ſubſtantiæ eius. In hoc verè ſanctus, quòd ſis perfecta imago Patris qui te genuit, & quia adæquatè reſpondes infinitati perfectionum ſuarum, & ineſtimabili magnitudini ipſius. O diuinum verbum! O fili vnigenite! O Patris imago! Patris, inquam, æterni: te adoro facie in terram demiſſa; & ad pedes diuinæ maieſtatis proſtratus quidquid honoris vnquam habui ex mea creatione, hoc totum tibi offero & deuoueo. Æquum eſt enim, vt ſanctitatem tuam imitemur. Sicut enim ſanctus es, quia à Patre totum accipiens, nihil Patri adimis qui totus in eo manes; ita oportet vt quidquid creaſti in te redeat, ſicut in vltimum finem. Redeat igitur in te homo, vt omnia in te redeant. Sanctificetur ſic homo, vt omnia per eum & in eo ſanctitatem adipiſcantur. Nam cum creaturæ homine inferiores in ſuum principium redire non poſſint, quia propter materialitatem longè ab eo diſtant, tu ô ſapientiſſime conditor rerum, eas quodammodo in homine collegiſti, vt homo in te rediens per cognitionem & amorem, redirent & ipſæ res creatæ, (quarum perfectiones in honore reperiuntur) in ſuum principium, & in ſuam originem.

At, ô Deus de Deo, lumen de lumine, quanto homines afficis honore? Nec enim ſatis tibi fuit vt eis dares quamdam conditionem cæteris rebus potiorem, quam adipiſcentes infatigabiliter & inceſſanter te laudarent, & omnia ad te reducerent tanquam ad finem: ſiquidem omnia ad tuam gloriam creare voluiſti; Sed inſuper voluiſti, vt ille ſtatus adeo excelleret, itaut homo poſſet tuæ diuinitatis ac fælicitatis particeps fieri, te facie ad faciem videns, eiuſque beatitudinem circumſcribi noluiſti poſſeſſione alicuius boni finiti, ſed tu ipſe, tu inquam ipſe, bonum infinitum, voluiſti eſſe mercedem eius copioſam, magnam equidem nimis. Potuiſſet enim in minori bono gaudere & conquieſcere, niſi dediſſes ei cor magnum & immenſum, abyſſo profundius, latius terra, cælo altius, & vniuerſo mundo maius, itaut te ſolo repleri valeat, ita magnanimum vt cætera deſpiciat, inquietumque ſemper maneat, donec in te requieſcar.

O verè ſanctus, qui à patris excellentia, & magnitudine non degeneras! Quali me honore afficis, qui ſedere debeo in menſa tua, fieri tibi commenſalis, tuis vti & frui cibis, deliciis inebriari. Nunc ceſſat omnis admiratio, quòd cum ſis perfecta imago patris, & ſplendor gloriæ eius, facere me decreuiſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam. Propter quod gloria & honore coronaſti, omnia ſubiicere voluiſti ſub pedibus meis, conſtituens me ſuper omnia opera manuum tuarum. Poſſet ne fieri vt altius me extolleres? Feciſti me diuinitatis tuæ conſortem, ad imaginem & ſimilitudinem tuam, &

A tanquam viuam in orbe tuæ dominationis imaginem, liberalitatis tuæ hæredem: Et quod arripere non potuit æmulator huius honoris, qui ſe tibi ſimilem fore gloriabatur, mihi dediſti. *Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei; aut filius hominis, quia reputas eum? Cur apponis erga eum cor tuum?* Ex luto formatus autoritate poſſidet per gratiam quod ſpiritibus deberi videbatur per naturam; à materia abſtracti materiæ ipſos præſidere par erat: & ecce natura mea, terrenâ conſtans ſubſtantiâ, in te incarnato non ſolùm creaturæ ſenſibili & rationali dominatur, ſed & ſupra naturam Angelicam ſublimatur. Tu enim caput Angelorum & hominum. Te adoro, te glorifico coram omnibus creaturis. Tibi B quidquid ſum & poſſum deuoueo, & magnificentiam, ſapientiam, & liberalitatem tuam cum omni humilitate & ſubmiſſione laudibus quantum in me eſt extollo.

Nunc ad adorationem tertiæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis veniamus, nempe Spiritus ſancti. Sed antequam huius actum formemus, notanda quædam de ſignificatione nominis ſpiritus ex Theologis.

Notandum igitur ex vſu Eccleſiæ nomen (Spiritus ſanctus) pro vnica diſtinctione ſumptum, accommodatum eſſe ad ſignificandam tertiam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis. Et quidem meritò, tum quia cum Spiritus ſanctus communis ſit ambobus, Patri ſimul & filio, à quibus ſimul procedit, voca- C tur ipſe propriè quod ambo communiter. Ita Fuliens. tractat. 2. de Deo trino & vno. deſp. 8. q. 1. Item ſpiritum aliquando dici, non ratione ſpirationis, qua ſoli tertiæ perſonæ conueniret, ſed etiam ratione ſpiritualitatis, itaut nomine ſpiritus ſignificetur immaterialitas diuinæ ſubſtantiæ. Spiritus enim corporeus, vt aër, inuiſibilis eſt, & penè materiæ expers. Per hoc autem quod dicitur Sanctus, ſignificatur puritas diuinæ bonitatis; atqui tum immaterialitas, tum puritas, toti Trinitati competunt. Oportuit itaque vt hoc nomen (Spiritus ſanctus) ex vſu Eccleſiæ accommodatum fuerit, ad ſignificandam tertiam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis. Hæc notanda fuerunt ad planiorem intellectum D actus adorationis Spiritus ſancti, in qua nomen ſpiritus poterit ſumi modò vt commune eſt omnibus perſonis, modò ad denotandum tertiam Trinitatis adorandæ perſonam. Hunc igitur actum hoc modo formamus.

O ſpiritus ſanctiſſime & adorande, qui à patre filioque procedis, te vere adoro ô patris & filij amor. Quis amor creaturarum tibi aſſimilari poſſet? Tu amor incomparabilis, proprio nomine carens, quia amor reddit omnia communia. Nomen tamen Spiritus ſancti tibi propriè accommodatur, & vt accommodatum tibi, nequit aliis perſonis attribui, vt inter amorem producentem, & amorem productum ſignificetur perſonalis diſtinctio. Actiuus E amor, quo pater & filius te diligunt & producunt, communicauit tibi quidquid ſunt eſſentialiter. Tu autem totus illorum es ad eos relatus: Et quia mentes hominum non poſſunt in conſiderationem magnitudinis tuæ deuenire, niſi per ea quæ viſibiliter conſpiciuntur ipſis peruia, cum nullam in creaturis emanationem eſſentialem reperiant in genere amoris, nullum tibi poſſunt nomen aſcribere, quod non poſſit etiam Patri & filio eſſe commune. Ideo te vocant Spiritum ſanctum, quia amor es Patris, qui ſanctus eſt, & filij qui ſanctus etiam eſt. Amor, inquam, Patris qui ſpiritus eſt, filij etiam, qui etiam ſpiritus eſt. Spiritus enim eſt Deus. Amor verè ſanctus, æqualis namque Patri & Filio. Infinitè amat quod infinitè amabile eſt. Amor glorioſiſſimè ſanctus, quia abſque crimine fieri non poſſet, quòd

Digitized by Google

aliud quid à te naturâ diſtinctum amares. Et quia impeccabilis, irreprehenſibilis, & ſanctus, impoſſibile eſt vt aliud ames quàm quod es ipſe, teipſum & Patrem & Filium amando. Quod ſi extra te aliquid amas, hoc in te, & propter te amas. Ipſe enim ſpiritus Dei. Ipſe amor omnipotentis patris & filij. Ipſe per quem & in quo amatur omne quod benè amatur; Itaut culpabiles ſe reddant, & etiamen contrahant cæteri amores, ſi quid extra te amant aut diligunt. Proprium tibi eſt teipſum amare abſque alterius iniuria, quod nulli licet niſi notabili culpa contaminari velit, dum in honoris tibi debiti detrimentum, ſeipſum amaret, nec ſe totum ad te referret.

In amore tuiipſius conſeruatio omnium quibus eſſe competit, per tuam liberalitatem & munificentiam conſiſtit. Si quis amor creatus in ſeipſum reflectatur, tanquam proprius & peculiaris, is certè ſi effectum obtineret, omnia ſuſdeque verteret, deſtrueret, & deſolaret. Tibi igitur gloria, quia irreprehenſibilis & ſanctus es, dum alteri perſonæ non communicas per aliquam emanationem id quod à Patre & filio per tuam proceſſionem recepiſti, ſed totum te refundis in Patrem & filium à quibus tanquam ab vno principio proceſſiſti. Si pater ſanctus eſt in eo quòd à nullo productus, & innaſcibilis, quia non produci proprium eſt naturæ in qua ſubſiſtit, tamen quia natura illa eſt fæcunda, illam communicat per viam intellectus & amoris. Et in hoc ſanctus eſt, ſi filius ſanctus eſt, quia tibi liberaliter communicat voluntariâ quadam neceſſitate id quod à patre accepit per generationem. Tu ô Spiritu ſancte, planè diuinus, ſanctus es in eo quod nullam ad intra producis perſonam, nec ad intra iſtius diuini eſſe communicas id totum quod accepiſti, tanquam fæliciter æmulator & zelator gloriæ Patris & filij, à quibus per vnicum amoris actum accepiſti illud eſſe diuinum, qui ſoli digni ſunt illud tecum poſſidere: quo fit vt non poſſet abſque iniuria illis illata cuiquam alteri deſiderari. Qua de cauſa iuſtiſſimè illis hoc bonum deſideras, veluti cuicumque alteri incommunicabile: quia Pater & filius ſoli digni ſunt hoc bonum tecum in ſua plenitudine & totalitate poſſidere. Ita eſt, inquam. Soli digni habendi ſunt hoc modo tantum, & infinitum bonum poſſidere, quia nullus alius à Deo reperiri poteſt adeo liberalis, qui ſeipſum amando poſſit propriam naturam ſuam communicare. Qua propter & iuſtiſſimum & ſanctiſſimum eſt Deo ſeipſum diligere, & proprio amore gaudere, ſibique complacere in ſeipſo, nec ad alterum ſeſe referre. Amor ille namque ita eſt fæcundus, vt ſeipſum diligendo donet & communicet totum id quod eſt, nihil ab alio accipiens, nec aliquid alteri ſurripiens. Talis non eſt amor proprius creaturarum erga ſeipſas: dum enim ſe amant, & alia propter ſe, Creatori (propter quem creatæ ſunt) iniuriam irrogant, ſeipſas illi ſurripientes, nihil aliis tribuentes, & omnia propter ſe appetentes.

Honor tibi ſit, qui cuncta tibi appropriens (tua enim ſunt omnia) effundis in creaturas profuſam abundantiam donorum tuorum. Per te ſolum illa poſſidebunt, quia à te cuncta procedunt. Sed nec illa habere debent niſi propter te, à quo eadem acceperunt. Non aliis donis ab eis præuentus es. Quis enim prior tibi dedit, & retribuetur ei? Sed quia bonus es, & ipſamet bonitas, quæ nullum aliud beneficiendi motiuum exquiris, quàm vt oſtendas te eſſe ſupremum bonum, infinitum, & ſuper omnia appetendum, & diligendum.

Virtus tibi ſit, qui mira, & gratuita voluntate, abſque vlla coactione aut neceſſitate, A hominem elegiſti, qui eſſet locus delitiarum tuarum; cumque donis ornaſti & decoraſti, quibus inſtructus facillimè ad tuum impulſum moueatur, tibique obediat, ſicque capax reddatur imitandi ſummam bonitatem tuam, dum per dona gratuita ad hunc finem illi conceſſa, aliorum ſalutem promouere ſtudet, eos ad tuam cognitionem, & amorem adducendo; quin & eiſdem donis illum corroboras, vt viriliter & fortiter ſeſe vincat & quidquid contrariat & repugnat extremæ puritati tuæ, tuo ineſtimabili candori, nitidiſſimæ luci, pulchritudini indicibili.

Denique tibi ſit gloria, qui ſolus dignus es corda hominum poſſidere, quæ ſigillatim finxiſti & B formaſti. Tibi honor, nam ſi tibi ſeruiant, ſi te colant & ament, hoc fit tuis propriis impenſis & donis; nec aliquid tibi offerunt, quam quod acceperunt ex pura liberalitate & magnifica bonitate tua. Tibi virtus, qui in his vaſis fictilibus tantos theſauros gratiarum & meritorum abſcondiſti, propter quæ iuſtiſſimè & miſericorditer ſimul illos tandem in æterna fælicitate tibi æterno amoris vinculo coniungis, vt ſint in te vnum, ſicut & Pater & filius in te vnum ſunt. Et hæc de actu adorationis ob motiuum creationis ſatis.

Quod autem ex hoc motiuo hæc prima adoratio procedat, habeo Richardum à S. Victore autorem, qui poſtquam docuit quatuor animalia dare gloC riam, & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, quia ipſum ſolum ſingulariter glorificandam, honorandum, benedicendum prædicant, & in ipſo ſolo ſingulariter & excellenter gloriam & honorem & benedictionem conſiſtere, & ab ipſo in ſubiectam creaturam deſcendere pronunciant; & viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno procidere, quia perfecti quique cognito Sacramento diuinitatis, ſummæ maieſtati ſe ſubiiciunt, & adorant (per rectam fidem) viuentem in ſæcula ſæculorum, per æternitatem; & mittere coronas ſuas, eas Deo attribuendo, & dicunt (illi ſoli gratias referendo, illum ſolum benedicendo) *Dignus es Domine, &c.* De motiuo iſtorum agens ſubdit: *Cauſam* D *denique vnde laude dignus ſit patenter ſubiungit. Quia tu creaſti omnia. Dignus eſt enim ab omnibus accipere laudem, qui omnibus ſubſiſtendi dedit originem. Sed quia omnia erant prius in voluntate diuina, quam eſſent creata, aptè ſubditur: Et propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Omnium namque rerum numerus, pondus & menſura, & quæcumque de rebus conditis dici poſſunt, incomprehenſibiliter & ineffabiliter ſemper erant in voluntate diuina; quæ aliquando originem acceperunt, & apparuerunt creata, propter voluntatem tuam, id eſt, iuxta voluntatem tuam, ſiue in voluntate tua. Verè ergo omni laude dignus exiſtit, quia omnia & ſemper per bonitatem in voluntate habuit, & per potentiam aliquando creauit.*

E *De ſecunda adoratione in quinto capite deſcripta & de illius motiuo, beneficio ſcilicet redemptionis.*

ANNOTAT. X.

QVOD motiuum adorationis ſecundæ in capite 5. deſcriptæ debeat eſſe beneficium Redemptionis, docet hoc etiam Richard. à S. Victore dum ait quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores cecidiſſe coram Agno, cum librum aperuiſſet, *id eſt*, inquit, *genus humanum redimendo, paternum promiſſum in ſacra ſcriptura ſignatur in ſe completum oſtendiſſet, &c. Et poſtea: Cognito Redemptionis Sacramento per ipſum, velut priores (ſ. Patriarchæ) implendo, & ſicut poſteriores (ſ. Apoſtoli) impleto, ceciderunt coram agno, ſe*

Digitized by Google

humiliando, illam exaltando, per ipſum ſe iuſtificari humiliter poſcentes, ipſum eſſe ſolum per quem cæleſte bonum tribuitur tali ſigno confitentes. Ita Richar. Et reuera hoc ſatis innuitur ex cantico nouo, quod ſecundum eumdem Richardum, de reparatione & glorificatione generis humani cantatur, & quia dicunt: *Redemiſti nos*, qui ſub peccato detinebamur, non te quia ſine peccato extitiſti, *Deo*, vt ſimus Dei, qui prius eramus diaboli. In hoc igitur nulla eſt difficultas. Et reuera hoc beneficium agnoſci non poterat prout expediebat, niſi poſtquam Miſſæ ſacrificium frequentari incæpit iuxta munus iniunctum Apoſtolis in his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cuius ſacrificij ſymbola videmus in cytharis & phialis, quæ in manibus animalium & ſeniorum ponuntur. In cytharis, inquam, quia Sacramentum eſt harmoniæ illius ſuauiſſimæ communionis fidelium; in phialis, propter calicem ſanguinis Chriſti, in cuius effuſione completur ſacrificium; huic ſacrificio participantes dignè, de altari, quod ſecundum Paulum habemus, edentes (de quo edere non poſſunt qui tabernaculo antiquæ legis deſeruiunt) materiam habent extollendi laudibus bonitatem, ſapientiam, poteſtatem, & iuſtitiam Dei, & ob eos qui indignè accedunt, admirandi patientiam eius & longanimitatem, & timendi ſeueritatem. *Qui enim*, inquit Paulus, *manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

Hic animalia & ſeniores ſimul adorant: quia omnes tam prælati ſuperiores quàm inferiores, hoc myſterium celebrare debent, & tam prælati quàm ſubditi eidem Sacramento participare, vt fiant Chriſto conformes. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Id eſt: Ad hoc illos præſciuit, vt prædeſtinarentur: & fierent *conformes imagini filij ſui.* Rom. 8. *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Qua conformitate adepta, iam nihil habent maiores prælati ad quod inferiores promoueant. Ideo non ampliùs cantant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c.* vt ad ſanctitatem inuitemur, ſine qua nihil eſt acceptum ei qui cenſetur nomine ſanctitatis Leuit. 11. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, vt exponit S. Thomas. Non rurſus videntur ſtantia illa animalia, quia non ampliùs illis laborandum, vt Chriſtus formetur in inferioribus; ſed cum viginti quatuor ſenioribus, id eſt, cum ſibi inferioribus Deum pro redemptionis beneficio adorant, eique gratias agunt; & coram agno, & animalia, & viginti quatuor ſeniores cadunt, ac ſi fateri & profiteri velint quòd *non eſt in alio aliquo ſalus*, aiebat Petrus Act. 4. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Nam vt ait Ioannes Baptiſta, Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Cum igitur à Chriſto habeamus redemptionem & ſalutem, & in ipſo, & per ipſum fuerimus vocati & electi ad gloriam, iuxta Apoſtolum, Epheſ. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu illius in charitate: qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo: in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum; ſecundum diuitias gratiæ eius.* Ita S. Paul. Per Chriſtum igitur nobis à Deo confertur quicquid habemus donorum ſpiritualium, & cæleſtium: & præſtat nobis Deus in

A tempore beneficia per Chriſtum, quæ per eum ſe nobis daturum ab æterno decreuit. Hæc enim electio noſtra, ac totius Eccleſiæ, eſt per Chriſti meritum, non ex præuiſa ſanctitate vſuque gratiæ, ſed vt eſſemus ſancti, vt gratia benè vteremur & ſanctificaremur, prædeſtinati ſecundum beneplacitum Dei, & à Deo vocati, non ex præſcientia futuræ bonitatis, ſed ſorte: quia videlicet prima gratia purè & gratis datur à Deo: nam cauſa prædeſtinationis noſtræ eſt purus amor & voluntas Dei, qui prædeſtinauit nos ad tantam dignitatem, idque eo fine vt ipſe laudetur & glorificetur in tanto beneficio gratis nobis collato, in Chriſto, & per Chriſtum. Quæ cum ita ſint, facilè perſpicimus cur animalia
B & ſeniores in laudes prorumpunt: quia videlicet agnito redemptionis beneficio, per quod prædeſtinatio noſtra ſuum conſequitur effectum, in his qui per dignam participationem corporis Chriſti ipſi redduntur conformes, ſe ad gratias agendum Deo teneri & obligari agnoſcunt.

Si autem quæras cur in prima adoratione animalia & ſeniores phialas nec cytharas habent, cum quibus in hac ſecunda repræſentantur, hoc ita fieri mihi videtur quòd creationi nihil ſupponitur, & ad eam nihil requiritur ex parte noſtra: ab hac enim cauſa ab hoc primo motore & creatore habet quælibet creatura & exiſtentiam & ſubſiſtentiam, eſſe & viuere, & totum id quod eſt. Vnde tantum neceſſa-
C rium fuit vt mitterent coronas ſuas ante thronum, vt ſic profiterentur & ſe à Deo omnia habere, & in comparatione illius eſſe ſupremi nihil prorſus reputari, dicente Iſaia c. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei:* Quin & in Pſalmiſta Pſ. 38. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* At dum de myſterio Redemptionis agitur, vt vtilitatem ab ea capiamus, oportet vt gratiæ Dei cooperemur, & merita paſſionis Chriſti non applicantur nobis, niſi operantibus nobis, & media ad hoc à Deo præſcripta (vt ſunt Sacramenta) ſuſcipientibus: & inter ea media ſacrificium Miſſæ reponitur quo paſſionis meritum nobis impetratur. Cuius ſa-
D crificij ſymbolum ſunt & cytharæ & phialæ. Cytharæ, quia harmonia Cytharæ pacificationis & concordiæ eſt ſymbolum: quam concordiam Chriſtus nobis attulit. *Ipſe enim*, ait Apoſtolus, *eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſum in vnum, nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens Euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Epheſ. 2. Et ad Coloſſ. c. 1. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in*
E *ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius ſiue quæ in terris ſunt, ſiue quæ in cælis ſunt.* Si igitur per hoc ſacrificium corporis Chriſti, fit mundi reconciliatio, & omnia pacificantur, optimè illud ſacrificium per cytharam ſignificabitur. At in phialis etiam hoc innuitur, quæ ſymbolum ſunt calicis ſanguinis Chriſti, in quo verè ſunt odoramenta, ſeu orationes ſanctorum, quia ſanctorum orationes nullam habent efficaciam, niſi per meritum Chriſti, per quem acceſſum habemus ad Patrem, & in cuius nomine petentes, ſpem habemus nos petitionis effectum obtenturos. At non tantum ſacrificij iſtius externi cytharæ & phialæ ſymbolum ſunt, ſed etiam ſunt ſymbolum bonorum operum myſticorum ſacerdotum, qui per opera mortificationis & charitatis Deo ſeſe deuouent & conſecrant, quia vt vtilitatem capia-

Digitized by Google

mus ex paſſione Chriſti, oportet vt per gratiam illius nos in operibus bonis exerceamus, ſecundum illud Apoſtoli: *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem: & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Epheſ. 2. Nunc autem actum adorationis ob tam inſigne beneficium, formemus & eliciamus.

Formula adorationis ob cognitionem & perceptionem beneficij redemptionis.

O Chriſte Ieſu, verus & ſolus Redemptor! Te Adoro, te toto corde honore proſequor. Verè tu es ille Agnus innocens, qui pro peccatoribus offerri dignatus es. Agnus qui tollis peccata mundi, & à tanto pondere quo in profundum tartari deiiciebamur, imbecilles humeros noſtros ſubleuas, vt in ſpem remiſſionis peccatorum erigamur. Tu infirmitates noſtras ferre, tu dolores noſtros portare voluiſti & labores, vt pœnâ æquè ac culpâ immunes redderemur. In ſanguine tuo, qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum in ara crucis, in monte caluariæ dealbatus, meritò ob hanc redemptionem te colo, te adoro. Agnus erectus & ſtans, licet videaris occiſus, eoquod manens in æternum, ſempiternum habes ſacerdotium. Tu ſemel ſacrificio cruento in cruce immolatus fuiſti: ſed dum per ſacrificium incruentum promiſſionem tuam adimplere voluiſti, ſcilicet hanc: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*; per illud manes nobiſcum in æternum. Et quamuis per tot reiterationes huius ſacrificij incruenti videretur oculis carnalibus te debere conſumi, & ad nihilum redigi, manes tamen integer & viuus, nec vllo modo tua diuina ſe abſentat maieſtas myſteriis S. Cyprian. de cæna do.

Vinculis aureis charitatis te hîc alligauit amor morte fortior, viuens & viuificus exiſtens, quamuis appareas tanquam occiſus, tanquam mortuus. Et hac ratione morte à nobis non potuiſti ſeparari, qui potiùs mortui formam induere volueris, quàm à nobis disiungi.

O quot mirabilia hîc abſcondis, & in teipſo includis, eo ipſo quo idem manens & immutabilis, à magnitudine tua & immenſitate non diſcedens, ſicut ſecundum diuinitatem verè tu es Deus abſconditus, nulli oculo corporeo viſibilis, nulli intellectui creato comprehenſibilis, cui faciem tuam reuelare nolueris. Sicut olim gloriam tuam occultare voluiſti, dum lumen de lumine, Deus de Deo, homo mortalis & mortuus apparuiſti; ſic nunc in hoc incruento ſacrificio & Sacramento ſub re viſibili & mortua abſconditus viuis, viuis, inquam, ad interpellandum pro nobis Patrem, vt merito ſanguinis tui placatus miſericordiam præſtet. Meliùs enim aſperſio ſanguinis tui loquitur & clamat, quàm Abel, qui mortis tuæ abſque culpa illatæ typus fuit. Ille enim ſanguis Abel vindictam criminis expoſcebat; tuus miſericordiam & veniam. Hæc mirabilia in hoc myſterio incluſa arma ſunt efficaciſſima, quibus confunduntur præſumptio eorum, arrogantia hoſtium deprimatur, & conterantur omnes ſub pedibus tuis, qui tibi obſiſtere & contradicere voluerint. Quis enim non admiretur potentiam tuam, qua efficaciter contradictores conculcas & vincis; ſed quod optabilius eſt, qua corda in te credentium ſuauiter flectis & attrahis, vt ad hoc ſolum nati ſe ſentiant, vt te colant & adorent, allecti dulciſſimis obtutibus tuis, quos ſuper eos multiplicas? Oculi enim tui ſuper iuſtos. Sufficeret certè ſi ſemel eos adſpiceres, qui vno intuitu olim Petrum reſpiciens,

A illum ad compunctionem, & fletum adduxiſti. Quis igitur tam continuo & reiterato intuitu, tot oculorum tuorum iaculis penetratus, ad te non adduceretur; Et ideo ad contemplanda cornua, tuæ ſigna potentiæ, & contemplandos oculos, tuæ benignitatis indicia, me conuerto.

O puriſſime agne, cui ſeptem cornua, cui tot ſunt oculi! Quam prodigioſus es in operibus tuis! Quam ſanctus in voluntatibus tuis! Quam admirabilis es in tot admirandis effectibus prouidentiæ, qua ſaluti electorum & amicorum tuorum inſtanter inuigilas! Certè ſi cornua geris, quaſi ad certamina paratus; oculi tui aperti videntur, vt ſciant & ſecuri ſint electi tui, quòd nunquam à tua excidunt memoria. O cornua, ineffabilis potentiæ tuæ ſigna &
B ſymbola! Mens certè attonita obſtupeſcit, & extra ſe rapitur, dum ſeptem potiſſimùm illius admirandos effectus intuetur. Hæc enim potentia, quæ per tot mutationes rebus creatis dat vt ſint & exiſtant admirabilis prorſus redditur per actionem tranſubſtantionis, qua facit vt de pane fiat caro tua. Hæc cuius digiti extenderunt cœlum ſicut pellem, nunc corpus perfectum & integrum idemmet quo indutus es, vt noſtram operareris ſalutem, intra ſpatium ſeu ſphæram paruiſſimæ hoſtiæ, imo ſub quacumque eius particula ponit, & (ſi ita dici licet) includit. Arguerem imbecillitatis nimiæ creaturam tuam, quòd ceſſent cunctæ eius operationes, te cum illa
C minimè concurrente, niſi nominis illi eſſet glorioſum à te omnimodè dependere in eſſe & operari. Sed hoc indicium eſt euidentiſſimum potentiæ tuæ, quòd ignis non igniat, te cum eo non concurrente; quod quantitas in hoc Sacramento extenſionem ſuam ad locum non obtineat, dum quantitas corporis tui glorioſi, licèt maneat ſubſtantiæ corporis inhærens, nullam habet ad locum extenſionem. At euaneſcit ſplendor huiuſmodi rei admirandæ, rei mirabilioris intuitu. Maiori ſiquidem admiratione dignum cenſetur, quòd in hoc Sacramento accidentia exiſtunt abſque propria inhærentia in ſubiecto. Etenim cum ad locum extenſio quantitatis ſit tantùm effectus ſecundarius illius (primarius enim eſt
D materiæ formaliter inhærere tanquam in ſubiecto) dum ille effectus ſecundarius ſuſpenditur nihil ei ſubtrahitur ad exiſtentiam pertinens: manet enim ſemper forma proprium & naturale ſubiectum informans. At ſi accidens à proprio ſubiecto ſeu ſubſtantia auellitur, proprio eſſendi & exiſtendi modo priuatur: quia totum eiuſeſſe eſt inhærere ſubiecto à quo fulciatur. Talis iniuria (vt modo noſtro loquar) nondum fuerat quantitati ex ſuſpenſione ſecundarij effectus adhuc illata, etſi extenſionem ſuam non haberet in corpore tuo inhærens, ſicut naturaliter appetere poſſet. At nimis audacter dico iniuriam fieri quantitati, ſi ſubiecto non inhæreat: non enim quantitas materiæ panis deperditæ manet in ſub-
E ſtantia panis, quæ iam non eſt; & cum accidens non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum, non admittitur in ſubſtantia corporis tui glorioſi: at hoc quantitati non eſt iniurioſum, ſed potiùs honorificum: ſiquidem hoc detrimentum tam potenti ratione quantitati reparatur: nam ſi proprio exiſtendi modo ſpoliatur, nobiliorem acquirit, dum modum & rationem ſubſiſtendi ſubſtantiæ illi confertur, nec cuiquam creaturæ iniuriam inferre vales: omnes enim tuæ ſunt, quibus totum quod ſunt propter temetipſum contuliſti.

At permitte dulciſſime Ieſu, vt pro modulo noſtro de operibus tuis admirandis ſic meditemur, vt illa aliquali ratione concipiamus, quo poſſimus ad adorandam ſummopere maieſtatem tuam prouocari. Et ſic menti occurrit quod in centuplum red-

Digitized by Google

dis quod abſtuliſti. Hoc enim ſanctiſſimum corpus propria extenſione ad locum ſpoliatum, nec circumſcriptiuè, nec definitiuè loco includitur; non circumſcriptiuè, quia ad locum non extenditur, vt loci ambientis limitibus coërceatur; non definitiuè, quia ita hic ſub his aut illis ſpeciebus reperitur, vt alibi etiam poſſit exiſtere per ſui reproductionem, & de facto ſemper exiſtat in proprio modo exiſtendi in cælis. Ex qua re mirabili prorſus in extaſim rapti manuducimur in contemplationem cauſæ, propter quam noluiſti quantitatem cum aliis accidentibus illi immediatè ſubiectis proprio ſubiecto priuatam in ſubſtantia corporis tui glorioſi non admitti, vt ipſi inhæreat, & quod perdidit recuperet: nam præter quam duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto pro eodem temporis momento non admittuntur, hoc decentiſſimè à te ordinatum eſt, ne corpus hoc glorioſum videretur quaſi ad has aut iſtas ſpecies circúſcriptas & limitatas reſtrictum, itaut non poſſet alibi reperiri; ſed corpore expedito remanente ad quaſcumque præſentias de nouo acquirendas, prout ſuauiſſima ordinatio tua ad ſalutem fidelium decreuerit, eius quantitatis auiditas ſatis ſatiatur modo illo nobili exiſtendi quo decoratur, nempe modo ſubſtantiali: & ſic indiſtantia ſpecierum cum ſubſtantiâ corporis tui abſque inhærentia præſtare non valet vt tanti boni communicatio in aliquo retardari poſſit.

Sed quid dicam, Domine mi potentiſſime? Si hæc oculis pateſcerent noſtris, homines tot mirabilia cernentes ad adorandam immenſitatem maieſtatis tuæ certè incitarentur, & hac ratione videretur non fuiſſe vanum quod tot mirabilia in vno hoc ſacramento coaceruaſti, ſicut adoramus profunditatem ſapientiæ tuæ quæ ornauit ſtellis firmamentum, terram floribus, & vniuerſum hoc compoſuit & compegit ex diuerſis partibus: quæ ſimul vniuerſum perficientes ad hoc vnum conſpirant, vt appareas magnus & laudabilis nimis. Ita proculdubio prouocaremur ad te laudandum & adorandum, ſi tot mirabilia, quæ in hoc ſacramento exiſtunt, oculis noſtris viſibiliter apparerét. Sed nec ſenſus te percipit, nec ratio capit quomodo in hoc ſacramento corpus tuum viuum & glorioſum manet, & tamen nulla in eo vitæ, aut corporis glorioſi indicia animaduertuntur. Hoc modo curioſitatem mentium noſtrarum retundis, & ad humilitatis & infirmitatis noſtræ memoriam nos reuocas, dum oculos corporeos fugis, inuiſibilis, ſecundum humanitatem tuam, ſicut oculos mentales perſtringis, quibus incomprehenſibilis manes ſecundum humanitatem tuam: & ita miranda operaris, vt ad horum comprehenſionem mentes accedere non poſſint. At rationem, ni fallor, huius rei animaduerto. Vis reſtaurare per carnem damna à carne illata mentibus, itaut ſi Spiritus carni obtemperans eique adhærens incurrit perditionem, nunc carni tuæ vnitus poſſit & bona recuperare, & damna ſua reſarcire. Admirandum enim in modum vis vt caro fiat animæ ſpiritualis cibus & nutrimentum, dum quod nec ſenſus videt, nec ratio capit, fides tamen credit, ſeu mens fide imbuta apprehendit, vt reali & viuifica præſentia corporis tui viuificetur, ſatietur, ſaginetur. Credat & fateatur, ô verbum diuinum, mens noſtra apud te nihil eſſe impoſſibile, qui omnia creaſti ex nihilo, & cuncta prout vis reſtauras; & vt mirifico operi aliud æquè mirabile adiungas, corpus tuum in hoc Sacramento æquè eſt impaſſibile, ſicut inuiſibile, vt mentes noſtræ tanto paſtæ cibo capaces reddantur omnium donorum cæleſtium. Nam dum à nullo agente externo in hoc Sacramento aliquid pati poteſt, manet tamen aptum vt ſit nobis in cibum, cor-

A pora & animas nutriens ad immortalitatem, vt verum immortalitatis pharmacum.

At, ô agne piiſſime, ſi cornua tua ſigna ſunt admirabilia & adoranda infinitæ potentiæ tuæ, non minoris admirationis digni ſunt oculi tui ſeptem. Hos, oro, apertos ſemper habeas ſuper nos, vt benignis obtutibus illorum intuiti, viciſſim oculos noſtros ſemper ad te dirigamus, vt te cognoſcentes & contemplantes; ad te continuò amandum adorandum prouocemur. Verè tu es ille lapis vnus Prophetæ Zachariæ, ſuper quem ſeptem oculi ſunt. Virtutes quippe tuæ & diuinæ perfectiones oculi naturam viſæ ſunt eminenter poſſidere. Sicut enim oculus obiecta ſua proſpiciens, illorum ſpecie induitur, B pari ratione nos benignè contuens, carnem fieri voluiſti, carne noſtra indutus apparuiſti. Non mirum igitur ſi bonitatis tuæ oculus ad nos ſe conuertens, induit ſemper cogitationes pacis, & non afflictionis, vt omnia etiam aduerſa nobis cooperentur in bonum. Non mirum ſi oculus iuſtitiæ tuæ nos intuens hac profuſus videatur cogitatione, vt dentur nobis media, quibus tot tantiſque beneficiis quibus nos præueniſti reſpondere poſſimus; dum videlicet ſuppeditat facultatem offerendi Deo irato & offenſo Deum patientem, offerendi Deum adorantem pro Deo contempto & neglecto, Deum orantem vt nos reconciliet Patri, qui Patri æqualis nos ad pœnas condemnare poterat pro offenſis, niſi C maluiſſet interpellare pro nobis. Non mirum ſi ſapientiæ tuæ oculus nunc aperiatur, & hac ſe determinatione induat, vt ſuppeditentur nobis omnia media conducentia & efficacia, quibus via ad cœlum, ſeu ad finem ad quem nos ordinauit, facilis & ſuauis nobis reddatur, quamuis dura & aſpera à ſtultis hominibus plærumque cenſeatur, qualia ſunt Dei mandata, Sacramentorum perceptio, verbi diuini prædicatio, afflictionum immiſſio ſeu permiſſio. Non mirum ſi oculus potentiæ tuæ cenſeatur ſuper nos apertus, & ſalutis noſtræ zelo ſeſe induiſſe, cum facis vt omnia aduerſa fortiter ſuſtineamus, dum hoſtes cunctos repellis, omnia aufers impedimenta, & facis vt omnia nobis cooperentur in bo- D num, itaut ſecurè in viam mandatorum tuorum alacriter curramus, gratiæ tuæ freti auxilio. Quis inſuper non fateatur patientiæ tuæ oculum, ſe tanquam ſpecie ſeu veſtimento compaſſionis infirmitatum noſtrarum induiſſe, dum abſque calore iracundiæ intuetur tot peccata, tantaſque ingratitudines noſtras, nec propter ea nos deſerit, aut derelinquit voluntatem & affectum beneficia conferendi. Sed quàm benignus eſt longanimitatis tuæ oculus, qui eadem fragilitatis noſtræ compaſſione indutus, tam multiplici reiteratione peccatorum non retrahitur à propenſione dandi nobis media, quorum auxilio à peccatis (in quæ de die in diem prolabimur) reſipiſcamus. Denique oculus ſeueritatis tuæ exiſtimari E poſſet nunquam aperiri ſupra peccatores; niſi vt eos diſperderet. Sed, ô bone Deus, non potes obliuiſci miſericordiæ tuæ, nec continebis in ira miſericordias tuas. Dum enim ob peccata iratus intueris electos, zelo ſalutis eorum te circumdas quaſi indumento, vt illos per vexationes erudias, & des illis intellectum, quem amiſimus, facti ſimiles iumentis inſipientibus; cum in peccatis perſeueramus, dona Dei contemnentes, patientia illius abutentes, longanimitatis illius benignitatem irridentes & exaſperantes. Vnde meritò dicere poſſumus quòd omnes tuæ diuinæ virtutes & perfectiones induant ſe tanquam veſtimento zelo eorum quæ ad noſtram ſalutem pertinent & conducunt. Siquidem omnes illarum effectus ad hoc tendunt & adſpirant vt ſaluemur, cum & ipſa eius indignatio ad

hoc

Digitized by Google

A hoc tendunt & adſpirant vt ſaluemur, cũ & ipſa eius indignatio ad hoc tẽdat vt peccata abhorreamus, & virtutũ exercitia diligamus. Hi ſunt ſeptem oculi ſpiritus quem miſiſti in omnem terram, quos ſemper apertos tẽnes in homines, vt diſtribuas cunctis, ſed præſertim electis quidquid neceſſarium eſt, vt ad tuam cognitionem tuumque amorem perueniant.

Sed, ô Ieſus amantiſſime, iſtæ virtutes agnoſci non poſſent, niſi tanquam claue hoc Sacramento aperires & reſerares librum ſigillatum, in quo ſcriptæ ſunt & exaratæ; id eſt, ô benigne Ieſu, à te non edoceremur, & teipſo edocti agnoſceremus teipſum (in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi) in hoc Sacramento exiſtere, vt videntes te videamus & patrem, & à te diſceremus omnia myſteria ab æterno in patris pectore recondita, & humanitati tuæ reuelata, imo quæ in te erant ſcripta ab æterno, cum ſis verbum patris, & character ſubſtantiæ eius, ante omnia ſæcula in ſinu patris requieſcens. Omnia enim quæ cognitu neceſſaria nobis fuerunt reuelaſti. Quod aſſerere non dubitaſti, dicens: *Omnia quæ audiui à patre nota feci vobis.* Hoc modo veniſti, & accepiſti de dextera patris in throno ſedentis librum, cum in carne apparens caro fieri voluiſti. Placuit enim vt plenitudo diuinitatis per vnionem hypoſtaticam habitaret in humanitate tua corporaliter, id eſt, perfectiſſimè & pleniſſimè. In qua cum omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ diuinæ ſint abſconditi, ecce quomodo per fidem tam ſacratiſſimi myſterij Euchariſtiæ illos aperis theſauros, omniaque aufers impedimenta, quæ forent tanquam ſigilla, quibus mens noſtra impediretur ne in humanitate tua diuinitatem inhabitantem, & hypoſtaticè vnitam adoraret. Videbit te igitur cũ hominibus conuerſantem, edentem, bibentem, dormientem; & tamen te patri coæqualem, te omnium bonorum originem, te totius fœlicitatis fontem, te omnibus rebus proſpicientem adorabit. Sublatis quippe omnibus impedimentis, quanta ſit erga nos ſuauitas prouidentiæ tuæ agnoſcimus, quæ nobis medium adeo excellens, nempe incarnationis myſterium ſuppeditauit, vt nos à peccatis redimeret, & bonis cumularet. Et non modò fides Sacramenti Euchariſtiæ aperit nobis theſauros infinitos in humanitate tua hypoſtaticè tuæ diuinitati vnita abſconditos, ſed te nobiſcum adeſſe præſentem vſque ad conſummationem ſæculi exhibet. Excludit enim fides cuncta obſtacula, quæ ſeſe prima fronte offerunt ne te præſentem cogitemus. Hoc enim ſenſus noſtros, effugit, Phantaſiæ non occurrit, rationi aduerſatur, credere quod Deus immenſus, Deus viuus, Deus virtutum & Rex gloriæ, humanitati coniunctus in medio noſtrum ſit tanquam agnus occiſus. Sed cum effectus huius Sacramenti ſit mentem illuminare, in eius fide omnia iſta facilè percipimus & agnoſcimus. Vnde ſuaui diſpoſitione diuina prouidentia nos ad fidem tanti Sacramenti voluit nos manu ducere, dum pro materia conficiendi hoc ſacramentum panem aſſumpſit. Nam, vt ait S. Cyp.

Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus procurat. Vitam & incrementum corporibus deoque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ ad vita infirmitas ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & num tum corporali quam ſpiritali tranſitione Chriſto nos vini. Ita Cyp.

Continuatio actus adorationis ob beneficium redemptionis, ex eo quod per fidem myſtery Euchariſtiæ auferuntur ipedimenta fidem miſtery incarnationis, & diuinarum perfectionum prouidentiæ Dei, aut excellentiæ operum maieſtatis diuinæ.

O benigne ſaluator, qui Sacramentum inſtituere voluiſti, in quo tanquam Agnus occiſus appareres in memoriam mortis tuæ Paulo poſt incurrendæ, à qua reſurgens, & cum diſcipulis per dies quadra-
B ginta conuerſatus tandem in cælum aſcendiſti, vt ſederes ad dexterã. Patris ſic veniſti ad dexteram ſedẽtis in throno, vt manifeſtum fieret omnibus te ab inſtanti conceptionis tuæ fuiſſe patri coæqualem, & eiuſdem cum eo maieſtatis, omniumque ſecretorum & conciliorum eius te eſſe participem: quæ reuelare poſſes quibuſcumque reuelanda eſſe cenſeres, accipiens à ſedente in throno librum, nempe ſcientiam omnium, per que ad patrem nobis fiat acceſſus. Vnde nemo venit ad patrem niſi per te, nemo nouit patrem niſi tu ipſe, & hi quibus volueris & magnitudinem eius, & conſilia eius reuelare & aperire.

At quàm excellens eſt medium quo vſus es, vt
C iſta nobis aperires & reuelares! Hoc iam nouimus cum poſt deſcenſum Spiritus ſancti corda tuorum charitate implentis, myſterium corporis & ſanguinis tui eos frequentare voluiſti: quotidie enim perſeuerabant in oratione & fractione panis. Quo factum eſt vt Eccleſia fidem tanti myſterij admittens, plenè inſtructa ſit, per rectam de tanto myſterio fidem, de omnibus quæ illi reuelare vis, de maieſtate patris, de excellentia diuinitatis. Eo enim myſterio reſerato, tanquam in libro aperto, ea omnia legi poſſunt. Si quid enim in ordine naturæ reperitur, quo per effectus tua diuina innoteſcat potentia & maieſtas; ſi quid in ordine gratiæ reperitur, quo etiam eluceſcant, hoc totum in hoc myſterio inclu-
D ditur, vt illo reſerato perlegantur. In illo namque exiſtis, qui verè es liber ſcriptus intus & foris, in quo inſcripta & inſculpta ſunt omnia, quibus poſſumus ad patris cognitionem eleuari. Quæ eo fine à patre accepiſti, vt illa nobis notificares. Ideo ſcientia tua liber dicitur, quia vt & nos inſtrueres, illam in humanitate tua ſuſcepiſti. Cuius libri aperis ſignacula, cum per effectus tanti Sacramenti (quamuis hoc myſterium ſenſum omnem & rationem excedat) contemplari nobis liceat diuinæ prouidentiæ tuæ abſtruſa conſilia, viaſque illius admirabiles, perfectionem & excellentiam operum tuorum, & præcipuè altitudinem Myſterij abſconditi à ſæculis antiquis, incarnationis tuæ: cuius cognitione in-
E troducimur in cellaria tua, admittimur ad vbera tua vino meliora; & mediante hoc cæleſti manna guſtamus & videmus quantum ſuauis es, & abſque falſitatis periculo te cognoſcimus, & abſque ſeparationis timore te amamus. In qua quidem cognitione & in quo amore cõpletur & conſummatur opus creationis. Mundum ſiquidem hunc viſibilem propter hominẽ creaſti; hominẽ autem vt tibi inſeparabiliter per cognitionem & amorem coniungeretur condidiſti. At quanam ratione ad tantum bonum peruenire poſſumus, niſi per huius myſterij dignam perceptionem? Iſtæ ſiquidem diuinæ tuæ prædefinitiones effectum non obtinent, niſi per participationem ſpiritalem, ſaltem fide ſeu voto tanti myſterij, quo nec patres antiqui priuati fuerunt: *Omnes enim eamdem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eumdem*

potum ſpiritualem biberunt. (Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus.) Ecce igitur, ô piiſſimè Ieſus, optimo iure te adoramus, te colimus: quia à nobis aufers omnia obſtacula perueniendi ad tuam cognitionem,& ad tuum amorem, cum aperis nobis librum, id eſt, reuelas nobis myſterium Euchariſtiæ, in cuius fide diſcere ſeu legere poſſumus quidquid neceſſarium nobis eſt ad cognitionem diuinæ maieſtatis.

Et vt hoc de magnitudine myſterij incarnationis verum eſſe videamus, ecce quomodo mens noſtra pro modulo ſuo de tanto opere apud ſe cogitat & meditatur.

Reuera, ô Chriſte ſaluator, ſi fuga tua in Ægyptum ob metum Herodis aliquod dubium ingerere potuerit de tua regia dignitate, & in vniuerſum dominatione; ſi ſimilitudo carnis peccati ſeu figura peccatoris in baptiſmo de tua ſanctitate & inpeccabilitate dubium inſtillare potuerit; vel ignominia paſſionis gloriam diuinitatis abſconderit; vel infirmitas carnis in doloribus quos ſuſtinuiſti, tuam fælicitatem; patris derelictio in cruce, tuam diuinitatem, & cum patre coæqualitatem, & filiationem diuinam; crudelitas, inſidiæ, inſultationes & blaſphemiæ inimicorum, immenſum potentiam tuam; Denique mors & ſepultura tuam immortalitatem abſconderint; certè quicumque myſterium Euchariſtiæ crediderit, & dignè eidem participauerit, de tua Regia dignitate & ſuprema dominatione nunquam dubitabit. Si enim oculos eius corporeos fugis ſub ſpeciebus panis & vini abſconditus, non fugis oculum fidei, quo videt in ſpiritu te tam abſolutam dominationem in totam naturam obtinere, vt ſicut de nihilo omnia creaſti, pari ratione naturas rerum eo modo quo volueris immutas, propter plenitudinem dominationis in omnia quæ creaſti; nec de tua ſanctitate dubitabit: experietur enim in ſe quàm efficaciter ab omni peccatorum affectu abſtrahatur, quàm potenter inclinatio illa peſſima ad peccatum inducens, ardens ille feruor ſeu potius furor concupiſcentiæ coerceatur & extinguatur virtute huius ſacramenti. Nec gloriam tuam in dubium reuocabit, te in hoc ſacramento præſentiſſimum agnoſcens, modo ineffabili & incomprehenſibili, quem nec Angelicus intellectus capere poſſet, niſi maieſtatis tuæ voluntas eſſet illud myſterium Angelis reuelare. Fælicitatem tuam ab omni malo immunem facilè agnoſcet. ſciens te in hoc ſacramento extra omne periculum patiendi aliquid à quocumque agente extrinſeco, licèt ſpecies ſub quibus exiſtit realis præſentia ſubſtantiæ corporis tui, multis ſubjiciantur alterationibus ac mutationibus. Nec diuinitas fidei oculum fugiet: nam te in hoc ſacramento adorabit vt Deum verum & viuum, ſciens quod nunquam deſeruiſti quod ſemel aſſumpſiſti. Vnde per concomitantiam diuinitatem tuam in hoc ſacramento eſſe adorandum cognoſcet: quia nunquam ipſa à carne ſanguine, & anima Chriſti exiſtet ſeparata; ſed vbicumque fuerit caro tua, ibi abſque vlla ſeparatione & indiſtantia reperietur diuinitas verbi, carni vnita. Potentiam tuam adorabit, cum perſpiciet ſub tum infirmis & egenis elementis omnibus incredulorum iniuriis te expoſitum adeſſe præſentem, vbicumque amor electorum & amicorum tuorum te adeſſe poſtulabit. Denique ſciet hoc cibo ſe nutriri ad immortalitatem; te vitæ fontem fatebitur, quam dare tibi licet dignè te comedentibus. Dixiſti enim: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sic adoro quantum poſſum tuam Dominationem in omnia, tuam ſanctitatem, tuam gloriam, qua omnia maieſtate præſentiæ tuæ imples, fælicitatem & diuini-
A tatem tuam omnia viuificantem, immenſam potentiam, & immortalitatem.

Sic effectus huius Sacramenti tollunt impedimenta fidei, quæ de tua gloria, & honore exhibendo humanitati tuæ ob vnionem hypoſtaticam haberi debet.

Multa etiam ſunt ſigilla ſeu impedimenta propter quæ mens noſtra perfectiones diuinæ prouidentiæ animaduertere non poteſt. Puriſſimus es ſpiritus, inuiſibilis & imperceptibilis ſenſibus noſtris, extra ſphæram actiuitatis eorum poſitus. Ex natura tua incomprehenſibilis es mentibus noſtris. Vnde propter infinitatem perfectionum tuarum, capere nequeant bonitatem & potentiam naturæ tuæ. Ecce B proculdubio ſigillum, quo occultantur diuinæ perfectiones earum videlicet infinitas. Secundum animaduerto, futuritionem rerum quæ euenturæ ſunt, excedentem ipſorum Angelorum intelligentiam, qui obiectorum requirunt exiſtentiam, tanquam conditionem ſine qua eas non cognoſcerent. Tertium ſigillum eſt abyſſus iudiciorum tuorum, quæ impedit in nobis cognitionem æquitatis & iuſtitiæ ipſorum. Rectè enim nos doces per Prophetam tuam, dum ait: *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Quartum ſigillum, eminens dignitas voluntatis tuæ, C quæ exigit vt qui diuinam eſſentiã tuam cõtemplantur, non valeant ſecreta conſilia tua penetrare, niſi in quantum volueris illa reuelare. Vnde abſque illa reuelatione ſapientiæ tuæ determinationes cognoſcere non poſſumus. Sed ô bone Deus, quanta ſunt ex parte noſtra ſigilla, ſeu impedimenta cognoſcendi prouidentiæ tuæ perfectiones? Et primò, deceptio ſenſuum, quorum delectatione allecti iuxta proprias concupiſcentias ambulamus. Vnde dicimus: *Vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Qua deceptione non animaduertimus te patienter agere, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Sed cum ex connexione cauſarum D ſecundarum ad inuicem cum effectibus, omnia quæcumque eueniunt curſui naturali rerum tribuamus, patientiæ tuæ minimè aſcribimus ſi peccatores non puniantur ſtatim atque te per peccata ad iracundiam prouocauerunt. Quintum certè ſigillum ſeu impedimentum cognoſcendi tuas perfectiones. Ad ſextum venio, nempe æqualitatem ſortis bonorum & malorum in præſenti vita: nam cum videamus bonos & malos permixtim cunctis ſubjici vitæ incommodis, eamdemque ſortem incurrere, animaduertere non poſſumus malis & peruerſis potiùs eſſe pertimeſcendum quàm iuſtis; & ſi comminationes tuæ effectum ſtatim non obtineant, hoc fieri quia longanimis es, expectans peccatores ad pœnitentiam. Et E quomodo non cæcutirent oculi hominum inſipientium iſta videntium, cum mens à te ſummâ ſapientiâ prædita ad hoc cæcutire videatur, dum ait: *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eoquod vniuerſa æquè eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti. Sicut bonus, ſic & peccator; vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt: quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita ſua, & poſthac ad inferos deducentur.* Denique proſperitas malorum ſigillum eſt, ſeueritatem prouidentiæ occultans, qua vti decreuiſti erga peccatores induratos. Quis enim perſpiciet illos fore aliquando

Digitized by Google

pœnis addicendos, dum videt proſperè omnia illis obuenire, dum eis permittitur bonos opprimere, & vſque ad mortem ignominia & doloribus plenam illos perſequi? Hæc ſunt ſigilla impedientia ne per effectus potentiæ, bonitatis, iuſtitiæ, ſapientiæ, patientiæ longanimitatis & ſeueritatis, maieſtas prouidentiæ tuæ agnoſcatur. Quis ea nobis reſerabit? Hoc præſtabit fides Sacramenti Euchariſtiæ. Nam dum mentem illuminat, potentiam tuam (de qua ſenſûs noſtri nihil nobis enunciare poſſunt) menti contemplandam proponit. Suauitate ſua & dulcedine ſua nos reficiens & recreans, de futuris bonis ac præmiis nos ſecuros reddit, & bonitatem tuam mentibus incomprehenſibilem prægustandam exhibet, & ſpem noſtram erigit & corroborat, vt quamuis futura non poſſimus cognoſcere, quia nondum exiſtunt, tanquam præſentia illa certò ſperemus aliquando poſſidenda. At dum in hoc Sacramento memoriam paſſionis tuæ recolimus, qua per tot labores & dolores nobis vitam æternam promeruiſti, certè æquiſſimum & iuſtum eſſe exiſtimamus ſi pro ea promerenda vis ac præcipis vt fideliter collaboremus & cooperemus gratiæ tuæ, & mandata tua adimpleamus, vt plenis manibus præmia metamur in futuro, quorum prælibationes nobis exhibes, dum mentes intima dulcedine in hoc Sacramento inebrias & reples. At dum in admirationem rapimur ob multitudinem mirabilium quæ in eo contemplari licet, certè percipimus quàm prodigioſa ſit illa ſapientia tua, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter, dum res tam longè diſſitas cum ſuauitate ſimul coadunas, & adhibes media, quorum efficacia talis ſit, vt infallibiliter quod incæpiſti fœliciter perficias. Sed iam patientia tua vultum ſerenum nobis exhibet, fragilitati noſtræ miſericorditer compatiens cum realiter & de facto corpori tuo vniti & tecum incorporati ſpiritu tuo viuificamur; qui cum ſit ſpiritus veritatis arguit nos, ſi increduli fuerimus, nec permittit nos ignorare quòd ſi de peccatis noſtris vindictam non ſumas, hoc non fit quia conſcientiæ noſtræ tibi ſint abſconditæ, ſed quia patiens es & miſericors. At dum ille ſpiritus ingemiſcit, clamat gemitibus inenarrabilibus, ſtat ad ianuam cordis & reiteratis vicibus pulſat, vt ei aperiamus, & frequenti ac continua inſpiratione ſua exigit à nobis vt aliquod vitium inſigne emendemus, ne propter illud frequenter in varia peccata dilabamur, vel certè requirit & poſtulat vt vlteriùs in via perfectionis progrediamur, ſæpiùs ad hoc nos alliciens & impellens, etſi ſæpius recalcitremus, reluctemur, & in contrarium abeamus, vtiturque aliquando comminatione, vt olim erga Petrum hac vſus fuiſti: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; Facillimum eſt nobis animaduertere non tantùm patientiam, ſed & longanimitatem tuam: ſiquidem tanto tempore nos expectas, nec ſubtrahis à nobis amicitiam tuam, donec nulla ſpes adſit conuerſionis. Nec enim delectaris in perditionibus noſtris, ſed peccatorem deſideras conuerti & redire ad vitam. Denique vltimus effectus huius Sacramenti eſt quòd reddat voluntates noſtras diuinis voluntatibus omnimodè & perfectè conformes. Vnde fit quòd ſi videamus bonos contemni, malos exaltari & honorari, bonos in aduerſis vitam tranſigere, malos in bonis ducere dies ſuos, omnibuſque bonis & proſperitatibus cumulari; exinde non offuſcatur oculus mentis noſtræ, & certò ſcit futuram eſſe in fine magnam inter iuſtos & reprobos diſtantiam, teque iuſtum eſſe & æquiſſimum, vt ſeuerè punias eos qui tot tantiſque fauoribus abuſi fuerunt, & retribuas mercedem his qui pro te tormenta, & pœnas ſuſtinuerunt, & propter

A tormenta & pœnas à ſemitis pietatis & iuſtitiæ minimè receſſerunt. Nihil enim niſi iuſtum velle, aut ſi non iuſtum permittere niſi iuſtiſſimè potes. Etſi enim viæ tuæ in turbulentis mundi huius fluctibus reperiantur, pulchræ tamen ſunt, quia veræ & iuſtæ, & ſemitæ tuæ pacificæ, quia ad reconciliandum tibi homines terminantur.

Hoc modo inſtituiſti hoc Sacramentum vt eſſet efficaciſſimum medium, quo poſſemus apprehendere prouidentiæ tuæ diuinas virtutes, dum omnia impedimenta aufers, quæ mentem à cognitione illarum retardaret. His enim ſublatis obſtaculis, facilè elucere videmus in hoc Sacramēto poteſtatem, bonitatem, ſapientiam, æquitatem, patientiam, lon- B ganimitatem, & ſeueritatem; poteſtatem in tranſubſtantiatione, bonitatem in perfectiſſima communicatione, ſapientiam in modo quo teipſum nobis exhibes manducandum & ſumendum, conditioni noſtræ accommodato, æquitatem in hoc ſacrificio oblato, in expiationem & remiſſionem peccatorum; patientiam, cum te attrectari & ab indignis accipi permittis; longanimitatem, dum conditioni humanæ compatiens, expectas vt tempore congruo fructum ſuum afferant, quem ratione tanti beneficij producere debent; ſeueritatem denique, quia inſtitutum eſt in memoriam acerbiſſimæ paſſionis Chriſti, ad rigorem iuſtitiæ ſatisfacientis, & altè clamantis quia *ſi in viridi ligno hæc fiunt, in arido* C *quid fiet?*

Sed nec operum tuorum mirabilium penetrare poſſemus excellentiam, niſi reſerarentur ſeptem ſigilla, id eſt, auferantur ſeptem imbecillitates naturali conditioni noſtræ annexæ, quibus anima noſtra retardatur à vera cognitione, & penetratiua apprehenſione obiectorum, quæ illi præſentia exhibentur. Omnia ſiquidem media & inſtrumenta quibus vtitur vt res apprehendat, imbecilliora ſunt quàm vt de ſe poſſint attingere vſque ad perfectam cognitionem excellentiæ operum tuorum. At adeſt hoc diuinum Sacramentum, & ſuppetias præſtat mentibus noſtris, & difficultates aufert, & librum hunc aperit, ſeptem his imbecillitatibus quaſi ſigillis ob- D ſignatum. Equidem oculus corporeus te non videt: aures noſtræ vocem tuam non percipiunt. Nec enim ſenſibili voce nos vocas, ſicut olim vocibus ſenſibilibus Prophetas quoſdam vocaſti; nec odorem ſuauiſſimum è corpore tuo emanantem odoramus, & guſtus palati nimis eſt obtuſus vt dulcedinum tuarum ſentiat ſaporem; Tactus nimis ſtupidus, vt te præſentem percipiat. Imaginatio noſtra & æſtimatiua nimis eſt imbecillis, vt poſſit ſpecioſam corporis tui formam delineare: quin & ratio deficit, ſi modum quo hîc præſens es exquirere attentauerit.

At ſi fides adſit, quæ mentem noſtram extollit ſupra ſenſum & rationem, & vitam ſuperioris ordinis animæ elargitur quàm ſit vita ſenſitiua, aut purè E rationalis, ecce mox percipere poſſumus quàm magna & mirabilia ſunt opera tua in hoc Sacramento, qui tam ineffabili medio vis nos vnum tecum effici & tibi vniri, vt vltimo fini & ſupremæ beatitudini noſtræ. Hîc ſiquidem nobis arrhabo vitæ æternæ & immortalis datur, dum ſub velamine ſpecierum ſumimus id quo ſine velamine in cœlo potiemur. Hoc modo abſque miniſterio oculi corporei te video corpori dantem qualitates ſpiritus, vt corpus tuum totum ſit in tota hoſtia, & totum in qualibet parte illius. Hoc modo percipio vocem tuam non illam ſenſibilem, ſed intelligibilem intrinſecus mihi loquentem. Illuminas enim omnem hominem venientem in hunc mundum, & tuis colluſtras ſplendoribus, quibus doces nos ſupra iumenta terræ, & tuas nobis aperis voluntates. Qua intellectuali

Digitized by Google

aure audiebat vocem tuam ille, qui olim dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* At dum in hac vita ſub ænigmate tantùm te cognoſcimus, certè potiùs in odorem currimus vnguentorum tuorum, quàm pulchritudinem tuam, qualis in ſe eſt, clarè videamus. Ambulantes enim in fide, & non in ſpecie, potiùs odore tuo reficimur, quàm viſu tuo ſatiemur. Vnde in hoc myſterio nihil quærimus quod olfaciamus, quod guſtemus, ſed retro obliuiſcentes, quæ citò ſunt tranſeuntia, ad anteriora extendimur, & delectatione longè ea excellentiori, quæ per guſtum percipitur, ad bonum de ſe ſolum ſufficiens ad perfectè implendum totum appetitum, adſpiramus, cætera contemnimus, & tanquam quid fætidum aut inſipidum negligimus, modò tibi copulemur, qui dilectiſſimus es ſponſus, qui tactu tuo delectas nec inquinas; qui cor & ſenſus lætificas nec inficis: nam ignis es purificans & mundans omnia animæ & corporis inquinamenta, & in te transformas quidquid in nobis carnale & terrenum exiſtit, & tot bonis reples ad te accedentes, vt in nouum hominem & plane diuinum tranſeamus, per hanc intimam cum corpore tuo vnionem. Hinc clamamus: *Quid mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo meo ſpem meam.* Quid nunc dicam certè ſi imaginatio qua ſis figura præditus nequit exprimere, quod quantitas corporis tui nullam ad locum extenſionem habeat, nihilominus ſub his ſpeciebus te adoramus. Sufficit enim quod fides te vt præſentem nobis exhibeat, vt fructum realis præſentiæ tuæ à mea fide independentis obtineamus. Nec enim res ſpiritales ſenſibus conſummari debent, vt imaginatione opus ſit ad eorum cognitionem, cuius hoc vnum eſt officium admittere ſpecies ſenſibiles per ſenſus ab externis obiectis immiſſas. Nec ſiſtimus in his quæ ratio ſuggerit: nimis enim deprimeretur ineſtimabilis potentia tua, ſi effectus illius reſtringeremus ad id quod ratio ſecundum ſe capere & intelligere poteſt. Adeo cæca eſt & debilis, quòd ſeipſam nequeat comprehendere, quia ad hunc altiſſimum finem creata eſt vt te valeat ſupernaturali gratia confortata & cognoſcere & amore Quo fit vt quanta ſit propria eius capacitas & amplitudo nunc plenè nequeat comprehendere: tunc comprehendet pleniſſimè, cum ipſo illi frui licebit.

Sic igitur fides huius myſterij charitate formata firmat in nobis cognitionem eorum, quæ mente nequimus comprehendere, nec ſenſu penetrare, qualia ſunt opera quæ ordinem rerum naturalium à longè excedunt, & in hoc myſterio quodammodo inuertere videntur. Sic animalis homo inter dominicæ menſæ conuiuas non admittitur: quidquid caro & ſanguis dictat ab hoc cætu excluditur: quidquid humani ſenſus ſubtilitas molitur, nihil ſapit, nihil prodeſt eidem huius myſterij perceptionem. Sapientes huius ſæculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum quidquid ſuis ratiocinationibus probare non poſſunt: ſed deridentur, veritas diuina ab erroneis hominibus capi non poteſt. Cum volunt in ſole veritatis figere oculos, vim luminis ferre non poſſunt: obcæcata eſt potiùs, non inluminata humana præſumptio, & aſpectui eius lippitudo inhæſit.

Ad pedes igitur tuos proſtrati, ô Deus adorande, metuende, colende, diuinitatem tuam in humanitate tua adorantes, tuam prouidentiam in noſtra Redemptione, tuam bonitatem in donis & gratiis, dignum te prædicamus ô agne innocentiſſime, qui acceperis poteſtatem aperiendi nobis quale & quan-

A tum ſit bonum noſtrum. Accepiſti enim cognitionem eorum omnium, quæ ad regimen Eccleſiæ pertinent, & ad illam communicationem ad extra infinitæ bonitatis tuæ. Quis te hoc honore dignum non diceret? Video te nos redemiſſe, & Redemptoris nomen tibi vendicaſſe per effuſionem ſanguinis tui, rapiens nos ad te ex omni parte vniuerſi, vt ſimus patri tuo Regnum, & obſequio illius mancipati, cum tanta plenitudine vt ſicut ille in nobis regnabit per noſtram obedientiam, ſic etiam nos regnabimus ſuper terram per exercitium poteſtatum, quæ illius omnimodam poteſtatem & autoritatem maniſeſtè prædicant & annunciant.

B *Et vidi: & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium: & erat numerus millia millium, dicentium voce magna Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, &c.* c. 5.

De tertia adoratione, cuius motiuum eſt ſuprema Dominatio Chriſti humanitati data, qui caput eſt Angelorum & hominum.

De diſtinctione huius tertiæ adorationis à cæteris.

HÆC tertia adoratio differt à cæteris: primò C quia in prima adoratione animalia laudant Deum, in ſecunda, tam animalia quam viginti quatuor ſeniores cantant: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, &c.* In hac tertia Angeli audiuntur in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum, quibus concinit *omnis creatura quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari & quæ in eo, &c.* Quorum Angelorum, & quarum creaturarum laudes approbant animalia dicentia Amen: & viginti quatuor ſeniores adorant. Et quamuis in quarta, Angeli adorent & laudes decantent, alius eſt ordo laudum quas reddunt Angeli in hac tertia adoratione, & in illa quarta D adoratione. Hic dicunt: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

In quarta dicunt: *Benedictio, & claritas & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.* In quarta Angeli laudant & adorant. In hac tertia ſolum laudant, & ſoli ſeniores procumbunt & adorant viuentem in ſæcula ſæculorum. In quinta adoratione capitis vndecimi, plures fiunt voces magnæ in cælo dicentes: *Factum eſt Regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti, & Regnabit in ſæcula ſæculorum. Amen.* Et ſoli viginti quatuor ſeniores adorant, & gratias agunt. De ani- E malibus nulla fit mentio. In ſexta adoratione viginti quatuor ſeniores & animalia adorant, & ſolùm approbare videntur Dei opera, & inuitare alios ad eum collaudandum: nihil enim aliud dicunt quàm *Amen Alleluya.* Viſa nunc diſtinctione tertiæ adorationis ab aliis, quodnam ſit, motiuum illius inquiramus.

De motiuo tertiæ adorationis, nempe quia data eſt Chriſto omnis poteſtas in cælo & in terra.

Multa me impellunt vt exiſtimem hanc adorationem fieri in gratiarum actionem Deo, quòd Chriſti humanitati ſupremam dederit in omnia dominationem.

Hoc ſentire videtur Primaſius, dum ait: *Dignus*

Digitized by Google

eſt Agnus qui occiſus eſt accipere poteſtatem & diuitias, &c. Ipſe eſt enim theſaurus bonorum omnium, & ſapientia Dei. Ipſum namque cunctis facit gentibus Dominari dicens. Mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Et omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: Et tibi dabo claues regni cælorum, &c. Nam licèt Primaſius hæc ad Eccleſiam extendat, hoc noſtram confirmat ſententiam: quia tanto maior videtur Chriſti in omnia Dominatio, quod cunctas creaturas Eccleſiæ poſſit ſubijcere, eamque cæteris rebus præferre. Sed dum poſtea addit: *Hinc ipſe dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra; nec ſuam ex tempore accepiſſe poteſtatem, ſed in hominibus, Eccleſiæ ſignificare voluit dignitatem, ille vtique qui ſe per omnia patri docet æqualem, vt & quæ eſt in cælo ipſa humana in Chriſto natura Angelis prælata Dominetur in cælo, prædicata hominibus regnans Dominetur in terra, quæ ſolutis gemitibus inferorum præualens Dominata docetur & ſub terra.* Ita Primaſ.

Andreas etiam Cæſarienſis fauet. Nam poſteaquam omnia exiſtentia Deum tanquam omnium principium & cauſam laudare & glorificare, nec non vnigenitum & conſubſtantialem eiuſdem filium omnia innouantem. poſtea addit: *Et ſi interim ſecundum naturam aſſumptam, tanquam homo poteſtatem in ea quæ ſunt in cælo & in terra accepiſſe ſcribitur.* Ita And.

Et denique Richardus à S. Victore dum Angelorum laudem exponit: *Dignus eſt Agnus, &c. Ac ſi,* inquit Richard. *diceret: Angelicæ poteſtates mediatorem Dei & hominum ſupra ſe poſitum collaudantes, & eius dignitatem prædicare non erubeſcentes. Redemptor mundi, qui eſt Agnus per innocentiam, qui eſt occiſus per indebitam pœnam, & redemit captiuam creaturam, dignus eſt per ſingularem excellentiam accipere à ſubiectâ creaturâ diuerſa gratiarum præconia. Dignus eſt accipere à creatura per laudem exhibitam, quod ſecundum diuinitatem per naturam, ſecundum humanitatem per gratiam, &c.* Et poſt pauca: *Non ſolùm dignus eſt ſaluator virtutem, & quæ ſupra dicta ſunt accipere, per laudem & gratiarum actionem, ſed & omnem creaturam per poteſtatem.* Ita Richard.

Et reuera hoc ſatis rationi conſonum eſt, vt expoſita adoratione pro redemptione generis humani, in qua Chriſtus occiſus tam demiſsè fuit humiliatus, factus pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, ſtatim declaretur Deum eſſe adorandum, quia Chriſtum humiliatum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. *Caput eſt*, inquit Apoſtolus, 2 ad Coloſſ. *Omnis principatus & poteſtatis.* Sed c. 1. Epheſ. maximè illa ſuprema Chriſti Dominatio deſcribitur. Ibi enim Apoſtolus optat Epheſ. inter alia ſcire *quæ ſit*, inquit, *ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus ſecundum operationem potentiam virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum & poteſtatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.* Ita Paulus. Exaltatus eſt igitur Chriſtus, & accepit nomen ſuper omne nomen, *vt in nomine Ieſu*, inquit Paulus, *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Philipp. 2.

Et certè cum hæc Dominatio in omnia, data humanitati Chriſti, opus ſit Dei maieſtatem valde commendans vt Angeli habeant in quo ſuam erga Dei voluntatem ſubiectionem teſtentur; & naturæ humanæ non modò vtiliſſimam, ſed & honorificam; non mirum ſi propter hoc Angeli, Dei gloriam zelantes, ſuam propenſionem ad ei congratulandum A oſtendere volentes. Et quomodo Dei voluntati ſe totos deuouere & conſecrare cupiunt dicentes: *Quis vt Deus?* Vt veri Dei voluntati ſuam præferre audeat? Nunc in laudem Dei hac de cauſa prorumpunt, dignumque exiſtimant agnum qui occiſus eſt, qui virtutem & diuinitatem, & cætera accipiat. Non mirum ſi omnes creaturæ, qui hac ratione fuerunt reſtauratæ & reparatæ, & à ſeruitute corruptionis liberatæ, ſedenti in throno, & agno dant benedictionem & honorem. Non mirum ſi animalia his laudibus ſubſcribunt, & ſeniores horum intuitu cadant in facies ſuas, & adorent, in ſæcula ſæculorum.

B *Quomodo laudes Angelicæ optimè conueniant cum hoc motiuo laudandi Deum?*

ANNOTAT. XI.

AD quæ ſe extendat hæc Chriſti ſuprema Dominatio docet Propheta regius, Pſalm. 2. Primò, vt eum autoritate & poteſtate Dei præcepta Eccleſiæ proponat, & tanquam Rex & ſacerdos narret Dei ſtatuta & decreta. *Ego*: inquit, *conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.*

Hac de cauſa *erat docens in ſynagoga, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ & Phariſæi.* Fuit autem
C mons Sion biiugus, in cuius vno colle erat arx Dauidis, in altero templum: vtroque enim magiſtratu Eccleſiaſtico & Politico Eccleſia continetur, munitur, & viget. Conſtitutus eſt autem Chriſtus, vt omnem Eccleſiam inſtruat, non modò eos qui rebus Eccleſiaſticis vacant, ſed & eos qui Regia, & terrena poteſtate potiuntur.

Secundò: habet poteſtatem Chriſtus, & ad hoc miſſus eſt, vt teſtimonium perhibeat veritati, & per opera miraculoſa ſe filium Dei à Deo miſſum oſtendat, iuxta illud Ioan. 11. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: Vt credant quia tu me miſiſti.* Et hoc eſt quod ſibi dictum
D fuiſſe à Patre aſſerit, Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Ac ſi diceret: Volo equidem vt mea enarres præcepta, ſed ad hunc finem vt omnes ſciant quod ſis filius meus, quem ab æterno genui è mea diuina eſſentia, & non aliunde.

Tertiò: hæc filiatio naturalis eum facit bonorum Dei hæredem. *Nouiſſimè*, inquit S. Paulus, Hebr. 1. *diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Huius hæreditatis poſſeſſionem, quæ iure filiationis naturalis ſibi debebatur, voluit meritis proprijs ſibi vendicare & acquirere, vt ea vteretur ad libitum: & ita duplici titulo ad eam capeſſendam acceſſit, nem-
E pe filiationis naturalis, & obedientiæ Patri exhibitæ, præcipienti vt poſtulet non dimidium Regni, ſed omnem dominationem in cunctas nationes & regna. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quod ita factum eſt. Pſalm. 2. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Et in hoc videtur quanta ſit illius dominatio. Cuius manifeſta indicia poſtea Pſaltes explicat dicens: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Vt omnes agnoſcant & Reges & iudices ſuis debere obedire mandatis & decretis, nec ratione dignitatis ab eius eximi dominatione, quia Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium. Proinde ſeruien-

Digitized by Google

dum eſt illi cum timore, & cum tremore ei exultandum & congratulandum. Nec enim cum eo Reges huius mundi agere debent; ac ſi ei pares eſſent in dignitate: tanta eſt enim illius maieſtas, vt coram eo contremiſcere debeant etiam potentiores, & ad nutum ei obedire, etſi lætari contingat quod ſint in numerum ſeruorum eius aſcripti, hoc fiat cum omni reuerentia, vt pote qui ſe indignos exiſtimare debeant tanto affici honore: nullius enim eſt indigus. Nec qui in mundo altiores dignitates obtinent, exiſtiment ſe illi eſſe magis neceſſarij quàm ſint neceſſarij cæteri de fece populi. *Adducis*, inquit Iob. c. 12. *conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit ſacerdotes in glorios, & optimates ſupplantat.* Et cap. 34. *Qui dicit Regi, Apoſtata: qui vocat duces impios: qui non accipit perſonas Principum, nec cognouit Tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius ſunt vniuerſi.* Ita Eliud Iob. c. 34. Itaque optimè concludit Pſaltes, videns quàm terribilis ſit illius dominatio etiam regibus & Principibus terræ. *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta; cum exarſerit in breui ira eius.* Eius iracundiæ impetum effugiunt non potentiores, non de ſua dignitate aut iuſtitia confidentes aut præſumentes, ſed ei obedientes, ſed in eo ſuam ſpem & fiduciam collocantes. *Beati omnes qui confidunt in eo.*

Cum his omnibus conueniunt optimè laudes Angelorum, ſeu vota & deſideria eorum. Dicunt enim primo: *Virtus.* Ac ſi dicerent: Tam efficax ſit illius ſermo, vt cum ſupra montem Sion prædicauerit præcepta Domini, omnes ad veritatis cognitionem, & ad obediendum Deo adducat. Hoc enim nomine. *Virtutis*, in ſcriptura, energia & efficacia verbi diuini ad animarum conuerſionem exprimitur, vt Luc. 1. de Ioan. Baptiſta: *Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute illius, vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* Virtus igitur data Ioanni Baptiſtæ erat ad conuerſionem animarum. Et de tempore illo loquens, in quo debebat fieri, poſt eius aſcenſionem, multorum ad fidem conuerſio, Matt. 16. ait: *Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hîc ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute. Vel regnum Dei*, inquit S. Gregor. in caten. S. Thom. hom. 32. in Euang. *præſens Eccleſia vocatur. Et quia nonnulli ex diſcipulis eius vſque adeo victuri erunt, vt Eccleſiam Dei conſtructam conſpicerent, & contra huius mundi gloriam erectam, conſolatoria promiſſione nunc dicitur: ſunt quidam de hic ſtantibus.* Ita Greg. Et Lucæ vltimo, prædicationem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti mortem paſſi, & à mortuis ſuſcitati, iniungens Apoſtolis, præcepit ne tantum opus inciperent antequam Spiritum ſanctum accepiſſent, & induti eſſent virtute cæleſti. *Vos autem*, inquit, *teſtes eſtis horum. Et ego mittam promiſſum Patris in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Admonendi ſunt ergo*, inquit S. Gregor. in Paſtorali Par. 3. c. 26. *quos à prædicationis officio vel imperfectio vel ætas prohibet*, & tamen præcipitatio impellit, ne, dum ſibi *tantum onus officij præcipitatione arrogent, viam ſibi ſubſequentis meliorationis abſcondant. Ipſa enim veritas, quæ repente quos vellet, roborare potuiſſet, vt exemplum ſequentibus daret, ne imperfecti prædicare præſumerent, poſtquam plenè diſcipulos de virtute prædicationis inſtruxit, mandauit eis vt in ciuitate ſederent, donec induerentur virtute ex alto. In ciuitate quippe ſedemus, ſi intra mentium noſtrarum clauſtra nos conſtringimus, ne loquendo exteriùs euagemur: vt cum virtute diuina perfectè induimur, tunc quaſi à nobis metipſis foras etiam alios inſtruentes exeamus.* Ita Greg.

A apud cat. S. Thom. Hanc virtutem illis promittebat, act. 1. *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos. Et eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Quod grauiter præſtitiſſe refertur act. 4. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. Et gratia magna erat in omnibus illis.* Et propter hanc virtutem, qua Chriſtus ſanctificat animas agnoſcitur filius Dei; *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Rom. 1. Et hac virtute Apoſtolus dicebat fieri vt prædicante ipſo Euangelium, ſecundum donum gratiæ Dei, gentes eſſent cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis

B eius in Chriſto Ieſu per Euangelium. *Cuius*, inquit, *factus ſum miniſter, ſecundum donum gratiæ, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis eius:* Epheſ. 3. Nam reuera ſi qui ad prædicationem verbi conuertuntur, hoc fit ſecundum operationem virtutis Chriſti. Itaque meritò Angeli deſiderantes Chriſtum fructum copioſum ex paſſione ſua referre, optant illi virtutem, id eſt, vt virtus eius eluceat in conuerſione eorum, qui per meritum paſſionis redempti fuerunt. Cui operi ſe cooperari velle ſatis innuunt, dum illi virtutem exoptant, itaut ſi ipſorum opera Chriſtus Dominus indiguerit, illam proculdubio non denegabunt. In hoc enim etiam Chriſti virtus elucere debet, quòd omnia illi obediant, vt illorum miniſterio quæcumque voluerit perficiat.

C Secundò: Angeli exoptant agno diuinitatem, id eſt, diuinitatis illius manifeſtationem, græcè πλοῦτον. j. diuitias. *Sermo enim eſt*, inquit Alcazar etiam apud Cornel. à Lapide, *de oſtenſione diuitiarum in earum communicatione, id quod diuinitatis eſt proprium: ſcilicet diuitē eſſe in miſericordia.* Et reuera hoc nomine optimè deſignatur ineſtimabilis theſaurus, primò bonitatis, patientiæ & longanimitatis Dei. Rom. 2. an diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis; Secundò, ſcientiæ & ſapientiæ, Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Tertiò, gratiæ Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum*

D *ſecundum diuitias gratiæ eius.* Quartò, *Gloriæ*, Rom. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Denique omne bonum quod in Deo aut in Chriſto eſſe excogitare poſſumus. Philipp. 4. *Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundum diuitias ſuas in gloria, in Chriſto Ieſu.* Et Epheſ. c. 3. *in gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti.* Quidquid ſit, ſiue diuinitatis manifeſtationem, ſiue diuitiarum eius cognitionem Angeli agno exoptent, cum particeps ſit diuinitatis, quia filius Dei eſt; & immenſæ illius diuitiæ ſunt, quod ſit verè filius, vnde hæres conſti-

E tuitur vniuerſorum. Angeli exoptantes diuitias aut diuinitatem, hoc exoptant quod expreſſit Dauid in his verbis. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.

Tertiò, deſiderant Angeli agno ſapientiam, id eſt, vt ſapientia eius agnoſcatur. Non enim vt habeat aut virtutem, aut diuinitatem, aut ſapientiam vota ſua exprimunt, quaſi aliquando hæc non habuiſſet, ſed cum illa habeat independentes ab omni creatura, hæc in eo exoptunt manifeſtari per effectus. Sapientia autem illius maximè elucebit in regimine Eccleſiæ. Quod ſatis conuenit cum Pſalte dicente: *Reges eos in virga ferrea.* Certum ſiquidem eſt ad regimen populorum multam requiri ſapientiam, vel Salomone teſte 2. Paralip. *Me feciſti regem ſuper populum tuum multum, qui tam innumerabilis eſt*

Digitized by Google

quam pulnis terra. Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo. Quis enim poteſt hunc populum tuum dignè, qui tam grandis eſt, iudicare? 2. Paralip. 1. cap.

Quartò: At non tantum opus eſt vt ſapientia eluceat in optima directione ad finem debitum per media conuenientia, ſed vt Rex fæliciter regnet debet etiam habere vim coactiuam æquè ac directiuam, qua ſapienter ſubditis preſcribit quæ facere debeant, vt ad finem perueniant, ad quem illos deducere intendit. Qua coactiua virtute contradicentes ſibi fortiter coërceat, vel ita comminuat vt ei reſiſtere non valeant. Hac de cauſa: Quartò Angeli addunt(*Et fortitudinem.* Qua fortitudine ſuperbos ac contradicentes reprimat, & humiliatos ſub potenti manu eius, per cordis contritionem, ita corroboret, vt cum infirmiores facti fuerint reddantur fortiores. Quæ Dauid paucis verbis complexus eſt, dum ait non ſolùm *Reges eos in virga ferrea*, ſed etiam. *Et tanquam vas figuli confringes eos.* Confringit autem audaces, & de ſe præſumentes, illorum conatus irritos reddendo, ſed etiam eos, quos per contritionem ad ſe conuertit. Ita enim confractis & contritis, requieſcit ſuper eos, & prout vult operatur in eis. Vnde quintò addunt Angeli: *Et honorem.* Honor quippe Deo debetur, ſiue quia conterit ſub pedibus ſuis inimicos ſuos, ſiue quia infirmitati & imbecillitati hominum contritorum corde compatitur, eoſque gratia ſua corroborat: qui honor cum ei reddatur per fidelia obſequia præſertim eorum qui in ſublimiori dignitate conſtituti ſunt. Votum Angelicum optimè quadrat cum iis quæ à Propheta Regio dicuntur: *Et nunc*, inquit, *Reges intelligite. Erudimini qui iudicatis terram. Seruitute Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et quia obſequium & cultus Deo debetur duarum rerum intuitu, nempe propter excellentiam, & dignitatem naturæ ſuæ, ſecundò ob innumera collata in nos beneficia, hinc Angeli ſexto addunt: *Gloriam*: propter immenſam dignitatem naturæ diuinæ, quæ omnem creaturæ dignitatem excedit. Vnde ait! *Gloriam meam nemini dabo.* Denique ſeptimò, benedictionem, propter beneficia. Ad quæ reſpiciebat Dauid, dum ait ſeruiendum illi, ſed cum timore, ratione videlicet infinitæ maieſtatis ſuæ; & exultandum ei, ſeu ei congratulandum, propter beneficia, ſed cum tremore: tanta eſt quippe eius maieſtas, vt nunquam exiſtimandum ſit nobis plenè ſatis feciſſe vel illius dignitati vel illius munificentiæ, & erga nos liberalitati. Quapropter Propheta Regius mouet, nobis eſſe ambulandum in eius cultu cum magna cautela, & circumſpectione, ne aliquid deſit quod præſtare debeamus. *Apprehendite*, inquit, *diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Sic verè dixit ſapiens: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*: qui de ſe non præſumens, omnem ſuam in Dei Bonitate & Clementia collocat fiduciam. Vnde his verbis Pſalmum concludit: *Beati omnes qui confidunt in eo.*

Dum igitur Angeli Agno exoptant multorum ad fidem conuerſionem, diuinitatis ſuæ manifeſtationem, Regni ſui amplitudinem, inimicorum ſuorum conculcationem, electorum ſuorum ab eis qui eos impugnante in via, fortem liberationem; omnium Regum cultum & obedientiam, maieſtatis diuinæ adorationem beneficiorum Dei agnitionem; Certè deſiderant vt Dominatio illius in omnia extendatur, dum præcipuè hominum corda ſemel ſibi deiunxerit, itaut illum amare eique ſeruire ſtudeant.

Hæ autem voces videntur eſſe Angelorum cuſtodum ſeu tutelarium: ſunt enim *voces Angelorum*
A *multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum.* In eo enim quod dicuntur eſſe in circuitu, videmus hoc debere intelligi de Angelis præcipuè cuſtodibus, iuxta illud Pſ. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Pſ. 33. *Immittet Angelus*, inquit, Genebradus, *auxilium & præſidium ſuum. Per Eclipſim Septuaginta. Et hebrai ſine Eclipſi. Caſtrametatur, vt eos muniat, & acie cingat militari. Metaphora. Quin & alludit ad cuſtodiam Angelorum, quam cum circa ſe conſpiceret Iacob, locum viſionis iſtius vocauit Manahim, id eſt, duo Caſtra. Angelis vitur ad nos ſeruandos, non quia non poſſit per ſeſe ſine medio nos ſeruare; vel etiam interdum per ſeſe citra illorum vel alterius creaturæ operam nos ſeruet; ſed quia ſic inſtituit.*
B *Hunc enim ordinem in ſua prouidentia poſuit, vt inferiora per media & media per ſuperiora regat, niſi quatenus poteſtate ſua abſoluta actiones ſuſpendit, & per ſe ſine medio aliqua operetur.* Ita Geneb. Cum igitur S. Ioannes dicat hos Angelos innumerabiles eſſe in circuitu Throni, Animalium & ſeniorum, quales erant hi qui ad preces Eliſei puero eius timenti ob exercitium Regis Syriorum apparuerunt, certè videtur intelligendus de Angelis cuſtodibus, qui muniunt & circumdant Eccleſiam. *Domine*, orabat Eliſeus, *aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri: & vidit. Et ecce mons plenus equitũ & curruũ igneorũ in circuitu.* 4. Reg. 6. Hi ſunt vigiles, quos Dominus poſuit ſuper muros Hieruſalem, qui non dormiunt,
C neque dormitabunt, & zelo honoris diuini accenſi, & deſiderio ſalutis noſtræ inflammati optant Chriſto virtutem & diuinitatem, &c. itaut in nobis paſſio & Mors Chriſti ſic efficaciter operetur, vt tandem cum eis gloriæ æternæ poſſimus fieri participes.

Ad prædictorum dilucidiorem explanationem, Richardi & S. Thomæ expoſitiones ſubjungimus. Richardus. *Et vidi, & audiui. Sicut ſpiritualiter vidit, ita ſpiritualiter audiuit; quia ſpiritualis fuit viſio, & ſpiritualis auditio. Vocem Angelorum multorum. Aliter fit vox corporalis, aliter vox ſpiritualis. Vox enim corporalis fit ictu aëris: vox autem ſpiritualis affectu deuotionis. Angeli ergo, qui tantùm ſpiritus ſunt, eo laudem creatoris ſublimiùs concinnunt, quo ſe in eius amore ſublimiùs ex-*
D *tendunt, inter quos eam ſingulariùs laudant qui eum omnibus ſublimiùs amant. Qui pariter laudem illi pro reparatione generis humani concinnunt: quia illum pro largita terrigenis gratia diligunt, & intimis feruoris vocibus attollunt, qui in circuitu Throni animalium & ſeniorum ſunt: quia virtutes Angelica ſanctos adhuc in labentis ſæculi periculo conſtitutos muniunt, & contra reproborum ſpirituum impetus defendunt.* Ita Richard. nobis cum conſentiens in eo quod diximus hos Angelos deſignare Angelos cuſtodes S. Thomas fuſiùs explicat Angelorum vocem in ſua expoſitione. *Vox*, inquit, *loquendo propriè eſt ſonus ſenſibilis prolatus organo corporeo: vnde propriè vocem non habent Angeli, niſi quando aſſumunt corpora; poteſt tamen eorum locutio, quam habent*
E *ſecundum ſe dici vox, ſcilicet vox ſpiritualis, in ipſis enim eſt locutio ſpiritualis, qua fit ad alios Angelos per quoſdam motus ſpirituales, quos habent loco vocis: Vnde Damaſcen. 2. lib. c. 3. lumina intellectualia ſunt Angeli, non linguâ & auditu indigentia, ſed ſine ſermone & voce prolatâ tradentia ſibi inuicem conſilia & intelligentias. Si ergo Angelus loquatur Angelo, vel anima ſine corpore aſſumpto, vtitur nutibus ſpiritualibus pro voce, locutio autem Angeli ad Deum eſt cogitatio, vel deſiderium expreſſum. Vnde laus Angelorum ſine corpore aſſumpto eſt admiratio diuina bonitatis. Vnde dicit Gregorius ſuper hunc locum: Aliter loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum. Deus Angelis loquitur, cum eis voluntas eius intima videndo manifeſtatur; Angelorum vox in laudem conditoris, eſt ipſa admiratio intimæ contemplationis.* Ita S. Th. Qui antea docuit *millia millium Angelorum hic*

Digitized by Google

dici, id eſt plurima millia; quaſi dicat: Eorum numerus erat maximus. Tali enim modo loquendi deſignatur multiplicitas numeroſitatis, &c. Ita S. Thom. Et de eorum numero agens Richard. à S. Victore ait. *Quod dicit: Numerus eorum millia millium*; nequaquam ſe comprehendiſſe cæleſtium ſpirituum numerum inſinuat, ſed maximos numeros ponendo, innumerabiles eſſe deſignat. Et de huiuſmodi Angelorum numeris, qui in ſacro eloquio ponuntur, Beatus Dyoniſ. ſic ait: *Dignum*, inquit, *æſtimo intellectuali cogitatione, quia eloquiorum* (ſub auditur diuinorum) *de Angelis traditio millies millia eſſe ait, & decem millia decies millies, ſecundum nos ſublimiſſimos numerorum in ſeipſum reuoluens & multiplicans, & per hoc apertè ſignans innumerabiles cæleſtium eſſentiarum ordinationes, &c. Quia ergo*, inquit, Richardus, *numerum Angelorum millia millium dicit, non homini ſed Deo numerabiles Angelos oſtendit.*

Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno & agno benedictio, & honor & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. c. 5.

Angelorum laudibus concinunt omnes creaturæ, Eccleſiâ eas approbante.

ANNOTAT. XII.

ANGELIS concinit, & quaſi Echo quædam eaſdem reddens voces vltimas alicuius concentus inſonat omnis creatura, *Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Sic enim finiebat Angelorum canticum: *Fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem.* Ac ſi omnes creaturæ dicerent: Reuera ita eſt. Iuſtiſſimum quippe omnem creaturam illum benedicere, & collaudare. Ad hoc enim maximè deuincimur, quòd ex eo ſimus quidquid ſumus, quòd per illum ſubſiſtimus, quòd propter eum creatæ fuerimus. Si auerterit faciem à nobis, ſtatim in nihilum redigemur. Si ab eo auertamur: ex malitia, omni honore ſpoliatæ à gloria excidimus, & in innumeras calamitates & miſerias incidemus. Illi igitur benedictio, quia benè omnia fecit, cum omnia ex nihilo produxit: ſunt enim omnia opera eius valde bona. Illi ſit honor, quia ab eo habemus & eſſe & operari conuenienter ad debitum finem: illi ſit gloria: quia totum quod ſumus ad eius gloriam ordinari debet. Illi poteſtas, nec enim eius voluntati reſiſtendum eſt: & ſi quis reſiſtere voluerit, ſentiet ſe temere id attentari, iuſtumque eſſe ſubditum eſſe Deo, nec creaturam imbecillem paria Deo ſentire.

Talia dicit *omnis creatura, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes*, inquit Ioannes, *audiui dicentes, &c. Sedenti in throno, &c.* Ac ſi dicerent omnes creaturæ quæ ſunt in cœlo, id eſt, omnes Angeli, qui non mittuntur extra cœli ambitum, & tanquam cœli aulici Deo ſemper aſſiſtunt, primaſque irradiationes immediatè à Deo ſuſcipiunt, quibus illuminare poſſint inferiores Angelos qui mittuntur in miniſterium, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis; Omnes animæ, quæ iam Angelorum bonorum miniſterio hanc hæreditatem adeptæ ſunt. Cœlum ipſum Empyreum, quod hominem complexurum ſit in ſuo ſinu, & cæteri orbes cœlorum, qui ſuis influentiis & reuolutionibus fatentur ſe ad bonum hominis creatos, de renouatione & reſtauratione hominis exultant, & propter hoc cum Ange-

A lis cuſtodibus Deo laudes decantant: renouationem enim ſuam expectant homine reparato, iuxta illud Pauli ad Rom. c. 8. *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui eam ſubiecit in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Inſuper & omnis creatura quæ eſt ſuper terram; j. homines, animalia, arbores, plantæ, fluuij, & fontes ſuper terram decurrentes, ſuo modo fatentur Chriſti maieſtatem & dominationem; ſe ab eo dependere confitentur, dum ei obediunt, & ad nutum eius electis ſuis ſeruiunt, propter quos omnia condidit.

B His adde creaturas quæ ſunt ſub terra, v. g. animæ in purgatorio exiſtentes, illum laudant, quia per merita Chriſti ſe à pœnis, in quibus ſunt, liberari ſperant; animæ puerorum, qui ſolo peccato originali à gloria excluduntur, illum laudant, dum fatentur tantam eſſe Dei maieſtatem & gloriam, vt à nulla mente comprehendi nequeat: vnde ſciunt ſibi in eo ordine manendum, quem inter res creatas diuina prouidentia illis aſcripſit. Animæ etiam damnatorum, & Angeli mali, eius maieſtatem & potentem dominationem fateri coguntur: licèt enim propter acerbitatem doloris, & odium implacabile diuinæ maieſtatis, quo miſerè vexantur, à conſideratione huius veritatis auertantur, nec eis
C permittatur Deum benedicere, quia eos in eſſe conſeruat, nec illos redigit in nihilum; tamen ſynderesis, & dictamen luminis naturalis in intimo mentis receſſu, cogit eos fateri ſe pœna & ſupplicio dignos, qui liberè hunc infæliciſſimum ſtatum ſelegerunt, & à Deo ſe ſeparauerunt, & eum, quem amare deberent, odio acerbiſſimo proſequuntur: niſi enim dolore diuerterentur, & odio erga Deum impedirentur, Deum à quo ſunt, & per quem ſubſiſtunt, & qui in eis effectus iuſtitiæ ſuæ oſtendit, benedicere cogerentur: quia connaturale eſt creaturæ proprium eſſe diligere, & conſequenter deuinciri ei per quem ſolum in eſſe conſeruari poſſit. Quin & dæmones credunt & contremiſcunt, & quamuis
D coactè, ineſtimabilem eſſe Dei poteſtatem ſentiant, quæ tanta eſt, vt non valeant voluntati eius reſiſtere. In quo magis apparet cordis illorum malitia, quòd cum ſciant non poſſe ſe Deo reſiſtere, aut decretorum eius executionem impedire, ſemper tamen erunt in contrarium, & impedimenta adferre pertentent.

Denique ſuo modo metalla, lapidicinæ, pretioſi lapides, aquæ ſubterraneæ, igneſque & venti ſubterranei, omnes terræ concauitates, & diuerſæ regiones, ſeu quidquid in terræ viſceribus, antris & cauernis includitur, illud omne maieſtatem & dominationem Dei fatetur.

Et quæ ſunt in mari, & quæ in eo. Ac ſi dicerent. Non modò qui operantur in aquis, ſuper fluctus
E maris vndoſi nauigantes, aues deſuper natantes, venti illud agitantes & commouentes, ſed etiam cete grandia, piſces, conchylia, Maieſtatis eius; qui dominatur poteſtati maris, præſentiam perſentiunt, ei que qui imperat ventis & mari obediunt. Quod ſi iuxta græcum, τὰ ἐν αὐτοῖς legas, *& quæ in eis*; tunc idem erit ac ſi diceret: Non modo cæli, & corpora elementaria Deum laudant, ratione ſubſtantiæ & qualitatum, quibus adornantur; ſed etiam ſi quid in cælo aut in elementis continetur, hoc totum ſuo modo Deo laudes decantat. Magnus enim ille eſt, & laudabilis nimis. Et hoc maximè facere debent, cum in poteſtatem Chriſti hominis data fuerunt, cui data eſt poteſtas in cælo & in terra; vt ſuam Deo ſubiectionem teſtentur, qui tanquam

Digitized by Google

A quam ſupremus Dominus illas creaturas etiam ſubiecit humanæ naturæ. *Omnia enim*, inquit Dauid, *ſubiecisti ſub pedibus eius*, omnia, etiam ipſa dæmonia, vt dicebant Chriſti diſcipuli: *Etiam ipſa dæmonia ſubjiciuntur nobis.*

S. Thomas in expoſitione videtur ſentire, *Et omnem creaturam*, pertinere ad vota & deſideria Angelorum. Quaſi dicant: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & cætera; Et omnem creaturam, id eſt*, inquit S. Thomas, *ſubiectionem & laudem omnis creaturæ rationalis, vt quæ vel eſt in cælo, vt Angeli & animæ beatæ; vel ſuper terram, vt homines mortales, aut ſub terra, ſcilicet animæ exutæ, quæ in inferno ſunt, & dæmones; tum etiam creaturæ irrationalis ſubiectionem; Et Mari, id eſt, ſubiectionem Maris, & quæ in eo ſunt, vt piſces, quia Chriſtus homo omnibus dominatur. Et ſi poſſet fieri, dignum eſſet vt ipſum mare, & quæ ſunt in eo, & omnia alia irrationabilia & rationabilia pro humana redemptione ei gratias cantarent. Vnde & pro redemptione tunc nondum facta, ſed futura, dicitur in Pſ. laudent illum cæli & terra, Mare &c.* Et S. Thomas recapitulans laudes Angelicas, & creaturarum rationalium & irrationalium, hoc modo intelligit laudes Angelorum. *Virtus*, inquit, *dicitur quantum ad tentationum exſufflationem; diuinitas, quantum ad ineffabilem vnionem; ſapientia, quantum ad modi exquiſitionem; fortitudo, quantum ad ipſum redemptionem, ſiue paſſionem; honor, quantum ad magnificam reſurrectionem; gloria, quantum ad ſublimem aſcenſionem: Benedictio, quantum ad fidelium multiplicationem, in qua magis ac magis effertur Benedicendus.* Hæc de laude Angelorum. Et de creaturarum laude agens, docet *dari ei poteſtas ad eius magnitudinem non vt per hoc ſit ei maior poteſtas, ſicut nec noſtra benedictio vel laus ei dat aliquid: ſed vt oſtendatur eſſe potentiſſimus, & quia digniſſimè conuenit ei poteſtas. Hoc autem oſtenditur per modum optantis, propter vim & deuotionem amoris qui vult Deo, & diligit Deo omne quod ad excellentiam pertinet, & in hoc congratulatur. Hoc ergo dicitur ex amoris deuotione, propter diuinæ magnificentiæ magnificationem. Aliter poſſunt intelligi hæc: Benedictio, pro humana reparatione. Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Iſraël. Gloria, pro conuerſorum prouectione in meritis. 1. ad Timoth. 1. Regi ſæculorum immortali, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſæculorum. Et poteſtas, quaſi dicat: Hæc prædicta ſunt à nobis per præconium laudis. Poteſtas verò ſit ei in ſe & per ſe. Poteſtas, inquam, in vniuerſali dominatione, vel poteſtas in virtuoſa operatione, quia facere quicquid vult. 1. Paralip. vltimo. Tua eſt, Domine, magnificentia, & poteſtas, & gloria, &c.* Ita S. Thom.

Et quatuor animalia dicebant Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.

Approbatio Eccleſiæ laudum, quas ſuprà expoſuimus.

Eccleſia vtique, inquit Primaſius, *dicit Amen. Id eſt. Verum, fideliter. Et viginti quatuor ſeniores. Eadem animalia ſunt ſeniores, qui perhibuerunt teſtimonium veritati dicentes Amen.* Ita Primaſ. *Exhibitis laudibus*, inquit S. Thomas in expoſitione, *ponitur confirmatio, quæ fit dupliciter, ſcilicet verbo, vnde dicit: Et quatuor animalia, id eſt, prædicatores, vt ſupra, dicebant Amen. Quaſi dicat: Verum eſt quod talis laus attribuenda eſt Deo. Item facto, vnde ſequitur: Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt, & adorauerunt.* Ita S. Thom. Certè ſi, vt vidimus, per animalia deſignentur Maiores Eccleſiæ prælati, ipſorum eſt verbo laudes Deo decantandas approbare, quia ad eos pertinet propriè verbi Dei adminiſtratio, veræ doctrinæ conformatio, legum Eccleſiaſticorum molitio, præceptorum iniunctio. Eorum igitur eſt præcipere fidelibus vt dent Deo benedictionem, ipſum laudando, illi gratias agendo, honorem illi, obſequium & cultum exhibendo; gloriam, illum ſupra omnia diligendo; poteſtatem, agnoſcentes ſe omnia præſtare illius autoritate & poteſtate fieri in nomine eius. Si autem in viginti quatuor ſenioribus intelligamus inferiores prælatos & ſanctos, eorum eſt exequi quod à ſuperioribus ordinatum fuerit: vnde cadunt & adorant viuentem in ſæcula ſæculorum, prælatis ſuis obedientiam præſtantes, Chriſtum tanquam Reges Regum & Dominum Dominantium adorant; eique vſque ad mortem & ſanguinis effuſionem obedientiam præſtare volunt, vt ſint ſi voluerit tanquam oues occiſionis, vt quàm B magnificè ſentiant de illius gloria & maieſtate teſtentur, dum pro eo mori non dubitabunt, & omnia dura & aſpera ab eo iniuncta præſtiterint, dicentes cum Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Et quia caput eſt Angelorum & hominum, rectè hîc ſociantur in exaltatione dominationis illius Angeli & homines.

Quod animaduertit Andreas Cæſarienſ. hunc locum. *Et hinc quoque demonſtratur per Ieſum Chriſtum Deum & Dominum noſtrum, qui diuulſa coniunxit, maceriæque interſtitium diſſoluit, vnum ex omnibus hominibus ouile, & vnam rurſum ex hominibus & Angelis Eccleſiam factam eſſe. Ecce enim viginti quatuor ſeniores,* C *per quos ſaluandorum plenitudo adumbratur, digni hoc loco prædicantur qui conſona voce cum quatuor myſticis animalibus, quæ inter cæteros Angelos primatum tenent, Deum laudent & adorent: quo laudationis munere nos quoque in ipſo Chriſto Deo noſtro paciſque datore digni habeamur. Cumque Patri vnà cum Spiritu ſancto ſit gloria, imperium & honor, nunc & ſemper & in infinita ſæcula ſæculorum Amen.* Ita Andreas. Hanc ſocietatem non ſumimus, quod per quatuor animalia Angelos intelligamus: per viginti quatuor ſeniores, prælatos Eccleſiæ, cum per quatuor animalia maiores prælatos in noſtra interpretatione intelligamus, per viginti quatuor ſeniores inferiores; ſed illam ſumimus ex illo concentu Angelorum cum laudibus omnium D creaturarum, & approbatione verbo & facto omnium fidelium, qui in Eccleſia exiſtunt. Vt autem cum Angelis noſtras laudationes coniungamus, nobis actus adorationis ex motiuo ſupremæ Dominationis Chriſti eliciendus eſt & efformandus.

Formula actus adorationis eliciendæ ex motiuo ſupremæ Chriſti Dominationis.

O Ieſus caput Angelorum & hominum, te toto corde adoro. Dominus meus & Deus meus es tu, cuius regnum æternum, in cuius femore ſcriptum *Rex Regum, & Dominus Dominantium*: quia dominatio tua in omni generatione, & generationem. E Quàm amabilis es, ô Clementiſſime Pater & Domine, qui Regium titulum non aſſumis, quia mundi ordinem inuertere, terram è ſuo centro abſtrahere, Angelos in ſeruitutem redigere, Reges terræ pedibus conculcare, & eorum ſuperbiam infringere poſſis; ſed quia conſtitutus Rex ſuper montem Sion, vt prædices præceptum Domini, corda noſtra ad te verbo tuo allicere, illaque cultui tuo addicere, & adſtringere valeas. Quid eſt homo quia reputas eum? Quid eſt cor eius, paruula quædam carnis portio, corruptioni obnoxia, vt illud in tanto pretio habeas? Tua eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum & qui habitant in eo. Quid gloriaris igitur, ſi corculum alicuius homuncionis tibi adſtrinxeris, vt dicas: Seruus meus es tu: in te gloriabor? Sed video cur tam ſtudioſè illud tibi de-

uincire affectes. Liberum & ſui arbitrij ad imaginem tuam illud finxiſti; doles ſi te neglecto alia obiecta conſectetur, & faſcinatione nugacitatis deceptum à te abſtrahatur. Creaturæ enim illi ſunt in tentationem, & in muſcipulam pedibus ſuis, quia inſipiens redditur, dum à ſtudio cognitionis tuæ recedit.

At optimo iure tua ſunt, ô Rex potentiſſime, corda noſtra, qui finxiſti ea ſigillatim, & intelligis omnia opera eorum. Quando hoc fiet, vt verbo efficaci in virtute tua dicas: Fili, præbe mihi cor tuum. Heu! Ecce, ô Domine mi, adeſt, ſed ligatum, deceptum, & faſcinatum. Vincula illius diſrumpe: catenas ferreas confringe, quibus detinetur, ne ad te anhelet, & totis viribus adſpiret. Bono dolo decipias illud, vt à deceptione peſſima, qua à te diuellitur, liberetur, & totaliter tuum ſit: quia totum quod eſt à te habuit. Vtere abſoluta dominatione & poteſtate tua: nec illi iniuriam facies: volenti non fit iniuria, hoc cupit, hoc deſiderat: nec alteri, quia tuum eſt: non reis rei alienæ inuaſor, ſed propriæ vendicator. Ne permittas mundum in magnam nominis tui iniuriam illud ſibi rapere, dæmonem illud tibi auferre, malitiam illud tibi clam & furtiue, ſurripere. Hoc promiſiſti olim: *Nemo rapiet eos de manu mea.*

Hoc modo tua erant omnia, dum ad tuum cultum diriguntur. Omnia enim dediſti hominibus, & propter illos vniuerſum mundum condidiſti. Si cor eorum tuum fuerit, ſi eorum affectum & amorē tibi vendicaueris, ſimul & omnia tibi reuendicabis. In hac arce cordis humani captiuæ detinentur creaturæ, corruptioni ſeruientes, & ingemiſcunt ſub tyrannide deprauatæ voluntatis cordis humani, à quo à proprio fine miſerè diſtrahuntur, dum peccatis ingrati peccatoris ſeruire coguntur. Certè ſi dominationem tuam oſtendiſti, cum omnia homini ſubieciſti, non minùs illam declarabis, ſi cor hominis (qui tanquam onagrum ſe liberum natum putat in tuam reduxeris poteſtatem, ad tuam allexeris dilectionem.

At hoc impoſſibile, niſi tuam cognoſcat maieſtatem, & bonitatem. Non cognoſcet autem, niſi audiat ſibi annunciantem, (cum illam intueri non valeat) te eſſe illius conditorem, qui eum ad tuam formaſti imaginem, qui ei omnia ſubieciſti, vt dominationis tuæ in vniuerſas creaturas ſpecimen præ ſe ferat. In omnem igitur terram exeat ſonus vocis tuæ. Sonet vox tua in auribus noſtris. Prædica ſupra montem ſanctum Sion, Eccleſiam tuam, præcepta Domini. Et quia Eccleſia tua arbor eſt extendens ramos & palmites ſuos in vniuerſas orbis terræ partes, in fines orbis terræ exeant verba tua. Audiant omnes vnum eſſe Deum Trinumque, vnum in eſſentia, Trinum in perſonis, cœli & terræ creatorem, mundi Redemptorem. Non redibit ad te verbum tuum vacuum: faciet fructum: credent qui præordinati ſunt ad vitam: & cor hominum rebellium induratum emollietur, & tuis cupedinibus puriſſimis ſuauiter allicietur. Et quorum mens & affectus etiam natura clamante, & prædicante gloriam tuam, non potuerunt vnquam ad tuam cognitionem tuumque amorem promoueri, ad prædicationem verbi tui conuertentur. Virtus enim Dei eſt Euangelium in ſalutem omni credenti. Hac de cauſa de cœlo in terram deſcendiſti, vt qui non audierunt cœlos enarrantes gloriam Dei, nec cæteras res viſibiles fortiter clamantes: *ipſe fecit nos, & non ipſe nos.* Eſt aliquod primum principium, à quo proceſſimus, à quo habemus quidquid poſſidemus. Non enim à nobis eſſe poſſumus, quarum eſt initium & finis. Hanc gloriam

A agnoſcant, audientes vocem tuam prædicantem præceptum ſuper montem ſanctum Sion. In quo certè excellit dignitas tua regalis, quæ non ordinatur ad ſolum naturale aut politicum bonum tranſitorium, ſed æternitatis bonum reſpicit. Prædicas enim veritatem, vt nos ad vitā æternam acquirendam prouoces, quæ ſanè conſiſtit in participatione ſummi boni, nempe diuinitatis tuæ per gratiam, & gloriam, quæ à te ſolo dari poſſunt. In te enim ſunt omnes theſauri gratiarum, de cuius plenitudine accipere debemus. Tu conſtitutus es hæres vniuerſorum; & fratres habere voluiſti, qui fierent tecum hæreditatis paternæ participes. Infirmitates eorum ſuſcepiſti, vt illis tuas conferres virtutes. Formam
B ſerui induiſti, vt illos in filios adoptares. Per paſſionis ignominiam conſummari voluiſti, vt eos in gloriam adduceres. Exinaniri voluiſti, qui non rapinam arbitratus es eſſe te æqualem, & conſubſtantialem Patri; vt eos exaltares, & Deos quodammodo efficeres. *Ego* enim, inquit, *dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Propter quod non confunderis fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. In medio Eccleſiæ laudabo te. O excellentiſſima Narratio, qua eodem verbo tuo reſtauras vniuerſa, quo olim mundum condideras, & dominationem tuam in omnia extendis: hac narratione dominationem tuam in mentes hominum manifeſtas, cum captiuas intellectum in ob-
C ſequium fidei, vt credant homines quæ non vident, quæ rationis captum excedunt, & audiunt patrem te glorificantem, dum te filium agnoſcit ſibi æqualem, dum ait ad te. Filius meus es tu: ego hodie genui te; dum de cœlo inſonat hanc vocem: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* & te patrem viciſſim glorificantem, cum ais. *Ego & pater meus vnum ſumus. Qui videt me, videt & patrem. Omnia tua mea ſunt, & mea tua ſunt.* Quo fit vt profitearis te Spiritum ſanctum à patre miſſurum, ſpiritum veritatis, qui de te teſtimonium reddat, vt totius Trinitatis habeamus fidem, in cuius nomine nos baptizari præcipis, dum dominatione tua vtens Apoſtolos miſiſti in mundum, prædicare &
D baptizare omnes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & docere eos ſeruare omnia quæ tu mandaſti, vt non modò mentes hominum per fidem tuo ſubdas Imperio, ſed & eorum voluntates; dum mandatis & præceptis tuis obedire non renuunt. Permitte, Domine, vt defleam cæcitatem noſtram, & ad homines mei ſimiles dicam: *Filij hominum, vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ecce ſeſe offert vobis veritas, vt vos à ſeruitute peccati & erroris liberet. Audite eum qui vobis veritatem annuntiat. Si eum audieritis veritas liberabit vos, & verè liberè eritis. Deum cognoſcite, & filium eius quem miſit vobis ſaluatorem. Hæc eſt enim vita æterna, quæ à
E vobis auferri non poterit. Si aliquid durum, ſi aliquid aſperum verba eius ſonant, ſalutaria proculdubio ſunt. Audi conſilium ſapientis, & ſapiens eris. *Sapientia enim doctrina ſecundum nomen eſt eius, & non eſt multis manifeſta: quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei. Audi fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abjicias conſilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tuas conſeruans eius. Inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam. In nouiſſimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectatione. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vita eſt in illa, & vincula illius*

Digitized by Google

alligatura ſalutaris. Stolam gloriæ indues eam, & coronam ſuper gratulationis ſuper pones tibi. Fili, ſi attenderis mihi, diſces, & ſi accommodaueris animum tuum, ſapiens, eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. Eccleſiaſt. 6. Hæc ſunt bona, Domine, quæ obueniunt eis qui tuam non refugiunt dominationem, ſed mentes & voluntates ſuas tibi ſubdere appetunt.

At, ô Rex potentiſſime, vt homines à deceptione immunes redderentur, & ſecurè mandatis tuis obtemperarent, Regnum in terris viſibile erigere voluiſti. Data eſt tibi poteſtas in cœlo & in terra. Omnia pater tuus poſuit in manu tua. Vnde Apoſtolos tuos miſiſti, ſicut miſſus fuiſti à Patre. Eos nos audire præcepiſti dicens eis: *Qui vos audit me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. Paſtores eos conſtituiſti, qui fideles in te credentes regant, eis verbum & Sacramenta adminiſtrent, & præcepta à te præſcripta doceant. Adueniat in omnibus orbis partibus hoc tuum regnum, vt ſicut in cœlo, ita & in terra fiat voluntas tua. Hac de cauſa, cum omni creatura quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & in mari, & quæ in eo, dicimus & optamus vt ſit tibi benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Benedictio, inquam, quia omnia benè feciſti: ſurdos feciſti audire, dum per prædicationem verbi nos ad fidem & ad lumen tuum admirabile adduxiſti; & mutos loqui, dum nos ad peccatorum confeſſionem, & ad nominis tui laudandam potentiam admiſiſti. Benedictio tibi ſit, quia *benedixiſti terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: Operuiſti omnia peccata eorum: Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ.* Pſalm. 84. Benedictio tibi ſit, quia *beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Pſalm. 83. Benedictio tibi ſit, vt fiat quod per Prophetam tuam Iſaiam c. 9. faciendum fore prædixiſti. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit: vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia. A modo & vſque in ſempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc;* (Ita Iſ.) & ita adimpleas quod iuraſti Abraham ſeruo tuo: *Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli daboque poſteris tuis vniuerſas regiones has. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Geneſ. 26. Id eſt, omnes qui per fidem tibi ſubiicientur. Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui eſt Pater omnium noſtrum. Rom. 4. *Non enim qui filij carnis, filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Rom. 9.

At non modò ſit tibi benedictio, ſed & honor, per noſtram obedientiam. Fidelia enim omnia mandata tua, confirmata in ſæculi ſæculi, facta in veritate & æquitate, & ſicut quæcumque alia opera tua exquiſita in omnes voluntates tuas, quorum ratio videlicet exquiritur intra tuas voluntates: pendet enim à tua voluntate: tota enim ratio facti, eſt voluntas facientis & præcipientis. Qui cum ſit ſanctiſſimus, nihil niſi ſanctum & iuſtiſſimum velle & præcipere poteſt. Eſt enim tua voluntas regula omnis iuſtitiæ & æquitatis. Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini? Pſ. 106. In cuſtodiendis enim illis retributio multa. Pſ. 18. Parati ergo ſumus, vt tibi ſeruiamus, & omnem hac ratione tibi exhibeamus honorem. Cor noſtrum tuum eſt, vt te amet. Cogitatio noſtra tota in eo eſt,
A vt te contemplari valeat. Cor meum, & caro mea exultant in te Deum viuum, & liquefacti ſunt omnes ſenſus mei in perceptione ſuauitatum tuarum. Ecce igitur cor meum paratum, vt mille mortes antea incurrat, ſi millies mori contingeret, quàm ſemel te offendat, aut in aliquo tibi diſpliceat. *Tu mandaſti enim mandata tua cuſtodiri nimis.* Omnia ſeruiant tibi. Et ego me ſubtraham à tuo obſequio? Quiſnam poſſet hanc tolerare ſtultitiam? Diſce, ô homo, à creatura inſenſibili patri tuo exhibere honorem & obedientiam. Sol ſtat ad vocem hominis, vt tibi obſequium præſtaret ſtando, qui quotidie illud tibi præſtat, curſum ſuum diuinum perficiens; & ego, ô Pater amantiſſime, vocem tuam
B non audiam? Non te audiam propter frequentes tuorum mandatorum tranſgreſſiones mihi talia exprobrantem? Hæccine reddis Domino ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? Suſpenditur ignis ardor ad meum nutum, & tu concupiſcentiis tuis modum imponere non vis? Deſcendit olim ignis de cælo ad vocem Eliæ, & tu audire non vis vocem meam validiſſimam, quæ olim infernos penetrauit, & potenter Lazarum ab inferis reuocauit, nec ab abyſſo peccatorum horum reuocare pedem deſideras? Heu, Domine clementiſſime! Præterita dele peccata. Nunc tibi honor ſit. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Currunt Angeli ad mandata tua
C exequenda citiùs & velociùs leuioribus ventis. Agnoſcunt nullam ſe habere magnitudinem, quæ magnitudini tuæ comparari queat. Quis enim ſimilis Deo in filiis Dei? Omnes eorum vires & facultates, tuæ voluntati ſubordinantur & ſubiiciuntur; exhibere ſe ſatagunt tanquam organa, quibus igne citiùs & efficaciùs quidquid decreueris adimpleas, ſi illorum volueris adhibere miniſterium: Et ego puluis & cinis, mandatis tuis obtemperare abnuam? Non ita ſit, nunquam, ô Domine: Sed gloria tibi ſit, ô incomprehenſibilis maieſtas, itaut nihil ſit quod voluntati tuæ præferre audeam: nihil ſit quod propter te non perficiam: Legibus tuis, etiam duriſſimis obedire volo. Medullam enim dulciſſimam
D ſub cortice duro abſcondis, ſuauitatem ſub aſperitate. Fingis laborem in præcepto. Iugum enim tuum ſuaue, & onus tuum leue. Dilata igitur cor meum, vt poſſim currere viam mandatorum tuorum. Tibi enim ſeruire, regnare eſt. Et hæc eſt gloria tua, vt qui tibi ſeruire volunt, Reges euadant & fiant. Certè talis qualis vnquam fuerit honor, qui tibi exhiberi poteſt, tantum quantum eſſe poſſit, præſtetur tibi obſequium à quacumque creatura etiam excellentiori in natura, in ordine, in munere & officio: maior ſemper erit gloria tua, & altitudo maieſtatis tuæ. Vnde nec obſequia noſtra, corporis, mentis, cordis & oris præſtita aut præſtanda vnquam ſatiabunt appetitum & ſitim tibi
E cultum & obſequium exhibendi. Quapropter omnis creatura rectè tibi non modò honorem, ſed & gloriam exoptat, quia magnitudinem maieſtatis tuæ ſupra omnia colendam eſſe exiſtimat. Et ego, clementiſſime Rex, me cum ea redactum ſentio, ad hoc vt de me vti valeas, ſicut de omni creatura, prout volueris, cum plena poteſtate, nunc & in perpetuas æternitates: tanquam verus & legitimus Dominus. Dum igitur ero ſuper terram, benedicam nomen ſanctum tuum: tibi honorem exhibebo per mandatorum tuorum ſedulam obſeruationem, ſed & gloriam, quia etſi cæli ſperare debeam manſionem, & promiſſis tuis allectus ac præmiis fidelia reddere obſequia, ſi tamen nullam promitteres mercedem in futuro, ſufficienter tamen me honorari reputarem, ſi in præſenti aliquod tibi redderem obſe-

Digitized by Google

quium, nec in hoc mundo maiori fælicitate potiri me poſſe exiſtimarem, quam vt tibi ſeruiam, hæc enim eſt gloria & dignitas maieſtatis tuæ, vt mereatur omnem creaturam ad ſuum conſecrari & deuoueri obſequium, propter propriam excellentiam, abſque alterius mercedis aut ſolatij ſpe aut expectatione.

Sed quia timendum eſt ne fortè in aliquo noſtrum ſit cor malum incredulitatis diſcedendi à te Deo viuo, & quia ſunt aduerſarij multi, qui tuæ voluntati reſiſtere audent, nec tibi obedire volunt, ideo, ô Rex fortiſſime, poteſtas tibi ſit in ſæcula ſæculorum. Ea quæſo vtere primò ad conuertenda corda noſtra: contere illa contritione præualida, vt corde contriti & humiliati legibus tuis etiam duriſſimis obedire velimus. Poteſtate iſta, qua ſuſcitaſti Lazarum ab inferis, abſtrahe corda noſtra ex latebris tenebroſis, in quibus ſe occultant, cum poſt peccati perpetrationem faciem tuam fugiunt; & dum illa amotosè nimis conſectaris, vt apprehenſa dulcedine ſuauitatum tuarum repleas, ſentiant te fortiorem ipſis, ſentiant te illorum Dominum. Decetne hominem fugere, dum poſt eum curris; aures ſuas obturare, dum poſt eam clamas: Reuertere, Reuertere, vt intueamur te; terga vertere, dum ad amplexus & oſcula illum prouocas? Veriſſimè indecens eſſe videtur, ſi tantam audaciam diutiùs toleres, ſi tantam impudentiam longiori tempore feras. *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis? Qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſirent liberati.* Iſ. 51. Eadem igitur poteſtate, qua diabolum è cœlo deieciſti, humilia capita noſtra ſub potenti manu tua: qua populum Hebræorum per mare rubrum ſicco pede tranſire feciſti. Libera nos à peccatorum & concupiſcentiarum noſtrarum colluuiè, vt in nobis adimpleatur quod à tuo Propheta dicitur: *Et nunc qui redempti ſunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes. Et lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiam tenebunt: fugiet dolor & gemitus. Ego, ego ipſe conſolabor vos, &c.* Iſ. 51. Non enim tanta plærumque à te permittitur cordium noſtrorum ad conuerſionem tergiuerſatio, quàm vt infinita bonitas tua clariùs eluceat, & potentia tua manifeſtiùs innoteſcat. Sed quia interim oportet nos tranſire per multas tribulationes, donec ad gloriam perueniamus: & imbecilles ſumus viribus: ne tot tentationibus obruamur, tibi ſit poteſtas, vt auxilio gratiæ tuæ præmuniti cuncta aduerſa vincamus. Certè ſi quis tuo ſit præmunitus auxilio, ſi ſe maris fluctibus commiſerit, ſtabit inter pericula immobilis, inter turbulentiores fluctus ſecurus, inter tempeſtates & procellas firmus & conſtans, nec à tuo recedet cultu, nec ab adoranda maieſtate tua ceſſabit. Intra latibula terræ, in mari, in ventre cete etiam cum Iona abſorptus, intra ſepulchrum, ad inferni portas deductus, à ſpe non excidet: dicet cum ſeruo tuo Iob: *Et qui cæpit, ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam & ſuccidat me. Et hæc mihi ſit conſolatio vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti.* Iob 6. Scit enim totum quod eſt tuum eſſe, nec locum querelæ dari creaturæ, ſi conditor eius ac Dominus de ea prout voluerit diſponat. *O homo, tu quis es, vt reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Rom. 9. Sed certè fidelitas amoris tui non permittit animam te timentem & diligentem perire, & à te ſeparari in æternum. Potes igitur eam ex A omnibus tentationibus liberare, ex tot abyſſis eripere, quæ dum vixit in terris te amauit, & te toto corde exquiſiuit.

At quia ſunt qui tuæ reſiſtet voluntati, & indurati conuerti nolunt, ideo tandem tibi ſit poteſtas, vt eos conteras ſub pedibus tuis. Manifeſtum fiat omnibus nullum tibi reſiſtere, & pacem habere. *Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: Fiant corruentes in conſpectu tuo in tempore furoris tui abutere eis.* Ierem. 18.

Sed ad vos ſermoné conuerto, ô infelices animæ. Nunquid ſolæ remanebitis inter omnes creaturas, quæ Deo honorem gloriam non exhibeatis? Vos etiam alloquor, ô ſpiritus nequiſſimi, hominum ſe-B ductores. Soli ne eritis cum his quos ſeduxiſtis, qui Deo obedire eique ſeruire recuſetis? Cœlum & cœli cœlorum, ſtellæ & planetæ firmamenti, terra & omnia quæ in ea ſunt, mare & quidquid in eo eſt Deum fatentur autorem & Dominum. Illius adorant maieſtatem, & ab eo creata ſe eſſe omnia profitentur ad illius gloriam.

Hoc niſi ægrè, & rei euidentia coacti fateri vultis. Non enim honorem ipſi deferre deſideratis. Certè in vobis ſatis eſt malitiæ, vt illi honorem deferre recuſetis. Sed in poteſtate veſtra non eſt quin ex vobis ſibi maximam gloriam non poſſit comparare. Oportet enim vt inuiti fateamini, quod quamuis reluctetis & contra obniteamini, in ma-C nu & poteſtate eius eſtis. Hoc vos docet experientia. Et quamuis immenſis veſtris doloribus diſtracti & præoccupati ægrè conſiderate poſſitis æquitatem iudiciorum ipſius, manet tamen in penitioribus mentium veſtrarum cogitationibus æquiſſimum eſſe quod de vobis diſpoſuit, & cum ſumma æquitate & iuſtitia vobiſcum agi; & tandem oportuiſſe vt Deus poteſtate ſua vtens de veſtris ſceleribus pœnas & ſupplicia exigeret. Ipſius igitur legibus & mandatis in ordine iuſtitiæ obtemperate vobis neceſſarium; ab ordine bonitatis & miſericordiæ eiectis: quia eius eſtis creaturæ. Quod ſi de ore veſtro tantum blaſphemiæ prodeant, iudicium tamen veſtrum & condemnatio veſtra materiam ſup-D peditabit mentibus beatis Angelorum & hominum Deum laudandi, honorandi, & glorificandi in æternum, denique & dicendi vniuerſorum ſupremo Domino cum omni creatura: *Benedictio, & honor: & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen.*

De quarta adoratione, ob motiuum glorificationis ſanctorum, & donorum ad illam obtinendam conducentium largitionem.

Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalum. Et ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, E *& adorauerunt Deum dicentes. Amen Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro, in ſæcula ſæculorum. Amen. Apocalyp. 7.*

ANNOTAT. XIII.

Motiuum huius quarta adorationis eſt ſanctorum glorificatio.

HOC conijcio primo ex optima ſerie præcedétium adorationum cum præſenti adoratione. Prima fuit propter creationem. Secunda propter Redemptionem, ſeu media externa quæ Deus mun-

Digitized by Google

A di rector & gubernator hominibus contulit, vt ad ſuum perueniant finem. Tertia propter Chriſti Domini Dominationem, & humanitatis noſtræ in eo exaltationem. Optimo nunc ordine poſt capitis noſtri exaltationem de glorificatione membrorum ſuorum danda eſt Deo Optimo Maximo laus, & gratiarum actio. Secundò: hoc conjicio quia illa fit poſt conſignationem in fronte electorum, ad gloriam, & gratiarum actionem eorum, qui ſigna gerunt reportatæ victoriæ, & ſalutis obtentæ, nempe candida veſtimenta, & palmas in manibus, qui clamant voce magna: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum; & agno.* Tertiò: illud conjicio ex Angelorum cantico, vt videbitur in expoſitione illius infra: Deum enim adorare & laudare videntur, quaſi qui
B deſideria ſua ſupra prolata in tertia adoratione adimpleuerit. Deſiderauerant in Chriſto dominante virtutem, & diuinitatem, &c. Id eſt, vt eius virtus & diuinitas manifeſtaretur in hominum reparatione & redemptione. Nunc quia vident Deum vota illorum adimpleuiſſe per efficacia dona gratiæ, quibus prædeſtinati gloriam adepti ſunt, Deum benedicunt dicentes: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, &c.* Quòd ſcilicet ſedes cœli vacuas caſu ſociorum repleat electorum prædeſtinatione; quòd illorum vigilans cura ſeu ſollicitudo optimum exitum habuerit, & tam fœliciter Deus ſuo miniſterio vſus fuerit, vt electi hæreditatem ſalutis, ad quam præordinati fuerant, conſequeren-
C tur.

Fauet nobis Primaſius. *Conſiderandum*, inquit, *namque eſt non hîc nominari illa quæ ſoli competunt Deo, ſed etiam quæ fidelibus donare dignatur. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratia, & honor, & poteſtas, & virtus. Quorum omnium participationem bonorum Chriſti Eccleſiam habere gaudemus. Non hîc omnipotentia, non hîc maieſtas, non hîc ſempiternitas ſonuit, quam ſolus Deus ſemper iure poſſidet; ſed illa ſeptem, in quibus etiam vniuerſa poſſunt fidelibus conceſſa virtutes intelligi, ab illo qui eis poteſtatem dedit filios Dei fieri, vt ſi quid bonorum acquiramus, Dei largitate nos habere veraciter nouerimus. Ex abundanti ſanè video probare de cæteris. Nam & benedictio Eccleſiæ potiſſimùm conuenit, vt legimus: Super*
D *populum tuum benedictio tua. Eis quippe benedictionem dabit, quibus & legem. Et claritas, de qua canimus: Sit ſplendor Domini noſtri ſuper nos, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformati in claritate in gloriam, lucis nomine cenſeamur.* Ita Primaſius.

Videſne laudes has dari ab Angelis, ob dona hominibus collata, quibus Eccleſia fit particeps bonorum Chriſti, fideles poteſtatem habent fieri filios Dei, & lumen accipiunt quo transformari poſſint in gloriam, vt filij lucis.

Richardus à S. Victore fauet etiam, dum ait: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & agno. Quaſi*
E *dicerent: Salus noſtra non nobis aſcribatur, quia non eſt à nobis. Aſcribatur illi à quo eſt, Deo videlicet noſtro, qui ſedet ſuper thronum, id eſt diuinitati regnanti. & agno Chriſto homini. Aliter ſalus, quam habet diuinitas per naturam, & humanitas per gratiam, diuinitati & humanitati decantetur per rationalem creaturam. Sequitur; Et omnes Angeli, &c. Angelos inducit de ſaluatione hominum gaudentes, & humanæ confeſſionis teſtimonium confirmantes, &c.* Et ponderans ſeptem laudes ab Angelis expreſſas, *Benedictio, & claritas, &c.* ait: *Amen verè & aptè iſta ſeptem referuntur in laude creatoris, quia ſeptem ſunt dona gratiæ ſpiritualis, quæ per ipſum diſtribuuntur ſaluandis.* Ita Richar.

Vides igitur has laudes decantari intuitu donorum, per quæ ſalus acquiritur. Sed clariùs, & expreſſiùs S. Thomas in expoſit. *Hic*, inquit, *oſtenditur Angelorum ad homines beneuolentia, in congaudendo eorum ſpiritualibus bonis, quos habituri ſunt conſortes, ſicut tangit gloſſa. Vnde congaudentes homini fundunt Deo gratiarum actionem, non ſolùm pro donis ſibi datis, ſed etiam pro beneficiis homini à Deo conceſſis.* Et paulo poſt explicans ſpecialiùs quænam ſint illa beneficia, addit: *Dicentes Amen. Quaſi dicat per modum congratulationis, ita ſit, & hoc eſt. Amen. Id eſt, fiat, quòd ſalus & benedictio ſit Deo, Trinitati, & agno. Hæc autem & conſequentia. Dicunt congaudendo homini conſignato ad ſalutem percipiendam. Bernardus in libro meditationum ſuarū diligunt quidem ſuos conciues ſupernæ poteſtates, & pro his qui hæreditatem capiunt ſalutis ſollicitè congaudent, &c.* Ita S. Thom. Vides quomodo laudes & congratulationes Deo reddantur ob motiuum glorificationis iuſtorum. Et benè aduertit hic S. Thomas hîc oſtendi beneuolentiam Angelorum ad homines: nam quorum ſubmiſſionem & omnimodam dependentiam à Dei voluntate perſpeximus in præcedenti adoratione, quam Deo exhibuerunt, ob dominationem ſupra omnia humanitati datam, ſua iura deponentes vt voluntati Dei obſequantur; horum hîc videmus in hac quarta adoratione charitatem, qui ſi gaudeant in cœlo ob conuerſionem vnius peccatoris pœnitentiam agentis, multo magis gaudebunt de vltimo effectu prædeſtinationis completo in glorificatione omnium prædeſtinatorum.

Canticum Angelorum appoſitè aptatur motiuo huius adorationis, nempe prædeſtinationis, ſeu glorificationis iuſtorum.

ANNOTAT. XIIII.

IVSTIS voce magna clamantibus: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno*; omnes Angeli ſtantes in circuitu throni, & ſeniorum, & animalium, cadunt & dicunt Amen; ac ſi fateantur per hanc approbationem iuſtiſſimum eſſe electos ſalutem ſuam Deo & agno aſcribere. Niſi enim Deus potenter illos eripuiſſet è miſeria, in quam per peccatum inciderant, propter quod nati fuerant filij iræ; niſi media Deus contuliſſet, per quæ potuiſſent ſalutem ſuam operari; niſi potenti brachio illos ab impedimentis omnibus, & tentationibus eruiſſet; niſi fuiſſent tenerrimè & efficaciter dilecti, ad dignitatem filiorum Dei nunquam perueniſſent: qua filiatione facti ſunt Dei hæredes, & cohæredes Chriſti. Sed appoſitè ad iuſtorum electionem, & prædeſtinationem, huic approbationi laudis electorum addunt: *Benedictio, & claritas & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.* Quam autem appoſitè & conuenienter ad hoc motiuum glorificationis electorum hæc dicant, nobis eſt diſcurrendum.

Docet S. Bonauentura in comp. Theolog. veritatis. l. 1. de natura Dei c. 30. ab Auguſtino aſſignari quatuor prædeſtinationis definitiones. *Prima eſt: Prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorum Dei. Secunda eſt: Prædeſtinatio eſt alicuius ad gloriam præordinatio. Tertia eſt: Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi. Quarta eſt: Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. In prima definitione notatur diuina cognitio. In ſecunda electio. In tertia, voluntas. In quarta, directio.* Ita S. Bon. Quod, ſi in alio ordine reponantur, vt nempe electio primò ponderetur, ſecundò diuina cognitio, tertiò directio, quartò voluntas ſeu propoſitum eripiendi aliquem è profundo malorum, vt eum compotem reddat Deus omnium bonorum, ac ſi Deus diceret: eligo quos noui meos eſſe, quos optime dirigo, vt liberentur ab omni-

Digitized by Google

bus malis, & omnibus fruuntur bonis, iuxta meum propoſitum & meam voluntatem; appoſitè ad hanc electionem Angeli dicunt: *Benedictio*; Conuenienter ad cognitionem addunt; *Claritas*: Et pro directione clamant: *Sapientia*. Denique pro miſerendi propoſito in actionem gratiarum prorumpunt. Tres autem acclamationes ſubſequentes conuenienter apponuntur: nam honor certè exhibendus eſt ei à quo tanta bona percipimus: virtus eius extollenda, qui gratiam tam efficacem præbuit, vt ea præditi potuerint in bono perſeuerare, & meritoriè operari.

Denique fortitudo, qui tot impedimenta ſuſtulit, tot hoſtes & aduerſarios proſtrauit.

Quod autem Benedictio Deo appoſitè detur ob electionem ſeu præordinationem alicuius ad gloriam, declaratur ſic. Prædeſtinatio pars eſt prouidentiæ, quæ nihil eſt aliud quàm ratio in intellectu exiſtens præceptiua ordinationis aliquorum in finem, vt docet S. Thom. 1. q. 23. ar. 3. Erit itaque prædeſtinatio ratio intellectu diuino exiſtens, præceptiua ordinationis aliquorum in beatitudinem: quos cum Deus ordinat, cernitur illos eligere, & præcipuè diligere. Diligere ſiquidem nihil eſt aliud quàm bonum velle alicui, quale eſt beatitudo. Sed quia hoc bonum vni vult, & non alteri, ideo eligere dicitur illum cui illud vult, neglecto ſeu prætermiſſo alio. At quis non videt ob talem dilectionem & electionem Deum eſſe benedicendum? Nec enim maius bonum creaturæ velle poteſt, nec maiori fauore aliquem proſequitur, quàm cum eum cæteris præfert. Hinc clamat Paulus, Epheſ. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Siquidem illa electio omnem aliam benedictionem in ſeipſa includit, cum ipſa ſit fundamentum & baſis ſalutis noſtræ. Ex eo enim præordinamur ad vitam, quia dilecti & electi ſumus à Deo, iuxta illam definitionem: Prædeſtinatio eſt aliquorum ad gloriam præordinatio.

Addunt Angeli: *Et claritas*: ſcilicet propter diuinam cognitionem. Scit enim Deus numerum electorum, quinam ſint peruenturi ad gloriam, quinam Dei beneficiis perfruentur, & qua de cauſa ſeu ratione hic gratuitò eligatur, ille iuſtè prætermittatur. Eſt enim prædeſtinatio præſcientia beneficiorum Dei, quæ cognitio cum ſit Deo propria (*nouit enim Dominus qui ſunt eius.* Et quibus beneficiis præueniendi ſint, ne ab eo diuellantur, nam vt Petrus ait 2. c. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere*, impios verò in diem iudicij reſeruare cruciandos.) Meritò clamant Angeli: *Et claritas*: quia Dei eſt hæc perfectè cognoſcere & prouidere, nobis autem occulta ſunt & abſcondita hæc ineffabilia Dei conſilia. *Sunt*, inquit ſapiens; Eccleſiaſt. 9. *Iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Et cum iuxta S. Thom. 1. q. 23. art. 1. *Prædeſtinatio ſit ratio in Deo præexiſtens tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*; qui finis certè excedit omnem naturalem capacitatem, (nec enim moueretur creatura rationalis ad beatitudinem, niſi ſupernaturali quodam ſpiritu viuificaretur) ideo huius tranſmiſſionis nulla poteſt apud nos ratio reddi. Solus Deus habet rationes apud ſe huius tranſmiſſionis, cuius iudicia nobis occultantur. Equidem poteſt aliqualis ratio dari, propter quam quoſdam reprobari par eſt, quoſdam autem ſaluari, ſcilicet vt diuina bonitas per effectus innoteſcat & manifeſtetur; Et quia perfectio & ſimplicitas bonitatis diuinæ vno tantùm effectu ex hauriri aut perfectè repræſentari non poteſt, oportet vt plures producat effectus, vt repræſentetur ex vna parte per modum miſericordiæ, ex alia per modum iuſtitiæ. Iuſtus enim eſt, & miſericors. At non eſt poſſibile aſſignare rationem quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit: nullam aliam habere & aſſequi poſſumus, quàm meram & gratuitam Dei voluntatem. Hinc Auguſt. tractat. 26. in Ioan. *Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle indicare, niſi vis errare.* Idem docet S. Bonauentura lib. 1. de natura Dei, in compendio Theolog. veritatis c. 30. *Si verò*, inquit, *quæritur quare Deus hunc prædeſtinauit, ſiue elegit, & non illum; hoc inexplicabile eſt in hac vita mortali. Propter hoc enim exclamat Apoſtolus ad Rom. O altitudo diuitiarum.* Exemplo rem elucidat S. Thomas 1. q. 23. ar. 5. ad 3. *Sicut in rebus naturalibus poteſt aſſignari ratio (cum prima materia tota ſit in ſe vniformis) quare vna pars eius eſt ſub forma ignis, & alia ſub forma terræ à Deo in principio condita, vt ſic ſit diuerſitas ſpecierum in rebus naturalibus; ſed quare hæc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & illa ſub alia, dependet ex ſimplici diuina voluntate, ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet quòd ille lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia, quamuis ratio artis habeat quod aliqui ſint in hac, & aliqui ſint in illa. Neque tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim eſſet contra iuſtitiæ rationem, ſi prædeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult, plus vel minus, dummodo nulli ſubtrahat debitum abſque præiudicio iuſtitiæ. Et hoc eſt quod dicit Pater familias, Matt. 20. c. Tolle quod tuum eſt, & vade. An non licet mihi quod volo facere?* Ita S. Thom. Optant igitur Angeli Deo claritatem, nempe vt quos conſcriptos in mente retinet, ad nominis ſui gloriam cognoſcantur per effectum glorificationis. Eſt enim antea liber clauſus & ſignatus: Vnde ipſa Dei notitia, qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam ſicut ſcriptura libri eſt ſignum eorum quæ fienda ſunt, ita Dei notitia eſt quoddam ſignum apud ipſum, eorum qui ſunt perducendi ad vitam æternam, ſecundum illud 2. ad Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Nouit Dominus qui ſunt eius.* Cum autem hæc Dei notitia per effectum manifeſtatur, tunc clarificatur ad nominis diuini exaltationem.

Sed quia ſapientis eſt optima media ſeligere, vt res ab eo ordinatas fæliciter finem conſequantur ad quem diriguntur, rectè Angeli addunt: *Et ſapientia*. Vnde prædeſtinatio, prout à S. Bonauentura dicitur directio, rectè definitur *Præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.* Et certè infinitam eſſe Dei ſapientiam in directione electorum ad vitam, & profundiſſima eſſe illius conſilia apparet ex eo, quòd aliquando mediis vtitur, quæ videbantur nos à fine conſequendo impeditura eſſe, vt cum Deus bona ex malis noſtris elicit, & ex peccatis materiam & occaſionem ſumit conferendi nobis auxilia efficaciora gratiæ, quibus à peccatis reſipiſcentes tandem in gratia finali perſeueremus. Rectè enim dixit Propheta: *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Pſalm. 118. Siue permittendo vt in adulterij & homicidij crimen inciderem, quo deinceps cautior fierem, & cum maiori circumſpectione in via mandatorum tuorum ambularem; ſiue me vexando & affligendo diuerſimodè. Admirabiles prorſus quippe ſunt viæ ſapientiæ tuæ, per quas me ad te deducere intendis; vt probatus & vexatus in te ſolo gloriari liceat, & per aduerſa ad fælicitatem,

Digitized by Google

per labores ad requiem, per agones ad præmla perueniam. A

At hoc bonum non habemus niſi ex meta, & gratuita voluntate Dei miſerentis: Vnde ſupra prædeſtinatio definita fuit: *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi*, iuxta illud Ierem. 31. *in charitate perpetua dilexi te ideo attraxi te miſerans*; Illudque Apoſtoli Rom. 11. *Miſerebor, cuius miſereor; & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quibus verbis indicatur electionem planè gratuitam eſſe & indebitam, deumque miſereri quorũcumque voluerit, eligendo eos ad ſalutem ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis. Si quis enim ſit electus à Deo, non ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis, ſeu conuerſationis B præcedentis aut præuiſæ, ſed ex ſolo ac libero beneplacito, eſt Dei miſerentis. Planè apparet rectè Angelos addere in ſuo cantico: *Et gratiarum actio.* Gratiarum enim actio propriè reſpicit gratuitum aliquod donum ex bona voluntate dantis. Nam ſi aliquod datur titulo iuſtitiæ & debiti, non videtur ex hoc tantam oriri obligationem gratias agendi, quam ſi quid gratuitò donetur.

Quod ſi tria alia Angelorum vota ſubſequentia ponderemus (nempe *Honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum Amen*; optimo ordine ſupradictis connectuntur. Nihil enim magis rationi conſentaneum videtur, qui ad hanc dignationem filiationis diuinæ ſublimati ſunt, Deum honorent C amore, vel etiam timore, filiali præcipuè; illum adorantes & colentes, qui illos tantopere dilexit; illi ſeruientes, qui illos ad tantam dignitatem euexit. Nec extolli debent ex tanta dignitate, ſed ſuam paruitatem intuentes, cum omni humilitate & ſubmiſſione Deum honorare & glorificare debent; iuxta illud Malach. c. 1. *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum. Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Dicit Dominus exercituum.*

Addunt Angeli, *Et virtus.* Nec enim tãtum bonum adipiſcuntur abſque Dei virtute, nempe gratia diuina, cui fideliter cooperati ſunt, dicente Paulo: *Gratia Dei ſum id quod ſum; ſed gratia eius in me vacua* D *non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* 1. ad Corinth. 15.

Denique quia tranſierunt per ignem & aquam, quia venerunt de tribulatione magna, quia tentationes varias ſuperarunt, & vicerunt in ſanguine agni, quia in manu forti & brachio extento, à Deo erepti ſunt è laqueis diaboli, è carnis illecebris, è mundi vexationibus, rectiſſimè addunt (*Et fortitudo.*) Dicant igitur: Deo ſit fortitudo. Etenim, *niſi quia Deus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Pſalm. 123.

Addunt Angeli, *Amen.* Et qui priùs dixerunt E *Amen*, quaſi approbatores laudum, quas ſancti & electi Deo reddunt pro ſalute propria, nunc poſtquam Deo benedictionem dederunt, & claritatem, &c. adhuc dicunt Amen, id eſt, fiat. Deſiderant enim compleri numerum electorum ad Dei gloriam Benedicetur igitur Deus propter creationem. Clarificetur propter Redemptionem. Sapientia eius magnificetur, propter potentem Dominationem, & naturæ noſtræ in Chriſto exaltationem. Gratiæ illi agantur, propter glorificationem. Honor illi ſit, propter donorum ſuorum profuſionem. Virtus, propter bonorum operum meritoriorum adimpletionem. Fortitudo, propter inimicorum noſtrorum proſtrationem & contritionem, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Formula actus adorationis ob motiuum glorificationis.

O Deus benedicte Angelorum & hominum, qui maieſtatis tuæ gloria cælum & terram reples! Quinam ſunt hi, quos in fronte video geſtare inſignia crucis tuæ? Pulchrior eſt ille ornatus, quàm ſi haberent Regum diademate caput redimitum. Quantum ſuperat ſplendor veſtium ſupra niuem candidarum, purpuram aut coccum bis tinctum, quo gloriantur Reges? Quàm maiori honore & gloria dignæ ſunt illorum victoriæ, ex mundo, carne & Diabolo reportatæ, quàm victoriæ vel Alexandri, vel Cæſaris, aut cuiuſuis alterius Imperatoris, de ſuis deuictis hoſtibus. Gloria triumphi iſtorum iam emarcuit. Gloria triumphi ſeruorum tuorum in æternum viteſcit, & ad modum palmæ, reuolutione annorum non marceſcit, ſed ramos ſuos multiplicans pulchrior euadit.

O Deus bone! Apparet mihi creaturas quaſdam eſſe à te ſummopere dilectas. Siquidem in tanto numero creaturarum, quas condidiſti, & quas è nihilo produxiſti in eſſe rationalis creaturæ, aut creare poſſes, quædam præ cæteris honorantur, & quibuſdam donis, aliis nunquam communicandis præueniuntur. Quantæ tibi reddendæ ſunt benedictiones, quòd eas ante mundi conſtitutionem elegeris, & aſſumpſeris è medio populorum & nationum, ex omnibus orbis terræ partibus, vt tuæ fælicitatis fierent participes.

Quàm inſperatum bonum illud eſt, quod à ſola bonitate infinita & gratuita tua voluntate expectari poteſt! Excedit namque capacitatem omnem creaturarum, quòd fias alicuius creaturæ poſſeſſio. Nam inter finitum & infinitum nulla intercedit, proportio: & tamen illa poſſeſſio & fruitio tui eſt illud ſummum bonum, quod quibuſdam communicare decreuiſti. At animaduerto quòd gratuito illas tibi arctiſſimo charitatis vinculo volueris deuincire. Siquidem in tota amplitudine naturæ ſuæ nihil eſt cuius intuitu ſperare poſſent ſibi tantum præparari bonum.

Et quomodo hoc fiat, ô fons & origo bonorum omnium, perſpicio. Oportet vt te communices ad extra, cum ſis bonitas infinita, quantum creatura tuis aucta gratiis & fauoribus præuenta capere poteſt, non exhauriendo profundiſſimam bonitatis tuæ abyſſum, ſed in eam veluti ſubmerſa, & fæliciter abſorpta intrando in participationem & conſortium diuinitatis tuæ. Quædam igitur creaturæ fuerunt eligendæ ad huiuſmodi boni communicationem ſuſcipiendam, quarum intuitu te benedicimus. Inappretiabile eſt enim bonum ad quos illas aſſumere voluiſti.

At reuera quis exhaurire poſſet infinitum hunc bonitatis theſaurum. Nulla equidem eſt creatura, in qua non appareat veſtigium quoddam impreſſum ſupremæ bonitatis tuæ. Sed nulla dari poteſt, ô tremende rerum Creator, & Domine, quæ totaliter illam repræſentare queat ſecundum omnem modum & rationem. Quapropter ſi quædam valeant aliquid exprimere in ſe, quo appareat quàm dulcis, quàm mitis, quàm ſuauis, miſericors & munificus ſis, imperſcrutabili iudicio quaſdam, permittis proprios agere motus, ambulare vias ſuas, nec eas ad finem adeo præcellentem efficaciter ordinas: quo fit vt dum ita ambulare illas ſinis, reſeruatæ videantur vt per eas cerni poſſit quanta ſit patientia tua, quæ iſtarum, peccata & blaſphemias tolerare poſſit; inſuper quantum ſis iuſtus, qui earum ſcelera punire; quantum ſis potens, qui earumdem arrogantiam & ſuperbiam reprimere & doma-

re valeas. Hæc autem nunc videntur abſcondita. Sed ſi ſemel hi à te dilecti & electi, gloria & honore coronati fuerint, tunc recludetur & reſerabitur quod obſeratum eſt intra theſauros ſcientiæ & ſapientiæ tuæ, & quantum iſtos (quos elegeris præ cæteris) dilexeris, innoteſcet.

O admirabile rerum omnium opifex! Si propter hanc electionem ab æterno tibi danda eſt benedictio, pro manifeſtatione in tempore huius electionis per executionem tui propoſiti tibi claritas exoptatur, id eſt, vt opus hoc tum admirabile ab omnibus agnoſcatur ad nominis tui gloriam & honorem.

Tanquam ſapiens artifex propoſueras operi tuo conſummationem & perfectionem imponere, & in hoc permanens propoſito, cum plena, & abſolutiſſima ſcientia eorum omnium, quæ facere apud te decreuiſti, & non quaſi caſu aut fortuitò ad opus accingeris. Iam noueras quos lapides in tam præcellenti ædificio reponeres, & quo in loco ſinguli eſſent reponendi, vt admirabile artificium ſapientiæ tuæ in hoc opificio eluceſceret, dum vnuſquiſque lapis conſummationi operis tui inſeruit.

Sed quiſnam omnes homines ſuper terram gradientes intuens pro comperto habuit quinam ex illis eſſent deputandi in hunc electorum numerum vel in quo potiſſimum loco eſſent reponendi? Hæc prorſus erant abſcondita cunctis mortalibus, quin & Angelicis ſpiritibus. Hæc ſiquidem eſt altitudo ſcientiæ tuæ, ad quam nullus intellectus creatus attingere poteſt. Ad te pertinet, ad te inquam ſolum noſſe qui tui ſunt; nec ad alium attinet dare & aſſignare electis locum aut ſedem, ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, prout vnicuique manſionem paraueris in regno tuo, in eo videlicet loco, in quo manifeſtas ineſtimabilem magnitudinem gloriæ tuæ. Sed cum electi tui gloriam adepti fuerint, tunc quo nomine, & cognomine gaudeant agnoſcetur. Præſtantior eſt illorum ornatus, mirantior, & fulgidior veſtitus, vt internoſci aut diſcerni poſſint inter cæteras res creatas.

Hæc eſt claritas, quam gloriæ bonitatis tuæ confers, quæ quaſi occultata videbatur, dum incerta erat eorumdem electorum fælicitas: ſed dum actu poſſident quod illis dare propoſueras ab æterno, ad gloriæ tuæ manifeſtationem, tunc apparet quanta ſit claritas gloriæ tuæ: hanc enim annunciant coronæ, Palmæ, & veſtes candidæ.

Magis tamen abſtruſum eſt myſterium rationis, ſeu motiui tum fælicis electionis iſtorum: nulli reuelatum eſt hoc Sacramentum, nulli cognitum eſt, licèt voluntas tua, quam ſolum tanquam cauſam electionis iſtorum ſcimus, rationes & cauſas habeat propter quas hos eligat, alios deſerat: nec enim cæca eſt, nec in agendo præceps, nec caſu aut fortuitò hoc aut illud amplectitur. Præcedit enim illius determinationem clara & certa rerum notitia, & eorum quæ agit ſcientia.

O Deus dilectionis! ſolus amor reuelat, quæ ſolus amor impulſit vt dares. Hoc erit nomen, quod nemo ſcit niſi qui accipit; quod in penitiori ſecreto mentis amor tuus illis aperit, quod totus illorum ſis, ſicut eorum amor erga te ſe totum tuo mancipari obſequio profitebitur. *Ego*, dicet vnuſquiſque, *dilecto meo, & dilectus meus mihi*. Hæc illa eſt amoris loquela. Ita dilectio loquitur, nec alius quàm qui amat poteſt vel ea vti, ſeu eo modo loqui. Hæc propria loquela eorum eſt, in quorum fronte inſcribitur nomen Patris eorum, quia filij ſunt Dei viuentis; nomen etiam ciuitatis nouæ Ieruſalem, ſunt enim conciues ſanctorum, & domeſtici Dei, & Eccleſiæ Triumphantis membra; nomen nouum filij, quia in eis quantum apud Patrem tuum meriti fue-

A rit paſſio tua manifeſtè cernitur. Præter enim animæ beatitudinem, reformabis etiam corpus eorum, & configurabis illud corpori claritatis tuæ. Hæc amoris viciſſitudo reciprocè reſtata, in cauſa fuit, quod nihil vnquam interceſſerit inter te & eos ſeparationem inducens: vel ſaltem ex ea dilectione factum eſt vt omnia ipſis in bonum cooperata fuerint, vt nemo potuerit eos rapere de manu tua. Quod ſi olim in hac præſenti vita poſiti inter nubila & caligines, de ſua fidelitate aliquando dubitarunt, timuerintque ne pro ſua innata & inſita indignitate à tua repellerentur dilectione, nunc vident, nunc ſciunt euidentiſſimè ſe eſſe tecum indiſſolubili charitate coniunctos; quin & experiuntur, quàm im- B menſa, vera, conſtans & ſolida fuerit tua erga eos dilectio, quæ tanta fuit vt nec eos propter peccata ſæpiùs reiterata à te repuleris in æternum, aut à voluntate conferendi illis gloriam & beatitudinem vnquam diſceſſeris.

O Deus ſanctiſſime! ſi dum in hac vita mortali degebunt, in medio tentationum & vexationum, adeo roborata fuit ſpes eorum, vt coniecturis quibuſdam mentem ad aſſentiendum fortiter inducentibus, ſecuti redditi fuerint & morali quadam certitudine conjicere potuerint ſe in numerum filiorum tuorum coaptari: quæ ſpes & ſecuritas maiora accepit incrementa: quanta ſanctitas eorum euaſit inſignior: ſi ex illa certitudine & ſecuritate in intimis C cordis eorum penetralibus concepta quòd ſint filij tui, magnam conceperint ſimul conſolationem & lætitiam, cum nunc cum maiori claritate & certitudine ſciant ſe tam fælicem adeptos fuiſſe ſortem, vt nunquam à te ſeparari valeant, quanta debet eſſe eorum lætitia, quanto debent perfundi gaudio? Equidem olim Spiritus ſancti interni impulſus & motus ſæpe & efficaciter eos inuitabat & propellebat, vt tibi obedientiam omnimodam præſtarent, propter quam indefeſſam & continuam ſubiectionem, timorem omnem expellentes, te amoroſè tanquam amantiſſimum Patrem agnoſcebant, & dicebant *Abba Pater*. Nec enim timor eſt in charitate ſi firmas in corde egerit radices; amore tuo flagran- D tes, multa dilectionis tuæ ſigna experientes, de tua dilectione plurimum confidebant certiores.

Nunc certi ſunt omnino & ſecuti de ſua dilectione, erga te, nunc percipiunt euidenter tuam erga eos dilectionem. Nec hoc tantùm, ſed & te reuelante, penitiſſimo cordis intuitu vident rationem propter quam eos eligiſti: non enim amicus ſua ſecreta abſcondit amico. Et hoc illorum eſt nomen, quod nemo ſcit niſi qui accipit, quod videlicet in ſeipſis ſentiant rationem ſeu motiuum ſpecialis illius dilectionis, qua eos dilexiſti, multos alios deſerendo & negligendo. Igitur clarè & euidenter ſciunt quod vſque huc illis abſconditum fuerat, ſciunt non modò ſe eſſe de numero electorum, ſed & rationem percipiunt propter quam expediebat, E & decens erat vt ad manifeſtationem gloriæ tuæ, ipſi & non alij donis & gratiis cumularentur, prout liberrimum fuit diuinæ maieſtati tuæ eos ſeligere quos volueris, tanquam ſupremus omnium Dominus. An non licet tibi quod vis facere? Nonne omnia tua ſunt? Nullum habes ſupra te, qui voluntati tuæ legem præſcribere poſſit: à nullo dependet, nulli commenſuratur, cum ipſa ſit omnis iuſtitiæ & æquitatis regula certiſſima. Quod ſi veriſſimum eſt quod nullum rejicis à ſalute abſque iuſtitia, verum eſt etiam quod omnes ſaluas ex gratia.

Claritas tibi ſit, ô Deus & pater vniuerſorum! Nam ſi apud creaturas tuas inuenire nequeas rationem, cur vna præferenda ſit alteri, eam tamen reperis in profundiſſima abyſſo iudiciorum tuorum

imperſcrutabilium:

Digitized by Google

imperſcrutabilium : qua quidem ratione motus decreuiſti , & apud te ſtatuiſti tantum bonum efficaciter præbere his dilectis & electis , non aliis rationabilibus creaturis,ad immenſam nominis tui gloriam, ad laudem gloriæ filij tui vnigeniti , per quem receperunt efficacia media , vt ad gloriam & beatitudinem perueniant. Adorandus igitur meritò exiſtis, qui eos elegiſti quibus benefaceres. Adorandus inſuper , qui eos præordinaſti & prædeſtinaſti , vt bonum hoc ineffabile poſſideret; ſed adorandus maximè , quia illos ad tantam gloriam deduxiſti, per vias & ſemitas quaſdam incomprehenſibiles & inueſtigabiles omni creato intellectui. Nam cum tuum ſit vocare ea quæ non ſunt,tanquam ea quæ ſunt,alios in vtero matrum exiſtentes ſanctificas , antequam vſura lucis huius fruantur , vt Ioannem Baptiſtam, Virginem matrem tuam in conceptione ſua ab omni macula illæſam præſeruas , alios vt Adamum & Euam ab inſtanti creationis ſanctificas , alios in extremo vitæ articulo expectas, vt eis gratiæ ſpiritum & adoptionem filiorum largiaris. Quidam (te corda eorum illuminante ,) deliriis diſſoluti ac diffluentes ſentiunt in te ſolo fœlicitatem eſſe requirendam : erit qui multis iactatus tempeſtatibus , in medio vexationum animaduertet ad te ſolùm eſſe recurrendum in quacumque tribulatione. Erit qui cum multa ſolicitudine , cum gemitibus & lacrymis te quærens , te tandem inueniet tanquam laboris ſui coronam. Erit è contra qui nullo modo de te cogitans, tamen inueniet te gratuita & liberali voluntate , te eum præueniente benedictionibus tuis. Alius ſtatim atque tuis primis inſpirationibus ad ianuam cordis eius pulſaueris , tibi aperiet. Alius mille ac mille inſpirationibus reſiſtet , & tandem duritiem cordis eius emollies , ac dices : Noli contra ſtimulum calcitrare. Illo mox reſpondente , *Domine quid me vis facere.* Denique quia totam cordis humani capacitatem & amplitudinem complecteris , ita congruè accommodas auxilia gratiæ tuæ cum diuerſis motionibus cordis humani , vt cedat tandem virtuti efficaci vocationis tuæ , & dum clamaueris obaudiet , & dicet : *Ecce adſum : quoniam vocaſti me.* Et quis hæc perſpiciens non rapietur in admirationem ? Equidem præparare media quibus ij quos ad te vocas iuſtificentur ; & iuſtificati tandem gloriam conſequantur , opus eſt ſapientiæ tuæ infinitæ, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Non modò igitur ſit tibi benedictio & claritas, ſed & ſapientia.

Hæc eſt illa ſapientia , quæ vt ſuam manifeſtaret profunditatem , in hominis creatione duas res inter ſe valde diſſitas , carnem ſcilicet & ſpiritum rationalem coniunxit , & in vnum compoſitum ſuppoſitum coaleſcere fecit , tam ſtricto vitæ vinculo corpus & ſpiritum coniungens , vt nihil intimiùs aut ſtrictiùs in vnum concurrere aut coniungi queat ; admirabiliſque ſit vtriuſque ſympathia , dum ſpiritus ad carnem viuificandam ſe deprimit , dum caro viuificata ſpiritu illum ſuis afficit inclinationibus ; & quia vnum ſit ex duobus ſuppoſitum , cuius eſt operari , anima nullos actus producit , ſiue vitæ animæ vegetatiuæ, ſiue ſenſitiuæ, ſiue intellectualis & rationalis , niſi per potentias & facultates in ſuis operationibus ab organis corporeis quadam ratione dependentes. Vnde & intelligentem oportet ad phantaſmata ſpeculanda conuerti , vt connaturali modo intelligat.

Sed vlterius progreditur ſapientia tua , cuius mirabilis apparet ſcientia ex hominis formatione. Nam cum hominem ad ſupernaturale bonum velit ordinare , ſciens eius eſſe proprium per viſibilia ad inuiſibilium cognitionem peruenire, Sacramenta

A inſtituit ſignificatiua & productiua gratiæ , qua ad finem ſupernaturalem adſpirare valeat. Sic Baptiſmo à peccatis abluitur ; Confirmatione, fortitudine munitur ; Euchariſtiâ membrum corporis Chriſti myſtici efficitur; Matrimonio, dilectionem Chriſti, erga Eccleſiam agnoſcit ; Ordinis Sacramento ad magnam dignitatem & poteſtatem euehitur ; pœnitentiâ , zelo honoris iuſtitiæ diuinæ accenditur , in ſeipſo vindicans diuinæ maieſtatis offenſam; Extrema vnctione,miſericordiarum Domini exaltat multitudinem. At hic non ſiſtit ſapientia tua : vt magna appareat, alia adhuc habet media, quibus hominem vult ad cæleſtia capeſſenda adſpirare , mandata ſcilicet, quorum obſeruatione ad vitam æternam B ingredimur.Hac ratione Deo honorem exhibemus, erga proximum optimè afficimur : non enim mandata tua permittunt vt alteri faciamus quod nobis fieri nolimus, imo impellunt vt quodcumque voluerimus vt faciant nobis homines, illud eiſdem impendamus. Erga nos ipſos horum mandatorum obſeruatione etiam optimè afficimur, dum concupiſcentias reprimunt , ſenſibus fræna iniiciunt , noſque puros & caſtos conſeruant , vt ab omni iniuſtitia, & mentis ac corporis corruptione immunes , ſancti ſimus , ſicut & tu ſanctus es.

Sed adhuc hæc ſapientia fulgores ſuos emittit, & induſtriam ſuam manifeſtat ; dum, ô Chriſte ſaluator, verbo & exemplo nobis conſilia ad perfe- C ctionem conſequendam conducentia propoſuiſti, quibus mandatorum tuorum tam ſalutarium facilior nobis reddatur obſeruatio. Obedientiam docuiſti , & ecce factus es obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Paupertatem docuiſti : & ecce non habuiſti vbi caput reclinares , & nudus in cruce ſpiritum emiſiſti. Caſtitatem ſuaſiſti , & ecce quàm longè factus es à carnis illecebris, vt omnia potuerint tibi inimici falsò improperare , at de impuritate ne minimâ quidem , auſi ſunt vnquam aliquid dicere; & vt diſceremus omnes carnis voluptates contemnere , tot labores , tot tormenta , tot dolores in corpore immaculato ſuſtinere voluiſti. Sed quia non modo ſobriè & iuſtè viuere debemus, D ſed quod altius eſt , piè viuendum eſt , ſummum tibi exhibendo honorem, & cultu latriæ ſupremo tibi ſeruiendo, hinc ſapientia tua modum inuenit , quo hoc vt par eſt ritè & debitè perſoluamus, dum ſacrificium miſſæ inſtituit , dum ceremonias ſanctiſſimas in Sacramentorum & diuinorum officiorum adminiſtratione præſcripſit, dum orandi & laudes Deo perſoluendi præceptum nobis reliquit, vt ſic Deum in ſpiritu & veritate adoremus.

Denique hæc tua ſapientia elucet, dum vt iſta omnia ſarta tecta remanerent , Eccleſiæ tuæ ſummam dediſti autoritatem, Paſtores relinquendo,qui ea omnia docerent , adminiſtrarent , præciperent ; & eam tot donis, miniſteriis , ordinibus , inſtitutis E decoraſti,vt de ea dici queat : *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato , circumdata varietate.* Hæ ſunt viæ tuæ pulchræ, purificæ exquiſitæ intra omnes voluntates tuas, per quas voluiſti electos tuos ad gloriam , quam poſſidebunt , peruenire : & lauantes ſtolas ſuas in ſanguine tuo , ab omni luctu & miſeria ereptos immenſa fælicitate potiri. Sit tibi igitur non modò benedictio & claritas, & ſapientia , ſed & gratiarum actio : quia nos elegiſti, quia nos ad vitam æternam præordinaſti, quia media tam efficacia præparaſti , quia vt iis mediis vteremur ſicut oportet , gratiam & auxilium præbuiſti , quia nunc tanta fælicitate nos cumulaſti , vt in perpetuum ſis nobis Deus & nos ſimus tuus populus & honor tibi ſit , dum tuo obſequio erimus in æternum conſecrati ; & virtus, quia ab omni malo & peccato immu-

Digitized by Google

nes: & fortitudo in ſæcula ſæculorum Amen, quia ab omni hoſtium incurſu ſecuri: gaudium noſtrum nemo tollet à nobis.

De quinta adoratione, ob motiuum modi præſtantiſſimi quo ſancti gloriam conſequuntur, nempe per labores & tribulationes varias, quibus Chriſto compatiuntur.

Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas: & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti B *virtutem tuam magnam, & regnaſti. Apoc.* 11.

Motiuum huius quintæ adorationis eſt modus præſtantiſſimus acquirendi gloriam, per perſecutionum generoſam tolerantiam.

ANNOTAT. XV.

COMPARARE ſibi gloriam per laborum & perſecutionum tolerantiam adeo eſt glorioſum, vt inter remunerationes à Chriſto promiſſas pro ſuo nomine omnia relinquentibus reponi videatur. Marci 10. *Nemo eſt*, inquit, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam.* Et reuera hoc eſt generoſi animi, ſeipſum domare, aduerſa patienter tolerare, perſecutiones fortiter ſuperare, nec malis cedere, ſed audenſiùs contra mala inſurgere. Optimè ſiquidem olim à Poeta dictum fuit:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Cum igitur electi ſemel iuſtificati per gratiam tentationes ſuperant, quæ interiùs, aut exteriùs immittuntur: cum ob difficultates actiones virtuoſas non negligunt, vt voluntati Dei obtemperent, & ſe ſeruos eſſe profitentur Regis Regum, & Domini Dominantium: honorem ſibi comparant immenſum: & cum hoc donum non habeant à ſe, ſed à Deo, à quo eſt omne bonum, meritò propter tantam gratiam Deum laudare, eique gratias agere iuſtiſſimum & digniſſimum eſt.

Quod autem ob tale motiuum reddantur Deo laudes in c. 11. patet. Viſa fuit in c. 8. aquila volans per medium cœli, dicens voce magna: *Væ, væ, væ habitantibus in terra*, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri. Iam duo væ tranſierant, quibus Eccleſia vexata fuerat: nempe vitiorum & peccatorum multiplicatio, & errorum & E hæreſum pullulatio. *Et ecce væ tertium veniet citò*, inquit S. Ioannes, c. 11. nempe vltima Anti-Chriſti perſecutio, in qua infidelitas, atheiſmus, & Chriſti contemptus regnabunt, & Eccleſia ita opprimetur, vt nulla ei detur facultas aut libertas exercendi functiones ſuas, quibus Deo cultum, & obſequium exhibere ſolebat. At quamuis hæc ita ſint, vigebunt in electis ardens charitas, inuincibilis patientia, fidei integritas, animi conſtantia, fidelitas, magnanimitas, obedientia, mundi contemptus, humilitas, & finalis perſeuerantia: iſtæque virtutes in eis plurimum ſplendorem vndequaque diffundent, & reproborum oculos ac mentes perſtringent. Tunc, vt dicitur ab Angelo forti, cap. 10. *In diebus ſcilicet vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſumma-*

A *bitur myſterium Dei, ſicut Euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas.* Myſterium proculdubio magnum, quod Deus permittere velit Eccleſiam ſuam adeo vexari deprimi & conculcari, permittat reprobis ac malis omnia pro libito proſperè ſuccedere, ipſoſque eſſe deſideriorum ſuorum compotes, gementibus ac vix reſpirantibus electis, itaut breuiandi ſint dies illi, ne electi ſeducantur, ne in errorem inducantur: periculum quippe eis immineret ſubuerſionis, ſi longiùs protelaretur tam luctuoſa perſecutio. Myſterium inſuper magnum, quòd cum in arctum ſint poſiti Dei amici & electi, & tot tantiſque malis circumdati, ipſi tamen in bonis operibus & in fidei confeſſione conſtanter permaneant: ingens denique myſterium, in bonis operibus perſeuerare in medio tentationum, & perſecutionum, & hoſtes tam potentes, non armis ſeu inſtrumentis bellicis, ſed patientia & tolerantia proſternere & conterere ſub pedibus. Et reuera occultum eſt illud ſapientiæ diuinæ decretum, quo ſtatuit vt per labores ad quietem, per dolores ad fælicitatem, per amaritudines ad ſuauitatem, per ignominias ad gloriam perueniamus.

Hæc in ſeipſo expreſſit Angelus ille fortis, amictus nube propter myſterij huius velamen: habens arcum ſeu iridem in capite, quia per contradictiones & labores Eccleſia pacem obtinebit: & faciem tanquam ſolem, quia educet Dominus iuſtorum C iuſtitiam & iudicium tanquam meridiem, è medio nebulæ ſpiſſiſſimæ perſecutionum, eoſque ad gloriam deducet. Pedes iſtius Angeli erant tanquam columnæ ignis, quia fortes facti ſunt electi eius in bello: & per eos, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic runt peccatores à facie Dei.

Fortis namque eſt Dominus, qui electos ſuos virtute ſua corroborat, vt dicant: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*; & hoſtes eorum potenter expugnat.

Hoc myſterium in Chriſto initium ſumpſit. Magnum quippe eſt Sacramentum quòd Chriſtus voluerit tam dura & acerba pati pro hominum ſalute: Vnde cum hoc myſterium reuelaret Apoſtolis, Luc. 18. dicens: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum: & tertia die reſurget.* Addit S. Euangeliſta, *Et ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum illud abſconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur.* Hæc enim credere difficillimum erat; multo magis illa intelligere impoſſibile eſt. Vnde cum iam hæc omnia conſummata fuiſſent, vix credebantur. Qua de cauſa illi duò diſcipuli euntes in Emaus, à ſpe concepta (propter miracula Chriſti) reſtitutionis Regni Iſraël exciderant: quia videbant morti traditum fuiſſe, quos arguit Chriſtus Luc. 24. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ*, Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Nec Apoſtolus Paulus de paſſione & morte Chriſti, & fructibus eius vnquam loquitur, quàm vt de quodam Sacramento abſcondito ſapientibus huius mundi, & penè incredibili, in quo ſapientia Dei & virtus diuina abſconduntur. *Loquimur*, inquit S. Paulus ad Corinth. 2. *Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Et cap. 1. eiuſdem Epiſt. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare ſed Euangelizare, non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Et ad Coloſſ. c. 4. *Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis*

Digitized by Google

oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum) vt manifeſtem illud, ſicut oportet me loqui. Et ad Coloſſ. c. 1. iam dixerat: *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia: cuius factus ſum ego miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, vt impleam verbum Dei, myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus: nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ, quem nos annuntiamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. In quo & laboro, certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.* Ita Apoſtol. Hæc enim myſteria, ſiue paſſionis Chriſti, ſiue ſalutis humanæ per Chriſti mortem, ſiue vocationis nationum per ſtultitiam prædicationis, paſſionis & mortis Chriſti, vt eam imitemur, & in eius cruce gloriemur, hæc omnia ſunt occulta, & inuiſa, niſi à Deo reuelentur. Vnde ſi Sacramentum eſt quòd Chriſtus pati voluerit, & in cruce mori, etiam Sacramentum eſt quòd Eccleſia per multas tribulationes intret in gloriam. Non enim exiſtimandum eſt quòd electi alia via gradiantur ad gloriam, quibus iniungitur vt Chriſti fiant imitatores, vt ipſum ſequantur, dicente ipſo. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Non enim*, inquit Ioan. 15. *eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Vnde Apoſtolus dixit neceſſarium eſſe, piè volentibus viuere in Chriſto, perſecutionem pati 2. ad Timoth 3 Sed cum his ſuperatis ad gloriam perueniunt, meritò Deo gratiæ aguntur, meritò in voce ſeptimi Angeli factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius: & regnabit in ſæcula ſæculorum Amen. Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas: & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* Nam etſi hæc pro adeptione gloriæ æternæ dicerentur, quæ per tribulationes comparatur; & non pro ſumma pace, qua perfruetur Eccleſia poſt Anti Chriſti necem, vt probabilius eſt, quia dicitur: *Factum eſt regnum huius mundi*; quod certè videtur intelligendum eſſe de Regno temporali Chriſti in terris; & inſuper quia hic videntur viginti quatuor ſeniores adorantes, qui pertinent ad ſtatum præſentem Eccleſiæ militantis: vnde de illis nulla fit mentio in c. 21. & 22. in quibus ſtatus Eccleſiæ triũphantis deſcribitur; quidquid ſit, hæ laudes Deo dantur ob partam victoriam, & Regnum adeptum per multas tribulationes. Glorioſum quippe eſt regnum obtinere virtute propria. Vnde dicunt: *Quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* Fauet Richard. à S. Victore l. 3. in Apocaly. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, id eſt, ſeptimus ſiue vltimus Doctorum ordo prædicans. Et factæ ſunt voces, id eſt, exhibitæ ſunt Deo laudes de iuſtorum ſaluatione, & impiorum damnatione. In cœlo, id eſt, in ſancta Eccleſia, cæleſti conuerſatione ſublimata. Dicentes: Factum eſt Regnum huius mundi, id eſt, vniuerſitas fidelium, quæ adhuc in mundo per tribulationes exercetur, & præparatur ad cæleſtium manſionum retributiones: quæ quodammodo nondum perfectè eſt Dei, quandiu ſub mutabilitate temporis, & corruptibilitate mortalitatis, eam tentando & perſequendo affligit verſutia hoſtis Anti-Chriſti. Tunc perfectè Dei & Chriſti, id eſt, diuinitatis & humanitatis conregnantis erit: quando de præſenti ſæculo ſublata, ſolis diuinis laudibus in cœlis vacabit; & perfidus hoſtis nihil de ſua poteſtatis*

A *Dominio in eam amplius exercebit. Cuius Regni tranquillitas etiam tunc in mundo incipiet, quando Chriſtus Anti-Chriſtum ſpiritu oris ſui interficiet, & ſancta Eccleſia dimidia hora ſilentio, quod ſequetur vſque in finem, purificata conquieſcet.* Ita Richard. Fauet etiam S Thomas in expoſitione, ſiue dum ait: *Et ſeptimus Angelus; id eſt, ſeptimus ordo prædicatorum exiſtentium in ſeptimo ſtatu Eccleſiæ, ſcilicet poſt mortem Anti-Chriſti: & dicitur ſeptimus ordine narrationis & temporis; Tuba cecinit, id eſt, canet: hoc eſt, prædicabit: quia interfecto Anti-Chriſto prædicabunt fideles prædicatores.* Ita ſanctus Thomas. Qui poſtea addit. *Et factæ ſunt, id eſt, fient; voces magnæ, id eſt, deuotæ laudes, ſcilicet de conſeruatione ſuorum, & confuſione impiorum, quos*
B *confundet, cum Anti-Chriſtum interficiet: vel de ſuorum ſaluatione, quæ tunc inſtabit.* Ita S. Thom. Igitur ſicut Chriſtus perfecta & conſummata Redemptione hominum in cruce clamauit: *Conſummatum eſt*: Ita fideles poſtquam Anti Chriſto reſtiterint, & ea quæ pati poſſunt pro Chriſto paſſi, fuerint (*erit enim tunc*, id eſt, tempore Anti Chriſti, *tribulatio qualis non fuit ab initio mundi vſque modo: neque fiet*) conſummata omni tentatione extrinſeca, & finitis perſecutionibus, dicent: *Factum eſt regnum huius mundi Dei noſtri, & Chriſti eius.*

Certè ſi olim filij Core, quia grandi miraculo præſeruati fuerunt, dum pater eorum abſorptus fuit in viſceribus terræ cum Dathan, & Abiron: Deo
C cecinerunt Pſ. 45. *Deus refugium noſtrum & virtus*, in gratiarum actionẽ; non mirum ſi illi, qui poſt Anti-Chriſti necem ad Chriſtum conuertentur, videntes ſe ſeruatos fuiſſe incolumes, dum ille cum ſuo Pſeudo-Propheta ſuiſque aſſeclis mittetur in ſtagnum ignis, & à terra deglutietur, Deo gratias agant. De illis enim dici videtur: *Et reliqui in timorem ſunt miſſi. Et dederunt gloriam Deo cæli*, cum ſeptem hominum millia terræ motu dicuntur occiſa. Refert enim Ayguanus in hunc Pſalmum, ex Rabbi Salomon, quod cum filij Core non receſſiſſent à patre ſuo, ſtatim atque præcepit Deus per Moyſen vt omnes recederent à tabernaculis hominum impiorum, Patri videlicet ſuadentes vt Moyſi morem gereret,
D eique obediret; quod cum facere recuſaret dirupta eſt terra ſub pedibus eius, & ſociorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis eorum: *At filij Core*, inquit Ayguanus, *virtute protecti remanſerunt in aëre, in medio illius aperturæ, quo vſque terra ſub pedibus eorum fuit recluſa. Et hoc fuit grande miraculum, & arcanum, myſterium. Si enim receſſiſſent cum aliis à tabernaculo patris ſui ante apertionem terræ, nullum fuiſſet miraculum de ſalute ipſorum, ſicut nec de ſalute aliorum. Viſo ergo tanto miraculo Dei circa ſe, conuerſi ſunt ad Dominum toto corde, gratias agentes Deo. Et tunc in ipſis requieuit ſpiritus Propheticus, & pro gratiarum actione fecerunt hunc Pſalmum. Ex dictis autem apparet litera tituli, qui eſt, in finem Pſalmi, id*
E *eſt: Pſalmus dirigens nos in finem, ſcilicet in Deum, vt puta ad conſiderandam Dei potentiam. Filiis Core ſcilicet attribuitur, quia hunc Pſalmum ipſi fecerunt. Et hoc pro arcanis, quia ſcilicet agit de arcanis Dei, & ſecretis, quæ in dicto miraculo apparuerunt.* Ita Ayguanus.

Placuit etiam Genebrardo iſta traditio, in hunc Pſalmum. *E Chaldæo Paraphraſte*, inquit, *apparet filios Core eſſe eos tres, qui tempore Moſis, Exod. 6 pietatis laude floruerunt, non poſteros ſub Dauide Leuitico munere Muſicorum florentes. Ad laudandum*, inquit, *per manus filiorum Core, qui per ſpiritum Propheticum in die quando abſconditus fuit Pater eorum ab eis (terra hiatu abſorptus, num. 16) & illi liberati dixerunt canticum.* Ita Genebrard. illum videlicet Pſalm. cui titulus eſt, *in finem filiis Core, pro arcanis.* Nomina autem filiorum Core, qui fuerunt tempore Moſis, ſunt *Aſer & El-*

Digitized by Google

cana, & Abinſaph. Exodi 6.

Et reuera iſti conuertendi in fine ſæculorum poſt necem Anti-Chriſti, erunt filij Core, nempe eius qui figuram & perſonam gerit hominis contumacis, & Deo rebellis, Chriſti videlicet, de quo ad Galat. 3. dicitur: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Qui morte abſorptus deſcendit in inferiores partes terræ. *Qui ſunt filij Core*, inquit Ayguanus, *niſi filij crucis & paſſionis Chriſti?* Et fuſiùs hoc docet S. Auguſtinus. *Commemoro*, inquit, *enim vos ſcientes Core interpretari Caluitium, Dominumque noſtrum ſignificare, qui in Caluaria loco crucifixus adduxit multos, tanquam illud granum, quod niſi mortificatum eſſet, ſolum remaneret: & eos qui adducti ſunt, appellatos filios Core: hoc in myſterio.* Ita Auguſtinus. Et nota quod optimè per Caluitium Chriſtus patiens in cruce deſignatur: quia ſicut Caluus caret ornatu Capillorum, ita Chriſtus omni ornatu carere voluit in cruce, in qua apparuit tanquam percuſſus à Deo, & humiliatus. Olim in finem, filij Core antiqui decantauerunt Pſalmum, vt eo cantico dirigerentur in Deum, & ad conſiderandam Dei potentiam, vt loquitur Ayguanus. At filij Chriſti crucifixi laudes Deo cantant in finem, id eſt, vt ad Chriſtum ipſum dirigantur: *Finis* enim *legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*, inquit Apoſtolus. *Finis autem dicitur*, ait Auguſt. *non quia conſumit, ſed quia perficit, nam & finitum cibum dicimus, qui manducabatur & finitam tunicam, quæ texebatur, illud ad conſumptionem, hoc ad perfectionem. Quia ergo vltra quo tendamus non habemus, cum ad Chriſtum peruenerimus, ipſe curſus noſtri finis dicitur. Nec putare debemus quia cum ad illum peruenerimus, aliquid ampliùs debemus niti, vt ad Patrem perueniamus.* Ita Auguſtinus. *Quia*, vt poſtea addit, *in illo habemus Patrem, quia ipſe in Patre, & Pater in ipſo, & ipſe & Pater vnum ſunt.* Ita Aug.

Ita eſt, optime Lector. Cum Eccleſia per imitationem Paſſionum, & tolerantiam laborum, ad Chriſtum peruenerit, tunc ad Deum Patrem perueniet. Et hoc eſt myſterium ſecretum, & Sacramentum ſola cruce Chriſti tanquam claue reſerandum, quòd Deus velit per paſſiones nos ad gloriam peruenire. Vnde Pſalmus canitur *pro arcanis*, & audiuntur voces magnæ in cœlo dicentes: *Factum eſt regnum, &c.* Quia videlicet cum Eccleſia multos labores, multas tolerauit tribulationes & perſecutiones pro Chriſti gloria & Dei cultu conſummabitur Myſterium Dei, vt dicitur cap. 10. Apocalypſ. *Occultum eſt ergo*, inquit Auguſtinus, *ſed ille ipſe qui in Caluaria loco crucifixus eſt noſtis quia velum diſcidit, vt templi ſecreta pateſcerent. Proinde quia crux Domini noſtri Clauis fuit, quâ clauſa aperirentur, credamus affuturum nobis vt iſta occulta reuelentur.* Ita Aug. exponens titulum, *in finem pro occultis.*

At quomodo crux Chriſti nobis clauis erit ad aperiendum hoc myſterium, quod Eccleſia debeat per multas tribulationes intrare in regnum Dei? Erit certè, ſi dicamus quod *non eſt ſeruus maior Domino ſuo*, ſi dicamus corpus debere capiti conformari; & ſi oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam, & nos perpeti multa debemus, vt eius gloriæ ſimus participes. *Si enim compatimur & conglorificabimur.* Hæc via ad cœlum aſpera videtur iis qui non credunt Dei Euangelio, & qui omnia aduerſa & dura tantum à ſe expellenda arbitrantur, quantum affectus eorum ab omni patiendi deſiderio elongatur. At qui ſciunt quod bona Deus ſub paſſionibus & laboribus abſconderit, nihil reiiciunt pœnæ aut laboris, vt ſe Chriſto reddant conformes & cum eo ineant ſocietatem. Talis etiam fuit Moyſes, de quo Apoſtolus ad Hebr. c. 11. *Fide Moyſes grandis factus* A *negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.* Intuitu paſſionis Chriſti Iob à dæmone grauiter percuſſus ſolatium quærebat, dum teſtâ radebat ſaniem, ſedens in ſterquilinio. Nam teſta hæc figura erat carnis Chriſti, quæ per vehementiam amoris aruit in cruce. *Aruit*, inquit Pſ. 21. *tanquam teſta virtus mea. Exaruit*, inquit S. Auguſt. *paſſione virtus mea non velut fænum, ſed velut teſta, quæ fit igne firmior.* Et in ſecunda expoſitione huius Pſal. rurſus ait S. Aug. *Magnifice quod dixit, firmum factum eſt nomen meum de tribulatione. Quomodo enim teſta ante ignem mollis eſt, poſt ignem fortis: ſic Domini* B *nomen ante paſſionem contemnebatur, poſt paſſionem honorificatur.* Ita Auguſt. Pari modo Eccleſia poſt paſſiones toleratas honorificabitur, & cum fuerit Chriſto in patiendo conformis, tunc maiori honore & gloria decorabitur.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: Et factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius: & regnabit in ſæcula ſæculorum. Apocalypſ. 11.

C *Voces, quæ audiuntur in Eccleſia poſt perſecutionem Anti-Chriſti, optimè conueniunt cum motiuo quintæ huius adorationis, quæ in vndecimo capite deſcribitur.*

ANNOTAT. XVI.

PAVCIS verbis S. Ioannes exprimit quæ filij Core, filij Calui, filij Chriſti, qui. (qui comas capitis ſui, id eſt, omnem ornatum diuinum & Regium deponere voluit in cruce,) in toto Pſal. 45. exprimere videntur vt Deo laudes & gratiarum actiones reddant: nempe quòd abſorpta fuerit mors in victoria ſua, & dum Chriſtum abſorbere D voluit, quos deuorauerat reddere coacta eſt: quòd inferi portæ non præualuerint aduerſus Eccleſiam: quod contra omnem impugnationem ſatanæ ſoluti, vt cum fortiter impugnarent fortes fuerint: quòd ab eo ſeduci non potuerint, nec amore diuitiarum, nec illecebris voluptatum, nec honoris ambitione, nec minis tormentorum, nec grauitate ſuppliciorum, nec peſſimo multorum exemplo, nec fallacibus ſignis & prodigiis, nec vniuerſali perfidia & corruptione morum totius orbis, à regno Chriſti auelli potuerunt. Regnum quippe Chriſti tunc verè fit, ſi peccandi libertas & facultas auferatur per gratiam. Ceſſat enim grauior tribulatio, ſi peccata compeſcantur. Rectè enim S. Auguſt. In hunc Pſal. *Chariſſimi, inter omnes tribulationes humanas, animæ nulla eſt* E *maior tribulatio, quàm conſcientia delictorum.* Hæc Aug. Erigitur igitur regnum Chriſti, ſi in medio tribulationum aquâ gratiæ irrigati fructus boni operis copioſos afferamus in patientia. Extollitur, ſi dum non regnat peccatum in mortali noſtro corpore, & è contra Deus in medio noſtrum regnat immobiliter, deprimantur omnes illæ aduerſariæ & mundanæ poteſtates, & ad vocem eius omnes contremiſcunt.

Magnificatur Regnum Chriſti, ſi Eccleſia pace & tranquillitate fruatur, omni ſe cluſá perturbatione, vt ſolius Dei cultui & obſequio vacare poſſit. Tunc enim exaltatur in gentibus: tunc exaltatur in terra: tunc ſentire licet Deum virtutis eſſe nobiſcum, & nos in ſuam tutelam, & protectionem ſuſcepiſſe.

Digitized by Google

Cum igitur dicunt: *Factum eſt Regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius*, idem eſt ac ſi dicerent cum antiquis filiis Core.

Deus noſter refugium & virtus: qui dum fides in multis defecit, dum charitas in multis extincta eſt, aut ſaltem refrixit, dum abundauit iniquitas, inter tot peccandi occaſiones quæ nos circumdederunt nos à peccatis præſeruaſti.

Tuâ corroboraſti gratiâ: timor corda non inuaſit: nam etſi perſecutionibus Anti Chriſti vniuerſus orbis turbaretur, itaut eminentiores dignitates & poteſtates ſæculi corda ſua transferrent ad nequitiam, idololatriam, & cultum Anti-Chriſti, intrepidi permanſimus in timore tuo, quia refugium factus es nobis, & virtute gratiæ tuæ nos corroboraſti.

Audiantur per vniuerſum orbem voces intonantes falſorum Prophetarum Anti-Chriſti, diuerſos errores, & varias hæreſes, tanquam ſpurciſſimas aquas cum ſtrepitu multo vbique diffundentes, & è mari illo turbulento totius nequitiæ fluant flumina peruerſæ & damnabilis doctrinæ, itaut etiam quidam montes & elatiores ſiue ſuperbia, ſiue dignitate, ſiue ingenio & ſagacitate, & eruditione eminenti, ab iis aquis commoueantur & conturbentur, itaut in impietate ſubmergantur; tamen impetus fluminis iſtius lætificabit Eccleſiam tuam, quæ gloriabitur occaſionem inueniſſe in qua oſtendere poſſit erga te dilectionem & fidelitatem, itaut conturbentur illi montes ſuperbi, ſentientes Dei fortitudinem & poteſtatem eos deprimentem.

Hoc erit illi facile: quia fluminis decurſus, amnis & riuuli copioſæ gratiæ tuæ irrigatione ſua illam lætificat, quemadmodum riui aquarum agros & hortos. Hinc erigitur & ſtabilitur regnum Chriſti per ſanctificationem: peccatis enim excluſis ſanctificat Deus tabernaculum ſuum, per virtutum omnium exercitum.

Hac ratione eſt in medio eius, cum admirabili ſapientia cuncta moderans, itaut è tot malis & periculis Eccleſiam ſuam eruens, illam reddat illuſtriorem, & oculis ſuis gratioſiorem, ſibique magis deuinctam. Vnde ab eo ampliùs non ſeparabitur: Deus in medio eius non commouebitur: ſed maturè, ſeu tempore opportuno illi ſemper ſubueniet. In omnibus adiuuabit eam mane diluculo.

Et licèt pro tempore ſinat ſuum cultum exteriùs conculcari & impediri perfidia & temeritate reproborum, ſpeciali tamen auxilio ſuos electos adiuuabit, vt nequidem aures aperiant ſibilis eorum, ſed fideles in ſuo maneant obſequio.

Quare igitur fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Conturbatæ equidem ſunt gentes, & tamen inclinata & depreſſa ſunt regna mundi, vt extollatur regnum Chriſti. Dedit enim vocem ſuam, & intonuit de cœlo Dominus, tonitru Euangelij; & inſuper ſpiritu oris ſui interfecit impium, & tunc mota fuit terra conuerſione Iudæorum & infidelium, qui Anti Chriſto fauebant; & humiliatione, & exterminatione impiorum.

Et tunc apparebit quod Dominus virtutum erat nobiſcum, in medio tribulationum quas experti fuimus, & quod fuerit refugium & ſuſtentaculum noſtrum: ſuſceptor enim noſter Deus Iacob, qui iuxta promiſſiones ipſi Iacob factas, reliquias ſuæ poſteritatis in ſuam admiſit amicitiam, poſt falſi meſſiæ, cui adhærebant, internecionem.

Dicant igitur omnes Gentiles & Iudæi, qui nunc ſunt vnum ouile ſub vno Paſtore: Venite & videre opera Domini. Videte quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ. Conſiderate ſtupores, deſolationes, deſtructiones Principum potentum, Anti-Chriſti tam infenſi hoſtis exterminium, impiorum confuſionem. Conſiderate miracula omnem naturæ vim ſuperantia, Dei facinora, quibus ſuperauit, conuertitque mundum, & populum Iudaicum tam contumacem in Eccleſiæ ſuæ gremio recepit, perſecutiones ceſſare faciens.

Nullus ampliùs erit armorum vſus; & quæcumque inſtrumenta bellica contra Eccleſiam & Religionem parari queant, confringentur: *Arcum conteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Magnificabitur Regnum Chriſti, dum nullus erit hoſtis qui eminùs aut cominùs cum Eccleſia congredi audeat. Et ſicut nulla erunt arma quibus lædi valeat, ita nulla erunt ſcuta hoſtibus, quibus ſe protegere poſſint contra Eccleſiæ arma & fulmina: ſcuta comburet igni.

Omnibus erit peruium & facile vacare contemplationi diuinæ maieſtatis, & ad hanc Domini vocem in eius cognitione occupari. *Vacate*, licet, *& videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Et omnes fatebuntur Deum eſſe Deum eorum, & illorum protectorem: dicent namque: *Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob. Factum eſt enim Regnum Domini noſtri, & Chriſti eius: & regnabit in ſæcula ſæculorum.*

Sciendum eſt, inquit Richard. à S Victore, l 3. in Apocalypſ. c. 8. *quod tribus modis accipitur mundus: aliter namque, ſicut tradunt Doctores, intelligitur mundus, cum dicitur creator mundi; aliter cum dicitur ſaluator mundi, aliter cum dicitur diabolus princeps mundi. Eſt itaque mundus, cuius Deus creator eſt. Eſt & mundus, cuius Deus ſaluator eſt. Eſt etiam mundus, cuius diabolus princeps eſt. Mundus cuius Deus Creator eſt, intelligitur vniuerſa fabrica mundi, de qua dicitur: in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, &c. Mundus cuius Deus ſaluator eſt, intelligitur vniuerſalis Eccleſia Dei, de qua ſcriptum eſt: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Mundus, cuius diabolus princeps eſt, intelligitur vniuerſalis concupiſcentia ſæculi, de qua dicitur: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Primus itaque mundus, id eſt, vniuerſalis fabrica mundi ſemper eſt Dei. Deus, quamuis mali non ſit autor, eius tamen eſt diſpoſitor; quia licet ab ipſo non accipiat ortum, minimè tamen illud ſub ſe relinquit inordinatum, & fit miro modo vt quod ab ipſo non habet originem, ab ipſo tamen & ſecundum ipſum ſumat ordinationem. Secundus autem mundus, id eſt, vniuerſalis Eccleſia Dei, pro eo quod permittente diuinâ prouidentiâ, etiam illi qui ad vitam æternam prædeſtinati ſunt ad tempus quandoque delinquunt, & quia perſecutiones à diabolo concitatæ in eos qui piè volunt viuere atrociter deſæuiunt, videntur ab ipſa adhuc callide calumniari, acriter impugnari, crudeliter dilaniari. Sed firmum manet firmamentum: Nouit enim Dominus qui ſunt eius: & his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperantur in bonum. Huius igitur mundi regnum tunc perfectè & manifeſtè fiet Dei, quando ſancta & vniuerſalis Eccleſia penitùs in omnibus filiis ſuis liberabitur à tentatione & perſecutione diaboli, in æternitate vacabit diuinæ laudi & contemplationi.* Ita Richard.

Sanctus Thomas in expoſitione docet quomodo hæc verba optimè conueniunt cum motiuo ſupradicto quintæ adorationis, dum ait: *Iam manifeſtatur in deiectione Anti-Chriſti & ſuorum, & exaltatione electorum, quòd ad patrem & filium pertinet dominatio vniuerſalis omnium. Ex hoc enim quod iuſti poſt mortem Anti-Chriſti videbunt Deum deieciſſe impios, qui ante perſequebantur Eccleſiam, quia interficiendo Anti-Chriſtum manifeſtabit eos vanè in eum ſperaſſe, videbunt etiam Deum ſuos de perſecutione impiorum liberaſſe, & pacem reddidiſſe iam in parte oſtenſum erit quòd vniuerſalis dominatio ad ipſum pertinet. Rurſus quia ſperabunt iudicium*

Digitized by Google

in breui futurum, *rectè dicunt: Factum eſt Regnum, &c.* Ita S. Thom. Et ad obiectionem quòd ab initio regnaret Deus ſupra omnia, reſpondet quod *Deus ſecundum rem Dominus fuit, & Rex vniuerſorum ab initio mundi: veruntamen quando impij dominari videbentur, impediendo eius cultum, & perſequendo cultores, non manifeſtabatur plenè plena dominatio Dei, ſicut manifeſtabitur poſt deſtructionem Anti-Chriſti: quando etiam expectabitur maior manifeſtatio per iudicium futurum loquitur ergo hic quantum ad manifeſtationem.* Ita S. Thom.

Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies: ſuas & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.

Gratiarum actiones viginti quatuor ſeniorum optimè conueniunt cum motiuo quintæ adorationis.

ANNOTAT. XVII.

DOCET ſanctus Thomas in expoſitione, *per hos viginti quatuor ſeniores intelligendos eſſe Patres & Rectores aliorum, qui auctoritate Officij, maturitate vitæ, & doctrina ſapientiæ alios regunt. Hæc omnia in nomine ſeniorum intelliguntur. Et cùm duodecimo numero, qui eſt numerus abundans, ſignetur perfectio, quæ duplex eſt in Paſtoribus, ſcilicet vitæ, quantum ad actus ſupererogationis, item Paſtoralis curæ in diligentia perfecti regiminis, rectè duplicatur numerus, vt dicantur viginti quatuor ſcilicet propter perfectionem vitæ & Paſtoralis curæ.* Ita S. Thom. Soli autem viginti quatuor ſeniores hîc inducuntur, nec de animalibus fit mentio, ſiue quia ſilebit in tempore Anti Chriſti omnis vſus, & exercitium ſupremæ illius dominationis ſeu iuriſdictionis maiorum Prælatorum, qui per animalia deſignantur, ſiue quia poſt necem Anti Chriſti qui eſſent, tanquam qui in electis & fidelibus obtineant laborum ſuorum effectum, illos ad obediendum Deo & Chriſto obedientiſſimos & paratiſſimos inuenientes, ac ſi dicerent: Nunc Deo laudes & gratias agamus cum omni animi tranquillitate; nec enim opus eſt nobis deinceps nouas leges condere iudicia exercere in rebelles & contumaces; nam ecce omnes proprio motu Deum colunt & adorant per quàm libenter. Vel tandem quia confunduntur cum viginti quatuor ſenioribus, ex eo quod & ipſi cum inferioribus fortiter dimicabunt cum Anti Chriſto & eius Miniſtris, vt ad fortiter dimicandum imbecilliores prouocent; ſicut olim Theodoſius, cum vidiſſet dextrum cornu exercitus ſui contra Eugenium Tyrannum dimicantis malè haberi, ab equo deſiliens ſe in capite illius pedeſtrem conſtituit, & clamans: *Vbi eſt Deus Theodoſij?* Suis militibus exemplum dedit fortiter præliandi. Ita Maiores Prælati cum inferioribus confunduntur, quia tunc erunt cum ipſis fortiter præliantes, nec ſolùm verbo, ſed etiam exemplo ad omnia pro Chriſto ferenda inferiores prouocabunt; & cum totum quod ſunt in autoritate & dominatione ſupra cæteros, hoc ſit Dei donum; ſicut confundi debent cum ſenioribus in certaminibus. Ita & cum eis confunduntur in laudibus & actionibus gratiarum Deo exhibendis. Cum igitur Prælati Maiores & Minores, & fideles ſancti viderint quod Eccleſiæ pax reddita fuerit, ſedentes in ſedibus ſuis, id eſt, in officiis & gradibus, & dignitatibus ſuis permanentes, cum autoritate regentes & iudicantes Eccleſiam Dei, & inferiores ſuos rectè & conuenien-
A ter regentes & iudicantes, vt qui vigilanter incumbunt ouibus regendis: Hi ſcientes quantæ Deo debeantur laudes ob ſuam protectionem, humiliabunt ſe in conſpectu Dei, cadent in facies ſuas, id eſt, intus in corda ſua. *Hoc eſt enim*, inquit S. Thomas, *cadere in faciem, id eſt, in ipſum cor, quod dicitur facies: quia ſicut homo per faciem cognoſcitur, ſic per voluntatem cognoſcitur Cor. vtrum ſit homo de ouibus Dei. Item quia cor homines debet reſpicere ea, quæ ſunt ante ſe, non quæ retrò ſunt, ſicut facies reſpectum habet ad ea quæ ſunt ante. Et adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus noſter, omnipotens; quia nos aliis cadentibus ſeruaſti, quia inimicos fidei confudiſti, & tuos exaltaſti, & pacem eis dediſti. Erunt*
B *enim in magna quiete poſt mortem Anti-Chriſti.* Ita S. Thom.

Domine Deus omnipotens, in quo eſt ſcilicet vniuerſalitas præſidentiæ. Ideo Dominus. Sublimitas naturæ. Ideo dicitur Deus. Infinitas potentiæ. Addunt propterea omnipotens. Deus autem & Dominus omnium ſuam omnipotentiam in tribus potiſſimùm manifeſtauit. Primò, in creatione. Secundò, in potenti auxilio gratiæ, qua poſſunt fideles omnes tentationes ſuperare, & quoduis opus bonum perficere. Tertiò, dum hoſtes ſeruorum ſuorum, & honoris ſui inimicos conterit, & ad nihilum redigit illorum auſus & impios conatus. Ratione creationis dicitur in prima adoratione, Apoc.
C 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* Ratione auxiliantis gratiæ, hîc dicitur: *Gratias agimus tibi. Domine Deus omnipotens.* Ratione proſtrationis hoſtium, in cap. 19. in ſexta adoratione dicitur: *Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluya: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens.*

At cur in hac laude quintæ adorationis dicunt: *Qui es, & qui eras, & qui venturus es*; & non ſicut in prima. *Qui eras, qui es, & qui venturus es?*

Vt hoc intelligatur, notandum nomen (*qui eſt*) accipiendum pro Deo, per præſentem quamdam operationem manifeſtante quod ſit hîc & nunc,
D nempe per opera gubernationis, de qua operatione loquebatur Chriſtus: *Vſque modò pater operatur, & ego operor.* Ioan. 5. *Pater meus*, Ibi exponit S. Auguſt. tract. 17. *Et tunc operatus eſt cum fecit mundum. Et vſque nunc operatur cum regit mundum. Ergo & per me fecit cum fecit, & per me regit cum regit.* Ita Aug. Præſens igitur operatio, ſcilicet gubernationis, deſignatur cum dicitur: *Qui eſt* Et conſequenter actio præterita creationis, cum dicitur: *Qui eras.* At cum dicitur. *Qui venturus*; actionem & operationem futuram deſignat pro adimpletione & conſummatione operis, ſiue creationis, ſiue gubernationis. In his enim duabus operationibus reducitur illud omne quod Deus ad extra operari dicitur, iuxta
E S. Thomam.

Hac de cauſa S. Ioannes in cap. 1. vt doceret Deum vtrique operi vltimam manu eſſe appoſiturum, ad deſignandam perfectionem operis gubernationis ait: *Gratia vobis & pax, ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Et verſ. 8. ad deſignandam operis creationis perfectionem, cum in iudicio omnibus creaturis locum vnicuique proprium aſſignabit, ait: *Ego ſum α & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.* Dicit primo: Qui eſt, quamuis de perfectione operis creationis agat, quia opus gubernationis, quod vſque modo pater & ipſe operantur, dirigitur ad perfectionem operis creationis. Hoc prænotato, Reſpondeo. In prima adoratione ſanctus Ioannes primò poſuit, *Qui erat*; quia ad crea-

Digitized by Google

tionē reſpiciebat; vt ſic in memoriā noſtram reuocaret Deū eſſe primum principium, à quo & eſſe & viuere accipimus. Hic autem, in quinta ſcilicet adoratione dicit: *Qui eſt*: quia de opere gubernationis agit. Nam valde neceſſarium eſt vt in tempore tribulationis recordemur Deum nobis ad eſſe præſentem, & de nobis curam gerentem, iuxta illud Petri 1. c. 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum: quoniam ipſi eſt cura de vobis.* Et quia dubitari poſſet ab infidelibus an de Eccleſia curam gereret, cum videatur illam deſerere vexatam, afflictam, & oppreſſam, & penè extinctam: ideo ne in hanc diffidentiam incidamus, aſſerit Deum in opere gubernationis, ſemper adeſſe præſentem. Gratias igitur agunt ſeniores Deo, quia in periculis præſentibus adfuit electis & fidelibus ſuis: qui olim erat, ſiue ab æterno apud ſe proponens fœlicitatem æternam illis conferre, & præparabat illis media ad hunc finem conſequendum: ſiue qui in eorum creatione & formatione tantum bonum illis volitum executioni dare incæpit, ad nominis ſui gloriam manifeſtandam: & qui tandem venturus eſt, vt retribuat vnicuique prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Qua quidem ratione, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, eiſque coronas in capite imponet, & ſeipſum pro mercede exhibebit ſibi obedientibus in præſenti vita. Cum igitur addunt: *Et qui venturus eſt*: vel liberationem à perſecutionibus, vel depreſſionem hoſtium, vel finalem reſurrectionem, vel præmia, expectanda, vel ſupplicia malis inferenda deſignant, ac ſi dicerent: Qui electos ſuos ad tolerandos labores quoſcumque & perſecutiones ferendas corroborat, is eſt qui olim ſuperbos dæmones virtute ſua è paradiſo in tartara detruſit, & qui bonos nunc à malis vexatos poſtea veniens non modò eos eripiet ab omni malorum impugnatione, ſed etiam perſequentes eos fortiter conculcabit. Gratias agamus igitur Deo omnipotenti, primò: qui eſt mundum gubernans, qui erat illum olim ex nihilo creans, qui erit opus ſuum perficiens: ſecundò, qui nunc infundit gratiam ad benè operandum, & fortiter agendum: qui erat olim illam præparans & promittens, qui erit aliquando illam in gloria conſummans; Tertiò, qui nunc ſuos protegit in aduerſis contra impetum malorum, qui erat olim dæmones è paradiſo ejiciens, qui erit malos & reprobos tandem exterminans, & ſuos ab omnibus impugnationibus liberans; Quartò, qui cum ſuis nunc eſt in tribulatione, infirmitati eorum compatiens, qui erat olim infirmitatum ipſorum particeps, in cruce patiens; qui erit etiam ſuam gloriam ipſis communicans: *Si enim compatimur, & conglorificabimur.*

B

C

D

Et accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti. Richardus à S. Victore: *Qui accepiſti virtutem magnam ſecundum humanitatem aſſumptam ex mortuis reſurgendo, in cœlum aſcendendo. Et regnaſti, tuos contra diabolos defendendo, in virtutibus & bonis operibus eos piè gubernando.* Ita Richard.

Sanctus autem Thomas: *Quia accepiſti virtutem tuam id eſt, manifeſtaſti poteſtatem tuam, in diſſipando hoſtes fidei, qui prius fideles premebant. Multum enim manifeſtabitur poteſtas Chriſti, quando interficiet impium Anti-Chriſtum, & fidelibus dabit magnam tranquillitatem, qui priùs valde preſſi fuerunt: dicitur autem Deus accipere virtutem ſuam, quando eam manifeſtat. Quaſi enim eam depoſuiſſe videtur, quando ſuum cultum impediri, & impios regnare permittit*, &c. Et paulo poſt: *Et regnaſti, id eſt, te regnare, hoc eſt, dominari oſtendiſti, ſupra impios qui ante perſequebantur fideles, & ſupra iuſtos, quia per operationem diuinæ potentiæ manifeſtabitur dominatio eius.* Ita S. Thomas. Equidem decorem ſuum induit,

A & fortitudine ſua præcingitur, cum in nobis bona opera efficit, ſine quo nihil facere poſſumus, iuxta illud Pſalm. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.* At cum bona opera fiant in medio tribulationum & anguſtiarum, reuera magnam ſuam accipit virtutem. Ex his patet gratiarum actiones optimè conuenire cum motiuo huius quintæ adorationis. Actum igitur adorationis erga Dominum exercituum, Dominum fortem & potentem qui ſuos tantùm corroborauit, vt poſſint nomen illius palam confiteri, etiam in medio tribulationum & perſecutionum, formemus.

Formula adorationis, ob motiuum auxiliantis gratiæ Dei in aduerſis.

O Deus, ſupra omnia adorande, quàm exaltatæ ſunt cogitationes tuæ à cogitationibus hominum! Hac de cauſa aliæ ſunt viæ tuæ à viis noſtris, in operibus tuis. Qui tui obliuiſcuntur, impingunt in viis ſuis; in ſemitis ſæculi, vt ambulent, per eas itinere non trito. Palpant ſicut cæci parietes, & quaſi abſque oculis attrectant, & minima difficultate occurrente neſciunt qua ratione poſſint illam ſuperare. Impingunt in meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Quid velint verè neſciunt. Quo tendunt, ignorant: quibus mediis ad id quod ſibi proponunt perueniant, ſcire non poſſunt, & de exitu operis ſuis plane ſunt ignari. At ô Deus luminis & gloriæ! viæ tuæ viæ pulchræ, quia abundant claritate, quo fit vt nihil ſit adeo ſublime ſupra quod non exaltentur, nihil adeo profundum, quod non intueantur, nihil tam aſperum quod non explanent, nihil tam tortuoſum quod non dirigant: quo fit vt propoſiti ſemper compos exiſtas, omni ſublato impedimento. At non modò pulchræ ſunt propter exuberantiam luminis; ſed etiam pacificæ, propter ſuauem diſpoſitionem mediorum, quibus cum ſumma pace & indicibili tranquillitate opera tua perficis, antequam de iis hominum aut Angelorum mentes aliquid cogitare poſſent. Et dum Angeli & homines cum magna difficultate ſeſe extricarent ab impedimentis quæ ſæpius occurrunt in quibuſlibet negotiis, tu cum maiori facilitate quaſcumque difficultates peruadis, vt illuſtrior reddatur ars & ſapientia tua, quo maior occurrerit in operibus tuis oppoſitio & contradictio. Sic ambulas ſuper vndas turbulentiores iniquitatum hominum peccantium, itaut figas veſtigia pedum tuorum, ac ſi ſuper terram conſtantis propoſiti tibi ſeruiendi ambulares, & quam concepiſti de iis ſaluandis voluntatem, illam fœliciter ad effectum deducis, & electos tuos ab omni periculo & naufragio damnationis potenter eruis.

Quod ſi aliquando viæ & ſemitæ tuæ diuidant aquas afflictionum, ſicut diuiſiſti mare rubrum in E diuiſiones, & aquas Iordanis deſiccaſti, vt per eas amici tui tranſeant illæſi: & poſtea iuxta conditionem rerum mutabilium illæ aquæ reuertantur & redeant in locum, itaut contingat illos his fluctibus obrui, tamen non ignorabis vias per quas poſſis illos iuuare in mediis fluctibus & tempeſtatibus cogitationes enim tuæ ſunt erga tuos cogitationes pacis, & non afflictionis, itaut omnia illis in bonum cooperentur.

Quod ſi veſtigia tua diſquirere, inueſtigare, & diſcernere voluerimus, non cognoſcentur: abſtruſa ſunt nimis conſilia tua, & oculis noſtris abſcondita & dum illa curioſiùs indagare audemus, auolant, & fugiunt oculos perſpicaciores.

At qua de cauſa, ô ſapientia infinita, vis in tenebris & latebris deliteſcere, cum ſis illa ſummi Prin-

Digitized by Google

cipis primogenita ante omnem creaturam de qua dici poteſt: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!* Tam pulchri certè, vt Deus omnia cum ſapientia infinita operans delectetur valde in operibus ſuis: quia per te in ipſis veſtigia magnitudinis ſuæ intuetur indelebiliter impreſſa. Certè cum nata ſis vt ab hominibus agnoſcaris, & eos in admirationem pulchritudinis tuæ rapias, non video cur debeas ponere tenebras latibulum tuum, eorumque fugere conſpectum. At cauſam percipio. Tu illa es de qua dicitur: *Cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Prouerb. 8. Ipſi enim ſunt ſoli capaces in ſe admittere omnia dilectionis tuæ indicia, & cum quibus poſſis inter creaturas corporeas inire amicitiam: quod cum ita ſit, propriam eſt amoris ſeipſum occultare, vt videat ſi in pretio habeatur, dum occultatus inquiritur. Creſcit & incrementa capit, cum fugere videtur: vult enim diligentius inquiri: & dum ſimulatione vtitur, & fingit ſe longiùs abeſſe fortiùs vulnerat eos quorum corda ſemel tetigerit dilectionis iaculis, & ſacratiſſimis illicitationibus ad ſe attraxerit. Dum igitur nullum videtur dare ſuæ dilectionis indicium, amicos ſuos deſerens variis afflictionibus vexatos, tunc ſtrictiora amicitiæ ſuæ fœdera init & renouat: tunc manifeſtiora dat ardentis amoris ſigna.

Dilecti tui, ô diuine & ſanctiſſime amor, puritatis amator, apud te ſunt quaſi aurum quoddam pretioſiſſimum. In illis nullam pati vales impuritatis mixtionem. Igne igitur tribulationum probandi & examinandi ſunt; Et quo magis per puritatem reddentur tibi ſimiliores, eò fient tibi coniunctiores, & manifeſtiora erunt mutui amoris indicia, ſiquidem tanto ſtrictius duæ res coniunguntur, quo maiores ſimilitudinis ratione faciliùs inter ſe conueniunt. Certè ſi temporaneus & tranſitorius eſſe amor tuus, ſufficeret vt ad tempus tantùm te diligerent: ſed cum eos diligas charitate perpetua & æterna, nullum tempus datur quo carere debeant tua dilectione. Tu prior dilexiſti nos: æquum eſt vt te viciſſim diligamus, & nunquam ab hac dilectione ceſſemus, etſi variis oporteat vexationibus perſecutionibus, afflictionibus probari. Nam ſicut arbor fortiùs radicatur hyemali frigore & gelu, & vehementioribus ventorum flatibus: & è terræ viſceribus humorem attrahit ſucculentiorem ad ſui nutritionem & augmentum ex pluuiis hyemalibus, dum frigore & niue conſtringitur, radices ſuas intra viſcera terræ latiùs & profundiùs emittit, ramos ſuos diffuſiùs expandit, foliis viridioribus ornatur, fructibus magis abundat, non ita facile concutitur & proficit arbori quod ad tempus ſuis ornamentis fructibus & foliis ſpoliata fuerit; Pari ratione, ô amor ſapientiſſime, ſi permittas electos tuos ad tempus priuari ſolatiis & delectationibus huius ſæculi, hoc fit vt fortior reddatur illorum erga te dilectio, & aptior ad reſiſtendum tentationibus. Et cum in terra nihil repériant in quo conquieſcant, ſed quocumque ſe vertant, omniá ſentiant ſibi moleſta: te ſolùm inueniant in intimo cordis, qui illos benignè excipias, qui eos fulcias, & pios illorum affectus mutuæ dilectionis ſignis & teſtimoniis compenſes. Inde fit vt intra ſinum bonitatis tuæ ſeſe per amorem intimiùs abſcondant, & ex eo fonte bonorum abundantiorem gratiam hauriant, qua nutriri magis dilatantur rami charitatis, & in tempore veſtiti & ornati cernuntur foliis viridantium virtutum, & fructibus bonorum operum æterna mercede præmiandorum.

Concertandum certè illis eſt cum hoſtibus, innumera illis ſuperanda ſunt obſtacula, quibus à pro- A poſito tibi fideliter ſeruiendi retardantur. Sed in hoc magnanimitas eorum manifeſtanda eſt: pro honore enim illius decertant qui poſſit eorum ſanare vulnera & medicamenta apponere, & detruncata etiam membra reſtituere, confracta conſolidare, & ſi quid vi tentationis amiſerint, benignitate tua reſtaurare. Pari etiam ratione, ſi eis ſuper vndas maris nauigare contingerit, & ingruat valida tempeſtas, itaut Nauis videatur fluctibus obruenda, in hoc manifeſtabitur quàm ſis de illis ſolicitus: ad tuum imperium ceſſabunt mare & venti, & fiet tranquillitas magna: Statues procellam in auram, ſilebunt fluctus maris, & deduces eos in portum voluntatis eorum: nam per multas tribulationes intrabunt in gloriam, B & immarceſſibilem adipiſcentur immortalitatis coronam: tunc perſpicient quòd ſi aliquando ab eis diſiungi voluiſti, hoc fiebat vt in æternum ab eis ſeparari nequires; Et quidquid permiſeris illis accidere, hoc ex intima dilectione tua proceſſiſſe. Quin & tanta eſt amoris tui benignitas, vt non expectet tempus remunerandi eos æterna mercede, qui pro te decertant; ſed etiam nunc illorum audis ſuſpiria & gemitus, & reples eos conſolationibus tuis in omni tribulatione eorum; & dum faciem tuam parumper auertere intendis, & ab eis quaſi fugiens diſcedere, cogunt ſuſpiria eorum, vt ad eos oculos tuos conuertas, & conſolationibus repleas. Nec enim teneritudo amoris tui pati poteſt vt eos deſe- C ras longiùs abſque ſolatio, quos vides cum humillima cordis ſui ſubmiſſione voluntates tuas adimplere, quorum patientiam intueris alacriter tolerantem quidquid acerbi eos pati decreueris; & illa tua fidelitas erga imbecillem creaturam, qui pro viribus ſuis conatur ſermones tuos ſeruare, & voluntati tuæ obtemperare, permittere non poteſt vt eos deſeras: imo illos corroboras vt omnibus tentationibus ſuperiores euadant, & facis vt habeant ex tentationibus ſuis prouentum.

Hoc modo abſcondiſti intra labores & perſecutiones vim amoris tui. Hoc modo regnare voluiſti ſuper corda eorum, dum voluiſti vt tibi ſeruirent, non tantùm in proſperis, ſed etiam in aduerſis & D contradictionibus. Hinc quia ſciunt te eſſe eorum Regem potentiſſimum, & ſupremum Dominum, qui ad libitum de omnibus diſponere valeas, nec propterea eos deſerere volueris, arbitrantur iuſtiſſimum eſſe vt tibi gratias agant, te adorantes ob profunditatem iudiciorum tuorum imperſcrutabilium, & ob admirandas prouidentiæ tuæ vias, quibus fit vt per tribulationes deducuntur ad gloriam. Dicant igitur omnes electi: Gratia tibi Domine Deus noſter omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, agimus Deus noſter, quia homo factus, ô ſaluator, pro noſtra totiuſque mundi ſalute. Totus noſter es, qui dilexiſti me, & tradidiſti temetipſum pro me; qui omnipotentiam tuam manifeſtas, dum quia eorum curam geris, tam imbecilles crea- E turas virtute corroboras, vt cum fidelitate decertent, & magnanimiter decertantes hoſtes proſternant. Vnde dicunt tibi: *Qui es*, nempe eos gubernans. Vocant etiam te: *Qui eras*: quia illis in memoriam reuocas paſſiones, quas pro eis pertuliſti, qui propoſito tibi gaudio ſuſtinuiſti crucem, vt hæc recogitantes non fatigentur, ſed cum gaudio & alacritate omnia ſuſtineant, præſertim cum proponas præmia indubitanter danda iis qui legitimè certauerint, tuam imitantes & ſectantes charitatem & patientiam. Non timeant igitur, ô Deus, qui venturus es, tyrannos qui poſſunt occidere corpus, & non habent ampliùs quid faciant. Tu ſolus timendus es, qui poſt mortem potes corpus & animam perdere in gehennam. Benedictus ſic in æternum,

immortales

Digitized by Google

immortales tibi gratiæ agantur, qui amatoribus tuis tantam contuliſti animi fortitudinem, vt nullis periculis mortis deterreri potuerint à tuo obſequio, ad omne bonum opus parati, nihil non audentes per magnanimitatem, quia in te omnem ſuam ſpem collocarunt. Hinc magna perfecerunt, quia magnificè tractabant ſapientiam, omnem ſuam adhibentes induſtriam & virtutem, omnem ſuas impendentes facultates, vt quæ tui cultus erunt fœliciter promouerent, non arbitrantes ſe meliorem habere poſſe hæreditatem, poſſeſſionem aut dignitatem, quàm ſi in numerum ſeruorum tuorum cooptentur, & quadam animi magnificentia ardua quæuis attentarunt, & omnia bona ſua externa & interna inſumpſerunt, vt tibi fidele redderent obſequium. Quid enim non poteſt qui tua gratia corroboratur? In charitate perfectus omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Laus igitur tibi ſit ob inuincibilem eorum patientiam: honor tibi ſit ob animi in aduerſis alacritatem: virtus tibi ſit, quia fortiter omnes ſuperarunt difficultates, cunctos deuincerunt hoſtes & in confeſſione nominis tui conſtanter perſeuerarunt, tyrannos deriſerunt, ſupplicia cuncta contempſerunt. Verè in eis magnam tuam virtutem aſſumpſiſti, vt in eis regnare valeas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hoc modo Deo laudes & gratiarum actiones dari poſſunt, non modò pro omnibus operibus bonis, quæ à iuſtis fieri poſſunt, dum nullis quatiuntur perturbationibus, ſed potiori iure pro omnibus actibus humilitatis, patientiæ, reſignationis, conſtantiæ, fiduciæ, magnanimitatis, & finalis perſeuerantiæ, quos elicere neceſſe eſt in tempore aduerſitatis & tentationis.

De ſexta adoratione, ob motiuum ſeueritatis erga hoſtes & aduerſarios Eccleſiæ, quos conterit ſub pedibus, vt Eccleſia cum ſumma pace & tranquillitate tandem Deo cultum exhibeat.

Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia. Et adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen. Alleluya.

Quod motiuum huius adorationis ſit ob partam victoriam de hoſtibus Eccleſiæ.

ANNOTAT. XVIII.

DECVRSIS adorationibus in præcedentibus capitulis poſitis, nunc ad caput iſtud decimum nonum redeundum eſt, in quo ſexta deſcribitur adoratio, pro victoria reportata de hoſtibus Eccleſiæ. Quod patet, quia vt benè aduertit S. Thomas, *viginti quatuor ſeniores & quatuor animalia, dicentes Amen, id eſt, Verum eſt quod Deus eſt laudandus; confirmant laudem ab aliis exhibitam, dum ipſi per ſe laudant. Vnde ſequitur, Alleluia, id eſt, laus ſit Dei.* Ita S.Thom. At quodnam eſt motiuum inducens alios ad laudandum? Illud tetigit Andreas Cæſarienſis dum ait: *Laudant autem illi Deum, quòd ſeruorum ſanguinem de manu Babylonis vindicauerit, eius denique habitatores per temporarium cruciatum beneficio affecerit, quippe qui iam aliquatenus puniti moderatiorem in futuro ſæculo pœnam daturi ſunt, æternam tamen peccandi facultate prorſus orbati.* Ita Andr. Adorant igitur, tam ſeniores, quàm animalia, id eſt, ſecundum ſanctum Thomam, maiores ſancti: quorum quidam fuerunt Paſtores per officium prælaturæ, alij prædicatores, per officium doctrinæ: *qui quanto maiores ſunt in digni-*
A *tate & officio, tanto humiliores eſſe debent, & deuotiores, ne caput vertatur in caudam,* vt ait S. Thom. Cur autem hîc animalia ſubſequantur, viginti autem quatuor ſeniores præcedant? Eſt quia cum per animalia intelligendos eſſe diximus maiores & eminentiores prælatos & ſanctos, & hîc agatur de confirmatione & approbatione laudum quæ Deo dantur in Eccleſia, ipſi maiores Prælati in vltimo loco reponendi ſunt, quia illorum eſt de aliis ſibi inferioribus iudicare. Secundò, quia completis omnibus, quæ dicta erant à Prophetis, de Eccleſiæ perſecutionibus ſub Anti-Chriſto futuris, ceſſat miniſterium eorum quantum ad exercitium iuſtitiæ coactiuæ & punitiuæ rebellium & contumacium, & manet in eis tantùm approbandi bonas actiones fidelium, qui
B tunc fideliter Deo cultum exhibebunt, occaſio & facultas.

Præterea adorant Deum ſedentem in throno, quia hæc adoratio exhibetur Deo ob ſententiam latam in impios, quam tulit in throno iudicij ſedens.

Denique non fit mentio Agni, vt in quibuſdam aliis adorationibus: quia myſterium prædeſtinationis & reprobationis, pertinet ad ſolam diuinitatem. Vnde Chriſtus dicebat Apoſtolis Iacobo & Ioanni: *Sedere ad dexteram meam aut ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Et quia hæc pertinent ad incomprehenſibilia Dei iudicia,
C quæ creaturæ perſcrutari non licet, ideo ſeniores ſola proſtratione & adoratione contenti nihil aliud dicunt quàm Amen: ac ſi faterentur non eſſe illorum comprehendere illa Dei iudicia, ſed tantùm ea approbare: nam quamuis ſint occulta, tamen ſunt æquitate plena. Vnde de Domino in bonitate ſentientes optant illum ab omnibus laudari, addentes Alleluia. Deus laudetur. Dicatur ab omnibus: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Pſ. 91. Deuteron. 32. *Date magnificentiam Deo noſtro. Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Fidelis & abſque vlla iniquitate: iuſtus & rectus.* Et has laudes & ſimiles optant ſeniores Deo dari, dum addunt
D *Amen.* Dum igitur dicunt *Amen*, approbant actus complacentiæ & congratulationis, admirationis & adorationis, de quibus ſupra & inter alia approbant iudicium iſtud æquiſſimum condemnationis impiorum. Et addentes *Alleluia*, oſtendunt æquè eſſe laudabilem, ob opera iuſtitiæ & ſeueritatis, quàm ob opera benignitatis: ex eodem enim fonte emanant infinitæ cuiuſdam bonitatis, quæ quia bona eſt, ſicut gaudet & lætatur in benefactis, ita irritatur de malefactis: eius eſt enim ſummo odio proſequi malum, cuius eſt bonum in omnibus ſecundum ſe perfectè diligere.

Formula actus adorationis ob condemnationem impiorum.

E Iſtius actus formam habemus expreſſam in Pſ. 93. qui incipit: Deus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit; ſi videlicet illum paraphraſticè vt infra exponamus.

O Deus! clarè nunc perſpicere licet prouidentiam tuam, ſuos electos nunquam tradere obliuioni: ſiquidem liberè & ſplendidè appares Deus vltionum. Palam & in oculis omnium iudicia tua exerces, prout libet, nemine prohibente. Deus vltionum, inquam: quia glorioſè de hoſtibus triumphans, eorum arrogantiam deprimis, qua tot tranſgreſſionibus mandatorum tuorum te contempſerunt, & honorem tuum conculcauerunt.

Nunc ſentiunt quod verè ſis Dominus Deus eorũ; nec tantum de offenſis cõtra te vindictam ſumis,

Digitized by Google

ſed etiam iniurias ſeruis tuis illatas ſeuerè punis: eos enim ita diligis, vt qui eos tangit, tangat pupillam oculi tui. Sed nihil timens ab eorum perſecutoribus liberè cauſam eorum iudicaſti, & hoſtes eorum variis ſuppliciis affeciſti. Ita Deus vltionum es duplici titulo, quia tuam & tuorum iniuriam ſeuerè punis.

O Ieſu, ſupreme orbis Monarcha, & iuſtiſſime iudex! Nunc tempus adeſt exaltationis tuæ; & qui in te & in membris tuis valde contemptibilis apparuiſti, exaltare nunc qui iudicas terram. Profer ſententiam contra terræ habitatores impios & ſceleratos. Redde retributionem ſuperbis. Oſtende tuam altitudinem & potentiam ſupra eos, illos deprimendo; quam cæci animaduertere non potuerunt: nec enim veniebat illis in mentem apud te eſſe ſummam ſapientiam, qua poſſis diſſipare omnia conſilia eorum: apud te eſſe ſummam potentiam, qua valeas infringere & retundere omnes conatus eorum, quibus nomen tuum, & cultum tibi ab omnibus nationibus exhibendum delere attentabant. Sed ſi te contempſerint, nunc contẽptui habentur. Si te pedibus ſuis conculcauerint, nunc ponuntur ſcabellum pedũ tuorum. Si innumeris doloribus te tuoſque vexauerunt, nunc gemunt ſub pondere ſuppliciorum grauiſſimorum, à quibus nunquam poterunt liberari.

Certè, Domine mi, omni honore & adoratione digniſſime, fateri neceſſe eſt magnam & infinitam eſſe patientiam tuam, qui tandiu ſuſtinuiſti eos, dum de atrocioribus gloriarentur ſceleribus. Vſquequo peccatores, Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur, & exultabunt de ſua fælicitate, qua probos ſuperant; *Effabuntur, & loquentur iniquitatem*, horribiles euomendo blaſphemias contra diuinitatem tuam, & tanquam Athei inſipientes, qui in corde ſuo dicunt: *Non eſt Deus*; iudicia tua irridentes, & tuam ſubſannantes prouidentiam; nec his contenti blaſphemiis & irriſionibus, inſuper gloriam quærentes in malefactis & abominationibus ſuis, & magnam ſibi gloriam comparaſſe exiſtimantes, ſi erga amicos tuos crudeliter ſe gerant, eos variis vexationibus, iniuſtitiis & perſecutionibus opprimendo. Sentiant te eſſe iuſtum iudicem, & vindicem malorum. Eſto ad tempus pro manifeſtatione ſummæ patientiæ tuæ permittatur, quòd magnitudinis & potentiæ tuæ immemores, nec de turpitudinibus ſuis erubeſcentes, audacter dicant iuſtum eſſe quod malignè contra innocentes meditantur. Sic loquuntur omnes qui operantur iniuſtitiam: *Opprimamus virum iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. Quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.* Sap. 2. Et hoc modo *populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Viduam, & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.* Exurge tandem, & iudica cauſam ſeruorum tuorum? nec permittas eos diutiùs à malis opprimi. Eccleſiam enim, tuam chariſſimam ſponſam, & illud genus electum, populum acquiſitionis, quem tibi in hæreditatem ſanguine proprio comparaſti, attriuerunt, templa illius ſpoliando, miniſtros eius interficiendo, bona temporalia diripiendo, corpora diuerſis tormentis cruciando, animas variis anguſtiis malè afficiendo. Sic eos, ſic eos qui iam in fide ſunt ſtabiles & ablactati, & ab vberibus auulſi, & eos quos adhuc ad vbera Eccleſia portat, miſerè tractarunt cum omni ſæuitia & crudelitate. Nam eos qui poſſent ſæuiores ad commiſerationem inducere crudeliùs oppreſſerunt: viduis non pepercerunt, quæ propter ſexus imbecillitatem, & mœrorem viduitatis duriores ad pietatem flectere poſſent: *Aduenam interfecerunt*, hoſpitalitatis iura violantes, quos ſtudium proprij honoris tutos reddere debebat ab eorum vexationi-

A bus. *Pupillos occiderunt*, à quibus propter ætatis infirmitatem nihil erat pertimeſcendus.

Et dixerunt; Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Neſcit res humanas, nec eas audit, tantum abeſt vt curet. Exiſtimant te ignorare circumuentiones & malitias & aſtutias ac deceptiones quibus vtuntur.

At nunc ſciant & intelligant per experientiam quàm inſipientes fuerint. Sapiant aliquando, etſi tardè & abſque fructu, quantâ ſtultitiâ fuerunt præoccupati, dum hæc cogitarent. Sentiant & ſapiant, inquam, te omnia videre, te omnia audire. Nec enim liberabis maledicum à labiis ſuis: quoniam renum eius tu teſtis es, & cordis illius ſcrutator, &
B linguæ eius auditor. *Propter hoc qui loquitur iniqua non poteſt latere: nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris Zeli audit omnia & tumultus murmurationem non abſcondetur.* Sap. 1.

Et quomodo non audires, blaſphemias eorum, qui plantaſti aurem in ſuperiori parte corporis humani? Quomodo non videres, qui cum tanta arte finxiſti oculum, quo nobis cœlum & terram licet conſpicere? Nec deerant exempla quibus ad huius veritatis apprehenſionẽ potuiſſent adduci, ſi in memoriam reuocaſſent ea quæ narrantur, & omnibus ſunt notiſſima, de Angelorum caſu, diluuio vniuer-
C ſi, Sodomitarum & Gomorrhæorum conflagratione, Babylonis excidio, ſubuerſione ciuitatis Hieroſolymitanæ, quibus ſuperbiam humiliaſti, impietatem exterminaſti, carnis ſpurcitias igne conſumpſiſti, auaritiam & crudelitatem vindicaſti, ingratitudinem & contumaciam ac perfidiam caſtigaſti. Certè ſuperbiam, impietatem, diſſolutionem, auaritiam, inhumanitatem, ſacrilegia & ſcelera enormia eorum omnium, qui te olim ad iracundiam prouocauerunt, imitantes, paria ſibi parari ſupplicia exiſtimare debebant, cum ſis immutabilis, & eadem ſemper ratione homines gubernans.

Qui igitur etiam gentes profanas & à tua notitia alienas punis & caſtigas, quomodo non punies eos,
D ad quos tua notitia peruenit cum tanto ſplendore, vt non feceris talia omni nationi? Nullo colore poterunt ſchiſma ſuum prætexere; nulla erit pro contumacia & rebellione valida excuſatio, nullus te circumuenire poteſt, *qui doces hominem ſcientiam*, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Alios decipere & circumuenire poſſent, eiſque perſuadere legitimâ de cauſâ ſe ab vnione & obedientia Eccleſiæ ſubtraxiſſe, & à ſummo Paſtore defeciſſe, Chriſti ſanguinem pollutum ducentes, & contemptui habentes, cum autem ſis omnium Dominus, *tu ſcis cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Vnde decepti ſunt, qui alios decipere attentarunt: Nec tantum ſcis cogitationes, ſed qui nume-
E ras capillos, vt reſuſcitandis conferas quidquid neceſſarium erit ad ornatum, numeras etiam cogitationes, vt nulla prætermittatur bona intentio, aut voluntas, quam non remuneres, nulla mala intentio, voluntas, aut actio, quam non punias.

Tunc manifeſtum erit beatum eſſe quem tu erudieris, Domine & de lege tua docueris eum; vt mitiges ei à diebus malis. Nam ſi pro conditione naturæ illos inuolui contingat in calamitatibus publicis, illas tamen dulcorabis, vel eos protegendo, vel illos gaudio interiùs perfundendo, & ſpe & expectatione proximæ liberationis recreando, donec videant vltionem quam exercebis erga impios, illos in barathrum detrudendo; nam iiſdem artibus, quibus tuos opprimere ſtudebant, incident in calamitates, à quibus ſe extricare, aut extrahere non poterunt. In-

Digitized by Google

cident enim in foueam, quam fecerunt; & laqueus, A quem tetenderunt, apprehendet & conſtringet eos.

Hos laqueos ſibi parauerunt, hanc ſibi foderunt foueam, cum tuos amicos perſecuti ſunt, cum illis inſidias ſtruxerunt, fideliſſimus cum ſis, nec amicos tuos deſeris, nec à te repellis. Sed ſi clamauerint ad te, exaudis continuò: præſto ades in te ſolo totam fiduciam ſuam collocantibus, quia *non repellis plebem tuam, & hæreditatem tuam nunquam derelinquit.*

Hæc tua hæreditas ad te ſolùm confugit. Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi eius ad te ſemper diriguntur; gloriatur quod tua ſit. De tua beneuolentia ſecura ſcit neminem impunè ad eam opprimendam acceſſurum. Audiuit B & credidit quòd qui omnia propter te reliquerit, iudex futurus ſit nationum eorumque qui inimicis tuis adhærere voluerunt, quamuis nomen tuum eis fuiſſet reuelatum.

Quapropter certè ſibi perſuadet quòd quamdiu in exercitio actuum iuſtitiæ permanſerit, nunquam illam derelinques, quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium, id eſt, quoadusque perſeuerantia eius in operibus iuſtitiæ hoc honore coronetur, vt tecum nationes & populos iudicare poſſit; vſque, inquam, ad diem iuſti iudicij; non derelinques id eſt, nunquam, donec veniat Chriſtus mundum iuſtè iudicaturus.

Et tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos C *qui ſe anguſtiauerunt, & abſtulerunt labores eorum.* Iuſtitia enim tua, qua tot dona naturalia & ſupernaturalia cum magna æquitate cunctis diſtribuiſti, vt dignos ſeſe exhiberent amicitia & beneuolentia tua, conuertetur in iudicium: dum de donis collatis rationem expoſces, & iuxta vniuſcuiuſque merita decernes, ſeruis tuis ſententiam approbantibus, quibus promiſiſti: *Sedebitis & vos ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël*; his nempe qui recto ſunt corde. Tunc ſuperatis hoſtibus, non ampliùs dicent: *Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?* Obmuteſcent enim impij, & capita leuare non audebunt. Videntes turbabuntur, & mirabuntur in D ſubitatione inſperatæ ſalutis iuſtorum. At electi videntes in quanto periculo perdendæ ſalutis æternæ fuerunt, tum ob vehementiam perſecutionum, tum ob prouocationem ad malum, propter multitudinem operantium iniquitatem, cum animo gratitudinis dicẽt: Niſi quia Dominus adiuuit nos, paulominus habitaſſent in inferno animæ noſtræ. Parũ abfuit quin deſcenderemus cum peccatoribus in inferni pœnas, niſi Deus tenuiſſet manum noſtrã, in voluntate ſua deduxiſſet nos, & nos miſericorditer in gloria ſuſcepiſſet. Non quod aliquando non fuerimus valde tentati, & penè commoti. Sed ſtatim atque dicebamus: *Motus eſt ſpes meus.* Ecce Domine tribulor. Ecce cor meum prauum à te diſcedere E geſtit; miſericordia tua Domine adiuuabat me; & reſiſtebamus fortiter tentationibus cunctis. Et quia benignus es, & in centuplum reddis ſi quid pro te pati aut tolerare contingat; ſecundum multitudinem dolorum in cordibus noſtris, conſolationes tuæ lætificauerunt animas noſtras.

Quis igitur hæc videns dicere audebit te non eſſe æquum & iuſtum iudicium? *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* An tibi aliquid commune eſt cum iniquo tribunali, cum poteſtate abutitur ad opprimendum innoxios; cum fingis, & fabricas, & proponis nobis præcepta ardua, cum magno labore ingentique ſollicitudine ſeruanda? Nihil prorſus. Nam dum vis electos tuos vitam tranſigere præſentem in laboribus plurimis, in fame, in nuditate, in ieiuniis, in medio perſecutionum, & oppreſſionum, & calamitatum; eiſque vias duras cuſtodiendis imponis; malis autem largiris diuitias, dignitates, eoſque delitiis & voluptatibus ſæculi frui permittis, dum vis ſeruos tuos à malis multa pati incommoda; nec facultatem reddendi malum pro malo, aut maledictum pro maledicto illis concedis, & è contra vis vt benedicant maledicentibus, & benefaciant malefacientibus, dum malos omnia ſuſdeque vertere permittis, nullus tamen audeat dicere quòd ſedeas in ſede iniquitatis, & adhæreas iniquis iudicibus? Exitus enim comprobabit quomodo æqua lance cuncta ponderes & moderaris. *Captabunt* enim *in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Omnes in ſanguine inſidiantur. Vir fratrem ſuum ad mortem venatur.* Mich. 7. Inſidias ſtruent in animam iuſti, ſed factus es mihi, Domine, in refugium, & ô Domine Deus meus, in adiutorium ſpei meæ. Nam potenter dirupiſti vincula eorum: diſſoluiſti cogitationes impiorum: eripuiſti animam meam à labiis iniquis. *Anima noſtra erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, per perfectam animæ & corporis glorificationem. Qui autem perſequebantur nos, demerſiſti eos in profundum. Reddes enim illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdes eos: diſperdes illos, Domine Deus noſter.

Et vox de throno exiuit dicens: laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum, puſilli & magni.

De quarto actu eorum qui diuina contemplationi vacant, nempe de laudibus Deo non modò in corde, ſed & ore exoluendis.

Optimo iure in Eccleſia datur præceptum, quo ad Dei laudes decantandas obligamur.

ANNOTAT. XIX.

HOC nobis potiùs præſupponendum, quàm probandum. Qui huiuſce veritatis probationes exquiſierit, legat eos qui ex inſtituto & operoſè tractarunt de officiis diuinis, eos præcipuè qui in decimo tomo Bibliothecæ magnæ veterum Patrum ſimul colliguntur, vt ſunt liber cui titulus eſt, *Ordo Romanus*, Iſidorus Hiſpalenſis, Albinus Flaccus, Amalarius, Fortunatus, Rabanus Maurus, Vualfridus Strabo, Bernon Abbas, Petrus Damianus, Micrologus, Iuo Carnotenſis, Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, Rupertus, Petrus Cluniacenſis, Radulphus de Riuo: Et alij huiuſmodi. Eccleſia namque vt docet Rupertus in prologo de diuinis officiis, ſeu Catholici & Apoſtolici Patres imitari voluit pietatẽ Sem & Iaphet filiorum Noe, hiſque laudibus ſeu diuinis officiis tanquam quodam pallio contegere ignominiam & infirmitatem Chriſti in cruce patientis, qui vino amoris in Eccleſiam inebriatus velut Noe nudus iacere voluit in cruce, deridente Cham primogenito: dum non ſolùm pro beneficio creationis Deo laudes perſoluit, ſed etiam pro omnibus Sacramentis incarnationis, natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis eius: dum hoc præſtat, Moſen & Dauidem ſequitur: *Qui*, vt ait Iſidorus l. 1. c. 5. de Eccleſ. officiis, *à pueritia in hoc munus à Deo ſpecialiter electus, & cantorum Princeps, Pſalmorumque theſaurus eſſe promeruit: cuius Pſalterium idcirco cum melodia cantilenarum ſuarum ab Eccleſia frequentatur, quo faciliùs animi ad compunctionem flectan-*

Digitized by Google

tur. Primitiua autem Eccleſia ita pſallebat, vt modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare, ita vt pronuncianti vicinior eſſe quam canenti. Ita Iſid. Ex quo obiter annotandum eſſe arbitror noſtrum modum pſallendi apud Capucinos ad antiquum Eccleſiæ modum accedere. Qui enim ſpiritu viuere debent, & ſpiritu ambulare in omnibus æquum eſt. Et, vt addit S. Iſidor. *propter carnales, in Eccleſia non propter ſpirituales conſuetudo eſt inſtituta canendi, vt qui à verbis non compunguntur, ſuauitate modulaminis moueantur. Sic namque & beatiſſimus Auguſtinus in libris confeſſionum ſuarum conſuetudinem approbat canendi in Eccleſia, vt per oblectamentum aurium, infirmus animus ad affectum pietatis exurgat. Nam in ipſis ſanctis dictis religioſius & ardentius mouentur animi noſtri ad flammam pietatis, cum cantatur, quàm ſi non cantetur. Omnes enim affectus noſtri pro ſonorum diuerſitate vel nouitate neſcio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum ſuaui & artificioſa voce cantatur.* Ita ex Auguſt. Iſidor.

Vox autem de throno exit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum, puſilli & magni. Cum vel ex ſcripturis ſanctis Eccleſia, quæ thronus Dei eſt, nos ad laudes Dei decantandas & proferendas incitat: vel in Conciliis legitimis, ſacerdotibus quaſdam preces & Pſalmodias perſoluendas præſcribit: vel aliquid ſancta Romana Eccleſia, cui Chriſtus Petrum & ſucceſſores eius præeſſe voluit, aliquid circa diuina officia ſtatuit, vel ordinat obſeruandum: cum ipſa poſita ſit in ſpeculum & exemplum, & ipſa mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius regulis nullatenus conuenit deuiare: ſicut filius venit facere voluntatem Patris, ſic & nos implere debemus voluntates matris noſtræ, quæ eſt Eccleſia: cuius caput eſt Romana Eccleſia, vt aduertit Radulphus de Riuo, *De Canonum obſeruat propoſit.* 3. Et vt ipſe ait, propoſit. 2. *Regitur Eccleſia autoritate, traditione generali & ſpeciali: vnde Auguſtin. lib. de fide Chriſtiana. Catholica Eccleſia per orbem diffuſa tribus modis probatur exiſtere: quidquid enim in ea tenetur, aut autoritas eſt ſcripturarum, aut traditio maiorum vniuerſalis aut certè propria & particularis conſtitutio. Sed autoritate tota conſtringitur, vniuerſali traditione, maiorum nihilominus tota, priuatis verò conſtitutionibus & propriis informationibus vnaquæque, pro locorum varietate, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit & regitur.* Hæc ille. Quod verum eſſe exiſtimo de priuatis conſtitutionibus, modò vniuerſalem conſuetudinem ab vniuerſali Eccleſia receptam non euertant & à ſede Romana approbentur expreſſè aut tacitè, ſaltem dum illas ſciens & volens tolerat; nam de iis quæ vniuerſali conſuetudini repugnarent, dicendum arbitror quæ referuntur à Radulpho ex Auguſt. Epiſtol. 119. ad inquiſitionem Ianuarij, de diuerſis moribus Eccleſiæ. *Omnia,* inquit, *talia, quæ neque ſanctorum ſcripturarum autoritatibus continentur, nec in conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut nunquam omnino inueniri poſſint cauſæ quas in eis conſtituendis homines ſecuti ſunt, vbi facultas tribuitur ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamuis enim neque hæc inueniri poſſit quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem quam miſericordia Dei pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis voluit eſſe liberam, ſeruilibus oneribus adeo premunt, vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum: qui etiamſi tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen Sacramentis, non præſumptionibus humanis ſubiiciuntur.* Hæc ille. Secundum patet: nam ſi nec concilia generalia robur & firmitatem obtinent niſi à ſede Apoſtolica confirmentur, multo magis priuata ſtatuta nullius ſunt roboris, niſi ab ea ſede robur accipiant.

Cum igitur dixit Paulus, Epheſ. 5. *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri.* Vox exiuit de throno dicens: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius. Hymni ſunt,* inquit Sedulius Hybern. *qui fortitudinem & maieſtatem Dei prædicant, & eiuſdem ſemper vel beneficia vel facta narrantur: quod omnes Pſalmi continent, quibus halleluiah vel propoſitum vel ſubiectum eſt. Pſalmi autem propriè ad Ethicum locum pertinent, vt per organum corporis quid faciendum, & quid vitandum ſit nouerimus. Qui verò de ſuperioribus diſputat, & concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem atque concordiam ſubtilis diſputator ediſſerit, iſte ſpirituale canticum canit. Vel certè propter ſimpliciores manifeſtius quod volumus eloquamur. Pſalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur, & pſallere, & laudare Deum magis animo quàm voce debemus. Hoc eſt quippe quod dicitur, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes pro omnibus, id eſt, quæ accidunt vobis, ſiue proſperis, ſiue aduerſis.* Ita Sedul.

Vox etiam de throno exiuit dicens: *Laudem dicite Deo:* cum concilium Laodicenum ſub Syluestro, can 15. modum præſcribit ſeruandum in laudibus publico ritu Deo in Eccleſia reddentis, quòd *non oporteat ampliùs, præter eos qui regulariter cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere.* Ita Conc. Nec enim prohibet vt puſilli æquè ac magni Deum laudent priuatim ſed vt decentiùs in Eccleſia laudes Dei celebrentur, vult eas celebrari à peritis, & ab iis qui ab Eccleſia ad hoc officium deputantur. Vnde cap. 17. indicat ſe de publico officio loqui, dum ait: *Quòd in conuentu fidelium nequaquam pſalmos continuare conueniat, ſed per interuallum, id eſt, per Pſalmos, ſingulos recenſeri debeant lectiones.* Ita Concil. Et c. 18. decernit aliquid etiam circa tempus, dum ait *quod idipſum precum & Nona, & veſpera ſemper debent exhiberi.* Ita Concil. Laod. Vox etiam de throno exiuit, cum ſummi Pontifices aliquid circa diuinum officium decernunt: licèt enim conſtet ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, & colligi poſſit ex patribus, iam inde ab Apoſtolorum temporibus Clericos certis diei ac noctis temporibus in Eccleſiam conuenire conſueuiſſe, vt pſalmos, preces, hymnoſque Deo decantarent, vt latè Azorius lib. 10. inſtit Moral. c. 1. conſtat etiam aliquid ſummos Pontifices autoritate ſua conſtituiſſe circa diuini officij perſolutionem. *Nam cum olim initio Eccleſiæ,* vt notat Genebrard. in Pſalmos, *Pſalterium recto ordine recitaretur, & per ἀνατύπωμα pro numero dierum hebdomadis, adiunctis lectionibus ſacræ ſcripturæ, homiliis ſanctorum Patrum, breuibus collectarum formulis; cæpit Pſalterium ordinari pro dierum & feſtorum occaſionibus ſub anno 370. Breuiarij enim inſtitutio ſanctis Damaſo, Hieron. & Ambroſio tribuitur à Sigeberto in Chronicis, & Radulpho Tungrenſi: Alligatio etiam ad illius quotidianam recitationem Pelagio ſecundo, ſub anno 590. cuius ſucceſſor Gregorius magnus verſiculum, Deus in adiutorium meum intende, præmiſerit. Inde anno 1096. contra Saracenos & Turcas Claromontanum Concilium, Vrbano ſecundo præſente, horas Virginis concinnauit.* Ita Genebr. *Et fortaſſis,* inquit Azorius, *Pelagius primus aut ſecundus legem conſtituit, qua Clerici horarias preces ſepties in die perſoluere cogerentur, ita vt quod antea vſu, & conſuetudine antiqua ſeruabatur, lege deinde lata, perpetuò in Eccleſia iuſſerit obſeruari.* Quidquid ſit, dum ſummi Pontifices aliquid decernunt circa diuina officia, vox eſt de throno exiens, & dicens quando, & qua ratione, ſeu quomodo Deum laudare debeamus. Et optimo iure hoc præſtat Eccleſia.

S. Cyprianus de oratione Dominica, de his ita

Digitized by Google

diſſerit: *In orationibus verò celebrandis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele & tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, ſextam & nonam, Sacramento ſcilicet Trinitatis, quo in nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens conſummatum numerum Trinitatis oſtendit, itemque ad ſextam quinta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando à ſeptima nona completur per ternas horas Trinitate perfecta numeratur: quia horarum ſpacia iampridem ſpiritaliter determinantes adoratores Dei, ſtatutis & legitimis ad precem temporibus ſeruiebant; & manifeſtata poſtmodum res eſt, Sacramentum olim fuiſſe quòd ante ſic iuſti precabantur: Nam ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratiam dominicæ repromiſſionis impleuit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, vt omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit; & vt redimere & viuificare nos poſſet, tunc victoriam ſua paſſione perfecit.* Ita Cyprian. Qui etiam ibidem docet *mane eſſe orandum propter Domini reſurrectionem, & recedente item ſole, ac die ceſſante, quando oramus & petimus, vt ſuper nos lux denuò veniat, Chriſti precamur aduentum lucis æternæ gratiam præbiturum. Et quia Chriſtus verus eſt ſol, & dies verus, hora nulla Chriſtianis excipitur, quominus frequenter ac ſemper Deus adorari debeat; vt qui in Chriſto, hoc eſt in ſole, & in die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus; & oremus; vt quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta ſuccedit, nullum nocturnis de tenebris eſſe orantibus damnum poſſit: quia filiis lucis & noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt? Aut quando ſol & dies non eſt, cui ſol & dies Chriſtus eſt? Qui autem in Chriſto, hoc eſt, in lumine ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus.* Ita Cypr. Ad hanc lucem ambulabat ille qui dicebat: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.*

Alij hanc diſtinctionem ſeptem horarum ad beneficium creationis referunt, quæ ſeptem diebus completa fuit; & in precibus, quæ Nocte fiunt, haberi rationem illius dicti ſaluatoris. Matt. 25. *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit: exite obuiam ei*; & ad finalem reſurrectionem, quæ fiet in nocte. Alij ad myſteria Redemptionis, vt eorum omnium, quæ vel nocte, vel mane, vel die pro nobis peregit, recordemur: quorum omnium fuſiorem explicationem quære apud eos qui de his ex inſtituto tractant. Sufficit nobis in memoriam reuocaſſe meritò ab Eccleſiæ Throno vocem exire dicentem: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti, & qui timetis eum, puſilli & magni.* Nunc qua de cauſa ſpecialis laus illi danda ſit, in hoc capite inquiramus.

De ſpeciali motiuo laudis, quæ præcipitur ab Eccleſia Deo reddenda in hoc Capite 19.

ANNOTAT. XX.

CONSTAT reuera oratio (vt docet Rabanus, lib. 2. de inſtit. Clericorum lib. 2) loco & tempore: loco, quia interne in omni loco Deum orare & benedicere oportet, & per charitatis officia & bona opera vbique manus cordis mundas eleuare ad Deum ſatagimus, iuxta illud Pſal. 102. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Dominum*; Illudque Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, &c.* Tempore autem, quoniam canonicas horas ad orandum à patribus conſtitutas inceſſanter ſeruat Eccleſia, quas quaſi pro debito exorandi officio ſtatutas nullo modo negligere fas eſt, vt ſunt Prima, Tertia, Sexta, A Nona, Veſpera, & cæteræ quæ ſimiliter obſeruantur, vt completorium, nocturnæque vigiliæ, vt qui Deum in omni tempore, ſeu ſemper digna conuerſatione debent benedicere & laudare, iuxta illud. *Benedicam Dominum in omni tempore*: & omnia in Dei gloriam agere. Quod eſt iuxta Apoſtolum *ſine intermiſſione orare. Siue enim manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. ad Corinth. 10. Si tamen aliquando aliquo opere fuerint detenti ſupradictarum horarum ſpecialiter adorandum diſcretarum, tempus nos ad officium admoneat, & ſic iuxta Pſalmiſtam ſepties in die laudem Deo dicamus Pſ. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Illæ autem horæ, vt iam diximus, nos multa myſteria in memoriam reuocant. Vigiliæ nocturnæ B ſeu matutinæ, noſtram liberationem, demerſis diabolo & ſatellitibus eius: ſicut olim Pharao & Ægyptij in vigilia matutina in mari demerſi ſunt. Per Chriſti Domini reſurrectionem, quæ eadem hora facta fuit ſicut & eadem hora noſtram futuram eſſe credimus; nobiſque etiam eſſe vigilandum, ne cum venerit Dominus, nos inueniat dormientes, admonent. Primæ horæ celebratio in exortu diei nos admonet vt ſolem iuſtitiæ oriri nobis poſtulemus, in qua hora Chriſtus ante Pilatum ductus, & à Pilato Herodi poſtea præſentatus fuit. Tertiæ horæ celebratio fit, quia tertia hora Chriſti paſſio cœpit, cum per Iudæorum linguas iam tunc Dominus crucifixus C eſt, & Barrabæ poſtpoſitus, ad columnam ligatus. Flagellis cæſus, ſpinis coronatus, & à Pilato videndus in tam miſerando ſtatu expoſitus.

Hac eadem hora Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit. Sextâ geſtat crucẽ Chriſtus, & in eam aſcẽdit, æterno Patri ſeſe offerens, vt nos à poteſtate inimici, & à perpetua morte liberaret. Nona conſecratur, quia in ea Dominus ſpiritum ſuum patri commendans expirauit, deſcendit ad inferos, & Regnum diaboli deſtruxit. Veſpertinum officium depoſitionis corporis eius nos admonet & ſepulturæ. Completorium denique ſepulchrum illius fuiſſe obſignatum, & militibus traditum ad cuſtodiendum; nobiſque eſſe orandum, vt nos dormientes, D & plærumque in peccatis obdormiſcentes non ſolùm nos cuſtodiat, ſed ne obdormiamus in morte in peccatis perſeuerantes nos à ſomno excitare dignetur, dicens: *Exurge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*: ne præualeant contra nos inimici, ſi in morte peccatorum corporaliter mori contingeret.

At non modò propter hæc & ſimilia, Eccleſia ſtatutis horis Deum laudare præcipit, ſed aliquando quædam ſeſe offerunt occaſiones, propter quas ſpeciales quaſdam preces aut laudes præcipit celebrari: quas ad duas cauſas potiſſimùm reduco. Prima eſt vt aliquid ab eo impetremus: eſt enim Deus adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Alia eſt vt pro beneficiis inſignioribus illi gratias aga- E mus. Pro prima cauſa inſtitutæ ſunt Litaniæ, ſiue Rogationes, ſiue maiores, ſiue minores, quæ præter ſtatutas quaſdã pro cõſuetudine & deuotione Eccleſiæ, ingruentibus neceſſitatibus, calamitatibus, & populi preſſuris, aliquando præſcribuntur. De quibus lege noſtrum Coriolanum, annotat: in caput tertium Concilij Gerundenſis, anno Domini 517. ſub Hormiſda celebrati. Pro alia cauſa ſæpè etiam inducuntur ab Eccleſia publicæ laudes. Tales ſunt illæ quæ in hoc capite ab Eccleſia dicuntur præcipiendæ. *Vox de throno exiuit dicens. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum, puſilli & magni.* Et meritò poſt actus complacentiæ diuinarum perfectionum, admirationis diuinorum iudiciorum, adorationis diuinæ maieſtatis, ſiue ratione creationis, ſiue ratione Redemptionis, aut ſupremæ Chriſti Do-

mini dominationis, aut propter beneficium glori- A ficationis, vel ſanctificarionis animarum, aut denique quia potentiſſimus eſt liberator, & iuſtus vindex malorum, quæ ſanctis ſuis mali & reprobi intulerunt: Nunc pro vltimo actu exercitiorum vitæ contemplatiuæ reponimus laudes, aut gratiarum actiones pro iiſdem beneficiis. Si enim, vt dicitur 2. Paralipom. c.2. olim Ioſaphat poſtquam Iahaziel inſpiritu Domini prædixit hoſtium populi Dei internecionem, dicens Iudæis & habitatoribus Ieruſalem, & Regi Ioſaphat: *Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem. Non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei, &c. Non eritis vos, qui dimicabitis, ſed tantummodo confidentee ſtate, videbitis auxilium Domini ſuper vos. O Iuda & Ieruſalem nolite timere* B *nec paueatis: Cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.* Tantam fiduciam concepit ex his verbis rex Ioſaphat, vt præſcripſerit Deo laudes eſſe decantandas, ac ſi iam hoſtes eſſent proſtrati, dicens: *Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis. Credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera.* Deditque conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent: *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia eius.* Quod cum præſtitiſſent, ſcilicet air ſacer textus: *Cum cœpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, &* C *ſe inuicem interemerunt, filiis Ammon & Moabitis conſurgentibus in habitatores montis Seir, deinde in ſe inuicem inſurgentibus, mutuis concidere vulneribus.* Vnde factum eſt vt detractis ſpoliis ingenti ſupellectile onuſti reuerterentur. Et ingreſſi ſunt in Ieruſalem cum Pſalteriis, & citharis, & tubis, in domum Domini. Multo magis cum Eccleſia viderit ciuitatem illam, quæ ſe contumacem Eccleſiæ reddiderat, funditùs euerſam, ſciens citò Anti-Chriſtum fore iuxta Prophetias interimendum, eiuſque ſatellites aut igne conſumendos, aut ad Chriſtum conuertendos; ſanctos iam in patria exiſtentes, & omnes fideles adhuc in mundo conuerſantes tam magnos quàm puſillos prouocabit ad laudes Deo decantandas, eique gratias agendas, dicens: D *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum, puſilli & magni.*

Siquidem ſub his verbis aut ænigmatibus non eſt exiſtimandum aliquid contineri ita inſuetum, vt nihil vnquam ſimile acciderit. Qui aliud ſentiunt potius euaneſcunt in cogitationibus ſuis, quàm ſenſum verborum aut ſymbolorum adipiſcantur. *Nihil enim ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere ecce hoc recens eſt. Iam enim præceſſerunt in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* Eccleſ. 1.

Hac de cauſa, ſicut vſque huc homines, vt homines ſeſe geſſerunt, id eſt, ad peccata proni fuerunt, iuxta illud Geneſ. 8. E *Senſus & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Quibus peccatis Deum ad iracundiam prouocauerunt, & apud diuinam iuſtitiam rei conſtituti ſunt: ita exiſtimandum eſt tanquam quid veriſſimum quod ſaluator prædicit, nempe quod in fine ſæculorum abundabit iniquitas. Et ſicut Deus arrogantiam hominum ab initio peccantium deprimere ſuppliciis ac pœnis non omiſit, eodem modo nec prætermittet peccatorum punitionem in conſummatione ſæculi: itaut qui olim Sodomam, & Gomorrham, Babylonem, & Tyrum, & Ieruſalem ſubuertit, ita nouam & myſticam Babyloniam, nempe Romam in ſchiſma dilapſam ſubuertet. Qui olim intenſiſſimos hoſtes populi ſui, vt Pharaonem, Sennacherib, Antiochum interfecit, ita interficiet Anti-Chriſtum.

A Hinc ſicut propter punitionem malorum Deus voluit in ſæculis prioribus laudari & exaltari à ſeruis ſuis, quòd iuxta de malis exercuiſſet iudicia, quòd amicos ſuos ab oppreſſione peruerſorum eripuiſſet, probabiliſſimũ eſt quod ipſe ſit præcepturus vt laudes & gratiarum actiones ſibi reddantur poſt ſubuerſionem inimicorum gloriæ nominis ſui. Sic olim Noë egreſſus de arca erexit altare, & obtulit holocauſta. Sic Abraham poſt ſubuerſionem Sodomæ *conſurgens mane vbi priùs ſteterat cum Domino, intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius; viditque aſcendentem fauillam de terra quaſi fornacis fumum. Cum enim ſubuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Loth de ſubuer-* B *ſione vrbium, in quibus habitauerat*, Geneſ. 19. Nec enim probabile tantum virum tam mane conſurrexiſſe ad videndam hanc ſubuerſionem ſola curioſitate inductum, ſed vt de opere iuſtitiæ, & liberatione Loth occaſionem ſumeret laudandi Deum, quam primum fieri potuit poſt illam ſubuerſionem.

Pari modo olim Moyſes cum populo Iſraëlitico, poſt ſubmerſionem Pharaonis & exercitus eius, Exodi 15. hoc carmen cecinit cum populo Iſraëlitico: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.* Sic poſt deuictum Siſaram, Debora & Baruch canticum cecinerunt. Iud. 5. In quo inter alia dicitur: *Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus. Ibi narrentur* C *iuſtitiæ Domini, & clementia fortis Iſraël. Tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit Principatum. Surge, ſurge Debora, & loquere canticum; Surge Barach, & apprehende captiuos tuos, fili Abinoen. Saluatæ ſunt reliquiæ populi. Dominus in fortibus dimicauit.* Ita denique Eccleſia, cum ſuo Pontifice, egreſſa de Babylone myſtica, ad hanc vocem: *Exite de illa popule meus, ne ſitis participes delictorum eius*; (ſicut olim plurimi ad hanc Ieremiæ vocem: *Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini* c.50. ex antiqua fugerunt Babylone, vt annuntiarent vltionem Domini; *Vox*, inquit Ieremias, *fugientium, & eorum qui euaſerant de terra Babylonis, vt annuntient in Sion vltionem Domini Dei noſtri, vltionem templi eius.* Ita Hieronym. D Poſtea videns illam myſticam Babylonem ſubuerſam, & deinceps poſt interfectionem Anti-Chriſti, annuntiabit omnibus vltionem Domini, & templi eius, præcipiens omnibus vt pro his vltionibus hoſtium ſuorum, laudes & gratias agant potentiſſimo vindici & liberatori.

Eccleſia namque eſt illa Debora, quæ interpretatur *Verbum, ſubiectio, Doctrix, Vxor Lapidoth*, qui interpretatur *lampades, fulgura*; Propheres, & iudicans in ſuo tempore populum Domini, verbum inquam, Eccleſia: quia penes eam eſt adminiſtratio verbi, cuius veritates tanquam apis argumentoſa colligit ex floribus ſcripturæ ſacræ, Conciliorum, ſanctorum Patrum, & ex doctrina eorum qui recto rationis vſu lumine ſupernaturali Spiritus ſancti E colluſtrati plurimas veritates ex ſcripturis ſanctis & deciſionibus conciliorum deduxerunt, vt Mel habeat ſuauiſſimum, quo filios ſuos alat. De ea enim dicitur, Cant. 4. *Fauus diſtillans, labia tua ſponſa. Mel & Lac ſub lingua tua.* Quod quidem guſtantes exclamant: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper Mel ori meo.* Pſalm. 118.

Hæc, inquam, Eccleſia, in quo eſt verbum Dei. Quæ etiam dicitur, ſubiectio, quia tota ſubjicitur Deo per obedientiam mandatorum Dei. Quæ *Doctrix* etiam dicitur, quia ab ea diſcunt fideles viam per quam ambulare debeant. *Vxor Lapidoth*, id eſt, Deo & Chriſto deſponſata, qui ſol eſt iuſtitiæ, & lampas inextinguibilis: à quo etiam fulgura cominationum, ſuppliciorum, & miraculorum co-

Digitized by Google

ruſcant. Hæc denique Eccleſia Romana, quæ eligit, tanquam Debora Barach, ſummum Pontificem, & dicit ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël. *Vade, & duc exercitum in montem Thabor.* Qui Barach interpretatur fulgur, quia ſanctitate & autoritate præcipua tanquam fulgur ſplendet ſummus Pontifex, qua hoſtes Dei exterminet gladio excommunicationis, quo percutiet etiam Anti-Chriſtum, vt videbimus poſtea. Verè filius Abinoen, id eſt, Patris pulchritudinis, vel iucunditatis: quia vicarius eſt Chriſti, vt per poteſtatem remittendi peccata poſſit animas peccatis denigratas ad gratiæ pulchritudinem reuocare, eaſque amaritudine repletas, conſolatione & gaudio Spiritus ſancti replere. Hic cum Debora, nempe cum Eccleſia, cantabit Domino canticum, quia videbit hoſtibus proſtratis poſſit ſecurè & liberè populum Chriſtianum in montem Thabor, qui interpretatur electio & puritas deducere, nempe ad gloriam, ad quam ſunt ab æterno electi, in qua puri mente & corpore poſſint purâ & ſanctâ Dei & Chriſti viſione potiri. Ille natus eſt ex ciuitate cedes. j. ſanctitas, quia eius miniſterium ſanctum eſt, ad ſanctitatem fideles inducens, & è cælo venit, ab eo qui ſanctus eſt, & ſanctitatis origo. Beati qui ſub tanto duce tunc militabunt, vt victoriâ potiantur. Milites olim ſub Barach militantes fuerunt decem millia, ex tribubus Zabulon & Nephthalin. Certè qui ſub ſummo Pontifice tunc militabunt, erunt perfecti mandatorum Dei obſeruatores, qui in decem millibus deſignantur. Verè ex tribu Zabulon, id eſt, habitaculum: quia Deus per charitatem in eis habitabit; Et ex tribu Nephthali, id eſt, æquiparatio, ſeu comparatio, quia æterna gaudia cum laboribus tranſitoriis comparantes, agnoſcent momentaneum eſſe quod cruciat, æternum quod delectat; nec pro momentanea delectatione æternum gloriæ pondus amittent. Hi in regione Merome decertabunt, quod ſignificat amaritudinem aquarum, & altitudines: quia inter aquas altiſſimas ſeu profundiſſimas amaritudinum, cum Anti-Chriſto dimicabunt. *Zabulon, & Nephthalin,* inquit Debora in cantico, *obtulerunt animas ſuas morti, in regione Merome.* Tunc peribit Silaca, qui interpretatur *hirundinem videns*, ſeu *equum aut tineam videns.* Id eſt: Peribunt illi Anti-Chriſti præcurſores, qui velut hirundines tempora captant, id eſt, nihil de Dei honore aut cultu ſolliciti, ſolummodo attendunt quomodo per adulationes & palpationes poſſint in palatio principum huius ſæculi nidificare & commorari, garruli & loquaces ad modum hirundinum, diuinarum rerum contemptores & irriſores, qui tanquam equi effrenati, ſunt voluptatum amatores magis quàm Dei, & ad modum tinearum per malas artes ſciunt quomodo corradere, & corrodere poſſint ſubſtantiam pauperum viduarum, & pupillorum.

Deficient tunc illi, quia lacte voluptatum carnalium potati & ſomno correpti, nihil tale cogitantes, à ſapientia diuina clauo decreti æterni ſubſidere coguntur, ſicut Siſara à Iahel interfectus eſt, clauo in tempora & cerebrum illius vſque ad terram defixo. *Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Iahel autem interpretatur Damula caprea. Damula curſu velociſſima. Caprea oculis viuaciſſima, & altiſſimas rupes tranſcendens. Talis eſt diuina ſapientia, quia velociſſimè humana conſilia anticipat, & viſu acutiori penetrat, & maiores difficultates facilè tranſilit: nec enim aliquid eam à propoſito ſuo impedire poteſt. Hæc enim diuina ſapientia tanta gratia & virtute fideles tunc exiſtentes potiſſimum cumulabit, vt Chri-

A ſto aſſimilati nihil aliud quàm cæleſtia deſiderent, ad quem dicitur, cant. 8. *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* *Ac ſi diceretur,* inquit Philo Carpathius in hunc locum, *Aſcende in cælum, tu qui deſcendiſti de cælo, vt Spiritum ſanctum in Apoſtolos effundas, & ipſi per totum terrarum orbem diſpartiantur in gentes, è quibus tibi colligatur dilecta & caſtiſſima ſponſa: neque enim aliter tibi conuerti poſſum.* Et poſt pauca: *Hinc orat ſponſa hinnulo Ceruorum aſſimilari ad montes aromatum, hoc eſt, ad Apoſtolos omnium virtutum cumulo refertos & conglobatos, vt eadem mira facta vel maiora, quæ ipſe geſſit in terris, & conſimilia operentur & illi.* Ita Philo Carpathius. Huius virtutis Apoſtolicæ erunt imitato-
B res Chriſtiani tunc exiſtentes, & ita diſſipabuntur conſilia Impiorum: quia virtute ſua ſuperabunt omnes eorum tentationes, & inſidias euitabunt. Tales erunt fideles electi in his calamitoſis temporibus, quales veros Chriſtianos eſſe vult Philo Carpathius, in hunc locum canticor. *Vt enim,* inquit, *dorcas acutiſſimi eſt viſus, vnde & nomen accepit, dorcas enim acute cernens dicitur, & venatorum inſidias, plagaſque prouidet, atque declinat; ita & Chriſtianus omnis, oculi prudentiâ, & integritatis innocentiâ, optima quæque prouidere debet ac ſequi, & nocitura omnia declinare ac fugere, vt auditor ſalutarium mandatorum ac factorum, ad montes aromatum, hoc eſt, ad altiſſima omnia, atque ſublimia iuſtorum exempla imitanda mentem aduertat, ſe-*
C *que totum ad Dei optimi maximi legem ac vitam componat & firmet, ceruorum naturam æmulatus, quos & ſerpentes è cauernis eruere & eoſdem vorare tradunt; & hinnulos ſuos venatorum dolos, ac inſidias ac fraudes euitare ſagaciter docent; vt ſi laqueum tibi concupiſcentiæ proponat iniquus hoſtis per carnalem fœminam, quam quidem non videre prima victoria eſt, ſecunda non alloqui, tertia non attingere (nam ſi facies fœminea aculeus eſt peccati, quid erit alloquium & tactus?) Tu contra illum arduum continentiæ montem, Ioſeph ſcilicet, te conuertas, eiuſque caſtitatem recorderis, teque ſeruet illæſum, &c.* Ita Philo Carp.

Et ſic de cæteris. Tunc enim dorcas eris, & ceruus, cum eiuſmodi laqueos declinaueris, & ſerpen-
D tes occideris. Hoc modo ſapientia diuina electos, virtute, conſtantia, & omnibus donis cumulans, illos idoneos reddet qui improborum ſapientiam diabolicam & carnalem ſuperent, eoſque tanquam exercitum Siſaræ in torente Ciſſon interficiant. Ciſſon autem interpretatur durus aut ſtipula: duri ſiquidem ſunt propter obſtinationem in peccatis; ſed ſicut ſtipula, propter vanitatem & ſuperbiam: propter quam ſicut ſtipula ante faciem venti, projicientur, & diſſipabuntur, iuxta illud Pſalm. 82. *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Sic peribunt ſatellites Iabin Regis Chanaan, nempe Anti-Chriſti & dæmonis. Iabin enim interpretatur intelligens, quo nomine deſignatur Anti-
E Chriſtus, Danielis 8. *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, &c.* Quin & diabolus poteſt etiam dici intelligens, propter ſcientiam. Interpretatur etiam Iabin *Ædificans*, quia & Anti-Chriſtus & diabolus regnum ſuum ædificare conabuntur miniſterio habitatorum Chanaan, id eſt, mercatorum & negotiatorum, de quibus egimus ſupra in cap. 18. Apocalypſ. *Mercatores,* inquit, *horum, qui diuites facti ſunt ab ea, longe ſtabunt propter timorem tormentorum eius.* Hos deridebunt iuſti, videntes illos captos fuiſſe in aſtutia ſua, deumque laudabunt, videntes quanta ſeueritate Eccleſiæ contemptores, qui eius autoritatem & iuriſdiction em conculcauerunt, vt mundo in Anti-Criſto fauerent, Deus atrociſſime ſuppliciis afficiat. Et vox de throno exibit dicens:

Digitized by Google

Laudem dicite Deo omnes ſancti eius; & qui timetis eum puſilli & magni. Pſalmos cantate ad illud tempus accommodatiſſimos, qualis eſt Pſalm. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, &c.* Vel alius, nempe 72. *Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde:* Vel Pſalm. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Quas laudes celebrare incipient ſtatim atque videbunt quomodo Deus ſubuerterit Babylonem illam myſticam. In eius enim ſubuerſione præſentient & expectabunt necem Anti-Chriſti mox futuram. Nam etſi magna futura ſit perſecutio Anti-Chriſti, & Chriſti cultus publicus omnino interdictus, erunt tamen qui intrepidè nomen Chriſti confitebuntur, qui in cryptis & cauernis & locis ſubterraneis & occultis, Deo cultum exhibebunt, & mandata prælatorum Eccleſiæ obſeruare ſatagent, qui videntes euerſionem ciuitatis ſchiſmaticæ dicent: *Sic pereant omnes inimici tui Domine. Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilent.* Iud. 5. Ad quod illos Propheticè prouocat Hieremias c. 20. his verbis: *Cantate Domino. Laudate Dominum, qui liberauit animam pauperis de manu malorum.*

Et audiui vocem quaſi turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium Alleluya: quoniam regnauit Dominus Deus noſter, omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.

Vt Eccleſiæ præcepto obediant fideles, hic repræſentantur dicentes Alleluya.

ANNOTAT. XXI.

EXISTIMANDVM non eſt hanc vocem Eccleſiæ de throno exeuntem, & dicentem: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni;* nullum obtinere effectum. Nam certum eſt ſanctos in Patria laudare Deum, ex omnibus effectibus, qui in terra adimplentur, ex quibus miſericordia Dei aut iuſtitia exaltari poteſt, vt conjici, imo & probari poteſt ex duabus parabolis Chriſti, Luc. 13. ſiue de oue perdita, ſiue de Drachma amiſſa. Ibi enim dicitur in recuperatione ouis: *Congratulamini mihi: quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem qui non indigent pœnitentiâ.* Et in recuperatione Drachmæ: *Congratulamini mihi: quia inueni Drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Nam hoc gaudium extendi etiam debet ad alios diuinæ prouidentiæ effectus, per quos Dei gloriam inter homines in terris manifeſtatur. Vnde plures interpretes hunc locum ad laudes, quæ Deo in cœlis ab Angelis & beatis dari poſſunt, referunt, vt Richardus à S. Victore, ſanctus etiam Thomas in expoſitione Apocalyp. Sed Ludouicus ab Alcazar contendit hæc ad præſentem ſtatum Eccleſiæ eſſe referenda, ſicut & nos referenda eſſe arbitramur, vt poſtea videbimus. Sicut igitur ſancti in patria, iuxta Eccleſiæ votum Deum collaudant, ita fideles prælatis obedientes in hac vita, ad hanc vocem è throno exeuntem, Deum laudare incipient. Cum igitur ait S. Ioannes: *Et audiui vocem quaſi turbæ magnæ, &c.* Idem eſt ac ſi diceret: Vnam tantùm vocem audiui, quamuis vox eſſet turbæ cuiuſdam magnæ. Erat enim vox ſicut aquarum multarum, ſicut A torrentis cuiuſdam, qui ex multorum riuulorum concurſu vehementior fit, & rapidiori curſu per valles profundiſſimas cum fragore ingenti præterfluit: nec modicus ille fragor: erat enim ſicut vox tonitruorum magnorum.

Turba illa magna populus eſt omnium credentium. Nam licèt comparatione malorum aliquando dicatur puſillus grex, & præcipuè pauci futuri ſint qui permaneant in fide & charitate in vltimis temporibus, tamen ſecundum ſe magna eſt. Vnde dicitur etiam quod dinumerati non poteſt. Apocalypſ. 7. *Vidi turbam magnam, quã dinumerari non poterat.* Quin & in illis infœliciſſimis temporibus innumeri tamen erunt per omnes vniuerſi Regiones, qui in fi-
B de Chriſti permanebunt. Vnde præter eos, qui per totum mundum erunt diſperſi, etiam conglobato innumerabili exercitu impiorum, erunt adhuc Eccleſiæ caſtra, quæ omnem ſpem & fiduciam ſuam in Deum collocabunt. Apocalypſ. 20. *Circuierunt,* inquit, *ciuitatem dilectam, & caſtra ſanctorum.* Nec timebunt tot hoſtium immenſam multitudinem, pietatem & fidem Iudæ Machabæi imitantes, qui olim ita allocutus eſt ſuos l. 1. Machab. c. 4. *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. Memento te qualiter ſalui facti ſunt Patres noſtri in mari Rubro, cum ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo. Et nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti Patrum noſtrorum, &*
C *conteret exercitum ante faciem noſtram hodie: & ſcient omnes gentes, quia eſt qui redimat & liberet Iſraël.* Nec ſua ſpe fruſtratus fuit: cæſis enim hoſtibus tulerunt ſpolia multa. *Et conuerſi,* inquit ſcriptura, *hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum: quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die illa.* Pari modo multitudo fidelium, dum poſt exciſam ciuitatem ſchiſmaticorum, tum poſt innumerabilis illius exercitus conſumptionem per ignem è cœlo deſcendentem, tum poſt Anti-Chriſti necem, Deum laudabit, qui eos è tantis eripuit periculis.

Vox autem illa turbæ magnæ eſt vox aquarum multarum, quia non ex vno tantùm populo, aut
D ex vna natione coadunatur & congregatur ſancta Eccleſia Catholica, ſed *ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Apocalypſ. 5. Vna tamen eſt illorum omnium vox, quia vox eſt à Spiritu ſancto, qui vnus eſt, in omnibus inſpirata, qui habitare facit vnanimes ſeu vnicordes in domo. Pſalm. 67. *Deus in loco ſancto ſuo. Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo;* homines vniuſmodi & ritus. *Hebræi, ſolitarios, ſingulares, vnicos, id eſt, ſingularis & vnius animi, vt vnanimitatem, concordiamque Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili charitate connexam declaret.* Ita Genebr. Ita vt licèt ſint diuerſi idiomatis, diuerſæ indolis, & ex diuerſis nationibus congregati, & ad diuerſa officia deſtinati, tamen ſtant vnanimes in vno ſpiritu, collaborantes fidei Euangelij. Ad Phi-
E lipp. 1. Et ſicut vnius corporis quamuis plura habeat membra, vnica eſt vox, ita Eccleſia ex pluribus membris conſtat; quia vnum corpus conſtituit vnicum tamen habet vocem, ſicut vnum & idem ſentiet ſapit, iuxta illud Pauli ad Romanos. 12. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* At vt ibidem docet S. Paulus, hæc membra donationes habent differentes, quas ibidem fuſiùs explicat, ſed idem ſentire, & idem dicere debent. *Idipſum,* inquit, *eodem capite inuicem ſentientes.* Et 1. ad Corinth. 1. *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu,*

Digitized by Google

ſenſu, & in eadem ſcientia. Quod quidem facillimum A eſt iis qui eodem ſpiritu ducuntur. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt*, inquit idem Apoſtol. 1. ad Corinth. 12. *Idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Etenim; vt paulo poſt ait idem Apoſtolus ibidem, *in vno ſpiritu, omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Ita Apoſtol. Vnde non mirum ſi iſtius turbæ magnæ, iſtarum aquarum, id eſt populorum, (aquæ enim populi) vna tantum ſit vox laudis, & gratiarum actionis. In vnum enim quaſi alueum confluunt, dum omnes ad eumdem finem adſpirant. Vox turbæ magnæ vox aquarum multarum. B *Quia*, inquit Richardus à S. Victore, *ex multis populis colligitur cœtus animarum ſaluandarum.*

At cur fragor harum aquarum tonitrui, aſſimilatur? Tonitru (ex Philoſophia docemur) eſt quædam ignea exhalatio, quæ dum rarefit, ex frigoris circumſtantis antepetiſtaſi calefacta, huc & illuc mouetur, vt exitum inueniat interclusa in nube condenſa: quo fit vt latera nubis fortiter concutiens, ſonum iſtum & fragorem edat, conſtantioribus terrorem non modicum incutiens: *Quòd*, inquit Seneca, apud Conimbric. in 1. Meteor. tract. 2. c. 3. *Ille fragor æqualiter ſit continuus: quia exhalatio illa huc & illuc diſcurrit & voluitur, ſeu rotatur intra concauitatem nubis, quam non frangit, ſed continuis & reiteratis quibuſ-* C *dam ictibus voluendo ſe, tantum concutit, tunc ille fragor ſignum eſt ſeu prognoſticum pluuiæ: & quo motus erit frequentior, & frigus intenſius: quo nubes magis condenſatur, eo magis exhalatio illa incaleſcit, & fortius latera nubis concutit, & plærumque citiſſimè diſrumpit, & cum impetu vehementi ab hoc carcere egreditur libertatem nacta.* Eodem modo fiet in vltimis temporibus. Equidem animæ ſanctæ, quaſi vapores ſeu exhalationes quædã, igne Spiritus ſancti calefactæ in cælũ euehuntur: talium enim conuerſatio in cælis eſt. Sed adhuc includuntur, cælum pro poſſe petentes, intra nubem obſcuritatis fidei, intra nubes ſpiſſiſſimas laborum & afflictionum huius vitæ, tamen fragorem emittunt, quia continuo Deum laudant iuxta D illud Pſal. *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.* Deſiderant quippe infringi illam fidei obſcuritatem, vt dirupto velo fidei, reuelata facie Deum videant. Deſiderant ab his laboribus & afflictionibus liberari, vt à timore inimicorum liberati ſecuriùs Deo ſeruiant. Hinc ad Deum continuò clamant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*; vel: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vel: *Quis mihi dabit pennas vt columbæ, & volabo, & requieſcam?* Hoc modo, his deſideriis tandũt latera nubium, in quibus inuoluuntur; & ex continuis illis gemitibus ſperant abundantiam pluuiæ illius voluntariæ, ſegregatæ hæreditati Dei, ſibi præparati.

Sed certè fragor iſte maior & vehementior erit E in vltimis temporibus, in quibus refrigeſcet charitas multorum, in quibus fortiores & condenſiores erunt nubes afflictionum & difficultatum, à quibus expediti non poterunt, niſi fracta nube carnis per mortem: quam præſentiſſimam videntes, tunc maiori cum alacritate Deum laudabunt dicentes: *lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Leuemus nunc capita noſtra, quia ecce appropinquat redemptio noſtra. Quin etiam laudes & gratiarum actiones ipſorum in medio preſſurarum, ſigna erunt pluuiæ ignis, & ſulphuris, quæ deſcendet de cœlo ſuper impios in vindictam ſæuitiæ eorum, qua iuſtos conſtrinxerant variis afflictionibus. Ignis enim & ſulphur pars calicis eorum. Et Apocalypſ. 20. *Et deſcendet ignis à Deo de cælo: & deuorauit eos*; eos nempe qui ſanctos in arcto poſitos conſtrictos tenebant, & ciuitatem dilectam & caſtra ſanctorum circuiebant & obſidebant. Quod ſi vi amoris ardentiſſimi inflammati, nubem carnis, (moriendo pro Chriſto) diruperint, tunc altiùs Dei laudes intonabunt, & libertatem nacti dicent: *Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.*

Alleluya: quoniam regnauit Dominus Deus omnipotens, &c.

Quonam motiuo inducti ſerui Dei tunc Deum laudabunt?

ANNOTAT. XXI.

DVO motiua hîc proponuntur, quibus ſerui Dei induci poſſunt ad laudes Dei cantandas. Primum in his verbis continetur: *Alleluya.* j. laudate Deum: *Quoniam*, inquit, *regnauit Dominus Deus omnipotens.* Rectè enim Andreas Cæſar. in hunc locum: *Porro Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ob id regnaſſe perhibetur hîc. Nam quibus ante dominabatur naturaliter tanquam rerum opifex, horum poſt humanæ naturæ ſuſceptionem factus eſt Rex, quadam œconomia, ratione & proprietate, hoc eſt, ſecundum poteſtatem in Regem & iudicem conuenientem.*

Rectè autem, ait Primaſius, *hîc omnipotentiam eius meminit: fecit enim ex nihilo quæ non erant: quæſiuit qui peccato perierant inuenit puniendos, & ex eis quos voluit fecit miſericorditer iuſtos. Ex his denique tanquam ex membris ſibi Eccleſiam conſtruens, tali redemptam munere donauit, vt eam ſibi ſponſam faceret, cum nec ſerua eſſe meruerat.* Ita Primaſ.

Cauſa, inquit Rich. à S. Victor. l. 6. c. 3. *Laudis ſummæ & immenſæ, diuinitati exhibendæ, declaratur cum ſubinfertur: Quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Regnare ſe tunc verè demonſtrabit: quia nunc reprobis regnare minimè videtur, dum eos contra ſuos ſæuire permittit. Dominus Deus noſter omnipotens: Dominus excellentiâ, Deus; naturâ; noſter gratiâ: omnipotens, potentiâ.* Ita Richard. Et optimè occaſionem ſumunt laudandi Deum ex Dei potentia, cuius tunc præclarus & notorius videbitur effectus in ſubuerſione ciuitatis impiæ, Babyloniæ myſticæ: & dicent: *Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Illorum videlicet arrogantiam deprimens, qui poteſtatem terrenam ſupra diuinam Eccleſiæ autoritatem efferre volebant, & qui eam ad pedes ſuos proſtratam conculcabant, ac ſi non eſſet illa regina, de qua dicitur: *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, &c.* Ac ſi non eſſet illa de qua olim dixit Iſaias c. 60. *Gens enim & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.*

Secundò potentiæ meminit, propter ſpecialia auxilia quibus præpotens manus Dei ſuos ſeruos corroborabit, vt poſſint omnes tentationes ingruentes, quibus in errorem potuiſſent induci, ſuperare, & dicent: *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.* Hæc & ſimilia decantabunt, quia eos per omnipotentiam ſuam ab erroribus peccatis eripuit. Tertiò eius potentiam extollunt, vt illius memores fortiores reddantur ad dimicandum cum Anti-Chriſto, eiuſque ſatellitibus. Neceſſarium quippe erit Eccleſiæ vt animum paratum habeat ad omnia toleranda mala quæ adhuc per modicum tempus erunt ſub Anti-Chriſti tyrannide ſuſtinenda, vt recordetur Deum tam potentem eſſe, vt ſicut illam immaculatam cuſtodiuit ab erroribus, & coinquinationibus hæreticorum, & ſchiſmaticorum, qui illam diuexabant ante Anti-Chriſti aduentũ: ita ſperet eius protectio-

nem, qua muniatur, & firma conſiſtat contra Anti-Chriſti perſecutiones: ſicque dicet: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius, ſicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Pſalm. 67. Quia igitur regnabit Chriſtus deuictis hoſtibus, in quorum internecione & ſuorum liberatione omnipotentiam ſuam declarabit, ideo laudem dicunt propter diuinam excellentiam & maieſtatem. Ad ſecundum motiuum tranſeamus. *Gaudeamus*, inquiunt, *& exultemus & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* Hoc eſt motiuum ſecundum, propter quod Deo laudes decantant, nempe quia eis materia gaudij & exultationis abundè ſuppeditatur, dum tempus aduenit inſeparabilis cuiuſdam coniunctionis cum ſponſo: quæ potiſſimum Eccleſiæ ſperanda erit, cum perſpiciet perſecutionem Anti-Chriſti inceptam. Sciunt enim tempus illi eſſe determinatum, quod tranſire non poterit. Hinc Saluator dicebat Luc. 21. *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquauit redemptio veſtra.* Et Danielis 12. dicitur: *Beatus qui expectat, & peruenit vſque ad dies trecentos triginta quinque.* Nam cum numerus iſte excedat numerum dierum, quibus complentur tres anni cum dimidio; ſi quis vſque ad hos dies perſeuerauerit in fide, is videbit finem perſecutionis Anti-Chriſti, & pacem Eccleſiæ redditam. Immunem deinceps ab omni perturbatione. Gaudendum igitur, & toto corde iubilandum erit fidelibus: quia ab erroribus, & peccatorum colluuie vſque huc à Deo præſeruati, ſi fortes & conſtantes ſe præſtiterint contra perſecutiones Anti-Chriſti, paulo poſt liberabuntur, & fiet quædam vnio Eccleſiæ cum agno ſponſo, quæ nulla in poſterum perturbatione diſſoluetur. Ad hanc enim vnionem indiſſolubilem maximè præparabitur Eccleſia per tentationes, afflictiones, & perſecutiones, quæ illi ſubeundæ erunt ſub Anti Chriſto. Nam ſi præparatio illius fieri debet per exercitium omnium virtutum, tunc maximè virtutes erunt illi in praxim reducendæ, v. g. humilitas, patientia, obedientia, fides, ſpes, charitas, pietas, magnanimitas, conſtantia. *Videte ficulneam*, inquit Chriſtus, Luc. 21. *& omnes arbores. Cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.* Cum autem illud regnum aduenerit, Eccleſia ſponſo ſuo copulabitur inſeparabiliter. Nonne gaudere debent fideles, videntes ſe hoc modo beandos fore, tum ſpe & expectatione futuræ beatitudinis, dum adhuc erunt in terris: tum poſſeſſione illius beatitudinis in anima & corpore poſt iudicium. Verba Richardi à S. Victore hìc adducenda, ad maiorem elucidationem. *Sed quia*, inquit, *duplex gratiarum actio à ſanctis Deo exhibebitur, in cælo, vna de malorum damnatione, altera de eorum ſaluatione; benè poſtquam illam, quæ de damnatione impiorum eſt, ſuperiùs deſcripſit; conſequenter illam, quæ de iuſtorum ſaluatione eſt, adiungit.* Et paulo poſt: *Gaudeamus & exultemus, lætitiam agentes duplicem, quia poſſidemus animarum & corporum glorificationem; & demus gloriam Deum, per laudem, & gratiarum actionem; per laudem, propter ineffabilem eius dignitatem; per gratiarum actionem, propter noſtram ſaluationem. Gaudeamus & exultemus, quia ſaluati ſumus. Demus gloriam Deo: quia noſtra ſalus ab eo. Et apertiùs deſcribens cauſam gaudendi ait: Quia venerũt nuptiæ agni (ſ. coniunctio Chriſti & Eccleſiæ) niſi enim nuptiæ agni venirent, nequaquam ſancti in cæleſti Patria gauderent. Quæ videlicet nuptiæ, nunc in mundo inchoationẽ habent per gratiam, tunc verò conſummationem in cælo habebunt per gloriam. Tunc enim rectè veniſſe dicen-*
A *tur, quando vniuerſali Eccleſiâ in omnibus electis ſuis ad contemplationem & amplexum ſponſi tranſlata perficientur. Modò nimirum interim veniunt ſed nondum ex integro dici poteſt quia venerunt. Tunc ergo verum, & perfectum gaudium erit, quando ſancta Eccleſia in cæleſti thalamo cæleſti ſponſo perfectè coniuncta perfectè gaudebit. Ad cuius videlicet ſponſi coniunctionem præparabit ſe in tempore, vt ea digna ſit in æternitate. Niſi enim ſe modò præpararet in mundo, nequaquam illi copulari poſſet in cælo*, &c. Ita Rich. à S. Vict. l. 6. in Apocalyp. c. 3.

Sicut igitur gratia eſt gloria inchoata, & gloria nihil eſt aliud quàm gratia conſummata, ita pax & tranquillitas Eccleſiæ, tam ſperata vt mox affutura poſt euerſionem ciuitatis ſchiſmaticæ, quàm poſſeſſa poſt necem Anti Chriſti, erunt nuptiæ inchoatæ
B Eccleſiæ cum agno, quarum conſummatio erit in cælo poſt iudicium. Cum enim nulla ſit futura perſecutio poſt necem Anti-Chriſti, qua impediatur publicus Dei & Chriſti cultus, certè Eccleſia agno inſeparabili quadam vnione videbitur coniuncta, quamuis perfectio illius vnionis adimplenda ſit in cælo: ad quam vnionem, & coniunctionem præparabit ſe Eccleſia.

Eccleſia namque Catholica ex omnibus populis & nationibus congregata, Dei amore & zelo honoris eius accẽſa, in medio afflictionum & perſecutionũ alta voce laudes Dei inſonabit: quia perſpiciet eũ ſua omnipotentia vtentem, tanquam ſupremum rerũ
C omnium Dominum: vt arrogantiam illorum deprimat, qui gloriæ humanitati Chriſti collatæ inuidentes, hoc Dei patris propoſitum euertere conati ſunt: quos confringet tanquam vas figuli, & ponet eos ſcabellum pedum ſuorum, eorumque conatus futiles & vanos eſſe demonſtrabit. Inſuper illos in æternam mittet damnationem, flammis æternis cruciandos. Laudabit, inquam, Eccleſia alta voce Deum omnipotentem, fideles ſuos ab omni oppreſſione liberantem, quin & maieſtatem potentiæ ſuæ manifeſtantem in hoc, quod ſicut vtitur dæmonis malitiâ, eamque ordinat vt ſic tortor reproborum in inferno: ita audaciâ Anti-Chriſti vtetur, eamque ordinabit vt per illum ſubuertat Babylonem myſti-
D cam, quæ ſe à Chriſti obedientia impiè ſubtraxerat. Illam virgam furoris ſui, Anti-Chriſtum nempe, poſtea in ignem conjiciens cruciandum cum diabolo & Angelis eius, interim fideles ſuos conſolidabit, & conſolabitur, vt poſſint in medio anguſtiarum, & perſecutionum illum confiteri & laudare, & agnoſcere ſolum Deum & Dominum, & animarum Redemptorem, qui has perſecutiones illis permittet euenire, vt per eas illos & probare, & perficere valeat, eoſque præparare per exercitium cunctarum virtutum, vt ad nuptias agni perueniant, cui ſoli danda eſt gloria, tum certaminis glorioſi, tum fœlicis victoriæ. Eius enim auxilio factum eſt vt nuptiæ hìc inchoatæ per publicum Dei cultum,
E non ampliùs vlla perturbatione intermittendum, in cælo tandem conſummentur, & perficiantur.

Et hac ratione explicata manet prima pars huius capitis, quæ eſt de exercitiis eorum, qui vitam ſectantur contemplatiuam, per quatuor actus complacentiæ perfectionum diuinarum, admirationis iudiciorum Dei, adorationis maieſtatis diuinæ ob multa beneficia, tum laudis & celebrationis nominis eius, ſiue quia ſupra omnes res creatas magnificandus eſt, ſiue quia erga nos ſe exhibet valde liberalem & munificum. Quæ exercitia, ſeu quos actus Eccleſia frequentat in toto decurſu temporum, ſed maximè illos exercebit, cum opus erit vt congrediatur cum acriori & infenſiori hoſte in conſummatione ſæculi. Tantò enim magis elucet fortitudo & efficacia gratiæ Dei, quanto plus ſerui Dei per-

Digitized by Google

ſecutionibus conſtringuntur.

Et hæc de prima parte huius capitis 19. Tantummodò addendum arbitror hæc eſſe intelligenda pro ſtatu Eccleſiæ militantis. Quod mihi certiſſimum eſt; Tum vt conſequenter loquamur: nam ſi vox de throno, eſt vox Eccleſiæ militantis, ea quæ ad vocem ſequuntur debent etiam intelligi de militante Eccleſia; Tum quia poſtea dicitur: *Beati qui ad cœnam agni vocati ſunt.* Quæ verba ad eos, de quibus loquitur, procul dubio pertinent: qui cum non dicuntur cœnæ accumbere, ſed tantùm ad cœnam vocati, certè de iis ſermo fuit, non prout gloriam poſſident, ſed prout gloriam expectant, & ad eam adſpirant & tendunt, prout ſunt vocati. Tertiò, ne abſque autore videar hoc ſentire, Ludouicum ab Alcazar habeo autorem, qui manifeſtè contendit hæc intelligenda eſſe de iis, *qui ex gentilitate Chriſtianam fidem receperant, & maiori Dei gloriæ allaborabant, dum per ſe ſinguli ad proximorum ſalutem & conuerſionem ſuum ſtudium, & contentionem adhibebant.* Et rationem reddens huiuſmodi laudis, ſcilicet. *Quoniam regnauit Dominus omnipotens*: ait, *hoc non aliud eſſe quam ſi diceretur Deum ſe regem declaraſſe, eo ipſo quod vana idolorum ſuperſtitio ex Romana vrbe fuit expulſa, & gentes ac nationes Deo ipſi ſubiectæ fuerint. Ex eo verò quod Deus in terrarum orbe per ſuam fidem ac Religionem imperitet, ſummoperè ipſius ſerui lætantur, & ad eius gloriam omnium virium contentione procurandam ſeſe excitant.* Ita ille in comment. Verſ. 1. Vſque ad ſextum. Quæ certè ad ſtatum Eccleſiæ militantis pertinent. Exiſtimat autem hæc intelligenda eſſe pro eo tempore, quo Roma primo fuit conuerſa. Nos ad tempora Anti-Chriſti haberi reſpectum exiſtimamus. In quo Ribera nobis fauet, qui ipſo Alcaz. teſte, notat. 6. hæc verba: *Quoniam regnauit Dominus Deus noſter*; explicat de victoria, quam Eccleſia ex Anti-Chriſto reportabit: *quia illo occiſo regnum diaboli magna ex parte confringetur.* Ita Rib. Quod ſi aliquid videatur poſſe intelligi de Eccleſia triumphante, hoc fit quia de Eccleſia militante aliquando agitur, prout electi in ea exiſtentes de proximo attingunt ſtatum beatitudinis, per gratiæ finalis ſeu doni perſeuerantiæ adeptionem, vt ſupra c. 7. vbi ſignantur in fronte; & hic, vbi dicitur quod *venerunt nuptiæ agni*: quia videlicet nulla erit deinceps à ſponſo ſeparatio, propter perſeuerantiæ donum, & liberum cultus diuini exercitium; ſed quod in terris, fæliciter incipiet extincto Anti-Chriſto, hoc in cœlo complebitur & conſummabitur perfectiſſimè.

Secunda pars huius capitis. De exercitiis vitæ actiuæ.

Et vxor eius præparauit ſe: Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendido & candenti. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.

Demonſtratur neceſſariam eſſe ſedulam præparationem, vt Eccleſia digna reddatur coniungi cum agno indiſſolubili vnione.

ANNOTAT. XXII.

INTER Chriſtum & Eccleſiam Matrimonium quoddam intercedere clarum eſt ex ſcripturis. Ioan. 3. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* At ibi de Chriſto ſermo habetur, cuius ſponſi ſe amicum profitetur, ſanctus Ioannes Baptiſta. Matthæi vigeſimo ſecundo. *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Epheſiorum 5. *Sacramentum hoc*

A *magnum, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Quæſita fuit ſponſa per vocationis beneficium, ſponſata per promiſſiones, maritata per verba de præſenti in baptiſmo: ſigna data illi fuerunt indiſſolubilis vnionis in Sacramento Euchariſtiæ, quo mutuo quodam intuitu ſeſe recreant ſponſus & ſponſa, & pudicis oſculis, honeſtis; & caſtiſſimis amplexibus mutuam dilectionem teſtantur, vt matrimonium in baptiſmo contractum, in myſterio Euchariſtiæ conſummationem accipiat. At inſtat tempus celebrationis nuptiarum, ſeu ſolemnitatum matrimonij contracti, in quibus ſponſa ſeu vxor deducatur in ſponſi domum introducatur in cubile & thalamum ſponſi in gloria, Cuius temporis approximationem præſentiente,
B electi gaudent & exultant, quia adueniente illa patenti & manifeſta celebratione, poſſidebunt animarum & corporum glorificationem, & in medio tribulationum poſiti leuant capita, quia eorum Redemptio appropinquat.

Sed quia certum eſt quod non intrabit in locum illum nuptiarum aliquod coinquinatum per indecentes carnis voluptates (*Caro enim, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*) aut abominationem faciens, per cordis malitiam (*Non enim in maleuolam animam intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:*) aut mendacium: nihil enim adeo contrarium eſt ſummæ veritati, in cuius contemplatione tota noſtra beatitudo conſtituitur, quàm mendacium: *abo-*
C *minatio, autem eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Prouerbio. 12. Sanctus eſt, qua de cauſa ſancti eſſe debent qui ei ſunt indiſſolubili charitate coniungendi: neceſſarium, eſt igitur ſponſæ, vt ſe ſedulo præparet, vt quem velatum ſub ſpecie carnis in incarnatione verbi, aut ſub ſpecie panis & vini in myſterio Euchariſtiæ, habuit ſponſum in hoc mundo, velamine ablato facie ad faciem illum intueatur in celebratione manifeſta nuptiarum in cœlo. Ne aliquid tactu aſperum, odore ingratum haberent vxores Aſſueri, oleo Myrthino, & Myrrha, aliiſque flagrantiſſimis aromatibus corpora ſua inungebant & perfricabant, multo tempore antequam in eius introducerentur thalamum, & ad
D honorabiles connubij legitimi amplexus admitterentur. Multo magis oportet vt Eccleſia ſit abſque ruga aut macula, nec aliquid fœtoris male olentis concupiſcentiæ retineat, antequam ad oſcula, & ſacratiſſimos amplexus æterni ſponſi, & potentiſſimi & glorioſiſſimi regis; nempe Chriſti admittatur. Ita enim *dilexit eam, vt ſeipſum traderet pro ea, vt illam ſanctificaret, mundens lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Epheſ. 5. Vt quæ attracta fuit ſacris odoribus ſponſi, ipſa etiam tota ſit odorifera, & odor vnguentorum illius ſint ſupra omnia aromata, & odorantia ſint eius veſtimenta, ſicut odor thuris. Amat
E enim ſponſus, virtutis & ſanctimoniæ flagrantiam: quæ tanta ſit, vt ſicut thus magis flagrat & redolet incenſum, ita ipſa amore inflammata quælibet acriora poſſit libenter tolerare pro ſponſi gloria, itaut dicat: *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte. Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Cum enim aliquid pro ſponſo patitur, tunc illi gratior & acceptior redditur. Vel, vt Philo Carpathius in 4. Cant. ait: *Sancta ſponſa quandiu poteſt in hac mortali vita, bona ſemper operatur, & deſiderio ardet ſempiterno; nihilque boni agit, niſi vt ad cæleſtia, quæ vehementer amat, aliquando peruenire poſſit. Ob idque rectè odor veſtimentorum eius odoris thuris comparatur, quia quidquid agit & ſtudet, Deo benè redolet: dum æterna conſequendi ſtudio atque propoſito) cuncta bona operatur. Quo fit vt de illa ſponſus libentiſſimè loquatur ac gaudeat. Hortus concluſus*

Digitized by Google

fons ſignatus. Hortus concluſus ſponſa Eccleſia dicitur, quam & ſororem vocat, propterea quod in ea tanquam in benè culto pomariò atque horto plures ſunt arbores fructuoſæ ac plantæ: multi flores odoratiſſimi, quamplurima oluſcula. Ex variis enim populis ac gentibus, quas habet, varios quotidie flores & fructus boni operis profert. Variæ ſunt actiones bonorum, quamquam ad vnum finem omnes nitimur peruenire. Nam alij matrimonio caſtiſſimè addicti ſunt, alij ſoluti & calibes, alij virgines perpetuâ corporis & animi munditiâ cum humilitate florentes. Qui tamen omnes in ſuo ſtatu fideliſſimè permanentes iuſtè viuunt & ſanctè: neminem lædunt: ius ſuum cuique tribuunt. Hos per pulchros flores in fide gignit Eccleſia: quo idcirco hortus concluſus ſiue clauſus bis eſſe dicitur, quod fidei, ſpei, & charitatis vallo munita, diabolo ſemper claudit, ſoli vero ſponſo ſpiritali filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto patere debet huiuſmodi hortus. Ita Philo Carpath.

Quænam debet eſſe perfectio Eccleſiæ, vt dignè cenſeatur præparata?

ANNOTAT. XXIII.

Præfatiuncula.

OPVS integrum & immenſum exigeret narratio omnium quæ requiruntur, vt Eccleſia dignè cenſeatur præparata vt poſſit celebrare nuptias in cœlo cum agno. Quapropter hæc tantùm prælibare aut delineare poſſumus, & quædam in medium proferre, quibus odorare poſſimus, quanta debeat eſſe illa perfectio: potiùs quam illam cum omnibus ſuis delineamentis ac coloribus depingere, aut ad viuum repræſentare. Dei ſolius eſt, & ſponſi eius, qui eam ſibi aſciuit & copulauit, & in ſponſam elegit, ſcire ad amuſſim quas in illa requirat perfectiones, vt oculis ſuis gratiſſima exiſtat, cum ſit ipſe idea & exemplar totius ſanctitatis & perfectionis, & integræ iuſtitiæ; quin & autor, & cauſa efficiens, ſine quo nihil poſſumus facere. Vnde optimo iure dicunt hîc fideles: *Et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni.* Hortus eſt concluſus, & fons ſignatus, ſoli Deo notus & patens. Tamen quædam ab ipſo diſcere poſſumus, ſi ſacras paginas perſcrutemur, quibus odorati licebit quanta & qualis debeat eſſe Eccleſiæ perfectio, vt dignè præparata cenſeatur. Sed quia imbecilliores ſunt vires meæ, ſanctum Auguſtinum aſciſco, qui mihi ſuppetias ferat, *li*. de perfectione iuſtitiæ, contra cæleſtium; remque ita aggredior. Cum Chriſtus nos ad perfectionem inducat, Matt. 5. dicens: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter perfectus eſt:* & nihilominus orare nos iubeat quotidie, vt dimittat nobis debita noſtra, quia videlicet ſepties in die cadit iuſtus: quomodo fieri poteſt vt perfectionem adipiſcamur, ſi quotidie peccare contingat? Hæc difficultas nobis enucleanda eſt, vt videamus ad quam perfectionem Eccleſia in hac vita peruenire poſſit, vt ritè dicatur præparata ad nuptias agni.

Fatendum reuera cum S. Auguſtino, hominem poſſe eſſe ſine peccato, nec in hoc aliquam afferimus aut formamus difficultatem. Si qua ſit difficultas, ſola conſiderari poteſt quantùm ad tempus in quo homo poterit dici eſſe abſque vllo peccato, & cuius virtute hanc perfectionem conſequatur? Pelagius volebat fieri poſſe vt homo hanc perfectionem nanciſceretur in hac præſenti vita, vt viueret abſque vllo peccato, & hoc viribus proprij arbitrij ſibi acquireret. *Sed ſi hoc ita ſit*, inquit S. Auguſtinus, *non opus eſt vt fideles dicant: Dimitte nobis debita noſtra. Siquidem omnia peccata illi condonata fuerunt in baptiſmo.* Et ſi quis inueniretur, qui Chriſtianis vellet perſuadere ne hanc orationem faciant, nihil aliud quàm ſeipſum Chriſtianum non eſſe profitetur. Quod ſi inſuper hoc apud ſe cogitet, poſſe eſſe & viuere abſque peccato, cum Auguſtino poſt Paulum ei dicemus: *Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, At non gratis mortuus eſt Chriſtus. Itaque non poteſt homo eſſe ſine peccato, etiam ſi velit, niſi adiuuet gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Ad huius rei ſuſceptionem perficiendam laborant, quæ in via Dei proficiunt; & huius incæpti conſummationem obtinebunt, contentione mortis conſumpta & charitate, quæ credendo & ſperando nutritur, videndo & obtinendo perfectâ.

At ſi ita eſt, vt in hac vita perfectionem iſtam comparare non valeamus; qua de cauſa præcipit B Chriſtus vt ſimus perfecti, ſicut Pater noſter perfectus eſt? Vt hoc percipiatur clariùs, videndum eſt primò in quo ſenſu hoc præceptum intelligi debeat? Secundò, quomodo præcepta perfectionis nec dura nec oneroſa eſſe poſſent in executione? Tertiò, videndum quomodo qui illa præcepta cuſtodiunt & adimplent, poſſunt iuſtos appellari, de ſe nullam dantes offenſionem, aut conquerendi de eis occaſionem, mundos eſſe & irreprehenſibiles, nullius ſceleris ſibi eſſe conſcios, nec eos conſcientiam illorum reprehendere; & tamen abſque falſitate, aut fuco, & mendacio, dicere poſſe adhuc: *Dimitte nobis debita noſtra*; quòd verum ſit adhuc in eis eſſe aliquod peccatum condonandum? Quartò, videndum quæ-C nam ſit illa tandem perfectio, quam in hac vita obtinere poſſibile eſt? Denique, ſi ſemel adepta fuerit, hoc fieri non propriis viribus, ſed ex gratia Dei per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum.

In quo ſenſu præceptũ perfectionis intelligi debeat?

SECTIO I.

QVOAD igitur primum, dubio pr[illegible] datur [illegible]ceptum vt ſimus perfecti [illegible]o difficultas [illegible]æſtio hîc enodanda non eſt, [illegible] detur nobis iſtud præceptum; ſed an in præſenti [illegible], in qua [illegible] concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus D [illegible] carnem, fieri poſſit vt ſimus per[illegible]. Vt [illegible] meliùs percipiatur quid de illa difficu[illegible] di[illegible] ſit, notandum quòd non omnis [illegible]eratur de corpore mortis huius qui finit hanc vitam, ſed qui in hac vita ſuſceperit gratiam; & ne in vacuum ſuſcipiat, bonis operibus egerit. Et vt verum fateamur, merces huius concertationis ſpiritus aduerſus carnem, datur tantùm ei, qui dum viueret illam prometuit. Illi ſiquidem dabitur iuſtitiæ ſatietas, qui eam in hac vita eſurierit & ſitierit ſi igitur petas, quæ & qualis eſt illa perfectio, quæ à nobis exigitur, cum nobis dicitur: *Eſtote perfecti*? Reſpondeo; *vt ſcilicet ſimus eſurientes auidè & ſitientes iuſtitiam. Hæc eſt* inquit S. Aug. *noſtra in ipſa peregrinatione iuſtitia, vt ad* E *illam perfectionem plenitudinemque iuſtitiæ, vbi in ſpecie decoris eius. Iam plena, & perfecta charitas erit tunc, ipſius curſus rectitudine, & perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum, & ſeruituti ſubjiciendo; & eleemoſynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nobis ſunt commiſſa peccatis, hilariter & ex corde faciendo; & orationibus indeſinenter inſiſtendo, & hoc faciendo in doctrina ſana, quæ ædificatur fides recta, ſpes firma, charitas pura. Hæc eſt nunc noſtra iuſtitia, qua currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemque iuſtitiæ, vt ea poſtea ſaturemur.* Ita Aug. Per ieiunium autem intelligimus quicquid domat & macerat corpus, ſub nomine eleemoſynæ omnem beneuolentiam, benignitatem, aut beneficentiam, ſiue aliquid dando, ſiue iniurias condonando; & ſub oratione omnes regulas ſancti deſiderij, quidquid

Digitized by Google

mens & ratio recta ſuggerit, vt deſideria noſtra ſancta ſint & iuſta. Neque enim ſaluator noſter aliud executus eſt niſi tria iſta, in expoſitione iuſtitiæ ipſius, cum apud Mathæum hortatur nos ne iſtum noſtrum curſum fine humanæ gloriæ metiremur. Quod autem in exercitio ſeu executione trium iſtorum aliqua imperfectio miſceatur, quæ tamen talis nec tanta erit vt ratione illius in curſu præſentis vitæ non debeamus dici aliquo modo perfecti, hoc facile eſt perſpicere, ſi cum Auguſtino perpendamus. Quomodo in exercitio caſtigationis & mortificationis corporis frænatur concupiſcentia; quæ non frænari. Sed omnino eſſe non debet, nec erit in illa perfectione iuſtitiæ, vbi nullum erit omnino peccatum. Sed quia viget adhuc in nobis, & nobiſcum ineſt, hac de cauſa quantùm perfecti fuerimus, ſemper remanet in nobis aliqualis imperfectio, & hoc quia in vſu rerum etiam conceſſarum atque licitarum exerit immoderationem ſuam. Et ſicut in exercitio mortificationis aliqualis inuenitur imperfectio, pari ratione in exercitio beneficentiæ, qua iuſtus conſulit proximo. Fieri enim poteſt vt cum iuuare intendimus, nocumentum afferamus, vel ex labore fatigati, aut tædio affecti à benefactis deſiſtimus; vel ratione infirmitatis, non omne quod poſſemus bonum facimus. *Quadam*, inquit Auguſtinus, *fiunt, quæ obſunt, cum prodeſſe putata ſint: & aliquando per infirmitatem, vel cum minus ſufficitur neceſſitatibus aliorum, vel parum in eis proficit quod benignitatis ac laboris impenditur: ſurrepit tædium, quo fuſcetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus. Surrepit autem tanto magis, quanto minus quiſque: & tanto minus, quanto magis profecerit.* Ita Aug.

Cum igitur tam in exercitio mortificationis quàm beneficentiæ, aliqua ſubrepat imperfectio, meritò in exercitio orationis dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* ſi tamen quod dicimus faciamus, vt vel ipſi diligantur inimici; *vel ſi quiſquam adhuc in Chriſto paruulus, hoc nondum faciat: pœnitenti tamen quod in eum quiſque peccauit, & veniam petenti ex intimo cordis ignoſcat, ſi vult vt eius orationis pater cæleſtis exaudiat*, ait Aug. *In qua*, addit Aug. *Oratione, ſi contentioſi eſſe nolimus, ſatis nobis propoſitum eſt ſpeculum, vbi inſpiciatur vita iuſtorum, qui ex fide viuunt, & perfectè currunt, quamuis ſine peccato non ſint. Vnde dicunt: Dimitte nobis: quia nondum quo curritur peruenerunt.* Hinc Apoſtolus ad Philipp. c. 3. poſtquam faſſus eſt ſe nondum eſſe perfectionem adeptum: *Sequor autem*, inquit, *ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Dicebat tamen: Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus: Quid eſt hoc, ô Beate Apoſtole? Mox dicebas: *Non quia iam acceperim, aut iam perfectus ſim.* Cur nunc igitur te in numerum perfectorum coaptas? *Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus. Id eſt*, inquit Auguſt. *quotquot perfectè currimus, hoc ſapiamus. Perfectus quippe eſt, qui perfectè currit. Et qui perfectè currunt, hoc ſapiunt. Quod nondum perfecti ſumus, vt illic perficiamur, quo perfectè adhuc currimus, vt cum venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt deſtruatur, id eſt, non iam ex parte ſit, ſed ex toto: quia fidei & ſpei iam res ipſa, non quæ credatur & ſperetur, ſed quæ videatur teneaturque ſuccedat: charitas autem, quæ in his tribus maior eſt, non auferatur, ſed augeatur & impleatur, contemplata quod credebat, & quod ſperabat indepta. Qua ratione adimpleatur præceptum diligendi Deum ſupra omnia: nam cum eſt aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimode ex tota anima diligitur Deus: vis enim animæ alibi diſtrahitur, vt non tota poſſit in dilectione occupari.*

Nec tamen hoc præceptum debuit obmitti, quia per illud ad currendum prouocamur. Cur ergo non præciperetur hominis iſta perfectio, quamuis eam in hac vita nemo non habeat? Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Sic ergo curramus, vt comprehendamus. Omnes enim qui rectè currunt, comprehendent: non ſicut in agone theatrico omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam. Curramus credendo, ſperando, deſiderando, corpus caſtigando, & eleemoſynis in dandis bonis, maliſque ignoſcendis hilariter, & ex corde faciendo; & currentes vt adiuuentur, orando: & ſic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis. Ita Auguſtinus. Hæc illa eſt perfectio, quam in hac vita conſequi poſſumus in hoc ſenſu præcepta perfectionis intelligere debemus, ſiue ea quibus ad perfectè currendum hortamur, ſiue ea quæ nobis proponunt finem, ad quem currere debemus. Cum igitur Deuteron. 18. nobis dicitur: *Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo:* Cum Saluator ait, Matt. 5. *Eſtote perfecti: quia Pater veſter, qui in cælis eſt, perfectus eſt:* Si Apoſtolus 2. ad Corinth. 13. dicit: *De cætero fratres, gaudete, perfecti eſtote:* Si ad Philipp. 2. *Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus: vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione;* his omnibus exhortamur ad benè currendum; & ſimul docemur finem curſus noſtri eſſe ſanctitatem & innocentiam, perfectamque iuſtitiam, iuxta illud Epheſ. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius.* Is enim habitabit in monte ſancto eius, *qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Ingredi autem ſine macula non abſurdè etiam ille dicitur*, iuxta Auguſtinus, *non qui iam perfectus eſt, ſed qui ad hanc perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis. Ingreſſum quippe hoc iter noſtrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda autem eſt oratio, vbi veraciter dicitur: Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus, vt dum reprehenditur quod non putatur ſine reprehenſione, hoc eſt ſine macula, noſter ad perfectionem curſus habeatur. In qua perfectione, cum ad eum peruenerimus, iam non ſit omnino quod ignoſcendo mundetur.* Ita Auguſtinus.

Quomodo præcepta perfectionis nec dura nec oneroſa eſſe poſſunt in executione?

SECTIO II.

QVANTVM ad ſecundum, dicimus quod eo modo intellectis illis præceptis, quibus perfectio nobis iniungitur, nec nobis impoſſibilia ad implendum, nec dura aut oneroſa ad portandum exiſtunt, ſi cum ſollicitudine ad gratiam recurramus; ſine qua, vt verum fateamur, nihil facere poſſimus. At quod iſta præcepta nec ſint impoſſibilia aut intolerabilia, ita iuxta S. Auguſtinum oſtendimus. *Quis neſciat, cum præceptum ſit generale charitatis, quia finis præcepti eſt charitas, & plenitudo legis eſt charitas, non eſſe graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; ſed perfecta charitas foras mittit timorem; & facit præcepti ſarcinam leuem, non ſolùm non prementem oneribus ponderum verum etiam ſubleuantem vice pœnarum* (alias pennarum.) Ita Auguſtinus. Qui & addit: *Nec ob aliam cauſam ſcriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima, quæ illa grauia ſenſit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini qualia commendantur, leuia ſcilicet atque ſuauia; vt oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facilitatis. Qui enim dicit: Fiat cor meum immaculatum: & itinera mea dirige ſecundum verbum tuum: &: Ne dominetur mihi*

omnis iniquitas; & : Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, & ne nos inferas in tentationem; & cætera huiuſmodi, quæ commemorare longum eſt; hoc vtique orat vt præcepta Dei faciat, quæ vt fierent nec iuberentur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret: nec oraretur, ſi ſola ſufficeret. Commendantur ergo non eſſe grauia, vt cui grauia ſunt, intelligat, nondum ſe accepiſſe donum: quo grauia non ſunt: nec arbitretur ea ſe perficere, quando ita facit vt grauia ſint. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen cum ea grauia ſentit, deſperando frangatur: ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur. Ita S. Auguſtinus. Et ſic petendo, & pulſando, deſiderij facti compotes, Moyſen vera dixiſſe comperiemus, cum ait, Deuteron. 30. *Si reuertaris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: mandatum hoc, quod* B *ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum: vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque transmare poſitum vt cauſeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Verum etiam dixiſſe ſanctum Ioann. Epiſt. 1. c. 5. *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata obſeruemus. Et mandata eius grauia non ſunt.* Quod quidem iugum collo, & onus humeris imponentes, tranquillitatem animi à Chriſto promiſſam obtinebimus. *Tollite*, inquit, *iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* C *Et inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Ad tertium tranſeamus.

Quomodo qui implent mandata Dei iuſti & irreprehenſibiles dicuntur: & tamen dicere debent: Dimitte nobis debita noſtra: quia peccatis quibuſdam implicantur?

SECTIO III.

EQVIDEM licèt adhuc peccatis quibuſdam ſimus obnoxij, dici tamen poſſumus irreprehenſibiles. Poteſt enim dici homo iuſtus, qui perfectionis iuſtitiæ plurimum acceſſit, itaut ei proximus D fieret. Quod multos etiam in hac vita potuiſſe, in qua ex fide viuitur, non negamus. Hinc Iob, qui c. 14. Iuxta verſionem 70. dixerat: *Quis mundus eſt à peccato? Nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram:* nihilominus ſe iuſtum profitetur. *Ecce*, inquit ipſe, *proximus ſum iudicio meo, & ſcio quia iuſtus inueniar.* Ita Iob. Nec ait, Vbi ſum: ſed, Proximus ſum iudicio meo. *Hoc enim iudicium, de quo alibi dicitur, Educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*, inquit Auguſtinus, *ad quod qui propriùs acceſſerit, irreprehenſibilior erit.* Et ſedulò obſeruandum aliud eſſe dici eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita vnigenito dictum eſt; aliud eſſe ſine querela, quod de multis iuſtis etiam in hac vita dici E potuit. Quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ de quo etiam in hac humana conuerſatione iuſta querela eſſe non poſſit. Quis enim iuſtè queritur de homine, qui nemini malè vult, & quibus poteſt fideliter conſulit, nec contra cuiuſquam iniurias tenet libidinem vindicandi, vt veraciter dicat: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Huiuſmodi hominis oratio munda eſt, qualem ſuam orationem eſſe Iob prædicabat: quia veniam non iniuſtè petit, qui dat veraciter: & dicere cum eodem Iob poterit: Vias eius cuſtodiui, & non declinaui à mandatis eius, nec diſcedam. Ille ſiquidem cuſtodit vias Dei qui non ſic exorbitat vt eas relinquat, ſed in eis currendo proficit. Et ſi aliquando vt infirmus, offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata,

A donec perueniat vbi ſine peccato ſit. Non enim poteſt alio modo proficere, niſi cuſtodiendo vias eius. Declinat autem à mandatis Domini, atque diſcedit Apoſtata; non ille qui etiam ſi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perſeuerantiam non relinquit, donec eò perueniat, vbi nulla cum morte contentio remanebit. Veſte militari nos hic indui neceſſe eſt, & dum ſtrenuè militamus, iuſtitiam induimur. Vnde Iob aiebat; *Iuſtitiâ veſtitus eram, & circumdedi mihi iudicium ſicut chlamydem*, id eſt, ſicut veſtem militarem: qua indui neceſſe eſt, vbi adhuc expugnatur concupiſcentia. Hanc veſtem deponemus, cum immortalitatis ſtola veſtiemur: vbi erit plena, ſine aliquo prorſus hoſte, iuſtitia, nouiſſimâ B inimicâ morte deſtructâ. Nunc nobis patientia opus. Si concupiſcentiæ nos impugnent, eis reſiſtamus, & irreprehenſibiles erimus. Eſto concupiſcentia (quæ ab Apoſtolo vocatur peccatum, tum quia eſt effectus primi delicti, tum quia ad peccandum inducit) ſuas agat partes in carne noſtra mortali: quod ad nos attinet, noſtro fungamur munere, dum non permittimus ipſum peccatum regnare in corporibus noſtris. Hoc modo verum erit quod malum operabimur, quod oderimus; nec hac ratione conſentire legi Dei impediemur, cui conſentientes dum ſumus in via, ad brauium, & palmam victoriæ nihilominus properamus, quamuis cum hoſte domeſtico continuò nobis decertandum ſit. Quod ſi victoria plena C non ſit dum adhuc viuimus, nec iſtud opus vltimum poſſit conſequi complementum, dum anima carni alligata eſt, tamen ſemper dimicandum eſt, ſemper cum viua fide enitendum, & elaborandum, vt victoriam obtineamus pleniorem. Ita fiet vt cor noſtrum nos non reprehendet, ac ſi eſſemus culpabiles. Nec enim miles in culpa eſt ſi habeat aduerſarios, contra quos manus conſerere debeat: imo potiùs laudem meretur, dum fortiter illis reſiſtit, nec illis conſentit. Equidem bonum eſt non concupiſcere, & hoc bonum vult iuſtus cui ex fide viuit: & tamen facit quod odit, quia concupiſcit, quamuis poſt concupiſcentias ſuas non eat. Quod ſi fecerit, tunc verè ipſe fecit vt cedat & conſentiat, vt deſiderio pec- D cati obediat. *Tunc enim cor eius reprehendit, quia ipſum reprehendit, non illud peccatum eius, quod habitat in membris eius*, inquit S. Auguſtinus. *Cum verò*, vt ibidem ait, *non ſinit regnare peccatum in ſuo mortali corpore, ad obediendum deſideriis eius, nec exhibet membra ſua arma iniquitatis peccato, ineſt quidem peccatum in membris eius, ſed non regnat, quia non obeditur deſideriis eius. Et ideò dum quod non vult agit, id eſt, non vult concupiſcere, & concupiſcit, conſentit legi, quia bona: hoc enim vult & ipſe quod lex, quia non vult ipſe concupiſcere, & lex dicit: Non concupiſces. In hoc, quoniam vult quod & lex vult, proculdubio conſentit legi; concupiſcit tamen, quia non eſt ſine peccato. Sed iam non ipſe operatur illud, ſed id quod in illo habitat peccatum. Ideo non ipſum repre-* E *hendit cor eius in omni vita eius, hoc eſt, in fide eius, quia iuſtus ex fide viuit, & ideo fides eius vita eius.* Ita Aug. Et reuera bonum operatur, dum non conſentit deſideriis carnis ſuæ, dum odit concupiſcentiam, dum dat eleemoſynam, dum cuicumque poteſt benefacit dum iniurias condonat dũ orat Deũ ne intret in tentationem, ne in peccatum labatur: hæc omnia benefacit ac proinde non adhuc dici poſſumus perfecti, nec enim bonum in nobis perfectum eſt: perficietur namque ſolùm, quando illa concupiſcentia, quæ habitat in membris nulla erit. Nunc videndum quam & qualem perfectionem in præſenti vita acquirere poſſimus?

Quænam ſit illa perfectio, quam in hac vita obtinere poſſibile eſt?

SECTIO IV.

DOCET S. Thomas, q. de charitate, ar. 11. Inter quæſtiones diſputatas, Perfecti nomen tribus modis aſſumi, cum quæritur an quis perfectus eſſe poſſit? Perfectus igitur primò ſimpliciter ſumitur pro eo, cui nulla deeſt perfectio. In hoc ſenſu nullus niſi Deus perfectus dicitur, & ſolus Deus habet perfectam charitatem. In qua quidem conſiſtit perfectio. Nam actus & habitus ſpecificantur ab obiecto, & ab eo ſuam habent perfectionem. Hinc fit vt cum obiectum Charitatis ſit ſummum bonum, Charitas perfecta minimè dicitur, niſi ſummum bonum tantùm diligat quantùm eſt amãdum. Itaque cum ſit infinitum & infinitè amandum, nulla creatura poteſt tantam habere charitatem, vt pro ratione infinitatis ſuæ ab ea diligatur. Solus igitur Deus erit, qui talem habere poſſit charitatem, quæ infinita prout bonum illud infinitum, ſimpliciter, & per ſe perfecta eſt. Secundò: perfectum ſumitur habita ratione naturæ eius rei quæ perfecta dicitur. Ea igitur res dicetur perfecta, quæ omnia habet ad perfectionum ſuam neceſſaria. Et proinde illius charitas erit perfecta, quæ tanta erit quantum natura eius qui diligit exigere poteſt. Hoc modo dicimus hominem poſſe habere charitatem perfectam, id eſt, tantam quantam requirit natura hominis; ſed talem non habebit in præſenti vita. Nam tertiò dicimus aliquid perfectum dici, habito reſpectu ad tempus aliquod determinatum. Eo modo puer dicitur perfectus, cui nihil deeſt eorum omnium quæ homini competunt in ea ætate. Pari ratione dici poſſumus perfecti, & perfectionem acquirere poſſe, cum charitas noſtra talis & tanta eſt, qualis & quanta eſſe poteſt ſecundum tempus præſentis vitæ, dum ad Deum amandum conuertimur ſecundum omnem virtutem, & quantùm patiuntur vires. Cum autem homo tribus rebus impediatur & retardetur à dilectione Dei in hac vita, nec animum totaliter valeat ad Deum conuertere, ſiue quia mens extra illud obiectum per quandam contrariam inclinationem alibi rapitur, dum per peccatum terga Deo & bono incommutabili vertit, vt creaturæ & bono mutabili adhæreat; ſiue quia eadem mens diſtrahitur ſæpiùs, & occupatur circa curas & ſollicitudines ſæculi: ſiue ratione infirmitatis naturalis vitæ præſentis, cuius neceſſitatibus occurrere & ſuccurrere neceſſe eſt. Propter quod homo circa eas occupatus retrahitur, & impeditur ne mente actualiter Deo adhæreat, dum ſomno ligatur, dum circa potum, aut cibum occupatur: quin & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & mentis acumen obtundit, eamque impedit ne diuinum lumen in propria eſſentia percipere poſſit, vt hac viſione ſuam conſummaret charitatem. *Quamdiu* enim *ſumus in corpore, per fidem ambulamus, & non per ſpeciem.* 2. ad Corinth. quinto. Quæ cum ita ſint, percipere poſſumus quid perfectionis nobis in hac vita ſperandum ſit. V. g. Primò poſſumus peccata fugere, vt primum tollatur impedimentum. Secundò poſſumus nos abſtrahere à curis & ſollicitudinibus huius mundi, vt huic vni dilectioni attendamus: ad quod inuitabat Chriſtus. *Martha, Martha, ſollicita es, & turbari erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium.* Et Apoſtolus dixit: *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt de iis quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo.* Et rurſus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.*

A Quod ſi quis ita à rebus mundanis ſeſe abſtraxerit,
tollet ſecundum impedimentum. Sed cum tertium
impedimentum tolli omnimodè non poſſit, (nec
enim poſſibile eſt vt ſemper actu de Deo cogitemus
ei ſemper actuali amore adhæreamus, vt omni con-
tentione ad eum adſpiremus, & abſque vlla diſtra-
ctione in eo ſolo conquieſcamus) dicendum eſt im-
poſſibile eſſe vt in hac vita aliam maiorem habea-
mus perfectionem, quàm vt ſtudeamus diligentiſ-
ſimè vt nihil ſit aut reſideat in nobis charitati con-
trarium: quàm vt à nobis rejiciamus omnes mun-
danas occupationes, quibus affectus humanus re-
tardatur, ne liberè progrediatur in Deum, vt ait
S. Thomas, ar. 12. quæſt. ſupradictæ de Charitate.
Vnde ſi actualiter omnia in Deum referre non vale-
B mus, cum hoc æquè ſit impoſſibile ſicut impoſſibi-
le eſt vt in hac vita de Deo ſemper cogitemus: ſal-
tem virtualiter ad illum cuncta referamus: quod ad
implebimus, ſi nos ad Deum ordinauerimus, ſi nos
cultui & obſequio eius conſecrauerimus, ſi nos to-
tos offeramus & deputemus ad eum honorandum &
amandum, eum in omnibus quærentes, & aſpicien-
tes tanquam vltimum finem: itaut quidquid egeri-
mus intuitu alicuius alterius finis vltimo fini ſubor-
dinatæ, ad Deum ſicut ad vltimum finem referri
valeat, ſicut ait S. Thom. 11. de charitat. ar. 12. In
cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in om-
nibus ſequentibus. Ita etiam intentio principalis fi-
C nis virtute manet in omnibus finibus ſecundariis.
V. g. Cum medicus herbas colligit vt pharmacum
componat; etſi actu non cogitet de ſanitate, vir-
tute tamen illam habet in intentione. Pari ratione,
ſi nos Deo deuouerimus; etſi de Deo actu non co-
gitemus, cum neceſſitatibus huius vitæ vacamus,
tamen pro eius amore iſta omnia facere dicimur,
quia virtualiter intendimus omnia noſtra ad eum
referre, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 10. *Siue
manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in
gloriam Dei facite*; Conantes inſuper præter illam vir-
tualem intentionem, quantum humana fragilitas,
& infirmitas, & neceſſitas, & corporis grauitas per-
mittere poſſunt, vt actu Deo vniamur per amorem
D & cognitionem; in eius contemplatione & medita-
tione die ac nocte mentem noſtram applicantes,
non modò nihil admittentes in cogitatione & affe-
ctu quod contrarietur dilectioni Dei, ſed præterea
cogitantes, eligentes, efficaciter operantes quid-
quid imaginationi, aut cogitationi, aut cognitio-
ni occurrere poteſt, quod illi gratum aut acceptum
eſſe exiſtimemus; omnia abſque exceptione cum
omni humilitate ſubjicientes voluntati eius, ad hoc
incitati & allecti, quia ſuper omnia eſt amabilis &
diligendus: quo fit vt velimus & deſideremus vt il-
lius infinita bonitas obtineat quidquid velit in om-
nibus creaturis propter ſuam excellentiam & emi-
nentiam, nulla habita ratione vtilitatis aut emolu-
E menti, honoris aut voluptatis, quæ nobis ex hoc
obuenire poſſent.

Hoc modo præparare ſe debet ſponſa, vt agno coniungatur. Hoc modo ad vltimum finem ei adſpirare opus eſt. Eorum eſt qui à Deo in æternum ſeparandi ſunt hoc vnum bonum non facere. *Non eſt*, inquit Dauid, *qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum.* Quod ponderans S. Auguſt. ait: *Hoc ergo bonum, quod eſt requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vſque ad vnum; ſed in eo genere hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum.* Hæc Auguſt. At ſponſa dilecta & electa, primò tollit primum impedimentum, peccatum videlicet, à quo auertitur, & quantum poteſt ab eo recedit; quantoque longiùs illud à ſe amandat, tantò magis proficit in via Dei, & ſponſo appropinquat. *Aliud eſt ergo*, inquit

Digitized by Google

S. Auguſt. *Recedere ab omni peccato, quod nunc in opere eſt; aliud receſſiſſe ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit. Sed tamen, & qui iam receſſit, & qui adhuc recedit, non eſt negandus facere bonum.* Ita Aug. Ad quod bonum inuitabat Tobias filium c.4. *Noli timere fili. Pauperem vitam gerimus: ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bona. Veriſſimè*, inquit Aug. *Tunc erunt hominis multa bona, cum receſſerit ab omni peccato, & tantò inde fit longinquior, quantò plenitudini iuſtitiæ perfectionique propinquior: quia & ipſa concupiſcentia, quod eſt peccatum habitans in carne noſtra, etſi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non deſinit in proficientibus.* Ita Auguſt.

Hæc igitur ſponſa ſciens quia *qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea*; ſciens quod *amicitia huius mundi inimica eſt Dei*; ſciens quia nihil nobis prodeſſet ſi vniuerſum mundum lucraremur, ſi animæ detrimentum patiamur, ſciens nos fugere debere mundum & concupiſcentiam eius, ſi Deo perfectè adhærere voluerimus, poſtquam peccata abiecit, peccati etiam illecebras, & eius incentiua, & quidquid occaſionem peccandi conferre poſſet, longiùs à ſe repellit, omnes rerum mundanarum affectus præcidendo, vt obſequio Dei ſolius mancipetur.

Equidem verum eſt quod *bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia.* Sed hoc perfectè non erit, niſi *cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Tunc enim verè bona ſubſtantia, id eſt, veræ diuitiæ, cum tranſierit tota paupertas, id eſt, cum conſummata fuerit omnis infirmitas. Nunc verò auertat ſe homo à delicto cum proficiendo inde diſcedit: Remoueatur de die in diem, & dirigat manus in opera miſericordiæ, & ab omni delicto mundet cor ſuum; miſereatur, vt quod reſtat per veniam dimittatur, & tunc ſalubriter & ſine vana inanique iactantia dicere poterimus, quod cor noſtrum non reprehendit nos: ſiquidem reiecerimus hæc impedimenta charitati cõtraria. Dicti tamen S. Ioan. recordemur dicentis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos seducimus, & veritas in nobis non eſt.* Non dicit, Non habuimus; ſed, habemus. Nam, vt ait S. Auguſt. *Si quis aſſerit de illo peccato eſſe dictum, quod habitat in carne mortali noſtra, ſecundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum eſt, cuius peccati deſideriis ne obediamus Paulus Apoſtolus præcepit; non autem peccare, qui eidem peccato quamuis in corpore habitanti, ad nullum opus malum omnino conſentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati; quamuis ipſa concupiſcentia, quæ aliquando peccati nomen accepit, quod ei conſentire peccatum ſit, nobiſque moueatur inuitis; ſubtiliter quidem iſta diſcernit. Sed videat quid agatur de Dominica oratione, vbi dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Quod, niſi fallor, non opus eſſet dicere, ſi nunquam vel in lapſu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, eiuſdem peccati deſideriis aliquantulum conſentiremus. Sed tantummodo dicendum eſſet: Ne nos inferas in tentationem: ſed libera nos à malo. Nec Iacobus Apoſtolus diceret: in multis offendimus omnes. Non enim offendit, niſi cui mala concupiſcentia contra iuſtitiæ rationem appetendo ſeu vitando, faciendum vel dicendum, vel cogitandum aliquid quod non debuit, ſiue fallens, ſiue præualens perſuadit.* Et reuera ſi de Ioanne Baptiſta dictum fuit: Non erat ille lux; in comparatione ſcilicet eius qui erat lux vera, quamuis ipſe eſſet lucerna ardens & lucens, de nobis quid, quæſo, dicendum? Certè nemo bonus, niſi vnus Deus, ſiue quia omnia quæ creata ſunt, quamuis ea Deus fecerit bona valde, creatori tamen comparata nec bona, cui comparata nec ſunt. Altiſſimo quippe & proprio modo quodam de ſeipſo dicit: Ego ſum qui ſum. Nulla itaque eſt noſtra bonitas, ſi Dei bonitati comparetur. At hoc mirum non eſt. Dicam vlteriùs nec nos bonos eſſe, ſi nobis ipſis comparemur pro diuerſitate ſtatus huius vitæ & futuræ, *Quia*, inquit S. Auguſtinus, *ipſi etiam filij Dei comparati ſibi ipſis, quales in illa perfectione æterna futuri ſunt, ita boni ſunt adhuc, vt mali ſint. Quod de illis dicere non auderem (quis enim audeat dicere malos eſſe quorum Pater eſt Deus? Niſi ipſe Dominus diceret: Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quantò magis Pater veſter dabit bona petentibus ſe? Quantalibet enim iuſtitiâ ſit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inueniatur eſſe culpandum, cum Rex iuſtus ſederit in throno, cuius cogitationem* (aliàs *cognitionem*) *fugere delicta non poſſunt, nec illa de quibus dictum eſt: Delicta quis intelligit.* Ita Aug.

Hac de cauſa nobis eſt ſemper ad perfectionem acquirendam aſpirandum, & à nobis procul ſunt amandanda omnia impedimenta charitatis, vt ſunt immoderatæ erga res huius ſæculi ſollicitudines & occupationes; vt quantum fieri poterit, & infirmitas patietur humana, Deum non ſolùm virtualiter, ſed & actualiter diligamus, in quo tota noſtra conſiſtit perfectio. Hinc amplexandi ſunt omnes actus virtutum, iique præcipuè qui dicuntur actus perfectionis; quia nos abſtrahũt ab impedimentis quibus vnio mentis noſtræ cum Deo retardari poſſet; quales ſunt actus voluntariæ paupertatis, virginitatis, & ſimiles. Qui enim tales actus exercent, minora habent impedimenta externa, faciliùs ſuperant interiores repugnantias & contradictiones; eorumque infirmitas, & imbecillitas meliùs adiuuatur. Hoc modo mox dicendum erit per actus virtutum ſponſam præparari ad nuptias, ſi antea quàm de illis agamus, dixerimus hoc totum non poſſe fieri abſque ſpeciali Dei auxilio. Vnde optime dicunt: *Et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe*, illius videlicet gratiâ præuenta, & ſecum cooperantes.

Talis qualis ſit perfectio, quam adipiſcimur in hac vita, hoc non fit ex propriis viribus, ſed ex gratia Dei præueniente & adiuuante.

SECTIO V.

QVIDQVID enim perfectionis comparare poſſimus, vel mala & impedimentis bonis repellendo, vel fragilitatem noſtram vincendo, hoc fateri neceſſe eſt, hæc omnia gratiæ Dei eſſe tribuenda. *Curramus ergo cum proficimus*, inquit S. Auguſtinus, *quando bene vulnus, diligenterque curatur, vt ex omni parte perfecti ſine vlla ſimus omnino infirmitate peccati. Quod non ſolùm vult Deus, verum etiam vt impleatur facit atque adiuuat, & hoc nobiſcum agit gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm præceptis, Sacramentis exemplis, ſed & Spiritu ſancto, per quem latenter diffunditur charitas in cordibus noſtris: qui interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis perficiatur ſanitas, & Deus ſicut videndus eſt in æterna veritate monſtretur. Poſtremo ſi excepto illo capite ſui corporis Saluatore* (meminiſſe oportet hic eorum quæ alibi dixit, de B. Virgine loquens, quòd ſi de peccatis agitur, nullam vult fieri de B. Maria Virgine mentionem) *aſſeruntur vel fuiſſe vel eſſe in hac vita aliqui homines iuſti ſine aliquo peccato, ſiue nunquam conſentiendo deſideriis eius, ſiue quia pro nullo peccato habendum eſt, vt hoc pietati non imputet Deus: quamuis aliter ſit beatus ſine peccato, aliter beatus qui non imputat Dominus peccatum: non minus exiſtimo reluctandum. Scio enim quibuſdam eſſe viſum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam: ſed planè quiſquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem,*

Digitized by Google

nem, (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola lege accepta, hominum ſufficere voluntatem) ab auribus omnium amouendum, & ore omnium Anathematizandum non dubito. Ita S. Aug. Hinc Rich. à S. Victore verba iſta exponens: *Et vxor eius præparauit ſe*: ait *Per iuſtitiam nempe ſe præparat, vt ad ſponſi copulam pertingat. Præparat ſe per iuſtitiam, vt pertingat ad gloriam. Et quia ſine dono gratiæ minimè perueniret ad candorem iuſtitiæ, aptè ſubditur: Et datum eſt illi vt cooperiret ſe byſſino ſplendente, candido byſſino, iuſtitia videlicet & merito, ſplendente boni operis exemplis, candido virtutum exercitio. Niſi ergo illi daretur per gratiam, nequaquam poſſet ſe præparare per iuſtitiam; Et niſi ſe per iuſtitiam præpararet, nullatenus ad cæleſtis ſponſi copulam perueniret; & niſi perueniret ad cæleſtem copulam ſponſi, non haberent ſancti vel effectum æternaliter gaudendi.* Ita Rich.

Ex eo igitur quod dicitur: *Datum eſt illi*; deſignatur gratiæ Dei donum neceſſarium, vt dignè ſe præparare poſſit. Vnde dixerunt: Et demus gloriam ei; vt pote qui cauſa fuit totius boni noſtri, & coniunctionis noſtræ cum Deo. *Quia*, inquiunt, *venerunt nuptiæ agni*, & præparationis noſtræ ad hanc vnionem. Vnde addit: *Et vxor eius præparauit ſe*, illo videlicet adiuuante. Dum autem dicit: *Præparauit ſe*; hoc iuxta S. Thomæ expoſitionem, *in ſtatu viæ per ſanctitatem & merita ad illam coniunctionem obtinendam. In hoc autem notatur etiam libertas arbitrij, quæ* C *neceſſaria eſt in effectu. Anima enim, quæ non ſe præparat, non recipitur ab agno, Matt. 25. Et quæ paratæ erant intrauerunt, &c. Quia nec liberum arbitrium per ſe ſufficit, ſed neceſſe eſt gratiam dari.* Ita S. Thom.

Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.

De modo præparationis, nempe per exercitium actuum omnium virtutum, ſed maximè infuſarum.

ANNOTAT. XXIIII.

OPTIME Primaſius: *illi ſanè eius ſe dicuntur ſpiritali coniugio præparare qui operibus iuſtitiæ maluerint ſemper inſiſtere.* Ita Primaſ. *Cæterum*, inquit Andr. Cæſar. *Quod Eccleſiam, de qua hic ſermo, byſſino indutam aſſerit, id virtutum illius ſplendorem, notitiæque ſubtilitatem, & contemplationis ſublimitatem ſignificat. Per hæc namque diuinæ iuſtificationes contexuntur.* Ita Andr. Sed hæc fuſiùs explicanda ſunt.

Virtus, inquit S. Thomas, *eſt quæ bonum facit habentem. Seu virtus eſt bona qualitas, ſeu mentis habitudo, qua homo viuit ſecundum rectam rationem; quæ huiuſmodi naturæ eſt, vt eâ nemo malè vti poßit.* Quod ſi his addamus quam Deus operatur in nobis ſine nobis, virtutes infuſas in his definitionibus complectemur: quas Deus nos ſuis præueniendo benedictionibus, E ſeu gratiam dando, infundit in cordibus noſtris, vt charitatem comitentur: quæ cum ſit Regina omnium virtutum, nunquam in anima reperitur ſola, ſed cæteris virtutibus comitata. Cum autem dicimus virtutem infuſam Deum operari in nobis ſine nobis, hoc dicimus non quod operetur Deus in nobis ſine nobis conſentientibus, iuxta illud S. Auguſt. tractat. 72. in Ioannem illum Apoſtoli locum expendens: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam. In hoc*, inquit, *opere facimus opera Chriſti, quia & ipſum opus credere in Chriſto, opus eſt Chriſti. Hoc operatur in nobis, non vtique ſine nobis. Audi iam ergo iam & intellige: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet. Prius ego facio, deinde & ipſe faciet: quia facio vt faciat. Quæ* A *opera niſi vt ex impio iuſtus fiat? Et maiora horum faciet. Quorum obſecro? Nunquid nam omnium operum Chriſti maiora facit, qui cum timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur? Quod vtique in illo, ſed non ſine illo Chriſtus operatur. Prorſus maius hoc eſſe dixerim quàm eſt cælum & terra, & quæcumque cernuntur in cælo & in terra. Et cælum enim & terra tranſibit, prædeſtinatorum autem, id eſt, eorum quos præſcit, ſalus & iuſtificatio permanebit in illis tantùm opera Dei, in his autem etiam eſt imago Dei. Sed & in cælis, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Archangeli, Angeli, opera ſunt Chriſti. Nunquid etiam his operibus maiora facit, qui operante in ſe Chriſto operatur ſalutem æternam ac iuſtificationem ſuam? Non hic audeo præcipitare ſententiam intelligat* B *qui poteſt. Iudicet qui poteſt, vtrum maius ſit iuſtos creare, quàm impios iuſtificare? Certè enim ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ, &c.* Ita Aug. Ex quo loco fluxiſſe videtur axioma Theologicum: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* In adultis igitur virtutes non infunduntur ſine nobis conſentientibus, at benè ſine nobis agentibus antecedenter, quia ſcilicet infunduntur antequam conſenſus & cooperatio noſtra præſupponatur gratuitâ nempe & liberâ voluntate Dei. Deus ſiquidem præuenit nos gratiâ ſuâ, & infundit illas virtutes, antequam bonum hoc nobis euenturum aut agnoſcamus aut deſideremus; licèt ſtatim atque vſu rationis, & reflexione quadam in ea quæ in nobis ſunt, huius boni notitiam habemus, conſenſum præbeamus omnibus actibus iſtarum virtutum, quæ nos inclinant vt illos eliciamus. Vno verbo dicam: non in virtute aut ex conſequentia alicuius actus à nobis eliciti, hi boni habitus infuſi à nobis contrahuntur, & in nobis radicantur; ſed à Deo ſolo immediatè, cuius eſt mentem noſtram his donis ornare: licèt verum ſit quod in adultis, in quibus viget vſus rationis, reperiatur liberi noſtri arbitrij conſenſus, quem exhibet operationi Dei, & inſuper verum ſit quod illæ virtutes in actum non exeunt niſi conſentientibus nobis.

Et reuera cum certiſſimum ſit hominem peruenire non poſſe ad quamdam beatitudinem, quæ naturæ ordinem excedat, D abſque diuinæ virtutis & potentiæ auxilio (Principia namque naturalia vltra ſphæram actiuitatis ſuæ ferri non poſſunt, ſi propriis viribus relinquantur) fatendum eſt cum S. Th. 1. 2. q. 62. ar. 1. quod ſuper addantur homini diuinitùs aliqua Principia, per quæ ita ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per Principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem: non tamen abſque adiutorio diuino: eſt enim Deus naturæ autor, ſuum concurſum præbens etiam quibuſcumque naturæ operibus, ſicut autor & cooperator in omnibus operibus quæ excedunt naturæ ordinem. Et huiuſmodi Principia virtutes dicuntur Theologicæ, tum quia Deum habent pro obiecto, in quantum per eas rectè ordinamur in Deum: tum quia à ſolo Deo nobis infunduntur: tum quia ſola diuina reuelatione in ſacra ſcriptura huiuſmodi virtutes traduntur. Cum his autem virtutibus Theologicis ſimul infunduntur omnes virtutes morales, quæ charitatem comitentur. Ratio eſt quia Deus in operibus gratiæ non minùs perfectè operatur, quàm in operibus naturæ. At in operibus naturæ, nulla dantur aliquarum operationum Principia in quouis ſubiecto, quin ſtatim agnoſcas in eo eſſe quidquid neceſſarium eſt vt eædem operationes perficiantur. Animaduertes, ſi attendas in animalibus omnia organa & inſtrumenta inueniri, quibus perficere valeant quidquid anima quacumque facultate ſibi naturali perficere poſſit. Ita manifeſtum eſt quòd cum charitas, in quantum hominem dirigit & ordinat

ad vltimum finem, ſit omnium bonorum Principium quæ poſſunt dirigi in eumdem finem vltimum: neceſſarium eſt vt cum charitate ſimul infuſæ fuerint omnes virtutes morales, quibus homo perficit ſingula genera bonorum operum: quo fit vt cum quis amittit chatitatem per peccatum mortale, ſimul amittat omnes virtutes morales infuſas.

Quibus præſuppoſitis, Dico duo neceſſaria debere ſimul concurrere ad hanc ſponſæ præparationem. Primum à Deo datur ſine labore, abſque aliqua præuia aut meritoria actione antecedente & præueniente: aliud cum labore, dum cooperantibus & conſentientibus nobis, actus virtutum exercere debemus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ſed omnem noſtram induſtriam & operam in hoc collocemus, vt ſemel iuſti per gratiam infuſam magis ac magis iuſtificemur, iuxta illud: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.*

Quantùm ad primum, illud deſignat S. Ioannes dum agere hic intendit de actibus, per quos ſancti digni redditi ſunt gloriæ æternæ, & induti ſunt veſtem nuptialem, & præparauerunt ſe vt dignè accumberent menſæ Domini, & ad cænam illam lautiſſimum & ſumptuoſiſſimam admitterentur? Denique dum agit de mediis ad beatitudinem comparandam requiſitis: non enim ait ſponſam è propriis theſauris extraxiſſe aurum vel argentum, quibus materiam huiuſmodi veſtis ſibi compararet, vel propria arte & induſtria veſtem illam conſuiſſe: ſed ait datum fuiſſe ei vt cooperiat ſe byſſino. Iam veſtis facta oſtenditur, eâ tantùm indui neceſſe eſt. Quod tamen ex ſeipſa non facit: nam & vt induat, datum eſt illi. Nec enim indueret veſtem, niſi & veſtis ſuppeditaretur, & daretur illi facultas illam induendi. Nuda erat, & in die ortus ſui non fuerat inuoluta pannis: tranſiens autem ille oculus diuinus, qui omnia intuetur, vidit illam, & operuit nuditatem & ignominiam eius, dans illi gratiam, & charitatem, qua anima ſemel induta fructus affert boni operis, quo ſe dignam exhibeat ſponſi nuptiarum. *Et datum eſt illi*, inquit S. Ioannes. *charitas enim diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*, vt ait Paulus. Quin ex omnibus ornatur veſtimentis, nempe virtutibus Theologicis, & moralis infuſis: de quibus veſtimentis Ezechiel. c. 16. *Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te Ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus*: nempe virtutibus moralibus, & puritate intentionis, prætioſiſſima veſte imitationis Chriſti, & virtutibus Theologicis, ac contemplatione rerum cæleſtium.

Quantùm ad ſecundum, dum dicit? *Vt cooperiat ſe*, oſtendit ſponſæ conſenſum & laborem requiri in hac præparatione. Non dico ſolùm conſenſum eius requiri, ſed etiam laborem. Hæc enim differentia reperitur inter virtutes acquiſitas, morales, & infuſas, quòd morales acquiſitæ per exercitia actuum earumdem virtutum, quibus acquiruntur, diſpoſitiones contrarias auferunt, itaut agens actus illos exerceat cum quadam facilitate. At non ita eſt in virtutibus moralibus infuſis: nam licèt animæ infundantur, ſi quæ malæ diſpoſitiones remanſerint in anima, ob actus præcedentes vitiorum antequam gratia infunderetur, illæ non auferuntur per infuſionem virtutum moralium: quo fit vt dum in exercitium reducuntur, multæ ſæpiùs ſeſe offerunt difficultates & reſiſtentiæ, quæ ſuperari debent. Hinc virtutes illæ ſupernaturaliter infuſæ, byſſino veſtimento comparantur, multis certè de cauſis, quæ oſtendunt non ſine labore illam præparationem fieri. Rectè namque Richardus à S. Victore dixit: *Byſſinum namque iuſtificationes ſignificat: quia quemadmodum byſſinum, ſiue byſſus, magno labore perducitur ad*

A *candorem iſta iuſtificatio ſanctorum longo agone prouehitur ad conſummationem.* Ita Richard.

Nota, inquit S. Thomas, *quod byſſus id eſt linum quoddam, quod inuenitur in Ægypto, de quo fit veſtis candidiſſima, primò habet colorem terrenum, & poſt multas tranſitiones ducitur ad candorem, & fit inde byſſinum, id eſt veſtis candidiſſima; ſic cùm in Eccleſia primò eſſet macula & obſcuritas ex peccato originali, (Epheſ. 2.* Eramus natura filij iræ.) *Poſt per multas Dominus exercitationes facit eam pulcherrimam & candidam, dans ei virtutem & merita. Et hoc eſt byſſinum. Item: ſicut veſtis byſſina ornat corpus, ſic virtutes & merita ſpiritum.* Ita S. Thom.

Ex byſſino igitur quinque poſſumus conjicere: B Primò, circa quam materiam debeamus occupari in virtutum moralium exercitio, nempe circa corporis & appetituum mortificationem: Secundò, quid ex illo labore contingat, nempe innocentia, morum integritas, & animi puritas: Tertiò, omnium virtutum connexionem: Quartò, quid in materia ex byſſo confecta repræſentari debeat, vt pulchrior ſit ad ornatum, nempe Chriſti Domini imago perfectam: Quintò, gloriæ ornatum & decorem, vt ad ſponſi ſacrum connubium admittamur. Ad primum requiritur animi generoſa fortitudo. Ad ſecundum temperantia neceſſaria eſt. Tertium perfectam nobis affert iuſtitiam. Quartum oſtendit nos ſingulari prudentia & ſapiētia præditos: nullus enim C admittitur ad nuptias, qui non ferat colores & inſignia ſponſi in quinto admittimus ad nuptias. De omnibus fusè tractare non eſt noſtri inſtituti. Quædam tamen adducenda, vt aliquali ratione prægustemus modum quo præparati debeamus ad nuptias, per exercitium virtutum moralium: virtutum namque theologicarum actus videntur ſatis declari in exercitiis virtutis vitæ contemplatiuæ, de quibus ſupra diſſeruimus.

Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.

Qua ratione optimè per byſſinum iuſtificationes ſanctorum deſignatur?

D

ANNOTAT. XXV.

DICO igitur primò byſſinum indicare nobis neceſſarium eſſe virtutem fortitudinis, vt corporis appetitus refrenemus. Et ab ea virtute incipimus: nam cum de præparatione agatur, ab ea virtute incipiendum qua remouentur prohibentia, & progrediendum ad eam qua virtutis intellectualis adiuuetur actus. Deinde voluntas propria virtute ornari debet, vt tandem mens ſuo natiuo ſplendore gaudeat per rectam rationem in omnibus agendis. Fortitudinem igitur, per quam remouentur prohibentia virtutum exercitium, deſignamus E per byſſinum: nam ſicut oportet vt byſſus ſeratur, colligatur, maceretur in aqua, deſiccetur ad ſolem, tundatur, carminetur, repurgetur, emundetur, netur, ſeu ex ſtamine fuſo torqueatur, antequam ex eo byſſinum fiat, ex quo conficiatur veſtis: ita cum multo labore, expurgato corde ex prauis affectibus, in ipſo inſerendus virtutis affectus: animæ vires colligendæ: macerandi ſunt motus appetitus iraſcibilis in aqua compunctionis: exſiccandi ſunt deprauati concupiſcentiæ motus, ad ſolem diuinæ dilectionis: corpus flagellis & aſperis tundendum, carminandum, emundandum: fiat tandem continuum in nobis virtutum cæterarum exercitium. *Semper*, inquit Apoſtolus, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. Vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. ad Corint. 4. Quod certè abſque

Digitized by Google

ingenti animi contentione fieri non poteſt. Hoc enim modo contra nos ipſos quotidie arma ſumimus & militamus. Huius fortitudinis neceſſitatem luculenter demonſtrat S. Proſper, lib. tertio de vita contemplatiua cap. 18. Nam poſtquam virtutem nobis propoſuit, vt rem plane diuinam, quam nullus habet niſi Deus, & is cui dederit Deus: quæ in animo habitat, ſed animum corpuſque ſanctificat: ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit niſi propria voluntate deceptus: contra eam conſurgere ait vitioſâ conſuetudinem, quæ nobis multa perſuadere conatur, vt ab amore & ſtudio virtutis nos reuocet: quo fit vt magna fortitudine opus ſit, vt illas tentationes vincamus. *Turpia*, inquit S. Proſper, *deſideria, quibus vinciatur immittit, ac iam penè faſtidienti blandum neſcio quid molliter inſuſurrat, & ſupplicat ne præponat mollibus dura, lætis, triſtia, certis dubia, præſenti voluptati futura: cogitet quam pœnale ſit atque difficile dulcibus carere delitiis, illecebris renunciare carnalibus, iugis grauari laboribus, ieiuniorum ac vigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra diabolum decipiendi peritum reſiſtendo arma corripere, inſidias eius ac fraudes vigilanti animi cautione vitare, &c. Quis non videt magna fortitudine opus eſſe, vt contra has perſuaſiones mens in bono. Propoſitio perſeueret, & ad corporis, & appetituum ſuorum continuam mortificationem ſe accingat, audiatque virtutem morantem confidenter obiurgantem, ad delectationes puras, caſtaſque delitias, quibus fruuntur omnes ſui amatores, inuitantem; quæ offert nudo iuſtitiæ veſtimentum, illuminato ſui apparatus demonſtrat ornatum; diffidenti de ſe protectionis ſuæ promittit auxilium, hortatur & prouocat; vt definitionis ambiguitate depoſita, propoſitum ſpirituale ſuſcipiat: perſeueraturum ſe in ſuſcepto labore propoſiti ſui, non ſua poſſibilitate, ſed Domini miſeratione confidat, nec ſuis viribus, ſed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes victricia arma corripiat.* Ita S. Proſp. Qui cap. 20. deſcribens fortitudinem eorum qui dicunt: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem:* ait: *Is ergo, cui Dominus eſt animi fortitudo, nullis carnalibus deſideriis cedat, nullis voluptatibus acquieſcat: ambitionem & popularem gloriam vincat: non eum pecuniæ amor addicat, non acerbitas paſſionum damnorumque ſubiiciat. Si illi Deus laus tota perfecta gloria, delectatio pura, ſpes certa: ſecuritas firma, poſſibilitas ſana, ſanitas incorrupta; vt ei quicquid carnalibus placet in hoc mundo, diſpliceat: quidquid pretioſum videtur eſſe, vileſcat: quidquid nitidum, futurorum contemplatione ſordeſcat: nec ab iis quæ iam per gratiam Dei eliſit, ſe patiatur elidi: quia & turpius videtur animum ab iis vitiis vinci, quæ vicerat: & nihil ei proſit aliqua ſuperaſſe, ſi alicui, quod neglexerat ſuperare, ſubiaceat. Quomodo non ille fortis liberi ſolet, qui in adeundis laboribus periculiſque claruit, aut frænandis voluptatibus ac domandis inſtiterit, ſed ille magnus & ſublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione cenſendus eſt, qui nihil ſibi vitij rebellare aut dominari permiſerit. Modò abſit ignauia, ne nos id deſperemus poſſe quod poſſumus. Abſit præſumptio vitioſa, ne nobis hoc, quod per Dei gratiam poſſumus, aſcribamus: quia ſiue de Dei munere, quo fortes efficimur, deſperemus: ſiue nos de noſtra poſſibilitate iactemus, idonei ad reſiſtendum vitiis eſſe non poſſumus. Et vtique animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quàm iactantiæ contraire* Ita S. Proſp. l. 3. de vita Contempl. c. 20. Ex quo habemus, qualis debeat eſſe noſtra fortitudo, qua poſſimus dignè præparari ad nuptias. Quæ cum non poſſit actus ſuos exerere, niſi ſtrenue membra noſtra maceremus, & appetitus noſtros coerceamus, & multa aſpera & dura toleremus, rectè per præparationem Byſſi, vt aptus ſit ad telam conficiendam puriſſimam

A & candidiſſimam, deſignatur.

Sed, vt vidimus ex D. Thomas, ex byſſo per multas tranſitiones ad candorem deducto, candidiſſima veſtis. In quo Dico ſecundò, rectè per byſſum virtutem temperantiæ deſignari, qua animi puritatem & corporis ac morum integritatem conſequimur. *Quis enim aſcendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde.* Cum manuum innocentia, munditia cordis eſt coniungenda.

Temperantiæ actus deſcribit S. Proſper. l. 3. de vita contemplat. c. 19. *Temperantia,* inquit, *temperantem facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, deſideria*
B *ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placita tranquillitate componit, & totam ſemper ab ni vitiorum tempeſtate defendit, &c.* Et paulo poſt, multos alios actus temperantiæ aſcribit. *Temperantia eſt quod reuerentiam ſenioribus exhibemus, æquales germanitùs honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quòd præſtamus loquenti ſeniori ſilentium, quòd ipſius ad loquendum præſtolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum, quòd riſui prorumpere non permittimus in cachinnum, quòd nulli detrahimus, nec detrahentes æquanimiter ſuſtinemus,*
C *ſcientes quod tam illi qui detrahunt, quàm illi qui detrahentibus adquieſcunt, vanitatis morbo corrupti ſunt.* Hæc ibid. S. Proſper.

Quæ ſi fideliter ſeruentur, mandatum implemus Apoſtoli dicentis: *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* Et ſic innocentiam cum candore & puritate corporis & animi coniungentes, candida hac veſte induti dignè præparamur ad nuptias.

Huius temperantiæ effectus exprimit etiam Iſidorus Hiſpalenſis, *de differentiis, lib. 1. different. 35. Temperantia,* inquit, *eſt modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc verecundiæ comes eſt, humilitatis regulam cuſtodit, tranquillitatem animi ſeruat, continentiam & caſtitatem*
D *amplectitur, fouet decus & honeſtatem, reſtringit appetitum, iram comprimit, nec rependit contumeliam.* Ita Iſid. At iuſtitiam tranſeamus.

Dico tertiò, per veſtem byſſinam iuſtitiam etiam deſignari, *quæ*, vt ait Iſidorus ibidem, *dilectionem Dei & proximi ſeruat.* Nam ſicut ex filo byſſi ſæpius replicato & contexto tela orditur & texitur: ita iuſtitia, (quæ eſt conſtans animi voluntas reddendi vnicuique quod ſuum eſt) hoc firmum propoſitum in omnibus actibus ſuis replicans, dum Deo, Proximo, & ſibi reddit quod ſuum eſt, veſtem ſibi conſuit pretioſam, de qua dicitur, Iſa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ*
E *circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Per iuſtitiam autem hic intelligo vniuerſalem quamdam iuſtitiam, omnes virtutum actus in ſe continentem nec enim fieri poteſt vt Deo, & proximo, quin & nobis ipſis reddamus quod ſuum eſt, niſi omnes virtutes ſimul connexas habeamus, vt pro ratione occaſionum, earum actus eliciamus. Hoc modo S. Thom. 2. 2. q. 58. ar. 5. dixit *quod actus omnium virtutum poſſunt ad iuſtitiam pertinere, ſecundum quod ordinat hominem ad bonum commune.* Et ex Ariſtotele, l. 5. Ethic. docet hoc modo iuſtitiam eſſe omnem virtutem. Et in ſcriptura etiam ſumitur iuſtitia pro exercitio omnium virtutum. *Niſi*, ait Saluator, Matt. 5. *abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum aut Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et rurſus: *Attendite*

ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Et : *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.*

Denique ait Chriſtus : *Decet nos implere omnem iuſtitiã.* Hinc S. Ioannes omnes actus laudabiles exercendos ab vnoquoque, ſecundum propriam cuiuſque obligationem, nobis proponere volens, illos complexus eſt ſub nomine iuſtificationis. *Byſſinus*, inquit, *ſunt iuſtificationes ſanctorum.* Ac ſi diceret : Ex filis actuum quarumlibet virtutum texitur byſſinus, ex quo fit veſtis iuſtitiæ, ſeu ex quo ſancti iuſtificantur. Cum igitur quiſque per exercitium cuiuſlibet boni operis iam per gratiam iuſtificatus veſtem induit magnitudinis ſuæ proportionatam, tunc magis ac magis iuſtificatur, & Deo gratior immediatè redditur, quia melior fit ; & ad hunc finem in hac vita diuinas perfectiones contemplatur, vt ſimus perfecti ſicut pater noſter perfectus eſt ; iudicia Dei admiramur vt ea timeamus nec audeamus mandata Dei tam terribilis in iudiciis ſuis infringere ; illam adoramus maieſtatem, quæ ab omni creatura à ſe dependente exigit vt reuereatur, propter ſuam ſupra omne, quod eſt aut exiſtere poteſt, eminentiam, & excellentiam. Denique illum laudamus, eique gratias agimus propter innumera illius beneficia, vt ſic iuſti ſimus, Deo reddendo quod ſuum eſt : dum corde, ore & opere illi placere in omnibus deſideramus. Nec ad hoc vna, & ſingularis virtus ſufficit : Vnica enim virtus, vt vult apud S. Thomam 1. 2. q. 65. ar. 1. S. Gregorius, *aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.* Nam cum virtus moralis perfecta non ſolùm incliner ad opus bonum, ſed vt quodlibet bonum opus modo debito & conuenienti perficiatur, neceſſarium eſt omnino, vt omnes virtutes ſimul concurrant, tanquam plura fila ad vnam telam texendam, vt illud opus non ſolùm ſecundum ſe bonum ſit, ſed etiam benè & rectè perficiatur. Bonum ſiquidem ex integra cauſa, vt integritatem ſuam obtineat ; aliàs malum erit opus ex minimo defectu.

Non mirum igitur ſi qui Deo placere ſtudent, Dei iuſtificationes tantopere diſſiderent, vt illorum opera omnes conditiones ad integritatem ſuam requiſitas obtineant, ſit opus moderatum per temperantiam, rectum per iuſtitiam, diſcretum per prudentiam, conſtans per fortitudinem. Has iuſtificationes Dauid Pſ. 118. plurimum commendat. Sciens enim, quanto cum ſtudio Dei mandata ſeruanda ſunt, iuxta illud : *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis* : modò ait : *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* Modò proteſtatur quod ea cuſtodire deſideret. *Iuſtificationes tuas cuſtodiam : non me derelinquas vſquequaque.* Vult de illis plenè inſtrui : *Doce me*, inquit, *iuſtificationes tuas.* Se diſcipulum obedientem exhibiturum profitetur: *In mandatis tuis exercebor : & conſiderabo vias tuas. In iuſtificationibus tuis meditabor : non obliuiſcar ſermones tuos.* Aſſerit nullum ardentius deſiderium ſibi ineſſe : *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Aſſerit denique ab eorum obſeruatione nunquam diſceſſurum, ſiue quòd illi aliquid exprobretur, ſiue quòd à potentioribus contradictiones illi ſuſtinendæ ſint. Iuſtificationes enim Dei declarat eſſe axiomata, iuxta quæ omnes ſuas actiones regulare & dirigere intendat. *Aufer*, inquit, *à me opprobriũ & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui. Etenim ſederunt Principes & aduerſus me loquebantur; ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Nã & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ.* Optimè igitur in hoc nomine, quia in ſe includit omnes quarumlibet virtutum actus, perfectam iuſtitiam S. Ioannes exprimere voluit : qua ſponſa induta poſſit digna inueniri, quæ admittatur A ad nuptias agni. Quod ſi quarumlibet virtutum actus in omni tempore ſunt exercendi, multo magis neceſſarium erit animum paratum habere ad eorum exercitium, cum ingruerit atrociſſima perſecutio Anti-Chriſti.

De hac iuſtitia Chriſtiana agit S. Proſper, lib. 3. de vita contemplatiua c. 21. & ſequentibus; vbi docet primùm fidem eſſe iuſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex quo omnia bona procedunt. *Ipſa*, inquit, *nos à peccatis omnibus purgat, mentes noſtras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus naturæ noſtræ conſociat, ſpem nobis futuræ remunerationis inſpirat, auget in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat.* Ita Proſper. c. 21. Et capite 22. addit : *Ex iuſtitia manat æquitas, quæ facit vt omnium* B *neceſſitates hominum noſtras eſſe dicamus, nec nobis tantùm, ſed etiam generi humano nos natos eſſe credamus ; & ſi quicquid quilibet homini nocere poteſt, tanquam ſi nobis noceat, euitemus : quia qui homines ſumus, nihil humani à nobis alienum putare debemus : ſiquidem belluarum eſt ſibi viuere, nec ſuas vtilitates in commune conferre.* Ita Proſper. Iuſtus igitur eſt, qui nulli iniuriam irrogat. Iuſtus eſt, qui iniurias aliis irrogandas pro poſſe impedit; irrogatas vel emendare, aut vlciſci curat, vel reprehenſione charitatiuâ, vel vindicatiuâ iuſtitiâ, ſi eius habeat adminiſtrationem. Iuſtus eſt, qui liberalis eſt etiam in eos, qui nihil indigere videntur ; qui per beneficentiam neceſſitati labo- C rantium miſericorditer ſubuenit, iuxta illud : *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*; qui omnes propter Deum diligit, amicos, & inimicos; qui Deum propter ſe diligit, non propter illa quæ præſtat. Quapropter, inquit S. Proſper, de vita contemp. l. 3. c. 26. *ſi in hac vita iuſtitiam conamur implere, cuius iuſtitiæ opus eſt proprium ſua cuique tribuere Deo nos, à quo ſumus facti, reddamus : nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpoſiti ſumus, permittamus. Dominetur vitiis ratio : ſubiiciatur corpus animo, animus Deo, & impleta eſt hominis tota perfectio : ac per hoc & nos iuſtitiæ facti participes, ſua cuique tribuimus, ſi interioribus & virtutibus carnalia oblectamenta ſubdamus : & ſicut viuentia vitâ carentibus : ſenſibilia viuentibus, intellectua-* D *lia ſenſibilibus, immortalia mortalibus ratiocinando præponimus, ita benè viuendo voluptuoſis vtilia, vtilibus honeſta, honeſtis ſancta, ſanctis perfecta omnia præferamus.* Ita S. Proſper. l. 3. de vita contempl. c. 26. Sed hæc agere prudentis eſt, qui in agilibus ſciat meliora ſeligere. Ideo vt benè præparetur ſponſa, & ſit de numero virginum illarum, quæ dicuntur in Euangelio prudentes, quia tempore congruo habentes ſecum oleum ornauerunt lampades ſuas, & quia paratæ erant intrauerunt cum ſponſo ad nuptias ; oportet vt prudentiam habeat, quæ virtus etiam in byſſino poteſt deſignari.

Præcipit Apoſtolus 1. ad Corinthios c. 15. vt Chriſti noui hominis imaginem portemus, veterem vi- E delicet hominem exeuntes, vt nouum induamus. *Primus homo*, inquit, *de terra terrenus : ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni : & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Nam, vt ait Rom. 8. *quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui* : quòd reuera ſit. *Si*, vt ipſe monet ad Epheſ. 4. *veterem hominem deponentes nouum induamus*, vt diximus. *Deponere*, inquit, *vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem.* Si igitur neceſſe eſt Chriſti imaginem portare in nobis, prudenter agit certè qui omnes actiones ſuas ita diſponit, vt in eius conuerſatione quaſi depicta cernatur viua quædam Chriſti imago, itaut dicere valeat : *Viuo ego, iam non ego : viuit verò in me Chriſtus.* Multa quidem pulchrè & ſapienter diſſerit S. Proſper, de

Digitized by Google

prudentia, dum docet illam non eſſe abſque ſapientia. Illæ enim duæ virtutes ita implicatæ ſunt & vnitæ, vt vna quælibet earum ſine altera non poſſit eſſe. Et cum perfectio humanæ vitæ in cognitione, & actione conſiſtat, cognitio quæ de prudentiæ fonte confertur, plurimum certè conducit ad perfectionem. Nam, vt ipſe ait l. 3. de vita contemp. c. 29. *Spirituales omnes a carnalibus vitiis defecatos illuſtrat, & ab omni delectatione noxia curioſitatis auerſos deſiderio contemplandæ virtutis inſlammat, vt humanarum rerum diuinarumque ſcientiam conſecuti: prudentes ac ſapientes veraciter ſiant, proſpiciant imminentia mala, ſimul & caueant: nec putent vlla eſſe mala, niſi ea quæ malos efficiunt. Nec eis vllæ perturbationes velut ignaris earum modeſtia aliquid aut tranquillitatis excutiant. Inter fallentia & bona ſolida diſcernant. Nihil in hoc mundo caſu aut iniuſtè, ſed omnia Deo volente ac permittente fieri prudenter accipiunt. Aliter intelligentes aut doceant ſapienter, aut arguant. Dolores varios, ac diuerſas infirmitates, quæ mortaliter viuentes affligunt, non ſemper peccatis præcedentibus ſequi, ſed plærumque ex ipſa conditione mortalitatis accidere corruptibiliter natis intelligant; & ſcientes ſe non damnari aduerſus præſentibus, ſed probari, ex ipſa tolerantia paſſionum occaſionem comparandæ ſibi patientiæ viriliter agentes arripiunt: nec ipſi aliis noceant, nec ſibi nocere permittant.* Ita S. Proſper. Hæc certè magnam ſpirant prudentiam, & exquiſitiſſimam. Sed cum ex ſanctus Thomas, quæſt. 65. prudentia ſit conſiliatiua, iudicatiua, & præceptiua eorum quæ ſunt ad finem, nihil autem conducibilius ad finem conſequendum nobis proponi aut præcipi poſſit, quàm perfectam Chriſti imitationem, ille prudens & ſapiens erit, qui quantum fieri poterit, in ſe imaginem Chriſti efformare ſtudebit. *Dei itaque*, inquit S. Laurent. Iuſtinianus, de interiori conflictu c. 5. *ſapientiam poſſideat, Chriſtum in humilitatis thalamo, quiſquis diaboli fraudes ſuperare deſiderat; lumen cordis indeſinenter foueat, vt penetret abdita, futura proſpectet, & ſimulata cognoſcat.* Ita Laur. Et reuera dixit Chriſtus: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Securè igitur ambulat qui poſt Chriſtum ambulat, eius inſiſtens veſtigiis eumque imitari ſatagens, & qui illum diligit eum imitando. Illum Pater æternus diligit: quia nullus euidentiùs demonſtrat Deum diligere, quàm qui Chriſto inſeparabiliter vniri concupiſcit. Vnde audacter dixit S Ioann. 1. Epiſt. c. 5. *Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium, vitam non habet.* Ita S. Ioann. Nec enim acceſſum habere poſſumus ad Patrem, niſi per filium. Igitur ille prudens eſt, qui Chriſtum in ſe habere deſiderat: nam cum Pater complaceat ſibi in filio: nos diliget & in nobis complacebit, ſi in nobis Chriſtum repererit. *Diuiditur*, inquit S. Laurent. Iuſtin. tract. 2. de ligno vitæ c. 2. *prudentia in intelligentiam, prouidentiam, atque memoriam. Intelligentia eſt per quam animus proſpicit ea quæ ſunt.* Certè benè intelligit ea quæ ſunt, qui Chriſtum intelligit. Vnde Apoſtolus dicebat: *Nihil arbitratus ſum me ſcire niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Et de Chriſto ſcientiam vocabat ſuper eminentem. Prouidentia eſt, per quam videtur aliquid futurum antiquam ſit. In Chriſto videre poſſumus quid nobis ſperandum, quid nobis timendum.

Qui illi compatiuntur, ſperant cum eo conglorificari; nam ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Qui illum ſequi detrectant, & in vitiis perſeuerant, ſciant ſe grauiori ſupplicio eſſe puniendos: Si enim in viridi ligno hæc facta fuerunt, quæ fuerunt in cruce peracta, in arido quid fiet in die iudicij? Sed memoria eſt per quam quis repetit ea quæ fuerunt. Ideo ſi S. Laurentius partem prudentiæ ait eſſe memorari laudabilis vitæ ſanctorum, quia qui ſanctorum merita religioſè in arcano memoriæ pertractat & qui iuſtorum gloriam frequenti narratione extollit, eorum mores ſanctos atque iuſtitiam imitetur; quoniam quidem delectat alicuius ſancti meritum, delectare debet par circa Dei cultum obſequium, vt qui ſanctorum merita admiratur, admirabilis vitæ reddatur; multo magis prudens erit, qui Chriſti merita & actus continuò in memoriam reuocat, vt eum pro virbus imitetur, & in ſua vita & conuerſatione ad viuum depingat. Sit igitur vera prudentia Chriſtiani, contemplatio & imitatio Chriſti. At quomodo hoc per byſſinum deſignari poſſit, nunc videamus.

Non ſolùm arte & peritia opus eſt, vt ex filis byſſi contextis, & conglomeratis, & compactis, tela, ſeu byſſinum texatur, ſed in ea arte peritiores, vt telam conficiant pulchriorem, in tela effingunt quaſdam rerum repræſentationes, & imagines herbarum, florum, arborum, animalium hominum: ita non ſolum prudentes ſunt; qui omnes omnium virtutum actus ſimul contexunt, euntes de virtute in virtutem: ſed qui prudentiores ſunt in ſua conuerſatione conantur effingere Chrſti imaginem: tunc enim ſponſa erit verè præparata, cum reddita fuerit ſponſo ſimillima. *Sit igitur*, vt de ea loquitur S. Laurent. Iuſtinian. de caſto connubio verbi & animæ c. 11. *moribus circumſpecta, in verbis grauis, in agendis prouida, in facie hilaris, in exhortando humilis, in corripiendo recta, in perferendis malis læta, in proſperis ſuſpicioſa, in orationibus crebra, in vigiliis aſſidua, in diuinis laudibus iucunda, in compaſſione procliuis, in dilectione ſingularis, in animo ſerena, in conciliis matura, in humanis placida, in diuinis ſuſpenſa, in corpore veluti in carcere detinetur. In cælo mente ac deſiderio conuerſatur. Talis ſit Verbi ſponſa & huiuſmodi virtutum ſplendoribus rutilet amica ſponſi, ò filia Hieruſalem.* Hæc S. Laurent. Iuſtin. Si talis fuerit, cooperietur byſſino ſplendenti & candido, & vere digna erit ſtola immortalitatis, & in numero eorum computari, qui dicuntur amicti ſtolis albis, & habere palmas, in ſignum victoriæ, in manibus ſuis. Et hæc de præparatione ſponſæ ad nuptias ſufficiant.

Et dixit mihi: Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt. Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.

Qualis ſit cæna nuptiarum agni?

ANNOTAT. XXVI.

ANDREAS Cæſarienſis: *Chriſti cæna eſt læta eorum feſtiuitas qui ſalui ſunt, ordinatiſſima & concinniſſima eorumdem lætitia & iucunditas, qua proinde qui potiuntur beati erunt, nec non cum caſto mundarum animarum ſponſo in æternum thalamum ingredientur.* Ita Andr.

Dionyſ. Carthuſ. hanc cænam ita exponit: *Beati qui ad cænam agni vocati ſunt, per prædeſtinationem & inſpirationem internam efficacem, ita quod actualiter peruenerint ad eas, ſeu peruenturi ſunt. Refectio autem, qua fideles in præſenti à Deo per verba ſcripturæ, chariſmata gratiæ, conſolationes internas reficiuntur, prandium dicitur.* Ita Dionyſ. Carthuſ.

Eadem ſentit Richard. à S. Victore de iſta cœna. *Prandium enim*, inquit, *præſentis gratiæ refectionem ſignat; cæna vero, quam nulla refectio ſequitur, æternæ beatitudinis plenitudinem figurat erunt ergo verè beati, quia ab omni malo liberi, & fruentur iucunditate ſummi boni; qui vocati ſunt, non tantùm prædicatione, ſed & prædeſtinatione; nec ſolùm per credulitatem, ſed & per electionem. Multi ſunt quippe falſi Chriſtiani, qui in gene-*

Digitized by Google

tali numero continentur vocatorum, de quibus dicitur: Multi ſunt vocati: ſed nequaquam beati ſunt dicendi, quia ad beatitudinem minimè pertingunt. Ita Richard.

Et reuera inter prandium, de quo apud Matthæum dicitur c. 22. *Ecce prandium meum paratum eſt.* Et cœnam, de qua hîc agitur, magna eſt differentia. Ad prandium mali cum bonis permixtim admittuntur. *Et egreſſi ſerui eius in vias congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Deinde ex prandio poſſunt quidam cum opprobrio & confuſiòne ejici, vel illo teſte, cui dictum eſt: *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Qui mox ligatis manibus & pedibus: miſſus eſt, iubente Rege, in tenebras exteriores: quia vili veſte indutus indignè ad B prandium acceſſerat. Non ita fit in cœna: nullus indignis aditus: nullus ſemel admiſſus vnquam excluditur, vt patet ex parabola Virginum prudentum & ſtultarum. Prudentes intrant ad nuptias; at ſtultis & imprudentibus imparatis dicitur: *Amen dico vobis neſcio vos.* Matt. 25. *Prandium*, inquit Ambroſius, *electorum nunc eſt quando in Eccleſia dapibus Euangelicis paſcuntur. Cœna verò tunc erit, quando poſt reſurrectionem in cœleſti beatitudine æterna gloria perfruentur. Et quia prandium, quod nunc agitur, & bonos & malos recipit, non omnes beati ſunt, qui in eo videntur accumbere; illi autem ſoli beati, qui in illa cœna, quæ poſt finem mundi futura eſt, recipientur.* Ita Ambroſ.

Ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.

De nuptiis agni.

ANNOTAT. XXVII.

ADMONET Andreas Cæſarienſis gloriam æternam multis nominibus ſignificari & inter ea nuptiarum nomine deſignari. *At verò*, inquit, *cum varia & magna futuri ſæculi ſint bona, quæ omnem mentem, & cogitationem multis partibus ſuperent, illorum vſus & participatio variis multiſque nominibus exprimitur, quando quidem propter incomparabilem gloriæ, ſplendoriſque magnitudinem, beatorum merces aliquando regni cœleſtis nomine deſignatur: nonnunquam verò, quòd bonorum omnium copia, quæ nunquam deficiunt, affluat, & eſculentorum ſpiritalium omnium apparatu abundet, paradiſus vocatur; quandoque autem ſinus Abrahæ appellatur, ea fortaſſis de cauſa quod vita defuncti ibi ſortiantur requiem. Interdum denique thalami & nuptiarum vocabulo inſinuantur, idque vt nobis videtur, non modò propter continuam lætitiam, & oblectationem, verùm etiam propter ſinceram & inexplicabilem Dei ad ſeruos coniunctionem, quæ tantum excedit corporum copulam, quantum lumen tenebras, & pretioſum vnguentum, cuiuſque cadaueris fœtorem & graue olentiam.* Ita And.

In his nuptiis plurima notari poſſunt: & primò perquiſitio perſonæ, cui nubere aliquis deſideret. Hoc factum fuit in his nuptiis myſticis. Videtur enim quòd Deus ſponſam inquiſierit ſibi inter omnes creaturas, & inter eas naturam elegerit humanam, quam ſibi in ſponſam aſciſceret: vel potius quaſi quamdam nationem, apud quam ſponſam ſibi aſſumeret; Et in ea natione ſeu populo familiam & poſteritatem Abrahæ ſelegit, cum qua quoddam contraheret matrimonium, in eam familiam adſcriptus, cum iis nempe non tam qui carnali propagatione ad Abraham pertinebant, quàm qui fidem eius imitantes reputabantur in ſemine. Vnde dictus eſt pater omnium credentium, multarumque gentium, ex quibus Eccleſia coadunatur, quam Deus eligere & aſſumere voluit in ſponſam. De qua inquiſitione loquitur Ezech. c. 17. *Tranſiens autem per te,* A *vidi te conculcatam in ſanguine tuo. & dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo: Viue.* Quod adimpletum fuiſſe arbitror, cum poſtquam Deus Abrahæ promiſit ipſum futurum patrem multarum gentium, ei præceptum circumciſionis impoſuit, omnibus obſeruatu neceſſarium, qui non velint è numero populorum Dei deleri. *Eritque*, inquit Geneſ. 17. *Pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo.* Tūc enim videtur Deum innuiſſe hanc familiam ſe electurum fore in ſponſam, iuxta illud Ezechiel. *Et iuraui tibi & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi.* c. 16. Itaque in omnibus nationibus, populis & gentibus videtur Deus B aliquam familiam perquiſiuiſſe, cui matrimonium cum eo celebrandi fore promitteret, & omnibus attentè conſideratis oculos ſuos conuertiſſe ad Abrahæ familiam, ad quam reducendi erant præordinati ad vitam, ſeu omnes ex quibus Eccleſia ſponſa componeretur, & coadunaretur.

Secundò, in nuptiis carnalibus reciprocæ ſeu mutuæ dantur ſponſiores de futuro matrimonio contrahendo, primò per verba de futuro, veluti cum dicitur: *Accipiam te in meam:* Secundò per arrhabonem, qualem dedit Eliezer ſeruus Abrahæ, Rebeccæ inaures & armillas, quam in vxorem Iſaac filij Domini ſui deſtinabat. Geneſ. 24. Tertiò, dando annulum. Quartò, iuſiurando firmando ſponſio- C nem, & promiſſionem.

Hæc omnia obſeruata fuerunt à Deo erga Eccleſiam, quæ in Abrahæ familia per fidem aſciſcenda erat. Verbis ſimplicibus vſus eſt in promiſſione facta Abrahæ. *Sara*, inquit, *vxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac. Et conſtituam pactum meum illi in fœdus æternum.* Geneſ. 17. Arrhæ datæ fuerunt, dum populum Iſraëliticum è captiuitate Ægyptiaca liberauit, eique dedit facultatem ſpoliandi Ægyptum, & Pharaonem demerſit in mari rubro, poſtquam agnum Paſchalem edere præcepit in memoriam internecionis primogenitorum Ægypti, & liberationis ſuorum ab Angelo percutiente: quæ omnia fuerunt maxima beneuolentiæ indicia. D Quantum autem ad annulum, qui in ſponſalibus datur, annulus ſponſalium myſticorum fuit ſancta lex Moyſi data in monte Sinai, cui addendæ ſunt omnes illæ ceremoniæ externæ, & ſacrificia exteriora, quibus fides meſſiæ futuri populo Iudaico inculcabatur. Iuramento autem Deus ſponſionem ſuam firmauit, vt habetur Pſalm. 83. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Hæc ſponſalia tetigit Oſee c. 2. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum. Et ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide. Et ſcies quia ego Dominus.* Quibus verbis E promittit primò, Matrimonij indiſſolubilitatem; ſecundò, exprimit conuenta ſeu pacta connubialia; tertiò, indicat ſponſi vigilantiam & attentionem, vt iudicet an ſponſa conuentiones Matrimonij fideliter ſeruet, viuendo in ſanctitate & iuſtitia, vt eam à ſe repudiet, eamque rejiciat ſi illas infringat; promittit tamen quartò, ſe miſericorditer cum ea acturum, fragilitati illius compatiendo: cognoſcit enim figmentum ſponſæ: vnde iudicio mox coniungit miſericordiam, non pro vna vice tantùm, ſed pro pluribus vicibus. Vnde addit: *Et in miſerationibus.* Imperfectiones illius & infirmitates portabit, nec pro leuioribus culpis in crimen læſæ maieſtatis illam adducet. Addit denique quod illam ſponſabit in fide quia tanta gratia aliquos à peccatis, & Eccleſiam ſuam ab omni errorum contagione vendicabit, vt

Digitized by Google

A fidelis in fide ſemper remaneat, & pro culpis ad pœnitentiam tandem, ſi qui ceciderint, finaliter conuertantur. Poſſunt enim in particulari quidam ſponſum offendere, & ad tempus ab eo ſeparari, ſed cum hic præſertim loquatur de ſponſa, quæ introducenda eſt in ſponſi thalamum, nempe de congregatione electorum: ſi in aliquo peccare quibuſdam ex eis contingat, tamen ad ſponſum clamantem poſt eos: *Reuertere, reuertere, ſunamitis, vt intueamur te,* reuertentur. Et ſuſcipiet eos, iuxta illud Ierem. c. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus plurimis. Tamen reuertere, & ego ſuſcipiam te.* Hinc S. Ieronymus locum Oſee exponens, ait. *O quanta clementia! Dei meretrix, quæ cum multis amatoribus fornicata eſt, & ob crimen beſtiis tradita: poſtquam reuertitur ad virum, nequaquam*
B *reconciliari ei dicitur, ſed deſpondi. Et vide quid ſit inter Dei coniunctionem & hominum. Homo, cum vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id eſt, non virginem. Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in virgines, iuxta illud quod adultera dicitur per Hieremiam, c. 3. Non vt Dominum me vocaſti, aut Patrem, aut Principem virginitatis tuæ.* Ita S. Hieronymus. Qui & notat Oſeam ter repetere, *Sponſabo te. Primò, quia deſpondit eam in Abraham, ſiue in Ægypto; ſecundò in monte Sinai, dans ei pro ſponſalibus legis iuſtitiam, tertiò in fide & gratia Euangelij.* Ita S. Hieron. Quæ à nobis ſupra allata confirmant.

Tertiò, Matrimonium contractum eſt, tanquam
C per verba de præſenti, in myſterio incarnationis. In hoc enim myſterio Deus quaſi quodam amoris vinculo ſe adſtrinxit naturæ humanæ, itaut eam deſerere nunquam poſſit. Quod enim ſemel aſſumpſit, cum verbum caro factum eſt, nunquam dimittet: & in hoc myſterio ratificare viſus eſt quidquid vnquam gratiæ aut fauoris hominibus vel contulerat, vel ſpoponderat.

Quartò: in nuptiis iam contractis honeſta permittuntur indicia dilectionis inter ſponſatos, vt ſunt honeſta oſcula, pudicique amplexus. Hæ ſponſatorum blanditiæ fiunt in nuptiis ſpiritualibus, in myſterio Euchariſtiæ. In hoc enim myſterio recipit ſponſa ſacrum oſculum, cuius olim flagrabat deſi-
D derio, dum dicebat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 1. Et cap. 8. *Quis me det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* In hoc enim Euchariſtiæ myſterio Chriſtus Dei filius, ſupernæ intelligentiæ oculus, ac verbum & os Patris (vt eam appellat Philo Carpathius) qui ſugere dicitur vbera matris, quia ſapientiam qua conditi ſumus toto ſinu ſuo excipit, cum à Patre ſapiente, filius (qui dicitur ſapientia Patris, quia per generationem vi productionis per intellectum generatur) ei eſt in ſapientia æqualis; ille inquam inuentus eſt foris, non ſolùm cum inuiſibilis & impalpabilis eius diuinitas immenſa, increata, rerum omnium creatrix, cuncta creata atque producta ſapientiſſimè moderans
E & regens, viſibili atque palpabili ſubſtantia, atque corpore in incarnatione veſtiri oportuit: ſed etiam inuentus eſt foris, cum in dextera Dei ſedens Deus & homo, nunc in Sacramento Euchariſtiæ inuenitur ſub ſpeciebus panis & vini occultatus. Huius deſiderat amplexus & oſcula puriſſima & caſtiſſima. & ſanctiſſima, nempe Spiritus ſancti dona, quibus anima dignè myſterio Euchariſtiæ participans repletur, quæ ſunt vera amoris ſponſi ſigna & indicia.

Tandem in nuptiis viſibilibus notatur conſummatio legitima Matrimonij. *Ne quaſo*, vt dicebat Philo Carpathius, *mens grauata crimine, aut aliquid voluptuosè cogitans, inde lethale vulnus accipiat, vnde ſalutarem medicinam & animi refectionem capere poteſt: nihil carnale prorſus; nihil corruptibile, nihil turpe, nihil obſcœnum, ſed omnia honeſtiſſima eſſe ducito.* In 1. Cantic. Hoc periculo ſublato, cogitet ſpiritualem animæ cum ſponſo, & ſanctiſſimam coniunctionem, per intimam præſentiam, mentis cognitionem, & voluntatis dilectionem, quæ cum incipiat per gratiam in hoc mundo, eſt quaſi inceptio conſummationis ſanctiſſimi, & puriſſimi connubij: quæ plenè & perfectè complebitur in gloria, cum quod videmus per ſpeculum & in ænigmate, & ſub velamine ſpecierum, cum periculo ſeparationis; hoc illud idem videbimus facie ad faciem, & ei inſeparabiliter coniungemur. Propter quam indiſſolubilem vnionem Eccleſiæ cum Chriſto Matrimonij Sacramentum olim dictum eſt magnum à S. Paulo.

Denique ſolemnitates Matrimonij fiunt, cum ſponſa è domo Paterna in domum & thalamum ſponſi introducitur: Hæc etiam fiunt in nuptiis ſpiritualibus: deducetur enim ſponſa in thalamum ſponſi, cum Eccleſia corpore & anima glorificata in cœlum introducetur. Et hæ ſunt nuptiarum ſolemnitates, de quibus hîc agitur, in qua parata eſt cæna gaudij æterni & immenſi, quo fruuntur beati ad menſam Chriſti aſſidentes, id eſt, diuinam eſſentiam contemplantes (Deum facie ad faciem ſicuti eſt videndentes, *De hac*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *beatifica ſpirituali cænatione Chriſtus diſſeruit: Ego diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Itaque Dominum deprecemur indeſinenter, vt eius continuo gratioſo auxilio ad cœnam nuptiarum iſtarum pertingere mereamur; nec præſentis vitæ delitias admittamus.* Ita Dionyſ.

Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.

Quiſnam hæc dicit beato Ioanni?

ANNOTAT. XXVIII.

MITTO hic expoſitionem Ludouici ab Alcazar qui hunc Angelum eſſe exiſtimat B. Petrum: ſicut & illum, quem etiam adorare voluit S. Ioannes in c. 22. eſſe B. Paulum. Apud eum require huius expoſitionis rationes. Et ſic omiſsâ illâ ſingulari ſententiâ.

Dico primò, eſſe Angelicum ſpiritum. Hæc ſententia eſt Andreæ Cæſarienſ. Primaſij, Richardi à S. Victore, Dionyſ. in c. 21. dum ait in hæc verba: *Et ſuſtulit me in ſpiritu. Quamcumque autem perſonam dicatur hic Angelus Ioannem ſic ferens ac inſtruens deſignaſſe; Angelus iſte realiter fuit Angelicus ſpiritus in Chriſti perſona apparens, atque de omnibus his Ioannem informans: quemadmodum iam ſupra patuit, & infra innoteſcet. Verumtamen Angelus iſte diuerſarum perſonarum effigiem repræſentauit Ioanni interiùs, & iuxta hoc quaſi à diuerſis dicit Ioannes ſibi quædam oſtenſa.* Ita Dionyſ. Carthuſ. Probabile eſt autem hunc Angelum eſſe ſuperioris alicuius Hierarchiæ, & multos habuiſſe Angelos inferiorum ordinum ſibi obſequentes. Vnde pro ratione eorum quæ repræſentare debebat S. Ioanni, eorum miniſterio vtebatur: multi enim aliquando in eodem tempore apparent, quæ diuerſa Ioanni repræſentant.

Dico ſecundò, probabile eſſe aliquem particularem Angelum deſtinatum fuiſſe; cui hoc munus fuit impoſitum, vt ænigmata quæ oculis Ioannis objiciebantur illi exponeret & difficiliora enodaret. Hoc congruit verbis 1. capitis: *Et ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.* Et c. 22. *Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis in Eccleſiis.*

Dico tertiò hunc Angelum ad hæc reuelanda S. Ioanni ſpecialiùs deſtinatum, eum eſſe de quo dicitur c. 17. *Et venit vnus de ſeptem Angelis, qui ha-*

Digitized by Google

bebant ſeptem phialas: & locutus eſt mecum dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, &c. Et de quo dicitur: *Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Et dicit mihi hæc verba Dei vera ſunt.* Et de quo pariter dicitur c. 21. *Et venit vnus de ſeptem Angelis, habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis. Et locutus eſt mecum dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.* Et verſu 15. *Et qui loquebatur mecum habebat menſuram arundineam.* Et denique de quo dicitur, cap. 22. *Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt & vera.* Et quem verſu 8. Ioannes vult adorare, ſicut & in hoc capite decimo nono. *Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.* Congruum ſiquidem eſt vt præcipuus ille Angelus inſtruat Ioannem de præcipuis huius libri myſteriis. Inter quæ certè præcipua ſunt reprobatio malorum; electorum ad gloriam præparatio condigna, gloria & executio prædeſtinationis electorum. Itaque qui Ioanni oſtenderat, cap. 17. damnationem meretricis magnæ, & eidem oſtenderat effectus quibus diuina iuſtitia ſe manifeſtam præbuit, hîc poſtquam Ioannem inſtruxerat, quibus mediis electi per tolerantiam laborum & perſecutionum, & exercitium vitæ contemplatiuæ & actiuæ, præparandi erant, vt digni haberentur admitti in cœnam nuptiarum agni, præcipiat Ioanni vt hæc ſcribat, vt fideles ſciant Deum eſſe malorum vindicem, & bonorum remuneratorem, quorum labor non erit inanis in Domino. *Beati* enim, inquit, *qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Poſtea in cap. 21. oſtenſurus quanta ſit eorum gloria & fœlicitas, qui ad hanc cœnam admittentur, dum oſtendit vxorem ſponſam agni. Nunc igitur videtur dicere S. Ioanni: Cum vidiſti Templum impletum fumo, à maieſtate Dei, & de virtute eius, & quod nemo poterat introire in templum donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum, hoc ænigmate didiciſti obſcuriſſima eſſe Dei iudicia de electione bonorum & reprobatione malorum; nec clarè concipi cur Deus velit ſuos electos multa pati in hoc ſæculo aſpera & dura; malos autem plærumque delitiis, diuitiis & honoribus abundare. Hæc tantùm manifeſtanda erant ex effectu, ſeu rerum euentu. Cum igitur videas nouiſſima iuſtorum & reproborum, intellige nunc Deum voluiſſe vt per multas tribulationes iuſti compararent ſibi gloriam, eorumque virtutem ſplendidiorem fieri ex oppoſitionibus & contradictionibus variis, quas ſufferre & vincere oportuit vt digni redderentur gloria æterna. Fuerunt enim tanquam luminaria magna in medio nationis prauæ & peruerſæ; Deum autem permiſiſſe malos impiè agere, & peccata peccatis addere, vt omnibus innoteſceret quanta eſſet eius patientia & longanimitas; & dum eos deiecit, dum eos proſtrauit, oſtendere voluit quàm iuſtus ſit cum ſcelera pœnis & ſuppliciis atrociſſimis proſequitur. Nec iis obſtat quod alibi dicimus hunc Angelum primum, (qui oſtendit tam damnationem meretricis magnæ quàm gloriam ſponſæ agni) repræſentare Paſtorum munus recurrendi ad Deum per orationem. Nam cum oratio ſit eleuatio mentis in Deum, & quædam familiaris cum Deo collocutio, in qua Deus nobis ſua ſecreta manifeſtat, rectè repræſentatio huius officij & muneris tribuitur illi Angelo, cui incumbit ſecreta & myſteria ſancto Ioanni aperire.

A

Et cecidi ante pedes eius vt adorarem eum.

Quo motiuo fuerit ſanctus Ioannes impulſus vt adoraret Angelum hæc vera illi annunciantem?

ANNOTAT. XXIX.

SECTIO I.

ANGELVS Ioanni loquens aſſerit vera eſſe quæ dicit. *Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.* Licèt enim futura ſint, nihil futuritio de veritate eorum detrahit. Quæ enim Deus ordinauit, & decreuit fieri, vera ſunt in prædictione, ſicut vera apparebunt in executione. Hæc autem in præ-
B dictione vera erant, quia erant verba Dei, qui mentiri non poteſt, cuius proprium eſt cognoſcere res futuras antequam exiſtant, ſiue hæc neceſſariò, ſiue contingenter illa eueniant: quia nempe coexiſtit diuina eſſentia & cognitio præteritis, præſentibus, & futuris, vt omnia vno & ſimplici actu poſſit intueri. Monet igitur Angelus ſanctum Ioannem nullum dubium de veritate dictorum eſſe illi admittendum: quia quæ nunciabat erant Dei verba, & ideo veriſſima: apex enim non præteribit verborum Dei, donec omnia fiant. Cœli & terra tranſibunt: verba autem Dei non præteribunt. Optimè igitur Richardus à S. Victore: *Et vt*
C *ea*, inquit, *quæ ab Angelo de hac beatitudine dicuntur firmiùs & certiùs à nobis credantur: & in maiori autoritate habeantur, non ſua ſed Dei fore verba, quæ dicit, proteſtatur. Ait ergo: Hæc verba Dei vera ſunt. Quaſi diceret: Tanto maiori fide, quæ dico credere debetis, quando ea, & Dei eſſe & reuera eſſe manifeſtius auditis. Et quidem hæc verba Dei dixiſſe ſuffeciſſet, quamuis vera minimè addidiſſet: Deus quippe nequaquam creditur poſſe mentiri. Sed humana conſuetudine, vt in pleriſque ſcripturæ locis ſolet fieri, de diuinis loquens, ea quæ proteſtabatur, & Dei eſſe, & vera dicit: non tam vt in nobis fidem Doctor roboraret, ſed à noſtro loquendi modo non diſcreparet. Qui enim Deum verè credit, non falſa, ſed vera eſſe credit verba quæ Deus dicit.* Ita Richard. à S. Victore.

D Ad hæc verba S. Ioannes dicit cecidiſſe ſe ante pedes eius, vt adoraret eum, *adoratione ſcilicet duliæ*, inquit S. Thomas, *ad referendum gratias, & ad dandam ei reuerentiam, quia maiorem eum ſe intellexit.* Ita S. Thomas. *Quia*, inquit Richardus à S. Victore, *ante aduentum Saluatoris ſolebant homines apparentes ſibi Angelos adorare, voluit ſanctus Theologus honorem ab aliis ſanctis, Angelicis ſpiritibus exhibitum exhibere.* Ita Richard. Nam cum ſciret S. Ioannes Dei ſolius proprium eſſe futura cognoſcere, & præuidere, facilè coniecit Angelum ſibi eſſe ſuperiorem, & ſupra homines excellentem quamdam eminentiam obtinere, qui tam benè inſtructus erat de omnibus, quæ futuris retro ſæculis euentura ſunt: in memoriam
E ſuam præcipuè reuocans, quod dixerat olim Chriſtus, Matt. 24. *De die autem illa & hora, nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Et Marci 13. *De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius, niſi Pater. Videte, vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.* Quibus verbis docere voluit Chriſtus nulli creaturæ ſecundum propriam naturam cognitionem futurorum competere, quia nec Chriſti humanitas habet eam ſecundum ſe, ſed quia eam illi Deus dedit, iuxta illud Apocalypſ. 1. *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus, &c.* Habet igitur Chriſtus vt homo cognitionem futurorum, per reuelationem ſpecialem; quæ illi cum Patre propria eſt ſecundum diuinitatem. Rectè enim Victor Antiochenus in hunc locum Marci c. 13. *Cum Angelos cæli myſterium hoc latere dicit, diſcipulos tacitè*

admonet

Digitized by Google

admonet ne id ipſi curioſè diſcere aueant, quòd Angeli Ignorant. Cum porrò addit: Neque filius: non modò ne hoc diſcere ſtudeant vetari, verum etiam ne anxiè inquirant. Quod enim propter hoc illud dixerit, ex iis cognaſcere licet, quæ poſt illius reſurrectionem acciderunt. Nam cum Apoſtolos aliquanto curioſiores videret: quo illorum curioſitati ſilentium imponeret, diei illius ignorationem præ ſe ferre viſus eſt: cum tamen æquè certò atque Pater illum compertum haberet. Etenim ſi omnia per ipſum facta ſunt, quomodo fieri poteſt vt diem illum ignoret? Qui enim ſecula condidit, certum eſt eum omnia tempora, & temporum momenta explorata habere. Quod ſi omnia tempora nouit, omnem quoque diem ſciat oportet, &c. Et paulo poſt: *Vt pote Patris ſapientia exiſtens, omnia quæ Pater habet, vno hoc tantùm excepto quod ipſe Pater non eſt, integrè obtinens. Sed dices: Si filius tempora omnia, temporumque omnium diſcrimina, ſtatus, rationes nouit, prout & illa ipſa & cætera omnia condidit, cunctaque admirabili ordine & ſapientia in ſuos fines dirigit, cur diem illum prodere non voluit? Vt vigiles: huc enim ſpectat, quod mox ſubditur. Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.* Ita Victor Antioch.

Ex dictis facile eſt conijcere eum, qui per reuelationem futura nouit, aliquo ſpeciali honore dignum eſſe; ſiquidem participat per reuelationem dignitati diuinæ naturæ, quæ ſecundum ſe ſola poteſt futura præuidere, iuxta illud Iſa. c. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Vnde S. Ioannes animaduertens in Angelo ſecum loquente illam dignitatem illi honorem exhibere vult, vt pote quem agnoſcebat habere aliquid ſupra communem hominum & aliorum Angelorum conditionem. Et in ſchola Chriſti edoctus ſciebat, quod qui nuntium honorificat, mittentem eum honorificat; ſicut ſpernit Deum, qui ſpernit eum quem miſerit ipſe: iuxta illud Domini: *Qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Deum & Chriſtum mittentem, honorare vult S. Ioannes, dum Angelo exhibere vult adorationem ſcit eum à Deo miſſum, vt eum inſtrueret: abſurdum enim eſſet exiſtimare ſanctum Ioann. putauiſſe Deum eſſe aut Chriſtum, quem ſub ſpecie humana videret ſe alloquentem. Exiſtimauit igitur eum Angelum à Deo miſſum, quem putat dignitate miniſterij ſibi eſſe præferendum, & in quo Deum honorari poſſe non dubitat, quia diuinam maieſtatem is Angelus ſpeciali quadam ratione repræſentabat, ea videlicet quæ capacitatem intellectualis creaturæ exuperat; nempe cognitio infallibilis & certa rerum futurarum, quæ Deo ſoli competit. Ideo ait: *Et cecidi ad pedes eius, vt adorarem eum.* Ac ſi diceret: Gradum gratiæ præcellens animaduerti in Angelo mihi iſta reuelante, in eo quod inſtructus erat eorum quæ Deus ſolus cognoſcit; altitudinem miniſterij eius, quo debebat Eccleſiæ notificare & ſignificare arcana cæleſtia, ea potiſſimum, quæ expedit ipſam Eccleſiam cognoſcere, vt conſtans perſeueret in Dei obſequio in medio tribulationum. Denique perſpiciens maieſtatis diuinæ puriſſimos ſplendores in hoc Angelo relucere tanquàm in nitidiſſimo ſpeculo, modò quodam eminentiori, quia videlicet repræſentabatur ſecundum eam rationem quæ propria eſt diuinæ maieſtati, & infinitæ eius ſapientiæ; eum mihi ſuperiorem, & omnimodè præferendum exiſtimaui, & propterea omni honore colendum, vt pote in quo poſſim Deum ſupremum rerum conditorem & moderatorem adorare; rurſus quia honor, qui nuntio Principis exhibetur, mittenti Principi redditur. At honorem illum non admiſit; & quamuis ſciret Deum in ſeipſo mediatè poſſe adorari, quia quidquid perfectionis in creatura reperitur extrinſecâ quadam relatione, in intrinſeca rela-A tione dependentiæ à Deo (tanquam à cauſa & Principio) fundata, ad Deum ipſum refertur: quo fit vt honor creaturæ exhibitus propter illam excellentiam ad Deum referatur: & ſic mediatè in ea ipſe adoretur (dum enim laudatur opus, extollitur artifex; dum ſeruus honoratur, Domino honor defertur, dum miniſter quo Deus vtitur, vt ſuam ſcientiam, & ſapientiam manifeſtet hominibus, adoratur ipſemet Deus & Dominus:) Hanc mediatam Dei adorationem noluit vt adhiberem, ſed vt immediatè Deum in ſe adorarem concupiuit. Vnde dixit mihi: *Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.*

B *Et dixit mihi: Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.*

Quibus motiuis inductus fuit Angelus, vt non admitteret adorationem, quam ſibi exhibere ſanctus Ioannes deſiderabat?

De primo motiuo.

SECTIO II.

ADORATIO, ſecundum S. Thomam 2. 2. q. 84. ar. 1. propriè ſoli Deo reddenda eſt, C ratione excellentiæ: at quia excellentia diuina ſeipſam communicat creaturæ, non ſecundum æqualitatem, aut totalitatem, ſed per quandam participationem: ideo licèt ſit aliquis adorandi modus Deo ſoli reddendus (vt eſt adoratio latriæ, & ſacrificium) eſt tamen alius adorationis modus inferior, qui creaturæ reddi poteſt, pro ratione excellentiæ quàm participat, itaut quo eminentior fuerit hæc excellentia participata, tantò maior ſit & inſignior honor exhibendus, ſignis etiam exterioribus notificandus, vt teſtemur quod de earum bonitate & excellentia ſentimus; ſiue quia illa nos præcellere, & ſupra nos eminere exiſtimemus: ſiue quia in eis cognoſcimus quandam dignitatem, quæ ſecundum D ſe ſufficiat vt ipſis honorem exhibeamus, quamuis propterea nullo modo nobis ſuperiores exiſtant; ſiue quia per comparationem ad alios hæc excellentia inſignior ſit: vnde ſpeciali honore proſequi debeant, quia plurimos habeant ſibi in hac excellentia inferiores, velut ſi Rex inſigniores doctrina, animi præſtantia, & fortitudine, inter ſuos ſubditos honoraret. Cum igitur agnoſcimus aliquam creaturam nobis eſſe ſuperiorem, & quandam dominationem in nos ratione excellentiæ poſſe ſibi vendicare, illam cultu duliæ, ſeu cuiuſdam religioſæ ſeruitutis, aut ſaltem in rebus humanis politiæ colimus, Deum ſolum cultu Latriæ colentes, vt pote qui ſolus habuit plenarium, & Principale Dominium, reſpectu totius & cuiuſlibet creaturæ, quæ totaliter E eius ſubijcitur poteſtati.

Hac de cauſa ſanctus Ioannes, quia exiſtimabat Angelum in charitate & gratia ſibi eſſe ſuperiorem, eum adorare voluit: tamen hanc adorationem & ſeruitutis proteſtationem non admiſit Angelus, quia fortè S. Ioannes charitatem iam obtinebat in gradu excellentiori, itaut poſſet ratione huius charitatis admitti in quodam ordine Angelorum Hierarchiæ ſuperioris illi Hierarchiæ, ex qua erat Angelus illa annuncians: V. g. ratione charitatis poterat S. Ioann. inter Cherubinos, aut Seraphinos ſedem obtinere. Cum autem ordinariè Angeli qui mittuntur, aſſumantur ex inferioribus ordinibus, vt docet S. Th. 1. q. 112. art. 2. ne talis ordo à diuina prouidentia conſtitutus peruertentur, ille Angelus erat aſſum-

Digitized by Google

ptus ex inferiori quodam ordine. Inferiora namque per ſuperiora adminiſtrantur. Ordo, enim naturæ aliquando mutatur propter ordinem gratiæ. At ordo gratiæ, cum nullum habeat ordinem ſuperiorem, non ordinarie mutatur. Vnde iſte Angelus ex ordine inferiori erat aſſumptus, qui cum inferior eſſet ordini proportionato Charitati Beati Ioannis, non mirum ſi non admittat eius adorationem, quia non erat B. Ioanni in gratia aut charitate ſuperior. Nam licèt homines ſemper in natura ſint Angelis inferiores, quoad gratiam poſſunt fieri non modò æquales Angelis, ſed & ipſis ſuperiores. Nam ſi ex omnibus Hierarchiis Angeli ceciderunt, quorum ſedes reparandæ ſunt ex hominibus, oportet vt quidam homines reponantur inter Seraphinos, quorum eſt Deo aſſiſtere, & inferiores illuminare, & Dei mandata ipſis inculcare, qui proinde ſuperiores erunt in ordine gratiæ Angelis vltimæ Hierarchiæ, quorum munus eſt & officium illuminari, mitti. & executioni mandare quæ à ſuperioribus præſcribuntur.

De ſecundo motiuo, propter quod Angelus adorationem S. Ioannis admittere noluit.

SECTIO III.

EXISTIMARE poterat S. Ioannes Angelum illum ſibi eſſe ſuperiorem: quia videlicet ille erat comprehenſor, Ioannes autem tantùm viator. Cum igitur Angeli ſemper videant faciem Patris, hac ratione videntur eſſe hominibus, etiam electis, ſed adhuc viatoribus ſuperiores. Vnde ex his verbis c. 11. Matthæi, *Qui autem minor eſt in regno cælorum maior eſt illo*, nempe Ioanne Baptiſta, dantur duæ expoſitiones à B. Auguſtino, contra aduerſarios legis & Prophetæ. lib. 2. c. 5. tom. 6. Prima, vt regnum cœlorum accipiamus pro illo regno, de quo in fine dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. Et quia ibi ſunt Angeli, quibus in eis minor, maior eſt quolibet iuſto, portante corpus quod corrumpitur. Secunda eſt, vt per Regnum cælorum intelligamus Eccleſiam, cuius filij ſunt ab inſtitutione generis humani, vſque nunc, omnes iuſti. Et hoc modo Dominus ſeipſum ſignificauit, qui naſcendi tempore minor erat Ioanne, maior autem diuinitatis æternitate, & dominica poteſtate. Prior expoſitio declarat cur Ioannes potuerit exiſtimare Angelum ſibi eſſe ſuperiorem, quia videlicet, vt dictum eſt, Angelus erat iam comprehenſor, ipſe autem viator. Quem ſenſum huius loci Matth. etiam amplexus eſt S. Hieron.

Nos autem ſimpliciter intelligamus, quod omnis ſanctus, qui iam cum Domino eſt, ſit maior illo qui conſiſtit in prælio. Aliud eſt enim victoria coronam poſſidere, aliud adhuc in acie dimicare. Ita S. Hieron. apud Thom. in catena aurea. Sed quamuis hoc ita ſit, tamen Angelus non vult admittere adorationem S. Ioannis, multis de cauſis. Prima: quia fortè cognoſcebat S. Ioann. eſſe confirmatum in gratia, propter quod certiſſime ſciebat ipſum gloriam fore adepturum: vnde eum ſuſpicit quaſi ſibi ſuperiorem in ordine gratiæ, propter excellentiorem charitatis gradum. Agit igitur cum eo ac ſi iam eſſet in beatitudinis ſtatu, eo modo quo Principes agunt cum Franciæ Delphinis, ſeu primogenitis regum, quos ſciunt poſt Patris obitum regna adepturos. Fauet S. Thom. 2. 2. q. 103. ar. 2. dum docet *non permiſiſſe hunc Angelum, vt illum S. Ioannes adoraret adoratione Dulia, vt oſtenderet ipſius Ioannis dignitatem, qua per Chriſtum erat Angelis adæquatus, ſecundum ſpem gloriæ filiorum Dei, & ideo nolebat ab eo honorari tan-*

A *quam ſuperior*. Ita S. Thom. Secundo. Quia quamuis eſſet Angelus in gratia ſuperior, ſicut in natura, non vult tamen permittere vt ab hominibus adoretur, tanquam ſuperior: vt oſtendat qua reuerentia colat ſanctam Chriſti humanitatem, dum etiam vult honorare homines, quorum naturæ factus eſt Chriſtus particeps per incarnationem. Hæc ratio multorum eſt, & in primis S. Gregor. Homilia 8. in Euangelia. *Quid eſt quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, poſtmodum vero adorari refugiunt; niſi quod naturam noſtram, quam priùs deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt; nec iam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet* B *in cæli regia venerantur; nec habere dedignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum.* Ita Greg. Gregorium ſequuntur multi expoſitores huius loci. Ambroſius: *Redemptio ſanguinis Chriſti hoc fidelibus conſulit, vt filij Dei, ſociique Angelorum efficerentur. Ideoque pertimeſcit Angelus adorari ab homine, qui ſuper ſe adorabit hominem Deum.* Ita Amb.

Similiter Rupertus. Richardus etiam à S. Victore: *Ego*, inquit, *à te adorari iam pertimeſco: quia tuam naturam ſuper me regnare conſpicio. Ille ſolus à te debet adorari, cui ſuper omnia exaltato ego ſecum pariter debeo famulari.* Ita Richard.

Et optime. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Hebr. 1. Vel, C *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &c.* Hebr. 1. Tertiò: Quamuis Angelus eſſet in ſtatu comprehenſoris, poterat tamen honorem deferre eminenti virtuti S. Ioannes. Videt cum quadam admiratione in corpore mortali, imbecilli, terreſtri animam puritate candidam, magnanimitate, & fortitudine, & conſtantia inflexibili ad malum præditam, & ad quæuis pericula pro Chriſto ſubeunda imperterritam, inuincibilem patientiam, candidiſſimam virginitatem in ea refulgentem, qua dignus efficiebatur vt Reginæ virginum in filium adoptiuum committeretur, illiuſque immaculatæ virginis cuſtodiæ traderetur. Cernebat in eo mentem D contemplatione ſublimem, ſecreta cæleſtia de ſacro Chriſti pectore haurientem, voluntatem charitate Dei & proximi vehementer flagrantem. Et ſicut modeſtia quorumdam Regum terrenorum aliquando tanta fuit, vt ciuiles adorationes ſeruorum Dei admittere noluerint, & ad eorum genua potius ſemetipſos proſtrauerint, quia virtutem & pietatem ipſorum in maximo habebant honore & pretio, quamuis ratione regiæ dignitatis poſſent eorum ciuiles adorationes admittere; ita hic Angelus admittere non vult adorationes S. Ioannis, quia eius eminentem virtutem in magna habuit æſtimatione, quamuis ſecundum ſtatum comprehenſoris (quia ſecurior eſt, & iam poſſidet in re, quod alius tantùm habebat in ſpe) potuiſſet adorationem duliæ E S. Ioannes admittere. Quartò: Denique illam non admittit, vt oſtendat eumdem eſſe Deum & Dominũ, qui colitur tũ ab Eccleſia militante tum, à Triumphante: vnde Angelus non ſe exiſtimat ſancto Ioanni ſuperiorem, propter gloriæ ſuæ ſecuritatem, vt doceat non eſſe vllam habendum rationem huiuſmodi differentiæ, cum vnuſquiſque talis ſit apud Deum & in conſpectu eius, qualem eum eſſe Deus voluerit. Vnde ſibi complacere comprehenſor non debet, nec ſe viatori præferre, quia totum quod eſt à Deo habet. Quod ſi honor eſt illi quòd Deum videat, non paruus eſt honor viatori, quod pro Chriſto aliquid pati valeat. Cum igitur ſit idem Deus, quem vel lumine fidei, vel lumine gloriæ cognoſcimus, & quem viator, & comprehenſor dili-

Digitized by Google

gunt : Angelus iſte præferre ſe non vult S. Ioanni, quia quod ille priùs poſſidet, hoc breui tempore elapſo & S. Ioannes poſſidebit. Hanc Angeli modeſtiam laudat Andreas Cæſar. dum ait : *Atque hinc quoque humilem ſubmiſſumque ſanctorum Angelorum ſenſum & mentem cognoſcere licet. Clarè namque ex hoc loco conſtat diuinam gloriam (vt effrontes laſciuique dæmones ſolent) neutiquam ſibi arrogare; verùm quidquid eiuſmodi exiſtit, id totum Domino deferre. Faxit Deus vt nos quoque humilitatis exemplo inuicem prælucentes diuinum ſermonem impleamus, qui ait : Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Ita Andr.

De tertio motiuo, propter quod Angelus non admiſit adorationem S. Ioannis.

SECTIO IV.

EXISTIMARE potuit S. Ioannes Angelum ſibi eſſe ſuperiorem ratione miniſterij, quod quidem in tribus potiſſimùm conſiſtit.

Primum miniſterium eſt de rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis Eccleſiam informare, eam illuminando. Secundum eſt ſpecialia auxilia fidelibus ſuppeditare quibus bonum operentur, & voluntas eorum corroboretur in proſecutione, & acquiſitione virtutis. Tertium, illam cuſtodire, & ab impugnantium incurſibus defendere, eiuſque hoſtes comprimere ac coërcere.

Quantum adprimum, ſicut duobus modis ſuperior Angelus Angelum inferiorem illuminat, ita duobus modis poteſt etiam Eccleſiam ſeu quoſcumque fideles illuminare. *Superior autem Angelus*, ex S. Thomas 1. q. 106. at. 1. *inferiorem illuminat, primò quidem fortificando virtutem intellectiuam eius. Sicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis, vt minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi; ita virtus intellectiua inferioris Angeli confortatur ex conuerſione ſuperioris Angeli ad ipſum. Hoc enim facit in ſpiritualibus ordo conuerſionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis. Pari ratione Angelus poteſt illuminare homines, confortando eorum mentem, ſeu intellectum, per quamdam approximationem, nempe per ſuam conuerſionem ad mentem cuiuſcumque. Secundo : Vnus Angelus alteri manifeſtat veritatem ex parte ſimilitudinis intellectæ : ſuperior enim Angelus notitiam veritatis accipit vniuerſali quadam conceptione, ad quam capiendam inferioris Angeli intellectus non eſſet ſufficiens; ſed eſt ei connaturale vt magis particulariter veritatem accipiat : ſuperior verò Angelus veritatem, quam velociter, vel vniuerſaliter concipit, quodammodo diſtinguit, vt ab inferiori capi poſſit. Et ſic eam cognoſcendam illi proponit, ſicut etiam apud nos Doctores, quod in ſumma capiunt, multipliciter diſtingunt, prouidentes capacitati aliorum. Et hoc eſt quod Dionyſius dicit 15. c. cæleſtis Hierarch. Vna quæque ſubſtantia intellectualis datam ſibi à diuiniore vniformem intelligentiam propria virtute diuidit & multiplicat, ad inferioris ſurſum ductricem analogiam.* Ita S. Thom. Id eſt, ad quandam proportionem capacitati inferioris accommodatam, vt illius inferioris mentem ad ea, quæ ſupra capacitatem eius erant, cognoſcenda perducat. Sic Angelus illuminat Eccleſiam, non ſolum illi proponendo vera, & manifeſtando veritatem in vniuerſali per ſpecies quaſdam intelligibiles; ſed quia connaturali eſt homini vt intelligat per conuerſionem ad phantaſmata, veritatem illi proponit ſub ſpeciebus ſenſibilibus ſeu phantaſmatibus. *Impoſſibile eſt enim*, ait S. Dionyſ. c. 1. de cæleſti Hierarchia, *aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum.* Tertiò : dici poteſt quod Angelus illuminat Eccleſiam, cũ Deo ſpecialiter mittitur, vt vel per quaſdam immutationes phantaſiæ hominis, aliqua ſigna, ſeu ſymbola, aut ænigmata, aut figuras in ea repræſentando; ſiue in vigilia, ſiue in ſomno, vel etiam aliquas exteriores, apparitiones, quales ſunt viſiones plurimæ factæ S. Ioanni; vel per quædam verba expreſſa, vel quæ interiùs tantùm percipiuntur, vel quæ exteriùs etiam audiuntur, aliquid reuelat ex parte Dei; qualis fuit illa allocutio Gabrielis Angeli, cum Virgine Maria, quæ aure percipiebat Angelum ſibi dicentem : *Aue gratia plena.*

Quantum ad ſecundum miniſterium, duobus modis poteſt Angelus confortare ſeu confirmare voluntatem noſtram in boni amore vel proſecutione; vel iuuando nos orationibus ſuis ad Deum, & impetrando nobis quædam gratiæ diuinæ auxilia, quibus conſtanter bonum operemur. Sic offerebat Raphaël Angelus Tobiæ orationes & Eleemoſynas in conſpectu Dei, eique à Deo impetrabat gratiam qua in virtutis & pietatis exercitio, & in amore Dei & proximi permanebat; qua inſuper tentationes, & tribulationes patienter tollerabat : Vnde meruit à tribulationibus liberari; & pro menſura tribulationis, ſeu ſecundum multitudinem dolorum eius meruit conſolari & lætificari. Secundò. Poteſt Angelus voluntatem noſtram in exercitio virtutis corroborare, eſtò nullam poſſit voluntas in ſe interiùs ab aliqua creatura ſuſcipere immediatè mutationem, aut inclinationem circa quodcumque volitum: hanc enim inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit : ſolus autem Deus potentiam volendi tribuit creaturæ, quia ipſo ſolus Deus eſt autor intellectualis naturæ. Tamen exteriùs perſuaderi poteſt per propoſitionem alicuius boni appetibilis, quod cum Angelus nobis demonſtrat & oſtendit, ex aprehenſione eius mouetur & allicitur voluntas ad illud proſequendum, quamuis liberum illi ſit conſentire aut non conſentire. Poteſt etiam cietè aut mouere aliquas paſſiones in nobis, verbi gratia, iræ aut amoris, abſque vlla tamen coactione, aut neceſſitate. Vnde fit quòd dicere poſſumus Angelum poſſe nos in bono corroborare; ſeu imaginationem noſtram huc & illuc diſcurrentem, & in ictu oculi ad diuerſa ſeſe vertentem (itaut vix in cogitationibus, quibus ad boni amorem induceretur longiuſculè perſeueret) fixando & ſiſtendo: qua quidem ratione, cum boni apprehenſio continuò in mente perſeueret, voluntas fortiùs inducitur vt ad illud inclinetur, illudque amplectetur; quin & quamdam motionem circa illud in appetitu inferiori ſentiendo, per quamdam & connaturalem ſympathiam cum appetitu inferiori, allicitur, & attrahitur, itaut à bono non ſe reſiliat aut retrahat. Quantùm ad tertium miniſterium, vt ſint ſcilicet Angeli vigiles, qui cuſtodiant ciuitatem, nempe Eccleſiam, hoc ſatis patet ex ſcripturis, Pſ. *Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Hic enim ordo à Deo fuit conſtitutus & præſcriptus, quòd mobilia & variabilia per immobilia & inuariabilia moueantur, & regulentur. At, quæſo, quid mutabilius, quid magis variabile cogitatione, voluntate, aut hominis appetitu? Quid faciliùs à bono auertitur? Iſta igitur Angelorum cuſtodia apprimè homini neceſſaria eſt, qua in bono confirmari queat, qua reguletur, & ab errore aut defectu præſeruetur. His adde, præter interiores & naturales infirmitates aut imbecillitates, homines multis periculis ſubjici, multis tentationibus vexari, multi inſidiis exponi, iuxta illud Pſ. *In via hac, qua ambluabam, abſconderunt laqueum mihi.* Vnde prouidentia diuina, quæ in neceſſariis,

Digitized by Google

nullis deeſt creaturis, debuit hominibus per Angelos ad id præſtandum idoneos opem ferre. His ita ſuppoſitis, Dico potuiſſe ſanctum Ioannem exiſtimare illum Angelum ſibi eſſe ſuperiorem, ratione Miniſterij & officij, Deoque obſequium præſtantius reddere, quàm ipſe Ioannes exhibere poſſet & hac de cauſa conſentaneum eſſe vt eum ſpeciali quadam adoratione honoraret, cuius honoris ſignum ederet ſeipſum humiliando & proſternendo ad pedes eius. At Angelus non admittit huiuſmodi honorem ſeu adorationem, & quaſi habeat Ioannem in obſequio Dei ſibi æqualem, ſe conſeruum Dei cum Ioanne prædicat. Ratio eſt: quia obſequij vtriuſque materia eadem eſt, nec vnus in materia excellentiori occupatur, in qua alius non ſit occupatus. Inter obſequia ſiquidem, quæ Deo exhiberi poſſunt, illud eſſet excellentius, cuius finis daretur nobilior; vel quod eſſet medium præſtantius, vt quod Deus vult fælicius adimpleretur; vel certè ad id conducibilius, aut magis neceſſarium. In quo certè S. Ioannes non erat Angelo inferior: finis namque obſequij vtriuſque, ſeu miniſterij Angeli & Ioannis, erat hominum ſalus procuranda; Angeli nempe, dicente Paulo. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*; Ioannes verò, dicente Chriſto: *Ego poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Quem, quæſo, manentem fructum intelligit? Proculdubio hominum æternam ſalutem. Deinde ad eumdem finem miſit Chriſtus Apoſtolos ſuos, ad quem miſſus fuerat. *Sicut*, inquit Ioan. 20. *miſit me Pater, & ego mitto vos.* At filius Dei miſſus fuit ad ſalutem hominum procurandam. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis.* Idem igitur eſt finis miniſterij Paſtorum Eccleſiæ, cum fine miniſterij Angelorum; imo aliqua ratione excellentius dici poſſet, ſi ea quæ pertinent ad promotionem ſalutis hominum ponderemus. Nam ſi miniſterium Angelorum conueniens eſſe dicamus, quia proprium eſt diuinæ prouidentiæ vt per ſuperiora inferiora regat, conueniens eſt etiam Miniſterium Paſtorum. Ad eamdem enim pertinet prouidentiam, vt omnia cum quadam ſuauitate operetur, & vt opus ſuum abſque vlla violentia, vnicuique cauſæ ſecundæ, ſeu agenti creato ſeſe accommodans, abſoluat. At quid ſuauius excogitari poteſt? Quid minus violentum redolere poteſt, quam ſi homines ab hominibus gubernentur, quàm ſi homines ab ore hominum ſibi ſimilium, excipiant diuina oracula, & quæ certò credere, ſeu quibus fidem adhibere debent, abſque erroris periculo? Adde hoc videri conuenientius: ſiquidem oporteat vt Angeli ſuam actionem, qua hominibus repræſentare volunt veritates illis notificandas, capacitati hominum accommodent. Oportet namque vt ſub formis ſenſibilibus veritates intelligibiles exhibeant: & ſigna, & ſymbola aſſumant hominibus conſueta, vt conceptus ſuos interiores exteriùs manifeſtent: & deſignent deinde conuenientiſſimum vt homines Dei leges cuſtodiendas per homines ſibi ſimillimos accipiant, qui non ſolùm verbo & præcepto, ſed & exemplo ad illorum mandatorum obſeruationem poſſint eos prouocare, & eorum infirmitati compati poſſint & conſulere, iuxta illud Pauli, Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

Tertiò: ſi miniſterium Angelorum neceſſarium eſſe dicamus, non minus neceſſarium videtur eſſe Paſtorum miniſterium: ſiquidem ordo diuinæ prouidentiæ æquè exigit quamdem ſubordinationem in ſuis effectibus, dum in rebus ſenſibilibus opera-
A tur, quàm dum operatur in creatura purè intellectuali, quin & eadem ratio, propter quam Deus miniſterio Angelorum vtitur (nempe vt illis communicet dignitatem cauſæ, quæ in Deo eminenter exiſtit, qui immediatè abſque vllius creaturæ adminiculo aut miniſterio poteſt ex quolibet facere quodlibet, & producere quidquid cum cauſa ſecunda producere poteſt) æquè reperitur in creatura rationali, ſeu in natura hominis, in qua tantò magis elucet diuina bonitas, quantò minor eſt Angelicâ naturâ. Dum enim iſtam naturam paulò minùs ab Angelis minoratam, eadem dignitate decorat qua Angelos nobilitat, eò maior eſt bonitatis diuinæ dignatio. Denique ſi miniſterium Angelorum ex di-
B gnitate perſonæ Angelicæ, aut naturæ Angelicæ, excellentiam aliquam ſibi conciliat, hoc in Paſtoribus Eccleſiæ compenſatur, ex eoquod Angeli tantùm perſuadent, impellunt, mouent, ſollicitant, & ad bonum prouocant homines: ſed Paſtores non modò eadem faciunt, ſed inſuper directa autoritate agunt in inferiores, & per quamdam iuriſdictionem in eoſdem obtinent effectum prætenſum. Vnde ſi Deus ſe propitium fore aſſerit iis qui audiunt ſanctas inſpirationes Angelorum, & ad conſilia & monita eorum acquieſcunt, & ad eorum impulſum mouentur, iuxta illud Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obſerua eum, & audi*
C *vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris. Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligantes te*; Pari modo Deus vult vt audiamus, & obediamus voci Paſtorum, nulla habita ratione improbitatis eorum. In quo proculdubio cernitur quanta ſit excellentia miniſterij ipſorum: & quàm neceſſarium ſit illis obedire etiam percipitur: ſiquidem obedire oporteat iis qui propter inſignem improbitatem, & nequitiam alioquin omnimodè eſſent contemnendi. *Facite*, inquit, *quæ dicunt. Omnia quæcumque dixerint vobis facite; ſecundum autem opera eorum facere nolite.* Quin & profitetur obedientiam illis præſtitam, aut contemptum eorumdem, tanquam
D ſi ſibi ipſi fieret reputaturum. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Denique ait: *Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi tanquam Ethnicus aut publicanus.* Cum igitur miniſterium Paſtorum Eccleſiæ tanti ſit ponderis & momenti, non mirum ſi Angelus non admittit adorationem S. Ioan. quia ſibi non erat in miniſterio inferior, & in ipſo Ioanne emicat miſſionem filij Dei incarnati (, qui eos miſit, ſicut & ipſe miſſus fuerat à Patre) per participationem, & communicationem autoritatis, quam Deus filio ſuo incarnato contulit pro Eccleſiæ regimine; Nec etiam mirum eſt ſi homines aliquid in hoc habeant, quod Angelorum miniſterium exuperet: ſiquidem hæc poteſtas & autoritas eſt ordo quidam diſtinctus
E & ſeparatus ab Angelorum ordine, qui erga homines non agunt per quamdam autoritatem, ſed tantùm eos dirigendo, & mouendo ad bonum, eis conſilia, monita, auxilia, fauorem ſuppeditantes. Et ſicut videmus in rebus humanis, Epiſcopum (quamuis eius dignitas ſpiritualis ſupra regalem, & imperialem dignitatem emineat) tamen locum honorabiliorem cedere primo præſidenti iuſtitiam adminiſtranti, quia perſonam iudicis & Regis ſuſtinet; ita non mirum eſt ſi Angeli, quamuis natura ſint hominibus ſuperiores, hominibus locum præſtantiorem relinquant in his functionibus, quibus ſalus hominum promouetur, quia vices tenent filij Dei, & Maieſtatem illius repræſentant, qui caput eſt Angelorum & hominum. Et vt vno verbo dicam: Cum miniſterium Paſtorum ad omnia ſe ex-

Digitized by Google

tendat, ad quæ ſe extendere poteſt pro ſalute hominum promouenda Angelorum miniſterium, non mirum ſi æquiparetur eorum miniſterium miniſterio Angelorum. Vnde ait ille Angelus Ioanni: *Conſeruus tuus ſum.* Illuminant Angeli: illuminant & Paſtores. Nonne ad eos in dubiis eſt recurrendum? Nonne labia eorum cuſtodiunt ſcientiam? Nonne Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis? Nonne ipſa examinat & probat ipſam Angelorum miſſionem? Vt perſpicuum fiat, ſi quæ ab ipſis dicuntur talia ſunt, vt doctrinæ reuelatæ à Chriſto, & de qua à Spiritu ſancto edocta fuit conſentiat? *Chariſſimi*, inquit S. Ioan. 1. c. 4. *nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Quomodo, quæſo, fiet iſta probatio? Diſcutiendo ſcilicet an quæ reuelant aut annuciant, conſentiant doctrinæ & fidei Eccleſiæ iam receptæ, & ad eumdem finem aut ſcopum tendant: dirigitur enim à Spiritu veritatis, id eſt, à Spiritu ſancto, *quem mittet*, inquit Chriſtus, *pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, nempe ea omnia quæ ad ſalutem conſequendam ſcitu erunt neceſſaria, & quæcumque à patre didicerat. *Omnia*, inquit, *quæcumque audiui à patre nota feci vobis.* Vnde audacter dicebat Paulus ad Galat. c. 1. *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo, Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Nota, *præterquam Euangelizauimus vobis*; vt pote quibus quædam reuelata fuerint immediatè à Spiritu ſancto, quæ nec Angeli naturaliter ſcire poſſunt, niſi eiſdem etiam reueletur, iuxta illud Pauli: *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Vnde non mirum eſt ſi Paſtores poſſunt illuminare inferiores, vt faciunt Angeli, qui, vt docet S. Thomas 1. q. 57. ar. 5. *Naturaliter nihil ſciunt de myſteriis fidei*: nã ſi cognoſcere non poſſunt volũtates, & cogitationes, aut determinationes aliorũ Angelorũ, abſque eorumdẽ conſenſu, multò magis cognoſcere non poterunt quæ à ſolo Dei arbitrio totaliter depẽdent, qualia ſunt myſteria fidei, iuxta locum pauli paulo ante citatum, ex 1. ad Corinth. 2. Quod ſi per viſionem beatificam myſteria cognouerunt, non equidem omnia, ſed vt Deus vult illa eis reuelare, nec æqualiter cognoſcunt, alij cum maiori lumine, alij minùs diſtinctè. Fauet S. Thomas, dum ait quòd non omnes Angeli à principio de omnibus edocti ſunt, imo quædam etiam ſuperiores Angeli poſtmodum didicerunt. Lege quæ dicit S. Dionyſ. de cæleſti Hierarchia c. 7. in hunc Iſaiæ locum: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* c. 63. Quibus Chriſtus per prophetam reſpondet: *Ego qui loquor iuſtitiam.* Et ſicut Chriſtus hos Angelos immediatè docet de myſterio redemptionis, ita docuit ipſe immediatè Eccleſiam, iuxta illud: *Multifariè multiſque modis olim loquens in Prophetis, nouiſſimis diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Heb. 1. Et optimo iure ſi quid de nouo eis reuelandum ſit, quod pertineat ad regimen Eccleſiæ, hoc omne à Chriſto deriuari debet, cum ſit caput Angelorum & hominum, cum ipſum dederit paer caput ſupra omnem Eccleſiam. Qua de cauſa expreſsè ait Apocaly. 22. *Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* Cum igitur ſanctus Ioannes immediatè multa à Chriſto didicerit Eccleſiæ manifeſtanda, & Angelo ex alia parte hoc etiam munus iniunctum fuerit à Chriſto, vt ſymbola & ſigna ſancto Ioanni repræſentaret, per quæ mens eius

A perciperet poſſet ea quæ euentura erant in Eccleſia, & magis diſtinctè myſteria diuina apprehenderet; atque hæc omnia ad vnum finem dirigantur, nempe vt Eccleſia illuminetur & inſtruatur de his omnibus quæ ſcitu neceſſaria ſunt; meritò Angelus non admiſit ſanctus Ioannis adorationem. Nec enim videbat ſe Ioanni eſſe præferendum ratione officij aut miniſterij huius, illuminandi ſcilicet Eccleſiam. Vnde ait: *Conſeruus tuus ſum.* Ac ſi diceret: Sicut à Chriſto ſalutarem accepiſti doctrinam, qua tanquam è limpidiſſimo fonte Eccleſiam irrigas, ita ego te inſtruo, & informo cognitione eorum myſteriorum, quorum cognitionem accepi, vt illa tibi annunciarem ſub quibuſdam ſignis & ſymbolis, B ſeu ænigmatibus; Et hac de cauſa æquales ſumus in miniſterio, quo ſit vt tanquam conſeruo nullum mihi ſpecialem honorem exhibere teneatis. Deum adora, à quo & ego & tu illuminamur pro bono totius Eccleſiæ, & ſuorum electorum.

Quantùm ad ſecundum miniſterium Angelorum, nempe quòd corroborent voluntates noſtras in virtutum exercitio, vel orationibus ſuis, vel cogitationes noſtras bonas iuuando ne euaneſcant, vel à nobis abſtrahendo ea quæ voluntatem noſtram ad malum allicere poſſent, hæc omnia etiam faciunt Eccleſiæ Paſtores. Nonne iuuant Eccleſiam orationibus ſuis, & ſacrificiis propitiatoriis & impetratoriis? Nonne conſtituti ſunt quidam mediatores interceſſionis inter Deum & homines? C *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Nonne per impoſitionem manuum dant in Sacramento Confirmationis Spiritum ſanctum? Quo videlicet confirmatur & corroboratur voluntas in virtutum exercitio, & fortis redditur vt contra hoſtes ſalutis certamen fæliciter inire poſſit. *Tunc*, inquit ſacer textus, *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Act. 8. Adde quòd multum corroborant boni Paſtores alios imbecilliores, non ſolùm verbis, orationibus, Sacramentis, ſed etiam exemplis: plus enim ſæpius mouent exempla quàm verba, & in D hoc imitantur Angelos, qui Eccleſiam multis modis corroborant.

Quantùm ad vigiliam & cuſtodiam Angelorum, qua hoſtium incurſiones repellunt; & in hoc Paſtores Angelos etiam imitantur. De his enim dicitur, Iſai. 62. *Super muros tuos, Ieruſalem, poſui cuſtodes: tota die ac nocte in perpetuum non tacebunt.* Et ad Epiſcopos vigiles Paulus Act. 20. dicebat: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinentes quo-* E *niam per triduum nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum, &c.* Patet igitur ex Paulo, Paſtores bonos eſſe tanquam vigiles & Cuſtodes. Sed dum dæmones expellunt, dum à grege arcent lupos, nempe hæreticos & ſchiſmaticos: dum putrida membra reſecant per excommunicationem, nonne planè illorum cuſtodia ad omnia ſe extendit, ad quæ Angelorum cuſtodia ſe extendere poteſt? Et ſic meritò ille Angelus fatetur ſe eſſe conſeruum cum Ioanne: vnuſquiſque enim in ſuo ordine, ſuo modo, Deo cultum & obſequium præſtat, & iiſdem planè functionibus Deo famulantur. Deus igitur adorandus, immediatè qui & Angelis & hominibus præſcribere poteſt quæcumque ad ſui nominis gloriam facienda ſunt. Eſt enim Dominus dominantium, & Angelus eſt Paſtorum Eccleſiæ

Digitized by Google

conſeruus, qui habent teſtimonium Ieſu, ſiue dum annunciant Euangelium, & inueſtigabiles diuitias Ieſu Chriſti. *Et vos*, aiebat ipſe, *teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis.* Quia per Miſſæ ſacrificium, quo gratiæ impetrantur, quibus corroboratur eorum voluntas in praxi obſeruationis mandatorum Dei, de Chriſto teſtimonium reddunt, dicente ipſo: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Et rurſus S. Paulus: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 1. ad Corinth. 11. Habent etiam adhuc teſtimonium Ieſu, dum Paſtorales functiones exercent, & ſuper gregem vigilant. Eccleſiam enim Chriſtus fundauit, & ex ouibus & Paſtoribus coadunari voluit, dum Sacramenta adminiſtrant. Meritò igitur Angelus Ioanni ait Apoſtolo, Epiſcopo & Paſtori: *Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.*

Quartum motiuum propter quod Angelus admittere noluit adorationem ſancti Ioannis, quòd in cognitione futurorum videantur pares.

Quot modis ſanctus Ioannes exiſtimare poterat Angelum ſibi eſſe ſuperiorem, circa cognitionem futurorum?

PRÆFATIVNCVLA.

PLVRIMIS modis exiſtimare poterat S. Ioannes Angelum ſibi eſſe ſuperiorem, quantùm ad cognitionem futurorum; Primus modus eſt Angelum plura percipere eorum quæ futura ſunt, quam ſanctum Ioannem, quia miniſterium Angelorum hoc exigit, vt plura ſciant quàm ſcire debeant aut poſſint homines in hac vita mortali degentes. Secundus: modus eſt, vt futura excellentiori modo percipiat Angelus. Sanctus autem Ioannes modo non adeo excellenti eadem concipere poſſet. Tertius modus eſt, quia ad Angelum titulo ac iure potiori hoc pertineat, nempe futura cognoſcere; quia ſecundum naturam, maiorem habeat capacitatem cognoſcendi, ea quæ excedunt naturæ ordinem, capacitate naturali hominis eadem percipiendi.

An Angelus plura cognouerit myſteria, ex eo quod ante ſanctum Ioannem hanc reuelationem accepit à Deo; & an ex ea prioritate temporis in cognitione S. Ioanni ſuperior exiſtat?

SECTIO V.

CERTE probabile videretur Angelum plura cognoſcere futura, ſeu plures euentus, & in hoc ſuperiorem fuiſſe S. Ioanni. Primò, quia Angelus ſpiritus eſt puriſſimus, ab omni materia independens in operatione, multis inſuper experientiis edoctus rerum præteritarum, & cauſas omnes naturales probè cognoſcens, quibus omnibus faciliùs cognoſcere aut conjicere poteſt quæ futura ſunt. At S. Ioannes corpore adhuc grauatus, nec illo mentis acumine præditus erat, nec tantam habebat rerum præteritarum cognitionem, vt ex earum cognitione aliquid prudenter conjicere poſſet; nec adeo clarè ac diſtinctè cauſas naturales, aut morales, aut etiam ſupernaturales effectuum cognoſcebat. Probabile eſt igitur Angelum beato Ioanni eſſe præferendum, & plurium habere cognitionem: & non ſolùm naturalium effectuum, ſed etiam ſupernaturalium. Plura cognouiſſe probabile videtur, ſaltem pro tempore quo ſancto Ioanni diuina reuelabat myſteria: nam ſi ordo diuinæ prouidentiæ is ſit, vt inferiores illuminentur à ſuperioribus; hæcque illu-

A minatio ſecundum S. Thomam fieri debeat per Angelos, quorum miniſterio Deus futura aperit, & reuelat Prophetis, oportebat vt ſaltem hæc myſteria ſupernaturalia cognoſceret, antequam illa S. Ioanni reuelare poſſet. Hoc ita ſit.

Dico tamen quòd hoc titulo, quòd illa cognouerit ante ſanctum Ioannem, noluit ſe gerere ac ſi ſancto Ioanni proinde eſſet ſuperior: nec enim dignitas eſt ſpecialis, ſi quis tempore alium præcedat in exiſtentia, quod quædam cognoſcat antequam alius eadem cognoſcendi capax ſit per exiſtentiam propriam. Etenim ſi ratio exiſtentiæ prioris, aut poſterioris, conferret aliquam dignitatem, digniores fuiſſent Adam & Eua Chriſto Domino, & ſan-
B ctiſſima Virgine Maria, quia priores illis extiterunt: Vnde ſi prioritas exiſtentiæ aliquam confert dignitatem, hoc eſt tantùm ſecundum quid: quo fit vt ſi nunc Deus creare vellet Angelum æqualis cum Lucifero perfectionis quantùm ad naturam, Lucifer illum non antecelleret niſi ſecundum quid, quòd prior illo eſſet creatus. Cum igitur prioritas aut poſterioritas exiſtentiæ eſſentiam rerum non ingrediatur, ſed omnimodè dependeat à libera, & gratuita conditoris voluntate, in cuius manu ſunt cuncta temporum momenta, vt omnia quomodo vult & quando vult operetur; Angelus ſancto Ioanni non exiſtimandus eſt ſuperior, abſolutè loquendo, quòd myſteria ante ipſum cognouerit.

C Cum igitur quæſtio non ſit hîc an Angelus natura excellentior ſit B. Ioanne, nec naturam Angelicam cum ſuis prærogatiuis ponderare velimus cum natura humana, ſed tantum conſiderare velimus illum ordinem, quem ſiue Angelus, ſiue S. Ioannes habet circa cognitionem myſteriorum fidei, & ea quæ ad regimen Eccleſiæ ſpectant: non mirum eſt ſi Angelus prætermiſsâ naturæ propriæ excellentiâ non ſe exiſtimat S. Ioanni ſuperiorem, ex eo quòd myſteria illi reuelata fuiſſent, antequam S. Ioannes illa ſcire aut percipere poſſet per ſuum miniſterium. Deinde cum hæc myſteria ei reuelata fuiſſent eo fine, vt de illis ſanctum Ioannem informaret: ſicut Gabriel Angelus Mariæ Virgini non fuit ſuperior,
D quòd Deus immediatè priùs illi aperuit ea quæ Virgini erant annuncianda: ita nec Angelus iſte ſuperior redditur, quòd priùs Deus illi aperuerit ea, quæ ipſe poſtea debebat S. Ioanni reuelare, ex parte Chriſti loquentis per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni. Quod ſi inſtes ſaltem ſecundùm quid beato Ioanni eſſe præferendum hac de cauſa: Reſpondeo hanc cognitionis prioritatem multum compenſari ex eo quòd Angeli miniſterium tantùm erat illa myſteria ſignificandi ſancto Ioanni: at excellentius eſt hac cognitione & reuelatione accepta, ſancti Ioannis miniſterium, nempe illa autoritas, quæ penes ipſum erat, condendi ſcripturam canonicam, & authenticam, cui omnimoda fides eſſet adhibenda.
E Quæ enim Angelus ſoli Ioanni reuelabat, hæc toti Eccleſiæ S. Ioannes autoritate Apoſtolicâ proponit credenda, tanquam veriſſima, & à Deo reuelata. Voluit enim Deus vt per Apoſtolos Eccleſia reciperet ea, quæ Eccleſia credere aut profiteri debeat. Vnde S. Ioannes de fide adhibenda huic Prophetiæ loquens, ait: *Teſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ eius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Si igitur hæ reuelationes eo fine Angelo fiunt, vt deinde eaſdem S. Ioanni illas reuelet, qui toti Eccleſiæ cum autoritate eas proponat credendas: quæ Angelo reuelanti non crederet, niſi ſanctus Ioannes ſua autoritate eas admitteret &

Digitized by Google

& approbaret, Eccleſiamque certiorem redderet eas non proficiſci à ſpiritu maligno, ſeu ſpiritu erroris, aut mendacij, ſed ab Angelo bono, à Chriſto ad eum miſſo ad hunc finem, vt per Angelum ſciret quæ ipſe toti Eccleſiæ tanquam vera credenda proponeret: Ex his optimè conjicimus quòd Angelus nullam habet dignitatem potiorem, ex eo quòd hæc reuelata illi fuerint, antequam eadem S. Ioanni ipſe reuelaret.

An Angelus plura cognouerit quàm S. Ioannes?

SECTIO. VI.

NON modò exiſtimari poſſet Angelus eſſe Ioanni præferendus, ex eo quòd reuelatio illi priùs facta fuit: ſed etiam ex eo quòd plura ipſi reuelata fuerint quàm ſancto Ioanni. Quod an verum ſit, nobis nunc diſcutiendum eſt.

Quamuis hæ veritates Angelo reuelatæ in magno fuerint numero, non tamen in eo ſunt numero vt capacitatem cognitionis humani intellectus excedant, ſi ea Deus cuiquam reuelare voluerit. Vnde probabile eſt ſanctum Ioannem illas omnes perfectè cognouiſſe. Ratio eſt: quia S. Ioannes à Deo deſtinatus erat, non ſolùm vt annunciaret Eccleſiæ omnes veritates, quas credere debet ad ſalutem, quas omnes Apoſtoli explicitè & diſtinctè cognouerunt perfectiſſimè: quin imo vt Chriſto proximiores pleniùs illas cognouerunt (vt pote qui primitias ſpiritus acceperunt) quàm quilibet ſancti ipſis poſteriores vnquam eas perceperint; ſed inſuper deſtinatus erat, & ad hoc munus deputatus, vt Eccleſiæ annunciaret omnes euentus, quos Deus miniſterio Angelorum in Eccleſia operari debet. Vnde in hoc æqualis eſt Angelo, quia plura non cognouit Angelus eorum euentuum, quàm quæ cognouit ſanctus Ioannes, licèt priùs ea audierit Anhelus à Deo & Chriſto, quàm ſanctus Ioannes ab eodem Angelo.

Quod autem S. Ioannes à Deo fuerit deſtinatus, vt prædiceret, & Eccleſiæ annunciaret omnes euentus in Eccleſia futuros, hoc facilè probari poteſt ex neceſſitate Prophetiæ, qua Eccleſia indiget, ſiue vt plenitudinem ſcientiæ obtineat, & vt nihil conſiliorum ſponſi ipſam lateat, ſiue ob dignitatem & magnitudinem illorum effectuum, qui digni ſunt vt antequam exiſtant manifeſtentur: ſiue denique, vt ad tales euentus videndos ſe præparet ac diſponat, & ex eis maiorem vtilitatem accipiat. His addi poſſunt omnes rationes, quibus probaretur donum Prophetæ eſſe Eccleſiæ neceſſarium, vtiliſſimum, & honorificum. Hanc neceſſitatem ſanctus Paulus ad tria capita potiſſimùm reuocauit, ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem fidelium. *Nam qui Prophetat*, inquit ille 1. ad Corinth. 14. *hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.* Ad hæc enim tria Prophetia ſtrictè ſumpta vtiliſſima eſt: ſicut vtiliſſima eſt omnis doctrina à Spiritu ſancto afflatu, qua fideles ad pietatem excitantur. Et primò, ad ædificationem fidelium prædictio omnium euentuum futurorum, de quibus agitur in hac reuelatione, neceſſaria eſt; tum vt fides firmiùs ſtabiliatur, tum ne fideles falſis ſignis & prodigiis ſeducantur, & à veritatis tramite abducantur.

Has duas rationes tetigit Chriſtus Dominus: primam, prædicens ſuam in cœlo aſcenſionem. Ioan. 14. *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis.* Secundam, Matt. 24. prædicens ea quæ in conſummatione ſæculi ventura ſunt. *Ecce,* inquit, *prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere.* Quæ certè prædictiones Eccleſiam ædificant, dum fidem adſtruunt, & ab erroris periculo illam præſeruant.

Prophetia inſuper neceſſaria eſt ad exhortationem. Hac de cauſa Chriſtus prædixi Apoſtolis ea quæ illos pati oportebat, eoſque ad fortiter omnia ſubeunda ex ſpe promiſſionis victoriæ excitabat. Matt. 10. *Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, &c.* Et paulo poſt: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et paulo poſt: *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, &c.* Similia prædicit pro iis qui futuri ſunt fideles, in conſummatione ſæculi Matt. 24. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, &c.* Et Ioan. 16. *In mundo preſſuram habebitis. Sed confidite: ego vici mundum.* Ac ſi diceret: Cum vobis negotium ſit cum mundo iam viribus fracto, cum eo manus conſerere cur timetis? Abſque vlla diffidentia aut trepidatione audacter cum quolibet ſalutis veſtræ hoſte inſurgite. Tertiò, Prophetia neceſſaria eſt ad conſolationem, vt ſcilicet fideles videntes ea quæ patiuntur, longè antea fuiſſe præuiſa & prædicta, ſpem concipiant proximæ liberationis, & ingentis mercedis mox accipiendæ. Qui enim prædixit aduerſa futura, idem ipſe coronas & præmia prædixit & promiſit.

Hinc Saluator Ioan. 16. Apoſtolis dicebat: *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* His adde ex S. Thoma Prophetiam Eccleſiæ eſſe vtiliſſimam, quia per eam fidei hoſtes conuincuntur, & confunduntur. 2. 2. q. 176. ar. 2. Vident enim infideles ſecretas ſuas cogitationes, & abſtruſiora conſilia propalari, & manifeſtari antequam exiſtunt: ſi quidem nihil eſt occultum, quod non reueletur ab eo, qui nouit abſcondita cordis noſtri.

Itaque quia non ſolùm reuelatio myſteriorum fidei neceſſaria, quæ excellentior fuit & diſtinctior in Apoſtolis, qui Chriſto fuerunt proximiores: ſed inſuper reuelatio eorum, quæ poſſunt eſſe vtilia ad directionem actuum humanorum, pariter neceſſaria eſt. Rectè enim Prouerb. 29. dicitur: *Cum defecerit prophetia, diſſipabitur populus.* Ideo, vt ait S. Th. 2. 2. q. 174. quolibet tempore inſtructi ſunt homines diuinitùs de agendis, ſecundum quod erat expediens ad ſalutem electorum. Et ſicut Apoſtoli pleniùs inſtructi fuerunt de myſteriis fidei, quàm quilibet eorum, qui poſt eos extiterunt: ita proculdubio ij, qui inter Apoſtolos deſtinati fuerunt à Deo, vt per eos Eccleſiam ſuam doceat de euentibus rerum, quæ ad eius inſtitutionem, conſeruationem, & protectionem ſpectant, iſtos euentus vniuerſaliori ampliori, clariori & certiori ratione cognouerunt præ omnibus aliis, quibus poſt eos quædam ſpecialia, & particularia fuerunt reuelata, imo dico eos omnes euentus debuiſſe cognoſcere, quippe qui plenitudinem ſpiritus Prophetici ſeu primitias eius acceperint, ſicut Apoſtoli primitias ſpiritus in cæteris donis acceperunt. Quod enim toti Eccleſiæ deinceps collatum fuit, operante vno & eodem ſpiritu in diſtinctis & diuerſis membris eius, hoc totum Apoſtolis conceſſum fuit, ita tamen vt vnuſquiſque eorum donum aliquod habere potuerit, in quo cæteris antecelleret, ſi à Deo ad aliquod opus ſeu miniſterium ſpecialiùs fuerit deſtinatus, ad quod fideliter exequendum illud donum requireretur. Sic firmitas fidei, inconcuſſa in Petro: laboris & patientiæ tolerantia indefeſſa in diſſeminatione Euangelij in Paulo: ſpiritus Propheticus in Ioanne enituerunt

Digitized by Google

ſpeciali quadam ratione. Quæ plenitudo non ita neceſſaria eſt ſucceſſoribus eorum ſicut neceſſaria fuit his Eccleſiæ fundatoribus, quibus omnia dona videbantur neceſſaria. Vnde S. Paulus 1. ad Corinth. 14. ſe donum linguarum accepiſſe profitetur. *Gratias ago Deo, quòd omnium veſtrum linguis loquor.* Ne quis exiſtimaret illo dono ipſum carere, quia dono linguarum, Propheticum, & interpretationem ſcripturæ præferebat. Sed ſi de his, qui poſt Apoſtolos extiterunt, loquamur; cui donum interpretandi ſcripturam dabitur, non in æquali perfectione illud cum Apoſtolis habebit, qui habuerunt clauem ſcientiæ, & quibus Dominus aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Luc. vlt. Si quis habuerit donum miraculorum, maiora horum quæ ab Apoſtolis facta ſunt non faciet. Ita dico: ſi quis accepit poſt Chriſti aſcenſionem ſpiritum Prophetiæ, illum non obtinebit cum ea plenitudine, in qua illum recepit is qui inter Apoſtolos à Deo deſtinatus eſt, vt per ipſum Eccleſiam inſtruat de his omnibus, quæ futura ſunt. Fuerunt igitur omnia dona gratuita Apoſtolis omnibus collata, vt pote neceſſaria ad executionem miſſionis ipſorum: omnibus datum fuit donum linguarum, interpretationis ſcripturarum, miraculorum, Prophetiæ: ſed qui fuerunt deſtinati ad ſpecialiùs aliquod miniſterium, ad quod exequendum quoddam ex his donis fuerit neceſſarium, is in perfectiori gradu illud accepit. Vnde factum eſt, vt cum S. Ioannes deſtinatus fuerit, vt per eum Eccleſia inſtruatur de futuris, ipſe donum Prophetiæ pleniùs hauſerit de ſacro Dominici pectoris fonte, quàm cæteri Apoſtoli, qui illo dono etiam præditi fuerunt, vt patet in Petro, & Paulo, qui in Epiſtolis ſuis multa dicunt de fine & conſummatione mundi, & aduentu Anti Chriſti.

Dices: Firmitas fidei æquè neceſſaria eſt ſucceſſoribus Petri, ac fuit ipſi neceſſaria: ergo falſum eſt quod dixiſti plenitudinem doni non eſſe æque neceſſariam ſucceſſoribus, ſicut fuit neceſſaria Apoſtolis. Reſpondeo hanc firmitatem reuera eſſe æquè neceſſaria ſucceſſoribus Petri, quoad dignitatem eorum, & reuera recidere cum eadem plenitudine in ſucceſſoribus, hoc neceſſarium eſt pro fælici regimine Eccleſiæ: ſed non quoad perſonam: vnde quidam Pontifices poſſent à fide excidere, vel ſaltem aliquid agere contra fidei firmitatem, vt Marcellinitus, qui thus adoleus idolis, quod poſt conuerſionem Petri ipſi accidere non potuit in fide confirmata. Vnde abſque temeritate dici poteſt nullum Pontificem poſt Petrum eadem firmitate præditum fore, qua præditus fuit Petrus poſt eius conuerſionem, & in gratia confirmationem: quæ plenitudo erat valde neceſſaria in primo fundatore Eccleſiæ poſt Chriſtum. Duo igitur aſſero; primum, omnes Apoſtolos tanquam Eccleſiæ columnas, ſeu Eccleſiæ fundatores debuiſſe cognoſcere præcipuos Eccleſiæ proceſſus & euentus in ea futuros, de quibus planè videntur edocti à Chriſto, dum poſt reſurrectionem per quadraginta dies apparens eis ipſis loquebatur de regno Dei, Act. 1. Quod proculdubio intelligendum eſt de regno illo viſibili in terris: quod probabile redditur ex interrogationibus factis poſtmodum Chriſto ab iis qui conuenerant: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Secundo aſſero fuiſſe aliquem à Deo inter illos electum, cui omnes illi euentus ſpeciali ratione reuelarentur, & cui mandaretur vt eorum reuelationem Eccleſiæ traderet, ſicut ſpeciali ratione ordinatum fuit à Deo ab antiquis diebus, vt per os Petri gentes audirent verbum Dei, & crederent.

Primum videtur certum: quia plenitudo ſpiritus illis data eſt, prout exigebat, illorum particularis

A ſanctificatio, miniſterium, & Apoſtolorum munus & inſtitutio, ac fundatio legis Euangelicæ, cui hoc priuilegium in primis ſæculis Eccleſiæ conceſſum denegari non debuit: vt ij qui ſub lege Euangelica Deo ſeruire ſtudent, moneantur de notabilioribus mutationibus, rerumque ſucceſſibus Eccleſiæ obuenturis, vt vnuſquiſque fidelium pericula præuidens, apud ſe ſtatuat, quomodo ſe gerat in his rerum viciſſitudinibus, ne à fide deficiat, aut à charitate Chriſti ſeparetur. Quod ſi dicas ſufficere vt in cunctis ſæculis ſibi inuicem ſuccedentibus, Prophetæ quidam ſuſcitari potuerint; nec opus fuiſſe, vt hi omnes euentus ab initio, Eccleſiæ fundatoribus aut cæteris fidelibus no-
B tificarentur. Reſpondeo conuenientius videri dignitati miſſionis Apoſtolicæ, quia immediatè Chriſtus Apoſtolos & elegit, & miſit in mundum prædicare Euangelium omni creaturæ, vt eis Deus omnia inſigniora euenta reuelaret, quàm ſi tantùm partem aliquam eorum cognoſcerent; vt ſic cum maiori alacritate ad opus tam arduum ſeſe accingerent; ſcientes quem ſucceſſum, & exitum tandem eorum labor ſortiretur. Et ſicut Prophetæ ſub lege veteri collectiuè ſumpti cognouerunt quidquid fuit neceſſarium ante incarnationem pro Eccleſiæ regimine, illudque prædixerant iuxta exigentiam & neceſſitatem fidelium; Pari ratione Apoſtoli ſcire debuerunt ea omnia, quæ ad ſtatum legis Euangelicæ pertine-
C bant: ſiquidem illius eſſe debebant inſtitutores. Hinc Paulus nos ſuperædificatos ait *ſupra fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Epheſ. 2. itaut ſi qui Prophetæ poſtea à Deo ſuſcitentur, qui quaſdam circumſtantias euentuum, aut particulares quoſdam euentus prædicere debeant, pro directione actuum fidelium; qualis fuit Agabus, qui prædixit famem ſub Claudio Imperatore futuram, & ſancti Pauli alligationem in Ieruſalem, & incarcerationem. Illorum Prophetiæ autoritatem ſibi conciliare poſſunt ex iis quæ Apoſtolis reuelata fuerunt, ſicut omnia documenta fidei fundantur ſupra doctrinam, & fidem Apoſtolorum, vt ſic verè dicantur Apoſtoli fundamenta
D omnium veritatum, quæ à Deo fuerunt reuelatæ, ſiue ad informationem fidei noſtræ, ſiue ad directionem actionum humanarum. Fauet S. Thom. 2. 2. q. 74. ar. 6. *In ſtatu*, inquit, *legis, prima reuelatio facta Moyſi excellentior fuit, ſupra quam fundatur omnis alia Prophetarum reuelatio. Ita etiam in tempore gratiæ, ſuper reuelatione facta Apoſtolis de fide vnitatis & Trinitatis, fundatur tota fides Eccleſiæ, ſecundum illud Math 16. Super hanc Petram, ſcilicet confeſſionis tuæ, ædificabo Eccleſiam meam. Quantum verò ad incarnationem Chriſti, manifeſtum eſt quòd quantò fuerunt Chriſto propinquiores, ſiue ante, ſiue poſt, vt plurimum, pleniùs de hoc inſtructi fuerunt; poſt tamen pleniùs quàm ante, vt Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3. Quantùm verò ad directionem*
E *humanorum actuum, prophetica reuelatio diuerſificata eſt, non ſecundum temporis proceſſum, ſed ſecundum conditionem negotiorum: quia, vt dicitur prouer. 29. Cum defecerit prophetia, diſſipabitur populus. Et ideo quolibet tempore inſtructi ſunt homines diuinitùs de agendis, ſecundùm quod erat expediens ad ſalutem electorum.* Ita S. Thom. Eſto ſingulis temporibus non defuerint aliqui Prophetiæ ſpiritum habentes, non quidem ad nouam fidei doctrinam depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem, tamen certiſſimum eſſe videtur nullis poſt Apoſtolos hoc donum excellentiori modo fuiſſe conceſſum, quàm ipſi habuerint; vt ſicut ipſi fuerunt fundamenta totius doctrinæ fidei, ita ſint fundamenta totius directionis fidelium. Quod veriſimilius redditur ex eo, quod nullus poſt Apoſtolos ſuſcitatus eſt Propheta, qui ab Eccleſia fuerit

Digitized by Google

fuerit recognitus & acceptus, veluti à Deo ſpecialiter deputatus, vt in vniuerſum prædiceret ea quæ ad vniuerſale regimen Eccleſiæ pertinent, cuius Prophetias Eccleſia ſuſceperit, tanquam aliquam ſcripturam diuinam; quas propterea vniuerſis fidelibus credendas fide diuina tanquam à Deo reuelatas proponeret. Hoc enim non eſt neceſſarium, quia Deus per Apoſtolos ſufficienter Eccleſiam docuit de iis quæ facienda ſunt, vt actiones hominum optimè ad ſuum finem dirigantur; itaut ſi qui dono Prophetiæ præditi reperiantur, hoc non reſpicit vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum, ſed tantùm particulares quaſdam perſonas, aut ſpecialia quædam negotia: vel ſaltem vt fideles attendant ad ea, quæ iam prædicta fuerunt, quorum executio imminet. Et ſic B Eccleſia aliquas Prophetias admiſit, non eis autoritatem dando, qualem habent ſacræ ſcripturæ, de quibus ait S. Petrus quòd *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*; ſed tantùm declarauit eas nihil abſurdi continere, aut fidei contrarium, aut bonis moribus noxium; ſed tales eſſe quibus poſſit pietas promoueri, & Dei timor conciliari. Sic probatæ ſunt reuelationes S. Birgittæ, & S. Hildegardis viſiones & ſcripta examinare fecit Eugenius tertius, eaſque probauit, & per litteras & conceſſit vt ſcriptis mandaret quod ſibi Spiritus ſanctus inſpirare dignabatur vt refert Cardinalis Baronius, an. 1148.

Fuiſſe autem vnum ex Apoſtolis ſpecialiter à Deo electum vt Eccleſiæ conſignaret omnia illa myſteria, ſeu omnes illas Eccleſiæ viciſſitudines futuras, & inſigniores euentus, quorum cognitio erat neceſſaria, vt fideles habeant ex præuiſione futurorum, quæ neceſſaria & vtilia ſunt ipſis, ad eorum ædificationem, exhortationem & conſolationem, ſeu ad directionem eorumdem in omnibus ſuis actionibus, ac pietatis exercitiis, patet in B. Ioanne, ad quem miſſus eſt Angelus, iuxta illud c. 1. *Et ſignificauit mittens per Angelum ſeruo ſuo Ioanni.* Et ex cap. 22. *Ego Ieſus miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* Eſſe autem hanc reuelationem illi datam pro directione Eccleſiæ manifeſtum eſt ex his verbis cap. 1. *Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt.* Et ex cap. 22. *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ huius.* Et ne in dubium reuocari poſſet ipſum Ioannem à Deo fuiſſe ad hoc munus electum, & deſtinatum, vt per eum Eccleſia inſtrueretur de inſignioribus euentibus, qui ſæculis decurrentibus futuri erant in Eccleſia, addit S. Ioannes: *Et ego Ioannes, qui audiui & vidi hæc.* Cui ſcilicet in principio dictum fuerat: *Quod vides ſcribe, & mitte ſeptem Eccleſiis c. 1.* vt ſcilicet Apoſtolica autoritate Eccleſiæ traderet omnem illam futurorum cognitionem, quæ ipſi neceſſaria erat ad meliorem directionem fidelium in finem à Deo intentum. Illa autem dedit ſub quibuſdam figuris ſymbolis, & ænigmatibus, ſeu ſub quadam Prophetica obſcuritate, propter rationes in prologo operis allatas; quæ ænigmata pedetentim aperit & explicat, prout expedit ſaluti fidelium & Eccleſiæ gubernationi. Et cum Chriſtus dicat ſe, tam in primo capite quàm in vltimo, α & ω, principium & finis, docere voluit in hac Prophetia manifeſtari tum Eccleſia incunabula, & primordia, tum fælicem exitum omnium quæ in ea peragenda, & perficienda ſunt. Et cum ab vno extremo ad aliud non fiat tranſitus non tranſacto medio, ſi docere voluit Eccleſiæ crepundia, eiuſque conſummationem, & ætatem perfectam; certè ea etiam quæ contigerunt, vt ad ætatis huius plenitudinem perueniret, non omiſit: Et ſic de omnibus mutationibus, viciſſitudinibus, & inſignioribus euentibus per ſanctum Ioannem Eccleſiam ſuam edocuit.

A Hinc ait Ioanni: *Scribe ergo quæ vidiſti*, in initio ſcilicet Eccleſiæ, *Et quæ ſunt*, in quolibet eius progreſſu, *Et quæ futura ſunt*, poſt vnum quemque ſtatum, qui in hac Prophetia prædicitur, vſque ad vltimum nempe beatitudinis aut reprobationis æternæ finalem ſtatum poſt iudicium. Si igitur S. Ioannes ſit is, cui à Deo datum eſt hoc munus præuidendi & prædicendi ea, quæ in Eccleſia gerenda ſunt; nec plura Angelo reuelata fuerunt quam ipſi S. Ioanni, cui ob Apoſtolorum munus & officium omnia notificanda fuerunt; patet ipſum eſſe Angelo æqualem, & meritò eius adorationem Angelum non admiſiſſe: quia ſciebat Angelus omnia quæ reuelata ſibi fuerant eſſe etiam B. Ioanni notiſſima.

An ſaltem excellentiori modo Angelus cognouerit ea, quæ futura ſunt, quàm ea cognouerit ſanctus Ioannes?

SECTIO VII.

DICO primò certum eſſe Angelos excellentiori modo cognoſcere ea, quæ ipſis à Deo reuelantur, quàm ea cognoſcere valeant in præſenti vita Prophetæ. Vnde B. Petrus 2. c. 1. ſermonem Propheticum comparat lucernæ lucenti in caliginoſo loco, quæ caligo non inuenitur in ſtatu beatitudinis. Et reuera quantò proximiùs aliquid ſuum at- C tingit principium, tanto maiorem adipiſcitur perfectionem. At beati propinquiores ſunt Deo primæ cauſæ reuelanti, quàm ſint adhuc viatores: quia diuinam eſſentiam vident: quæ viſio maiorem & intenſiorem certitudinem futuri euentus ingerit, quàm ſi adhuc illum effectum viderent in caligine Propheticæ reuelationis. Clarior eſt enim illorum viſio quàm viatorum, & ideo certior. Nam, vt ait ſanctus Thomas 2. 2. q. 174. ar. 5. *prophetia importat viſionem. Quamdam alicuius ſupernaturalis veritatis, vt procul exiſtentis. Quod quidem contingit dupliciter; vno modo ex parte ipſius cognitionis, quia videlicet veritas ſupernaturalis non cognoſcitur in ſeipſa, ſed in aliquibus ſuis effectibus. Et adhuc erit magis procul ſi hoc fit per figuras &* D *ſimilitudines corporalium rerum, quàm per intelligibiles effectus. Et talis eſt maximè viſio prophetica, quæ fit per figuras & ſimilitudines corporalium rerum. Alio modo viſio eſt procul ex parte ipſius videntis, qui ſcilicet non eſt totaliter in vltimam perfectionem adductus, ſecundùm illud 2. ad Corinth. 5. Quamdiu in corpore ſumus, peregrinamur à Domino. Neutro autem modo beati ſunt procul: vnde non poſſunt dici Prophetæ.* Ita S. Thom. Omni igitur ſemota caligine, vident Angeli beati cum maiori claritate & certitudine, ea quæ ipſis reuelantur ſiue mediatè ab Angelis ſuperioribus, ſiue immediatè à Deo; nec ea vident vt procul exiſtentia, dum effectus iſtos vident in diuina eſſentia, ac ſi iam exiſterent: ſiquidem in Deo, apud quem nul- E la eſt differentia temporis præteriti, præſentis, & futuri, & cuius æternitas coëxiſtit omnibus temporum differentiis & momentis, iſtos ſpeculantur effectus qui à nobis viatoribus tanquam procul exiſtentes videntur: quia ea tantum cognoſcimus ſub figuris & ſymbolis quia obſcura & caliginoſa eſt noſtra cognitio, ſed etiam quia duratio noſtra intrinſeca menſuratur extrinſeca duratione, extrinſeco motu orbium cœleſtium: quo fit vt quæ ſucceſſiuè fiunt ſecundùm reuolutiones orbium cœleſtium, tanquam quid procul poſitum, ſeu poſt longiora tempora futurum proſpiciamus.

Aliud igitur eſt videre veritatem ſupernaturalem rerum omnium cauſam, per viſionem beatificam; aliud eſt ſcire ab ea dimanaturum eſſe aliquando aliquem effectum, per reuelationem. Aliud eſt vide-

Digitized by Google

re ipſos effectus in ſeipſis, & in eorum futuritione; aliud eſt illos intueri ſub quibuſdam ſymbolis & ænigmatibus. Aliud eſt cum imperfecta cognitione aliquid apprehendere; aliud eſt rem aliquam cognoſcere, ſecundum omnem cognoſcendi capacitatem cum maxima claritate & certitudine. Vnde patet excellentiori modo Angelos cognoſcere futura, quàm poſſint cognoſci à viatoribus. Nam, vt ait S.Thom. 2. 2. q.174. ar. 5. ad ſecundum, *Angelis fit reuelatio diuina, non ſicut procul exiſtentibus, ſed ſicut iam totaliter Deo coniunctis.* Ita S. Thom. At nos in corpore adhuc exiſtentes peregrinamur à Domino: quò igitur clariùs artificem, & opificem, & principium omnium rerum Angeli cognoſcunt, eò magis ſunt de effectu certiores.

Nam ſi aliquando de peritia alicuius artificis certiores, (cuius peritiam nouimus ex multis artificiatis ab eo factis) audiremus ipſum artificem aliquod opus excellentiſſimum eſſe fabrefacturum, facilè crederemus talia dicenti: ita cum Deus Angelis reuelat aliquod opus in tempore producendum, abſque vlla cunctatione ſciunt illud opus futurum infallibiliter, quia vident ipſius operis autorem eſſe ſapientiſſimum, & omnipotentem, & illud opus illis eſt ac ſi iam eſſet factum. Nam, vt dictum eſt, apud Deum nulla eſt temporum differentia, qui omnibus temporum differentiis coexiſtit: nihil ante ipſum de nouo fit, qui nunquam veteraſcit, ſicut nec vnquam iuuenis fuit: cuius bonitas infinita, exhauriri non poteſt, cuius potentia nullis coërcetur limitibus, cuius ſapientia comprehendi nequit, cuius iuſtitia ad omnia ſe extendit. Vident inſuper res non ænigmate inuolutas, ſed vt vel exiſtunt, vel exiſtere poſſunt in ſeipſis. Vident illas lumine gloriæ permanenti, non raptim lumine aliquo tranſeunte: vnde optimè docet S. Thom. quod Angelus, cum ſit comprehenſor, eſt ſupra Prophetam, qui eſt purus viator.

Ex his clarum quòd etſi Ioannes æqualis ſit Angelo in miniſterio illuminandi ſcilicet Eccleſiam, eamque edocendi de his quæ ventura ſunt, tamen ipſi inferior eſt in excellentia ſeu modo cognitionis, videlicet modo quo S. Thomas fatetur ſacram virginem Angelis eſſe inferiorem, quantùm ad ſtatum præſentis vitæ, quamuis ipſis eſſet ſuperior quantùm ad dignitatem, ad quam diuinitus erigebatur 3. q. 30. ar. 2.

His ita deductis, nihilominus dico iuſta de cauſa Angelum ſe ſancti Ioannis conſeruum indigitare, in hac prædicendi res futuras materia: nec voluiſſe admittere adorationem S. Ioannis, etſi reuera in modo cognitionis Ioannem præcellat. Quod vt intelligamus, Notandum eſt quod ad cognitionem intellectualem hominis duo requiruntur, primò acceptio ſpecierum rerum cognoſcendarum, ſeu earumdem repræſentatio: ſecundo iudicium de obiectis hoc modo repræſentatis in mente. Vnde in Prophetia quatuor conſideranda ſunt, primò lumen intelligibile, id eſt, irradiatio ſupernaturalis & diuina, qua immediatè Spiritus ſanctus, mentem Prophetæ illuſtrat, illud lumen infundendo per ſe, nullo adhibito medio, quod interponatur inter ſpiritum diuinum, ſeu increatum, & ſpiritum creatum & humanum. Secundum eſt, immiſſio ſeu infuſio ſpecierum intelligibilium, quæ menti imprimuntur, qualis fuit ſcientia infuſa in Salomone, & in Apoſtolis. Tertium eſt, impreſſio nouorum phantaſmatum, vel ſaltem certa quædam ordinatio eorum, quæ iam in phantaſia impreſſa ſunt: ſeu eorumdem vſus, & applicatio ad aliquid menti objiciendum, vt ad intellectionem certam determinati per conuerſionem ad iſta phantaſmata valeat. Quartum eſt,

A expreſſio quædam ad extra aliquarum formarum ſenſibilium, quibus mens ſeu intellectus excitari poteſt ad inuiſibilia quædam concipienda. Primum nempe lumen illud intellectuale, à Spiritu ſancto immediatè infuſum, neceſſarium eſt vt mens veraciter & efficaciter iudicet de his, quæ ſibi objiciuntur, ſeu repræſentantur. Tria alia neceſſaria ſunt ad rem objiciendam ſeu repræſentandam: quæ repreſentatio fit tribus modis.

Primò, aliquando illa repreſentatio reſultat ex formis, ſeu phantaſmatibus iam impreſſis, cum intellectus agens per lumen Propheticum corroboratur, vt ea phantaſmata eleuet ad producendam ſpeciem intelligibilem, ſeu ſimilitudinem & repræſen-
B tationem veritatis cuiuſdam rei futuræ, reſpectu noſtri. Etenim ex his formis & phantaſmatibus ſic eleuatis per conuerſionem ad illa, veritas aliqua menti objicitur, modo tanto ſubtiliori & ſublimiori, quantò illuſtratio illa intellectus agentis fit per lumen altioris ordinis & dignitatis. Secundò, illa repræſentatio fieri poteſt per noua phantaſmata, nouaſque ſpecies intelligibiles à Deo immediatè procreatas & productas, & menti ſeu phantaſiæ impreſſas. Vnde dixit S. Thomas 1. q.111. ar. 2. in corpore articuli: *Neque alicui debet eſſe dubium, quin Deus immediatè hominibus aliqua reuelare poſſet, non mediantibus Angelis; & ſuperiores Angeli non mediantibus inferioribus.* Ita S. Thom. Tertius modus eſt per mini-
C ſterium Angelorum, ſiue proponendo intellectui humano veritates, ſub quibuſdam ſpeciebus ſenſibilibus: ſiue confortando actionem intellectus humani per actionem intellectus Angelici, vt docet S. Thom. 1. q. 111. ar. 1. *Intellectus*, inquit, *humanus non poteſt ipſam intelligibilem veritatem nudam capere, quia connaturale eſt ei vt intelligat per conuerſionem ad phantaſmata. Et ideo intelligibilem veritatem proponunt Angeli hominibus, ſub ſimilitudinibus ſenſibilium, ſecundùm illud quod dicit Dionyſ. 1. capit. cæleſtis Hierarch. quod impoſſibile eſt aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum. Ex alia verò parte intellectus humanus tanquam inferior fortificatur per actionem intellectus Angelici; & ſecundum hæc duo,*
D *attenditur illuminatio, qua homo illuminatur ab Angelo.* Ita S. Thom. Ad hunc modum tertium reducere debemus quæ docet S. Thom. 1 p. q. 111. ar. 3. & 4. nempe art. 3. Angelum poſſe mouere imaginationem hominis: nam cum ea, quæ poſſunt cauſari ex motu locali aliquorum corporum, ſubſint virtuti naturali Angelorum; certumque ſit apparitiones imaginarias interdum cauſari in nobis ex locali mutatione corporalium ſpirituum, & humorum: ſiue in ſomno, cum animali dormiente, deſcendit plurimus ſanguis ad principium ſenſitiuum, & ſimul cum eo deſcendunt motus ſeu impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſpiritibus ſenſualibus conſeruantur, & mouent principium
E ſenſitiuum, ita quod ſit quædam apparitio, ac ſi tunc principium ſenſitiuum à rebus ipſis exterioribus mutaretur. In vigilia autem, quia tanta poteſt eſſe commotio ſpirituum & humorum, quòd huiuſmodi apparitiones etiam vigilantibus fiunt, ſicut patet in phrenetico. Sicut igitur hoc fit per naturalem commotionem humorum, & quandoque etiam per voluntatem hominis, qui voluntariè imaginatur quod prius ſenſerat; ita etiam hoc poteſt fieri virtute Angeli boni vel mali, quandoque quidem cum alienatione à corporeis ſenſibus, quandoque etiam abſque tali alienatione; nec tamen Angelus imprimere poteſt aliquam formam imaginariam nullo modo per ſenſum prius acceptam: non enim poſſet facere quod cæcus imaginaretur colores. Quandoque autem Angelus cauſans aliquam imaginariam

Digitized by Google

viſionem, ſimul intellectum illuminat, vt cognoſcat quid per huiuſmodi ſimilitudines ſignificetur; quandoque vero per operationem Angeli ſolummodo ſimilitudines rerum apparent in imaginatione. Poteſt denique, vt docet ar. 4. Angelus ſenſum hominis immutare, vel objiciendo ſenſui aliquod ſenſibile exterius, vel à natura formatum, vel aliquod de nouo formando, ſicut facit dum corpus aſſumit: ſimiliter poteſt interiùs commouere ſpiritus & humores, ad varias ſenſus apparitiones, ex quibus perinde ſenſus diuerſimodè immutentur.

Si de hoc tertio modo loquamur, proculdubio ſemper Angeli ſunt hominibus ſuperiores, quia ſuas reuelationes accipiunt per miniſterium Angelorum, iuxta ordinem à Deo præſcriptum, vt per prima & ſuperiora regat inferiora. Vnde dixit S. Dionyſ. c. 4. de cæleſti Hierarchia, quòd *diuinas viſiones glorioſi patres noſtri adepti ſunt per medias cæleſtes virtutes.* Ita Dionyſ. Si autem aliquando Deus immediate aliquid hominibus reuelare voluerit, in eis phantaſmata procreando, ſpecies intelligibiles imprimendo, lumen Propheticum infundendo; in quantum ea immediatè accipiũt à Deo, aut à Chriſto Domino, in eo aliqua ratione Angelis æquiparantur. Et hac de cauſa Angelus ſciens multa fuiſſe ſancto Ioã. immediatè à Deo reuelata, qui Chriſtum audierat, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuerat, qui lumen Propheticum immediatè à Deo acceperat, vt intelligeret omnia ænigmata & ſymbola, ſub quibus illi ſignificabat ex parte Chriſti res futuras, quos toti Eccleſiæ proponebat ſuo tempore aperiendas: illum agnoſcit conſeruum, & quodammodo æqualem in modo cognoſcendi res futuras, nempe per lumen à Deo immediatè infuſum. Vnde & ſanctus Ioannes dicebat: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, & oculis noſtris perſpicimus, Et manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt. Et vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Igitur Angelus agnoſcit.* Miniſterium S. Ioannis, vt immediatè à Chriſto inſtitutum, ſuo miniſterio æquiparari, & quia vnum & eundem habebunt Dominum, cui ſeruiebant, ideo adorationem conſerui non admittit, ſed ad communem Dominum adorandum piè ac modeſtè prouocat.

An cognitio futurorum magis pertineat ad dignitatem naturæ Angelicæ, quàm ad homines?

SECTIO VIII.

DVOBVS modis poteſt conſiderari cognitio futurorum, vel ſecundum ſe, vel vt à Deo datur vt hominibus manifeſtetur: Si priori modo, abſtrahit omnino à dignitate cuiuſlibet creaturæ: dependet enim omnimodè, pure & ſimpliciter, à gratuita Dei voluntate, qui ſua decreta, ſuaſque voluntates declarat & manifeſtat cuicumque voluerit, nec vlla lege aſtringitur vt potiùs huic creaturæ rationali, quàm alteri eas manifeſtet. Vnde ſicut dignitas naturæ Angelicæ non obtinuit apud Deum vt cum ea verbum Dei hypoſtaticè vniretur, ſed homines non Angelos apprehendit, pura & gratuita voluntate: ita excellentia naturæ Angelicæ non poteſt adſtringere maieſtatem Dei, vt ſua ſecreta potiùs communicet Angelis quàm hominibus. Si tamen ſecundo modo cognitionem futurorum conſideremus, quia ordo diuinæ prouidentiæ talis eſt, vt per Angelos homines illuminentur, iſta cognitio potiùs ad Angelos pertinere videtur quàm ad homines. Sed quia poſſet Deus hominibus eadem reuelare immediatè abſque miniſterio Angelorum ſi vel-

A let: hoc gratuitum munus à Deo ſe accepiſſe liberè agnoſcit Angelus, dum ait: *Conſeruus tuus ſum.* Ac ſi diceret: in tuo modo Deo obſequium præſtas, dum de Chriſto teſtimonium reddis, ſicut cæteri Prophetæ, quibus Prophetiæ ſpiritus datus eſt, vt reddant de Chriſto fidele teſtimonium. Ego meo modo, Deo obſequium exhibeo, dum ea ſigna ſeu ſymbola iuxta munus mihi iniunctum tibi repræſento. Conſerui igitur ſumus. Ne me adores igitur, ſed illum, cui & ego & tu obſequium præſtamus. *Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ.* Si Deo gloriam & honorem defero, dum pro vtilitate Eccleſiæ iſta tibi repræſento, quo-
B rum ſignificatio gloriam Ieſu manifeſtat: certè illi teſtimonium reddunt qui Euangelium annunciant, quod vel ab ore eius audierunt, vel à Spiritu ſancto edocti didicerunt. Et ſic omnes ſerui Chriſti ſumus, ad virus gloriam manifeſtandam hominibus, hæc omnia tam tibi quàm mihi reuelata fuerunt, vt ſciat omnis Eccleſia, quid de Chriſto ſaluatore credere prædicare, & annunciare debeat, & quem honorem ſibi comparauit, vt exaltetur nomen eius ſupra omne nomen dum mori voluit in cruce. Deum igitur adora, qui tantum honorem Eccleſiæ tribuit, vt tam glorioſum habeat ſponſum, cui ſit cum Patre & Spiritu ſancto honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

C *Et vidi cælum apertum. Et ecce equus albus. Et qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax: & cum iuſtitia iudicat & pugnat.*

Scopum huius ſchematis eſſe aſſerimus manifeſtationem regiæ dignitatis Chriſti Domini in Eccleſia, cuius magnitudo hîc deſcribitur iuxta finem à Spiritu ſancto intentum in hac Prophetia.

Dixerat ſanctus Ioannes: *Teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ.* Ac ſi diceret: Quidquid Prophetis Spiritus ſanctus ſuggerit & inſpirat, eſt vt de Chriſto fidele reddant teſtimonium. At ne exiſtimetis
D hanc meam Prophetiam ab aliorum fine & ſcopo aberrare, ſub pulchro ſchemate conceſſum eſt mihi percipere quidquid de gloria Chriſti Prophetæ vnquam potuerunt diſſerere, & quidquid ex his omnibus, quæ in hac reuelatione ſignificantur poteritis conjicere. Igitur tam ex præcedentium Prophetiarum, quàm ex iſtius ſpecialis reuelationis conſideratione, apparebit qualis & quantus ſit Ieſus Saluator & Redemptor noſter.

Siquidem fidelis eſt in promiſſis, verax in verbis, iuſtus in decretis & mandatis ſuis, inflexibilis æquitatis in ſuis iudiciis, ſapiens & perſpicax in conſiliis vt verum à falſo diſcernat. Quæ optimæ qualitates & conditiones magnum Principem & Monarcham
E potentiſſimum maximè decent, ad quem tot regnorum pertineat gubernationem, vt caput habeat multis coronis & diadematibus decoratum; ad quem pertineat inſuper quædam poteſtas eminentioris excellentiæ ſupra omnia, quo fit vt ipſe ſolus magnitudinem dominationis, & gloriæ ſuæ comprehendat. Cuius poteſtatis vſus non in vanis aut nociuis ſtudiis, negotiis ſeu auſis occupatur, ſed in rebus ſolidis neceſſariis, vtilibus, proficuis totus eſt. Alios Reges & potenti ſæculi non imitatur, apud quos ſi quæ ſit poteſtas aut autoritas, tota impenditur in aliorum perniciem & oppreſſionem: at iſ optimus Monarcha quicquid poteſt hoc totum inſumi in redemptionem captiuorum, ſeu eorum qui gemunt ſub oppreſſione ferociſſimi & implacabilis tyranni & hoſtis; & pro illis ſtrenuè & generosè dimicat, itaut

Digitized by Google

hec ſanguinem proprium pro iis redimendis à capti- A uitate peccati, mortis, & dæmonis, profundere pertimeſcat. Illoſmet vidi tanquam copioſos quoſdam exercitus ipſum ſequentes, eos inquam, qui in libertatem vocati, & in ſanguine eius dealbati ſequebantur eum.

In equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo, veſtigiis ipſius ſtudioſè inſiſtentes.

Nec de his ſubire debet aliqualis admiratio, aut animi ſtupor, quamuis prodigioſi ſint effectus & actus, & inſignes victoriæ tam potentis Principis. Hic enim Rex & Monarcha, tot victoriarum compos, nullus alius eſt quàm ipſummet Dei verbum, per quod omnia facta ſunt, & per quod omnia debent etiam reſtaurari, & reparari. Qui ſicut eſt Pa- B tris æterni verbum internum, vt ad extra operetur, ex ore exerit externum quoddam verbum, ad modum gladij cuiuſdam ancipitis, per quod quidquid vult fæliciter exequitur. Gladius ille vtraque parte acutus, itaut illius vim, & efficaciam ſentiant & experiantur & boni, & mali; boni, nam dum illo percutiuntur, gladio, ab eis omnis abſcinditur error, præſcinditur mendacium, malitia extirpatur, peccatum interimitur, & præſciſſis his malis ad Deum conuertentur, illiuſque ſermonis erunt ſeduli obſeruatores. Amoris enim diuini vulnere languentes, nihil obmittent faciendum ex his quæ præſcripſerit. *Si quis*, inquit ille Rex potentiſſimus, & plurimùm diligendus, *diligit me, ſermonem meum ſer-* C *uabit*. Mali autem hoc gladio percutientur, comminationibus verbi terrefacti, à Deo per illud verbum proſtrati & deiecti: ſic reget ſuos ſubditos in virga ferrea, & inflexibili quadam iuſtitia, dum quoſdam contritione & dolore peccatorū attriti ad ipſum conuertentur, & ſub potenti manu eius humiliabuntur; alios autem obſtinatiores conteret contritione præualida, & in cinerem & puluerem rediget, vt in puluerem redacti, à facie venti iracundiæ eius auferantur à terra, & in æterna detrudantur & projiciantur ſupplicia. Hoc modo victor & triumphator apparebit, tum peccati, illud extirpando, propriis laboribus & pœnis quas tolerare non dubitabit: tum mortis, illam ſuppeditando & tollendo è D medio; tum dæmonis, quem ſupplantabit; tum inferni, ſuos ab eius faucibus eripiendo, & in illum detrudendo hoſtes, & contumaces, qui à pœnis & ſuppliciis ab eo infligendis eximi vnquam nequibunt. Hac de cauſa, pro inſignibus ſeu notis trophæorum, & victoriarum maieſtatis ſuæ potentiſſimæ, habebit in veſtimento ſcriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Veſtimentum namque & purpura regis huius eſt congregatio omnium fidelium, qui eum circumdant, quibus veſtitur, in quantum ipſi in actionibus & conuerſationibus ſuis teſtantur quo honore, cultu & obſequio dignus ſit. Vnde ex obedientia, quam illi exhibent, clarè apparebit ipſos illum habere pro rege & ſupremo Domino. E At cum ſit Rex ſæculorum, cuius dominatio eſt in generationem & generationem, hac de cauſa in femore (per quod vis generandi deſignatur) habet adhuc ſcriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Hoc ſchema præſtantiſſimum virtutis & poteſtatis inunctiſſimi Regis, vſus & vtilitatis ipſiuſmet poteſtatis: tum etiam eorum, qui ipſum ſequuntur, operum miſericordiæ & iuſtitiæ eius in bonos & in malos, inſignium trophæorum ipſius, ac ſupremæ illius Dominationis & Maieſtatis. Et cum iſta omnia ex his, quæ in hac reuelatione continentur, appareant, meritò dictum fuit teſtimonium Ieſu eſſe ſpiritum Prophetiæ, & huius maxime. Sed iſta omnia ſigillatim veniunt diſcutienda.

Et vidi. Et ecce cælum apertum.

Manifeſtatio dignitatis Regiæ Chriſti.

ANNOTAT. XXVIII.

Quid ſit cælum aperiri?

PER cœlum hic Eccleſiam militantem intelligo, quæ operta eſt & clauſa, cum in ſecreto tantùm & in abſcondito, ſponſo obſequium & cultum exhibere cogitur. Sic durante graui perſecutione, Eccleſia fugit in deſertum, & ſolitudines: & in cryptis & ſpeluncis Deo ad tempus cultum exhibuit. Sic cœlum videbatur clauſum reſpectu nationum & gentium, cum palam non audebant Apoſtoli gentibus Euangelium nunciare: Vnde cum audiſſent qui erant ex circumciſione quòd gentes recepiſſent verbum Dei, reuerſo Petro Ieroſolymam, diſceptabant aduerſus eum, dicentes: *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Act. 11. At apertum eſt cœlum, cum poſt Spiritus ſancti deſcenſum liberè Iudæis prædicarunt Chriſtum. Apertum eſt cœlum, cum Petrus vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam linteum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpenti terræ, & volatilia cœli, & dictum eſt ei: *Surge, Petre, & occide, & manduca*; & ſignificatum eſt ei tempus aduenisse prædicandi Euangelium omni creaturæ, gentibus & Iudæis; quia gentibus ſicut & Iudæis dabat Deus pœnitentiam ad vitam. Sic apertum eſt cœlum, cum palam & apertè ſub Conſtantino magno & oratoria conſtructa, & templa erecta, & altaria conſecrata. In hoc ſenſu dico Eccleſiam militantem quaſi clauſam, & in latebris deliteſcentem fuiſſe, quandiu ſenſibili ratione cunctis non potuit eſſe conſpicuum, quantum honoris, & dignitatis & gloriæ Chriſto obueniret ex omnibus piis illius exercitiis, & ſacris functionibus.

Quod reuera plenè non fit, niſi poſtquam Eccleſia ſuis omnibus miniſteriis functa fuerit, donec enim omnia compleuerit, latet ſemper aliquid de Chriſti gloria & maieſtate ſuprema cognoſcendum. Quod ſignificatum eſt in his verbis cap. 15. *Et impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei, & de virtute eius. Et nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.* Ac ſi diceret: Nemo poterat videre Eccleſiam aperte Chriſtum glorificantem, & eius maieſtatem, quanta ſit, demonſtrantem, donec ipſa omnes ſuas functiones & adminiſtrationes peregerit. Nam cum quidquid poteſt exequi & perficere, ad eius gloriam manifeſtandam peregerit tunc apertum erit cœlum, id eſt apertè. In Eccleſia videbitur qualis & quantum ſit ipſe Rex Regum, & Dominus Dominantium, & quanta ſit Dei Patris maieſtas, & Spiritus ſancti vis & energia, qui Chriſti humiliati vſque ad ignominiam crucis & mortis caput extulerit, ſupra omne nomen quod nominetur ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſublatis omnibus impedimentis & inuolucris quibus obtegitur hæc Chriſti gloria & maieſtas, ne agnoſcatur ab hominibus; & quæ paulatim innoteſcit, prout Eccleſiæ Paſtores ſuis funguntur muneribus, & planè & perſpicuè cernitur, dum omnibus ſuis perfuncti fuerint miniſteriis. Sunt autem, vt vidimus ſupra, hæc munia ſeptem, quorum vltimum eſt facultas & poteſtas Anathematizandi contumaces & rebelles, & iudiciorum Eccleſiæ contemptores & infractores. Cernitur igitur Chriſti gloria per harum functionum exercitia, nempe orationis, prædicationis verbi, adminiſtrationis Sacramentorum, ſacrifi-

Digitized by Google

candi, condendi leges, exercendi iudicia, abſcindendi è numero fidelium contemptores; & per ea Deus vult cultum ſuum promouere ſtabilire, & illum impedire conantium impium conatum retundere. At dum in capite 16. Paſtores Eccleſiæ hæc exercere volunt munia, ad hunc ſcilicet finem: quaſi fumus quidam excitatur ex oppoſitione contradicentium, & reproborum: quo ſanè fit vt maieſtas incomprehenſibilis Chriſti non ita clarè ac dilucidè appareat. At ſtatim atque poſt excommunicationem latam in ciuitatem rebellem, & ſchiſmaticam, ipſa vt à Deo maledicta ſubuertetur, vt ſit in portentum & ſignum, tunc clarè manifeſtabitur quanta ſit gloria, poteſtas, & maieſtas Chriſti, à qua impie diſceſſit, & à cuius cultu & obedientia ſe ſubtraxit. Exinde datæ ſunt, in initio capitis, Deo gratiarum actiones, adorationes & laudationes, quia tunc appropinquabit redemptio iuſtorum, & regnum Dei, & venient nuptiæ agni. Et ex his, quæ apertè & manifeſtè in cœlo Ecclesiæ militantis peracta ſunt, conjici poterit magnitudo & excellentia regiæ dignitatis Chriſti, quam ſub ſchemate pulcherrimo depingit S. Ioannes, vt diximus ſupra, & videbimus fuſiùs, partes huiuſmodi ſchematis vt infra exponendo.

Et ecce equus albus: & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax.

Per equum, equique generoſi optimas conditiones, Chriſti Domini humanitas, eiuſque perfectiones optimè deſignantur.

Equus Albus, inquit Richardus à S. Victore, *homo à Verbo aſſumptus: qui rectè dicitur albus, quia verè immaculatus. Aperto itaque cælo, viſus eſt equus albus; quia reuelato ſacra Pagina myſterio, cognoſcitur homo immaculatus à Verbo aſſumptus.* Ita Richard.

Equus albus, inquit S. Thomas, *caro Chriſti quæ dicitur equus, quia ei inſidebat diuinitas Chriſti ad expugnandum diabolum. Pro. 21. Equus paratur ad diem belli. Dicitur equus, propter immunitatem peccati.* Ita ſanctus Thom.

Sub tanto Imperatore militantes nihil nobis eſt pertimeſcendum: nec minis aut terroribus cedere par eſt, nec blanditiis mundi allici, neç illecebris carnis decipi: nec diaboli inuidia & malitia terreri debemus. *Confidite* enim ait ipſe: *ego vici mundum.* Qui enim ſedet ſuper hunc equum: qui carni inſidet, eſt verbum Dei, filius Dei qui vocatur fidelis & verax. Fuit olim Antiochena ciuitatis vocata θεούπολις vt refert Nicephorus l. 17. c. 3. ex eoquod terræ motibus concuſſa, à ſubuerſione præſeruata fuerunt ædificia, ſuaſu cuiuſdam deuoti & Religioſi Monachi, in ſuperliminari ianuarum ſcripto hoc ſchemate: *Chriſtus nobiſcum: ſtate.* Certè ſi nobiſcum fuerit Chriſtus, nullis concuti debemus terroribus, nec tentationibus vllis commoueri. Sedet enim inuincibilis ſupra mandiſſimam humanitatis carnem, quæ in equo deſignatur. Nec exiſtimandum eſt abſurdè hoc ſymbolo deſignari. Qui enim vermi comparari voluit (*Ego*, inquit, *ſum vermis & non homo.*) Et equo poterit ſignificari. Vermibus enim præſtat equi generoſitas. Et, ſi in verme ſuam voluit adumbrari abiectionem in equo ſtrenuitatem & generoſitatem demonſtrat. In hac carne inſidens, omnes creaturas tranſcurriſſe videtur, qui generibus ſingulorum ſe coniunxit, dum illam carnem aſſumpſit, altiori ratione aſtutiam hoſtium eluſit, quàm dum ſedet ſuper Cherubim. Velociùs illos aggreditur & inuadit, quàm dum volat ſuper pennas ventorum Pſ. 17. *Et aſcendit*

A *ſuper Cherubim, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum.* Celerrimum, & præſentiſſimum fuit eius auxilium in procuranda hominum ſalute, & eorum ab hoſtibus protectione. Nec digniorem vnquam thronum ſibi fabricauit, in quo maieſtas eius magis eluceret, quàm dum ſedere voluit ſupra hanc humanitatem: quia nunquam excellentiori modo bonitas diuina potuit ſe communicare, quam dum verbum Patris hypoſtaticè humanæ naturæ voluit coniungi.

Quatuor boni equi qualitates deſcripſit Deus, Iob. 36. quibus humanitatis Chriſti perfectiones optimè adumbrantur. Prima eſt firmitas & fortitudo.

B *Nunquid præbebis equo fortitudinem?* Secunda eſt flexibilis quædam ad nutum ſedentis obedientia. *Aut circumdabis collo eius hinnitum?* Nam vbi alia animalia ligari refugiunt, & ægre ſe alligari permittunt: Si equo frænum ori appoſueris, aut loris colla eius circumdederis, vt ad obediendum paratus hinnitu alacritatem demonſtrat. Tertia eſt agilitas quædam membrorum. Vnde additur: *Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas?* Denique generoſitatem quamdam ad aggrediendum hoſtes. Vnde additur. *Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit: exultat audacter: in occurſum pergit armatis: contemnit pauorem, &c.*

Quis in hoc ſchemate facile non videbit inuincibilem humanitatis Chriſti fortitudinem in toleran-
C dis laboribus, qui omnium peccatorum noſtrorum immenſa, & inſupportabilia onera fortiter portauit, dolores pro eis ſubeundos fortiter tulit: imo & ſuſtulit ex humeris noſtris, qui impares erant ad tantum onus portandum? *Infirmitates noſtras ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Iſ. Onus graue omnis iniquitas, & pondus inſupportabile pœna peccatis debita: nam ſicut in rebus humanis crimen læſæ maieſtatis non modò punitur in perſona delinquentis, ſed etiam extenditur aliquando, in vxores, filios, conſanguineos, qui vel morti traduntur, vel exilio damnantur, vel ignobiles redduntur: ſyluarum arbores interciduntur, domus euertuntur, imagines dejiciuntur, nomina abolentur, vt tanti criminis Rei memo-
D ria aboleatur: quæ quæſo erit pœna, quàm graue debet eſſe ſupplicium eius, qui ſummam Dei maieſtatem peccando offendit? Certè etſi totius orbis in omnibus ſuis partibus pro reparatione criminis magnas ſuſtineret calamitates, plenè tamen non ſatisfaceret magnitudini offenſæ. Hoc tamen fecit Chriſtus, cuius fortitudo tanta eſt, vt non modò pro omnibbs omnium hominum peccatis ſatisfacere poſſit, ſed & ea delere. At non ſolùm fortis, qui poſſit multa fructuosè pati: ſed fortis, quia quicquid vult poteſt operari. Ad eius vocem ceſſant mare & venti: mortui ſuſcitantur, & ad eius nutum ſimilia patrantur miracula. Denique fortis eſt & potens in prælio, vt ſuos hoſtes tandem conterat
E ſub pedibus. Nam licet homo appareat, Deus tamen eſt, qui in homine operatur.

Quantùm ad obedientiam, ad Chriſtum applicare ſeu accommodare poſſumus hæc Pſ. 72. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Qui enim immutabilis eſt in ſinu patris, homo factus mutationi fuit obnoxius, vt huc aut illuc duceretur. Ductus eſt igitur quo Pater voluit, ad occiſionem: vt tandem ab eo ſuſciperetur in gloria, dum pro obedientiæ meritò exaltatus ſupta omnem principatum & poteſtatem, in patris dextera collocatus eſt. Hoc promeruit, quia pro cibo habuit facere voluntatem patris: quia propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, omni confuſione contempta, vt patri obediret. *Oblatus eſt* enim

Digitized by Google

quia ipſe voluit. Cuius voluntariæ obedientiæ manifeſtiſſima dedit indicia, cum ab oratione ſurgens in horto oliuarum, alacriter obuium ſe præbuit inimicis, à quibus erat capiendus, & illudendus. Nam quaſi audiuiſſet mortis ſententiam contra ſe latam apud tribunal ſanctiſſimæ Trinitatis, (licèt humanitatis ſuæ iura cum omni ſubmiſſione apud patrem expoſuiſſet, dicens: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte verum tamen non mea ſed tua voluntas fiat*; Innocentiam carnis ſuæ & iuſta conquerendi cauſas ſi morti adiudicaretur repræſentans) ab oratione ſurrexit, vt patri obtemperaret, omnia iuſtiſſima naturæ humanæ deſideria compeſcens & comprimens, ne contra Dei decretum ne quidem mutire auderet. *Proprio* enim *filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Deinde huius alacris obedientiæ ſigna dedit, dum Apoſtolis dixit, oratione peracta; *Dormite iam, & requieſcite. Ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* Matt. 26. Ac ſi diceret. Nunc deſiderij compos factus ſum. Iam à multo tempore deſideraui voluntati Patris mei plenè & perfectè obtemperare, & per meam in omnibus ſubmiſſionem illi complacere. Nunc occaſionem nanciſcor iſtud exequendi. Hæc eſt voluntas Patris mei, vt homines à peccatis & pœnis redimantur. Hoc fieri non poteſt, niſi ad rigorem iuſtitiæ illius fiat ſatis: nullus eſt inter Angelos aut homines qui hanc rigoroſam ſatisfactionem ſoluere valeat. Ego ſum. Ego ſum, qui exoluam, qui vſque ad vltimam quadrantem, iuſtitiæ diuinæ omnia hominum debita ſoluam. Quod quidem Patri gratiſſimum fore certò ſcio. Etſic, ô mortales, placatâ iracundiâ Dei, dormite iam, & requieſcite. Ecce enim appropinquat redemptio veſtra: quia appropinquat tempus paſſionis meæ: mox enim tradar in manus peccatorum, qui malitiæ ſuæ obtemperantes, iuſtitiæ tamen diuinæ famulabuntur, vt à me exigat ſolutionem debitorum, quæ homines peccatis ſuis contraxerunt, quorum me fideiuſſorem, & cautionem feci vt pro eis ad rigorem omnia ſoluam. Hoc enim proprium eſt ſummæ bonitatis, ſi ex malitia hominum me perſequentium tantum bonum eliciat, vt ab omnibus abſoluamini delictis & pœnis. Delebo quod aduerſum vos erat chirographum decreti, contrarium vobis: & ipſum auferam de medio, affligens illud cruci: & expoliabo Principatus & poteſtates. Surgite igitur, eamus: nihil tam gratum & acceptum eſt quàm impigra & alacris obedientia, etſi vitæ periculum ſit ſubeundum, quod nunc imminet mihi. Ecce enim qui oſculo me traditurus eſt, appropinquat, & præſto eſt, vt tradat me in manus peccatorum, à quibus ſum ligandus, conculcandus, flagellandus, ſpinis coronandus, & crucifigendus.

Videſne ex his in Chriſto obedientiam alacrem & impigram? Fuit etiam indicium huius voluntariæ oblationis ad mortem, vt Patri obediret, quòd Iudam non appellauit traditorem, ingratum, & ſceleratum hominem: ſed amicum, quia etſi mala intentione, tamen deſiderio ſuo famulabatur: & quia Chriſtus Dominus ſortem infælicem Iudæ ægrè ferebat, voluiſſet enim à peccato proditionis ſuæ eum reſipiſcere, & ad ſe tanquam ad fidiſſimum amicum amicabiliter redire.

Quod ſi de quadam habilitate ſeu facilitate ad omnes quarumlibet virtutum actus loquamur, per agilitatem & bonam membrorum equi diſpoſitionem deſignatam: Certè in Chriſto fuit maxima ad omnium virtutum actus facilitas. Decebat enim eum, vel ipſomet teſte, omnem implere iuſtitiam. Ipſe Dominus omnium virtutum ſalit in montibus,

A tranſilit colles: quia omnem tranſcendit in exercitio virtutum difficultatem. Requieſcit ſuper eum plenitudo Spiritus ſancti. *Non enim ad menſuram dedit illi ſpiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Ioan 3. Quo fit vt ſicut olim Deus requieuiſſe dicitur ab omni opere quod patrarat, ſtatim atque hominem creauit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ita ſpiritus Dei, quo ad communicationem bonitatis ſuæ ad extra, requieuit, id eſt nihil habuit quod excellentius & modo excellentiori communicaret, ſtatim atque perſonaliter ſeu hypoſtaticè verbum diuinum humanitati voluit coniungi in Chriſto. Nec creatura capax eſt diffuſioris, & intenſioris gratiæ, eâ quàm Chriſtus contulit humanitati ſuæ. Quò enim cauſa gratiæ intimiùs, & fortiùs
B animæ vnitur, eò maior eſt gratiæ influxus. Vnde ſi aliis homines dicuntur per gratiam diuinæ conſortes naturæ, ipſa humanitas Chriſti propter abundantiam gratiæ, & vnionem hypoſtaticam, deificata dicitur: & intenſiori cognitione, & feruentiori dilectione, & maiori facilitate Deo vnitur. Hoc decet dignitatem filiationis naturalis, hoc qualitatem redemptoris & mediatoris. Hoc exigit gratia capitis. Gratia enim datur nobis propter habitudinem capitis ad membra: ad hunc enim finem gratia habitualis ſuperabundauit in Chriſto, vt de plenitudine eius accipiamus, hauriamuſque ad ſufficientiam aquas gratiæ de fontibus Saluatoris.

C Cum igitur gratia in Chriſto fuerit in excellentiſſimo gradu, non mirum ſi eius facultates rationales & appetitiuæ fuerint cunctis virtutibus ornatæ, vt ad quaſcumque prorumpant actiones, illas facillimè eliciant. Quantò enim perfectius eſt Principium, tantò fortiùs ſuum imprimit effectum. Omnes igitur virtutes neceſſariæ ad perfectionem omnium facultatum animæ Chriſti (quibus facillimè omnia exequi poſſet) fortiùs in facultatibus ipſius radicatæ fuerunt, quia gratia à qua emanant, tanquam à fonte, fuit in ipſo fortior & intenſior. Virtutibus dona Spiritus ſancti addita fuerunt, quibus animæ facultates motionibus & inſpirationibus Spiritus ſancti faciliùs obtemperabant: qua de cauſa excel-
D lentiori modo à cæteris quibuſcumque hominibus. Agebatur à Spiritu ſancto. Habuit etiam omnia dona gratuita ad fidei & doctrinæ cœleſtis manifeſtationem, ne eius doctrina eſſet abſque fructu in tempore, ſed admitteretur ab iis qui ad vitam erant præordinati, ſeu ab iis qui ſaltem ad eam vocabantur, & quibus dignabatur illam proponere. Habuit ſiquidem ad quoſcumque actus gratiarum iſtarum plenam quamdam, & omnimodam efficaciam: quia erat inſtrumentum diuinitati coniunctum. Non mirum igitur ſi ad omnes actus virtutum, donorum, & quarumcumque gratiarum maximam habuerit promptitudinem, facilitatem, & diſpoſitionem, cum habuerit gratiam in ſupremo gradu ſecundum
E modum perfectionem, quo habere poteſt, & ad omnes effectus; & operationes gratiæ extenſam. Data quippe illi fuit tanquam principio cuidam vniuerſaliori in genere ſeu ordine omnium qui ſuſcipiendæ gratiæ ſunt capaces. Et ſicut virtus ſolis extenditur (quia vniuerſale eſt generationis principium) ad omnes res generabiles: ità gratia humanitatis Chriſti talis eſt, vt ad omnes effectus à gratia emanantes aut diffluentes, ſiue virtutes ſint, ſiue dona ſeſe extendat. Et hac de cauſa propria eſt Saluatori. Dicitur proinde infinita, non quod non ſit in ſua entitate limitata, quia nihil creatum entitatiue eſt infinitum: ſed quia abſque vlla reſtrictione & limitatione, habet quidquid ad eſſentiam & naturam gratiæ pertinere poteſt: & quia hæc gratia talis eſt naturæ, vt data non fuerit à Deo ad cer-

Digitized by Google

tam quamdam & determinatam menſuram , ſed A
iuxta Dei propoſitum & intentionem , ad quem pertinet menſuram illi præſcribere , vt tot non plures effectus producat, itaut collata fuerit tanquam principium quoddam vniuerſale pro omnibus hominibus quos Deus gratificare intendit, ſecundum omnes effectus & modos quibus illos gratificare decreuit , iuxta illud ad Epheſ. c. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Et ſicut gratia vnionis hypoſtaticæ (quæ nulla alia eſt quàm ipſum vniti perſonaliter filio Dei , quod eſt gratis conceſſum humanæ naturæ) infinita dicitur , quia perſona verbi eſt infinita : ita hæc gratia habitualis Chriſti infinita dicitur : quia nullis aliis limitibus coërcetur quàm ſola voluntate & determinatione diuina. Propter illam ad omne B
bonum habilitatem de Chriſti humanitate Cant. 2. dicitur : *Ecce iſte venit ſaliens in montibus , tranſiliens colles. Venit* , inquit iuſtus Orgelitanus , *ſaliens in montibus, cum perfectus perfectiue apparuit. Tranſiliens colles , cum omnem ſanctorum altitudinem ſua maieſtatis excellentia ſuperauit.* Ita Iuſt. Org. Veniamus ad generoſitatem, ſeu magnanimitatem.

Quantùm ad magnanimitatem , qua cuncta difficilia & ardua aggredi non timuit Chriſtus , hæc in cordis audacia , & quadam generoſitate equi adumbratur. Huius autem generoſitatis tria dat equus indicia , ex loco 39. Iob. *Gloria* , inquit , *narium eius terror. Terram vngula fodit : exultat audacter : in occurſum pergit armatis : contemnit pauorem , nec cedit gladio, &c.* C
Procul odoratur bellum. Proflat equus pectore ex naribus ſonum , ſeu rhonchiſſat cum ex pauore prima fronte ſeu ex improuiſo concepto , ſpiritibus quaſi frigore interclusis calor ad cor recurrit, quo vehementiori & intenſiori quaſi obruitur & ſuffocatur. Qua de cauſa , vt refrigeſcentem auram attrahat naribus ſtertit ; & dum eas aperit , vt ſuffocantem ſpiritum propellat , & benigniorem hauriat , ſonum ac ſtrepitum edit. *Gloria narium eius terror.* Id eſt : Quo fortiori pauore fuerit correptus , eo maiori cum ſtrepitu aërem refrigerantem haurire conatur. Certè Chriſtus homo factus , vt humanitatis iura ſeruaret, voluit timore concuti , permiſit humanitati ſuæ vt propria pateretur. Et ſic *cœpit pauere , & tædere , &* D
mœſtus eſſe. Sed quò maior fuit naturalis timor, eò fortior fuit in eo amoris & zeli honoris diuini calor. Vnde vt ſibi aliquod refrigerium pararet, clamat ad patrem : *Verumtamen non mea , ſed tua voluntas fiat.* Etſi propter naturalem timorem dixerat : *Pater , ſi fieri poteſt , tranſeat à me calix iſte* ; Et ſic *ſciens Ieſus omnia quæ ventura erant ſuper eum , proceſſit & dixit eis : Quem quæritis.* Et reſpondentibus illis : *Ieſum Nazarenum* ; dicit eis Ieſus. *Ego ſum.* O qualem ſonum edidit in his verbis! Hoc audito abierunt retrorſum: & ceciderunt in terram. Ioan. 18. Quis non timebit ad vocem eius in iudicio , cum venerit in nubibus cœli , cum virtute multa & maieſtate ; qui ligandus & crucifigendus ſola voce hoſtes proſtrare potuit ? E
Certè tūc *incuruabitur ſublimitas hominum , & humiliabitur altitudo virorum : & eleuabitur Dominus ſolus in die illa.* Iſa. 2. *Quieſcite ergo ab homine* , (vt infra idem Propheta ait) *cuius ſpiritus , in naribus eius eſt : quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Ita Propheta. Id eſt : Ne irritetis eum , qui iracundiæ ſuæ accenſæ ſigna edit manifeſta ; quia cum ſit excelſus & potens , qui eum placare neglexerint , nec deſtiterint ab iis agendis quibus ad iracundiam prouocatur , ſentient per experientiam , quid ſit tantam offendiſſe maieſtatem. Terràm vngula Chriſtus fodit , dum potentia ſua Lazarum è ſepulchro & inferno reuocauit, dum in morte eius terra tremuit , & Petræ ſciſſæ ſunt , & monumenta aperta ſunt , & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Exultauit audacter , & in occurſum perrexit armatis , dum militibus , & traditori occurrit obuiàs ; dum fortiter crucem baiulans de aliorum ſalute ſollicitus, & mortis tormenta contemnens, flentibus ſuper ſe dicebat: *Filiæ Ieruſalem , nolite flere ſuper me , ſed ſuper vos ipſas flete , & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt , & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite ſuper nos ; & collibus : Operite nos : quia ſi in viridi ligno hæc faciunt , in arido quid fiet.* Luc. 23. Sed & exultauit audacter , dum vincula mortis diſrumpens in reſurrectione, excuſſus eſt ſicut locuſtæ, quas qui capere ſtudent & tenere putant, è manibus elapſas vident ante ſe ſalientes. Ita hic à militibus cuſtodientibus teneri non potuit, ſed ab eorum cuſtodia glorioſè excuſſus eſt, dum reſurrexit. Exultat audacter , dum apud Iſaiam c. 33. manifeſtationem maieſtatis ſuæ in iudicio prædicens ait : *Nunc conſurgam , dicit Dominus. Nunc exaltabor, nunc ſubleuabor. Concipietis ardorem , & parietis ſtipulam. Spiritus veſter vt ignis vorabit vos. Et erunt populi quaſi de incendio ignis ſpinæ congregatæ : igni comburentur. Audite qui longe eſtis quæ fecerim , & cognoſcite vicini fortitudinem meam. Conterriti ſunt in Sion peccatores , poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare in vobis cum igne deuorante ?* Ita Iſ.

Equus albus.

Cur equus humanitatem Chriſti deſignans , in hoc loco dicatur albus ? § 3.

Albus dicitur , inquit Richard. à S. Victore , *quia verè immaculatus.* S. Tho. *Propter immunitatem peccati.* Sed cum hic agatur de quodam prælio , nec non & de victoria & hoſtium calcatione , vt notat Primaſius. *Hic eſt* , inquit , *quem ſuperiùs dixerat debitam victoriæ percepiſſe coronam æquum & iuſtum , qui indicat & præliabitur ; vt Rex omnium ſæculorum præliatur , qui in ſuis ſemper membris compatitur ; dimicat cum vincit , in ſeipſo coronat , ſed virtutem certantibus præbens , qui pollicetur vincentibus præmium.* Ita Primaſ. Meliùs eſt ergo ſi dicamus in hoc loco album colorem tribui Chriſti humanitati propter gloriam victoriæ & triumphi. Alba enim veſtis cuiuſdam triumphi & lætitiæ indicium eſt , & in magno fuit pretio apud Ægyptios. Vnde Ioſeph poſt interpretationem ſomnij Pharaonis , cum Pompa deductus eſt curru vectus , & mandato Pharaonis ſtola byſſina indutus. Hinc ſanctus Hieronymus in 6. capit. Zachariæ , per equos albos intelligit Macedones: ſiue quia ſub Antiocho eorum Rege , Machabæi plurimas obtinuerunt victorias de hoſtibus ſuis, ſiue quia ipſi Macedones Perſas & Medos ſubiugarunt , & in breui imperium eorum deleuerunt. Vnde *requieſcere fecerunt ſpiritum Prophetantem in terra Aquilonis*, inquit Propheta , *eo quod contra Medos* , inquit S. Hieron. *Dei impleuerunt voluntatem , & in breui imperium Medorum atque Perſarum à Macedonibus ſit deletum. Grandis eſt enim eorum conſolatio qui premuntur , ſi ſciant hoſtes ſuos citò eſſe perituros.* Ita S. Hieronymus. Vehitur igitur Dux noſter equo albo , propter ſpem certiſſimam futuræ victoriæ ; & in ſignum victoriæ ab eo reportatæ in reſurrectione ſua Angeli apparent in veſtibus albis, & in Triumphali eius aſcenſione duo viri adſtant in veſtibus albis : quia hic color lætitiæ & Triumphi indicium eſt. Optimè igitur Ludou. ab Alcaz. *Equus autem albus denotat glorioſam pugnandi rationem, & quàm ſit de victoria certus ſiquidem triumphali vectus equo prælium init. Quæ , verò parte equus albus debilitatis ſpecimen præfert indicat pariter Chriſti virtus & efficacitas , quandoquidem iis inſtrumentis, quæ primò*

Digitized by Google

adſpectu infirmitatem oſtendunt, victoriam ſibi certam pollicetur, & in hac imbecillitatis ſpecie obequitat ſumma virtus, cui reſiſti non poteſt. Ita Ille.

Et qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.

Chriſtus Deus noſter fidelis in promiſſis, verax in verbis, iuſtè omnia diſponit & præcipit, nec ad prælium ciendum mouetur, niſi zelo iuſtitiæ. §. 4.

Richardus à S. Victore: *Fidelis, quia nulla docenda prætermiſit: verax, quia nulla mendacia prædicauit; & in iuſtitia iudicat, ſubaudi genus humanum, tribuendo vnicuique iuxta opus ſuum, & pugnat, ſcilicet contra* B *diabolum, & vniuerſum eius exercitum.* Ita Richard. Meliùs S. Thomas. *Fidelis in promiſſionis impletione, vt patet in redemptione generis humani. Pſalm. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, &c. Et verax in ſua eruditione: quia nihil docet niſi verum; nec fallere poteſt, & ideo ei credendum, cum dicitur Rom. 3. Eſt autem Deus verax, &c. Et cum iuſtitia iudicat, ſcilicet puniendo malos; & pugnat pro ſuis contra malos, dando ſuis conſtantiam & ſapientiam.* Ita S. Thomas. Et certè hæ duæ virtutes maximè decent regem, cui Thronus æternus, & nunquam euertendus, dicente Salomone: *Rex qui iudicat in veritate pauperes thronus eius in æternum firmabitur.* Prouer. 29. Quis autem maiori cum veritate iudicare poteſt, quàm is qui ipſemet veritas eſt? Vis ne videre Regem noſtrum in promiſſis fidelem? Promittit ſanctis de ſanguinis ſui effuſione vindictam, c. 6. poſt modicum tempus à tempore poſtulationis. Et cap. 7. cum ſit ſanctus & verus, videmus quomodo iſtos qui venerunt de tribulatione magna, & quibus datæ ſunt c. 6. ſtolæ albæ, in ſignum futuræ gloriæ, agnus ille regat & deducat ad vitæ fontes aquarum, & abſtergat omnem lacrymam ab oculis eorum. Sed & de hoſtibus ſumet vindictam, vt ſatis indicant eà omnia quæ in capite 8 & nemo dicuntur fieri, poſt clangorem tubarum ſeptem Angelorum. Iudicat namque homines, ſcilicet cum iuſtitia. Cum enim velit mandata ſua cuſtodiri nimis, quia nihil niſi iuſtum præcipit hominibus, ſitque inflexibilis cuiuſdam iuſtitiæ, (nec enim Deus vt homo eſt, vt mutetur) ſi mortales ab eis mandatis receſſerint, cum omni iuſtitia & æquitate in prælium deſcendit contra mandatorum ſuorum tranſgreſſores: & tantò iuſtius eſt bellum, quòd finis belli huius eſt hominum cum Deo reconciliatio. Ad hunc enim finem plurimis calamitatibus homines vexat fame, bello, peſte, vt à peccatis reſipiſcant. Rectè enim Syneſius de Regno ad Arcadium dixit, loquens de Rege bellicoſo: *Bellicoſus quidem omnium pacificus. Soli enim illi pacem colere licet, qui laceſſentes vlciſci, ac male afficere poteſt; & qui cum iniuriam inferre nolit, propulſandæ iniuriæ facultatem ſibi comparauit.* Ita Syneſ. Pugnat igitur cum iuſtitia, quia cum voluntas ipſius omnis iuſtitiæ regula ſit, iuſtè eis contradicit qui illi obtemperare recuſant: & ſi qui ex contradicentibus, flagellis immiſſis ſapientiores fieri noluerunt, eos cum iuſtitia interficiet poſt pugnam. Nec enim dubitandum de victoria, cum iuſtiſſimus ille Rex deſcendit in prælium: *Dominus* enim *fortis & potens: Dominus potens in prælio.* Vnde vel ipſi obtemperandum, vel mortem ſubire neceſſe eſt, iuxta parabolam hominis nobilis. Luc. 19. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me,* inquit ille reuerſus in regnum. Denique iudicat & pugnat cum iuſtitia: quia inimicos ſuos reos eſſe oſtendit. Non enim eos potentia opprimit, ſed veritate conuincit. Et ſicut ipſi nequeunt illum iniuſtitiæ ar-

A guere, cum accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, (nam vt addit Sapiens, *induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet galea iudicium certum: ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Sap. 5.) ita ipſe illos iuſtè damnare oſtendet, itaut de criminibus nullas poſſint excuſationes prætexere. *Non armis,* inquit Ambroſius, *Deus in die iudicij contra impios dimicaturus eſt, ſed eius iuſtitiâ expugnabuntur & contererentur. Omnia enim peccata impiorum, atque ſcelera in conſpectu eorum adducet Dominus, vt ſciant ſe iuſtiſſimo Dei iudicio eſſe damnatos.* Ita Ambroſ.

Oculi eius tanquam flamma ignis.

B *Iuſtitia Dei ſummâ ſapientiâ, & clarâ rerum omnium cognitione dirigitur.* §. 5.

Non eſt exiſtimandum Deum aliquos reprobare, & à ſe rejicere cæcâ quadam iudicij præcipitatione. Quod factum fuiſſe cernimus in reprobatione Iudæorum, (dum Euangelium tranſiuit ad gentes, & conſummatum fuit myſterium reprobationis & vocationis gentium, tranſacto tempore conceſſo ad pœnitentiam, vt vidimus in cap. 10.) hoc fiet in reprobatione vniuerſorum, qui excludendi ſunt à Regno æterno, cum vocabuntur electi ad gloriam: cum ſententia condemnationis proferetur in impios,
C ſed quæ tantò magis erit iuſta, quòd non proferetur incognitâ causâ. Omnia ritè examinabuntur & ponderabuntur: quia qui cum iuſtitia pugnat, habet oculos ſole ſplendidiores. *Oculi eius tanquam flamma ignis,* vt dignos admittat, indignos repellat. Iam huius ſpecimen æquitatis dedit in his quæ vidimus in cap. 11. in quo contradicentes opprimuntur caſu ciuitatis, & terræ motu ſeptem millia occiduntur: *& reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cœli.* Videbitur quippe tunc quid profuit ſuperbia contradicentibus Chriſto Domino, dum in cœlum raptis duobus teſtibus in oculis omnium, Henoch videlicet & Heliâ, hoſtes in terra abſorbentur: vt ſentiant omnes quid facturus ſit Chriſtus in vlti-
D mo iudicio, cum electi in aëra obuiam ibunt Chriſto, & reprobi in inferni antra demergentur quia dux noſter tunc cum iuſtititia pugnabit, & tantò iuſtiùs quantò clarius omnia intuetur & diſcernit. Nihil enim eum fugit eorum omnium, quæ ab hominibus iuſtis aut iniuſtis, benè aut malè perpetrantur. Laudatus fuit ab antiquis Agamemnon, (teſte Syneſio, *De Regno, ad Arcadium*) qui vnumquemque ſuorum militum ita cognoſcebat, vt proprio nomine illum poſſet interpellare: quin etiam volebat vt honorifico nomine, Patris videlicet, nuncuparentur (nam honorem deferre, idẽ eſt ac laudare) ſi quidpiam ab aliquo aut rectè aut fæliciter confectum meminiſſet. *Et quiſnam ſanguini pepercerit,* inquit Syne-
E ſius, *qui ſe à rege audierit commendatum?* Quantò magis laudandus Dux noſter, cuius oculi tanquam flamma ignis diſcernunt bonos à malis, hoſtes ab inimicis? Is nouit amicos nomine proprio. *Noui te ex nomine,* dicebat ipſe olim ad Moyſem. Et idem aſſerit ſe oues ſuas cognoſcere, eoſque nomine honorifico dignatur modò amicos, modò filios, modò benedictos Patris æterni nuncupans, eorumque actiones plurimùm commendans, propter quas eos regno remunerandos eſſe diſcernit. *Poſſidete,* inquit, *Regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſti mihi manducare, &c.* Quis ſub tanto & ſapientiſſimo Duce dimicare non deſiderabit?

Rectè igitur S. Thomas: *Oculi autem eius, &c. Deſcribit Chriſtum, quantùm ad ſapientiæ, ſiue notitiæ claritatem*

ritatem; quia clarè omnia videt. Et hoc eſt: Oculi autem eius, id eſt, eius plena ſapientia, qua tanquam oculis videt omnia. Et dicit in plurali, ad ſignificandum ſapientiæ perfectionem, quia plenius & melius duobus oculis, quàm vno videmus. Tanquam flamma ignis. Quaſi dicat: eius ſapientia clara & plena eſt in cognoſcendo, ad modum ignis habentem flammam plenam, & claram. Hebr. 4 Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Ità S. Thomas. At non ſolum oculi eius dicuntur tanquam flamma ignis propter claram & plenam ſapientiam; ſed quia ſapientiâ videt clarè quibus præconiis debeat bonos cumulare, & quibus ſuppliciis debeat malos afficere & exurere. *Oculi eius*, inquit Richard. à S. Victore, *ſicut flamma ignis: quia ſuo reſpectu reprobos vrit cruciatu damnationis, electos illuminat agnitione veritatis, & accendit amore virtutis.* Ita Richardus. Cui adde: Et lumine gloriæ illorum mentes illuſtrat: Et benè Andreas Cæſarienſis: *Is autem eſt Ieſus Chriſtus filius Dei: flammeis igneiſque oculis gentes indicat, hoc eſt, ſuâ prouidâ curâ, ſuaque vi contemplatiuâ lucentem flammam ab igne ardenti ſecernens, iuſtis quidem id tribuit quod illuſtrandi virtute pollet, non illud etiam quod ſua natura adurit atque excruciat; peccatoribus autem obſcuriores adurenteſque illius partes applicat.* Ita Andr.

Et in capite eius diademata multa. Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe.

Quanta ſit dignitas Chriſti inuictiſſimi, & iuſtiſſimi, & ſapientiſſimi ducis? §. 6.

Hæc dignitas ex diadematibus multis, & præcellenti nomine conjicitur. Quantùm ad primum, dicitur habere diademata multa, vel quia reuera plura habet regna, vel quia multas obtinet victorias vel quia victoriæ ſanctorum illi aſcribuntur; vel quia eiſdem coronas dat & præmia; vel quia tandem multi Reges huius mundi illi obediunt, & exhibent cultum. *Cæterùm*, inquit Andreas Cæſarienſis, *multa illa diademata Chriſti ſeruatoris in omnes, ſiue illi ſint in cœlo, ſiue in terra. Dominium & regnum inſinuat. Tot enim ille ſortitur coronas, quod Angelorum ſunt ordines, quot rurſus in terris ſunt ſceptra, ſanctorumque hominum agmina. Aut hoc dicitur, quia per patientiam, victoriam in omnibus, quæ circa nos ordinat, contra peccatores obtinet, iuxta illud Prophetæ: Et vincas cum iudicaris.* Andreas Cæſar.

Rupertus poſtquam dixit ipſum iuſtitia pugnare, quia neminem niſi iuſte expugnat, quippe qui non niſi contra ſuperbos bellica corripit arma: tum etiam quia nec dicit bonum malum, & malum bonum, & quia falli non poteſt vt iniuſte iudicet, fidelis, verax, & oculis flammeis: *Denique iuſtitia*, inquit, *iudicat, ſiue iuſtè pugnat, quia ſemper ſuperat, & tam in ſua perſona quàm in ſingulis fidelibus ſuis pugnando triumphat idcirco protinùs ſubditur. Et in capite eius diademata multa; videlicet quia ſanctorum omnium victoria vel corona, ad gloriam, & gratiam eius referuntur. Idcirco multa diademata in capite eius.* Ita Rupertus. Et paulo poſt: *Quia nobis proficiſcentibus, & reuerſis ad meliora, per ſingulas virtutes noſtras Dominus coronatur: imo per virtutem pœnitentiæ coronatis, ſaluator in ſingulis coronam accipit.* Ita Rupertus. Eodem ſenſu Ambroſius dixiſſe videtur: *Per diademata multa multitudo ſanctorum exprimitur.* Ita Ambroſius. Eo videlicet ſenſu quo olim dicebat Paulus ad Philippenſ. *Gaudium meum & corona mea: ſic ſtate in Domino, chariſſimi.*

Richardus à S. Victore: *Et in capite eius diademata multa: quia ex diuinitatis potentia ſuis electis tribuit præmia æterna, omni fine carentia.* Ita Richardus. Et quod de Chriſto primario ſenſu dicitur: de eius membris, nempe de ſingulis ſanctis Eccleſia dicit:

A *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Pſalmo 20. Denique habet diademata multa, quia vt dicitur, Pſal. 101. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.* Et poſtquam Propheta optauit populum Chriſtianum futurum, ſeu creandum reparationis Sionis retinere memoriam: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum*; Verſ. 24. Addit: *In conueniendo populos in vnum, & reges vt ſeruiant Domino.* Id eſt, vt interpretatur Genebrard. *Quando conuenient populi & Reges: dum congregabuntur in eumdem locum & eamdem Eccleſiam; vt Deum colant & ſeruiant.* Ita ille. Et reuera multi fueru[nt] in Eccleſia Catholica ſan-

B ctiſſimi Imperatores & Reges, qui Chriſtum coluerunt, vt patet ex hiſtoriis; Et de quibus veraciter dici potuit: *Cor regis in manu Dei*: Quia de eis Deus diſpoſuit ad ſuum cultum promouendum prout voluit. Et hoc modo patet ſumma dignitas Regis noſtri, quia regnat in cœlo & in terra; quia de hoſtibus multoties triumphat; quia per eius auxilium ſancti victorias obtinent, quibus merentur coronari; quia eiſdem coronas imponit; quia à multis regibus adoratur.

Sed quid ſibi vult quod poſtea ait: *Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe.* Scriptum, in quam in diadematibus capitis; ſicut in lamina aurea, quæ caput ſummi ſacerdotis olim circumcingebat ſcri-

C ptum erat: *Sanctum Domino. Facies*, inquit, *& laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris: ſanctum Domino. Ligabiſque eam vita hyacinthina: & erit ſuper tiaram, imminens fronti Pontificis.* Exod. 28. *Hec ſanè erit*, inquit Procopius Gaza; In hunc locum, *Chriſti myſterium, eiuſque in hunc mundum deſcenſus vel miſſionis præludium. Sanctificatum enim à Deo patre ſe eſſe ſatis euidenter elucidat Emmanuel, eo quod traditus, quodque miſſus ſit ad gloriam & regnum: propterea ipſum coronat.* Ita Procop.

Sed cur ſuper coronam, ſeu ſuper diademata, ſcribi dicitur nomen, *quod nemo nouit niſi ipſe*? Exiſtimat Primaſius hoc dici, quia Eccleſia quæ corpus eſt Chriſti, perfectam cognitionem non habet verbi,

D niſi per meritum eius verbi. *Dei*, inquit, *perfecta cognitio illis manifeſtatur, qui corpus Chriſti, & membra eſſe meruerint; vt pote corpori caput notitiam ſui ſpecialiter tribuit. Ipſe autem nouit quòd Eccleſia in ipſo ſi[n]e meruerit. Qui enim adhæret Domino, ait Apoſtolus, vn[u]s ſpiritus eſt. Erunt enim duo in carne vna. Hoc nomen, nec Iudæi, nec alienigenæ, nec hæretici cognouerunt.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſ. Nomen hoc ait non cognoſci, propter eſſentiæ diuinæ incomprehenſibilitatem. *Nominis Chriſti ignoratio*, inquit, *eſſentiam illius incomprehenſam eſſe denotat. Nam cum prooperum, virtutumque ſuarum ratione, multorum ſit nominum (appellatur namque Bonus, & Paſtor, & ſol, & lumen vel lux,*

E *& vita, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Similiter etiam ſecundùm ea quæ de illo negantur, aut ab illo remouentur; vocatur enim incorruptus, immortalis, inaſpectabilis, immutabilis, aliiſque id genus compluribus,) attamen ſecundum eſſentiam, & innominatus, & inacceſſus eſt; ſibi autem ſoli cum Patre & Spiritu ſancto ſecundum ſubſtantiam ſuam perfecte cognitus eſt.* Ita Andr.

Ambroſius vult haberi rationem incomprehenſæ Chriſti generationis. *Generationem* enim *eius quis enarrabit?* Vt loquitur Iſaias. *Cum ſuperiùs dicat*, inquit Ambroſ. *quia vocabitur fidelis & verax; & paulo poſt, quia vocabitur nomen eius verbum Dei; quid eſt quod dicit, quòd nemo ſcit nomen eius, niſi ipſe? Sciunt quidem ſancti Dei nomen Chriſti, quod eſt filius Dei, & neſciunt. Ex parte quippe ſciunt, & ex parte neſciunt. In omnibus enim creaturis quæ gignunt & gignuntur, nullus filius coæuus*

poteſt eſſe patri: quia neceſſe eſt vt antecedat qui generat, & ſubſequatur qui generatur. Sed non talis eſt natura filij Dei. Nam & quemadmodum Pater eſt ſine initio, ſic & filius. Et quamuis hoc quomodo fieri poſſit conſiderare non poſſimus, in veritatem tamen cedimus & confitemur filium per omnia coæqualem & coæternum eſſe Patris. Ita Ambroſ.

In huius veritatis figuram voluit Deus ſummum ſacerdotem, qui typus erat Chriſti, cidarim geſtare in capite, inquit Rupertus l. 4. in Exodum c. 23. *Cydarim quoque*, inquit, *ſuper caput Pontifex accipit; ne Cherinthus, vel Arrius, ſeu quilibet alius hæreticus, Ieſu Chriſti filij Dei caput, id eſt initium, ſe vidiſſe arbitretur. Non enim ſicut nos, ita & ille a carne exiſtendi initium habuit, iuxta blaſphemiam Cherinthi, qui illum ante Mariam extitiſſe negauit; ſed diuinum caput, quod erat in principio, & ante ſæcula, ibi abſcōdit. Cydaris ergo caput tegit Pontificis, quia videlicet incomprehenſibilis eſt antiquitas vel origo diuinitatis Chriſti. Lamina aurea frōti imminēs corona eſt gloriæ & honoris in caput redemptoris.* Ita Rup. Hac de cauſa habet nomen ſupra omne nomen, vt ibidem docet Rup. *Huius*, inquit, *rei myſterium, ſcilicet nominis quod eſt ſuper omne nomen, in eo eſt, quod laminæ Sanctum Domini inſculptum eſt, id eſt, nomen Domini Tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur enim quatuor litteris Iod, he, vau, he, quæ in ſyllabam aut vocem articulatam comprehendi nequeunt. Arcanum ſcripturæ hactenus latet, niſi quia ex interpretatione elementorum colligi poteſt. Quod Euangelicam fidem non minimè delectat. Interpretatur enim Iod Principium; he iſte; vau Et; he iſte. Eſtque continuus litterarum ſenſus; Principium iſte & iſte. Hoc, inquam, iure nos delectet: quia Principium iſte pater, & Principium iſte filius eſt. Patrem eſſe principium vt Deus vltrò conſentit. Principium ſe quoque eſſe filius defendit: quia interrogantibus Iudæis: Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis. Hoc nomen profectò ſuper omne nomen eſt: quia ſuper principium nihil eſſe poteſt.* Ita Rupertus. Illud nomen igitur, ſecundùm Rupertum, erit nomen quod nemo nouit, niſi ipſe: quia ad plenum nemo diuinitatem, & generationem filij comprehendit, niſi ipſe.

Exiſtimat tamen idem Rupertus, lib. 6. in Apocalypſ. hoc dici, quia nemo ſcit numerum electorum. *Nam*, inquit, *præter ipſum nemo ſcit quanto nomine, vel quantum ipſe ſit nominatus aut nominandus, quippe cum numerum eorum præter ipſum nemo ſciat, quorum coronis ipſe coronatur, quorum ſaluti autor ipſe nominatur. Vbi ergo ſcriptum habet nomen iſtud, ſi non ſcitur? Denique in ſanctis ſcripturis eius, nullum ſcriptum eſt nomen ipſius, quod non legatur, quod non ſciatur. Nec verò quia dixit: Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe; conſequenter dici poteſt indefinitè quod nomen eius neſciatur. Nam qui hoc dixit, ipſe protinus ait: Et vocatur nomen eius verbum Dei. Illud ergo nomen, quod & ſcriptum eſſe, & à nemine ſciri aſſerit, vbi ſcriptum eſt? Nimirum in magno libro vitæ, qui non eſt aliud quàm ſecretum eius ſcientia, ſiue præſcientia. Nam vbi ſcripta nomina electorum omnium, ibi non poteſt abeſſe quantorum ſalutis autor ipſe ſit, quorum numerus profectò cuiuſdam nominis eius incogniti definitio eſt.* Ita Rup.

Sic ergo, inquit S. Thomas, in expoſitione, *oſtenditur in Chriſto dignitas Triumphalis. Sed ne credatur quod dignitas ſit explicabilis, per aliqua iam dicta vel dicenda; ideo rectè ſubdit: Habens, ſupple ſcilicet ſic. Et erat habens nomen ſcriptum, &c. Videbat B. Ioannes nomen ſcriptum in ſeſſore equi albi, quod nomen nullus ſcit niſi ipſe. Per hoc ſignatur quòd magnitudinem potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis eius, nullus perfectè ſcit præter ipſum. Dicit igitur: Nomen ſcriptum, ſcilicet Emmanuel, ſiue Deus homo, ſiue Ieſus. Vnde redit. Per hoc nomen intelligitur bonitas Dei manifeſtata in verbi incarnatione, & in humana reparatione, quæ quidem bonitas Dei ineffabilis. Per*
A *hoc autem quod dicitur ſcriptum, notatur perpetuitas vnionis diuinitatis cum humanitate. Scriptum enim ſtabilitatem habet, &c.* Ita S. Thomas. Equidem hæc vera ſunt. Tamen exiſtimo præter iſtas rationes aliquam ſpecialem dari poſſe: nec enim iſtud nomen cenſeo dari verbo incarnato ratione diuinitatis præcisè, ſeu ratione humanitatis præcisè ſumptæ: ſed explicare rationem dignitatis, quæ humanitati data eſt, eo ipſo quod fuerit verbo perſonaliter vnita, & ad opus redemptionis generis humani aggrediendum prædeſtinata. Quæ autem illa ſit diſcutiendum.

Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe.

B *Specialis quædam ratio, cur nomen Redemptoris ſeu Verbi incarnati propter hominum ſalutem, dicatur noſci tantùm ab ipſo. §. 7.*

Exiſtimat Richardus à S. Victore dici hic quod *nomen ſcriptum habeat, quod nemo nouit niſi ipſe, & ſubaudi, & cui ipſe voluerit reuelare: quia deitatis nomen, quod ipſe æternaliter habet per naturam, & ſuis habere tribuit per gratiam, nemo malus poterit agnoſcere: quia nemo malus poteſt illud habere.* Ita Richardus. Tamen cum indefinitè dicat: *Quod nemo nouit niſi ipſe*; non ſolùm malos excludit à tanti nominis cognitione, ſed etiam bonos. Vt autem poſſimus explorare, non
C nomen (ſiquidem incognitum eſt) ſed nominis rationem ſeu fundamentum, occurit ad mentem quod docet Rupertus lib. 4. in Exodum c. 39. exponens illud quod ad Moyſem olim dicebat Deus: *Noui te ex nomine. Cum dicit*, inquit, *teipſum noui ex nomine, ſubaudiendum eſt, Dei, quod inuocatum eſt ſuper te. Ex hoc etenim nomine Deo notus eſt omnis qui ſcriptus eſt in libro vitæ. Vnde in Apocalypſi de victore dicit: Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo; & nomen meum nouum. Iſto ex nomine, & Moyſen, & omnem electum Deus agnoſcit hominem. Sed vnum idemque nomen cum ſit, quaſi variis literis ſcribitur, vt in alio aurea, in alio argentea, in alio curſus purpurea ſiue candi-*
D *da ſcriptura laudetur. Multa quippe ſunt dona nominis Domini, neque vni cuncta tribuuntur.*

Quantùm quiſque Deum cognoſcit, tantùm in eo fulget nomen Domini. Nomen quippe à notione dictum eſt. Et vnum itaque nomen Domini eſt, quod ſuper nos ille ſcripſit: & multa ſunt nomina noſtra, de quibus idem nos cognoſcit. Hinc eſt quod pluraliter dicit: in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Ita Rupertus. De tali nomine humanitatis Chriſti hic fieri mentionem exiſtimo, ſecundùm ſpeciale donum vnionis hypoſtaticæ, quo præuenta eſt: vt Dei nomen vnicum, in omnibus creaturis manifeſtatum, ſpeciali & auguſtiori ratione in eo manifeſtetur & clarificetur. Quomodo igitur ab illo ſolo Chriſto Domino ſcia-
E tur tale nomen, qualecumque illud ſit, perſcrutemus.

Docet Iſidorus, lib. 1. originum c. 7. *nomen dictum quaſi notamen, quod nobis vocabulo ſuo res notas efficiat. Niſi enim nomen ſcieris, cognitio rerum perit.* Ita ille. Hinc quidam non malè perfectam in Adamo primo parente ſcientiam rerum agnoſcunt, quòd ipſe cunctis propria nomina ritè imponere potuit. Nam ſicut nominibus rectè & appoſitè impoſitis ſecundùm rerum naturas & proprietates, ſine nominum cognitione ad veram rerum cognitionem deuenire non poſſumus: ita nomina rebus imponere conuenientia nemo poteſt, niſi cognitionem & ſcientiam naturæ & proprietatis rerum perfectam habeat. Vnde quo nomine Deus ſit appellandus nemo ſcit: quia *Deum nemo vidit vnquam*: nec eius eſſentiam & ma-

ieſtatem perfecte cognouit. Quod optimè docuit Procopius Gaza in 32. Geneſ. dum ponderat Iacobum viciſſe ſecum luctantem Angelum, & tamen Deum non indicaſſe illi nomē ſuum. *Nam*, inquit Procopius, *animi potentis & vincentis eſt cognoſcere Deum, licèt in ſpeculo & ænigmate nunc videas, nam tranſilit carnalia, qui ad Deum feſtinat. Nec tamen ſuum nomen indicat Iacobo Deus: omne enim nomen reuera ſignificat rei ſubſtantiam & naturam. Cæterùm Dei natura à terrenis comprehendi nequit, ſicuti ſenſibilia à Deo creata. Proinde nullum eorum nominum, quibus appellatur, eius ſubſtantiam ſignificat. Sed ſaltem quaſdam operationes eius erga nos commonſtrant. Sic nominatur exiſtens, vel ficto nomine, eſto. Nam ex ipſo entia omnia deriuantur. Lux, vita, potentia, & virtus nuncupatur, vt qui illorum ſit elargitor. Sic vocatur vnigenitus, character, & ſplendor Patris: ſcilicet vt ex humanis vocabulis aliquam eius venemur notitiam. Appellatur & miſericordia, iuſtitia Redemptio: quia noſtri miſeretur, non redimit, nos iuſtificat, noſtræque ſaluti conſulit.* Ita Procopius. Sic vocatus Ieſus ab Angelo, antequam conciperetur, quia ſaluum facere debebat populum ſuum à peccatis eorum. At ſi quæras nomen eius proprium, quo aut naturam, aut generationem eius, aut excellentiam vnionis illius hypoſtaticæ Verbi cum humanitate perfectè cognoſcas; audies, *Cur quæris nomen meum?* Geneſ. 32. Ac ſi diceret: in vanum quæris, quod comprehendere nequis. Eſto hoc glorioſiſſimo nomine Ieſu (vt cum Procopio loquamur) venari poſſimus quidquid excellentius & eminentius nobis de Dei maieſtate reuelatum eſt, & de eo cognoſci & capi à creatura poteſt; tamen ſicut & Deus incomprehenſibilis eſt, & incomprehenſibile eſt hoc myſterium incarnationis: & Deus ineffabilis, & hoc myſterium ineffabile eſt: & nomen quo Deus ſuam eſſentiam, filius ſeu verbum ſuam generationem, & Chriſtus ſuam cum humanitate vnionem exprimit apud ſe, nullus nouit niſi ipſe.

Et reuera cum de Deo (ex Apoſtolo) duo cognoſci debeant, quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: nomen Dei in quantum à nobis cognoſci poteſt, erit illud quod Moyſi intimauit: *Ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me ad vos.* Exod. 3. *Solus enim Deus*, vt ait Procopius, in hunc locum, *eſt reuera ens principaliſſimum, cuius participatione ſunt reliqua entia: cuiuſque participatione egent, vt perdurare poſſint. Hoc ens ſolum immutabile eſt, & ſummum bonum, nec vnquam ad malum mouetur. Illo nil dabis vel purius vel melius.* Ita Procop. Nec tamen vult Procopius hoc proprium eſſe Dei nomen. Denotat Deum, non eum nominat. *Verum*, inquit poſtea Procopius, *quis nominauit Deum? Aut quis prior exiſtens Deo ei nomen impoſuit*; &c. *dictio quædam loco nominis proponitur. Eſto enim, ſiue ens, non nomen eſt, ſed rem ſignificat, vt pote eum qui per ſe exiſtit, nec ab alio eſſentiam accepit, ſed hanc omnibus ſuppeditauit.* Ita Procop. Aperit igitur hoc nomen quod Deus ſit, ſed quid ſit non aperit. Si quod ſit nomen quidditatem illius ſignificans: nullus nouit niſi ipſe. Pari ratione dicere poſſumus nomen Ieſus ſignificare quòd ſit Saluator ac Redemptor: ſed quid ſit, qualis & quantus ſit ille qui nos ſaluat, non poteſt exprimere. Solus ille nomen ſibi imponat, qui ſeipſum comprehendit, & admirabilem modum quo ſe creaturæ communicauit ſolus cognoſcit. Nomina igitur iſta aut ſimilia eius operationes erga nos demonſtrant: non autem eius eſſentiam, aut ſubſtantiam, aut myſteriorum illius profunditatem, & incomprehenſibiles modos declarant.

Itaque aliqua ſunt nomina, quibus ea, quæ de Deo nobis reuelantur, & quæ iuxta captum noſtrum de eo cognoſcere poſſumus, aut de eo credere debemus, nobis proponuntur: tamen aliquod nomen
A eſt nobis incognitum, *Quod nemo ſcit niſi ipſe*, itaut de Chriſto Domino dicamus, datum illi fuiſſe *nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, Philipp. 2. quia nomen Ieſus, quod impoſitum illi fuit à Deo per Angelum, & in quo omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, aperit nobis perfectiorem modum communicationis diuini eſſe, ſeu diuinæ bonitatis.

Nam cum Deus ſit prima cauſa, & vniuerſale rerum omnium principium, nec vnico effectu infinitæ illius perfectiones manifeſtari poſſint, pluribus mens infinitam ſimpliciſſimæ eſſentiæ Dei perfectionē repræſentare ſtudet: quia vnico tantùm conceptu eam repræſentare nequit. Non enim talis poteſt dari effectus, cuius conceptus magnitudinem, & excellen-
B tiam cauſæ primæ totaliter exhauriat. Ideo neceſſarium fuit vt per multiplicitatem, & diuerſitatem effectuum, Deus ſuam bonitatem & infinitam perfectionem oſtenderet, imprimendo, & (vt ita dicam) inſculpendo in qualibet creatura, ſeu effectu, quamdam ſpecialem & particularem delineationem perfectionis ſuæ, qua aliquid ſummæ illius bonitatis odorari liceat, & aliquod veſtigium perfectionis ipſius animaduerti valeat. Ex quo conjicere poſſumus, eo ipſo quo Deus ſuam bonitatem creaturæ communicauit, ſpecies rerum multiplicando; vel indiuidua omnium ſpecierum multiplicat, illa procreando: aliquam dari rationem huius commu-
C nicationis, quaſi ipſa ſit neceſſaria, vt per eam inæſtimabilis, & nunquam exhaurienda Dei bonitas & perfectio, cognoſcatur, prout creatura rationalis capax eſt eam cognoſcendi, & quantum ipsâ ſemetipſum prodere, & manifeſtare vult. Inter iſtas autem communicationes ad extra, nulla vnquam fuit maior, aut quæ diuinam Dei bonitatem, cæteraque eius attributa potuerit Angelis aut hominibus meliùs manifeſtare aut declarare, quàm illa quæ facta fuit in myſterio incarnationis. Nam cum cæteræ communicationes ad extra (quocumque modo concipiantur, in quolibet ordine, naturæ, gratiæ, aut gloriæ) non attingant vltimum gradum perfectioris communicationis; myſterium incarnationis ex-
D quiſitum fuit, & adinuentum, vt Deus perfectiori modo ſeipſum ad extra communicet. Vnde S. Auguſtinus c. 15. de prædeſtinatione ſanctorum, dicit: *Prædeſtinata eſt iſta natura humana, tantâ, & tam celsâ & ſummâ ſubuectione, vt quo attolleretur altiùs non haberet, ſicut pro nobis ipſa diuinitas, quouſque ſe deponeret humiliùs non habuit quàm ſuſceptio naturæ hominis, cum infirmitate carnis, vſque ad mortem crucis.*

Ad quos autem præcellentes effectus, Dei bonitatem præcipuè manifeſtantes, ſeſe extendat illa communicatio, explicat S. Paulus ad Rom. c. 1. loquens de filio Dei, *qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, dum addit: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundùm Spiritum ſanctificationis, ex re-*
E *ſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Ac ſi diceret: Homo Chriſtus, qui factus eſt ex ſemine Dauid, exiſtens non vt purus homo exiſtit, qui ſit filius Dauid: ſed vt ſecundùm humanam naturam prædeſtinatus, vt ſubſiſteret in perſonalitate verbi, & filius eſſet Dei, naturalis, non adoptiuus. In hac enim propoſitione: Qui prædeſtinatus eſt vt eſſet filius Dei: ſicut in qualibet alia propoſitione, eſſentiali ſubiectum ſemper eſt idem cum attributo, ita tamen vt concipiatur tanquam quid preciſum, & quid ab illo diſtinctum, vt patet in hac propoſitione: Homo eſt animal. Vel, vt ait S. Thomas, 3. p. q. 24. ar. 1. *Perſona illa etſi ab æterno fuerit filius Dei hoc tamen non fuit ſemper quòd ſubſiſtens in natura humana fuerit filius Dei.* Ita S. Thom.

Itaut ſicut hoc initium habuit, nempe quòd qui

Digitized by Google

erat ab æterno filius Dei , idem ipſe in tempore in natura humana exiſtat , in qua antea non exiſtebat , vt incipiat eſſe filius Dauid : Tamen perſonæ filij Dei abſolutè & ſimpliciter conſideratæ ſecundùm ſe , non conuenit vt incipiat eſſe filius Dei , ſed conuenit ei tantùm ratione naturæ aſſumptæ , vt incipiat eſſe filius Dei in tali natura ſubſiſtens , ſcilicet ſub hominis forma. Nam, vt ait S. Auguſt. lib. 1. de prædeſt. c. 15. *Ipſum Dominum gloriæ , in quantum homo factus eſt Dei filius , prædeſtinatum eſſe didicimus.* Ita Auguſt. Ac ſi diceretur Regem quemdam non incipere Regia dignitate gaudere, cum prima vice aliqua veſte induitur , qua nunquam fuerat veſtitus. Antequam enim veſtem aſſumeret, iam erat Rex. At incipit eſſe Rex hac veſte indutus, ſtatim atque illam induit. Denique dicendum quod quamuis idem ſit ſuppoſitum diuinitatis & humanitatis in Chriſto, in hac tamen propoſitione, *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei* , in ſubiecto hoc ſuppoſitum concipitur , vt humanitatis ſuppoſitum , at in attributo vt diuinitatis ſuppoſitum , itaut ſit ſenſus : Prædeſtinatum eſt vt perſona Chriſti hominis non eſſet perſona humana , quales ſunt cæterorum hominum perſonæ : ſed eademmet perſona filij Dei viuentis. Seu prædeſtinatum eſt vt hic homo , qui dicitur Ieſus, eſt que filius Dauid , eſſet ſimul filius Dei : quia ſcilicet prædeſtinatum eſt vt hic homo , id eſt, Verbum inquantum humanitati perſonaliter coniunctum , aſſumeretur ratione humanitatis à filio Dei , illaque humana natura Verbo ſeu filio Dei hypoſtaticè vniretur : itaut idem eſſet homo & Deus , ſiue filius hominis & filius Dei. Verba S. Auguſtini in eam ſententiam euntis ſunt l. 1. de prædeſtin. c. 15. *Prædeſtinatus eſt ergo Ieſus , vt qui futurus erat ſecundùm carnem filius Dauid ; eſſet tamen virtute filius Dei , ſecundùm ſpiritum ſanctificationis : quia natus eſt de Spiritu ſancto & Virgine Maria. Ipſa eſt illa ineffabilis facta hominis à Deo verbo ſuſceptio ſingularis, vt filius Dei & filius hominis ſimul , & filius hominis propter ſuſceptum hominem , & filius Dei propter ſuſcipientem vnigenitum Deum , veraciter & proprie diceretur ; ne non Trinitas , ſed quaternitas crederetur.* Ita S. Auguſt. Alij ſic interpretantur : *Qui prædeſtinatus eſt* , id eſt , Ieſus Chriſtus declaratus ac demonſtratus eſt filius Dei , certiſſimiſque argumentis orbi exhibitis, nempe potentia , ſpiritu , & Reſurrectione , potentia vi miraculorum , ſeu potiùs vi illa , qua voluit parcendo & miſerãdo, hominumque peccata condonando, omnipotentiam ſuam manifeſtare. Venit enim vt ſaluum faceret populum ſuum à peccatis eorum. In quo certè omnipotentiam ſuam maximè declarat. Siquidem quaſi ex nihilo gratuita quadam voluntate ad eſſe gratiæ homines peccatores adducit.

Secundò : ſpiritu demonſtratus eſt filius Dei , ſecundum ſpiritum ſanctificationis : vbi enim abundauit delictum , abundauit & gratia : Spiritus enim ſanctus , quem miſit à Patre , ſanctificator animarum datus eſt nobis , cum Charitas per eum diffuſa eſt in cordibus noſtris. Tertiò : demonſtratus eſt filius Dei ex reſurrectione mortuorum. Quidam (ex reſurrectione mortuorum) ita interpretantur. Primò : id eſt poſt reſurrectionem quia poſt reſurrectionem miſit Spiritum ſanctificationis , & dedit Spiritum ſanctum Apoſtolis dicens : *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis.* Quaſi diceret : Do vobis facultatem ſanctificandi. Secundò : Alij volunt deſignari cauſam noſtræ iuſtificationis , quia reſurrectio Chriſti fuit non ſolùm cauſa efficiens , ſed & exemplaris noſtræ iuſtificationis. Ipſe enim reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Rom. 4. Sed quia addit : *Ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri* : Tertiò hoc intelligendum eſſe videtur

A de reſurrectione ipſamet Chriſti , quaſi diceret : Ex reſurrectione Chriſti Domini à mortuis , quia videlicet ſua propria virtute ſemetipſum reſuſcitauit vt & nos per eum , & cum eo reſurgamus.

Hi ſunt præclari effectus tam excellentis communicationis, quibus cunctis : Primò, innotuit potentia Chriſti : Secundò , apparuit gloria corporis eius in eius reſurrectione; Tertiò per quos obtinuit vt tandem agnoſceretur caput Angelorum , & hominum, & quod ſit Patri conſubſtantialis , & in maieſtate æqualis, ſedens ad dexteram patris : Quartò, agnoſceretur quòd pater ei dedit omne iudicium , conſtituto à Deo vt ſit Rex viuorum & mortuorum , vt cunctis dominetur , verè Rex Regum , & Dominus
B Dominantium. Et hæc eſt ſpecialis ratio , propter quam habuit nomen , quod nemo nouit niſi ipſe. Et quia hunc honorem , ſibi ſecundùm diuinitatem proprium, promeruit humanitati per paſſionem & mortem , dicitur quia dedit illi Deus nomen , quod eſt ſuper omne nomen.

Cum cognitio nominis Chriſti Redemptoris debeat per totum orbem diffundi , cur dicatur accepiſſe nomen , quod nemo nouit , niſi ipſe ? §. 8.

Certum eſt cognitionem nominis Chriſti debere per totum orbem diffundi , iuxta illud Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum. Quicumque enim*, inquit Iuſtus Or-
C gelitanus in 1. Cant. *Chriſtiani à Chriſto nominantur, ipſique Chriſmate perunguntur atque in eius nomine Baptizati Sancto ſpiritu adimplentur : vt vnguentum quod deſcendit à capite in Barbam Aaron, quod verum , perfectum atque fortiſſimum declarat, id eſt , ſacer ſpiritus, qui à Deo diffuſus eſt , in Chriſto deſcendit , etiam in oram veſtimenti eius , ac totam vſque in finem Eccleſiam replet , quæ ei inhærendo ſine dubio veſtis ipſius eſt.* Ita Iuſtus. Orgel. Præclarè etiam Aponius in eumdem locum. *Sicut*, inquit , *inter multitudinem cadauerum putridorum reclusi homines morbo periclitantur , ita habitatoribus huius mundi euenerat per Adam , pluralem Deorum numerum inducente diabolo ore ſerpentis , dicendo eritis : ſicut dij. Introducto autem vnius veri Dei nomine per incarnationis*
D *myſterium , recondito in corporeo vaſculo , quo fracto clauorum & lanceæ ictibus , odore huius notitiæ omnis fœtor diabolicæ doctrinæ de toto mundo abſterſus eſt : Et illud magnum nomen , quod in ſolo populo Iſraël erat notum , per chriſmatis vnctionem , nunc quaſi effuſo vaſe vnguenti in domo , tota domus repletur odore. Ita & à tempore paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti , omnis mundus vnius veri Dei Chriſti nominis notitia impletus probatur : vbi per omnes nationes gentium quotidie quaſi odor vnguenti virtutum recurrit fragrantia , dum mortui (inuocato eius nomine) ſurgunt , cæci vident , claudi ambulant, muti loquuntur, leproſi mundantur , paralytici curantur , effugantur dæmonia, omnis ægritudo cadit , pollicetur languor in virtute huius nominis inuocati.* Ita Apon.

E Quæ cum ita ſint, quòd cognitio nominis Saluatoris diffuſa ſit per vniuerſas orbis nationes , cur hic dicitur quòd habeat nomen , quod nemo ſcit niſi ipſe ?

Reſpondeo , duobus modis hoc intelligi poſſe : primò quia nomina , ſub quæ diuina conſilia nobis proponuntur , æque nobis ſunt incomprehenſibilia & ineffabilia , ac nomina ſub quæ diuina eſſentia & diuinæ perfectiones nobis proponuntur : Secundò, quia nemo poteſt experiri præter Chriſtum , quid dignitatis , quid honoris , quid gaudij & gloriæ ex hoc nomine ſibi proueniat.

Quantùm ad primum , præter ea quæ ſupra dicta ſunt , Dicendum eſt quòd cuiuſcumque communicationis diuinæ concedi debet quædam ratio ſpecialis, qua voluntas Dei libera determinetur ad hunc

Digitized by Google

vel illum effectum producendum. Nec enim Deus eſt agens abſque intellectu, & ratione, cum ſit ipſamet ratio, de quo dicitur: *omnia in ſapientia feciſti.* Hæc autem ratio manet ſæpè incognita, quamuis effectus cognoſcatur, & manifeſtetur: & plurimorum effectuum Deus habet rationes apud ſe, quæ omnem fugiunt creatarum mentium comprehenſionem: & quò plus conantur eas attingere, tantò magis abſconduntur. Nam ſi diuinæ eius perfectiones hic præcipuè à nobis cognoſci non poſſunt, multo magis eius diuina conſilia & determinationes liberæ nobis abſconduntur. Vnde de vtriſque dictum arbitror, Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me: quia ipſi auolare me fecerunt.* Ac ſi diceret: Dum nimis curioſè vis meam maieſtatem, ac diuina conſilia ſcrutari, tantò magis abſconduntur. *Scrutator enim maieſtatis opprimetur à gloria.*

Conuertantur, inquit Philo Carpathius, *oculi ad ſponſum intuendum, cum mentis aciem ad Chriſti Ieſu beatitudinem contemplandam intendimus. Sed oculos auertere monemur, ne ſcilicet eum non aſpicere ſicuti eſt (quantumcumque videamus) arbitremur; ob idque ipſius ſponſæ oculi eum auolare feciſſe dicuntur, quoniam quoacriùs intuemur, eò magis inuiſibilis eſſe cognoſcitur. Et quamuis de ſumma illa diuinitate ſponſi, inuiſibilique luce, nonnihil interdum; vel hic mentis oculis intueri prægustareque poſſimus, prout benignitas ipſius ſponſi elargitur; haud tamen vnquam ſicuti eſt ſpectare licet, ſecundùm illud: Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum. Et illud item: Oculi mei præuenerunt vigilias. Conturbatus ſum, & non ſum locutus.* Ita Philo Carpat.

Et Rupertus lib. 6. in Cantica: *Auerte oculos tuos: Auerte, inquam, videlicet itaut prudens & diſcreta ſit contemplatio, ſciendo quod ſim incomprehenſibilis, ego dilectus tuus, ex eoquod ſim Deus; cuius ſubſtantiam vel naturam, quantò quis contemplatur ſubtiliùs tantò ad comprehendendum inſufficiens inuenitur; vt de iſto quoque rectè dicas. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ita Rupertus. Quod de ſumma Dei eſſentia dicitur, & de eius incomprehenſibili natura, hoc multo magis dici debet de eius conſiliis & determinationibus. Nam præterquam ipſamet Dei conſilia ſunt Deus ipſe: quia nihil in Deo quod non ſit Deus, in quantum ſeipſum determinans ad hoc aut illud perficiendum. Non decet vt determinationes tantæ maieſtatis omnibus ſint peruiæ, & cuilibet illam etiam intuenti perſpicuæ. Vnde dicitur ſpeculum voluntatium, quia de ſuis conciliis vnicuique reuelat quantùm ipſe voluerit. Et optimè dixit Iſaias capite. 55. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Sed præcipuè ſi de myſterio prædeſtinationis aut reprobationis agatur; & cur ille potiùs, quàm iſte prædeſtinetur aut reprobetur inquiramus. De his enim conſiliis Dei, ac de iſtis viis exclamat Apoſtolus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Ad Rom. 11. *Scriptura*, inquit Guillaudius in hunc locum, *conſilium Domini de nobis, & de omnibus creaturis iuſtiſſimum & optimum eſſe oſtendit, rationem autem eius à nobis peruestigari non poſſe, eoque viuendum nobis fide promiſſionum eius, fiducia bonitatis eius, vt dicamus cum Dauid Pſal. 72. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, &c.* Hæc ille. A ſeipſo enim, nullo alio monente aut inſtigante: per ſeipſum, nemine ei miniſtrante, aut eum adiuuante: & in ſeipſum, hoc eſt, propter ſe vnum, & ſui ſolius cauſa omnia condidit, ſeruat & regit. Iudicia igitur Dei, quibus de rebus ſtatuit, & eas ordinat, cum ſint incomprehenſibilia: patet

A quomodo rationes illæ, propter quas ſapientia diuina Petrum eligit, Iudam rejicit, Abel benigè reſpicit, à Caïn & à muneribus eius oculos auertit, maneant occultæ, & illi ſoli cognitæ, qui eas habet apud ſe: quia cum agit, non ſine ratione, ſapientia aut intellectu agit, ſed fortiter & ſuauiter de omnibus diſponit, cum ſumma ſapientia & æquitate.

Hoc modo nomen iſtud ſaluatoris nemo ſcit niſi ipſe; quia nemo nouit rationem propter quam Chriſti humanitas, ſeu Chriſtus homo, vt homo, ad tam excellentem gloriam fuerit euectus ſub iſta humanitate potiùs quàm ſub alia. Hoc ſolus nouit, qui autor eſt tanti myſterij. Vnde S. Auguſtin. l. de
B prædeſtinat. Iſ. c. 15. *Eſt etiam, inquit, præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſaluator ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparauit? Reſpondeatur quæſo. Ille homo vt à verbo patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus, filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruerit? Quod eius bonum qualecumque præceſſit? Quid egit, aut quid credidit? Quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente verbo, ipſe homo ex quo eſſe cæpit, Filius Dei vnicus eſſe cæpit? Nonne filium Dei vnicum fœmina illa gratiâ plena concepit? Nonne de Virgine Maria Dei Filius vnicus natus eſt, non carnis cupedine, ſed ſingulari Dei mu-*
C *nere? Nunquid metuendum fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat quantò magis peccato ſeruire non poterat? Nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, & alia ſi qua eius propria veriſſimè dici poſſunt, ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis.*

Addit his Auguſtinus: *Reſpondeat hic homo Deo; ſi audet, & dicat: Cur non & ego? Et ſi audierit: O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat: Quomodo audio: Tu quis es, ô homo? Cum ſim quod audio, id eſt homo, quod eſt & ille de quo ago; cur non ſim quod & ille?* Hæc Auguſt. Quod ſi reſpondeatur. At gratiâ
D Dei ille talis ac tantus eſt: reſponderi poterit: Cur diuerſa eſt gratia, vbi natura communis eſt? Certè non eſt perſonarum acceptio apud Deum: Ad hæc omnia S. Auguſtinus nihil aliud dicit, quàm ineptum eſſe talia inquirere: dum ait: *Quis, non dico Chriſtianus, ſed inſanus hoc dicat?* Ita Auguſt.

Adeo verum eſt rationem illam, per quam Deus voluit ſub hac humanitate, non ſub alia verbum diuinum apparuiſſe, omnem fugere intellectum. Solus igitur ille nouit nomen, quo hæc prærogatiua humanitatis Chriſti ſignificari poteſt: quia ſolus Deus ſcit rationem cur hanc potiùs quàm aliam humanitatem ſuſceperit & aſſumpſerit, ſicut ſolus nouit cur Petrus potiùs quàm Iudas veram pœnitentiam egerit & efficacem gratiam acceperit, quia in
E gloriam peruenit: derelicto Iuda in ſua finali impœnitentia, moriente in peccato ſuo, vt abiret in locum ſuum, vt loquitur S. Petrus Act. 1. Hæc enim omnia, tam in Chriſto capite quàm in membris, pendent à mera Dei voluntate, & libero arbitrio, & à gratia eius. Vnde ibidem S. Auguſtinus aſſerit ex eodem fonte gratiæ manare humanitatis Chriſti exaltationem, & noſtram prædeſtinationem: *Appareat itaque in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundùm vniuſcuiuſque menſuram ſe per cuncta eius membra diffundit? Eâ enim gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de quo ſpiritu & hic renatus, de quo ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt vt nullũ haberet peccatum. Sicut ergo præ-*

deſtinatus eſt ille vnus, vt caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſumus, vt membra eius eſſemus, Humana hic merita conticeſcunt, quæ perierunt per Adam; & regnet quæ regnat Dei gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vnicum Dei Filium, Dominum noſtrum; quiſquis in capite noſtro præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat: neque enim retributa eſt Chriſto illa generatio, ſed tributa; vt alienus ab omni obligatione peccati, de ſpiritu & virgine naſceretur: ſic & nobis vt ex aqua & ſpiritu renaſceremus, non retributum eſt pro aliquo merito, ſed gratia tributum. Et ſi nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus priores nos dediſſe aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio ſalutaris. Ille quippe nos fecit credere in Chriſtum, qui nobis fecit, in quem credimus, Chriſtum. Ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Ieſu, qui fecit hominem Principem fidei & perfectionem Ieſum. Sic enim eſt appellatum, vt ſcitis, in Epiſtola ad Hebræos. Ita Auguſtinus. Igitur cum tum prædeſtinatio capitis quam membrorum, à voluntate Dei pendeat, & ex gratia proficiſcatur, non mirum ſi nemo poteſt ſcire nomen illud admirabile, quo poteſt deſignari humanitatis Chriſti exaltatio, ſecundum illam rationem qua Deus voluit illam ſic exaltari: ſicut & de vnoquoque electorum etiam dicitur, *Et dabo illi calculum, & in calculo nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Apocalypſ. 2.

Quantùm ad ſecundum modum, quo Chriſtus Dominus accipit nomen, quod nemo ſcit niſi qui accipit: notandum eſt inter Chriſtum & electos hoc intereſſe, quod iſti ſciant nomen ſibi datum, per ſcientiam experimentalem gaudij quo fruuntur, & lætitiæ, quam concipiunt ex gloria quæ Deo propter eorum prædeſtinationem obuenit: non tamen ſciunt abſtruſum illud conſilium, quo Deus potiùs hos quàm illos ad gloriam admiſerit & elegerit, quamuis videant hoc ad manifeſtandam diuinam maieſtatem plurimùm conducere. At Chriſtus ſecundùm quod homo eſt, perfectiſſimo modo cognoſcit, quantùm hoc inſeruiat ad manifeſtationem gloriæ maieſtatis diuinæ, quod eius humanitas, & hæc, non alia, ad tantum honorem fuerit euecta. Secundum autem quod Deus eſt, comprehendit hoc diuinum conſilium electionis omnium prædeſtinatorum, & reprobationis malorum, & ſpecialis exaltationis & prærogatiuæ humanitatis ſuæ ſupra omnia. Vnde eius anima perfectiori modo cognoſcit Deum in ſua exaltatione plurimùm glorificari. Hinc oritur ille ſecundus modus concipiendi quomodo Chriſtus accipiat nomen, quod nemo nouit niſi ipſe: quia ex illa cognitione perfectiſſima, humanitas Chriſti, ſeu Chriſtus, qui charitate immenſa Deum glorificari deſiderat, magnam concipit lætitiam; & ſic ſolus ſcit nomen illud, quo deſignatur ille ſpecialis modus glorificandi Deum: quia ſola anima Chriſti experitur quantum Deus in ſua glorificatione honorificetur.

Sciant igitur, & cognoſcant omnes quòd Ieſus Chriſtus ſit Deus & homo, hominum Redemptor & Saluator, iudex viuorum & mortuorum à Deo conſtitutus, & quod in nullo alio nomine ſalutem conſequi poſſumus, iuxta illud Iſa. c. 45. *Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus & non eſt alius. In memetipſo iuraui: egredietur de ore meo verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dices: Meæ ſunt iuſtitiæ & imperium. Ad eum venient & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino iuſtificabitur & laudabitur omne ſemen Iſraël.* Ita Iſaias. Hæc de Chriſto ſcimus, & de eius nomine glorioſo. Sed quænam ſit illa ratio ſpecialis determinans Dei voluntatem, vt hanc humanitatem ad tantam gloriam euexerit, nullus beatorum hoc perfectiſſimè comprehendere poteſt. Dei enim conſilium nemo perfectè comprehendit. Sola anima Chriſti apprehendit quantus honor, quantum gaudium, quanta lætitia ſibi proueniant, ex tam abſtruſo & incomprehenſibili Dei conſilio. Et ſicut ardentiori deſiderio exoptat Dei maieſtatem glorificari in omnibus: videns Deum perfectiſſimè in ſeipſa glorificari, vehementiori lætitia perfunditur, quam nemo ſcit, niſi qui accipit. Itaque quilibet electorum ſolus ſcit ſeu experitur gaudium, quo perfunditur ex illo diuino & incomprehenſibili Dei conſilio, quo tot hominibus neglectis & derelictis fuit in gloriam æternam euectus, vel hunc ordinem & gradum obtineat in numero electorum, neceſſarium ab abſolutiſſimam manifeſtationem diuinæ maieſtatis (gaudent enim re vera omnes electi de ſingulorum aliorum beatitudine, quia vident Deum ex ipſa glorificari.) Inſignem concipiunt lætitiam ex propria beatitudine, dum cognoſcunt ſe ſpecialiter Deum glorificare; & cum magna congratulatione dicunt: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quid dicam? Me elegit præ cæteris: me dilexit, vt in me glorificaretur: me in tam glorioſo ſtatu collocauit, & modo tam ineffabili mihi hanc gloriam, & in hunc gloriæ gradum comparauit. Quis me à dilectione tam amabilis creatoris & redemptoris ſeparare poſſet? Pereant cuncti qui ab eo ſeparari voluerint. Ego ſemper illi adhærebo: nunquam eum dimittam. Talia poſſunt dicere, qui ad glorificandum Deum ab beatitudinem vocati & electi ſunt, vnuſquiſque in ſuo ordine, & ſub ſpeciali ratione & modo. Multò magis ſancta Chriſti anima Deum collaudabit, videns ſecundùm Dei conſilia in ſua exaltatione Deum ampliùs glorificari, quàm in qualibet alia creatura; & quo altius & profundius eſt Dei conſilium circa eius exaltationem iſta maiori perfundetur gaudio, quòd Deus in ipſa ſpecialiter honorificetur. Illud igitur teſtimonium interiùs, quod reddit Spiritus ſanctus. Animæ Chriſti, ſpecialis Dei erga eam dilectionis, qua propter altiſſimas rationes Deus voluit eam gratificare, & tam ſublimem gradum & dignitatem illi tribuere, vt nihil ſupra eam euehi poſſit; illud inquam, teſtimonium nec concipi nec explicari poteſt, nec effectus tantæ dilectionis ab alio experiri quàm ab eo; qui ſic ſpecialiter diligitur, vt non modò tantæ gloriæ fiat particeps, ſed etiam cauſa ſit inſtrumentalis & exemplaris prædeſtinationis aliorum, & quaſi menſura, & regula omnium aliarum communicationum ad extra ſupremæ Dei bonitatis. Cauſa, inquam, non actus prædeſtinantis, qui nullam admittit cauſam, cum ipſe ſit cauſa omnium: ſed termini & effectus illius, *In quantum*, vt ait ſanctus Thomas, *Deus ſic præordinauit noſtram ſalutem ab æterno, prædeſtinando vt per Ieſum Chriſtum compleretur. Sub prædeſtinatione enim æterna non ſolùm cadit id quod eſt fiendum in tempore, ſed etiam modus & ordo ſecundùm quem eſt complendum in tempore. Eſt etiam exemplar, non actus prædeſtinantis, ſed, vt dictum eſt, effectus aut termini ipſius: primò, quantum ad bonum, ad quod prædeſtinamur: ipſe enim prædeſtinatus ad hoc quod eſſet filius naturalis, non autem ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participatio imaginis filij ſui. Secundò, quantum ad modum conſequendi iſtud bonum quod eſt per gratiam: quod quidem in Chriſto eſt manifeſtiſſimum: quia natura humana in Chriſto nullis præcedentibus meritis eſt vnita filio Dei.* Ita S. Thom. Sed vt hæc adhuc explicatiùs poſſint declarari, videndum in quo ſubiecto tam glorioſum nomen inſcribatur?

Digitized by Google

In quonam ſubiecto ſit inſcriptum nomen illud Chriſti glorioſum? §. 9.

Vt meliùs intelligamus Chriſti nomen, deſignans illum honorem præcellentiſſimum, quo affecta eſt ſacra eius humanitas, iuxta abſtruſa & incomprehenſibilia Dei iudicia ad gloriæ ſuæ manifeſtationem, inquirendum eſt in qua parte corporis illud nomen inſcribi cenſeatur, vel in quonam genere indumenti eius poſſumus dicere illud eſſe inſcriptum?

Dico primò: Cum eadem ſit ratio capitis & membrorum, & Chriſtus ſit primogenitus electorum omnium, de quo in capite libri vitæ ſcriptum eſt vt faceret voluntatem Dei: ſi ſignum prædeſtinationis eorum in fronte deſcriptum legimus in capit ſeptimo: *Quoadusque*, inquit, *ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*, non abs re erit ſi dicamus hoc nomen (ſignum & indicium exaltationis illius, quam nemo poteſt concipere aut ſcire quàm ipſe) ſcriptum eſſe in eius fronte: vt ſicut conſignantur fideles in fronte, ita ipſe vnctus oleo vnionis hypoſtaticæ præ conſortibus ſuis, conſignetur etiam in fronte. Confirmatur: quia hic Dux præclariſſimus in campum certaminis deſcendit, vt conterat beſtiam illam, ſupra quam mulier ſedet, in cuius fronte ſcriptum eſt, *Myſterium, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Rationi igitur videtur conſonum, vt in fronte ſuo gerat inſigne illud nomen, in cuius virtute proſternere debet omnes ſuos hoſtes, & aduerſarios. Si tamen Ludouico ab Alcazar credere velimus, indubitatum illi apparet illud nomen ſcriptum eſſe in diademate: aut capitis pileo.

Si primam ſententiam amplectamur, dicimus hoc nomen in capite Chriſti ſcriptum eſſe, ad denotandum Deum ſolum, ſeu Chriſtum ſolum, vt Deum ſcire rationes ſpeciales dilectionis & electionis humanitatis Chriſti ad tantam dignitatem, vt videlicet ille homo verè ſit filius Dei naturalis, non adoptiuus. Caput enim Chriſti Deus: cuius conſilia ſolummodo ſibi ipſi nota ſunt, nec alicui creaturæ nota ſunt, niſi in quantum illa manifeſtare voluerit. *Porrò*, inquit Dionyſius Carthuſ. *in eo quod ait; Quod nemo nouit, niſi ipſe; non excluduntur Pater & Spiritus ſanctus. In his enim, quæ abſolutè Deo conueniunt, quod de vna perſona dicitur, de aliis quoque duabus intelligi datur: ſicut cum filius ait ad Patrem: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et iterum: Nemo nouit Patrem niſi filius. Et cum ait Apoſtolus; Quæ ſunt Dei nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei.* Ita S. Dionyſius. Non excludendo igitur Patrem & Spiritum ſanctum, ratione æqualitatis, dicimus hunc hominem (quia non purus homo eſt, ſed Deus) cognoſcere ſolum & comprehendere perfectiſſimè ſecundum omnes rationes & modos, quanta ſit excellentia poteſtatis illius eminentis, quæ data eſt à Deo in cœlo & in terra humanitati ſuæ, ratione vnionis hypoſtaticæ; Et quibus rationibus inductus Deus decreuit hanc numero humanitatem ad tantam dignitatem ſublimari.

Si autem in diademate dicamus illud nomen eſſe ſcriptum, dicendum erit cum Alcazar, quòd *ſi per diademata denotentur regna atque victoriæ, compendiaria diadematis inſcriptio ſiue nota, eiuſmodi eſſe debet, quæ ad victoriæ magnitudinem, & ad Chriſti regnum imprimis conducat; deinde quod ſubditur, perinde erit ac ſi dicatur ſolus ipſe agnoſcere quot ſint & quantæ ipſius victoriæ glorioſiſſimæ. Et fortaſſe nomen victoriis imponere, eſt definire quot ſint à Chriſto ſuperandi, id eſt, ipſius Euangelio ſubjiciendi: id quod ipſe ſolus nouit.* Ita Alcaz. Ad huius expoſitionis elucida-
A tionem, dicendum ſubiectum huius nominis eſſe facultatem intellectualem animæ humanitatis Chriſti, vt homo eſt, & non Deus; in qua ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ reconditi. Docent namque Theologi Chriſtum in hac vità per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia præterita, præſentia, & futura, circa homines Angelos, & ſeipſum. Ratio eſt quia debuit omnia ſcire, quæ ad ipſius ſtatum & officium pertinebant: ſed omnia præterita, præſentia, & futura circa homines & Angelos pertinebant ad ipſius ſtatum & officium triplici ex cauſa. Primò, quia erat caput hominum & Angelorum; ſecundò, erat magiſter & præceptor Apoſtolorum, qui docturi erant totum mundum: Tertiò, futurus
B erat omnium iudex. Hinc comæ capitis eius dicuntur tanquam purpura Regis: quia ſicut Rex ornatur purpura, ita intellectus eius, ſcientiâ omnium ad regiam dignitatem pertinentiū, vt fœliciter Eccleſiam ſuam dirigat, & regat ſapientiſſimè eius. Fauet Iuſtus Orgelitanus, dum per capitis comam Martyres & eminentiores ſanctos intelligit: *qui per purpuram conſimilati intelliguntur, Chriſto, id eſt, regalibus ornamentis, & ſalutaribus doctrinis.* Quin & Rupertus in Cantic. 7. per comas capitis intelligit *ſenſus cordis in meditando & cogitando myſteria legis Dei.* Ita Rupertus. Si igitur hunc locum ad humanitatem Chriſti applicemus, per comas capitis doctinam & ſcientiam animæ Chriſti deſignare poterimus. *Anima igitur*
C *Chriſti in verbo cognoſcit*, inquit S. Thomas. 3. q. 10. ar. 2. *omnia exiſtentia, ſecundùm quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum eſt iudex: itaus quod de eo dicitur, Ioan. 2. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine: poteſt intelligi non ſolùm quantùm ad ſcientiam diuinam ſed etiam quantum ad ſcientiam animæ eius, quam habet in Verbo.* Ita S. Thom.

Optimè igitur mens Chriſti à verbo inſtructa cognoſcit ad quæ ſe extendat poteſtas excellentiæ, quæ ſibi collata eſt, & omnes illius effectus quos producere debet; quibus manifeſtanda ſit ſuprema dominatio diuinæ maieſtatis ſuper omnes creaturas, in genere & in ſpecie, vel in indiuiduo conſideratas: proinde ſupra omnia regna mundi, populos & na-
D tiones, quas Pater filio dedit in hæreditatem & poſſeſſionem. Omnes autem illi effectus tantæ poteſtatis ad bonum regimen Eccleſiæ ſpectant, & præcipuè ad bonum electorum ordinantur, vt conjici poteſt ex eo quod ait Chriſtus, Marci 13. *Sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.* Et ex c. 3. 1. ad Corinth. *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue Mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus Dei. Omnia*, inquiunt Sedulius & Primaſius, *propter ſanctos creata ſunt, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Si igitur omnia ſunt propter electos, non mirum ſi diadema Chriſti, ſi corona & caput & eius, id eſt, mens eius optimè ſciens quidquid facien-
E dum eſt propter bonum electorum, dicatur Eccleſiæ. Quaſi dicatur: Quidquid in Chriſti mente reuoluitur, ad bonum Eccleſiæ ſpectat. Iſaiæ 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam: donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iuſtum tuum, & multi reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen nouum; quod os Domini nominauit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu deſtrui. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs deſolata: ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino tuo in te, & terra tua inhabitabitur.* Ac ſi ad Eccleſiam verba dirigens diceret: O Eccleſia ſancta! cum filius Dei ſaluator tuus apparuerit in te, producens effectus præclaros illuminationis &

Digitized by Google

ſalutis : & cum ipſe agnitus fuerit in cunctis nationibus & regnis, regeſque terræ in eum crediderint, tunc vocaberis nomine nouo, quod os Domini nominauit. Eris enim in manu eius quaſi corona, & diadema, ſignum & indicium Regiæ maieſtatis eius, & ſupremæ dominationis. Nam cum ei data ſit tanta poteſtas exercendi & producendi in te exquiſitiſſimos quoſdam effectus, itaut nomen illã poteſtatem ſignificans, incomprehenſibile, & ineffabile ſit, quia illa poteſtas incomprehenſibilis, & ineffabilis eſt : eos omnes ita in te producit, vt per illos ab omnibus agnoſci queat Rex Regum & Dominus Dominantium. Nec enim tam clarè & euidenter Reges terræ per diademata ſuæ maieſtatis indicia produnt, quàm apertè hi omnes effectus indicant in Chriſto ſummam eſſe poteſtatem, & rerum omnium adminiſtrationem. Sic non vocaberis vltra derelicta, quia Deus tuus adiutor tuus erit, qui te à peccatis tuis ſaluam faciet. Non vocaberis vltra deſolata, quia facies fructus dignos pœnitentiæ, quibus diuinæ maieſtatis perfectiones, bonitatis, ſapientiæ, & iuſtitiæ ſplendores ſuos emittent. Vocaberis enim, *Voluntas mea in ea.* Et dum per te manifeſtabit diuinam ſuam maieſtatem, prout decreuit, gaudebit ſuper te, & in te gloriabitur : & erit Deus tuus, & tu eris populus eius. Deus enim in medio tui non commouebitur. Non inueniet in te cauſam, cur aliâ via & ratione tecum agendum illi ſit : ſed iucundum ſibi in te præparabit habitaculum. Sed quia nullus ſcit quæ Chriſtus decreuit & ſtatuit peragenda in Eccleſia pro manifeſtatione diuinæ potentiæ, niſi prout illa reuelat, vel ea perficit : & quia numerus electorum omnibus eſt ignotus, donec compleatur: & rationes electionis iſtorum, & reprobationis aliorum, iuxta abſtruſa & occultiſſima Dei iudicia, omnibus ſunt incognitæ : ideo nomen illam poteſtatem Chriſti ſignificans (qua ſecundum ſcientiam humanitati eius collatam, omnes illos producet effectus, ad omnipotentiæ diuinæ manifeſtationem) dicitur omnibus eſſe incognitum, & quod nemo illud nouit, niſi ipſe.

At cum pluribus modis hi effectus ſupremæ poteſtatis diuinam maieſtatem manifeſtent, hi (vt mihi videtur) in ſequentibus declarantur. Primus modus manifeſtationis diuinæ maieſtatis eſt, vt per illos effectus pateat omnibus quanta ſit charitas Dei erga homines, vt voluerit per paſſionem & mortem crucis homines redimere. Secundus eſt, vt omnibus innoteſcat quanta ſit Dei ſapientia, qui voluit vt redemptionis illius fructum non obtineamus, niſi per quamdam participationem doloribus & paſſionibus Chriſti. Tertius modus eſt, vt quanta ſit Dei ſanctitas appareat, qui nobis gratiam & ſanctitatem elargitur meritis paſſionis Chriſti. Denique eius gloria & immortalitas manifeſtatur, dum ſtola gloriæ & immortalitatis nos induere dignabitur. Hæc ex ſequentibus declaranda ſunt.

Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine. Et vocabatur nomen eius verbum Dei. Et exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis, veſtiri byſſino albo & mundo.

Quaenam ſit veſtis Chriſti, quæ ſit aſperſa ſanguine illius ad manifeſtationem charitatis & ſapientiæ Dei ? §. 10.

Audio Iſaiam c.63. plures veſtes Chriſto aſſignantem, dum ait? *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra ? Iſte formoſus in ſtola ſua : gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor iuſtitiam : & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt* A *indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? &c.* In hac veſte aſperſa ſanguine ſignificari exiſtimo quodlibet indumentum, quo iuxta ſanctam ſcripturam Chriſtus indui potuit, ſiue tunicam, ſiue pallium, iuxta illud Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt ; & ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pallium ſuum, & ad viſem, o fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Geneſ. 49. Vides duplicem veſtem Chriſto aſſignatam, pallium & tunicam. Pallium autem, iuxta Pagninum Begel dicitur hebraicè, vt patet ex cap. 39. Geneſ. verſ. 12. & 13. 15. 16. & 18. & ex 4. Regum c. 2. verſu 10. & c. 4. v. 39. & c. 9. v. 13. B indumenta autem alia ſeu tunica ſignificantur vocabulis, leuous, & mauous, apud Iſaiam c. 63. loco citato. Quid autem per ſtolam ſeu tunicam, quid per pallium intelligere debeamus, Geneſ. 49. docent interpretes. Inter quos Cornel. à Lapide, *Lauabit*, inquit, *Chriſtus in vino ſanguinis ſui, ex charitate effuſi, ſtolam ſuæ carnis innocentiſſimæ, vt eo ſanguine rubricata & dealbatam, id eſt, purior effecta, ablutis omnibus mortalitatis, vitæque huius miſeriis, glorioſa reſurgat : & in ſanguine vuæ pallium ſuum : ſanguis vuæ eſt vinum ſanguinis Chriſti. Pallium Chriſti eſt Eccleſia, quam mundat lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ita Cornelius poſt Tertullianum, lib. de Trinitate. *Lauabit ſtolam ſuam in vino, & ſanguine amictum ſuum. Si ſtola in Chriſto caro eſt, & amictus* C *ipſe corpus eſt, requiratur quiſquis eſt ille, cuius corpus amictum eſt, & ſtola caro. Nobis enim manifeſtum eſt, carnem, ſtolam, & corpus amictum verbi fuiſſe ; quique ſanguine, id eſt vino, lauit ſubſtantiam corporis, & materiam carnis, abluens ex parte ſuſcepti hominis, paſſione. Ex quo ſiquidem lauatur, homo eſt : quia amictum, quod lauatur, corpus eſt. Qui autem lauat, Verbum Dei eſt : qui vt lauaret amictum, amictus ſuſceptor factus eſt, meritò ex ea ſubſtantia, quæ recepta eſt vt lauaretur, homo exprimitur, ſic vt ex Verbi autoritate, qui lauat, Deus eſſe monſtretur.* Hæc Tertullianus. Qui & ſtolam, & amictum ad carnem & corpus Chriſti verum videtur referre. Iſidorus autem Hiſpalenſis ad Eccleſiam refert ſtolam, & pallium ad gentes, quas corpori ſuo coniunxit. D *Lauabit*, inquit, *in vino ſtolam ſuam, ſiue carnem ſuam in ſanguine paſſionis, ſiue ſanctam Eccleſiam in illo vino, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et in ſanguine vuæ pallium ſuum. Pallium gentes ſunt, ſicut ſcriptum eſt : Viuo ego, dicit Dominus : niſi hos omnes induam ſicut veſtimentum.* Ita Iſidor. in Geneſ. c. 31.

Hinc duæ dantur huius loci Apocalypſis expoſitiones. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, id eſt, carne reſperſa proprio ſanguine, ſeu Eccleſia in ſanguine Chriſti dealbata, & per Martyres alioſque, qui compatiuntur Chriſto, proprio eorum ſanguine purpurata. Primaſius : *Sparſam porrò dicens ſanguine veſtem Chriſti, paſſionis eius indicia deſcribuntur, ſiue in* E *ipſo capite, ſiue in corpore, quod eſt Eccleſia. Hinc Apoſtolus ad Hebræos docet ab initio ſine ſanguine remiſſionem peccatorum non celebrari in illis legalibus pecorum victimis. De Eccleſia quoque dicit : Vt adimpleam ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea ; mea memor vocis auditæ, Saule, Saule, quid me perſequeris ? Quicquid enim Eccleſia patitur, Chriſtus pati veraciter dicitur.* Ita Primaſ.

Ambroſius : *Per veſtem corpus Chriſti : per ſanguinem verò, peccata noſtra, pro quibus mortuus eſt ipſe ; ſiue ipſam mortem, quam pertulit pro nobis, intellige. Sed quia peccata electorum ſuorum moriendo deleuit, & ipſam mortem reſurgendo calcauit, (ſicut dicit Apoſtolus Paulus : Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur ;) melius mihi videtur, vt per veſtem Chriſti, multitudinem ſanctorum intelligamus,*

qui

A *qui ſunt membra eius. Per guttas autem ſanguinis, quibus veſtis aſperſa eſſe legitur, martyres deſignantur, qui pro amore Chriſti ſanguinem fundere non debitarunt. Ideo veſtem Chriſti, quæ ex Angelis & ſanctis hominibus conſtat, in illa cæleſti beatitudine ſuo ſplendore exornant.* Ita Ambroſ.

S. Thomas: *Veſtitus eſt veſte, id eſt carne, qua quaſi operuit diuinitatem. Aſperſa ſanguine. Ad literam caro Domini fuit aſperſa ſanguine, aſperſa in flagellatione ad columnam, & in crucifixione, & lateris apertione. Iſaiæ 63. Quare rubrum &c. Vel veſte, id eſt Eccleſia, quæ in ſuis martyribus occiditur. Eccleſiaſt. 11. Quaſi veſtis eſt ipſius Domini qui ei adhæret, ſicut veſtis homini. Et per hoc patet Chriſti familiaritas ad iuſtos, &c.* Ita S. Thom.

At in eo quòd caro eius immaculata proprio ſanguine fuit aſperſa, indicatur quantus fuerit amor Chriſti erga nos, qui tanta pati voluit pro ſalute noſtra. In quantùm vero pallium ſuum, nempe Eccleſiam, vult etiam ſanguino aſpergi, & multas tribulationes pati, vt cum eo intret in gloriam, abſtruſiſſima ſapientiæ diuinæ conſilia proculdubio deſignantur.

Hac enim de cauſa in triumphali veſte purpureus & ſanguineus color apparet, vt ſciamus gloriam triumphi in eo conſiſtere, quòd pro amicis ſuis mortem ſubire voluerit, imo pro inimicis vt eos ſibi amicos redderet. Vnde ſaluatis à morte peccati, per mortem ipſius, ſperandum quod ab omnibus pœnis & miſeriis aliquando liberi erimus, dum cum illo morientes, cum illo reſurgemus. Vnde Paulus Roman. 5. *Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundùm tempus, pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Lauauit igitur in vino ſtolam ſuam: quia amore noſtro delectatus, & quaſi inebriatus Pater æternus factus eſt tanquam dormiens crapulatus à vino, dum patienter nos peccata multiplicantes tolerauit. Sed tandem excitatur & irâ percitus, vt peccata ad rigorem puniret, & tamen nos miſericorditer ſaluaret, proprio filio ſuo non pepercit: ſed patri irato factus ſponte obuius, (*oblatus eſt* enim, *quia ipſe voluit,*) ab eo fuit percuſſus & humiliatus, dum omnes fluctus iracundiæ ſuæ ſuper eum induxit. Et tunc apparuit quòd *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*; Et quanta nos filius charitate proſequeretur qui pro nobis in circumciſione ſua, in ſudore ſanguinis, in horto, in flagellatione, coronatione, crucifixione, lateris apertione, omnem ſuum effundere voluit ſanguinem pro noſtra ſalute.

Lauat inſuper in ſanguine vuæ pallium ſuum: nam cum Eccleſiâ veſtiatur, iuxta illud Iſaiæ 49. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, quia his in omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa*; hanc ſponſam non modo lauat in ſanguine ſuo per iuſtificationem, ſed & vult ſanguine aſpergi, quia omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, oportet vt cum Chriſto patiantur. *Non eſt enim ſeruus maior Domino ſuo. Sufficit enim diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius*; nec decet ſub ſpinoſo capite corpus reperiri delicatum. In quo ſapientia Dei plurimum refulget: nam dum per temporales afflictiones nos à mundi illecebris retrahit, tantò magis fortiores reddit, vt ad æterna capeſſenda adſpiremus. Contraria enim contrariis curantur.

A Quos delitiæ paradiſi terreni, è cæleſti, nec non & terreno expulerunt, illos in cæleſtem reuocare par eſt per ſpinarum & tribulorum punctiones, quibus in valle iſta lacrymarum quotidie pungimur, & vrgemur. Inſuper ſummæ ſapientiæ indicium eſt, vno (vt ita dicam) ictu hoſtes proſternere, & ciues ſaluare. Vnde merito Chriſtus gloriari videtur de paſſione ſua & morte, qua deuictis cunctis hoſtibus ſibi nomen ſupra omne nomen comparauit, & nobis vitam & ſalutem attulit, dum ad Patrem ipſo redeunte, interrogantibus Angelis, quaſi rei nouitate perterritis, vt ait S. Hieronymus (myſterium enim paſſionis Chriſti ſecundum Apoſtolum cunctis retro generationibus fuerat ignoratum) interrogantibus, inquam, hoc modo: Quis eſt iſte, qui de B terra cruentus aduenit: (Edom quippe in linguam noſtram & terrenus & cruentus exprimitur) tinctis veſtibus de Boſra? Id eſt, ſecundum Hieronymum, *firma munitione, de Ieruſalem firmiſſimis muris circumdata, in qua paſſus eſt Dominus: Vel de inferno, de quo ſcriptum eſt: Quis deducet me in ciuitatem munitam? In qua clauſa ſunt animæ mortuorum, & circumdata eſt firmiſſimis cuſtodiis,* inquit Hieronymus. Ad has, inquam, interrogationes reſpondet Dominus, quaſi de ſtrenuiſſimo, & glorioſiſſimo ſtratagemate gloriabundus, & exultans de victoria: *Quæritis qui ſim, quo ad cælos cruentus aſcendam, & ſanguine quo aſperſus ſum deformitatem nullam contraham, ſed pulchritudinem &* C *decorem? Ego ſum cui Pater tradidit omne iudicium, de quo & Pſalmiſta dicebat: Deus iudicium tuum regda, & iuſtitiam tuam filio Regis, qui loquor iuſtitiam, vt malis mala, & bonis retribuam bona; qui veni pugnare contra aduerſarias poteſtates, & captiuis prædicare remiſſionem, & vinctos de carcere liberare, vt & aduerſarÿ pœnas, & captiui ſentiant libertatem.* Ita S. Hieronymus in hunc locum.

Et vocabatur verbum Dei.

Cur is, cuius nomen dicitur illi ſoli cognitum, nunc vocetur verbum Dei? §. 11.

D Quæſtionem iſtam mouet Primaſius, & ita concludit vt ſequitur. *Si nulli,* inquit, *nomen eius noſſe conceditur; cur apertè Verbum Dei nunc prædicatur? Sed ſicut legimus, Nemo acendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo: vt ſic intelligamus quod ſi quis membrorum aſcenderit in ipſo capite, & per ipſum caput meretur aſcendere, qui hoc ſuis membris, & ſperari dedit promittendo, & poſſideri faciet implendo: ita & hîc ſolus Chriſtus noſſe dicitur, quod eius ſponſa in ipſo ſcire conceditur, per quem, & in quo Eccleſia perdocetur.* Ita Primaſius. Quia igitur Eccleſia omnem ſuam ſcientiam habet à Chriſto, ideo ſolus ille dicitur ſcire quod per eum ſolum ſcire poteſt Eccleſia.

Andreas Cæſarienſis: *Aliter reſpondet verbum dici,* E *non quaſi hoc nomen exprimat perfectè Chriſti Domini maieſtatem, ſed vt aliquid de eo capere & intelligere valeamus. At hæc dixerint, inquit, quiſpiam, quæ paulo ante expoſita ſunt, magis infirmant quam confirmant. Nam quomodo nullum nomen habet, omnibuſque ignotus eſt ille qui hîc verbum nominatur? Verbi nomen, hypoſtaſi filij tribuitur, ad deſignandam impatibilem eius ex Patre generationem: ſiquidem noſtrum quoque verbum ex mente noſtra impatibiliter procedit: aut ob id verbum nominatur, quod rerum omnium rationes in ſe contineat; aut ob id certè, quod paternæ ſapientiæ & virtutis internuncius, & quaſi interpres exiſtat.* Ribera & Viegas, apud Ludouicum ab Alcazar. Commentar. 1. volunt Verbum Dei hoc ipſum eſſe nomen, quod nouerit nemo, niſi ipſe Chriſtus: quia id nomen creaturæ eſt incomprehenſibile. Ipſe autem Alcazar vult quòd

cognoſcere alicuius nomen, non ſic ipſius myſteria A comprehendere; ſed ſolùm noſſe ipſius appellatio-nem. Qui autem Chriſtum appellant Verbum Dei, omnes hoc illius nomen rectè norunt. Cæterùm præter hoc nomen, quod textus Chriſto attribuit, affirmat aliud præterea nomen eidem Chriſto ineſſe in ipſius capitis diademate impreſſum: quod tamen nomen ſolus Chriſtus agnoſcit. Ita ille. Quicquid ſit, certè Propheta optimè addit: *Et vocabatur Verbum Dei*; vt ſciamus à quo dependeat noſtra redemptio, & ipſum eſſe Verbum Dei, cuius veſtis aſperſa fuit ſanguine in paſſione, & cuius ſectatores, eius veſtigiis inſiſtentes, debent pro eius amore proprium ſanguinem effundere, ad charitatis & ſapientiæ ſuæ manifeſtationem. Solus ille namque poteſt peccata B delere, animas ſanctificare, ſuper omnia regnare, & hoſtes viſibiles & inuiſibiles regni ſui conterere, vt de Eccleſia audiatur hæc vox c. 12. *Nunc facta eſt ſalus* (ecce peccatorum remiſſio) *& virtus* (Ecce animarum ſanctificatio) *Et regnum Dei noſtri* (Ecce regni erectio) *& poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac noctè. Et ipſi vicerunt eum, propter ſanguinem agni, & propter verba teſtimonij ſui: & non dilexerunt animas ſuas, vſque ad mortem.* Cum igitur tanta ſit fidelitas, veritas, æquitas, iuſtitia, ſapientia, & prouidentia, & poteſtas huius ducis inuictiſſimi, non mirum ſi & incomprehenſibile, & ineffabile, & admirabile ſit nomen eius, C quamuis (vt quod de ſe reuelare voluit ſcire poſſimus) verbum Dei vocitetur; ſiue ad ſimilitudinem verbi noſtri interioris, quia emanat à patre ad modū vel per viam generationis; & repræſentat in ſe Patrem perfectiſſimè, ſicut verbum interiùs, ſcilicet cogitato, ſiue notitia procedit, ſiue naſcitur de mente, & nihil menti ſimilius quàm eius verbum, ſcilicet cogitatio vel intelligentia; Siue ad ſimilitudinem verbi exterioris, licèt non ita principaliter, vno modo per reſpectum ad creaturam quamlibet, quantum ad opus conditionis, quia ſicut aliquis facilè profert verbum, ita Deus per verbum ſuum, id eſt filium, facit omnia; alio modo per reſpectum ad creaturam rationalem ſpecialiter quantum ad opus D reparationis, quia ſicut verbum exterius manifeſtat aliis ſecretum mentis, ita filius manifeſtauit hominibus patrem priùs eis ignotum. Ioann. 17. *Manifeſtaui nomen tuum.* Ita S. Thom. In expoſitione.

Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.

Per Chriſti merita & imitationem, omnes fideles ſanctitatem & immortalitatem conſequuntur. §. 12.

Rectè qui Chriſti ſanguine aſperſi, ſeu in ſanguine eius dealbati per iuſtificationem, (qui poſt Chriſtum ire non pertimeſcunt, illius imitatores facti, E dum propter iuſtitiam pati non recuſant, de quibus S. Petrus 1. c. 2. loquitur) ſub nomine cuiuſdam exercitus comprehenduntur. Nec enim putandum eſt abſque certamine illos ad gloriæ ipſius participationem peruenire. Ad hoc enim vocantur, vt contra hoſtes fortiter pro iuſtitia decertent. *Hæc eſt enim gratia*, inquit S. Petrus, *ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſta. Quæ enim gratia ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis. Hæc eſt enim gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Quia autem in cœlo, id eſt, in Eccleſia eorum, qui ad patriam cœleſtem aſpirant, & quorum conuerſatio in cælis eſt, diuerſi ſunt ordines militantium & meritorum: ideo non dicitur in numero ſingulari: Et exercitus qui eſt in cœlo: ſed, *Exercitus qui ſunt in cælo.* Iuxta illud Cant. 7. *Quid videbis in ſulamite, niſi choros caſtrorum?* Chori non chorus: quia diuerſi ſunt militantium ordines, vt optimè aduertit Iuſtus Orgelitanus in Cantica. *Quid*, inquit, *intuendum eſt, niſi diſpoſitio eorum, qui ſemper in procinctu tanquam in caſtris conſtituti, contra diabolum dimicare non ceſſant. Idcirco vtique, ne fideles fidem amittant, ne religioſi apoſtatæ efficiantur, ne miſericordes auaritia obdurentur, ne pœnitentes reuertantur ad vomitum, ne virgines integritatis decore careant, ne continentes caſtimoniæ nitorem amittant. Hi ſunt in Eccleſia Chori caſtrorum iugiter in certamine conſtituti, & Deo muniente ſemper inuicti.* Ita Iuſtus Org. Et certè his omnibus contra multiplices hoſtes decertandum eſt, vt aduertit S. Ambroſ. in conc. de obitu Valent. to. 5. *Quid videbis*, inquit, *in ſunamite, quæ venit ſicut chori caſtrorum? Hoc eſt, in ea, quæ multum & aduerſus plurimos in corpore præliata eſt. Etenim pugnauit aduerſus extraneos hoſtes: pugnauit aduerſus lubricas ſæculi mutationes: pugnauit aduerſus corporis fragilitates aduerſus multiplices paſſiones.* Ita Ambroſ.

Pugnant autem in equis albis, id eſt, in corporibus & animabus mundis: & veſtiuntur byſſino albo & mundo, non ſolùm propter inſignem puritatem & integritatem, ſed etiam ob ſpem certiſſimam victoriæ, & ſtolæ immortalitatis, ſciens quia qui legitimè certauerit, coronabitur, & ſtola immortalitatis & gloriæ induetur. Exercitus igitur qui ſunt in cœlo, id eſt, cætus ſiue multitudo fidelium, cuiuſcumque conditionis & ordinis, contra Diabolum, carnem & mundum pugnant, ad modum exercitus: quia militia eſt vita hominis ſuper terram. Sunt autem in cœlo numero & merito, quia alibi non fit vera & ſalubris pugna, etiam ſi mortem qui ſuſtineat. Vnde Gregorius apud S. Thomam in expoſitione: *Quiſquis extra Eccleſiæ vnitatem patitur, pœnas pati poteſt, martyr fieri non poteſt. Vel in cælo per deſiderium, & intentionem ſequuntur, ſicut ſerui Dominum, ſicut milites principem, ſequuntur imitando & obediendo. In equis, id eſt, in corporibus, in quibus currunt, quaſi cum equis per viam boni operis, quos amor Dei ſtimulat ad bonum. Zacharia 10. Poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello. Equis, inquam, albis, id eſt mundis, qui ab illicitis cohibentur. Veſtiti byſſo; hoc eſt, ornatu meritorum decorantium ad modum veſtis byſſinæ: quia merita cum magno labore acquirantur, ſicut byſſus cum magno labore ad candorem, ducitur. Byſſino albo, ex parte intellectus, contra deformitatem erroris: & mundo, ex parte affectus, contra ſordem concupiſcentiæ vel affectionis.* Ita S. Thomas. Et quia ſic mundis promittitur viſio Dei: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt:* Ideo etiam hic color albus & mundus deſignat ſpem gloriæ animæ & corporis.

Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes.

Verbo ſuo Chriſtus per ſe, & per ſuos victoriam reportare intendit. §. 13.

S. Thomæ expoſitionem amplector, quia ſufficienter horum verborum ſenſum explanat. *De ore*, inquit, *eius, id eſt, de prædicatione eius, ſcilicet Chriſti, procedit. Loquitur pro ſtatu Chriſti in carne mortali, quando prædicabat, & quia idem modo prædicat per ſuos prædicatores, fortaſſe ideo loquitur quaſi de præſenti. Aliqui tamen libri habent: Procedebat gladius, id eſt, ſententia diuini iudicij: quæ incidit illicitos cogitatus, & motus malos. Diuidet etiam malos à Deo, & à ſanctorum conſortio. Acutus, quia virtuoſè ſeparat hominem à vitiis ſententia iudicij: conſiderata tamen cum adiutorio gratiæ. Item ef-*

Digitized by Google

ficaciter ſeparabit malos à bonis in iudicio, vt in ipſo, id A *eſt, cum ipſo per prædicationem annuntiato percutias, perdendo. Omnes gentes, id eſt, omnes gentiliter viuentes, etiam ſi ſint Iudæi genere. Percutiat, inquam, quoſdam ad vitam, qui ſcilicet conuertebantur: quoſdam ad mortem, qui ſcilicet peiores fiebant. Et quod dicit, Omnes gentes, poteſt intelligi de ipſo prædicante per ſe & per ſuos prædicatores.* Ita S. Thom.

Iſtius verbi efficacia in hoc oſtenditur, quia ad opera miſericordiæ & iuſtitiæ extenditur, & vno eodem ictu quoſdam ſaluat, alios exterminat, dum ad eius prædicationem quidam (vt dictum eſt) conuertuntur, alij indurantur. *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam*, inquit Pſalmiſta. Ex his enim effectibus, à nobis Deus (quantum poſſibile eſt in B hac vita) maximè cognoſcitur. Secundò eius efficacia cernitur, quia ſeparat ea quæ maiori vinculo amoris, aut vnionis ſtrictioris ſimul ſunt coniuncta. Quam vim Apoſtolus Paulus declarat ad Hebræos c.4. *Viuus enim eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Tertiò, illius efficacia oſtenditur, in eo quod non redit vacuum, ſed obtinet ſuum effectum, & Deus exequitur quod ſemel voluit voluntate efficaci, iuxta illud: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Quod docet Rupertus, lib. 1. de victoria verbi Dei c. 1. *Victoriam,* C inquit, *verbi Dei, effectum & opus perfectum dicimus propoſiti Dei, ad laudem ipſius omnipotentis & inuicti, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia potuit vel poterit euertere, quin fieret & fiat quod ipſe propoſuit & decreuit fieri.* Ita Rupertus. Qui etiam monet quàm laudabilis, & magna ſit eiuſmodi Verbi Dei victoria, ſi conſideremus diligentiùs qualis & quantus ſit hoſtis, qui propoſitum eius euertere voluit & adhuc contendit, cum ceciderit, & totus victus ſit, nempe draco ille, ſerpens antiquus, vocatus diabolus, & Satanas, orbis vniuerſi ſeductor. Cui ſi adiũgas beſtias illas horribiles è mari & è terra aſ- D cendentes, certè admirabilis eſt vis Verbi Dei, qui tam truces & horrendos hoſtes ſub pedibus conterit, nempe mundi ſuperbiam, & carnis ſeu amoris proprij petulantiam. Victoriam autem verbi Dei Rupertus in tredecim libris oſtendit, quos de victoria Verbi Dei inſcripſit, ad Cunonem Abbatem. Et reuera potentiſſimum eſt verbum Dei, qui *dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* Sed eius maieſtas cernitur, dum à ſeruis Dei prolatum, eoſdem producit effectus, ac ſi à Chriſto immediatè procederet. *Exaltationes Dei in faucibus eorum, gladij ſunt ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Dum enim loquuntur, non ipſi loquuntur, ſed ſpiritus Dei eſt qui in E ipſis loquitur. Vnde os eorum reputatur ac ſi eſſet os Dei, ſeu Chriſti. Ierem. 15. *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Separant enim pretioſum à vili, dum animas tam caro pretio, nempe ſanguine Chriſti redemptas, & ideo pretioſiſſimas, ſeparant ab idololatria, ab erroribus, ab affectu peccatorum, rerumque carnalium ac terrenorum. Inter hos autem verbi adminiſtratores, Petrus & eius ſucceſſores os Dei dicuntur: quia datum eſt præcipuè eis, vt ſeparent pretioſum à vili, errores præſcindendo, & lupos arcendo, & ab agnis & ouibus reſcindendo, denique vt confirment fratres ſuos. *Vos ſcitis,* dicebat olim Petrus *quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere.* Act. 15. Quod alibi fuſiùs expendimus. Ad eum etiam pertinere videntur hæc Ieremiæ verba c. 1. *Et miſit Dominus manum ſuam: & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna; vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes.* Soluit enim & ligat, abſoluit & condemnat, aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit; prout exigit Dei (cuius eſt miniſter) Chriſti (cuius eſt vicarius) cultus & obſequium; & ad eum ſpectare præcipuè videtur S. Ioannes, qui capite 14. tanquam ducem exercitus eum exhibuit ſub ſymbolo Angeli ſedentis ſuper Nubem, habentem in manu falcem acutam, ad metendum, & vindemiandum: quia in eo eſt poteſtas adminiſtrandi verbum Dei, ſiue prædicatione, ſiue ſacramentorum adminiſtratione, ſiue determinatione dubiorum emergentium in Eccleſia, ſiue doctrina eorum quæ facienda ſunt, ſiue præceptis & iniunctionibus, ſiue iudiciis litium conteſtatarum, ſiue abſciſſione per excommunicationem rebellium, & condemnatione ipſorum. Quem Angelum videbimus paulo poſt ſtantem in ſole, quia ſtat in ſplendore veritatis, ad eam confirmandam, tanquam columnam & firmamentum veritatis à Deo conſtitutum.

Et ipſe reget eas in virga ferrea.

Quomodo ſe habeat potentiſſimus ille Rex, erga eos, quos verbo ſuo ſubiecit Imperio? §. 14.

Chriſtus Dominus per ſe, & per Apoſtolos, alioſque prædicatores, prædicatione verbi Regnum ſibi comparauit, dum populi & gentes credentes mandatis ſuis ſeſe ſubmittunt, & eum tanquam Regem, & Dominum agnoſcunt. Hinc dictum eſt quod percutiat gentes gladio ex ore ſuo procedente. Nunc videndum quomodo comparato & conſtituto Regno, ſuos regit ſubditos. Hoc docet S. Ioann. dum ait: *Et ipſe reget eas in virga ferrea.* Qua loquendi formula explicat, propter ſermonem laborum ſuorum, populis ſibi ſubditis cuſtodiendas fore vias duras & difficiles, & ſubeunda eſſe etiam aliquando iudicia quædam ſeueritate & auſteritate plena; præcepta namque eius eos qui ſaluandi ſunt deijciunt in quoddam torcular preſſurarum: quas omnibus piè viuere volentibus tolerare neceſſe eſt. At iudicia eius demergunt rebelles & contumaces in aliud torcular ſuppliciorum, quo fit vt in generationem & generationem in Eccleſia & congregatione fidelium, (qua tanquam veſtimento induitur) appareat ipſum eſſe Regem Regum, & Dominum dominantium.

De virga ferrea, in quantum Chriſtus per præcepta dirigit fideles ad vitam, vel per iudicia illos ad quaſdam pœnas ſubeundas adſtringit & cogit. §. 15.

Non mirum ſi Chriſtus regat ſuos ſubditos in virga ferrea, id eſt, vel interprete Auguſtino, in inflexibili iuſtitia, quæ exigit vt inceſſanter & ſine vlla intermiſſione euntes de virtute in virtutem, ſemper proficientes, & retro nunquam aſpicientes, in via Dei ambulamus, omnium mandatorum eius ſeduli obſeruatores, ſcientes quia qui peccauerit in vno, fiet & conſtituetur omnium reus. Non mirum, inquam, ſi hoc regimen ſit durum: nam ipſe Rex talis eſt, vt diligat iuſtitiam, & odio habeat iniquitatem. Vnde mandata ſua cuſtodiri nimis mandat & præcipit. Pſ. 118. Hæc eſt illa virga, de qua Ieremias: *Quid tu vides Ieremia? Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me: Benè vidiſti: quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.* Ierem. c. 1.

Digitized by Google

Quæ virga ad duos effectus extenditur, miſericordiæ & iuſtitiæ: miſericordiæ, in directione, per præceptorum obſeruationem ad vitam: iuſtitiæ, in punitione peccatorum.

De prima dixit Propheta, Pſ. 44. *Sedes tua Deus, in ſæculum ſæculi. Virga directionis virga regni tui.* Quem locum expendens S. Auguſt. ait: *Directionis virga eſt, quæ dirigit: Homines erant diſtorti: regnare cupiebant; ſe amabant, facta ſua mala diligebant, non voluntatem ſuam Deo ſubdebant, ſed voluntatem Dei ad ſuas concupiſcentias flectere volebant. Iraſcitur enim peccator & iniquus plærumque Deo, quia non pluit; & non vult ſibi Deum iraſci, quia pluit: & ad hoc propemodum ſedent homines, vt diſputent contra Deum. Hoc facere debuit: hoc non benè fecit, &c.* Ita Auguſt. Quod quum impiè faciant, declarant ea quæ poſtea addit Auguſt. *Ergo Dei voluntas æqualis eſt: tua curua eſt. Propterea tibi curua videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam: tene illam nam ſi illam velis curuare ad te, quia non potes, fruſtra conaris. Illa ſemper directa eſt. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipſius, qui te regit, virga directionis. Inde & Rex à Regendo: non autem regit, quia non corrigit.* Ita Auguſt.

At quomodo, inquies, me corrigere potero? Audi Pſalmiſtam: *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos.* Cuſtodi igitur ſermonem Domini: mandata eius obſerua: ſectare conſilia: & te corriges, & ad vitam & perfectionem ſanctitatis peruenies. Et ſi aliquando, dum à via illa diſcedere volueris, ipſe te virgâ aut baculo ad rectam viam reduxerit, ne reſpuas eius diſciplinam: apprehende illam, nequando iraſcatur, & pereas de via iuſta. Memor eſto illius dicti Dauid, qui tanquam ouis errauerat; ſed quæſitus à ſummo Paſtore, & per flagella eruditus dicebat: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Pulchre*, inquit S. Hieron. in 1. c. Hieremiæ, *poſuit, Conſolata ſunt. Ad hoc enim corripit Dominus, vt emendet. Et quomodo nux ſiue amygdalum, amariſſimum habet corticem, & teſtâ duriſſimâ cingitur, vt detractis auſterioribus & duris fructus dulciſſimus reperiatur; ſic omnis correptio & labor continẽtiæ amara quidem videtur ad præſens, ſed fructus parit dulciſſimos.* Ita S. Hieronymus. *Vide igitur*, inquit rurſus Auguſtinus, *virgam directionis: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Accede ad iſtam virgam, ſit tibi Rex Chriſtus regat te virga iſta: ne frangat te. Virga enim ferrea eſt illa inflexibilis. Et quod dictum eſt. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos: alios regit, alios conterit. Regit ſpiritales, conterit carnales.* Ita Auguſtinus. Conterat te eo modo, quo poſtea docet Auguſtinus. *Conteres in eis*, inquit; *terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quicquid de peccatorum limo contractum atque inolitum eſt* (ita ille) ne videlicet conterat te funditùs, & diſperdat, propter vitiem, & contumaciam tuam. Hæc enim virga directionis, eſt etiam virga ſeueritatis & iudicij, *Bonos enim regit*, inquit S. Thomas in expoſitione, *dum ſunt in ſtatu vitæ, ipſos conſeruando, nutriendo ſpiritualiter, & promouendo; malos verò regit puniendo vel corrigendo.* Ita ille. De hac virga iudicij Prouerb. 22. dicitur: *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala; & virgâ iræ ſuæ conſummabitur.* Ita Sapiens. Quam virgam ſentit omnis inſipiens peccator. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Prouerb. 10. Hac virga ita potenter conterantur impij, vt pereant. Iſaiæ 30. *Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus. Nolite videre: & adſpicientibus ea quæ recta ſunt: Loquimini nobis placentia: videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam; ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël. Propterea hæc dicit Dominus, ſanctus Iſraël. Pro eoquod reprobaſti verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & tumultu, & innixi eſtis ſuper ea; propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo: quoniam ſubitò, dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione præualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Ita Iſaias.

Hac igitur virga ſicut corriguntur & corripiuntur electi, (flagellat enim & corripit Deus omnem filium quem diligit, iuxta illud de Salomone ad Dauid: *Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea: & fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* 2. Reg. 7.) ita diſperduntur, & ad nihilum reducuntur omnes impij; Pſalm. 9. *Sediſti ſuper thronum, qui iudicat iuſtitiam. Increpaſti gentes, & periit impius: nomen eorum deleſti in ſæculum ſæculi. Inimici defecerunt frameæ in finem & ciuitates eorum deſtruxiſti. Periit memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet.* Sic perierunt Sodomitæ: ſic Core, Dathan, & Abiron, ſic ſtultus ille diues, ad quem dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; & quæ paraſti, cuius erunt?* Sic tandem peribit AntiChriſtus, cum ſuis; cum Deus (vt ait Iſaias) *percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, c. 11.

Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Domini.

Solius eſt Chriſti ſaluare, & redimere credentes, & punire credere nolentes. §. 16.

Hoc expreſſè dicitur apud Iſaiam: nam interrogãtibus Angelis cur (ſi ipſe eſſet qui loqueretur iuſtitiam, & pro pugnator eſſet ad ſaluandum) rubrum eſſet indumentum eius, ac ſi pœnas luiſſet ſceleris? & veſtimenta eius, id eſt electi eius, eſſent purpurati ſanguine, ſicut vino purpurantur veſtimenta calcantium in torculari; rationem huiuſce rei reddit dicens: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Iſ. 63. Ipſe enim ſolus iuſtus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, poterat reos iuſtificare; nec ad id ab vllo adigi poterat, ſed gratuita voluntate hoc præſtitit. *Oblatus eſt* enim *quia ipſe voluit.* Nec ab alio fieri poterat vt homines libenter morti ſeſe offerrent, & cuncta aſpera voluntariè amplecterentur, niſi ipſis auxilium & gratiam præſtitiſſet, vt vſque ad ſanguinis effuſionem peccatis reſiſterent. Et denique nullus erat, qui diabolicam virtutem ſuperaret, aut dignis vrgere ſuppliciis incredulos poſſet, niſi ipſe. Fauet S. Hieronymus in hunc Iſaiæ locum: *Hoc torcular in quo & malis ſupplicia, & bonis præmia à ſaluatore calcantur, ſolus ipſe calcauit, nullumque habuit adiutorem: neque enim Angelus, aut Archangelus, throni, dominationes, aut vlla cæleſtium poteſtatum humanum corpus aſſumpſit, & pro nobis paſſus eſt, & conculcauit aduerſarias fortitudines atque contriuit, niſi ille qui loquitur in Pſalmo: Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus, &c. In tantum vt etiam confidentiſſimus, & in fidei veritate firmiſſimus Apoſtolus Petrus timore territus fugerit, imo Dominum negarit.* Ita Hieronymus. Vnde idem Hieronymus legit: *In omni tribulatione eorum ipſe eſt tribulatus. Cum verſio communis habeat, Non eſt tribulatus. Vt non ſolùm peccata*, inquit S. Hieronymus, *ſed & tribulationes noſtras ipſe portaret.* Vnde addit Propheta: *Et Angelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi.* Ita Iſaias. Septuaginta interpretes legunt:

Digitized by Google

Et factus eſt eis in ſalutem, ex omni tribulatione eorum, non legatus, neque Angelus; ſed ipſe ſaluauit eos, quod diligeret eos, & parceret eis. Ipſe redemit eos, & ſuſcepit illos, & exaltauit omnibus diebus ſaculi. Ita 70. interpretes. Sed audiamus iterum S. Hieron. de hac re diſſerentem.

Dixit igitur, inquit, *Deus, qui iuſtus eſt, iudex domus Iſraël, & auſteritatem iuſtitiæ clementiâ miſcens iudicantis: Genui quidem filios, & exaltaui; & ipſi ſpreuerunt me. Veruntamen quia populus meus ſunt, & ſemel filij nominati, non peribunt in æternum; ſi me ſpernere & negare deſierint ſentient ſaluatorem, qui in omni tribulatione eorum ipſe tribulatus eſt (ſiue non eſt tribulatus) vt parumper eos deſereret, & nudatos auxilio ſuo cogeret ad rogandum. Vel certe nequaquam tribulauit eos, ſed è contrario cæteris perſequentibus adiutor fuit, miſitque Angelum ſuum, qui eos de periculo liberaret: aut iuxta 70. non per Angelum & Prophetas, & alios ſanctos viros, ſaluare voluit populum ſuum: verùm ipſe deſcendit ad oues perditas domus Iſraël: vt ouem morbidam ſuis humeris reportaret, & drachmam quæ perierat inueniret: Et luxurioſo filio reuertenti lætus occurreret. Propter quod ſponſa dicit in Cantic. Cant. Oſculetur me oſculo oris ſui; nequaquam per* Patriarchas, *Moyſen, & Prophetas, ſed meum corpus aſſumat, in mea carne verſetur: Verbum caro fiat: & ſic oſculetur me habitans in me, vt ſit Emmanuel. Nequaquam igitur vt legatus, nec vt Angelus, ſed ipſe ſaluabit eos, qui receperunt ſalutem, non operum merito, ſed charitate Dei.* Ita S. Hieronymus. Ecce quomodo ſolus ſaluat & redimat, ita tamen vt paſſionis ſuæ debeant ſaluandi fieri participes. Vnde Iſaias ſubdit: *Et calcaui eos in furore meo: & conculcaui eos in ira mea. Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea: & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo: & annus Redemptionis meæ venit. Circumſpexi & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuaret. Et ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.* Ita Iſ. Ac ſi diceret: in furore meo conculcaui omnes filios Adæ, vniuerſum genus humanum: ſed in ira mea miſericordiæ recordatus, quia iuſtitia hoc exigebat vt peccata hominum pœnis & ſuppliciis plecterentur; & tamen peccatum deleri non poterat vllis pœnis hominum aut Angelorum, oportuit vt ego ipſe mortalis & paſſibilis fierem. Factus ſum ergo eis ſimillimus, & ego etiam mortalis homo, ſicut & cæteri: qua quidem ratione factum eſt vt in ſimilitudinem carnis peccati fierem, & aſperſus ſit ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, id eſt, pœnæ debitæ peccatis eorum aſpergerent meam humanitatem, qua pro eorum ſalute indutus ſum. Et non modò propria caro his pœnis ſubiacuit, ſed & ipſi ſaluandi per me, quibus circumdatus ſum tanquam indumento, eiſdem pœnis ſubiacuerũt. Neque enim aliter fieri potuit: nam quia iuſtus ſum, ſtatim atque perpetratũ fuit peccatum ſtatui & decreui apud me de illo ſupplicium condignum eſſe ſumendum. Iam multa mortales paſſi fuerant: labor & afflictio ſpiritus illos circumdederunt; fame, ſiti, frigore, morbis penè ſunt enecati: omnes tandem mors inuadebat; nec tot incommodis quæ illos pati oportebat iuſtitia mea placari potuit. Venit igitur plenitudo temporis, in quo Pater me miſit, vt eos redimerem & ſaluarem. Annus redemptionis meæ venit: circumſpexi ſi inter eos eſſet, qui mihi in hac redemptione auxilium præſtaret. Quæſiui inter Angelos num aliquis ad tantum opus eſſet ſufficiens. Nullum inueni nec inter homines, nec inter Angelos. Oportuit ergo vt ego ipſe hoc munus & officium redemptoris aſſumerem; & dum propter indignationem meam pœnis ſubjici volui, ipſa indignatio intentioni, quam habebam eos redimendi, valde auxiliata eſt. Nam dum pati & mori elegi, ad rigorem iuſtitiæ ſatisfeci; & potentia brachij mei eos à peccatis, à morte, à diaboli captiuitate, & pœnis æternis, nec non à multis temporalibus tandem eripui: ita tamen vt quibuſdam preſſuris & pœnis & ipſi ſubjicerentur, quas pro mei amore, & vt me ſequerentur tam alacriter ſubierunt, vt ipſi vitam ſuam contempſerint, & mihi ſoli totam ſuam ſalutem aſſcripſerint, videntes & confitentes nullam in ſe eſſe virtutem, qua potuiſſent à tot tantiſque malis erui, niſi præſto fuiſſem, & auxilium & virtutem illis contuliſſem. *Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.* Iſ. 63. Et quia tale opus erat quidam effectus immenſæ clementiæ & miſericordiæ; Ideo Propheta ad laudandam Dei clementiam & miſericordiam ſe conuertit. *Miſerationum Domini*, inquit, *recordabor, laudum Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgẽtiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum. Et dixit: Veruntamen populus meus eſt: filij non negantes. Et factus eſt eis ſaluator.* Ita Iſ. Hoc primum opus redemptoris, vt patiendo, ſibi & cum ipſo compatientes ſaluet.

At, inquies, cum pro omnibus mortem ſubire dignatus fuit, cur non omnes ſaluantur? Nodum ſoluit (interprete S. Hieron.) Iſaias, dum addit: *ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſancti eius. Et conuerſus eſt eis in inimicum: & ipſe debellauit eos.* Ita Iſ. *Si igitur*, inquit S. Hieron. *petas cur ſalus iſta pro omnibus non eſt, infertur cauſa perſpicua: ipſi autem non crediderunt: & exacerbauerunt Spiritum ſanctum eius, ſiue ſancti illius, &c. eodem. Voluit itaque Deus ſaluare cupientes. Et prouocauit eos ad ſalutem, vt voluntas haberet præmium: ſed illi credere noluerunt.* Ita S. Hier. Et ſic factus illis inimicus. Et quis poteſtati tanti inimici poterit reſiſtere?

Et ipſe calcat torcular vini furoris, &c.

Quid per torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis deſignatur? §. 17.

Duo in hoc ſymbolo notanda ſunt, vt meliùs ſignificationem illius accipiamus. Primum eſt, vt per torcular intelligamus locum, in quo non oleæ, ſed vuæ premuntur, vt ex vuis eliciatur vinum. Dicitur enim vini torcular, non oliuarum: Secundò videri illam preſſuram pedibus fieri non alio inſtrumento. Calco enim, propriè, & conculco, idem ac Calce pedis, ſeu pedibus contero, & premo; Secundò præſupponendum vinum ſignificare animi quamdam lætitiam, & iocunditatem: pedes autem animi affectus exprimere: vuas, ſingulos quoque homines è vite naturæ humanæ prodeuntes. His præſuppoſitis.

Dicò primò: Torcular eſt hæc vallis lachrymarum, & locus exilij filiorum Adæ, in quo omne genus humanum diuerſis opprimitur calamitatibus. In magno namque furore Dei irati Adam cum poſteritate ſua è paradiſo pulſus, in hunc exilij locum relegatus fuit, eo videlicet ſenſu in quo S. Hieronymus exponit hunc locum 1. Thren. Ierem.

Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iudæ. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam, quia longè factus eſt à me conſolator, conuertens animam meam. Facti ſunt filij mei perditi: quoniam inualuit inimicus. Ita Ier. Quod enim S. Hieronym. Exponit de habitatoribus Ieruſalem, & de ſingulis hominibus virtutibus infæcundis, hoc rectè dici poteſt de vniuerſo humano genere. Chriſtum & matrem ſuam excipe.

Digitized by Google

Excipiendi enim ſunt eum de peccatis agitur; & tamen quia ex peccatoribus prodierunt, pœnalitatibus naturæ humanæ etiam fuerunt addicti, & ſic ſuo modo ab irato Deo calcati. *Torcular calcauit*, inquit S. Hieron. *Dominus Virgini filiæ Iuda, quoniam viti infructuoſæ Iudæorum, & diu ſterili permanente, (cui per Iſaiam dicitur: expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas) captiuitatis oppreſſionem præparauit, Myſticè autem anima virtutibus in fæcunda, bonis operibus vacua, nec fructum fidei gignenti Dominus torcular calcat, quando eam pro ſterilitate ſua & otioſitate inimicâ, pœnas condignæ vindictæ lucere fecit.* Ita S. Hieron.

Pari modo terram iſtam in opere hominis maledictam, ſpinas & tribulos proferentem, præparauit Dominus generi humano ſterili & infœcundo, vt ex pœnis, & laboribus, Deus quaſi conſolationem accipiat, dum hominis inobedientiam ad iuſtitiæ ſuæ manifeſtationem hoc modo plectitur. Sed & aliud vinum ſuaue ad potandum exinde exprimit. Monet enim S. Thomas 1. p. q. 48. ar. 2. ad 3. ex Auguſtino in Enchiridio c. 11. quòd *Deus eſt adeo potens, quod etiam bona poteſt facere de malis. Vnde multa bona tollerentur, ſi Deus nullum malum permitteret eſſe. Non enim generaretur ignis, niſi corrumperetur aër; neque conſeruaretur vita Leonis, niſi occideretur Aſinus; neque etiam laudaretur iuſtitia vindicans, & patientia ſufferens, ſi non eſſet iniquitas.* Ita S. Thom. Deus igitur permiſit Adæ peccatum ad iuſtitiæ ſuæ manifeſtationem; & non modò ad patientiæ & iuſtitiæ ſuæ oſtenſionem, ſed etiam ad bonitatis & miſericordiæ ſuæ manifeſtationem, dum ex hac Maſſa perdita quoſdam eligit ad gloriam, alios relinquit ad pœnam propter incredulitatem, & finalem impœnitentiam, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. c. 2. *Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti* iudicij Dei, qui reddit vnicuique ſecundùm opera eius, iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio: Sic Deus ex cortice & amurca reproborum, qui ſunt ex filiorum Adami Maſſa elicit electos tanquam vinum cor eius lætificans: duplici enim titulo ſibi complacet tum in punitione reproborum, qui increduli voluntariè remanſerunt (*Omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum;*) tum in ſalute electorum, in quibus in æternum lætabitur, tanquam in præclaris operibus ſuis. Solus autem Chriſtus calcat torculus vini furoris iræ omnipotentis Dei, quia ex vniuerſo genere humano ad tam dura & aſpera patienda in hac vita condemnato, aliquos elegit Deus in Chriſto, quos in cellam vinariam, & apothecam cœlorum reponeret, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate; qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, &c.*

Dico ſecundo: Torcular eſt Crux Chriſti, in qua quilibet in eum credentes premi debent per baptiſmum & pœnitentiam, Mortificationem, & imitationem, & continuam Meditationem crucis & paſſionis eius. De hoc torculari agit Iſ. c. 5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa: & plantauit eam electam: & ædificauit turrim in medio eius: & torcular extruxit in ea.* Et etiam

A apud Matt. c. 21. de ea dicitur: *Homo erat Pater familias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei: & fodit in ea torcular, &c.* In hoc torculari verbum filius Dei ſuam humanitatem calcauit. Qui enim non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Ex conculcatione Huius Botri Cypri exiuit ſanguis & aqua in remiſſionem peccatorum; & vinum ſuauiſſimum Deo Patri, quia plenè ſatisfactum eſt iuſtitiæ ſuæ ad rigorem, vt miſericordiæ ſuæ fontes cunctis poſſit liberè aperire. Hoc enim promeruit, cum innocens pro reis patitur; filius naturalis pro adoptiuo morti traditus eſt; Dominus pro ſeruis

B percuſſus eſt; Verbum æternum exinanitum pro iis qui virtutes altiſſimi annunciare debebant ad Deum conuerſi, & è tenebris ignorantiæ in admirabile lumen vocati, vt ait Petrus 1. 2. c. Sapientia infinita pro homine qui quaſi appendix eſt mirabilium Dei; Imago & ſplendor gloriæ Patris, pro eo qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatus eſt: Sic Deus infinitis offenſus criminibus, Deum habuit, qui ſuum honorem læſum reſarciret. Hoc fieri vehementer exoptabat ſponſa, ſciens quia ſi ſemel ei aſſimilaretur, multa bona ſibi obuenirent; ſciens etiam ex ipſa paſſione Chriſti Deum magnificè exaltari, iuxta illud ad Hebræos c. 2. *Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad*

C *Deum, vt repropitiaret delicta populi in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* Et Rom. 6. *Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cum illo* Hoc itaque ſciens ſponſa & per mortem eius inſuper Deum clarificari, clamabat, Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* Ac ſi diceret. O Verbum Dei altiſſimi, qui nos fratres tuos vocare in terris voluiſti, per quem Pater æternus nos tanquam filios adoptiuos benignè intuetur;

D verè ſugentem vbera ſapientiæ æternæ quia à Patre ſapiente ſapiens es tu genitus: frui tibi licet omni illa ſuauitate, quam Pater æternus in ſuo ſinu reconditam tenet: ex vtero enim ex ſubſtantia ſua te genuit ſibi æqualem. O ſi ſemel per opus incarnationis egredi è ſinu Patris, & verbum caro factum viſibilis apparere velles! O ſi ſemel ſolum te inuenirem, & oſculum tibi darem per vnionem hypoſtaticam! Non enim ad Patrem aut Spiritum ſanctum terminari debet hæc vnio. Tibi & cognitione & amore remanerem coniuncta. Vnde non ampliùs maligni illi ſpiritus me contemnere poſſent, eoquod non habeant carnem; ſed & ipſimet Angelici ſpiritus beati nos tanquam fratres & cohæredes eiuſdem

E gloriæ, & in obſequio tuo conſortes ſuſpicerent. Apprehenderem te, & ducerem te in domum matris meæ. Id eſt: Cum ſis in medio Eccleſiæ, quæ domus eſt ædificata per infinitam ſapientiam, qua me creaſti & genuiſti; iam exiſtens, & incognitum fuerit illud admirabile myſterium incarnationis, in præteritis generationibus te animaduertens incarnatum, te annunciarem, te prædicarem hominem pro hominibus factum, vt quem deſideras ex paſſione tua fructum, quod ex eius amaritudine exoptas gaudium percipere poſſes: Sic darem tibi poculum ex vino condito? ſic propinarem muſtum granatorum tuorum, dum ad prædicationem crucis tuæ plurimi in nomen tuum credentes diuerſis & odoriferis virtutibus replerentur, & tua charitate veluti inebriati fortiter cuncta aduerſa pro nomine tuo pati non

Digitized by Google

dubitarent : quo tanquam muſto granatorum , ardorem illum nimium , quo in cruce fuiſti accenſus, quodammodo refrigerarent. Ad hoc enim pati voluiſti , vt tibi compatientes tecum poſſint glorificari. Hæc ſunt deſideria ſponſæ : quæ certè adimplentur in his, qui per Baptiſmum & pœnitentiam, meritorum paſſionis Chriſti fiunt participes. De quibus S. Petrus Act. c. 2. *Pœnitentiam agite , & Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti , in remiſsionem peccatorum veſtrorum : & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſsio , & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus.* Adimplentur etiam hæc deſideria in his , qui cum Apoſtolo dicere poſſunt : *Semper mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in nobis.* Denique in eo torculari cum Chriſto premuntur, qui die ac nocte paſſionem & mortem eius meditantur, iuxta illud ſancti Auguſtini , in Pſalm. 8. cui titulus eſt, *Pro torcularibus : Dictus eſt enim,* inquit Auguſtinus , *& Dominus botrus vuæ , quem ligno ſuſpenſum de terra promiſsionis, qui præmiſsi erant à populo Iſraël, tanquam crucifixum attulerunt. Verbum itaque diuinum cum enunciationis neceſsitate vſurpat vocis ſonum, quo in aures peruehatur audientium , eodem ſono vocis tanquam vinaciis intellectus tanquam vinum includitur , & ſic vua iſta in aure venit, quaſi in calcatoria torculariorum. Ibi enim diſcernitur, vt ſonus vſque ad aures valeat : Intellectus autem memoria eorum , qui audiunt , velut quadam lacu excipiatur : inde tranſeat in morum diſciplinam & habitum mentis tanquam de lacu in cellas , in quibus ſi negligentia non acuerit , vetuſtate firmabitur.* Ita Aug. Certè hæc concrucifixio, imitatio Chriſti, & meditatio paſſionis eius, vinum dulciſſimum Deo & nobis producet : Deo quia in nobis glorificabitur : nobis , quia bonis operibus & meritis replebimur , & abundantes erimus in ſpe gloriæ filiorum Dei , & Deum magis ac magis cognoſcemus , vt eum perfectiùs diligamus. In paſſione enim Chriſti, Dei charitas , iudiciorum eius profunditas , ſapientiæ eius altitudo , miſericordia infinita , iuſtitiæ ſeueritas plurimùm elucent : quæ virtutes cognitæ , & illum mirabilem , & tremendum exhibent. Nam *quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum , placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* 1. ad Corinth. 1.

Et reuera ſi furor iræ Dei apparet in tot tantiſque miſeriis, quas Adam cum poſteritate ſua ſubire coactus eſt ob præuaricationem diuini mandati ; multò magis apparet hic furor, in eo quod Deus proprio filio ſuo non pepercit , ſed poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum ; nec his contentus , voluit vt omnes qui ſuis meritis vellent fieri participes, etiam fierent paſſionis & mortis ſuæ conſortes, configurati ſimilitudini mortis eius. Vinum autem quod ex paſſione Chriſti & ex conformitate paſſionis ipſius exprimitur, ſunt fructus digni pœnitentiæ, ſunt bona opera meritoria quibus vitam promeremur æternam. Denique ex S. Auguſtinus in Pſalm. 8. *ſolent accipi torcularia etiam martyria , tanquam afflictione perſecutionum calcatis eis qui Chriſti nomen confeſsi ſunt, cum mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanſerunt, anima autem in requiem cæleſtis habitationis emanauerunt.* Ita Auguſt.

Sed quia non datum eſt nomen aliud ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri à nomine Ieſu Chriſti , qui factus eſt nobis ſalus , & redemptio, & ſanctificatio, in quo ſaluati & liberati ſumus, per quem acceſſum habemus ad Patrem (*Nemo* , inquit , *venit ad Patrem niſi per me : Sed & ſi quis peccauerit* , inquit S. Ioannes , 1. c. 2. *aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum : & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris , non pro noſtris autem tantùm ſed etiam pro totius*
A *mundi.* Ita Sanctus Ioan. Denique quia in ipſo creati ſumus in operibus bonis (vt docet ſanctus Paulus ad Epheſ. c. 2. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem , & hoc non ex vobis : Dei enim donum eſt ; non ex operibus , vt nequis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis , quæ præparauit Deus vt in ipſis ambulemus.* Ita Paulus.) Ideo ſolus Chriſtus , torcular illud crucis Baptiſmi & pœnitentiæ, mortificationis , & imitationis , & meditationis paſſionis & mortis eius , & conformationis ſeu concrucifixionis cum illo , v. g. per martyrium, dicitur calcare : quia ſolus potuit ad rigorem iuſtitiæ ſatisfacere , remiſſionem peccatorum & pœnarum impetrare , gratiam infundere, conſtantiam in mar-
B tyrio , perſeuerantiam dare in bonis operibus , qua ſalutem efficaciter conſequamur. Aſſume illam ſacratiſſimam vuam , ſeu illum Botrum Cypri : reconde illum in torculari mentis tuæ. Ibi per vim intellectus agentis , omnibus materialibus circumſtantiis ſepoſitis. Speciem intelligibilem excipe , in intellectu patiente , Chriſti patientis & morientis. Quàm purum , quàm iucundum vinum cognitionis diuinarum perfectionum & charitatis Dei elicies : quo eius amore inebriatus proponas nihil tum durum , tam aſperum occurrere poſſe, quod non gaudenter excipias, modò illi obſequium hac ratione præſtare poſſis. Dices cum Paulo : *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora , vt Chriſtum lucrifaciam.*
C Gaudebis quod dignus habitus fueris pro nomine Ieſu aliqua pati, prout gaudebant olim Apoſtoli, quia in conſpectu concilij digni habiti fuerunt pro nomine eius contumeliam pati.

Dico tertiò : Torcular quod calcatur , eſt locus pœnarum , in quo poſt mortem calcantur peccatores , ſiue ad tempus , vt in purgatorio : ſiue in æternum , vt in inferno. In quo calcabuntur à filio Dei ij qui non fuerint per paſſionem & mortem ſuam ab eo liberati. Rectè enim dixit S. Thomas in expoſitione : *Calcat , id eſt calcauit , hoc eſt , ſuppeditauit, preſſit & deſtruxit , ſcilicet per paſſionem & reſurrectionem. Torcular, id eſt , mortem æternam , quæ ſicut torcular habet preſſuram & torturã magni cruciatus. Dicitur autem torcular*
D *vini , propter acerbitatem pœnarum , quæ inebriat replendo, & deijciendo damnatos. Item. 51 Inebriabo eos vt ſopiantur , &c. Vini , inquam , furoris iræ Dei, id eſt , vehementis iræ , id eſt , cuiuſmodi inebriatio erat inferenda ex diuina iuſtitia grauiter puniente. Ideo ergo diuina iuſtitia dicitur furor iræ , quia ea grauiter , & actualiter puniente videtur Deus iratus ad modum furioſi. Ad ſignificandum ergo magnitudinem pœnæ , quæ debebatur hominibus , niſi Deus pro eis paſſus eſſet. Et ponitur non tantùm nomen iræ, ſed etiam dicitur furor iræ. Ex hac ſimiliter ratione dicitur ſupra c. 16. Date illi calicem vini indignationis iræ eius. Dei omnipotentis , ſcilicet Patris , vel Trinitatis. Et ex hoc patet quòd niſi filius nos reparaſſet per clementiam , poterat nos punire per iuſtitiam & inuictam potentiam ex hoc*
E *etiam patet quia poterit Anti-Chriſtum damnare.* Ita S. Thom. Si quis igitur hac paſſione non fuerit à pœnis redemptus , oportet vt conculcetur in inferno , in hoc torculari infeliciſſimo. Vnde cenſet Ambroſius, in hunc locum , hoc torcular eſſe infernum. *Eſaias ,* inquit, *cum de paſsione loqueretur , interpoſuit Dominum dicentem : Torcular calcaui ſolus , &c. Sed ibi per torcular crux Domini intelligitur ; hic verò non crux , ſed locus pœnarum , in quem impij retrudendi ſunt , deſignatur. Eamdem quippe ſignificationem habet torcular in hoc loco, quam & lacum ſuperiùs diximus habuiſſe , in quo Botri vineæ terræ , per quos impij deſignantur , demerſi fuiſſe leguntur: Sed & ipſa calcatio torcularis eamdem ſignificationem habet , quam & illic calcationem habuiſſe diximus. Significat namque vltimam demerſionem impiorum in infernum , &c.* Ita Ambroſ. Vinum autem, quod

Digitized by Google

ex calcarione impiorum in inferno exprimitur, eſt manifeſtatio diuinæ iuſtitiæ, & omnipotentiæ. Solus autem Chriſtus calcat hoc torcular quia ipſe ſolùs habet claues mortis & inferni. Et optimè dixit Andreas Cæſar. In hunc locum: *Torcular autem vini furoris ſolus filius Dei calcat: quia Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, tanquam homini, quod alioqui naturaliter tanquam Verbum iam inde ab initio habebat* Ita And.

Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Paraphraſes ſeu expoſitiones trium Pſalmorum, qui intitulantur pro torcularibus, ad maiorem huius textus elucidationem.

Torcular eſt in quo vuæ aut oleæ conteruntur, comprimuntur, vt ex eis vinum aut oleum exprimantur. Hoc modo intellectus obiecta ſenſibilia ſuſcepta in ſenſibus à phantaſmatibus exuens, per intellectum agentem ex eis cognitionem intellectualem videtur exprimere. Hoc modo pœnitentia, crux & quodlibet genus mortis torcularia ſunt, in quibus, in pœnitentia ſcilicet & cruce, exuimur ab integumentis, aut amurca peccatorum, & carnalium deſideriorum: ſeu exuimus veterem hominem, vt nouus homo, qui in iuſtitia, & ſanctitate ambulet, exprimatur. Genus autem mortis torcular eſt, in quo mali conteruntur, vt vinum furoris iræ Dei, id eſt, ſeueritas iuſtitiæ Dei manifeſtetur; & ab electis, qui in cellariis paradiſi reconduntur, ſeparantur: iuxta illud S. Auguſtini in Pſal. 83. *Aliud autem erit tempus, quo vel frumenta in horrea, vel vina in cellas ſegregentur. Frumenta, inquit, recondet in horrea; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ita Aug.

Pro huiuſmodi torcularibus tres Pſalmi 8. 80. & 83. *Pro torcularibus* inſcribuntur. Pſalmus 8. videtur pro primo genere torcularis ſcriptus; ſecundus, id eſt, 80. pro ſecundo genere; tertius. j. 83. pro illa ſeparatione malorum à bonis in morte, in qua electi non modo mortalia ſua, tanquam vinacia, in terra relinquunt; animæ autem in requiem cæleſtis habitationis emanauerunt; ſed inſuper à ſocietate reproborum, & multitudine eorum, cum quibus viuere coguntur, & à quibus quodammodò teguntur) nemo enim ſcit an odio vel amore ſit dignus (exuentur, vt in cælum recondantur, relictis reprobis, tanquam amurcâ aut vinaciis, non in terra, ſed in inferno.

Paraphraſis ſeu expoſitio octaui Pſalmi 8.

Quid doceat hic Pſalmus.

Hic Pſalmus docet quomodo per meditationem obiecta hæc viſibila debeant exui à phantaſmatibus ſenſibilibus) inter quæ obiecta, Chriſti Domini humanitas præcipuum tenet locum: (vt ex illorum cognitione, ad cognitionem perfectionum diuinarum, & diuinæ illius erga nos bonitatis & liberalitatis ſubleuemur. Hac videlicet aut ſimili ratione illum Pſalmum periphraſticè exponemus.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

O Deus vniuerſi huius, tu Dominus reuera es, ſed hominum ſpeciali ratione te Dominum eſſe profiteris dicens: *Seruus meus es tu Iſraël in te gloriabor.* Multa quidem ſunt in terra, quæ tuam prædicant Maieſtatem, immutabilitatem, bonitatem, potentiam; ſed nihil adeo homines in terra gradientes in admirationem tui nominis euehit, quàm ſi in cælum ſuſpiciant. Ex immenſitate enim, ex motibus cœlorum, ex influxu, ex claritate, ſolis, lunæ, & ſtellarum, concipiunt te magnificum eſſe nimis: Opus enim ſuumà lõge debet præcellere quilibet artifex.

A Ad hoc fatendum oculis tantùm indigemus. Vnde debiliores in fide, & tanquam pueri, vberibus adhuc afflixi, vt lacte nutriantur, tanquam parum idonei, ſublimiora contemplantes ex conſideratione operum naturæ poſſunt percipere te eſſe mirabilem, & magnificentiam tuam cælis ipſis eſſe ſublimiorē.

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Ex ore igitur infantium, & lactentium, qui te per contemplationem operum naturæ cognoſcunt, laudem perfeciſti nominis tui; ne tui nominis hoſtes poſſint excuſationes prætendere, ſi à te auertantur. Et hoc modo artes infeſtiſſimi hoſtis cacodæmonis eluſiſti, qui vltionem caperevolens ſuæ deiectionis, dum vniuerſæ creaturæ viſibilis Dominum independenter à te affectabat, homines à cognitione & amore nominis tui auertere conabatur, ſenſus illo- B rum faſcinatione quadam nugacitatis decipiens, ne mens ex perceptione ſenſibilium ad cognitionem autoris ſe ſe extolleret.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.

Sed qui voluerit decipi ab hoc ſeductore decipiatur. Ego ad eum non attendo. Oculos meos conjiciam in omnia hæc opera tua: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Extentionem firmitatem, pulchritudinem cœlorum, ordinatiſſimos motus eorum contemplabor, & me in admirationem rapient, dum facile erit mihi percipere tantum opus; non rudi minerua adinuentum aut inceptum, ſed cum maxima ſapientia abſolutum. Sunt enim cœli opera di- C gitorum tuorum, qui diſtinctionem conſtituere potuerunt in motibus eorum; itaut licet contrariis quibuſdam rotentur & quatiantur motibus, tamen hoc fit cum tanta concinnitate, concordia, & concentu, vt harmonia maior non reperiatur inter tonos & ſonos concordatum Pſalterij aut Citharæ, dum manu experta & expedita tanguntur: quàm audiri poſſit ab eo, qui ex ſcientia & cognitione eorum crediderit te eſſe iſtorum ſapientiſſimum artificem & autorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

At ſi auris cordis mei, ſeu fides mea, quæ ex auditu concipitur; maximam admirationem percipiat ex concentu & harmonia cœlorum, non minori admiratione aut ſtupore mens perſtringitur, dum ocu- D lus mentis intuetur ſolis: Lunæ ac ſtellarum claritatem, & præfulgentem ſplendorem, prædicantem certè & enarrantem gloriam tuam, & fortiter clamantem te eſſe Patrem luminis, *apud quem non eſt transmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio.* Lunæ enim & ſtellarum ſplendorem tu firmiter fundaſti, cum ſolem luminis indeficientis fontem, & originem condidiſti, à quo ſtellæ in ſuis orbibus fixæ lumen ſuum mutuantur, vt luceant per noctem; cuius lunæ nec non ſtellarum curſus erit continuus & infatigabilis nec ceſſabunt niſi nutu ac iuſſu Creatoris. *Ordinatione enim tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent. E Geneſ. 8.

At omiſſis his omnibus pulcherrimis operibus, quæ extra me exiſtunt, me conuertens ad ea quæ in me ſunt, quàm mirabilis facta ſcientia tua ex me! Nihil in hoc viſibili mundo cerni poteſt tanta admiratione dignum. Siquidem quam admirabile eſt, quòd etſi homo res vilis & abiectiſſima exiſtimetur, ſi prima fronte intueatur, tamen ante oculos tuos adeo appareat pretioſus, vt propter eum cætera te condidiſſe videatis. *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* Si cœlos condidiſti, hominis recordatus fuiſti. Si terram fundaſti, eius memor fuiſti. Si cætera elementa formaſti, ad eius commodum & vtilitatem rationem habuiſti. Si herbas plantas, arbores animalia produxiſti & finxiſti, hæc omnia pro homine tu creaſti.

Quid eſt homo quod memor es eius.

Aut filius hominis quoniã viſitas eum?

Et ſi

Digitized by Google

Et ſi omnia opera tua conſideraſti, quamuis ea bona valde inueneris, ſolum tamen hominem viſitare dignatis: quia in eo delitias tuas præcipuas collocaſti. Et ſic cætera relinquens, in eo potiſſimùm conquieſcis. Equidem fatendum eſt hominem, quantum ad naturæ excellentiam, Angelo eſſe inferiorem: deprimitur enim mentis eius acies ex conditione mortalitatis, & materialitatis corporis, cui anima ſtricto vinculo coniungitur. At cum eumdem cum Angelo habeat finem, cum ad eumdem gradum cognitionis, & amoris tuæ diuinæ, maieſtatis eleuari poſſit, hæc minoratio parui momenti eſſe videtur: Quid enim detrimenti adfert illi hæc minoratio, cum ipſa diminutione non impediatur quominus te, qui ſummè bonus es, tandem aliquando fruatur?

Minuiſti eum paulominus ab Angelis.

Hoc igitur paruipendens, hac re non temoror quin in maximam rapiat admirationem, quomodo gloria & honore eum coronaueris, illum creando vt te cognoſcat & diligat magno circumueſtitus honore, quòd ad imaginem & ſimilitudinem tuam effectus fuerit, vt dominationis tuæ aliquod præ ſe ferret ſpecimen & indicium ſingulare. Ecce *conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum.* Elucet enim maxima in res dominatio tua, quòd cuicumque volueris illas ſubjicere poſſis. Hac ratione omnia ſubieciſti ſub pedibus hominis. Cœli ipſi mouentur, vt eorum motus ſit regula & menſura, quo momenta, & dies, & anni vitæ illius menſurari queant. Si quid terra producat, hoc ei cedit in nutrimentum, medicamentum, aut aliud quoduis tale commodum. Aëre circumueſtitur, quo ſanus & vegetus conſeruetur. Ex igne & aqua multa percipit vtilia; & licet contraria ſint, in hoc conueniunt omnia elementa, vt homini inſeruiant. Angelos ei dediſti in cuſtodiam, protectionem & directionem. Quid mirum ſi animalia terræ eius obſequio mancipentur? Omnia animalia domeſtica, vt oues & boues; & agreſtia, vt cætera, ei ſubjiciuntur. Animi generoſitatem exercet, dum leones venatur, tygrides & vrſos; induſtriam ſuam, dum ceruo & lepores inſectatur ad oblectationem. Nec vulpes aut meles, qui terræ concauitates conquirunt, vt hominum oculos effugiant, laborem hominumque induſtrium naturali ſagacitate ſuperare poſſunt: Quod oculis non attingunt, canum, quos ad oblectationem etiam creaſti, olfactu & allatratu tandem inueniunt, & veloci curſu, & feroci inſultu capiunt. Sed quid dicam; Quod in auibus cœli ludunt, dum quibuſdam vtuntur, vt alias capiant: quarum indoles talis eſt, vt licet in altum aëris ferantur, voce tamen ad manum veniunt proclamatæ? His addere debeo piſces oceani profundiſſimi, aut in vaſtiſſimis fluminum latibulis latitantes ab hominum induſtria eximi non poſſe: vt verum ſit quod volucres cœli, & piſces maris ei ſubjiciuntur. Rectè igitur ex talibus vuis vinum huius modi agnitionis magnitudinis tuæ exprimendo per meditationem, & attentam iſtorum conſiderationem, eo hauſto, quaſi inebriatus admiratione tantorum operum exclamabo: *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!*

Gloria & honore coronaſti eum.

Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.

Oues & boues vniuerſas inſuper & pecora campi.

Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

At nihilominus dixit Sapiens: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Deus ſolus iuſtificabitur, & manet inuictus Rex in æternum. Quis ſufficit enarrare opera illius? Quis enim inueſtigabit magnalia eius? Non eſt minuere, neque adjicere, nec eſt inuenire magnalia Dei. Cum conſummauerit homo, tunc incipiet: & cum quieuerit, aporiabitur.* Eccleſiaſt. 8. Ita eſt proculdubio: ad anguſtias redigimur, cum opera Dei contemplari aggredimur: tot enim ſunt ac tam mirabilia, vt ad quæ oculos mentis noſtræ conuertamus prorſus ignoremus.

A Grata ſunt opera naturæ, ſed gratiora ſunt opera gratiæ. Si in exaltatione hominis ſecundum naturam conſiderati, multa vidimus conſideratione digna: quantò mirabiliora perſpiciemus ſi eum ad gratiæ ordinem ſublimatum videamus? In operibus enim gratiæ tam admirabilis Deus exiſtit, vt eorum intuitu mente exclamandum ſit: *Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Et quo vilior eſt homo, eo maior erit admiratio, quòd ad tam ſublimem gradum euectus fuerit. *Quid eſt enim homo, aut quæ eſt gratia illius?* inquit Sapiens Eccleſ. 18. *aut quid bonum, aut quid nequam illius? Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni, quaſi aquæ maris deputati ſunt; & ſicut calculus* B *arenæ, ſic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam. Vidit præſumptionem cordis eorum; quoniam mala eſt; & cognouit ſubuerſionem illorum, quoniam nequum eſt. Ideo adimpleuit propitiationem ſuam in illis, & oſtendit eis viam æquitatis miſeratio hominis circa proximum ſuum; miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Eccleſiaſticici 18. Hæc eſt cauſa maximæ admirationis, quòd tam fragili & labili creaturæ, tam ſuperbæ nihilominus & ingratæ, peccatrici & nequam hominum nationi Deus ſuccurrere voluerit, itaut adimpleuerit in hominibus propitiationem ſuam, vt vltra progredi non valeat: dum vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Viſne, ô homo, C percipere quæ dico, & pleno calice hauſtum vinnm pretioſiſſimum bibere, quo in vehementem rapiaris bonitatis & miſericordiæ diuinæ admirationem? Aſſume Botrum Cypri, i. Chriſtum incarnatum; illius incarnationem, paſſionem, & mortem, profunda & altiſſima meditatione comprime: vinum elicies cognitionis diuinæ illius miſericordiæ, & iuſtitiæ, vt nihil excellentius menti tuæ vnquam occurrere poſſit. Et dices:

O Domine Deus noſter, quòd nunc benedixeris terram noſtram, quod abſtuleris captiuitatem Iacob, ſub qua ingemiſcebamus, quod benedixeris terræ tuæ, itaut produxerit botrum illum pretioſiſſimum, humanitatem ſcilicet ſacratiſſimam verbi D diuini: hæc Domine tam admirabile reddunt nomen tuū ſuper terram, vt nihil ſupra id excogitari queat.

Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra

Eleuata eſt namque magnificentia tua ſupra cœlum, cum tam magnificum opus ſapientiæ tuæ ſupra omnes Angelos ad dexteram tuam collocaſti. Certè ſi propter opera naturæ tu laudabilis nimis multo magis laudabilis es propter opera gratiæ. Perfeciſti namque materiam laudandi nomen tuum, cum merito incarnationis, paſſionis & mortis tuæ homines iam grandæuos denuò per Baptiſmum renaſci voluiſti, vt eſſent ſimplices, ſine dolo, lac concupiſcentes, intellectum captiuantes in obſequium fidei, paruuli malitia, non ſenſu: ad vbera conſolationis & lætitiæ, quam in corda eorum per tuam piiſſimam miſericordiam largiter infundis, pendentes. Nec E mirum ſi homines ætate quidem prouecti, ſed moribus tanquam paruuli innocentes laudes tuas prædicent: prædicabunt inſtinctu Spiritus ſancti etiam ætate paruuli, adhuc perfectum, rationis vſum nondum adepti, dum fortiter clamabunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis: hoſanna filio Dauid.* Matt. 21. Quorum pias acclamationes plurimi futuris retro ſæculis imitaturi ſunt, & audacter nomen tuum confitebuntur, & pro nominis tui gloria mori non dubitabunt, ad confuſionem inimici tui, vt deſtruas omnem tibi aduerſantem, & de vltore vltionem ſumas, qui ſuperbia elatus mortem tibi & credentibus in te procurare attentabit, rabie ductus quod eius naturam non indueris ſed noſtram: quòd hominem illi prætuleris, quòd in

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos,

Digitized by Google

nomine tuo videat ſe ab homuncionibus contemni, eijci, conculcari. Sed eius omnes eluſiſti artes, & eo tabeſcente ità, nominis tui cognitionem per vniuerſum orbem tanquam balſamum ſuauiſſimum effudiſti: cuius attracti odore, & tuo exinde amore accenſi, mentes eorum cœlo altiores & capaciores elegiſti, in quibus habitares: eas variis Spiritus ſancti donis exornaſti: & velut ſol iuſtitiæ in eis refulgens, voluntatem eorum deambulatoriam, & variabilem multum in amore tuo ſolidaſti: & eorum ſenſus externos & internos emundaſti, vt iam non carni ſeruiant ad corruptionem, ſed menti: vt per ea quæ ſenſibus percipiunt, ad maiorem tuæ maieſtatis cognitionem & amorem euehantur. Virtutibus, inquam, eos tanquam pulcherrimis ſtellis decoraſti, itaut ſi cœlum thronus tuus ſit, & mens cuiuſlibet iſtorum ſedes tibi ſit gratiſſima. Videbo igitur illos, cernens tanquam cælos opera digitorum tuorum, propter diuerſitatem donorum, miniſteriorum, functionum, & operationum, ex quibus oritur quidam concentus, omnibus organorum ſonis fortior, Lyris, Cytharis, & Pſalteriis ſuauior, & omnibus dulcibus cantilenis gratioſior.

Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.

At quid dicam, ſi Lunam à te ſole iuſtitiæ colluſtratam adſpexero, Beatam inquam virginem, in qua quidquid luminis, & claritatis, & ſplendoris virtutum in aliis diſpergitur, ſimul conſpicitur? Quid dicam de cæteris ſtellis, in claritate, & ſanctitate differentibus, ſed ad prædicandam ſapientiam tuam conſpirantibus? Certè videns humanitatis Chriſti exaltationem, virginis matris eius excellentiam, ſanctorum gloriam, totius Eccleſiæ tuæ maieſtatem, clamabo voce potenti. *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Deus bone, quiſnam, & qualis erat homo, natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miſeriis: vt eum tanti haberes. Verè tu eum obliuioni tradere non deſideras, cum hypoſtatica vnione, filium tuum cum illius natura coniungi decreuiſti. Quid eſt homo in peccato natus, vt eum viſitare volueris exalto, & cum hominibus homo factus conuerſari volueris, & habitare in medio eorum, & locum in terra tibi elegeris, templum erexeris, in quo remaneres, in territorio vteri virginalis conſtructum & fundatum, ſed ad cælorum tandem faſtigium euectum? Hanc dico ſacratiſſimam humanitatem, qua paulominus minoratus eſt ab Angelis, minor Seraphin & Cherubin, in quibus ſedes, hac ratione ſecundùm naturam effectus. Tamen cui vnquam Angelorum dictum eſt: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Cui vnquam ex eis: *Sede à dextris meis.* Solus Ieſus altiſſimi filius gloriæ & honore à Deo coronatus, filius non adoptiuus, ſed naturalis, & hæres vniuerſorum, caput Angelorum & hominum, cui data eſt poteſtas in cælo & in terra, conſtitutus ſuper omnia opera Dei, cui omnia ſunt ſubiecta, præter eum qui ſubiecit ſibi omnia. Ideo ſimplices tanquam oues ei obediunt, & eum tanquam Paſtorem ſequuntur, & vocem illius audiunt, doctrinæ illius adhærentes, mandata eius cuſtodientes. Fortiores tanquam boues ſuam fortitudinem ad eum cuſtodiunt, vt omnem ſuum laborem ad eius cultum promouendum inſumant. Nullum eſt ex animalibus domeſticis aut agreſtibus, qui ſuo modo maieſtatem illius non præſentiat. Iracundi vt Tygrides, feroces tanquam Leonis, guloſiores vt porci, impudentiores in laſciuiis vt canes, effrenatiores equis indomitis, omnes per pœnitentiam ad te acceſſum obtinent & ſperant peccatorum indulgentiam, vt verum ſit quod homines & iumenta ſaluare veneris, in tuis plagis contemplatiui tanquam aues volantes, nidum ſibi conſtituent: turtur in

Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniã viſitas eum.

Minuiſti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas inſuper & pecora campi.

Volucres cæli & piſces

A eis inuenit nidum, vbi ponat pullos ſuos: in eis paſſer inuenit ſibi domum, & qui in aquis afflictionum tanquam piſces immergentur, & ſuper quos effuderis omnes fluctus iracundiæ tuæ, ſecurè natabunt: Chriſto patienti conformari gaudebunt, & veſtigia patientiæ eius ſequi conabuntur. Quis talia cernens erga homines beneficia, non clamabit: Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

maris, qui perambulant ſemitas maris.

Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Hæc tanto libentiùs adduco, quòd iſta meditanti occurrit poſtea Arnobij antiqui ſcriptoris. Commentarium huic expoſitioni fauens, in quo ait *Prophetarum torcularia: id eſt eorum voces, impleta fuiſſe, quando vitis vera clauorum ferramentis plantata eſt; &*
B *in ligno crucis poſita, lanceá percuſſo eius latere, tantam vim in his torcularibus fudit, vt non in Iudæa tantùm, ſed in vniuerſa terra nomen Domini mirabile clamaretur. Quod factum tunc confirmatum eſt, cum eleuaretur magnificentia eius ſuper cælos, vt non tantùm ætates legitimæ, ſed etiam infantes & lactentes ad laudem eius irrumperent, vt deſtrueretur ille populus, qui per defenſionem Dei contra Deum ageret. Ipſe eſt enim populus, & defenſor Dei, & inimicus Dei; deffenſor in Patre, inimicus in filio. Sed omnis qui negat filium, nec Patrem habet. Qui autem vtrumque confitetur, hic videt cælos, quòd opera digitorum eius ſunt, & quòd lunam, & ſtellas ipſe fundauerit. Quid enim eſſet homo, niſi ipſe memor fuiſſet, & veniens tantam perfectionem, docuiſſet, vt modicum minùs quàm*
C *ſunt in cælo Angeli hic homines in carne poſitos faceret, dans ei poteſtatem virtutum, vt etiam mortuos ſuſcitandi traderet poteſtatem, & omnia ſubijceret homini credenti, itaut diceret: Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. Nam quod dicit oues, ſimplices nominat, boues, qui laborant ſub iugo Domini: pecora campi, plebs Laicorum; volucres cæli, alta cogitantes: piſces maris, profunda rimantes. Hos omnes ſubiectos habens per paſſionem Chriſti Eccleſia confitetur admirabile nomen eius in vniuerſa terra. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum Amen.* Hæc Arnobius. Quæ expoſitio noſtram corroborat.

Ad Paraphraſim Pſalm. 80. tranſeamus, pro torcularibus etiam inſcripti, quòd per pœnitentiæ laborem, & dolorum tolerantiam, ac crucis Chriſti
D imitationem, debeamus exui à veteri homine, & nouum induere.

Paraphraſis ſeu expoſitio Pſalm. 80. cuius titulus eſt, in finem, pro torcularibus: Pſalmus ipſi Aſaph: ſeu expoſitio Pſ. 80.

Docet doctiſſimus Genebrardus torcularia ſumi pro quodam inſtrumento muſico, vocato hebraicè Gittith, à qua vox Gallica, *Guiterne*, non valde abludit; & hanc inſcriptionem pro torcularibus modum dumtaxat canendi oſtendere, eſſeque claues ad modum cantici præſcribendum, vti noſtrarum Antiphonarum initia, ac declarare modos ſiue tonos, & con-
E centum illius muſicæ, vel inſtrumenta ad quæ eſſent decantandi. Ita Genebr. In initio commentarij. Pſalm. 4. & 8. Quidquid ſit, non vacare myſterio exiſtimo, quòd hi Pſalmi (in quibus ratio habetur paſſionis Chriſti, vel crucis poſt ipſum ferendæ; vel pœnitentiæ, qua ab homine veteri exuimur) decantandi eſſent cum inſtrumento Muſico, quod torculare diceretur. Monemur enim ſuauem melodiam ſuboriendam nobis, ſiue ex meditatione paſſionis Chriſti, ſiue ex laborum & dolorum tolerantiam. Quod maximè dicendum fuit, antequam incipiamus explanationem Pſalm. 80. in quo mentio fit liberationis à tribulatione, propter quam ad exultandum Deo adiutori Pſalmiſta in initio Pſalmi nos prouocat. *In ſeptuageſimo nono Pſalmo*, inquit Arnobius, *vinea reparatur, & in octogeſimo pro torcularibus*

Digitized by Google

agitur. Exultate Deo adiutori noſtro: quia ſurrexit vinea eius. Iubilate Deo Iacob: reparata eſt vinea eius. Surrexit enim, quem exterminauit; incredulus populus. Ipſum vtique exterminauit qui dixit: ego ſum vitis vera; qui dixit exterminauerunt manus meas, & pedes meos. Ipſe verò qui exterminauit populus, apro ſylueſtri eſt acrior. Ecce ſurrexit. Qui ibi plorabatis, hic exultate, qui ibi tacuiſti, hic iubilate. Qui ibi anxiati eſtis, hic in Pſalmis & Hymnis congaudete, & in die inſigni, id eſt, redemptionis Domini. Ita Arnob. At cum verè redempti ſimus, cum à peccatis & vitiis per pœnitentiam exuimur, meritò torcularia, in quibus cani debet hic Pſalmus, pro pœnitentia & crucis geſtatione poſt Chriſtum vſurpamus.

Exultate Deo adiutori noſtro. Quid, ô Mortales, ex eoquod vobis multa pati contingat, tantis anxietatum moleſtiis turbati eſtis? Animaduerto certè veſtram è paradiſo eiectionem inuidiâ fratris veſtri antiquioris, nempe dæmonis; nec me latet vobis eſſe graue & moleſtum extra paradiſum voluptatis eiectis vitam ducere laborioſam, doloribuſque refertam terrori ac tædio vobis eſt quòd inceſſanter dimicandum ſit contra proprios ſenſus, paſſiones & appetitus, propriamque voluntatem abnegare neceſſarium ſit, vos ipſos ac ea quæ in mundo ſunt paruipendentes. Denique triſtitiâ replemini, quia compunctis & contritis corde ob peccata veſtra multa corpori moleſta pati opus ſit, voluntariaque afflictione vexari, abſque afflictionibus immiſſis ad veſtram purgationem aut probationem. At cur tantopere contriſtamini? Cur nimiâ oppreſſi triſtitiâ lugetis? Mementote Deum eſſe adiutorem veſtrum, qui vos in patriam, & in cæleſtem paradiſum reducere intendit. Et dum in amaritudinibus moratur oculus veſter, ipſe ad fructum ex illis eliciendum longiùs proſpicit, & ex malis & tentationibus veſtris plurima ſaluti veſtræ conducibilia extrahere cupit. Vult enim omnia iſta cooperari vobis in bonum, & ex tentationibus veſtris multum elicere prouentum. Quæ cum ita ſint veriſſima, quare non potiùs in omnibus tribulationibus veſtris exultatis, ſcientes Deum eſſe adiutorem veſtrum, qui vos eripiet ab omnibus malis & tentationibus?

Exultate Deo adiutori noſtro.

Miror ſanè quomodo tam citò obliuiſcimini effectus ſpecialis prouidentiæ erga eos, quos ſpeciali proſequitur amore: nec menti veſtræ occurrere quomodo non ſolùm generali quadam prouidentia omnibus ſuis creaturis adeſt, omniaque gubernat, ſed inſuper cunctis creaturis in particulari prouidet, nec vnus paſſer in obliuione eſt apud eum. Equidem cauſas rerum vniuerſales, genera ac ſpecies ipſi curæ eſt vt ſemper vniuerſum hunc orbem condecorent, ac perficiant. At ex hac generali rerum prouidentia non minor cura ei incùbit rerum ſingularium: omnibus in indiuiduò attendit, quia nulla eſt creatura, quæ ad perfectionem operis creationis aut gubernationis non pertineat. Quod ſi de rebus de eo non cogitantibus, quia cognitione carent, etiam gerit curam: quomodo eorum obliuiſceretur qui de illo cogitant, qui in eum ſperant, qui ad eum quotidie clamant, non muto clamore neceſſitatis ac indigentiæ, quo & pulli coruorum inuocant eum: ſed deſideria ſua cum ſpe & fiducia, apud eum qui deſideria pauperum exaudire dignatur, exprimendo? In eum igitur omnem veſtram curam & ſollicitudinem proiicite. In eum ſperate: & confeſtim percipietis quòd cum afflictiones immittit, & multa dura, & moleſta vult vos tolerare, cogitat tamen cogitationes pacis, & non afflictionis: & conſolationes vobis præparat pro menſura dolorum veſtrorum, quibus animas veſtras lætificare prætendit.

Iubilate Deo Iacob.

Iubilate itaque *Deo Iacob*, cuius Patriarchæ memoria

A ſatis teſtatur quanta cura Deus in particulari ſibi caros proſequitur. Illius enim Patriarchæ vita tot aduerſitatibus & proſperitatibus conexta, & permixta fuit, vt in eo quidam mirus cernatur conflictus patientiæ cum laboribus: ſpei in Deum, cum eius prouidentia. Exulare cogitur è domo paterna timore fratris ſui mortem illi machinantis: at in terra aliena Deus illi abundè ſuppeditat quæ erant ad victum veſtitum neceſſaria, imo illum cumulat bonis ac diuitiis. Durè tractatur in domo Labam ſoceri ſui, & in cuſtodiendis illius gregibus multa patitur incommoda, die, æſtu; nocte gelu vrebatur, fugiebatque ſomnus ab oculis eius: Sed tulit Deus ſubſtantiam Labam, vt eam Iacob largiretur: dedit-

B que illi greges multos, & ancillas & ſeruos, camelos & aſinos, & inſuper liberos plurimos. Propter liberorum ſuorum incompoſitos & feros mores triſtitia afficitur: Ruben aſcendit cubile patris ſui: Simeon & Leui Sichimitas contra ius gentium & initum pactum crudeliter interimunt, quo facinore peſſimè audiit apud regiones illas Iacob cum familia ſua: At ipſi apparet Deus conſolator, præcipiens vt aſcenderet in Bethel: & qui à vicinioribus populis ob deletum Sichem ſibi & familiæ ſuæ timebat, terrorem incutit omnibus. Nam cum profectus eſſet, vt iret (præcipiente Deo) in Bethel, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. Ioſeph filius illi dolo-

C ſe ſubtrahitur: at Beniamin ſolatio ipſi fuit. Hoc ſenectutis ſuæ ſolatium ſibi ereptum ingemuit cum oportuit vt cum fratribus proficiſceretur in Ægyptum: quod Iacob paſſus eſt cum multo angore: At hæc Beniamin abſentia cauſa fuit vt recuperaret chariſſimum filium Ioſeph quibus omnibus facile eſt perſpicere quomodo vita Iacob inter aduerſa & proſpera fluctuans fuit. Et in eo cernere licet Deum nunquam ſuorum obliuiſci, qui ſemper adfuit ipſi Iacob ex quo ſimiliter cuilibet ſperandum homini exuli inuidiâ ſatanæ è paradiſo, & vitam laboribus & miſeriis refertam tranſigenti, Deum illi nunquam defuturum, nec in extremis etiam periculis, quale eſt periculum æternæ damnationis, quod incurrunt

D quicumque peccatum mortale contrahunt. Deducatur in Ægyptum, vt Ioſeph captiuus, omni ſolatio ſpirituali deſtituatur interiùs, impugnetur exterius à quolibet hoſte; omnia in bonum conuertentur, ſuauitate prouidentiæ Dei, qui omnia ad melius eſſe aut permittit aut facit. Subtractione ſolatij te ad pœnitentiam inducet, vt à peccati captiuitate liberari queas. Et ſi quid tibi moleſtum acciderit, Deum tamen cui omnia ſeruiunt, & omnis obedit creatura, protectorem ſenties: pro cuius gloria omnis creatura pugnat *ſperate in eo* igitur, vt olim totam ſpem, & expectationem ſuam in eum Ioſeph collocauit; & Dei mirabilia contuentes, opera eius & iudicia, *Iubilate Deo Iacob.*

E In memoriam reuocate quòd vos ex duplici natura, intellectuali, & animali condiderit, ex quo fit vt debeatis duplici ratione teſtificari altas & profundas, quas de eius magnitudine & perfectione habetis, cogitationes; & pios erga eum veſtros profeſtatis intimos affectus & ſenſus, pro beneficiis innumeris & immenſis. Prima ratio erit, ſi verbis prolatis ad extra veſtros profeſtatis conceptus & ſenſus. Sumite igitur pſalmum. Articulata voce alternatim concrepate illius laudes. Secunda autem ratio erit, ſi cor veſtrum ad memoriam tantummodo beneficiorum ſuorum quaſi baccillo tactum, in ſuſpiria, & alia pij affectus ſigna erumpat. Et quia agnoſcit impares eſſe ſuas laudes ad innumera beneficia, quibus illum præueniſti, ardore amoris cor conſumptum voces has inarticulatas emittat, ſitque

Iiii ij

Digitized by Google

Sumite pſalmum, & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara.

tympanum reſonans, ſeu reboans pios pro Dei bonitate & liberalitate affectus & ſenſus. Et quia vitam veſtram permiſcet proſperis & aduerſis; ſi proſpera immittat, ſumite ad eius laudes decantandas inſtrumenta muſica, quæ apta ſunt & idonea teſtari lætitiam cordis veſtri, quòd præuenerit vos in benedictionibus; quale eſt pſalterium iucundum, cuius ſonus ad lætitiam, & hilaritatem animum concitat. Quòd ſi aduerſa immittere voluerit, ſumite Cytharum, quæ ſono quodam magis lugubri ſenſus recolligit, vt in profundiorem meditationem iudiciorum Dei & myſteriorum prouidentiæ ipſius abduci valeatis: cuius eſt proprium viam nobis ſternere ſecuriorem ad fælicitatem, per tribulationes. Sic enim Propheta Eliſeus ſono cytharæ vſus eſt, vt ſenſus tædio affectos ob impietatem populi exhilararet, & in ſeipſis recolligeret, quo faciliùs mens eius ad futura præuidenda euehi poſſet, & inſignes contra Moabitas victorias præuidere ac prædicere valeret. Sic ſenſibus cohibitis, nec ad exteriora diſſipatis, licitum erit vobis mente percipere multas vobis præparari conſolationes, multa vobis bona eſſe obuentura (quale eſt iniquitatis & iniuſtitiæ excidium, ex parentibus veſtris contractæ) ex his aduerſis & moleſtiis. Et ita de hoſtibus victorias reportabitis, & triumphos agetis.

Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.

Equidem bonum eſt Regum ſecreta non pandere aut diuulgare: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt.* Tob. 12. Proinde non tantùm adexcitandam veſtram deuotionem prædictis inſtrumentis Dei laudes præcinite, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis; ſed oportet vt quaſi tuba exaltetis voces veſtras. Dicite omnibus: Venite & videte mirabilia Dei, quanta fecit Deus animæ meæ, quantis me præuenire dignatus eſt donis, ac beneficiis. Siue igitur miſericordiæ effectus conſideres, ſiue iuſtitiæ effectus, quibus æquo quodam æquitatis iure, ad meliorem hominum gubernationem, modò proſpera, modò aduerſa immittit, ſemper materia vobis ſubminiſtrabitur Deum altiſſima voce collaudandi. At non quolibet tubarum genere has Dei laudes intonare.

Buccinate in tuba, non qualibet, ſed in Neomenia tuba. Quod non vacat myſterio. Concurrebat olim dies feſtus tubarum, cum feſto Neomeniæ, ſeu nouilunij menſis ſeptimi, id eſt Septembris: qui feſtus dies tubarum celebrabatur in memoriam eius Arietis, quem Dominus Abrahæ oſtendit inter vepres hærentem, & quem Abraham pro Iſaac immolauit. Nunc in eadem tuba buccinate, in memoriam, non Arietis pro Iſaac immolati, ſed Chriſti, qui pro nobis peccatoribus ſeſe in cruce obtulit immolandum in remiſſionem peccatorum. Vnde in eodem menſe Septembri, celebrabatur feſtum expiationis pro peccato contracto in adoratione vituli aurei, cum Deus hoc dimiſit delictum populo, Moyſe orante pro eo; & poſt eum feſtum ſcenophegiæ, ſeu tabernaculorum, in memoriam diuinæ protectionis, & deductionis populi per deſertum: denique feſtum Collectarum, in recordationem coadunationis & collectionis populi in vnam terram, & pacis & quietis à laboribus: quia cum ſe Chriſtus obtulit pro reis & peccatoribus; & peccata dimiſit, & omnem idololatriam expiauit, & protectionem ſuam nobis in hac vita mortali, & ſalutarem deductionem in patriam impetrauit, & in vnum coadunauit omnes gentes, Iudæos & Gentiles, vt fieret vnum ouile & vnus paſtor, & pax nobis æterna concedatur ſecura & pulcherrima in viſione Dei. *Buccinate* igitur *in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Propter beneficium, redemptionis, cuius excellentiæ & vtilitatis memores, nunquam menſe Se-

A ptembri celebrabitis Natiuitatem Virginis Mariæ matris Chriſti, quin ſtatim in memoriam veſtram redeat eam fuiſſe Saluatoris veſtri matrem, in qua primo apparuit illuminatio ſolis, id eſt Chriſti, per copiam gratiæ. Nunquam celebrabitis feſta Apoſtolorum, quin ſtatim menti veſtræ occurrat ipſos fuiſſe tubas, quarum ſonus in omnem terram exiuit, vt bonum nuncium redemptionis æternæ audiremus. Et ſi vobis feſta Martyrum, Confeſſorum ac Virgini celebrare contingat, in memoriam veſtram reuocate vos in ſanguine Chriſti fuiſſe mundatos & expiatos, ab omni labe & macula peccati purgatos, ſanctitatis & puritatis amatores effectos, merito paſſionis ipſius. Pari ratione cum celebranda erit feſtiui-
B tas Dedicationis Templorum, agnoſcite vos ad Dei obſequium eſſe conſecratos, & ad eum adorandum, laudandum & magnificandum deſtinatos. Denique cum Angelorum aut omnium ſanctorum ſolemnitates agetis, ad patriam cæleſtem totis votis ac deſideriis adſpirate. Ibi enim Deus vult omnes ſanctos cum Angelis ſimul coadunati, vt habitet in eis, & ipſe ſit Deus eorum, cuius viſione beatifica fruantur, eique perpetua charitate adhæreant. Meritò igitur hoc feſtum huius Nouilunij, memoriam redemptionis, qua hæc cauſantur, reficians, dies inſignis nuncupatur. Nullus enim dies eſt, in qua diuina prouidentia inſigniores effectus ſuæ bonitatis in homines effuderit, quàm die illa redemptionis, in
C qua non pro Iſaac aries ſuppoſitus fuit, ſed pro fætidis hircis, peccatoribus nempe, Chriſtus Ieſus filius Dei viui in mortem oblatus fuit. Etſi igitur tribulati contingat, iacta tamen in Deum fiduciam tuam. Rectè enim dixit Apoſtolus, 2. ad Corinth. 4. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur*, id eſt, inopes ſumus bonorum omnium, & conſilij expertes, perplexitatibus implexi, *ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, deiicimur, ſed non perimus, ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra.*

D *Buccinate* itaque *in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ: quia præceptum in Iſrael eſt & indicium Deo Iacob.* Laudare quippe Deum ob effectus inſignes prouidentiæ Dei, præceptum eſt validum, & receptum inter eos omnes, qui Deum cognoſcunt, qui eius voluntati obedire volunt. Cuius præcepti æquitatem optimè perſenſit Iacob, cum hoc ſolenne emiſit votum: *Si fueris Deus mecum & cuſtodieris me in via, per quam ego ambulo, & dederis mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum: & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Gen. 28. Nouerat Deum ob inſignes
E effectus prouidentiæ erga homines, in naturalium rerum ordine eſſe laudabilem: quanto magis laudabilis eſt propter effectus eiuſdem prouidentiæ in ſupernaturalium rerum ordine? Et ſi propter illa beneficia temporalia feſta fuerunt olim inſtituta, quanto magis fuerunt pro beneficiis ſupernaturalibus quædam inſtituenda, & prædictis ſubſtituenda, quæ ſeruari debeant ex præcepto: quia iudicium eſt Deo Iacob, vt iudicet hominum actiones, & videat an ſit intelligens, aut requirens Deum, maieſtatis illius & beneficiorum memor. Ideo tubâ illæ Dei laudes & gratiarum actiones celebrandæ ſunt, vt non ſolum clare ab omnibus audiantur, ſed etiam vt recordari liceat temporis conſummationis, quo quilibet remunerationem accipiet eorum quæ hic operatus eſt. Tunc recedit operandi tem-

Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob.

Digitized by Google

pus; & iudicij tempeſtas aderit, in qua nihil amplius operari licebit. Illo tempore nobis in mentem veniet illud Chriſti: *Nolite vobis colligere theſauros in terra, vbi tinea & ærugo, fureſque corrumpunt; ſed in cælis.* Ita Procopius in Leuiticum.

Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cùm exiret de terra Aegypti, linguã quam non nouerat, audiuit.

Iam verò tã æquitatis huiuſcemodi præcepti diuini laudandi Deum, ob beneficium redemptionis temporariæ & æternæ; quàm etiam iuſti iudicij teſtimonium habemus in perſona Ioſephi, qui primus ex Iſraëlitis ingreſſus eſt Ægyptum, & cuius oſſa cum populo Iſraëlitico ex Ægypto exeunte tranſlata fuerunt, cum Deus manum ſuam magnam exercuit ſuper Ægyptios, dum eos cum Rege ſuo & curribus ſuis in mare demerſit. Hic ille eſt Ioſeph, qui in carcere poſitus figura fuit populi ſui in Ægypto oppreſſi: & è carcere liberatus, vt ſub Pharaone regeret Ægyptum figura fuit Moyſis, populum ſub Deo ſummo rerum moderatore glorioſè gubernantis.

Fuit itaque Ioſeph in teſtimonium tum ſeruitutis, tum liberationis populi Iſraël, in cuius memoriam hoc feſtum fuit inſtitutum. Et ſicut ille intrans in Ægyptum, linguam Ægyptiorum, quam non nouerat, audiuit, ita iſti ex Aegypto in deſertum euntes; linguam, quam non nouerant audierunt. Poſt quadringentos & triginta annos populus Iſraël audiuit vocem Dei per manum Moyſi, ſicut ei promiſſum fuerat; at excellentiori modo, quando populus Chriſtianus per maris rubris vndas exiuit Ægyptum, id eſt, per Baptiſmum exiuit de tenebris ignorantiæ: tunc enim linguam, quam non nouerat audiuit, ſcilicet Apoſtolos variis linguis loquentes, poſt Spiritus ſancti miſſionem, loquentes videlicet præcepta Euangelica, quæ priusnec vſu, nec Philoſophorum placitis vnquam didicerat.

Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt.

Videte ergo, ait Dominus, meam erga vos omnes benignam prouidentiam. Subduxi ab oneribus dorſum veſtrum, quæ portare vobis erat neceſſarium, cum manus veſtræ in cophino ſeruierunt, ad portandum lutum in corbibus ad conficiendas ollas, ad lateres coquendos, ad alia opera, ſiue fictilia, ſiue alterius generis. Hæc onera ab humeris veſtris auerti: ab his vos liberaui malis & oppreſſionibus: manus veſtræ ab ollis conficiendis receſſerunt.

In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: probaui te apud aquam contradictionis.

Hoc feci, quia meâ gratiâ admoniti in tribulatione veſtra clamaſtis ad me, & liberaui vos. Vidi afflictionem veſtram: veſtrum audiui clamorem, & exaudiui vos in abſcondito tempeſtatis, quando voluiſtis vos abſcondere à tonitru, & tempeſtate, & malis, quæ vobis ab Ægyptiis inferebantur; quin & vos protexi, cum Aegyptios per turbinem, & inundantes aquas ſubuerti. Nonne igitur æquum eſt, vt tantæ liberationis memores feſta agatis, & meas laudes alta voce intonetis? At ſi pro liberatione iſta ab hac corporali afflictione, par eſt vt meas celebretis laudes; multò magis populus Chriſtianus, à cuius dorſo auerti onera peccatorum, meas laudes decantare debet.

Sed ſi attentè perſpexeritis quanta ſit patientia mea & longanimitas (quæ tanta eſt, vt etſi ingrati ſitis beneficiorum, tamen promiſſa mea adimplere non deſino) certè euidentiſſimum vobis fiet iuſta de cauſa laudes & obſequia me à vobis exigere. Probaui enim & exploraui fidem veſtram ad aquas contradictionis, & contentionis. Magna enim apparuit veſtra improbitas; cum tunc fuiſti, rebelles & increduli, dicentes: *Nunquid poterit Deus de Petra elicere aquam, aut parare menſam in deſerto?* Et tamen non deſij vobis benefacere, & introduxi vos in terram fluentem lac & mel. Ita multi ſunt Chriſtiani, quos probare volo per multas afflictiones & tribulationes, ad expiationem peccatorum, mentis humiliationem, ſuperbiæ extirpationem, Chriſti mei

A imitationem, gloriæ æternæ acquiſitionem appſime vtiles: qui tamen deficiunt, & ſæpiùs mihi contradicunt, hæſitationibus, fluctuationibus, murmurationibus, quos patienter tolero, & tandem per finalem pœnitentiam ad æternam fælicitatem deduco. Nonne propter talia beneficia magnificis me laudibus extollere debetis? Certè hoc iuſtiſſimè à vobis exigitur. Et ex præteritis beneficiis agnoſcere poteſtis quid à mea bonitate, & miſericordia ſperare & expectare valeatis. Tranſiuiſtis per mare rubrum, & aquam nimiam, & inimicos veſtros operuit mare. Sperate igitur, me ductore ac protectore, vos ab omnibus peccatis & malis liberandos. In deſerto Sin in Cades, loco arido & inaquoſo, ſitienti &
B petenti aquam, etſi increduli eſſetis, aquam è Petra eduxi; ex qua homines & iumenta ſitim extinxerunt. Sperate à me in hac terra arida & inaquoſa auxilium; itaut ſitientibus vobis, fontes gratiarum & conſolationum ſcaturiant, quibus & mentes & ſenſus veſtri reficiantur, itaut abundetis conſolatione in omni tribulatione veſtra. Iurgati eſtis contra me in deſerto, legem à me accipientes ſanctiſſimam; & vitulum aureum finxiſtis, & adoraſtis ſculptile opus manuum veſtrarum: & tamen filios veſtros introduxi in terram promiſſam patribus veſtris. Scitote igitur me adeò veracem, & fidelem eſſe, vt cum obſeruantibus mandata mea gloriam promiſerim, ſi quis ad me conuer-
C ſus fuerit in toto corde ſuo poſt multiplicationem tranſgreſſionum, dimittam illi peccata ſua, & præmia retribuam.

Audi populus meus, & conteſtabor te, Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deũ alienum.

Quæ cum veriſſima ſint, audi popule meus, aures tuas accommoda verbis meis, & conteſtabor te Iſraël. Certè ſi me audieris, nullum alium Deum præter me habebis, ſed mihi ſoli ſeruies, me ſolum adorabis. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus patrum tuorum adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus; qui eduxi te de terra Aegypti.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, qui de tenebris ignorantiæ vocaui te in admirabile lumen Chriſtianæ religionis. Multifariam
D enim, multique modis olim loquens patribus tuis in Prophetis, nouiſſimis diebus locutus ſum tibi in filio. Non ſit igitur in corde tuo falſitas, ſed veritas. Filium patri æqualem in æternitate, in tempore docentem ſuſcipe; & non erit tibi Deus recens. Eumdem coæqualem & conſubſtantialem patri adora, & non adorabis Deum alienum. Omnium peccatorum, imo & creaturarum amorem derelinque, vt vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum colas, quia in eius cognitione & amore tantummodò vitam obtinebis.

Dilata os tuũ & implebo illud.

Dilata igitur *os tuum, & implebo illud.* Oris igitur tui precem & poſtulationem latè aperi; effunde, exaggera, amplifica, & implebo illam. Amplè,
E copioſè loquere & pete. Ego verò perficiam, & præſtabo quidquid poſtulabis, fidelis modò fueris, perficiam, quantumcumque fuerit magnum & latum. Omnia quæcumque petieritis in oratione, credite quia accipietis. Dicite igitur audacter: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Quid enim mihi eſt in cælo, & quid à te volui ſuper in terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Deſiderij tui compotem etiam nunc te efficiam. Mittam enim filium meum, mortem pro tua redemptione ſubiturum. Inſuper dabit tibi corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum, quo frui valeas in hac vita eius diuinitate, ſub ſpecie, vt ea tandem reuelatâ facie in æternum potiaris.

Digitized by Google

Appoſitè ad hæc Arnobius: *Quid eſt quod tantopere iubes vt dilatet os ſuum populus criminoſus ſuis atque incredulus qui crucifixit Dominum? Dilata*, inquit, *os tuum, & ego adimplebo illud. Si vultis euadere mortem, quam incurriſtis, bibite ſanguinem quem fudiſtis.* Ita Arnobius.

Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi.

Et non audiuit populus meus vocem meam: & Iſraël non intendit mihi. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Miſſum ad eos filium, & hæredem bonorum meorum occiderunt; & alij ad conuiuium & epulum tam nobile & iucundum vocati venire noluerunt. Non audierunt ſapientiam meam clamantem: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*: nec eius documenta & exempla excipere voluerunt.

Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.

Non mirum igitur, ſi poſtquam feci vineæ meæ quod debui, eam incultam derelinquam, vt non fructus ſuaues, ſed tantùm labruſcas afferat. Eos enim qui voci meæ obedire noluerunt, & qui inuitati venire recuſarunt, dimiſi ſecundùm deſideria cordis eorum, ſecundùm prauitates & affectiones malas cordis. Ibunt in adinuentionibus & in conſiliis ſuis. Ambulabit vnuſquiſque ſecundm prauitatem cordis ſui. *Conteſtatus igitur ſum, & dixi: Audite vocem meam: & non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali.* Ieremiæ 11.

Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet.

Nunc autem attendite ſi vobis conquerendi de me iuſta cauſa adſit, ſi mandata mea grauia nimis, & importabilia eſſe merito aſſeratis, vt propter hoc iugum meum excutere velitis: ſi de afflictionibus, (per quas ſcelera veſtra, & rebelliones veſtras coercere & reprimere volo) aut ex eo quod permittam inimicos veſtros contra vos præualere & fortiores eſſe, æqua ſit veſtra expoſtulatio. Certè ſi populus meus audiſſet me; Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet, ſi mandatis meis obtemperaſſet, ſi per vias meas pulchras & pacificas progredi ſelegiſſet, cum recta fide, firma ſpe, ordinatiſſima charitate; imbecillitati eorum compaſſus fuiſſem. Nam quomodo miſeretur Pater filiorum, ego miſerebor eorum qui timent me. Cognoſco enim figmentum eorum. *Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.*

Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Certè cum iſta dicas: ô Pater clementiſſime, ô Deus miſericors, oſtendis quia inuitus, & coactus nos deſeris, Rogaſti, & non es auditus, & quaſi iratus dimiſiſti filium laſciuientem. Vides eum perire, & doles quia perit, quia tua protectione gaudere noluit. Cum enim chariſſimos habeas tuos, itaut qui eos tangat, tangat pupillam oculi tui; inſidiis & hoſtium oppreſſionibus non relinquerentur, niſi quia priùs te derelinquerunt, & à te auerſi ſunt.

Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula.

Inimici enim Domini mentiti ſunt ei. Fidem ei ſanctè datam violauerunt Iudæi, cum Principes Sacerdotum, Scribæ & Phariſæi, qui erant inimici Domini Ieſu Chriſti, ipſi mentiti ſunt populo, dicentes: Non eſt à Deo. Illi autem miſeri contra ſalutem ſuam illis mentientibus crediderunt. Ita Arnob. Vel quia dixerant olim: Omnia quæ mandauerit nobis Dominus faciemus, & erimus obedientes. Et tamen tranſgreſſi ſunt pactum violauerunt & Chriſtiani fidem, qui diligendo ea quæ in mundo ſunt, inimici Dei conſtituuntur, & mentiuntur ei, dum non obſeruant ea quæ in ſuſceptione Baptiſmatis promiſerunt. Quorum omnium tempus erit in ſæcula, dum æternaliter punientur. Volebat in eis Deus manifeſtare cogitationes ſuas eſſe cogitationes pacis, & non afflictionis, nec ipſum delectari in perditionibus peccatorum, quos potiùs ad vbera portare, quibus potiùs ſupra genua blandiri peroptaret, eos denique tanquàm nutritius portare in brachiis ſuis. Oſee 11. Sed tranſgreſſione mandatorum facti ſunt inimici: & peccata eorum diuiſerunt inter Deum & eos, cogitur vlciſci manifeſtas iniurias, eos ab vberibus repellere, eos ad terram deiicere, eos potenter pedibus calcare; & in æternum punire. Tanto iuſtiori iudicio quod ampliori beneficio præuenti fuerant. *Cibauit*, enim *eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos.* Adeps enim frumenti, Sacramentum eſt corporis Chriſti. Quid enim aliud adeps in frumento ſignat, niſi diuinitatem in carne? Sed & de petra, melle, hoc eſt, de ſapientia Chriſti, qui eſt petra; de quo mella, id eſt, dulcedo, ſanctæ prædicationis manauit. Vnde iſti ſaturati ſunt, vt delectarentur in verbo Dei, & in cognitione Sacramentorum. Fide vacui, famelici remanſerút, auribus aggrauati Chriſto obaudire noluerunt, veterem hominem exuere noluerunt: nouum hominem (qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis) induere neglexerunt. Meritò itaque derelinquuntur vt inimici, vt in æternum in peccato ſuo morientes puniantur. Pro his autem qui conuerti voluerint, & à peccatis reſipiſcere, habet hanc menſam paratam, aduerſus eos qui vellent ipſos tribulare: qua reficiantur, & ſaturentur, & pinguedine gratiæ ſpiritualis repleantur, ſi Chriſtum audierint dicentem: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſernabit, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Si quis ſitis veniat ad me, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos.

Hæc expoſitio verſuum iſtorum huius Pſalmi illuſtrari poteſt ex commentario S. Hieronymi, in 11. c. Oſee, dum ait: *Nunc narrat quo Iſraël amore dilexerit, ſecundùm illud quod in Deuteronomio legitur: Portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum. &c.* c. 1. Et cap. 32. *Ego*, inquit, *qui pater eram, nutritius factus ſum, & paruulum meum in vlnis meis ipſe portabam ne læderetur, in ſolitudine. Et ne vel æſtu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in monte ignis flamma, vt quos protexeram meos illuſtrarem, & ſanarem lumine. Cumque peccaſſent, & feciſſent ſibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ. Et ignorauerunt quod curerem eos, & vulnus idololatriæ quadraginta annorum ſpatio obducerem, & priſtinæ redderem ſanitati. Curaui autem eos propter funiculos & vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Iſaac & Iacob aſtrinxeram. Pro Adam enim, Aquila, & Symmachus, & 70. & Theodoſion, homines tranſtulerunt, vt dicerent in funiculis hominum traham eos, in vinculis charitatis. Quodque putauerunt, quod imponerem iugum ſuper maxillam eorum, dupliciter accipitur. Aut, Abſtuli ab eis iugum cunctarum per circuitum nationum, aut, legem meam quaſi grauiſſimum iugi pondus arbitrati ſunt. Et dedi eis eſcam manna in deſerto, quo veſcerentur. Hoc eſt enim quod ait: Declinaui ad eum, vt veſceretur. Pro quo interpretatus eſt Symmachus: Et declinaui ad eum cibos. Non quòd Deus ad eum declinauerit, ſed quod cibum manna ad eum fecit declinare. Aliter: in tantum dilexi eos, & tam clemens Paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis ipſe portarem. Ipſi verò ignorauerunt quòd mea illos paſſione curarem, & qui amator ſum omnium hominum traherem eos ad credendum, in vinculis charitatis, iuxta illud quod in Euangelio ſcriptum eſt: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Et arbitrati ſunt iugum meum leue, eſſe grauiſſimum. Et declinaui ad eos, deferens regna cælorum, vt cum eis veſcerer aſſumptâ formâ hominis. Siue: Dedi eis eſcam corporis mei. Ipſe & cibus & conuiua.* Ita S. Hieron.

Expoſitio Pſalmi 83. cui etiam titulus eſt, pro torcularibus. Qui cantari debet, quia per mortem, vinum pretioſum electorum ab amurca reproborum ſecernitur.

Expoſuimus iam duos Pſalmos, *Pro torcularibus*, ex

tribus qui ita inſcribuntur, octauum videlicet, decantandum pro vino iucundiſſimo, quod exprimitur ex meditatione operum tam naturalium, quàm ſupernaturalium: octuageſimum, qui decantandus eſt pro illo vino ſanctitatis & nouitatis vitæ, quod quidem exprimere debemus in torculati preſſurarum, afflictionum, & operum pœnalium pœnitentiæ & mortificationis, Chriſtum crucifixum in corpore noſtro circumferentes.

Nunc exponendus eſt Pſalm. 83. decantandus pro illo vino pretioſo electorum, qui ab amurca reproborum in torculari mortis cuiuſcumque generis ſecernuntur. Vinum certè Deo gratiſſimum. *Pretioſa* enim *in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*, qui nempe voluntaria imitatione Chriſti in cruce ferenda, tolerantia (cum patientia coniuncta) laborum & pœnarum huius vitæ, & humili reſignatione vitæ ſuæ, Deo placuerunt; & ideo tanquam vinum generoſum in morte, in cellaria ſapientiæ diuinæ reconduntur. Et omnibus animaduertere licet, quòd ſi Deus permiſerit eos calcari in torcularibus afflictionum huius vitæ, & operum pœnitentiæ & mortificationis, hoc fuit magnum erga ipſos amoris & charitatis indicium: *quia non repelles in ſempiternum Dominus: quia ſi abiecit, & miſerebitur, ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.* Thren. 3. Reprobos autem projiciet, tanquam vinacia ſeu amurcam, in infernum. Quod quidem gratum eſt Deo, quia in eorum damnatione refulget ſynceritas & veritas iuſtitiæ & ſeueritatis ſuæ. Sed iſtud vinum eſt auſterum; nec ita palato gratiſſimum, quale eſt illud quod non ſponte ex vuis, vel ex calcatione vindemiarum exprimitur, ſed vi ac preſſura violenta racemorum vltimò egreditur. *Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.* Thren. 3. Sed quia inimici facti ſunt, & mentiti ſunt ei (expectauerat enim ab eis Dominus vt facerent vuas, & fecerunt labruſcas) nec fecerunt fructus dignos pœnitentiæ, fuit tempus eorum in ſæcula: quia nunquam à peccatis ſuis reſuſcitare voluerunt. Exponamus igitur nunc hunc Pſalmum, qui decantandus eſt intuitu electorum, qui reprobis eiectis è regno, in æternum gloriam reconduntur, ad bonitatis diuinæ manifeſtationem, vt in ſeruis ſuis in æternum glorietur. Ita igitur ob tam fælicem ſtatum, & adeptam filiorum hæreditatem, (cum Deus dat illis ſomnum mortis, vt eis det vitam æternam, quam promeruit nobis filius Dei, ille, inquam ſuauiſſimus vteri virginalis fructus) Deo laudes & gratias agit Propheta regius.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum! Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Quaſi diceret.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Deſponderem animum, ô Domine virtutum, in preſſuris & anguſtiis, quas tolerare opus eſt, dum ardenter ſtudeo tuis inhærere mandatis, & voluntati tuæ obtemperare; niſi ſeriò cogitarem, quàm amabilia, quàm dilecta, quàmque pulchra ſunt tabernacula, in quibus habitas Domine Deus, & quàm deſiderabiles ſunt illæ manſiones, quas præparaſti diligentibus te j. electis tuis. Deſideria & ſuſpiria ad eas perueniendi, quibus continuè commoueor & impellor, tantopere omnes animæ meæ vires exhauriunt, nulla apud eam vis remaneat, qua poſſit corpori ſuo deinceps vitam, & animationem, & ſenſationem ſubminiſtrare. Ita fertur extra ſe, vt non modò cogitatione, ſed etiam reipſa velit à corpore diſſolui, vt hæc atria adeat, in quibus magnificentia, & magnitudo tua clarè conſpicitur. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum Viuum.* Spe namque erectus perueniendi ad hæc tabernacula: per tuam miſericordiam, ecce continuò exulto, & cor meum

Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.

A tanto perfunditur & dilatatur gaudio, vt quieſcere in ſeipſo non valeat, ſed euchementi deſiderio ad te Deum viuum peruenire anhelet. Quin etiam tanta eſt perfuſio huius gaudij & conſolationis, vt in carnem & ſenſus meos internos & externos quodammodo, redundet. Hoc indicat cordis motus, corporis interdū in altum erectio, oculorū lacrymæ, anhelatio pectoris, ſenſuū liquefactio, clamor oris ex intimo pectore dicentis: O Deus viuens & viuificans! Quando te fruar? Quando tanta potiar beatitudine? Quid moror in carne? Deſeratur citò, ne ab expectatione mea propter carnē fraudari contingat. Sentio in me aquam viuam illuminationis gratiæ tuæ, mihi fortiter ſuggerentem quæ Ignatio Martyrij olim ingerebat: Veni ad Patrem: mei iuris ampliùs non
B ſum: quia omnes animi mei motus & affectus tui ſunt, tua præſentia viuificati & vegetati, vt nihil iam præter te deſiderem.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos

Hac ſpe potiundi tua viſione maximè erigitur animus, quia factus ſum ſicut paſſer qui inuenit ſibi domum, & ſicut turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos. A dæmone fortiùs, quàm à ſerpente paſſer, inſidiis appetitur, à laqueo venantium liberari ſpero, vt in tuam me recipiam domum, in qua tutus ſim ab inſidiis & impugnationibus cunctis, ſecurus à caſu. Ceſſabunt aſtutæ illius inſidiæ. Ceſſabunt eius circumuentiones & fallaciæ. Ceſſabunt manifeſtæ illius infeſtationes, & oppugnationes. *Non* enim *fla-*
C *gellum appropinquabit tabernaculo tuo.* Nec ſecurior degit à ſerpente paſſer in altis Palatiorum tectis, aut à miluo in foraminibus murorum, quàm ſecurè viuam in abſcondito tabernaculi tui. Vnde ſicut paſſer nimia velocitate celerrimus, habitans in foraminibus parietum, dum habitationem inuenerit, valde lætur exultat: ſic anima mea iocundatur, dum in regno cœlorum manſionem ſuam ſentit eſſe paratum.

Sed quia ob tuam abſentiam langueo amore tuo, ô ſponſe amantiſſime caſtarum animarum; à lachrymis abſtineo, abſterſas illas percipio, cum cogito tunc nunquam me à te ſeparatum iri. Nulla erunt tunc peccara, quæ roties me à te diuiſerunt; nullæ
D imperfectiones, quæ me à tuo actuali amore retardare poſſint. Hæc omnia, quæ ardorem charitatis ſaltem imminuunt, & cum ingenti animi moleſtia ſæpiùs me ab vbere conſolationum tuarum auellunt; hæc, inquam, omnia deperibunt. Nullus erit locus gemitibus & ſuſpiriis, vbi erit tanti boni plena & perfecta poſſeſſio. Quantùm diſtat ortus ab occidente, longè facies à me iniquitates meas. Nulla erit inconſtantia mentis, leuitas animi, immutatio voluntatis. Si nunc vt turtur gemebunda ingemiſcam propter tuam abſentiam, ceſſabunt gemitus, quia inueniam nidum, vbi omnia mea deſideria elicita conquieſcant. Eſt enim hæc beatitudo omnium bonorum deſiderabilium aggregatio cumulatiſſima.
E Intellectus igitur meus inueniet tanquam paſſer domum, dum facie ad faciem contemplabitur tuam eſſentiam; Voluntas mea nidum, id eſt, deſideriorum ſuorum terminum, & ſatietatem, cum tanto frui bono illi permittetur.

Interim, ô Domine virtutum, tota virtus & fortitudo mea; Rex meus, cui debeo omnem exhibere ſeruitutem; Deus meus, quem amare & ſuper omnia diligere debeo; animaduerto ſanè quòd ſi, dum adhuc in hac vita ſuperſtes exiſto, nullum refugij locum haberem, inimicorum paterem inſidiis & inſultibus, quibus ingens immineret periculum ſubuerſionis & caſus. At quanta eſt tua erga me benignitas? Ecce paraſti menſam aduerſus omnes qui tribulant me. *Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt*, cum me tuo corpore ſa-

Digitized by Google

Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.

tias, ſanguine potas, poteſtate data Eccleſiæ dimittendi peccata tibi reconcilias, vt dignè accedam ad altaria tua, & ſacrificio miſſæ placatus dona & auxilia præſtas! in his certe manifeſtè cernimus tuam potentiam, ô Domine virtutum; tuam in omnes creaturas dominationem, ô Rex Regum, & Dominus Dominantium; tuum erga nos amorem, ô Deus amoris & charitatis amantiſſime. Hoc equidem habeo refugium, donec intrem ad habitandum in tabernacula tua, donec poſſim deambulare in ſpatioſa & lata atria tua, donec quieſcam in domo tua, donec ſecurè degam tanquam in nido, in ſinu tuo, in abſcondito faciei tuæ, & ſuper illud altare ſublime in conſpectu tuo, perfectam & abſolutam mei oblationem faciam.

Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorũ laudabunt te.

O quàm *Beati qui habitant in domo tua! In ſecula ſeculorum laudabunt te.* Vbi nullus peccandi timor, nullus à tua gratia decidendi metus, vbi gaudium noſtrum nemo tollet à nobis. Beatus quippe eſt, qui in ſinu Eccleſiæ Catholicæ complexus tibi famulatur: at multo magis beatus qui iam cæleſtem patriam conſequutus eſt, vbi omnia optata ſuccedunt, vbi quidquid voluero reperietur, quidquid noluero, fugabitur; vbi tu eris omnia in omnibus. Qui ibi ſunt in ſæcula ſæculorum te laudabunt. O qualis erit illius ſæculi venturi ventura lætitia, vbi dabitur copioſè gaudere, & nunquam ab ea deficere poſſe, & ſine fine Deum laudare!

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarũ, in loco quem poſuit.

Hac ſpe & expectatione iam *beatus eſt vir cuius eſt auxilium abs te.* Nos quidem deſideramus tabernacula, atria, domum, nidum, altaria; ſed vt hæc omnia velimus & deſideremus, & capere poſſimus, non eſt virtutis noſtræ, ſed auxilij tui, cuius eſt dare velle & perficere. Hic nempe vir leuabit ſe ſupra ſe. Talis namque aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, id eſt, gradus virtutum, per quos aſcenditur in cœlum: quos homo gratia Dei illuminatus in ſe diſpoſuit, quia vſus liberi arbitrij cum gratia tua ad meritum concurrit; qui quotidie proficit qui non conſiderat quid hodie fecerit, ſed quid hodie faciat vt proficiat; ſemper declinat à malo, & facit bonum; & quodcumque bonum poteſt facere manus ſua, non negligit. Conſilia Euangelica pro ratione ſtatus ſui fideliter ſeruat; vitæ actiuæ opera, quantùm in ſe eſt, piè exercet: omnes omnium virtutum actus exercere deſiderat, vt de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu transformatus, Deum (quem videre cupit facie ad faciem) nunc etiam, quoad fieri poteſt, contemplari poſſit. Hic eſt fructus gratiæ ſuſceptæ, vt terra noſtra gratiæ tuæ rore irrorata, multipliciter fructus virtutum & bonorum operum producat; vt ſicut in creatione benedictionem tuam impertiens terræ & animalibus, fructificandi & multiplicandi poteſtatem obtinuerunt; ſic tu legiſlator (qui legem nobis dediſti, gratiæ diuinæ autor & origo, qua poſſumus meritoriè operari) tuam benedictionem impertiendo fidelibus facis vt eam non in vanum recipiant, nec abſque fructu. Terra namque cordis eorum affert modò fructum trigeſimum, modò ſexageſimum, modò centeſimum; imo gratia in eorum cordibus tam altas agit radices, vt ſicut arbor plantata ſecus decurſus aquarum, dat ſemper fructum in tempore ſuo. Sic quælibet virtus in anima ita radicatur, vt cum occaſio ſeſe offert in actus prorumpat, incrementa continua faciens, tum in merito bonorum operum, tum in comparatione virtutum, & digna redditur vt de claritate in claritatem transformata, tandem videat Deum deorum in Sion, hîc per ſpeciem & in ænigmate, in Patria facie ad faciem. Tantum bonum conſequuntur qui in corde ſuo aſcenſiones diſpoſuerunt in valle lachrymarum, in valle miſeriæ, pœnitentiæ, humilitatis;

Vide Arnobiũ in hunc Pſalmum.

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

A in locum ſcilicet quem poſuit, nempe cœlum Empyreum, qui locus eſt & domicilium beatarum mentium, & regnum quod paratum eſt à Deo pro electis ſuis à conſtitutione mundi. *Chriſtus enim ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.* Heb. 8.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob. Nonne ſiquidem hoc eſt meum deſiderium, hæc mea oratio, hoc meum votum, vt inhabitem in domum Domini, in atriis Domini mei, vt videam te in Sion, in temetipſo, tanquam in ſpeculo voluntario, cum ſis ſpeculum ſine macula? Hæc igitur vota, has preces, hæc deſideria ſuſcipe & exaudi, vt cum Iacob Patriarcha dicere
B poſſim: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Si pro viſione Angelica ſaluum ſe eſſe arbitratus eſt, quomodo ſaluus non ero, ſi teipſum ſaluatorem meum conſpicere licuerit? Vel ſaltem Iacob mirabatur adhuc animam ſuam carni ſuæ eſſe coniunctam, quæ ex tanta viſione obſtupeſcens corpus relinquere debuerat. At ſi vt te videam, neceſſe ſit mori, cupio iam diſſolui, & eſſe tecum. *Moriatur anima mea morte iuſtorum.* Scio quod cum dederis dilectis tuis ſomnum, ſtatim ipſis hæreditatis tuæ adipiſcendæ facultas erit. Qui enim in te credunt, non moriuntur propter diſſolutionem animæ à corpore: ſed tranſeunt à morte ad vitam. Sicut igitur, vt Iacob fieret Iſraël, apparens ei: ſic & me fac Iſraël,
C ita vt ſcilicet Deum videam.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Sed quia rem magnam poſtulo, & quæ mea excedit merita, ne ad meam quæſo indignitatem attendas, aut ſi adſpexeris, aſpice in me, & miſerere mei: aſpice in me tanquam idoneum ſubiectum, in quod miſericordiam effundas, & me à malis omnibus liberando, & bonis omnibus cumulando, gloriam tibi conquiras. Sed quia in me nihil niſi lugubre, funeſtum, & ingratum reperies, *auerte faciem tuam à peccatis meis, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Reſpice in Chriſtum propter me hominem factum, conſputum, flagellatum, crucifixum, & mortuum. Si hoc feceris, tunc non repelles orationem meam. Chriſtus enim caput noſtrum, & nos illius ſumus membra:
D & quia Chriſtus in nobis eſt per gratiam, in Chriſti poſtea faciem reſpicies, ſi nos reſpicere volueris, quia & propter eum nos reſpicis. Et ſicut illum, ô Pater clementiſſime, reſpiciens, ad miſericordiam flecteris, & protector noſter eſſe vis: ſic & ego illum humiliatum pro me aſpiciens, iam *elegi abiectum eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Certus ſum quia melior erit dies vna in regno eius, ſuper millia annorum quæ ſunt in terrâ conſumpta. *Hic eſt enim dies ſempiternus, cui non cedit dies heſternus, quem non vrget craſtinus, qui non habet ortum & occaſum, non habet noctem nec tenebras, ſed ſemper lux in eo eſt.* At non modò in cæleſtibus conſortiis, (ad quæ ſuſpiro ſuper
E infinitos dies præſentes, quos deſiderant homines, qui habent finem) dies vna melior eſt multitudine dierum in tabernaculis peccatorum, in excellentiis ſuperborum, in gloria ſæculi, quod non mirum eſt: dies illa enim vna æterna eſt: mille autem dies vitæ præſentis ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit. Cito enim finientur, & terminus tandem eis imponetur. Sed & in Eccleſia tua militante, (in qua tot ſunt atria, quot ſunt pia officia & miniſteria, quibus aditus ad cælum paratur, & ius ad gloriam acquiritur) melius eſt mihi immorari, quàm honoribus & dignitatibus eminentioribus ſæculi perfrui. Et ideo in domo Dei malo eſſe quàm alibi, quia in ea das miſericordiã, qua iuſtificas, & poſtea præmij promiſſi largiris veritatem.

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam

& gloriam

Digitized by Google

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.

& gloriam dabit Dominus. Miſericordiam tu diligis, A parcendo peccantibus; veritatem, præmia largiendo fideliter tibi ſeruientibus. Repoſitas enim apud te habes coronas, quas reddes iuſtus iudex, fideliter & ſyncere certantibus.

Gratiam enim das, quibus coronæ mereri poſſunt ſed gloriam his qui illas per gratiam præuenientem, cooperantem, & iuſtificantem, promeruerint. Si igitur peccator es, audi miſericordem Deum, & noli deſperare, ſed age pœnitentiam. Si verò iuſtus es noli negligentem eſſe, quia Deus reuera clemens eſt: quoniam Deus iuſtus eſt & veritatem diligit, non modò donans primò gratiam, peccata remittendo, & inde gloriam; ſed etiam quia negligenter agentes deſerit. *At non priuabit bonis eos qui ambu-* B *lant in innocentia.* Proinde, *Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.* Siquidem licèt ſit in medio tribulationum, licèt ambulet in medio vmbræ mortis, licèt mors ipſa immineat, non timebit mala, ſciens quia Dominus cum ipſo eſt. In paucis vexatus, in multis benè diſponetur, nec tanget eum tormentum mortis; & ſi videatur inſipientibus mori, ipſe erit in pace. Deus enim tentauit illum, & inuenit illum ſeipſo dignum Sap. 3.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.

Chriſtus vt homo, propter vnionem hypoſtaticam omnium dominatur in æternum. §. 18. C

Hunc ſenſum tribuit his verbis S. Thomas in expoſitione: & meritò. *Veſtimentum namque eſt vel eius humanitas, vel Eccleſia. Veſtimentum quippe dicitur humanitas aſſumpta, qua fuit diuinitas quaſi induta. Philip. 2 Et habitu inuentus vt homo.* Primaſio verò veſtis eſt Eccleſia. *In veſte, in Eccleſia,* inquit Ambroſ. *quam Chriſtus indutus eſt, quam ſecundum Apoſtolum mundauit lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ipſe Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam. Vt veſtis enim mundatur, ne maculam incurrat: extenditur, ne rugam contrahat.* Ita Ambroſ.

Femur autem poſteritatem & perpetuitatem D quamdam deſignat. Vnde idem Primaſius: *Sed & femore illius poſteritas ſeminis deſignatur, in quo benedicentur omnes gentes, iuxta Apoſtolum.* Et paulo poſt: *In hoc ergo femore, tanquam in filiis propagatis, Chriſti notitia, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ſcribitur. Qui cum regem regum, & Dominum fatentur omnium Dominorum, quibus hæc inſcriptio femoris reputatur credentibus in eum, benedicentur cum fideli Abraham.* Ita Primaſ.

Amplitudo autem huius regni perpetui, deſignatur in eo quod dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium. Hoc enim innuit ipſum dominari ſuper maiores dominatores ſcilicet Reges, & ſuper Dominatores communiter, eumque eſſe idcirco Dominum omnium rerum vniuerſaliter, quia E *ſi eſt dominantium, eſt & Dominus rerum quibus dominantur. Illudque ſignum certum eſt maieſtatis infinitæ, qua omnibus rebus vniuerſaliter dominatur.* Ita S. Thomas.

Ad hoc regnum tamen potiſſimùm pertinent ij, qui animi paſſionibus dominantur, ſi Andreæ Cæſar. fidem adhibeamus. *Hoc nomen*, inquit, *indiuulſum diuinæ incarnationis vinculum innuit, ſecundùm quam cum Deus alioquin eſſet, carne paſſus eſt; homoque exiſtens, Rex Regum & Dominus Dominantium appellatus eſt, eorum nimirum qui animi paſſionibus dominantur; regnumque & principatum aduerſus peccatum, illius ope & auxilio fulti adepti ſunt, adeoque vna cum illo in futuro ſæculo regnaturi ſunt.* Ita Andreas. Finis enim iſtius regni viſibilis eſt regnum interius in animabus, de quo dicitur: *Regnum Dei intra vos eſt,* & de quo rurſus Apoſtolus ad Rom. 14. *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.* Ex his igitur, quæ perfecit & paſſus eſt in humanitate, quæ in Eccleſia ſua & in fidelibus quotidie operatur & operabitur vſque ad ſæculi conſummationem, apparet quòd ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & omnia illi eſſe ſubiecta, & datam ſibi fuiſſe poteſtatem in cœlo & in terra, qua potuit congregare Eccleſiam, eam regere & ordinare ad finem ſupernaturalem, & ad eius vtilitatem & commodum, omnia referre ad ſui nominis gloriam.

Viſo igitur huius inuictiſſimi Regis Triumpho, & explicatâ illius gloriâ in hoc ſymbolo adumbrata, audiamus inuitantem nos ſpiritum vt illum regem in decore ſuo intueamur. Cant. 3. *Egredimini & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Habet ille Rex diademata multa. Primum eius diadema eſt ſacra eius humanitas, qua coronatum fuit Verbum diuinum in incarnatione. Secundum diadema fuit ſpinea corona in paſſione illius. Tertium diadema eſt Eccleſia ſancta. In his tribus diadematibus valde decorus & glorioſus apparet cuilibet eum cum vera fide intuenti. Huius triplicis diadematis rationem eruo ex Philone Carpathiorum Epiſcopo, in Cantica, triplicem diem deſponſationis & lætitiæ ſponſi deſignans. Prima dies in incarnatione. Secunda in reſurrectione. Tertia in miſſione Spiritus ſancti. *Siue*, inquit Philo, *incarnationis dies prima intelligatur, cum deitatem ſuam humanitati noſtræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem ſuam, tempore opportuno, Eccleſiam ſuam ſibi aſſumere illi placuit. Tunc cum charitatis exultatione carnem noſtram ex Maria Virgine ſuſcipere dignatus eſt, in qua cum doloribus, pro tempore viuens, de redemptione noſtra vehementer exultauit. Secunda verò dies, cum pro ſalute noſtra in humanitate, gloriâ Dei, ſed exaltatione humanitatis, quaſi diademate coronatus fuiſſe dicitur, & verè mortuus reſurrexit pro redemptione & gloria totius generis humani ipſius enim membra ſumus & corpus, per communionem ipſius, qui eſt caput noſtrum. Tertia verò dies & vltima, cum aſcendens ad cælos, Spiritus ſancti ignem in filios adoptionis effudit, ad gentium conuerſionem & fidem. Sic enim dilexit Eccleſiam ac ſponſam, &c.* Ita Philo Carp.

In prima igitur die deſponſationis Chriſti cum naturâ humanâ & Eccleſiâ in incarnatione; corona ſeu ſignum decoris verbi Dei eſt ipſa humanitas ſacratiſſima, ob inſignem illius puritatem, & eminentiam, & poteſtatem. In ſecunda die exaltationis humanitatis eius ſanctiſſimæ in reſurrectione, honor & decus ipſius ſeu corona eius eſt quod hunc honorem, iam ſibi debitum ſecundum diuinitatem, ſibi comparare voluit per ignominiam paſſionis. In tertia die aſcenſionis Chriſti ad dexteram Patris, cum miſit Spiritum ſanctum, quem promiſerat Apoſtolis, corona eius eſt Eccleſia donis Spiritus ſancti cumulata. Egredimini igitur filiæ Sion, id eſt, multitudo fidelium intra Eccleſiam Chriſti degentium. Semper præ oculis habete, ſanctæ animæ, Regem Salomonem, Regem pacificum. Egredimini de conclaui ignorantiæ, ad veræ ſcientiæ aulam, de ſenſu Iudaico ad Apoſtolicæ lucem doctrinæ: & videte verbum diuinum, ſapientiam Patris, è ſinu Patris ſapientis egredientem, vt carnem induat. Videte; quomodo mater eius eum coronauit carne ſanctiſſima, in die qua voluit cum natura humana indiſſolubili vinculo vnionis hypoſtaticæ coniungi: & in die lætitiæ cordis eius: quia gratum & iucundum illi fuit inueniſſe virginem, quæ Angelo nuntianti eius voluntatem eſſe

vt in ea carnem aſſumeret, ei conſenſum præbere vellet. Et reuera cum ſol perpendiculariter & directè radios ſuos vibrat in nubem vniformiter extenſam quam nequeant ipſi radij penetrare, ob ſpiſſitudinem, radij iſti ſeſe diffundentes vſque ad extremitates nubis, quamdam veluti coronam ſoli ſplendidam componunt, quam græci ἅλως dicunt. Ita verbum diuinum proſpiciens ſuper filios hominum, ſi quis eſſet quærens Deum, & eum honorare cupiens, inuenit virginem glorioſam, mente ſublimem, puritate vniformem & morum candore conſpicuam, tanta humilitate præditam, vt qui ſuper humiles requieſcere gaudet, vltra eam progredi noluerit, ſed in ea commorari. Hinc factum eſt vt radij potentiæ & virtutis eius ſeſe ſuper eam extendentes, ſuperueniente in ea gratia Spiritus ſancti, effecit ſibi coronam luminoſam, ſanctam ſuam videlicet humanitatem, qua indutus inſigne dedit gloriæ ſuæ, & bonitatis ſuæ, dum ſe per eam naturæ omni copulauit, & generibus ſingulorum, quia omnium quæ ſunt homo eſt aliquid, vel ſecundum Philonem Carpathium, matrem ſuam carnis ipſum appellat Synagogam: quoniam ſecundum carnem ex Iudæis natus eſt Chriſtus. Ita Philo. Quòd autem humanitas ſit quaſi corona verbi, habes ex Gilliberto Abbate in Cantica, Serm. 20. *Et fœlix caro*, inquit, *quam ſibi Chriſtus non quaſi carcerem, ſed quaſi coronam aſſumpſit, quæ fuit ornamento, non oneri. Nos omnes in carne quaſi in domibus carcerum abſconditi ſumus compedes & ſeruientes legi peccati. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia*, inquit, *Dei, per Ieſum Chriſtum. Deus enim mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne. Veritas carnis in Chriſto, peccati pondus non ſentiens, nobis omnibus victricem palmam aduexit. Benè quaſi diadema accipitur corpus immaculatum, corpus Triumphi, corpus honoris & gloriæ, corpus cuius cruore, peccati deletur chirographum, iuſtitiæ, & ſalutis ſignatur conſcriptio, nuptiarum ſunt inſtrumenta confecta.* Ita Gillib. Hæc eſt prima corona Verbi: Secunda eſt corona ſpinea, qua in paſſione ſua fuit coronatus.

Ita Philo Carpathius: *Egredimini ſcilicet à legis maledictione, & Iudæorum incredulitate atque perfidia. Et videte Regem Salomonem, hoc eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in diademate, quo coronauit eum mater eius, quando illius capiti Iudæorum nequitia coronam ſpineam crudeliſſimè impoſuit.* Ita Philo Carp. Et Iuſtus Orgelitanus Ep. *Semper præ oculis habete ſancta anima Regem Salomonem, pacificum noſtrum, qui Chriſtus eſt, quemadmodum paſſionem ſuſtinuit, vt genus humanum ab intentu liberaret. Inſpicite eum in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in illa ſpinea corona, quam capiti eius ſynagoga ſuper poſuit in die diſpenſationis eius tunc enim vniuerſam Eccleſiam ſibi deſpondit, quando in patibulum crucis aſcendens, ex eadem cruce ſignum in frontibus omnes in ſe credentes edocuit, ſicut ipſe ait: ego cum exaltatus fuero à terra, traham omnia ad meipſum. Qui dies paſſionis fuit etiam dies lætitiæ cordis eius: ſcis enim Chriſtus quæ bona per ſuam paſſionem in progenies & multa tempora fidelibus condonauit.* Ita Iuſtus Orgelit. Quomodo autem hæc corona ſpinea, ſit ſignum honoris, & gloriæ Chriſti, docet S. Thomas in Cantica. *Conſiderate*, inquit, *paſſionem eius, non tantùm videntes, ſed etiam imitantes affectu. In qua ſcilicet mater ſua, ſcilicet ſynagoga coronauit eum diademate, quia ad literam coronauerunt Iudæi in paſſione Chriſtum corona ſpinea, quæ licèt ex eorum præuaricatione Chriſto impoſita fuerit ad confuſionem, tamen ſecundùm veritatem titulus eſt referens maieſtati honorem, quia propter hoc Deus eum exaltauit.* Ita S. Thom.

Certè, ô Rex inuictiſſime, ſi pulchritudinem faciei tuæ, (cum ſis ſpecioſus forma præ filiis homi- A num) Iudæi attendiſſent, regno & Imperio te eſſe dignum agnouiſſent. Si magnanimitatem in fronte, modeſtiam in genis, clementiam in ore, benignitatem in oculis, prudentiam in naribus, grauitatem & patientiam in geſtu perlegiſſent, odoraſſent, perſpexiſſent; ſi iuſtitiam in operibus tuis, diuitias ſapientiæ & ſcientiæ tuæ in verbis animaduertiſſent, certè te coronis ex lauro, ex myrtis, ex oliuis, ex floribus violis, roſis & liliis, & cæteris, ex argento, ex auro, ex omni lapide pretioſo confectis & compoſitis ſacratiſſimum tuum caput coronaſſent. Si ad ſummam illam poteſtatem attendiſſent, ſub qua curuantur qui portant orbem, qua transfers regna degente ingentem propter iniuſtitias, qua dominatis ſuper regnum hominum, & cuicumque volueris B das illud (Dauidis 4.) qua regis homines & reges terræ in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringis eos; tibi ſceptrum aureum, vt Aſſuero; beryllis diſtinctum, (vt olim Alexandro tale fuit oblatum) in manu tradidiſſent, non arundinem. Certè ſi perſpexiſſent, quia poteſtas tua poteſtas æterna, & Regnum tuum in generationem & generationem, quæ gradientes in ſuperbia humiliare poteſt; poteſtas quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur: tibi veſtem talarem, polymitam, byſſinam, & Regiam purpuram tradidiſſent, tibi inquam, qui amictus es lumine incorruptibilis gloriæ tanquam veſtimento. At quia te Dominum glo- C riæ non cognouerunt ecce quomodo milites præſidis ſuſceperunt te in prætorio, congregantes circa te vniuerſam cohortem ad maiorem deriſionem: te propriis exuerunt veſtimentis, & chlamydem coccineam tibi circumdederent, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt eam ſuper caput tuum, & arundinem in dextera tua, & genuflexo ante te illuſerunt tibi dicentes: *Aue rex Iudæorum.* Et expuentes in te acceperunt arundinem, percuſſerunt caput tuum. Cur, ô Rex inuictiſſime, hæc tolerare voluiſti, qui olim duos vrſos immiſiſti in pueros quadraginta Prophetam tuum Heliſeum irridentes, vt eos deuorarent? Cur tantis contumeliis affectus à Iudæis, illos è terra delere noluiſti? Iam deriſus D fuerat ab Herode candida veſte indutus quaſi magiſtratum ineptè ambiens; & ſpretus ab eo velut ſtolidus & inſenſatus. Iam flagellis cæſus atrociter. Nunc ſuper dolorem vulnerum tuorum addiderunt improperia & deriſiones, & te vili chlamyde induentes, veluti ducem puſillanimem & imbellem, inſuper ſpinoſa corona caput & faciem tuam cruentarunt & dilacerauerunt. Et tu, ô benigne bibis ſubſubſannationem eorum quaſi aquam. At qua de cauſa, quæſo, tanta pateris? Cur non oleo, ſed ſanguine vngeris in Regem? Cur non fauſtis acclamationibus exciperis, ſed irriſionibus contemptibilem te exhibes oculis ſpectantium? Audite myſteria. Videte honorem ex coronatione ſua Regi no- E ſtro prouenientem.

Honorificum Regi eſt ſi ſubditos ſuos à periculis mortis eximat labore & induſtria. Hoc fecit Chriſtus, dum peccatorum aculeos, nempe propenſiones ad carnis delitias & oblectamenta obtulit per ſpineam coronam, teſte Tertulliano, *de corona militis. Qui tamen*, inquit, *viri caput eſt, & fœmina facies, vt Eccleſia Chriſtus Ieſus; quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? Ex ſpinis, opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Abſtulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis, in dominici capitis tolerantia obtundens.* Ita Tertullianus. Hac corona ſpinoſa & contumelioſa coronam gloriæ ſibi promeruit: Vnde non debes tu coronam ex floribus aut auro hîc affectare: nec enim decet ſub ſpinoſo capite membrum delicatum, ſed per ſpinas ad gloriæ

Digitized by Google

participationem adſpirare. *Certè*, inquit, *præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt: vti tu nunc laurea, & myrto, & olea, & illuſtriore quaque fronde, & (quod magis vſui eſt) centenariis quoque roſis exhorto midæ lectis, & vtriſque liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis, & forſitan auro, vt & illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obuenit: quia & fauos poſt fella guſtauit, nec ante Rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Iudæorum proſcriptus in crucem: minoratus primò à patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.*

Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi fortè rependequale ſuum pro te obtulit, aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis B *non potes, quia floribus non potes. Serua Deo rem ſuam inattaminatam. Ille etiam ſi volet coronabit. Imo & vult. Denique inuitat. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ.* Ita Tertull.

Honorificum fuit igitur Chriſto ſpinis coronari, quia per aculeos coronæ ſuæ, peccati & mortis aculeos fregit, id eſt, amorem voluptatum & delitiarum compeſcuit, quibus allecti in diuerſa peccata ruimus.

Secundò, glorioſum eſt Regi, ſi à ſubditis ſuis oneroſa vectigalia, & omne iugum duriſſimum & grauiſſimum auferat, nec imitetur duritiem Regis Roboam erga ſubditos, qui de Salomone conquerentes dixerunt ei poſt mortem Salomonis: *Pater tuus* C *duriſſimum iugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de Imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi.* Quibus reſpondit: *Ego addam iugo veſtro. Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cædam vos ſcorpionibus.* 3. Reg. 12. Non ita Chriſtus: nam iugum grauiſſimum ab Adamo primo parente nobis impoſitum abſtulit. Et quodnam iugum Adæ? *Maledicta terra, in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Hoc iugum filiorum Adæ duriſſimum. Vt illud auferat Chriſtus, ſpinis voluit coronari, eaſque proprio capiti impoſuit, iuxta Iſaiæ Prophetiam: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Iſ. c. 11. Quid eſt, *ſicut in die Ma-* D *dian?* Dedit olim Gedeon trecentis viris, qui eum comitabantur, præliaturis contra Madianitas, lagenas vacuas, ac lampades in medio lagenarum, & tubas in manibus; illiſque complodentibus inter ſe lagenas, eaſque confringentibus, clangentibuſque tubis, hoſtes ita terruerunt, vt ſeipſos interimerent. Sic Chriſtus abſtulit iugum filiorum Adam. Exemplo enim ſuo omnes incitauit, vt Deum laudantes, eiuſque nomen confitentes, corpora frangerent vitæ aſperitatibus, ieiuniis, & flagellationibus, vt appareat lampas fidei charitate flagrantis: qua quidem ratione maledictio Capitibus noſtris imminens aufertur, & terra noſtra benedicitur: auertitur captiuitas Iacob: remittitur iniquitas populi Dei. Operiuntur peccata eius: aufertur tandem ab eis omnis E dolor & gemitus.

Fecit namque Chriſtus tanquam ſapientiſſimus agricola, qui terram ſuam repurgat à ſentibus, & tribulis, & ſpinis, eaſque in faſciculos redigens imponit humeris, vt tandem in ignem mittat comburendas, & terram poſſit arare, & ſerere. Ita ſpinas & aculeos peccatorum, & preſſuras & anguſtias cordis aufert Chriſtus à nobis, vt corde dilatato per charitatem, ferat in nobis bonas quaſque inſpirationes, vt fructum boni operis afferamus in patientia. Terra infecta ſanguinibus, vel crudelitate & ſæuitiâ, vt in Cain; vel immunditiâ libidinum, vt in Sodomitis & ſimilibus; vel impietatibus Sacrilegis, vt in ſacrificiis Paganorum; nihil aliud quàm ſpinas A producebat. *Infuſâ namque in eamdem*, (vt docet S. Athanaſius, ſerm. de paſſione & cruce) *maledictione, execrabilis reddita eſt, & vbique ſpinæ naſcebantur. Chirographum huius decreti tenebat aduerſarius. Ideo hoc Chirographum nactus inimicus noſter omnes inuadebat. At quis auferre poterat hoc decretum: & auertere hanc maledictionem à capitibus noſtris? Ecce Ieſus Chriſtus regiis ornamentis indutus proceſſit ad mortem; vt oſtenderet victoriam de morte, non temerè, ſed pro noſtra ſalute eſſe partam. Geſtabat in coccinnea chlamyde ſpeciem ſanguinis, ſpinaſque in corona, & Chirographum in calamo (quo inſtrumento iam olim nos diabolus æri ſuo rationibuſque aſcripſerat:) vt vnà cum morte hæc omnia demoliretur. Hinc enim factum eſt vt in ipſa terra pro ſpinis bona & vita, repullulaſcerent, ad quam oculos ſuos dirigens Propheta dixit: Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Ita Athanaſ.

Tertiò: Glorioſum eſt Principi vigilare, & ſollicitum eſſe pro pace & tranquillitate regni, vt omnes ſub eo ſecuri degant immunes ab omni hoſtium incurſu, vt dicitur de regno Salomonis 3. Regum. 4. *Habitabatque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis.* Glorioſum eſt igitur Chriſto Domino quod dum iret ad mortem, & properaret ad crucem dixerit diſcipulis. *Dormite iam, & requieſcite. Ecce appropinquat qui me tradet.* Significans noſtram ſecuritatem in eius periculo firmari. Vnde merito in eum noſtram ſollicitudinem deponere debemus, iuxta illud Petri 1. c. 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Optimè S. Athanaſius: *Iniecit diabolus, licèt nolens, ſolicitudines noſtras ſupra Dominum, non animaduertens futurum eſſe, vt earum geſtatione omnes in ſecuritatem aſſereret; quod & ſementem verbi à ſpinis depurgatum, & in precibus mentem in conuulſam poſſiderent. Ipſe enim in doloribus erat, vt nos doloribus careremus.* Ita Athanaſius.

Denique glorioſum eſt regi ſi magnam ſtragem hoſtium faciat, & victoriam reportet, cum modico apparatu, & modicis expenſis. Quàm glorioſum eſt Regi noſtro, qui paupertate, humilitate & patientia proſtrauit mundum, carnem & diabolum, diuitias Regum, ſuperbiam Tyrannorum, diaboli aſtutiam. *Sicut*, inquit S. Auguſtinus tract. 116. in Ioan. *pauliſper occultatâ tremendâ potentiâ, commendabatur imitanda patientia. Sic regnum quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabiliter pullularet in gloria.* Ita S. Aug.

Vides igitur coronam ſpineam eſſe glorioſum inſigne Chriſti victoris, quòd vicerit per paſſiones hoſtes ſuos, & gloriam ſibi per ignominiam mortis comparare voluit. Paſſus & mortuus eſt ſiquidem, vt Patri honor deferatur, vt teſtimonium perhiberet veritati: totque virtutes regiæ in eius paſſione refulſerunt, vt non mirum ſit ſi honori ſibi aſcribatur quod non alio modo homines redimere voluerit. Vbi enim maior clementia, profuſior liberalitas, inſignior patientia, altior magnanimitas, profundior ſapientia, iuſtitia rigidior, quàm dum pro inimicis patitur, totum profundens ſanguinem; tot tormenta pro hominum ſalute ſuſtinuit, tantum opus (quale eſt redemptio generis humani) aggreſſus eſt, modò tam ineffabili, & ad rigorem iuſtitiæ, infinitæ maieſtati ſatisfecit, vt miſericors Pontifex fieret, & propitiaretur pro peccatis noſtris, & placaret Dei iracundiam?

Ad tertium diadema veniamus, quo eius dignitas regia deſignari poteſt, nempe Eccleſia. De eo Aponius, antiquus ſcriptor in Cantica, dum ait: *Duo in*

Digitized by Google

noſtro Rege ex Apoſtolica doctrina cerni poſſunt; aliud mo-
riens, aliud ſemper viuens: aliud coronatum ſpinis à crude-
liſſima matre, aliud exaltatum ſemper manens cum Patre,
id eſt, verum hominem ab ſceleſta matre ſynagoga viſibi-
liter coronatum ſpinis: & verum Deum verbum Patris, ip-
ſam credentium plebem, quæ de illo creatur, pro corona
inuiſibiliter gerentem, ſicut ei per Eſaiam Prophetam di-
cendo promittitur: Vocabitur tibi nomen nouum: & eris
corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu
Dei tui. Crudelis mater ſpinis viſibilibus coronauit filium,
pacificum Regem. Clementiſſimus verò filius ſua morte in-
uiſibilibus eam gemmis, ſi credat, ornauit. Illæ igitur ani-
mæ ad epulas intelligentiæ huius myſterij inuitantur, quæ
poſſunt capere magnæ gloriæ eſſe illius incurſionis, funebriſ-
que ſpectaculi diem, quando ſibi quaſi tradito annulo, in
conſpectu omnium virtutum cælorum effuſo pretioſo ſangui-
ne deſpondit Eccleſiam, quando ſacrilega mater ſpineo dia-
demate coronauit eum ſynagoga de qua prædixit Dauid in
108. *Pſalm. Et peccatum matris eius non delebitur. Quæ cru-*
delior ſtetit mulieribus adulteris & homicidis, quæ cru-
deliter vtrimque generatos filios crudeliùs trucida-
bunt; quæ glorioſè editum morte turpiſſima con-
demnauit. Oſtendunt ergo filiabus Sion deſponſa-
tionis dies, inter Dei filium & Eccleſiam in eius
paſſione celebratos: deſponſationem enim annuli &
oſculi traditionem, corporis & ſanguinis ſui Sacra-
mentum ſub paſſionis tempore in Apoſtolis tradidiſ-
ſe probatur. Ita Aponius.

Hæc eſt igitur corona Chriſti, quòd Eccleſiam
ſuam tanto dono cumulauit. Et tenera vt donis au-
cta manifeſtè teſtatur ipſum eſſe Regem Regum, &
Dominus Dominantium, qui ſponſam ſuam tot mo-
nilibus pretioſis ornare potuerit. Vnde S. Ambro-
ſius hunc locum Canticor. *Egredimini filiæ Sion, &c.*
ponderans, tum lib. de Iſaac c. 5. tom. 1. tum in
Pſalm. 118. oct. 15. tom. 2. *Egredimini, id eſt, exite de*
ſolicitudinibus & cogitationibus ſæculi. Exite de anguſtiis
corporalibus. Exite de vanitatibus mundi: & videte quam
Rex pacificus in die ſponſalium ſuorum habeat charitatem;
quam glorioſus ſit, quia corporibus reſurrectionem dedit, &
animas ſibi coniunxit. Hæc magna eſt, corona certaminis
hoc præclarum munus ſponſalium Chriſti, ſanguis eius &
paſſio. Quid enim plus potuit dare, qui ſibi etiam non pe-
percit, & pro nobis in mortem animam ſuam obtulit? Quæ
eſt autem corona gloriæ, niſi Eccleſia, quæ caput ſuum Chri-
ſtum coronat? Quæ iucunditas vniuerſæ terræ, niſi domus
populi Chriſtiani, aula ſanctorum, de quibus ſcriptum eſt:
in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis ter-
ræ verba eorum? Ergo quia corona gloriæ eſt Eccleſia, ideo
dicitur: Egredimini, &c. Et poſt pauca: *Quæ eſt coro-*
na, quæ coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph co-
ronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ. Petrus fidei. Sin-
gularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam
gloriæ, quæ cum Eccleſia coronauit. In hac corona omnes
coronæ ſunt, quia gloria non portio vnius coronæ, ſed præ-
mium omnium coronarum eſt. Ita Ambr.

Dum itaque Chriſtus Eccleſiam ſuam ornat omni-
bus donis Spiritus ſancti, videtur ſupra eam, quaſi acu
pingere quòd ſit Rex Regum & Dominus Domi-
nantium, tanquam ſuper veſtimentum; & dum
hæc dona prorogat in generationem & generatio-
nem, imprimit in femore corporis ſui myſtici. Aſcen-
dens namque in cælum, & captiuam ducens captiui-
tatem, accepit dona in hominibus, id eſt, pro om-
nibus; quæ abundè effudit, cum Spiritum ſanctum
in Apoſtolos miſit. Quod cũ ei ſummum afferat ho-
norem, & manifeſtè deſignet ſupremam illius domi-
nationem, meritò hæc Eccleſia tantis donis ornata
inſigne eſt & corona ipſius potentiſſimi & inuictiſſi-
mi Regis. De cuius regno, quia æternum eſt, dici-
tur Danielis 7. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis: &*
ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, &

A *vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius*
obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, &
Regnum. Et omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient.
Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum
eius quod non corrumpetur, &c. Et in fine capitis: *Et*
iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur,
& diſpereat vſque in finem; Regnum autem, & poteſtas,
& magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur
populo ſanctorum altiſſimi; cuius regnum, regnum ſempi-
ternum eſt: & omnes Reges ſeruient ei, & obedient. Ita
Daniel. Hac de cauſa in femore habet ſcriptum, vt
in veſtimento, quòd ſit Rex Regum, &c. quia non
tantum ab initio fuit Rex in Eccleſia, ſed proroga-
tur eius Regnum in ſæcula & in generationem & ge-
B nerationem, & regni eius tandem non erit finis.
Aliorum Regum terræ tituli in aqua ſcribuntur,
quæ citò fluit, & nullum ſui relinquit veſtigium,
quales ſunt iſtæ figuræ, quæ per quoddam artificium
in fontibus ſalientibus efformantur, quæ vt mox
apparuerunt, citò euaneſcunt: Vel figurantur in are-
na & puluere, qui citò à vento proijcitur: vnde &
inſcriptiones iſtæ citò delentur. At inſcriptio Re-
gis Chriſti fit in femore eius. At quale, quæſo,
femur? Fundatum ſupra ſolidum fundamentum co-
lumnarum marmorearum, & ſuper baſes aureas.
Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ*
ſunt ſupra baſes aureas. Nam ſancti Apoſtoli, cæteri-
que prædicatores regiæ poteſtatis & dominationis
C Chriſti, fuerunt quaſi columnæ, propter inuicti ani-
mi robur, ſanctiſſimi propoſiti firmitatem, ſum-
mam fidei ſtabilitatem; & per hos Chriſtus vniuer-
ſum terrarum orbem ad fidem gentibus prædican-
dam peragrauit. *Quod quidem*, inquit Philo Carpath.
tanta animi ſapientia atque conſtantia perfecere, vt tanquam
marmorei & adamantini nihil violentum extimuerint, ni-
hil aduerſi formidarint: ſed ſtabiles ſemper ac inuicti con-
tra poteſtates omnes hominum atque dæmonum, luce arden-
ti ſapientiæ, tanquam in tenebris prædicando, monendo,
docendo, & miraculis coruſcando, victores demum feli-
ciſſimè euaſerint. Etenique ſuper baſibus fundatæ colum-
næ, hoc eſt ſuper firmiſſima petra, Chriſto Ieſu, æterni
patris ſapientia: & ſanctiſſimis præceptis, quibus quicum-
D *que fideliſſimè innititur, & lucis Chriſtianæ opera perfece-*
rit, is columna Chriſti marmorea ſuper baſibus aureis fun-
data eſſe poterit. Ita Ph. Carp. Et hæc de pulcherrimo
ſymbolo Chriſti victoris ſatis. Nunc qua ratione
hic Triumphus in oculis noſtris manifeſtetur ſenſibi-
liter, videamus.

Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole. Et clama-uit voce magna dicens omnibus auibus, quæ vo-labant per medium cæli.

Connexio huius ſymboli cum antecedentibus.

Plures mihi fuerunt claues, quibus myſteria huius
E reuelationis reſerare conatus ſum. Prima fuit ſco-
pus illius, nempe teſtimonium gloriæ Chriſti qui in
c. 1. viſus eſt in medio Eccleſiæ ambulans, tanquam
qui in ea plures effectus miſericordiæ & iuſtitiæ eſſet
operaturus. In iſto capite 19. videtur quaſi trium-
phum agens, ob reportatam de hoſtibus victo-
riam.

Secunda fuit attenta conſideratio capitis primi
& duodecimi. In primo namque tanquam ſol vide-
tur Eccleſiam colluſtrans. In duodecimo Eccleſia
cernitur, huius lumine amicta.

Tertia, definitio Hierarchiæ à S. Dionyſio data,
quòd *ſit ſacer ordo, ſcientia & actio*, vt alibi fuſiùs.
Quarta, quòd à quarto capite, vſque ad vndeci-
mum incluſiue, cernitur quid Chriſtus operetur pro
Eccleſiæ ſanctificatione, purgatione, & probatio-

Digitized by Google

ne, & pro conſummanda eius perfectione; à duodecimo vſque ad cap. 19. quid Eccleſia præſtare poſſit, vt tot fauoribus ſe non eſſe ingratam oſtendat.

Denique obſeruatio pueri maſculi rapti ad Deum, & ad thronum eius, in cap. 12. qui poſtea, cap. 14. quaſi plenitudinem ætatis adeptus videtur ſimilis filio hominis, ſedens ſupra nubem, aureâ coronâ decoratus, de quo, vt exiſtimo, intelligendus eſt hic locus: *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole*: Itaut ſub his tribus ſymbolis, vna & eadem res ſignificetur, nempe ſuprema & Monarchica Eccleſiæ autoritas, in ſummo Pontifice ſecundum totam ſuam amplitudinem reſidens. Hanc ſiquidem autoritatem cum magnis laboribus & doloribus Eccleſia peperit, & contradicente Satana totis viribus, nihilominus ipſa auctoritas, creuit, & ad regimen totius Eccleſiæ ſeſe applicuit. Núc quia Chriſtus rogauit ne eius deficeret fides, in ſole perſpicitur ſtans, quia in lumine & claritate veritatis, qua Eccleſia circumdatur, firmiter & inconcuſsè tanquam ſol permanet. Huius autem rei ſymbolum appoſitè ponitur poſt ſymbolum Chriſti regnantis in terra, in Eccleſia videlicet, quia quæ de Chriſti regno dicta ſunt, hoc manifeſtè cernitur & adimpletur in exercitio autoritatis Pontificiæ.

Viſus igitur fuit cum ſceptro, ſeu virga ferrea, quia regere debebat gentes; cum viſus fuit ſimilis filio hominis, habens in manu falcem acutam, in cap. 14. Ad quos effectus ſe extendat illa poteſtas, explicatum eſt in eodem capite. In cap. 15. demonſtratur quomodo Paſtores Eccleſiæ participes fiant huius autoritatis. In cap. 16. exercitia huius poteſtatis ad regnum Chriſti in terris ſtabiliendum deſignantur. Et contradictiones & oppoſitiones reproborum; ne illud regnum erigatur, ſtabiliatur, & pacificè adminiſtretur. Vnde quaſi quoddam certamen initur inter Eccleſiæ Paſtores, & amatores mundi. Quanta fuerit, nequitia, potentia, & contumacia amatorum mundi, qua contra Chriſtum, & Eccleſiam conſurrexerunt, in cap. 17. deſcribitur. Victoria obtinetur in capite 18. conculcatâ, & euerſâ funditùs Babylone: quo fit vt ſicut Paulatim hæc victoria ad conſummationem ſuam peruenit, ita etiam quibus exercitiis Deum colere ſtuduit Eccleſia declaratur in initio cap. 19.

Prout enim libertatem nacta eſt, Deum colere non omiſit. Qua quidem ratione factum eſt vt Chriſtus regnauerit, & de hoſtibus egerit glorioſum Triumphum. Quod cum per ſe non expleat immediatè, (nec enim viſibiliter apparere debet in propria perſona equo albo ſubuectus, ſicut olim viſus eſt ſedens ſuper Aſinam Hieroſolymam intrare: *Oportet* enim *illum cælum recipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium.* Act. 3. Vnde manifeſta, omnibus conſpicua, & patens eius apparitio non promittitur, niſi cum venerit ad iudicium; quamuis fieri potuerint particulares quædam Chriſti apparitiones quibuſdam, vt patet de S. Paulo, cui viſus eſt dum iret Damaſcum.) Quia igitur per ſe viſibiliter regnare, & in Throno ſedere, equo inſidere, & ſceptrum tenere, & opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ exercere, & potiſſimùm actiuæ vitæ opera, quæ ſunt excellentiora, nempe ea quæ ad vitam æternam aliis procurandam ſpectant; vt ſic conſpicua ſit illa claritas gloriæ Chriſti (quæ illi promiſſa fuit, his verbis: *Clarificaui te*, ſcilicet miraculoſis operibus; *Et iterum clarificabo*. nempe cum prædicantibus Apoſtolis Chriſtus cognoſci debuit tanquam æterni patris filius, hominum Redemptor, & Rex Regum, & Dominus Dominantium) oportet, vt horum omnium declaratio ſeu manifeſtatio, fiat ſub perſona Vicarij eius

A in terris, nempe ſummi Pontificis, qui in Eccleſiæ throno ſedens, & Dei cultum promouens, glorioſè regnat ſub nomine Chriſti. Chriſtus namque verè Rex & Dominus cernitur, dum illius Vicario pro illius amore omnimoda obedientia exhibetur. Ita enim coniungitur honor & obedientia, quæ ſummo Pontifici exhibetur, cum adoratione & obedientia quæ Chriſto debetur, vt vnum ab altero diſiungi nequeat. Hoc enim Deum decreuiſſe videtur, vt per honorem Pontifici exhibitum, Chriſtus recipiat gloriæ ſuæ & ſummæ poteſtatis ſuæ manifeſtationē, vel Doctore Mauclero teſte, lib. de Monarchia Eccleſiaſt. par. 2. lib. 1. c. 1. *Et quis*, inquit, *viſibilem Eccleſiæ Paſtorem Monarchicum eſſe negabit, qui ſimili abnegatione Chriſtum Dominum imperio in omnem Eccleſiam*
B *Monarchico non ſit ſpoliaturus?* Ita ille. Vnde appoſitè S. Ioannes, poſtquam ſymbolum Chriſti regnantis propoſuit, quem videtur in primo capite ad opus conquirendi ſibi Regnum paratus, per operationes ſacras, quas per Eccleſiam, & in Eccleſia erat operaturus; nunc ſymbolum adducat, ſub quo intelligere valeamus qua ratione illa Chriſti dominatio omnibus manifeſtanda erat, nempe per exercitiam conſtans & inconcuſſum autoritatis Pontificiæ: quæ quia ſemper eſt duratura vſque in finem ſæculorum, ideo ſub ſymbolo Angeli ſtantis in ſole deſignatur. Et hæc eſt tertia pars huius capitis, in qua agitur de exercitiis Eccleſiæ, non ſolùm Deo cultum exhiben-
C tis per opera vitæ contemplatiuæ, aut per opera vitæ actiuæ, quæ bonum particulare aut ciuile & politicum ſpectant: ſed per opera quæ ad Dei cultum, & animarum ſalutem propriè pertinent, per quæ Chriſtus apparebit fidelis, verax, iuſtus, ſapiens, potens, Saluator & Redemptor, Dei Verbum, Legiſlator, iudex, hoſtium debellator, ſupremus Monarcha, qui verus Deus & homo in terris apparuit, & primus fecit quæ aliis facienda præcepit (qui leges ſalutares nobis propoſuit, qui omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam nos edocuit, qui plurimis donis Eccleſiam decorauit, de quibus eam ſumma æquitate rationem expoſcere debet, tanquam ſupremus iudex omnium, qui auctor eſt gratiæ & meriti, ſummus
D ſacerdos, per quem Deo conſectamur, per quem ſanctitatem conſequimur. Exemplar enim eſt omnium virtutum, quarum actus exercere debemus, vt Deo cultum, proximo exemplum bonum, nobis autem meritum conquiramus.

Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole. Et clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.

De Angelo ſtante in ſole.

ANNOTAT. XXIX.

E *Quiſnam ſit ille Angelus, quænam aues, & de qua cœna fiat hic mentio? §. 1.*

QVIBVSDAM ille Angelus Chriſtus eſt. Alij per illum Angelum, & Aues, Angelos intelligi volunt. Alij ordinem prædicantium, ſeu Eccleſiam prædicantem intelligunt. Quorum opiniones adduco, quia noſtra ſententia ex huiuſmodi expoſitionibus corroborari poterit.

Prima expoſitio de Chriſto eſt Ruperti. *Igitur*, inquit, *vidi alium Angelum ſtantem in ſole: id eſt: Vidi Chriſtum manifeſtatum in Iſraël, magna Spiritus ſancti, ſiue columbæ, & paternæ vocis manifeſtatione. Quod dicit ſtantem in ſole, mirabile quidem, ſed non adeo nouum: quia prius quoque in antiquiore ſcriptura eſt dictum: in ſo-*

Digitized by Google

le poſuit tabernaculum ſuum. Id eſt: in manifeſto dixit & prædicauit, ſignis quoque comprobauit ſe Deum, Dei filium, propter homines hominem factum, & verum aſſumpſiſſe corpus humanum. Hoc facere incœpit à clamore vocis magnæ, vocando aues quæ volabant per medium cælum: id eſt, à vocatione Apoſtolorum, qua vocauit eos, vt relictis omnibus ſequerentur eum. Aues namque hoc loco in bonam accipiuntur ſignificationem, & vitam ſignificant ſpiritalium: vt illic: homo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum. Ita Rupertus. Ad quam autem cænam aues iſtæ vocentur, docet poſtea Rupertus: *Ad cœnam magni Dei, ad cænam illam, quam ipſe homo factus nobis fecit, iuxta illam parabolam Euangelij: Homo quidam fecit cænam magnam, & vocauit multos, &c.* Andreas Cæſarienſis, de Angelis, tam Angelum quàm aues volantes per medium cæli intelligit. *Hunc*, inquit, *vnum è nobilioribus Angelis extitiſſe arbitramur, qui propter pœnam iuſtè peccatoribus irrogatam, peccatumque exterminatum, cæteris lætitiam feſtumque diem denunciat. Volucres autem appellauit Angelos, quòd ſublimes & inter cælum terramque volitent ſeſeque ad noſtram inſtructionem ſubinde demittant: quorum cibus (vt & Chriſti quoque eſt) diuinæ voluntatis expletio per medium autem cælum feruntur, vt hominibus quoque, qui Angelicam vitam ducerent, reditum ad Patriam demonſtrent, lætitiamque, de qua dictum eſt, communem eſſe oſtendant: quorum tanquam ſequeſtrum interceſſio ſurſum illos ſubuehere nata eſt, qui infra conſtituti ſunt, per quos etiam ſancti in occurſum Domini rapientur.* Ita Andreas Cæſar. Qui poſtea explicat de qua cæna fiat ſermo, dum ait: *Antecedens & quaſi primaria Dei voluntas, quæ & placitis quoque appellatur, & cæna quam deſiderat, vel maximè eſt vt omnes homines ſalui fiant, & ad veritatis agnitionem veniant, conuerſique ad Deum æternum viuant. Secundaria autem, & quaſi conſequens eſt, velle eos punire, qui ſupplicij cauſam ſibi ipſis vltrò aſciuerunt. Igitur paternam voluntatem Chriſtus cibum ſuum vocat: eamdem hoc loco cænæ nomine deſignat. Mortalium porro vnus quilibet id conſequitur, quod per opera expetere viſus eſt, Regnum nimirum aut æternum ſupplicium. Cæterùm per eſcam carnium, carnalium hominum interitus indicatur, nominumque Principatum in terra obtinentium defectio. Meminit autem equorum: non quod ipſi olim ſint exſuſcitandi aut iudicandi: ſed quoniam per illos denotantur homines, inſtar petulantium equorum ſalaces, aut nequitiâ ſanè non ita inſignes, aut vtrique ſimul. Per aſcenſores autem illorum illi adumbrantur, qui præeminentis malitiæ extiterunt. Id quod hoc ipſe quoque innuit, dum mox addit: Liberorum & magnorum, & ſeruorum: Per magnos enim & liberos, illos inſinuat, qui maiori peccato & contemptu peccauerunt; per ſeruos autem & paruos, qui minori; vel propter ætatem, aut propter infirmitatem, vel etiam propter animi iudicium.* Ita And.

Ambroſius autem aliter de prædicatoribus exponit. *Iſte*, inquit, *Angelus prædicatores, qui in fine mundi futuri ſunt, ſignificat: qui etiam per equites Paulo ſuperius deſignati ſunt. Per ſolem verò Chriſtum intelligere debemus. Angelus igitur in ſole ſtetit, quia prædicatores tācti in Chriſto ita ſolidabuntur, vt ab eius fide nulla perſecutione auelli poſſint. Per aues autem fideles omnes, qui eo tempore futuri ſunt, deſignantur. Per cælum volabunt, quia in terris poſiti mente in cæleſtibus habitabunt. Poſſumus nihilominus per cælum Eccleſiam intelligere. Per cælum ſancti volant, quia duas alas habentes, id eſt, duo præcepta charitatis, circumquaque volant, quibuſdam miſericordiam imponendo, quoſdam ab iniquitatibus reuocando.* Ita Ambr.

De qua autem cœna fiat ſermo, poſtea docet, dum ait; *Cœna verò Dei quid aliud eſt, niſi exterminatio impiorum. Carnes autem impiorum iuſti manducabunt, cum vindictam ex malis, quæ eis intulerunt, excipient: & quia iuſti videntes pœnam impiorum, in bonis operibus proficiūt, ſicut dicit Pſalmiſta: Lætabitur iuſtus, cum viderit vindi-*

A *ctam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Ita Ambroſius.

Primaſiùs verò hunc locum ita exponit: *Angelum autem Eccleſiam prædicantem dicit. Rectè ſanè adiecit, Vnum. (Vna eſt enim columba mea) propter ſeruanda vnitatis myſterium. In ſole, vbi iam clareat, nec propter metum vlteriùs lateat. Et clamauit voce magna. In magna voce libertas intelligenda eſt magna fiducia. Dicens omnibus auibus cæli. Aues, pro locorum qualitatibus, aliquando intelliguntur malæ, aliquando bonæ. Hîc ſanè, ſicut dudum aquilæ volantis ſpecies inducitur, ita nunc inuitantur ſpirituales ad cœnam, de qua Petro, qui præſentis figuram geſtabat Eccleſiæ, dicebatur: Macta & manduca: cum occiduntur quod fuerunt, vt fierent quod ipſe, id eſt, fideles, & in corpus tranſeuntes Eccleſiæ, membris Chriſti com-* B *plantati, conregnantes. Si quid enim manducamus, in corpus noſtrum trajicimus.* Ita Primaſ.

S. Thomas exponit vt ſequitur. *Vidi vnum Angelum, id eſt, cœtum prædicatorum, qui dicuntur Angeli, quia hominibus annunciant quæ ſunt ſalutis. Intelligitur in nomine Angeli, ſcientia, quæ debet eſſe in prædicatore. Dicit autem vnum Angelum, propter vniformitatem doctrinæ: quia omnes docent fidem, & bonos mores. Stantem, per vitæ rectitudinem, in contemptu terrenorum, in deſiderio æternorum. In ſole, id eſt, in magna claritate exempli. Et ſic tanguntur quatuor, quæ debent eſſe in prædicatoribus, ſcilicet officij autoritas, doctrinæ vniformitas, vitæ ſanctitas, exempli claritas. Vel in ſole, id eſt ardore* C *tribulationum in quo debent ſtare recti & ſtabiles, ſine combuſtione. Vel in ſole ſecundum gloſſam, id eſt, veritatem in manifeſto proponentes. Et clamauit, prædicando & notatur in hoc Zelus animarum. Voce magna. Vox prædicationis eſt magna, quando habet adiunctum deſiderium magnum iuuandi animas! Item, quando confirmatur auctoritate ſcripturæ: Item quando roboratur exemplo vitæ. Dicens omnibus auibus, id eſt, iuſtus, à terreitate eleuatis, & agilibus in profectu boni operis. Quæ volabant, alis contemplationis. Per medium cæli, id eſt per bona cæleſtia, cum menſura, & diſcretione. Per hoc enim quod dicitur, medium, notatur menſura contemplationis, vt ſcilicet non nimis aſcendat per temeritatem, nec nimis deſcendat per puſillanimitatem. Vel per medium cæli Empirei, diſcurren-* D *do ſcilicet per ordines Angelorum, conſiderando cum intimo ſapore quantus ſit ardor Seraphin, quanta lux Cherubin, quanta diſcretio thronum, quanta præeminentia Dominationum: qui Principatibus & poteſtatibus præſunt: quanto moderamine omnis terrena poteſtas conſtituitur per Principatus: quanta virtute poteſtates contrariæ per poteſtates coërcentur: quantum eſt donum virtutum, à quibus prodigia, & ſigna fiunt: quantum eſt donum Archangelorum & Angelorum, à quibus ſecreta Dei hominibus manifeſtantur. Item debent diſcurrere per Cuneos Prophetarum, Conuentus Prædicatorum, Choros Apoſtolorum, exercitus Martyrum, Collegia Confeſſorum, Conſortia Monachorum, & Anachoretarum, Choreas Virginum, Contubernia Matronarum. Deinde tranſeundum ad fontem, qui eſt in me-* E *dio paradiſi, id eſt, beatam Virginem, quæ inundat pleniſſimè fluminibus gratiæ & gloriæ: Deinde ad virgultum, in quo omnes recreantur in gloria, ſcilicet ad Dominum Ieſum. Inde colligitur vinum dilectionis ſummæ, quo benè potantur ad ebrietatem. Et inde etiam emanat ſapor vini inebrians iuſtos ſpirituales in via, vſque ad terrenorum obliuionem. Item ſicut dulcedinis dulcorantis in patria, & etiam iuſtos in via, vt ſuſpirent ad æterna. Item mala granata ordinate conuerſationis & meritis fæcunda, quæ parati ſunt pro Domino in carcerem & in mortem ire. Sunt autem ſex alæ contemplationis. Prima eſt deſiderij expectatio: ſecunda circumſpectio: Tertia, intuitio: Quarta admiratio: Quinta, exultatio: Sexta, dilectio.* Ita ſanctus Thomas. De cæna autem verba faciens ait: *Ad cænam magnam, id eſt, ad Deum, qui nobis erit plena refectio. Vnde B. Bernardus, in lib. De diligendo Deo: Se dedit in meritum:*

ſe ſeruat in premium: ſic apponit in refectionem animarum ſanctarum. Vnde autem dicit magnam, quia perfectiſſima & pleniſſima erit illa refectio, Et quidquid deſiderabitur totum habebitur in fruitione beatiſſima Trinitatis. Pſalm. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Vt manducetis, ſcilicet in Patria, carnes Regum, & carnes tribunorum. Id eſt: Vt delectemur in cruciatu reproborum, tam maiorum quàm minorum, &c. Ita S. Thomas. Qui ibidem docet hic reprobos diſtingui ſecundùm ſtatum poteſtatis ſæcularis. Maioris, Mediocris, & Minoris; fortes, non ſolùm per poteſtatem quam habent, ſed per peruerſitatem ad malè agendum, qua magnas malitias exercent; deinde ſecundùm ſtatum regiminis ſpiritualis, quia quidam vt equi regi debent alij equis inſidere vt regant: Tertiò diſtinguuntur ſecundum ſtatum conditionis corporalis libertatis, vel ſeruitutis: Denique quantum ad ſtatum fortunæ temporalis, indigentiæ ſcilicet, vel opulentiæ. Ita ex ſanctus Thom.

Ex his expoſitionibus probabilis redditur noſtra ſententia, qua aſſerimus per hunc vnum Angelum ſummum Pontificem deſignari. Is enim Chriſti Vicarius, Angelus officio, & os Eccleſiæ, per quem verbum Dei vniuerſis fidelibus per ſe, & per eos quos aduocat in opus miniſterij, proponitur.

Dicimus igitur Angelum ſtantem in ſole, eſſe ſummum Pontificem, in quo, ſeu cuius miniſterio Chriſtus regnat in terris, & regnabit vſque ad conſummationem ſæculi. Et benè Angelus dicitur. Angeli enim vocantur Eccleſiæ Paſtores. Apocalypſ. c. 1. & ſecundo & tertio. Et ſicut Dauid Mulier Thecuites ſapientiſſima Angelum vocauit, tum propter ſapientiam & ſcientiam tum quia nulla adulatione aut comminatione à rectitudine ſua dimoueri poſſet (*Tu autem*, inquit illa, *Domine mi Rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram. Sicut enim Angelus Domini, ſic eſt Dominus meus Rex, vt ne benedictione nec maledictione moueatur.* 2 Regum c. 14.) Ita ſummus Pontifex rectè Angelus dicetur qui habet clauem ſcientiæ, & qui ita inflexibilis eſt, vt nec hæreticorum minis & terroribus, nec eorum adulationibus à rectitudine fidei poſſit dimoueri. Malleus eſt hæreticorum, terror ſchiſmaticorum, peruerſorum domitor: calumnias eorum ſpernit: dona Impiorum reſpuit; & tanquam Angelus ſtat ſemper in ſole veritatis & iuſtitiæ. Teſtis ſit Vigilius, qui cum promiſiſſet reſtitutionem Anthimi Theodoræ Imperatrici, antequam ſedem Romanam legitimè occuparet, Pontifex creatus, poſtulante id cum Imperatricè Imperatore Iuſtiniano, reſpondit mortem potiùs ſe eligere, quàm vitam, ſi ad id faciendum illum compellere vellent; & Imperatorem, ac coniugem ſic allocutus eſt: *Non à piis Principibus Iuſtiniano & Theodora vocatus fui, cum hodie inueniam Diocletianum, & Eleutheram.* Lege Baron. an. 547. apud quem multa alia exempla reperies, quibus hæc inflexibilitas ad iuſtitiæ & veritatis conſeruationem in piis Pontificibus Romanis animaduertere poteris.

Quod ſi per os eius Deus elegit gentes audire verbum Dei & credere; ſi pro eius fide Dominus Patrem rogauit, vt non deficeret, vt confirmare poſſit fratres ſuos; ſi ipſius munus eſt paſcere oues & agnos, id eſt, Epiſcopos & ſubditos; ſi ipſe eſt petra, ſupra quam Chriſtus fundare voluit Eccleſiam, meritò ad illum applicare poterimus quod Malachias ait c. 1. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Nihil aſſerimus abſurdi, cum per Angelum ſummum Pontificem poſſe deſignari dicimus, qui ſapientia ſua dirigit Eccleſiam, qui in concuſſam ſeruat veritatem & iuſtitiam, contra omnes hæreticorum, & ſchiſmaticorum, & peruerſorum impios

A auſus, & à quo, tanquam diuinitùs ad id munus deſtinato, omnia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria diſcere poſſumus.

His adde quæ à noſtris Doctoribus aſſeruntur, nempe ſummum Pontificem (in quantum eſt ſupremus Hierarcha & princeps rerum ſacrarum) in quatuor excellere Angelos. Primum eſt in cognitione myſteriorum diuinorum, iuxta gloſſam in illud Matt. 16. *Beatus es Simon Barjona. Beatus*, inquit gloſſa, *quia tale quid reuelatum eſt Petro, cuius Papa ſucceſſor exiſtit, quod nec Angelus nec homo ſcire potuit.* Secundum in extenſione iuriſdictionis: nam extenditur in cœlum, in vniuerſum orbem; quin & in abyſſos effectus potentiæ ſuæ diffundit. Tertium, B in adminiſtratione ſacramentorum & Myſteriorum Religionis Chriſtianæ, cuius eſt fidelis & prudens œconomus & diſpenſator: nec enim Angeli Deo ſacrificia offerunt, aut peccata dimittunt. Quartum ex eo quod tam Petrus quàm aliis ſancti poſſum comparare gradum gratiæ & gloriæ excellentiorem gradu in quo multi Angeli conſiſtunt. Et ſic quamuis Angeli nomen vſurpari ſoleat pro natura quadam purè intellectuali, ſecundùm communem conceptionem; tamen optimè poteſt aſſignari iis, qui Dei gratiam in excellentiſſimo gradu ſuſcipiunt. Lege Mauclerum, de Monarchia diuina l. 1. p. 1. to. 5. c. 8.

C *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole.*

Angelum iſtum Romanum eſſe Pontificem conjicitur, ex eo quod dicitur quod vnus ſit, & quod ſit ſtans in ſole. §. 2.

Quantum ad primum, Primaſius ſupra dixit *ipſum Angelum vnum dici, propter vnitatis ſeruandæ myſterium.* Quæ ratio maximè militat in ſummo Pontifice. Vnus enim eligitur ex Apoſtolis, qui aliis præſit, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sanctus autem Thomas vnum eſſe vult, propter vniformitatem doctrinæ, quam annunciare debet D cætus prædicatorum. Quis autem non videt hoc maximè conuenire Pontifici, cuius eſt doctrinam Chriſtianam ſattam tectam conſeruare, ne varietate opinionum ſeu errorum Eccleſia diſcindatur? Vnus quippe Deus, vnus Chriſtus, vna Eccleſia, vnum etiam debet eſſe viſibile caput viſibilis Eccleſiæ, ne potiùs eſſet bellua multorum capitum, ſi plura darentur capita, quàm pulcherrima & vnica Spiritus ſancti ſponſa, à quo vno ſpiritu viuificatur, & regitur. Habent quidem particulares Eccleſiæ ſuos Paſtores particulares. At vniuerſalis Eccleſia vnum agnoſcit Paſtorem, vt fiat vnum ouile, & vnus Paſtor. Nec iſtud aliquo modo officit ſupremæ Chriſti dominationi, qui eſt caput E independens, præcipuum, immediatum, inuiſibile Eccleſiæ ſanctæ. Nam ſicut ſupremæ dominationi Dei non officit quòd conſtituerit vnum Angelum, qui præſit cunctis Angelorum ordinibus; ita non officit Dominationi Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ, quòd conſtituerit caput aliquod viſibile omnis Eccleſiæ militantis. Vnde nomen Paſtoris (quod Chriſti proprium eſt, dicente ipſo: *Ego ſum Paſtor bonus*) Petro, & per conſequens ſucceſſoribus eius, communicatum fuit à Chriſto, vt omnes oues ſuas regere & paſcere valeat. Hinc Arnobius in Pſalm. 138. *Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus; & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum Paſtoris nomen accepit. Solus enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicebat: Ego ſum Paſtor bonus. Et iterum:*

Digitized by Google

Me, inquit, ſequuntur oues meæ. Hoc eſt: Nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem poſt reſurrectionem ſuo Petro pœnitenti conceſſit: & ter negatus, negatori ſuo hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem. Ita Arnobius.

Quantum ad ſecundum, cum Angelus iſte dicatur ſtans in ſole, ſummus Pontifex maximè deſignatur, duabus potiſſimùm de cauſis. Nam multa ſummo Pontifici conueniunt, quæ tantæ dignitatis eminentiam oſtendunt, verbi gratia, quòd eius dignitas emineat ſupra cæteras mundi dignitates; ſecundò, quod exerceat functiones quaſdam, quibus fidelium ſalus promouetur, ad manifeſtationem diuinæ miſericordiæ: vel alias functiones ſeueritatis cuiuſdam, pœnas quaſdam contumacibus irrogando, ad oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ. Quod quidem virtualiter continetur in his verbis: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Tertiò, plenitudo quædam poteſtatis circa regimen politicum Eccleſiæ.

Quartò, permanens quædam autoritatis illius ſtabilitas, quæ inter tot rerum viciſſitudines perdurare poteſt. Quæ quidem quatuor illi conceduntur, ſeu quodammodo fluunt ex duabus proprietatibus, ſeu prærogatiuis, quæ illius miniſterio inſeparabiliter admittuntur. Prima eſt infallibilitas quædam in decidendis dubiis, quæ in Eccleſia emergere poſſunt. Secunda eſt, quòd valeat abſque periculo erroris præſcribere vias, quibus ad cœlum fideles perueniãt. Hæc enim infallibilitas conuenit illi, non ſolùm in deciſione credendorum, ſed etiam eorum quæ peragenda ſunt, & in praxim reducenda, vt ſalutem conſequamur. Factum eſt aliquando vt quatuor illæ conditiones, ex iſtis duabus prodeuntes, quandam offuſcationem ſuſceperint.

At iſtæ duæ vltimæ nunquam eclypſim paſſæ ſunt, ſeu defectionem. Nam, verbi gratia, nullus ſibi perſuadere potuiſſet S. Petrum fuiſſe Neroni in dignitate ſuperiorem, dum Petrum Nerò cruci affigi præcepit, aut Maxentio Marcellum eſſe eminentiorem, qui ab eodem Maxentio fuit in catabulum miſſus, vt beſtiarum, quæ publicè alebantur, curam ſuſtineret. Pari ratione, vis Tyrannorum, & hæretica prauitas impediuit ſæpiùs ne liberè Eccleſia exerceret ſua munia, in exercitio earum functionum, quibus ſalus procuratur fidelium, aut delicta puniuntur. Tertiò: ſchiſmata & rebelliones contumacium plærumque obtenebrarunt ſplendorem plenitudinis autoritatis Pontificiæ. Denique deprauati mores plurimorum Pontificum, interregna quædam ſede per menſes, aut annos etiam quoſdam vacante, aliquid ſplendoris detraxerunt, ſiue ſanctitatis; ſiue perpetuitatis autoritatis Pontificiæ, in perſona cuiuſdam Pontificis, quamuis maneat in ſede fixa & immobilis. At nunquam factum eſt vt aliæ duæ prærogatiuæ Sedis Romanæ aliquod detrimentum paſſæ fuerint, aut perſecutione Tyrannorum, aut oppugnatione hæreticorum, aut perturbatione ſchiſmaticorum, aut morum corruptione, aut Sedis vacatione; ſed ſi quid circa articulos fidei propoſitum fuerit, deciſio ſedis Romanæ nunquam à fidei veritate diſceſſit: nec vllum vnquam decretum ab ea emanauit circa bonos mores, quo aliquid proponeret fidelibus perficiendum, quo à ſemita recti deuiarent, & à via Dei diſcederent. Semper eius doctrina ſana, & abſque errore permanſit. Semper eius decreta fuerunt fidelibus ſalubria & vtilia, ad ſalutem conſequendam. Hinc factum eſt, vt cum ſymbola proponenda fuerunt. In hac reuelatione, ſub quæ hæ duæ proprietates Sedis Romanæ (quæ in ea extiterunt ſtatim atque erecta fuit) deſignarentur, adhibitum fuit ſymbolum viri iam ſenectutem adepti, vt maturitas & prudentia neceſſaria, & requiſita ad eas deciſiones

A promendas, & decreta proponenda denotarentur, vt patet ex c. 5. & 7. in quibus primus ex ſenioribus docet, & ad quem pertineat aperire librum ſignatum & quinam mereantur immortalitatis & gloriæ ſtolam. At ſi de quatuor aliis prærogatiuis ſermo habeatur: quia quædam habuerunt incrementa, & progreſſu temporis ſucceſſiuè manifeſtatæ fuerunt, ideo alia ratione ſymbola, per quæ deſignarentur, proponenda fuerunt. Et ſic in 12. capite, hæc dignitas repræſentata fuit ſub ſymbolo pueri maſculi, qui raptus eſt ad Deum, & ad thronum eius. Eminentia ſiquidem illius dignitatis ſupra omnes ſæculi poteſtates, in initio Eccleſiæ naſcentis non ſtatim apparuit, ſed ad modum pueri paulatim creſcentis: ad perfe-
B ctam, & omnibus conſpicuam manifeſtationem tandem peruenit. Idem puer quaſi perfectam ætatem adeptus: in cap. 14 repræſentatur ſub ſpecie viri ſimilis filio hominis, ſedentis ſupra nubem, & habentis in manu falcem acutam, ad deſignandam manifeſtationem eminentis illius autoritatis; quæ potiſſimùm innotuit, cum liberè Sedes Romana viſa eſt incumbere regimini totius Eccleſiæ, & ſalutis cunctorum fidelium curam, & ſolicitudinem habere ſpecialem. Deinde idem ipſe, qui in figura hominis apparuit (vt pote qui in condonandis hominum delictis, eorum infirmitati condolere debebat, & ſeptuagies ſepties peccata ipſorum dimittere) in capite 18. cum procedere debet ad contumaciam, & malo-
C rum repreſſionem, & ſententiam condemnationis promulgare contra Babylonem myſticam, videtur tanquam Angelus habens poteſtatem magnam, à cuius gloria terra illuminatur, clamans in fortitudine: *Cecidit, cecidit Babylon magna, &c.* Vt qui induat quodammodo Angelorum impatibilitatem, & quaſi ab humana imbecillitate alienus fortiter inſurgat in omnes diuini cultus aduerſarios, & inflexibili iuſtitia præditus illos conterat ſub pedibus. Quibus tandem hoſtibus deuictis & proſtratis, Ecce quomodo in hoc capite 19. videtur tanquam Angelus ſtans in ſole, vt ex illo ſymbolo conjicere poſſimus quanta ſit excellentia plenitudinis poteſtatis ipſius, quæ perſecutionibus tyrannorum, aliiſue impedimentis ne-
D quiuit impediri quominùs creſceret, & tanquam lilium inter ſpinas micantem candoris ſui ſplendorem emitteret: quæ nec hæreticorum oppugnationibus retardari potuit, quominus (ſi ad tempus ceſſare coacta eſt ab executione functionum ſuarum) tandem eas liberè exercere potuerit. Et licèt perturbationibus ſchiſmaticorum plurimum fuerit vexata, tamen firma permanſit, & ab iis omnibus contradictionibus immunis reddita, ecce quomodo fortis eſt & conſtans & ex omnibus orbis partibus reperiuntur, qui illi obedientiam, & reuerentiam præſtent: itaut per omnia loca etiam Apoſtolicos viros poſſit mittere, qui eius auctoritate fulti, ordinariis Eccleſiæ Paſtoribus poſſint eſſe in ſubſidium & auxilium, ſiue in adminiſtratione verbi, ſiue in adminiſtratione Sa-
E cramentorum. Et quia ab his prærogatiuis ſpoliari non poteſt, quia à Deo protegitur, ad quem & ad cuius thronum (qui vt ſol permanet) raptus eſt: ideo dicitur Angelus ſtans in ſole. Cum igitur S. Ioannes intendat nobis ob oculos ponere qua ratione filius Dei Chriſtus Dominus honorem ſibi ab hominibus exhibendum ſuſcipiat, hoc meliùs nec magis appoſitè repræſentare potuit, quàm proponendo nobis autoritatem ſummo Pontifici datam, non ampliùs latentem, aut in cunis iacentem, ſed erectam, firmam, inconcuſſam, omnia ſua munia & officia liberè & apertè exercentem. Ex his enim percipitur, quòd Chriſtus ſit fidelis & verax, quia infallibilitatem obtinet S. Pontifex in deciſione articulorum fidei, aſſiſtente ei ſpiritu veritatis, iuxta illud: *Spiritus*

paraclitus,

Digitized by Google

paracletus, quem ego mittam vobis, docebit vos omnem A *veritatem*, itaut cum docet ex Cathedra, nec falli poſſit, nec errorum aut mendacium proponere poſſit Eccleſiæ. Percipitur Secundò qua ratione Chriſtus Dominus cum iuſtitia iudicet & pugnet, dum non permittit ſummum Pontificem (cui conceſſum eſt leges condere fideles obligantes in conſcientia, & cui vult omnes obedire vt ſupremo Paſtori) leges aliquas præſcribere fidelibus ſeruandas, quæ aliquid contineant peruerſum, aut bonis moribus contrarium, aut quæ diſcrepent à iuſtitia Chriſtiana, quæ ad gloriam conſequendam neceſſariò teneri debet. Tertiò, luce clariùs cernitur Chriſtum habere oculos tanquam flammam ignis, cum videmus ſummum Pontificem eius Vicarium tanto lumine colluſtrari, B & oculos adeo perſpicaces habere, vt non ſolùm ſanè poſſit de bonitate aut malitia actuum humanorum iudicium ferre in ſpecie, ſed etiam valeat in particulari diſcernere an Petrus ſeu quilibet alius actiones fecerit remuneratione cæleſti condignas, dum ſanctos canonizat, & Eccleſiæ proponit imitandos & inuocandos. Quartò, percipitur etiam quomodo Chriſtus habent diademata multa; dum eius Vicarius poteſtatem quam dum exercet eminentem ſuper omnes alias dignitates, quæ ad cœlum ſe extendat, terram omnem peruadat, abyſſos penetret, dum in cœlis remittitur aut ligatur, quod ipſe ſoluit aut ligat, dum per modum ſuffragij, per applicationem ſatisfactionum Chriſti, animas à Purgatorij pœnis liberat. Hac ratione Chriſtus habet nomen quod nemo C ſcit, niſi ipſe: ſiquidem ad vocem ſui Vicarij tam mirabilem effectum poteſtatis illius, quæ data eſt illi in cœlo & in terra, producit. Quintò: cernitur quomodo Chriſtus habeat veſtem ſanguine ſuo (quo redempti ſumus) aſperſam, dum ſummus Pontifex tot ſalutaria miniſteria exercet, quibus ſalus fidelium promouetur.

Sextò: facilè cognoſci poteſt quomodo Chriſtus tanquam dux & caput fidelium, vt Dei Verbum ab omnibus colitur & ad eius nutum cuncti obediant, eumque ſequantur; cum ſummus Pontifex iuriſdictionis exterioris actus exercet per vniuerſum orbem, Paſtorum inferiorum iuriſdictionem reſtrin- D gendo & amplificando, prout in Domino melius illi expedire pro bono fidelium videbitur. Denique qua meliori ratione cerni poteſt Chriſtum habere gladium in ore vtraque parte acutum, in quo percutiat gentes, eaſque regat in virga ferrea: & poſtea calcet torcular vini furoris Dei omnipotentis, quàm dum cernimus ſummum Pontificem ſententias ferre coërcentes malos, punientes peruerſos, reſcindentes è cœtu fidelium contumaces, eoſque Satanæ tradentes puniendos: vel ad correctionem, vel ad terrorem aliorum? Et quia harum omnium functionum perpetuitas firma eſt & conſtans, ideo ſummus Pontifex dicitur in ſole ſtare, vt ſic per eius miniſterium appareat cunctis quomodo Chriſtus Dominus ha- E beat in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum! *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Et ita manifeſtè apparet quomodo illæ prærogatiuæ Sedis Apoſtolicæ media ſint aptiſſima, per quæ cunctis appareat, qualis & quantus ſit honor Chriſto Domino à patre conceſſus, ob humiliationem paſſionis ſuæ. Eminens enim poteſtas, miniſterij ſanctitas, dignitas, autoritas, amplitudo iuriſdictionis, inflexibilis iuſtitiæ, ſeueritas, & inconcuſſa firmitas, in hoc Angelo in ſole ſtante (quo ſumus Pontifex, Chriſti Vicarius deſignatur) optimè adumbrantur, vt fuſiùs mox dicemus.

Ex ſeptem, quæ in ſole conſiderari poſſunt, optimè explicantur prærogatiuæ ſpeciales Sedis Romanæ, vt meritò ſummus Pontifex dici poſſit Angelus ſtans in ſole. §. 3.

Septem ſunt in ſole conſideranda, quæ nobis aperiant rationes, propter quas ſummus Pontifex hic dicitur ſtans in ſole.

Primum eſt, quia dicitur ſol luminare maius, vt præſit diei. Secundum eſt calor, qui reflexione radiorum ſolis producitur, quo terra calorem concipit & incaleſcit, iuxta illud Eccleſiaſt. c. 43. *In meridiano exuret terram; & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere?* Tertium eſt, quia in dignitate eminet ſuper alios planetas, ſiue ratione magnitudinis corporis luminoſi, ſiue abundantiæ luminis, ſiue virtutis & efficaciæ influxus, ſiue ratione motus, qui videtur eſſe regula & menſura motuum aliorum planetarum: ex ſolis enim curſu ſeu motu & diuerſis ipſius cum luna coniunctionibus, dies menſes, & anni deſignantur, vt meritò dicatur Eccleſiaſt. 43. *Vas admirabile opus excelſi.* Quartum, Benigni illius influxus in animalia, ex Philoſopho ſiquidem. *Sol & homo generant hominem*, vt pote qui pater ſit omnium generationum, & productionis mundi inferioris. Qua de cauſa Moyſes incrementa prædicendo tribus Ioſeph, dicebat, Deuteron. 33. *De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore atque abyſſo ſubiacente, de pomis fructuum ſolis ac lunæ.* Quintum: Quia ex vehementiori ardore radiorum ſolis plærumque multi morbi cauſantur; vt febres calidæ, peſtes, & alij morbi. *Fornacem*, inquit Sapiens, Eccleſiaſt. 43. *Cuſtodiens in operibus ardoris.* At ac ſi ſol Deo eſſet quaſi quædam fornax, ex qua Carbones ad purgandos, aut exurendos & conſumendos peccatores aſſumeret, cum contra eos iraſcitur. Sextò, quia licèt luna, planetæ, & ſtellæ, ſuo lumine aliquando luceant, tamen micantiorem ſuum ſplendorem à ſole mutuantur, cum ſol ſit cauſa quædam vniuerſalis luminis, itaut eius lux ſit generalior & vniuerſalior. Quædam ſunt ſtellæ in firmamento, quarum ſplendor vix oculos noſtros perſtringit, propter debilitatem. At de ſole dicitur Pſ. 17. *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Denique perpetuitas & conſtantia infatigabilis motus ſolis, (qui nec retrogradatur, nec extra lineam fertur Eclipticam, in qua curſum ſuum abſoluit, tranſcundo inuariabili quadam, & conſtanti ratione per duodecim ſigna zodiaci) reddit ſolem perfectiſſimum ſymbolum prærogatiuarum, & priuilegiorum ſupremæ & Apoſtolicæ ſedis. Quod per ſingula diſcurrentes manifeſtè videbitur.

Sol luminare maius, ſymbolum infallibilitatis ſummi Pontificis, in deciſione articulorum fidei, calore ſuo terram fæcundantis. §. 4.

Refert ex Bernone Augienſi in libro de ceremoniis Miſſæ Baronius, ann. 1014. tomo 11. Henricum Imperatorem olim percontatum fuiſſe à Presbyteris Eccleſiæ Romanæ, qua de cauſa poſt Euangelium, ſymbolum non decantarent, ſicut moris erat fieri in aliis Eccleſiis, ipſos autem reſpondiſſe cauſam huius conſuetudinis eſſe, quia nunquam Eccleſia Romana aliquo errore, aut hæreſis macula fuerit aſperſa, ſed ſemper immobilis permanſerit, & perſeuerauerit in ſoliditate fidei Catholicæ, iuxta ſancti Petri doctrinam; Alias autem ſedes cæterarum Eccleſiarum debere ſymbolum publicè recitare &

Digitized by Google

profiteri, quia plætæque in hæreſim collapſæ fuerint. Et dolet piiſſimus Cardinalis ſuaſu huius Imperatoris morem fuiſſe immutatum, & ait venerandam antiquitatem annorum ſeruandam potiùs fuiſſe quàm nouitatem admittendam. Certè hæc eſt prima Ratio cur Pontifex Romanus dicitur Angelus ſtans in ſole, quia immobilis ſemper fuit in claritate fidei, in lumine doctrinæ veritatis, quæ totam illuſtrat Eccleſiam. Potiori ratione quàm cæteri Apoſtoli dici valet lux mundi. Ita Hugo à S. Victore Serm. 64. de Apoſtolis Petro & Paulo. *Sanctus*, inquit, *Petrus cæteris eminet excellentiâ poteſtatis, Paulus excellentiâ prædicationis. Petrus ſol. Paulus luna. Petrus ſol, per collatam ſibi diuinitùs potentiam. Paulus luna, per collatam ſibi cœlitùs ſapientiam. Luminare maius fecit Deus, dum dicit Petro. Caro & ſanguis fidei Sacramentum tibi non reuelauit, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. Et illum tunc lucere in cœlo præcepit, dum illi claues regni cælorum tradidit. Luminare minus fecit, dum Saulum ſtrauit, Paulum erexit, &c.* Et poſt pauca: *Petrum Soli comparo, cum Petro ſoli dictum eſſe conſtet: Tu es Petrus, &c. Petroque ſoli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura Paſtoralis principaliter & ſpecialiter iniuncta eſt, vbi dicit. Paſce agnos meos.* Ita Hugo. Citatur à Mauclero de Monarch. Eccleſ. 2. p. l. 2. c. 7. At quod Petro conuenit ſucceſſoribus etiam conuenire par eſt, qui Eccleſiam illuminare debent, ſicut ſol vniuerſum illuminat orbem. Præſunt enim diei veritatis, quia abſque vlla falſitate proponunt fidelibus quæ credenda, & facienda ſunt, vt ſalutem conſequantur. Vnde factum eſt, vt cum aliæ ſedes Patriarchales fuerint ſæpiùs ab hæreticis occupatæ, Sedes Romana intacta remanſerit ab omni hæretica prauitate immunis; vt videre eſt apud autores qui de hac re & materia ex inſtituto diſſerunt. Rectè igitur Maximus ſeu Maximianus Epiſcopus Conſtantinopolitan. Epiſtolâ ad orientales. *Omnes*, inquit, *fines orbis, qui Dominum ſyncerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Eccleſiam Romanam tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ & Apoſtolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò: nam Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſum, Domino reuelante, cum dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vnde & idem Dominus dixit. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, &c.* Addit Maximinus: *Decebat tantæ dignitatis & ſapientiæ virum non ab alio cæleſtis myſterij arcana requirere, niſi ab eo potiſſimùm, quem non potuit caro & ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt aperire. Beatus es Simon Bariona. Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magiſterij principaliter poſſidendam tenere perpetuò priuilegij iura conceſſit: vt quiſquis diuinum aliquid aut profundum noſſe deſiderat, ab huius præceptionis oraculum doctrinamque recurrat: nos illi humiliter referre quod ſoluendum eſt, etiam ſi ipſe quod quæritur non ignoret.* Hæc Maximinus, qui viuebat circa an. 430. *Quid ſole lucidius?* inquit Sapiens, Eccleſiaſt. 43. Quid pari modo hac ſede lucidius, ad quam in dubiis emergentibus ſit recurrendum, vt veritas innoteſcat? Hinc dicitur filius columbæ, id eſt Spiritus ſancti, qui ſpiritus eſt veritatis, ex Hieron. in Matth. lege Mauclerum, de Monarch. vtriuſque fœdere 4. p. 1. 4. c. 2. Hæc eſt ſanctiſſima ſedes, tanto lumine ſplendens, vt malè ſentientes cogat benedicere. *Sic*, inquit S. Aug. epiſt. 170. *Prouidet Deus Cathedræ vt errare non poſſet.* Et poſtea addit: *Magna eſt vis Cathedræ, quæ cogit bona dicere non bona facientes; nec ſua ſed aliena docere permittit.* Et Theodoretus epiſt. 118. ad Renatum: *Hac igitur de cauſa tuam oro ſanctitatem, vt perſuadeas beatiſſimo & ſanctiſſimo Archiepiſcopo, vt Apoſtolica vtatur autoritate, & præcipiat ad veſtrum conuolare Concilium. Habet enim ſanctiſſima illa Sedes, omnium per orbem Eccleſiarum ducatum & principatum, multis quidem de cauſis, præcipuè verò quòd ab hæretica labe immunis permanſit, & nullus qui contraria ſentit veritati in illa vnquam ſedit, ſed Apoſtolicam, integram gratiam & immaculatam ſeruauit.* Ita Theodoret. Ex his videre licet quomodo optimè dicitur Angelus ſtans in ſole. Ad aliam rationem tranſeamus, nempe ad calorem ex radiorum ſolis reflexione prodeuntem.

Dicimus igitur per Angelum ſtantem in ſole optimè ſummum Pontificem deſignari: nam ſicut calor eminenter continetur in lumine ſolis, pari ratione ex abundantia luminis, (quo thronus Apoſtolicus ſeu ſedes vicarij Chriſti circumdatur) fit vt nunquam illa ſedes errare valeat circa ea, quæ ad mores pertinent; ſicut nec errare poteſt circa ea, quæ ad fidem pertinent: itaut ex deciſionibus ſanctiſſimæ ſedis circa bonos mores, amor ſanctitatis in cordibus fidelium generari queat, dum approbant, laudant, & imitanda proponunt bona opera ſanctorum, quorum vitam imitandam proponunt fidelibus, referendo quoſdam in catalogum ſanctorum, licèt fortè ipſi, qui aliorum ſanctitatem hoc modo celebrant, eadem opera imitari negligant. Cum igitur lumine, quo ſedes illuſtratur Pontifices ſanctorum opera contemplantur, eaque videant mandatis & conſiliis Chriſti conformia, & omni laude digna, calorem amoris producunt in cordibus fidelium, dum eadem opera probant & celebrant, vt digna remunerationis æternæ, & laudis, & imitationis, & propter quæ ad eoſdem inuocandos ſecurè inuitari poſſimus. Itaque ſicut lumen ſolis terram percutiens, per reflexionem radij calorem producit; ita luminis ſupernaturalis radius ſanctos in terra degentes attingens, (qua ratione iuſtitia & eminens ſanctitas ipſorum omnibus ſit conſpicua) calorem amoris erga eos accendit, itaut & illos laudemus, & imitemur, & inuocemus, tanquam laude, & imitatione, & inuocatione digniſſimos.

Sicut ſol ſupra planetas alios eminet, ita ſedes Romana alias ſedes præcellit, ſiue pontificales, ſiue regias. §. 5.

Hoc patet: quia alij Epiſcopi, Patriarchæ, quin & Reges, & Imperatores fideles, huius ſummi Paſtoris oues ſunt. Sicut igitur Paſtor oues præcellit, ita Pontifex Epiſcopos & Reges; Reges, inquam, quia regimen ſpirituale, temporale & corporeum in dignitate ſuperat; Epiſcopos, quia etſi ſint Lucernæ ardentes & lucentes, maior eſt tamen in Pontifice abundantia luminis, quo tenebræ diſpergantur, quibus obuolui poſſent inferiores Prælati. Ipſius enim eſt totius Eccleſiæ corpus illuminare. Deinde aliorum Paſtorum iuriſdictio quibuſdam limitibus reſtringitur; at plena, & pleniſſima eſt Pontificis iuriſdictio, quæ ad omnes actus, & per omnes orbis partes extenditur. Denique cum poſſit leges præſcribere, fideles & Paſtores inferiores in conſcientia adſtringentes, manifeſtum eſt ad ipſius motum & impulſum cunctorum aliorum motus, & actus regulari. Primum ſiquidem in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum. Cum igitur ille primus ſit in dignitate, autoritate, & poteſtate, ab eo omnes aliæ dignitates, autoritates, & poteſtates temporales & ſpirituales regulam actionum ſuarum mutuati debent, vt reddantur vitæ æternæ meritoriæ. Ad hunc enim finem collata illi fuit tam eminens dignitas, vt gregem fidelium in æterna paſcua deducat, in quibus Dei viſione ſatiari poſſit.

Præeminentiam dignitatis ſedis Romanæ ſupra Imperatoriam & Regiam dignitatem agnouit Ludouicus Comes Palatinus, & Bauariæ Dux, apud Baronium, an. 996. & Mauclerum 2. p. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

dum in literis quibuſdam ait: *Ludouicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Vniuerſis præſentem paginam inſpecturis, ſalutem in auctore ſalutis. Complectens ab olim ſibi Romana mater Eccleſia, quadam quaſi germana Charitate, Germaniam illam ex terrenæ dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram, plantans in ea principes tanquam arbores præ electas, & rigans ea gratia ſingulari; illud ei dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipſius Eccleſiæ autoritate ſuffulti, velut germen electum, per ipſorum electionem illum, qui frena Romani Imperij teneret, germinarent. Hoc eſt illud luminare minus in firmamento militantis Eccleſiæ, per luminare maius Chriſti vicarium illuſtratum.* Ita ille. Hinc etiam Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori ſcribens aiebat: *Pietatem tuam precor, ne arrogantiam iudices diuinæ rationis officium. Abſit, quæſo, à Romano Principe, vt intimatam ſuis ſenſibus veritatem arbitretur iniuriam. Duo quippe ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur; autoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tantò grauius pondus ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus Domino in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, fili Clementiſſime, quòd licet præſideas humano generi, rerum tamen præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis. In quo ſumendis cæleſtibus ſacramentis, eiſque vt competit diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis, religionis ordine; potius quam præ eſſe noſti. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non eos ad tuam redigi voluntatem.* Ita Gelaſius. Nec mirum ſi Imperatoribus præ eſt: nam ſi ſunt oues gregiſ, ad eius curam pertinent cui commiſſa eſt totius gregis ſollicitudo. Rectè enim S. Auguſt. In quæſtionibus noui Teſtamenti q. 75. *Saluator cum pro ſe & Petro dare iubet (ſcilicet didrachma) pro omnibus exoluiſſe videtur: quia ſicut in ſaluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ſic & poſt ſaluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Dominici.* Ita Aug. Et hac de cauſa non modò ſupra Imperatores & Reges præſidet, in iis quæ ad ſalutem conſequendam pertinent, ſed & ſuper omnes alios Eccleſiæ Paſtores, iuxta illud Concilij Lateran. 4. ſub Innocent. 3. c. 5. *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinarias poteſtates obtinet principatum, vt pote mater vniuerſorum Chriſti fidelium & magiſtra.* Ita Conc. Optimè igitur olim dixit Pomponius Lætus, in vita Conſtantij Imperato. Apud Gotfredum, in l. 4. antiquæ hiſtoriæ. *Hoc*, inquit, *in loco egredi non ineptum putemus, vt ſcilicet oſtendamus Epiſcopum Romanum Caput Catholicæ fidei ſemper fuiſſe. Roma ipſa terrarum Dea, & gentium Regina poſcere videtur, Dei ſedes, & Imperij generis humani: ſed vbi noua Roma præſentibus Auguſtis lacertos extulit abſentiâ principum noſtra Roma paululùm imminuta. Vtraque tamen vrbe principatum ſibi vendicante, neſcio quo facto præfectis obtemperauimus, & aliquando Auguſtalis, & ſæpe numero Regibus Gothorum. Itaque per ea tempora Epiſcopalem maieſtatem nutibus Imperatorum Conſtantinopolis ſibi vſurpauit: nos verò non ceſſimus, ſed paſſi fuimus, ne ira principum obeſſet, qui vrbis ſacratiſſimæ dignitatem Barbarorum prædæ relinquerant. Res non potuit diu differri. Phocas Imperator totius Maieſtatis decus iniuriâ ablatum reſtituit, & publico decreto ſanxit: Nam plerique Epiſcopi Conſtantinopolitani malè vſi autoritate, prauis opinionibus fidei ſimplicitatem turbauerunt. Romani verò Pontifices ſemper habiti orthodoxi, & iuſtiſſimi, vt ipſi Græci in hiſtoriis tradiderunt. Epiſcopus igitur Romanus, & diuino iuſſu, & humanæ rationis vinculo, generis humani parens & princeps eſt. Nam illud perpetuò manſurum quis dubitat? Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ita Pompon. Lætus in compendio hiſtoriæ Romanæ, ab interitu Gordiani junioris vſque ad Iuſtinum tertium. Hinc S. Bernar-

A dus, lib. 3. de conſiderat. c. 4. rationem reddens propter quam S. Ioannes dixerit: *Vidi ciuitatem ſanctam, nouam, deſcendentem de cælo*; ait: *Ego propter ſimilitudinem dictum reor, quòd ſicut illic Seraphin & Cherubin, ac cæteri quique, vſque ad Angelos, ordinantur ſub vno capite Deo; ita hic quoque ſub vno Pontifice ſummo Primates vel Patriarchæ, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum.* Ita Ber.

Et S. Thomas. l. 4. contra Gentiles c. 40. *Soli Petro promiſit Dominus claues regni cælorum, vt oſtenderetur poteſtas clauium per eum ad alios deriuanda, ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem.* Et antea S. Leo, Serm. 3. de ſua ordinat. dixerat. *Magnum & mirabile Petro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio, vt ſi quid commune cum eo cæteris voluit Principibus, nunquam niſi per*
B *illum dedit, quidquid aliis non negauit.* Lege Maucler. 2. p. l. 3. Monar. Eccleſ. c. 16. p. 457.

Quod autem ad motum huius myſtici ſolis, motus aliorum planetarum menſurari debeant, fauet Anacletus Papa Epiſt. 3. c. 3. ad omnes Epiſcopos. Citatur in fine diſt. 22. Can. Sacroſancta. *Et ſicut*, inquit, *cardine oſtium regitur, ſic huius ſanctæ ſedis autoritate cuncta Eccleſiæ, Domino diſponente reguntur.* Fauet etiam S. Leo 4. apud Baron. an. 855. n. 21. *Fratres*, inquit, *Presbyteri & Sacerdotes Domini, cooperatores mihi eſtis ordinis: nos quidem, quamuis indigni, locum Aaron tenemus, (ſcilicet patris ſacerdotum:) vos autem Eleaſaris & Ithamar (ſcilicet filiorum.) Nos vice duode-*
C *cim Apoſtolorum fungimur; vos ad formam ſeptuaginta diſcipulorum eſtis. Nos Paſtores veſtri ſumus: vos autem Paſtores animarum vobis commiſſarum. Nos de vobis rationem reddituri ſumus Paſtori noſtro Ieſu Chriſto: vos de plebibus nobis commendatis. Et ideo, chariſſimi, videte periculum noſtrum, & veſtrum. Admonemus & obſecramus (ſicut alibi ſcriptum inuenimus) fraternitatem veſtram, vt de communi ſalute veſtra cogitantes, attentiùs audiatis admonitionem noſtram: & quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis.* Ita S. Leo. Imitatur S. Petrum 1. c 5. ſeniores Eccleſiæ ſic exhortantem: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior teſtis Chriſti paſſionum; & eius, quæ in futuro eſt, reuelandæ gloriæ communicator: paſcite, qui in vobis eſt,*
D *gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum, &c.*

Sicut ſol influxus habet benignos, & etiam noxios atque ingratos, ita è ſede Romana benigni & ingrati prodeunt effectus.

De ſole dixit Sapiens, Eccleſiaſt. 43. *Tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans, & refulgens obcæcat oculos.* Et reuera prius cacumina montium ſolaribus radiis irradiantur; quàm camporum planitiem colluſtret; & tardiùs ab eis cacuminibus retrahit radios ſuos, & montium concauitates penetrans, metalla (vt aurum & argentum) in eis progignit; ita
E dicendum eſt ſummum Pontificem prioritate quadam præcipuæ ſollicitudinis radios ſuos in Epiſcopos (qui quaſi montes in Eccleſia eminent) immittere, & ab eis tardius eoſdem radios retrahere. Nam ſicut nullus Epiſcopus legitimè inſtituitur contra præſcriptum à ſede Romana ordinũ, ita nec legitimè deponitur aut deſtruitur abſque eius aſſenſu, aut ſententia; & viuacitate luminis doctrinæ Apoſtolicæ in eiſdem producit argentum probatum veræ cognitionis myſteriorum diuinorum, & aurum puriſſimum exquiſitiſſimæ ſapientiæ, qua poſſint Eccleſiam feliciter regere. Et ex his ad tot & tam multiplices effectus ſalutares extenditur eius autoritas, vt hi dinumerari ſeu determinari nequeant, orationis modos præſcribit, prædicationem verbi moderatur, ſacrificiorum cæremonias determinat, leges condit, ten-

Digitized by Google

tentias profert, diſpenſat in multis, indulgentias concedit. Denique cum habeat plenitudinem illius poteſtatis, quæ vniuerſali Eccleſiæ conceſſa eſt, nullus eſt effectus ſalutaris, qui ab eius autoritate aliquomodo non dependeat, tanquam à cauſa vniuerſaliori: ſiquidem neceſſarium eſt, vt quilibet Epiſcopus, aut particularium Eccleſiarum Paſtores cum eo vniantur charitate & obedientia, antequam poſſint eſſe boni & fideles diſpenſatores myſteriorum Dei, nec vllus fructum adminiſtrationis aut ſuſceptionis Sacramentorum percipere poterit, qui ab eo fuerit ſeparatus. Rectè ſiquidem S. Cyprianus: *Auerte radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum: fructus germinare non poterit. A fonte præcide riuum: præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Romana, Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit. Vnum tamen lumen eſt quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs pandit: vnum tamen caput eſt, & origo vna, & mater eſt fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur. Illius lacte nutrimur: ſpiritu eius animamur.* Ita S. Cyprian. Qui & in Epiſtola ad Stephanum, de depoſitione Marciani Archiepiſcopi Arelatenſis, qui in nouatiani errorum lapſus fuerat; & de inſtitutione alterius: qui in eius locum ſubſtitueretur, agens, ait: *Dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtracto Marciano alius in locum eius ſubſtituatur, &c.* Et paulo poſt: *Significabit planè nobis, quis in locum Marciani fuerit conſtitutus, vt ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.* Ita Cypr. Et Can. *Omnes*, diſtinct. 12. dicitur, *Omnes ſiue Patriarchij cuiuſlibet apices, ſiue Metropoleon Primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cuiuſlibet ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia. Illam verò ſolus ille fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſit.* Hæc ibi. Vt manifeſtum fit ſolem hùc radiis ſuis colluſtrare primo & principaliter Eccleſiæ montes, quia illius eſt illos inſtituere. Vnde in Nouella Theodoſij iunioris & Valent. 3. in C. Theodoſ. tit. 24. edictum reperies eiuſdem Theodoſij, quo decernitur ſententiam Romani Pontificis contra Hilarium Archiepiſcopum Arelatenſem executioni demandandam eſſe, ne deinceps ipſe Hilarius Epiſcopos ordinare attentaret abſque legitima ſedis Romanæ autoritate, ſicut antea attentare auſus fuerat. Et capite *Quamuis*, 34. c. Eleutherius ad Epiſcopos galliæ ſcribens decreuit ne cauſæ Epiſcoporum determinentur abſque autoritate Sedis Romanæ, vt ſic & inſtituendo Epiſcopos, & illos tuendo, ſalutares producat effectus, & in eis aurum ſapientiæ, & argentum ſcientiæ progignat, vt ſupra diximus. *Omnes enim fines terræ, qui Dominum ſyncerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in poteſtatem Romanorum Pontificum tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ religionis recipiunt.* Ita Maxim. Epiſc. Conſtantinop. apud Zachar. Bouerium. Nec tantùm illa ſedes lumen ſapientiæ infundit Eccleſiæ Paſtoribus, qui ei cooperatores ſunt in rebus ſacris, ſed etiam populorum rectoribus, qui in temporali regimine occupantur. Vnde Caſſiodoris perfectus Prætorio ſub Theodorico Rege, ita Ioannes ſummum Pontificem alloquitur. *Precor*, inquit, *vt viuaciùs oretis pro ſalute regnantium! quatenus eorum vitam cæleſtis Princeps faciat eſſe longæuam, &c.* Et paulo poſt: *Mihique filio veſtro intelligentiæ ſenſus aperiat, & quæ verè ſunt vtilia ſequar, quæ vitanda refugiam, &c.* Et paulo poſt: *inſtruat quod de vera ſapientia ſapit. Illuminet quod cæleſti claritate reſplendet. Nolite in me tantùm rejicere ciuitatis illius curam quæ potiùs veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores* A *eſtis. Chriſtiano populo præſidetis. Vos Patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitùs eſt commiſſa cuſtodia. Quapropter nos decet cuſtodire aliqua, vos omnia. Paſcitis quidem ſpiritaliter commiſſum vobis gregem: tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videatur ſubſtantiam continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ita boni Patris eſt vtraque refouere. Monete me quæ ſunt gerenda ſolicitè. Benè agere vel correptus exopto: quia difficiliùs errat ouis, quæ voces deſiderat audire Paſtoris: nec facilè efficitur vitioſus, cui admonitor inſiſtit aſſiduus. Sum quidem iudex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedimus. Sed cum me à vobis deſiderem & moneri conſiliis, & orationibus adiuuari, iam vobis eſt applicandum ſi quid in me fuerit* B *aliter quàm optatur inuentum. Sedes illa toto orbe mirabilis propiâ tegat affectione cultores, quæ licèt generalis mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa.* Hæc Caſſiodorus. Ecce quomodo ſol ille myſticus tripliciter illuminat ſeu exurit montes, & in eis mirabiles & ſalutares producit effectus.

Quod ſi de effectibus ſeueritatis fiat mentio, quibus ſcelera compeſcuntur, in memoriam redeat ſeuera & velox punitio Ananiæ & Saphiræ vxoris, qui ad vocem Petri interierunt illis exprobrantis quòd mentiebantur Spiritui ſancto, & illum tentabant: vt verum ſit quod ait S. Bernardus, de conſider. ad Eugenium l. 4. c. 7. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, C non hominem putet: Qui te non audierit, auditurum Deum contra ſe paueat. Hinc Petrus Bleſenſis, Epiſt. 64. *Illud certiſſimum teneatis ipſum Romanum Pontificem nunquam aliquem excommunicaſſe, quin moreretur in proximo, aut cuius faciem non operiret ſubita & ignominioſa confuſio.* Ita Petrus Bleſ. Ita vt verum ſit ardorem iſtius myſtici ſolis, cum hoc exigit zelus honoris diuini, & conſeruatio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, plærumque cauſare quaſdam punitiones extraordinarias. Huius veritatis exemplum habemus apud Rogerium in annalibus Anglorum, vt refert Bar. a. 1299. *Cum Leopoldus Dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam Dominus Papa in eum tulerat, propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pœniteret;* D *flagellauit Dominus terram eius. In hunc modum in primis quædam ſunt incenſæ ciuitates terræ ſuæ, nec alicui nota fuit cauſa incendij. Secundò, ex inundatione Danubij fluuij, ſubuerſa eſt quædam terra adiacens, in qua decem hominum millia, & eo ampliùs perierunt. Tertiò, tum in media æſtate ſoleat & debeat omnis terra virere, tota terra eius tunc temporis contra ſolitum & debitum curſum exaruit. Quartò: cum ſemina frugum deberent in herbam proceſſiſſe: in vermes conuerſa ſunt. Quintò: nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt. Et quamuis tot ac tantis flagellaſſet Dominus terram eius plagis, noluit tamen pœnitere, &c.* Nonne in hac hiſtoria vides ſolem ardore ſuo omnia exurentem?

E *Sicut à ſole ſtellæ lumen ſuum mutuantur, ita à ſede Romana fideles lumen cognitionis rerum ad ſalutem conducentium conſequuntur.* §. 7.

Duobus modis intelligimus Pontificem Romanum totam Eccleſiam illuminare. Primò: quia ordinaria Paſtorum Eccleſiæ iuriſdictio ab eius iuriſdictione originem ducit. Secundò, in quantum poteſt quoſdam per vniuerſum orbem delegare, qui eius autoritate fulti, eiuſque nomine poſſint Euangelium nunciare, & Sacramenta (vbi neceſſitas aut maior vtilitas fidelium id poſtulauerit) adminiſtrare, ſeruatâ ordinariis Eccleſiæ Paſtoribus reuerentiâ, & cum eis pacifica concordiâ vbi ſunt; vbi autem non ſunt, vel ad diſſeminandum Euangelium vbi nondum fuit promulgatum; vel ad reſtauran-

Digitized by Google

dam fidem, vbi hæreſes graſſantur; vel ad reſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam, vbi corruptio morum negligentiam adminiſtrandi Sacramenta induxerit. De hoc modo hîc diſſerimus. Siquidem cum alij Epiſcopi limitatam habeant iuriſdictionis ſuæ extenſionem, iuriſdictio Pontificia ad omnes mundi partes ſeſe extendit, vt quoſdam delegare poſſit in omnes mundi Regiones, qui adhibitâ prudentiâ & circumſpectione neceſſariâ (ne quod conceditur in ædificationem, vertatur in deſtructionem) poſſint & prædicationi & adminiſtrationi Sacramentorum incumbere. Hac ratione ſol ille myſticus orbis hæmiſpheria percurrit. Hac ratione fideles & barbaros & infideles ſuo lumine colluſtrat. Hac ratione in ſuo ſinu fouet & domeſticos, & alienos; & iis qui propè ſunt, & iis qui longe, auxilia ſalutaria ſuppeditat. Hac ratione oues errantes, & à propriis Paſtoribus neglectæ, in ouile reducit, ne à Leone quærente quem deuoret, diſcerpantur ac deuorentur, dum abſunt qui Lupos arceant, & ad ſunt gregem ſibi commiſſum negligentes & deſerantes, luxu, ambitione, aut auaritia impulſi. *Et in hoc*, inquit S. Bonauent. de paupertate Chriſti, contra magiſtram Gulielmum ad 19. obiectionem, *clarè cernitur plenitudo Apoſtolicæ poteſtatis. Autoritas*, inquit ille, *in aliquo reperitur, vel ex prima inſtitutione, vel ex commiſſione & demandatione, ſeu ex iniuncto officio, aut ex conceſſo priuilegio. Primo modo principalis autoritas fuit Apoſtolorum, & diſcipulorum, & ſucceſſorum, qui ſunt Epiſcopi & curati. Secundo modo eſt autoritas minus principalis, quæ vocari poteſt ſubautoritas: eorum eſt qui ab Apoſtolis miſſi fuerunt, quales fuerunt eorum diſcipuli. Quæ mittendi autoritas potiſſimum ei conuenit, qui eſt loco Petri principis Apoſtolorum, imo loco Chriſti, qui eſt Dominus vniuerſalis Eccleſiæ. Propter quod & habere dicitur plenitudinem poteſtatis.* Ita S. Bonauentur.

Qui & in Regulam fratrum Minorum docet Autoritatem ſummi Pontificis non exhauriri ex communicatione iuriſdictionis ordinariæ, quæ à ſua deriuatur tanquam riuus à fonte, quo fit vt valeat adhuc alios delegare, qui ex commiſſione exerceant ea quæ ex officio ſibi iniuncto perficere deberet. *Nominans*, inquit S. Bonauent. *Hierarchiam, nominat omnem Hierarchicam poteſtatem. Vnde dicit D. Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. quod licèt Hierarcha aliis tradat ſibi ſubditis poteſtatem, manet tamen ordinaria poteſtas apud eum, ad agenda omnia, quæcumque per ſibi ſubditos fieri poſſunt ad ſalutem fidelium procurandam. Et quia quicquid poteſt, extraordinaria poteſtate ſeu autoritate poteſt alteri committere; & quod poteſt per ſe, poteſt per alium, in adiutorium ſibi ſubditarum poteſtatum mittere opitulationes, quotieſcumque ſibi videtur expedire: alioquin nimis periclitaretur ſtatus Eccleſiæ, ſi Papa, vel inferior Hierarcha videns ſibi ſubditis curæ non ſufficere, nec ſeipſum poſſe omnibus adeſſe, non poſſet viros idoneos vice ſua, &c.* Ita S. Bonauent.

In hoc igitur conſiſtit plenitudo poteſtatis Pontificiæ, vt in regionibus, in quibus iã ad sũt Paſtores inſtituti, mittat quoſdã qui eos adiuuare poſſint, vt faciliùs ſuo officio fungantur; & in loca, in quibus nulli ſunt Paſtores ordinarij, adhuc inſtituti fidem plantare, & eos colligere quos Deus præordinauit ad vitam, qui alioqui perirent, nullum habentes miſſum prædicantem, à quo quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem edoceri poſſent, & à quibus Sacramenta ad ſalutem neceſſaria ſuſcipiunt. Legendi autores, qui de hac materia ex inſtituto tractant.

Sicut Sol in motu ſuo conſtantem modum ſeruat, ita autoritas Pontificia conſtantiſſima eſt, & firmiſſima. §. 8.

Conſtans eſt ſolis motus, qui infatigabili curſu, A per lineam Eclipticam decurrit, nec extra eam fertur, nec retrograditur. Hinc Sapiens, Eccleſiaſt. 27. hominem ſanctum ſoli comparat. *Homo*, inquit, *ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Ita Sapiens. Non quod reuera lunæ motus non ſit certus, determinatus, & benè ordinatus, motuſque omnes cœlorum inuariabiles non exiſtant: tamen luna propter velocitatem motus, & diuerſas cum ſole coniunctiones & elongationes, & quia modò corniculata, modò plena, modò decreſcens, modò nullo modo appareat, & ſic tam diuerſos adſpectus oculis objicit; aſſumitur in ſymbolum leuitatis & ſtultitiæ.

Et è contra ſol, quia ad eius motum omnes alij motus ordinantur, & conſtantiori ratione apparet B moueri, firmitatis cuiuſdam & conſtantiæ in ſapienti conſilio, & determinatione ſymbolum eſt. Et hac de cauſa, quia ſanctiſſima Sedes Romana, veritatis luce, tanquam ſole, perſeueranti ratione vt tota Eccleſia circumdatur, & amicitur; vt ſiue de cæli gloria, ſiue de inferorum ſuppliciis, ſiue de oriente gratiæ, de occaſu peccati, de meridie iuſtitiæ, de Aquilone ſtatus infæliciſſimi peccatorum, de iis quæ præterierunt, de iis quæ futura ſunt, de Deo maieſtate ſua vniuerſum implente, de Angelis bonis, de malis dæmonibus, de hominibus fidelibus & infidelibus doceat, nunquam extra lineam Eclypticam veritatis decurrit, veritate vndique amicta & cooperta. Nam C quia debebat eſſe petra & columna, ſupra quam Eccleſia vniuerſalis fundata erat, quæ per mulierem amictam ſole deſignatur, debet proculdubio ſtare in ſole, vt nunquam à ſolis claritate diſcedere queat. Optimè enim ait S. Athanaſ. ad Felicem Pontificem ſcribens: *Sicut veraciter dicit diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ.* Quin & S. Baſilius illum locum Iſaiæ exponens: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Vnus*, inquit, *è montibus fuit Petrus, quem Petram appellauit Dominus, propter firmitatem maximam fidei propter infractum robur animi ad non cedendum inflictis tentationum tempeſtatibus, ſupra quam petram promiſit ædificare Eccleſiam ſuam.* Ita S. Baſil. Et ſicut à veri- D tatis luce nunquam diſcedit, ita nec ab ea prædicanda, annuncianda, promulganda, metui aut perſecutionibus retrocedit. Si impetatur inconcuſſa illa autoritas, frangentur eam impetentes, ſicut ad rupem duriſſimam confringuntur fluctus, ſicut ſi incudem non malleo ferreo, ſed vaſe fictili percutias. Et ſi quem damnauerit propter contumaciam, comminuetur tanquam vas figuli. Eius enim virga ferrea eſt, ad conterendos omnes Deo & Eccleſiæ rebelles, iuxta illud: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Itaut *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum*, illum videlicet perſequendo, *confringetur: ſuper quem vero ceciderit*, per ſententiam condemnationis videlicet, *conteret eum.* Matt. 21. Ita E quod Iudæis accidit Chriſtum perſequentibus, & vt hæreditatem arriperent eum occidentibus (*Venite*, dixerunt, *occidamus eum, & habebimus hæreditatem*) nempe quòd ab eis regnum Dei ablatum fuerit, iuxta comminationem Saluatoris: *Auferetur à vobis regnum Dei; & dabitur genti facienti fructum eius.* Hoc cunctis regnis Chriſtum ipſum in Eccleſia perſequentibus accidiſſe certiſſimum eſt. Lege Mauclerum, de Monarchiæ vtriuſque fœdere, part. 4. l 5. c. 7. 8. 9. 10 11. 12. Ex quo comperies S. Hieron. verum dixiſſe in c. 14. Zachariæ. *Nos autem dicemus*, inquit Hieron. *omnes perſecutores, qui afflixerunt Eccleſiam Domini, (vt taceamus de futuris cruciatibus) etiam in præſenti ſæculo recepiſſe quæ fecerint.* Ita Hier. Quod verum eſſe apparuit in Valeriano Imperat. Decio, Diocletiano & Maximiniano, Maximino & Iuliano.

Digitized by Google

Nec minùs formidabilis eſt illa petra cadens in contumaces per ſententiam damnationis. Æque enim confringuntur ac perſequentes, vt monuimus ſupra, A Igitur non mirum ſi vt Eccleſia amicta eſt ſole eam vndique colluſtrante, dicamus quòd Pontifex ſit Angelus ſtans in ſole: quia figuram gerit Eccleſiæ, iuxta illud S. Auguſtini tract. 12. in Ioan. *Propter Apoſtolatus ſui primatum, Petrus Eccleſiæ gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ vnus homo erat, gratiâ vnus Chriſtianus, abundantiori gratiâ vnus idemque. Primus Apoſtolus.* Quem locum expendens, & fuſiùs explicans Mauclerus, de Monarch. Eccleſiaſt. 2. p. lib. 2. c. 45. ait: *Eſtque illud imprimendum memoriæ, mentique ſolide figendum, ita S. Petrum propter ſuam* B *illi diuina manificentia largitam ſummæ poteſtatis eminentiam, claues à Domino poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuſcepiſſe, vt non ſibi tantùm, ſed etiam alijs Eccleſiæ præſulibus, Paſtoribus animarum mutuatas accepiſſe inducetur. Sic enim ab Auguſtino, aliiſque Patribus, S. Petrus propter ſuum primatum Eccleſiæ ſignum geſſiſſe dicitur. Ipſe enim, vt ſupremus Eccleſiaſticæ Dominationis Rector, & Princeps; & Monarcha, claues autoritatis, dignitatiſque ſpiritualis accipiens à Domino, omnes Epiſcopos, Paſtores, Prælatoſque cuiuſque claſſis ſignificaſſe dicitur; qui has ſibi communicatas ab illo, non cum plenitudine, ſed cum menſura poteſtatis ſub illo, claues exercere debebant. Sic enim S. Petrus eas accepit à Chriſto Domino, vt alijs Epiſcopis Paſtoribus, Preſbyteriſque exercendas, de plenitudine quam mutuatus ſumpſit à Domino poteſtatis, exhiberet atque communicaret,* C *exceptis ſolis (vt ante diximus) Apoſtolis.* Ita Maucler. Cum igitur S. Petrus Eccleſiam repræſentet, non naturali repræſentatione (eſt enim Eccleſia à pluribus coadunata, vnicum autem indiuiduum eſt ſummus Pontifex) non repræſentatione cuiuſdam ſimilitudinis, quæ intercederet inter ipſum & Eccleſiam, propter quaſdam proprietates vtrique conuenientes; non repræſentatione miniſteriali, in quibus & ſummus Pontifex & reliqui Paſtores conueniunt, Chriſtum namque omnes repræſentant; non repræſentatione procuratoria, eſt ſiquidem non procurator Eccleſiæ ſed illius caput & Rector; non ſimplici quadam ſimilitudine & conuenientia, eo videlicet mo- D do quo agnus ſaluatorem repræſentabat: non enim parabolicè aut figuratiuè accepit claues ſed verè, & realiter, & hiſtoricè; dicendum eſt ipſum repræſentare Eccleſiam per quamdam demonſtrationem, ſiue deſignationem vniuerſalis Eccleſiæ, deſignando & ſignificando in vera ſuſceptione poteſtatis ſuæ deriuationem; promotionemque poteſtatis ab ipſo in omnem Eccleſiam, tanquam ipſius principe ac rectore ſummo fuiſſe; atque ipſius ſummi Rectoris Principis, ſub Chriſto Domino, eique in eadem ſede ſuccedentium firmitatem, diuinumque fidei robur: quo innixa atque firmata in æternum hæc ſponſa Chriſti Domini, fidelium mater Eccleſia clariſſima, diſcuſſis omnium errorum tenebris, luce cir- E cumfuſa veritatis, infallibili veræ fidei doctrinæ Catholicæ diuinæque dono frueretur. Talia Mauclerus ſupra. Ex quibus facile eſt conijcere quàm appoſitè Spiritus ſanctus, qui capite 12. Dixit Eccleſiam eſſe ſole amictam, nunc velit caput eius eſſe in ſole fixè & immobiliter ſtans, vt pote qui primus in nationibus fidei iecit fundamenta, & tanquam ſaxum immobile, totius corporis Chriſtianitatis compagem molemque contineat, vt loquitur S. Auguſt. Serm. de fide Petri.

Et clamauit voce magna, dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cæli: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei.

De auibus, & cœna magna Dei.

ANNOTAT. XX.

Quinam ſit ſenſus eorum, quæ ab hoc verſu 17. huius capitis, vſque ad vltimum pertractantur? §. 1.

ET *clamauit voce magna.* Ac ſi diceret. Summus Pontifex perfectam & plenam libertatem nactus exercendi omnes ſuas ſuas functiones, plenitudine poteſtatis ſuæ vtens ſecundùm temporum exigentiam, & Eccleſiæ vtilitatem, aut neceſſitatem, cernens intra ſinum & gremium Eccleſiæ quoſdam reperiri, tantis donis cæleſtibus ad auctos, vt non modò ab omni terrenarum rerum affectu abſtracti ſint, vt contemplationi vacare poſſint, ſed etiam quorum conuerſatio tota in cælis eſt, ad nihil aliud quam ad Dei honorem, animarum ſuarum & aliorum ſalutem, & ad patriam cæleſtem adſpirantes, quibus terrena faſtidio ſunt; vnde ſapientiâ quadam diuinâ præditi æterna ſapiunt, æternorum quæ prægustant aſſidui ſectatores; ſpiritu enim ſancto repleti, ab eo quocumque voluerit aguntur & impelluntur, Tales, inquam, proſpiciens, quaſi duabus alis volantes, primâ, alacri quadam obedientia, qua in via mandatorum Dei alacriter & promptè currunt, imo & volant, conſilia Chriſti ſectantes, vt expeditiùs ad perfectionem tendant; Secundâ alâ præditi nempe feruore indicibili, zelo incredibili honoris diuini, Deum ſequi & Chriſtum imitari percupientes; Videns tales valde idoneos exiſtere, qui per vniuerſum orbem diſcurrant, vt poſſint legitimam miſſionem ſuſcipere, Euangelium vbique diſſeminare, & ſalutem animarum curæ & ſollicitudinis ſuæ commiſſarum omnibus viis ac modis conuenientibus procurare, operæ pretium duxit talibus autoritatem ſuam committere, vt ſic pluri- morum periculo ſubueniret. Et vt operatores habeat ad tantum munus paratos, *Venite*, inquit, *congregamini.* Voluit namque quaſdam congregationes inſtitui & coadunari, ex quibus aſſumeret, qui conuerſioni animarum incumberent, ſatiandi corporaliter à fidelibus, qui ipſis ſeminantibus ſpiritalia victum & veſtitum ſuppeditarent, ſatiandis ſpiritualiter inſuper, ſiue ab iis qui eorum miniſterio conuertendi ſunt, dum gaudent de eorum conuerſione; ſiue ab iis qui à Deo conterendi ſunt, quia cor ſuum indurauerunt, & ad ipſorum prædicationem conuerti ad Deum noluerunt, dum gaudent de Dei gloria in eorumdem punitione. Hæc enim cœna Dei: nam cum prima Dei refectio ſit animarum conuerſio, prandium eius ſit optima conuerſorum conuerſatio; Cœna Dei, & iſtorum qui ei ſeruiunt, erit Deum ſua intentione minimè fraudari, dum eos qui in bono perſeuerant coronare poteſt, aut ſibi contradicentes ſuppliciis afficere, quia miſericordiam ſuam reſpuerunt; vt ſic qui gloriam ei dare recuſarunt, & miſericordiam eius amplecti in ordinem iuſtitiæ recidentes iuſtitiæ eius gloriam dare cogantur. Vel aliter, ſi Iudæorum primitiuæ Eccleſiæ ad Chriſtum conuerſio, fuit quaſi ientaculum, & prima refectio Apoſtolorum; prandium verò ſucceſſoribus eorum, tot nationum ad fidem conuerſio; In fine ſæculorum cœna gratiſſima ſit iis, qui ad laborandum in vinea vltimi conuocantur, Reliquiarum Iudaici populi ad Eccleſiam coadunatio, & perſequentium Eccleſiam conculcatio, & vltima contritio.

Digitized by Google

Hi igitur à ſummo Pontifice & Paſtore inuitantur, vt incumbant conuerſioni animarum; eiſque promittit multimodam animi conſolationem ipſis obuenturam, ſi hoc negotium ſeriò peragere ſtudeant, ſcientes quod labor eorum non erit inanis in Domino, vt loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. Manducabunt igitur *carnes Regum, carnes Tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.* Id eſt: Conſolationem maximam perſentient ex conuerſione eorum, qui eminentiores ſunt in dignitate, & eorum quibus officia competunt magis grauia & oneroſa: ſiquidem Reges conuerſi non recuſabunt amplecti iugum humilitatis Chriſtianæ; nec tribuni propter multimodas curas terrenorum negotiorum, quibus implicantur, omittent ſtudium propriæ ſalutis æternæ.

Gaudebunt inſuper de conuerſione fortium, id eſt, eorum qui militiæ vacant, qui animi ferocitatem deponent, vt manſuetudinem Chriſti amplectantur, qui tanquam agnus manſuetus ad occiſionem ductus eſt. Gaudebunt de conuerſione eorum, qui tanquam equi effrenati in peſſimas currunt concupiſcentias, vt eas expleant; in conuerſione eorum, qui abeuntes in carnem alteram, neceſſitatem prætexunt cedendi voluptati, & ſapientiâ carnis impulſi auſteritatem vitæ Chriſtianæ refugiunt: Itaut verum fiat quod dictum eſt à Propheta, Pſalm. 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Gaudebunt inſuper in conuerſione eorum, qui per Philoſophiam & ſapientiam acquiſitam, affectus ſuos temperare, & paſſiones ſuas domare didicerunt; in conuerſione inſuper liberorum, & ſeruorum: ſi enim carni graue eſt legem tantopere aſperam complecti, & proprio iudicio ſapientiam ſæculi, legem ſubire omnem rationem ſuperantem; ſi propriæ voluntati durum eſt libertatem ſuam amittere, itaut mandatis hominum, nempe Prælatorum ſuorum, parere cogantur, illum imitantes qui factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: illorum conuerſionem videre iucundum eſt Euangelij miniſtris.

Gaudebunt inſuper in conuerſione ſeruorum, quia nullam conditionem, etſi abiectiſſimam, reſpuit Dominus, tantùm vt qui ſeruus eſt, Dominis ſuis ſeruiat, ac ſi ſeruiat Chriſto: *Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Pretio empti eſtis: nolite fieri ſerui hominum,* inquit Apoſtolus. 1. ad Corinth. 7. Gaudebunt denique de conuerſione magnorum & puſillorum, quia ſicut Dominus nullam reijcit dignitatem, ita nec vllius contemnit puſillitatem, paupertatem, aut ignobilitatem. His adde has aues manducare carnes Regum & cæterorum, dum mammillâ Regum lactantur, dum ex diuitiis eorum cœnobia illis conſtruuntur, dum eorum protectione gaudent, dum à Magiſtratibus fouentur, dum populorum eleemoſynis datis ad redimenda peccata eorum, aluntur; dum à magnis & puſillis, ſeruis & liberis, eis quædam propter Chriſtum redduntur obſequia. *Sed non omnes obediunt Euangelio.* Proinde videt S. Ioannes beſtiam & Reges terræ impios, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius. At finis eorum interitus: ſiquidem *apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudo-Propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure:* Quia perditio talium certiſſima eſt. Cæteri autem eorum occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius, vel ſalubriter ad Deum conuerſi, vel peremni interitu, ſententia damnationis æternæ. Et ſic laborantes in Euangelio ſaturati ſunt, vel de conuerſione eorum qui ad vitam erant præordinati, vel de vindicta eorum qui noluerunt conuerti. *Et omnes,* inquit, *aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum: Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.* At vt iſta euidentiùs enucleantur, multa conſideranda ſunt. Primùm, plenitudinem poteſtatis Pontificiæ in hoc maximè innoteſcere, quòd poſſit per vniuerſum deſtinare, & delegare quoſdam, ad plantandam fidem, vineam Eccleſiæ colendam. Secundò: Quinam maximè poſſint ad hoc munus deſtinati, qui ſignificantur per Aues? Tertiò: Quare ille Angelus clamat voce magna, aues iſtas ad ſe conuocando, & ad cœnam iſtam myſticam inuitando? Quartò: Quænam ſit illa cœna? Quintò: quomodo paratur cœna illa? Sextò: Quinam ſint qui cum beſtia & Pſeudo-Propheta in ſtagnum ignis & ſulphuris detrudantur? Si per gladium ſedentis ſuper equum, miniſterio eorum qui per aues deſignantur, ſalubriter non occidantur, ſed gladio ſententiæ condemnationis ad inferna detruduntur? ſeptimò: cur cœna, non prandium, hæc refectio vocetur?

Quod in poteſtate inſtituendi quoſdam Ordines, & delegandi aliquos ad prædicationis officium ex ipſis, eniteat ſumma & Monarchica Pontificis autoritas. §. 1.

Mirari non debemus ſi ſedes Romana, ſeu ſummus Pontifex poſſit exercitum adeo copioſum & præpotentem ſuſcitare, & caſtra tantopere dæmonibus terribilia inſtruere, quales ſunt Religioſorum Ordines, ſeu quælibet ſacræ congregationes à ſummo Pontifice approbatæ. Nam cum fons & origo ſuæ poteſtatis ſit diuina bonitas (non enim conſilio humano, ſed planè diuino factum eſt vt tanta poteſtas in Eccleſia reperiatur, qualis eſt ſupremi Pontificis poteſtas) non mirum ſi ex tali fonte procedunt mille rationes ſeu viæ, quibus ſalus animarum procurari poſſit & promoueri. Ad hoc quippe Deus Eccleſiæ hanc contulit dignitatem, in perſona capitis illius viſibilis. Certum eſt & indubitatum ſi fons talis ſit, vt nihil niſi bonum ab eo emanari poſſit: & ſemper riui naturam fontis conſequuntur. Bonos igitur & vtiles fructus afferent Ordines Religioſorum, cum à ſede Romana optimo fonte prodierunt. Fons enim iſte bonus eſt, qui à bono Deo originem trahit, ad bonitatis ſuæ communicationem. *Quia,* inquit Caſſiodorus, variarum lect. 2. Epiſt. 15. *bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitùs pullulare. Fertur etiam,* addit Caſſiod. *curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor qui conceſſus eſt origini (niſi per accidens fuerit forte vitiatus) neſciat riuulis abnegari.* Ita Caſſiod. At quid in bonitate diuina ſaporis reperiunt, qui eam præguſtant, iuxta illud: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus:* niſi quod ipſa velit omnes homines ſaluos fieri? Hoc igitur poteſtas Pontificia exoptat, quæ ad hunc finem fuit ordinata, vt hominum ſalutem promoueat. Hoc deſiderabunt approbatæ ab ea Sede & autoritate congregationes, nempe vt ſaluti fidelium inſeruiant, dum ipſis contigerit ab hac ſede ſanctiſſima & cæteris Paſtoribus Eccleſiæ ad hoc munus deputari: volabunt per medium cœli, tanquam aues volantes, imo tanquam nubes roridæ, rore gratiarum Eccleſiam irrigantes. Et vt nulla pars Eccleſiæ remaneret abſque irrigatione, optimè poteſtas hæc data fuit ſummo illius Paſtori, cuius munus eſt toti Eccleſiæ prouidere, cui dictum eſt à Domino: *Paſce oues meas: Paſce agnos meos,* Id eſt, rectores Eccleſia-

Digitized by Google

tum & ſubditos: Cuius autoritas eſt tanquam ſagitta electa in manu Dei, vt in ea percutiat hominum corda, eaque amore ſuo vulnerata ad ſe alliciat. Et quod de Chriſto dicit S. Hieron. in Ieremiam, hoc per accommodationem dicere poſſumus de autoritate Pontificia: *Quando*, inquit S. Hieronym. *dicit ſagittam electam, oſtendit Deum habere ſagittas plurimas, ſed non electas: quæ ſagittæ Prophetæ ſunt & Apoſtoli, qui in toto orbe diſcurrunt: de quibus & in alio loco cauetur: ſagittæ tuæ acutæ, &c. Et iterum: Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis. Chriſtus autem de multis ſagittis & filiis plurimis vna ſagitta electa, & filius vnigenitus eſt, quam in pharetra ſua abſcondit in humano corpore, vt habitaret in eo plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ita Hieron.

Ita dico: Sunt quidem in manu diuinæ potentiæ multæ ſagittæ, multi Eccleſiarum rectores, ſed vna in manu ſapientiæ ipſius ſagitta, vnus omnium Paſtorum Paſtor, cuius curâ, ſollicitudine, & autoritate: per totum orbem Verbum diuinum poſſit prædicari, cuius prædicatione plurimi conuertantur, & in Eccleſiæ gremium & ſinum recipiantur. Vnde ſterilitatem ſuam recogitans admiratur Eccleſia fæcunditatem ſuam, apud Iſaiam c. 49. *Et dicet in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis, & non pariens, tranſmigrata, & captiua. Et iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola. Et iſti vbi erant?* Ad quam admirationem reſpondet Dominus, non hoc mirum debere videri, hæc ſiquidem multorum ad fidem conuerſio opus eſt omnipotentis manus Dei. *Hæc*, ait Iſaias, *dicit Dominus Deus: leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.* Ita Iſ. Hoc enim feliciter adimpletur, cum per vniuerſas orbis partes mittuntur verbi diuini præcones, quorum miniſterio & fortiores & debiliores ad fidem conuertuntur. Nec timendum eſt miniſtris Eccleſiæ, & verbi diuini prædicatoribus aliquid eis defuturum: dum Reges, ipſæque Reginæ, qui vel propter auaritiam, vel propter luxum, & vanitatem, pecuniarum ſunt plærumque amatores, liberalitate & munificentia ſua illos nutrient, & dignitatis ſuæ terrenæ quaſi obliti illos ſpeciali honore proſequentur, illum in eis honorificantes qui dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Et: *Quod vni ex his minimis, qui in me credunt feciſtis, mihi feciſtis.* Et: *Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Matt. 10.

Cum igitur tales operarios ſummus Pontifex mittit, ad congregandos ex vniuerſis orbis partibus electos, ſplendorem autoritatis ſibi traditæ oſtendit. Triplex namque eſt plenitudo Pontificiæ poteſtatis, ex S. Bonauentura, tractatu *Quare fratres minores prædicent, & confeſſiones audiant? Primò, in eo quod ipſe ſummus Pontifex, ſolus habet totam plenitudinem autoritatis, quam Chriſtus Eccleſiæ contulit. Secundò: quod vbique in omnibus Eccleſiis habet illam ſicut in ſua ſpeciali ſede Romana. Tertiò, quod ab ipſo manat in omnes inferiores per vniuerſam Eccleſiam omnis autoritas, prout ſingulis competit eam participari, ſicut in cælo ab ipſo fonte totius boni Ieſu Chriſto omnis gloria ſanctorum, licet eam differentes ſinguli participent pro captu ſuo.* Ita S. Bonauent. Ex hac plenitudine fit quòd cum quilibet Eccleſiæ Prælatus poſſit per ſe vel per alios idoneos ex commiſſione & delegatione ſuas functiones exercere, poſſit etiam ſummus Pontifex vbicumque fuerit

A ſuas exercere functiones, poſſit cuilibet inferiori Paſtori partem iuriſdictionis ſuæ communicare, iuxta menſuram requiſitam, vt ouium ſibi commiſſarum ſalutem promoueat, ſed inſuper poſſit per delegationem & commiſſionem extraordinariam per alios eaſdem functiones exercere, iuxta ea quæ docet ibidem S. Bona. dum ait: *Inde cum Plebanus poſſit aliquibus committere vt vice ſui plebi ſuæ prædicent, & eorũ confeſſiones audientes abſoluant, & pœnitentias iniungant, ita quod ſic abſolutos non oporteat illo anno Plebano ſuis iterũ confiteri, niſi velint: multò magis poteſt hoc Epiſcopus, & maximè ſummus Pontifex, qui ſicut vbique habet poteſtatis plenitudinem, ita & commiſſam ſibi gerit omnium Eccleſiarum ſollicitudinem. Vt ea quæ ſingulis neceſſaria probantur, ipſius prouidentia ſuppleantur.*
B *Alioqui vacua eſſet apud ipſum tanta poteſtas, quam executionis efficacia non comitaretur. Committit autem aliis quandoque vices ſuas, tum pro locorum diſtantia, vel cauſarum qualitate, vel pro aliorum magis vrgentium negotiorum occupatione, vel pro liberiori ſpiritus vacatione. Expedit eum & alios ſecum ad oneris Paſtoralis ſuſtinentiam inuitare. Nam licèt Dominus ſolus omnia ſine qualibet difficultate poſſit in omnibus operari quæ voluerit, ſicut ex nihilo omnia creauit, tamen dignatur in quibuſdam operibus ſuis habere coadiutores & vicarios: ſicut in cura animarum, & in operibus artificialis induſtriæ, in hoc dans exemplum Eccleſiæ rectoribus, curam ſolicitudinis ſuæ & aliis impertiendi, ne per ipſorum abſentiam, & inſufficientiam, ſalus fidelium*
C *negligatur.* Ita S. Bonauent. Qui inſuper docet eadem neceſſitate fieri, vt aliquibus per delegationem facultas prædicandi concedatur, qua neceſſarium fuit vt fieret in Eccleſia diſtinctio parochiatum. *Dominus*, inquit, *Ieſus Chriſtus, omnium creator & gubernator, ſanctam Eccleſiam ſuam aſcenſurus in cælum Apoſtolis regendam, & dilatandam commiſit, principaliter B. Petro Apoſtolo, cui de vniuerſo grege fidelium ſpecialiter dixit tertiò: Paſce oues meas. Sed vt ordinatius gubernaretur vniuerſalis Eccleſia, eam ſancti Apoſtoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Parœchias, & alias Canonicas diſtinctiones diſtinxerunt: vt quia per vnum vel per paucos non poterat ſingulis fidelium in omnibus ſaluti neceſſariis congruè ſatis fieri, plures ad*
D *huius ſollicitudinis partes, per determinatos ſibi limites pro vtilitate animarum vocarentur, & ſecundùm curæ Paſtoralis amplitudinem, etiam quilibet ipſorum acciperet certam autoritatis poteſtatem, reſidente plenitudine poteſtatis Eccleſiaſticæ apud Sedem Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ, cui Apoſtolus Petrus Princeps Apoſtolorum ſpecialiter præſedit, & ſucceſſoribus ſuis ibidem eamdem poteſtatem reliquit, &c.* Sicut igitur hæc diſtinctio parœchiatum introducta fuit primò vt rectores maiorem ſollicitudinem gererent eorum, quæ curæ ipſorum ſpecialiùs deſtinabantur; ſecundò ad maiorem ſubditorum vtilitatem, illis enim facilius per plures quàm per vnum ſubueniri poteſt; Tertiò vt faciliori ratione errores & nequitiæ, quibus grex corrum-
E pi poſſet, deprehenderentur; Pari ratione *in his vltimis temporibus: de quibus* (ait S. Bonauentura) *prædixit, Apoſtolus quod inſtabunt tempora periculoſa ex multiplicatione peccatorum, & numeroſitate rudium populorum, & ſeductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & inſufficientia Prælatorum, & perplexitate caſuum emergentium, & aliorum periculorum Eccleſiæ imminentium, & variis euentibus; prouidit ſedes Apoſtolica, ad obuiandum præfatis periculis quibuſcumque remedium ſubuentionis animabus pereuntibus: quòd diuina ordinatione quoſdam religioſorum ordines inſtituit, qui officio prædicationis & confeſſionis ſibi commiſſo, ſubueniant indigentiæ populorum. & inſufficientiæ Clericorum, & obſiſtant verſutiis hæreticorum, & hoc in ſolatium & ſubleuamen oneris, non in præiudicium Plebanorum, &c.* Ita S. Bonauentura. Nec dicas ei quod in

primis

primis temporibus non erant vocati vel miſſi à Sede Apoſtolica, religioſi, aliqua ad prædicta officia prædicationis & confeſſionis, vt nunc ſunt miſſi. Reſpondet namque *quòd cum morbus adhuc paruus eſt, paucioribus indiget remediis & leuioribus; ſed cum cæpit inualeſcere, & latiùs ſe diffundere, ne deſperabiliter æger periclitetur, neceſſe eſt plura & efficaciora remedia adhiberi. Ita etiam cum ſtatus mundi modò valde deterior quàm olim eſſe videatur expedit plures nunc eſſe ſubleuantes, iuxta illud Meſſis quidem multa, operarij verò pauci idonei & fideles rogate ergo Dominum Meſſis, vt mittat operarios in vineam ſuam. Item, ad Romanos. Vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia. Videmus nunc Meſſis plebem multiplicari, & ſyluis ſucciſis, villas ædificari: videmus adinuentiones peccatorum ſuccreſcere, & perplexiores caſus quotidie emergere. Item ex conſuetudine multos incorrigibiliores magis fieri, duriores in peccatis. Item quod Clerici plures malo exemplo infirmant Laicos, tum in moribus quam in fide. Item quod parui ſunt inter eos periti, qui ſciant, vel quibus confidatur quod doceant vt deberent. Item quod negligenter præſunt ouibus commiſſis, & terrenis negotiis nimis inſtant. Item quòd multi eorum ſunt ſuſpenſi, excommunicati, & in officio ſuo diuerſimodè impediti. Item quòd rari ſunt Paſtores in Eccleſia, ſed per leues vicarios animarum cura venalis exponitur. Item quod ipſi temporalibus curis dediti iſta diſſimulant. Ita quòd ſpes correctionis vix habetur. Item quòd ſi aliquando vellent iſta corrigere, & inutiles remouere, non habent quos loco illorum ſubſtituant meliores. Cum igitur iam ſit Eccleſia quaſi Nauis tempeſtate concuſſa, in qua remigantibus pauore trementibus, procellæ tumentes penè operiunt nauem, miſſi ſunt fratres à ſummo gubernatore, fulti autoritate ſedis Apoſtolicæ, vt in nauiculis ſuis diſcurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes inuenerint, rapiant ex vndis, & ad littus ſalutis reportent.* Ita S Bon.

Itaque cum certum ſit ex S. Bonauent. c. 9. regulæ Fratrum Minorum, quòd diſtinctio curarum, & collatio iuriſdictionis ab autoritate proceſſerit Romanæ Eccleſiæ euidenter apparet ſplendorem autoritatis iſtius effulgere potiſſimùm cum quoſdam huc aut illuc dirigit, ad verbi diuini prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, maximè cum ſeptem ſacerdotalia munia ſeu officia, ſuprà in capite 16. poſita ex eodem S. Bonauent. poſſint à Religioſis & extraordinariè miſſis vtiliter exerceri, ad ſubleuamen, & ſubſidium ordinariorum Paſtorum. Vnde S. Bonauentura in Apologia pauperum Reſponſ. 4. c. 3. *Eſt igitur opus ſacerdotalis officij ſeptiforme. Si igitur propter multitudinem errantium à fide, Chriſtianus populus factus eſt iam ſimilis ædificio ruinoſo; quis prouidus architectus coædificantes & conſuſtentantes repellit, niſi adeo ſibi ſapiens videatur, quod ſolus ſibi ſufficiat; vel adeo ſtultus ſit, quod velit vt ſub manu ſua domus Eccleſiaſtica ruat? Iterum ſi propter defectum ſapientiæ & virtutis in plebeiis hominibus, comparatur ipſa plebs horto inculto, & ſpinoſo, & arido; quis diligens & laborioſus agricola ſeruos collaborantes, repellit, maximè qui laborant in opere & doctrina; niſi in tantum diſipiat, vt velit quòd ſuper humerum ſuum ſpinæ & vepres aſcendant? Propterea ſi propter deuiationem à ſemitis diuinarum legum multitudo populi Chriſtiani ſimilis eſt gregi errabundo, & perdito, & in medio luporum conſtituto, quis clemens Paſtor fugabit à ſe harum ouium reductores ad viam, & non potiùs gaudebit cum Angelis, exemplo boni Paſtoris qui dicit? Congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat? Ampliùs ſi propter multitudinem reatuum plebis tranſgredientis mandata Dei, populus Chriſtianus ſimilis ſit, viris alieno ære oppreſſis; quis fideiuſſor ſenſatus abhorrebit huius oneris alleuiationem, per multiplicationem interceſſorum ad Deum, partim impetrantium remiſſionem, partim indicentium & adiuuantium ad ſolutionem ſpiritualium debitorum. Inſuper ſi propter varietatem peruerſitatum, in populo tanta eſt labes, tanta peſtilentia ſpiritualis, vt quaſi omne caput ſit languidum, & omne cor mœrens, ita quod à planta pedis vſque ad verticem vix eſt in eo ſanitas; fidelis medicus non dico peritos homines in arte ſpiritualis medicinæ, ſed vel canes vlcera lambentes audebit effugare, niſi vulneratorum atque languentium vitam velit extinguere? Adhuc ſi propter multiformitatem tentationum, vndique circumſtant inſidiæ crudelium hoſtium, & quaſi ſuper capita eorum gladij iam vibrantur; quis prouidus ſpeculator in profunda & horrendæ noctis teterrimis tenebris habere ſecum vigiles recuſabit; qui caſtra cuſtodiant? Poſtremo ſi propter ſcandalorum frequentias, adinuentiones ſcelerum, & inimicorum tyrannides, innumerabilis multitudinis ſtrages, quaſi continuè fit in caſtris fidelium, & draco cum beſtia multiformium capitum Eccleſiaſticam aciem nititur oppugnare, vt truculenter diſcerpat, occidat, & deuoret; quis prudens Dux exercitus Domini recuſabit commilitones ſecum dimicantes habere, qui vltrò ſe diſcrimini offerant, & murum pro domo Iſraël ſeipſum opponant?* Ita S. Bonauent.

Hinc, addit ſanctiſſimus Doctor, *attendens Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor, vt pote ſancti Spiritus illuſtratione præuentus, ſtatum hunc Euangeliſantiũ pauperum* (de Fratribus Minoribus loquitur) *qui ſaluti animarum intenderent, tanquam cælitùs ſibi miſſum cum hilaritate, ſuſcepit, pietate confouit, autoritate coborauit, & poteſtate defendit; & vt Patriarcha Iacob, tanquam filios accreſcentis Ioſeph, multipliciter benedixit; piè in hoc prouidens ſaluti animarum, & in nullo præiudicans autoritati Pontificum, tanquam ornans, non deornans Eccleſiaſticam Hierarchicam.* Hæc omnia ex S. Bonauentura mutuati ſumus, ne in materia graui ex noſtro aliquid dicamus.

Ex his autem enitet Chriſti regia maieſtas, & ſuprema dominatio, tum quia corda inuenit ad ſuum obſequium parata gratuitò, abſque vlla proſecutione terrenæ remunerationis; & ceſſat illa Dei querimonia apud Malachiam c. 1. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Nam plures imitantur Paulum dicentem 2. ad Corinth. 12. *Ecce tertiò hoc paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licèt plus vos diligens minùs diligar. Sed eſto: ego vos non grauaui, ſed cum eſſem aſtutus dolo vos cepi.* Hæc Paulus in hoc Chriſti mandato obediens, qui Matth. 10. dicit: *Gratis accepiſtis: gratis date.* Tum quia licèt Chriſti præcones nullum temporarium munus pro laboribus ſuis requirant, tamen fideles ad Chriſtum eorum operâ conuerſi illis omnia neceſſaria abundè ſuppeditant, eoſque honore præcipuo proſequuntur; quales fuerunt Galatæ olim erga ſanctum Paulum, vt ipſe teſtatur c. 4. *Scitis autem quia par infirmitatem carnis Euangelizaui vobis iampridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum? Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Ita Paul. Quid, quæſo, Apoſtolo denegaſſent, quem vt Angelum, imo vt Chriſtum, licèt pauperem, afflictum, abiectum, perſecutionibus agitatum ſuſceperunt; & cui oculos ſuos tradere parati erant? Num bona temporalia illi denegare potuiſſent? Sic Chriſtus Rex eſt cordium, tam prædicatorum verbi, quàm eorum qui per verbum ipſorum ad fidem ſunt conuerſi.

Dicens omnibus auibus.

Quiſnam ſint illi maximè ad tantum opus miniſterij verbi paratiſſimi, qui ſignificantur per aues? §. 3.

Certè qui propius per obedientiam, & humilem ſubiectionem, ex voto ſpeciali ſanctiſſimæ Sedi Romanæ coniuncti fuerint; & à rerum terrenarum contagio & affectu magis abſtracti, & contemplationi rerum diuinarum addicti, hi certè Germaniùs poterunt per iſtas aues deſignari. Omnes igitur congregationes à Sede Romana approbatæ, quæ pro fine habent verbi adminiſtrationem, & ſaluti proximorum incumbere pro viribus, iuxta modum ſibi à Pontificibus & Conciliis præſcriptum, poſſunt B inter iſtas aues annumerari. At nemo negabit fratres Minores promittentes ſpecialem obedientiam ſummis Pontificibus, & voto arctiſſimæ paupertatis à rerum terrenarum amore auulſos & orationi vacantes poſſe perinde per iſtas aues, vt alij verbi Dei fideliſſimi præcones deſignari. Aues enim iſtas in bonam partem accipio cum Andrea Cæſar. Ambroſio, Primaſio, Ruperto, S. Thoma, ſupra allatis, & per eas optimas conditiones requiſitas in Euangelij prædicatione repræſentari aſſero, vt ſint ſymbolum ſanctarum animarum, quæ à Deo vocantur & eliguntur, vt ſub autoritate legitima Pontificum, & præcipuè Romani Pontificis, ſaluti fidelium promouen- C dæ incumbant ſtrenuiſſimè. Quatuor autem conditiones potiſſimùm requiruntur, vt quis ſit fidelis verbi diuini miniſter, & rerum ſacrarum diſpenſator. Prima eſt, vt habeat ſpiritum paupertatis, & ſe totum diuinæ prouidentiæ committat. Secunda, vt habeat mentem ad res diuinas & cæleſtes contemplandas erectam. Tertia eſt, vt zelum habeat ardentiſſimum ſalutis animarum. Quarta eſt, vt illis virtutibus exornetur, quæ in ſcriptura ſancta figurantur per quaſdam aues, nempe per paſſerem, turturem, aquilam, & columbam, & alias ſimiles, de quibus infra.

D *Optimis de cauſis hæ conditiones ſupradictæ in prædicatoribus verbi diuini requiruntur.* §. 4.

De prima certum eſt. Hæc enim requiritur vt Euangelij præcones nihil habeant, quo retardari poſſint, aut impediri ne quocumque opus fuerit progrediantur, ad exequendum opus, ad quod Spiritus ſanctus aſſumpſit eos. Secunda neceſſaria eſt, vt laqueos ſibi inſidiantium euitare poſſint, dum ſupra rete extenſum prætervolant, alis contemplationis ſubleuati & euecti.

Tertia neceſſaria eſt, vt ad tam arduum opus aggrediendum cum magnanimitate accingantur, dum quanta ex eorum laboribus vtilitas proueniat ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, ſeriò reco- E gitant. Quarta denique, quæ plures alias in ſe continet, neceſſaria eſt, tum vt cum aliis prædicauerint ipſi reprobi non efficiantur; tum vt hunc fructum laborum ſuorum ſperare poſſint, & alacriter ad exequendum munus ſuum ſeſe accingant, ſcientes quòd *maledictus homo qui facit opus Dei fraudulenter*, Ier. 10. Id eſt, itaut fructu & vtilitate ſua careat, & Deus fruſtretur ſua intentione, ſi ita dici licet: dum per negligentiam & torporem miniſtri operantis, redditur inefficax illa gratia, quam eius miniſterio offert peccantibus, vt ad ſe conuertantur. Hoc non fiet, ſi hoc opus aggrediantur cum tenera quadam affectione, & ſynceritate cordis erga proximum; ſi firmi & ſtabiles in fide Eccleſiæ Catholicæ permaneant, non loquentes quæ hominibus placeant, ſed

A quæ ſunt veritati fidei conſona, adhærentes doctrinæ fidei, non ſenſuum ſuggeſtioni, aut humanis rationibus: curioſa ſpernentes, quæ tantùm plauſum & hominũ laudes conciliant (facilè enim qui curioſa ſectatur, & hominibus placere vult, in errorem labitur:) ſi inſuper verba eorum & ſpiritu compunctionis prodeant, non ex ſpiritu vanitatis, aut auræ popularis captandæ, ſed plus ſitiant cordium conuerſionem, quàm audientium fauorem & laudem: ſi ſimplex & recta coram Deo ſit eorum intentio: ſi in omnibus Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum forti quadam attentione ſemper intueantur: Denique ſi prudenter & cum magna circumſpectione opus ſuum perficiant: itaut cum Deus aperit illis oſtium, nihil negligant, & tempus opportunum captare ſtu- B deant omnia omnibus ſe facientes, vt omnes Chriſto lucrifaciant. Fide igitur, ſpe, charitate, obedientia, paupertate, caſtitate, prudentia, fortitudine, iuſtitia & temperantia ad ornati, idonei erunt miniſtri noui Teſtamenti, & fideles diſpenſatores myſteriorum Dei. Illæ autem omnes optimæ animi qualitates per aues in ſcriptura deſignantur vt meritò hic dicatur de Angelo in ſole ſtante; *Dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli. Venite, &c.*

Prima prædicatoris verbi diuini virtus eſt ſpiritus paupertatis, omnem curam ſui in Dei prouidentiam C *proijciens.* §. 5.

Hæc virtus ſuadetur à Chriſto Apoſtolis. Matt. 6. *Reſpicite*, inquit, *volatilia cæli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis?* Et Matth. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? Et vnus ex illis cadit ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* In primo loco c. 6. docet nos deponere omnem curam victus, & anxiam ſollicitudinem: nam cui auium cura eſt, itaut eis abundè ſuppeditet neceſſaria ad victum, multò magis hominibus (quos tam caro pretio redemit, pre- D tioſo nempe ſanguine ſuo) neceſſaria ad victum ſuppeditabit, iuxta illud S. Auguſtini, de opere Monach. c. 25. tom. 5. *Quod ergo dicit de volatilibus cæli, ad hoc dicit ne quiſquam putet Deum ſeruorum ſuorum neceſſaria non curare, cum eius prouidentia vſque ad iſta gubernanda perueniat.* Ita Aug. In ſecundo loco docet nos mortem non timere, ſcientes quod *iuſtorum animæ in manu Dei ſunt & non tanget illos tormentum mortis.* Quod ſi videantur oculis inſipientium mori, ipſi erunt in pace. Non enim putandum Deum permittere aliquem ex ſeruis ſuis mortem occumbere, niſi ex diuina ſua ordinatione, ſine qua nec paſſer occumbit, iuxta illud S. Chryſ. hom. 33. in Matt. tom. 2. *Poſtquam timorem mortis excluſerat, ne æſtimarent* E *Apoſtoli, ſi interficerentur, ſe eſſe derelictos à Deo, rurſus ſermonem de prouidentia Dei inducit dicens: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? &c.* Et ſanctus Hieronymus ſuper eumdem locum Matth. *Et eſt ſenſus*, inquit, *ſi parua animalia abſque Deo non decidunt auctore, & in omnibus eſt prouidentia; & quæ in eis peritura ſunt, ſine voluntate Dei non pereunt; vos qui æterni eſtis non debetis timere quod abſque Dei viuatis prouidentia.* Ita S. Hieron. Hinc mortem timere non debet qui ab omni affectu rerum terrenarum, & ſui ipſius amore abſtractus, omnem ſuam ſpem & expectationem in Deum deponit, cuius prouidentiæ ſubeſſe vult, de qua cecinit S. Proſper, Epigrammate de prouidentia Dei:

Lex æterna, Dei ſtabili regit omnia nutu,
Nec mutat vario tempore conſilium.

Digitized by Google

Vtque locis præſens ſimul eſt Deus omnibus vnus,
Sic rerum metas ſecum habet & numeros:
Nec ſerum aut properum ſibi ſentit in ordine rerum,
Cui cuncta aſſiſtunt acta & agenda ſimul.

Dei igitur ſeruus mortem non timebit, ſciens quod Deus vitæ ſuæ metas & numeros in manu ſua tenet.

Secunda conditio prædicatoris verbi diuini per aues ſignificata, eſt mentis eleuatio pee contemplationem cæleſtium. §. 6.

Hanc animi dotem deſignauit Sapiens, Prouerb. 1. per comparationem auium. *Fruſtra*, inquit, *iacitur rete ante oculos pennatorum.* Sicut enim aues retia effugiunt, dum alis ſupra illa ſubuehuntur: ita anima inſidias euitat hoſtium ſuotum, alis meditationis deſiderij cæleſtium ſubuecta. Tales alas deſiderabat Dauid, Pſal. 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Columbæ, inquam, alas deſiderat, vt quos prædicatione non poteſt conuertere & quorum patitur inſidias & perſecutiones, poſſit ſaltem orationibus ſuis iuuare. Vnde ſi ei dicatur: Sed adeſto, loquere, exhortare, blandire, minare, corripe, feri: Reſpondebit cum S. Auguſt. in hunc Pſal. *Omnia quidquid virium habui impendi & expreſſi: nihil me video profeciſſe: omnis opera conſummata eſt: dolor remanſit. Quomodo ergo requieſcet cor meum à talibus, niſi vt dicam: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Et tamen non ſicut coruo. Columba è moleſtiis quærit auolitionem, ſed non amittit dilectionem. Columba enim pro ſigno dilectionis ponitur. In ea gemitus amatur: nihil tam amicum gemitibus quàm columba: diu noctuque gemit, tanquam hic poſita vbi gemendum eſt. Ergo dicit ille dilector: Conuitia hominum ferre non poſſum: ſtridenti rabie feruntur: accenduntur iracundia: in ira adumbrant me: prodeſſe illis non poſſum. Vtinam requieſcam alicubi ab eis ſeparatus, corpore non amore: ne in me conturbetur iſta dilectio. Verbis meis & collocutione mea prodeſſe non poſſum: orando forſitan prodero. Dicunt iſta homines, ſed plerumque ita ligantur, vt volare non poſſint. Dicant: Optabam diſſolui, & eſſe cum Chriſto: multo enim magis optimum: manere in carne neceſſarium propter vos. Columba delicata, religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter implendum officium, non propter paruum meritum.* Ita S. Aug. At ſi volare non poteſt vſque ad cælum re & actu, volat tamen deſiderio & contemplatione, itaut nec inſidiis, nec perſecutionibus inimicorum & contradicentium, ab incæpto negotio animas conuertendi ad Deum deſiſtere velit. De tali viro contemplationi addicto dixit S. Proſper, lib. 1. de vita contemplat. c. 8. *Inter læta inuictus & triſtia, vnam faciem animo conſtanti obtineat: nec pectoris eius ſtabilem firmitatem, quicquid promittit mundus aut minatur, excutiat: ſed idem ſemper ac ſibi ſimilis perſeuerans, mundi huius damna aut lucra non ſentiat.* Ita S. Proſper. Qui talis fuerit, & taliter pennatus, fruſtra ante eum iacietur rete, aut ei ſtruentur inſidiæ, quibus à ſtudio exequendi officij ſui impediri valeat.

Tertia virtus optimi prædicatoris verbi diuini, per aues deſignata, eſt Zelus honoris diuini, & ſalutis animarum. §. 7.

Hic zelus ab Iſaia c. 31. auium ſimilitudine exprimitur, cum Deus ſalutem ſuorum deſiderans auibus comparatur. *Sicut*, inquit, *aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, protegens & liberans, tranſiens & ſaluans.* Quem locum exponens ſanctus Hieron. ait: *Quomodo aues vt defendant fætus ſuos,* A *nidos ſuperuolant: & ſiue ſerpentem, ſiue hominem viderint, aueſque alias ad pullos ſuos accedere, oblitæ imbecillitatis roſtro pugnant & vnguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant; ſic Dominus proteget Hieruſalem, & liberabit eam tranſiens atque ſaluabit.* Ita S. Hieron. Qui ſupradicta confirmat ex loco Matthæi. *Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti?* 23. *Matt.* Et ex loco Deuteron. 32. *Expandit alas ſuas, & ſuſcepit eos, & portauit eos in humeris ſuis.* Et S. Auguſtinus de quæſtion. Euangelicis, lib. 1. c. 36. tom. 4. hunc Matthæi locum exponens, & rationem reddens cur Dominus Gallinæ ſimilitudinem aſſumpſerit, ait: B *Hoc enim genus animantis magnum affectum in filios habet, itaut eorum infirmitate affecta infirmetur & ipſa; Et quod difficile in cæteris animantibus, alis ſuis filios protegens contra miluum pugnat. Sic & mater noſtra Dei ſapientia, per carnis ſuſceptionem infirmata quodammodo ſecundum illud Apoſtoli: Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus; protegit infirmitatem noſtram, & reſiſtit diabolo, ne nos rapiat.* Ita S. Auguſtinus. Imitator eſſe debet diuinæ bonitatis, charitatiſque, & affectus Dei & Chriſti eius, prædicator verbi diuini, & eo affectu eo ſtudio & zelo proximorum ſalutem expetere & promouere, quo Deus & Chriſtus Dominus ſalutem hominum deſiderant; alas cognitionis & affectus expandere & extollere debet, vt videat quibus C modis poſſit aliorum imbecillitates ſuſtinere, & ad cæleſtium amorem inducere, & præcauere ne à miluo peſſimo, nempe dæmone, diſcerpantur: macerari & extenuari, vt pulli nutriantur & pingueſcant, cibum, potum, ſomnum, quietem intermittens, cum opus fuerit, ne opus ſuum intermittere cogatur, cum adeſt certiſſima ſpes colligendi laboris ſui fructus. Pipat gallina, vt pullos ſuos ad cibum inuitet: roſtro & vngue cibum pullis & inuenire, & offerre ſatagit: aëra oculo perluſtrat, vt proſpiciat an adſit miluus pullis infeſtus: eos alis protegit, fouet dulciter, & à quocumque impugnante quocumque modo poteſt defendit. Talis eſſe debet ſaluti animarum incumbens. Vocem, ingenij acu- D mine, & ſagacitate, ea quæ vtilia ſunt fidelibus proponere debet, eos ab inſidiis diaboli tutos reddere, charitate & pietate fouere: & ab hæreticorum impugnationibus & deceptionibus quocumque poteſt modo tueri & protegere. Talis erat S. Paulus, qui poſt enumerationem laborum ſuorum 2. ad Corint. 11. tandem ait: *Præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?*

E *Quarta conditio optimi verbi diuini miniſtei eſt, vt non leuiter ad noua dogmata amplectenda & proponenda conuertatur, deſerendo antiquam, & iam receptam & admiſſam à patribus doctrinam.* §. 8.

Vt hanc conditionem obtineat, fiat ſimilis pelicano ſolitudinis: fiat ſicut nicticorax in domicilio, ſicut paſſer ſolitarius in tecto: diligat illam ſolitudinem fidei, ad quam nec ſenſus, nec ratio humana attingere poſſunt. In qua ſolitudine fidei, Chriſtus, qui via, & veritas, & vita eſt reperitur: qui filios ſuos à peccato occiſos, percuſſo latere, ſanguine ſuo excitauit à morte, ſicut pelicanus quem dicunt in Nili ſolitudinibus habitare & filios à ſerpente occiſos, lateribus percuſſis, ſuo ſanguine excitare. Hæc ſolitudo nulla eſt alia quam ſinus Partis, in quo Chriſtus requieſcit: à qua ſolitudine

Ita Genebrar. de pelicano in Pſ. 101.

Digitized by Google

prodeunt ex Verbo genito inuiſibiliter miſſo, in mentes hominum, diuinas myſteriorum reuelationes. Vnde Chriſtus ad Petrum ait: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.* Diligat igitur concionator illam ſolitudinem fidei, ad quam, vt diximus, nec ſenſus nec ratio habent acceſſum. Non attendat quòd plures ſint, qui humano ſenſui adhærentes, aut rationibus Philoſophicis & humanæ ſapientiæ & prudentiæ inhærentes, aliter ſentiunt: negligat carnalium, & ſuperborum exiſtimationem, nec timeat ab iis odio haberi, aut contemni, quaſi Bubo, Noctua, aut Veſpertilio; & habitet potiùs in ædium ruinis, & parietinis, (id eſt, in congregatione fidelium, licèt vexata, & quaſi diruta, & huc & illuc exiliis & perſecutionibus diſſipata, in deſolationibus, locis deſertis, & deuaſtatis) quàm habitare ſtudeat in tabernaculis peccatorum, erroribus eorum adulatoriè aſſentiendo. Et ſi ei dicatur: *Tranſmigra in montem ſicut paſſer.* Nunquid ſolus eris in tua ſententia? Si aliorum opinioni conſentire volueris, honoribus diuitiis cumulaberis; eris omnibus notus & charus. Dicet: *In Domino confido. Quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Ac ſi diceret. Ad quid iſta proponitis? Fruſtra talia mihi proponuntur. Spes mea Dominus, cuius fidem amplector. Fateor, amator ſum ſocietatis humanæ: omnes ſuſpicor, & omnibus placere quantopere deſiderarem. Sed vbi de fide agitur, neminem reſpicio, ad nullum cuiuſcumque ſit doctrinæ autoritatis, dignitatis aut potentiæ attendo. *Vigilaui: & factus ſum tanquam paſſer ſolitarius in tecto.* Vigilaui, inquam, attentè circumſpiciens quæ proponuntur, & in medium adducuntur: & cum illa noua, & inaudita perſpicio, & contraria iis quæ iam recepta ſunt in Eccleſia, illa reſpuo & rejicio, & in ſolitudinem fidei me recipio. Non enim ſum ſicut paruulus fluctuans, vt circumferar omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris. Homines enim carnales, auari, ſuperbi, fallere volunt, & ſimplices & incautos aſtutè circumuenire, ac decipiendo in errorem inducere: & ideo dicunt: *Tranſmigra in montem ſicut paſſer.* At ego dico: *Factus ſum tanquam paſſer ſolitarius in tecto.* Non in montem ſuperborum tranſmigrare volo, qui captiuare nolunt mentem in obſequium fidei: & dum pluuiæ carnalis aut curioſæ doctrinæ fluunt, in tecto Eccleſiæ & vnitatis Eccleſiaſticæ me contineo, ne alæ ſpiritus talibus pluuiis madefactæ nequeant ampliùs ad veritatis contemplationem eleuari. Amo equidem, ſicut paſſer, ſocietatem eorum qui mihi ſimiles ſunt in natura & ſpecie, quibus cum mihi familiariter eſt conuiuendum. At ſi per ſingularem opinionem volare cupiunt extra Eccleſiam, & in montem tranſmigrare, ego potiùs remanebo in tecto: non ero ſicut paſſer in montem volans, ſed ſicut paſſer in tecto permanens: Dum ſol veritatis nullis errorum nubibus aut pluuiis offuſcatur, de talibus opinionibus diſſerere, diſputare, eas diſcutere libet, ad luminis fidei & doctrinæ Eccleſiæ claritatem: ſed dum affectu ſuperbiæ, aut carnali affectu proponuntur, ac ſi admitti debeant: nolo ad iſta attendere, Imitare volo paſſerem, qui ſole clareſcente volat per aëra: At dum pluit, ſagacitate quadam naturali in tecto remanet domus, nec in terram dilabitur, ne ſi volaret per aëra, à pluuia irroretur ne ſi in terra gradiatur, à ſerpentibus, qui è cauernis egrediuntur tempore pluuiæ, deuoretur. Ita ego in fide & doctrina Eccleſiæ me contineo, ne curioſitate ſeductus decipiar, aut ſenſibus adhærentem diabolus me ſurripiat, & in errorem inducat. Sed S. Auguſtinum audiamus, hunc locum Pſalm. 101. exponentem. *Inuenio*, inquit, *ergo aliquem de corpore Chriſti, prædicatorem verbi, compatientem infirmis, quærentem lucra Chriſti, reminiſcentem Domini ſui venturi, ne dicat: Serue nequam & piger, dare debueras pecuniam meam nummulariis. Ex huius diſpenſatoris officio videamus hæc tria. Venerit inter aliquos vbi Chriſtiani non ſunt; pellicanus eſt in ſolitudine. Venerit ad eos qui fuerunt, & ceciderunt; nicticorax eſt in parietinis: non enim deſerit tenebras eorum qui habitant in nocte, & ipſos lucrare vult. Veniet ad eos qui Chriſtiani ſunt quidem habitantes in domo non quaſi qui non crediderunt, aut quod crediderunt dimiſerunt, ſed in eo quod credunt tepidè ambulantes: clamat ad eos paſſer, non in ſolitudine, quia Chriſtiani ſunt: nec in parietinis, quia non ceciderunt: ſed tamen in tecto ſunt, ſub tecto potiùs, quia ſub carne ſunt. Ille ſuper carnem clamat paſſer, qui præcepta Dei non tacet: nec ſit carnalis vt ſubjiciatur tecto: Qui enim in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo: Et quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Hæc eſt Auguſtinis expoſitio huius loci. Ad cuius mentem ait S. Proſper in hunc Pſalm. *Fit igitur vt ille paſſer ſub tecto poſitis, id eſt, ſub carnis infirmitate viuentibus, quidam paſſer increpans eos, atque incitans, vt in tecto ſint potiùs quàm ſub tecto, hoc eſt, vt ſubiectam ſibi carnem habeant, non vt ipſi ei ſubjiciantur.* Audiamus & Ayguanum in hunc locum. *Paſſer*, inquit, *effectus, & à tenebris huius infelicitatis in illam inacceſſibilem lucem euigilans, tranſeat in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis.* Paſſer autem eſt ille. iuxta illum, *qui ſagax ad alta virtutum fugit, vbi tutus eſt à laqueis. Paſſer autem ſolitarius vel vnicus dicitur, propter charitatem, quæ ex multis facit vnum.* (Ita ille.) Itaut fide & charitate cum capite & cum membris Eccleſiæ coniunctus, nec erroribus, aut hæreſibus, aut ſchiſmatibus vnquam adhæreat.

Quinta conditio optimi prædicatoris verbi diuini eſt vt ſpiritu compunctionis repletus auditores ad pœnitentiam inducat. §. 9.

Hæc eſt illa vox Eccleſiæ, de qua Cantic. 2. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Nam tempore incredulitatis & infidelitatis, tanquam hyeme, tranſacto, ita hyemem exponit Philo Carpathius,) vox turturis audiri debet in Eccleſia, quæ turturi comparatur, quin, vt ipſe ait, *pro deſiderio ſponſi gemit, eumque deprecatur aduenire, & ſibi opem ferre, quandiu in hac valle lachrymarum peregrinatur.* Hac hyeme tranſacta, & ſtatim atque receſſit à nobis pluuia affectuum carnalium, & ad fuit tempus opportunum putationis, *in quo*, vt ait Philo Carp. *noxij amputandi ſunt palmites, infructuoſi præcidendi ſunt rami, id eſt, tollenda ſunt omnia ſcelera, atque delicta, & anima ab omni peccatorum labe purganda*: iis omnibus, qui filij Dei eſſe volunt, & in eum credere, & cuicumque animæ quæ deſiderat eius fieri ſponſa, vox turturis audiri debet in Eccleſia. Hinc fuit S. Ioannes Baptiſta vox turturis, iuxta S. Gregorium Nyſſenum homil. 5. *Venit enim Ioannes Baptiſta prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* Et dixit Matt. 3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Vox turturis fuit illa vox Chriſti Domini, cum cæpit prædicare & dicere: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Matt. 4. Vox turturis fuit illa vox Petri, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti.* Nec alia ratione procedendum eſt iis omnibus qui prædicationi verbi incumbunt: primum enim illorum ſtudium debet eſſe vt ad pœnitentiam prouocent auditores, nec fabulis aut vanis & inutilibus doctrinis aures

eorum oppleant : ſed ad compunctionem, quantum A fieri poteſt, potius inducant.

Hoc ſpiritu compunctionis facilè replebitur verbi diuini Miniſter, ſi fuerit amator caſtitatis mentis & corporis : quæ etiam per turturem deſignatur. In corpore namque ſubdito peccatis non habitat ſapientia diuina, & animalis homo magna cum difficultate percipit ea quæ Dei ſunt. Quod autem hæc caſtitas per turturem deſignetur, patet ex Gitſlerio in hunc locum Canticorum : *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Senſus*, inquit, *Germanus atque communis apud vniuerſos patres eſt, vt per hæc commendetur pudicitia & continentia Eccleſiæ vel animæ, atque etiam B. Virginis, per comparationem ad turturem, quia ſpiritualis ſponſa vnum tantummodo Chriſtum amatorem admittat,* B *& ad illum ſemper anhelet : æquè ac turtur, vnum tantùm admittit coniugem, ex cuius abſentia flebili gemit cantu.* Ita ille. Et apud eumdem Gitſlerium S. Anſelmus per genas turturis intelligit altiores illos, qui ſcripturas terunt, & earum capaces faciunt inferiores. *Genæ enim dicuntur*, inquit, *pars hominum, quæ terit cibum, & mittit in ventrem : & ſicut in genis eſt ſignum pudoris, ita prædicti illi altiores ſemper pudorem prædicant & caſtitatem.* Ita Anſel. Et reuera nihil ita deturpare poſſet prædicationem pœnitentiæ in ore prædicatoris, quàm ſi vita eius lubrica eſſet & luxurioſa. Et ſi ſanctus Paulus exigit ab vnoquoque caſtitatem, vt Dei obſequio poſſit applicari : & optat omnes eſſe ſicut ipſe erat, ſoluti ſcilicet à lege connubij ; quantò magis à legibus Matrimonij ſolutus eſſe debet qui non tantùm propriæ ſaluti procurandæ incumbit, ſed etiam aliorum ſalutem procurare ſtudet. Et ne dicat talis Eunuchus Matrimonio ſolutus : *Ecce ego lignum aridum* : promittitur illi apud Iſaiam nomen melius à filiis & filiabus c. 56.

Sexta virtus optimi prædicatoris eſt, vt ſimplex & recta ſit eius intentio. §. 10.

Ad hanc rectam intentionem obtinendam requiritur columbæ ſimplicitas, id eſt, nulla nocendi alteri, aut vlciſcendi voluntas, iuxta illud Saluatoris, Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, ἀκέραιοι id eſt, ſine cornibus, quibus vel alteri nocere, vel alterius repellere iniurias & impetus valeant. Columbæ enim, quamuis natura ſint pauidæ, & innumeris læſionibus obnoxiæ, ſimpliciter tamen volitant quocumque pennæ ferunt, & quaſi ſecuræ expectant dum feriantur : nulli animalium nocent, felle carent, nec direptoribus ouorum aut pullorum ſeſe opponunt, imo non deſinunt ad illos redire tales eſſe debent verbi diuini prædicatores : quamuis Deum timeant, iuxta illud Prouerb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*, periculis tamen ſeſe exponere non timeant, quocumque eumdum fuerit pro Dei gloria, ſecuri progrediantur : nulli noceant, miniſterium illorum ſit abſque vllius offenſione, ne vituperetur ; nulli iraſcantur, nullos percutientes, nullis bona diripientes, nullos odio proſequentes oderint, ſed ſi quibuſuis vtiles eſſe poſſunt ad capeſſendum ſalutem, præſto adſint. Aduertendum autem, cum Luca Burgenſi in 10. Matth. Saluatorem ex horum duorum animalium, ſerpentis & columbæ naturis admiſtis, non ſinere prudentiam fieri meticuloſam, nec ſimplicitatem temerariam ; rurſus neque malitioſam prudentiam, neque excordem, ac ſeductu facilem ſimplicitatem, ſed vnam virtutis formam quam maximè licuit exquiſitè conſtituiſſe; vt & prudentia ſimplex ſit, & ſimplicitas prudens ſit. At non tantùm homo debet eſſe ſimplex, quia nulli nocere cupit, vt ſimplicem & rectam ad Deum habeat intentionem ; ſed nec deſiderij nocendi capax erit, ſi oculus mentis fuerit ab omni humore malo purus, iuxta illud Matt. 6. & Luc. 11. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quod eſt oculus in corpore, id eſt in anima Cor, id eſt, tota animæ ſuperior portio, id eſt voluntas intellectui coniuncta, quæ cæteras animæ vires illuſtrat. Si hæc voluntas puta ſit ab omni affectu terrenorum & carnalium & ab omni ambitione, inuidia & odio, ſi hic oculus fuerit ſimplex, purus, ſyncerus, ſanus, ait Euthymius apud Lucam Burgenſ. in 10. Matt. nullis infectus humoribus, qui videndi potentiam offendant, totum corpus tuum lucidum erit : omnes affectus tui ſuas habebūt actiones itaut decet compoſitas, & quod maius eſt, facilè ſoli Deo in omnibus placere ſtudebis, nec captare deſiderabis hominum laudes. *Lippientes*, inquit S. Hieron. *ſolent lucernas videre numeroſas : ſimplex oculus & purus ſimplicia intuetur, & pura.* Ita Hieron. Ita qui diuerſis affectibus vexantur, plures fines intendunt : qui autem ſolam Dei Charitatem ſectatur, Deum ſolum ob oculos ſibi proponit, & rectam habere poteſt intentionem, dum ſolius Dei honorem & gloriam, non ſuam propriam quærit. *Appellatione corporis* (inquit S. Gregor. 28. Moral. c. 6. ſuper illud Iob. 39. *Quis tetendit ſupra eam lineam* ;) *vnaquæque actio intelligitur, quæ intentionem ſuam quaſi intuentium oculum ſequitur. Vnde dicitur : Lucerna itaque* C *corporis eſt oculus : quia per bonæ intentionis radium merita illuſtrantur actionis. Si ergo oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit : quia ſi rectè intendimus, per ſimplicitatem cogitationis bonum opus efficitur, etiam ſi minus bonum eſſe videatur. Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit : quia cum peruerſa intentione, quid vel rectum agitur, & ſi ſplendere coram hominibus cernitur, tamen apud examen interni iudicij obſcuratur : Vnde & rectè ſubditur : Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint : Quia ſi hoc, quod benè nos agere credimus, ex mala intentione fuſcamus, quanta ipſa mala ſunt, quæ mala eſſe, & cum agimus non ignoramus*? Ita S. Greg.

Quam verò neceſſarium ſit verbi diuini præconi, D vt rectam habeat intentionem & omnia agat ad maiorem Dei gloriam; patet ex duobus titulis. Primus eſt, quia ſcientia multiplici debet eſſe optimè inſtructus, At quis neſciet illud Pauli : Scientia inflat ? 1. ad Corinth. 8. Secundus eſt labor immenſus, quem impendere debet, in promulgando Euangelio, cui labori & honor debetur & merces. Honor, inquam, dicente Apoſtolo 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præ ſunt Presbyteri, duplici honore habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim ſcriptura : Non alligabis os boui trituranti. Et dignus eſt operarius mercede ſua.* Merces igitur debetur etiam cum honore. Rurſus Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. *Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura* E *eſt Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt : Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare : & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Cum igitur ex his titulis honorem & lucrum prædicator Euangelij acquirere poſſit, intentione pura indiget : ne à Deo honorem ac lucrum præcipuè & primariò appetens, prauis his intentionibus diſtractus recedat. Sit in medio mentis recta intentio illi, quaſi ſol in medio corporis ſimplicis, vndequaque radios ſuos emittens : omnes noſtras actiones ſuo colluſtret lumine : ſit tanquam cor in medio pectoris : omnes actiones noſtras, veluti cor cuncta corporis membra, calore ſuo viuifico viuificās : & ſic perſeueret infatigabiliter in Dei obſequio. Nam ſicut ſol in curſu ſuo diuino minimè fatigatur, nec

etiam cor in ſua operatione fatigatur, quòd in eo ſit anima, inquit Cardanus l. 4. de ſubtilitate; ita qui rectam habet intentionem, minimè fatigatur in exercitio bonæ operationis. Non ſit igitur prædicator veritatis, illa vitula Ephraim, docta diligere trituram, nec omnia operetur propter lucrum & commodum, ſicuti bos triturans libenter ſubit hunc laborem, quia os minimè habet alligatum, ſed de frumento quod premit & è ſpica extrahit, alitur. Sit potiùs illa vnica columba, itaut dicere poſſit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*; de qua dici queat: *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea: vna eſt perfecta mea.* Cant. 6. Plures ſunt qui Dei cultum promouere ſtudent, quia dignitates Eccleſiæ poſſident. Plures ſunt qui eidem cultui addicti ſunt, quia bonis Eccleſiaſticis fruuntur.

Multi ſunt qui laborant in Euangelio, ſpe mercedis temporariæ aut æternæ adducti. At vna eſt columba mea: quæ nec ad dignitates anhelat, nec bonis temporalibus inhiat, nec conſolationes ſuas quærit, aut ſolatia tranſitoria laudis aut honoris: ſed ſolùm Deum intuetur, cuius honorem promouere quanto poteſt deſiderio exoptat. Hæc eſt baſis virtutum, ſicut virtutes columnæ ſunt, quibus ſpiritualis vita ſuſtentatur. Memor ſit Deum non ſolùm inueſtigare ſemitam noſtram, ſed etiam funiculum, id eſt, rationem & motiuum operationis.

Septima conditio optimi prædicatoris verbi diuini eſt, vt ad Chriſtum crucifixum ſemper oculos mentis erectos habeat. §. 11.

Docet Ariſtoteles l. 9. hiſtoriæ animalium c. 32. ſex ſpecies aquilarum inueniri; vnam autem ex his exiſtere, in qua viget nobilius aquilarum genus, & in qua nobilior differentia ſpecifica conſeruatur. Hæc aquila grandior eſt inter alias, ſubruſa, raro videtur, paulatim ab alto aëre in terram ſe demittit vt prædam inuadat, vt ſic faciliùs inſidias ſibi paratas præcauere queat. In locis eminentioribus conſiſtit, vt faciliori negotio aëra repetat; quod difficiliùs expleret, ſi ad terram vſque ſeſe demitteret: ad altiſſimas aëris partes volatu pertingit. *Quapropter*, inquit Ariſtoteles, *ſolam auium omnium aquilam eſſe diuinam perhibent.* Denique acutiſſimum & fortem habet intuitum vt prædam ſuam à longe proſpiciat. Tales debent eſſe fideles verbi diuini miniſtri, magnitudine animi, non corporis, cæteris hominibus eminentiores: non ad ſtelliones ambitionis dignitatum, aut muſcas vanitatum capiendas, vt quædam aquilæ inferiores volitant: ſed ad agnos manſuetos, id eſt in fide dociles: Lepores, id eſt animas timentes iudicia Dei. Lepuſculos namque Prouerb. 30. inter quatuor ſapientiora ſapientibus, licèt minima terræ, reponitur: quia collocat in petra cubile ſuum. *Lepus*, inquit Sapiens, *plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum*: Proinde ſymbolum animarum Deum timentium, quæ ſuam infirmitatem agnoſcentes, à timore Dei parturiunt ſpiritum ſalutis, & in Chriſti meritis totam ſuam ſpem collocant, qui petra eſt & firmamentum, & refugium noſtrum. Vulpes etiam, id eſt, aſtutos & prudentes ſæculi capiunt, vt illos ad Deum conuertant. Per vulpem autem deſignari aſtutos ſæculi, manifeſtum eſt ex Luc. 9. vbi Chriſtus Dominus Herodem vulpem appellat. Charitate inſuper feruentes raro in publicum prodeunt, contemplationi vacantes niſi eadem charitate erga proximum impellantur, ſed ad ima deſcendunt cautè & circumſpectè: timent enim inimicorum inſidias, & mundi laqueos, ne illis irretiantur, & detrimentum ſalutis ſubeant, dum alios ca-

A pere & ſaluare percupiunt. *Beatus* quippe *homo qui ſemper eſt pauidus.* Et à Saluatore didicerunt nihil prodeſſe homini ſi vniuerſum mundum lucretur, ſi animæ ſuæ detrimentum patiatur. Matt. 16. Quapropter cum maxima cautione à contemplatione ad opera vitæ actiuæ deſcendunt, vt proximorum neceſſitatibus corporeis & ſpiritualibus ſubueniant: & dum in iſtis occupantur, non ita deponunt cogitationes rerum cœleſtium, vt affectu terrenorum poſſint detineri: talia enim exercent motiuis & rationibus æternis inducti, non aliquo humano aut terreno affectu: quo ſit vt negotio peracto facillimè rurſus in ſublimem tollantur: & dono intellectus, ac dono ſapientiæ quaſi alis ſubuecti, altiſſima petunt,
B Deum ſemper præ oculis habentes, iuxta illud: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Nubes tranſcendunt, id eſt, ſenſus, imaginationes, ſpecies intellectuales, vt intrent cum Moyſe in illam nubem caliginoſam nobis, ſed in ſe ſole clariorem: & talis apparet iis qui in eam ingrediuntur, & introducuntur, vt Dei maieſtatem contemplari queant. De Moyſe enim dicitur, Exodi 20. *Moyſes autem acceſſit ad caliginem nubis, in qua erat Deus.* Non enim Deus contemplari poteſt, niſi ſenſus & rationes humanas tranſcendas. Eſt enim ipſe ſupra omnem ſenſum & rationem poſitus. Denique præda iſtius Aquilæ generoſæ Chriſtus eſt crucifixus, vel
C vnâ his aquilis teſte, Paulo videlicet, qui olim dicebat: *Sed quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* O Aquila generoſa, de longè proſpiciens prædam tam nobilem & pretioſam. Talis Aquila fuit Seraphicus Pater, qui in omnibus creaturis, inſenſibilibus, & ſenſibilibus, & ratione præditis, Chriſtum crucifixum contemplabatur, eique compatiebatur. Videt agnum occiſum, & recordatur agni occiſi in cruce, & flet largiter ob memoriam paſſionis; & ita fixis oculis Chriſtum crucifixum intuetur, vt ſicut oculus
D ſpecie rei viſæ imbuitur, ita ipſe fuerit omninò in crucifixum Chriſtum transformatus. Hoc teſtantur ſacra ſtigmata in corpore eius impreſſa, vt probatione hoc non indigeat, itaut cum ſancto Paulo, licèt diuerſa quadam ratione, dicere poſſit: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Ad Galat. Et quia ex abundantia cordis os loquitur, ſicut nihil ſe ſcire indicant niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, 1. ad Corint. 2. Ita nihil aliud prædicant & annuntiant. *Quoniam*, inquit S. Paulus 1. ad Corinth. 1. *Et Iudæi ſigna petunt, & græci ſapientiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque gentibus, Chriſtum Dei virtutem, & Dei
E ſapientiam.*

At non mirum ſi tam ſuauiter animæ iſtæ generoſæ ad ſolem hunc fixè intuendum attrahantur: in eo enim virtus eſt attractiua ingens, dicente ipſo. Matt. 24. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Non dixit*, inquit Origenes, tract. 20. in Matt. *Ibi congregabuntur vultures, aut corui, ſed aquilæ: Volens oſtendere magnificos & regales omnes, qui in paſſione Domini crediderunt.* Ita Origenes. Et S. Hieron. in hunc locum: *Aquilæ enim appellantur quibus iuuentus renouata eſt vt aquilæ, & qui aſſumunt pennas, vt ad Chriſti veniant paſſionem.* Et vt ipſe adhuc ait. *De exemplo naturali quod quotidie cernimus, Chriſti inſtruimur Sacramento. Aquilæ enim & vultures etiam transmarina dicuntur ſentire cadauera, & ad eſcam huiuſmodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali ſenſu tantis*

Digitized by Google

terrarum ſpatiis ſeparatæ, paruum cadauer ſentiant, vbi iaceat: quanto magis omnis multitudo credentium debet ad Chriſtum feſtinare, cuius fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem? Poſſumus autem per corpus, id eſt Ioathan. (quod ſignificantiùs Latinè dicitur cadauer, ab eo quod per mortem cadat) paſſionem Chriſti intelligere. Citatur à S. Thom. in catena. Quòd ſi tanta vis eſt in corpore Chriſti crucifixo, vt meditatio mortis ipſius ſanctos ad ſe attrahat: quanto maior erit virtus illius ſeu potiùs quanto maior apparebit illa virtus corporis Chriſti reſuſcitati, cum corpora ſanctorum è ſepulchro attrahet, vt eant ipſi obuiam in aëra, vt ait S. Paulus. Ad quam gloriam, qui paſſionis & mortis eius magis fuerint conformes, propiùs accedere dabitur: quia ſi ei compatimur, & cum ipſo conglorificamur: ſi magis compaſſi fuerimus, maiorem conſequemur gloriam. O quanta erit gloria Pauli? Quanta gloria Seraphici Franciſci, qui ita Chriſto patienti conformati fuerunt, vt dicere potuerint: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Nonne,* inquit S. Ambroſius, lib. 8. in Lucam, *tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus? Eſt autem corpus de quo dictum eſt. Caro mea verè eſt cibus. Circa hoc corpus aquilæ ſunt, quæ circumuolant ſpiritualibus alis.* Ita Ambroſ.

Et propè circumuolabunt circa illud Petrus cruci affixus, Paulus ſtigmata verberum pro Chriſto portans, Franciſcus eadem aliâ ratione gerens, & ipſis ſimiles.

Quòd verò electos ſolos, non autem omnes homines Ieſus aquilis compares, inquit Lucas Burgenſ. in Matth. *Manifeſtum eſt, quia reprobi non aggregabuntur Chriſto ſedenti in nubibus, ſed relinquentur in terra: nec ſponte ferentur ad Chriſtum, ſicut aquilæ ad cadauer, ſed inuiti cogentur ad locum iudicij, vt malè ſibi conſcij, audituri in terra, Chriſti è nubibus aduerſus ipſos ſententiam.* Ita ille. Hoc igitur erit proprium iuſtorum ad Chriſtum velociſſimè & expeditiſſimè conuolare, eum quamuis ſole ſplendidiorem intrepidâ acie intueri, quia regio & magnifico animo terrenos affectus in vita mortali deſeruerunt, vt ad eum in cruce pendentem, per mortificationem corporis & affectuum conuolarent. Vnde eum tanquam ſummum bonum poſſidere debebunt in æternum, quem aceto & felle imbutum in hac vita præſenti non reſpuerunt.

Vltima conditio optimi verbi Dei miniſtri eſt, vt temporis opportunitatem captet. §. 12.

Aues optimus verbi diuini miniſter & fidelis diſpenſator imitari debet. *Quædam enim ſunt,* vt notat S. Hieron. in caput 8. Ieremiæ, *quæ norunt quando ad callida feſtinantes loca rigorem hyemis debeant declinare, & rurſus vere ad ſolitas venire regiones.* Ita Hieron. Pari ratione, verbi diuini prædicator proſpicere cum circumſpectione debet quando & quomodo munus ſuum exſequi debeat, ne operam perdat, & tempus inaniter terat: & ſi oſtium Deus illi aperuerit ad conuerſionem populorum, nactam occaſionem elabi non ſinat, ſed eam auidè captet, & fideliter muneri ſuo exequendo incumbat. Quòd ſi obſtructum oſtium ſenſerit, vt nulla ſit ſpes conuerſionis eorum, excutiat puluerem de pedibus ſuis, & alibi quærat occaſionem meliorem proponendi ineſtimabiles diuitias gratiæ Chriſti: ne ſi occaſioni defuerit, & tempora iſta non obſeruauerit, eadem illi improperentur, quæ Deus improperat iis qui ad tempus viſitationis ſuæ non attendunt. *Miluus,* inquit, *in cælo cognouit tempus ſuum: & turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Hierem. 8. Hac de cauſa Chriſtus ad Epiſcopum Philadelphenſem per Ioannem ſcribit: *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere:* quia videlicet ipſe eſt *Clauis Dauid, ſanctus & verus, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit;* ne videlicet occaſionem præterlabi ſinat infructuosè: huius enim omiſſionis ab eo expoſceret rationem, & alteri coronam daret, quam ipſe labore & vigilantia ſibi comparare poſſet. *Ecce,* inquit, *venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Hoc fideliter ſeruaſſe S. Paulum ipſe teſtatur 1. ad Corinth. 16. *Permanebo,* inquit, *Epheſi vſque ad Pentecoſten: oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens, & aduerſarij multi.* At cum vidit apud Antiochiam Piſidiæ Iudæos ſibi contradicentes; tanquam aues tempus ritè captare ſciens, ne tempus in vanum teneret, abiit & diſceſſit ab eis. *Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Et hæc fidelitas in obſeruatione oblatæ à Deo occaſionis, non eſt abſque fructu, vt patet ex capite 13. Actuum. *Audientes enim gentes,* (quæ ſcilicet dixerant Paulus & Barnabas) *gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Ex dictis facile eſt conjicere, per aues per medium cœli volantes, ſignificari optimè eos, de quibus Iſaias: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Nempe Euangelij promulgatores, quorum optimæ qualitates, & præclaræ dotes rectè per aues ſignificantur, quod tanto ſolidiùs adducitur, quòd à ſcripturæ ſenſu de his auibus loquens non recedo; Et quia verbi diuini promulgatio medium eſt à Deo determinatum, quo innoteſcat Regibus & Principibus huius mundi quanta ſit gloria Chriſti, iuxta illud Domini de Paulo Apoſtolo: *Vas enim eſt mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus;* rectè poſt ſymbolum talis gloriæ, apponitur deſcriptio iſtius efficaciſſimi medij ad eam promulgandam. Nec à numero iſtarum auium, Ordines Religioſarum Congregationum & præſertim Mendicantium erunt extrudendi aut excludendi, cum illæ qualitates & præclaræ dotes in eis eminere videantur, vt ad vocem ſummi Pontificis, cui obedientiam ſpecialem promittunt, per mundum vniuerſum volitent, ad conuerſionem animarum, de quarum conuerſione ſaturari debeant.

Et clamauit voce magna.

Cur clamat ſummus Pontifex *vocando aues ad cœnam:* §. 13.

Hoc, vt arbitror, dicitur ad denotandum opus fuiſſe ſummo Pontifici animi fortitudine & conſtantia, ad ſuperandas omnes contradictiones eorum, qui amaro quodam zelo impulſi obſtiterunt ne reciperet, admitteret, inſtitueret, aut confirmaret & foueret inſtituta Ordinum Religioſorum; ac ſi Eccleſiæ detrimentum adferrent, nec eſſent in ſubſidium, ſed in excidium. Hinc S. Bonauentura huius potentiſſimæ vocis auxilium implorat contra calumniatores & aduerſarios Ordinis Fratrum Minorum, dum his verbis Romanam Sedem interpellat: *Te igitur, ſacroſancta Eccleſia Romana, tanquam alteram Eſther & eleuatam in populis, vt Eccleſiarum omnium matrem, Reginam atque magiſtram, ad defenſandam & docendam tam morum quàm fidei veritatem fiducialiter interpellat tuorum pauperum cœtus: vt quos genuiſti vt mater, educaſti vt nutrix, nunc etiam vt Regina patenter ac iuſtè defendas, cum idcirco diſpoſitione faciente diuina, Pontificalis ac Regiæ poteſtatis verticem ſupremum adepta ſis me-*

ueris, vt in arduis neceſſitatis articulis ad defenſandum Chriſti populum parareris. Exurge igitur, ſancta mater, & iudica cauſam tuam: quia ſi pauper hic Ordo Minorum rectè profitetur veritatem Euangelij, tuum eſt: ſi à veritate in profeſſione à te ſancita deuiat, tuum eſt, ac per hoc ſi profeſſioni huiuſmodi ſanctæ error impingitur; tu, quæ illam ſanxiſti, erraſſe aſſereris: & quæ magiſtra veritatis hactenùs extitiſti, nunc de approbatione erroris argueris, & à quibuſdam modernis præſumptoribus velut iuris diuini & humani neſcia derideris. Ita S. Bonauentura in Apologia pauperum, Reſponſ. 4. c. 2. Vox igitur illa fortis & potens denotat potentem & conſtantem ſummi Pontificis autoritatem, qua tuetur religiones, approbatas, & ſub pœna Anathematis prohibet ne quis contra eorum inſtituta à ſe approbata aliquid moliatur in præiudicium illarum.

Quænam ſit Cœna, ad quam inuitantur? §. 14.

Cœna iſta eſt quædam animi ſatietas, & puriſſima delectatio, ex adimpletione voluntatis Dei; quæ adimpletur, ſiue dum animæ conuertuntur ad cognitionem nominis ſui; ſiue cum animæ, finem laborum ſuorum adeptæ ſunt, gloriam æternam adipiſcentes; ſiue dum qui rebelles & contumaces fuerunt temporariis & æternis ſuppliciis plectuntur, lætabitur enim iuſtus, cum videt vindictam, non quia de pœna gaudeat impiorum & reproborum, ſed quia in his ſuppliciis diuina iuſtitia elucet & manifeſtatur, ad ſui nominis exaltationem & laudem. Tria autem hæc conſideranda ſunt de illa cœna. Primum eſt quinam cibi in ea apponantur. Secundum, quia ratione cibi illi parentur ſeu condiantur. Tertium, cur potiùs hæc refectio cœna quàm prandium vocitetur?

Quantum ad primum, cibi appoſiti parati ad manducandum exprimuntur in textu. *Vt manducetis,* inquit, *carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.* Ac ſi diceret: Vt maiorem animi oblectationem percipiatis eâ quàm percipiunt mundi amatores, dum cibos delicatiores in ſuis Palatiis deguſtant, venite, & attentè perpendite quomodo ſi per gladium verbi diuini percuſſeritis Reges, Tribunos, fortes, equos, ſedentes in ipſis, liberos, ſeruos, puſillos & magnos, eoſque ad Deum adduxeritis, per conuerſionem ab operibus malis ad meliorem frugem & conuerſationem, magna fruituri eſtis animi oblectatione. Percipietis ſiquidem quomodo qui Reges eſſe volebant, vel gaudebant per ſuperbiam quòd à nullo dependerent (ex qua animi ſuperbia oriuntur æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ,) qui ſub onere regiminis populorum gemebant, curris, ſollicitudinibus, anxietatibus variis dilacerati (quia quilibet populus bellua multorum capitum, qui Regi non poteſt abſque ingenti quodam labore, quem laborem ægrè ferentes, graues & onerofi ſibi & aliis redduntur: Ex quo non modo iræ oriuntur; ſed plurimæ inuidiæ, homicidia, contentiones, inimicitiæ originem trahunt) percipietis, inquam, quomodo qui ab appetitu inordinato concupiſcentiarum captiuantur, fornicationibus, immunditiis, impudicitiis, luxuriis addicti; qui carnem fouent, & carnis curam tantùm habent in concupiſcentiis, commeſſationes & ebrietates ſectantes, obliti moniti Apoſtolici ad Romanos 13. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis non in contentione & æmulatione; ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Et carnis curam ne feceritis in deſideriis:* Quomodo denique qui ſunt filij Belial, abſque iugo, proprio iudicio adhærentes, propriam voluntatem implere appetentes, ſui tantùm amatores, & idolis ſuis ſeruientes, puſilli animo, vt nequeant appetitibus ſuis vllatenus repugnare, & actiones ſuas ad præſcriptum rationis dirigere, magni tamen, quia temerario auſu arroganter diuina tranſgredi mandata non pertimeſcant; Videte, percipite quomodo omnes iſti in gladio verbi diuini per miniſterium veſtrum percuſſi conuertuntur, & alij omninò euadunt, & ad meliorem vitam tranſeunt. Reges nunc verè ſunt, quia appetitui imperant; Tribuni, quia ſuis muneribus & officiis ritè & debitè funguntur: Fortes, ſiue quia tentationes ſuperant & bona opera plurima operantur. Equi ſunt: quia Deo non modò, ſed Paſtoribus ſuis promptè obediunt. Equites ſunt: quia cum magna diſcretione, & animi moderatione, ſibi ſubditos, & inferiores regunt. Liberi ſunt: quia libertatem filiorum Dei adepti ſunt, nec vllis rerum terrenarum affectibus detinentur. Serui ſunt: quia timore iudiciorum Dei, vinculis mandatorum eius alligantur. Puſilli ſunt: quia humilitate animi ſuam infirmitatem agnoſcunt, & non in ſe, ſed in Domino gloriantur. Magnanimi ſunt: quia heroicas actiones pro Dei gloria de Domino confidentes aggredi non pertimeſcunt. Si attentè hæc omnia perpenderitis, magnam animi oblectationem percipietis. Et ſicut in manducatione corporali aliquid de cibis deperditur, aliquid in ſubſtantiam propriam conuertitur: ſic in iſta manducatione ſpiritali, percipietis in his vitam carnalem & ſenſualem deperire, ſpiritum verò eorum ſaluari, dum ad meliorem frugem redeunt. Et huius veritatis cognitione ſaturabimini: gaudet enim mens de perceptione veritatis.

At non modo ex contemplatione & cognitione conuerſionis peccatorum mentes miniſtrorum verbi Domini oblectabuntur, ſed multò magis cum viderint propter conuerſorum in bonis operibus perſeuerantiam ipſos conuerſos coronari, & Chriſti regnum adaugeri & illuſtrari, & complementum ſuum obtinere. Qui enim in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militarunt, vt loquitur S. Paulus 2. ad Corinth. 10. referent fructum mortificationis, & crucifixionis membrorum ſuorum, cum omnibus carnis concupiſcentiis, non modò in præſenti vita per Charitatem, qua Deo & proximo delectabiliter vniuntur per gaudium in Spiritu ſancto, in quo conquieſcunt: per pacem, qua inter tot mundi tempeſtates perfruuntur: per patientiam, qua omnia fugantur, quæ pacem, & quietem ipſorũ perturbare, gaudium impedire, charitatem alterare poſſent: per benignitatem, qua bona exoptant his etiam, qui ipſis mala volunt aut inferũt; per bonitatem, qua ſcientes ſibi non eſſe natos, aliis quibuſcumque poſſunt, benè faciunt; per longanimitatem, qua propter tantas rerũ viciſſitudines, & vitæ huius diſcrimina, à propoſito aut ardore operandi bona opera non deſiſtunt, aut tepeſcunt: per manſuetudinem, qua nihil odioſum aut graue ſibi exiſtimant, in his quibuſcum eis ipſis conuerſari neceſſe eſt, quamuis prauis moribus peruerſis inclinationibus poſſent eſſe graues & onerofi: per fidelitatem in promiſſis & verbis ſuis: per modeſtiam, actiones exteriores eorum dirigentem, per continentiam appetitus refrenantem: per caſtitatem carnis, qua fit vt in carne ambulantes, non ſecundùm carnem viuant: ſed Angelicam quodammodo habeunt inter homines conuerſationem. Hoc fructus non modò referent in præſenti vita, ſed, quod plus eſt, transformati de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu, quæ ſeminarunt in corruptione metent in futuro in incorruptione.

Seminauerunt

Digitized by Google

Seminauerunt corpus animale: ſurget ſpiritale, ſpiritualibus dotibus immortalitatis, impaſſibilitatis, ſubtilitatis, agilitatis, & claritatis ornatum. Et inſuper, quoad mentem, Deum deorum videbunt in Sion. Hæc videntes verbi diſpenſatores, hos cernentes fructus tot laborum & ſollicitudinum, qui laborant in Euangelio magnam percipiunt voluptatem, nec conqueruntur de fatigatione ob itinera, & longiſſimas peregrinationes; de laſſitudine, ob nimios labores; de maceratione & inedia, ob inopiam eorum, quæ ad victus rationem pertinent: tantum enim opus dignum fuiſſe eorum qui Deum perfectè diligunt animaduertent, vt potiùs in gratiarum actionem prorumpant, quòd digni habiti fuerint ad hoc opus fuiſſe aſſumptos, quàm conquerantur alicuius querimoniæ cauſam ſibi datam fuiſſe. Satiat nos corporalis cibus in os receptus, maſticatus, in ſtomachum admiſſus, coctus, digeſtus; in propriam ſubſtantiam transformatus. Satiat mentes noſtras cognitio conuerſionis, iuſtificationis, & glorificationis peccatorum, & maximè quia vident per eorum conuerſionem, iuſtificationem, & glorificationem, Chriſtum regnare, non ſolùm inuiſibili ratione per gratiam infuſam, ſed etiam viſibili quadam ratione in Monarchia Eccleſiæ temporali, donec abſorbeatur omnimodè quod mortale eſt à vita; & quod carnale, ſenſuale, infirmum, corruptibile eſt, tranſierit, mutato Regno temporali in regnum æternum, vbi nullà erit concupiſcentia contra regnum internum gratiæ ſpiritalis, vbi nullus erit aduerſarius aut occurſus malus contra Regnum externum Chriſti viſibile, vt ſit Deus omnia in omnibus, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine. Primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius: nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat, Omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus,* Ita Apoſtolus. Et in huius rei cognitione, nempe operis gubernationis, redemptionis hominum, conſummationis contemplatione, ingens gaudium concipiunt ſerui Dei, & zelatores gloriæ illius. Vident enim carnalia cuncta, mortalia, & tranſitoria omnia, id eſt, peccata, concupiſcentias, mutabilitates rerum tranſiiſſe in nouum & ſubliniorem modum ſanctitatis, incorruptionis, immortalitatis & gloriæ: & Regnum Dei eſſe Regnum omnium ſæculorum, & in omnibus electis adimpleri quod ait Paulus, 2. ad Corinth. 5. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundùm carnem. Et ſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt. Ecce facta ſunt omnia noua: omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum.*

Vides quidquid carnale eſt manducari, vt tantùm ſpiritalia meditemur, & corporalia non vt talia, ſed vt ſpiritui ſeruientia, aut ſpirituales qualitates adepta contemplemur in regno Chriſti, in quo corpus animale reſurget ſpiritale; & mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionem. Hic eſt paratus animæ cibus ſuauis, nempe hæc meditanti & contemplanti.

At non modò de fine & conſummatione bonorum lætabitur iuſtus, & gaudent ſancti Dei præcones, videntes fructum laborum ſuorum tam copioſum; ſed etiam de vindicta malorum lætabuntur, propter iuſtitiæ Dei manifeſtationem, iuxta ea quæ dicta ſunt in initio capitis huius, in expoſitione ſecundi verſus, in quo audiuntur voces turbarum multarum dicentium: *Alleluia: Salus & honor, gloria, & virtus Deo noſtro eſt: quia vera & iuſta ſunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna.*

At reſtat vltimum obſonium, quo qui ſunt palato obtuſiori, & ſtomacho imbecilliori recreantur, & refocillantur, nempe quo qui altari deſeruiunt, & prædicationi verbi inſiſtunt, debeant bonis temporalibus regum & diuitum huius ſæculi ſuſtentari, iuxta illud S. Pauli 1. ad Corinth. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et paulo poſt: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Et rurſus: *Neſcitis*, inquit, *quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Ita S. Paulus. Et non tantùm ad ſufficientiam iſta ſperanda ſunt ſeruis Dei, (iuxta illud Luc. 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & ſine pera, aut calceamento, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*) Sed etiam ad redundantiam, vt habeant quod pauperibus diſtribuant, vnde altaria & Eccleſias erigant & ornent, iuxta Canonem Concilij Romani ſecundi, ſub Syluestro, ann. 324. Tunc enim Eccleſia, Imperatore Conſtantino iam recenter baptizato Eccleſiam donatiuis magnificentiſſimis locupletante, cæpit manifeſtè carnes Regum manducare, id eſt, carnalia ſubſidia ab Imperatoribus Chriſtianis accipere. Hoc enim Concilium à Syluestro Pontifice indictum impenſis neceſſariis piiſſimè promouit, dum ducenti octoginta ſex Epiſcopi à Pontifice conuocati ab Imperatore vehiculis fuerunt adducti, & liberaliſſimâ annonâ ſuſtentati. In hoc igitur Concilio de bonis Eccleſiæ datis hæc fuerunt à Patribus ordinata, vt de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fierent. *Commoneo autem vobis omnibus mihi conſortibus*, inquit Sylueſter, in cano. 4. *Monimentum hoc, vt de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat Pontifici, ad ſui ſuſtentationem; altera Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero; Tertia, Templorum & Eccleſiarum reparationi; Quarta, pauperibus, & infirmis, & peregrinis.* Ita Concil.

At non modò ad ſufficientiam, non modò ad abundantiam, ſed etiam ad ſplendorem & gloriam, vt habeat Eccleſia quo hoſtes eius inuidia tabeſcant, & ſe ab eorum præſumptione & audacia defendat. Quod manifeſtè Iſaias prædixit c. 60. à verſ. 8. vſque ad 18. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant*, (Ecce aues per medium cœli volantes) *Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* (Ecce ipſos aues ad educandos pullos, donec formetur in eis Chriſtus, inſiſtentes) *Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos, de longe: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & ſancti Iſraël: quia glorificaui te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. In indignatione enim mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges eorum adducantur. Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Gloria Libani ad te veniet: abies & buxus, & pinus, ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum qui humiliaue-*

runt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſraël. Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum gaudium in generationem & generationem. Et ſuges lac gentium: & mamillâ regium lactaberis. Et ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus, fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et ponam viſitationem pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam. Non audietur vltra iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis. Et occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Hæc Iſ. Cæcus proculdubio qui non videt in his verbis prædici Eccleſiæ maieſtatem, gloriam, ſplendorem, abundantiam B diuitiarum; & ipſam manducare carnes Regum & Tribunorum, & fortium, dum eorum liberalitate ſuſtentatur, & Templa illi conſtruuntur, & magni redditus & inſignes prouentus ipſi à Regibus aſſignantur. Nec talis interpretatio mea eſt, cum à S. Hieronymo etiam adducatur, dum locum hunc exponens ait: *Alienigenæ autem & peregrini propriè ſignificant populum nationum, qui verè extruxerunt Eccleſiam Chriſti, in tantum vt reges eorum & principes miniſtrent, ſiue aſſiſtant ei. Quod vel carnaliter accipitur, vel ſpiritualiter. Si carnaliter, videmus Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & aduerſus perſecutiones gentium atque inſidias hæreticorum legum ſcita pendere. Si ſpiritualiter, quicumque* C *in eis continentiâ, eloquentiâ, ſanctitate Principes ſunt, & animæ imperio ſubiugant ſeruitutem, ipſi adminiſtrant & aſſiſtunt ei, & auxiliantur ei. Vir ſanctus & eloquentiſſimus Martyr Cyprianus, & noſtri temporis Confeſſor Hilarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſeculo arbores ædificaſſe Eccleſiam?* Ita Hieron. Qui dum carnaliter hunc locum interpretatur, certè oſtendit quomodo aues ſaturantur ex carnibus Regum, & Tribunorum, & aliorum; ſugentes lac gentium & mamillam Regum lactentes. Quem locum ſeptuaginta interpretes appoſitè ad noſtrum propoſitum ita exponunt: πλοῦτον τῶν βασιλέων φαγέσαι *Diuitias Regum comedes.* Qui etiam ad noſtra reſpicientes, locum illum: *Et dabo principes tuos in pace,* D *& præpoſitos tuos in iuſtitiam*: Ita vertunt: *Et dabo principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in iuſtitia. In quo,* inquit S. Hieronymus, *ſcriptura ſanctæ admiranda maieſtas, quòd principes futuros Eccleſiæ Epiſcopos nominauit, quorum omnis viſitatio in pace eſt, & vocabulum dignitatis in iuſtitia: vt nequaquam accipiant perſonam in iudicio, nec audiatur quippiam iniquum in terra Eccleſiæ, contritio & infælicitas in terminis eius. Vbicumque enim iniquitas eſt, & iuſtitia non ſeruatur, & pax perditur. Hæc omnia conſequuntur. Sed pro his, ait, omnibus, occupabit ſalus muros tuos, ſiue Saluator.* Hæc Hieron. Ex quo habemus Prophetiam iſtam, ſecundùm etiam ſeptuaginta, reſpicere Eccleſiam Chriſtianam, non antiquam ſynagogam. Et hæc de cibis E iſtius præclaræ refectionis auium ſpiritalium ſatis. Nunc quomodo parantur & condiuntur iſti cibi videndum.

Quomodo cœna præparatur? §. 15.

Cum Chriſti cibus ſit vt faciat voluntatem Patris, & eodem cibo veſci debeant eius ſectatores; cibus eius erit id omne quod exequetur, vt omnis Dei voluntas fiat, tam in reprobis quàm in electis; & illius voluntatis executione ſaturabuntur iſtæ aues. Vt autem cibus iſte parari poſſit, hoc fit circa reprobos, manifeſtâ inſignium peccatorum in iſta vita punitione; circa electos, myſtica illorum occiſione ſalutari; circa autem eos qui conuerſi ad fidem, ſanguinem in quo ſanctificati fuerunt polluerunt, &

A ſpiritui gratiæ contumeliam irrogarunt, occultâ eorum ab electis præciſione, donec eorum damnatio manifeſta fiat in die iudicij, in quo pars eorum ponetur cum peccatoribus terræ, quorum iam damnatio innotuit. Datur igitur occaſio conſolationis laborantibus in Euangelio, cum Tyranni & manifeſti contradictores, manifeſtâ & omnibus conſpicuâ punitione coërcentur & deprimuntur. Cum eis obedientes ipſorummet prædicatione ad vitam crucifixo conformem ſectandam inducuntur, & in die iudicij plenè ſeruabuntur, videntes quidquid mortale erat abſorptum eſſe in electis; & malos, propter mala eorum opera, ſententiâ damnationis præſcindi, & ſeparari ab electis.

Quærendum igitur hic quinam ſint inſignes pec- B catores quorum damnatio etiam nunc in hac vita reddatur certiſſima, & manifeſta fiat? Secundò, quænam ſit illa occiſio myſtica, qua quis perfectè in Chriſtum transformari poteſt? Tertiò, quod mali Chriſtiani, eodem gladio quo boni per mortem conſequuntur vitam, à vitâ æternâ præſcinduntur, & ſeparantur.

Et vidi beſtiam & Reges terræ & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehenſa eſt beſtia & cum eo pſeudo-Propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit C *eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: viui miſſi ſunt in duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.*

De beſtia & pſeudo-Propheta, in quibus deſignantur ij, quorum damnatio etiam nunc eſt certiſſima.

ANNOTAT. XXI.

NON eſt exiſtimandum cibos exquiſitiſſimos poſſe præparari abſque magno labore & induſtria. Inuitantur equidem aues ad comedendum: ſed antequam habeant quod comedant, congrediendum eſt cum hoſtibus, vt victoriâ partâ, prædâ D eorum menſa ſtruatur.

Cum igitur aues iſtæ myſticæ ad cœnam magnificam prouocantur, & ex ſpe ea potiundi ad opus ſuum aggrediendum eorum animi accenduntur, præuidentes quanta futura ſit illorum lætitia, ſi ſemel Deum viderint glorificari; cum per medium cœli, nempe Eccleſiæ, volauerint, ſeu diſcurrerint, terram exemplis bonorum operum & ſalutaribus doctrinis irrigantes; non putandum eſt nullos reperiri qui audeant tam ſancto propoſito ſeſe opponere. Multos inuenient Herodes, qui Chriſtum in cunis iacentem occidere attentabunt. Multos inuenient Pſeudo-Prophetas ſimiles iſti Elymæ mago, qui volebat auertere Sergium Paulum proconſulem à fide, E Act. 13. quem S. Paulus appellat omni dolo, & omni falacia plenum, diaboli filium, & inimicum iuſtitiæ, ſubuertentem vias Domini rectas. Tales vi & aſtutia verbo Dei contradicentes deſignat ſanctus Ioannes ſub ſymbolo beſtiæ, & Pſeudo-Prophetæ, qui cum regibus terræ, & exercitibus eorum congregatis prælium inire volunt cum ſedente ſuper equum, nempe Chriſto, & cum exercitu eius. Quænam autem ſit hæc beſtia, & iſte Pſeudo-Propheta, iam dictum eſt in capite decimo tertiò. In quo vidimus per beſtiam deſignari quemlibet hominem reprobum, in malitia & nequitia notoriè & manifeſtè inſignem, & apertè Chriſto Domino & miniſtris eius contradicentem; in Pſeudo-Propheta autem intelligendum eſſe quemlibet impoſtorem, qui vt terrenæ potentiæ obſequatur, & lucra conquirat,

Digitized by Google

quibus abundè poſſit carnis ſuæ concupiſcentias explere, per carnis prudentiam, terrenam, animalem, diabolicam, multos ſeducere conatur, & in varios errores, diuerſas hæreſes, & in ſchiſmata, & contra Eccleſiam rebelliones inducit, peccati malitiam & impudentiam fouendo, quales ſunt Hæreſiarchæ.

Et quia iſta malitia & animi peruerſitas inſignis erit in Anti-Chriſto, cuius cæteri, qui eum anteceſſerunt pari malitia prædìti, fuerunt prodromi; Et iſta carnis prudentia inſignis erit, vel in illo inuaſore imperij Romani, qui Eccleſiæ maieſtatem conculcabit; ſeu in Pſeudo-Pontifice, qui Anti Chriſti diuinitatem perſuadere conabitur, eiuſque præſtigia extollet, & ſimilibus præſtigiis ad ei credendum populos prouocabit; ideo per beſtiam, & Pſeudo-Prophetam, ſpecialiter Anti-Chriſtus & Pſeudo-Propheta eius hic primò & præcipuè intelliguntur: qui cum aperta quadam & omnibus conſpicua damnatione certiſſima puniri debeant, eorum manifeſta punitio parabit cibum exquiſitiſſimum verbi Dei præconibus, qui pro tunc illis contradicere audebunt. Hunc locum, ita exponit Ambroſius. *Congregabuntur*, inquit, *namque beſtia & Reges terræ, & exercitus eorum, vt pugnent contra Chriſtum & ſanctos eius. Quando Anti-Chriſtus & innumerabilis multitudo gentium, quæ ab eo decipientur, ad perſequendam Eccleſiam Dei exurgent, vt nomen Chriſti de mundo funditùs extinguant. Apprehendentur*, addit Ambroſ. *Beſtia, & Pſeudo-Propheta eius, quando illud implebitur quod Apoſtolus Paulus ait: Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Et paulo poſt: *Anti-Chriſtus ergo, & Pſeudo-Propheta eius viui miſſi ſunt in ſtagnum ignis, id eſt, in malitia ſunt viui, in ea videlicet vſque ad fines vitæ ſunt perſeuerantes. Quod autem dicit, quia cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, interfectionem iſtam pro confuſione poſuit. Nam ſancti, quorum doctrina per gladium oris Domini deſignatur, interfecto Anti-Chriſto inſultabunt infidelibus, eoquod hominem impiiſſimum atque omnibus hominibus deteriorem, Anti-Chriſtum, immortalem Deum exiſtimauerint, quem conſtabit peſſima morte peremptum. At illi confundentur, & tabeſcent in iniquitatibus ſuis. Omnes ergo Aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum, quia ſubuerſo Anti-Chriſto omnes electi inenarrabiliter gaudebunt & exultabunt, eo quòd à tam peſſimo hoſte miſericordia diuina eos liberauerit: omneſque qui eos perſequebantur velut fumus euanuerint.* Ita Ambroſ. Videſne manifeſtam inſignis perſecutoris, & inſignis impoſtoris punitionem præparare cibos exquiſitiſſimos auibus ſaturandis, itaut talis manifeſta & conſpicua punitio inſigniter peccantium, & Eccleſiam perſequentium, ſit præparatio cibi iuſtorum, qui lætantur cum vident Satanam & aduerſarium Dei ſub pedibus ſuis conteri? Quod propter necem Anti-Chriſti tunc fidelibus continget, hoc frequenter factum eſt cum plurimi manifeſtè Eccleſiam oppugnantes, apertâ punitione deleti ſunt, vt ſciant ſcilicet homines E quod vtique eſt Deus iudicans eos in terra. *Nondum*, inquit S. Auguſt. in hunc Pſalm. 57. *in illa vita, nondum in igne æterno, nondum apud inferos, ſed hic in terra.* Ita Aug.

Notandum ſiquidem quædam hominum crimina, talia & tanta eſſe, & ex tam enormi malitia orta, vt ſi Deus illa confeſtim non vlciſceretur, videretur ſuæ iuſtitiæ oblitus, propter nimiam, & intolerabilem peccantium ſuperbiam, quæ eum cogunt vt zelotes honoris ſui atrocitatem & enormitatem ſcelerum ipſorum ſtatim vlciſcatur. Hac ratione vltus eſt, Numer. 16. Schiſma Core, Dathan & Abiron, qui deſcenderunt viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Et de Nabuchodonoſor intelligunt interpretes quod dicitur A Iſaiæ 14. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui.* Ac ſi non poſſet infernus expectare quòd viuus deſcenderet, niſi ei occurrat, vt eum citiùs deglutiat. Et de Copronymo impio Virginis hoſte refert Theophanes apud Baronium, ipſum in morte dixiſſe: *Viuens adhuc ſum igni inextinguibili traditus.* Sic malè perierunt duo inſignes pſeudo-Prophetæ Arrius & Manes, vt patet ex eorum hiſtoria. Ita *hi duo*, beſtia videlicet & pſeudo Propheta, *viui miſſi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris.* Id eſt; viuentes in peccatis, in ſceleribus ſuis perſeuerantes, viuentes in proſperitatibus caſum ſuum, internecionem ſuam ex improuiſo venientem adſpicientes, & ſentientes, in puncto, in momento in infernum detruſi, iam ap-
B prehenſi, id eſt, in aſtutia ſua deprehenſi, nihil tale antea cogitantes, inciderunt in foueam perditionis, in laqueos mortis, quos ſeruis Dei præparabant. *Forſan hi duo*, inquit Andr. Cæſar. *communem mortem non oppetent: Verùm in momento, in ictu oculi extincti, mortéque ſecunda condemnati, ad ardentis ignis lacum abripientur.* Ita Andr. Cæſar. Itaut verè dixerit Iudith in ſuo Cantico: *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis. In die iudicij viſitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Viui itaque mittuntur, quia ad viuum ſentient pœnas & ſupplicia inferorum, ignis ſcilicet & ſulphuris. Sicut igitur in die iudicij quorumdam damnatio erit no-
C toria, abſque vlla diſcuſſione actuum ipſorum, nempe infidelium, de quibus dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus eſt*; ita expedit, vt in hac vita aliquorum ſcelera puniantur, vt fides ſeueritatis diuinæ, & odij, quo Deus peccata proſequitur, detrimenta non patiatur, ſi vſque ad vltimum iudicij diem vltio eorum retardaretur. In iudicio vltimo namque omnes quidem iudicabuntur iudicio retributionis pœnarum aut præmiorum, ſed iudicium diſcuſſionis meritorum erit tantùm pro fidelibus: nam cum infideles fide careant, non potuerunt habere illam rectitudinem intentionis in operibus ſuis, quæ requiritur vt opera illam bonitatem obtineant, propterquam aliqua boni & mali commixtio reperiatur; itaut diſ-
D cutiendum ſit quænam opera bona exiſtant, quænam autem mala; & ſic abſque diſcuſſione damnabuntur, vt dictum eſt quòd *qui non credit, iam iudicatus eſt.* Sic in hac vita aliqui ſunt, quorum damnatio debet eſſe notoria, propter eorum nimiam audaciam, qua Dei Eccleſiam perſequuntur, & ex eorum vltione timeant homines illorum perfidiam & audaciam imitari. Hoc modo per talem & viſibilem, & ſenſibilem vltionem hoſtium Eccleſiæ, præparatur conuiuium animabus ſeruorum Dei, ſeu eorum qui pro Dei Eccleſia laborant, & militant, vſque ad ſanguinis ſui profuſionem.

Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum.

Quænam ſit illa occiſio?

ANNOTAT. XXII.

PRÆTER notorios & manifeſtos illos impugnatores Eccleſiæ, quorum damnatio debet eſſe etiam nunc notiſſima, alij ſunt peccatores, qui dum in ſtatu peccati exiſtunt, de numero ſunt illorum exercituum, qui congregantur à regibus beſtiam adorantibus, ad præliandum cum ſedente ſuper equum, & exercitu eius. *Qui ſub diabolo*, inquit Andreas Cæſar. *ſtipendia faciunt, illos multitudinis numero offert, propter diuerſas peccati formas, multiplicemque peccantium ſententiam, & voluntatem; cum tamen Angelicarum virtutum hominumque Angelorum puritatem*

æmulantium minimam partem exequent. At eos qui Chriſtum ſequuntur ſingulari numero exercitum vocat, propter ſingularem voluntatum conſenſionem, ſententiaque Dei verbo gratia coniunctionem. Ita Andr. Cæſ. Qui ſic, vt numero parem faciat exercitum Chriſti, Angelos hominibus ſociat, qui certè ſoli numerum malorum non exequarent. Quidquid ſit, omnes diuerſimodè pereuntes componunt exercitus plurimos præliantes aduerſus Chriſtum, & exercitum eius, quos ad duas Claſſes reuoco. Prima eſt eorum qui gladio verbi diuini occiſi myſticè ad Deum conuertendi ſunt, & à quibus eiuſdem verbi vi & potentiâ, præcidenda eſt omnis peccati labes, & macula, omnis mortalitas & corruptio, cum reſurgent immortales & incorrupti. Secunda eſt eorum, qui in peccatis perſeuerantes, ſiue ante, ſiue poſt conuerſionem ſuam, ſententia vltrici, iudicij certa condemnatione, & in æternum ignem allegatione, à iuſtorum & ſaluandorum cœtu ſunt præſcindendi & ſeparandi, itaut illa occiſio myſtica ſit, & in bonam & in malam partem interpretari queat. Quod modo loquendi ſcripturæ conſueto conforme eſt. Et ex hac cauſa gladius dicitur ex vtraque parte acutus, vt ex vna parte ſalubriter percutiat quoſdam è tanto numero peccantium conuertendos, ex alia parte alios formidabiliter præſcindat à cœtu viuentium.

De occiſione myſtica ſalutari intelligendus eſt locus Actuum Apoſtolorum, in quo Petrus in extaſim raptus poſt viſionem vaſis cuiuſdam, ad modum lintei magni, quatuor initiis ſummiſſi de cœlo, in quo erant quadrupedia terræ, & beſtiæ, & reptilia, & volatilia cœli, veluti diuerſi exercitus peccatorum, auarorum in terra gradientium, & guloſorum, & luxurioſorum, & iracundorum, & inuidorum, & ambitioſorum, ac ſuperborum; audiuit vocem dicentem ſibi: *Surge Petre: occide & manduca.* j. occide: Sacrifica: immola. Act. 11. Ac ſi diceret: cum gladio verbi, cuius te conſtitui miniſtrum & diſpenſatorem præcipuum, percute eos qui in me adhuc non credunt, & diabolo & reproborum capiti adhærent, vt contra me militent; & eos ſic ad me conuerte, vt in meum exercitum coaptentur. Hunc locum hoc modo exponit S. Greg. l. 18. Moral. c. 20. In hæc verba Iob: *Nec tranſiuit per eam Leæna. Per quam*, inquit, *videlicet Synagogam, Leæna non pertranſiit, quia ſancta Eccleſia collectioni gentium dedita, nequaquam ſeſe ad illum Iudeæ populum diutiùs occupauit. Rectè autem Eccleſia Leæna nuncupatur, quia malè viuentes in vitiis, ore ſanctæ prædicationis interficit. Vnde & ipſi primo Paſtori quaſi eius ori dicitur: Macta & manduca. Quod mactatur quippe, à vita occiditur. Id verò quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo & manduca dicitur, id eſt, à peccato eos, in quo viuunt, interfice, & à ſeipſis illos in tua membra conuerte.* Ita S. Gregor. poſt S. Hieron. in 3. c. Thren. Ierem. l. 2. hunc verſiculum exponens: *Confregit ad numerum dentes meos. De ſanctis*, inquit, *prædicatoribus dictum eſt: Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro. Vnde & vni eorum oſtenſis in figura gentibus, dicitur: Macta & manduca. Id eſt: Vetuſtatem earum contere, & in corpus Eccleſiæ videlicet, & tua membra conuerte.* Ita S. Hieron. Et rectè, *in tua membra*, Petro loquens, qui eſt caput totius Eccleſiæ, cuius omnes fideles debent eſſe membra. Hoc modo paratur conuiuium pingue, conuiuium medullatorum, conuiuium lætum & iucundum miniſtris verbi diuini, dum errores, & peccati affectus occiduntur & perimuntur, & præſcinduntur à mentibus & voluntatibus credentium, dum per gladium legis diuinæ, & adminiſtrationis Sacramentorum, non modò affectus peccati, ſed ipſa peccata occiduntur, dum remittuntur: & occaſio recidendi in ea,

A per legem Chriſtianam membra noſtra crucifigentem, præciditur, vt in futura reſurrectione perimatur in electis omnis corruptio, & mortalitas, & ab eis reprobi præcidantur. Hæc omnia operatur verbum Dei, dum Euangelium proponitur credendum, dum Sacramenta adminiſtrantur, dum lex ſpiritus inducitur. Oportet enim vt caro moriatur, & quæ carnis ſunt moriantur, vt ſpiritus ſaluus fiat. *Non videbis* enim *me homo, & viuet*, vitâ ſcilicet carnali & mortali, dum ad vocem filij Dei reſurgent electi, dum per eius ſententiam ab eis in æternum ſeparabuntur maledicti. Quis enim alius poſſet hoc præparare conuiuium, niſi potentiſſimum Dei verbum? Eius eſt errores præſcindere, vitia reſecare, pecca- B ta condonare, mortuos ſuſcitare, impios iudicare & condemnare. Vnde tota vis & efficacia prædicantium, ad conuerſionem animarum, pendet à virtute Chriſti, in cuius nomine verbum annunciant. Optimè S. Gregor. in hunc locum Iob: *Nunquid capies Leænæ prædam?* c. 37. lib. 30. Mor. c. 7. ait: *Huius igitur Leæna* (j. Eccleſiæ) *Dominus prædam capit, vt animam catulorum eius impleat: quia ad augmentum huius Eccleſiæ innumeros de gentilitate diripuit, & per animarum lucrum eſurientiũ Apoſtolorum vota ſatiauit.* Quibus addit Gregor. *Illis foribus clauſis iſti catuli mortem mortis noſtræ inſidiati quæſierunt, vt culpam noſtram interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. Horum primo illi eſurienti catulo, ſed iam valenti, oſtenſa per lin-* C *teum gentilitate, quaſi miniſtratâ prædâ, dicitur: Macta & manduca.* Ita S. Greg. Huius conuiuij participes ſunt non modò Apoſtoli & prædicatores, ſed & Eccleſiæ doctores. *Vel certè*, inquit Gregorius, *quia etſi quorumdam fidelium magiſtri ſunt, vniuerſalis tamen Eccleſiæ diſcipulos ſe eſſe gloriantur. Leæna itaque prædam Dominus capit, quia virtute ſuæ inſpirationis ab errore vitam delinquentium diripit; & animas catulorum illius replet, quia conuerſione multorum piis doctorum deſideriis ſatiſfacit. Ad hoc quippe iuſti huius mundi peccatores rapiunt, vt per conuerſos eos etiam alij ex mundo rapiantur. Vnde & ipſa gentilitas, quæ pio Apoſtolorum ore capta eſt, tanta nunc fame alios eſurit, quanta ſe ab Apoſtolis concupitam fuiſſe cognoſcit.* Ita ſanctus Gregorius. Et D rectè nihil enim aliud animæ Deum amantes, & zelo honoris eius accenſæ tantopere exoptant, quàm animarum ſalutem. Quod S. Gregor. docet in capite ſequenti, in hæc verba Iob: *Quis præparat coruo eſcam ſuam? Quomodo pulli eius ad Deum clamant, vagantes eo quòd non habeant cibos? Pullis*, inquit, *coruorum, filiis ſcilicet gentium eſca datur, cum eorum deſiderium noſtra conuerſatione reficitur. Iſte coruus eſca fuit, dum ipſum ſancta Eccleſia quæreret: ſed nunc eſcam accipit, quia ipſe ad conuerſionem exquirit, cum videlicet pulli, id eſt, prædicatores ex eo editi non in ſe præſumant; ſed in viribus redemptoris ſui. Vnde benè dicitur: Quando pulli eius ad Deũ clamant. Nihil enim ſua virtute poſſe ſe ſciunt. Et quamuis animarum lucra piis votis eſuriant, ab illo tamen qui cuncta* E *intrinſecus operatur, hæc fieri exoptant: quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quod verò dictum eſt: Vagantes eo quòd non habeant cibos: In hac vagatione nihil aliud quàm æſtuantium prædicatorum vota ſignantur, qui dum in Eccleſia ſinum recipere populos ambiunt, magno ardore ſuccenſi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos deſiderium mittunt. Quaſi quædam quippe vagatio eſt ipſa cogitationis æſtuatio; & velut ad locum varia mutatis nutibus tranſeunt, dum pro adiuuandis animabus in modos innumeros, ac in partes diuerſas eſurientes mente diſcurrunt. Hanc vagationem pulli coruorum, id eſt, filij gentilium ab ipſo gentium Magiſtro didicerunt. Ipſe quippe quàm valida charitate flagrat, tam nimia ex locis ad loca ſe vagatione permutat. Trãſire ad alia ex aliis appetit, quia ipſa eum quæ expleat charitas impellit, &c.* Ita S. Greg. Vides ne aues volantes, quæ nullo

Digitized by Google

alio cibo lætiùs ſaturantur, quàm ſi animas ad ſalutẽ A adduxerint per conuerſionem, qua ſpetare poſſint conuerſos corpore & anima aliquando eſſe beandos, & glorificandos. Hoc igitur modo paratur eis conuiuium per verbum Dei, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil; per quod, accedente verbo ad elementum, fiunt Sacramenta, quibus, iuſtificamur: per quod illuminamur: Verbum enim Domini lucidum, illuminans oculos: de quo etiam dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*: Quo in nobis occiditur quidquid carnale & vitioſum eſt. De quo Apoſtolus ad Philipp. capite ſexto. *Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*: quo corpora noſtra ſuſcitabuntur ad vitam quo præ- B mia decernentur iis qui illud audierunt, & ſeruare voluerunt. Audient enim: *Venite benedicti Patris mei, &c. Eſuriui enim, &c.* Fidelis enim Deus, qui dixit: *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Matt. 10. quo ſupplicia tandem dabuntur impiis, qui illud audire noluerunt, & obdurauerunt aures ſuas, nec audierunt pauperum clamorem: dicetur enim eis: *Ite maledicti in ignem æternum, &c. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Et hoc modo vides, optime lector, qua ratione præparatur cibus ſeruorum Dei, nempe per potentiam verbi, qua animæ conuertuntur, & impij conteruntur, ſiue in hac vita, ſiue in futura. C Quæ contritio & occiſio myſtica impiorum in eodem ſchemate ſignificantur, nempe: *Cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum.* Per occiſionem enim in ſcriptura vltiò diuina exprimitur. Pſ. 138. *Si occideris, Deus, peccatores.* Et Iſaiæ c. 13. *Omnis qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio.* Et Geneſ. 38. de Her primogenito Iudæ dicitur: *Fuit quoque Her primogenitus Iuda, nequam in conſpectu Domini: & ideo ab eo occiſus eſt.* Occiduntur enim gladio ſedentis in equo peccatores, cum eius iudicio iuſtiſſimo, eiuſque ſententia ad infernum detruduntur.

Nec aliquid à maieſtate ſcripturæ dicemus alienũ ſi iſtas aues in malam partem ſumentes (ſiquidem D multiplices hos ſenſus eadem litera patitur, vt patet ex diuerſis interpretum expoſitionibus) alia interpretandi ratione, dicamus has aues accipi poſſe pro dæmonibus. Quam expoſitionem affert Primaſius. *Aliter*, inquit, *poſſunt & in malo, aues intelligi Angeli tranſgreſſores: qui cum ſuos ad interitum perduxerint ſectatores, ſic malo deſiderio expleto ſatiari dicuntur carnibus perditorum de eorum captantes damnatione ſatietatem, quibus ſe autores præbuerunt ad errorem.* Ita Primaſ.

Dicamus igitur ſummum Pontificem habentem ſupremam autoritatem præſcindendi à cætu fidelium, & anathematizandi contumaces, Eccleſiæ rebelles, hæreticos, & ſchiſmaticos, hac poteſtate tradere ſatanæ aliquos tyrannos, & Eccleſiæ per- E ſecutores, & hæreticos, & ſchiſmaticos. Quod quidem præſtabit, cum maledictione percutiet Anti-Chriſtum, eiuſque ſectatores, gladio ſedentis in equo, qua maledictione prolata occidatur Anti-Chriſtus, ſpiritu oris Domini; dum ab omni ſpe veniæ, qua Deo reconciliari, ipſumque videre poſſet, ſpoliabitur; ſiue in deſcenſu viuens abſorptus occidatur, ſiue vſque ad inferna in corpore & anima viuus deſcendat, ibi moriturus, vt tandem cum aliis reſurgat morte æternâ plectendus, & in anima & corpore in æternum cruciandus. Gaudent enim dæmones, & ſaturantur perditione impiorum.

Cur iſta refectio, cœna, non prandium nuncupetur?

ANNOTAT. XXIII.

HVIVS quæſtionis ſolutio facilis eſt: hac enim ratione docemur adimpletionem eorum, quæ præcipuè in hac viſione ſignificantur, faciendam fore in conſummatione, ſiue vitæ noſtræ, ſiue ſæculorum; itaut licèt tum Apoſtoli & ſancti primitiuæ Eccleſiæ, deinde ij qui poſt eos, à mane vſque ad ſextam & nonam horam, in vinea laborauerunt, & de vineæ fructu edentes multam propterea perceperint de ſuo labore voluptatem; tamen qui circa vndecimam horam venturi ſunt, vt in vinea laborent, ea voluptate non fruſtrabuntur: nam & ipſi eadem voluptate, qua potiti ſunt ante meridiem laborantes, & circa nonam cum Petro mactantes & manducantes carnes Regum, & Tribunorum, & cæterorum; eadem potientur qui in fine ſæculorum contra Anti-Chriſtum, & eius ſectatores ſtrenuè dimicabunt, & ad conuerſionem animarum, & confirmationem fidelium in fide vigilantiſſimam operam impendent. Hinc ſi ſanctus Matth. c. 22. conuiuium ob nuptias filij Regis, prandium nuncupauit: *Dicite*, inquit, *inuitatis: Prandium meum paraui: tauri mei & altilia occiſa ſunt*; ad ſignificandam lætitiam laborantium in regno Dei, decurrentibus ſæculis, in quibus plurimi ad fidem conuertuntur; Sanctus Lucas c. 14. de cœna loquitur. *Homo*, inquit, *quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*: vt gaudium eorum, qui etiam in fine ſæculorum in Euangelio laborabunt, deſignaret. His adde inſtituta Religioſorum, & Miſſiones extraordinarias aduenisse vergente mundo ad finem & conſummationem. Denique cœna eſt: quia ſiue in fine vitæ, ſiue in conſummatione ſæculorum, merces datur: cuius intuitu laborantes in Euangelio, & ſaluti animarum incumbentes, plurimam concipiunt in mente voluptatem. Et de his ſatis

Notandum autem quam maximè, quamuis in præſenti capite de interitu Anti-Chriſti mentio fiat, de perſecutione ipſius nihilominus adhuc in capite 20. ſermonem recurrere. Finitur enim in hoc capite decimo nono tota cataſtrophe prælij initi Chriſti & militum eius, cum carne, mundo, & diabolo, ad regnum ſuum inſtituendum, ſtabiliendum, & perficiendum. Sed quia opus erat ſcire quantum temporis duratura eſſet illius Regni viſibilis erectio, ad id declarandum opus fuit recurrere ad alligationem & ſolutionem diaboli, & eius ac beſtiæ & pſeudo Prophetæ condemnationem, & detruſionem in ſtagnum ignis & ſulphuris: durabit quippe illud regnum, quandiu alligatus fuerit draco, ſerpens, diabolus & ſatanas. Intermittetur aliquantulum temporis, quando ſoluetur, & ei permittetur omnem ſuam adhibere induſtriam, vt illud euertat & conterat, ſi fieri poſſet. At cum congregauerit gentes, vt Eccleſiam multitudine & ferocitate obruant, ſi poſſint, tunc ipſe cum beſtia & pſeudo-Propheta mittetur in ſtagnum ignis & ſulphuris. Qua quidem animaduerſione & interpretatione. Reſpondetur difficultati quorumdam, qui exiſtimant poſt Anti-Chriſti necem in capite hoc decimo nono deſcriptam, adhuc fore mille annos pacis, & nouam emergendam eſſe contra Eccleſiam perſecutionem. Quod falſum eſt: nam perſecutio Anti-Chriſti vltima erit, & poſt illam Eccleſia nullos patietur aduerſarios, qui eius maieſtatem, & ſplendorem, & autoritatem poſſint offuſcare. In hoc igitur Capite 19. finis prælij deſcribitur, partâ victoriâ de hoſtibus. In vigeſimo, tempus durationis Monarchiæ Eccleſiaſticæ, in qua, & per quam regnat Chriſtus in terris, proponitur: & ſic omnia conciliantur.

FINIS CAPITIS XIX.

Digitized by Google

DE DVRATIONE VISIBILIS Monarchiæ Eccleſiæ ; & quomodo ipsâ durante, per exercitium autoritatis ſummorum Pontificum ſibi inuicem ſuccedentium , omnes ſatanæ conatus euertuntur, quibus viſibile Chriſti regnum attentat impugnare, cuius auctoritatis vſus interruptus tandem Deo permittente, ſplendorem Eccleſiæ offuſcare eidem permittitur ad tempus, quo finito, in tartara cum Anti-Chriſto & aſſeclis detrudetur , & de finali iudicio.

CAP. XX.

TEXTVS.

Et vidi Angelum deſcendentem de cælo habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua , & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus , & ſatanas, & ligauit eum per annos mille.

FIDELIS Deus in promiſſis, qui Petro repromiſerat quòd portas inferi præualere aduerſus Eccleſiam nequaquam permitteret , cuius diuina prouidentia diuerſis rerum generibus ac ſpeciebus Angelos præfecit , ſingulis hominibus in cuſtodiam deputauit, cunctas Monarchias aut Reſpublicas moderandas eiſdem concredidit , cum inferiora per ſuperiora regat , Eccleſiæ ſuæ Angelum protectorem deſignauit , cuius miniſterio tot diuerſorum ordinum ſtatus ſtabiliat , tot diuerſorum miniſteriorum actus fæliciter exequatur , & Eccleſiaſticæ Monarchiæ ſplendorem incolumen ſeruet. Hinc vidi illum Angelum (qui in cœlo contra ſatanam & aſſeclas eius olim dimicarat, eumque è paradiſo potenter eiecerat) è cœlo deſcendentem ; vt impiis eius conatibus obſiſtat. Diabolus enim è cœlo proiectus , (tum cum è cœlo empyreo fuit expulſus illius præſumptione proſtratâ , tum cùm idololatriâ conculcatâ quaſi è cælo iterum fuit eiectus, diuinis quos concupierat honoribus fruſtratus) deſcenderat habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet; & per inuidiam terrenarum poteſtatum , deinceps Regnum Chriſti ſubuertere ſemper fuit meditatus. Ad hoc perficere non valuit Michaële Eccleſiæ protectore ipſi fortiter obſiſtente. Habet namque Michael clauem abyſſi , id eſt, inſignem quandam poteſtatem, qua furorem draconis reprimat , aſtutiam ſerpentis huius eludat , calumnias diaboli retundat, obſtinatam & peruicacem ſatanæ impugnationem deuincat. Quod quidem vt conuenienti modo ac ratione præſtet , habet inſuper catenam magnam, quâ draconem illum , ſerpentem antiquum , diabolum & ſatanam liget : itaut quamuis furore inardeſcat , aſtutiosâ malitiâ plurimos prætendat errorum laqueos , calumniis ac mendaciis cuncta repleat, vexationibus variis Eccleſiam impugnet , nihilominus vani erunt eius conatus, quandiu hac catenâ ligatus remanebit. Hæc autem catena nulla alia eſt quàm ſucceſſio Epiſcoporum , & præcipuè Romanorum A Pontificum , qui ſinguli in manu Dei ſunt quaſi annuli pretioſi , & ſignacula voluntates eius ac decreta obſignantia , vt ab eo protegantur ; & cooperatores eius ſint in operibus gratiæ & ſalutis : & quia ſibi inuicem ſuccedunt , catenam vnam conficiunt ſimul colligati ſeu concatenati , quia eiuſdem autoritatis ac dignitatis ſunt participes. Hac catenâ Michael ligat draconem , ne rabie ac furore ſuo omnia deuaſtet ; cum autoritatem Petro datam , tanquam ſaxum immobile tyrannorum decretis & oppreſſionibus excitatis, ne Chriſtus colatur opponit. Ligat ſerpentem , cum illius ſedis firmitate intuenda veritate , tanquam facula ardente ac lucente, B mendacia & fucos hæreticorum diſpergit ac diſſipat. Ligat diabolum , cum peruerſas ſchiſmaticorum cauillationes ac calumnias rectâ & ſincerâ rerum ſpiritalium adminiſtratione , & præcipua ſanctitate plurimorum Paſtorum proſcindit ac reſecat. Ligat ſatanam cum corruptos hominum mores, quibus potiſſimùm vexatur Eccleſia , ſanctiſſimis legibus , ac decretis coërcere , ac pœnis & cenſuris legitimis proſequitur ; & quacumque viâ ſeu ratione ſatan aduerſetur , varios Spiritu ſancto inſtigante modos obſeruat , quibus eius malitiæ fortiter & ſapienter reſiſtat.

Apprehendit igitur draconem , ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas. Cum nempe deſ- C cendit in terram, exiſtimabat ſe liberè graſſaturum: & vt fuit homicida ab initio , nihil aliud quàm cædes meditabatur. Vt Pater mendacij, omnes errores diſſeminare ſibi libitum fore putabat , quibus ſeduceret gentes : & qui in Deum ſtruere calumnias auſus fuerat , ſanctitati fidelium imponere ac ſibi impunè detrahere in animum induxerat ; quique iam tentationibus ſuis primum hominem deiecerat , ac ſecundum Adam Chriſtum Dominum tentare minimè pertimuerat, variis vexationibus homines à bono auertere conabatur: Cum ecce ille Angelus, qui eius audaciam repreſſerat , cum ait : *Quis vt Deus?* Eum veluti perſequens ac proſequens , supremâ in eum vtens autoritate , ei maiorem poteſtatem (nempe

Digitized by Google

Dei, cuius omnipotentiæ nemo poteſt reſiſtere) obijcit, & ait: ſiſte gradum: ne vltra progrediaris. Imperat tibi Dominus rabie tua hominibus mortem attuliſti: eos tuis illuſionibus vſque huc dementaſti: falſa pro veris eiſdem propinaſti, & calumniis ac vexationibus, à virtutum exercitio ac ſtudio eos auocaſti: huius temporis Deus deſpiciens ignorantias, miſit Chriſtum ſuum, qui opera tua diſſoluat, & te tanquam ſalutis humanæ hoſtem, veritatis inimicum, mortalium ſeductorem, ſanctitatis oppugnatorem, & totius pacis & tranquillitatis perturbatorem, è cordibus eorum expellat. Et quia nunquam à malo ceſſare, tibi in animo eſt, te catenâ hac alligabo, vt hac ratione omnia tua conſilia tanquam futilia euaneſcant. Quidquid enim peruerſa nocendi voluntate cogitaueris, vt Dei propoſitum oppugnes, minimè proſperabit. Nec enim eſt prudentia, aut ſapientia, aut conſilium contra Dominum. Tam efficacia ſunt Dei auxilia hominibus præſtita, vt ad ſuum finem perueniant, vt quidquid inuenire aut excogitare poſſis, pro nihilo haberi debeat: & tam fortia & ſtricta ſunt vincula, quibus alligatus eris, vt ea quæ prætendis, exequi minimè valeas. Si enim rabie ductus ac furore, per tuam præuaricationem in te inſito, percitus, homines qui Chriſtum adorant morte afficere ſemper mediteris, dabit eis poteſtatem conculcandi te, è corporibus eijciendi, ac in tartara detrudendi. Suſcitabis contra eos Principes & poteſtates ſæculi, qui variis tormentis ac ſuppliciis illos afficient: ſed inuictâ animi conſtantiâ omnia propter Chriſtum ſuperabunt, quin & in cinerem redacti de te ac de tuis perſecutoribus, glorioſè triumphabunt. Stat immobilis illa ſumma Eccleſiæ collata autoritas, vt quicumque ſuper eam ceciderit, tanquam ſuper petram duriſſimam confringatur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum; vt omnem tuam, ô draco, audaciam & terrenarum poteſtatum peruicaciam cõminuat ac in cinerẽ redigat. Exaltationes nempe Dei in faucibus Paſtorum Eccleſiæ, gladij ſunt ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges in compedibus, & nobiles eorum in manici & ferreis. Si calliditate & aſtutiâ tuâ fretus, homines mendaciis decipere, erroribus à recto veritatis tramite auocare intendis ecce miſit Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ ſpiritum veritatis à Patre & Filio procedentem, qui omnem edoceat veritatem, itaut Eccleſia columna & firmamentum veritatis remaneat, ad cuius fulgorem cunctæ diſcutientur propoſitiones, fucorum totum ac mendaciorum refertæ diſpergantur, veritati conformes ſtabiliantur. Erunt ſiquidem *compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris*: Itaut qui collum intellectus ſui illis ſubmiſerit, ab omni hæreticâ prauitate ſecurus exiſtat.

Si inuidiâ tua pulſus charitatem & optimam Eccleſiæ concordiam proſcindere & perturbare attentaueris, ſchiſmaticos excitando, qui calumniis, cauillis & dicacitatibus electiones & promotiones legitimorum Paſtorum Eccleſiæ impetere, ſanctiſſima Pontificum decreta vt iniuſta & temeraria vituperare audeant, & ex peruerſitate morum quorundam, doctrinæ veritatem repudiare, ac ex inconſiderata aliquorum abuſuum tolerantia, ſeparationis ſuæ occaſionem prætexere velint, erit tunc Deus Eccleſiæ ſuæ protector eâ potentiâ quâ olim Core, Dathan, & Abiron in ima terræ deiecit, eadem ſchiſmaticos cunctos diſperdet, eâ potentiâ quâ mundi ordinem adeo firmiter ſtabiliuit, vt extra ſphæram potentiæ tuæ ſit ipſum euertere, eadem le- A gitimam Patrum Eccleſiæ adminiſtrationem fouebit: ac tam inſigni pietate ac ſanctitate multos veluti armillis ornabit, vt nihil dicere habeant omnes Eccleſiæ aduerſarij, nec legitimè eorum miniſterium vituperare.

Quod ſi tandem obſtinatâ malitiâ ductus fideles variis tentationibus ad malum promouere contenderis, vitia cuncta ſuggerendo, ſuperbiam inſtillando, auaritiæ, iræ, gulæ ac luxuriæ faces accendendo, inuidiam inſtigando, acediam imprimendo; ne malis ſuccreſcentibus bonum ſemen ſuffocetur, tibi obſequentes & ad voluntatem tuam captiuos Eccleſia ſponſa Chriſti à ſe iuſtè expellet, & à ſua communione & Sacrorum communicatione ſeparabit: alios ſeueritate legum ſuarum compeſcendo, ne B in talia peccata aut crimina incauti impingant. Sic qui te in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit, qui te rudentibus inferni detractum in tartarum tradidit cruciandum, tibi imperat ne exinde exeas, niſi velis maiora adhuc ſubire ſupplicia. At efferre pedem, at recalcitrare audes? Sentiſne, ô miſer, ſentiſne inquam, hanc vim permanentem: vt detentus & ligatus optimum Eccleſiæ ſtatum perturbare non valeas. Nonne animaduertis omnem Dei concurſum à te amoueri, vt tenebricoſo intellectu nihil inuenire poſſis, quo conſilio eius aduerſari aut exire valeas ab hoc tormentorum loco: vnde per mille annos taliter ligatus remanebis. TEXTVS

C Talia fatus miſit eum in Abyſſum ſummus enim rerum omnium moderator, qui ſapientiſſima ordinatione ſuâ rebus omnibus creatis, iuxta earum entitatem, operationem, finem ac ſtatum, locum in quo degant & quieſcant attribuit, qui proinde ab initio conditionis rerum, cœlum Empyreum ſpiritibus, aërem auibus, mare piſcibus, terram animalibus, paradiſum terreſtrem hominibus aſſignarat; volens ſuperbiam Satanæ retundere, voluit eum in talem locum retrudi, in quo etſi ſaluus, & incolumis maneat eius natura, torqueatur & contriſtetur tamen eius peruerſa voluntas, apprehendens ſe eſſe ac detineri in loco ſibi non conuenienti: Hinc mi- D niſterio eiuſdem Angeli vſus in Satanam vim ac impetum quemdam fortiter impreſſit, quouſque in profundum Abyſſi terræ detruderetur. Supra omnia eleuari concupierat: Deo ſimilem ſe fore impudenter appetierat: tanto profundius abigatur, quo ſublimius extolli meditabatur, nullâ naturæ ſuæ ſpiritalis, qua ſupra omnia corpora eleuari æquum erat, ratione habitâ, itaut infra omnes res corporeas in viſceribus terræ remanere cogatur, nec tantum hoc tactus impetu in infernum demerſus eſt, ſed etiam deſperatus ad ima quaſi ſponte deſcendit. Natura ſiquidem Angelica ſola tum intellectus tum voluntatis actione mouetur, nec alia ab iis potentiis diſtinctâ facultate vtitur, vt moueatur: Quo fit vt cùm E euidenti veritate, cui contradici non poſſit intellectus eius fuerit conuictus, obniti nequeat, & obtemperare ei neceſſarium ſit ſubitò igitur hac veritate quaſi Fulmine tactus Satanas (Quis vt Deus? Quis ei impunè reſiſtere voluit, & pacem habuit? Quis illius decretis refragari valet? Hoc mandat & præcipit tibi Deus: Deſcende, deſcende, & confundere miſer, & in abyſſis terræ abſcondere, qui cum tanta ingratitudine ac impudentia debitos Deo ſoli honores affectare auſus fuiſti.) Confuſus abiit, & tremens in ſubterraneo ſpecu ſeipſum abſcondit. Ad tartara ſic præcipitatus multa moliebatur, quo Dei conſilia diſſipare prætendebat. At abyſſus abyſſum inuocat, & in abyſſo terræ demerſus ſe in alium abyſſum iudiciorum Dei imperſcrutabilium repoſitum agnouit iudicia enim Dei abyſſus multa, & ſa-

Et miſit eum in abyſſum & clauſit & ſignauit ſuper illum.

Digitized by Google

ſapientiæ eius non eſt numerus. Quo fit vt artes omnes Satanæ eluſæ fuerint, & omnis eius ſapientia abſorpta & deuorata, cum Michaël Archangelus ea adimpleuit quæ ipſi iniuncta fuere, vt optimus ſtatus Eccleſiæ & initium & progreſſum acciperet, & ad debitum ſplendorem deueniret: quæ nec præuidere nec præuiſa impedire nequiuerit malignus ille ſpiritus, quidquid calliditatis ſuæ artibus, moliri potuerit.

At ne inſuper occaſionem ſumat homines calumniandi, ex tot grauibus culpis in quas inceſſanter incidunt, quid dicat non habet, cum objicit illi Angelus Michaël quod merito paſſionis Chriſti Domini ſaluantur quot quot ſaluantur. *Quis enim accuſabit aduerſus electos Dei: Deus qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet. Chriſtus Ieſus: qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro hominibus*, qui Paſtoribus Eccleſiæ ſuam poteſtatem tribuit, eiſque obedire præcepit, qui eoſdem Sacramentorum & Dei myſteriorum diſpenſatores inſtituit. Quis aduerſus eam Dei ordinationem mutire audebit? Certè attonitus hæret dum, tam profundam, miſericordiarum Dei erga homines, & charitatis ſuæ erga electos abyſſum intuetur. Hac ratione nihil poterit contra electos, qui eius temulentam rabiem, callidas machinationes, inſidias ac vexationes ſuperabunt, & per perſeuerantiam in bonis operibus, aut ſaltem per pœnitentiam finalem ad Regnum cœlorum peruenient, ipſo in cordibus reproborum veluti in abyſſo quadam ſordium & fæcis totius humani generis recondito remanente. In inferno igitur religatus, fulgore iudiciorum Dei, & charitatis ipſius erga homines attonitus, in cordibus impiorum tantummodo rabiem ſuam exercet. Clauſit ſuper eum Angelus abyſſum. Nam licèt ad tempus ſit ligatus, & in abyſſum relegatus, inſuperabili tamen Dei potentiâ detinebitur, quandiu Deo placitum fuerit; quin & hæc diuinæ prouidentiæ conſilia prorſus ſuis ipſi incognita; nec Deo, cui ſoli competit tempora noſſe & momenta, curæ aliquomodo eſt illi, notificare quandiu incluſus remanebit. Neſcit etiam penetrare qua ratione Deus quoſdam ex hominibus è manibus eius potenter eripiat, & ab eius tentationibus liberat quoſdam in pœnæ ſuæ ſocios ſecum in abyſſum releget. Hæc omnia abſconſa ſunt & clauſa oculis ipſius. Sic clauſit ſuper eum Angelus abyſſum; quin & ſignauit dicens. Amen, *Deus fidelis & abſque vlla iniquitate, ſanctus & iuſtus Dominus.* Promiſerat Deus quod portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam. Verus eſt Deus & fidelis: donec permittat, nec rabie, nec aſtutiâ, nec inuidiâ, nec malitiâ aliquid operari poterit, quo regnum eius deſtruat, & publicum cultum ipſius impediat.

Regnat quippe Deus, tum quia vniuerſæ dominatur creaturæ, filiumque ſuum hæredem fecit vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Huius regni amplitudo nullis coërcetur, limitibus, nullam excipit creaturam, & ad omnimodam & adæquatam (quantum creaturæ licet) gloriæ Dei manifeſtationem ordinatur: tum quia in cœlis regnat, intellectuales creaturas viſione ſua beando & glorificando. Cuius Regni amplitudo deſcribitur ex amplitudine cœlorum, in quibus potiſſimùm diuitias gloriæ ſuæ palam explicat, & clarè manifeſtat. Foris ergo canes, & venefici, & homicidæ, & omnis qui amat & facit mendacium. Et maximè ordinatur ad manifeſtationem ſummi in electos ſuos, ſiue Angelos, ſiue homines, amoris & ardentiſſimæ charitatis, tum quia in quibuſdam hominibus regnat per gratiam in eis inhabitantem, & complectitur tantùm homines eius gratia donatos, & nondum in gloria conſummatos, vbicumque exiſtant, ſiue ipſi in gratia permaneant, ſiue ab eâ in aliqua temporis differentiâ excidant. De quo regno aiebat ipſe: *Regnum Dei intra vos eſt:* Et ad manifeſtationem illius benignitatis & miſericordiæ, qua Deus hominum fragilitati compatitur, ex ſanctificatione hominum ordinatur. Denique vnum Regnum viſibile ſupra omnia regna mundi eminens inſtituit, cætera mundi Regna amplitudine, duratione, fortitudine, fœlicitate, fine de longe ſuperans. Vniuerſos enim fines terræ complectitur, in generatione & generationem prorogatur: vniuerſa alia Regna ſibi contradicentia comminuit: in ſuperbiam ſæculorum eleuatur: ſolâ æternâ gloriâ ſatiatur: bonos tamen & malos nihilominus complectitur, modò eadem profeſſione fidei externa, voce conſona Deum confiteantur, eiſdem participent Sacramentis, & iis qui præſunt ex Dei ordinatione ſubijciantur. Hoc Regnum, Dei externum cultum reſpicit, vt homines Deum colant & ament, & per media præſcripta ad ipſum perueniant impigrè ſatagit; contra ſatanam gloriæ Chriſti inuidentem fortiter & inceſſanter dimicat: & ad manifeſtationem bonitatis, potentiæ, iuſtitiæ, & ſapientiæ Dei ordinatur. De hoc regno dicitur. *Regnum tuum Regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Durabit ſiquidem, donec Chriſtus Dominus tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: nec contra ipſum præualebit inimicus, nec ad tantam inſaniam deducet omnes omninò gentes, quin ſaltem plurimi liberè Chriſto obediant. Ligatus enim eſt aduerſarius, *vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni*; Id eſt, donec perfectiſſimo modo omnia compleantur, quæ Deus ad electorum ſuorum complementum, & ſui nominis gloriam fieri decreuit. Ad quod perficiẽdum tempus admodum breue, ſi æternitatem Dei reſpiciamus, inſumet; mille enim anni in conſpectu Dei, tanquam dies heſterna quæ præteriit. Et reuera incognitus manet omni intellectui creato totius huius temporis decurſus, at certus & determinatus eſt in oculis Dei, cuius eſt noſſe tempora & momenta: & quantum ſupra mille annos dilabatur temporis, antequam ſoluatur ſatanas, inter noſſe. Quod nulli hominum conceſſum vnquam fuit, vt perfectum circulum annorum decurrat (nemo enim ad milleſimum numerum vnquam peruenit.) Hoc dabitur Regno Chriſti, vt operi gubernationis Eccleſiæ ſuæ perfectionem omnimodam tribuat. Ob ambulabit in medio Eccleſiæ ſol ille iuſtitiæ, & radios ſuos vſquequaque diffundet, miſericordiæ & iuſtitiæ ſuæ opera exercendo. Ad quod tot reuolutiones ſolis huius viſibilis inſumet, quot neceſſariæ erunt, vt per vniuerſi orbem prædicetur Euangelium omni nationi quæ ſub cœlo eſt; & opus ſuum tandem perficiat. Exercebitur tandem Eccleſia, cum dracone præliabitur, pietatis operibus ſe ad nuptias agni præparabit, ac per mille reuolutiones ſolis illius iuſtitiæ ſe ipſum hominibus manifeſtantis, tandem ad conſtitutum tempus perueniet, quo ſolui debeat ſatanas, & eam vexare & omnibus modis impugnare ipſi liceat. Et licèt quidam ſemper vigeant, qui caſtra ſanctorum componant: & qui ſecretò Chriſto inſeruiant: per vniuerſum tamen orbem ita vigebit, ſatanæ impugnatio, vt omni huius Regni Chriſti ſplendor offuſcetur, & maieſtas illius deprimatur, breuiſſimo quidem tempore: Breuiabuntur enim dies illi, ne in errorem inducantur etiam electi. Tanta ſiquidem erit perſecutio, vt niſi breuiarentur, ſalua non fieret omnis caro. Sic ad debitum ſplendorem tandem hoc Regnum Chriſti deueniet: ſic perfectionem ſuam comparabit: ſic operi

TEXTVS.

Vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni, & poſthac oportet illum ſolui modico tempore.

ſic operi ſuo vltimam Chriſtus manum imponet. A Quod ſi præciſè, quantum temporis permaneat, nolit hominibus præſcribere, ſciant mortales inconcuſſum manere eius decretum, & per mille annos, id eſt, per mille reuolutiones ſacratiſſimi ſolis in medio Eccleſiæ deambulantis, manifeſtatutum eſſe nomen Dei hominibus, quidquid ſit de annis illis ſolaribus, quos inſumet ad perfectionem operis ſui, quos manifeſtare noluit, vt homines cautiùs ac diligentiùs ſe in bonis operibus exerceant, neſcientes diem neque horam.

Donec igitur conſumentur mille reuolutiones huius ſolis iuſtitiæ, ligabitur ſatanas, ne gentes ſeducat, id eſt, ne impediat quominus per vniuerſum orbem prædicetur Euangelium Regni, in teſtimonium omnibus gentibus quibus completis, *oportet* B *illum ſolui modico tempore*, regnante videlicet AntiChriſto, vt manu ad manum Chriſtus & ſatanas congrediantur, & fortis impingat in fortem, & tandem corruat ſatanas cum aſſeclis ſuis. Interim qua ratione Chriſtus Dominus regnabit in orbe, ſi noſſe cupitis: ad ea, quæ poſtea vidi, conſideranda, mentem adhibite.

TEXTVS.

Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cũ Chriſto mille annis.

Vidi ſiquidem fideles ſubditos in vno quocumque loco, in quo poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos & Prælatos regere Eccleſiam Dei; quin & vidi ſanctorum corpora in pace ſepulta, in thecis & loculis reuerenter repoſita. In talibus ſedibus vidi ſedentes, nempe eoſdem Epiſcopos, quin & eos qui præcipua C ſanctitate decorati ſunt, ſiue quia Martyrium propter teſtimonium Ieſu Chriſti ſubierunt; ſiue quia ab omni ſpecie mali abſtinentes, innocentia & integritate morum Deo placuerunt, animas videlicet decollatorum propter teſtimonium Ieſu; & eorum qui non adorauerunt, beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis; his datum eſt iudicium, id eſt, Paſtoribus data eſt poteſtas, & autoritas iudicandi de doctrina, de moribus, de actibus humanis, decernendi, præcipiendi, puniendi. Sanctis etiam iudicium datum eſt, cum precibus & orationibus ſuis, & ea, qua cum Deo vtuntur, familiari conuerſatione, ea omnia impetrant adeo, & exequuntur, D quæ ad publicum Dei cultum promouendum & ſtabiliendum inſeruire poſſunt. Hi omnes vixerunt vitâ. Gratiâ enim Dei nobilitati, ſiue eâ quæ ad aliorum ſalutem gratis datur, ſiue eâ quâ ipſi grati Deo exiſtunt, per functiones & miniſteria ſua, & per quoſlibet omnium virtutum actus externos, Deo & Chriſto viuere, & propter eius honorem & gloriam operari, apparuerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis; tum quia debita illis obedientia, debitus honor ac debitus cultus illis præſtatur per totum illud temporis ſpatium à Deo præſtitutum, in quo Eccleſiæ ſplendor & autoritas in terris vigere contingerit.

Cum enim Deus duobus modis in Prælatis & Paſtoribus regnet, tum autoritate ac dignitate Pontificia, qua Paſtores Eccleſiæ in eius nomine eam regunt & moderantur, & diuina nobis miniſtrant myſteria, ſalutaria imponunt præceptorum onera: eiſque fideles morem gerant, obtemperant, obediunt, eoſque reuerentur, & honore debito proſequuntur, qua quidem ratione Chriſtum vt Regem colimus, & adoramus, tum quia eminenti quorumdam ſanctitate ſe totius boni fontem & autorem eſſe demonſtrat, opera heroica virtutum omnium exercendo, plurima ſupra rerum naturalium ordinem patrando, quibus eius & ſanctitas, & ſuprema Maieſtas omnibus clarè & perſpicuè innoteſcunt; rectè & Paſtores & ſancti cum Chriſto viuere, & cum eo regnare dicuntur, & per has ſedes & Epiſcoporum cathedras Pontificias, & ea receptacula, in quibus honorificè ſanctorum reliquiæ reconduntur, ſignificamus.

TEXTVS.

Ceteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni, hæc eſt reſurrectio prima, Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti & regnabunt cũ illo mille annis.

Viuunt quidem vt ſancti, cum gratiam habent in animâ inhærentem, quæ ſit eis principium omnium bonarum actionum, quas exteriùs operantur. Viuunt vt Prælati, cum iuxta gratias gratis datas ſua munia Paſtoralia fideliter exequuntur. Regnant vt ſancti, cum eis honor ex virtutum exercitio prouenien exteriùs exhibetur, & per eos Chriſtus à fidelibus colitur. Regnant & Prælati, cum eis & per eos Chriſto obedientia præſtatur. Hac vitâ non viuunt plurimi, qui etſi gratiam Dei habeant, & quædam opera exercuerint, quibus ſalutem reuera ſunt adepti, nihilominus quòd hæ actiones à gratia prodierint, & reuera per eam ſalutem adepti ſint, dubitatur; Vbi ſancti, ab Eccleſia vt ſancti habiti, dicuntur viuere & regnare, quia propter eorum ſanctitatem honor illis & ante mortem corporalem, & poſt mortem corporalem exhibetur. Hinc quia ſalus quorumdam fidelium incognita manebit vſque ad vltimum diem iudicij, dico quòd cæteri mortuorum, id eſt, cæteri fidelium, ab his quorum ſanctitas perſpicua fuit nota omnibus, non vixerunt donec conſummentur mille animi.

Nam ſicut in reſurrectione Domini tria conſpicimus, primum reunionem animæ cum corpore: ſecundum quòd iam non moritur, nec mors illi amplius dominabitur: tertium quod voluit Deus vt ad eius honorem & gloriam manifeſta apparuerit gloria eius reſurrectionis: ita in reſurrectione animarum cum ad gratiam Dei, quæ vita eſt animæ, redeunt, tria conſideramus: primum quod gratiâ viuificentur, per quam Deo vniantur: ſecundum quod accipiant perſeuerantiam in bonis operibus: tertium vt habeantur, & agnoſcantur in Eccleſia vt fideles ſerui, & filij Dei chariſſimi: Hoc vltimum non datur omnibus, ſed his tantùm quorum Deus ſanctitatem agnoſci voluit, vt ſint aliis fidelibus in exemplum & patrocinium. Hinc quorum ſanctitas ſic non innoteſcit, dicuntur non viuere hac vitâ honorificâ, donec conſummentur mille anni, quibus finitis accedentes iudicio hoc honore potientur, vt à prauis & reprobis dicatur: *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

Hæc autem eſt reſurrectio prima. Beatus igitur & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima nempe qui honorem hunc recipit ex operibus Deo gratiſſimis. In hoc enim mors ſecunda non habet poteſtatem; nam licèt olim mortui fuerint, ſiue ex peccato originali, ſiue ex peccato actuali, ad gratiam Dei poſtea redeuntes, itaut eorum ſanctitas innoteſcat, ſecunda mors inferni & damnationis in eis non habebit poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis. Gratiâ enim iuſtificante decorati, gratiis gratis illis E datis dotati, cultum Dei promouerunt & auxerunt, & ex eorum miniſterio plurimum ſibi & Chriſto honorem conciliarunt. Beati ſunt; quia non ſolùm ante iudicium hoc honore condigni habebuntur in terris hac reſurrectione prima, ſed etiam à morte ſecunda liberi in corpore & anima beabuntur, in cælis, in generali omnium reſurrectione.

Digitized by Google

IN CAPVT VIGESIMVM.

Recapitulatio præcedentium, vt meliùs ſcopus huius capitis 20. percipiatur.

REVELATIONEM iſtam in quatuor partes diuidendam eſſe iam diximus, prima pars tria priora capitula complectitur, quorum primum quaſi in epilogo continet quidquid Deus per Chriſtum operaturus ſit in Eccleſia. Alia duo exponunt quanam intentione Deus ad hæc operanda moueatur, nempe vt eius filius, Chriſtus Dominus ab omnibus hominibus adoretur; & Prælatorum munus illud eſſe declarat, in Epiſtolis quæ ad eos ſcriptæ dicuntur in his duobus capitulis.

Secunda pars incipit à capite quarto, & vſque ad vndecimum incluſiuè extenditur. In quibus deſcribuntur quibus donis & fauoribus, ſeu prærogatiuis Deus Eccleſiam ſponſam cumulauerit & colluſtrauerit; dum in ea per inſignes quoſdam effectus, quanta ſit erga homines eius miſericordia, nec non & iuſtitia innoteſcit. In quarto igitur capite, Eccleſiæ dilectæ filij Dei ſponſæ fundatio ſeu Inſtitutio cernitur, dum in throno erecto, & in viginti quatuor ſenioribus, Paſtorum Eccleſiæ autoritas, & ſeruorum Dei ſanctitas adumbratur. In 5. capite, qua ratione maneat in Eccleſia (iuxta hanc promiſſionem: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*) perſpicitur. Eſt quippe Eccleſiæ ſponſus, dicens: *Non te deſeram nec derelinquam.* Itaut confidenter dicamus: *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Heb. 13. In ſexto capite, Redemptionis, & ſalutis effectus proponuntur, ſub ſymbolis quatuor equorum; & inſuper quam ſtrictiſſimo amoris vinculo cum hominibus coniungitur, ex indicibili quadam patientia, dum illos ad pœnitentiam iuxta piam eius voluntatem expectat, perſpicitur; tum etiam ex eius longanimitate, qua minas intentat, quibus homines perterriti, ardenti deſiderio, quo omnes Deus vult ſaluos fieri, obtemperent, propriæ ſaluti perficiendæ ſeriò incumbentes. Denique ſub eiſdem ſymbolis deſcribuntur præcipuæ articulorum fidei determinationes, quæ factæ fuerunt imprimis quatuor Conciliis generalibus, vt honor Chriſto debitus ipſi exhibeatur. In 7. cap. cernuntur ſignati in frontibus, & alij palmas gerentes in manibus, ad deſignandos tum præcipuos ſanctos, qui fructus copioſos ex tot donis parentes & manifeſtè protuliſſe agnoſcuntur; tum eos, qui reuera ſalutem æternam conſecuturi ſunt, quamuis in præſentiarum hoc ſciri non poſſit. Et ibi ſiſtit præcipua deſcriptio effectuum miſericordiæ.

In capite igitur 8. fit tranſitus ad deſcriptionem effectuum iuſtitiæ, quorum æquitas tanto clariùs apparet, quod Deus peccantibus ſpatium pœnitentiæ concedit, & media ſuppeditat ad reſipiſcendum idonea. Interim Eccleſiam ſuam viſitat in ſpiritu ardoris & iudicij, eiuſque ſordes purgat, exercet patientiam, conſtantiam probat pœnis & afflictionibus variis, fame, bello, peſte, animi angoribus, ex cæcitate, & obſcuritate mentis prouenientibus. Tunc in capite 9. perſpicitur, quomodo qui ex his afflictionibus & pœnis nullum referunt emolumentum, ſeu qui flagellis ad correctionem immiſſis non corriguntur, in pœnas incidant formidabiliores, in inſignem videlicet morum corruptionem, in paſſiones ignominiæ, in hæreſim, atheiſmum, & obſtinationem. Quod quidem cedit in magnum Eccleſiæ bonum, quæ tanquam grauiſſimo pondere A onerabatur, dum intra ſinum & pectus peſſimos homines continebat, quibus purgatur, dum ab ea per apoſtaſiam à fide diſcedunt. Oportet ſiquidem & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. In capite decimo, quia mali cum bonis permixti ſunt in hoc mundo, ſancto Ioanni ſigna electionis & prædeſtinationis notificantur: ſed vetatur illa ſcriptis mandare: expedit enim ne indifferenter omnibus, ne diſtinctè ſingulis illa aperiantur. *Sunt quidem*, vt ait ſapiens, Eccleſiaſt. 9. *Iuſti atque ſapientes, & opera illorum in manu Dei: tamen neſcit homo vtrum amore vel odio ſit dignus, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eoquòd vniuerſa æquè veniunt iuſto & impio.* Tamen in capite 11. quæ ad profectum pietatis & virtutis conducere poſſunt, B aperiuntur. In eo quidem capite videtur proprium electorum donum eſſe, ſi Chriſto crucifixo fiant conformes, ſi dum vehementioribus quatiantur perſecutionibus, fortes in confeſſione nominis Dei permaneant. Hoc ſiquidem euidentiùs eſſe apparet prædeſtinationis ſignum, & donum excellentius quo Deus Eccleſiam ſuam dítat, ſi videlicet tam fortis & conſtans ſit, vt in medio tormentorum Chriſtum confiteri non timeat. In quo certamine duces habebit Enoch & Eliam, qui doctrina & exemplo, & miraculis, Eccleſiæ opem præſtabunt. Quæ quidem fidelitas erga Dei cultum, & Chriſti obſequium, vltimum eſt beneficium in vita præſenti, quo Deus ſeruorum ſuorum virtutem C coronat honore & gloria. Eſt enim ſecurior ad vitam æternam ſemita, laborum ac tormentorum pro Chriſto tolerantia, iuxta illud: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Tertia pars huius reuelationis continetur à capite 12. vſque ad vigeſimum, in qua quidem parte declaratur qua ratione Eccleſia ex altera parte reſpondet gratiis ſibi collatis, fidelitate ſua: & deſcribuntur præcipui euentus, qui intra totum illud temporis ſpatium militiæ ſuæ euenient. Itaque in capite duodecimo animaduertere licet ſplendorem illum, quo à Deo decoratur; & quanam via, ſeu quonam progreſſu pedetentim & ſucceſſiuè illum ſplendorem obtinere poterit, vt appareat tandem amicta ſole, D lunam habens ſub pedibus, & duodecim micantibus ſtellis coronata, fremente licèt liuore, & inuidia diabolo, ſeu dracone. Qui nimio furore percitus in capite 13. ſibi aſciſcit duos potentiſſimos fidei hoſtes, quorum ope, ſi fieri poſſit, impediat ne quæ concipit & parturit Eccleſia tanquam legitimum fœtum in lucem edat, filium ſcilicet maſculum, qui recturus ſit gentes in nomine Chriſti, (cuius perſonam gerit in terris,) in virga ferrea, & cui fideles obedientiam præſtent, tanquam Chriſti Vicario. In capite 14. contra tam ferociſſimos hoſtes congregatur glorioſiſſimus exercitus agni, qui duce Chriſti Vicario, mundum, & carnem conculcabit. In capite 15. deſcribitur quibus armis, vel ad E defenſionem, vel ad inſultum in hoſtes inſtrui debeant generoſi huius exercitus ſtrenui milites, qui ſpe erecti quaſi iam reportatâ victoriâ cantant, certi quòd quæ vult Dominus fieri ad ſuam gloriam, tandem perficientur, quid quid obganniant contradicentes, & moliantur hoſtes. In capite vero 16. deſcribuntur certamina, & pij Prælatorum Eccleſiæ conatus, contra cordis humani malitiam armis ſibi datis ad præliandum fideliter dimicantium. In cap. 17. & 18. cernuntur molitiones ſiue niſus fidelium Chriſti militum, in præliis initis pietatis erga Dei cultum, cum malitia cordis humani: & licèt in capite decimo ſeptimo mundus & vitæ ſuperbia Eccleſiam ſuppeditare videantur, tam citò euaneſcit vtriuſque inſultus, vt meritò dici debeat: *Quomodo perierunt, ſubitò defecerunt propter iniquitatem*

Digitized by Google

ſuam? Etenim in cap. 18. omnis hæc arrogantia & A ſuperbia proſternitur, & Dei conſilia in Chriſto per Eccleſiam exequenda fælicem tandem obtinent exitum vnde in capite 19. audiuntur Dei laudes, & gratiarum actiones, ob reportatam victoriam. Et quia non ſemel decertandum fuit, ſed pluribus vicibus cum hoſtibus manus conſerere oportuit, ita nec vna & ſingularis fuit victoria ſemel obtenta, certandum enim eſt ab initio Eccleſiæ, vſque ad ſeculi conſummationem. Hac de cauſa neceſſe fuit vt S. Ioannes ante oculos proponeret pia quælibet Eccleſiæ exercitia, quibus & fideliter decertat & victoriam refert de hoſtibus ſuis, & ſponſo ſuo Chriſto Domino honorem & reuerentiam exhibet, dum in iis omnibus elucens miſericordiæ & iuſtitiæ ſuæ effectus. Qui honor cernitur ſuâ attigiſſe perfectionem, dum ille puer maſculus ad plenitudinem ætatis Chriſti peruenit, autoritate & poteſtate ſibi data ad hoc vſque accreſcente, vt in ſole ponat tabernaculum ſuum, & maneat firmus & immobilis contra omnium hoſtium inſultus.

His omnibus deductis, oriri poſſet in mente deſiderium ſciendi quantum temporis ſpatium inſumeretur in his certaminibus, victoriis, triumphis, & piis Eccleſiæ exercitiis; quin & quantum temporis durare habeat & manere in terris viſibile regnum Chriſti donec conſummatis omnibus tradat regnum Deo & Patris, vt ſit Deus omnia in omnibus. Huic deſiderio fit ſatis in hoc cap. 20. In quo videbimus Angelum Eccleſiæ protectorem, tenentem catenam in manibus, qua ſucceſſio Romanorum Pontificum deſignatur. Quæ ſucceſſio legitima impedimento fuit, & rurſus vſque ad finem impedimento erit, quominus ſatan poſſit Imperium Chriſti in terris viſibile euertere, prout in votis habebat; ſicque durabit illud Imperium per totum illud ſpatium temporis, quod per mille annos myſticè intelligendos ſignificatur. Et tandem Deo, cuius eſt noſſe tempora & momenta, ita permittente, ſoluetur ſatanas, & illa ſuprema Pontificum autoritas conculcabitur Anti-Chriſti per breui tyrannide, à quo publicus Chriſti cultus vſq; huc à ſuprema ſede ſemper in mundo in ſplendore ſuo conſeruatus, prohibebitur, & ad tempus impedietur. Qua tyrannide breui elapſa, omnes contradicentes in infernum demergentur, & tandem Chriſtus ab omnibus glorificabitur, cum præcipuè ad iudicandum aduenerit, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Vſque huc tertia pars huius reuelationis. Nam in cap. 21. & 22. deſcribuntur præmia Eccleſiæ danda pro laboribus ſuis, & legitimis certaminibus, quibus ex ſua parte reſpondere conata eſt gratiis & fauoribus, quibus à Deo præuenta fuerat; nec non pro piis omnibus exercitiis, quibus Deo cultum exhibere conata eſt; & pro perſeuerantia & conſtantia ſua in obſequio ſponſi dilectiſſimi. Et in hac præmiorum deſcriptione, completur quarta & vltima pars huius reuelationis.

Igitur in hoc capite inquiramus quantum temporis durare debeat Imperium viſibile Chriſti in terris, in regimine videlicet Eccleſiæ militantis donec in conſummatione ſeculorum Eccleſiam triumphantem reddat, & in ea regnet in æternum, in fælici ſocietate Angelorum, & ſanctorum omnium.

PROLOGVS CAP. XX.

In quo occurritur difficultati; nempe quomodo ſi beſtia, & pſeudo-Propheta, hi duo Miſſi ſunt in ſtagnum ignis, in Cap. 19. diabolo adiutore nondum alligato, rurſus renouabitur bellum cum Eccleſia, ſoluto ſatana poſt alligationem; cum Anti-Chriſti perſecutio, qui per beſtiam intelligitur à pluribus, debeat eſſe vltima.

HANC difficultatem ſuſtuliſſe arbitratur Ludouicus ab Alcazar, dum negat in beſtia maris deſignari debere Anti-Chriſtum, ſed Imperium
B Romanum, idolorum ſuperſtitioni deditum. Cenſet igitur in Cap. 19. deſcribi exitum belli à duobus beſtiis maris & terræ, diabolo adiutore contra Eccleſiam ſuſcepti: cuius belli exitus fuit illius Imperij Romani ad fidem conuerſio. In eius enim conuerſione mundus in beſtia maris deſignatus, & caro in beſtia terræ, fuerunt viui Miſſi in ſtagnum ignis, ſiue quia Eccleſiæ perſecutores, vt tales, fuerant in inferorum ignem deturbati; Viui, quia ſupplicium, quo ſuorum ſcelerum pænas luunt, in æternum perſentiſcent: *Vel potiùs*, inquit Alcazar, *quia illi ipſi in quibus mundus & caro viui perſtiterunt, hac ipſa vita in infernum æternum fuerunt demerſi: atque hoc eſt mundum*
C *& carnem in barathrum deiectos fuiſſe.* Alcaz. comm. in 20. verſ. c. 19. *Præter hac*, inquit, *mundus & caro bifariam conſiderari poſſunt, vno modo veluti contrarij atque infeſti virtuti, modeſtiæ, & honeſtati, & hac ratione ſemper manent in hac vita*; Altero, vt fidei Chriſtianæ religioni oppoſiti, eam videlicet acriter oppugnantes, ac de medio tollere cupientes. Et ſanè iuxta hanc ſecundam acceptionem iam eos terra deglutiiſſe videtur, neque ex iis quidquam ſiue partis, ſiue figuræ remanſiſſe. Priùs quidem tota mundi carniſque potentia omnium virium contentione in bellum Chriſtianæ religioni inferendum incumbebat: ſed tota hæc belli machina Conſtantini tempore diſiecta fuit; Quæ verò peculiares deinceps
D perſecutiones acciderunt, minoris fuere momenti, nec in ipſis vniuerſa mundi, atque carnis potentia contra Chriſtianam religionem militauit: ſed aliqua ſolum pars, & in nonnullis orbis regionibus, vt quondam Maurorum tempore Cordubæ, & nunc in Iaponiis inſulis. Cæterùm poſt Iuliani tempora, nuſquam hactenùs ſe oppoſuit communis mundi atque carnis potentia. Hanc enim iam tellus abſorbuit. Quare ex triplici hoſte vnus ſolùm reliquus eſt dæmon, *iſque ligatus donec Anti-Chriſti tempore ſoluatur.* Ita Alcazar. Sed hæc exponendi ratio multa præſupponit incerta, nec adeo vera ex aliis interpretibus: Primò, in maris beſtia Anti-Chriſtum nullo modo deſignari: Secundò hanc beſtiam maris, ad Imperium Romanum deſignandum præcisè
E vſurpari; Tertiò; ſopitum omninò fuiſſe bellum contra Eccleſiam, eo ipſo quo finitum eſt bellum Imperij Ethnici contra ipſam: nam Eccleſia in perpetua ſtatione eſt poſita, & hoſtes ſemper patitur, contra quos debet dimicare.

Ideo exiſtimo aliâ viâ nobis eſſe procedendum, & cap. 20. eſſe quamdam recapitulationem eorum, quæ antea dicta fuerunt. Hanc recapitulationem præſenſiſſe videtur S. Auguſtinus, lib. 20. de ciuitate Dei cap. 9. in his verbis: *Cum enim dixiſſet alligari diabolum mille annis, & poſtea ſolui breui tempore, mox recapitulando, quod in iſtis mille annis agat Eccleſia, vel agatur in ea; Et vidi, inquit, ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt; Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio dici, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti in-*

Digitized by Google

telligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo. Vnde Apoſtolus: Quid enim mihi eſt, inquit, de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his qui intus ſunt, vos iudicatis? &c. Ita Aug. Si igitur mille anni deſignant totum tempus, quod liber iſte complectitur, à primo ſcilicet aduentu Chriſti, vſque in ſeculi finem, quo erit ſecundus eius aduentus, vt ipſe Auguſt. loquitur in eodem capite, & deſcriptio quæ fit in hoc capite 20. ſeſſionis præpoſitorum, & iudicij Eccleſiæ; ſit recapitulatio quædam eorum quæ agat Eccleſia, vel quæ agantur in ea, quæ quidem omnia in ſuperioribus capitibus deſcripta fuerunt; optimè dico in hoc capite fieri quamdam recapitulationem eorum, quæ antea dicta fuerunt.

Hæc igitur videtur eſſe connexio cap.19. & c.20. vt videlicet Anti-Chriſti & ſatellitum eius interitus deſcribatur, aliis cum eo contra Chriſtum militantibus, ad Deum conuerſis, & myſtico, nec non ſalutifero cadentes interitu; & hoc in fine cap. 19. & in cap.20. detur alia viſio, ſub qua doceatur, quid cauſæ fuerit cur Eccleſiæ viſibile Regnum à tot tantiſque hoſtibus impugnatum, & præcipuè tanta tyrannide Anti Chriſti vexatum, minimè occubuerit; ſed è contra regnum iſtud viſibile, firmum & ſtabile perſtiterit, quia videlicet ſatan fuerat catenâ alligatus, poſtquam è cœlo fuit deiectus. Tria enim de diabolo dicuntur in hac Prophetia. Primùm, quod fuerit è cœlo deturbatus, c. 12. *Et proiectus eſt draco ille magnus, &c. Et proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt*, proiectus in terram ſtetit ſupra arenam maris: vbi tanquam in ſtatione poſitus bellum acre mouit contra Eccleſiam, duabus beſtiis contra eam excitatis ex abyſſo maris, & ex terræ concauis. Secundum quòd fuerit alligatus, in initio huius capitis vigeſimi: nam quomodo Eccleſia ſtetiſſet infracta & inuicta à tanto hoſte impugnata, niſi Deus ſatanæ compreſſiſſet malitiam & potentiam? Ideo alligandus fuit. Et hoc docet ſanctus Ioannes in initio huius capitis. Tertium quòd ſit in æternum damnandus, quando ſcilicet igne è cælo immiſſo Anti-Chriſtus cum ſuis deuorabitur & mittetur in ſtagnum ignis. Tunc enim & ipſe diabolus, qui poſt alligationem ſolutus Anti-Chriſtum in Eccleſiam malitiâ & potentiâ armauerat, mittetur etiam in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia, & pſeudo Propheta cruciabuntur. Poſtquam igitur S. Ioannes proſecutus eſt ſeriem belli, quod omnis mundi ſuperbia & carnis petulantia ſuſcepit, inſtigante diabolo, ad euerſionem Regni viſibilis Chriſti; illiuſque belli exitum declarauit, qui talis fuit vt beſtia, & pſeudo-Propheta (in quibus & ipſe Anti-Chriſtus & illius præcurſor præcipuum locum obtinent) in ſtagnum ignis miſſi fuerint; nunc explicat quomodo factum fuerit vt victoria eſſet penès Eccleſiam, nempe quia Deus alligauerat fortem, cum ſoluturus pro breui tempore, quando ipſe Anti Chriſtus regnum obtinuerit, & Eccleſiam ad extremum adduxerit. Dum enim alligatus remanet, ſederunt Eccleſiæ Prælati, & regnauerunt cum Chriſto mille annis: quo tempore elapſo ſoluetur ſatanas, vt ſeducat gentes: quæ congregatæ in vnum, vt Eccleſiam opprimant, igne deuorabuntur, ipſomet dracone, ſeu diabolo, cum tota hac malorum & peſſimorum hominum colluuie (quorum caput erit Anti-Chriſtus) in ſtagnum ignis immiſſo. Et ſic optimè intelligi poteſt quomodo de Anti-Chriſto poſſit fieri mentionem in c.20. quamuis illius damnatio iam deſignata fuerit in cap.19. Factam enim fuiſſe aſſeritur in cap.19. Modus au-
A tem, quo facta fuerit: & tempus, nempe poſt mille annos alligationis diaboli, in c 20. deſcribuntur.

In hoc igitur capite videbitur primò alligatio ſatanæ, ne eius potentiâ impediatur erectio & firmitas regni viſibilis Chriſti. Secundò eiuſmodi regni poteſtas in actum redacta, ſolutio Satanæ, vt ſplendorem illius ad tempus conſtitutum auferat; Inſtauratum bellum contra Eccleſiam: hoſtium illam perimere volentium proſtratio & damnatio; & tandem damnationis iſtius manifeſtatio in extremo iudicio. Itaque cum S. Ioannes ait: *Et vidi Angelum deſcendentem, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et aprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas. Et ligauit eum*
B *per mille annos.* Idem eſt ac ſi diceret: Non mirum ſi Eccleſia victoriâ potita fuerit, & omnem peſſimorum hominum colluuiem cum capite ſuo, illiuſque anteſignano, in profundum ſtagni ignis ardentis demerſerit; quamuis bellum illi fuerit contra hoſtem potentiſſimum, & infeſtiſſimum, qui deſcendit proiectus in terram, habens iram magnam, qua impulſus perſecutus eſt Eccleſiam. Licèt enim eius poteſtas talis ſit, vt non ſit ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret: vnde nihil ſibi impoſſibile eſſe exiſtimet, deoque ipſo Opt. Max. repugnare audeat. (*Omne* ſiquidem *ſublime videt. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Iob. c. 41.) tamen coarctata eſt & refrenata
C illius poteſtas, miniſterio Angeli, qui in tutelam & protectionem Eccleſiæ à Deo deputatus eſt: qui illum alligauit pro toto illo ſpatio temporis, quo decreuit regnum Chriſti in terris perdurare. Quo factum eſt vt regnauerint ſuper terram Eccleſiæ Paſtores, & ſancti Dei cultu exteriori & publico Deum colentes, quin & ſuſcipientes honorem & obedientiam à cæteris fidelibus, ratione miniſterij ſui, ac eximiæ ſanctitatis. Cum autem conſummatum fuerit illud temporis ſpatium, ſoluetur, & permittetur illi vt hunc ſplendorem Regni Chriſti in Eccleſia offuſcare valeat, eamque, collectis vndique ſatellitibus, in maximam redigat anguſtiam. Sed tandem igne abſumptis Eccleſiæ hoſtibus, & ipſo
D dracone cum eis in infernum detruſo, tempus iudicij adueniet, ad manifeſtationem æquitatis iudiciorum Dei. In quo reddetur vnicuique ſecundum opera eius: & mittentur in ſtagnum ignis quicumque inuenti non fuerint ſcripti in libro vitæ. Singula percurramus.

Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua.

Quinam ſit ille Angelus?

ANNOTAT. I.

E HVNC Angelum plures exponunt Dominum Ieſum Chriſtum. Inter quos Primaſius. *Quippe*, inquit, *mortalium viſitans regionem, fortior alligare voluit fortem; vt ei vaſa, quæ dudum iræ fuerant, vaſa miſericordiæ perfeciſſet, hoc peragens opere, quod ante promiſerat, prædicatione.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſar. *Exponit*, inquit, *hoc loco diaboli deiectionem, quæ Dominicæ paſſionis vi facta eſt. Per hanc enim alius ipſo fortior, nempe Chriſtus Deus, & Dominus noſter, illum qui potens alioquin habebatur, ligauit: noſque ſpolia illius de manibus eius eripuit, illo ad abyſſum condemnato, & amandato.* Ita Andr. Cæſ.

Ambroſius etiam: *Angelus itaque iſte Chriſtum ſignificat: deſcenſio eius de cælo eſt incarnatio eius.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Chriſtus rurſus viſitans mundum, dato*

Digitized by Google

Spiritu ſancto, iam in illo deſcenſu propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatus fueras. Iam omnem in cælo & in terra poteſtatem habebat. Iam dominator vitæ & mortis erat. Ita Rup.

S. Thomas: *Vidi Angelum, ſ. Chriſtum, deſcendentem de cælo, id eſt, de ſua altitudine ſe humiliantem per carnis aſſumptionem.*

Ludouicus ab Alcazar in eo Angelo adumbrari vult Medicinam Dei, *qui horribilium perſecutionum, quas Romana Eccleſia paſſa erat, contritionem ſanauit, & ſecuram reddidit: Dæmonem ita eſſe cohibendum, vt publicam Chriſtianæ religionis profeſſionem in ea impedire non valeat, vſque ad Gogi & Magogi bellum. Et ſanè huius Angeli figura ex Tobia libro petita fuit, vbi Angelo inditum eſt Raphaëlis nomen, quod notat medicinam Dei, &c.* Et paulo poſt: *Communior expoſitio in hoc Angelo Chriſtum agnoſcit. Verùm nihil officit quominus aſſeramus per hunc Angelum proximè deſignari Angelorum miniſterium, quo Chriſtus vt pote verus Rex vtitur vt militum famulantium obſequio, ad dæmonis potentiam arcendam. Atque ita de Angelorum miniſterio hunc Angelum interpretatur Gregor. l. 4. moral. c. 13. vbi non de ſingulari aliquo Angelo loquitur, vt Ribera contendit, ſed de communi Angelorum erga homines miniſterio. Verum quidem eſt, ſi dæmonum alligatio Angelis vt miniſtris aſcribatur, pari etiam ratione tribui eam poſſe peculiari alicui Angelo ſuperiori, qui in egregio hoc facinore cæterorum ſit dux & caput.* Ita Alcazar.

Andreas Cæſarienſis optimam affert rationem, cur Angelus, non Chriſtus, hic accipi debeat. *Per prædicta*, inquit, *Chriſti contra diabolum ſententiam intelligi poſſe autumo. Angelum autem eiuſmodi ſententiæ miniſtrum aſſerit, vt hinc palam fiat diabolum ne miniſterialium quidem virtutum potentiam æquare, ne dum Dei; adeoque fruſtra ac ſtultè planè contra omnium principatum inſoleſcere.* Ita Andreas. Ego verò Andreæ & Ludouico ab Alcazar veſtigiis inhærens.

Dico hunc Angelum eſſe Angelum cuſtodem & protectorem vniuerſalis ſeu Catholicæ Eccleſiæ, à Chriſto deputatum, vt hanc promiſſionem S. Petro, & Eccleſiæ in eius perſona factum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: adimpleat.

Et vt verum fatear, ſi diuina prouidentia vnicuique ſpeciei rerum corruptibilium Angelum præficit, ne pereat, ſed in rerum natura ſeruetur: (*Probabile eſt*, inquit S. Thom. q. 113. 1. p. ar. 2. *Quòd diuerſis ſpeciebus rerum, diuerſi Angeli eiuſdem ordinis præficiantur.* Ita S. Thom.) Si eademmet prouidentia diuina ſollicitiorem ſe eſſe oſtendit erga res in perpetuum duraturas, quo fit, vt cuilibet homini immortalem gerenti animam, Angelum cuſtodem præficiat, ac ſi ante Dei oculos, quilibet hominum, ſpeciei toti cuiuſlibet rei corruptibilis præponderet: Si pro ratione diuerſitatis effectuum, diuerſi etiam deputantur ordines Angelorum, vel S. Gregorio autore, dum ait: *Diuerſi ordines deputantur diuerſis rerum generibus, puta poteſtates ad arcendos dæmones: Virtutes ad miracula facienda in rebus corporeis.* Ita Greg. Cum tanta ſit in Eccleſia ſtatuum, conditionum & miniſteriorum, ordinum, functionum diuerſitas, certè aſſere poſſumus Deum pro ratione cuiuſlibet ſtatus, conditionis, miniſterij, functionis, aliquos deſignare Angelos: ac multo magis aliquem deſtinare, cui incumbat Monarchicum Eccleſiæ ſtatum ſpeciali cura illæſum ſeruare. Et ſicut pro conſeruatione Monarchiarum, quæ pro fine tantùm habent pacem, & tranquillitatem huius vitæ tranſitoriæ, Angelum cuilibet terrenæ Monarchiæ præficit, qualis erat ille de quo Danielis 10. dicitur: *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi: Cui* inquit S.Hieron. *perſis credita eſt:* vel qualis erat Princeps Græcorum, de quo ibidem

A mentio fit: ita & Eccleſiam munire voluit, Angeli cuiuſdam potentiſſimi directione & protectione, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Nec peioris conditionis debet eſſe Eccleſia catholica antiquâ ſynagogâ, quæ Michaëlis Archangeli curæ olim fuit commiſſa, ſi ſancto Hieron. credimus, illud Danielis 10. exponenti: *Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël Princeps veſter. Cui*, inquit S.Hieronym. *creditus eſt populus Iudæorum.* At ſynagogæ Eccleſia ſucceſſit in omnibus fauoribus & prærogatiuis. Vnde ſi Michael ſynagogæ fuit olim protector, fortiori iure Eccleſiæ protector conſtituetur. Vnde Daniel c.12. dum de vltimis temporibus agitur (in quibus reliquiæ Iſraëlis ſaluabuntur, & in Eccleſiæ gremium ac
B ſinum admittentur, Chriſto tanquam lapide angulari in vnum coadunatis gentibus ac Iudæis. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*, inquit Apoſtol. Epheſ. 2. de Michaele dicitur: *In tempore autem illo conſurget Michaël Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*: Veluti qui antiquam curam ſuam non deſerat, ſed ad Eccleſiæ gloriam, cuius eſt protector, populum ſibi olim commiſſum in eius ſinum deducat; vt omnes agnoſcant Deo & Chriſto neminem poſſe aut debere aſſimilari, iuxta illud Iſaiæ c.45. *Nunquid non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis, omnes fines terræ: quia ego*
C *Deus, & non eſt alius.* Quis autem conuenientiùs huic oraculo fidem adhiberi ſollicitè procurabit, quàm Michael Archangelus, cuius nomen interpretatur. *Quis vt Deus?* Ille eſt qui olim ſatanam cum Angelis ſuis contra ipſum præliantem deiecit de cœlis; qui in terris ipſum graſſantem reperiens, victoriam ſuam glorioſè proſecutus, honoribus diuinis, quos ſibi arrogabat, ſpoliauit; tandem, quia ſi permitteretur illi omnem ſuam effundere iram, euerteretur proculdubio Dei cultus; nunc deſcendit de cœlo dæmonem alligaturus, vt Eccleſia ſponſa Chriſti tanto coniugio digna effecta honoribus ſibi collatis pacificè frui valeat: itaut Michaele protectore, nulla ſit in terris poteſtas, quæ regni Chriſti erectio-
D nem & promotionem impedire queat. Nam poſtquam è cœlis deiectus, & ab honoribus diuinis, quos ſibi arrogabat, expulſus fuit, & tanquam ſeductor & impoſtor agnitus; firmatâ inſuper, & ſtabilitâ autoritate Pontificiâ, dici potuit; *Facta eſt ſalus, virtus & regnum Dei, & poteſtas Chriſti eius.* Solum hoc reſtabat ſatanæ faciendum, vt ſcilicet inuidiam Regum & Principum terræ contra Eccleſiam excitaret, vt illam impeterent, & laceſſerent. At ne eam opprimant, impedimento eſt Angeli Michaelis potentiſſima protectio.

Duobus modis quippe S. Michael ſatanam deieciſſe è cœlo dicere poſſumus. Primo, cum eum è cælo Empyreo deturbauit, vbi Dei ſimilitudinem
E in amplitudine potentiæ, & dominationis affectabat: Secundus modus quo eum expulit, fuit cum idololatriam extinxit, Eccleſiæ autoritate firmiter ſtabilitâ: qua quidem factum eſt vt princeps mundi huius ejiceretur foras, & diuinis (quos ſibi arrogabat, ac ſi cæli cælorum Dominus ac Deus fuiſſet) fruſtratus honoribus, tandem è cœlo, tum vero & reali, nempe cœlo empyreo: tum myſtico, nempe falſæ deitatis vſurpatione, expulſus, in terra poſitus, per terrenas poteſtates Regnum Chriſti perturbare attentabat. At adeſt protector Michaël, qui ſtat pro populo Dei: non præliaturus, quia iam victoriam reportauit: ſed tanquam victor in vincula hoſtem religaturus, & in carcerem illum collocaturus: à quo egredi non valeat, donec Deo ſic permittente ſoluetur, vt omne malitiæ ſuæ virus euomat,

Digitized by Google

artes nequitiæ ſuæ impendat, potentiam ſuam exerceat; qua quo libetiùs omnes vires ſuas adhibuerit, vt Chriſti regnum euertat, eò turpiùs & ignominioſiùs ſua expectatione fruſtretur, dum ad ima tartari cum ſuis projicitur.

Igitur Michael Archangelus ille eſt, qui è cœlo deſcendere dicitur, quia ad ea quæ in his inferioribus partibus circa Eccleſiam militantem aguntur præcipua ſollicitudine inuigilat, vt eam protegat, ſeruet, dirigat. Rationi enim ſatis eſt conſonum, vt Deus, qui ſingulis rerum ſpeciebus Angelos præficit, qui ſingulis hominibus Angelos deputat, qui tutelares Angelos Monarchiis & Regnis terrenis concedit, qui ſynagogæ veteri Michaelem præfecit, illum ipſum in protectorem Eccleſiæ concedat: qui præcipuè ad hoc attendat, vt ſacra Eccleſiæ au- B toritas) quæ in capite viſibili illius, in plenitudine ſua reſidet) illæſa ſeruetur, eique ſit in murum aheneum, imo & igneum, ad diſſipandas & conſumendas omnes ſatanæ adinuentiones, quibus conaretur eam conuellere. Oportet enim vt Deus ſpeciali cura ad hoc inuigilet, vt oratio ſaluatoris ſuum obtineat effectum, nempe: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* & præceptum illius in perſona Petri ſupremo Pontifici datum, valeat adimplere, nempe vt fratres ſuos in ea fide, quæ in eo non defuit, confirmet.

Deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi. C

Quid ſit Angelos cuſtodes deſcendere de cœlis?

ANNOTAT. II.

ANGELI *eorum*, dicebat Chriſtus, *ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cœlis.* In hac viſione, tanquam in centro, immobiles permanent, nec ab hoc puncto vnquam diſcedunt. At deſcendere dicuntur, ſi quando eiſdem contingat aliquid circa res humanas peragere, ſiue vt aliquid annuntient; (hoc modo Gabriel deſcendit in ciuitatem Galileæ, nomine Nazareth, vt ortum Chriſti nuntiaret virgini) ſiue vt dona quædam & beneficia D conferant, ſicut Raphaël è cælo deſcendit, vt ſanaret Tobiam (ſic diſcendebat ſtatis temporibus Angelus, qui olim mouebat piſcinam;) ſiue vt peruerſos debitis ſuppliciis afficiant, vt illi qui Sodomam ſubuerterunt, aut exercitum Sennacherib interfecerunt. Aſcendunt autem, cum orationes noſtras Deo offerunt. Siue autem deſcendant, ſiue aſcendant, diuinæ prouidentiæ ſunt executores. Vnde in ſcala illa myſtica, quam in ſomnis vidit Iacob, viſi ſunt aſcendentes & deſcendentes Angeli. Quia igitur Michael Angelus vigili cuſtodia inceſſanter circa protectionem Eccleſiæ verſatur, & inter alia occupatur vt ſatanæ vires comprimat, ideo deſcendere de cœlo dicitur, quia ea, circa quæ verſatur, in ter- E ra non in cœlo perficiuntur.

Quænam ſit clauis abyſſi, & quænam eſt catena, quam in manibus tenet Eccleſia defenſor & propugnator.

ANNOTAT. III.

Diuerſæ autorum expoſitiones. §. 1.

PRIMASIVS *Clauis abyſſi eſt diuinorum profunditas iudiciorum. Iudicia enim Dei abyſſus multa. Soli quippe cognitum eſt, qui de multitudine peccatorum in plenitudinem deuocat electorum. Hinc alibi legimus: Qui clauſiſti abyſſum & ſignaſti ſuper eum. In eo autem* A *diabolum catenis dicitur alligaſſe, in quo eius poteſtatem à ſeducendis hominibus, qui liberandi fuerant, cohibens refrenauit.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſis intelligere videtur per abyſſum locum gehennæ; *Per catenam porrò, noſtro ſenſui,* inquit, *ſeſe accommodans, virtutem, nequitiam illius coërcentem deſignat.* Ita Andr.

Ambroſius: *Angelus itaque Chriſtum ſignificat: deſcenſus eius de cœlo eſt incarnatio eius. Clauem abyſſi, id eſt, inferni, ipſe poſſidet: quia ab ingreſſu eius quos vult retrahit, & quos vult in eius damnationem cadere iuſtè permittit. Per catenam verò, magna eius poteſtas deſignatur.*

Rupertus in Angelo Chriſtum intelligens ait: *Nam qui victor ab inferis iamdudum redierat, rectè & veraciter dictum quia clauem abyſſi habebat. Hinc eſt quo in initio huius Apocalypſis, cum dixiſſet ipſe: Et fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum; tunc demum addidit: Et habeo claues mortis & inferni. Ipſe namque prout voluit, & electos ſuos illo deſcenſu ſuo ad inferos eduxit, & reprobos incluſos reliquit, vt exire non poſſint. Et catenam, ait, magnam in manu ſua, id eſt, poteſtatem, ad alligandum videlicet, & extrahendum foras diabolum, qui cubans in delubris gentium ſeſe pro Deo coli faciebat.* Ita Rup.

Habentem clauem abyſſi, inquit S. Thomas, *id eſt, poteſtatem claudendi abyſſum, id eſt, corda impiorum tenebroſa, ne ſcilicet diabolus per eos quantum vellet procedat ad peruertendum alios actu exteriori. Vel abyſſus, id eſt, ipſe diabolus tenebroſus, quem Chriſtus poteſt claudere, id eſt, eius malitia exitus ad actum. Et catenam magnam, id eſt, poteſtatem magnam ingerendi pœnam in omnes impios. Per clauem ergo & catenam poteſtas Chriſti ſignatur; ſed per clauem, in quantum claudit exitum, nocumento; per catenam, in quantum conſtringit, ſupplicio: primum reſpectu culpæ ſecundum reſpectu pœnæ.* Ita D. Thom. Qui etiam notat quænam ſit poteſtatis Chriſti differentia, à poteſtate diaboli: quamuis Chriſti & diaboli poteſtas eodem ſignetur ſymbolo, claui videlicet. *Non eſt,* inquit S. Thomas, *eadem poteſtas: diabolus enim dicitur habere clauem putei abyſſi: quia ex permiſſione diuina poteſtatem habet ad tentandum ampliùs impios, quos dejicit in ampliora peccata. Chriſtus autem dicitur habere clauem abyſſi, quia poteſtatem habet claudendi diabolo & impiis egreſſum ad opera praua. vt non tantùm aliis noceant, quantum vellent. Hoc autem eſt bonum, primo verò malum.* Ita D. Thom.

Ludouicus ab Alcazar notat per abyſſi nomen non aſſignari in ſacræ literis inferorum regionem, ſed profundam aquæ voraginem. *Vt vidimus,* inquit c. 9. not. 2. *Vbi etiam obſeruauimus in Apocalypſi figuram abyſſi eſſe veluti putei altiſſimi, per eamque ſignificari iuſtum & arcanum Dei iudicium ſecundum illud Pſalmi 35. Iudicia tua abyſſus multa. Quæ cum ita ſe habeant, in Apocalypſi quidem non dicetur Angelus dæmonem in tartarum abdidiſſe, vt nunquam inde exeat vſque ad Anti-Chriſti tempora; ſed illum alligaſſe, & in abyſſum incluſiſſe, hoc eſt, in æquiſſimo Dei iudicio. Cum verò conſtringi dæmonem, & concludi, ſit ipſius impediri potentiam, quominus impedire fidei catholicæ profeſſione Romæ poſſit, dum fingitur abyſſi puteus eſſe ipſius carcer, ſignificatur. In primis iuſto Dei iudicio eſſe factum, vt per eaſdem perſecutiones, Romæ præſertim, in Chriſtianam religionem à dæmone incitatas, in eadem vrbe Catholicæ religionis vſus adeo ratus, ſtabilis, firmuſque perſiſteret, vt tota dæmonis vis atque potentia Chriſtianam religionem, eiuſque receptam conſuetudinem Romæ vſque ad Anti-Chriſti aduentum tollere aut impedire non poſſet.* Ita Alcazar.

Quartò, inquit idem Alcazar, *clauis, catena, & ſigillum, quorum meminit textus, denotant certiſſimam ſupereſſe, & ſecuriſſimam ſpem, dæmonem ſui compotem deſiderij nunquam euaſurum, vt Catholicæ religionis vſum*

Digitized by Google

Romæ impediat. In ipſa porro alligationis figura alludi videtur ad hominem quempiam in carcere incluſum, qui vt tutiùs & ſecuriùs in cuſtodia poſſit retineri, in arctiſſima vincula, & compedes ſtrictiſſimos detruditur; atque ſupra ipſum clauſtrum imprimitur regium ſigillum, ne quis reſeraret cuſtodiam, & vinctum educere auſit. Ita Alcaz.

Ex his expoſitionibus exiſtimo aliquam lucem afferri poſſe expoſitioni noſtræ, de claui, abyſſo, & catena: quam mox adducemus, quamuis nulla plenè ſatisfaciat. Tria igitur ad germanam huius loci intelligentiam explicanda ſunt. Primò quiſnam ſit abyſſus, quæ clauis, quæ catena; ſeu potiùs, quid per abyſſum, clauem, & catenam intelligendum ſit?

Quid per abyſſum ſignificetur? §. 2.

Quantum igitur ad abyſſum, notandum ex Pererio, lib. 1. c. 1. in Geneſ. verſ. ſecundo, quid per abyſſi nomen propriè ſignificetur. *Thehom*, inquit Pererius, *Hebraicè, ſignificat propriè voraginem, abyſſum, & magnam profunditatem aquarum. Baſilius ita definit abyſſum. Eſt, inquit, abyſſus copioſa aqua, ad cuius fundum non facilè penetrari poteſt deorſum verſus. Auguſtinus ſuper Pſal. 47. Abyſſus, inquit, eſt profunditas impenetrabilis & incomprehenſibilis: & maximè ſolet dici in aquarum multitudine. Ibi enim altitudo. Ibi profunditas, quæ penetrari vſque ad fundum non poteſt. Denique quodam loco dictum eſt: iudicia tua abyſſus multa: hoc volens ſcriptura commendare, quia iudicia Dei non comprehenduntur.* Ita ex Pererio. Propria igitur ſignificatio abyſſi eſt, vt ſit aquarum abundantia profundiſſima, & impenetrabilis.

Alia abyſſi ſignificatio ſatis propria etiam adduci poteſt, vt per abyſſum intelligamus infernum, & loca ſubterranea, ſeu profundam vaſtitatem, & concauitatem terræ, quæ ſit circa terræ centrum, ſeu in terræ meditullio. In hoc ſenſu vſurpari videtur Luc. 8. dum de legione quadam Dæmonum dicitur, quod rogauerunt illum, nempe Chriſtum Dominum, ne imperaret illis vt in abyſſum irent. Ibi enim abyſſus non ſumitur pro aquarum multitudine: ſiquidem in lacum præcipites ſe dederunt; ſed pro inferno, in quo recludi ante iudicium pertimeſcebant. In eodem ſenſu vſurpatur, Roman. 10. *Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum, id eſt, Chriſtum deducere? Aut quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare?* Per abyſſum nempe ſignificantur inferiores partes terræ, in quas Chriſtus deſcendere voluit, poſtquam anima eius à corpore ſoluta fuit per mortem. Vnde dixit Apoſtolus Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos, &c.*

Hinc factum eſt vt in ſcripturis ſacris, cor hominis, & abyſſus, eadem profunditatis & impenetrabilitatis proprietate ſignentur Eccleſ. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.* Ita Eccleſ. Duas igitur abyſſos intuetur. Vnde quia plures ſunt, de Deo dicitur, Daniel. 3. *Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim.* Intellexit hoc S. Auguſt. in Pſal. 41. *Si profunditas eſt abyſſus, putamus quod cor hominis abyſſus eſt. Quod enim eſt profundius hac abyſſo? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt per operationem membrorum audiri in ſermone; ſed cuius cogitatio penetratur? Cuius cor inſpicitur? Quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Puto non abſurdè intelligi abyſſum*

A *hominem, de quo alibi dictum eſt: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ita Aug. Pari ratione eadem ſcriptura per abyſſum intelligere videtur extremas quaſdam afflictiones, à quibus nulla poſſumus humana arte aut induſtria eximi aut erui; niſi Deus, qui intuetur abyſſos, porrigat manum auxiliatricem. Pſ. 70. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me?* Denique Dei iudicia per abyſſum deſignantur in eadem ſacra ſcriptura. Pſalm. 35. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa.* Rectè enim Apoſtolus dixit: *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Ep. ad Rom. c. 11. Ab altitudine, ſeu profunditate impenetrabili, ſcientia & ſapientia Dei prodeunt. Ex his perſpicuum

B eſt per abyſſum primò ſignificari copioſam aquarum abundantiam; Secundò, terræ concauum; Tertiò cor hominis; Quartò ineuitabiles quaſdam anguſtias: Denique iudicia Dei imperſcrutabilia. De qua abyſſo hic mentio fiat, poſtea videbimus. Nunc quid per clauem ſignificetur, inquiramus.

Quid ſignificet clauis in ſcriptura? §. 3.

Illud conjicere licet ex 22. c. Iſ. in quo Deus de ſacerdote magno Eliacim loquens ait: *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Ita

C Iſ. Quid, quæſo, eſt habere clauem domus Regiæ, Dauidis nempe, niſi ea omnia, quæ in ea includuntur, in manu tenere, vt de iis diſponat ad libitum: aut etiam poteſtatem habere admittendi & introducendi in eam, aut excludendi & arcendi ab ea, ne ingrediatur in eam, quem volueris? In hoc ſenſu Petro promiſit Chriſtus claues regni cælorum: quibus verbis oſtendebat omnes theſauros cæleſtes gratiæ Dei in manu ipſius exiſtere, vt illos diſpenſaret prout expedire putaret ſaluti fidelium; Illum veluti œconomum & diſpenſatorem domus ſuæ, Eccleſiæ nempe conſtitueret; vt prout neceſſitas vniuſcuiuſque poſtularet, bona ſpiritualia poſſet diſtribuere, & diſpenſare, iuxta illud: *Fidelis ſeruus, &*

D *prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore.* Deinde & aperit & claudit cælum ad libitum.

Et quodcumque, inquit, *ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Tres enim ſimilitudines adhibet Chriſtus, vt ſupremam Petri & ſucceſſorum eius autoritatem ſignificet. Prima eſt Petræ, ad oſtendendam ſoliditatem illius autoritatis. *Tu es Petrus: & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Secunda eſt clauis, ad oſtendendam independentem ab hominibus poteſtatem, qua theſauros cæleſtes poſſit diſpenſare. Claues enim regnorum accipit à Chriſto, non ab hominibus. *Tibi*, inquit, *dabo cla-*

E *ues regni, &c.* Tertia eſt ligationis & ſolutionis, per quam oſtenditur nulli conceſſam eſſe participationem donorum gratiæ, qui non fuerit à vinculis peccatorum ſuorum ſolutus. Cum igitur hic dicitur quòd Angelus, Michael videlicet, habet clauem abyſſi, idem eſt ac ſi diceretur in diſpoſitione ſua poſita eſſe ea, quæ in hac abyſſo includuntur. Rurſus quod quem voluerit, in hac abyſſo incluſum retinebit, à qua egredi non valeat; ſed cum voluerit, ab ea quemcumque voluerit eripiet; & ſicut nemini cœli aditus patet, niſi cui Petrus oſtium reſeraretit, ita nec ex iſta abyſſo quis poterit egredi, niſi S. Michaël (qui habet clauem) eum ab iſto carcere liberauerit.

Digitized by Google

Quid ſignificet catena? §. 4.

Per catenam, ſucceſſionem Romanorum Pontificum intelligo, qui eadem ſumma & immenſa autoritate ſucceſſione potiuntur, & per eamdemmet, quæ in Eccleſia eſt, eligendi eos poteſtatem, inuicem tanquam diuerſi annuli connectuntur. Hanc ſucceſſionem ſanctus Michael Eccleſiæ & Monarchici ſtatus illius protector fideliſſimus in manu retinet. Vigilat quippe vt illa illæſa & infracta ſeruetur. Illâ enim vtitur tanquam efficaciſſimo medio, quo impediat ne ſatanas erroribus, hæreſibus, ſchiſmatibus, aut perſecutionibus variis imperium Chriſti in terris euertat; pro toto illo tempore à Deo præſcripto & conſtituto, quo hanc autoritatem permanere ſtabilem & immobilem voluerit, ad exercitia functionum Apoſtolicarum peragenda, & conſequenter vſque ad Anti Chriſti tempora, in quibus calcabitur, & tyrannica vſurpatione dominationis Anti-Chriſti opprimetur tunc enim cunctas nationes cunctoſque populos contra Eccleſiam ſummumque eius Pontificem concitabit ac congregabit. Itaut nullibi liceat liberè ac publicè Deo cultum exhibere, aut Chriſto obſequium.

Hæc eſt illa admirabilis catena, qua nunc ſatan ligatur & conſtringitur, itaut in vanum contra Eccleſiam euomat omnes ſuas artes & adinuentiones peſſimas; & licèt contra eam ſuſcitet terrenas poteſtates, & omnes inferorum portas ad aperiat, non præualebit tamen: eſt enim domus ſupra petram poſita, nempe fundata ſupra ſupremam quandam autoritatem, Petro & ſucceſſoribus eius collatam.

Ex duobus locis hanc expoſitionem compono. Catena namque fingi poteſt ex diuerſis annulis compactam, qui ad inuicem connectuntur, itaut vnus alteri inſeratur. Primus locus eſt Dionyſij Carthuſiani in hunc locum. *Catena iſta*, inquit, *quam habet in poteſtate ſua ſaluator, eſt multitudo electorum ſuorum ſibi inuicem inſtar anſarum per Charitatem ordinum gradus, atque officia pulchrè connexa: aut certe ineuitabilis ſua poteſtas cuncta contingens.* Ita Dyon. Alter locus eſt Ierem. 22. *Quod ſi fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Annulus autem fuit in manu Dei non auellendus Zorobabel, de quo Eccleſiaſtic. 49. dicitur: *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu: Sic Ieſus Filius Ioſedec, qui in diebus ſuis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domino, paratum in gloriam ſeculi.* Et Aggei ſecundo. *In die illa, dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel, fili Salatiel, ſerue meus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus.* Qua loquendi formula ſignificatur tum per illos Deus autoritatem ſuam ac poteſtatem notificare: (vnde datio annuli fuit olim ſignum traditæ poteſtatis, vt patet ex eo quod dicitur Geneſ. 41. *Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tuliſque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius*) tum illos etiam eſſe in Dei protectione. Qua de cauſa ſeptem Epiſcopos primi Apocalypſis, qui deſignantur in ſeptem ſtellis, Ludouicus ab Alcazar vult ſignificari per ſeptem annulos, quorum gemmæ videbantur eſſe ſtellæ cæleſtes.

Si igitur per catenam, iuxta Dionyſ. Carthuſ. ſucceſſio quædam ſignificatur, & per annulos ij qui ſacerdotali fulgent, aut Regali dignitate, etiam deſignantur, nihil impedit quominus fingamus Pontifices Romanos, (qui ſunt quaſi annuli pretioſi in manu Dei, per quos Chriſti poteſtas & autoritas, illiuſque eminentiſſimæ perfectiones manifeſtantur) componere quandam catenam, multis annulis inter-

A ſe inſertis compactam. Inſertos enim inter ſe illos fingimus, vt participationem eiuſdem autoritatis & dignitatis ordinis, miniſterij, officij aut gradus, & ad hæc eiuſdem modi promotiones, deſignemus. His igitur Pontificibus ſibi inuicem ſuccedentibus, & eidem autoritati participantibus, quaſi quibuſdam annulis ſibi inuicem cohærentibus, fit quædam catena, qua ſatanas alligatur, & impeditur ne Dei cultum euertat. Quàm enim fortis fuerit ſucceſſio Romanorum Pontificum ad ſatanam impediendum patet ex Auguſtino, contra Epiſtolam fundam. c. 4. dum ait: *Tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.* Et in Pſal- B mo contra partem donati: *Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri, & in ordine illo patres, quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Ita Auguſt. Succeſſio igitur Pontificum eidem autoritati participantium, catena eſt; ſicuti S. Dionyſio Carthuſ. multitudo electorum ſibi inuicem connexa, inſtar anſarum per charitatem, ordinum gradus, atque officia. Illa catena alligatur ſatan, quia per illam illam ſucceſſionem, Pontificis autoritas integra & firma remanſit, tanquam petra fortiſſima & ſaxum immobile: qua autoritate fides confirmatur in cordibus fidelium, & Dei cultus ſuum obtinet ſplendorem: quam fidem diabolus euertere, & quem cultum euellere ſuis artibus malignis C ſemper appetit & conatur.

Habentem clauem abyſſi.

Quomodo ſanctus Michaël, vt Eccleſiæ protector clauem habeat abyſſi? §. 5.

Omnes claues ſeu poteſtates iure hereditario excellentiſſimâ & eminentiſſimâ quadam ratione humanitati Chriſti datæ ſunt, iuxta illud: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Omnis, inquam poteſtas: quo fit vt non tantùm vnam clauem alicuius poteſtatis ſymbolum, ſed plures habeat: quia penes eum non vna tantum, ſed omnis ineſt pote- D ſtas. Habet claues regni cælorum, id eſt, quotquot ſunt poteſtates neceſſariæ, vt quis in cælum admittatur, vel ab eo excludatur. Nec enim illas dediſſet Petro, ſi apud eum non fuiſſent. Hinc illi dixit: *Et tibi dabo claues regni cælorum.*

Habet igitur clauem Eccleſiæ militantis, id eſt, poteſtatem illam dirigendi & gubernandi, qua in numerum fidelium coaptat quos inuenit dignos; & ab ea reſcindit tanquam membra putrida, vel in eam non admittit, quos tanta gratia indignos reperit. De qua poteſtate loquitur, Apocaly. 3. *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid.* Iuxta quam poteſtatem promittit illi ſpeciale quoddam auxilium, vt facili negotio plures animas ad fidem conuertat, eoſque in numerum fidelium admittere E valeat. *Ecce dedi coram te oſtium apertum quod nemo poteſt claudere.* De ſimili oſtio, loquitur Paulus ad Corinthios 1. c. 16. *Oſtium mihi apertum eſt magnum & euidens, & aduerſarij multi.* Id eſt, quædam facilitas in animarum conuerſione: ac ſi ipſæ eſſent quaſi clauſæ & obſeratæ per contumaciam, ſed ingreſſus & aditus liber daretur in mentes eorum, per illam poteſtatem à Chriſto conceſſam; itaut quamuis ſint aduerſarij multi à quibus plurimi ponuntur obices, tales tamen non erunt, qui ſuperari nequeant ab eo, qui hac ſpeciali gratia, ſeu diuina ſibi collata poteſtate præditus ad conuerſionem animarum operam ſuam collocare voluerit. Sicut igitur ille, qui habet clauem domus alicuius in eam facili negotio ingreditur; ita qui hac gratia dicatus eſt, facilem

aditum

Digitized by Google

aditum repetit in cordibus fidelium, vt eius ſermo A ab eis recipiatur, vt fidem admittant. *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Quibus verbis Epiſcopo Philadelphiæ promittit quandam poteſtatem duriores ad Deum conuertendi, quales erant Iudæi, de quibus ait: *Dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos.* Denique habet Chriſtus Dominus claues mortis & inferni. *Ecce*, inquit Apoc. 1. *Sum viuens in ſecula ſeculorum: & habeo claues mortis, & inferni.* Quo ſymbolo indicat ſupremam quamdam poteſtatem, circa ea quæ ad ſalutem temporalem aut æternam hominum conducunt, ſiue ſupra vitam, aut mortem corporalem vel ſpiritualem hominum. B Vnde ideam ſaluatoris efformare poſſumus, ac ſi plures claues in manu teneret, quarum traditione, plurimarum poteſtatum participationem aut vſum, ſeu exercitium, ad libitum cuicumque voluerit communicaret, vni quidem iſtam, alteri aliam, aut plures. Sic Petro contulit claues regni cœlorum: ſic temporalis regni Iudæorum gubernationem Eliacim ſummo ſacerdoti contulit, vt illos in finem ſupernaturalem dirigeret Iſ. 22. *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius. Et erit quaſi Pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda.* Et denique in hoc loco ſancto Michaëli dedit clauem abyſſi. Omnes enim Angeli *adminiſtratorij ſunt ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* C

Data eſt igitur ſancto Michaëli poteſtas ligandi ſatanam, eumque incluſum retinendi in abyſſis quibuſdam, de quibus mox dicendum erit. Et quia hic Angelus vnam tantùm habet clauem, ideo non Chriſtum, qui omnes habet claues, ſed quempiam eius miniſtrum ſignificat, cui ſpecialis quædam commiſſa eſt poteſtas, qua poſſit vt Eccleſiæ cuſtos eam munire, protegere, dirigere, cohibendo quidquid abyſſus ſeu infernus, omnium malorum fons & origo, mali & incommodi euomere poteſt: itaut omnia eius arma bellica, & inſtrumenta quibus Eccleſiam oppugnare poſſet, quin & omnes illius adinuentiones diſrumpat ac diſſipet. D Tanta enim poteſtas requiritur, vt hæc promiſſio adimpleatur: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Soliditas quippe huius Petræ duriſſimæ, ſubtilitatem artium diaboli confringet.

Hac claui itaque intelligitur, poteſtas qua ſanctus Michaël Luciferum, eiuſque Angelos poteſt coërcere, ſub quacumque forma appareat, ſiue vt Draco rabie ac furore percitus ad deuorandum ſeſe offerat, ſiue vt ſerpens dolo & aſtutia ad ſeducendum paratus ſit: ſiue malitia & inuidia tabeſcens ad tentandum veniat, mendacium ſub veri apparentia inducens, tanquam diabolus & calumniator, & mendacij pater, ſiue tandem manifeſta quadam contradictione & oppoſitione, conſiliis, & intentionibus Chriſti filij Dei in Eccleſiæ gubernatione ſeſe opponat, E vt verus ſatan & nequiſſimus aduerſarius, qui cum obſtinatione & pertinacia, Dei voluntati reſiſtere temerariè & arroganter audet. Sub quacumque igitur forma ſeſe offerat, S. Michaël adeſt, vt illum reprimat, liget, includat in abyſſo conuenienti formæ ſub qua apparere ſelegerit.

Hic enim myſterium inſigne ſpeculari licet, in eo quòd Spiritus ſanctus nominibus draconis, ſerpentis, diaboli & ſatanæ, dæmonem appellare voluit. Hoc enim factum eſt, vt per nominum diuerſitatem, intelligamus diuerſitatem modorum, quibus Dei conſilia diſſipare impudenter pertentabit. Hinc videbimus abyſſum diuerſimodè debere vſurpari, ſecundùm differentiam modorum, qui neceſſariò vſurpari debent, vt illius conatibus obſiſtatur. Quæ quidem notatio valde neceſſaria eſt, vt verum & ſimplicem huius textus intelligentiam habeamus, & quid per abyſſum propriè ſignificatur, cum quadam veriſimilitudine conijciamus.

Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, quia eſt diabolus & ſatanas, & ligauit eum per mille annos. Et miſit eum in abyſſum: & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſumentur mille anni. Et poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore.

Scopus huius ſymboli, apprehenſionis & ligationis ſatanæ.

QVISQVIS depoſita omni contradictione attentè perſpexerit quomodo Spiritus ſanctus dæmoni è cœlo deturbato eadem nomina imponit in hoc capite, quæ impoſuit in capite 12. in his verbis: *Et proiectus eſt draco ille magnus. Serpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem*; Facilè in animum ſuum inducet hanc alligationem, ſeu incarcerationem ad eundem pertinere, de quo actum fuit in capite 12. Sicque proſecutionem eſſe illius victoriæ, quam de eo ſanctus Michaël obtinuit. Vnde deſcendit de cœlo, vt fugitiuum iſtum ſeruum nequitiæ, qui dorſum vertit, & fractis viribus campum certaminis victori liberum reliquit, in arctum redigeret. Deſcenderat dæmon de cælo in terram, habens iram magnam, ibique ſibi liberum fore exiſtimabat vndique graſſari, & furoris ſui effectus profundere: ſed à S. Michaele proſecutus, ab eo apprehenſus fuit, veluti læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ in Chriſto reus, tanquam perduellis ſiquidem ſe reum conſtituit homicidij voluntarij in nece innocentis, nempe Chriſti Saluatoris; & omnes iuris & æquitatis leges infregit, rabiem ac furorem ſuum exercens in eum, in quem nullam habere poterat poteſtatem. *Venit*, inquit Dominus Ioan. 14. *enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* A Michaele non modo aprehenditur, ſed & ligatur & incarceratur in abyſſo, in qua ipſa incluſo, Principis ſummi ſigillum Michaël apponit ſuper ſerram & clauſuram, itaut nulli licitum ſit aut poſſibile ab iſto carcere tam ſuperbum hoſtem eximere; ne ab eo carcere liberatus artibus ſuis vtatur, & homines adoriatur, eadem malitia fretus, ſæuitia pulſus, rabie percitus, qua olim ante incarnationem illos eſt adortus. Quomodo enim Deus non requireret ſanguinem agni innocentis, ab initio mundi occiſi, è manu Cacodæmonis; qui hominum peccatorum ſanguinem etiam requirit de manu cuiuſlibet alterius hominis, cum ſit iuſti & æqui amantiſſimus. *Sanguinem*, inquit, *animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis; de manu viri & fratris eius requiram animam hominis*, Geneſ. 9. *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Et proinde quomodo non requireret ſanguinem illius, qui ſplendor eſt & character paternæ gloriæ, quem ſatan inuidus interimere appetiuit, ſtatim atque eum perſpexit mortali carne veſtitum? Quatuor hic igitur ſunt diſcutienda. Primò, videndum quot modis ſeu rationibus dæmon reum ſe conſtituat læſæ maieſtatis diuinæ, ſeu perduellionem? Secundò, quomodo his modis aut rationibus obſiſti ac reſiſti queat? Tertiò, quænam ſint abyſſus, pro diuerſitate impugnationum illius, in quibus recludi debeat? Denique qua ratione ibidem ligatus exiſtat, donec illum modico tempore ſolui contingat?

Digitized by Google

Quot modis ſeu rationibus dæmon conſtituit ſe reum læſæ Maieſtatis diuinæ?

ANNOTAT. IIII.

PRIMVS modus: quia rabie ac furore impulſus nimis arroganter & impudenter Deum ipſum aggreditur: aut ſi hoc fieri non poſſe dicas, Chriſtum Dominum hominem factum adoritur, & cæteris hominibus ad imaginem Dei creatis implacabili odio bellum indicit. Hinc filij Dei incarnati mortem machinatus eſt. Quam vt procurare poſſet in tempore, eam Adamo & poſteritati eius conciliauit, vt qui ab homine mortali ortum ducere debebat, ipſe etiam mortis Imperio ſubjiceretur. Nec vllam prætermittit occaſionem ſæuitiam ſuam exercendi, quin illam auide amplectatur, perſecutiones varias ſuſcitando contra eos, qui Deo coniunctiores exiſtunt & eius obſequio cum maiori fidelitate addicti ſunt, tum etiam homines inducendo ad varia homicidia perpetranda.

Hac de cauſa draco nuncupatur; à Chriſto, homicida ab initio appellatur, quòd paulo poſt creationem ſuam, ſtatim atque reuelatum fuit ipſi myſterium Incarnationis, pati non potuit inferiorem ſibi in natura ſuperiorem ſibi conſtitui in vnione hypoſtatica: Vnde in rabiem & furorem actus, ſtatuit apud ſe mortem illi eſſe illaturum. Hinc Saluator perſpiciens Iudæos decreuiſſe mortem ſibi inferre, eos ita alloquebatur, Ioan. 8. *Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Quod autem hæc intelligi debeant de firmo dæmonis propoſito procurandi mortem Chriſto incarnato, ſtatim atque præſenſit aut cognouit ipſum verbum Dei incarnandum, hoc ſatis perſpicuum eſt, ſi ſeries eorum quæ ibidem docet Dominus perpendatur. Aſſerit Chriſtus magnam eſſe diſtantiam inter libertatem quam per veritatis manifeſtationem dare repromittit: & ſeruitutem ex peccato contractam, qua Iudæi premebantur, licèt ſe natos eſſe liberos exiſtimarent, ex eo quòd eſſent filij Abrahæ: inter qualitatem. Inſignem filiationis diuinæ, & inter qualitatem ſerui: inter poteſtatem filij, in quantum filius, & verus hæres, ſecundùm quam poteſtatem in libertatem collocat quos voluerit: & poteſtatem ſerui in domo, è qua poſſet ad libitum Domini ejici ac propelli: inter ea quæ docebat, prout illa videbat apud Patrem, & à Patre audiebat: videbat inquantum Deus, audiebat in quantum homo: & ea quæ à dæmone perdiſcebant, cuius filij dici debebant, potiùs quàm filij Abrahæ, cuius opera imitari detrectabant. Quod hac ratiocinatione Saluator demonſtrabat: *Quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit.* Oportet igitur vt alterius quam Abrahæ filij ſitis, qui opera facitis omnino aliena ab Abrahæ operibus. Quilibet enim filius debet imitari opera Patris, vt ſit ei ſimilis. Sed dicitis quod vnum Patrem habetis Deum. At quam falſò iſtud aſſeritis. Nam ſi Deus Pater veſter eſſet, quem imitaremini diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo proceſſi & veni: neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit. Fortaſſe autem quæ nunc dico non capitis, nec intelligitis. Hoc fit certè non quòd iſta ſecundùm ſe intelligi non poſſint, ſed quia in tam infelici ſtatu eſtis, vt ſermonem meum audire, non valeatis. *Quare enim loquelam meam non cognoſcitis, niſi quia non poteſtis audire ſermonem meum?* Cum igitur nec Abrahæ, qui in nunquam me interficere voluit: nec Dei, à quo proceſſi, ſitis imitatores, dum me in-

A terficere cogitatis: ſequitur vt diaboli ſitis, qui & mortem meam à multis retro ante ſeculis machinatus eſt, & odio implacabili me perſequitur. *Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere ille homicida erat ab initio:* Quia ſtatim atque cognouit oportere vt omnes Angeli me adorarent hominem factum, in veritate non ſtetit, qua cognoſcere potuiſſet gloriæ Dei conuenientiſſimum eſſe, vt vnio hypoſtatica fieret in natura humana, & non in natura Angelica: ac ideo æquiſſimum eſſe vt ipſe & omnes Angeli huic decreto non repugnarent, cum iuſtiſſimum ſit vt omnis creatura aſſentiat iis omnibus, per quæ Deo laus & gloria obuenire poteſt: cum tota ſit Dei, à quo habet quidquid
B eſt aut eſſe poteſt. In huius veritatis cognitione & apprehenſione conquieſcere aut ſtare non potuit. Vnde mendacio adhæret, nec aliquid ab eo expectandum, quod veri amorem redoleat, quia non eſt veritas cum eo. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.* Hinc à veritate deficiens mortem deſiderat mihi inferri, cuius deſiderij vos vultis eſſe executores, dum eum imitantes mortem mihi conſciſcere deſideratis, & veritati, quam vobis propono, vt à ſeruitute peccati liberi ſitis, fidem adhibere recuſatis. Hac ratione draco factus eſt ſæuus & crudelis, mortem mihi & cæteris hominibus procurare appetens, ſtatim atque voluntatem ſuam voluntati diuinæ conformare
C noluit, & iudicium ſuum ſubmittere recuſauit iis quæ illi propoſita fuerunt credenda, vt gloriam promereretur, dum adhuc eſſet viator; nempe Dei honorem requirere, vt Verbũ carnem ſumeret, qui cæteræ creaturæ honorem & obedientiam præſtarent, iuxta illud Pauli ad Heb. c.1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ac ſi diceret: Iam ſemel fuerat in orbem terræ introductus, per rerum omnium creationem: ſiquidem *ſine ipſo factũ eſt nihil, & omnia per ipſum facta ſunt.* Sed cum Deus ſtatuit vt ipſe in numero rerum creatarum reponeretur, & ordinem quemdam eminentiſſimum inter eas obtineret, caput Angelorum & hominum effectus, hinc Dei ordinationi dæmon
D conſentire noluit; imo in furorem actus tanquam draco ſæuiſſimus, in humanam genus debacchatus eſt, & omnium hominum necem procurare decreuit, & præcipuè iis qui Chriſto Deo homini honorem & cultum exhibere volunt. Et ſic draco ſæuiſſimus euaſit. Mirum eſt in rerum natura reperiri dracones tam immenſæ magnitudinis, vt contra Elephantes congredi audeãt, vt refert Plinius. At maiori admiratione dignum eſt, Cacodæmonem Deo, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt, velle reſiſtere. Hic eſt primus modus quo dæmon perduellio conſtitutus eſt, & reus læſæ Maieſtatis diuinæ. Ad 2. tranſeamus.

Cacodæmon non modò draco vocatur propter ſæuitiam; ſed etiam ſerpens, propter aſtutiam &
E calliditatem. Serpens, inquam antiquus: quia à prima origine mundi aſtutiã vſus eſt, vt ſacras diuinæ maieſtatis intentiones retunderet, ſub figura ſerpentis, qui propter innatam ſibi calliditatem quamdam proportionem ſeruat cum circumuentionibus & fraudibus, quibus circumuenire, & fallere primorum parentum ſimplicitatem exoptabat. De ſerpente dicitur Pſ. 57. *Furor illi in ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obdurantis aures ſuas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Ac ſi diceret: Non modò in furore peccatores, dracones & ſerpentes imitantur, ſed eos etiam ſequuntur in calliditate & aſtutia, dum audire nolunt, obturatis ſibi auribus, quæ audire deberent vt à peccatis abſtinerent. Sic eius ſuaſu Eua obduratã aure, non credidit tantum ſibi detrimentum obuen-

Digitized by Google

turum ex tranſgreſſione præcepti diuini, quantum ſibi fuerat à marito propoſitum; & ſic decepta eſt, dum dæmoni credidit ſibilanti quòd non eſſet moritura, ſi de fructu prohibito ſumeret & comederet. Alia etiam ratione dicitur ſerpens. Sicut enim ſerpens caput occulta, ne lædatur ab homine: ita dæmon ſub prætextu boni, ſub veri colore prauas ſuas intentiones abſcondit: ne ſi perciperentur, ſtatim retunderentur: vt iam factum fuerat, dum aperto marte in Deum inſurgens dixerat; *Aſcendam: & ſimilis ero altiſſimo.* Et paucis verbis ab impiæ intentionis executione fuit impeditus à Michaele clamãte ad Deum: *Quis vt Deus?* Quia igitur aperta iſta Deum adoriendi ratio malè illi ceſſerat, ad fraudes & fraudulentias confugit, vt quod vi obtineri nequit, hoc fallaciâ obtineat. Malum, quod intendit, occultat: ne ſi animaduertatur ſemel, ſtatim rejiciatur. Tertiò, aiunt ſerpentes pellem deponere ſingulis annis. Pari ratione dæmon in affectata malitia & nequitia ſemper perſeuerans, modò vnâ, modo alterâ ratione vtitur, vt decipiat; vt quod vno modo obtinere nequit, altero obtineat. Illi mille nocendi artes, quibus homines ſeducit, & ad peccandum attrahit. Quartò: Naturæ optimè à Deo inſtitutæ ductu fit, vt ſerpentes venena deponant, dum ad aquas ſeu fontes, vt ſitis ardorem extinguant, accedunt: ne alia animalia venenum hauriant, quo perimerentur. Quod prouidâ & optimâ fit intentione à natura, hoc malo fine à dæmone perficitur, vt faciliùs decipiat. Pro poſſe ſiquidem mala pœnæ culpam ſubſequẽtia contegit, quibus etiam nunc torquetur, & ſola delectatione peccati inescat peccatores Denique ſi ſerpentum proprium eſt in occulto ferire (latet plærumque anguis in herba, coluber in via, ceraſtes in ſemita; *mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Geneſ. 49.) Ita diabolus occultè homines inuadit. Nam ſicut ſerpentes in viis, ſub frondibus vel arenis latitantes, inopinatò hominem aggrediuntur & mordent: ita dæmon ſub ſpecie boni, ſub amore rerum caducarum latitat vt homines rerum terrenarum amatores decipiat. Et ſicut ſerpẽs cornutus equitem attingere non valens, equi calcaneum & vngulas mordet, vt calcitrante equo cadat aſcenſor, quem poſtea deiectum inuadat; ita dæmon animum & mentem inuadere non valens, carnem ſtimulat ac pungit, vel delectationibus, vel afflictionibus, quo mens vel delectationibus conſentiendo, vel iis quæ carnem affligunt cedendo, tandem peccato conſentiat. De ſcytala ſerpente refert Solinus, c. 39. quod adſpicientes ad ſe intuendum diutiùs allicit, notis pellucidiſſimis, quibus dorſum habet reſperſum. Et quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit velocitate progreſſus, hos miraculo ſui ſtupentes & attonitos capit. Ita dæmon rebus ſenſibus noſtris per gratis, ad nos propiùs accedit, vt ex improuiſo irruens incautos inuadat ac deuoret. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami*, inquit Iob. c. 40. *& in locis humentibus requieſcit* ſcilicet in amore rerum caducarum, & voluptatum carnis Ad dum aſtutia, & calliditate vult decipere homines, & eos à via ſalutis diſtrahere, ſapientiam diuinam, quæ illos creauit & condidit eo fine vt ad vitam perueniant æternam, grauiter oſtendit. Conſilia enim illius præſumptuosè nimis deſtruere contendit. At non eſt aſtutia, non eſt conſilium contra Dominum. Etenim ſi multa dæmon inueniat, quibus diuinis conſiliis obſiſtat, alta & profundiſſima ſunt Dei conſilia, vt aliis mediis artes & fallacias dæmonis eludat: nec alium exinde fructum colligit, quàm ſupplicium æternum, quòd tantæ maieſtatis decreta impugnare audeat. Ad tertium modum, quo Dæmon ſe reum conſtituit tranſeamus.

Tertius modus, quo dæmon reus conſtituitur, deſignatur in hoc quòd diabolus & calumniator appellatur, & cap. 12. *accuſator fratrum.* Prima eius calumnia fuit in Deum, quem vt inuidum & mendacem Euæ propoſuit. *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* Genel. 3. Verè calumniatur Deum peſſimus ille calumniator: nouerat quippe ad quam dignitatem per incarnationem natura humana eſſet euehenda, cum illud myſterium illi propoſitum fuit; ac de Deo loquitur ac ſi ſimilitudinem ſuæ altitudinis homini inuideret, prohibendo illi vſum pomi, cuius manducatione Deo ſimilis eſſet euaſurus. Non enim de-
B negabat Deus Opt. Maximus communicationem ſcientiæ ſuæ hominibus, qui illis conformari prætendebat in natura, in ſimilitudinem hominum factus, vt illos ad cognitionem & viſionem ſuæ eſſentiæ ſublimaret, per quam ſimiles ei erimus. *Chariſſimi*, inquit S. Ioannes 1. cap. 1. *nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimilis ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Quòd ſi Deum dæmon calumniatur, non mirum ſi poſtea calumniis impetat mortales: nam ſi eos ſeduxit, illos accuſat, & eorum ſcelera denuntiat apud tribunal iuſti iudicij Dei; aut ſi eos non ſeduxit,
C pretium & valorem bonorum operum imminuere pertentat, & aliquid in eorum opere, quod vituperari poſſit: diligenter inquirit, vt vel illos culpabiles probet, vel ſaltem minùs commendabiles reddat. Sic in Iuda proditore, Magdalenæ opus vituperat. Ioan. 12. *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hæc non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* Et certè probabile eſt ab hoc tempore in dæmonis captiuitatem fuiſſe redactum, quo facilius illi ſuaſit, vt ſub ſpe lucri Dominum traderet. Vnde tanquam de homine iam à dæmone poſſeſſo, ante ſacram Chriſti cænam loquitur de eo S. Ioannes. *Cum*, inquit, *diabolus*
D *iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Iſcariotes.* Et Chriſtus Dominus eius indolem prænoſcens, & ingenium ad calumniam pronum præuidens, illum diabolum vocabat. Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt?* Imitator factus diaboli, qui negare non valens Iob ſimplicitate ac rectitudine ſua dignum eſſe laude & approbatione diuina, eius intentionem vituperare aggreſſus eſt: ac ſi Iob propter proſperitatem, quâ fruebatur, Deo ſeruire intenderet. Et cum ablatis bonis eius temporalibus: Iob à rectitudine ſua non receſſiſſet, intentionem vituperare non valens, infirmitatis ac imbecillitatis virtutem illius arguere voluit, dum ait: *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem: & tunc*
E *videbis quòd in faciem benedicat tibi.* Iob. 2. In quo certè dæmon grauiter Deum inuidiâ, & malignitate ſua offendit. Pax enim à Deo hominibus bonæ voluntatis datur: & quos tales Deus facit per gratiam, illos donis ac beneficiis deinceps etiam cumulat. Vnde tenerriſſimè illos diligens ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Igitur ne ſplendorem virtutis offuſcare contendas, niſi velis operi diuino iniuriam inurere, quæ in autorem redundaret. Ne dicas opera hominum ex gratiâ profecta indigna eſſe quæ gloriâ æternâ munerentur. Imbecillitatis Deum argueres, qui media ad hanc conſequendam ſufficientia conferre non valeret.

Cum igitur dæmon peſſimus, per inuidiam bona opera piorum ſuggillat, in Dei iniuriam calumniam ſuam effundit. Hac enim ratione indicare vult Deum

eſſe iniuſtum, qui pro tantillis operibus, ac tam parui momenti gloriam æternam confert, qua illum pro inſtantanea, & vnica culpa in æternum ſpoliauit. At quàm iniuſtè de Deo conqueratur, patet ex abundantia gratiæ, quam Chriſtus contulit ſanctis, quæ tam copioſa fuit, vt *non dilexerint animas ſuas vſque ad mortem: ſed vicerunt propter ſanguinem agni.* Nam cum eligunt potiùs mori, quàm Deo non obedire, ſatis oſtendunt quòd illum diligunt ſupra omnia: dæmonem verò meritò à gloria excluſum, qui ſeipſum ſupra Deum dilexit. Sciebat Paulus dæmonem eſſe calumniatorem, & perfectioni nobis eſſe ſtudendum, quia ſemper eſt in inſidiis, vt quid in nobis reprehenſibile reperiat: dum Titum ſic alloquebatur c.2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil malum habens dicere de nobis.* Ad quartum modum, quo dæmon reus conſtituitur, veniamus.

Quartus igitur modus, quo dæmon perduellio conſtituitur, eſt per obſfirmatam voluntatem Deo reſiſtendi, & in omnibus contradicendi, ac impediendi quantum in ſe eſt, quidquid Deus molitur pro nominis ſui gloria & exaltatione. Rabie ac furore, Dei bonitatem eſt aggreſſus, quòd tanta ſit, vt voluerit naturam humanam ſibi hipoſtaticè vnire. Sapientiam ſuam eſt aggreſſus, cum calliditate & aſtutia ordinem ab ea præſcriptum inuertere ſtuduit. Poteſtati diuinæ iniuriam intulit, cum electos ſuos, quaſi indignos, à gloria excludendos vituperiis onerauit, ac ſi ſanguis Chriſti eſſet inſufficiens, nec efficacem nobis promeruiſſet gratiam, qua à peccatis mundaremur. Nunc iuſtitiam aggreditur, dum Deo obtemperare recuſat, & eius voluntati in omnibus contradicere ſtudet: nec Deo cedit niſi coactus. Cum enim creatura quælibet tota Dei ſit, à quo habet eſſe, poſſe, & operari, illi iure perfectæ dependentiæ omnem obedientiam, & ſubiectionem præſtare debet, niſi velit omnem æquitatem infringere, & iuſtitiæ limites tranſilire. Olim Antiochus 2. Machab. c. 9. vindicem Dei manum ſentiens exclamabat: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Diceret certè gehennæ addictus, niſi obſtinata voluntate in malo eſſet obduratus, & arrogantia nimia elatus. Pudet ſe victum conſiteri, pudet ab incæpta contradictione, propter imbecillitatem virium deſiſtere. Ideo ſemper Deo contradicit & aduerſatur, & præcipuè in iis, quæ ad opus redemptionis pertinent. Hinc Zachariæ c. 3. Videtur Ieſu ſacerdos magnus ſtans coram Angelo Domini: & ſatan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. Voluit Chriſtus fauſtum dare initium, oratione & ieiunio, prædicationi Euangelij, & tentabatur à ſatana. Marci 1. Seminat verbum Euangelij per ſe, & per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores: & confeſtim venit ſatanas, & aufert verbum quod ſeminatum, eſt in cordibus eorum. Marci 4. Vnde S. Paulus de Anti-Chriſto Chriſti hoſte loquens 2. ad Theſſalon. c. 2. ait ipſum venturum *ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus.*

Ex his perſpici poteſt cur S. Ioannes quatuor nomina dæmoni impoſuerit, vt hac ratione demonſtraret quomodo in ſua rebellione, & bonitatem, & ſapientiam, & potentiam, & iuſtitiam diuinam offenderet; & inſuper oſtenderet quo ordine ſuas malitias in actum reduceret, & Eccleſiam impugnaret; Primò illam ſæuis perſecutionibus ac cædibus vexando; Secundò, fallaciis & circumuentionibus, per adinuentionem hæreſum, poſtquam perſecutionibus finitis, Eccleſia tranquillitate ac pace frui incæpit; Tertiò mendaciis & calumniis Eccle-
A ſiam appetendo, quibus ſchiſmata concitarentur. Et denique manifeſta quadam oppoſitione & contradictione, cum in Anti-Chriſto recolliget & aggregabit perſecutionum rabiem, hæreticorum vafriciem, ſchiſmaticorum inuidiam, peccatorum omnium peruicaciam & obdurationem, impedire ſatagens, aut ſaltem retardare illum honorem Chriſto exhibendum ab Angelis & hominibus, cum illi flectetur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Et ligauit eum.

Quibus catenis dæmon alligatur, ne totum virus ſuum effundat, & ſua malitia obtineat effectum? B

ANNOTAT. V.

NON permittit Deus Cacodæmonem liberè graſſari. Apprehenditur, alligatur, incarceratur; & dum ei libertas nocendi adimitur ſimul retunditur, & punitur arrogantia, & præſumptio eius At quæres quænam ſit catena, quæ ei injicitur; tam valida, vt ab ea impediatur?

Dico catenam, quam in manu tenet S Michaël Eccleſiæ protector & cuſtos, ſignificare Prælatorum ſeu Paſtorum Eccleſiæ Catholicæ ſucceſſionem, &
C ſpecialiùs ἀντονομαστικῶς ſucceſſionem Romanorum Pontificum. In his ſiquidem cernitur euidentiùs ſeries & ſucceſſio legitimorum Paſtorum: eſt enim Eccleſia Romana magiſtra Eccleſiarum, & præcipua. Vnde ad eam attendere præcipuè debemus. Vnde factum eſt vt Ireneus, Cyprianus, Epiphanius, Auguſtinus, Optatus Mileuitanus, omiſſis ſucceſſionibus Epiſcoporum ſedium ſuarum, dum ſucceſſionem Paſtorum in Eccleſia recenſere voluerunt, Romanorum Pontificum ſucceſſionem recenſuerunt. Ex hac enim demonſtratur firmitas Eccleſiæ, quæ talis eſt, vt non præualeant aduerſus eam inferorum portæ. Nam cum Eccleſia ſubſiſtere nequeat abſque Paſtoribus, (ex Cypriano lib. 4. Epiſt. 9. *Eſt enim*
D *Eccleſia plebs Epiſcopo adunata, & Epiſcopus eſt in Eccleſia, & Eccleſia in Epiſcopo.* Concinit Hieronymus contra Luciferianos, dum ait: *Eccleſia non eſt, quæ non habet ſacerdotes.* Ita Hieron. Cui addere debemus Eccleſiam non eſſe vnam, niſi vnum habeat caput viſibile) clarum eſt oportere vt vno decedente Epiſcopo, alius ſuccedat; & auulſo vno, qui rationem haberet capitis, alius renaſcatur, ne Eccleſia corpus ſit immane, monſtro ſimile, ſi capite truncaretur. Quod autem iſta ſucceſſio ſit neceſſaria, vt Eccleſia firma conſiſtat, & omnes ſatanæ inſultus retundat, probatur ex Epheſ. c. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in*
E *ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, &c.* Si enim conſummatio iſta corporis Chriſti myſtici, non erit niſi cum completus fuerit numerus electorum in fine ſeculorum; & ad conſummationem iſtam neceſſarij ſint Paſtores; oportet certè vt his decedentibus alij ſuccedant, qui in locum eorum ſubſtituti laborent, vt hoc ſanctiſſimum corpus ædificetur, & ad conſummationem & perfectionem perueniat.

Hi autem Paſtores dæmonem alligant, & ne noceat quantum poſſet, ſi liberè iuxta malitiam ſuam graſſari illi cōcederetur impediunt per quatuor poteſtates, quæ penes illos ſunt: quibus quoquomodo occurrat dæmon, ſiue vt draco, ſiue vt ſerpens, ſiue vt diabolus & calumniator, ſiue vt audaciſſimus & ſatanas obſtinatiſſimus, ſemper illi feliciter reſi-

Digitized by Google

ſtitur. Prima poteſtas eſt poteſtas ejiciendi dæmones, è corporibus, & locis obſeſſis, de qua Marci 3. *Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* Hæc certè gloria eſt Eccleſiæ, quòd hac poteſtate refrenare poſſit dæmonem, de quo dicitur quòd *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* Qui furore ac rabie, inuidiâ, ac malitiâ draco optimè nuncupatur. Non modò apud Paſtores Eccleſiæ, ſed etiam penes eos, qui illis per fidem, & charitatem, & obedientiam coniuncti erant, & ab eis ad hoc munus deſtinabantur, erat quædam poteſtas, qua ab idolis, à templis, à corporibus obſeſſorum illum ejiciebant. Et non modò hoc poterant Martyres, & ſancti viuentes, ſed etiam ad illorum cineres poſt mortem dæmonia ejiciebantur, & fugam arripere cogebantur, vt patet ex hiſtoriis. Quid igitur turpius & ignominioſius draconi obuenire poterat, quam dum rabie ac furore corpora Martyrum trucidabat, ſtatim perſenſerit quanta vis apud illos eſſet, qua torquebatur, & à corporibus expellebatur; & dum è corporibus ejiciebatur, è cordis etiam infidelium propulſabatur: qui videntes illorum imbecillitatem, ad fidem conuertebantur. Denique dum exiliis ſanctos vexabat, ipſe ad inferna detrudebatur, & à dominatione, quam vſurpauerat in corpora & animas mortalium, deturbatetur. Quid illi profuit tantus furor? Verſa eſt eius rabies in inſigniorem confuſionem. Victoria apud Martyres remanſit, & potentiores facti ſunt contra eum, vt illum à tyrannica dominatione expellerent. Quæ poteſtas cum permaneat in Eccleſia, & permanſura ſit quandiu perdurabit, patet quomodo dæmon hac poteſtate alligentur, tanquam catenâ, quia in Paſtoribus ſibi inuicem ſuccedentibus ſemper vigebit vſque in finem.

Secunda poteſtas eſt, infallibilitas veritatis in doctrina, qua omnes artes ſerpentis eluduntur: qui quod vi obtinere nequiuit, hoc & erroribus obtinere ſatagit. At ſpiritus veritatis Eccleſiam concomitans, alligat ſerpentem, itaut operam perdat. Hac enim veritate ornatur Eccleſia, vt quam à capite ſuo recipit veritatis cognitionem, hanc in reliquum corpus transfundat. De quo pretioſo ornamento Ezechiel. c. 16. *Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum.* Quod exponens Origenes ait: *Cum mihi dederit occaſiones bonorum operum, armillas circumdat manibus meis. Et catena circa collum tuum. Si me poſt geſta inſtitui. Intellectu ornaueris veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur.* Hom. 6. in Ezech. Hæc eſt catena, quæ datur obedienti Deo, vt Patri, & Eccleſiæ vt matri; de qua ſapiens, Prouerb. 1. *Audi, fili mi, diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Hæc ſunt ſacra vincula, quæ eo ipſo quo quis illis alligatur, ſalutem conſequitur, & ſerpentis antiqui aſtutia eluditur. De quibus vinculis Eccleſiaſt. 6. dicitur; *Sapientia enim doctrinæ ſecundùm nomen eſt eius, & non eſt multis manifeſta. Quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei. Audi fili, & accipe concilium intellectus, & ne abjicias conſilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acidieris vinculis eius.* Et paulo poſt: *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis: & torques illius in ſtolam gloriæ: decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutis.* Hæc Sapiens. At quinam ſunt compedes ſapientiæ, ſeu veræ doctrinæ, niſi mandata Domini, quæ quidem peruerſas noſtras affectiones comprimunt? Quænam ſunt vincula, & quæ torques, niſi veritates reuelatæ, quæ quidem impediunt intellectum ne prorumpat in cogitationes quaſdam impias, curioſas, erroneas, irrationabiles? Collo autem aſſimilatur intellectus, in quantum lumen fidei, in cuius obſequium captiuatur, è ſurſum recipit. Per collum in ſtomachum cibus demittitur, & ſpiritus animales à capite in membra: ita dum intellectus fidei ſubmittitur, nutritur animus cibo veritatis, & à Deo tanquam à capite influunt in nobis cæleſtes affectus, & motus quibus in eum tendimus, ſeu ad eum adſpiramus. Veritas igitur cognita, catena eſt magna, qua ſatanas præpeditur, ne ſeducat mortales, licèt multos è pectore ſæuo & venenato euomat errores.

Nam ſtatim atque proponuntur, adeſt ſpiritus B veritatis in Eccleſia, quæ torquem veritatis collo injiciat fidelium; & dum ſciunt quæ credere debent omnia diaboli mendacia reſpuunt, quæ ſub ſpecie veri ingerere pertentabat: quo fit vt quo ſe vertat, non habeat; & quaſi catena fortiſſima intellectus illius alligatus, nulla inueniat media, quibus mendacia ſua in mortalium mentes inducere valeat: qui propter morum corruptionem, & inſitam rerum diuinarum ignorantiam, facile poſſent mendaciis & erroribus adhærere, niſi autoritas Eccleſiæ occurreret, qua docentur quid credere & tenere firmiter debeant.

Tertia catena, qua dæmon tenetur alligatus, eſt ſanctitas, quæ tantùm inuenitur in exiſtentibus in C Eccleſiæ ſinu & gremio. Hac ſanctitate retunduntur omnes diaboli accuſationes, & calumniæ, quibus per ſchiſmaticos, Eccleſiæ decus obſcurare contendit; vel dum vituperant Paſtorum electiones & promotiones, vt ſui diſceſſus ab Eccleſiæ vnione occaſionem arripiant; dum etiam vituperant decreta Pontificum, ac ſi eſſent iniuſta, aut temeraria; dum cauſam exiſtimant legitimam habere ſeparationis, propter quoſdam abuſus, quos prætendunt introductos, & indebitè in praxim redactos intra Eccleſiam Catholicam: Denique dum doctrinæ Eccleſiæ derogant, propter peruerſitatem morum quorundam Eccleſiaſticorum, ac ſi vera doctrina permanere non poſſet apud eos, in quibus tanta ineſt corruptio D morum. His aut aliis modis per ſchiſmaticos immaculatam ſponſam Chriſti, diabolus conatur calumniari & accuſare.

At contra tam peſtiferum virus, & os doloſum & abominabile eorum, de quibus dicitur: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*; opponitur catena, ſanctorum omnium, qui ab initio Eccleſiæ vſque nunc, intra ſinum Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ tantùm, & non alibi, floruerunt. Extra Eccleſiam nempe nullum reperies, cuius ſanctitas approbata fuerit miraculis, ſiue in vita, ſiue poſt mortem: quod familiare fuit apud Eccleſiam Catholicam, in qua plurimi extiterunt, quorum doctrina, & eminens virtus & ſanctitas enituit, & plurimis ſi- E gnis & prodigiis in vita & poſt mortem probata, & confirmata fuit. De quibus S. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſ. c. 31. & lib. 2. in Iulianum, *Iſti*, inquit, *ſunt Epiſcopi & ſacerdotes, docti, graues, ſancti, veritatis acerrimi defenſores, &c.* Et paulo poſt: *Qui Catholicam fidem in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrauerunt.* Et paulo poſt: *Talibus, poſt Apoſtolos, ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus ædificatoribus, nutritoribus creuit.* Ita Aug. In ſola ſede Romana ſeptuaginta duo repeiuntur vitæ ſanctitate cõſpicui, ſeu martyrio coronati, præter alios plurimo Pontifices, quorum vita fuit irreprehenſibilis, & commendatione digniſſima. Quod tanto maiori laude dignum eſt, quòd ſedes Romana etiam in prioribus ſeculis diuitiis abũdabat, quarum intuitu olim prætextatus quidam, conſul

Digitized by Google

deſignatus, ad Papam Damaſum dicebat: *Fac vt* A *Papa ſim, & Chriſtianam religionem libenter amplector.* Hæ ſunt armillæ, quibus Deus ſponſæ manus & brachia adornat, eamque retinet obſequio ſuo ita mancipatam, vt in peccati opera manum non extendat; quibus etiam ſatanas impeditur ne per ſchiſmata plurimos fideles ſeducat. De quibus armillis ait S. Hieron. in caput 16. Ezechiel. verba iſta ponderans: *Et dedit armillas in manibus. Quando*, inquit, *nobis bona opera dederit Deus, circumdat armillas in manibus noſtris. Vnde & in manibus Prophetarum aſſimilatum ſe eſſe dicit, & crebro in manu Aggai, ſiue Hieremiæ, & reliquorum, factum ſermonem legimus. In Iob quoque draconis labium perforatur armillâ: omneſque eius venenati ſibilli, qui in peruerſis intelliguntur dogmatibus, bonorum operum circulo perforantur.* Ita S. Hieron. Vides bona opera, ex Hieron. dæmonem impedire & alligare, ne peruerſis dogmatibus noceat, ne etiam calumniis & mendaciis ſuis circumueniat. Compedes igitur illi injiciuntur, ne progredietur, dum per poteſtatem ejiciendi dæmonia, à corporibus, & cordibus expelluntur, & ita affectus illius draconis, rabie & furore plenus, tanquam per compede ligatus comprimitur. Manicæ facultati apprehenſiuæ (qua tanquã manu obiecta apprehẽduntur) imponuntur, veritate quæ ſemper concomitatur Eccleſiam. Os eius calumnias continuò eructans obſtruitur annullis & armillis bonorum operum, quibus mendacij & falſitatis conuincitur. Et dum Eccleſiam accuſare audet ore ſchiſmaticorum, ac ſi in aliquo erraret & deficeret (propter quod iuſtum eſſe exiſtimaretur ab ea ſeparari, & ab eius obedientia ſubtrahi: quibus calumniis corde leuiores, qui citò omnia credunt; & imprudentiores ab eius ſinu ſubtrahuntur) verè diabolus & calumniator oſtenditur, ſanctitate plurimorum ſanctorum mendacia iſta retundente, qui cum ſibi inuicem ſucceſſerint intra Eccleſiæ ſinum, ſatis oſtendunt doctrinæ veritatem ibi ſedem ſibi conſtituiſſe immobilem, vbi ſanctitas in eminentiori gradu animaduertitur. Et hac ratione Eccleſia, patientiâ quadam inuincibili, perſecutionibus, hæreſibus, ſchiſmatibus reſiſtit: & quidquid euomant Inferorum portæ, ſplendorem ſanctitatis Eccleſiæ illuſtriorem reddit; & firmitatem ſuam adeo inconcuſſam oſtendit, vt ſubtilitate cuiuſuis acutiſſimi intellectus ne minimùm quidem concuti valeat.

Quæ cum ita ſint, inquit S. Auguſt. lib. de vera religione cap. 5. *neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt religio; ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici vel orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Hæc enim Eccleſia Catholica per totum orbem validè lateque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cum euigilare voluerit. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis ſuæ: alios inuitat: alios excludit: alios relinquit: alios antecedit: omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem, ſiue illi informandi ſint adhuc, ſiue reformandi, ſiue recolligendi, ſiue admittendi. Carnales autem ſuos, id eſt, viuentes aut ſentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegumentis exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tandiu ſuſtinetur peccatum aut error cuiuſlibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate deffendat. Excluſi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malam liberi defluunt, ad admonitionem noſtræ diligentiæ; aut ſchiſma faciunt, ad exercitationem noſtræ patientiæ; aut hæreſim aliquam gignunt, ad examen ſiue occaſionem noſtræ diligentiæ. Hi ſunt exitus Chriſtianorum carnalium, qui non poterunt corrigi aut ſuſtineri.* Ita Aug.

Ex quo loco Auguſtini præſentio & ſubodoro quartum modum, quo Cacodæmon reus conſtituitur læſæ Maieſtatis diuinæ. Nam cum Eccleſiam euertere perſecutionibus non potuit, nec hæreſibus aut erroribus peruertere, nec ſchiſmatibus deſtruere; conatur tanquam vetus ſatanas & aduerſarius, & ſpiritus ad contradicendum Deo proniſſimus, per morum corruptionem (quam in pluribus fidelibus graſſari ſatagit) bellum inferre cum reliquis de ſemine mulieris, qui aut perſecutionibus non ceſſerunt, aut in hæreſim non inciderunt, aut ſchiſma non fecerunt. Conatur, inquam, per peccata mortifera & tranſgreſſiones mandatorum Dei illos perdere, quos ab vnitate fidei, & Paſtorum Eccleſiæ B communione nequiuit diſiungere. Et hoc modo hoſtis pertinax, & aduerſarius ſeſe exhibet, fideles Catholicos multimoda tentatione, & ad malum inductione vexando. Quod in fine cap. 12. innuitur in his verbis: *Et iratus eſt draco in mulierem. Et abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.* Hoc animo contradicendi altercabatur olim cum Michaële Archangelo de Moyſis corpore. Corpus Moyſis volebat Michaël ſepeliri in loco, qui incognitus eſſet Iudaico populo, ne anſam arriperent cultum Moyſi exhibere indebitum, qui ad Deum non referretur, ſed in Moyſe ſiſteret. At ſatanas, vt populum ad idololatriam pronum, ſub ſpecie C recti ad ſuperſtitioſum cultum prouocaret, illum palam & apertè ſepeliri percupiebat.

Quartus igitur modus, quo dæmon reus conſtituitur, eſt quia continuò & inceſſanter fideles variis tentationibus ad malum ſollicitat, & eos ad multa peccata inducit. Sed contra hanc nequitiam Eccleſia inſurgit, dum apertè malos, contumaces & rebelles anathemate ferit, & eos à communione fidelium diſpungit, ne malo exemplo cæteros inficiant; & gloria & honor benè operantibus tribuantur, dum cum confuſione & ignominia mali ab Eccleſiæ gremio ejiciuntur. Et Eccleſia filios ſuos fouet, & veritatis cibo amanter paſcit ac reficit, ſi ad eius vbera tanquam paruuli lactentes pendere voluerint, à cuius vberibus auelluntur excommunicari. D Rectè ſiquidem Auguſt. de ſymbolo, ad Cathecumenos c. 3. in fine: *Manet enim Deus in corde credentis & diligentis, & manet homo in Deo, id eſt, in æterna vita, quod eſt præmium Deum amantis: nec amare, nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia non eſt, quoniam omnis qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita æterna eſt. Ideo Sacramenti huius concluſio per Eccleſiam terminatur, quia ipſa eſt mater fæcunda, integra, & caſta, vbique diffuſa, quæ filios Deo ſpiritaliter parit, quæ paruulos lacte verborum eius ſpiritualiter nutrit, quæ pueris ſapientiam docet, quæ adoleſcentes à luxuria, & impudicitia ſua, ſancta caſtitate cuſtodit, quæ iuuenes robore virtutis contra diabolum armat, quæ ſenes prudentiam docet, ſecum perſeuerantes indeficienter paſcit.* E *Hanc dilectiſſimi amemus. Omnes tali matri ſic amanti, ſic proſpicienti, ſic conſulenti, inſeparabiliter inhæreamus, vt ſimul cum illa, & per illam Deo patri coniungi perpetuo mereamur.* Hæc Auguſt.

Si igitur quæras quænam ſit illa catena, qua dæmon ligatur, ne per corruptionem morum fideles trahat in damnationem perpetuam; Dico illam catenam eſſe poteſtatem coactiuam, quæ eſt penes Eccleſiam, qua leges condere poteſt in conſcientia obligatorias, quibus ſi fideles pareant, ab hoſtium incurſibus immunes reddentur. Quòd ſi illas leges tranſilire voluerint, adeſt in Eccleſia poteſtas rebelles & contumaces abſcindendi. Quod dum præſtat, alios fideles in morum integritate conſeruat, & ſatanam impedit ne vlteriùs progrediatur, & nouas

Digitized by Google

victorias reportet. Omnes itaque illæ leges & conſtitutiones ſanctæ, quæ pro ratione temporum ab Eccleſia latæ ſunt, & promulgatæ, & receptæ, ſunt quaſi quædam catena, qua ſatanas alligatur, ne noceat pro viribus, prout faceret ſi fideles integritatem morum deperderent: ad quam corruptionem, illos ſuggeſtionibus, tentationibus, & contradictionibus, aduerſus Dei voluntatem inducit. Poteſtas etiam excommunicandi eſt veluti quædam catena, quæ illum incluſum detinet in animabus peruerſorum & obſtinatorum, qui ab Eccleſia ſeparati cæteros veneno ſuo intingere non poſſunt, quos ſecum in damnationem attrahere ſatanas deſiderat. *Rebelles quippe*, inquit S. Greg. Nazianz. oratione in laudem Cypriani, *atque inuidi ſpiritus ad obeunda huius generis miniſteria* (loquitur de Cypriano Mago, qui poſt conuerſionem martyr occubuit, Virginem Chriſtianam arte magica ad nequitiam prouocante.) *Celeres eſſe ſolent, multos nimirum caſus, exiliaque ſui ſocios habere cupientes.*

Et miſit eum in abyſſum.

Quotnam ſint abyſſi, in quibus dæmon includitur, pro diuerſitate impugnationum ſuarum?

ANNOTAT. VI.

TOT, vt exiſtimo, abyſſos excogitare poſſumus, quot ſunt modi quibus Caco dæmon fideles vexare contendit, quos ex nominibus draconis, ſerpentis, diaboli & ſatanæ coniectauimus. Sicque prima abyſſus, in qua dæmon includitur, eſt infernus, & locus pœnarum & tormentorum, in quam Eccleſia illum detrudere poteſt vi exorciſmorum, ad expellendos dæmones. Verbi gratia in exorciſmo, quem vocant Luciferina, in quo dicitur expreſſiſſimis verbis: *Quòd ſi præcepto, quod Vobis præcepi in nomine Ieſu, contra feceritis, non oſtendentes Veritatem, per Virtutem & potentiam, quam ſupra Vos Deus omnipotens mihi conceſſit, relego Vos æternaliter & condemno Vos ad Vltimum inferni profundum, cum omnibus pœnis, ſupplicijs & tormentis, quæ Vnquam poſſibilia ſunt dici, & cogitari. &c.* Et in tertio præcepto huius exorciſmi, Lucifero & aliis, (ſi dæmon abiuratus contumax fuerit,) præcipitur vt ad inferni barathrum eum deducant, & in profundo abyſſi igne excrucient & affligant, pro demeritis inobedientiæ. Ita exorciſ. Lucifera. Hic eſt primus carcer, in quem S. Michaël primum Angelorum Luciferum olim relegauit, ne ſeduceret gentes, ne omnem rabiem, & malitiam ſuam contra homines exerceret. Ibi reus detinetur captiuus, vt manifeſta, & omnibus nota ſit Chriſti victoria. De qua ipſe Dominus dicebat: *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, extra ſcilicet hunc mundum viſibilem, in abſtruſum iſtum carcerem. Non quod exiſtimandum ſit tantas eſſe Luciferi vires, vt Deo reſiſtere poſſet, etſi omnem ſuam adhiberet aſtutiam; ſed quia hoc exigit diuinæ prouidentiæ ſuauitas, quæ humanæ imbecillitati compatitur. Vnde permittere non vult vt homines exiſtant in ſtatu quodam adeo violento, qualis erit ſtatus perſecutionis futuræ ſub Anti Chriſto, in quo diabolus totas exercebit vires, & calliditates exercebit; & ex alia parte ita ſuauiter cuncta diſponit, vt merendi præmia occaſionem nõ adimat, dum reſiſtunt fideles continuis tentationibus, quibus oppugnantur, quæ benignitate Saluatoris (qui non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit cum tentatione prouentum) viribus eorum commenſurantur.

Et certè hoc genus abyſſi appoſitè aſſignatur ad vlciſcendam dæmonis rabiem, qui ſæuitiâ multimodâ, & plurimis perſecutionibus contra Eccleſiam excitatis, eam ſubuertere attentauit. In hac enim abyſſo non modò plectitur eſſentiali pœna priuationis diuinæ viſionis, ſed etiam accidentalibus ſupplicijs, prout demeretur. Infernus igitur pro carcere eſt illi tribuendus, ratione ſæuitiæ quam exercuit, & homicidij ſceleris quod contraxit, dum capitis Eccleſiæ, Chriſti nempe, & membrorum eius necem machinatus eſt.

At vt ſerpenti antiquo quærenda eſt illi alia abyſſus, in qua includatur. Illa erit profundiſſima quarumdam aquarum abundantia, in qua ſubmergetur, ſicut olim Pharao in mari rubro fuit abſorptus. Etenim dæmon non ſolum vi, ſed etiam calliditate & aſtutiâ, Dei voluntati contradicere audet. At torquetur valde, & quaſi catena alligatus detinetur inuitus, dum animaduertit omnia media, quibus quæ intendit exequitur, inutilia reddi profundiori ſapientia creatoris. De cuius ſapientia & ſcientia dicitur, Pſ. *Iudicia tua abyſſus multa.* Et Pro. 21. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Nihil illi contulit hominum deiectio: ſiquidem occaſionem præbuit, vt ad tantum faſtigium fuerit euecta per incarnationem filij Dei, vt altius non valeat ſublimari. Quid profuit illi inuidia de bonis naturæ humanæ collatis? Si per eius ſuggeſtionem priuati fuimus fructu ligni vitæ, ecce corpus Saluatoris, qui fons vitæ eſt, nobis datur in panem noſtrum quotidianum, quo ad immortalitatem nutriamur. Quid proſunt illi tot fallaciæ & fraudes, per quas plurimis annis plærumque homines ducit in perditionem? Etenim altiſſimo & admirabili prædeſtinationis conſilio, actus vnicus contritionis plærumque eripit illi eum, quem ſecum in æternam damnationem attrahere exiſtimabat. Per mulierem nos ſeduxit: & adeſt mulier, quæ veluti alia Iudith, non Holofernem ducem exercitus Regis Nabuchodonoſor, ſed Cacodæmonis ſuperbiam humiliate ſua vincit; & luciferi, gloriæ Dei hoſtis, caput & conſilia amputat ac præſcindit. Deinde euaneſcit in cogitationibus ſuis & ſi qua media aſſumit, vt diuinæ voluntati contradicat, tot remedia apponuntur, vt fateri cogatur non eſſe ſapientiam neque conſilium contra Dominum. Denique ſerpens euomuit ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, Apocaly. 12. id eſt, hæreſes, ſeu prauam doctrinam, qua Eccleſiam à recta via, ſi fieri potuiſſet, diuerteret: ſed hæc falſa doctrina tantùm admittitur à terrenis animabus quo fit vt potiùs Eccleſia hac ratione ſubleuetur, quàm exinde detrimentum aliquod ſuſcipiat: quibus enim interiùs excruciabatur, ab iis ſecedentibus ipſa alleuiatur & exoneratur. Et contra iſtum fluuium adeſt fluuius ſalutaris cuiuſdam doctrinæ, de quo dicitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Quod quidem flumen, tam altum, tam profundum, adeo rapidum eſt, vt in eo omnes hæreſes & errores diſperdantur, ac ſi aquæ gutta in altiſſimum gurgitem projiceretur. De hoc flumine, iuxta expoſitionem S. Hieronymi, loquitur Ezechiel c. 47. *Aquæ iſtæ*, inquit Hieron. *quæ egrediebantur ſubter limen domus, id eſt templi, non ferebantur ad aquilonem & ad occidentem, ſed ad orientem, & in latere templi dextro, id eſt, ad meridiem, ipſumque meridiem non cuiuſlibet loci, ſed altaris. Ex quo perſpicuum eſt ſacras eſſe aquas, & Saluatoris noſtri ſignificare doctrinam, iuxta illud quod ſcriptum eſt: De Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Hieruſalem. Et in alio loco: Repleta ſunt omnia ſcientiâ Domini, ſicut aquâ multâ operiens mare. De his aquis & Zacharias Propheta Vaticinatus eſt dicens: in die illo egredietur aqua Viuens de Hieruſalem, & medium*

eius in mare primum : medium autem illius in mare nouiſſimum, &c. Ita Hieron.

Qui addit : *Aquæ iſtæ referuntur ad doctrinam Eccleſiæ.* Ita Hier. Salutaris reuera doctrina, qua recenter ad fidem conuerſi, aſpidis morſu non læduntur, & qui iam in gratia creuerant, nequaquam venenato baſiliſci intuitu necantur. Et delectabitur infans ab vbere, inquit Iſaias c. 11. *Super foramen aſpidis : & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo.* Rationem reddit cum addit : *Quia repleta eſt terra ſcientia Domini*, ſicut aquæ maris operientes. Addit Hieron. *Infans quoque, qui malitia paruulus eſt, mittet manum in foramine aſpidis : & de obſeſſis hominum corporibus fugat dæmones. Qui autem ablactatus eſt, & nequaquam lacte nutritur infantis, ſed iam ſolido veſcitur cibo, iſte in reguli cauernam mittet manum, hoc eſt, in ipſius ſatanæ habitaculum, & inde eum extrahit. Vnde & Apoſtolis poteſtas data eſt vt calcarent ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem fortitudinem inimici.* Ita Hieron.

At quia de ſcientia & doctrina Eccleſiæ mentio fit, arbitror dici poſſe conuenientiùs, quòd ſimpliciores, quales ſunt recenter conuerſi abſque vlla curioſa indagatione doctrinæ Eccleſiæ aſſentiunt, itaut dentibus leonum, nempe profundis ratiocinationibus hæreticorum mortiferis, & animas interficientibus, lædi non valeant. Plurimùm ſudarunt hæretici, vt rationes inuenirent, quibus peruerſam doctrinam ſuam ſtabilirent ; at deridentur à ſimplicioribus, qui ſuprà ſoliditatem fidei & doctrinæ Eccleſiæ gradientes. omnia hæc pura puta mendacia eſſe agnoſcunt. Qui autem iam in gratia profecerunt, vel ſunt doctiores, & in contemplatione ſublimiores, à ſenſibus abſtracti, quibus dominantur ; illas falſas ratiocinationes, penetrare, diſcutere, examinare, ponderare non pertimeſcent. Non ſeducent illos mendacia iſta fuco illita, ſi ab eis intueantur, quamuis pallio ratiocinationis videantur obtecta, & ex veris quibuſdam principiis deducta. Optimè enim nouerunt myſteria fidei omnes rationes humanas ſuperare : non inficientur venenato halitu Reguli ſeu Baſiliſci, cuius, inquiunt, proprium eſt adſpectu vel halitu aues etiam volitantes per aëra enecare, vt notat Lyranus. Omnes quippe errores, & hæreſes à ſerpente iſto ad inuentæ & introductæ, in profundiſſima abyſſo ſcientiæ diuinæ, & doctrinæ Eccleſiæ reuelatæ abſorbentur, & diſpereunt. In hac abyſſo incarceratur, detinetur diabolus, & ſtrictiſſimis vinculis alligatur, itaut tot mendacia non poſſit effundere, quin ſtatim ea Eccleſia valeat ſuffocare, hauriendo à fontibus ſaluatoris pleniſſimè veritates neceſſarias, quibus falſitatis arguantur omnes peruerſæ hæreticorum doctrinæ : *Vt ſic innoteſcat principatibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* In cuius profunditate abſorbentur acutoria & doctiora ingenia. Rectè enim Apoſtolus ad Rom. c. 11. ait : *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit ?* In hac profunditate ſapientiæ & ſcientiæ, vis tota aduerſarij ita abſorbetur, vt quod conſilium ineat, aut quo ſe vertat ignoret. Captiuus, ac ligatus permanet, donec permittatur illi aliquod medium ab eo adinuentum in actum reducere, vt publicum Dei cultum ad tempus breue impediat. Sed illo medio euacuato, tandem omnes cognoſcent quòd non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.

Tertia abyſſus, in quam dæmon humani generis hoſtis dejicitur, eſt paſſio Chriſti, & membrorum A eius. In hanc projicitur tanquam diabolus & calumniator, qui ſeruorum Dei, & Dei ipſius opera vituperare non timet. Iobum ſuggilabat ; ac ſi Deo cultum non exhiberet, niſi ſub ſpe temporalis cuiuſdam commodi ; & qui opera arguere non poterat, intentionem condemnabat. Et ſtatim animaduertit intentionem illius non eſſe vituperatione dignum, nec argui poſſe : ſiquidem omnibus bonis ſpoliatus permanſit in ſimplicitate, rectitudine, iuſtitia, & innocentia vitæ. Ad animi magnitudinem ſuggilandam tranſiuit ac ſi virtus eius adeo eſſet imbecillis, vt nihil in corpore ſuo pati vellet ; itaut ſi pellis eius tangeretur, ſtatim eſſet oſtenſurus, quàm ægrè iſta tolleraret. At non tantùm ſanctorum intentio- B nes, opera & vires vituperat, ſed etiam ea quæ Deo autore, ſeu ipſius autoritate perficiuntur ; dum in miniſtris Eccleſiæ quærit quæ reprehendat. Quàm vellet Deum dici, aut reputari iniuſtum, quòd hominibus paradiſi, gloriam benignè conferat, qui tot viribus gratiâ illius abutuntur. Deum mortali culpa offendunt, & per tranſennam ipſi exhibent obſequium, bonis operibus tot opera imperfecta & vitioſa admiſcentes, vt in rabiem concitetur, dum videt Deum tantopere compati humanæ fragilitati, vt licèt homines multa infirmitate ſint circumdati, illos tamen in gloriam æternam inducat.

At projicitur in quamdam abyſſum quo fit vt nec mutire audeat. De qua dixit S. Paulus Rom. 8. C *Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit ? Quis accuſabit aduerſus electos Dei ? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet ? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti ? Tribulatio, an anguſtia, an fames ?* Si igitur Deus infirmitati humanæ compatitur, ſi dona & fauores ingratis elargitur ; ſi veritatem elicit è medio contentionum, quæ plærumque interueniunt in deciſionibus quæſtionum, quæ in Synodis & Conciliis agitantur ; ſi eos, quos vocat ad onera Eccleſiaſtica, ſeu dignitates Eccleſiæ, ad hæc munera D obeunda promouentur cum multis diſceptationibus reciprocis eligentium ; ſi quod dum Anathema iacitur cum aliqua mixtura indiſcretionis, præcipitationis, aut iracundiæ, quamuis cauſa ſit iuſta & æqua, & in Eccleſiæ bonum & vtilitatem cedat, vt pote opus à Deo profectum, & à Spiritu ſancto inſpiratum ; nullus certè mirabitur quòd hæc omnia Spiritus ſanctus perficiat, horum omnium ſit autor, in his, omnibus auxiliũ præſtet ; ſi ſemel in memoriam ſuã reuocauerit, & attentè perſpexerit Deum tantopere homines diligere, vt pro eorum ſalute filium ſuum vnigenitum morti tradere voluerit, & morti tam acerbæ, adeo ignominioſæ. Quid ad hoc dicere poterit dæmon nequiſſimus, cum illum his verbis al- E loquetur Dominus, iudex omnium æquiſſimus ? *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum ?* Ac ſi diceret : Tibi ô dæmon peſſime ; per me licet multa mala perpetrare : nec enim tuam deſtruere naturalem potentiam, nec tibi adimere libertatem cupio. A te amari vi, aut violentia, aut coactione aliqua non appeto. Cur igitur mihi, ſupremæ bonitati, non permitteretur vt cum ſim infinitè bonus, gratuitò & ſine ſpe alicuius commodi bona plurima conferam cuicumque voluero, imo iis etiam qui peccatis ſuis & offenſis, quantum in ſe eſt, ad iram me prouocare non ceſſant ? Quod in damnum tuum perficere voluiſti, permiſi vt illud faceres. Sine me quod ego volo facere ad maiorem meam gloriam, & bonitatis immenſæ & infinitæ perfectionis meæ manifeſtationem. Si quæ mea ſunt, mei ſunt iuris, non

cuto ;

curo; cuinam iniuriam inuro? Aliorum non intereſt, quia iniuria tota mea eſt in me ſolum peccatum committitur, cui ſoli competit leges præſcribere, mandata & præcepta imponere cunctis creaturis. Vnde mihi proprium eſt ac meum peccata condonare. Si operâ tuâ vterer vt homines ſaluarem, & aliquas pœnas tibi tolerandas imponerem, vt illos à pœnis eximerem, & hoc mihi liceret: quidquid enim habes, meum eſt totum, & à meæ liberalitatis fonte prodiuit: vno verbo dicam: opus manuum mearum tu es, ſeu mea es creatura, cui eſſe dedi & operari. At operâ tuâ non vtor. Cur igitur in querimonias prorumpis, ac ſi iniuriam patereris, dum hominum ſaluti inuigilo? Nulla tibi conquerendi præſtatur occaſio: non te miſi pro eorum ſalute promerenda per crucis mortem & ignominiam, ſed filium meum vnigenitum, qui pro eis multa pati non recuſauit, vt ſe obedientem, & obſequentem voluntati meæ exhiberet. Eadem nobis voluntas: Idem propoſitum, quibus eſt vnus mutuus amor, & reciproca dilectio. Quid ad te attinet, ſi dilectus filius meus, vt damna & detrimenta, (quæ gloriæ meæ illata ſunt per malitias tuas) reſarciret, voluit multa ſubire tormenta, & mortem crucis tolerare. Ego vero pater amantiſſimus reciproca quadam complacentia in filio meo, pro illius reuerentia hominibus peccata condonem, pro quorum venia, preces & ſupplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulit in diebus carnis ſuæ? Quæcumque fecit, ſemper mihi placita fuerunt. Vox orationum ipſius ſemper mihi gratiſſima fuit: ſemper à me audita. Vox enim illius ſuauis, & quæ bonitatem meam ſummè redoleat. Hac de cauſa hominibus peccata & malitias cunctas condono: infirmitati, ac imbecillitati eorum compatior, & quidquid agant mali, ab eorum dilectione non recedo. In charitate perpetua illos diligo, & electos meos in manibus meis deſcriptos habeo, vt quicquid ago aut permittam in illorum cedat commodum: vt ſic diligentibus me omnia cooperari poſſint in bonum, vt ſic tandem gloriæ meæ poſſint eſſe conſortes: dum meritorum, & paſſionum filij mei effecti fuerunt participes: *Quis igitur accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet?* Hæc verè abyſſus, in qua non Pharao, ſed diabolus aquis ſapientiæ & ſcientiæ Dei inuoluitur. Hoc modo nihil habet quod Deo reſpondeat: omnia calumniarum ſuarum iacula retunduntur contra petram duriſſimam conſtantis illius Dei decreti, quo Deus ſtatuit gratiam & gloriam, & multa bona hominibus conferre. Quid dico, retunduntur? Confringuntur certè contra Chriſtum, qui petra eſt. *Arcum enim conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Arcum, inquam, illum doloſum contriuit, è quo diabolus iacula inuidiæ ſuæ emittebat, hominem appetere ſe dicens, cuius bono inuidebat, cum tamen Deus eſſet cuius honorem & gloriam auferre vellet ex malitia: indignam reputare ſe dicit naturam humanam, diuinitatis participatione, per vnionem hypoſtaticam: meritum actionum hominum, quantum poteſt, extenuat: ac ſi iniuſtum eſſet gratiam & gloriam illis conferre: ſed certè fruſtra: etenim Dei gloria plurimum elucet, cum Dei bonitas homines beneficiis ſuis præuenire non ceſſat. *Gaudium enim Domini fortitudo noſtra:* & dum homines ſaluãtur, nomen eius in altum extollitur, in hoc enim perſpicitur quod ipſe ſit Deus Opt. Max. vacate & videte quoniam ego ſum Deus.

Quo ad 4. abyſſum, in qua dæmon incarceratur, dicimus eſſe corda malorum & reproborum, in quibus tantummodo graſſari dæmoni permittitur. Hominum corda reuera Deus deſiderat, vt in eis inhabitet, iuxta illud: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Cacodæmon, qui Deo contraire præſumit, omnibus

A modis pertentat corda hominum à Deo auertere; & quos perſecutionibus perterrere, erroribus ſeducere, ſchiſmatibus à via ſalutis diuertere non potuit illos per voluptates & peccati iocunditatem allicere ad ſe pertentat, vt ſaltem in tempore poſſideat eos, quos præordinatio diuina in æternum illi eripiet. Ea propter infatigabilis eſt in ſuis ſollicitationibus, in maleuolentia ſua pertinaciſſimus, & Deo ſemper contrarius, vt homines inducat, vt ab eius amore in æternum, aut ſaltem pro aliquo tempore auellantur. *At ſi nos non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* 2. ad Timoth 2. Quo fit vt ſi nos infideles Deo ſimus, ipſe ſemper fidelis perſiſtat, ſuprema eſt veritas, quæ nunquam mentitur, & neminem fallit. Suprema eſt illius bonitas, propter quam

B gratia illius nunquam diſcedit ab eis qui illi voluerint fideliter cooperari. Plures proinde inueniri poterunt, quos ſeducet, qui ad pœnitentiam aut reſipiſcentiam minimè redibunt: at electi ſi peccato ad tempus conſenſerint, tamen gratiam Dei per pœnitentiam rurſus conſequentur; itaut diabolus operam ſuam perdat, qui eos ſecum in æternam damnationem deducere cogitabat. Rectè enim de electis dixit S. Paulus: *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognouit Dominus qui ſunt eius. Et diſcedat ab omni iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Hæc ſunt duo ſignacula, quibus fideles eximuntur à diaboli laqueis; etſi aliquando quædam pec-

C cata committant. Primum, quia nouit Dominus qui ſunt eius, de quibus S. Petrus 2. c. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos.* Adeſt præterea ad ianuam cordis gratia Dei, qua præuenti à peccatis reſipiſcunt; & ingreditur in eos ſtatim atque ab eis diſcedunt. Et illud eſt ſecundum ſignaculum, quo firmum ſtat Dei fundamentum, id eſt, propoſitum illos ad gloriam deducendi; nempe quòd corda eorum mala & peccata abhorrent; ſi quæ per fragilitatem ab ipſis perpetrantur, diſplicet ipſis proprium opus, & tanquam graue onus iniquitates eorum grauitant ſuper eos: à quibus alleuiari cupientes, tam importabile onus proiiciunt, Dei vocem audientes, qua

D ad conuerſionem prouocantur: *Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere vt intueamur te. Oues* quippe *meæ,* inquit Saluator, *vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas: & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Ioan. 10. Cum igitur in cordibus electorum demum fixum non poſſit habere habitaculũ, ſequitur vt abyſſus, in quo detinetur, ſint corda impiorum, de quibus dicitur: *Cor impij quaſi mare feruens.* In illis detinetur ni illis commoratur. Et ſicut illos in vinculis ſuis conſtrictos detinet captiuos ad ipſius diaboli voluntatem, ad omne opus bonum reprobos: in his etiam religatur, vt tantò plura ſupplicia accidentalia ſibi acquirat quantò magis per inſtigationem

E malitiæ ſuæ hi homunciones multas abominationes perpetrarunt. De hac abyſſo hunc locum etiam intellexit S. Dionyſius Carthuſ. dum in hunc locum ait: *Miſit eum in abyſſum, ſcilicet in infernum teterrimum, profundiſſimum; vel in corda tenebroſa reproborum, eorum potiſſimè qui perſequebantur Eccleſiam.* Ita Dionyſ. Fauet huic expoſitioni S. Greg. in c. 37. Iob. l. 27. in hæc verba: *Ingreditur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo morabitur. Notandum*, inquit, *verò magnopere æſtimo, quòd beſtia antrum ſuum ingredi, ſed etiam in eo morari perhibetur. Aliquando enim bonorum mentes ingreditur, illicita ſuggerit, tentationibus fatigat, rectitudinem ſpiritus ad delectationem carnis deflectere conatur, delectationem quoque ad conſenſum perducere nititur; ſed tamen reſiſtente ſupremo adiutorio præualere non perhibetur. Intrare ergo in mentes bonorum poteſt, ſed in eis morari non poteſt: quia cor iuſti huius beſtiæ antrum non eſt. Quos enim*

Digitized by Google

quaſi proprium antrum poſſidet, eorum mentes proculdubio immorans tenet: quia & in eis cogitationes vſque ad iniqua deſideria: & poſt iniqua deſideria, vſque ad nequiſſima opera perducit: neque enim ſtudent reprobi ſuggeſtiones eius rectâ iudicij manu repellere, cuius voluptatibus appetunt ſubdita delectatione ſeruire. Cumque in eorum cordibus prauum quid oritur, mox per ſtudium delectationis enutritur: & cum ſibi minimè reſiſtitur, protinùs ex conſenſu roboratur, ſtatimque conſenſus ad opus perducitur: opus etiam conſuetudine grauatur. Rectè ergo in antro ſuo morari hæc beſtia dicitur, quæ tandiu cogitationes reproborum tenet, quouſque eorum vitam aculeo praui operis perforet. Vnde bene ad Iudæam Dominus per Prophetam dicit. Ierem. 4. Quouſque morabuntur in te cogitationes noxiæ? Neque enim reprehendit cur veniant, ſed cur morentur. Et in rectorum etiam cordibus cogitationes illicitæ veniunt, ſed tamen morari prohibentur, quia recti quique ne captiuandam domum conſcientiæ præbeant, ab ipſo cordis limine hoſtem fugant. Qui etſi quando repentinis ſuggeſtionibus, vſque ad primum veſtibulum ſurripiens, ad conſenſus tamen ianuam non pertingit. Hinc nimirum beſtia impulſu ſubita formidine victus ianuam cordis Petrus negando aperuit, ſed citiùs cognoſcendo reſtitit, flendo clauſit. Quia verò antiquus hoſtis perſecutorum corda non ſolum intrando tenuit, ſed etiam tenendo poſſedit, dicatur rectè ingredietur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo morabitur. Ita S Greg. In his igitur reprobis, ac per eos, draco omnem ſuum furorem profundit, ſerpens calliditates ſuas inſumit, diabolus calumnias ſuas ſtruit, ſatanas in malo obduratus executioni diuinarum voluntatum ſeſe opponit: quo fit vt omnes reprobi cum eo vnum corpus efficiant, vel S. Gregorio teſte l. 4. in 3. c. Iob. c. 14. *Sicut*, inquit, *Redemptor noſter vna perſona eſt cum congregatione bonorum, ipſe namque caput eſt corporis, & nos huius capitis corpus: ita antiquus hoſtis vna perſona eſt cum cuncta collectione reproborum: quia ipſe, &c.* Et poſtea addit: *Ad iniquitatem quaſi caput præeminet: Illi autem dum ad peruerſa deſeruiunt, velut ſubiunctum capiti corpus inhærent.* Et lib. 13. in c. 17. Iob. c. 12. *Ita quippe vnum corpus ſunt diabolus & omnes iniqui, vt plerumque nomine capitis cenſeatur corpus, & nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine cenſetur corpus, cum de peruerſo homine dicitur: Ex vobis vnus diabolus eſt. Et rurſum nomine corporis appellatur caput, cum de ipſo Apoſtata Angelo dicitur: inimicus homo hoc fecit.* Ita Greg.

Quid propriè in his verbis, Apprehendit; Ligauit, Miſit in abyſſum, Clauſit, Signauit, ſignificetur?

ANNOTAT. VII.

Præfatiuncula.

POSTQVAM ſupra fuſiùs explicuimus quinam ſit iſte Angelus, quidnam in eius claue deſignetur: quid catena, quam in manu tenet, ſignificet; qualis eſt abyſſus, in qua incarceratur: cur dæmon quatuor diuerſis nominibus indigitetur, v.g. draconis, ſerpentis, diaboli, & ſatanæ: nunc dicendum eſt quid in iſtis verbis, *Apprehendit, Ligauit, Miſit in Abyſſum, Clauſit, Signauit*: Potiſſimum intelligatur.

Quid propriè ſignificet verbum, apprehendit?

D. Thomas in expoſitione: *Apprehendit, ſcilicet Chriſtus, hoc eſt, malitiam tenuit, ne in actum procederet quantum vellet: ſicut poſt exprimit in verbo ligandi. Vel Apprehendit, id eſt, diabolum peccaſſe in procuratione mortis ſuæ manifeſtauit, cohibendo ipſum draconem, id eſt, diabolum, quem ſic vocat propter violentiam, quia draco eſt genus ſerpentis violenter opprimens.* Ita S. Thom.

A Ambroſius: *Apprehendit Chriſtus ſerpentem antiquum, id eſt diabolum, quando per mortem ſuam eius deſtruxit imperium.* Ita Ambr.

Dico verò conſequenter ad ea, quæ ſupra diximus quòd cum S. Michael ſpiritus ſit, & ſatan eiuſdem ſit naturæ cum Michaele, hic modus apprehendi & ſiſtendi, ſeu cohibendi dæmonem, ne vlteriùs progrediatur, non debet intelligi quaſi illum manu corporali apprehenderit, & in carcerem detruſerit: ſed modus apprehendēdi ſpiritum intelligitur: quia impreſſionem quamdam poteſtatis ſibi ſuperioris dæmon ſentire cogitur, qua impeditur ne vlteriùs progrediatur, & iniquorum conſiliorum adimpletionem proſequatur. Manus quippe, poteſtatis in actum & opus prodeuntis ſymbolum eſt. B Manum igitur in aliquem injicere, itaut ſiſtere cogatur, eſt poteſtate ſua vlteriorem progreſſum propoſiti ſui impedire: ac ſi illi diceretur, Siſte, ſatis ſuperque furoris tui habenas laxaſti: vſque huc ſatis ſuperque calliditatis tuæ artes exercuiſti. Iam nunc ceſſare debent tuæ calumniæ: ſiſtendæ ſunt tuæ contradictiones. Volo ac iubeo, vt ab opere incæpto ac propoſito tuo deſiſtas. In virtute enim omnipotentis Dei præcipio tibi ne abſque mea permiſſione aliquid noui moliaris, quod ad effectum perducere valeas.

Apprehendit itaque, idem eſt ac ſi diceretur: Maiorem poteſtatem illi objicit dum præcipitur illi vt maiori cedat, voluntati illius à quo cuncta dependent acquieſcat. C Sic olim Michael Archangelus cum altercaretur de Moyſi corpore cum diabolo, dicebat: *Imperet tibi Dominus.* Hoc dicens apprehendebat dæmonem: nam tanquam poteſtatem ſupra eum habens, objiciebat illi maiorem poteſtatem, cui contradicere nefas, reſiſtere impoſſibile, contra quam recalcitrare temerarium, & vanum, dicente Domine Ierem. 50. *Quis eſt ſimilis mei, & quis ſuſtinebit me? Et quis eſt iſte Paſtor qui reſiſtat vultui meo?* Et apud Iob c. 9. *Cuius ira nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur qui portant orbem.* Et Iudith. c. 16. has laudes Deo promebat. *Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt. Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quia dixiſti, & facta ſunt: D & miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt: & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.*

Cum igitur dæmoni voluntas Dei & poteſtas objicitur, & in nomine Domini præcipitur ne vlteriùs progrediatur, idem eſt ac dum reo manus injicitur, vt incarceretur. Antea ſatanæ permittebatur vt quocumque vellet, diſcurreret, ibique furorem ſuum effunderet, & calliditate ſua plurimos ſeduceret: Deitatis nomen & exiſtimationem ſibi arrogabat, nec cuiuſuis potentiam ſupra terram pertimeſcebat, & quidquid ratio naturalis benè inſtituta ſuggerebat, quod virtuti faueret, hoc omne tot mendaciis & erroribus arguebat, vt relictâ rationis luce, plurimi à recti via aberrarent, & mendaciis paſcerentur, E ac in plurima ruerent delicta: nihilque tam turpe, tam à ratione alienum eſſet, quod non libenter amplecterentur. At imperante Deo vniuerſorum Domino, refrenata eſt illa licentia, & coercita ac coarctata illius poteſtas: & dictum eſt illi, vt eſt apud Zachariam c. 3. *Increpet Dominus in te ſatan, & increpet Dominus in te, qui elegit Ieruſalem.*

Et alligauit.

Quænam ſit alligatio dæmonis? §. 2.

Ægrè dæmon à malo abſtinet. Coactus tantùm & inuitus mandatis diuinis obtemperat: quo fit vt non ſufficiat præcipere vt ab incæptis deſiſtat, ſed inſuper operæ pretium eſt vt ligetur, & in vincula conjiciatur; itaut quadam vt ſuperiori ita coarcte-

Digitized by Google

tur, vt quamuis ſupergeſtiat ſæuire, calliditatibus A ſuis ſeducere, mendaciis fallere, & in omnibus Dei volũtati reſiſtere, Deus nihilominus opus ſuum feliciter adimpleat: Ideo hic S. Ioann. non modò aſſerit dæmonem eſſe aprehenſum, ſed & catenâ ligatum, id eſt, tam potenter impeditum, vt quamuis paratum ſemper ad mala quæque meditanda, & patranda habeat voluntatem, tamen nunquã poterit diuinæ prouidentiæ opus deſtruere. Etenim fremat iracundiâ, tabeſcat inuidiâ, furore concitetur quantum volueris: autoritas illa ſacra, quæ penes Eccleſiam ſemper permanet in paſtoribus ſibi inuicem ſuccedentibus, illius iracundiam deridet, inuidiam retundit, furorem comprimit, illum in inferni abyſſum relegando: illius aſtutiæ, & occultæ incidiæ B deteguntur: auxiliante Eccleſiæ ſpiritu veritatis, quæ illam comitatur, eique fideliter opitulatur, calumniæ illius confunduntur, & mendacij arguitur, propter eminentem ſanctitatem, inuincibilem patientiam ſeruorum Dei, & conſtantem ac perſeuerantem Paſtorum Eccleſiæ in ſuis functionibus & miniſteriis, operationem: quin & illius oppoſitiones, & contradictiones ad nihilum rediguntur, quia datur Eccleſiæ poteſtas, qua ſatanam conterat ſub pedibus ſuis. Sicut igitur in verbo apprehendit, ſignificata fuit ceſſatio quædam ab actibus noxiis, quos exercebat; & impedimentum illud, quo fit vt omnem furorem ſuam ſuamque nequitiam non valeat in actum reducere; ita per iſtud, ligauit, in- C telligere debemus mentem illius eſſe quaſi alligatam, quia inuenire nequit media, quibus ſuauitatem diſpoſitionum prouidentiæ diuinæ interrumpat, & ordinem diſpoſitionum illarum immutare queat. Electos ſuos Deus nullâ vi aut violentiâ, aut coactione illatâ, per huius ſeculi varietates, ac viciſſitudines manu ſua feliciter deducet vſque ad finem, vt in fine illos cum gloria ſuſcipiat. Permanebit inuiolabiliter ille ordo à Deo conſtitutus, quo Eccleſiam ſuam regere decreuit. Permanebunt cuncta in eo ſtatu in quo ſunt; vt fidelitas verborum Dei, & veritas promiſſionum ipſius innoteſcat, quandiu voluerit Deus hæc inuiolata permanere; & per ſuaues diſpoſitiones, & ſapientiſſimas ordinationes proui- D dentiæ ſuæ, artes dæmonis eludere. Quòd ſi in conſummatione ſeculorum Deus tandem permiſſurus eſt vt aliquando hic rerum Eccleſiæ ſtatus feliciſſimus obnubiletur, cum ſolutus fuerit diabolus, qui Eccleſiæ autoritatem conculcare videbitur, ſanctitatem ſeruorum Dei deridere, & mendaciis ac erroribus omnia complere, variiſque vexationibus publicum Dei cultum impedire; hoc non permittetur niſi vt maiorem exinde eliciat ſibi honorem, & gloriam aſciſcat ſplendidiorem omnipotentiæ ſuæ. Nec enim diabolus in perſona Anti-Chriſti extolletur ſupra id omne quod dicitur Deus, niſi vt ſenſibiliùs & manifeſtiùs perſpiciatur illum cum ingenti ignominia præcipitari, & relegari in gehennæ flam- E mas, & in inferni abyſſum, è quo deinceps egredi non poterit. Ibi nunc detinetur, in tempore breui ſoluendus; tandem poſtquam omne virus pectoris nefandi euomere permiſſus fuerit, in perpetuam captiuitatem in ima tartara detrudetur.

Itaque eadem ratione, qua aliquis homo ligatus cogeretur in quodam loco immobiliter ſtare, quamuis huc aut illuc diſcurrere exoptaret: nec quæ vellet operari ei permittitur, quia manicis æquè ac compedibus detinetur: ita dæmon ligatus dicitur: licèt enim voluntas eius ad malum ſemper parata, nec vnquam ad bonum conuertenda: & ſagax ingenium, vt hæc aut illa inueniat prauo fini ac intentioni peſſimæ illius conducentia, ſemper geſtiat noua adinuenire media, quibus ſeſe opponat diuinæ ordinationi, manet tamen rerum ordo à Deo inſtitutus in Eccleſia, quo omnes dæmonis adinuentiones veluti vinculis conſtringuntur. Quidquid enim adinuenire poterit, nunquam ordinem iſtum infringet, quouſque Deus opus ſuum perfecerit. Sicque homines tam efficacibus auxiliis adiuti, ac mediis validioribus inſtructi, propter quem à Deo creati fuerunt, finem adipiſcentur; & Deo cultum, & Chriſto Domino obſequium iuxta Dei decretum fideliter exhibebunt.

At nec funibus aut catenis ferreis dæmon alligatur, quibus res corporeæ alligari dicuntur, ſed his vinculis, de quibus in epiſtola Iudæ dicitur: *Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Seu, vt ait Petrus, in 2. Epiſtola, *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* 2. c. 2. Multis igitur modis hæc ſpiritualia vincula poſſunt intelligi.

Primò, vt ſit applicatio quædam mentis ac voluntatis Dei, qua decernit & determinat ita concurſum ſuum ſuſpendere, vt facultas motiua illorum in actum prodire nequeat; itaut è flammis illis obſcuriſſima caligine oppletis (quibus inuoluuntur, & torquentur, quocumque eunt) nunquam ſeſe extricare valeant, quamuis cõcurſum ſuum præbeat, vt in loco, in quo ſunt, conſeruentur in eo modo exiſtendi, quo fixè & immobiliter ibidem illos detineri vult.

Secundò: hæc vincula intelliguntur moraliter, vt nempe ſit iniunctio quædam grauiſſima, qua dæmoni præcipitur ne diſcedat ab eo loco, niſi velit grauioribus ſuppliciis plecti: & de facto infligendo illis pœnas grauiores, ſi attentauerit egredi; & ad reditum ſeu regreſſum, maieſtate creatoris imperantis compellendo.

Tertiò: phyſicè & naturaliter imprimendo quemdam modum loco vnitiuum ſeu qualitatem quamdam in loco detentiuam, vel ſicut videmus homines robuſtiores infirmiores detinere. Quod æquè facile mihi perſuadeo poſſibile, ac verum eſſe exiſtimamus ignem inferni actionem ſuam imprimere in animas & dæmones, qui eo cruciantur.

Donec igitur ſatanas vinculi æternis alligetur, alligati nunc dicitur à ſancto Michaële. Primò, propter applicationem diuinæ potentiæ, ad quam recurrit ſanctus Archangelus, illam inuocando in auxilium ſuum, vt ſuſpendat concurſum ſuum, ne nequam ſpiritus media conuenientia adinueniat, quibus iuxta cordis malitiã perturbare poſſet ordinem à Deo conſtitutum pro regimine Eccleſiæ: vt electi faciliori negotio ad cæleſtem patriam perueniant.

Secundò: moraliter, percipiendo dæmoni ne aliquid agat, quod officiat prædicto ordini. Et eo modo nobis eſt ratiocinandum de poteſtate dæmonis circa ordinem illum vniuerſalem à Deo inſtitutum pro gubernatione Eccleſiæ, & particulares quoſdam effectus ab iſto ordine dependentes; quo ratiocinamus de poteſtate dæmonis circa vniuerſalem ordinem totius vniuerſi. Sicut enim dæmõ inuertere non poteſt ordinem vniuerſalem à Deo in hoc mundo conſtitutum, nec ordinarium cauſarum naturalium curſum impedire (nec enim præeſt huic ordini, qui immediatè à Deo ſupremo rerum moderatore dependet) ſic licèt valeat ordini à Deo in Eccleſia conſtituto in quibuſdam caſibus ſpecialibus ſeu particularibus contradicere, tamen nunquam poterit totum illum ordinem perturbare, aut induſtria, & calliditate ſua infringere: detinetur enim diuina voluntate, ac iniunctione, ne tot perturbationes ac tumultus excitet, quot excitare vellet, ſi agere permitteretur ſecundum totalem malitiæ & induſtriæ ſuæ extentionem.

Digitized by Google

Tertiò tandem, aliqua qualitate ſibi impreſſa detinetur, qua diſtrahitur ne quæcumque vellet perficiat, nec viribus naturalibus prævalere poſſit. Talis eſſe poteſt quidam animi tumor ſeu furor, aut magna quædam indignatio, quam concipere poterit, percipiendo homines poteſtatem à Deo accepiſſe illum ejiciendi è corporibus obſeſſis, & cordibus infidelium, cui parere cogatur: vel percipiendo Eccleſiam ſuas technas detegere poſſe, itaut abſque errore cum magna certitudine decernat quæ vera ſunt, per quæ illius mendacia manifeſtantur: inſuper videndo ſanctorum virtute præſtanti, ac patientia, ſuas ſuperari calumnias, & tandem omnes ſuas tentationes & contradictiones cum irriſione audaciæ & temeritatis ſuæ vinci à fidelibus. Quibus omnibus in eius mente producitur ingens dolor ex ſui contemptu conceptus: & non mediocris mentis vacillatio, an debeat alia adhibere, & impendere media vt ordinem illum diuinæ prouidentiæ perturbet: de hac re anxius eſt, ne denuò expectatione fruſtratus deriſioni ſe exponat, ſibique creet nouam occaſionem concipiendi dolorem ob eluſas vires & artes. *Dolor enim*, ex S. Thomas, *eſt reniſus voluntatis ad id quod eſt, vel non eſt.* Sic enim hæc poteſtates Eccleſiæ collatæ ſunt, veluti catunelæ, quibus magna illa catena tripliciter & quadrupliciter roboratur: quo fit vt difficile funiculus ille quadruplex diſrumpi valeat. Vel dicendum, Deum illi manifeſtaſſe hoc decretum poſuiſſe, vt res omnes hoc ordine à ſe conſtituto peragantur: Cuius rei cognitio in mente illius impreſſa tantam habet vim, vt quamuis tabeſcat inuidia & liuore, nihilominus huic decreto repugnare non audet, timore maioris ſupplicij: & de eo cani poteſt illud Pſalmiſtæ: *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.*

Vel denique dicendum, ordinem in Eccleſia conſtitutum eiuſmodi eſſe naturæ, vt ſua vi propria ſecundùm ſe ſubſiſtat & perſeueret, nec vlla mens creata aliquid inuenire poſſit, quo ſubuerti valeat. Congruum enim eſt maieſtati diuinæ, & diuinæ ſapientiæ magnitudini, vt de illa ſentiamus opus perfeciſſe tantæ excellentiæ in hoc ordine, ſeu in hac materia regiminis Eccleſiæ, vt nullus detur à quo ſubuertatur. Hoc perficere non potuerunt cæteri rerũ publicarum fundatores, & inſtitutores, vt ſtare debuerint illorum leges aut ſtatuta, ſeu Reſpublicæ ab eis inſtitutæ. At Eccleſia, quam fundauit altiſſimus, talis eſt naturæ, vt tanquam Petra duriſſima omnes retundat æſtus & impetus. Nec valde mirum ſi aliquid Deus præſtare poſſit tam excellentis naturæ, vt à dæmone deſtrui nequeat: quo fit vt ordo ille à Deo poſitus non à Lycurgo, aut Numa Pompilio, firmus conſiſtat, cum ille ſit omnipotens, & infinitâ ſapientiâ præditus. Vnde dæmon ab illo ordine tam firmo tenetur ligatus; quia ſtante illo nihil perficere poterit, quo ſalus æterna electorum impediatur; nec Regni Chriſti dilatationem aut perpetuitatem impedire valebit. De quo Regno canit Propheta: *Regnum tuum Regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

Itaque cur ſanctus Michael inuigilet, vt hic ordo conſeruetur, veluti Eccleſiæ cuſtos & protector, optimè hic dicitur (ratione huius ſollicitudinis, qua & illum ordinem ſeruat; & vt executioni detur procurat, iuxta præſcriptum ſibi à Deo mandatum & munus iniunctum) ſatanam non modò apprehendere, ſed & alligare. Excellentia enim operis, ad cuius conſeruationem curam ſuam impendit, tanta eſt, vt nulla ſit creata poteſtas, quæ opus iſtud deſtruere queat. Et verificatur illud: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quia igitur per adminiſtratio-

A nem, & executionem ordinis in Eccleſia à Chriſto conſtituti, ſatanas præpeditur ne Chriſti regnum in terris deſtruat, cui adminiſtrationi præeſt S. Michael, ideo ab eo ſatanas ligari perhibetur.

Ad iſta referri poſſunt plurimæ autorum expoſitiones. *In eo*, inquit Primaſius, *diabolum dicitur alligaſſe, in quo eius poteſtatem à ſeducendis hominibus, qui liberandi fuerunt, cohibens refrenauit.* Et poſtea: *Ab eis autem gentibus ſeducendis, huius interdicti vinculo & clauſtro diabolus prohibetur, atque cohibetur, quos pertinentes ad Chriſtum ſeducebat antea vel tenebat.* Ita Primaſius.

Et Andreas Cæſarienſis. *Quòd autem vires illius ſint ligatæ, id teſtatum nobis faciunt idololatriæ interitus, &* B *abolitio, & templorum idololatricorum demolitio: ſacrificiorum, quæ aris imponi ſolita erant, defectio: & diuinæ tandem voluntatis paſſim per terrarum orbem cognitio, atque expletio.* Ita Andr.

S. Thomas: *Et ligauit eum, id eſt, poteſtatem eius coercuit, ne noceat electis, quantum ante eius aduentum. Gregorius ſuper hunc locum: Potentia diuinæ diſpenſationis aſtringitur, ne in quantum nocere valet, effrenetur.* Ita S. Thom.

Ambroſius: *Religauit ergo Chriſtus diabolum, non vinculis corporeis, ſed vinculis poteſtatis ſuæ immenſæ: quia eum à cordibus electorum ſuorum expellens, ab eorum deceptione diuinâ ſuâ virtute excluſum tenet.* Ita Ambroſius.

C Nunc quid ſit illum miſſum fuiſſe in abyſſum, perpendamus.

Et miſit eum in abyſſum.

Quomodo in abyſſum diabolus mitti perhibetur? §. 3.

Oportet vt vnaquæque res in loco congruo collocetur. In omni domo benè ordinata incumbit Domino domus, vt omnia ſapienter ad loca conuenientia deſtinet. Deus itaque, qui omnia in ſapientia facit, domum ſeu Palatium ſibi conſtruxit, dum opifex mundi vniuerſum condidit: debuit itaque omnes vniuerſi partes in propriis locis colloca- D re, iuxta vniuſcuiuſque naturam finem, aut ſtatum, ſeu ordinem, ad quem reuocantur. Hac ratione Cœlum Empyreum naturæ Angelicæ deputatur, non ſolùm ratione ſtatus gratiæ aut gloriæ, ſed etiam ratione naturæ ſpiritalis, quæ propter ſuam excellentiam ſupra omne corporeum collocari debet. Taceo elementorum conuenientiſſimam collocationem: omitto quæ de ſingulis rerum generibus aut ſpeciebus curioſè annotare poſſemus. Certè ſpeculanti cuncta attentius cernere licet Deum Opt. Maximum voluiſſe cuilibet creaturæ aſſignare locum naturæ propriæ congruum. Cæteris omiſſis, de nobis loquamur. Nonne ſtatim atque homo creatus, & formatus fuit, accepit locum fini, pro- E pter quem conditus eſt, congruum? Quia conditus erat in hoc mundo inferiori, vt ad Dei contemplationem per rerum viſibilium cognitionem aſcenderet, poſuit eum Dominus in paradiſo voluptatis: loco certè pulchritudine, varietate florum, arborum & animalium, aptiſſimos, vt homo per ea quæ conſpiciebat viſibilia, ad inuiſibilium cognitionem & amorem eueheretur; & in vnaquaque creatura cerneret, quaſi in ſpeculo, ſummam Dei ſapientiam.

Si dæmon in veritate ſtetiſſet, cum Angelis bonis ſupra omnia corporea ſublimatus, in cælo Empyreo locum naturæ gratiæ ac gloriæ, quibus fuiſſet decoratus, obtinuiſſet. At præuaricator extitit: vnde è loco naturæ proprio dejici meruit, & in locum præuaricationi congruum deprimi debuit. Et licèt naturæ integritatem non amiſerit, cuius intui-

Digitized by Google

tu ſupra omne corporeum eleuari deberet; tamen A propter præuaricationem & culpam è cælo dejicitur in terram. Et quia non ſeruauerunt mali Angeli ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, dum propriis viribus aſcendere voluerunt ad beatitudinem, & non dependenter à meritis Chriſti incarnati, vel ſaltem à mera & gratuita Dei voluntate, nullâ habitâ ratione excellentiæ propriæ naturæ eorum: Ideo non modò gratiam, non modò dominationem, quam naturaliter habere debebant ſupra omnia inferiora corporea; non modò internam contemplationem diuinorum amiſerunt, & locum naturæ proprium; ſed in ima terræ detruſi ſunt, & in terram deiecti. Quia ſuperbia eorum, qui oderunt Deum, aſcendit ſemper (propter quod B impugnationibus, contradictionibus, ac rebellionibus, Deum ad iracundiam prouocare non ceſſant), oportet vt in tartara & profunda inferni detrudantur. Inſuper oportet vt quo impudentiùs extolli appetiuit, & creatori rerum omnium æquari voluit, eo demiſſiùs projiciatur, & ſubter omnia inferiora dejiciatur, vt locum obtineat ſuis demeritis condignum. Hac de cauſa mittitur in abyſſum, id eſt, in profundum inferni: qui locus certè demiſſior eſt & abiectior cæteris. Vnde non modò creaturis intellectualibus, ſed etiam omnibus corporeis ſubſternitur: *Non equidem pœnalis*, vt docet S.Thomas, *Angelo aut animæ, quaſi afficiens, alterando naturam, ſed quaſi afficiens voluntatem contriſtando, dum Angelus vel anima* C *apprehendit ſe eſſe in loco non conuenienti ſuæ voluntati.* Ita S.Thom. Patet autem euidenter quomodo inferni penetralia longe abſint à dignitate naturæ Angelicæ, quæ ſupra omnia præſidere debet, nec in aliquo rei corporeæ ſubjici deberet.

Sed quia plures abyſſos ſupra recenſuimus, quomodo in illas à S.Michaële dæmon mittatur, enucleandum eſt.

Certè ſi de prima abyſſo, nempe inferno, fiat ſermo, admitti poteſt ille impulſus ſeu impetus, aut illa vis, quæ à Cornelio à Lapide admittitur, dum loquitur de modo quo dæmon dicitur ligatus. Veriſimile quippe eſt ſpiritum producere poſſe aut imprimere aliquam qualitatem in alium ſpiritum, ſicut D corpora qualitates imprimunt in alia corpora; cum certum ſit aquam Baptiſmi inſtrumentaliter producere effectum ſpiritalem, & ignem inferni imprimere qualitates quaſdam cruciantes in animas hominum damnatorum, & in ipſos dæmones Apoſtatas. Quòd ſi hunc impulſum non admittis, ſufficere mihi videtur vt ſpiritus ſuperior potenter manifeſtet iuſtitiam, & æquitatem decreti diuini, quo Deus voluit & ſtatuit vt res hoc aut illo modo peragatur: quod cum facit, eum mittere & impellere dicitur. Sufficere enim videtur in motione Angelica, quæ non efficitur per potentiam à mente, & voluntate diſtinctam, vt intellectus Angelicus ſentiat ſe ſubitò veritate quadam percuſſus, quæ tantâ euidentiâ E fulgeat, vt nullam admittat exceptionem, excuſationem, tergiuerſationem, aut interpretationem; itaut oporteat vt ſpiritus purè intellectualis ad hoc ſeſe determinet, vt transferat ſe quocumque illi intimatũ, & inculcatum fuerit potenti illa impreſſione veritatis alicuius infallibilis & indiſſolubilis, vt pote contra quam nihil dici aut adduci queat. Miſit igitur dæmonem Michael in infernum, ſiue imprimendo illi quamdam qualitatem, qua cogatur locum adire ſuis criminibus debitum: vel quia euidentiâ veritatis conuictus, (quæ ab Angelo ſuperiore, Michaele nempe, illi manifeſtatur,) Oportet vt naturali quadam neceſſitate, (qua contra veritatem apertam creatura intellectualis nihil opponere aut adducere poteſt) cedat, acquieſcat Imperio, & mandato: ſicut olim ſermoni Chriſti Domini ſatanas acquieuit, relinquens Chriſtum illi dicentem: *Vade ſatana: ſcriptum eſt enim Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus.* Matt. 4.

At ſi de ſecunda abyſſo ſermo inſtituatur, in quantum per abyſſum profunda Dei iudicia ſignificantur, dicere poſſumus ſanctum Michaelem dæmonem mittere in hanc abyſſum, in quantum efficit & exequitur omnia, quæ illi præſcripta fuerunt: quæ cum vires naturales, & innatas artes, & calliditates dæmonis exuperent, ideo neſcit quo ſe vertat, quid moliri debeat, quid ſibi agendum ſit. Sentit enim omnes conatus ſuos inutiles reddi, conſilia diſſipari, deniq; quidquid molitur in propriam perniciem conuerti. Theſaurizat & accumulat ſibi irã Dei, qua nouis ſuppliciis, pœnis ac doloribus afficiatur, & torqueatur, propter peruicaciam, & contumaciam. Itaque dum dicit: *Miſit eum in abyſſum*: idem eſt ac ſi diceret: Talia, & tanta Michael perfecit, vt abſorpta fuerit omnis diabolica ſapientia, & calliditas: ſicut olim deuorati fuerunt ſerpentes Pharaonis à ſerpente Moyſis. Igitur perficere res dæmonis vires exuberantes, eſt illum includere in abyſſum, è qua non poſſit egredi.

Si autem de tertia abyſſo mentionem faciamus, nempe pro myſterio Incarnationis & paſſionis filij Dei, dicere poſſumus dæmonem mitti in obſcuriſſimam & tenebricoſam abyſſum, per luminis ſubtractionem: Qua factum eſt vt prouidere aut præſentire non potuerit quantum ſibimet contradiceret, ac prauæ intentioni ſuæ maximum præberet obſtaculum, cum rabie ac furore percitus, odio & malitia pulſus, innocentem ad mortem vſque perſecutus eſt. Mors enim innocentis fuit reſurrectio nocentium, quos captiuos detinebat: nec ei calumniandi homines locus conceditur, aut de Dei miſericordia conquerendi, quòd hominibus peccata condonet, quòd fragilitati illorum compatiatur: iuſtitiæ enim ad rigorem ſatisfactum eſt per mortem innocentis. Miſſus eſt igitur in abyſſum paſſionis, dum mente obuoluta tenebris neſcientiæ, cecidit in profundam caliginem & ignorantiam eorum quæ euenire debebant, ex iis quæ inconſideratè circa Chriſtum innocentem machinatus eſt.

Denique ſi abyſſum ſumamus pro cordibus reproborum, dici poteſt dæmonem in illa mitti, quia excluſus à cordibus fidelium in cordibus reproborum requieſcere cogitur. Nam in illis ſolummodò locum malitiæ ſuæ congruum reperire poteſt. Propter illorum pertinaciam, obdurationem, & obſtinationem. Et quia permittit Deus vt hæc corda intret, & poſſideat, ideo in illa mitti perhibetur. De talibus ſiquidem intelligi debet textus Euangelicus: *Cum ſpiritus immundus exierit, ab homine vadit per loca arida, & inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit, Reuertar in domum vnde exiui, Et inuenit eam ſcopis mundatam, Et aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & intrantes ibi: fiunt nouiſſima illius peiora prioribus.* Et quia non permittitur illi alibi conſiſtere, cogitur ſeſe recipere in abominanda prauorum corda, veluti in locum ſibi congruum. Et quia coarctatur & reſtringitur, nec alios ad patria ſcelera perpetranda inducendi datur tanta facultas, quantum appeteret, ibidem ligatus & incarceratus dicitur.

Et ita in inferno detentus, quantum vult non nocet: tantâ enim locorum diſtantiâ ab hominibus in terra degentibus diſiunctus non poteſt ſuam applicare virtutem in locis, in quibus homines conuerſantur, nec eorum paſſiones excitare, ſenſus obiectis allicere, appetitus commouere, phantaſiam perturbare, æquè ac ſi adeſſet præſens intra diuinæ pro-

Digitized by Google

uidentiæ conſilia & decreta, veluti intra quædam A clauſtra interceptus, nullum medium inuenire poteſt, quo euertere queat ordinem à Deo præſtitutum, vt illo ſtante homines ſaluti ſuæ inuigilare poſſint; quin & quaſi ſubmerſus eſt in aquis copioſis meritorum paſſionis Chriſti, & ſanguinis qui clamat quotidie ad Deum pro nobis effuſus, meliùs quàm ſanguis iuſti Abel; vt propitius fiat peccatis noſtris. Nullus locus datur calumnis & accuſationibu- illius. s

Denique apud fideles, quos perdere appetit ſi fieri poſſet, nullum obtinet locum : hominum enim perditionem ſiti quadam ardentiſſima continuo deſiderat : quo fit vt dolor illi ſit ingens tot homines ſaluari, & è fautibus ſuis eripi. Solos autem eos, B qui ſunt terræ onera, naturæ humanæ dedecora, propter nequitiam ad eum pertinent. Electi enim tales ſunt, vt non poſſint è manibus Chriſti diſtrahi. Vnde ſi aliquando prauis illius ſuggeſtionibus, vel fragilitate naturæ in peccata cadunt, tamen ad Deum in fine ſaltem conuertuntur; aut in bono incæpto perſeuerantes, in gratia Dei feliciter ex hoc mundo diſcedunt, vt beatitudinem conſequantur. Fauet Primaſius, dum ait : *Vsque diabolum miſit in abyſſum : quo nomine ſignificata eſt multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitatem aduerſum Eccleſiam Dei, multum profunda ſunt corda ; non quia ibi diabolus ante non erat, ſed ideo illuc dicitur miſſus, quia excluſus à credentibus plus capit impios poſſidere. Plus namque poſſi-* C *dentur à diabolo, qui non ſolùm alienatus à Deo, verùm etiam gratis odit ſeruientes Deo.* Ita Primaſius.

Alligationem diaboli, inquit Ambroſius, *tribus modis poſſumus intelligere ; vt virtute Dei omnipotentis in abyſſo relegatus teneatur vſque ad tempus præfinitum. Poſſumus etiam per abyſſum corda impiorum intelligere : vt à cordibus electorum excluſus, intra anguſtias cordiam reproborum conſtrictus & alligatus teneatur. Poſſumus & hoc tertio modo intelligere : Diabolus nihil aliud deſiderat quàm deceptionem hominum : & dum per cuſtodiam Dei omnipotentis, qui electos ſuos cuſtodire & defendere non deſiſtit, ab eorum deceptione arcetur, quaſi quibuſdam vinculis, eius impiiſſima voluntas religata tenetur.* Hæc Ambroſ.

Et clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſumetur mille anni.

De clauſura ſeu incluſione diaboli, & obſignatione clauſura. §. 4.

Hic, inquit S. Thom. *oſtenditur modus ligationis. Ligauit autem eum dupliciter, tum ipſum fortiter cohibendo, ſcilicet vt non poſſit procedere : & clauſit ſcilicet eum intra limitationem ſuæ poteſtatis : vel in cordibus impiorum: quaſi dicat : Ei poteſtatem ſubtraxit nocendi. Quandoque tamen permittit, occulto & iuſto iudicio. Iob. 38. Quis concluſit oſtiis mare, id eſt, diabolum, ſcilicet Chriſtus, &c.* E *Et ſignauit ſuper eum, id eſt, ſigillum poſuit ſuper ipſum ſic clauſum. Quod autem dicis, ſuper : notat detentionem, & cohibitionem ſua malitiæ. Poſuit, inquam, ſigillum, id eſt, ſignum crucis, cuius virtute fideles eum repulerunt. Ezechiel. 9. Omnem ſuper quem videritis Thau, ne occidatis. Vt non ſeducat per tentationes inferiores vel exteriores, per ſe, vel per alios : Gentes, id eſt, electos de diuerſis gentibus : donec conſummentur mille anni : id eſt : donec compleatur vniuerſum tempus, à paſſione vſque ad tempus Anti-Chriſti.* Ita S. Thom. Notat autem S. Thom. Ligari reſpectu temporis, quod præceſſerit Chriſti Domini aduentum ac paſſionem : tunc enim non habebant homines tanta adiutoria, tantam gratiam, tam efficacia Sacramenta, quibus qui benè vtuntur, à diabolo non ſeducuntur.

A Ludouicus ab Alcazar per gentes prædeſtinatos intelligendos eſſe probabiliter negat : quia nec ante ligationem, nec poſt eius ſolutionem illos ſeducere poteſt. Hæc verba igitur: *Vt non ſeducat amplius gentes*, reſpectiuè eſſe accipiẽda aſſerit. *Quantum*, inquit, *opus eſt, vt vxor agni felicitate ſui matrimonij potiatur, cum publica Chriſtiana fidei profeſſione. Dicam clarius : Quantum opus eſt vt Eccleſia ea pace ac tranquillitate fruatur, vt per eius miniſteria & officia Chriſtus regnare in terris viſibiliter & percepubiliter agnoſcatur.* Placet hic quædam ex Ludouico ab Alcazar adducere antequam noſtra afferamus. *Miſit eum in abyſſum, & clauſit ſuper eum. Quaſi dicat, clauſtrum inſuper obſerauit & incluſit : id eſt interdixit ei ne poſſit exire, vt optimè Auguſt. lib. 20. de ciuit. c. 7. Itaut donec permiſſionis à Deo ſtatutæ tempus aduenerit, oſtiumque dæmoni reſerauerit, nequaquam prodire valeat ad publicam religionis exercitationem in Romana vrbe perturbandam. Catena magna idem eſt atque craſſa & grauis : quo innuitur dæmonem non ſolùm exire non poſſe, ſed etiam omnino præpeditum, atque irretitum teneri, cuiuſmodi eſſet vinctus aliquis ingenti religatus catena, quæ ipſum dimouare ſe, nec dum prodire minimè ſinat. Andreas ait catenam eſſe Dei operationem coercentis malitiam dæmonis. Ribera catenam hanc refert ad firmiſſimam Dei voluntatem. Viegas ad poteſtatem Chriſti. Ego verò, ad impedimenta, quibus dæmones veluti compedibus & catenis quibuſdam vinciuntur. Inter quæ impedimenta videntur alia ex aliis nexi & ventus alij aliis attexi, itaut dæmoni ſuum expleri deſiderium non liceat. Sigillum Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 7. ad eumdem applicat effectum, qui in Epiſtolis ſolet intendi, videlicet vt occultentur ea quæ intus exarata ſunt. Signaſſe eſſe, ait Auguſt. mihi videtur, quòd occultum eſſe voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Verùm Regium ſigillum in inimicorum clauſura non occultandi gratia imprimitur, ſed vt regia interponatur autoritas, & ſecurus reddatur quiſque auſurum neminem obſeratam ianuam reſerare.* Ita Alcaz.

Ego verò ita rem explico. Abyſſum claudere, eſt omnem ſpem adimere ſatanæ exeundi, niſi cum illi egredi permittetur, videlicet quando illi per ſanctum Michaelem fiet notum, Deum (vt vltimam D manum operi prouidentiæ ſuæ circa Eccleſiam imponat, & eam ad perfectionis exoptatum gradum perducat) permittere vt virus ſuum omne euomat, & temporalibus vexationibus Eccleſiam ſuam exerceat : Veluti olim permiſit illi vt affligeret Iob, non ſolùm per amiſſionem bonorum temporalium, ac filiorum ſuorum; ſed etiam per multas corporis ſui vexationes. Et quia abſcondita Dei conſilia dæmon penetrare non poteſt, niſi in quantum aliquid illi notificatur. (*Quod quidem*, inquit S. Thomas, *non eſt dæmonem illuminare : neque enim cognitionem, quam accipit, refert ad Dei gloriam, ſed ad peruerſum aliquem finem, quem ſibi proponit, vt iniquas voluntates ſuas perficiat.*) rectè dicitur clauſus, quandiu hæc conſilia E illi abſconduntur. Et hæc illi abſcondere, eſt claudere ſuper illum abyſſum diuinæ ſapientiæ, in qua clauſus retinetur. Et ſic talis clauſura deſignat inuincibilem Dei poteſtatem, qua eum conſtrictum retinet in quouis orbis loco, prout voluerit. Deſignat etiam incomprehenſibilitatem cogitationum Dei omnipotentis, quæ altitudine ſua fugiunt omnium creaturarum intellectualium ſagacitatem : nec enim cognoſci poſſunt ab vllo intellectu creato, niſi prout Deus voluerit, quando voluerit, & cui voluerit, & per quem voluerit : cæteris literæ ſunt obſignatæ, quæ legi non poſſunt. Tertiò deſignat altitudinem incomprehenſibilem amoris & Charitatis erga electos, cuius rationem reddere nemini licet. Denique hæc clauſura deſignat incomprehenſibilitatem abſolutæ diſpoſitionis & dominationis iſtius,

Digitized by Google

quam Deus ſupra omnes res creatas obtinet: qua fit vt alios deſerat, alios potenter protegat, alios reprobat, non merâ potentiâ, ſed culpâ præſuppoſitâ, alios eligit, & ad vitam præordinat æternam, abſq; vlla iniuſtitiæ ſpecie. Vnde dæmon ligatur & detinetur in inferno, abſorbetur profunditate conſiliorum & iudiciorum Dei obruitur quaſi aquis vehementibus, miſericordiarum Dei ergo homines profuſione copioſiſſima; & denique cum reprobis ab electis ſeparatur, Dei iudicio cum ipſis reſeruatus, vt ſimul in gehennæ flammis deijciantur in æternum cruciandi, exules à ſocietate Angelorum bonorum, & Sanctorum omnium.

Et ſignauit. Non ſufficit diuinæ prouidentiæ quòd auſum ſatanicæ malitiæ interruperit: quòd cum ligauerit, quòd eum in locum perditioni ſuæ,& proditioni ſuæ congruum detruderit. Non ſufficit vt clauſus detineatur, itaut egredi nec audeat, nec valeat. Apponendum fuit ſigillum Monarchæ vniuerſi ſupra clauſuram, itaut quicumque perſpexerit Principis ſigillum, non audeat clauſuram vi aut violentia infringere, ne iram concitet tam potentiſſimi Regis, qui ſolo nutu omnia concutit, & ſolo halitu poteſt ſublimiores proſtrare, & ſola denegatione concurſus ſui poteſt quamlibet creaturam in nihilum redigere. In his nulla eſt difficultas.

At quæri poteſt quodnam eſt illud ſigillum, *Si*, inquit Ludouicus ab Alcazar, *Dei inſignia ſunt quoddam ſigillum, ſiue parma, vbi impreſſa ſunt quatuor animalia, aquila, bos, leo, & homo; fortaſſis hoc ſigillo denotatur, Dei virtute, ſapientia, beneficentia, & æquitate præſtari omnino ſecuram Romanam Eccleſiam de promiſſa ſibi publica Chriſtianæ Religionis profeſſione, vſque ad Anti-Chriſti perſecutionem futura. Iam ſi in ſigillo crucem Chriſti contemplemur, concinnè etiam, & eleganter in hac parte ratiocinari poſſumus.* Ita Alcazar. Dicam quod ſentio: Mihi videtur ſigillum iſtud ſummi Principis, inſculptam habere veritatis notam: ad hunc enim finem, & propter hanc vnicam rationem cohibendus fuit dæmon, ne omnem furorem ſuum exerceret, itaut impediat quominus Deus fidelis in verbis ſuis ac promiſſis ſuis videatur, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Dedit igitur Chriſtus, ſupremus Monarcha, & ſummus ſacerdos, Angelo protectori Eccleſiæ ſigillum ex pulcherrimo ſaphiro, in quo inſculptum eſt hoc vocabulum: Amen, id eſt, verum quo nomine altiora Myſteria huius reuelationis concluduntur, imo tanquam ſigillum fini totius reuelationis apponitur, vt omnia Myſteria in hoc libro contenta quodammodo concludat. *Dicit*, inquit, *qui teſtimonium perhibet illorum: Etiam venio cito. Amen, veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Illius igitur ſigilli materia ſaphirus, ſymbolum veritatis, ob condenſatos luminis radios cæruleum ſeu cæleſtem colorem emittentes. Effigies autem inſculpta, vocabulum, Amen. Verum, ſeu veritas: *Quia veritas Domini manet in æternum.* Ad huius rei confirmationem facit quòd Eccleſia dicitur fundata in ſaphiris, quæ verbo Dei firmata dicitur. *Verbo enim Domini cæli firmati ſunt.* At ſermo Dei veritas eſt Ioannis 17. Qui quidem ſermo datus eſt Apoſtolis, vt eſſent Eccleſiæ fundamenta, dum illum diſſeminarunt per vniuerſum orbem. *Ego dedi eis ſermonem tuum*, inquit Dominus: Cum igitur veritas, quæ in ſaphiro deſignatur, Eccleſiæ ſit fundamentum, ſigillum quo confirmantur omnia, quæ in ea perficiuntur, nullum aliud eſſe debet quã ipſamet veritas, præcipuè quia nullum alium habet finẽ, quam vt perueniat ad veritatis comprehenſionem. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum*, dicebat Chriſtus. Hinc concludo, quòd ſi quid impedit ne ſatanas ligatus, incarceratus, clauſus, ſolui valeat à vinculis, erui à carcere: eſt quia Deus ſtatuit promiſſa ſua adimplere. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum:* ac fidelis in omnibus verbis ſuis, ac verax vult in cunctis apparere. Et reuera hæc eſt ingens Dei gloria, quòd in ore eius nunquam inueniatur mendacium aut dolus. Eſt quippe veritas in eſſendo, cuius cognitio falli nequit, cuius ſermo fallere neſcit, cuius promiſſiones fideliter adimplentur, cuius comminationes eo ſane formidabiliores, quòd ab eo procedãt, apud quem idem ſunt, & velle & poſſe; Et qui, vt ſuprema veritas, res vt ſunt apprehendit:& omnia futura præuidens, nihil incautè, aut incõſideratè poteſt enunciare, cuius pœnitere poſſit.

Quod autem ſaphirus, veritatis ſymbolum, fundamentum ſit Eccleſiæ patet, ex c. 54. Iſaiæ. *Et ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos. Et fundabo te in ſaphiris.* Vel, vt ſeptuaginta interpretes verterunt: *Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem vnum, & fundamenta tua ſaphirum.* Quis, quæſo, eſt ille carbunculus, niſi Chriſtu incarnatus, qui veritates fidei per Apoſtolos reuelauit Eccleſiæ, illam fundauit in ſaphiris? Tot enim ſunt pretioſi lapides ſaphirini, quot ſunt fidei articuli, vel veritates reuelatæ à Chriſto, qui per carbunculum lapidem ignitum figuratur, propter vnionem luminis cum lapide, vnionem verbi cum humanitate repræſentantis. *Multifariè, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, dicebat Paulus. Ex quo factum eſt vt iuxta Iſaiam omnes docti facti fuerint. *Fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Ita Iſa. c. 54. Vel, vt 70. verterunt, *Omnes filios tuos diſcipulos Dei.* At quid à Deo dicunt, niſi cognitionem rerum cæleſtium, & omnium veritatum quæ audiuit Chriſtus à patre, vt ea nobis patefaceret, dicente ipſo: *omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Fauet S. Hieron. in hunc locum Iſaiæ, verſionem ſeptuaginta interpretũ ponderans, dum ait: *Carbunculus, qui ponitur, ſiue per ordinem ſternitur, videtur mihi ignitus ſermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum illuminat corda credentium. Hic eſt quem vnus de Seraphim tulit forcipe comprehenſum, ad Eſaiæ labia purganda, qui naſcitur iuxta. Geneſeos fidem, in terra heuilat, vbi eſt aurum optimum, lapiſque carbunculus, & praſinus. Porro ſaphirus, qui ponitur in fundamentis, cæli habet ſimilitudinem, & ſuperioris aëris: qui talis eſt, vt poſſit ariſtophanicum dicere cum ſocrate.* ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον *quod nos in latinum ſermonem vertere poſſumus: Scando aërem ſolemque deſpicio. Sicut cum paulo Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Ezechielis quoque ſcriptura commemorat, quòd locus, in quo thronus Dei ſit, ſaphiri habet ſimilitudinem, & gloria Domini in hoc colore conſiſtat, qui portat imaginem ſuper cæleſtis.* Ita Hieron. Hic adde quòd inter præcipua ornamenta ſummi Pontificis, erat rationale ſignificatum in his verbis: *Vrim, & tumim.* Id eſt: doctrina, & veritas, Dei enim gloria ingens, quòd ſciat quidquid eſt, & futurum eſt: quidquid exiſtit, & etiam poſſibile eſt, adeo certè vt nec fallere nec falli queat. Oportuit igitur vt dæmon apprehenderetur, ne vlterius graſſaretur; ligaretur, ne nouum aliquid molitetur; includeretur in carcere, ne timeretur à bonis; & inſuper clauſura eius ſignaretur ſigillo veritatis, vt in ſpem certiſſimam mens noſtra excitaretur, fore tandem vt Deus promiſſa ſua veraciter adimpleret, ſicque Eccleſiam in æternam duraturam, Regnũm Chriſti omnia alia Regna euerſurum, ipſumque permanſurum in æternum, quia hoc Deus, qui verax eſt, repromiſit & prædixit.

Digitized by Google

Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis; & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei; Et qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.

De quo regnandi modo ſanctorum cum Chriſto hic locus intelligendus ſit; Et quomodo durare debeat per ſpatium mille annorum?

ANNOTAT. VIII.

LEGENDA quæ diximus in caput vndecimum in hæc verba: *Factum eſt regnum, &c.* Nunc dico primo: Non de prima regnandi ratione hic locus intelligendus eſt: hæc enim ab initio creationis rerum incæpit nec vnquam intermittetur aut deſinet; nec tantùm bonos complectitur, ſed etiam malos; nec ſolum caſtra ſanctorum, & ciuitatem delectam, de qua hic mentio fit, ſed etiam multitudinem illam innumeram impiorum, circuientem caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam.

Dicò ſecundò: Hic locus non intelligitur de Regno cæleſti, de quo dicebat Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Hoc enim Regnum non habet finem, iuxta illud ſymboli: *Et Regni eius non erit finis.* At S. Ioannes loquitur hîc de his quæ in terris peraguntur, non autem in cœlo Empyreo.

Dico tertiò: Non de tertia regnandi ratione hic loquitur, nempe de regno per gratiam; nec enim iſtud regnum interrumpetur vexationibus aut perſecutionibus. Gratia enim interiùs ſeruatur in plurimis, etiam durante perſecutione; & conſeruabitur præcipuè in electis, durante grauiſſima Anti-Chriſti perſecutione, dicente Chriſto: *Et propter electos breuiabuntur dies illi.* Scilicet ne ſeducantur, ne vi ac violentia tormentorum tandem à gratia excidere cogantur, itaut quamuis ipſis non permittatur publico ritu Deum colere, & illa obſequia exhibere, quæ ſibi exhibenda eſſe exteriùs præcepit, in corde tamen & in abſcondito Deum adorabunt in ſpiritu & veritate; & in antris & ſpeluncis, in quibus ſecedent fugientes à facie draconis, ibidem etiam exterioribus laudibus & ſacrificiis Deo cultum exhibebunt. Itaque dicimus ſanctum Ioannem hic potiſſimùm loqui de illa viſibili Monarchia Eccleſiæ, in qua perſpicimus Chriſtum Dominum regnantem, & operantem omnia in omnibus; & capitis & Regis ac ſummi Pontificis munera obire, in fluendo in membra, leges præſcribendo, omnia ad Dei gloriam ordinando: cuius vices gerit ſummus Pontifex, Epiſcopus Romanus, tanquam caput viſibile. Huic aſſident Cardinales, vt ſtatus Eccleſiaſtici Cōſiliarij, Epiſcopi, tanquam principes ac iudices, in partem ſollicitudinis & regiminis vocati: Paſtores inferiores, ac verbi Dei prædicatores, & Religioſæ ſocietates, tanquam Duces, præcones, ac milites ſeu copiæ auxiliares, ac Epiſcoporum cooperatores. Hæc eſt illa Monarchia, quæ tanquam aurora, ab initio ſurrexit, pulchra vt luna apparuit: Electa vt ſol, propter gloriæ ſplendorem, radios emiſit per vniuerſum orbem; & terribilis tanquam caſtrorum acies benè ordinata, hoſtibus proſtratis, miniſteria ſua feliciter obiuit. In ea publica fit profeſſio Chriſto obediendi. De excellentia & magnitudine Dei cæremoniis ac exterioribus ſacrificiis libera fit abſque metu proteſtatio. Tamen iſta Monarchia aliquando finem ſeu terminum obtinebit: nam adim-

A pleno ferè numero electorum, poſtquam prædicatio Euangelij vniuerſi orbis partes percurrerit, iuxta ſaluatoris Prophetiam, vt numerus ille electorum compleatur, ſatis erit ſi multi vrgente & vigente Anti-Chriſti perſecutione conſtantes in fide & charitate permaneant; nec neceſſarius erit ille publicus cultus ad breue tempus; imo expedit vt illis contradicatur, vt per oppoſitionem & contradictionem victoriâ reportatâ, Triumphus tantò magis eluceſcat, quò maior fuit concertatio, & vniuerſalior ac ſenſibilior, & notior hoſtium Chriſti audax Eccleſiæ impugnatio. De hoc regnandi modo tandem finiendo S. Paulus 1. ad Corinth. 15. de tempore reſurrectionis mortuorum loquens, ait; *Deinde finis,*
B *cum tradiderit Regnum Deo, & Patri; cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius, &c. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.*

De mille annis durationis Regni Chriſti in Eccleſia, diſceptatio.

ANNOTAT. IX.

NVNC ſi de mille annis huiuſmodi regnandi verba faciamus Chiliaſtarum ſeu Millenariorum opinionem rejicimus, qui aſſerunt hos mille
C annos intelligendos eſſe de quadam pace, & felicitate, quam Eccleſia obtinebit poſt Anti-Chriſti aduentum. Illo ſiquidem deuicto exiſtimant iuſtos fore reſurrecturos, vt in terris cum Chriſto regnent. Et ſi Cerintho hæretico fides adhiberetur, fruituri ſunt omnibus ſenſuum carnis oblectationibus. Nec verior eſt aliorum ſententia, qui opinantur regnaturos quidem reuera eſſe in terris, ſed fruituros delitiis quibuſdam puriſſimis ac ſpiritualibus, Etenim certum eſt ſanctum Ioannem loqui de his, quæ euentura ſunt ante Anti-Chriſti aduentum, antequam ſcilicet ſatanas ſoluatur; qui ſolutus omnem conatum, omnem aſtutiam impendet, vt ordinem illum à Chriſto poſitum in Eccleſia militante euertat. Nam
D expletis annis iſtis mille, ſolui debet ſatanas, non autem ante eorum expletionem, iuxta illud: *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo: & exibit, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor Angelos terræ.* Igitur hoc regnum non debet exiſtere poſt reſurrectionem. Improbabile quidem eſt iuſtis reſuſcitatis aliquas gentes permanſuras in terris, quæ ſeduci valeant. Denique de quibuſnam iuſtis verificari poſſet quæ poſtea dicuntur: *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam?* Certè iuſtorum reſurrectio non dimidiabitur, vt vna pars ſemel reſurgat, alia altera vice? Gratis enim iſta & abſque vlla veriſimilitudine adducerentur.

E Secundò, ſententiam illorum rejiciendam eſſet exiſtimamus, qui iſtos mille annos intelligi volunt de quadam pace & felicitate vniuerſali & omnimoda, qua Eccleſia fruatur, ſiue ante, ſiue poſt Anti-Chriſti aduentum, qua durante, nec vexanda ſit perſecutionibus, nec fatiganda erroribus, nec diſcindenda ſchiſmatibus, nec coruptione morum, ſi qua ſit, perturbanda. Certiſſimum quippe eſt hos annos intelligendos eſſe elapſuros ante aduentum Anti-Chriſti. Itaque non poſſunt intelligi de illo tempore, quo durante, probabile eſt poſt extinctionem Anti-Chriſti Eccleſiam aliqua pace & tranquillitate fruituram, coadunatis in vnum Iudæis & gentilibus, vt vnum Deum & Dominum Ieſum Chriſtum confiteantur & agnoſcant.

Nunc autem præſuppoſito quòd neceſſarium ſit illos

Digitized by Google

illos annos computandos eſſe ante aduentum Anti-Chriſti, certiſſimum eſt nunquam Eccleſiam tanta pace & tranquillitate fruituram, vt nulla perturbatione, vexatione, tentatione laboret. Nam ſi ſecundùm quamdam rationem non vexetur, aliâ tamen turbabitur. Non erunt perſecutores: erunt hæretici. Non erunt hæretici: Erunt ſchiſmatici. Nec hæreſi noua, aut ſchiſmate laborabit; Ecce orietur quædam perſecutio. Nec ſi huc aut illuc minimè agitetur, immunis erit ab omnibus vexationibus in omnibus orbis partibus. Nam fieri poteſt, vt dum alicubi tranquillè agit, alibi tamen manifeſtè & ſenſibiliter vexatur: vt omnes ſciant per multas tribulationes oportere electos ad cæli gloriam peruenire.

Itaque exiſtimandum non eſt illos annos intelligi debere de duratione alicuius pacis & tranquillitatis, qua Eccleſia fruitura ſit in terris; imò potiùs oportet illos intelligere de toto illo tempore, in quo variis probanda eſt tentationibus, exercenda præliis: licèt ſatanas ligatus exiſtat, ne Eccleſiæ fundationem, progreſſum, gloriam & ſplendorem impediat eamque ab exercitio miniſteriorum ſuorum ac functionum ſuarum auocare valeat. Portæ quippe inferi non præualebunt aduerſus eam: contra illam petram fluctuantes ſeculi vnde impingentes, quo fortiùs impetent, eò citiùs confringentur.

Hinc S. Auguſtinus agens de modo, quo ſatanas ligatus dicitur, non ait eum eo modo alligari, vt nihil patiantur electi aut fideles, nec vllam experiantur contradictionem, aut moleſtiam. *Sed*, inquit, lib. 20. de ciuit. c. 7. *alligauit eum mille annis; hoc eſt, eius poteſtatem ab eis ſeducendis, ac poſſidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frenauit.* Ita Aug. Hæc de cauſa Chriſtus Dominus de tempore, quo ſoluendus eſt ſatanas, verba faciens, expreſsè declarauit præcipuum ſignum ſolutionis illius, ac permiſſionis ſuum exercendi furorem; fore quia tanta prodigia & ſigna faciet; vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi: itaut niſi breuiati fuiſſent dies illi, non ſalua fieret omnis caro.

Igitur hæc alligatio ſatanæ intelligi non debet ac ſi Eccleſia nullam pati debeat ab eo moleſtiam, ſed tantùm quòd tanta non erit ab eo illata vexatio, vt ad hoc adigatur quòd Chriſto obſequium aut honorem debitum non exhibeat, à cuius cultu nec ipſa ſolutione ſatanæ, finitis mille annis, auocari aut diſtrahi poterit. In eius enim confeſſione conſtanter permanebit; licèt illi liberum non erit graſſante perſecutione (quia hora erit, & poteſtas tenebrarum) omnes publicos ritus, aut ſacrificia, ſeu ceremonias exteriores, aut laudes publicas exercere, prout nunc ligato ſatana ſedulò ea omnia perficiebat, vt quam de magnitudine, ac dignitate fidelis ſponſi fidem & exiſtimationem habet, profiteretur. Plures equidem ſeducet ſatanas ſolutus, ſed plures etiam conſtantes in fide permanebunt. Erunt adhuc caſtra ſanctorum, erit ciuitas dilecta, quamuis innumeris hoſtibus illos circumdantibus oppugnentur. Rectè ſiquidem S. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate c. 8. *Si hoc eſt diabolo ligari & includi, Eccleſiam non poſſe ſeducere, hac ergo erit ſolutio eius vt poſſit? Abſit: nunquam enim ab illo Eccleſia ſeducetur prædeſtinata, & electa ante mundi conſtitutionem, de qua dictum eſt: Nouit Dominus qui ſunt eius. Et tamen hic erit Eccleſia, illo tempore etiam quo ſoluendus eſt diabolus: ſicut ex quo eſt inſtituta, hic fuit, & erit omni tempore, in ſuis vtique, qui ſuccedunt naſcendo morientibus. Nam paulo poſt dicit quod ſolutus diabolus ſeductas gentes toto orbe terrarum attrahet in bellum, aduerſus eam: quorum hoſtium numerus erit vt arena maris.* Ita Aug. Imo dico: Siue qui durante perſecutione Anti-Chriſti, & ſolutione diaboli,

A conſtanter permanebunt in fidei confeſſione, ſiue prædeſtinati, ſiue non: certum eſt non defuturos, qui viſibiliter agnoſcantur eſſe Chriſtianæ religionis profeſſores, & Chriſti adoratores ac cultores. Præualeret enim contra Eccleſiam infernus, ſi nullus viſibiliter cerneretur, qui fidem eius confiteretur. At non præualebit, ex promiſſione Chriſti. Erunt igitur publici Chriſtianæ religionis cultores, quamuis vexati, ſiue illi ſint prædeſtinati, ſiue non. Fauet Auguſtinus in hoc octauo cap. l. 20. de ciuit. *Imo*, inquit, *verò id potius eſt credendum, nec qui cadant de Eccleſia: nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos, ſed profectò tam fortes erunt & parentes pro Baptizandis paruulis ſuis, & hi qui tunc primitus credituri ſunt,* B *vt illum fortem vincant, etiam non ligatum, id eſt, omnibus qualibus antea nunquam vel artibus inſidiantem, vel vrgentem viribus, & vigilanter intelligant & tolerantes ferant, ac ſic illi etiam non ligato eripiantur.* Ita Auguſtinus.

Concludendum igitur hos mille annos non eſſe accipiendos pro quodam tempore, in quo Eccleſia nullam patiatur vexationem aut moleſtiam; ſed pro eo omni tempore quo duratura eſt, ab illo ſcilicet inſtanti, quo à Chriſto fundata fuit, & inſtituta, dum in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, dum mori & reſurgere voluit, dum in cœlos aſcendit, dum Spiritum ſanctum miſit, in quo præcipuè temporis articulo innotuit omnibus Eccleſiæ inſtitu- C tio, in executione ordinis à Chriſto inſtituti, autoritatis Eccleſiæ traditæ, & exercitij facultatum, functionum, & miniſteriorum, quibus Eccleſia Deo cultum exhibere debet.

Quæ cum adminiſtrat fideliter & prudenter, ſuo munere fungitur, in quo ordine, in qua autoritate, in quibus exercitiis permanſura eſt, vſque ad Anti-Chriſti aduentum: qui totis viribus publicum illum diuinæ maieſtatis cultum, quo Eccleſia publica profeſſione Deum proſequi velle proteſtatur, exterminare & abolere contendet. Vnde per tres annos cum dimidio, illius cultus ſplendorem, & liberum exercitium impediet.

At cum iam mille anni ſolares effluxerint à tem- D pore fundationis Eccleſiæ, nec Anti Chriſtus adhuc aduenerit; cur per mille annorum numerum, totum illud ſpatium temporis à Chriſto Domino vſque ad Anti-Chriſtum deſignatur, inquirendum.

Reſpondet S. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate c. 7. *Mille autem anni duobus modis poſſunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in vltimis annis mille iſta res agitur, id eſt, ſexto annorum miliario, tanquam ſexto die, cuius nunc ſpatia poſteriora voluuntur, ſecuturo deinde Sabbatho, quod non habet veſperam, requiem ſcilicet ſanctorum, quæ non habet finem: vt huius miliarij tanquam diei nouiſſimam partem, quæ remanebit vſque ad terminum ſeculi, mille annos appellauerit, eo loquendi modo, quo pars ſignificatur à toto. Aut certè mille annos pro annis omni-* E *bus huius ſeculi poſuit, vt perfecto numero notaretur. Ipſa temporis plenitudo. Millenarius enim numerus denarij numeri quadratum ſolidum reddit. Decem quippe decies ducta fiunt centum: quæ iam non figura quadrata, ſed plana eſt. Vt autem in altitudinem ſurgat, & ſolida fiat, rurſus centum decies multiplicantur, & mille fiunt. Porro ſi centum ipſa pro vniuerſitate aliquando ponantur, quale illud eſt quod Dominus omnia ſua dimittenti, & eum ſequenti promiſit dicens: Accipiet in hoc ſeculo centuplum. Quod exponens quodammodo Apoſtolus ait: Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes. Quia & ante iam dictum erat: Fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt. Quanto magis mille pro vniuerſitate ponantur vbi eſt ſoliditas ipſius denarij quadraturæ?* Ita Auguſt. Quia igitur numerus millenarius pro vniuerſalitate ſolet intelligi, ideo illi anni deſignant

Digitized by Google

totum illud tempus, quo durare debet regnum iſtud viſibile in terris, de quo hic loquitur ſanctus Ioannes, vel ipſo ſancto Auguſt. autore, lib. 20. de ciuitate c. 9. *De hoc ergo regno*, inquit, *militia in quo adhuc cum hoſte confligitur, & aliquando repugnatur, repugnantibus vitiis, aliquando cadentibus, imperatur, donec veniatur ad illud pacatiſſimum regnum, vbi ſine hoſte regnabitur. Et de hac prima reſurrectione, quæ nunc eſt, liber ille loquitur, &c.* Ita Aug.

Deinde ad deſignandam perfectionem huius durationis. Nullus enim hominum potuit vnquam perfectionem huius durationis obtinere; non Adam, qui vixit annis nongentis triginta: non Iared, qui vixit nongentis ſexaginta duobus annis: non Mathuſala, qui vixit nongentis ſexaginta nouem annis: hi enim, qui longiori tempore vixerunt, milleſimum annum minimè attigerunt. Vult autem Deus Eccleſiæ regnum perfectam ætatem obtinere, vt ſciamus illius erectionem opus eſſe excellentiſſimum omnipotentiæ Dei, cuius perfecta ſunt opera: ne quis mortalium ſibi perſuadeat poſſe tam nobile opus deſtruere, donec conſummentur mille anni, id eſt, donec totum tempus ad perfectionem huius operis requiſitum, tranſactum fuerit: donec, inquam adimpletum fuerit iſtud Propheticum, tum Dauidis: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Pſ. Tum S. Pauli 1. ad Corinth 15. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Hoc autem eſſe incipiet, cum interficietur Anti-Chriſtus, & conſummabitur in die iudicij. Regnum igitur iſtud perfectam habebit durationem, talem & tantam, vt ſplendorem ſuum iuxta ſcripturarum prædictiones perfectè obtineat, conculcatis omnibus qui illum ſplendorem offuſcare voluerunt. Mille annos igitur ponit pro annis omnibus huius ſeculi, vt perfecto numero notetur ipſa temporis plenitudo, ſiue illa temporis plenitudo mille tantummodo annos ſolares complectatur: ſiue vt verius eſt, plures quàm mille ſolis reuolutiones includat. Vnde fit vt ſicut nullus hominum vnquam potuit ad hanc ætatem mille annorum peruenire, ita nec vllus futurus ſit, qui diſtinctè & clarè cognoſcere poſſit quot annis ſolaribus Regnum viſibile Chriſti duraturum ſit. Et cum mille anni ante oculos Dei ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit, licèt tempus mortificationis & certaminis longiſſimum videatur: ſperandum tamen fidelibus regnum pacatiſſimum cælorum mox aduenturum: non modo quia vnicuique adueniente morte, animæ eorum poſſunt ad gloriam æternam peruenire: ſed quia finale iudicium inſtat, in quo corpora reſurgent cum animabus ad gloriam transferenda. Fideliter igitur incumbendum occiſioni vitiorum, mortificationi paſſionum, tolerantiæ laborum ac vexationum: quia quamuis tempus militiæ longiuſculum videatur, eſt tamen ante Deum tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & comparatione æternitatis pro nihilo habendum.

Dico ſecundò, hos mille annos myſticè debere exponi pro reuolutionibus ſolis iuſtitiæ, in productione effectuum iuſtitiæ & miſericordiæ, in quibus reuolutionibus multos plures annos ſolares includuntur vt alibi diximus. Quo fit vt mirum non ſit præciſè ſciri non poſſit quot anni ſolares effluxuri ſint ab aduentu Chriſti, vſque ad Anti Chriſti aduentum. Qua expoſitione occurritur duabus quæſtionibus. Prima eſt quomodo conciliari poteſt, vt Spiritus ſanctus mille annos præciſè poſuerit vſque ad aduentum Anti-Chriſti, ab eo inſtanti in quo ſatan alligatus fuit & incarceratus; cum his quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus aſſerit neminem Angelorum & hominum ſcire poſ-

A ſe diem aut horam iudicij. Quod tamen paulo poſt mortem Anti-Chriſti futurum exiſtimatur. Et reuera Chriſtus Dominus coniecturæ locum conceſſit, dum dixit: *Cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt in ianuis.* Sed cum diem & horam incertam aſſerat, tempus iudicij incertum relinquit: quod tamen quis prænoſcere poſſet, ſi tempus Anti-Chriſti certitudinaliter præuideret. Nam, vt ait ipſe Dominus Matt. 24. *Statim poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Secunda difficultas etiam tolli videtur, de initio mille annorum. Nam cum certum ſit iam ab aduentu ſaluatoris vſque nunc, pluſquam mille annos ſolares decurriſſe, ſi hi mille anni accipiendi eſſent de his ſolis viſibilis reuolutionibus annuis, B incipiendi proculdubio eſſent à quadam Epocha temporis, quæ poſt Chriſti aduentum initium ſumpſerit. Iam enim Anti Chriſtus aduoniſſet, ſi à Chriſti temporibus illi anni inciperentur.

At quis non videt magnam eſſe difficultatem aſſignandi præciſè aliquam temporis Epocham, à qua initium ſumant ille anni mille, itaut præciſè finiantur cum aduenerit Anti-Chriſtus, ſatana ſoluto, & libertatem nacto, vt omnem ſuam exerceat rabiem.

Et certè hæc exponendi ratio congruit manifeſtè cum verbis ſaluatoris, Matt. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet conſummatio.* C Siquidem verbis prædicatio, quæ iteratis vicibus, modo hic, modo alibi, modò apud iſtam gentem, modò apud aliam perficitur; videtur eſſe quaſi vna quædam reuolutio ſolis myſtici ſupra Horizontem Eccleſiæ vniuerſalis, quæ ſæpiùs reiteratur & multiplicatur, ſecundùm diuerſa tempora, in quibus fides alicubi plantatur, incrementa capit, & tandem ad defectum vergit: itaut oporteat hoc fidei candelabrum alibi tranſplantari: & illud Chriſti regnum ad aliam gentem transferri facientem fructum illius, iuxta illum Matth. 21. *Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius:* Quin etiam vbi ſemel fuit plantata, denuò ibidem prædi- D cetur, cum manifeſta quadam mutatione in his, quæ ad Dei cultum pertinent, iuxta diuerſitatem effectuum prouidentiæ diuinæ erga ſtatum & regimen Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ. Exempli gratiâ, Si adeptâ nunc libertate Eccleſiæ ſua munera patenter & manifeſtè obeundi apud Angelos, Eccleſia in priſtinam libertatem rediret, hoc videretur eſſe quædam altera reuolutio ſolis myſtici, cuius influentiæ & radij hoc Regnum nunc decorare non videntur, ſaltem quoad publicum & liberum Eccleſiaſticarum functionum, ſeu miniſteriorum Eccleſiæ exercitium, in quo quidem conſiſtit præcipuè viſibilis Eccleſiæ Monarchia, licèt in quibuſdam particularibus fides integra, & charitas remaneant; qui licèt E occultè, tamen pro poſſe Chriſto Domino cultum exhibere non timent.

Docet igitur S. Ioannes Eccleſiam perfectum ſui ſtatus ſplendorem non eſſe adepturam, niſi poſtquam Euangelij prædicatio vniuerſas orbis partes peragrarit ac percurrerit, & (ſatana alligato) liberum ipſi fuerit Chriſti nomen & gloriam annunciare vniuerſis nationibus; eiuſque obſequio ſubjicere omnes gentes, quæ credituræ ſunt in eum. Nec enim poterit diabolus impedire ne Eccleſiæ fides plantetur, incrementa capiat, & fructum afferat in patientia: nec Eccleſiæ fundationem, progreſſum, & ſplendorem, in locis quæ Deus elegerit, donec electos ſuos congregauerit vitâ æternâ beandos. Ad quod opus perficiendum oportet vt prædicatio Euangelij vniuerſum orbem percurrat, in teſtimo-

Digitized by Google

nium omnibus gentibus : & fiant veluti mille quæ- A dam reuolutiones ſolis myſtici, quem vidimus in capite primo, in medio ſeptem candelabrorum aureorum, Eccleſiam vniuerſalem deſignantium, deambulantem : velut ille ſol viſibilis totum orbem annuatim perluſtrat. Conſummatis autem, & completis iſtis reuolutionibus ſolis myſtici millies reiteratis, tunc veniet Anti-Chriſtus. At quis illas reuolutiones poſſet optimè deſignare, animaduertere: aut vbinam vna reuolutio incipiat : vel quando finem capiat, vt altera ſubſequatur, & initium ſumat: & ſic de cæteris? Hæc abſcondita nobis ſunt, itaut conjicere tantùm liceat tempus aduentus Anti-Chriſti, & ſolutionis diaboli, à carcere in quo detinetur nunc, vt non ſeducat ampliùs gentes, donec con- B ſummentur mille anni, id eſt, non valeat publicum per orbem idolorum cultum reſtaurare, aut alium à Chriſto Domino Deum proponere, ſicut liberum illi erat ante Chriſti aduentum, quem vellet Deum hominibus proponere adorandum. *Ad decipiendos homines*, inquit S. Auguſt. lib. 18. de ciuit. c. 18. *Vt falſos Deos tum veri Dei iniuria multos colant : & hominibus mortuis, (qui nec cum viuerent verè vixerunt,) templis, altaribus, ſacrificiis, ſacerdotibus (quæ omnia, cum recta ſunt, non niſi vni Deo viuo & vero debentur) inſeruiant.* Ita Auguſt. Quod quidem præſtabit cum fuerit ſolus. Nam Anti-Chriſtus pro vero Deo & Meſſia adorabitur arte diaboli oportet enim illum ſolui modico tempore, nempe regnante Anti-Chriſto, de C qua alligatione & ſolutione multa pulchrè diſſerit S. Auguſt. lib. 20. de ciuit. c. 8.

Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, &c.

Quo pacto Chriſtus Dominus regnare dicitur in terris, mille annis ſupradictis?

ANNOTAT. X.

QVARTVM caput exponentes diximus Deum duobus modis in Eccleſia regnare. Primus eſt ratione autoritatis, ac dignitatis, quam contulit D Paſtoribus, qui Eccelſiam regunt in nomine Chriſti, illiuſque vices obeunt. Si enim regnare, nihil aliud ſit quàm optimè dirigere ſibi ſubditos, ad finem alicuius tranquillitatis publicæ conſequendum eiſque iuſtiſſimas leges ſeruandas tradere ; & tales habere ſubditos, qui pareant, & ad nutum obediant; Certum eſt Chriſtum regnare in Eccleſia per Epiſcopos & Paſtores, inter quos præcipuus eſt ſummus Pontifex. Ipſi enim vigilant ſuper gregem, quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri & nos deducere conantur, non ad temporalem aut terrenam aliquam tranquillitatem, ſed ad vitam æternam, in qua ſedebit populus Chriſtianus in abundantia, & pulchritudine pacis. Cum autem eorum mandatis E obtemperamus, illiſque reuerentiam exhibemus; ex iuſta eorum præceptione, ſapienti directione, & obedientia noſtra, fit verè Regnum Chriſti in Eccleſia, quia propter eum prælatis & paſtoribus reuerentiam & obedientiam præſtamus.

Secundus modus eſt ratione eminentis ſanctitatis, quæ in pluribus Eccleſiæ membris inuenitur, qui heroicis virtutibus & inſigni pietate præditi, duplici honore digni ſunt plærumque ; nempe ratione autoritatis, ſi quam habeant in Eccleſia, ſecundò, ratione præcipuæ ſanctitatis & probitatis, cuius gratiâ Chriſtus in eis viuere dicitur : itaut vnuſquiſque eorum dicere valeat : *Viuo, iam non ego : viuit vero in me Chriſtus.* Quibus mundus eſt crucifixus, cum Chriſto crucifixis ; quorum actus ſanctitatem omnimodam redolent : quia & in eis verificantur ea quæ ſaluator dicebat. Ioan. 14. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet : quia ego ad Patrem vado.* Nam in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, poſt eius mortem & reſurrectionem, & aſcenſum in cælis, Apoſtoli & plærique ſancti quædam patrarunt miracula, quæ maiorem ingerere poterunt admirationem, quàm plæraque quæ ipſe Dominus, dum eſſet in terris, operari voluit. Nonne ſiquidem longe mirabilius eſt vmbram Petri ſanitatem conferre plurimis, quàm tactus fimbriæ Saluatoris vnius mulierculæ ſanguinis fluxum reſtrinxiſſe? Patrabât Chriſtus Dominus miracula, vt hominibus conferret ſanitates, & beneficia.

At nonne mirabilius eſt Apoſtolos aliquando miracula patraſſe in hominum perniciem? Verbo ſuo Petrus Ananiam & Saphiram miſerandæ neci tradidit. Chriſtus dæmones fugabat ab obſeſſis corporibus: & S. Paulus fornicatorem Corinthium ſatanæ tradidit cruciandum. Chriſtus in ſola Iudæa miracula patrauit : Apoſtoli vniuerſum orbem miraculis & prodigiis oppleuerunt. Quia igitur tanta & tam prodigioſa Chriſtus Dominus operatur continuè per miniſterium Apoſtolorum & ſanctorum ; nonne optimè dicere poſſum, in eis, & per illos, ſeu illorum miniſterio ipſum regnare in terris?

At cum duobus modis ſanctitas comparetur, quæ poſſit manifeſtam reddi, & talem ab omnibus haberi (de qua agnita ſanctitate præcipuè hic agitur, ea enim potiſſimùm in hoc libro pertractantur, quæ ab omnibus indifferenter poſſunt agnoſci, itaut ſola rei inſpectione opus ſit, vt agnoſcantur) ideo duo modi ſanctificationis hîc à ſancto Ioanne deſignantur. Primus eſt Martyrium, ſecundus eſt innocentia vitæ, ſeu integritas morum, à ſeculari conuerſatione fuga, vt immaculatum quis ſe cuſtodiat ab hoc ſeculo, nullam ſibi aliam præſcribentes regulam à lege Chriſti Domini. Publica item profeſſio fidei in illum, ore teſtata, operibus comprobata. Indefeſſus labor ad virtutum faſtigium inceſſanter adſpirans, cum omnimoda animi ſubmiſſione ad ea omnia ſubeunda, quæ Deus decreuerit. Hæc igitur tria ſanctus Ioannes deſignat, nempe eminentem autoritatem autoritatem prælatorum in his verbis : *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis.* Secundò dignitatem Martyrij, in his verbis (*Et animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Tertiò vitæ innocentiam, ſeu eminentem morum ſanctimoniam, declinando à quocumque malo, & omne operando bonum, in his verbis : *Et qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis :* Ecce declinatio à malo. *Et vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* Ecce boni ac virtuoſæ operationis felix conſummatio, qua manifeſtè agnoſcitur Chriſtum in eis viuere, operari, ac dominari, vt habeat in eis, & per eos regnum viſibile in terris.

Talis autem huius ſcripturæ textus debet eſſe conſtructio, vt faciliùs intelligatur, nempe: *Et vidi ſedes, & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis. Et ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis. Et vixerunt : & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* Itaut interponendus ſit, & ſub intelligendus genitiuus pluralis. (*Eorum*) hoc modo : *Et animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei. Et eorum*, videlicet animas, *qui non adorauerunt beſtiam, &c.* vt planior fiat & perfectior ſenſus. Et ſic in his verbis intelligimus de duobus generibus hominum ſanctorum fieri mentio-

Digitized by Google

nem, nempe Martyrum & Confeſſorum. Vel ſaltem dicere debemus verbum, *vidi*, ſub intelligi ac ſi diceret S. Ioannes: *Et vidi ſedes, &c.* Et vidi animas decollatorum. Et tandem: Et vidi eos, qui non adorauerunt beſtiam, &c. Nec abſurdior eſt additio illa pro nominis (*Eos*) ad hunc locum, quàm eiuſdem pronominis in genitiuo caſu ſingularis numeri (*Eius*) vulgatæ verſionis, quæ ad maiorem elucidationem verſio communis addit, vbi in græco tantum eſt [illegible Greek] *Et non acceperunt characterem eius.* Quin & in gloſſa ordinaria, in interpretatione horum verborum: *Et animas decollatorum*, reperies: *Et vidi ſimiliter animas eorum, qui non adorauerunt.* In qua expoſitione videre eſt & pronomen (*Eorum*) & verbum (*Vidi*) ſuper addi ad faciliorem textus expoſitionem. Nec coniunctio (*Et*) fuiſſet addenda, *Et qui non adorauerunt*; ſi illud pro nomen (*qui*) ad eos qui deſignantur in his verbis, *Et animas decollatorum*, referri deberet. At cum additur: *Et qui non adorauerunt*; ſatis expreſſit S. Ioannes ſe de quibuſdam aliis ab eis loqui velle, nempe de confeſſoribus qui licèt per martyrium non amiſerint vitam, cuius amiſſio optimè adumbratur in voce decollatorum, quia capite amputato (in quo omnes ſenſus ſedem obtinent) vita abſque dubio amittitur; Tamen propter declinationem à malo, & perfectam mandatis diuinis obedientiam, Martyribus aſſociari & copulari merentur, & cum eis ſedere & iudicare ratione ſanctitatis, ſicut Eccleſiæ Paſtores & rectores ſedent & iudicant ratione autoritatis.

Quod autem de regno non cæleſtis gloriæ, ſed terrenæ poteſtatis & dignitatis Eccleſiæ, in qua Chriſtus regnat nunc decurrentibus ſeculis, vſque ad mundi conſummationem, fiat ſermo; fauet primo gloſſa ordinaria: *Et vidi, ſcilicet*. inquit, ligato dæmone vidi ſolutos fideles, & minores Prælatis ſuis obedire paratos, & Prælatos iudicare ſubditos. Quin & interlinearis: *Et vidi ſedes, fideles ſubditos; & ſederunt ſuper eas, id eſt, maiores benè regnando; & iudicium datum eſt illis. Et hoc ideo*, inquit gloſſa interlinearis, *quia Deus iniunxit eis hoc iudicium prælatis: & animas decollatorum vidi*; *decollatorum*, inquit, gloſſa, i. martyrum.

Quin & Ticonius ad præſentem Eccleſiæ ſtatum hoc regnum pertinere docet, dum homilia decimæ ſeptima hæc verba ponderans: *Sederunt Sacerdotes Dei, & regnabunt cum eo mille annis*; ait: *Retulit ſpiritus, cum hæc ſcriberet, regnaturam Eccleſiam mille annis in hoc ſeculo, vſque ad finem mundi. Manifeſtum eſt ergo quòd dubitari non debeat de perpetuo regno, cum etiam in præſenti ſeculo ſancti regnent. Benè enim regnare dicuntur, qui cum Dei adiutorio etiam inter ipſas preſſuras mundi, & ſe & alios benè regunt*: Ita Ticonius.

Quod placuit S. Auguſtino, lib. 20. de ciuitate c. 9. *Et vidi*, inquit, *ſedes, & ſedentes ſuper eas: & iudicium datum eſt: Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio dici: ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo. Vnde Apoſtolus: Quid enim mihi, inquit, de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his, qui intus ſunt, vos iudicatis?* Ita Auguſt.

Auguſtinum ſequitur Primaſius. *Cum dixiſſet alligato diabolo per mille annos, ſeducendi ademptam fuiſſe ſolitam poteſtatem, eiuſque ſolutionem futuram breui tempore prædixiſſet: tunc recapitulando quid in iſtis mille annis agit Eccleſia vel agatur in ea, dixit: Et vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas: & iudicium datum eſt eis. Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio, ſed de regimine potius intelligendū præpoſitorum, per quos nunc præſidentes Eccleſia guberna-* A *tur, quæ à ſuo rege probabili meruit audire ſanctione. Quæ ligaueris in terra*, &c. Ita Primaſ.

Quomodo autem ſancti, ſiue Martyres, ſiue Confeſſores, pertineant ad iſtud temporale Regnum Eccleſiæ, explicat S. Auguſt. ſupra lib. 20. de ciuitate c. 9. *Et animæ*, inquit, *occiſorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei; ſubauditur quod poſtea dicturus eſt: Et regnauerunt cum Ieſu mille annis, animæ ſcilicet Martyrum, nondum ſibi corporibus redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti; nec aliquid prodeſſet ad eius in periculis baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem, ſi* B *fortè per pœnitentiam, malamue conſcientiam quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta, niſi quia fideles defuncti membra eius ſunt? Quamuis ergo cum ſuis corporibus nondum ita, tamen eorum animæ regnant cum illo, dum iſti mille anni decurrunt. Vnde in hoc eodem libro & alibi legitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur: à modò iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis: nam opera eorum ſequuntur illos. Regnat itaque cum Chriſto nunc primùm Eccleſia in viuis & mortuis. Propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus, mortuus eſt Chriſtus, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Sed ideo tantummodò Martyrum animas commemorauit, quia ipſi præcipuè regnant mortui, qui vſque ad mortem pro veritate certauerunt. Sed à parte totum etiam cæteros mortuos intelligimus* C *pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti.* Ita Auguſt.

Cui addendus eſt Dionyſius Carthuſianus, dum ait; *Per ſedes has primò intelligi poſſunt manſiones cæleſtes, & throni glorioſi: in quibus animæ ſanctorum ſunt collocatæ, dominicæ paſſionis merito & virtute, quibus data eſt iudicandi poteſtas cum Chriſto: cuius dono etiam nunc frequenter aliqua iudicant, faciendo mirabilia in hoc mundo, ſuis cultoribus ſuccurrendo dæmones ab obſeſſis corporibus ejiciendo, atque miracula varia peragendo. Secundò, per ſedes intelliguntur manſiones, dignitates, autoritates Eccleſiæ, in quibus ſuperiores reſident, & Prælati, quibus datum eſt iudicium diſcretionis, ac ſententiationis de actibus inferiorum, poteſtas quoque ligandi, & ſoluendi peccata,* D *&c.* Ita Dion. in 20. Apocalyp.

Quin & Rupertus: *Iſtæ namque ſedes Eccleſiaſticæ ſunt dignitates, videlicet Pontificum Catholicorum, & inferioris quoque ordinis ſacerdotum, ſiue Prælatorum, quorum poteſtas nimirum tanta eſt, vt rectè ſit vel dici debuerit, quia datum eſt illis iudicium: autoritate namque eius, cui pater dedit omne iudicium, hoc illis datum eſt: vt quæcumque alligant ſuper terram, ligata ſint in cælo; & quodcumque ſoluunt ſuper terram ſoluta ſunt in cælo. Summum iudicij huius tribunal in Eccleſia paratū eſt Romana, vbi ſedet Apoſtolica B. Petri & nomine & corpore fundata eſt, cui ſpecialiter dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Ex illius ſanctæ ſedis religioſa, & venerabili tra-* E *ditione, memoriæ Martyrum Chriſti ſic celebres & ſplendidæ factæ ſunt, vt omni honore ſolemnizentur per mundum vniuerſum Natalitij dies illorum, & ſupra ſacra illorum corpora celebrentur ſolemnia Miſſarum. Ait ergo: Et animas decollatorum, &c. Quod eſt dicere: Eccleſia Chriſti in ordine ſuo ſedente, Principibus quoque & regibus terrarum obedientibus iudicio eius, animæ ſanctorum Martyrum, (qui propter fidem Chriſti ſanguinem ſuum in perſecutione fuderunt, nolentes parere Paganis Principibus, vt Chriſtum negarent, & participes fierent de ſacrificiis dæmoniorum) virtutibus eximiis ſeſe viuere comprobauerunt. Et ita apud homines regnauerunt, qui iniquè damnati fuerant: vt Reges & imperatores diſcincti, & depoſito diademate, nudis capitibus ſeſe proſternerent ad venerandas memorias eorum. Hoc fit & fieri non deſinit mille annis, id eſt, ſicut iam dictum eſt: vſque ad aduentum Anti-Chriſti. Tandiu*

Digitized by Google

regnabunt cum Chriſto, vt quicumque Chriſtum confitetur Martyres quoque Chriſti ſuppliciter veneretur. Rupert. l. 11. in Apoc. c. 20.

His ita expoſitis, dico ſedes has, ſeu thronos iſtos deſignare vel ſedes, & tribunalia Epiſcoporum, & Paſtorum Eccleſiæ, vel etiam loca in quibus ſepulta & condita ſunt corpora ſanctorum martyrum ac confeſſorum, ſeu loca in quibus ſpecialiùs inuocantur, & hominibus à Deo impetratos fauores largiuntur. Qua quidem ratione manifeſtè apparet eos viuere in cœlis, & regnare cum Chriſto; & qui poſt certamina exantlata, & obtentas victorias, manſiones habēt æternas in cælis, in terris ſedes etiam obtinent, in quibus eorumdignita & apud Deum gratia autoritas elucēſcat. Indefinitè autem & abſque numero hæ ſedes hic reponuntur, quæ ad numerum viginti quatuor reductæ fuerant in capite quarto: ad deſignandum per has ſedes in hoc loco ſignificari quamlibet notam firmæ ac ſtabilis cuiuſdam autoritatis, gratiæ aut dignitatis apud Deum, quibus Prælati aut ſancti potiuntur: ſiue dum viuunt, ſiue poſt mortem: ſiue in corpore, ſiue in anima: vt ſciant mortales quomodo Chriſtus Dominus eorum miniſterio in toto orbe dominetur. Vnde de his dicitur Sap. 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis: & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Hoc modo habent gladios ancipites in manibus, vt ait Pſaltes, Pſal. 149. *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.*

Et reuera Prælati Eccleſiæ habent gladios ancipites in manibus, quibus datur poteſtas, verbi prædicatione, animas ad fidem conuertendi, eas à peccatis & pœnis abſoluendi, illos legibus quibuſdam adſtringendi, iudiciis ac ſententiis coercendi: quibus ſi contradicant contumaciter, poteſtatem etiam habent illos è numero fidelium præſcindendi. *Ad alligandos reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis:* vt ſic & paruos & magnos timore iudiciorum Dei in officio contineant.

Quod autem præſtare poſſunt Eccleſiæ Paſtores autoritate & ſanctitate miniſterij, hoc præſtant etiam ſancti Martyres & Confeſſores eminentia ſanctitatis, vt orationum ſuarum: quarum vi, ea quæ autoritate fiunt à Prælatis, ab ipſis perficiuntur. Adeo enim efficaces ſunt eorum orationes, vt per eas peccatoribus Deus peccatorum contritionem elargiatur, pœnas incurrendas dimittat. Quin & potentiores impediunt ne quid agant contra Dei cultum & honorem Chriſto exhibendum. Et ſi aliquid attentare auſi fuerint: ecce ad ſunt ſancti, honoris diuini zelatores, qui & de Regibus, & de nationibus vindictam plærumque ſumant. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Vnde euidenter patet Chriſtum Dominum regnare in vniuerſo orbe, in prælatis & ſanctis, iuxta illud. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes.* Quàm igitur glorioſum eſt Chriſto ſeruire? Certè ſeruire Deo regnare eſt & glorioſè regnare, cum & ipſi reges terræ, voluntati Prælatorum in his quæ ad Dei cultum pertinent, & ſanctorum deſideriis obtemperare plærumque debeant, nec impunè ab eorum obedientia & reuerentia ſeſe ſubtrahant. Viſne exemplis rem comprobemus? Tulit Eſaias ſententiam mortis in Ezechiam, & mox illam in aliam commutauit prorogationem vitæ illi prædicens, ac ſi vita & mors ex Prophetæ ore penderent. Clamat Helias ad duos principes quinquagenarios Regis Ochoziæ, illum interpellantes vt deſcenderet ad Imperium Regis è

A vertice montis: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Et ità factum eſt, 4. Regum c. 1. Quinam gladius? Quæ acinacis tam potenter abſcindens, vt vno ictu quinquaginta homines cum duce peremiſſet? Verè exaltationes Dei in gutture ſanctorum, ſunt gladij ancipites in manibus eorum. Quàm potentes erunt ad impetrandos fauores, qui tam potentes ſunt ad vlciſcenda crimina eorum, qui honoris diuini ſeſe exhibuerunt contemptores! Nec enim ex corde ſuo Deus abjicit filios hominum. At dum illis bona largitur: hoc gratanter proculdubio facit. Quantæ igitur autoritatis ſunt apud eum ſancti, ad quorum voces etiam ſupplicia immittit, ad quorum voces ignis è cœlo deſcendit, pluuia ſiſtitur, pluuia conceditur? Vel

B Eliam 3. Regum c. 17. audiamus: *Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto: ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Ad eius vocem c. 18. cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides. Non mirum ſi compedes immittant regibus: ne quocumque voluerint progrediantur: ſi manicas injiciant nobilioribus, ne quæcumque voluerint perficiant: vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Iudicium enim datum eſt illis: ſuntque decretorum prouidentiæ diuinæ fideliſſimi executores. *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* In quibus laudandus & colendus. *Laudate Dominum*, inquit Propheta, *in ſanctis eius.* Hoc

C igitur videt S. Ioannes, & Eccleſiæ Paſtores ſedentes, iudicantes, Regnantes cum Chriſto mille annis.

Et vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt Reſurrectio prima. Beatus & ſanctus qui habet partem in Reſurrectione prima, in eis ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

D *Quænam ſit prima mors, cuius intuitu alia mors ſecunda dicatur, & quænam debeat eſſe ſecunda reſurrectio, cuius reſpectu alia quædam reſurrectio prima nuncupetur?*

Quænam ſit prima mors?

ANNOTAT. XI.

DICO primo: prima mors, cuius intuitu aliâ ſecunda dicitur, non eſt mors corporalis. Hoc ita conjicio. Quidquid ſecundas partes tenet, eas non tenet niſi per reſpectum ad aliud, qui primas teneat. Et quidquid ſecundum dicitur, ſecundum

E dicitur reſpectu alicuius, quod primum aſſeratur. At reperitur ſecunda mors. *In his*, inquit, *ſecunda mors non habet poteſtatem.* Ergo debet eſſe alia mors, quæ prima dicatur: quæ talis ſit, vt ſi quis ab ea prima morte reſurrexerit, in his ſecunda alia mors non habeat poteſtatem. Iuxta illud: *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* At ſecunda mors poteſtatem habebit in plures qui à morte corporali reſurgent. Plures enim poſt reſurrectionem, damnationem incurrent: quæ damnatio, mors ſecunda dicitur, ſancto Ioanne teſte, qui ſemetipſum exponens, quænam ſit illa ſecunda mors expoſuit dicens: *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* Itaque mors corporalis non eſt prima mors, cuius intuitu mors æterna ſecunda nuncupe-

Rrrr iij

Digitized by Google

tur. Omnes ſiquidem reſurgemus, boni & mali, electi & reprobi: *Sed non omnes immutabimur*, inquit S. Paulus. Cui fauent verba Saluatoris, Ioan. 5. *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.*

Dico ſecundo cum mors corporalis non ſit prima mors, oportet vt illa prima mors, ſit quædam mors myſtica & ſpiritualis. Quæ nulla proculdubio alia eſt quam gratiæ Dei priuatio ex peccato mortifero cauſata: Hæc enim myſtica mors, verè prima mors dici poteſt reſpectu mortis æternæ. Nec enim mors corporalis præcurrens eſt, ſeu prodroma mortis æternæ, niſi quis è viuis deceſſerit in morte myſtica culpæ mortiferæ conſtitutus, quinimo electis morte. Corporalis tranſitus eſt ad vitam dicente Domino. *Qui verbum Dei audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam.* Ioan. 5 His adde mortem corporalem pœnam eſſe inflictam naturæ humanæ, ratione primæ huius mortis myſticæ, iuxta illud S. Pauli ad Rom. 5. *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Eſt igitur peccati mors myſtica, cauſa mortis corporalis, de qua S. Ioannes loqui poſtea videtur, dum ait: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.* Probabile ſiquidem eſt S. Ioannem in iis verbis, de iis loqui, qui morte corporali occubuerunt. Nam cum ſimul coniunxiſſet vitam gratiæ (qua ſancti cum Chriſto regnant mille annis) cum morte corporali ſanctorum Martyrum; quin & myſtica eorum morte peccato, illorum nempe qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, & de quibus dicitur: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; & qui cum Pſalmiſta dicere poſſunt: *Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Pſalm. 43. cum addit: *Cæteri mortuorum.* Idem eſt ac ſi diceret: At ſi de iis qui alia ratione mortui ſunt, nempe corporaliter; non viuent in corporibus ſuis, donec in finali & vltima reſurrectione corpora reſumant, quæ reſurrectio futura eſt elapſis mille annis. Secundò: probatur mortem eſſe myſticam per gratiæ priuationem: quia hæc mors, talis qualis ſit, debet mitti in ſtagnum ignis, quod idem eſt S. Ioanni quàm mors ſecunda. *Infernus, inquit, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* At mors corporalis non projicietur in ſtagnum ignis, imo potiùs corpora viuentia (per reſurrectionem corporalem) damnatorum in infernum detrudentur. Igitur mors illa in infernum detrudenda non debet eſſe mors corporalis, ſed myſtica & ſpiritualis: quæ reſpectu mortis æternæ, ſeu damnationis æternæ (quæ mors ſecunda nuncupatur) verè dici poteſt mors prima, nempe priuatio gratiæ Dei, & à Deo (qui vita noſtra eſt) ſeparatio. Eius enim vnione priuabuntur omnes in perpetuum, qui in peccato mortali vitam amittunt corporalem; & in inferno detruſi ſecunda mortem experientur, per priuationem omnium delectabilium, quibus frui liceret ſtante vſu functionum vitæ ſiue vegetantis, ſiue animalis, ſiue intellectualis, in perceptione obiectorum conuenientium vnicuique facultati. Quibus priuati quidam mortui ſunt, quoad omnia quæ aliqua afferre poſſent oblectamenta, licèt animabus coniunctis corporibus viuant, vt innumeros patiantur dolores & tormenta indicibilia: itaut cum poſtea dicitur: *Mors & infernus dederunt mortuos ſuos*; Idem eſt ac ſi diceretur: Hi omnes, quos peccati mors ad mortem corporalem deduxerat, & quos infernus incluſos detinebat, reſtituti fuerunt; vt in reſurrectione corporali mortuorum, corpora reſumant; vt poſtea (quia gratia Dei carent) mittantur

A in ignem æternum, in quem omnes reprobi, ſiue Angeli, ſiue homines detrudentur. Poſtquam igitur vidimus quænam ſit prima mors, reſpectu mortis æternæ, quæ dicitur mors ſecunda, videndum quænam ſit reſurrectio ſecunda, reſpectu primæ, de qua nunc hic agitur.

Quænam ſit ſecunda reſurrectio, quæ correſpondeat prima, de qua hic mentio ſit?

ANNOTAT. XII.

SI Regnum, de quo hic agitur, eſſet Regnũ æternum, ſeu Regnum gloriæ, de quo agitur c. 22. recipienda eſſet opinio Cornelij à Lapide qui pri-
B mam mortem ait præcisè ſumendam eſſe ab inſtanti damnationis animæ immediatè poſt animæ à corpore ſeparationem; ſecundam autem mortem ſumendam eſſe pro eo inſtanti, quo animâ corpori reſtitutâ, homo & in corpore & in anima ſimul in infernum detrudetur; pari ratione primam reſurrectionem fore in eo inſtanti, in quo anima à corpore diuulſa ad Dei viſionem admittitur; ſecundam autem reſurrectionem, cum poſt reſurrectionem corporum, anima & corpus ſimul in ſtatum æternæ beatitudinis inducentur. At cum conſtanter pro certo habendum ſit Regnum, de quo hîc mentio ſit, intelligi de quadam gloria, ſeu
C de quodam honore, quo Ieſus Chriſtus potiri debeat in ſuis Miniſtris, ac fideliſſimis ſeruulis, in tempore, quamdiu Eccleſia militat in terris; hinc & prima mors, & prima ab hac morte reſurrectio conſiderandæ ſunt pro ſtatu vitæ præſentis. Prima igitur reſurrectio erit, poſt peccatum ad gratiam reditus, cum dono perſeuerantiæ: nam hæc reſurrectio talis eſſe debet, vt in eum qui ita reſurrexit, ſecunda mors nullam habeat poteſtatem. Quod dici non poteſt de iis, qui poſt reditum ad gratiam, ruſus ad peccata redeunt. Hæc igitur reſurrectio intelligenda de gratia finali, quæ noſtræ peregrinationis claudat feliciter exitum dono perſeuerantiæ. In his enim, qui ita reſurgunt, ſecunda mors non habet
D poteſtatem. Propterea ſanctus Ioannes de ſedentibus in thronis loquens, non de quibus vis Eccleſiæ Prælatis primario loquitur; aut cum de his loquitur, qui gratiæ diuinæ fiunt participes non de his primariò, qui ad tempus tantùm illius ſunt participes, loquitur; ſed de his Prælatis, qui in exercitio functionum, & miniſteriorum ſuorum, omnes moralium virtutum actus ſibi competentes elicuerunt, in fide, ſpe, & charitate, & vſque ad finem vitæ in gratia perſeuerarunt. Nam cum omnia fiant propter electos, ſi aliquando & mali Prælati, & Chriſtiani Deo ingrati, ad tempus tolerantur; & illius honoris, qui Chriſto in ſeruis ſuis exhibetur in Eccleſia militante, in hoc temporali regno Chriſti fiant par-
E ticipes, hoc fit propter electos, ne ſi fortè eradicarentur ante tempus, eradicaretur fortaſſis cum illis & triticum; quod eorum miniſterio, iuxta occultiſſimam & ſapientiſſimam Dei ordinationem, Deus vtatur ad ſanctificationem & probationem electorum, & executioni demandet ipſorum prædeſtinationem mirabili quadam diſpenſatione. Ad electos igitur & prædeſtinatos præcipuè reſpicit ſanctus Ioannes, ſed accidentario & concomitanter deſcribit ſtatum illorum, qui ad tempus fuerunt ad dignitates Eccleſiæ promoti, vel gratiam adepti, ob præſentem iuſtitiam aut dignitatem quam obtinent: quamuis finaliter ab hoc ſtatu amoueantur, & è numero electorum reſcindantur, pars que eorum ſit tandem reponenda cum hypocritis & peccatoribus terræ.

Digitized by Google

Hæc autem fuit ſancti Auguſtini ſententia in hoc loco mentionem fieri regni temporalis Eccleſiæ. Quod ſanè ſufficeret vt hanc ſententiam adduceremus. Sed præter illius autoritatem, etiam multæ rationes hoc mihi perſuadent. Prima eſt quòd in hoc capite præcipuè tempus durationis Eccleſiæ deſcribitur, quo decurrente, Eccleſia permanere debet in eo ſtatu, in quo à Chriſto fuit fundata & inſtituta. Secunda eſt quòd iſti regno tempus mille annorum præſcribitur. At regnum Eccleſiæ triumphantis perpetuum eſſe debet, de quo dicitur: *Cuius regni non erit finis.* Spatio proinde mille annorum non includendum. Tertia eſt capite 5. fideles ſerui diuinæ maieſtatis ſibi pollicentur aliquod regnum temporale, in his verbis: *Et feciſti nos Deo noſtro Regnum, & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram.* Non mirum igitur ſi huius regni ſtatus deſcribatur, in hoc capite, in quo ſpatium durationis illius regni temporalis, & honor quem accipiunt qui illo regno potiuntur, deſcribantur. Quarta ratio eſt, quòd hic dicitur: *Sed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.* Quod quidem proculdubio intelligi debet de honore & cultu, quem ſacerdotes Deo & Chriſto per ſacrificia temporaliter exhibent. Vnde in cap. 21. & 22. dum Hieruſalem illa cæleſtis, ſeu Eccleſia triumphans deſcribitur, nulla ſacerdotum mentio fit tantum modò dicitur: *Et regnabunt in ſecula ſeculorum.* Confirmatur, quia ibi expreſsè declaratur nullum ibi reperiri templum, quod quidem ſacerdotio correlatiuum eſt. *Et templum*, inquit, *non vidi in ea Dominus enim Deus omnipotens. Templum illius eſt, Et agnus.* Solus Chriſtus ſiquidem ibi ſummus erit ſacerdos, cunctos electos in perpetuum Patri ſuo offerens: Nam vt ait S. Paulus Hebr. 8. *eo quod maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium.* Plurimi quidem nunc requiruntur ſacerdotes, idcirco quod morte prohibentur permanere, & è vita migrantibus ipſiſmet ſacerdotibus, ceſſant eorum miniſteria, ceſſant eorum functiones & officia: nec enim vllam iuriſdictionem aut poteſtatem habent ampliùs in eos, qui ſuperſtites permanent. Ad alium quippe ſtatum & ordinem, ab illo in quo ſumus in hac vita degentes, mortui migrant & tranſeunt. Sed ſi de Chriſto Domino ſummo & vnico ſacerdote loquamur, quia *perpetuum habet ſacerdotium, ſaluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Cum igitur eos de quibus loquitur S. Ioannes in hoc capite, dicat ipſe eſſe Dei & Chriſti ſacerdotes, qua quidem ratione cum Chriſto regnare debent mille annis, hoc abſque dubio tantùm intelligi debet de functionibus, miniſteriis, & operibus meritoriis, quæ exerceri debent in vita præſenti per Dei ſeruos ac miniſtros, & de honore temporali quem ſibi comparant, dum Deo debitum exhibent cultum: quemque recipiunt, donec Eccleſia militans in eo ſtatu & ſplendore permanſerit, in quo poſita eſt, vt Deum in ſe, & in ſeruis ſuis glorificet. Fauet Cornelius à Lapide his quæ de ſacerdotio Chriſti Domini ſupra tetigimus, in locum Pauli, dum ait: *Hinc patet Chriſtum in cælo interpellare & orare pro nobis, idque proprium eſſe Chriſto, vt tanquam Pontifex oret pro nobis. Alij enim ſancti, etiam ij qui in hac vita ſacerdotes fuerunt, orant pro nobis in cælo, non tanquam ſacerdotes, ſed tanquam priuati ſancti & amici Dei: non enim ampliùs funguntur ſacerdotio in cœlis.* Ita Cor.

Quæ cum ita ſint, patet primam reſurrectionem intelligendam eſſe de quadam gratia ſeu de quodam ſpeciali fauore, quo ſancti, quo miniſtri & ſerui Dei fruantur in præſenti vita, non expectatâ animarum à corporibus ſolutione. Siquidem S. Ioannes & vitam qua fruuntur, & Regnum quo potiuntur per ſpatium mille annorum, vocat reſurrectionem primam. *Et vixerunt*, inquit, *& regnauerunt cum Chriſto mille annis: hæc eſt reſurrectio prima.* Ac ſi diceret: Primus honor, quo decorantur qui Deo fideliter ſeruiunt, is eſt, quòd in hac vita filij ſint adoptiui (per gratiam) Dei viuentis, & inſuper quòd in hac præſenti vita in Eccleſia habeantur & agnoſcantur tanquam electi, & à Deo ſummæ maieſtatis ſummopere dilecti. His enim duobus modis exponere poſſumus hanc primam reſurrectionem: Primò, quia à peccati morte ad vitæ gratiam redeant: Secundo, quòd dum viuunt vita iſta corporali, contemptui fuerunt expoſiti, ignominia affecti; poſt mortem corporalem (quia agnoſcuntur ſignis & prodigiis in numerum beatorum eſſe aſcripti) in Eccleſia & congregatione fidelium honoribus afficiantur, dum inuocantur, dum laudantur, veluti qui beatitudinem æternam per immenſos labores fuerint adepti. Sit igitur vita gratiæ, ſit ille honor illis exhibitur prima reſurrectio: ſecunda reſurrectio erit vita gloriæ æternæ, & honor ille quem in æternum obtinebunt in cœlo, in quo ſempiternò viuent, & regnabunt felices, gaudio perenni fruentes.

Quæ vt facilius intelligantur, notandum eſt reſurrectionem includere in ſuo conceptu aliquid viſibile, ſenſibile, & foris apparens: quod etiam dici debet de reſurrectione animarum à morte peccati per gratiam. Sicut enim olim Saluator veritatem reſurrectionis ſuæ corporalis confirmabat apparitionibus, manifeſtationibus, & ſenſibilibus operationibus, quæ percipi poterant ab his qui cum eo conuerſabantur: Ita oportet vt qui ſpiritualiter à peccati morte ad gratiam redeunt, hanc ſuam reſurrectionem operibus ſenſibilibus comprobent, quæ percipi & animaduerti valeant: & tunc eorum reſurrectio manifeſta, fit, & ab omnibus vt vera ſuſcipitur: quo fit vt plurimorum reſurrectio ad gatiam non animaduertatur, quia nulla exhibuerunt ſigna exteriora, quibus certiores poſſimus fieri eos verè à peccatis ſuis reſipuiſſe, & ad vitam gratiæ rediiſſe. At cum S. Ioannes in hac reuelatione agat de iis, quæ ad publicum & viſibilem Eccleſiæ militantis ſtatum pertinent, & de iis quæ in hac Eccleſia viſibili; viſibiliter & ſenſibiliter perficientur; ea verò, quæ occultè in animis & mentibus fiunt, tangat tantummodò in quantum ea manifeſtari debeant exterioribus quibuſdam actionibus; Ideo dum agit de reſurrectione prima, intelligendus eſt de reditu ad gratiam, ſignis exterioribus ſeu operibus viſibilibus notificato. Tria namque requiro in prima reſurrectione: primum, reunionem animæ cum Deo per gratiam & charitatem: ſecundum, quòd hæc reunio ſit indiſſolubilis, nec ampliùs per peccatum diſſoluenda: Tertium, quod fiat oculis hominum patens & manifeſta per opera exteriora. Nam cum reſurrectio iſta debeat eſſe proportionata reſurrectioni Chriſti, quæ exempla fuit noſtræ reſurrectionis ſpiritualis, ideo tria iſta requiro, quæ in Chriſti Domini reſurrectione animaduertuntur: Nam in eâ, anima corpori Chriſti reunita fuit.

Secundò, iſta vnio indiſſolubilis eſt, ad cuius ſimilitudinem noſtra reſurrectio ſpiritalis debet eſſe indiſſolubilis, ad hoc nos exhortante Apoſtolo, Rom. 6. *Scientes*, inquit, *quod Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius.* Tertiò, reſurrectio Chriſti manifeſtata fuit ſignis quam plurimis, iuxta illud Actuum 10. *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die,*

Digitized by Google

& dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.

Hæc autem vltima conditio, nempe reſurrectionis manifeſtatio, etiam in noſtra ſpiritali reſurrectione requiritur. Nam cum Deus cuncta perficiat ad nominis ſui gloriam & exaltationem tam admirabile opus iuſtificationis animarum (à quo tanta obuenit Deo gloria) non agnoſceretur, niſi quibuſdam indiciis viſibilibus, & rei veritatem infallibili quadam ratione manifeſtantibus, fieret manifeſtum: vt Deus de tanto opere laudem & honorem à nobis merito requirat, cum ſignis euidentiſſimis ac certiſſimis ad noſtrem vſque peruenit cognitionem. Ex viſibilibus enim & ſenſibilibus, ad inuiſibilia Dei percipienda excitamur. Cum igitur S. Ioannes loquitur de prima reſurrectione, ſeu de reditu ad gratiam: intelligendus eſt de tali ad gratiam reſurrectione, quæ per manſura ſit per perſeuerantiæ donum; & quæ manifeſtata fuerit Eccleſiæ militanti, per quædam indicia certiſſima, quæ rei veritatem indubitatam fecerint. Et ſic prima reſurrectio erit ad gratiam Dei reditus, cum dono perſeuerantiæ, per indicia certiſſima manifeſtatus. Et ſecunda reſurrectio erit illa animæ cum corpore reunio, in finali reſurrectione, cum manifeſtatione apertiſſima æternæ beatitudinis, qua fruituri ſunt omnes ad quos Chriſtus dicet alta & ſonora voce: *Venite benedicti Patris mei: percipite Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.*

Quem ſenſum habeant iſta verba: Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.

ANNOTAT. XIII.

SI neceſſarium ſit, vt qui viuunt vita gratiæ, ita viuant vt eorum vita manifeſta ſit & agnita, itaut ex ea Deus glorificetur ab hominibus in hac vita degentibus: certe illi proprie dici non poſſunt hac vita gratiæ manifeſtatâ & agnitâ vixiſſe, quorum vita gratiæ incognita omnibus remanſit, & nihil contulit præcipuo fini, cuius gratiâ Deus omnia operatur, nempe vt laudetur, exaltetur, & magnificetur ab hominibus. De his exponenda eſſe arbitror hæc verba: Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni: nempe de quam plurimis fidelibus, quorum ſalus æterna notoria non eſt, & manifeſtata Eccleſiæ, quomodo ſanctorum beatitudo patefacta eſt miraculis & Canonizatione, qua proponuntur omnibus, vt publico ritu inuocari poſſint, & ſecutè ab omnibus imitari. Cæteri autem, quorum vita gratiæ abſcondita eſt cum Chriſto in Deo (quæ tantùm manifeſtabitur in finali reſurrectione, in qua agnoſcentur qui ſint electi & prædeſtinati, quorum beatitudo à Deo non manifeſtatur nunc aut miraculis, aut publica Eccleſiæ autoritate: vnde incerta & dubia remanet) non dicuntur viuere, ſeu reſuſcitari ab illo dedecore quod contraxerunt per peccata, quorum remiſſio remanet dubia; nec viuent hac vita honorifica, donec ſalus eorum in finali iudicio omnibus innoteſcat. At ſancti in hoc magnam gloriam adipiſcuntur; quòd certum ſit & & conſtans apud omnes fideles Eccleſiæ illos iam eſſe beatos, & amicos Dei: qua de cauſa & laudari, & inuocari, & imitari poſſunt. Et reuera tam ſanctis, (quorum ſanctitas eſt notoria) quàm aliis (quorum ſalus eſt adhuc incerta) reſurrectio prima eſt reditus ad gratiam, cum finali perſeuerantia, quia hæc vita non eodem momento fit manifeſta. Ideo hac notificatione beatitudinis viuere non dicuntur

A fideles, quorum incognita eſt iuſtificatio, & in gratia diſceſſus è vita corporali, ſed tantum cum conſummati fuerint mille anni hac vita viuent, cum coram omnibus agnoſcentur eſſe filij Dei, vel hoc fatentibus etiam reprobis, apud ſapientem. *Hi ſunt*, inquient, *quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Sap. 5. In hoc temporis articulo incipient tantùm hoc frui honore, quem iam adepti fuerunt ſancti, quorum vita ſignis & approbatione Eccleſiæ fuerat manifeſtata: in ſpatio illo mille annorum, in quo cum Chriſto hic regnare dicuntur, ſecundam reſurrectionem obtinebunt, cum in corpore & anima, in manſioni-

B bus ſuis collocabuntur in cœlis, pro ratione meritorum: & accipient omnes nomen, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Hac exponendi ratione patet appoſitè S. Ioannem loqui, nec ſermonis ſui filum intercupiſſe, dum inſecuit: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.* Idem enim eſt ac ſi diceret: Vita gratiæ omnium electorum abſcondita eſt ex ſe: ſed quorumdam vita gratiæ etiam in hac præſenti vita mortali, manifeſtatur, cum Deus illam vel miraculis manifeſtat, vel Eccleſiam inſpirat vt illos declaret ſanctos & beatos, & tanquam fideles Dei ſeruos & amicos chariſſimos colat, & honore præcipuo proſequatur. Tales namque per mille annos regnant cum Chri-

C ſto: nam dum vita mortali fruebantur, illis ratione dignitatis & autoritatis honor fuit exhibitus, & illorum mandatis obedientia fuit præſtita; & poſt eorum è vita deceſſum adhuc honoribus afficiuntur: nam inuocantur, vt pote quos omnes agnoſcunt Dei fidiſſimos ſeruos, & amicos chariſſimos. Qua de cauſa cum Chriſto in terris regnant, quandiu Eccleſia in ſuo ſplendore permanſerit. At ſi fiat ſermo de aliis fidelibus & electis, quorum vita gratiæ hoc modo non fuit manifeſtata, quinimo potiùs eorum memoria conſepulta manet cum corporum cineribus, & eorum ſalus incerta & dubia remanſit apud alios in terris viuentes: hi viuere non ſunt dicendi vita ſenſibili, ſeu agnitâ & manifeſtatâ, donec

D in iudicio finali poſt conſummationem mille annorum agnoſcantur eſſe inter filios Dei, & ſortem illorum inter ſanctos eſſe repoſitam.

Quæ quidem agnitio & manifeſtatio eſt prima reſurrectio. Tunc enim eorum ad gratiam reditus vltimam reſurrectionis Chriſti conditionem obtinebit, vt non modò ſit vera & permanens, ſed etiam notoria, & manifeſta. Nec iſti regnare dicuntur cum Chriſto in terris, quia eorum vita gratiæ nihil contulit ad publicum & manifeſtum cultum, honorem, adorationem, & obſequium, quo Deus in Eccleſia colitur, cuius publici cultus præcipuè ratio habetur in hac reuelatione. At hi qui officiis functionibus, ac miniſteriis, & operibus miraculoſis, ea ſanctitate conſpicabili & notoria ad hunc cultum promo-

E uendum plurimùm inſeruierunt, hi cum Chriſto iam regnauerunt in terris. Horum enim reſurrectio ad gratiam plurimum commendat diuinæ potentiæ maieſtatem, quæ in nullo opere magis commendari poteſt, quàm in iuſtificatione, & ſanctificatione animarum, iuxta illud: *Quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Sic igitur vixerunt & regnauerunt cū Chriſto mille annis. Alij autē minimè regnauerunt. Illi regnauerunt quia à priuatione gratiæ ad tam efficacem gratiam redierunt, vt in nouitate vitæ ambulauerint; & nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, perfectè induerint; & manifeſtum factum eſt opera eorum exteriora ex gratia & ſpiritu viuificante Charitatis proceſſiſſe. Non regnant iſti vltimi: qui incer-

rum

Digitized by Google

rum fuit, an hæc opera exteriora, qualia ſunt eorum orationes, ieiunia, Sacramentorum ſuſceptio, fuerint è ſpiritu gratiæ profecta. De quibus certè dixit Apoſtolus, ad Col. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita cum Chriſto in Deo. Cũ enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tũc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*

Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima. In his ſecunda mors non habet poteſtatem ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti: & regnabunt cum illo mille annis.

An de ſolis prædeſtinatis hæc exponi debeant?

ANNOTAT. XIV.

EQVIDEM certum eſt S. Ioannem primariò ad ſanctos reſpicere in gratia perſeuerantes, quorum ſanctitas fuit notoria & conſpicua in Eccleſia militante, & maximè ad Prælatos, qui cum autoritate & dignitate omnibus manifeſta talem ſanctitatem conſpicuam obtinuerunt: Quo fit vt abſque vlla difficultate hæc verba de illis exponi debeant. Attamen fatendum hæc etiam extendi ad eos, qui quamuis in gratia finali non permanſerint, habuerunt tamen dona quædam gratuita, vel quoſdam actus ſecundùm præſentem iuſtitiam ex gratia prodeuntes: quæ dona, & qui actus plurimùm inſeruierunt ad cultum Dei publicum in Eccleſia vel inſtituendum vel promouendum. Igitur vel illos tantùm ſanctos & Prælatos reſpicit S. Ioannes, qui cum gratiâ finali manifeſtatâ dona gratuita obtinuerunt, quibus Dei cultum promouerunt exteriùs; cæteris neglectis, qui vel miniſterium ſuum contemptui habuerunt, aut officia ſua exercuerunt perfunctoriè, & abſque charitate, aut certè à charitate & gratia deciderũt, veluti qui ſeſe hoc modo gerentes obliuioni tradendi ſunt; Et in numerum reproborum rejiciendi; qui obliti, neglecti, deſpecti, iuxta ſcripturam, à ſanctis Doctoribus nuncupantur. Vel ſi ad alios iſta extendas, vt probabile videtur, dicendum eos qui non perſeuerauerunt in gratia, Beatos & ſanctos dici, ſi nomina iſta, *beatus & ſanctus*, largè ſumas pro omni conditione, ſtatu, qualitate, officio, & miniſterio Prælatorum & Paſtorum Eccleſiæ, quorum functiones & miniſteria ad nullum alium finem à Chriſto inſtitutore & autore ordinantur, quàm vt per hæc miniſteria felicitatem æternam per vitæ ſanctimoniam adipiſcamur. Hoc modo vocabulum (*Beatus*) vſurpatur, Pſ. 143. *Beatus populus cuius Dominus, Deus eius.* Nec enim omnes, qui in numero populi huius deputantur, & in loco, in quo Deus cognoſcitur, commorantur, ad beatitudinem æternam peruenturi ſunt: beatus tamen populus, beata gens apud quam viget Dei notitia: facillimum quippe relinquitur vnicuique hac notitia gaudere, & per eam ad ſalutis portum tandem peruenire. In hoc ſenſu, Eccleſiaſt. 48. de iis, qui Eliam viderant olim, dicitur: *Beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt,* Nec enim credibile eſt omnes qui illum viderunt, & qui familiari conſortio eius in vita vſi ſunt, ad beatitudinem æternam perueniſſe, & in numero prædeſtinatorum fuiſſe: ſed quia familiaris cum Elia conuerſatio, ſeu amicitia, plurimùm iuuabat ad pietatem, & ex ea facilè quis diſcere poterat ea, quæ vel ſciri, vel fieri debent, vt quis ſalutem conſequatur; ideo beati dicuntur qui cum illo conuerſabantur, & eius amicitiâ decorabantur. Pari ratione apud Baruch, c. 4. dicitur: *Beati ſumus Iſraël, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.* Et renera Iſraëliticus populus beatus non dicitur, quòd cuncti ſalutem ſint conſecuti,

A ſed quia omnibus peruium erat cognoſcere media, quibus ſalutem conſequi poterant. Simili modo dicimus, illos beatos & ſanctos dici, non modò qui verè beatitudinem conſecuturi ſunt, & in gratiam perſeueraturi ſunt; ſed etiam eos quorum ſtatus & conditio & actio ad hoc deſtinatur, vt eorum curâ, ſollicitudine, operâ, tanquam diuinæ potentiæ inſtrumentis fideles poſſint & beatitudinem, & ſanctitatem acquirere. Quamuis igitur ad ſecundam reſurrectionem non perueniant, habent tamen partem in reſurrectione prima, quia illorum officia & miniſteria ad eam inducendam conducunt. Et in his ſecunda mors non habet poteſtatem, in quantum quidquid infernus euomere poteſt, vt effectus gratiæ impediat, impedire non valebit quominus eorum B miniſterio, qui iuſtificandi ſunt, & ſaluandi non iuſtificentur aut ſaluentur. Hac de cauſa iſti, vt pote miniſtri Eccleſiæ militantis, ratione protectionis diuinæ, de qua hîc mentio fit in ligatione & incarceratione dæmonis, dicuntur hoc fauore à Deo præuenti, vt infernus aut ſecunda mors in eis nullam habeat poteſtatem, qua impedirentur ſua munera officia ad ſalutem conducentia & ſanctitatem feliciter obire; & licèt in numero reproborum tandem ſint deputandi, tamen hoc non impediet quin autoritate ſibi datâ exequantur ea, quæ ad ſalutem fidelium electorum erunt neceſſariò perficienda. Sed, O ter quaterque beati, & verè ſancti, qui verè C à peccati morte ad vitæ gratiam redeuntes, & in ea perſeuerantes, multa mala, diuerſa opprobria, innumeras contumelias ſubire non timuerunt, ſcientes ſe in baptiſmo conſepultos fuiſſe cum Chriſto, vt cum illo vitam crucifixioni eius confirmem tranſigerent: quorum vita ſpiritualis non incognita remanebit, ſed ſaltem in die iudicij manifeſtabitur. Contra iſtos infernus non præualebit, & licèt ingens futurus ſit numerus reproborum, ſaluabuntur nihilominus iſti, & è faucibus inferni eripientur. Tandem multò magis beati & ſancti, quorum vita illa ſupernaturalis, & eminens ſanctitas, in vita præſenti tam fulgidè apparebit, vt ab omnibus agnoſcantur verè ſancti, verè felices, vt Deo coniunctiſſimi. Sic D enim aduerſus eos infernus non præualebit, quominus honore etiam temporali non fruantur. Sicque erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & viuent & regnabunt cum illo mille annis. Deo liberè cultum exhibebunt, operibus manifeſta ratione cælum promerentibus ditabuntur, à fidelibus in hac vita degentibus præcipuis honoribus afficientur, tanquam viua membra Chriſti dominatoris terræ, donec auferatur luna, id eſt, donec Eccleſia militans ad triumphum gloriæ euehatur.

Ex his igitur dico, ſi de electis hunc locum intelligamus, prima reſurrectio erit vita ſancta & ſupernaturalis interior, exterioribus operibus meritoriis gloriæ æternæ teſtata. Secunda autem reſurrectio E erit copioſa illa merces, & gloriæ pondus immenſum, quo anima corpori poſt finalem reſurrectionem ſociata beatificabitur. Et ſicut ſecunda hæc reſurrectio totum compoſitum reſpicit, & totum hominem in corpore & anima glorificat, pari ratione prima includit non modò iuſtificationem præciſè interiorem, per auerſionem à malo, dolorem de illo conceptum, firmum deinceps propoſitum non peccandi, (non ex timore pœnæ, ſed ex amore Dei proficiſcens) & gratiæ infuſionem & ſuſceptionem, ſed etiam includere debet externa quædam opera gloriæ æternæ condigna, quibus Chriſtus in nobis viuere dicitur, iuxta illud S Pauli: *Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt*

& vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Ergo mors operatur in nobis, vita autem in vobis 2. ad Corinth. 4. Qua quidem viuendi ratione vixerunt illi omnes, qui exteriores actiones perfecerunt Eccleſiæ vtiles, vt filios ſuos ad æternam ſalutem perducat. At hi, quorum gratia interior non ita fuit manifeſta, dicuntur non vixiſſe hac ſcilicet vita, quia non apparebunt gratia Dei fuiſſe decoratos, niſi in conſummatione ſeculorum in finali iudicio, in quo iſti & alij, quorum ſanctitas fuit notoria, ſecundam reſurrectionem obtinebunt, dum corpora glorioſa & immortalia reſument in æternum victuri in cælis. Ad quam gloriam obtinendam ius ſibi acquiſierunt per primam reſurrectionem: & in his, reuera ſecunda mors, nempe damnatio æterna, nullam habebit poteſtatem.

Quòd ſi de Prælatis & Sacerdotibus, qui in gratia finali non perſeuerabunt, vel qui etiam Sacras ſuas functiones, & ſancta miniſteria in peccato exiſtentes exercuerunt, hunc locum intelligamus; reſurrectio prima in eis erit eorum promotio & conſecratio ad hæc opera perficienda. Nam cum ſacræ iſtæ functiones ex poteſtate & autoritate ſpirituali & planè diuina procedant, (quæ illis confertur per characterem indelebilem Sacerdotij & Epiſcopatus.) Hæc poteſtas habet ſe ad modum animæ, ſeu ſpiritus gratiæ ſupernaturalis, viuificantis has omnes actiones externas, quibus cooperantur efficaciter reſurrectioni ſpirituali animarum, ſeu earum iuſtificationi: & illæ actiones & functiones ſūt veluti corpus quoddam exterius, notorium & manifeſtum: honor illis exhibitus ratione officij & miniſterij, & obedientia illis præſtanda, erit veluti quædam regnandi ratio cum Chriſto, quandiu durabit Eccleſia. Et quia portæ inferi nunquam poterunt impedire ne iſta ad iuſtificationem electorum neceſſaria exerceantur, ideo de illis dicitur, quod in his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis: quamuis propter peccata propria æternam damnationem incurrere debeant.

Synopſis eorum quæ in hoc capite expoſuimus, ad faciliorem eorumdem perceptionem.

Dicendum igitur ſanctum Michaëlem Eccleſiæ cuſtodem & protectorem, qui olim contra Luciferum inierat prælium in cœlo, contra eumdem adhuc certamen iniiſſe in terra, illum dejiciendo & expellendo ab honoribus diuinis, quos ſibi exhiberi procurabat, ac ſi Deus cæli eſſet habendus; acceptâ à Deo poteſtate relegandi in infernum quemlibet læſæ maieſtatis diuinæ reum, vt in locum ſuppliciis infligendis reis deputatum; acceptâ item à Deo poteſtate impediendi ne inundantes aquæ variarum afflictionum, & vexationum, Eccleſiam militantem obruerent; facultate inſuper illi conceſſâ hauriendi ex inexhauſto fonte diuinæ ſapientiæ determinationes iudiciorum Dei, quas, cum opus fuerit, poſſit notificare eis, ad quos attinet; Denique poteſtate acceptâ refrenandi & comprimendi dæmonis rabiem, ne aliquod in electos Dominium ſibi arrogare audeat, vt pote qui in ſortem & hæreditatem Dei viuentis vocati ſunt. Quo fit vt cogatur peſſimus dæmon latere in tenebroſis ac profundis infidelium cordibus, ſiue in his, qui Deo ingrati propriâ malitiâ impulſi captiuos ſeipſos conſtituunt, & ipſi in ſeipſis præparant domicilium. Cum ſanctiſſimus ille Archangelus, & dux cæleſtis exercitus, accepiſſet à Deo rerum omnium, (quæ in Eccleſia peragi debeant, ab initio ſuæ fundationis, vſque ad conſummationem ſeculorum) ordinem, quem ſemel à

A Chriſto inſtitutum infringere nullus auderet; ad hoc munus fideliter exequendum ſtrenuè ſe accinxit. Hic autem ordo præcipuè in eo conſiſtit, vt ſemper in Eccleſia militante Caput viſibile permaneat, à quo regatur, moderetur, paſcatur, cui hoc priuilegium à Deo fuit conceſſum, vt nihil valeat Eccleſiæ proponere, aut falſi ad credendum, aut mali ad faciendum, cui cura incumbat paſcendi gregem Chriſti, cibo ſpiritualis doctrinæ; cui munus & officium ſit iniunctum confirmandi fratres ſuos in fide. & ſopiendi quotquot emergunt dubia contra ſanam & ſaluberrimam Chriſti doctrinam, quam ipſemet docere dignatus fuerat. Igitur ſancto protectori Eccleſiæ à Deo iniunctum fuit, ne hic ordo
B rectè inſtitutus à Chriſto, aliquo modo peruerteretur, intercideretur, aut turbaretur aſtutia dæmonis, & omnibus modis quibus illum infernus infringere attentabit. Hac de cauſa vt muneri ſibi iniuncto morem gereret cuſtos ille fideliſſimus Eccleſiæ, nunquam dormitans, ſed inceſſanter inuigilans vt iſte ordo Hierarchicus Eccleſiæ (à Chriſto, vt dixi, inſtitutus, ab Apoſtolis executioni demandatus) in columis ſeruaretur: inter alia præcipuam curam adhibuit, ne ſucceſſio legitima ſummorum Pontificum (qui vices Chriſti, vt pote Petri ſucceſſores, gerunt in terris) interrumperetur: eamque puram, & ſanam, & incolumem ſeruans, hac ratione ſatanam tanquam catenâ vinctum alligauit. Nec enim illa
C ceſſit perſecutionibus, nec hæreſibus debilitata fuit, nec ſchiſmatibus perturbata, nec rebellionibus aut interregnis ab hominibus ſuſcitatis interciſa: itaue verum fuerit: quòd inferorum portæ non præualebunt aduerſus eam. Et hac ratione nec draconis rabies, nec ſerpentis aſtutiæ, nec calumniatoris mendacia, nec ſatanæ contradictiones impedire potuerunt ne Chriſtus Dominus cum ſanctis ſuis glorioſè ſuper terram regnauerit, donec illis conferat regnum cœlorum. Nam poteſtas data Eccleſiæ, qua eum ignominioſè expellere poteſt, & exturbare è ſedibus ſuis, & à corporibus & cordibus fidelium: poteſtas, qua etiam poteſt de omnibus dubiis decidere, & infallibiliter quænam ſint vera fidelibus pro-
D ponere: ſanctitas plurimorum eminens, & Paſtorum Eccleſiæ ſacra & ſanctiſſima miniſteria: & denique poteſtas, qua poteſt à ſe ſe parare, & à corpore ſuo reſcindere quidquid alia membra inficere aut corrumpere pollet, & ordinem iſtum adeo ſanctè inſtitutum peruertere aut diuinum cultum retardare: funiculum, non triplicem difficilè rumpendum, ſed quadruplicem conficiunt, quo tanquam catenâ fortiſſimâ ligatur, ne liberè rabiem exerceat, aſtutias impendat, mendacia ſuggerat ad ſeductionem, aut aliquid obtineat quo fidelibus noceat. In his tantùm habet poteſtatem, qui voluntariè ſe illi ſubmittunt. Et inſuper potentiſſimè protruditur in inferni abyſſum. Confunditur ſapientiæ diuinæ altiſ-
E ſimis iudiciis, nihil dicere habens, cum ei opponitur quàm ſyncerè homines à Deo diligantur, qua dilectione impulſus proprium filium morti tradere non dubitauit, vt illis miſericordiam & veniam præſtaret, & eorum fragilitati conſuleret, ac compateretur. Solos reprobos poſſidet. In his clauſus tanquam in abyſſis remanere cogitur, & obſignatâ clauſurâ ab eis egredi non licebit, vt aliquid agat quo alterare aut impedire poſſit pulcherrimum illum ordinem Monarchici ſtatus Eccleſiæ, qui integer permanebit quamdiu Deus voluerit, offuſcabitur tamen cum Deus ſatanæ permanſerit ſuam exercere malitiam. Interim non ei licebit aliquid moliri, quod illum ordinem inuertat. Nam veritas & infallibilitas verbi diuini, & promiſſionum Dei ſunt veluti quoddam ſignaculum potentiſſimi & ſupremi moderato-

Digitized by Google

tis, & Monarchæ vniuerſi: qua de cauſa nullus poteſt ei facultatem aut permiſſionem concedere exercendi quidquid mali perficere appeteret.

Hinc non ita poterit ſeducere gentes, quin plurimi iugo Chriſti ſubdantur, & eius mandatis obediant, quin imo illius Regnum & Imperium tandiu ſuper terram dominabitur, quoaduſque perfectè cognoſcatur, colatur, adoretur per vniuerſas orbis partes, & quoaduſque Euangelium ad hunc finem vbique prædicatum fuerit, percurrente ſole illo iuſtitiæ totum mundum per mille reuolutiones, donec opus ſuum ad perfectum adduxerit. Proinde Prælati Eccleſiæ, non obſtantibus cunctis oppoſitionibus & contradictionibus, ſedebunt in ſedibus ſuis, & liberè exercebunt omnes ſuas ſacras functiones, & ſancta miniſteria: quin etiam diuini honoris zelatores autoritatem, & poteſtatem habebunt, cultum diuinum inter homines promouendi, Dei obſequio conſtanter inſiſtentes firmi & ſtabiles, ac ſi ſederent in thronis, in ſanctitate quam à Deo dono ſuſceperunt. Non mirum igitur, ſi tam Prælati, quàm ſancti cultum Dei promouentes, in vita & poſt mortem honore afficiantur à fidelibus: non mirum ſi eos regnare dicimus in Eccleſia cum Chriſto, quamdiu Eccleſia perdurabit in hoc mundo, dum eis obedientia præſtatur, dum eis honor exhibetur à fidelibus, ſiue quia fideliter munia ſua, & officia adminiſtrarunt; ſiue quia hoc promeruerunt, vel ratione dignitatis, Martyrij, vel ratione eminentis cuiuſdam ſanctitatis, ſeu vitæ puriſſimæ & immaculatæ, ab omnibus mundanis moribus, legibus & actionibus aliena: Vnde nomen & memoria eorum minime deperditur poſt illorum mortem, propter certitudinem æternæ fælicitatis ipſorum. Qua de cauſa honorantur, inuocantur in omnibus locis, in quibus eorum memoria præcipuè colitur: vel certè vbi eorum cineres requieſcunt. Et hoc modo aſſerimus illos viuere & regnare cum Chriſto.

Si autem de vita corporis eorum verba faciamus, verum eſt illam non eſſe adepturos, donec finis & conſummatio ſeculorum aduenerit, & tunc boni & mali reſurgent. Tunc etiam certitudo felicitatis æternæ plurimorum Chriſtianorum habebitur, quorum ſalus nunc incerta eſt apud nos. Nam tunc tantùm manifeſtabitur cunctis hominibus, apud quos nunc non viuunt, ſicuti viuunt plurimi ſancti & fideles ſerui diuinæ maieſtatis, quorum ſanctitas tum innotuit ſignis & miraculis, & à cunctis fidelibus nunc agnoſcitur, & palam & apertè prædicatur, quorum etiam actiones laudantur, & approbantur à cunctis, in quibus actionibus cognitis conſiſtit prima illa reſurrectio. Beatus igitur qui ſanctus & irreprehenſibilis habebit partem in reſurrectione prima, quia in eo ſecunda mors non habet poteſtatem. Etenim ſi ipſe iuſtificationem propriam obtinuerit, cum ei mori contigerit, à damnatione æterna liberabitur. Quòd ſi contentus fuerit aliorum ſaluti conſulere per exercitia functionum & miniſteriorum ſuorum, in hoc tamen beatus dici poteſt & ſanctus, quòd inſeruierit aliis vt beatitudinem & ſanctificationem animarum ſuarum conſequerentur quam ſanctificationem electorum nec infernus impedire potuit, Deo ita omnia diſponente, vt quidquid neceſſarium eſt ad regni ſui conſeruationem & fulcimentum, & ad ſalutem electorum, efficaciter perficiatur. Et hac ratione vbi ſancti & fideles omnes actiones ſuas meritorias ſibimetipſis reddunt, dum illas in charitate perficiunt, ſicque cum Chriſto regnant in terris in æternum cum eo regnaturi in cœlis; iſti ſaltem Deo publicè & apertè cultum, & obſequium exhibuerunt, quo ab hominibus illos ſuas functiones exercere cernentibus honore afficiuntur, quia Chriſti perſonam gerunt in terris, & propter ſanctitatem & vtilitate miniſterij ſui.

Ecce ſtatus & modus in quo perdurabit Eccleſia, quamdiu Deus Opt. Maximus voluerit hunc ordinem à ſe inſtitutum firmum permanere in ſuo ſplendore & vigore: detrimentum tamen patietur ſplendoris, cum Deus permiſerit ſatanæ vt affligat Eccleſiam. Nam ille ſplendor externus aliquo modo offuſcabitur, ablata facultate Deum publico ritu, ac publicis ſacrificiis colendi. Redditur tamen citò priſtinus ſplendor, & transformabitur Eccleſia de claritate in claritatem, donec ad æternam felicitatem perueniat, in qua videbitur Deus deorum in Sion, & in corpore & in anima omnis Eccleſia iuſtorum ſumma pace potietur in æternum.

Et cum conſummati fuerint mille anni.

De ſeculorum conſummatione.

ANNOTAT. XV.

IN duobus huius Prophetiæ capitibus ſanctus Ioannes declarat ea, quæ euentura ſunt in conſummatione ſeculorum; nempe in vndecimo capite, & in præſenti capite 20. In vndecimo docuit quantis fauoribus tunc temporis Deus Eccleſiam proſequuturus ſit, quantas in eam effundet gratiarum profuſiones, dum eius virtus & ſanctitas tantò magis elucebit, quantò maior quàm vnquam fuerit contra eam excitata perſecutio, dum de hoſtibus victoriam reportabit, & complementum ac perfectionem exoptatam Regnum Chriſti obtinebit in terris. Quod quidem conteret omnia regna vt in perpetuum ſtare valeat, & ſuam vltimam conſummationem in æterna gloria poſſidere, iuxta illud Danielis c. 7. *Et iudicium ſedebit, vt auferetur potentia, & conteretur, & diſpereat vſque in finem. Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum ſempiternum: & omnes reges ſeruient & obedient.* Etenim abſque dubio hæc intelligenda non ſunt de his, quæ in futuro ſeculo poſt finale iudicium euentura ſunt. Tunc enim in terris nullum erit regnum populo Dei dandum, nec in terra reperientur Reges, ſeu ſubter cælum, qui ei obedire ac ſeruire cogantur. Hæc igitur in capite vndecimo deſcribuntur. In hoc verò capite 20. declarat S. Ioannes in quas anguſtias redigetur Eccleſia militans in fine ſui certaminis, & quomodo ab omni anguſtia & oppreſſione eruetur, Deo de illius hoſtibus innumeris vindictam ſumente: qui tandem operi prouidentiæ ſuæ vltimam manum imponens, ſedebit vt iudicet omnes, & vnicuique det ſecundum opera ſua. Itaque ex duobus his capitibus inter ſe collatis eruere poſſumus ſeriem omnium quæ euentura ſunt in vltimis temporibus, ſi ea hoc modo contexamus, ſumentes verſum 7. & 8. capitis vigeſimi, & ad primum verſum capitis vndecimi redeuntes vſque ad decimum tertium incluſiuè: deinde verſum nonum capitis vigeſimi connectè ad decimum quartum capitis vndecimi rediens vſque ad decimum nonum & vltimum capitis vndecimi: quibus adde ea quæ deſcribuntur in capite vigeſimo, à duodecimo verſu nempe ad finem vſque: habebis, ni fallor, optimam rerum omnium, quæ euentura ſunt in vltimis temporibus, ſeriem.

In hac connexione & ordinatione verſuum horum duorum capitum, (quæ ſibi inuicem ſuppetias ferunt, vt ob oculos nobis proponant quæ euentura ſunt in conſummatione ſeculorum) caput vndecimum vim & efficaciam gratiæ & protectionis

Digitized by Google

diuinæ deſcribit, quâ præuenta Eccleſia percipietur quantum a Deo diligatur, dum eam probat igne tribulationum.

Dum per vmbras ignominiarum & humiliationum, ſplendorem emicantiorem illi confert, dum illam exhibet regnum abſolutiſſimum & perfectiſſimum dilectiſſimi filij ſui.

Quantum autem ad caput vigeſimum, in eo cernitur ad quantam extremitatem ſeu anguſtiam tandem Eccleſia redigenda ſit: necnon quale & quantum erit ſupplicium. quo Deus afficiet eos qui illam ad tales anguſtias redigere auſi ſunt, vt ſponſo ſuo fidelitatis ſuæ teſtimonia liberè & patenter exercere non valeat. Iuxta ea quæ alibi diximus, Prophetiam iſtam ſupra duos veluti polos volui.

Vnus eſt vt deſcribat quidquid Deus in Eccleſiæ fauorem perficit: alius autem vt proponat quid Eccleſiæ tolerandum ſit ab inimicis Chriſti; & quid ipſa operetur, vt reciproca quadam dilectione, dilectioni ſponſi ſui reſpondeat, dicente ipſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Conſummatis igitur mille annis, ecce hic deſcribitur quomodo ad illas anguſtias redigenda ſit: *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo: & exibit, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog: & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam.* At relinquet ne illam Deus in extremis agentem? Non proculdubio: Dominus adiutor fortis, vt patet ex his quæ dicuntur in capite vndecimo, in quo deſcribuntur fauores, quibus Deus Eccleſiæ opitulatur in tempore perſecutionum, & opitulaturus eſt præcipuè in perſecutione Anti Chriſti, quæ maior erit omnibus quæ illam præceſſerunt.

Primus fauor magni habendus eſt, quòd quamuis afflictiones maximæ futuræ ſint, & vehementiores ingruant tentationes, tamen minimè ſuperabunt fortitudinem & conſtantiam eorum, qui ad vitam præordinati ſunt. Quod quidem nobis ſub ænigmate proponit S. Ioannes, in cap. 11. dum agit de menſuratione templi & altaris, & de prohibitione facta metiendi atrium quod eſt foris templum: hoc enim ænigmate docet eos tantùm eſſe ſeducendos ab Anti-Chriſto ſeu ſatana, qui Eccleſiæ tantùm adhærent forinſecus, & ſpecie tenus; nec Chriſto erunt conglutinati charitate & fidei ſynceritate, electos verò qui templum & altari ſunt, non eſſe calcandos & ſuperandos.

Secundus fauor exprimitur ſub ænigmate duorum teſtium, ſeu potiùs ſub perſonis Enoch & Eliæ, qui futuri ſunt duo teſtes. In his ſiquidem percipietur quanta ſit diuini verbi vis & efficacia, & quantus futurus ſit ſplendor ſanctitatis, in his quos Deus præordinat, vt illorum miniſterio veritatem omnipotentis nominis ſui tueatur Et quamuis immoderatæ hominum paſſiones eos ad tantam cæcitatem adducant, & mentem illorum ita obumbrent, vt tam fideles veritatis teſtes (qui verbo & exemplo veritatem ſibi amplectendam pie & ſanctè illis proponebant) interficiant, & de illorum nece plurimam concipiant lætitiam, quòd illis interfectis non habeant à quibus reprehendantur iudicentur, arguantur; tamen omnia tandem cedent in gloriam fidelium ſeruorum Dei, & in confuſionem hoſtium honoris diuini nominis. Plures enim hoſtium, qui præordinati erunt ad vitam, ad fidem conuertentur, & pœnitentiam agent, perſpicientes tot prodigia teſtium veritatis, & glorioſam præcipuè eorum reſurrectionem.

Hæc deſcribit S. Ioannes à v. 3. Vndecimi capitis, vſque ad decimum tertium. Et quia non videtur rationi conſonum, vt hi qui obſtinati conuerti noluerunt, impuniti remaneant, iam in capite vigeſimo videmus quo ſupplicio plectendi ſunt. *Et deſcendit,* inquit, *ignis à Deo, & deuorauit eos.* Hac autē Eccleſiæ oppreſſione & anguſtiâ manifeſtabitur, quanta mala poſt ſe trahant ſchiſmata & hæreſes, apoſtaſia & infidelitas hominum; ſicuti è contra apparebit ex proſtratione hoſtium quam glorioſa futura ſit Eccleſiæ inimicis reportata victoria. Hinc de primo ait S. Ioannes: *Væ ſecundum abiit, & ecce væ tertium citò veniet.* Probabiliſſimum quippe eſt tempus iſtud proſperitatis Eccleſiæ non fore diuturnum, & iudicium extremum poſt Anti-Chriſti mortem citò futurum. Quidquid ſit de ſecundo, ait S. Ioannes c. 11. *Et ſeptimus Angelus tubâ cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius: Et regnabunt in ſecula ſeculorum.* Et ſi qui ad Deum tunc conuerti noluerint, veluti reprobi, quamuis tot ſenſibilia & viſibilia prodigia viderint, & Anti-Chriſtum ipſum contritum, & verbo diuino tanquam fulmine tactum periiſſe perſpexerint, cum ſuis aſſeclis & præcipuis fautoribus, ſola eis iracundia, & indignatio ſuper erit: nihil contra Chriſti regnum facere aut dicere valebunt. *Et iratæ,* inquit, *ſunt gentes* Qua de cauſa Deus contra eos iraſcetur. Vnde additur: *Et aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis: & exterminandi eos qui corruperunt terram.* Interim Deus cognoſcetur à cæteris electis, & Chriſtus Deus & homo à cunctis timebitur. Apertum erit Templum Dei in cælo, id eſt, publicè in Eccleſia Deus adorabitur; & videbitur arca teſtamenti, nempe ſacro ſancta Euchariſtia, in templo eius. Multa opera admiranda, opera pietatis, & iuſtitiæ ſanctorum manifeſtabuntur, quæ tanquam fulgura ſplendorem emittent. Audientur voces laudis ex eorum ore reſonantes. Magna erit rerum immutatio in vniuerſis orbis partibus, nec reprobis obſtinatis deerunt ſupplicia, quibus etiam in hac vita eorum pertinacitas punietur. *Et factæ ſunt fulgura & voces, & terræ motus, & grando magna.* c. 11.

Et hac ratione completis, & ad perfectum adductis operibus miſericordiæ & iuſtitiæ diuinæ, (quæ Deus producere voluit, ad ſui nominis manifeſtationem, in opere gubernationis mundi) tempus eſt vt operi prouidentiæ vltimum manum imponat. Quod quidem præſtabit, congregando omnes gentes ante tribunal ſuum, vt det vnicuique ſecundum opera ſua, ſeu prout geſſerit in corpore. Conſummatio enim & perfectio vniuerſi erit in præmiatione bonorum, & punitione malorum: cuius iudicij deſcriptionem habemus in hoc capite vigeſimo, vt poſtea videbimus.

De conſummatione mille annorum.

ANNOTAT. XVI.

ISTORVM annorum mille germanus ſenſus reponendus proculdubio inter veritates, quas ſanctus Epiphanius dicit in Apocalypſi reconditas, quæ altiorem habent intelligentiam quàm prima fronte appareat. *Cæterum,* inquit S. Epiphanius, hæreſi 77. Dimaritarum, *de hoc millenario tempore, alicubi, hoc eſt, in Ioannis Apocalypſi mentionem fieri, & cum librum à pluriſque inter Canonicos recipi, religioſi homines non ignorant. Verum ita complures, ij denique pij, ac ſpiritalium rerum periti in illius lectione verſantur, vt quæ in ipſo ſpiritalem ſenſum continent accipientes, vera illa quidem, ſed altiori quadam intelligentia explicata fateantur.*

Nam non illud ſolum de quo agitur, ſed & alia permulta profundioribus ſententiis enarrantur. Ita Epiphanius. Et reuera, ſi obſcuritas quædam inuoluat omnia, quæ in hac Prophetia ſub ænigmatibus reconduntur, certè difficile eſt eruere veritates, quæ ſub iſtis terminus mille annorum abſconduntur, quo ſpatio temporis metiri debet duratio Regni Chriſti in terris; itaut intercidi aut interrumpi nequeat, ſiue aſtutia ſerpentis antiqui, ſiue vi ac violentia dæmonis. Et vt verum fateamur, difficillimè deſignari poteſt Epocha temporis, à qua incipiendi ſunt illi anni: ſiue deſignari præciſè tempus, in quo ſunt finiendi; nec facile eſt aſſerere vtrum ad literam, pro annis ſolaribus, ſeu reuolutionibus viſibilis huius ſolis ſint intelligendi, an vero myſticè exponendi, & ſpiritualiter accipiendi: ſicut neceſſario duodecim menſes veniunt exponendi in vltimo capite huius Prophetiæ.

Hinc quidam illos incipiunt ab inſtanti paſſionis Saluatoris, & in Anti-Chriſto deſinere volunt. Alij eos incipere aſſerunt à tempore Conſtantini Magni, alij poſtea, alij à morte Anti-Chriſti, alij poſt diem iudicij. Quidam præciſè illos finiri volunt, ſtatim atque Anti-Chriſtus aduenerit, ſi habeatur ratio ligationis, & incarcerationis ſatanæ, ac liberationis & ſolutionis à carcere & vinculis. Alij finiri volunt, cum corpora mortuorum reſurgent, rationem habentes ad ea quæ dicuntur de ſanctorum animabus, quæ regnare debent cum Chriſto in reſurrectione prima, per ſpatium mille annorum. Alij mille iſtos annos duplicant, & duo mille annos computant futuros ab aduentu Domini, vſque ad ſeculorum conſummationem; ac ſi mille eſſent computanda pro ligatione, & incarceratione ſatanæ, & mille pro regno ſanctorum. Ex quibus cernere licet quanta ſit difficultas inueniendi myſteria, quæ in his verbis reconduntur. Sed quædam certa ſunt, quæ conſtanter tenenda, vt veriſſima. Primum eſt, hos mille annos non eſſe duplicandos, ſicque regnum ſanctorum & alligationem ſatanæ ad idem tempus mille annorum pertinere: Itaut & regnum ſanctorum, de quo hîc agitur, & alligatio ſatanæ, ad idem tempus mille annorum pertineat, itaut & regnum ſanctorum, & vinculum diaboli ſimul ceſſatura ſint. Quod ex textu facile eſt coniicere. Nam cum dixiſſet: *Sacerdotes Dei & Chriſti regnabunt cum illo mille annis:* adiecit: *Et cum finiti fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de cuſtodia ſua. Iſto enim modo,* inquit S. Aug. l. 20. de ciuit. c. 13. *& regnum ſanctorum, & vinculum diaboli ſimul ceſſatura eſſe ſignificat.*

At ibidem obiicit ſibi S. Auguſtinus: *Si tres annos cum dimidio non pertinent, ad mille annos, cogemur fateri ſanctos in illa perſecutione, regnaturos non eſſe cum Chriſto. At hoc abſurdiſſimum eſt, & omnino aduerſandum, tum quia nullus audeat dicere tunc cum illo non regnatura ſua membra, quando ei maximè atque fortiſſimè cohærebunt, & quo tempore quanto erit acrior impetus belli, tantò maior gloria non cedendi, tantò denſior corona martyrij,* inquit S. Aug. *tum quia,* vt ipſe addit, *ſi propter tribulationes, quas paſſuri ſunt, non dicendi ſunt regnaturi: conſequens erit vt etiam ſuperioribus diebus in eiſdem mille annis, quicumque tribulabantur ſanctorum, eo ipſo tempore tribulationis ſuæ cum Chriſto non regnaſſe dicantur, quod (vt dixi) abſurdiſſimum eſt: & fatendum ſit quod animæ victrices glorioſiſſimorum Martyrum, omnibus doloribus ac laboribus ſuperatis atque finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerunt, cum Chriſto vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt poſtea receptis etiam corporibus iam immortalibus regnent. Proinde tribus illis annis atque dimidio, animæ occiſorum pro eius Martyrio, & quæ antea de corporibus exierunt, & quæ ipſa nouiſſima perſecutione ſunt exituræ, regnabunt cum illo, donec finiatur mortale ſeculum, & ad illud regnum (vbi mors non erit) tranſeatur.* A *Quocirca,* addit Auguſtinus, *cum Chriſto regnantium ſanctorum plures anni erunt, quam vinculi diaboli & cuſtodiæ, quia illi cum ſuo Rege Dei filio (iam diabolo non ligato) etiam per tres illos annos ac ſemiſſem regnabunt.* Reſpondet S. Auguſtinus duobus modis. Primò, non eſſe intelligendum regni ſanctorum annos finiri, cum dicitur: *Et cum finiti fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de cuſtodia ſua;* ſed vinculi diaboli, atque cuſtodiæ, itaut annos mille, id eſt, annos omnes ſuos quæque pars habeat diuerſis ac propriis prolixitatibus finiendos, ampliore ſanctorum Regno, breuiore diaboli vinculo.

Secundo: reſpondet, quoniam trium annorum B & ſex menſium breuiſſimum ſpatium eſt, computari noluiſſe ſanctus Ioannes credatur, ſiue quod minus ſatanæ vinculum, ſiue quod amplius videtur Regnum habere ſanctorum.

Sed certè iuxta noſtram expoſitionem facilis & plana eſt reſponſio, & ligationem diaboli & regnum Chriſti totos illos mille annos percurrere ſimul quia regnum iſtud non ſumimus, vel pro illa potentiſſima dominatione Creatoris cæli & terræ, qua omnibus rebus creatis dominatur, qua cunctæ res materiales & immateriales illi ſubduntur, qua ab eo omnes Hierarchiæ Angelicæ & humanæ reguntur & moderantur, qua nationibus cunctis reges & moderatores pro velle ſuo conſtituit, dicen- C te de ſe ſapientia diuina: *Per me reges regnant, per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Nec etiam illud regnum ſumimus pro regno illo cæleſtis gloriæ, vbi nulla ſunt ſcandala, ad quod nullus immundis & coinquinatis datur acceſſus, à quo mali omnes excludantur, & admittantur tantùm qui dicunt & faciunt: de quo Regno loquetur Chriſtus in iudicio, dum ad electos conuerſus dicit: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Nec denique illud regnum ſumimus pro regno illo gratiæ interioris viatorum, de quo Apoſtolus dixit: *Regnum Dei intra vos eſt;* & de quo S. Auguſtin. lib. 20. de ciuit. c. 9. *Regnant enim cum illo, qui faciunt quod Apoſtolus ait: Si conſurrexiſtis cum* D *Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram; de qualibus item dicit quòd eorum conuerſatio ſit in cælis.* Sed hoc regnum Chriſti (quod ſimul currit per mille annos, cum ligatione & incarceratione ſatanæ) eſt Monarchia iſta viſibilis Eccleſiæ, quæ tanquam acies caſtrorum benè ordinata contra inſultus dæmonum dimicare non ceſſat: vbi ambo ſunt, & ille ſcilicet qui ſoluit quod docet, & ille qui facit: De hoc regno militiæ, in quo adhuc cum hoſte confligitur, & aliquando repugnatur, repugnantibus vitiis, aliquando cedentibus, imperatur; donec veniatur ad aliud pacatiſſimum regnum vbi ſine hoſte regnabitur, vt loquitur S. Auguſtin. De E hoc, inquam, Regno, in quantum in eo cernitur quidam publicus colendi Deum ritus, in quo liberè & palam nomen Dei prædicatur, & laudibus extollitur, (in quo ſancti ſuper ſedes nunc ſedent, quia prælati ſuper ſubditos iuſtam prælationem exercent, vt ait Richardus à S. Victore, lib. 6. in Apocalypſ. c. 7.) hunc locum intelligimus: cuius ſplendor, & maieſtas per mille annos perdurabit, quibus conſummatis ſoluetur ad breue tempus ſatanas, qui publicum hunc ritum perturbabit, & ſplendorem iſtum offuſcare nitetur, iuxta Danielis Prophetiam c. 7. *Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret: & putabit quod poſſit mutare tempora, & leges. Et tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Ita Daniel. Non enim putandum eſt Eccleſiam deſituram Anti,

Chriſti perſecutione. Permanebit tanquam petra A duriſſima contra ingruentes fluctus: ſed quia ita opprimetur, vt non poſſit liberè exercere patenter & manifeſtè ſua officia & munia, durante Anti-Chriſti perſecutione, ideo finiri dicuntur anni mille ſplendoris dominationis ſuæ, quamuis non finiatur ius & poteſtas regnandi in ea: & finita dicitur incarceratio & ligatio ſatanæ, quia quod non potuit acerbis Iudæorum in Chriſtianos odiis, quod non valuit perſecutionibus Imperatorum Romanorum, diſceptationibus hæreticorum, diſciſſionibus ſchiſmaticorum impedire, nempe publicum Chriſti regnum viſibile in Paſtoribus & ſubditis, hoc quoad exercitium impediet, obſeſſis vndique caſtris ſanctorum, circumuallata ciuitate dilecta, in qua ſummus Pontifex erit recluſus, & vbique terrarum interdictus vſus ſacrorum omnium, itaut nemini liceat publicè baptizari aut baptizare, confirmari aut confirmare, ſacrificare, leges Eccleſiæ promulgare, Chriſti doctrinam prædicare; Sacerdotes, Epiſcopos, altaria conſecrare, virgines benedicere, vota emittere ſolemnia. Quòd ſi quis vnam iſtorum perficere voluerit, ſciat citò in ius ſe eſſe vocandum, & ante præſides Anti-Chriſti adducendum, pœnas indubitanter luiturum publicæ ſuæ confeſſionis nominis Chriſtiani. Ad hoc enim ſoluetur ſatanas, vt Conſtantiam ſanctorum, qui tunc erunt Chriſtum confitentes, probatiorem tormentis ac vexationibus reddat.

Secundò certum eſſe exiſtimo illos annos eſſe incipiendos à miſſione Spiritus ſancti: ſtatim enim apparuit quanta futura eſſet Eccleſiæ autoritas, in prædicatione verbi, in Sacramentorum adminiſtratione, in Paſtorum regimine, vt patet ex actibus Apoſtolorum c. 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis*, &c. Et c. 4. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Quanta autem autoritate omnia gubernarent, & de omnibus diſponerent, patet ex facto Petri circa Ananiam & Sapiram c. 5. quibus occiſis propterea quòd mentiti fuerant Spiritui ſancto, *factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt hæc. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus.* Videſne Eccleſiæ maieſtatem naſcentem, & radios ſplendoris ſui iam iam emittentem?

Quòd ſi poſtea multis fuerit vexata tentationibus, tamen totum orbem tandem maieſtate ſua repleuit. E Cuius maieſtatis fulgor videbitur ab eo tempore, vſque ad tyrannicam Anti-Chriſti oppreſſionem: qui illam, (extollendo ſe ſupra id omne quod dicitur Deus) offuſcare conabitur, ſoluto, vt dictum eſt, ſatana à vinculis.

Quidquid ſit, verum eſt quod de Ioannis volumine dixit olim S. Hieron. in 38. Ezechielis: *Non intelligentes totum volumen Ioannis, quod reuelationis titulo prænotatur, eſſe myſticum: & reuelatione nos indigere, vt poſſimus cum Propheta dicere. Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Ita Hier.

Et ita difficillimum eſt diſcernere an de annuis ſolis huius viſibilis reuolutionibus hic locus ſit intelligendus, an verò de myſticis ſolis iuſtitiæ inter ſeptem candelabra aurea deambulantis.

Soluetur ſatanas de carcere ſuo. Et exibit: & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ.

ANNOTAT. XVII.

DE iſta ſolutione agit S. Auguſtinus 20. de ciuit c. 8. *Alligatio*, inquit, *diaboli, eſt non permitti exercere totam tentationem, quam poteſt, vel vi vel dolo, ad ſeducendos homines, in partem ſuam cogendo violenter, fraudulenterue fallendo. Quod ſi permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult: & fideles* B *deiiceret, & ne crederent impediret. Quod ne faceret alligatus eſt: tunc autem, & ſoluetur, quando & breue tempus erit: nam tribus annis & ſex menſibus legitur totis ſuis ſuorumque viribus ſæuiturus. Et tales erunt, cum quibus ei belligerandum eſt, vt vinci tanto eius impetu, inſidiiſque non poſſint.* It Auguſtinus. Solutio igitur diaboli eſt permiſſio ſæuiendi, quantum poteſt, apertè. Quod etiam placuit Primaſio in hunc locum; *Ad hoc ergo tunc ſeducit, vt eos in bellum trahat: nam & antea modis, quibus poterat, per mala multa, & varia ſeducebat. Exiuit autem, dictum eſt in apertam perſecutionem: de lateribus erumpet, odiorum nouiſſima perſecutione, &c.* Ita Primaſ.

Ita etiam Rupertus: *Soluetur, & exibit. Id eſt:* C *permiſſo vtetur, & publicam vbique terrarum perſecutionem in Chriſtianos excitabit. Et ſeducet omnes gentes, electis vtique exceptis: quia fieri non poterit vt in errorem inducantur electi. Hoc enim & ſuperiùs expreſſum eſt his verbis: Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, à conſtitutione mundi. Gentes ergo, id eſt, gentiliter viuentes, qua nimirum appellatione omnes qui Chriſti ſunt reputantur ſuperiores.* Ita Rupert. Et in hæc verba: *Poſthac oportet illum ſolui modico tempore. Solutio*, inquit Rupertus, *draconis, ſiue ſerpentis antiqui, diaboli, aduentus erit Anti-Chriſti. Tunc enim in illo perditionis filio veraciter ſolutus veniet diabolus, cuius tanta taliſque in Chriſti ſeruos erit perſecutio, vt non qualecumque iuſtitiæ verbum, ſed ipſum nomen Chriſtianum,* D *ne confiteri audeant illis interdicetur.* Hæc Rup.

S. Thomas: *Soluetur ſatanas, id eſt, laxabitur ei poteſtas. Soluetur, inquam, de carcere ſuo, id eſt, de cordibus reproborum, in quibus ligatus eſt, quaſi in carcere, ne ab eis & per eos irrumpat quantum vellet. Vnde Gregorius in Gregoriano: Tempore Anti-Chriſti, de iniquorum cordibus nunc occultè ſæuientibus, eductus procedet: & tunc accepta poteſtate contra Eccleſiam in vim apertè perſecutionis erumpet. Et ſolutus exibit, ſcilicet in apertam & crudelem perſecutionem. Et ſeducet, id eſt, ſeorſum ducendo à Chriſto: decipiet gentes gentiliter & impiè viuentes, in quatuor partibus mundi.* Ita S. Thom.

Quo fine permittet Deus ſolui ſatanam, vt totis viribus Eccleſiam vexare valeat?

ANNOTAT. XVIII.

SI, inquit S. Auguſtinus lib. 20. de ciuit. c. 8. *nunquam ſolueretur: minùs appareret eius maligna potentia, minùs ſanctæ ciuitatis fideliſſima patientia probaretur, minùs denique perſpiceretur, quàm magno eius malo tam benè fuerit vſus omnipotens Deus, qui eam nec omnino abſtulit à tentatione ſanctorum, quamuis ab eorum interioribus omnibus, vbi in Deum creditur foras miſſum, vt forinſecus eius oppugnatione proficerent, & in eis qui ſunt ex parte ipſius alligauit: ne quantum poſſet effundendo, & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos (ex quibus Eccleſiam multiplicari & impleri oportebat) alios credituros, alios iam credentes, à fide pietatis hos deterreret, hos*

Digitized by Google

frangeret. Et ſoluetur in fine, vt quàm fortem aduerſarium Dei ciuitas ſuperauerit, cum ingenti gloria ſui Redemptoris, adiutoris, liberatoris, aſpiciat. Ita Auguſtinus. Ad oſtendendam igitur ſatanæ potentiam, Eccleſiæ patientiam, ſummam Dei bonitatem, & ſapientiam bona è malis elicientem, & facientem cum tentatione prouentum in electis, & ad gloriam redemptoris, adiutoris, & liberatoris oſtendendam, ſoluetur ſatanas tandem in conſummatione ſeculorum.

Quin etiam ex S. Hieronymo habemus tribus potiſſimùm de cauſis Deum permittere, vt Eccleſia vexetur, deprimatur, impugnetur, nempe ad ſui nominis gloriam, Eccleſiæ profectum, & inſigniorem hoſtium ſuorum confuſionem. Sic enim ait in 19. & 20. verſiculum cap. 3. Prophetæ Sophoniæ: *Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te, in tempore illo & ſaluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat congregabo. Et ponam eos in laudem & in nomen, in omni terra confuſionis eorum, in tempore illo, quo adducam vos, & in tempore quo congregabo vos in nomen & in laudem omnem populis terræ, cum conuertens captiuitatem veſtram coram oculis veſtris, dicit Dominus.* Ita Sopho. Et iuxta verſionem ſeptuaginta duorum interpretum: *Congregabo confractos tuos. Væ qui accepit ſuper eam opprobrium. Ecce faciam in te, propter te, in tempore illo, & ſaluabo expreſſam, & repulſam, & ſuſceptam. Et ponam eos in gloriam, & nominatos in omni terra.* Ita Sopho. Iuxta ver. 70. Quæ verba exponens S. Hieron. *Ego ſaluabo eam, quæ in præſentiarum quaſi vua, & oliua, ita tentationibus & preſſuris, vt prælo & trabe preſſa eſt & afflicta, vt vinum faceret & oleum, & de vino biberet Ieſus in regno Patris, qui de oleo vngeretur præ participibus ſuis. Eam igitur, quæ in tentationibus videbatur abiecta, ſuſcipiet Dominus in fine. Et ponet eos in gloriam, & nominatos in vniuerſa terra, filios videlicet expreſſæ & repulſæ, id eſt, Eccleſiæ. Gloriatur quippe Dominus in athletis ſuis, cum viderit eos coronari.* Ita Hieron. Et rurſus idem Hieron. *Etiam per veſtram gloriam confundentur, qui aduerſarij veſtri fuerunt, & tulerunt contra vos opprobrium. Et tunc videbunt eos, quos miſeros putauerunt, eſſe felices; & quos pauperes exiſtimabant atque deiectos, potentes fieri atque glorioſos. Tunc cernent captiuitatem eorum, per quam in hoc ſeculo, duro fuerunt imperio ſubiugati, reduci in cæleſtem Hieruſalem, ſeque reſurgere in opprobrium & confuſionem æternam. Tribue nobis, Ieſu Chriſte, expreſſis, afflictis, & repulſis in iſto ſeculo, vt nos recipias, & ponas in gloriam. Confundatur quod ſuperbit, ceſſent ſibila, venena torpeant, & confuſio eius proficiat ad ſalutem.* Ita Hieron.

Nec mirum eſt ſi mox hoſtes Eccleſiæ igne ſint deuorandi. Rectè enim dixit Sapiens: *Qui mittit lapidem in excelſum, ſuper caput ſuum mittit.* Sion & Hieruſalem, vt docet S. Heronym. in loco ſublimiori ædificatæ fuere. Qui illas impugnauerint calumniarum lapidibus, in caput ſuum recidere ſentiunt & dolorem, quem incutere voluerunt, & pænam, quam ex iniquitate ſua ſibi conciliant illas impugnando. Si aliquem è ſuis tangas, tangis pupillam oculi illius. Nec expectanda eſt vltima de Anti-Chriſto & eius Miniſtris ſumpta punitio. Ex nunc Deus punit & caſtigat eos, qui ſeruos ſuos non modò vexationibus, ſed tantùm verbis, & calumniis offendere non pertimeſcunt. Hinc S. Hieronym. in Sophon. 3. *Quanti hodie exprobrant animæ Dei myſteria conſectanti, volentique videre pacem eius, & dicunt: Inſanus eſt; ebrius eſt, & muſto plenus. Hominum cætus fugit, delitias aſpernatur, aurum pro luto computat, ſolam diligit paupertatem. Qui autem in fideles ſunt, etiam crucem Chriſti exprobrant ei: & ſi quando eam in anguſtiam viderint, & in tentatione, dicunt: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ & iuſtitiæ quas operatus es? Quid loquar de infidelibus, cum Eccleſiarum nonnulli principes huiuſmodi exprobrent, & vitam ipſorum arbitrentur amentiam; & non præſentem laudent conuerſationem, ſed vetera peccata exprobrent; nec audiunt eſſe præceptum: Noli improperare homini, qui conuertitur à peccatis ſuis. Væ igitur ei, qui tulit opprobrium, atque ſuſcepit, & huiuſmodi ſe officio mancipauit, vt detraheret Sion, & ciuitati Dei; quia pro hac iniuria vrbis ſuæ vltor eſt Dominus; & dicet ad Sion: Ecce ego faciam te propter te. Id eſt: Faciam vltionem, & ſaluabo afflictam.* Ita S. Hieronym.

Cum igitur talis ſit Dei mos ſeu conſuetudo, ſuos protegere, nec permittere vt cum hominum malitia, & nequitia, bonis operibus ac pietati omnem autoritatem auferant; cum Eccleſiæ Maieſtas, & autoritas conculcabitur, & pro nihilo habebitur, cum præſtigiis & fallacibus ſignis, ac ſeductionibus, mendacia & errores introducentur, cum violentia quidquid ſublimius, & auguſtius eſt in religione Chriſtiana exterminabitur, quantum in eis erit, & Dei viuentis publicus cultus impedietur; nonne quaſi dormiens Dominus ad tempus, expergefactus tandem ad arma & fulgura capienda curret, vt in furore ſuo diſperdat gentes impias & rebelles. Certè ita eſt Deus faciet vindictam de hoſtibus ſuis: ore ſuo interficiet impium, nempe Anti-Chriſtum, & igne è cœlo, immiſſo deuorabit omnes Eccleſiæ hoſtes, & eos mittet in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi in æternum cruciabuntur.

Et ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog. Et congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

Ex quibus conflabitur Anti-Chriſti exercitus?

ANNOTAT. XIX.

CERTVM eſt non vnam gentem, aut vnum populum, vel duas gentes vel duos populos in aliqua mundi parte commorantes debere intelligi. Siquidem totum hunc exercitum conflari dicit ex gentibus ſeductis, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ: ergo non ex vna tantùm & alia regione, ſed ex totius mundi partibus quatuor. In quatuor enim partes mundus diuiditur. Et cum ait: *Ex quatuor angulis*; ſignificat illos congregari ex duobus hemiſpheriis. Quatuor enim mundi anguli ſignificant concurrentiam linearum vtriuſque hemiſphærij, vt ibi ſit occidens vnius, cum ſol in alio oritur; & deſignari poſſint puncta conuenientia polorum mundi, qui vtrique hemiſphærio reſpondeant; Et hæc eſt ſententia S. Thomæ in expoſitione huius loci, poſt S Auguſtinum *In hoc loco*, inquit, *non videtur agi de Gog & Magoc*, ſub intellectu gentium ſpecialium; ſed generaliter per hoc ſignatus vniuerſitas malorum, qui adiutores erunt Anti-Chriſti ad perſecutionem fidelium. Additur enim: *quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ. Vnde dicit B. Auguſtinus 20. de ciuit. c. 11. gentes iſtæ, quas appellat Ioannes Gog & Magog, non ſic ſunt accipiendæ, tanquam ſint aliqui in aliqua parte terrarum Barbari conſtituti. Toto namque terrarum orbe ſignificati ſunt iſti eſſe, cum dictum eſt: Quæ ſunt in quatuor angulos terræ.* Ita ex S. Thom.

De Gog & Magog legendi expoſitores huius loci, tum etiam eos qui Ezechiel, cap. 38. & 39. expoſuerunt. Quibus adde Bellarminum, de Romano Pontifice, Sed quia longum eſſet aliorum expoſitiones diſcurere; omni diſceptatione omiſsâ, noſtram ſententiam hic adducimus.

Dico primò quæ apud Ezechielem leguntur, c. 38. & 39. de Gog & Magog, de vltima Eccleſiæ perſecutione, quæ tempore Anti-Chriſti futura eſt, eſſe

mus in fide ſpe erectus, & charitate accenſus? Certè in tot anxietatibus ad Deum erit tunc habendus recurſus. *Salutare tuum expectabo Domine*, inquiebat Iacob: qui videlicet interficiet impium ſpiritu oris ſui, & dies illos abbreuiabit, ne ſeducantur electi. Sed quia hæc verba Ezechielis: *Tu ergo ille es, de quo locutus ſum in diebus antiquis*; ſumenda videntur non pro tempore Ezechielis, ſed Prophetice prædicta, vt dicenda à Chriſto, cum Anti-Chriſtus in rerum natura extiterit; Ideo Prophetiæ de Anti-Chriſto non modò requiri poſſunt apud Prophetas, qui Ezechielem præceſſerunt; ſed etiam apud Prophetas, qui ſuo tempore, vel poſt eum extiterant: ſicque vera erunt Chriſti ad Anti-Chriſtum verba: *Tu ergo ille es, de quo locutus ſum in diebus antiquis, in manu ſeruorum meorum Prophetarum.* Et primò Iſaiæ c. 11. *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabis, neque ſecundùm auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* De Anti-Chriſto ſiquidem hæc verba eſſe intelligenda patet ex Apoſtolo Paulo 2. Ad Theſſalonic. c. 2. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Secundo, Danielis c. 7. iuxta interpretationem S. Hieronymi. *Conſiderabam*, inquit, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus primis euulſa ſunt a facie eius: Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* Et verſu 21. *Apparebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus ſanctos, & præualebat eis, donec venit antiquus dierum. Et iudicium dedit ſanctis excelſi. Et tempus aduenit, & regnum obtinuerunt ſancti.* Et verſ. 24. *Porro cornua decem ipſius regni decem reges erunt. Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus: & tres Reges humiliabit. Et ſermones contra excelſum loquetur; & ſanctos altiſſimi conteret.*

Et putabit quod poſſit mutare tempora & leges. Et tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora & dimidium temporis. Et iudicium ſedebit, &c. Quæ omnia proculdubio de Anti-Chriſto intelligenda ſunt, qui erit homo paruus, quantum ad poteſtatem, in principio: ſed poſtea creſcet diaboli adiutorio: cui ex decem regnis, in quæ Romanum Imperium diuidetur, tria in primis ſubjicientur, Regnum Aphricæ, Ægypti, & Æthiopiæ. *Qui putabit quòd poſſit mutare tempora*, id eſt, cauſam & modum viuendi, ex nimia eius ſuperbia: Et leges à Deo datas, quia cultum Dei auferet pro poſſe ſuo, & ſibi illum cultum vſurpabit, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, vt dicit Apoſtolus 2. ad Theſſalonic. 2. Si igitur Anti-Chriſtus ille ſit, de quo Iacob, de quo Balaam, Eſaias, Daniel Prophetauerunt imo & S. Paulus, & Propheta noſter, non modò in Apocalypſi, ſed etiam in prima Epiſtola c. 2. dum ait: *Filioli nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quia Anti-Chriſtus venit, & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt:* De quo, inquam, ſermo factus eſt in manu Prophetarum ſuorum: ille autem de quo locutus eſt ab Ezechiele, Gog nuncupatur, patet igitur hoc nomen Gog deſignare nobis ipſam Anti-Chriſti perſonam.

Dico quartò nomen Gog gentem Iudaicam, ex qua oriundus eſt Anti-Chriſtus, & quæ prima omnium illam ſuſcipiet, deſignare, cum videlicet illud nomen iuxta Hieronymum pro aliqua natione ſumitur. Quotquot enim erunt Iudæi in vltimis temporibus per omnes partes diſperſi, congregabuntur vt Anti-Chriſto auxilientur: quem tanquam meſſiam ſuſcipient. De quo S. Hieron. intellexit hunc locum Danielis c. 11. *Et ſtabit in loco eius deſpectus & non tribuetur ei honor regius. Et veniet clam: & obtinebit regnum in fraudulentia. Et brachia pugnantis expugnabuntur. Et ſuperabit in modico populo.* Per fraudulentiam quippe obtinebit principatum, & brachia Imperij Romani & pugnabit; & ducem fæderis, nempe ſummum Pontificem conteret, in quantum autoritatis ſuæ exercitium per vniuerſum orbem adimet, & exteriorem illius Monarchici ſtatus Eccleſiæ ordinem conteret. Seu iuxtà ſanctum Thomam in expoſitione Danielis, quia ſimulabit ſe eſſe ducem fæderis, id eſt, diuinæ legis. Et poſt amicitias cum eo, id eſt, poſtquam plurimi inconſideratè & imprudenter cum eo amicitiam inierint, illos decipiet. Nam modica gente, nempe Iudaica, adiutus aſcendet, vt aliorum regna inuadat & diripiat.

Et quia in principio erit tectus, ſeu abſconditus ſub gente Iudæorum, tanquam ſub tecto, antequam patenter & apertè bellum cæteris populis inferat, ideo ille populus Gog rectè dicitur. Nam Gog tum S. Hieronymum, tum S. Auguſt. tectum interpretantur Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 11. *Quoniam*, inquit, *interpretationem nominum eſſe comperimus, Gog Magog de tecto tanquam domus, & ipſe qui procedit de domo.* Ita Aug. Quia igitur Anti-Chriſtus primò ſub Iudaica gente abſcondetur, tegetur, antequam exeat alias gentes inuaſurus, ideo gentem Iudaicam tanquam tectum Anti-Chriſti per Gog intelligendam eſſe aſſerimus. *Et ſicut olim à Iacobo Patriarcha, qui olim Iſrael vocatus eſt, omnes hebræi Iſraelitæ dicti ſunt, & ab Aram Syria dicta eſt, & Ægyptus à Meſraim nomen accepit, ita*, inquit S. Hieron. in Ezechiel. 36. *à Principe Gog omnes qui ei ſubditi ſunt Magog appellantur.* Hæc Hieron. Inſuper idem Hieron. alludens ad ea quæ Chriſtus dixit, Luc. 11. *Quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis*: Gog doctrinam vanam & ſuperbam intelligit. *Gog*, inquit, *græco ſermone δῶμα latinè tectum dicitur. Porrò Magog interpretantur de tecto. Omnis igitur ſuperbia, & falſi nominis ſcientia, quo erigit ſe contra notitiam veritatis, his nominibus demonſtratur. Iſta ſunt tecta, de quibus Eſaias loquitur, in viſione contra vallem Sion. Quid tibi factum eſt nunc, quoniam aſcendiſtis omnes in tecta vana? Tectumque interpretabimur hæreticorum principes, & de tecto eos, qui illorum ſuſcepere doctrinas.* Ita S. Hieron. Et optimè ad noſtrum propoſitum. Nam rectè doctrinam vanam Iudæorum ſuſcipient ab eo decepti. Ille autem extollet ſe aduerſus omne quod colitur & dicitur Deus: & ſic & illius & Iudæorum doctrina erit vana & ſuperba, quam tamen bibendam propinabunt cæteris populis, qui per Magog intelliguntur.

Congregabit igitur ſatanas gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog, id eſt Iudæos, qui tectum erunt, ſub quo abſcondetur Anti-Chriſtus in initio: & vanam doctrinam & ſuperbam prædicabunt ex omnibus partibus terræ, quia Iudæi qui illum ſuſcipient; diſperſi ſunt per vniuerſas orbis partes; & Magog, id eſt, cæteros populos à Iudaica gente diſtinctos, cum apertè & palam perſequetur Eccleſiam, qui doctrinæ tam vanæ & ſuperbæ fidem adhibebunt. Quòd ſi Ioſepho credimus, lib. 1. antiquit c. 7. & 11. qui vult regionem, in qua poſteritas Magog filij Iaphet ſedes fixit, eſſe Scythiam; cum probabiliſſimum ſit præcipuas nationes, quæ præter Iudaicam gentem in primis Anti Chriſto adhærebunt, fore Scythas, Turcas, & Tartaros, ab his cæteri, qui poſtea eis adhærebunt, Magog rectè dicentur. Quaſi dicas: Exercitus Anti-Chriſti componetur primò ex Iudæis, quos per Gog intelligo, deinde ex Scythis, Turcis & Tartaris ex Magog oriundis: quo fit vt cæteri qui illis coniungentur, eo nomine veniant etiam deſignandi: veluti ſi Chriſtianiſſimus Rex ex ſuis Gallis exercitum congreget, ſub cuius vexillis militent plurimæ aliæ nationes: exercitus enim ille, Francorum exerci-

tum dicetur, & ſi plurimi ſint alij in eo, qui ex Gallia originem non habeant. A

Quæres cur Gog ſeu Anti-Chriſtus ex Iudæis oriundus dicatur apud Ezechiel princeps capitis Moſoch, & Thubal. Hinc quæſtioni reſpondemus per ſequentem aſſertionem.

Anti-Chriſtus vſurpabit duo Imperia, orientis & occidentis, ex Ezechielis Prophetia.

ANNOTAT. XX.

EZECHIELIS Prophetia hæc eſt: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te principem capitis Moſoch, & Thubal, & circumagante, &c.* c. 38. & c. 39. B Multa, inquit S. Hierony. *In hunc locum, obſirmatione, & multa conſideratione opus eſt: vt quæ dicuntur noſſe poſſimus.* Ita Hierony. Tamen cum addit S. Hierony. *Primùm Moſoch, quos Ioſephus interpretatur. Cappadocas, deinde Thubal, quos idem Iberos, vel Hiſpanos, Hebræi Italos ſuſpicantur.* Ita Hieron. Fax nobis præfertur, adiuuante Nicolao de Lyra, dum ait: *Principem capitis Moſoch & Thubal, quia iſti reges ſubijciuntur ei ſcilicet Cappadociæ, & Hyberniæ.* Ita Lyran. Et exiſtimo in Moſoch caput ſeu imperium orientis, cui regna orientis ſubduntur, deſignati; & in Thubal, caput ſeu imperium occidentis: itaut dicere Gog eſſe Principem capitis Moſoch & Thubal, idem ſit ac ſi diceret Principem eſſe imperij, tum orientis, tum occidentis: quæ duo imperia vſurpabit per ſuam Tyrannidem. C

Quomodo autem imperium orientis per Moſoch intelligi poſſit, pro eo tempore videlicet quo vſurpabitur ab Anti-Chriſto, hanc habeo coniecturam. In Cappadocia vrbs ſita eſt Mazaca dicta, poſtea Cæſarea, in honorem Auguſti Cæſaris: ex qua vrbe Cappadoces dicti ſunt Moſechæenſes, ſeu Meſochæos, ac ſi originem ducerent à Moſoch, ſexto Iapheti filio. At ex Cælio Auguſtino Curione, in hiſtoria ſua Saracenorum & Turcarum, Imperatori Maximiliano ſecundo dicata, lib. 2. habemus Turcas Moſcos dici. *Moſcos autem*, inquit, *Turcas eſſe Cedrenus, Zonaras, & alij græci ſcriptores teſtantur.* Ita Cælius. D

Ac ſi ſecundùm Ioſephum, à Moſchouitis progenitoribus Cappadocum originem ducerent. *Moſchini*, inquit Ioſephus, *à Moſcho autore appellantur. Cappadocum enim appellatio noua eſt; veteris autem veſtigium adhuc ſuper eſt. Vrbs enim eſt apud eos hodie quoque Mazacha.* Ita Ioſephus.

Habeo inſuper ex eodem Cælio Aug. l. 3. quòd olim iſta ciuitas ſedes fuit regia Sultanorum, Saracenorum, ſeu Turcarum. Nam Clizaſthanus, Iconiæ Sultanus, qui Cappadociam occupauerat, hanc Cæſareæ vrbem, quam Mazacam dicimus, relinquit in partem hæreditatis. *Quo tempore*, inquit, *grauis ſeditio inter Turcas eſt orta. Clizaſthanus, enim potentiſſimus Iconij Sultanus quatuor filios reliquit, &c.* Ex quo Cælio denique habemus quod Saladinus) auxilium ei præbentibus Mamaleuchis) occupauit Syriam Iudæam, & magnam Africæ partem. *Itaut*, inquit Cælius, *tres eſſent Maximi inter Turcas Principes, quorum vnus Perſidi, Alter Cappadociæ cum vicinis Prouinciis, Tertius Ægypto & Syriæ imperaret.* Ita Cælius. Ex quibus vides Cappadociam inſignem locum obtinere inter Turcici imperij Prouincias, quæ adhuc in illo imperio includitur. His adde quæ docet Baron. an. 529. Cappadocas nempe peſſimè audiſſe olim, veluti quos exiſtimarent improbos atrociores, & crudeliores erga eos qui eorum dominationis ſubijcerentur. Vnde Iſidorus Peluſiota, lib. 1. Epiſt. Ep. 486. ad Florentium: *Hoc habeto, Cappadox eſt: vt Cappadox imperium geſſit.* Et Epiſt. 485. eiuſdem libri. *Carthaginenſes*, inquit, *homines minus malos, lex Magiſtratum gerere prohibet. Cappadoces autem, quorum ingens eſt improbitas, nulla lex ab imperio & præfectura remouet.* Et Epiſt. 489. l. 1. ad Ruffinum Prætorij præfectum: *Ægyptios quidem, ob crudelitatem, ac morum immanitatem, lex ab imperio & præfectura arcet: Cappadoces autem, qui eos improbitate ſuperant, non item.* Ita Iſidor. Ex quibus cernere licet quàm ferox ſit iſta gens, & in dominatione ſua inhumanior. Optimè igitur Spiritus ſanctus prædicere volens quomodò imperium orientis occupabitur ab Anti-Chriſto, vocat illum Principem capitis Moſoch, id eſt; imperij orientis, à feroci gente Turcarum vſurpati. Turcæ nempe Moſchi olim nuncupati fuerant, qui Cappadocas vincunt inſolentia, & ferocitate.

Quòd autem imperio occidentale per Thubal ſignificetur, hoc conijcio ex eoquòd hebræi dixerunt, per Thubal deſignari Italos, vel, vt S. Hieron. poſt Ioſephum ait, Iberos ſeu Hiſpanos. Fauet Salianus in annalib. an. mundi 1931. n. 26. *per Thubal potius eſſe intelligendos Iberos occidentales, & Europæos, quàm ſeptemtrionales ſiue Aſiaticos, qui incolant regiones inter Mare Euxinum & Caſpium poſitas, occidentales ſiquidem in ſortem, & hæreditatem Iaphet reponuntur, cuius filius quintus Thubal. Et Europa hæreditas. Alij autem Iberi in ſortem Sem reponuntur. Quæ etiam*, addit Salianus, *cauſa eſt cur Thubalæos circa Arabiam & Syriam ponere cum Beroaldo & Merula non placeat, quòd tota illa regio ad filios Cham pertineat.* Ita Salianus. Sit igitur Hiſpanus ille Imperator ſchiſmaticus, qui Pontificem è Roma expellet, vt vidimus, vel Italus, Italiam inuadens, & ab ea Pontificem exulare cogens, cuius rebellionem vindicabit Anti-Chriſtus: certè cum Italiam inuadet, & Romam ſuccendet, erit princeps capitis Thubal, id eſt, imperij occidentalis. Vnde non mirum ſi Anti-Chriſtus valeat tot populos congregare, vt eorum numerus dicatur eſſe ſicut arena maris.

Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.

An caſtra ſanctorum componant aliquem ſingularem exercitum: vt ciuitas dilecta ſit ciuitas aliqua ſingularis?

ANNOTAT. XXI.

DVÆ poſſunt eſſe de hac re ſententiæ: Prima eſt S. Auguſt. 20. de ciuit. c. 11. qui non vult Anti-Chriſti Satellites ad vnum locum veniſſe, vel venturos eſſe, *quaſi aliquo vno loco futura ſint caſtra ſanctorum, & dilecta ciuitas, cum hæc non ſit niſi Chriſti Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa. Ac per hoc vbicumque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit. Quod ſignificatum* E *eſt nomine latitudinis terræ, ibi erunt caſtra ſanctorum, ibi erit dilecta Deo ciuitas eius: ibi ab omnibus inimicis ſuis (quia & ipſi in omnibus gentibus cum illa erunt) perſecutionis illius immanitate cingetur. Hoc eſt: in anguſtias tribulationis artabitur: vrgebitur, concludetur: nec militiam ſuam deſeret, quæ vocabulo eſt appellata caſtrorum.* Ita Auguſt.

Tamen pro ſecunda ſententia primam extendente, non exiſtimo improbabile. præter eos fideles (qui per vniuerſum orbem erunt diſperſi, & in diuerſis locis à ſatellitibus Anti-Chriſti opprimentur) futuram eſſe aliquam ciuitatem, in qua Eccleſiæ caput viſibile reſideat, poſtquam Pontifex Româ fuerit expulſus. Certiſſimum namque mihi eſt non defuturum Pontificem in his temporibus calamitoſis, propter Chriſti promiſſionem: *Et portæ inferi non præ-*

Digitized by Google

ualebunt aduerſus eam. Præualerent autem, ſi omnino extingueretur, aut nullibi Eccleſiæ caput viſibile poſſet agnoſci: Vtinam, ſicuti pluries factum eſt, Galliæ regnum vetus ſummorum Pontificum refugium hanc vltimam obtineat gratiam, vt apud illam ſecedat, & aſylum reperiat. Nam etſi in arctum poſitus fuerit, & caſtra & exercitus Chriſtianorum circumcingantur innumeris hoſtibus, ſtabunt tamen ne Eccleſia periiſſe dicatur; & cum in extremo periculo exiſtent, aderit diuinum auxilium hoſtes Eccleſiæ conterens vt mox videbitur.

Et deſcendit ignis de cælo, & deuorauit eos. Et diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris: vbi & beſtia, & Pſeudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte, in ſecula ſeculorum.

Eodem ſchemate & ſupplicium malorum, & plurimorum conuerſio hic depingit S. Ioan. Et de ſtatu Eccleſiæ poſt mortem Anti-Chriſti.

ANNOTAT. XXII.

PRÆSENTISSIMVM ſupplicium malorum, & plurimorum conuerſionem eodem ſchemate depingit S. Ioann. Deuorabuntur enim igne cæleſti, qui in fine conuertentur; ſed deuorabuntur etiam igne ſenſibili Anti-Chriſti ſectatores, cum ipſe interficietur ſpiritu oris Chriſti, vt antea vidimus. Quod placuit Andreæ Cæſarienſi, dum ait: *At non in longum tempus illius regnum perſtabit. Ignis namque cælitùs dilapſus illud abſumet: ſiue is ſenſilis futurus ſit, cuiuſmodi erat qui tempore Eliæ duos illos quinquagenarios militum duces abſumpſit: ſiue glorioſus Chriſti aduentus, qui ſpiritu oris ſui ipſum interfecturus ſcribitur. Denique ignis prædictas gentes pari modo deuorabit, & ducem illorum diabolum, vna cum Anti-Chriſto, & Pſeudo-Propheta, in ſtagnum ignis contradet, vbi in ſecula ſeculorum torquebuntur, diriſque ſuppliciis excruciabuntur.* Ita Andreas. Et optimè Leonardus Coquæus in 12. v. lib. 20. de ciuit. Dei, ait: *Verùm vbi ſcriptura ſacra patitur ſenſum proprium literalem, non eſt ad Metaphoricum confugiendum: atqui ſine abſurditate aliqua in ſenſu proprio literali poſſumus interpretari locum illum Ioannis, vt vere ignis ſit è cælo deſcenſurus, qui omnem Anti-Chriſti exercitum abſumat. Plura etiam apud Ezechielem exiſtant. Comminatur exercitui Anti-Chriſti per Gog & Magog ſignificato, c. 38. Conuocabo aduerſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus. Gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirigetur, & iudicabo eum peſte & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis. Ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos qui ſunt cum eo. Et de Magog c. 39. Et immittam ignem in Magog.* Ita appoſitè & verè Leonard. Coquæus.

Sed quæres quomodo dicitur apud Ezechielem, Anti-Chriſtus ſepultus in terra Iſrael, cum ipſe viuus rapiendus ſit ad inferos? *Et erit*, inquit, *in die illa, dabo Gog locum nominatum, ſepulchrum in Iſraël, vallem viatorum ad orientem maris, quæ obſtupeſcere faciet prætereuntes. Et ſepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog, &c.*

Reſpondet Cornelius hoc non eſſe intelligendum de Anti Chriſto, ſed de Duce quodam exercitus illius. At melius eſt vt de Anti Chriſto & exercitu locum illum intelligamus, cum Nicolao de Lyra, cuius talis eſt huius loci Ezechielis expoſitio. *Interfecto*, inquit, *Anti-Chriſto & exercitu eius, egredientur qui remanebunt viui, de locis vbi erant abſconditi, ad colligendum ſpolia, & ea quæ erunt apta ad incendium,*

A *vt Clypei, haſtæ & huiuſmodi applicabunt igni. Ideo dicit Et ſuccendent, &c. Et aliqui eorum tantùm congregabunt quod ſufficiet eis ad magnum tempus: quod exprimitur hic per ſeptem annos. Et ideo non erit eis neceſſe aliunde ligna colligere. Et deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerunt, arma & ſpolia eorum colligendo. Sed hoc dictum videtur eſſe contra illud quod dicitur communiter à Doctoribus, quia poſt mortem Anti-Chriſti dabuntur quadraginta quinque dies ante iudicium, vt decepti ab eo, habeant locum pænitendi. Et accipitur de Danielis 12. vbi dicitur: Beatus qui expectat, & perueniet vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. Iſte enim numerus excedit numerum ibidem ſupra poſitum de regno Anti-Chriſti, in quadraginta quinque diebus. Et ſic inter mortem Anti-Chriſti, & iudicium, ſpatium ſeptem annorum non erit licèt*
B *hoc dictum ſit ſatis commune, tamen non eſt omnino certum, quia non determinatur per ſcripturam vtrum illi dies ſint vſuales, ſcilicet continentes tantùm vnum diem & vnam noctem, vel annuales, ſicut dicitur ſupra, quinto capite: Diem pro anno dedi tibi. Et ideo de illis quadraginta quinque diebus poſt mortem Anti-Chriſti, non habetur certum vtrum ſint quadraginta quinque dies naturales, vel quadraginta quinque anni. Et dato quòd eſſet determinatum de diebus vſualibus, non eſt tamen determinatum vtrum ſtatim per illos quadraginta quinque dies immediatè ſequatur iudicium: imo videtur quòd ſit maius ſpatium temporis determinatum, per illud quod dicitur, Matt. 24. de aduentu Chriſti ad iudicium: Sicut enim erant in diebus*
C *Noë ante diluuium, comedentes & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, vſque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Et iſtud referunt aliqui doctores noſtri, ad tempus, quod erit inter mortem Anti-Chriſti, & diem iudicij. Talis autem pax & ſecuritas, in qua conuiuia & connubia abſque timore exercentur, non videtur eſſe tam parui temporis, ſicut quadraginta quinque dierum ſed maioris. Et erit in die illa, dabo Gog locum nominatum. Hic conſequenter agitur de ſepultura Anti-Chriſti, & ſuorum. Et primò ponitur propoſitum, ſecundò remouetur dubium. Tu ergo, &c. Circa primum, ſciendum quod ſicut priùs immediatè præcedens exponitur à Doctoribus communiter de ſanctis, qui*
D *cum Chriſto adiudicabunt impios igni gehennæ, ita etiam hæc pars intelligitur de ſepultura eorum in inferno, eo modò loquendi quo dicitur, Luc. 16. Mortuus eſt & diues, & ſepultus eſt in inferno. Qui vocatur hic vallis viatorum, quia lata eſt via quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. Matt. 70. Et dicitur hæc ſepultura fieri ſeptem menſibus, quia æternaliter erunt ibi, ſicut ſupra dictum eſt de ſeptem annis. Quod autem vbi dicitur de oſſibus remanentibus ſuper terram, quod ſtatuerit iuxta illa titulum, donec ſepeliant: per hoc intelligitur, quòd ſi poſt mortem Anti-Chriſti inueniantur aliqui de ſecta ſua obſtinati, ab aliis per excommunicationem ſeparabuntur, donec per mortem ſepeliantur cum aliis in inferno. Sed quia hæc expoſitio, ſicut & præcedens, videtur multum myſtica:*
E *ideo poteſt exponi de ſepultura corporali, non propter Anti-Chriſti & ſuorum honorem, ad terræ purgationem, vt dicitur in litera. Sic ergo exponitur: Et erit in die illa, ſcilicet notabili, propter deiectionem Anti-Chriſti: Dabo Gog, id eſt Anti-Chriſto, & eius exercitui: Locum (ſcilicet ſepulturæ) nominatum, famoſum, ex tanta multitudine ibi ſepulta; Vallem viatorum, quia ibi erit ſtrata publica; Ad orientem maris, id eſt, versùs mare mortuum, quod eſt in parte orientali Iudeæ; Quæ obſtupeſcere faciet prætereuntes, id eſt admirari, ex tali & tanta deiectione Anti-Chriſti, & ſuorum ibidem ſepultorum: Vt mundent terram à cadaueribus ſeptem menſibus: tantum enim tempus apponent illi qui ad hoc ſtatuentur. Et erit eis nominata dies id eſt celebris: in qua glorificatus ſum, interficiendo Anti-Chriſtum & eius exercitum: dies enim victoriæ ſolent haberi celebres. Et viros conſtituent qui ſint diligentes ad*

Digitized by Google

hoc opus perficiendum. Cumque viderint os hominis, ſtatuent iuxta illud titulum, id eſt, notabile ſignum, vt de facili poſſit inueniri: vt ſic multa oſſa ſic inuenta, ſcilicet per ſigna, de facili colliguntur, & ſepeliantur. Pollinctores, id eſt, cadauerum curatores. Nomen autem ciuitatis, id eſt loci, vbi fiet ſepultura, Amona, id eſt, populoſa, ſecundum proprietatem Hebraici ſermonis, propter multitudinem populi ib ſepulti. Ita Nicolaus de Lyra.

Quod ſi, vt probabile cenſetur, inter mortem Anti Chriſti & iudicii malitia anni efluxur ſint certè vt poſteris relinquatur memoria, tam inſignis vindictæ in hoſtes Eccleſiæ, æquum eſt vt erigatur aliquod ſignum, quo iſta vindicta memoriæ hominum occurrat, vt ad Deum laudandum & timendum prouocentur. Sic aceruus lapidum ſuper corpus Abſalonis fuit coaceruatus, vt filij timerent in parentes inſurgere, videntes quo infauſto fine Abſalon in patrem conſurgens diem obiiſſet. Hæc autem ex Lyrano ſupra adduxi, vt habeat Lector hîc ea quæ præcipua conſideratione digna ſunt. De interfectione Anti-Chriſti, lege Bellarminum de Romano Pontifice, c. 17.

His addo primò Anti-Chriſtum, quamuis fulmine tactum, & è ſolio Regio deiectum, viuum tamen detrudendum fore in inſeruum.

Quomodo igitur ſepeliendus erit? Reſpondeo ſepeliri dici ſub nomine Gog, id eſt, ſub nomine totius ſui exercitus, quamuis ſpeciali genere internecionis ipſe ſit interficiendus & ſepeliendus, in inferno ſcilicet. Gog autem totus exercitus nuncupatur, quia nobilior pars erunt Iudæi, qui eum primò ſuſceperunt, qui in præcipuo honore ab eo habebuntur, & quibus aliæ nationes videbuntur adiungi, ac ſi Regi Francorum aut Hiſpaniarum præter populos ex Gallia aut Hiſpania oriundos alij populi adiunguntur, qui ſimul coadunati dicantur exercitus Regis Francorum, aut Regis Hiſpaniarum: quamuis plurimæ aliæ nationes, Galliæ aut Hiſpaniæ exercitus componerent. Voluit autem ni fallor, Ezechiel in ſuccenſione inſtrumentorum bellicorum ænigma proponere, repræſentans ſummam pacem & tranquillitatem Eccleſiæ nunquam deinceps perturbandam, in ſepultura Gog, obliuionem omnimodam malorum quæ ab Anti-Chriſto & exercitu eius illata fuerunt Eccleſiæ: quin etiam omnino delendam fore omnem memoriam gloriæ, qua ad tempus ſe extulit, ab hominibus Peribit memoria eius cum ſonitu. Viſus eſt exaltatus ſupra Cedros Libani, ſed tranſierunt omnes, & ecce non erat, & non inuenietur locus eius, vt qui memoria indignus cenſeatur. Sicque indicat Ezechiel quomodo fruſtrabitur ſua expectatione. Nam qui ſe vt Deum coli & adorari prætendebat, nec memoria dignus habebitur. In hac autem oſſium ſepultura, ſollicitudinem Eccleſiæ deſignet ad abolendos errores, & exterminandos hæreticos, magos, maleficos, præſtigiatores, qui tempore Anti-Chriſti viguerant, ne publicè aut occultè aliquis error ſpargatur, aut ars mala deinceps vigeat aut nominetur. Conuerſionem autem plurimorum deſignat Ezechiel, cum aues inuitat ad comedendum carnes, &c. Supplicia verò obſtinatorum, cum beſtias terræ etiam prouocat ad comedendum. Ac ſi diceret: Quidam per Eccleſiæ miniſtros conuertentur: quidam obſtinatiores à dæmonibus torquebuntur. Et ſic optimè concludit Ezechiel: *Et ponam gloriam meam in gentibus. Et videbunt omnes gentes iudicium meum, quod fecerim, & manum meam quam poſuerim. Et ſcient domus Iſraël quia ego Dominus Deus eorum, à die illa, & deinceps.* Quibus omnibus peractis, Gog ſepulto, mundo erroribus purgato, plurimis ad fidem conuerſis; obſtinatioribus dæmoni, per excommunicationem Eccleſiæ, traditis cruciandis, & deuorandis, ſtabit Eccleſia, ſummâ pace & tranquillitate fruetur, vt ex Nicolao de Lyra dictum eſt ſupra, quandiu Deus voluerit, donec veniat tempus iudicij, & reddendi vnicuique iuxta opera ſua. Et mira videtur hominum imbecillitas, qui quamuis tot viderint prodigia in victoria de Anti-Chriſto peracta, & nullam in exercitiis pietatis poſſint habere contradictionem, proprio pondere appetitus inordinati depreſſi, poterunt aliqui per morum corruptionem Indignationem Dei contra ſe excitare. Videri etiam poteſt quanta ſit obduratio in quibuſdam, qui ex tot ſignis veracibus non ad pœnitentiam conuertantur, ſed ad iram & indignationem, frementes quod non ampliùs audeant aliquid publicè moliri contra Eccleſiam. De quibus dicitur: *Et iratæ ſunt gentes.* Cap. 11. Vnde adueniet *ira Dei, & tempus mortuorum, iudicari & reddere mercedem Prophetis & ſanctis, & timentibus nomen Dei, puſillis & magnis, & exterminãdi eos qui corruperunt terram.* Cuius Iudic. 11. habetur deſcriptio in hoc capite 20. à verſ 11. vſque in finem capitis. Sed antequam de his agamus, quod S. Bonauentura de fine Anti-Chriſti ſenſerit videamus, ex compendio Theologicæ veritatis, de vltimis temporibus, lib. 7. c. 14. inter opuſcula. *Poteſtate ſua*, inquit, *Dominus occidet Anti-Chriſtum, ſicut dicit gloſſa, ſuper Apoſtolum ſiue per ſe, ſiue per Michaelem. Occidetur autem in monte oliueti, in papilione & ſolio ſuo, in loco circa quem Dominus aſcendit in cælum. Interfecto autem Anti-Chriſto non ſtatim veniet Dominus ad iudicium, ſecundum gloſſam ſuper Danielem. Concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium ſanctorum, & ad conuerſionem, & pænitentiam ſubuerſorum. Quantum autem ſpatium ſit inter illos quadraginta quinque dies, & finem mundi, nemo ſcit. Miniſtri verò Anti-Chriſti poſt mortem illius gaudebunt, ducentes vxores, & dicentes: Licet princeps noſter mortuus ſit, habemus tamen poteſtatem pacem, & ſecuritatem. Et cum talia dixerint repentinus eis ſuperueniet interitus. Iudæi verò tunc conuertentur ad fidem, & ſancta Eccleſia vſque ad finem pacifica quieſcet: quia tunc fraudulentia & ſæuitia diaboli penitùs vſque deficiet.* Ita S. Bonauentura. Sequitur hanc S. Bonauenturæ ſententiam.

Campanella Dominicanus in ſuo Atheiſmo Triumphato c. 10. dum ait Religionem Chriſtianam, cæteris cunctis fore anteponendam. Et addit: *Vnde mihi certum eſt totum mundum iam laſſum ſub eam vnam reuniendam fore, poſt periodum turbationum multarum, quæ ex diuiſione principatuum, & Religionum acciderunt, futurumque opinor vnicum in terra Principatum, ea cum felicitate quam cecinere Poëta de ſeculo aureo, & Philoſophi deſcripſerunt de ſtatu optimæ reipublicæ nondum viſo. Quod veriſimile eſt (aliis Catholicis intellectibus ſaluis) indicaſſe Prophetas, cum prædixerunt de tranquillitate Ieruſalem reædificandæ poſt captiuitatem Babylonicam, ſeu poſt confuſionem ſectarum ſtultarum, & impiarum. Et omnes ſapientes nationum expectauerunt, & populi vehementer optant vt fiat voluntas Dei in terra, ſicut & in cælo, & ceſſent mala ſuper terram. Nec quiſquam reperitur qui hoc non deſideret, præter tyranniculos quoſdam, qui tamen & ipſi cuperent totum mundum ſub ſui quiſque Principatum vnitum omnes mortales conuenire. Deſiderium autem commune naturale eſt, & non fruſtra. Vnde veriſimile eſt quod complebi illud Deus. Nam & hoc non videtur extra promiſſionem Dei ad Abraham, vt hæres eſſet mundi (ad Romanos) & vt ſit pater omnium gentium. Geneſ. 17.* Et rurſus idem Campanella in eodem capite 10. *Atheiſmi Triumphati. Quoniam verò Eccleſia Chriſtiana eſt inſtar ſagenæ ex omni genere piſcium congreganti optimorum ſcilicet, & bonorum atque malorum. Et cum bono frumento non ſolum fructui centeſimo, ſed & ſexageſimo, & trigeſimo, & Zizaniis eſt locus: veriſimiliter poteſt ex-*

Digitized by Google

ſpectari, iuxta Doctorum ſententiam, vt conuertantur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & tranquillitas & victoria ſanctorum, prædicato Euangelio in toto mundo. Et ſicut Dauid ait: Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine; vt Tobias c. 14. exponit; Et tunc viuatur ſeculum ſanctum, transferendum denique in cælum. Et ſub hoc ſenſu poſſunt audiri (vt monet S. Hieron.) verba quæ Tertullian. Lactantius, S. Irenæus, S. Sulpitius, S. Clemens Roman. S. Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes Apollinaris, Papias, Victorinus, S. Bernardus de hoc ſeculo dixere: cui & ſibyllæ & Philoſophi multi præcipuè Platonici, & quicumque de optima republica ſcripſerunt, & Poetæ qui de ſeculo aureo, concordant; quod forſan Chriſtus reſtituet, vt omnes fatentur, excluſo errore Chiliaſtarum, & illorum qui paſſim errauerunt cum Cherinto, putantes in hac vita futurum eſſe paradiſum deliciarum. Alij dixere per mille annos Chriſtum viſibiliter cum Martyribus reſuſcitatis regnaturum in mundo. Et Mahumetus poſuit paradiſum carnalem Veneris & Bacchi, hac doctrinâ non intellectâ deceptus. Hoc tamen excluſo fabuloſo ſenſu; etiam S. Auguſtinus dicit eſſe poſſibilem doctrinam Millenariorum, 20. de ciuit c. 7. Et Hieronymus dicit ſe non audere illam improbare, niſi quatenus conſentit Cherintho in carnalibus: à quo Lactantium ac prædictos ſanctos longe abeſſe palam eſt. Multi recentiores ipſam muſſitando pertranſeunt. Ego vero in Prophetalibus oſtendi quòd licet neque Chriſtus in carne, neque Martyres in reſurrectione anticipatâ ſint regnaturi. (vt & ego arbitror) tamen conueniens eſt aſſerere Eccleſiam non gemmatam & auream materialiter, vt Thalmudiſtæ garriunt, quos irridet S. Hieron. ſed virtutibus gemmatam, & regno ſuper omnes fines terræ decoratam, in tranquillitate innocentiæ diu victuram poſt Anti-Chriſti caſum. In quo errores priſcorum vitent: non quod ſuper eſt doctrinæ, ait S. Hieron. Et Auguſt. aſſentit. Si ſpiritualia bona in ea fuerint, quod docent prædicti Martyres, & Doctores Illuſtriſſimi, & Apoſtolorum diſcipuli. Et profectò qui penitiùs ſcripturas introſpicit, & conuenientiam ex parte Dei, & hominum cunctorum deſiderium, & omnium nationum applauſum, hanc intelligentiam non contemnet. Don Seraſinus Firmanus doctiſſimos ſequutus idem expectat. Et ſi Catharina Senenſis renouationem Eccleſiæ à Chriſto didicit, in Epiſtola quam Archiepiſ. Ambroſius Catarinus exponit; & S. Brigida, & Dionyſius Carthuſ. & Ioachimus, & Poetæ noſtrates, & Grammatici, & plebecula eum eis expectant vt fiat vnum ouile & vnus Paſtor, in gloria & tranquillitate magna: Idcirco etiam fore oramus, vt regnum Dei adueniat, vbi fiat voluntas Dei in terra etiam ſicut in cælo. Et hoc etiam continebat oratio quam docuit Chriſtus. Hæc Campanella. Cui ſententiæ ſubſcribo, ſalua ſemper Eccleſiæ Catholicæ Romanæ determinatione, quæ Magiſtra eſt veritatis, hac ratione ductus, quòd cum Dei perfecta ſint opera, hoc videtur neceſſarium aut ſaltem conuenientiſſimum: vt opus gubernationis Eccleſiæ, & ſtatus Monarchici ipſius perfectum appareat, ſi poſt tot contradictiones & perſecutiones Eccleſia pacificè omnia ſua obeat munera, ad Dei & Chriſti eius gloriam & honorem.

Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, &c.

Diuerſæ plurimorum autorum de hoc throno expoſitiones.

ANNOTAT. XXIII.

ANDREAS Cæſarienſis: *Per candidum thronum Chriſti reſurrectio denotatur, tum quies illa quam Deus in ſanctis capit, qui virtutum ornamentis ſplendens.* Ita Andreas.

Ambroſius: *Thronus iſte Dei non auro & gemmis ornabitur, ſed hominibus iuſtis. Iſte eſt namque thronus, de* A *quo Pſalmiſta dicit: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui. Thronus igitur Dei eſt omnis multitudo Angelorum atque ſanctorum.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Thronus magnus illa magna altiſſima maieſtatis ſedes eſt. Thronus ille vt magnus, ita eſt & candidus: quia non eſt aut erit quod in iudicio illo reprehendatur. Sedentem ſuper eum: Sedentem ſuper eum abſque vllo nomine dixit, magnificentiùs perſonam illam ſilentio innumeris quia nec ignota eſt, nec ignorari licet: & vt tunc non cognoſcatur impoſſibile eſt. Imo prouidendam eſt vt quando ſedens videbitur, beneuolam habeat oculum præparatum qui viſurus eſt.* Ita Rupert.

S. Thomas: *Et vidi thronum, id eſt Eccleſiam, quæ eſt thronus Dei, quia ſedet & quieſcit in ea. Et in ea,* B *quantum ad perfectos, ſedebit iudicans mundum in iudicio. Magnum dignitate, 2. Regum c. 10. Fecit Salomon thronum de ebore grandem. Vel magnum multitudine fidelium: Candidum ſinceritate, vel candidum immortalitate. Et vidi ſedentem ſuper eum, id eſt Chriſtum, qui in die iudicij ſedebit in viris perfectis, & per eos iudicabit & faciet diſtinctionem præmiſſam 1. ad Corinth. 6. An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt?* Ita S. Thom.

Richardus à S. Victore: *Vidi thronum, id eſt, regnantis & iudicantis Chriſti dignitatem: Magnum per immenſitatem, candidum per immortalitatem: Et ſedentem ſuper eum, ſcilicet Chriſtum.* Ita Richard.

Lud. ab Alcaz. *Ex triumpho glorioſiſſimo, quem Catholica Eccleſia de Anti-Chriſti perſecutione actura eſt,* C *gradum facis Ioannes ad vniuerſalis iudicij figuram. Primùm ergo deſcribis iudicis thronum, quem depingit tanquam ampliſſimum pariter atque latiſſimum. Hoc enim eſt, magnum & candidum, vbi pro candido, græcè legitur* λευκὸν *id eſt, album, per ſolemnitatis & lætitiæ ſignificationem. Eiuſmodi enim ſignificatio in Chriſti reſurrectione tribuitur Angelis in albis ſedentibus.* Ita Alcazar.

Dico igitur hic deſcribi thronum Chriſti iudicantis in vltimo iudicio, magnum propter iudicis maieſtatem: ſedebit enim in ſede maieſtatis ſuæ; Magnum, quia omes gentes ſtabunt ante eum iudicandæ; Magnum, quia de grauiſſimo negotio, nempe de ſalute aut damnatione æterna agetur in hoc iudicio; Candidum, propter rectitudinem intentionis D in iudice iuſtè iudicante, & ſine perſonarum acceptione, propter claritatem iudicij, quia nihil erit illi occultum, felicitatem promiſſam iuſtis, irreprehenſibilitatem ſententiæ malos ad æterna ſupplicia adiudicantis.

A cuius conſpectu fugit terra, & cælum, & locus non eſt inuentus eis.

Quomodo à conſpectu throni fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis?

ANNOTAT. XXIV.

E PERACTO *quippe iudicio,* inquit S. Auguſtinus, *tunc eſſe deſinet hoc cælum & hæc terra, quando incipiet eſſe cælum nouum, & terra noua: mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, tranſibit hic mundus. Vnde & Apoſtolus ait: præterit enim figura huius mundi. Volo vos ſine ſollicitudine eſſe. Figura ergo præterit, non natura. Cum ergo ſe Ioannes vidiſſe dixiſſet ſedentem ſuper Thronum, à cuius facie, quod poſtea futurum eſt, fugit cælum & terra, &c.* Ita Auguſt. lib. 20. de ciuit c. 14. Quoad ſubſtantiam enim permanebit in æternum, licèt quoad ſtatum ſit immutandus. Lege Theologos in 4. diſt. 48. & S. Hieron. in c. 65. Iſaiæ. Idem ſentit Primaſius. Modum præſcribit Ambroſ. *Quia, inquit, igne à ſua ſpecie commutabuntur, vt poſſint in aliam reformari, multo meliorem & pulchriorem. Quod vero dicit: Locus non eſt inuentus eis:*

Digitized by Google

non ideo dicit vt locum priſtinum amittant, ſed ſpeciem. Ita Ambroſ.

Fuſiùs eadem docet Andreas Cæſarienſ. *At verò,* inquit, *cæli & terra fuga, illorum tranſitionem & in melius mutationem ſignificat. In quibus proinde poſtea nullus amplius conuerſionis aut mutationis locus inuenietur. Si enim noſtri cauſa, iuxta Apoſtoli doctrinam, creatura mutationi & corruptioni obnoxia facta eſt, nobis in libertatem gloriæ filiorum Dei mutatis & translatis & ipſa itidem innouabitur, & in lætiorem formam transformabitur. In interitum autem non vertetur, neque, vti Ireneus, Antipater, & alij ſancti viri rectè tradiderunt, in ſolidum corrumpetur. Verba Irenei ita ſonant: Creaturæ ſubſtantia & quidditas neutiquam interitura eſt. Verus eſt namque & ſtabilis, qui illam formauit & condidit. Sed ſpecies & pars illa mundi, in qua tranſgreſſio accidit, & homo inueteratus eſt, tranſibit. Enim verò cum Deus humani lapſus praſcius eſſet, voluit partem illam vniuerſitatis, qua humanis vſibus ad tempus ſeruiret, temporariam, & omnino eiuſmodi eſſe, quæ in meliorem & ſtabiliorem ſtatum mutari aliquando poſſet. Et magnus Patriarcha Methodius, in ſermone de reſurrectione de his ita diſſerit: Non placet quod nonnulli aſſerunt, nempe rerum vniuerſitatem totam ſimul interituram, cælumque & terram, & aërem ampliùs reliqua non futura. Inflammabitur ſanè, ad repurgationem, vniuerſus orbis, igne quaſi diluuio mundatus: attamen non tranſibit in omnimodum interitum, aut in omnino nihilum. Et infra rurſum. Et Paulus quoque disertè teſtatur dicens: Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui eam ſubiecit in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et quæ ſequuntur. Et ante hos ſanctos beatus Dauid quoque, cum Dominum laudare vellet, ita aiebat: Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Cui cognatum eſt illud Eſaiæ: Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoriam priora: & non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum, in his quæ ego creo. Hæc ille. Et meritò: ſiquidem ſumma nunquam deſinentis lætitiæ & voluptatis affluentia, præmiorumque ex legitimis certaminibus ortum ducentium magnitudo, omnium laborum & moleſtiarum ante ſuſceptorum obliuionem facilem ducit. Et alio rurſum loco idem: Sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus; ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. Rationi proinde illorum ſententia conſentanea eſt, qui creaturam, quæ noſtri cauſa facta eſt, mutationem quidem ad meliorem ſtatum vnà nobiſcum ſuſcepturam aſſerunt; in nihilum autem nequaquam conceſſuram, ſicut neque nos quoque poſt mortem in illud tranſibimus quod non eſt.* Ita Andreas Cæſar.

Rupertus lib. 11. in Apocalypſ. *Nimirum terra magno conflagrata incendio priſtinam amittet ſpeciem, ſimulque opera terrena diſpacebunt: opera Regum atque Principum ſimul ruent, ſimul quæ ædebunt: nec remanebit lapis ſuper lapidem, ciuitatum, ſiue munitionum, quaſcumque homines, incipiente Cain, ædificauerunt: nec ſaltem exiguus ex incendio reſiduus erit puluis eorum. Hoc modo terra fugiens, ſanguinem quoque reddet omnem quo corrupta eſt, ex quo iam dictus Cain interfecit fratrem ſuum Abel: & corpora vniuerſa hominum, quibus ab initio repleta eſt.* Ita Rupertus.

S. Thomas: *A cuius conſpectu, id eſt, præſentia, qua tunc omnia conſpiciet ad diſponendum: Fugit, id eſt fugiet, quantum ad priorem ſtatum terra, quam calcamus: Cælum, id eſt, aër in quo reſpiramus: Matt. 24. Cælum & terra tranſibunt. Et locus non eſt inuentus, id eſt, non inuenietur: Ab eis, ſcilicet terra & cælo, videlicet quantum ad priorem ſpeciem. Quaſi dicat: Non remanebunt in ſtatu vetuſtatis & deformitatis, vt prius Pſalm. Mutabis eos, & mutabuntur.* Ita S. Thom.

A Non placet hæc communis doctorum expoſitio Ludouico ab Alcazar: & durius illi apparet, vt vera cælorum, ac terræ renouatio, his Apocalypſeos verbis ſignificetur. Et ideo aliam comminiſcitur expoſitionem, quæ talis eſt, tantam ſcilicet eſſe illius iudicis integritatem, tantam iuris & æquitatis rationem eſſe futuram, vt nullus ibi ſit myſticorum cœlorum fauor aut auxilium, nulla terræ myſticæ commiſeratio, ſed ſolum ius atque æquitas vt vnuſquiſque ſecundum propria ipſius opera iudicetur. Nulla tunc ratio poteſtatis datæ Eccleſiæ remittendi peccata, virtutis Sacramentorum, interceſſionis ſanctorum: nulla erit miſericordia in terra myſtica hominum, qua ſecundùm humanæ naturæ condi-

B tionem tangi deberet pater in filij ærumna, vxor in viri, frater in fratris. His adde quod cœlum nulla ſcelera conteget, nec tellus miſerum peccatorem alicubi poterit abſcondere.

Hæc quidem expoſitio Alcaz. admitti poteſt. Non eſt tamen à communi diſcedendum, cum illa Alcaz. non tam ſolida videatur, vt autoritati tot autorum præponderare debeat. *Quorſum hic,* inquit, Alcazar, *per anticipationem agitur de illa cælorum & elementorum inſtauratione; & quorſum ſpectet ad id, quod in præſenti manifeſtè contextus ſignificat?* Reſponderi enim poteſt rectè quinam ſit effectus tandem futurus ex ſententia ſedentis in throno deſignari, vt maieſtatem throni & ſedentis percipiamus; quæ talis eſt,

C vt nulla ſit poteſtas in cœlo & in terra, quæ executionem ſententiarum poſſit impedire; nulla ſapientia, quæ eas poſſit eludere; & tam præclarum effectum ſubſecuturum eas, vt fiat tandem totius vniuerſi renouatio & inſtauratio.

Et vidi mortuos, puſillos & magnos, ſtantes in conſpectu Throni.

De his qui iudicandi ſunt.

ANNOTAT. XXIII.

D I*VDICANDI omnes, parui atque magni, abſque vlla ætatis exceptione aut diſcrimine ad vitam reuocati, & ante iudicis thronum expoſiti, vt propriam ſinguli ſententiam audiant.* Ita Alcaz.

Ambroſius: *Per mortuos magnos & puſillos reprobi deſignantur, qui in die reſurrectionis mortui adſtabunt in conſpectu Dei, ea videlicet morte, quam primam eſſe diximus, poſt paululum in mortem ſecundam deijciendi. Per mortuos verò magnos, eos deſignari puto, qui aut maiores fuerunt in ſceleribus, aut altiores in ſeculi dignitatibus. Per puſillos autem ij deſignantur, qui eis ſubiecti fuerunt; vel certè ij qui minimè peccauerunt.* Ita Ambroſ.

S. Thomas ad omnes mortuos morte naturæ extendit; & rectiùs: *Et vidi mortuos,* inquit, *morte naturæ: & ſic intelligitur de bonis, tamen imperfectis, pro-*

E *pter illud quod ſequitur: Et de magnis: vel mortuos, gloſſa malos magnos olim ſecundum fortunam & poteſtatem ſeculi, & puſillos diuitiis & poteſtate: Stantes, id eſt, corporaliter præſentes in corporibus reſumptis: in conſpectu throni, id eſt, in conſpectu perfectorum, qui tunc conſpicient merita ſingulorum, qui erant thronus Dei, quia Chriſtus ſedebit in eis, id eſt, per eos iudicabit, quia eos faciet iudices. Sap. 3. iudicabunt nationes, &c.* Ita S. Thom.

Andreas Cæſar. *Mortuos vocat aut omnes omnino homines, tanquam qui corporis mortem ſuſtinuerant, aut eos qui vitiis & peccatis nuncium remiſerant. Magni autem & parui illi nominantur (vt ante quoque indicauimus) qui ætate & ſtatura puſilli erant, aut ij certè qui minori contemptu mortis opera deſignarant, adeoque operum ratione minores pœnas daturi erant. Aut magnos appellat iuſtos, puſillos autem peccatores. Hi enim propter animæ*

Digitized by Google

vilitatem ex peccatis ortam, nullius reipſa ſunt momenti. Ita Andr.

Richard. à S. Vict. l. 6. c. 8. in Apoc. *Sciendum eſt quòd quatuor ſunt genera: iudicati & damnati: iudicandi & damnandi: iudicati & ſaluati: iudicandi & ſaluandi: iudicati & damnati, quorum damnatio iam certa eſt iudicandi & damnandi, quorum damnatio certa non eſt. Iudicati & ſaluati, quorum ſaluatio iam certa eſt. Iudicandi & ſaluandi, ſaluatio quorum adhuc certa non eſt. Ad iudicandos & damnandos præcipuè pertinet id quod hic dicitur, mortuos iudicatos, ex his quæ ſcripta erant in libro vitæ, ſecundum opera ipſorum. Aliis enim dabitur pœna minor, aliis pœna maior.* Ita Richard.

Cum tamen certiſſimum ſit bonos & malos in hoc iudicio affuturos, ſatius eſt per mortuos intelligere, omnes homines, qui mortui, in reſurrectione corpora aſſument, quorum nullus iudicem latere poterit: *Omnes* enim *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, ſecundùm Apoſtolum. Vnde optimè Rupertus, lib. 11. in Apocalypſ. hæc verba exponens: *Et locus non eſt inuentus ab eis; Et illud cælum rectè hic intelligimus, cui fugiendi quidem voluntas ſit, ſed latendi locus nullus inueniri poſſit à conſpectu ſedentis ſuper thronum, ſcilicet homines impios & ſpiritus malignos, qui tanti iudicis adſpectum fugere non valebunt, nec obtinere poterunt, optando abſcondere ſe in ſciſſuris petrarum, & dicendo montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: cooperite nos à facie ſedentis ſuper thronum. Sed vniuerſi coram adſtabunt, omnes producentur ad publicum. Vnde protinus ſubiungit: Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni. Magnos & puſillos dixit, quod idem eſt ac ſi dicat neminem latere poſſe, quin coram aſſit, ſiue magnus ſiue puſillus ille ſit. Nec verò facies tantùm, ſed conſcientiæ quoque patebunt. Hoc eſt, quod continuò ſubjicit: Et libri aperti ſunt.* Ita Rup.

Et libri aperti ſunt. Et alius liber, qui eſt vitæ, apertus eſt.

Et iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.

De proceſſu iudicij.

ANNOTAT. XXVI.

PATET ex hoc textu, illa verba *Mortuos magnos & puſillos*) non ad ſolos peccatores & reprobos pertinere, ſed ad iuſtos extendi: ſiquidem liber vitæ, qui ad iuſtos pertinet, vt videbimus hic dicitur aperiri, æquè ac libri conſcientiæ ſingulorum: vt qui morti fuerunt ſubiecti, ſiue iuſti, ſiue peccatores, recipiant mercedem aut ſupplicia, ſecundùm opera ipſorum. Quid autem his textus innuat, videamus.

Pandetur lex, ſecundùm quam vnuſquiſque actiones ſuas moderari debuit; actuſque proprij manifeſtabuntur. Ita Ticonius, homil. 17. *Libros*, inquit, *apertos, teſtamenta Dei dicit. Secundum enim vtrumque teſtamentum iudicabitur Eccleſia. Librum vniuſcuiuſque vitæ memoriam dicit geſtorum noſtrorum: non quòd librum habeat commemoratorium occultorum cognitor. Et iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta ſunt in libris, ſecundùm opera ſua. Id eſt: Ex teſtamentis iudicati ſunt, ſecundùm quòd Dei præcepta aut fecerunt, aut non fecerunt.* Ita Ticonius.

S. Auguſtinus lib. 20. c. 14. *Libros dixit eſſe apertos, & librum: ſed librum eiuſmodi non tacuit. Qui eſt, inquit, vitæ vniuſcuiuſque. Ergo, quos priore loco poſuit, intelligendi ſunt ſancti, & veteres, & noui, vt in illis oſtenderetur, quæ Deus fieri ſua mandata iuſſiſſet. In illo autem, qui eſt vitæ vniuſcuiuſque quid horum quiſque non* **A** *feciſſet, ſiue feciſſet. Qui liber, ſi carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem, aut longitudinem valeat æſtimare? Aut quanto tempore legi poterit liber, in quo ſcripta ſunt vniuerſæ vitæ vniuerſorum? An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, & vitam ſuam quiſque ab Angelo ſibi adhibito audiet recitari? Non ergo vnus liber erit omnium, ſed ſinguli ſingulorum. Scriptura verò iſta vnum volens intelligi. Et alius, inquit, liber apertus eſt. Quædam igitur vis eſt intelligenda diuina, qua fiet vt cuique opera ſua, vel bona, vel mala, cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita ſimul & omnes & ſinguli iudicentur. Quæ nimirum vis diuina, libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur* **B** *quidquid à faciente recolitur.* Ita Aug. Cenſet igitur Aug. per libros illos, ſanctos intelligi, diuinam iuſſionem ac diuinam voluntatem exprimentes in ſeipſis: per alterum vitæ librum: intelligi memoriam factorum omnium, quæ virtute diuina in omnibus hominibus iudicandis fiet. Sed hic liber vitæ, ſecundùm alios, ad manifeſtationem prædeſtinationis ſingulorum beandorum pertinet, quorum prædeſtinatio antea fuerat occulta.

Quidquid ſit, talis, vt videtur, erit iudicij proceſſus. Aperientur libri, quibus leges continentur ac præcepta, & præcipuè lex illa naturalis conſcientiæ, ſeu ſyndereſis. Aperietur liber vitæ cuiuſque, vt videatur ſi fuerit conformis legi ſcriptæ, & natu- **C** rali. Et ne quis aliquam prætexet excuſationem, in medium adducentur exempla eorum, qui ſecundùm legem ſcriptam & naturalem piè & ſanctè, ac rationabili erga Deum obſequio vixerunt, & erga proximum innocenter ſe geſſerunt. Ad amuſſim legum & exemplorum examinabuntur actiones iudicandorum. Vniuſcuiuſque conſcientia aliquâ vi diuinâ illuſtrata ad hoc adigetur, vt fateatur ſe benè aut malè egiſſe. Et in his libris, mali (qui mortuorum nomine, ſecundùm Richardum à S. Victore, figurantur, quamuis ad omnes qui morti ſubiecti fuerunt, hoc vocabulum ſupra extenderimus) *ex comparatione iuſtorum*, inquit Richardus l. 6. c. 8. *qui in libro vitæ ſcripti ſunt, damnabuntur. In ipſis quippe diuina* **D** *præcepta ſe contempſiſſe patenter legent, & ob hoc promeruiſſe perennes pœnas luculenter intelligent.* Ita Richard. Et tunc aperietur alius liber, qui eſt vitæ, non modò vitæ ſingulorum beandorum, vel damnandorum, ſed etiam liber prædeſtinatorum Ex ſententia quippe iudicis prolata cognoſcentur certè qui erunt ſaluandi, quorum ſalus adhuc fuerat incognita. Vnde Andreas Cæſar. *Libri autem aperti, vniuſcuiuſque opera, & cuiuſlibet ſurſus conſcientiam denotant: eſt vnus ille liber, vt ipſe fatetur. Eſt liber vitæ, in quo ſanctorum nomina ſcripta ſunt.* Ita Andr. Cæſ.

Concinit Rupertus. *Apertio*, inquit, *namque librorum manifeſtatio erit conſcientiarum, Omnes enim nos, ait Apoſtolus, manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt* **E** *referat vnuſquiſque corporis ſui prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ. Liber iſte diuinæ præſcientiæ, & beatæ prædeſtinationis certitudo eſt. Multum ad veritatem iudicij operabitur hic liber: quia videlicet ſaluari fas non eſt, niſi tantùm illos qui in hoc libro vitæ ſcripti, id eſt, ad vitam ſunt præordinati. Quos iam tunc Deus ſcripſerat, & quos naſci iubebat: quando formatis hominibus paucis, maſculo & fœmina, parentibus noſtris, gratuita benedictione benedixit illis dicens; Creſcite & multiplicamini.* Rupertus lib. 11. in Apocal. Et poſtea: *Iudicati ſunt mortui ex his, &c. Hoc ita certum eſt, vt nemini vacet neſcire cuius ore recitandum ſit quidquid, in his libris ſcriptum eſt. Rex ipſe ſedens ſuper thronum ita ſe recitaturum aſſeruit, primùm his qui à dextris eius erunt; Eſuriui, &c. E contra de conſcientiis illorum, qui à ſiniſtris erunt, pronuntiabit quòd hæc omnia non fece-*

Digitized by Google

vint. Et idcirco, Diſcedite, dicet maledicti in ignem æternum, ibi deeſſe nihil licebit vbicumque, & qualicumque ſine conſumptus fuerit. Ita Rup.

S. Thomas: *Et libri, ſcilicet conſcientiarum, aperti ſunt, id eſt, aperti erunt. Quilibet enim in conſcientia ſua, quaſi in libro aperto, cognoſcet bona ſua vel mala. Danielis 7. Iudicium ſedit & libri aperti ſunt. Et alius liber, ſcilicet Chriſtus, in quo ſicut in libro legent, iuſti ſe rectè feciſſe, famulando ei, quem tam excelſum videbunt poteſtate: & mali ſe malè feciſſe, cum eum ſibi iratum & tam potentem aſpicient. Apertus eſt, id eſt, potens & magnus apparebit, qui eſt vitæ, quia dat vitam ſuis. Vel libri aperti ſunt, id eſt, diuina præcepta manifeſta erunt, quæ modò multi nolunt cognoſcere: tunc enim cognoſcent quantæ virtutis & autoritatis ſint diuina præcepta, & ſcient ſe propter eorum contemptum condemnandos. Et alius liber, ſcilicet præſcientiæ, in qua qui videt omnia, videt quaſi in libro: Apertus eſt, id eſt, tunc erit apertus, cum nunc ſit clauſus: quia mihi ſcient ſe non eſſe prædeſtinatos ad vitam; boni verò ſcient ſe prædeſtinatos fuiſſe: Qui eſt vitæ, quia in hoc libro viuunt omnium rerum rationes. Ioan. 1. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Vel quia in libro præſcientiæ electi ſunt præordinati ad vitam, &c.* Et paulo poſt: *Et iudicati ſunt, id eſt iudicabuntur à Chriſto, & à viris perfectis, mortui morte culpæ ſecundum gloſſam, ex his ſcilicet peccatis quæ ſcripta erant. In libris, ſcilicet conſcientiarum, vel præceptorum, in quibus legent ſua peccata, hoc eſt: ſcripta erunt. Iudicabuntur, inquam, ſecundùm opera ipſorum. Quaſi dicat: illud iudicium erit ſecundùm magis & minus, ſecundùm quod magis vel minus peccauerunt. Dabo vnicuique ſecundùm opera ſua.* Ita S. Thom.

Ambroſio libri multi ad reprobos pertinent, vnus qui eſt vitæ, ad electos. *Reprobi*, inquit, *multos libros habent, quia in multis erroribus ſunt deuoluti. Nam Pagani multos Deos coluerunt, & in multis erroribus ſemetipſos deiecerunt. Similiter & hæretici multa praua dogmata, & Deo odibilia inuenerunt. Falſi etiam Chriſtiani in multis ſceleribus quotidie inuoluuntur. Multos ergo libros reprobi poſſident: quia multis modis Deum offendunt. Electi verò vnum librum habent: quia vnum Deum colunt, vnam fidem Catholicam confitentur, vno vinculo charitatis connectuntur, &c.* Et poſt pauca: *Libri igitur multi ſunt facta reproborum, libri multi aperientur, cum ſcelera reproborum omnibus manifeſtabuntur. Per librum autem vitæ prædeſtinationem Dei omnipotentis poſſumus intelligere. In hoc libro nomina diſcipulorum eſſe conſcripta Dominus in Euangelio manifeſtat, cum dicit: Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Ita Ambroſ.

Cur autem huius libri vitæ, ſeu prædeſtinationis mentio fiat in die iudicij, docet Ludouicus ab Alcazar. *Primò*, inquit, *quia in magno illo die mirandum in modum extabit, & eminebit diuinæ gratiæ atque electionis conuenientia cum libero hominis arbitrio, ac proinde liquido conſtabit hominum perniciem ac ruinam ex ipſiſmet hominibus: ſalutem & incolumitatem ex vno Deo proficiſci. Secundò quia hoc pacto melius & efficaciùs elucet admirabilis ac planè diuina æterna prouidentiæ ratio, & infinita virtus, quæ electos ſuos in gratia ac Dei familiaritate de medio ſuſtulit: ita vt nullius fieret omnino iactura, idque iuxta integra, & incorrupta diuinæ iuſtitiæ iura præſtiterit. Tertiò, vt denotetur eo die nihil cuiquam profuturum, quòd aliquando in vitæ libro fuerit conſcriptus, per gratiæ & Dei amicitiæ collationem: ſi tamen non in ea permanſit. In eum enim librum referuntur, non ſolùm qui ſaluandi ſunt, ſed omnes etiam qui ad gratiam Dei aliquo tempore recipiuntur. Ex eo autem delentur, qui propter ſua flagitia per finalem impœnitentiam excæcantur, & obdurantur.* Ita Alcazar. Qui etiam ſcrupulum adimit de paruulis, qui vt alij dicendi ſunt iudicandi ſecundùm opera, quia & Adami peccatum illis imputatur, & Chriſti opera renatis in Chriſto applicantur.

A

Et dedit mare mortuos, qui in eo erant. Et mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant. Et iudicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera eorum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. Et qui non eſt inuentus in libro vitæ, ſcriptus miſſus eſt in ſtagnum ignis.

Nullus à generali reſurrectione & iudicio eximitur.

ANNOTAT. XXVII.

B TICONIVS: *Hos quos iudicij dies inueniet viuos, ipſi ſunt mortui maris, quia hoc ſeculum mare eſt.* Ita Ticonius. Mortui namque ſunt, qui in ſeculo in peccato viuunt.

Addit Ticonius: *Mors & infernus dederunt mortuos ſuos: id eſt, eos qui in ſepulchris inueniendi ſunt in die iudicij. Mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum. Mortem & infernum diabolum dicit, & populum eius. Et qui non eſt inuentus ſcriptus in libro vitæ, & qui voluptatibus ſuis dimiſſus per temporaneam examinationem in hoc ſeculo, non meruit iudicari à Deo dum viueret.* Ita Ticon.

S. Auguſtinus lib. 20. de ciuit. c. 15. *Conuenienter quidam hoc loco mare pro iſto ſeculo poſitum accipiunt. Cum ergo, & quos hic inueniet Chriſtus in corpore conſtitutos*
C *ſimul ſignificaret, cum iis qui reſurrecturi ſunt iudicandos, etiam ipſos mortuos appellauit, & bonos quibus dicitur: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Et malos de quibus dicitur: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Poſſunt mortui etiam propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora.* Ita Auguſt. Videſne, optime Lector, S. Auguſtinum tria genera mortis deſignare, primum eorum qui in Chriſto moriuntur vitiis & concupiſcentiis: ſecundum eorum qui Deo moriuntur per peccatum: Tertium eorum qui morte corporali moriuntur, vt cæteri hominum. Et paulo poſt addit Aug. *Hos ergo mortuos exhibuit mare, qui in eo erant. Id eſt: Exhibuit homines hoc ſeculum quicumque in eo erant, quia nondum obierant. Et mors & infernus,*
D *inquit, reddiderunt mortuos, quos in ſe habebant, mare exhibuit: quia ſicut inuenti ſunt affuerunt. Mors verò & infernus reddiderunt: quoniam vitæ, de qua iam exierant, reuocauerunt: nec fruſtra fortaſſe non ſatis fuit vt diceret, Mors aut infernus: ſed vtrumque dictum eſt, Mors, propter bonos, qui tantummodò mortem perpeti potuerunt, non & infernum: infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendent.* Ita Auguſt. Et poſt pauca: *Et iudicati ſunt ſinguli ſecundum facta ſua. Breuiter ſubiecit quemadmodum fuerint iudicati. Et mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis. His nominibus ſignificans diabolum, quoniam mortis eſt autor, & infernarum pœnarum, vniuerſamque ſimul dæmonum ſocietatem.* Ita S. Aug.

Ambroſius: *Quærendum nobis eſt, quid ſignificent*
E *mors, mare, & infernus. Scimus quippe aquas ad ablutionem peccatorum noſtrorum eſſe conſecratas, ſicut dicit Dominus in Euangelio. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Mare itaque ad reſurrectionem electorum, mors verò atque infernus ad reproborum deiectionem pertinent. Mare ergo in hoc loco Baptiſmum deſignat. Quaſi igitur mare mortuos ſuos reddet, quia ſacri baptiſmatis ablutio ſancti Spiritus gratiâ electos omnes tempore reſurrectionis in conſpectu creatoris ſui mundos & immaculatos exhibebit: per mortem autem, corpora impiorum, quæ in terræ finibus mortua detinentur: per infernum: eorum animas, eoquòd in inferni clauſtris detineantur intelligere poſſumus. Infernus itaque mortuos dabit, quia animas prima morte deuoratas, quas detinet ad recipienda propria corpora remittet. Mors etiam mortuos ſuos dabit, quia corpora quæ in puluerem redegerat,*

vt virtute

Digitized by Google

vt virtute diuina per animarum ſuſceptionem viuificentur, exhibebit. Et mors & infernus miſſi ſunt, &c. Id eſt, animæ cum corporibus. Poſſumus & per mortem dæmones, eo quod ipſi auctores fuerunt mortis, intelligere. Mors & infernus in ſtagnum mittentur, quia dæmones cum cæteris impiis in infernum demergentur. Ita Ambroſ.

Andreas Cæſar: *Et dedit mare mortuos, &c. Vnumquodque corpus ex illis,* inquit, *inſtaurabitur & ſeparabitur, in quo dum reſoluebatur abierat: ſiue illud in terram illatum, ſiue in mare abiectum erat. Mors autem & infernus non ſunt viua animalia: ſicut à quibuſdam deſcribuntur. Sed mors & ſeparatio animæ à corpore. Infernus autem eſt locus obſcurus, nobiſque incognitus. Neque enim locus ille ſub ſenſum venit, qui excipit animas mortuas hinc emigrantes. Mortuæ autem illæ dicuntur, quæ actiones mortiferas ſecum deferunt. At iuſtorum animæ, vt Sapiens ait, in manu Dei ſunt, & non tanget illas tormentum mortis. Et mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis, &c. Id eſt: Nouiſſimè verò inimica deſtruetur mors, aut nequam ſpiritus. Hi enim ſunt, qui grauiſſimam deterrimamque peccati mortem conciliant, quorum etiam domicilium eſt infernus ad quem amandant omnes quotquot hîc ſibi obſequentes habent, & à iudice ad ignem condemnantur. Vt enim ciuitas dicuntur qui illam inhabitant, ita mors quoque & infernus, qui horum incolæ, vel cauſæ quoque ſunt. Cum enim omnia, quæ Deus condidit, ſint valde bona; ignis ille ea tantùm abſumere natus eſt, quæ talia non ſunt. Scriptum exſtat: Deus mortem non fecit. Per hanc igitur mortis & inferni in ſtagnum iniectionem, inſinuatur apud eos qui in libro vitæ ſcripti ſunt, nullam ampliùs mortem aut corruptionem regnum obtenturam, ſed vitam tantùm, & incorruptionem. Neque mireris ſi omnes qui in libro illo ſcripti non ſunt, in vnum ignis ſtagnum mittantur. Nam vt apud Deum & patrem multæ ſaluandorum ſunt manſiones, ita ibi quoque diuerſa erunt loca ſuppliciorum. Alia enim ſunt acerbiora, alia mitiora, quibus illi tenebuntur in æternum, qui in libro viuentium ſcripti non ſunt.* Ita Andr. Cæſ.

S. Thomas: *Et dedit mare mortuos ſuos. Hoc dicit vt oſtendat, quòd omnia corpora mortuorum hominum reſurgent, quantumcumque videantur abſorpta, &c. Qui in eo erant, ſcilicet ſubmerſi, vel proiecti, quantum ad corpora. Et dicuntur hîc mortui tàm boni quàm mali in mari ſubmerſi. Deinde loquitur de animabus, quia homo ex anima & corpore reſtituetur, & reformabitur in reſurrectione. Et mors, id eſt diabolus, qui cauſa eſt mortis tam ſpiritualis quàm corporalis. Sapient. 2. inuidiâ diaboli, &c, Et infernus, ſcilicet locus infernalis: dederunt, id eſt, dabunt mortuos ſuos, ſcilicet animas mortuorum morte naturæ, quos detinent: Qui in ipſis erunt, ante reſurrectionem. Diabolus enim detinet animas reproborum in inferno, & ita diabolus tenet eas, ſimul & infernus. Et benè iungit hæc duo, quia qui ſubiicitur diabolo per culpam, incidit in infernalem pœnam. Quod. Etiam animæ reproborum redibunt ad ſua corpora, nec eas retinere poterit ab vnione diabolus nec infernus. Multo magis autem conſtat de animabus ſanctis. Reformati autem per reſurrectionem iudicabuntur ſecundùm merita ſua. Vnde ſequitur: Et iudicatum eſt. Id eſt: iudicabitur, de ſingulis ſcilicet bonis & malis, ſine acceptione perſonæ. Secundùm opera ipſorum. Pſalm. Tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Et infernus. Hic oſtenditur iudicij executio vel effectus, quia ſicut iudicatum erit per Chriſtum, & per ſanctos ſic implebitur. Mittet enim Deus* reprobos tàm dæmones quàm homines in infernum, &c. Et poſt pauca: *Sic ergo per infernum intelliguntur dæmones; per mortem, diabolus, per eos qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, reprobi homines. Aliter per infernum, ſecundùm gloſſam, ſignantur homines reprobi, quia ſunt profundi in vitiis. Et quia debetur eis infernus, per mortem diabolus vt priùs. Deinde vt magis terreat, dat quaſi regulam. Qui damnabuntur, ſcilicet illi qui non ſunt prædeſtinati ad vitam.* Ita S. Thomas.

Richardus à S. Victore lib. 6. c. 8. in Apocalypſ. *Mare nimirum dabit mortuos: quia dabit corpora mortuorum: & infernus pœnalis: Et mors, id eſt, ipſa pœna dabit mortuos ſuos, id eſt, ſpiritus mortuorum. Et diligenter animaduertendum quod mare, & infernum, ſiue mortem dediſſe mortuos perhibuit. Terram autem dediſſe mortuos minimè dicit. Ideo nempe de terra, de qua certiſſimè conſtat, prudenter tacuit, quod de mari & inferno & morte dixit, quia quod certiùs creditur fieri, minus eſt neceſſarium dici.* Ita Richardus. Qui poſtea recapitulatione quadam præcedentium ait: *Thronus ergo magnus & candidus, immenſa & immortalis dignitas regnantis & iudicantis Chriſti. Mortui puſilli & magni, vniuerſitas generis humani: apertio librorum, reuelatio conſcientiarum mortui iudicati ex his quæ ſcripta erant in libro vitæ ſecundum opera ipſorum, condemnatio malorum ex comparatione iuſtorum: ſtagnum ignis, profunditas damnationis.* Ita Richar.

Ludouicus ab Alcazar aſſerit ad illos ipſos, quos mare viuentes deuorat, non extendi conſiderationem illam duplicis perſonæ tragicæ mortis & inferni, quæ homines occidere, & glutire dicuntur. Vulgaris quippe fictio Mortis & inferni. *Et hac de cauſa, cùm Ioannes ſignificare voluerit mortuorum neminem ab hoc iudicio excipiendum, ſapienter addidit maris mortuos: non contentus mortis & inferni vinctos recenſere.* Hæc Alcaz. Idem voluit S. Paulus, cum 1. ad Theſſalonic. 4. ait: *Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis* (ſcilicet poſtquam mortui reſurrexerimus) *in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* Quaſi dicat. A primo ad vltimum eorum, qui mortem obierunt, omnes reſurgemus ſimul. Nemo ſiquidem à generali illa reſurrectione eximetur, quamtumuis multis retro ſeculis obierit. Omnes pariter ad vitam reuocabuntur: dicuntur enim primi, non quia eorum reſurrectio tempore aut ordine aliorum reſurrectionem præcedat: ſed quia quamuis longe antea obierint, nullo modo eximendi ſunt ab illa generali regula reſurgendi omnibus præſcripta. Ex his igitur patet nullum eſſe eximendum à reſurrectione & iudicio. Effectus autem iudicij in his verbis exprimitur: *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* In qua videlicet corpora cum animabus in infernum & ſtagnum ignis detrudentur. Iam enim animæ mortuæ fuerant morte prima, dum à Deo ſeparatæ iam damnationi addictæ fuerant. Quod contigit his omnibus qui non fuerint inuenti in libro vitæ ſcripti, id eſt, omnibus reprobis.

At quia quæ poſt iudicium euentura ſunt iuſtis & electis, præcipuâ conſideratione digna ſunt, illa in capitibus ſequentibus ſub pulchris ænigmatibus S. Ioannes nobis proponit ſpeculanda. *Et quidem,* inquit Richardus à S. Victore, l. 6 c. 6. *pauca de calamitate damnandorum, & qualitate infernalium tormentorum perſtrinximus, quia tantam immenſitatem mali declarare nequimus. Vnuſquiſque ſibi interim ſolerter prouideat, ac taliter viuere ſtudeat, ne ad illam pœnam (quæ nec cogitatione comprehendi: nec ſermone poteſt explicari) damnatus in fine deſcendat.* Ita Richardus. Et hic finem nos imponimus tertiæ parti huius Prophetiæ. Quàm magna ſint præmia eorum, qui in gratia perſeuerauerunt, in quarta parte huius operis nunc declarare aggredimur.

FINIS CAPITIS XX.

PARS IV. ELVCIDATIONIS.

GRAPHICA DESCRIPTIO PRÆMIORVM, quibus cumulabuntur ſancti in Patriâ cæleſti.

CAP. XXI.

1. Pet. 3.

QVID autem vobis timendum ſit, & potiſſimùm quid vobis ſperandum poſt reſurrectionem, ſedulò attendite. Cum igitur aduenient dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur; tunc cæli noui & terra noua, in quibus iuſtitia habitat, ſecundùm promiſſa apparebunt. Liberabitur ſiquidem creatura à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Rom. 8.

TEXTVS.

Et vidi cælum nouum & terram nouã. Primum enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non eſt.

Hinc vidi cœlum nouum & terram nouam. Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Nouas & meliores qualitates cœli & terra acquirent; & quidquid in elementis craſſum, mixtum, procelloſum, perpetuis vt mare agitatum fluctibus; quidquid in corporibus mixtis impurum, inordinatum, mutationi & vanitati obnoxium; quidquid in animabus beatorum variis erat tentationibus & paſſionibus obuium, euaneſcet, qualibet tentatione perſecutione & agitatione è medio ſublatâ, itaut qui in carne adhuc ambulabant, vt cæli ſedes erunt Dei: quia puritate vitæ pollebunt; quia deſideriis cæleſtibus ad Deum continuo adſpirabunt. Tunc verè lumine gloriæ dotati, Dei ſint habitatio, thronus thalamus, in quibus commoretur, ſedeat, quieſcat: & qui firmitate fidei ſuæ immobiles in eius obſequio fœliciter olim perſeuerantes, ſcabellum fuerunt (vt terra) pedum eius, tunc immortalitate prædiri, ipſi firmiter in perpetuum ſubdantur, vt ipſi adhæreant inſeparabiliter, faciem eius ſpeculantes.

Vt autem quanta futura ſit ſanctorum merces & gloria (prout homini adhuc in carne degenti percipere licet) agnoſcerem, vobis exponere & explicare poſſem optimis ænigmatibus ac figuris; *Ecce ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem*, non illam veterem Eccleſiæ militantis figuram, ſed illam nouam in Dei viſione æternâ pace fruentem, nempe triumphantem. Is nempe, qui ex ſummâ ſui cognitione & amore, profuſiſſima bonitate extra ſe prorumpens, in creaturarum cognitionem & dilectionem quodãmodo deſcendit; qui abſtruſiſſimo ſapientiæ ſuæ conſilio quoſdam fauore ac amore præcipuo proſequens, olim è cœlo pro eorum ſalute in terris deſcendit, & accingens ſe ac extra ſe tranſiens; miniſtrans illis gloriam æternam in ſinu eorum deſcendit, cum lumine gloriæ ipſos exornans ab eis clarè, prout in ſe eſt, videtur: is ipſe nunc totam ſanctorum collectionem, eorumque manſionem ſempiternam menti meæ obiecit, & ſpeciali quadam ratione deſcendere fecit, dum ea mihi exhibuit ac repræſentauit, non prout in ſe eſt, ſed quadam deſcriptione ad noſtram infantiam noſtroſque tenues conceptus accommoda; eorum dotes; & huius

Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

A palatij pulchritudinem per aurum, cryſtallum, gemmas, arbores ac fluuios, & cætera eiuſmodi deſcribens: quia nos in terra [illegible] pretioſiora nec nouimus nec vidimus.

Eam autem intuitus ſum his ornamentis decoratam, quæ ipſi neceſſaria ſunt, vt dignè in æternum ſponſo ſuo nobiliſſimo copuletur ad ipſius ſponſi gloriam. Opus certè manuum altiſſimi qui fundauit & ædificauit eam, vt ſit ipſius hæreditas: ipſamque gloria ſua ac maieſtate circumueſtiuit atque condecorauit, vt ipſe ſit pars & portio illius in æternùm: ſic parata apparuit, ſicut ſponſa ornata viro ſuo.

TEXTVS.

Quæ quidem ornamenta ampliſſima agnoſcens B ſancta Dei Eccleſia, in cuius Prælatis tanquam in throno quodam magnificè præſidet altiſſimus; Dei ſummam bonitatem & in ſanctos ſuos liberalitatem admirans, magnâ voce intonat dicens: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Optimo iure, inquiunt Eccleſiæ Prælati, qui pauperes ſpiritu, mente humiles, corde mites, voluptatum & peccatorum oſores, fame & ſiti iuſtitiæ in vita laborantes, aliorum miſeriis compatientes, mundicordes, pacifici, & propter iuſtitiam fortiter quaſlibet pœnas perferentes; omnium bonorum affluentiam accipere, æternæ vitæ præmia poſſidere, gaudiis ſempiternis perfrui, ab omni miſeria C liberati, Dei maieſtatem clarè intueri, filiatione diuina decorari, & cum ipſo regnare licet ac decet.

Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.

Non tantùm Deus intimè ſit eis præſens: non ſolùm vltra hanc intimam vnionem, ac præſentiam ſubſtantialem, Deus in ipſis ſit ſine vllâ intermiſſione, ſingulis momentis ad eorum conſeruationem phyſicè concurrens, quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia; Sed præterea in ipſis illabatur, per gratiæ influxum, qua animarum ipſorum eſſentia intimè afficiatur, eiſque Deus immediatè vniatur, ſitque illa gratia in ipſis conſummata, perpetua, inamiſſibilis, remanſura in omnem æternitatem, itaut fortius in Deum cognitione & amore ferantur, eique firmiùs & intimiùs inſeparabiliter inhæreant. Videant eum ſicuti eſt. Videant voluptatem Domini: teneant eum nec dimittant. En videris quale ſit tabernaculum Dei cum hominibus. En percipitis quomodo habitet in eis, & quanam ratione ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus: Quomodo non Deus abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum, cum in ipſo poſſideant fontem omnium bonorum? Quomodo mors adeſſet, & non exularet, vbi adeſt vitæ origo? Quid lugendum eis, qui voluptatis torrente potantur? Quid clamandum eis, quorum deſideria omnia explentur, qui æternâ pace, & opulentâ requie fruuntur, quibus ipſa mala perpeſſa & perſecutiones toleratæ, exantlati labores in tantam ceſſerunt dulcedinem, fælicitatem, requiem? Quid do-

Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra quia prima abierũt

Digitized by Google

lendum eis, quibus inamiſſibilia præparantur gaudia: Gaudium enim ipſorum nemo toller ab eis: nulla fier diuulſio potentiarum ab obiectis conuenientibus ſibi, qua dolor cauſetur: ſed quidquid appetere aut deſiderare potuerint, in perpetuum poſſidebunt. Sic igitur *Deus abſterges omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor, neque clamor erit vltra: quia prima abierunt.* Hæc forti voce inculcant Prælati Eccleſiæ fidelibus vt magnitudinem gloriæ cæleſtis, diuinæ bonitatis, & miſericordiæ erga electos manifeſta ſigna meliùs ipſis repræſentent: ſicque omnes excitent ad gloriæ huius ardens deſiderium & proſecutionem, per opera ſancta, diuina, eaque ardua.

TEXTVS.

Non mirum igitur ſi is, cuius ſpiritu inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, qui loquitur in Prophetis, qui in Eccleſiæ Prælatis autoritatem & poteſtatem ſuam exercebat: ac ſi iam exequeretur quæ in conſummatione ſæculorum perfecturus eſt, dixerit mihi: *Ecce noua facio omnia.* Pro fide viſionem, pro ſpe poſſeſſionem, pro deſiderio fruitionem animabus veſtris confero. Pro doloribus & angoribus impaſſibilitatem impertior. Pro grauedine corporum agilitatem: pro craſſitie, ſubtilitatem elargior: & qualibet maculâ & rugâ, turpitudine aut deformitate ſublatâ, decoro lumine induemini. Sic inſuper cœlis & elementis repurgatis, & perfectioribus qualitatibus inſignitis, noua facio omnia. Quæ vt omnibus innoteſcant, ecce mando tibi vt litteris eadem conſignes. *Scribe* igitur: *quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera.* Nullus expectatione fraudabitur: & quàm vera ſint, exitus tandem comprobabit. Quæ enim promiſi, adimplebo. Quæ incæpi, perficiam.

Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia: Et dixit mihi. Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

Talia factus rationem addidit, qua poſſem faciliimè coniicere hæc omnia euentura fore. Etenim dixit mihi: *Factum eſt. Ego ſum α & ω: initium & finis.* Creaui cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſuis, ſuos proprios fines vnicuique rei aſſignaui: inter hæc Angelos & homines procreaui, qui per media conuenientia ad fœlicitatis meæ participationem peruenire valerent. Eadem media omnibus propoſui, quibuſdam efficaciter contuli, nolentibus & reſpuentibus pœnas minitatus ſum. In malo perſeuerantibus ſupplicia addidi. Oblatâ gratiâ bene vtentibus, & in bono perſeuerantibus præmia, quæ repromiſeram, largitus ſua. Hoc autem totùm factum eſt quia ego ipſe, qui α & initium nuncupor, vt auctor omnium, ipſe ω rectè dicor, quia conſummator & perfector ſum eorum omnium quæ creaui, condidi, & ad finem quemlibet deſtinaui. Vno verbo dicam: operi meo vltimam manum impoſui: & in ſtatu, in quem nunc cũcta reducta ſunt, in eo in perpetuas æternitates permanebũt. *Ego*, aiebat ipſe, *ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Ac ſi diceret: ego quidem ſum fons bonorum inexhauſtus, de quo non hauriunt niſi qui ſitiunt. Sitiunt autem, qui ſpiritu Dei aguntur: qui eius impulſu, meo deſiderio flagrant. Deſiderio autem meo flagrant, quibus datus eſt gratis Spiritus ſanctus, per inhabitantem gratiam Dei in eis. His dabo de fonte aquæ vitæ gratis: quia etſi iam poſſeſſores ſint in patria ſummi boni: adeo amabile & delectabile eſt illud bonum ſupremum, vt ſemper ament, & ſemper amare deſiderent: ſicut & ſemper vident, & ſemper videre deſiderant. Hinc, non dico, do de fonte: ſed potius, Dabo: quia ſemper daturus ſum. At licèt gratuitò dono potiantur, cum eis prima gratia collata fuit, qua primùm meo amore accenſi ſunt, vt ſitirent & ad me venirent, ſicque de virtute in virtutem progreſſi fuerint, vſquequo viderint Deum deorum in Sion, reuelataque facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformati fuerint à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, nihilominus ad hanc gloriam poſſidendam nemo peruenit, niſi reportatâ de hoſtibus victoriâ. Qui enim mundum, carnem & diabolum vicerit, poſſidebit hæc. *Et vero illi Deus: & ipſe erit mihi filius.* Me ſupra omnia diliget, & ſupremo colet honore. Ego vt filium hæredem bonorum meorum ipſum conſtituam. Talis erit finis & exitus eorum qui mandatis meis obſecuti fuerint. *At timidis*, qui perſecutionibus tyrannorum ceſſerunt, eiſque conſenſum præbuerunt: qui concupiſcentiis non reſtiterunt & præ ignauia & mollitie nimia, carnis curam fecerunt in concupiſcentiis: qui ſatanæ tentationibus & impugnationibus ob debilitatem fidei, obtemperarunt & puſilli corde, ſi quid laboris reperiatur, ſi quid difficile aut arduum in mandatorum meorum obſeruantia, pedem à via mandatorum meorum retraxerunt, & retro abierunt incredulis (, qui veritati propoſitæ non adhæſerunt, dixeruntque: *Vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ*, execratis iis nẽpe qui propter contumaciam, à fidelium communione excindi meruerunt, erroribus variis attendentes, & corruptione morum alios inficientes: *homicidiis*, qui aliis nociui fuerunt: *fornicatoribus*, qui in proprium corpus fœdè peccauerunt; *Veneficis*, qui magiæ, & incantationibus, & maleficiis dediti fuerunt: *& idololatris*, qui Deo vero terga & dorſum verterunt, creaturæ potiùs quàm creatori ſeruientes; *& omnibus mendacibus*, id eſt, quomodolibet in Dei mandata impingentes, aliud ſæpè profitentes, & aliud facientes, hypocriſi & fraudibus à veritate recedentes: *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Talis autem tandem erit ſors eorum, qui propter ſuperbiam cordis, ab eo qui fecit eos diſceſſerunt.

Et dixit mihi. Factum eſt. Ego ſum α & ω initium & finis.

Ego ſitienti dabo de fonte vitæ gratis.

A ... B ... C (margin section letters)

TEXTVS.

2. Cor. 3.

Qui vicerit, poſſidebit hæc. Et ero illi Deus: & ille erit mihi filius.

2. Pet. 3.

Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure quod eſt mors ſecunda.

At oportet vt tantæ ciuitatis ſplendorem & fœlicitatem diſtinctiùs vobis repræſentem, itaut ardentiori deſiderio ad eam poſſidendam animos erigatis. Quod reuera abſque Angelico auxilio minimè quidem præſtare poſſem. Veniat igitur vnus è cœli ciuibus, qui mentem inſtruat, & ænigmatibus congruis nobis eius deſcribat gloriam. Hoc autem præſtitit vnus ex ſeptem illis Angelis, qui habebant phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, nempe primus, qui effudit phialam ſuam in terram, functionem primariam Prælatorum Eccleſiæ (qua contra Chriſti Regni hoſtes potenter inſurgunt) adumbrans, nempe vt per prædicationem veritatis, homines à tenebris ignorantiæ & peccatorum eruantur) quæ ſtatim atque radios ſuos vibrauit. Mox apparuit quanta ſit hominum in peccatis & erroribus viuentium turpitudo: & quàm ſæuo ac peſſimo vulnere peccatum originale infecit genus humanum apparuit per eos qui habent characterem beſtiæ, & qui adorant imaginem eius: qui videlicet quidquid ingenij, quidquid autoritatis habeant, ad hoc impendunt vt regnum ſatanæ firmas radices agat, & ramos ſuos vndequaque extendat, vel ſaltem iuſſis ac legibus ipſius morem gerant, eiſque obtemperent.

Et venit vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis. Et locutus eſt mecum dicens.

Congruum igitur fuit, vt qui potuit peccati maculam ac fœditatem hominibus depingere, ac optimè repræſentare, is ipſe valeat ſplendorem gratiæ perfectæ & conſummatæ ingenuè adumbrare. Proinde ipſe locutus eſt mecum dicens: *Veni & oſtẽdam tibi ſponſam, vxorem agni.* Vt de rebus cæleſtibus cogites, vt ad cæli gaudia toto anhelitu aſpires, præuia debet eſſe diuina inſpiratio. Audi igitur me te inſpirantem: voci meæ obtempera, & ad meum impulſum ſeu inſtigationem, deſidera ardenter in cognitionem deuenire eorum quæ requiruntur, vt Deus electos ſuos in ſempiternum diligat, ſinguliſ-

Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni.

que ipſorum dicat: *Sponſabo te in ſempiternum*; & fiat vnio Dei cum ipſis, indiuiduam vitæ conſuetudinem & cohabitationem in perpetuum complectens: Mox oſtendam tibi ſponſam vxorem agni: eos nempe quos elegit, & charitate perpetuâ dilexit, vt in ipſo maneant, & ipſe in illis.

Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum. Et oſtendit mihi ciuitatem ſanctã Ieruſalem, deſcendentem de cælo à Deo.

Quo audito, ab eo loco in quo corporaliter degebã nullo modo diſcedens, ſtatim ab omni phantaſmate mens mea abſtracta fuit: diuinoque planè lumine colluſtrata, ſe ad intuenda ea quæ illi obiecta fuerent tota cõtulit; vt per corporales ſpecies & imagines, ſpiritus conciperet quæ ſpetanda veniunt iis, qui ad cæleſtem anhelant patriam. Quod quidem, quia ad eos tantùm pertinet, qui humana & terrena cuncta tranſcendunt, hinc viſum eſt mihi me in altum montem magnum & latum conſcendiſſe, ibique omnia inferiora deſpiciens, ad ſuperna contemplanda eleuatus ſum. Et quia ſanctorum gloriam, ſicuti in ſe eſt, homini in carne degenti contemplari non licet, hanc eorum fœlicitatem, gloriam & honorem coniectare licuit ex pulchra deſcriptione ciuitatis & Palatij, in quo ſunt commoraturi. Oſtendit igitur mihi ciuitatem ſanctam, nempe cœleſtem beatorum manſionem, vt ex eius pulchritudine, fælicitate & gloria colligerem, & aliis colligendum mecum relinquerem, quanta ſit ſponſæ, id eſt, beatorum, fælicitas & gloria: Vidi igitur illam deſcendentem à Deo: quia Deus per Angelum ſuum mihi tertio ſuo ſigna & ſymbola miſit, per quæ hanc gloriam & concipere, & concipiendam Eccleſiæ ſuæ proponere valerem. Hanc proinde, primo intuitu conſpexi, habentem claritatem Dei, eximiam nempe & admirabilem, & planè diuinam illuminationem vt pote opus manuum altiſſimi, & emanationem quandam ſempiternæ lucis. Eoque inſtanti, quo oculus meus corporeus hoc ingenti lumine recreatus fuit, eodem mente & ſpiritu percepi omnes beatorum mentes lumine intellectuali gloriæ debere colluſtrari, vt ad Dei viſionem pertingant, eorumque corpora lumine decoro exornanda fore. Et quia hoc lumen mentis & corporis perenne futurum eſt, nec per tranſennam, ſed permanenter mentibus & corporibus, beatorum adhærebit; ideo non quaſi lumen fluidi aëris, aut nubis alicuius euaneſcentis, menti obiectum fuit; ſed quaſi quædam qualitas in materia ſolida reſidens: lumen ciuitatis illius ſimile mihi apparuit lumini in lapide pretioſo inhærenti, & in tenebris etiam collucenti, tanquam in eo incluſa luce, non tranſmiſſa; & potiſſimum ad viriditatem & firmitatem iaſpidis vergebat, vt ſignificaret hac luce & clara viſione Deum recreare & confirmare & oculos & mentes beatorum, idque conſtanter, & iugiter, in æternùm: quin & fidei in via infuſæ reſpondere, vt ſicut beati audiuerunt, ita videant, vt qui per fidem ad viriditatem ſpei euecti fuerant, iam poſſideant quod ſperauerunt, & qui ex ſuâ creatione & molitione naturam idoneam acceperant quæ ex gratia Dei eleuaretur ad Dei conſortium, iam iſtâ gratia conſummatâ ad ſuum reducti Principium immarceſſibili ſeu ſemper viridi gloriâ fulgeant. Iaſpis iſte pellucebat tanquam cryſtallus, tum ob intimam eſſentiæ diuinæ à beatis mentibus penetrationem, tum ob claritatem intimas partes corporum beatorum penetrantem, ſeu etiam peruadentem.

Habentem claritatem Dei.

Et lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallũ.

Nec timendum ipſis quòd inuidia diaboli ab eâ vnquam excidant gloria. Habet iſta ciuitas murum magnum, id eſt, in ampla diſtentum ſpatia & inſigniter eleuatum: ſiquidem gaudet inſuperabili Dei protectione. Non enim eſt ſapientia aut conſilium contra Dominum. Dentibus fremat & tabeſcat aduerſarius: nihil obtinebit: ſeductionibus, tenta-

Et habebat murum magnũ & altum.

A tionibus, vexationibus ipſius nullus dabitur locus. *Sedebit populus Dei in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Iſa. 32.

Habentem portas duodecim.

At quamuis nulli hoſtium ingreſſus pateat, habet tamen murus iſte portas duodecim, quibus ingredi valeant quotquot digni habebuntur tanta gloriâ & fælicitate. Quibus videlicet portis potiſſimum intelliguntur ſeu ſignificantur ij actus, ſeu ea opera, quæ ſecundum præſentem quam habuerunt iuſtitiam, cum exequerentur à beatis, dum adhuc erant viatores, ipſis hanc vitam beatam (qua potientur, cum in cælo fuerunt admiſſi) meruerunt: Itaut quicumque in corpore degens quemlibet ex iſtis actibus, exercuerit, nouum ſibi ius (toties quoties in actus proruperit) ad gloriam iſtam comparatit. Ij
B autem actus, vt ab Angelis inſpirati fuerunt, omnimodè diuini ac ſupernaturales. Ij ſiquidem tantum introducuntur, qui non ex ſanguinibus, nec ex volũtate carnis, nec ex volũtate viri, ſed ex Deo naſcũtur. Nam Deus cum inferiora per ſuperiora regat, Angelos deputauit, quibus ſinguli ad bonũ ſupernaturale promouerẽtur. Ideo ad ſingulas portas ſinguli præſident Angeli. Ad illos enim pertinet beatos introducere in cœlum, qui præceſſerunt eos, & cuſtodierunt eos in via, iuxta quod olim promittebat Deus Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui.*

Et in portis Angelos duodecim.

Qui igitur voci eorum Angelorum obedientes,
C tales actus exercuerunt his proculdubio peruius erit aditus, & facilis ad hanc ſummam fælicitatem acceſſus. Et cum ad ipſos Angelos pertineat ſeparare oues ab hœdis, optimè dignoſcent quinam mereantur, hanc ingredi ciuitatem: nec eos aliquis per fraudem corrumpere, vel per violentiam eorum cuſtodiam eludere poterit.

Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael.

Vt autem diſtinctius & enucleatius ea media, quibus paradiſus eſt hominibus peruius, dignoſcerem; Ecce vidi ſuper portas nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël. Qua ratione percepi eos omnes, qui gloriam hanc adepturi ſunt, filios debere eſſe Iacob cui Iſaac (in quo Abrahæ vocatum erat ſemen) benedixit, vt eius filij deputarentur ſecundùm fidem in ſemine Abrahæ,
D qui Pater eſt omnium credentium. *Non enim qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Rom. 9. Æſtimantur porro in ſemine qui habent ſignaculum hoc: *Nouit Dominus qui ſunt eius.* 2. Cor. Hos autem nouit Dominus ſuos eſſe, quos ſignauit, & quibus dedit pignus ſpiritus in cordibus ſuis illos verò ſignauit, in quibus tandem promiſſiones & benedictiones olim factæ duodecim tribubus Iſrael, fuerunt fæliciter conſummatæ. Hinc oportet vt ſingulæ portæ, per quas ex omni mundi parte fideles cuncti ad hanc veniunt ciuitatem, nominibus duodecim tribuum inſignirentur. Illis enim tantum patebit acceſſus, qui ſecundum Iſaac promiſſionis Gal. 4.
E filij fuerunt, & ſecundum promiſſionem hæredes, Gal. 3.
Abrahæ ſemen extiterint.

Nomina autem tribuum, ſi conſummationem promiſſionum ſpectemus, hæc ſunt. Iudas, Ruben, Gad, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Simeon, Leui, Iſachar, Zabulon, Ioſeph, Beniamin: quibus quidem diſtinctè ſignificantur, actus ſupernaturales, per quos quilibet poteſt ſibi ius comparare ad gloriam. Cum enim corde credatur ad iuſtitiam, ore autem fiat confeſſio ad ſalutem, hic actus confeſſionis fidei, per Iudam (qui interpretatur confeſſio) denotatur, cum nullum aliud ſit nomen: in quo oporteat nos ſaluos fieri, quàm nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. In illo tantum ſperare oportet. Cuius ſpe iactus ſignificatur per Ruben, cuius interpretatio eſt: *Videns filium.* Ille enim verè videt filium

Digitized by Google

qui in eo omnem ſuam reponit & collocat ſpem. A Et viciſſim Deus eius humilitatem videt, vt eum diligat, qui nihil de ſe præſumens, in Domino ſolo gloriatur & confidit.

Hac ratione, cum omnia poſſit in eo qui eum confortat, verè Gad dicitur, quia fœliciter & proſperè aget in omnibus, & ſe accinctum & ad omnia paratiſſimum Deo offerre poterit. Cum nemo ad beatitudinem peruenire poſſit, qui non ad eum totis viribus aſpirauerit, cum eo qui aiebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem:* Hoc clarè innuitur per Aſer nomen, id eſt, beatus: quo quidem deſiderium beatitudinis exprimitur. Cum talia nobis præparare præceptum ſit, qualia nobis apponuntur in menſa ſummi Principis, B & nos comprehendere oporteat, qualiter & comprehenſi ſumus: & labor mercedi, eximiæ quantum licèt, reſpondere debeat: ſub Nephtali nomine, quod æquiparationem ſonat, nobis hoc iniungitur. Conſopiat talis conatus omnes mundanos motus. Obliuioni omnimodo detur omnis mundana proſperitas, ſeu mundanum gaudium, vt tanti boni ſemper memores ſimus audiamus dicentem: *Audi filia, & vide; & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum & domum Patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum.* Hac ratione nomini Manaſſes, quod idem eſt ac apud nos obliuio, actus noſtros conformabimus. Quæ retro ſunt obliniſcentes, & ad anteriora nos extendentes, ad Deum confidenter deſideria noſtra dirigamus, qui pauperum deſideria & preces exaudit, aures ſuas aperiet. Sic exauditionis erimus filij nempe Simeonis, cuius nomen exauditionem votorum matris ſuæ in memoriam reuocat. C

Quid autem deſiderare, quid à Deo poſtulare debemus? Vt cum eo vnum quid efficiamur. Et de hac re admonemur ex nomine Leui, quod copulatum ſignificat. *Qui* enim *adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.*
1. Cor. 5.
Sic merces & præmium erimus eius qui pro nobis mortuus eſt, vt iam ſi viuimus, non nobis viuamus, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit. Huius verò præmij, paſſionis & mortis Chriſti nomen Iſachar memoriam inculcat: quia mercedem ſonat. D Omnino copulati Deo, addicti Chriſto per veram charitatem manebimus, & ipſe in nobis. Cuius mutuæ inhabitationis ſignum datur, cum Zabulon, id eſt, habitaculum, nobis ob oculos proponitur: vt talis anima dicat: Dotauit me Dominus dote bona. Etiam hac vice mecum erit Deus meus. Tanto hoſpite gaudentes, incrementa gratiæ & gloriæ nos accipere oportet, & de virtute in virtutem aſcendere. Beatus enim cuius eſt auxilium à Domino. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: & benedictionem dabit legiſlator, vt eat de virtute in virtutem, donec tandem verè filius accreſcens, ſeu Ioſeph videat propter hoc Deum Deorum in Sion. Creſcat & incrementa capiat, dum erit in viâ; & ad talem E perfectionis gradum perueniat, vt verè ſit filius Benoni ſeu doloris, plurima pro Chriſto patiens, & pro iuſtitia agonizans. Sic enim deueniet Beniamin, id eſt filius dexteræ, & in perpetuum ſedebit in gloria, cum eo qui dixit: *Qui vicerit, dabo ei ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius*, hœdis ad ſiniſtram relegatis, ipſo à dextris fœliciter repoſito. Hæc ſunt quæ meditanda veniunt in iis nominibus, quibus media ad ingreſſum beatitudinis conducibilia poſſunt ſignificari. Nec immeritò ex eorum ſignificatione ad talia
Gen. 29. 30. 41.
conſiderãda euehimur: Sicuti enim iuſtis & optimis rationibus olim fuerunt impoſita duodecim Patriarchis, ita nunc meritò vſurpantur à nobis, vtquos aditus cœlũ habeat, rimari & perſcrutari valeamus.

Ad quatuor mundi ſitus portæ iſtæ collocantur. Ab oriente videlicet portæ tres. Ab aquilone portæ tres, & ab auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres: vt intelligamus omnes omnium gentium fideles & ſanctos, qui ſunt ſpiritales filij Iacob, & Abrahæ, ex quatuor mundi plagis vndequaque ad cæleſtem Hieruſalem confluxuros, tam pauperes quàm diuites, tam plebeios quàm nobiles, tam Barbaros quàm Græcos. Nulli enim, qui actus gloriæ æternæ ex Dei liberalitate & promiſſione Mediatoris exercebit, aditus præcluderur, ſiue ſit in oriente ſuæ vocationis, ſiue in aquilone tentationum & probationis, ſiue in meridie eminentis iuſtitiæ & virtutis, ſiue etiam in occidente mortis tardè ad Deum conuertatur.

TEXTVS.

Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.

Nec mirum ſi hæc cæleſtis manſio ſit ab omnĩ impugnatione & ſubuerſionis timore omnino libera: habet ſiquidem murus ciuitatis fundamenta duodecim firmiſſima, in quibus ſunt duodecim pariter nomina duodecim Apoſtolorum agni, ſicuti in portis inſcripta fuere nomina duodecim Patriarcharum. Apoſtolorum autem nomina ſunt hæc. Petrus, Andreas, Iacobus, Ioannes, Philippus, Thomas, Mathæus, Iacobus, Thadæus, Simon, Mathias. Ideo enim beati diuina protectione gaudent, & ab omni externâ infeſtatione & moleſtia ſunt liberi: quia duodecim potiſſimùm veritatibus reuelatis, & per duodecim Apoſtolos agni per vniuerſum orbem prædicatis firmiter adhæſerunt. Ne autem obſtupeſcerem nimis qua ratione homines adeo ingrati Deo, adeo ſceleſti, adeo ad minus fragiles & imbecilliotis naturæ, quibus nihil à ſummo Deo debetur: vt ipſos ad tantam gloriam eueheret, eos nihilominus tantis donis cumularet, tanto decore circumueſtiret, tanta fœlicitate bearet: cur id fieret intellexi, ex eoquod is qui loquebatur, mecum habebat menſuram arundineam auream, qua ciuitatem metiretur, & portas & murum. Qua quidem ratione didici omnes iſtius ciuitatis incolas occurſuros Chriſto, dum procedet ad iudicandum vniuerſos homines in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis ipſius. Cum enim Chriſtus ſit quaſi hypoſtaſis, anima, & vita Eccleſiæ; ad menſuram plenitudinis Chriſti, debet Eccleſia dona recipere: vt corpus animæ ita commenſuretur, vt quæcumque in Chriſto ſunt virtutes per operationes congruas in corpore & per corpus ipſius, oculis pateant & maniſeſtentur. Peruentos igitur fuiſſe omnes fideles, qui hanc ciuitatem incolunt, in corpus perfectum, & ad ſtaturam iuſtam & conſiſtentem (vt in eo Chriſtus quæcumque ad gloriam Patris ſui operari intendit, operetur) perſpexi, cum qui loquebatur mecum menſus eſt ciuitatem menſurâ iſtâ arundineâ aureâ, quin & metiendo portas & murum intellexi omnem gratiam à prima ad vltimam à Deo per Chriſti merita electis fuiſſe collatam; deinde quod primò ſicuti per verbum omnia à Deo omnium rerum fonte procedunt, ita per verbum ad ipſum tanquam ad vltimum finem omnia reducantur. Electi quippe finis ſunt, propter quem Deus omnia creauit: horum vero omnium finis eſt Chriſtus, vt homo. Hæc enim gloria per ſe tali homini debebatur, ſcilicet vt omnium creaturarum & hominum eſſet finis, vt omnia illi ſeruirent, vt omnia ad eius gloriam ordinarentur; Chriſtus autem ſit propter Deum, & Dei gloriam. Electi enim Chriſti ſunt, Chriſtus autem Dei, cui tradet in finem regnum, cum ſubiecerit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Ad menſuram igitur Chriſti menſurantur portæ, quia cum ſit oſtium; nulli niſi per eum patet aditus ad hanc ciuitatem. Nulla actio, qua ius habeamus ad gloriam, erit meritoria, quæ non fuerit ex

Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

Et qui loquebatur mecum habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius & murum.

gratiâ per merita ipſius datâ profecta. Menſuratur murus, quia conſummata illa electorum fœlicitas, & inamiſſibilis gloria, ex protectione diuina talis eſſe debet, qualem eſſe exigit Chriſti gloria: cui propter ſummam eius humilitatem voluit Deus dare nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genuflectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris; & die illa cantetur canticum iſtud à Beatis in terra Iuda in Eccleſiâ cœleſti in qua erit æterna Dei laus & confeſſio: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator: ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem.* (Iſa. 26. hunc locum intelligit D. Hieronym. de Eccleſia
B Triumphante. Vide Cornel. in hunc locum.) At non tantùm ex firmiſſimo & altiſſimo muro colligenda eſt firmitas huius Cœleſtis manſionis. Ex commodiori perfectiori, ac fortiori eius configuratione etiam hoc colligere licet. Hæc ſiquidem ciuitas in quadro poſita eſt. Quæ figura quadrangularis erat æqualibus lateribus conformata longitudo quippe eius tanta eſt quanta & latitudo. Vnde non tantùm quadrangula, ſed & quadrata, & æquilatera apparuit Quanta autem eſſet longitudo didici ab Angelo, qui de arundine aureâ menſus eſt ciuitatem per ſtadia duodecim millia. (*Duodecim mille ſtadia faciunt milliaria* 1500. *Italica*) Longa igitur
C erat duodecim millia ſtadiorum integrorum, æquè ac lata. Quam quidem capacitatem per ſtadia

Textvs.

denuncio, vt hanc ciuitatem occupari cogitetis ab iis qui in ſtadio vitæ huius currentes fideliter decertarūt. Horum merita & actus menſurantur per eum, qui ſingulariter iuſtus, debet eſſe menſura aliorum iuſtorum. Qui licet propter infirmitatem carnis quàm aſſumpſit, arundineus dicatur, aureus tamen eſt propter diuinitatem. Per eum victores euaſerunt, quicumque fideliter in ſtadio vitæ humanæ decertarunt. Vnde optimè per eum tota ciuitas menſuratur: quia ſinguli Beatorum pro eius gloriâ & honore ad hanc fœlicitatem euecti fuerunt. Cum autem in vertice magnis & alti montis conſtructa ſit, adeo ampla eſt eius montis planities, vt hanc longitudi-
D nem ac latitudinem poſſideat ita æquabiliter, vt nulla domus aut muri pars in altiori ſolo extructa conſurgat. Longitudo quippe, & altitudo, & latitudo ſuperficiei, in quâ ſita eſt, æqualia ſunt. Muri aut in ſublime erectio ſeu altitudo erat centum quadraginta quatuor cubitorum. (*Cubitus vſualis tenet pedem & dimidium, id eſt, tantam longitudinem quanta eſt a cubito brachij vſque ad manum, ſecundum aliquos. Secundũ vero alios tenet duos pedes. ſ. tantum ſpatium quantum eſt à cubito brachij vſque ad ſummitatem digitorum quod eſt magis veriſſimile iudicio meo.* Ita Nicolaus de Lyra in Gen. c. 6.) Talem enim eius eſſe menſuram didici, cum Angelus, qui loquebatur me-
E cum, illum dimenſum eſt, menſurâ hominis, quæ eſt Angeli, toties videlicet muro applicando menſuram illam perfectæ hominis ſtaturæ adæquatam, quam in manu gerebat. Cum enim perfecta ſtatura hominis ſit quatuor cubitorum, trigeſi ex ſexies & ea menſura ſeu hominis ſtatura per Angelum repetenda fuit, vt ad ſummitatem muri huius deueniat. *Arabicus vertit,* inquit Cornelius *ſtatura hominis quæ eſt longitudinis Angeli D. Hieron. & paſſim veteres vocant cubitam quæ menſuram quæ à curuatur à brachij vſque ad extremum manus & digitorum protenditur, quæ eſt quarta pars hominis non autem à flexu brachij ad manum tantum qua ratione cubitus eſſet ſexta pars hominis. Cornelius hic.*

Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo. Et menſus eſt ciuitatem de arundine aurea, per ſtadia duodecim millia. Et longitudo, & altitudo & latitudo eius æqualia ſunt.

Bonitate infinita igitur Deus hanc ciuitatem condere inſtituit: ſapientia ſumma ſtructuram illius ex-
A cogitauit. Potentiâ ineffabili, quæ meditatus fuerat adimpleuit. Vnicuique ciuium illius locum aſſignauit, prout iuſtum & æquum ad ſui nominis gloriam manifeſtandam eſſe determinauit. Hanc non ſolùm ab omni incurſu & oppugnatione cuiuſlibet aduerſarij tuetur, ſed etiam adeo firmam eſſe voluit, vt nunquam à tanta gloria excidere valeat: tum quia animæ rationales & Spiritus Angelici, naturam à Deo immortalem acceperunt, tum quia corpora hominum eadem immortalitate & liberalitate diuinâ potiri debeat, tum quia lumine gloriæ, intellectus hominum & Angelorum Deum ſemper videbunt & contemplabuntur, tum quia charitate perpetua eorum voluntas Deo ſemper coniuncta remanebit. Hæc ciuitas in hoc & illo: quadro poſita nunquam deſtrui aut euerti poterit. Longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo; tum quia ſicuti viſione intellectus in Deum aſcendit (hæc eſt eius longitudo) ita charitate Deo voluntas ſemper adhærebit (hæc eius eſt latitudo) tum quia æterna eſt hæc fœlicitas, quam ſic infinitam deſignat longitudo veluti eius latitudo ſignificat quod ad omnia obiecta rationabiliter appetibilia, eius gaudia extenduntur. In æquali ſolo poſita eſt, propter concordiam & ſocietatem Beatorum, eorumque maximam familiaritatem & admirabilem proportionem. Longitudo enim eius, & altitudo, & latitudo, æqualia ſunt. Eius latitudo eſt duodecim mille ſtadiorum, ſicuti & latitudo: vt intelligamus hanc ciuitatem eorum eſſe tantùm, qui duodecim Patriarcharum, & duodecim Apoſtolorum Agni filij ſint, ſecundùm promiſſiones, quibus pro victoriis in ſtadio vitæ reportatis debetur perpetua & perfecta retributio & fœlicitas: vt verificetur illud Iſa. 60. *Populus tuus omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram*: germen plantationis meæ, opus manuum meæ ad glorificandum minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam; cum vnuſquiſque Patriarcha aut Apoſtolus mille ſtadia ciuitatis impleuerit, ex eis qui per eorum miniſterium ad Deum peruenire debent.

Textvs.

Et quia diuina protectio & inamiſſibilis gloria huic ciuitati non debetur, niſi quatenus natura humana talis eſt, quod ad Dei viſionem per gratiam Chriſti Angelorum & hominum capitis, ſicuti Angelus, poteſt eleuari; ideo Angelus, qui loquebatur mecum, menſus eſt murum erit centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli. Angelus quippe Deum videre & amare poteſt. Tanti boni poteſt etiam homo eſſe particeps. Hâc de cauſâ factum eſt vt Deus totam electorum multitudinem coëgerit in vnum, & eos ab omni malo immunes, omni fœlicitate & gaudio repleat. Quod vt fiat, murus ciuitatis, quam incolere debent omnes Beati, tam altus eſſe debet, vt homines & Angeli de honore (quo Deus eos honorare voluerit) ita ſecurè potiatur vt nihil eis noceat, nihil eos conturbet, nullus eis negotium faceſſat, moleſtiam inferat. Hanc autem altitudinem obtinebit, ſi menſura perfectæ ſtaturæ hominis (quæ quatuor eſt cubitorum, qualis magnitudinis erat calamus, quem gerebat in manu iſte Angelus) trigeſies ſexies ducatur, vt ad centum quadraginta quatuor cubitos perueniat. Omnis quippe labor, qui per numerum ſextum deſignatur, ſuperatur trigeſies, id eſt, omnimodè; ob perfectam adorandæ Trinitatis comprehenſionem quam nobis meruit Chriſtus, qui laborũ noſtrorum particeps, per actus brachij ſui potentiſſimi heroïcos & planè diuinos, nos ad centeſimum fructum afferendum, ad pœnitentiæ actus & perſeuerantiam finalem prouocauit; & vtales fructus perfectionis dignoſque pœnitentiæ

Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum menſura hominis quæ eſt Angeli.

Digitized by Google

& perſeuerantiæ afferre poſſemus, obtinuit. Quia igitur omnes ſancti pertranſierunt quoſcumque labores, oportet quos in exultatione metunt, portantes manipulos ſuos, & hoc per merita & gratiam Chriſti; Ideò alto muro proteguntur, qui & operibus perfectionis & pœnitentiæ fructibus & perſeuerantiæ ipſorum optimè reſpondeat. Hunc enim murum extruxit Deus, habita ratione laborum & præmiorum, quibus erat capax natura humana, eo ipſo quo ipſi per Chriſti merita gratiam & gloriam largiretur. Ideo menſura hominis trigeſies ſexies fuit ducta, vt hanc altitudinem obtineret. Oportet nempe vt murus coæquetur fœlicitati, quam ſecurè poſſidere debet homo ſicuti Angelus, vt habitet in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta, abſque vllo timore, aut animæ perturbatione.

TEXTVS.

Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide.

Non ſolum autem ex forma hæc ciuitas firmitatem & pulchritudinem nanciſcitur ſed etiam ex materia. Erat enim ſtructura muri eius ex lapide jaſpide. Iaſpis autem lapis eſt firmiſſimus, varij coloris, virens & pellucidus, & multigenæ virtutis, & præcipuè continentibus fauet, & inimica phantaſmata fugat: quo Dei fortitudinem, qua ciuitatem hanc tuetur; amœnitatem, quâ ciues & incolas oblectat & recreat, percepi; eoſque ibi exiſtere animaduerti, non tanquam in loco quodam incluſos, in quo nihil eorum quæ extra ſunt & fiunt poſſent cognoſcere; ſed in luciſſimo domicilio, in quo cuncta ſunt oculis obuia, cum illis facillimum ſit cuncta etiam extra ſepta huius vrbis intueri, quæcumque illa ſint, propter pelluciditatem & diaphaneitatem iaſpidis tranſparentis. Et vt iaſpis caſtitati & puritati amicus omnia phantaſmata fugat, & continentibus fauet, ſic omne immundum per hunc murum excluditur, vt huius vrbis hoſpites Deum pacificè collaudare valeant. Quàm autem ſolidæ varietate pulchræ & iucundæ, nitidæ ac perſpicuæ ſint domus & manſiones ciuium omnium habitantium in ea, didici à materia ſolida ductili ac fuſili, mundiſſima & pellucida, ex quâ conſtructæ ſunt à ſummo rerum opifice ipſa ſiquidem ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Nec enim decet aliquid in abſcondito fieri, quod celari debeat iis quibus vna eſt mens & conſtans concordia, qui inuicem ſe adhortantur ad benedicendum Deum ob ingentia vnicuique collata beneficia, dicentes: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum*, ideo etſi ob æternitatem manſiones illæ ex materiâ ſint incorruptibili, attamen pellucidæ ſunt, & vnuſquiſque ex aliorum gloria & beatitudine laudandi Deum, occaſionem nanciſcatur & ſumat Et quia diuerſæ ſunt manſiones propter diuerſitatem meritorum, ex auro ductili & fuſili conſtruuntur: nam ſapiens artifex vnicuique meritis ſingulorum congruam exædificat manſionem.

Ipſa vero ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo

Nec mirùm ſi tàm ſecurè degunt in hac ciuitate eius incolæ, imperturbato & inamiſſibili perfruentes gaudio. Quidquid enim voluntatem diuertere, intellectum offuſcare, fœlicem hunc ſtatum in minimo immutare poſſet, longè remouetur. Habet hic fœliciſſimus ſtatus qui eum mirabiliter fulciat, qui paſſiones animi reprimat, nequis alium contriſtari valeat; qui audaciam quamlibet aduerſariorum conterat. Abſunt fraudes, diffidentiæ & cuiuſuis mali ſuſpiciones aut timores, ab iis in quibus perfecta charitas inuenitur nullus proximo ſcandalo eſſe poterit, cũ omnes ſanctitate prædiri ſint, quæ omnem ab eis exulare cogit culpam. Nec inuidia aliquis à ſuo ordine dimouetur. Omnes enim benignitate reciprocâ ſibi inuicem de ſuo ſtatu congratulabuntur: nullam nec corporis geſtu, nec oculorum nutu, nec ſermone aut vocis prolatione ſibi

Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.

A inuicem moleſtiam ingenerabunt. Omnia aſpectabilia, omnia grata, omnia iucunda: ſicque omni mœrore & animi angore ſublato, integrâ fruentes corporis valetudine, ablatâ ab eis omnis perturbationis occaſione, quæ ex inſtabilitate cordis, errore mentis, naturali mutabilitate, propria & indiuiduâ imbecillitate, paſſionum deordinatione, inimicorum oppugnatione, hominum fraudulentiis, ſuſpicionum torturâ, peccandi libidine, inuidentia malignâ, animi angore, corporis languore exurgere valeret. Quæ quidem omnia percepi, perſpiciens fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata, ſeu decenter ac pulchrè ordinata ac diſpoſita.

TEXTVS.

Fundamentum primum iaſpis.

Primum fundamentum iaſpis, quo omnis cordis
B inſtabilitas aufertur, cum ſummo adhæret bono. Iaſpis firmus eſt, viridis, lucens: habet venas rubeas; caſtum reddit geſtantem & gratum: phantaſmatibus inimicatur, continentibus fauet. Ita Dei charitas nunquam firmitate ſua excidit: ſatietatem habet ſine faſtidio: quidquid lumine intellectus percipit, in amorem conuertit: ab omni impuritate ſeparat: dilectos & gratos amantes reddit: omnia rerum ſenſibilium phantaſmata tranſcendit, vt in ſolâ Dei laude conquieſcat, quo vnico bono contenta nihil aliud concupiſcere aut deſiderare nouit.

Secundum Saphyrus.

Secundum Saphyrus, quo omnis error diſſipatur. Saphyrus cœleſtis coloris, lumine abundantiori re-
C fulgens, gratus plurimum exiſtit: opacus nihilominus aureis quaſi ſtellis collucet & ſcintillat; viſum acuit: Verum veritatis ſymbolum, quæ errores diſpergit, quæ in fonte clarè & intuitiuè videtur à Beatis, lumine gloriæ ad Dei viſionem pertingentibus, in quo ſummè delectantur, in quo requieſcunt, & in quem totis affectibus feruntur, & quo viſo ad rerum creatarum cognitionem intellectus quodammodo acuitur, ita ut nullis vnquam ignorantiæ tenebris offuſcari queat.

Tantâ Dei maieſtate clarè perſpectâ, contremiſcerent proculdubio nihilitate & vilitate, & ingenita mutabilitate ſua probè cognitâ Beati, timerentque ne in nihilum redigerentur, aut aliquid perde-
D rent, oppreſſi ab ineffabili & ſtupenda gloriâ. At ecce pro tertio fundamento apparet lapis carbunculus nempe Deum cognoſcunt non tantùm ſecundùm attributa ac proprietates, ſed etiam vt eſt auctor & fons totius bonitatis, cumque vident tanta profuſione & liberalitate præditum, vt eos & immortalitate dotarit, & pro ſalute filium ſuum carnem ſumere voluerit. Hac ratione confidunt, propter hanc intimam & amicabilem cum hominibus communicationem, ſe in perpetuum eius fruitione fore potituros. Quam quidem communicationem (quæ hominum cum Deo familiaritatem & amicitiam indiſſolubilem reddit) ex carbunculo didici: qui lapis eſt ignitus, in tenebris lucens; in quadam
E lapideâ matrice roſei coloris, imbre cœleſti naſcens; ſole calefactus paleas attrahens; aquâ & acri aceto perfuſus magis ſplendeſcens: quo vnio ignitæ diuinitatis cum humanitate terrenâ verbi æterni ſignificatur, qui in tenebris ambulantes illuminauit, qui in viſceribus Virginis Mariæ (ob excellentem & eximiam charitatem, verè roſei coloris) conceptus fuit Spiritu ſancto, qui ex nimia charitate ſua nos ad ſe attraxit, quos per paſſionem & crucem magis ac magis illuminauit, & promeruit vt ad optionem filiorum reciperemus, & duritiem cum charitate coniungens, immortalitatis gloriam hominibus impertitus eſt. Sed quia in vniuerſum naturæ humanæ fuit hoc donum collatum, nequis in particulari aliqua dubietate poſſet vexari, ecce pro tertio fundamento datur Smaragdus: qua ſignifica-

Tertium Chalcedonus.

Digitized by Google

tur ſecuritas, quæ in anima naſcitur, ex eo quod A Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei; Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, vereque dici poteſt amicus noſter Nec enim maiorem charitatem habet quis, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis, ſicut ipſe poſuit illam pro electis. Vnde conditiones veri amici iure poſſidet. Optimè cognoſcit quidquid neceſſarium eſt, vt noſtram in perpetuum tueatur quietem & tranquillitatem. TEXTVS. At non tantùm cognoſcit, ſed proinde cuncta diſpoſuit, cum parauit nobis locum in cœlo, quæ fœlicitatem iſtam tantam rectam que conſeruarent.

Quartum Smaragdus. Inſuper amicitia, quam erga nos habet, ſemper viget, & perſeuerat conſtanter, vt pote quæ optimo B nitatur fundamento gloriæ ſuæ, & veritate promiſſionum. Tandem eam clarè manifeſtat, cum amicis ſuis abſcondita cordis ſui reuelat, & quæcumque audit à Patre notificat. Huius autem fidelis amicitiæ ſpecimem eſt Smaragdus, qui fulgurans & ceraunius dicitur, ob emicantem ſplendorem. Habet colorem olei, viriditate ſuperat herbas; aëremque, reſque alias ſibi vicinas ſuo virore imbuit. Vnde ſolus gemnarum contactu oculos implet ac ſatiat; eſtque durus, ærique affinis. Denique ex eo poſſunt fieri ſpecula. Eius ſplendor perfectam omnium cognitionem adumbrat. Olei color eam miſericordiam, qua Deus ab electis omnem C miſeriæ viam præcludit, denotat. Eius viriditas & durities, in amicitia vigorem & conſtantiam innuit, qua ſatiatur omnis noſtra expectatio. Reflexio ſpecierum, eius qui ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis dicitur, ſymbolum eſt præclarum.

At vt ante oculos vobis proponam fundamenta alia huius pacificæ & ſecuræ beatitudinis, reuera licet quis eſſet Deo charitate adhærens, ipſum clarè intuens, de perpetua tantæ gratiæ poſſeſſione ſecurus, ac de perfectâ Dei erga ſeipſum propenſione & amicitiâ omnino certus; ſi tamen aliquid pati poſſet huic fœliciſſimo ſtatui repugnans ac contrarium, minimè dubium eſt hoc ſibi graue nimis & *Quintum Sardonyx,* incommodum fore. At Deus longè expulit quidquid D vel interius vel exterius repugnans aut contrarium excogitare poſſet; & inprimis nulla eſt ibi paſſio, quæ firmam voluntatis ad bonum adhæſionem concutere, aciem mentis obtundere, optimam ſanitatis habitudinem alterare, ſuauem vitæ conuerſationem cum proximis perturbare valeat. Nam appetitus mouebitur ſecundùm ordinem rationis, in his quæ ad ſtatum illum pertinent. Merum & iuge ac conſtans erit ratione Imperium in ſenſus externos & internos appetitus & paſſiones, itaut intellectus & voluntas nullum exinde patiantur impedimentum, diuerſionem, aut teporem in contemplatione & adhæſione ſummi boni. Nulla erit triſtitiæ materia, nullum malum pertimeſcendum cuiuſlibet E boni appetibilis. Erit ex fruitione gaudium: nec aliquid de nouo ſperandum veniet, quo noua ingeratur lætitia, vbi cuiuſlibet boni conuenientis erit perfecta poſſeſſio. Sardonix quippe erit quintum muri fundamentum, gemma præſtantiſſima, quæ interius habet ſpeciem carnis, exteriùs vnguis carnem tegentis. Manent namque radicaliter paſſiones erga malum. At coopertæ remanebunt fœliciſſimo ſtatu beatitudinis, vt in actus prorumpere non valeant. Nullus timor: nulla triſtitia. Habet colorem triplicem in triplici quaſi circulo: nam in infima parte eſt niger, vt ſicuti hic color radios viſuales colligit, ita cogitemus omnes animæ facultates ad vnicum hunc finem conuenire, vt Deo anima perfectè & inſeparabiliter vniatur, eique fortiùs adhæreat. In media parte eſt albus, puritatem motuum appetitus (qui deinceps contra rationem non inſurget) deſignans. In ſumma parte ruber, vt ſciamus charitatem perficere quoſlibet motus inferiores, ſicuti ſuperiores facultatum animæ in gloria exiſtentis Habet circulum candidum, & in eo quandam cœleſtis arcus anhelationem, vt ſciamus tunc ſedatum eſſe inter carnem & Spiritum prælium, propter perfectam pacem, quæ ex ſubiectione appetitus rationi conſurgit. Sicuti enim Sardonix lapis reprimit tumorem & faſtum, conciliat lætitiam & hilaritatem, educit malos humores, & viſum confirmat; Ita hic ſtatus beatitudinis omnem compeſcit carnis rebellionem: ſummam concillat, ex perfecta carnis & Spiritus concordia, lætitiam: omne malum auffert, & mentis operationem fortiorem reddit: vt in Deum feratur, & experiatur beatos eſſe qui mundo ſunt corde quoniam ipſi videbunt Deum. Et ſicut Sardonix, ſola prope inter gemmas, ſculpta ob duritiem ceram non auffert, ita quamuis anima perfectum in carnem exerceat Imperium, tamen caro nullum patitur detrimentum, impreſſam in ſe Spiritus imaginem ſuſcipiens. Ad aliud fundamentum ſpeculandum tranſeamus. Nullus in hac vita tanta auctoritate aut poteſtate præditus eſt, vt valeat quacumque nos liberare moleſtia. Erit ſaltem qui audaciâ ſuâ fretus nos impetere & moleſtiam inferre conetur. At qui in futura vita beatitudine perfruuntur, ab omni hoſte erunt immunes. TEXTVS. *Hoſtes Iuda peribunt*, ait Iſ. 11. *Peccator videbit & iraſcetur: dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.* Nunc quidem habet os apertum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculū eius, eos qui in cœlo habitant, & quantum in ſe eſt Beatis inimicatur, eorum *Sextum Sardium,* deſideriis & votis aduerſando. Vellent quidem ſancti ſua corpora ſibi in gloria ſociari, electorū numerum compleri, neminem Dei maieſtatem peccatis ſuis irritare, Deum in omnibus glorioſe regnare. Hæc ſunt eorum vota, & ardentia deſideria; quibus ſatan aduerſatur quantum poteſt. At veniet tempus, quo eius conatus irriti & futiles euaneſcent. *Qui enim accuſabit aduerſus electos Dei, Deus eſt qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet?* Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus Quis huic ſententiæ: *Venite benedicti Patris mei: poſſidete Regnum*; refragari audebit? Veniet hora quando mortui audient filij Dei vocem; & qui audierint viuent; & mors vltra non erit Chriſtus Dominus ouibus ſuis vitam Dabit æternam. Nulla ex eis peribit in æternùm. Nec quiſquam rapiet eas de manu ſuâ. Nulla peccandi libido aut materia, aut occaſio. Omne maledictum non erit amplius, ſed ſedes Dei, & Agni in illa erit ciuitate, & ſerui eius ſeruient illi, & regnabit in ipſis in æternùm. Talis diuina protectio, & ab omni impugnatione inimici exemptio, eſt ſextum huius ciuitatis fundamentum, per lapidem Sardium deſignatum. Sardius in colore ſimilis eſt carni perſpicuæ & pellucidæ, itaut caro humana in gemmam pellucidam & ſplendentem videatur conuerſa. Talis erit caro noſtra in futura Reſurrectione corporum quando Chriſtus Dominus reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ Ex tunc ille, qui homicida fuit ab initio, nec veneficiis, nec magicis artibus, nec violenta irruptione, nec igne aut gladio, vel alia quacumque viâ mortem nobis conciliare poterit. Mors enim vltra non erit. Et ſicut Sardij Indici & mares valdè fulgent, & generantur in ſaxi corde; Sic illa corporum Reſurrectio, quæ in firmo Dei decreto glorificandi corpora noſtra traxit originem, veluti maſcula & fortis facies: vt ipſa refulgeant veluti ſol in perpetuas

æternitates

Digitized by Google

æternitates. Medebitur ſicut Sardius vulneribus ferro inflictis & tumoribus in virtute illius qui clauis confixus, ſuperbiæ hominis (propter quam in cinerem erat redigendus) medelam attulit reſurgendo. Et ſicut *Chriſtus reſurgens iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, ita mori non poterunt, imo ex illa glorioſa Reſurrectione & immutatione impaſſibilitatem corpora noſtra obtinebunt. Et ſicut dicunt Sardium matrem eſſe Amethyſti, quam diximus ſymbolum eſſe impaſſibilitatis; eadem ratione hæc immortalitas impaſſibilitatem generat & producit. Sardius gaudium accendit. Hæc futura omnium Reſurrectio glorioſa gaudium beatarum mentium perficiet, tum quia numerus electorum erit completus, tum quia corpora ſua animæ recuperabunt, itaut nihil amplius deſiderare habeant. Et veluti Sardius nullam habet maculam aut vaporem, vti aliæ gemmæ, qui ipſius ſplendorem hebetet aut offuſcet; ita nullum erit deſiderium, quo in minimo eorum gaudium obnubiletur ſuggeſtionibus inimici; quibus ſi ſalutem noſtram & perſeuerantiam finalem impedire non valeat, ſaltem nos à Deo auocare pertentat. Non erit deinceps locus peccato ablatâ omni peccandi libidine. Sanguinem vndecumque fluentem mirabiliter compeſcit Sardius. Et ſic fœliciſſimus ſtatus omnem auffert à beatis peccandi concupiſcentiam. Inſuper auferentur offendicula omnia, quæ Satan opponere valeret, ne beati quæcumque ad Dei gloriam facere & dicere voluerint exequantur. Nam ſi Sardius feris terrorem incutit, hic beatorum ſtatus Satanam terrore ac formidine concutit: vt ab eis attonitus aufugiat, ingentem eorum gloriam & maieſtatem inuidentiâ ſua malignâ ferre non valens. Hoc erit ſextum fundamentum; exploremus & indagemus ſeptimum.

Textus.

Septimum autem erit Chryſolythus. Certè ſi in tanta bonorum affluentiâ, is à quo ea accepimus, voluntatem ſuam immutare; ac de ea re minuſcula aliqua diffidentiâ exurgere in nobis valeret, non mediocriter turbaretur ſtatus noſtræ fœlicitatis. At non eſt Deus vt homo, vt mentiatur.

Septimum Chryſolithus.

Fidelis eſt in omnibus verbis ſuis & promiſſis. Iurauit & non pœnitebit eum. Probè beati noſcunt fidelitatem, veritatem, immutabilitatem & bonitatem illam, à quo tanta recipiunt bona. Multoties homines ſtare non poſſunt promiſſis, ſiue quia ſatis non habent perſpectam rei, quam promittunt naturam aut grauitatem; ſiue quia beneficia conferre volunt iis, quorum nec ingenium nec indolem cognoſcunt; & cum eos ſemel alios eſſe erga ſe quàm ſperabant perſpexerint, tunc voluntatem immutant; ſiue quia deficiunt in inueniendis mediis, quibus quæ promiſerunt adimpleant; ſiue quia, ſi hæc media ipſis ſunt peruia, ea exequendi deeſt facultas; ſiue ob ingenitam cordis humani inſtabilitatem. Et hæc omnia in Deo reperiri nequeunt, ob infinitam eius ſapientiam, quâ & quid promittit, & quibus promittit, & quâ ratione & via hoc exequi poteſt, optimè nouit: nec ei deeſt facultas quæcumque promiſerit adimplendi: quia & immenſa bonitate præditus, quod ſemel gratuita & benigna voluntate contulit, hoc ſemper elargiri vult. Credat quæ voluerit. Si non crederemus, hoc noſtræ peruicaciæ eſſet tribuendum, non ipſi. Ille enim fidelis permanet, & ſeipſum negare non poteſt. Ad hæc meditanda ex aſpectu Chryſoliti incitamur. Coloris aurei eſt, ita ardentis, vt aurum cum eo albicare videatur. Et quia aureus color in eo non opacatur, ſed pellucet, hinc quaſi vitreus eſt & marinus. Non tantùm fœlicitatis & maieſtatis Regiæ (qua potitur hæc ciuitas ex auro mundo conſtructa; & cuius plateæ ex auro mundo ſternuntur) ſymbolum, ſed etiam ſapientiæ illius, qui eam conſtruxit, præſtan-

A tiſſimum ſignum. Cuius caput aurum optimum, cuius manus aureæ, plenæ hyacinthis, cuius crura columnæ marmoreæ, quæ fundantur ſuper baſes aureas. Illum enim opera magna & mirabilia, exquiſita in omnes voluntates eius, vt ad eius gloriam ordinentur, & de ipſis faciat quodcumque voluerit. Cuncta in ſapientiâ facta fuere, & quo magis conſtanter in operationibus ſuis progreditur, eo magis ſapientiæ eius (cuius non eſt numerus) magnitudinem agnoſcas. Ob illam ſapientiam ſummam, operari nouit quid promittet. Notæ ſunt illi viæ, intentiones, & actiones eorum, quibus promittit, quorum & introitum & exitum perſpectum habet. Media per quæ impleat quæcumque promi-
B ſerit, ipſi ſunt obuia, & inuentu facillima. Et ex viriditate huiuſce gemmæ, vigorem infinitæ eius potentiæ (quæ fatigari neſcit) coniice. Quæ viriditas eſt quaſi viſio maris, videlicet infinitæ cuiuſdam & inexhauſtæ bonitatis, vt quæcumque voluerit faciat in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyſſis, nec vnquam à benefaciendo deſiſtat. Eadem enim viſio maris, ob profuſam in omnes liberalitatem, eadem eſt viſio lapidis Chryſolithi, ob conſtantem in benefaciendo voluntatem. *Benedictus igitur vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* (Ezechiel 1. & 10.) Innixus ſupra eius bonitatem, ſapientiam, æquitatem, & omnipotentiam, *erit quaſi lignum quod transplantatur ſuper aquas*, (Hieron. 17.) cum è pulue-
C re ſuſcitatus in futurâ Reſurrectione, tranſlatus fuerit in paradiſi amœna virentia, fonte inexhauſto fœlicitatis æternæ vndequaque irrigata. *Ad humorem* copioſum tantæ fœlicitatis *mittet radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Cum enim Deus contra impios in die iudicij ſæuiet, ipſe charitate firmatus nullo timore concutietur. Perfecta enim charitas longe pellit timorem inimicorum inſidias deridebit. Vim tam formidabilis ſententiæ, id eſt, verbi huius aſperi, *Ite maledicti in ignem æternum*; non reformidabit. A gloria excidere non pertimeſcet omnes enim virtutes ac facultates, naturales & ſuper-
D naturales, viuidæ & florentes permanebunt: & cum terrenis iſtius profuſæ bonitatis, (quo Deus in hâc vitâ aliquando malos quibuſdam bonis cumulauit, implens cibo & lætitia corda eorum exſiccatus fuerit, vt ne guttam aquæ habeant, qua refrigerium aliquod capiant in ardoribus ſempiternis, quibus cruciabuntur: tum ille iuſtus erit tanquam lignum viride, afferens fructus Deo ſuo, concinnas laudes & gratiarum actiones in perpetuum decantant. Non mirum igitur ſi veluti Chryſolithus valet contra aſthma, & pectoris anguſtias, contra puſillanimitatem, melancholiam, moleſtias & timores nocturnos, & contra dæmones, qui per melancholiam homines vexant; itaut talis in Deum fiducia nos li-
E berè hæc gaudia pleno hauſtu reſpirare faciat. Nec item, mirum ſi à beatis omnis triſtitia, dolor, timor, aut puſillanimitas auferatur. Reuera iſta noſtra fœlicitas cum ſit creata, finita, & à Deo dependens, ſi ſummæ fœlicitati ac independenti Dei comparetur, erit quaſi ſub obſcura, & noſtræ ex nihilo creationis ſemper aliquid redolens: nihilominus in ſe conſiderata valde eminet inter cæteras res à Deo productas: eritque velut Chryſolithus. Nam quemadmodú iſte lapis de die pallidi coloris eſt, de nocte ignei, ita ſi noſtra fœlicitas ad diem æternitatis & luminis inexhauſti diuinæ maieſtatis comparetur, ſui ſplendoris aliquid deperdit, ſin autem eam nihilo, ex quo homo creatus eſt conferamus; ſplendet, & radios igneos & corruſcantes emittit. Iam in octauum ex Beryllo fundamentum oculos coniiciamus; octauum fundamentum Beryllus.

Digitized by Google

Non mediocriter proculdubio turbaretur noſtra A fœlicitas, ſi conuiuendum nobis eſſet cum iis, quorum amicitia aut beneuolentia non eſſet ſatis perſpecta, & de quibus aliquid maleuolentiæ nobis aliquando ſuſpicari liceret: ſicuti in hac vita multis torquemur ſuſpicionibus, ex eo quod (vt ait Propheta) *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud?* At ceſſabit in patriâ omnis malæ ſuſpicionis occaſio, ob veram in Deum fiduciam, & perfectam Beatorum ad inuicem concordiam & beneuolentiam. Nullus ab aliis cauebit, nec damnum nec iniuriam ſibi à quoquam inferri timebit, nec in colloquiis aliqua deceptio aut fraus vnquam reperietur, adeo ſyncerè & beneuolè cuncti ſibi inuicem de mutuâ fœlicitate congratulabuntur.

B Et reuera multimodè noſtra in Deum & proximum fiducia plerumque minuitur, nec ita firma reperitur. Nam ſi de fiducia in Deum loquimur, non ita ſincerè ac firmiter ſpes & expectationes noſtras in eum figimus & collocamus, quin aliquando quædam de eius bonitate & clementia erga nos oboriantur dubia: quia ſi ex vnâ parte multa ab eo recipimus bona, ex alia pôderantes plurima, quæ accidunt, & ab eo immittuntur, & tanquam mala & contraria à nobis reputantur; eius ſinceram dilectionem minimè agnoſcimus. At in patriâ, vbi perfecta charitas reperitur, à qua quælibet mala excluduntur, timor quilibet fugatur, nulla erit fiduciam abijciendi occaſio, nec memoria delictorum, C aut timor alicuius pœnæ, eos aliquantiſper diuexabit, vbi ex perfectâ remiſſione omnium delictorum, affluentia omnium gratiarum, copioſiſſimâ mercede omnium laborum, intima & indiſſolubili vnitione & adhæſione ad ſummum bonum, ingenerabitur omnimoda in Deum fiducia. Si autem de fiducia, quam erga ſe inuicem homines in hac vitâ degentes habere poſſunt, loquimur, verum eſt eam plurima ratione multoties poſſe concuti & turbari, ſiue quia eorum & cogitationes & intentiones incognitæ, & plerumque aliud cogitant & deſiderant, & aliud loquuntur & verbis enunciant: ſiue quia experientia diſcimus & actus eorum & ſermones ſæpiſſimè eſſe nocituos, quo fit vt imprudenter ageret, qui de eo- D rum probitate certiorem ſe eſſe in omnibus exiſtimaret; ſiuè quia ſenſibiliter percipimus eos multa effutire, plurimaque perpetrare præcipitâter, inconſideratè, imprudenter, & indiſcretè: *Stultorum* quippe *infinitus eſt numerus.* Quis igitur fiduciam ſuam intrepidè in hominibus reponere audebit? Siue quia perrarò reperitur, qui in his quæ agit aut loquitur, ſuum commodum non ſpectet. *Omnes* enim *quærunt quæ ſua ſunt.* Quis igitur ſecurè ſpem ſuam

Textus. collocabit in eo, qui honoris & virtutis oblitus, & Dei timorem abjiciens, ne ſuis commodis noceat, quælibet mala perpetrare non dubitabit? Siue quia ſæpiuſculè tales alios eſſe exiſtimamus, quales nos eſſe ſentimus. Hinc de iis diffidimus, exiſtimantes E

Octauum Beryllus. eos eadem paſſione impelli in ſuis actionibus, quâ nos impellimur ad agendum, & eo animo erga nos ſe habere, quo erga ipſos nos eſſe nouimus. Tandem quia hominum colloquia ordinariè adulationibus, mendaciis, ſimulationibus adeo referta ſunt, quibus aliud in ore eſt aliud in corde: vt imprudĕtiæ potius adſcriberetur quàm virtuti, ſi indifferenter de quibuſlibet optimè ſentiremus.

At hæc omnia à Patriâ cœleſti amandantur, clarâ fœliciſſimi ſtatus, qui omnem ablegat prauitatem, cognitione; ſincero omnium erga ſe inuicem affecta, charitate perfectâ mutuâ amicitiâ, reciprocâ beneuolentiâ, ſanctitate integra beatorum, de quorum intentione rectâ nemini dubitare licet, cùm ad Dei gloriam omnia referant, qui nemini offendiculo eſſe poſſunt, qui nulli iniuriam ferre queunt, qui eximia præditi ſunt ſapientiâ, qui ſe propter Deum eiuſque gloriam mutuò diligunt; qui nec falli nec fallere valent, cum veritati ſemper adhæreant; qui dolis aut mendaciis locum dare nequeunt, à quorum ore & cordibus hæc amouentur. Quæ quidem omnia Beryllo ſignificantur, quo octauum huius ciuitatis conſtituitur fundamentum. Et primò, ſi in Deum fiduciam ſpectemus, Beryllus colore eſt puri maris, ſeu viridi diluto, hoc eſt, habente perſpicuitatem vergentem in cœruleum, qui glaucus, ſi dilutior ſeu albicantior, & cæſius ſi ſaturior ſit, qualis eſt oleæ & oliuarum. Aureos habet radios, ſeu ex auro ſcintillantes. Poliuntur omnes ſexangula forma, quoniam hebeſcunt ni color Sardius repercuſſu angulorum excitetur. In longiſſimos item cylindros efformantur ſine auro, & nudus, pulchrior eſt. Inhibet catarrhos, qui ad oculos & guttur fluunt.

Mens beatorum diuino lumine gloriæ colluſtrata, ſi ad ea quæ paſſi fuere, intuenda conuertatur, vident ea tanquam mare viridis coloris. Fuerunt quippe iſta veluti mare procelloſum, ſed quo ſpes erigi debebat ad ſublimia & cœleſtia, nec enim tempeſtatibus iactati & quaſſati defecerunt, optimè perſpicientes Domini cogitationes ſuper ſe fuiſſe cogitationes pacis, & non afflictionis. Fuerunt iſtæ afflictiones mare, ſed viride, ſed cœruleum, ſed coloris oliuarum: quia per iſtas tribulationes introierunt in ſpem vitæ æternæ, & miſericordiarum Dei facti fuerunt participes. Hinc cantare poſſunt. *Tranſiuimus per aquam nimiam:* & induxiſti nos in refrigeriũ & pacem. Quæ tolerauimus mala, verè fuerunt radij ſapientiæ tuæ, & amoris in nos præcipui. Nec tam fulgidi quaſi ex auro micantes, ſcintillant ex beryllo radij, ſicuti emicant hi effectus diuinæ in nos charitatis, ſi præcipuè ſexangula conſpiciatur iſta gemma, nempe ſi electorum ſubiectio in Deum, cum zelo honoris ſui angulum conficiat; zelus honoris iſtius cum zelo propriæ ſalutis, alterum componat: propriæ ſalutis zelus cum amore virtutis, quæ ſit ornamentum naturæ hominis, tertium conſtituat; amor virtutis cum amore gratiæ ſupernaturalis, quartum efficiat: ex amore gratiæ, cum deſiderio gloriæ æternæ, quintus exurgat: deſiderium gloriæ æternæ, cum zelo ſalutis proximorum, ſextum producat. Ex repercuſſione luminis, ratione angulorum iſtorum, mens clarè perſpicit quantum boni ſibi acceſſerit ex tribulationibus. Et quomodo beata deficeret in Deum fiducia, ſi in extremis adducta deficere non debuit quinimo potius cum Iobo dicere auſa fuerit: *Etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo?* Iob. 3. Certè ex conſideratione illarum afflictionum, quæ electis tantam gloriam attulerunt, diuturnitatem fruitionis illius videre poſſunt, quæ in æternitatem extenditur. Hæc eſt longitudo gemmæ berylli, & eo magis ipſa fiducia pulchrior videtur, quòd ſicut beryllus abſque auro pulcher eſt, eam non circumueſtiunt auro propriæ ſapientiæ. Nec enim humore propriæ gloriæ oculus mentis hebetatur, ſed clarè videntes ſe ad Dei gloriam creatos, in laudem prorumpunt illius ſummi boni, quo perfruuntur & in quo totam ſuam collocant fiduciam. Beryllus eſt iſta fiducia, quæ tales humores ab oculis & gutture expellit. Si autem ſecundariò in proximos fiduciam conſiderare libeat, certè per beryllum ipſa menti objicitur.

Nemini dubitandum ſanctos in Patriâ inter ſe cum magnâ animi gratulatione, ſyncero & tenero affectu eſſe conuerſaturos. Etſi viſio beatifica omnem exſaturet appetitum, nunc tamen deſiderium Reſurrectionis futuræ corporum minimè impedit. Et ſi-

Digitized by Google

cuti viſio comprehenſiua in Chriſto viatore non impediebat quominus multa ageret & pateretur, quæ ſtatui comprehenſionis non congruebant; ita licèt Beati Deum videant, nihilominus inter ſe poterunt conuerſari, colloqui, & ſuarum cogitationum & intentionum alios reddere participes. At quomodo id fiat, abſque vlla diffidentia aut mali ſuſpicione? Attendite fundamentum ex Beryllo.

Reuera vt in Deum fiducia non ſolùm originem trahit ex clarâ viſione bonitatis huius infinitæ, quæ omnem expellit diffidentiam; ſed etiam generatur ex conſideratione admirandi operis, quo Deus ita miſericorditer ſalutem vniuſcuiuſq; Beatorum operatus eſt, vt licèt inter pericula varia conſtitutos tamen ab omnibus liberauerit, & potenter eripuerit. Quis enim expertus tam ſalubria à Deo auxilia in tempore opportuno, de eo diffidere æquum eſſe exiſtimaret? Ita Beati præter fiduciam, quam erga ſe inuicem concipiunt ex clarâ Dei viſione, (qua percipiunt nihil eis nocumento fore in æternum, cum eum poſſideant qui ex ſua fruitione omne malum expellit, & omnem incurrendi aliquod graue aut moleſtum excludit formidinem, ex cognitione perfectâ quam habent earum conditionum, quæ perficiunt ſtatum eorum qui participes futuri ſunt tantæ beatitudinis) etiam omnem abjicient timorem aut ſuſpicionem cuiuſlibet incommodi, nec ab eis cum quibus conuerſari debent aliquam moleſtiam pati reformidabunt. Sufficiet vt abſque timore aut trepidatione inter ſe conuiuant, quòd optime ſciant hunc & illum ex numero eſſe Beatorum, & in fronte nomen Patris & nomen filij eius & ciuitatis nouæ Hieruſalem ſcriptum geſtare. Ex cognitione igitur perfectâ, quòd ſtatus beatitudinis omnem à ſe mali ſuſpicandi occaſionem, & quodlibet malum propellit, Sancti & Beati inter ſe cum ingenti gaudio mutuò conuerſabuntur, & ad inuicem colloquentur, & ad Dei laudes mutuò ſe prouocabunt, dicentes: *magnificate Dominum mecum*, ex tot beneficiis mihi collatis; *& exaltemus nomen eius in idipſum.* Nam ſi fieri poſſet vt ab eo nihil acciperemus, tamen adeo bonus, adeo ſuauis & amabilis eſt in ſe, vt ab omnibus laudari & benedici mereretur. Irradiante ipſo in mentes noſtras, nihil aliud cogitamus, niſi quæ ſunt & cœleſtia, & pia, & ſancta, & omnem excludentia miſeriam. Vnde nobis ad inuicem nihil mali eſt pertimeſcendum. Nec ita Beryllus ad radios ſolis colorem cœruleum & oliuarum obtinet, ſicuti ex tali irradiatione verbi in mentes noſtras, in nobis excitatur vera fiducia, omnem abjiciens mali & miſeriæ cuiuſlibet ſuſpicioné. Viget in nobis & vigebit in æternum ſtatus huius beatitudinis, omnem ſinceritatem, bonitatem, munditiem inducens: vt qui inter tentationes & mala perpeſſa, ex gratia Dei benignitatem etiam erga inimicos conſeruare voluimus, nunc ab ea ne tantillum quidem deficere non poſſimus. Et reuera talis eſt ad inuicem Beatorum beneuolentia, vt ſicuti Beryllus aureos ex ſe vibrat radios, ita & eorum geſtus, & oculorum, & aliorum membrorum motus, & ſermones reciproci planè perfectam ſapientiam & mutuam redoleant charitatem. Ex abundantiori lumine Berylli, colorem nanciſcuntur cœleſtem: abundant lumine veritatis ipſimet Beati, ſcientiâ naturali acquiſitâ, quæ non deperditur; infuſâ, quæ roboratur experimentali: & intuitiuâ, quæ perficitur ex viſione beatificâ. Quo fit vt ſextangulum Beryllum huius ex ſtatu beatifico fiduciæ intuentes, videant in ſeipſis munditiem cogitationum, cum propenſione voluntatis ad bonum cuilibet exoptandum coniunctam (en primus angulus) hanc bonam voluntatis habitudinem in eis produci ex lumine gloriæ, quo exornantur, & videndi Deum capaces efficiuntur (en ſecundus;) hoc lumen minimè eſſe tranſitorium, ſed adiungi conſtantiæ & firmitati ſtatus huius fœlicitatis æternæ, quæ nec alterari, nec mutari poteſt, quo fit vt conſtanter in operationibus ſuis perſiſtant (en tertius angulus.) Hic ſtatus perturbari non poteſt, quia omnes ſopiuntur animi perturbationes & paſſiones, cum appetitus rationi perfectè ſubjiciatur: (en quartus angulus.) Hoc rationis Imperium interiùs corroboratur ex verâ concordia hominis exterioris ad virtutem compoſiti, itaut cum corpora fuerint reſumpta, nihil exteriùs agant quod ab interiori amore veri & boni diſcrepare poſſit. (En quintus angulus.) Hæc perfecta ad virtutem compoſitio reperitur in iis, qui Deo cognitione & amore ſunt coniunctiſſimi. (En ſextus angulus.) Quid igitur ſuſpicandum de iis, qui tali ſunt lumine & probitate præditi? Efformantur in Cylindros Berylli, vt maiorem nanciſcantur pulchritudinem. Æternitas huius ſtatus hanc mutuam beneuolentiam magis exornabit. Nullus deordinatus appetitus aliquem malignitatis humorem diſtillabit in oculos & guttur Beatorum, quo vel de ſe aliquid mali ſuſpicari valeant, aut quid quo offendi poſſint obloquantur. Adeo ſyncerè ſe inuicem diligent, vt in Deo abſorpti, Deum ſupra ſeipſum diligentes, ad hunc ſcopum omnia ſua dirigunt vt ab eis & in eis Deus magnificetur, laudetur, glorificetur. Amen.

Veniamus ad nouum fundamentum ex Topazio coadunatum.

Lege Arnobiũ in Pſ.10.

Nec mirum ſi ab inuicem nullam ſuſcipiant Beati moleſtiam, & ſuſcipiendi omnem à ſe amouent ſuſpicionem. Tanta ſanctitate pollent, vt ne minimam mali ſeu peccati labem contrahere valeant. Conſtans & permanens in eis ineſt voluntatis rectitudo. Non modo habitant, imo & ſtant inceſſanter in monte & loco Sancto, ſtantes quippe ſunt pedes eorum, ſicut & affectus in atriis Hieruſalem, quæ via Sancta vocabitur, per quam non tranſibit pollutus. Iſa. 33. Hæreditatem ſic incontaminatam conſeruabunt in cœlis. Procul pelletur cuiuſlibet peccati contractio. Nam gaudebunt impeccabilitate. Itaut in eo ſtatu Beatitudinis exiſtentes, impoſſibile ſit ipſos per peccatum ab eo excidere. Non ſolùm poſſunt non peccare, ſed quod maius eſt, non poſſunt vllo modo peccare. Quod reuera Topazio optimè adumbratur. Topazius nempe dicitur quaſi quæſitus, ſeu aureus. Eſt enim gemma aurei coloris, ſed partim viridis porracei. Gemmarum maxima, vt ad quatuor cubitos magnitudinis queat peruenire. Delicatiſſima, quia ſola nobilium gemmarum limam ſentit. Cum eam polire & leuigare velis, aſperatur magis, cum ſit naturâ ſuâ optimæ formæ. Mirè ſplendens & fulgida, præſertim cum ſolis radiis verberatur. Diaphana comprimit paſſiones animæ, ac nominatim paſſionem lunaticam, phreneſim, iram, triſtitiam, luxuriam. Cohibet aquam, ne igne efferueſcat & ebulliat. Lapis pretioſiſſimus in theſauris Regum reponendus. Talia quidem mortales de Topazio philoſophantur. At vero Spiritus ſanctus dando beatis ſanctitatem & impeccabilitatem, dat eis quòd tantopere concupierunt in vita ac quæſierunt, eſurientes & ſitientes iuſtitiam. Dilexerunt namque mandata eius ſuper aurum & Topazion: ſaturabuntur plena & perfectâ ſui ipſius ſanctificatione. Aurei coloris eſt & viridis quia ſanctitas hæc conſiſtit in charitate perfectâ, quâ animæ Beatorum Deum proſequuntur, itaut nunquam excidat, ſed vigeat in æternùm. Ad nihil aliud aſpirantes ſeu ſuſpirantes vident Beati Dei bonitatem ſuper excellentem, omni amore ac feruore ſũme proſequen-

Textvs.

Nonum Topazius.

dam, vt pote quidquid bonum, quidquid pulchrum, quidquid ſuaue eſt complectens: quo fit vt voluntas circa tam amabile obiectum non poſſit eſſe ſui iuris, aut quaſi indifferens, vt illud vel reſpuat vel auertatur, vel minimè, vel minus feruenter diligat. Nec in eius amore aliquid difficile aut moleſtum reperire poteſt, cum potius in eius poſſeſſione, ſumma perfruatur voluptate, ac gaudio immenſo potiatur, non impeditiuo fruitionis bonorum inferiorum, quæ tali ſtatui beatitudinis conueniunt, ſicuti nec ab aliquo bono inferiori allici poſſunt Beati, vt tantillum à ſummo bono auocari aut auerti queant. Quo fit vt hæc charitas tantæ ſit magnitudinis, vt quilibet amor, licet bonus & honeſtus, ei coæquari non valeat. Deum ſupra omnia diligunt Beati, vt ad ipſum eiuſque gloriam cuncta referre compellantur. Ea enim ſapientiâ mens eorum prædita eſt, eâ iuſtitiâ voluntas eorum decorata, ea fortitudine eorum appetitus roboratus eaque temperantiâ cuncti motus compeſcuntur, vt nihil in ipſis contra rectam rationem exurgat, cunctæ quæ animæ facultates circa obiecta ſibi conuenientia debitè ferantur, nihilque ſit in Beatis quod eos à præcipuo obiecto aliquantulum auertat. Et quomodo à tam amabili obiecto auerterentur, cum illud adeo clarè videant? Nec enim tam fulgidè ſplendet Topazius, præſertim cum ſolis radiis verberatur, itaut radius ſolis ab eo vix diſcerni queat: ac mirè fulget mens vniuſcuiuſque Beatorum, qui Dei viſione perfruūtur. Tanto lumine veſtiti, in hac lucis æternæ abyſſo abſorpti, eius perſpicacitate intimè penetrati, nulla ignorantia obtenebrari poſſunt, Deo ſpecialiter concurrente cum eorum mentibus lumine gloriæ decoratis, vt omnia ſui muneris & ſtatus videant, cuncta Dei præcepta calleant: omnia media, quibus Dei gratiam ſibi in perpetuum concilient, optimè perſpiciant: eaque omnia non per prius aut poſterius, ſed ſimul & actu, abſque diſcurſu, ſed ſimplici mentis intuitu dignoſcant. Et cum, Deus ex omni parte ſit amore proſequendus, cum omni bonitate & perfectione fulgeat, cuilibet rei creatæ præponderet, quis bonum adeo excellens & præcipuum vltrò ſe offerent contemneret? Quis non eo cognito, omni labore conquirendum eſſe non exiſtimaret? Quis eo priuari liberum ſibi & indifferens reputaret? Hinc fit vt quilibet ſanctus, qui in vita dixerit, ob conformitatem morum, gratiæ receptionem, Chriſti cognitionem, illius amorem: *Viuo ego, iam non ego. Viuit vero in me Chriſtus*; potiori ratione dicat: Viuo ego, iam non ego: Viuit namque in me Deus, cui adhæreo, cum quo vnus ſpiritus exiſto. *Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* 1. Cor. 6. Hoc igitur lumine penetrati cum externo Dei concurſu immobilis manet Beatorum voluntas in fruitione tanti boni, & impeccabilis redditur. Sic gemma illa ſanctitatis, delicatiſſima quidem ex ſe, decoratur; cum ſanctitas in hac vita facilè plures patiatur defectus, propter animi cæcitatem, voluntatis (quæ deambulatoria eſt) mutabilitatem; integritatem virtuti & actibus humanis requiſitam comparata in eo ſtatu difficillimam. *Bonum* namque *ex integra cauſa, malum ex minimo defectu*; qui quidem defectus omnimodè aufertur, cum Beati ſummo bono clarè cognito, charitate perpetua copulantur, & in quo ſunt gradu charitatis, ſanctitatis & beatitudinis, in eo remanent, ſuâ ſorte contenti: itaut ſicut Topazius nec leuigari nec polliri debet, cum ſit optimæ formæ: ita vnuſquiſque ad maiorem gradum adſpirare non debet. Comprehendit enim, ſicut comprehenſus fuerat: permanſurus in ſacris ædificiis, ſicut coaptatus fuit & diſpoſitus per ma-

A nus ſummi artificis. Procul igitur abeant omnes inordinatæ animæ paſſiones, omnis phantaſiæ illuſio, omnis mentis alienatio, omnis iræ impulſus, omnis triſtitiæ torpor, cuiuſlibet luxuriæ diſſolutio, quæ ad varia propellunt peccata. Hic omnia rationi conſona, veritati conformia, ſapientiæ plena, animi placiditate decora, vigore iucunda, puritate nitentia, vt licet anima cum corpore & carne adhuc copuletur, nihil tamen quod carnem ſapiat in poſterum experiatur. *Caro enim & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Verè à Regibus, (nempe ab iis qui ratione ducuntur, & iuxta rationis præſcriptum paſſiones, affectus & actiones ſuas moderantur: quique Deo, cui ſeruire regnare eſt, obſequi B exoptant) votis omnibus exoptanda ſanctitas. Hac ſanctitate præditi in cœlo Beati, non poſſunt quin ſe inuicem mutuo honore præueniant ac proſequantur. Eſſet quippe quædam iniuſtitiæ ſpecies, ſi quia amici ſunt ad inuicem, debito ſe fraudarent honore. Facili negotio in hac vita ſæpiuſculè amicitiæ diſrumpuntur, refrigeſcunt & euaneſcunt, ſi contemptus etiam minuſculus adſit, ſiue ſeriò ad agatur, ſiue ex incogitantiâ id accidat. Et quo maiori quis pollet dignitate, eò maiorem ab amicioribus poſtulat ſibi deferri honorem. Hic autem contemptus oritur, ſiue quia ignoramus quænam ſit aliorum eminens conditio, dignitas aut meritum: quo fit vt quis ſpernatur, qui hoC norari debuerat; ſiue quia proximorum virtutes & eorum actus paruipendimus, & ſtatum eorum, & conditionē honore indignâ iudicamus; Siue quia ſe conditionem alicuius honorandam eſſe cenſemus, quia tamen actus non reſpondet dignitati, ipſum negligimus; ſiue quia probe nouimus eum, quem dignitate aliqua pollentem videmus, ab ea deturbari poſſe, tum viciſſitudine rerum, tum quia hæc dignitas ad tempus tantùm conceditur, tum quia voluntas eorum, quorum autoritate ad hanc fuerat dignitatem ſublimatus, mutabilis eſt, tum quia timetur ne qui modo duplici honore dignus eſt, quia laudabiliter ſe gerit in dignitate conſtitutus, (*Gloria enim, honor & pax omni operanti bonum.* Rom. 2.) D vituperio dignum ſe præbeat, rectâ virtutis ſemita deuiando; Siue quia ſæpius homines non tam quid alij agant boni & laude digni, vel quid ſint pro tempore præſenti conſiderant quàm quid mali egerint, vel quales antea fuerint: Siue quia multa inconſideratè agimus, quo fit vt obmittamus quæ alias agenda forent vt noſtro muneri ſatiſfaceremus. Denique quia inuidiâ, malitiâ, odio, arrogantiâ ducti, alios vltrò contemnimus. At hæc omnia longè abſunt à patria cæleſti, vbi ſingulorum merita ſatis ſunt perſpecta, ex cognitione præmiorum, ad quæ euehuntur quæ ab æquiſſimo iudice cuilibet diſtribuuntur, vbi quanta ſit dignitas virtutum & laudabilium actionum æquâ lance ponE deratur, vbi nullus eſt tam infimæ conditionis, quin honorari debeat, cum quilibet Beatorum ad Dei bonitatem manifeſtandam & gloriam inſeruiat. Quidquid enim Deo tantæ maieſtatis inſeruit, in magno pretio habendum eſt. Vbi omnes in charitate radicati & firmati nunquam à manſione ſuâ dimoueri poterunt; vbi oblitæ ſunt anguſtiæ priores, & tecta ſunt omnium peccata: vbi non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus nec fœmina, omnes [Galat. 3] autem vnum ſunt in Chriſto Ieſu: vbi nulla incogitantia aut inconſideratio, nulla inuidia aut malitia, nullum odium, arrogantia nulla: quo fit vt omnes ſe mutuo amore cōplectentes, mutuò etiam ſe honore præueniāt ac proſequantur, & cuilibet honor debitus reddatur priuatim & publicè. Sicque ſūmâ pace fruentes, cum ingenti gaudio laborum ſuorum præ-

Digitized by Google

mia & coronas glorioſè reportant. Huius autem honoris, anſam moleſtiæ amputantis præclarum in decimo fundamento animaduerti ſymbolum, in chryſopraſo, quo conſtituitur. Decimum enim fundamentum chryſopraſus. In Chryſopraſo copulantur Chryſolithus, qui aureo: & Topazius, qui porraceo ſeu praſino eſt colore. Viret namque aureis guttis inſperſus. Sanat infirmitatem aciei oculorum, vt firmiter in rem obiectam figi poſſit. Opacus eſt, ſuum tamen ſplendorem per tenebras magis oſtentat. Dilatat ſpiritus, eoſque exhilarat, vt homo ſit liberalis & benignus, & auaritiam auerſetur. Tres ſunt Chryſopraſi colores & ſpecies. Primus qui exactè viridis porri colorem æmulatur: Secundus qui multum flauedinis habet, ac filicis areſcentis ferè colorem refert: Tertius qui exigua viriditate maiorique flauedine lacteſcit. His de Chryſopraſo adductis & cogitatis, maiora & veriſſimiliora vobis demonſtro. Eſt in Beatis ad inuicem mutua beneuolentia, & honor reciprocus, quo ſe inuicem proſequuntur, ſiue ob Dei filiationem adoptiuam, ſiue ob generoſas & heroicas actiones & labores fortiter exantlatos, dum erant adhuc viatores: qua quidem ratione ſtatus beatitudinis ipſorum obfirmatur, cum nihil moleſti aut ingrati ſibi mutuò concilient. Aureo colore Chryſoliti, ſapiunt diuinas in quibuslibet adimpletas eſſe promiſſiones: vident qualem charitatem dedit eis Pater, vt filij Dei nominentur & ſint. Nunc quidem iuſtus lampas eſt contempta apud cogitationes diuitum, ſeu ſuperborum, & mundus eos non cognouit, quia non nouit Deum: & licèt filij Dei ſint in mundo nondum tamen apparuit quid ſint, & quinam futuri ſint, cum ſimiles Deo euadent, videntes ipſum ſicuti eſt. At in cœlo, vbi Deus clarè cognoſcitur: quanta ſit dignitas filiationis diuinæ clarè perſpicitur: & ideo non poſſunt quin ſe mutuo proſequantur honore. Nec enim aurum inter homines in tanto pretio habetur, ſicuti habebitur inter Beatos hæc ipſorum diuina filiatio, cum Deus in ipſis ſuas promiſſiones per Chryſolithum denotatas complebit. Sanata hic eſt per ſummam Sapientiam omnis infirmitas mentis, vt quæ vera ſunt probe animaduertat, & aciem ſuam in rem obiectam fortius figat. Hinc in quanto honore virtus habenda ſit optimè callent, videntque cunctos tales eſſe, quales eos requirit ſtatus beatitudinis, & dignitas diuinæ filiationis: Vnicuique enim veraciter à Deo dictum fuiſſe: *Euge ſerue bone & fidelis*: optimè dignoſcunt. Et quia Chryſopraſus viret, ſicut Topazius, quos tanta decoratos dignitate animaduertunt, eos vnus cum Deo ſpiritu, non tantùm

Textvs.

vnitate volendi idem, ſed expreſſione quadam vnitate virtutis aliud velle non valendi, ideo impeccabiles eſſe ſciunt. Quo fit vt nullo modo ſit pertimeſcendum eos à iuſtitiæ & ſanctitatis

Decimum Chryſopraſus.

præcipuo apice dimoueri poſſe. Firmum itaque manet Dei decretum de eorum gloria: qua quidem ratione viror Chryſopraſi in æternum fulgerit, aureis guttis reſperſus, id eſt ab honore ſibi debito nunquam excidere valebunt, ob mutuam inter ſe charitatem. Opacus eſt iſte lapis, vt radius viſualis vltra non progrediatur. Siſtit etiam mentis intuitus, & oculorum acies in his quæ in hoc ſtatu animaduertunt: nec ponderant an qui ad tantam dignitatem fuerunt euecti, fuerint olim peccatis plurimis & defectibus obnoxij: Sed quinam ſint, nempe filij & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, contemplantur. Imo cum ſint candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores ſicuti Chryſoprazus ſuum ſplendorem per tenebras magis oſtentat, ita in eis magis videtur

A elucere Dei benignitas & miſericordia, qui fuerant aliquando tenebris peccatorum nigriores. Tandem cum abſit ab eis omnis liuor & inuidia, perfectaque potiùs vigeat charitas, itaut vnuſquiſque de proximi gaudeat fœlicitate, hinc dilatatur eorum ſpiritus, & exhilaratur, cum viderint ſingulis pro meritis præmia & honores decerni. Quo fit vt ſi aliquod ſpeciale præmium aut beneficium particulari Dei decreto decernatur iis qui contra mundum, carnem & diabolum fideliter decertarunt, & de iis victoriam glorioſè reportarunt; de hoc gaudeant, eiſque honorem vltrò & ſpontaneò impendant, omni amoris proprij reſpectu excluſo. Gaudent igitur de aureolis, quæ martyribus conferuntur, ob viridem & viuidam animi fortitudinem, B virore Chryſopraſi adumbratam, qua mundum deuicerunt. Gaudent de iis quæ Virginibus debentur, ob carnis petulantiam conculcatam quæ flauedine lacteſcente Chryſopraſi adumbratur. Collætantur denique cum vident eos qui ad iuſtitiam erudierunt multos, diaboli faces & mendacia diſſipantes fulgere coronis ſcintillantibus, tanquam ſtellis firmamenti, in perpetuas æternitates: quod aureo & flauo Chryſopraſi colore, ſapientiæ ſymbolo deſignatur. Videtiſne optimum ſtabiliendæ beatitudinis fundamentum? Ad aliud contuendum mentem & oculos conuertamus.

Textvs.

Vndecimum hyacinthus. Euerteretur certè Beato- C rum quies & animi tranquillitas, ſi ſemel quis eorum, inuidia pulſus, de ſua ſorte minimè contentus, aliorum ſortem exoptaret. Hi etiam quorum virtus aut æminens dignitas pateret inuidiæ, triſtitiâ afficerentur, perſpicientes ſe ita parùm ſyncerè amari, vt de eorum honore quis contriſtari valeret. At nihil horum inter Beatos reperitur. Quamuis enim quædam inæqualitas reperiatur in eorum beatitudine (*alia quippe claritas ſolis*, nempe Chriſti, *alia lunæ*, nempe Virginis, *& alia claritas ſtellarum*, nempe Sanctorum: *Stella à ſtella differt*, quia vnus Sanctorum intenſiori lumine gloriæ potitur, alius non tam intenſo lumine decoratur;) tamen cuncti ſatiantur, nec alium gradum beatitudinis appetunt, quia in eo gradu, in quo ſunt, & manſione in quâ collocantur, D Dei (quem ſupra ſeipſos diligunt) gloriam & honorem ſpeculantur. Denarium ſiquidem pro mercede ſinguli accipiunt, tum quia pro beatitudine obiectiuâ omnes diuinam eſſentiam contemplantur, quæ cum ſit ſimpliciſſima tota videtur ab omnibus ſicuti eſt ſubſiſtens in tribus perſonis diuinis, tum quia beatitudo omnium futura eſt æterna. Ex parte tamen tum ſubiecti recipientis, eius quædam inæqualitas, vt intenſius quis illud obiectum præcipuum attingat, ſiue cognitione, ſiue more; tum ſtatus & conditionis ipſorum, quoad gloriam accidentalem, cum conditio quorumdam requirat vt quædam obiecta creata pateant potiùs vniquàm alteri, E & plura ab vno quàm ab alio cognoſcantur.

Vndecimum hyacinthus.

Nihilominus ex illâ inæqualitate aut diuerſitate, nullum exurget incommodum aut perturbandæ tranquillitatis occaſio. Omnes in ea entitate, & in eo gradu, ac menſurâ luminis, aut beatitudinis permanere optabunt, ſua vnuſquiſque ſorte & conditione contentus. Nullus ambitione pulſus cum lucifero dicet: *Aſcendam, & ero ſimilis altiſſimo.* Nullus auaritia & concupiſcentia oculorum ductus altiora & abundantiora bona deſiderabit, præter ea quæ poſſidet, cum nihil ipſi deficiat. Hîc auarus non implebitur pecunia, & qui amat pecunias fructum non capit ex eis. Illic erit plena & perfecta omnium bonorum poſſeſſio: adepta ſiquidem beatitudine nihil poſt ſe deſiderandum relinquit, cum illa ſit aggregatio omnium bonorum abſolutiſſima. Nullus

ex inuidia pectus felle amaritudinis redundans geſtabit: vt malitiosè dicat: eleuari mihi pro minimo eſſet, niſi talem & talem mihi præferri conſpicerem: ſed quia mihi præfertur ideo contriſtor, nec illud ſuffetre valeo. Nullus cura aut ſolicitudine accumulãdi bona cruciabitur vt diues euadat, ne in egeſtatem tandem incidat, cum in requie opulentâ & indeficienti conquieſcat. Et ſi hic inquietum eſt cor noſtrum, quia nullum ex bonis creatis illud implere valet: Ibi cum pleno hauſtu ex inexhauſto diuinitatis fonte, quidquid appetere poſſunt accipiunt: nihil amplius eſt quod deſiderari queat. Hæc autem omnimoda ſatietas, & ſortis propriæ (quæ nomen habeat quod nullus ſcit, niſi qui accipit) poſſeſſio, per lapidem hyacinthum optimè adumbratur. Hic lapis amethyſti ſpecies dicitur, Saphiro ſimilis eſt cæruleo colore, qui modicè violaceo dilutur; colorem cœli, cum ſerenum eſt, repræſentans. Germanus autem eius color exurgeret, ſi minij particula cum lapide laſulo in puluerem redactio miſceretur: itaut hic color nec oculorum aciem aufugiat, nec etiam pleniſſimè ſatiet: adeo enim ſubtilis & delicatus eſt in eo color cæruleus, vt euaneſcat antequam ſatiet. Cum cœlo colorem mutare videtur: nam nubilo quaſi obnubilatur & extinguitur ſereno, Viridis eſt. Si ad modum adamantis ſcalpitur, difficilè ab eo diſtinguitur; adamantis tamen duritiem imitatur: quo quidem adamante vincitur & ſcalpitur. Difficilè incaleſcit: & in os miſſus frigeſcit. Ex Æthiopia potiſſimum originem trahit, quæ vehementibus ardoribus aduritur. Peſti & venenatis morbis, medici potionem ex hyacinthis preſcribunt. Ideoque ſalubre eſt hyacinthum è collo ſuſpendi è regione cordis. Amores reprimit: viſum roborat: lætitiam conciliat: caſtitatis amicus: fluxum ſanguinis impedit: affectiones animi inordinatas frænat: tollit inuidiam: pacem conciliat. Hæc ſunt quæ de hyacintho prædicatis & creditis. At potiora & veriora vobis propono prouenire Beatis, ex eo quod ſuâ ſint ſorte contenti. Amethyſti ſpecies eſt: quia ad colorem Ianthinum ſeu violaceum tendit, ſymbolum eius qui ſorte ſua eſt contentus: quod ad modum violæ, quæ in vere apparet, hyemis rigorem fœliciter euaſerit, nihilque niſi proſperum expectat, vt dicere poſſit: *Iam hyems tranſiit, imber abiit: flores apparuerunt in terra noſtra.* Color eius exprimeretur, ſi minij color rubeus cæruleo aliquantulum cõpularetur. Vniuſcuiuſque enim in cœlo ſors temperatur, ex commixtione ſeu coadunatione gratiæ cœleſtis cum actibus humanis. Color ille cæruleus delicatus & tener, vt licèt aciem oculorum non effugiat, non tamen pleniſſimè ſatiet: quia quantumuis Sanctorum ſors præclara ſit, ſi tamen cum maieſtate diuina comparetur, eique opponatur, vt vix diſcerni queat: euaneſcit enim antequam ſatiet, quia cum videtur & percipitur, ad fontem beatitudinis ſtatim mens recurrit, vt ſatietur, cùm gloria maieſtatis diuinæ ſibi apparuerit, iuxta quod dixit Propheta: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Color non ita æqualis, cum ſereno cœlo viuidior ſit, nubilo obtenebretur: quod illam beatitudinis inæqualitatem deſignat. Vnuſquiſque enim eam recipit prout lumine diuino irradiatur, vt qui ob denſiſſimam & abſtruſam conſiliorum Dei nubem, lumen inferioris gradus, licèt eiuſdem ſpeciei acceperit, inferiorem gradum beatitudinis accipiat. Si ad modum adamantis ſculpetur, vix ab eo diſtingui poteſt, eiuſque duritiem imitatur: ipſo tamen adamante ſcalpitur. Quilibet nempe Sanctus ad voluntatem Dei per adamantem adumbratam efformatur, itaut terra iſta Sanctorum, non vocetur ampliùs terra deſolata, imo potiùs voluntas Dei in eâ. Omnis
A enim eius voluntas fiet, cum quilibet ipſorum euaſerit vir voluntatis eius. Et ſicut adamante hyacinthus ſculpi poteſt, ita ſors illa diuerſa Sanctorum ab hac Dei altiſſimâ voluntate diſponitur & ordinatur. Sancti enim *ſcalpri ſalubris ictibus, & tunſione plurima,* fabri polliri malleo, hanc Dei ciuitatem vt ſaxa conſtruunt, aptiſque iuncti nexibus locantur in faſtigio. Diſtribuit enim vnicuique prout vult. *Gratiam enim & gloriam dabit Dominus.* Et cum cibus eorum ſit vt Dei nomen ſanctificetur, & omnis eius volũtas fiat, ſatiatur vnuſquiſque Beatorum, quia ſancti plura poſſideant bona, quàm appetitu naturali etiam elicito deſiderare valerent, cum gratiæ & gloriæ inferior gradus excedat quidquid poteſt naturaliter deſiderari: & in quantumuis infimo gradu beatitu-
B dinis exiſteret, *menſuram* tamen *bonã* recipiunt in ſinũ, ex cognitione diuinæ eſſentiæ, attributorum, & diuinarũ perſonarũ: *& confertam,* quia ſeruata proportione cum meritis, præmiantur vltra condignum: *& coagitatam,* quia qui de verbo otioſo minatur nobis reddendam eſſe rationem, nec minimam bonam cogitationem abſque debitâ mercede immuneratam relinquet: omnes ventilabit affectus, intentiones ponderabit, quibus illi placere concupierunt ſancti, vt pro ipſis omnimodam illis retributionem elargiatur; *& ſupereffluentem:* quia in corpus etiam hæc gloria redundabit. Quomodo igitur ſua ſorte non eſſent contenti, ſi adhuc addamus ipſos
C Deum ſupra omnia diligere: quo fit vt nihil exoptent præter id quod vident Deum iuſtè decernere & ordinare. Quæ cum Dei voluntate conformitas omnem ambitionem profligat, propellit inuidiam; & cum non habeant qua ratione Deo gratias agant pro tot tantiſque beneficiis ſibi collatis, cum viderit Deum glorificari in aliis, & ex tali inæqualitate beatitudinis ſummum honorem conciliari infinitæ eius ſapientiæ, & altiſſima & incomprehenſibilia eius iudicia laudibus extolli; quomodo frigeſcit hyacinthus in ore poſitus, ita ſopiuntur in ipſis & frigeſcunt omnia deſideria, quæ in ipſis aliquam cum Dei voluntate diſſonantiam ingenerarent. Gaudent de eo, de quo Deus gaudet: & ideo
D cum in ſeipſo meritò glorietur, in eo tantùm gloriari deſiderant; ſententiæ ab ore Dei prolatæ (qua & gloriam, & gradum beatitudinis, & præmia pro meritis ipſis aſſignauit) omnino conformari exoptant. Quamuis igitur ſancti ex Æthiopia, nempe ex mundo, vbi diuerſis concupiſcentiæ ardoribus, ac variis deſideriis vexabantur, ad patriam cœleſtem euehantur, inebriati torrente voluptatis non ampliùs dicunt: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea;* Sed exultant in Deum viuum, & exaltationes Dei ſunt in faucibus eorum, & in gratiarum actionem ſuâ contenti ſorte decantant: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quid enim mihi eſt*
E *in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Nec quæ corporis mei ſunt reſpicio, nec quæ cor meum poſſet deſiderare attendo. *Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Et ideo meâ ſum ſorte contentus, cum hoc cedat ad maiorem honorem & gloriam Dei mei. Hinc peſtis ambitionis, venenum concupiſcentiæ, toxicum amoris proprij & ſuperbiæ propulſatur, & ad Dei honorem fortiùs ſpectandum viſus ipſorum roboratur. Lætantur de Dei gloriâ, eamque caſtiſſimo amore proſequuntur, nihilque in eis diſſonum à Dei voluntate & proximorum dilectione reperitur: quo fit vt ſumma pace & tranquillitate in perpetuum potiantur.

In lapide igitur iaſpide perſpexiſtis, fundamentum fœlicitatis æternæ eſſe Dei fruitionem; in ſa-

Digitized by Google

phiro, hanc Dei fruitionem non poſſideri, niſi mediante altiſſima Dei viſione; in carbunculo, ad hanc conſiderationem euecti fuimus beatitudinem noſtram obiectiuam compleri potiſſimum, ſi Dominum Ieſum Chriſtum in dextera Dei collocare agnoſcamus, vt pote obiecti ſecundarij beatitudinis; rerum videlicet creatarum, ex quarum creatione Dei bonitas & omnipotentia eluceſcit, recapitulationem, finem ac terminum. In Smaragdo didicimus quod quamuis Dei maieſtas appareat adeo pertimeſcenda, vt ipſius intuitu timore ac tremore concuti deberemus, ne ab eo tandem excuteremur veluti ſua ſocietate indigni; nihilominus cum in Chriſto omnia nobis contulerit, ex tam ſtricta & intima noſtræ naturæ cum natura diuina vnione, beatis conijcere licet quod & ſi Dei decreta libera ipſis ignota ſint, niſi in quantum ea reuelare eis voluerit; nihil ipſis reformidandum ſit, nec Deum in conſiliis ſuis omnem intellectus creati capacitatem excedentibus aliquid meditari ad ſui nominis gloriam (cui omne ius creaturæ cedere debet) quo auelli ab eo aut elongari queant. Nam cum Chriſti amicitia gaudeant, pro cuius reuerentia & gloria ad hanc gloriæ participationem fuerunt euecti, quo altior & eminentior eſt Dei tremenda maieſtas, eo maiori perfunduntur gaudio, ſi videant ab eo propter Chriſtum in æternum diligi, nec poſſe ab eo ſeparari, dicente ipſo: *ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum, ſumus.* Et iterum; *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum & illi ſint mecum.* (Ioan. 17.) In Sardoniche vidimus noſtram fœlicitatem minimè turbari ex inordinatione interna appetituum & paſſionum, cum nulla in tali ſtatu exiſtat; in Sardio nihil nobis eſſe ab externo agente, aut hoſte formidandum. Ex Beryllo conijcimus quantùm delectamenti Beatis obueniat, ex mutuâ ad inuicem fiducia ac beneuolentia. Topazius nobis eorum ſanctitatem & impeccabilitatem adumbrauit, qua cauetur ne ſibi poſſint eſſe oneroſi ac moleſti. Chryſopraſus aperuit quanto honore ſe inuicem proſequantur, vt intimam animorum concordiam ſeruent. Hyacinthus tandem mentem noſtram impulit ad meditandum qua ratione vnuſquiſque de propria ſorte & conditione debeat eſſe contentus. Vobis nunc proponendum ad conſummatam fœlicitatem integrè delineandam, quomodo corpora Beatorum fœlicitati animarum participabunt, cum doloris cuiuſlibet expertia futura ſint, quinimo omni voluptate perfruentur, quæ talem deceat beatitudinem ab omni impuritate alienam: nihil enim iucundi immortalitas corporibus acquireret, ſi aliquid pati valerent, imo potiùs hoc ipſis in maiorem cruciatum cederet; & plurimùm ipſorum quies perturbaretur, ſi vel quibuſdam vicibus, vel continuos dolores eis pati contingeret.

Nulla igitur alteratio, nulla interruptio tantæ fœlicitatis obuenire debet iis, qui Deum diligunt indiſſolubiliter, vident inceſſabiliter: nec maieſtate diuina obrui poſſunt, cum videant propter ſe Chriſtum hominem factum; nec turbari interius, in quibus motuum omnium ac paſſionem perfecta & optima ordinatio, nec exteriùs, à quibus propulſantur hoſtium quorumlibet impetibus Nec ſibi aliquid timendum, ex cognitione quam habent totum ſuum bonum ab alterius pendere voluntate & arbitrio, cum ipſum agnoſcant veracem in verbis in promiſſis fidelem. Nec ex eorum ſocietate, cum quibus illis conuerſandum eſt, aliquod tædium aut moleſtium ſufferre pertimeſcent, cum nihil tale ab ipſis ſit expectandum, propter eorum ſummam beneuolentiam, mutuam dilectionem, omnimodam ſanctitatem, nec non mutuum ac debitum honorem, quo ſe inuicem proſequuntur. Et cum quorum libet ſors & conditio meritis proportionata, bona, & conferta, & coagulata, & ſupereffluens ſit, hac erunt optimo iure contenti. Si igitur corpora poſſideant impaſſibilia æquè ac immortalia, conſummatam fœlicitatem proculdubio habebunt. Quam quidem impaſſibilitatem expectandam admonet duodecimum fundamentum. (Textvs.) *Duodecimum ſiquidem fundamentum Amethyſtus.* (*Duodecimum Amethyſtus.*) Hic violaceus, purpureus, & roſeus, ſculptura facilis, leuiterque flammulas fundit: ad vini colorem accedit, ſed in violam deſinit fulgor purpuræ cernitur, non ex toto igneus, ſed ſi in vini colorem deficiens. Siccus, frigidus, ſobrietatis ſymbolum. Ebrietati reſiſtit. Sardius Amethyſti mater dicitur: Vſtione dealbatur, & quaſi in adamantem verti poteſt. Et quia purpura, cuius fulgor in eo apparet, Regum fuit indumentum; & vt nobis coniectare licet, ex ea laude capillorum ſponſæ: *Coma capitis tui tanquam purpura Regis*, quæ quidem dignitas apex eſt honoris, & ſatiare poteſt honoris ambiendi appetitum; Ideo dicitur Amethyſtus ſymbolum eius qui ſua ſorte debet eſſe contentus.

Sunt equidem, vt vidimus, Beati ſua ſorte contenti: ad Regiam quandam dignitatem euecti purpurâ Regis veſtientur, cum ij qui Chriſtum olim induerunt corpora reſument configurata corpori claritatis eius. Impaſſibilitate enim ſubtilitate, agilitate dotati motum in corpora habebunt Imperium. Non amplius corpus aggrauabit animam, nec terrena inhabitatio deprimet ſenſum multa cogitantem. *Seminatur* enim *corpus in corruptione: ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Et ideo Spiritus in corpora exercebunt poteſtatem, cum corpus ſpiritui perfectè ſubdetur, nec alicuius alterationis capax futurum ſit, qua impediatur, aut retardetur, aut lædatur corporis ab anima informatio, virtutis aut animalis facultatis infirmetur vigor, motricis debilitetur actio, ſeſſationis diſtrahatur puriſſima delectatio. Nullâ ex parte corporis anima experietur in ſuis operationibus difficultatē, ſiue ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco prouenientem, nec ab organis, aut potētiis, aut obiectis, aut mediis quibus debeāt obiecta attingit: Imo cum omni facilitate ac voluptate Regium in corpus habebunt Imperium. Quâ quidem ratione purpurâ Regum propriâ induentur, quod violaceo & purpureo Amethyſti colore deſignatur. Et quidem quid aliud ſignificare rectiùs poteſt igneus ille ac ſanguineus fulgor Amethyſti, quàm claritatem impaſſibilitatē corporum, & vitæ immortalis vigorem, ignis cum ſanguine in lapide conſtans vnio, animæ cum corpore conſtantem denotat vnionem. Igneus enim erit illis vigor, qualis erit cœleſtis & diuina origo. Sculpturâ facilis eſt Amethyſtus: qua ratione adumbratūr quomodo anima poſt corporum futuram reſurrectionem abſque negotio quamlibet operationem in corpore & per corpus exercebit. Leuiter flammulas emittit. Corpora ſiquidem agilitate & claritate dotata fulgebunt, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Ad vini colorem fulgor illius deſinit, quia illud vinum quo inebriantur, & de quo dicebat Saluator: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem quod illud bibā vobiſcum in regno Patris mei*; omnem tunc mentem verè vertet in ſerenitatem & iucunditatem: & non recordabuntur triſtitiæ. Obliuione tradentur anguſtiæ priores; quin & vinum iſtud (cum nouiſſima tunc deſtruetur inimica mors) omnia præcordia faciet honeſta. In corporibus enim glorioſis inteſtina plena erunt non turpibus ſuperfluitatibus, ſed nobilibus humiditatibus, odorem ſingularem vinoque ac roſis

Digitized by Google

ſuauiorem exhalantibus. In Amethyſto plures cernimus colores, violaceum, purpureum, roſeum, ſanguineum. Nec equidem in reſurrectione eodem modo fulgebunt omnes corporis partes: nam aliter facies fulgebit, aliter caro, aliter fulgebunt oſſa, aliter nerui, aliter ſanguis: afferetque corpori maiorem pulchritudinem varietas ſplendoris. Præcellens debet eſſe in ſuſpectu, velut ex carbunculo refulgens, quidam in purpura leuiter roſeus nitor. Meminiſtiſne nos dixiſſe in carbunculo adumbrari Chriſtum Dominum, in ſeipſo omnia creata recapitulantem ad cuius exemplar reformabuntur corpora noſtrâ: Sardius Amethyſti mater dicitur. Ita protectio diuina ab omni extrinſeco agente Beatos protegens, corpora ipſorum ab omni vulnere immunia conſeruabit. Vſtione Amethyſtus dealbatur, &in adamantem vertitur, itaut periti gemmarij eum à vero adamante ſecernere vix queant. Hæc corporibus Beatorum prouenient, quia igne afflictionum, & tribulationum, & iudiciorum Dei probati ſunt, itaut quamuis veram habeant naturam corporum, ob præclaras dotes vix à ſpiritibus immortalibus ſecerni queant. Quinque ſunt ſpecies Amethyſti: ſic quinque ſenſuum erunt conuenientia oblectamenta. Quis igitur talia conſiderans omnem carnalem voluptatem non reſpuet? Certè ſicut Amethyſtus ebrietatem repellit, ita meditatio huius impaſſibilitatis cunctos ambitionis, vanæ gloriæ, auaritiæ, & concupiſcentiæ fumos reprimere poteſt. Hæc igitur duodecim ſunt fundamenta, quibus optime ſtabilitur Beatorum fœlicitas, & ſupremum gaudium, vt in æternum eo potiantur.

Textvs. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas. Et ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.*

Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas.

Viſis igitur beatitudinis æternæ fundamentis, qualia debeant eſſe media ſeu opera meritoria, quibus debebitur tanta merces, & acquiritur ius ad gloriam, vt aditus ad eam ſit peruius, attendite ex margaritis, ex quibus portæ conficiuntur. Aditus quidem patet iis, qui fide, ſpe, charitate, vigili ſuper ſe cuſtodia, patientiâ, æquitate & iuſtitiâ, Chriſti imitatione, ad Dei voluntatem conformitate, ſui ipſius in manus Dei conſignatione, promptâ & alacri ad omnia ad Dei gloriam conducibilia peragenda diſpoſitione, operibus miſericordiæ, mundi contemptu, ardenti ad Deum affectu, & ad patriam cœleſtem (ad quam vocati ſumus) adſpiratione, Deo placuerunt, modo actus huiuſmundi habituum perfectionibus & proprietatibus circumueſtiantur, quæ per margaritas deſignantur. Siue enim in oriente adoleſcentiæ; ſeu ſublimis bonitatis, in meridie iuuentutis; ſeu pietatis & clementiæ, in occidente ſenectutis: ſeu charitatis &benignæ ad proximum condeſcenſionis, in aquilone decrepitatis: ſeu timoris iudicij diuini, in quacumque volueris mundi plaga commoretur quis, in nomine tamen ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis aliquem ex his actibus, debitis circumſtantiis circumueſtitum exerceat, ei ad patriam facilis erit aditus. Conditiones autem, quibus circumueſtiti debet actus æternæ mercedis meritorius, ex margaritarum proprietatibus conjicere.

Textvs. *Et ſingulæ portæ erant ex ſingulis Margaritis.*

Portæ igitur ex vna integra margaritâ conſtant, non diſſecta, nec ex variis partibus. Bona enim operatio debet eſſe ex integra cauſa, mala euaderet ex minimo defectu; nec ex partibus variis conſtare debet, quæ Deum ſolum pro vltimo fine habere prætendit. Margarita vnio dicitur, vel quia per bonam operationem meritoriam, vno oculo, & vno crine capillorum ſponſa ferit ſponſum, quem vnice diligit; vel quia bona operatio plerumque alias ſecum trahit optimas animi diſpoſitiones: nec

A ſoli operanti vtilis eſt, quæ proximos per charitatem ſibi ſociat. Sic enim ſingulæ in ſingulis conchis ſunt margaritæ: vel ſi plures reperiantur, non ſunt diuiſæ, ſed ſibi inuicem connexæ & vnitæ. Margaritæ ex cœli lumine ſeu fulgure cum rore enaſcuntur. Gratia cœleſti ac lumine diuino, & Spiritus ſancti coruſcatione, ſeu inſpiratione opus eſt, vt opus bonum meritorium euadat, ſitque ſupernaturalis ordinis. Et ſi candore niteat, ſi magnitudine ſit prædita: ſi in orbem efformata, ſi decora, ſi pondere præcipua ſit margarita, in pretio eſt. Sic bona operatio animi & corporis puritatem requirit magnanimitatem exoptat, vt omnis ſuperetur difficultas. Orbicularis figuræ debet eſſe, per veram ex principiis veris deductam concluſionem, & in B Deum, à quo procedit omne bonum, tendentiam manſuetudinem & mititatem exigit, quia nemini offenſionem inferre debet, ne vituperetur ſanctorum miniſterium; pondere præcipua, quia momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, cum propter Dei honorem omnia tranſitoria deſpicimus, vt ad æterna præmia peruenire valeamus multiplici cure conſtant: quia bonitate naturali, morali & ſupernaturali opus bonum & meritorium conſtare debet. Singularis gratia Margaritarum eſt, ſi intus rubeſcant, cum clarâ luce illuſtrantur, & velut animam habere ſanguineam videantur. Singularis etiam gra- C tia boni operis eſt, ſi luce diuina perfuſum intus charitate animetur quæ talis ſit vt pro re dilecta, Deo videlicet, ſanguinem fundere quis paratus exiſtat. Tunc enim margarita illa eſt pretij eximij perfectionis Euangelicæ, pro qua acquirenda cum inuenitur, omnia danda exiſtimet ſapiens & prudens negotiator, eorum qui ad Regiam Chriſtianæ perfectionis dignitatem, & ad intimam cum Deo vnionem in thalamum ſponſi æterni deducti deuenerunt, ornamentum præcipuum.

Margaritæ cor & vitales ſpiritus roborant. Operationis bonæ certam faciunt noſtram vocationem & electionem. Peſti & putredini reſiſtunt vniones; ſic fomiti peccatorum ex peccato originali proue- D nienti reſiſtit actus vitæ æternæ meritorius. Animum exhilarant, & cardiacos ac melancholicos affectus, & ſyncopem tollunt vniones. Sic iuſtitiæ Domini recta, lætificantes corda, & dilatato ex lætitia corde, ſancti infatigabili & continuo curſu ad brauium vocationis æternæ properant. Phtiſi & maraſmo laborantibus medentur vniones. Sic per bonas operationes omnis aufertur animi ſiccitas, ab eis quorum animæ adipe & pinguedine ſpiritali replentur, itaut labiis exultationis Deum laudare geſtiant. Valent vniones contra febres ardentes, & ſanguinis & alui profluuia. Valent etiam bonæ operationes contra motus tum iraſcibilis, tum concupiſcibilis appetitus. Cerebrum & neruos roborant vniones. Quò E magis frequententur bonæ & laudabiles actiones, eo magis ratio viget, & facilius virtutes in actus prorumpunt. *Teſtimonium enim Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Itaut ſicuti vniones lacrymas exſiccant, ſic omnis doloris, & lacrymas fundendi occaſio ab eis auferatur, qui per bonas operationes ius ſibi ad gloriam acquirunt, vt per portas intrent, de quibus ſingulis dicitur: *Aperite mihi portas iuſtitiæ. Ingreſſus in eas Confitebor Domino: hæc porta Domini. Iuſti intrabunt per eam. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.* Pſ. 117.

Hoc lætanter dicunt qui hanc ciuitatem ingrediuntur, & per plateas eius deambulantes, ad manſionem ſibi paratam facili & gratiſſima via properant. Platea namque ciuitatis aurum mundum, tanquam

Iſa. 57.

quam vitrum perlucidum. Tunc fiet quod per Iſaiam olim fuit a Deo promiſſum electis: *Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum. Et dicũt: viam facite. Iter præbete, de ſemita declinate: auferte offendicula de via populi mei.*

TEXTVS.

Et plateæ ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.

Latæ ſunt plateæ, non ſtrictæ: planæ, non ſcabroſæ rectæ, non prauæ: nec aſcenſu aut deſcenſu montium difficiles, iniucundæ. Plateæ omnes æquè ac domus eis vtrimque adiacentes, aureæ ſunt & pellucẽtes, vt diſcamus latitudinẽ charitatis æquè ac claritatis Beatorũ, qua tales ſũt, vt licèt ſancti interſe meritis & gloria impares & inæquales ſint, eorum tamen cõmunicatio fraterna tota aurea ſit, & feruida charitate, ac ſincera & clara. Cum enim gloriam aliorum alij clarè intuentur, ea gandent & fruuntur, & per communionem charitatis mutuo ſibi eandem fœlicitatem quaſi radium pellucidiſſimum tranſmittunt: ſicque aliorum manſiones non exoptant, qui de aliorum mercede quaſi de propria gratias Deo agũt, & ſibi mutuò congratulantur; quocumque oculos gradientes conuertunt, gaudij & laudis diuinæ materiam hauriunt, itaut vbique Deum adorare, eique hoſtias & ſacrificia laudis offerre liceat. Locus enim ſanctus eſt, & totus Deo conſecratus, nihilque in ea ciuitate prophanum reperiri poteſt.

Et templum non vidi in ea Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & Agnus.

Hinc eſt quod *templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens. Templum illius eſt & Agnus. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam; & lucerna eius eſt Agnus.* Locus enim ſacratæ præſentiæ & fruitionis Dei eſt in quo Deus loco ſpeciei intelligibilis ſeipſum vnit menti Beatorum, eumque facie ad faciem ſemper contemplantes, adorantes, laudant; atque in ipſo, quaſi in templo diuino & increato, diuinam & Beatam obtinent manſionem, itaut Deus eis ſit templum, & præſes templi, & omnia in omnibus, ſibique ipſemet eſt templum, cum in ſeipſo videtur à Beatis, & in ſeipſo maieſtatem omnem templi continet, eamque quaſi omnipotens totam Beatis fruendam & poſſidendam communicat. Hoc enim eſt opus omnipotentiæ Dei, nec vſquam magis quàm in cœlo Deus ſuam omnipotentiam manifeſtat. Pari modo Agnus eſt templum Beatorum, tum quia Chriſtus, qua verbum eſt Deus, deoque Patri æqualis; tum quia qua homo, ſuâ gloriâ animæ & corporis mirè recreat Beatos, ab eiſque quaſi Saluator & Redemptor colitur & adoratur. Quo fit vt ciuitas non egeat ſole & luna, vt luceant in ea; creata adeo claritate totá fulget & ſplendet hæc Beatorum manſio in plateis & domibus, & ex Chriſti humanitate tantus emanat fulgor, eius lumine illa ciuitas colluſtretur.

Et ciuitas non eget ſole neque luna vt luceant in ea.

Cumque Deus duplici ratione cognoſcatur, vel præcisè & abſolutè, ſicuti in ſe eſt; vel in quantum ad eum omnia creata referuntur, à quo tanquam à cauſa habuerunt initium, non indigent Beati intellectu agente, quo tanquam ſole phantaſmata epurari valeant, in eiſque veritates inquirant & expiſcentur, & producant ſpecies intelligibiles, quæ obiectorum locum teneant, quo intellectus patiens in proxima potentia, ea intelligendi conſtituatur. Ipſe locum ſpeciei intelligibilis tenebit, vt menti Beatorum lumine gloriæ colluſtratæ & corroboratæ ſeipſum clarè intuendum manifeſtet, & quæcumque voluerit in ſeipſo vt in ſpeculo voluntario ſpeculanda proponat. Non igitur egent ſole intellectus agentis phantaſmata colluſtrantis, neque lunâ phantaſiæ eadem proponentis, vt ad ipſa intelligenda debeat conuerti.

Nam claritas Dei illuminauit eam & lucerna eius eſt Agnus.

Claritas Dei illuminauit eam. Clariſſimus enim Deus ſuam claritatem, nempè lumen gloriæ Beatis communicat. Si autem vt cauſa omnium conſideretur, non laborabit phantaſia; vt varias vndequaque ſpecies rerum ſenſibilium hauriat per ſenſus: vnum ei obiectum ſufficiet, nempè humanitas Chriſti lucerna quippe huius ciuitatis eſt Agnus, id eſt fax, ſtella, vel lux oculos corporeos Beatorum illuminans & recreans. Eius enim ſplendidiſſima & glorioſiſſima humanitas non ampliùs præſens conſtituetur ſub ſpeciebus panis & vini, ſed in propria figurà refulgens apparebit, & inſtar lunæ fulgidiſſimæ lumen per cœlum Empyreum diffundit, vt videlicet oculi ſanctorum per illud intuendo humanitatem Chriſti glorioſam, alioſque ſanctos, & ſuam claritatem ſenſibilem & omnia quæ in cœlo erunt, quæ ad Chriſtum referenda ſunt, recreationem maximam & iucunditatem habeant; & præcipuè quia cum Dei gloriam ſummopere exoptent ſi quid gloriæ, ſi quid honoris, ſi quid laudis; dignum Deo obuenire poteſt ex rerum creatione, totum id expirat & perficitur ex gloria & laude, quæ illi debentur ex opere incarnationis verbi. Opus quippe adeo præcellens eſt, vt vno Chriſto probè cognitò à Beatis, recapitulationem omnium contineat, quidquid perfectionis in aliis rebus reperiri poteſt clarè perſpiciatur, ſitque ita lucerna ciuitatis Agni, quia in qua magis refulgat diuina maieſtas in rebus creatis nec cogitari nec videri poteſt.

TEXTVS.

Et ambulabunt gentes in lumine eius.

Cum igitur ineffabilis ſit illa Beatitudo, poſſetne fieri vt hi quibus fuit reuelata, & pro præmio propoſita, ſemitam qua ad eam perueniri poteſt non ingrederentur, arecta licet ſit via quæ ad eam ducit? Ambulabunt nihilominùs gentes in lumine eius: eâ quippe cognitâ ad eam contendent, & ſi quid gloriæ, ſi quid honoris merentur, qui bonum operantur, ſibimetipſis imperantes, & motus appetituum ad regulam rationis moderantes, hoc totum referunt ad hanc gloriam adipiſcendam.

Et Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.

Inſuper ſi quid gloriæ, ſi quid honoris merentur qui benè præſunt, hoc totum referunt ad huius ciuitatis ædificationem, quippe qui cum Dauide Propheta occinunt; *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus, &c. Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te: propter domum Domini Dei noſtri, quæſiui bona tibi.* Reges igitur Pij & Chriſtiani, non tantùm quæ tranquillitatis ſunt tranſitoriæ reſpiciunt in regendis populis ſibi commiſſis, ſed quæ religionem, quæ Dei cultum, quæ pietatem & beatitudinem æternam ſpectant, hoc ſibi ab oculos proponunt, cum leges condunt, cum bella ſuſcipiunt, cum pœnas aut præmia decernunt. Paſtores Eccleſiæ quæ ſui officij ac numeris ſunt fideliter exequuntur, vt populi ſibi commiſſi inoffenſo pede pergant ad patriam. Propter hoc laborant: propter hoc inſudant, & optimè regunt Eccleſiam Dei, ſicuti & fideles mandatis eorum obtemperantes, ſibimet imperantes, vt præmia reportent, dicuntque ſinguli: ſi oblitus fuero tui, Hieruſalem: ſi non meminero tui in principio lætitiæ meæ, obliuioni detur dextera mea. Omnem adeo nobis collatam poteſtatem temporalem, ſiue ſpiritalem, omnes opes, omnem ſcientiam, cognitionem & induſtriam, omnem animi fortitudinem ac magnanimitatem, omnem heroïcam ac glorioſam actionem, hoc totum conſecramus ad huius ciuitatis gloriam propagandam; itaut cætera omnia, vitam etiam pro nihilo habeamus, modò quæ tantæ ciuitatis gloriam promoueant, fideliter exequamur.

Et portæ eius non claudentur per diem nox enim non erit illic.

Portæ autem eius non claudentur per diem, cuilibet enim in gratia exiſtenti hanc promereri facillimum erit. *Deus enim lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Per diem igitur ambulandum iis qui ſocietatem enim eo habere exoptant: quo fit vt qui in luce ambulat, ſicut ipſe eſt in luce: ſi in ea permanſerit & perſeuerauerit vſque in finem, portas cœli apertas ſemper reperiat. Nox enim non erit illic neque enim qui tenebris peccatorum fuerit obuo-

Digitized by Google

Textvs. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum aut abominationem faciens & mendaciũ niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

lutus & alius gratiæ exciderit, ſibi ingreſſum polliceatur in ciuitatem hanc diuino lumine colluſtratam. Patet tantùm iis qui in gratiâ perſeuerant: Et hac ratione, & qui præſunt & regunt, & qui reguntur, quidquid gloriæ, quidquid honoris merentur bonum operantes, hoc totum referunt ad hanc gloriam adipiſcendam, dicuntque ſinguli: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem.* Qui autem in tenebris ambulant, ab ea excluduntur ciuitate, in qua nox non erit. *Non* enim *intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* Infidelibus, prauis peccato infectis, impiis, iniuſtis, mendacibus, aliud profitentibus, aliud peragentibus, erroribuſue adhærentibus, dignitati humanæ, naturæ: Chriſtianæ & Religioſæ vocationis minimè reſpondentibus prohibetur aditus. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Soli ingredientur qui fuerint ſcripti in libro vitæ Agni, de quibus olim dicebat, Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis. Et non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Scripti eum ſunt in libro vitæ, quos ad vitam præordinatos, & ſibi à Patre datos Agnus agnoſcit.

QVARTA ET VLTIMA PARS EXPOSITIONIS APOCALYPSIS Caput XXI. & XXII. complectens.

PRÆFATIO.

CERTVM eſt in his duobus capitibus 21. & 22. agi de Eccleſia triumphante, prout illius ſtatus poteſt ſub pulcherrimis picturis ab Eccleſia militante comprehendi.

Quoad primam partem huius concluſionis, fateor quoſdam reperiri auctores, qui hæc capita de militante Eccleſia exponunt, verbi gratiam, Victorinus. *Sanctorum*, inquit, *adunatam turbam oſtendit, in quibus fides nullo modo fluctuare potuit; ſicut & Noë præcipitur vt ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluuij poſſet impetus ferre; pretioſos lapides, fortes in perſecutione viros, qui nec tempeſtate perſecutionum moueri, nec impetu pluuiæ à vera fide ſolui potuerunt.* Ita Victorinus. Quæ ſanè ad præſentem Eccleſiæ ſtatum ſpectant, ſicut & cætera, quæ de illa ciuitate hîc deſcripta exponit.

Secundo Ticonius, hom. 18. in Apocalyſ. *Ipſa enim ciuitas tunc in monte eſt conſtituta, quando in humeris paſtoris tanquam ouis ad ouile proprium reuocata eſt. Si enim alia eſt Eccleſia, alia ciuitas deſcendens de cælo, erunt duæ ſponſæ, quod omnino fieri non poteſt, &c.* Et paulo poſt. *Et quia ciuitas iſta, quæ deſcribitur, Eccleſia eſt toto orbe diffuſa, ideo per quatuor partes ciuitatis terræ partes eſſe dicuntur, quia per totas quatuor partis mundi, Trinitatis myſterium in Eccleſia prædicatur.* Et poſtea: *In arundinea aurea homines in Eccleſia oſtendit, fragili quidem carne, ſed aurea fide fundatos.* Ita Ticonius. Adhærendum tamen eſſe exiſtimo aliis, qui hæc de cæleſti Hieruſalem ſeu Eccleſia triumphante exponunt. Et primo Primaſius ait in fine commentarij c. 20. *Finito autem iudicio, quo prænunciauit iudicandos malos, reſtat vt etiam de bonis dicat.* Vnde in comment. c. 21. omnia exponit de ſtatu Eccleſiæ. *Poſt renouationem, iudicatis*, inquit, *videlicet impiis, atque damnatis, tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluuium; vt cælo & terra in melius commutatis, incorruptionis & immortalitatis ſanctorum corpora congrua vtrinſque mutatione qualitate conueniat: munduſque in melius innouatus, aptè accommodetur hominibus etiam in melius innouatis. Hæc Primaſius poſt Auguſtinum, quamuis multa poſtea exponat de Eccleſia militante, vt tamen ad triumphantem aſpirante.*

Clariùs & apertiùs Andreas Cæſarienſis, qui re-

A rum omnium in meliorem ſtatum tranſmutationem & innouationem agnoſcens, in quo nihil turbationis aut formidinis in ſanctis tunc reliquum erit, poſtea addit: *Ex hinc rurſum oſtenditur nouitatis nomen transformationis in lætiorem ſtatum notum eſſe, quam ſuperna illa Hieruſalem conſequetur, quæ ex virtutibus corporis expertibus exorta vſque ad homines deſcendit, vnicuique eſt & appellatur corpus, quod Chriſtus Deus & Dominus noſter commune vtrorumque ſit caput*, (Ita Andreas) nempe caput Angelorum & hominum. Concinit Andreæ Ambroſius. *Septima*, inquit, *viſio, ad quem Domino donante peruenimus, tota ad illud tempus, quod poſt reſurrectionem futurum eſt, pertinet: &*

B *ordo poſcebat vt generali reſurrectione deſcripta, gloriam ſanctorum, quam poſt reſurrectionem ſine fine poſſidebunt deſcriberet: quæ ſub figura ciuitatis Hieruſalem in hac viſione deſcribetur.* Ita Ambroſius.

Pro nobis ſtat etiam Rupertus, qui miſſis iuxta ſanctum Ioannem in ſtagnum ignis reprobis, poſtea addit: *Ab hinc beatum immortalitatis ſtatum eorum, quibus dictum erit. Venite benedicti patris mei, percipite regnum: ſignificant ſequentia viſionis qualis futurus ſit.* Ita Rupertus.

Item ſanctus Thomas. *In hac*, inquit, *viſione ſeptima, deſcribitur conſequenter ſub nomine ſanctæ ciuitatis Hieruſalem, bonorum glorificatio. Vnde ſi quis viſionis hu-*

C *ius ſeriem diligenter attenderet, cor ſuum ad tantæ gloriæ deſiderium excitaret, & tam glorioſæ ciuitatis habitator fieri votis omnibus exoptaret.* Ita S. Thom.

Item Richardus à S. Victore prologo in librum ſeptimum in Apocalypſ. *Deus*, inquit, *rector omnium, iudex vniuerſorum, qui nihil in regno ſuo relinquit inordinatum: quemadmodum impiis ſtipendia damnationis diſpenſat, ita iuſtos cæleſtibus bonis remunerat. Vnde ſacra Theologia, quæ in præcedenti viſione ſub nomine ſubuerſæ & ſubmerſæ Babylonis, malorum damnationem manifeſtè deſcribit: congruè nunc ſub typo Hieruſalem ciuitatis ſanctæ, glorificationem bonorum conſequenter ſubiungit; vt*

D *ſicut ibi deſcribuntur impij ſine fine puniendi, ita hic iuſti oſtendantur æternaliter glorificandi.* Ita Richardus.

Quod ſi aliqua dubitatio adhuc in te remaneret, lege prologum Ludouici ab Alcazar, ſeu diſputationem de huius capitis atque ſequentis argumento. Ibi abundè iſtam veritatem demonſtrat, & argumenta duo ſoluit, quibus probari poſſet in hac vlti-

Digitized by Google

ma Apocalypſeos viſione depingi fælicitatem, quam in terris adeptura eſſet Eccleſia.

Primum argumentum ſumunt ex alluſione primorum locorum horum duorum capitum ſancti Ioannis, ad multa Prophetarum loca, quorum litteralis ſenſus reſpicit eam fælicitatem, quæ Eccleſiæ in terris futura eſt. Cui argumento reſpondetur plurima de Eccleſia militante dici poſſe, propter eminentem quorumdam ſanctorum ſanctitatem, quæ magnam habeant analogiam cum iis quæ de triumphante Eccleſia dicuntur: quò fit vt & ſanctorum in hac vita degentium eminens perfectio poſſit ſub eiſdem verbis concipi, ſub quibus ſtatus ſanctorum in patria deſcribitur.

Secundum argumentum eſt, quòd legitimus ſenſus rerum aliquot, quas Ioannes à ſe conſpectas in hac viſione recenſet, non aptum videtur locum in cæleſti patria habere, vt eſt ſenſus in 12. fundamentis intentus, in 12. portis, aut 12. fructibus arborum ad fluminis ripam adſtantium: quia in fundamentis capita fidei figurantur: in portis, illi qui ſaluti aliorum incumbunt: in fructibus, totidem Spiritus ſancti fructus, inter quos patientia, quæ propriè ad huius vitæ labores tolerandos ſpectat. Ad hoc argumĕtum reſpondetur, in ſupernæ patriæ deſcriptione ac pictura congruentiſſimum habere locum militantis Eccleſiæ merita: Primò, quia præmium in ſeipſo conſideratum ob ingentem ſui magnitudinem vix poteſt aliquibus ſymbolis iudicari: quapropter opus eſt meritorum vſurpare picturam, vt ipſius præmij effigies aliqua proponatur ob oculos, per modum ſaltem proportionis, ſuppoſitâ diuinâ potentiâ, ac bonitatis infinitate. Secūdò, Vt denotetur maxima ſanctorum promerita (quæ nō ſatis dignè in hac mortali vita æſtimata fuerūt, iuxta illud Pauli: *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*) in cælo plurimi habita, de ſummis premiis eſſe affecta; vtque ipſorum veſtigiis inſiſtentes diſcamus ea maximi facere quæ mundus aſpernatur: quando quidem hoc ipſum noſtris oculis obiicit Apocalypſis, tanquam immenſæ illius gloriæ materiam, & meritum tanto præmio dignum. Ita Alcazar. His addo, illis ſymbolis, quæ videntur prima fronte nihil aliud depingere quàm ea quæ in Eccleſiæ militantis ſtatu perficiuntur, commodè poſſe (vt Deo dante videbimus) ita applicare ad ea, quæ Eccleſiæ triumphanti ſunt propria, vt ad ſenſus Eccleſiæ militantis proprios non ſit recurrendum. Et proinde ruit & ceſſat illa difficultas: ſiquidem omnia ſymbola hic adducta, ſtatum Eccleſiæ triumphantis graphicè deſcribunt, vt videbimus.

Quantum ad ſecundam partem concluſionis, nempe Eccleſiam triumphantem depingi ſub picturis congruis, vt ab Eccleſia militante concipiatur quanta ſit eius gloria & magnitudo: hoc dico, quia verè dixit ſanctus Paulus 1. ad Corinth. 2. *Sicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum*, Quod antea Iſayas dixerat: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Cum igitur ea, quæ in cœlis præparantur electis, non poſſunt ſenſibus percipi, aut mente comprehendi: & tamen valde neceſſarium exiſtat vt illius gaudij magnitudinem cogitemus, quo ardentiori deſiderio ad illud properemus: egit miſericorditer nobiſcum Deus, cum penicillo S. Ioannis nobis depinxit ea, quæ nunc de cæleſti patria credere & cognoſcere nobis vtiliſſimum eſt. Singula autem nobis erunt expendenda, hunc ſeruabimus ordinem, vt quas reperire poterimus expoſitioni congruentes afferamus. Cæterum

A ſi ſenſum aliquem adduxerimus ab aliis expoſitoribus diuerſum, ſperamus illius veritatem ſatis comprobari, ſi cum iis, quæ doctores noſtri ac theologi de beatitudine docent, conueniat, & aptiſſimè ſymbola in his capitibus adducta ad hunc ſenſum applicari poſſint, Non enim erit huic Prophetiæ indignum, ſi quod fides catholica docet de beatitudine, illud idem in ſuis ſymbolis deſignari & depingi aſſeramus.

Et vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt:

B *De renouatione vniuerſi poſt finale iudicium.*

ANNOTAT. I.

AD hoc erectus fuit thronus, vt perfectè omnia renouarentur, & vnicuique locus proprius aſſignaretur: vniuerſis orbis partibus in eo ſtatu meliori permanentibus, in quo tunc poſt conflagrationem vniuerſi, & poſt prolatas à iudice ſupremo ſententias reponentur.

Mundum non eſſe interiturum etiam Ethnici cenſuerunt. Ita Procopius Gaza in cap. 3. Geneſeos. *Siquidem*, inquit, *quidam quoque Ethnici intellexere mundum eſſe corruptibilem, non tamen interiturum.* Ita Procop. C Qua ratione igitur abeant cælum & terra, & mare iam non ſit quæritur. Et ab omnibus reſpondetur hoc fieri non per interitum, ſed per renouationem ſeu inſtaurationem, ac mutationem in meliorem ſtatum. Hoc modo exponunt hunc locum plurimi interpretes, cum Auguſt. lib. 20. de ciuit. c. 16. *Iudicatis quippe his, qui ſcripti non ſunt in libro vitæ, & in æternum ignem miſſis (qui ignis cuiuſmodi & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi ſorte cui ſpiritus diuinus oſtendit) tunc figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione præteribit, ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluuium. Illa itaque, vt dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium, qualitates* D *quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniunt, vt ſcilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius innouatis.* Ita Aug. Quomodo autem innouatus accommodetur hominibus innouatis, docet S. Thomas in ſupplem. q. 91. ar. 1. *Non ad ſuſtentationem corporalis vitæ, cum hominum corpora futura ſint incorruptibilia, diuina virtute id faciente per animam, quam immediatè glorificat: non ad cognitionem intuitiuam, quia tali cognitione Deum ſancti videbunt immediatè per eſſentiam: ſed vt oculis eorum, qui ad viſionem eſſentiæ diuinæ attingere non poſſunt, ſolatium congruens de viſione diuinitatis accipiant, inſpicientes diuinitatem in ſuis effectibus corporalibus, in quibus manifeſta indicia diuinæ maieſtatis apparebunt, & præci-* E *puè in carne Chriſti, & poſthac in corporibus beatorum, & deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit vt etiam alia corpora maiorem influentiam à diuina bonitate ſuſcipiant, quàm nunc, non tamen ſpeciem variantem, ſed addentem cuiuſdam gloriæ perfectionem. Et hæc erit mundi innouatio: Vnde ſimul mundus innouabitur, & homo glorificabitur.* Ita S. Thom. Quod verò ait S. Auguſt. Interituras elementorum qualitates, id minimè intelligendum eſt de naturalibus elementorum qualitatibus, quæ conſequantur ipſorum ſubſtantiam, verùm per immutationem illam debemus intelligere, primùm quòd auferendæ ſunt omnes ſordes, quæ ſunt præter naturam elementorum: ſecundò quòd aliqua ſint addenda, ad maiorem ornatum vniuerſi, & perfectionem ipſorum elementorum. v. g. Quoad primum, maris aquæ adeo fer-

ueſcent, vt ſalis affectionem, & nimiam denſitatem amittant, & ſi quos habent vapores admixtos, illos exhibent. Fiet etiam tanta aquarum commotio, vt omnia piſcium, vel aliarum rerum corpora in eis latentia expellantur, & igni tradantur. Omnia excrementa terræ, & quicquid materiæ ſuperfluum fuerit, partim conſumentur, partim in infernum violento quodam impetu detrudentur. Quoad ſecundum, elementis omnibus addenda eſt quædam eximia claritas & lux, non æqualis quidem, ſed proportionata, prout requirit varia dignitas elementorum. *Terra*, inquit S. Thom. in 4. diſt. 48. q. 2. ar. 4. *erit lucida, & peruia ſicut vitrum in ſuperficie; aqua, ſicut cryſtallum; aër, ſicut nunc eſt & cælum; ignis ſicut nunc ſunt luminaria cæli. Oportet ſiquidem vt ſicut in illa vltima rerum conſummatione ſpiritus inferiores accipient proprietates ſuperiorum ſpirituum, quia homines erunt ſicut Angeli in cælis, & hoc erit inquantum ad maximam perfectionem peruenient, ſecundum quod humanus ſpiritus cum Angelico conuenit; Ita oportet vt corpora inferiora accipiant quamdam perfectionem in illa innouatione, qua cum ſuperioribus conueniant, qua nulla alia erit quàm claritas, quia corpora inferiora cum cæleſtibus non communicant, niſi in natura lucis & diaphani.* Ita S. Thom. in ſupplem. q. 91. ar. 4.

Hæc innouatio maximè congruit ſtatui gloriæ futuro, à nulla reuera cauſa naturali inducenda, ſed mera Dei voluntate, ſine aliqua immutatione Dei volentis perficietur, iuxta illud Pſal. 101. *Initio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli: Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*; Cuius innouationis ſimilitudo præceſſit iam ab initio ſeculi, in gratia, & gloria Angelorum, & in potentia obedientali, quæ tunc creaturæ eſt indita ad ſuſcipiendum talem diſpoſitionem, qualem autor, & quando voluerit, ſiue illa ſit naturalis, ſiue ſupra naturam, qualis erit illa innouatio, quæ nec naturalis nec contra naturam erit, ſed ſupra naturam, ſicut gratia & gloria eſt ſupra naturam animæ: Permanebit autem in æternum illa innouatio, quia erit à perpetuo agente, quod eam perpetuo conſeruabit. Vide qualis ſit Dei erga homines dilectio, vt non ſolùm ſibi meruerint animarum & corporum glorificationem, ſed etiam vt quamuis corpora inſenſibilia mereri non poſſint illam gloriam, homo tamen meruerit vt illa gloria toti vniuerſo conferretur, inquantum hoc cedit in augmentum gloriæ hominis. Et quia innouatio iſta vniuerſi accommodatur, vt dictum eſt à S. Auguſt. hominibus innouatis, cum inouatio hominis illi acquirat quietem omnimodam, ceſſabit etiam omnis motus, quia nec motus cælorum homini ampliùs erit neceſſarius, nec ad ſuſtentationem vitæ corporalis, nec ad ſanitatem conſeruandam, nec ad cognitionem, Deo ita volente; non ex cæli natura, quia nullus locus poteſt aſſignari corpori cæleſti, in quo ſecundum naturam quieſcere debeat; ſed cum effectus cauſæ aſſimilari debeat, cum corpora cæleſtia effectus ſint nobiliores inter corpora inferiora, quorum motus terminatur naturaliter ad quietem, congruit vt eorum motus in quiete terminetur, vt Deo ſummè immobili aſſimilentur.

Ad illam autem innouationem pertinent tantùm corpora cæleſtia, elementa, & homines, quia ad illam nihil ordinari poterit, niſi quod habet ordinem ad incorruptionem. Vnde fit vt illa ſola innouari debeant, non animalia bruta, & plantæ, & mineralia, & omnia corpora mixta, quæ corrumpuntur, & ſecundùm partem, & ſecundùm totum: & hoc ex parte materiæ, quæ formam amittit, &

A ex parte formæ, quæ actu non manet: Et ſic nullo modo habent ordinem ad incorruptionem. At corpora cæleſtia ſecundùm ſui naturam incorruptibilia ſunt, & ſecundùm totum, & ſecundùm partes. Elementa verò ſunt quidem corruptibilia ſecundùm partes, ſed ſecundùm totum ſunt incorruptibilia. Homines verò corrumpuntur & ſecundùm totum, & ſecundum partes; ſed hoc ex parte materiæ, non ex parte formæ, ſcilicet animæ rationalis, quæ poſt corruptionem hominis remanet incorrupta. Sed quia incorruptio hominis promittitur, primæ ad Corinth. c. 15. & reparatio corporis corruptibilis, *Oportet* quippe *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere* B *immortalitatem*; vt innouatio mundi homini conformetur, oportet vt quæ ordinem habent cum eo ad incorruptionem, vt ſunt cæli & elementa, cum homine innouentur; vt abiecta omni corruptione, & motu omni ceſſante, omnia maneant in quiete. Et quia ad hoc innouatio mundi ordinatur, vt etiam mundo innouato manifeſtis indiciis quaſi ſenſibiliter Deus ab homine videatur: Creatura autem præcipuè in Dei cognitionem ducit ſua ſpecie & decore, quæ manifeſtat ſapientiam facientis, & gubernantis, vnde dicitur Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei cognoſcibiliter poterit creator horum videri*: pulchritudo autem cæleſtium corporum præcipuè conſiſtit in luce: vnde Eccleſiaſt. 43. dicitur: *Species cæli gloria ſtellarum,* C *mundum illuminans in excelſis Dominus*: & ideo præcipuè quantum ad claritatem, corpora cæleſtia meliorabuntur: quantitas autem & modus meliorationis illi ſoli cognita eſt, qui erit meliorationis autor ita S. Thom. in ſuppl. q. 91. ar. 3. Magna tamen futura eſt, iuxta illud Iſ. c. 30. *Erit lux lunæ, &c. Et lux ſolis ſeptempliciter.* Vnde non mirum, ſi aliquibus in mentem venerit mutationem rerum futuram in ignis eſſentiam. *At mitto*, inquit Clem. Alexandr. lib. 5. ſtromat. *Empedoclem qui ad modum naturaliter vniuerſorum meminit inſtaurationis, quod ſcilicet aliquando futura ſit mutatio in ignis eſſentiam.* Etſi apud eumdem Clementem ibidem Heraclius Epheſinus dixerit quòd mundus erit ignis ſemper viuens cum D omnia, lucis claritate, quæ ignis proprietas eſt, ornari debeant. Mundus igitur igne purgandus, igne innouandus, igne perficiendus eſt, non autem in eſſentiam ignis mutandus. *Nec in hac innouatione ignis mentio fit in hoc loco, cum parua aut nulla corruptione ſedatus ſit*, inquit S. Thomas, *& illius virtute elementa cætera in conflagratione vltima debeant emendari, quoniam ipſe maximè actiuus eſt, minimè habens de materia, maximè verò de ſpecie.* Ita S. Thom. Hic enim ignis eſt aptiſſimum inſtrumentum ad eam purgationem faciendam: tum propter ſuam puritatem, & nobilitatem inter omnia elementa, quàm propter actiuitatem. Et non modò ad purgationem aptiſſimum inſtrumentum, ſed etiam ad innouationem, quia cum E illa innouatio fiat ſecundùm claritatem in corporibus, ignis aptiſſimum inſtrumentum eſt ad perfectionem claritatis inducendam, propter innatum ſplendorem. Vnde & apud Clementem Alexand. ſtromat. quinto, Plato expurgationem & immutationem per ignem futuram agnoſcit. *Plato autem*, inquit, *terram quibuſdam temporibus dicit per ignem & aquam expurgari. Multi ſæpe fuerunt hominum interitus, & erunt igne quidem & aqua maximi, quin etiam aliis quoque innumerabilibus alij breuiores.* Et paulo poſt ſubiungit: *Reuera autem eſt eorum, quæ terram & cælum obeant, immutatio, & qui poſt longa temporum interualla eorum quæ ſunt in terra multo igne fit interitus. Quando autem rurſus Dij terram aquis expurgantes inundant, qui ſunt quidem Bubulci & Paſtores conſeruantur.* Hæc Plato apud Clem. lib. 5. ſtromat. Duplicem iſtum purga-

Digitized by Google

tionis modum habemus epiſt. 2. Petri c. 3. *Latet enim eos, hoc volentes, quòd cæli erant primi, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit: cæli autem, qui nunc ſunt & terra, eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* Cur autem primum iudicium per aquam factum fuerit, & ſecundum & vltimum ſit igne perficiendum, declarat S. Thomas in hunc locum D. Petri. *Notatur*, inquit, *autem hic duplex iudicium Dei, vnum in aqua, aliud in igne. Primum factum fuit per aquam, quia in primis viguit luxuria, in qua ſunt duo, ſcilicet ardor, & fœditas, propter quod facta tunc eſt purgatio per aquam, quæ eſt refrigerans & purificans, alterum verò iudicium fiet per ignem, quia tunc vigebit auaritia, & erunt homines infrigidati frigiditate auaritiæ ex defectu charitatis, ſecundùm illud Matth. 25. Abundabit iniquitas, & refrigeſcet Charitas multorum. Et ideo fiet per ignem, qui habet contrariam qualitatem. Vel aliter, aqua eſt purgare & non innouare: ignis verò facit vtrumque. Ideo quia prima purgatio mundi tantùm fuit purgatio, & non innouatio, ideo facta eſt per aquam: ſecunda verò quæ non tantùm eſt purgatio, ſed etiam innouatio, fiet per ignem.* Ita S. Tho.

Quamuis autem S. Auguſt. reuocet in dubium vtrum mare maximo illo ardore ſiccetur, ex eoquod dicitur: *Et mare iam non eſt*, an verò & ipſum vertatur in melius, *Non facilè*, inquit, *dixerim cœlum quippe nouum & terram nouam futuram legimus, de mari autem nouo aliquid me vſquam legiſſe non recolo.* 20. de ciuit. c. 16. Quin & Andreas Cæſarienſ. dixerit. *Obſeruandum eſt autem de cælo quidem & terram hic aſſeri tranſiiſſe, hoc eſt mutata eſſe, & ad noſtri ſimilitudinem quodammodo mortem pertuliſſe. Subierant namque prioris conſtitutionis in meliorem formam mutationem, & ſortem: de mari autem non amplius exiſtere. Quid enim opus eſt mari, cum omnis apud homines ceſſabit nauigatio? Et ad regiones longe poſitas peregrinarum, & aduectitiarum mercium cauſſa profectio?* Hæc Andreas Cæſar. Communis tamen eſt ſententia Theologorum, mare ſecundùm ſuam ſubſtantiam minimè periturum, cum pertineat ad integritatem vniuerſi, ſed ſimiliter renouandum ad illius decorem & ornatum maiorem: atque eodem ſenſu dictum à Ioanne, *Et mare iam non eſt*: quo antea dictum fuerat: *Primum cælum, & prima terra abiit*: vt abiiſſe hoc loco ſit idem quod non eſſe; nec ſignificet annihilationem vel interitum, ſed innouationem ipſius maris à priſtino ſtatu in pulchriorem, & longe perfectiorem lege Leonar. coq. in Aug. de ciuit l. 20. c. 16. *Sic igitur innouabitur mundus*, inquit Richard. à S. Victore, *non vt homini amplius ſeruiat, ſed vt mundo æternaliter ſubſiſtente homo creatori & renouatori eius æternas gratias agat.* Ita Richard. l. 7. in Apocalyp. c. 1.

Admonet autem ſapienter Ambroſius in 21. Apocalipſ. Et quidquid de innouatione cæli & terræ dictum eſt, & hiſtorialiter intelligendum eſſe & ſpiritualiter. Vnde nimia eſt affectatio, ſeu conſectatio myſtici ſenſus in Ludouico ab Alcaz. cenſere vix literalem ſenſum, & hiſtoricum admittendum in his verbis. *Ego*, inquit ille, *mihi perſuadeo vniuerſam hanc cælorum & terræ nouæ atque maris nuſquam apparentis ſignificationem eſſe prorſus myſticam.* Ita Alcaz. Nam cum literalis ſenſus poteſt ſeruari cum myſtico, non eſt ab eo leuiter diſcedendum, imo literalis ſenſus, cum ſeruari poteſt, non eſt propter myſticum deſtruendus. At certum eſt apud Theologos, renouationem elementorum fieri debere in fine mundi, non eſt igitur (cum hic textus literaliter concordet cum ſententia Theologorum receptiſſima) putandum ſanctum Ioannem myſticum cælum aut myſticam terram intelligere, & literalem obmittere, ſed maieſtate ſcripturæ, quæ verbum eſt abbreuiatum,

A vtrumque ſenſum intendit, & literalem & myſticum. De literali diſſeruimus: de myſtico ipſum Ambroſium audiamus dicentem: *Poſſumus itaque per cælum animas ſanctorum, per terram corpora intelligere. Cælum nouum fiet, cum animæ ſanctorum per receptionem corporum in hominis naturam atque formam reſtituentur. Terra noua efficietur, cum corpora ſanctorum, quæ antea erant mortalia atque corruptibilia, immortalia & incorruptibilia reddentur. Sæpe per mare impij deſignantur, dicente Eſaia Propheta: Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Mare igitur iam non erit, quia omnis multitudo impiorum cum deceptoribus ſuis dæmonibus in infernum detruſa, præſentem mundi faciem à ſua inquinata habitatione mundum præſtabunt.* Ita Ambroſ. Ad hunc
B myſticum ſenſum recurrit S. Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 16. de hoc mari loquens. *Sicut*, inquit, *amat Prophetica locutio propriis verbis tranſlata miſcere, ac ſi quodammodo velare, quod dicitur potuit de illo mari dicere. Et mare iam non eſt. De quo ſupradixerat: Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant. Iam enim tunc non erat hoc ſeculum vitæ mortalium turbulentum, & procelloſum, quod maris nomine figurauit.* Ita Aug. De hoc etiam myſtico ſenſu ipſum Ludouic. Alcaz. audiamus diſſerentem. Sic igitur ait: *Quapropter cum homo ex anima atque corpore conſtet, cumque corpus ſit terrena inhabitatio animæ verò cæleſtis ſpiritus, ideo per cælum ac terram congruenter ſignificantur hominis tum anima tum corpus: atque*
C *vt propius ad myſticum ipſum ſenſum accedamus, ſanctorum animabus ob cæleſtem conuerſationem cæli nomen inditum eſt: ac corporibus, terræ nomen fuit impoſitum, propter terræ ipſius propinquitatem & quia ex terrena hac mole viſibili, atque adeo ex eodem luto compacta ex vno Adamo è terra condito ſuam propagant originem. Hæc igitur eſt (vt ita loquar) cæli myſtici & myſticæ terræ ſubſtantia. Verùm eorum proprietates ante vltimum iudicij diem adeo ſunt diuerſæ ab iis, quas ſanctorum animæ, & corpora ſunt habitura poſt æternæ beatitudinis adeptionem, vt iure optimo dicantur antiqui cæli, & tellus antiqua à iudicis conſpectu diſparuiſſe: atque terræ ipſi, & cælis myſticis antiquis alios cælos nouos, nouam aliam terram ſucceſſiſſe. Nam priorum cælorum qualitates erant huiuſmodi,*
D *in ſalutem animarum incumbere, Sacramenta fidelibus adminiſtrare, preces ad Deum pro peccatoribus effundere, doctrinæ pluuiam in mundum emittere, & legitimam abſoluendi peccata poteſtatem exercere. Antiquæ verò terræ proprietates illæ erant, proximorum vicem dolere & commiſerari, moleſtias & angores pati, voluntariam macerationem & caſtigationem ſuſcipere: quod perinde eſt atque exarari terram, & excolentiam violentiæ & iniuriæ. Eſſe obnoxiam. Hi igitur cæli hæc tellus, quæ prioribus illis proprietatibus plurimùm emolumenti peccatoribus afferebant, diſparebunt omnino ex iudicis conſpectu. Nam in tremendo illo iudicio nemini proderit aut poteſtas à Deo Sacerdotibus facta, dimittendi peccata, aut commiſeratione tangetur, nec ſuos aut propinquos aut familiares ope aliqua auxilioue fouebit, nec ſuo in ſinu illos à iudicis*
E *ſeueritate occultabit. Non tamen præterea mūdus cælo ac terra ſpoliatus manebit: nam myſticis cælis ac terrâ ex iudicis adſpectu ſubtractis, ſucceſſerunt noui alij cæli, & noua tellus, nimirum illi ipſi cæli atque terra, quoad ſubſtantiam: qualitatibus adeo diuerſis affecta, vt iure noua poſſint nominari. Hæ autem nouæ cælorum qualitates eiuſmodi erunt, vt pro cura, quam antea de animarum ſalute, & Dei gloria ſuſcipiebant, ſubeat cumulatiſſimus ipſorum laboris fructus ac præmium, quod eſt diuino frui conſpectu, & æterni luminis gloria perfundi: & pro aſſiduo motu, ac viciſſitudine, qua mundum vniuerſum ambiebāt, vt eum illuſtrarent, ſubſequatur æterna quies & pax, multo maioris lucis & claritatis capax. At verò nouæ telluris proprietates illæ erunt, vt paſſibilitatem ſubeat impaſſibilitas, immortalitas mortalitatem quibus addo cæteras gloriæ dotes,*

Digitized by Google

de quibus latè diſputant Theologi. Ita Lud. ab Alcaz.

Exiſtimo autem non ad eos ſolùm qui laborant in Euangelio hæc pertinere, vt videtur ad eos ille autor iſta reſtringere: ſed ad omnes beatos quotquot futuri ſunt. Hi enim ſicut in nouitate vitæ ambulauerunt, vel ſaltem per pœnitentiam fuerunt innouati, transformati de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu, innouabuntur mente per lumen gloriæ, innouabuntur corpore per dotes gloriæ: itaut ſicut per cælum, & terram in cap. primo Geneſeos intelligũtur & Angeli & homines: & dum dicitur quod Deus diuiſit lucem à tenebris, allegoricè inſinuatur bonorum Angelorum à malis Angelis ſeparatio, bonis Angelis in bono confirmatis, & malis in infernum relegatis: ita homines pij myſticè deſignantur per innouationem cæli & terræ, & B impij per mare, quod non eſt: quia qui à Deo ſeparantur in æternum, verè non eſſe dicuntur, quia à ſummo eſſe in æternam receſſerunt. Et hæc de innouatione vltima rerum, ſatis ſuperque dicta ſint.

Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem nouam, deſcendentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

Quid ſit ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendere de cælo?

ANNOTAT. II.

HOC *totum*, inquit Ticonius homil. 17. *de gloria Eccleſia dixit qualem habebit poſt reſurrectionem.* Vnde miror quomodo homil. 18. ad Eccleſiam militantem redierit, de illa exponens quæ ſequuntur. Hæc autem ciuitas noua dicitur, vel ob innouationem gratiæ in hoc mundo, vel ob nouum gloriæ ſtatum iam adeptum: iuxta etiam Rupertum. *Quæ eſt enim*, inquit, *huius nouitas, niſi gemina ſancta regenerationis gratia? Nunc enim regenerata per primam reſurrectionem, id eſt, per Chriſti baptiſmum, in nouitate vitæ ambulat: tunc autem, cum factum fuerit quod præſens viſio præſcribit, regenerata erit per ſecundam reſurrectionem, de qua ipſe Chriſtus: In regeneratione, inquit, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & cætera. Erit* D *ergo tunc verè noua tam in corpore quàm in anima.* Ita Rupertus. Priorem ſenſum amplectitur Alcazar, ac ſi diceretur nouam ciuitatem cæleſtem à Chriſto in terris inſtitutam, & per gratiam à veteri homine ad noui hominis ſtatum reſtitutam Ioannem vidiſſe fruentem iam æternâ illâ gloriâ, quæ ipſam in cœlis manet. Sed ſi ex eodem Alcazar per nouos cælos, & nouam terram myſticè intelligendus eſt gloriæ ſtatus in quo ſancti alias proprietates obtinent, ab iis quæ iam obtinuerũt, vt eſſent myſtici cæli, & myſtica terra Dei obſequio mancipata: non video cur recurrendum ſit ad nouitatem per gratiam, potiùs quàm ad innouationem ſanctorum per gloriæ claritatem. Vnde S. Auguſtinus, & nouitatem illius, & E è cœlo deſcenſum exponens, lib. 20. de ciuit. c. 17. ait: *De cælo deſcendere iſta ciuitas dicitur, quoniam cæleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit. Propter quod ei dicit etiam per Iſaiam: Ego ſum Dominus faciens te. Et de cælo quidem ab initio ſui deſcendit, & propter huius ſeculi tempus gratia Dei deſuper veniente per lauacrum regenerationis in ſpiritu ſancto miſſo de cælo, ſubinde ciues eius accreſcunt. Sed per iudicium Dei, quod erit nouiſſimum per eius filium Ieſum Chriſtum, tanta eius & tam noua de Dei munere claritas apparebit, vt nulla remaneant vetuſtatis veſtigia, quando quidem & corpora ad incorruptionem atque immortalitatem nouam ex vetere atque mortalitate tranſibunt. Nam hæc de iſto tempore accipere, quo regnant cum Rege ſuo mille annis, impudentiæ nimiæ mihi videtur, cum apertiſſimè dicat: Abſterget Deus omnem lacrymam, &c.* Si igitur impudentiæ eſt iſta intelligere de præſenti tempore, de nouitate gratiæ, quæ eſt in tempore, non eſt iſta nouitas Hieruſalem deſcendentis intelligenda, ſed de nouitate quam conſecuta eſt, dum à ſtatu gratiæ ad ſtatum gloriæ euecta fuit.

Quid autem ſit illam deſcendere de cælo, Ambroſius vult eſſe, *quia Domino ad iudicium veniente, cum illo omnis multitudo ſanctorum veniet, ſicut dicit Iſaias Propheta: Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus eius.* Ita Ambroſ.

Secundò, deſcendere dicitur quia, vt dixit ſupra S. Aug. cæleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit, & de cælo quidem ab initio ſui deſcendit, Spiritu ſancto miſſo de cælo, lib. 20. de ciuit. c. 17. Ad conſummationem gratiæ reſpicit Ambroſius, ad principium S. Auguſt. Et reuera tota illa ciuitas eſt opus cæleſte & diuinum, deſcendens à patre luminum: *Omne* enim *bonum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio.*

Ricardus à S. Victore, l. 7. in Apocalypſ. deſcendentem de cælo exponit idem eſſe ac fateri omnia à Deo ſibi proueniſſe bona. *Vidi*, inquit, *per ſpiritalem intelligentiam ciuitatem, iuſtorum videlicet collectionem immenſam, ſanctam per iuſtitiam Ieruſalem per viſionem internæ pacis, æternam, nouam quia vetuſtate purgatam. Deſcendentem*, addit Richardus, *de cælo,* C *quia quod iuſtè viuit in tempore quod benè viuit in æternitate, ſe totum habere perfectè cognoſcit à Deo.* Ita Richardus.

Idem habet S. Thomas in expoſitione. *Quia*, inquit, *quod habuit boni in tempore præſentis vitæ, & quod feliciter viuit in æternitate, totum cognoſcit ſe à Deo habere.* Ita S. Thomas. Quæ expoſitio & conſummationem operis, & principium complectitur.

Hinc eamdem deſcenſum de humilitate exponit Rupertus lib. 12. deſcendentem de cælo à Deo vt ſupra iam dixerat, *deſcendentem*, inquam *non cadentem, vt cecidit ille Angelus, & factus eſt diabolus & ſatanas. Cadere namque ſuperbiæ eſt, deſcendere humilitatis. In quo ſemper deſcenſu ſe continens illa Hieruſalem, in æter-* D *num ſtabit. Talis deſcenſus glorioſus eſt, & in magna claritate ſublimis. Cum ergo dixiſſet deſcendentem de cælo, rectè ſubiunxit, habentem claritatem Dei. Pulchrè nimirum deſcendit, quæ in ipſo deſcenſu, in ipſa humilitate deſcenſus ſui claritatem habet Dei, id eſt claritatis Dei.* Ita Rup. Nec obſtat quod beati ſunt in ſublimi ſtatu gloriâ fruentes; nam licet alti ſint in ſanitate & gloria, deſcendunt tamen per humilitatem, cum Deum ſupra ſe videant longè excellentiorem. *Sed*, inquit Ambroſius, *quærendum nobis eſt, quomodo de cælo deſcendere dicatur, cum ad cæleſtem habitationem quotidie conſcendat, in quo ſine fine permanſura creditur. Sanctorum actus, atque merita quotidie mente pertractamus, ſemper augentur in cordibus noſtris; & quantò plus ea conſideramus, tantò* E *ampliùs eorum magnificentia nobis eleuatur. At cum oculos mentis noſtræ ad magnitudinem Dei omnipotentis conſiderandum attollimus, magnitudo ſanctorum magnitudini Dei comparata valde nobis humiliatur. Aſcendunt igitur nobis ſancti, cum eorum actus & merita conſideramus, deſcendunt verò cum ad conſiderandum Dei omnipotentis oculos mentis noſtræ attollimus. Dicitur igitur claritatem Dei habuiſſe: habebat profectò claritatem Dei non ſuam: ſæpè etenim ſol in aqua fulgens ſuam claritatem aquæ largitur, itaut aqua oculos intuentium reuerberet, ſicut & ſol. Quemadmodum igitur aqua claritatem ſolis habet, ſed non à ſeipſa ſed à ſole: ita & ſancti habent claritatem Dei, ſed non à ſe ipſis, ſed à Deo à quo illuminantur.* Ita Ambroſ.

Sed cum de viſione cuiuſdam ciuitatis fiat ſermo, exiſtimo ideam huius ſymboli eſſe S. Ioannem vidiſſe ciuitatem, quaſi de cælo deſcendentem, & ſibi

Digitized by Google

approximantem, exteriori ſpecie vel imaginaria viſione, ſicuti olim S. Petrus Act. 10. *Vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram*: ita videat S. Ioannes hîc ideam alicuius ciuitatis magnæ deſcendentis de cælo, & in vertice alicuius montis eminentiſſimi conſiſtentis, ſupra quem eleuatus poſtea S Ioannes illam de proximo contemplatus eſt. Cur autem eam non è terra ad cælum aſcendentem perſpexerit, ſed è cælo potiùs in terram demitti, exiſtimo hoc fieri quia non de Eccleſiæ promotione, & eleuatione ad gloriam inſtituendus eſt ſermo (qua de cauſa c. 4. ſymbolum throni Eccleſiæ militantis viſum eſt in cælo poſitum, vt ſciant omnes fideles quo tendere & adſpirare debeant) ſed de cognitione & contemplatione magnitudinis gloriæ cæleſtis; quæ quia talis & tanta eſt, vt nec oculis videri, nec mente comprehendi poſſit, ideo oportuit vt ſub ſymbolis ſancto Ioanni exhiberetur, vt quantum fieri poteſt in hac vita, qualis & quanta ſit concipiamus, & ad eius adeptionem conſequendam accendamur. Sic per res nobis familiares & exiſtimatione hominum pretioſiſſimas, cæleſtem Hieruſalem nobis deſcribit Sanctus Euangeliſta.

Paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

Quod beatitudo ſit aliquid creatum, gratiæ conſummationem requirens.

ANNOTAT. III.

NON videt S. Ioannes ciuitatem illam Agni ſponſam ſe præparantem ad nuptias celebrandas cum Agno per iuſtificationes, Sicut c. 19. vidit præparantem ſe, & cooperientem ſe byſſino ſplendenti, & candido id eſt iuſtificationibus, quibus ſancti perfectionem iuſtitiæ conſecuti ſunt; ſed videt illam iam paratam, id eſt, omnia habentem quæ neceſſaria ſunt, vt inſeparabiliter ſponſo copuletur, & non modò paratam, ſed ornatam eo ornatu qui congruat dignitati viri ſui.

Dicitur autem ciuitas, inquit Andreas Cæſar. *quaſi Reginæ Triadis domicilium: habitat enim & ambulat in ea iuxta promiſſionem ſuam vocatur rurſum ſponſa, tanquam Domino cohærens, ſummaque & indiuulſa coniunctione illi vnita; Ornata denique, tanquam quæ præclaram intra ſe gloriam & pulchritudinem, ex virtutum varietate natam, ſecundum Pſalmiſtam, contineat.* Ita Andr.

Ad virtutum etiam ornatum recurrit Ambroſius, dum ait. *Quæ ſi ut ſponſa diuerſis monilibus & ornamentis ſemetipſam exornat vt ſponſo ſuo placeat: ita & Eccleſia diuerſis virtutibus decoratur, vt creatori ſuo, qui eſt ſponſus eius, placere valeat.* Ita Ambroſ. Concinit Richardus à S. Victore lib. 7. c. 2. in Apocalyp. *Quemadmodum*, inquit, *enim miſſis muneribus à viro, ad Thronum viri præparatur ſponſa, ſic datis donis cæleſtibus à Chriſto. virtutibus quoque & operibus bonis ad cæleſtem Chriſti copulam præparatur Eccleſia.* Ita Richard. Hoc etiam ſentit S. Thomas iiſdem fere verbis, ſed poſtea aliter exponit, & tandem ad dotes, quibus poſt reſurrectionem gaudebunt iuſti, hunc ornatum extendit. Ait igitur: *Vidi ciuitatem, hoc eſt, ſanctorum omnium collectionem, vt ſupra dictum eſt; quæ ciuitas dicitur, per participationem diuinæ poteſtatis, ciuitas enim dicit fortitudinem & potentiam.) Sanctam, per participationem ſummæ bonitatis; Hieruſalem quæ pacis viſio dicitur, per participationem æternæ veritatis; Nouam, quia mundatam ab omni corruptela & miſeria; Deſcendentem de cælo, per fluxum cauſæ primæ: A Deo paratam, per gratiam: Ornatam viro ſuo, per gloriam: Sicut ſponſam, quia Chriſto coniunctam inſeparabiliter & ſine fine.*

A *Huiuſmodi verò deſponſatio, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, inchoatur baptiſmate, ratificatur in operibus iuſtitiæ, conſummatur in adeptione gloriæ. Oſee 2. Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iudicio, & iuſtitia, & miſericordia.* Ita S. Thom. Qui poſtea addit. *In hic etiam verbis ſupradictis poſſunt ſeptem dotes intelligi, quibus poſt reſurrectionem gaudebunt iuſti, tres videlicet animæ, dilectio, tentio ſiue comprehenſio, viſio; & quatuor corporis, videlicet impaſſibilitas agilitas, ſubtilitas, claritas. Per ciuitatem intelligitur dilectio plena, quoniam ciuitas dicitur ciuium vnitas, quæ fit per dilectionem maximè. Per hoc quod dicit ſanctam, notatur perfecta tentio, ſiue comprehenſio: ſanctus enim idem eſt quod firmus, beati verò firmiter adhærent Deo per comprehenſionem;*
B *Per Hieruſalem notatur viſio, quia Hieruſalem viſio pacis interpretatur; Per hoc quod dicit Nouum, inſinuatur impaſſibilitas, quia per amiſſionem vetuſtæ corruptionis & paſſibilitatis fient impaſſibiles, & nouitatem habentes. Per hoc autem quod dicit deſcendentem de cælo, planè notatur agilitas. Sed per hoc quod ſubdit, à Deo paratam, datur intelligi ſubtilitas: quia ſicut res groſſitudinem habens, parari dicitur cum ſubtiliatur: ſic corpus à Deo ſpecialiter præparabitur, faciendo ipſum valde ſubtile, & quaſi ſpirituale. Per illud autem quod ſubiungit: Sicut ſponſam ornatam viro ſuo: claritas demonſtratur quia ſicut ornamentum reddit pulchrius corpus, ſic claritas reddet corpus glorificatum formoſius. Sic igitur per hæc verba ſeptem dotes, vt patet, demonſtrantur. De prima*
C *dilectione videlicet plena, habetur Iſaiæ 3. Dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eſt in Hieruſalem. De ſecunda, ſcilicet de comprehenſione perfecta, habetur ad Philipp. c. 3. Sequor autem, ſi quomodo comprehendam, in quo comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. De tertia, hoc eſt, de viſione manifeſta, dicitur 1. ad Corinth. 3. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc facie, ad faciem. De quatuor aliis, quæ ſpectant ad corpus, dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 15. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione (in quo notatur impaſſibilitas:) ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, (in quo oſtenditur claritas:) ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute (in quo denotatur agilitas:) ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale: in quo inſinuatur ſubtilitas* Ita S. Thom.

D Cum tamen rectè aduertat Lud. ab Alcaz. *Paratam dici viro ſuo, idem eſſe ac dignè viro ſuo, hocque in eo ſenſu non eſſe accipiendum quaſi dicatur, illam ſic eſſe ornatam prout expedit ſponſæ Principi nupturæ: (iam enim præſtituitur eſſe nupta) ſed ita eſſe intelligẽdum eam eiuſmodi gloria, & ſplendore fuiſſe à Ioanne viſam, qualis decet eam fœminam, quæ viri ita diuitis ac præpotentis vxor eſt.* Ita Alcaz. Ideo de virtutibus, quæ animam in ſtatu viatoris adornant, hunc ornatum non intelligo, (hæ enim virtutes requiſitæ quidem fuerunt ad præparationem ad nuptias;) ſed ſponſæ ornatam adipiſcitur per ea quæ requiruntur, vt anima virtutibus ornata gratia diuinâ decorata, tranſeat à ſtatu viatoris ad ſtatum comprehenſoris, ſicque paratam
E dici, quia habet omnia neceſſaria vt beata ſit, & gloriam actu poſſideat; Et ornatam quia habet omnes dotes, quæ beatis contingent, ſiue in anima ſiue in corpore poſt reſurrectionem; ſicque paratam dici, qua habet gratiam conſummatam firmiter in anima radicatam & inamiſſibilem, lumen gloriæ mentem inceſſanter colluſtrans, charitatem indiſſolubilem, & nunquam interrumpendam cum Deo adhæſionem. Sic parata eſt, quæ per virtutum exercitia ad hanc beatitudinem aſſequendam ſe præparauit dum in terris eſſet; ſic ornata per tres dotes, viſionis, comprehenſionis, & fruitionis. Et quia introducta in thorum ſponſi iam ſecretorum illius fit particeps, prout complementum beatitudinis illius requirit, cunctæ animæ facultates propria ornamenta conſequuntur, & corpus impaſſibilita-

Digitized by Google

te, agilitate, ſubtilitate, & claritate, vt ſupra diximus, eſt ornatum. Videt ſiquidem ſanctus Ioannes hanc ciuitatem vt è cælo deſcendentem, qualis futura eſt in cælo poſt renouationem; id eſt prout ſummè felix & beata, & glorioſa, tam ſecundum animam, quàm ſecundum corpus tunc erit.

At cum paratam illam audis, aut ornatam, facilè eſt conjicere beatitudinem formalem eſſe aliquid creatum; & has dotes, vt pote illi accidentarias, illi conferri ab eo, cuius ſit proprium tantum opus perficere, & cuius tantæ ſunt diuitiæ, vt tot dona valeat elargiri. Docet ſiquidem optimè S. Thom. 12. q. 3. ar. 1. bonum quod cupimus adipiſci eſſe bonum increatum, Deum nempe, qui ſolus ſua infinita bonitate poteſt voluntatem hominis perfectè implere; adeptionem verò vel poſſeſſionem, ſeu vſum aut fruitionem eius boni, quod deſideramus, eſſe aliquid creatum in homine exiſtens, quod nihil eſt aliud, quàm adeptio vel fruitio finis vltimi. Cauſa igitur beatitudinis, ſeu obiectum, eſt aliquid increatum: ipſa autem eſſentia beatitudinis eſt quid creatum. Vnde meritò rejicitur à Theologis eorum ſententia, qui apud Gregorium Ariminenſem 2. diſt. 7. q. 2. voluerunt beatitudinem formalem, qua homo tanquam per formam ſibi inhærentem beatus efficitur, eſſe aliquid increatum, videlicet, veluti hæc formalis beatitudo eſſet illa interior & ſubſtantialis viſio, qua ſeipſum Deus contemplatur; illa eſſentialis fruitio, qua de ſeipſo gaudet (quæ ſanè omnino increata eſt, cum ſit ipſemet Deus eſſentialiter) quæ cuilibet beatorum communicaretur, veluti humanitati Chriſti perſona verbi diuini realiter communicata fuit in myſterio incarnationis. At falluntur, & temerè iſta effutiunt: Primò, quòd lumen gloriæ requiritur vt mens ad Deum videndum parata exiſtat, vt eliciat actum viſionis beatificæ eſſet increata, minimè produceretur; Et ſi ad hanc viſionem facultas tantummodo paſſiuè concurreret, non indigeret illo lumine quo confortatur & eleuatur ad viſionem Dei. Secundò, ſi nec in Chriſto, actio diuinitatis tribuitur humanitati (verbum quippe operatur quod verbi eſt & caro exequitur quod carnis eſt, nec in quoquam dabimus vnam operationem naturalem Dei & creaturæ, vt dicitur in ſexta ſynodo ſub Agath. Act. 17. Itaut per actum diuinum humanitas dicatur vidiſſe, cognouiſſe amaſſe;) multo magis hoc tribuendum non eſt puræ creaturæ. Deinde hæc viſio eſt actio vitalis & immanens, quæ elici debet à principio viuente coniuncto, & non forinſecus aduenire ſubiecto in quo recipitur: igitur debet elici ab ipſa mente Deum vidente, nec forinſecus ei aduenire. Eſt actus ſecundus præſupponens primum, per quem vitæ fiat particeps, non per identitatem actus primi cum ſecundo, hæc enim ſimplicitas propria eſt Dei; ſed quia actus ſecundus à primo profluit, nempe ab anima, eiuſque facultatibus. Eſt enim anima qua viuimus ſentimus, mouemur loco, & intelligimus, ex Ariſtot. 2. de anima c. 2. his adde quod docet S. Thom. 1. p. q. 34. ar. 1. nempe quod ipſe conceptus cordis de ratione ſua habet quod ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis. Cum igitur viſio beatifica ſit quid de Deo conceptus, debet ab ipſo concipiente, per eius notitiam & obiecti benefici viſionem & comprehenſionem produci. Quod ſi ex eodem S. Doctore 22. q. 23. ar. 1. ad actum dilectionis, & motum charitatis requiritur vt principium ipſius ſit in diligente & amante, alias diligere non eſſet voluntarium quod implicat contradictionem, cum amor de ſui ratione importet vt ſit actus voluntatis: pari ratione oportet vt actus viſionis intellectualis habeat in ſe principium ſui productiuum, cum æquè

A ac amor & dilectio ſit actus immanens & internus, imo magis interior videtur actus intellectus, quàm actio voluntatis: hæc enim videtur extra ſe ferri. At intellectus dum cognoſcit, ad ſe obiectum attrahere videtur, per ſpecies tum ſenſiles, tum intelligibiles.

Dices: Eſſentia diuina ſupplet locum ſpeciei impreſſæ in actu viſionis, per intimam ſuis ipſius præſentiam cum facultate videnie; ergo viſio beatifica qua Deus ſeipſum contemplatur, poterit ſupplere locum ſpeciei expreſſæ, vt per illam mens creata Deum videat. Reſpondeo negando paritatem, nam ſpecies impreſſa extrinſecus adueniens non debet eſſe vitalis, nec requiritur ex ſe vt ſit inhærens ſub-

B iecto, aut ab eo dependeat ad modum accidentis modò intimè obiectum potentiæ vniat, & actiuè concurrat cum mente illam adiuuando & determinando, vt cognitionem ſuam exprimat & tale obiectum percipiat: quod nec eſt alienum ab excellentia & dignitate diuinæ eſſentiæ & maieſtatis: & hoc præſtito, ſuo functa eſt munere. At ſpecies expreſſa ſemper eſt quid intrinſecum vitale, imo eſt ipſamet operatio propria mentis ſeu intellectus inhærens in ipſa mente, tanquam in adæquato ſubiecto, quod manifeſtè repugnat diuinæ eſſentiæ inſuper cum dicimus naturam diuinam aliqua ratione locum ſpeciei impreſſæ ſupplere erga mẽtes beatorum, non tamen ſola conſtituit perfectè in actu pri-

C mo, aut in poteſtate completa videndi, mentem; ſed præterea ſupponit vim actiuam creatam, menti propriam, & lumen gloriæ additum, vt poſſit mens ad vnionem tam nobilis obiecti eleuari. Si igitur natura diuina non ſupplet integrè & perfectè locum actus primi, multò magis non poterit locum actus ſecundi ſupplere, qui ſubſtantialiter eſt vitalis & inhærens.

Optimè igitur ciuitatem iſtam S. Ioannes dicit eſſe paratam, id eſt, aliquod opus creatum, Deo extrinſecum. Et cum Deus ipſe ait: *Ecce noua facio omnia*; Satis declarat habere aliquam operationem, ſeu aliquid operari extra ſe, quia in eo nihil de nouo fit. Et cum dicat S. Ioannes: *Qui vicerit, poſſide-*

D *bit hæc*; Indicat hoc non fieri per aliquam mere paſſionem, ſed per aliquam actionem propriam. Nec enim mens hominis rem poſſidet, niſi eam cognoſcat: non cognoſcit autem, niſi agat; & dum agit, actio eſt illi vitalis & immanens, & per conſequens aliquid creatum, quo pro modulo ſuo, æterno, & increato, & incommutabili bono feliciter fruitur. Hæc eſt illa aqua viua, qua Deus quaſi torrente voluptatis inebriat illum ſitientes. At non modò parata dicitur, ſed etiam ornata tanquam ſponſa viro ſuo. Quod optimè de ornatu, quem ſancti adipiſcuntur per dotes, intelligendum eſſe docuit S. Thomas ſupra. Nunc quæ Theologi docent de dotibus perpendamus.

E Et primò ornata dicitur: ſic enim S. Thomas in ſupplem. q. 95. ar. 1. dotem definit. *Dos eſt perpetuus animæ & corporis ornatus, vitæ ſufficiens, in æterna beatitudine iugiter perſeuerans.* Licèt autem omnem perfectionem ſeu ornatum cuiuſcumque hominis dotem nominemus, in quo ſenſu dixit Ouidius. *Et quacumque potes dote placere*; Et Geneſi 30. fæcunditas dos nominatur: *Dotauit me Dominus dote bona*; ſtrictè tamen per dotem Theologi intelligunt ea dona, quæ à Deo animæ iuſti dantur, eo ipſo quo in paradiſum introducitur; vel quæ corporibus beatorum dabit in inſtanti reſurrectionis.

At cur dicitur ciuitatem illam ornatam eſſe tanquam ſponſam, non tanquam Regem, aut conſulem, aut Ducem? Reſpondeo. Hoc fieri vt indicetur Matrimonium ſpiritale interceſſiſſe inter Chriſtum,

Digitized by Google

ſtum, & Eccleſiam, iuxta illud Apoſtoli. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. ad Corinthios 11. Et rurſus: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Et rurſus: *Sacramentum hoc magnum dico ego in Chriſto & in Eccleſia.* Et Iſ. c. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ, ſicut ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Ornari igitur dicitur tanquam ſponſam, ad ſimilitudinem eorum quæ ſunt in Matrimonio corporali, in quo dos datur ſponſæ ex parte ſponſi, quando introducitur in domum ſponſi, ad ornatum ſuum. Vnde & ornatus, qui à Chriſto ſanctis exhibetur quando traducuntur in domum gloriæ, dos nominatur. Hinc licèt dona, quæ animæ conueniunt ratione beatitudinis, Angelis etiam conueniant, tamen non dicuntur propriè dotes in Angelis, eoquod non ita propriè conuenit Angelis ratio ſponſæ, ſicut hominibus. Exigitur enim inter ſponſum & ſponſam naturæ conformitas, vt ſcilicet ſint eiuſdem ſpeciei: at hæc conformitas ſolummodo eſt inter Chriſtum & homines, non autem inter ipſum & Angelos, qui illi non ſunt in natura ſeu ſpecie conformes.

At dicitur ornata tanquam ſponſa viro ſuo, id eſt, ad honorem & gloriam ſponſi ſui. Equidem illa dona ſponſæ dantur in fauorem ipſius, in quantum per ea ornatur, & ex eis iucundatur: eiuſque iucunditas in beatitudine perficitur, dum per dotes delectabiliter ſponſo coniungitur: Tamen dantur ad ſponſi gloriam & honorem, & ad eius dignitatem, & excellentiam demonſtrandam. Et ſicut in carnali Matrimonio dotes aſſignantur ſponſo ad vſum, tamen proprietas & Dominium pertinet ad ſponſam; quod patet ex hoc quòd ſoluto Matrimonio dos remanet ſponſæ, ſecundùm iura; ita in hoc Matrimonio ſpirituali dos datur ſponſæ ad vſum viri, qui in ſeruis ſuis gloriatur, iuxta illud Iſaiæ (*Seruus meus es tu Iſraël, in te gloriabor*: Tamen hæc dona propria ſunt ſponſæ, quæ illis decoratur. Et quia Matrimoniũ iſtud eſt indiſſolubile, ideo ſemper iis dotibus vtetur ſponſus ad ſui nominis gloriam & honorem, dum per illas dotes ſponſa ipſi debita præſtabit & exhibebit obſequia. Plurima quidem dona ſanctis ſuis Deus contulerat, dum eſſent adhuc in terris, ſed illa dotes non nominantur: dotes quippe non conſueuerunt aſſignari ſponſæ, quando deſponſatur, ſed quando in domum ſponſi traducitur, vt præſentialiter ſponſum habeat: ideo dona, quæ ſanctis dantur in hac vita, non dicuntur dotes, ſed illa quæ conferuntur eis quando transferuntur in gloriam, in qua ſponſo præſentialiter perfruuntur.

O verè donum cæleſte, deſcendens à patre luminum, id eſt, à tota Trinitate, quæ pater eſt ſponſæ, quia hoc opus, eſt opus ad extra. Tamen diuerſimodè poteſt appropriari ſingulis perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, eſt enim hoc opus à patre, vt dante, E quia in ipſo eſt autoritas, eique paternitas reſpectu creaturæ appropriatur, vt ſic idem ſit pater ſponſi & ſponſæ; A filio, inquantum per ipſum, & propter ipſum dantur; A Spiritu ſancto, inquantum in ipſo & ſecundùm ipſum dantur. Amor enim eſt omnis donionis ratio. Sed quia ſponſa, ſi ſecundùm humanam originem conſideratur, ex paupertimis parentibus eſt prognata, ideo à ſponſo ditiſſimo dotata fuit, dum ipſi has dotes pro ea moriendo promeruit, & quantum illam diligeret ipſe oſtendit, qui ne remaneret ſponſa in abiectiſſima paupertate, egenus factus eſt, vt illam ſuis diuitiis tandem cumularet. O amabilis & colendiſſimus omni honore ſponſus! Quis te non amabit? Quis tibi obſequi & ſeruire recuſabit?

A Dicuntur autem dotes ornamenta animæ; quia beatitudo, & dos realiter differunt. Beatitudo enim eſt ipſa operatio perfecta, quâ anima beata Deo coniungitur; ſed dotes dicuntur habitus vel diſpoſitiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ordinantur ad huiuſmodi perfectam operationem, vel eam conſequuntur, vt ſunt dotes corporis.

Septem autem ſunt dotes, tres animæ, viſio, comprehenſio, fruitio; & quatuor corporis, impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas, claritas, vt iam diximus ex S. Thomæ expoſitione, ſuprà; quæ ſi ſpectentur præciſè, vt viſio, comprehenſio, & fruitio diuinæ eſſentiæ, ſunt de interna quidditate & natura beatitudinis: in his enim tribus conſiſtit eſſentialis beatitudo. B Si autem ſecundùm quid & relatiuè ſpectentur, vt ordinem dicant ad tres virtutes Theologicas, dotes ſunt, & perfectio quædam accidentalis beatitudini: ſiquidem ſi quis Angelus aut rationalis creatura viſione Dei potiretur, nullo præcedente actu fidei; beatus eſſet, nec gaudio illo potiretur, quo lætatur mens hominis, dum quòd audierat videt, ſuccedente actu viſionis auditui fidei; dum quod ſperauerat tenet, per comprehenſionem, vt iam audacter dicat: *Tenui eum nec dimittam*: dum bono ardenter concupito per amorem, & charitatem fruitur perfectè, inſeparabiliter, inamiſſibiliter; Deum enim, quem præſentiſſimum videt, feruenter diligit, cum ſummo gaudio ſummaque delecta- C tione; quæ augentur ex comparatione ſtatus præſentis cum præterito, in quo erat imperfecta charitas, cuius feruor peccatis venialibus retundebatur, cuius vis iiſdem peccatis plurima patiebatur detrimenta, quæ tot tentationibus & periculis expoſita deperdi & auferri poterat; nunc perfecta illæſa, inamiſſibilis toto affectu bono ſuo fruens lætatur illius poſſeſſione. *Sic hæc tria habent beati in Deo*, inquit S.Thom. 1. p. q. 12. ar. ſeptimo ad primum, *quia & vident ipſum, & videndo tenent ſibi præſentem, in poteſtate habentes ſemper eum videre, & tenentes fruuntur ſicut vltimo fine deſiderium implente.* De aliis dotibus corporis, prout occaſio ſeſe obtulerit poſtea aliquid dicemus. Nunc dico hoc modo parari ſponſa à D Deo, ad modum illarum Virginum quæ paratæ dicuntur intraſſe cum eo ad nuptias, hoc modo ornari à ſponſo, quæ vt illi placerent dum viuerent, ornauerunt lampades ſuas, id eſt, præparauerunt ſe ad nuptias, per iuſtificationes illas, quibus ſanctitas in hac vita comparatur ſeu acquiritur.

Et audiui vocem magnam de Throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.

Et audiui vocem magnam de Throno dicentem.

Quid Eccleſia, reuelatione acceptâ de gloriâ & Beatitudine ſanctorum, de illa fidelibus credenda proponere debeat.

ANNOTAT. IV.

POSTQVAM Sanctus Ioannes paucis complexus eſt magnitudinem gloriæ, quam fideles conſecuturi ſunt, cum parabuntur, & ornabuntur donis ac dotibus requiſitis, vt omnium illorum collectio in vnum redacta ſponſa digna tanto principe

cenſeatur, & illi intimè copuletur in æternum; hunc docet quid Eccleſia militans credendum de illa gloria proponere debet fidelibus.

Et primo docet beatitudinem conſiſtere eſſentialiter in intima, & permanenti quadam vnione Dei cum hominibus, & perfecta hominum ad ſeruiendum Deo conſecratione & deputatione, in his verbis: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Secundò, in amotione omnium malorum, dum addit: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt.*

Tertiò, beatitudo conſiſtit in illa innouatione abſoluta, de qua ſuperiùs diximus, quæ beatitudo erit ſtatus quidam omnium bonorum aggregatione cumulatiſſimus. *Et dixit*, inquit, *qui ſedebat in Throno: Ecce noua facio omnia.*

Quartò: Eccleſia fortiter inculcare debet certitudinem præmiorum, propter fidelitatem, & veritatem promittentis, & quia potens eſt perficere quæ incæpit. Nam ſi reuera conſideretur, quanta ſit hominum imbecillitas, quam arcta ſit via quæ ducit ad cælum, quantopere homines per ſceleta & ingratitudines indignos ſe exhibeant tanto honore, ac tam magnificâ gloriâ, quantopere præſentibus adhæreant, & futura contemnant, certè vix credi poterit homines vnquam poſſe ad tantam felicitatem peruenire. Vnde Lucæ 18. ipſemet Saluator videns illum triſtem, cui ſuaſerat bonorum temporalium derelictionem, & diſtractionem in pauperes, vt haberet theſaurum in cælo, & expeditè eum ſequi valeret dixit. *Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt. Facilius eſt enim Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Et dixerunt qui audiebant: *Et quis poteſt ſalutem fieri?* His adde adeo eſſe electorum ſortem in hac vita, calamitatibus & moleſtiis, & angoribus refertam, vt ſapientes ſeculi vix ſibi perſuadere valeant tales homunciones poſſe vnquam aliquem felicitatis gradum adipiſci; illoſque inſanos, & ſine honore vitam finituros exiſtimant. Vt igitur propter hæc fideles de certitudine beatitudinis non dubitent, ecce præcipit S. Ioanni Deus, qui in Eccleſia tanquam in Throno ſedet, vt ſcribat ea omnia eſſe veriſſima, nec de eis aliquatenus eſſe dubitandum. *Et dixit mihi: Scribe quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum α & ω, initium & finis.* Ac ſi diceret quæ olim dicentibus; *Quis poteſt ſalutem fieri?* reſpondit Chriſtus: *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.*

Quintò, Eccleſia docere debet quibus ſperandum ſit hanc gloriam poſſe cum Dei gratia & auxilio adipiſci. Vnde addit de Throno loquens, id eſt, per Eccleſiam nobis ſuam mentem & voluntatem aperiens, & ſecreta ſua per eam nobis reuelans: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Ecce duo requiruntur, vt quis ſperare poſſit vitam æternam, ardens videlicet illius deſiderium, ſecundò, victoriam de omnibus, quibus ab eius adeptione retardamur.

Sextò, vt timor incutiatur imprudentibus, & abſque ſollicitudine ſuæ ſalutis vitam tranſigentibus, ne ab ea gloria excidant, eaque fruſtrentur; exprimere debet diſtinctè Eccleſia quos Deus ab hac gloria excludat. Hinc addit S. Ioannes: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.* Hæc ſunt quæ Eccleſia docere

A debet, vt quanta gloria nos maneat, ſi iuſtè & piè vixerimus, ab ea diſcamus: quo præſtito redibit ad diſtinctionem deſcriptionem eorum; in quibus beatitudinem conſiſtere ex verbis præcedentibus diximus: Nec dubito hanc vocem magnam de Throno eſſe vocem Eccleſiæ militantis, de gloria beatorum quid credere, & ſentire debemus exponentis. Quod negare non eſt auſus Ludouicus ab Alcazar, licèt probabile exiſtimet hanc vocem exiiſſe ex eo Throno, quem Ioannes in eadem vrbe conſpexit, cap. 22. vbi legimus, ſedes Dei & Agni in illa erat. Ait enim: *Non tamen diſplicet vt hic ipſe Thronus à Ioanne conſpectus in vrbe: Idem eſſe cum capitis quarti Throno credatur; atque adeo eumdemmet Thronum, quem Deus in*
B *militante habebat Eccleſia, ſenioribus vndique conſipatum in triumphante poſtea Eccleſia Ioannes vidiſſe dicatur, &c.* Et paulo poſt: *Quòd ſi hæc vox eo procedit Throno, vbi Deus inter ſeniores conſidet, ita fieri opus erat, vt denotetur doctrinam hanc de cæleſtis felicitatis magnitudine tunc in mundo altiùs & conuenientiùs intonuiſſe, poſtquam Deus in Chriſtiano Eccleſiæ Throno conſedit.* Ita Alcaz. Siquidem ſatis eſt conſonum rationi, vt ſi Eccleſia triumphans dicta eſt deſcendens de cælo, quia ſub ſymbolis, ſub quibus eius immenſa gloria depingitur, apparuit Eccleſia militans, ad eius conſpectum geſtiens, in admirationem rapta exclamet: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus &c.* Cum illam tot dotibus ditatam credit & prædicat alta &
C ſonota voce. Fauet Richardus à S. Victore lib. 7. in Apocalypſ. c. 2. *Quid enim per Thronum rectiùs accipimus, quàm ſanctos patres, animarum rectores, in quibus Deus reſidendo regnat & inferiores piè ac iuſtè gubernat. De quo Throno vox exit, quia de ſanctis patribus promiſſio boni cæleſtis ad nos vſque procedit. Quæ vox iure dicitur magna, quia promittit bona immenſa, bona æterna.* Ita Richard. Si ergo hæc vox promittit, vox non eſt Eccleſiæ triumphantis, quæ ea poſſidet, ſed militantis, quæ ea ſperat & inquirit. Quod etiam placuit S. Thomæ in expoſitione: *Per Thronum enim ſancti patres, qui rectores ſunt aliorum, & in quibus Deus præſidendo regnat intelliguntur: de quo Throno vox exira dicitur, quia promiſſio boni cæleſtis, ſiue annunciatio de*
D *ſanctis patribus vſque ad nos venit. De huiuſmodi Throno dicitur ſupra c. 5. Vidi in dextera ſedentis ſupra Thronum librum ſcriptum intus & foris.* Ita S. Thom.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, &c.

Qua ratione ſocietas ſanctorum iam in patria exiſtens tabernaculum dicatur; & de modo quo Deus habitare cenſetur, & eſſe cum ſanctis, vt ipſi ſint eius populus, & ipſe ſit eorum Deus.

ANNOTAT V.

E HABVIT olim populus Dei tabernaculum per diuerſa loca portatile, antequam Templum fuiſſet conſtructum in loco determinato, & diuino cultui deſtinato. *Non enim erat conueniens vt locus aliquis deſignaretur per ædificationem alicuius templi, antequam quietiſſimum aliquem ſtatum obtineret ille populus, ne gentes appropriarent ſibi locum, ne de facili à gentibus deſtrueretur, ne iurgia inter tribus orirentur, vnaquaque volente, vt hic locus intra proprios fines ſeligeretur. Vltimo autem tempore Dauidis Regis & Salomonis, populus ille habuit ſtatum pacatiſſimum, & tunc ædificatum eſt templum, in loco quem deſignauerat Abraham ex diuina demonſtratione ad immolandum, Geneſ. 22. ſicque per tabernaculum figuratus fuit ſtatus præſentis vitæ mutabilis, quod tabernaculum ſit mutabile. Per templum verò, quod erat fixum &*

Digitized by Google

ſtans, ſignificatus fuit ſtatus futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis eſt. Et propter hoc in ædificatione templi dicitur, quòd non eſt auditus ſonitus mallei vel ſecuris ad ſignificandum quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à ſtatu futuro. Ita S. Thomas. 12. q. 102. ar. 4. ad 2. Quæ cum ita ſint, cur Eccleſia Militans de Triumphante loqui volens non exclamat potiùs: Ecce Dei templum; ad ſignificandam æternam Dei cum hominibus inhabitationem; quàm: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*; quo quaſi tranſiens quædam cum inuicem conuerſatio & inhabitatio potius deſignatur, quàm fixa & permanens cohabitatio ad hoc reſpondeo pluribus modis. Dico primo: Eccleſia Triumphans dicitur tabernaculum, per reſpectum ad ſtatum illum quem habuit, cum adhuc eſſet in terris peregrina; ac ſi Eccleſia Militans gloriam ciuitatis cæleſtis contemplans, cum admiratione diceret: Poteſtne fieri vt hæc illa ſit ſocietas, quæ olim tot expoſita periculis, tot agitata fluctibus, tot circumueſtita langoribus, tot vexata anguſtiis, tot depreſſa calamitatibus, apparet nunc ſecura, firma, glorioſa, fœlix, & omnibus ornamentis decorata? Deus reuera cum ea olim fuit & commoratus eſt, ſed ab eo diuelli poterat: nunc autem habitabit cum ea in æternum: *Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Quantum mutata eſt ab illo ſtatu, quem deſeruit, vt eſſet Dei habitatio æterna & permanens? Hoc modo de ſanctis dicent impij in iudicio, Sapientiæ. 5. *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Sic igitur Eccleſia de ſtatu præterito Eccleſiæ Triumphantis recordatur, vt per oppoſitionem miſeriæ illius, cum præſenti ſtatu fælicißimo gloriæ, quam adepta eſt, clariùs agnoſcamus quantum ſit beneficium, vt quæ in tempore fuerat illi coniuncta per charitatem & gratiam, fiat illius habitatio in æternum per gratiam conſummatam, & inamiſſibilem charitatem. Hinc Richard. à S. Victore lib. 7. in Apocalypſ. c. 2. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Poteſt intelligi euidens & manifeſtum diuinitatis contubernium cum ſaluatis. Tabernaculum quippe Dei cum hominibus erit, quando ſe nobis & nos ſibi diuinitas in cæleſti patria ſociabit. Et quia illa ſocietas ſiue cohabitatio non tranſitoria, ſed æterna erit rectè dicit: & habitabit cum eis. Per hoc nimirum quod dicit. Habitabit, æternitatem ſocietatis ac manſionis deſignauit. Cuius ſocietatis vinculum adhuc declarat, cum ſubiungit: Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus erit cum eis eorum Deus: Ipſi nimirum populus eius erunt, illius laudem æternaliter & vnanimiter conclamando: & ipſe erit eorum Deus, ſuam beatitudinem illis mirabiliter & ineffabiliter participando: Sed & diligenter conſiderandum eſt quod dicit, Et ipſe Deus erit cum eis erit eorum Deus. Nam & nunc eſt ipſe Deus cum ſuis in mundo, ſed nequaquam cum eis eſſe videtur, quandiu in hac mortalitate viuentibus eorum manifeſtæ viſioni non reuelatur: ſed tunc verè cum eis erit, quando ſe glorificatis illis reuelata facie manifeſtabit. Erunt itaque populus eius, eum nunquam offendendo, & ipſe erit cum eis eorum Deus, eos nunquam deſerendo.* Ita Richard.

Alia ratione Ludouic. ab Alcazar ait. *Ciuitatem illam tabernaculum dici ſeu tentorium: Primò, ad innuendam tantam eſſe ſummi Dei maieſtatem, vt tota illa ſuperna ciuitatis magnitudo, comparatione infinitæ Dei celſitatis, perinde ſit quaſi tentorium aliquod potentiſſimo Monarchæ præparatum: dignam enim ſui habitationem Deus in ſeipſo habet. Et quamuis in Beatis etiam commoretur, & proprium poßideat domicilium, hoc tamen non tam eſt iuxta infinitam ipſius magnitudinem, quàm iuxta amorem & beneficentiam. Secundò, ad denotandum ſummam in-* A *tus habitantium communionem. Nam in vrbe aliqua, imò dicam in laxa & capaci domo, poſſunt multi pariter incolæ ſeorſum degere: At in eodem tabernaculo commorantes, in maxima vitæ communione ſint neceſſe eſt. Nec enim vnus ab alio omnino abſtrahi aut celari poteſt. Id ergo admirabile planè eſt in beatiſſima illa cælitum vrbe; perinde enim quaſi tentorium quoddam aut tabernaculum foret, omnes ſeſe in vnò peruident, & perfruuntur; nec cæleſtem vnquam Regem inter ipſos placidiſſimè degentem ex oculorum conſpectu amittunt.* Ita Alcaz.

Poſtquam autem diximus qua ratione ciuitas illa permanens tabernaculum tamen dici potuit, nunc videndum eſt quomodo ex his verbis, Eccleſiæ, quæ Thronus Dei eſt, optimè docet in quonā eſſentialiter conſiſtat beatitudo. Quid enim illa vox ex B throno clamans ait: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*; *quibus* addit: *Et habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe cum eis erit eorum Deus.*

Ex his verbis dico doceri in quo conſiſtat beatitudo eſſentialiter, nempe in quodam intimo illapſu, quo eſſentia diuina animæ vnitur, & eam in ſe quodammodo transformat, iuxta illud Apoſtoli: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* 2. ad Cor. 3.

Ac ferrum candens ignem eſſe diceres, propter intimam ignis cum ferro vnionem. Quod non ita intelligendum eſt, ac ſi nulla eſſet operatio animæ C requiſita ad beatitudinem: hoc enim falſum eſt. Ideo ille illapſus non modò debet eſſe per intimam cum animæ ſubſtantia vnionem, ſed etiam per intimam cum intellectualibus potentiis præſentiam, non modò illas in eſſe & operari conſeruando, ſed ipſis vt obiectum inter intelligibilia intelligibilius, inter amabilia amabilius ſeſe exhibendo, cum videlicet Deus ſupplendo locum ſpeciei impreſſæ menti lumine gloriæ eleuatæ ſeſe obijcit intuendum, quo viſo voluntas in illum feratur ardenti amore, cum nihil eo ſit pulchrius, nihil delectabilius, nihil melius; à quo nequeat auelli, quia nulla vnquam in eo ratio auerſionis animaduerti poterit imo potiùs omnem amoris & beneuolentiæ rationem in eo ſemper D intuetur mens ſemel hoc lumine imbuta, & eleuata ad viſionem & comprehenſionem tanti boni. Hoc modo Deus inhabitare in nobis dicitur, cum illabente ipſo in eſſentia animæ, per infuſionem gratiæ conſummatæ, perpetuæ, inamiſſibilis, remanſuræ in omnem æternitatem, ſiue ratione noui Dei influxus; ſiue ratione efficaciæ viſionis beatificæ, quæ hanc immediatam operationem Dei in anima conſequitur; ſiue quia homo videns Deum, ab eo nullo modo auerti poteſt; manet, & manebit illa gratia habitualis in anima, itaut Deus præſentialiter ineſſe & inexiſtere in ea dicatur. Per illum autem effectum gratiæ, Deus habitare dicitur in anima, tum quia ſolius Dei eſt illabi & operari in intima animæ eſſentia, vt docet E S. Thom. tum quia per alios effectus (quos Deus producit in creaturis, illas in eo eſſe conſeruando in quo illas condidit) non datur ipſis vlla participatio diuinæ naturæ; at perennis infuſio gratiæ in anima eſt quædam perpetua diuinæ naturæ participatio, & quoddam cum natura diuina conſortium: quo fit vt meritò propter talem intimam operationem Deus in anima habitare dicatur. Non enim Deus in tali anima exiſtit præſentialiter & intimè, quomodo Angeli ſubſtantia poteſt eſſe cum pariete, quando illum penetrat, vel cum corpus hominis intrat & ingreditur; ſiue cum duo Angeli vel plures in eodem vbi, in eadem ſphæra præſentiæ ſubſtantialis reperiuntur: hic enim modus mutuæ inexiſtentiæ naturalis eſt; hic autem modus gratiæ eſt ſupernatu-

Digitized by Google

talis, non ſolùm quia Deus præter talem intimam præſentiam etiam influit phyſicè in creaturam omnibus momentis abſque intermiſſione, eam quamdiu exiſtit in eſſe conſeruando, qui modus Deo proprius eſt, quoniam *ex ipſo. & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: ſic enim Deus, qui immenſitate ſuâ omnia complet operatione ſua, Phyſicè in omnes creaturas influit, dum illas in eſſe conſeruat, reperitur in lapidibus, plantis, arboribus, animalibus, hominibus, dæmonibus, elementis, quin etiam & in damnatis, nec ſuæ naturæ participationem hoc modo communicat. Sequitur igitur vt hæc intima vnio, qua Deus habitare in anima dicitur, ſit per qualitatem aliquam ſuperioris ordinis, quæ excedit omnem aliam naturam: & ideo impoſſibile eſt quod aliqua creatura gratiam cauſet. Sic enim neceſſe eſt quòd ſolus Deus deificet, communicando conſortium diuinæ naturæ, per quamdam ſimilitudinis participationem, ſicut impoſſibile eſt quod aliquid igniat, niſi ſolus ignis. Ita S. Thomas. Cum igitur talis effectus, Dei ſit proprius, rectè per eum habitare dicitur, ſi præcipuè ille effectus in perpetuum ſit manſurus, qualis redditur cum gratia in hac vita à Deo data in eſſe æterno conſeruatur in ſtatu gloriæ. Sufficeret autem ille gratiæ influxus, & Dei illapſus per gratiam in eſſentia animæ, ad illam beandam, & vt intraret in gaudium Domini Dei ſui, & in conſortium diuinæ naturæ; ſi anima eſſet naturæ adeo ſimplicis, vt ſeipſa abſque potentiis & facultatibus intelligere aut amare poſſet; ſed cum Dei ſolius ſit eſſe & operari nulla eſſentiæ ſuæ addita facultate, cum ſit puriſſimus actus; Oporteat autem creaturam rationalem per facultates operari, ideo fiat conſortium inter Deum iam per gratiam inhabitantem in anima, & eamdem animam ſeu creaturam intellectualem, oportet vt per nouum quemdam influxum iterum illabatur in potentiis & facultatibus animæ; cum lumen gloriæ, quo gratia conſummatur & perficitur, menti infundit, vt in hoc lumine videamus diuinum lumen, & Deum in ſeipſo intueamur, qui obiectiuè menti vnitur, & nulla mediante ſpecie intimè ei adhæreſcit. Sic enim videtur ſicuti eſt, manifeſtat ſemetipſum, oſtendit nobis omne bonum, apparet hic qui fidem habuerunt in illum, tenetur vt nunquam dimittatur, ſatiat & inebriat videntes voluptatem eius, habitat & inhabitatur, Deus eſt cum eis, & ipſi in eo ſunt, Deus eſt illorum, & ipſi ſunt populus eius. *Quod hîc crediderunt*, inquit S. Proſper de vita contemplatiua lib. 1. c. 4. *Ibi videbunt, ſui creatoris ſubſtantiam, mundis cordibus contemplantes; & æterna exultatione gaudebunt diuinæ dilectionis ac mutua delectatione poſſeſſi, Deo ſuo in æternum, & inuicem ſibi fæliciter adhærebunt.* Ita S. Proſper.

In hoc fæliciſſimo ſtatu ſunt populus eius, quia toti in huius laude occupantur. *Amant & laudent Deum*, inquit S. Auguſt. in Pſal. 83. *nec ſatiat eos niſi amor Dei, laus Dei: nec timendum aliquod in ea laude faſtidium, quia ſi amor Dei eſt ſempiternus ob inſatiabilem pulchritudinem, poterunt quoque ſemper laudare, quem poterunt ſemper amare.* Ita Aug. Et in libro meditationum c. 25. loquens de paradiſo ait: *Ibi ſunt oues & Agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaſerunt. Exultant omnes in propriis manſionibus: diſpar eſt gloria ſingulorum ſed communis eſt lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus eſt ibi omnia in omnibus, quem ſine fine vident, & ſemper videndo in eius amore ardent. Amant & laudant, laudant & amant, omne opus eorum laus Dei ſine fine, ſine defectione, ſine labore. Fælix ergo, & verè in perpetuum fælix, ſi poſt reſolutionem huius corpuſculi audire meruero illa cantica cæleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis* A *ſupernæ patriæ ciuibus, beatorumque ſpirituum agminibus.* Ita Aug.

Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia; & dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

Credendum eſt de vita æterna, omnia mala ab ea abeſſe, & è contra in ea cuncta adeſſe bona; nec enim Deus fallere poteſt, qui iſta promiſit.

B

ANNOTAT. VI.

HÆC verba ad futuram vitam pertinere meritò cenſet S. Auguſt. lib. 20. de ciuit. Dei. c. 17. *Et in hoc quidem libro*, inquit, *cuius nomen eſt Apocalypſ. obſcurè multa dicuntur, vt mentem legentis exerceant: & pauca in eo ſunt, ex quorum manifeſtatione indagentur cætera cum labore, maximè quia ſic eadem multis modis repetit vt alia, atque alia dicere videatur; cum aliter atque aliter hæc ipſa dicere veſtigetur. Verùm in his verbis, vbi ait: Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors iam non erit, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor; tanta luce dicta ſunt de ſeculo futuro, & im*C*mortalitate, atque æternitate ſanctorum (tunc enim ſolùm, atque ibi ſolùm iſta non erunt) vt nulla debeamus in literis ſacris quærere vel legere manifeſta, ſi hæc putauerimus obſcura.* Ita Aug. Accuratiori igitur non indigent expoſitione. Tamen hæc Richardi à S. Victore l. 7. in Apocalypſ. c. 2. adducere libet. *Habebunt ergo omne bonum, abſque omni malo. O quàm dulcia ſunt iſta, & animum vehementer, ſi tamen illis intendit, ad ſe trahentia, & in ſe rapientia, & tractum raptumque ſuauiter inebriantia. Erubeſcat igitur in vilibus delectari, qui ſibi talia ac tanta bona nouerit reſeruari. Contemnat, poſt modicum, velit nolit, amittenda; quærat, poſt modicum, ſi velit, accipienda, ſine fine poſſidenda. Et ſequitur & abſterges Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Quomodo* D *videlicet cauſis emergentibus oboritur, per quas animus multipliciter exaſperatur. Et quia maior minorque cauſa lacrymæ tunc non erit, inferius declaratur. Maior namque cauſa tunc non erit, quia mors non erit; minor quoque cauſa non erit, quia luctus, clamor, dolor non erit. Mors non erit, quia nulla erit animæ corporiſque ſeparatio. Luctus non erit, quia nulla erit charorum amiſſio. Luctus quippe dicitur de amiſſione charorum. Clamor quoque non erit, quia nulla erit iniuriæ illatio. Dolor denique nullus erit, quia nemo dolebit de qualibus benè dicitur, quæ prima abierunt: quia quamdiu vita præſens quæ ſine peccato non eſt, agitur, etiam ſanctos affligunt: ſed tunc ablato peccato, ex quo procedunt, & cui ſuccedunt penitus non erunt. Modò tamen ſancti prædictis malis purgantur, qui ad ipſam beati*E*tudinem futuram præparantur, damnandi verò etiam eiuſmodi malis in hac vita grauiter affliguntur; ſed non ad præparationem beatitudinis: ſed ad damnationis initium pertinet quod puniuntur.* Ita Richard.

Huiuſmodi dictio, videlicet, abſterget Deus omnem lacrymam, inquit Rupertus, *à ſimilitudine tracta eſt matris, quæ paruuli ſui fletum non ſuſtinens, oculos eius & faciem manu tergit, mulcet oſculis.* Ita Rup. Qui etiam nomine mortis, vniuerſas vult comprehendi anguſtias mortalitatis. Maximè quia, vt ait Ambroſius, *poſſibilitas peccandi, quæ mortem mundo intulit, ab eis auferetur, vbi ergo*, ait idem Ambroſius, *neque peccatum quod prædicetur, ſicut videlicet ij fecerunt, de quibus dicitur: peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt: neque tribulatio vlla erit, propter quam ad Deum Pſalmiſta clamabat: Ad Dominum, inquit, cùm tribularer clamaui.*

Digitized by Google

clamor vllus neceſſarius non erit, nec dolor, vt ipſe addit: vbi neque corpori, neque animæ vlla aduerſitas accidere poterit.

Ergo futura vita, inquit S. Proſper l. 1. de vita contemplatiua c. 2. *creditur beatè ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi eſt certa ſecuritas & ſecura tranquillitas, tranquilla iucunditas, fœlix æternitas, æterna fælicitas; vbi eſt amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium ſpiritus; de contemplatione Dei ſui ac de ſua cum illo permanſione ſecurus; vbi ipſa ciuitas, quæ eſt Angelorum ſanctorum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna ſalus exuberat, veritas regnat, vbi nec fallit quiſquam, nec fallitur; vnde nullus eijcitur, quo nullus miſer admittitur.* Ita S. Proſper. *Neque*, inquit S. Auguſtinus lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos c. 12. *indigebimus illis veſtimento, vbi erimus immortalitate veſtiti; nec cibus nobis deerit, quando ipſe panis viuus, qui propter nos de cælo ad terras vſque deſcendit, ſui præſentia noſtras animas ſatiabit, nec potus nobis deerit, præſente fonte vitæ: ſaturabit enim nos ab vbertate domus ſuæ, & torrente delitiarum ſuarum corda noſtra rigabit. Æſtus illic non patiemur: Eſt enim ibi ſol iuſtitiæ, qui ſuo amore calefaciens corda noſtra, radiis diuinitatis ſuæ illuminet oculos noſtros, vt videant diuinitatem, æqualitatemque Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Non ibi fatigabimur, nobiſcum enim erit virtus noſtra, cui nunc dicimus: Diligam te, Domine: virtus mea. Non ibi dormiemus: non enim ibi ſunt tenebræ, quæ excludere poſſint permanentem diem. Nulla erit ibi negotiatio, nulla ſeruitus, nullum opus & quod illis acturi ſumus? Fortaſſe illud quod ſcriptum eſt: Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. Vacuitas iſta contemplationis, erit opus noſtræ actionis, vt contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre: Quid videre? Bona Domini. Quæ bona? Poſſumus exprimere illud, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit? Poſſumus explicare quomodo erit Deus omnia in omnibus? Poſſumus explicare quomodo ipſe filius, cum tradiderit regnum Deo & Patri, id eſt ſanctam congregationem fidelium, ita illum hominem ſuſceptum ampliuſque clarificatum non dimittat, vt tamen claritatem, quam habet cum Patri antequam mundus fieret, ipſis iam fidelibus demonſtrare non differat? Poſſumus explicare, quemadmodum ſponſa Eccleſia, quæ ex viri & fœminis conſtat, omnis conuertatur in virum perfectum: atque ita dignitatem viridem accipiat, vt tamen ſponſæ nomen non perdat? Poſſumus explicare ſanctorum corpora reſuſcitata ex qua gloria in quam gloriam tranſeunt? Poſſumus explicare quò Chriſtum ſequantur Virgines, quò eum ſequi nequeat non Virgines: atque illas neſcio quò vbique manens ſecum ducat, nec tamen eas quæ non ſunt Virgines deſerat. Quis audet de his rebus poſitus in hac mortali carne, quæ aggrauat animam, aliquid dicere, cum Paulus Apoſtolus hoc non valuit explicare, qui in iſto poſitus corpore vſque in tertium cælum gratiâ operante valuit aſcendere? Non ſimus curioſi ad veſtigandum quod Apoſtoli exprimere minimè potuerunt.* Ita Auguſt.

Quia igitur hæc incredibilia videbantur, ideo S. Ioannes ipſummet Deum, qui in throno Eccleſiæ ſedet, loquentem inducit, & dicentem: *Ecce noua facio omnia*, & præcipientem vt iſta ſcriberet vt pote fideliſſima & vera: *Spiritu* enim *ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*; & ea ſcripſerunt quæ à ſpiritu, qui in eis erat, ipſis inſpirata ſunt, itaut ſi quæ dicunt humanum captum excedant, illis tamen fides eſt adhibenda, quia Deus ipſe eſt qui ea reuelat, & cuius autoritate & nomine illa ſcripſerunt, quiq; loquitur in Eccleſia, cui adeſt Spiritus ſanctus, qui illam docere debet omnem veritatem. Optimè igitur addit S. Aug. his quæ ante ex illo adduximus. *Certè*, inquit, *ex me nemo ſcire quærat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt, ſed per fidem, & patientiam, eſt ſanctam matrem Eccleſiam ſperemus nos accipere quidquid*

A *magnis & puſillis dignatus fuerit ille donare.* Ita Aug. His igitur verbis & promiſſis fidem adhibeamus: ſunt enim fideliſſima, quia fideliter futura bona pronuntiant; vera quia verè complebuntur cuncta quæ clamant, vt ait Richar. Volens igitur Deus ſuos ſeruos ac familiares certiſſimæ huius expectationis ſolatio recreare ac reficere, præcipit id literis mandari, ac rurſus ſua autoritate confirmari.

Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum α & ω initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte vitæ gratis. Qui vicerit, poſſidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

B *Quinam ſint adepturi hæc bona æterna, nempe in Deum ſperantes, illa bona ſitientes, & propter illorum amorem omnia impedimenta vincentes.*

ANNOTAT. VII.

TAM certa, & fidelia ſunt Dei promiſſa, vt ſtatim atque promittuntur, illa reputare debeamus ac ſi iam eſſent adimpleta. Hinc Deus S. Ioanni præcipiens vt ſcribat ea quæ dicebat, non addit, hæc certò fient: ſed dicit: *Factum eſt.* Ac ſi diceret: Eo ipſo quo hæc audis à me promitti, factum reputa. Ego enim ſum α & ω, initium & finis, omnipotentiâ & ſapientiâ præditus. Quæ diſpono ſem-
C per perficio. Non enim eſſet ſapientis aliquid inchoare, cui finem non imponeret. Cum igitur omnia in ſapientia faciam, opus meum perficiam: nec deerit poteſtas, cuius voluntati omnia ſubſunt. Hinc Richardus: *Sicut omnia per me habent originem, ita & per me habent conſummationem. Ego non exiſtentia creaui ego inueterata, vt æternaliter ſubſiſtant, renouaui. Ego feci, ego refeci: feci in principio, refeci in fine.* Ita Richard. à S. Victor. *Tria ſunt*, inquit autor opuſculi de diligendo Deo, ſeu Medit. Inter opera Auguſt. to. 9. *Quæ roborant & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ vilitatis, nulla æſtimatio cæleſtis beatitudinis de celſitudine ſpei deijcere poſſit. In ea firmiter radicatur anima mea. Vis ſcire*
D *quæ ſint illa. Tria conſidero, in quibus ſpes mea tota conſiſtit, ſcilicet claritatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit inſipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu: aut quanta eſt illa gloria, quibuſve meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondebo: ſcio cui credidi, & certus ſum quia in charitate nimia adoptauit me Deus, quia verax eſt in promiſſione, quia potens eſt in exhibitione. Licet ei facere quodcumque voluerit. Pro his ergo meritis Deus meus mihi diligendus eſt.* Ita ille autor. Hac ipſe igitur erecti ſitiamus, ad tantum bonum adſpiremus. Hinc ille autor c. 17. ait: *Valde igitur diligendus eſt Deus in promiſſis, qui magna nobis dedit, ſed maiora promiſit. Promiſit nobis à labore requiem, à ſeruitu-*
E *te libertatem, à timore ſecuritatem, à mœrore conſolationem, à morte reſurrectionem, à reſurrectione plenum gaudium, ſummum gaudium, & indefitiens. Denique promiſit nobis ſeipſum, ſicut iurauit patribus noſtris daturum ſe nobis. Magnæ ſunt igitur promiſſiones Dei, & ineffabiles, & pro his & in his vult amari à nobis aliquo modo. Si modum quæras, vehemens deſiderium promiſſionis modus eſt, per amorem. Promiſſio Dei, quantumcumque deſideretur, minùs deſideratur quàm deſiderat: nam quantumcumq; profecerit plus debet. Vehemens. Itaque deſiderium aliquo modo non habet modum, cum non poſſit eſſe nimium. Cum in cæteris rebus impatientia ſoleat culpari, in expectatione tantæ promiſſionis, laudabilis eſt vehemens impatientia dilationis: cum eum qui plus amat, & qui plus deſiderat, dilationis impatientia magis cruciat. Spes quæ differtur affligit animam. Hæc autem omnia bona in*

Digitized by Google

cæleſti habentur patria. Hæc ille autor. Illa bona igitur amemus, deſideremus, ſitiamus. Sitienti enim promittit Deus daturum de fonte vitæ, in quo ſcilicet bona hauriri poſſunt. *Cogitemus,* inquit ille autor, l. de diligendo Deo, *quale & quantum electorum ſit vnicum & ſingulare gaudium, illud ſcilicet ſummum bonum, quod vita, lux beatitudo, ſapientia & æternitas; & tamen non eſt niſi vnicum & ſummum bonum, omnino ſibi ſufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent vt ſint, & benè ſint: hoc bonum eſt pater Deus: hoc eſt verbum, id eſt, filius patris, hoc ipſum eſt amor vnus & communis patri & filio, ſcilicet Spiritus ſanctus ab vtroque procedens. Quod autem eſt ſingulus horum quiſque, hoc eſt tota Trinitas ſimul, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quàm ſummè ſimplex vnitas, & ſummè vna ſimplicitas, quæ nec multiplicari, nec aliud & aliud eſſe poteſt. Porro hoc eſt illud idem vnum, quod eſt neceſſarium. Porro illud neceſſarium, in quo omne bonum, imo quod eſt bonum, & vnum totum, & ſolum bonum. Si enim ſingula bona delectabilia ſunt, cogita mente, vide quàm delectabile ſit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tantò differentem, quantò differt Creator à Creatura. Si enim eſt bona vita creata, quam bona eſt vita creatrix! Si iucunda eſt ſalus facta, quàm iucunda eſt ſalus quæ facit ſalutem! Si amabilis eſt ſapientia cum cognitione rerum conditarum, quàm amabilis eſt ſapientia quæ condidit omnia ex nihilo! Denique ſi multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta eſt delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit? Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Cur ergo per multa vagamur, quærendo bona corporis & animæ noſtræ? Amemus vnum bonum, in quo ſunt omnia bona: & ſufficit. Deſideremus ſimplex bonum, quod eſt omne bonum: & ſatis eſt.* Hæc ille. Hic igitur eſt ille fons vitæ, qui datur ſitienti, id eſt, deſideranti: & gratis datur, quia licet omnia tua dederis pro dilectione, erit quaſi nihil dederis. *Si dederit homo*, Cant. 8. *omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Tam copioſus enim eſt ille fons vitæ in bonis omnibus, vt quidquid dederit homo, pro nihilo ei ſit deputandum. Gratis igitur datur, etſi omnia alia bona pro illo adipiſcendo darentur. *Quærite* igitur *Deum, & viuet anima veſtra. Quæramus*, inquit ſanctus Auguſtinus, tractat. 63. in Ioann. *In veniendum: quæramus inuentum, vt inueniendus quæratur, occultus eſt; vt inuentus quæratur, immenſus eſt. Vnde alibi dicitur: Quærite faciem eius ſemper. Satiat enim quærentem, in quantum capit, & inuenientem capaciorem facit, vt rurſus quærat implere, vbi plus capere cœperit. Non ergo ita dictum eſt: Quærite faciem eius ſemper, quemadmodum de quibuſdam ſemper dicentes, & ad ſcientiam veritatis nequaquam peruenientes: ſed potiùs ſicut ille ait: Cum conſummauerit homo, tunc incipiet: donec ad illam vitam veniamus, vbi ſic impleamur, vt capaciores non efficiamur: quia ita perfecti erimus, vt iam non proficiamus: Tunc enim oſtendetur nobis quod ſufficit nobis. Hic autem ſemper quæramus, & fructus inuentionis non ſit finis inquiſitionis: neque propterea non ſemper, quia hic tantùm: ſed ideo hic ſemper dicimus eſſe quærendum, ne aliquando hic putemus ab inquiſitione ceſſandum.* Ita Aug. Hoc eſt ſitire, vt ſitienti det Deus quod ſufficit, quod ſitim expleat. *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

Verùm ne quis exiſtimet, quia dicitur æternam gloriam gratis concedi, propterea poſſe quemquam abjicere curam, & omnem prorſus ſollicitudinem deponere, nunc additur: *Qui vicerit, poſſidebit hæc.* Quamuis enim æterna fælicitas gratis detur, opus A adhuc eſt robore ac virtute, ne noſtrâ deſidiâ & ſocordiâ è manibus dilabi patiamur, quod Deus nobis ſponte ſua offert. Neceſſe eſt igitur dæmonem, mundum & carnem proſternere, & victori eorum dicet Deus: *Ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Non amplius filius ad gratiæ adeptionem, ſed ad cæleſtis gloriæ poſſeſſionem. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Ad hanc filiationem nos prouocabat S. Ioannes, ep. 1. c. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc* B *ſpem, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.*

Concludamus igitur ſitim vitæ æternæ eſſe neceſſariam, vt eam habeamus: & vincenda eſſe cuncta obuiantia impedimenta, vt eam poſſideamus. Et hac ratione optimè Richardus à S. Victore locum hunc exponens, ait: *Ego ſitienti dabo de fonte vitæ gratis, quia ego ſum principium beatitudinis, ſitienti. Dona cæleſtia ſitit, qui ea totis præcordiis ſitit, & concupiſcit. Deus quippe ſitienti de fonte aquæ vitæ dat, quia animam, quæ ad illum ardenter ſuſpirat, cæleſtibus bonis minimè fraudat. Gratis: gratis etenim, fons aquæ vitæ datur, quia per gratiam diuinam ſupernæ plenitudinis nobis bonum confertur. Non enim humana virtus illud promeretur, niſi illa gratia diuina ad promerendum prius donetur.* C *Qui vicerit, videlicet hoſtem antiquum, mundum, vitium; poſſidebit hæc, quia pertinget ad brauium. Poſſidebit hæc. Quæ? Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe; quæ propter immenſitatem nequeunt comprehendi; propter æternitatem, finiri; propter bonitatem, æſtimari. O quam grandia ſunt iſta cæleſtium bonorum promiſſa, quæ exſuperant omnem ſenſum, dulciora ſuper mel & fauum! Et ero illi Deus, quemadmodum ſuperiùs expoſitum eſt: & ipſe erit mihi in filium: quod ſupra dictum eſt populus.* Ita Richard.

Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & D *idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

Quinam excludantur ab æterna gloria?

ANNOTAT. VIII.

QVAMVIS Primaſius voluerit *hæc vel vitia criminum, vel flagella pœnarum non eſſe exponenda, vt intelligantur, ſed cogitanda potiùs quomodo per Dei gratiam deuitentur;* (Ita Primaſ.) Non erit tamen inutilis eorum expoſitio, vt facilius euitentur. *Ne* E *mali,* inquit Richard. à S. Victore lib. 7. in Apocalyp. *vitiis & ſceleribus obuoluti; vel falſis orationibus, quas plerumque fundunt, vel eleemoſynis, quas aliquando Eccleſiæ vel pauperibus impendunt; vel alio quolibet modo, ad cæleſtis boni participationem (niſi reſipiſcant) aliquatenus ſe pertingere credant, penitùs hoc in libro damnationi adduntur, & à conſortio iuſtorum diuiduntur.* Ita Rich.

Octo autem ſunt ſpecies vitiorum; vt per talem numerum, à iuſtis qui octo beatitudinibus ditabuntur, prorſus alieni & exortes oſtendantur. Primi autem, qui excluduntur, ſunt timidi.

Timidi, id eſt, ignaui & ſocordes, δειλοὶ græcè qui labori ac difficultati quàm ſecum affert virtus, miſerè ſuccumbunt, & virtuti ipſi terga ignominioſè vertunt, *Timidi*, inquit Richardus à S. Victore, *ſunt qui timore pœnarum fidem accipere fugiunt, vel acce-*

Digitized by Google

plam relinquunt. Timidi namque dicuntur, inquit Rupertus, *& ſunt, qui neque fidem, neque ſpem habent futurorum; & tunc demum rectè timidi dicuntur, cum de promiſſionibus Dei dubitantes, nihil forte propter ſpem vitæ, nihil arduum propter præmiorum fiduciam aggrediuntur. Timidi*, inquit S. Thomas, *id eſt illi, qui timore mundano ducti, veritatis opera dimittunt, vel fidem acceptam relinquunt.* Ita S. Thom. Ambroſius ad timidos reuocat eos, qui videntes quoſdam à potentioribus iniuſtè opprimi, plus timentes iras hominum quàm iram Dei, eos quos per doctrinam, quam acceperunt, iuuare poterunt, & à periculo liberare, tacendo in damnum magnum ſinunt deuenire, vel etiam ſententiam damnationis in eos proferunt. *Eſt etiam*, inquit, *timor quem auaritia parit, quo exiſtimo fuiſſe perculſum illum iuuenem, qui triſtis abiit, cum ei dictum fuit à Domino: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni ſequere me.*

Secundo, ſunt increduli. *Increduli ſunt*, inquit Richard. *Qui futura bona minimè credunt.* Sed Ambroſius latiùs extendit hanc incredulitatem. *Incredulos*, inquit, *non eos tantummodo vocat, qui non credunt, ſicut ſunt Iudæi atque Pagani, ſed & eos qui non credunt reſurrectionem. Sunt etiam multi, qui Chriſtiani vocantur, qui non credunt Dei iuſtitiæ. Pro eo enim quod vitia diligunt, & deſideria carnis ſuæ perficere volunt; non credunt comminationes diuinarum ſcripturarum, nec putant pro iis eſſe damnandos. Nam libidinoſi dicunt nullo modo pro vſu concumbendi quemquam eſſe periturum. Sed & ebrioſi dicunt nullo modo ſe pro nimia vini potatione eſſe puniendos. Similiter & auari, luxurioſi, atque ſuperbi, defendunt vitia ſua.* Ita Ambroſ. Quæ expoſitio optima eſt & vera.

Tertij ſunt execrati. *Execrati ſunt*, inquit Richardus à S. Victore, *qui occultè ſpiritalis gratiæ participatione diuino iudicio priuantur, vel manifeſtè Eccleſiaſtico more pro ſuis ſceleribus excommunicantur.* Ita Richard. Quem ſequitur S. Thomas in expoſitione. Ambroſius. *Execratos*, inquit, *eos eſſe puto, qui execrantur mandata diuinarum ſcripturarum, correptioneſque hominum bonorum. Poſſumus & per execratos eos intelligere, qui tantùm ſunt inuerecundi, vt non pudeat eos quædam execrabilia in conſpectu omnium perpetrare; qui non ſolùm à iuſtis, verùm etiam à quibuſdam iniuſtis ſæpè execrantur.* Ita Ambroſ.

Quarti ſunt homicidæ. *Qui*, inquit Richardus, *vel voluntatis prauitate, vel ſermonis perſuaſione, vel operis perpetratione aliquem occidunt.* Ita Richard. Ambroſius homicidas vocat *non ſolùm interfectores quorumdam hominum, ſed & eos qui odium portant in cordibus ſuis, ſicut iſte Ioannes loquitur dicens: Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Ita Amb.

Et ſcitis, addit S. Ioannes 1. v. 3. *quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Non mirum igitur, ſi homicidas hic excludat à regno.

Quinti ſunt fornicatores. *Qui*, inquit Richardus à S. Victore, *vel carnis illecebris, vel huius mundi delectationibus illicitè ſe ſubjicere non erubeſcunt.* Quem ſequitur S. Thomas, & locum Pauli addit ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c.* At Ambroſius fuſiùs ait: *Fornicationum genera multa ſunt. Quibuſcumque modis, exceptâ legitimâ vxore, deſiderium libidinis expletur fornicatio vocatur. De fornicationis malo Paulus Apoſtolus loquitur dicens: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. In corpus ſuum peccat, quia integritatem eius violat atque corrumpit, cum humores eius innoxios vi extrahit, atque effundit. Eſt & fornicatio cogitationis, de qua Dominus loquitur dicens: Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, &c. Propheta quoque Hieruſalem fornicatricem vocauit, eo quòd Deum derelinquens, idola coluerit. Similiter & nos ſuggeſtionibus dæmonum obtemperando, cum noſmetipſos eis ſubjicimus, fornicatores non inconuenienter vocamur.* Ita Ambroſ.

Sexti ſunt venefici, *qui venenum malitiæ verbo & exemplo crudeliter infundunt*, inquit Richard. à S. Victore. At Ambroſ. *Qui corpora hominum veneno inficiunt, vt eos extinguant. Sunt & alij multo deteriores venefici; ij videlicet qui ſeminant inter fratres diſcordias. Illi autem corpora interficiunt, iſti animas: & multo deterior mors animæ quàm corporis.* Ita Ambroſ. Ludouicus ab Alcaz. Per veneficos intelligit veneficiis atque præſtigiis addictos. Ego verò exiſtimo veneficium ſpecialiter hic exprimi, quia habet certum aliquod genus malitiæ, dum occultè occidit proximum ex matura deliberatione. Poteſt enim quis occidere ex improuiſa actione, ex iræ vehementia, ex iudicis ſententia. Et tunc aut non peccat, aut excuſari poteſt. Sed qui veneno occidit, non poteſt excuſari, quia conſultò hoc agit, & ex matura deliberatione.

Septimi ſunt idololatræ. *Qui*, inquit Richardus, *relicto veræ diuinitatis cultu, per idololatriam ſe dæmonibus ſubdunt.* Ita Richardus Ambroſius. *Non ſolùm ij qui idola colunt, ſed & omnes auari, hoc demonſtrante Apoſtolo Paulo, qui auaritiam idolorum ſeruitutem vocat.* Ita Ambroſ.

Denique octaui ſunt mendaces omnes, *qui relicto*, inquit Richardus, *veritatis tramite, proximos fraudulenter fallunt.* Ita Richard. Certè hæretici hic ſaltem deſignantur, quos iam deſignari diceres per incredulos, execratos, ſpiritali fornicatione inquinatos, & veneficos. Et certè cum Apoſtolus dicat omnes mendaces excludi; non ſolùm certè qui proximos fallunt, ſed qui à veritate notabiliter deſciſcunt, cum præiudicio honoris diuini, aut boni proximorum ſunt etiam intelligendi. Vnde optimè Alcazar: *Omnes mendaces, id eſt, qui amant & faciunt mendacium, vt explicatur, c. 22. Verſ. 15. Eſt autem ſcripturæ phraſis, qua dicuntur mendacium facere illi omnes qui Dei mandata, violant ac frangunt: nam pro vitæ optimæ atque laudabilis fructu, quem ferre deberent, peſſimos peccati fructus ferunt. Sic etiam de arboribus dicitur: Mentietur opus oliuæ. Habac. c. 3. u. 17. Niſi forte dicamus mentiri, hic idem eſſe, atque iniuriam alteri irrogare, quauis ratione.* Hæc Alcaz. De mendacio fusè hic Ambroſius commentator. Quod quia longiuſculum eſt, conſultò omittimus, vt ad noſtra tranſeamus.

Hæc igitur ſunt octo vitia, propter quæ quis à Regno cælorum excluditur, & meritò, vt pote octo beatitudinibus oppoſita, per quas aditum habemus ad beatitudinem æternam.

Prima namque beatitudo eſt paupertas ſpiritus, qua magnanimiter & audacter cuncta contemnimus bona tranſitoria, vt æterna adipiſcamur: cui opponitur illa peſſima timiditas & ſocordia, qua quis ægrè à terrenis abſtrahitur, ſimilis iuueni illi, qui multùm diues triſtis abiit, Dominum audiens derelictionem bonorum ſibi ſuadentem. Secunda beatitudo eſt mititas. Certè ſi increduli ſunt qui futura bona non credunt, nec credunt comminationibus ſcripturarum, vnde redduntur duri, moroſi indociles: mitis eſt ille & S. Auguſtino teſte, *qui ſe mitem præbet pietate, dum venit ad diuinarum ſcripturarum cognitionem, id quod imperitis videtur abſurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis; inde iam incipit ſcire quibus nodis ſæculi huius per carnalem conſuetudinem ac peccata teneatur.* Ita ſanctus Aug. l. 1. de ſerm. Domini in monte c. 3. Certè huic animi docilitati peruicax incredulitas opponitur, quæ animum ab omni manſuetudine abſtrahit, vt nec Deum nec homines quis reuereatur, &

in quemlibet liberè graſſari non pertimeſcat. Et cum faſtidio & ira reſpuit quæ proponuntur credenda, nimis exactè & curioſè omnia inueſtigare & ad plenum cognoſcere volens. At mites ſunt qui cum manſuetudine ſuſcipiunt inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas noſtras. Iacob. 1. Mites etiam ſunt, ex Auguſt. ſuprà, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt in malo, ſed vincunt in bono malum; quales non ſunt qui præſentibus tantùm addicti, ad omnem feruntur malitiam, nihil de futuris per incredulitatem cogitantes.

Tertia Beatitudo eſt: *Beati qui lugent*. Lugentes dicuntur, *non orbitates aut contumelias, aut damna mærentes; ſed peccata vetera flentes*, inquit S. Hilarius, can. 4 in Matt. apud S. Thom. in catena. *In tertio gradu*, inquit S. Aug. l. 1. de ſermone Dei in monte c. 3. *In quo eſt ſcientia, lugetur amiſſio ſummi boni, quia inhæretur externis*. At quodnam vitium magis poſſet opponi huic beatitudini, quàm execratio illa; ſiue Dei occulto iudicio gratiam ſubtrahente, qua à peccatis reſipiſceret; ſiue Eccleſiæ, quæ propter contumaciam & impœnitentiam aliquem execrat & excommunicat; ſiue execrationem pro impudentia ſumas, qua perfricta fronte peccatum committitur abſque vlla verecundia.

Quarta Beatitudo eſt: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. S. Ambroſ. in Luc. *Poſtquam delicta defleui, eſurire incipio, & ſitire iuſtitiam: æger enim, cum in graui morbo eſt, non eſurit*. Ita Ambroſ. *Non nobis*, inquit S. Hieron. *ſufficit velle iuſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famem; vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus*. Citantur à S. Thoma in catena. At quis magis alieni ſunt à fame iuſtitiæ, quàm homicidæ, quorum pedes veloces ſunt ad effundendum ſanguinem?

Quinta Beatitudo eſt; *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. At quomodo quis miſerum habebit cor, & alterius miſeriæ compatietur, qui ſibi durus & nequam erit? Quomodo de peccato fratris dolorem concipiet, qui in ſuis peccatis gloriabitur? At talis eſt fornicator, qui in corpus ſuū peccat: ſibi ipſi nequam eſt: & immunditiā vitæ, ſi quæ opera facit miſericordiæ corporalis per Eleemoſynas, hoc totum inutile illi redditur per incontinentiam. Et reuera crudelis in ſe eſt, qui ſæuit ſemetipſum, veluti fornicator, qui peccat in corpus ſuum. Et quomodo ille eſſet miſericors, qui pro tam fugaci & fluxa voluptate, æternis delitiis ſe ipſum fraudare non timet?

Sexta Beatitudo eſt: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Certè huic beatitudini opponuntur venefici, ſiue qui diabolo adhærent per præſtigia & incantationes; ſiue etiam qui malitiā ſuā animas & corpora proximorum perdere feſtinant ex induſtria. Quomodo enim cor haberent mundum, qui Deum à ſe excludunt per adhæſionem voluntariam dæmonum præſtigiis, aut malignis illius ſuggeſtionibus?

Septima Beatitudo eſt: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. At quis vnquam idololatra pacem habere potuit, cum Deo (cui nemo reſiſtit, & pacem habuit) ſeſe directè opponat per cultum idolorum? Certè, vt ait Apoſtolus, *ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia*. Rom. 1. Et quis cum talibus vitiis pa-

A ce aliqua frui poſſet? At his vitiis implicantur idololatriæ. Igitur ab eis pax maximè elongabitur.

Sequitur vltima Beatitudo: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. At quomodo qui voluntariè peccant, & mandata Dei liberè tranſgrediuntur, perſecutionem pati poſſent pro iuſtitia? Profeſſione & nomine ſunt Chriſtiani: at mendaces, qui quod profeſſi ſunt & promiſerunt, non tenent; & actionibus ſuis infideles ſunt, aliud profitentes, & aliud peragentes: Ex his patet quomodo hæc octo vitia à Regno Dei excludunt, ſicut octo beatitudines ad regnum cælorum nobis aditum præbent.

Et venit vnus de ſeptem Angelis, habentibus phia-
B ***las plenas ſeptem plagis nouiſſimis: & locutus eſt mecum dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum.***

Actuali animi eleuatione ad contemplationem cæleſtium opus eſt, ad diſtinctè percipiendum quanta ſit gloria, quam fides nobis eſſe credendam & ſperandam proponit.

ANNOTAT. IX.

POSTQVAM S. Ioannes nobis propoſuit vitam
C æternam credendam & ſperandam, & quaſi ſub generali quodam conceptu ciuitatis, tabernaculi, illam nobis intuendam exhibuit; nunc vult vt diſtinctiùs, & quaſi per partes illam intueamur, vt ad illius amorem magis ac magis accendamur. Nam ſi fide opus eſt, vt credamus vitam æternam nobis promiſſam, certè attenta contemplatione indigemus, vt illius dignitates & prærogatiuas ſpeciales concipiamus. Licèt igitur iam S. Ioannes vidiſſet ciuitatem illam de cælo deſcendentem à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo; adeſt tamen vnus Angelus, qui promittit illam ſibi oſtenſuram, non iam à longe, non quaſi extra muros illius exiſtens, ſed veluti intra illius ſinum eſſet receptus, &
D in medio platearum eius deambularet. Quod expendens Richardus à S. Victore, lib 7. in Apoc. c. 3. ait: *Quid eſt ergo, quod illi promiſit oſtendere, quam ſe dixerat iam vidiſſe; niſi quia iam magna quidem viderat, ſed adhuc tamen valde maiora viſurus erat? Liquet nimirum in ſequentibus, vbi ſanctæ ciuitatis murum, portas, angulos, menſuram, fundamenta, & alia multa multiformiter & pulchrè deſcribit, ea quæ iam viderat valde æſtimanda parua, ad illorum mirabilem comparationem quæ reſtabant videnda. Ait ergo: Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem agni. Quaſi diceret: Magna quidem ſunt, quæ de futuro ſanctorum ſtatu vidiſti: ſed eleua, & dilata mentem: quia de eodem ſtatu ipſorum viſurus es mira, quæ nondum vidiſti. Ipſa verò ſancta mater Eccleſia, &*
E *ſponſa & vxor pariter dicitur: ſponſa, quia cæleſti ſponſo Chriſto ſpeciali dilectione copulatur; vxor, quia per eius gratiam ad multorum filiorum procreationem fœcundatur. Et ſuſtulit me in ſpiritu; multo videlicet ſublimius, quàm fueram priùs. In montem magnum & altum: quia magna erant & alta, quæ mihi erant oſtendenda. Magna, propter vniuerſam glorificandorum multitudinem; alta, propter poſſidendi boni ſublimitatem*. Ita Richard. Dicerem ego non maiora illi eſſe oſtendenda. Quid enim maius oſtendi poteſt Dei viſione, comprehenſione, amore, & fruitione, ac Dei laude perpetua? De quibus iam audierat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*. Quid optabilius quàm quod audierat, quod *Deus abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum*? Quid fœlicius & dignius, quàm

Digitized by Google

quàm cum ei dicitur: *Qui vicerit, poſſidebit hæc & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Maiora igitur, optabiliora, fæliciora, nec digniora poterit videre: ſed diſtinctiùs & enucleatiùs cum cæteris hæc bona conſequentibus illi fore oſtenſurum aſſerit, ſi contemplationi eorum ſeriò incumberet. *Cum ſpiritu.* inquit Andr. Cæſ. *In mentis ſe abductum affirmat, mente & intelligentia à rebus terrenis ad cæleſtium rerum conſiderationem ſeſe ſubuectum indicat. Per montem porro magnum & altum, ſublimem mundique capite ſuperiorem ſanctorum vitam eſſe inſinuare videtur: In illo autem monte vxor agni, ſuperna videlicet Hieruſalem, à Deo condecorabitur, ingentique gloria cumulabitur.* Ita Andr. Et appoſitè ad hæc Ludo. ab Alcaz. exiſtimat montem in quem ſublatus eſt S. Ioannes illum eumdem eſſe, in quo conſtructa erat ciuitas illa, *vt in eam Ioannes ingrederetur, muros intueretur cominus: & portas, & flumen, cæteraque omnia ſingulatim ſpectaret. Nec tamen feſſus aut defatigatus eſt, totam ciuitatem perambulando, quia non eam corporeo greſſu, ſed ſpirituali peragrabat. Et Ioannis quidem menti ac ſpiritui gratiſſima potiùs extitit, & magni plena ſolatij, hæc vrbis totius circuitio & contemplatio.* Ita ex Alcaz. Cuius ciuitatis ideâ & repræſentatione ænigmaticâ mens S. Ioannis eleuabatur, & abſtrahebatur ad contemplanda eam cæleſtium ſpirituum & animarum ſanctarum beatitudinem, quæ in ipſis ænigmatibus eius menti intuenda objiciebantur.

Quæres quiſnam ſit ille Angelus, qui prouocat ſanctum Ioannem, & illi oſtenſurum ſe promittit ſponſam vxorem Agni?

Reſpondet Ambroſius *hunc Angelum deſignare prædicatores, quia prædicatores ſanctis cæteris fidelibus quanta ſit beatitudo iuſtorum, in quantum poſſunt, ſtudent demonſtrare: vt eos ad vitam æternam percipiendam accendant.* Ita Ambroſ.

Richardus à S. Victore: *Vnus de ſeptem Angelis, intelligitur vniuerſitas prædicatorum, vnanimis in fide, & miniſterio prædicationis. Qui videlicet Angelus dicitur de ſeptem habentibus phialas plenas plagis nouiſſimis: quia ſancti prædicatores, quemadmodum malis prædicant diuinam vltionem, ita bonis prænuntiant iuſtitiæ retributionem, & ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ glorificationem.* Ita Richard. l. 7. in Apoc. c. 3.

Nos verò conſequenter ad ea, quæ diximus Annot. 1. in c. 17. dicimus in iſto Angelo deſignari ſpiritum orationis, ad quem nos boni Angeli inducunt: vt quæ fide credimus, meditationibus & contemplationibus pleniùs & perſpicaciùs intueamur; vt ad diuinorum & cæleſtium rerum amorem ardentiùs accendamur, quo diſtinctiùs illarum excellentiam per contemplationem aſſecuti fuerimus. Angelicis igitur inſpirationibus obſequentes aſcendamus ad montem vitæ contemplatiuæ, vt futuræ vitæ bona meliùs & diſtinctiùs percipiamus. *Cui fælicitati promerendæ.* inquit S. Proſper lib. 1. de vita contemplatiua c. 5. *Ille ſuſpirat, qui præſentibus omnibus, futurorum contemplatione renuncias, atque à domeſticis occupationibus (quæ nonnunquam perfectè viuere cupientium proceſſus impediunt) in illam diuinæ ſublimitatem contemplationis euectus, ipſos etiam ſuæ carnis affectus exuperat; & infra ſe vniuerſa deſpiciens (quæ plerumque animas de præteritæ vitæ ſanctitate ſecuras in terrena dejiciunt) ipſis etiam cæleſtibus appropinquat, tantò diuinis vicinior factus, quantò ſupra humana omnia ſtudio perfectionis aſcendit; certus quòd ſi contemplatiuam vitam his incertis honoribus, diuitiis anxiis, & caducis delectationibus plena voluntate prætulerit; veros honores, ſecuras diuitias & delectationes æternas inueniat, cum ad perfectionem contemplatiuæ virtutis in illa beata vita (vbi futura eſt) Deo remunerante peruenerit. Et reuera quid erit honoratius eo, quem diuina clementia Angelicæ dignitatis æqualitate beauerit? Quid* A *ditius eo, quem regni cæleſtis ineffabiliter affluens beatitudo ditauerit? Aut quid etiam hic delectabilius contemplatione diuina, quæ ſibi veraciter inhianti, incorruptibilem ſuauitatem futuræ remunerationis infundit? Quoniam quidē contemplatiua vita hîc quoque amatores ſuos futurorū bonorū conſideratione delectā; ac ſibi tota mentis intētione vacantes, quantum in hac vita fieri poteſt, dono ſapientiæ ſpiritualis illuminat; & ad illam diuinæ plenitudinem viſionis (cuius ſpem ſtudiis intentis cæleſtibus gerunt) incentiuo quodam ipſius conſequendæ perfectionis inflammat: vt quod nunc in ænigmate cernunt, nec perfectè diſcernunt, tunc in illa reuelatione conſpiciant.* Ita S. Proſper. Appoſitè, ni fallor ad ea quæ tractamus, dum aſſerimus illum Angelum ſignificare Angelos omnes, qui nos in montem magnum & altum ſuſtollere, id eſt, in B contemplationem diuinorum euehere ſatagunt: *Proinde*, inquit idem Proſper lib. 1. de vita contemplat. c. 8. *vitæ contemplatiuæ ſectator ad conditorem ſuum corde illuminatus accedat, ipſi contemplando atque inſatiabiliter perfruendo vigilanter inſerviat: Ipſum iugiter concupiſcat: præ amore eius omnia (quibus inde poteſt auerti) refugiat: omnes cogitationes ſuas, ac totam ſpem, ex illius delectatione (alias dilectione) ſuſpendat: literarum diuinarum ſacris meditationibus vacet in his ſe diuinitùs illuminatus oblectet. Ibi ſe totum, velut in ſpeculo quodam refulgente conſideret quod in ſe prauum deprehendit, corrigat; quod rectum eſt, teneat; quod deforme, componat; quod pulchrum, excolat; quod ſanum, ſeruet; quod infirmum,* C *aſſidua lectione corroboret: Domini ſui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat efficaciter impleat: & quid ſibi cauendum, quidue ſectandum ſit, ex eis ſufficienter inſtructus agnoſcat: myſteriis earundem diuinarum ſcripturarum perſcrutandis inſiſtat: Chriſtum promiſſum legat, repræſentatum videat: Prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat: de ſalute gentium gaudeat. ex præteritis, quæ prædicta ſunt & impleta teneat: futuris promiſſionibus credat: ab ſtrepitu negotiorum ſecularum remotiſſimus, ea feruenter excogitet quibus animum ſuum in deſiderium futuræ remunerationis inflammet: ſtudiis ſpiritualibus, quibus in dies melior fiat, inuigilet: amet otium ſanctum, in quo exerceat animæ ſuæ negotium: mortuum ſibi deputet mundum, ac ſe mundi blandientis illece-* D *bris exhibeat crucifixum: delectationibus ſpeculatorum præſentium, incomparabiliter anteponat ſui creatoris intuitum: ſemper ſe proficiente ſucceſſu, in faſtigium diuinæ contemplationis attollat: nunquam ne ad momentum quidem, à promiſſionibus futuris conſiderandis auerſus, ad terrena reſpiciat: eò aciem mentis indeſinenter intendat, quò peruenire deſiderat: beatitudinem vitæ futuræ ante oculos animi ſui proponat & diligat: nec metuat aliquid temporale, nec cupiat: nec aut metus dimittendæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ, intentionem mentis eius emolliat: non eum blanda corrumpant, nec aduerſa concutiant: non inflet opinio ſecunda, nec ſiniſtra deiiciat: nec falſa vituperatio, ſiue laudatio augeat gaudia eius, aut minuat: non gaudeat de temporalibus omnino: nec lugeat.* E *Inter læta inuictus ac triſtia, vnam faciem animo conſtanti obtineat: nec pectoris eius ſtabilem firmitatem, quidquid promittit mundus, aut minatur excutiat: ſed idem ſemper ac ſibi ſimilis perſeuerans, mundi huius damna & lucra non ſentiat. Et cum hæc & ſimilia contemplatiuæ vitæ deſiderio affectus impleuerit non ſe hîc iam ex parte omni perfectum, ſed perficiendum in illa beata vita, quæ eſt immobiliter, credat: atque ad eamdem ſe, vbi Dei ſubſtantiam reuelata facie videri poſſit, extendat.* Ita S. Proſ. l. 1. c. 8. Taliter affectus ſe ad contemplandam beatitudinem æternam accingat. Aſcendat cum Petro in ſuperiora, vt orationi vacet: & dum illi paratur, non prandium tranſitorium, ſed cæna nuptiarum agni, videat in contemplatione non linteum de cælo deſcendens, ſed ciuitatem ſanctam Ieruſalem de cælo deſcendentem. Ibi videat non quadrupedia, ſed

rationales creaturas beatitudine æterna fruentes: non ſerpentia terræ, ſed mentes ad Dei viſionem aſſurgentes: non volatilia aëris, ſed charitate feruentes, & Deo intimè adhærentes: non aliqua immunda, ſed lapides viuos, prætioſiſſimos, quibus ædificatur illa ciuitatas, vt ſit Dei tabernaculum & domicilium, & hac viſione oblectatus, omnia tranſitoria contemnat, vt inhæreat indeſinenter cæleſtibus, itaut dicere poſſit cũ Apoſtolo Paulo: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.*

Et oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. Et lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi Iaſpidis, ſicut cryſtallum.

De lumine gloriæ, quo animæ ſanctæ, viſionis diuinæ eſſentiæ capaces redduntur.

ANNOTAT. X.

DIXIMVS ſupra quid ſit Ieruſalem deſcendere de cælo à Deo. Nunc diſcutere debemus, quid ſit eam claritatem Dei habere, & quali proinde lumine fulgeat. Hoc enim contemplanti quanta ſit gloria beatorum, primò ſeſe offert & obijcit contemplandum. Richardo à S. Victore idem eſt ac illuſtrari à Deo æternæ diuinitatis fulgore. Sic enim ait: *A Deo habentem claritatem Dei. Non enim à ſe habebit claritatem Dei. Quemadmodum ferrum, dum in ignem immittitur, in igne & ab igne coloratur: & ignis quidem ſpeciem ſumit, ſed à ſe non habet quod accipit: ita ſancta mater Eccleſia clareſcet in beatitudine, æterna diuinitatis illuſtrata fulgore. Æſtimet ergo qui poteſt, quanta quamque iucunda concors & indiſſolubilis erit creaturæ humanæ, creatoriſque vnita coniunctio, vbi claritas, quam creator habet per plenitudinem, creaturæ dabitur per plenitudinis participationem: quam ille habet per naturam, huic dabitur habere per gratiam.* Ita Richardus à S. Victore. Alia ſimilitudine vtitur Ambroſ. Ad iſtam à Deo illuminationem deſcribendam, dum ait: *Sæpe ſol in aqua fulgens, ſuam claritatem aquæ largitur, itaut aqua oculos intuentium reuerberet, ſicut & ſol. Quemadmodum igitur aqua claritatem ſolis habet, ſed non à ſeipſa, ſed à ſole: ita & ſancti habent claritatem Dei, ſed non à ſeipſis, ſed à Deo, à quo illuminantur.* Ita Ambroſ. Vnde meritò Tobias de Hieruſalem Prophetans dixerit c. 13. *Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.*

Quonam autem lumine ſit illuſtranda, vt claritatis Dei fiat particeps, explicat S. Ioannes cum addit: *Et lumen eius ſimile lapidi pretioſo.* Pretioſiſſimus iſte lapis Ticonio Chriſtus eſt. Lapis nimirum pretioſus rectè dicitur Chriſtus, quia immortalitate indiſſolubili precioſus, quia forma præ filiis hominum ſpecioſus, inquit Richardus à S. Victore. *Quoniam*, addit S. Thomas, *virtutum pulchritudine & plenitudine decoratus.* Lumen ergo, inquiunt, vterque ſupernæ ciuitatis deſcribitur eſſe ſimile lapidi pretioſo: quia ſanctorum vniuerſitas in futuro ſæculo claritate diuinitatis contemplatæ per luſtrata ſimilabitur Chriſto. *Vel*, vt ait S. Thom. *claritate diuinitatis irradiata aſſimilabitur Chriſto.* At quomodo irradiabitur claritate diuinitatis, niſi per lumen gloriæ? Cum enim triplex ſit lumen in homine, quo non participant bruta, lumen rationis naturalis, gratiæ, & gloriæ: & ad percipienda ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, neceſſe ſit vt lumen naturale hominis confortetur per lumen aliquod ſupernaturalis etiam ordinis ei additum ac inter res ſuperioris ordinis. Supra omnia clarè & intuitiuè viſa, non ſolum opus eſt lumine gratiæ vt illa videantur, ſed gratiæ conſummatæ, nempe lumine gloriæ. Sicut enim Charitas viæ non euacuatur, ſed perficitur in patria: ita etiam lumen gratiæ perficitur per lumen gloriæ infuſum in patria, de quo in Pſalmis dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen.* Nam cum modus eſſendi Dei excedat modum naturæ hominis cognoſcentis, Deus non poteſt ab homine cognoſci niſi in quantum ipſe ſe ei cognoſcendum præbuerit, cumque cognoſci non valeat qualis & quantus ſit, niſi ſeipſum per eſſentiam cognoſcendum præbuerit, oportet vt non modò per gratiam ſe intellectui creato coniungat, ſed etiam vt aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur, ad hoc quod eleuetur in tantam ſublimitatem, vt Dei eſſentiam percipiat, per quoddam ſcilicet augmentum virtutis intellectiuæ, quæ accreſcit addito lumine gloriæ: *De quo*, inquit S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 5. dicitur Apocalypſ. 21. *quod claritas Dei illuminabit eam, ſcilicet ſocietatem hominũ Deum videntiũ; & ſecũdum hoc lumen efficiuntur deiformes, id eſt, Deo ſimiles, ſecundum illud Ioannis 1. cap. 3. Cum apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Ita S. Thomas. Et quia ſimiles ei erimus, non ſolùm ſecundùm lumen gloriæ, quæ conſignabit nos lumine & claritate vultus ſui, ſed etiam ſecundùm claritatem corporis (ſi enim illi compatimur, & conglorificabimur, & *oportet reformari corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem qua etiam poßit ſubijcere ſibi omnia.* Philippenſ. c. 3.) vt vtramque claritatem deſignaret mentis & corporis, addit S. Ioannes lumen eſſe *ſimile lapidi iaſpidis*: ecce lumen gloriæ in mente, *ſicut cryſtallum*: ecce claritas corpus penetrans ad perfectam Chriſti ſimilitudinem conſequendam. Fauet Richardus à S. Victore c. 3. lib. 7. *Chriſtus iaſpis, Chriſtus cryſtallus. Chriſtus iaſpis: quia executione paternæ voluntatis nequaquam deficiens immarceſſibiliter viruit: Chriſtus cryſtallus, quia ex mortuis reſurgens gloria immortalitatis clarus effulſit. Sanctæ igitur ciuitatis lumen ſimile erit lapidi pretioſo, id eſt Chriſto; & tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum, quia in cæleſti patria cum Chriſto virebit bono immarceſſibilis æternitatis: & fulgebit donõ indiſſolubilis immortalitatis.* Ita Richard. Similia habet S. Thomas in expoſitione. At cum beati æternitate immarceſſibili & ſemper virente non potiantur, niſi quia intimè Deo vniuntur, per lumen gloriæ ad eius viſionem euecti, ideo non malè per iaſpidem hoc lumen dicimus deſignari, quo mens ſit capax illius illuminationis. Nec ab hoc ſenſu alienus eſt Ludouicus ab Alcazar, cum ait: *Aſſero præcipuam huius vrbis cæleſtis felicitatem eſſe illam, vt luminari maximo & intima ipſius claritate fruatur: & eapropter luminare hoc inter omnes ciuitatis excellentias Ioanni oſtenſas primo conſtituitur loco, ſecundo iaſpidis ſimilitudo diuinitatem innuit. Nam inter duodecim fundamentorum gemmas quæ totidem Apoſtolici ſymboli articulos adumbrant, prima eſt iaſpis, denotans Deum eſſe mundi artificem & conditorem, vt eo loci planum faciam. Mundi autem opifex & architectus eſt rerum omnium fons & origo, in quo omnia eminenter continentur. Si ergo Dei viſio conſiſtit in fruitione internæ illius gloriæ, quam mundi conditor in ſe habet, eleganter maius ciuitatis luminare fingitur iaſpidi pretioſiſſimo ſimile, cuius luce ipſius ſolis radij præſtringantur: ſimulque obſeruatur eſſe cryſtalliZantem iaſpidem, id eſt, in eo internam ipſius claritatem, quæ bonorum omnium fons eſt, perſpicuè cerni.* Quid vero eſt eſſe pellucidum, *niſi in intimam ipſius conditoris eſſentiam penetrari ac peruideri?* Ita Alcazar. Quod ſi iaſpis ille omnipotentiam Dei ſignificat mundum creantis, optime illum etiam adumbrabit in productione luminis gloriæ, quo Deus opus ſuum abſolutiſſimũ reddit vt verſe α & ω principiũ & finis.

Tribus autem in locis mentio ſit lapidis iaſpidis in hoc cap. verſ. 11. v. 18. & v. 19. Quid in duobus vltimis verſibus ſignificet lapis iaſpidis ſuis locis videbimus. At nunc in primo loco deſignare dico gratiam illam conſummatam, per additum illud lumen, quod nihil

aliud eſt quàm participatio quædam ſpecialis luminis illius æterni, quo Deus ſeipſum perfectè videt. Intelligit & comprehendit, ideo per illud homo obiectum ſuum beatificum, ipſam ſcilicet diuinam eſſentiam videt: lumen autem eius ſimile erit lapidi pretioſo tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum. Et rectè: nam iaſpis eſt lapis ſolidiſſimus: ſolidum eſt illud lumen, firmiter in mente inhærens; viridis eſt, quia ſemper eius vis ad operationem exit. Reperitur iaſpis multis coloribus variegatus: Nam & color candidus, & roſeus, & purpureus, & cæruleus, & virens in eodem lapide percipiuntur. Addunt iſtum lapidem commiſceri cum aliis, veluti cum achate, onyche, ſardio, amethyſto, chalcedonio, quin aliquoties niueum candorem imitari, & pelluciditatem cryſtallinam, & in hoc optimè adumbrat lumen gloriæ, quo mens eleuata videt plures Dei perfectiones, imo omnes, eius ſapientiam, bonitatem, potentiam, æternitatem, immenſitatem, & reliqua attributa. Vident enim Beati Deum ſicuti eſt: vident etiam beati notitiâ diſtinctâ in verbo pulchritudinem & ordinem totius vniuerſi, & proinde omnes rerum naturalium ſpecies vel genera, vt eorum intellectus perfectionem omnimodam obtineat. Vident omnia myſteria ſupernaturalia, quæ hic crediderunt, tranſeuntes de obſcuritate fidei ad claritatem viſionis, de ſpe ad ſpeciem, de ænigmate & fide ad faciem, de cortice Sacramenti, ad adipem frumenti, & quoad res contingentes & particulares, licèt beati non cognoſcunt omnia quæ ſunt in Deo eminenter tamen cognoſcent ex his quæcumque ad ſtatum vniuſcuiuſque ſpectant. Hoc enim conueniens eſt, vt ſatietur deſideriũ eorum: & ſic ſancti cognoſcunt preces & vota ad ipſos directa. Hæc autem omnia vident in eſſentia diuina, quaſi in ſpeculo voluntario: ſicut enim ſpeculum nos ipſos repræſentat, & ipſummet ſpeculum, & quicquid præſens eſt, ſic per ſpeculum diuinæ claritatis videbimus Deum, nos ipſos, & alias creaturas: Ad quam viſionem cum euehimur intellectu noſtro, lumine gloriæ confortato & corroborato, rectè illud lumen cuius fulti auxilio tot tantaque videmus pulcherrima, aſſimilatur lapidi iaſpidis, qui multi color reperitur, vt varietatem obiectorũ, quæ lumine gloriæ nobis manifeſtantur, rectè adumbrare poſſit. De his proprietatibus iaſpidis lege Cornelium à Lapide, in Apocalypſim, & Ludouicum ab Alcazar. Et optimè hic iaſpis lumen gloriæ deſignans, dicitur ſicut cryſtallum, ad denotandum corporis beatorum claritatem & gloriam. Claritas enim illa corporis cauſatur. Iuxta S. Thomam in ſupplem. tertiæ partis q. 85. ar. 1. ex redundantia gloriæ animæ in corpus. *Quod enim,* inquit, *recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis, ſed per modum recipientis: Et ideo claritas, quæ eſt in anima ſpirituali, recipitur in corpore vt corporalis: & ideo ſecundum quod anima erit maioris claritatis, vt patet per Apoſtolum.* 1. ad Corinthios 15. *& ita in corpore glorioſo cognoſcetur gloria animæ, ſicut in vitro cognoſcitur color corporis, quod continetur in vaſe vitreo, vt Gregorius dixit ſuper illud Iob: Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Ità ex D. Thom.

Et reuera cum claritas corporis glorioſi tanta futura ſit, vt oculis corporalibus pareat ipſa etiam corporalis harmonia, adeo erunt tranſlucentia corpora glorioſa optimè hæc claritas corporum per cryſtallum pellucidum adumbrari aſſerimus. Refert Anſelmus Boetius l. 2. de gemm. c. 103. iuſſu Rodolphi 2. imper. Factam fuiſſe menſam ex multis lapidibus pretioſis, (inter quos Iaſpis potiores obtinebat partes) ſimul vnitis compactam, itaut fiſſuræ vix animaduerti valerent: in qua depictæ erant ſyluæ & arbores, fluuij, flores diuerſi repræſentabantur, quin

A & nubeculæ, & animalia diuerſa in ea cernebantur. Quàm pretioſior erit illa menſa, quam Deus per lumen gloriæ parat beatis mentibus, cum tot proponat nobis obiecta ſpectanda omnem varietatem florum & arborum, & animalium, in pulchritudine, & decore ex ſuperantia. Hæc eſt illa ſacratiſſima menſa, de qua Luc. 22. dicebat: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c.* Huius menſæ cibis ob immenſam eorum ſuauitatem allectus S. Auguſt. lib. meditat. c. 22. exclamabat: *O tu vita Beata, quam præparauit Deus his qui diligunt eum! Vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda; vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ:*
B *vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxietate, ſine corruptione, ſine perturbatione, ſine varietate & mutatione: vita totius elegantiæ, & dignitatis pleniſſima, vbi non eſt aduerſarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi eſt amor perfectus, & timor nullus: vbi eſt dies æternus, & vnus omnium ſpiritus; vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur. Libet me tuæ intendere claritati, delectans me bona tua auido corde: quantò plus valeo meum conſiderare, tantò plus amore langueo. Tuo vehementi deſiderio, tuaque dulci memoria admodum delector. Libet itaque, libet cordis in te oculos attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet ſanè de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius ſub*
C *corde reuoluere: vt vel ſic poſſim ab huius mortalis periturique vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus, ſub tua vitalis aura dulci refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululum reclinare.* Ita Auguſt. Qui poſtea c. 27. modum præſcribit, quo poſſimus hic puriſſimam hanc lucem contemplari, puriſſimis his cibis enutriri, donec facie ad faciem illã intueri liceat. *Faciam ergo,* inquit, *gradus aſcenſionis in corde meo, & per ipſos aſcendam animam meã, & per ipſam mentem meam aſcendam ad Dominum meum, qui capiti meo deſuper manet. Quidquid viſibiliter cernitur, quidquid ſpiritaliter imaginatur, forti manu ab intuitu cordis & mentis procul remoueatur. Solus intellectus purus & ſimplex incedens, rapido volatu ad ipſum perueniat conditorem*
D *Angelorum & animarum, & omnium rerum. Mens illa beata, quæ ima deſerit, ſumma petit, quæ ponit in arduis ſedem habitationis ſuæ, & de ſummis rupibus contemplatur ſolem iuſtitiæ aquilinis obtutibus! Nihil enim tam pulchrum atque iucundum, quàm ipſum ſolum mentis intuitu, & cordis auiditate contemplari Deum, & miro modo inuiſibiliter cernere inuiſibilem; ſicque aliam, non iſtam guſtare dulcedinem; & inſpicere aliam, non iſtam lucem. Lux enim iſta, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius ſummæ lucis non eſt lux dicenda, ſed nox.* Ita Aug. Hæc de lumine gloriæ ſeu ſplendore gloriæ ſatis, quem ex operatione virtutum (quæ iuxta Ambroſium per
E hos lapides ſignificantur) per lapidem pretioſum, ſpem; per Iaſpidem, fidem; per cryſtallum charitatem, ſancti acquiſierant. Speculantur lapidem pretioſum patrem, qui ſine nomine hic exprimitur quia pater à ſeipſo eſt; Iaſpidem, filium, qui à patre eſt; Cryſtallum, nempe ſpiritum ſanctum, qui ab vtroque procedit, iuxta expoſitionem Ambroſij.

Digitized by Google

Et habebat murum magnum & altum.

Nulla vi externâ beati poſſunt à beatitudinis ſtatu dimoueri.

ANNOTAT. XI.

DE ipſo muro audiamus interpretes. *Murus Eccleſiæ Chriſtus*, inquit Primaſius, *quem & magnum legimus, & excelſum. Magnus Dominus & laudabilis valde, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Et excelſus Dominus ſuper omnes gentes. De muro autem Iſaias Propheta dicit: in die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator: ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens ſancta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abijt, &c. Vno ſpiritu eadem continentes ſimilia narrare videntur.* Ita Primaſ. Andreas Cæſar. *Murus magnus & altus Eccleſiæ eſt Chriſtus. Hic enim propugnat & cuſtodit illos, qui verſantur in ſancta hac ciuitate.* Ita And. Ambroſius: *per hunc murum Chriſtus cum omnibus membris ſuis deſignatur, itaut per illum, fundamentum; per reliquam verò ſtructuram, eius membra figurentur.* Ita Ambroſ.

Richardus à S. Victore l. 7. c. 4. *Per murum conuenienter accipimus Chriſtum, qui ipſam ſanctam Ieruſalem vndique circumdat; & contra incurſores, dæmones, & prauos homines, & vitia, circumquaque nunc defenſat. Qui benè quoque magnus & altus perhibetur, quia magnus eſt per incomprehenſibilitatem immenſitatis, & infinitatem æternitatis; & altus per exaltationem humanitatis, & ſublimitatem maieſtatis.* Ita Richard. Ludouicus ab Alcaz. *Muri*, inquit, *ſymbolum referendum omnino eſt ad eorum gloriam & ſplendorem, qui ſe Eccleſiæ propugnationi veluti muros præſtiterunt, &c. Alij muri ſignificationem extendunt ad Prophetas omnes, & concionatores; alij ad eos, qui ſuis precibus pro muro Eccleſiæ fuerunt: alij ad Martyres, alij ad Doctores, alij ad Eccleſiæ Prælatos & Superiores: alij ad Spiritus ſancti dona, ſiue ad virtutes ac bona opera; alij ad fidē, alij ad Angelorū cuſtodiam alij denique ad ſacram ſcripturam. Ego tamen mihi perſuadeo in hoc muri ſymbolo Chriſtianos Sacerdotes potiſſimū figurari. Nam ſacrificium Miſſæ offerentes, ipſius ſacrificij virtutem & patrocinium, impugnationi dæmonum oppoſuerunt. Quæ explicatio mirificè conſentit cum B. Gregorij dictis, qui aſſerit Chriſtum eſſe verum murum; nec non cum Ruperti ſententia aſſerentis Euchariſtiam eſſe murum Eccleſiæ. Ipſe igitur ratione ſacrificij Euchariſtiæ huiuſmodi muri ſymbolum Sacerdotibus Chriſtianis.* Ita Alcaz.

At non video cur nobis recurrendum ſit ad Euchariſtiæ ſacrificium, quod quidem tantùm præſcriptum eſt pro ſtatu Eccleſiæ militantis, ſi certum ſit hic agi de Eccleſia triumphante in æternum duratura. Congruentiùs igitur exiſtimo dici Chriſtum Dominum eſſe eius protectorem & defenſorem, de quo Zachariæ ſecundo dicitur: *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.* Quem locum exponens Remigius Altiſiodorenſ. *Hæc*, inquit, *& de Eccleſia ſpiritualiter dici poſſunt, quæ eſt ciuitas Dei. Hæc abſque muro habitatur, non indigens mortali Præſidio, quia Dominus murus ignis eſt in circuitu eius, & ipſe in medio eius eſt in gloria. Hæc ciuitas habet homines, habet & iumenta, id eſt, vtrumque populum. Nam per homines Iudæi deſignantur, qui in lege conuerſabantur & quaſi ratione vtebantur, habentes notitiam Dei: Gentiles verò, qui Deum ignorabant, meritò iumenta vocantur. Nonnulli per homines, prudentes quoſque eruditos intelligunt, iumenta verò ſimplices, qui ſunt in Eccleſia, de quibus Pſalmiſta: Homines, & iumenta ſaluabis Domine. Dominus ergo murus ignis eſt in circuitu Eccleſiæ, vt eam charitatis igne calefaciat, & ſpiritu feruentem faciat: & ipſe eſt in medio eius in gloria, illam ſuâ præſentiâ glorificans, qui in circuitu ab aduerſarijs, quaſi murus ignis, eam defendit.* Ita Remig. Quod ſi Eccleſia militans non indiget mortali Præſidio, multò magis triumphans, quia Chriſto defenſore gaudet, qui ſicut illam quaſi ignis circumdat ſua protectione, vt omnes illam impetere & concutere audentes conſumet quaſi ſtipulam, ita in medio eius eſt in gloria, illam verè glorificans.

Optimè itaque Rupertus: *Murus magnus & altus eſt æterna firmitas incorruptibilis Præſidij, vbi ſuos quiſque fidelium theſauros ſecurus reponere poſſit. Vnde ipſe Dominus & Rex ciuitatis huius dicit in Euangelio ſuo: Theſaurizate vobis theſauros in cælo, quo fur non appropinquat, ſiue vbi fures non effodiunt nec furantur. Murus iſte Chaos illud eſt, de quo Pater Abraham, ſepulto in inferno veriſſimè dicit: Et in his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt inde hinc tranſire ad vos, non poſſent; neque huc tranſmeare.* Ita Rup.

Murus igitur, Dei & Chriſti protectio, qua ſecuritatem quamdam concipient omnes beati nunquam fore vt à gloria, quam poſſident, poſſint excidere: propter quam ſecuritatem ſedere dicuntur. *In pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Iſ. 32. *Per murum*, inquit Andreas Cæſar. *autem diuinæ munitionis atque protectionis ſeptum, in quo ſancti tutò cuſtodientur, accipi hoc loco poſſe arbitramur.* Ita And.

De duodecim portis.

Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſraël.

Portæ Paradiſi ſunt opera bona, quibus ius ad gloriam acquirimus, inſtinctu & auxilio bonorum Angelorum facta, quorum eſt in conſummatione ſecernere malos à bonis.

ANNOTAT. XII.

HAC ratione Chriſtus Dominus murus eſt, protegens & ſaluans omnes, qui in ſancta ciuitate futuri ſunt. Ita tamen quòd ſit oſtium, per quod in eam aditus pateat cunctis introire deſiderantibus. Sic repellit hoſtes: ſic admittit in ſuo ſinu ciues: ſic excludit indignos: ſic aperit dignis, qui non tantùm voce illum interpellant dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis*; ſed & manu, id eſt, operibus, ad Ianuam pulſant. Hinc de ſe dicebat: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Ioan. 10. Quia autem duo neceſſaria ſunt, vt ad cælum aditum habeamus, & in illud ingredi valeamus: primò, vt oſtendatur nobis per quod oſtium intrandum ſit, vt ad oſtium ſtantibus illud aperiatur: ſecundò, vt oſtenſo & aperto oſtio, per illud ingredi feſtinemus, omnia autem iſta præſtet Chriſtus, qui oſtium eſt, qui miniſterio Apoſtolorum fidem Chriſti prædicantium, & exemplo ſuo alios ad fidem inuitantium, ſe oſtium eſſe manifeſtauit, & per eorumdem miniſterium, Sacramentum Baptiſmi adminiſtrando, illud idem oſtium aperuit: quique etiam omnia opera noſtra operatur in nobis, ſine quo nihil poſſumus facere: ideo duas admitti poſſe expoſitiones portarum iſtarum exiſtimo. Prima eſt eorum qui dicunt portarum ſymbolum illos attingere, qui autores ſeu adiutores fuerunt ad gentium & nationum conuerſionem. Secunda eſt, quam probabilem exi-

Digitized by Google

ſtimo, per illas portas intelligenda eſſe quæcumque opera meritoria, per quæ ius ad gloriam acquirimus. Primam expoſitionem plurimi amplectuntur autores. Ticonius oſtendit duodecim portas, & duodecim Angelos, Apoſtolos eſſe & Prophetas (aliàs) Patriarchas. *Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, coædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ſicut Dominus dixit Petro: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ambroſius: *Per portas duodecim, quas Hieruſalem habere dicitur, duodecim Apoſtoli eorumque doctrina deſignatur. Et in portis Angelos vidi duodecim. Angeli duodecim cæteros prædicatores, videlicet Apoſtolorum ſequaces deſignant: qui in portis viſi dicuntur, quia fidem Apoſtolorum inconcuſſam tenentes, eorumque doctrinam ſequentes, quoſcumque potuerint ad fidem Chriſti trahere ſtuduerunt. Per nomina duodecim tribuum, patres veteris Teſtamenti poſſumus accipere, qui à fide ſanctæ Trinitatis non deuiauerunt. Poſſumus etiam, & per eadem nomina vetus Teſtamentum intelligere. Nomina duodecim tribuum in portis ſcripta erant: quia doctrina Apoſtolorum, cæterorumque prædicatorum plena eſt exemplis veteris Teſtamenti.*

Primaſius: *Scimus quidem per duodecim Apoſtolos Dominum noſtrum vniuerſis ad fidem introitum primordialiter præbuiſſe. Huius tamen circumſtantia loci ab hac nos intentione reuocauit, quando duodecim tribuum Iſraël interpoſuit mentionem, tanquam duodecim Patriarchas primùm hic intelligi volens: ex quorum ſtirpe nominis vniuerſam Iſraëlitarum gentem ſpecialiter propagatam, & ex quibus, ſecundùm Apoſtolum Paulum, reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Adiungens: Quoniam non repulit Deus plebem ſuam. Atque ideo duodecim Patriarchas in totidem portis debemus accipere, præſertim audientes quod tu non radicem portas, ſed radix te, &c.* Et paulo poſt: *Angelos autem hic ſignificari puto illos ſeniores ac proceres, quorum illa gens diſpenſatione ac ducatu mirabiliter regebatur. Quòd ſi Deos ſæpe dici meminimus, quid mirum ſi Angelos appellari credamus? Applicabitur, inquit, ad Deos. Et: Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vt vniuerſitatem totius plebis complexus oſtenderet, quæ in præpoſitis conſtat & populis.* Ita Prim.

Andreas Cæſarienſis: *Duodecim autem illius portæ, duodecim ſunt Apoſtoli, per quos introitum ſimul & acceſſum ad patrem nacti ſumus. Ipſi verò peculiare ſubſidium & robur accipiunt à duodecim præſtantioribus, propiùſque ad Deum accedentibus Angelis. Propiùs autem illi ad Deum accedunt, eidemque aſſiſtunt, qui maiori præditi ſunt ſcientia, & ſanctimonia. Si enim vnumquemlibet hominem, fidelem Angelum (qui cuſtodis fidique pædagogi munus obeat) ſortitum credimus, quanto iuſtiùs credere debemus primos Eccleſiæ fundatores, verbique Euangelici proſeminatores, ad Euangelij prædicationem eos ex Angelis habuiſſe adiutores, qui primas inter omnes obtinebant? Cæterùm, nomina tribuum ſpiritalis Iſraëlis Apoſtolicis ingreſſibus inſcripta dicuntur. Nam eadem in externo ſenſibilique Pontificis Epomide olim quoque ſecundùm tempus inſcripta continebantur. Ad præſentem autem nominum inſcriptionem quod ſpectat, illa præclarum curæ & ſollicitudinis, quam Apoſtoli circa fideles habuere, teſtimonium perhibent.* Ita And. Cæſ.

Richardus à S. Victore l. 4. c. 4. pro. *Angeli*, legit *Anguli*. *Et in portis Anguli duodecim. Per portas*, inquit, *ſanctos Apoſtolos intelligimus, per quorum fidem & doctrinam, ſanctam ciuitatem introimus. Quotquot hominum ad Chriſtum conuertuntur, per ipſorum eruditionem ſanctam Ieruſalem ingrediuntur. Et in portis Anguli duodecim. Anguli ſunt minores quique, & imperfectiores, & meritis occultiores. Qui benè in portis eſſe dicuntur, quia in prædicatione Chriſti collecti ſunt duodecim Apoſtoli, & in prædicatione Apoſtolica, vitâ minores, & meritis occultiores vniuerſi. Angulus namque occultum ſignat: & duodenarius vniuerſitatem figurat. Conſtat etiam ex ternario & quaternario alterutrum multiplicato: quorum ternarius propter Sacramentum Trinitatis, inuiſibilium; quaternarius verò, propter quatuor elementa, viſibilium forma eſt. Sed & vt Apoſtolos fidem Iſraëliticæ gentis, atque iuſtitiam, in ſua prædicatione, doctrina & ſcriptis commendaſſe patienter oſtendatur, aptè ſubditur: Et nomina ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël. Rectè etiam in portis, duodecim tribuum Iſraël nomina memorantur, quia eorum merita per ipſos Apoſtolos in ſacra pagina glorioſè prædicantur.* Ita Rich. Eadem habet S. Thomas in expoſitione, qui etiam legit Angulos, non Angelos.

B Rupertus: *Porro duodecim portæ eius, duodecim Apoſtoli ſunt; qui pro officio, quo hic nobis regnum Dei prædicando aperuerunt, & ianuæ nobis ad vitam extiterunt, honorem illis ampliorem habebant, quanto ampliorem in ciuitatibus habent portæ honorem, ſiue pulchritudinem, à cætero ambitu murorum. In his portis anguli duodecim, vniuerſi ſunt doctores, quicumque ædificationi Eccleſiæ ſtudentes, eique voce & literis ſeruientes, fidei & autoritati inſtiterunt, atque innixi ſunt Apoſtolorum duodecim. Et nomina ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael. Ipſi namque Apoſtoli duodecim nominati, & inclyti ſunt filij ſpiritualis Iſrael, id eſt Chriſti; cuius in typum, pater Iacob, ſiue Iſrael, carnaliter genuit filios, duodecim tribuum patres. Ergo & duodecim Apoſtoli Chriſti, & duodecim tribus Iſrael, duodecim ciuitatis huius portæ ſunt: ſed modo diuerſo. Apoſtoli namque in C re: tribus verò Iſrael in ſignificatione.* Ita Rup.

Significationem iſtarum portarum ad omnes ſanctos videtur extendere ſanctus Auguſtinus, in illa deuotiſſima ac piiſſima inuocatione ſanctorum, quam inuenimus in libro Meditat. to. 9. c. 24. *Felices*, inquit, *ſancti Dei omnes, qui iam pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis, ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis. Securi & tranquilli, ſemperque feſtiui, atque gaudentes, obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtis de nobis. Securi eſtis de veſtra immarceſſibili gloria; ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini de cuius immortalitate iam immortales facti eſtis, de cuius beatiſ-D ſima viſione ſemper gaudetis. Eſtote igitur memores noſtri: ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem: Adiuuate nos vile pauimentum, longè inferiùs iacentes.* Ita Aug. Sanctos portas eſſe agnoſcit, quia eorum exemplis & interceſſione aditus nobis datur in regnum cælorum. Vnde inſtantiùs illos inuocat, his quæ ſupra hæc addens: *Date manum, & erigite iacentes ſuper pedes, vt conualeſcentes de infirmitate fortes efficiamur in bello. Intercedite: orate conſtanter, atque indeſinenter pro nobis miſeris, multumque negligentibus peccatoribus: vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio coniungamur: quia aliter ſalui eſſe non poſſumus, &c.* Ita Aug.

E At quamuis hæc expoſitio prima fronte videatur conuenientiſſima, nihilominus exiſtimo ſecundam ſupra allatam probabiliorem eſſe. Primò, quia ſiue Apoſtoli, ſiue prædicatores alij, ſiue ſancti exemplo & orationibus aditum nobis cæli oſtendentes & aperientes; & ipſi intra ciuitatem ſunt recipiendi, & locum & manſionem propriam in ea obtinere debent: qui Martyr, inter Martyres; qui Confeſſor, inter Confeſſores: qui Apoſtolus, inter Apoſtolos; nec in ianuis conſiſtere & permanere debent. Secundò, quia illorum officium ceſſabit in fine ſæculorum, cum completus erit numerus electorum. Ergo ianuas ſeu portas eſſe deſinent, & fingendum eſſet tunc occludi ex omni parte illa ciuitas, quia omnibus ingreſſis in eam, non ampliùs opus eſſet portis, per quas in eam fieret ingreſſus.

Digitized by Google

Requirendæ igitur ſunt aliquæ portæ, quæ in æternum ſtent, in æternum pateant, per quas quilibet ciuis illius ciuitatis ingredi poſſit, & modo huic ſtatui conuenienti ab ea etiam egredi valeat; vt ſic in æternum vſus illarum portarum vigeat; nec tantum pertineant ad ornatum, ſed etiam ad beatitudinis ſanctorum integritatem conducant igitur portas ſumo in eo ſenſu, quo portas interpretatur S. Auguſt. in Pſ. 23. *Et eleuamini portæ æternales. Et eleuamini*, inquit S. Aug. *aditus æternæ vitæ, renunciationis ſæculo, & conuerſionis ad Deum, &c.* Et paulo poſt. *Et eleuamini portæ æternæ iuſtitiæ, charitatis, & caſtitatis, per quas anima diligit vnum verum Deum, & non fornicantur ſub multis qui appellantur Dij, &c.* Ita Aug. Portæ igitur æternæ ſunt, ex Auguſt. aditus æternæ vitæ. Aditus autem ad vitam æternam, ſunt actus iuſtitiæ, charitatis & caſtitatis. In eo itaque ſenſu dico portas iſtas duodecim ſignificare duodecim ſpecies actuum ſupernaturalium, quibus mereri poſſumus vitam æternam, & ius nobis comparamus ad gloriam: per quos (per Chriſtum qui ianua eſt, illum imitando, illi miniſtrando,) & aditum oſtendimus, & aperimus aliis; & nos ipſi intramus & ingredimur; quin etiam egredimur. Actus igitur prædicationis, quo fides Chriſti annunciatur; Sacramentorum adminiſtratio fidelis & prudens, qua gratia confertur: opus bonum, quo alium ad fidem aut virtutem amplectendam prouocamus, & quo nobis ius ad gloriam acquirimus, porta eſt cæli. Nec ab hoc ſenſu alienus eſt S. Auguſt. in Pſal 86. dum explicat modum quo Apoſtoli dicuntur fundamenta & portæ. *Quare*, inquit, *ſunt fundamenta Apoſtoli & Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem noſtram. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis. Et cum per ipſos intramus, per Chriſtum intramus. Ipſe eſt enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Hieruſalem; & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in 12. portis Chriſtus.* Ita Aug. Aduerte igitur ſanctum Auguſtinum Apoſtolos dicere eſſe portas, quia prædicant nobis. Actus igitur prædicationis illorum eſt, per quem ipſi nobis oſtendunt portam. Quod dum faciunt, & ipſi ius ſibi acquirunt ad gloriam. Tales quippe actus tantæ ſunt efficaciæ, vt liberum præbeant aditum ſanctis in cælum. Quod quidem ius cum ſit inamiſſibile, etiamſi ſancti egrederentur è cælo Empyreo, & ad modum Angelorum cuſtodum in terris conuerſarentur cum hominibus, vt plærumque factum eſt in apparitionibus eorum aliis adhuc in vita hac mortali exiſtentibus: ſemper tamen erit illis propter tales actus meritorios liber aditus in cælum: ſemper intrare poterunt in gaudium per conſiderationem magnitudinis fœlicitatis qua fruuntur: ſemper egredi per ſcientiam pænarum quas vident malos perpeti in infernalibus tormentis. Cuius egreſſus dandum fuit ſymbolum, ſicuti & ingreſſus & introitus in gaudium: nempe affingendæ fuerunt portæ, quæ nunquam claudentur, quæ inſeruiant non modò vt qui intrare poſſunt ingrediantur, ſed etiam vt ſi voluerint egrediantur.

Primò, per cognitionem pænarum reproborum; ſecundò, per veram loci mutationem: abſque timore quod portæ ipſis vnquam occludantur. *Sed quomodo egredientur boni ad videndas pœnas malorum*, inquit S. Aug. l. 20. de ciuitate c. 22. *Nunquid corporis motu beatas illas relicturi ſunt ſedes, & ad loca pœnalia perrecturi, vt malorum tormenta conſpiciant præſentia corporali? Abſit. Sed egredientur per ſcientiam. Hoc enim verbo ſignificatum eſt eos qui cruciabantur extra futuros* (nempe cum ait Propheta Iſaias: *Et egredientur: & videbunt membra hominum, qui præuaricati ſunt in me.*) *Propter quod & Dominus ea loca tenebras exteriores*

A *vocat, quibus contrarius eſt ille ingreſſus, de quo dicitur ſeruo bono: intra in gaudium Domini tui: Ne illuc mali putentur ingredi, vt ſciantur: ſed ad illos potius velint egredi per ſcientiam, qua eos cognituri ſunt boni: quia id quod extra eſt, cognituri ſunt. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini neſcient. Qui verò erunt in illo gaudio quid agatur foris in illis tenebris exterioribus ſcient ideo dictum eſt: Egredientur: quia eos etiam, qui foris ab eis erunt, vtique non latebunt.* Ita Aug.

Quidquid ſit, portas inquirò. Et exiſtimo hic tales intelligendas, quæ ſint ſymbolum eorum quæ in æternum ſunt permanſura, quale eſt ius ad gloriam, propter quod & ingredi poſſunt ſancti in Domini gaudium, & egredi in ſcientiam pænarum eorum B qui in inferno cruciantur: quin etiam poſſibile ſit vt extra fines cæli Empyrei egrediantur, ſi quædam ſit ratio conueniens, propter quam & nunc animæ à corporibus ſeparatæ poſſint in inferiores partes mundi deſcendere, & cæli Empyrei loca deſerere, ſicut faciunt Angeli, qui ſemper vident faciem patris, & huc aduolant nobis auxilium præbituri: & poſt reſumptionem corporum, ipſi ſancti corpore & mente tunc beati cenſeantur extra ſepta egredi rationabili cauſa ſi quæ ſit, quibus timendũ non erit ianuas ſibi in reditu fore occludendas: quia portæ non claudentur per diem: nulla in eis portis ſera, nullum repagulum, quod poſt egreſſum obtrudatur, ad ingreſſum poſtea impediendum. Patebit ſemper C ille aditus ſanctis, quia nunquam ius ſibi comparatum ad gloriam perdere nequibunt. Licèt enim verum ſit quòd ſi Deus priuaret omnes beatos ſua beatitudine, nullam iis faceret iniuriam (auferret enim quod ſuum eſt, & quidem magis ſuum quàm noſtrum: ſicut enim vita noſtra & quidquid ſumus, vel habemus, magis eſt ipſius quàm noſtrum, ita ius quod habemus ad gloriam, magis & perfectiùs eſt ipſius Dei quàm noſtrum: Vnde ſi illud deſtrueret, vtendo iure ſuo, nemini faceret iniuriam;) tamen de facto Deus hoc ius ſemel datum non auferet beatis: *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.* Rom. 11. Quaſi dicat: impænitibilia, immutabilia, id eſt, talia quorum nec poſſit nec debeat pænitere D eum, qui dedit aut promiſit. Loquitur Apoſtolus de promiſſis & vocatione, quæ ex electione procedunt, id eſt, iis quæ facta ſunt abſolutè & ſine conditione: hæc quippe ſunt immutabilia, nec fieri poteſt vt Deus, hominum peccatis offenſus, id quod ſemel abſolutè promiſit, aliquando retractet. Quod in prædeſtinatis locum habet, quibus certè Deus non auferet ius, quod ſemel illis conceſſit ad gloriam, ſimulatque ad eum poſſidendum fuerint admiſſi. Deus ſiquidem promittendo noſtris bonis operibus præmium æternum hic factis, conſtituitur nobis verè præmij debitor, itaut non ſolum ſibi, ſed etiam nobis, obligetur id dare, vnde oportet vt quod promiſit fideliter adimpleat, ſemper ianua E cæli pateat aperta & patens iis, qui in gratia deceſſerunt: vt iure ſibi per opera bona (dum eſſent viatores) comparato, liberè vtantur. Debitor enim factus eſt nobis, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo, vt ait S. Auguſt. ſer. 16. de verbis Apoſtoli. *Quos igitur prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & glorificauit: quia Deus non mutabit vocationis ſuæ ſententiam: ſed quos ante mundi conſtitutionem in præſentia ſua elegit, ipſis dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei*, inquit Primaſ. epiſtol. ad Romanos. Cum igitur hoc ius illis datum Deus non ſit ablaturus, ideo manebit illud ius ad gloriam omnibus ſanctis eius in æternum. Et quia nos ad tales actus fuimus per bonos Angelos prouocati, & auxilium nobis præſtiterunt (*Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus, miniſterium miſſi, propter eos qui hære-*

Digitized by Google

ditatem capiunt ſalutis. Heb. 1.) Adeo in iſtis portis conſtituuntur Angeli, vt ſciamus eorum miniſterio & auxilio nobis aditum factum fuiſſe ad cæli gloriam adipiſcendam. Qua quidem ratione manifeſtatur quantam curam Deus ſuſceperit electorum ſuorum: quando Angelos ipſos, qui videntur præcellere, vt miniſtrent nobis conſtituit. Nec mirum ſi portis cælorum præficiantur Angeli, quorum non ſolùm eſt promouere homines ad bonum, ſed etiam arcere & ſeparare malos à iuſtis, iuxta illud Matt. 13. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* Ne quis igitur exiſtimet ianuis patentibus ſeſe furtim intromittere poſſe, ibi aſſiſtunt fideles cuſtodes vigilantiſſimi & perſpicaciſſimi, qui optimè ſciunt quinam ſint admittendi aut excludendi. Eorum enim erit poſt iudicij prolatam ſententiam, ſeparare malos de medio iuſtorum, & mittere malos in camino ignis; bonos verò, propter bona opera ſua meritoria, gratanter & cum gaudio in cælum ſuſcipere.

Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſraël.

Non quæcumque bona opera, quamuis meritoria ſecundum præſentem iuſtitiam, portas cæli conſtituunt; ſed ea tantùm, quæ ſunt filiorum, ſeu hæredum, & quibus efficaciter ad cælum peruenitur.

ANNOTAT. XIII.

MVLTÆ ſunt conditiones bonorum operum, quibus vita æterna eſt promerenda, quæ à Theologis fuſiùs tractantur. V. g. oportet vt ſit opus moraliter bonum, quia per opus malum, aut indifferens, nullum à Deo præmium mereri poſſumus: neutrum enim Deo placet, aut in eius obſequium refertur. Secundò, requiritur res ſit facta à viatore, quia alij omnes ſunt extra ſtatum merendi. Tertiò, vt ſit aliquo modo ſupernaturale. Quartò, vt ſit liberum, libertate contradictionis, ita ſcilicet vt in poteſtate facientis ſit illud omittere, ſaltem ſpectatis conditionibus, quæ de facto ad ipſum concurrunt. Sed duæ præcipuè in his verbis: *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſraël;* deſignantur. Prima eſt, vt opera iſta ſint ab homine iuſto, & filio Dei: quia alias non habet vllam proportionem cum tali præmio, quod quidem infinitum eſt, tum ratione rei poſſidendæ, tum ratione poſſeſſionis infinitè durantis. Item cum hoc præmium ſit vera hæreditas, non conuenit id dari niſi filiis, nec opera meri ſerui poſſunt ad id promerendum habere vllam proportionem. Secunda eſt vt de facto iſtud opus à Deo ordinetur vt efficaciter quis per illud acquirat vitam æternam, talique operi promiſerit vitam æternam. Quamuis enim in opere requiratur quædam proportio cum præmio, ex natura ſua, & conditione operantis, quatenus ſcilicet hic ſit filius Dei, & membrum Chriſti; ſeclusa tamen Dei promiſſione, aut efficaci ordinatione ad vitam æternam comparandam, iuſtus per ſua bona opera nullum omnino ius, etiam latè ſumptum, ad regnum cælorum, aliudue præmium à Deo obtinendum haberet; nec Deus ex vllo capite ei teneretur quidquam pro operibus dare; nec ex iuſtitia, nec ex fidelitate, nec ex gratitudine; non ex iuſtitia, quia præmium infinitè excedit finita merita noſtra; non ex fidelitate, quia (vt præſupponitur) nihil promiſit: non ex gratitudine. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur?* Has duas conditiones alias præſupponentes, dico ſignificari in his verbis: *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſraël.*

Has conditiones in his verbis odoratus eſt ſupra Rupertus, dum Apoſtolos dicit eſſe inclytos filios ſpiritualis Iſraël, nempe Chriſti. Cum enim hæc, quæ videt ſanctus Ioannes, pertineant ad ſtatum perfectionis, cuius vetus teſtamentum tantum fuit figura & typus; non eſt nobis recurrendum ad carnales tribus antiqui Iſraëlis, ſed hæc intelligenda ſunt & accipienda ſecundùm Apoſtolum, ad Romanos c. 9. *Non enim omnes,* inquit, *qui ex circumciſione ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Id eſt: Non qui filij carnis, ij filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Ita Paulus. Cum igitur ait ſanctus Ioannes: *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Iſraël:* idem eſt ac ſi diceret: Nec miteris opera iſta aditum præbere in cœlum: ſunt enim opera filiorum ſecundùm promiſſionem. Abrahæ factam: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes;* quibus eſt promiſſa hæreditas. *Quorum nomina ſcripta ſunt in cælis.* Et quia filij ſunt & hæredes, quorum operibus repromiſſa eſt æterna retributio; & quorum actus à Deo ordinantur, vt hæreditatem capiant ſalutis; ideo iſta opera ius illis contulerunt ad gloriam æternam promerendam: & in æternum liber ipſis erit acceſſus in regnum. De quibus ad Galat. c. 4. *Quoniam igitur eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius; quod ſi filius, & hæres per Deum.* Quinam autem ſint præcipui actus, in quibus tales conditiones poſſunt reperiri, ex paraphraſi noſtra licet exquirere.

Notandum autem hîc ex Ludouico ab Alcazar, *nomina duodecim tribuum, quæ Apocalypſis inſcripta eſſe dicit in portis; ea eſſe proculdubio, quorum capite 7. facta eſt mentio. Quare inter portas vrbis Apocalypſeos numerari non debet porta Dan, ſed pro illa ſubſtituenda eſt porta Manaſſe.* Ita Alcazar. Et paulo poſt rurſus idem ait: *Nomina ergo tribuum portis inſcripta non denotant illuc ad eam tribum iter dirigi, ſed ab illius tribus hominibus portam eam fuiſſe conſtructam, quaſi in eius vrbis ſtructura ſingulæ ex duodecim tribubus portas ſingulas ſuſceperint fabricandas.* Ita Alcazar.

Quod fauet noſtræ interpretationi, dum exiſtimo has portas fabricari ab his, qui ſub nominibus tribuum deſignantur, & veluti ſunt filii reputandi myſtici Iudæ aut Ruben. Hi enim portas fabricant, dum opera meritoria ipſi exercent, quæ per nomina duodecim Patriarcharum ſignificantur.

Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.

Quo ordine inſcripta ſunt nomina Patriarcharum in portis?

ANNOTAT. XIV.

NON dubito eumdem ſeruandum eſſe ordinem in inſcribendis nominibus tribuum in duodecim portis, quem ſeptimo capite ſanctus Ioannes obſeruauit, qui talis eſt Iudas, Ruben, Gad, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Simeon, Leui, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Beniamin. Itaut incipiendo ab Oriente in illis nominibus diſtribuendis, in oriente in primâ portâ ſit Iudæ nomen inſculptum, in ſecunda, Ruben; in tertia, Gad, in Aquilone, Aſer, Nephtali, Manaſſe reponantur, in auſtro, Simeon, Leui, Iſſachar; in occidente, Zabulon, Ioſeph, Beniamin. Sed vt melius iſta percipiantur, hic refricanda eſt memoria interpretationum nominum iſtorum, quibus (vt volumus) deſignantur opera præcipua, quibus cælum

Digitized by Google

poteſt promereri. *Iudas*, inquit Richardus à S. Victore l. 2. in c. 7. *interpretatur confitens.* Confeſſio alia criminis, alia laudis. Hi ſunt qui per confeſſionem de crimine ſe lauerunt, & de acceptis beneficiis Deo laudis gratias retulerunt. Ruben interpretatur filius videns. Hi ſunt, qui boni operis fructum genuerunt, & per eum ad ſummi patris filii contemplationem peruenerunt; Gad interpretatur Accinctus. Hi ſunt, qui ſemper parati & expediti ſunt contra tentationem. Aſſer interpretatur Beatus. Hi ſunt, qui per præſentis miſeriæ tribulationem, peruenerunt ad beatitudinem. Nephtali interpretatur latitudo. Hi ſunt qui per affectum charitatis, proximis impendunt opera charitatis. Manaſſe interpretatur oblitus. Hi ſunt, qui per obliuionem temporalium, peruenerunt ad præmium cæleſtium bonorum. Simeon interpretatur triſtitiæ exauditio. Hi ſunt, qui per præſentem triſtitiam ad veram attigerunt lætitiam. Leui interpretatur ſuperadditus. Hi ſunt, qui bonis meliora addiderunt, & per hæc cæleſtis boni additamenta receperunt. Iſſachar interpretatur merces. Hi ſunt, qui reſpuerunt mercedem laudis humanæ, & per hoc receperunt mercedem retributionis diuinæ. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis. Hi ſunt, qui per fortem conuerſationem peruenerunt ad cæleſtem manſionem. Ioſeph interpretatur augmentum. Hi ſunt, qui per augmentum iuſtitiæ peruenerunt ad plenitudinem gloriæ. Beniamin interpretatur filius dexteræ. Hi ſunt qui per vias, quæ à dextris ſunt, quas nouit Dominus, ambulauerunt; & per hoc ad dexteram iudicis conſtitui meruerunt. Ex Richardo, Nephtali autem aliis, inter quos Alcazar, æquiparationem ſonat. Quantum autem hæc omnia conducant ad beatitudinem comparandam, perſpicienti attentiùs facile eſt conicere.

His præſuppoſitis, dico tribus in locis ſcripturæ, collocari duodecim tribus, iuxta quatuor mundi partes, ſed diuerſimodè. Primò, Numer. 2. vbi Iudas, Iſſachar & Zabulon in oriente reponuntur. Ab oriente fit proceſſus ad meridianam plagam, in qua reponuntur Ruben, Simeon, Gad. A Meridie proceditur ad Occidentem, in qua plaga ponuntur Ephraim, Manaſſe, Beniamin. Ad Aquilonem autem, Dan, Aſer, Nephtali. Apud Ezechielem autem, c. 48. aliter collocantur. Incipit enim à Septemtrione, & vergit ad orientem, ab oriente ad meridiem, & à Meridie in Occidentem. Et in Septemtrione collocat Ruben, Iuda, Leui: in Oriente, Ioſeph, Beniamin, Dan: in Meridie, Simeon, Iſſachar, Zabulon: in occidente, Gad, Aſer, Nephtali. Sanctus autem Ioannes portarum collocationem incipit ab Oriente, ad Aquilonem vergit, ab aquilone ad Meridiem tranſit, & poſtea in Occidente collocationem ſuam claudit. Quod ſi iuxta illius enumerationem tribuum ab eo adductam, nomina illarum eo ordine, quo collocantur, portæ inſcribas: in oriente, vt dictum eſt, erunt Iudas, Ruben, Gad: in Septemtrione, Aſer, Nephtali, Manaſſe: in Meridie, Simeon, Leui, Iſſachar; in Occidente, Zabulon, Ioſeph, Beniamin. In quarum tribuum enumeratione vides Manaſſem reponi pro Tribu Dan, propter rationes allatas, in cap. 7.

Ne exiſtimes, optime lector, aliquid reponi in ſcripturis abſque cauſa, cuius nec vnicum iota vacuum eſt Myſterio. Ignorantiæ noſtræ aſcribamus, ſi quid velit, perfectè non aſſequamur. Non enim omnia poſſumus omnes, vt omnia illius myſteria enucleare poſſimus. Tamen pro poſſe reddenda eſt ratio, cur in his locis, in diſtributione plagarum, quæ vnicuique tribui aſſignandæ fuerunt, variatur illarum collocatio; & vnâ omiſsâ à S. Ioanne, nempe Dan, aliæ in locum illius ſubſti-

A tuatur: Et vt rationem illam, quantum in nobis eſt, attingamus,

Notandum eſt in libro Numerorum collocationem duodecim tribuum in plagis, eo modo fieri debuiſſe, quo inſinuaretur ſtatus ſynagogæ; & deſignaretur modus, quem Deus ſibi præſcripſerat tenendum in regimine populi Iſraelitici, vt eum ad portum ſalutis fœliciter deduceret. Apud Ezechielem autem ratio exprimitur, qua Deus vſus eſt erga populum Iſraeliticum, ſi ſemel à via aberrauerit, & à cultu ſuo impiè receſſerit, vt illum reduceret in ordinem, & ad cultum ſuum reuocaret. At apud Ioannem fit collocatio portarum, iuxta illum ordinem, quem Deus obſeruare vult, vt fideles ſuos in Eccleſia Chriſtiana degentes ad cœlum perducat.

B Hoc præſuppoſito, dico conuenientiſſimam fuiſſe in libro Numerorum, collocationem duodecim tribuum, ad deſignandum ſtatum ſynagogæ, & modum regiminis illius. Ibi enim incipitur ab oriente, pro ceditur ab oriente ad meridiem, à meridie ad occidentem. Quæ collocatio conuenientiſſima eſt poſteritate Abrahæ; de quo, cum iniunctum ei fuiſſet vt derelinqueret terram ſuam, dicitur Gen. 12. *Tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitque Abram, vadens & vltra progrediens ad meridiem. Facta eſt autem fames in terra. Deſcenditque Abraham in Ægyptum, vt*
C *peregrinaretur ibi. Contra orientem Bethel, id eſt*, inquit Cornelius, *orientalis Bethel, à quo oriente pergit ad meridiem.* Et dum à meridie deſcendit in Ægyptum, hoc modo pergit ad occidentem; ſicque ſeptem trio in vltimo loco reponendus. Talis igitur collocatio libri Numerorum conueniens eſt Abrahæ poſteritati: & ab oriente incipitur, propter beneficium vocationis, vt eſſet populus Dei electus. In hoc oriente collocantur Iudas, Iſſachar, & Zabulon: quia hic populus Dei nomen confiteri debebat. *Notus enim in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius.* Hic populus ſperare debebat mercedem: quia dictum fuit Abrahæ: *Semini tuo dabo terram hanc.* Geneſ. 12. Et
D c. 15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Denique Geneſ. 17. *Faciam te creſcere vehementiſſimè. Et ponam te in gentibus: regeſque ex te egredientur. Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te, in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Daboque tibi, & ſemini tuo poſt te, terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam: eroque Deus eorum.* Quæ quidem optimè deſignantur in tribus nominibus Iudæ, qui interpretatur confeſſio Iſſachar, merces. Et cum promittat terram ad habitandum, & dicat ſe fore Deum eorum, hoc optimè deſignatur per Zabulon, id eſt habitaculum, tum propter locum ad habitandum promiſſum, tum quia Deus habitat in eis, quorum ſe dicit Deum.

E Ab hoc oriente vocationis progreditur ad meridiem, quia huic populo Deum confitenti, in eum ſperanti, & in quo Deus ſedem ſuam fixerat, promittebatur magna fœlicitas ac proſperitas, & rerum omnium abundantia. Deuteron. 28. Vbi inter alias promiſſiones hæc promittuntur. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu veri tui, & fructu iumentorum tuorum fructu terræ tuæ, quam parauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo. Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies conſtituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam*, &c. Quæ tamen promiſſiones, vt executioni mandarentur, requirebant vt ſequerentur veſtigia

Abrahæ

Digitized by Google

Abrahæ progenitoris, dignoſque ſe redderent fi-lios tanti Patris, mandatis Dei obtemperantes, itaut verè dicere valerent. *Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia ſicut præcepiſti mihi. Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſrael, & terræ quam dediſti nobis, ſicut iuraſti patribus noſtris, terræ lacte & melle mananti.* Deuter. 26. Cùm hac quippe conditione fiunt illæ promiſſiones, Deuter. 28. *Si tamen audieris mandata Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & cuſtodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis.* Hæ promiſſiones fiunt filiis Abrahæ, cui in ſignum fæderis præſcripta fuit circumciſio. *Tu ergo*, inquit Deus ad Abraham, *cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fæderis inter me & vos.* Geneſ. 17. Ab hac poſteritate igitur Abrahæ, per circumciſionem fædus cum Deo ineunte, exigitur vt mandatis Dei obediant, ſi tot bonis potiri deſiderent, ſi tanta hac proſperitate temporali frui exoptent. Optimè igitur in hac meridiana plaga reponuntur Ruben, Simeon, Gad, Ruben namque, vt diximus, interpretatur videns filium. Nam Deus oculos ſuos conuertebat ad hunc populum, quòd eſſent filij Abrahæ, cui promiſſiones factæ fuerant; vel quia hæc omnia bona dabantur, per reſpectum ad Meſſiam, & verum Dei filium, in quem credere oportebat. Sed quia non ſufficiebat gloriari ſe eſſe Abrahæ filium, niſi opera Abrahæ fierent ab eis, hac de cauſa oportet vt Dei mandata exaudiantur per perfectam obedientiam. Hinc Ruben additur Simeon, quod nomen interpretatur exauditio. At non ſolùm audire Dei legem debemus, ſed ad executionem paratiſſimos eſſe oportet. Ideo additur Gad, quod interpretatur accinctus. Quaſi diceret: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* Pſal. 118. In ſignum huius præparationis & obedientiæ hac ceremonia vtebantur in manducatione agni paſchalis, quod eſſent accincti, ac ſi profiterentur paratos ſe eſſe ad Dei mandata exequenda, relinquendo Ægyptum, vt irent in terram promiſſionis. *Sic autem comedetis illum. Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos.* Exodi 12.

A plaga meridionali ad occidentalem fit tranſitus. Exigit ſiquidem humana conditio, vt tandem vnuſquiſque mortem ſubeat, qua occurrente neceſſe eſt vt quis bonis operibus abundet; vitæ huius præſentis, & omnium temporalium obliuiſcatur, & ſcriptus reperiatur in libro vitæ; vt proſperitas hæc temporalis & præceſſerit æternam, & retributionis æternæ figurã habuerit. Hac de cauſa in hac plaga collocantur Ephraim, quod idem ſonat ac fructifer; Manaſſes, id eſt obliuio; & Beniamin, filius dextræ. Talis igitur erat ratio Regiminis Dei erga populum iſtum. Primò illum ad ſui cognitionem vocabat: ſecundò, ſi mandatis illius obediret, magna fælicitate temporali illum cumulabat; denique ſi bonis operibus abundaret in fine vitæ præſentia obliuiſcens, & ad futura adſpirans, illum tanquam filium dextræ in ſinu Abrahæ collocabat, donec illi daretur (aperto cælo per Chriſtum) gaudiis perfrui æternis.

At cur poſt occidentalem plagam, Aquilonaris plaga ſubſequitur. Hoc proculdubio non vacat myſterio. Aquilo ſymbolum eſt rerum, quæ moleſtiam, & tædium afferre poſſunt. *Ab aquilone*, inquit, *pandetur omne malum.* Et appoſitè ad propoſitum. Etenim Patriarchæ iſti, ac alij ex populo iſto electo, quamuis bonis operibus pleni, fideleſque extitiſſent legis Dei obſeruatores (qua de cauſa eſſent digni, qui cæleſti gloria donarentur,) tamen adhuc neceſſe erat aliquam moleſtiam pati. *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Quia hunc iræ diuinæ effectum perſentiebant, quod in cælo non admitterentur, cuius valuæ non erant niſi per Chriſtum aperiendæ, beatitudine quidem æterna erant digni, & iuxta illud Dauidis; *Duo hæc audiui, quia poteſtas tibi eſt, & tibi Domine, miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua*; Operum ſuorum mercedem condignam percipere poterant. At flabat adhuc ventus Aquilonaris, & peccatum naturæ erat ſublatum. Expectandum erat tempus Redemptionis: vt à limbo, in quo incluſi manebant, liberarentur & in cælum admitterentur, ablato illo frigore Aquilonari maledictionis, de quo dicitur: *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Vt iſta nobis repræſententur, in libro numerorum, in aquilonari plaga collocantur Dan, id eſt, iudicium & damnatio. Poſt Dan, Aſer, id eſt fælicitas; & Nephtali, id eſt æquiparatio. Nam poſtquam ſubierunt ſeueritatem diuini iudicij, ad beatitudinem fuerunt: introducti, per æquiparationem, id eſt, per merita Chriſti; quæ propter eorum excellentiam talia ſunt, vt pro illius reuerentia, peccata tum particularia tum naturæ amouentur, condonantur, & æterna beatitudo hominibus confertur. Hæc igitur mihi videtur ratio, cur in libro numerorum talis fuerit tribuum collocatio. Ad Ezechielem veniamus.

Duo autem ſunt notanda, vt rationem inueniamus cur Ezechiel incipiat à ſeptemtrione, ad orientem pergat, ab oriente ad meridiem progrediatur, & tandem in occidente deſinat? Primum eſt, Ezechielem (vt diximus) deſcribere modum quo Deus vti conſueuit, dum electos ſuos poſt defectionem ad ſe reuocare pertentat. Secundò, Notandum fore iuxta Dei promiſſionem, vt populus iſte qui nunc repulſus eſt, ad Chriſti fidem amplectendam tandem conuertatur. Quod claris verbis S. Paulus docet Rom. 11. *Nolo vos*, inquit, *fratres ignorare myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob.* Hoc etiam prædixit Ezechiel, qui antequam deſcriberet ciuitatem, quæ ſymbolum eſt Eccleſiæ, non triumphantis, ſed militantis: non ante Anti-Chriſti perſecutionem, ſed poſt Anti-Chriſti perſecutionem, ex Iudaico populo ad Chriſtum conuerſo, & gentilibus coadunato. Cui ciuitati duodecim portas aſſignat. Cap. 38. hæc de conuerſione Iſraëlitici ad fidem Chriſti prædicit. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abierant; & congregabo eos vndique: & adducam eos ad humum ſuam.* Sed hæc fuſiùs c. 39. poſt deſcriptam de Gog & Magog victoriam. *Et ponam*, inquit, *gloriam meam in gentibus, & videbunt omnes gentes iudicium, quod fecerim, & manum meam quam poſuerim ſuper eos. Et ſcient domus Iſrael quia ego Dominus Deus eorum, à die illa & deinceps. Et ſcient gentes quoniam in iniquitate ſua capta ſit domus Iſrael, eo quod dereliquerit me, & abſconderim faciem meam ab eis; & tradiderim eos in manus hoſtium, & ceciderint in gladio vniuerſi, iuxta immunditiam eorum. Et ſcelus feci eis, & abſcondi faciem meam ab eis. Propterea hæc dicit Dominus: Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſrael. Et aſſumam zelum pro nomine ſancto meo. Et portabunt confuſionem ſuam, & omnem præuaricationem, qua præuaricati ſunt in me cum habitauerint in terra ſua confidenter, neminem formidantes, reduxero eos de populis, & congregauero*

de terris inimicorum ſuorum, & ſanctificatus fuero in oculis gentium plurimarum. Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod tranſtulerim eos in nationes & congregauerim eos ſuper terram ſuam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi; & non abſcondam vltra faciem meam ab eis, eo quod effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſrael, ait Dominus. Hæc Ezechiel.

Ex his igitur perſpicere licet Deum promittere poſt punitionem ſcelerum. populum ad ſe conuerſurum, vt fiat vnum ouile ex Iudæis & Gentibus, & vnus Paſtor. Quibus præſuppoſitis,

Dico Ezechielem deſcribere volentem poſt tam longam faciei Dei, (id eſt Chriſti) abſconſionem, populum ad Chriſti cognitionem eſſe conuertendum; appoſitè incæpiſſe à ſeptemtrione. Eſt enim, vt dictum eſt, ſymbolum afflictionum. Etenim per vexationem, & afflictionem dabit populo huic intellectum, vt audiant quæ de vero Chriſto annunciantur, & in eum credant. Cuius rei veritatem obſtinatè impugnarunt, & Anti-Chriſto adhæſerunt: ſed tandem conuerſi ad Chriſtum, ipſum agnoſcent, ipſum confitebuntur, nationibus cæteris coniungentur in eadem fidei Chriſti profeſſione. Hinc in ſeptemtrionis plaga Ezechiel reponit Ruben, Iudam, & Leui: dum portas deſcribit ciuitatis illius, quæ ſymbolum eſt ſtatus Eccleſiæ, cum populus Iudæorum ad Chriſtum fuerit conuerſus, & cæteris nationibus illum confitentibus coadunatus. *Et portæ*, inquit, *ciuitatis omnibus tribubus Iſrael. Portæ tres à ſeptemtrione. Porta Ruben vna, porta Iudæ vna, porta Leui vna.* Et benè porta Ruben, quod interpretatur videns filium, quia in ea derelictione poſiti, tandem Dei filium à Patre miſſum agnoſcent. Pari modo porta Iudæ, eo quod illum agnoſcentes, eum verum Deum cæli & terræ Dominum confitebuntur; quin etiam ingratitudinem ſuam fatebuntur, quòd illum qui pro ſalute eorum venerat, tam tardè agnouerunt. Et tunc eamdem fidem profitentes cum cæteris Chriſtianis ex gentibus, ipſis adhærebunt, ipſis copulabuntur. Leui ſiquidem idem eſt ac copulatus.

A ſeptemtrione pergent ad orientem. Nam elapſis contradictionibus, Anti-Chriſto deuicto & proſtrato, remanebit gratiæ gratiſſimus ſol exoriens, meridies perfectæ iuſtitiæ refulgens, & fælix occaſus, & vitæ conſummatio, per perſeuerantiam, qua ſalus certò ſperari poſſit. *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Quia enim parati erunt ad omnem Dei voluntatem adimplendam, fælices erunt, & mercedem accipient bonorum operum ſuorum. Itaque in oriente collocantur Ioſeph, Beniamin, Dan. *In plaga orientali*, ait Ezech. *portæ tres: Porta Ioſeph vna, porta Beniamin vna, porta Dan vna.* Ioſeph interpretatur incrementum, quia in oriente vocationis eorum in Eccleſiam Chriſtianam, animaduertetur quòd *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*, vt ait Paulus: *Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Rom. 5. Nam tarditatem ſuæ conuerſionis ad Chriſtum, compenſabunt feruore, & incremento virtutum. Qua quidem ratione facile erit conjicere illos eſſe è numero prædeſtinatorum; & filios dextræ. Vnde poſt portam Ioſeph; ponitur porta Beniamin: nam licèt vltimi venerint ad fidem, parem tamen mercedem cum primis accipient, & vt filiis blandietur eis ſuper genua, & ad vbera portabuntur, ac conſolationibus & gaudiis immenſis inebriabuntur, ob ſuam ad Chriſtum conuerſionem; & in fidelibus obſequiis, quibus tunc Chriſtum colere ſatagent, & in abundantia gratiarum, qua cumulabuntur, quam admirabile ſit Dei iudicium omnibus patebit. *Videbunt*, inquit, *omnes gentes iudicium meum, quod fecerim & manum meam, quam poſuerim.* Idcirco poſt portam Benjamin, collocatur porta Dan, id eſt iudicium. Ab hoc oriente venient ad meridiem perfectæ iuſtitiæ, de qua dicitur: *Et educet ſicut lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.* Cuius iuſtitiæ ſigna edent per omnimodam ſubmiſſionem voluntati Dei, illum audientes, illi ſeruientes, non propter commoda temporalia vt olim ſed propter ſemetipſum quem ſolum pro mercede operum ſuorum deſiderabunt. Et hoc modo, fide inſignes, ſpe gaudentes, charitate feruentes, Dei erunt ſedes & domicilium. Et hac de cauſa in meridionali plaga collocantur tres portæ. Porta Simeonis vna, porta Iſſachar vna, porta Zabulon vna. At vt dictum eſt, Simeon, id eſt ac exauditio. Iſſachar merces; Zabulon, habitaculum. Quid reſtat eis, niſi vt ad occidentem & conſummationem vitæ fælicitet perueniant; qua tranſeant à morte in vitam æternam? In qua vitæ conſummatione erunt accincti, non vt in terram fluentem lacte & melle progrediantur, ſed vt intrent in gaudia paradiſi, & beatitudine æterna perfruantur, & iuxta menſuram meritorum mercedem accipiant bonorum operum, & in latitudine omnium bonorum in æternum quieſcant. Vnde appoſitè in occidente tres ſunt portæ. Porta Gad vna, porta Aſer vna, porta Nephtali vna. At vt dictum eſt, Gad idem eſt ac accinctus, Aſer beatus, Nephtali æquiparatio, ſeu latitudo.

Super eſt vt ſancti Ioannis ordinem in collocatione portarum obſeruemus. Ab oriente inquit portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab auſtro portæ tres, ab occaſu portæ tres. Certè ſi nomina tribuum diſtribuamus ſecundùm ordinem quo enumerantur in libro numerorum, ita tamen vt in enumeratione plagarum quatuor mundi, poſt orientem cum Ioanne ſeptentrionem reponamus, qui in libro numerorum in vltimum locum reiectus eſt, vt videlicet differentia ſtatus Euangelici à ſtatu legis antiquæ perſpiciatur. Nam in ſtatu veteris legis populus Iſraëliticus vocabatur ad meridiem proſperitatum temporalium, & in vſu & abundantia illorum bonorum exercebat actus fidei, ſpei, & charitatis, Deum vt autorem omnium bonorum adorantes, & in eum ſperantes & eum pro tantis beneficiis diligentes, quo vſu bonorum temporaliũ ad futura, & ſpiritualia bona credenda, ſperanda, & diligenda excitabantur. At nunc in ſtatu Euangelicæ legis, poſt orientem confeſſionis fidei, ſpei noſtræ in Deum collocationem, & dilectionem, qua Deus manet in nobis, & nos in eo manemus, non ad meridiem nobis eſt progrediendum cuiuſdam proſperitas temporalis, ſed ad aquilonem crucifixionis appetituum, & mortificationis carnis.

Iuxta igitur enumerationem tribuum in libro Numerorum, ſeptemtrione pro meridie in ſecundum locum tranſlato, in oriente reponimus Iudam, Iſſachar & Zabulon. Nam *corde creditur ad iuſtitiam: ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Rom. 10. Quin & peccata noſtra confitenda ſunt, iuxta illud Act. 19. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos.* Ecce Iudas, qui idem eſt ac confitens: & ſpei noſtræ obiectum Deus eſt, qui eſt merces noſtra magna nimis. Qua ſpe diſcipulorum corda recreabat Saluator dicens: *Nolite in hoc gaudere quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Luc. 10. Ecce Iſſachar, id eſt merces. Denique cum verum ſit quòd *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ioan. 4. quo fit vt qui charitate præditus eſt, Dei redditur do-

Digitized by Google

micilium, ideo addimus Zabulon in parte orientali, id eſt habitaculum. Hîc eſt oriens Chriſtianorum, quòd fide, ſpe, & charitate præditi ſint. At nunquid progrediuntur verſus meridiem proſperitatum temporalium, velut antiqui Hebræi? Minimè certè ſed illis progrediendum eſt verſus aquilonem vitæ crucifixæ, pauperrimæ, & cuncta temporalia & ſemetipſam abnegantis, iuxta illud: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et rurſus: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et adimpletur illud: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Nam per contemptum rerum mundanarum, ipſius laqueos euitamus, & diaboli artes eludimus, & ita in hac plaga collocamus Dan, Aſer, Nephtali: Dan, quia exigitur à nobis vt nos ipſos ſeuerè diiudicemus, ne minima quidem adhæſione ad res terrenas à Deo auertamur, ne aliquis animi motus inordinatus contra eius voluntatem in nobis exſurgat, ſcientes v. g. quia *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo:* Ne verbo inutiliter prolato nos reos conſtituamus, certi quòd de omni verbo otioſo reddemus rationem in diſtricto Dei iudicio. Collocamus Aſer, beatos nos in hac vita exiſtimantes, ſi aliquid nobis pati contingat pro Chriſto. *Beati* enim *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Denique collocamus Nephtali, ſiue quia ſic ambulamus in latitudine mandatorum Dei, vt non ſolùm in proſperis, ſed etiàm in aduerſis illi obſequium exhibeamus, iuxta illud Pſal. *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.* Nephtali autem ſignificat latitudinem. Vel ſi aliud ſpectes ſignificatum, nempe æquiparatio, dicimus nos ſtrenuè laborare, quia magnam expectamus remunerationem, ſcientes quod non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: *Regnum* quippe *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Ab hac plaga ſeptemtrionali, non ad meridionalem plagam proſperitatum progrediemur, ſed ad ſpiritalem bonorum animi, cum ſponſa dicentes: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, nempe ad conformitatem cum Chriſto in cruce anhelabimus, facere Dei voluntatem pro cibo ſuauiſſimo habebimus, parati ad omnia quæcumque ipſe iuſſerit facienda aut perpetranda. In hac quippe plaga collocantur Ruben, id eſt, videns filium, Chriſtum nempe Dei filium ſemper contemplantes, donec omnino in eo transformemur per imitationem; Simeon, id eſt, exauditio, quia in auditu auris Deo obediemus, inceſſanter clamantes: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Denique Gad, id eſt amictus, cum Propheta dicentes: *Paratum cor meum, paratum cor meum.* Quin nec afflictiones timebimus, ſed cum Petro ad Dominum clamabimus: *Iube me venire ad te ſuper aquas.* In his piis exercitiis conſummanda eſt tota vita noſtra, vt in occidentali plaga, id eſt, in fine vitæ, inueniamur pleni operibus bonis, omnia & nos ipſos obliuioni tradentes, vt ad æternorum bonorum poſſeſſionem adſpiremus, & ſimus filij dextræ. Ecce plaga occidentalis, in qua collocantur Ephraim, id eſt frugifer; Manaſſes, id eſt obliuio; & Benjamin, id eſt filius dexteræ.

Quòd ſi ordinem in enumeratione tribuum & plagarum mundi à ſancto Ioanne ſeruatum tenere voluerimus, vt ſupra diximus, in oriente collocabimus Iudam, Ruben, & Gad; Iudam, propter confeſſionem vnius Dei propter cognitionem filij Dei, quem Pater miſit vt nos redimeret; & animi præparationem ad ea omnia exequenda, quæ Deus

A præſcribere voluerit. Ab hoc oriente progrediemur in ſeptentrionem cuiuſdam propoſiti firmiſſimi nunquam diſcedendi à Deo, quidquid pari contingat, dicentes cum Apoſtolo. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia &c.* Qui enim vnum Deum credit, qui ſpem ſuam in meritis Chriſti collocauit, qui charitatis actum perfectiorem exercere non dubitabit, dum apud ſe ſtatuit in omnibus Deo obedire, iuxta illud: *Qui diligit me, ſermonem meam ſeruabit;* Is proculdubio perſecutiones non timebit, ſed in eis tollerandis beatitudinem ſuam collocabit. Is in latitudine charitatis ambulabit. Is reciproco quodam amore in-

B cenſus, pro Chriſto mori, & vitam & ſanguinem fundere exoptabit, quem ſcit pro ſeipſo vltimam ſanguinis ſui guttam profudiſſe. Is nec honoris, nec voluptatis, nec diuitiarum memor omnes iniurias condonabit, omnes carnis delitias abdicabit, omnes mundi diuitias conculcabit, & ſuipſius oblitus totum ſe Deo conſecrabit. In hac igitur plaga collocamus Aſer, id eſt fælicitatem; Nephtali, latitudinem æquiparationem; & Manaſſem, id eſt obliuionem; & ad meridiem perfectæ iuſtitiæ tranſitum facimus.

In hac plaga, iuxta enumerationem tribuum S. Ioannis, collocantur Simeon, Leui, Iſſachar; Simeon. 1. Exauditio, quia inſpirationibus diuinis perfectè obtemperant qui perfectionem Chri-

C ſtianæ iuſtitiæ ſemel fuerint aſſecuti, illiſque Deus ſua ſecreta reuelat, tanquam amicis fidiſſimis. *Iam* inquiebat, *non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Sanctus autem Ioannes pro tribu Dan ſubſtituit tribum Leui. Qui enim perfectè Deo obedit, in hunc ſtatum fæliciſſimum tranſit, de quo ſaluator dicebat, Ioan. 5. *Amen, Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam.* Videſne Dan, id eſt iudicium, in Leui transmutatum? Leui ſiquidem idem eſt ac copulatus. At qui Deo obedit in omnibus, non ampliùs ſubjicitur iudicio diſcuſſionis, an ſit ſupplicio depu-

D tandus, & dæmoni adſcribendus; aut præmio nobilitandus, & Chriſto ſociandus. Hoc enim non reuocatur in dubium. Manifeſtè enim apparet Chriſto eſſe ſociandum. *Vir* enim *obediens loquetur victorias.* Quod dici non poteſt de iis qui modò peccant, modò à peccatis reſipiſcunt. Iſti autem vnam tantùm cum Deo habent voluntatem, vnum ſunt cum illo, ſi ita dici liceat ita illi obſequuntur, & perfectè obediunt. Vnde illum habent pro mercede, nec ab eo vnquam diſcedere volunt, cum Petro dicentes: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Quàm fælices erunt iſti in occaſu vitæ, quorum conuerſatio tota in cælis eſt, in quibus Deus

E inhabitat, & transformari de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu incrementa ſuſcipiunt meritorum, donec tandem vt filij dexteræ audiant. Euge ſerui boni & fideles, quia in pauca fuiſtis fideles, ecce ſupra multa vos conſtituam. Intrate, intrate in gaudium Domini Dei veſtri. Hæc eſt plaga occidentalis, in qua collocamus Zabulon, id eſt habitaculum; Ioſeph, id eſt incrementum; & Beniamin, id eſt filius dexteræ.

Nec iſta obſeruatio nominum, eorumque ſignificationis, futilis & ſuperflua videbitur attentè conſideranti morem ſacræ ſcripturæ, quæ in nominum impoſitione ſemper aliquid nobis inculcare intendit obſeruatione dignum. *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* Peperit Eua Cain dicens: *Poſſedi hominem per*

Digitized by Google

Deum. Peperit Seth, dicens: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Genuit Lamech Noë, vocauitque nomen eius Noë dicens: *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum.* Et Geneſ. 17. Deus Abræ dixit: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Et Ibidem: *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram.* Vocat Abraham filium quem genuit ei Sara, Iſaac, dixitque Sara: *Riſum mihi fecit Deus.* Vocatur Eſau Edom, quia de coctione rufa comedere voluit, quam parauerat Iacob; quem Eſau ipſe iuſtè vocatum fuiſſe Iacob aſſerit, quia bis ſupplantauerat eum. Et vt ad nomina duodecim Patriarcharum veniamus, omnia illis impoſita fuerunt ad aliquid ſignificandum, vt patet ex libro Geneſ. c. 29. & 30 Ne igitur ſapientes in oculis ſuis nos arguant, ſi in horum nominum ſignificationibus myſteria inquiramus, iuxta exigentiam rerum quæ in hac prophetia pertractantur. Morem ſacræ ſcripturæ ſequimur, cuius tantam eſſe maieſtatem, vt à Spiritu ſancto inſpiratam exiſtimamus, vt nec verbum, aut apicem vel iota fruſtra poſitum fuiſſe arbitremur.

Quæ res rationem propter quam omnes duodecim portæ non in vno latere, aut duobus poſitæ ſunt, ſed in quolibet quadratæ ciuitatis latere diſtribuuntur æqualiter, vt tres ſint in vno, & tres in alio? Reſpondet Ticonius hom. 18. *Et quia Ciuitas iſta, quæ deſcribitur, Eccleſia eſt toto orbe diffuſa, per quatuor partes ciuitatis ternæ portæ eſſe dicuntur, quia per totas quatuor partes mundi, Trinitatis myſterium in Eccleſia prædicatur.*

Primaſius: *Illum hic duodenarium numerum complectitur, qui & in Apoſtolis ſimul ac ſedibus pro vniuerſitatis plenitudine nobis inſinuatur ſæpe ſacratus. Sedebitis,* inquit, *mecum ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Impar enim, id eſt ternarius per parem quaternarium multiplicatus, id eſt, quaterni duodenarium facit.* Ita Primaſius.

Andr. Cæſar. iſta meliùs explicat. *Quadripartita,* inquit, *portarum figura, & triplex earumdem explicatio, ſanctiſſimæ adorandæque Trinitatis agnitionem per quadripartitum orbem diffuſam ſignificat. Quæ ſanè agnitio per viuificam crucem obtigit nobis, ſiquidem portarum compoſitio, & diſpoſitio eiuſmodi eſt, vt crucis ſpeciem præ ſe ferat. Sunt enim digeſta ad formam duodecim boum, qui mare æneum à Salomone confectum ſuſtentabant, tripartitumque Apoſtolorum quaternionem ſanctæ Trinitatis præconem deſignabant, & quatuor itidem Euangeliſtæ ad quatuor terræ fines emiſſionem; per quod etiam ſpiritale ſacri baptiſmatis mare, quod mundum à peccatis expiat, per myſticum Salomonem conſtitutum & adumbratum.* Ita And.

Ambroſius: *Quatuor plagas mundi poſuit, vt indicet penè omnes gentes, quæ inter plagas mundi continentur, ad Eccleſiam conueniſſe; contra vnamquamque verò plagam ternas portas ſe vidiſſe dixit, id eſt, ſimul duodecim, vt indicet nullum intra Eccleſiam ingredi poſſe, niſi per confeſſionem ſanctæ Trinitatis. Et quia doctrina Apoſtolorum nihil eſt aliud niſi Euangelium, & ipſum Euangelium in quatuor libros diuiditur, & vniuſcuiuſque libri doctrina in fide ſanctæ Trinitatis conſiſtit, rectè hæc ciuitas quatuor latera habere dicitur, & per ſingulas ternas portas, quæ ſimul iunctæ ſiunt duodecim.* Ita Amb.

Richardus à S. Victore: *Per orientem iuſtos, qui fuerunt in principio mundi; per aquilonem, eos qui ex gentilitate à bonis quondam frigidi, ſunt conuerſi, conuenienter accipere poſſumus. Per auſtrum verò antiquos iuſtos Iudæos ſub ſaluatoris fide calentes; Per occaſum illos qui in fine ſæculi conuertentur intelligimus. Ab oriente*

A *ergo, aquilone & auſtro occaſu, portæ tres eſſe in circuitu congruè narrantur: quia quicumque ex prædictis gentibus ſaluantur, per ſanctæ Trinitatis fidem in quatuor mundi partibus Apoſtolica prædicatione diuulgatam & confortatam iuſtificantur. Alibi introitus nullus patet, quia aliunde nemo ſalutem habet. Per fidem ſanctæ Trinitatis etiam ſancti antiqui introierunt: quanquam ipſius Sacramentum ita reuelatum ſicut nos non habuerunt.* Ita Richard. l. 7. c. 5.

Rupertus lib. 12. in Apocalypſin, monet poſitionem portarum fieri iuxta antiquam poſitionem caſtrorum duodecim tribuum, vt ad orientem tribus tres, & ſic de cæteris collocarentur. Et poſtea addit: *Vt autem de ſpiritualium poſitione portarum ſepta percurramus, quid ſibi vult quod ait: Ab oriente portæ*
B *tres, ab auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres: Niſi quia ſancta Apoſtolica fides in Trinitatis nomine conſiſtens, per miniſterium illorum excepit nos ab omni gente & natione, ab omni ſexu & ætate venientes? Ampliùs autem hæc plagarum mundi diſtinctio in his ætatibus vtiliter intelligitur, pueritiæ, adoleſcentiæ, iuuentæ, atque ſenectæ; vt hoc ſit, ab oriente, ab auſtro, à meridie, à ſeptentrione, & ab occidente, ternas portas patere ab omni ætate, quacumque ætate quis conuertatur, Euangelica atque Apoſtolica regula indifferenter aditum in ciuitatem ſanctam, id eſt Eccleſiam, per fidem ſanctæ Trinitatis patuiſſe. Nam per orientem pueritia, per meridiem adoleſcentia, ſiue iuuentus feruida per occidentem, per*
C *aquilonem rectè intelligitur ſenectus decrepita. Vnde quidam Chriſtianæ ſcholæ verſificator inſignis ita dicit.*

Seu pueros ſol primus agat, ſeu feruor Ephebos.
Accendat, nimis ſeu conſummabilis æui,
Perficiat lux plena viros, ſiue algida Boreæ.
Ætas decrepitam vocet ad pia ſacra ſenectam,
Occurrit trinum quadrima ad compita numen.

Ita Rupertus: Qui poſtea rectè monet hæc idcirco non dici, *quòd illis,* inquit, *iam poſt iudicium ſuſceptio ſit futura, venientium, ſed quamuis ceſſet ſuſcipiendi officium, ordo tamen & meritum perſeuerat eorum, qui toti mundo prædicantes, ſuo labore, omnes gentes, vniuerſas ætates ad vnam fidem collegerunt & ſuſceperunt.* Ita Rup. Et reuera ex omni parte liber
D eſt aditus ad hanc ciuitatem cunctis hominibus, quos & recta ratio, & fides infuſa ad illius aſſecutionem impulerunt; ſiue dum primò refulſit in eis lumen rationis & fidei, ſiue dum conſummati fuerunt in bonis, ſiue fuerint in proſperis, ſiue in aduerſis, ſiue ſplendorem perfectæ iuſtitiæ adepti fuerint cum animi quadam tranquillitate, ſiue adhuc inter contradictiones, & tentationes Deo inſeruiant. Deus enim fidelis eſt, vt recordetur operum noſtrorum. Et latronem recenter conuerſum in paradiſum introduxit, & iuſtum in exercitio virtutum à primæua ætate per multa annorum curricula perſeuerantem vſque ad finem & conſummationem vitæ; gloria & ho-
E nore coronat propter perſeuerantiam ſanctos, qui in meridie perfectæ iuſtitiæ poſiti iam patriæ cæleſtis ſuauitatem prægustant. Vnde illius deſiderio accenſi clamant cum Apoſtolo: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto:* Quibus teſtimonium perhibet Spiritus ſanctus quòd ſunt filij Dei, hæredes, quidem Dei, & cohæredes Chriſti; quibus etiam aliquando datur quadam certitudo ſalutis æternæ, per ſpecialem reuelationem, ſicut olim ſecuros reddebat de præmio ſuos Apoſtolos Chriſtus Dominus, dum illos ſic alloquebatur: *Gaudete quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Et ab eis ſecedens dicebat: *Vado parare vobis locum.* Sicuti etiam B. Franciſco ante mortem, ſuæ ſalutis æternæ ſpecialis facta eſt reuelatio. Hi omnes in cælum admittuntur dum eis mori contigit. Sed nec deſperandum eis qui adhuc

Digitized by Google

in Aquilone tentationum, & contradictionum, & certaminum ſunt poſiti. Nam ſi legitimè certauerint, coronabuntur. Siue igitur ſimus in oriente iuſtificationis, in quo ſol oriens iuſtitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum primò irradiat mentem, & accendit calore caritatis voluntatem; ſiue in occidente mortis, in quo terminatur vitæ curſus, & promerendi tempus, & aduenit illa nox de qua dicebat Chriſtus: *Me oportet opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox quando nemo poteſt operari. Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Ioan. 9. Siue in illo meridie adeptæ perfectionis, de quo Pſal. 36. *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*; quia propter eminentiam ſanctitatis, ſicut facile eſt dicere diem lucere in meridie, ſic facile eſt aſſerere hominem perfectionem in hac vita poſſibilem adeptum, in timore Dei ambulare; ſiue denique ſimus in aquilone tentationum, quæ ad profectum ſanctorum permittuntur. Vnde in Cantico Cant. exoptantur: *Surge aquilo, & veni Auſter: perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. Ac ſi diceret: Veniant tribulationes, & adſpirent venti meridionales inſpirationum perfectionis Chriſtianæ, & animam impellant ad exercitia virtutum, quibus bonorum operum fragrantia Eccleſiam perfundant ac repleant. In quocumque tempore & ſtatu ab hac vita decedere nobis contingerit, ſemper patens & liber erit acceſſus & aditus, & recenter conuerſis, & in fine vitæ tarde conuerſis; Et in perfecta iuſtitia ambulantibus, & in probatione virtutis. *Per tentationes adhuc exiſtentibus.*

Et hæc de portis dicta ſunto.

Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni.

De fundamentis.

ANNOTAT. XIIII.

Interpretum expoſitiones variæ, de fundamentis huius ciuitatis. §. 1.

TICONIVS: *Quod ſunt portæ hæc fundamenta; quod ciuitas, hoc murus, hoc ſupellex.* Ita Tico.

Ambroſius: *Quid ſignificent duodecim fundamenta ipſe expoſuit, cum ſubiunxit, quod in eis ſcripta eſſent nomina duodecim Apoſtolorum agni. Reprehenſus ſum à quodam, cur Petrum fundamentum Eccleſiæ dixerim, in eo loco vbi Dominus dicit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Si Petrus fundamentum eſt Eccleſiæ, ſicut & cæteri Apoſtoli, quemadmodum præſens lectio apertè demonſtrat; ergo ſuper ipſum ædificata eſt, ſicut & ſuper cæteros. Si verò ſuper Petrum Eccleſia ædificata non eſt, ergo nec ſuper cæteros. Vera eſt ergo huius Ioannis præſens aſſertio, quia duodecim fundamenta eſſe Eccleſiæ dixit. Nec repellit nos à noſtro intellectu illud quod Apoſtolus dicit: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Non enim aliud fundamentum eſt Petrus, & aliud Chriſtus Ieſus: quia Petrus membrum eſt Chriſti Ieſu, ſicut ipſe dixit diſcipulis ſuis. Vos in me, & ego in vobis. Chriſtus namque fundamentum eſt omnium Apoſtolorum ſuorum; ſimiliter & ipſi fundamenta ſunt eorum qui per eos crediderunt. Vnum eſt igitur fundamentum, id eſt Chriſtus, à quo continentur omnia fundamenta, ſuper quem etiam Chriſtum tota compages Eccleſiæ conſtructa eſt.* Ita Ambroſ.

S. Auguſtinus in Pſal. 86. hanc difficultatem, (nempe quomodo Apoſtoli fundamenta dici poſſunt) elucidat, cum certum ſit Chriſtum eſſe fundamentum præter quod nullum poſitum eſt, dum ait: *Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apoſtoli? Et quomodo fundamentum Chriſtus Ieſus, quo alterius nihil eſt? Quomodo putamus, niſi quemadmodum apertè dicitur Sanctus ſanctorum ſic figuratè fundamentum fundamentorum? Si ergo Sacramenta cogites, Chriſtus ſanctus ſanctorum; ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus Paſtor Paſtorum; ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum: In ædificiis iſtis non poteſt idem lapis eſſe in imo, & in ſummo: ſi fuerit in imo, in ſummo non erit: ſi in ſummo fuerit, in imo non erit. Anguſtias enim omnia ferè corpora patiuntur, nec vbique eſſe poſſunt, nec ſemper. Diuinitas autem, quæ vbique præſto eſt, vndique ad eam poteſt duci ſimilitudo, & totum poteſt eſſe in ſimilitudinibus, quia nihil eorum eſt in proprietatibus.* Ita Aug.

Primaſius poſtquam docuit Apoſtolos in Chriſto dici fundamenta, in ipſo etiam dici lux; Chriſtus namque lumen illuminans, illi autem lumen illuminatum: ſimiliter & eos gignere in Chriſto, vel Sacramenti adminiſtratione, vel prædicatione doctrinæ: montes inſuper appellari, quos ſol iuſtitiæ Chriſtus principaliter irradiauit: ad quos leuare debemus oculos, quamuis totum auxilium ſit à Domino, qui fecit cælum & terram, præcipuè expectandum: ſic in eo dicuntur fundamenta. *Fundamenta itaque*, ait Primaſius, *Apoſtoli, ſed in vno fundamento Ieſu: Et ſolus Chriſtus ſine Apoſtolis, dicitur fundamentum: Apoſtoli autem ſine Chriſto, fundamenta Eccleſiæ nullatenus dicentur: ſic etiam cætera, quæ huic loco comparationis gratia putauimus applicanda. Meruerunt enim illi in Chriſto fideles ſpiritaliter generare, quos ſine ipſis ſolus Chriſtus, ſi vellet, incomparabiliter adaptaret. Meruerunt etiam populorum in Chriſto eſſe magiſtri atque Paſtores: ſed vt cæleſti Patri, Magiſtro, atque Paſtori, eorum ſeruitus militaret.* Ita Primaſ.

Concinit his autoribus Arnobius in Pſ. 86. dum ait: *In ipſis montibus fundamenta ſunt Eccleſiæ collocata: fundamentum autem ibi nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt. Saxum enim poſitum eſt ſolidum. Et ſi quis præter hoc, quod poſitum eſt, poſuerit, in arena poſuit. Sed fortè dicis: Cum vnum fundamentum memoret Apoſtolus, quomodo hîc plura memoras fundamenta? Ad hoc illud reſpice. Si Regem dixeris Chriſtum ſolum, dicitur tibi, Rex Regum eſt: Si Dominum, reſpondebitur tibi, Dominus dominantium: ſi ſanctum, ſanctus ſanctorum: Sic & ſi ſolum fundamentum memores, fundamentum fundamentorum negare non poteris.* Ita Arnob.

Rupertus lib. 12. *Idem Apoſtoli, qui portæ ipſi ciuitatis huius & fundamenta ſunt, nam ſuper fidem illorum fundata eſt Eccleſia Dei, veruntamen ita vt fundamentum ipſorum Chriſtus ſit. Denique ab hoc fundamento vnico ipſi fundamenta ſic dicuntur, quomodo vnus idemque primus eorum à petra, quæ ſine dubio Chriſtus eſt, dictus eſt Petrus idcirco cum dixiſſet. Et in ipſis fundamentis 12. nomina duodecim Apoſtolorum, competenter addidit, & agni. Etenim quæcumque ſcripſerunt, (quibus videlicet ſcriptis eorum, tanquam fundamentis, vniuerſum fidei Chriſtianæ & doctrinæ Eccleſiaſticæ innititur ædificium) non de ſuo ſcripſerunt, ſed de plenitudine agni acceperunt, & verbis eius Euangelicis tota intentione inhæſerunt, atque inſtiterunt.* Ita Rup.

Richardus autem à S. Victore Patriarchas in fundamentis intelligi vult. *Et quia*, inquit, *Redemptor noſter ex Patriarchis originem traxit, benè ſequitur: Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. Murum quippe duodecim fundamenta habere ſacra viſio reuelauit; quia ſaluator, qui ſuam Eccleſiam vndique munit, ex genere patrum carnem aſſumpſit. Sequitur: Et in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum, & agni. Mirum eſt quòd ſuperiùs in portis, quas Apoſtolos figurare diximus,*

nomina duodecim tribuum Iſrael ſcripta legimus : hic in fundamentis, in quibus duodecim Patriarchas, vel ipſas tribus ex Patriarchis progreſſas intelligimus, nomina duodecim Apoſtolorum & agni ſcripta reperimus. Mira ergo & antiquorum, & modernorum in vna fide concordia. Nomina namque duodecim tribuum in Apoſtolis, & nomina 12. Apoſtolorum ſcripta leguntur in duodecim tribubus, ſiue Patriarchis, quia Apoſtoli fidem Patrum de redemptione generis humani completam prædicauerunt, & Patres per Apoſtolos prædicandam fideliter crediderunt. Sed & hoc diligenter eſt notandum, quòd nomen agni in fundamentis, non in portis legitur ſcriptum, quibus manifeſtè creditur exhibitum; ſed in antiquis, à quibus diu expectatum eſt exhibendum. Ita Richard. l.7. c.4.

Ludouicus ab Alcazar duodecim fundamenta vult eſſe duodecim articulos ſymboli Apoſtolorum, & Apoſtolos dici fundamenta, quia fuerunt fundatores. In ſymbolis & allegoriis quippe plærumque abſtracta à concretis non diſtingui. Leo v.g. fortitudinis pariter, ac fortis eſt ſymbolum. Vnde in ſymbolica ſiue ænigmatica ſignificatione perinde eſt eſſe fundamenta, atque eſſe fundatores. Nam fundamentorum ſymbolum & appellationem fundatoribus ipſis attribuimus. Quapropter cenſet Apoſtolos ideo dici Eccleſiæ fundatores, quia admirabilem illam Catholicæ fidei ſummam ediderunt, & effuſi cruoris teſtimonio, necnon prædicatione atque miraculis. In hominum animis inſeruerunt; atque ideo tribui Apoſtolis duodecim gemmarum ſymbolum, quia gemmæ eiuſmodi ſymbolicè figurant veritates duodecim ſymboli ab ipſis compoſiti. Denique pluribus probat ſymbolum Apoſtolorum dici poſſe fundamentum. Et primùm ex Auguſt. de ſymbolo ad Catechum. l.3. to.9. *Noueritis ſymbolum hoc eſſe fundamentum, ſuper quod ædificium ſurrexit Eccleſiæ.* Secundò ex Trident. ſeſſ. in decreto de ſymbolo, vbi Apoſtolicum ſymbolum appellat firmum atque vnicum fundamentum. Tertiò ex Hieron. in Pſ. 86. affirmat fundamenta in montibus ſanctis, eſſe ſanctiſſimè Trinitatis myſterium, atque huiuſmodi fundamentum à Paulo fuiſſe iactum, de quo loquitur ipſe 1. ad Corinth. 3. *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui:* Denique librum fuiſſe ſuis temporibus repertum, in cauernis montis Granatenſis, inter alios plures, cuius titulus erat: *Fundamentum Eccleſiæ:* Qui breuem ſymboli Apoſtolici paraphraſim comprehendebat. Huiuſmodi argumentis & aliis, aſſerit veritates ſymboli Apoſtolici dici debere Eccleſiæ fundamenta. At antequam mentem noſtram aperiamus, aliquid de viſione imaginaria fundamentorum ab ipſo Alcazar emendicemus.

De ipſa viſione imaginaria fundamentorum. §. 2.

Primo Ludou. ab Alcazar cenſet vrbis pauimentum conſiderandum reliquo monte ſublimius & excelſius, vrbem ſuper ſolidam petram eſſe extructam; & in ipſo loci interuallo, quod occupant portæ, conſiderandos eſſe eoſdem fundamenti lapides, ſcalarum inſtar, ſiue cliuoſi trameris recto ordine diſpoſitos eſſe, qua facilis pateat conſcenſus, donec ad præcipuum ciuitatis pauimentum perueniatur.

Secundò, ita eſſe fundamenta duodecim conſideranda, vt vnum alteri ſit impoſitum, & omnia eodem ordine proſequantur.

Tertiò, vt duodecim tribuū nomina per totidem portas diſtributa fuere, non verò omnia nomina ſimul in ſingulis. Sic etiam aſſerendum eſſe de nominibus Apoſtolorum, non omnia ſimul eſſe in vnoquoque lapide, ſed illa diſtribui per ſingulos lapides; vt in primo fundamento, quod eſt infimum, ſit nomen Petri; & in ſupremo, Matthiæ; cæterorum ordinem eſſe incertum.

Denique quamuis textus non exprimat hiſce fundamentis aliud præter murum ipſum ſuſtineri, tamen totam ipſam ciuitatem in ipſis pariter nixam, hoc eſt, omnia ipſius vrbis interiora. Hæc namque fundamenta non ita debent conſiderari, quaſi modici lapides ſint: ſed ex viuo lapide effecta, quem latini crepidinem vocant: atque in ea vrbe, cuius mænia viuo lapide innixa conſurgunt, eandem viui lapidis naturam in vrbis intima penetrare: itaut vniuerſæ vrbi & cunctis eius ædificiis pro fundamento ſubſter, ſicque tota ciuitas lapidibus eiſdem pretioſis niteretur. Hæc Alcaz. De idea viſionis imaginariæ fundamentorum. Nunc quænam ſit noſtra de his fundamentis mens exponamus.

Fundamenta Ciuitatis ſunt duodecim bona, quibus fruuntur Beati, ad integritatem ſtatus Beatitudinis pertinentia, quorum fruitione propelluntur omnia mala, quibus ſecuritas beatitudinis perturbari poſſet.
§. 3.

Certè ſi ſententiam meam poſt tantos autores interponere licet, non benè percipere poſſum quomodo per fundamenta Patriarchas intelligere debeamus, cum Richardo à S. Victore: *Quia*, inquit, *Redemptor noſter ex Patriarchis originem traxit.* Ex vno enim tantùm, nempe ex Iuda ortus eſt Chriſtus. Quid ad Chriſtum cæteri pertineant, quoad originem, non video. His adde remotiora eſſe hæc fundamenta quàm par ſit pro muro cæleſtium in æternum duraturo. Omnia enim, quæ fuerunt in veteri teſtamento, exemplaria ſunt cæleſtium, nempe tam Eccleſiæ Militantis, quam Triumphantis. At recurrere ad exemplaria, vbi quidquid in figuris contigebat iam conſummatum eſt, hoc videtur nimis remotum à ſtatu conſummati operis, & ad perfectum adducti.

Nec etiam exiſtimo de Apoſtolis hîc fieri mentionem, tanquam de fundamentis: non quòd negare velim ipſos fuiſſe fundamenta eo modo quo ſupra & Ambroſio, & ex S. Auguſtino diximus, fide, prædicatione, doctrina, virtutibus, miraculis, autoritate, inſtitutione Eccleſiæ: cum veriſſimum ſit Chriſtum ſupra Petrum, Petram ab eo factum, fundaſſe Eccleſiam. Et S. Paulus ait Epheſ. ſecundo, Super ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, id eſt, ſuper Apoſtolos & Prophetas, qui ſunt fundamentum Eccleſiæ: quamuis non malè alij hunc locum interpretentur, ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, hoc eſt, quo Apoſtoli & Prophetæ, & ſancti quilibet, cuiuſcumque ordinis illi fuerint, nituntur. Chriſtus eſt, in quem omnium ſcilicet ſpes recumbit, quo freti corda eorum ſolida conſiſtunt. Ita Guillaudius in Paul. Sedulius vtrumque ſenſum amplectitur. *Apoſtoli*, inquit, *fundamentum ſunt, vel Chriſtus fundamentum eſt Apoſtolorum.* Ita Sedul. Hîc tamen fundamenta dici non video, eo ipſo quod audio in fundamentis nomina Apoſtolorum eſſe inſculpta, niſi velis, Alcazar explicationem admittere ſupra allatam, videlicet Apoſtolos ideo dici fundamenta, quia fuerunt fundatores, quia iecerunt Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta, dum ſupra duodecim veritates ſymboli Eccleſiam Catholicam fundauerunt. Sed alia ratione adducor, vt exiſtimem hæc duodecim fundamenta muri ciuita-

Digitized by Google

tis non eſſe ipſos Apoſtolos. Ratio autem hæc eſt. Aſſignanda ſunt huius muri fundamenta, quæ conueniant, cum ſignificatione, quæ muro magno & alto tribuitur, vt conſequenter loquamur; quæque conueniant etiam Eccleſiæ, pro ſtatu gloriæ & Triumphi, non pro ſtatu militiæ, & viæ. At murus ſignificat, vt dictum eſt, magnum ſecuritatem ex Dei & Chriſti protectione conceptam, quam habent Beati: vnde certò ſciunt nihil fore quòd eos à poſſeſſione tantorum bonorum extrudere, aut requiem illorum perturbare queat. Aſſignanda igitur ſunt quædam fundamenta, à Deo tantæ ciuitatis conditore poſita, quibus cernatur perſpicuè ipſos à Deo protegi, nihilque eſſe quod ipſis nocere valeat. Sed Apoſtoli non videntur ex ſuo officio aut munere hanc ſecuritatem fundare poſſe: quod enim prædicauerint; exemplo & verbo, & miraculis Eccleſiam inſtituerint, quid hæc muneta ad patriæ beatitudinem & ſecuritatem? Remotiora ſunt iſta quàm par ſit, vt dici poſſint immediatè & proximè muro eſſe pro fundamentis. Facta hæc fuerunt in tempore, & fructus iſtorum tantùm permanet in æternitate. Ciuitatis igitur in æternum permanſuræ iſta non poſſunt dici fundamenta, niſi tantùm remotè, in quantum præſupponuntur ſaluti eorum, qui beatitudine fruuntur, aliquid contuliſſe.

Hinc etiam non exiſtimo articulos fidei, ſeu veritates ſymboli Apoſtolici, eſſe proxima & immediata æternæ ciuitatis ac Triumphantis Eccleſiæ fundamenta; quia fides eorum articulorum, quæ euacuatur, non poteſt dici in æternum permanſura, vt ciuitatis permanentis & in æternum duraturæ fundamentum ſit proximum & immediatum. Et reuera magna eſt differentia inter ea quæ Charitatis naturam ſequuntur, & ea quæ ad fidei naturam ſpectant. Ea ſiquidem, quæ ad Charitatem pertinent, in æternum permanere poſſunt. At ſi quid ad fidei naturam pertineat, cum plena fuerit viſio eorum quæ creduntur, euacuabitur. Claritas enim & viſio, fidei expellit obſcuritatem; & boni ſperati poſſeſſio pleniſſimam illius expectationem protrudet. Charitas ſiquidem ſola manet in patria, quando & fides in viſionem, & ſpes in apprehenſionem commutabuntur, ex Apoſtoli doctrina 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, ſiue Prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, ex parte enim cognoſcimus, & ex parte Prophetamus. Cum autem venerit id quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas: tria hæc, maior autem eſt Charitas.* Videlicet quia illa ſola manet in patria, & in vita futura permanſura. Non inter moritur, nunquam ceſſabit. Cætera dona in gloria cæleſti ceſſabunt; nullus vſus Prophetiarum, Deo clarè viſo; nihil remotum à notitia beatorum erit illis annuntiandum aut exponendum; vnâ linguâ loquentur, forte Hebræâ; vnde nullum opus dono interpretationis linguarum; omnis cognitio imperfecta, obſcura, ænigmatica, verbi gratiâ fides, & quidquid fide nititur, vt eſt Theologia ex principiis fidei deducta, in cælo ceſſabit. In hoc ſæculo paruuli ſumus, de rebus diuinis ſecundùm modulum noſtrum ſentientes, de illis balbutientes, in fide ambulamus, & non per ſpeciem. At tunc viri erimus perfecti, ablata omni obſcuritate & ſimilitudine, & cognoſcendi ac videndi Deum difficultate, quem videbimus ſicuti eſt, facie ad faciem illum contemplantes; vt ſicut ipſe nos nouit, ſecundùm propriam noſtram eſſentiam; ita illius eſſentiam clarè & intuitiuè cognoſcamus. Fides vt ſpeculum & ænigma eſt. In ſpeculo enim non eſt ipſa facies, ſed faciei imago. Ita in fide non eſt ipſa æternæ diuinitatis facies, ſed imago quædam eius per verbum repræſentata. Eſt etiam ænigma. Ænigma quippe aliud ſignificat, quàm verba præ ſe ferant. Reddunt itaque & obſcuram & difficilem cognitionem. At reuelata facie euacuabuntur ſimilitudines inferiorum, quibus ad ſupernorum cognitionem euehimur; & Dei eſſentiam clarè videbimus. Videbimus ſicuti eſt, & quæ de eo audiuimus, quæ de eo edocti fuimus, clarè & certè intuebimur. Etenim quidam interpretes, iſtud, *Sicut & cognitus ſum*: Idem eſſe volunt quod, doctus ſum: Vel, ſi volueris, Ad eum gradum cognitionis perueniam, ad quem à Deo ſum prædeſtinatus. Eum non modo clarè & intuitiuè videbo, ſed tantò intenſior erit mea cognitio, quantò excellentior eſt gradus gloriæ, ad quem à Deo deſtinor. Ex his dico ius ad gloriam, quod comparauimus nobis, dum fides noſtra per charitatem operata eſt, in æternum permanſurum. Illud enim habemus per charitatis actiones, quibus aditus nobis datur ad gloriam, quarum meritum non euaneſcit, non marceſcet, nunquam ceſſabit aut euacuabitur, nec augebitur nec minuetur, quin & habitus boni per illas actiones contracti non deperduntur, ſed remanebunt ad ornatum, etſi non amplius neceſſarij ſint ad actum, ob luminis gloriæ excellentiam, quo ſufficienter mens noſtra capax redditur viſionis diuinæ. At apprehenſiones illarum veritatum articulorum fidei, quibus illas concepimus, euaneſcent: Deo & cæteris myſteriis clarè cognitis. Hinc fit vt ſi illæ actiones charitatis poſſunt eſſe portæ æternæ ciuitatis, quia propter illas ſemper poſſunt in æternum beati ius ſibi arrogare ad gloriam; non tamen fides illa myſteriorum & actus fidei, quibus iis veritatibus reuelatis aſſentimur, poſſunt eſſe fundementa ciuitatis æternæ, quia euaneſcent, quia euacuabuntur, quia ceſſabunt. At aliquid ſolidum debet aſſignari pro fundamento tam firmi ac ſolidi ædificij. Ideo dico fundamenta iſtius ciuitatis debere eſſe quædam bona, à Deo beatis omnibus collata, quibus omnia propellentur, quibus illorum beatitudo aliquod detrimentum aut perturbationem pati poſſet, niſi repellerentur, & omnino amouerentur. Vnde ſublatis omnibus periculis excidendi à ſtatu gloriæ, quem ſemel fuerint adepti, non mirum erit ſi habitent in ſecuritate, *in pulchritudine pacis, in requie opulenta, in tabernaculis fiduciæ.*

Cur autem in his lapidibus, Apoſtolorum nomina inſculpi debeant, exiſtimo hoc fieri, quia nulli poſt prædicationem Euangelij his bonis frui licebit, qui Apoſtolorum doctrinæ, & veritatibus ab illis reuelatis (vt Eccleſiam militantem fundarent & inſtituerent) non adhæſerit; nec etiam vlli ante prædicationem Euangelij iiſdem bonis frui licebit, qui fidem Chriſti ab Apoſtolis promulgatam, explicitè aut ſaltem implicitè non habuerit. Hac enim de cauſa dicitur non modò nomina Apoſtolorum inſcribi, ſed additur, *Apoſtolorum agni*; vt nemo ſperet ſempiterna & ſecura beatitudine in cælis perfrui, qui cum Apoſtolis agni non conſenſerit. Hoc enim credendum fuit ante eos implicitè vel explicitè, quod de Chriſto prædicauerunt; & hoc poſteris eorum credendum eſt, quod ab eis fuit annunciatum. Vnde Apoſtolus Paulus fideles adhortabatur, imo præcipiebat illis cuſto-

Digitized by Google

dire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. Act. 15. & Act. 16. *Pertranſiens ciuitates, tradebat eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.* Vt igitur noſcamus doctrinæ Apoſtolorum, & per conſequens ſymbolo ab eis compoſito eſſe adhærendum, eorumq; exempla nobis eſſe ſequenda, ſi velimus ſecure æterna beatitudine gaudere; in lapidibus, (quæ ſignificant bona quæ illius poſſeſſionem ſecuram ab omni hoſte & impugnatione & perturbatione reddunt) inſcribuntur Apoſtolorum nomina. Et eo ſenſu poterunt dici fundamenta, quod nullus eiſdem bonis, quibus ſecura & pacifica redditur beatitudinis æternæ poſſeſſio, perfruetur, qui per fidem & imitationem eis non adhæſerit. Tales ſunt qui Chriſtum in propria venientem non reſpuerunt, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri, & filios eſſe Iſraëlis ſpiritualis. Propter quā filiationem nomina duodecim Patriarcharum inſculpta fuerunt in portis, his videlicet qui Apoſtolorum miniſterio crediderunt in nomine Chriſti, *qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ioan. primo. Quænam igitur ſunt iſta bona, poſtea videbimus in explicatione duodecim lapidum, quibus adumbrantur.

Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum.

Talis & tanta eſſe debet omnium Beatorum perfectio, & gloria, vt quidquid Chriſtus ad patris ſui exaltationem operari voluit, in eis clarè eluceat & manifeſtetur.

ANNOTAT. XV.

Interpretum varia expoſitiones. §. 1.

DVO nobis hîc exponenda ſunt; primò, quænam ſit illa menſura: ſecundò, qua ratione portæ & murus eâ menſurâ metiri debeant.

Quantum ad primum, Ticonius: *In arundine aurea homines in Eccleſia oſtendit, fragili quidem carne, ſed aurea fide fundatos, ſicut dicit Apoſtolus: habentes theſaurum in vaſis fictilibus.*

Ambroſius: *Angelus qui loquebatur cum Ioanne, in hoc loco Chriſtum ſignificat, qui modò regit omnes gentes in virga ferrea, ſicut ſuperius iam dictum eſt. In futuro autem, ciuitatem Dei, quæ ex omnibus gentibus conſtabit, arundine aurea metietur. Diximus ſuperius, per virgam ferream diſciplinam Euangelij eſſe deſignatam: ferrum verò graue eſt & duriſſimum. De duritia autem virgæ ferreæ dicit Dominus in Euangelio. Arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam. Sed hanc duritiam amor Dei & ſpes cæleſtis patriæ ſuauem & leuem facit, ſicut ipſe iterum dicit: iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Virga itaque ferrea, in arundinem leuem, ſuauem atque auream commutabitur; quia ſancti pro anguſtiis, quas pro Chriſto pertulerunt, ſuauitatem & gloriam perpetuam recipient.* Ita Ambroſ.

Primaſius: *Superiùs ſibi Ioannes dicit arundinem datam, tanquam prædicationis diſpenſationem ſibi commiſſam. Nunc verò Angelum, qui ei loquebatur, auream habere dicit arundinem, vt metiretur, inquit, ciuitatem, & portas eius & murum. Chriſtum itaque oportet intelligi, qui eſt ſapientia Dei, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Inde legimus: Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Ita Primaſ.

Richardus à S. Victore l. 7. in Apocaly. c. 5. ad ſanctorum præſentem iuſtitiam hæc pertinere exiſtimans, per illam menſuram, ſacram ſcripturam

A deſignari vult. *Menſura, inquit, rerum, differentiam ſignificat meritorum. Superius vidit ciuitatem munitam & ornatam: hic edocetur attendere alios ab alius in ſancta ciuitate meritis differre. Et diligenter intuendum, quòd multa quæ in deſcriptione ſanctæ ciuitatis ponuntur, magis ad ſanctorum præſentia merita, quam ad futura præmia ſpectare probantur. Quamuis namque intentio Prophetica ſit in hac viſione ſupernum beatæ Ieruſalem ſtatum deſcribere, quædam tamen magnifica de præſentibus eius meritis non inconuenienter ſtudet intimare: vt dum de ſanctorum magnificis virtutibus erudimur, cæleſtia eorum præmia ſublimiter ammiremur. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream. Quid per arundinem auream aptius accipimus, quam ſacram ſcripturam? Angelus enim habet arundinem auream; quia*
B *ſanctus doctorum chorus ad erudiendam plebem dominicam miſſus, habet ſcripturam diuinam, Dei ſapientiâ (quæ per aurum figuratur) compoſitam & fulgidam. Quæ ſcilicet ſcriptura eſt arundo, per ſonum prædicationis, & aurea, per fulgorem diuinæ cognitionis.* Ita Richar.

Ludouicus ab Alcazar: *Calamus capitis vndecimi erat ſimilis virgæ percuſſoria, & laborum menſuram ſignificabat. Hic verò calamus & aureus eſt, & gloriæ deſignat menſuram.* Ita Alcazar. Et reuera ſicut paſſio Chriſti, menſura eſt laborum & afflictionum, ita eius gratia videtur eſſe menſura meritorum, & eius gloria menſura glorificationis noſtræ, vt quo plus pro eo laborauerimus, quò plus de plenitudine
C gratiæ eius acceperimus, eò magis gloriæ eius participemus. Quid ſit autem metiri ciuitatem, portas, & murum, ex ſupradictis autoribus videamus.

Quantum igitur ad hoc ſecundum, à nobis ex interpretum ſententia exponendum, Ambroſ. *Metietur,* inquit *(nempe Chriſtus) ciuitatem & portas eius, & murum, quando ſecundùm qualitatem operum, vnicuique mercedem reſtituet. Sed quærendum nobis eſt, cum ciuitatem menſus fuiſſe dicatur, cur portas & murum adiunxerit, cum ciuitatis nomine hæc omnia comprehendentur? Verum ſicut præterita & futura docent, per portas, Apoſtoli; per ciuitatem Apoſtolici viri; per muros verò, cætera multitudo fidelium deſignatur.* Ita Ambroſ.

Primaſius: *Et reuera ſoli Chriſto licet metiri ciuita-*
D *tem, qui vnicuique fidelium, ſpiritualium diſtribuit dona gratiarum. Qui etiam, ſicut legimus, omnia in numero, & menſura, & pondere diſpoſuit. Hæc nimirum dimenſio ciuitatis ab Apoſtolo memoratur, cum dicit: Secundùm menſuram donationis Chriſti. Itemque: Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt hæc gratia, in gentibus Euangelizare.* Ita Primaſ.

Rupertus lib. 12. *Menſor iſte, nimirum gratiarum diſtributor, eorumque remunerator eſt. Ipſe eſt enim de quo Ioannes Baptiſta loquitur: & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gloriam prò gratia. Prius enim in hac vita gratiam dat, diuerſa credentibus in ſe retribuens charſmata: & poſt in illo ſæculo, de quo nunc ſermo eſt, pro gratia benè expenſa, retributionis æternæ præmia recom-*
E *penſat.* Et poſt pauca: *Nunquid ergo ſoli in illa ciuitate remunerabuntur principes illi, qui ſcripſerunt; & non etiam cæteri, qui talem gratiam non acceperunt? Immo & cæteri quicumque ſcripturis ſanctis obedierunt. Ait enim. Vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum. Murus namque, cuius & porta & fundamenta ſunt, vniuerſitas eſt electorum, qui tanquam lapides viui ſuper fundamenta hæc ſuperædificati ſunt, ad quamdam ſimilitudinem lapidum materialium, glutino congruo ſibimet in ſtructura manufacta cohærentium, omnes omnino propriam mercedem accipientes ſinguli ſecundùm ſuum laborem, & ſecundùm menſoris gratiam, cum qua laborauerunt.* Ita Rupertus.

Richardus à S. Victore, qui ſcripturam ſanctam vult eſſe menſuram conſequenter ait: *Angelus ergò metitur ciuitatem, dum Doctorum ſagacitas ſubiecta ple-*

bis

Digitized by Google

A *bis attendit poſſibilitatem, & ſecundum virtutem capacitatis adhibet verbum prædicationis, & adhibito verbo, profectum operis conſiderat, vt quantum in ſupernæ ciuitatis ædificium extendere poſſit patenter cognoſcat. Portas etiam metitur, dum Apoſtolicam doctrinam introitum ciuitatis cæleſtis eſſe manifeſtè cunctis proteſtatur. Metitur denique ſecundum aliquid murum, dum noſtrum defenſorem Ieſum Chriſtum prædicat Deum & hominem verum.* Ita Richard. à S. Victore.

At vt verum fateat, hæ omnes expoſitiones mentem meam non implent, nec myſteria ſub hac menſura & menſuratione ſignificata mihi videntur ſatis apertè & completè explicare. Vt igitur, quantum in nobis eſt, quid in illa menſura & menſuratione ſignificetur intelligamus, ideam priùs B illius menſuræ nobis potiſſimum ex Ludouico ab Alcazar eſt proponenda.

Idea menſuræ, qua Chriſtus deſignatur. §. 2.

Calamus eſt menſorius, in quo dimenſionum diuiſiones ſignatæ reperiuntur, quemadmodum Cannæ internodiis diſcriminantur. Eius longitudo tanta eſſe debet, vt hominis ſtaturam magnam adæquet, nempe Adami, vel Noei. In ſex partes diuiſa, quæ partes iuxta ſacræ ſcripturæ vſum appellari ſolent cubiti; iuxta Græcorum, & Latinorum conſuetudinem, pedes. Hebraicam autem ſtaturam antiquam, id eſt, Adami, adæquare docet Lud. ab Alcaz. Septem pedes Romanos, quia in C hac menſura intelligenda eſt maxima humanæ ſtaturæ menſura. Vnde dicitur. Menſura Angeli, id eſt maxima: quod notauit Genebrardus in Pſal. 77. *Nam*, inquit, *Angelis tribuuntur ſingularia & admiranda, quo idiomate Paulus, 1. ad Corinth. c. 13. dixit linguam Angelorum, id eſt excellentiſſimam, admirabilem, cum qua nulla poſſit comparari. Apocal. 21. v. 18. menſura Angeli, id eſt maxima.* Ita Genebrard. Ego autem exiſtimo illam menſuram non ita eſſe concipiendam vt gigantea ſit, & longe excedens aliorum hominum ſtaturam, ſed abſolutiſſimam, perfectiſſimam, & conuenientiſſimam, qualem fuiſſe ſtaturam Chriſti Domini conjicere licet, qui myſticus eſt Adamus, atque Noeus; ad quam menſuram D emetiendi ſumus, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 4. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Menſuram corporis Chriſti Domini pro ſymbolo ſumimus menſuræ donationum & gratiarum, quas ipſe confert omnibus ſuis membris myſticis, itaut plenitudo Chriſti ſit abſoluta & integra cognitio & amor Chriſti, qua adeptâ viri ſumus perfecti, veluti vir perfectus eſt, qui eam magnitudinem viro decentem eſt adeptus cum ſemel attigerit ætatem illam, in qua homines amplius corporaliter non creſcunt. Quemadmodum itaque ſpiritus per neruos à cerebro ipſo deſcendens, ſenſum omnibus membris ad proportionem E cuique partitur; ſic Chriſtus noſtris animis, qui illius ſunt membra, ſua dona ſuppeditat, nec fortuitò aut temerè, ſed pro menſura membri cuiuſque, hoc eſt, vt quodque capere poteſt. Et hunc in modum coædificari ſibi vniuerſum corpus & coaleſcere facit. Vnde meritò Chriſti corporis menſura aſſumenda eſt pro ſymbolo menſuræ conuenientis, & proportionatæ, eius meritis & gloriæ, vt quis dicatur eò maiora habuiſſe merita, & maiorem obtinere gloriam, quò plus hauſerit de plenitudine eius, & ad eius magnitudinem propius acceſſerit Et quia hæc menſura Chriſtum hoc modo ſignificat; ideo aurea dicitur; arundo, propter fragilitatem carnis; aurea, propter vnionem cum carne diuinitatis.

Vt metiretur ciuitatem, portas, & murum.

Qua ratione ſocietas beatorum, eorum actiones, & ſecura beatitudinis poſſeſſio per Chriſtum menſurantur? § 3.

Ciuitatis, vt diximus, eſt omnium Beatorum ſocietas: portæ, ſunt actiones illæ, quibus ius nobis comparatum eſt ad gloriam. Murus eſt ſecuritas illa poſſeſſionis gloriæ, propter ſpecialem Dei & Chriſti protectionem. Menſura eſt Chriſtus. Menſurari debent Chriſto, ciuitas, portæ & murus. Qua ratione? Inquies.

Dico primò: menſuratur ciuitas illa arundine aurea, quia omnia electorum merita ponderanda ſunt iuxta proportionem, quam habent ad Chriſti merita, vt talis cuique aſſignandus, gloriæ gradus in patria perſpiciatur, qualis fuit in via participatio meritorum eius in via. Vt enim mereamur, debemus manere in Chriſto, & ab eo virtutem accipere, ſicut palmes à vite. Quod ita verum eſt, vt Theologi doceant Chriſtum de condigno meruiſſe gratiam. Sufficit enim ad hoc quod Deus illis dederit gratiam, ob præuiſa merita Chriſti ex pacto futuro facienda. Nam ſi quis daret vinitori indigenti aureum, intendens poſtea cum eo paciſci vt colendo ſuam vineam eum mereatur; hic poſtea ex pacto operando verè illum aureum meretur, idque ex iuſtitia: ad quod meritum patet requiri pactum. Adde generi humano ſtatim poſt lapſum Adami fuiſſe factum promiſſionem de mittendo Saluatore, & danda hominibus gratia ob illius futura merita, quam homines (cum ad ipſos etiam ſpectaret) acceptare poterant, & de facto acceptarunt. Ita Koninch. diſput. 8. de merito dubio 4. n. 54. Quia igitur omnia merita Beatorum à Chriſto tanquam à capite defluunt in membra; ideo eorum gloria menſuranda eſt per commenſurationem cum Chriſto, vt ſcilicet adhibitâ menſurâ videatur quantum cuique præmium pro meritis ſit aſſignandum.

Dico ſecundò: Tota ciuitas Chriſto menſuratur, quia tota beatorum collectio reſpondere debet intentioni conditoris, qui omnia propter ſemetipſum operatus eſt; & ideo in ea manifeſtè apparere debet quanta ſit gloria, & maieſtas, & omnipotentia Dei. Et quia per verbum omnia facta ſunt, & reſtaurata ac reparata, ideo tota hæc ciuitas dicitur menſuranda iuxta ea omnia, quæ Chriſtus fecit ad gloriam ſummæ & adorandæ Trinitatis. Videndum enim an videlicet tantum honoris à creatura, (quantum creaturæ licet) Deo exhibeatur in tota illa ciuitate, quantum exhiberi voluit Chriſtus, cum vt obediret patri homo fieri dignatus eſt, & patris nomen hominibus manifeſtare voluit. Videndum (vt paucis multa complectar) an opus reſpondeat menti & intentioni artificis. Et quia in verbo ſunt omnes ideæ & rationes rerum, ideo perſpiciendum an tota hæc ciuitas conformetur diuinis iſtis ideis ac rationibus, iuxta ea quæ fecit & operatus eſt Chriſtus, vt tantum opus abſolueret, & ad perfectum adduceret.

Dico tertiò: Menſurantur hac menſura portæ & murus, quia cum portæ ſint aditus ad gloriam; & murus vltimum quid ad gloriæ illius conſummationem neceſſarium, Chriſto menſurantur: vt ſciamus, quod ſicut ab eo omnis gratia à prima vocationis, ad vltimam finalis perſeuerantiæ, in nos defluxit; ita ab eo omne præmium nobis conferri à primo ad vltimum. V. g. ab eo in introitu paradiſi, lumine beatifico ditamur; propter illius cum hominibus initam amicitiam, & indiuiſibilem

Digitized by Google

vnionem cum humana natura, beati ſciunt ſe ſecuros eſſe ab omni periculo decidendi à gloria quam obtinent, eius potiſſimum pro miſſis ſubnixi. *Gaudium*, inquit, *veſtrum nemo tollet à vobis.* Ioan. 16. Ciuitas igitur menſuratur menſura arundinea & aurea, id eſt Chriſto, quia eſt ciuitas iuſtorum, Chriſtus autem iuſtus antonomaſticè (*Et nubes pluant iuſtum*, inquit Iſaias) eſt menſura cæterorum arundineus eſt, quia fragilitatem carnis induere voluit, ſed aureus per diuinitatem, humanitatem ad ſummam gloriam eleuantem, menſurantur portæ & murus, quia, vt dictum eſt, omnes effectus prædeſtinationis ſanctorum prometuit Chriſtus, à primo vocationis, vſque ad vltimum completæ beatitudinis.

Et ciuitas in quadro poſita eſt: & longitudo eius tanta eſt quanta eſt latitudo. Et menſus eſt ciuitatem de arundine aurea, per ſtadia duodecim millia: Et longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt. Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſurâ hominis, quæ eſt Angeli.

De figura & magnitudine ciuitatis.

ANNOTAT. XVI.

Idea ſeu viſio imaginaria huius ſymboli. §. 1.

VT faciliori negotio myſticum ſenſum eruamus, antea explicanda eſt viſio imaginaria huius ciuitatis.

Dico primò: Non eſt illa ciuitas rotundæ figuræ, ſed quadratæ: quia ad ædificium quadrata area aptior eſſe videtur, quod commodior ſit & fortior ſitus, & pulchrior; & quadrata ſtructura pluribus atque exactioribus proportionibus inter ſe aptè reſpondentibus componitur, abſque eoquod vlla pars ſitus amittenda ſit.

Dico ſecundò: Non modò eſt quadratæ figuræ, ſed æqua habet latera, itaut perfectum reddat quadrum longitudo quippe eius tanta eſt, quanta eſt latitudo; itaut ſi quodlibet latus ſpectes, per ſtadia duodecim millia extendatur, id eſt, per mille quingenta milliaria Italica. Metiri igitur ciuitatem, propriè eſt eius longitudinem ab vna vrbis porta ad alteram è regione oppoſitam dimetiri: Quod in quadrata omnino vrbe, idem prorſus eſt, ſi cuiuſque lateris longitudinem metiaris. Et aſſerit Alcazar ſpaciùm duodecim millium ſtadiorum minus non eſſe, quam quod inter Hiſpalim, & Neapolim intercedit. Vnde ciuitas, quæ hic fingitur, eſt quadrum quoddam cuius latus longitudine adæquet interuallum illud, quo Hiſpalis à Neapoli diſtat. Ita Alcaz.

Dico tertiò: Cum altitudo illius æqualis eſſe aſſeritur longitudini ac latitudini, non ita illud accipiendum eſt, ac ſi quædam turres in ea eſſent ciuitate erectæ in altitudinem duodecim millium ſtadiorum: Hoc enim abſonum eſſe videtur, ſed grammaticus ſenſus eſt, planitiem, & aream ciuitatis per omnem longitudinem illius, & latitudinem eſſe omnino æqualem, muruſque & domus in ea æquali ſitu eſſe poſita, non ſicut in omnibus ferè terrarum vrbibus, quibus (quia pauimentum æquabile vndique non eſt) magnam neceſſe eſt in muris ipſis inæqualitatem eſſe, & interdum mænia nimium ſublimia exurgere, interdum ob inæqualis pauimenti rationem, nimium demitti, quamtumuis muri dimenſio eadem ſit, v. g. quinquaginta

A cubitorum. At verò in ea vrbe, quàm Ioannes vidit, quamtumuis immenſæ magnitudinis fuerit, pauimentum, & murorum fundamenta æqualia prorſus erant, & ad libellum & perpendiculum ita exacta, vt cum murus omni ex parte altitudinem centum quadraginta quatuor cubitorum habuerit, ipſius muri corona æquabilis vndique perſtiterit. Niſi volueris cum Nicolao de Lyra, montem in quo ſita eſt ciuitas tantam habere altitudinem, quantam habeat amplitudinem longitudo ſpatij eius & latitudo. Sic enim ille: *De altitudine verò, quantum ad murum, non fit hîc mentio: ſed poſtea de altitudine ſpatij, quod accipitur ſecundùm altitudinem montis, in quo deſcribitur hæc ciuitas ſita, ſecundùm*
B *quod dicitur ſupra eodem capite: Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, &c. Et ſecundùm hoc, altitudo montis huius eſt duodecim millium ſtadiorum, ſicut longitudo ſpatij, & eius latitudo, vt prædictum eſt.* Ita Nicol. de Lyra.

Dices ex Ruperto, cum in ambitu ciuitatis ſtadia duodecim millia perſpicias, ipſa autem ciuitas quadra ſit, facilè potes aduertere quot ſtadiis latera ſingula demetiantur, ſcilicet tribus millibus. Reſpondet Alcazar Ioannem cum duodecim ſtadiorum millia vrbi attribuit, de muri ambitu non agere, ſed de longitudine ſiue latitudine vrbis. Nam antecedentia verba hæc ſunt: *Longitudo eius tanta eſt, quanta latitudo*; mox adiungit: *Et menſus*
C *eſt ciuitatem per ſtadia duodecim millia*: loquitur ergo de ciuitatis ipſius longitudine, &c.

Dico tertiò muri menſurationem intelligendam eſſe de murorum altitudine: Cum enim iuxta Rupertum vnumquodque latus ſit trium millium ſtadiorum, quod longè ſuperat quantitatem centum quadraginta quatuor cubitorum; & multo magis ſi vnumquodque latus habeat, iuxta Alcazar, duodecim millia ſtadiorum ſuperat eamdem 144. cubitorum quantitatem. Certum eſt hanc menſurationem, nec de muro vnius lateris, nec de toto ambitu murorum ciuitatis debere exponi, ſed de erectione murorum in altum. De menſura diximus ſupra. Ad ſenſum igitur myſticum tranſeamus.

D

Et ciuitas in quadro poſita eſt.

Cur ciuitas dicatur in quadro poſita, & eius longitudo dicitur tanta quanta eſt latitudo? §. 2.

Primaſius: *Ideo ſanè ciuitas in quadro poſita, & omni ex parte æquali dicitur dimenſione locata, quæ nulla ſinitur inæquali diuerſitate mutari. Perfecti enim, ſecundum Apoſtolum eſſe, idem ſapere, pacem habere; verè eſt in ſoliditate quadam ſubſiſtere. Ipſa eſt ciuitas, quam ſuper montem ædificatam, id eſt, ſuper ſe fundatam in Euangelio Dominus proteſtatur. Ad hoc & Petro, qui figuram totius geſtabat Eccleſiæ, dicit: Tu es Petrus,*
E *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ac ſi diceret: Super me ædificabo te. Petra enim erat Chriſtus. Sic ergo à Petra Petrus, ſicut à Chriſto Chriſtianus docens vtique fugienda humani erroris inuenta, & ſola diuina veritatis munimenta ſectanda.* Ita Primaſ. Quæ tamen expoſitio, cum præſentem Eccleſiæ ſtatum videatur reſpicere, non ſatisfacit. meliùs Andreas Cæſar. *Vt arbitror quadrata hæc ciuitas*, inquit, *deſcribitur ad deſignandam immotam illius firmitatem. Quod enim ſecundum profunditatem, & altitudinem, & longitudinem æquilaterum eſt, illud cubus à quibuſdam appellatur. Figura autem cubica præ cæteris forma & ſtabilis habetur.* Ita And.

Ambroſius vtrumque ſtatum Eccleſiæ militantis & triumphantis videtur reſpicere, dum ait: *Per quadraturam ciuitatis perfectio deſignatur. Quadratum*

Digitized by Google

quippe lapidem in quamcumque partem verteris rectus ſtabit. Et ſi quadratum lapidem, aut aliquid quidquid quadrari poteſt, diligenter inſpexeris, perfectionem Eccleſiæ in eo eſſe depictam deprehendere poteris. Habet namque ſex latera, octo cornua, crepidines duodecim. Sex latera perfectionem demonſtrant bonorum operum: quia ſenarius numerus perfectus eſt. Habet octo cornua, ex quibus quatuor cælum, quatuor terram reſpiciunt. Quatuor igitur cornua deſignant, quæ duplicantur, quia dilectionem Dei & proximi ſpecialiter commendant. Quatuor cælum reſpiciunt, vt indicent Deum ſuper omnia eſſe diligendum: quatuor terram reſpiciunt, vt indicent proximos tanquam noſmetipſos eſſe diligendos. Duodecim verò crepidines fidem demonſtrant duodecim Apoſtolorum. A ſingulis autem cornibus tres crepidines prodeunt, vt indicent à doctrina Chriſti quæ eſt Euangelium, (quæ etiam in quatuor libros diuiditur) fidem ſanctæ Trinitatis in Apoſtolos tranſire: vt per illos ad omnes gentes migraret. Hoc totum de quadrato lapide ideo diximus, vt demonſtraremus per quadraturam ciuitatis perfectionem Eccleſiæ eſſe deſignatam. Et quia hæc ciuitas quadraturam æqualem habet, longitudo eius tanta eſſe dicitur, quanta & latitudo. Per longitudinem namque æterna gloria, per latitudinem autem charitas deſignatur. Longitudo igitur huius ciuitatis tanta eſt quanta eſt & latitudo: quia quantùm vnuſquiſque fidelis in hac vita poſitus maior fuerit in charitate, tantò maiorem gloriam in cæleſti beatitudine poſſidebit, & quantò minor fuerit charitas, tantò minor erit & gloria. Ita Ambroſ.

Rupertus: *Longitudo ciuitatis conſonantium fidei, latitudo ſufficientiam charitatis, altitudo perſeuerantiam ſpei illorum ſignificat, quæ illis remuneranda eſt.* Ita Rupertus. Quaſi innuat habitatores ciuitatis eſſe futuros, qui in hac vita, fide, charitate & ſpe fuerunt ditati.

Richardus à S. Victore c. 5. l. 7. *Sed & totius ciuitatis forma, & immobilis ſtabilitas perfectè deſcribitur, cum adiungitur: Et ciuitas in quadro poſita eſt. Longitudo tanta eſt quanta & latitudo. Quatuor ſunt latera. Ciuitatis ſanctæ, fides, ſpes, charitas, operatio. Quæ æqualia ſunt: quia quantum quiſque credit, tantum ſperat; quantum ſperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur. In quadro igitur ciuitas poſita eſt robuſta fide,* D *longanimis ſpe, ampla charitate, efficax opere. Vel quadrum ciuitatis ſunt quatuor principales virtutes in homine, prudentia ſcilicet, temperantia, fortitudo, iuſtitia, quæ æquales eſſe debent in homine, nec alia aliam debet excedere.* Ita Richard. Sec hæc nos ad præſentem ſtatum reuocant. Altiùs exſurgit Ludouicus ab Alcazar, cum ait: *Deinde,* inquit, *in quatuor quadrati ædificij lateribus congruenter adumbrantur principales quatuor diuinæ prouidentiæ perfectiones, quæ in admirando Dei opere æqualiter exſtant atque eminent. Illæ autem ſunt virtus, Sapientia, Æquitas, & Beneficentia, &c.* Et paulo poſt: *Harum quatuor perfectionum æqualitas in maximo illo Dei opere, figuratur per quadrum perfectum, cuius longitudo tanta eſt quanta & latitudo. Quod vero* E *ex quatuor lateribus vnum orientem reſpiciat, occidentem aliud, aliud ſeptemtrionem, & aliud meridiem, fortaſſe denotat cælum non minùs occidentalibus quàm orientalibus patere, nec plus ſeptemtrionalibus quàm meridionalibus.* Ita Alcazar.

Dico autem in his verbis deſignari non modò ciuitatem iſtam eſſe ſecuram, quia circumdata eſt muro inexpugnabili protectionis diuinæ; ſed etiam quia tanta profuſione bonorum à diuina bonitate cumulata eſt, cum tanta ſapientia fuit inſtituta, tanta virtute per Dei potentiam prædita, omniaque in ea à Deo iuſtè & æquè fuerunt peracta, vt nulla ratione à ſuo ſtatu dimoueri debeat. Immortalitate fruuntur eius incolæ, quidam ex ſuamet naturæ conditione vt Angeli & animæ; corpora A beatorum ex ſpeciali dono. Lumine gloriæ ſemper mentes illuſtrabuntur; Charitate Deo ſemper adhærebunt. Quid ergo eos à poſſeſſione tanti boni auertere poſſet? Longitudo & latitudo eius æqualia ſunt: quia beatitudo eſt æterna; quia ad omnes animæ & corporis facultates extenditur & dilatatur; quia non modo de propria ſalute gaudent, ſed etiam de aliorum ſalute lætantur. Sub eodem quippe motiuo gloriæ diuinæ, de ſua, & aliorum ſalute Deo congratulantur, in æternum. Vel denique omnia æqualia, quia æqualem, & eandem habent cauſam, nempe Chriſti Domini merita, qui omnibus promeruit gloriam.

B *Et menſus eſt ciuitatem de arundine aurea, per ſtadia duodecim millia. Et longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt.*

Amplitudo ſeu magnitudo ciuitatis per ſtadia duodecim millia deſignatur: & qua de cauſa? §. 3.

Exclamat Baruch. c. 3. *O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Hanc magnitudinem hìc deſignari docet Andreas Cæſar. *At verò,* inquit, *duodecim millia ſtadiorum, quot ciuitas de qua hic agitur, habere aſſeritur, magnitudinem* C *illius fortè denotant. Nam vt Propheta Dauid vaticinatur, illius incolæ ſuper arenam maris multiplicabuntur.* Ita And. Cæſar. Cui adſtipulatur Ludouicus ab Alcaz. *Immenſa,* inquit, *ciuitatis magnitudo nos reddit ſecuros fore, vt nulli merenti deſit in illa domicilium, quia in domo patris mei, ait Chriſtus, manſiones multæ ſunt. Significat inſuper glorioſiſſimam Chriſto Domino & Apoſtolis futuram ingentem illam ciuitatis magnitudinem, vbi cum innumerabilis ſit ciuium multitudo, cuncti tamen ditiſſimi, ſapientiſſimi, ac fœliciſſimi erunt. Certè in ſumma ciuitatis magnitudine potuit, facilè Ioannes cognoſcere plurimam hominum multitudinem eo demum euehendam. Cum enim tantam tamque immenſam fabricet vrbem, qui futurorum ciuium nomen probè nouit, id* D *argumento eſt maximam fore ſaluandorum hominum multitudinem.* Ita Alcazar.

Cur autem per duodecim millia ſtadia, non ambitus, vt vult Rupertus, ſed vnuſcuiuſque lateris, vt probat Alcazar, hæc magnitudo deſignetur, docet Ambroſius, dum ait: *Eandem ſignificationem habent ſtadia duodecim, quam & portæ duodecim habent, ſignificant namque Apoſtolos.* Ita Ambroſ. Cui Richardus à S. Victore conſentit, cum ait: *Duodecim millia ſtadia, per quæ ciuitas eſt menſurata, Apoſtolica doctrina perfectè impleta. Duodenarius quippe, vt ipſe antea dixit, Apoſtolicam doctrinam ſignificat, & millenarius perfectionem figurat.* Ita Richard. Rem fuſius explicat Andreas Cæſarienſ. dum ait: E *Fortaſſis per duodecim Apoſtolorum numerum, per quos ipſa inhabitatur; & ſeptenarium qui ipſe itidem myſticus eſt, facta quadam calculatione, & reſolutione: quod quæritur inuenietur. Etenim prædicta duodecim ſtadiorum millia mille ſeptaginta & quatuordecim ſigna, quæ vulgo milliaria conficiunt. E quibus mille interminabilis vitæ perfectionem inſinuant, ſeptingenta autem perfectam requiem, quatuordecim vero duplicem ſabbatiſmum, animæ nimirum & corporis quietem bis enim ſeptem conſtituunt quatuordecim.* Ita And. Cæſar.

Et certè probabile eſſe exiſtimo, & ad duodecim nomina Patriarcharum & Apoſtolorum inſculpta in portis & fundamentis, habere rationem: vt ſciamus nullum admitti intra ſpatium huius ciuitatis, niſi qui fuerit filius promiſſionis, ex myſtico Iſraële Chriſto, ſpiritualiter oriundus,

Digitized by Google

A

& qui Apoſtolorum doctrinæ ac fidei adhæſerit, aut poſt eorum in cælis gloriam adeptam eorum autoritatem in ſucceſſoribus agnouerit, eorumque mores pro poſſe imitatus fuerit: Sed cur per ſtadia non per milliaria menſura ſpatij ciuitatis huius exprimitur, hoc fit vt ſciamus ſolum his patere aditum, qui in ſtadio currentes fæliciter brauium acceperunt. Stadium quippe eſt longitudo itineris, in quo curritur, vt brauium acquiratur. Vnde Apoſtolus: *Neſcitis quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium?* Vnde optimè per ſtadia ciuitas menſuratur, quia cæli gloria eſt pro fideliter certantibus in via; quibus corona promittitur, quia illorum eſt poſſeſſio, qui curſum ſuum, fideliter decertantes contra diabolum, mundum, & carnem fæliciter conſummarunt.

B

Quid ſit autem illam menſurari arundine aurea, hoc deſignare exiſtimo magnitudinem illius ciuitatis proportionem ſeruare cum magnitudine meritorum Chriſti, talemque ei conferri gloriam, qualem Chriſtus promereri voluit vt conſummaret opus ſuum, de quo dicebat Ioan. 17. *Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam.* Quaſi, inquit S. Chryſ. apud Thomam in catena, dicat. *Ea quæ ex parte mea ſunt omnia feci. Aut quia cum id quod maximum factum eſt, dici poteſt totum iam factum eſſe, radix enim bonorum ſubmiſſa erat, quam omnino debebat ſequi fructus; & quia his quæ futura erant ipſe iam aderat, & copulabatur.* Ita Chryſ.

C

Fructus autem operis Chriſti in vita conſummati, cum præcipuè in cruce pendens dixit: *Conſummatum eſt*: erit cum venerit finis, *cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*; id eſt, cum tradiderit Eccleſiam Deo & patri, vt in ea glorioſè regnet in æternum. *Et regni eius non erit finis.* Luc. 1. Tradet regnum Deo & patri, id eſt, cum ſubiectione & gratiarum actione Chriſtus homo glorioſum illud regnum ſuum Deo Patri ſuo offeret, profitens vniuerſam regni ſui gloriam illi auctori ſe acceptam referre; eamque profeſſionem ſuam omnibus tam Angelis quam hominibus, nec electis modò, verumetiam reprobis faciet manifeſtam, vt omnes agnoſcant potentiam, & gloriam eſſe ſolius Dei, denique ad eum vt principium & in eum vt in finem omnia eſſe referenda, vt ſit Deus omnia in omnibus: Et quia Chriſtus omnia perfecit ad eum finem, ideo menſuranda eſt illa ciuitas menſurâ aureâ illum deſignante, vt videatur manifeſtè an opus, artificis voluntati & intentioni reſpondeat, & Deus in illo tantopere clarificetur, & honorificetur, quanto Chriſtus voluerit. Tunc omnia in omnibus erit Deus, quia cum ſit Deus in Chriſto, cum ſinguli ſanctorum collectiuè ſumpti omnes virtutes habeant, & Chriſtus ſit in cunctis totus, Deus erit omnia in omnibus. Optimè igitur Sedulius Hybernienſ. in Paulum: *Traditio regni, noſtra eſt perfectio: cum etiam ex integro filij eſſe meruerimus.* Ita Sedul. *Cum* addit Primaſ. *incorruptibiles factor electos ſuos ad contemplationem illam perduxerit, de qua S. Ioannes dicit: Videbimus eum ſicuti eſt. 1. c. 3.*

Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſurâ hominis, quæ eſt Angeli.

Altitudo exaltationis nominis Chriſti pro humiliatione paſſionis, deſignatur in numero 144. & tantam debere eſſe ſecuritatem beatorum, quanta eſt Chriſti apud patrem autoritas.

ANNOTAT. XVII.

IAM diximus menſurationem muri eſſe ſecundum erectionem illius in altum. Quod cum exiſtimant Rupertus & Richardus à S. Victore, coguntur plures muros fingere. *Ex ipſa litera ſuperficie,* inquit Rupertus, *ſentire compellimur quod murus alius breuior inter murum ampliorem contineatur. Quid ergo,* addit Rupertus, *dicemus, niſi quia quamuis vna ciuitas vna Eccleſia ſit, duo tamen ſunt ordines ciuitatis; alius eorum qui foris perſecutiones paſſi fortiter ſunt præliati; alius eorum, qui benè operando in pace Eccleſiæ curſum conſummauerunt vitæ præſentis. Stadia namque pugnantium laborem, cubiti ſignificant operantium pacem. Menſus eſt ergo ciuitatem de arundine per ſtadia duodecim millia. Id eſt: Remunerauit magnum & fortem illum ſanctæ Eccleſiæ ordinem, qui in ſtadio cucurrit, & pugnauit: & per quatuor partes orbis terrarum ſanctæ Trinitatis fidem teſtificando, (qui numeri ſcilicet quaternarius atque ternarius partes ſunt duodenarij, quater namque tria, ſiue ter quater, ſunt duodecim) ſuum pro eodem teſtimonio ſanguinem fudit. In quo nimirum ordine Apoſtoli ſunt, & martyres Chriſti. Huius profectò ordinis murus amplior breuiorem centum quadraginta quatuor cubitorum interiùs murum continet, quia tãtorum merita propugnatorum hoc effecerunt, vt infirmorum multitudo in Chriſti fide confirmata, bonis operibus inſiſtendo, ad eiuſdem ciuitatis habitationem perueniret.* Ita Rup.

D

Richardus autem: *Superiùs,* inquit, *dixit, Murum; hic dicit muros. Habet nimirum Ieruſalem noſtra murum, quia defenſorem habet Chriſtum; habet muros, quia habet munitores, Doctores & Rectores Eccleſiaſticos, quorum menſura perfectè declaratur cum dicitur: Et menſus eſt muros eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſurâ hominis, qui eſt Angeli. Centenarius ſignificat perfectionem; quadragenarius, qui ex quater decem conſurgit, quatuor Euangeliorum & decalogi completionem; quaternarius quatuor principalium virtutum exercitationem; cubitus operationem. Muri igitur Ieruſalem centum quadraginta quatuor cubitos habent, quia ſanctæ Eccleſiæ defenſores perfecta operatione proceſſum quatuor Euangeliorum atque decalogum, cum exercitatione quatuor principalium virtutum complent: Et hæc eſt hominis iuſtitia. Nec eſt vilis, nec contemnenda tanta, taliſque menſura. Per eam nimirum homo in ſe iuſtificatur, per eam Angelo ſocialiter coæquatur. Propterea dicit: Menſurâ hominis, quæ eſt Angeli. Hæc etenim menſura hominis, eſſe menſura Angeli affirmatur, quia per hanc homo reparatus in mundo, Angelo in cælo ſociatur.* Ita Richard. l. 7. c. 5.

E

At iam diximus non ambitum muri menſurati, ſed eius in altum erectionem. Habet igitur murus duodecim millia ſtadiorum longitudinis vniuſcuiuſque lateris quadratæ ciuitatis, & centum quadraginta quatuor cubitos altitudinis. *Cubitus autem vſualis,* inquit Nicolaus de Lyra, *tenet pedem & dimidium, id eſt, tantam longitudinem, quanta eſt à cubito brachij vſque ad manum, ſecundum aliquos; ſecundum verò alios, tenet duos pedes, id eſt, tantum ſpatium, quantum eſt à cubito brachij, vſque ad ſummitatem digitorum: quod eſt magis veriſimile iudicio meo.* Ita Nicol. de Lyra in 6. c. Geneſ. *Sanctus etiam Hieron.* inquit

Digitized by Google

Cornel. à Lapide, in 21. c. Apocal. *& in hunc locum & paſſim veteres cubitum vocant menſuram, quæ à curuatura brachij, vſque ad extremum manus & digitorum protenditur, quæ eſt quarta pars ſtaturæ hominis, non autem à flexu brachij ad manum tantum: qua ratione cubitus eſſet ſexta hominis pars.* Ita Cornel. Vult tamen Alcazar quòd cubitus in ſacris literis ſiue maior ſit, ſiue minor, non ſit quarta humanæ ſtaturæ pars, vt plerique putant, ſed ſexta. Quidquid ſit, ſenſum myſticum exquiramus eleuationis muri per centum quadraginta quatuor cubitos, & quid ſibi vult quod ait S. Ioannes, menſurati murum menſurâ hominis, quæ eſt Angeli.

Quantum ad primum, cum murus hic duas habeat, ex ſupradictis, ſignificationes: Primam, vt ſignificet Chriſtum protectorem, pro hac ſignificatione dico altitudinem muri huius ſignificare altitudinem gloriæ, & exaltationis nominis, quam Chriſtus ſibi promeruit, dum pro nobis humiliari voluit, & per paſſionem ſuam ac mortem nobis vitam æternam acquiſiuit, Sicut enim patri honorem defert, tradendo regnum Deo & Patri, oſtendendo Eccleſiæ non ſe eſſe (vt ait Ambroſius apud Guillaudium in Paulum) ex quo omnia, ſed per quem omnia; Ita pater honorat filium, dum beatis oſtendit ſe illos beare, fouere in æternum, ſibi ſociare, & charitate perpetua diligere propter merita Chriſti. Altitudo autem gloriæ Chriſti eſt centum quadraginta quatuor cubitorum. Per cubitos namque ſignificantur opera Chriſti fortiſſima, quibus nos redemit in manu potenti & brachio excelſo. Quorum operum valor maximè exprimitur in numero centum quadraginta quatuor. Infinitus quippe valor meritorum Chriſti in centeſimo numero deſignatur. Eſt enim hic numerus perfectionis ſymbolum. Valor quippe operum Chriſti non ſolùm ex entitate & morali bonitate actionis ſumendus eſt, ſed maximè ex dignitate & ſanctitate operantis, nempe Chriſti, qui fuit infinitæ dignitatis & ſanctitatis: vnde eius actiones ſuum valorem immediatè acceperunt ex infinita dignitate perſonæ Verbi, cui tribuebantur actiones humanitatis Chriſti, quatenus illa perſona ſuſtentabat & terminabat humanam Chriſti naturam operantem, quo ſenſu dici ſolet actiones eſſe ſuppoſitorum. Secundò eumdem valorem acceperunt ex infinita dignitate humanæ naturæ, non præciſè ſumptæ, ſed quatenus per diuinitatem erat ſanctificata, & quaſi deificata. Nam diuinitas in Chriſto fuit quaſi forma quædam ſanctificans & deificans humanitatem; ac proinde actiones humanitatis procedebant ab humanitate ſanctificata & deificata, ideoque erant infiniti valoris, & proinde infiniti meriti: Suis quippe meritis acquiſiuit militanti Eccleſiæ talem theſaurum, qui nunquam conſumendus & diminuendus eſt, eo quod meritum Chriſti fuerit infinitum, tam ratione infiniti valoris, ac dignitatis, quàm quod illis promiſſum ſit præmium ſine vlla limitatione, ſeu in infinitum, vt patet ex Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum:* & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Id eſt: Omnia tradet in manum Chriſti, vt poſſit exigere dona gratiæ pro nobis ſine vlla reſtrictione. Cum igitur centeſimus numerus ſymbolum ſit maioris fructus, qui poſſit afferri ab iis qui Dei dona ſuſcipiunt, iuxta parabolam ſeminantis. Matt. 13. *Alia ceciderunt in terram bonam & dabant fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.* Certè ſi meritum cadens in opera viatorum cum vltimam attigit perfectionem, per centenarium numerum deſignari poteſt, cum cadit in opera perſonæ infinitæ dignitatis, ip-

A ſius infinitus valor per eumdem numerum optimè deſignari poterit. Et quia omnes actiones Chriſti, non ſingulæ, ſed ſimul ſumptæ, ſunt infiniti meriti quatenus per voluntariam mortem fuerunt conſummatæ, nam ipſemet de ſe & morte ſua ſic ait Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et v. 32. *Et ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum.* Et vt Paulus ait, Hebr. 2. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.* Et Heb. 5. *Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Et cap. 9. *Ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* B Ideo numero centenario quadragenarius additur, qui numerus ſymbolum eſt pœnitentiæ, pœnæ, laboris, & mortificationis, vt patet ex Auguſt. tract. 17. in Ioan. vt ſciamus altitudinem gloriæ Chriſti per paſſionem, & mortem ſuam fuiſſe comparatam: Et quia per opera ſua primò Patrem glorificauit: Secundò, meruit ſibi gloriam corporis, exaltationem nominis, Hebr. 2. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Tertiò, Meruit nobis gratiam iuſtificantem, & remiſſionem peccatorum, dona gratiæ, bonorum operum merita, augmentum gratiæ, donum perſeuerantiæ, remiſſionem, & relaxationem pœnarum tempora- C lium, & tandem vitam æternam. Quartò, denique meruit pro Angelis myſteriorum reuelationem. Ideo ad cumulum gloriæ meritorum operum Chriſti quatuor cubiti adhuc adduntur, vt exſurgat completè numerus centeſimus quadrageſimus quartus cubitorum. In centeſimo perfectio operum, in quadrageſimo, modus eminentior eiuſmodi perfectionis: in quarto, quid meruerit ſibi nobis, & Angelis, in his operibus patrem ſuum glorificando.

Menſuratur autem hic murus menſurâ hominis, quæ eſt Angeli. Id eſt: hi centum quadraginta quatuor cubiti dimenſi ſunt humanâ menſurâ, quam Angelus manu habebat. Sed hoc myſticè D innuit tantam eſſe gloriam humanæ naturæ in Chriſto, quantum capere poteſt eius capacitas, quæ tanta eſt vt Angelorum naturæ (quantum ad donum gratiæ & gloriæ) poſſit coæquari. *Hac enim,* inquit Richard. à S. Victore, *hominis eſſe menſura Angeli affirmatur, quia per hanc homo reparatur in mundo, Angelo in cælo ſociatur.* Ita Richard. *Æquales enim,* inquit Dominus, *erunt Angelis, & filij ſint Dei, cum ſint filij reſurrectionis,* vt notat Rupertus, iuxta literam. Addit ille: *Cum dicit, menſura hominis, quæ eſt Angeli, Angelum ſibi apparuiſſe innuit in figura hominis.* Ita Rup. Et optimè, vt reuocaret in memoriam hanc Chriſto gloriam obuenire, vt propter eum, ſeu eius intuitu beati à Deo prote- E gantur, & æterna beatitudine in æternum potiantur: quia propter homines, & propter eorum ſalutem homo fieri voluit, vt mortem ſubiret, vt quò magis deprimebatur, eo plus exaltaretur; dum per eius merita homines, eius imitando labores, & paſſionis eius facti participes, fierent ſanctæ & adorandæ Trinitatis domicilium. Quod inſuper in hoc numero benè exprimitur: nam centum quadraginta quatuor cubiti complectuntur trigeſies ſexies ſex cubitos, qui menſuram, & ſtaturam hominis conficiunt trigeſies ſexies. Igitur repetitur, menſura hominis, id eſt, magnitudo ſtaturæ hominis, quæ ſymbolum eſt perfectionis ſibi conuenientis: quia per labores ad tantum honorem euehitur, vt Trinitatis adorandæ ſit domicilium: ſex enim ſunt ſymbolum laboris, triginta perfectæ co-

Digitized by Google

gnitionis ſanctiſſimæ Trinitatis.

At inquies, ſi murus eſt Chriſtus, menſura etiam ſit Chriſtus, quomodo Chriſtus dici poteſt Chriſto menſurari? facilis eſt reſponſio Chriſtus patiens, laborans, & tanquam viator, meritis diues, poteſt eſſe menſura gloriæ, quæ illi obuenit propter ſuam humiliationem, iuxta illud ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit, illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Exaltatio quippe magna illi eſt, quòd propter eius reuerentiam Beati ſecurè in æternum beatitudine perfruantur.

Si autem per murum ſecuritatem Beatorum ab omni externa impugnatione intelligamus; Cum illa oriatur ex protectione Chriſti, qui murus eſt, dicere poſſumus illam eſſe altitudinis centum quadraginta quatuor cubitorum, id eſt, tantum quantum concipi poteſt ex vera cognitione valoris infiniti operum Chriſti, & Charitatis, quam erga nos exhibuit, dum ſemetipſum tradidit pro ſalute noſtra, vt patri obediret ſibi nominis exaltationem compararet nobis vitam æternam acquireret, & Angelorum ruinam repararet. Quam reparationem Primaſius vult ſub intelligi in his verbis: *Menſura hominis, quæ eſt* Angeli. Sic enim ait. *Angelum hic Eccleſiam ſæpe poni aperta locorum frequentia proteſtatur. Et quoniam ex hominibus conquiſita conſtat Eccleſia, & Chriſti promiſſione ſublimata, Angelorum æqualitatem ſperat, omniſque eius intentio eorum ſocietati ſuſpirat; propterea dicit. Menſura hominis, quæ eſt Angeli; Vel quod illa ciuitas partim ex Angelis ibi iam perpetua fælicitate manentibus, partim ex peregrinis, id eſt hominibus conſtat plenius regnatura. Aliter, ſiue quia detractum cæleſti habitationi Angelorum quodam numero tranſgreſſorum, hominum numero redemptorum fidimus inſtaurandum: Facile enim vberiore copia ſubrogabitur, non tamen minuetur. Hinc enim in Deuteronomio canitur: Statuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei, &c.* Ita Primaſ.

Et erat ſtructura muri eius ex lapide Iaſpide: ipſa vero ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.

Qua ratione Beati obtinuerunt vt Chriſtus ſit ipſis in æternum pro muro, & ſecura beatitudine fruantur?

ANNOTAT. XVIII.

MONET ſanctus Ioannes ſtructuram, ſeu vt legit Primaſius, ædificationē muri huius eſſe ex Iaſpide. Exhortamur quippe, vt ipſe notat ex S. Petro 1. c. 2. vt tanquam lapides viui ædificemur in domum ſpiritualē. Hoc præſtant qui ſuper Chriſtum (fide illius accepta) à quo continentur omnia fundamenta, ſuper quem tota compages Eccleſiæ conſtructa eſt, ædificant aurum, argentum, lapides pretioſos, non lignum, fænum, ſtipulam, aurum ſapientiæ, quæ vitia conterat, virtutes nutriat, imitans Pſalmiſtam, qui dixit: in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Argentum, prædicationis ſermonis diuini, de quo idem Pſalmiſta dicit. Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum. Bonum quod quis didicit alios docendo, vt eos ad bona opera agenda pertrahat; Lapides pretioſos bonorum operum non ligna, fænum aut ſtipulam, non dico minimorum peccatorum, non enim ſuper Chriſtum peccata, ſed virtutum opera ædificantur, inquit Ambroſius in verſ. 14 huiuscapitis; ſed nec ligna, id eſt terrena quædam opera, v. g. dum quis terre-

A no operi inſiſtit, vt habeat vnde viuat, ne fortè neceſſitate compulſus furari cogatur. Nam Apoſtolus præcipit vt cum ſilentio operantes vnuſquiſque panem ſuum manducet, quod tunc fit quando quis hæc opera exercendo, illa in nomine Chriſti exercet; ſed nec fænum, id eſt amorem terrenum, cum quis pro affectu carnis, vxorem, filios, fratreſque diligit, vt viri vxores, vxores filios, filij parentes, parentes filios ſuos diligant: quia eos in Deo diligere debemus. *Per ſtipulam autem*, inquit Ambroſius, *eos poſſumus intelligere, qui pro eo quod eos libido exagitat, & ſe continere non poſſunt, vxores accipiunt. Sed & hoc Apoſtolus præcipit dicens: Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Et quia talis conuerſatio ſine crebris offenſionibus*
B *eſſe non poteſt, dicit per ignem tales eſſe ſaluandos, id eſt, per ignem purgatorium.* Ita Ambroſ. Sicut enim aurum, quod ex aliis permixtionibus ſordidum efficitur, per ignem purgatur: ita & iſti ſordibus, quas ex mundanis actibus, per ignem mundantur, vt digni fiant electorum numero ſociari. Non igitur ſtipulam ſuper hanc fidem ædificemus, niſi velimus igne adurenti torqueri, vt purgemur. Hunc locum Apoſtoli Pauli aliter explicat S. Auguſt. lib. 21. de ciuit. Dei c. 26. *Vide*, inquit, *in Apoſtoli verbis hominem ædificantem ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos. Qui ſine vxore eſt, inquit, cogitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Vide alium*
C *ædificantem ligna, fænum, ſtipulam. Qui autem Matrimonio iunctus eſt, inquit, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori. Vniuſcuiuſque opus ſit quale ſit manifeſtabitur. Dies enim Domini declarabit, dies vtique tribulationis. Quoniam in igne, inquit, reuelabitur. Eamdemque tribulationem ignem vocat, ſicut alibi legitur. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Et vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit, ſi eius opus permanſerit (permanet enim quod quiſque cogitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo) quod ſuperædificauit, mercedem accipiet; Id eſt, vnde cogitauit, hoc ſumet. Si cuius autem opus arſerit, damnum patietur: quoniam quod dilexerat non habebit. Ipſe autem ſaluus erit, quia eum nulla tribulatio ab illius fundamenti*
D *ſtabilitate ſemouit. Sic tamen quaſi per ignem: quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine vrente dolore non perdet. Ecce, quantum mihi videtur inuentus eſt ignis, qui nullum eorum damnet, ſed vnum ditet, alterum damnificet, ambos probet.* Ita Auguſt.

Quidquid ſit, ſiue per illum ignem, ignem purgatorij intelligas, cum multis interpretibus, quod ſatis probabile videtur ex verbis S. Pauli dicentis: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit 1. ad Cor. 3. Dies enim Domini propriè dicitur dies iudicij. In quo die *ignis ante faciem ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Vnde ſi de tribulatione loqui intenderet Paulus, diceret
E potiùs pro præſenti vita: Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probat. At cum dicit, *Probabit*, in futuro, non de tribulatione quæ tranſiit loqui videtur, ſed de igne illo qui præcedet ante faciem eius in die iudicij, qui inflammabit in circuitu inimicos eius, iuſtos purgando, reprobos in æternum cruciando; Siue cum S. Auguſtino ignem tribulationis intelligas, illi certè poterunt de Chriſti protectione potentiſſima gaudere in perpetuum, & ſecurè frui illa fælicitate æterna, qui ædificauerunt aurum, argentum, & lapides pretioſos. Et ſi ædificauerint ligna, fænum, aut ſtipulam, opera terrena pro Chriſti nomine exercuerunt, terrenos affectus in Deo omnia diligendo purgauerunt: & ſi quid in eis remanſerit terreni affectus, per patientiam in tribulationibus mundauerunt. Et eſto

Digitized by Google

venialiter quis peccauerit, quia non in Deum ſua opera retulit, iuxta Apoſtoli præceptum 1. ad Cor. 10. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite*; & aliquid non in Deo dilexit, nec patienter tribulationes ſuſtinuit, à fundamento tamen nempe Chriſto non excidit, ſed iuxta S. Gregorij mentem lib. 4. dialog. c. 39. Per ignem poterit ſaluari. Saluari namque poteſt per ignem, non qui ſuper hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id eſt, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia ædificat; ſed lignum, fænum, vel ſtipulam, id eſt, peccata minuta atque leuiſſima, quæ ignis facilè conſumat, vel affectus quorumdam terrenorum & carnalium, propter quos in iſta peccata venialia frequenter cadimus.

Si quæras igitur qua ratione beati obtinuerunt vt Chriſtus ſit ipſis in æternum pro muro, & ſecurè beatitudine æterna fruantur; Reſpondeo quia ſuper Chriſtum per fidem ædificium ſuum conſtruxerunt, ex auro charitatis, argento contemplationis, lapidibus pretioſis quarumlibet virtutum.

Quare autem illa conſtructio, ex auro & argento, & lapidibus pretioſis, per vnicum lapidem Iaſpidem ſignificetur? Quia Iaſpis eſt ſymbolum omnium virtutum, & donorum cæleſtium, propter ſoliditatem quæ in vnaquaque virtute reperiri debet. Eſt enim virtus, quædam conſtans animi voluntas exercendi hos vel illos actus. Secundò propter diuerſitatem colorum, qua deſignatur diuerſitas virtutum: Tertiò quia loquitur Ioannes, vt notat Alcaz. appoſitè ad mentem illorum, qui peculiariter Iaſpidi proprietatem attribuebant vt dæmones procul amandet; vt daret ſymbolum proprietatis virtutum, quæ dæmones arcent & expellunt. Nam per quælibet bona & virtuoſa opera dæmones à nobis expellimus. Hinc Iſaiæ c. 54. dicitur: *Ponam Iaſpidem propugnacula tua*. Quaſi diceceret: Omnibus virtutibus eris adornata: Itaut etſi vndique ab hoſtibus impugneris, & tentationibus tuis voluerint te à bono auertere, illos fugabis virtute munita: itaut verè dicatur Iſa. 60. *Occupabit ſalus muros tuos*. Nec ita abſurde dici poteſt Iaſpidem dæmones fugare, vt prima fronte videri poſſet: nam tanto odio dæmones virtutem proſequuntur, vt ea quæ imaginem quamdam eius boni, quod in virtute reperitur, præ ſe ferunt, pati non poſſint. Quod & in nobis experimur, ſi aliquem oderimus: moleſtè enim & ægrè toleramus quidquid illum menti & cogitationi occurrere cogit. Optimè igitur Iſaias inter alia, Eccleſiæ promittit Iaſpidem fore propugnacula eius. *Paupercula*, inquit c. 54. *tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris, & ponam Iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis: & in iuſtitia fundaberis. Recede procul à calumnia, quia non timebis; & à pauore, quia non appropinquabit tibi.* Ita Iſ. Quæ reuera perfectè complebuntur, cum poſitis fundamentis ex omni lapide pretioſo, ex Iaſpide, ſaphiro, & cæteris de quibus poſtea, ſuper ſtructus videbitur murus ex varietate omnium virtutum compactus. Quod non potuit melius adumbrari quàm lapide Iaſpide, qui varietatem admittit colorum. Denique cum ex Lud. ab Alcaz Iaſpis ſit ſymbolum omnipotentiæ diuinæ; omnipotentis Dei manus auxilio opus fuit, vt vnuſquiſque ſibi hunc murum per actus quarumlibet virtutum conſtrueret, & tutam ac ſecuram ſibi domum in cælis ædificaret.

A *Ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.*

Deus electis diſtribuit diſtinctas manſiones, ad diſtinctionem meritorum: quæ vnicuique manifeſtantur, vt ex mutua Beatitudine Deo laudes & gratias agant.

ANNOTAT. XIX.

EX his verbis conjicit Ludouicus ab Alcaz. Intra muri ambitum debere reperiri ædificia; & ſicut murus huic ciuitati datur, propter congruentiſſimam ſignificationem, quamuis nulla ſit muri
B neceſſitas; ita domus ibi conſtructas dicendũ eſt ad congruentem meritorum diſtinctionem, iuxta illud Ioan. 14. *In domo patris manſiones multæ ſunt.* Domorum item pulchritudo atque diſtinctio apprimè conducit ad ipſius vrbis decus & ornamentum, eſto nullum ſit opus hac familiarum diuiſione, nulla ſit aëris intemperies, à qua defendi debeant; nihil ſibi ab inuicem timeant; domus tamen iſtæ congruenter in hac ciuitate conſtructæ dicuntur, ad pulchritudinem, voluptatem & proportionem, & ad ſignificandam & denotandam meritorum diſtinctionem. Ex auro autem ædificatur tota illa ciuitas: quia *ſicut aurum in fornace: probauit electos*
C *Dominus*; Quia inter metalla aurum eſt ductilius ad deſignandum Deum pro libito omnia peregiſſe, & vnicuique ſuam manſionem aſſignaſſe, iuxta illud Chriſti Domini. *Sedere autem ad dexteram meam aut ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Et ipſe Dominus in cælum aſcendens diſcipulis dicebat: *Vado parare vobis locum.* Quia igitur Deus & Chriſtus vnicuique prout voluerunt, loca ſingulis Beatorum parauerunt, ideo hæc ciuitas ex auro ductili cenſetur fabricata. At illud aurum mundum eſt, quia nihil mali cum tanta beatitudine erit admixtum, nihil incommodi cum tanta fælicitate; & non tantum. Mundum, ſed pellucidum: qua domorum perſpicuitate, in-
D nuitur ſupernorum ciuium ſingulos omnium pariter gloria potiri, ob mutuam omnium inter ſe vnionem & concordiam, qua alij de æterna aliorum fælicitate ſummopere lætantur. Denique in illa pelluciditate deſignatur, illos omnia quæ foris ſunt abſque vllo impedimento poſſe etiam dignoſcere, vt de omnibus quæ in cælo ſunt & fiunt, vnuſquiſque beatorum ad laudes & gratiarum actiones Deo reddendas promoueantur. Rectè igitur Andreas Cæſar. *Structura muri eius Iaſpis, quæ beatam ſemperque vernantem ſanctorum vitam demonſtrat, vt ſæpe iam ante dictum eſt. Aurum autem eius dicitur purum, tanquam vitrum, ad ſignificandum illorum ſplendorem, conſpicuamque claritatem qui in ea habitant.*
E Ita And. Et benè, quia nihil gerunt in corde beati, quod aliis timeant reuelare, ſed ad eumdem finem eorum cogitationes conſpirant, vt Deus in ſeipſis honorificetur & glorificetur in æternum.

Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.

Per fundamenta à nobis ſuperiùs aſſignata, fugantur omnia mala, quæ Beatitudinem perturbare poſſent.

Præfatiuncula.

FVNDAMENTA, inquit, *Muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.* Id eſt: in fundamentis nullus lapis reponitur, qui non ſit pretioſus. Poteſt

Digitized by Google

enim fieri, vt aliquis alius lapis pretioſus ſit, qui ad hæc fundamenta myſtica deſignanda non aſſumitur: Sed nullum eſt ex his fundamentis myſticis beatitudinis, quod non per aliquem pretioſum lapidem figuretur, vt videbimus poſtea.

Diximus igitur ſupra fundamenta iſtius ciuitatis bebere eſſe quædam bona à Deo beatis omnibus collata; quibus omnia mala, per quæ eorum beatitudo perturbari poſſet, propulſantur. Videndum igitur primò, quænam ſint illa mala propulſanda; ſecundò, quibus bonis propulſati debeant; tertiò, quomodo illa bona optimè per lapides in his fundamentis poſitos deſignantur. Ad cuius rei expoſitionem, de proprietatibus illorum lapidum erit aliquid diſſerendum; deinde applicatio illarum proprietatum ad myſtica fundamenta deſcribenda demonſtranda erit.

Quibus malis beatitudo poteſt perturbari?

ANNOTAT. XX.

SIT in hac vita aliquis Rex potentiſſimus, qui cum Salomone in gloria & fælicitate temporali poſſit comparari, imo ampliorem habeat dominationem, maioribus abundet diuitiis, delicatioribus affluat delitiis, ſapientia maiori decoretur, tranquilliori pace fruatur; Dico duodecim potiſſimùm malis hanc illius fælicitatem poſſe perturbari.

Primum eſt, quod ipſe Salomon expertus eſt, inſtabilitas quædam cordis humani, quæ tanta eſt, vt nunc rei alicui adhæreamus, mox ab ea diuellamur, vt aliam proſequamur, nec dignitate nec magnitudine rei detinemur, quin ſtatim ad aliquid aliud concupiſcendum euolemus, lege librum Eccleſiaſtes, à c. 1. Vſque ad ſextum; huius inſtabilitatis imaginem depictam reperies. Ab inueſtigatione ſapiente effectuum naturalium tranſit ad ſtudia rerum moralium, vt ſciret prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam; A contemplatione iſta ſe contulit ad vitam voluptuoſam, ſed mox riſum reputat errorem, & gaudio dixit: *Quid fruſtea deciperis?* Ideo aliâ viâ ſibi eundem eſſe exiſtimauit, & per abſtinentiam à rebus voluptuoſis, totum ſe dedit vt aliquid ſapienter inueniret, in quo humana mens vtiliter quieſceret, & perpetuam quamdam in hac vita lætitiam, voluptatemque conſequatur: Ædificat domos, plantat vineas, hortos & pomaria facit, extruit piſcinas, ad arrigandas arbores & ſyluas; ſeruis & ancillis plurimis abundat, coaceruat aurum & argentum; habet ad delitias ſenſuum quoſlibet miniſtros; & opilius affluens adhuc ſapientia cum eo permanet; & denique omnem oculorum concupiſcentiam, & animæ appetitum circa voluptatem, ad executionem perduxit. Quanta, quæſo, cordis inſtabilitas? Quis beatum ſe eſſe reputabit in tam difficili mentis occupatione in hac ſpiritus afflictione, in his laboribus, vanitatibus? *Et idcirco*, ait ipſe, *taeduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus. Et reuera*, vt ait Olympiodorus in Eccleſiaſtem, *voluptatem vitæ, circuitum, circulationem nuncupari vult, & non modo peripboram, ſed & parphoram, id eſt, inſanam extaſim, mentiſque exceſſum, inſanire enim videtur, ac eſſe ſui oblitus, qui in loco miſeriæ & lachrymarum lætandum ſibi eſſe falsò exiſtimat.* ait Olym. *Qui verò*, vt ait poſtea, *ſapientiam adamauit, Deo duce fæliciter ductus ſequitur penitus conſultationem, hoc eſt, inueniet quod affectabat.*

Secundùm malum, quo perturbatetur in hac vita fælicitas, eſt mentis cæcitas circa vltimum finem,

A & ignorantia eorum quæ ſibi obuentura ſunt, poſt vitæ huius exitum. Certè *cunctæ res difficiles non poteſt eas homo explicare ſermone.* Eccleſ. 1. Vitæ huius breuitas, diſtractionum multiplicitas, paſſionum internarum perturbationes, complexionis intemperies, ſenſuum deceptiones; & imbecillitas mentium ad verum diſcutiendum inter tot opiniones, quæ ſeſe offerunt, reddunt mentem cæcam & eius acumen obtundunt; & cum tanta difficultate ad rerum etiam viſibilium & ſubſenſum cadentium cognitionem peruenitur, vt inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole ſapiens vocet *occupationem peſſimam, quam dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea*; & ſtultorum numerum infinitum
B eſſe proclamet. Si in his rebus inueſtigandis, quæ nobis ſunt quaſi familiares (quia ſubiacent ſenſibus) tanta difficultas inſit, quis nobis rerum diuinarum ſcientiam impertietur? Quis nobis aperiet ad quem finem ſimus procreati, vt illo conquiſito & poſſeſſo, requiem cordis poſſimus inuenire, quod quidem in motu ſemper eſt, donec in vltimo fine conquieſcat? Certè ſi homo ignorat quid conducat ſibi in vita ſua, quomodo ad ſuperiora indaganda, & ad primæ cauſæ cognitionem & contemplationem euehi poterit? Quomodo ſciet quid illi futurum ſit poſt exitum vitæ? Quæ certè neſcientia & ignorantia fælicitatem illius poſſet plurimum perturbare, etſi omnibus afflueret, ac voluptati-
C bus potiretur. Anxius enim inter delitias remanebit, dum cogitabundus apud ſe reputabit, quamdiu his fruar? Quis meus erit finis? Quis & qualis erit vitæ meæ terminus, & quid poſtea mihi obuenturum eſt? At certum eſt homines multa de Deo & vltimo fine ignorare, ſeipſos non facilè dignoſcere, rerum viſibilium cauſas cum magna difficultate inueſtigare, inuiſibilia neſcire, eſſentias & proprietates rerum, actionum humanarum fontes & origines, hominumque mores, & conſuetudines vix apprehendere, diſcernere, ac penetrare poſſe; contingentia & futura perſpicacitatem mentis illius effugere. Quorum omnium ignorantiâ aut ſaltem neſcientiâ in varios errores incidit, quibus
D fælicitas, illius perturbari neceſſe eſt, dum falſa pro veris proſequitur. Sed eſto aliquis ſit ſapientia plenus, ſcientia præditus; audi ſapientem monentem quod *In multa, ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam addit & laborem.* Tertium malum perturbans fælicitatem eſt cognitio & apprehenſio corruptibilitatis & mutabilitatis, qua ſentimus impoſſibile eſſe nos ſemper in eodem ſtatu permanere. Quæ ſubiectio mutabilitati ſi permaneret in patria, certè plurimum perturbaret illud gaudium beatorum, quo afficiuntur ex fruitione & viſione Dei: ſiquidem nunc. *Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Nunc, vt ait Apoſt. *vanitati creatura ſubiecta eſt etiam non volens.* Rom. 8. Si huic
E mutationi adhuc eſſemus obnoxij in patria, quo maius eſt bonum illud quo fruuntur beati, eò miſerabiliores viderentur, ſi propter naturæ corruptionem aut mutabilitatem ab hoc ſtatu poſſent dimoueri; & quo clarius Deum videntes, agnoſcerent ſe viciſſitudinibus eſſe obnoxios, tantò magis ſe infæliciores reputarent eleuatos fuiſſe ad tantam gloriam, vt poſtea ab ea deturbari cogerentur.

Et quia omnia bona huius vitæ ſunt tranſitoria, Chriſtianos S. Paulus reputabat miſerabiliores omnibus hominibus, ſi tantùm in hac vita in Chriſto ſperantes eſſent 1. ad Cor. 4. Ita certè ſi fruitione & viſione Dei, tranſitoriè tantùm, & cum timore excidendi à tanto bono, potiemur, nemo non videt quantum mœrorem ingereret timor priuationis tanti boni. Certè verum eſt virtutem adeo

321

eſſe amabilem, etiam in hac vita, vt ſi nuda cerneri poſſet, ingentes de ſe excitaret amores, & digna haberetur quæ toto affectu amplecteretur. Si tamen poſt exercitium virtutis, poſt exantlatos labores pro tutione iuſti & æqui, in nihilum redigi oporteret, vel ſaltem in eaſdem incidere calamitates, quibus virtus ſæpius probatur, non mediocriter quis ab eius amore retardaretur, licet ſeipsâ contentam eſſe debere exiſtimetur. Pari ratione in futura vita multum de gaudio vitæ æternæ detraheretur, ſi deperdi poſſet. *Nemo*, inquit S. Gregor. Nazianz. oratione in plagam grandinis, *ante mortem habendus eſt beatus, incertumque eſt quid poſtera dies paritura ſit eoquod terrena hæc noſtra vita multis mutationibus obnoxia ſit, atque hoc humilitatis corpus ſurſum, deorſumque iactetur, atque in deterius immutetur.* Ita Greg. Nonne eadem dicenda eſſent de futura vita, ſi mutationi eſſet obnoxia? Omnis igitur mutabilitas præſenti vitæ eſt relinquenda, & à futura vita omnimodè propulſanda. Nunc, vt Cæſarius S. Greg. Naz. frater dialogo 1. dicebat, *eſt euidens luna imago noſtræ naturæ, naſcens, creſcens, plena, decreſcens, imminuta, occidens, non prorſus intercidens. Conſimiliter & nos naſcimus, creſcimus ad plenitudinem euadimus, in ſenectute ita deinde deficimus vigore faciei, decreſcimus elegantia coloris, & gratia floris in vultu rubori pallorem inducentes. Imminuimur corporis robore, incipientes incedere curui, & inniti baculo ad terram inclinati, & ipſo habitu ipſam obteſtantes. Ecce adſum. Morimur, & in ipſam deſinimus corpore, non tamen intercidentes ſpiritu, ſed paulo poſt depoſito carnis pallio rurſus anima veſtitur.* Ita Cæſar. Tunc autem vt ſol in eodem ſtatu permanens, & fugiet mors, & omnis viciſſitudinis abumbratio. Nam, vt ait S. Paulus, *ſcimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti & non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuper veſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* 2. ad Corinth. 5. *Nunc*, vt ait idem S. Greg. Naz. de vitæ itineribus mortalibus, *omnia laborioſa ſunt, omnia humana, metus, riſus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, inſomnium, fluctus maris, veſtigium, aura, puluis, orbis quidam perpetua conuerſione ſimilia omnia voluens, nunc ſtabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, annis, temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mæroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, ſecundiſque rerum ſucceſſibus. Nec verò ſine magna ſapientia hoc à te Chriſto conſtitutum eſt, vt res omnes huius vitæ incertæ, atq; inſtabiles ſint, nempe vt rerum firmarum, ſtabiliumque amore ac deſiderio inardeſcamus:* Ita Gregor. At tunc cum ſemel his rebus firmis potiti fuerimus, omnia erunt ſine labore, omnia planè diuina, nullus metus, perenne gaudium, ipſa ciuitas aurum mundum, E lux perpetua, torrens voluptatis, permanens ſtatus, manſio fixa, viſio clara, indeficiens vitæ actus, ſtabilis domus, bonorum omnium realis poſſeſſio, terra viuentium, arbores plantatæ ſecus decurſus aquarum, benè radicatæ, & fructus afferentes, fælix & permanens beatitudo, quæ nullis viciſſitudinibus poteſt eſſe obnoxia. Ceſſabit tunc ille rerum ſtatus, quem ad eruditionem, & ad compeſcendam arrogantiam noſtram Deus in hac vita admirabili conſilio obſeruari voluit. Quem fusè deſcribit S. Gregor. Nazianz. orat. 28. ad ciues trepidantes: *Orbis*, inquit, *quidam, fratres, rerum humanarum eſt, perque contraria nos Deus erudit. Quemadmodum ſapienter omnia conſtruxit & colligauit, ſic etiam vniuerſum hoc & inter alia, res noſtras iudiciis ſuis inac-* A *ceſſis & minimè peruestigabilibus moderatur ac gubernat. Nam hæc vniuerſitas mouetur, vt ita loquar, & fluctuat circa ipſum immobilem, non illa quidem defectu rationis*, id eſt, vt Elias Cretenſis Gregorij interpres ait, *adminiſtrationis rerum & prouidentiæ, qua Deus res mortalium regit, ac moderatur, & ſecundum quam eæ manent inconcuſſæ.* Ita Elias. Cæterum addit Gregor. *Ea fixa & immobilis ſtat in omnibus, tametſi noſtram imbecillitatem effugiat, ſed earum rerum quæ quotidie nobis occurrunt & accidunt. Atque hoc illud eſt Dei decretum antiquum & ſtabile, quo caliginem effuſam oculis noſtris vult eſſe ſibi latibulum; ac pleraque ſua in adminiſtratione ſic eſſe comparata, vt non niſi per obſcura quædam ænigmata, & informationes animi perſpiciantur;* B *ſiue noſtram arrogantiam eo modo coërcet, vt nihil nos eſſe ſciamus, ſi cum illa vera principeque ſapientia comparemur; ideoque ſolum ad ipſum noſmet vertamus, ac ſemper ortis ex ipſo radiis colluſtrari cupiamus; ſiue per incertam varietatem rerum ſub adſpectum cadentium, & conuerſioni obnoxiarum, ad ea quæ fixa durabiliaque ſunt nos deducit. Hoc quidem certè conſtat, nihil, vt aiebam, immotum eſſe, nihil æquabile, nihil perenne, nihil ſibi perpetuo conſtans, non animi lætitiam, non mærorem, non opulentiam, non paupertatem, non robur, non imbecillitatem, non humilem ſtatum vitæ, non poteſtatem Imperij, non præſentia, non futura, non noſtra, non aliena, non parua, non magna, non quidquid efferri cuiuſquam oratione poteſt; adeoque hoc vnum inæqualitas habet* C *æquale, quòd in omni hæc viciſſitudo locum habeat. Etenim omnia facili momento feruntur in orbem, & viciſſim aliò cadunt, ſibique mutuò aduerſantur, vt ventis tutius, literiſque ſcriptis in aqua credatur, quàm fælicitati humanæ. Ac inuidiâ quidem curſum rerum proſperarum, calamitatem verò commiſeratione ſiſtit; id quod, meo iudicio, fit ſapienter & admirabili conſilio, ne vel dolor ſolatij, vel proſperitas, diſciplinæ ſit expers. Agunt autem prudenter qui calamitatibus erudiuntur, & tanquam aurum igne purgati dicunt: conducit mihi quod me depreſſiſti; Ac ſi depreſſio, iuſtorum Dei decretorum agnitionem pariat. Qui Petri factum imitantur ſalutem flagitantis quum iam mergeretur, qui ad Deum propter dolorem magis accedunt, & per afflictionem ſibi beneficiorum auctorem* D *conciliant. Abeſt enim à Deo propè languens & æger animus, & inopia nos ad eum adigit, qui largiri poteſt; quum cætero qui fortaſſe vili ſit apud nos in pretio, propter vbertatem munificentiæ. Propterea ſurſum ſpectemus fratres, & quouis in tempore, quibuſue euentis ſpe bona nitamur, & neque proſperis in rebus metum, neque ſpem in aduerſis abiiciamus. In tranquillitate tempeſtatis, in procella gubernatoris memores ſimus, minimeque per afflictiones frangamur; nec improbi ſerui fiamus, qui herum benefacientem prædicant, caſtigantem auerſantur. At qui nonnunquam valetudine moleſtia, ſubmonitio diſſolutione, inſpectio neglectu, animaduerſio indulgentiâ præſtat. Vrbaniter rem complexus eloquor. Neque propter calamitatem concidamus, neque propter ſanitatem* E *inſoleſcamus.* Ita Greg. Naz. de præſenti rerum ſtatu. In quo cum omnia mutationi & viciſſitudini obnoxia ſint, patet quantum hoc diſtet à ſtatu veræ & ſolidæ beatitudinis. Quæ mutatiò ceſſabit in patria, ne gaudium & fælicitas beatorum perturbetur; quæ plurimũ perturbaretur, ſi periculum aut timor mutationis alicuius adeſſet. Quo autem bono hoc malum, & timor illius propulſari debeat, poſtea videbimus.

Quartum malum, (quo perturbari poſſet quædam maxima fælicitas, propter abundantiam bonorum omnium, quæ in hac vita poſſet poſſideri) eſt defectus amici fidelis, qui in tot tantiſque rerum viciſſitudinibus, & ſciat conſulere quæ neceſſaria ſunt ad noſtram directionem & tuitionem, eaque promptiſſimo animo & hilari præſtare poſſit;

Digitized by Google

cuius amicitia firma ſit & conſtans, quæ nullo temporum lapſu, nulla occaſione diminutionem patiatur, nobiſque ita ſit perſpectà & probe cognita, vt de illius alteratione vel diminutione ne minima quidem poſſit oriri ſuſpicio. Multa quidem acerba pertulit Chriſtus Dominus in paſſione ſua, ſed ſi quid moleſtum illi patiendum fuit hoc vno ſatis eius ſacratiſſima anima torquebatur, quod videret ſe ab omnibus amicis derelictum Vnde apud patrem expoſtulabat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Et de diſcipulorum ab eo diſceſſu futuro iam mæſtitiam concipiebat. *Modo creditis*, inquiebat, *ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis.* Ioan. 16. Et Iudæ perfidiam, & Petri negationem grauiter tulit; à quibus, omnibus amicitiæ officiis coli debuerat. A patre igitur derelictus, matre eius ad anguſtias redacta, ex ablata ſibi ſuccurrendi filio facultate, Deo ita diſponente vt calicem paſſionis totum hauriret: fugatis per timorem diſcipulis, cæteris amicis multitudini odientium cedere coactis: omnibuſque aliis Iudæis, ex ſtupiditate nimia, & animi inconſideratione, ad inſenſibilitatem quamdam eorum quæ fiebant redactis, quamuis is eſſet qui vitam tranſegiſſet benefaciendo cunctis: certè magnam ex hoc titulo profeſſus eſt dolorem, quem expreſſit, non modò dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Sed etiam apud Prophetam, dum ait: *Longe feciſti notos meos à me poſuerunt ne abominationem ſibi.* In qua derelictione videtur conſummatam fuiſſe ſuam paſſionem. Antea enim dixerat: *Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Et quaſi illi diceretur: Quomodo dicis ſuper te omnes iracundiæ fluctus inductos fuiſſe? Reſpondet: *Longè feciſti notos meos à me, &c.* Pſ. 87. In hoc verè apparet omnia mala ſuper me inducta, quia nullus è notis & amicis mihi ſuccurrere paratus eſt; ſed vel me abominantur, vel impotentes ſunt ad ſuccurrendum: vnde quamuis mater propè ſit, longè tamen eſſe dicenda eſt: quia nulla ei adeſt facultas ſuccurrendi. Has de cauſa Hieremias exagerabat ciuitatis Hieroſolymitanæ afflictionem in his verbis: *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Thren. 1. Certè Sapiens dixit veriſſimè: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum, Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum.* Eccleſiaſt. 6. Vnde tanti boni priuatio & defectus, malum eſt quo maximè perturbari poſſet quæcumque humana fælicitas. Nec dicas Chriſtum Dominum non metuiſſe Deum, quia ab omnibus, vt dictum eſt, fuit derelictus, etiam à patre. Nam non fuit derelictus itaut æqualitatem cum patre amiſerit, itaut vnio hypoſtatica diſſoluta fuerit, à Dei gratia eius anima exciderit à viſione Dei eius mens abſtracta fuerit; tantùm quoad quædam ſpecialia auxilia, quibus ab inimicorum furore & odio liberari potuiſſet. Vnde cum ſupra dixit: *Ecce venit hora, &c. Vt me ſolum relinquatis.* Poſtea addit: *Et non ſum ſolus, quia pater mecum.* Quod obiter annotato libuit. Quomodo autem aberit à beatitudine defectus fideliſſimi amici, quo apud diuinam maieſtatem noſtra imbecillitas, & creaturæ paruitas tueri valeat, videbimus ſuo loco. Lege Laurentium Iuſtinian. pag. 755.

Quintum malum quo perturbari poſſet noſtra beatitudo, eſt ſi vigeat in nobis paſſionum rebellio, quibus ratio vel offuſcati, vel diſtrahi, aut

[A] inclinari poteſt ad illicita, ſeu quibus aliqua immutatio corpori imprimi poteſt, quæ aciem mentis obtundat.

Quis hominum, quæſo, non ſæpius experitur quantum voluntatis in bono firma adhæſio, mentis perſpicacitas, ſanitatis optima habitudo & conſtitutio, vitæ iucunda fruitio, & cum proximis & familiaribus amicis gratiſſima conuerſatio, concutitur, obſcuratur, alteratur, perturbatur, ex furore, nebula, procellis, animi angoribus, quæ ingeruntur ex deordinatione paſſionum & appetituum? Nullus certè tantum perfectionis gradum adeptus eſt, qui non aliquando concutiatur aliquo motu paſſionis, quo animi quies & tranquillitas perturbetur. [B] Equidem qui fuerunt inter philoſophos ſapientiores, beatitudinem collocarunt in cognitione veritatis. Eſt enim veritas obiectum adæquatum nobilioris & eminentioris facultatis, intellectus nempe; quam beatitudinem completam agnouerunt, ſi rectitudo voluntatis adſit, qua veritati cognitæ adhæreat indiuulsè, itaut omnes motus interni & externi hominis regulentur à recta ratione, & ordinentur ac dirigantur in ſummum bonum, & vltimum finem, dum quod honeſtum eſt & virtuti conſonum ſemper homo ampleſtitur & proſequitur. At quis non videt quàm difficile ſit homini (etſi mentem gerat ab omni errore immunem, etſi abſque vlla falſitate verum cognoſcat) [C] voluntatem in hac rectitudine, & in quodam ſtatu conſiſtentiæ continere, præcipuè cum ſentire cogatur ſæpiùs imbecillitatem mentis, quæ appetitibus & paſſionibus ſuis violenter impugnata plærumque ſuccumbit? Trahitur nempe quadam occulta vi mentis generoſitas, vt dicat præoccupata paſſione qualibet bonum malum, & malum bonum, & ſibi ipſi ad blandiens putat cum ratione agere id omne quod ex mera paſſione ad modum brutorum animalium peragit. Exinde procedit quòd in præſenti vita nulla eſt tam alta & ſublimis philoſophandi ratio, aut veritatis apprehenſio, quæ nobis conciliet abſolutam aliquam fælicitatem. Nam bellum domeſticum rationi reluctatur, adeoque perturbat [D] quietem mentis; vt nullus beatum ſe proclamare audeat in hac vita: *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſmutat ſenſum ſine malitia.* Sap. 4. Equidem verè dixit Lactantius Firmian. l. 6. de vero cultu c. 22. *Virtutem nullam fuiſſe futuram, niſi haberet quæ opprimeret.* Et rurſus c. 23. verè dixit quod *Deus virtutem ſoli homini dedit, vt eſſet laus & gloria in coërcendis voluptatibus, & abſtinentia ſui.* Ita Lact.

Tamen veriſſimum etiam eſt, nihil tantopere poſſe mentis tranquillitatem perturbare, aut animum diſtrahere, quàm ſi ſemel homo ſenſuum titillationes & voluptatum illecebras admiſerit. Quod ſi quis his mederi voluerit, tantas experietur [E] difficultates, totque labores erunt illi ſubeundi, vt ſe beatum reputare non poſſit, imo ſe potius dicet miſerum, cum Paulo exclamans: *Infælix ego homo quis me liberabit è corpore mortis huius?* Quantæ autem ſint illæ difficultates, in coërcendis vitiis & paſſionibus adhibendæ, docet S. Greg. Naz. orat. 21. Apologetica fugæ. Nam oſtendit Deum animam corpori alligaſſe, licèt corpus longe ſit naturæ vilioris à natura animæ, multis de cauſis ſoli Deo adſtrictionis huius cauſæ autori cognitis, atque perſpectis, & duabus potiſſimùm de cauſis hoc præſtitiſſe. Prima vt per certamen, colluctationemque cum rebus inferioribus initam, ad ſupernæ gloriæ hæreditatem perueniat, rebus ſcilicet fluxis & fragilibus non ſecus atque aurum igne probata & explorata; bonaque in ſpe poſitis non

Digitized by Google

ſolum vt Dei beneficio, ſed etiam vt virtutis præmio fruatur; Quod etiam ipſum ſingularis & eximiæ Dei bonitatis argumentum eſt, nimirum facere vt noſtra quoque aliqua ex parte ſit virtus, nec natura tantum nobis inſeratur ſed voluntate etiam animique propoſito excolatur, arbitriique libertate pacem in vtramque partem motum habente. Secunda eſt vt deteriorem quoque partem craſſitie ſua paulatim ſolutam ad ſe pertrahat, atque in ſublimi collocet: vt quod animo Deus eſt, hoc corpori ſit anima, operâ ſuâ miniſtram materiam inſtituens, conſeruumque corpus ſuum Deo adiungens. Ita Greg. Poſtea quantis difficultatibus tantū opus perfici debeat, explicat dum addit: *Enimuero Medicus regiones, & tēpora, & ætates, & anni partes, cæteraque huius generis explorabit, medicamenta etiam ægrotanti propinabit, victuſque rationem præſcribet, noxiaque obſeruabit, ne præſidiis artis ægroti cupiditates obſiſtant. Ignem etiam interdum & ferrum, aſperioraque medicamenta nonnullis adhibebit: quæ tametſi per quam laborioſa & moleſta eſſe videantur, nihil tamen eorum perinde arduum atque difficile eſt, vt mores, & affectus, & vitam, vitaque inſtituta, atque alias huiuſmodi res inteſtinas perſpicere ac medicari; atque agreſtibus omnibus atque belluinis vitiis à coniunctione noſtra expulſis, id omne quod manſuetum eſt ac Deo gratum, in eorum locum ſubrogare & confirmare, eaque æquitate corporis & animæ controuerſiam diſceptare, non vt præſtantior pars in deteriori imperio eſſe permittatur, quæ iniuſtitia omnium maxima eſſet, verùm vt ei, quæ Principis ac Ducis naturam habet, ea quæ natura eſt inferior pareat. Quæ quidem lex diuina eſt in omnibus quæ ipſius creationis, tam quæ adſpectu ſentiuntur, quàm quæ oculorum ſenſum ſuperant, præclariſſimè conſtituta.* Ita Greg. Sed interim clarum eſt in illa colluctatione, & in his difficultatibus verſari, plurimum officere quieti ac tranquillitati beatitudinis integræ ac perfectæ.

Nunc ad ſextum malum, quo perturbari poſſet fælicitas, tranſeamus. Hoc proculdubio eſſet ſi voluntate Deo vnita per amorem, mente Deo coniunctâ per intimam contemplationem, immortalitate fruentibus, in ſocietate ſanctorum iucundè conuerſantibus, internis paſſionibus & perturbationibus conſopitis tamen adeſſet qui nimia audacia impulſus auderet extrinſecè nobis inſultare; & licet fideliſſimum habeamus in Chriſto Domino amicum & protectorem, nihilominus illius ſynceram erga nos dilectionem quibus poſſet mediis oppugnare, infringere, diſcindere pertentaret. Certè ſi facultas concederetur dæmoni, poſt reſurrectionem omnium, electos vexandi, tanta eſt illius rabies & implacabile odium ex pertinacia & malitia conceptum, vt illi non deeſſet voluntas illos impugnandi. Et qui nunc quantum in ſe eſt totis viribus contendit ne deſideriorum ſuorum compotes fiant, itaut ſi in ſtatu triſtitiæ capaci exiſterent, tædio afficerentur videntes aſtutiâ & malitiâ dæmonum glorificationem corporum retardari, numerum electorum non tam citò compleri, peccata ſuper terram multiplicari, quamuis illius extinctionem ſummopere exoptent; regnum Dei adhuc ſuum ſplendorem non obtinere; quæ ſancti & in vita præſenti & in gloria exiſtentes deſiderāt, nempe vt Dei nomen ſanctificetur, Regnum eius adueniat eiuſque voluntas fiat in cælo & in terra in animabus & corporibus eorum ipſis reſuſcitatis à morte, & Chriſto regnante, ſedente videlicet à dextris Patris, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum (quo vocabulo, donec, non indicatur excluſio temporis futuri, ſed continuitatem & connexionem, & conſecutionem præſentis temporis cum futuro) Qui nunc inquam hoc modo A deſideria ſanctorum impugnare contendit, tunc proculdubio illos vexaret iiſdem modis, quibus ſanctos in hac vita impugnat, ſiue dum ſuggeſtionibus ſuis tentat eos vt à Deo per peccata diſcedant, vt illos ſuæ damnationis reddat participes; ſiue dum eos auocare contendit à contemplatione diuinorum, per multiplices moleſtias, quibus eorum mentes perturbare conatur, ſiue propter ſocietatem malorum, cum quibus ſanctos viuere coguntur, quos patiuntur cum mundi anguſtia: Vnde exclamat vnus ex illis: *Heu mihi: Quia incolatus meus prolongatus eſt*: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea; Siue corpora eorū torquendo & cruciando; Eſt enim dæmon ſanguinem ſitiens, & verus homicida, non modò B quia ad peccati conſenſum nos pertrahere conatur, ſed etiam quia carni mortem & dolores inferre non deſinit quantum illi à Deo permittitur: *ſæuit enim in carnem, quando non poteſt in mentem*, vt loquitur S. Auguſt. tract. 42. in Ioan. At moleſtum eſſet ſanctis, quamuis tam intimè vniti ſint Deo, & voluntati illius conformes, itaut ab eo diuelli nequeant, quamuis eius contemplatione ſemper ſint fruituri, quamuis nunquam illis inter malos contingat conuerſari, quamuis eorum corpora immortalia exiſtant; ſi auribus eorum aliquid reſonaret peccatum, (quod tantopere abhorrent,) perſuadens; ſi aliquod obiectum oculis & ſenſibus C eorum iniiceretur, quo mentis fixa in Deum intentio aliquantulum diſtrahi valeret; ſi cogerentur cum malis & reprobis vitam tranſigere; ſi corpora eorum immortalia quidem, vi ac violentia dæmonum, ferro, aut gladio, aut veneno, aut aliis modis aliquid pati cogeretur. Hæc autem omnis extrinſeca impugnatio ceſſabit omnino in illo ſtatu, in quo erit ſumma fælicitas, & integerrima & abſolutiſſima beatitudo.

Septimum malum, quo perturbari poſſet fælicitas, eſt ſi aliqua ſuſpicio oriri poſſet in mentibus ſanctorum, Deum promiſſis ſuis defuturum. Nam cum tota certitudo æternæ beatitudinis in promiſſionibus diuinis ſita ſit, quia Deus fidelis eſt, qui D mentiri non poteſt, certè ſi aliquo modo de fidelitate promiſſorum illi dubitare poſſent, non modicus timor exſurgere poſſet ne à beatitudine aliquando exciderent: Qua quidem ratione illorum beatitudo non modicè perturbaretur in hac enim præſenti vita, dum noſtra negotia ab aliorum hominum voluntate & arbitrio pendent, non mediocriter anxiamur: quia experientia docet homines eſſe in promiſſis aliquando infideles, & in propoſito parum ſtabiles; vnde naſcitur timor, ne nos, noſtraque negotia, dum illorum ope indiguerimus, deſerant, & à promiſſis deſiſtant. Deſinunt quippe homines ſæpiſſimè ab executione promiſſorum, ſiue quia leuiter promittunt, non ſatis pon- E derantes ſeu perpendentes naturam & grauitatem eorum quæ pollicentur. Secundò quia non ſatis dignoſcunt qua ratione erga ſe ipſos promittentes ſe gerere debeant ij, quibus fidem ac fidelitatem ſuam oppignorentur: vnde ſæpiùs cum tales eos non inueniant, quales exoptabant, à promiſſis reſilire coguntur aut inuitantur. Tertiò quia ignorant aliquando media, quibus perficere poſſent, quæ polliciti fuerunt. Quartò quia licèt illa ſciant, facultas deeſt exequendi. Denique quia leues ſunt, & inconſtantes, & ex mero arbitrio à propoſito reſiliunt. Hac de cauſa, ſi aliquid ad beatitudinem noſtram temporalem pertinens, ab aliorum hominum arbitrio & voluntate pendet, non mediocriter perturbaretur quies, & tranquillitas mentis, ex timore quem concipimus, ne nos in neceſſariis

Digitized by Google

deſerant: qui timor beatitudinem perturbans aberit ab electis & ſanctis, vt videbimus.

Reperitur pro malo octauo, & aliùs quidam defectus in hac vita inter homines, qua beatitudo illorum, ſi quam habere arbitrantur, non modicè perturbatur, nempe diffidentia quædam, qua timemus ne ab iis, quibus cum viuere & conuerſari neceſſe eſt, circumueniamur. *Prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud?* Ierem. 17. *Sicut ea quæ in cælo ſunt, & in terra deorſum nobis occultantur, ita & præcipuè Regum conſilia nobis abſconduntur. Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile.* Quis cordis intentiones dignoſcere & penetrare, quis in tantis ambagibus alienam mentem percipere; quis in huius labyrinthi ſemitis tortuoſis & inflexis rectum iter tenere; quis pedicas, & decipula euitare, circumuentiones, & ex aſtutia oppreſſiones ita effugere poſſit, vt non deprehẽdatur? Adeo inter homines frequentes ſunt iſtæ circumuentiones contra Apoſtoli præceptum: *Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum* 1. ad Theſſ. 4. Nec patris ſupra filium autoritas, nec filij erga patrem amor & reuerentia, nec fratris erga fratrem dilectio, nec amici erga amicum neceſſitudo tanta erit, vt omnis circumuentionis aut fraudis timor excludi valeat. Fit enim aliquando, vt quò, maior erit neceſſitudo, quin & amicitiæ poteſtatio, eo faciliùs quis decipiatur, dum pro medio decipiendi efficaciùs neceſſitudo inſeruit, & proteſtatio aſſumitur. Vnde illa paræmia orta eſt, diffidentiam eſſe ſecuritatis parentem; ac ſi quis nunquam ſecuriùs agat, quàm dum reputat quemlibet hominem fallacem, & ad fallendum promptiſſimum: vt ſic illius intentiones penetrare ſatagat, verba diligentius ponderet, & cunctas alias circumſtantias circumſpiciat attentiùs. At dum cum his ſuſpicionibus, timoribus, nec non & diffidentia, nobis cum proximo plærumque tractandum ſit, quis non videt ex his quietem & tranquillitatem animi plurimùm perturbari? Quorum omnium in hac vita plurimæ cauſæ aſſignari poſſunt. Prima eſt, quia & cogitationes & intentiones hominum nobis occultæ ſunt, actiones & verba illorum tantùm in cortice ac ſuperficie nobis manifeſtantur: vt quo motiuo impellantur ad dicendum aut agendum, hoc planè ignoramus: quo fit vt neſciamus in quàm partem abeant in dictis aut factis, & obliquum reperitur quod rectum eſſe prima fronte vidobatur. Secunda cauſa diffidentiæ eſt: quia experimur plurimas actiones hominum nociuas eſſe. Et de ſermone hominis peccatoris dixit Dauid: *Cuius maledictione os plenum, & amaritudine, & dolo; ſub lingua eius labor & dolor.* Pſ. 9. Certè inſipienter ſe gereret, qui fiduciam ſuam in tali homine collocaret. Vnde Ierem. c.17. Dixit: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius, &c.* Et è contra: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Vnde tertia occurrit diffidentiæ cauſa, nempe quia experimentaliter & ſenſibiliter agnoſcimus homines plærumque abſque vlla reflexione agere aut loqui, itaut multa effutiant inconſideratè, multa agant abſque iudicio, aut diſcretione, temere, & cum nimia præcipitatione. Qua de cauſa dixit Sapiens. *Stultorum infinitus eſt numerus.* Eccleſ. 1. *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam, & imprudentia ſtultorum errans.* Prouer. 14. Quis igitur eos ſequi cum fiducia audebit, niſi velit errandi periculum incurrere volens & ſciens? Quarta adhuc diffidentiæ cauſa dari poteſt, quòd vnuſquiſque in omnibus, quæ agit, directè aut ſaltem indirectè quæ

A ſua ſunt intendit, non quæ aliorum, & facilè auertitur à bono alterius, ſtatim atque animaduertet tantillum detrimenti in ſuis bonis ſe fore perpeſſurum, nulla habita ratione honeſti aut æqui, aut bonæ exiſtimationis. Quæ enim virtus requirit, facilè negligit, modò iure aut iniuria quæ ſua ſunt conſequatur. Quis ſua iura inter iſtorum manus intrepidè deponere poſſet? Quintam cauſam etiam diffidentiæ habemus, ex quadam facilitate de aliis iudicandi ſecundùm proprias & dominantes in nobis paſſiones & affectiones.

Et ſicut facilè de aliis iudicamus, æquè facilè de nobis alij fuerunt iudicium. Qui iracundus eſt, alios iracundos eſſe exiſtimat; & ſic de cæteris. Vnde B diffidentiæ, & variæ ſuſpiciones in nobis oriuntur, quibus plena fiducia in aliorum ſynceritate omninò adimitur. Denique hominum locutiones tot adulationibus inficiuntur, mendaciis replentur, diſſimulationibus ſcatent, aliud habent in ore, aliud autem in corde, vt ſi quis in eorum verba ſemper iurate prætenderet, imprudentiæ potiùs, notaretur quàm nomen hominis ſapientis ſibi compararet. Hic certè eſt octauus defectus ad beatitudinem perturbandam efficaciſſimus. Ad nonum veniamus.

At dici non poteſt quantum perturbari poſſet Beatitudo, ſi Beati peccare poſſent. Quid dico, perturbari, ſtatim atque peccatum admitterent, C exciderent à beatitudine, & ab ea deturbarentur, tum quia peccando beatitudine indigni redderentur, & ab ea priuari deberent iuſto Dei iudicio. Quò enim in ſtatu digniori & fæliciori collocãtur, eò maior eſſet illorum ingratitudo, ſi in autorem bonorum inſurgerent per contemptum: quia ſumma fælicitas conſiſtere nequit cum malo, ne quidem minimo, & per conſequens malum culpæ ab ea excludendum eſt: Nam malum culpæ etiam venialis magis repugnat beatitudini quàm quodlibet malum pænæ: iſtud Deus immittit aliquando, quin & facit: *Si erit*, inquit Amos, c. 3. *malum in ciuitate quod Dominus non fecerit*; Satiùs eſſe exiſtimans homines pænis vexari, quàm ſinere peccatum & iniD quitatem impunè inter eos graſſari. Et certè, dum peccamus, Deo & hominibus reddimur exoſi: Habet inſuper peccatum neſcio quam turpitudinem, quæ peccatoribus ipſis eſt ingrata: fiunt ſibimet graues, aliis intolerabiles, Deo odibiles & abominabiles. Sed cum in hoc nulla ſit difficultas, ad decimum malum ſeu defectum, quo perturbari poſſet beatitudo, ſi adeſſet, tranſeamus.

Certè non mediocriter læderetur mutua beatorum concordia & beneuolentia ad inuicem, ſi ſibi honorem ſuis meritis debitum denegarent. Iniuſtitiæ cuiuſdam ſpecies eſt, ſi amico deneges honorem, ex eo quòd amicus ſit; nec meliori modo amicitia fouetur, quàm cum amici honore ſe inuiE cem præueniunt, & quod meritis, quòd dignitati & ordini debetur, fideliter impendunt. Et experientia docet amicitias diſſolui, beneuolentiam extingui & euaneſcere plærumque, ſi contemptus aut neglectus amicorum tantillus animaduertitur, nec eis in tempore & loco honor exhibendus redditur, quoquo modo hoc obmittatur, ſiue per contemptum, ſiue per inconſiderationem & ſurreptionem, aut aliquam diſtractionem. Quod ſi æmulatio dignitatum, Imperiorum & Regnorum affectata ambitio, inter amicitiores ingenerat plærumque ſimultates & odia implacabilia, credibile prorſus exiſtit (cum illæ dignitates non ambiantur niſi propter honorem annexum) amicitiam facili negorio violari, ſi honor exhibendus, & ardenti deſiderio exoptatus exhiberi negligatur.

Digitized by Google

Nec tam acerbè quis vnquam tulit inimici contemptum, quàm ſi ab amiciſſimo ſe contemni arbitratus fuerit. Nec iuuat quòd nimia familiaritas generat contemptum, vnde videretur contemptus amici non ita ægrè eſſe tolerandus: maior enim cauſa odij exiſtit, ſi te familiarem exhibeas erga aliquem, vt illum tibi deuincias, ſi ab eo contemneris. Has diſcordiæ cauſas auferre volebat Paulus Romanorum duodecimo, dum fideles ita adhortatur: *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes.* Et Rom. 13. *Cui honorem, honorem.* Quæ cum ita ſint, fatendum eſt Beatos mutuum ſibi deferre honorem, vt ſarta tecta maneat ſemper illorum pax & concordio, pro ratione meritorum, & dignitatis gradus, ad quem fuerit à Deo ſublimatus cuius eſt decernere quis ad dextram aut ſiniſtram ſedeat, quam coronam quilibet obtineat, qua mercede veniat præmiandus; vt pote qui optimè calleat, & vniuſcuiuſque meritum, & pondus gloriæ merito proportionatum. *Gloria ſiquidem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Rom. 2. Hoc æquiſſimum eſt. Qua de cauſa fatentur Theologi Deum in cælo non modo eſſentialem quamdam conferre mercedem, ſed etiam accidentalem, maximè certis quibuſdam generoſis, & heroicis actionibus & victoriis, quas reportauerunt Beati, de Dei hoſtibus, & aduerſariis ſalutis electorum. Quæ præmia vocant aureolas, id eſt, paruas auri coronas: non quòd de facto maximè non exiſtant ſecundum ſe ſpectatæ; ſed quia paruæ exiſtunt, ſi cum Beatitudine eſſentiali, quæ in viſione, comprehenſione, & fruitione Dei conſiſtit, comparentur. Nunc ſi quæras quomodo Beatitudo in hac vita poteſt perturbari, quia homines non ſibi inuicem mutuum exhibeant honorem, qua exhibitione ſeipſos arctioris amicitiæ vinculo deuincirent; hoc fit vel quia ignorant eximiam alicuius conditionem, qualitatem & meritum: qua de cauſa ſæpe contemnitur, qui aliàs omni honore eſſet proſequendus. Secundò, quia etſi alicuius conditio agnoſcatur, non tamen illa in tanto pretio habetur, ac haberi deberet, nec virtutis aut actionum ex virtute prodeuntium valor ſatis percipitur. Tertiò, quia etiamſi fateamur quempiam ratione ſuæ dignitatis aut conditionis eſſe conſpiciendum, quædam tamen ſua conditione indigna illum perpetrare animaduertimus, quo apud nos venit in contemptum. Quartò: quia certò ſcimus aut credimus eum fore ab hac dignitate remouendum, vel ratione viciſſitudinis rerum mutabilium; vel propterea quod temporanea eſt illa dignitas, ab arbitrio alicuius, apud quem ſuprema eſt poteſtas & dominatio, pendens, cuius erga eum propenſio alterari poteſt; vel ſi ad tempus laudabiliter ſe gerat, fieri poteſt vt non perſeueret in bonis, & laudis & honore dignis actibus. Quintò: quia neſcio qua inuidentia ducti, ſi quem in gradu aliquo conſiſtere videmus, propter quem honor illi debeatur, ad priſtinum eius ſtatum inferioris notæ, oculos coniicimus, quo deſpicabilem eum exiſtimemus: hinc Iudæi de Domino dicebant: *Nonne hic eſt fabri filius?* gloriæ miraculorum eius, & ſanctiſſimæ doctrinæ detrahere conantes. Sextò: quia ſæpè ſæpiùs abſque attentione, circumſpectione, & reflexione, multa agimus: vnde plærumque quæ noſtri ſunt muneris obmittimus. Denique inuidia, malitia, odium, animi tumor & arrogantia nos ſæpiſſimè impellunt ad contemptum eorum, quos honore proſequi debueramus. Hæc omnia, aut horum aliqua ſi adeſſent redderetur, beatitudo multis amaritudinibus animi & indignationibus oppleta. Hoc igitur malum etiam eſt ab ea excludendum.

Vndecimò: perturbaretur proculdubio fælicitas, ſi ex aliorum ſorte inuidia pulſi triſtitiam conciperemus, nec noſtra eſſemus propria ſorte contenti, nec iſtud ſolummodò, ſed ſi quos videremus & pateremur nobis inuidentes, & de noſtra optima ſorte triſtes, itaut licèt omnia præſtare conaremur, vt nos ipſis gratos exhiberemus, nunquam tamen ſyncera nos affectione proſequerentur. Certè ſi rem attentiùs conſideremus, multæ ſunt cauſæ quæ nos mouent, vt iniquo patiamur animo quæ nobis ſorte contingunt, vel aliis in bonum obueniunt. Primò ſeſe offert ambitio: Sic Lucifer licèt initium eſſet viarum Domini, ægrè tulit ſibi humanam naturam in aliquo præferri. Verbi quippe incarnandi locum tenere meditabatur, cui hic honor ſeruabatur vt eſſet caput Angelorum & hominum. Pari ratione Aman ſe infelicem reputabat, licèt primum locum teneret inter aulicos Regis Aſſyriorum, quia à Mardochæo Iudæo non ſalutabatur, aut ſi ratione huius contemptus à viro Iudæo accepti totum Iudæorum gentem non deleret. Secundò: Alij ſua ſorte non ſunt contenti, auaritiâ pulſi. Dum enim inſatiabili cupiditate theſaurizandi feruntur, de bonis quæ poſſident gaudere non poſſunt. *Auarus,* inquit Sapiens, *non implebitur pecunia: & qui amat pecunias, fructum non capiet ex eis.* Eccl. 5. Tertiò: Adeſt alia faſtidij origo, ex inuidia boni aliorum. Hæc fel eſt amaritudinis, quod in mentibus malitia germinat, dum quis apud ſe ait. Nec mihi curæ eſſet ad hanc vel illam euehi dignitatem. At dum video iſtum mihi præferri, hoc moleſtum nimis, hos nec pati poſſum. Huius inuidiæ exemplum habes in filiis Iacob, de quibus dicitur Geneſ. 37. *Videntes autem fratres quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Et dum vident prognoſtica futuræ illius exaltationis in Ægypto, Deo ita diſponente, *Nunquid,* dicunt, *Rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum, inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit.* Sic *alius alium per inuidiam occidit,* vt dicitur Sap. 14. Quartò, video alium fontem diſplicentiæ in nobis reperiri, vt non ſimus propria ſorte contenti, nempe quamdam nimiam ſollicitudinem de rebus ad victum aut veſtitum neceſſariis, dum leuiter pertimeſcimus ne aliqua re indigeamus. Quam nimiam ſollicitudinem arguebat Chriſtus Dominus, Matth. 6. *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nolite,* inquit, *ſoliciti eſſe in craſtinum:* Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi: Sufficit diei malitia ſua. Hac ſolicitudine cruciantur, qui vt filios ſuos diuites derelinquant, theſauros & diuitias accumulare non ceſſant; nihilque ſatis vnquam ſe poſſidere bonorum temporalium exiſtimant. Denique verum eſt, nihil in hac vita reperiri poſſe, quo plenè poſſit repleri hominis appetitus, itaut quamcumque conditionem, dignitatem nacti fuerimus, inquietum eſt ſemper cor noſtrum, cuius capacitatem nullum bonum creatum implere vnquam poterit. At hæc omnia à beatitudine excluduntur. Nullus inter beatos alteri inuidet, ob maiorem beatitudinis aut gloriæ gradum: nulli etiam inuidetur ab aliis omnes ſunt ſua ſorte & conditione, contenti, vt poſtea videbimus.

Denique vltimum malum à beatitudine excludendum, ſunt corporis dolores aut moleſtæ intrinſecæ. Nam ſi corpus & anima immortalitate fruerentur, & aliquid nihilominus pati poſſent, hoc valde ſtatum beatitudinis perturbaret, & ad ſtatum damnatorum nos quodammodo deduceret; quorum eſt nunquam mori, & in æternum pati; quia

Digitized by Google

etiam ſufficeret, vt turbaretur pax & ſerenitas animi, ſi aliquis dolor pertimeſci poſſet, nullam enim interruptionem in poſſeſſione bonorum ſuorum poteſt pati ſtatus beatitudinis. Non igitur ſufficit vt impaſſibiles ſimus, in quantum Chriſto protegente nullum agens extrinſecum nobis aliquod malum inferre valet: ſed etiam impaſſibiles, quia per qualitatem inhærentem omnis dolor & quæcumque moleſtia ab hoc ſtatu excluditur.

Vt igitur murus ciuitatis firmus permaneat, fugatur cordis inſtabilitas, per lapidem Iaſpidem, nempe per indiſſolubilem cum Dei adhæſionem. *Qui enim adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus cum eo.*

Secundò: Mentis obſcuritas per lapidem ſaphirinum, nempe per claram Dei viſionem omnino excluditur.

Tertiò: Aufertur omnis metus decidendi à gloria (qui oriri poſſet ex natiua corporeæ naturæ corruptibilitate) per lapidem Carbunculum, nempe amicabilem cum Deo familiaritatem, in myſterio incarnationis manifeſtatam per quam Dei benignitas, quàm profusè ſe effundat, perſpicitur.

Quartò: Aufertur etiam metus excidendi ab hac gloria (qui concipi poſſet ex propria indignitate) per lapidem Smaragdum, id eſt, propter teſtimonium ſpiritus, *quòd ſumus filij Dei: ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

Quintò: Aufertur inſuper paſſionum deordinatio (quæ tam fæliciſſimum ſtatum perturbare poſſet) quòd in lapide Sardoniche deſignatur.

Sextò: Nullus eſt de hoſte externo metus per Sardium quippe lapidem deſignatur potens Dei protectio, contra quorumlibet hoſtium inſultus.

Septimò: Nulla de Dei erga nos propenſione diffidentia, Chryſolithus nempe lapis ſignificat Dei fidelitatem in promiſſis adimplendus, qui fallere nequit.

Octauò: Nulla de iis, cum quibus conuerſandum erit, mali ſuſpicio; ſed inter Deum & Beatos, & inter ipſoſmet beatos ſyncera quædam intercedit amicitia & beneuolentia, quæ per lapidem Beryllum adumbratur.

Nonò: Nulla peccati labes, ſed omnimoda propulſatio cuiuſlibet voluntarij defectus, per impeccabilitatem, quæ per lapidem Topazium indicatur.

Decimò: Nulla inuidiæ labes, per reciprocam de ſingulorum beatitudine lætitiam, & reciprocum ad ſe inuicem honorem, omnem inuidiæ labem excludentem: quod per lapidem Chryſopraſum adumbratur.

Vndecimò: Nulla mentis inquietudo, cum vnuſquiſque ſit propria ſorte contentus. Hoc innuit lapis hyacinthus.

Duodecimò: Denique nullus corporis languor, & hoc ex dono intrinſeco impaſſibilitatis, cuius ſymbolum amethyſtus.

Fundamentum primum Iaſpis.

De primo fundamento ciuitatis ſanctæ, nempe firma voluntatis cum Deo adhæſione, per lapidem Iaſpidem deſignata.

ANNOTAT. XXI.

CONTRA inſtabilitatem cordis beatitudinem perturbantis, adeſt bonum optatiſſimum, de quo Propheta Dauid: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, nempe firma voluntatis cum Deo adhæſio: qua ſemel adepta mens ampliùs non rapitur in diuerſa, nullam aliam voluntas ex-

A quirit voluptatem; ſatiatur perfectè omnis rationalis appetitus, vt nihil ſit quod deſiderare habeat: Illud eſt vnum neceſſarium, de quo Chriſtus ad Martham: *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima: Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hoc illud bonum, ad quod totis deſideriis anhelabat Propheta, vt requiem obtineret. *Quis dabit*, inquit, *mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Pſ. 54. Pennas columbæ, nempe Spiritus ſancti, charitatem in cordibus infundentis exoptat: quia per charitatem Dei & proximi ſcit ſe ad requiem æternam peruenturum. *Noueras*, inquit S. Laurent. Iuſtin. de vita ſolitaria c. 1. *in exterioribus bonis pacem*

B *non eſſe, ſed perturbationes noxias, innumeras curas, deſiderium inſatiabile, ſolicitudines anxias, ac dolorem non modicum. Hinc bonum agnoſcens præcipuum obtinere poſſe interius, quod omni caret malo, & bonis exuberat vniuerſis, anhelo ad id conſequendum. Deſiderio trahebatur. Hoc autem eſſe quid dixerim? Illud proculdubio, quo nihil habetur melius, iucundius amatur, delectabilius tenetur, ſecurius poſſidetur, amplectitur dulcius, fruiturque felicius. Non eſt de terra, neque de cælo, ſed his omnibus præeminet, &c. Bonum ſcilicet*, vt poſtea addit, *incommutabile, bonum ſempiternum, bonum ſummum, à quo omnia bona, & ſine quo nihil eſt bonum.* Ita S. Laurent. Bonum olim Moyſi promiſſum: *Oſtendam omne bonum tibi.* Boni huius cogni-

C tio concupiſcentiam excitat; concupiſcentia delectationem, delectatio ſatietatem, ſatietas fruitionem, fruitio pacem; quo fit vt mens & voluntas extra illud bonum non feratur, ſed in eo bono fæliciter quieta conſiſtat.

Hanc adhæſionem ſignificari dico per lapidem Iaſpidem. De Iaſpidis, aliiſque lapidibus, conſulenda ſunt quæ exactè Lud. ab Alcaz. & Cornelius à Lapide tractauerunt, quæ hîc adducere breuitatis cauſa operæ pretium non eſſe exiſtimo. Notanda autem ſunt quæ idem Alcazar dixit de horum lapidum ſignificatione in genere, nempe pretioſas gemmas ad ſymbolicam potiùs vtilitatem, quàm ad naturalem videri procreatas, earumque pro-

D prietates non modò veras eſſe expendendas, ſed etiam eas, quæ ex communi opinione illis attribuūtur. Illæ enim ſufficiunt, vt aſſumantur pro ſymbolis quarumdam veritatum rerum ſupernaturaliū, itaut cū dicitur *primum fundamētum Iaſpis*, idem ſit ac ſi diceretur. Cum Iaſpidi has aut illas proprietates tribuatis communiter, non curo an iſtæ proprietates verè illi conueniant; aſſero tamen aptiſſimum eſſe ſymbolum, (ratione illarum proprietatum quas illi tribuitis,) eius rei quæ primò ſupponenda eſt, vt Beatitudo ſanctorum firma & ſtabilis eſſe cenſeatur. Et ſic de cæteris. Quibus notatis,

Dico Iaſpidem, de quo hîc ſit mentio, lapidem eſſe viridem, cui alba linea tranſuerſa eſt, non-

E nullas tamen habens ſanguinis notas, ſiue puncta; non tamen æqualiter eundem habet colorem, ſed maculatus eſt & venuloſus: quæ maculæ ſalutores ſunt & medicæ: eſtque ille lapis tranſlucidus, quin & inter gemmas antiquiſſimus; quippe ferè omnes gemmas ita occultauit natura, vt ad eas indagandas & eruendas multo labore atque induſtria opus ſit. At Iaſpidem in ipſa terræ ſuperficie intuentur & agnoſcunt quicūque vel mediocrem ipſius cognitionē fuerunt aſſequuti. In hoc enim fundatur illius antiquitas, quod inuentu ſit facilior & apertior. Veneficia & phantaſmata abigit; ſanguineum fluxum ſiſtit: à luxuria prohibet: ad ſigillorum vſum aptiſſimus, argento vel auro ornatur. Ad ſignificationem harum proprietatum veniamus.

Indicat certè color viridis immarceſſibilem vi-

Digitized by Google

gorem adhæſionis illius animæ cum Deo, de qua optimè S. Auguſt. de ſpiritu & anima: *Omnes*, inquit, *cognoſcunt Deum ſine errore, vident ſine fine, laudant ſine fatigatione, amant ſine faſtidio, ſemper vident, & ſemper videre deſiderant, tam deſiderabilis eſt ad videndum; ſemper amant, & ſemper amare deſiderant, tam dulcis eſt ad amandum. In hac delectatione requieſcunt; leni Deo, adhærentes ſemper Beatitudini ſunt Beati.* Ita Aug. Nec enim timore vllo offuſcatur, nec dolore marceſſit illa ſemper virens gloria, vt à tam amabili obiecto aliquid mali timens ſeparati velit, aut aliquid doloris patiens in ea adhæſione, ab ea abſtinere cogatur. *In illa autem beata vita*, inquit, S. Proſper Aquit. l. 3. de vita contemplat. c. 32. *ad quam, conſumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perueniunt quæcumque ibi futuri ſunt, vbi nec fletus vllus poteſt eſſe, nec gemitus, habebunt omnes ſancti amorem perfectum timorem nullum: & gaudium ſempiternum. Ibi eis erit voluntas recta, & cupiditas nulla: quoniam fruendo cæleſtibus bonis, ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quod vlterius concupiſcant: Et in illa regione perpetuæ ſecuritatis ac pacis, perfectè beati, nec timoris ſtimulos paſſuri ſunt; nec doloris.* Ita Proſper Aquit. Alba linea tranſuerſa in hoc lapide ſignificat radicem illius adhæſionis firmiſſimæ mentis cum Deo eſſe quia nihil diſſonum ſpiritui & impurum, Deus in illa anima reperit, propter quod illam à ſe abjiceret; nec non candorem ac ſpiritalitatem, quam anima contrahit, cum ei adhæret. *Qui enim adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo. Quem*, inquiebat ſancta Agnes, *cum amauero caſta ſum, cum tetigero munda ſum, cum accepero virgo ſum.* In hoc lapide varietas quædam colorum, & præcipuè quædam ſanguinis notæ percipiuntur. Quis non adhæreret ſummo bono libentiſſimè, in quo tot diuina attributa, in quo tanta pulchritudo, tam inſignis amor erga homines, vt Deus proprio filio non pepercerit, ſed tradiderit illum in necem, vt nobis vitam conferret; qui creator nos immortales condidit ſecundum animam, qui gubernator omnia dona nobis ad finem conſequendum neceſſaria contulit, qui Redemptor ſanguinem ſuum pro nobis effudit? Certè tot dona & beneficia à nobis omnia mala excludunt. At vnde fit quòd tantum bonum nunc non appetamus?

Dicunt quòd hic lapis facillimè reperitur, & omnibus quaſi ſeſe offert obuium. Tale eſt bonum in ſe conſideratum: omnia ſiquidem bonum appetunt, nec difficillimum eſt conjicere ſummum bonum ſolum poſſe animi capacitatem & appetitum explere. At cum difficultate tamen perpolitur: quo fit vt inuentus iſte lapis ab inuenientibus negligatur. Reuera omnes facilè conſentiunt vltimum bonum eſſe appetendum: at non abſque labore ad illius conſecutionem tendimus, alias animi affectiones paruipendentes. Illius igitur boni adeptio requirit mentem ab omni alia affectione liberrimam, quo fæliciùs cum illo vniatur, ſi ſemel illius cognitionem aſſecuta fuerit. Nec labori parcendum, vt tanto poſſimus potiri bono. *Dij* enim, dicebant antiqui, *laboribus omnia vendunt.* Regnum cælorum rapiunt violenti. Hic lapis ad ſigilla conficienda eſt aptiſſimus: qua proprietate indicatur quomodo ex hac adhæſione cum Deo mens transformatur *de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu*; ſimileſque ei reddimur. Tunc omnis ſanguinis fluxus ſiſtetur: quia nec ex ſanguine prognati, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati, nihil carnale in ea beatitudine experiemur. *Caro* enim *& ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Non oculo Deus videbitur corporeo. Et ſi in hoc mundo caro & ſanguis reuelare non potuit filiationem æternam Verbi Incarnati, nec etiam in futura vita ſenſus corporeus inſeruire poterit, vt Deum, qui obiectum eſt facultatum intellectualium, per eum videamus. Habebunt tamen ſenſus proprias ſuas oblectationes, ſicuti diuerſi colores in hoc lapide reperiuntur. Nec mirum ſi venenum concupiſcentiæ peccati abigatur, ſi imaginationes & phantaſmata clarâ viſione euaneſcant. Denique Iaſpis prima eſt gemma ab hominibus reperta; ita prima de diuinis cognitio eſt quòd Deus ſit, quin per illam adhæſionem Deo fruemur, quem primum principium dicimus, & antiquum dierum, in eum redeuntes à quo vno creati & redempti ſumus. Argento & auro ornatur: quia ex clara Dei viſione & amore hæc adhæſio firma complетur.

Secundum ſaphirus.

De ſecundo fundamento firmitatis beatitudinis ſanctorum, nempe clara Dei viſione, qua omnis ignorantia fugatur.

ANNOTAT. XXII.

SICVT Beatitudo ſanctorum firmiſſima eſt, nec amplius appetitus noſter fertur in hoc aut in illud, quia voluntas adhæret ſummo bono; ita firmiſſima eſt, quia viſo Deo clarè & intuitiuè, nullus error obrepere poterit, quo mens poſſit à ſumma veritate deficere. In cuius veritatis adeptione beatitudinem conſiſtere voluit S. Auguſtinus, cum dixit *beatitudinem eſſe gaudium de veritate.* Tunc enim mens veritatem in fonte proprio intuebitur. Vnde firma ſtabit in poſſeſſione ſupremi boni, quo bonis omnibus cumulabitur, & torrente voluptatis potabitur. Quomodo namque tantum bonum cerni poſſet, & amari nequiret conſtanter & ſine interruptione? Sicut viſio eſt continua, ita & amor continuus: non ampliùs mens errore ſeducetur, vt ad hoc aut illud adſpiret. Tunc viæ illæ admirabiles & inueſtigabiles diuinæ prouidentiæ manifeſtabuntur. Tunc myſteria aperientur, quæ pro ſalute noſtra perficienda facta fuerunt. Tunc cauſæ naturales cum ſuis effectibus pateſcent. Tunc virtutis pulchritudo, vitiorum turpitudo apparebunt. Tunc non erit illa mentis ſtupiditas, qua fit vt ſæpè nec bona, quæ habemus, percipimus: nec de iis gaudemus. Nos plærumque à vero deficimus, quia ignoramus cuius boni ſimus poſſeſſores. Hi quia videbunt quo fruuntur bono, nec minuſculo deſiderio ab eo diſiungi poterunt. Hæc omnia proculdubio firmam reddent noſtram beatitudinem, dum periculum nullum eſt ſeparationis ab eo, à quo beati efficimur.

Certè multæ ſunt proprietates veritatis cognitæ, quæ in cognitione veritatis ſupremæ clariùs refulgent. Nihil pulchrius veritate, vel Auguſtino teſte, epiſt. 9. ad Hieron. *Incomparabiliter enim pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro iſta enim fortiùs noſtri Martyres aduerſus hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroes aduerſus Troiam dimicarunt.* Ita S. Aug. Quod ſi tot cooperta ænigmatibus, & obſcuritate fidei veſtita pulchra eſt, quid erit, quando nudè & apertè in ſeipſa videbitur? Secunda veritatis proprietas eſt, quòd vna alicuius veritatis cognitio, alterius veritatis cognitioni nullo modo contrariatur: itaut omnium rerum cognitiones, quibus mens ornari & perfici poteſt, ad hoc vnum conſpirant, vt mentem exornent: nec vna fugat aut expellit aliam, aut eam à ſua ſocietate excludit: licèt obiecta multum inter ſe diſtent, aut contrarientur, aut inter ſe repugnent, ſicut eſt

Digitized by Google

cognitio, bonitatis diuinæ, & cognitio malitiæ peccati. At ſimplicior erit in cælo veritatis cognitio: cum in Deo ſolo viſo, omnia tanquam in ſpeculo videbuntur, & omnium rerum creatarum cognitio ad hunc ſolum finem ordinabitur, vt Deus autor & creator omnium magnificetur, ſiue ratione operum miſericordiæ, ſiue ratione operum iuſtitiæ ſuæ.

Tertia proprietas veritatis cognitæ eſt quòd eâ cognitâ mens in ea conquieſcit. Eſt enim veritas proprium & adæquatum obiectum intellectus: quo cognito, tanquam qui terminum attigerit, nihil ampliùs inquirit. Hoc autem veriſſimum erit, cum ſupremam veritatem attigerit. Nam cognitio cæterorum eſt tantùm via, qua mens ad cognitionem ſupremæ cauſæ euehitur. *Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiternaque eius virtus & diuinitas.* Rom. 1. At dum Deus clarè videtur tunc mens adepta eſt vltimum terminum ſuæ operationis, & in eo quietè recumbit.

Quarta proprietas veritatis eſt quòd ex ea percipimus rerum cunctarum pretium ſeu valorem, vt quæcumque ſancta, quæcumque iuſta, quæcumque amabilia ſunt proſequamur, alia rejiciamus, & ab eis auellamur. Certè in clara Dei viſione videt quilibet Beatus Deum ſolum eſſe ſupra omnia diligendum, eoque ſolo poſſe mentem noſtram & appetitum expleri. Vnde gaudet in poſſeſſione tanti boni, in quo vno habet omnia quæ appeti poſſunt, & ea omnia quæ induſtriam ſuam in veritatis perquiſitione à longè ſuperant.

Quinta veritatis proprietas eſt quòd cuiuſlibet rei cognitio vera vtilis eſt, quamtumuis minimi videatur momenti: Proculdubio nullius creaturæ quamtumuis exiguæ cognitio mentem beatorum effugiet, & ex eius cognitione materiam laudandi Deum aſſumet, qui in paruis etiam operibus magnitudinem ſuæ potentiæ & ſapientiæ oſtendit.

Sexta veritatis proprietas eſt, quòd Deus per veritatis cognitionem in mente hominis requieſcit. Sicut enim *Spiritus ſanctus aufert ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu*, Sap. 1. Ita certè præſens eſt menti veritatem contemplanti. Quod reuera perfectè cernitur, cum mens totaliter abſorbetur in contemplatione & clara viſione ſupremæ veritatis. Tunc enim perfectè Deo adhærebit, & vnus ſpiritus cum eo efficietur.

Hinc ſi ſeptima proprietas veritatis eſt quòd per eam ab omni fallacia & deceptione immunes reddimur: Vnde omnia mala, quæ occurrere poſſent, præuidemus & præcauemus; multo magis tunc ſupremæ veritati adhærentes, ab omni errore & deceptione erimus immunes. Quæ omnia in ſaphiri lapidis proprietatibus optimè deſignantur.

Saphirus eſt gemma cœrulea, ſereni cæli colorem referens; præcipuique ſapphiri & maiori in pretio habiti, hi ſunt qui aureis punctis inſcribuntur & collucent, itaut quodammodo cæli ſtellati pulchritudinem obtineat. Aurum ſiquidem ipſius non quaſi puluis, aut quaſi venæ in eo apparet, ſed quaſi ſcintillæ in cœruleo ſpatio intermicantes. Pulcher certè lapis. Saphir quippe ex S. Hieronymo Hebræo Syroque ſermone, pulchra dicitur. Eſt autem denſus, & opacus, vt à lapide hyacintho diſtinguatur. Multæ illi affinguntur proprietates, quòd percuſſis à ſcorpionibus hauſtus proſit, & contra inteſtinas exulcerationes; quòd ruptas membranas cogat; excreſcentias in oculis, & puſtulas inhibeat: cordi medetur: valet etiam ſumptus contra melancholiam quartanam, & humores melancholicos. *Hic lapis*, inquit Pierius, lib. 41. **A** *apud veteres magna ſemper in veneratione fuit: ſiquidem per eum Imperium, & ſummum Sacerdotium ſignificari manifeſtum eſt.* Ita Pierius. Olim appellata hæc gemma, *Gemma gemmarum*, vt refert Abulenſis in 28. Exodi. Et iuxta Æliani hiſtoriam, lib. 4. c. 34. Ægyptij quondam Sacerdotes iudices fuerunt, quorum ſummus inter eos Sacerdos, qui & ſupremus erat Iudex, geſtare ſolebat appenſam imaginem ex ſapphiro, quæ appellabatur veritas. Adde quòd nonnunquam repetitur ſapphirus carbunculo miſtus, id eſt, vna & eadem gemma, quæ vna parte carbunculum, & altera ſapphirum reddat, & ab Indis appellatur Saphirotubinus. Hæc ex Lud. ab Alcaz. not. 8. in 20. c. 21. Non mirum ſi pro vi- **B** ſione diuina depingenda aſſumatur, nimirum ſecundum quod tantum bonum à nobis in hac vita poteſt cognoſci. Quis enim niſi expertus illius boni excellentiam perfectè cognoſcere poſſet? Saphirus eſt gemma cærulea, ſereni cæli colorem referens, quem colorem habet propter abundantiam lucis, cuius radij in ſeipſos reflexi hunc colorem reddunt. Abundantia lucis in ſapphiro, eminentiam luminis gloriæ repræſentat, quo anima cælum redditur, id eſt, Dei ſummi domicilium & ſedes. *Cælum*, inquit, *ſedes mea eſt.* Aureis punctis ſeu ſcintillis collucet, omnes enim rationes, quibus mens ad Dei amorem excitari poteſt in hac viſione habentur. In hoc vno lumine, in hac viſione omnia **C** reuelantur, quæ ad perfectionem beatitudinis requiruntur. Coeunt enim omnium aliarum rerum cognitiones in hunc ſcopum, vt Deus clariùs cognoſcatur in ſe & in ſuis effectibus, vt nihil ſit ea viſione Dei pulchrius, cuius cognitio cognitionem omnium rerum creatarum præcellit. Ideo opacus eſt ille lapis, ad deſignandum mentis acumen vltra non progredi, & in cognitione tanti boni conquieſcere. Hac viſione plaga cæcitatis & ignorantiæ, qua à diabolo percuſſi fueramus (dum eius inſtinctu ſcientiam curioſè appetentes primi parentes, Dei præceptum tranſgreſſi fuerunt) perfectè ſanatur: vnde clarè videmus Deum eſſe omnibus rebus anteponendum, & cum ſancto Michaele ex- **D** clamamus: *Quis vt Deus? Cuius voluntati nemo reſiſtere poteſt.* Hac viſione ſanantur omnes mentis cogitationes; & animæ facultates, quæ per peccatum diſſolutæ fuerant, & diſſipatæ, colliguntur, vt in hunc vltimum finem pro modulo ſuo tendant. Nullæ in oculis excreſcentiæ falſarum opinionum aut errorum; nullus cordis dolor nulla melancholia, vbi perfectum ſequitur gaudium ex illa perfecta Dei cognitione; & in paruis, & in magnis, Deus ab omnibus beatis laudatur & glorificatur. Hac viſione fiunt Dei ſedes, vt in eis requieſcat, vt videbimus in cap. 22. *Et omne maledictum non erit amplius, ſed ſedes Dei & agni in illa erunt.* Erunt etiam eius ſacerdotes, quia ei cultum exhibebunt ſempiternum. **E** *Et ſerui eius ſeruient ei.* Erunt Reges. *Quoniam*, inquit, *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Gemma certè gemmarum, quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ Deus præparauit diligentibus ſe.* Nonne igitur facile eſt conjicere firmiſſimam fore beatitudinem, quæ cognitione ſummæ veritatis, ab omni errore immuni fulcitur & ſuſtentatur. Ceſſabunt tunc ſatanæ aſtutiæ, cuius cauda ſcorpionis ſemper in ictu eſt, nulloque momento meditari ceſſat, nequando deſit occaſioni, vt de Scorpione dicit Plinius. Nam nec extrinſecâ nec intrinſecâ ſuggeſtione ampliùs mendaciis ſuis fallere, aut beatos decipere poterit. Saphirus, inquiunt, ſi per Samech ſcribatur, idem eſt ac numerus aut ratio. Certè hac viſione anima ſeu mens hominis omnem illum numerum ſpecificum,

Digitized by Google

cum, quem expectare poteſt, ex eo quod ſit rationalis creatura, obtinebit iuxta illud: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum.* Pſ. 47. Sic natura comparatum, inquit S. Gregor. Nyſſenus, oratio. 14. in Cantica, *vt ſplendor ille cæruleus oculos reficeat; atque ita hoc ænigma conſulit, vt cor noſtrum ea, quæ ſurſum ſunt, velit ac reſpiciat, & iſt' ic oculos oblectet.* Ita Nyſſ. Non eſt dubitandum fidem & cognitionem huius beatæ viſionis plurimam menti ingerere delectationem. Vtinam ab infantia, illius beatitudinis cognitionem appenderes in pectore; ſicut in collo puerorum olim appendebantur ſaphiri, qui vocabantur hac de cauſa pæderos, quaſi παιδὸς ἔρως j. pueri amor, ad arcenda venoficia, & incantamenta. Certè amore illius beatitudinis ſperandæ amatoribus veritatis, fugaretur illa faſcinatio nugacitatis obſcurans bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertens ſenſum ſine malitia. Sap. 4. Amatores proculdubio veritatis propter ſpem illius beatæ viſionis Sapphiro pulchriores dicuntur. Thren. 4. *Nazaræi eius candidiores niue*, propter corporis & appetituum mortificationem: *Nitidiores lacte*, propter animi puritatem, in corpore immaculato & incoinquinato inhabitantis, qua anima tanquam lacte ſuauiſſimò nutritur, & capax redditur viſionis Dei. *Beati enim mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Rubicundiores ebore antiquo*, quia eorum ſanctitas vergit ad rubedinem eboris, propter inſignem charitatem. *At ſapphiro ſunt pulchriores*, quia amatores veritatis ad veritatis fontem peruenire contendunt, dum inclinant cor ſuum ad cuſtodiendas iuſtificationes Dei, propter illam retributionem.

Hanc nobis mereri meditabatur Chriſtus, dum inter homines conuerſabatur. *Ille*, inquam, *dilectus ex dilecto*, id eſt, amabilis filius, ex amabili patre, progenitus. Candidus propter diuinitatem, rubicundus propter humanitatem; electus ex millibus, quia vnigenitus patris, & matris primogenitus. Cuius *caput aurum optimum*, quia caput Chriſti Deus. Cuius *Coma ſicut elatæ palmarum, nigra quaſi coruus*: quia cogitationibus eius nemo poteſt reſiſtere, itaut quamuis difficillima videantur quæ meditatur, tamen ſingulari prouidentia eadem producit; nec minus in eorum productione admirationis cauſam habebis, quàm ſi videas coruum cibum Eliæ ſuppeditantem, qui propriæ geniture in nido exiſtentis obliuiſcitur, & illam à ſuis finibus expellit, vt ſolus ſit qui in his partibus cibum ſibi comparare valeat. Cuius *oculi ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima*: Plenitudo quippe ſpiritus ſuper eum requieſcit: quo fit vt eius mens puriſſima ſemper fixa maneat in contemplatione conſiliorum diuinorum patris æterni; & eius mundiſſima voluntas in executione mandatorum eius ſit paratiſſima: candidiſſimo enim lacte lotæ fuerunt mens eius & voluntas, cum præuenta fuerunt in operatione, vnione hypoſtatica, vt mundiſſimis actibus cooperirentur, ſicut implumes columbæ candorem in plumis (vt volunt) contrahunt, ſi lacte fuerint lotæ. Cuius genæ areolæ ſunt aromatum, conſitæ à pigmentariis. Conuerſatio quippe eius inter homines gratiſſima & vtiliſſima fuit. *Pertranſiit enim benefaciendo*, & ſanando omnes infirmos eorum. Cuius *labia diſtillantia myrrham primam*: doctrina enim illius ad incorruptionem & immortalitatem perducit credentes. Cuius *manus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*: opera enim illius perfectiſſima, meritis & charitate ditiſſima. Is, inquam, talis ac tan-

A tus (cuius encomia fuſiùs fortè quàm locus poſtulet hîc ex Salomone adduximus,) nihil aliud meditabatur, quàm vt faceret voluntatem patris, ſanctificationem noſtram promouens prædicatione veritatis, & propoſitione æternæ illius viſionis. *Hæc eſt enim*, vt ait S. Paulus 1. ad Theoſſalonic. c. 4. *Voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* Hanc ſanctificationem promouere ſtudebat Chriſtus, cuius cibus fuit vt faceret voluntatem patris. Huius veritatis ſe eſſe teſtem profitetur, dum Ioan. 18. ad hoc ſe natum, & ad hoc veniſſe in mundum ſe dicit, vt teſtimonium perhiberet veritati. Et addit: *Omnis qui eſt ex veritate,*

B *audit vocem meam.* Quam, quæſo, vocem, niſi eam qua dicit vitam æternam in eo conſiſtere, vt cognoſcant patrem, & quem miſit filium, ac ſi diceret, æternam Dei viſionem. Hæc gerebat in pectore, hæc voluebat in mente. Vnde addit Salomon in Cantico. *Venter illius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* His enim cogitationibus ſeſe, vt ita dicam, nutriebat, quomodo videlicet homines ad ſanctitatem promoueret, quomodo eos ad hanc Dei viſionem adduceret, quæ, vt dictum eſt, per ſapphirum deſignatur. Quòd ſi ad hanc viſionem peruenire volueris, ſcito ad eam non peruenitri, niſi per mandatorum Dei obſeruationem, iuxta

C illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Quod innuere voluit Dominus Deus noſter, cum duas tabulas legis, quas Moyſi in monte dedit, ſapphirinas eſſe voluit, vt vult S. Epiphanius, lib. 12. de gemmis; ac ſi innueret Dominus, ad ſummæ veritatis cognitionem & viſionem, nunquam peruenietis, niſi per obſeruationem eorum, quæ in hoc lapide, veritatis & cognitionis illius ſymbolo inſculpûtur. Quin & antequam has tabulas Moyſi daret, viſus eſt Dominus à Moyſe, Aarone, Nabub & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus, habens ſub pedibus ſuis quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum cum ſerenum eſt, Exod. 24. vt doceret ſe legem daturum, quæ neceſſariò obſeruanda erat;

D vt in cælo, eſſentiæ ſuæ viſionem communicaret iis, quos ad gloriam vocare volebat. Hoc enim illius opus eſt, nempe ad gloriam homines euehere; per præceptorum obſeruantiam. *Præceptum* enim *Domini lucidum illuminans oculos, timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi, iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.* Pſ. 18. Habeas igitur ventrem, id eſt, mentem & memoriam ornatam ſapphiris, id eſt, cogitationibus & deſideriis tanti boni, quale eſt viſio beatifica. At vt Capax ſis talium cogitationum, venter tuus ſit Eburneus. Ebur enim, vt docet Philo Carpathius in hunc locum Canti-

E corum, *eſt os firmiſſimum, & maximè durabile, regiiſque ornatibus commodiſſimum.* Qua ratione, vt vult idem Carpathius, *eos omnes ſignificat, qui ita carnem ſuam domant, ſenſuſque rationi ſubjiciunt, & ſanctis virtutibus ſeipſos illuſtrant; fide, pietate, iuſtitia, continentia, caſtitate, dilectione proximi ac Dei, vt & Chriſti mortalitatis, reſurrectioniſque ac gloriæ meritis digni ſint ornati. Vnde & lapide ſapphiro, qui coloris eſt ignei, id vaſis ornatum dicitur: quoniam Chriſtus in aſſumpta noſtra mortalitate cæleſtia opera planeque miranda peregit ad ſalutem noſtram & diſciplinam (omnis enim Chriſti Ieſu actio, noſtræ vitæ fuit inſtructio.) Quiſquis Chriſti Ieſu munerum atque gloriæ particeps eſſe deſiderat, is lapide ſapphiro, quoad fieri poteſt, ſe honeſtiſ-*

ſimè adornet, vt vel in hac corruptibili carne ea omnia ſanctiſſimè operetur, quæ quaſi eburnea opera cæleſti regia futura ſunt ornamento, nec vnquam peritura. Ita Philo Carpath. Ego autem dico, habeat ventrem, id eſt, mentem Eburneam, id eſt firmiſſimam, mundiſſimam, virtutibus ornatam, vt cogitationes ac deſideria regni cæleſtis, ac diuinæ viſionis in hac vita mortali in ſe firmiſſimè teneat, & dicat continuo: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*; qui fortiter opus noſtræ redemptionis perfecit, qui omnium virtutum, quibus eius fructum conſequi poſſumus, nobis exemplum dedit, quarum odore attracti poſt eum currimus ad patriam, ſuauitate doctrinæ ex pectore amoroſiſſimo prodeuntis allecti. Vnde eo dicitur, Cant. 4. *Crura eius columnæ marmoreæ*: ecce eius fortitudo in operationibus. *Species eius vt Libani*: Ecce aggregatio omnium virtutum. *Electus vt cedri, & guttur illius ſuauiſſimum*: Ecce odor virtutum, fama miraculorum, ſuauitas doctrinæ, quo fit vt totus ſit deſiderabilis, vt meritò dicamus: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Tertium Chalcedonius.

De tertio fundamento beatitudinis, nempe ſtricta cum hominibus, Dei amicitia, per incarnationem verbi contracta, qua omnis metus mutabilitatis ſtatus, ob natiuam naturæ propriæ mutabilitatem, excluditur.

ANNOTAT. XXIII.

DEI incomprehenſibilem eſſe potentiam & maieſtatem nemo negare poteſt. Quò igitur clarior & certior erit illius potentiæ & maieſtatis cognitio, tantò magis ad eius conſpectum contremiſcet quiſquis illum videre contigerit, dicente Iob. c. 26. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Hac de cauſa illum videntes nimio terrore concuterentur, ſi ſolùm tantæ maieſtatis altitudinem ponderarent; & meritò timerent ne ab eius conſpectu excluderentur aliquando, niſi illos de firmitate fælicis ſtatus certiores redderet infinitæ illius bonitatis cognitio, eiuſque ad extra tam inſignis effuſio, in myſterio nempe incarnationis Verbi diuini, quo cognito perfectè ſatiatur omnis de Deo cognoſcendo appetitus & deſiderium. In eo enim reperitur bonitas diuina, tam magnificentiſſimè & largiſſimè effuſa, vt beati ſecuri reddantur quòd qui hoc modo voluit indiſſolubiliter cum humana natura coniungi, illi gratiſſimum erit intentionaliter per cognitionem & amorem indiſſolubilem cum beatis copulari: maior enim eſt & excellétior vnio hypoſtatica, quàm intentionalis. Hoc non modo ſatiat illorum appetitum cognoſcendi Deum, ſed & firmat illorum ſecuritatem, quòd licèt ſint ex ſua natura mutationi obnoxij, tamen fixi erunt in æternum, in contemplatione & amore tanti boni.

Præſuppoſita quippe (ſi de ſatiando appetitu loquamur) reuelatione fidei quæ non ſolùm proponit de Deo credenda eſſe illa attributa, quæ Dei propria ſunt, ſed inſuper præcipit vt eum credamus eſſe cauſam omnium, creatorem cæli & terræ, viſibilium & inuiſibilium, principiumque creaturæ Dei, in nobis certè exoritur illo lumine colluſtratis appetitus quidam illum cognoſcendi, non

A modò qualis eſt in ſeipſo, ſed etiam vt omnium creatorem, cauſam, & principium. Ideo cum incarnatio verbi ſit præcipuus effectus illius cauſæ ſupremæ, in quo cæteri vel præſupponuntur, vel continentur & elucent, (vt pote qua diuitiæ bonitatis Dei nobis manifeſtantur, iuxta illud Apoſtoli, Coloſſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cælis ſunt, &c.* Et vt poſtea ait v. 26. *Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus* B *notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ, &c.*) Neceſſariò dicere debemus claræ viſionis Dei integritatem non modò conſiſtere in viſione diuinæ eſſentiæ, ſicuti in ſe eſt abſolutè & præcisè, ſed etiam in viſione eiuſdem, prout eſt cauſa omnium. Nam vt ait S. Laurent. Iuſtin. de diſciplina & perfect. Monaſticæ Conuerſat. c. vltimo. *Incomprehenſibili namque lumine, veritate perſpicua, ſerenitate luciđiſſima & iucundiſſima mens illuſtrabitur: nam fæcunda Dei verbo, & clarâ et inhærenti viſione, inſcrutabilia ſecretorum Dei iudicia, & ineffabilia ſapientiæ ipſius arcana vero percipiet cognitionis intuitu. Videbit quidem Deum in ſeipſo, videbit ſe in Deum, & Deum in ſe: videbit* C *Deum in creaturis, & creaturas in Deum: ſicque veſpertinâ, matutinâ, & meridianâ luce decorabitur.* Ita Laurent. Iuſt. At non videret illam diuinæ naturæ excellentiam, quòd ſit omnium cauſa, ſecundùm totalem & omnimodam ſuam bonitatem, qua diffunditur in creaturas; niſi probè & perfectè cognoſceret Myſterium Incarnationis. Vnde Saluator de æterna vita ſermonem faciens, dicebat Ioan. 17. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quamuis enim ſanctus Auguſtin. tract. 105. in Ioan. velit ordinem iſtorum verborum Chriſti eſſe, *Vt te & quem miſiſti Ieſum Chriſtum cognoſcant ſolum Deum verum: Vnde conſequenter,* ait, *Et Spiritus ſan-* D *ctus intelligitur, quia ſpiritus eſt patris & filij, tanquam charitas ſubſtantialis & conſubſtantialis amborum.* Ita Aug. Tamen dum addit, *Quem miſiſti.* innuit Deum verum non ſolùm eſſe cognoſcendum, vt in ſe eſt, ſed vt extra ſe ſeipſum communicantem excellentiori modo, nempe per Verbi Incarnationem, omnes alios modos communicationis vel præſupponentem, vel in ſe continentem, & perſonam Spiritus ſancti connotantem. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, & mitteret. Dum igitur dicit, *Quem miſiſti*, quia non miſit niſi per amorem & dilectionem, in his verbis perſonam Spiritus ſancti, qui eſt amor Dei, deſignauit. Vt igitur mens noſtra in cælo perfectè conquieſcat, & Deus à nobis cognoſcatur, iuxta E omnes modos quibus cognoſci poteſt; vt appetitus noſter cognoſcendi illum planè ſatietur, oportet vt hoc myſterium cognoſcatur. Quod ſi ſemel illud perfectè cognouerimus, nihil reſtat nobis exoptandum vt vita æterna fruamur. Nec aliarum rerum cognitio videretur neceſſaria, vt quanta ſit bonitas, & ſapientia, & iuſtitia, & potentia Dei perciperemus; ſi hic vnicus effectus, in quo recapitulantur omnia, probè cognoſceretur, ſecundùm omnes illius myſterij circumſtantias, ſecundùm omnes modos communicationis, quos illud myſteriũ inuoluit aut præſupponit, igitur vt beatitudo æterna omnem noſtrũ ſatiet appetitum, requiritur, vt Deus non modò cognoſcatur vt in ſe eſt,

Digitized by Google

Trinus & vnus; ſed etiam vt cauſa & rerum omnium principium, tam naturalium quàm ſupernaturalium; vt cognoſcatur non ſolùm in quantum eſt aliquod eſſe abſolutum & independens, ſed etiam in quantum per ineſtimabilem bonitatis ipſius profuſionem, ab eo omnia creata dependeat. Ex qua cognitione magna certè orietur, in beatis fiducia nunquam excidendi à gloria qua fruuntur, licèt de ſe ſint mutabiles, quia videbunt Deum tanta bonitate præditum, vt quod ſemel aſſumpſerit per incarnationem, nunquam velit dimittere. Et quod S. Auguſtini medit. c. 15. dicit eſſe totam ſpem ſuam, omnemque fiduciam, hoc idem erit potentiſſima ratio cur in eis nullus timor excidendi à gloria poterit ſuboriri. *Humanam itaque*, inquit, *non Angelicam ſuſcipiens naturam, & eam ſtola ſanctæ reſurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit ſuper omnes cælos, ſuper omnes choros Angelorum, ſuper Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram ſuam. Hanc autem laudant Angeli, adorant dominationes; & omnes virtutes cælorum tremunt ſuper ſe hominem Deum. Hæc nempe mihi tota eſt ſpes, omniſque fiducia. Eſt enim in ipſo Ieſu Chriſto noſtro vniuſcuiuſque noſtri portio, caro & ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamuis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata mea prohibet, ſubſtantia mea requirit. Et ſi delicta mea excludant, naturæ communio non repellit. Non enim ita immitis eſt Deus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit ipſius, quem ipſe geſtat, & quem mei cauſa requirit. Mitis verò & valdè benignus eſt Dominus Deus noſter, & diligit carnem ſuam, membra ſua, viſcera ſua, in ipſo Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto dulciſſimo benigniſſimo atque Clementiſſimo, in quo reſurreximus, & iam cælos aſcendimus, & iam in cæleſtibus conſedimus. Caro noſtra nos diligit. Habemus autem ſanguinis noſtri prærogatiuam in ipſo. Sumus autem membra eius, & caro eius. Ipſe denique eſt caput noſtrum ex quo totum, corpus, ſicut ſcriptum eſt: Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Et erunt duo in carne vna. Et, Nemo vnquam carnem ſuam odio habet, ſed fouet & diligit eam. Myſterium hoc magnum eſt: ego dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ita S. Auguſt. Quæ S. Laurent. Iuſtin. de incendio diuinis amoris inſerere voluit in c. 20. Videſne in hoc S. Auguſt. diſcurſu potentiſſimam rationem, propter quam Beati poſſunt magnam concipere ſecuritatem de ſtatu perpetuo ſuæ beatitudinis?

Hæc autem Chriſti cognitio ſatietatem inducens appetitui cognoſcendi, & ſecuritatem in beatis excludentem omnem metum excidendi à gloria ob naturæ noſtræ paruitatem, ob natiuam mutabilitatem, ſi maieſtati diuinæ comparetur, & eius dono deſtituta ſupponatur; pro fundamento beatitudinis collocatur, & per lapidem Chalcedonium ſeu Carbunculum & adamantem deſignatur. Et mirum eſt proculdubio quàm appoſitè proprietates Chalcedonij, ſiue Carbunculi, conueniant cum myſterio incarnationis.

Hic lapis Chalcedonius dicitur, ſiue quia reperitur in regione, in qua vrbs quæ Chalcedon dicitur; ſiue quia pretioſiſſimi Carbunculi ad æreum colorem vergunt, & calybea ſpecula imitantur. Et quia Chalcos etiam comprehendit ferrum, rectè ille lapis, qui alio nomine Adamas dicitur, Chalcedonius vocatur: quia quoduis metallum, etiam ferrum & chalybem perſtringit, domat ac polit. Antrax etiam dicitur, id eſt, pruna ignita. Iſidorus ſiquidem lib. 16. originum c. 13. ait: *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur: colore igneus vt carbo lucet in tenebris.* Ita ille. Vnde fit vt ad adamantem extendatur. Nam ſi accenſæ prunæ comparationem attendas, carbones nimis ardentes non modò rubent, ſed omnino candent, vt in ferro candenti apparet. Quam gemmam calculum, & carbunculum Iſaias nominat. A Ioanne autem ſupra calculus candidus vocatur. Igne tamen non caleſcit. Si carbunculus in acetum peracre injiciatur, magis ſplendeſcit, & aquis perfuſus exardeſcit. Naſcitur in montibus apud Naſamonas, vt incolæ putant, imbre diuino. Si cera cum illo obſignetur, illam liquefacit. Sole aut digitorum attritu excalefactus ad ſe trahit paleas, & chartarum fila. Quod ſi ſcriptura, vt docet Lud. ab Alcaz. notat. 12. in cap. 21. Inter carbunculos numeret adamantas, quia ignitæ prunæ meliùs colorem quàm Rubini imitantur. Gemma illa eſt fortiſſima. Vnde Plinius de adamantibus. *Incudibus deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrumque diſſultet, incudeſque ipſæ diſſiliant: quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens, laterumque ſexangulo læuore turbinati in mucronem, quo nullam non duritiem facillimè rumpant.* Antiquitatis credulitas fuit hircino ſanguine recenti calidoque rumpi. Poſtquam tamen confractus eſt Adamas, in tam paruas frangitur cruſtas, vt cerni vix poſſint eaque expetuntur à ſculptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiem ex facili cauantes. Ferrum attrahit vt magnes, vt voluerunt olim quidam autores, metuſque vanos expellit à mente. Has proprietates Alcazar confert cum myſterio incarnationis, quæ certè valde conducunt ad ſubleuandum mentem in cognitionem tanti myſterij. Et in primis, Non abſque ratione ille lapis ignitus hic exprimitur per nomen Chalcedonium. Videtur enim diuinum ſpiritum voluiſſe in hoc nomine alludere ad concilium in ciuitate Chalcedonenſi poſtea peragendum, pro hoc articulo de Chriſti Domini humanitate ſtabiliendo, & pro veritate de diuini verbi incarnatione aduerſus Eutychem & Dioſcorum confirmanda. Pruna eſt ignita illa gemma. Cum ergo Deus ſit ignis, & humanitas. Verbo ſit coniuncta diuino, in huiuſmodi lapillo figuratur perſonalis illa vnio, in qua verè ac propriè dicimus Deum hominem, & hominem Deum. Ignitæ prunæ comparatione vtuntur ad hoc ſignificandum myſterium antiqui patres Iuſtinus q. 44. ad Orthodoxos, Cyrillus lib. de incarnat. c. 8. Damaſc. l. 4. de fide Orthod. Orig. l. 2. Periarchon c. 6. Veruntamen elegantior eſt adhuc Carbunculi gemmæ quàm prunæ comparatio. Nam ex coniunctione ignis cum pruna & ferro, fit in ligno aut ferro quædam materiæ conſumptio: At ex fulgore candenti & ignito Carbunculi, nullum illa gemma patitur detrimentum. Quo rectè ſignificatur nihil de proprietatibus naturæ humanæ detrahi, ex coniunctione Verbi diuini cum ipſa humanitate: manent enim proprietates vtriuſque naturæ, poſt vnionem hypoſtaticam, integræ & illæſæ. Quinetiam fulgor ille Carbunculi ſemper ei inhæret, nec extrinſecè illi adiungitur, quod de pruna ignita, aut ferro ignito dici non poteſt: nam ſi prunam aut ferrum à fornace diſtrahas, in priſtinam obſcuritatem redeunt. Vnde Origenes ferri comparationem aſſumens, dicit: *Ferrum naturâ ſuâ capax eſt caloris & frigoris: ſi tamen ſemper intra fornacem ignis, dici poterit incapax frigoris; ſic beatiſſima Chriſti anima in Deo ſemper exiſtens, quidquid agit, quidquid intelligit, Deus eſt; & ideo inconuertibilis eſt & incommutabilis, quæ inconuertibilitatem ex Dei Verbi vnione indeficienter*

Digitized by Google

ignita poſſedit. Ita Orig. l. 2. Periarcho. c. 6.

Volunt illum lapidem naſci in montibus apud Naſamonas imbre diuino, in quadam lapidea materia roſei coloris, in qua rubinus alitur, & excreſcit, ſicut infans in vtero materno ſanguine nutritur. O planè diuinum conſilium, & in altiſſimis montibus incomprehenſibilis ſapientiæ diuinæ excogitatum, quòd de Spiritu ſancto concipiendus eſſet Chriſtus ſaluator, & in Balaſſino Rubino vteri Virginali formandus, & nutriendus tanquam ex quodam diuino imbre, quia non ex opere viri, ſed ex operatione Spiritus ſancti conceptus eſt, & in vtero Virginali efformatus. *Naſcitur*, inquit Plinius, *Carbunculus in eadem fodina, vbi ſapphiri reperiuntur, ſi alimentum varium fuerit & non idoneum: mixti coloris inueniantur, nempe partim albicantes, partim rubentes, aut media parte Rubini, media ſaphiri, quos indi Nalacandi quaſi ſaphiro Rubini appellant.* Hæc Plinius. Sic ex eodem ſinu paterno eſt generatio æterna & temporalis Verbi. Et quia alia eſt natura diuina, alia humana, hinc fit ille ſaphiro Rubinus, id eſt, Deus & homo, ille filius candidus & rubicundus, candidus ſeu cæruleus, & planè cæleſtis, propter diuinitatem, rubicundus propter humanitatem: Candor enim lucis æternæ, Verbum in ſinu patris, factus eſt caro in vtero matris. Igne non calefit Carbunculus: ſiquidem in Chriſti conceptione nullus concupiſcentiæ extitit ardor, aut quidquid aliud quod illibatum matris pariter ac Virginis florem vel leuiter aſpergeret. Imbre enim diuino, ſpiritu nempe ſancto ſuperueniente & obumbrante conceptus eſt, dum quaſi rore quodam cæleſti vellus illud ſanctiſſimum vteri Virginalis reſperſum eſt. Quin & hac ratione docemur opus incarnationis eſſe opus à gratia profectum: nec enim humanitas Chriſti meruit gratiam vnionis hypoſtaticæ, vt docet S. Auguſt. in Enchiridio c. 36. *Quid*, inquit, *meruit natura humana in homine Chriſto, vt vnitatem perſonæ filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas, quæ bona opera præceſſerunt, quibus mereretur iſte homo vt vna fieret perſona cum Deo?* Hæc Aug. Hoc certum eſt, quia conſtat humanitatem Chriſti non fuiſſe in rerum natura aliquo tempore ante vnionem; nec etiam humanitas meruit vnionem per bona opera, quæ ordine naturæ anteceſſerit vnionem; non per opera naturæ, quia opera naturæ non ſufficiunt ad meritum vnionis hypoſtaticæ quæ eſt ſupra naturam; non per opera gratiæ, quia humanitas Chriſti priùs naturâ habuit ſubſiſtentiam quàm accidentia: ergo prius natura fuit vnita ſubſiſtentiæ Verbi, quàm gratiæ habituali; & conſequenter prius habuit vnionem, quàm ex gratia habituali operaretur. Et confirmatur; quia omnes operationes accidentales ordinantur ad perfectionem ſuppoſiti, ergo neceſſe eſt vt conſtitutio ſuppoſiti ordine naturæ præcedat omnes operationes accidentales; & ſic verum eſt ipſam humanitatem Chriſti Verbo Dei fuiſſe coniunctam in ſacra conceptione Chriſti, ex imbre diuino, id eſt, ex mera Dei & gratuita voluntate, quia Chriſtus de facto non meruit vnionem. Sed nec potuit, vt volunt Theologi. Fieri enim non poteſt vt principium meriti cadat ſub meritum; nec idem poteſt eſſe cauſa & effectus reſpectu eiuſdem. Sed vnio eſt cauſa meriti in Chriſto; ergo non poteſt eſſe effectus reſpectu eiuſdem meriti. Hic igitur ille eſt lapis Carbunculus, in lapide Rubini Balaſſini, coloris roſei & tranſparentis, tanquam in matrice efformatus, tanquam à matre & nutrice educatus, id eſt, Chriſtus factus in virgine, lapide precioſiſſimo propter virtutem, & in vir-

A tute perſeuerantiam, tranſparenti propter puritatem, roſeo propter charitatem. In hac virgine, inquam, ex puro ſanguine ſuo efformatus & educatus fuit, & debita ſumpſit incrementa, ita vt Saluator dicere poſſit: *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius qui prius factus eſt, & in vtero matris figuratus ſum caro.* Sap. 7. Certè ſi Carbunculus ceræ impreſſus illam liquefacit, ſuppoſitum verbi totum quod erat perſonalitatis humanæ liquefecit, vt ſolà Verbi ſubſiſtentia remaneret in Chriſto. Si Carbunculus igne non læditur, ita nec læſus eſt Chriſtus igne iracundiæ Dei, qua omnes filij Adæ naſcuntur filij iræ: non enim peccatum originale

B contraxit, nullus in eo peccati fomes, nulla concupiſcentiæ labes. Infirmitates noſtras equidem portauit, ſed abſque ignorantia & peccato. Quod ſi eundem conſideremus poſtea inter homines conuerſantem, multa quidem tulit acerba, ſed nec eius patientia fuit in aliquo læſa igne ardenti odiorum, perſecutionum, flagellorum, ſpinarum, clauorum, & cæterorum tormentorum, quæ illi illata fuere; ſicut nec ſenſit ignem maledictionis iſtius: *Cinis es, & in cinerem reuerteris*; tum quia non dedit Deus ſanctum ſuum videre corruptionem, cum corpus ab anima ſeparatum fuit; nec diſſoluta eſt vnio hypoſtatica in diſſolutione animæ à corpore, quam ſubire voluit vt pa-

C tri obediret, & ad rigorem iuſtitiæ pro nobis ſatisfaceret. Nam & anima in limbum ſeu in infernum deſcendens, & corpus in ſepulchro reconditum ſemper ſubſiſterunt ſubſiſtentiâ verbi, quia *quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.*

Quin & non læditur magno illo incendio amoris, quo ſancti ad eum accedunt in ſacramento altaris vt illum comedant, illo ſatientur, eius ſanguine potentur: ſemper enim ille agnus integer manet & viuus. *A ſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus, integer accipitur, nec ſumptus conſumitur.* Color illius igneus etiam in tenebris lucet; nec mirum. Refert Cornelius repertum fuiſſe Carbunculum tanti ſplendoris, vt in meridie ra-

D dios relucentes emitteret, qui aërem vndequaque colluſtrarent. Ita ſit, ſi velis fidem adhibere dictis. Certum verò eſt noſtrum Carbunculum die ac nocte perlucere, & ſplendores emittere admirabiles. Ille eſt *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: lux ipſe, & ſol illuminans eos *qui in tenebris ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* De quo olim Iſaias c. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Et cap. 68. *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, &c.* Nec mirum ſi lux ſit mundi huius. *Ego*, inquit, *lux ſum mundi.* Quia, vt ait Iſaias: *Ecce tenebra operient ter-*

E *ram, & caligo populôs: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Sed, quod magis eſt, lucet in die æternitatis, in medio ſplendorum, quos ſancti emittunt. Lucet in ciuitate illa cæleſti, quæ *non eget neque ſole, neque luna. Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus.* Vt meritò ipſe dixerit: *qui ſequitur me, non ambulat in tenebrit ſed habebit lumen Vita lucem*, inquit Alcazar, *Carbunculus magis detegit.* Quando ſurſum attollitur. Maiorem lucem emiſit Chriſtus in crucem ſublatus quàm antea Sic enim exaltatus à terra omnia potuit trahere ad ſeipſum; nec non in dextera Dei ſedens, maiori lumine cælum terra colluſtrat. Si in acetum acre injiciatur hic lapis, ſi aquis perfundatur, id etiam conducit vt poſtea

Digitized by Google

magis ſplendeſcat, & illuſtrior reddatur. Certè *lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Etenim Chriſtus in cruce pendens aceto & felle potatus, & dum ſuper eum effuſi ſunt omnes fluctus iracundiæ Dei, magis ſplendor illius coruſcauit, & illuſtrior euaſit. Quin & ignis iracundiæ inardeſcit aquis peccatorum: *Et ſi quis ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Attrahit Carbunculus paleas, ſi ſole & attritu digitorum incaleſcat. Attraxit Chriſtus animas credentium, dum patri obediens mortem ſubire voluit, dum in monte reſplenduit facies eius ſicut ſol, dum digitis Thomæ immiſſis in latus eius, clamatum eſt ab eo: *Dominus meus, & Deus meus*; dum faciem habens ſicut ſol relucentem videtur à Ioanne ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum. O quanta erit lætitia eorum, qui illam lucem ſequuti per fidem in nomine eius, & per imitationem illum in cælis intuentur regnantem. Tunc perfectè videbunt illius ſanctitatis veritatem, quantæ fuerit autoritatis & meriti, quantus honor illi debeatur, quanta ſit efficacia virtutis & potentiæ eius. Videbunt opus iſtud incarnationis eſſe cæteris operibus Dei eminentius, per quæ voluit homines prouocare ad ſuam cognitionem, ſuumque amorem. Hæc enim vnio hypoſtatica dignior eſt omni alia communicatione. Nec enim viſio beatifica aut amor beatificus illam antecellunt. Vnio ſiquidem beatifica eſt tantùm accidentalis, per gratiæ infuſionem, per lumen gloriæ infuſum, per actus intellectus & voluntatis; at vnio humanitatis cum Verbo eſt hypoſtatica & ſubſtantialis, & multos præclaros effectus producit: ea redempti fuimus, ea filij ſumus Dei adoptiui, & hæredes Dei ea viſio clara, & amor beatificus donantur, & omnia in illo recapitulantur & reſtaurantur; & in perfecta cognitione illius myſterij iuxta illius eſſentiam, ſubſtantiam, proprietates, accidentia, circumſtantias, dependentia, ſucceſſus, euentus, effectus, & ſecundùm omnes modos, quibus cognoſci poteſt, habemus cognitionem cuiuſdam effectus perfectè ſatiantis illum appetitum, quo Deum non modò vt in ſe eſt, cognoſcere appetimus, ſed etiam vt eſt cauſa & principium omnium rerum: & eademmet ratione certiores reddimur amicitiæ Dei, qui conſtanter amat noſtram naturam, & eâ ſemel aſſumptâ nunquam eam derelinquere intendit. Hic ille eſt Adamas, cuius fortitudo inuicibilis. *Poteſtati enim eius quis reſiſtit? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, qui *fecit potentiam in brachio ſuo. diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie huius Carbunculi: quia eius fortitudo, fortitudo eſt adamantis. Certè ſi puluiſculus adamantis nullam non duritiem vincat; minimæ actiones Saluatoris ſi ponderentur, vt par eſt, corda emolliunt. Si laterum ſexamgulo læuore turbinati adamantis duritiem facilè rumpunt: quam duritiem non emolliet Chriſtus, quadrangularis crucis mucronibus? Medetur noſtris languoribus animi, meliùs quàm Adamas Cyprius medetur corporibus. Venena peccatorum irrita facit. Lymphationes abigit, ſeu mentis alienationes. Illo enim ſapientes reddimur, ac prudentes in hac vita; vt in æterna vita, per veram cognitionem amoris Dei erga nos in hoc myſterio deprehenſi, omnis metus expellatur excidendi à gloria, quam in cælo poſſidebimus.

Huius adamantis excellentiam, quo firmatur noſtra beatitudo, & tanquam muro fortiſſimo ab
A omni incurſione protegitur, nobis Spiritus ſanctus deſcribere voluit capite 7. Prophetiæ Amos, ſi tres verſiones huius loci expendamus, & ſimul coaptemus: Prima eſt: *Ecce*, inquit, *Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Et paulo poſt: *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſrael.* Secunda verſio eſt: *Stans ſuper murum perpendiculi, & in manu eius perpendiculum:* Et paulò poſt: *Ecce ego ponam perpendiculum in medio populi mei.* Tertia verſio eſt 70. interpretum. *Stabat ſupra murum adamantinum, & in manu eius Adamas.* Et paulo poſt: *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei.* Murus hic eſt Chriſti humanitas, ſub cuius munimine & protectione ſecuri degimus.
B Murus optimè litus, quia politus, & rectiſſimus. Qui eam humanitatem attentè perſpexerit, animaduertet opus eſſe ſummi artificis. Nam licèt ſit ex luto, ex terra rubra, ex argilla, arena, & calce confectus, quia in Chriſti humanitate caro lutea, fragilis, & mutabilis reperitur; tamen in eâ, innocentia, integritas morum perfecta ſanctitas, ſimplicitas reperitur; nihil in ea diſparatum, diſiunctum, diſſonans; & interior & exterior pars, paſſiones, animi affectiones, ratio, mens intellectus, voluntas, ſenſus geſtus, & compoſitio vultus ac membrorum, omnia ſimul concurrunt vnanimiter, vt æterni patris voluntas adimpleatur: vnde tanquam exemplar perfectionis no-
C bis proponitur. Hinc non ſolùm murus litus dicitur, ex diuerſis materiis conſtans, quia in eo Verbum, caro, & anima reperiuntur, potenti manu illius, qui trullam omnipotentiæ, omnium formatricem habet in manu, ſimul coniuncta, ſed etiam, iuxta aliam verſionem, murus eſt perpendiculi, quia erectus eſt talis, vt Deus in eo omnes voluntates ſuas adimpleuerit ad amuſſim, ſeu perfectiſſimè; itaut à Deo dicatur apud Iſaiam: *Voluntas mea in ea.* Sed quod murus eſt, per eum Deus nobis omnia ſua conſilia aperuit. *Omnia*, inquit, *quæcumque audiui à patre nota feci vobis.* Quin & exemplum ſeſe præbuit, vt quemadmodum ipſe fecit, & nos faciamus.

D At tandem ille murus luteus, litus, politus, ille murus perpendiculi fit murus adamantinus in patria cæleſti, & ponitur tanquam Adamas in medio populi Dei. Nam ex cognitione illius myſterij incarnationis, perficietur noſtra beatitudo. *Verbum* enim *caro factum eſt: Vt vterque ſenſus hominis*, inquit S. Auguſt. *beatificaretur & reficeretur in ipſo:* oculus cordis in eius diuinitate, oculus corporis in eius humanitate. Quin & in cognitione tanti beneficij ingentem hauriemus conſolationem. Nam videntes Deum inſeparabiliter vnitum noſtræ naturæ, ſeparationem mentis noſtræ aut voluntatis à tam amabili obiecto nullo modo pertimeſcemus. Fuit equidem in hac vita tanquam Adamas fir-
E mus, ſed ſplendor eius quaſi ſub rudi cruſta erat abſconditus, propter mortalitatem, paſſibilitatem, & infirmitates noſtras, quas aſſumere voluit, tanquam adamas recenter è fodina erutus: at craſſitiem ſuam exuit, dum attritus fuit per voluntatem patris. Qui etiam Adamas eſt pretioſiſſimus. Et ſicut dum duo adamantes craſſi & rudes ſimul atteruntur, craſſitiem exuunt; ita voluntas patris filium ad mortem deſtinantis, & voluntas filij patri obedire ſtudentis ſimul ſeſe coniungentes, (dum in cruce oblatus, quia ipſe voluit, vt patri obediret, qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum) ſe inuicem clarificauerunt. Sic enim notum fecit hominibus filius patrem ſuum, & pater etiam clarificauit filium, dum illum collocauit in Throno ſuo, &

Digitized by Google

ad dexteram ſuam conſtituit. Et ſicut puluis ille, A qui ex attritione duorum adamantum producitur, adamantem ſupra Calybeam laminam poſitum, eo puluere attritum & perfectum illum ſplendidiorem reddit. Ita omnes illæ actiones, quas Chriſtus produxit vt voluntati patris obediret, tandem illum illuſtriorem reddiderunt. Factus eſt enim obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter hoc datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cæleſtium terreſtrium, & infernorum. Quem nunc Beati ante reſurrectionem videntes exaltatum, & ſublimatum in dextera patris, expectant certè glorificationem corporum B ſuorum. *Si enim Chriſtus reſurrexit, ergo & nos reſurgemus. Si autem Chriſtus prædicatur quod ſurrexit à mortuis*, inquit Paul. 1. ad Corinth. 15. *Quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Certè quod nos expectamus in hac vita, iuxta Apoſtolum Rom. 8. *Scimus*, inquit, *quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque ad huc: non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri:* Hoc idem expectant ſancti in patria, nempe redemptionem corporis, id eſt, à corruptione & mutatione qualibet libertatem, *cum ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei:* quæ C immutabilitatem quamdam ſtatus exigit. Repugnat enim vt res quælibet ſint in perpetuo motu; conſiſtentiam quamdam ad ſui operis perfectionem requirit diuina prouidentia: quam obtinebit, cum omnis noſter appetitus in cognitione Dei & Chriſti eius explebitur, & corpora noſtra immortalitatis dote decorabuntur, imaginem filij Dei veri, & pretioſi Carbunculi in ſeipſis exprimentes, itaut viuant, iam non ipſi viuant, ſed Chriſtus in eis. Hoc habebunt, quia diuino rore, nempe gratia Dei perfunduntur, vt ſint filij adoptionis. *Ero*, inquit Deus. Oſee 14. *quaſi ros. Iſrael germinabit ſicut lilium.* Hanc immortalitatem conſequuntur qui intra lapidem roſei coloris, nempe D charitatem diuinam, multa patienter tollerantes, concipiunt deſiderium patriæ cæleſtis, quibus Chriſtus hoc promeruit, dum ſe morti addixit, vt immortalitate frueremur, quia quicquid in nobis corruptibile eſt, & mutabile conſumetur, nihil tamen auferendo quod ad naturæ optimam conſtitutionem, & habitudinem pertinere poſſit; nec illius immortalitatis patiemur detrimentum. Carbunculus eſt igneus, adamas fortiſſimus, quem ſi oculis fidei adſpexerimus, ſi manibus bonorum operum attrectauerimus, mirum eſt quàm fortiter in amorem bonorum illorum ſpiritalium attrahemur. Hac de cauſa Chriſtus vult vt omnia relinquamus, omnium detrimentum faciamus, vt E beatitudinem illam tandem conſequamur, & in ea propter fiduciam, quam ex Chriſti Domini incarnatione concipimus, cum omni ſecuritate & tranquillitate conquieſcamus.

Quartum ſmaragdus.

De quarto fundamento Beatitudinis, nempe ſpeciali ſeu particulari Teſtimonio, (quo vnuſquiſque Beatorum ſecurus redditur amicitiæ & beneuolentiæ Chriſti Domini erga ſe,) in lapide ſmaragdo ſignificato.

ANNOTAT. XXIIII.

APOSTOLVS Paulus adhuc viuens in carne, ſed non ſecundùm carnem, de hac Chriſti Domini amicitia gloriabatur, dicens ad Galat. c. 2. *Chriſto confixus ſum cruci: Viuo autem, iam non ego: Viuit verò in me Chriſtus.* Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Ac ſi diceret. Per baptiſmum Chriſto commortuus, viuo nunc per veram iuſtitiam, viuo, inquam, non ego, non vetus ille homo, qualis eram, ſed nouus ille homo quem indui, nempe Chriſtus, qui mihi totius vitæ ſpiritualis, hoc eſt, omnis iuſtitiæ autor eſt: quam iuſtitiam habeo, dum viuo in hac carne mortali, ex fide in filium Dei. Iuſtus enim ex fide viuit. In quem iure ac meritò totum quod ſum refero, quia ab eo totum quod ſum accepi. Ille enim hoc mihi comparauit, quia dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Quanto magis dum Beati videbunt Chriſtum in patria, & perfectè cognoſcent quomodo ſalutem conſecuti ſunt ex meritis eius, poterunt dicere ſe in gloria viuere, quia viuit in eis Chriſtus glorioſus, qui in eis vixerat inter labores & ærumnas. Quanto magis ei congratulabuntur, & ne ſint erga eum ingrati, gloriabuntur de illius amicitia, & beneuolentia, ac dicent: ille eſt qui me dilexit; ſeipſum pro me, non aliquid aliud tradidit: non debeo illi ingratus exiſtere, qui me tantùm dilexit, vt pro me mori non recuſaret, vt ait Primaſ. At non modò non erunt ingrati ſancti erga Chriſtum pro illius dilectione, ſed quamuis ſciant ſe olim multa peccata perpetraſſe, quibus in æternas pœnas potuiſſent deputari, & quibus indigni redditi fuerunt vitâ æternâ: tamen quia ſciunt ſe à Chriſto dilectos, nullus in eis ſuborietur metus, ob præcedentem indignitatem, excidendi à gloria qua fruuntur in Chriſto. Namque in eo habent amicum & protectorem fideliſſimum. *Amico fideli*, inquit S. Greg. Nazianz. or. 22. *nullum eſt in rebus humanis par pretium, nec bonitas illius pondere vllo æſtimari poteſt. Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis viuus theſaurus. Amicus fidelis ſuper aurum & lapidem pretioſum multum. Amicus fidelis hortus clauſus, fons obſignatus, quæ opportunè aperiuntur, & communicantur. Amicus fidelis refrigerij portus.* Ita Gregor. Quis, quæſo, potiori iure has conditiones amici fidelis ſibi arrogare poteſt, quàm Chriſtus? Ineſtimabilis pretij eſt eius amicitia, quo protegimur, quo munimur, ex cuius plenitudine gratiam & gloriam accipimus. Hortus quidem clauſus infidelibus & incredulis, ſed qui aperitur fidelibus, vt ex eo colligant ſuauiſſimos fructus. Fons obſignatus perfidis, ſed è quo hauriunt cum gaudio in eum credentes in hac mortali vita, eumque videntes in patria, omnem conſolationem: quibus reuera eſt refrigerij portus, quia ab eo ſecuritatem accipiunt vt æterni gaudij.

Si enim Petro exprobraretur negatio: Paulo, Eccleſiæ Dei perſecutio, en adeſt Chriſtus refrigerij portus, in quo habent remiſſionem pecca-

torum. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8. Propter quod vnuſquiſque beatorum in has laudes prorumpit. *Gratias ago tibi labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinita miſericordiæ Domine Deus noſter, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, per eundem filium tuum ſaluatorem noſtrum, & recuperatorem, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, & nunc viuens ſedet ad dexteram tuam & interpellat pro nobis, & ſimul tecum miſeretur; quia Deus ex te Patre coæternus & conſubſtantialis tibi per omnia. Vnde in perpetuum poteſt nos ſaluare.* Ita S. Laurent. Iuſtin. de incendio diuini amoris c. 20. poſt S. Auguſtinum in meditat. c. 16. *O admirabile myſterium!* Inquit ibidem Auguſt. *O inenarrabile commercium! O mira, ſemperque amanda diuinæ propitiationis benignitas! Serui Dei digni non fuimus, & ecce filij Dei facti ſumus, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Vnde hoc nobis, & quis nos ad hoc perduxit?* Ita Aug. *O quantum ſumus tibi debitores,* inquit idem c. 17. medit. *Domine Deus noſter, tanto redempti pretio, tanto ſaluati dono, & tam glorioſo adiuti beneficio? Quantum à nobis miſeris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti, ſic ſanctificaſti, ſic ſublimaſti? Tibi nempe debemus omne quod poſſumus, omne quod viuimus, omne quod ſapimus. Et quis habet quicquam non ſuum?* Ita Aug. Si hæc adhuc in vita miſera poſiti, ad Deum clamãt ſancti, quanto magis cum potiores effectus gloriæ obtinebunt, hæc aut ſimilia Deo decantabunt? Sit igitur pro fundamento noſtræ beatitudinis expellente omnem metum, (qui ſuboriri poſſet ex recordatione criminum) Chriſti Domini patrocinium, amicitia, & beneuolentia ſpecialis erga vnumquemque beatorum, ſuper quem Chriſtus ſcripturum ſe promittit nomen Dei ſui, & nomen ciuitatis Dei ſui nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo ſuo, & nomen ſuum nouum c. 3. Apoc. Hæc fiducia ex tali amicitia concepta adumbratur in lapide ſmaragdo, vt mox videbimus.

Smaragdus hebraicè dicitur Barequet, id eſt fulgurans. Gemma quippe eſt pellucida, & ſplendida, itaut Plinius lib. 33. c. 5. recenſeat in Cypro, Tumulo Regali Hermiæ iuxta Ceturias, marmoreo Leoni fuiſſe inditos oculos ex ſmaragdis ita radiantibus, etiam in gurgitem, vt territi inſtrumenta refugerent Thynni, diu mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec mutauere oculis gemmas. Scythicorum Ægyptiorumque tanta eſt duritia; vt nequeant vulnerari; præter quam quod propter magnam de ſmaragdo olim æſtimationem, nullus ferè ſmaragdus cœlabatur. *Decreto hominum*, inquit Plinius, *eis parcitur ſculpi vetitis.* Nullius coloris adſpectus iucundior eſt: nam herbas quoque virentes auidè ſpectamus, ſmaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Soli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant; quin & ab intentione alia obſcurata adſpectu ſmaragdi recreatur acies; Scalpentibuſque gemmas nulla alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcet. Elaborantur concaui, vt viſum colligant. Mira fiunt ex ſmaragdo ſpecula, quorum corpus extenſum eſt: eadem qua ſpecula ratione ſupini imagines reddunt; atque huiuſmodi officium ſmaragdus tanto cum oculorum ſolatio præſtat, vt Nero princeps gladiatorum pugnas in ſmaragdino ſpeculo ſpectaret. Æri ſunt: affines reperiuntur enim in æreis fodinis, & quod mirabilius eſt, ſi in Lydio lapide lineam ſmaragdo ducas, æreum colorem linea ipſa refert, vt experientia notum eſt. Epiphanius aduertit ſmaragdi ſaporem eſſe acerbum & amarum. Et Plinius item conſiderat ſmaragdos longinquo amplificari viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aërem. Hæc ex Alcazar notat. 13.

Verum autem Chriſti Domini amicitiam erga nos in hoc lapide adumbrari dicimus. Primò: quia vt quis verus amicus eſſe poſſit, oportet vt apprimè nouerit quæcumque bona, quæcumque neceſſaria ſunt ad noſtram vtilitatem & fælicitatem procurandam. Quis autem neſcit Chriſtum Dominum eſſe Dei ſapientiam, in eo omnes theſauros ſcientiæ Dei recondi, Deum de Deo, lumen de lumine, cuius cogitationes ſunt pacis, qui ſi oculos habeat apertos ſuper iuſtos in hac vita mortali, vt illos à periculis eruat, & omnibus neceſſitatibus illorum ſubueniat, quanto magis in futura vita prouidebit ne eis aliquid deſit ad illorum beatitudinem complendam neceſſarium? Vnde ſciens nulla vnquam ratione fieri poſſe, vt beatitudo illorum perturbaretur, ſi ſemper ipſi Deum diligerent, & à Deo etiam diligerentur; hanc dilectionem tanquam totius beatitudinis fontem illis procurabat apud patrem. *Et ego,* inquit, *claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Ioan.

Si igitur in Dei Chriſti, quem miſit, cognitione & amore vita æterna conſiſtit, hoc autem tantum bonum Chriſtus videat neceſſarium, vt beati exiſtant amici eius, eiſque illud impetrauerit, certè bonus fuit amicus, qui potuit ſcire quæ neceſſaria erãt eis ad beatitudinem, & illud idem ipſis à patre impetrauit, & abſque inuidia ſuorum bonorum velit ipſos eſſe participes, eoſque eadem dilectione diligi, qua & ipſe diligitur à patre. Hanc Chriſti ſcientiam (qua anima ſanctiſſima illius poteſt præuidere & prouidere omnia quæ nobis ſunt neceſſaria, ex eo quod indeſinenter contempletur fontem inexhauſtum diuinæ bonitatis; vt poſſit ſcire & adinuenire media, quibus & beatitudinem conſequi per fæcunditatem bonorum operum, & illum in perpetuum poſſidere valeamus) innuere voluit Spiritus ſanctus, dum oculos eius dicit eſſe ſicut columbas ſuper riuulos aquarum, & qui reſident iuxta fluenta pleniſſima. Cant. 5. *Talis*, inquit, *eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.*

Hanc conditionem amici adumbrat ſmaragdus. Lux enim eſt ſcientiæ ſymbolum. Vnde propter doctrinam, æquè ac ratione exempli, Chriſtus dicitur lux mundi, & Apoſtolos lucem mundi ipſe nuncupauit. At valde ſplendet ſmaragdus, & eò magis eius ſplendor ſcientiam & cognitionem poteſt adumbrare, quòd aërem circumfuſum ſuo ſplendore colluſtret, vt patet ex illis duobus ſmaragdis marmoreo leoni inditis, ſeu infixis, in tumulo regali Hermiæ, de quibus ſupra. Vnde Plinius dixit ſmaragdos eſſe ſemper radiantes. Deinde qui inquiſitione ſmaragdi incumbunt, altè terram defodiant oportet. Reperiantur enim valde

Digitized by Google

abſconditæ huiuſmodi gemmæ, & quaſi inſecto burlæ cuiuſdam repoſitæ. Certè Dei conſilia circa fideles electos verè ſunt abſcondita, & non niſi alta conſideratione Deum contemplantibus aperiuntur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, dicebat Dauid Pſ. 138. *Confortata eſt, & non potero ad eam.* Vix ac ne vix quidem poſſumus adipiſci qua arte Deus nos condiderit: quanto magis vix poterimus cognoſcere qua arte, quibus viis ac mediis nos ad beatitudinem æternam deducere velit. *O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Verè abſconditus ſmaragdus in profunda mente Dei.

Secunda conditio amici eſt vt non modò poſſit præuidere ac prouidere ea, quæ nobis ſunt neceſſaria ad fælicem aliquem ſtatum conſequendum, ſed cito & promptè ſubueniat. Hanc promptitudinem ſponſi ad ſubueniendum ſponſæ depinxit Spiritus ſanctus, Cant. vltimo, in his verbis: *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum. Hoc eſt*, inquit Philo Carpath. *aſcende in cælum, tu qui deſcendiſti de cælo, vt Spiritum ſanctum in Apoſtolos effundas, & ipſi per totum terrarum orbem diſpartiantur in gentes, ex quibus tibi colligatur dilecta & caſtiſſima ſponſa. Neque enim aliter tibi conuerti poſſum, Quaſi dicit Eccleſia, niſi tu fugeris. Quod ipſe declarat, cum dicit: Niſi abiero, ſpiritus paracletus non veniet. Propter ea id quam celerrimè fieri rogat, dicens: Fuge, mi frater, fuge de hoc mundo ad patrem tuum æternum, quem nunquam deſeris. Abſcede præſentiâ aſſumpti corporis, non ſpiritus ac gratiæ, qua ſemper es cum ſponſa. Ipſe enim dixit: Non relinquam vos orphanos, ſed vado & venio ad vos. Vado corpore: venio ſpiritu, qui à me ſemper Patreque procedit, deriuatur & ſpirat.* Ita Philo Carpath. Qui tam citò fugit ad Patrem aſcendens, vt acciperet dona in hominibus, promptus eſt certè vt ſponſæ ſubueniat in omnibus neceſſariis. Aſſimilatur Capreæ, ſeu Dorcæ, cuius viſus eſt acutiſſimus; ſed & ceruorum hinnulis, cuius velociſſimus eſt curſus: quia acutè videt quæ nobis neceſſaria ſunt, & promptè ea ſuppeditare poteſt, & nobis per ſpiritum ſuum, qui vbi vult ſpirat, præſentiſſimus efficitur. Certè ſi Chriſtus, nunc aſcendens celerrimè ſuper montes aromatum, id eſt, ſuper omnem gloriam Angelorum, vt interpretatur Iuſtus Orgelitanus, promptè nobis ſuccurrere poteſt; quam promptè tranſiens miniſtrabit nobis omnia dona ad beatitudinem neceſſaria, iuxta illud Luc. 12. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hanc conditionem boni amici innuit etiam ſmaragdus, quod ſplendor ſmaragdi eſt quaſi fulgurans; adeo promptè vibrat radios, vt diceres fulgur oculos perſtringere. Et ſicut color ſmaragdi viridis adeo eſt intenſus, vt aër etiam ambiens viridem quoque præ ſe ferat colorem; ita ſcientia Chriſti Domini tanquam amici fideliſſimi adeo fortis & intenſa eſt, vt quæ ſcit nobis eſſe vtilia, ſtatim ea nobis conferat, ſuo virore nos reſpergens, id eſt, bona quæ cognoſcit neceſſaria nobis elargiens.

Tertia conditio veri amici eſt vt eius amicitia ſemper ſit viuida & conſtans, quæ lapſu temporum nunquam marceſcat, aut quidquam de virtute amittat. Hanc amicitiæ vigorem conſtantiſſimum, ad præſtandum ea omnia quæ ſecundùm magnitudinem amoris & charitatis præſtare debet ſponſus chariſſimæ ſponſæ, laudabat ipſa Cant. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſupra baſes aureas.*

Laudauerat antea eius manſuetudinem, mo- A rum decorem, vtilem conuerſationem, ſalutares doctrinæ effectus, operum perfectionem, vt eam ſibi exhiberet ſanam, incorruptam, illæſam, ſine ruga, ſine macula: Nunc declarat qua ratione ad ea beneficia elargienda prompto quidem & alacri greſſu progrediatur, ſed etiam conſtanti quodam & firmo propoſito eam donis cumulandi. Greſſus quippe eius tanto vigore pollent, vt diceres crura illius eſſe columnas marmoreas. Non enim leuiter figit pedem, vt veſtigia ſuæ bonitatis impreſſa relinquat, ſed fixum manet quod ſemel ex amore & charitate perficere voluit. *Dona* ſiquidem *Dei ſunt ſine pænitentia.* Non agit vt agunt homines leues & inconſtantes, leuiter, inconſideratè: vnde ſtatim atque in aliquem actum proruperunt, B mox pænitet de opere. *At iurauit Dominus & non pænitebit eum.* Vt immortalitate tandem frueremur, nos creauit ex nihilo, formauit ex luto: mors ſuperuenit & ſubrepſit; nec ab incæpto deſiſtet. Abſorbebitur mors in victoria. Liberos nos creauit. In ſeruitutem peccati redacti fuimus per tranſgreſſionem mandati liberam & voluntariam; nec peccatum deſtruet libertatem, nec Deus ob multitudinem peccatorum gratias infallibiles & efficaces conferre recuſabit. Denique nos tam conſtanter, tam perſeueranter diligit, vt nihil eorum, quæ vnquam perfecit pro ſalute noſtra, depereat, donec fructum ſuum in electis attulerit, C quos nunquam deſerit aut derelinquit, donec illos introduxerit in gaudium illud, quod nemo tollet ab eis, gaudium nempe inconcuſſum, nec ab aliquo agente extrinſeco vnquam concutiendum. Quo fit vt de omnibus electis dici poſſit illud Apocalyp. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Et reuera, non mirum ſi hi effectus amicitiæ & beneuolentiæ adeo ſint firmi & permanentes: habent ſiquidem firmiſſima fundamenta: fundatæ ſunt illæ columnæ ſupra baſes aureas. Prima baſis eſt amor ille iuſtiſſimus, quo Deus gloriam ſuam proſequitur, dum bona ſua amicis ſuis largitur, dicente ipſo: *Gloriam meam nemini dabo.* Secunda D baſis eſt fidelitas promiſſorum, ſeruanda iis qui eum dilexerunt, illique ſeruierunt, quos propterea diligit. *Ipſe enim*, inquit Chriſtus, *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Cum igitur gloriam ſuam diligat, cum etiam electos ſuos amet, nunquam pænitet de donis quæ electis tribuit ad manifeſtationem & gloriam nomini ſui. Hi duo amores proculdubio ſunt illæ baſes aureæ, quibus eius amicitia conſtans & viuida ſeruatur, etiam dum refrigeſcat charitas in nobis dum in hac vita ſumus. Nam etſi in peccata mortalia labamur, nos tamen ad gratiam reuocat, quia conſtans eſt eius dilectio erga electos. Vnde ait: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et cum reprobos à ſe expellendo, nul- E lus igniculus amoris pro eis in ſucco eius pectore remanere debeat, quo a pænis aliquando eximi valeant, fornax ingens charitatis in pectore eius exardeſcet erga electos, quia eos in æternum complectetur, vt à gloria ſemel adepta ſeparari nullo modo pertimeſcant. Hæc tertia conditio amici, nempe vigor & conſtantia in amicitia, optimè in viriditate & duritie ſmaragdi oſtenditur. Viriditas enim vigorem quemdam in arboribus & plantis deſignat: & durities illa ſmaragdi neſcia vulneris, amicitiæ inuiolabilem & conſtantem affectum ſatis clarè adumbrat.

Quarta conditio veri amici eſt vt eius amicitia nobis ſit nota, & perſpecta, quo ad eum cum omni fiducia recurrere valeamus. Cuius autem amicitia nobis eſt notior quàm amicitia Chriſti? De ea

ſecuros

ſecuros nos reddit qui fallere nequit, dum ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et c. 16. *In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Nec diligit ſolùm ſermone aut verbo: dilectionem opere comprobauit. *Ipſe enim animam ſuam pro nobis poſuit. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. Et vt vnuſquiſque ſuorum ſciat ſe diligi, dat ſpiritum ſuum, qui nos de eius amicitia reddit ſecuros. *Non enim,* inquit Apoſtolus, Rom. 8. *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum.* Hinc S. Petrus exhortatur fideles vt in illum totam fiduciam ſuam ponant, vt pote qui ſit illorum amicus, de illis ſemper cogitet. *Omnem,* inquit, *ſollicitudinem veſtram in illum proiicientes, quoniam ipſi eſt cura de vobis.*

Hæc vltima conditio amicitiæ, nempe vt ſciamus nos ab amico diligi, ſatis adumbratur ex eoquòd in ſmaragdo, quis poteſt ſeipſum tanquam in ſpeculo intueri. Sic Deus dicit nos in manibus ſuis deſcriptos. Ac ſi diceret: ita vos in pectore gero, ita vos diligo, vt ſi opera mea diſcutere velitis, reperietis certè talia eſſe, vt minimè dubitandum ſit me de vobis cogitaſſe, & pro amore eadem perfeciſſe. Sunt igitur opera omnia Dei, lapides ſmaragdini, in quibus nos ipſos intuemur, tanquam in ſpeculo: quia nihil non agit ad ſuam gloriam, ex quo ſummam non percipiamus vtilitatem. Sicut igitur viridis color vna ex parte viſum recreat ac reficit, & altera parte certam ſpem fructus ſymbolicè repræſentat; ita viros & conſtantia amicitiæ Chriſti non ſolùm iucunditatem & voluptatem maximam affert electis, ſed ex ea etiam fiduciam concipiunt, & ſecuritatem, in æternum ſe fructum bonorum operum ſuorum & meritorum paſſionis Chriſti eſſe collecturos. Certè Chriſtus eſt verus ille amicus, qui datur à Deo timentibus eum, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.* Certè ſi ſmaragdi puluis admiſcetur confecturæ ex hyacinthis effectæ, aliiſque omnibus antidotis (ſmaragdus quippe ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur;) nihil certè melius nobis mederi poteſt contra venenum deſperationis ex multitudine peccatorũ, quàm ſi ſciamus nos Chriſtum habere amicum, per quem accipimus remiſſionem peccatorum omnium, iuxta illud Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem, ſed etiam pro totius mundi.* Æri affinis eſt ſmaragdus. Certè hæc fiducia propter Chriſti amicitiam concepta nos velut æs perpetuo ſonans reddere debet, id eſt, nos ad Dei laudes alta voce decantandas prouocare debet. Hoc non erit vanum, ſed æquiſſimum & ſanctum. Et meritò: quia ſi viriditas ſmaragdi, olei colorem refert, A nihil adeo effuſionem diuinæ bonitatis ita repræſentat, ac ille amor fidelis Chriſti erga ſuos electos.

Quintum ſardonix.

De quinto fundamento Beatitudinis, mala quibus perturbari poſſet propulſante, nempe rectiſſimâ paſſionum animæ ad imperium rationis ſubordinatione, per lapidem ſardonychem deſignatâ.

ANNOTAT. XXV.

SICVT ſidera conſueta nobis lucere, & terram illuminare, ceſſant propter interpoſitio-
B nem nubium obſcurarum; ita intellectus & ratio in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum, ne lumen præbeant. Et ſicut dum aqua maris manet quieta & clara, ad modum vitri, viſus poteſt eam penetrare, & videre ea quæ ſunt ſub aqua; ſed ſi turbetur & moueatur vento agitata, hoc fieri nequit; ita dum animus hominis manet quietus, iudicium rationis minimè impeditur; ſed ſi turbetur & moueatur affectionibus, ſtatim rationis vſus impeditur. Denique ſicut aqua currens de altis montibus, liberè recto tramite procedit; ſi ſaxa & lapides reſoluantur de monte, impeditur ne recto tramite defluat; ita
C ratio, quæ aliàs rectum de rebus ferret iudicium, in iudicio veri impeditur motibus variis affectuum. Hæc cecinit Boëtius, Metro 7. l. 1. de conſolatione Philoſophica.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare voluens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Vnda diebus;
Mox reſoluto
Sordida cœno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluens amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Obice ſaxi.

Vnde tandem concludit Boetius

D *Tu quoque ſi vis*
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt
Vinctaque frenis,
Hæc vbi regnant.

Hinc optimè doctores à Beatitudinis ſtatu excludunt omnem paſſionum & affectionum humanarum deordinationem, & perturbationem: Tribus namque modis mens paſſionibus poteſt. In hac vita perturbari in ſuis operationibus. Primus eſt, quia paſſio mentem abſtrahit à contemplatione ſui obiecti, dum vires animæ ad alia obiecta
E inferiorum facultatum diſtrahit. At in ſtatu beatitudinis, animæ vires ſuperiores non diſſipabuntur operationibus aliarum facultatum, nec conatus illius & vehemens intentio actuum intellectus aut voluntatis minuetur in aliquo, ex eoquòd oculus occupetur in viſione corporum beatorum; nec diſtrahetur, etſi aures oppleantur harmonia vocum, aut ſi alij ſenſus aliqua ſibi conuenienti delectatione potiantur.

Nec etiam talia erunt obiecta facultatum inferiorum, (etſi nobiliſſima & excellentiſſima,) vt pote longe inferiora Deo, qui proprium eſt mentis obiectum, vt mentem ita allicere poſſint, vt poſt illa relicto proprio obiecto currere ſeligat, itaut apprehenſione imaginatiuæ facultatis, vel

abſconditæ huiuſmodi gemmæ, & quaſi in ſecreto burſæ cuiuſdam repoſitæ. Certè Dei conſilia circa fideles electos verè ſunt abſcondita, & non niſi alta conſideratione Deum contemplantibus aperiuntur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, dicebat Dauid Pſ. 138. *Confortata eſt, & non potero ad eam.* Vix ac ne vix quidem poſſumus adipiſci qua arte Deus nos condiderit: quanto magis vix poterimus cognoſcere qua arte, quibus viis ac mediis nos ad beatitudinem æternam deducere velit. *O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Verè abſconditus ſmaragdus in profunda mente Dei.

Secunda conditio amici eſt vt non modò poſſit præuidere ac prouidere ea, quæ nobis ſunt neceſſaria ad fælicem aliquem ſtatum conſequendum, ſed cito & promptè ſubueniat. Hanc promptitudinem ſponſi ad ſubueniendum ſponſæ depinxit Spiritus ſanctus, Cant. vltimo, in his verbis: *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum. Hoc eſt*, inquit Philo Carpath. *aſcende in cælum, tu qui deſcendiſti de cælo, vt Spiritum ſanctum in Apoſtolos effundas, & ipſi per totum terrarum orbem diſpartiantur in gentes, ex quibus tibi colligatur dilecta & caſtiſſima ſponſa. Neque enim aliter tibi conuerti poſſum, Quaſi dicit Eccleſia, niſi tu fugeris. Quod ipſe declarat, cum dicit: Niſi abiero, ſpiritus paracletus non veniet. Propterea id quam celerrimè fieri rogat, dicens: Fuge, mi frater, fuge de hoc mundo ad patrem tuum æternum, quem nunquam deſeris. Abſcede præſentiâ aſſumpti corporis, non ſpiritus ac gratia, qua ſemper es cum ſponſa. Ipſe enim dixit: Non relinquam vos orphanos, ſed vado & venio ad vos. Vado corpore: venio ſpiritu, qui à me ſemper Patreque procedit, deriuatur & ſpirat.* Ita Philo Carpath. Qui iam citò fugit ad Patrem aſcendens, vt acciperet dona in hominibus, promptus eſt certè vt ſponſæ ſubueniat in omnibus neceſſariis. Aſſimilatur Capreæ, ſeu Dorcæ, cuius viſus eſt acutiſſimus; ſed & ceruorum hinnulis, cuius velociſſimus eſt curſus: quia acutè videt quæ nobis neceſſaria ſunt, & promptè ea ſuppeditare poteſt, & nobis per ſpiritum ſuum, qui vbi vult ſpirat, præſentiſſimus efficitur. Certè ſi Chriſtus, nunc aſcendens celerrimè ſuper montes aromatum, id eſt, ſuper omnem gloriam Angelorum, vt interpretatur Iuſtus Orgelitanus, promptè nobis ſuccurrere poteſt; quam promptè tranſiens miniſtrabit nobis omnia dona ad beatitudinem neceſſaria, iuxta illud Luc. 12. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere. & tranſiens miniſtrabit illis.* Hanc conditionem boni amici innuit etiam ſmaragdus, quod ſplendor ſmaragdi eſt quaſi fulgurans; adeo promptè vibrat radios, vt diceres fulgur oculos perſtringere. Et ſicut color ſmaragdi viridis adeo eſt intentus, vt aër etiam ambiens viridem quoque præ ſe ferat colorem; ita ſcientia Chriſti Domini tanquam amici fideliſſimi adeo fortis & intenſa eſt, vt quæ ſcit nobis eſſe vtilia, ſtatim ea nobis conferat, ſuo virore nos reſpergens, id eſt, bona quæ cognoſcit neceſſaria nobis elargiens.

Tertia conditio veri amici eſt vt eius amicitia ſemper ſit viuida & conſtans, quæ lapſu temporum nunquam marceſcat, aut quidquam de virtute amittat. Hunc amicitiæ vigorem conſtantiſſimum, ad præſtandum ea omnia quæ ſecundùm magnitudinem amoris & charitatis præſtare debet ſponſus chariſſimæ ſponſæ, laudabat ipſa Cant. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſupra baſes aureas.*

Laudauerat antea eius manſuetudinem, mo- A rum decorem, vtilem conuerſationem, ſalutares doctrinæ effectus, operum perfectionem, vt eam ſibi exhiberet ſanam, incorruptam, illæſam, ſine ruga, ſine macula: Nunc declarat qua ratione ad ea beneficia elargienda prompto quidem & alacri greſſu progrediatur, ſed etiam conſtanti quodam & firmo propoſito eam donis cumulandi. Greſſus quippe eius tanto vigore pollent, vt diceres crura illius eſſe columnas marmoreas. Non enim leuiter figit pedem, vt veſtigia ſuæ bonitatis impreſſa relinquat, ſed fixum manet quod ſemel ex amore & charitate perficere voluit. *Dona ſiquidem Dei ſunt ſine pænitentia.* Non agit vt agunt homines leues & inconſtantes, leuiter, inconſideratè: vnde ſtatim atque in aliquem actum proruperunt, B mox pænitet de opere. *At iurauit Dominus & non pænitebit eum.* Vt immortalitate tandem frueremur, nos creauit ex nihilo, formauit ex luto: mors ſuperuenit & ſubrepſit; nec ab incæpto deſiſtet. Abſorbebitur mors in victoria. Liberos nos creauit. In ſeruitutem peccati redacti fuimus per tranſgreſſionem mandati liberam & voluntariam; nec peccatum deſtruet libertatem, nec Deus ob multitudinem peccatorum gratias infallibiles & efficaces conferre recuſabit. Denique nos tam conſtanter, tam perſeueranter diligit, vt nihil eorum, quæ vnquam perfecit pro ſalute noſtra, depereat, donec fructum ſuum in electis attulerit, C quos nunquam deſerit aut derelinquit, donec illos introduxerit in gaudium illud, quod nemo tollet ab eis, gaudium nempe inconcuſſum, nec ab aliquo agente extrinſeco vnquam concutiendum. Quo fit vt de omnibus electis dici poſſit illud Apocalyp. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Et reuera, non mirum ſi hi effectus amicitiæ & beneuolentiæ adeo ſint firmi & permanentes: habent ſiquidem firmiſſima fundamenta: fundatæ ſunt illæ columnæ ſupra baſes aureas. Prima baſis eſt amor ille iuſtiſſimus, quo Deus gloriam ſuam proſequitur, dum bona ſua amicis ſuis largitur, dicente ipſo: *Gloriam meam nemini dabo.* Secunda D baſis eſt fidelitas promiſſorum, ſeruanda iis qui eum dilexerunt, illique ſeruierunt, quos propterea diligit. *Ipſe enim*, inquit Chriſtus, *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Cum igitur gloriam ſuam diligat, cum etiam electos ſuos amet, nunquam pænitet de donis quæ electis tribuit ad manifeſtationem & gloriam nomini ſui. Hi duo amores proculdubio ſunt illæ baſes aureæ, quibus eius amicitia conſtans & viuida ſeruatur, etiam dum refrigeſcat charitas in nobis dum in hac vita ſumus. Nam etſi in peccata mortalia labamur, nos tamen ad gratiam reuocat, quia conſtans eſt eius dilectio erga electos. Vnde ait: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et cum reprobos à ſe expellendo, nul- E lus igniculus amoris pro eis in ſucco eius pectore remanere debeat, quo à pænis aliquando eximi valeant, fornax ingens charitatis in pectore eius exardeſcet erga electos, quia eos in æternum complectetur, vt à gloria ſemel adepta ſeparari nullo modo pertimeſcant. Hæc tertia conditio amici, nempe vigor & conſtantia in amicitia, optimè in viriditate & duritie ſmaragdi oſtenditur. Viriditas enim vigorem quemdam in arboribus & plantis deſignat: & durities illa ſmaragdi neſcia vulneris, amicitiæ inuiolabilem & conſtantem affectum ſatis clarè adumbrat.

Quarta conditio veri amici eſt vt eius amicitia nobis ſit nota, & perſpecta, quo ad eum cum omni fiducia recurrere valeamus. Cuius autem amicitia nobis eſt notior quàm amicitia Chriſti? De ea

ſecuros

ſecutos nos reddit qui fallere nequit, dum ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et c. 16. *In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Nec diligit ſolùm ſermone aut verbo: dilectionem opere comprobauit. *Ipſe enim animam ſuam pro nobis poſuit. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. Et vt vnuſquiſque ſuorum ſciat ſe diligi, dat ſpiritum ſuum, qui nos de eius amicitia reddit ſecuros. *Non enim,* inquit Apoſtolus, Rom. 8. *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & heres per Deum.* Hinc S. Petrus exhortatur fideles vt in illum totam fiduciam ſuam ponant, vt pote qui ſit illorum amicus, de illis ſemper cogitet. *Omnem,* inquit, *ſollicitudinem veſtram in illum projicientes, quoniam ipſi eſt cura de vobis.*

Hæc vltima conditio amicitiæ, nempe vt ſciamus nos ab amico diligi, ſatis adumbratur ex eo, quòd in ſmaragdo, quis poteſt ſeipſum tanquam in ſpeculo intueri. Sic Deus dicit nos in manibus ſuis deſcriptos. Ac ſi diceret: ita vos in pectore gero, ita vos diligo, vt ſi opera mea diſcutere velitis, reperietis certè talia eſſe, vt minimè dubitandum ſit me de vobis cogitaſſe, & pro amore eadem perfeciſſe. Sunt igitur opera omnia Dei, lapides ſmaragdini, in quibus nos ipſos intuemur, tanquam in ſpeculo: quia nihil non agit ad ſuam gloriam, ex quo ſummam non percipiamus vtilitatem. Sicut igitur viridis color vna ex parte viſum recreat ac reficit, & altera parte certam ſpem fructus ſymbolicè repræſentat; ita viros & conſtantia amicitiæ Christi non ſolùm iucunditatem & voluptatem maximam affert electis, ſed ex ea etiam fiduciam concipiunt, & ſecuritatem, in æternum ſe fructum bonorum operum ſuorum & meritorum paſſionis Chriſti eſſe collecturos. Certè Chriſtus eſt verus ille amicus, qui datur à Deo timentibus eum, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.* Certè ſi ſmaragdi puluis admiſcetur confecturæ ex hyacinthis effectæ, aliiſque omnibus antidotis (ſmaragdus quippe ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur;) nihil certè melius nobis mederi poteſt contra venenum deſperationis ex multitudine peccatorũ, quàm ſi ſciamus nos Chriſtum habere amicum, per quem accipimus remiſſionem peccatorum omnium, iuxta illud Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem, ſed etiam pro totius mundi.* Æri affinis eſt ſmaragdus. Certè hæc fiducia propter Chriſti amicitiam concepta nos velut æs perpetuo ſonans reddere debet, id eſt, nos ad Dei laudes alta voce decantandas prouocare debet. Hoc non erit vanum, ſed æquiſſimum & ſanctum. Et meritò: quia ſi viriditas ſmaragdi, olei colorem refert, nihil adeo effuſionem diuinæ bonitatis ita repræſentat, ac ille amor fidelis Chriſti erga ſuos electos.

Quintum ſardonix.

De quinto fundamento Beatitudinis, mala quibus perturbari poſſet propulſante, nempe rectiſſimâ paſſionum animæ ad imperium rationis ſubordinatione, per lapidem ſardonychen deſignatâ.

ANNOTAT. XXV.

B SICVT ſidera conſueta nobis lucere, & terram illuminare, ceſſant propter interpoſitionem nubium obſcurarum; ita intellectus & ratio in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum, ne lumen præbeant. Et ſicut dum aqua maris manet quieta & clara, ad modum vitri, viſus poteſt eam penetrare, & videre ea quæ ſunt ſub aqua; ſed ſi turbetur & moueatur vento agitata, hoc fieri nequit; ita dum animus hominis manet quietus, iudicium rationis minimè impeditur; ſed ſi turbetur & moueatur affectionibus, ſtatim rationis vſus impeditur. Denique ſicut aqua currens de altis montibus, liberè recto tramite procedit; ſi ſaxa & lapides reſoluantur de monte, impeditur ne recto tramite defluat; ita
C ratio, quæ aliàs rectum de rebus ferret iudicium, in iudicio veri impeditur motibus variis affectuum. Hæc cecinit Boëtius, Metro 7. l. 1. de conſolatione Philoſophica.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare voluens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Vnda diebus;
Mox reſoluto
Sordida cæno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluens amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Obice ſaxi.

Vnde tandem concludit Boetius

D *Tu quoque ſi vis*
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt
Vinctaque frænis,
Hæc vbi regnant.

Hinc optimè doctores à Beatitudinis ſtatu excludunt omnem paſſionum & affectionum humanarum deordinationem, & perturbationem: Tribus namque modis mens paſſionibus poteſt. In hac vita perturbari in ſuis operationibus. Primus eſt, quia paſſio mentem abſtrahit à contemplatione
E ſui obiecti, dum vires animæ ad alia obiecta inferiorum facultatum diſtrahit. At in ſtatu beatitudinis, animæ vires ſuperiores non diſſipabuntur operationibus aliarum facultatum, nec conatus illius & vehemens intentio actuum intellectus aut voluntatis minuetur in aliquo, ex eoquòd oculus occupetur in viſione corporum beatorum; nec diſtrahetur, etſi aures oppleantur harmonia vocum, aut ſi alij ſenſus aliqua ſibi conuenienti delectatione potiantur.

Nec etiam talia erunt obiecta facultatum inferiorum, (etſi nobiliſſima & excellentiſſima,) vt pote longe inferiora Deo, qui proprium eſt mentis obiectum, vt mentem ita allicere poſſint, vt poſt illa relicto proprio obiecto currere ſeligat, itaut apprehenſione imaginatiuæ facultatis, vel

abſconditæ huiuſmodi gemmæ, & quaſi in ſecreto burſæ cuiuſdam repoſitæ. Certè Dei conſilia circa fideles electos verè ſunt abſcondita, & non niſi alta conſideratione Deum contemplantibus aperiuntur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, dicebat Dauid Pſ. 138. *Confortata eſt, & non potero ad eam.* Vix ac ne vix quidem poſſumus adipiſci qua arte Deus nos condiderit: quanto magis vix poterimus cognoſcere qua arte, quibus viis ac mediis nos ad beatitudinem æternam deducere velit. *O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Verè abſconditus ſmaragdus in profunda mente Dei.

Secunda conditio amici eſt vt non modò poſſit præuidere ac prouidere ea, quæ nobis ſunt neceſſaria ad fælicem aliquem ſtatum conſequendum, ſed cito & promptè ſubueniat. Hanc promptitudinem ſponſi ad ſubueniendum ſponſæ depinxit Spiritus ſanctus, Cant. vltimo, in his verbis: *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum. Hoc eſt*, inquit Philo Carpath. *aſcende in cælum, tu qui deſcendiſti de cælo, vt Spiritum ſanctum in Apoſtolos effundas, & ipſi per totum terrarum orbem diſpartiantur in gentes, ex quibus tibi colligatur dilecta & caſtiſſima ſponſa. Neque enim aliter tibi conuerti poſſum, Quaſi dicit Eccleſia, niſi tu fugeris. Quod ipſe declarat, cum dicit: Niſi abiero, ſpiritus paracletus non veniet. Propter ea id quam celerrimè fieri rogat, dicens: Fuge, mi frater, fuge de hoc mundo ad patrem tuum æternum, quem nunquam deſeris. Abſcede præſentiâ aſſumpti corporis, non ſpiritus ac gratiæ, qua ſemper es cum ſponſa. Ipſe enim dixit: Non relinquam vos orphanos, ſed vado & venio ad vos. Vado corpore: venio ſpiritu, qui à me ſemper Patreque procedit, deriuatur & ſpirat.* Ita Philo Carpath. Qui tam citò fugit ad Patrem aſcendens, vt acciperet dona in hominibus, promptus eſt certè vt ſponſæ ſubueniat in omnibus neceſſariis. Aſſimilatur Capreæ, ſeu Dorcæ, cuius viſus eſt acutiſſimus; ſed & ceruorum hinnulis, cuius velociſſimus eſt curſus: quia acutè videt quæ nobis neceſſaria ſunt, & promptè ea ſuppeditare poteſt, & nobis per ſpiritum ſuum, qui vbi vult ſpirat, præſentiſſimus efficitur. Certè ſi Chriſtus, nunc aſcendens celerrimè ſuper montes aromatum, id eſt, ſuper omnem gloriam Angelorum, vt interpretatur Iuſtus Orgelitanus, promptè nobis ſuccurrere poteſt; quam promptè tranſiens miniſtrabit nobis omnia dona ad beatitudinem neceſſaria, iuxta illud Luc. 12. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hanc conditionem boni amici innuit etiam ſmaragdus, quod ſplendor ſmaragdi eſt quaſi fulgurans; adeo promptè vibrat radios, vt diceres fulgur oculos perſtringere. Et ſicut color ſmaragdi viridis adeo eſt intenſus, vt aër etiam ambiens viridem quoque præ ſe ferat colorem; ita ſcientia Chriſti Domini tanquam amici fideliſſimi adeo fortis & intenſa eſt, vt quæ ſcit nobis eſſe vtilia, ſtatim ea nobis conferat, ſuo virore nos reſpergens, id eſt, bona quæ cognoſcit neceſſaria nobis elargiens.

Tertia conditio veri amici eſt vt eius amicitia ſemper ſit viuida & conſtans, quæ lapſu temporum nonquam marceſcat, aut quidquam de virtute amittat. Hunc amicitiæ vigorem conſtantiſſimum, ad præſtandum ea omnia quæ ſecundùm magnitudinem amoris & charitatis præſtare debet ſponſus chariſſimæ ſponſæ, laudabat ipſa Cant. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſupra baſes aureas.*

Laudauerat antea eius manſuetudinem, mo- A rum decorem, vtilem conuerſationem, ſalutares doctrinæ effectus, operum perfectionem, vt eam ſibi exhiberet ſanam, incorruptam, illæſam, ſine ruga, ſine macula: Nunc declarat qua ratione ad ea beneficia elargienda prompto quidem & alacri greſſu progrediatur, ſed etiam conſtanti quodam & firmo propoſito eam donis cumulandi. Greſſus quippe eius tanto vigore pollent, vt diceres crura illius eſſe columnas marmoreas. Non enim leuiter figit pedem, vt veſtigia ſuæ bonitatis impreſſa relinquat, ſed fixum manet quod ſemel ex amore & charitate perficere voluit. *Dona ſiquidem Dei ſunt ſine pænitentia.* Non agit vt agunt homines leues & inconſtantes, leuiter, inconſideratè: vn- B de ſtatim atque in aliquem actum proruperunt, mox pænitet de opere. *Iurauit Dominus & non pænitebit eum.* Vt immortalitate tandem frueremur, nos creauit ex nihilo, formauit ex luto: mors ſuperuenit & ſubrepſit; nec ab incæpto deſiſtet. Abſorbebitur mors in victoria. Liberos nos creauit. In ſeruitutem peccati redacti fuimus per tranſgreſſionem mandati liberam & voluntariam; nec peccatum deſtruet libertatem, nec Deus ob multitudinem peccatorum gratias infallibiles & efficaces conferre recuſabit. Denique nos tam conſtanter, tam perſeueranter diligit, vt nihil eorum, quæ vnquam perfecit pro ſalute noſtra, depereat, donec fructum ſuum in electis attulerit, C quos nunquam deſerit aut derelinquit, donec illos introduxerit in gaudium illud, quod nemo tollet ab eis, gaudium nempe inconcuſſum, nec ab aliquo agente extrinſeco vnquam concutiendum. Quo fit vt de omnibus electis dici poſſit illud Apocalyp 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Et reuera, non mirum ſi hi effectus amicitiæ & beneuolentiæ adeo ſint firmi & permanentes: habent ſiquidem firmiſſima fundamenta: fundatæ ſunt illæ columnæ ſupra baſes aureas. Prima baſis eſt amor ille iuſtiſſimus, quo Deus gloriam ſuam proſequitur, dum bona ſua amicis ſuis largitur, dicente ipſo: *Gloriam meam nemini dabo.* Secunda D baſis eſt fidelitas promiſſorum, ſeruanda iis qui eum dilexerunt, illique ſeruierunt, quos propterea diligit. *Ipſe enim*, inquit Chriſtus, *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Cum igitur gloriam ſuam diligat, cum etiam electos ſuos amet, nunquam pænitet de donis quæ electis tribuit ad manifeſtationem & gloriam nomini ſui. Hi duo amores proculdubio ſunt illæ baſes aureæ, quibus eius amicitia conſtans & viuida ſeruatur, etiam dum refrigeſcat charitas in nobis dum in hac vita ſumus. Nam etſi in peccata mortalia labamur, nos tamen ad gratiam reuocat, quia conſtans eſt eius dilectio erga electos. Vnde ait: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et cum reprobos à ſe expellendo, nul- E lus igniculus amoris pro eis in ſucco eius pectore remanere debeat, quo a pænis aliquando eximi valeant, fornax ingens charitatis in pectore eius exardeſcet erga electos, quia eos in æternum complectetur, vt à gloria ſemel adepta ſeparari nullo modo pertimeſcant. Hæc tertia conditio amici, nempe vigor & conſtantia in amicitia, optimè in viriditate & duritie ſmaragdi oſtenditur. Viriditas enim vigorem quemdam in arboribus & plantis deſignat: & durities illa ſmaragdi neſcia vulneris, amicitiæ inuiolabilem & conſtantem affectum ſatis clarè adumbrat.

Quarta conditio veri amici eſt vt eius amicitia nobis ſit nota, & perſpecta, quo ad eum cum omni fiducia recurrere valeamus. Cuius autem amicitia nobis eſt notior quàm amicitia Chriſti? De ea ſecuros

Digitized by Google

ſecuros nos reddit qui fallere nequit, dum ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et c. 16. *In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Nec diligit ſolùm ſermone aut verbo: dilectionem opere comprobauit. *Ipſe enim animam ſuam pro nobis poſuit. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. Et vt vnuſquiſque ſuorum ſciat ſe diligi, dat ſpiritum ſuum, qui nos de eius amicitia reddit ſecuros. *Non enim,* inquit Apoſtolus, Rom. 8. *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum.* Hinc S. Petrus exhortatur fideles vt in illum totam fiduciam ſuam ponant, vt pote qui ſit illorum amicus, de illis ſemper cogitet. *Omnem,* inquit, *ſollicitudinem veſtram in illum projicientes, quoniam ipſi eſt cura de vobis.*

Hæc vltima conditio amicitiæ, nempe vt ſciamus nos ab amico diligi, ſatis adumbratur ex eo quòd in ſmaragdo, quis poteſt ſeipſum tanquam in ſpeculo intueri. Sic Deus dicit nos in manibus ſuis deſcriptos. Ac ſi diceret: ita vos in pectore gero, ita vos diligo, vt ſi opera mea diſcutere velitis, reperietis certè talia eſſe, vt minimè dubitandum ſit me de vobis cogitaſſe, & pro amore eadem perfeciſſe. Sunt igitur opera omnia Dei, lapides ſmaragdini, in quibus nos ipſos intuemur, tanquam in ſpeculo: quia nihil non agit ad ſuam gloriam, ex quo ſummam non percipiamus vtilitatem. Sicut igitur viridis color vna ex parte viſum recreat ac reficit, & altera parte certam ſpem fructus ſymbolicè repræſentat; ita vitos & conſtantia amicitiæ Chriſti non ſolùm iucunditatem & voluptatem maximam affert electis, ſed ex ea etiam fiduciam concipiunt, & ſecuritatem, in æternum ſe fructum bonorum operum ſuorum & meritorum paſſionis Chriſti eſſe collecturos. Certè Chriſtus eſt verus ille amicus, qui datur à Deo timentibus eum, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.* Certè ſi ſmaragdi puluis admiſcetur confectutæ ex hyacinthis effectæ, aliiſque omnibus antidoris (ſmaragdus quippe ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur;) nihil certè melius nobis mederi poteſt contra venenum deſperationis ex multitudine peccatorũ, quàm ſi ſciamus nos Chriſtum habere amicum, per quem accipimus remiſſionem peccatorum omnium, iuxta illud Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem, ſed etiam pro totius mundi.* Æri affinis eſt ſmaragdus. Certè hæc fiducia propter Chriſti amicitiam concepta nos velut æs perpetuo ſonans reddere debet, id eſt, nos ad Dei laudes alta voce decantandas prouocare debet. Hoc non erit vanum, ſed æquiſſimum & ſanctum. Et meritò: quia ſi viriditas ſmaragdi, olei colorem refert, ni-

A hil adeo effuſionem diuinæ bonitatis ita repræſentat, ac ille amor fidelis Chriſti erga ſuos electos.

Quintum ſardonix.

De quinto fundamento Beatitudinis, mala quibus perturbari poſſet propulſante, nempe rectiſſimâ paſſionum animæ ad imperium rationis ſubordinatione, per lapidem ſardonychem deſignatâ.

ANNOTAT. XXV.

SICVT ſidera conſueta nobis lucere, & terram illuminare, ceſſant propter interpoſitionem nubium obſcurarum; ita intellectus & ratio in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum, ne lumen præbeant. Et ſicut dum aqua maris manet quieta & clara, ad modum vitri, viſus poteſt eam penetrare, & videre ea quæ ſunt ſub aqua; ſed ſi turbetur & moueatur vento agitata, hoc fieri nequit; ita dum animus hominis manet quietus, iudicium rationis minimè impeditur; ſed ſi turbetur & moueatur affectionibus, ſtatim rationis vſus impeditur. Denique ſicut aqua currens de altis montibus, liberè recto tramite procedit; ſi ſaxa & lapides reſoluantur de monte, impeditur ne recto tramite defluat; ita ratio, quæ aliàs rectum de rebus ferret iudicium, in iudicio veri impeditur motibus variis affectuum. Hæc cecinit Boëtius, Metro 7. l. 1. de conſolatione Philoſophica.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen,
Si mare voluens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Vnda diebus;
Mox reſoluto
Sordida cœno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluens amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Obice ſaxi.

Vnde tandem concludit Boetius

Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt
Vinctaque frænis,
Hæc vbi regnant.

Hinc optimè doctores à Beatitudinis ſtatu excludunt omnem paſſionum & affectionum humanarum deordinationem, & perturbationem: Tribus namque modis mens paſſionibus poteſt. In hac vita perturbari in ſuis operationibus. Primus eſt, quia paſſio mentem abſtrahit à contemplatione ſui obiecti, dum vires animæ ad alia obiecta inferiorum facultatum diſtrahit. At in ſtatu beatitudinis, animæ vires ſuperiores non diſſipabuntur operationibus aliarum facultatum, nec conatus illius & vehemens intentio actuum intellectus aut voluntatis minuetur in aliquo, ex eo quòd oculus occupetur in viſione corporum beatorum; nec diſtrahetur, etſi aures oppleantur harmonia vocum, aut ſi alij ſenſus aliqua ſibi conuenienti delectatione potiantur.

Nec etiam talia erunt obiecta facultatum inferiorum, (etſi nobiliſſima & excellentiſſima,) vt pote longe inferiora Deo, qui proprium eſt mentis obiectum, vt mentem ita allicere poſſint, vt poſt illa relicto proprio obiecto currere ſeligat, itaut apprehenſione imaginatiuæ facultatis, vel

abſconditæ huiuſmodi gemmæ, & quaſi in ſecreto burſæ cuiuſdam repoſitæ. Certè Dei conſilia circa fideles electos verè ſunt abſcondita, & non niſi alia conſideratione Deum contemplantibus aperiuntur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, dicebat Dauid Pſ. 138. *Confortata eſt, & non potero ad eam.* Vix ac ne vix quidem poſſumus adipiſci qua arte Deus nos condiderit: quanto magis vix poterimus cognoſcere qua arte, quibus viis ac mediis nos ad beatitudinem æternam deducere velit. *O quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Verè abſconditus ſmaragdus in profunda mente Dei.

Secunda conditio amici eſt vt non modò poſſit præuidere ac prouidere ea, quæ nobis ſunt neceſ- B ſaria ad fælicem aliquem ſtatum conſequendum, ſed cito & promptè ſubueniat. Hanc promptitudinem ſponſi ad ſubueniendum ſponſæ depinxit Spiritus ſanctus, Cant. vltimo, in his verbis: *Fuge, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum. Hoc eſt*, inquit Philo Carpath. *aſcende in cælum, tu qui deſcendiſti de cælo, vt Spiritum ſanctum in Apoſtolos effundas, & ipſi per totum terrarum orbem diſpartiantur in gentes, ex quibus ſibi colligatur dilecta & caſtiſſima ſponſa. Neque enim aliter ſibi conuerti poſſum, Quaſi dicit Eccleſia, niſi tu fugeris. Quod ipſe declarat, cum dicit: Niſi abiero, ſpiritus paracletus non veniet. Propterea id quam celerrimè fieri rogat, dicens: Fuge, mi frater, fuge de hoc mundo ad patrem tuum* C *æternum, quem nunquam deſeris. Abſcede præſentiâ aſſumpti corporis, non ſpiritus ac gratia, qua ſemper es cum ſponſa. Ipſe enim dixit: Non relinquam vos orphanos, ſed vado & venio ad vos. Vado corpore: venio ſpiritu, qui à me ſemper Patreque procedit, deriuatur & ſpirat.* Ita Philo Carpath. Qui tam citò fugit ad Patrem aſcendens, vt acciperet dona in hominibus, promptus eſt certè vt ſponſæ ſubueniat in omnibus neceſſariis. Aſſimilatur Capreæ, ſeu Dorcæ, cuius viſus eſt acutiſſimus; ſed & ceruorum hinnulis, cuius velociſſimus eſt curſus: quia acutè videt quæ nobis neceſſaria ſunt, & promptè ea ſuppeditare poteſt, & nobis per ſpiritum ſuum, qui vbi vult ſpirat, præſentiſſimus efficitur. D Certè ſi Chriſtus, nunc aſcendens celerrimè ſuper montes aromatum, id eſt, ſuper omnem gloriam Angelorum, vt interpretatur Iuſtus Orgelitanus, promptè nobis ſuccurrere poteſt; quam promptè tranſiens miniſtrabit nobis omnia dona ad beatitudinem neceſſaria, iuxta illud Luc. 12. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hanc conditionem boni amici innuit etiam ſmaragdus, quod ſplendor ſmaragdi eſt quaſi fulgurans; adeo promptè vibrat radios, vt diceres fulgur oculos perſtringere. Et ſicut color ſmaragdi viridis adeo eſt intenſus, vt aër etiam ambiens viridem quoque E præ ſe ferat colorem; ita ſcientia Chriſti Domini tanquam amici fideliſſimi adeo fortis & intenſa eſt, vt quæ ſcit nobis eſſe vtilia, ſtatim ea nobis conferat, ſuo virore nos reſpergens, id eſt, bona quæ cognoſcit neceſſaria nobis elargiens.

Tertia conditio veri amici eſt vt eius amicitia ſemper ſit viuida & conſtans, quæ lapſu temporum nunquam marceſcat, aut quidquam de virtute amittat. Hanc amicitiæ vigorem conſtantiſſimum, ad præſtandum ea omnia quæ ſecundùm magnitudinem amoris & charitatis præſtare debet ſponſus chariſſimæ ſponſæ, laudabat ipſa Cant. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſupra baſes aureas.*

Laudauerat antea eius manſuetudinem, mo- A rum decorem, vtilem conuerſationem, ſalutares doctrinæ effectus, operum perfectionem, vt eam ſibi exhiberet ſanam, incorruptam, illæſam, ſine ruga, ſine macula: Nunc declarat qua ratione ad ea beneficia elargienda prompto quidem & alacri greſſu progrediatur, ſed etiam conſtanti quodam & firmo propoſito eam donis cumulandi. Greſſus quippe eius tanto vigore pollent, vt diceres crura illius eſſe columnas marmoreas. Non enim leuiter figit pedem, vt veſtigia ſuæ bonitatis impreſſa relinquat, ſed fixum manet quod ſemel ex amore & charitate perficere voluit. *Dona* ſiquidem *Dei ſunt ſine pænitentia.* Non agit vt agunt homines leues & inconſtantes, leuiter, inconſideratè: vnde ſtatim atque in aliquem actum proruperunt, B mox pænitet de opere. *Iurauit Dominus & non pænitebit eum.* Vt immortalitate tandem frueremur, nos creauit ex nihilo, formauit ex luto: mors ſuperuenit & ſubrepſit; nec ab incæpto deſiſtet. Abſorbebitur mors in victoria. Liberos nos creauit. In ſeruitutem peccati redacti fuimus per tranſgreſſionem mandati liberam & voluntariam; nec peccatum deſtruet libertatem, nec Deus ob multitudinem peccatorum gratias infallibiles & efficaces conferre recuſabit. Denique nos tam conſtanter, tam perſeueranter diligit, vt nihil eorum, quæ vnquam perfecit pro ſalute noſtra, depereat, donec fructum ſuum in electis attulerit, C quos nunquam deſerit aut derelinquit, donec illos introduxerit in gaudium illud, quod nemo tollet ab eis, gaudium nempe inconcuſſum, nec ab aliquo agente extrinſeco vnquam concutiendum. Quo fit vt de omnibus electis dici poſſit illud Apocalyp. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Et reuera, non mirum ſi hi effectus amicitiæ & beneuolentiæ adeo ſint firmi & permanentes: habent ſiquidem firmiſſima fundamenta: fundatæ ſunt illæ columnæ ſupra baſes aureas. Prima baſis eſt amor ille iuſtiſſimus, quo Deus gloriam ſuam proſequitur, dum bona ſua amicis ſuis largitur, dicente ipſo: *Gloriam meam nemini dabo.* Secunda D baſis eſt fidelitas promiſſorum, ſeruanda iis qui eum dilexerunt, illique ſeruierunt, quos propterea diligit. *Ipſe enim*, inquit Chriſtus, *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Cum igitur gloriam ſuam diligat, cum etiam electos ſuos amet, nunquam pænitet de donis quæ electis tribuit ad manifeſtationem & gloriam nomini ſui. Hi duo amores proculdubio ſunt illæ baſes aureæ, quibus eius amicitia conſtans & viuida ſeruatur, etiam dum refrigeſcat charitas in nobis dum in hac vita ſumus. Nam etſi in peccata mortalia labamur, nos tamen ad gratiam reuocat, quia conſtans eſt eius dilectio erga electos. Vnde ait: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et cum reprobos à ſe expellendo, nul- E lus igniculus amoris pro eis in ſucco eius pectore remanere debeat, quo a pænis aliquando eximi valeant, fornax ingens charitatis in pectore eius exardeſcet erga electos, quia eos in æternum complectetur, vt à gloria ſemel adepta ſeparari nullo modo pertimeſcant. Hæc tertia conditio amici, nempe vigor & conſtantia in amicitia, optimè in viriditate & duritie ſmaragdi oſtenditur. Viriditas enim vigorem quemdam in arboribus & plantis deſignat: & durities illa ſmaragdi neſcia vulneris, amicitiæ inuiolabilem & conſtantem affectum ſatis clarè adumbrat.

Quarta conditio veri amici eſt vt eius amicitia nobis ſit nota, & perſpecta, quo ad eum cum omni fiducia recurrere valeamus. Cuius autem amicitia nobis eſt notior quàm amicitia Chriſti? De ea

ſecuros

Digitized by Google

ſecuros nos reddit qui fallere nequit, dum ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et c. 16. *In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Nec diligit ſolùm ſermone aut verbo: dilectionem opere comprobauit. *Ipſe enim animam ſuam pro nobis poſuit. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. Et vt vnuſquiſque ſuorum ſciat ſe diligi, dat ſpiritum ſuum, qui nos de eius amicitia reddit ſecuros. *Non enim,* inquit Apoſtolus, Rom. 8. *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum.* Hinc S. Petrus exhortatur fideles vt in illum totam fiduciam ſuam ponant, vt pote qui ſit illorum amicus, de illis ſemper cogitet. *Omnem,* inquit, *ſollicitudinem veſtram in illum proijcientes, quoniam ipſi eſt cura de vobis.*

Hæc vltima conditio amicitiæ, nempe vt ſciamus nos ab amico diligi, ſatis adumbratur ex eo quòd in ſmaragdo, quis poteſt ſeipſum tanquam in ſpeculo intueri. Sic Deus dicit nos in manibus ſuis deſcriptos. Ac ſi diceret: ita vos in pectore gero, ita vos diligo, vt ſi opera mea diſcutere velitis, reperietis certè talia eſſe, vt minimè dubitandum ſit me de vobis cogitaſſe, & pro amore eadem perfeciſſe. Sunt igitur opera omnia Dei, lapides ſmaragdini, in quibus nos ipſos intuemur, tanquam in ſpeculo: quia nihil non agit ad ſuam gloriam, ex quo ſummam non percipiamus vtilitatem. Sicut igitur viridis color vna ex parte viſum recreat ac reficit, & altera parte certam ſpem fructus ſymbolicè repræſentat; ita viros & conſtantia amicitiæ Chriſti non ſolùm iucunditatem & voluptatem maximam affert electis, ſed ex ea etiam fiduciam concipiunt, & ſecuritatem, in æternum ſe fructum bonorum operum ſuorum & meritorum paſſionis Chriſti eſſe collecturos. Certè Chriſtus eſt verus ille amicus, qui datur à Deo timentibus eum, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.* Certè ſi ſmaragdi puluis admiſcetur confectutæ ex hyacinthis effectæ, aliiſque omnibus antidotis (ſmaragdus quippe ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur;) nihil certè melius nobis mederi poteſt contra venenum deſperationis ex multitudine peccatorū, quàm ſi ſciamus nos Chriſtum habere amicum, per quem accipimus remiſſionem peccatorum omnium, iuxta illud Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem, ſed etiam pro totius mundi.* Æri affinis eſt ſmaragdus. Certè hæc fiducia propter Chriſti amicitiam concepta nos velut æs perpetuo ſonans reddere debet, id eſt, nos ad Dei laudes alta voce decantandas prouocare debet. Hoc non erit vanum, ſed æquiſſimum & ſanctum. Et meritò: quia ſi viriditas ſmaragdi, olei colorem refert, ni-

A hil adeo effuſionem diuinæ bonitatis ita repræſentat, ac ille amor fidelis Chriſti erga ſuos electos.

Quintum ſardonix.

De quinto fundamento Beatitudinis, mala quibus perturbari poſſet propulſante, nempe rectiſſimâ paſſionum animæ ad imperium rationis ſubordinatione, per lapidem ſardonychen deſignatâ.

ANNOTAT. XXV.

SICVT ſidera conſueta nobis lucere, & terram B illuminare, ceſſant propter interpoſitionem nubium obſcurarum; ita intellectus & ratio in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum, ne lumen præbeant. Et ſicut dum aqua maris manet quieta & clara, ad modum vitri, viſus poteſt eam penetrare, & videre ea quæ ſunt ſub aqua; ſed ſi turbetur & moueatur vento agitata, hoc fieri nequit; ita dum animus hominis manet quietus, iudicium rationis minimè impeditur; ſed ſi turbetur & moueatur affectionibus, ſtatim rationis vſus impeditur. Denique ſicut aqua currens de altis montibus, liberè recto tramite procedit; ſi ſaxa & lapides reſoluantur de monte, impeditur ne recto tramite defluat; ita C ratio, quæ aliàs rectum de rebus ferret iudicium, in iudicio veri impeditur motibus variis affectuum. Hæc cecinit Boëtius, Metro 7. l. 1. de conſolatione Philoſophica.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen,
Si mare voluens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Vnda diebus;
Mox reſoluto
Sordida cœno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluens amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Obice ſaxi.

Vnde tandem concludit Boetius

D *Tu quoque ſi vis*
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt
Vinctaque frænis,
Hæc vbi regnant.

Hinc optimè doctores à Beatitudinis ſtatu excludunt omnem paſſionum & affectionum humanarum deordinationem, & perturbationem: Tribus namque modis mens paſſionibus poteſt. In hac vita perturbari in ſuis operationibus. Primus eſt, quia paſſio mentem abſtrahit à contemplatione E ſui obiecti, dum vires animæ ad alia obiecta inferiorum facultatum diſtrahit. At in ſtatu beatitudinis, animæ vires ſuperiores non diſſipabuntur operationibus aliarum facultatum, nec conatus illius & vehemens intentio actuum intellectus aut voluntatis minuetur in aliquo, ex eo quòd oculus occupetur in viſione corporum beatorum; nec diſtrahetur, etſi aures oppleantur harmonia vocum, aut ſi alij ſenſus aliqua ſibi conuenienti delectatione potiantur.

Nec etiam talia erunt obiecta facultatum inferiorum, (etſi nobiliſſima & excellentiſſima,) vt pote longe inferiora Deo, qui proprium eſt mentis obiectum, vt mentem ita allicere poſſint, vt poſt illa relicto proprio obiecto currere ſeligat, itaut apprehenſione imaginatiuæ facultatis, vel

ad dexteram ſuam conſtituit. Et ſicut puluis ille, A qui ex attritione duorum adamantum producitur, adamantem ſupra Calybeam laminam poſitum, eo puluere attritum & perfectum illum ſplendidiorem reddit. Ita omnes illæ actiones, quas Chriſtus produxit vt voluntati patris obediret, tandem illum illuſtriorem reddiderunt. Factus eſt enim obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter hoc datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cæleſtium terreſtrium, & infernorum. Quem nunc Beati ante reſurrectionem videntes exaltatum, & ſublimatum in dextera patris, expectant certè glorificationem corporum ſuorum. *Si enim Chriſtus reſurrexit, ergo & nos reſurgemus. Si autem Chriſtus prædicatur quod ſurrexit à mortuis*, inquit Paul. 1. ad Corinth. 15. *Quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Certè quod nos expectamus in hac vita, iuxta Apoſtolum Rom. 8. *Scimus*, inquit, *quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque ad huc: non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri:* Hoc idem expectant ſancti in patria, nempe redemptionem corporis, id eſt, à corruptione & mutatione qualibet libertatem, *cum ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei:* quæ immutabilitatem quamdam ſtatus exigit. Repugnat enim vt res quælibet ſint in perpetuo motu; conſiſtentiam quamdam ad ſui operis perfectionem requirit diuina prouidentia: quam obtinebit, cum omnis noſter appetitus in cognitione Dei & Chriſti eius explebitur, & corpora noſtra immortalitatis dote decorabuntur, imaginem filij Dei veri, & pretioſi Carbunculi in ſeipſis exprimentes, itaut viuant, iam non ipſi viuant, ſed Chriſtus in eis. Hoc habebunt, quia diuino rore, nempe gratia Dei perfunduntur, vt ſint filij adoptionis. *Ero*, inquit Deus, Oſee 14. *quaſi ros. Iſrael germinabit ſicut lilium.* Hanc immortalitatem conſequuntur qui intra lapidem roſei coloris, nempe charitatem diuinam, multa patienter tollerantes, concipiunt deſiderium patriæ cæleſtis, quibus Chriſtus hoc promeruit, dum ſe morti addixit, vt immortalitate frueremur, quia quicquid in nobis corruptibile eſt, & mutabile conſumetur, nihil tamen auferendo quod ad naturæ optimam conſtitutionem, & habitudinem pertinere poſſit; nec illius immortalitatis patiemur detrimentum. Carbunculus eſt igneus, adamas fortiſſimus, quem ſi oculis fidei adſpexerimus, ſi manibus bonorum operum attrectauerimus, mirum eſt quàm fortiter in amorem bonorum illorum ſpiritalium attrahemur. Hac de cauſa Chriſtus vult vt omnia relinquamus, omnium detrimentum faciamus, vt beatitudinem illam tandem conſequamur, & in ea propter fiduciam, quam ex Chriſti Domini incarnatione concipimus, cum omni ſecuritate & tranquillitate conquieſcamus.

Quartum ſmaragdus.

De quarto fundamento Beatitudinis, nempe ſpeciali ſeu particulari Teſtimonio, (quo vnuſquiſque Beatorum ſecurus redditur amicitiæ & beneuolentiæ Chriſti Domini erga ſe,) in lapide ſmaragdo ſignificato.

ANNOTAT. XXIIII.

APOSTOLVS Paulus adhuc viuens in carne, ſed non ſecundùm carnem, de hac Chriſti Domini amicitia gloriabatur, dicens ad B Galat. c. 2. *Chriſto confixus ſum cruci: Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Ac ſi diceret. Per baptiſmum Chriſto commortuus, viuo nunc per veram iuſtitiam, viuo, inquam, non ego, non vetus ille homo, qualis eram, ſed nouus ille homo quem indui, nempe Chriſtus, qui mihi totius vitæ ſpiritualis, hoc eſt, omnis iuſtitiæ autor eſt: quam iuſtitiam habeo, dum viuo in hac carne mortali, ex fide in filium Dei. Iuſtus enim ex fide viuit. In quem iure ac meritò totum quod ſum refero, quia ab eo totum quod ſum accepi. Ille enim hoc mihi comparauit, quia dilexit me, C & tradidit ſemetipſum pro me. Quanto magis dum Beati videbunt Chriſtum in patria, & perfectè cognoſcent quomodo ſalutem conſecuti ſunt ex meritis eius, poterunt dicere ſe in gloria viuere, quia viuit in eis Chriſtus glorioſus, qui in eis vixerat inter labores & ærumnas. Quanto magis ei congratulabuntur, & ne ſint erga eum ingrati, gloriabuntur de illius amicitia, & beneuolentia, ac dicent: ille eſt qui me dilexit; ſeipſum pro me, non aliquid aliud tradidit: non debeo illi ingratus exiſtere, qui me tantùm dilexit, vt pro me mori non recuſaret, vt ait Primaſ. At non modò non erunt ingrati ſancti erga Chriſtum pro illius dilectione, ſed quamuis ſciant ſe D olim multa peccata perpetraſſe, quibus in æternas pœnas potuiſſent deputari, & quibus indigni redditi fuerunt vitâ æternâ: tamen quia ſciunt ſe à Chriſto dilectos, nullus in eis ſuborietur metus, ob præcedentem indignitatem, excidendi à gloria qua fruuntur in Chriſto. Namque in eo habent amicum & protectorem fideliſſimum. *Amico fideli*, inquit S. Greg. Nazianz. or. 22. *nullum eſt in rebus humanis par pretium, nec bonitas illius pondere vllo æſtimari poteſt. Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis viuus theſaurus. Amicus fidelis ſuper aurum & lapidem pretioſum multum. Amicus fidelis hortus clauſus, fons obſignatus, quæ opportunè aperiuntur, & communicantur. Amicus* E *fidelis refrigerij portus.* Ita Gregor. Quis, quæſo, potiori iure has conditiones amici fidelis ſibi arrogare poteſt, quàm Chriſtus? Ineſtimabilis pretij eſt eius amicitia, quo protegimur, quo munimur, ex cuius plenitudine gratiam & gloriam accipimus. Hortus quidem clauſus infidelibus & incredulis, ſed qui aperitur fidelibus, vt ex eo colligant ſuauiſſimos fructus. Fons obſignatus perfidis, ſed è quo hauriunt cum gaudio in eum credentes in hac mortali vita, eumque videntes in patria, omnem conſolationem: quibus reuera eſt refrigerij portus, quia ab eo ſecuritatem accipiunt vt æterni gaudij.

Si enim Petro exprobraretur negatio: Paulo, Eccleſiæ Dei perſecutio, en adeſt Chriſtus refrigerij portus, in quo habent remiſſionem pecca-

Digitized by Google

torum. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8. Propter quod vnuſquiſque beatorum in has laudes prorumpit. *Gratias ago tibi labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinita miſericordiæ Domine Deus noſter, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, per eumdem filium tuum ſaluatorem noſtrum, & recuperatorem, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, & nunc viuens ſedet ad dexteram tuam & interpellat pro nobis, & ſimul tecum miſeretur; quia Deus ex te Patre coæternus & conſubſtantialis tibi per omnia. Vnde in perpetuum poteſt nos ſaluare.*

B Ita S. Laurent. Iuſtin. de incendio diuini amoris c. 20. poſt S. Auguſtinum in meditat. c. 16. *O admirabile myſterium!* Inquit ibidem Auguſt. *O inenarrabile commercium! O mira, ſemperque amanda diuinæ propitiationis benignitas! Serui Dei digni non fuimus, & ecce filij Dei facti ſumus, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Vnde hoc nobis, & quis nos ad hoc perduxit?* Ita Aug. *O quantum ſumus tibi debitores,* inquit idem c. 17. medit. *Domine Deus noſter, tanto redempti pretio, tanto ſaluati dono, & tam glorioſo adiuti beneficio? Quantum à nobis miſeris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti, ſic ſanctificaſti, ſic ſublimaſti? Tibi nempe debemus omne quod poſſumus, omne quod viuimus, omne quod ſapimus. Et quis habet quicquam non tuum?* Ita Aug. Si hæc adhuc in vita miſera poſiti, ad Deum clamãt ſancti, quanto magis cum potiores effectus gloriæ obtinebunt, hæc aut ſimilia Deo decantabunt? Sit igitur pro fundamento noſtræ beatitudinis expellente omnem metum, (qui ſuboriri poſſet ex recordatione criminum) Chriſti Domini patrocinium, amicitia, & beneuolentia ſpecialis erga vnumquemque beatorum, ſuper quem Chriſtus ſcripturum ſe promittit nomen Dei ſui, & nomen ciuitatis Dei ſui nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo ſuo, & nomen ſuum nouum c. 3. Apoc. Hæc fiducia ex tali amicitia concepta adumbratur in lapide ſmaragdo, vt mox videbimus.

Smaragdus hebraicè dicitur Barequet, id eſt fulgurans. Gemma quippe eſt pellucida, & ſplendida, itaut Plinius lib. 33. c. 5. recenſeat in Cypro, Tumulo Regali Hermiæ iuxta Ceturias, marmoreo Leoni fuiſſe inditos oculos ex ſmaragdis ita radiantibus, etiam in gurgitem, vt territi inſtrumenta refugerent Thynni, diu mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec mutauere oculis gemmas. Scythicorum Ægyptiorumque tanta eſt duritia; vt nequeant vulnerari; præter quam quod propter magnam de ſmaragdo olim æſtimationem, nullus ferè ſmaragdus cœlabatur. *Decreto hominum,* inquit Plinius, *eis parcitur ſculpi vetitis.* Nullius coloris adſpectus jucundior eſt: nam herbas quoque virentes auidè ſpectamus, ſmaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Soli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant; quin & ab intentione alia obſcurata adſpectu ſmaragdi recreatur acies; Scalpentibuſque gemmas nulla alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcet. Elaborantur concaui, vt viſum colligant. Mira fiunt ex ſmaragdo ſpecula, quorum corpus extenſum eſt: eadem qua ſpecula ratione ſupini imagines reddunt; atque huiuſmodi officium ſmaragdus tanto cum oculorum ſolatio præſtat, vt Nero princeps gladiatorum pugnas in ſmaragdino ſpeculo ſpectaret. Æri ſunt: affines

A reperiuntur enim in æreis fodinis, & quod mirabilius eſt, ſi in Lydio lapide lineam ſmaragdo ducas, æreum colorem linea ipſa refert, vt experientia notum eſt. Epiphanius aduertit ſmaragdi ſaporem eſſe acerbum & amarum. Et Plinius item conſiderat ſmaragdos longinquo amplificari viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aërem. Hæc ex Alcazar notat. 13.

Verum autem Chriſti Domini amicitiam erga nos in hoc lapide adumbrari dicimus. Primò: quia vt quis verus amicus eſſe poſſit, oportet vt apprimè nouerit quæcumque bona, quæcumque neceſſaria ſunt ad noſtram vtilitatem & fælicitatem procurandam. Quis autem neſcit Chriſtum Dominum eſſe Dei ſapientiam, in eo omnes B theſauros ſcientiæ Dei recondi, Deum de Deo, lumen de lumine, cuius cogitationes ſunt pacis, qui ſi oculos habeat apertos ſuper iuſtos in hac vita mortali, vt illos à periculis eruat, & omnibus neceſſitatibus illorum ſubueniat, quanto magis in futura vita prouidebit ne eis aliquid deſit ad illorum beatitudinem complendam neceſſarium? Vnde ſciens nulla vnquam ratione fieri poſſe, vt beatitudo illorum perturbaretur, ſi ſemper ipſi Deum diligerent, & à Deo etiam diligerentur; hanc dilectionem tanquam totius beatitudinis fontem illis procurabat apud patrem. *Et ego,* inquit, *claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Ioan.

Si igitur in Dei Chriſti, quem miſit, cognitione & amore vita æterna conſiſtit, hoc autem tantum bonum Chriſtus videat neceſſarium, vt beati exiſtant amici eius, eiſque illud impetrauerit, certè bonus fuit amicus, qui potuit ſcire quæ neceſſaria erant eis ad beatitudinem, & illud idem ipſis à patre impetrauit, & abſque inuidia ſuorum bonorum velit ipſos eſſe participes, eoſque eadem dilectione diligi, qua & ipſe diligitur à patre. Hanc Chriſti ſcientiam (qua anima ſanctiſſima illius poteſt præuidere & prouidere omnia quæ nobis ſunt neceſſaria, ex eo quod indeſinenter contempletur fontem inexhauſtum diuinæ bonitatis; vt poſſit ſcire & adinuenire media, quibus & beatitudinem conſequi per fæcunditatem bonorum operum, & illum in perpetuum poſſidere valeamus) innuere voluit Spiritus ſanctus, dum oculos eius dicit eſſe ſicut columbas ſuper riuulos aquarum, & qui reſident iuxta fluenta pleniſſima. Cant. 5. *Talis,* inquit, *eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.*

Hanc conditionem amici adumbrat ſmaragdus. Lux enim eſt ſcientiæ ſymbolum. Vnde propter doctrinam, æquè ac ratione exempli, Chriſtus dicitur lux mundi, & Apoſtolos lucem mundi ipſe nuncupauit. At valde ſplendet ſmaragdus, & eò magis eius ſplendor ſcientiam & cognitionem poteſt adumbrare, quòd aërem circumfuſum ſuo ſplendore colluſtret, vt patet ex illis duobus ſmaragdis marmoreo leoni inditis, ſeu infixis, in tumulo regali Hermiæ, de quibus ſupra. Vnde Plinius dixit ſmaragdos eſſe ſemper radiantes. Deinde qui inquiſitione ſmaragdi incumbunt, altè terram defodiant oportet. Reperiantur enim valde

Digitized by Google

ſecuros nos reddit qui fallere nequit, dum ait: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et c. 16. *In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Nec diligit ſolùm ſermone aut verbo: dilectionem opere comprobauit. *Ipſe enim animam ſuam pro nobis poſuit. Maiorem autem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. Et vt vnuſquiſque ſuorum ſciat ſe diligi, dat ſpiritum ſuum, qui nos de eius amicitia reddit ſecuros. *Non enim,* inquit Apoſtolus, Rom. 8. *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſi autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum.* Hinc S. Petrus exhortatur fideles vt in illum totam fiduciam ſuam ponant, vt pote qui ſit illorum amicus, de illis ſemper cogitet. *Omnem,* inquit, *ſollicitudinem veſtram in illum projicientes, quoniam ipſi eſt cura de vobis.*

Hæc vltima conditio amicitlæ, nempe vt ſciamus nos ab amico diligi, ſatis adumbratur ex eoquòd in ſmaragdo, quis poteſt ſeipſum tanquam in ſpeculo intueri. Sic Deus dicit nos in manibus ſuis deſcriptos. Ac ſi diceret: ita vos in pectore gero, ita vos diligo, vt ſi opera mea diſcutere velitis, reperietis certè talia eſſe, vt minimè dubitandum ſit me de vobis cogitaſſe, & pro amore eadem perfeciſſe. Sunt igitur opera omnia Dei, lapides ſmaragdini, in quibus nos ipſos intuemur, tanquam in ſpeculo: quia nihil non agit ad ſuam gloriam, ex quo ſummam non percipiamus vtilitatem. Sicut igitur viridis color vna ex parte viſum recreat ac reficit, & altera parte certam ſpem fructus ſymbolicè repræſentat; ita viros & conſtantia amicitiæ Chriſti non ſolùm iucunditatem & voluptatem maximam affert electis, ſed ex ea etiam fiduciam concipiunt, & ſecuritatem, in æternum ſe fructum bonorum operum ſuorum & meritorum paſſionis Chriſti eſſe collecturos. Certè Chriſtus eſt verus ille amicus, qui datur à Deo timentibus eum, iuxta illud Eccleſiaſt. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundùm illum erit amicus illius.* Certè ſi ſmaragdi puluis admiſcetur confecturæ ex hyacinthis effectæ, aliiſque omnibus antidotis (ſmaragdus quippe ab omnibus artis medicæ peritis pro mirifico contra venenum antidoto reputatur;) nihil certè melius nobis mederi poteſt contra venenum deſperationis ex multitudine peccatorũ, quàm ſi ſciamus nos Chriſtum habere amicum, per quem accipimus remiſſionem peccatorum omnium, iuxta illud Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem, ſed etiam pro totius mundi.* Æri affinis eſt ſmaragdus. Certè hæc fiducia propter Chriſti amicitiam concepta nos velut æs perpetuo ſonans reddere debet, id eſt, nos ad Dei laudes alta voce decantandas prouocare debet. Hoc non erit vanum, ſed æquiſſimum & ſanctum. Et meritò: quia ſi viriditas ſmaragdi, olei colorem refert, nihil adeo effuſionem diuinæ bonitatis ita repræſentat, ac ille amor fidelis Chriſti erga ſuos electos.

Quintum ſardonix.

De quinto fundamento Beatitudinis, mala quibus perturbari poſſet propulſante, nempe rectiſſimâ paſſionum animæ ad imperium rationis ſubordinatione, per lapidem ſardonychem deſignatâ.

ANNOTAT. XXV.

SICVT ſidera conſueta nobis lucere, & terram illuminaro, ceſſant propter interpoſitionem nubium obſcurarum; ita intellectus & ratio in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum, ne lumen præbeant. Et ſicut dum aqua maris manet quieta & clara, ad modum vitri, viſus poteſt eam penetrare, & videre ea quæ ſunt ſub aqua; ſed ſi turbetur & moueatur vento agitata, hoc fieri nequit; ita dum animus hominis manet quietus, iudicium rationis minimè impeditur; ſed ſi turbetur & moueatur affectionibus, ſtatim rationis vſus impeditur. Denique ſicut aqua currens de altis montibus, liberè recto tramite procedit; ſi ſaxa & lapides reſoluantur de monte, impeditur ne recto tramite defluat; ita ratio, quæ aliàs rectum de rebus ferret iudicium, in iudicio veri impeditur motibus variis affectuum. Hæc cecinit Boëtius, Metro 7. l. 1. de conſolatione Philoſophica.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen,
Si mare voluens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Vnda diebus;
Mox reſoluto
Sordida cæno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluens amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Obice ſaxi.

Vnde tandem concludit Boetius

Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato;
Nec dolor adſit:
Nubila mens eſt
Vinctaque frænis,
Hæc vbi regnant.

Hinc optimè doctores à Beatitudinis ſtatu excludunt omnem paſſionum & affectionum humanarum deordinationem, & perturbationem: Tribus namque modis mens paſſionibus poteſt. In hac vita perturbari in ſuis operationibus. Primus eſt, quia paſſio mentem abſtrahit à contemplatione ſui obiecti, dum vires animæ ad alia obiecta inferiorum facultatum diſtrahit. At in ſtatu beatitudinis, animæ vires ſuperiores non diſſipabuntur operationibus aliarum facultatum, nec conatus illius & vehemens intentio actuum intellectus aut voluntatis minuetur in aliquo, ex eoquòd oculus occupetur in viſione corporum beatorum; nec diſtrahetur, etſi aures oppleantur harmonia vocum, aut ſi alij ſenſus aliqua ſibi conuenienti delectatione potiantur.

Nec etiam talia erunt obiecta facultatum inferiorum, (etſi nobiliſſima & excellentiſſima,) vt pote longe inferiora Deo, qui proprium eſt mentis obiectum, vt mentem ita allicere poſſint, vt poſt illa relicto proprio obiecto currere ſeligat, itaut apprehenſione imaginatiuæ facultatis, vel

diſcrimine ſeu diſtinctione æſtimatiuæ occupata intellectualem deſerat operationem. In præſenti vita paſſio ſequens apprehenſionem imaginationis, rationem quaſi captiuam trahit ad ea quæ ſenſibus gratiſſima ſunt: At in patria liber erit ratio ab omni ſubreptione ſenſuum & facultatum inferiorum, circa ſupremam veritatem contemplandam occupata.

Secundus modus, quo mens poteſt perturbari in ſua operatione in hac vita, eſt per quamdam contrarietatem & oppoſitionem, quæ reperitur aliquando inter obiecta rationis & appetituum, ſeu paſſionum. Inclinat enim plærumque paſſio & appetitus ad ea, quæ omnimodè contrariantur iis quæ vniuerſalis cognitio ſuggerit & iudicat eſſe amplectanda aut fugienda: At tunc in patria, omnia ad vnum & eumdem finem, nempe Dei gloriam, tranquillè erunt ordinata, vt nihil rationi repugnare valeat.

Tertius modus, quo in hac vita poteſt perturbari ratio, eſt quia paſſio immutationem quamdam corpoream cauſare poteſt: qua fit vt ratio quaſi ligata exiſtat & impediatur, quoad exercitium in ſuis actibus: ſic ſomnus, ſic ebrietas corpus immutant, & rationis vſum impediunt: At tunc nulla erit corporis immutatio, quæ rationis actum impediat. Tunc igitur lumen gloriæ tam valenter mentem corroborabit, vt nihil de illius vi aut virtute aliquid minuere valeat. Obiectum mentis adeo nobiliſſimum eſt & præcellentiſſimum, vt nullum aliud reperiatur quo mens poſſit ab eo auelli, vel quo valeat allici in illius obiecti excellentiſſimi iniuriam ſeu præiudicium. Si quid imaginatio obiecerit, aut repræſentauerit contuendum, hoc totum corroborabit cognitionem illam quam habet, lumine gloriæ euecta, de tam pulcherrimo, & amabiliſſimo obiecto. Hoc enim verum eſſe conijcier ex effectibus, quod clarè videt & contemplatur in fonte, origine, principio, & cauſa ipſorum; quin & quodcumque particulare bonum ſubordinatione quadam ſubjicietur bono vniuerſali gloriæ diuinæ, vt nihil videat, nihil aliquo ſenſu Beatus percipiat, quo non feratur ad Dei amorem & laudem. His adde corpus tunc impaſſibilitate gaudens, nullam admittere alterationem, qua mens in ſua operatione poſſit in aliquo impediri aut retardari: imo erit animæ perfectiſſimè ſubiectum, itaut eius operatio ſit vehementior & intentior circa proprium obiectum, quia omni illa inclinatione ad corporis reſumptionem, quam habebat ante reſurrectionem, reſumpto corpore plene ſatiatâ, tota vis & intentio animæ fortiùs circa proprium obiectum occupabitur. Et reuera aliquando fit vt per excellentiſſimum virtutis exercitium anima corpori imperare valeat, itaut menti obtemperet, & ad id quod vult ſeſe applicet, ea patiatur quæ voluerit mens ipſum pati; quin deficientibus viribus corporis, fit aliquando vt carnis affectiones ſubſideant, & loco cedunt ſpiritui: marceſcunt enim cum corpore carnis voluptates, vt notat S. Greg. Naz. orat. 17. ad patrem. Sed ſi in aliquo corpus obediat aliquando, appetitus vt peſſimus ſeruus recalcitrabit, malum appetens, vbi facultas illud perpetrandi etiam deerit: & deficiente corpore, vigebit tamen plærumque mali cupiditas. At tunc perfecta erit obedientia, nulluſque erit motus appetitus menti aut rationi contrarius. Manebunt quidem paſſiones radicaliter, extinctis omnimodè eis quæ ad peccandum impellunt, vt docet Ferrarienſis in comm. in l. 4. contra Gentiles c. 7. iuxta doctrinam S. Thomæ. *In beatis*, inquit, *non erit*

A *alteratio ſecundum paſſionem: quia, vt dicitur in qq. verit. q. 26. ar. 8. in illis paſſiones appetitus ſenſitiui non erunt ſubita: quia in illis nullus motus appetitus ſenſitiui inſurget, niſi ſecundum dictamen rationis. Non erunt etiam paſſiones reſpectu mali, ſed tantum reſpectu boni.* Ita Ferrar. *Ratio vniuſcuiuſque*, inquit S. Thom. 1.2. q. 67. ar. 1. *Rectiſſima erit, circa ea quæ ad ipſam pertinent, ſecundum ſtatum illum; & vis appetitus omnino mouebitur ſecundum ordinem rationis, in his quæ ad ſtatum illum pertinent.* Ita S. Thom.

Hanc optimam paſſionum ordinationem adumbratam dico in lapide Sardonyche. Eſt enim Sardonyx inter Onychas pretioſiſſima. Cuius ſubſtratum, id eſt, inferior pars lapidis, nigri eſt coloris. B Superior facies locuſtarum maris cruſtis rubérior. Inter autem ſubſtratum nigrum, & rubentem ſuperficiem, optimæ Sardonychæ candenti linea diſtinguuntur. Itaque poſtquam læuigatæ ac politæ ſunt, in media extimæ ſuperficiei parte minium ſeu rubeus color eminet; mox in circuitu veluti zona quædam candidiſſima ducitur; infra verò nigrum ſubſternitur. Hinc Solinus c. 36. *Superficies probatur, ſi meracius rubeat, medietas circuitus limite candidulo, reliqua nigro finiuntur.* Ita Solin. *Solæ prope*, inquit Plinius, *gemmarum ſculptæ ceram non auferant.* Rueus ait eâ reprimi animi faſtum. Aliis placet eſſe valde ſalutarem, & animo hilaritatem adducere.

C In colore nigro, qui radium viſualem colligit, ſignificatur hanc paſſionum quietudinem fieri, quia omnes mentis intuitus ad hoc vnum colliguntur, vt per quoſlibet animæ motus mens ingrediatur in illum caliginem cognitionis abſtruſæ & incomprehenſibilis naturæ diuinæ. (*Poſuit* enim *Deus tenebras latibulum ſuum*: quia habitat lucem inacceſſibilem) vt Deus & perfectiùs cognoſcatur & ardentiùs, diligatur, & intenſius laudetur. Non enim deinceps animæ vires diſſipantur propter multiplicitatem obiectorum, cum quidquid ſeſe offerat menti per ſenſus percipiendum, hoc omne ad vltimum finem referatur.

Linea ſeu zona candida vmbonem rubei coloris D coronans, indicat innocentiam & puritatem motuum appetitus inferioris in hoc ſtatu beatitudinis, qua fit vt deinceps nunquam rationi contrarietur nullæ ſiquidem paſſiones in eo ſtatu, quæ ad malum propellant. Rubeus autem color, charitatis inſigne, quæ omnes animæ motus in Deum dirigit. At ſi, ex Plinio, Rubens illius lapidis ſuperficies nonnihil in purpuram tendens, talis ſit vt in circulo eius quantumuis candido inſit quædam cæleſtis arcus anhelatio; arcus autem cæleſtis ex ſcriptura ſit fæderis ac pacis ſymbolum rectè ſardonyx erit pacis illius appetitus inferioris cum ſuperiori optimum ænigma: tunc enim ceſſabit illud bellum inteſtinum ſpiritus aduerſus carnem, E & carnis aduerſus ſpiritum: quia mens perfectiſſimè erit etiam Deo ſubiecta, iuxta illud: *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea, quoniam ab ipſo ſalutare meum?* Hinc S. Cyprianus de Card. Chriſti operibus. De reſurrectione, ait: *Sed tu, optime Domine, vltrò gratiam volens dare ſpiritui, decreuiſti clementiùs vt ex ſocietate & clientela, quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi prouenitet; & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps ſtudiorum, in recompenſatione miniſterij iterum dilecto accolæ conſociata, pudica, & pacifica rediret, nullas ſecum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem: Sed & hoc, Domine, ad cumulum beneficij addidiſti, vt inter legem carnis & ſpiritus nulla poſtmodum eſſet diuerſitas; nec poſt initum fædus vlla iterum inter eos recrudeſcat rebellio; ſed per manum tuam reconcilia-*

Digitized by Google

tio ordinata ſtabilis in perpetuum perſeueret. Te igitur iubente terra ſit caro, & expulſa de domo iternm coniugatur viro, non iam ancilla, ſed libera; & habitant vnius moris in domo, murmurationibus conſopitis, quas olim compugnantes inter ſe concupiſcentiæ concitabant. Ita Cypr.

Diximus ex lapide Sardonyche ſigilla olim facta fuiſſe, optima ad hunc vſum, quia ceram non auferunt, propter læuorem & duritiem. Pari ratione dico, in hac paſſionum quiete Deum inſculpſiſſe quamdam imaginem obedientiæ, quæ ab omni creatura illi exhibetur, dum homo in appetitum ſuum dominium & Imperium perfectè exercet, vt ſupremi Domini gerat imaginem & ſimilitudinem; ſicque in hac quiete perſpicitur hominem imaginem eſſe Dei dominantis. Nec hac ratione aliquid de natura carnis aut appetitus inferioris demitur & aufertur, cum homo paſſiones aſſumit tanquam inſtrumenta, quibus in corpus Imperium ſuum exercet, illudque mouet ad opus ſibi conueniens, amore vel gaudio pulſus. Nec etiam cum animus ex gaudio, quod experitur in perceptione obiectorum facultatum inferioris appetitus, mouetur ad laudandum Deum, aliquid de ſua dignitate amittit: quia ad hoc illi dantur motus inferioris appetitus, vt ad laudandum Deum excitetur.

Quod ſi, ex Rueo, Sardonyx reprimit animi faſtum; illa paſſionum quies reprimit & cohibet carnis arrogantiam & tumorem. Si ex aliorum ſententia Sardonyx conciliat lætitiam, certè dici non poteſt cum quanta lætitia mens ſentiet ſe omnibus animæ ſuæ motibus dominari. Denique Andreas Baccus, tractat. 12. de gemmis ſcripturæ, docet quòd ſi lapis hic oculis admoueatur, omnem noxium humorem ab eis attrahet, viſumque confirmabit. Pari ratione dicimus hanc paſſionum quietem ab animo auferre quidquid impediret ne dulci contemplatione ſummi boni tranquillè frueretur. In hoc enim ſtatu tantò facilius mens adhæret Deo, quòd nihil in ſe experiatur, quo ab eius contemplatione diſtrahi poſſit. *Beati enim mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.*

Sextum ſardius.

De ſexto Beatitudinis fundamento, nempe immunitate quadam à quolibet externo impugnatore, per lapidem ſardium deſignatâ.

ANNOTAT. XXVI.

SANCTVS Auguſtinus in hymno de gloria paradiſi, lib. meditat. c. 28. ſtatum beatitudinis deſcribens, non illum ſtatum pugnæ, ſed Triumphi de hoſte eſſe ait. *Nam & ſancti quique*, inquit, *velut ſol præclarus rutilant.*

Poſt triumphum coronati
Mutuò coniubilant.
Et proſtrati pugnas hoſtis
Iam ſecuri numerant.

Quibus addit de pace mentis & carnis:

Omni labe defecati
Carnis bella neſciunt.
Caro facta ſpiritalis
Et mens vnum ſentiunt.
Pace multa perfruentes
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Et præſentem veritatis
A *Contemplantur ſpeciem.*
Hinc vitalem viui fontis
Hauriunt dulcedinem. Ita Auguſt.

At non modò ceſſabant tentationes, prælia domeſtica carnis & ſpiritus, ſed nec vllus erit hoſtis extrinſecè impugnans, qui corpus lædere, aut animæ moleſtiam inferre valeat: & quod de ſtatu animarum beatarum ante reſurrectionem corporum dicitur in manuali c. 6. Inter opera Auguſtin. to. 9. hoc etiam dici debet de ſtatu illo fælicissimo poſt reſurrectionem. *Fælix*, inquit, *anima, quæ terreno reſoluta carcere, libera cælum petit: quæ te dulciſſimum Dominum facie ad faciem cernit: quæ* B *nullo mortis metu afficitur, ſed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla eſt & ſecura. Iam non timet hoſtem, nec mortem habet. Iam te pium Dominum, quem diu quæſiuit, ſemperque amauit, hymnidicis ſociata choris melliflua perpetuæ feſtiuitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, rex Chriſte, bone Ieſu, in æternum concinit. Inebriatur enim ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eam. Fælix ſocietas ſupernorum ciuium, & glorioſa ſolemnitas omnium ad te redeuntium, ab huius noſtræ peregrinationis triſti labore, ad amœnitatem pulchritudinis, ad formoſitatem totius ſplendoris, atque dignitatem totius elegantiæ: vbi te iugiter, Domine, tui ciues cernunt, nihil omnino quod conturbet mentem ibidem auribus audire datur. Quæ cantica,* C *quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi ſine fine decantantur? Sonant ibi ſemper melliflua hymnorum organa, ſuauiſſima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à ſupernis ciuibus decantantur amaritudo & omnis fellis aſperitas in regione tua locum non habent. Non enim eſt ibi malus neque malitia: non eſt aduerſarius & impugnans, nec eſt vlla peccati illecebra: nulla eſt ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, cauſatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla diſcordia: ſed eſt ibi pax ſumma, charitas plena, iubilatio & laus Dei æterna, ſine ſecura requies, & gaudium ſemper in Spiritu ſancto.* Hæc ille autor. Hæc, inquam, potiori iure dicen- D da erunt de ſtatu poſt reſurrectionem, quia quod nunc deſiderant ſancti, nempe corporum redemptionem, numeri electorum conſummationem, peccati extinctionem, Regni æterni Dei & Chriſti perfectionem & firmitatem, tunc obtinebunt; & ſic in nullo eorum, quæ deſiderant, poterunt contriſtari. Tunc nulli homines, qui per ſe vel per alios, corporibus noſtris moleſtiam inferre valeant: Nunc quidem animi conſtantia & fortitudine ſancti contemnunt ignes & gladios: tunc autem non ſolùm propter animi virtutem, ſed propter impaſſibilitatis dotem nec corpora aliqua ratione lædi poterunt, aut vulnerari. Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, ſed nec vl- E lus dolor: Certè ſi nunc, quamuis tentationes ſint fortes, non ſubuertuntur electi, quamuis ſatanas conetur eos ſignis, & prodigiis, & vexationibus variis, ſocios ſibi ſuæ damnationis aſciſcere (*Simon*, dicebat Saluator Petro Apoſtolo, *ecce Satanas expetiuit vos vt vibraret tanquam triticum*) ſolæ paleæ vento tentationum ab vnione frumenti electorum ſeparantur, vt igne comburantur; manet ſemper triticum in horreum congregandum, dicente Chriſto, Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quiſquam de manu mea.* Multo magis ab omni periculo ſubuerſionis erunt immunes in patria, iuxta illud; *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erunt pedes*

noſtri in atriis tuis Ieruſalem. Pſ.21. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.* Pſ. Fruſtra namque iraſcetur de gloria ſanctorum: permanebit ille fœliciſſimus ſtatus gloriæ in æternum. *Erit*, inquit S. Cyprianus, de Card. Chriſti operibus, tract. de Aſcenſ. *Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ & corporis implebit appetitus; ceſſabuntque de cætero, conſummatis omnibus, miniſtratorij Angelicarum virtutum diſcurſus, & impleta ordinataque omnino Ciuitate Dei nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ & conſummatæ beatitudinis ſtatus.* Ita Cyprian. At non ſolùm à ſtatu illo beatitudinis dæmon non poterit illos abſtrahere, ſed nec ad tempus in illos poteſtatem exercere: quia liberum ipſi non erit peccata ſuggerere, aut inſtillare auribus. Quod de Ieruſalem terreſtri dictum fuit olim, hoc de cæleſti dicendum eſt. Rex ille ſuperbus *non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Iſ. 37. *Sic omne maledictum non erit ampliùs, ſed ſedes Dei & agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient ei*, vt dicitur c.22. Nec poterit denique ille inimicus ſuperſeminare zizania in medio tritici, quo ſanctorum pax inter ſe perturbetur. Vnde omnis eius conatus erit inutilis, omniſque eius mala voluntas, qua inuidus deſiderat nocere homini, vnquam vllum poterit effectum erga electos obtinere. Hæc autem ſecuritas ab omni externo impugnatore, adumbratur in lapide ſarda ſeu ſardio. Sarda gemma, ſiue ſardius lapis vulgari nomine dicitur Cornerina: fortè dicendum eſſet Carnerina: etenim conſtat proprium ipſius colorem eſſe ad translucidæ carnis ſimilitudinem, non aliter quàm ſi humana caro natiuo manente colore, in gemmam translucidam abiiſſet, itaut propria definitio ſardæ eſt caro tranſlucida, & hebræo nomine Odam ſeu Adam appellatur, vt ſignificetur eiuſmodi gemmam eſſe rubram, & humanæ carnis referre colorem. Præter hæc ſardis nobilioribus mirus ineſt ſplendor. Et Abulenſ. Exodi 28. ait eſſe lapidem nimium fulgentem. Ratio generationis in pretioſis ſardis eſt quod nimirum in ſaxi corde procreentur. Gemma hæc procul eſt ab omni macula, ſine vapore, qui ipſius ſplendorem hebetet & imminuat. Epiphanius addit quòd ſarda vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur. Vincentius quòd gaudium accendit. Aretas quòd feris terrorem incutit. Denique ſarda eſt mater & origo amethyſti.

Tranſlucidæ carnis ſimilitudo corporis impaſſibilitatem deſignat, cui tunc nihil erit contrarium, ſicut luci nihil poſitiuè contrarium eſt. Splendor ille præcipuus igitur gloriam corporum deſignat, quæ tanta eſt, vt à nullo lædi valeat corpus beatorum. De qua gloria diſſerit ſanctus Cyprianus, de reſurrect. in lib. de op. Card. Chriſti. *Reſurrectionis*, inquit, *huius, cuius ſunt in Chriſto primitiæ, incomparabilis eſt dignitas, quam nec ſequitur corruptela, nec diſſoluit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati ſumus in transfiguratione, quæ facta eſt in monte, præſentibus Apoſtolis Petro, & Iacobo, & Ioanne, quando ſicut ſol reſplenduit facies ſaluatoris, & veſtimenta eius candorem omnem exuperantia, Apoſtolorum hebetauere conſpectum; ſed momentaneus ille decor imaginem non ſpeciem, ſimilitudinem non ſubſtantiam; partem non plenitudinem transformationis mirificæ explicauit. Sed neque eamdem gloriam, quanto ante oſtendit Apoſtolis reſurgens illico oſtendit; ſed quod videre conſueuerant hoc viderunt; & dilata eſt claritatis illius, quam nobis pollicitus eſt, plenitudo, quæ in ſe erat perfecta, & à nobis in nobis expectatur perficienda lucidior & ſyncerior quàm æſtimari poſſit ab aliquo, vel quàm illa etiam claritas intimauerit cuius primitias in Chriſto transformato accepimus, &c.* Et poſt pauca: *Sed & in hoc multiplicata ſunt gaudia, quod ab his, pro quibus ſe humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatus eſſe commune, & partiri nobis ſuæ abundantiam voluit claritatis, vt poſt reſurrectionem corpus non adgrauet animam, ſed ſit caro ſine mole & pondere, agilis & mobilis, nullis clauſa obſtaculis, viſu & auditu penetrans omnia & adtingens, quocumque voluerit ſine impedimento diſcurrens. Inerit reſſuſcitatis corporibus nulli vanitati ſubiecta libertas, & quæ cogi non poſſit ad aliquid, in nullo laborans, iam aſtæ educta reipſa perfruens, nulla expectatione ſuſpenſa, & in pace quietiſſima confirmata, omniſque expers formidinis in ſpiritualibus delitiis iugis illa permanſio reflorebit.* Ita Cyprian. Mirus igitur ſplendor ſardæ ſymbolum eſt impaſſibilitatis corporum: quia luci nihil eſt poſitiuè contrarium. Vnde fit vt tam cito per aëra diffundatur; & ſicut lux in ſuo eſſe non dependet ab aliquo extrinſeco, ſed à qualitate nobiliſſima illi data poſt reſurrectionem, expellente omne extrinſecum nociuum, ſi quod ei occurrere poſſet.

Secundo ratio generationis ſardij lapidis deſignat etiam beatos nec poſſe à beatitudinis ſtatu diſturbari. Generantur enim electi in ſaxi corde, id eſt, in æterna Dei electione, de quo Apoſtolus Epheſ.1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, &c.* Ecce ſaxum firmum & immobile, in quo generatur pretioſius ille lapis Sardius impaſſibilitatis corporum beatorum, quòd Deus illos ad gloriam tam in corpore quàm in anima conſequendam prædeſtinauit. *In laudem*, inquit Apoſtolus, *gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.*

Tertiò, hæc gemma procul eſt ab omni macula, ſiue vapore, qui ipſius ſplendorem hebetaret & imminueret. Hoc clarè ſignificat fœlicem beatorum ſtatum ab omni tentatione extrinſeca ad peccandum impellente eſſe immunem.

Denique ſarda vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur, gaudium accendit, & feris terrorem incutit. Hoc ſanè deſignat omnia vulnera, à peccato olim inflicta, eſſe ſanata; nihilque, quod moleſtiam afferre poſſit beatis, remanere, vt perfectum poſſideant gaudium, territis dæmonibus, qui in nullo eorum beatitudinem vnquam perturbare poterunt; imo hæc medela contra inflicta ferro vulnera, deſignat hanc impaſſibilitatis dotem eſſe præſentiſſimam præſeruationem contra inſultus ferri, aut ignis, aut cuiuſuis rei pro nunc córpora lædentis.

Septimum Chryſolithus.

De ſeptimo fundamento Beatitudinis, plena ſcilicet fiducia in Deum, & ſecuritate certiſſima, propter Dei fidelitatem in verbis & promiſſis, per lapidem Chryſolithum ſignificata.

ANNOTAT. XXVII.

CERTE ſi in hac vitâ tanta potuit ineſſe in Deum ſpes & fiducia in animabus iuſtorum, vt licèt multa cernerent, quæ viderentur contraria promiſſis ſibi factis, tamen nunquam à ſpe & expectatione deciderunt; multo magis cum expe-

Digitized by Google

tientur tot erga ſe beneuolentiæ Dei ſigna, & ſe agnoſcent introductos in poſſeſſionem bonorum, quæ illis promiſſa fuerunt. Certi erunt & ſecuri de ſua beatitudine, quia audient in iudicio hanc ſibi fieri pollicitationem: *Venite, benedicti patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* At quale regnum? Regnum de quo dicitur: *Et regni eius non erit finis.* Contra ſpem, ſi naturam ſpectes, erat, vt centum annorum homo, nempe Abraham, ex grandæua muliere etiam in iuuentute ſterili crederet ſemen ſuum ſicut ſtellas cæli & arenam maris multiplicandum.

Et tamen, inquit Apoſtolus, Rom. 4. *contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen ſuum, &c.* Et poſtea addit: *Pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit potens eſt & facere.* Quanto maior erit in Deum fiducia videntibus eum intuitiuè, & iam non ampliùs per fidem? Sancti in hac vita ſolatium & ſecuritatem habent propter Dei promiſſiones ſibi factas: decreſcerent ne aut deperirent eorum ſolatium & ſecuritas, ex exhibitione donorum? Hoc credibile non eſt, nec rationi conſonum. *Abrahæ namque*, dicit Apoſtolus: *Promittens Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per ſemetipſum dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per maiores ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles* (*nempe*, inquiunt Theophylactus & Sedulius, *promiſſionem & iuramentum*) *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Heb. 6. Certè non eſt Deus vt homo, vt mutetur; veritatis amator non aliud in ore, aliud autem habebit in corde abſconſum, vt fallat. Bonitas illa infinita non decipiet homines iuramento, hac enim peruerſa intentione non iurat, ſed vt ab eis omnem auferat diffidentiam, dum qui tanta bonitate præditus eſt, promiſſiones ſuas iuramento firmat. Non iam ſpe ſola introierunt ſancti in interiora velaminis, id eſt, non iam ſola ſpe Sancta ſanctorum, id eſt, Deum ipſum, & cæleſtia bona apprehenderunt, & in eis ſuam ſpem collocauerunt, iam vident, iam poſſident quæ firma & tuta ſpe expectabant. Iam introierunt in gaudium Domini. Certè ſecuri ſunt quòd promiſſio Chriſti, *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*, veriſſima erit, & conſilium Dei immobile, cuius nunc vident clare fidelitatem, veritatem, immutabilitatem, bonitatem. Itaque nulla in eis vnquam erit diffidentia, nullus timor excidendi à gloria. Hæc in Deum fiducia, & fulcimentum beatitudinis ſanctorum ſupra certitudinem infallibilem promiſſionum Dei, adumbratur in Chryſolitho lapide. Chryſolithus eſt gemma aurei coloris. Vnde Propertius eum appellat flauum. *Aureo*, inquit Plinius, *colore tranſlucet. & nobilioribus color adeo eſt accenſus, vt in eorum conſpectu ipſummet aurum à proprio colore deſiſcere, & in argentum degenerare videatur.* S. Iſidor. lib. 16. orig. cap. 16. *Chryſolithus auro ſimilis eſt, cum marini coloris ſimilitudine.* Ita Iſid. Quam marini coloris ſimilitudinem referre videtur, quòd non ſit opacus ſed tranſlucidus, & quaſi ſcintillas ardentes emittens vt vult Hugo Victorinus. Vnde Pintus in 1. c.

A Ezechiel; quia hebraicum nomen Tarſis, ſeptuaginta interpretibus Thaſis & mare, & lapidem Chryſolithum ſignificat, ait: *Si profundè intuearis, idem eſt colorem habere Chryſolithi, & maris fulgentibus ſolis radiis percuſſi, cum illud reuerberatus fulgor ſplendidum quodammodo reddit.* Eius proprietates ſunt vt valeat aduerſus puſillanimitatem, & motus melancholicos, nocturnos timores, atque moleſtias; & etiam optima eſt aſmaticis, & cum difficultate reſpirantibus. De die videtur aureus, de nocte igneus, itaut pallidior ſit in die; in nocte autem pluſquam in die ſuum ſplendorem detegit.

Quo autem modo iſte lapis adumbret fiduciam, quam collocare debemus in promiſſionibus diuinis, eſt quia in eo lapide adumbrantur Dei perfe- B ctiones requiſitæ vt quis ſtare poſſit promiſſis. Et primò, optime nouit quæ promittit; Secundò, optimè nouit qua ratione ij, quibus promittit, erga ſeipſum ſeſe gerere debeant; Tertiò, ſcit quibus mediis etiam poſſit ad effectum promiſſa deducere; Quartò, poteſt illis mediis ea, quæ intendit, efficaciter perficere. Denique tam bonus eſt, & in propoſito benefaciendi ſtabilis, vt neminem fruſtrare velit eorum quæ ſemel pollicitus eſt, ex mera & gratuita bonitate & benignitate. Liberum equidem eſt nunc nobis de Deo iſta credere; at ille nihilominus fidelis eſt iis qui in eum crediderint. *Fidelis ſermo*, inquit Apoſtolus 2. ad C Timoth. 2. *nam ſi commortui ſumus & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus & conregnabimus: ſi negauerimus, & ille negabit nos: ſi non credimus, ille fidelis permanet: ſeipſum negare non poteſt.* Ac ſi diceret: Siue credimus, ſiue non credimus, veritas non mutatur. Deus falli aut fallere non poteſt. Incredulitas aut perfidia noſtra Dei fidem conuellere nequit. Si diffidimus, ille tamen fidus permanet. Hæc firmitas in ſoliditate illius lapidis deſignatur. *In æternum Domine*, dicebat Dauid, *permanet verbum tuum.* Et rurſus: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum.* Quod autem Deus optimè ſciat quæ promittit, vt videat an talia ſint de quibus non debeat pænitere, in colore aureo illius lapidis deſignatur. Eſt enim au- D rum, ſapientiæ ſymbolum, vt vult Pintus in 10. Ezechiel. Hinc quia plenitudo diuinitatis, & ſapientiæ, & ſcientiæ Dei habitabat in Chriſto, de eo dicitur Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Cum igitur Deus æternam repromiſit beatitudinem, ſciebat, quid eſſet, & quantum valeret, & eam eſſe ſicut aurum pretioſiſſimum; & tamen quia bonum eſt ſui diffuſiuum, noluit ſolitariam eſſe ſuam beatitudinem; ſed diues in miſericordia, ſuæ fælicitatis voluit habere conſortes. Vnde hanc ciuitatem Hieruſalem cæleſtem fecit eſſe auream, id eſt, omnibus bonis refertam, & ſumma fælicitate ditatam. *Ipſa autem ciuitas aurum mundum*, inquit S. Ioannes. Quæ ſapientia tanta eſt, vt in E comparatione illius, quidquid in mundo eſt non fulgeat. *Omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua.* Scintillæ deinde ardentes ex eo micantes, ſignificãt promiſſiones diuinas ex inexhauſto fonte ſapientiæ illius promicare; quæ ob multitudinem effectuum eſt quaſi viſio maris, id eſt, infinitæ magnitudinis. *Sapientiæ* enim *eius non eſt numerus.* Vnde nouit & quid promittat, & quibus promittat, & quid ex promiſſis ſuis eueniat, & quomodo donis ac promiſſis ſuis fideliter vtantur ij quibus factæ ſunt pollicitationes, nempe promiſſionis vitæ æternæ hæredes.

In viridi autem colore, aureo colori aliqua ratione permixto, deſignatur vigor potentiæ diuinæ in perficiendis & adimplendis promiſſionibus. Hic enim vigor nunquam marceſſit, aut aliquid pati-

Digitized by Google

tur detrimenti. In eo autem quod eius color aliquomodo repræſentat ſimilitudinem maris; & ſapientiæ, & potentiæ, & bonitatis Dei infinitus theſaurus deſignatur. Cum igitur nec ſcientia, nec poteſtas, nec bona voluntas Deo deſint, à nullo retardari poteſt quin promiſſa ſua fideliter adimpleat. Recte itaque illæ rotæ admirabiles Ezechielis, quæ prouidentiæ diuinæ ſapientiam, potentiam, iuſtitiam & bonitatem adumbrant, modò dicuntur c.1. quaſi viſio maris, & adſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris: modò quaſi viſio lapidis Chryſolithi, cap. 10. Hæ enim virtutes in omnibus operibus diuinæ prouidentiæ maximè elucent: infinita eſt qualibet ex his virtutibus, quaſi mare inexhauſtum efficaciſſima. Nam Deus quidquid bonitate vult, ſapientia adinuenit, iuſtitia decernit, potentia ſemper viridi, id eſt, nunquam marceſcente exequitur. Hac de cauſa, vt Danieli fiduciam de adimpletione eorum quæ illi reuelabat, ingereret. Gabriel Angelus illa reuelans apparet in corpore coloris lapidis Chryſolithi. *Et corpus eius*, inquit, *quaſi Chryſolithus.* Quia & illud omne, quod reuelabat, & ſecundum totum, & ſecundùm partes erat adimplendum. Quis nunc ad contemplationem tam ſecuræ beatitudinis non reſpirabit, & fiduciam ſuam in Deo non collocabit? *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: & erit quaſi lignum quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Hæc Propheta. A terrena ſiquidem in habitatione in cælum tranſlatus, torrente voluptatis æternæ irrigatus, radices firmas in cæli patria mittet; & cum venerit æſtus iracundiæ Dei, in die iudicij, non deficiet fiducia eius. Erunt omnes animæ virtutes & facultates ad Deum laudandum paratiſſimæ; & cum ſiccatus fuerit miſericordiæ fons circa reprobos, vt ſitiant in æternum, ille replebitur bonis, & benedictionibus abundabit, vt afferat fructus per ſingulos menſes, iuxta illud: *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.* Quis non omnem deponet animi puſillanimitatem, vt ad tam ſecuram perueniat hæreditatem? Abulenſis exiſtimat diabolum per lapidem Chryſolithum impediri, ne per humorem melancholicum homines diuexet; nec improbabile: quia cum nihil poſſit, niſi iuxta id quod ei à Deo permittitur. Si poteſtas eius reſtringitur, itaut nihil debeat efficere, quam quod poteſt ſi adſit ille humor melancholicus; ſi per illum lapidem ille humor mitigetur, deficiente inſtrumento, quo vti deberet, deſinet malitiæ ipſius effectus. At certum eſt quod nihil adeo omnem à nobis animi mæſtitiam ita potenter expellit, quàm ſi ſæpiùs de illa gloria, de illa fælicitate ſecura cogitemus. *O ſi Chriſto famulantes*, inquit S. Laurent. Iuſtinian. de diſciplina & perfect. Monaſt. conuerſ. *ſpecularent, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, excuterent prorſus à ſe omnem torporem, omnemque mentis hebetudinem abjicerent ſine mora. Quæ autem mens non feruerat deſiderio, non langueat Charitate, non repleatur exultatione, ſi recogitet diligenter delitias paradiſi, ſi humani ſpiritus futuram gloriam aſſiduè meditetur? Magna quippe & immenſa atque Angelorum beatitudini per omnia coæquanda.* Hæc ille.

At tantò maior ſpes effulget, quòd iam videmus Chriſtum caput noſtrum in dextera Dei ſedentem, gloria & honore coronatum. Ille, in-

A quam Salomon in reclinatorio aureo humanitatis ſedet: ipſa autem humanitas tanquam Regina in veſtitu deaurato adſtat à dextris Dei. Hæc autem indumenta eius aurea quid aliud denotant quàm æternitatis ſtolam? Aurum enim puriſſimum non ſentit rubiginem: ita nec illa fælicitas vllam ſentiet rubiginem. *Theſaurizate*, inquit, *vobis theſaurum in cælo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Matt. 6. Ex contrectatione auri manus non maculantur, ſicut dum alia metalla attrectantur: hæc fælicitas humanitatis Chriſti mundiſſima mundiſſimos reddit illam attingentes. Quòd ſi aurum in tenues filos deducere licet. Hæc fælicitas extenditur ad
B omnes vires, & facultates animæ, & ſenſus interiores atque exteriores, quin *& capillus de capite veſtro*, inquit, *non peribit*: Omnia, quæ ad ornatum ſunt neceſſaria, abundè ſuppeditabuntur. Extendetur etiam ad omnes, qui vniti ei fuerint per fidem & charitatem in hac vita. Et ſicut aureus color Chryſolithi tranſlucidus eſt, ita ex participatione, quam habebimus gloriæ Chriſti, videbitur quanta ſit illius gloria, cuius intuitu omnes ſancti ad gloriam fuerunt euecti. Sed ſicut aurum ſplendorem coloris ſui aliquomodo deperdit, ſi Chryſolitho approximetur; ita parua eſt omnis gloria ſanctorum, ſi cum gloria Chriſti comparetur. Ex eo tamen quòd caput noſtrum videmus glorio-
C ſum, ex eo certitudinem habemus Deum promiſſa ſua in nobis, qui ſumus membra, eſſe adimpleturum. *Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum in vobis.* Rom. 8.

At videretur certè illa fiducia fulgentior debere eſſe in cælis, quàm cum adhuc in nocte huius ſæculi verſamur; quod ſymbolo Chryſolithi non videtur conuenire. Chryſolithus namque hebetior eſt in die, fulgidior in nocte. Si tamen rem attentiùs ponderemus, optimè ſymbolum Chryſolithi cum re ſignificata adaptatur. Nam reuera, & ignorantia noſtra natiua omnino ſanatur, & fi-
D dei obſcuritas euacuatur, cum lumen gloriæ adipiſcimur; ſicque noſtra in Deum fiducia incrementa capit in illo die ſempiterno fælicitatis; & maior eſt cognitione & fiducia, quam habemus in nocte huius ſæculi. Si tamen tota beatitudo noſtra, totus ille animi ſplendor, totaque certitudo noſtræ beatitudinis comparetur cum beata illa eſſentia diuinæ Maieſtatis, obſcura eſt, & ſplendorem ſuum amittit: quia qualis & quanta eſſe poſſit, ſemper eſt ab alterius voluntate dependens, & à gratuita & voluntaria, communicatione ſupremæ bonitatis. Dei autem gloria, de ſe immutabilis eſt, omnino independens: bonorum noſtrorum non indiget vt beatus ſit: nos verò eius indigemus gloria, tum vt ſimus, tum vt beati ſi-
E mus. Quid enim habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur quaſi non acceperimus? Pallida eſt igitur noſtra gemma beatitudinis, ſi in die gloriæ æternæ Dei videatur: totaque illius firmitas poſita eſt in fidelitate promiſſorum Dei, qui *fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Digitized by Google

Octauum beryllus.

De octauo fundamento Beatitudinis, mutua ſcilicet beneuolentia & amicitia beatorum, non modò inter Deum & ipſos, ſed inter ſe inuicem, in lapide beryllo ſignificata.

ANNOTAT. XXVIII.

ERIT proculdubio tanta beatorum in Deum fiducia, qui eos de ſua erga ipſos amicitia certiores reddidit; nec non & tam optimus conſenſus ad inuicem, vt viuentes in mutua & reciproca concordia, beneuolentia, & amicitia, nihil reperiant, quo tranquillitas eorum perturbari poſſit. Nullus aderit iniuriæ, læſionis, aut contemptus à quopiam metus; nulli in mentem veniet aliquid ſibi ore proferri gratiſſimum, dum cor loquentis aliquod machinatur malum, aut perfidè ſibi quædam ſtruantur inſidiæ; omnes certiores erunt de mutua, & reciproca ad inuicem beneuolentia & amicitia: itaut ex illa mutua concordia, & animorum & voluntatum conſenſione & vnione, ingens oriatur lætitia, & gaudium nullis ſuſpicionibus, iudiciis, timoribus aut diffidentiis minuendum. Hæc expulſio & elongatio cuiuſlibet diffidentiæ à beatitudini ſtatu deſignari dicimus per lapidem Beryllum, quo adumbratur Dei & ſanctorum ad inuicem reciproca beneuolentia.

Beryllus gemma eſt, cuius color viridis temperatur ex glauco & cæruleo. Glaucus color admiſtum habet quemdam viridi coloris alborem: cæruleus ad nigredinem vergit. Beryllus igitur aliquid habet inter illos duos colores, & probatiſſimi ſunt qui viriditatem puri maris imitantur. Vocant autem mare purum, non cum cæli color in ipſo mari imprimitur: (tunc enim cum mare cælo ſpeculi inſtar ſit, cæruleum & cæſium præ ſe fert colorem) ſed is color qui in mari cernitur, cum mari pacato atque tranquillo ſub ſolis occaſum frequenter cernitur, nempe viridis. Porro illud viride quod tunc in mari deſpicitur (præſertim vbi non eſt magna aquarum profunditas) perſpicuitatem habet vergentem in cæruleum: atque cenſet Lud. ab Alcaz. eum eſſe verum Berylli colorem. Glauci igitur coloris ſunt Berylli ſeu viridis clari, admiſtum habentes quemdam alborem: ad viriditatem oliuarum vergentes, quarum viriditas claritate diluitur, & non nihil in cæruleum tendit.

Figura qua poliebantur Berylli, eſt in ſpeciem columellæ ſexangulæ & oblongæ: quoniam Berylli commendatio in longitudine eſt, & Indici Reges, vt refert Solinus, hoc genus gemmarum in longiſſimos Cylindros amabant fingere. Et affirmat Quintus Curtius, lib. 9. ſceptrum aureum, quod Alexandro Sophites dono dedit, Beryllis fuiſſe diſtinctum. *Solos gemmarum eſſe prædicant, qui carere auro malunt*, ait Plinius, quaſi eorumdem naturæ magis ſit conſentaneum, ne aliquo ſiue auri ſiue argenti indumento exornentur. Quod autem poliuntur omnes ſexangula forma, eſt quia hebeſcunt ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur. Quidam Berylli reperiuntur radios quoſdam aureos eiaculantes. Proſunt pugnantibus, & contra ſegnitiem pollent, & vtiles ſunt aduerſus nimium humorem qui ad oculos & guttur ſolet effluere.

Nunc videamus qua ratione mutua beatorum amicitia cum Deo, & Beatorum ad inuicem beneuolentia, hoc ſymbolo deſignetur.

A Quantum ad Dei & Beatorum amicitiam, ſi quid in hac vita impedit quominus totam noſtram fiduciam in Deo collocemus, & ſi quid in cauſa eſt vt inſurgant in nobis quædam diffidentiæ bonitatis & miſericordiæ ipſius, hoc fit quia de Deo non ſentimus in bonitate, nec in ſimplicitate cordis illum quærimus, contra ſapientis conſilium, qui Sapient. 1. ait: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Nam quia bonis, quæ confert, aliquandò quædam permiſcentur mala ingrata nobis & moleſta: ratio inferior reluctatur, dum quædam ſenſui ingrata eueniunt, ea in bonam partem B minimè interpretatur, ea oculo ſimplici & benigno non intuetur, prout altiſſima & incomprehenſibilis bonitas maieſtatis diuinæ poſtulat, & meritò exigit. Hinc ſæpiùs non animaduertimus quòd quæcumque obueniunt nobis, ſiue boni, ſiue mali indicia ſunt & ſigna diuinæ dilectionis, & paternæ erga nos ſollicitudinis: qua fit vt his qui diligunt illum, omnia cooperentur in bonum. Vnde hi, qui de Deo ſentiunt in bonitate, & maiori veritatis cognitione illuſtrantur, quidquid durum aut moleſtum eueniat, ſemper ipſi adhærent. *Etiam*, ait Iob, c. 13. *ſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Sed quia imperfecta & mutila eſt noſtra cognitio, mutila eſt erga eum noſtra dilectio: & inſurgunt C diffidentiæ, vanique timores, qui propellerentur, ſi perfecta eſſet Charitas, iuxta illud Ioan. 1. c. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.* At qui in malam partem accipit ea, quæ ex Dei ordinatione ſibi accidunt, hic in Deo non manet. Nam cum verum ſit omnia à Deo ad melius eſſe ordinari; qui alias peruerſas cogitationes admittit, quales ſunt querelæ & murmurationes, à veritate excidit, mendaciis paſcitur, & ſic à Deo D recedit. *Peruerſæ enim cogitationes*, inquit Sapiens, *ſeparant à Deo.* Sap. 1. Et cum in eo charitas non ſit perfecta, fiduciam non habebit in die iudicij Deum ſibi fore propitium, qualem habet is qui omnia Dei iudicia reueretur, & gratum habet quodcumque Deus decreuerit, nec exiſtimat vnquam ſibi aliquid obuenturum mali ab eo, quem nouit optimum, æquiſſimum, & omni amore proſequendum: & quem erga ſuos eo animo ſe gerere cognoſcit, vt ſi quid immittat, hoc ad perfectionem operis ſalutis plurimum conducat: ſed potiùs cum Iobo dicet: *Etiam ſi me occiderit, in ipſo ſperabo*: & Spiritu ſancto teſtimonium reddente conſcientiæ ipſius, quod ſit filius Dei, ab eius E amicitia ſeparari non pertimeſcit, ſed cum Apoſtolo dicet: *Quis nos ſeparabit à Charitate, &c.* Neque inſtantia, neque *futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* At è contra, qui non eſt in charitate perfectus, leuiſſima de cauſa plærumque perturbatur: mox ſe à Deo obliuiſci putat, mox ſibi iratum implacabilis odio exiſtimat, mox ſibi iniuriam fieri conqueritur, mox vires ſuas impares eſſe oneri iactat, mox immeritò affligi, & pœnas ab eo exigi expoſtulat. Qui talis eſt non habebit fiduciam in die iudicij: non enim dicere poterit, *quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc modo*. id eſt, nos qui conſueuimus gratanti animo ſuſcipere omnia, quæ Deus decreuerit, tales ſumus qualis ipſe eſt in hoc mundo. Omnia cum iuſtitia & æquitate gubernat in

hoc mundo, eaque ad bonum electorum ſuorum ſapientes dirigit: ita nos eius iudicia, illiuſque diſpoſitiones ordinatiſſimas, qua poſſumus reuerentia ſuſcipimus, nec illas curioſe diſcutimus, aut temerariè reprehendimus. Ille in hoc mundo eſt, in nobis prout vult operando; nos autem ibidem ſumus voluntariè ſufferendo, & tolerando quæcumque voluerit. Ille in hoc mundo eſt de cunctis prout vult diſponendo, omnia ad nutum & libitum pro bona ſua voluntate ordinando; nos autem ibidem ſumus legibus & ordinationibus ſuis obtemperantes, eas approbantes, & humiliamur ſub potenti manu Dei, noſtras voluntates voluntati eius conformantes. Hac de cauſa aſſueti reuereri decreta ipſius, quia perfecta charitate diligimus, illorum adimpletionem approbamus, magis aſpicientes ad ea, quæ pertinent ad illius gloriam, (quia eum ſummopere diligimus) quam ad quælibet quæ exiſtimari poſſent nobis vtilia. Ideo non timebimus in die iudicij, ſed fiduciam habebimus parati pro nominis eius gloria ad omnia de manu eius ſuſcipienda, quæ decernere voluerit, ſiue pro tempore, ſiue pro æternitate. Hoc modo *perfecta charitas foras pellit timorem.* Nec deſperatione deprehendentur, nec memoria delictorum præteritorum torquebuntur, nec timor ſeruilis pœnarum illis moleſtiam aliquam ingeret. Quilibet metus propellitur à mente, quæ in hac vita perfectam charitatem obtinet: quantò magis quilibet timor, aut quæcumque diffidentia procul aberit in patria, ab iis qui Deum clarè vident, & eum perfectiſſima & inamiſſibili diligunt charitate? Tunc enim intellectus ab omni errore purgatus, & voluntas Deo perfectiſſimè ſubdita, & Docti ex iis quæ experiuntur, clarè intuentur non abſque iniuria & iniuſtitia fieri ſi homines in hac vita omnem ſuam fiduciam & ſolicitudinem non projiciant abſque vlla diſcuſſione, trepidatione in Deum: nec ſe omnimodè prouidentiæ Dei committant. Quia igitur perfecta, & inamiſſibilis eſt charitas in Beatis, ideo magnam habent in Deo fiduciam, nec ſuſpicio exſurgit in eis, quòd amicitia Dei erga ipſos immutetur aut minuatur.

Quomodo autem hæc Dei amicitia cum Beatis indiſſolubilis, lapide Beryllo adumbrari poſſit; hoc fit ſi attendas in Beryllo duos colores ſimul reperiri? Glaucum & cæruleum, qui ad albedinem quamdam vergentes, propter pelluciditatem in tertio colore albo quodammodo conueniunt. Quid, quæſo glaucus color deſignat in ſua viriditate, niſi illa ligna paradiſi, de quibus dictum eſt ſupra: *Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum*, id eſt, collectionem omnium Beatorum, qui perpetua viriditate gaudent, quia ſemper viget in eis charitas, qua ad Deum laudandum aſſiduè animantur. Hi coniunguntur cum cæruleo colore ſtrictâ amicitiâ, nempe Deo cæleſtis huius habitationis conditore, qui per cæruleum colorem deſignatur. Nam cum ſecundùm ſe nullo colore poſſit depingi, quia nullam colorem in ſe admittit; vt operatur ad extra ratione effectuum poteſt aliquo colore adumbrari: Verbi gratia, propter illam cæleſtem Hieruſalem, quam condidit cæruleo colore, iuxta illud Exodi 24. *Et viderunt ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum cum ſerenum eſt*, en color cæruleus. Tunc autem Deus daturus erat Moyſi duas tabulas lapideas, in quibus ſcripſerat legem ac mandata. Ac ſi diceret: cum Deus mandata ſua hominibus dare paratus erat, excellentiſſimum opus tunc peragere intendebat, nempe ad cæleſtem patriam il-

A los præparare. Hinc viderunt ſub pedibus eius opus quaſi lapidis ſaphirini, in his ſiquidem lapidibus lex erat inſculpta. Si quis enim vult ad vitam ingredi, oportet vt Dei mandata obſeruare apud ſe ſtatuat. Igitur ſi in viridi colore, vt dictum eſt, beati ad Dei laudes decantandas paratiſſimi poſſunt deſignari; ſi viridi colori cæruleum addas, quo ſignificari dicimus Deum cæleſtis gloriæ autorem, & diuinæ legis promulgatorem, cuius obſeruatione cæleſtis gloria comparatur, ipſo dicente. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: dum viridis color, beatorum ſymbolum; & cæruleus, Dei: & gloriæ cæleſtis ac legis ſymbolum coeunt in albedine, quæ ſymbolum eſt candidiſſimæ lu-
B cis fœlicitatis æternæ, cuius beatos efficit participes. Vnde dicitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe erit cum eis eorum Deus.* Certè hæc ſtricta vnio beatorum cum Deo in beatitudine, rectè poterit in beryllo adumbrari: itaut ex viſione eius ad inuiſibilia hæc meditanda prouocemur, per viridem colorem beatos: per cælum, cum ſerenum eſt, ſeu cæruleum colorem, Deum gloriæ & legis autorem; per albedinem, fœlicitatem æternam intelligentes.

Sed & ad alia in memoriam reuocanda ex colore berylli mens excitari poteſt. Dicunt verum colorem berylli eſſe illam viriditatem, quæ appa-
C ret in maris ſuperficie, dum occumbente ſole mare perſpicitur: quæ viriditas in cæruleum, & ad colorem oliuarum, ratione perſpicuitatis vergit. At ad quæ conſideranda ex hoc colore mens poteſt excitari, accipe.

Iucundum eſt certè his, qui poſt longas peregrinationes domum redierunt, de fatigationibus, tædiis, euentibus, cum amicis miſcere ſermones. Qui iucundum pariter ſi ſupra mare in naui vecti, tandem poſt multas procellas & naufragiorum pericula ad portum quis appulerit, de iis confabulari cum propinquis; & de prælio & conflictu redeunti gratiſſimum eſt narrare quàm generoſè ſe habuerit, & quos & quot proſtrauerit hoſtes.
D Quod ſi ab aliquo in his omnibus fuerimus aliqua ratione adiuti, & è periculis liberati, virtus gratitudinis exigit vt de eo recordemur, & illius faciamus mentionem. Hæc certè accidunt beatis, qui poſt longam vitæ huius peregrinationem in patriam ſunt admiſſi, qui in mare proceloſo huius ſæculi, inter tot fluctus & tempeſtates expoſiti, tandem ſole occumbente vitæ temporalis, ad portum æternæ fœlicitatis peruenerunt; qui poſt tot prælia inita cum ſalutis hoſtibus, tandem victores ad palmam accipiendam in cælum euecti ſunt Nam cum hæc omnia non fuerint conſequuti niſi per ſpecialem Dei optimi gratiam, eiuſque præſentiſſimum ad omnia auxilium; hæc
E in memoriam reuocantes, Deo ſummas gratiarum actiones in æternum reddent, amicitiam & beneuolentiam Dei erga ſe in beryllo deſignatam conſiderantes. Videbunt ſe non fuiſſe tantis periculis expoſitos, niſi vt ad perennem & numquam marceſcentem gloriam peruenirent. Radios aureos berylli emittant: quia quamuis Deus eos in tantis malis ad tempus degere voluerit, cogitationes tamen eius erunt ſemper *cogitationes pacis, & non afflictionis.* Cæruleus enim color ſemper apparebat in illo mari, in quo iactabantur: quia finis tantorum malorum erat gloriæ æternæ adeptio. Vergit ad oliuæ colorem viriditas maris in beryllo: quia ſalutis noſtræ opus, opus eſt diuinæ miſericordiæ: *Neque* enim *volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9. Vnde dicent: *Miſericordia*

Domini

Digitized by Google

Domini quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius. Thren. 3. Dicunt beryllos prodeſſe pugnantibus, & quod contra ſegnitiem pollent: Videbunt beati quantùm Dei amicitia profuerit ipſis, quæ in tempore opportuno auxilium illis præſtitit, tam in conflictu cum hoſtibus, quàm in exercitio bonorum operum. Quod ſi vtiles ſunt berylli aduerſus nimium humorem, qui ad oculos & guttur ſolet affluere, vtiliſſima fuit illis Dei amicitia, quæ non permiſit eorum concupiſcentiam in eis præualere, qua vel Deum cognoſcere, vel eum confiteri & laudare impedirentur. Sed conſiderantes figuram optimam berylli eſſe ſexangulam, recordabuntur Dei amicitiam, quæ ſubobſcura cernebatur dum eſſent inter tot pericula conſtituti maximam tamen fuiſſe, cum Deus voluit per hos labores quaſi per ignem & aquam ſanctos tranſire, propter quamdam coniunctionem voluntatiæ ſubmiſſionis eorum cum zelo honoris diuini, en primus angulus; zeli honoris diuini cum zelo propriæ ſalutis, en ſecundus; zeli propriæ ſalutis cum amore virtutis, quæ naturam noſtram exornare debet, ecce tertius angulus; amoris virtutis cum amore gratiæ, ecce quartus; amoris gratiæ cum deſiderio gloriæ æternæ, ecce quintus angulus; deſiderij propriæ gloriæ cum zelo ſalutis proximorum, ecce ſextus. Quibus certè amicitia Dei cum beatis clariùs effulget; qui ſapientiſſimè omnia diſponebat, quæ ad electorum certam reddendam vocationem & electionem plurimùm conducebant. Cum videant igitur tantopere ſe fuiſſe in hac vita a Deo dilectos, quomodo non magnam haberent de Dei amicitia erga ſe fiduciam? Vident Deum tantæ maieſtatis eſſe, vt bonorum creaturæ ſuæ nullo modo indigeat, qui ſibi ipſi eſt ſufficientiſſimus, & propter ſuam bonitatem ſolam ipſos tot præueniſſe benedictionibus. Vnde de tam inexhauſto fonte bonitatis ſemper confidunt nihil ſibi ſubtrahendum, quod ad integritatem beatitudinis adeptæ pertineat. Exaltationes certè Dei erunt, non in labiis externis ſanctorum, ſed in faucibus eorum: quia ex intimo cordis affectu dælitiis cæli inebriati prodibunt, & dicent in æternum, videntes quo fine Deus illos tot mala perpeti decreuerit: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Certè è tot periculis erepti pſalm. 123. decantabunt in æternum: *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitam aqua abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitam pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Ac ſi dicerent.

Hæc omnia non fuerunt velut fluuius perenniter & continuò ac indeſinenter fluens, ſed tanquam torrens, qui ad tempus currit. Vnde omnia hæc tranſierunt. Non eſt tamen exiſtimandum nos propriis viribus pertranſire potuiſſe aquam nimis altam, nulli penetrabilem; opus nobis fuit Dei adiutorio. Multa quidem mala homines nobis inferebant, ſed multa erant formidabiliora ex peruerſo fine, quo meditabantur nos à Dei timore auertere, & ad tranſgreſſionem mandatorum ipſius inducere, tum pœnis & vexationibus, tum promiſſis & adulationibus. Certè tantò periculoſior erat illa decipula, quò ſenſibus gratiora erant quæ promittebantur. Heu ſi illorum minis aut pænis territi ſi illorum promiſſis allecti ipſis obtemperaſſemus, Deus bonè! à quanta gloria, à quantis bonis, quæ nunc poſſidemus, excidiſſemus? *Benedictus* igitur *Dominus, qui non dedit nos in ca-*

A *ptionem dentibus eorum*: nec quod ruminabant & meditabantur in cordibus ſuis permiſit nobis obuenire.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, nos liberati ſumus. Ac ſi dicant: Diabolus certè tanquam venator aſtutus & fortis, infælices homines peccatores prouocabat vt nos perſequerentur, & eorum miniſterio tanquam canibus venatoriis vtebatur, vt ſi in illorum laqueos incidiſſemus, tandem nos diſcerperent, & deglutirent. Certè hoc præſtitiſſent, niſi tuum ad fuiſſet adiutorium, qui laqueos dirupiſti. Pretendebant laqueos per illecebras vitæ præſentis, & amorem naturalem, quo quis carnem ſuam nutrit & fouet: ſed cum vitæ noſtræ

B inſidiati ſunt, anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Nunc clarè perſpicimus omne adiutorium noſtrum ex vi & omnipotentia nominis ſui prodiiſſe. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.*

Cum igitur tanta & talia beneficia experti fuerimus in liberatione malorum, quomodo dum tot & tanta bona in beatitudine poſſideamus, ab amore tuo diuelli poterimus, aut aliquam de tua diuina charitate in nobis ſuboriri diffidentia poterit? Qui enim nos non deſeruit in periculis, nec à nobis alienus erit in mutuæ dilectionis oblectamen-

C tis. Nunc videamus qua ratione amicitia ſanctorum inter ſe in hoc lapide adumbrari valeat. Non eſt dubitandum ſanctos inter ſe conuerſationem eſſe habituros cum intima & tenera quadam cordis affectione, & ſynceritate. Hos in cælis collocare, quaſi quaſdam immobiles ſtatuas propriis infixas ſedibus, abſque vlla interlocutione aut communicatione ad inuicem, hac ſolùm ratione quod Dei viſio ſufficientiſſima eſt ad ſatiandum quemlibet appetitum; hoc certè eſſet exiſtimare per illam viſionem illos quodammodo reddi quaſi inſenſibiles ad cætera bona, quæ illam viſionem vel comitantur vel ſubſequuntur; & corporis beatitudinem reſcindere quod potiùs per redundan-

D tiam beatitudinis animæ beandum eſſe aſſerimus. Non ſunt igitur inſenſibiles ad omnia quarumlibet potentiarum obiecta, ex eoquod ſummo & inappretiabili bono fruantur. Deinde ſicut illa viſio non impedit iuſta eorum deſideria, quale eſt deſiderium reſurrectionis corporum ſuorum, deſiderium complementi numeri electorum; probabile eſt, imo certum hanc viſionem non eſſe impedituram ſuauem quamdam conuerſationem ſanctorum ad inuicem: imo potius ab hac viſione habebunt, vt eorumdem conuerſatio tantò magis gratior & ſuauior reddatur, quantò ſtrictiori vinculo charitatis ſibi inuicem vniuntur in amore vnius & eiuſdem ſummi boni, quod ſupra ſe &

E pluſquam ſeipſos diligunt in cælis. Denique viſio beatifica, qua anima Saluatoris in terris fruebatur, non impediebat quominùs non alloqueretur homines, nec eius cum eis conuerſationem; imo non impediebat quin multa ageret & multa pateretur, quæ reuera alieniſſima erant à ſtatu beatitudinis, in quo mens eius exiſtebat, diuinam eſſentiam clare & intuitiuè videns: fuit enim ſimul & viator & cõprehenſor: verbi gratia, dolores multos ſuſtinuit, labores varios aſſumpſit, triſtitiam & timorẽ experiri voluit, ſomno indulſit, cibo & potu vſus eſt: multò magis non repugnat ſtatui beatorum, ſi conuerſentur ſimul ad inuicem; nec iſta conuerſatio repugnat viſioni, comprehenſioni, & fruitioni eorum quæ crediderunt, ſperauerunt, & ardenter concupierunt, cum adhuc eſſent via-

Digitized by Google

tores ; & hoc modo poterunt ſeſe oculis videre, ore alloqui, locis approximari, mentem & cogitationem aperire, affectus ſuos manifeſtare, intentiones prodere ; nec hoc repugnabit ſtatui beatitudinis ipſorum.

In iſta autem conuerſatione nihil ingratum aut iniucundum occurret : ſed ſyncero corde abſque vlla mali ſuſpicione, aut aliqua diffidentia ſimul conuiuent & conuerſabuntur. Nam ſicut fiducia, quam ſancti cum Deo habebunt non ſolùm orietur ex viſione bonitatis infinitæ, procul pellens omnem diffidentiæ materiam, & cauſam ; ſed etiam ex conſideratione operis prouidentiæ, qua Deus miſericorditer ſalutem illorum perfecit (nulla enim de eo poteſt oriri diffidentia ex eoquod inter tot pericula illis fideliſſimus extitit, & ſemper paratum habuit auxilium, vt eos potenter de quolibet eriperet periculo) pari ratione ſancti, præter fiduciam & ſecuritatem ex viſione Dei procedentem, quia illum poſſident pleniſſimè, hanc etiam fiduciam & ſecuritatem concipient, ex cognitione conditionum quæ requiruntur, vt quis ad tantæ gloriæ participationem admittatur. Sufficiet igitur, vt omnis metus aut ſuſpicio abigatur, vt is cuiuſlibet ſancti fronte videant ſcriptum nomen Dei, nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem, & nomen Saluatoris, id eſt, vt ſciant eos cum quibus conuerſantur eſſe de numero electorum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ agni. Quia igitur cognoſcunt ſancti beatitudinis ſtatum omne malum à ſe expellere, ideo nullus in eis erit mali metus, aut de aliquo beatorum diffidentia, cum ſimul conuerſari continget.

Quod autem ille ſtatus, omne malum omnemque diffidentiæ originem longiſſimè abigat, habemus ex Pſalmo Dauid 14. Nam cum ad interrogationem hanc, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo ?* Ea quæ ſequuntur reſpondet, omnem mali metum, omnemque ſuſpicionis aut diffidentiæ occaſionem præſcindit, & primò docet nihil eſſe timendum ex parte intentionum & cogitationum beatorum. Nam cum intentio alicuius operis, & de illo opere complendo cogitatio, aut perficiendi voluntas & determinatio ſint veluti initium operis exterioris ; cum aſſerit mundiſſimas eſſe cogitationes, rectiſſimas intentiones, iuſtiſſimas voluntates & determinationes, dicens : *Qui ingreditur ſine macula*, omnem mali ſuſpicionem ex parte cogitationum aut intentionum beatorum reſcindit. Secundò: omne opus malum propulſatur, tum quia ſemper vnuſquiſque quod iuſtum eſt operabitur, tum quia nullus erit qui malum velit perpetrare aut proximo inferre. *Et operatur*, inquit, *iuſtitiam : nec fecit malum proximo ſuo.* Tertiò : in ſanctis nulla erit inſipientia & inconſideratio in opere, quo aliquid mali ab eis eſſet pertimeſcendum : pleni erunt ſapientia, qui lumine veritatis colluſtrabuntur, vt falli nequeant, neque fallere velint. *Qui loquitur*, inquit, *veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* Quartò, omnis inconſtantia ab eis longiſſimè abeſt : quia dum erant viatores poterant in diuerſa mutari. In abundantia pacis & ſecura tranquillitate ſedentibus ſtantes erunt pedes eorum in atriis Ieruſalem, & immobiliter ſummo bono adhærebunt in æternum. Hinc ait Dauid : *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum. Qui vicerit, faciam illum columnam in domo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs.* Nullus igitur de mutatione ſtatus aut voluntatis in eis poterit ineſſe timor. 5. nec propriæ vtilitatis & commodi pertimeſcendus eſt amor : tales enim ſunt qui in hac gloria admittun-

A tur, vt ſolus virtutis habeant in ſuis actibus rationem. *Qui pecuniam*, inquit, *ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Et nihil quod non redoleat Dei honorem expectandum eſt ab eis, à quibus Deus ſupra omnia diligitur. Denique nec vllus fallaciæ, fraudis, doli, aut diſſimulationis exoriri poteſt metus, vbi interior animi ſenſus, & intentio, iis quæ foris exprimuntur voce aut nutu conueniunt ; vbi veritas quaſi in thalamo recumbit, quaſi in throno regnat & omnia dirigit. Admittuntur enim ij tantum, de quibus dicitur : Qui non egit dolum in lingua ſua : qui iurat proximo ſuo, & non decipit. Si igitur hi omnes diffidentiæ fontes excluduntur ab iis, qui admitti debeant in cæleſti gloria, prorſus in cre-B dibile eſt talia inter illos poſſe vnquam reperiri. *Foris canes*, inquit S. Ioan. *& omnis qui amat & facit mendacium.*

Cum igitur ſancti certò cognoſcant nullum admitti inter cæleſtis huius ciuitatis ciues à quo non expellatur omnis diffidentiæ aut ſuſpicionis mali origo, mirum eſt quàm ſyncerè, quàm ſuauiter, & cum ingenti gaudio vitam inter ſe tranſigant, de hoc ſummè gaudentes quòd videant ſe in tam excellentem & ſanctiſſimam ſocietatem admiſſos, vt vni Deo ſeruiant, illum colant, & adorent, & laudent. Intima charitate in poſſeſſione tanti boni ad inuicem connexi, dicunt ad inuicem : *Magnifi-C cate Dominum mecum*, cuius quidem opera in creatione mea mirabilia ſunt ; ſed magnificata, & amplificata nimis, vt magnitudinis eorum non ſit finis, ex donis gratiæ & gloriæ quæ mihi contulit. At non tantùm laudabilis eſt pro beneficiis ſuis, ſed & in ſeipſo laudabilis nimis. Non igitur extra illum opus eſt quærere materiam laudis, qui in ſeipſo laudabilis eſt nimis. *Exaltemus* itaque *nomen eius in idipſum.* Tale igitur eſt octauum fundamentum beatitudinis ſanctorum nempe mutua ipſorum inter ſe concordia & amicitia, quæ in lapide beryllo adumbratur.

Beryllus gemma eſt tranſlucida. Talis eſt illa beatitudo : tota eſt in lumine. *O vita vitalis*, inquit D autor manualis c. 7. *Vita ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi gaudium ſine mærore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate : vbi omnia bona in charitate perfecta, vbi ſpecies & viſio facie ad faciem, vbi plena ſcientia in omnibus & per omnia : vbi ſumma Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à ſanctis glorificatur ; vbi præſens maieſtas Dei conſpicitur, & hoc vita cibo ſine defectu mens intuentium ſatiatur. Vident ſemper, & videre deſiderant, ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur ; vbi verus ſol iuſtitiæ mirâ ſuæ pulchritudinis viſione omnes reficit, & ita vniuerſos cæleſtis patriæ ciues illuminat, vt luceant ipſi,* E *lumen videlicet illuminatum, per diuinum lumen, illuminans vltra omnem ſolis noſtris ſplendorem, atque cunctarum ſtellarum claritatem, immortali adhærentes deitati, &c.* Hæc ille. Ecce beryllus tranſlucidus : Quia igitur lumine ſcientiæ lumine diuino toti ſunt perfuſi, & ſeipſos clarè & intuitiuè cognoſcunt, (vt nihil gerant in cordibus abſconditum,) veluti gemmæ tranſlucidæ : non mirum ſi ab eis omnis diffidentiæ metus abſit. Vident enim in ſeipſis nihil à ſe inuicem reformidandum. *Quid hac vita beatius*, inquit idem autor, c. 17. *Vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas ? Ibi nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo inuidet, cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla honoris aut poteſtatis pulſat ambitio, nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul mors ne-*

Digitized by Google

quæ corporis neque animæ, ſed immortalitatis munere iocunda vita. Nulla erant tunc mala, nuſquam diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta conuenientia, quia omnium ſanctorum vna erit concordia, pax cuncta & lætitia continet: tranquilla ſunt omnia & quietem, &c. Hæc ille. Vnde tantum bonum? Ex tranſluciditate berylli: quia ſcilicet ſeipſos perfectè cognoſcentes, vident in ſeipſis cæruleum colorem, id eſt, beatitudinis dotes, & vnumquemque eorum nihil aliud appetere quàm Dei gloriam & honorem, qui illos in tot bonorum fruitione collocauit. Vident colorem cæruleum ad oliuarum colorem vergentem, quia ad inuicem viſcera olei, id eſt, dulciſſimæ dilectionis habentes, de aliorum bonis ſint de propriis collætabuntur. *Ibi*, inquit autor lib. meditat. inter opera Aug. to. 9. c. vltimo, *ita patebunt ſingulorum ſingulis mentes, ſicut corporalibus oculis ſubiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundati Deo gratias agant, non vnde offenſi antiquis ſordibus peccatorum erubeſcant: quia nec ibi vlla peccata, nec peccatores erunt; & ibi qui fuerunt, iam peccare non poterunt. Nec latebit tam perfectè beatis aliquid ſecretorum, qui (quod eſt præſtantius longe) ipſum viſuri ſunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, vt in melius aut in deterius vltra mutari non poſſit.* Ita ille. Et reuera cum Deus omnia operetur ad gloriam nominis ſui; & quicquid in beatis exterius & interius eſt, ſit opus magnitudinem creatoris enarrans, oportet vt illud omne cognoſcatur, vt ex eo materiam ſumant omnes ſancti Deum ob magnitudinem operum ſuorum collaudandi. *Angelorum ergo & hominum*, inquit S. Laurent. Iuſtin. de incendio am. c. 16. *Vnum gaudium erit, vnum colloquium, & vnum conuiuium. Non langorebit amor, nec liqueſiet delectatio, præſentibus omnibus bonis non erit dilationis afflictio quoniam beneficia diuinæ maieſtatis erunt omnibus præſentia, & erit in commune omnium omnipotentia, ſapientia, pax, iuſtitia, & intelligentia. Non erit in illa patria diuerſitas linguarum, ſed pacifica & concors concordia morum & affectuum.* Ita Laurent. Sic perſpicuitatem habent, quia quidquid in ipſis eſt, ab aliis cognoſcitur; ſic cærulei, quia nihil in eis eſt quod non redoleat perfectionem ſtatus beatitudinis, ſic color eorum ad oliuarum colorem vergit, quia inſignia geſtant patris miſericordiarum, & Dei totius conſolationis, cui in vita fuerunt ſimiles, ad hoc prouocati a Chriſto dicente: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Vnde miſericordiam conſequuti, quia miſericordes fuerunt. Et quomodo poſſent aliis moleſtos exiſtere in ſua conuerſatione, qui tanquam oliuæ in torculari calcati perſecutionum, liquorem emiſerunt ſuauitatis morum, & compaſſionis cæcitatis eorum qui eos perſequebantur? Quis in eis aliquam malignitatis notam ſuſpicari auderet? Quis non ſolùm prauas actiones, ſed etiam malignas voluntates ab eis alienas non exiſtimaret? Quis in probata ipſorum in perſecutionibus charitate erga inimicos, fiduciam ſuam non collocaret amicis proinde non fore moleſtos? Quis tam benignos non diligeret, qui potiùs pœnas & mortem ſuſtinuerunt, quàm de inimicis voluerint expetere vindictam? Omnis certè auſertur occaſio anxietatis, & immoderatæ ſolicitudinis, ab eis qui cum ipſis conuerſari debent. Emicant enim ex eis ſcintillæ aureæ, vt in beryllis: quia ex nutu, & geſtu, & ſermone, & actu, ſolam dilectionem redolent & concordiam.

Beryllus deinde gemma eſt, quæ ſexangula fingitur, vt ſurdus alias color magis effulgeat. Ita ſanctorum ſcientia, quæ plurimum conducit vt concorditer viuant, ſiue naturaliter acquiſita per diſcurſum, ſiue infuſa ſupernaturaliter, ſiue experimentalis ſeu intuitiua ſanctitatis reciprocæ, ſiue quæ à viſione beatifica hauriri poteſt, plurimum roboratur ſi circa conſiderationem huius mutuæ concordiæ occupetur, maximè ſi ſexangula fiat. Vident ſiquidem ſynceritatem & munditiem cogitationum, cum quadam voluntatis propenſione ad benefaciendum aliis eſſe coniunctam, hanc optimam voluntatis propenſionem ad bonum in eis exiſtere ex abundantia luminis gloriæ, quo decorantur, & viſionis diuinæ capaces fiunt; deinde lumen illud non ad tempus fuiſſe infuſum, ſed coniunctum eſſe cum conſtanti quodam ſtatu beatitudinis, qui mutari aut alterari non poteſt: quo fit vt firmi permaneant in ſuis operationibus. Vident hanc conſtantem & permanentem operationem nihil admittere, quo perturbari aut intermitti poſſet omnes enim motus appetitus inferioris, imperio rationis ſubduntur. Quod quidem rationis Imperium plurimum iuuatur ex mutua hominis interioris & exterioris concordia, itaut nec verbo, aut nutu, cum corpora reſumpſerint, poſſint aliis moleſtiam ingerere, vel exteriùs aliquid indicare, quod non ex intimo cordis affectu procedat.

Non enim exiſtimandum eſt ſanctos non poſſe ſe inuicem alloqui, aut Dei laudes ore promere non valere, quin potiùs verè de eis dixit Propheta, Pſ. 149. *Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis: exaltationes Dei in gutture eorum, &c.* Et ad verba efformanda non indigebunt aëre externo, qui vel attractione vel repulſione ad voces formandas inſeruiat. Suppeditabitur ipſis quidam aër internus, corpori glorioſo connaturalis, ſedem habens in pulmonibus, arteriis, & partibus interioribus, ſolo hoc aëre (ne vacuæ exiſtant) repletis; quem attrahentes ad libitum, & circulari quodam circuitu à pulmone in arteriam, ab arteria in os propulſus, diductione oris percuſſus, extra non egrediens (niſi prout neceſſarium fuerit, ad vocis efformationem & prolationem) tandem in proprias ſedes remeabit; tum ratione ſubtilitatis aëris illius, qui facilè partes corporis glorioſi penetrare poterit, quàm propter perfectum imperium animæ in ea quæ ad corporis ſui ſtatum pertinent. Quin & vox ab aliis percipietur non tranſacto medio: ſpeciem enim vocis ſuæ beatus quiſque imprimere immediatè poterit in auribus alterius, quamuis longè diſtantis, nihil operando in interiacentis medij ſpatio. Hunc enim modum immutandi potentiam cenſent Theologi corpori glorioſo valde conuenientem. Dicendum igitur quòd non ſolùm ſancti poterunt internos ſuos conceptus ſibi inuicem manifeſtare immediatè, abſque ſignis, exterioribus, eo videlicet modo quo nunc (corporibus adhuc minimè reſumptis) ſibi inuicem loquuntur, ad modum Angelorum, qui per quamdam directionem proprij conceptus ſeu verbi expreſſi, quod notificari volunt iſti aut illi, ſe inuicem alloquuntur, Deo ſic modificante ſpeciem intelligibilem Angeli audientis, vt ſe excitatum percipiat ad attendendum iis, quæ ſibi notificari appetit is qui ei loquitur, vt in ſua ſpecie videat, tanquam in ſpeculo, ea quæ alius concipit, intelligit cum & concipere & intelligere vult & intendit; Sed corporibus reſumptis, poterunt etiam externo diſcurſu ſibi cogitationes ſuas & intentiones aperire & manifeſtare. Beatus igitur quilibet corpore exutus cogitationem ſuam Angelo aut alicui beatorum manifeſtare deſiderans,

hoc facere poteſt: quia Deus nouas ſpecies infundit in animabus beatorum, ſtatim atque in gloriam intrant, adeo vniuerſales, vt ſola hac modificatione ſupradicta indigeant, vt ab aliis percipiatur illorum cogitatio. Quam modificationem cauſa illa ſuprema perficiet toties quoties opus fuerit, iuxta conſuetum agendi modum, quo creaturis ſuis concurſum exhibet, prout in hoc vel illo ordine aut ſtatu collocantur. Vel hoc fit quia fiet quædã extenſio viſionis beatificæ, qua omnia quæcumque exiſtunt poſſunt intueri, itaut ſtatim atque tali cogitationi exiſtenti coniungetur intentio alloquendi alterum, qua vult mentem ſuam alteri notam fieri, videatur & percipiatur ab alio per eam viſionem, qua Deum intuetur, qui ſpeculum eſt voluntatium, in quo intueri poteſt quidquid exiſtit, aut exiſtere poteſt: vnde reuelat & manifeſtat intuentibus eum, ea omnia, quæ neceſſaria ſunt cognoſci ab eis, ratione fæliciſſimi ſtatus ad quẽ ſunt ſublimati. Quidquid ſit, ex ſupradictis videmus ſanctos & voce, & ſpiritu poſſe ſibi inuicem loqui, & ſecum conuerſari corporali & ſpiritali alloquio, & ſuo conceptus poſſe manifeſtare, quo iucundior & gratior reddatur eis ſocietas illa, & cætus beatorum; itaut nihil in terra reperiri queat, quod comparari valeat ſanctorum lætitiæ, quam ex communione ad inuicem, & ſtricta vnione in perfecta charitate concipiunt. Et confirmantur ea quæ diximus de mutua allocutione, ex iis quæ referuntur in Euangelio, de diuite Epulone Abraham interpellante, & ipſo Abraham ad eius interpellationem reſpondente. Quod non poteſt intelligi, niſi quia Deus cunctis creaturis, in quocumque ſtatu exiſtant, pro ratione ſtatus in quo ſunt, debito & requiſito modo concurrit vt agant. Hanc conuerſationem igitur gratiſſimam reddunt cognitio clara, affectio ſyncera, charitas perfecta, mutua amicitia & beneuolentia, ſanctitas integra beatorum, de quorum ſyncera intentione nullum exoriri poteſt dubium, qui nulli iniuriam inurere poſſunt, qui maxima prædicti ſunt ſapientia, vt per imprudentiam nulli poſſint inferre moleſtiam; qui ſeipſos & alios propter ſolum Deum diligunt, quibus nullus error obrepere poteſt, quo mens eorum fallatur: qui nec fallere poſſunt, adeo rectiſſima illorum voluntas ad ea tantùm, quæ vera ſunt & recta, ordinatur. Summæ veritati adhærent: non inuenietur in ore eorum mendacium. Summæ charitati adhærent: procul aberit ab eis omnis fallendi aut decipiendi alios peruerſa inclinatio. Quo fit vt ſi beryllus colore ſuo viridi, firmitatem ac perpetuitatem quamdam adumbret, rectè in eo colore videamus firmitatem beatitudinis ſanctorum, quæ oritur ex eo quòd cum magna concordia & amicitia ſimul viuent in æternum. Quin & æternitas illa beatitudinis adumbratur in beryllo, quia in longum efformatur, vt cum Paulo Apoſtolo non modò altitudinem, profunditatem, & latitudinem illius gaudij ponderemus, ſed & longitudinem, id eſt æternitatem.

Beryllus non indiget auro vt ſplendeat. Hoc mirificè conuenit beatis, quorum concordia, & amicitia conſtantiſſima eſt: quia nullus ſibi maiorem gloriam aut honorem exoptat quàm ſit gloria ſeu honor datus à Deo, æquiſſimo præmiorum diſtributore. Vnde vnuſquiſque ſua ſorte contentus, faciliùs videt abſque tædio aut moleſtia aliquem ſibi præferri, & maiori gloria circumueſtiri.

Perutilis eſt beryllus aduerſus nimium humorem, qui ad oculos & guttur ſolet effluere. Hic amor mutuus & beneuolentia reciproca impedit A ne vnquam aut cogitatione aut verbo ſibi inuicem moleſtiam afferant. Certè ſi beryllus valet contra ſegnitiem, & pugnantibus prodeſt; cum ea quæ dicuntur nunc de beatitudine, dicuntur vt excitemur ad eam deſiderandam, nullus hanc beatam ſocietatem tanta charitate coniunctam videbit, qui vim ſibi non inferat vt regnum cælorum conſequatur, (ſciens quia *vim patitur, & violenti rapiunt illud*) & qui magnanimiter pro tanta gloria comparanda, non velit contra mundum, carnem & diabolum dimicare.

At quàm infelices erunt, qui ab hac ſocietate repellentur? Dicunt proprium colorem berylli referre leoninos oculos, & aquilinos; & B priſcæ fabulæ Palladi deæ glaucos tribuerunt. Quàm perſpicaces erunt oculi iudicis ſupremi. Sed quàm truces, & terrorem incutientes, cum illam ſententiam ſeparationis proferet. *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Quis ex illis reprobis talia audiens non dicet: *Collegit furorem ſuum in me: terribilibus oculis me eſt intuitus.* Certè ad illum iudicem oculos conuertere non audebunt, turpitudinem vitiorum exprobrantem; contemptum bonorum naturæ, quam fœdauerunt, repræſentantem; gratiæ diuinæ impiam conculcationem intimantem, gloriæ æternæ neglectum, beneficiorum ingratitudinem, quibus ad Deum ſeruiendum adſtringebantur; quin & C ratione proprij meriti, & excellentiæ maieſtatis ſuæ ad eum colendum ſtrictam obligationem ob oculos proponentem. His ſplendoribus territi, ad eum reſpicere aut oculos attollere non audebunt. Beryllus erit ſexangulus, multum ex ſe ſplendorem terrificum vibrans & emittens: & tantò magis terrorem illis incutiet, quòd cum longanimi patientia diu illos patienter tulit, & ad pœnitentiam expectauit. Sed theſaurizauerunt ſibi iram, in die iuſti iudicij Dei: vt à ſocietate ſanctorum expelli meruerint, cum iudicium proferet abſque vllo fauore, nullaque habita ratione conditionis eorum qui ſe dignos exhibebunt æternorum ſuppliciorum. At è contra quàm fœlices erunt, quos D donec benignè reſpiciens blandè alloquetur dicens: *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Hi ſiquidem perpetuo fruituri ſunt lætitia, in conſortio, & ſocietate Angelorum, cæterorumque ſanctorum.

Nonum Topazius.

De nono Beatitudinis fundamento, impeccabilitate videlicet, per lapidem topazium ſignificata.

ANNOTAT. XXIX.

E INTER omnia dona, quibus ſtatus beatitudinis ornatur, meritò ab omnibus reponitur voluntatis quædam inflexibilis ad malum rectitudo, ſeu impeccabilitas: quæ talis & tanta eſt, vt quilibet beatus non modò poſſit non peccare, ſed etiam non poſſit peccare. Quod de fide eſt. *Quis aſcendet*, inquit Propheta, *in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens*, ait, *manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Eo enim medio, quo aſcendunt, eodem ſtabunt. Aſcendunt per operum innocentiam, cordis munditiam, impigram in Dei obſequio occupationem, veritatis & ſynceritatis dilectionem; hæc conſeruare illis oportet, vt eadem qua ſemel præ-

Digitized by Google

uenti fuerunt miſericordia & ſalute, in illo puncto quo introducti fuerant in gloriam, eadem ſtent & permaneant beati in loco ſancto Dei. Hâc optimam mentis & voluntatis diſpoſitionem ſibi pollicentur; qui lætantur dum audiunt: *In domum Domini ibimus*; dum addunt! *Stantes erunt pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem.* Ac ſi dicerent: Non mouebimur in æternum; nec enim deſideria & affectus in diuerſa rapientur obiecta, quibus à Deo ſeparari contingeret: non ampliùs à ſemitis veritatis auertentur greſſus noſtri: ſtantes erimus in contemplatione ſupremæ veritatis, & in amore ſummi boni. In termino viæ ſanctæ & impollutæ poſiti, ab ea ſanctitate nunquam auertemur. Hæc via nobis data in deſerto huius mundi, à qua tantum ſtulti & imprudentes aberrauerunt, quæ olim ab Iſaia prædicta fuerat. *Et erit*, inquit, *ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus. Et hæc erit vobis directa via itaut ſtulti non errent per eam non erit. Ibi leo & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino conuertentur: & venient in Sion cum laude. Et lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus.* Iſa. 35. Hæc eſt hæreditas incorruptibilis & incontaminata, conſeruata in cælis, in iis qui cuſtodiuntur per fidem, in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo, vt loquitur S. Petrus epiſt. 1. c. 1. incorruptibilis inquam, quia peccator mortali non corrumpetur. Incontaminata, quia nec peccato veniali inquinabitur. *Infernus* ſiquidem *& mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* In patria regnat vita ſempiterna, dolorem & gemitum expellens: vnde nec peccato veniali datur locus, quo dolor inureretur mentibus, ſi aliquo modo à feruido Dei amore retardari aut impediri valerent; aut ſi conſcientia eorum illis exprobare poſſet ſe in aliquo Deo diſplicere: ſicque non eſſet illis plenum gaudium, quod tamen promiſit Chriſtus petentibus patrem in nomine ſuo. *Vſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Ioan. 16. At non eſſet plenum, ſi adeſſet peccatum, omnium amaritudinum, anxietatum & dolorum fons & origo. Erit igitur in beatis donum impeccabilitatis, itaut non poſſint peccare.

Si autem huius impeccabilitatis cauſam exquiras, quidam ponderantes naturalem voluntatum noſtrarum mutabilitatem, & ad vtrumque flexibilitatem: cauſam impeccabilitatis volunt eſſe extrinſecam, & à ſola Dei prouidentia prouenire, in quantum Deus decreuit beatos efficaciter conſeruare in conſtanti & perpetuo ſtatu gratiæ, abſque vlla interruptione aut intermiſſione, eis infundens in eo ſtatu beatitudinis feruentiſſimum amorem, cum quo compati non valeat nec minima quidem venialis culpa inſuper volunt Deum poſitiuè apud ſe ſtatuiſſe denegare ſuum concurſum cuilibet actui, etiam materialiter, qui peccato poſſet ſubſterni. Per amorem igitur infuſum, omne peccatum excludentem, & denegationem concurſus, volunt fieri vt beati non poſſint vllo modo peccare. Alij volunt, & veriùs, beatos eſſe impeccabiles intrinſecus, per aliquid ſibi internum & inhærens, vt pote exui & natura ipſius beatitudinis illud autem internum, & inhærens intrinſecus, quo impeccabiles redduntur, eſt ipſa actio claræ viſionis, ad quam mens beatorum eleuatur per lumen gloriæ. Actio vitalis, immanens, & intrinſeca, quam eliciant lumine gloriæ corroborati, & concurſu ſpeciali diuinæ prouidentiæ. Ex qua actione profluit alius

A actus, in voluntate, amoris vitalis: qui duo actus ad beatitudinem abſolutam ſunt omninò neceſſarij, & tales vt beatorum intima quodammodo penetrent, eoſque reddant Deo ſimillimos: itaut ſi olim Paulus meritò dixit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*; propter conformitatem cum Chriſto & gratiam ab eo aceptam, & cognitionem nominis eius, & amorem gloriæ ipſius: multò magis quilibet beatus ſubmerſus & abſorptus in altiſſimo illorum bonorum omnium gurgite & abyſſo, per firmam mentis & voluntatis ſuæ cum Deo adhæſionem: cum plus videatur pro Dei gloria ſubſiſtere & viuere quàm pro ſemetipſo, viuere non videtur, ſed Deum in eo viuere & agere, vt dicat: Viuo ego, iam non ego, viuit B verò in me Deus. Et rectè: quia *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo* 1. ad Corinth. 6. Ex hoc fonte emanat illa impeccabilitas. Tales enim actus ex ſe excludunt tam mortalia quàm venialia peccata mortalia, quia amor ſupremus ea permittere nequit: nam repugnat Deum ſupra omnia diligi, & tamen in poteſtate remaneat diligentis Deum ſupra omnia, vt ab eo poſſit auerti & ſeparari, & aliquid creatum illi præferre valeat excluditur etiam venialis culpa: vbi enim viget ſupremus amor feruentiſſimus & perfectiſſimus, impoſſibile eſt peccatum veniale admitti: minuit ſiquidem talis culpa charitatis feruorem. Cum igitur ſuppo- C nendum ſit tanquam veriſſimum, hunc feruorem charitatis maximum eſſe & vehementiſſimum in beatis, certum & euidens eſt in ſenſu compoſito eos non poſſe peccare venialiter. Confirmatur: quia hæc clara viſio, quæ intima beatorum, & interiora eorum penetrat, Deum exhibet & repræſentat clare & manifeſtè talem qualis eſt in ſe, & conſequenter ſub ratione & formalitate ſupremi alicuius boni perfectiſſimè & ſimpliciter infiniti, in quo nulla poteſt imperfectio, ne minima quidem agnoſci aut reperiri, & hoc modo nihil in eo inuenitur nulla ſe offert ratio, qua voluntas induci poſſet aut inclinari, vt ſe ab eo disiungeret, ſepararet aut auerteret, aut vt ſuum amoris D actum ſuſpenderet vel intermitteret, aut de vi ac feruore eius aliquid minueret mens ſiquidem voluntati exhibet Dei maieſtatem, bonitatem diuinam, eminentiſſimam illius naturam tanquam quid digniſſimum ſupremo & perpetuo amore proſequendum. Exhibet & repræſentat eum tanquam inexhauſtum omnium bonorum fontem & theſaurum, tanquam immenſam & indicibilem quamdam pulchritudinem, ab omni defectu, vitio aut imperfectione alieniſſimam; nam ſi talem eum non exhiberet, ſequeretur ipſum non videre Deum clarè, & ſicut reuera eſt, ſed imperfectè, & cum errore & mendacio. Cum igitur bonum infinitum repræſentatur tale quale in ſe eſt, clarè, E & diſtinctè, intuitiuè, tunc voluntati adimitur libertas, nec eſt ſui iuris vt extra illud obiectum feratur; cum ſit adeo ſibi adæquatum, & totas vires ſuas ſuperans, vt nunquam illud ſatis amare queat, non ampliùs ſibi conſtat, & ſui compos efficitur: rapitur connaturali quadam & vehementiſſima, nec non & ſuauiſſima violentia in illius boni amorem neceſſario, & quoad ſpeciem, & quoad exercitium. Inde impoſſibile eſt vt odio habeat, vel odium in ea locum reperiat circa tale bonum. At nec hoc ſatis eſt: nam oportet vt actu tale obiectum diligat. Nec ab amore ſeſe cohibere poteſt; quin etiam extra ſe rapitur, & ſui iuris non eſt quoad ardorem aut vehementiam actionis ſeu dilectionis, quia plus amari debet quàm poſſit amare, & totas illius vires exhaurit

Digitized by Google

tam amabilis obiecti intima præſentia : & ſic omnino impoſſibile eſt, vt voluntas ab eo obiecto ſeſe diſtrahat, aut vim & intentionem actus ſui amoris minuat. Et potiori iure impoſſibile eſt vt amorem ſuum in odium conuertat. Nam oporteret vt aliquam rationem apparētem ſaltem haberet mutandi propoſitum : quæ nulla reperitur, nec reſpectu obiecti, nec reſpectu ſubiecti : non reſpectu obiecti, quia clarè & euidenter videtur : non reſpectu ſubiecti, quia in hac dilectione nullam patitur moleſtiam, imo potiùs ineffabili voluptate afficitur, ſuprema quadam & perfecta lætitia inebriatur, quæ nec gaudia ex aliorum bonorum huic ſtatui conuenientium fruitione impeditur, ea inſuper eminenter aut formaliter in ſe continens. His adde quòd bona creata, etſi maxima, ſummo tamen bono & infinitis perfectionibus eius comparata, quaſi nihilum deputanda ſunt : quin etiam negligenda, niſi ad Dei gloriam, & honorem ordinentur: quo fit vt nec ad momentum quidem mens debeat à primario & principaliori obiecto diſiungi, vt eis adhæreat. Nam ſi mentem ab eo diuertere aliquantulum poſſent, iam tunc boni rationem exuerent, & mali induerent naturam : hoc enim fieret contradictamen rectæ rationis : & in hoc ſenſu, ſeu ſub hac formalitate, à beatis reijcerentur vt ſibi nociua, & valde contraria. Aliàs dicendum eſſet beatos tunc decipi poſſe, nec eos videre res quaſcumque, prout ſunt in ſe : ſed ignorantiâ aut neſcientiâ laborare, nec prudentiâ aut ſapientiâ præditos fore, nec illa ignorantia ſubrepere poteſt per quamdam inaduertentiam, aut defectum attentionis : quia mens beatorum lumine gloriæ ditata, & ſpeciali Dei concurſu corroborata, omnia ſimul contuetur quæ ad ſuum ſtatum aut officium pertinent: videt ſimul omnia Dei præcepta, omnia media, per quæ quilibet homo Deo ſe gratiorem reddere poteſt. Inſuper ſemper eſt in actu ſecundo, nec diſcurſu vtitur, ſed ſimplici intuitu omnia hæc videt & ſpeculatur. Et hoc modo aliqui dicunt beatitudinem menſurari æternitate participatâ, quia nimirum in æternitate omnia ſunt ſimul, nec datur in ea prius & poſterius. Et quamuis hominis voluntas eſſentialiter libera ſit, non ita tamen eſt libera, vt in actu ſecundo poſſit vel amorem boni, vel odium illius amplecti, dum clarè videt bonum infinitum : formale ſiquidem obiectum amoris, bonum eſt ſub ratione boni : & æquè impoſſibile eſt, vt hæc obiectiua ratio amoris mutetur, ſicut impoſſibile eſt quòd natura voluntatis mutationi ſit obnoxia, cuius eſt per ſe bonum appetere vt bonum eſt. Et cum forma ſit quod dat eſſe rei ; vbi obiectum ex omni parte bonum reperitur, illudque quale in ſe eſt cognoſcitur, repugnat vt cognitum, à voluntate non ametur : nihil enim in eo animaduertitur, quod non ſit amore digniſſimum ; nihil percipitur quod odio aut auerſione ſit dignum. Siquidem actus odij aut amoris determinata & neceſſaria habent obiecta, quoad ſpeciem : quo fit vt extra ſphæram proprij obiecti formalis non rapiantur, vel extra illius metas non diſcurrit. Denique libertas voluntatis ad vtrumlibet reperitur tantum circa obiecta idonea, id eſt, permixta actu & potentia, itaut modò bona, modò mala ſecundùm diuerſum reſpectum exiſtant, modò perfecta, modò imperfecta, modò falſa, modò vera appareant ; itaut ſecundùm vnum reſpectum amentur, modò ſecundùm alium repudientur. Nec ſola libertas voluntatis ſufficiens eſt vt poſſit tantum bonum contemnere : oporteret ſiquidem vt in obiecto aliquid animaduerteret, ſaltem appa-

A renter, à bono deficiens, vel quia putaretur non eſſe tanti pretij aut valoris, aut tanta æſtimatione dignū ſicut aliud bonum putatur magis pretioſum & æſtimandum, vel quia comparari deberet cum tot difficultatibus vires omnes ſuperantibus, vt meritò negligi deberet, quia pœna ſeu labor, qui inſumeretur, pluris eſſet ipſa recreata æſtimandus: quod de Deo clarè viſo dici nequit, potiſſimùm quia voluntas illum videns dicere non poteſt ſe eo minimè indigere, aut abſque detrimento eo priuari poſſe. Hæc enim effutiret ſtolidè, nec rei veritas, nec ratio, aut conſcientia ei permitterent. Huius autem impeccabilitatis ſymbolum eſt lapis topazius, & ad eam meditandam, ex iis quæ de topazio dicuntur, inducimur.

B Topazius lapis eſt viridis coloris : quæ viriditas ad viriditatem foliorum porri vergit. Diaphanus eſt ſeu tranſlucidus topazius, & non tranſlucet modò, ſed mirificè etiam fulget : ſplendore enim tanto refulget, vt interdiu videri non poſſit, vſque adeo fulgore circumfunditur : non ita facilè propterea eum de die agnoſcunt, eoquod radij ſolis ei ſimiles circumquaque reſplendeant. At noctu conſpicitur ab illis qui illum colligunt. Vnde Abulenſis dixit in Exodum: *Topazius ante ſolem poſitus, ſupra cæteras omnes gemmas lucet.* Exit verò eius fulgor in colorem auro ſimilem, quem auri ſplendorem, ſiue fulgorem (quamtumuis color ſit viridis) in quibuſdam exiguis animalculis aurum viride referentibus quotidie ſpectamus:

C & in auium aliquot pennis neſcio quæ auri viridis ſpecies diſcernitur, vbi non tantùm nihil eſt coloris veri aurei, ſed nec propriè viridis, niſi externa quadam facie per certi cuiuſdam viſus reflexum. Topazij Etymon fuit olim ex Plinio quæſita, ſiue optata : Ægyptiique Reges, teſte Strabone, maximam hominum multitudinem mercede conductam, ad horum lapidum collectionem cuſtodiamque collocabant. In theſauris Regum nihil pretioſius inuenitur & nihil eſt carius regibus in diuitiis. Cum repertus eſt, omnibus gemmis prælatus fuit. Sola prope nobilium gemmarum limam ſentit ; & vſu atteritur : eſt namque

D delicatiſſima, vt ſi polire & læuigare eam velis, aſperetur, *cum ipſe ſit ſuapte natura Euglyphus*, inquit Ambroſ. in Pſal. 118. Valet contra paſſionem lunaticam, & contra phreneſim, contra iram & iracundiam. Luxuriam reprimit, & venerea cohibet. Valet etiam contra triſtitiam, alioſque noxios motus, ſeu prauarum appetitionum perturbationes. Si ſupra rem bullientem ſuſpenditur, ceſſant ampullæ Si etiam annulum ex topazio effictum quiſpiam in manu teneat, poteſt manum intra feruentis aquæ lebetem ſecurè inijcere. Gemmarum denique eſt ampliſſima ; atque adeo quatuor cubitis (quæ humanæ ſtaturæ dimenſio eſt) fuit inuenta. Hæc de topazio Lud. ab Alcaz.

E Quæ ſanè gemma ita deſcripta genuinum eſt ſymbolum ſanctitatis & impeccabilitatis, vt mox videbimus. Viridis eſt topazius. In arboribus viriditas ſignum eſt arborem ſanam & vegetem eſſe & ad fructus edendos idoneam. Nihil adeo mentis ſanctitatem indicat, quàm ſanctitas & impeccabilitas, qua homo fit aptus ad producendos illos duodecim fructus per ſingulos menſes, de quibus loquitur S. Ioannes in hac reuelatione. Et cum eius viriditas ad porri colorem tendat, excitatur mens ad proprietates porri meditandas, qui *tuſſi veteri, ac pectoris & pulmonis vitiis medetur, phtiſicis, & ſanguinem exſcreantibus, & diſtillationibus*, ait Plinius. Et infra : *Pulmonis & arteriæ vitia ſanat.* Efficaciſſimus eſt etiam in ſerpentum ſcorpionum-

Digitized by Google

que ictus, & beſtiarum morſus, nec non in aquam interciitem, ſiue hydropiſim, in icteron & renum dolores. Mirum quomodo impeccabilitas omnia aufert impedimenta vocis, quibus Dei laudes decantare impediremur. Vnde de ſanctis in patria, quia perfectam ſanitatem adepti ſunt, dicitur: *Exaltationes Dei in guttur eorum.* Pſ. 149. Sanatus eſt ſerpentis antiqui ille peſſimus ictus peccati originalis, morſus beſtiarum omnium peccatorum actualium: ſanata eſt mentis ſuperbia concupiſcentia oculorum, & concupiſcentia carnis. Vnde non mirum ſi tam libenter in Dei laudes prorumpunt inceſſabili voce cum Angelis dicentes: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth.* Tranſlucet & valde ſplendet topazius: vnde fit ſoli ſimi-

B lis. Cauſam certè impeccabilitatis rectè adumbrat illa topazij proprietas, nempe abundantiam luminis, qua homo in Deum quodammodo transformatur, *de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu*, vt loquitur Apoſtolus. Exit topazij fulgor in colorem auro ſimilem, quia hæc claritas deſinit in ardentiſſimum & feruentiſſimum Dei amorem, & indiſſolubilem charitatem: quæ viriditatem habet coniunctam, quia nunquam deficiet aut minuetur ille feruor charitatis in Deum. Topazius eſt gemma optata & quæſita, & a Regibus exoptata. Nihil tam ardenter concupierunt & exquiſierunt ſancti, & hi omnes qui appetitibus ſuis dominari deſiderarunt, quàm impecca-

C bilitatem. Audeamus Prophetam dicentem: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazium.* Ad hanc comparandam omnes nervos intenderunt. Hæc enim eſt illa vera ſapientia, de qua dixit Iob: *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia; & recedere a malo, intelligentia.* c. 28. Quæ tam pretioſa eſt, vt antea dixerit: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea. Vaſa auri excelſa & eminentia non memorabuntur in comparatione eius.* Trahitur autem ſapientia de occultis. *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, &c.* Cum repertus eſt, omnibus gemmis prælatus fuit. Qui ſemel ſanctitatem fuerit adeptus per impeccabilitatis dotem, cæteris bonis illam anteponit. Hac enim ratione Chri-

D ſtus inhabitat in cordibus noſtris, quo nihil melius. Vnde ad illum ſuſpirans B. Laurent. Iuſt. de caſto connubio Verbi & animæ c. 6. dicebat: *Te, ô ſapientia, nihil melius quæritur, nihil arctiùs ſtringitur, nihil ſuauiùs poſſidetur. Norunt hæc qui diligunt te. Amor quidem tuus, immortalitatis origo eſt, ſapientia fons fluminis voluptatis, vita credentium, abyſſus charitatis, paradiſus deliciarum peregrinantium ſolatium beatorum merces, nutrimentum dilectionis, virtutum radix, meritorum ſtatera, certantium robur, conuiuentium vinculum, & totius ſanctitatis ſtabile fundamentum:* Ita S. Laur. Iuſt. Hæc illa eſt delicatiſſima gemma, quæ ſolo affectu peccati venialis atteri-

E tur. Vnde poliri & læuigari non debet; ex ſeipſa & ſuapte natura optimæ formæ ſeipſa enim contenta ſanctitas laudes externas non quærit, quas ſi in hac vita affectaſſet, certè de natiuo decore potiùs aliquid deperdiſſet, quàm ſplendorem maiorem acquiſiuiſſet. Hæc igitur impeccabilitas ſtultitiam a mentibus aufert, & omnes inferioris appetitus prauos motus compeſcit; vt mirum non ſit ſi omnes ſancti hac impeccabilitate præditi, nihil moleſti ſibi inferant, & nihil in parte inferiori ebulliat, rationi, aut Deo, & tam fælici ſtatui repugnans & contrarium. Hæc gemma poteſt eſſe ampliſſima, & ſtaturam hominis attingere, quia totum hominem ornat & condecorat illa impeccabilitas; vt nihil in eo, Deo & alij ſanctis inconcinnum, & incongruum, & ingratum videri

A poſſit illa enim impeccabilitas eſt *ſanctitas omni piaculo libera, & perfecta ſeu omnino impermixta puritas*, vt loquitur S. Dionyſ. de diuinis nominibus c. 12. Hanc adepti ſunt qui fuerunt in hac vita fideles obſeruatores mandatorum Dei, iuxta illud Chryſoſt. homil. 9. ex variis in Matt. locis. *Quid eſt, ſancti eſtote, niſi præcepta mea implete, voluntatem meam facite, in viis meis ambulate? Cum iſta feceritis, ſanctificatur pater qui eſt in cælis, ſiue nomen eius.* Ita Chryſ.

Decimum Chryſopraſus.

B *De decimo fundamento, nempe mutuo honore quo ſe colunt & præueniunt ſancti in patria, per lapidem Chryſopraſum deſignato.*

ANNOTAT. XXX.

HONORE mutuo ſe inuicem præueniunt; nulli enim eorum ignota manet magnitudo præmiorum, quæ aſſignata fuit decreto irreuocabili, à iudice, de cuius æquitate dubitare impium eſt & prophanum. Ibi virtus & pietas in maximo eſt pretio, quibus tam magnifica gloria comparata fuit; itaut fieri non poſſit, vt qui virtute & pietate fuerunt inſignes, maximo honore non afficiantur. Ibi zelus honoris diuini omnes accendit,

C quo fit vt quidquid aliquo modo confert, vt Deo tantæ maieſtatis, omni honore digniſſimo, honor, & gloria deferatur, plurimi habeatur. At nullus eſt ſanctorum ſeu beatorum cuius beatitudine Deus non honorificetur: Erit igitur quilibet eorum plurimi habendus, & honore etiam dignus. Nullus à gloria excidet; nullus à rectitudine voluntatis, qua impeccabilis redditur, recedet. Nullus ab ordine aut gradu gloriæ ſemel adepto amouebitur: nulla de præterita vilitate aut indignitate erit recordatio. Solum ſtatum præſentem, quo Deus glorificabitur, attendent. Nec inaduertentiæ aut inconſiderationi dabitur locus, nec inuidiæ, aut malitiæ, aut indignationi: qua quidem

D ratione, expulſis omnibus, quibus poſſent induci vt honorem mutuum ſibi denegarent, proculdubio mutuo ſe honore afficient. Vnde amor & concordia eorum ſtrictior, & gratior ipſis reddetur, dum vnuſquiſque pro ratione gradus, quem obtinet in gloria, & quo Deus eum remunerare vult, ab aliis honorem accipiet; & ipſe aliis viciſſim exhibebit. Quod in lapide Chryſopraſo dicimus deſignari.

Chryſopraſi nomen tribus gemmis tribuitur: primò, cuidam beryllorum generi pallidiori; ſecundò, cuidam ſpeciei topazij: duo enim ſunt genera topaziorum, alterum cui nomen praſoides, alterum cui Chryſopraſus. Alia etiam inuenitur

E gemma, cui magis propriè videtur nomen Chryſopraſij attribui. Agens quippe Plinius de tribus praſij ſpeciebus, ſubdit: *Præfertur his Chryſopraſus porri ſuccum referens; ſed paulo declinans à topazio in aurum, quo fit vt aurum Chryſolithi, & viriditas topazij in ea gemma copulentur.* Videtur hæc gemma inter denſas & opacas reponenda, vt maior ſit diſtinctio inter eam & beryllum, aut topazium, quæ ſunt tranſlucentes. Nocte igneus eſt lapis: die aureus, ex Iſidoro l. 5. c. 14. Cornelius à Lapide tres eſſe ſpecies Chryſopraſi aſſerit. *Prima*, inquit in hunc locum, *continentur, qui exactè viridis porri colorem æmulantur: ſecundâ qui multum flauedinis habent, ac ſilicis areſcentis ferè colorem referunt: hi ſi aurei ſunt ſplendoris, Chryſopteri veterum ſunt: tertiâ, qui exigua viriditate, maioriqúe flauedine lateſcunt.*

Digitized by Google

Has, inquit, *tres ſpecies apud me reſeruo*. Inquo ſequitur Anſelmum Boërium l. 2. de gemm. c. 56. Medetur debilitati occulorum, quia aliqui impediuntur quominus figere poſſint attenios in re aliqua obtutus. Nimiam, vt aiunt, diuitiarum cupiditatem & auaritiam comprimit, & liberalitatem iis ingenerat, qui huiuſmodi gemmam geſtant. Exhilarat enim ſpiritus, vt vegetiores ſint, quæ hilaritas facit vt faciliùs inclinemur ad diuitiarum contemptum, & ad liberalitatem. Nunc quomodò hic honor mutuus ſanctorum in hoc lapide deſignetur, videamus.

Certè aliquando in hoc mundo honor non defertur iis, quibus deferri deberet, propter ignorantiam conditionis eorum. Sic S. Paulus Ananiam ſeuerè arguit, (quia præceperat percuti os eius) dicens ei: *Percutiet te Deus, paries dealbate*. Ignorabat ipſum eſſe ſummum ſacerdotem: *Neſciebam*, inquit, *fratres quia princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices*. Act. 23. Hac de cauſa ſancti in hac vita contemnuntur, quia eorum dignitas nec ſatis ponderatur, & quanta futura ſit in cælis ignoratur, iuxta illud Ioannis: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus*. Sed quia mundus non cognoſcit Dei maieſtatem: ita etiam nec cognoſcit huius filiationis dignitatem. Propter hoc addit S. Ioan. 1. c. 3. *Mundus non nouit nos: quia non nouit eum*. Quia igitur dignitas illa non ſatis clarè & diſtinctè in hac vita cognoſcitur, ideo, vt par eſt, non æſtimatur. *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus*, inquit Ioan. O excellentiſſima dignitas, ſed quanta ſit nunc non videtur. *Et nondum*, ait, *apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Hic non videtur; videbitur tamen, & experientia ſentietur à beatis, qui huius dignationis omnes erunt participes. Vnde plurimo honore ſe inuicem præuenient. Quod in Chryſopraſi aureo colore deſignatur. Nam ſicut aurum in maximo eſt pretio apud homines, ita apud ſanctos illa dignatio filiationis diuinæ in maximo pretio habetur. In his enim, qui filij erunt, adimplebuntur Dei promiſſiones, quas in Chryſolito lapide deſignati ſupra diximus. Pretioſior erit vir beatus, ſcilicet vnicuique beatorum, auro; & homo mundo obrizo, vt dicitur apud Iſaiam, de deſtructione Babylonis loquentem, in qua tanta fuit ſtrages hominum, vt faciliùs inueniretur opes eorum ſuperbæ quàm homo qui poſſet eas poſſidere. Sed facta ſtrage reproborum, ille numerus electorum tanquam quid rarum & pretioſum ſupra cunctos theſauros vrbis reputabitur, vt pote in quibus ineſtimabiles theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, ac bonitatis ſuæ manifeſtabit. Olim Eliſeus Propheta Regem Iſraël per contemptum nec audire nec adſpicere volebat, quia propter actiones impias indignum ſeſe exhibebat, honore regio. *Viuit Dominus exercituum*, inquiebat ille, *in cuius conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Ioſaphat Regis Iudæ erubeſcerent, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem*. 2. Reg. 3. At tam ſanctæ erunt quælibet actiones beatorum, vt omni honore ſint propter eas colendi, propter impeccabilitatem, quæ perpetua erit. *Ibi enim*, vt ait S. Bernard. *Erit homo cum Deo vnus ſpiritus, non tantùm vnitate volendi idem, ſed expreſſiore quadam vnitate virtutis aliud velle non valendi*. Qua cum Deo conformitate fit vt nihil agant ſua conditione indignum. Hoc in viriditate huius lapidis, qua cum topazio impeccabilitatis ſymbolo conuenit, deſignatur. Hac enim ſignificatur ſanctitatem eorum nunquam marceſcere, aut prauis actibus à

A ſplendore deficere.

Secundò: præter ignorantiam conditionis, propter quam honor debitus defertur; aliquando in præſenti vita de honore exhibendo alicui non ſumus valde ſolliciti, quia à gradu aut perfectione, quam obtinet, deturbari aut dejici poteſt. *Ne timueris*, dicebat Dauid, *cum diues factus fuerit homo, & multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniam cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius*. Animaduertebat ſiquidem de diuite fieri, quod de impiis viderat fieri. *Vidi*, inquit, *impium ſuper exaltatum, & eleuatum ſupra cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat*. His adde honorem & laudem virtuti non dari, niſi poſt conſummationem.
B *Lauda*, inquit ſapiens, *poſt mortem: exalta poſt conſummationem*. At in cælo, vbi omnia poſita ſunt in quadam conſiſtentia, nemo à gradu dejicietur, nemo à meritis conquiſitis excidere poteſt, vbi erit hoc lignum, cuius folium ſemper erit viride, & ſemper faciet fructum, vbi viriditas cum auro, id eſt, cum ſtatu fælicitatis coniungitur, ſemper erit occaſio honorem exhibendi cuilibet beatorum debitum. Nunquam enim de eorum exiſtimatione aliquid minuetur, quòd timeri poſſit, aut conjici eos à gloria caſuros, aut dignitatem ſuam amiſſuros.

Tertiò: occaſio contemptus ſumitur, ſi oculos ac mentem conuertas ad eum ſtatum, in quo olim
C fuerunt ij, qui ratione ſtatus præſentis honore aliquo digni cenſentur. Sic Iudæi de Chriſto, miraculis ſuis famoſiſſimo, detrahebant dicentes: *Nonne hic eſt fabri filius?* Et contra Roboam rebellantes, ei dicebant 3. Regum 12. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai?* De Magdalena ad Deum conuerſa Simon leproſus dicebat: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis mulier quæ tangit eum: quia peccatrix eſt*; At beati extra præſentem beatitudinis ſtatum, aciem oculorum non extendent; vt ſubtili quadam indagatione penetrent & exquirant, quo genere fuerint olim prognati, obſcuro an claro, quibus actionibus malis ſe olim fœdauerunt. Non dicet vir nobilis & genere cla-
D rus diues ac præpotens, cum viderit virum ignobilem & pauperrimum in gloria ſibi præferri; Quomodo hoc fit? Quiſnam eſt iſte, vt mihi præferatur? S. Agricola Martyr, exempli gratia, ægrè non feret ſi S. Vitalis olim in martyrio ſocius, licèt illius ſeruus, nunc aut coæquetur ei, aut præferatur in gloria. S. Ioannes Baptiſta nec Petrum olim negantem, nec Paulum Eccleſiam perſequentem contemnet, aut ſi ad eius gloriam propriùs accedant, conqueretur, exquirendo quales olim fuerunt. *Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?*

Hanc ſanctorum ſynceritatem adumbrare vult Chryſopraſi opacitas. Dum enim S. Ioannes alios lapides, tranſlucentes, virides in medium addu-
E xit, de Chryſopraſo loquitur, cuius opacitas impedimento eſt ne radius viſualis vltra eum progrediatur. Sicut igitur radius viſualis Chryſopraſum intuens in illo terminatur, ita ſanctorum obtutus in ſtatum fæliciſſimum aliorum non extenditur extra præſentem ſtatum; nec aliquid reuocant in memoriam, quo ſuboriri poſſet in eorum mente aliqua, ne minima quidem, ratio contemptus. Quod ſi eos non lateat vel beatos in peccato originali fuiſſe conceptos, aut plurimis actibus malis fœdatos, fuiſſe olim perſecutores, publicanos, meretrices, fornicatores, & tantis tenebris erutos, in admirabile lumen Dei vocatos; Certè ſicut lapis Chryſopraſus magis lucet in nocte quàm interdiu, ita honor, qui ſanctis defertur, clariùs refulget, cum percipitur è quantis tenebris fuerint

educti,

educti, & quanta fuerit erga eos Dei bonitas, patientia, miſericordia, & liberalitas, cum ex peccatoribus fœditis & abominandis, illos ſanctitate decorauit, & gloria circumueſtiuit: Sed inſuper, cum percipiatur tantam gratiam fuiſſe illis collatam, propter reuerentiam Chriſti patientis, tenebris contemptuum, confuſionum, pœnarum ac dolorum magis inuoluti in cruce, quàm ſpiſſiſſimis illis tenebris, quibus orbis obuolutus eſt obtenebrato ſole in eius paſſione. Medetur Chryſopraſus debilitati oculorum, itaut quis eius virtute attentiores valeat in re aliqua figere obtutus: ita erit in patria. Nunc quia homines virtutis naturam ſatis attentè non conſiderant, ipſa contemnitur. Quàm pulchræ erant Chriſti actiones! Quàm B benignæ, humanæ, ſobriæ, ſummam ſapientiam & poteſtatem redolétes! Et tamen illas olim Iudæi reprehendebant iniquè. *Quis eſt hic? Quia peccatores recipit, & manducat cum illis? Homo*, inquiebant, *vorax, & potator vini, publicanorum amicus. In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* At in cælo fixos & attentos in obiecta habebunt oculos omnes ſancti: res prout ſunt, optimè cognoſcent: itaut cum virtus de ſe plurimùm ſit laudabilis, & in iudicio finali ſanctorum actiones bonæ fuerint alta & ſonora voce à Chriſto ſaluatore plurimum commendatæ; ſtatim atque quis animaduertetur in ſocietatem ſanctorum admiſſus, nullum erit de ſoliditate virtutis eius dubium, ſed attentè percipietur, vt honore conuenienti iuxta proportionem meritorum afficiatur. Nec etiam inconſiderationi aut inaduertentiæ erit locus. Pleni ſapientia, & eximia rerum omnium cognitione ad omnia requiſita attentionem debitam adhibent; itaut omnia circumſpectè & fideliter exequantur. Et quod olim Petrus ſe obmiſiſſe per inaduertentiam falſus eſt, dum ad Chriſti pedes prouolutus dicebat: *Exi à me quia homo peccator ſum, Domine*; nempe ipſi debitum non detuliſſe honorem, quia in admirationem raptus fuit, videns ad Chriſti verbum multitudinem copioſam piſcium rete ſuam impleuiſſe; hoc non obmittent beati, qui ad omnia attenti vnicuique reddent quod ſuum eſt. Poſſunt enim ad omnia fixos obtutus habere, vt nihil officij ſui obmittere valeant.

Denique cum omnes ſancti ab omni inuidia ſint immunes, ſuaque ſorte vnuſquiſque eorum contentus exiſtat, non poſſunt abſque vlla cauſa ex mera voluntate aliquem contemnere; ſed charitate perfecta, qua ſeipſos diligunt; & pura intentione, qua Deum in ſe, & in aliis glorificari intendunt, aliorum beatitudini gratulantes, ſe inuicem honore mutuo in perpetuum afficient. Hæc Chryſopraſo adumbrantur, quem diximus cupiditatem auaritiæ reprimere, ad liberalitatem inducere, ſpiritus exhilarare. Dum enim cognoſcunt ſancti Deum glorificari, ex eo quòd honor cuique exhibetur pro ratione meriti, & gradus gloriæ quam adepti fuerunt, lætantur videntes Deum honorari, magnificari, & exaltari in ipſis: & Deo conſentientes, qui ſanctos his honoribus proſequitur, dicent & proclamabunt: Sic honorabitur, quem Deus honorare voluerit.

At non tantùm ſancti, generaliter loquendo, honorem mutuum ſibi deferent, ſed quidam ex ipſis erunt, quibus quidam honor ſpecialis tribuetur ad eorum ſtatum pertinens, ipſiſque ſpecialis & particularis: qui honor particularis quibuſdam deferendus, etiam in Chryſopraſo adumbratur. Tres enim ſunt Chryſopraſi ſpecies, vt diximus: prima exactè viridis: ſecunda, quæ multùm habet A flauedinis: tertia eorum qui exigua viriditate, maiorique flauedine lateſcunt. Quibus tribus Chryſopraſi ſpeciebus, tres aureolæ, de quibus agunt Theologi, ſignificantur.

Dicunt enim Theologi quòd præter mercedem eſſentialem, quæ in clara Dei viſione & fruitione conſiſtit, & quæ omnibus beatis communis eſt pro ratione meritorum, datur inſuper à Deo quædam ſecundaria & accidentalis merces, quæ à Deo decernitur & attribuitur quibuſdam generoſis ſeu heroicis actionibus: quæ quidem præmia vocant aureolas. Non ſunt autem illæ aureolæ quælibet beatitudines accidentales, alioquin eſſent omnibus ſanctis communes, cum verum ſit nullum ex his in cælo exiſtere, qui non fruatur aliquo gaudio accidentali, præter gloriam eſſentialem: Sed aureolæ iſtæ ſignificant certum quoddam gaudium, ex heroico aliquo actu, ſiue ex inſigni aliqua victoria conceptum: quam aliquis ſanctus in vita obtinuit, aduerſus Chriſti & ſalutis propriæ infenſiſſimos, & pernicioſos hoſtes.

Enimuero tres ſunt inimici, caro, mundus, & diabolus. De carne victoria reportatur mediâ virginitate. Nam etſi viduæ aliquando vehementiores ſentiant, & duriora Virginum certaminibus ſubeant prælia, vt continentiam ſeruent, quo honorem non modicum ſibi conquirunt; nihilominus hic honor inſignis, hoc ſpeciale gau- C dium perfectæ & integræ victoriæ in carnem, ſoli debetur Virginitati perpetuæ, quæque nunquam aliqua culpa mortali contra hanc regalem & excellentem virtutem contaminata fuit, ſaltem quæ in actum exteriorem exierit, ſeu quæ in actum proruperit, quo mens ſeu ſpiritus dejiciatur in voluntariam quamdam experientiam illicitarum voluptatum carnis.

Secundus hoſtis eſt mundus, qui vincitur ſi generoſè militamus, Chriſtum crucifixum imitantes qui nos ad eum ſequendum inuitauit, & de mundo victoriam repromiſit. *Confidite*, inquit, *ego vici mundum.* Hunc propius & ſequuntur & imitantur martyres, in excellentiſſimo quodam gradu, dum D in martyrio mundo contradicunt & reſiſtunt, pro tuendo Dei honore, amittendo vitam, quæ inter bona optabiliora reponitur. Vnde hæc corona attribuitur tantùm, ex S. Thoma, iis qui reuera pro Dei honore & amore mortem ſubeunt.

Tertius hoſtis infenſiſſimus eſt Diabolus, qui vincitur ſpiritu veritatis, quam Doctores, id eſt, veritatis amatores & inquiſitores exquirunt diligentes, docent fideliter, enucleant ſapienter, annunciant audacter, ſiue ſcripto, ſiue verbo; quique (non obſtantæ fidei obſcuritate, quæ remanet in mente, dum in via ſumus,) propter certitudinem veritatis, qua mens eorum conuincitur, quantum in ſe eſt conantur tenebras ignorantiæ E diſſipare, quibus dæmon animas vinculis peccatorum conſtrictas in captiuitatem redigere pertentat.

Quod ſi Virginibus repromiſſum fuit, ipſarum eſſe cantare canticum nouum: ſi martyribus coronas paratas teneat Chriſtus, qui promittit quòd ſi quis eum confeſſus fuerit coram hominibus, ipſe illum confeſſurus eſt coram patre ſuo: nonne probabiliſſimum eſt eos, qui elucidant veritates fidei, ad gloriæ diuinæ amplificationem, & proximorum ſalutem, parem etiam mereri honorem? *Qui elucidant me*, inquit Sapiens, Eccleſ. 24. *vitam æternam habebunt.* Et apud Danielem c. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt tanquam ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates.* Quod quidem ni-

hil eſt aliud quàm quædam ſecundaria merces obtinenda, cum præcipua viſionis ac fruitionis diuinæ mercede. Hæc illa eſt coronula, quæ menſam panum propoſitionis olim ambiebat, quatuor digitis lata, ſupra maiorem coronam poſita, ipſam menſam circumdantem: quæ maior corona ſymbolum erat gloriæ eſſentialis, ſicut aureola ſymbolum eſt gloriæ cuiuſdam accidentalis. Quæ tamen in hoc ſolo non conſiſtit, vt ſit gaudium accidentale ob victoriam reportatam ſupra vnum ex his hoſtibus (tale enim gaudium reſultat & emanat neceſſario in beatis, per ſimplicem recordationem victoriæ) ſed aureola debet eſſe aliquod ſpeciale præmium, ſeu beneficium, taxatum & decretum ſpeciali Dei voluntate & ordinatione, pro iis qui fideliter & fortiter dimicarunt contra vnum ex his inimicis. Et ideo præter eſſentiale gaudium, videtur quod aureola in ſeipſa includit & in ſuo conceptu complectitur aliquam qualitatem ſpiritalem in anima, in ea exiſtentem ad maius decus & ornamentum. Sic etiam poſt finale iudicium videbitur quædam ſpecialis pulchritudo in corporibus eorum ſanctorum, quibus aureola decernetur, quæ in aliis ſanctorum corporibus non animaduertetur. Quæ quidem qualitas mentis, & corporis pulchritudo agnita ab aliis beatis, illos inducet, & impellet vt honore ſpeciali colant eos, quos viderint tali ornatu & decore præditos; quin etiam illos laude quadam ſpeciali proſequentur; quia animaduertent ipſos in his actionibus, pro quibus has aureolas ſibi compararunt, Deo particularem quemdam honorem & gloriam contuliſſe. Has tres aureolas dico adumbrari in lapide Chryſopraſo.

A B C

Aureola Virginitatis deſignatur in illa ſpecie Chryſopraſi, quæ parum habet viriditatis, multum flauedinis, ſed tamen in colorem lacteum deſinentis. Hac enim gemma deſignantur hi, in quibus quæ carnis ſunt, parum habuerunt vigoris aut virtutis, & multum Charitatis; qua abundante, mortificationi membrorum dediti, Virginalem pudicitiam: nunquam amiſerunt.

In alia autem ſpecie Chryſopraſi, quæ maximè eſt viridis, adumbratur illa vis ſeu virtus animi martyrum, qua gloriam immarceſſibilem ſibi compararunt, dum ardore patiendi pro Chriſto conſtanter omnia tormenta pertulerunt, vt hyeme tranſacto perſecutionum, ad perpetuo virentia paradiſi prata transferantur.

D

In tertia autem ſpecie Chryſopraſi, quæ multum habet flauedinis, adumbratur aureola Doctorum. Aurum enim eſt ſymbolum ſapientiæ, quæ mentem ditat, vt alios poſſint docere in doctrina ſana, & charitate animati, ignorantes doceant ea quæ ad ſalutem æternam acquirendam ſunt neceſſaria. Propter quem laborem merentur præmiari, non modò corona eſſentialis gloriæ, ſed etiam aureolæ accidentalis cuiuſdam gaudij, propter quod ſpecialiùs honorantur ab aliis beatis ſeu ſanctis. Et ex his patet qua ratione per lapidem Chryſopraſum deſignatur ille honor mutuus, quem ſancti ſibi inuicem deferunt, ſiue propter illam generalem dignitatem omnibus competentem diuinæ filiationis, ſed etiam propter aliquam inſignem actionem, qua Deus ſpecialiùs fuit in vita ab ipſis glorificatus.

E

Vndecimum Hyacinthus.

De Vndecimo fundamento, nempe quod Vnuſquiſque Beatorum ſua ſorte ſit contentus, per lapidem Hyacinthum deſignato.

ANNOTAT. XXXI.

SI Beatos contingeret inuidia laborare in cælo, fatendum eſt eos tantò infeliciores fore, quantò maius eſt illud bonum, quo fælices redduntur. Etenim cum inæquali quadam ratione ab illis poſſideatur, qui minus illud poſſiderent, dolerent maximè, quod in perceptione tanti boni alij ſibi præferrentur: nec illorum gaudium eſſet plenum, quia alios viderent magis diligi, maiori gloria cumulari; quin & graue & oneroſum eſſet iis, qui illo bono fruerentur in ſuperiori gradu, dum attenderent de ſua fælicitate aliquos contriſtari. At hæc longè abſunt ab hoc fæliciſſimo ſtatu. Omnes ſua ſorte & gradu gloriæ, quem adepti ſunt, contenti: nullus proximo inuidet, nulli triſtitiæ occaſio datur, quia nemo de ſua gloria contriſtatur: omnes ei è contra congratulantur: ſatietas quædam in omnibus reperitur, mentiſque tranquillitas, quamuis in mercede inueniatur quædam inæqualitas. Et quia meritis ſe diſpares agnoſcunt, æquo animo tolerant ſi ſe videant in mercede percipienda inæquales. Quo fit vt gaudium eorũ perturbari nequeat, neq; interiùs, neq; exteriùs. Quod vt meliùs percipiamus, præſupponendum ex doctrina Theologorum quòd non omnes Beati æquè perfectè videant eſſentiam diuinam: nam ab vno perfectiùs videtur, quam ab alio. Et ſicut diuerſæ ſunt viæ, per quas in cælum peruenimus, & diuerſi Charitatis gradus, ita manſiones, quæ huiuſmodi viis & gradibus charitatis correſpondent, ſunt diuerſæ, vel ſaluatore teſte dum ait: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Nec mirum videri debet ſi ſapientia diuina ludens in orbe terrarum, in operibus ſuis ſibi complacens, collocare voluerit in firmamento ſtellas diuerſæ claritatis: adhuc delectetur in cælo collocare quamdam perfectionis differentiam inter illa lumina gloriæ, quibus colluſtratæ mentes gloria fruuntur, ſeu etiam quibus corpora colluſtrata glorioſa redduntur. *Alia*, inquit Apoſtolus, *eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate. Sic & reſurrectio mortuorum.* 1. ad Corinth. 14. Sic dicere poſſumus lumen gloriæ, quo mens creata Verbi incarnati afficitur, aliud eſſe à lumine gloriæ, quo afficitur mens Virginis ſacræ, quæ Chriſtum ſolem reſpicit. Vt luna hæc viſibilis aliquando ſoli opponitur, vt pleniùs in ſinu ſuo radios illius recipiat: ita virgo ex ſole Chriſto abundantiorem haurit lucem. Et aliud eſt lumen aliorum ſanctorum mentes colluſtrans: Et inter ſanctos alius micantiori lumine fulget. Nec par eſt vt æquale ſit lumen alicuius pueri ex numero Innocentium, cum Pauli lumine, qui ſicut tot poſt ſe relinquit in laboribus plurimis, ita multos etiam poſt ſe relinquet in præmiis recipiendis. Inæqualitas quippe præmij procedit ex inæqualitate meritorum. Sunt equidem omnes cæli ciues fælices & Beati, propter fruitionem vnius & eiuſdem ſupremi boni, quo frui debent æqualiter, quantum ad durationem, nempe in æternum: neque enim vllus beatorum à gradu gloriæ ſibi præſcripto amouebitur, ſiue ille ſit in inferiori gradu poſitus, ſiue in ſuperiori: gradu ſublimatus. Nihilominus verum eſt quòd in beatitudine erunt

Digitized by Google

inæquales. Omnibus in vinea laborantibus denarium promiſſum debitur, *quia*, inquit S. Thomas, *omnes eadem beatitudine obiectiua, eſſentia nempe diuina fruuntur*, quæ præcisè conſiderata ſecundùm ſe, maximè vna & ſimplex exiſtit: & hac de cauſa per vnum denarium optimè deſignatur: & denarium illud ab illis æqualiter poſſidetur, ſi durationem poſſeſſionis ſpectes, quia ex ſancto Auguſt. in Ioann. Æqualitas hæc intelligitur ratione durationis, & beatitudo omnium futura eſt æterna. Nihilominus quia hæc perfecta poſſeſſio ſummi boni accidentaliter perfici poteſt intra eandem ſpeciem, quia vnus clariùs Deum videre poteſt quam aliùs; hæc ſumma Dei veritas & ſimplicitas non impedit ſecundùm ſe, vt clariùs non poſſit ab vno videri quàm ab alio. Videri, inquam, cum quadam diuerſitate modi videndi, pro diuerſa ratione meritorum, & propter quantitatem luminis gloriæ mentem afficientis. His adde hanc gloriæ inæqualitatem non ſolùm intelligi quoad beatitudinem accidentalem, ſeu habita ratione eorum quæ eminenter tantummodo in Deo exiſtunt, quales ſunt creaturæ, & omnes illarum perfectiones (quas qui viderit non ideo fit beatior, dicente S. Auguſt. 5. Confeſſ. c. 4. *Qui te & alia nouit, non propter illa eſt beatior, ſed propter te ſolum eſt beatus.* Hæc Aug.) ſed etiam intelligi debet de beatitudine eſſentiali, habita ſcilicet ratione eorum, quæ in Deo formaliter cernuntur: ita tamen vt non exiſtimes vnum beatorum plura videre Dei attributa, vel plures perfectiones diſcernere quam alius. Hoc enim falſum eſt: & in omnibus ſanctis magna eſt æqualitas: omnes ſiquidem Deum vident & contemplantur clarè & diſtinctè, qualis in ſe eſt 1. Ioan. 3. Quod reuera non eſſet, ſi quid eſſet formaliter in Deo, quod quidam eorum minimè perciperet. Nihil enim in Deo eſt, quod Deus non ſit; & ideo, vt videatur Deus, totus videri debet. Sed hæc inæqualitas gloriæ eſſentialis in eo conſiſtit, quòd diuina natura cum tribus perſonis, & omnia Dei attributa ſubiectiuè clariùs videntur, id eſt, à facultate & mente viſionem & cognitionem Dei recipiente clariùs cernuntur, ab vna, inquam, iſtius vel illius beati, quàm ab alia facultate alterius. Igitur ſi quæ ſit differentia aut inæqualitas gloriæ eſſentialis beatorum, quoad obiectum eſſentiale, primum, & principale, tota eſt ex parte ſubiecti videntis & contemplantis, non autem ex parte obiecti cogniti. Nam cum ſit ſimpliciſſimum, totum ſe exhibet videndum. Sed videtur clariùs ab vno quàm ab alio, quia maior eſt in vno videndi capacitas quàm in alio. Dixi, quoad obiectum eſſentiale. Si enim de gloria accidentali loquamur, quæ conſiſtit in cognitione obiectorum ſecundariorum, quæ in Deo ſolùm eminenter exiſtunt, fatemur quòd eorum æqualitas, ſeu maior aut minor illorum cognitio non attenditur ſolùm reſpectu ſubiecti, ſeu luminis & mentis, quam ad horum viſionem eleuat, ſed etiam reſpectu obiecti, id eſt, ipſarum rerum creatarum, quæ ab intellectu cognoſcuntur. Plura enim vnus videt, & ſecundùm plures rationes aut modos quàm alius.

His præſuppoſitis, Dico quòd licèt verum ſit quòd quidam beati minus perfectè Deum videant, quàm alij; nihilominus non laborant deſiderio eum videndi perfectiori modo: ſed vnuſquiſque eorum contentus eſt gradu & entitate beatitudinis, quam poſſidet. Tantopere enim contenti ſunt ſua ſorte & conditione, vt nullis deſideriis vexentur, nihil cum inquietudine aut anxietate concupiſcant. Quæ quidem æquanimitas, quodque gaudium plenum, licèt inæqualitas quædam cernatur in modo & ratione percipiendi præmium, dicimus eſſe vndecimum fundamentum beatitudinis ſanctorum, & per lapidem Hyacinthum deſignari.

Hæc gemma ab aliquibus inter ſpecies Amethyſti reponitur, quia emicans in Amethyſto fulgor violaceus dilutus eſt in Hyacintho. Aliis ſpecies eſt Saphiri, quod violaceum colorem habeat exiguum, & qui ſolum cæruleo temperando admiſceatur, itaut maneat adhuc propriè cæruleus, blandus tamen & ſuauis, nonnihilo minij permiſto, itaut cæruleus ſit Hyacinthus, ſed non ita purus quia habeat aliquantulum minij permiſtum. Cuius color nec adeo ſit tenuis ac ſubtilis vt non planè percipiatur; nec adeo pinguis, vt oculos omnino impleat, nec denſiore fuco, inquit Solinus ſit obtuſior, nec propenſa perſpicuitate detectior; & vt ait Plinius, primo adſpectu ſit gratus, & euaneſcat antequam ſatiet, adeoque non impleat oculos, vt penè non attingat. Ac ſi diceret pretioſum Hyacinthum ita eſſe debere, vt primo adſpectu cæruleum præ ſe ferat, & ſatis mollem colorem, at verò ſi accuratiùs inſpexeris, non tantum in eo cærulei reperias coloris quantum initio apparebat, & quodammodo oculorum aciem eludat, & quaſi ex ipſorum conſpectu euaneſcat. Ex qua coloris tenuitate fit vt cum cælo faciat mutationem, nec æqualiter rutilet, cum aut nubiloſus eſt, aut ſerenus dies: triſti igitur, & nebuloſo cælo, triſtitiam ac mœrorem inducit, & quodammodo extinguitur; ſereno autem, magis rutilat. Cuius coloris tenuitas etiam perſpicitur, ex eo quòd cæruleus color illi prorſus auferatur ignis efficacia. Vnde ſi ſecundum adamantis conſuetudinem ſcalpatur, adeo difficile ab adamante diſtinguitur, vt ipſimet lapidarij arte periti in eo decipiantur. Quamuis autem hanc in colore ipſo teneritudinem præ ſe ferat, longè aliter ſe habet ipſius gemmæ natura atque ſubſtantia. Eſt enim ſummæ duritiei, ac pænè adamantinæ. *Scalpturis*, inquit Solinus, *minimè accommodatur, vt qui atteritum reſpuat: nec tamen penitus inuictus eſt: nam adamante ſcribitur & notatur.* Inſuper difficilè incaleſcit, quinimo in os miſſus magis friget; quod eo mirabilius eſt, quod hæc gemma naſcitur in Æthiopia, vbi ſcilicet calores ſunt vehementiores. Illud etiam medici de Hyacintho prædicant, illum cordi maximè mederi. Vnde in venenatis morbis vſitatum eſt ſatis à medicis, vt ex Hyacinthis potionem, quam confectionem Hyacinthorum vocant, ægrotis præſcribant. Virtutes cordis tuetur à peſte ſæuiente populatim, ſi ſuſpendatur collo è regione cordis. *Geſtantem etiam præſtat à fulminibus ſecurum*, inquit Rueus. Et Albertus addit *quia frigidus eſt valde lapis, inditam illi eſſe vim corpus roborandi: nec non conciliat ſomnum, tutum reddit peregrinum, & gratum hoſpitibus: confert ad diuitias & ingenium & lætitiam.* Et quæ recentiores Saphiro attribuunt virtutis indicia, videntur eſſe Hyacinthi propria, cum verum ipſi Hyacinthum nomine Saphiri appellent. Huiuſmodi ſunt roborare cor & viſum, contra timorem & venenum valere, vinctos è carcere ſoluere, tollere inuidiam, facere victorem, amorem caſtum deligere, fluxum ſanguinis ſiſtere; quin & ex abulenti in Exod. 28. inclinare ad deuotionem, pietatem, pacem, & conſtantiam; & inordinatas animi affectiones frænare. Hæc ſunt quæ grauiſſimi autores de Hyacintho dicunt. Quæ licèt incredibilia videntur, mentem tamen noſtram poſſunt ad inuiſibilium contemplationem euehere. Ac ſi S. Ioannes diceret: Cum vobis per

vndecimo beatitudinis fundamento, Hyacinthum propono, penſare ſedulò, quæ de Hyacintho lapide dicuntur. Illa vobis incredibilia videbuntur. Sed certi eſtote hæc perfectiſſimè reperiri in eo fundamento, nempe quod vnuſquiſque beatorum ſua ſorte, & gradu beatitudinis erit contentus. Nunc proprietates illius lapidis ad huiuſmodi fundamentum meditandum aſſumamus.

Diximus ſupra, Saphirum ſymbolum eſſe viſionis beatificæ. Hyacinthum nunc aſſerimus Saphiri colorem habere; ita tamen vt eius fulgor augmentum, decrementum ſentiat, iuxta diuerſam cæli faciem, aut ſi attentiùs videatur, aut ſi ad adamantis formam ſculpatur. Nihil magis idoneum ad ſignificandum inæqualitatem luminis gloriæ, qua inducitur inæqualitas illa beatitudinis, de qua egimus ſupra. Sicut enim Hyacinthus colorem mutat prout cælum nubiloſum aut ſerenum eſt, ita ſanctorum gloria magis aut minùs intenſior eſt, ſecundùm quòd diuerſimodè gratificantur, aut adſpiciuntur oculo illo ſupremæ ſapientiæ, quæ iuxta ſecreta conſilia iudiciorum ſuorum imperſcrutabilium, vnicuique plus aut minus, & illuminat & illuſtrat faciem ſupra beatiſſimas mentes, prout videt hoc gloriæ nominis ſui conuenire. Color cæruleus in Hyacinthis, ſymbolum eſt capacitatis naturæ hominis, ad recipiendum lumen gloriæ, ſi illum colorem in Hyacintho adſpicias, quia condenſus reflexione luminis fit adeo ſubtilis apparet intuentibus, vt ferè euaneſcat: ita ſi conditionem naturæ hominum fixè conſideres, videbis minimum gradum luminis gloriæ excedere omnem naturalem illius capacitatem, ipſique concedi ſeu dari ex ſola gratuita bonitate Dei.

Ignis efficaciâ color Hyacinthi in adamantis colorem tranſit. Maieſtate Dei (qui ignis conſumens eſt, quia ad eius gloriam omnia ordinantur) fit vt tota gloria ſanctorum, quin & inæqualitas gloriæ ipſorum videatur fieri, vt Dei voluntas adimpleatur, cuius ſoliditas & firmitas, in adamante adumbratur, iuxta illud: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Iſa. 45. Itaut tota illa collectio ſanctorum hoc nomine gaudeat, vt dicatur Dei voluntas, Deo exaudiente voces eorum, quibus clamabant ad Deum: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Terra tua*, inquit Iſaias c. 62. *non vocabitur ampliùs deſolata: ſed vocaberis voluntas mea in ea.* igitur vnuſquiſque beatorum gradum gloriæ, & ordinem tenens, quem Deus illi aſſignare voluit pro ratione meritorum, erit tanquam Hyacinthus, Saphiri colore intinctus. At ſicut ignis efficaciâ Hyacinthus in adamantis colorem tranſit, ita Dei maieſtate inæquales ſunt in gloria, & lumen proprium amittunt, vt Dei voluntas in eis omnibus appareat. Et ſicut de Chriſto dictum eſt, Eſaiæ 46. *vocans ab oriente iuſtum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.* Ita vnuſquiſque beatorum dici poterit vir voluntatis Dei, quia omnis illa collectio ſanctorum vocatur. *Voluntas mea in ea.* Et reuera ſicut Hyacinthus ita durus eſt, vt nihil in eo ſculpi poſſit, niſi Adamas ad ſculpendum aſſumatur; ita nihil poſſet in mentes beatorum lumen gloriæ diuerſimodè inſculpere, niſi Dei voluntas adeſſet, quæ iuxta ſuam infinitam ſapientiam, hanc diuerſitatem inducit.

At, ſicut diximus ſupra in explicatione lapidis carbunculi, Deus in animas illabitur per conſeruationem gratiæ, & nouum exiſtendi modum, eo nobiliorem quo in animas illabitur in vita præſenti; & inſuper mentibus illabitur per infuſionem luminis gloriæ, quin & in voluntatis facultatem,

A dum cum ea concurrit vt ſibi per amorem vniatur, eique conferat gratiam, & gloriam conſummatam, completam in illo gaudio quo afficitur, iuxta illud: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine: dediſti lætitiam in corde meo.* Cum iſta omnia per Dei voluntatem in animabus beatorum fiant; (eſt enim operatio quædam ad extra, & conſequenter libera, & ex mera eius voluntate pendens) nonne clarum eſt hanc Dei voluntatem adamantem eſſe, quo in ſubſtantia animæ inſcribitur gradus gratiæ habitualis, in mente gradus, luminis gloriæ, gratiæ inſculptæ in ſubſtantia proportionatus; Et in voluntate gradus amoris, qui hoc lumen conſequitur, & cum eo ſeruat proportionem; nec vllum agens naturale poſſe intima B operatione eſſentiæ aut facultatis ita vniri, ſicut Deus voluntate ſua animabus & mentibus beatorum intimè coniungitur? Solo adamante hic lapis, nempe beatorum ſubſtantia, eorumque facultates poſſunt inſcribi aut notari. Deus enim ſolus, prout vult, infundere poteſt & gratiam & gloriam in eo videlicet gradu quem conuenientiorem nouit ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, & ad diuinæ voluntatis ſuæ adimpletionem. Hoc modo igitur lapis Hyacinthus ſymbolum eſt inæqualitatis gloriæ ſanctorum. Quomodo autem ſit ſymbolum ſocietatis beatorum, nonobſtante illa inæqualitate, videamus. Plena ſiquidem eſt & C perfecta ſatietas beatorum, quæ expellit omnia incommoda, quibus in hac vita quies & tranquillitas animi perturbari poteſt, noſque reddit noſtra ſorte & conditione contentos. Ratio autem illius ſatietatis proculdubio peti debet ex eo quod omnis appetitus, ſiue naturalis, ſiue elicitus, ſeu prorumpens in deſiderij actum, perfectè impletur aut ſatiatur. Nam cum appetitus naturalis mentis noſtræ eam inducat, vt veri cognitionem exquirat, ſecundùm omnem latitudinem & extenſionem capacitatis naturalis in ea exiſtentis verum cognoſcendi: & pari ratione, naturalis appetitus voluntatis illam ad illud verum, vt bonum & conueniens, amandum propellat, ſecundùm D omnem amplitudinem ſuæ capacitatis: ſi aliquod verum tale exiſtat, aut bonum inueniatur, quo illi duo appetitus veri cognoſcendi aut boni amandi impleatur ſecundum omnem cognoſcendi aut diligendi latitudinem, nonne euidentiſſimum quòd ſi ſemel illud verum & bonum poſſideatur, nihil appetendum aut deſiderandum relinquitur cuilibet facultati intellectus aut voluntatis? At hoc fit in viſione Dei, etiam in minimo gradu cognitionis, cogniti & apprehenſi. Nam cum ita ſit quòd clara Dei viſio, in quocumque etiam infimo gradu conſiderata, ordinis ſit ſupernaturalis, & planè diuini: obiectumque habeat ſimpliciter infinitum: in quocumque gradu exiſtat E viſio talis obiecti, ſufficiens eſt vt omnem impleat appetitum creaturæ rationalis.

Et vt verum fateamus, omnia Angelorum & hominum deſideria ſi in ſeipſis conſiderentur, ſeu ſecundum proprias & naturales eorum facultates & virtutes, ſemper intra ordinem rerum naturalium includuntur. Itaque illud obiectum ſupernaturale à lõge exuperat omnia obiecta naturalia ſimul coacta, quæ appetitu naturali Angeli aut hominis poſſent deſiderari, ſi actu ſimul ea omnia Angelus & homo poſſidere valerent. Quo fit vt facillimè omnem expleat appetitum, quia in ſe omnia bona complectitur, & omnia quæ voluntas deſiderare poſſet: & in eius cognitione plura cognoſcuntur, quàm mens viribus propriis circa alia obiecta occupata exquirere valeret. Quin

Digitized by Google

etiam Deum cognoſcendi, illumque amando, fælicīori & meliori modo fruantur rebus omnibus quæ naturaliter appetere poſſent, quàm ſi eiſdem fruerentur. Omnes ſiquidem perfectiones continet abſque vllo defectu, abſque vlla mali vmbra, & clarè videtur talis qualis eſt in ſe, & hoc in perpetuum. Quid igitur appetere poſſet quilibet beatus, etſi in minori gradu beatitudinis conſtitutus? Nam etſi gradus gloriæ, in quo eſt, minor ſit, multò plura & excellentiora poſſidebit, quàm quæ vnquam aut concupiſcere, aut expectare potuiſſet.

At non modo appetitus naturalis planè impletur, ſed etiam actualis ſeu elicitus, id eſt, omne voluntatis deſiderium, quieſcit, nec beato aliquid aliud, quàm quod actu poſſidet, deſiderare licet. Hoc clarum eſt de deſiderio boni naturalis. Quidquid ſiquidem voluntas amare poteſt, eminenter continetur in amore beatifico. Quod ſi de bono ſuperioris, ſeu ſuper naturalis boni ſermo fiat, cum Beatus plus diligat Deum amore beatifico, quàm ſeipſum, aut ea quæ ſibi propria ſunt, ſeu ad ſe pertinent: hac de cauſa fortiùs deſiderat & vehementiùs voluntatis diuinæ adimpletionem, quàm quiduis aliud quod exoptare valeret. Cum igitur optimè ſciat Dei eſſe voluntatem quòd merces æqualis ſit meritò, hinc fit vt maiorem aut ampliorem mercedem non deſideret eâ mercede videlicet, quæ ſuis meritis coæquetur, qualis ea eſt quam actu poſſidet. Et quamuis beati gaudium conciperent maius, ſi maiorem reciperent mercedem, ſi talis eſſet Dei voluntas, eamque meruiſſent: tamen quia illam non deſiderant niſi præſuppoſita Dei voluntate, & præſuppoſitis meritis mercedem maiorem exigentibus: hæc voluntas potiùs dicenda velleitas quàm vera voluntas, (velleitas, inquam, quæ ſubſiſtere poteſt cum perfecta ſatietate & beatitudine, vt videre eſt in Deo, qui vellet omnes homines ſaluos fieri ſi obicem non ponerent, & quamuis in eo tale agnoſcamus deſiderium, tamen à beatitudine illum excidere non dicimus.) Ratio igitur pleniſſimæ ſatietatis eorum in duobus præcipuè conſiſtit, vnum quòd Beati cum minimo gloriæ gradu plura bona poſſideant, quàm quæ naturaliter deſiderare poſſint: aliud quòd cum Deum plus quàm ſeipſos diligunt, nihil aliud volunt aut appetunt, quàm quod ſciunt Deũ iuſtiſſimè velle & intendere, ſcilicet vt vnuſquiſque mercedem accipiat habita ratione bonorum operum & meritorum. Sicut igitur lapis Hyacinthus inordinatos frænat affectus, fluxum ſanguinis ſiſtit, tollit inuidiam; ita hæc conformitas cum Dei voluntate excludit omnem ambitionem, ſeu deſiderium maioris mercedis, quæ meritum noſtrum excedat, omnem auaritiam coercet; (Quid enim deſiderare poſſent, quod plenè actu non poſſideant?) omnem inuidiam, quæ regnare non poteſt vbi experiuntur tantam diuinæ bonitatis in ſe profuſionem. His adde quòd beati in hac inæqualitate præmium percipientes, manifeſtant profunditatem ſapientiæ iudiciorum Dei. Vnde triſtitiam concipere non poſſunt, ſi qui maiorem accipiant mercedem: quia de manifeſtatione gloriæ Dei plurimam concipiunt lætitiam. Et ſic conformitas illa cum Dei voluntate, illis melius quàm lapis Hyacinthus conciliat lætitiam pietatem, deuotionem, pacem, & in amore Dei & proximi conſtantiam. Quid enim vnquam potuerunt ſperare aut concupiſcere hominis naturæ conforme, quod non obtineant? Quæ veritas cognitu neceſſaria, vt quieſcat rationis illorum conquiſitio, & ſciendi deſiderium expleatur, quæ eis ignota remaneat? Quali bono, & quali decenti gaudio carent? Nullo certè. Sic igitur quieti & pacati magna fruuntur voluptate: vnuſquiſque ſua ſorte contentus exiſtit in os miſſus friget Hyacinthus. Deſiderium quodcumque frigeſcit intrantibus in illud gaudium, in quo abſorbetur ille qui audit: *Euge ſerue bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui.* Id eſt, vt ait S. Thomas, *gaude de eo quo gaudeo.* At quo gaudet? Quo ſatiatur os Dei ſacratiſſimum? Quinam illi ſunt cibi adeo ſuaues, vt ſint illi voluptati & gaudio? Nonne eſt fruitio ſuipſius, & voluntatis ſuæ iuſtiſſimæ & æquiſſimæ adimpletio? Anima igitur, quæ iuxta deſiderium, voluntatem, ac decretum Domini Dei omnipotentis ſemel in os eius fuerit introducta, vt ſit eius cibus, cum in ea Dei voluntas adimpletur, cænabit cum illo, eiſdem delitiis potietur. Quid igitur deſiderare poſſet? Frigeſcit omne aliud deſiderium. Et quia in hac vita tepida non fuit, non rejicietur; vt rejicitur ille, qui nec calidus, nec frigidus erat; ſed in participationem delitiarum Dei introducta, nihil aliud deſiderare poterit: Omne aliud deſiderium in ea frigeſcit: hoc proprium eorum qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, qui eodem cibo quo Chriſtus veſcebatur in hoc mundo, paſcuntur, qui dicebat: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris*; quam adimpleri videntes in inæquali diſtributione præmiorum pro diuerſitate meritorum, eo gradu gloriæ, licèt minimo, ſunt contenti, quo à Deo ditantur. Vnde merentur oſculari oſculo oris Dei, in eius os ſacratiſſimum introduci, ad participationem delitiarum Dei admitti, & plenè ſatiari ſola adimpletione voluntatis Dei. Frigeſcit omne aliud deſiderium, ſicut Hyacinthus in os miſſus, vt dicat vnuſquiſque beatorum: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Pſ. 16. Tunc inebriabuntur torrente voluptatis. Pſ. 35. Tunc illius faciem videbunt, coheredes Chriſti, qui os patris dicitur, quia eius gloriæ erunt participes: os ad os loquetur eis Deus. Equidem filius, quia coæqualis & conſubſtantialis patri, æqualiter fruitur bono infinito diuinæ eſſentiæ. At animæ, tanti boni non ſunt æqualiter participes: quia licèt eiuſdem boni fruitione gaudeant, non eſt infinita illorum capacitas, vt totaliter tantum bonum exhauriant; ſufficit eis ſi diuinam eſſentiam totam poſſideant, non totaliter; & tanta erit menſura participationis illius, vt nihil optandum reliquatur. *Menſuram* enim, inquit, *bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Luc. 6. Menſura erit bona, quia tres diuinæ perſonæ ſeſe exhibebunt in eſſentia ſua videndæ; & conferta, quia omnia ſua attributa maniſeſtabunt. Et rurſus quia præmium dabitur vltra condignum, ſeruata tamen proportione cum meritis præcedentibus, menſura coagitata, veluti cum modius agitatur, vt grana ſitu quodam conuenientiori minorem locum occupent, aliis locum præbeant, & plura in eo reponantur. Sic Deus inquiret exactè, & ſtrictè ex animabit, omnia opera bona, vſque ad cogitationes bonas, & intentiones rectas, vt ſic materiam ſumat maiorem & intenſiorem lætitiam impertiendi. Menſura denique ſupereffluens, quia non tantùm ad animæ facultates extendetur merces, ſed etiam in corpus redundabit. Quid igitur reſtat beato deſiderandum, qui & in anima & in corpore recipit mercedem vltra omnem ſpem, & expectationem: quia ſeruatâ ſemper cum meritis proportione, Deus præmiat vltra condignum? Et quamuis animæ ſanctorum egreſ-

ſæ fuerint ex Æthiopia, ex medio habitantium in tabernaculis Cedar in tabernaculis obſcuris & nigerrimis, in quibus immodicis caloribus diuerſarum concupiſcentiarum vexantur; quia in os Dei ponuntur, id eſt, iuxta Dei verbum & promiſſionem introducuntur in gaudium Domini, ſatietatem obtinebunt perfectiſſimam, factæ participes gaudiorum Domini, & conformes redditæ ſuæ voluntati. Certè ſi lapis Hyacinthus me detur contra peſtem & venenum, illa ſatietas, hæc cum voluntate Dei conformitas, omnem fugabit ambitionem; omne deſiderium eorum, quæ noſtra ſunt refrigerabit; omnem expellit inuidiam: corroborabitur viſus hac ſubmiſſiome, qua ſe ſubmittet animus diuinis decretis, ſeu diuinæ voluntati, vt nihil aliud reſpiciat nihil aliud intendat, quàm quæ ad Dei honorem & gloriam ſpectant: conciliat pacem lapis Hyacinthus, & lætitiam. Hac ſubmiſſione & conformitate anima ſumma pace ac tranquillitate cum ſe & cum aliis potietur, quæ pax veram ingerit cordi lætitiam. Conciliat ſomnum Hyacinthus. Hac conformitate tranquille requieſcet in dulci ſponſi amplexu; & conſopitis omnium aliarum rerum deſideriis, quibus impediretur ne plenè potiretur ſponſi amplexibus, ad quem tantùm adſpirat, quem ſolum intuetur; ait: *Ego dormio*: quia nihil deinceps animi tranquillitatem & quietem perturbare poteſt. At *cor meum vigilat*: nam & mens mea in contemplatione ſupremæ veritatis requieſcit, & voluntas mea illam tanquam ſummum bonum feruenti dilectione amplectitur in æternum. Certè ſi de cælis materialibus dictum fuit: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; hoc de myſticis cælis dici poteſt, qui ore Domini j. verbo Domini, in gaudij æterni poſſeſſione confirmantur, ne inuidia rabeſcant ob inæqualitatem præmiorum; & charitate animati, Dei honorem ſitientes, in amores Dei conſtanter perſeuerant, quia ſpiritus oris ſui, omnis virtus eorum. Et hæc de vndecimo fundamento ſatis.

Duodecimum amethyſtus.

De duodecimo fundamento beatitudinis, nempe impaſſibilitate corporum, in lapide amethyſto ſignificata.

ANNOTAT. XXXII.

QVAMVIS beatitudo eſſentialis animæ in Dei viſione perficiatur, tanta eſt nihilominus animæ cum corpore coniunctio, & adeo naturalis ille modus percipiendi ea, quæ ſenſibus obuia ſunt, per conuerſionem ad phantaſmata; & inſuper adeo vehemens eſt inclinatio animæ, ad ea quæ ſenſibus ſuis gratiſſima ſunt, vt meritò ad complementum beatitudinis requiramus reunionem corporis cum anima; qua mentis actio, & voluntatis amor, eò fiat intenſior, quò nulla inclinatione ad reſumptionem corporis, virtus eius non ampliùs diſtrahetur: qua etiam reunione totus homo perficiatur & beatificetur, dum connaturali modo ea quæ foris ſunt percipit, & corporis ſenſus poſſident obiecta, in quibus purè & immaculatè delectentur. Hoc appetere beatos certiſſimum eſt. *Nemo* ſiquidem, inquit S. Paulus, *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam*. Epheſ. 5. Vnde connaturale eſt homini bona corpori, conuenientia appetere. Nec ſancti odio habuerunt animas ſuas dum erant in hoc mundo, niſi ſub ſpe & expectatione melioris reſurrectionis, & ſuas animas ſaluandi, id eſt, vitam meliorem re-

A cuperandi, cum eam perdere videbantur. Ideo inter fundamenta beatitudinis reponimus corporum reſurrectionem ad vitam immortalem, & impaſſibilem: non modò quia nullum erit agens extrinſecum corpori moleſtiam inferre valens, ſed inſuper quia qualitate quadam inditâ ſupernaturaliter, corpora erunt ab omni dolore immunia.

Certum ſiquidem primò ex fide, quòd in eadem carne, quam habemus, reſurgemus Iob. c. 19. *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius.* Aliàs, inquit non eſſet vera reſurrectio, ſi quod cecidit, idem non reſurgeret. Vnde S. Ioannes Damaſcenus l. 4. fidei c. 28. reſurrectionem definiuit: *Secunda eius, quod cecidit, ſurrectio.*
B Eadem igitur anima, quæ corpori olim vnita, nunc corpore ſoluta, beata eſt in cælis, corpus ſuum in cinerem redactum reſumet, cum omnibus ſuis partibus eſſentialibus, quales ſunt caput, brachia, coxæ crura, pedes, manus, dorſum, pectus, cor, pulmo, iecur, & cætera; quin & cum omnibus partibus accidentalibus, quales ſunt capilli, vngues: vel quas olim animauit, aut ſaltem poſſedit ad munimentum & ornatum in corpore mortali exiſtens: vt perfectiſſima ſit identitas in reſurrectione & reſumptione huiuſmodi partium: Quin etiam in eodem ſitu reſtaurabun-
C tur, itaut manus dextera in dextro latere reponatur, & ſic de cæteris, dum materia quorumlibet membrorum eumdem locum & eumdem ſitum obtinebunt, quem antea habuerunt. Quod maximè verum eſt de partibus heterogeneis: neceſſe eſt enim vt ex iiſdem pulueribus, in quos fuerunt diſſolutæ, denuò conficiantur: quemadmodū ſi ex pulueribus, in quos diſſoluta eſt caro, fieret os, non eſſet idem numero quod antea fuit, quia non conſtaret eadem materia. Quod tamen ad ipſam carnem attinet, vel ad aliam partem homogeneam, non ita neceſſe eſt vt ſingulæ partes cinerum redeant ad eamdem partem corporis, in qua antea fuerunt, ſed ſatis eſt vt ex totis cineribus, in quos caro eſt diſſo-
D luta, rurſus caro fiat, vt dicit Aug. quocumq; partium ordine ſeruato. Si tamen fieret itaut ordo ille ſeruaretur in partibus etiam homogeneis, hoc nec Deo impoſſibile, nec ſapientiæ eius diſconueniens. *Capillus*, inquit Christus, *de capite veſtro non peribit*. Luc. 21. Quanto magis aliæ partes corporis nobiliores non peribunt? Et hac ratione ſanguis venas replebit, in ea quantitate quæ neceſſaria erit, vt corpus optimam compoſitionem, & conſtitutionem, in qua conſeruari queat, obtineat: ſed quæ maior erit eâ ſanguinis quantitate, quam nunc habemus: tum quia ab omni corruptione erit immunis, cum qua nunc in venis reperitur, tum quia credibile eſt inteſtina ſanguine puriſſimo fo-
E re replenda. Et ſub ſanguine intelligimus alios tres humores, in ea qualitate & quantitate quæ ſit corpori glorioſo conuenientior. Nerui & arteriæ ſpiritibus vitalibus & animalibus replebuntur. Hac ſpe perfectæ reſtitutionis in integrum omnium noſtrorum membrorum, animi Machabæorum excitabantur vt magnanimiter cuncta tormenta, & membrorum ſuorum detruncationes tollerarent. Vni eorum lingua poſtulatur, vt præſcinderetur. Præcipitur eidem vt manum amputandam offerat. Quid ille, quæſo? Hilariter linguam exerit, manum portendit, & audacter cum fide viua exclamat. *E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc deſpicio quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero* 2. Machab. c. 7. Eadem fide alij martyres membrorum diſtentiones, diruptiones

præciſiones non timuerunt, qualis fuit S. Adrianus, cuius pedes & crura, cuius manus & brachia præciſa fuere. *Alij*, inquit S. Paulus, Heb. 11. *diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem.* Sciebant namque corpora ſua ſibi eſſe reſtituenda in meliori & fæliciori ſtatu. Et reuera, ſi quis fuerit in corporibus defectus, ſi quæ inſit deformitas, reformabitur, iuxta illud S. Pauli. *Reformabit enim corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Vt autem reformetur, opus non erit vt illi reſtituatur tota materia, quam habuerit in omni vitæ tempore. Qui enim ſexcentos aut octingentos annos, aut nongentos vixerunt, cum enormi quadam magnitudine & groſſitie reſuſcitarentur. *Etſi*, inquit S. Auguſt. *capillis capitis redit quod tam crebra tonſura detraxit. Si, vnguibus quod toties dempſit exectio immoderata & indecens cogitantibus; & ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit deformitas.* Auguſt. in Enchiridio. c.79. Itaque ſi quid neceſſarium non fuerit ad perfectionem, & idemtitatis reſurrectionem, & quod potiùs noceret & dedeceret, quàm vtile aut conueniens foret, non reſtituetur. *Curante*, inquit Auguſt. *artificis prouidentia, ne quid indicens fiat.*

At, inquies. cum materia ſuperabundet, quænam pars olim animata ſeligetur: ſiquidem tota non reſtituetur. Tres opiniones à Toſtato adducuntur. Prima eſt, vt ſit prima materia, quæ fuit in corpore, vſque ad illam quantitatem, quæ neceſſaria erit vt corpus glorioſum integrum & perfectiſſimum reſurgat: itaut ſi materia, quæ per ſpatium quinque annorum viuificata fuit, formationi, nutritioni, aut accretioni deſeruiens, ſufficiat, ipſa reſumatur in reformatione corporis; ſiue illius materiæ pars quædam vſque ad mortem perduret, ſiue tota pereat aut dilabatur: ſi quid ſuper ſit relinquetur. Alij dicunt reſumendam fore illam materiam, quæ neceſſaria fuerit ad exactam ſeu requiſitam corporis magnitudinem, quæ per totam vitam permanſerit. Denique alij probabiliùs exiſtimant illam materiam reſumendam, quæ erit in corpore in articulo mortis: ea enim propriè ad corpus pertinere videtur magis quàm ea quæ iam effluxit; Et quia reſurrectio dicitur *eius quod cecidit ſumeſtio*; quod ſi quid deciderit morbi extenuatione, illud reſtaurabitur & reſtituetur ex materia deperdita. Nec abſurdum mihi videtur aſſerere (poſito quod fiat quædam materiæ ſelectio ex omni illa, quæ olim informata & animata fuerit) quod ea ſit ſeligenda aut præferenda, quæ in corpore fuit in eo temporis articulo, in quo quilibet beatus aliquid vel fecerit, vel paſſus fuerit pro Dei gloria, & in excellentiori & perfectiori gradu charitatis extiterit. Sicque caro illa S. Stephani lapidibus contuſa & obruta; illa caro excoriata S. Bartholomæi, exuſta S. Laurentij, alteri materiæ (quæ per totam vitam animata fuerit, ſi quæ ſuperflua exiſtat) anteponetur, eiſque reſtituetur. Alij volunt partes materiales, quæ primæ inſeruierunt augmentationi corporum, cum illis partibus quæ fuerunt in formatione (quia ad debitam corporis magnitudinem pertinent) eſſe reſtituendas. Quæ ſententia inducit mentem, vt dicam fortè futurum eſſe vt illa materia ſeligatur, quæ fuit in corpore cum quis renouatus fuit & renatus per Sacramentum Baptiſmi, vel cum quis eminentiorem charitatis gradum attigerit. Nam cum corpus noſtrum debeat reformari, & configurari claritati corporis Chriſti, ſeruabitur quædam proportio & conuenientia, ſi eadem materia ſeligatur, quæ in primo inſtanti noſtræ iuſti-

A ficationis ſanctificationem quamdam adepta eſt, quia tunc corpora noſtra facta ſunt templum Spiritus ſancti, & vaſa munda, apta vt in eis Deus glorificaretur & portaretur, iuxta illud Pauli: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro*; perfectaque fuerit & conſummata, cum facti fuimus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quæ quidem plenitudo non tam conſiderari debet ſecundùm quantitatem corpoream, quam ſecundùm plenitudinem gratiæ, qua fiat vt Chriſtus viuat in nobis, & dicere poſſimus: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Hæc, inquam, materia tum initij noſtræ iuſtificationis, tum plenitudinis gratiæ illa ſit, ex qua quod ne-
B ceſſarium fuerit ad perfectionem corporis glorioſi aſſumatur; vt materia quæ animæ ſocia fuit in actionibus ſuis magis hæroicis, ſeu eminentioris meriti, etiam illi ſocietur, dum præmia magnifica laborum ſuorum ipſa accipiet.

Nec videtur abſurdum, ſi admittamus hanc materiæ ſelectionem; & ſi inſuper aſſeramus haberi rationem actuum ſupernaturalium infuſionis primæ gratiæ, & charitatis perfectionis: ſiquidem ſtatus reſurrectionis finalis eſt ſupernaturalis ordinis, vt mirum non ſit ſi ad huc habeatur ratio ad ſtatum aliquem eiuſdem ordinis ſupernaturalis. Quod ſi Deus perfectionem naturæ Angelicæ, & diſtinctionem ordinum Angelicorum com-
C menſurauit gradui gratiæ, quem illis conferre ſtatuerat; quid mirum (ſi plus materiæ vnicuique beatorum reſumendum reperiatur, quam quod neceſſarium exiſtat ad perfectionem corporis, & reſurrectionis idemtitatem) ſi tunc ratio habeatur illius, quæ animæ ſocia fuit in tempore innocentiæ Baptiſmalis, vel in exercitio excellentioris charitatis; & præcipuè illa ſeligatur, quæ aliquid paſſa fuit pro Chriſto, relictâ materiâ ſuperfluâ, quæ per reliquum vitæ ſpatium effluxerit. Licet igitur ſancto Auguſtino placuerit non requiri ad integritatem & formationem ſtatuæ reficiendæ à ſtatuario ex eadem materia ex qua antea facta fuerat, vt ex eadem numero materia membrum
D aliquod formet, quo antea factum fuerat; *dum tamen*, inquit, *totum ex quo conſtitutum fuerat reſumeret; ita Deus mirabiliter & ineffabiliter artifex de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet; neque aliquid attinebit ad eius redintegrationem vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur.* Ita Aug. Nihilominus non aſſerit contrarium non poſſe fieri, aut non fore faciendum, vt diximus ſupra. Equidem fatemur non eſſe abſolutè neceſſarium vt pars eadem in eodem ſitu reponatur, modò homini corpus reddatur ex eadem materia, ex qua formatus fuerat & conſtitutus, & cum qua vitam tranſegit.
E Tamen perfecta idemtitas exigere videtur, vt eadem materia reddatur in eadem ſituatione & poſitione, quam antea habuerat. Nec iſtud erit impoſſibile Deo, imo erit illi facillimum, quiri & ſummæ ſapientiæ illius conuenientiſſimũ, vt iam tetigimus. Et cum certũ ſit quòd quæ in homine tota materia, fuerit, dũ vitæ ſuæ tempus tranſegit, (ſi longior fuerit vita) poſſit eſſe ſuperflua ad perfectionem corporis reſurrecturi; ſtatus tamen gratiæ ſupernaturalis exigere videtur, vt ſi quæ ſe tertio fiat, habeatur ratio maximè ad eum ſtatum, in quo homo, dum viueret, Deo fuerit ſtrictiori charitate coniunctus. Fauet ipſemet Auguſtinus, lib. 22. de ciuit. c. 17. dum ait: *Fortaſſis in illo regno, in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, ſed digni-*

Digitized by Google

tas erit ; & quædam, quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit. Ita Aug. Etenim ſi ſigna vulnerum remanent ad decus & ornamentum, nonne credibile eſt materiam eamdem, in qua vulnera ſuſcepta fuere, debere reſumi ; & in eadem parte, in qua vulnera ſuſceperunt, reſtitui?

At hanc etiam perfectionem corporum neceſſarium erit vt ſexus remaneat : quia membra totum corpus efficiunt. Reſurgentes tamen in proprio ſexu, ſexus non fungemur officio, dicente ſaluatore ad Sadducæos : *In reſurrectione neque nubent, neque vxores ducent, ſed ſicut Angeli Dei.* Neque hoc patiet confuſionem : non enim libido ibi erit, quæ confuſionis eſt cauſa ; nec ſexus fæmineus vitium eſt, ſed natura ; & ideo erunt membra fæminea, B non accommodata vſui veteri, ſed decori nouo ; quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia atque clementia, *qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit.* Aug. l. 22. de ciuit. c. 17. *Chriſtus igitur detrahet tantum vitium naturæ, naturam verò ipſam non mutabit. Creatura quippe eſt Dei, fæmina, ſicut vir : ſed vt de viro fieret, vnitas commendata eſt ; vt autem illo modo fieret, Chriſtus, vt dictum eſt, & Eccleſia figurata eſt. Qui ergo vtrumque ſexum inſtituit, vtrumque reſtituet,* inquit Aug. ibidem. *Sed quia nec nubent mulieres, nec viri ducent vxores, ideo benè Apoſtolus dixit : caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, neque corruptio in corruptionem. Subſtantiá quippe corporis eadem permanente, quidquid corruptionis peccati, aut imperfectionis, carni accidere potuit, hoc totum ab ea excludetur. Deerunt igitur in eo ſtatu animales actiones, generationis, manducationis, nutritionis, & conuerſionis ciborum in propriam ſubſtantiam, accretionis, pinguefactionis ; aut actiones per quas macritudo comparatur, & corpus attenuatur. Deerit & ſomnus. Quia nec neceſſaria erunt in hoc ſtatu, nec etiam conuenientes. Non enim corpus amplius erit ſpiſſum, graue, corruptibile, qualia ſunt corpora animalium. Seminatur corpus animale, reſurget ſpiritale, id eſt, qualitatibus præditum, quibus animæ perfectiſſimè ſubjicietur. Subtile, agile, incorruptibile ; nec cibo, nec ſomno indigens. Quoniam tanta erit tunc concordia carnis & ſpiritus, viuificante ſpiritu ſine ſuſtentaculi alicuius indigentia ; ſubdita carne, vt nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem, ita nec intus nos ipſos patiamur inimicos.* Ita Aug. Et hac ratione, ſi aliquid ad reformationem corporis pertineat, in ætate, magnitudine, figura, colore, hoc totum reformabitur, & in meliori ſtatu conſtituetur, & diſpoſitione quæ tam fælici conditioni conueniat. Hinc probabilius eſt beatos reſurrecturos non in iuuenili ætate, nec in decrepita aut ſenili, ſed in ætate perfecta & virili ; & vt volunt, in ea quam Chriſtus habebat, dum vitæ ſuæ terminum ponere voluit, *in menſuram*, inquiunt, *ætatis plenitudinis Chriſti.* De magnitudine aliud eſt : nec enim inconueniens eſt vt in magnitudine aliqua inſit diuerſitas, & vnuſquiſque illam obtineat, quam ſecundùm naturalia principia habere potuiſſet, giganteſque in ſua magnitudine reſurrecturos, ſi per errorem & vitium naturæ ad illam non peruenerunt. Exiſtimauit tamen quoad ætatem S. Anſelmus omnes in ea ætate reſurrecturos, in qua quiſque è vita deceſſerit, vt ex hac diuerſitate reſultet quædam harmonia & pulchritudo, dum quidam in iuuenili ætate, alij in virili, alij in ſenili reſurgent. *Nihil enim oberit ſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma, vbi nec mentis, nec ipſius corporis vlla remanebit infirmitas*, ait S. Auguſt. Tamen probabilius eſt in ea ætate & robore reſurrectura corpora, ad quam Chriſtum hic perueniſſe cognouimus, verbi gra- A tia, circa triginta annos.

Quantùm ad figuram, eadem faciei delineatio, ſed perfectior ; itaut ſi virtus formatrix in aliquo peccauerit, reformabitur in reſurrectione : ita tamen vt quis ex propria vultus delineatione cognoſci ac diſcerni valeat. Quo fit vt quidam negent nigros cute, vt Æthiopes, in eo colore eſſe reſurrecturos, quia hic color aliqua ratione repugnat claritati & perſpicuitati corporum glorioſorum. Et vno verbo dicam : quicquid cogitari poteſt pulchri & perfecti, in animæ aut corporis facultatibus & qualitatibus corpora afficientibus, hoc totum concedendum eſt & aſſignandum corporibus glorioſis. *Ac per hoc*, inquit S. Auguſtinus, *non eſt macris, pinguibuſque metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales ſi poſſent nec hîc eſſe voluiſſent.* Et paulo poſt : *Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua ſunt corrigentur : & quod minus eſt quàm decet, vnde creator nouit inde ſupplebitur : & quod plus eſt quam decet, materiæ ſeruata integritate, detrahetur. Coloris autem ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui.* S. Aug. lib. 22. de ciuitate c. 19. Et in Enchirid. c. 90. *Hic fiet cuique de materia corporis ſui, quod & hominem reddet æqualem Angelicis catibus, & nihil inconueniens eorum ingerat ſenſibus. Indecorum quippe aliquid non erit ibi : ſed quidquid futurum eſt, hoc decebit : quia nec futurum eſt, ſi non decebit.* Ita Aug. C Corpora igitur in hac perfectione ſuſcitata, ſicut nullis erunt obnoxia inſultibus aut moleſtiis ab extrinſeco, ita nec intrinſecè, ex conſtitutione optima quam in reſurrectione obtinebũt, poterunt aliquod malum pati aut dolorem. Quam ab omni moleſtia immunitatem dicimus adumbrari, in lapido Amethyſto. Et reuera hoc neceſſarium eſt ad ſtatum beatitudinis. Immortalitas quippe corporum illos miſerabiliores redderet, ſi dolori ſubjicerentur : Et in hoc cum damnatis conuenirent, qui ad cruciatus & dolores ſufferẽdos in æternum viuunt. Et quamuis continuò & inceſſanter doloribus non ſubderentur, ſi tamen aliquando pati aliquem dolorem contingeret, hoc plurimum poſſeſſionem D beatitudinis perturbaret, & fluxum gaudij interrumperet : quod tamen nullam diminutionem, alterationem aut interruptionem minimè patitur. *Gaudium veſtrum*, vt pote tale quale eſt, *nemo tollet à vobis.* Id eſt, non minuetur, non dolore admiſcebitur, non præſcindetur, non finietur.

Igitur ad cumulum beatitudinis beati, Deum poſſidentes, illius clara viſione colluſtrati ; ex cognitione incarnationis Chriſti de eius amicitia ſecuri, quamuis maieſtate illius terreri poſſent ; nullis paſſionibus aut animi perturbationibus vexati, nullus hoſtis ab extrinſeco inſultus pertimeſcentes, nec de propria nihilitate & indignitate diffici, itaut licèt eorum beatitudo à mera Dei voluntate E eiuſque beneplacito dependeat, ab ea excidere non timeant, quia ſciunt Deum in verbis veracem, & in promiſſionibus fideliſſimum ; inſuper cum eis nulla ſit occaſio aliquam moleſtiam pertimeſcendi ab iis cum quibus conuerſari debent, quo eorum ſocietatis tædiat, nihil in ipſis percipientes (ob ineſtimabilem puritatem & ſanctitatem) quod ingratum exiſtat ; honorem ab inuicem ſecundùm meritum & conditionem debitum recipientes : Denique propria ſorte contenti, cum Dominus pars ſit hæreditatis eorum, vnde funes ceciderunt illis in præclaris, Pſ. 15. quomodo, in illa beatitudine, & quiete perturbari poſſent? Hoc vnum eſt ab illis excludendum, quo perturbarentur, nempe corporis dolor aut moleſtia. Hac de cauſa pro vltimo fundamento muri quo beatitudo

munitur

Digitized by Google

munitur & protegitur, amethyſtum reponimus, ſymbolum vitæ ſanctorum, non ſolùm immortalis, ſed etiam impaſſibilis; inſuper ſymbolum delectationum, quas per ſenſus percipere poterunt tam ſublimi ſtatui conformes. Non enim ſufficit vt nihil timeamus pati ab extrinſeco, per repulſionem cuiuſlibet agentis extrinſeci, à quo aliquam moleſtiam pati poſſemus; ſed inſuper neceſſarium eſt vt aliqua intrinſeca qualitate corpora noſtra ab omni moleſtia aut dolore eximantur. Et licèt corpora nullis veſtimentis indigeant ad arcendum frigus, aut alias aëris iniurias, aut propter verecundiam, quia omni decore fulgebunt; nec de omnibus membris, quàm nunc de gratioſis oculis, erubeſcent, vt docet S. Anſelmus in elucidario, aliquem ornatum tamen accipient ex lumine: itaut ſicut lux in nubibus recepta diuerſitatem quamdam colorum reflexione ſua producit, vt videtur potiſſimum in Iride; ſic ſplendor luminis intrinſecè in corporibus inhærentis aliquos ornatus externos illis ſuppeditabit, iuxta ſtatum & conditionem vniuſcuiuſque beatorum.

Quomodo autem Amethyſtus ſymbolum ſit huiuſmodi immunitatis ab omni dolore & moleſtia, videamus.

Ex Amethyſti Etymologia Amethyſtus idem eſt primò ac non ebrius. Secundò, ebrietatem prohibens. Eius color eſt violaceus, quia omnes ſpecies Amethyſti, perlucent violaceo colore, quem colorem alij exponunt vini colore. Vnde Epiphanius in ſuo de gemmis libello ait Amethyſtum vini ſimilitudinem vibrare, & Plinius ait Amethyſtum vſque ad vini colorem accedere, ſed in violam deſinere, & fulgorem quemdam purpuræ in illa cerni, non ex toto igneum, ſed in vini colorem deficientem. Indicæ abſolutum phœnicis purpuræ colorem habent. Tyriæ autem purpuræ color eſt concreti ſanguinis & ſplendentis. Vnde Amethyſtum dicunt *αἱματινον* id eſt, ſanguineum atque cruentum. Præcellens debet eſſe in ſuſpectu, velut in carbunculo, refulgens quidem in purpura leuiter roſeus nitor itaque in pretioſo Amethyſto vinacij coloris imitatio cum purpura copulatus. Facilè ſcalpitur, & dulciter vibrat in ſuo ſplendore quaſdam flammulas. Et eſt gemma gratiſſima. Vocatur propterea à Dionyſio Afro dulcis, à Plinio gemma veneris. Et Anſelmus Boëtius l. 2. de gemmis c. 32. ait Amethyſtos orientales igne incandentem adamantis colorem tranſire, itaut vix à peritioribus ab adamante diſcerni valeant. Et ſicut ſarda in ſaxi alicuius corde reperiri ſolet, ita Amethyſtus ſicut ſardam quibuſdam petris confractis inuenitur. Et ſarda dicitur Amethyſti mater, quia nonnullæ inueniuntur gemmæ vna ex parte ſardius ex altera Amethyſtus prohibet Amethyſtus ebrietatem, & deſignat ſobrietatem, vigilantes reddit qui eum geſtant; & in hac gemma ſignificationem totius proſperitatis Rueus contemplatur. Quin & Alciatus Emblemate quodam, aſſerit colorem ianthinum (qui eſt Amethyſtinus) eſſe proprium eius, qui rerum ſuarum ſtatu contentus eſt. *Quiſque ſorte ſua contentus, ianthina geſtet.* Hæc ſunt quæ de Amethyſto referunt autores, vt videre eſt apud Cornel. à Lap. & Alcazar, in hunc locum.

In lapide iaſpide, Dei fruitionem & poſſeſſionem contemplati ſumus; ſi in lapide ſaphiro vidimus hanc fruitionem obtineri non poſſe, niſi per intellectualem viſionem diuinæ eſſentiæ in lapide Carbunculo, ſeu Chalcedonio, perſpeximus Chriſti Domini in dextera Dei ſedentis cognitione, beatitudinem noſtram obiectiuam complere, quæ

A completur cum non tantùm Deum obiectum primarium videmus, ſed etiam creaturas cognoſcimus, quæ ſunt obiectum viſionis ſecundarium. Smaragdus lapis docuit nos quòd licèt Dei maieſtas adeo reformidanda cernatur, vt intuitu illius magnitudinis aliquid nobis eſſet pertimeſcendum; quia tamen in Chriſto fideliſſimum amicum, & apud Deum potentiſſimum mediatorem habemus, de fælicitatis noſtræ perpetuitate ſecuri exiſtimus. Et reuera in Myſterio Incarnationis, in quo noſtra natura eleuata fuit ad vnionem verbi, Deus tam euidenter manifeſtauit ſuam erga nos Charitatem, & intimam dilectionem, vt de ea dubitare impoſſibile ſit. quia cum ipſo omnia nobis donauit; quia B tamen beati in cælo de decretis liberis Dei ea tantùm cognoſcunt, quæ Deus reuelare voluerit, vnde nunc non adhuc norunt diem determinatum iudicij finalis, vnde timere poſſent ne intra conſilia Dei imperſcrutabilia, ſeu in abyſſis omni menti creatæ impenetrabilibus ſapientiæ & ſcientiæ Dei aliquid remaneat illis ignotum, quod ad Dei gloriam pertineat, cui cedere debet omne ius cuiuſlibet creaturæ; quod ſi fiat, poſſent à gloria excidere; talis timor excluditur præcipuè ex conſideratione exaltationis naturæ humanæ ad dexteram Dei patris collocatæ: habentes ſiquidem Ieſum pro aduocato & mediatore, & fideliſſimo amico, tam reformidanda Dei maieſtas eos tantùm ine- C briat ingenti dulcedine & lætitia, cum ſe videant diligi in æternum ab eo qui in ictu oculi poſſet illos in nihilum redigere. Præterea in lapide ſardoniche vidimus, huiuſmodi beatitudinem perturbari non poſſe ex aliqua deordinatione internâ paſſionum appetitur: in ſarda, nullum hoſtem externum eſſe beatis pertimeſcendum, à quo moleſtia affici poſſint. In Chryſolitho vidimus quomodo ſecuri ſumus de beatitudine, propter fidelitatem promiſſionum Dei, quæ cum inuentæ fuerunt veriſſimæ in his quæ iam experti ſumus, certam exhibent expectationem de æternitate gloriæ. In Beryllo contemplati ſumus quantum delectationem accipiant beati ex mutua conuerſatione. In topazio D illorum impeccabilitatem; in Chryſopraſo mutuos honores, quos ſibi inuicem deferunt, vt concordiam & amicitiam inter ſe inuiolabilem ſeruent, & cum ſumma pace & tranquillitate viuant. In Hyacintho vidimus illos ſua ſorte & conditione eſſe contentos. Nunc denique in Amethyſto videndum quomodo omnis doloris aut gemitus occaſio ab eis amouetur: in omnes voluptates decentes ad ſunt, quibus inexplicabiliter delectabuntur in æternum.

Certè purpureus Amethyſti color (quo colore induuntur Reges, qui ad Regium faſtigium euecti, ſua ſorte debent eſſe contenti) deſignat Beatos ad hanc gloriam euectos, vt corpora cum animabus E recipiant glorioſa, ſua ſorte debere eſſe contentos. Nam verè regiam quamdam dignitatem obtinebunt, cum per dotem impaſſibilitatis perfectum imperium anima in corpus ſuum exercebit; non amplius caro aduerſus ſpiritum recalcitrabit, nullam corpus patietur alterationem, qua lædatur quædam ex animæ functionibus in proprium corpus; itaut nec in actione, qua corpus informat, nec in potentia motrice, nec in facultate vitali, aut animali, aut ſenſuum operationibus, anima vllam reperiet ex parte corporis repugnantiam aut reſiſtentiam. Perfectum habebit in corpus imperium, vt in eo, & per illud, quicquid ei conuenit ei decet operetur. Et ſic veſtietur Ianthino, Amethyſtino colore, id eſt regiam obtinebit dignitatem. Pa-

teſcet qualis & quanta ſit eius dignitas naturalis, A quæ in hoc conſiſtit, vt corpus informet, & in eo omnes functiones ſuas liberè exerceat, abſque vllo obſtaculo extrinſeco aut intrinſeco, ſed cum omni delectatione & facilitate. Vocatur igitur ad nuptias agni, parata eſt ſicut ſponſa, ornata viro ſuo, per dotem impaſſibilitatis; & adſtat ſicut regina à dextris ſponſi, purpura, viola, regio ſcilicet veſtimento induta.

Quid autem deſignat fulgor ille carbunculi, ſeu igneus, in ſanguineo colore amethyſti, niſi vigorem vitæ immortalis? Sanguis enim dicitur animæ ſedes. Vnde Poëta ſignificare volens animæ à corpore ſeparationem, dicebat: *Purpuream vomit ille animam.* Et ignis ſymbolum eſt ſpiritus viuificantis, B iuxta illud: *Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo:* Quia ſcilicet anima calore vitali, veluti aptiſſimo inſtrumento, viuificat & animat corpus. Igneus igitur ille ſplendor micans & refulgens, in lapide ſanguinei coloris, optimè deſignat vitam immortalem, viuidam, & impaſſibilem.

Deinde facilè ſcalpitur lapis amethyſtus: quod euidentiſſimè deſignat illam facilitatem, qua anima ſuam actionem in proprium corpus imprimere valebit, omni amoto impedimento. Hæc eſt illa ſanitatis plenitudo, qua anima fruetur, cum nihil erit quo impediatur quominus poſſit exercere omnes ſuas functiones in corpore. De qua plenitudine ſanitatis loquitur S. Auguſtin. Epiſt. 56. ad C Dioſcorum.

Rurſus ex hoc lapide exiliunt quædam flammulæ, quibus certè inducimur in recordationem gloriæ corporum Beatorum, de quibus dicitur Sapien. 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Color violaceus amethyſti, vini colorem refert, quo ſymbolo deſignantur eximiæ illæ delectationes, quas anima percipit etiam in ſenſibus corporis in patria: quarum delectationum vinum eſt aptiſſimum ſymbolum, vel Saluatore teſte: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum in regno Patris mei:* Et de vino dixit Eſdras, l. 3. c. 3. *Omnem mentem vertit in ſecuritatem & iucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam & debitum, & omnia præcordia* D *facit honeſta.* Hoc certè præſtabit illa impaſſibilitas. Sicut enim, vt vidimus in ſarda, nullum timebunt extrinſecum agens, quo perturbetur illorum tranquillitas: ita per iſtam impaſſibilitatem, (quæ erit quædam qualitas ſupernaturalis, à Deo collata vt corpus ſeruet in ſanitate perfecta) nullum timebunt in ſeipſis intrinſecum principium corruptionis. *Corpus enim hoc corruptibile induet incorruptionem.* Itaut nihil ſit quo poſſint vel ab extrinſeco, vel ab intrinſeco mortem timere. *Nouiſſima* tunc *inimica deſtruetur mors.* Tunc *non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor: quoniam priora tranſierunt. Et*, vt ait Iſaias, *obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.* Et ſicut vinum moderatè ſumptum præcordia facit honeſta, ita ille ſtatus impaſſibilitatis. E *Nam*, vt ait S. Thomas, *in corporibus glorioſis inteſtina plena erunt non turpibus ſuperfluitatibus, ſed nobilibus humiditatibus. Exhalabunt hæ nobiles humiditates odorem ſingularem.* Lege Barradium, tom. 3. pag. 110.

In lapide Amethyſto plures cernuntur colores, propter ſplendorem micantem, violæ ſcilicet, purpuræ, & vini; quo ſymbolo in recordationem eorum trahimur, quæ de corporibus glorioſis docet S. Thomas, nempe non fulgere eodem modo omnes corporis partes; itaque aliter facies, aliter fulgebit caro, aliter oſſa, aliter nerui, aliter ſanguis; afferetque corpori pulchritudinem maiorem ipſa varietas ſplendoris.

Splendor Amethyſti fulgorem Carbunculi imitatur, Carbunculus, vt vidimus, ſymbolum eſt Chriſti Domini. Quid igitur in Amethyſto deſignat fulgor Carbunculi, niſi quia corpora noſtra tunc erunt impaſſibilia & ſana, cum reformata fuerint, & configurata corpori claritatis Chriſti?

Amethyſtus in igne poſitus in ſplendorem tranſit adamantis. Hoc innuit nos in Chriſti Domini claritatem tranſire: quia miſit nos in ignem tribulationum, igne nos examinauit, vt non inueniatur in nobis iniquitas. Dicent tunc beati: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Amethyſti erunt orientales, quia per gratiam præuenientem ad hanc gloriam vocati ſunt. Mittuntur in ignem: quia probantur tribulationibus. Apparent adamantes, quia redduntur Chriſto in gloria conformes. Si igitur petas: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis*, impaſſibilitatis & immortalitatis, *qui ſunt, & vnde venerunt?* Audies: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui in throno eſt habitabit ſuper illos. Non eſurient, neque ſitient ampliùs: quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Si igitur lapis ſardius ſignificat agni protectionem, vt diximus, nonne optimè dicitur mater amethyſti, id eſt, huiuſmodi impaſſibilitatis. Quis allectus tot voluptatibus, delectationes huius ſæculi non paruipendet, & viles non reputabit? Quis non ſobrietatem & temperantiam à rerum temporalium oblectationibus conſectetur? Quis non vigilabit ne imparatus moriens à tanta gloria excludatur? Certè volunt Amethyſtum digitis confricatum & calefactum paleas attrahere, vt refert Plutarchus, lib. de aud. Poëtica: multo magis attrahet conſideratio tantæ fælicitatis, mentes ad eam appetendam, ſi ſæpiùs eam mente & cogitatione reuoluemus. Et hæc de fundamentis beatitudinis ſatis.

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas; & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.

Quanta debet eſſe perfectio operum bonorum, quibus comparatur vita æterna, ſeu qualia debeant eſſe media, ſeu opera meritoria, quibus acquiritur ius ad gloriam, vt aditus ad eam ſit peruius?

ANNOTAT. XXXIII.

NOTA *eſt parabola Chriſti, qua ſimile eſſe dicit Regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuentâ autem vnâ pretioſâ margaritâ, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Matth. Cælorum regnum Chriſtus immediatè antea theſauro comparauerat, cuius quidem cognitio ſemel adepta duobus affectibus animum inuenientis pulſat. Primus eſt, ne tanto bono priuetur, & defraudetur; & proprium ſibi facere ſatagit, quod videt ab alio poſſe poſſideri, ne alius illi coronam ſurripiat; & relictis omnibus aliis bonis, hoc vnum ſibi comparare ſtudet; & ideo emit, contemptu omnium temporalium, agrum in quo illa cognitio deliteſcit: id eſt: totum ſe applicat ad cognitionem & ſpeculationem diuinorum. Sed quò attentiùs in abſcondito cordis ſui in huius boni contemplatione immoratur, tantò ardentiùs in alium prorumpit affectum, inueniendi medium ſcilicet quo ad illius fruitionem valeat peruenire. Dum

Digitized by Google

in hac meditatione occupatur, & varia audit vel legit de mediis, quibus ad beatitudinem poteſt peruenire, nullum ſanè medium ſatis efficax reperit, quo ſecurè illius adeptionem ſibi polliceri queat, donec in Chriſti cognitionem ſemel inciderit. Ille eſt vna precioſa margarita, in cuius cognitione, amore & imitatione medium inuenitur comparandi vitam æternam, per actiones videlicet Chriſto conformes. Nihil philoſophorum doctrinæ illi contulerunt: nihil figuræ legis antiquæ, nihil prophetiæ, niſi inquantum in eis Chriſtus figuratur, adumbratur, prædicitur. *Bonæ margaritæ,* inquit S. Hieronymus, *poſſunt intelligi lex & Prophetæ. Audi ergo, Marcion & Manichæe, quòd bonæ margaritæ ſunt lex & Propheta. Vna ergo precioſiſſima margarita eſt ſcientia Saluatoris, & Sacramentum paſſionis & reſurrectionis illius. Quod cum inuenerit homo negotiator ſimilis Pauli Apoſtoli, omnia legis Prophetarumque myſteria & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpatè vixerat, quaſi purgamenta contemnit, vt Chriſtum lucrifaceret: non quòd inuentio bonæ margaritæ condemnatio ſit veterum margaritarum; ſed quod comparatione eius, omnis alia gemma ſit vilior.* In illud Matt. c. 13. *Simile eſt regnum, &c.* in caten. S. Thom. At Chriſtum ſcire non ſufficit, niſi illius veſtigiis inhæreamus, illius ſimus ſectatores, illius fiamus imitatores; nec enim putandum eſt nos introire ad gloriam ſub alio nomine, aliis coloribus induti, quàm ſub nomine Chriſti, quàm eodemmet induti, iuxta illud Apoſtoli: *Induimini Dominum noſtrum.* Quid eſt enim induere Chriſtum, niſi eum imitari? Hinc S. Chryſoſtom. in Epiſt. ad Rom. c. 13. homil. 27. *Semper nobis Chriſtum in exemplum Apoſtolus proponit: nam & cum de eleemoſyna loqueretur, ipſum adducebat dicens: Cognoſcite gratiam Domini, quoniam cum diues eſſet, propter vos pauper factus eſt. Et cum ad dilectionem adhortaretur dixit: Sicut & Chriſtus dilexit nos de ferenda etiam confuſione & periculis conſulens, ad eumdem confugit dicens: Qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, omni confuſione contempta. Ita hic, quoniam magnum quid præceperat Paulus, ſe ſcilicet dimittere ad alterius inſtaurandam infirmitatem: Vnuſquiſque, inquit, veſtrûm proximo placeat in bonum, ad ædificationem: nam & Chriſtus ſibi ipſi non placuit. Quid eſt autem, Non placuit ſibi ipſi? poterat nulla ferre opprobria, poterat quæ paſſus eſt non pati, ſi quæ ſua ſunt ſpectare voluiſſet. Verùm noluit; ſed quod noſtrum erat reſpiciens, quod ſuum erat, neglexit.* Ita Chryſ. Modum autem, quo Chriſtus imitari poſſit, docet Gregorius Nyſſenus, orat. de perfecta hominis forma. *Bonus,* inquit, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nos qui in ipſum credimus, adorandi nominis ſui participes fecit, vt ſiue diuites, ſiue nobiles, ſiue obſcuri, ſiue inopes, ſiue doctrinæ aut dignitatis inſignibus exornati ſimus, nulla tamen ex re, quæ nobis adſit, nominemur; ſed his omnibus reiectis, de vno nomine ipſius appellemur Chriſtiani. Neque ex appellatione res fiunt, ſed earum ſubiecta natura, quæcumque tandem illa ſit, apti nominis ſignificatione declaratur.* Ita Gregorius Nyſſenus. Quis autem eſt ille, qui naturam rei ſignificatæ per nomen Chriſti induit, vt verè Chriſtianus dici poſſit, ex Paulo diſcamus. Hic enim maximè omnium exquiſitè nouit quis ſit Chriſtus, & Chriſtus in eo loquebatur. *An experimentum,* inquit, *quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Is autem Chriſtum ait eſſe *natum ex muliere, factum ſub lege.* Humilitatem igitur ſectemur. *Homo* enim *natus ex muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.* Vnde maximam contrahit cauſam humiliationis. Factus eſt Chriſtus ſub lege: Mandatis Dei obtemperemus, eique in omnibus obediamus & ſubjiciamur Chriſtus Dei virtus eſt; virtuti incumbamus. Chriſtus

A Dei ſapientia; vanas mundi & carnis illecebras, poſt quas ſtulti currunt, fugiamus caput eſt noſtrum: illum revereamur. Pax noſtra: pacem, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus habeamus, lumen eſt inacceſſibile; ſic luceat lux noſtra, vt videant homines bona opera noſtra, & Deum glorificare valeant. Rex eſt iuſtitiæ, & redemptor noſter; vnde Ieſus nuncupatur: Iuſtitiam ſitiamus, & eſuriamus, vt redemptionis illius fructum nobis comparare poſſimus.

Et verò cum S. Gregor. Nyſſeno, oratione de perfecta hominis forma, dicere poſſumus: *Veri Chriſtiani formam exprimunt illa omnia, quæ de Chriſto commemoramus; ex quibus ea quæ capere poſſumus* B *imitamur, quæ verò in naturam noſtram non cadunt, ea veneramur & colimus. Quamobrem, vt aliquis ſit perfectus homo Dei, vt loquitur Apoſtolus, nullo modo per malitiam perfectionem imminuens, oportet vt omnia nomina, quæ Chriſti ſignificationem explicant, in eius vita partim imitatione, partim veneratione colluceant.* Et paulo poſt: *Conſentaneum igitur eſt, vt quemadmodum in corpore humano ſingulæ partes conueniunt, ſic tota Chriſtiani vita omnibus, quæ in Chriſto ex fide conſiderantur, bonis inſigniatur.* Ita Gregor. Nyſſ.

Duodecim igitur portæ, duodecim margaritæ ſunt, id eſt, duodecim ſunt modi, ſeu duodecim rationes, ſub quibus Chriſtum Dominum perfectè, quantùm in nobis eſt, imitamur. Nec enim C ſub alio nomine opera noſtra nobis ius ad gloriam acquirere poſſunt. Ipſe eſt oſtium, per quod intrare debemus in cælum, ſiue in eum credendo, ſiue ipſum imitando. Hæc autem opera optimè per margaritas adumbrantur. *Vitæ ſiquidem munditias & ſanctitas præcipua, per candorem margaritarum ſignificantur,* inquit Ambroſ. Et quod de Apoſtolis dicit Andreas Cæſar. *Portæ duodecim, ſunt duodecim Chriſti diſcipuli, per hoſce namque & oſtium & viam vitæ cognouimus. Qui quidem duodecim ſunt margaritæ ex vna precioſa margarita, nempe Chriſto, ſplendorem lucemque adepti.* Ita Andreas Cæſar. Hoc de quolibet bono opere, quo Chriſtum imitamur, dicere poſſumus; actus enim orationum noſtrarum, obedien- D tiæ, & dilectionis proximi, quibus via nobis aperitur, & oſtium ad cælum, à Chriſti merito lucem & ſplendorem ſuum obtinent. Vnde admittitur in cælo qui ſimilibus operibus ianuam ſibi ædificauit, qua intraret in cælum. Et quia Religioſorum actiones propiùs accedunt ad imitationem Chriſti, ideo optimè Ludouicus ab Alcazar religioſorum hominum vita cum margaritis comparat: cuius quidem rei monere ſufficit. Apud autorem eam comparationem perlegere cui libuerit relinquo, ne actum agere videar. Dico tamen quodcumque opus bonum vitæ æternæ meritorium optimè per margaritam deſignari. Ab eodem Ludou. ab Alcaz. refertur ex Horatio fuiſſe quamdam vnionem, cuius in- E dicatio plus viginti ſcutorum millibus fuit; Ex Plinio muliebrem Lolliæ Paulinæ mundum margaritis conſtantem plus octingentis millibus æſtimatum fuiſſe; & ex eodem Plinio duas illas Cleopatræ margaritas pluris duodecies centenis millibris æſtimandas. At aſſero valorem vnius operis meritorij nullo pretio poſſe æſtimari. Candorem habet margarita: at tale opus ſyncera intentione candeſcit, Dei gloriam intendit, hoc vnum tantùm reſpicit: aliàs detrimentum ſalutis homo pateretur, ſi alia intentione duceretur. Ea enim Deus remunerat, quæ propter eum aguntur. *Quid autem prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Candeſcere debet etiam puritate corporis: *quoniam in maleuolam animam non in-*

trahit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1. Quæ quidem corporis integritas, animi magnanimitatem exigit, ad ſuperandas omnes difficultates, & appetitus carnis inſultus ſuperandos, quæ per magnitudinem iſtarum margaritarum deſignatur. Iſtæ enim margaritæ tantæ ſunt magnitudinis, vt ex ſingulis ſingulæ efficiantur portæ. Margaritæ perfectæ debent eſſe rotundæ: Iſta opera meritoria perfectionem omnimodam, genericam, ſpecificam, & abſolutam obtinere debent. *Bonum enim ex integra cauſa: malum ex minimo defectu.* Læuore gaudent margaritæ: nihil durum, nihil aſperum in bonis operibus, quæ ex magna animi manſuetudine procedunt. *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum*: Itaut quò maiorem adepti ſunt homines ſancti perfectionem, eò magis imbecillitati aliorum compatiuntur, memores illius dicti Apoſtoli ad Romanos c. 15. *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*

Pondere præcipuo præcellere debent margaritæ: illi actus meritorij pondere gaudent: quia non perfunctoriè, non leuiter, non ex improuiſo & inaduertenter fiunt, ſed ex matura mentis deliberatione, veluti de Martyrum patientia canit Eccleſia.

Ceduntur gladiis more bidentium:
Non murmur reſonat non querimonia:
Sed corde tacito mens benè conſcia
conſeruat patientiam.

Tales enim dum aliquid aggrediuntur, hoc firmo faciunt propoſito; nec ſunt tanquam ſtipula aut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, ſed veluti arbores, quæ fructum afferunt in patientia in tempore ſuo. Pondere enim & maturitate determinatæ voluntatis ad bonum proſequendum, fit vt aduenientibus vehementioribus tentationibus nihilominus in bono perſeuerant. Audierunt enim quæ primus & nouiſſimus (qui eorum incæpit ſanctificationem, & eam conſummare intendit) olim vni perfectionem iam adepto dicebat: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hac ratione iſtæ præclaræ actiones, quamuis in medio fluctuum maris proceloſi ſæculi exerceantur, naturam tamen cæli rorem infundentis potiùs induunt, è quo rore formantur, quàm aquæ marinæ, qua inuoluuntur conchæ; in quibus generantur. Margaritam ſcindere, & in duas partes diſſecare non poteris, abſque deperditione natiui decoris: poſſunt tamen nitidiores reddi. Actiones meritoriæ ab aliquo leuiuſculo puluere vanitatis poſſunt abſtergi, abſque detrimento meriti & valoris. At ſcindi non patiuntur; nec enim præſcindas à bono opere meritorio vel bonitatem ſpecificam obiecti, vel moralem intentioni rectæ, vel ſpiritum gratiæ & charitatis, quæ illud opus vel elicere, vel imperare, vel dirigere debet in Deum: aliàs non ampliùs dignum inuenietur, quo tibi illius intuitu in cæli gloriam pateat aditus. Margarita clarâ luce illuſtrata intus rubeſcere videtur, ac veluti animam habere purpuream: Pari ratione talia opera in lucem prodeuntia videntur certè ex zelo diuini honoris & ſynceræ charitatis prodire, iuxta illud Saluatoris: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis.*

His conditionibus circumueſtiri debent actus meritorij fidei, ſpei, & charitatis, attentionis, & vigilis cuſtodiæ ſuper omnes animi noſtri motus, patientiæ, iuſtitiæ, & æquitatis, Chriſti imitationis, conformitatis diuinæ voluntatis reſignationis ſeu abnegationis, obedientiæ, promptæ executionis

A inſpirationum & impulſionum Spiritus ſancti. Denique his conditionibus indui debent omnes actus miſericordiæ corporalis & ſpiritualis, & ſi qui alij ſunt, quibus promereri poſſit vita æterna. Si enim noſtra opera his conditionibus in conſummatione vitæ noſtræ munita fuerint, relinquamuſque mundum affectu æquè ac diſceſſu, vocationis noſtræ dignitatem agnoſcentes, tanquam filij dexteræ; illa certè nobis cælum aperient, quia recta intentione, magnanimitate, debita perfectione, animi manſuetudine, plena deliberatione, conſtanti perſeuerantia in bono integre & perfectè fuerunt peracta propter Dei gloriam & honorem, cui ſeruire omnia debent. Singulæ igitur portæ ex ſingulis margaritis.

B Dices: ſi per portas intelligas media, quibus aditus in cælum comparatur; cum omnia iſta aut plura ex iſtis ſimul ſint neceſſaria, & neceſſariò adhibenda dicendum eſſet eumdem numero hominem ſimul & in eodem inſtanti per duodecim portas cælum introire: quod certè abſurdum cenſetur, nec poteſt conuenienter in imaginatione repræſentari. Reſpondeo primò, eamdem difficultatem formari poſſe in ſententia aliorum, qui per portas intelligi volunt eos qui autores ſiue adiutores fuerunt ad gentium ac nationum conuerſionem. Siquidem plures plærumque ſaluti aliquorum cooperati ſunt: v. g. Petrus & Paulus ſimul Romæ
C prædicarunt: Paulus & Barnabas pluribus Euangelium ſimul promulgarunt: & ſic de aliis. Vnus fundamentum poſuit in conuerſione, alius ſuper ædificauit in optima conuerſi gubernatione. Igitur conuerſus ad fidem per duas aut plures portas intrare debet: ſiquidem plures efficaciter ad eius ſalutem cooperati ſunt. Reſpondeo ſecundò, nihil eſſe abſurdi, ſi exiſtimemus vnam eamdemque perſonam per plures portas intrare. Quod vt benè percipiatur, notandum eſt vnumquodque bonum opus meritorium nobis dare ius ad gloriam ſecundùm præſentem iuſtitiam. Quod & in ſymbolo Margaritarum innuere voluit ſanctus Ioannes, cum ait ſingulas portas ex ſingulis Margaritis,
D non ex pluribus eſſe effictas. Singulæ ſcilicet portæ ex ſingulis Margaritis. Quod bene notauit Lud. ab Alcaz. Igitur, exempli gratia, ſi de re aliquâ per vnicam Margaritam, ex qua vna portat conſtat, deſignatâ loquamur: producat quis actum fidei, charitate formatum, Dei videlicet nomen coram hominibus conſtanter confitendo, & hoc faciat in initio ſuæ ad Deum conuerſionis, ſicut fecit, latro bonus in cruce pendens recenter ad Deum conuerſus: iam quamuis nullum alium actum meritorium eliciat, acquiſiuit ſibi ius ad gloriam: At hanc efficaciam habent omnia media, quæ hic apponimus. Portæ igitur iſtæ nihil aliud denotant, quàm quòd quotieſcumque actum quemlibet eli-
E cimus vitæ æternæ meritorium, nouum ius nobis ad gloriam comparamus: itaut qui iam ex præcedenti actu illud ius obtinebat, alium actum eliciens nouum ius acquirat. Itaque ſicut portæ duodecim deſignant vniuerſalitatem eorum, qui ex quatuor partibus mundi ingredi debent, & vniuerſalitatem eorum, quorum labore & vigilantiâ ad fidem peruenerunt: pari ratione in noſtra interpretatione ſignificent quæcumque media, per quæ aditus nobis patet ad cælum. Et ſic per tot portas intramus, quot reperiuntur media ſpecificè diſtincta: & tot vicibus per eamdem portam ingredimur, quot vicibus eaſdem actiones reiteramus, donec tandem propter vltimum actum finalis perſeuerantiæ, iuxta diuinæ voluntatis præſcriptum, per illam aut iſtam intremus in æternum, in tabernaculis fiduciæ per-

Digitized by Google

manſuri, ad quorum introitum toties nobis ius A comparauimus.

Itaut cum dicitur ab oriente portæ tres, idem ac ſi diceres: Si cum ad Deum de nouo conuerſi fueritis, viua fide, quæ ſemper comitem habet charitatem, ſpe firma, quæ fidem præſupponens deſinit in Dei amorem, à quo bona æterna ſperamus: charitate feruenti, quæ nunquam eſſe poteſt abſque fide & ſpe, in Deum erecti fueritis, remittentur vobis peccata veſtra, quia dilexiſtis Deum: & ius habebitis ad gloriam.

Ab aquilone portæ tres. Si fortes ad virtutes comparandas poſt conuerſionem, ſedulam operam veſtram & induſtriam collocaueritis, ad quod præſtandum omnes actiones veſtras, animi motus, B cunctoſque ſermones diſtrictè examinaueritis, afflictiones quaſcumque tanquam à Deo immiſſas patienter toleraueritis, ad omne bonum opus exequendum paratiſſimi reperti fueritis, ecce ianua cæli patet vobis aperta.

Ab auſtro portæ tres: id eſt: Si ſplendorem perfectæ iuſtitiæ fueritis adepti, totam induſtriam veſtram adhibentes vt Chriſto poſſitis fieri conformes: in oratione, & eleuatione mentis ad Deum tempus inſumatis, omnia aduerſa æquè ac proſpera, prout Deus ordinauerit, humiliter ſubeuntes, non claudentur vobis portæ, neque per diem, neque per noctem.

Ab occidente denique *portæ tres*. Id eſt: Si in fine C & conſummatione vitæ pleni reperti fueritis bonorum operum, miſericordiæ, iuſtitiæ, humilitatis, patientiæ, &c. Et quæ retrò ſunt obliti fueritis, ad anteriora æterna deſideria veſtra extenderitis: pro remiſſione delictorum veſtrorum ad Deum gemitus & ſuſpiria veſtra emiſeritis, filij eritis dexteræ, & æternæ beatitudine vobis perfrui licitum erit.

Quoties igitur viua fide, Dei nomen confiteri non erubueritis, ecce adeſt vobis ius ad gloriam: quoties ex dolore peccatorum, & inter anguſtias offenſarum, ſpem veſtram in Dei miſericordiam proieceritis, hoc ius pari ratione vobis comparabitis. Quotieſcumque tandem actum charitatis D produxeritis, ea omnia deteſtando, quibus periculum eſſet ſeparari à Deo; illo iure munitis cælum patet vobis apertum.

Denique dicendum quòd cuiuſcumque ſimus conditionis, ex quacumque mundi plaga oriundi, quodcumque bonum opus in gratia perfecerimus, à quocumque ad illud eliciendum auxilium emendicauerimus: in quocumque ſtatu, incipientis, proficientis, aut conſummatæ perfectionis fuerimus reperti in morte, ſiue in vita purgatiua, aut in illuminatiua, aut in vnitiua, ſani vel morbidi, quotieſcumque gratia Dei ornati aliquod opus condignum vitæ æternæ operati fuerimus, certi ſimus nobis acquiſitum eſſe ius ad gloriam, quo E nobis liber ad cælum fiat acceſſus. Siquidem Deus, qui omnes capillos capitis noſtri annumerat, nullum bonum opus vitâ æternâ dignum, relinquet irremuneratum, etiam ſi ſolum potum aquæ frigidæ dederis in nomine ipſius. Hæc dicta ſufficiant de vniuerſalitate mediorum, quibus acquirimus ius ad gloriam, & de conditionibus operum, per quæ illud ius poteſt comparari.

Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum per lucidum.

Ex aliorum beatorum viſione, etiam inferioris gradus gloriæ, vnicuique beatorum dabitur occaſio Deum laudandi & amandi, propter mutuam charitatem qua ſe inuicem complectuntur.

ANNOTAT. XXXIV.

PER plateam intelligendæ ſunt viæ omnes laxæ & capaces huius ciuitatis. Nimirum in ea medium viam præterfluit flumen, & vtrimque arbuſta plantata ſunt, & tamen vtraque ex parte ſolidum ſuper eſt pauimentum, latum & amplum. Hic tamen admittere non poſſum Alcazaris interpretationem, dum ait *per domos deſignari fœlicitatem eorum, qui in illa eminent ciuitate, ſicut ædificia ſupra fundamentum ipſum extant atque eminent, per vias autem ſignificari id quod eſt in hac ciuitate humillimum, id eſt minores, quibus nihil peculiare eſt, præter id quod eſt omnibus commune, cuiuſmodi ſunt ij, qui ſola ſacri baptiſmatis gratia ornati ante vllam proprij meriti acceſſionem, in cæleſtem euolant regionem: nam & hi tanta fruuntur fœlicitate, vt ipſorum etiam gloria merito per aurum dilucidum figuretur.* Ita Alcazar.

Exiſtimo tamen nulli, ne minimo quidem deeſſe in cælo propriam manſionem. Abſurdum enim eſſe videtur, vt iſti rationem habeant tantùm fundamenti, ſuper quod alij beati eminentiores gradiantur. Vnde nec admitto Primaſij interpretationem, dum ait: *Iam dixerat quòd ciuitas ex auro mundo, ſimilis vitro mundo, vel quòd fundamenta eius ſint ex omni lapide pretioſo: quod ad potentes Eccleſiæ æſtimo referendum. Nunc de plateis adiecit dicens, & ipſas ex auro limpido, ſicut vitrum, inquit, limpidum: tanquam plateæ ad deſcriptam non pertineant ciuitatem. Sed illos hîc paruulos. Significari conijcio, de quibus nunc dicitur: imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. Itemque: Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Quòd ſcilicet ipſi quoque hoc munere non fraudentur, ſuaſque cogitationes ante mutua contemplentur. Sicut enim plateæ inferiori loco poni, ſic tales humili videntur loco ſaluari.* Ita Primaſius. Hanc inquam expoſitionem non admitto in platea enim ciuitatis puſilli & magni gradiuntur. Debet igitur platea aliquid ſignificare, quod ſit puſillis & magnis commune. Vnde & ipſe Primaſius quaſi non ſibi planè ſatisfeciſſet, addit: *Quòd ſi in plateis latitudo intelligenda eſt charitatis, diuerſis voluit vocabulis ſignificare perfectos. Tunc autem iam nullus ibi indignus, nullus inuenietur paruulus aut infirmus, licèt alius alio præmiorum clariùs emineat diſparitate ſublimior. Stella enim ab ſtella differt claritate, ait Apoſtolus: ſic & reſurrectio mortuorum.* Ita Primaſ.

Dico igitur per plateam ſignificari aliquid omnibus ſanctis commune, nempe mutuam charitatem, qua ſe inuicem complectuntur, & reciprocè de propria cuiuſque ſalute gaudent & lætentur. In hac charitate omnes fundati habent manſiones diuerſas propter diuerſitatem meritorum. Per hanc vnuſquiſque eorum, puſillus & magnus graditur cum ſumma facilitate & gaudio, iuxta illud Tobiæ c. 13. *Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus qui exaltauit eam: & ſit regnum eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam.* Ita Tobias de Ieruſalem loquens. Dico ſecundò ſanctum Ioannem in his verbis docere nihil in ea ciuitate reperiri, quod ne minimum quid offendere poſſit per eam ambulantes. Omnia plana, omnia gratiſſima,

omnia mundiſſima; quocumque ire libuerit, nihil aut oculos aut mentes beatorum contriſtare valebit : imo quidquid occurret, eos ad Dei amorem & laudem excitabit. Vnde nulla in beatis ſtulta cogitatio ex his quæ oculis percipient, dum per plateas ciuitatis huc aut illuc ſeſe contulerint, ſed eorum mens ſapientia plena clarè cuncta percipiens, Deum feruenti charitate & laude continua proſequentur. Facit ad hanc expoſitionem quod ait Ambroſ. In hunc locum. *Superiùs*, inquit, *per aurum mundum, & vitrum mundum perfectos viros & ſanctos Angelos diximus ſignificatos; ſed hîc per plateam ciuitatis, mentes fidelium; per aurum verò mundum & vitrum per lucidum, munditia mentium hominum deſignatur, atque Angelorum : quia ſicut ad mentes Angelorum nulla vnquam vana cogitatio accedere potuit, quæ eos macularet, ita & ſanctis poſt reſurrectionem nulla vnquam inutilis cogitatio adueniet, quæ eorum mentes commaculet.* Ita Ambroſ. Deinde non ſolùm nihil occurrit quod offendat aut commaculet, ſed nec inſidiæ ab vllo pertimeſcentur : nihil poterit in alterius præiudicium machinari, adeo omnia ſunt in ea ciuitate charitate plena, & cognita; ſunt enim pellucida, æquè ac aurea. Denique perſpecta erit vnicuique ambulanti per ciuitatem, gloria & beatitudo ſingulorum, quo poſſint de ea laudes Deo agere. Nam tanta inter ſe charitate connectuntur, vt de minimorum gloria, & de ſublimi ſtatu eorum qui maiores ſunt reputandi, gaudeant, & ſummam in ſe concipiant lætitiam, eo tamen maiorem vel minorem de vno quàm de alio, prout Deus magis aut minus in vnoquoque glorificatur.

Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus.

Quia beati Deum, & in manſionibus ſuis, & extra manſiones ſuas clarè videbunt, & in vno Chriſto quicquid ex conſideratione creaturarum de Deo cognoſci poſſet, clarè percipietur, nullum opus erit templo in ciuitate illa cæleſti.

ANNOTAT. XXXV.

TEMPLA hic exiguntur, vt commodiùs Deo cultum exhibeamus, vt ex his quæ ibi peraguntur, ad Dei cognitionem ſiue vt eſt omnium rerum creator ſiue vt eſt hominum redemptor, deueniamus. Quia ex omnibus effectibus qui in cælo ſunt, per quaſcumque plateas ambulari liceat, & maieſtatem creatoris, & benignitatem Redemptoris contemplari facillimum erit, ideo ciuitas illa non indiget templo Deus enim omnipotens, qui condidit illam, clarè ibi videtur : vt non ſit ad effectus recurrendum, cum in fonte proprio eius cognitionem hauriamus. Et cum redemptionis effectus in omnibus clarè percipiatur, quia beatitudo cunctorum cunctis erit notiſſima, quocumque ſeſe contulerint : ob Redemptionis fructus Deo & agno laudes decantare oportebit, quia nec intra domos, nec extra, aliquid erit quod tantum beneficium ob oculos non proponat ſpeculandum, & intuendum. Ambroſius verò rationem reddit cur templum in ea non ſit, cum ait : *Per templum, in quo hoſtiæ, & ſacrificia offerebantur. Eccleſia deſignatur, in qua non carnalia, ſed ſpiritalia ſacrificia quotidie Deo offeruntur. Nam ſicut illis ſecundùm qualitatem peccatorum exercebatur ritus ſacrificiorum, ita & in Eccleſia ſecundùm modum culpæ, debent eſſe ſacrificia pænitentiæ, ſacrificia orationum, fletuum, cordis compunctionum. De talibus ſacrificiis Propheta loquitur dicens* A *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et iterum : Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. Si eſt ſacrificium iuſtitiæ, eſt ſapientiæ, eſt & abſtinentiæ, eſt & humilitatis, cæterarumque virtutum. Hæc ſunt ſacrificia, quæ odorem ſuauiſſimum præbent Domino, non carnes pecudum, quæ in altari cremabantur. Ioannes ergo templum in ſancta ciuitate ſe non vidiſſe dixit : quia hæc omnia, quæ diximus, in illa beatitudine neceſſaria non erunt. Abſterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, &c. Dominus verò templum illius erit, & agnus : quia in illo erunt ſancti, & in illo habitabunt, ſicut ipſe dixit diſcipulis ſuis : Sicut ego ſum in patre, ita & vos in me eritis, & ego in vobis.* Ita Ambroſ.

Et rectè Primaſius : *Eccleſia enim, præſertim remotis iam Zizaniis,* B *in ſolis electis exultans in Domino ſacrata manet tanquam templo tutiùs requieſcens : vt à quo exiſtendi ſumpſit originem, & redemptionis experta eſt lenitatem, in ipſo beatam quoque obtineant manſionem. His enim tribus omnis eius ſumma perficitur. Eſſe, noſſe, diligere. Deus autem eam condidit informandam, illuminauit vocatam, beatificauit electam, cum ſe facit promiſſa glorificatione habitare perfectam, non iam per fidem ambulantem, ſed in ſpecie congaudentem.* Ita Primaſ. *Quorſum enim*, inquit Andreas Cæſarienſ. *opus eſt illis externo, & ſenſibili templo, quæ Deum, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, habeat cuſtodem & defenſorem? Is enim ſanctorum templum & incola eſt, quia iuxta promiſſionem ſuam habitat & ambulat in illis, &* C *agnus Dei, qui propter nos iugulatus eſt, cui etiam viuificus ſpiritus per eſſentiam coniunctus eſt.* Ita Andr. Cæſar.

Vnde optimè Alcazar. *Vbi autem Dei præſentia perſpicuè & euidenter cernitur, nullo alio templo opus eſt. Templum enim eſt ſeparatus locus, quo ſe quis ad orandum, & cum Deo ſe vniendum recipiat. At ſi Dei & Chriſti claritate manifeſtè frui conceditur, claritas ipſa cor ad ſeſe trahit ac rapit, & cum Deo perfectè vnit. Quare vbi nihil poteſt mentem ab ea perfecta vnione & contemplatione diſtrahere, ſuperuacaneus eſt quiuis alius locus, ad quem ſe quiſpiam recipiat.* Ita Ludouic. ab Alcazar.

D ***Et ciuitas non eget ſole neque luna, vt luceant in ea : nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus.***

Sol ciuitatis huius Deus, lumen gloriæ infundens, & corpora beatorum clarificans. Luna, Chriſti humanitas, radios ſuos emittens.

ANNOTAT. XXXVI.

NON ampliùs recurrendum erit ad ſpecies intelligibiles è phantaſmatibus eductas, nec ad rerum phantaſmata, aut ad alia obiecta à Chriſti humanitate vt Dei & agni habeatur cognitio. In E patria adimplebitur Prophetia Iſaiæ : *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ obumbrabit tibi : ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur : quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam. Et complebuntur dies luctus tui. Populus tuus omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Ita Iſ. *Claritas*, inquit, *Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt agnus.* Primaſius : *Quid enim,* ait, *potiſſimùm daretur vincenti, quàm vt ipſum mereatur munerum largitorem potiri? Ipſo quippe lumine fruetur in patria, quo nunc regimur gradientes in via. Eodem informati inter bona, & mala diſcernimus, quo tunc beatificati ſola, quæ bona ſunt, cernimus.* Ita Primaſ.

Digitized by Google

Vbi, ait Andreas Cæſar. *Myſticus iuſtitiæ ſol lucet, ibi externis, luminaribus opus non eſt. Ipſe enim illius & gloria & lucerna eſt; & gentes, quæ ſaluæ ſiunt, in lumine illius ambulabunt: de quibus ſubjicis: Et ambulabunt gentes, &c.* Ita And.

Rupertus: *Quo ibi nobis templum manufactum, quale hic facimus ad inuocandum nomen Domini, cum ipſi præſens conſpiciatur facies Domini, & pulchritudo templi non manu facti, id eſt, glorificati corporis Chriſti? Quo nobis illic ſolem aut lunam quærere ſcripturarum, vbi in ſemetipſo & in corde patris, Deus verbum, cuius hîc indices ſcripturæ neceſſariæ ſunt, &c.* Et poſt pauca: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Quid ergo ſol ad illuminationem illic conferre poterit, vbi tot quaſi ſoles erunt quot electi, homines, ſiue Angeli?* Ita B Rupertus.

Senſum autem horum verborum quem ſupra poſuimus, exquire in noſtra paraphraſi huius capitis quem hic repetere eſſet ſuperfluum.

Et ambulabunt gentes in lumine eius. Et reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

Deſcriptio gloriæ & beatitudinis æternæ data fuit, ad accendendum in nobis deſiderium æternorum. C

ANNOTAT. XXXVII.

QVAM vtilitatem afferat cognitio tot bonorum Eccleſiæ triumphantis, Eccleſiæ militanti adhuc ambulanti, hic docet ſanctus Ioannes. Prima vtilitas eſt, quod ad virtutis profectum ex eius contemplatione excitamur, iuxta illud: *Ibunt de virtute in virtutem: donec videbitur Deus Deorum in Sion.* Secunda eſt, quòd nihil erit in mundo adeo excellens & conſpicuum, quod libenter ad eam adipiſcendam gloriam non deuoueatur. Tertia vtilitas eſt cum nox ibi nullum habeat locum, vt ſtudeamus ſemper in luce manere & ambulare, dum lucem habemus: per diem nempe gratiæ portæ non clauduntur. Clauderentur enim ambulantibus in regione mortis, ſi in tenebris peccatorum morerentur, quia apud illam ciuitatem nox non poteſt inueniri. *Deus enim lux eſt*, qui ibi poſſidetur, *& tenebræ in eo non ſunt vllæ. Et ſi dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus.* 1. Ioan. c. 1. Totis deſideriis igitur ad illam patriam adſpiremus: ad eam conſequendam omnes actiones noſtras dirigamus. Quid enim naturæ hominis magis congruum, quàm appetere beatitudinem? ad eam adſpirent reges, nempe illi qui verè Reges ſunt per moderationem, & optimum regimen paſſionum; quin & principes ſæculi ſciant totis votis ad eam patriam ſibi eſſe aſpirandum, nihilque eos in hac

A vita poſſidere, quod æternæ fælicitati comparari queat. Omnes omnia detrimentum faciant, vt hoc bonum ſibi acquirãt, tantò ardentius exoptandum, quòd in gratia, & in luce perſeuerantibus portæ non claudentur. Si igitur quid glorioſum & honorificum in hac vita poſſidemus, hoc totum ad illam beatitudinem comparandam deuoueamus, dicamuſque cum Propheta: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, ſi non meminero, tui in principio lætitiæ meæ, obliuiſcatur mei dextera mea.* Pſ. 136. *Vehementer*, inquit S. Auguſt. *ſe conſtringit, fratres mei. Obliuiſcatur me dextera mea. Atrociter ſe obligauit. Dextera noſtra eſt vita æterna: ſiniſtra noſtra eſt vita temporalis. Quicquid facis propter vitam æternam, dextera operatur. Si charitati* B *vitæ æternæ in operibus tuis miſcueris concupiſcentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicuius commodi ſecularis, cognouit ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Et noſtis eſſe in præcepto Euangelij. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Ita Auguſt.

Si igitur aliquid habemus in hoc ſæculo, gloriæ aut honoris temporalis, hoc totum afferamus in illam ciuitatem; ſiue ea omnia pro patria cæleſti relinquendo, ſiue illa omnia ad eius acquiſitionem ordinando & dirigendo. Ne faciamus, quæſo, nobis dextrum quod ſiniſtrum eſt: id eſt: Ne fælicitatem noſtram quæramus in temporalibus bonis, ignorantes quæ ſit vera fælicitas: ſed ad hanc ciuitatem totis viribus adſpiremus. Notanda C autem eſt Primaſij ratio, cur portæ non clauduntur. *Quod autem*, inquit, *portæ non claudantur, pleniſſimæ ſecuritatis indicia declarantur. Non enim ibi iam dicitur; Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem; ſed potiùs: Vacate & videte quoniam ego ſum Dominus. Ibi honeſtè diligitur quod videtur: ſine ceſſatione laudabitur quod amatur: Ibi nec marceſcit quiſquam otio, nec fatigatur laudis perpetuæ negotio.* Ita Primaſ.

Dies autem, inquit Andreas Cæſ. *exſtat ibi perennis, nox autem nulla omnino: hæc enim in peccatorum ſortem deputata eſt.* Ita Andreas. Hac de cauſa addit S. Ioannes.

D *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.*

Ciuitas cæleſtis poſſidenda ab electis, reiectis quibuſlibet peccatoribus.

ANNOTAT. XXXVIII.

ID EST: nullus peccator, vt peccator, in eam intrabit. Peccatores quippe abominationes & mendacia nuncupantur. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor.* Prouer. 3. Quod quidem aliis verbis dixit Apoſtolus. Epheſ. 5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Sed quia hæc certiſſima ſunt & notiſſima, huic Capiti finem imponamus.*

FINIS CAPITIS XXI.

Digitized by Google

DE DELECTATIONE SVMMA Beatorum, ex viſione Dei.

CAP. XXII.

Textvs.

Et oſtendit mihi flumen aquæ vitæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.

Vt autem faciliùs perciperemus quanta delectatione fruantur Beati in poſſeſſione tot bonorum, hanc hypothipoſim, ſeu deſcriptionem ciuitatis huius cœleſtis proſecutus eſt. *Oſtendit mihi flumen aquæ vitæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni.* Hæc ſiquidem ciuitas, cuius lumen ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum, cuius murus magnus & altus, ex lapide iaſpide, habet fundamenta ex tot pretioſis lapidibus compacta, cuius domus & plateæ ex auro mundo, tanquam vitro pellucido; cuius portæ ex margaritis, in ſuo meditullio thronum habet Dei & Agni, in alto loco poſitum, ex quo fluuius prodit, per ſingulas vrbis plateas decurrens, habens arbores pulcherrimas, ferentes poma & fructus præſtantiſſimos, tum in medio areæ ſeu plateæ, tum ex vtraque parte fluminis. Arbores vitæ ſunt, vitam ſcilicet & immortalitatem iucundam & beatam afferentes his, qui poſt futuram reſurrectionem, ex reünione animæ cum corpore, veluti ex coniunctione ſolis cum lunâ, diuerſimodè delectari continget. Nam ſicuti ex coniunctione ſolis & lunæ multiplici, duodecim conficiuntur menſes, qui ſolis annuum perficiunt curſum, & ex varietate ſua diuerſas cauſant anni tempeſtates, ad variorum fructuum terræ productionem accommodas; ita ex reünione animæ cum corpore per diem illum æternitatis, ſeu anni nunquam finituri, quo claritas Dei hanc illuminabit ciuitatem, diuerſos Beati oblectationis modos experiuntur in facultatibus ſuis intellectualibus, ex ſenſibus tum internis tum externis, ex proportione potentiarum cum ſuis obiectis: quæ tantò maior erit, quantò his in tali ſtatu beatitudinis maior erit proportio potentiarum cum obiectis. Quæ oblectationes, ex affluentiâ & exuberantiâ donorum & voluptatum à Deo & Chriſto in Beatis effuſâ, ex Dei & Chriſti cognitione, etiam in corporis externos ſenſus redundabunt. Et quia in beatis erunt omnes potentiæ perfectiſſimæ, vna poterit intensè operari: ita tamen quòd ex hoc nullum impedimentum præſtabitur actioni alterius potentiæ. Contemplabuntur Deum: & ſummo amore tantæ bonitatis inardeſcent. At non minor erit occupatio eorum circa ſenſibilia ſentienda, vel quæcumque alia contemplanda aut agenda; nec ex tali occupatione remiſſior erit Dei amor aut contemplatio.

Igitur vt ſuam ciuitatis illius deſcriptionem perficeret, *oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.* Qua quidem ratione intellexi quanta flueret delectatio ex mente & voluntate, in quibus Deus requieſcit & ſedet tanquam in throno & thalamo, per cognitionem & amorem. Fluuius eſt aquæ viuæ: quia tale gaudium, ſeu talis delectatio, continuò fluit & emanat è potentiis, quarum ſunt actus cognitionis & amoris Dei ſplendidus eſt: quia pura: quia ſancta: quia ab omni labe libera eſt talis delectatio, vt pote quæ hauritur ex cognitione & amore obiecti puriſſimi, nobiliſſimi, & à quo omnis ſanctitas procedit. Nihil enim alienum, commixtum retinet: ſed ſpiritualia ſpiritualibus componuntur, ſicuti ſenſibilia à potentiis proportionatis ſibi percipientur debito modo ac ordine, ac tam eminenti ſtatui conueniente ſplendet tanquam cryſtallum: quia non tantùm ab omni commixtione rei alienæ liber eſt, ſed quia luce perfunditur, penetratur, nec vehementia voluptatis acumen intellectus obtundet. Licèt enim inebrientur ab vbertate domus, & ex torrente voluptatis pleno potati hauſtu omnem ſitim & deſiderium expleat, tamen ſemper vident, & ſemper videre deſiderant quem tantopere amant & diligunt. Voluptas igitur hæc luminoſa planè, quæ ex Dei cognitione & claritate ſemper manat ſeu procedit.

Vt autem Beatitudo ſit integra, non tantùm beatus ex viſione & comprehenſione Dei delectari debet; ſed quemcumque alium actum eliciat, ſiue intellectus ſiue voluntatis, ſiue æſtimatiuæ, ſiue imaginationis, ſiue facultatis appetitiuæ, ſiue ſenſuum exteriorum; ad hos eliciendos tanquam fructus ſuauiſſimos, habitus & diſpoſitiones habet tanquam formas permanentes, & qualitates informantes, tum apprehenſiuas potentias, tum appetitiuas, tum organa & membra corporis, quæ ſunt principia actûum, quibus cum Beatus vti voluerit, producit promptè operationes delectabiles. Arbores igitur ſunt firmiter radicatæ, tum in medio plateæ, id eſt, in potentiis ſenſitiuis, in quibus omnis ſenſatio perficitur, vel à quibus omnis motus animalis progreditur; & ex vtraque parte fluminis; id eſt, in intellectu & voluntate: vt quotieſcumque actum alium à viſione beatificâ & amore beatifico elicuerint, ſummam (quaſi fructum ſuauiſſimum) percipiant voluptatem. Fructus quippe ſunt quæcumque vniuerſa opera, in quibus homo delectatur. Et ſicut in eis Spiritus ſanctus, dum erant adhuc in via, duodecim fructus producebat, nempe charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, manſuetudinem, fidem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem; & ſpiritu viuentes, ſpiritu ambulabant: Ita hîc multo magis per tales habitus, & optimas diſpoſitiones ſtatui Beatorum accommodas, Spiritus ſanctus duodecim producit fructus, nempe operationes puras, honeſtas, ſanctas, & valde delectabiles; actuumque, quos olim producebant, ipſis liberè cooperantibus, & ſuis motionibus obtemperantibus, præmia eximia. Cum igitur ſic iucundè operationes ſuas exerceant, Spiritu ſancto repleti, rectè hi habitus per lignum vitæ deſignantur. Per menſes ſingulos reddunt fructum ſuum: nam ſicut per

Textvs.

In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum

Digitized by Google

per duodecim menſes in tempore præſenti, varij in terra fructus produci poſſunt, cum ſol duodecies lunæ coniungitur; ita in patriâ anima corpori coniuncta, cum connaturali modo operari voluerit, & tanquam ſol cum luna coniungi, in operatione circa alia à Deo obiecta ſe occupando, actus producet rationem vtilis & delectabilis habentes, ad modum cuiuſdam ex arbore fructus, è quibus eximiam beati percipient voluptatem. Vno verbo dicam: nihil niſi facilè, promptè, & iucundè peragent.

Quod ſi hic ad ſingulos lunæ ortus ſingulos ramos palma procreat, itaut duodecim ramorum productione annus expleatur; ſi per ſingulos menſes maturos fructus ipſa producit, ſi melanguli & mala aurea, ſeu citrini, toto anno virent, fructuſque geſtant alios maturos & croceos, vel aureos, alios virides & matureſcentes, multò magis qui aſcenderunt in palmam, victoriam de carne mundo & diabolo reportantes; ſingulis vicibus quibus operari connaturali modo voluerint, noua ſemper gaudia percipient, ſiue intellectu aliquid attingāt, ſiue voluntate aliquid amore proſequantur, ſiue de aliquo cogitent aut recordentur, ſiue rerum phantaſmata ſpeculentur, ſiue aliquod viſibile obiectum viſu attingant, aliquem ſocium aure percipiant, aliqua ſuauitate guſtus perfruantur, aliquem hauriant odorem, aliquid tangant, quo voluerint greſſus ſuos dirigant, quidquid libuerit ore & loquela exprimant; nulla tamen maiori voluptate perfruentur, quàm cum per habitus inditos, & diſpoſitiones requiſitas, aliquo modo Chriſti humanitatem attingunt. Eum enim mente cognoſcere, amore proſequi, de eo cogitare, eius cum hominibus conuerſationis recordari; eorum quæ olim fecit, dixit, paſſus eſt, imaginem ferre; eum ſpecioſum præ filiis hominum intueri, eius ſermones aure percipere, odorem ſuauiſſimum ex corpore eius diffuſum & ſparſum haurire, ipſius manus & pedes exoſculari, enim tangere, eius familiari colloquio vti poſſe, & quocumque ierit eum ſequi valere, & poſt eum dulces decantando hymnos curſitare, eique ſociari & comitem ſe præbere, reuera tantam hæc beatis afferunt lætitiam, vt nullo ſermone explicari queat.

Textus.

Et folia ligni ad ſanitatem gentium.

At non tantùm ex his habitibus & optimis diſpoſitionibus beati fructus colligent ſuauiſſimos ſuorum laborum; inſuper & folia ferunt ad ornatum quidem & decorem huius fœliciſſimi ſtatus, ſed inſuper ad ſanitatem & conſeruandam & prorogandam valde conducentia. Nam corpora beatorum plena ſanitate, vigore robuſto, agilitate, ſubtilitate, impaſſibilitate, claritate perfruentur: vt reuera dici poſſit quòd ex viſione, comprehenſione, & delectatione ſummi boni, & ex conuenienti potentiarum & facultatum omnium circa obiecta propria occupatione, & ex corporis & organorum eius ac membrorum optima diſpoſitione, nihil remaneat quod in recordationem maledictionis fulminatæ à Deo in naturam humanam deueniri queat. Nam omne maledictum non erit amplius, nullus peccati effectus, nullus morbus, nullus dolor, nulla miſeria, nulla ignorantia, nulla malitia, nulla deordinatio, nulla culpa, nulla pœna. Sed ſedes Dei & Agni in illa erunt: quia omnes Deum & Chriſtum eius cognoſcent & diligent, & in Dei charitate manebunt. Deus in eis, per charitatem diffuſam in ipſis per Spiritum ſanctum, ſemper erit: Itaut totius Trinitatis ſint perpetuum domicilium, thronus & thalamus, ſicque *ſerui eius ſeruient ei. Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Et nox vltra non erit; & non egebunt lumine*

Et omne maledictum non erit amplius: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi.

A *lucerna, neque lumine ſolis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos: & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Requieſcet igitur Deus ab omni opere, quod parrarat, vt hanc ciuitatem conſtrueret: nihil amplius habens quod faciat, eo ipſo quo homines ad ſuæ diuinitatis tam arctam & indiſſolubilem vnionem euocauit. Finis venit, vt Chriſtus tradat Regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatū & poteſtatem & virtutem. Poſuit inimicos ſub pedibus: deſtructa eſt mors: ſub eius pedibus omnia ſunt ſubiecta. Nunc cum Patre & Spiritu ſancto manet & quieſcit, tanquam in ſede gratiſſima. *Si autem ſubiecta ſunt illi omnia, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ſibi omnia.* Ideo tunc ad illum, qui formam ſerui B accipiens, habitu inuentus eſt vt homo, & de quo aiebat olim Deus per Prophetam: *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum. Electus meus: complacuit ſibi in illo anima mea*, Deus dicet: *Parum eſt vt ſueris mihi ſeruus, ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, & factus fuiſti ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Intellige nunc. Exaltare: eleuare: ſublimis eſto valde. Accede cum pueris, quos ego dedi tibi, vt ſint in ſignum & portentum Iſraël à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Et ſicut ſubiecta ſint tibi omnia, ſubiectus eſto mihi, qui ſubieci tibi omnia, vt ſim Deus omnia in omnibus. Tunc de capite ac membris dici poterit. *Serui eius ſeruient illi.* Complebitur enim, C cum videbunt faciem eius, & nomen habebunt Dei ſcriptum in frontibus, quod dictum fuit: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.* Obliuioni tradantur anguſtiæ priores: abſconditæ ſint ab oculis meis & veſtris. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoriam priora, & non aſcendent ſuper cor. Gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum: quia ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudiū*, cum nempe videbitis faciem meam, & nomen meū habebitis in frontibus ſcriptum, gloriantes in me, quòd vos in fideliſſimos ſeruos & filios chariſſimos elegerim, & regni mei participes effecerim. Exul- D tabo nunc in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo, & ſic ſedes mea & Chriſti mei ſedes eritis in perpetuum. Nec à tantâ gloria excidere poteritis: non enim erit nox, nec aliquo lumine indigebitis, ſiue per conuerſionem ad phantaſmata & ſenſus comparato, ſiue per ratiocinationem acquiſito, cum vos per lumen gloriæ & habitus infuſos, ad omnia videnda & percipienda ſatis inſtruxerim. Et regnabitis in ſæcula ſæculorum, mente Deo ſubdita, cui ſeruire regnare eſt, & appetitu rationi obſequente, carne animi imperio perfectiſſimo ſe ſubdente. Corpus enim diſponetur, & habilitabitur ad promptè deſeruiendū operationibus animæ. Quin & cœlum nouum, & terra noua, & omnia quæ in E eis erunt, ad gloriam veſtram & ad obſequium condita & renouata. *Liberabitur* enim *ipſa creatura à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*, vt mundi totius decor & ornamentum oblectationi ipſorum inſeruiat, regnentque ſancti in perpetuum, omnia inferiora ſibi ſubdita & obſequētia cernēdo

Textus.

Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.

Et nox vltra non erit & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.

Et regnabunt in ſæcula ſæculorum.

Et dixit mihi ille Angelus, qui ſuſtulerat me, & oſtenderat ciuitatem illam. *Hæc verba fideliſſima ſunt & vera.* Fideliter conſignaui tibi quæ mihi fuerant depoſita ac credita: tu ea proculdubio adimple, & vera ſuſpicito.

Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò. Et ecce venio velociter. Qui enim omnibus imperare poteſt, Angelis & ſpiritibus etiam imperauit, & qui tanquam Deus omnia futura & præterita cernit,

Et dixit mihi hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito.

quique vnicuique Prophetarum diſtribuit ſpiritum A propheticæ, prout vult, iſti quædam, alteri alia, tali aut tali modo, ſiue per ſomnia, ſiue per ænigmata, ſiue per illuſtrationes mentales, ſiue per Angelos reuelando, voluit per Angelum ſuum duo nobis & ſeruis ſuis oſtendi; nempe primò quæ oportet fieri citò; reſpectu quippe æternitatis temporalia omnia citò affluunt æquè ac fluunt; ſecundò quod de eius aduentu veloci certiores redderemur. Dicit enim ipſe: *Ecce venio velociter. Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ eius*, ſiue ea credendo quæ hic reuelantur; ſiue ſe ad aduentum iudicij tam formidabilis, per bona opera & laudabilem vitam præparando. Nec dubitare vobis licet ſi Deus dignatus fuerit hæc reuelare, cum in mentem reuocaueritis quis & qualis ego ſum. Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos olim benignè alloquens dicebat: *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Scitis me diſcipulum eſſe, quem præcipuè diligebat Ieſus. Facilè igitur credere poteſtis hæc ſecreta & futura mihi fuiſſe planè concredita. Et qui olim ſuper pectus Domini requieueram, & in ſinu Patris verbum æternum contemplatus fueram, vt eius generationem grandiloquentia ſtupenda hominibus proponerem, cum & eius primum in carne aduentum deſcriberem, potui hoc dono prophetiæ euehi ad ea, quæ ad eius claritatem & honorem cedere debent prædicenda, & Eccleſiæ proponenda, & ad eius ſecundum aduentum hominibus prænunciandum. Ne igitur de his dubitare vobis liceat, ſcitote quod ego Ioannes ſum, qui audiui & vidi hæc.

Textus.

Et ecce venio velociter. Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius.

Et ego Ioannes qui audiui & vidi hæc.

Et poſtquam audiſſem verba, quibus me alloquebatur, & vidiſſem Angelos apparentes, & ſymbola ſub quæ futura mihi reuelabantur, *cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat*, Deo propinquiorem illum exiſtimans. *Et dixit mihi: Vide ne feceris. Conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba prophetiæ eius.* Licèt qui propinquiores Deo ſunt, honore debito coli debeant, ne mihi nunc hac ratione honorem impendas. Potior tibi non ſum ex cognitione futurorum, imò quibus vult Deus, hominibus, ſiue Angelis reuelat. Et ſi ego illi inſeruio tibi vel aliis Prophetis, eas ſignificando prout vult, tu aliique Prophetæ illi inſeruitis, cum per veſtrum miniſterium eaſdem Eccleſiis ſignificat. Quod ſi in reuelatione myſteriorum obſequium Deo præſtamus, illi etiam obſequuntur, qui quæ præcipimus in nomine ipſius facienda & credenda, faciunt & credunt. Ideoque & ego, & tu, & alij Prophetæ, & qui ſeruant verba prophetiæ libri huius, obſequium omnes illi præſtamus. Ideo Deum ad ora, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & qui ad libitum, ſecretorum ſuorum homines & Angelos reddit participes, cum nihil ipſis debeat. Tantum hoc tibi curæ eſſe debet, ne verba prophetiæ huius abſconſa & incognita remaneant. Ideo ne ſignaueris, clauſeris, aut celaueris hæc oracula. Data enim ſunt vt menti, oculis, & auribus expoſita omnium fidelium meditanda proponantur, *Tempus enim prope eſt.* Ideo *qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc*: vt quò plus mali in fine mundi ad deteriora prorumpunt, eò maiora pietatis ſigna electi dare ſtudeant. Nam liberum eſt vnicuique iuxta vias ſuas ambulare, & cordis ſui voluntatem adimplere, ſiue malum, ſiue bonum. Sciant tamen omnes quod *ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.*

Et poſtquam audiſſem & vidiſſem cecidi vt adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendebat: & dixit mihi: Vide ne feceris. Conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius Deum adora.

Et dixit mihi. Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius.

Tempus enim prope eſt. Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc.

Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

At nulli de hac re dubitandum. Quæ enim ipſe A incepi, ego perficiam. Sum ſiquidem *ego α & ω primus & nouiſſimus, principium & finis*: Beati autem qui meriti paſſionis agni futuri ſunt participes, & ſacramentis à me inſtitutis, ad gratiam conferendam, ritè & debitè vtentes, mores & actus ſuos lauabunt in ſanguine ipſius. Hi enim ſoli habebunt poteſtatem in ligno vitæ, id eſt, in gloria poſſidebunt animas ſuas, & corpora: vt firmiter, promptè & delectabiliter me contemplari valeant, & per opera quæcumque meritoria ius ſibi ad gloriam comparare queant, ſi per portas intrent in ciuitatem in quâ dabitur illis vt edant de ligno vitæ, & iucundè vitam poſſideant æternam. *Foris canes*, bonitatis oſores: *& venefici*, omnipotentiam B diuinam maleficiis ſuis, & magicis operibus, aut veneficiis illudere conantes: *& impudici*, ſuæ dignitatis obliti, ſapientiam Dei contemnentes: *& homicidæ*, æqui & boni ac fraternæ charitatis hoſtes, iuſtitiam diuinam paruipendentes: impij, & idolis præ nimia ſtupiditate, ingratitudine, ac ſtultitia impiè ſeruientes, tandem omnes qui Dei mandatis minimè obtemperans, & verbis eius fidem adhibere nolunt, *& qui amat & facit mendacium. Ego Ieſus*, in cuius ore non eſt inuentum mendacium, qui ſuprema ſum veritas, qui Caput Angelorum eos in miniſterium mittere poſſum, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, *miſi Angelum meum hæc in Eccleſiis vobis teſtificari.*

Textus.

Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus, principium & finis. Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Ego Ieſus, miſi Angelum meũ teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.

C *Ego ſum radix & genus Dauid*, ortus ex eius ſtirpe, radice, & genere. Ego enim ſum meſſias Dauidi promiſſus, qui hæc edico, prædico & promitto, & reipſa conſequenter præſtabo. Et ſedebo ſuper ſolium eius, & regnaboque in domo Iacob in æternũm. *Ego ſum ſtella ſplendida & matutina*, qui illumino omnem hominem venientem in hunc mundum, qui fidei lumen cordibus infundo, qui nunc prænuncius ſum inſtantis ſolis, id eſt, vitæ & gloriæ beatæ. Indico enim vobis aduentare ſolem gloriæ veſtræ, & diei æternitatis.

Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella, ſplendida & matutina.

Et quia quid orare debetis, ſicut oportet, neſcitis, ideo ſpiritus adiuuanr veſtram, infirmitatem, orat pro vobis gemitibus inenarrabilibus: D & cum ſciatis eos qui gementes, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis ſui, nihil ad hunc finem efficacius euenire poſſe, quàm meum in iudicio aduentum, ideo facit vt Eccleſia ſponſa mea, quæ meo ſpiritu agitur, dicat cum ipſo, eo inſtigante pleno affectu: Veni, optimè ſciens quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, habitet in ea, viuificabit & mortalia corpora electorum, propter inhabitantem ſpiritum eius in ea. Quo fit vt ſpiritus & ſponſa dicat: Veni. Et qui fidem adhibet his, quæ Spiritus loquitur, dicat: Veni. Nec aliquem à me repello, qui accedere voluerit. Si quis enim ſitit, & deſiderio accenditur fruitionis tantæ fœlicitatis propoſitæ, veniat, & E qui vult, accipiat aquam vitæ gratis, id eſt, gratiam accipiat, qua ſaliet in vitam æternam, quam ei gratuito offero, ac recipiendam propono. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſanctâ, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam. Venio citò. Amen. Veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

Et ſpiritus, & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam. Venio citò. Amen. Veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis Amen.

Digitized by Google

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

CONNEXIO CAPITIS HVIVS CVM PRÆCEDENTI, & ſumma illius.

POSTQVAM S. Ioannes ante mentis oculos propoſuit nobis magnitudinem, excellentiam, & abundantiam bonorum, quibus frui licebit in cæleſti patria; quid ex poſſeſſione tot bonorum conſequatur hic declarat. Primò docet beatos ſumma delectatione potituros in contemplatione diuinæ eſſentiæ, in his verbis: *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, &c.* Secundò docet beatitudinem fore abſolutiſſimam, quia nulla erit corporis aut animæ potentia aut facultas quæ non proprio & conuenienti fruatur obiecto. Vnde beatitudine iſta, tanquam fructu ſuauiſſimo ſaturabuntur; & adimplebitur illud prophetæ: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, non modo in viſione diuinæ eſſentiæ, ſed etiam in perceptione omnium effectuum, quibus Deus ſuam bonitatem ad ſui nominis gloriam & exaltationem effundere deſiderat. Et hoc indicat in his verbis: *In medio plateæ, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, &c.* Tertiò, docet ex abundantia tot bonorum omne malum diſpungi & exulare. *Et omne*, inquit, *maledictum non erit ampliùs.* Quartò, docet in his omnes effectus, quos Deus vt rerum creator & hominum Redemptor voluit ad ſui gloriam producere, terminari: nec aliquid noui moliturum in poſterum. *Sedes*, inquit, *Dei & agni in illa erunt.* Quintò, docet Deum obtinere quod intenderat: omnia enim operatus eſt, vt à creatura ſua ſibi debitum reddatur obſequium. Quod reuera fiet, quia, vt ait S. Ioannes, *ſerui eius ſeruient ei.*

Sextò docet quantum bonum ipſi ſerui Dei ex Dei obſequio conſequantur, nempe quia videbunt faciem eius, & Deus in illis glorificabitur, iuxta, illud Iſ. *Seruus meus es tu Iſraël in te gloriabor. Et nomen*, inquit, *eius in frontibus eorum.* Septimò, docet viciſſim beatos magnum honorem poſſidere, tum quia beati erunt, non per poſſeſſionem alicuius boni creati, ſed per fruitionem creatoris. *Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*; Tum quia *regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Denique ſanctus Ioannes inculcat veram eſſe hanc Prophetiam, velociter adimplendam. Monet quantum afferat emolumentum huius Prophetiæ cuſtoditio, quæ nos beatos reddit, & Angelis pares & ſocios. Vnde aperienda fuit & manifeſtanda: quia cum tempus ſit breuiſſimum opus eſt vt ſeriò & promptè exequamur quæ præcipiuntur. Nam ſiue quis malis operibus implicetur, ſiue quis ſanctitati acquirendæ vacare non deſinat, certum eſt iudicem mox affuturum, qui ſecum habet mercedem, & reddere paratus eſt vnicuique ſecundum opera ſua. Nec de hoc dubitandum, quia Deus, qui incæpit, ipſe perficiet. *Ego ſum, α & ω*, inquit. *Beatus* igitur *qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* O quàm infælices erunt è contra peccatores: quia ab hac gloria expelluntur. *Foris* enim *canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Ad hæc inculcanda & docenda miſit Ieſus, homi-

A num ſalutem deſiderans, Angelum ſuum, *teſtificari* ſcilicet *vobis hæc in Eccleſiis*, vt pote cui competat vt ſicut hominum caput, & meſſias promiſſus curam, & ſolicitudinem habeat de electorum ſalute: & qui ſit lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde ait S. Ioannes in nomine Chriſti: *Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina.* Cum autem ex ſecundo aduentu Chriſti pendeat executio vltima iſtorum, & tantorum operum perfectio, & bonorum fruitio; non mirum ſi ſpiritus, qui clamat inenarrabilibus gemitibus in nobis, cum Eccleſia ſponſa dicat. *Veni. Et ſpiritus & ſponſa dicunt, veni.* Non mirum ſi quilibet fidelis, huic Prophetiæ fidem adhibens, dicat, *Veni.* Non mirum ſi qui

B tanta bona cognoſcit & deſiderat, per fidem & opera veniat & properet. *Et qui ſitit, veniat*, inquit. Nec timendum ipſi ne fruſtretur deſiderio. Volenti enim nihil denegabitur. Ait enim: *Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Quæ adeo vera ſunt, vt ſi quis ea quæ dicuntur in hoc libro, in aliam ſenſum detorqueat; aut fidem his, quæ dicuntur, detrahere audeat, nec plagas in hoc libro deſcriptas effugiet, nec pars vlla illi expectanda tot bonorum. *Auferet enim Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Hæc dicit Chriſtus Dominus, teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ Dei. Etiam venio citò.*

C *Amen.* Ita fiat, ô Saluator piiſſime. Veni, Domine Ieſu, & ſalua nos: quia tu es Deus & ſaluator noſter. Hæc eſt ſumma huius capitis.

CAP. XXII.

Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuũ: & folia ligni ad ſanitatem gentium.

Idea ſymboli.

D ILLAM ideam mutuo à Ludouico ab Alcazar, qui ait, thronum Dei Patris, & Chriſti Domini in hac ciuitate, quæ Ioanni eſt per viſum oſtenſa concipiendum eſſe in medio ciuitatis ſitum, & in eminentiori loco poſitum, vt fluuius è throno procedens per omnes ciuitatis vias poſſit fluere. In hac enim quaſi pictura indicatur omnes nobiliſſimæ huius vrbis ciues fluuij huius vndas potare, & arborum ad fluuij ripas conſitarum poma edere. Qua propter vt omnibus ad manum ſit, &

E aqua ad potum, & ad eſum fructus, atque tota ciuitas amæniſſimi Paradiſi ſpeciem præ ſe ferat; concipiendæ ſunt viæ omnes laxæ ſatis & ſpatioſæ, & per omnes copioſos valde aquæ ductus deduci ex ipſis fluuij fluentis, atque ad vtramque fluminis ripam per omnes ciuitatis vias arbuſta viridiſſima; deinceps capax ſatis ad deambulandum inter arbores & ædificia ſpatium ſit reliquum. Aquæ perſpicacitas comparatione Cryſtalli maximè declara-

Digitized by Google

tur, & ipſius excellentia ſignificatur, quia dicitur aqua vitæ.

Nota præterea fluuium, de quo hic eſt ſermo, non eſſe concipiendum, quaſi è ciuitate egredientem. In ciuitate enim adeo magna, quæ mille & quingenta milliaria habet in quadro, non eſt coactum, vt fluuius, qui è medio vrbis oritur, & in brachia quot ſunt viarum ſtrata diuiditur, in quamdam veluti paludem deſinat, quæ ipſam vrbem intra mœnia ambiat.

Ad intelligentiam ſymboli annotatio neceſſaria. In quo conſiſtat beatitudo completa?

ANNOTAT. I.

VT ſolidior ſit applicatio ſymboli ad ſuum ſignificatum, præſupponendum hic ex doctrina Theologorum, beatitudinem completam, operationem intellectualium facultatum, & delectationem exinde prodeuntem requirere.

Certum eſt apud Theologos beatitudinem formalem conſiſtere in operatione quadam vitali. Deus ſiquidem tanquam obiectum viſus ab aliqua animi facultate aliquem reddit actualiter beatum. Quæ operatio vitalis immanens eſt; actio quippe tranſiens, perfectionem magis rei in qua ſuſcipitur, quàm agentis deſignat. Et cum circa Deum verſetur, creaturam perficit: non Deum, cui nihil de nouo ex eo quod videatur, euenire poteſt. Omnis autem actio vitalis rei ſpiritalis, propriè eſt immanens: quia res ſpiritalis nullam diſtinctionem admittit partium: qua diſtinctione primò & præcipuè recipiatur in vna parte quàm in alia, qualis eſt motus digiti in homine, qui primò recipitur in digito, quàm ad mentem pertinere dicatur. Vt autem videamus quomodo beatitudo completa operationem & delectationem requirat, percurrendæ ſunt omnes animi facultates, v.g. intellectus volunras & facultates: apprehenſiue & appetitiue ſenſuum internorum & externorum.

Dicimus primò beatitudinem eſſentialem & formalem, operationem intellectus & voluntatis requirere. Nam illa beatitudo conſiſtere nequit in operatione ſenſuum internorum aut externorum: ſpiritale eſt omnino obiectum beatitudinis formalis: ſola facultate ſpiritali percipi poteſt. Nequit enim aliqua potentia extra obiecti proportionati & adæquati ſphæram fieri. Senſitiuæ igitur facultates ſola ſenſibilia percipere poſſunt. Nam quælibet potentia ſenſitiua eſt actus organicus intrinſecè & eſſentialiter à corpore dependens, & quoad eſſentiam, & quoad exiſtentiam: quo fit vt nequeat ad hoc vſque attingere, vt rem omnino ſpiritalem percipiat. Et reuera anima definitur actus corporis organici. At non eo modo à corpore dependet, quoad exiſtentiam, ſicuti dependet actus potentiæ ſenſitiuæ. Poteſt ſiquidem exiſtere à corpore ſeparata, & proprias ſibi actiones elicere, eſto à corpore dependeat quantum ad operationem, dum cum illo neceſſariò coniungitur, illudque informat.

Igitur eſſentialis beatitudo, in actione intellectus & voluntatis eſſentialiter exiſtit. Intellectus, inquam. Hæc enim beatitudo includit aſſecutionem & adeptionem ſummi boni: quæ aſſecutio fit per actionem mentis, ſeu per verbum mentis, & ſpeciem expreſſam. Quæ ſimilitudo eſt quædam formalis obiecti, & viua ipſius imago & repræſentatio: & obiectum potentiæ ſeu naturæ rationali præſentiſſimum exhibet, præcipuè ſi detur cogni-
A tio intuitiua, qua res hic & nunc in ſeipſa videtur, iuxta propriam entitatem, qualis eſt clara viſio beatorum. His adde actionem mentis ſupponendam eſſe, non quaſi conditionem quamdam neceſſariam ad proponendum voluntati obiectum, ſed tanquam id quod appetimus primò & per ſe, vt obiecto illius excellentiſſimo fruamur. Hac enim de cauſa viſionem beatificam exoptamus, vt Deo fruamur. Vnde ſacra ſcriptura & patres exigunt ad beatitudinem hanc mentis operationem. 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Et S. Auguſt. l. de Trinitate c. 9. *In viſione eſt tota merces.* Et alij.

Quod autem etiam requiratur actio voluntatis ad beatitudinem docent Theologi, quia beatitu-
B do eſt ſummum bonum. At bonum formaliter eſt voluntatis obiectum. Oporter igitur vt in illud feratur. Secundò, beatitudo cumulus eſt omnium bonorum, quæ naturæ hominis conueniunt. At hoc non eſſet ſi ab homine auferri contingeret gaudium, amorem & dilectionem. Hæc enim inter bona præcipua naturæ rationalis reponuntur. *Miſer eſſet ille qui nihil diligeret*, inquit Auguſt. in Pſal. 31. *Miſerior etiam foret ſi re amata ſibi frui non liceret.* Vt igitur quis ſit beatus, amare debet id quod amabile eſt, & meritò diligendum; eoque frui, vt beatus ſit. Rectè enim S. Auguſt. lib. 8. de ciuit. c. 9. *Quamuis enim non continuo beatus ſit, qui eo fruitur quod amat, (multi enim amando ea, quæ amanda non ſunt,*
C *miſeri ſunt, & miſeriores cum fruuntur) nemo tamen beatus eſt, qui eo quod amat non fruitur. Nam & ipſi, qui res non amandas amant, non ſe beatos eſſe amando putant, ſed fruendo. Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque & ſummum bonum amat, quis eum beatum niſi miſerrimus negat?* Ita Aug.

Denique ſumma fælicitas conſiſtit in ſumma quadam vnione animæ cum Deo, quæ perfecta vnio ſolo intellectu non perficitur. Requiritur enim ad eam affectio, & adhæſio voluntatis. Sola non ſufficit contemplatio; amor rei viſæ, & gaudium & exultatio de illius fruitione exiguntur; quibus patet has duas operationes mentis & voluntatis ad beatitudinem requiri. Nec hoc mirum
D videri debet: nam cum creatura rationalis ſit compoſita, pluteſque habeat facultates, per quas Deo ſummo bono coniungatur, nempe intellectum & voluntatem, vtrarumque facultatum operatio exigitur ad eſſentialis beatitudinis perfectionem. Creatura quippe vltimo fini per plura media coniungitur: quia bonitas & perfectio creaturæ eſt compoſita, inquit S. Thom. l. 3. contra gentes c. 20. Equidem Deus ſubſtantialiter eſt vnus, ſed virtute eſt multiplex. Cognoſci igitur debet vt ſuprema veritas, amari vt ſumma & infinita bonitas.

An autem beatitudo magis conſiſtat in operatione mentis, quàm in operatione voluntatis, ad
E Theologos recurrendum. Ea enim ad amuſſim hic tractare non eſt mei inſtituti. Sufficit, vt oſtendamus vtriuſque facultatis operationem ad beatitudinem requiri; vt Deus tanquam in ſede & throno, in animabus beatorum regnet & ſedeat, à qua ſede fluat ille fluuius, quo irrigatur paradiſus. Sufficit igitur vt aſſeramus actionem mentis præcipuum locum obtinere in beatitudine formali: quia operatio voluntatis eſſentialiter dependet ab operatione intellectus: quia mentis eſt ſpecificare & determinare actionem voluntatis finaliter, & obiectiuè mouere voluntatem, imperio quodam politico omnia cum ratione, & conſideratis omnibus circumſtantiis præſcribente; cum voluntas intellectum tantùm moueat quo ad exercitium, & in genere cauſæ efficientis, & imperio quodam

Digitized by Google

ſeruili, quippe quæ rationem præcepti ſui reddere nequeat. Sit, inquit, illi pro ratione voluntas. Deinde aſſecutio obiecti eſt ab intellectu, ſine qua eo voluntas non frueretur. Obiectum quippe non euadit præſens, quia voluntas eo delectatur, ſed voluntas eo delectatur, quia illud iam præſens eſt. Fit autem præſens per operationem intellectus. Attamen verum eſt peculiari quadam ratione, voluntatis actionem in beatitudine poſſe dici præcipuum locum obtinere; non quia amor ſimpliciter ſit nobilior ſola cognitione, ſaltem in his quæ ſunt ſupra animam, iuxta S. Thomam, quia hoc dicit reſpectu cognitionis viæ, non patriæ; & quia in via amor in genere meriti, cognitioni præfertur, ſed quia aliquando beatitudo formalis conſideratur vt eſt circa bonum præcisè ſumptum ſub ratione boni; & in hoc ſenſu quia bonum eſt obiectum voluntatis, ad quod currit quò d ardenter proſequitur quod amat, ad quod ſuam dirigit intentionem per ſe & ex natura ſua, ideo in eo ſenſu beatitudinem conſiderantes, nempe quod illa ſit fruitio boni, quod omnia appetunt, actio voluntatis præfertur actioni mentis, cuius eſt tantùm cognoſcere bonum, & à malo diſcernere. Simili ratione actio voluntatis anteit actionem mentis, ſi beatitudinem dicamus eſſe gaudium, & delectationem, iuxta illud Matt. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et illud Pſalmiſtæ: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.* *Omnes,* inquit Auguſtinus, *gaudium ipſum vocant beatam vitam, & vnum quo peruenire nituntur omnes, nempe vt gaudeant.* Cum igitur gaudium, & lætitia, & voluptas ad voluntatem pertineant; ſi beatitudinem in hoc ſenſu accipiamus, ſpecialiùs ipſa ad voluntatem pertinebit quàm ad intellectum, licèt intellectus cum voluntate concurrat, cum in actum non prorumpat niſi præeat intellectus. Itaque beatitudo eſt quaſi ens vnumque per accidens, eſſentialiter complectens (vt ſit integra) duas actiones, tam intellectus quàm voluntatis, voluntatis autem potiùs quàm intellectus, ſi beatitudinem conſideremus ſecundùm quid in genere, videlicet boni ſeu gaudij, intellectus potiùs quàm voluntatis, ſi ſimpliciter & abſolutè illam conſideremus quantùm ad aſſecutionem & poſſeſſionem obiecti beatifici, & vnionem animæ cum Deo. Et licèt principaliter beatitudo hæc conſiſtat in intellectu ſpeculatiuo, videlicet in contemplatione diuinæ eſſentiæ, triumque perſonarum diuinarum, in quibus rebus ex natura ſua nihil eſt quod ad intellectum practicum attineat, ſed omnia purè & ſimpliciter ſpeculatiua ſunt; nihil in his faciendum, totum id videri, percipi, cognoſci diligi debet; aliquid tamen mentis practicæ in beatitudine inuenitur, in quantum beatus non ſolùm Deum cognoſcit & contemplatur, ſed etiam proprias ſuas actiones diſcernit, quas perfectè in Deum dirigit ſecundùm rectam rationem, ne qua ex illis actionibus à voluntate Dei aberret, & vt ſummum & inceſſabilem Dei amorem adiunctum habeant: quæ intellectus directio ad quamdam praxim reuocatur. Ex his habes beatitudinem formalem in operatione conſiſtere. Sequitur vt oſtendamus beatitudinem formalem per delectationem compleri.

Notandum primò delectationem duobus modis vſurpari, impropriè & propriè; impropriè, ſi ſumatur pro quadam rei alicuius quiete, cum ſemel aſſecuta fuerit conſiſtentiæ ſuæ ſtatum, terminum, aut locum proprium & conueniens. Tunc autem delectatio non eſt actio aut paſſio categorica, ſed aliquid tranſcendens videlicet ipſammet rem inquantum in eo ſtatu aut loco naturali &

A conuenienti exiſtentem: ſicque talis delectatio communis eſt cuilibet potentiæ, quin & rebus etiam inanimatis, ſi ſemel ad proprium terminum peruenerint, & optimam adeptæ fuerint diſpoſitionem. Vnde potiori iure admitti debet in intellectu beatorum etiam præcisè in quantum videt Deum, & excluderetur concurſus quilibet voluntatis.

Propriè autem loquendo delectatio ad ſolas facultates appetitiuas pertinet, & principaliter ad voluntatem, deſignatque particularem quamdam affectionem complacentiæ, ſeu adhæſionis per coniunctionem obiecti cum potentia, ſeu conuenientis cum conueniente, iuxta Bonauentur. in 2. ſentent. diſtinct. 20.

B His præſuppoſitis, dico primò certum eſſe, nec in dubium reuocari debere, delectationem aliquo modo ad beatitudinem pertinere. Quis enim dubitat ſaltem per accidens delectationem ad beatitudinem attinere: Deinde delectatio non eſt bonum adeo contemnendum, vt à ſtatu beatitudinis debeat excludi. Rectè enim Ariſtoteles 10. Ethic. c. 2. dixit: *Stultum eſt petere ab aliquo an velit delectari: quia delectatio eſt quid vltimum, & propter ſe expetitur.* Definitur quippe beatitudo, omnium bonorum cumulus & aggregatio.

Dicimus ſecundò, delectationem impropriè ſumptam ſeu tranſcendentalem; eſſentialiter ad C beatitudinem formalem pertinere: Hoc enim delectationis genus in omni facultate reperitur, & in qualibet re proprium finem obtinente, nec à reipſa diſtinguitur, in quantum in ſuo termino conſtituitur, & ab eo inſeparabilis eſt. Vnde cum intellectus Deum clarè intuetur, & in hac viſione ſuum finem conſequitur, fieri non poteſt vt ſuo modo ſummam & tranſcendentalem quamdam voluptatem non percipiat, inquantum naturaliter conquieſcit in tali & tam ſuaui termino.

Dico tertiò, delectationem propriè & ſtrictè ſumptam & voluntatis actionem elicitam, ad eſſentiam beatitudinis completæ & adæquatæ pertinere, in quantum ſcilicet eſſentialiter includit illa D adæquata & completa beatitudo actionem tum intellectus tum voluntatis. Nam cum beatitudo ſit actio vitalis, & ſcriptura nobis polliceatur cum eam adepti fuerimus delectationes; *Delectationes,* inquit, *in dextera tua vſque in finem*; neceſſe eſt vt illas habeamus per actum ſecundum, & veram voluntatis operationem. His adde delectationem ex voluntate elicitam eſſe veluti entelechiam & finem actionum noſtrarum, quin & excellentiorem actionem, amoremque inſuper ratione tantùm diſtingui à delectatione, & ab ea inſeparabilem: eſto etiam ſi velis diſtinguantur: ſufficit quod ſecundùm ſe ſint actiones excellentiſſimæ, quæ omnes requitantur ad beatitudinis complementum & perfe- E ctionem. Beatitudo quippe eſt ens vnum per aggregationem multas ſimul actiones continens, ex quibus eſſentialiter componitur, & quarum aliæ ſunt naturâ ſuâ aliis priores.

Dico quartò, quod cum certum ſit in beatis duos amores reperiri, vnum qui eſt complacentiæ, alium qui concupiſcentiæ nuncupatur; pari ratione duplex exurgit in voluntate beatorum delectatio: quo fit vt delectatio, quæ conſequitur ad amorem concupiſcentiæ, abſque dubio accidentaria ſit beatitudini formali; vera quippe beatitudo Deum ſolum viſum, aut Dei bonum cognitum habet pro obiecto eſſentiali. Quod ſi de delectatione, quæ ſequitur ad amorem complacentiæ de bonis diuinis, vt Dei ſunt; quia hæc bona duplicia ſunt, alia interna, qualia ſunt eius omnipoten-

Digitized by Google

tia, ſumma illius ſimplicitas, vnitas, veritas; delectatio ex his bonis exorta omnimodè eſt eſſentialis beatitudini: nam hæc attributa Deo ſunt eſſentialia. Alia autem ſunt Dei bona externa, qualia ſunt honor & gloria, quæ illi à creaturis exhibentur, conſeruatio, Redemptio: Et hoc modo delectatio ex his proueniens ſolùm eſt accidentalis: prouenit enim ex effectibus, qui extra diuinam naturam exiſtunt, quique (ſi Deus voluiſſet) non exiſterent.

Dico vltimò hanc delectationem verſari proximè & immediatè circa Deum, non remotè, licèt ad viſionem Dei conſequatur. Etenim primarium obiectum huius delectationis Deus eſt, non præcisè, ſed in quantum cognitus: nam ſi clarè & intuitiuè non videretur, minimè redderet hominem beatum. Et hæc eſſentialis delectatio non ſolùm habetur de Deo, ſed etiam de viſione Dei, itaut ex Deo & clara eius viſione fiat vnum totale obiectum beatitudinis per aggregationem; & hoc modo viſio eſt tantum obiectum partiale, & non totale delectationis beatorum. Huius aſſertionis veritas fulcitur quod obiectum ſpei noſtræ Deum proximè intuetur, licèt hoc fiat mediante cognitione fidei. Et ratio eſt quia obiectum ſpei non eſt Deus præcisè ſumptus, ſed Deus in quantum per fidem cognitus, quæ fides partiale eſt ſpei obiectum, non autem totale.

Hic eſt ille torrens voluptatis, de quo Pſalmiſta: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſ Torrens: en actio intellectus. Voluptatis; ecce actio voluntatis. Hæc eſt illa ſatietas, de qua idem: *Satiabor:* Ecce voluntatis actio. *Cum apparuerit gloria tua:* Ecce actio intellectus. Benè igitur Auguſt. l. 1. Confeſſ. c. 21. *Omnes ipſum gaudium vitam æternam nuncupant. Et c. 22. Hæc eſt ſola vita æterna, gaudere ad te, de te, propter te.* Et Anſelmus dixit l. 2. *Cur Deus homo? Creatura rationalis facta eſt iuſta, vt fruatur Deo, & fruendo ſit beata.* Et Bern. ſerm. 4. de omnibus ſanctis: *Triplex in nobis natura, rationalis, concupiſcibilis, iraſcibilis. Et Deus rationale noſtrum implebit luce ſapientiæ, concupiſcibile noſtrum fonte iuſtitiæ, iraſcibile noſtrum diuina pace & tranquillitate.* Ita Bernard. *Et ſicut*, inquit epiſtol. 28. *in hac vita initiat fides & deſiderium, ita in alia conſummat viſio & amor.* Ita Bernar. Concludamus igitur cum concilio Trid. Beatitudinem in eo ſitam eſſe, vt videamus & fruamur. Quæ certè fruitio non poteſt eſſe abſque ſumma & incomprehenſibili delectatione.

Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem à ſede Dei & agni.

Hic fluuius intelligendus de operatione intellectus & voluntatis, & delectatione ex ea prodeunte.

ANNOTAT. II.

TICONIO fluuius eſt baptiſmi ſacramentum. Meliùs tamen Primaſius, qui eo indicari vult non baptiſmum, ſed fructus illius. *In flumine*, inquit, *vitæ, ciuitatis medio per mediante, non adhuc celebratio indicatur baptiſmi. ſed fructus iam ipſius reuelabitur ſacramenti. Modò enim in lachrymis ſeminatur, quod in gaudio tunc metetur. Et ideo nunc Eccleſia ſeminat in ſpiritu, vt de ſpiritu metat vitam æternam. Cum itaque experientiâ probauimus, quando nos vtilitatis fructus inuenient percepti gratia ſacramenti, tunc manifeſtari in Ioanne Eccleſia perhibetur, flumen aquæ vitæ candidum quaſi Cryſtallum, id eſt, ſtabilitas in fide. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſal-*

A *uus erit.* Ita Primaſ. Fides igitur illi eſt fluuius, cuius ſtabilitas in Cryſtallo deſignatur. Aliter idem Primaſ. hunc fluuium interpretatur, dum ait: *Flumen aquæ vitæ, rectè ipſe fons vitæ Dominus Ieſus Chriſtus ſignificari cognoſcitur, de quo legimus: Apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Ipſe eſt enim, quemadmodum legimus, imago maieſtatis Dei, omnia potens, & permanens in ſe omnia innouat, & per gentes in animas ſanctas requieſcit. Ille itaque fons qui fluuius: fons, eo quòd in ſe incommutabilis maneat: fluuius, quòd ad ſocietatem ſanctorum ſe largiter & iugiter præbeat, &c.* Et poſt pauca: *Benè autem per mediam plateam, tanquam commune omnibus ſanctis bonum, quod nulli negetur digno, nulli donetur indigno, &c.* Et poſt pauca: *in medio quippe eſt, tanquam indiuiſum patrimo-* B *nium cunctis videntibus Deum.* Ita Primaſ.

Andreas Cæſarienſis: *Per fluuium, qui in mortali hac vita ex Eccleſia procedit, regenerationis lauacrum adumbratur. Hoc enim per Spiritum ſanctum motum omnes quotquot in eo abluuntur omni niue ac Cryſtallo puriores nitidioreſque reddit. At verò fluuius Dei, qui ſupernam Hieruſalem larga aquarum copiâ irrigat, eſt ſpiritus ſanctus, qui ex Dei & patris thronum per agnum procedit, & per medium ſupernarum virtutum, quæ diuinitatis ſedes nominantur, delapſus, ſanctæ ciuitatis plateas, nempe multitudinem eius, (quæ iuxta Pſalmiſtam, arenæ numerum excedit) vbertim recreat.* Ita And.

Ambroſius autem: *Porro*, inquit, *per fluuium, qui* C *nullo ardore ſolis exſiccatur, gloria ſanctorum procedet, à quo illis in carne poſitis proceſſit riuus omnium bonorum. Qui fluuius ſplendidus tanquam Cryſtallus eſſe dicitur: quia vnicuique fidelium ſecundùm qualitatem operum ſuorum refulget, ſicut dicit Apoſtolus: Stella ab ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Qui de ſede Dei & agni procedere dicitur, quia ab ipſo procedit omnis gloria ſanctorum, qui autor eſt omnium bonorum. Qui etiam in medio plateæ ciuitatis decurrere dicitur, quia corda ſanctorum perpetua ſuauitatis dulcedine lætificabit.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Iſta quæ hoc loco oſtendit, diuitiæ ſunt ineffabiles, & delitiæ inæſtimabiles glorioſæ ciuitatis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-* D *minis aſcenderunt. Iſtud namque flumen eſt abundantia lætitiæ & iucunditatis, de quo Pſalmiſta: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et alibi: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et Eſaias in conſolatione filiorum huius Hieruſalem dicit: Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declino in eos flumen pacis, & torrens inundans gloria gentium. Ergo flumen iſtud Dominus eſt. Et verè: quia Spiritus ſanctus eſt: Spiritus ſanctus, hoc eſt flumen pacis. Hic torrens gloriæ: hoc flumen lætitiæ. Hic torrens & vbertas domus Dei: Ipſe namque eſt amor ſponſi & ſponſæ in illa glorioſa ciuitate. Quid enim eſt tota illius ciuitatis beatitudo, niſi iſte amor? De iſto amore omnes ſancti Angeli, & omnes omnium ſanctorum viuunt animæ. Idcirco cum dixiſſet: Et oſtendit mihi flumen; benè addidit, Aquæ* E *viuæ. Et quia talis aqua viuificando illuminat atque confirmat, benè ait, ſplendidum; addendo, Tanquam cryſtallum, in cryſtallo namque claritas eſt ſimul & firmitas: quæ ſunt pulchra vitæ illius inſignia, vbi & corda noſtra tranſlucebunt, & corpora noſtra beata immortalitate & immortali beatitudine firma erunt.* Ita Rupert. Qui & docet hunc fluuium à ſede Dei & Agni procedere, quia Spiritus ſanctus à Patre filioque procedit: Conuenienterque dici & propriè, In medio plateæ: ad exprimendas delitias ciuitatis: quia non foras extra ciuitatem illam Spiritus ſanctus procedit, ſed tantùm in medio plateæ ciuitatis, id eſt, in ſolis electorum cordibus multùm dilatatis. Hæc Rupert.

His omnibus expoſitionibus ponderatis, ad no-

Digitized by Google

ſtram mentem & expoſitionem accedamus.

Dico igitur per hunc fluuium ſymbolicè indicari ſummam delectationem beatorum. Fluuius eſt, primò propter copiam, & abundantiam voluptatis, qua ſanctos omnes viſio beatifica perfundit Secundò quia nunquam deficit, & ſemper fluit. Fluuius, non ignis exurentis, qualis erat fluuius ille igneus & rapidus, egrediens à facie antiqui ſedentis in throno, apud Danielem c. 7. Non enim hic agitur de iudicio, quo diſcernuntur boni à malis, ſed de fruitione, ſummi boni. Ideo aqueus eſt: quia reficit illa delectatio, & ſitim omnem ſeu deſiderium beatorum explet, animas eorum ſumma perfundendo voluptate, de qua dicitur Pſ. 22. *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.* Aqua iſta eſt aqua vitæ, id eſt vitalis: quia illa delectatio vel ſequitur actionem vitæ immanentem, vt eſt delectatio illa tranſcendentalis, de qua ſupra; Vel eſt actio immanens à voluntate elicita, ad complementum beatitudinis requiſita, vt diximus ſupra. Eſt igitur fluuius aquæ vitæ, id eſt, fluuius beatificans. Splendidus eſt, ad deſignandam puritatem eximiam huius delectationis, à clara, & perſpicua Dei cognitione, & puriſſimo Dei amore procedentis. Splendor eius non euaneſcit, ſicut nec illa voluptas fluxa eſt & tranſitoria, quales ſunt delitiæ & delectationes huius mundi: quia perennis eſt; perpetua & firma eſt, propter poſſeſſionem inamiſſibilem boni in æternum permanentis. Ideo dicitur, *Splendidum tanquam Cryſtallum.* Procedit à ſede Dei & agni, nempe à mente beatorum, & voluntate eorum, in quibus per cognitionem intuitiuam, & amorem Dei & Chriſti, Deus & Chriſtus ſedere dicuntur. Si enim anima iuſti ſedes eſt Dei, multo magis animæ ſanctorum in patria erunt ſedes eius: quia tunc requieſcet in eis in perpetuum, nihil de nouo amplius in eis producturus, eo ipſo quo eos ad tantam euexerit gloriam, vt illam videre illo frui ipſis liceat. Requieſcens ſiquidem in eis ſeipſum ipſis manifeſtat, vt eum diligant & colant, iuxta illud Eccleſiaſtici 1. *Radix ſapientiæ cui reuelata eſt? Vnus eſt altiſſimus, creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum, & Dominus Deus.* Ac ſi diceret: Sedens ſupra mentes beatorum, quas creauit, quas regit & gubernat: ſeipſum, qui radix & fons eſt ſapientiæ, ipſis manifeſtat. Ex qua manifeſtatione illum amant, & de poſſeſſione tanti boni gaudent. Nam ab ea ſede fluit fluuius magnæ cuiuſdam & nunquam perituræ delectationis. Propterea enim delectantur beati, in quibus Deus requieſcit: quia Deum & Chriſtum eius & vident & amant. Hoc gaudium intrare ſcribuntur, quia ineffabile gaudium non capientes, in eo quodammodo obuoluuntur, vt ait autor tractat. De cognitione veræ vitæ c. 44. Ad hoc gaudium euehuntur, qui fidem acceperunt charitate formatam, bonis operibus refertam, perſeuerantiâ coronatam. *Ad hoc ſummum bonum*, inquit ille autor. cap. 47. inter opera Aug. to 9. *Iuſti quadam catena trahuntur, quæ de virtutibus hoc modo connectitur. In primis fides animam quaſi quidam circulus complectitur: fides ſpe nutritur: ſpes delectatione tenetur: dilectio operatione expletur: operatio ad ſummum bonum intentione trahitur: intentio, boni perſeuerantia clauditur: perſeuerantiæ, Deus fons omnium bonorum dabitur. Igitur, qui hac catena tractus, hanc turrim ſcandens, culmen eius attingit non ſolùm ſe veram vitam cognoſcere, ſed ſe perenniter in ea beatè viuere gaudebit: quia in ea huius gloriæ conſors erit.* Ita ille. Et quia hæc delectatio præſupponit & ſignat lumen gloriæ infuſum, & amorem Dei, qui ab ea tantùm ratione diſtingui-

A tur, vt diximus ſupra: ideo non malè per fluuium Chriſtum Dominum illuminantem: & Spiritum ſanctum, Charitatem & amorem in cordibus infundentem, auctores ſupra citati deſignari voluerunt.

In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum. Et folia ligni ad ſanitatem gentium.

Cum beatitudo ſit omnium bonorum aggregatio, ad
B *ſuam integritatem requirit non modò delectationem ex viſione & amore Dei & Chriſti procedentem, ſed etiam illam, quæ conſequitur ex cognitione effectuum in intellectu & amore ex tali cognitione prodeunte, & ex perceptione obiectorum vnicuique potentiæ conuenientium.*

ANNOTAT. III.

EX vtraque, inquit, partè fluminis videntur plurimæ arbores, afferentes fructus: quibus arboribus deſignari aſſerimus quoſdam habitus permanentes: qui dum in actus reducuntur, facultati cuius ſunt habitus conformes, ſuauitate nimia replent beatos, vt nihil ſibi eſſe ampliùs exoptandum & deſiderandum exiſtiment: quia ſentiunt & experiuntur ſibi omnia adeſſe, quæ expeti valerent vt omnes illorum facultates obiectis ſibi proportionatis & adæquatis potiantur. Quod vt meliùs intelligatur, Notandum eſt primò ex S. Thom. *Eiuſdem rei haberi poſſe ab Angelo cognitionem, tum per verbum increatum, tum per ſpeciem innatam. Ex quo poteſt conjici beatos etiam poſſe duobus modis vnam & eamdem rem cognoſcere, tum per verbum increatum, in quo tanquam in ſpeculo puriſſimo omnia illis intueri licet, quæ ad eorum ſtatum pertinent; tum etiam per ſpeciem propriam; & ſic eamdem rem videre poſſe, tam in ſeipſa, quàm in ſua cauſa. Nec enim*
D *repugnat vt aliquid cognoſcatur per duo media, quorum vnum eſt perfectius, & aliud imperfectius, ſicut ad eamdem concluſionem habere poſſumus & medium demonſtratiuum & dialecticum.* Ita S. Thom. 1. p. q. 58. ar. 7. ad 3. Et cum ex ipſo certum ſi quod quamdiu manet natura aliqua, tandiu manet operatio eius, & imperfectio naturalis cognitionis non opponatur perfectioni cognitionis gloriæ: adueniente perfecta cognitione gloriæ, tanquam forma mentem perficiente non auferetur illa naturalis cognitio ex ſtatu beatitudinis. Quo fit vt ſicut Angelus ſimul Deum cognoſcere poteſt per eſſentiam Dei, quod pertinet ad cognitionem gloriæ: & per eſſentiam propriam, quod pertinet ad cognitionem na-
E turæ, vt ait S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 7. ad primum ita beati poſſint res aliquas videre per viſionem diuinæ eſſentiæ, & eaſdem etiam cognoſcere per ſcientiam naturaliter acquiſitam. Nam cum intellectus ſit incorruptibilis, ſcientia ſemel in intellectu humano poſita nunquam corrumpitur, ſed in intellectu poſſibili manet ſemper facultas acquiſita ſeu agendi facilitas, & habilitas ad conſiderandum per ſpecies ſemel ſuſceptas, quibus ſecundùm modum conuenientem ſuo ſtatui poterit in actum prorumpere, vt ex S. Thom. conjicitur 1. p. q. 89. ar. 5. & 6.

Notandum ſecundò ſtatum poſt hanc vitam duplicem eſſe, vnum quidem ante reſurrectionem, quando animæ erunt à corporibus ſeparatæ: alius autem poſt reſurrectionem, quando animæ iteratò

Digitized by Google

corporibus ſuis vnientur. At cum hic loquamur de ſtatu animæ poſt reſurrectionem dico non modò virtutes intellectuales manere & eſſe in beatis quantum ad id quod eſt formale in eis, nempe ſecundùm ſpecies intelligibiles, quæ conſeruantur in intellectu poſſibili, qui dicitur locus ſpecierum, quaſi ſpecies intelligibiles conſeruans; ſed reſtaurari etiam in reſurrectione illa phantaſmata, quæ ſunt quaſi materialia in virtutibus intellectualibus, vt omnia homini beato reſtituantur, quæ ad integritatem, & perfectionem naturalem pertinere poſſunt.

Notandum tertiò, ex S. Thom. 1. 2. q. 67. ar. 1. ad 3. quòd in illo reſurrectionis ſtatu erunt vires irrationales in organis corporis, ſicut & nunc ſunt. Vnde & poterit in iraſcibili eſſe fortitudo, & in concupiſcibili temperantia, in quantum vtraque vis perfectè erit diſpoſita ad obediendum rationi, quæ ante reſurrectionem erant tantùm velut in radice in ratione & voluntate, in quibus ſunt ſeminaria quædam harum virtutum; & quòd licèt virtutes aliæ morales, ſicut nec iſtæ, non remaneant in futura vita, quantum ad id quod eſt materiale in eis (non enim habebunt in futura vita locum concupiſcentiæ, & delectationes ciborum & venereorum, neque etiam timores & audaciæ circa pericula mortis, neque etiam diſtributiones & communicationes rerum, quæ veniunt in vſum præſentis vitæ) remanebunt tamen quantum ad id quod eſt formale perfectiſſimum, in quantum ratio vniuſcuiuſque erit circa ea, quæ ad ipſum pertinent, ſecundùm ſtatum illum; & vis appetitiua omnino mouebitur ſecundùm ordinem rationis, in his quæ ad ſtatum illum pertinent. Vnde S. Auguſt. lib. 14. c. 9. de Trinitate dicit quòd *prudentia ibi erit ſine vllo periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum, temperantia ſine repugnatione libidinum: vt prudentiæ ſit nullum bonum Deo præponere vel æquare: fortitudinis, ei firmiſſimè inhærere: temperantiæ, nullo defectu noxio delectari.* De iuſtitia verò manifeſtius eſt quem actum ibi habebit, ſcilicet eſſe ſubiectum Deo: quia etiam in hac vita ad iuſtitiam pertinet eſſe ſubditum ſuperiori S. Thom. 1. 2. q. 67. ar. 1.

Notandum quartò, certiſſimum eſſe poſt reſurrectionem omnes ſenſus hominis etiam exteriores, proprios actus elicere, circa obiecta tam ſublimi ſtatui conuenientia, & vnicuique ſenſui propria. Quod ſanctus Laurentius Iuſtinianus, *de diſciplina & perfectione Monaſticæ conuerſationis.* c. 23. dilucidè docet his verbis. *Gloriâ quippe & immortalitate, & æternitate circumamicta, ſuo inhærebis autori, ſine deformitate, ſine læſione, & abſque macula. In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reformata per omnes ſenſus ſuos multis modis exuberabit delitiis. Delectabitur oculus in amabili Redemptoris adſpectu, quum videbit Regem in decore ſuo gloriâ ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis cordis illius, quum cælum, ſolis, lunæ ſplendore rutilans intuebitur. Harmonia cælorum melodica cantica ciuium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Super muros namque Hieruſalem cuſtodes conſtituti ſunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non ceſſans. Sed & per vicos & plateas illius à cunctis infatigabiliter Alleluia cantatur. Fragrans quoque ſuauitas cæleſtium odoramentorum mira liquefactione reſperget odoratum. Hoc prælibauerat, tenuiter tamen, qui dicebat: Odor tuus, ô Domine, excitauit in me concupiſcentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam & iucunda ſatietate oris ſaginabit palatum. Nec mirum: nam exaltationes Dei in gutture eorum, & miſericordias Domini in æternam cantabunt. Ipſe demum tactus* A *ſibi congruis abundabit delitiis, quas experti norunt. Fas enim non eſt, vt in illa cælorum gloria quiſquam vacet à Dei laude: quin potiùs iuſtum, vt cuncta corporis membra ſuum modo proprio efferant conditorem: quatenus ſicut ab ipſo ſumpſere principium, ita & in illo deducant ſuæ beatitudinis finem.* Ita S. Laur. Iuſt.

Quæ cum ita ſint, patet multos alios actus ab actu viſionis beatificæ, & amoris beatifici poſſe produci. Vnde in manſionibus ſibi aſſignatis poſiti, poterunt ſe inuicem viſitare, vt vult Sotus. Nec enim cælum Empyreum, tãquam latiſſimum & ampliſſimum, & vaſtiſſimum campum, aut planitiem diffuſam longiſſimè imaginari debemus. Vnde Barradius ibi conſtructa eſſe vult palatia magnificentiſſima loca reperiri amæniſſima, ſummâ arte ſeu B artificio elaborata, conſtructa, & ordinata à ſummo opifice: quæ gratiora ſint noſtris domibus, hortis, ſyluis & pratis. Vnde hæc Chriſti verba: *In domo patris mei mãſiones multæ ſunt:* non ſolùm intelligẽda ſunt de diuerſis gloriæ gradibus, qui reſpondeant gradibus charitatis, quam in via habuimus, iuxta illum gradum in quo quiſque deceſſerit è vita, vnuſquiſque manſionem & terminum quemdam gloriæ accipiens; ſed etiam ad literam eſſe accipienda, pro corporalibus quibuſdam manſionibus gloriæ beatorum proportionatis. Nam cum corpora poſt reſurrectionem vera maneant corpora; & cælum Empyreum, licèt puriſſimum, ſit etiam C corporeum, nihil eſt abſurdi ſi dicamus loca beatis aſſignari corporalia, in quibus degant & commorentur, pro ratione virtutis, & propter meritorum inſignia. Nec immobiles erunt tanquam ſtatuæ, vt ab his locis diuelli nequeant; ſed probabiliſſimum eſt, vt diximus, ſe inuicem eſſe viſitaturos, vt occaſionem habeant in ſpeciales laudes ad Deum pro gloria viſitandorum prorumpere. Et reuera cum omnis virtus creaturæ finita & limitata ſit, quamuis veriſſimum ſit omnes beatos inceſſanter Deum eſſe laudaturos, non tamen poterunt ſuas laudes extendere ſimul ſuper omnes laudis materias, quæ mentibus eorum occurrere poſſent: Quapropter non repugnat ſtatui beatorum, ſi eos D concipiamus ac ſi ſibi inuicem viſitationibus quibuſdam honorem quemdam deferant, vnuſquiſque eorum per quamdam laudabilem ſubmiſſionem prouocationi ſingulorum ſatisfacere cupiens, qua quilibet eorum cunctos prouocat, vt Deum pro ſpecialibus donis ſibi collatis ſecum collaudent his verbis: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Cui prouocationi obediunt, dum ſeſe viſitantes, ex præſentia illius qui viſitatur, excitantur ad Dei laudes celebrandas, pro omnibus donis & fauoribus, quibus Deus ipſum viſitatum in via, & in patria cumulare & decorare voluerit, ex eius beatitudine inexplicabilem percipiendo delectationem.

Similes quippe erunt Angelis, qui & ſeipſos E cognoſcant, & agnoſcant, quin & ad inuicem loquuntur, & ſeipſos ad Dei laudem prouocant, vt patet ex ſexto Iſaiæ, vbi *duo Seraphim clamant alter ad alterum: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Sic ſancti ſe inuicem agnoſcunt & prouocant, modò vt pro iſto beneficio modò pro alio, Deo laudes & gratiæ agantur. Sicut igitur Angeli ita actu ſeipſos contemplãtur, & rerum aliarum externarum ſpecies, generali ſaltem & confuſa cognitione, quo fit vt liberum ſit illis ferri modò ad iſtius rei diſtinctam cognitionem, modò ad alterius res perceptionem, & mentem ad hoc vel illud ſpeculandum rerum creatarum determinant & applicant. Vel ſicut ipſimet Angeli beati Deum ſemper videntes, quamuis mentem habeant ad hanc viſionem

Digitized by Google

viſionem determinatam, & voluntatem ad illius amorem neceſſariò eliciendum, propter infinitam bonitatem obiecti, qui nunquam videri poteſt quin ſtatim ametur, tamen aliquid diſcunt de nouo per illuminationem ſuperiorum; ſicque non vnum tantùm obiectum, circa quod verſetur illorum cognitio, habent, ſed plura, prout Dei voluntas aut illius obſequium procurandum exigit ab eis; pari ratione, quamuis intellectus beatorum Deum videant, & confuſa quadam ratione videant omnia actu, quæ ad illorum beatitudinem pertinere poſſunt, tamen ſeſe determinant, & applicant ad diſtinctiùs cogitandum de re aliqua; & modò ad illam rei diſtinctam cognitionem, modò ad alterius rei perceptionem feruntur, & mentem conuertunt, quo poſſint diuerſimodè excitari ad Dei creatoris & Redemptoris laudes celebrandas, in quouis (ſi volueris) idiomate, licèt dicant quidam autores hebraicam linguam in paradiſo præcipuum locum obtenturam. Quicquid ſit, exaltationes Dei in faucibus eorum, pro ſe & pro vnoquoque beatorum: hanc vnicam illi habent occupationem, vt Deum laudent. *Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei noſtri, in monte ſancto eius.* Pſ. 47.

Nunc ſi in iſtis omnibus actibus aliis à viſione & amore Dei aliqua ineſſet difficultas, aut in illis eliciendis aliquam paterentur moleſtiam, certè hoc valde eſſet alienum à ſtatu beatorum. Ideo oportet admittere in eis ad iſtas omnes actiones intellectus, voluntatis, appetituum, ſenſuum interiorum, atque exteriorum, & etiam facultatis motricis optimos quoſdam habitus optimaſque quaſdam diſpoſitiones animæ & corporis, quibus ea omnia perficere valeant facillimè, promptiſſimè, & cum ſuauitate & delectatione. Cuius optimæ diſpoſitionis ſchema habemus in his verbis: *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, reddens fructum ſuum. Et folia ligni ad ſanitatem gentium.*

Fluat igitur delectatio viſionem beatificam, & amorem beatificum conſequens, ab vna parte habebit optimas diſpoſitiones ad eliciendos quoſcumque alios actus in intellectu & voluntate, cum facilitate, promptitudine & iucunditate; & ex alia parte omnes alias bonas diſpoſitiones potentiarum apprehenſiuarum, & appetitiuarum, & ſenſuũ ſeu internorum, ſeu externorũ; & habilitates quaſdam in membris omnibus corporeis, ad quaſcumq; operationes circa quæuis obiecta tam fælici ſtatui conuenientia. Qui habitus diſpoſitiones, habilitates firmiter radicatæ, ſignificantur per lignum vitæ: quia inhærent in potentiis, in partibus organicis, & membris corporis, quibus poſſint illæ potentiæ ſuas proprias actiones producere, tanquam fructus ſuauiſſimos. Si enim lignum vitæ dicebatur arbor in medio paradiſi exiſtens, quia eius fructus habebat virtutem conſeruandi vitam, vt docet S. Thomas 1. q. 111. ar. 1. ad 4. pari ratione illæ diſpoſitiones dici poterunt lignum vitæ, quia ad productionem actionum vitalium, & immanentium conducunt, & faciunt vt beati vitam fælicem & iucundiſſimam tranſigant, cum ad quodcumque voluerint peragendum & perficiendum ſint paratiſſimi & aptiſſimi, vt nihil illis deſit ad integritatem animæ & corporis neceſſarium aut conueniens. Vel lignum vitæ ſunt ipſa corpora beatorum, cum videlicet vnuſquiſque beatus peruenerit ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & corpus illius reformatum fuerit, & configuratum corpori claritatis ſuæ. Tunc enim vnicuique dabitur

A edere de ligno vitæ, id eſt, gaudere, & delectari, & ſatiari ob participationem quam habent ad gloriam corporis Chriſti, qui vere eſt lignum vitæ, per quem omnes viuunt, & fælices ac beati exiſtunt. Tunc enim verè dicent: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Omnes enim in Chriſto viuificabuntur, & glorificabuntur: & quia cum eo ſeminauerant in lacrymis per totum vitæ præſentis tempus, ideo in perpetuum cum eo congaudebunt, & collætabuntur. Vnde dicitur: *Per ſingulos menſes reddens fructum ſuum:* vt perennitas ſeu perpetuitas diuerſorum gaudiorum, & diuerſarum iucunditatum, quibus in corpore ſicut & in anima replebuntur, deſignetur: quia ſicut annus completur ex duodecim menſibus, ita annus ille, qui

B nullum habet finem, per perpetuam fruitionem omnium ſeu vniuerſorum gaudiorum, quæ excogitari poſſunt, deſignatur. Numerus quippe duodecimus, ſicut alibi, ita hic vniuerſitatem ſignificat: itaut per fructus duodecim deſignetur vniuerſitas fructuum, ſeu gaudiorum, quæ ſanctis obueniunt ob labores ſuos fortiter exantlatos.

Sed quia lignum vitæ in vtraque parte fluminis cernitur, ſuſpicor S. Ioannem in ligno vitæ intelligere tum Angelos, tum homines, qui tanquam arbores fructiferæ plantantur in paradiſo, & fruuntur illa delectatione, ex viſione & amore Dei procedente, vnoquaque eorum pro ſtatu naturæ pro-

C priæ, & beatitudinis gaudiis ſibi proportionatis fruente, in perpetuas æternitates.

Vt autem hac immortali & delectabili vita fruantur, omnia quæ eius fruitionem impedire poſſent, ſunt excludenda. Ideo dicit: *Et folia eius ad ſanitatem gentium.* Ac ſi diceret ornamenta illius vitæ beatæ talia eſſe, vt excludant omnia quæ moleſtiam aliquam aut tædium afferre poſſunt. Ea autem dicuntur ad ſanitatem gentium: quia per ea excluduntur ab hominibus infirmitates corporis, per quatuor dotes, quibus Angelis pares redduntur in beatitudine.

Et folia ligni ad ſanitatem gentium.

D

Dotes Beatorum ſunt ligni vitæ, id eſt, corporum beatorum ornamenta.

ANNOTAT. IV.

IN fluuio igitur delectatio ob eſſentialem beatitudinem ſignificatur; in ligno vitæ, omnes beati, tum homines, tum Angeli deſignantur; in fructibus eius ligni, gaudia prouenientia ex fruitione aliorum bonorum à Dei viſione & poſſeſſione; & in hominibus beatis, bonorum quæ præcipuè percipi poſſunt, & in corporeis organis reſident, tanquam in ſubiectis immediatis & proxi-

E mis. At quia corpus obiectis ſibi proportionatis non frueretur, niſi omnia ab eo amouerentur, quæ bonorum ſibi conuenientium fruitionem impedire aut retardare poſſunt: ideo hæc corpora dicuntur habere folia, id eſt, ornamenta quædam plurimùm efficaciæ, ad perfectam ſanitatem conſequendam & tuendam.

Hæc autem ornamenta ſunt in hominibus beatis quatuor corporis dotes, impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, claritas. Sicut enim foliis arbores decorantur, & pulchriores apparent, ita his dotibus corpora beatorum maximam obtinent dignitatem, magnumque decorem. Nec enim ſufficit ad eorum beatitudinem complendam, vt omnes ſenſus ſint in eis in actu, quorum actus ſint quaſi fructus comedendi, quibus ſatiantur, quia per hoc

Digitized by Google

omne quod deſiderare rationabiliter poſſent ad beatitudinis integritatem obtinent; erunt quippe omnes ſenſus in ſuo actu, quia potentia actui coniuncta eſt perfectior quam non coniuncta, & viciniùs ſe habent ad animam potentiæ ſenſitiuæ quàm corpus: vnde ſi præmiabitur, vel punietur corpus propter merita vel demerita animæ, potiori ratione omnes ſenſus præmiabuntur in beatis, & punientur in malis, ſecundùm delectationem & dolorem, vel triſtitiam, quæ in operatione ſenſus conſiſtunt; Sed inſuper oportet vt corpora ſint animæ omnimodè ſubiecta, itaut in nullo anima in ſuis operationibus, & in executione, quæ voluerit exigere à ſuo corpore retardetur, aut moleſtiam aliquam patiatur. Corpus quippe humanum, & quicquid in eo eſt, erit perfectè ſubiectum animæ rationali, ſicut anima perfectè erit ſubiecta Deo Et ideo in corpore glorioſo non poterit eſſe aliqua mutatio contra diſpoſitionem illam, qua perficitur ab anima: & ita corpora tanquam foliis, incorruptione, immortalitate, & impaſſibilitate decorabuntur, iuxta illud Pauli: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. ad Corinth. 15. Et tunc verè dicetur *Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua?* Talis erit fœliciſſimus ſtatus beatorum, vt ſicut tunc peccare non poterunt nec ſtimulo peccati infeſtari; ita etiam nec poterunt mori aut aliquid pati. *Deus*, inquit S. Auguſt. l. 22. de ciuit. c. vltim. *naturâ peccare non poteſt: particeps verò Dei ab illo accipit vt peccare non poſſit. Seruandi autem gradus erunt diuini muneris, vt primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo; nouiſſimùm, quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccauit iſta natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſet. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, poſſe non mori; nouiſſima erit non poſſe mori; ita primum liberum arbitrium poſſe non peccare, nouiſſimum non poſſe peccare. Sic enim erit inamißibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo eſt fœlicitatis.* Ita Aug. At certè valde turbaretur illa fœlicitas, ſi pati aliquid contingeret ideo oportet vt corpus ita ſubiiciatur animæ, vt nulla in eo reperiatur mutatio contra ipſius animæ diſpoſitionem & voluntatem, quo liberè anima corpore vtatur in exercitio omnium facultatum ſuarum, quarum exercitium decens eſſe poterit ſtatui beatorum. Dico, quarum exercitium erit decens ſtatui beatorum: nam licèt animæ vegetatiuæ facultates remaneant propter integritatem naturalem, & vt in corporibus eluceat ſemper pulchritudo operis perfectiſſimi, & ſapientia conditoris; actiones tamen earum non exerentur: nulla erit mutatio, nulla accretio, nulla generatio. *Liberabuntur membra ab officiis ſuis*, inquit Tertullian. de reſurrect. carnis, *nec ideo non erunt neceſſaria, licet enim officiis liberentur, ſed iudiciis retinentur, vt quis referat per corpus prout geſſit. Saluum enim hominem tribunal Dei exigit; ſaluum verò ſine membris non licet eſſe, ex quorum non officiis, ſed ſubſtantiis conſtat.* Ita Tert. Quod ait Tertull. vt quæſtioni reſpondeat, quam his verbis antea fecerat. *Quo enim iam, inquiunt, ſpelunca hæc oris, & dentium ſtatio, & gulæ lapſus, & compitum ſtomachi, & alui gurges, & inteſtinorum perplexa proceritas, quum eſui & potui locus non erit, quo huiuſmodi membra admittunt, ſubigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt quo manus ipſæ & pedes, & operarij quique artus, cum victus etiam cura ceſſabit? Quo renes conſcij ſeminum, & reliqua genitalium vtriuſque ſexus, & conceptuum ſtabula, & vberum fontes,*

A *deceſſuro concubitu, & fœtu, & educatu. Poſtremo quo totum corpus totum vacaturum?* Reſp. ad hæc Tert. *At hæc ergo præſtrinximus, non oportere committi futurorum atque præſentium diſpoſitiones, interceſſura tunc demutatione; & nunc ſuperſtruimus officia iſta membrorum neceſſitatibus vitæ huius, eos vſque conſiſtere, donec & ipſa vita transferatur à temporalitate in æternitatem, ſicut animale corpus in ſpiritale, dum mortale iſtud induit immortalitatem, & corruptiuum iſtud in corruptelam. Et ipſâ autem liberatâ tunc vitâ à neceſſitatibus, liberabuntur membra ab officiis, nec ideo non erunt neceſſaria, &c.* vt ſupra. Ita Tertull. Nec mirum ſi ceſſent functiones, & ſaluus tamen homo remaneat in tam fœlici ſtatu, cum & nunc poſſint ceſſare, homine

B ſaluo remanente. Quod animaduertit ibidem Tertull. *Sublata enim, inquit, morte, neque victus fulimenta ad præſidia vitæ, neque generis ſub paratura grauis erit membris. Cæterum & hodie vacare inteſtinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moſes & Elias ieiunio functi, ſolo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur. Non in pane viuit homo, ſed in Dei verbo. Ecce virtutis futuræ lineamenta. Nos quoque, vt poſſumus, à cibo excuſamus, etiam ſexum à congreſſione ſubducimus. Quot ſpadones voluntarij? Quot Virgines Chriſto maritatæ? Quot ſteriles vtriuſque naturæ infructuoſis genitalibus ſtructi? Si & hic iam vacare & officia, & emolumenta membrorum, temporali vacatione, vt in temporali diſpoſitione, nec homo tamen minùs ſaluus eſt; proinde*

C *homine ſaluo, & quidem magis tunc vt in æterna diſpoſitione, magis non deſiderabimus, quæ iam hîc non deſiderare conſueuimus? Sed huic diſceptationi finem dominica pronunciatio imponit. Erunt, inquit, tanquam Angeli.* Et paulo poſt addit Tertull. *Non dixit: erunt Angeli, ne homines negaret. Sed tanquam Angeli, vt homines conſeruaret. Non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. Reſurgit igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipſa & quidem integra, &c.* Ita ille. Pulchra autem ſimilitudine antea idem Tertullian. docet quomodo manente eadem carne, Deus corpora noſtra honore afficit, dum illa impaſſibilia reddit. *Oro te*, inquit, *ſi famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ*

D *flagellis, & compedibus, & ſtigmatibus obnoxia retrò fuerunt: idcirco ne illa eadem pati oportebit? Non opinor: atque & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu & menſa honoratur. Permitte hanc & Deo poteſtatem, per vim demutationis, illius conditionem non naturam reformandi, dum & paſſiones auferuntur, & munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro poſt reſurrectionem, eatenus paſſibilis, quâ ipſa quâ eadem: ea tamen impaſſibilis, quâ in hoc ipſum manu miſſa à Domino, ne vltra pati poſſit. Iocunditas, inquit Eſaias, æterna ſuper caput eorum. Nihil æternum, niſi poſt reſurrectionem.* Ita Tertull. Qui igitur olim veſtimenta & calceamenta filiorum Iſraël quadraginta annis indetrita & inobſoleta conſeruauit; qui tiaras, & ſarabara trium puerorum in

E fornace illæſa ab igne ſeruauit; qui Ionam in aluo belluæ triduo incolumen cuſtodiuit; qui nunc adhuc Enoch & Heliam ab omni vitio, ab omni damno, ab omni iniuria & contumelia ſaluos cuſtodit, tanquam æternitati candidatos; quod nunc præſtat in tempore, in æternum electis præſtabit; ne aliquam moleſtiam in corporibus beati patiantur. Hoc modo ſaluæ & integræ remanebunt facultates animæ ſenſitiuæ, cum actibus & functionibus ſuis, quia actiones illius nullam habent cum ſtatu gloriæ repugnantiam. Sunt enim actus immanentes, & ſubiectum perficientes, abſque vlla alteratione aut immutatione corrumpente aut indecenti. Vſu igitur ſenſuum internorum & externorum ſenſitiui appeti-

Digitized by Google

tus, quin & facultatis motiuæ actibus remanentibus, corpus erit omnino impaſſibile. Non enim excellentiæ ſubiectionis, quam erga Deum anima in eo ſtatu ſeruat, deceret, ſi quod in corpore ſuo impedimentum, aut aliquem defectum ipſa inueniret actioni animæ in corpus aut per corpus exercendæ repugnantem. Pleniſſimam namque poteſtatem in corpus obtinere debet, vt in eo agat quidquid agere poteſt, quod ſtatui tam puro, tam ſancto, & perfecto non ſit indecens. Et hoc modo corpus ditabitur qualitate quadam ſupernaturali, qua perfecta & perdurabili ſanitate fruatur, vt verum ſit folia, id eſt, ornamenta corporum beatorum, illis dari ad ſanitatem gentium. Et verè ad ſanitatem gentium: quia cum animus infirmitate laboret: ſi ſemel voluptatibus carnis allectus, eas indebitè concupiſcat, tunc ex perfectæ ſanitatis vigore, & corpore & animo ſanus erit, cum tam ſanum obtinebit corpus, vt in eo nullus motus appetitus indebitus oriatur. Rectè enim S. Aug. epiſt. 56. ad Dioſcorum: *Non igitur*, inquit, *accipit animus à corpore, vel ſummum bonum vel partem aliquam ſummi boni. Hoc qui non vident, cæcati ſunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia ſanitatis venire non intuentur. Sanitas autem perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam (quod eſt corpus) non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria: ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* Ita S. Aug. Quod igitur præſtant ad tempus quædam medicamenta, hoc præſtabit in æternum illa qualitas ſupernaturalis. Manebunt illæ qualitates contrariæ in corporibus, ſed in ſumma pace, manebit calor natiuus, ſed in humidum radicale nihil aget quo deſtruatur. In loco illo pacis, nullum bellum, nulla diſcordia. Ibi nullum opus erit aëre ad reſpirationem: omnis quippe mutatio aut alteratio corrumpens, à corporibus beatorum excluditur: aërem quemdam æternum, incorruptibilem, in pulmonibus & vocali arteria ſitum ad vſum vocis reſpirabunt. Ibi nullus gladius, quo offendi queant: nec frigore aut calore vexari continget. Et tam efficax erit illa qualitas ad tuendum corpus, illudque liberandum ab omni moleſtia, vt nec intrinſecè, nec etiam ab aliqua cauſa extrinſeca, ſi quæ eſſet, aliquid pati valeat. Nec mirum ſi hæc qualitas à Deo corpori tribuatur, ſi cælos iſtos materiales qualitate incorruptibili circumueſtiuit, itaut cælo nihil noceat. *Decorem igitur*, vt ait S. Laurent. Iuſtinian. de diſciplina & perfectione monaſt. conuerſ. c. 23. *Immortalitatis induet, omni depoſita corruptibilitate.* Hoc eius folium non defluet, ſed illo in æternum circumueſtietur. Sed ad aliam dotem, nempe ſubtilitatem tranſeamus.

Quantum igitur ad ſubtilitatem, rectè idem S. Laurent. Iuſtinian. ibidem. *Quam in hac vita degit & peregrinatur à Domino, (caro ſcilicet) animalis natura eſt. Poſt verò reſurrectionis gloriam, tota ſpiritualis efficietur: itaut omne ſolidum ſit ei peruium: non clauſtris teneri poterit incluſa, non vinculis religata, non reſtricta cuſtodibus, ſed liberum ingrediendi & egrediendi vbique recipiet facultatem. Nunc quoque cum ſit paſſibilis, & variis ægritudinibus, diuerſiſque caſibus ſubiecta videatur, in tantum vt non prætereat temporis momentum, in quo propria non flagelletur neceſſitate vel fragilitate: tunc omni fatigatione ſemota, incorruptibilitate veſtietur.* Hæc ille. De hac ſubtilitate intelligitur Apoſtoli dictum 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale: ſurget ſpirituale* id eſt, ſpiritui ſimile. Qua quidem dote nobiliſſimâ vnumquodque corpus

A beatorum penetratiuum erit cuiuſlibet corporis, propter completiſſimam perfectionem. Quæ completio erit ex dominio animæ glorificatæ, quæ eſt forma corporis, ſuper ipſum: ratione cuius corpus glorioſum ſpirituale dicitur, quaſi omnino ſpiritui ſubiectum. Et ideo prima ratio ſpiritualitatis in corpore, eſt ex ſubtilitate, quæ cum dimenſionem non auferat nullo modo etiam aufert ſibi neceſſitatem diſtinctionis ſitus ab alio corpore; & ideo corpus glorioſum non habebit, ratione ſuæ ſubtilitatis, quod poſſit eſſe ſimul cum alio corpore, ſed poterit ſimul cum alio corpore eſſe ex operatione virtutis diuinæ: Sicut etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate indita quod ad vmbram eius ſanarentur infirmi, ſed hoc fiebat B virtute diuina ad ædificationem fidei: ita faciet diuina virtus vt corpus glorioſum poſſit ſimul cum alio corpore eſſe, ad perfectionem gloriæ. Sicque tranſibit ſphæras cælorum ſine earum diuiſione, non ex vi ſubtilitatis, ſed ex diuina virtute, quæ eis ad nutum in omnibus ſubueniet. Alia eſt enim ratio ſubtilitatis ab aliis tribus dotibus corporis glorioſi impaſſibilitas quippe, agilitas, & claritas, ſunt per quaſdam qualitates ſupernaturales inhærentes. Vis autem penetratiua non eſt in corporibus glorioſis per inhærentem qualitatem. Difficillimum quippe eſt aliquam ponere qualitatem, quæ capax ſit penetrare aliquod corpus abſque ali- C qua diuiſione. Hoc igitur fiet, ſi aliquod penetrari contigerit per ſpecialem concurſum brachij potentiſſimi Dei, qui paratus eſt concurrere cum corpore glorioſo in quacumque occaſione: ſicut etiam videmus Deum paratum habere concurſum ad productionem plurimorum effectuum, qui à cauſis naturalibus produci nequeant, vt ſunt opera miraculoſa, & quorumdam animalium productiones, quæ ſine generatione producuntur, Deo imbecillitatem cauſarum ſecundarum ſupplente. Qui concurſus corporibus glorioſis debetur lege ordinaria, ratione ſtatus gloriæ: & hoc modo omnia penetrare, peruadere, abſque reſiſtentia, abſque alterius corporis diuiſione, diſruptione, aut diſ- D ciſſione poterunt. Excipiuntur tamen alia corpora glorioſa à Theologis: non quòd hoc diuina virtute fieri non poſſet, ſed quia hoc indecens eſſet. Penetrari enim ab alio corpore, habet aliquid ignobilitatis, quæ omnino à corporibus glorioſis aberit: ſicque nullum corpus glorioſum erit ſimul cum alio corpore glorioſo, tum quia in eis ſeruabitur debitus ordo qui diſtinctionem requirit, tum quia vnum corpus glorioſum non ſe opponet alteri: & ſic nunquam duo corpora glorioſa erunt ſimul. Nec illa ſubtilitas impedit quominus corpus glorioſum palpabile non ſit, id eſt, tale vt capax ſit tangi, & reſiſtere tangenti vt non pertranſeat: ſed ex virtute ſupernaturali hoc ei competit, vt cum E vult non palpetur à corpore non glorioſo. Nam quia corpus glorioſum eſt omnino ſubiectum ſpiritui, licet habeat à natura ſua qualitates quæ ſunt natæ immutare tactum: in poteſtate eius eſt vt ſecundùm eas immutet tactum, aut non immutet. Similiter ſecundùm naturam habet vt reſiſtat cuilibet alteri corpori: ita quòd non poſſit eſſe cum eo ſimul in eodem loco: ſed miraculosè hoc poteſt diuinâ virtute contingere ad nutum ipſius, quòd ſit cum alio corpore in eodem loco, & ſic non reſiſtet ei tranſeunti. Et hæc de ornamento ſubtilitatis ſatis, Tranſeamus ad aliud genus foliorum, ſeu ornamentorum beatorum corporum, nempe ad agilitatem, de qua S. Laurent. Iuſtinian. loco ſupra citato.

Tanta inſuper agilitate erit prædita, vt in momento in

omnibus obtemperet imperio ſpiritus præſidentis, abſque retardatione: & ſine grauedine eò ſe diuertet, quò impetus ſpiritus diriget ſe. Ita Laurent. De qua agilitate Iſa. 40. dicitur. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Et Sap. 3. *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Seminatur* igitur *in infirmitate, reſurget in virtute* 1. ad Corinth. 15. id eſt. ſecundùm gloſſam, mobile & viuum. Corpus namque glorioſum erit omnino ſubiectum animæ glorificatæ, non ſolùm vt in eo nihil ſit quod reſiſtat voluntati ſpiritus, quia etiam hoc fuit in corpore Adæ; ſed etiam vt ſit in eo aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad prædictam ſubiectionem. Quæ quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur. Animus autem coniungitur corpori, non ſolùm vt forma, ſed etiam vt motor: & vtroque modo oportet quòd corpus glorioſum animæ glorificatæ ſit ſummè ſubiectum. Vnde ſicut per dotem ſubtilitatis ſubjicitur ei totaliter, in quantum eſt forma corporis dans eſſe ſpecificum, ita per dotem agilitatis ſubjicitur ei, in quantum eſt motor, vt ſcilicet ſit expeditum & habile ad obediendum ſpiritui in omnibus motibus, & actionibus animæ. Ita ex ſupplem. S. Thom. q. 83. ar. 1. Hac agilitate corpora ſanctorum, quæ de terra reſurgent, ad cælum Empyreum aſcendent: ſed etiam poſtquam cælum conſcenderint, veriſimile eſt quòd aliquando mouebuntur pro libito ſuæ voluntatis, vt illud quod habent in virtute, actu exercentes, diuinam ſapientiam commendabilem oſtendant: & vt etiam viſus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diuerſarum, in quibus Dei ſapientia eminenter relucebit. Senſus enim non poteſt eſſe, niſi præſentium, quamuis magis à longinquo poſſint ſentire corpora glorioſa quàm non glorioſa. Nec tamen per motum aliquid deperibit eorum beatitudini, quæ conſiſtit in viſione Dei, quem vbique præſentem habebunt, ſicut & de Angelis dicit Gregorius, quòd *intra Deum currunt, quocumque mittantur.* D. Thom. eadem q. ar. 2. Siue igitur velint greſſibus ambulare, ſiue quaſi aues in altum ferri voluerint, hoc adimplebunt cum indicibili agilitate, itaut etſi in corpore remaneat quædam grauitas corpori cuilibet connaturalis: non tamen motui illa reſiſtentiam, aut impedimentum, aut retardationem aliquam afferet, quominus promptior fiat illorum motus. Erunt ſimiles Angelis. *Velocitas*, inquit Anſelmus, de ſimilitud. c. 51. *tanta nos comitabitur, vt ipſis Angelis Dei æquè celeres ſimus, qui à cælo ad terram citiùs dicto dilabuntur. Nec ſol tam citò vibrat radios ab oriente in occidentem: nec oculus tam cito cælum intuetur, nec cogitatio tam promptè ad hoc vel illud cogitandum fertur, quàm fertur, quàm citò ſancti à cælo in terram deſcendent, à terra in cælum remeabunt, ab oriente ad occidentem, aut ab Aquilone ad auſtrum diſcurrent. Si enim*, inquit Auguſt. l. 13. de ciuit. c. 18. *Ars humana efficit vt ex metallis, quæ in aquis poſita continuò ſubmerguntur, quibuſdam modis vaſa fabricata etiam natare poßint, quanto credibiliùs & efficaciùs occultus aliquis modus operationis Dei (cuius omnipotentißima voluntate Plato dicit, nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolui: cum multo mirabiliùs in corporea corporeis, quàm quæcumque corpora quibuſcumque corporibus copulentur) poteſt molibus præſtare terrenis, vt nullo in ima pondere deprimantur: ipſiſque animis perfectißimè beatis, vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt, ponant, & quo volunt agant, ſitu, motuque facillimo? An verò ſi hoc Angeli faciant, vt qualibet animalia terreſtria rapiant vnde libet, conſtituantque vbi libet, aut eos ſine la-*

A *bore non poſſe, aut onera ſentire credendum eſt? Cur ergo ſanctorum perfectos atque beatos diuino munere ſpiritus ſine vlla difficultate poſſe ferri, quo voluerint, & ſiſtere vbi voluerint ſua corpora non credamus?* Ita S. Aug. Hac autem agilitate mouebuntur, non quòd Deus facultatem motricem intenſiorem reddat, aut quòd omnino auferat omnem à corporibus grauitatem, ſed quia dotabuntur qualitate ſupernaturali, qua præditi, etſi remaneat grauitas corporibus connaturalis, quam facillimè ac citiſſimè mouebuntur, non tamen in inſtanti. Quamuis enim corpus moueri debeat ad libitum voluntatis, voluntas beata non poteſt velle impoſſibile, negari tamen non poteſt quin vltra omnem velocitatem datam poterit ſe homo moueri glorificatus: ſemper ta-
B men habebit velocitatem finitam, ſicut Chriſtus in aſcendendo præfixit ſibi velocitatem quam voluit: ſed tamen ſucceſſiuè aſcendit. Ita Holkot in 3. c. ſapientiæ lect. 33. Et rectè. Nam motui repugnat vt fiat in inſtanti. Inſtans enim eſt tantùm vel terminus, vel vinculum durationis, & ideo motui conuenire non poteſt, qui in ratione motus includit omne illud quod intercedit inter terminum à quo, & terminum ad quem, medium tranſeundo. Velox tamen erit iſte motus; itaut ratione velocitatis, tempus illud omne, quod impendetur in eo motu, adeo breuiuſculum erit, vt fiat imperceptibile. *Corpus glorioſum*, inquit S. Thomas, *mouetur in tem-*
C *pore, ſed imperceptibili propter breuitatem. Tamen vnum corpus glorioſum poteſt in minori tempore idem ſpatium pertranſire, quàm aliud: quia tempus quantumcumque paruum accipiatur, eſt in infinitum diuiſibile.* In ſupplem. q. 83. ar. 3. Nec propterea gloriæ corporum aliquid detrahitur, ſi dicamus non moueri in inſtanti, ſeu moueri in tempore: ſicut nulla eis fit iniuria cum illis corporis naturam attribuimus. Satis honoris illis defertur, quòd dicantur qualitatibus nobiliſſimus ornata, & inter eas agilitate velociſſima, quæ moueantur in tempore imperceptibili. Quo autem motu moueantur, non eſt facile definire. De hac re S. Auguſt. audiamus dicentem l. 22. de ciuit. c. 30. *Qui motus illic talium corporum ſint futuri tenere, defini-*
D *re non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies, decens erit, quicumque erit, vbi quod non decet non erit. Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus? nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poßit decere nec corpus.* Ita Aug.

Reſtat vt de claritate corporum beatorum aliquid dicamus. Certè cum motus prima ſit actio vitalis corporis animati, prima ratio qua corpora ſimilia redduntur ſpiritui, ſumitur ex ſubtilitate, ſecunda ex agilitate, tertia ex impaſſibilitate, quarta autem eſt claritas; quæ vltima reponitur, vt pote minus neceſſaria ad corporis eſſe, cum tantùm ſit ornatus quidam corporum: qui certè iuxta ſcripturam concedendus eſt corporibus beatorum.
E Matt. 13. *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Et Sapient. 3. *Fulgebunt iuſti, &c.* Cauſabitur autem hæc claritas, ex S. Thom. q. 85. ar. 1. in ſupplem. *ex redundantia gloriæ animæ in corpus. Quod enim recipitur in aliquo, non recipitur iuxta modum influentis, ſed per modum recipientis & ideo claritas, quæ eſt in anima ſpirituali, recipitur in corpore vt corporalis; Et ideo ſecundùm quod anima erit maioris claritatis, ſecundùm maius meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore, vt patet per Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. Et ita in corpore glorioſo cognoſcetur gloria animæ, ſicut in vitro cognoſcitur color corporis, quod continetur in vaſe vitreo, vt Gregor. dicit ſuper illud Iob: Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Ita S. Thom. Erit igitur illa nobiliſſima qualitas alterius generis ab hac luce, quæ in hoc mundo fulget, quantum ad ſpeciei cauſam, ſed

Digitized by Google

non quantum ad ſpeciem. Sed excellentiſſima erit: A nam ſicut claritas hæc infirmitati oculorum noſtrorum proportionata eſt; ita hæc lux glorioſorum corporum erit proportionata excellentiæ viſui beatorum; ſicque ille ſplendor exuperat quidquid lucidum & ſplendidum mortalis oculus percipere poteſt. Quo fit vt à ſaluatore ſoli comparetur. Quin & Anſelmus in Elucidar. & S. Ephrem in ſermone quodam de iud. voluerunt claritatem hanc ſolis claritate ſepties fore ſplendidiorem. Hoc etiam aſſerit Laurent. Iuſtin. l. de diſc. & per Monach. conuer. *Nimiâ quoque*, inquit, *claritate fulgebit, itaut ſolis ſepties tranſcendat ſplendorem.* Nec Apoſtolus corpora beatorum ſtellis comparans, aliquid detrahere voluit de claritate, quam Chriſtus tribuit corporibus glorioſis; ſed tantùm docere voluit eſſe inter corpora beatorum aliquam differentiam in claritate, ſicut differentia eſt inter illos in ratione meritorum. *Promiſſa eſt*, inquit S. Auguſt. ſer. 143. *ſanctorum corporibus claritas, & diuerſa ſpecies claritatis, quia diuerſa ſunt merita charitatis.* Ita Auguſtinus. Nec Chriſtus Dominus dicens iuſtos ad modum ſolis fulgorem è corporibus emiſſuros, voluit definire eorum ſplendorem nunquam poſſe fieri micantiorem ſolari lumine ſed tantùm docuit quòd ſicut in hoc mundo nihil ſole micantius fulget, ita in regno patris nihil ſplendidius videbitur corporibus glorioſis. Hic aurum, argentum, throni deaurati & eburnei, lapides pretioſi carbunculi, ſmaragdi, adamantes ſplendidius tuo corpore fulgent: in patria hoc non erit licèt enim cælum ſit lucidiſſimum, lucidiora tamen erunt corpora beatorum; ſicut ſol in hoc mundo, & ſtellis, & aëre irradiato ſuo lumine intentiùs fulget. Qui igitur docti fuerunt, ſcientia videlicet ſanctorum, fulgebunt in patria tanquam ſplendor firmamenti. *Non autem*, inquit S. Laurent. Iuſtin. de diſcipl. & perfect. Monaſt. Conuer. c. 23. *Lumine ſuo intuentium ſe reuerberabit adſpectum, ſed ineffabili quodammodo confortabit, clarificabit.* Ita Laur. Qui poſtea docet vim & efficaciam huius luminis, vt corpora quæ afficit, perfectiſſimè intueri poſſint. *Erit*, inquit, *tota eius ſubſtantia corporeis oculis viſibilis; adeout viſcerum, cæterorumque membrorum harmonia, conditoris declaret magiſterium admirandum.* Ita Laur. poſt S. Aug. l. 22. de ciuit. c. 30. *Omnia*, inquit, *membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſſarios varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſſitas ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna fælicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus iam ſum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt intrinſecus & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magna atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationis, pulchritudinis delectatione ſuccendent.* Ita Aug. Videbitur igitur illa corporum harmonia, quæ vix multa experientia per crudeles diſſectiones cadauerum addiſcitur. *Patebunt etiam*, inquit Auguſt. eodem lib. c. 29. *cogitationes noſtræ inuicem nobis. Tunc enim implebitur, quod Apoſtolus ait. Cum dixiſſet: Nolite ante tempus iudicare quicquam; mox addidit: donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ita Aug. Et reuera non habent ſancti in internis mentis cogitationibus, quod videri pertimeſcant: quorum phantaſmata, quæ hoc lumine poterunt colluſtrari, puriſſima ſunt. Vnde illa videntibus nulla poterit oriri ſuſpicio ipſos aliquid mali in mente verſare; quin & cogitationes mentis aliis innoteſcere deſiderabunt, quo occaſionem intuentibus ſe dare poſſint Deum laudandi & glorificandi, cum vnuſquiſque eorum Deum totis viribus collaudare nitatur, non tantùm voce, ſed etiam corde. Sed ad claritatem illam corporum reuertentes, rectè monet S. Laurent. Iuſt. de diſciplina & perfect. Monaſt. Conuer. quòd oculos intuentium ille ſplendor non offendet, licèt ſit intenſiſſimus. *Non autem*, inquit, *lumine ſuo intuentium ſe reuerberabit adſpectum, ſed ineffabili quodammodo confortabit, clarificabitque.* Ita Laur. Hoc tamen intelligendum eſt de oculo glorioſo. Rectè ſiquidem S. Auguſt. l. 22. de ciuit. c. 19. *Quæ claritas in Chriſti corpore, cum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potiùs abſcondita fuiſſe quam defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci.* Ita Aug. B Nec hoc mirum videri debet. Requiritur ſiquidem vt hæc claritas ſit in poteſtate animæ, vt videatur, aut non videatur; aliàs corpus glorioſum non eſſet inſtrumentum ſummè obediens principali agenti. Quia igitur erit ſumma obedientia corporis ad animam, corpus poterit videri vel non videri, ſecundum animæ voluntatem. Ita S. Tho. in ſupplem. q. 85. ar. 3. Aliàs hæc claritas neceſſariò radios diffunderet, & in tenebris ſeſe abſcondere nequiret: quod repugnat obedientiæ, quam corpus in eo ſtatu præſtare debet animæ. Quot, quæſo miranda opera intuebuntur beati? Non quia hæc claritas oculos beatorum immutet ſpecie aliqua materiali; C ſed tantùm intentionali. Omnis quippe immutatio materialis excluditur dote impaſſibilitatis. Sed certè pulcherrima, & iucunda erit corporum beatorum viſio, in quibus partes corporis æqualem non habebunt ſplendorem: alius enim erit ſplendor faciei, alius ſplendor oſſium & neruorum, vt ſic afferat corpori pulchritudinem maiorem ipſa varietas ſplendoris.

Hæc ſunt folia ligni vitæ, quæ fluunt ex anima, non quòd anima producat illas qualitates, aut quòd formali beatitudine animæ iſta perficiantur: ſed qui manu ſua illas arbores in paradiſo ſuo plantauit omnipotens Deus, idem ille his ornamentis arbores illas condecorabit, producendo D in illis has qualitates luminis, impaſſibilitatis, agilitatis; & ſupernaturali modo concurret, vt per ſubtilitatem abſque vlla diuiſione aut corruptione aliorum corporum, hæc beata corpora poſſint quocumque voluerint progredi, nullo occurrente obſtaculo, quominùs abſque vlla difficultate cuncta penetrent obuia, & quocumque voluerint ferantur. Et ſic folia hæc, ſeu ornamenta, ſunt ad ſanitatem gentium, earum videlicet gentium, de quibus Iſaiæ 60. dicitur: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Earum, inquam, quas pſalmiſta inuitat ad laudandum Deum. *Laudate*, inquit, *Deum omnes gentes: laudate eum omnes populi.* Pſ. 116. Expoliatæ quippe veteri E homine, cum actibus ſuis, & indutæ homine nouo, *qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius qui creauit illum*, vt ait Apoſtolus, *vbi non eſt Gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium, barbarus & Scytha ſeruus & liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus.* Coloſſ. 3. Non mirum ſi hæc dona, quæ in Angelis naturam eorum ſpiritalem conſequuntur, dicantur eſſe ad ſanitatem gentium; quæ his indigebant, vt imbecillitati & infirmitati connaturali medela afferretur, id eſt, ad ſanitatem omnium, qui ex quacumque gente, aut natione, ad hanc gloriam poſſidendam vocati fuerunt; vt tanquam arbores plantatæ, torrente illo delectationis & voluptatis irrigarentur, quo ipſi cum Angelis inebriantur. *In medio enim plateæ, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, &c.*

Et omne maledictum non erit ampliùs, ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt. Et ſerui eius ſeruient illi. Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.

Ex abundantia gloriæ omne maledictum excluditur à beatis, vt accipiendo benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, Deus operi tum Creationis, tum Redemptionis, vltimam manum imponat.

ANNOTAT. V.

NON ampliùs maledicta terra in opere hominis, cuius erit portio in terra viuentium: non ampliùs comedet ex ea cum laboribus, cui tam ſuaui fructu comedere dabitur cum ſumma quiete & tranquillitate. Hæc terra benedicta non ſpinas, & tribulos germinabit, ſed roſas, & violas, & arbores fructus ſuauiſſimos afferentes. Nullus vultus ſudor, cui nihil erit cum labore aut fatigatione peragendum, perfectâ ſanitate obtentâ per illa ornamenta, de quibus mox egimus, adeo facilè, promptè, & iocundè omnia perficient. Mors vltra non dominabitur, vbi immortalitas repetitur talis, vt non modò poſſint non mori, ſed etiam eis moriendi adempta ſit facultas. In cælo denique nullus membris aut oculis captus, nullus morbus, nulla ægritudo, non fœditas vlla, non peccatum, non debilitas aut fatigatio, non mori, aut quicquam dirum hominibus imprecari poteſt repetietur; ſed perfecta benedictio, quæ maior eſſe non poteſt, quàm quòd Deus in hominibus tanquam in ſede conquieſcat. Et ſicut Deus per ſex dies operari dicebatur, & in ſeptimo requieuiſſe ab omni opere quod patrarat, certum eſt Deum (cum glorificata fuerit Eccleſia) nullum aliud opus aggreſſurum, quo omnipotentiam ſuam, aut magnificentiam ſuam, & infinitam bonitatem manifeſtet: nam perficietur opus creationis per abundantiam gratiæ, & opus gratiæ & redemptionis per abundantiam gloriæ omne peccatum & omnem pœnam excludentis, & bonorum omnium participationem in vltimo gradu largientis. Rectè Rupertus: *Ipſi qui ſerui, & qui ſeruient illi, ſedes Dei & Agni in illa ciuitate erunt, & ipſe ſedebit in eis Rex Regum & Dominus dominantium, cum Deo Patre & Spiritu ſancto habitans in cordibus eorum. Glorioſa & dulcis ſeruitus erit in illa, vbi ſeruos ſe eſſe in ſuis conſcientiis meminerint eius, à quo, & per quem, & in quo redempti ſunt. Ille autem Dominus, non tam Dominum ſeruorum aut Regem ſeruientium, quàm Patrem filiorum, & amicum ſe exhibet amicorum, nullam aliam exigens ſeruitutem quàm ineffabilem dilectionem, tacere à laudibus non valentem, & infinitas gratiarum actiones pro ſummis atque ineffabilibus delitiis habentem. Nam quomodo ab eiuſmodi ſeruitute quieſcere poterunt? Sequitur enim: Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Non ergo illic poterit eſſe ſilentium, vbi tam deſiderabilem faciem videbunt: ſed, ſicut ſcriptum eſt: Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, ſempiterna iubilationis perpetualiter ſeruitium. Et vt perpendas quanti honoris, quanta ſit libertatis illud ſeruitium, & nomen eius, ait, in frontibus eorum. Quod vel quale nomen eius, niſi Dei? Dij namque nominabuntur & erunt, iuxta illud: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et hoc idem Ioannes. Videte, inquit, qualem gratiam dedit nobis, vt filij Dei nominemur & ſimus. Ergo nomen eius in frontibus eorum, id eſt, filij Dei nominabuntur & erunt.* Ita Rup.

Habebunt, inquit Andreas Cæſar, *pro aurea lami-*A *na, quam ſummus ſacerdos olim ferebat, diuinum nomen, non tam in frontibus deſcriptum, quàm in cordibus impreſſum. Indicat id autem formam liberam, & immutabilem dilectionem, qua in illum feruntur. Etenim inſcriptio in fronte, honeſtæ cuiuſdam libertatis argumentum & index eſt.* Ita Andreas Cæſar.

S. Thomas: *Nomen eius in frontibus eorum, hoc eſt, in aperto, ſicut apertè & manifeſtè eum confeſſi ſunt. Supra c. 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.* Ita S. Thom. Hic igitur videbat adimpleti, quod ibi promiſſum fuerat. Sed ad confirmationem & elucidationem, Ambroſij expoſitionem hic afferamus.

B *Et omne maledictum non erit ampliùs. Cum dicit, Omne maledictum, demonſtrat plurimas eſſe maledictiones. Maledictionem mortis primus homo incurrit, quando peccauit, & ab illo in omnes homines pertranſiit. Et de Chriſto Paulus dicit quòd factus ſit maledictum pro nobis: quia mortem pro ſalute noſtra ſuſcepit. Sed & Cain pro reatu homicidij maledictus eſt à Deo. Et contemptoribus legis dicit Moyſes: Maledictus qui non permanſerit in omnibus iis. Similiter & nos cum grauiter peccamus, ipſi nos peſſima maledictione damnamus. Omne igitur maledictum non erit ampliùs, quia peccatum non erit, nec aliquid quod occaſionem præbeat peccandi. Maledictio quoque primi hominis in reſurrectione delebitur, cum immortalitas omnibus electis fuerit attributa. Et ſedes Dei & agni in illa* C *erunt. Si modò ſunt ſancti Dei, in hac vita poſiti, ſedes Dei: quanto magis tunc erunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? Et ſerui eius ſeruient illi. Quæ eſt iſta ſeruitus, qua ſerui Dei ſeruiunt Deo? Amando videlicet eum, & ſine fine laudando. Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Quanta ſit gloria & ſuauitas, quæ ſanctis manifeſtabitur, mens humana comprehendere non poteſt, ſicut dicit Apoſtolus Paulus, quòd oculus non vidit, &c. Sed omnem dulcedinem atque ſuauitatem illud tranſcendet, quando videbunt illum facie ad faciem. Nomen verò Dei eſt filius Dei. Nomen itaque erit in frontibus ſanctorum, quia ipſa claritas atque ſpecies demonſtrabit eos eſſe filios Dei.* Ita Ambroſ.

D

Et nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis: quoniam Dominus Deus illuminabit eos. Et regnabunt in ſecula ſeculorum.

Maximus honor ſanctorum erit quòd ab ipſomet bono increato beabuntur, & cum eo regnabunt in ſecula ſeculorum.

ANNOTAT. VI.

NOX *vltra non erit*: quia in gratiæ atque gloriæ bonis perfruendis nulla erit intermiſſio E aut abruptio. *Deus*, inquit Ambroſius, *lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quas ergo tenebras pati poterunt, à quibus Deus aſſiduè videbitur? Etſi de dæmonibus & impiis intelligere voluerimus hoc dictum; nox non erit; quia dæmones cum omnibus impiis in cloaca inferni in perpetuum tenebuntur incluſi.* Ita Ambroſ.

Noſtrorum, inquit Primaſius, *fragilitas corporum hic, nunc, & viciſſitudinibus temporum, & conſolationibus elementorum, vt ad exercendum diurna opera noctis quiete reddatur idonea, vtatur etiam nocte pro conſolatione lucerna. Tunc autem, quando erit Deus omnia in omnibus, qui eſt lux vera, his elementis nullus ibi indigus, nullus erit vnquam obnoxius, quando ipſe lumen erit regnantibus ſanctis, qui totius eſt autor operis. Neque perfectorum exhortatio, neque legis diuinæ prædictio,*

Digitized by Google

quæ nunc lucerna eſſe dicantur in obſcuro loco, quia in Dei contemplatione, rebus expletis, tenetur perfecta promiſſio. Ita Primaſ.

Si iuſti, inquit Andreas Cæſ. *vt inquit Chriſtus, fulgebunt vt ſol, qua ratione lucernali aut ſolari lumine opus erit iis, qui à Domino gloria & maieſtatis illuſtrantur & reguntur, & in omne æuum regentur? Aut, vt rectiùs ſecundùm Apoſtolum dicam, ſine fine vna cum illo regnabunt.* Ita And.

Rupertus. *Videbunt*, inquit, *faciem eius, & ad videndum faciem illam non opus erit vt adhibeatur, vt hîc ad videndum faciem cuiuſque hominis adhiberi oportet lumen ſolis, aut lumen lucernæ, ſi ſol ſub terra ſit quia nox vltra non erit, diem illic non agente ſole alio, ſed ipſo Domino Deo, qui illuminabit illos, qui ſol verus & ſempiternus eſt, non ita vt oriatur & occidat, & nunc ſuper terram fulgeat, nunc autem ſub terram ſe recondat; ſed itaut ſemper in facies illorum fulgeat, in mentes illorum ſemper luceat. Et ne putes aliud eſſe ſeruitium illud, quo ſeruient illi, quàm libertatem & regnum, & regnabunt*, inquit, *in ſæcula ſæculorum.* Ita Rup.

Per hoc, inquit S. Thomas, *inſinuatur cognitio perfecta, quam habebunt ſancti in patria. Dominus enim illuminabit eos lumine perfectæ cognitionis, & ideo non indigebunt alio doctore, & aliâ doctrinâ. Vnde Ioan. ſexto. Et erunt omnes docibiles Dei & regnabunt in ſæcula ſæculorum. Regnabunt, quia regnanti Deo taliter inhærebunt in ſæcula ſæculorum. Supra c. 20. Erunt ſacerdotes Dei & Chriſti & regnabunt cum illo mille annis. Et Sapient. ſexto. Diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Ita S. Thom. Locus tamen c. 20. vt vidimus, non de regno cæleſti, ſed de militante Eccleſia eſt intelligendus. Quicquid ſit, quantus ſit honor beatorum in hìs verbis ſatis indicatur, qui à ſolo Deo illuminabuntur; non ex minoris boni fruitione & poſſeſſione beati erunt. Et cum eo regnare debent, dum illi ſeruiunt in ſæcula ſæculorum.

Hic finis eſt prophetiæ. Quæ ſubſequuntur, ad conciliandam illi autoritatem & fidem adducuntur, aut ad nos prouocandum vt ex hac reuelatione fructum accipiamus à Deo intentum.

Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò.

De veritate eorum quæ dicta ſunt.

ANNOTAT. VII.

HÆC *verba fideliſſima ſunt & vera. Hoc bis*, inquit Ambroſ. *repetiuit: Ideo vt nullus conſiderans obſcuritates dictionum, & ea quæ ſecundùm literam irrationabilia videntur, incredulus exiſtat. Fuerunt enim quidam, qui non intelligentes diuina myſteria, quæ in hoc libro continentur, à catalogo diuinarum ſcripturarum eum amputare voluerunt.* Ita Ambroſ.

Rupertus: *Vt caput ſiue principium, ita & finem libri huius voluit eſſe galeatum, quatenus munitum ſit totum corpus reuelationum iſtarum: ne quis audeat quaſi contemptibile reputare vel abjicere quippiam eorum, quæ in hoc libro ſcripta ſunt. Futurum quippe erat, vt ſicut iam in exordio diximus, à nonnullis contemneretur, maximè pro ſui difficultate: quia ſolent homines irreuerentes quæcumque legerint contemnere tantò faciliùs, quanto difficiliora ſunt intellectu. Itaque ſicut in Exordio dixerat: Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò; ita & his præmiſſis, Hæc verba fideliſſima ſunt & vera, & Domi-* A *nus, inquit, Deus omnipotens, ſpiritus Prophetarum, id eſt, Spiritus ſanctus, qui in prophetis locutus eſt, qui vtique omnipotens Dominus, & omnipotens Deus eſt, miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò.* Ita Rup.

S. Thoma: *Fideliſſima: quia quæcumque figuris & verbis oſtenſa ſunt, fideliter implebuntur Pſ. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis. Et vera: quia nullo modo poterunt caſſari. Matt. 24. Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt. Et ſup. 19. Hæc verba Dei vera ſunt: Et quia fideliſſima, & vera, & Angelico miniſterio declarata, ideo cum omni fide ſuſcipienda.* Ita S. Thom.

Non de Ioannis diffidentia dubitat, inquit Primaſ. B *ſed veram viſionem omni Eccleſiæ, in qua & paruulos futuros nouerat, commmendabat.* Ita Primaſ.

Fidelia & vera ſunt, vt pote ab ipſa veritate prolata, inquit And. Cæſarienſis. Qui poſtea monet, quòd huc vſque ſanctus Ioannes Angeli viſionem, viſorumque interpretationem in medium propoſuit: poſthac autem quaſi ex propria perſona diſſerit. Ait autem: Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum, vt oſtendat ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò. *Si*, inquit Andreas, *Chriſtus eſt Deus Prophetarum, qui Angelum ſuum mittit, vt per diuinum Ioannem, qui viſionem hanc vidit, quaſi per internuncium, ſeruis ſuis quæ olim futura ſunt oſtendat; planum ſit cum in libri huius exordio filium, rerum harum* C *manifeſtationem à Deo patre accepiſſe aſſerit, orationem œconomiæ illius ſecundum carnem accommodaſſe, quadamque συγκατάβασει & condeſcenſione vſum eſſe. Qui enim Prophetarum Deus eſt, Angeloſq; tanquam ſpiritus adminiſtratorios ad ſeruos ſuos, vt quæ futura ſunt illis patefaciat, ſubinde mittit: certum eſt eum nihil quicquam latere, adeoque diem & horam conſummationis ſæculi non ignorare: itaut iſthæc nec tandem per patrem eum diſcere oporteat, qui omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros tanquam Deus in ſe abditos habet.* Ita And.

De futuris autem tantùm loquitur (cum ait ſcilicet. *Quæ oportet fieri citò.*) Quamuis etiam quædam præterita in hoc libro ſignificentur, *quia nimirum*, inquit Ambroſius, *præterita facilè dignoſcuntur,* D *futura autem & incognita, non niſi per reuelationem Spiritus ſancti, aut per Angelorum miniſterium intelligere poſſumus, aliter quidquid ignoramus futurum nobis eſt: quia futurum eſt vt ad cor noſtrum veniat quod neſcimus, illud videlicet quod Deus prædeſtinauit vt ſciremus. Non enim ſcientia mali nobis prædeſtinata eſt, ſed ex originali peccato deſcendit.* Ita Ambroſ. Qui etiam ibidem aſſerere videtur vnum tantùm Angelum omnia myſteria ſancto Ioanni oſtendiſſe. *Ipſe*, inquit, *miſit Angelum ſuum, id eſt, ipſum qui loquebatur; qui & Ioanni oſtendit omnia myſteria, quæ in hoc libro continentur.* Cenſet tamen Ludouicus ab Alcazar plures Angelos ad hæc myſteria reuelanda fuiſſe deſtinatos. *Quamquam*, inquit, *vniuerſa Apocalypſis concipienda* E *eſt veluti ſpectaculum quoddam, ſiue actio, cuius fuit vnus editor, nempe Angelus ille, de quo eſt ſermo c. 11. huius tamen ſpectaculi variæ ſunt partes, & veluti ſcenæ: atque adeo varij ſunt Angeli, qui in admirabilem hanc actionem inducuntur, vt liquidò cernitur in tubarum Angelis, & in Angelis phialarum.* Ita Alcaz. Duo autem reuelantur S. Ioanni, nempe ea quæ decurſu temporum fieri debebant, ſecundò proximum eſſe Chriſti aduentum. Vnde, vt vult Andr. Cæſ. *Perſonam Chriſti aſſumens dicit: Ecce venio velociter.* Cui concinit Ambroſ. dum ait: *Hic in perſona loquitur Chriſti, ſignificans eum ad iudicium citò eſſe venturum.* Ita Ambroſ.

Digitized by Google

Et ecce venio velociter. Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius.

Quanta ſit vtilitas huius prophetiæ?

ANNOTAT. VIII.

CVM velox ſit Chriſti aduentus, beatus qui imparatus inuentus non fuerit, iuxta illud: *Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus eius, & pulſauerit ianuam, inuenerit vigilantem.* Talis erit qui cuſtodierit verba prophetiæ libri huius. Ideo poſtquam de velociſſimo aduentu fecit mentionem, ſtatim addit: *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius. Quia*, inquit Richardus à S. Victore *promiſit præmia æterna. Seruare*, inquit Primaſius, *dicit hic veneranter credere, & purioris vitæ propoſito cuſtodire.* Ita Primaſ.

Ambroſius: *Ille ſeruat verba prophetiæ, id eſt, mandata Dei, qui ea operando implet, & in meditatione eorum aſſiduus eſt, implens illud pſalmographi dictum: in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Ita Ambroſ. Sed quia addit (*Huius*) ideo Dico illum cuſtodire verba prophetiæ huius, qui de Chriſto credit quæ in hoc libro de eius gloria prædicantur. Nam, vt ait S. Ioann. 1. ep. c. quarto. *Et nos vidimus & teſtificamur, quoniam pater miſit filium ſuum ſaluatorem mundi: Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ita S. Ioan. Beatus inſuper, cuius fides ſupra Eccleſiæ petram & autoritatem ſolidatur: qui ſcientiâ Chriſti librum myſteriorum aperientis repletur: qui ſacramentorum perceptione ſanctitatem adipiſcitur, qui in gratia finaliter perſeuerat, qui inter multimodas pœnas, & afflictiones à Deo immiſſas, purgatur probatur, & perficitur; qui ſub vexillo agni, in vnione Eccleſiaſtica manens, per connexionem cum viſibili capite Eccleſiæ, Deo militat; qui, quantum in ſe eſt, Regnum Chriſti viſibile promouere ſtudet: qui illum ſequitur, qui eì obedientiam præſtat, vt Regi Regum, & Domino dominantium; qui ad Regnum eius pertinet, & in iudicio Dei inuentus fuerit bonorum operum fructu repletus. Ille cuſtodiet verba prophetæ huius, & ad beatitudinem, quæ hic deſcripta fuit, perueniet? In quo apparet vtilitas huius prophetiæ, quæ aperit nobis quænam ſint cuſtodienda, vt ad beatitudinem poſſimus peruenire. Ad quorum cuſtodiam & obſeruationem vigilare debemus: quia, vt dictum eſt, velox eſt Chriſti aduentus, cui rationem de operibus noſtris ſumus reddituri.

Et ego Ioannes, qui audiui & vidi hæc.

Ex dignitate Ioannis, cui facta eſt hæc reuelatio, huic reuelationi fidem adhibere debemus.

ANNOTAT. IX.

NON timet ſanctus Ioannes proprium nomen apponere, & ad tabulæ calcem ſupponere, adeo certus eſt ſe omnia verè dixiſſe, & ſcripſiſſe, prout illi reuelata fuerunt. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.*

Reuelationis atteſtatio, inquit Primaſius, inſinuatur in hominis firmari indicio. Ita ille. At multò magis firmatur, ſi cogitemus illum hominem eſſe Ioan-

A nem, qui virgo fuit. Et Virginitas aptiſſima eſt, vt eâ præditis detur, myſteriorum diuinorum cognitio. Qui Apoſtolus eſt: Apoſtolis autem data fuit autoritas condendi ſcripturas ſacras & canonicas: Qui Euangeliſta fuit, a Deo ſpeciali reuelatione ad ſcribendum Euangelium adiutus qui ſupra pectus Domini in cæna recubuit, qui amicus ſponſi potuit ea, quæ audiuit ſponſus, percipere: qui martyr fuit pro verbo Dei itaut nihil dicat faciendum, quod non ipſe præſtiterit, cum ad tolerantiam laborum nos excitare intendit. Credibilia igitur ſunt iſta: quia à Ioanne Virgine, Apoſtolo, Euangeliſta, dilecto Chriſti diſcipulo, ex pectore eius ſecreta hauriente, digniſſimo & fideliſſimo verbi illius teſte proferuntur, & nomine illius ſub- B ſcribuntur. His adde Ioannem ex contubernio & familiari conuerſatione cum Virgine Chriſti matre multa potuiſſe addiſcere. De eo igitur optimè S. Laurentius Iuſtin. ſermone de illo ſancto, ait: *Ad Apoſtolatus ſiquidem aſſumptus eſt apicem: præ cæteris fuit dilectus à Chriſto: Dei genitricem ſuſcepit in matrem: Euangelij fluenta percepit in verbo: atque corporis reſolutionem ſine dolore ſuſtinuit puritatem quippe puerilis ætatis, vſque ad ſenium cuſtodiuit illæſam, innocentiæque nitorem ſeruauit in mente.* Ita Laur. Ideo aptiſſimus ad ſecreta cæleſtia percipienda, quia puriſſimus.

Beati enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* C *Quantos hic*, vt poſtea ait S. Laurentius Iuſt. *eruditione ſua Euangelicâ, atque Apoſtolicâ confutauit errores, qui in exordio naſcentis pullulauere Eccleſiæ? Quantos imbuit fide, atque ab anfractibus vitiorum reuocauit ad Chriſtum? Omnes penè Aſiæ fundauit Eccleſias, imo vniuerſum eloquiis ſuis Catholicis irradiauit mundum in omnem terram ſonus prædicationis eius exiuit, & in fines orbis terræ ſcripturarum illius tuba concrepuit. Meritò in ſtadio militantis Eccleſiæ ſicut ardens emicuit facula, diuini ignis accenſa ſplendore, non vtique ſub modio ſed ſuper eminens conſtituta candelabrum. Luxit etenim in ſe virgineo decoratus candore luxit proximo ſapientia ac ſcientiæ ditatus eloquio: luxit & Chriſto martyrij examinatus incendio. Illi namque teſtimonium quoad vixit* D *exhibuit.* Ita S. Laur. Huic igitur fidem adhibeamus. Illius verbis ac prophetiæ credamus, inter ipſos Euangeliorum ſcriptores eminet in diuinorum myſteriorum profunditate, qui à tempore Dominicæ Aſcenſionis per annos ſexaginta quinque verbum Dei abſque adminiculo ſcribendi, vſque ad vltima Domitiani prædicauit tempora: ſed tandem de coæterna patri diuinitate Chriſti ſcripſit aduerſus hæreticos, de exilio rediens Epheſum, poſtquam in exilio poſitus Apocalypſim ſcripſiſſet: vt & temporalis Chriſti gloriæ, & æternæ eſſet fideliſſimus præco & teſtis. Pauca quippe de temporalibus eius geſtis ediſſerens, diuinitatis potentiam ſublimius contemplatur, cum Domino ad cælum volat. Qui enim ſupra pectus Domini in E cæna recubuit, cæleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellentiùs de ipſo Dominici pectoris fonte potauit, vt quidam ait in prologo ſupra tractatus S. Auguſtin. in Ioannem.

Danda ergo ſunt omnia, inquit Rupertus, in prologo in Euangelium S. Ioannis, *vt hæc ſola margarita comparari queat: omneſque carnalium ſordes affectuum ab oculis cordis abſtergenda ſunt eis qui in ſchola Chriſti venerabilibus ſtudent literis: vt hanc aliquatenus valeant aquilam proſequi, quam cordis munditia iuuit, vt claritatem ſolis æternis plus cæteris diuinæ viſionis animalibus irreuerberata poſſint mentis acie contemplari. Nam de eo, qui per munditiam viam ad veram tendit ſapientiam, loquitur Dominus per Eſaiam: iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt:*

aqua

Digitized by Google

nque eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius cernent terram de longe. Imo quod ad rem euidentiùs attinet, hoc ſicut ad Iob aliis quidem verbis, ſed eodem ſenſu dictum eſt: *Ad præceptum Domini eleuabitur vt aquila, in arduis ponet nidum ſuum. In Petris manet, & in prærupt is ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam: oculi eius de longe proſpiciunt.* Ita Rupert. Huic igitur Prophetiæ credamus, quia Ioannes eſt qui audiuit & vidit hæc, & ſe ea audiſſe & vidiſſe ipſemet teſtatur. Is enim fide digniſſimus eſt. Non enim alij dicũt ipſũ hæc audiſſe & vidiſſe, ſed ipſemet ait: *Et ego Ioannes, qui audiui & vidi hæc.*

Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat. Et dixit mihi: Vide ne feceris: Conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba Prophetiæ libri huius. Deum adora.

Cur ſanctus Ioannes Angelum adorare vult, & Angelus adorari nolit?

ANNOTAT. IX.

HÆC verba fusè expoſuimus in c. 19. vbi ſatis apparet homines, quando vult Deus, Angelis æquiparari in reuelatione myſteriorum. Deus enim independenter ab Angelorum miniſterio, immediatè, quando vult, ſua ſecreta poteſt notificare hominibus. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*, dicebat Chriſtus: *quia omnia quæcumque audiui à Patre, nota feci vobis.* Cauſam reddit hic Ambroſius cur Ioannes duabus vicibus Angelum adorare voluit, nempe tunc hoc egiſſe cum ei demonſtratæ ſunt duæ Eccleſiæ cum Chriſto coniunctiones: Prima per fidem cæteraque bona opera; ſecunda poſt reſurrectionem excelſiùs atque nobilius; non iam per partes ſicut modò, ſed tota ſimul in æternum cum illo ſine fine manſura. Igitur Ioannes bis Angelum adorare voluit, quia bonas coniunctiones Eccleſiæ cum Chriſto ei demonſtraſſet. Ita Ambr. Quod non voluit facere, cum alia multa, illi demonſtrauit.

Oſtendit, inquit Andr. Cæſar. *quoque Angeli, qui myſticam illam viſionem impreſſerat, grauitatem, & erga Deum pietatem, vt qui conſerui adorationem non admiſerit, ſed piè prudenterque communi Domino illam detulerit.* Ita Andr.

Sanctus Ioannes, inquit S. Thomas, *in hac vltima viſione multò ſublimiùs eleuatus fuit, quàm priùs, ad contemplandam cæleſtem gloriam ſecundùm futurum ſtatum eius; & ideo præ ſtupore nimio, & admiratione tantæ pulchritudinis, non fuit recordatus forſitan primæ prohibitionis. Vel etiam per huiuſmodi iterationem innuit quantam venerationem Prælatis noſtris debemus exhibere, cum ipſe Angelum cæleſtia bona ſibi demonſtrantem etiam prohibitus voluerit adorare. Veruntamen ipſe non propter ſe, ſed propter Deum deberet velle ſibi honorem huiuſmodi exhiberi. Vnde & benè Angelus dixit: Deum adora: quia tantum honorem ſibi exhibitum deberet attribuere Deo: nec deberet propter hoc in ſe extolli, ſed magis humiliari, &c.* Ita S. Th. *Ratio autem*, inquit poſtea S. Th. *cur prohibet Angelus ne eum S. Ioannes adoret, eſt, Quia, inquit, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum. Quaſi dicat: Ego, & tu, & fratres tui, ſpirituales ſcilicet iuſti, tanquam conſerui vnum Dominum habemus. Et ideo nolo à te adorari: Immo volo tecum vnum Deum & Dominum adorare. Hoc etiam dicit Angelus conſiderando naturam humanam ſupra ſe exaltatam, & ideo ſe dicit conſeruum iuſtorum, & non ſuperiorem, & hac de cauſa non eſſe adorandum.* Ita S. Th. Conſule quæ diximus, c. 19.

Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius, tempus enim prope eſt. Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Et qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundùm opera ſua.

Hæc prophetia ſtatim atque reuelata fuit, debuit fidelibus legendam exponi, ne mali cauſam ſumerent excuſationis, ſi liberè in peccatis permanerent, neſcientes vindicem malorum citò affuturum; & boni ſpem conciperent recipiẽdæ citò mercedis, ſi in bono perſeuerare voluerint.

ANNOTAT. X.

MVLTA equidem continet hæc prophetia intellectu difficillima tamen multa etiam continet, ex quibus ſinguli quique homines poſſunt vtilitatem capere. Ideo non fuit abſcondenda fidelibus, ſed illis exponenda. Deinde cum totum percurrat tempus durationis Eccleſiæ, & quæ in initio naſcentis Eccleſiæ, in proceſſu temporum, & in fine & conſummatione ſæculorum ſunt perficienda, complectatur, ideo ſignanda non fuit, vt in omnibus horum temporum differentiis poſſint fideles in verbis huius prophetiæ exquirere, quid Spiritus ſanctus per ea nobis prædicere voluit: vel ſaltem cum fuerint adimpleta, firmiùs veritati adhæreamus, quam prædictam fuiſſe antea in his viſionibus perſpexerimus, iuxta illud Saluatoris: *A modo dico vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quia ego ſum.* Ioan. 13. Et benè monet Alcaz. *Ipſius doctrinæ ſubſtantiam, ac veluti ſummam, id eſt, ſingularem Dei prouidentiam de Chriſtianæ Eccleſiæ ſucceſſibus, necnon ipſius Eccleſiæ victoriam de ſuis hoſtibus comparandam, & iuſtorum præmium à Chriſto Ieſu conferendum, hæc omnia, inquam, reſignata, & aperta fuiſſe. Propterea igitur Ioanni dicitur: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius; quia licèt obſcuriſſima libri huius ænigmata permanſerint, ipſius tamen doctrina non remanebat ſignata, quando illam Deus ſuæ Eccleſiæ ita plenè & cumulatè tum in hoc libro, tum in aliis impertierat. Eamdem etiam ob cauſam dicitur in ipſo Apocalypſeos limine, Deum dediſſe Chriſto Domino Apocalypſim, vt palam faceret ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò.* Ita Alcaz. Quod ſi cap. 10. dicitur Ioanni: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua;* rationem aſſignauimus cur ea, quæ loquebantur tonitrua, non deberent ſcriptis mandari: quam in commentario illius loci videre poteris. At hoc non impedit quominus alia non eſſent ſignanda, ſed potiùs ſcriptis mandanda, & exponenda ab iis quibus Deus dederit ſenſum, & ſcripturas aperire voluerit. *Signata eſt*, inquit Ambr. *ſcriptura illis, à quibus non intelligitur. Præcipitur igitur Ioanni ne ſignet verba prophetiæ libri huius, id eſt, ne tacendo, obſcuritates eius abſcondat, ſed exponendo potius omnibus eas ſcire volentibus manifeſtet, eoquod dies iudicij, qui in hoc libro diuerſis modis deſcribitur, prope ſit: & neceſſe habeamus vt periculum quod imminet, corde videamus: ne ſicut fur incautos occupet & perdat.* Ita Ambr. Qui etiam addit: *Credibile eſſe S. Ioannem expoſuiſſe prædicando obſcuritates huius libri, quas ſcriptis non expoſuit.*

Hactenus, inquit And. Cæſ. *Angelicas ſententias & voces adduxit: hinc nunc ad dominicam Chriſti perſonam tranſit iubet hæc autẽ: ne Prophetiæ huius verba obſignet, quippe cum liber hic qui ab omnibus fidelibus legatur dignus ſit nam per ſupplicia quæ peccatoribus comminatur, & quietem, quæ ſanctis hic promittitur laboribus, ad veram illam vitam viam oſtendit.* Ita And.

Cauſam igitur cur non ſint ſignanda iſta verba aſſignat, ſiue dum ait, *Tempus enim prope eſt*; ſiue cum

addit : *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.* Sed quid ſibi volunt verba iſta ?

Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc ; & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.

ANNOTAT. X.

NON *præcipiendo*, inquit Ambroſius, *ſed comminando dixit. Solent quippe homines hoc genere locutionis terrere quoſdam ſibi ſubiectos, ſicut Magiſtri ſolent dicere pueris vacantibus : Nolite legere : nolite legere. Illi verò intelligentes comminationem eſſe hoc, non prohibitionem, ſtatim incipiunt legere. Hoc etiam modò Domini ſeruos otio torpentes terrere ſolent, vt opus ſibi iniunctum citiùs expleant. Idem legitur eſt ac ſi diceret: in veſtro eſt arbitrio malum aut bonum agere. Certi tamen eſtote, quia citò recipietis ſupplicium aut mercedem. Si igitur mihi credere volueritis, peccata veſtra, quæ vobis & aliis nocent, & ſordes veſtras relinquite. Et ſi iam ſancti eſtis, maiorem ſanctitatem acquirite, vt ampliorem accipiatis mercedem. Veniet enim mox illa nox, in qua nemo poterit operari, aut ad pænitentiam conuerti, aut aliquod opus meritorium elicere, vt digniorem ſibi acquirat coronam.*

Hinc bene Andreas Cæſarienſ. ait : *Non adferuntur iſthæc hoc loco quaſi ad iniuſtitiam, aut immunditiam aliquem incitare velit ; Verùm vt oſtendat ſe hominis voluntatem liberam, & ab omni coactione immunem conſeruare, certò decreuiſſe. Senſus enim eſt : Vnuſquiſque quod ſibi placet operetur : nullus equidem voluntati vim infero. Vnum hoc tantùm oſtendo atque denuncio, nempe vnum quemlibet exitum ſortiturum ſuis ſtudiis ſuiſq; operibus conſentaneum. Quare etiam ſubdit: Venio enim citò, vt reddam vnicuique præmia factis ſuis digna.* Ita And.

Tamen Primaſius hic vult demonſtrari occulta eſſe Dei iudicio, quibus mali homines in peius proficere permittuntur. Hinc Rupertus hoc de derelictis à Deo, & de prædeſtinatis intelligi vult, de iis nempe quorum nulla eſt ſpes conuerſionis, hi ſordeſcant quantum voluerint & de iis, quos Deus in hoc ſæculo reliquit, vt coronam ſuam per accretionem meritorum perficiant. Etenim poſtquam dixit: *Cum tanta ſupplicia impiis & tanta præmia repoſita ſunt piis, quanta ſignificat ſeries huius libri, non dubites impius quin ſufficientia ſuis meritis rependãtur quamtũcumq; noceat adhuc ; & non dubitet iuſtus & ſanctus quin condigna ſuis meritis retribuantur, quamtumcumque iuſtitiam faciat, aut ſanctificetur adhuc.* Poſtea aſſerit hæc verba, *Noceat & ſordeſcat* non eſſe verba imperatiui : nec enim vult creator vt nocens ſit aut ſordida ſua creatura, ſed his verbis deſignari tempus quando Deus *ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*, id eſt, quando Deus peccantes derelinquit abſque ſpe conuerſionis. Tribus namque modis peccatur; ignorantia, infirmitate, ſuperbia. Subuenit ignorantiæ Deus, ſicut fecit erga Abimelech, Geneſ. 27. infirmos patienter ſuſtinet. *Miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pænitentiam.* Sapient. 11. *Porro*, inquit Rupertus, *ſi cum ſuperbia quis peccet, tradit eum Deus, & dimittit in deſideria cordis eius, in immunditiam. Et non eſt vt dicas quia voluntas Domini eſt, quòd ille noxius aut ſordidus eſt : ſed quia non curat Deus de illo qui talis eſt, & quia multum illi iratus eſt, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. Talem vtique illum intelligi oportet, de quo hic dicitur : Qui nocet noceat adhuc, &c. Maximè quia non dixit : Qui nocuit, noceat adhuc; & qui in ſordibus fuit, ſordeſcat adhuc : Non dixit : Qui nocuit, noceat adhuc ; & qui in ſordibus fuit, ſordeſcat adhuc ; Sed, Qui nocet, inquit, qui in ſordibus eſt. Hoc enim idem ac ſi di-*
A *cat : Qui ſtudium nocendi habet, & ſuas amat ſordes pertinaciter, nemo poſtquam audierit illum ſemetipſum defendentem, & eas (quæ in hoc libro ſcriptæ ſunt) plagas continentem, quicquam boni de illo ſperet, quia ſcriptum eſt: Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non conuertam eum: Quia poſtquam tribus ſceleribus tranſcurſis, ad quartum quis peruenerit, iam non eſt ſpes conuerſionis. Primum ſcelus eſt ſordes criminum mente & voluptate tractaſſe. Secundum ſcelus eſt, eaſdem ſordes defendere. Noceat igitur qui nocet, & ſordeſcat adhuc qui in ſordibus eſt : quia non curat Deus de illo : & iuſtè derelictus eſt : quia non vtcumque ſorduit, ſed ſordes ſuas ſuperbè defendendo ; in ſordibus eſt. E contra, qui iuſtus eſt & ſanctus, id eſt, qui bonum iuſtitiæ & ſanctitatis ſtudium habet, adhuc iuſti-*
B *tiam faciat, & adhuc ſanctificetur, benè prouidente Deo quatenus non ante de præſenti migret ſæculo, quàm corona eius perficiatur; & manſio illi in domo patris eius, meritorum gemmis atque margaritis perornetur* Ita Rupert. Et reuera citò debemus nos à malis abſtinere, citò debemus bonis operibus inſudare, inſtat enim dies Domini. Vnde addit : *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.* Quæ verba ponderans Rupertus ait: *Nimirum ſic loquitur, vt benè ſibi conſcius quia magna ſit fortitudinis, & inexhauſtæ facultatis, ad puniendum noxios atque ſordidos quantumcumque nocuerint quantumcumque ſorduerint, nihil minus à ſuis meritis tormenta recepturos; & ad remunerandum iuſtos & ſanctos quantumcumque iuſtitiam fe-*
C *cerint, quantumcumque ſanctificati fuerint, nihil minus à ſuis meritis præmia recepturos. Ait ergo : Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt. Quamuis ſeruo malo, noxio atque ſordido, inebrianti ſe, atque percutienti conſeruos ſuos, videatur quod in tempora longa fiat hoc, ego dico quia ecce venio, citò venio. Et ne quis de mercede dubitet, merces mea mecum eſt, non in manu altera, non in poteſtate aliena, ſed in manu mea in poteſtate mea eſt : & dum venio, mecum venit in poteſtate mea magna merces vniuerſa, ad reddendum vnicuique ſecundùm opera ſua.* Ita Rupert.

Seculi homines, inquit Ambroſius, *mercedes, quas ſibi ſeruientibus debent reddere, aut in ſacculis, aut in horreis, aut in quibuſdam terræ locis habent. Chriſtus autem præmia ſeruorum ſuorum ſecum ſemper habet. Ab ipſo enim*
D *procedit omnis bonitas ſanctorum: ab ipſo & in futuro procedet omnis gloria eorum.* Ita Ambr. Cui adde & iram ab ipſo citò procedere. *Et ne dicas*, inquit Sap. Eccleſ. 5. *Miſeratio Domini magna eſt : multitudinis peccatorum meorũ miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant & in peccatores reſpicit ira illius.* Hæc ſapienter Sapiens. Quæ cum ita ſint, ipſum ſapiẽtem, ſi ſapientes ſumus, dicentem audiamus. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Hinc rectè dixit S. Laur. Iuſtin. de contemptu mundi, cap. 17. *Mirari prorſus non deſino quonam modo fiat, vt ij, apud quos per fidem conſtat alteram eſſe vitam, in qua iuſtis ineffabilia gaudia, & peccatoribus intolerabilia*
E *irrogantur ſupplicia, non compungantur iugiter, conuerſationemque ſuam laudabiliter ducant : non qualem commendat mundus, ſed quam approbat Deus, præſertim cum decurrente tempore abſq; interuallo, quotidie agnoſcant ſe appropinquare letho, atq; adſtare iudici, qui falli non poteſt, quum ſapientia ſit ; nec terreri, quum ſit omnipotens ; nec ſubuerti muneribus, quum ſit ditiſſimus ; nec flecti blanditiis, quum æquiſſimus ſit ; neque illi quicquam occultari, quum omnia nuda & manifeſta ſint ei ; qui nullius perſonam accipit, nullumq; delictum impunitum relinquit ; ſed cuncta hominum errata, diſtricta examinatione diiudicat, ſingulis merita condigna retribuens.* Ita Laur. Iuſt. Omnibus certè hoc iudicium formidabile eſſe debet : ſiquidem *omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Roman. 3. Infidelis eſt qui hoc non credit, & tanquam infidelis iam iudicatus.

Digitized by Google

O quàm multos titulo Chriſtianitatis tantùm nomine inſignitos, ait idem Laurentius, *in ſuo gremio tenet Eccleſia, qui apud ſe vniuerſale iudicium futurum, corporum reſurrectionem, inferni pœnas & paradiſi gaudia fabulas arbitrantur. Nam etſi voce vel cæremoniis exterioribus confitentur ſe Deo credere, factis tamen & cogitationibus negans. Tales proculdubio nefarij infideles, & deſperati ſunt, ac Deum eſſe non credunt. In quorum perſona Propheta ait: Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Quamobrem, vt poſtea addit, *pudeat homines non eſſe quod deberent, ac repugnare altiſſimo, cum ad benè viuendum illos diuina inuitent eloquia, naturalis ratio, collata munera, vniuerſi ordo cuſtoditus ab æuo, hora mortis imminentis ignota peccatoribus promulgata ſupplicia, atque cæleſtis patriæ iuſtis ineffabilia bona promiſſa.* B *Iſta proculdubio deberent emollire corda adamantina, lapideaque, & ad morum probitatem inflectere, ſi tamen rationis quantulacumque eis ineſſet ſcintilla: adeo quippe palam effecta ſunt, vt nedum ſapientibus, verùm etiam ſimplicibus & ignaris captabilia ſint, dummodo obſtinato animo, vt benè agant, intelligere nolint. Tunc omnis perſuaſio caſſa, omniſque ratio arbitratur indigna: quoniam in homine completum eſt quod per quemdam dicitur: impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Sanè vbi contemptus eſt gratiæ, & vbi agnita impugnatur veritas, quoniam omnis labor ſuper vacuus eſt, ſapientiæ non ſunt ſeminanda eloquia, iuxta admonitionem Domini dicentis: Nolite ſanctum dare canibus (Matth. 7.) neque proijciatis margaritas ante porcos: ne fortè conuerſi* C *elidant vos. Proinde illis tantummodo ſunt propalanda myſteria, qui ſapientiæ conſiliis humiliter acquieſcere volunt, propriamque ſalutem amare noſcuntur. In eis inquam, benedictio cæleſtis effulget, qui neſciunt reſiſtere gratiæ, corde non audent intumeſcere, dedignanturque præſentia plus amare quàm Deum. Sed mites ſunt, & ſacris eruditionibus ſimplici corde conſentiunt. Tales nimirum temporalia poſſidentes, ſic ſe in illis exhibent, tanquam non poſſideant: ſicque hoc mundo vtuntur, tanquam non vtantur: quoniam peregrinos in hoc ſæculo ſe eſſe cognoſcant. Prudenti quidem conſideratione iugiter meditantur, quomodo ſine retardatione aliqua, viſibilia cuncta pertranſeant: quæ cum ſtare videntur, labuntur: ſibique cohærentes collidunt, & perdunt.* Ita Laur. Iuſt. D Hæc adducenda fuerunt, vt meliùs percipiamus quanti momenti ſint illa verba: *Ne ſignaueris verba prophetiæ huius: tempus enim prope eſt. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt.*

Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus, principium & finis.

Quamuis difficillima ſint prædicta in executione, certiſſimè tamen ſunt adimplenda: quia Dei opus eſt, cuius proprium quæ incæpit, feliciter adimplere.

ANNOTAT. XI.

INDICANT ſanè verba iſta: *Ego ſum α & ω primus & nouiſſimus, principium & finis*: omnem dubietatem eſſe amouendam, ſi autoris tanti operis poteſtatem ſemel perſpexerimus. Idem enim eſt ac ſi diceret, iuxta Andream Cæſarienſem: *Neque enim*, inquit, *aliquid extat meo principio vetuſtius; ſed neque regni diuini diuinæque poteſtatis vllus omnino exſtat terminus. Subinde autem Chriſtus, vt ante quoque indicatum eſt, appellatur primus & nouiſſimus: illud quidem propter deitatem, hoc verò propter aſſumptam humilitatis naturam.* Ita And. Vetuſtatem ſuam igitur Deus commendat, ne exiſtimemus aliquem ei præripuiſſe agendi poteſtatem aut libertatem, aut illum præuenire in opere po- A tuiſſe. Sed ſicut ipſe eſt, qui tanquam prima cauſa omnes alias cauſas mouet ad agendum; ne exiſtimes aliquam cauſam reperiri, quæ coronam operis illi ſurripiat, ipſe colophonem addit, qui principium dedit, quia potentiſſimus eſt, vt in opere perficiendo conſtanter perſeueret. Se etiam dicit primum & nouiſſimum, quia Deus & homo eſt. Quod etiam placuit Primaſio. *Fidelis*, inquit, *prædicatio veritatis, vt irreprehenſibilis forma virtutum quoties repetitione formatur ampliore cultu ſpiritalis anima informatur: quod ad finem libri breuiter quidem ſed competenter exprimitur. In α verbi diuinitatem, in ω ſuſceptam humanitatem, principium ſine termino.* Ita Primaſius. Qui inſuper Myſterium Trinitatis in α & ω B agnoſcit: quod α & ω eumdem numerum reddant, nempe octingenteſimum & vnum, quem reddit nomen columbæ in græco nomine περιστερα: per quam columbam ſignificatur ſeu adumbratur Spiritus ſanctus. *Quod autem*, inquit Primaſius, *in præſenti libro toties α & ω repetitum video, non inaniter factum fuiſſe cognoſco: ſiue enim propter vnius Chriſti diuinitatem & humanitatem ſæpius inſinuandam, in qua totius Chriſtianæ fidei ſummam conſtare praemiſimus: ſiue vt vnius naturæ tota Trinitas intimetur, qui per prophetam dicit: Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Et ſum Deus, & non erit abſque me ſaluator. Vel cui per Prophetam dicitur: Tu es Deus & ante te, & præter te non eſt alius Deus. Siue aliud ali-* C *quid melioris lateat: ſecretioriſque myſterij, non tamen dubito ad hoc ſæpiùs iteratum, vt intelligendi, gratia fidelibus maneret fructuoſa. Nam & ipſa elementa græci alphabeti, α & ω, eiuſdem numeri conficiunt ſummam, quam columbæ nomine in græco nouimus comprehendi. Columba enim dicitur περιστερα* (malè ſcribitur in quibuſdam exemplaribus αεριστερα: nec enim hoc nomine numerus, quem hoc nomine ſignificari vult reperitur) *quo nomine nempe περιστερα, octingenteſimus & vnus numerus adimpletur. Verbi gratia π 80. ε 5. ρ 100. ι 10. σ 200. τ 300. ε 5. ρ 100. α 1. Quem etiam numerum adimplent ſcilicet α & ω. α 1. ω 800. Colũba autem ſpecie rectè nobis ſancti Spiritus nouimus ſignificari perſonam, in cuius ſpecie deſcendens vo-* D *luit apparere, vt ſcilicet Arrianorum, aliorumque hæreticorum fruſtraretur inſania qui eum à Patris, & Filij natura aſſerunt alienum, cum etiam per huius conuenientiam numeri hîc quoque reuelatio cæleſtis conſubſtantialem & coæternum Patri & Filio ſanctum Spiritum manifeſtet.* Ita Primaſ. Ac ſi innuat α ſignificare patrem, qui eſt principium ſine principio, ω ſignificare filium, qui eſt terminus communicationum ad extra. Nulla enim dignior communicatio, quàm vnio hypoſtatica. Et cum α & ω eundem reddant numerum, quem reddit nomen Columbæ in græco, per quem Spiritus ſanctus ſignificatur, indicat Spiritum ſanctum eiuſdem eſſe eſſentiæ & perfectionis cum Patre & Filio. Totius igitur Trinitatis E potentia declaratur, ad perficienda opera ad extra diuinæ prouidentiæ. Itaque cum ait: *Ego ſum α & ω.* j. ego pater, à quo omnia principiantur, per generationem filij, qui incarnatus manifeſtat ad quantam communicationem bonitas diuina per amorem ſe effundat: & ideo α, quia vnum ſunt Pater & Filius in natura.

Vnde Rupertus: *Ego ſum α & ω, &c. Ac ſi dicat*, inquit, *inde manus mea non eſt inualida, ad reddendum vnicuique ſecundum opera ſua, quia ego ſum ante omnes, & ante ſæcula Deus, & poſt me non erit alius. Quod intelligitur per α & ω quoniam videlicet literarum in alphabeto græco altera prima, altera vltima. Nam quod dixerit: ego ſum α & ω. exponit dicendo, primus & nouiſſimus: addendo etiam, principium & finis: ſcilicet à quo omnis creatura principium eſt, & in quo*

creatura rationalis conſummatur. Hoc idem in initio libri dixeras: ego ſum α & ω, principium & finis. Et hic idcirco renouat: vt cætera iam dicta, nequis adhuc dormitet, aut de ignorantia ſeſe excuſet, ſeu quaſi vilem ſcripturæ huius iubam, præ amore ſordium ſuarum audire diſſimulet. Ita Rup.

Denique S. Thomas Richardum à S. Victore, vt frequenter facit, ſecutus ait: *ego ſum α & ω. Quaſi dicat: Reuera ego veniam, & iudicabo, & remunerabo, & non alius: quia ego creaui per potentiam, cum ſim primus, & principium omnium: ego diſcernam iudicando per iuſtitiam, cum ſim nouiſſimus, & finis creaturarum. Supra c. 1. Ego ſum α, &c. huiuſmodi vero ſcientia idcirco frequenter repetitur, vt ei fidei firmior adhibeatur.* Ita S. Thom. *Ego*, inquit Richardus, *dedi ſubſiſtendi originem: ego dabo meritis retributionem.*

Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Quinam ad tantam gloriam admittantur, quiue ab ea excludantur?

ANNOTAT. XII.

ADMITTVNTVR qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni: excluduntur canes, & venefici, & cæteri.

Quantum ad primos, qui admittuntur, quia tota collectio beatificandorum eſt ſponſa Chriſti, de qua mox dicitur: *Et ſpiritus & ſponſa dicunt, veni*: appoſitè ſanctus Ioannes non indumentum virile aſſumit pro ſymbolo, ſed ſtola, quæ veſtis eſt muliebris. Stola autem quibuſdam ſunt ipſæ animæ. Ita Ambroſius. *Poſſumus*, inquit, *per ſtolas in hoc loco animas intelligere. Et quia*, inquit, *aſſiduè peccamus, neceſſe eſt vt ſtolas, id eſt animas noſtras, orando, vigilando, ieiunando, Eleemoſynas largiendo aſſiduè lauemus.*

Aliis ſtola eſt vita vniuſcuiuſque. Ita Primaſ. *In α. & ω Chriſtum inſinuans, immaculatam verò vitam ſtolis ſignificans candidis, cui idem ſimiliter præmium pollicetur.* Ita Primaſ.

Aliis ornatus virtutum, Rupertus: *Soli illi beati ſunt, qui lauant ſtolas ſuas, vt habeant veſtem nuptialem, maximè vt ſint lumbi eorum præcincti, id eſt, ornatum habeant caſtitatis, non intentione laudis humanæ, ſed pro illa expectatione.* Ita Rup.

Aliis corpora & opera. Ita Richardus à S. Victore. *Qui lauant ſtolas ſuas ſ. corpora ſua & opera poſt baptiſmum crimine polluta.* Ita Richard. Quem ſequitur S. Thomas in expoſit. Et addit: *Quaſi dicat licèt ſuperius dictum ſit: Qui nocet, noceat adhuc, &c. non propter hoc deſperent peccatores: quia ſi mundauerint ſe à peccatis ſuis, per pœnitentiam; beatitudinem conſequentur æternam, ſicut & illi conſeruauerunt innocentiam ſuam Iſ. 1. Lauamini: mundi eſtote: auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, &c.* Ita S. Thom. Richardum ſequutus.

Et reuera animæ poſſunt dici ſtolæ, quia opera externa bona ſunt vel mala, ſeu bonitatem & malitiam induunt, iuxta bonitatem aut malitiam actuum internorum animæ. Vita cuiuſlibet poteſt dici ſtola: quia qualis eſt vniuſcuiuſq; conuerſatio talis eſt illius fama, & exiſtimatio apud homines. Opera ſunt indumenta; quia actuum internorum ornatus aut decor videtur per actus externos cooperiti: quin & corpus dicitur animæ indumentum. Sed nec anima ſanctificatur, niſi in ſanguine Chriſti, cuius merito gratia animæ infunditur. Nulla hominis vita eſt laudabilis, niſi quæcumque fuerit conuerſationi Chriſti conformis. Nullum opus eſt laudabile & meritorium, niſi illud fuerit ſpiritu Chriſti viuificatum. Et corpora noſtra ſtolâ immortalitatis induentur, ſi ſemel fuerint Chriſto concrucifixa, vt cum Paulo dicamus: *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. ad Corint. 4. Qui gratia igitur iuſtificati, & laudabili ſunt conuerſatione quorum opera Chriſtum imitantur, & qui carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis, illorum eſt ſperare mercedem, illorum eſt expectare perfectam & abſolutiſſimam beatitudinem, quæ in his verbis denotatur. *Vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ.* Illorum eſt habere media, quibus ius ad beatitudinem ſibi acquirere valeant, nempe opera vitæ æternæ meritoria, quæ deſignari diximus per portas ciuitatis. Hinc dicitur: *Et per portas intrent in ciuitatem.*

Hinc Rupertus: *Vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, id eſt, frui poſſint verè vitali ſumma diuinitatis viſione, quo intratur per portas iuſtitiæ, quæ ſunt portæ ſanctæ ciuitatis.* Ita Rup.

Ambroſius poſtquam lignum vitæ dixit eſſe ſapientiam, & per portas Chriſtum intelligi, de quo in Euangelio dicitur: *Ego ſum oſtium, &c.* his addit: *Poſſumus hoc & ad futurum tempus referre.*

Per lignum namque vitæ Chriſtus deſignatur, vt ſæpe iam diximus. Sicut enim ex vno ſtipite ligni multi rami prodeunt, ita ex vno Chriſto multitudo ſanctorum. Quicumque ergo lauacris ſpiritalibus id eſt, bonis operibus ſe abluere non ceſſant poteſtatem habent in ligno vitæ: quia eius membra effecti, per illum magna poterunt. Nam ſicut ex vno ſtipite arboris, omnis virtus ramorum procedit: ita ex vno Chriſto omnis poteſtas ſanctorum. Per portam ciuitatis poſſumus accipere miſericordiam & clementiam Dei. Hæc eſt porta, quæ iuſtis aperietur: quia iuſtos intra aulam paradiſi miſericordia diuina recipiet. Ita Amb.

Andreas Cæſar. duplicem lectionem huius loci admittens, nempe *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni:* Et aliam, nempe *beati qui faciunt præcepta eius*: ait. *Vera beatitate citrà controuerſiam digni tales, vtrumque tandem leges: ſiquidem interminabili vita illa potiti, ius illis faſque erit in ligno vitæ, nempe in Chriſto Deo noſtro conquieſcere, ſuauiterque in illius contemplatione ſeſe oblectare:, nulla malignâ virtute aut poteſtate vllum prorſus impedimentum afferente. Sed per Apoſtolicas portas, hoc eſt, per Apoſtolorum doctrinam in ciuitatem ſupernam ingredientur. Neque alioſum per ſaltum irruent, quemadmodum mercenarij paſtores ſolent, ſed à vita ianitore per verum oſtium introducentur.* Ita Andreas. Beatus autem Thomas in expoſitione ait: *Beati, inquam, ſunt, qui ſic faciunt, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, id eſt, vt poſſint eſſe participes gloriæ Chriſti, qui dicitur lignum vitæ, ſupra c. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Et per portas intrent in ciuitatem ſ. in ſanctam Hieruſalem ciuitatem cæleſtem Iſ. 26. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.* Ita S. Thom. Hi autem cuſtodiunt veritatem, qui iuxta noſtram expoſitionem de portis, mandata Dei cuſtodientes, faciunt opera meritoria, quibus ius illis comparatur ad gloriam.

Quantum ad eos, qui excluduntur à gloria, hi ſunt de quibus poſtea dicit: *Foris canes, &c. Canes*, inquit Andr. Cæſar. *hoc loco appellantur non ſolùm effrontes & infideles, cæterique mali operarij omnes,*

Digitized by Google

quos Apoſtolus deplorat; verum ij etiam, qui poſt ſuſceptum baptiſmum, ad proprium vomitum reuerſi ſunt. Quare neque hi quoque ad ſupernam illam ciuitatem admittentur, ſed ſimul cum ſcortatoribus, & homicidis, & idolis ſeruientibus, veluti profani & alieni inde repellentur. Ita And.

Rupertus: *Foris canes, id eſt, omnes ſtulti, qui ita reuertuntur ad ſtultitiam ſuam, ſicut reuertitur canis ad vomitum ſuum. Et venefici, qui hominum vitam interficiunt venenis. Et impudici, quos nullius pudet turpitudinis. Et homicidæ, qui vtique humano ſanguine ſunt polluti, & in oculis Domini cruenti. Et idolis ſeruientes, qui profectò nullam habent communicationem cum illo, qui vnus & ſolus verus Deus eſt. Et omnis qui amat & facit mendacium, quales maximè hæretici ſunt. Hæc omnia contraria ſunt ſanctæ ciuitati, & idcirco foris iſti, inquit, cui pro imperio ſatis eſt dixiſſe. Foris.* Ita Rup.

Sanctus Thomas: *illa ſex peccatorum genera ſic diſtinguit: quia qui peccator efficitur, aut hoc eſt per inordinationem ſui in ſe, aut ſui in proximum, aut ſui in Deum. Si primo modo, ſic ſunt impudici, hoc eſt immundi per luxuriam. Si per inordinationem, ſui, quantum ad proximum, hoc poteſt eſſe dupliciter, aut opere, aut ſermone. Si primo modo, ſic ſunt homicidæ. Si ſecundo modo, hoc eſt in ſermone, hoc contingit tripliciter, aut detrahendo, aut malum perſuadendo, aut decipiendo, quando ſcilicet aliud habetur in corde, aliud in ore. Si primo modo, ſic ſunt canes, id eſt detractores, qui mordent occultè proximum detrahendo. Si ſecundo modo, hoc eſt, malum perſuadendo, & ſic ſunt venefici, id eſt, malorum perſuaſores. Si tertio modo ſcilicet, ſic ſunt mendaces. Si per inordinationem ſui in Deum, ſic ſunt idololatræ qui attribuunt creaturæ, quod eſt creatoris, &c.* Ita ſanctus Thomas. Et hæc de iis, qui excluduntur à gloria, dicta ſufficiunt.

Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina.

Chriſtus Dominus per manifeſtationem iſtorum, quæ in hoc libro continentur, omnia adimpleuit quæ ad officium redemptoris pertinebant.

ANNOTAT. XIII.

IN his verbis exiſtimo Chriſtum Dominum aſſerere ſe omnia præſtitiſſe, quæ neceſſaria erant vt opus noſtræ ſalutis perficeret. Nec enim ſufficiebat mundo, ſi Chriſti ſanguine redimeretur, ſi Eccleſiam in mundo inſtituiſſet, Sacramenta contuliſſet, & multa opera perficeret, decurrentibus ſæculis, ad purgationem & probationem electorum vtiliſſima; niſi hæc opera, Dei, & Chriſti eſſe opera intelligerentur. Ideo oportuit vt qui erat Meſſias promiſſus, ex radice & genere Dauidis oriundus, & cui proprium eſt illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, & fidem infundere qua ad claram Dei viſionem peruenire poſſumus, hæc omnia manifeſta redderet. Hac de cauſa miſit Angelum ſuum teſtificari omnibus fidelibus hæc in Eccleſiis. At interpretum expoſitiones libet hic adducere, ad maiorem horum verborum elucidationem.

Ambroſius: *Igitur Dauid radix eſt vniuerſa ſtirpis ſuæ, quia ſicut ex vna radice multi rami oriuntur, ita ex vno Dauid magna progenies eſt exorta. Cum ergo Dauid fuerit radix Chriſti, eoquod de ſtirpe eius Chriſtus fuerit exortus, quomodo Chriſtus radicem ſe dicit eſſe Dauid? Chriſtus igitur & radix & filius eſt Dauid, quia ab ipſo, Dauid eſt creatus, ſicut & cæteri homines. Filius eſt Da-* A *uid, quia ex eius progenie proceſſit ſecundùm carnem.* Ita Ambroſ.

Primaſius: *Ego Ieſus, &c. Seriem libri reſumpturus, intentionem primæ relationis aſſignat vt prioribus poſteriora conueniant. Ego ſum radix & origo Dauid: Diuinitatis Chriſti prædicatione præmiſſa, ſecundùm quod dudum expoſui, formam quoque ſerui, quam pro nobis aſſumpſit, prædicat dicens: Ego ſum radix & genus Dauid.* Ita Primaſius.

Andreas Cæſarienſis: *Radix Dauidis eſt Chriſtus, tanquam Deus genus autem eiuſdem ſecundùm carnem. Ex ipſo namque originem duxit.*

Rupertus: *Ego ſum ille Ieſus, qui & Dominus & filius ſum Dauid: qui ſecundum hominem paſſus & ſepul-* B *tus mane reſurrexi à mortuis. Et creator ſum Dauid, quemadmodum teſtatur ipſe dicens in ſpiritu: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis. Idcirco radix. Et quia filius Dauid, natus vel factus ex ſemine eius ſecundùm carnem, idcirco genus ſum Dauid.* Ita Rup.

Alcazar exiſtimat *per radicem & genus idem prorſus ſignificari, nempe Chriſtum ex Dauide eſſe oriundum, in cuius humilitate regnum Dauidis erat ſuſcitandum, vt pote qui licet abditus, ſuo tamen tempore erat fructum producturus. Verè filius promiſſus, cui Dauidis ipſius ſolium erat deſtinatum, & ad quem ſpectabat eorum omnium complementum, quæ in Dauidis regno, & in eius filio Salomone figurabantur.* Ita Alcazar.

Dicendum mihi videtur Chriſtum Dominum C profiteri ſe radicem eſſe collectionis omnium electorum, ſeu omnium illorum qui tanquam arbores viuentes & producentes fructum in cælo plantati, ab eo tanquam à radice totius ſalutis, ſalutem hauſerunt: quia ſit ille Meſſias & Redemptor promiſſus, ex Dauide oriundus, à quo redimendi eramus.

Stella autem ſplendida & matutina vocatur. Primò quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan.1. Eoquod ſignatum ſit ſuper nos lumen vultus eius, per lumen rationis nobis inditum ad Dei imaginem & ſimilitudinem formatis. Vocatur autem Dei Verbum, licèt ſol ſplendens: ſtella cum dat lumen rationis: quia nulla creatura eſt capax luminis ſupernaturalis, quod poteſt habere D rationem ſolis, id eſt, perfectioris luminis, niſi fuerit prædita lumine rationis, ſeu intellectualis facultatis.

Secundò, vocatur ſtella ſplendida & matutina, propter eius aduentum in mundum. *Ambulantibus enim in regione mortis, lux orta eſt eis.* Et hæc eſt mens Ambroſij, cum ait: *Stella matutina, quam Luciferum vocamus, eccè Chriſtus vocatur, quia ſicut illa mane oriens, ſplendorem ſuum per vniuerſum mundum ſpargit, ita & Chriſtus veniens in mundum vniuerſum, mundi faciem illuminauit. Qui non incongruenter Lucifer vocatur: quia veniens in mundum, lucem detulit: quia tenebras huius mundi extinxit. De hoc Lucifero Iob loquitur dicens: Qui producit Luciferum in tempore ſuo. Luciferum in tempore ſuo Deus Pater produxit, quando filium* E *ſuum tempore conſtituto ad redimendum genus humanum direxit.* Ita Ambroſ. Et reuera Chriſtus Dominus ratione exemplaris vitæ ſanctæ conuerſationis, ſalutaris doctrinæ, veniens in mundum eſt ſtella: quia exemplo & verbo, nos ad fidem attraxit. Quæ tanquam ſol refulgens mentem illuminat, vt Deum verum agnoſcamus. Primaſius, Andreas Cæſarienſis, Rupertus, huius ſtellæ illuminationem & irradientem ſplendorem ad tempus reſurrectionis Chriſti remittunt. Sic enim Primaſ. *Stella, inquit, ſplendida & matutina, noui Teſtamenti gratia refulgente, prima reſurrectionis tempus oſtendit: quando Chriſtus à mortuis reſurrexit. Hinc legimus: A vigilia matutina vſque ad mortem, ſperet Iſraël in Domino.* Ita Primaſ.

Digitized by Google

Andreas Cæſar, *Idem Chriſtus lucida illa & matutina ſtella eſt: vt qui poſt triduanam mortem mane nobis exortus fuit.* Ita Andr.

Cur autem Chriſtus reſurgens ſtella dicatur, rationem reddit Rupertus: quia Chriſti reſurrectio reſurrectionis futuræ vitæ nobis eſt prænuncia. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Ait igitur Rupertus: *Et nunc quidem, qui dum in hoc viventes, per fidem ambulatis, ſtella vobis ſum ſplendida & matutina, ex quo reſurrexi à mortuis. Tunc autem me ſolem habebitis, cum in ciuitatem talem, quam audiſtis, intraueritis, quam claritas Dei illuminauit, quæ non eget lumine ſolis aut lunæ: Propter hoc ipſum, quia illuminauit eam claritas Dei.* Ita Rupert. Hinc Andreas his quæ ſupra dixit addit: *Nec non præſentis vitæ noctem in matutina communis reſurrectionis hora, ſanctis omnibus conſpicuum ſeſe exhibebit, diem, qui nunquam habiturus eſt finem, certò adducturus.* Ita Andr. Concinit ſanctus Thomas, dum ait: *Vocari ſtellam matutinam, diem ſcilicet prænuntians, hoc eſt æternam beatitudinem (meam dicit interlinearis)* Coloſſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit omnibus ipſe primatum tenens.* Ita S. Thom.

Poſſet dici Chriſtus ſtella ſplendida & matutina, eo ipſo quo lumen gloriæ infundit in beatis, iuxta illud: *In lumine tuo videbimus lumen.* Eo namque lumine præuio capaces reddimur viſionis actualis beatificæ, quam abſque eo lumine elicere non poſſemus: quæ viſio eſt dies ille ſempiternus, qui nullas patietur tenebras, & cuius reſpectu lumen iſtud à verbo omnem intellectum illuminante videtur eſſe quaſi ſtella ſplendida & matutina diei prænuncia. Vnde per quamdam connotationem Chriſtus Dominus, cuius eſt omnis mentis illuminatio, dicitur hic ſtella ſplendida & matutina, iuxta illud Andreæ Cæſarienſis: *Nec non poſt præſentis vitæ mortem in matutina communis reſurrectionis hora ſanctis omnibus conſpicuum ſeſe exhibebit, diem qui nunquam habiturus eſt finem certè adducturus.* Ita Andr. Cæſar.

Hinc etiam Alexander de Hales ait: *Non qualibet ſtella, ſed matutina, quia noctis ignorantiæ terminatiua, & lucis diei veritatis, & ſcientiæ inchoatiua. Et nota quod Chriſtus dicitur radix, quantum ad principium gratiæ; vel genus, per conformitatem recreationis; ſtella, per illuſtrationem glorificationis. Per hoc quòd dicitur radix vitæ, intellige Chriſtum eſſe principium creationis, propter diuinitatem. Per hoc quod dicitur, genus, intellige Chriſtum eſſe principium beatitudinis animarum. Per hoc quod dicitur ſtella matutina, intellige Chriſtum eſſe principium glorificationis corporum. Vel radix quantum ad naturam humanitatis, ſtella quantum ad gloriam fœlicitatis.* Ita Alexand. de Hales.

Debetis igitur libenter fidem adhibere Angelo meo, quem miſi teſtificari hoc Eccleſiis, cum ſim Meſſias vobis promiſſus, ex Dauide quidã oriundus ſecundùm carnem, ex eodem genere cum Dauide procreatus, cum ſim ex domo & familia Dauid, filius Dauid & filius Abraham. Sed quia antequam aut Abraham aut Dauid fieret, iam eram ab æterno, ideo ſum principium & ſuſtentaculum Dauid regis, ſicut radix principium arboris. Ita loquitur Alexand. de Hales, qui addit: *Et dicit hoc ſecundùm diuinitatem, ſed ab eo deſcendens ſecundum humanitatem. Ad Rom. 1. Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Ita de Hales. Cum igitur ſim Meſſias vobis promiſſus quem audire debetis: & Ieſus, à quo eſt vobis ſalus, qui nec poſſum nec debio mentiri, credite Angelo quem miſi. Hæc enim verba, nec Ioannis verba, nec Angeli, ſed mea ſunt verba, qui ſum ſtella ſplendida & matutina: quia antea quam res exiſtant, & eueniant, ea poſſum certò & infallibiliter prænunciare: itaut ſimul atque

A quædam prænuncio, dicere oporteat ea infallibiliter futura: ſicut abſque errore quis poteſt aſſerere diem proximè futurum, & præſtò adeſſe, cum videt ſtellam matutinam exorientem & apparentem. Vnde optime Rupertus. *Si huius, inquit, libri autoritatem quæritis, ego ſum Ieſus, autor & dator huius Apocalypſis. Non eſt ſcriptura hæc à Ioanne, non eſt ab homine, neque enim ab homine accepit illam aut didicit, ſed me reuelante, (qui ſum Ieſus) & mittente per Angelum meum: vt ſicut omnes ſcripturæ diuinæ autoritatis, ita & ſcripta hæc teſtificentur & recitentur vobis in Eccleſiis, atque in canonico apice ſint.* Ita Rup.

B *Et ſpiritus & ſponſa dicunt: veni. Et qui audit, dicat veni, & qui ſitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.*

Quinam ſit optandus totius huius reuelationis exitus.

ANNOTAT. XIV.

AD huius loci expoſitionem duo ſunt prænotanda. Primò quoſdam legere: *Et ſponſus & ſponſa dicunt, veni.* Ita Alexander de Hales. Vulgata editio habet: *Et ſpiritus & ſponſa dicunt veni.* Quam lectionem Andreas Cæſarienſis habet cum Ruperto & aliis. Et hanc duplicem lectionem agnouit Rupertus, dum ait: *Hunc ſpiritum, ſiue ſponſum,* C *vt nonnulli codices habent, & ſponſam dicentes, veni, &c.* Notandum ſecundò, quoſdam exiſtimare, hanc prouocationem eſſe ſponſi & Eccleſiæ, ſeu ſpiritus & Eccleſiæ ad fideles, vt veniant: Alios eſſe ſpiritus & Eccleſiæ prouocationem ad Chriſtum Dominum, vt veniat. Hinc duplex erit huius loci expoſitio.

Prima erit eorum, qui exiſtimant hanc prouocationem eſſe ad fideles, vt veniant. Inter quos Ambroſius: *Et ſpiritus,* inquit, *& ſponſa dicunt, veni. Id eſt: Chriſtus & Eccleſia, omnes homines per ſcripturas, & per Prædicatores. Sequitur: & qui audit, dicat veni. Audiunt non ſolùm qui diuinas ſcripturas intelligunt, ſed et illi, qui ea bona ſciunt, per quæ ſaluari* D *poſſunt. Multi ſunt verò qui audiunt, id eſt, qui diuina mandata didicerunt, ſed non veniunt, quia ea opere implere negligunt. Qui igitur audit, neceſſe eſt vt veniat; & qui iam cæpit venire ad Deum per viam bonorum operum, neceſſe habet vt alios ſecum admonendo pertrahat. Et qui ſitit veniat, id eſt, qui ſitit vitam æternam, ad eam per viam bonorum operum venire ſe debere cognoſcat.* Ita Ambroſ.

Similiter Rupertus: *Ego, inquit, miſi teſtificari vobis hæc in Eccleſiis, & cum horum teſtificatione ſpiritus ſingulorum veſtrorum conſcientias conuenit, & ſingulis veſtrum dicit, veni. Id eſt: crede his qui teſtificantur tibi. Hoc foris ſponſa, id eſt Eccleſia, dicit ad aurem corporis, dum ſonum literalem ingerit; hoc intus ad aurem cordis dicit ſpiritus, dum ſenſum ſuggerit ad in-* E *telligendum quòd quidquid hîc dicitur, rationabile, verum & fidele, atque auditu dignum ſit. Audiat vnuſquiſque hunc ſpiritum, ſiue ſponſum, vt nonnulli codices habent, & ſponſam, dicentes, veni. Id eſt: Obaudiat vocantibus, & ſequatur vocationem ſalubrem, vt inuocat ad beatitudinem tam glorioſæ ciuitatis. Audiens autem ſiue obaudiens dicat, veni, id eſt, non ſua tantum ſalute contentus ſit, ſed operam det vt proximum ſuum lucrari verbo exhortationis, & ſecum adducere poſſit.* Ita Rup.

Alexander de Hales ſponſum vult eſſe totam Trinitatem, propter autoritatem, vel Chriſtum propter naturæ conformitatem, ſponſum proprium, amoroſum, ſpecioſum, gratioſum: ſponſam verò Eccleſiam, gratam, fœcundam, humi-

lem, & obſequioſam. *Dicunt eego*, inquit, *tota Trinitas, & Chriſtus principaliter, & Eccleſia omnibus veni, ſcilicet ad huius libri verba legendum, & audiendum, & opere complendum. Et non ſolum ſponſus, id eſt Chriſtus, & ſponſa, id eſt Eccleſia, dicunt Veni; ſed etiam qui audit, dicat Veni, &c.* Et paulo poſt addit: *Qui ergo audit, id eſt, intelligit verba huius libri, dicat aliis Veni, ſcilicet ad intelligendum. Quaſi dicat: Non abſcondat quod intelligit, ſed alios doceat, &c.* Ita Alexand. Huius namque libri notitia eſt omnibus vtilis & neceſſaria, ideo omnibus communicanda abſque inuidia, nec honeſtatem illius abſcondenda. Et hæc de prima expoſitione, in ſententiâ eorum, qui volunt prouocationem ad veniendum fieri ad Eccleſiæ fideles.

Pro ſecunda expoſitione eſt Andreas Cæſarienſis, qui hanc inuitationem ad Chriſti transfert aduentum, dum ait: *Et ſpiritus & ſponſa dicunt Veni: Eccleſia enim, & ſpiritus, qui in ipſa habitat, & Abba pater in cordibus noſtris clamat, vnigeniti filij Dei aduentum inuocat & optat. Sed & cuncti quoque mortales, qui fideliter audiunt & expendunt iſtud: Adueniat Regnum tuum: quaſi diuinitùs edocti eumdem illum aduentum à Deo & patre obnixe contendunt, &c.* Ita Andreas. Cui ſententiæ adſtipulatur Ludouicus ab Alcaz. expendens hæc verba: *Et qui ſitit veniat. Quaſi*, inquit, *dicat: Dum Chriſtum deprecamur, vt ad nos appropinquet, nos pariter ipſos debemus per ipſius gratiam erigere & excitare, vt ſpiritalibus greſſibus illi* C *procedamus obuiam, accenſi & inflammati ipſius gloriæ deſiderio, nec non auiditate aquam vitæ potandi.* Ita Alcazar.

Et certè poſt deſcriptionem tot laborum præliorum, & perſecutionum, ſeu tentationum, per quæ omnia Eccleſia tranſire debet: non mirum ſi ſanctus Ioannes introducat Eccleſiam Spiritu ſancto animatam & viuificatam, ſuſpirantem, & flagranti deſiderio ſponſi ſui aduentum expectantem, & obnixè poſtulantem. Hæc enim ſuſpiria, deſideria, & poſtulationes ſatis conueniunt cum his verbis Apoſtoli ad Romanos 8. *Sumus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus* D *habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Quin & 2. ad Corinth. quinto, idem Apoſtolus oſtendit hoc aduentus Chriſti deſiderium: *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eoquòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* Ita Apoſtolus. Quod quidem cum adimpleri non debeat, niſi cum Dominus ad iudicium venerit, in quo *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum:* 2. ad Corinth. 5. non mirum ſi ſpiritus & ſponſa dicunt Veni. Et qui audit ſpiritum in corde ſuo, in quo clamamus Abba Pater (qui *ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiri-* E *tui noſtro quod ſumus filij Dei. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8.) Dicat veni, aduentum Chriſti ſitiens, vt coronam gloriæ recipiat, & hæreditatem ſibi promiſſam poſſideat. Et cum Chriſtus dicit: *Etiam, venio cito:* ipſe addat: *Amen. Veni Domine Ieſu*: aduentum tuum percupio, mihi tanta bona allaturum. Veni nunc per gratiam, vt venias per gloriam: *Dominus* enim, ait Iſaias c. 33. *Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter. Ipſe ſaluabit nos.* Ita Iſ. Vnde huic vltimæ ſententiæ ſubſcribo. Et hic eſt exitus & finis huius reuelationis, vt per labores & tolerantiam perſecutionum præparati, hæc omnia contemnentes ad patriam cæleſtem adſpiremus. Vnde addit S. Ioannes: *Et qui ſitit, veniat. Et qui* A *vult, accipiat, aquam vitæ gratis.* Quæ verba nobis expendenda & ponderanda ſunt.

Et qui ſitit veniat. Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Spiritui & Eccleſiæ obediendum, & per cooperationem liberam gratiæ, quæ nobis offertur, ſuſpirandum nobis poſt Chriſti aduentum.

ANNOTAT. XV.

Et qui audit, nempe Eccleſiam & ſpiritum, dicat Veni, ſpiritum nempe inſpirantem, Eccleſiam docentem. Veniat credendo ea quæ prædi- B cuntur, faciendo ea quæ præcipiuntur, timendo ea quæ comminantur, ſperando ea quæ promittuntur. Veniet autem ſi ſitim ſeu deſiderium eliciat bonorum, quæ illi à ſpiritu inſpirantur, ab Eccleſia proponuntur: & deſiderium fugiendi mala quæ prædicuntur. Et ſi voluerit, & conſenſum præbuerit gratiæ Dei, accipiet aquam vitæ gratis. Nam hæc aqua illi offertur, non ex meritis propriis, aut operibus, ſed ex mera & gratuita Dei voluntate. *Et qui ſitit*, inquit Rupertus, *qui ſaluari deſiderat, tantummodo veniat, quia videlicet flumen illud aquæ viuæ, quod tibi oſtenſum eſt, nulli ſitienti denegatur. Sed qui vult accipiat, quia ſola bona voluntas ſufficit ad accipiendum aquam vitæ, quam* C *gratis præparauit omnibus, datur gratis: tantummodo adſit quæſitor, vel acceptor bonæ voluntatis.* Ita Rup. *Siti namque*, ait Andreas Cæſar. *ad vitæ poculum firmamque & ſtabilem boni comparati poſſeſſionem opus eſt: maximè verò cum donum hoc iis impenditur qui etſi prorſus otioſi non fuerunt, attamen doni magnitudine neque digna neque paria præſtiterunt: ſolùm autem pro auro & argento, externiſque laboribus, bonam mentem immenſum quæ animi deſiderium in medium attulerunt.* Ita And. *Non eſt graue neque laborioſum*, inquit S. Thom. *quia ſola voluntas ſufficit. Sine pretio meritorum accipiat aquam vitæ, id eſt, gratiam viuificantem. Accipiat inquam gratis, hoc eſt, abſque omnibus meritis. Supra* D *c. 21. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Hugo. O quàm pretioſa ſunt iſta ſupernæ, dignationis oracula, omni pretio præferenda, omni acceptione digna, omni deuotione accipienda, omni memoria retinenda, omni virtute promerenda.* Ita S. Thomas in expoſit. Addo ex Richardo à S. Victore in illud: *Qui vult accipiat aquam vitæ gratis: aquam vitæ, id eſt, gratiam viuificantem: gratis, id eſt, abſque meritis humanis. In gratia quippe, quæ prima datur, meritum accipientis non non opitulatur, in gratiâ quæ iam benè operanti, vt meliùs operetur confertur, meritum operantis & accipientis non excluditur. Humana nempe actio quemadmodum abſque gratia inutilis eſt, ita cum gratia ſemper prodeſt. Primùm igitur gratia nobis datur, quæ deinceps merito no-* E *ſtro vtrumque cooperante nobis multiplicatur.* Ita Richard.

Qui poſtea vt bonæ voluntatis à gratia excitatæ & impulſæ fructus aperiat, addit: *Sed & ſi quis, vt multotiens contigiſſe, vel contingere poſſe creditur, per gratiam ad conuerſionem adſpiret: ſi ipſam gratiam perfectè corde conceperit (quamuis morte præuentus ſacramentis ſcilicet baptiſmo, vel communione corporis & ſanguinis Chriſti participare non poſſit) ſaluus eſt quia cum gratia perire non poteſt. In fide etenim iam accepta virtus ſacramentorum continetur: & in bona voluntate, quæ intrinſecus fidem veram inſeparabiliter ſemper comitatur, meritum bonorum operum completur. Gratis ergo aqua vitæ tribuitur, quia etiam abſque omni merito operis, pro ſola bona voluntate ſalus credenti confertur.* Ita Richardus.

Verum itaque eſt aquam vitæ gratis dati. Attamen niſi cooperatio libera voluntatis eſſet neceſſaria, S. Ioannes non diceret: *Et qui ſitit, veniat. Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Vnde quidam neceſſarius eſt gratiæ & voluntatis concurſus, ſeu quædam vtriuſque concordia opus eſt, vt ſalutis noſtræ opus perficiatur. Vnde ſpiritus & ſponſa ſimul dicunt, Veni, & deſiderium & voluntas requiruntur, vt aqua gratis data accipiatur. Vnda S. Paulus Rom. 8. *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quod deſiderat ſpiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat* B *pro ſanctis.* Qui igitur eum audit, dicat Veni: at dicat cum magno deſiderio, & accedat ad Deum, & hauriat aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Noſtrum enim munus eſt & officium credere petere, inſtare, ſitire, deſiderare, & os noſtrum dilatare, vt attrahamus ſpiritum, quem tamen Deus dat gratuita voluntate petentibus adiuuante eos eodem ſpiritu. Nemo enim dicit Ieſum meritoriè, vt exaudiri poſſit, niſi in Spiritu ſancto. Nam nec ſpiritus ſolus, nec ſponſa ſola, ſed ſpiritus & ſponſa dicunt Veni. Hinc Paulus: *Non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum.*

Audiamus igitur ſponſum clamantem: *Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me ſicut dicit* C *ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Ioan. 7. Vt in eum credentes, hoc diuino afflati ſpiritu, cum ſponſa, nempe Eccleſia clamemus: *Veni Domine & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ:* aduentum eius per gratiam expectantes. Clamemus inquam, vt veniat per dona gratuita, quibus illius cultum promouere valeamus, vt olim fideles audientes Apoſtolos narrantes quanta ad eos principes ſacerdotum & ſeniores dixiſſent, denunciantes videlicet ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Ieſu, Act. 4. *Vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt. Domine, tu es qui feciſti cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, qui* D *Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum eius? Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tuas, & conſilium tuum decreuerunt fieri. Et nunc, Domine, reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna & prodigia fieri per nomen ſancti filij tui Ieſu.* Clamemus itaque hæc & ſimilia, vt Dei voluntas fiat in terra, ſicut in cælo, & adueniat Regnum iſtud viſibile Monarchici E Status Eccleſiæ, quo omnibus hoſtibus nominis Chriſti proſtratis, liberè Deo obſequium & cultus exhibeantur ab omnibus gentibus & populis, & nationibus, in omni loco Dominationis eius, id eſt, in vniuerſa terra. *Domini* enim *eſt terra, & plenitudo eius.* Clamemus, inquam, vt tandem adueniat Regnum illius in cælis, in quo illum & amare, & laudare in perpetuum valeamus: quia *adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit exſpecta illum quia veniens veniet, & non tardabit.* Habacuc 2. Veniet, inquam. *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Si quis igitur ſitit gratiam Dei gloriam, veniat, credendo, petendo, operando, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis, id eſt, Myſteriorum in-

A telligentiam, ſacramentorum efficaciam, laborum & afflictionum in hac vita tolerantiam, in perſecutionibus conſtantiam, in prælijs magnanimitatem in periculis fidelitatem; in virtutum exercitio, ac timore iudiciorum Dei, & ſpe gloriæ æternæ perſeuerantiam: quæ omnia contingere poſſunt hanc Prophetiam legentibus, intelligentibus, ſeruantibus. *Beatus* enim *qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Apocaly. primo. Et cap. vltimo. *Beatus qui cuſtodit verba Prophetiæ libri huius.* Vnde ſequitur:

Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ libri huius ſi quis appoſuerit ad hæc apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis B diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

Quam religioſè & piè omnia, quæ in hoc libro continentur, ſunt credenda, & ſeruanda.

ANNOTAT. XVI.

IN his verbis S. Ioannes conteſtatur, ſeu cum atteſtatione iuramenti tradit ſe omnia ita fideliter ſyncerè, & integrè expoſuiſſe in hoc libro, quæ neceſſaria ſunt vt vitam gratiæ & gloriæ æternæ C obtineamus, per fidem illorum quæ proponit, & propoſitionem eorum quæ facienda & ſeruanda præſcribit: vt ſi quis aliquid adderet: tanquam neceſſarium ad integritatem fidei, & mandatorum Dei obſeruationem, quibus vita æterna comparatur, quaſi illud omiſiſſet S. Ioannes, is ſupra ſe iram Dei attrahat. Et ſi quis etiam aliquid diminuerit ex his, quæ proponit aut præcipit, quaſi aliquid ſuperfluum adduxerit aut præſcripſerit, is pariter crimini ſe obnoxium reddat: adeo verè, & integrè, & fideliter S. Ioannes expoſuit quæ ſunt neceſſaria, vt vitam gratiæ & gloriæ habeamus, adeo etiam verè expoſuit omnes pœnas, atque cuncta ſupplicia, quibus Deus punire intendit, & tem- D poraliter & æternaliter, incredulos & contemptores ſuorum mandatorum: *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Beatus homo qui ſperat in te*, ait Dauid. Pſal. 83. Nam ſperantes in Domino, & ſupplicia euitabunt, & præmia conſequentur. At duo enucleanda ſunt, primum quinam ſint qui apponant, vel diminuant: ſecundum, quænam pœnæ infligendæ apponentibus aut diminuentibus?

Quantum ad primum, rectè Ambroſius aſſerit hoc non eſſe dictum de expoſitoribus, ſed de hæreticis. *Expoſitor namque nihil addit aut minuit, ſed aut obſcuritates hiſtoriæ exponendo manifeſtat, aut moralem aut ſpiritalem intelligentiam demonſtrat. Hæreticos er-* E *go maledicit, qui in ſcripturis diuinis ad confirmandam hæreſim ſuam quædam falſa apponebant, & quædam detrahebant, quæ eorum hæreſi videbantur eſſe contraria.* Ita Ambroſ.

Rupertus etiam de hæreticorum damnatione hîc agi aſſerit, quia videlicet *ipſi ſanctas ſcripturas corrumpunt, apponendo quid de ſuis, vel quippiam diminuendo, vt poſt ſtudium habentes dogma ſuum conſtruere, cui quicquid repugnat in ſanctis ſcripturis, in nullis vellent codicibus vſquam ſuper eſſe. Satis ergo firmiter ſcripturam hanc defendit diuinæ & canonicæ eſſe autoritati, cuius corruptorem, quicumque ille fuerit, pari cum hæreticis damnatione percutit.* Ita Rup. Et Alexander de Hales aſſerit hæc à S. Ioanne ſpecialiter dici propter quoſdam hæreticos de Aſia, (in qua ipſe

Digitized by Google

Ioannes prædicator erat) qui ad fouendos errores ſuos quædam ſubtrahebant, quædam addebant: & ſic ſuas hæreſes inſerebant: *Quia*, inquit ſanctus Thomas, *plures infideles & hæretici vel apponerent vel diminuerent de facili aliquid in hoc libro, vt meliùs errores ſuos fouere poſſent; ideo ad refrenandam eorum præſumptionem, oſtendit beatus Ioannes quanta animaduerſione dignus ſit, qui aliquid in eo addere vel auferre præſumit.* Ita S. Thom. *Ne* igitur, vt ait ſapiens, Prouerb. 30., *quicquam verbis illius addas, & arguaris & inueniaris mendax.* Qui locus citatur à Primaſio. Et cum iota aut vnus apex non debeat prætetire à lege, donec omnia fiant, Matt. 5. & facilius ſit cælum & terram prætetire, quam de lege vnum apicem cadere Luc. 16. ſicut nihil addendum eſt diuinis ſcripturis: ita nihil eſt ſubtrahendum.

B

Monet reuera Alcazar. *Hanc comminationem non eſſe intelligendam de quolibet additamento, ſeu detractione, quæ abſque vlla pertinacia in vno aut altero verbo fiat: ſed de additione ſeu diminutione, quæ huius libri doctrinæ opponatur, adjiciendo aut ſubtrahendo verba aliqua, ſiue doctrinam, quæ doctrinæ Euangelicæ, quam Catholica profitetur, aduerſetur.* Ita Alcaz. Eſto: dico tamen nec verbum vnum eſſe addendum aut diminuendum priuata autoritate, & vulgatam editionem ab Eccleſia receptam religioſè eſſe ſeruandam & tenendam, vt ſecurè in expoſitione ſacræ ſcripturæ procedamus, & nihil contra verum ſcripturæ ſenſum proferamus. Si autem quæras quoddam exemplum additionis aut diminutionis, inter plurima quæ adduci poſſent?

C

Exiſtimo ſanctum Ioannem nos admonere, verbi gratia, nihil nobis eſſe addendum ad præmium eſſentiale promiſſum, in hac Prophetia c. 21. cum Dei viſio & amor ſit vnicum bonum nobis proſequendum: nec ad ea quæ ſtatui beatitudini conueniunt, quem deſcripſit in his duobus capitibus.

Si quis enim diceret aut fingeret ad beatitudinem aliquid aliud eſſe neceſſarium, quam quod docuit: aut ad ſtatum beatitudinis addendas eſſe voluptates carnis, vt volunt Mahumetani, certè ſe reum redderet horrendi criminis. Si quis autem diminueret de pœnis ac ſuppliciis, tam temporalibus quam æternis, hic pariter reus eſſet: qualis foret ille qui diceret ignem inferni eſſe tantum vmbratilem, & non verum ignem cruciantem. Similiter, addunt hæretici, qui volunt meretricem magnam matrem fornicationum, eſſe Eccleſiam Romanam, & beſtiam, Anti Chriſtum deſignantem, eſſe ſummum Pontificem. Detrahunt ac diminuunt, cum quæ ad Eccleſiæ honorem & gloriam adducuntur, in prauos ſenſus detorquent.

D

Audiamus igitur Andream Cæſarienſem pie admodum ita diſſerentem. *Formidabilis*, inquit, *in illos deſæuiet execratio, qui diuinam ſcripturam adulterare non dubitant. Nam illorum hæc temeritas eſt nimis audax & temeraria, imo verò tanta eſt, vt vel ſola arrogantes & temerarios illos à futuri ſæculi bonis excludere valeat. Quod incommodum, ne nobis qui hæc audimus, vſu quandoque veniat, non abſque comminatione conteſtatur & exhortatur, ne quid apponamus aut adimamus verum, ſcripturarum phraſes & idiomata Attica orationis ſtructura & compoſitione, ſyllogiſmiſque dialecticis potiora, certiora, & ad fidem maius momentum afferre cenſeamus. Nam & in illis multa inuenire liceat, quæ regulis & veritatis legi non ſatis conſentanea ſunt, & tamen propter ſcriptorum autoritatem diſſimulantur, miſſaque fiunt. Quantum autem interuallum inter eos, qui apud nos, & eos rurſum qui apud illos celebres extiterunt, intercedat, id mente complecti vix valemus. Arbitror autem plus intercedere quàm inter lucem & tenebras.* Ita Andreas Cæſarienſis. Ecce igitur cum quanta re-

E

A ligione & reuerentia omnes ſcripturæ diuinæ ſunt habendæ, quibus nec Iota nec apicem addere aut minuere pareſt, *hoc* primùm *intelligentes, quod omnis Prophetia ſcriptura propria interpretatione non fit. Non* enim inquit S. Petrus, 2. c. 1. *voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Quantum ad ſecundum, nempe ad pœnas infligendas addentibus aut detrahentibus his verbis exprimuntur: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

B *Si quis igitur appoſuerit ad hæc id eſt*, inquit Alexander de Hales, *aliquid erroneum, quod errorem inducat, volens opus deprauare, vel imperfectum demonſtrare; apponet ſuper ipſum Deus plagas, id eſt, æternas pœnas, ſcriptas in hoc libro. c. 12. & 16.* Ita Alexand. de Hales.

Exiſtimo autem non tam ad caput 12. S. Ioannem reſpicere, quam ad caput decimum ſextum, in quo ſeptem plagæ deſcribuntur, itaut hic S. Ioannes dicere videatur. Qui appoſuerit ad hæc, falſam doctrinam adducens, librum iſtum falſa interpretatione exponens, illum quaſi mancum & mutilum oſtendere attentans apparebit & manifeſtabitur ipſum vel ſtupiditate laborare, quæ eſt C prima plaga, quæ in effuſione primæ phialæ apparet; vel peruerſitati prauæ inclinationis ſuccumbere, quæ eſt ſecunda plaga quæ apparet in effuſione ſecundæ phialæ: Vel media, quæ à Deo ordinata ſunt, vt à malis auertamur, contemnere, quæ eſt tertia plaga, quam manifeſtat tertiæ phialæ effuſio: ſicut quartæ phialæ effuſio manifeſtat quartam plagam, nempe liberam & voluntariam admiſſionem errorum & mendaciorum. Sicut iterum quintæ phialæ effuſio oſtendit homines nullis legibus per malitiam coërceri, & in effuſione ſextæ phialæ, omnem poteſtatem & autoritatem à Deo ordinatam pro mundi gubernio, ab impiis & pertinacibus in malitia contemni. Denique mani- D feſtam diſceſſionem ab Eccleſia manifeſtet ſeptimæ plagæ effuſio, cum propter contumaciam, ab Eccleſiæ vnione peruerſi reſcinduntur. Vnde ad noſtrum propoſitum optimè Alexander de Hales dicit hic S. Ioannem addentes & diminuentes excommunicare, & excommunicationem ipſam & pænam per Chriſtum denunciat & confirmat. Hinc cum explicat pænam eorum qui detrahunt & diminuunt, S. Ioannes illum his verbis exprimit.

Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Id eſt: Perdet ius ad gloriam, quod adeptus fuerat, cum adſcriptus fuit per baptiſmum in numerum mem- E brorum Chriſti & Eccleſiæ; vel ius quod poſſent habere, ſecundùm præſentem iuſtitiam. Non enim delentur qui ſcripti ſui in libro vitæ per prædeſtinationem (dicente Chriſto. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meã audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum & non rapiet eas quiſquam de manu mea*) vt delebitur de libro vitæ qui diminuerit de verbis libri eius. Non enim audit Chriſtum in eo loquentem, non eum ſequitur: vnde de ſocietate ſanctorum deletur ab eorum conſortio excluditur; & præmiorum affluentia, quæ 21. capita vidimus deſcripta, ſpoliabitur, vt nudus & confuſus appareat in die iudicij, in tartara cum diabolo & Angelis eius ablegandus: de quo dubitare non licet. Vnde S. Ioannes proſequitur.

Digitized by Google

Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum : Etiam venio citò. Amen veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Confirmatio prædictorum, & vota aduentus Chriſti, & gratiæ deſiderium, vt eo venienti occurramus.

ANNOTAT. XVII. ET VLTIMA.

DICIT *qui teſtimonium perhibet iſtorum* j. ait de Hales, *dictum meum confirmat Chriſtus cuius teſtimonia ſunt vera. Vel dicit hoc ego quod dico, id eſt,* B *Chriſtus excommunicat addentes & diminuentes, qui eſt ſummus Epiſcopus omnium : & ideo mea excommunicatio & ſententia valet: quia non ſolùm tales ego excommunico, imo etiam Deus, qui eſt omnium Epiſcopus ſummus.* Ita Alexand. Sic S. Paulus autoritatem Anathematis lati in fornicatorem conciliat 1. ad Cor. 5. quod illud tulerat in nomine Domini Ieſu Chriſti. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu tradere huiuſmodi ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Qui dies eſt pertimeſcendus malis, & à peccatis ſuis non recedentibus. C Vnde optime Alexander de Hales addit : *Et vt magis timeatur iſta excommunicatio, oſtendit iſtum Epiſcopum ſummum, ſcilicet Chriſtum, cito venturum ad iudicium, ad tales condemnandum, & à triumphante Eccleſia excludendum. Vnde dicit : Venio cito amen : ſcilicet ad tales addentes & ſubtrahentes condemnandum, & ideo à talibus eſt cauendum.* Ita de Hales. Ita S. Paulus Anathema pronuncians ei qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, 1. ad Corinth. 16. addit : *Maran atha* : quod interpretatur : *Dominus noſter venit*, vt vidimus in cap. 16. Apocalyp. Quod igitur S. Paulus addit Anathemati, vt timeatur, nempe *Dominus noſter venit*, hoc S. Ioannes indicat, dum inducit ipſum Dominum noſtrum dicentem. Etiam venio cito. Et quia ſancti in hoc iudicio ſunt remunerandi, quamuis in eodem iudicio mali ſint condemnandi, *gaudent de malorum pœna, non in quantum afflictiua, ſed in quantum culpæ ordinatiua vel non in ratione pœnæ, ſed ratione diuinæ* A *iuſtitiæ*, ait de Hales. *Ideo dicunt amen. Ita ſit. Veni Domine Ieſu, hunc aduentum ad iudicium deſiderantes, vt conſummationum totius operis prouidentiæ diuinæ, & gubernationis mundi & hominum.* Promittit Chriſtus deſiderantibus aduentum ſuum, ſui aduentus celeritatem. Exhilaratur hac promiſſione ſanctus Euangeliſta, & dicit *Amen.* Ac ſi diceret : Promiſſum tuum verum fiat, vt venias citò, Domine Ieſu, ſciens ſuſpiria mea. *Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus eſt. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Dolori nobis eſt locus peregrinationis, parati ſumus in occurſum tuum, & ſimiles ſumus hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à B nuptiis, vt cum venerit, & pulſauerit ianuam, confeſtim aperiant ei. Hoc iuxta Rupertum. Andreas Cæſarienſis : *Hæc ex perſona Chriſti dicta videri queunt. Qui, inquit, hæc proteſtor, citò veniam. Ex perſona autem Apoſtoli dicitur quod mox ſubiungitur, nempe illud, Veni Domine Ieſu Chriſte deſiderabile enim eſt ſanctus Chriſti aduentus, quippe qui mercedem reddere ſoleat longè ampliſſimam.*

Et hæc de præſenti libro, qui & ſanctus, & diuinitus inſpiratus eſt, viamque certam ad requiem & finem oſtendit iis qui diligenter illum legunt. Ita And. Et ego cum illo eadem pariter aſſero. Certè ſi S. Ioanni fidem adhibere non volumus, Chriſto, qui veritas eſt credamus. *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt : & quod* C *vidit & audiuit hoc teſtatur.* Ioan. 3. Ei credamus igitur, pro aduentu eius ei congratulemur; & cum ardenti affectu, quia eius gloriam ſummopere & ſupra omnia exoptamus, dicamus. *Veni Domine Ieſu.* Sed quia nec eum audire, niſi gratiâ eius præueniamur, nec ei credere, niſi eadem gratia ad conſentiendum reuelatis adiuuemur, nec ea quæ præcipit facere, niſi ipſo cooperante valemus, nec mala euitare, & tentationes ſuperare, & perſecutiones cum fructu tollerare, nec finalem tandem perſeuerantiam obtinere poſſumus, niſi hoc donum ab eo accipiamus; Ideo S. Ioannes, qui in initio operis gratiam optauit; *Gratia*, inquit, *vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis;* Poſt teſtimonium à Chriſto datum veritatis huius Prophetiæ, gratiam omnibus dari exoptat in hoc librum claudens, & obſignans, dicens : *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

LAVS DEO, MARIAE, FRANCISCO.

Digitized by Google

INDEX RERVM TERTIÆ PARTIS.

A

A Belini hæretici vxores habebant, & prohibebant copulari. pag. 346. c. 1
Abominabile finem vltimum ponere in re creata. 405. c. 2
Abominabilis qui in ſe omnem iniquitatem recapitulat. 165. c. 2. Vltima abominatio, peccati defenſio, & Dei contemptus. 168. c. 2
Abominabiles omnino qui dorſa habentes ad templum, adorant ab ortu ſolis, nam hi ſub ſpecie pietatis ſcelera ingentia committunt, & vt regnare poſſint, Dei & Eccleſiæ præcepta ſpernunt. 358
Abominationes quæ reſident in corde noſtro, timorem iudicij inducere debent. 168. c. 1. nos beſtiis & reptilibus ſimiles reddunt. ibidem.
Abominatio deſolationis, Philoni imago Caij Caligulæ, Origeni exercitus Romanorum, aliis cædes & homicidia patrata à Zelatoribus, & Idumæis; Hilario Anti-Chriſtus. 161. c. 2 & 165. c. 1
De Abominatione deſolationis agit Daniel tribus in locis. Ad legendum tertium locum nos prouocat Dominus. 163. c. 1. & 165. c. 2
Abrahæ familiam diabolus perſequi incæpit poſt promiſſionem aduentus Meſſiæ. 410. c. 1
Abyſſus ſignificat aquarum abundantiam, infernum, ſeu terræ concauitatem. Significat etiam cor hominis, & extremas afflictiones, à quibus erui difficile. 663. c. 2
Tot ſunt Abyſſi, in quibus dæmon includitur, quot illi ſunt modi fideles vexandi. 671. c. 1
Prima Abyſſus eſt infernus, in quem detruditur vi exorciſmorum. 671. c. 1
Secunda Abyſſus ſunt profundiſſima diuinæ ſapientiæ conſilia, in quibus eius calliditates ſubmerguntur. 671. c. 2
Eſt etiam ſcientia & doctrina Eccleſiæ. 672. c. 1.
Tertia Abyſſus eſt paſſio Chriſti, & membrorum eius. 672. c. 1. & 2. Non enim mirum ſi Deus plurima conferat bona iis, pro quibus pati voluerit Chriſtus. ibid. & 673. c. 1
Quarta Abyſſus, in qua dæmon includitur, ſunt corda reproborum, in quæ relegatur. 673. c. 2
Acclamationes iocundæ populi, quòd Deus Chriſtianorum erat verus Deus, deſignatæ per vocem magnam in cælo auditam in cap. 12. 73. c. 1
Accuſationes dæmonis contra homines, quòd eſſent gratia indigni, infirmi, peccatores, redditæ inutiles. 72. c. 2
Acedia eſt torpor mentis bona inchoare negligentis. 132. c. 2
Acedia ſeu triſtitia animum deprimẽs, quomodo mala, & quando ſpeciale peccatum? ibid.
Acedia ſeu triſtitia de bono ſpirituali diuino, vt contraria charitati, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ſi adſit conſenſus. 132. c. 2
Quomodo eſt capitale vitium? 133. c. 1
Acediæ ſex filiæ. ibid.
Acedia nullam cum Deo habet concinnitatem. ibid.
Acedia omnem motum erga Deum comprimit vnde homo non adipiſcitur pulchritudinem vbi conuenientem. 134. c. 1
Acedia Deo contraria: quod pulchrè oſtenditur. 134. c. 1. & 2
Acedia nullam habet cum proximo concinnitatem: Ex otio ad multas malitias excogitandas progreditur. 134. c. 2
Acedioſus eſt membrum inutile corporis myſtici. ibidem.
Acedioſi hominis inutilitas quanta ſit? 135.
Qui Acediæ ſeu pigritiæ deditus, ventri viuit, cibum operatur qui perit. ibid.
Acedioſi aliis verboſitate nocent. 135. c. 2
Impia illorum verba. ibidem.
Acedioſorum vox: *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* 135
Acedioſus nec cum ſeipſo concinnitatem habet. 136. c. 1
Acediæ ſpecifica ratio. ibidem.
Per acediam in deſperationem labimur ibid.
Acedia aufert ab anima virtutis ſplendorem. 136. c. 1. & 2
Acedioſus quibus rebus comparari poteſt? ibid.
Acedioſum ſacra ſcriptura vituperiis plurimis exagitat. 136. c. 2
Achaz interclusit viam, quæ è Palatio Regis ducebat ad templum, vt Regi Aſſyriorum oſtenderet ſe receſſiſſe à Dei cultu. 412. c. 1
Actus coniugalis, licèt connaturalis, debet regulari ſecundùm leges præſcriptas. 124. c. 2
Adam in monte Caluariæ ſepultus. 401. c. 1
De Admirationis affectu, ob profunda Dei iudicia. 521. c. 1. & 2
Admirationis materia, ſeu rationes, propter quas Deus permittit reprobos damnationem incurrere. 521. c. 2
Admiratione dignum quòd per Apoſtolos illiteratos Euangelium totum peruaſerit orbem. 38. c. 1
Admirationis affectus pulchra formula. 523. c. 1. & 2
In admonitionibus, perſonarum qualitas reſpici debet. 302. c. 1. & 2
Adonis Veneris Amaſius, ſymbolum eius cui eſt poteſtas & occaſio peccandi. Eum deflere eſt hac poteſtate ægrè priuari: quod Deum valde offendit. 358. c. 2
Adoratio ſoli Deo reddenda, & quænam adoratio creaturæ reddi poteſt? 585. c. 2
De adoratione, tertio actu vitæ contemplatiuæ. 524. c. 1
Sex ſunt Adorationes, quæ in hac reuelatione deſcribuntur, & quænam ſit inter eas differentia? 524. c. 2. & 525. c. 1. & 2
Quidnam ſit adoratio? Et de motiuis ad illam inducentibus. 526. c. 1. & 2
Adorationis motiua ſunt, Creatio, Gubernatio, Dominatio, Glorificatio, Iuſtificatio, Dei ſapientia in amotione impedimentorum ſalutis, &c. 526. c. 1. & 2
Quidnam requiratur, vt iuxta hæc motiua actum adorationis eliciamus? 528. c. 1. & 2
Agnitio beneficiorum, quæ deſcribuntur in hac reuelatione, potiſſimùm neceſſaria. ibid.
Formula adorationis ob beneficium creationis. 530. c. 1. & 2. & 531. c. 1. & 2
Hæc adoratio ad Patrem & Filium dirigitur, 531. c. 1. & 2. & ad Spiritum ſanctum. 532. c. 2. & 533. c. 1
De adoratione ob motiuum Redemptionis. 533. c. 1
In hac adoratione animalia & ſeniores ſimul adorant, quia tam Prælati ſuperiores quàm inferiores, ſacrificium corporis Chriſti celebrare debent. 534. c. 1.
In adoratione pro beneficio creationis, nihil habent animalia & ſeniores in manibus; In adoratione pro beneficio Redemptionis, habent cytharas, & phialas: quia in creatione nihil eſt ex parte noſtra, in redemptione aliquid requirit Deus à nobis. 534. c. 2
Formula adorationis ob cognitionem beneficij redemptionis. 535. c. 1. & 2. & 536. c. 1. & 2
Continuatio actus Adorationis ob beneficium redemptionis. 537. c. 2
De tertia Adoratione, ob motiuum ſupremæ dominationis humanitatis Chriſti. 540. c. 2. & 541. c. 1
Cum hoc motiuo adorationis conueniunt Angelicæ laudes. 541. c. 2
Formula adorationis ex motiuo ſupremæ Chriſti dominationis. 545. c. 1. & 546. c. 1. & 2
De quarta adoratione ob motiuum glorificationis ſanctorum, & donorum ad eam obtinendam, largitionem. 548. c. 2. & 549. c. 1
Angelorum Canticum in c. 7. huic motiuo conueniens. 549. c. 2
Formula adorationis ob motiuum glorificationis. 551. c. 2
Adorationis quartæ, nempe ob glorificatio, motiuum præclarum eſt modus acquirendi gloriam præſtantiſſimus per tolerantiam perſecutionum. 554. c. 1
In prima adoratione S. Ioannes ait: *Qui erat*: quia agit de opere creationis: In quinta dicit: *Qui eſt*: quia agit de opere gubernationis. 559. c. 1
Formula Adorationis, ob motiuum auxiliantis gratiæ Dei in aduerſis. 559. c. 2
Sexta adoratio ob motiuum ſeueritatis. 561. c. 1
Formula actus Adorationis, ob impiorum condemnationem. 561. c. 2
Cur S. Ioannes Angelum adorare voluit? 584. c. 1
Adorare ad orientem eſt terga Deo vertere, & cur? 168. c. 2
Quinam dicantur adorare ad orientem? ij nempe qui ſpeciem habent pietatis, & virtutem eius abnegant, vt Simoniaci, Vſurarij, hæretici. 169. c. 1
Cur Angelus non admiſit adorationem S. Ioannis? 583. & 549. c. 1
Ad Dominum ſuſcipiendum in ſuo aduentu ſecundo paratus eſſe debemus. 163
Intra deſiderantes aduentum Domini, quis melius dicat de tribus, quorum primus dicit: Vigilemus & oremus, quia citius eſt venturus Dominus; Alter dicit: Vigilemus & oremus, quia breui, & incerta eſt vita, quamuis tardiùs ſit venturus Dominus; Tertius dicit: Quia & breuis & incerta vita, & neſcimus tempus, quando venturus eſt Dominus. 164. c. 1
Aduentus Chriſti ad iudicium duo ſigna ex S. Paulo, diſceſſio, & Anti-Chriſtus. 430. c. 2

Digitized by Google

Aduentum Anti-Chriſti quidnam remoretur? 432. c. 1. & 2
Adulterium peccatum grande. 127. c. 1
Adulterij nocumenta. 126. c. 2
In adulterio apparet iniuſtitiæ deformitas. 127. c. 1
Adrianus Papa prohibet ne nomen Oecumenici Taraſio Patriarchæ tribuatur. 241. c. 2
Aćt Spiritus ſancti ſymbolum. 8. c. 1
Nulla eſt afflictio, quæ non queat verbo Dei & calore amoris eius colliquefieri. 273. c. 1
Afflictiones conſtringentes ſunt inſtar buccellarum panis. 273. c. 2
Agapetus non admiſit Anthimum, niſi poſt fidei profeſſionem. 242. c. 1
Agareni deſignant eos, qui ſemper peregrinantur alieni à Deo. 474. c. 2
Agni nomen & figuram aſſumit Chriſtus, vt conjiciamus, qua ratione nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſeculi. 190. c. 1
Agni in Sacramento Altaris cornua myſtica, admiratione digna; & quinam eius oculi? 536. c. 1. & 2
Agnus ſtat ſupra montem, vt oſtendat paratum ſe eſſe ad prælium. 190. c. 2
Agnus fortior Leone inuentus eſt. 195. c. 1
Agni duæ virtutes, peccati extinctio, de morte victoria. 172. c. 2. & 173. c. 1
Agnum quomodo ſequuntur Virgines? 185. c. 2
Diſtinctio obedientiæ Eccleſiæ exhibitæ ab agnis. j. fidelibus, à rebellione Luporum. 406. c. 1
Alæ vt Aquilæ datæ Eccleſiæ, ſignificant connexionem cum Romana ſede: 80. c. 1
Item duo Teſtamenta, item contemptum mundi, item deſiderium præmij, item dilectionem Dei & proximi, item vitam actiuam & contemplatiuam. item intimam, meditationem & affectionem validam. 82. c. 1
Aliorum de Alis aquilæ expoſitiones. Ibid.
Amare Deum non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. 15. c. 2. & p. 64. c. 2
Amalech ſignificat lingentem terram. 475. c. 1. Tales ſunt, quibus non datur ſatiari terrenis.
Amatores mundi laudant inſignes peccatores. 3. 59
Ambitio, inordinatus appetitus honoris. 143. c. 2
Eius deſcriptio ex S. Bernardo. 144. c. 1
Ambitio & Auaritia, elementa malorum. 143. c. 2
Ambitio nihil intentatum relinquit. 144. c. 2
Ambitio, diaboli negotium. 145. c. 1
Ambitio ſacerdotum retunditur. 144. c. 2. & 145. c. 1
Ambire non debemus honores, & poteſtates, ſed Dei ordinationi eſt obediendum. 144. c. 1
Ambitioſus non eſt, qui ſuam benè nouit imbecillitatem. 144. c. 1
Ambitioſi diabolum adorant. 145. c. 1
Ambitioſi neſciunt quid petunt. 145. c. 1
Optima expoſitio reſponſionis Chriſti ad filios Zebedæi: *Neſcitis quid petatis.* 145. c. 1
Ambitio & ſuperbia Chriſto diſplicent. 145. c. 2
Ambitioſus nullam cum proximo habet concinnitatem. 145. c. 2
Ambitioſi multa mala cauſant proximis. 146. c. 2
Ambitioſus ſibimet nociuus. 147. c. 1
Ambitioſus non ſatiatur vna dignitate accepta: vnde ambitio eſt ambientium crux. 147. c. 2
Ambitioſus ſtellioni aſſimilatur. 147
Ambitioſus honores quærens cadit in multa opprobria. 148. c. 1. Maculam contrahit grauem, 148. nempe animi ſtultitiam.
Ambitioſi ſtultitiæ exempla in Rege Tyri, in Alexandro magno, in Annon Carthaginenſi, in Menecrate qui Deos haberi voluerunt. Ibidem
Amenophis regis Ægyptij à maioribus ſuis accepta. 410. c. 1
Amicorum Dei in Deum ſpes & fiducia. 563. c. 1
Amor Dei non patitur vt ſuos longius deſerat abſque ſolatio. 560. c. 2
Amor Dei abſconditur intra labores. Ibidem
Amor diuinus exundat ad creaturas, & eas ad ſe viciſſim trahit. 133. c. 2
Amor diuinus dicitur vis motrix, & quomodo? Ibidem
Amor transfert amantem in amatum, Deum in creaturam, & creatorem in Deum. 133. c. 2
Amor Dei tendit in creaturas, per quinque egreſſus. 133. c. 2
Amoris eſt proprium ſe occultare, vt videat ſi in pretio habeatur. 560. c. 1. amoris loquela in patria eſt dicere: *Dilectus meus mihi & ego illi.* 55. c. 1
Amor carnis & ſuipſius, quanta pariat peccata? 88. c. 1
Amor proprius idolum zeli, & abominatio in corde noſtro. 167. c. 2. & 358. c. 1
Per eum vitia Adorantur, & quomodo? 358. c. 1. & 2
Duos Amores cor noſtrum non capit. 168. c. 1
Amphora ſignificat indurationem Iudæorum & reproborum. 363. c. 2.
Amplitudo Eccleſiæ, quomodo intelligenda, 370. c. 2
Amplitudinis Eccleſiæ ſol, omnes mundi partes colluſtrans 38. c. 1
Anacletus Pſeudo-Pontifex plures Reges ſollicitauit, vt à vero Pontifice recederent. 382. c. 2
Anathemata contemnentes imitantur impietatem Iudæorum Chriſtum crucifigentium. 401. c. 1
Anathematis babylonis myſticæ motiua. 458. c. 1. & 459. triplex motiuum adducit Alcazar. Ibidem.
Anathematis babylonis nouæ cauſa, affectata independentia ab autoritate Eccleſiæ. 471. c. 2. & 472. c. 1.
Andreæ Cæſarienſis expoſitio de ſeptem capitibus beſtiæ, ad veram inueniendam plurimum iuuat. 397. c. 2
Angelorum habentium ſeptem plagas expoſitio Alcazaris rejicitur. 280. c. 2
Angeli iſti ſignificant ſeptem Angelos, ſeu Epiſcopos, ad quos directæ ſunt Epiſtolæ in c. 2. & 3. 280. c. 2. & 287. c. 1
Angeli iſti exeunt, dum functiones ſuas exequuntur. 287. c. 1
Exeunt etiam, dum contra rebelles inſurgunt. 287. c. 2. & 281. c. 1
Exeunt quia obediunt, quia mittuntur, quia à Iudæis ad gentes exierunt, quia prompti ad adiutorium animarum, quia caſtigant, quia examinant virtutum exercitia. 281. c. 1
Angelis iſtis exire eſt ad opus externum ſtad extra prodire. 281. c. 1
Angeli exeunt de templo, vt finem exitus agnoſcamus: 281. c. 2. vt qui foras Eccleſiam, in Eccleſiam inducant. 281. c. 2
Angelus ſecundùs effundens phialam, Epiſcopus ſmyrnenſis. 300. c. 2. & 301. c. 1
Quiſnam Angelus oſtendens damnationem meretricis magnæ, nempe prædicatores ſanctarum ſcripturarum tractatores? S. Paulus: Chriſtus Dominus. Probabiliùs deſignat Spiritum ſanctum orationibus fidelium præſidentem. 399. c. 1. & 2
Angelus qui dicitur habere poteſtatem magnam eminet inter alios, & deſignat Chriſtum prædeſtinationem exequens. 443. c. 1
Huius Angeli poteſtas apparet in Chriſti vicario in terris. 443. c. 2
Cur exclamat in fortitudine, & qualem profert ſententiam? 443. c. 2
Angelus fortis, S. Gabriel, per lapidem molarem proiectum in mare, oſtendit damnationem ciuitatis Romanæ ſchiſmaticæ, eiuſque ſupplicia. 447. c. 2
Alius eſt ab Angelis quos viderat ſanctus Ioannes. 451. c. 2. & 452. c. 1
Idem eſt Angelus capitis decimi, & capitis decimi octaui, & cap. vigeſimi. 452. c. 1.
Iſte Angelus primario ſenſu Chriſtum ſignificat. 452. c. 1
In capite 10. Adimplet opus prædeſtinationis. 452. c. 1
In c. 18. Adimplet ſecundum effectum diuinæ prouidentiæ j. reproborum condemnationem. Ibid. c. 2
Deſcendere dicitur cum iudicat, aſcendere cum ſaluat. 452. c. 2
In cap. 20. Adimplet tertium effectum diuinæ prouidentiæ, nempe protectionem electorum. 454. c. 2
Iſte Angelus ſecundario ſenſu deſignat Chriſti vicarium. 454. c. 1
Angelus iſte fortis, vt repreſentans Pontificem, deſcendit de cælo: quia eius autoritas de cælo eſt; Eſtque alius à ſeptem Angelis: quia eius poteſtas eminet ſupra poteſtatem Epiſcoporum, qui in ſeptem Angelis deſignantur. 454. c. 1. & 2
Angelus capitis 20. quia habet vnam tantùm clauem, non deſignat Chriſtum, ſed Angelum protectorem Eccleſiæ. 665. c. 1
Angelus in ſole quibuſdam Chriſtus: 629. c. 2. aliis prædicatores, ſeu Eccleſiam prædicantem: 630. c. 1. & 2. meliùs ſummum Pontificem. 631. c. 1. & 2. dicitur vnus, vt vnitatem vnius capitis deſignet. 631. c. 1. cur ſtat in ſole. 632
Angelus c. 20. deſcendens de cælo quibuſdam Chriſtus: 660. c. 1. aliis Angelus Eccleſiæ protector, id eſt ſanctus Michael. 661. c. 1. & 2
Duobus modus iſte Angelus ſatanam deiecit de cælo. 661. c. 2
Quid ſit Angelum è cælo deſcendere? 662. c. 1
Adorare voluit Angelum B. Ioannes: quia exiſtimabat Angelum ſibi eſſe in Charitate ſuperiorem: 585. c. 2. ſecundò quia Angelus eſt comprehenſor, & ſic ſupra omnes viatores. 586. c. 1. ſed Ioanni defert in gratia confirmato, & eminenti virtute prædito. c. 2.
Angeli cuſtodia quàm ſit neceſſaria? 587. c. 2
Angelus tribus modis Eccleſiæ miniſtrat, eam illuminando, ſpecialia auxilia fidelibus ſuppeditando, illam cuſtodiendo. 587. c. 1. Duobus modis Eccleſiam illuminat, duobuſque modis confirmat voluntatem noſtram in bono. 587. c. 2.
Angeli & S. Ioannis miniſterij idem finis. 588. c. 1
Quot modis Angelus poterat eſſe ſuperior S. Ioanne in cognitione futurorum? 590. c. 1
An Angelus plura cognouerit myſteria, & an ex prioritate temporis huius cognitionis S. Ioanni ſuperior exiſtat? 590. c. 1. & 2. & 591. c. 1. & 2
Quomodo Angeli exoptant vt Dei dominatio in omnia extendatur? 543. c. 1
Angeli in circuitu throni, ſunt Angeli cuſtodes. 543. c. 2
Angelorum numerus innumerabilis. 544. c. 1

Digitized by Google

Angelorum laudibus concinnunt omnes creaturæ. 544. c. 1. & 2
Angeli Deo dicunt gratiarum actionem propter prædeſtinationem. Virtutem propter gratiam diuinam, fortitudinem propter victoriam de tentationibus. 551. c. 1
Angeli dicunt Amen, quia approbant laudes ſanctorum. 551. c. 1.
Angeli mali & animæ damnatorum, Dei maieſtatem & dominationem fateri coguntur. 544. c. 2
Angelicus ſpiritus dicit B. Ioan. c. 19. *Hac verba Dei vera ſunt.* 583. c. 2
Et particularis Angelus ad hæc reuelanda beato Ioanni deſtinatus. Ibid. inſtruit de præcipuis huius libri myſteriis. 582. c. 1
An ſuperior B. Ioanne ob cognitionem futurorum? 584. c. 2
An excellentiori modo quàm prophetæ viatores cognoſcat futura? 593. c. 2
Non Admittit adorationem S. Ioannis, quia plura fuerunt à Deo ſancto Ioanni immediatè etiam reuelata. 594. c. 1. & 595. c. 1
Tres Angeli volant per medium cæli in c. 14. Ludouico ab Alcaz. ſignificant S. Ioannem, S. Paulum, S. Petrum; Ambroſio Chriſtum & Apoſtolo: aut in primo Doctores Eccleſiæ: in ſecundò, prædicatores temporibus Anti-Chriſti: Victorino in tertiò, Elias. Ruperto tres Euangeliſtæ: S. Thomæ diuerſi ordines prædicatorum: 211. c. 1. Tandem omnes prædicatores quos Deus mittit per totum Eccleſiæ decurſum iuxta exigentiam temporum, fidelibus inculcantes vt à carnis voluptatibus abſtineant, mundum contemnant, peccata fugiant. 211. c. 2
Angeli Regnorum, Prouinciarum, & locorum cuſtodes, inſpirant populos vt Paſtores petant à ſummu Pontifice. 187
Per duos Angelus poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, & adminiſtrandi ſacramenta, v.g. baptiſmi & pœnitentiæ, deſignantur. 187. c. 2
Angelus, qui ſignificat poteſtatem conſecrandi, poſtulat ab Angelo qui ſignificat poteſtatem abſoluendi, vt fideles abſoluat, itaut digni fiant recipiendi corpus Chriſti. 188. c. 1
Tres Angeli c. 14. videntur eſſe quaſi buccinatores trium turmarum exercitus Chriſti, Virginum, Martyrum, & Doctorum. 210. c. 1
Alter Angelus c. 14. dicitur, reſpectu præcipui Angeli, qui miſſus eſt à Chriſto B. Ioanni, vt illi notificaret per ſigna & ænigmata reuelationem iſtam. 210. c. 2
Angelus exiens de altari, denotat poteſtatem ſacrificandi, in ſacerdotibus quorum gerit perſonam. 254. c. 1
Angelus exiens de templo, Ludouico ab Alcazar Ioel Propheta: S. Thomæ cætus ſanctorum: cuius vox Andreæ Cæſar. ſunt preces Angelicarum virtutum: vel commune ſanctorum deſiderium. Nobis autem ſunt Angeli tutelares Prouinciarum, ſeu locorum particularium, prouocantes Eccleſiæ ſupremos Paſtores vt mittant meſſorem, qui per ſacramentorum adminiſtrationem, & verbi prædicationem populos conuertant. 249. & 2
Angelus exiens de altari denotat poteſtatem ſacrificandi ſacerdotum, quorum gerit perſonam. 254. c. 1
Angelus exiens de altari habet poteſtatem conſecrandi ſacramentum & diſtribuendi fidelibus. 254. c. 1. & 2
Angeli habentes ſeptem plagas deſcribuntur. 265. c. 1. & 2
Angeli ſeptem cap. octaui ſignificant Angelos cuſtodes: Angeli ſeptem, c. 15. Eccleſiæ Paſtores. 266. c. 2
Angeli ſeptem c. decimi quinti ſignificant prædicatores: 267. c. 1. & 2. Viros Apoſtolicos: 268. c. 1. At vera expoſitio eſt quod ſignificant ſeptem Angelos, ad quos diriguntur Epiſtolæ. c. 2. & 3. Ibid.
Angelorum guſtatus, ciborum ſpiritalium ſatietas, diuinorumque & alentium liquorum receptaculum. 51. c. 2
Angelorum tactus, diſcretio, cum ſcientia rerum naturæ accommodatarum, aut alienarum. 52. c. 2
Angeli diaboli, peruerſi homines. 65. c. 1
Angeli Michaelis, Apoſtoli, & Prælati. 65. c. 1.
Angeli boni ſeruitio malorum vtuntur ad impiorum perditionem, ante partum Virginis; poſt partum autem, prælium committunt, vt homines ab impietate liberentur. 66. c. 1
Angeli mali pugnant armis materialibus tyrannorum; Angeli boni in fidelibus, patientia, & tolerantia perſecutionum. 66. c. 1. & 2.
Angelorum bonorum & malorum pugna eſt circa hominum ſalutem. 68. c. 2. Quomodo initur prælium inter bonos & malos Angelos? Ibid.
Animæ turpitudo conſiſtit in vitio, malitia, peccato & macula, per adhæſionem ad creaturas contracta. 113. c. 1
Anima fit diaboli hoſpitium per peccatū, expulſo habitatore Chriſto. 114. c. 1
Animæ ſecuritas in ſpe viſionis diuinæ. 623. c. 2
Animarum ſanctarum cum tonitru pulchra collatio. 569. c. 1
Animæ in cælum anhelantis proprium eſt Chriſtum intueri aſcendentem in cruce. 339. c. 2
Animæ ſanctorum in cælo 144. mille Ambr. 199
Anima mollis & effæminata non ſuſcipit verbūm. 509. c. 1
Animæ facultates in quantam deordinationem deueniant, ex reiteratione & delectatione peccatorum. 310
Vnumquodque Animal ad propagationem ſpeciei fertur. 124
Cur de Animalibus quatuor non fit mentio in quarta adoratione? 558. c. 1
Animalia quatuor ſtant: ſeniores ſedent: quia ſuperiores prælati, quos animalia ſignificant, debent inferiores ſacerdotes ad bonum promouere. 529. c. 1. & 2.
Annorum ſicut & dierum myſtica acceptio in c. 12. 65. c. 1
Difficile eſt diſcernere An mille anni regni Eccleſiæ ſint intelligendi de reuolutionibus ſolis viſibilis, aut Myſtici, & quando incipiendi. 693. c. 1. & 682. c. 2
Anni mille regni Chriſti comparandi ſunt ante aduentum Anti-Chriſti. 681. item non ſunt intelligendi de quodam tempore, in quo Eccleſia nullam patiatur vexationem, ſed pro eo omni tempore, quo duratura eſt in exercitio libero ſuæ autoritatis. 681. c. 2
Cur per mille Annos totum illud ſpatium deſignetur? 681. c. 2. & 682. c. 1
Illi Anni intelligendi pro vniuerſalitate aut perfectione huius durationis. 681 & 682
Illi Anni myſticè ſunt intelligendi pro reuolutionibus ſolis iuſtitiæ. 682. c. 1. & 2.
De conſummatione mille Annorum. 692. c. 2
Ad idem tempus mille annorum regnum ſanctorum & alligatio ſatanæ pertinent. 693.
Annuli ſignificant ſacerdotalem aut Regiam dignitatem. 664. c. 1
Anti-Chriſti tempus certitudinaliter præuideri non poteſt. 682. c. 2
Anti-Chriſtus vltimum caput beſtiæ. 417. c. 1. Primaſio eſt primum. 156. c. 1
In Anti-Chriſto ſoluetur ſatanas. 664. c. 2
Anti-Chriſtus cum venerit, per breue tempus manebit. 432. c. 2. & 433. c. 1
In Anti Chriſto maximè apparebit peccati turpitudo. 151. c. 1
In Anti-Chriſto hypocriſis & diſſimulatio inſignis, pardo ſimilis. 151. Turpis immerſio in obſcænis voluptatibus vrſo ſimilis. Crudelis ambitio leoni ſimilis. 151. c. 2
Quibus de cauſis pardo dicitur ſimilis? ex Ticonio, Ambroſio, Victorino, Primaſio, Andreæ Cæſarienſ. Ruperto, S. Thoma. 152. c. 1. & 2
Anti-Chriſtus veniet vt pardus, progredietur at vrſus, regnabit vt Leo. 152. c. 2
Anti-Chriſtus tyrannidem ſibi conciliabit per hypocriſim decipiendo Iudæus, per licentiam cuncta mala patrandi. 152. c. 2. per cædes & tormenta. 153. c. 1. per plurima ficta miracula. 154. c. 1. & 182. Finget ſe mortuum fuiſſe & reſurrexiſſe. 156. c. 2
Anti-Chriſto permittetur irridere cultum Dei, & quantum in ſe erit exterminare. 157. c. 2. Non tamen impedict quominus in occultis locis fideles, qui tunc erunt cum eo certantes, Deo non exhibeant cultum. 158. c. 1. Quas potiſſimum proferet blaſphemias? 158. c. 2. Sanctos vexabit & interficiet. 158. c. 2. & 159. c. 1. plurimos ſeducet. 159. c. 2. Eius perſecutio durabit per menſes quadraginta duos, & cur per menſes iſtud tempus deſignatur? 159
Anti-Chriſtus pœnâ debitâ gladio oris Dei interficietur, quia gladio perſecutionis ſanctos occidit. 160. c. 2
Anti-Chriſtus ſedebit in templo Dei, quibuſdam in quadam Eccleſia, veriùs in templo hieroſolymitano, quod reædificabit. 165. c. 2
Anti-Chriſtus æmulabitur Chriſti maieſtatem: quia in fronte, & in mains deſiderabit ſuam imaginem impreſſam haberi. 179. c. 1
Attentio maxima neceſſaria fidelibus, ad ea quæ de Anti-Chriſto in ſcripturis enarrantur. 161. 162. 163. 164. 165. & 167
Anti-Chriſtus naſcetur de populo Iudæorum, & de Babylone. 389. c. 1
Anti-Chriſtus aſcendet ex obſcuris ac vilibus initiis. 106. c. 1
Anti-Chriſti mores ac indolem expreſſè deſcripſit S. Paulus. Eadem de eo prophetat S. Ioannes ſub ænigmatibus. 100. c. 2
Anti-Chriſtus caput malorum propter malitiæ perfectionem. 100. c. 2. & 101. c. 2
Anti-Chriſtus non tantum homo purus, ſed diaboli malitia obſeſſus, quamuis hoc non ſit per ſubſiſtentiam perſonalem, non tantùm priuabitur ſabbatiſmo temporali per ſenarium laboris præſentis vitæ, ſed etiam æterno ſabbatiſmo, per laborem perpetuum. 99. c. 1
Quomodo Anti-Chriſtus erit abominatio deſolationis? 166. c. 1
Anti-Chriſto magna permittetur poteſtas, vt Chriſtus Dominus fortitudinem ſuum oſtendat. 87. c. 2
Anti-Chriſtus pedetentim Monarchiam obtinebit. 476. c. 2. Pugnabit contra Reges, qui diuiſerunt Romanum imperium. 440. c. 1
Anti-Chriſtus vſurpata tyrannide non

Digitized by Google

permittet aliquem dici Regem. 441. c. 1. & 111. c. 1
Eius tamen Miniſtri erunt ad breue tempus Reges. 377. c. 2
Anti-Chriſti fautores quales eſſe debeant. 474. c. 1. & 2. & 475. c. 1. & 2
Anti-Chriſti perſecutio violenta & fraudulenta. 460. c. 2. crudelis etiam in ſe & eius miniſtris. 473. c. 2
Exemplar illius perſecutionis ſchiſma Anglicanum. 462. c. 1
In tempore perſecutionis Anti-Chriſti magnum erit periculum ſubuerſionum fidei. 166. c. 2
Anti-Chriſtus proprium characterem habebit, quo ſignentur ij qui eum crediderint. 182. c. 2
Anti-Chriſtus habebit quemdam velut Vicarium, qui eum coli & adorari faciat. 166. c. 1
Anti-Chriſti præcurſor Pſeudo-Propheta & Pſeudo-Pontifes per beſtiam è terra aſcendentem ſignificatur, 181. c. 2. & 183. c. 1. & 2
Anti-Chriſtus non ſtatim deficiet propter prædicationem contra ſeipſum, ſed multos affliget & peruertet. 325
Eius tempore erunt qui occultè Deo cultum exhibebunt. 568. c. 1
Quamuis perſecutio Anti-Chriſti ſit acerba, manebit tamen Eccleſia adhuc viſibilis in plurimis fidelibus, ne dicantur portæ inferi præualere. 435. c. 1
Manebit etiam viſibile caput Eccleſiæ. 435. c. 1
Anti-Chriſto erit incognitus locus, in quo recedet Pontifex Romanus, & Eccleſiæ præcipui principes, donec tempus illi conceſſum fuerit expletum. 450. c. 1
Quomodo erit interficiendus? 433. c. 2. non morietur in lecto, vt Alexander magnus. 433. c. 2
Non expelletur ex Aſiæ ſeu orientis Monarchia, vt darius ab Alexandro. 433. c. 2
Morietur genere mortis prodigioſo & extraordinario. 434. c. 1
Morietur per aliquod inſtrumentum pro tunc deſpectum. 434. c. 1
Interficietur per Autoritatem Eccleſiæ, & ſpritualem illius potentiam. 434. ſpiritu oris Dei, quia ore ſucceſſoris Petri. 435. c. 2
Anti-Chriſtus morietur propter Anathema in eum pronunciatum à ſummo Pontifice, poſtquam perſpexerit in illo Prophetias de Anti-Chriſto eſſe adimpletas. 435. c. 1. & 436. c. 1
Modi, quo interficietur Anti-Chriſtus, optimæ conuenientiæ. 436. c. 1. & 437. c. 1. & 2
Anti-Chriſti occiſionem ad Ieſum referre debemus. 433. c. 2
Anti-Chriſti maledictio proferetur, non vt corrigatur, quia erit incorrigibilis; ſed vt in infernum detrudatur. 436. c. 1
In morte Anti-Chriſti omnia elementa Deo creatoris obſequium præſtabunt. 434. c. 2
Ad formationem ignium & fulgurum, quibus occidetur Anti-Chriſtus cum ſuis, concutrent Angeli cælorum motores. 435. c. 2
Eodem Anathemate, quo Anti-Chriſtus interficietur, eius ſequaces igne conſumentur. 435. c. 1
Quænam in morte Anti-Chriſti contingent? 437. c. 2.
De Anti-Chriſti duratione, falſa Molinei miniſtri Caluiniſtæ ſcripturæ expoſitio. 438. c. 1
Eius tempore maximè erit vacandum orationi, & exercitio virtutum, & miſſiones exercendæ. 513
De Anti-Chriſto Prophetiæ geneſis 49. interpretatio. 696. c. 2
Antiochi Epiphanis tyrannis, quintum caput beſtiæ. 415. c. 2. & 416. c. 1
In hoc Antiocho impietas regnauit, fides periclitata eſt, & diuinus cultus extinctus, iuſti perſecutionem paſſi vſque ad mortem. 416. c. 1
Antiquitas doctrinæ, prærogatiua Eccleſiæ. 356. c. 1. & 2
Contemptus Antiquitatis, cauſa perturbationis rerum. 35. c. 2
Antiquitas noſtræ doctrinæ eſt quia à Chriſto Apoſtolis tradita eſt, & ad nos deducta per manus ſucceſſorum. 35. c. 2
Appetitu ſenſitiuo fortificato, impeditur motus appetitus rationalis. 343. c. 1.
Appetitus ſenſitiuus perturbatur ex crucis prædicatione. Ibid.
Appetitus cibi & potus naturalis, non eſt peccatum, ſed tantùm inordinatio eius. 137. c. 1.
Hoſtis eſt intra nosmetipſos poſitus. 137. c. 1
Quando eſt peccatum mortale aut veniale. Ibidem
In quinque ſpecies vitioſas diuiditur. Ibid.
Appellationum ius ad ſedem Apoſtolicam è Regno Siciliæ, ablatum eſt per bullam Adriani extortam à Guilelmo Rege Siciliæ: reſtitutum fuit per Innocentium tertium. 235. c. 2. & 236. c. 1. & 248. c. 1
Appellationis ad ſedem Apoſtolicam exempla. 246. c. 2. 247. c. 1. & 2. & 248. c. 1. & 2.
Appellarunt etiam ad hanc ſedem quidam hæretici. 247. c. 1
Appellationes impedire voluerunt duo Henrici, vnus Rex Germaniæ, alter Angliæ. 248. c. 2
Africani Epiſcopi non prohibuerant appellationes, ſed tantùm monuerant Pontificem ne abſque vrgenti neceſſitate admitterentur. 246. c. 2
Apoſtoli bellum indixerunt gentilitati, ex quo pax mundo data eſt. 190. c. 2
Apoſtolos Dominus voluit eſſe mendicos, vt eos ad modeſtiam, & charitatem informaret. 307. c. 1
Apoſtolorum gloria eſt, quòd licèt imperiti & indocti, vincere potuerunt doctiores: quod licèt infirmi, ſuperarunt potentiores. 308. c. 2
Apoſtoli equi miſſi ad turbandas aquas, id eſt, populos ad fidem conuertendos. 344. c. 2
Apoſtuli & prædicatores ferculum Eccleſiæ fidem autoritatem per vniuerſum orbem gerentes. 344. c. 2
Apoſtoli quomodo maiora horum, quæ fecit Chriſtus, fecerunt? 683. c. 2
Aqua ſiccata, finis perſecutionum. 351. c. 2
Arabes ſua deſerta relinquent, vt ſequantur Anti-Chriſtum. 476. c. 2
Area fuit in diuerſis locis tranſportata. 278. c. 2
Diuerſæ expoſitiones vocis Armageddon. 278. c. 2
Armageddon vocabulum ex tribus compoſitum, Ar. j. maledicere, Meged. j. omne pretioſum, Dan. j. iudicare; vt ſit, Maledictio optimi iudicio contendentis. 359. c. 2
Armon, anathema mæroris, vel imago triſtitiæ. 309. c. 2
Arnaldi de Brixia hæreſis, qui volebat ſummum Pontificem nullum temporale Dominum habere. Quanta mala attulerit ſub Eugenio tertio. 465. c. 1 & 383. c. 1
Aſſur ſignificat diabolum factum in adiutorium filiis Loth. j. Angelis apoſtatis. 475. c. 2
Auaritia quid ſit, ſiue generaliter ſpectetur, ſiue ſpecialiter? 114. c. 2. Qua ratione dicatur vitium capitale. ibid
Auarus nullam concinnitatem habet cum Deo, nec cum proximo, nec cum ſeipſo. 115 c. 1
Affectat cum Deo ſimilitudinem, ſed ad modum Luciferi. ibidem. Longe abeſt à beneficentia, ſuauitate, & ſapientia diuina. 115. c. 2. Quomodo dicatur idolorum ſeruitus? 116. c. 2
Auaritia ara crudelis, in qua homines vitam corporis & animæ perdunt. ibid.
Auaritia nociua proximo, dum in ſuum omnia vertere cupit omnia fecit aliena. ibid.
Auaritiæ crudelitas cædes & bella inducit, Ciuitates, Domos, forum palatium, tribunalia corrumpit. 117. c. 1
Auaritia cum ſuperbia coniuncta nequiſſima. ibidem.
Auari ebrioſis, rabidis canibus, dæmonibus & dæmoniacis comparatur. 117. c. 2
Auarus ſibi ipſi nociuus. 118. c. 1. & 2
Auarorum curæ & ſollicitudines. ibid.
Auaritia nutrix luxuriæ. 485. c. 1
Quænam ſint Aues, quæ vocantur ad cœnam Dei. 635. c. 2
Autoritatis Eccleſiæ contemptus quanta mala inducit? 416. c. 1
Vnde fluxit axioma: *Qui fecit te ſine te, non te ſaluabit ſine te.* 577. c. 2

B

BAalarami Epiſcopi Hierontini de primatu Eccleſiæ Romanæ præclarum dictum. 45. c. 2
S. Babylæ reliquiæ mutum reddiderunt oraculum daphniticum. 29. c. 1
Babylon, prima Roma. Roma, ſecunda Babylonia. 385. c. 2
Quænam inter vtraſque ſimilitudines? ibid.
In Babylonia deſignantur omnes qui ob ſuperbiam à Deo diſcedunt. 386. c. 2
Babylonis nomine ſignificatur contemptus autoritatis Eccleſiæ, & Prælatorum. 406. c. 1
Babylon ſignificat multitudinem peccantium; & de gloria & poteſtate mundana ſuperbientium. 216. c. 2
Babylon quare dicitur mater fornicationum & abominationum terræ? 406. c. 2
Babylon ciuitas diaboli cadere debet ſalubriter per pœnitentiam. Quòd ſi hoc modo non cadit, cadet miſerabiliter temporali ruina, & damnatione æterna. 218. c. 2
Babylon tribus modis in hac prophetia exponitur, primò pro collectione omnium malorum, è quibus eruuntur electi. 455. c. 2. In iſto ſenſu in cap. 14. dicitur cecidiſſe ſalubriter per conuerſionem. 455. c. 2
De Babylone non agitur per hyſterologiam in c. 14. vt voluit Cornelius à Lapide. 456. malè 454
Babylon ſecundo modo ſumitur pro ciuitate Romana caſura in ſchiſma, & propter ſchiſma in ruinam temporalem. ibid.
Babylon tertio modo ſumitur pro collectione omnium reproborum tandem damnandorum. ibid. c. 1
Ex hac triplici Babylonis acceptione conciliantur expoſitiones diuerſæ. ibid. c. 2
Babylon duobus modis cadit, à gratia in peccatum, à peccato in excidium. ibid. c. 2. Cadens in peccatum fit habitatio dæmoniorum. ibid.
De Babylone myſtica exeundum, non modò mente, ſed etiam corpore, ne fideles inficiantur illius criminibus, & ne pereant in eius ſubuerſione 462. c. 2

Digitized by Google

In præcipitatione Babylonis myſticæ in mare, etiam figuratur reproborum præcipitatio in infernum. 497. c. 1. & 495. c. 1
Babylon myſtica in tribus gloriabatur; in tribus humiliabitur. 497. c. 2
Babylon noua ſeueriùs punietur, quàm antiqua. 499. c. 1
Quænam ſint differentiæ inter punitiones vtriuſque Babylonis? 499. c. 1. & 2
Babylon myſtica omnibus voluptatibus ſpoliabitur. 500. c. 1
Baptiſmus habet triplicem effectum ſignificatum in mari vitreo igne mixto, vim mundatiuam, fidei claritatem, Spiritus ſancti inflammationem. 173. c. 1
In Baptiſmo omnia peccata demerguntur, tanquam Ægyptij in mari rubro. 174. c. 2
Baptiſmi prædicari effectus. 617. c. 2
Poſt Baptiſmum reſtat nobis cum carne conflictus. 171. c. 2
Beatius eſt magis dare quàm accipere. 215. c. 2
Beati in morte, qui iam ante mundo mortui erant 222. c. 2. qui iam priùs moriuntur ſeculo, poſtea carne. Ibid.
Quomodo Beati dici poſſunt qui Dei gratia carent, cum ea adepta in ea non perſeuerent? 689. c. 1. & 2
Tribus modis aliquis Beatus dici poteſt, primo modo qui functionibus vti poteſt quibus ſalus æterna promouetur: vel cui eſt facillimum vti mediis ad ſalutem conducentibus. Secundo modo qui Dei gratia potiuntur, qui ad vitam æternam perueniunt, quamuis eorum beatitudo non ſit cognita in preſenti ſeculo. Tertio modo qui non ſolum beati ſunt, ſed eorum beatitudo cognita eſt in hoc ſeculo. 689
Bellum quando rectè ſuſcipitur. 130. malè 132
Vera de quatuor Beſtiis interpretatio, & valde notanda. 49. c. 2. & 108. earumdem deſcriptio, c. 1. & 2
Beſtia è mari aſcendens, ſymbolum animæ impiæ ad voluntatem diaboli captiuæ. 86. & 90. c. 1. & 2
Beſtia aſcendens è terra, ſapientia carnis. 88. c. 1
Beſtiæ maris deſcriptio. 86. c. 2
Beſtia è mari aſcendens Ludouico ab Alcazar eſt Imperium Romanum. 90. c. 2. non ſignificat ſecundùm quemdam, dæmonem poſt ſatanam. ibid.
Beſtiæ omnia membra ſunt ſibi ſuccedentia, vnde iam detruſa erit in multis in ſtagnum ignis, & permanebit adhuc in plurimis vſque ad futurum iudicium. 100. c. 1
Beſtia è mari aſcendens. i. de puteo abyſſi, de mundo tempeſtuoſo, de numero reproborum, de ſeculo nequam, 105. c. 2. & propter Anti-Chriſtum, de mari, id eſt, ex bellis & præliis à Chriſto præuiſis. 106. c. 1
Beſtiæ ſeptem capita, ſeptem montes, ſeptem etiam vitia capitalia. 106. c. 2
Beſtia habet ſeptem capita, & decem cornua propter ſuam cum diabolo familiaritatem. 106. c. 2
Beſtiæ ſeptem capita, alij ad ſeptem vitia capitalia, alij ad ſeptem regna impugnantia veræ diuinitatis numen, alij ad peruerſos principes ſeptem vitiis repletos, alij ad ſeptem perſecutiones quæ inter Neronis & Iuliani perſecutiones interceſſerunt, referunt. 107. c. 1. & 2.
Quatuor beſtiæ Apocalypſis non idem proculdubio ſignificant, niſi ſub diuerſa ratione. 108. c. 2
Beſtia prima dæmonem ſignificat, ſecunda peccati malitiam & Anti-Chriſtum, tertia prudentiam carnis, 4. mundanam poteſtatem, Chriſti regnum impedire conantem. 109 c. 1. & 2
Beſtiæ è mari aſcendentis ſcopus eſt mandatorum Dei contemptus, & impudens tranſgreſſio. 110. c. 1
Quænam nomina blaſphemiæ inſcripta ſupra capita? 110. c. 1. & 2
Beſtiæ ſecūdæ capita deſignant principes, qui Anti-Chriſto ſeruient ad ſuam tyrannidem ſtabiliendam & exercenda. 110. c. 1
Beſtiæ primæ caput quaſi occiſum, cupiditas occiſa in primis Chriſtianis per rerum omnium, & ſui ipſius abnegationem. 154. c. 2. Remanſit tamen per flagitia. 154. c. 2. Quibuſdam eſt blaſphemia, quæ reſſuſcitabitur in Anti-Chriſto. 156. c. 1. Andreæ Cæſarienſis eſt princeps, quidam ab Anti-Chriſto occiſus, & ab eo reſſuſcitatus; vel Imperium Romanum extinctum, ſed in Anti-Chriſto quaſi ſuſcitatum. 156. c. 1. Ruperto diabolus, qui fuerat quaſi occiſus, è cælo deturbatus, ſed reuiuiſcere videbatur, dum in Anti-Chriſto extollitur ſupra omne quod dicitur Deus. 156. c. 2. De iſto capite vera & literalis expoſitio. 157. c. 1
Beſtia è terra aſcendens nullam habet ſpecialem figuram, vt concipias illam diuerſas induere figuras, vt meliùs decipiat. 169. c. 2. Significat aut ſapientiam carnis, aut Pſeudo-Prophetam, ſeu Pſeudo-Pontificem Anti-Chriſti. 169. c. 2. Duo illi cornua ſignificant vel duas animæ facultates, concupiſcibilem, & iraſcibilem, vel extinctionem ſynderefis, vel contemptum mortis. 171. c. 2
Beſtiæ aſcendentis de terra duo cornua poſſunt habere ſimilitudinem cum potentia & beneficentia agni, proſequendo ſibi bonum, & propellendo nociuum. 171. c. 2
Beſtiæ adoratores hæretici, mali Chriſtiani, & præcipuè qui erunt in temporibus Anti-Chriſti. 218. & 219. c. 1
Beſtiæ ſedes Ludouico ab Alcazar Romana ciuitas, & iudicum ſubſellia. 336. c. 2. Sancto Thomæ congregatio infidelium in quibus ſedebit per Dominium Anti-Chriſtus. 336. c. 1. Aliter congregatio ſuperborum, Hæretici regnum Anti-Chriſti. 335. c. 2. vel mendacium. 336. c. 1
Beſtiæ regnum tenebroſum, eſt furor hæreticorum ex ſua condemnatione. 336. c. 1
Pulchra interpretatio de ſeptem Beſtiæ capitibus. 377. c. 1. & 2
Beſtiæ quintum caput octauum tandem conſtituet, cum Romanum videlicet imperium in imperatore quodam ſchiſmatico rurſus contra Chriſtum inſurget. 377. c. 1
Beſtia portans ciuitatem meretricem, omnis populus malus, perfidia hæreticorum, corpus agno contrarium, diabolus, poteſtas per iniquitatem regnum Chriſti impetere valens. 389. c. 1. & 2
Beſtiæ capita non ſunt referenda ad ſolos imperatores Romanos, aut ad ſolum imperium Romanum. 390. c. 1
Beſtia, ſupra quam ſedet meretrix, denotat poteſtatem non in quantum à Deo omnis poteſtas, ſed inquantum ſe extollit contra Deum. 390. c. 2. & 391. c. 1
Beſtiæ huius ſignificatio extenditur ad inſigniora regna, quibus alicuius ſubuerſionis publici cultus diuini periculum paſſa fuit aut paſſura Eccleſia. 390. c. 2
Beſtia cap. 17. propriè pertinet ad impios Reges. 395. c. 2
Beſtiæ tres ſtatus proponit S. Ioannes. 424. c. 1
Beſtiæ capita, quamuis ſimul non exiſtant, debent tamen ſimul in ænigmate intuenda proponi. 424. c. 1. Eadem exponere pro eodem tempore abſurdum. Ibid. Habent ſucceſſionem, non coexiſtentiam. Videntur quaſi præciſa. Quænam ſint ex Victorino? differt hæc beſtia à beſtia. c. 13. 424. c. 2
Beſtiæ capitis 17. pulchra, ſed tantùm moralis Primaſij expoſitio. 425. c. 1
Beſtia hæc fraude decipit, per delectationes quinque ſenſuum. 425. c. 1
Beſtia, quæ eſt ex ſeptem, dicitur octaua, propter exceſſum nequitiæ. 425. c. 1
Beſtia hæc, Andreæ Cæſ. diabolus eſt, ſeptem Reges ſeptem ſecula, ſeu regna: octaua Anti-Chriſtus. 425. c. 2
Beſtiæ huius capita Ruperto ſeptem regna mundi nouiſſima. Anti-Chriſtus de ſeptem eſt & octauus, quia in eo diabolus, qui in cælo iam rebellauerat. 425. c. 2. & 426. c. 2
S. Thomæ, Beſtia diabolus, ſeptem capita vniuerſi Reges, qui diſtinguantur ſecundùm ſeptem tempora: quorum quinque ceciderunt: vnus eſt cætus malorum, tempore gratiæ Eccleſiam vexans, ſub ſexto tempore Anti-Chriſtus, diabolus octauus propter exceſſum malitiæ. 426. c. 1. & 2
Ludouicus ab Alcazar Beſtiam intelligit de imperatoribus tantùm, qui perſecuti ſunt Eccleſiam: ſeptem capitibus vniuerſas perſecutiones deſignari vult, & certum numerum pro incerto reponi, eamdemque vult habere ſignificationem cum beſtia marina. 426. c. 2. & 427. c. 1. & 2
Ad hanc Beſtiæ ſignificationem elucidandam quædam ſunt præſupponenda. Per Reges ſeptem, reges in quibus tamen aliquis fuerit Rex cæteris nequior. 427. c. 2. & 428. c. 1. ſecundò, præſupponendo beſtiam proprium habere caput: tertiò poteſtatem ſignificare Regum, non quantum omnis poteſtas à Deo eſt, ſed in quantum contra eum inſurgit. 428 c. 1
Capita, ſeu Regna quæ ceciderant, ſunt Regnum Ægyptiorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Græcorum, Romanum imperium Ethnicum. 428. c. 1. & 2
Beſtiæ capita propriè dicuntur cecidiſſe, pro eo tempore quo Eccleſia ad tantam gloriam venerit, vt reges illi obediant. 428. c. 2
Beſtiæ vnum caput coexiſtere omnibus dicendum eſt, nempe corruptio morum, per carnis ſuperbiam contra ſpiritum militans. 429. c. 1
Beſtiæ ſextum caput, Imperium Turcicum, in quo viget morum corruptio. 429. c. 2. & 430.
Beſtiæ ſextum caput quàm ſit regno Chriſti contrarium? 430. c. 1. viget cæteris capitibus decidentibus. c. 2
Beſtiæ ſeptimum caput Anti Chriſtus. 430. c. 2
Beſtiæ capitis decimi ſeptimi octa-

Digitized by Google

uum caput non eſt diabolus. 438. c. 1. Non eſt præciſè impietas. Ibid. Non eſt Anti-Chriſtus. c. 2. Non ſunt Regna Ægyptiorum, aut Aſſyriorum, aut Chaldæorum, nec Mahumetanum imperium, ſed imperium Romanum in ſchiſma dilapſum. 438. c. 1. & 2

Blaſphemiæ Anti-Chriſti. 87. c. 1.

Ex Blaſphemia in effuſione phialæ quartæ conjicitur aliquid fieri, quod ſuper cæleſte ſit 322

Blaſphemantium mos eſt non ſe impietatis ſed Deum malignitatis arguere. 325. c. 1

Blaſphemus eſt qui Deo detrahit, qui alteri tradit quod Deo proprium eſt : qui illi affingit aliquid contrarium. 396. c. 1

Bona omnia à Deo prout vult diſtribuuntur ad ſui nominis gloriam. 120

Bonorum à malis diſceſſio præuia eſt excidij malorum. 468. c. 1. & 2

Boni offendunt malos, dum eos reprehendunt : vnde mali illis mala pro bonis reddunt. 470. c. 1

Bonitas Dei patet ex odio, quo iniquos proſequitur, & propter tale odium illi. *Salus, gloria, virtus, &c.* 518. c. 1

Byſſum ſunt iuſtificationes ſanctorum. 578. c. 2

Ex Byſſino quinque conjiciuntur. 578. c. 2

Per Byſſinum innuitur virtutem fortitudinis eſſe neceſſariam. 578. c. 2

C

CANTICVM Moyſis quomodo cantatur à fidelibus pro beneficiis ſpiritualibus? 264. c. 2

Canticum Moyſis continet punitionem malorum, protectionem bonorum, iuſtorum præmiationem. 277. c. 1

Canticum militum Chriſti continet Canticum Moyſis. 275

Canticum militum Chriſti tria Dei beneficia celebrat, creationem gubernationem, redemptionem. 275. c. 1. & 276. c. 1. & 2

Totum Canticum poteſt intelligi de opere Redemptionis. 276. c. 2

Quodnam ſit Canticum nouum, quo milites pro armis bellicis dimicant? 185. c. 1. & 2

Cantica non currus ſunt arma militiæ noſtræ: exemplum in Ioſaphat rege Iuda. 194. c. 2

Canticum 144. millium militum Chriſti dicitur nouum, tum quia noua de Chriſto annunciat, tum quia ad nouam inducit vitam. 195. c. 2

Canticum dicitur non ſimpliciter nouum, ſed quaſi nouum : quia 144. millia repreſentant inferiores ſacerdotes, qui canticum cantare debent iuxta preſcriptum Epiſcoporum. 195. c. 1

Nemo poteſt Cantare illud canticum, niſi legitimâ poteſtate traditâ ab Eccleſia. 197. c. 1

Cantica Deo gratiora ea, quæ redduntur propter effectus Redemptionis, Ibidem.

Canticum verè nouum gaudere in tribulationibus. 198. c. 1

Canticum, gaudium de cuſtodia Virginitatis. 199. c. 1

Septem Capita ſeptem montes, & ſeptem Reges, ſeptem loca in quibus diuerſis temporibus mundi Regnum firmatum eſt. 396. c. 2

Capita beſtiæ Ambroſio ſunt hi, per quos diabolus homines decipit. 397. c. 1

Variæ autorum de his Capitibus expoſitiones. 397. c. 2

Alcazari ſeptem Capita deſignant Romam, propter ſeptem montes, & ſeptem diuerſas perſecutiones 398. c. 1

Super Capita puluerem mittere eſt ſignum humiliationis. 488. c. 2

Cappadoces improbi & crudeles habiti. 700. c. 1. & 2

Caro ebria voluptatibus abſumit animam. 881. c. 1

Caro domanda, vt de mundo, & diabolo victoria reportetur. 210. c. 1

Qui Carnis voluptatibus ſunt deditis, tria mala incurrunt, carnem maculant, dominationem ſpernunt, Deum blaſphemant. 213. c. 1. & 2

Carnes animæ ſunt carnales cogitationes, timore Domini & iudiciorum eius configendæ, ſicut & corporis membra, 215. c. 1. & concupiſcentia caro non ſubjicitur legi Dei. 172. c. 1

Caſtellum quoddam propè cluniacum terra abſorptum, quia eius conſtructor Anathemate fuerat percuſſus. 458. c. 2

Cataſtrophe prælij initi Chriſti & militum eius, cum mundo, carne & diabolo, deſcribitur in c. 19. 653. c. 2

Catena qua ligatur ſatan ſucceſſio Romanorum Pontificum. 664

Catholici nomen datum Chriſtianis à tempore Apoſtolorum. 33. c. 2

Catholica, nomen proprium ſanctæ Eccleſiæ. 34. c. 1

Catholicum dicitur, non ex plenitudine ſacramentorum, vt volebant donatiſtæ, ſed ex vniuerſitate gentium. 34

Qui Catholicus, idem obediens omnibus Dei mandatis. 34. c. 2

Catholicitatis Eccleſiæ prima nota antiquitas. 35. c. 1

Secunda nota, duratio. 36. c. 1

Tertia nota, amplitudo. 37. c. 1. & 2

Quarta nota, ſucceſſio Epiſcoporum, qua verè dici poteſt Apoſtolica. 39. c. 1

144. milia ſtantes in monte cum Chriſto, quinam ſint? 193. c. 1

Certaminis Chriſti cum diabolo deſcripſio. 51. c. 2

Cham introduxit leges impias, iniuſtas, & impuras 345. c. 2. 346. c. 1. Vocatus fuit Chem eſenua j. infamis, impudicus. 346. c. 1

Character ſeu imago animæ reprobatæ, ſunt mali actus. 92. c. 2

Character beſtiæ à nomine & numero nominis non differt, ſecundùm Alcazar. 17. c. 1. Probabile tamen aliquid eſſe à nomine & numero diſtinctum. 179. c. 1

Character videtur eſſe, imago beſtiæ. Ibid.

Character hic eſt ratio qua quis inducitur ad agendum nempe impiæ leges amatorum mundi. 179. c. 2

Charitas peccare timet etiam ſi ſequatur impunitas. 214. c. 2

Charitas perfecta foras mittit timorem. 9. c. 1

Chiliaſtrum errora rejicitur. 680. c. 2

Chore caluitium interpretatur, Chore filij, ſunt filij crucifixi. 13. c. 1. 556. c. 1.

Chriſti qualis & quanta dignitas.

Chriſti principium & Pater principium. 602. c. 1

Chriſti hominis prædeſtinatio explicatur. 604. c. 1

Nominis Chriſti cognitio per totum orbem diffundi debet. 602. c. 2

Cur quamuis ita ſit dicitur accepiſſe nomen, quod nemo nouit niſi ipſe? 604. c. 2. & 601. c. 1

Ratio propter quam Chriſtus homo, vt homo, ad tam excellentem gloriam eſt euectus incognita. 605. c. 2

Specialis ratio Cur Chriſti nomen dicitur noſci tantùm ab ipſo. 602. c. 2. Cur verbum Dei nihilominus vocietur. 610. c. 2

Chriſti Ducis inuictiſſimi iuſtiſſimi, & ſapientiſſimi dignitas. 601. c. 1

Chriſtus ſtat ſupra Eccleſiam vt dignior & rector. 191

Chriſti dignitas ex nomine & diadematibus cognoſcitur. 601. Ibid. Et dignitas regalis ordinatur ad æternitatis bonum. 546. c. 2

Chriſtus nec Deus recens, nec Deus alienus, quia patri æqualis in æternitate, & ei conſubſtantialis. 612. c. 2

Chriſtus vt homo, propter vnionem hypoſtaticam omnium dominatur. 625. c. 2

Chriſtus habet tria diademata. 625. c. 2

In corona Regali, Chriſti Sacerdotium deſignatur. 187. c. 2

Chriſti prima corona eſt eius humanitas, qua coronauit eum mater ſua, virgo Maria. 625. c. 2

Coronæ iſtius confectio comparatur cum corona quam greci κλ& dicunt. 626. c. 1

Secunda corona Chriſti eſt ſpinea in paſſione, & eſt inſigne hominis. 626. c. 1

Chriſti tertia corona, Eccleſia : quia eam donis cumulauit. 627. c. 2. & 628. c. 1.

Chriſti gratia eiuſque virtutes.

In Chriſto fuit gratia in excellentiſſimo gradu. 598. c. 2. Habuit omnia dona gratuita. Ibid.

Chriſti gratia ad quæ ſe extendat, & quomodo dici poteſt infinita. 598. c. 2

Chriſti virtutes per equum, & equi generoſi optimas conditiones, adumbrantur. 597. c. 1. & 2

Chriſti obedientia. 597. c. 2. & 598. c. 1

Chriſti facilitas ad quoslibet virtutum actus. 598. c. 1

Chriſtus mortuus eſt vt obediret patris. 57. c. 1

Chriſti fortitudo. 597. c. 2

Chriſti magnanimitas. 599. c. 1

Chriſtus fidelis in promiſſis, verax in verbis. Iudicat cum iuſtitia. 600. c. 1.

Chriſtus per equum album, propter gloriam victoriæ & triumphi deſignatur. 599. c. 2

Chriſtus verbo, per ſe & per ſuos, victoriam reportat. 610. c. 2

Chriſtus apparet fidelis & verax per infallibilitatem datam ſummo Pontifici. 632. c. 1

Chriſti perfecta obedientia, in equo deſignatur. 503. c. 1

Chriſti virtus iuſtitia cognitio, nomen quod nemo nouit niſi ipſe. 503. c. 1. & 2

Chriſti iuſtitia inflexibilis. 505. c. 2

In Chriſto omnes qualitates optimi Monarchæ. 595. c. 2

Chriſti ſcientia.

Chriſtus æquè certè ac pater diem iudicij cognouit, ſed eum reuelare noluit, vt vigilemus. 385. c. 1

Chriſtus ſecundùm quod homo, perfectiſſime cognoſcit, quantum inſeruiat ad manifeſtationem gloriæ maieſtatis diuinæ, quod hæc non alia humanitas fuerit, aſſumpta. 606. c. 1

Quidquid in mente Chriſti voluitur, ad bonum Eccleſiæ ſpectat. 607. c. 2

Chri-

Digitized by Google

Chriſti operatio.

Chriſtus habet gladium in ore: quia verbo ſuo omnia perficit. 506. c. 1

Chriſtus quanta fecit pro ſalute hominum? 546. c. 2. Non fecit redemptionem in exemplum ſed in efficaciam liberationis. 200. c. 1.

Credere noſtrũ, opus eſt Chriſti. 577.

Chriſti eſt ſaluare credente, & punire credere nolentes. 612. c. 2. & 613 c. 1. & 2

Chriſtus in cruce præcepta ſua fortiter inculcauit. 340. c. 1

Chriſtus dicitur Angelus fortis: quia de hoſtibus vindictam ſumet; & ciuitatem, quæ de ſua fortitudine gloriabatur humiliabit. 453. c. 2

Chriſtus ſolus calcauit torcular paſſionis quia eius ſolum eſt ſaluare. 191. c. 1. & 2

Chriſtus in capite viſibili operatur omnia, quæ ſunt capitis. 225. c. 1

Chriſto familiare eſt ſuos protegere. 441. c. 2

Chriſtus calcat torcular vini furoris iræ Dei, & quomodo? 506. c. 2

Chriſtus vincet Reges, qui Anti-Chriſto ſeruient vt Romanam ciuitatem inuadat. 441 c. 1. & 2

Chriſti morte nihil efficacius. 77. c. 2

Chriſtus quomodo commoretur nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi? 224. c. 2

Chriſtus regnat in Paſtoribus, tum autoritate, tum quorundam ſanctitate, ſaltem miniſterij 657. c. 1

Chriſtus non veniet in caliginoſa nube, ſed in candida & fulgida. 226

Quod Chriſtus voluerit tam acerba pati, magnum Sacramentum. 554. c. 2

Chriſtus ad ſe vocat omnem terram non vnam tantùm partem. 385

Chriſti poteſtas, Regnum, Sacerdotium, gloria & Maieſtas.

Chriſtus habet poteſtatem circa ea, quæ ad ſalutem æternam, & temporalem conducunt. 665. c. 1

Chriſtus habet omnes claues, id eſt, poteſtates. 664. c. 2

Chriſtus regnum viſibile erigit in terris, vt homines à deceptione reddantur immunes. 547. c. 1

Chriſtus non apparet viſibiliter regnare, niſi in ſuo Vicario ſummo Pontifice. 629. c. 1. & 2

Chriſti Dominatio ad quæ ſe extendat? 541. c. 2

Chriſtus caput Eccleſiæ inuiſibile, præcipuum Papa caput viſibile, miniſteriale, Chriſto ſubordinatum. 215.

Monarchiæ Chriſti pulchra deſcriptio. 595. c. 2. Chriſti Sacerdotium perpetuum. 14. c. 1

Chriſti gloria declaratur ex poteſtate data à Patre iudicandi homines 443. c. 1. Hæc gloria apparebit in iudicio vniuerſali. 4. 453. c. 1. Non apparebit manifeſtè niſi in iudicio finali. 629. c. 1

Chriſti maieſtas relucet in Eccleſia. 505. c. 1. Humanitatis Chriſti gloria & exultatio, ab incurſu dæmonium liberrima. 56. c. 2

Chriſtus habet in femore & in veſtimento ſcriptum, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* 628. c. 2

Chriſtus vt eſt in Eccleſia.

Chriſtus plures habet veſtes, pallium & tunicam ſtola ſeu tunica eſt eius caro, pallium Eccleſia. 608. c. 1. & 2

Chriſti veſtimenta cur ſanguine reſperſa? 506. c. 1

Corpus Chriſti myſticum compingitur ex coniunctione ſpiritus Chriſti cum Eccleſia. p. 10. c. 1. Chriſtus in ſe, in Eccleſia, & in Petro non eſt contemnendus. 493. c. 1. & 2

Corpus Chriſti myſticum plures habet proprietates. p. 11. c. 1

Chriſtus Eccleſiam circumueſtiens initium dat perfectionis Chriſtianæ, ſicut ſol cunctis diebus ac menſibus dat initia. 35. c. 2. 36. c. 1

Conuentiones Matrimoniales Chriſti & Eccleſiæ, vt Eccleſia veritatem amet, nulli adhæreat mendacio. 561. c. 1

De Chriſto multa cognoſcuntur per ea quæ dantur priuilegia ſummo Pontifici: v. g. quòd cum iuſtitia iudicat & pugnat: quòd habeat oculos tanquam flammam ignis, quòd habeat diademata multa, quòd ſit Dux fidelium. 633. c. 1

Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem vult vt Paſtores à ſe conſtitutos audiamus, & maximè Petrũ. 549. c. 1

Chriſtus per Michaelem intelligitur prælians cum dracone pro Eccleſia in c. 12. 65. c. 1

Chriſtus in Euchariſtia.

Chriſtus per Euchariſtiam, probauit ſe eſſe filium Dei. 324. c. 1

Communio corporis Chriſti non eſt protelanda, ſi ſerio pænitentia perficiatur. 322. c. 1

Ad corporis Chriſti ſacramentum percipiendum nemo accedere debet niſi baptizatus, & gratia Dei ornatus. 255. c. 1. & 2

Vnus Chriſtus in Euchariſtia vbique offertur, non multi. 18. c. 2

Chriſtus, qui ſemetipſum dedit, ſua denegare non poterit. 203. c. 2

Propter Chriſtum noſtræ orationes non repelluntur. 624. c. 2

Per hanc inſcriptionem in ſuperliminari domorum: *Chriſtus nobiſcum: ſtate* Antiochena ciuitas à motibus terræ liberata fuit. 597. c. 1

Chriſtus noſtrum exemplar.

Chriſtus Dominus non habuit in paſſione ſpeciem & decorem, vt nos turpitudinis peccatorum admoneret. 113. c. 1

Propter Chriſtum humiliari non piget. 624. c. 2

Chriſti imitatores ſub exercitus nomine deſignantur. 610. c. 1

Cur Chriſtus patienter tulit coronâ irriſoriâ coronari, multis nempe de cauſis, v. g. 626. c. 2

Quod aculeos mortis & peccati fregit 627. c. 1 ſecundò à capite noſtro duriſſimum iugum abſtulit imitando agricolam terram à ſentibus repurgantem; tertiò ſollicitudines à nobis abſtulit, & modicis expenſis de hoſtibus victoriam reportauit: 627. c. 2. at denique vt diſcamus quòd capite ſpinis coronato, non debemus coronari floribus. 626. c. 2

Chriſtus honorandus.

Chriſtus dignus eſt vt omnia rationabilia & irrationabilia pro humana redemptione ei gratias agant. 545. c. 1

Chriſto benedictio, honor, gloria, qua ratione? 547. c. 1. & 2

Si ad Chriſti virtutes attendiſſent Iudæi, non eam corona ſpinea ſub ſpecie honoris dedecoraſſent. 626.

Chriſti ſectatores vocati ſunt diſcipuli, ſecundò Chriſtiani, tertiò Catholici. 33. c. 2

Chriſtiani vocantur, vt per tribulationes perueniant ad regna cælorum. 257. c. 1

Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ fides, integritas & ſyncera dilectio. 208. c. 1

Chriſtiano in dignum adorare beſtiam. 218. c. 2

Chriſtianorum ingratitudo, qui ex tribulationibus, nullum volunt elicere emolumentum. 621. c. 1. & 2

Cibi cænæ magnæ Dei, conuerſio à peccatis, & perſeuerantia in bonis operibus hominum cuiuſlibet conditionis 648. c. 1 item cognitio quòd Chriſtus regnum obtinet 649. c. 1 item quòd Eccleſia habeat etiam bona temporalia ad neceſſitatem, ſufficientiam, abundantiam, & ſplendorem. 649. c. 2

Iſti Cibi cum multo labore & multa induſtria parantur per certamina contra contradicentes. 650. c. 2

Cibus exquiſitiſſimus verbi Dei præconibus, erit punitio manifeſta Anti-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ 651

Cibus immoderatè ſumptus quantum noceat? 139. c. 1

Optimi Citharædi, qui carnem ſuam mortificant, cum interna iocunditate & diuina laude. 194. c. 1

Citharæ crucis mortificationes. 275.

Cithara ſymbolum pacis & concordiæ. 192. c. 2

Citharædi citharizant in citharis ſuis, quia quicquid eſt meritorum, vnicuique eſt perſonale. 193

Ad caſum Ciuitatis Babylonis non clamat Angelus, quia eius caſus erit manifeſtus. 217. c. 2

Ciuitas magna, omnis populus, in tres partes diuiditur, in Gentiles, hæreticos & fideles. 364. c. 1. Velut vult Primaſius in Gentiles, hæreticos & Iudæos; tertia pars falſi fratres. 364. c. 1. Qua ratione diuiſa? 372. c. 1. & 2

Andreæ Cæſar. Ciuitas Hieroſolymitana diuiſa in Chriſtianos, Iudæos, & Samaritanos.

Ciuitates gentium quomodo cadere dicuntur? 373. c. 2

Ciuitas quædam, in qua maiora Dei refulgebant dona & ex parte illius maior ingratitudo, & perfidia, & punitio notior. 378. c. 2. & 390. c. 1

Ciuitatis, in qua impietas ſedet, cum ciuitate ſanctorum Anti-theſes ſeu oppoſitiones, in veſtitu, loco, ſitu, ornatu, fructu. 595. c. 1

Quid neceſſe ſit, vt aliqua ciuitas dici poſſit caput aut ſedes imperij, Dei Eccleſiam vexantis? 398. c. 1. & 2

Ciuitates Magnæ, de quibus ſit mentio in Apocalypſi, diuerſæ ſunt, & diuerſa deſignant. 442. c. 1

Ciuitas Dei tanquam lapis molaris inferior, firma conſiſtit. Ciuitas mũdi tanquam ſuperior pars molendini mobilis, in circuitu ambulat. 497

Ciuitas Dei tanquam lapis molaris inferior, firma conſiſtit. Ciuitas mundi tanquam ſuperior pars molendini mobilis, in circuitu ambulat. 497. c. 2. Ciuitates gentium cadere, eſt vitam & conuerſationem Ethnicum interire. 364. c. 2

Clericorum cauſas cognoſcere non eſt ſecularium iudicium, ſed Epiſcoporum; & ab eis ad maiores ſedes & Romanum Pontificem appellandum. 234. c. 1

Coccus granum tinctorium, peccati ſymbolum, ob colorem ſanguineum. 402. c. 2

Cognitio, Dei opus, mirabilia Dei manifeſtans. 277.

Quænam comminatio ſuppliciorum ſit Dei contemptoribus? 186. c. 2

Concinna fidium conſonantia ſanctorum eſt ad inuicem conſentio. 194

Per cælos, Eccleſia, per eos, qui in cælis habitant, ſinguli fideles. 72. c. 1

Cælibatus Matrimonio anteponitur. 126. c. 1

Concupiſcentiâ accensâ facilè dæmon nos ad omne nefas accendit. 86. c. 1. Ex ea naſcitur conſenſus in peccatum. 403. c. 1

Coniugalis concubitus, quando & quomodo eſt licitus? 124 c. 2

Coniugium maris & fæminæ Deus quoddam Sacramentum eſſe voluit. 125. c. 2

Digitized by Google

Contra conſcientiam agentes peccant peccato infidelitatis poſitiuæ. 310. c. 1

Conſolatio ob conuerſionem animarum, cibus eſt, quo Deus cibat Eccleſiam. 64. c. 1. magna promittitur. 639. c. 1

Sub Conſtantino magno publicus Dei cultus fut in pretio: quod prædicitur in c. 12. Apoc. 72. c. 1. & 2

Conſtantinus Deorum vanitatem redarguit. 73. c. 1

Conſtantini temporibus Dracones, ſub quibus dæmon colebatur, fuerant interfecti: & figuræ ſerpentum, in quibus adorabatur, confractæ. 73. c. 2

Conſtantini imago cuſpide transfigebat Draconem in maris vndas præcipitatum, ad ſignificandum illius tempore & operâ diabolum cruce ſuperatum, & aquis baptiſmi ſuffocatum. 73.

Conſtantinus Imperator reiecit appellationem Donatiſtarum à ſententia Eccleſiaſtica. 349 c. 1. Eorum cauſam ad Melchiadem remiſit. 234

Conſtantinopolitana ſedes ſedi Apoſtolicæ ſubiecta. 242. c. 2

Conſtantinus, tyrannis deletis, Chriſtiani Regni ornamenta in nouam Romam tranſtulit. 396. c. 2

Quænam conſuetudines in Eccleſia admittendæ vel retinendæ? 564. c. 1

Conſtitutiones à ſede Romana non approbatæ non ſunt admittendæ. 564. c. 1

Conſecratio SS. rerum creatarum eſt tanquam lapis molaris inferior, ſuper quem mouentur res creatæ. 498. c. 1

Conſolatio ex prædictione punitionis malorum & gloriæ bonorum. 339 c. 1

Contemplatio Dei & perfectionum eius ad quos actus terminetur? 514. c. 1. & 2

Contemplationis tres modi. 514. c. 2

Contemplanda præcipuè ea quæ reuelantur. 514. c. 2

Contemplatio diuinæ Maieſtatis in quatuor potiſſimùm prorumpit affectus. 515. c. 1

Primus affectus contemplationis eſt complacentiæ, quæ tres habet actus ob Dei perfectiones: *Salus, gloria, virtus.* 515. c. 2. & 516. c. 1. & 2. Quomodo hi tres actus Deo conueniunt? 517. c. 1. & 2. Per hoc actus ſanctæ Trinitati congratulamur. Ibid. Deo redduntur ob deuictam ſchiſmaticorum perfidiam; & propter abundantiam gratiæ fidelibus pro tunc dandum. 517. c. 2. Huius actus complacentiæ, ſeu congratulationis ob diuinas perfectiones ſpecimen ſeu formula datur. 520. c. 1. & 2

Alij affectus ex contemplatione oriundi, ſunt admirationis, adorationis laudis, & gratiarum actionis, qui in c. 19 exprimuntur. 515. c. 1

Contentiones prohibentur ab Apoſtolo. 150. c. 1

Contemptus rerum mutabilium facit calcare mare vitreum. 275. c. 1

Conuerſionis incentiuum eſt credere noſtram conuerſionem Angelis eſſe gratam. 52 c. 2

Conuerſio eſt à Deo, & opus eius. 640

Cur iſtud conuiuium Cæna, non prandium nuncupatur? 652

Quænam ſit illa Cæna? 581. c. 1. & 2

Cæna Dei, coronatio ſanctorum, aut conuerſio Iudaici populi in fine mundi. 638. c. 2

Cæna iſta eſt quædam animi ſatietas & puriſſima delectatio, ex adimpletione voluntatis Dei. 648. c. 1

Cæna paratur, vel dum reprobi in hac vita puniuntur, vel dum electi myſtica occiſione occiduntur. 650. c. 1

Cooperatores Dei in ſalute aliorum procuranda debent in ſe ipſis mūdum & carnem viciſſe. 275. c. 1

Cordis in malo obdurati ſymbolum. 86. c. 1

Corona Eccleſiæ ſunt Apoſtoli & Epiſcopi, & ſancti, per quos attrahit ad Chriſtum omnes gentes. 41.

Corporis naturalis, & corporis myſtici valde notanda diſtinctio. 21. c. 1

Corporis myſtici operationes non pendent à bonitate aut vitio inſtrumentorum. 21. c. 1

Cor noſtrum Deo dandum: cum Deus illud ſumit, non eſt rei alienæ inuaſor. 546. c. 1

Cornuum beſtiæ idea. 419. c. 1

Cornua beſtiæ ſunt inſtrumenta, quibus beſtiæ capita exequuntur ſuas peſſimas determinationes. 419. c. 1

Credimus cum difficultate ea, per quę voluntas à malis coercetur, & concupiſcentia à voluptatibus retrahitur. 329. c. 1

Crimina Epiſcoporum Conſtantinus ad Dei iudicium remiſit. 235. c. 2

Crimina quædam atrociora debent in hac vita puniri vt Dei iuſtitia appareat. 651. c. 1. & 2

Crux Chriſti aperit myſterium, quòd Eccleſia debeat per tribulationes intrare in regnum Dei. 556. c. 1

Cupiditati ſeruire ignominioſum. 381. c. 1

Conflictus congregationis malorum cum Eccleſiæ Paſtoribus quis tandem exitus? 378. c. 1. & 2

Connexio capitis vndecimi, & capitis vigeſimi: ex qua eruere poſſumus ſeriem omnium, quæ euentura ſunt in vltimis temporibus. 691. c. 2. & 692. c. 1

D

DAMNATIS erit in augmentum pænæ, quod ſciant pænam ſuam manifeſtam eſſe eis, quorum conſortium contempſerunt, id eſt beatis. 220. c. 1

Quænam ſit cauſa damnationis impiorum? 391. c. 1. & 2

Damnatio non incurritur propter diuitias, ſed ſi propter eas præſumimus, & pauperes negligamus. 222.

Darij menſa pedibus Alexandri conculcata. 404. c. 2

Dæmones per ſpiritus immondos intelligũtur 457. c. 1. Item etiam per volucres. Ibidem. Quomodo dicuntur aues, quæ vocentur ad cænam Dei? 653. c. 1

Dæmonis vltimum caput eſt in malo obduratio, qua de ſalute deſperatus, quaſi pigritia correptus nihil boni aut velle aut perficere poteſt. 53. c. 2

Dæmonis obduratio vnde proueniat? 53 c. 2. & 54. c. 1. ad priſtinam pietatem nunquam reuertetur. Ibid.

Dæmones vocantur tenebræ, quia nullum habent ad bonum effectum. 53. c. 2

Quomodo Dæmones falluntur & fallunt in ſuis prædictionibus? 30. c. 2.

Dæmonis artificium ſermonem obſcuritate velare, & ad aſtra confugere. 32. c. 1

Dæmones prænunciant, ea quæ ipſi facturi ſunt 30. c. 2. dæmon malitiæ præſidet; Chriſtus virtutibus. 53. c. 1

Dæmones quomodo dicuntur non habere liberum arbitrium ad bene operandum? 54. c. 1

Delectatio Dæmonis de hominum damnatione, propter peccata carnis, eſt in eo quoddam genus luxuriæ: & eſt ſextum caput draconis. 52 c. 2

Draconis ſeptem capita dici poſſunt ſeptem præcipui dæmones, quibus cura à lucifero data eſt, aliorum dæmonum agmina concitare ad Eccleſiæ vexationem. 54. c. 1

Dæmonis decem cornua eſt multitudo dæmonum, qui ad mandatorum Dei tranſgreſſionem ſolicitant homines. 54. c. 2. & 60. c. 1

Dæmon reus læſæ maieſtatis diuinæ, dum ex rabie Chriſto mortem inferre ſtatuit. 666

Dæmon Deo ſemper reſiſtere conatur. 668. c. 1

Dæmon non amplius inuenit locum in cælo; id eſt in Eccleſia, cum non potuit Dei cultum impedire. 70. c. 1.

Dæmon locum ſibi proprium in cælo Empyreo amiſit, & in locum præuaricationi proprium eſt depreſſus. 676. c. 2

Dæmon habitat in his, qui ſcientes & cum malitia peccant. 458. c. 1

Dæmon apprehenditur quando eo inuito ceſſat à malis inferendis, alligatur, quando inuenire non poteſt media, quò interrumpat diuinæ diſpoſitionis ordinem. 675. c. 1

Quibuſnam vinculis Dæmon ligari dicatur, Dei decreto, iniunctione grauiſſimâ ipſius, phyſicâ quadam vi impreſsâ. 675. c. 2 & 676. c. 1

Dæmon mittitur in abyſſum inferni, vel per impulſum, vel per manifeſtationẽ iuſtitiæ diuini decreti mittitur in abyſſum profunditatis iudiciorum Dei, per executionem eorum quæ à Deo ordinantur; mittitur in abyſſum paſſionis Chriſti, per caliginem & ignorantiam eorum, quæ euenire debebant ex machinatione dæmonis contra Chriſti vitam. Mittitur in abyſſum cordium reproborum; quia excluditur à cordibus fidelium. 677. c. 1.

Dæmon clauſus dicitur, quia ei egredi non permittitur, vt virus ſuum euomat, aut ſuis vexationibus Eccleſiam exerceat. 678

Clauſura Dæmonis deſignat inuincibilem Dei poteſtatem, incomprehenſibilitatem cogitationum Dei, altitudinem charitatis erga electos. 678. c. 2

Dæmon nullam de Deo conquerendi habet occaſionem, ſi propter filium ſuum, qui pro hominibus pati voluit, hominibus parcat. 673. c. 1

Dæmonum à corporibus expulſio, ſanctitatis Eccleſiæ nota. 29. c. 1.

Dæmonis ira in Eccleſiam, denotat Eccleſiæ ſanctitatem. 33. c. 2

Dæmonis pulchra ſubſannatio ex Cypriano. 53. c. 1

Deboræ & Baruch hiſtoria pulchrè aptatur Eccleſiæ & Papæ. 567. c. 1

Deſertum locus aptus ad meditationem. 393. c. 1

Deſertum aptum ad denotandum ſtatum miſerrimum impietatis. 393. c. 1. & 2

De Dei notitia.

Deum bene nouit, quid ſit, qui quid ſit, ſe neſcire confitetur. 329. c. 1

Dei infinita perfectio vno conceptu repræſentari non poteſt, nec vnico exprimi nomine. 603. c. 2

Apud Deum nulla eſt temporum differentia. 594. c. 1

Deus ſolus eſt immutabilis. 498. c. 1

Deus eſt ratio gubernationis rerum æterna. 340. c. 2

Deus bonum eſt in ſe congregans omnia, & quod omnia appetunt. 9.

Deus ſolus res futuras vt futuras cognoſcit. 32. c. 1.

Deus non ſolùm facta, ſed etiam cogitata conſiderat. 70. c. 2. Videt & audit omnes ſceleratorũ actus. 562.

Digitized by Google

Dei operationes.

Dicere Dei facere eſt. 454. c.2. Opus quo filius Dei, ſe talem probauit eſt quod dedit ſuum corpus & ſanguinem in cibum & potum. 324. c.1
Inter Dei communicationes ad extra, nulla Dei bonitatem magis manifeſtat, quàm illa quæ facta eſt in myſterio Incarnationis. 613. c.2
Deo ſalus exoptatur, quia ſalus ex eo eſt: gloria, quia nulla ſapientia eius propoſitum poteſt impedire; virtus, quia operibus ſuis vltimam manum imponit. 518. c.1
Deo ſalus, & gloria, & virtus exoptatur: quia licèt mali videantur ad tempus iuſtis præualere, tandem in fine iuſti præualent impiis. 518. c.2. Sicut ſalus & gloria Deo datur protegendo & ſaluando electos. Ita & virtus dum perficiendo in eis opus ſuum. 520. c.1
Dei poteſtas ad conuertenda corda, ad auxiliandum, ad inimicos conterendos. 548. c.1. & 2. Dei proprium condonare peccata. 673. c.1
Plane Dei poteſtatem fateri coguntur dæmon & reprobi. 548. c.2

Dei iudicia, eiuſque iuſtitia.

Deus nunquam tantopere iraſcitur contra homines, quàm cum eos permittit abire iuxta proprias concupiſcentias. 461. c.1
Dei proprium eſt ſeruare iuſtitiam inter mortales. 467. c.2. Deus quibus vult dat patientiam, alios permittit comburi igne impatientiæ. 325. c.2
Deus poſt multam patientiam tandem arguit & corripit peccatores. 468. c.1
Deus iuſtitiæ ſuæ vias & proceſſus tandem manifeſtabit. 468. c.1
Deus diſſipat cogitationes malignorum. 271. c.1. & 2
Dei proprium eſt humiliare ſuperbos, & eos qui ei reſiſtunt deprimere. 486. c.2
Deo indignum eſt non punire quod prohibuit. 329. c.2
Dei iudicium æquiſſimum. 563. c.2
Deus clamat in fortitudine, cum ſuperat impedimenta & cum homines damnat. 454. c.2. & 455. c.1
Deus clamat, vt dolorem ſuum de proſtratione hoſtium, & grauitatem ſupplicij oſtendat. 455. c.1
Deus propter amicos ſuos non ſemper immittit mala, quæ inferret mortalibus. 469. c.2
Deus permittit mala ad manifeſtationem diuinarum perfectionum. 614. c.1
Deus vindictam ſumit de hoſtibus in præſenti vita, ne videatur indigens, ignorans, aut imbecillis. 519. c.1. Eius ira nunquam magis apparuit quam cum filio ſuo non pepercit. 278. c.1
Deus de offenſis factis ſeruis ſuis, vindictam ſumit. 519. c.2
Deus mitiùs agit cum his quos citò punit, quàm cum iis quos tardiùs caſtigat. 499. c.1
Dei iudicia iuſta eſſe cognoſci poteſt, ſed rationes iudiciorum eius non cognoſcuntur. 522. c.2
Poteſt videri quòd Deus ſaluat Petrum, Iudam reijcit, ſed de hoc iudicio ratio non videtur. 522. c.2
Si Deus punit gentes, qui eum non nouerunt, multo magis punire debet eos qui eum nouerunt, & nihilominus peccant. 562. c.2. Donorum Dei contemptores meritò puniuntur. 312. c.2
Deus gaudet tum de conuerſione peccatorum, tum de eorum punitione. 509. c.2
Deus nos deſerit inuitus. 622. c.1
Deus in ſe, & non in creatura ſua ſcit rationem prædeſtinationis, & iudiciorum ſuorum. 552. c.2. & 553.

Dei prouidentia.

Deus generalem, & ſingularem de omnibus & ſingulis habet prouidentiam. 619. c.1. Operi prouidentiæ finem tandem imponere vult. 405. c.1
Deus ſpeciali ratione hominis eſt Dominus. 616. c.1
Deus non operatur per nos nec de nobis diſponit, niſi conſentientibus nobis. 104. c.1
Dei maxima benignitas, cùm dat vt à peccatis abſtrahamur. 125. c.1
De Deo conqueri non debemus, qui nobis eſt pater clementiſſimus. 622. c.1
Dei auxilio opus eſt, vt deſideremus cæleſtia. 624. c.1
Deus cum ſuppeditat nobis alimenta, duo intendit, vitæ noſtræ conſeruationem, & à nobis gratiarum actionem. 137. c.1
Deus oſtendit ſuam dominationem, dum cor hominis ſibi vendicat. 346. c.1
Deus de nobis vti poteſt prout voluerit. 547. c.1. Illi ſeruire, regnare eſt. 547. c.2
Dei eſt conſtituere rectores hominum in ſpiritualibus & temporalibus. 144. c.1. Regnat in Eccleſia tum ratione autoritatis, tum ratione ſanctitatis. 683. c.1. & 2
Deus dominatur in iuſtis, liberat à malis, adiuuat in bono, promouet in merito: & ſic fit ſalus, virtus, & regnum. 71. c.2
Dei decretum de ſaluandis hominibus eſt petra confringens omnes dæmonum conatus de perditione eorum. 673. Dei comminationes & promiſſiones, cum patientia expectandæ. 492. c.2. & 493. c.1
Dei magnificentia cognoſcitur per opera naturæ. 616. c.2
Dei ſecretum intentos nos debet facere, non auerſos. 330. c.1
Ad Deum adſpirandum, vt Deus ad nos deſcendat. 10. c.1
In Deum omnis noſtra ſollicitudo proijcienda. 519. c.1
Deus laudandus pro effectibus ordinariis & extraordinariis. 369. c.1
Æquè laudandus ob opera ſeueritatis, quàm ob opera benignitatis. 561. c.2
Deus laudandus in proſperis & in aduerſis alta voce. 620. c.1
Deum laudandi præceptum. Ib. c.2
Deus maximè laudandus pro beneficiis ſupernaturalibus. Ibid.
Qui ſe Deo deuouerunt, cenſentur ad Deum omnia virtualiter referre, etſi de Deo actu non cogitent. 175. c.1
In Domo Dei habitare magis optandum, quàm in tabernaculis peccatorum. 624. c.1
Deus coronat non ex exitu eorum quæ fiunt, ſed ex merito eorum qui agunt. 309. c.1
Dei amator non modò abſtinet à malo, & omnes actus externos ordinat ad Deum ſed etiam omnes motus interiores. 342. c.1
Deus permittit dæmoni ſeu diabolo vt nobis noceat: quia malitiæ illius conſentimus. 104. c.1
Deus Pontificibus curam rerum ſpiritualium, Imperatoribus & Regibus curam temporalium commiſit. 346. c.2
Non eſt credibile Diabolum & Angelos eius auſos fuiſſe pugnare in cælo, iuxta Ticonium. 65. c.1
Pugnare Dici poteſt in cælo, id eſt in Eccleſia, quia volebat coli ab hominibus. 66. c.1
Diabolus cecidit poſt Chriſtum paſſum, quia eius vires infirmatæ ſunt. 68. c.2
Diabolus deſcendit, cum à ſanctis excluſus, in terrenos tantùm homines poteſt ſuam exercere malitiam. 70. c.2
Diabolus accuſator hominum dicitur: quia accuſabiles eos reddit; & quomodo? 71. c.1. & 2
Diabolus poſt extirpationem Idololatriæ, conatur per errores Eccleſiam vexare. 84. c.1
Diabolus variis tentationibus exagitat quos non poteſt ſeducere. 85. c.1. & 2. Quomodo verè ſit calumniator? 668
Diaboli calumniæ in homines, in Dei iniuriam redeunt. 667. c.2
Diaboli quanta ſit cum dedecore proſtratio? 9. c.1.
Diabolus ſeſe à ſabbatiſmo cæleſti excutiendo, laborem ſuum multiplicauit. 99. c.1
Diabolus in Anti-Chriſto totus erit; cum omni ſua virtute. 99. c.1
Diabolus non erit in Anti-Chriſto per intrinſecam inhabitationem, ſed per malitiæ effectum. 104. c.1
Diabolus quomodo nos ad peccandum prouocat? 114. c.1
Diabolus indirectè eſt cauſa omnium peccatorum. Ibid.
Diabolus indiget auxilio liberi arbitrij, & appetitu carnis, vt nos ad peccandum, inducat. 170. c.1
Diabolus, non eſt cauſa peccati directè, ſed ſolùm per modum proponentis appetibile. 170. c.1
Diabolus primo parentes induxit in Apoſtaſiam à fide, dum Deũ veluti mendacem putauerũt. 172. c.2
Induxit eos in arrogantiam & propriæ excellentiæ amorem, & in impatientiam. 172. c.1
Diabolus furore correptus, quòd non poſſit animas perdere: necem temporalem hominibus procurat, eoſquè variis pœnis exagitat. 51. c.2
Diabolus vocatur peccatum: quia autor eſt peccati, & ad illicita ſuadet. 53. c.1
Diaboli vox ſuadere vt mittamus nos deorſum. 53. c.1
Diabolus per hæreſes Eccleſiam vexat. 4. c.2
Diaboli character eſt ſuperbia. 300.
Diabolus quaſi quodam vitio Gulæ laborat, dum non Dei voluntatem, ſed ſuam adimplere vult, & quia diuinitatem affectat: & ſic eſt quietum Draconis caput. 52. c.1
Diabolus in quibuſnam requieſcit? 4. c.1
Diabolus punitur pœna conuenienti, cum in tartara includitur, tanquam in carcere, quia homines captiuos fecerat. 160. c.2
Diabolus nomine beſtiæ optimè deſignatur. 338. Eſt irreuocabilis ad bonum. 300. c.1
Sedem ponit in aquilone, vt ſe opponat Deo ſedenti in meridie. 339. c.1
Eius artes eluduntur à S. Michaele. 655. c.1
Diademata ſeptem in capitibus beſtiæ ſeu draconis, denotant illum ſuam exercere tyrannidem per ſeptem nequitias illi proprias, quas reducit in actum per ſeptem capitalia peccata, ad quas inducit homines. 54. c.1. Mittitur in abyſſum quoad Deus voluerit. 655. & 656. c.1. Diaboli ſolutio eſt permiſſio nocendi. 169. c.2

Digitized by Google

Diaboli ſeu dæmones conturbantur videntes inuictam Dei manum extentam contra impios. 277. c. 2

Cur diabolus plurimis nominibus vocitetur? 654. c. 2. & 665. c. 2

Diabolo ſimiles ſunt, qui per doctrinam Patrum à ſceleribus non reuocantur. 300. c. 1

Dies magnus, totum tempus à paſſione Domini. 351

Dicitur Dies Domini, cum contumaciam principum aduerſus Eccleſiam in ſuam gloriam conuertit. 354. c. 1

Dies & nox pænarum æternarum impiorum, & diem beatitudinis ſanctorum, in quorum conſpectus torquentur, & noctem ſuppliciorum impiorum vident. 220. c. 2. & 221. c. 1.

Dignitates nec pecunia, nec prece, nec ſollicitatione procurãdæ ſunt. 145 c. 1

Dignitates magnæ citò in inſolentiam, & ſuperbiam extolluntur. 392 c. 2

In dignitate poſiti magis audent mala perpetrare. ibid.

Diſceſſio, quæ ſignum erit aduentus Chriſti, non eſt tantùm gentilium à Regno ſeu Imperio Romano, ſed Regni & Imperij Romani diſceſſio & ſubtractio omnimoda ab obedientia & ſubiectione Eccleſiæ. 431. c. 2

Hæc Diſceſſio debet eſſe ab eminentiori poteſtate, quæ ſit in terris, nempe à Dominio ſpirituali Eccleſiæ. ibid.

Hæc diſceſſio quonam ordine perficietur? ibidem.

Diſcipuli Domini tres interrogationes Domino faciunt, de tempore euerſionis templi, de ſignis deſtructionis, de ſignis aduentus ſecundi, & de ſeculi conſummatione. 163. c. 1. & 2

Diſcordia quando eſt peccatum? 149. & 150 c. 1

Diuinitas per nomen diuitiæ deſignatur, ſicut & theſaurus bonitatis, patientiæ, ſcientiæ, & ſapientiæ. 542. c. 2

An concedenda ſit aliqua diuinationis ſpecies? Epicureorum ſtoicorum & peripateticorum diuerſæ ſententiæ. Epicurei enim merum fucum, & impoſturam exiſtimabant. Stoici, omnia genera, omneſque ſpecies diuinationis admittebant. Peripatetici diuerſa genera ponebant, & admittebant inſomnia, raptus poetarum, & furioſorum, & diuinorum: alias reſpuebant, & ejiciebant ſortes. 31. c. 1. & 2

Diſpenſationis ius penes ſummum Pontificem. 244. c. 2. & 245. c. 1. & 2. Sixtus diſpenſat cum proclo pro tranſlatione ſedis ſuæ in aliam 244. c. 2 Simplicius diſpenſat pro electione Patriarchæ Antiocheni. Ibid. Diſpenſatum fuit cum ordinatis à Photio 245. c. 1. diſpenſatum cum Caſimiro Monacho Cluniacenſi & diacono ad inſtantiam Polonorum, vt Regnum aſſumeret. 245. c. 2

Docti lapides ſunt pretioſi in corona Eccleſiæ reponendi, ſi capiti adhæreant, & charitate ſint præditi, viles ſunt ſi vt donatus à capite reſcindantur, & à charitate excedant. 41. c. 1. & c. 2.

Puritatis doctrinæ ſymbolum, lumen ſolis. 424. c. 1. Eius efficacia. 24 c. 1. Eſt efficacior omni humana ſapientia. ibid.

Multiplicia dona Spiritus ſancti per linguas igneas adumbrantur. 10. c. 1

Quam plurimæ donationes Regnorum, Principatuum, poſſeſſionum datæ Eccleſiæ oſtendunt illam Lunam habere ſub pedibus. 43 c. 1. & 2. & 44. c. 1

Dorcas Chriſtianus prudens. 567. c. 2

Draconis cauda ſymbolum eſt illius euentus, qui ex tot nequitiis per ſeptem capita deſignatis haberi poteſt. 54. c. 2

Draconis malitiæ extremitas, tanquam eius cauda eſt, quod inuidia ſua mortem induxit in orbem terrarum. 55. c. 1. & 60. c. 1. & 2

Si Draco potuit Angelos quoſdam ad ſibi conſentiendum attrahere non mirum ſi decipiat homines. 55. c. 1

Draconem ſtare ante mulierem eſt firmum propoſitum contradicendi Eccleſiæ. 55 c. 1. 60. c. 1

Cur draco apparens dicitur ſignum magnum? 51. c. 1

Draconis diuerſa nomina in c. 12. ab Ambroſio exponuntur. 65. c. 2

Draconis nec magnitudo, nec ſuperbia, nec poteſtas impediunt quominus ejiciantur. 69. c. 1

Draconis capita non ſunt reges, nec malæ animi ſuggeſtiones. 49 c. 2. & 50. c. 1

Draconis ſeptem capita ſunt ſeptem diaboli nequitiæ quibus à Deo auertitur, & Chriſti ac fidelium acerrimus hoſtis conſtituitur. 50. c. 1. & 60. c. 1

Primum caput Draconis ſuperbia. 50. c. 2

Secundum caput ſpecies quædam auaritiæ quia omnia ad ſe rapere volui. c. 2

Tertium caput, inuidia. Inuidit diabolus homini, quod homo dicitur manibus Dei conditus, ipſe tantum verbo: Secundo propter innumera beneficia illi collata. Tertio quod ad Angelorum dignitatem vocaretur. 50. c. 2. & 51. c. 1. Quarto quod omnium, quæ ſunt in terris, imperio potiretur. 50. & 51. c. 1

Quartum caput Draconis, ira: quia impulſus hominis necem meditatus eſt. 51. c. 1. & 2

Quintum caput, luxuria: quia potiſſimum delectatur de rebus à naturæ ſuæ excellentia diſcrepantibus, vt ſunt peccata carnis, & alia à Deo auertentia. 53. c. 1

Sextum Draconis caput, quædam ſpecies Gulæ: dum de peccatis noſtris delectatur, & ſatiari non poteſt de hominum damnatione, de qua gaudet. 53. c. 2

Septimum caput. In malo obduratio quaſi quadam pigritia correptus, vt nihil boni agat aut velit. 53. c. 2

Draconis ſeptem vitia capitalia & ſeptem regna regnum Chriſti oppugnant. 3. c. 1

Draco capitis duodecimi videtur Victorino Anti-Chriſtus, ſeu diabolus humanizatus; Primaſio eſt diabolus: Andreas Cæſar. ſerpens, qui ab Angelis deludatur. 47. c. 1. & 2. Methodio etiam & Ambroſio diabolus eſt. Ruperto diabolus, & omnis generatio nequam. 48. c. 1. S. Thomæ diabolus, & tertia pars ſtellarum illi conſentiens. Ibid.

Draco reuera eſt dæmon ſeu lucifer, Eccleſiam vexans, & Regni Chriſti promotionem impediens. 49. c. 1

Draconis ſymbolum non ſignificat vniuerſam dæmonum Rempublicum, ſed principem dæmoniorum, contra Alcazar. 49. c. 1

Durationis Eccleſiæ ſol ſymbolum. 36. c. 2

E

EBRIETAS accuſanda, non vinum. 140. c. 1

Ebrietatis macula fœdior, vel ratione ſexus, vel ratione miniſterij, vel ratione dignitatis, 140. c. 1. & 2. vel ratione ſanctitatis ſtatus, vt in ſacerdotibus. 141

Ebrietatis nocumenta. 138. c. 2. & 139. c. 1. Vide Gula.

Ebrioſi viliores brutis. Ib. & 139. c. 2

Eccleſia.

Eccleſiæ non ſynagogæ ſtatum reſpicit S. Ioan. 5. c. 1

Eccleſiæ ſupra ſynagogam prærogatiua. 670. c. 2

Eccleſiam Romanam vt Catholicam reſpicit S. Ioannes. 6. c. 1

Eccleſiæ definitio. 11. c. 1

In Eccleſia ſunt Hierarchizantes & Hierarchizati. 10. c. 2

Viſibilis.

Eccleſia latens electorum, à ſolo Chriſto inueniri poteſt. 41. c. 1

Eccleſia eſt viſibilis: 11. c. 1. etiam ante legem. 418. c. 1. quid requiritur vt quis ſit de viſibili Eccleſia? 528. c. 1.

Eccleſia non ſolum eſt viſibilis ratione perſonarum, quæ illam componunt; ſed etiam quia vtitur certis quibuſdam ſignis viſibilibus. 11. & 3. Quia vnam & eamdem debet emittere fidei profeſſionem. Ibid. c. 2. Quartò, quia iugi ſacrificio, & publicis gratiarum actionibus Deum colit. 12. c. 1. denique quia eſt plebs viſibilis cum Paſtoribus coadunata. c. 2

Eccleſiæ ſymbolum eſt de illa, prout viſibilis à Deo & Chriſto inſtituta. 41. c. 2.

Eccleſiæ firmitas. 5. c. 1

Firma.

Eccleſiæ perpetuitas vnde conjicitur? 12 c. 2 & 13. c. 2. & 14. c. 1

Eccleſia permanens, quia accepit neceſſaria ad finem ſuum conſequendum. 14. c. 3. Eius ordo propria vi ſubſiſtit, quem dæmon euertere non valet. 676. c. 1

Eccleſia manebit vſque in finem, 36.

Eccleſia per quatuor montes, Sion, Moria, Acra, & Golgotha, figurabatur. In quo & viſibilitas & firmitas eius perſpicitur. 14. c. 2. & 15. c. 1

Eccleſiæ proprietates.

Eccleſia tres habet proprietates vnitatem, ſanctitatem, & vniuerſalitatem. 15 c. 1 & 2

Eccleſiæ proprietates, quibus notis dignoſcuntur. 15. c. 2. Eccléſiæ notæ & characteres. 40. c. 1

Vna.

Vnitas conuenit Eccleſiæ, maximè vt à Chriſto incæpit, quamuis fuerit vna ab initio mundi. 17. c. 1

Vnitatis Eccleſiæ tres notæ conſenſio membrorum cum capite, & ad inuicem. 17. c. 2. vnitas fidei & doctrinæ. 18. c. 1. participatio & vſus eorumdem ſacramentorum, idem baptiſma, idem ſacerdotium, idem panis cæleſtis. 18. c. 2. Eccleſia non eſt vna, niſi vnum tantum habeat caput. 668. c. 2

Vnitatis Eccleſiæ ſymbolum, participatio ſacramenti Euchariſtiæ & aliorum. 20. c. 1. & 2

Vnio ſtellarum in capite mulieris amictæ ſole, ſignificat vnionem membrorum cum capite. 19. c. 1

Sancta.

Sanctitas Eccleſiæ propria, vt ſine ſanctitate non ſit vera Eccleſia, nec vera ſanctitas extra Eccleſiam reperiri poſſit. 20. c. 2. & 21. c. 1

Sanctitas Eccleſiæ ſignificat eius fir-

nitatem. 21. c. 1
Sanctitatis Eccleſiæ nota, doctrinæ, veritas 22. c. 1. Item eius efficacia. 24. c. 2
Item gloria miraculorum 28. Item lumen Propheticum 29. c. 2. Item confeſſio aduerſariorum. Sanctitas eorum qui fuerunt primi Eccleſiæ inſtitutores: denotat etiam Eccleſiæ ſanctitatem. 26. c. 1
Denique ſancta dicitur, quia per ſacras quaſdam functiones ſanctitatem confert, licèt mali ſint miniſtri. 21. c. 1

Catholica.

Eccleſia quomodo vniuerſalis & Catholica dicitur. 33. c. 2
Vt Eccleſia dicatur Catholica, non oportet vt ſemper in omnes mundi partes ſit diffuſa, ſed quod vbicumque ſit diffuſa vſque ad conſummationem mundi, eadem ſemper & vbique fidei dogmata doceat ac prædicet. 34. c. 2
Eccleſia Catholica propriè ea eſt, quæ tenet quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. 34. c. 2. & 35. c. 1
Eccleſia non excludit vlla tempora, loca, vel hominum genera. 37. c. 2
Eccleſia loquitur omnibus linguis, quia vna eſt in omnibus linguis. 38. c. 1
Eccleſia dici poteſt Apoſtolica, propter ſucceſſionem Epiſcoporum. 39. c. 1
Eccleſia totum mundum poſſidet vt dotem à ſponſo datam. 23
Eccleſia in omnibus gentibus: & ſit congregatio & vox aquarum multarum. 193. c. 2
Qui Extrinſecis tantùm lineamentis Eccleſiæ coniungitur, tandem vt ait membrum putridum reſecabitur. 21. c. 2

Eccleſia ſcopus.

Eccleſiæ grande votum, & deſiderium eſt ſanctificatio noſtra, & Dei gloria. 46. c. 1
Eccleſiæ ſcopus vt omnem terram Chriſti ſubdat imperio. 2. c. 2
Eccleſia, contradicente diabolo, Chriſto regnum viſibile in terris peperit. 3. c. 1
Eccleſia peperit filium maſculum, nempe autoritatem quamdam ad regendos fideles. 187. c. 1. & 1. c. 2. & 2. c. 1
Eccleſia peperit filium maſculum, ſtatim atque Petrus poſt ſancti Spiritus decenſum, in exercitium poſuit ſuam autoritatem. 62 c. 1
Eccleſia non eſt adeptura perfectum ſui ſtatus ſplendorem, niſi poſtquam Euangelij prædicatio vniuerſi orbis partes peragrarit. 682. c. 2
Ad ſcopum non peruenit, niſi per perſecutiones non enim eſt vocata ad quietem, ſed ad prælia & labores. 64. c. 1
Perſecutiones ab Eccleſia tolerandæ.
Eccleſia Chriſtiana ab initio fuit valde oppugnata 189. c. 1. quinque modis vexata fuit, per oppoſitionem ſynagogæ, per perſecutiones imperatorum infidelium, per inobedientiam ſchiſmaticorum, per hæreſes & corruptionem morum, per tribulationes temporales. 8. c. 1
Eccleſia clamat vt pariat & cruciatur, quia grauida eſt eorum qui ad cælum non perueniunt, niſi per labores & dolores 46. c. 2. & 47. c. 1. In Eccleſia ficti Chriſtiani, extra Eccleſiam hæretici & Pagani eam perſequuntur. 417. c. 1
Eccleſia in mediis perſecutionum vndis inconcuſſa permanet: & ex hoc mari perſecutionum fontes oriuntur ſolarij & felicitatis 215. c. 2. Fortiùs impugnata ardentiùs ſua obit munera. 501. c. 1
Eccleſia maximè perſecutionem patitur ab hæreticis, & ab his quos Anathematizat. 407. c. 1. Quod Eccleſia dura patiatur ſacramentum. 555. c. 2
Eccleſia duobus modis vexatur per impugnationem fidei ſeu doctrinæ, & per morum corruptionem. 429. c. 1
Eccleſiæ prima perſecutio, in qua quam fideliter ſponſo adhæreat innotuit. 60. c. 2
Eccleſia vexatur ad gloriam nominis Dei Eccleſiæ profectum, & inſigniorem hoſtium ſuorum confuſionem. 695. c. 1
Qui Eccleſiam vexant puniuntur. 695. c. 1

Sedes Dei.

Eccleſia, Dei ſedes tanquam ſol. 325. c. 2
Eccleſia thronus Chriſti 338. c. 2. ſedes Dei, ſicut & anima iuſti. 344. c. 1
Et ſedes currulis ſeu portatilis: quia ad agendum & meliùs proficiendum prouocatur 344. c. 1

Sponſa Chriſti.

Inter Eccleſiam & Chriſtum intercedit quoddam matrimonium. 571. c. & 2
Vna Chriſti ſponſa omnibus conſpicua. 2
Eccleſia debet præparari ad nuptias agni. 511. c. 2. Quænam ſit illa præparatio? Ibid.
Eccleſia multa præparatione indiget, antequam admittatur ad puriſſimos amplexus ſponſi. 571. c. 1
Gratior redditur ſponſo, quo plura pro eo patiatur. 571. c. 1
Vt digna ſit ſponſa, bona ſemper debet operari: 571. c. 1. & quænam tandem debeat eſſe illius perfectio. 572. c. 1
Eccleſia duobus modis ſponſo fidelitatem ſeruat. 262 c. 1. & 1. c. 1
Eccleſia ſponſo peperit exercitium autoritatis ſibi collatæ antequam pareret cæteros fideles. 47. c. 1. & 60. c. 2
Eccleſia ſemper generat Chriſti membra. 55. c. 2
Eccleſiæ filius maſculus, eſt regnum ſacerdotale Chriſti in ſummo Pontifice præcipuè enitens, & in ſede Romana conſtitutum. 56. c. 1. & 2

Illuminatur à Chriſto.

Eccleſia non poteſt tenebris errorum offundi, cum tota ſit amicta ſole. 19. c. 2
Quomodo intelligendum eſt Eccleſiam non poſſe errare? 22. c. 2
Eccleſiæ Deus reuelabit Anti-Chriſtum, qui per ſynagogam reuelauit Magis Chriſtum. 436. c. 1
Eccleſia perfectè illuminatur per ſacrificium Euchariſtiæ, quo Deum colit. Verè eſt Thyatira, id eſt illuminata. 323. c. 1

Eccleſia militans.

Eccleſia tanquam acies benè ordinata. 187. c. 2
Eccleſia diuerſo modo ab hæreticis fidem ſuam profitetur. Illa palam & audacter hoſtibus veritatis ſe opponit. Iſti ſubreptitiè, clam & occultè ſubintroire conantur. 12. c. 1. Qui extra Eccleſiam eſt, nec audit, nec videt: qui in illa eſt, nec ſurdus nec cæcus. 13. c. 1
Eccleſia vinea terræ, tum quia in terra eſt, tum quia neceſſe eſt illi ea pati, quæ in hac vita degentes pati coguntur. 256. c. 1
Eccleſia habet lacum, id eſt, legem Euangelicam eam ad paſſiones tolerandas inuitantem. 256. c. 2
Eccleſia habet torcular: quia qui in hoc lacu mittuntur, *Deo immolari debent.* 256. c. 1. & 2
Ad ſtatum Eccleſiæ militantis pertinent quæ dicuntur in prima parte. c. 19. 566. c. 1
Eccleſia militans per cælum intelligitur 596. illius cum debora comparatio. 556. c. 1
Eccleſiæ cum hoſte conflictus ſymbolum. 1. & 16
Eccleſia tempore Anti-Chriſti ſuam non deſeret militiam: erunt electi & fideles in fide conſtantes & Deum colentes, qui tandem præualebunt. 158. c. 1
Eccleſia militans gentes acquirit ſponſo, & omnia operatur propter eum. 41. c. 2
Eccleſia vtitur omnibus errantibus, ad profectus ſuos. 23. c. 2
Eccleſia non deſeritur à Deo. 464. c. 2
Eccleſia vicit: quia ſola habet Spiritus ſancti dona 181. c. 1. Quo fine eam Spiritus ſanctus donis cumulauit? 5. c. 1
Exercitum ſibi comparat Chriſtus, alia prorſus ratione à dæmone: Chriſtus vt virtutis ſuæ faciat participes eos qui eum ſequuntur, dæmon ex indigentia & infirmitate ſocios quærit. 191. c. 1
Exercitus Chriſti in tres turmas diuiditur, Virginum 1 200. & 201. ſecunda eſt Martyrum 202. Tertia eorum, qui aliquo pacto aut voto, Dei obſequio conſecrantur. 204
Hinc Exſurgit triplex ſtatus in Eccleſia, Sacerdotum, Religioſorum, Prædicatorum (qui vnam conſtituunt, vt pote Deo pacto aut voto conſecrati) Martyrum, Virginum. 205. c. 2

In Eccleſia Chriſtus regnans.

Per effectus quos in Eccleſia Chriſtus operatur, eius Dominatio & poteſtas agnoſcitur. 608. c. 1
Hi effectus pluribus modis diuinam maieſtatem manifeſtant. Ibid.
Eccleſia habet lunam ſub pedibus, quia ſua autoritate vti debet, vt cuncta terræ imperia ad Chriſti nomen incurrentur. 42. c. 1
Aliis Etiam de cauſis dicitur habere lunam ſub pedibus. c. 2. & 43 c. 1
Eccleſia habet terrena ſub pedibus, quia poſſeſſiones fidelium illi offeruntur. 2. quia eſt capax Dominij temporalis. 3. quia habet poteſtatem indirectam in temporalia: 4. quia ſuſtentatur per pios principes. 44. c. 1
Eccleſiæ Chriſtianæ priuilegium eſt, vt illi Reges obſequia præſtare velint. 45. c. 1
Eccleſiæ gloria temporalis prædicitur. Iſ. c. 60. & c. 61. p. 450. c. 2. & 451. c. 1
Eccleſiæ bona temporalia ad tria ordinantur. 484. c. 1
Malè Expetuntur & appetuntur à Simoniacis: primò ad explendam cupiditatem & auaritiam, ſecundò, ad vanitatem, 484. c. 2. tertiò, ad voluptatem, quartò ad ambitionem: 484. c. 1. & vt illis nihil deſit. 485. c. 1
Eccleſia habet poteſtatem iudiciariam puniendi peccatores. 360. c. 2
Hæc poteſtas iudiciaria tribus ſymbolis in ſcriptura Exprimitur clauium, vinculorum, gladij. 361. c. 1

Digitized by Google

Quænam ſit illa clauium poteſtas, & quænam ſint vincula? Ibid.
Hæc poteſtas ab Apoſtolis & Chriſto duxit exordium. 236. c. 1
Quàm iuſtè Eccleſia in rebelles gladium vibrat excommunicationis oſtenditur in c. 17. 375. c. 1
Eccleſia omnibus ſuis functionibus vti debet, vt Chriſti gloria plenè manifeſtetur. 596
Eccleſia dæmonem ligat per poteſtatem coactiuam, peccata impediendo. 670. c. 2
Chriſti Regis thronus, nubes candida, id eſt Eccleſia. 225. c. 1. & 2. & 187. c. 1
Eccleſia inſtitut o ſtatus diuerſi exercitia.
Eccleſiam Deus ædificat. 15. c. 1
Eccleſia in duodecimo capite repræſentatur, non prout erat in antiqua ſynagoga, non pro Anti-Chriſti tempore. 61. c. 2
Sed vt recenter à Chriſto fundata & inſtituta, inchoatiuè tantùm habens ſuam abſolutiſſimam dominationem. 62 c. 1
Eccleſia per homines exteriùs contemptibiles, efficaciâ verbi diuini nationes integras ad fidem conuertit. 25. c. 1
Eccleſia clauſa erat, cum poſt aſcenſionem Apoſtoli erant in cœnaculo orantes, fuit aperta, cum poſt aduentum Spiritus ſancti manifeſtè innotuit Chriſtum viſibilem Monarchium inſtituiſſe. 280. c. 1
Eccleſia ſynagogâ relictâ ad gentilitatem tranſit, tanquam in ſolitudinem. 3. c. 2. & 61. c. 2
Eccleſia non eſt, quæ Sacerdotes non habet. 668. c. 2
Qui in Eccleſia habent aliquam autoritatem permanentè ſignificantur. 24. ſeniores. 528 c. 2. Significantur etiam in gratia perſeuerantes. 528. c. 1
Qui adepti ſunt eminentiorem ſanctitatem aut dignitatem, deſignantur per quatuor animalia. 528. c. 2
Eccleſia in Paſtores deſiderat aptiores, & magis idoneos. 145. c. 2. & 146. c. 1
Eccleſiæ dignitates non ſunt per media naturalia ambiendæ. 145. c. 2
Eccleſiaſticæ dignitatis officia non ſunt deſtinanda in turpem lucrum, ſeu quæſtum. 147. c. 2
Eccleſiæ duplex ſtatus, proſperitatis & aduerſitatis. In aduerſitate dicitur clauſa, & in deſertum fugit; aperta dicitur, cum palam & liberè Deo cultum exhibet. 596. c. 2
In proſperitate dicitur cælum, in quo facta eſt ſalus & virtus. 70. c. 2
Eccleſiæ alæ duæ ſunt, ne euertatur: doctrina & ſanctitas. 80. c. 1
Eccleſia volat in deſertum duabus alis, per actus vitæ actiuæ, & per actus vitæ contemplatiuæ. 81 c. 1
Quomodo paſcitur in ſolitudine. 63. c. 2
Eccleſia vt doctrinam & ſanctitatem ſeruare queat, ſecedit in ſolitudinem Monachorum & Religioſorum. 80. c. 1 & 2 & 4. c. 1
Eccleſia in vltimis temporibus dicitur paſci per tempus & tempora, & non per dies, ſicut in primis temporibus ſuis: quia multi tunc non ambulabunt per diem, ſed in nocte peccatorum. 80.
Pulchra ſtatus Eccleſiæ in temporibus Anti-Chriſti comparatio, cum his quæ fecit Ieremias, cum Hieruſalem fuit per Nabuchodonoſor deſtructa. 449.
Eccleſiæ iudicia plurimos motus plerumque excitant. 291. c. 2
Eccleſia tunc maximè conculcabitur, cum perſuaſum fuerit eius autoritatem eſſe omnimodè autoritati temporali Regum ſubjiciendam. 461 c. 1. & 2
Eccleſia quo ordine ad deplorandum ſtatum, in quo erit Anti-Chriſti temporibus, tandem deueniet? 464. c. 2
Eccleſiæ particularis quaſi quædam inſulæ, ad quas fideles confugiunt. 374. c. 1. & 2
Eccleſiæ liberatio à tyrannide Anti-Chriſti, per miniſterium ſummi Pontificis, demonſtrabit gloriam humanitatis aſſumptæ à Chriſto. 438. c. 1
De Eccleſiæ ſtatu poſt necem Anti-Chriſti, vſque ad iudicium. 702. c. 1. & 2
Eccleſiæ beneficia à Deo data, eiuſque pia ad Dei cultum exercitia. 501. c. 1
Quænam debeant eſſe Eccleſiæ exercitia in toto decurſu ſeculorum? 513. c. 1
Ad tria reducuntur. 501. ad exercitia vitæ contemplatiuæ, actiuæ, & mixtæ. 512. c. 2. & 514
Eccleſia approbat laudes, quæ ab Angelis & omni creatura Deo redduntur. 545. c. 1. & 2
Dat omnibus poteſtatem participandi gratiæ Dei. 23. c. 2
Eccleſia, ne ingrata remaneat, dum ait: *Dilectus meus mihi*, addit; *Et ego illi.* 1. c. 2
Eccleſia vt mater amanda. 670. c. 2
Qui Eccleſiam matrem habere noluerit, non habebit Deum patrem. 23 c. 1
Euentus futuros in Eccleſia hæc Prophetia continent. 418. c. 2
Edictum Conſtantini pro claudendis Deorum templis. 73. c. 1
Edictum Impium Eduardis Regis Angliæ, per quod vſurpabat iuriſdictionem ſpiritualem. 481. c. 2
Electis vtile fugere conſortium malorum, ne peccatis eorum conſentiant, aut ſupplicijs eorum inuoluantur. 467. c. 1
Electorum à reprobis ſeparatio, vinum pretioſum & delectans. 623. c. 1
Quæ electis proueniunt ad ſalutem, impijs cedunt in perniciem. 86. c. 1
In electis Deus non patitur impunitatis labem. 560. c. 1
Elephas ſobrietatis exemplum. 139. Vindictam ſumit de iis, qui eum fraudare volunt. ibidem.
Aliud eſt Emi è terra, aliud emi ex hominibus, primum dicit Redemptionem, ſecundum electionem ad quamdam dignitatem. In comm. in hæc verba: *Hi empti ſunt ex hominibus, &c.*
Epicuri ſententia reiicitur, qui volebat innumerabiles periodos, & eiſdem in locis, & per eoſdem fieri. 463 c. 1
Qui nemine Epiſcopatum dante ſibi Epiſcopi nomen aſſumunt; ſunt peſtes & lues fidei. 145. c. 2
Epiſcopatum deſiderare, ambitionem redolet. 146. c. 1
Vt quis ad Epiſcopatum debitè perueniat, debet expectare diuinam ordinationem. ibidem.
Ad Epiſcopatus apicem qui peruenire debet per gradus & ordines Eccleſiaſticos. Exemplum de ſancto Cornelio Papa. 146. c. 2
Epiſcopi ſedent ſupra ſedes, & habent poteſtatem iudicandi de doctrina, moribus & actibus humanis; decernendi, præcipiendi, puniendi. 657. c. 2
Epiſcoporum ſententiæ firmitas ex reſcripto Conſtantini. 348. c. 2
Epiſcopi habent ſuos officiales: quia vix Sacerdotum functiones, & ſecularium negotiorum tractationes poſſunt ſimul exercere. 346. c. 2
Epiſcopalis autoritas falce deſignatur. 250. c. 1
Ad Epiſcopum pertinebat facere indictionem Paſchatis in die Epiphaniæ. 233.
Epiſcopi exhibere debent obedientiam ſummo Pontifici. 244. c. 1. & 2
Epiſcoporum inſtitutiones, degradationes, excommunicationes, depoſitiones, reſtitutiones, pertinent ad ſummum Pontificem. 243. c. 1. & 2
Epiſcopi ad quos directæ ſunt Epiſtolæ, quibus modis exequuntur quod illis iniunctum fuerat. 263. c. 1. & 2
Ad Epiſcopum Smyrnenſem pertinet ſecundam effundere phialam, & in eo ſignificantur omnes Epiſcopi quorum eſt prædicatio verbi. 300. c. 2
Equi cap. 14. ſumuntur in bonam & malam partem. 259. c. 2. Et ſignificant dæmones, vel malos homines aliorum rectores; vel ſignificant bonos Angelos pœnis præfectos. 259. c. 2
Error triplicem voluptatem homini peccatori affert: primò quia illi frui permittitur conceptis delectationibus. Secundò, quia independentiam quamdam inducit. Tertiò, quia delectatur poſſe in alios dominari, ita vt ſæuitia vtatur vt hoc liberè poſſit. 460. c. 1. & 2.
Errorum abominatio & immunditia ſignificant auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturas. 404. c. 1.
Euangelium quomodo dicitur æternum? 286. c. 1
Cur dicitur amplum, & ſimul compendiarium? 106. c. 1
Euangelium Dei virtus in ſalutem omni credenti. 546 c. 1
Curſus non exhorruit ſerpentis congreſſum. 111. c. 2
Eucharistia Sacramentum, eſt ſignificans vnionem omnium membrorum corporis Chriſti myſtici ad inuicem, & cum Deo coniunctionem. 253. c. 2
Euchariſtia myſterium regni Dei in terris. 321. c. 2
Euchariſtiæ menſa vicem exhibet præſepis. 321. c. 2
Per Euchariſtiæ fidem auferuntur impedimenta fidei myſterij incarnationis & perfectionum diuinæ prouidentiæ. 537. c. 1. & p. 538. c. 1. & 2
Quantum fides Sacramenti Euchariſtiæ adiuuet imbecillitatem naturæ ad perceptionem operum mirabilium Dei? 539. c. 2
Euchariſtiæ conſpectus & perceptio Catechumenis & Energumenis prohibebatur. 321 c. 1
Euchariſtiâ armari debet qui ſe præparat ad Martyrium. 75. c. 1
Euchariſtiæ ſacrilega prophanatio ab hæreticis. 330. c. 1
Euchariſtiæ myſterium quot æſtus mentis contriuit? 330. c. 1. & 2
Eugenius tertius Româ diſcedere coactus fuit, ne autoritate Apoſtolica ſchiſmaticum ſenatum conformare cogeretur. 389. c. 1
Euphrates Ambroſiæ deſignat martyres prædicentes perſecutoribus damnationem. 351. c. 2
Euphrates Alcazari ſymbolum tor-

rentis rapidiſſimi ſuperbiæ delitiarum opum ſapientiæ & eloquentiæ Romanorum Ethnicorum. 353. c. 1
Per Euphratem ſignificantur homines nempe myſticæ Babylonis, quos Eccleſiæ præcepta & iudicia continere debebant in officio. 366. c. 2
Euentus plurimi habent ſimiles cauſas & effectus; & diſtinguuntur tantùm locis perſonis, temporibus. 462. c. 2
Excommunicatio eſt Eccleſiæ gladius. 361. c. 1. & 2

Quis poteſt excommunicare.

Excommunicationis poteſtas Eccleſiæ data deſignatur in Angelo Laodicenſi. 361. c. 2
Quis in Eccleſia poteſt excommunicare? 367. c. 1
Soli Epiſcopi poſſunt excommunicare, non autem parochi. 367.
Excommunicatio Epiſcopi extra diæceſim poteſt ex congruo obligare fideles, ad fugienda conſortia eorum qui ab eis excommunicantur. Exemplum Andronici à ſyneſio excommunicati. 367. c. 1
Excommunicandi poteſtas poteſt à ſummo Pontifice concedi laicis. 367. c. 1

Quinam ſint excommunicandi.

Excommunicandi ſunt qui ſunt in Laodicea, id eſt in vomitu, id eſt, à Deo rejiciendi. 361. c. 2
Excommunicari poteſt, qui aptus eſt ſuſcipiendi bona, quibus ſpoliat excommunicatio. 367. c. 2
Angeli non poſſunt excommunicari. 363. c. 1
Excommunicari tantùm poſſunt qui baptiſmum ſuſceperunt. 368. c. 1
Non excommunicantur mortui, ſed tantùm declaratur in vita fuiſſe excommunicator. 368. c. 1

Excommunicationis motiua & materia.

Excommunicationis principale motiuum debet eſſe peccantium emendatio & correctio, aut ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. 369. c. 1
Non fertur ob peccata præterita, ſi fit ab homine. 369. c. 2
Excommunicatio fieri non debet niſi ob graue delictum: eam non incurrit qui non peccauit mortaliter. Vt incurratur oportet eſſe contumacem. 369. c. 1
Excommunicationis materia, nempe peccatum mortale cum contumacia, ſignificatur per grandinem. 307. c. 1
Vt excommunicatio ſit iuſta, requiritur vt crimina ſint notoria: vt feratur inſcriptis: vt præcedant admonitione: ſententia etiam promulganda. 370. c. 2. 371. c. 1

Excommunicationes effectus.

Effectus effuſionis phialæ ſeptimæ, id eſt excommunicationis, non deſcribitur, ſed potiùs id quod impedit talem effectum. 363. c. 1
In excommunicatione multa pertimeſcenda. 371. c. 1
Qui excommunicatur, ſatanæ traditur. 368. c. 2

Quænam alia in ea conſiderantur.

Excommunicatio multos & varios excitat tumultus, & mentis cogitationes. 363. c. 1. & 2
Excommunicatis auxilia multa ad conuerſionem conducentia auferantur, vt ſunt Eccleſiæ ſuffragia. 363. c. 2
Excommunicati per ſuperbiam indurantur, & digni ſunt qui ſuppliciis puniantur, & temporaliter & æternaliter. 365.
Per excommunicationem omnis vita cæleſtis extinguitur. 373. c. 2
Excommunicati fugiendi. 374. c. 1. & 444. c. 2. & 445. Et ab eis diſcedendum.
Excommunicati, à fidelibus derelicti, patent vindictæ diuinæ. 445.
Eorum ſtatus deplorat Deus. 456. male 454.
Propter excommunicationem ciuitates aliquando obruuntur terræ motibus. 373
Quædam ciuitates propter earumdem contumaciam & rebellionem excommunicationis ſubiectæ. 461. c. 2
Excommunicationis effectus enumerantur. 469. c. 1. & 2
Excommunicationis effectus exprimuntur in illis verbis: *Exite de illa populo meus, &c.* 469. c. 1. & 2
Excommunicationem ſummi Pontificis plærumque ſequuntur mora aut confuſio. 636. c. 2
Poſt excommunicationem lutum in rebelles apparebit plenè gloria Chriſti. 597. c. 1
Ezechiæ morbus, morbi cauſa, ſanitas. Quænam illi promiſſa fuere? Pulchra ſigni adimpletionis promiſſorum, per vmbræ ſolis reuerſionem, interpretatio. 422. c. 1. & 2

F

FEMVR poſteritatem & quamdam perpetuitatem deſignat. 625. c. 1
Feſtorum antiquæ ſynagogæ, cum feſtis ab Eccleſia celebratis pulchra collatio. 620. c. 1. & 2
Fides Eccleſiæ fundatur ſuper reuelationem Apoſtolis factam. 59
Fidei profeſſio externa quàm ſit neceſſaria, ex pulchra cuiuſdam gabiniani hiſtoria oſtenditur. 12. c. 1
Fidei profeſſio facienda etiam cum vitæ periculo. 12. c. 1
Fidei decus eſt ſpes in paſſionem Chriſti. 319. c. 2
Fideles duobus ſignaculis eximuntur à diaboli laqueis, Dei præſcientia, & firmo propoſito illos ad gloriam deducendi. 673. c. 2
Fideles in duas claſſes diſtribuuntur: prima eorum qui huius ſeculi ſollicitudinibus detinentur; ſecunda eorum, qui ad actiones ad ſalutem æternam conſequendam ordinantur, occupantur. 252. c. 2
Fideles qui ad ſacras functiones intra Eccleſiam deputantur non exeunt in actum, niſi ſub arbitrio illius qui Eccleſiæ præſidet. 253. c. 1
Fideles pugnant contra diabolum, carnem & mundum 510. c. 2. non deficiunt à ſcopo propter labores 274. c. 1. ſunt orbus tribulationibus ſuperiores. Eorum fortitudo in tolerandis tribulationibus. 264. c. 1
Fideles projiciuntur in lacum magnum iræ Dei, dum pro peccatis multa patiuntur. 260. c. 1
Fideles potiſſimum perſeuerantes intelliguntur per ambulantes ſupra mare vitreum. 274. c. 2
Fideles admonentur ne inopinatè Dominus illis adueniat tanquam fur. 354. c. 1
Fideles laudes Deo dabunt, poſt exciſam Romam ſchiſmaticam. 568. c. 1. & 2
Fidelitatis ſimulachrum quomodo olim Romæ repræſentabatur? 22. c. 1. & 2
Fidelitatem honor ſuſtinet, veritas parit, amor nutrit. 22. c. 2
Filiationis diuinæ tres inſignes fauores excluduntur per characterem beſtiæ, nomen, & numerum nominis. 93. c. 2
Filius maſculus Eccleſiæ, non eſt Chriſtus recenter natus. 56. c. 1
Filius maſculus Eccleſiæ eſt Chriſtus in ſuis membris. 55. c. 2
Non eſt tamen quilibet Fidelis in particulari, licèt pertineat ad hoc Regnum deſignatum, per filium maſculum. 57. c. 1
Filius maſculus eſt autoritas quædam ſuprema, & valde generoſa, ad promouendum Chriſti cultum & obſequium, quæ reſidet in petri ſede. 57. c. 1. & 2
Filius ille maſculus eſt ab Eccleſia productus antequam veniret partus eius; id eſt, antequam omnes, qui ad Chriſti fidem conuertendi ſunt, ad eum accedant. 58. c. 1
Finis vltimus hominis in Deo reponendus. 405
Flebunt impij in obſidione Romæ ſchiſmaticæ, ob timorem ſimilis inuaſionis ab Anti-Chriſti ſatellitibus. 473. c. 2
Fons prope Edimburgum, optimum Eleemoſynæ ſymbolum. 116. c. 1
Fænus pecuniæ eſt funus animæ. 116. c. 1
Fomitis corruptio non impedit quominus homo non poſſit reprimere inordinatos motus ſenſualitatis. 304. c. 1
Per Fornicationem in ſcriptura Idololatria innuitur. 459. c. 2
Fortitudinis neceſſitas ad ſponſæ præparationem. 578. c. 2. & 579. c. 1
Neceſſaria ad tentationes vincendas, Ibid.
Eius definitio ſeu deſcriptio. Ibid.
Framea bis acuta, ſermo Domini. 194. c. 2
S. Franciſcus voluit ſuum ordinem immediatè eſſe ſubiectum ſummo Pontifici. 245.
Frigiditas ex fragilitate humana excuſari poteſt: & quænam illa ſit? 362. c. 2
Fulgura in pluuiam facere ſignum omnipotentiæ Dei. 369. c. 2
Fulgura aliquando grando ſequitur propter frigus. 369. c. 2
Fumus denotat excæcationem infidelium. 285. c. 2
Fumus implet templum: quia malæ actiones impiorum impediunt quo minus gloria Dei videatur in permiſſione malorum. 286. c. 2
Fumus tormentorum denotat Dei gloriam ex ſuppliciis damnatorum, vel ſuſpiria ipſorum, vel tenebroſitas tormentorum. 220. c. 2
Fumus incendij Babylonis myſticæ aſcendet in ſecula ſeculorum: quia eius ſupplicium erit æternum. 465.
Fumus huius incendij eſt ſymbolum fætidarum blaſphemiarum, quas euomunt reprobi in inferno. 521. c. 2
Futurorum cognitio quibuſdam conceditur. 32. c. 1
Futuritio alicuius effectus naturalis cognoſcitur, ex cognitione cauſarum creaturatum, conjecturaliter. 32. c. 1
Futuritio effectus cauſæ liberæ à ſolo Deo cognoſcitur. 32
Futuritio effectus ſupernaturalis cognoſci non poteſt abſque reuelatione. 32. c. 1
Futuritionem rei, quæ naturaliter cognoſci non poteſt, quomodo Deus reuerer? 32. c. 1
Futura quæ non habent cauſam co-

Digitized by Google

gnitam aut cognoſcibilem naturaliter, nec ſignum proportionatum, à nullo intellectu creato cognoſci poteſt. 32
Res Futura, ſi captum dæmonis ſuperet, non poteſt per aliquod ſignum à dæmone aſſumptum prædici. 32
Res Futura per quaſcumque vias & media à Deo aſſumpta poſſunt prædici. 32. c. 2
Futura prænoſci poſſunt ex memoria præteritorum & conſideratione præſentium. 463
Futuritio nihil detrahit de veritate rei. 584. c. 2
Futurorum cognitio non competit puræ creaturæ. 584. c. 2
Futura cognoſcens per reuelationem aliquo ſpeciali honore dignus eſt. 583 c. 1
Futurorum cognitio ſecundum ſe abſtrahit à dignitate cuiuſlibet creaturæ, & dependet à gratuita Dei voluntate. 595. c. 1
Futurorum cognitio, vt à Deo datur, eo fine vt hominibus manifeſtetur, pertinet potiùs ad Angelos. 595 c. 1
Quia ſuo modo S. Ioannes accipiebat Futurorum cognitionem, ſicut Angelus ſuo accipiebat modo, ideo in hoc erant conſerui & æquales: & hac de cauſa Angelus non admittebat Ioannis adorationem. 595. c. 2

G

SICVT S. Gabriel annunciauit primum Chriſti aduentum, ita ad eum pertinet annunciare ſecundum aduentum formidabilem. 497. c. 2. & 475. c. 1
Gallia refugium fuit ſummorum Pontificum, vt fatetur etiam gelaſius papa 465 c. 1. Fortè etiam erit locus, in quo, tempore Anti-Chriſti, ſummus Pontifex ſecedit. 701 c 1
Gebal interpretatur vallis vana j. peccati obiectio. 474. c. 2. & 475. c. 1
Gehennæ locus deſcribitur, in quo diuerſa ſuppliciorum genera. 210. c. 2
In omnibus Gentibus debent eſſe qui oderint, & qui non oderint. 32. c. 2
Gladium habet Chriſtus in ore vt impetret ſupremus Eccleſiæ Paſtor: in manu, vt imperata perficiat. 187
Cur Gladius iſte falx dicitur? Ibid.
Gloria mundi quaſi fœnum. 217. c. 1
Gloriæ quæ Deo prouenit ex beatificatione electorum, quin & de humanitatis Chriſti glorificatione cognitio magnam electis, & animæ Chriſti lætitiam ingerit. 606
Glorificatio Dei duplex, altera per concionandi ſapientiam, altera per vitæ integerrimæ ſanctitatem. 320. c. 1
Gloria inanis, vitium capitale. 141. c 2
Gloria inanis, appetitus vitioſus, ſi pro eo quod non eſt, aut re non digna approbatione vel ad alium finem quam Dei honorem aut proximi vtilitatem, aut ſi eam ab hominibus non à Deo appetamus 148. c. 1 contra Deum pugnat. 149. c. 1
Qui Gloriam pro gratia, quam accepit, captat, fur eſt & latro. 149. c 1
Gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 149. c. 1
Qui ſectatur inanem Gloriam, non habet cum primo concordiam per pertinacem diſcordiam, non cum ſuperioribus, non cum æqualibus, non cum inferioribus. 149. c. 2
Gloria inanis nocet ſectatori, cæcitatem mentis & maculam inducit. 150. c. 1. & 2
Inanis Gloriæ motionibus & ſuggeſtionibus quomodo reſpondendum? 151. c. 1
Qui ſuam non Dei Gloriam aucupant, rejiciuntur. 180. c. 1
Per Gog & Magog intelligendi vniuerſitas malorum, in quatuor orbis partibus degentium. 695. c. 2
Quæ de Gog & Magog dicit Ezechiel, ſunt intelligenda de vltima Anti-Chriſti perſecutione. 695. c. 2
Gog aliquando pro particulari aliqua perſona ſumitur, aliquando pro populo aut natione 696. c. 1. Sumitur pro Anti-Chriſto 696. c. 1. De eo ſub hoc nomine Prophetat Ezechiel. Ibid.
Cum Gog nationem ſignificat, intelligenda eſt gens Iudaica. 699
Gog ſignificat tectum, ſub quo Anti-Chriſtus tegetur: Magog, de tecto j. gentes cæteræ, quæ ei adhærebant. 699. c 2
Dicere Gog eſſe principem capitis Moſoch, & Thubal, idem eſt ac ſi diceretur eſſe principem imperij tum orientis, tum occidentis. 700
Gog ſepultura ſignificat obliuionem omnium malorum, quæ ab exercitu Anti-Chriſti & ab eo Eccleſia illata fuerunt. 702. c. 1
Sub nomine Gog, exercitus Anti-Chriſti deſignatur & ſub hoc nomine Anti-Chriſtus ſepeliri dicitur. 702 c. 1
Gratia Dei nos redemit ſub peccato venundatos. 197. c. 2
Gratia Dei quibus vacua non eſt? 209. c. 1
Gratia à verbo incarnato profluens, per exteriora ſenſibilia in nos deducitur. 342. c. 1
Gratiæ Dei adiutorium qui negat ad non peccandum, eſt Anathematizandus. 577. c. 1
Gratiæ Dei neceſſitas ad inchoandum opus, vt ad Deum peruenire poſſimus. 193. c. 1
In ſtatu Gratiæ cum Deo familiariter colloqui poſſumus. 9. c. 1
Gratia Dei ad proficiendum in virtute impellit. 624. c. 1
Gratiæ Dei donum neceſſarium, vt Eccleſia ſe præparet, cum dicitur illi c. 19. *Et datum eſt illi &c.*
Gratiæ & gloriæ, Deus diſtributor. 625. c. 1
Gratiarum actiones 24. ſeniorum optimè conueniunt cum motiuo quintæ adorationis. 558. c. 1
Grando Dei vindictam deſignat. 365
Gubernatores, qui lugent in deſtructione ciuitatis Romanæ ſchiſmaticæ, non ſunt ad literam intelligendi pro gubernatoribus nauium. Intelliguntur ad literam in deſtructione tyri aut Babylonis antiquæ. 486. & 387. c. 1
Gubernatores myſtici ſunt Patriarchæ, archiepiſcopi, Epiſcopi. 488. c. 1
De Gulæ vitio 136. c. 2. Quomodo eſt capitale? 137. c. 1. Habet quinque filias. Ibid.
Guloſus non habet cum Deo concinnitatem, & militat contra Dei Dominationem. 137. c. 1. & 2
Gulæ effectus generalis eſt obliuio operum, & benefactorum Dei. 137. c. 2
Guloſi, Bacchi ſacerdotes. 138. c. 1.
Quænam mala ex gula proueniant? Ibid.
Guloſus ita diſſentit cum proximo, vt etiam antequam concipiatur, ſit illi nocuus. 138. c. 1
Guloſus ſibi ipſi nocet 138. hydra multorum capitum, hominem reddit dæmoni ſimilem: eius viſcera crudelia. 138. c. 2
Guloſus turpi macula fœdatur. 139. c. 1. & 140. c. 1
Gulæ immunditia. 141. c. 1
Guloſi diformitas deſcribitur, dum ſimilia dicitur tribus auibus, Laro, Onotrotalo, & Porphyrioni. 141. c. 1. Vide ebrietas.
Guſtatus quid ſit in Angelis. 51. c. 2

H

HENRICVS tertius imperator hæreſis inſimulatur à quodam hiſtorico, quia propter nefanda & turpia plures Epiſcopatus contulit. 481. c. 2
Hæretici non conuertunt ad fidem infideles ſed eos decipiunt. 24. & 25. c. 1
Hæretici ſimiles perdicibus congregantibus pullos, quos non pepererunt. 25. c. 1
Hæretici vt torrentes, diu ſtare non poſſunt. 37. c. 1
Hæreſiarchæ plærumque moribus corrupti, & ſuperbia pleni. 461. c. 2
Hæretici non dicuntur omnem faciem terræ replere, vt Eccleſiæ quia alij ſunt hic, alij alibi; & ſectæ ſunt diuerſæ, quos vna mater ſuperbia genuit. 38. c. 2
Apud Hæreticos nulla vera vaticinia. 31. c. 1
Hæretici non habentes ſucceſſionem, & ordinationem, non habent veram Eccleſiam. 39. c. 2
Hæreticis fortiter obſiſtendum. 74. c. 2. & 75. c. 1
Hæreticorum progreſſus, ad inſtar Anti-Chriſti erit in hypocriſim, legum contemptum, cædes & homicidia. 153. c. 1
Hæretici per beſtiam è terra aſcendentem ſignificantur: ex ticonio agni imitantur ſimilitudinem, habentes duo cornua, j. duo teſtamenta: de Eccleſia recedunt. 18. c. 2
Hæreticorum in ſacerdotes odium & crudelitas. 311
Apud Hæreticos nulla eſt fixa de Euchariſtia ſententia. 312. c. 2
Hæreticia, ſectas inter ſe contrarias facientes, ſemetipſos ſuis linguis infeſtant. 336
Hæreticorum doctrina horrida & ſordida. 404
Hæreſes ſunt tanquam flumen, quia non ſunt verum flumen ſanæ doctrinæ. 84. c. 1
Hæreſis ſuſpicionem incurrit, qui dignitates ſpirituales vendit. 481. c. 2
Hæreſis adinuentio per poculum aureum denotatur. 403. c. 2. & 404. c. 1
Hæreſes admittuntur, & recipiuntur tantùm à terrenis hominibus. 84. c. 1
Heraclius Imperator, ob familiare colloquium cum hæretico patriarcha iacobitarum, in hæreſim lapſus eſt. 233
Hierarchia Eccleſiaſtica eſt diuinitus conſtituta. 7. c. 2
Si Deus in creatione Hominis eſt mirabilis, multò admirabilior videtur, dum hominem euehit ad gratiæ participationem. 617. c. 2
Homo ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem per aliqua ſupernaturalia

Digitized by Google

809

naturalia principia, ſicut ordinatur ad finem connaturalem per principia naturalia. 577.c.2
Hominum minoratio ab Angelis non impedit quominus ſummo bono fruantor. 617. c. 1
Cum Deo omnia obediant, non debet homo ſe ſubtrahere ab eius obſequio. 547. c. 2
Homini quomodo omnia ſubjiciuntur 617. c. 2
Homines donis gratiæ adaucti, ſunt opera cælis ipſis ornatiora, & pulchriora. 618. c. 1
Homines eleuari ad excellentiſſimam donorum cæleſtium participationem ſignum magnum & mirabile. 268. c. 2
Homo virtute præditus dicitur totùs anima, carnaliter viuens totus caro. 304.c.2
Homines non debent in laboribus & doloribus triſtari, quia Deum habent adiutorem. 89. c. 1
Homo duobus modis debet laudare Deum ob accepta beneficia. 619. c. 2. & 620. c. 1
Homines, in quantum intellectuales, per ſolem deſignantur. 325. c. 2
Hominum libertas agnoſcitur: quia poſſunt ſibi præfigere aliquid pro fine vltimo. 336. c. 2
Homines ab hominibus gubernari, naturæ conſentaneum. 588. c. 1
Homines arbitrio ſuo abutentes ſunt ſedes beſtiæ 336. c. 2. quomodo à fine ſuo auertantur? 87
Hominum ſuperbia agnoſcitur: quod ſeipſos pro fine vltimo conſtituunt, & ad ſe omnia referunt. 337. c. 1
Quam perniciosa ſit hac ſuperbia? Ibid.
Homines vellent peccare, & concupitis frui, & minimè puniri. 329.c.2
Hominum ſtupiditas, qui Deum non audiunt. 622.c.1
Homines tres hoſtes habent debellandos. 189. c. 2
Homines multis animalibus aſſimilantur. 618. c. 1
Hominum mens & voluntas ab impietate conculcari, res lacrimis proſequenda, plus quam videri Menſadarij pedibus Alexandri proſterni. 404.
Homo in triplici voluptate potiſſimum conquieſcit, quibus facile adhæret erroribus; in voluptate carnis, in quadam independentia in ſuperba quadam dominandi in alios appetitione. ibid.
Homines peruerſi & reprobi quomodo per beſtias ritè deſignantur? 105. c. 1. & 2
Homo, præter turpitudinem peccati, contrahit maculam per adhæſionem ad creaturas. 112. c. 2
Homines terrena amantes facilè decipiuntur à magis & præſtigiatoribus. 155. c. 1
Quod Deus homines peccatores punit pœnis æternis res ſtupenda, cum illi tam chari exiſtant.
Homicidia quomodo intendi poſſunt. 130. malè. 132
Humanitas verbi admirabile reddit nomen Dei ſuper terram. 617. c. 2
Humanitas Chriſti exaltata ſupra omnia opera naturæ. 618. c. 1
Hypocritæ per beſtiam è terra aſcendentem deſignantur. 180. c. 2
Hypocriſis peruerſitas deſcribitur. 403. c. 1

I

IABIR I interpretatio intelligens, & deſignat Anti-Chriſtum & dæmonem. 567. c. 2
In Iacob Patriarcha cernitur Deum ſuorum non obliuiſci. 619.c.2
Iacob fit Iſrael Deum videns. 624.c.2
ιεσιχω legendum pro χυμέχω, in epiſtola conſtantini. 234. c. 2
Ianſeniſtæ inter Catholicos degentes, impudenter audent hæreticas prauitates conſectari. 400.c.1
Idea mulieris & Draconis. 15. c. 2. & 16. c. 1. & 2
Idea ſymbolorum cap. decimi quarti. 189. & 190. & decimi quinti. 266.
Idola ſingula ſingulos ritus & locos ac limites habuerunt, nec proximos limites tranſcendunt. Solus Chriſtus apud omnes vnus & idem vbique adoratur. 29. c. 1
Idololatria olim introducta ex honore quem vel mortuis, vel longe abſentibus exhibere volebant. 409. c. 2
Idumea ſignificat ſanguineos. 474.c.1
Ignis inferni optima deſcriptio. 220. c. 1
Propter eius perennitatem ſolphure nutriri dicitur. Ibid. vel quia ſicut ſulphur eſt propria materia ignis, ita peccata ſunt propria materia ignis æterni. ibid.
Ignis in inferno cum ſulphure, ad indicandum, quòd nihil ita actiuum eſt ad pœnam infligendam, nec aliquid pœnæ ſuſceptiuum, quod non reperiatur in inferno. 220. c. 1
Ignis inferni, lacus iræ magni Dei. Item ignis purgatorius. 262. c. 2
Imago beſtiæ quomodo loquatur? 178. c. 1
Quid ſit facere imaginem beſtiæ. 181. c. 1
Non erit mirum ſi imago beſtiæ loquatur quia iam diabolus in idolis loquutus eſt. 181. c. 2
Imperatores Valentinianus & Marcianus cauſas Eccleſiaſticas ad Epiſcopos remiſerunt. 234.c.2
Imperatorum Occidentalium anni numerari incipiunt à die coronationis ipſorum per ſummum Pontificem. 237.
Imperatores Deus voluit prodeſſe de peccatoribus, non piſcatores de Imperatoribus. 293.c.1. Sunt etiam oues gregis. 615. c. 1
Imperatoria dignitas, luminare minus; Pontificalis, luminare maius. 635. c. 1
Imperio nocuit quòd Iuſtinianus curioſius quàm par fuiſſet, de rebus facti determinare auderet. 233. c. 2
Impœnitentia finalis quomodo contrahitur? 304. c. 1
Impietatis progreſſus. 180. c. 1
Impietas fixa & immobilis in mente, cauſa eſt conſumptionis peccatorum. 387. c. 2
Impietas ſedet ſupra peccata, quaſi ſupra amphoram, id eſt, menſuram aliquam delictorum. 388. c. 1
Impietatis dominium in omnes homines. 591. c. 2. & 592. c. 1
Impietas & iniquitas tanto ſunt nocentiores, quantò ſublimioris dignitatis ſunt quos inficiunt. 592.c.2
Impietas plerumque in principalioribus dominatur; quo fit vt inferiores iniquitate oppleantur. 598. c. 2
Impietas per mulierem deſignatur, vt illius fatuitatem concipiamus. 401. c. 2
Impietas per meretricis mores deſcribitur. 401. & 402. c. 1
Impietas duobus modis ſeducit, ſimulata ſanctitate, & cupiditate gloriæ. 403. c. 1
Impij optimè deſcribuntur. 86. c. 2
Impij nudi ambulant: eorum turpitudo in iudicio videbitur. 352. c. 1
Impij dormiunt, dum in voluptatibus requieſcunt & nolunt prouidere mala quæ ſubſequuntur. 352. c. 1
Impiorum à Deo auertantur, miſerrimos ſtatus. 356. c. 2
Impij fiunt habitatio dæmoniorum, & dicuntur cuſtodia dæmonum; quia extra eos graſſari non permittuntur. 457. c. 2
Impij dicuntur habitatio volucrum immundarum, propter ſuperbiam. 457. c. 2
Impij priuantur bonis temporalibus & delectabilibus, ob eorumdem abuſum. 485
Propter Incarnationem, Angeli non nos deſpiciant 614. c. 2. Quænam bona ex ea prodeuiant? 404. c. 2
Inceſti nocumenta. 127. c. 2
Inclinatio praua, per purpuram & coccinũ deſignatur; per purpuram, quia regnat; per coccinum, propter amorem carnalem, & crudelitatem. 402. c. 2
Indignatio in Deo non ratione principalis ſignati, ſed ratione alicuius adiuncti. 365. c. 2
Indulgentiæ theſaurus, qua ratione repletur? 188. c. 2
Indulgentiarum pulchrum & aptum ſymbolum. 260. c. 1. & 2
Inimici Domini pereunt vt fumus. 216. c. 2
Intellectus humanus non poteſt ipſam veritatem intelligibilem nudam capere. 594. c. 1
Intellectus hominis, qui noluit per res viſibiles ad Dei cognitionem ſeſe euehere, cogitur ſe ſubdere in obſequium fidei proponentis myſteria incredibilia, vt ad Dei cognitionem perueniat. 261
Intelligentia eſt veluti ſol interiora hominis colluſtrans. 328.c.1
Intentio noſtra diligenter eſt examinanda: & qua ratione ſit lucida? 337. c. 1
Inueſtitura beneficiorum tolerata aliquando principibus ſecularibus, ſed ablata ab Eccleſia propter ſimoniæ crimen. 481. c. 2
Quid ſit inuidia, quando peccatum mortale, & quomodo vitium capitale. 119. c. 2
Inuidiæ turpitudo conjicienda ex actibus. 119
Inuidia contra Deum tribus modis militat. 119. quia triſtatur de bono proximi, quia exultat de malo. 120. quia odio proximum proſequitur. Ibid. c. 2
Inuidia odio turpior nunquam laudabilis. 120. c. 2
Malignitatis inuidiæ pulchra ex Baſilio deſcriptio. 120. c. 2. & 121. c. 1
Inuidiæ fœcunda pernicies, radix omnium malorum. 121. c. 1
Inuidia nullam cum proximo ſeruat conciunitatem. 121. c.2

Digitized by Google

Inuidia rumpit naturæ nexus familiaritatis, & conuerſationis. 121. c. 2

Inuidia, amicitiæ iura violat. 122. c. 1

Inuidiæ malignitas apparuit ex inuidia, quam Iudæi habuerunt erga Chriſtum. 122. c. 2

Inuidiæ effectus, maledicentia, & odium implacabile. 122. c. 2

Malum Inuidiæ non habet terminum. 125. c. 2

Inuidiæ mala. 336. c. 2

Contra Inuidiam remedium. 123

Inuidi conuerſatio multa habet incommoda. 121

Inuidus, beneficiis deuinciri non poteſt. 122. c. 1

Inuidus quod ex ſe amabile eſt, abſque cauſa odio proſequitur. 122. c. 1

Inuidus, etſi miracula patraret Virginitatem ſeruaret, adultero, ſcortatore, prædone, & ſacrilego iniquior. 122. c. 2

Inuidus ſibi ipſi contrarius. 123. c. 1

Satius eſſet Inuido ſerpentem in pectore habere, quam inuidiam. 123. c. 1

Inuidi facies exterior turpis. 123. c. 1

Inuidiæ maculam contrahit, quia rebus ſibi inferioribus inhæret. 123. c. 1

S. Ioannes Baptiſta Angelus aquarum dici poteſt. 311. c. 2

S. Ioannes Baptiſta inſurgit in eos, qui media ad ſanctificationem ordinata contemnunt. 311. c. 2

S. Ioannis admiratio qualis fuerit, & quanam de cauſa? 407. c. 2

S. Ioannes paucis ſymbolis & verbis ſenſus magnos occultat. 108. c. 2

Quamuis S. Ioannes eiſdem formulis loquendi vtatur, quibus vſi ſunt Prophetæ prædicentes ruinam Babylonis aut Tyri, aut Ægypti, non tamen de eis loquitur, ſed de Roma ſchiſmatica. 448. c. 1

S. Ioannes quædam per ſemetipſum exponit, per quæ conjicere poſſumus quomodo alia ſunt exponenda. 478. c. 1

Quibus motiuis S. Ioannes inductus fuit, vt Angelum vellet adorare? 585. c. 1

S. Ioannes à Deo fuit deſtinatus, vt annunciaret Eccleſiæ omnes euentus in Eccleſia futuros. 591. & 593. c. 1

Ioannes Papa octauus viſitat per duos Epiſcopos Eccleſiam Conſtantinopolitanam. 242. c. 1

Ioſeph Barſaba cognominatus iuſtus, vt ſciamus non fuiſſe excluſum à Deo defectu probitatis, ſed quia Deus ſciebat quis futurus eſſet Eccleſiæ vtilior, aut Mathias, aut ipſe Ioſeph. 144.

In Ioſeph teſtimonium afflictionis populi Dei, eiuſque liberationis. 621. c. 1

Ioſias licèt pius, figura fuit hominis qui anathemate percutitur propter ſuam peruicaciam quia contendere contra Deum viſus eſt, dum perrexit vt dimicaret contra Nechao. 360. c. 1

Ira ex ſua ſpecie neque laudabilis, neque vituperanda. 129. malè. 131

Ira quando vitioſa & peccatum mortale? Leuius peccatum quàm inuidia & concupiſcentia 129. malè. 131. c. 1

Ira nullam habet cum Deo conuenientiam. 129. malè. 131. c. 2

Ira habet quandam excellentiam in modo, propter motus velocitatem. Ibid.

Ira ex ſuo impetu commouendo animas in blaſphemias, nullam habet cum Deo conuenientiam 131. malè. 132

Ira, momentanea inſania. 131. c. 1

Iratus cum ſemetipſo nullam habet concinnitatem. 131. c. 1

Iraſcens ſine cauſa virtutis ſplendorem amittit, ſtulto aſſimilatur, camelo animali iracundiſſimo; diaboli imitatur nequitiam. 131. c. 1

Iracundi, vaſa iniquitatis 131. c. 2. contra iram remedia. 132. c. 1

Iſaiæ locus explicatur. 492. & 493. & 494

Iſaac Monachus ad martyrium ſeſe obtulit inſtinctu Spiritus ſancti, cuius martyrij viſio & reuelatio data fuit. 74

Iſmaelitæ ſignificant obedientes ſibi, ſequentes cogitationes ſuas. 474

Iudæi mortem Chriſto inferre volentes, dæmonem imitabantur. 666. c. 1. & 2

De Iudiciorum Dei æquitate gaudent tam ſancti in gloria, quàm ſancti viatores. 489. c. 2

Iudicium datum ſanctis & paſtoribus, in cap. 20. non eſt in finali iudicio, ſed in præſenti ſeculo. 674

Iudiciaria poteſtas Eccleſiæ ad tria extenditur, ad bonos mores, ad pacem & concordiam inter fideles, ad ea quæ ad Dei cultum pertinent, v. g. myſteria, & ſacramenta. 351. c. 1

Iudicia ſacerdotum ſunt Dei iudicia. 285. c. 2

Iudicia Eccleſiæ, homines æſtu, & igne afficiunt. 324

Iudicij vltimi dies, hora incerta. 215

Nullus à Iudicio & reſurrectione eximetur. 706. c. 2

Iudicij vltimi proceſſus. 705. c. 1. & 2

Iudicium Dei horrendum in eos, qui acceptâ eius notitiâ, illum offendere audent. 312. c. 2

Iudicij timor optimus ad auertendos homines à carnis voluptatibus. 214. c. 1. & 215. c. 1

Verus Iudex eſt amator fraternitatis, dum vnicuique tribuit quod ſuum eſt. 350. c. 2

Ob Iudicia ſua Deus laudandus. 313

Iuſtus iudex ſaluat hærentes Domino à malorum perſecutione. 350

Optimi Iudicis qualitates exprimuntur in his verbis: *Sanctus & verus.* 350. c. 2

Iuriſdictionis interioris & exterioris diſtinctio ſignificatur in diſtinctione Angeli ſedentis, habentis falcem acutam in manu, & Angeli exeuntis & habentis falcem acutam, & non in manu. 251

Iuriſdictionis interioris poteſtas & actus pendet ab exteriore. 252. c. 1

Iuſtitiæ definitio 356. c. 1. Eius fructus. Ibid.

Iuſtitiæ opus ſua cuique tribuere. 580. c. 2

Iuſtitia Dei, ſummâ ſapientiâ, & clarâ rerum omnium cognitione dirigitur. 600. c. 2

Iuſtitia dilectionem Dei & proximi ſeruat. 579. c. 2

Iuſtitia, vniuerſalis virtus. Ibid.

Quid ſit Implere omnem iuſtitiam? 580. c. 1

Iuſtitiæ fundamentum, fides. 580. c. 2

Iuſtitiæ diuinæ ſeueritas perſpicitur, quòd Deus ad delenda peccata proprio filio non pepercit. 257. c. 1

Iuſtitiæ diuinæ æquitatem ſcriptura per iracundiam ſignificat. 365. c. 2

Iuſtitiæ flumen deſiccatur, dum mali ex iudiciis Eccleſiaſticis peiores fiunt per contumaciam. 306. c. 1. & 2

Iuſtitia reddit Eccleſiam ab hoſtibus tutam. 357. c. 1

Iuſtitiæ contemptus omnia confuſa reddit in Eccleſia. 355. c. 1

Iuſtitia per byſſinum ſignificatur. 579. c. 2

Iuſtificationes deſiderandæ. 560. c. 1

Qui Iuſtus dici poſſit? 580. c. 2

Iuſtus eſt in quo Deus manet per cognitionem & amorem. 404. c. 2

Iuſtus etiam difficiliora aggreditur, vt Deo obediat. 405. c. 2

Iuſtus Deum habet pro vltimo fine. 405. c. 2

Iuſtus ex fide viuit ſibi inhærente. 301. c. 1

Iuſtorum ſemita ſplendens. 345. c. 1

Iuſti, equi in quibus Chriſtus ſedet. Ibid.

L

LACRYMÆ impiorum, non ſunt propter peccatum, ſed quia priuantur bonis in quibus luxuriantur, & ob timorem pœnæ. 477. c. 1

Hinc dicuntur plangere ſe quia non alienam deflent miſeriam, ſed propriam. 477

Lacus iræ Dei calcatus extra ciuitatem, ſignificat Chriſti paſſionem. 188

Lacus magnus iræ Dei, decretum, quo ſtatuit homines peccatores variis pœnis eſſe plectendos. 258. c. 1

Laci calcario pertinet ad aliquam pœnam pro peccato inflictam, ſiue æternam, ſiue temporalem. 259. c. 2

Lapis mundus Chriſtus, ſanitas; fortitudo. 282. c. 2

Lapis praſinus cæleſtium rerum ſymbolum; carbunculus, regiæ poteſtatis inſigne. 350

In Latitudine ambulat qui decem præcepta adimplet, in longitudine qui perſeuerat in labore, quod ſignificatur in longitudine decem cubitorum porticus, & latitudine decem cubitorum. 387. c. 2

Laus Dei actus diuinæ contemplationis. 563. c. 2

Iuſto Eccleſiæ præcepto ad Dei laudes decantandas obligamur. 563. c. 2

Laudes Dei præſcribuntur, vel à ſcripturis, vel à conciliis vel à ſummo Pontifice. 564

Ad Laudes Dei cantandas ſeptem horæ in die aſſignantur. 565. c. 1

Quibus de cauſis iſta diſtinctio ſeptem horarum præſcribitur? 565. c. 1

Aliæ ibidem cauſæ laudandi Deum aſſignantur. Laudes Dei ſunt vltimus actus exercitiorum vitæ contemplatiuæ. 566. c. 1

Modus Capucinorum, cantandi laudes Dei accedit ad modum antiquum Eccleſiæ. 564. c. 1

Laudem Deo reddent ſancti, cum nouerint Anti-Chriſtum interimendum. 566. c. 1

Laudandus Deus cum punit malos. 566. c. 2

Laudandi Deum duo motiua: primum ob diuinam omnipotentiam. 569. & 570

Secundum, quia venerunt nuptiæ agni, vt ſponſo Eccleſiæ coniungatur inſeparabiliter. 579. c. 2

Laudandi Deum copioſa materia, poſt euerſionem ciuitatis ſchiſmaticæ. 570. c. 2

Dei Laudes pſallere, aut ſacram ſcripturam legere publico ritu non licet, niſi iis qui de hac re autoritatem habent ab Eccleſia. 196. c. 1
Lectorum ordinatio ex concilio Carthaginenſi. 196. c. 2
Legati ſummi Pontificis honorificè excipiuntur à Iuſtino Imperatore. 239. c. 1
Leo primum de animalibus tribuit arma paſtoribus, & quibus de cauſis? 282. c. 2
In bono Legiſlatore duo requiruntur, vt ferat leges bonas, & habeat poteſtatem. 335. c. 1
Leges non debent excedere poteſtatem eas ferentis. 343. c. 1
Lex eſt quædam ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata. 340. c. 2
Lex naturalis aliquando deletur de cordibus hominum. 343. c. 1
Lex ſcripta quomodo corrigit legem naturalem. 343. c. 1
Præter Legem naturalem & humanam; lex quædam diuina eſt neceſſaria, vt in finem ſupernaturalem dirigamur. 341. c. 1
Lex diuina infallibiliter oſtendit quid agendum, & quid vitandum. 341. c. 1
Legis diuinæ quatuor cauſæ. 341. c. 1
Legis diuinæ quantæ ſint vtilitates, & quanta neceſſitas? 342. c. 1
Lex Dei ſcripta in cordibus, per præſentiam Spiritus ſancti. 341 c. 2
Lex Domini bona eſt: quamuis habeat plura præcepta, ad vnum tamùm referuntur. 347. c. 1
Lex vetus data eſt per Angelos veros & myſticos. 341. c. 2
Lex gratiæ tollit difficultates circa opera virtutum. 341. c. 2
Lex noua eſt gratia Spiritus ſancti. 342. c. 2
Per hanc Legem Chriſti regnum viſibile erigitur & promouetur. 341. c. 2
Leges Chriſti auſteræ ſunt iis qui libertatem vitæ concupiſcunt. 347. c. 1
Præter Legem naturalem, humanam, & diuinam Euangelicam ad directionem hominum, adhuc neceſſaria ſunt ſingularia quædam paſtorum præcepta. 342. c. 2
Lex deducens hominem ad id quod eſt rationi conſonum, rectè poteſt dici principium pulchritudinis. 335. c. 1
Legum obſeruantia fidelis perſeuerantiam inducit. 335. c. 1
Legibus obedientes facilè ad cælum perueniunt. 344. c. 1
Lex arguit nos de peccato. 309. c. 2
Legem Euangelicam audientes Rei ſunt, ſi eam rejiciunt. 309. c. 2
Qui ſine Lege peccant, ſine lege peribunt. 310. c. 1
Legum contemptus, eſt legiſlatoris contumelia. 347. c. 1
Legi diuinæ contradicentes grauiùs peccant quàm qui ex infirmitate illam non implent. 310. c. 1
Legum condendarum poteſtas data Eccleſia, in Epiſcopo Sardenſi deſignatur. 334. c. 2. 335. c. 1
Probabile eſt Leges Eccleſiaſticas à Iuſtiniano latas ſub eius nomine, fuiſſe ex conſenſu Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, vt maiorem haberent pro executione autoritatem. 234. c. 1
Leges maximè dandæ fuerunt in actu generationis, ne in luxuriæ fœditatem incidamus. 125. c. 1
Lex præcipua eſt ſocietatis, quam Deus optat obſeruari. 125. c. 1
Leges peſſimæ, veræ imagines animæ in malis obduratæ. 176. c. 1
Legum peſſimarum exempla in elatis, hypocritis, inuidis, odio contra proximum accenſis. 176. c. 1. & 2
Leges compotantium irridendæ. 177. c. 2
Liber vitæ quiſnam ſit? 159. c. 2
Liberalitas hominem Deo reddit ſimillimum. 115. c. 2
Libidinis turpitudo. 127. c. 2
De Libris qui aperientur in die iudicij. 705. & 706.
Linguam comedere eſt bona præſentia pro ſumma felicitate poſſidere & laudare, vel doloris ſui oſtendere magnitudinem. 335. c. 2
Vel quia hæretici ſinguli ſingulorum errores reprehendunt, vel quia blaſphemant contra conuictiones errorum ſuorum, à Catholicis prodeuntes. 336. c. 1
Linguam ſuam manducare, eſt in verbo detractorio delectari. 336. c. 1
Linguarum manducatio eſt repreſſio edictorum perſecutionis, quod nihil proficerent; vel ſilentium de Chriſti diuinitate, ob vehementem rabiem. 336. c. 2
Locus congruus vnicuique rei tribuitur. 676. c. 2
Locus paratus Eccleſiæ in deſerto, eſt ipſe Deus, & pacatiſſimum in Deo refugium. 59. c. 1. & 2
Quomodo loquatur imago beſtiæ? 178. c. 1. vt habeamus lumen perfectum, oportet audire & credere. 337. c. 2
Luxuria quomodo inter capitalia vitia numeratur? 124. c. 1
Luxuria quanta generet mala? Ibid.
Luxuria nullam habet cum Deo concinnitatem. 124. c. 1
Dei ſapientiam, & ſapientiſſimam eius ordinationem de amore ſocietatis impugnat. 125. c. 1
Luxurioſus nullam habet cum proximo concinnitatem. 127. c. 2
Luxurioſus nullam habet cum ſeipſo concinnitatem: nocet animæ & corpori. Ibidem
Luxuria diſſipat omnem ſubſtantiam. 128. c. 1
Luxurioſus nullum habet virtutis ſplendorem, variiſque modis deprimit rationis ſplendorem, maculamque fœdiſſimam inducit. 128. c. 1. & 2
Luxuriantium ſuperbia in tribus cernitur. 403. c. 2

M

MAGIA habuit duo cornua Agni, duos nempe Magos Iamnes & Mambres, qui reſtiterunt Moyſi facientes ſimilia virtuti veri agni. 181. c. 2
Megia vis, per beſtiam è terra aſcendentem ſignificatur. 181. c. 1. & 2
Mahumeticum imperium, ſextum caput beſtiæ. 417. c. 1
Maledictionem diuinam quænam inducunt. 374. c. 2
Maledictio tremenſis, id eſt Adæ, eſt fomes peccati. 399. c. 1
Malitiæ quidam gradus datur, quem ſi anima attigerit, videtur poſita in ſtatu in quo ſit incapax remiſſionis peccatorum vt eſt peccatum in Spiritum ſanctum. 95. c. 1
Malitia cordis humani patet ex contradictione legibus & præceptis Eccleſiæ. 317. c. 1
Mali peccata ſua non cognoſcunt. 173.
Qua ratione Mali in Eccleſia, dici poſſunt ſancti? 21. c. 2
Mali quomodo mortem contemnant? primò quia non recordantur finis ſui: ſecundò deſperatione futurorum bonorum, præſentibus bonis nimium inhærentes. 174. c. 1. & 2
Malorũ collectio in ſeptem regnans, per poteſtates quaſdam inferiores regnum Chriſti euertere conantur. 377. c. 1
Malorum collectio fruſtratur ſua intentione quia quò plus opprimere voluit fideles, eo magis multiplicati fuerunt. 377. c. 1
Quomodo Mala duplicantur malis à iuſtis, & iuſtis à malis. 470
A Malis incipit S. Ioannes narrare animi motus in ruina Babylonis myſticæ, quia ipſi ruinæ cauſam dederunt. 473. c. 1
Mandata Dei implentes quomodo iuſti, & tamen dicere debent: *Dimitte nobis debita noſtra.* 574. c. 1. & 2
Maran-Atha, quid ſignificet? 359. c. 2
Mare, in quod ſecundus Angelus effudit phialam, Lud. ab Alcaz. gentilitas; Ambroſio præuaricatores legis; Ruperto elati ex potentia ſeculi; nobis ſunt omnes qui ſub aliquo peccato mortifero originali, aut actuali ſunt ſubmerſi. 303. c. 1. & 2
Maris vitrei idea qualis ſit? 271. c. 2
Maris mixti igne & vitrei deſcriptio, & pulchra expoſitio. 264. c. 1
Mare illud ſignificat congregationem aquarum, quæ ſimiles ſunt vitro liquefacto. 271. c. 2
Mare vitreum liquidum eſt, quamuis ſuper illud, ac ſi eſſet ſolidum, fideles deambulare poſſint. 272.
Mare vitreum liquidum eſt, vt de eo liquor hauriatur, & effundatur ab Angelis ſeptem phialas habentibus. 277. c. 2
Idem ſignificare debet quod mare Rubrum, nempe baptiſmum. 272. c. 2
Mare vitreum ſignificat fontem baptiſmi, & pœnitentiæ ſacramentum, & afflictiones, quæ pro Chriſto tolerantur. 273. c. 1. & 2
Martyrium, perfecta virtus. 75
Ad Martyrium duo requiruntur, pœna grauis, & cauſa legitima. 75. c. 2
Quatuor virtutes ſe habent ad modum principij erga martyrium. 75. c. 2
Martyrium tribus modis conſiderari poteſt, vel vt actus elicitus, vel vt ordinatus, vel vt imperatus. 76. c. 1
Nemo ad Martyrium ſeſe ingerere debet, niſi ex inſtinctu Spiritus ſancti. 274. c. 1
Multi tamen ſancti ſponte ſe obtulerunt 74. c. 1. & 2. Vnde qui ſe ſic martyrio voluntariè exponunt, laude digni ſunt? 204
Martyres cordubenſes à vituperio eximuntur, quòd ſe ſponte martyrio obtuliſſent. 74. c. 1
Ad Martyrium requiritur, non verbo ſed re teſtimonium reddere. 75. c. 2
Martyres duobus modis dici poſſunt viciſſe draconem propter ſanguinem Agni: primus modus 73. c. 2. ſecundus modus. 75. c. 1
Martyres inter fratres, humiles & mites: inter perſecutores, elati, terribiles: 74. c. 2
Magnanimitas martyrum Euererij & Celedonii. Ibid.
Martyrium affert veram peccatorum remiſſionem. 75. c. 2

Digitized by Google

Martyrij actus proficit ad exemplum. 76. c. 2
Per Martyrium Regnum Dei promouetur : 76. c. 2. & 77. fides dilatatur. Ibid.
Per Martyrium, Chriſti poteſtas & virtus innoteſcit. 77. c. 2. & 78. c. 1
Martyres digni qui immilitiam Chriſti aſcribantur. 203. c. 2. & 204. c. 1
Martyres potiſſimùm de mundo victoriam reportant. 216. c. 2
Martyres Ieſu quinam ſint propriè? 407. c. 1. & 2
Martyr ſolum Deum ob oculos habere debet. 77. c. 1
Martyrum conſtantia eos reddit excellentiores, pluſquam miraculorum patratio. 78. c. 1
Multa miracula Deus patrare voluit durante martyrio plurimorum martyrum. 78. c. 1
Martyres ſuauem Deo harmonium reddiderunt in perferendis tormentis. 198. c. 1
Martyres propriè Chriſtum ſequuntur, & perfectiùs quàm qui ſola Virginitatis laude gloriantur, & non ſunt martyres. 202. c. 2
Martyres quomodo dicuntur primitiæ? 204. c. 2
Merces martyrum quantum affert animi gaudium? 78. c. 2
Martyria vocantur torcularia, quia in ipſis martyres conteruntur. 258. c. 1
Martyrij encomia. 204. c. 1
Qui per longam vitam optimam, longum ducunt martyrium, non excluduntur à ſocietate & gloria martyrum. 78. c. 2
Martyrium fugere quomodo ſit licitum? 75. c. 1
Matrimoniũ reſpicit finem, ad quem obtinendum creati ſumus. 126. c. 1
Matrimonij ſacramentum quinam violant? 126. c. 1. & 2
Matthæi verba, c. 24. & Marci c. 13. nullo modo pertinent ad excidium ciuitatis, ſed ad aduentum Anti-Chriſti. 163. c. 2
Magnus medicus nobis erat neceſſarius, quia magnus erat noſter morbus. 319. c. 2
Mendacium quomodo non eſt inuentum in ore eorum, qui Dei obſequio ſunt conſecrati? 208. c. 1. & 2
Mens quomodo ad obſtinationem paulatim deducitur? 370. c. 1
Mens obſtupeſcit ad propoſitionem Myſterij Incarnationis & Euchariſtiæ. 328. c. 2
Mens quomodo obtenebratur ignorantia & malitia, & fit ſedes beſtiæ? 337. c. 2
Ac potiſſimùm illa, quæ præter impietatem, habet poteſtatem ſeſe opponendi Paſtoribus promouentibus Chriſti regnum. 338. c. 1
Mercatores & negotiatores intelliguntur in cap. 18. pro principibus terræ. 478. c. 1.
Iuſti Mercatores negotiabuntur de rebus ad Eccleſiæ ſtatum pertinentibus. 478. c. 2. & 479. c. 2
Mercatoris conditio periculoſa; & quomodo exerceri licitè poſſit? 479. c. 1
Meretrix magna, cuius damnatio reuelatur, corruptela, vita luxurioſa, corpus perditorum, collectio omnium Regnum Impiorum, Roma ſchiſmatica vel pagana Eccleſiam Dei perſequens; Pagani, falſi in ea Chriſtiani, numeroſitatis malorum collectio, ſiue magis peruerſorum, ſiue communiter conformium in malo. 380. c. 1. & 381. c. 1
De Meretrice capitis 17. quædam certa 381. c. 2. illa primario ſenſu deſignat Romam ſchiſmaticam, in ſenſu ſecũdario omnes Eccleſiæ rebelles, in decurſu temporum ab illa recedentes. 383. c. 2
Meridies Chriſti, paſſio eius, quia in ea magis eius virtus refulſit. 337. c. 2
Merita Chriſti exhauriri non poſſunt. 266. c. 2
Supra Merita paſſionis firmatur cuius vis fidelium fortitudo. 264
Merita Chriſti cunctorum bonorum operum valorem fulciunt. 174. c. 1
Merodach Regnum Babylonicum inuaſit. 414. c. 1
Merodach pro Deo adorari voluit. 414. c. 2
Meſſis terræ aruit, cum parata ſunt corda audientium, vt per verbum à terrenis abſcindantur, & ad cæleſtia valeant adſpirare. 230. c. 1
Meſſis ſignificat, meſſis fructus, qui colligitur in vitam æternam. 231
Metempſycoſis irridetur. 183. c. 2
S. Michael Eccleſiæ protector. 654. c. 1
S. Michael catena quadam nempe Epiſcoporum ſucceſſione, & præcipuè Romanorum Pontificum, ligat dæmonem. 654. c. 2
Michael habet clauem abyſſi, id eſt, inſignem poteſtatem. 654. c. 1. & 665. c. 1
Michael cap. 12. repræſentat maiores in Eccleſia: eius Angeli, minores Paſtores & ſubditos. 66. c. 2
Iuxta Alcazar deſignat Mathathiam. 67. c. 1
Per Michaelem & Angelos eius ipſemet intelligit Chriſtum, & miniſtros & prædicatores Euangelij. 67. c. 2
Michael incipit prælium: quia agitur de expulſione dæmonis. 67. c. 2
Michael repræſentat ſummum Pontificem: non enim ſumitur pro vero Michaele, nec pro Chriſto. 69. c. 1. & 2.
Sub nomine S. Michaelis & Angelorum eius, intelligendi ſummus Pontifex, & Eccleſiæ Paſtores. 3. c. 2
Milites Chriſti per inſignia magnifica, quæ portant, poſſunt certam ſpem concipere de victoria. 192. c. 1
Militum Chriſti virtutes. 198. c. 1
Milites Chriſti ad perfectionis gradum debent euehi. 205. c. 1
Milites Chriſti duobus modis præliantur, pro ſua ſalute, & pro promotione Regni Chriſti. 267. c. 2
Minoritani fratres, propter obedientiam quam præſtant ſummo Pontifici, & ſpiritum paupertatis, idonei ſunt qui mittantur. 642
Miracula ſunt nota Eccleſiæ. 281
Moabitæ ſignificant, Ex patre id eſt, à Deo patre recedentes. 474. c. 1
In his ſignificantur proprio iudicio adhærentes. 474. c. 2
Molinæi hæretici applicatio eorum quæ dicuntur in c. 18. de Romana ciuitate: nihil officit Religioni, quia de Romana vrbe, non de Eccleſia, quæ dicuntur ſunt intelligenda. 451. c. 2
In Monachorum congregationibus, doctrina & ſanctitas ſecurum habent refugium. 83. c. 2
Monarchiæ Eccleſiæ duratio. 634. c. 1
Incipienda eſt à Miſſione Spiritus ſancti. 694. c. 1
Monarchia Turcarum tandem diſſipabitur, & diſcindetur, vt aliæ quæ præceſſerunt. 476. c. 1
Mons Seir deſignat animi ſtupiditatem, qua mens inſpirationibus diuinis reſiſtit. 398. c. 2
Montes Armeniæ ſignificant prauam carnis & appetituum inclinationem. 399. c. 1
Mons Samariæ ſignificat potentiarum ſenſitiuarum profuſionem in delectationes, quo fit vt facilè Dei mandata tranſgrediantur. 399. c. 2
Mons excelſus Iſaiæ. 57. ſignificat ſuperbiam, qua proprio iudicio adhæremus. 399. c. 2
Mons peſtifer Ieremiæ c. 51. ſignificat impiam voluntatem, alium à Deo finem ſibi præſcribentem. 400
Mons Gelboe ſignificat contemptum autoritatis Eccleſiaſticæ. 400. c. 2
Mons Gelboe j. reuolutio inueſtigationis, conuenit hæreticis, qui Eccleſiæ determinationes in dubium reuocant. 401. c. 1
Mons Caluariæ deſignat eos, qui malitioſè & obdurata voluntate peccant. 401. c. 1
Mors non nocet perfectè imitantibus Chriſtum. 189. c. 1
Mortem ſibi infert per ſuperbiam, qui nullum vult habere ſuperiorem. 400. c. 2
Tria genera mortis. 706. c. 2
Mors prima in c. 20. eſt myſtica per peccatum; mors ſecunda eſt damnatio æterna. 685. c. 1. & 686. c. 1
Prima Mors, & prima ab ea morte reſurrectio, conſiderandæ ſunt pro ſtatu vitæ præſentis. 686. c. 2
Per mortuos iudicandos intelligendi ſunt non modò reprobi ſed omnes mortui morte naturali. 702. c. 2
Mortificatio ſenſuum neceſſaria ei qui vult nunciare pacem hominibus. 193. c. 2
Morum corruptio maximè apparet in his, qui perſequuntur eos qui illis dare remedia deſiderant, vt à peccato reſipiſcant. 311. c. 1
Morum corruptio inducit hæreſes & ſchiſmata. 381. c. 1
Veri terræ motus aliquando ſubſequuntur excommunicationem. 371. c. 1. & 2
In motibus terræ quænam accidant & quid per hæc deſignari poſſit. 372. c. 1. & 2. & 373. c. 1. & 2
Moyſes approbat Dei iudicia in populum ingratum. 312. c. 1. & 2
In Moyſe exemplum quomodo ſe gerere debeant Prælati erga eos, qui ſe reddunt indignos gratiæ Dei. 312. c. 1
Moyſes videt initia benedictionum promiſſarum; Ezechias videt initium maledictionum prædictarum. 420. c. 2
In Moyſe incæpit Regni Iſraelitici erectio, in Dauide & Salomone fuit eius perfectio. 420. c. 2
Vna tantum mulier amicta ſole videtur à S. Ioanne, Eccleſiæ vnitatem deſignans. 17. c. 1
Caput mulieris ſignificat caput viſibile Eccleſiæ, ſicut mulier ſole amicta ſymbolum eſt illius. 29. c. 2. & 40. c. 2. & 57.
Huius ſymboli mulieris, Paſtores & oues & Caput viſibile ſignificantis, breuis expoſitio. 40. c. 2. & 41. c. 1
Mulieres quæ portant amphoram, in qua eſt impietas, in Babylonem. j. confuſionem, ſunt excæcatio mentis, & obduratio voluntatis. 388. c. 2
Mulier ſymbolum ciuitatum. 394.
Mulier ebria da ſanguine Martyrũ,

Digitized by Google

ciuitas Romana. 394. c. 1
In nullis rebus mundi huius gloriandum. 217. c. 1
De mundo victoria quomodo obtinetur? 213. c. 2. & 216. c. 1
Prima victoria de mundo eſt per eius conuerſionem ad pænitentiam. 217. c. 1
Secunda per eius contemptum. 218. c. 1
Tertia per euerſionem ciuitatum impiarum, & impiarum nationum deletionem. 215. c. 2
Mundus tribus modis accipitur. 557 c. 2
Mundus eremus eſt, in quo Eccleſia contetit virtutem ſatanæ. 58. c. 2
Mundi amatores occidere cupiunt eos, qui ſe opponunt ſuis legibus. 178. c. 1
Mundi figura præteribit in iudicio non natura. 703
Fiet namque in iudicio mundi renouatio. 704
Muſach ſabbathi quid erat. 412
Omnia mutationi obnoxia. 408
Myſteria fidelibus aperta ſunt, clauſa infidelibus. 285. c. 1
Myſterium Euchariſtiæ quantos æſtus excitauit. 321. c. 1. & 330. c. 1
Qua ratione æſtu & igne affliguntur qui myſteria paſſionis Chriſti & Euchariſtiæ credere abnuunt? 330. c. 2
Myſterium Euchariſtiæ ſicut & verbum Dei non eſt omnibus peruium. 321. c. 2
Myſteria ſilentio ſuam ſeruant dignitatem. 322. c. 1
Myſteriorum duo genera. 328. c. 2

N

NABVCHODONOSOR figura fuit Regum qui Eccleſiam Dei perſecuti fuerunt, & eorum qui eam fouerunt. 45. c. 1
Narratio eorum quæ ſimul eueniunt, non poteſt ſimul fieri. 100. c. 1
Negotiationis genus, propter quod Roma ſchiſmatica erit deſtruenda, eſt Simonia. 462. c. 2
Nemrod idem cum Belo. 409. c. 1
Neophytus in fide & bona conuerſatione non debet eligi in Epiſcopum. 146. c. 1
Neronis quanta fuerit fœditas luxuriæ. 124. c. 2
Neronem non eſſe mortuum, ſed tantum ſubductum, vel ſi fuerit mortuus, reſurrecturum, & futurum Anti-Chriſtum quidam putauerunt, ſed nimia præſumptione, & falsò. 155. c. 2
Nicolaus Papa eiecit è ſede ſua Photium; ſedem Conſtantinopolitanam vſurpantem. 242. c. 2
Ninus filius Beli Imperium dilatare affectauit. 409
Ninus non volebat vt Pater eius pro vero Deo haberetur, ſed tantum memoriam illius venerandam poſteritati relinquit. 409. c. 2
Nomen Chriſti nemo nouit, niſi ipſe: quia ad plenum nemo diuinitatem, & generationem filij comprehendit. 602. c. 1
Nomen Ieſus ſignificat quòd ſit Saluator, ſed qualis & quantus ſit non exponit. 603.
Nomen Chriſti glorioſum in quo ſubiecto inſcribitur. 607. c. 1. nempe in fronte, aut in diademate.
Nomen Chriſti quamuis Eccleſiæ reuelatum, ſolus ille nouit: quia Eccleſia niſi per eum illud non nouit, & quia illud eſt incomprehenſibile. 609. c. 1
In nominum interpretatione Spiritus ſanctus voluit vt myſteria requiramus. 476. c. 1
Nomina quibus aliquid de Deo exprimere intendimus, diuinam ſubſtantiam exhibent animæ præſentem. 515. c. 2. Perfectiones, quæ per nomina ſignificantur, priùs conueniunt Deo, quàm creaturis; quoad modum ſignificationis Deo non competunt, ſed creaturis. 516. c. 1
Nomina Dei eius ſubſtantiam non ſignificant; ſed quaſdam eius operationes circa nos demonſtrant. 603
Nomen, quo Deus ſuam eſſentiam, filius ſuam generationem, Chriſtus ſuam cum humanitatem vnionem exprimit, apud ſe, nemo nouit, niſi ipſe. 603. c. 1
Nomen quaſi notamen. 602
Nomen rerum naturas & proprietates indicat. 92. c. 1
Nomen Dei magnificandum, & qua ratione. 265. c. 1
Nomen Beſtiæ Marinæ difficillimè poteſt inueniri, ex S. Ireneo. 92. c. 1
Nomen beſtiæ non voluit Spiritùs ſanctus exprimere propter illius indignitatem. 92. c. 2
Nomen beſtiæ debet inquiri pro ratione numeri per literas græcas ſignificati. ibid.
Nomen Beſtiæ ſignificat eos, qui ſecundùm præſentem iniuſtitiam damnandi eſſent. 92. c. 2. & 93
Vt nomen Beſtiæ inueniatur, non ſufficiunt notæ numeri 666. per literas. 92. c. 2
Ad inueniendum Nomen Beſtiæ conueniens, ſeruanda eſt potiùs conuenientia numeri 666. quàm quòd talis numerus exſurgat ex numeris deſignatis per litteras græcas. 94. c. 1
Motiuum impellens diuinam maieſtatem. vt aliquem reiiciat, eſt numerus nominis. 93. c. 1
Tria Nomina Anti-Chriſto aſſignata, Antemos, Arnoume, Teitam, & plura alia ex And. Cæſ. 98. c. 1. & 2
Nomina non admittet Anti-Chriſtus, quæ illi aliquam inurant infamiam. 99. c. 1
Varia nomina Anti-Chriſti ab autore inuenta explicantur. 101. 102. & 103
Nomen Beſtiæ poteſt ex pluribus terminis componi. 101. c. 1
Nomen poteſt etiam imponi per ſubtractionem cuiuſdam numeri aliquid ſalutare indicantis, quo ſubtracto remaneat numerus 666. infauſtus. 102. c. 2. Exemplum datur. 103. c. 1
Nomen Beſtiæ ab Alcazar inuentum non admittitur. 103. c. 2
Nomen beſtiæ ſignificat actionem pernicioſam, qua quis à Deo auertitur, de ſe malam impiam, vel iniuſtam, vel obſcœnam. 179. c. 2
Nota in dextera & in fronte, j. in operatione & profeſſione. 181. c. 5
Nubes Eccleſiæ ſymbolum, quia ſunt inter cælum & terram; quia agitantur huc & illuc; quia eorum miniſterio multa fiunt, & per eas diuina elucet prouidentia. 223. c. 1. & 2
Numerus 144. millium quid innuat? 208. c. 2. & 209.
Numerus centenarius perfectionem in ſtatu virginitatis, quadragenarius feruidam pænitentiam, quaternarius Euangelicam doctrinam, Millenarius perfectionem pænitentiæ ſignificat. 209. c. 1
Cur numerus millenarius per centenarium, & per 40. & per 4. multiplicetur, pulchra animaduerſio. 209. c. 2
Numerus finitur pro infinito intelligitur. 209. c. 1
Numerus 1600. In quo 40. quadraginta vicibus repetitur, & perficitur, numero quatuor centum quater repetito, ſignificat Eccleſiam per vniuerſum orbem diffuſam, & etiam pænitentiam & labores ad ſatisfactionem peccatorum ſuſceptos. 260. c. 2
Numerus quinquageſimus per octo vices in numero. 1600. repetitus, perfectum iubileum repromittit. 261. c. 1
Numerus quadringentus quatuor vicibus in numero 1600. repetitus, deſignat firmitatem & ſoliditatem perfectionis Chriſtianæ. 261. c. 1
In numero 400. deſignatur perſeuerantia in bonis operibus. 261. c. 1
In numero 40. & 50. aliquid ſalutare innuitur, ex Auguſt. 102. c. 2
Numerus nominis Anti-Chriſti, ſeu reprobi, eſt intentio mala, qua quis vltimum finem in creatura ponit. 197. c. 2
Numerus *666.* quid ſignificet? 184. malè. 174
Numerus *666.* iuxta valorem litterarum latinarum reddit nomen *Dic lux*: quia Anti-Chriſtus dicet ſe eſſe lucem. 98. c. 1
Per numerum *666.* ſignificatur quod Anti-Chriſtus dicet ſe eſſe Deum, & principium omnis perfectionis. 98. c. 1
Per characterem, & numerum nominis, eſt indaganda qualitas nequiſſimæ voluntatis & actionis. 98. c. 2
In numero *666.* Rupertus impænitentiam, & perpetuum laborem ſignificari vult. 99. c. 1. & 2
Numeri *666.* computatio debet fieri ſecundum regulas artis arithmeticæ ſiue addendo vnum numerum alteri numero, donec conficiatur iſte numerus; ſiue per ſubtractionem cuiuſdam numeri, quo aliquid ſignificetur. 94. c. 2
Numerus *666.* quid deſignet, & cur dicitur numerus hominis? 89. c. 2
Diuerſorum numerorum diuerſæ ſignificationes. 94. c. 1
Numerus decimus ſymbolum clementiæ, vigeſimus laboris. 387. c. 2
Numerus quinarius ſignificat efficacia Dei dona ad merendum. 94. c. 2
Numerus centeſimus ſignificat ſupremum gradum meriti, 94. c. 1. & ſupremum gradum malitiæ. 95. c. 1 & 96. c. 2.
Numerus ſeptuageſimus ſeptimus videtur innuere ſtatum, in quo quis ſperare poteſt remiſſionem peccatorum. 95. c. 1
Numerus ſeptuagies ſepties non ſignificat Deum non poſſe multò plura peccata condonare cuius eſt infinita miſericordia; ſed aſſumitur tantùm ad deſignandum ſtatum, in quo quis ſperare poteſt remiſſionem. 95. c. 2
Sexcenteſimus numerus ex S. Ireneo, ſignificat ſtatum finalis impænitentiæ. 96. c. 1
Numerus ſexaginta ſex ſignificat defectam virtutis, quo ad finalem impænitentiam deuenimus 96. c. 2 & 97. c. 19. ſignificat etiam mala præſentia, & futura immittenda obſtinatis. 97. c. 1
Numeri nominis Beſtiæ interpretatio veriſſimilitudine & probabilitate tantum nititur, non certitudine. 97. c. 2
Numerus nominis Anti-Chriſti dicitur numerus hominis: quia reuera homo erit & non Deus. 98. c. 1
Numerus electorum eſt cuiuſdam nominis Chriſti incogniti definitio.

602. c. 1
Nuptiarum ſacramentum in lege veteri, animæ cum Deo coniunctionem ſignificat in noua lege, præter id coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. 125. c. 2
In locum nuptiarum agni nihil coinquinatum intrabit. 571. c. 2
In his Nuptiis plurima notari debent. 582. c. 1. & 2
Sicut in Nuptiis carnalibus dantur ſponſiones per verba de præſenti, per arrhabonem, annulum, iuſiurandum; ita in nuptiis agni cum Eccleſia hæc obſeruata fuere. 582. c. 2
In his Nuptiis matrimonium contractum eſt per verba de præſenti: in Myſterio Incarnationis permittuntur honeſta indicia dilectionis: in Myſterio Euchariſtiæ conſummatur matrimonium: fiuntque matrimonij ſolemnitates in patria. 583. c. 1. & 2

O

OBIECTA ſenſibilia debent exui à phantaſmatibus, vt intellectualia concipiamus. 616. c. 1
Obliuio non cadit in Deum, niſi quantum ad effectum, vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ. 360. c. 2
Obſtetrices Ægyptiæ Deum timuerunt, nolentes occidere pueros Hebræorum. 410. c. 2
Occiſio vera optimè ſignificatur per verba, Conſumere, extinguere, perdere. 433. c. 1
Occiſio myſtica ſalutaris, animarum conuerſio. 652. c. 1
Odium Dei multa mala confert peccantibus, v. g. vltionem per ſubtractionem gratiæ, lapſus in hæreſim, excæcationem mentis, voluntatis obdurationem. 388. c. 2
Opera bona alligant dæmonem, ne errores diſſeminet. 670. c. 1
Opera Dei mirabilia, per quæ Deus eſſe ſapientiſſimũ opificem agnoſcimus. 616. c. 2
Omnia huius mundi opera facta propter hominem. Ibid.
Opera praua benè conueniunt cum erroribus. 404. c. 1
Operanti malum tribulatio & anguſtia. 498. c. 1
Orationi ſanctorum & Paſtorum reſiſtunt impij, per ſtupiditatem mentis. 288. c. 1
Orationi tempus non præſcribitur, ſed ſemper orandum. 297. c. 1
Orationi maximè inſtandum, ſi de conuerſione animarum promouenda agatur 297. c. 1. præmittenda prædicationi. 314. c. 2
Multa inducunt Orandi neceſſitatem. Ibid. c. 1
Oratio Deo, & Angelis grata. 297. c. 2
Quid Eccleſia à Chriſto Orandum accepit? 297. c. 2
Orandum pro noſtra aliorumque purgatione, & etiam pro peſſimis. Ibid.
Oratio non eſt ſuperflua. 298. c. 1
Oratio Eccleſiæ apud Deum quam efficax? 298. c. 1
Orationem pro peccatorum conuerſione probabile eſt Deum exaudire. 298
Orationis effectus qua ratione à peccatoribus impeditur? 298. c. 2
In Oratione, Dei conſilia aperiuntur. 375 c. 1
Oratio præbet cæleſtium myſteriorum cognitionem. 380. c. 1
Orandum cum magna ſpe & fiducia. 621. c. 2
Ordo rerum, quæ euentura ſunt tempore Anti-Chriſti. 464. c. 2
Os Dei, os Petri. 435. c. 2
Otioſi pulchra deſcriptio, ex Chryſoſt. 135. c. 1
Otomanus ex vili latrone plurimas gentes ſub ſuo ſubegit imperio. 358
Oues Chriſti non rapiuntur ab eius manu. 27. c. 1

P

PALLIVM quod tollitur ſponſæ, Cant. 5. eſt amictus Philoſophiæ. 41. c. 2
Papa eſt Angelus ſtans in ſole: quia ſemper fuit immobilis in lumine doctrinæ fidei. 634. c. 1. & 2
Papæ infallibilitas per ſolem deſignatur quia ſol fit luminare maius. 635. c. 2.
Papæ autoritas circa res fidei, hæreſes condemnando, 228. c. 2. Concilia Oecumenica conuocando, & confirmando, 229. Hæreſiarchas redeuntes reconciliando Eccleſiæ, vt patet de Marcione, Natalio, Vrſatio, Valente, Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici, Pyrrho Conſtantinopolitano, 229. c. 2. Timotheo Solofacioli, & aliis. 230. c. 1
Papæ diriguntur libri de rebus fidei pertractantes. 230. c. 2
Papæ reſeruatur abſolutio ab hæreſi. 230. c. 1
Papæ reſcripta omni honore ſunt recipienda 2,0. c. 2. Papa Pelagius non permiſit vt nomen œcumenici vſurparetur à Patriarcha Conſtantinopolitano. 242. c. 2
Papa Cono Kilinum Epiſcopum ordinauit, & dedit illi facultatem prædicandi Euangelium gentilibus. 246. c. 1
Sergius Papa miſit in Friſiam ſanctum Egbertum cum duodecim Monachis ſacerdotibus: & Gregorius ſecundus miſit ſanctum Bonifacium. Alij Papæ alios etiam miſerunt. 246. c. 1. & 2
Panis viuus de cælo deſcendens, Chriſtus in Euchariſtia. 323. c. 2
Per panem Euchariſticum Chriſtus ſe probat Dei filium. 323. c. 2
Paſcitur Eccleſia in ſolitudine omni cibo ſpiritali & corporali. 63. c. 2
Paſſionum vehementia impedit vſum rationis. 343. c. 1
Paſſione Chriſti Deus magnificè exaltatur. 614. c. 2
Paſſio Chriſti data eſt in exemplum mortificationis, & paſſiones tolerandæ. 200. c. 1
Paſtorum Eccleſiæ ſucceſſio deſignatur in his verbis: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri.* 39. c. 2
Paſtores veſtiuntur byſſo, propter candidam confeſſionem: purpurâ propter glorioſam paſſionem. 42
Paſtores Eccleſiæ libenter approbant eos prædicare, quos vident Dona Dei & Chriſti ſpiritum habere. 209. c. 1.
Paſtores ex inexhauſto fonte meritorum Chriſti hauriunt quantum neceſſarium iudicant prudentiâ, pro remittendis pœnis ſubditorum. 268. c. 1
Paſtorum ſucceſſio, & maximè ſummorum Pontificum Romanorum, dæmonem ligat. 668. c. 1
Paſtorum conflictus cum impiis, vt Chriſti imperium promoueant, deſcribitur per totum caput decimum ſextum, 287. & ſequentibus, & 378. c. 1
Paſtorum vigilantia facit vt per bonas leges impediant ſubditos, ne in vitia dilabantur. 335. c. 1. & 2
Paſtores poteſtatem habent quædam particularia præcipiendi fidelibus, 343. c. 2
Paſtorum iudicium quaſi Chriſti iudicium. 349. c. 1
Paſtores ſunt dentes Eccleſiæ. 389. c. 1
Paſtores non commanducant linguas ſuas, quia eodem ſpiritu aguntur, & eodem ore loquuntur. 347. c. 2
Illud os eſt os ſummi Pontificis, quo loquentes proteguntur à contradictione linguarum. 347. c. 2
Paſtorum miniſterium æque ac Angelicum neceſſarium. 588. c. 1. & 2
Paſtorum miniſterium æquiparatur miniſterio Angelorum: vnde non admiſit Angelus S. Ioannis adorationem. 589. c. 2
Paſtores vt Angeli corroborant voluntates in bono, & vigilant ſupra gregem. 589. c. 2
Paſtores ratione autoritatis & ſanctitatis miniſterij, habent gladios ancipites in manibus. 685. c. 1
Paſtores Eccleſiæ benignitatem cum magnanimitate debent coniungere. 61. c. 1
In Paſchatis feſto renouata eſt communicatio Eccleſiæ orientalis cum ſede Apoſtolica. 239. c. 1
Paſtoribus Eccleſiæ flendi occaſio, cum primus Paſtor ſummus pontifex in poteſtatis ſuæ exercitio impeditur. 446. c. 2. & 447. c. 1
Paraphraſis c. 18. 445. & ſequentibus
Paraphraſis octaui pſalmi. 616. c. 1 & 2
Paraphraſis pſ. 45. 557.
Paraphraſis c. 80. 618. c. 2
Paraphraſ. pſ. 83. 622. c. 2
Paraphraſi. c. 20. 554
Paraphraſis. c. 21. & cap. 22
Patientia Dei magna ſuſtinendo malos. 262. c. 1
Quantum Patientia ſit neceſſaria prædicatori? 306. patientia ſpiritus paupertatis. Ibid.
Patientia ſanctis neceſſaria in perſecutionibus. 160. c. 2
Patientia omnibus neceſſaria, maximè cum videmus peccatores, proſperè agere. 221. c. 2
Pati pro Chriſto diuinum beneficium eſt. 191. c. 2
Pati extra portam quid ſit Chriſto & fidelibus? 260. c. 1
Ardens patiendi deſiderium. 614. c. 2
Patriarchæ exiſtimarunt non eſſe diſſonum dignitati ſuæ commiſſiones ſuſcipere à ſede Apoſtolica datas & eſſe illius Vicarij. 244. c. 2
S. Patritius antequam hyberniam adiret Euangelium prædicaturus, Romam adiuit. 246
S. Paulus intelligendus eſt de vera occiſione Anti-Chriſti, in epiſt. 2. ad Theſſal. c. 2. 433. c. 2
S. Paulus præcipit Eccleſiis vt cuſtodiant præcepta Apoſtolorum. 340. c. 2
S. Paulus optimum exemplar optimi prædicatoris. 233. c. 1
S. Paulus cum S. Barnaba ab Eccleſia Antiochena, pro tunc ſede Petri, miſſi fuerunt. 246. c. 1
S. Paulus venit Hieroſolymam videre Petrum, vt ſui Euangelij ſuæque miſſionis approbationem ſibi compararet. 246
Paulus quidam Conſtantinopolitanus, cum quibuſdam aliis Epiſcopis, ad ſedem Romanam confugiunt. 241. c. 1
Peccatorum turpitudo in genere. 111. c. 1. & 2

Digitized by Google

Peccati turpitudo quibus figuris horrendis concipi poteſt? 113. c. 1

Peccati turpitudo optimè à S. Ioanne deſcribitur. 113. c. 2

Peccatum valde deforme, pro quo expiando ipſamet pulchritudo turpis apparuit. 113. c. 2

Peccati turpitudo cognita nos à peccato diſtrahit. 111. c. 2

A Peccati facie fugiendum, ſicut à facie ſerpentis 111. c. 2. Poſſumus illud fugere. 575. c. 1

A Peccatis vix recedunt qui viuunt carnaliter. 104. c. 2

Peccantibus voluntariè nihil adeo ſanet quàm appetitus carnis. 104. c. 2

Peccantes ſcienter magis ſunt condamnandi. 105. c. 2

Peccati malitiam habere in æſtimatione, eſt adorare beſtiam primam. 184. malè 174.

Peccati vulnus quàm ſæuum ſit in his qui habent characterem beſtiæ, & in his qui adorant imaginem eius. 298. c. 2

Peccatores præpotentes & diuites laudantur ab hominibus carnalibus & terrenis. 155. c. 1

Peccator habet vſum, quia eo vtitur Deus ad ſe probandum iuſtum: 217. c. 2. & licèt dicatur, non erit peccator, permanebit vt torqueatur. 217. c. 2

Peccata ſuperanda, niſi velimus formidanda ſubire ſupplicia. 218. c. 1

Peccatores nullum habent locum ſolatij 221. c. 1. Quomodo ſanguinem bibant? 319. c. 2. & 320. c. 1

Peccator quomodo gemat ſub aquis? 304. c. 1

Qua ratione Peccator moriens per peccatum adhuc viuere dici poſſit? 304

Peccati aſſuetudo pertimeſcenda! 388. c. 1

Peccandi libertas denotatur in ornamento mulieris meretricis. 403

Peccata peruenerunt vſque ad cælum, dum homines occiderunt ipſum cæli Dominum: vel hac phraſi innuitur acerui peccatorum magnitudo, vel quod altiùs malitia poſſit pertingere, nec Deus poſſit ampliùs illa impunita relinquere. 467. c. 2

Peccatorum confeſſio denotatur per primitias fermenti & mellis, quæ dabantur pro ſacerdotibus in cibum, quia comedere debent peccata populi. 206. c. 2

Peccatorum confeſſio facienda antequam ad altare accedamus. 206. c. 2

Peccatum originis tollitur quoad reatum in iuſtis, ſed manet actu in fomite. 303. c. 2

Peccatum actuale tranſit quoad actũ, ſed manet quantum ad reatum, maculam & offenſam. 304. c. 1

Peccata in proximum, exprimuntur per furtum, in Deum, per periurium. 387. c. 1

Peccatores duobus modis occiduntur gladio verbi diuini. 310. c. 2

Ad quamnam Perfectionem in hac vita peruenire poſſimus. 572. c. 1. 575 c. 1. & 2

Perfectionis præceptum in quo ſenſu debeat intelligi? 572. c. 2. & 575. c. 2

Perfectionis præcepta nec dura nec oneroſa in executione. 573. c. 1

Perfecti nomen tribus modis ſumitur. 575. c. 1

Tribus rebus homo impeditur à Perfectione. 575. c. 1

Nulla eſt Perfectio in creatura Deo comparanda. 516. c. 2

Etiam Perfecti debent in via Dei proficere. 550. c. 1

Perfectionis montem non aſcendimus, niſi Deo auxiliante. 192. c. 2

Perfectio ſanctorum prædicat Dei potentiam & magnificentiam. 192. c. 2

Talis qualis fuerit Perfectio in hac vita, hoc non fit ex propriis viribus, ſed ex gratia Dei. 576. c. 2

Vir Perfectus per prudentiam ducitur, tanquam equus per frenum. 260. c. 2

Ad Perfectionem quandam ſemper eſt adſpirandum. 576. c. 2

Perfectè non erimus immunes à peccato, niſi cum apparuerit Chriſtus vita veſtra. 576. c. 2

Perfectio quomodo rara ſit? 209. c. 2

Perſecutionis Anti-Chriſti plura intercesserunt delineamenta. 463. c. 2

Perſecutionum tolerantia eſt quædam remuneratio. 554. c. 1

Ob Perſecutiones Deo laudes dantur in cap. 11. 544. c. 1

Perſeuerantiæ quatuor cauſæ, prædeſtinatio ad gloriam, amplitudo meritorum Chriſti, efficacia mediorum à Deo inſtitutorum fidelia cooperatio electorum. 261. c. 1

Cur Petrus dicitur filius columbæ? 634. c. 1

Petrus percutiens & tollens aurem Malchi, ſignificat eos non habere facultatem audiendi verba Dei, qui à Petro ab Eccleſia reſecantur. 23. c. 1

Sicut Chriſtus, dicitur Leo, agnus, liber 62. c. 1. qua ratione Eccleſiam repræſentat, 638. c. 1

Petrus, vt alter Michael, draconem expulit, cum dixit: Quis vt Chriſtus? 68. c. 2. & 69. c. 1

Cum Petrus & cæteri Apoſtoli inſurrexerunt in Idololatriam, magis innotuit ſe prælium inire cum dracone; quàm cum à ſynagoga Iudæorum, quæ Deum colebat, diſceſſerunt. 68. c. 2

Petrus dicitur ſimilis filio hominis. 187. c. 2

S. Petri primatus duabus Metaphoris à Chriſto deſignatur 228. Eius autoritas etiam per ſimilitudines deſignatur. 643. c. 2

Petri autoritas in ſucceſſores tranſit. 228. & 634. c. 1

Ab ore Petri pendet notitia credendorum. 340. c. 1

In Petro oues inueniunt paſcua vitæ æternæ. 340. c. 1

Nauis Petri libertas excurrendi per mare gentilitatis, ſignificatur in inſularum, & montium fuga. 366. c. 2

A Petro claues Regni cælorum ad alios paſtores deriuantur. 635. c. 2. & 638. c. 1

Petrus à Domino appellatur petra, propter firmitatem. 637. c. 2

Petrus Paſtor Eccleſiæ Catholicæ. 238. c. 1

Per ſeptem phialas datas Paſtoribus, ſignificantur ſeptem eorum poteſtates, nempe orandi, prædicandi, adminiſtrandi ſacramenta, ſacrificandi, condendi leges, adſtringendi ad legum cuſtodiam puniendi contumaces. 283 c. 1. & 2

Iſtæ Poteſtates per phialas ſignificari oſtenditur ex diuerſis ſcripturæ locis. 283. c. 1. & 2. & 284. & 285.

Phiala lata ſignificat doctrinæ abundantiam, ſtricta prudentiam prædicatoris. 301. c. 2

Phiala deſignat prædicationis munus. 301. c. 2

Phialæ, ingentes pateræ, quibus vinum potabatur, replentur Chriſti ſanguine. 278. c. 1

Phialarum effuſio in mare, fontes, ſolem, thronum Beſtiæ, Euphratem, aërem: ſignificat effuſiones fieri in homines. 315. c. 1

Sicut in effuſione Phialæ primæ orationis facultas, in effuſione ſecundæ munus prædicationis deſignantur: ita in effuſione tertiæ phialæ, poteſtas ſacramenta adminiſtrandi. 310. c. 1

Phialæ quartæ effuſio ſignificat poteſtatem ſacrificium offerendi; 320. c. 1. & 323. c. 1. & prælium Paſtorum Eccleſiæ cum amatoribus ſeculi innuitur. 329. c. 1

Phiala in ſolem effuſa, eſt prædicatio circa Dei diuinitatem & prouidentiam. 326

Ad Phialarum effuſionem non effectus proprij facultatum per illas deſignatarum, ſed repugnantiæ, & contradictiones ſubſequuntur. 326. c. 2

Phialæ quintæ effuſio, poteſtas ſacrificandi. 323

Phiala ſuper ſedem Beſtiæ, ita ſuper regnum Anti-Chriſti. 335. c. 2

Effunditur ſuper ſedem Beſtiæ per legum iuſtarum inculcationem, & inductionem ad illarum obſeruantiam. 338. c. 2

Phialæ ſextæ effuſio deſignat poteſtatem coactiuam Eccleſiæ. 348. c. 1

Et eſt comminatio vltionis æternæ. 353. c. 1

Huius Phialæ ſextæ pulchra, inter alias S. Thomæ expoſitio. 353. c. 1

Phialæ ſextæ ſcopus eſt oſtendere, per contemptum iuſtitiæ Chriſtianæ & iudiciorum Eccleſiæ, facultatem dari inimicis Eccleſiæ eam opprimendi. 355. c. 1

In effuſione Phialæ ſeptimæ poteſtas vlciſcendi crimina, & contumaciam ſignificatur. 360. c. 2

In Phialis facultates, quibus Eccleſia promouet regnum Chriſti, deſignantur. 265. c. 2

Philiſthiim ſignificant cadentes potiores, id eſt, tranſitoria voluptate. 473. c. 1. & 2

Plagæ c. 15. non ſignificant plagas Ægypti 265. c. 2. ſunt prædictæ plagæ nouiſſimæ perſecutionis. Ibidem

Plagæ ſeptem perfecta punitio, plagarum vniuerſitas, vera ſupplicia vlcera ſpiritualia ad ſolos reprobos pertinent, Ambroſio 268. c. 2. ſeptem plagæ peccata ſeptem corporis reproborum conuenientia! Ibid.

Alcazar Plagæ ſunt myſticæ in conuerſione Romæ & imperij ad fidem 269. c. 1. Hæc expoſitio rejicitur. Ibid.

Plagæ iſtæ nihil ſalutare in ſe continent aut ſignificant 269. & ſunt diſpoſitiones proximæ ad mortem æternam incurrendam. 269. c. 2

Prima plaga eſt ſtupiditas mentis omnibus inſpirationibus ſancti Spiritus reſiſtens. 269 c. 2

Secunda, Peruerſitas inclinationis Tertia, contemptus mediorum comparandæ gratiæ: Quarta, ſeductio per errores: Quinta, contemptus legis diuinæ: Sexta contemptus cuiuſlibet autoritatis: Septima manifeſta ab Eccleſia diſceſſio: 269. c. 2

Hæ Plagæ nouiſſimæ dicuntur, quia includunt finalem impænitentiam. 270. c. 1

Alcazari dicuntur nouiſſimæ, quia ſunt ſalutares iis quibus infligun-

Digitized by Google

tur. 270. c. 2
Rejicitur hac expoſitio.
Plaga nouiſſima, ſubtractio gratiæ, & impænitentia. 271. c. 1
Has ſeptem Plagas habent Angeli ſeptem: quia ex exercitio ſuarum functionum manifeſtabuntur. 271. c. 1
Plaga ſeptima Alcazari eſt vindicta myſtica Romanæ ciuitatis per conuerſionem. 396 c. 1
Plagæ incurrendæ à Romana ciuitate proponuntur, vt fideles non ſint participes delictorum eius, & de plagis illius non accipiant. 443. c. 1
Pænæ nullæ ad ſalutem proficiunt, niſi per quas Chriſtum ſequimur aut imitamur. 257. c. 2
Vt Pænæ ſint ſatisfactoriæ ad rigorem diuinæ iuſtitiæ, oportet vt fidelis projiciatur in preſſuris Chriſto patienti conformes. 260. c. 2
Ad Pænitentiam recurrendum poſt peccatum. 315. c. 2
Pæna, vt grauiſſima, vt menſurata, vt irritatoria conſideratur 363. c. 1
Eadem Poculo, quo mali bonos potare cupiebant, eodem pænis replentur; dum illis vertitur in pænam, quod ad inuenerunt ad bonorum vexationem. 471. c. 1
Per poma deſiderij, deſignantur quæ ſunt grata, & delectabilia: propter eorum abuſum puniuntur mali. 485. c. 2
Plagarum, quibus afficietur ciuitas Romana, ordo à S. Ioanne poſitus. 451. c. 1. & 2
Sumus pontifex habet poteſtatem & iuriſdictionem verè coactiuam. 343 c. 2
Vſus Poteſtatis pontificis in alienas ſedes Patriarchales. 239. c. 2. In Alexandrinam in cauſa S. Athanaſij, Petri, Dioſcori, Timothei ſoloſacioli & aliorum; c. 2
In ſedem Antiochenſem: 240. c. 1. & 2
Vnde Patriarcha Antiochenſis ſe purgare debebat ante legatos ſedis Apoſtolicæ; Ibid.
In ſedem Hieroſolymitanam; 240. c. 2. & 241. c. 1 in ſedem Conſtantinopolitanam. 241. c. 2
Pontificis Romani autoritas manifeſta in depoſitione Neſtorij Patriarchæ Conſtantinopolitani. 241. c. 2
Pontifex Romanus ordinat in Patriarcham Conſtantinopolit. Mennam virum orthodoxum, & expulit Anthimum. 242. c. 1
Pontifex Romanus non ſibi arrogat nomen æcumenici, contra mentem Pelagij. 242. c. 1
Pontifex inſtituit Epiſcopos. 243. c. 1
Poteſt in vniuerſas orbis partes mittere prædicatores 245. c. 2. & 246. c. 1. & 2
Non concedit Priuilegia in ſuum præiudicium. 249. c. 1
Tam in ſummo Pontifice quàm in inferioribus ſunt tres poteſtates, vna ordinis, altera iuriſdictionis interioris, tertia exterioris. 254. c. 1
Pontificis autoritas, dignitas ac poteſtas, in quibus dignoſci poſſunt? 228 c. 1
Pontifices, qui res fidei neglexerunt, à Deo puniuntur. 231. c. 1
Eius autoritas in condendis legibus. 251. c. 1. & 2
Eius dignitas Regiam antecellit. 252. c. 1
De Pontificis Romani poteſtate temporali, concluſiones Bellarmini. 252. c. 1. & 2
Pontifex poteſt cogere principes Eccleſiæ, vt ſua autoritate vtantur ad diuini cultus conſeruationem. 233. c. 1. & 2
Pontificis poteſtas præualet Regiæ dignitati, in iudicijs cauſarum Eccleſiaſticarum. 234. c. 1
Pontifices à peccatis abſoluunt ſed crimina non permittunt. 232. c. 1
Pontifices quomodo dicuntur Regna erigere, & Reges deponere? 237. c. 2
Pontifex coronat imperatores, & confert imperium. 237. c. 2
Summi Pontifices habent permanentem autoritatem. 632. c. 1
Summo Pontifici quatuor conueniunt, eminens dignitas, exercitium functionum miſericordiæ & iuſtitiæ, politicum regimen Eccleſiæ, ſtabilis autoritas. 632
Eius infallibilitas in deciſionibus fidei, & decretis morum. 632. c. 1
Cur ſummus Pontifex ſub diuerſis ſymbolis deſignatur, pulchræ rationes. 632. c. 1. & 2
Lumine veritatis illuſtratus ſanctos Canonizat: calorem ingerit fidelibus, vt ſanctos imitari & ſequi velint & valeant. 634
Alij Prælati debent moueri ad motum eius, ſicut planetæ mouentur ad motum ſolis. 635
Eius autoritas circa Regimen Eccleſiæ, & ſacramentorum adminiſtrationem. 238. c. 1. & ſequentibus.
Eius autoritas, dignitas & poteſtas adumbrantur in viſione tertia. 14. c. 224. c. 1. & 2
Eſt Petri ſucceſſor 238. Chriſto ſimilis. 224. c. 2
Eius autoritas, non ignota infidelibus, per orbem vniuerſum extenditur. 238
Poteſt aliorum Epiſcoporum iudicia & ſynodos ſua autoritate fulcire; ad eam oppreſſi poſſunt confugere. 239. c. 1
Habet cuſtodiam Primiriarum. j. ſacerdotum & Religioſorum. & verbi diuini prædicatorum. 208. c. 1
Summus Pontifex eſt ille puer c. 12. qui peruenit in virum perfectum, & plenitudinem ætatis Chriſti. 224. c. 2
Quàm neceſſarium ſit bono regimini Eccleſia eius miniſterium? 225. c. 1
Cum dicitur ſimilis filio hominis, eſt quia perſonam Chriſti repreſentat in iis quæ Chriſto homini conueniunt, v. g. quia poteſt leges condere, peccata dimittere, iudicia exercere. 226. c. 2
Sedet. j. Præſidet ſupra Eccleſiam. 226. c. 1
In ea regia, & ſacerdotalis dignitas. 227 c. 1
Poteſtatis Pontificiæ plenitudo exprimitur per falcem acutam in manu. 227. c. 1. & 2
Ex Cathedra docens errare non poteſt. 23. c. 1
Plurimi ſummi Pontifices miracula patrarunt: vnde patet eos autoritatem illegitimam non vſurpare. 28. c. 2
Pontifices multimodè honorantur à Regibus & principibus. 238. c. 1
Summi Pontifices non habent, quoad perſonam, eamdem in fide firmitatem quam habuit Petrus, ſed quoad dignitatem. 592 c. 1
Summus Pontifex modo extraordinario mori Anti-Chriſtum decernet, ſicut olim Moyſes Core, Dathan, & Abiron, 416. c. 2. & Elias duos principes quinquegenarios igne interfecit. Ibid.
Vt Petro reuelatus fuit Chriſtus, ſummo Pontifici reuelabitur Anti-Chriſtum eſſe Anti-Chriſtum. 437. c. 1
Pontifex detrudet Anti-Chriſtum in infernum, vt olim S. Michael Luciferum; & vt Petrus Ananiam & Saphiram & Simonem Magum interemit, ita ille Anti-Chriſtum. 437. c. 1. & 2
Pontificis Romani conſtantia & fortitudo in extremis temporibus. 444. c. 2
Pontificis Romani ſententia contra rebelles ſchiſmaticos promulgabitur per Epiſcopos & prædicatores. 414. c. 2
Plures pontifices è Roma expulſi, credibile faciunt in fine ſeculorum Pontificem, qui tunc erit, ſimilia forè paſſurum. 482. c. 1. & 2
Summus Pontifex per vnum Angelum ſtantem in ſole deſignatur: & cur in ſole? 508. c. 1
Habet Plenitudinem poteſtatis, & clamat voce magna, quia non timet audiri. 509. c. 1
Eſt dux in terris omnium congregationum, quæ Chriſto militant. 512. c. 2
Quales debeant eſſe quos ſummus Pontifex eligit in miſſionarios. 638. c. 2
Plenitudo poteſtatis ſummi Pontificis manifeſta eſt, quòd poſſit ordines Religioſorum inſtituere, confirmare, & aliquos ad adminiſtrationem ſacramentorum, & prædicationis miniſterium delegare. 639. c. 1
Eius poteſtas eſt indicium diuinæ bonitatis. 638. c. 1
Eius autoritas eſt quaſi ſagitta in manu Dei, ad ſimilitudinem Chriſti. 640. c. 1
Triplex Plenitudo Pontificiæ autoritatis 640. c. 2. Poteſt vbicumque ſuas exercere functiones: eſſet namque vana ſi non eſſet efficax. 640. c. 2
Poteſtas delegandi neceſſaria, ſicut & diſtinctio parœchiarum. 640. c. 2
Autoritas, quam concedit Pontifex delegatis, non eſt in preiudicium plebanorum. Ibid.
Cur clamat, dum aues vocat ad cænam. 647. c. 2
Non erant in Primis temporibus tot delegati neceſſarij, quot ſunt neceſſarij in vltimis temporibus. 641.
A ſummo Pontifice procedit diſtinctio parœchiarum, & collatio iuriſdictionis. 641. c. 1
Quia ſummus Pontifex eſt Architectus, hortulanus diligens, bonus Agricola bonus Paſtor, fide inſtor ſenſatus, Medicus fidelis, ſpeculator prouidus, dux prudens exercitus Dei; ideo non contemnit manus auxiliatrices Religioſorum. 641. c. 2
Potentiæ diuinæ aſcribitur quod homo Deum habeat pro vltimo fine. 326. c. 2
Potentia diuina requiritur ad æternam vitam promerendam. 326
Per poteſtatem Dei inexpugnabilem, facilè fit à tribulatione ad proſperitatem tranſitus, & contra. 274. c. 1
Poteſtas politica Eccleſiaſticæ poteſtati eſt ſubordinata. 233. c. 1. & 349. c. 2
Poteſtas iuriſdictionis exterior deſignatur per Angelum exeuntem de templo. 250
Poteſtas Eccleſiæ iudicandi de perſonis particularibus, ſignificatur in ſexta phiala. 348. c. 1
Poteſtas hæc probatur ex S. Paulo: data eſt propter dignitatem ſtatus Chriſtiani; & meliorem iuſtitiæ

administrationem

Digitized by Google

adminiſtrationem. 348. c. 1
Poteſtatis Pontificiæ inſigne & figura, Mithra aurea. 349. c. 2
Poteſtas iudicandi, qua ratione deſignatur in effuſione ſextæ phialæ 350. c. 1
Hæc Poteſtas in ſexto Angelo Philadelphiæ deſignator. 350
Poteſtas Eccleſiaſtica digna reuerentiæ. 351. c. 1
Poteſtas in corpus Chriſti myſticum conſequitur ad poteſtatem in corpus Chriſti verum datam ſacerdotibus. 324. c. 2
Prædeſtinati in hac vita non cognoſcootur, Dei eſt illis aſſignare locum. 552. c. 1
Prædeſtinationis, vt Dei eſt, motiuum iocognitum. Ibid.
Prædicatores Angeli dicontur: primo ratione autoritatis: ſecundo, quia à materia abſtracti per ſpiritum paupertatis, & puritatem vitæ: tertiò, quia Angelos debent imitari in ſuis functionibus obeundis. 212. c. 1
Volant Per medium cæli, id eſt, per omnem Eccleſiam, per virtutes vitæ actiuæ & contemplatiuæ, item per medium ſcripturarum Ruperto per medium cælum: io auditu omniom, vt ab omnibus audiri & videri queant. 212. c. 1. & 2
Prædicatores habent Euangelium æteruum, quia æternitatem præſtat, quia ab æterno à Deo præfinitum, quia non tranſibit, aut veteraſcet, ſed in æternum durabit; quia promittit æterna. 212. c. 2.
Prædicatori verbi diuini quænam virtutes neceſſariæ? 301. c. 1
Prædicator debet eſſe ſtudioſos. 302. c. 1
Quales eius virtutes, inter quas fidelitas in verbi adminiſtratione. 305. c. 1. & 306. c. 1. & 2. & 307. c. 2
Quatuor eios conditiones: 642. c. 1. & illarum neceſſitas. 309. c. 1
Debet habere ſpiritum Paupertatis, propter quem aſſimilatur auibus: nec mortem timet. 642. c. 2
Debet habere mentis eleuationem per contemplationem cæleſtium, qoin & zelum diuini honoris & ſalutis animarum: propter quæ comparator auibus. 643. c. 1. & 2
Prædicatores non debent leuiter deſerere antiquam doctrinam; ſint nicticoraces & paſſeres. 643. c. 2. & 644. c. 1
Habeant ſpiritum compunctionis, ſint turtures. 644. c. 2.
Habeant rectam & ſimplicem intentionem: ſint colombæ. 645. c. 1. & 2
Ad Chriſtum oculos dirigant: ſint aquilæ. 646. c. 1. & 2
Capient, vt quædam aues, temporis opportunitatem. 647. c. 1. & 2. Non quærant quæ ſua ſunt. 641. c. 2
Quomodo dicantur manducare carnes Regum & cæterorum? 310. c. 2
Prædicatio eſt primum medium, quod oratio impetrat, vt aliorum ſaluti conſulatur. 305. c. 1
Per prædicationem verbi apparet vitam ſenſualem regnare in reprobis. 305. c. 2.
Prædicationi verbi & propoſitioni veritatis Euangelij, per prudentiam carnis peruerſæ inclinationi & vitæ ſeoſitiuæ fauentem reſiſtitur. 305. c. 1
Quale Proinde ſit prælium inter prædicatores veritatis, & mentes reprobotom? 305. c. 1
Prædicationis efficacitas per fulgura, voces, & tonitrua deſignatur. 366. c. 1
Prælati & prædicatores per Michaelem & eius Angelos deſignantur. 70. c. 1
Prælati poterunt aliquod peccatum præcipere, nempe hunc aut illum indebite occideodum, & tamen Eccleſia nec ſummus Paſtor vnquam dicent homicidium de ſe eſſe rem faciendam. 13. c. 1
Prælatorom iniuria in Deum redundat. 325. c. 1
Prælij draconis cum Michaele in c. 12. diuerſæ expoſitiones, 65. c. 1. & 2. & 66. c. 1. & 2. & 67. c. 1. & 2
De hoc Prælio noſtra ſententia. 68. c. 1. & 2. & 69. c. 1. & 2. & 70. c. 1
Cum hoc Prælium ſit inter bonos & malos Angelos, non ſit alluſio ad Prælium bonorum Angelorum inter ſe Danielio. 67. c. 1
Prælium c. 12. intelligendum de initio perſecutionis, qua Romanum Imperium infeſtauit Eccleſiam. 67. c. 1
Prælium hoc ad Anti-Chriſti tempora pertinere cenſet Ribera: meliùs tamen refertur ad tempus extirpationis idololatriæ. 67. c. 1. & 2
Hoc Præliom cap. duodecimi fusè deſcribitur in c. decimo ſexto per totum. Præſumptio opponitur magnanimitati: cum Deo cooocordare non poteſt. 143. c. 1
Cum Proximo non concordat, quia multos offendit. 143. c. 2
Nec cum ſeipſo concordare poteſt. 143. c. 2
Pragmatica ſanctio reuocata fuit per Ludouicum vndecimum, per literas concilio Lateraoenſi directas. 44. c. 1.
Praſinus Lapis dedicatos erat ſacerdotali tribui, quæ cæleſtem cognitionem rimatur. 349. c. 2
Primitiæ dicuntor res obſequio Dei & agni conſecratæ, vt ſacerdotes, Religioſi, prædicatores, Doctores. 206. c 1
Primitiæ dicebantur Deo oblata tribus modis: primi fructus: prima oblatio offerentium: præſtantiora. 206. c. 1
Primitiæ dicontur de Chriſto, & de Virginibos, ſed diuerſimodè. 206. c. 1
Primitiæ eorum, quæ ſunt prætioſiora, adaptantor ſacerdotibus, Religioſis, Doctoribus: eorumque pulchra deſcripſio. 207. c. 1. & 2
Primitiæ etiam dicuntur ea, quæ offerebantur pro libito & bona voluntate, ſicut Religioſi Deo ſe offerre debent. 207. c. 1. & 2
Boni Principis conditiones. 44. c. 2
Principes Eccleſiam ſuſtentant temporaliter à Deo remunerantur. 44. c. 2
Ad Principes ſeculares minimè pertinet res ſacras pertractare. 234. c. 2
Princeps Chriſtianos perſequens Eccleſiam reprimendus 233. Principes perſequentes Eccleſiam commanducant linguas ſuas, pro diuerſitate doloris quò tanguntur. 348. c. 1
Principes abutentes poteſtate ſibi tradita ad impugnationem Regni Chriſti, ſunt miniſtri diaboli. 338. c. 1
Principes terræ quomodo dicuntur mercatores? 461. c. 2
Principum mundi rapacitas. 480. c. 1
Principis crudelis, deſcriptio. 392
Priuilegia Romanæ ſedis ſunt remedia Eccleſiæ Catholicæ, & arma contra omnem impetum prauitatum 248. c. 2. & 249. c. 1. Non ea concedit Pontifex in ſuum præiudicium. 249. c. 1
Prologus in c. 19. 511. c. 1. & 2
Prophetiæ donum ſanctitatem Eccleſiæ deſignat. 30. c. 1
Prophetia eſt donum Spiritus ſancti 32. c. 2. Etiam aliquando inimicis Eccleſiæ tribuitur, vt percipiat donum eſſe gratuitum. Ibid.
Prophetia fit Deo reuelante immediate futura, vel per ſigna illa ſignificantia. 32. c. 2
In Prophetia quatuor conſideranda. 594. c. 1
Prophetiæ plures euentus prædicant ſub eiſdem verbis & loquendi formulis, propter quandam inter eos ſimilitudinem. 463. c. 1. & 2
Prophetiæ ſymbolum eſt qood Eccleſia vndequaque ſit ſole amicta, vt futura æque ac præterita videat. 32. c. 2.
Prophetia S. Ioannis eſt vt de Chriſto teſtimonium reddat. 595. c. 2
Continet etiam Perſecutiones Eccleſiæ 418. c. 1. Nullus poſt eum habuit illud donum cum tanta plenitudine. 592
Prophetiæ aliorum ab Apoſtolis ſibi autoritatem conciliant, ex iis quæ Apoſtolis reuelata fuerunt. 592. c. 2
Alias Prophetias admittit Eccleſia, ſed non eis dat autoritatem qualem habeant ſacræ ſcripturæ. 593. c. 1
In Propoſitione eſſentiali ſubjectum eſt ſemper idem cum attributo. 603. c. 2
Prouidentiæ diuinæ benignitas. 621. c. 1
Prouidentiæ diuinæ ordo eſt vt homines mutuò ſe adiuuent, vt fiat æqualitas: & quomodo? 105. c. 1
Prouidentiæ perfectiones difficiliter percipiuntur. 538. c. 2
Ne diuina Prouidentia dicatur ſuper actus humanos oſcitanter vigilare, immittuntur pœnæ temporales. 511. c. 1
Prudens eſt qui in agibilibus ſcit meliora ſeligere. 580. c. 2
Prudenter agit qui in omnibus actionibus Chriſti imaginem exprimere ſtudet, & eum in ſe habere deſiderat. 580. c. 2 & 581. c. 1
Prudens eſt aliquando fingere ſe ignorare peccatorum crimina, vt corrigantor. 302. c. 1
Prudentia eſt conciliatiua, iudicatiua, præceptiua. 581. c. 1
Cognitio ex Prudentia orta multum confert ad perfectionem. 581. c. 1
Prudentia quantum ſit neceſſaria prædicatori? 302. c. 1
Prudentia carnis per poculum ſignificatur in c. 18. 470. c. 2. Quænam ſit? 104. c. 2
Prudentia carnis è terra emergens dicitur: quia è carne, quæ terra eſt, in terram reuertenda originē docit. 170. c. 2. Stulta, quia nos Dei inimicos conſtituit. 156. c. 2
Eam ſibi diabolus exoptat ſociam. 170. c. 2
Eſt diaboli organum 172. c. 1. Nullam habet figuram: quia multiformi ſapientiæ Dei ſe opponit, vt nos ab vltimo fine auertat 170. c. 2. in momento variam induit formam. 183. c. 2
Quantum ab ea diſtat prudentia deſurſum deſcendens? 171
Prudentia carnis ſuadet menti nulla lege debere coerceri, quaſi ſufficiens ſibi: ſibi præſcribit regulas agendi: Deum mendacij arguit, & per amorem voluptatis in Apoſtaſiam à fide inducit. 172. c. 2

Regum poteſtas inferior eſt poteſtate Eccleſiaſticâ, & ordinata à Deo ad poteſtatis Eccleſiaſticæ fulcimentum. 45. c. 1

Regum non eſt tollere aut minuere iura eccleſiaſtica. 235. c. 1

Quia Reges Hiſpaniarum leges Eccleſiæ contempſerunt, Hiſpaniam Saraceni inuaſerunt. 235. c. 1

Plures Reges à Deo puniti, quòd iura Eccleſiæ contemnerent. 235. c. 2

Reges ſubiacent Eccleſiæ correctioni. 236. c. 2. & 237. c. 1

Plures Reges excommunicati ab Eccleſiâ fuerunt. 236.

Recapitulatio eorum, quæ antea dicta fuerunt, fit in c. 20. 659. c. 2

Religio vera quærenda eſt apud eos ſolos, qui Catholici dicuntur inter Chriſtianos. 23. c. 2

Religionis maieſtas in apparatu exteriori. 430.

Omnis Religio Deum verum colens, habuit ſigna, quibus profiteretur illum eſſe cultu latriæ adorandum. 321. c. 1

Religioſi aſſumuntur ex hominibus, ſeu emuntur, vt non ſicut fermentum malitiæ, aut mel voluptatum ab altari arceantur: ſed ſicut frumentum & oleum altari, & Deo offerantur. 206. c. 2

Satius eſt & vtilius ſcire rationem, qua quis poteſt reprobari, quàm quo nomine nuncupetur reprobus. 93. c. 1

Reprobi fiunt ſedes fixa beſtiæ: ſunt in regno tenebroſo diaboli 345. c. 1

Reprobos vocare poſſumus terram, quia terrena ſapiunt; obliuionem, quia Dei obliuiſcuntur: & ipſe eos tandem deſerit, & obſtinationem, propter finalem impœnitentiam. 101. c. 1

Reprobi ſimiles ſunt rupi nigræ & altiſſimæ ſeptemtrionali. 345. c. 1

Quomodo remedia reſpuunt, & bella gerunt cum Paſtoribus? 319. c. 1

Reprobi ad inſtar dæmonis tentant mendaciorum adinuentione: ſeducunt præſtigiis; perſequuntur nocendi poteſtate. 253. c. 1. & 2

In reprobis quomodo dæmon religatus & incarceratus detinetur? 673. c. 2. & 674. c. 1

Requies in hac vita eſt ſpes certa futuræ beatitudinis. 222. c. 1

Prima reſurrectio, de qua agitur in c. 20. eſt reſurrectio à peccato in præſenti vita. 687. vel ille primus honor, qui redditur ſanctis in præſenti vita. Ibid.

Tria requiruntur in hac reſurrectione prima, reunio animæ cum Deo: ſecunda, quòd ſit indiſſolubilis: tertia, quòd ſit manifeſta & cognita. 687. c. 2. ſicut in Chriſti reſurrectione. 697. c. 1

Agnitio, & manifeſtatio vitæ gratiæ, eſt prima reſurrectio. 688. c. 2

Romana ſedes præcellit ſuper alias ſedes Patriarchales, ſicut ſol ſuper planetas. 634. c. 2. & 635. c. 1. & 2

Romanus Pontifex caput Catholicæ fidei ſemper fuit: irradiat priùs alios Epiſcopos, ſicut ſol montes. 635. c. 2. eius autoritas ad multiplices & effectus ſalutares extenditur. Ibid.

Omnes ſedes Epiſcopales ſedes Romana inſtituit: lumen infundit Paſtoribus, & populorum gubernatoribus in rebus ad ſalutem conducentibus, ſicut ſtellæ à ſole lumen mutuantur. 636. c. 1. & 2. & 637. c. 1

In motu, ſicut ſol, conſtantem modum ſeruat, nunquam à veritatis linea diſcedens. 637. c. 1. & 2

Qui fuerit à Romano pontifice ſeparatus, non poterit fructum ſuſcipere ex adminiſtratione aut ſuſceptione ſacramentorum. 636. c. 1

In Romana ſede clara eſt ſucceſſio Epiſcoporum 390. c. Eius primatus 45. c. 1. Fulcit autoritatem Epiſcoporum: quia fundata eſt in incorruptibili promiſſione Chriſti. 45. c. 2

Eius miniſterio Chriſtianus populus agnoſcitur illum eſſe populum, in quo eſt ſacerdotale Chriſti regnum 57. concuti poteſt, non euerti 79. c. 1. nunquam erit habitatio dæmoniorum 384. c. 2. Eſt in memoriam B. Petri honoranda: 236. c. 2

Ad Romanos ſchiſmaticos pulchra S. Bernardi ad reſipiſcendum exhortatio. 383. c. 1. & 2

Alia eſt ciuitas Romana, alia Eccleſia Romana. Vnde ex deſtructione ciuitatis, non eſt conjicienda Eccleſiæ deſtructio aut euerſio. 384. c. 1. & 385. c. 1

Roma, quo ſenſu vocatur babylon à S. Petro? 276. c. 2: Ita vocatur ob ſimilitudinem in amplitudine, & potentia Imperij Romanorum, cum Imperio Aſſyriorum; vel propter mentis ſuperbiam, & dominandi cupiditatem. 385. c. 2

Roma ciuitas ſublimis, ſub pedibus Chriſti & Apoſtolorum ſubigenda. 217. 2. 1

Qualis euaſura eſt, cum ſe ab hac ſubiectione ſubtrahet? 375. c. 2

Erit hinc babylon, mater fornicationum & abominationum terræ. 376. c. & 2. & 382. c. 1. & 406. c. 2. Tunc euertenda. 377. c. 1

Roma ſchiſmatica præſidebit ſuper animas omni animi peruerſitate repletas. 376. c. 1

Roma quomodo dici poteſt habere Imperium ſuper Reges terræ in fine ſæculorum? 382. c. 1. & 2

Roma defectio & diſceſſio à ſummo Pontifice credibilis ab his quæ iam euenerunt. 382. c. 2

Romæ ſchiſmaticæ perfidia excitat admirationem S. Ioannis. 416. c. 2

Roma euertenda in fine ſæculorum non reſtaurabitur. 384. c. 2

Quanta erit Romæ deſolatio per Anti-Chriſti ſatellites? 441. Eius caſus deploratiſſimus. 443. & 444. & 451. Eius ruina cur à Deo decreta? 444. c. 1. Eius euerſionis cauſa, morum corruptio, inobedientia Eccleſiæ Paſtori; & autoritatis Eccleſiaſticæ vſurpatio. 461. c. 1

Romæ ſchiſmaticæ quàm corrupti erunt mores? 444. c. 2. humiliabitur quantum ſe glorificauerat. 445.

Roma ſpoliabitur ornamentis, & diuitiis, quibus ad Deum cognoſcendum, & colendum promoueri poterat, quia his abuſa eſt. 446. c. 2. & 486. c. 1

Ex eius deſolatione alij Reges in timorem Anti-Chriſti deuenient. 445. & 446

Cum Romana ciuitas dicitur deſtruenda, non eſt hoc intelligendum de Eccleſia Romana, ſed de ciuitate ſchiſmatica. 448. c. 1. & 2. & 450

Roma ſubruenda poſt diſceſſum ab ea fidelium. 469. c. 2

Maioribus afficietur ſuppliciis, quia maioribus beneficiis fuit cumulata. 449. c. 1

Ciuitatis Romanæ à ſummo Pontifice diſceſſio ſub Anti-Chriſto, erit vltima porta ſeu inuentio ſathanica, qua diabolus attentabit religionem ſubuertere. 450. c. 1

Romani rebelles in fine ſæculorum eligent aliquem Imperatorem, qui faueat ſchiſmati & rebellioni. 465. c. 2

Romani cum ſchiſmatico Imperatore conſtituent Pſeudo-Pontificem in his temporibus. 466. c. 1

Sic Romani iugum obedientiæ excutient circa tempus Anti-Chriſti, vt fecerunt hæreſi Arnaldi adhærentes, rebellantes contra Innocentium ſecundum, Lucium ſecundũ, Eugeniũ Tertiũ. 464. c. 2. & 465

Romani ſub Innocentio ordinem Senatorium reſtituere attentarunt. 465. c. 1. & Patritium adjicite ſub Lucio. Ibid.

Ex his patet Romanæ ciuitatis ruinam non eſſe myſticè pro eius conuerſione ad fidem intelligendam. 473. c. 1. & 2

Romanum Imperium non ad Ethniciſmum ſeu gentilitatem redibit in fine ſæculorum, vt vult Cornelius, ſed in ſchiſma & hæreſim dilabetur. 432. c. 2

Romanæ Eccleſiæ vnitas & ſubiectio ſeruanda. 488 c. 1

Romana Eccleſia forma & firmamentum Eccleſiarum. 454

Ciuitatis Romanæ honor eſt quòd ſit ſedes illius, in cuius perſona Chriſtus à Regibus colitur & adoratur. 451.

Qui abſque conſenſu Romanæ ſedis aliquid erigere conatur, ſuper arenam ædificat. 241. c. 1

Irrita declarauit Romanus Pontifex, quæ abſque eius conſenſu facta fuerunt circa primatiam ſedis Conſtantinopolitanæ. 241

Roma ſepticollis olim dicta. 396. c. 1

In excidio Romæ ſchiſmaticæ flebunt potiſſimùm ſchiſmatici. 489. c. 1. Gaudebunt ſancti, non de ruina, ſed quia finis malorum Anti-Chriſti eſt proximus. 491. c. 1

S

VT Sabbathum aſſequamur, laborandum eſt in ſenario temporis. 222. c. 2

Sacerdotes ſunt primitiæ altioris ordinis, quàm fermentum & mel, quibus malitia, & voluptas ſignificantur. 206. c. 2

Sacerdotis optimi, nec non Doctoris aut Religioſi conditiones, in primitiis eorum, quæ ſunt pretioſiora, ſignificantur. 207. c. 1

Sacerdotes, mundi & puri eſſe debent. 284. c. 1

Sacerdotes per Angelum ſignificantur. 253 c. 2. & 254. c. 1

Sacerdotij ſtatus aut Religionis eſt pura intentione eligendus. 208. c. 1

Sacerdos eſt diſpenſator ſacramenti, non autor. 324. c. 1

Sacerdos non vtitur facultate ſibi data in ſacramento ordinis, niſi iuxta præſcriptum illius qui præeſt Eccleſiæ. 253. c. 1

Sacerdotium, Imperij ſanctificatio, Imperium, Sacerdotij fortitudo. 236. c. 1

Sacerdotij finis, contemplatio. 349. c. 1

Sacerdos quidam moritur vt Arrius, propter rebellionem contra ſuum Epiſcopum Sidonium Appollinarem. 460. c. 2

Sacramenta & ſacrificia per phialas deſignantur. 284. c. 1. & 2

Sacramentorum efficaciæ reſiſtunt impij, quia effuſæ ſunt illorum facultates in quamlibet nequitiam. 288. c. 2

Sacramenta non ſunt adminiſtranda, niſi in locis Deo ſacris 20. c. 2. de eorum adminiſtratione agitur in effuſione tertiæ Phialæ. 314

Sacrificandum non eſt puræ creaturæ. 311
Sacrificium offerendi poteſtas, in Epiſcopo thyatirenſi ſignificatur. 313. c. 1
Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum. 323. c. 1
Sacrificium externum ad Deum colendum non ſufficit, niſi ſimus reuera filij Dei imitatores. 324. c. 2
Sacrificium corporis Chriſti, mentis ſolem. j. acumen attonitum reddit. 321. c. 1
Sacrilegia Deus ſeuere punit. 462. c. 1
Sanctj ſunt veſtimentum Chriſti. 507. c. 2
Sancti inuitantur ad lætitiam, ex punitione malorum. 447. c. 1. & 2. duo modi ſanctificationis, per innocentiam morum, & per martyrium. 683. c. 2
Sanctorum eſt inſurgere in aduerſarios pietatis. 311
Sancti quomodo malis & impiis reddunt & duplicant duplicia. 468. c. 1. & 2
Etſi Sancti pro iniuriis ſibi illatis non debeant reddere malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: ſi in illorum iniuria Dei honor conculcatur, autoritate ſibi data poſſunt vti ad vindictam malefactorum 469 c. 1. Exultant in cælo & in terra, ob punitionem malorum. 489. & 491
Sanctorum perſecutores ebrij ſunt, non aduertentes certiſſimum ſibi comparari exitium. 407. c. 1
Sanctorum patientia durare debet, quoad reprobis ſupplicia immittantur. 196. c. 2
Sanctorum ſymbolum, ſtellæ. 26. c. 2
Sancti mouentur inſpirationibus diuinis, vel ſuggeſtionibus Angelicis. 27. c. 2
Sancti habent motum circularem à Deo ad Deum. 27. c. 2
Sancti quomodo dici poſſunt non poſſe peccare? 20. & 21. c. 1
Sanctorum ſeu prædeſtinatorum numerus ſoli Deo cognitus. 27. c. 2
Sancti præſtant orationibus ſuis, quod faciunt prælati ratione autoritatis. 685. c. 1
Sancti differunt in donis, ſicut ſtellæ in claritate. 27. c. 2. & 28. c. 1
Sancti influunt per orationes in fideles, ſicut ſtellæ in partes terræ inferiores. 28 c. 1
Sanctorum exemplo, oratione & protectione, fideles poſſunt quælibet pietatis officia exercere. 186. c. 1
Sancti non poſſunt habere Dei dona in pari gradu cum Chriſto, ſed omnium donorum illius fiunt participes, excepta vnione hypoſtatica. 192. c. 1
Sanctorum reliquiæ dæmones fugant. 29. c. 2
Sanctitas in Principibus rara, in multis tamen Eccleſiæ Principibus reperta fuit 28. c. 1. De ſanctitate agnita agit S. Ioannes. 683
Ex Sanctitate, in qua quidam collocantur, conjiciuntur quam plurima Dei beneficia & præclara opera. 185. c. 2
Sanctitatis decor in duobus conſiſtit, ſtit in virginitatis honore, & paſſionis Chriſti imitatione. 289. c. 1
Qui Sanctificant, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. 191. c. 2
Sanguis Chriſti à ſatana exigitur. 663. c. 1
Sanguis quaſi mortui, non eſt ſanguis martyrum. 305. c. 1
Sapientiæ eſt paucis multa complecti: quæ ſemel quis expoſuit, non iterum leuiter exprimere. 108. c. 1
Licèt quis ſit aliis ſapientior, Dei eſt cognoſcere cuius ſapientia vtilior erit proximo. 144. c. 2
Sapientia diuina relucet in hominis creatione, in ſacramentorum inſtitutione, in propoſitione conſiliorum Euangelicorum, in autoritate data Paſtoribus. 553. c. 1. & 2
Sapientia diuina relucet, vt per afflictiones ad cæleſtia capeſſenda perueniamus. 609. c. 1. & 2
Sapientia carnis Deo iniurioſa: omnem formam induit, blandè ferit & lædit. 88. c. 1
Sapientia carnis dominabitur in Pſeudo-Propheta. 103. c. 1
Soluetur ſatanas ad oſtenſionem ſuæ potentiæ, ad Eccleſiæ patientiam exercendam, & oſtenſionem diuinæ bonitatis & ſapientiæ. 694. c. 1
Satanæ ad inflammandas concupiſcentias quanta ſit poteſtas? 86. c. 1
Satanæ duplex caſus. 69. c. 2
Satanas abſque liuore & ira non poteſt videre felices Eccleſiæ progreſſus. 3. c. 1
Satan in draconis figura apparet. 3. c. 2
Inſatiabili Siti laborat perdendi homines in corpore & anima. 3. c. 1
Ligationis Satanæ ſecpus: apprehenditur à Michaele, vt fugitiuus ſeruus. 666. c. 2
Schiſmatis ſtatus perículoſior quàm Idololatria 457. Eodem ſchemate ſupplicium & conuerſio ſignantur. 705. c. 1. & 2
Cum Scriptura ſacra ait: *Si quis habet aures audiat*, obſcurum quid ſignificat. 160 c. 1
Scriptura ſacra non eſt cuilibet legenti peruia. 161. c. 1
Scripturæ ſacræ intellectus datur à Deó petentibus. Ibid.
Eadem verba Scripturæ poſſunt diuerſos ſenſus literales pati, & diuerſa poſſunt ſignificari ſub iiſdem verbis. 162. c. 1
Scriptoribus ſacris fàmiliare eſt vt vnus exprimat quod alter omiſit, & ſe mutuò iuuant. 162. c. & 163. c. 1
Seculorum ſeptem, in quibus à reprobis Eccleſia vexata fuit, ordo & enumeratio. 417. c. 2
In his Seculis quænam præcipuè Eccleſiam vexarunt? Ibid.
Ad Seculum aliquod deſignandum, in quo conſiderari debeant Eccleſiæ vexationes, tres requiruntur conditiones. 418. c. 1
Secula hæc incipienda à tempore promiſſionis Meſſiæ. 418. c. 2
Primum Seculum incipiendum ab Abraham vſque ad Moyſen. 419. c. 2
Secundum ſeculum à Moyſe vſque ad Ezechiam. 419. c. 2. & 420. c. 2
Seculum tertium ab Ezechia ad zorobabel. 421. c. 2
Seculum quartum à zorobabele ad Chriſtum. 422. c. 1
Quintum à Chriſto ad Conſtantinum. 423. c. 1
Sextum ſeculum à Conſtantino ad Anti-Chriſtum. 423. c. 2
Septimum ſeculum ab Anti-Chriſto, cum cauendum erit à ſeductione. 163. c. 2
Ad conſummationem mundi 423. c. 2. de Seculi conſummatione. 691. c. 2
Nulla Secta extra Eccleſiam vacua erroribus. 22. c. 1. ſedes c. 20. ſunt Eccleſiæ dignitates. 684
Per viginti quatuor Seniores quinam deſignantur? 518. c. 2 & 529. c. 1. nempe Sacerdotes, & ij omnes qui ſaluti aliorum promouendæ incumbunt.
Series omnium, quæ ſub ſymbolo mulieris ſignificantur, valde ponderanda. 59. & 60. & c 1
Sermo in ore, prædicatio verbi, in manibus ſcriptio vel operatio. 195. c. 1
Sermo diuinus non ſolùm audiendus & credendus, ſed etiam cuſtodiendus. 337. c. 2
Serpentis figura dæmoni gratiſſima. 73. c. 1. & 2
Per Serpentem eius aſtutia innuitur. 666. c. 2
Pulchra Serpentis cum ſatana comparatio. 667. c. 1
Poteſtas, qua huius ſerpentis eluduntur artes, eſt infaillibilitas veritatis in doctrina. 669
Per Sanctitatem veram etiam eius calumniæ retunduntur. 669. c. 2
Quinque Senſus dantur à Deo, tum ad vitam tum vt per eos ratio animam poſſit ducere ad rectitudinem. 485. c. 1
Qui quinque Senſibus abutuntur ad luxuriam, & ad alia vitia, iram Dei incurrunt. 485. c. 1
Senſus carnalis eſt non credere ſpiritualia. 309
Seueritatem à Deo remouere non debemus. 329. c. 2
Signa de fine mundi pertinent non ſolum ad aduentum Chriſti ad iudicium, ſed etiam ad tempus deſtructionis Hieruſalem. 162. c. 1
Signum futuri excidij Hieruſalem Lucas poſuit. Signa aduentus Chriſti, & conſummationis ſeculi S. Mattheus & S. Marcus poſuerunt. 164. c. 1
Signum magnum eſt videre, homines terrenos ad cæleſtia vocari & adſpirare: at ſignum magnum & mirabile eſt eos videre ad dignitatem ſacerdotalem & Epiſcopalem euehi. 271. c. 1
Signum magnum & mirabile, & valde mirabile, eſt videre homines per ingratitudinem ſeſe opponere mediis ſibi ad ſalutem conceſſis. 271
Siluerij Pontificis exilium, & in exilio vigor Eccleſiaſticus, eſt prototypon expulſionis Pontificis è Roma, per Anti-Chriſti ſatellites, & illius fortitudinis. 464. c. 1
Simoniæ labeſcerit negotiationis genus, propter quod Roma ſchiſmatica erit euertenda. 479. c. 1
Quantum Deo ſit execrabilis, & ab eo ſeuere puniatur? 480. c. 1
Quibus coniecturis conjicere poſſumus Eccleſiam temporibus vltimis ſimoniacâ labe eſſe inficiendam? 480. c. 2
Simulachrum matris Simundij Regis Ægyptij triplici corona redimitum, Eccleſiæ ſymbolum præclarum. 22
Sol in effuſione quartæ phialæ non deſignat ſolem viſibilem. 327. c. 1
Item non ſignificat diuinitatem. Ibid.
Per ſolem debet deſignari aliquid, quod capax ſit ſuſcipiendi in ſe liquorem phialarum. Ibid.
Solem ſub nomine Oſiris adorabant Ægyptij. 108
Ex Septem, quæ in ſole conſiderantur, explicantur prærogatiuæ ſummi Pontificis datæ à Chriſto. 633
Sol deſignat hominem, inquantum mens eius ſignata eſt lumine ra-

Digitized by Google

tionis. 317. c. 1
Eodem namque Symbolo, quo Deus deſignatur, poteſt etiam mens hominis deſignari, 327
Solis cum humano intellectu comparatio. 327. c. 2. & 328. c. 1
Per Solem, autorem conſiderare debemus. 328. c. 1
Si per ſolem materialem occaſionem habemus laudandi Deum, multo magis ex conſideratione mentis, ſi oculis conſpici poſſet, ſicut ipſa per reflexionem in proprios actus ſe agnoſcit. 328. c. 1
Solitudo, in quam fugit Eccleſia, eſt huius vitæ peregrinatio; eſt etiam Chriſtus, quem ſecuti ſunt Apoſtoli, relictis omnibus quæ poſſidebant. 58. c. 2. Eſt etiam ſecretum mentis. 59. c. 1. Eſt inſuper deſertum, in quod Eremitæ ſecedunt. Eſt denique gentilitas, in quam receſſit relicta ſynagogâ. 63. c. 2
Spectacula ſecnicorum quanta ſit pernicies? 392. c. 1
Spes perueniendi ad vitam æternam, quantam affert conſolationem? 623. c. 2
Spes in Deo, amica tuta. 136. c. 1
Spiritus ſanctus quibus donis Apoſtolos ornauit in die Pentecoſtes? 6. c. 1
Spiritus ſanctus antediem Pentecoſtes gratiam in corda plurimorum infuderat. 6. c. 1. Plurima etiam iam dederat ſigna ſuæ præſentiæ. Ibid. c. 2
Super Chriſtum deſcendens voluit oſtendere qualem ſponſum Eccleſia haberet. 6. c. 2
In die Pentecoſtes per ſigna oſtendit qua autoritate, & poteſtate Apoſtolos & Eccleſiæ Paſtores decoraret. 7. c. 1
Spiritus vehemens, Spiritus ſancti præſentiam deſignabat. 8. c. 1. Quid illa vehementia deſignabat? 9. c. 1
Spiritus ſancti Maieſtas & gloria aptiſſimè ſymbolo ignis deſignatur, & per lucem. 9. c. 1. & 2
Spiritus ſanctus mentes per errores diſperſas, per veritatis cognitionem in vnum colligit. 9. c. 2
Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. 177. c. 1
Hic Spiritus agnoſcitur ex dilectione iuſtitiæ, & Catholica fide. 177. c. 1
Spiritus Angelici quomodo dici poſſunt apprehendi aut ligari? 674. c. 2. & 675. c. 1. & 2
Signum, quo obſignatur carcer maligni ſpiritus ſeu dæmonis, eſt ſaphirus, veritatis ſymbolum, in quo inſculpitur Amen: quia Deus verax eſt in promiſſis. 874. c. 1. & 2
Spiritus datus imagini beſtiæ ſunt rationes, quibus fulciuntur leges inuentæ à prudentia carnis. 177. c. 2
Spiritus immondi ad modum ranarum, Ruperto præſtigia magorum, commenta philoſophorum, figmenta poëtarum. 352. c. 2
Quo ſpiritu ducentur, qui ſunt inituri prælium contra Eccleſiam. 359. c. 1
Spiritus concupiſcentiæ oculorum & carnis, & ſuperbiæ vitæ comparantur cum Ranis Ægyptiacis. 359. c. 1. & 2
Spiritus immundi, dæmones, quia homines ad immunditiem incitant. 457. c. 2
Odibiles: quia ad odium impellunt. 458. c. 1
Sponſæ verba ad ſponſam: *Quis det te mi frater ſugentem vbera matris meæ?* exponuntur. 403. c. 2
Vt ſponſa Chriſti ad nuptias præparetur, duo ſunt neceſſaria, donum & conſenſus. 578. c. 1
Stadia mille ſexcenta c. 15. ſignificant pœnas totam Eccleſiam inundare, vel conſummatam nequitiam perfectiſſimâ quadam pœnâ punitam. 259. c. 1
Stadia 1600. idem valent ac 160. milliaria, quæ longitudinem terræ promiſſionis adimplebant. 260. c. 1
Stellæ, quas draco cauda attrahit, ſunt Angeli deſertores, qui ei conſenſerunt, quorum miniſterio vtitur ad Eccleſiam impugnandam; vel fideles, quos vel corporaliter occidit per Martyrium, vel ſeduxit, & à fide auertit. 55. c. 1. & 62. c. 1. & 2. & 63. c. 1
Studium eſt inane, niſi fiat ſub ſpe fructus ſpiritualis. 302. c. 1
Stupiditas ad diuina percipienda, plaga peſſima. 300. c. 1
Stulta de Deo credenda, vt ſapientes ſimus. 329. c. 1. & 2
Subuerſionis periculum ingens tempore Anti-Chriſti, videntibus perſecutores facere ſigna & prodigia. 167. c. 1
Subuerſio & ſeductio prodigioſa ſub Anti-Chriſto. 184. malè 174. ſucceſſio Romanorum Pontificum per catenam deſignatur. 664
Vbi non eſt ſucceſſio Epiſcoporum, certum eſt non eſſe Eccleſiam: ſed non ſequitur ſi aliqualis videatur ſucceſſio, ſtatim ibi eſſe debere veram Eccleſiam. 39. c. 2
Superbia, præcipuum caput beſtiæ. 141. c. 2. Eius inſolentia. 184. c. 2
Supplicia meretur maiora, qui maiora ſuſcipit dona. 492. c. 1
Superbia influit in omnia peccata: dicitur autem vitium capitale, quia in capitali vitio inani gloria ſedem collocat. 141. c. 2. & 142. c. 1
Superbia vitium turpiſſimum, nullam habens cum Deo concinnitatem. 142. c. 1. & 2
Superbus Deo ſubjici non vult: ſuam à Deo dependentiam non agnoſcit. Ibid.
Superbus cum proximo non habet concinnitatem, vt patet ax filiabus ſuperbiæ, iactantia, hypocriſi, pertinacia, diſcordia. 142. c. 2
Superbus nec cum ſeipſo habet conuenientiam. 143. c. 1
Superbia habet maximam grauitatem ex parte auerſionis à Deo. 142. c. 2
Superbos Deus ignominiâ afficit. 498. Vide præſumptionem, ambitionem, inanem gloriam. Ibid.
Symboli de Anathemate à Papa in ſchiſmaticos, expoſitio. 467. c. 1
Synopſis eorum quæ in c. 20. tractantur. 690
Syneſius ſe purgat à calumnia, quòd non poſſit ſimul ſpiritualibus & temporalibus occupari; non damnat eos qui vtrique vacare poſſent. 349. c. 1

T

TABERNACVLO Dei flagellum non appropinquat: quia etſi exteriùs Eccleſiæ fideles vexentur, interiùs conſolatione replentur, & incrementa capiunt, interius quippe eſt verum Dei tabernaculum. 63. c. 1. & 2
Tabernaculum teſtimonij Chriſti humanitas in Euchariſtia. 265. c. 1
Quid erat propriè tabernaculum teſtimonij, templum tabernaculi, ſancta ſanctorum? 277. c. 2
Tria olim tabernacula, extimum ſeu ſanctum, ſeculare omnibus commune; ſanctum templum, & ſancta ſanctorum ſoli Pontifici patens. 279. c. 1
Primum tabernaculum ſignificabat legem naturalem, ſecundum Moſaicam; tertium legem Euangelicam. Ibid.
Pulchra deſcriptio & ſignificatio eorum, quæ erant in tertio tabernaculo, ſeu in ſancto ſanctorum. 279. c. 1
Tabernaculum teſtimonij, myſterium Eccleſiæ militantis. Ibid.
Tactus in Angelis eſt cum ſcientia diſcernere res naturæ accommodatas, aut alienas. 52. c. 1
Talentum temporalia & ſpiritualia bona deſignat. 365. c. 1
Talentum ſymbolum grauiſſimæ obſtinationis. 366. c. 2
Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus profeſſionem fidei ſuæ tranſmiſit Adriano Papæ. 242. c. 2
Templum ſignificat omnem locum, in quo Deus cognoſcitur, & laudatur. 251. c. 1
Templum, quod eſt in cælo, ſignificat loca intra Eccleſiam in hac aut illa parte iam fundatam. Templum, quod non dicitur eſſe in cælo, ſignificat vniuerſum orbem. Vel per templum, quod eſt in cælo, ſignificatur Eccleſia Chriſtiana & Catholica; per templum, quod non eſt in cælo, ſynagoga. 252. c. 2
Templum Eccleſiæ Ambroſio cæleſtis patria, meliùs tamen per templum intelligitur Eccleſia militans. 28. c. 2
Templum Salomonis, figura Eccleſiæ triumphantis: ſicut templum tabernaculi Moyſis, figura militantis. 278. c. 1
Templum apertum in cælo, in Apoſtolorum cordibus: vel quia aditus regni cæleſtis per Chriſtum omnibus fidelibus patefactus eſt; vel quia reuelatio fit myſteriorum, ſed verè cum apparuit Eccleſiæ Paſtores promouere Chriſti regnum. 279. c. 2. & 280. c. 1
Temperantiæ neceſſitas, actus, & effectus per byſſinum ſignificantur.
De tempore eorum, quæ debent euenire ante ſecundum Domini aduentum, Dominus nihil dicere voluit. 163. c. 2
Cur tempus à Deo præſcriptum ſignificatur perdies mille ducentos ſexaginta. 64. c. 1. & 2
Tempus modicum conceſſum diabolo, quale ſit? 79. c. 1
Illud tempus fuit perſecutio Iuliani Apoſtatæ. 79. c. 1
Tempore ad effectus miſericordiæ dato, elapſo, pœnæ & afflictiones indicia ſunt ſeueritatis diuinæ erga reprobos. 81. c. 1
Cur tempus perſecutionis Anti-Chriſti per menſes deſignatur? 160. c. 1
De tempore, quod erit inter necem Antichriſti, & vltimum iudicium. 701. c. 1. & 2
A tentationibus protegimur mortificatione, & iudiciorum Dei approbatione. 182. c. 1
Tentationibus ad malum conatur dæmon fideles à fide auertere, & reus conſtituitur. 67. c. 2
Quinam eſt tepidus? 362. c. 2
Tepidus per conniuentiam, occaſionem præbet exiſtimandi crimina non eſſe tam enormia; dignus eſt cenſura & ſupplicio. 362. c. 2
Terram Iſraël Deus vocat terram ſuam. 696. c. 1
Terra adiuuit mulierem. i. Eccleſiam,

ſiue dum homines terreni reci-
piunt & admittunt hæreſes & er-
rores ; ſiue quia in Concilio Nicæ-
no, & in aliis, per Prælatos ex om-
ni parte congregatos hæreſes dam-
natæ ſunt ; ſiue quia Imperatores
temporalia ſubſidia tunc præbue-
runt. 84. c. 1. & 2
Theodorus Papa anathematizauit
Paulum Conſtantinopolitanum
Monothelitam. 242. c. 2
Thronus Dei ſemper eſt in luce. 344.
c. 2
Thronus Chriſti iudicantis cur dici-
tur candidus & magnus ? 703. c. 1.
& 2
Thubal ſignificat Imperium occiden-
tale. 700. c. 2
Timor, quo non amatur iuſtitia, ſed
timetur pœna, ſeruilis eſt. 214. c. 2
Quomodo intelligendum ſit quod
Tobias ibat ſolus in Hieruſalem
adorare. 413. c. 2
Torcular eſt omnis ſtatus & locus, in
quo Deus iuſtiſſimus ex iuſta pec-
cati vindicta gloriam ſibi vendi-
cat & comparat. 507. c. 1
Torcular, terra laboribus plena,
præſentis vitæ ſtatus 506. Eſt crux,
purgatorium, inferum. 507. c. 1 &
615. c. 2
Torcular ſignificat locum, in quo-
uæ premuntur. 613. c. 2
Torcular vallis lacrymarum, & lo-
cus exilij. 613. c. 1. & 614. c. 1. Eſt
Chriſti crux. 614. c. 1
Pro torcularibus Pſalmi inſcribun-
tur, octauus, octuageſimus, octua-
geſimus tertius. 616. c. 1
In transfiguratione vox delapſa de
cælo oſtendit Chriſtum eſſe, per
quem Eccleſia felici prole gaude-
ret. 6. c. 2
Tribulatio materia profectus. 161. c. 1
In tribu Iuda, templi & Regni ſedes
conſtituta. 278. c. 2
S. Trinitatis menſa ad quam nulla
creatura accedere poteſt. 52. c. 1. & 2
Triumphi Chriſti gloria in hoc con-
ſiſtit, quòd pro amicis, imo pro
inimicis mortem ſubire voluerit.
609. c. 1.
Tunicæ ſaluatoris integritas, fidei
Eccleſiæ integritatem deſignabat.
20. c. 1
Turcarum Imperium per Moſoch in-
telligitur. 700. c. 1
Turpitudo animi conſiſtit in diſſipa-
tione omnium facultatum, quæ in
Deum deberent colligi : quæ diſ-
ſipatio fit per vitium, malitiam,
& peccatum. 112. c. 1
Perficitur per peccatum. 112. c. 2
Tyrus interpretatur, tribulatio & an-
guſtia. 475. c. 2

V

VACCA ruſa immolabatur ex-
tra caſtra, in figuram Chriſti
extra portam paſſi. 258. c. 2
Væ, malorum condemnationem pro-
priè manifeſtat. 78. c. 2
Væ non eſt pro Eccleſia, ſed pro
perſecutoribus Eccleſiæ. 79. c. 1
Verbi diuini corona, humanitas.
626. c. 1
Verbum diuinum habet ſuos piſcato-
tores & venatores. 26. c. 1
Verbo regnum ſibi comparat Chri-
ſtus. 611. c. 2
Verbi diuini prædicatio eſt ſecundum
medium, quo Deus iuuat peccato-
res vt conuertantur. 300. c. 1. & 2
Per Verbi prædicationem Deum in
prædicationem Deum in creatione
imitare poſſumus. 308. c. 1
Verbi diuini vis ad conuerſionem
animarum exprimitur nomine
virtutis. 542. c. 1
Verbum diuinum in ore prædican-
rium eſt gladius vtraque parte acu-
tus. 596. c. 1
Verbi diuini efficacia oſtenditur :
quia ad opera miſericordiæ & iu-
ſtitiæ extenditur. 611. c. 1
Verbi diuini efficacia in efficacia lu-
minis ſolis adumbratur. 25. c. 1
Verbi diuini velocitas. 25. c. 2
Verbum diuinum corda duriora pe-
netrat. 26. c. 2
Verbi diuini victoria quanta ſit ? 611.
c. 2
Veritatis vis. 308
Veritatis cognitæ impugnatio fru-
ctum impedit prædicationis. 309
Veſtis reſperſa ſanguine Martyres
deſignat, quia & carnem Chriſti
ſuo conſperſam ſanguine. 309
Veſtimentum Chriſti Regis, eſt con-
gregatio omnium fidelium. 596.
c. 1
Veſtem habet laneam & lineam, qui
exteriori opere & interiori Deo
ſeruire intendit. 42. c. 1
Veſtem cuſtodire, & vigilare, eſt
bonis operibus impigrè inſiſtere.
352
Vexatio dat plærumque intellectum.
368. c. 2
Via Domini duplex. 276. c. 1
Vigilius Pontifex Romanus fortiter
ſe geſſit pro deciſione trium capi-
tulorum Concilij Chalcedonenſis
contra impietatem Iuſtiniani. 242
Vincula Chriſti, ferrea timenti, dul-
cia amantis. 195. c. 2
Vindictam ſumere, Deo proprium.
129. malè. 131
Vindicatio ſpecialis virtus. 131
Vindemia eſt vel vindicta malorum,
vel paſſiones Martyrum, vel exci-
dium vrbis Hieruſalem, vel pœ-
næ, dolores, preſſuræ. 252. c. 1. & 2
Vinea terræ mundus S. Thomæ &
Ambroſio, Alcazari Eccleſiam.
Vtramque amplector expoſitio-
nem. 255. c. 2
Vinea Domini, domus Iſrael. 288.
c. 1
Vinum miſtum mero, diuerſa ſup-
plicia, nullâ conſolatione delini-
ta. 219. c. 1. & 2
Vinum expreſſum in torculari eſt iu-
ſtitiæ manifeſtatio ex pœnis & la-
boribus 614. c. 1. Eſt manifeſtatio
bonitatis diuinæ in electis. Eſt ſa-
tisfactio ad rigorem Iuſtitiæ Diui-
næ, vt fiat miſericordia peccatori
Eſt glorificatio Dei, in imitatione
Chriſti, & meditatione paſſionis
eius 615. c. 1. Sunt fructus digni
pœnitentiæ, & opera meritoria.
Eſt cognitio diuinarum perfectio-
num & Charitatis diuinæ. 13. Eſt
denique manifeſtatio iuſtitiæ &
omnipotentiæ in punitione dam-
natorum. 616. c. 1
Virga ferrea, qua regit Chriſtus,
eſt eius inflexibilis iuſtitia 611. c. 2.
Virga hæc ad duos effectus exten-
ditur, miſericordiæ, in directione;
iuſtitiæ, in punitione. 612. c. 1
Virgæ illius directio non eſt fugien-
da. 612. c. 2
Virga illa conterit ſe corrigere no-
lentes. 612. c. 1. & 2
Virgines ſumuntur non ſolùm pro
intactis, ſed myſticè & allegoricè
198. c. 2. & 200. c. 2. Habent præ
cæteris locum honorabilem. 199.
c. 2. Virginitas Angelica portio
Ibid. Deo placet propter pulchri-
tudinem ſynceritatis. Ibid. Cor-
porea martyres facit 201. De cæ-
lo fluxit. Poſt Incarnationem cul-
ta eſt. Ibid.
Virgines quomodo agnum ſequun-
tur ? 199. c. 2. Sunt de exercitu
Chriſti 200. Sequuntur quocum-
que. 202. c. 1
Virgo ſeu corpore, ſeu fide, apta eſt
ad certamen. 201. c. 1
Ad Virgines pulchra S. Ambroſij ex-
hortatio. 201. c. 2
Videbantur Virgines ſequi Chriſtum
abſque inuidia. 208. c. 2
Quomodo dicuntur primitiæ ? 204.
c. 2
Virginitas amiſſa non poteſt redire.
208. c. 2
A Virginitate excidere, eſt deponere
Angelorum ſimilitudinem. 52. c. 2
Quantum Chriſtiana Virginitas præ-
ualet ſupra Virginitatem Veſta-
lium, & Paganarum ? 201. c. 2
Virginitas, accedente Martyrio,
centeſimus fructus; ſola, in ſexa-
geſimo remanet. 202. c. 2
Virginitas præfertur Matrimonio. 126
Virtus maximè elucet in Martyrio.
76. c. 1
Virtus in animâ radicata ſumit incre-
menta continuò. 624. c. 1
Virtutum omnium, ſed maximè infu-
ſarum, exercitium neceſſarium, vt
Eccleſia ſe præparet ad nuptias.
577. c. 1. & 2. Virtutis definitio.
Ibidem. Virtutes non infunduntur
in adultis ſine nobis. 577. c. 2
Viſio tertia decimi quinti capitis non
eſt intelligenda de finali iudicio,
quia multa narrantur in ſequenti-
bus capitibus, quæ fieri debent ante
diem iudicij ; & nulla ſeries aut
connexio rerum poteſt illud oſten-
dere. 223. c. 2
Poſt deperditam vitam gratiæ, po-
teſt adhuc remanere vita quædam
intellectiua & electionis, ſed po-
tiſſimùm manet vita ſenſualis. 304.
c. 2
Viuens vita ſenſuali, moritur vita
rationali, intellectuali, ſupernatu-
rali. 344. c. 2
Vita æterna quanta habeat commo-
da ? 623. c. 2. & 624. c. 1
Non omnes beati viuent vita gratiæ
agnita & manifeſtata in præſenti
ſæculo. 688. c. 1
Vitia apparent pulchra, cum ſint tur-
pia. 111. c. 2
Quo ordine autor vitia capitalia ex-
ponit ? 114. c. 1
Vltionis dies optabilis : quia diem re-
demptionis adducit. 263. & 265.
Vnio ſingularitatis ſymbolum. 403.
c. 2
In qua vocatione quis vocatus eſt, in
ea permaneat. 245 c. 2
Vocationis diuerſi modi. 553. c. 1
Voluntatis diuinæ maieſtas requirit
vt adimpleatur. 268. c. 1
Voluntas in malo obdurata, eſt cur-
rus Pharaonis & diaboli. 345. c. 1
Voluntatis flexibilitas in aëre deſi-
gnatur. 368. c. 2
Voluntatis libertas. Ibid.
Volumen volans oculus Domini, om-
nes actiones hominum intuens.
387. c. 1
Pro *volumen*, ſeptuaginta ponunt fal-
cem, deſignantem ſecuritatem di-
uini iudicij. 387. c. 1
Volumen viginti cubitorum, vindi-
ctam temporalem & æternam deſi-
gnat. 387. c. 1
Volumen habens latitudinem decem
cubitorum, tranſgreſſionem decem
mandatorum innuit. Ibid.
Voluptatis progreſſus. 128. & 393. c. 1
Qui voluptati ſeruit, vſum rationis
& cor amittit. 393. c. 1
Voluptas carnis cauſat ſæpè ſæpiùs
fornicationem mentis, per erro-
rem ; nec timet ſupplicia: quia illa
non credit. 460. c. 1

Digitized by Google

Vox de templo impulſio Spiritu ſancti ad Paſtores vt ſua exerceant omnia. 293
Vox de cælo, quia ad cælum vocamur. 197. c. 2
Vox admodum tonitrui, vocis magnitudinem indicat, & magnitudinem operis. 193. c. 2
Vox magna in cap. 12. laudes Dei publicæ. 71. c. 1
Vox alta de cælo, cap. 18
Vox Paſtorum inferiorum, & prædicatorum, promulgantium anathema in ſchiſmaticos. 466. c. 2
Vox vna eſt omnium fidelium: quia vox eſt à Spiritu ſancto, qui vnus eſt, omnibus inſpirita. 568
Vt ſignificat ignem, aut vrbem. 409. c. 2
Quænam Vſura ſit licita & Deo grata? 118. c. 1
Vſus venereorum quando & quomodo licitus? 124. c. 1
Vuæ ſunt peccatores, per prædicationem vindemiandi vel vt ad fidem conuertantur, vel vt ad contritionem inducantur. 255. c. 2
Vulnus ſæuum apparet in his, qui omnes Spiritus ſancti motiones rejiciunt. 299 c. 2
Vulnus ſæuum & peſſimum conſequens effuſionem phialæ primæ S. Thomæ eſt damnatio, melius dicitur eſſe finalem impœnitentiam. 299. c. 1
Vulnus illud eſt peccatum originale 209. Eſt etiam infidelitas poſitiua, & quodcumque peccatum mortale habituale; 299. c. 2

Z

ZACHARIÆ viſio c. 5. exponitur. 386. c. 2. & 387. c. 1. & 2
Zelus diuini honoris nullam pati poteſt in bono propoſito inconſtantiam. 274. c. 1
Zelus honoris diuini & ſalutis animarum, Paſtoribus neceſſarius. 362. c. 1
Zelus indiſcretus, ſi procedit ex bona intentione excuſari poteſt, & facilè moderari. 362.
Zelator ſalutis animarum non debet ceſſare à prædicatione verbi, licèt ſuæ prædicationis fructus non appareat. 308. c. 2
Zonæ aureæ, ſapientia, rationalis potentia, caſtitas, nobilitas, Charitas. 282. c. 1. & 2
Zorobabel figura eorum, quæ Christus peregit in mundo veniens. 422. c. 1

Digitized by Google

INDEX RERVM QVARTÆ PARTIS.

A

A, & ω. Multoties repetitur in hac propheria & cur. 829. c. 1
Adamas optimum Chriſti incarnati ſymbolum. 775. c. 2
Affectuum varij motus impediunt rationis iudicium. 779. c. 1
De Agilitatis dote. 822. c. 1 & 2
Amethyſlus duodecimum fundamentum beatitudinis ſignificans corporum impaſſibilitatem. 800. c. 1
Amethyſtus j. non ebrius eius proprietates eſt ſymbolum vitæ impaſſibilis, & delectationum quos ſenſus percipiunt in ſtatu beatorum 803. c. 1
Veræ Amicitiæ conditiones, amicus, fidelis qualis. 779. c. 1
Angelus qui promittit S. Ioanni ſe oſtenſurum ſponſam vxorem Agni deſignat ſpiritum orationis ad quem nos Angeli inducunt. 739. c. 1
Cur Angelus apparens S. Ioanni adorari noluit. 812. c. 1
Angeli aliquid diſcunt de nouo per illuminationem ſuperiorum. 819. c. 1
Anima beati cum erit Dei cibus in patria, reciprocè illius fruetur deliciis. 799. c. 2
Anima perfectum habebit Imperium in corpus glorioſum. 803. c. 2
Anima corpore vtetur in exercitiis omnium facultatum ſuarum, quarum exercitium decens eſt ſtatui beatorum. 820. c. 1
Appetitus naturalis creaturæ rationalis facilè expletur ex obiecto beatifico, quia illud excedit, omnem appetitus naturalis virtutem. 798. c 2
Appetitus etiam elicitus in beatis impletur quia poſſident quidquid deſiderari licet. 799. c. 1
Apoſtoli dicuntur, Eccleſiæ fundamenta non mirum ſi Petrus fundamentum etiam ponatur. 751. c. 1
Apoſtoli fundamentum ſunt, & Chriſtus fundamentum Apoſtolorum. 752 c. 2
In Aquilone ſignificatur dilatio mercedis patribus antiquis in limbo exiſtentibus. 747. c. 2
Arbores afferentes fructus ſunt habitus permanentes in beatis, quorum actus ſuauitate replent beatos. 817. c. 2
In noſtro Arbitrio eſt malum aut bonum agere. 828. c. 1
Aureola præter eſſentiale gaudium in ſuo conceptu complectitur aliquam qualitatem in anima in ea exiſtentem ad maius decus & ornamentum propter quam ſpecialis quidam honor beatis deferetur. 796. c. 1
Arundinea aurea ſignificat homines fragiles, ſed aurea fide fundatos. 724. c. 1. & 754. c. 2
Aurea arundinea qua menſuratur ciuitas eſt Chriſtus cuius paſſio eſt menſura laborum, gratia meritorum gloria glorificationis noſtræ, Richardo eſt ſacra ſcriptura. 754. c. 1. & 2

B

BEATITVDO eſt aliquid creatum gratiæ conſummationem requirens. 729. c. 1. & 2. 730
Beatitudo formalis debet eſſe per aliquem actum formalem Ibid. & 814. c. 1
Beatitudo eſſentialiter cõſiſtit in quodam intimo illapſu quo eſſentia diuina animæ vnitur & eam in ſe transformat 733. c. 2. requirit operationem intellectus & voluntatis. 814. c. 1. & 2
An magis conſiſtat in operatione mentis quam voluntatis. 814. c. 2 & 815. c. 1
Beatitudo formalis per delectationem completur. 815. c. 1. & 2
In eo ſita eſt vt videamus & fruamur. 816. c. 1.
Nihil honoratius, diutius aut delectabilius beatitudine. 740. c. 1
Quibus malis Beatitudo perturbari poſſet 762. c. 1. mala hæc ſunt inſtabilitas cordis, mentis cæcitas circa vltimum finem, aprehenſio corruptibilitatisqua ſentimus impoſſibile eſſe nos ſemper in eodem ſtatu permanere 762. c. 1. & 2. & 763. c. 1. & 2. defectus amici fidelis 763. c. 2. & 764. c. 1. paſſionum rebellio 764. c. 1. & 2. audax alicuius inimici inſultus 765. c. 1. & 2. ſuſpicio Deum promiſſa non adimpleturum. 765. c. 2
Diffidentia qua timemus eos cum quibus nobis eſt conueniendum nos eſſe circumuenturos, & decepturos 766. c. 1. ad peccandum pronitas & poſſibilitas. 766. c. 2
Contemptus dignitatis noſtræ aut perſonæ 766. c. 2. inuidia pro bonis quæ aliis conferuntur. 767. c. 1
Corporis infirmitates aut dolores. 767. c. 2
Per quæ Bona iſta mala beatitudinem perturbantia propellantur. 768. c. 1
A Beatitudinis ſtatu excluditur omnis paſſionum, & affectionum deordinatio, & perturbatio. 779. c. 2
Beatitudinis ſtatus non eſt pugnæ ſed triumphi. 781. c. 1. & 2
Nullum habet hoſtem extrinſecè impugnantem. 781. c. 2
Beatitudo tota eſt in lumine. 788
Menſura Beatitudinis quomodo erit bona & ſuperfluens & coagitata. 799. c. 2
Spes Beatitudinis fugat faſcinationem nugacitatis ſicut Saphirus veneficia. 771. c. 1
Beatitudinis integritas in quo conſiſtat. 810. c. 2
A Beatitudine omne malum excluditur. 811 c. 1
Quinam à Beatitudine excluduntur. 712. c. 2
Quænam conſequantur ſtatum Beatitudinis. 813. c. 1
Beatorum talis & tanta debet eſſe perfectio & gloria vt quidquid Chriſtus ad patris ſui exaltationem operari voluit in eis clare manifeſtetur. 754. c. 1
Beatorum tanta debet eſſe ſecuritas quanta eſt Chriſti apud patrem autoritas. 758. c. 2
Beatorum ſecuritas ab omni impugnatore externa. 740. c. 1
Tanta eſt quantus eſt valor meritorum Chriſti protectoris & Charitatis quam erga nos exhibuit. 760. c. 1
Beati qua ratione obtinuerunt vt Chriſtus ſit ipſis pro muro & ſecura beatitudine fruantur 760. c. 1. De Chriſti protectione gaudebunt quia ſuper illum ædificauerunt aurum, argentum & lapides pretioſos. 760. c. 2. & 761. c. 1
Beatus quodcumque ſenſu percipiat fertur in Dei amorem & laudem. 780. c. 1
In Beatis duo amores reperiuntur complacentiæ & concupiſcentiæ. 815. c. 2
In Beatis nulla ſtulta cogitatio. 808. c. 1
Beatorum ſumma delectatio ex viſione Dei. 810
Beati vltra Dei viſionem nullum obiectum poterunt attingere gratius quam cum aliquo modo Chriſti humanitatem attingerint. 812. c. 2
Beati erunt perpetuum Trinitatis domicilium 811. c. 1. nunquam excident à gloria Ibid. nemo à gradu dejicietur. 794. c. 2
Beatus ſumma tranquillitate fruetur propter conformitatem cum Dei voluntate. 800. c. 1
Beati ſingulis vicibus quibus operari connaturali modo voluerint per quamcumque facultatem intellectiuam aut ſenſitiuam noua ſemper gaudia quaſi quoſdam laborum ſuorum fructus percipient. 811
Beati habebunt domicilia & manſiones nec erunt quaſi ſtatuæ immobiles in vno loco. 818. c. 2
Beati ſeipſos viſitare poterunt in ſuis manſionibus, & alloqui. 818. & 787. c. 1
In mutua conuerſatione nihil habebunt ingratum aut iniucundum nullus in eis ab aliquo alicuius mali metus. 788
Erit eis iucundum differere de periculis ſalutis quæ Deo fauente euaſerunt. 785. c. 2
Propter fruitionem ſummi Boni non ſunt inſenſibiles ad aliarum potentiarum obiecta. 787
Beatorum cogitatio quomodo ab aliis percipiatur. 790. c. 1
Vident alios ſibi præferri in Beatitudine abſque moleſtia. 790. c. 2
Ob inæqualitatem meritorum ſunt in mercede accipienda diſpares. 796. c. 2
Beati habebunt tanquam folia ornamenta quædam ſanitatem illæſam cauſantia. 811
Beatorum dotes ſunt ornamenta corporum beatorum. 819. c. 2
Beatorum corpora animæ omnino ſubiecta. 820. c. 1
In Beatis admittendæ diſpoſitiones animæ & corporis quibus perficere valeant facillime omnia. 819. c. 1
Beati quamuis videant omnia quæ ad illorum beatitudinem pertinent tamen ſeſe determinant ad diſtinctius cogitandum de re aliqua. 819. c. 1
Beryllus octauum beatitudinis fundamentum beneuolentiæ beatorum inter ſe & Deum & alios beatos ſymbolum. 783. c. 1. & 2
Quid Berylli colores inculcant. 786. c. 2

C

CHALCEDONIVS tertium fundamentum beatitudinis ſignificans ſtrictam Dei cum hominibus amicitiam per verbi incarnationem contractam. 772
Chalcedonij ſeu Carbunculi proprietates mire conueniunt cum myſterio incarnationis. 773. c. 1. & 2. 774. c. 1. & 2. Et appoſitè quia in

Concilio

817

Concilio Chalcedonenſi determinata fuit veritas incarnationis. 773 c. 2
Chriſti humanitas non fuit in rerum natura ante vnionem. 774. c. 1
In Chriſto ſola remanet verbi ſubſiſtentia. 774 c. 2
Vnio hypoſtatica non fuit in Chriſto morte diſſoluta. 774. c. 2
Chriſtus in morte maiorem lucem emiſit quam antea. 774. c. 2. & 775. c. 1
Chriſti Domini virtutes ſingulares explicantur ex luco Canticorum quinto dilectus ex dilecto. 771. c. 1
Chriſti Domini voluntas & ſtudium ſanctificatio noſtra & vt nos ad gloriam euehat per præceptorum obſeruantiam. 771. c. 2
Chriſtus nouit quæcumque ſunt neceſſaria ad noſtram felicitatem procurandam. 777. c. 2
Chriſti amicitia quantum adfert beatis conſolationem, & de beatitudine ſua ſecuritatem. 776. c. 2. In hac vita etiam magnam affere conſolationem. 777. c. 1. Amicus fidelis. 779. c. 1. Vt verus amicus cito ſubuenit eius amicitia nunquam marceſſit aut minuitur. 778. c. 1
Chriſti crura cur dicuntur columnæ. 778. c. 2
Chriſti amicitia conſtans eſt tum quia Deus vult gloriam ſuam, tum quia fidelis eſt in promiſſis. 778. c. 2
Ex cognitione huius amicitiæ ad Chriſtum cum fiducia recurrendum. 778. c. 2. & 779. c. 1
Cognitio Regni Chriſti duos excitat affectus, inueniendi illud, & inueniendi medium quo ad illius fruitionem perueniamus. 804 c. 2
Chriſtus eſt Margarita inuenta cuius cognitio, amor, & imitatio eſt medium ad perueniendum in gloriam. 805. c. 1
In quo conſiſtat Chriſti imitatio. 803. c. 1. & 2
Actiones per quas Chriſtum imitamur ſunt cæli portæ. 805. c. 2
Chriſtus adimplebit quæ incepit & eius aduentus deſiderabilis. 812. c. 2. & 813. c. 2. & 833. c. 1. & 2
Chriſtus præmia ſeruorum ſuorum ſemper ſecum habet. 828. c. 2
Chriſtus omnia præſtitit quæ neceſſaria erant vt opus noſtræ ſalutis perficeret. 831. c. 1
Chriſtus quomodo radix Dauid. 832. c. 1
Chriſtus ſtella ſplendida & matutina propter eius aduentum in mundum. 831. c. 2. Item quia eius reſurrectio nobis eſt futuræ vitæ prænuncia, item quia infundit lumen gloriæ. 832. c. 1. Denique quia res prænunciat antequam exiſtant. Ibid.
Chriſtus murus protegens & oſtium per quod fit ingreſſus in cæleſtem Hieruſalem. 742. c. 2
Chriſtus fundamentum fundamentorum Eccleſiæ ſicut eſt ſanctus ſanctorum & pater Paſtorum. 571. c. 2
Super Chriſtum ædificantur non peccata ſed virtutum opera. 760. c. 1
Solus Chriſtus ſine Apoſtolis dicitur fundamentum at nonè contra Apoſtoli dici poſſunt fundamenta ſine Chriſto. 751. c. 2
Solus Chriſtus debet metiri ciuitatem quia eſt diſtributor gratiarum. 754. c. 2. & quomodo. 755.
Chriſtus viator meritis diues poteſt eſſe menſura gloriæ quæ illi obuenit pro ſua humiliatione. 760. c. 1
Gloriæ Chriſti altitudo cur dicitur eſſe centum quadraginta quatuor cubitorum. 759. c. 1
In Centeſimo perfectio operum, in quadrageſimo modus eminentior perfectionis in quaternario quid Chriſtus metuerit ſibi & Angelis. 759. c. 2
Chriſtiani tantum nomine non cogitant de quatuor vltimis. 829 c. 1
Chryſopraſus decimum fundamentum ſignificat mutuum honorem quo ſe beati proſequuntur. 793. c. 2
In Chryſopraſo tres aureolæ deſignantur. 795. c. 2
Chryſolithus ſeptimum beatitudinis fundamentum ſignificans fiduciam in Deum ob eius promiſſa. 782. c. 2. & 783. c. 1. & 2
In Chryſolitho adumbrantur Dei perfectiones requiſitæ vt quis poſſit ſtare promiſſis. 782. c. 2
Ciuitatis ſupernæ figura & magnitudo. 756. c. 2. & 803. c. 2 non eſt rotundæ ſed quadratæ figuræ. Ibid. c. 1. & 2
Non vt ſignificet perfectionem in hac vita ſed firmitatem beatitudinis in alia. 756. c. 2
In Ciuitate illa omnia æqualia quia beatitudo eſt æterna, & ad omnia beatorum extenditur, & æqualem habent cauſam Chriſti merita. 757. c. 2
Cur magnitudo vnuſcuiuſque lateris dicitur eſſe per duodecim mille ſtadia. 757. c. 2
Ciuitatis ſpatium metitur per ſtadia quia his ſolis patet aditus qui in ſtadio currentes feliciter brauium acceperunt. 758. c. 1.
Claritas corporis glorioſi manet ex redundantia gloriæ animæ in corpus & deſignatur per lapidem laſpidem tanquam Chryſtallum. 742 c. 1
De Claritatis dote. 822. c. 2. & 823. c. 1. & 2
Sicut in mundo nihil ſole fulget micantius, ita in cælo nihil erit ſplendidius corporibus beatorum. 823. c. 1
Conuerſio noſtra ad Deum non eſt differenda. 828. c. 2
Contemplationis ſectatori qui diſit faciendum vt proficiat & ad vitam perueniat æternam. 739. c. 2
Contemptus aliorum motiua. 766. c. 2. & 767. c. 1
Cor noſtrum admonet cœruleus color vt ſurſum reſpiciat. 771. c. 1
Corpora glorioſa non fulgent eodem modo. 804. c. 1
Erunt impaſſibilia cum fuerint reformata & configurata corpori claritatis Chriſti. Ibid. c. 2

D

OMNE Deſiderium impletur in beatis. 799. c. 1. & 2
Deus poteſt ſupplere locum ſpeciei impreſſæ at non expreſſæ. 730. c. 2
Deus quomodo inhabitat in nobis. 713. c. 2. & 734. c. 1
Deus ſolus prout vult dat gratiam & gloriam. 798. c. 2
Deus pro ſola ſua bonitate præuenit nos in benedictionibus. 787. c. 1
Dei eſt incipere & perficere. 829. c. 1. & 2
Deus permittit nos libere agere conſcius ſuæ fortitudinis ſiue ad præmiandum ſiue ad puniendum. 828. c. 2
Deus in ſe habet ſufficienter & ſuper abundanter propter quod laudari mereatur. 788. c. 2
Deus concurrit cunctis creaturis pro ratione ſtatus in quo ſunt. 790
Nullo modo fieri poteſt vt Deus clarè cognitus in patria non ametur 791. c. 2. hoc pulchris rationibus oſtenditur. 792. c. 1. & 2
Præſuppoſita reuelatione fidei in nobis eſt appetitus cognoſcendi Deũ vt omnium cauſam. 772. c. 1. & 2
Quia mutila eſt & imperfecta in nobis Dei cognitio in hoc mundo ita eius amor & dilectio. 785. c. 2
Quomodo intelligendum ſit illud de Deo S. Ioannis quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo. 785. c. 2 & 786. c. 1
Dei amicitia erga beatos qua ratione effulgeat. 787. c. 1
Dei promiſſa ſunt fideliſſima. 731. c. 2
Dei dona ſunt ſine pœnitentia. 744. c. 2
Ex Defectu dilectionis oritur in nobis de Deo diffidentia. 785. c. 2
Dei adiutorio à diaboli laqueis eripimur. 787. c. 2
Dæmon non poterit in beatos aliquam exercere poteſtatem. 782. c. 1
Ex Defectu dilectionis diffidentia oritur. 766. c. 2. & 785. c. 1
Dos in patria eſt perpetuus animæ & corporis ornatus. 730. c. 2
Dos & beatitudo realiter differunt. 731. c. 2
Dos ornatus dicitur ad ſimilitudinem eorum quæ fiunt in matrimonio corporali dotes propriè non dicuntur de Angelis propter defectum conformitatis in natura vnde natura Angelica non dicitur Chriſti ſponſa. 731. c. 1
Dotes beatorum ſunt quatuor de quibus. 819. c. 2. & 820. & 821. & 822. & 823

E

AGITVR in capitibus 21. & 22. de Eccleſia triumphante. 724. c. 1. & 725. c. 1. & 2
De Eccleſia triumphante multa dicuntur quæ magnam habent Analogiam cum eminenti ſanctitate aliquorum in hac vita adhuc viuentium. 725. c. 1
Cur Eccleſia triumphans dicitur tabernaculum non templum. 733. c. 1
Eccleſiæ militanti multam ad fert vtilitatem cognitio eorum quæ pertinent ad Eccleſiam triumphantem. 809. c. 1. & 2
Quid Eccleſia proponere debet credenda de beatitudine. 731. c. 2. & 732. c. 1
Eccleſiam Deus condidit in formandam, illuminauit vocatam beatificauit electam. 808. c. 2
Elementorum qualitates eorum ſubſtantiam conſequentes non interibunt, ſed auferentur ſordes poſt mundi innouationem. 725. c. 2
In Euangelij lege progrediendum nobis ab oriente confeſſionis fidei ad aquilonem crucifixionis & mortificationis 748. c. 2. deinde ad meridiem perfectæ iuſtitiæ & ad occidentem mortis iuſtorum in quibus Deus inhabitat, & qui creſcentes de virtute in virtutem ſunt filij dexteræ. 749. c. 1. & 2

F

FIDELIVM fides vt arca Noë poteſt impetus ferre diluuij. 724. c. 1
Filiatio diuina in magno pretio in patria. 794. c. 1
Fluuius aquæ viuæ quibuſdam baptiſmus aliis melius fructus baptiſmi, aliis Chriſtus aliis gloria ſanctorum abundantia lætitiæ melius

Digitized by Google

ſumma delectatio beatorum. 817. c. 1
Fundamenta ciuitatis Richardus vult eſſe antiquos Patriarchas de quibus Chriſtus. 752. c. 1
Alcazar vult eſſe duodecim articulos Fidei. 752. c. 1
Fundamentorum iſtorum viſio imaginaria. 752. c. 1
Rejicitur ſententia Richardi. Ibid. c. 2
Rejicitur ſententia Alcazaris. 753. c. 1
Fundamenta talia aſſignanda ſunt per quæ beatitudinis ſecuritas firma eſſe demonſtretur. 753. c. 1
Sunt quædam bona quibus amouetur quidquid beatitudinem perturbare poſſet. 753. c. 2. & 761. c. 2
In Fundamentis nomina Apoſtolorum inſculpuntur quia nullus his bonis potiri poterit, niſi qui Apoſtolorum fidei & doctrinæ adhæſerit. 753. c. 2

G

GAVDIVM cæli plenum quia nullum aderit peccatum. 791. c. 1
Gloria ſanctorum parua, ſi eum gloria Chriſti comparetur. 784. c. 2
Inæqualitas gloriæ eſſentialis, quoad obiectum eſſentiale eſt tota ex parte ſubiecti videntis, non ex parte obiecti cogniti. 797. c. 1
Ex Gloriæ abundantia omne maledictum excluditur à Beatis. 824. c. 1. & 2
Quinam admittantur ad Gloriam & quinam excluduntur. 830. c. 1. & 2. 831. c. 1

H

HÆREDITAS cæli erit incontaminata quia abſque vllo peccato. 791. c. 1
Hæretici ſunt qui apponunt aut diminuunt huic Prophetiæ non illius expoſitores Catholici. 834. c. 2
Hieruſalem dicitur deſcendere tum quia eſt opus diuinum, & totum quod habet, habet à Deo, tum quia per humilitatem Deũ agnoſcit ſupra ſe excellentiorem 728. c. 2. ſed melius quia S. Ioannes videt ea quæ ſunt in patria ſub exteriori ſpecie, vel imaginaria viſione. 729. c. 1
Viſio ciuitatis HieruſalemCor ad deſiderium gloriæ excitare debet. 724. c. 2
Hieruſalem dicitur parata ſponſo tum propter animæ virtutes tum propter dotes quæ beatis contingent. 729. c. 1. & 2.
Hilaritas animi inclinat ad diuitiarum contemptum. 794. c. 1
Quænam impediant ne mutuum Honorem nobis impendamus. 794. c. 1. & 2
Homini beato reſtituentur omnia quæ ad integritatem & perfectionem naturalem pertinere poſſunt. 818. c. 1
Humanitas Chriſti opus ſummi artificis. 775. c. 2
Hyacinthus vndecimvm fundamentum ſignificat quod vnuſquiſque beatorum erit ſua ſorte contentus. 796. c. 2
Hyacinthi proprietates. 797. c. 2
Eo ſignificatur inæqualitas luminis gloriæ. 798. c. 1
Hypoſtatica vnio eſt excellentior Dei communicatio. 773

I

IASPIS ſymbolum omnium virtutum & donorum cæleſtium propter varietatem colorum & alias proprietates. 761. c. 1
Iaſpis primum fundamentum ciuitatis ſignificans futuram cum Deo adhæſionem. 768. c. 1. & 2. & 769. c. 1
Impaſſibilitatis dote corpora beatorum nullam moleſtiam pati poterunt 781. c. 2. de illa. 820. c. 1. & 2
Impeccabilitatis cauſa quænam ſit in beatis. 791. c. 1
Impeccabilitas per Topazium adumbratur. 792. c. 2. 793. c. 1
Impius cum in profundum venerit contemnit. 819. c. 2
Incarnatio verbi eſt præcipuus effectus cauſæ ſupremæ. 772. c. 2
Quanta In nobis exſurgat in hac vita ſpes indiſſolubilis amicitiæ Dei & in patria & ſecuritas in ſtatu beatitudinis & Myſterio Incarnationis. 773. c. 1
Ex dignitate S. Ioannis veritas huius reuelationis conjicitur. 819. c. 1. & 2
S. Ioannis præclara encomia Ibid.
Cur S. Ioannes Angelum adorare voluit, & Angelus noluerit. 827. c. 1
Iſraeliticus populus ad fidem Chriſti in fine conuertendus. 747. c. 2
Iudæi conuerſi pergent ab aquilone afflictionum, ad orientem gratiæ ad meridiem perfectæ iuſtitiæ, & felicem vitæ conſummationem in gratia perſeuerando. 748. c. 1
Iudicis ſupremi terribiles pro malis oculi in iudicio. 790. c. 2
Iudicia Dei occulta. 828. c. 1

L

QVID vnuſquiſque Lapis fundamenti ciuitatis ſignificet. 805. c. 1. & 2
Liberum vnicuique in hac vita iuxta vias ſuas ambulare. 812. c. 1
Lignum vitæ ſignificat omnes diſpoſitiones potentiarum ad quaſcumque operationes circa quæuis obiecta felici ſtatui conuenientia. 810. c. 1.
Lignum vitæ poteſt ſignificare Angelos & homines, qui tanquam arbores in paradiſo plantatæ producent fructus delectationum conſequentium viſionem beatificam. 819. c. 2
Lignum vitæ ſapientia, Chriſtus. 830. c. 2
Linguam hebraicam in paradiſo locum præcipuum habere volunt. 819. c. 1
De Lumine gloriæ quo animæ ſanctæ viſionis, diuinæ eſſentiæ capaces redduntur. 740. c. 1
Hoc Lumen eſt à Deo Ibid. per illud aſſimilabimur Chriſto, Ibid. eius neceſſitas c. 2. cur per lapidem Iaſpidem ſignificatur nempe per illud lumen gratiam conſummari videndo per illud omnes Dei perfectiones 740. c. 2. & 741. c. 1. non erit æquale in omnibus beatis 796. c. 2. quid per illud videns beati. 740. c. 1
Triplex Lumen in homine, rationis, gratiæ & gloriæ. 740. c. 1

M

MANSIONES diuerſæ in cœlis pro diuerſitate meritorum. 761. c. 2
Ne Minimis quidem beatorum deeſt in cœlo manſio. 807. c. 2
Margeritæ ſymbolum bonorum operum per quæ poſſumus intrare in cœlum. 809. c. 1
Mens tribus modis perturbari poteſt, qui modi excludantur à ſtatu beatitudinis. 779. c. 2. & 780. c. 1
Menſuræ qua Chriſtus ſignificatur metiens ciuitatem idea. 755. c. 1
Menſura illa non debet eſſe hominis gigantis ſed ſtaturæ hominis perfectiſſimæ qualem habuit Chriſtus. 755. c. 1
Menſura ſtaturæ Chriſti eſt ſymbolum menſuræ donationum, & gratiarum quas confert corpori ſuo myſtico. 755. c. 1
Menſuratur illa ciuitas, quia omnia electorum merita ponderantur iuxta proportionem quam habent ad Chriſti merita. 755. c. 2
Menſuratur tota ciuitas quia tota bonorum collectio debet reſpondere intentioni conditoris qui omnia propter ſe condidit. 755. c. 2
Menſurantur portæ & murus quia omne donum gratiæ & omne præmium à primo ad vltimum dantur propter Chriſtum. 755. c. 2. & 758. c. 1
Menſuratio muri intelligenda de altitudine. 756. c. 2
Quid ſit Murum menſurari menſura hominis, quæ eſt Angeli. 759. c. 2
In Meridie proſperitas temporalis promiſſa populo Dei. 746. c. 2
Principium meriti non cadit ſub meritum. 774. c. 1
Mundus poſt iudicium non interibit ſed renouabitur. 725. c. 2
Mundi innouatio fiet vt diuinitatem inſpicientes, in ſuis effectibus habeant ſolatium congruens de viſione diuinitatis. 725. c. 2
Mundi innouatio non debet myſticè ſolum intelligi, literalis enim ſenſus non eſt per myſticum deſtruendus, ſed illi ſupponendus. 727. c. 1
Myſtica mundi innouatio. Ibid. c. 2
Quomodo innouatio fiet in elementis maris & terræ. 725. c. 2. & 726. c. 1
Ad illam innouationem pertinent tantum corpora cæleſtia, elementa & homines, quia habent ordinem ad incorruptionem. 726. c. 1. & 2
Mundus igne erit purgandus innouandus, perficiendus, ſed non in eſſentiam ignis mutandus. 726. c. 2
In innouatione mare non peribit tum quia pertinet ad vniuerſi integritatem, tum ad illius maiorem decorem. 727. c. 1
Murus quo munitur ciuitas eſt Chriſtus Dominus. 742. c. 1
Murus prout ſignificat Chriſtum protectorem, habet altitudinem gloriæ, & exaltationis nominis quam ſibi Chriſtus promeruit. 759. c. 1
Nomina Patriarcharum inſculpta in portis, quo ordine inſcribi debeant. 745. c. 2
Nominum Patriarcharum interpretationes. 746. c. 1
Nominum impoſitio in ſcriptura ſemper aliquid nobis inculcare intendit obſeruatione dignum. 749. c. 2. & 750. c. 1
Veniet nox in qua nemo poterit operari vndè cito pœnitendum, & opera bona facienda. 818. c. 1

O

OBEDIENDVM ſpiritui & Eccleſiæ. 833. c. 2
Obiecta facultatum inferiorum, etſi

Digitized by Google

818 FINE

excellentiſſimâ in beatitudine non impedient quominus mens ſuo fruatur obiecto. 779. c. 2
Non quæ cumque opera bona meritoria portas cæli conſtituunt ſed ea tantum quibus efficaciter ad cælum peruenitur. 745 c. 1. & 2
Quænam conditiones requiruntur vt bona opera ſint ita meritoria. Ibid.
In opere meritorio nihil poteſt reſcindi. 806 c. 1
Quodcumque bonum opus meritorium nobis ius confert ad gloriam. 806. c. 2
Nullum bonum opus relinquitur irremuneratum. 807. c. 1
Ordo quo inſcribuntur nomina Patriarcharum in portis eſt ille qui ſeruatur à S. Ioanne in c. 7. 745. c. 2
In Oriente beneficium vocationis populi Iſraelis. 746. In Occidente mors naturaliter ſubeunda. 747. c. 1

P

PARADISI portæ ſunt opera bona per quæ itur ad gloriam acquirimus. 742. c. 2
Paraphraſis cap. 21. In qua fit deſcriptio præmiorum, quibus cumulabuntur ſancti in Patria cæleſti. 708. c. 1. Et ſequentibus Paraphraſis cap. 22. 810. Locus S. Pauli 1. ad Corinthios 3. elucidatur. 760. c. 1. & 2
Ad Patriam cæleſtem totis deſideriis adſpirandum. 809. c. 1. & 2
Peccatores vt peccatores excluduntur à cæleſti patria. 809. c. 2
Peccatores abominatio & mendacium vocantur. Ibid.
Tribus modis peccatur ignorantia infirmitate, ſuperbia. 828. c. 1
Qui peccat cum ſuperbia traditur deſideriis cordis ſui. Ibid.
Peccatum naturæ non erat ſublatum ante Chriſti incarnationem, vnde poſt occidentem mortis antiquorum Patrum adhuc reſtabat aquilo id eſt pœna peccato naturæ debita. 747. c. 2
Platea ciuitatis aurum mundum ſignificat mutuam charitatem qua ſancti ſe mutuo complectuntur. 807. c. 2
Portæ quibuſdam Apoſtoli Angeli in portis cæteri prædicatores, vel Angeli Apoſtolis dati adiutores 743. c. 1. S. Auguſt. portæ ſignificant omnes ſanctos. c. 2
In portis non Angeli ſed anguli legit Richardus quibus meritis occultiores deſignantur. Ibid. c. 1
In portis duodecim ſpecies actuum ſupernaturalium, quibus mereri poſſumus vitam æternam. 744. c. 1
Portæ illæ debent in æternum ſtare, vt ſi ratio occurrat exeundi & exire & rurſus ingredi per eius valeant beati. 744. c. 2
In portis vrbis non eſt nominanda porta Dan ſed ſubſtituenda eſt porta Manaſſes. 745. c. 2
Tres portæ ponuntur in vnoquoque latere ciuitatis in quadro poſitæ, quia per totas quatuor partes mundi Trinitatis myſterium in Eccleſia prædicatur, vt ternarius per parem quaternarium multiplicatus duodecim efficiat, quia qui fuerunt in initio mundi, qui ex gentilitate fuerunt ad fidem conuerſi, quia Iudæi, quia qui conuertentur in fine mundi per Trinitatis fidem in quatuor mundi partibus ſaluantur, quia in omni ætate pueritiæ, adoleſcentiæ iuuentutis, ſenectutis per hanc fidem poſſumus ad cœlum adire 750. c. 1.
& 2. Denique in oriente iuſtificationis, in occidente mortis, in meridie perfectæ iuſtitiæ, in aquilone tribulationis. 751. c. 1
Portæ ciuitatis cur dicantur eſſe tres ab oriente aquilone, Auſtro & occidente. 807. c. 1
Porta ciuitatis cæleſtis miſericordia & clementia Dei. 803. c. 2
Prophetiæ huius verba fideliſſima & vera. 815. c. 1. & 2
Prophetiæ huius vtilitas. 826. c. 1. & 827. c. 2. eſt difficillima Ibid. Cur eius verba non erant ſignanda. 827. c. 1
Quinam ſit optandus huius Prophetiæ exitus. 832 c. 2
Credenda & ſeruanda quæ in hac Prophetia continentur. 834. c. 2
Quinam apponāt aut diminuant huic Prophetiæ, & quænam pœna apponentibus aut diminuentibus. 834. c. 2. & 835. c. 1. excommunicantur. Ibid. c. 2

R

REGNVM cælorum vim patitur. 790. c. 2
Reſurgemus in eadem carne quam habemus. 800. c. 2. Modus quo hoc perficietur explicatur. Ibid.
Non reſtituetur ad reformationem tota materia quam reſurgens habuit in tota vita. 801. c. 1
Quænam materia ex tota illa quam habuit reſurgens potiſſimum ſeligetur. 801. c. 1. & 2
In hac ſelectione probabile eſt haberi reſpectum ad ſtatum gratiæ in ſaluandis. 801
In reſurrectione ſexus idem remanebit. 802. c. 1
In qua ætate, magnitudine figura colore reſurgemus. 802. c. 1. & 2
In reſurrectione immortalitas corporum redderet beatos miſerabiliores ſi pati aliquid poſſent incommodi fugabitur proinde omnis corporis dolorum moleſtia. 802. c. 2
In reſurrectionis ſtatu erunt vires irrationales inorganis corporis vt nunc ſunt. 818. c. 1. Rotæ currus Ezechielis ſignificant prouidentiæ virtutes. 784. c. 1

S

SAPHIRVS ſecundum fundamentum firmitatis beatitudinis ſanctorum ſignificans claram Dei viſionem. 769. c. 2. 770. c. 1. & 2
Sardius ſeptimum beatitudinis fundamentum ſignificans immunitatem, à quolibet externo impugnatore. 781. c. 1. & 782. c. 1. & 2
Sardonix quintum beatitudinis fundamentum ſignificans rectiſſimam ſubordinationem paſſionum animæ ad rationis Imperium. 779. c. 2. 780. c. 2
Sigilla ex Sardoniche facta ceram non auferunt. 781. c. 1
Sancti quomodo ſe inuicem alloquentur & Dei laudes ore decantabunt. 789. c. 2. 790. c. 1
Sancti debent cognoſcere Dei omnipotentiæ effectus vt cauſam habeant eum collaudandi. 789. c. 1
Scientia ſanctorum corroborabitur ex conſideratione mutuæ concordiæ. 789.
Formitas beatitudinis ſanctorum vnde orietur. 790. c. 1
Sancti cognoſcent in cælo res prout ſunt non erit in eis inaduertentiæ locus, erunt ab omni inuidia immunes qua de cauſa ſe mutuo honore præuenient. 795 c. 1
Omnes ſancti collectiuè ſumpti poſſunt dici Dei voluntas. 798. c. 1
Satietatis ſanctorum in patria cauſa eſt quia omnis appetitus ſiue naturalis ſiue elicitus perfectè impletur. 798. c. 2
Sancti non erunt contemptui obnoxij ob peccata quæ in vita perpetrarunt. 794. c. 2
Sancti expectant in patria redemptionem corporis. 776. c. 1
Sanctorum maximus honor quod ab ipſo ſummo bono beabuntur. 824. c. 1. 825. c. 1
Nihil in ſcripturis ponitur abſque cauſa. 746
Senſus beatorum delectationibus potiuntur. 804. c. 1
Senſus hominis etiam exteriores proprios actus elicient in beatitudine. 818. c. 1
Smaragdus quintum fundamentorum beatitudinis ſignificans ſpeciale teſtimonium quod vnuſquiſque beatorum habet beneuolentiæ Chriſti. 776. c. 2
Smaragdus mirificum contra venenum Antidotum. 779. c. 1
Sol neque Luna erunt in ciuitate ſuperna. 808. c. 2
Spiritum ſanctum eiuſdem eſſe eſſentiæ & perfectionis cum Patre & Filio conjicitur ex numero quem reddit eius nomen in græco quia idem eſt numerus quem reddunt duæ litteræ α & ω. Patris & Filij ſymbolum. 829. c. 2
Spiritus & ſponſa dicunt veni vt meritoriè petamus & exaudiamur. 834. c. 1
Stola vel animam, vel vitam vel ornatum virtutum vel corpora & opera ſignificat. 830 c. 1
Symboli quo delectationes beatorum ſignificantur idea. 813. c. 2
Omnia ſymbola c. 21. & c. 22. ita propria ſunt Eccleſiæ triumphanti; vt pro eorumdem expoſitione non ſit recurrendum ad Eccleſiam militantem. Ibid.

T

TEMPLVM non videtur in cælo tum quia Deus clare videtur tum quia effectus redemptionis clarè percipiuntur. 808. c. 1. & 2
Topazius nonum beatitudinis fundamentum quo ſignificatur impeccabilitas. 790. c. 2
Duodecim Tribus populo Iſrael tribus in locis ſcripturæ collocantur iuxta quatuor mundi partes ſed diuerſimodè. 746. c. 1
Tribuum collocatio in libro numerorum fit ad deſignandum ſtatum ſynagogæ & modum regiminis illius. 746. c. 2
Tribuum collocatio in Ezechiele talis eſt vt ſtatus Eccleſiæ poſt conuerſionem populi Iudaici ad Chriſtum interfecto Anti-Chriſto deſignari valeat. 748. c. 1. & 2
Tribuum collocatio fit à B. Ioanne iuxta illum ordinem quem Deus vult obſeruare vt fideles ſuos in Eccleſia Chriſtiana degentes ad cœlum perducat. 749. c. 1. & 2

V

VERITATIS proprietates. 769. & 770. c. 1
A Vita æterna omnia mala abſunt & cuncta in ea ad ſunt bona. 734. c. 2
Nihil in Vita æterna optabilius, & dignius poteſt videri viſione comprehenſione amore fruitione & Dei laude ſed ea poſſunt diſtinctius contemplari. 738. c. 2. 739. c. 1
Vita beata eſt menſa pretioſior men-

Digitized by Google

ſa Rodolphi Imperatoris & multis lapidibus pretioſis compacta. 741. c. 1. & 2
Quam ſit deſiderabilis. Ibidem & 771. c. 2
Vita immortalis deſignatur per ignẽ. 804
Vita æterna non ſolum ſub generali conceptu proponitur à S. Ioanne ſed per partes illa proponitur intuenda. 738. c. 2
Quinam vitam æternam poſſidebunt nempe in Deum ſperantes, illa bona ſitientes omnia impedimenta vincentes. 730. c. 2
Quinam excludantur à vita æterna 736. c. 2. & 737. c. 1. & 2
Octo vitia excludunt à vita æterna quæ contraria ſunt octo beatitudinibus per quas aditum habemus ad vitam æternam. 737. c. 2 & 738. c. 1
Quomodo virtutes erunt in appetitu inferiori in ſtatu beatitudinis. 818. c. 1
Voluntatis bonæ quinam ſint fructus. 833. c. 2
Voluntatis cooperatio libera vt accipiamus aquam vitæ gratis datam. 834. c. 1
Voluptates animam diſtrahunt & perturbant. 7^4. c. 2
Vox de throno in cap. 21. eſt vox Eccleſiæ militantis docentis quid credere debeamus de beatitudine ſanctorum. 732. c. 2

FINIS.

ERRATA SECVNDI TOMI.

PAgina 3. col. 2. linea 67. infirmus, lege infirmis. p. 4. c. 2. l. 41. reniſreſcet l. reuireſcet. l. 42. pullicus l. publicus l. 43. tantum l. totam. p. 6. c. 1. l. 16. churitem l. charitatem. p. 8. c. 2. l. 23. impulſionis l. impulſiones. p. 9. c. 1. l. 25. montis l. montes. l. 35. pedre l. pedes. p. 10. c. 1. l. 8. nonus l. nonne. p. 12 c. 1. l. 40. hæc l. hac. p. 12. c. 2. l. 49. tabis l. talis. p. 16. c. 2. l. 35. exercitiam l. exercituum. p. 21. c. 1. l. 69. miniſtrum l. miniſterium. p. 26. c. 1. l. 36. ſi l. hi. p. 29. c. 1. l. 50. cubitorum l. cabirorum. p. 31. c. 1. l. 2. mundum l. nondum. p. 31. c. 2. l. 55. rapus l. raptus. p. 39. c. 2. l. 61. donaſtæ l. donatiſtæ. p. 41. c. 1. l. 50. ſicut l. ſint. p. 41. c. 2. l. 30. ollitur l. tollitur. p. 42. c. 1. l. 62. tabis l. talis. c. 2. l. 26. ſit l. ſim. p. 43. c. 2. l. 37. 20. 75. l. 1057. l. 52. ſolonem l. ſalonem. l. 56. tributarum l. tributariam. l. 1. 68. tributarium l. tributariam. p. 45. c. 2. l. 37. illam ſummi Pontificis autoritatem l. illa ſummi Pontificis autoritas. l. 46. videat l. vident. & l. 56. vna l. vno. p. 46. l. 1. duram l. dutum. p. 45. c. 2. l. 6. hominum l. ſummum. p. 46. c. 1. l. 42. ichorantur l. inchoantur. l. 27. c. 2. promererit l. promoueri. p. 51. c. 2. l. 17. mirando l. minando. p. 52. c. 1. l. 23. mendaui l. mendacij. & c. 2. l. 39. naturaram l. naturarum. p. 58. c. 2. l. 34 mandauit l. mundanis. p 72. c. 2. l. 46. illa l. illum. & l. 61. exaltum l. exultandi. p. 75. c. 2. l. 53. martyriam l. martyrium. p. 78. c. 2. l. 10. ſtadita l. ſtudita. p. 79. c. 1. l. 25. crie l. ſcire. l. 54. imprudentiam l. impudentiam. l. 69. imperater l. imperator. p. 79. c. 2. l. 61. motum corruptionum l. morum corruptionem. l. 65. malam l. malum. p. 81. c. 1 l. 39. ſiba l. ſi. l. 45. dæmon l. dum. & l. vltima. timos l. timor. p. 87. l. 56. c. 2. cogitatione l. cognitione. p. 91. c. 2. l. 50. viſa l. viſu. p. 104. c. 2. l. 33. abſtructo l. abſtracto. & l. 59 hyberneus l. hybernus. p. 105. c. 2. l. 46. vitiæ l. vitæ. p. 115. c. 2. l. 31. ruptos l. raptor. p. 124. c. 2. l. 51. emem l. ſemem p. 135. c. 1. l. 38. ſuber l. faber. p. 135. c. 1. l. 3. vt regnabit leo. l regnabit vt leo l. 4. illam l. illum. p. 153. c. 1. l. 32. retine rate pagulis l. retineri repagulis. p. 156. c. 1. l. 51. hinc l. huic. p. 160. c. 2. l. 54. perequuntur l. perſequuntur. p. 163. c. 2. l. 48. fierit l. fient. p. 174. c. 1. l. 22. ſubrecta l. ſubiecta. p. 179. c. 1. l. 49. imaginem l. imagine. p. 179. c. 2. l. 51. vltimam l. vltimum. p. 185. c. 1. l. 30. vnum l. vno. p. 185. c. 2. l. 18. tentarionis l. tentationes. l. 34. amnis l. annis. l. 37. aerit l. ierit. p. 188. c. 2. l. 46. ſtudia l. ſtadia. p. 192. c. 1. l. 20. grandi l. gradu. p. 192. c. 2. l. 50. præſtaro l. præſtare. p. 194. c. 1. l. 20. matua l. mutua. p. 197. c. 2 l. 5. auxilio l. auxilia. p. 197. c. 1. l. 70. deſiderio l. deſideria. p. 202. c. 1. l. 56. paupertate l. pauper. p. 204. c. 2. l. 34. pio l. pro. p. 214. c. 2. l. 62. vituntur l. vetantur. p. 217. c. 1. l. 29. lucrificiamus lucrifaciamus. p. 219. c. 2. l. 53. ſæcuiens l. ſæuiens. p. 233. c. 1. l. 39. poteſtate l. poteſtati. p. 249. c. 2. l. 28. ſurpe l. ſinge. p. 251. c. 1. l. 4. ſuſcibimus l. ſuſcipimus. p. 265. c. 1. l. 9. porteſti l. portaſti. l. 22. ex l. eis. p. 266. c. 1. l. 31. habebunt l. habebant. p. 280. c. 2. l. 45. volarura l. volatilia. p. 280. c. 2. l. 70. cotra l. contra. p. 288. c. 1. l. 56. imitatur l. inuitatur. p. 303. c. 2. l. 60. acquieſcens l. acquiſitus. p. 305. c. 1. l. 19. in terris adde quam effectus conſequentis pios Paſtorum conatus circa electos p. 325. l. 47. mors eſt l. mos eſt. p. 328. c. 2 linea vltima poſt (hac de cauſa) adde ne ſerutari & curioſè exquirere res maiores conaremur, vt ſequitur in pag. ſequent. 329. c. 1. p. 341. c. 2. l. 19. talibus l. tabulis. p. 345. c. 2. l. 40. quadam l. quidam. 41. tamen in viſcera dele in viſcera. p. 346. c. 1. l. 63. opipuca l. opipara l. 64. ladatur l. ludatur. p. 346. c. 2 l. 16. lurnio l. licinio. l. 18. edictam l. edictum. p. 351. c. 2. l. 33. ſubdito l. habito l. 54. dæmorſis l. demerſis. l. 24. aquæ l. aqua. p. 352. c. 1. l. 54. hoc l. hos. p. 352. c. 2. l. 23. operipus l. operibus l. 46. grofundum l. profundum. p. 390. c. 1. l. 19. nequeat l. queat p. 394. c. 1. l. 7. enim l. eum. p. 409. c. 2. l. 45. dele Nemrod. l. 12. adde vel. p. 432. c. 2. l. 48. dele ita Cornelius ſunt enim præcedentia verba autoris. p. 434. c. 2. l. 60. pragis l. plagis. p 441. c. 2 l. 6. agnam l. agnum. p. 442. c. 2. l. 32. ſubdiei l. ſubditi. p. 44. c. 1. l. 137. imituntur l. imitantur. l. 23. ſolutium l. ſolutum. p. 449. c. 2. l. 50. efferre l. offerre. p. 450. c. 2. l. 59. dam l. dum. l. 68. gentiam l. gentium. p. 451. c. 1. l. 1. ſuberba l. ſuperba. & l. 37. ſenam l. ſenum. c. 2. l. 35. cruciando l. cruciandos. p. 452. c. 2. l. 26. 19. l. 20. p. 453. c. 1. l. 17. & l. ex l. 31. euidentes l. euidenter. p. 433. c. 2. l. 10. actoniti l. attoniti. l. 35. arrogantes l. arroganter. p. 457. c. 1. l. mandatum l. mundatum. p. 459. c. 2. l. 59. anuthematizatur l. anathematizatur. p. 465. c. 2. l. 39. faſces l. faſcer. 422. c. 2. l. 18. ſuxum l. ſaxum. p. 474. c. 1. l. 20. captus l. caput. p. 488. c. 1. l. 30. æuare l. auare. p. 497. c. 1. l. 19. profiundum l. profundum. l. 20. ſupernatures l. ſupernatare. c. 2. l. 17. formitatem l. firmitatem. l. 49. priſtinum l. piſtrinum. p. 498. l. 44. adde non ad vltimum. p. 504. c. 2. l. 7. impaziuntar l. impertiatur. p. 507. l. 52. c. 1. prodeo pœnas aſſunum l. pro Deo pœnas aſſumum. p 507. c. l. 42. deambulant l. decumbulans. p. 509. c. 1. l. 29. audiui l. audiri. p. 513. c. 1. l. 31. ſacrilega l. ſacrilegia. l. 38. dele corruat. p. 518. c. 1. l. 9. exprimi l. ex primi. p. 521. c. 1. l. 63. per eius l. peruius. p. 537. c. 1. l. 62. dele punctum poſt pro mea. l. 63. ad vita l. aducta l. 65. num tum l. non tam. l. 66. viuit l. vicit. c. 2. l. 5. ſpedimenta l. impedimenta. p. 546. l. 21. reis l. eris. p. 547. l. 18. nam quid l. num quid. p. 560. l. 17 propriam l. proprium. c. 1. l. 37. rutine l. rationes. p. 561. c. 2 l. 6. graria l. gratuis. p. 562. c. 2. l. 20. murmurationem l. murmurationum. p. 580. l. 41. diſſiderent l. deſiderent. p. 582. c. 2. l. 22. ſponſutet l. ſponſiones. p. 584. l. 39. dariæ l. duliæ. p. 595. l. 19. c. 1. vriue l. eius. p. 598. l. 30. c. 1. vltimam l. vltimum. l. 47. auferum l. auferam. affligeris l. affigens. p. 607. l. 19 c. 2. dele eius. p. 626. c. 2. l. 61. obtulit l. obtundit. p. 632. c. 1. l. 58. fructum eſt l. factum eſt. p. 633. c. 2. l. 59. ordinum l. ordinem. p. 636. l. 24. vouationi l. nouatiani errorum l. errorem, c. 2. l. 34. confuſo l. confuſio. 638. c. 1. l. 41. procuratur l. procurator l. 61. amictum l. amictam. p. 657. c. 2. l. 25. animi l. anni. p 676 l. 24. c. 1. hæc l. hæ. l. 25. catumelæ l. catenulæ. l. 27. fuujculus l. funiculus. c. 2. l. 13. nubis l. nobis. p. 685. c. 2 l. 62. mitti l. miſſi. p. 688 c. 2. l. 67. rerunt l. venerunt. p. 489 l. 24. ditiones l. ditiores. p. 492. l. 30. & l. eis. p. 709. c. 1. l. 34. factus l. fatus. p. 725. c. 1 l. 29. iudicari l. indicari. p. 740. c. 1. l. 31. creatos l. creator. c. 2. l. 58. fringitur l. fingitur. p. 747. c. 2. l. 12. peccatum naturæ adde non. p. 746. c. 2. l. 22. poſteritate l. poſteritati. p. 749. c. 1. l. 52. aurei l. auris. p 760. c. 1. l. 42. auram l. aurum. l. 18. tantum quantum l. tantam quantam. p 779 c. 1 l. 43. viros l. viror. p 781. c. 2. l. 61. vitiares l. cribrares p. 789. c. 1. l. 15. ſint l. ſicut. p. 790. c. 1. l. 28. ſuo l ſuos. l. 41. præditi l. prædiri. p. 791. c. 1. l. 30. peccator l. peccato. p 791. c. 1. l. 13. quæ l. qua. p. 795 c 1. l. 3. fædetis l. fætidis. p 797. c. 2. l. 1. qlenum l. plenum. p. 799. c. 2. l. 62. ex animabit l. examinabit p. 773 c. 1. l. 6. dependeat l. dependent. p. 811. c. 1. l. 26. ſocium l. ſonum. l. 40. enim l. eum. l. 41. ieris l. ierit. c. 2. l 23. ſint l. ſunt. p. 827. c. 2. l. 10. concipiam l. concipiant. p. 828. c. 1. l. 35. iudicio l. iudicia. p. 833. c. 2. l. 60. citiens l. ſitiens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google